



LEXICON
ANTIQUITATUM
ROMANARUM:

IN QUO

RITUS ET ANTIQUITATES

cum Græcis ac Romanis communes,
tum Romanis peculiares,

SACRÆ ET PROFANÆ, PUBLICÆ ET PRIVATÆ,
CIVILES AC MILITARES EXPONUNTUR.

Accedit his Auctorum notatorum, emendatorum,
& explicatorum Index copiosissimus.

AUCTORE

SAMUELE PITISCO.

TOMUS SECUNDUS.





VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

ANNO MDCCXIX.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.



D.



Pro L. sæpè prisci utebantur. Festus in Dacrymas: *Dacrymas pro lacrymas Livius sæpè posuit, nimirum quod Græci appellant δάκρυα. Item dautia quæ lautia dicimus*. In melicæ: *Melicæ gallinæ, quod in Media id genus corporis amplissimi fiat, L. litera pro D. substituta*. Turneb. Adv. III. 4. Fruter. Verisi. II. 21. Lipen. de Stren. c. 1. §. 17. Gyrald. Deor. Synt. x. p. 331. D. Salmas. Exercit. Plinian. p. 903. b. F. 153. a. C. Sciopp. Verisi. III. 8.

D. pro P. prisci usurpaverunt. Dionys. Halicarn. 1. p. 55. *In eo posita sunt Trojanorum deorum imagines, cum inscriptione, Denatos, quæ Penates significant. Videntur enim mihi illi prisci ante inventum P. usurpasse pro eo D. literam*. Donat. de vet. Rom. III. 3. Nardin. Rom. Vet. v. 4.

D. & R. invicem permutabantur. Inde præs, prædis declinatur pro præs, præris. *Salmas. de mod. usur. c. 16. p. 737. Auctor Misc. defens. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 426.*

D. pro T. interdum veteres utebantur. Quintil. I. 4. *Quare minus mirum, si in vetustis Urbis nostræ, & celebribus templis legantur Alexanter & Cassantra*. Sic legimus aliquando quodannis pro quotannis. In cenotaphio Lucii Cæsaris: *Lignorumque. acervos. ejus. rei. gratia. quodannis. ibi. constituatur*. In Inscriptione posita Tiberio imperante legitur etiam quodannis. Et adque pro atque in Inscriptione Ursi Togati reperta Romæ: *Folio multo adque unguento marcido onerate amantes*. Turrig. in illam Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 402. A. Politian. Epist. IV. 9. Noris. Cenot. Pisan. §. 2.

D. pro X. in veteribus libris aliquoties ponitur. *D.* enim est prima litera numeri decem, qui X. notatur. *Ciaccon. de triclin. p. 23.*

D. pro Z. scribimus scribendi more olim usitato. Sic oridia pro oryza in exceptis Viridarii ex Apicio quæ manu scripta habemus: *Amula bis de oridia propter spissitudinem superfundes*. Et *trapedia* pro trapezia apud Var. Auctor. de limit. p. 248. *Alii autem tetrametra, quibus constant mensulæ, quæ trapedia vocantur*. Salmas. in Capitol. Anton. Pium c. 9. Pignor. de serv. p. 492. Gyral. Deor. Synt. VIII. p. 277. E.

D. voci in vocalem desinenti, ut hiatus vitaretur, veteres addebant. Quintil. I. 7. *Ut Latinis veteribus D plurimis in verbis ultimam adjectam: quod manifestum etiam est ex columna rostrata, quæ est C. Duillio in foro posita*. In ejus basi prædad. altod. marid. reperias. Catul. VIII. 19.

At tu Catulled obstinatus obdura.

Horat. Od. III. 14. 11.

—— maled ominatis

Parcite verbis.

Muret. V. L. XV. 19. Schott. Obs. II. 7. & 16. Palmer. Spic. 1. p. 619. Ciaccon. Column. Rostr. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1815. B.

D. in numeris digerendis notat quingenta. Priscian. de Figur. numer. p. 1345. edit. Putsch. *Græcos Latini in plerisque imitati sunt. Nam per I. unum notant illos secuti. Quinque per V. quia quinta est vocalis. A. E. I. O. V. Decem per X. quia decima est consonans apud Græcos. B. Γ. Δ. Z. Θ. K. Λ. M. N. Ξ. vel quod post V. apud Latinos sequitur. Quinquaginta per L. quia apud antiquos Græcos L. pro N. quæ nota est quinquaginta, ponebant. Centum per principalem nominis literam C. Quingenta per sequentem literam consonantem. Nam post C. D. sequitur*. Scalig. de caus. Ling. Lat. c. 41. Ego in vetustissimo libro inveni millenariam notam istiusmodi imagine depictam ⊳ ⊲. & illam rectam & sinceram arbitror; est enim deformata ex X. quæ prima litera est in Χιλιάδε, ut in litera prima ex mille. Hujus igitur dimidium est Δ. quæ triangulari forma D. literam repræsentat, omninoque puto sequentes annos in hac forma aliquid immutasse, ac cum olim pingeretur ⊳, ut literam delta exhiberet, latera ejus inversa fuisse. *Nann. Miscell.* x. 4. At ego contendo, non à Græcis, sed ab agricolarum tesseris numerarias notas usu receptas, hancque vetustissimam, etiam ante repertas literas, rerum demonstrandarum rationem fuisse. Unica crena surculo impressa unitatem notaverunt: deinde duas lineas hac specie, V. ab inferiore parte conjunxerunt, ut quinque significarent, rursusque totidem transversas X. quibus denarius numerus repræsentaretur. Iidem unam deinde transversam cum dimidia inciderunt, quæ quinquaginta significarent, fuitque diu hæc nota literæ longæ, quam L. vocamus. Cum verò ad centenarium pervenissent, eum denarii nota incisa connexaque illi priore ex parte unitate effinxerunt, hoc modo, IX. Quingenta designare volentes quinquagenariam notam ab inferiore parte linea ducta jungebant: mille verò eadem ratione, qua centum, taleæ imprimebant, nisi quod ambæ transversæ lineolæ utrinque unitatibus claudebantur, hac forma, IXI. quam recentiores expolivere, & quibusdam amotis, ut ita dicam, fibulis, M. fecere. *Alciat. Parerg.* x. *c. ult.*

D. Decium qui interpretarentur, multos esse animadverti. Quem notum quidem errorem, sed errorem tamen tollo. Nam præterquam quod Decius est gentis nomen, Græcorum etiam monumenta satis indicant, quoties in libris Latinis, aut aliis ejusmodi monumentis *D.* loco prænominis scriptum est, Decimum esse exponendum, quia Δέκιμον plerumque habent, non Δέκιον. *Sigon. de nom. Roman. c. 3. Emend.* II. 24. *Robort. Annot.* 1. 33. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 671. *D.*

DA.

DA verbum precationibus plerumque adhibebatur; Plaut. Pœn. v. 4. 16.

Da diem hunc sospitem, quæso, rebus meis agundis.

Lucan. IX. 997.

—— date felices in cætera cursus.

Imo iterabatur. Pers. Sat. II. 45.

—— da fortunare penates,

Da pecus, & gregibus fœtum.

Brisson. Form. 1. p. 73. Saubert. de Sacrif. c. 13.

DAC.

DACIA vetus ultra Danubium ab hac, de qua Notitia, differt: à septentrione enim à Sarmatis monte Carpato: ab occasu Iazigibus, & amne Tibisso dividebatur: à meridie, & oriente Danubium habebat. Ea regio nunc Valachia & Transilvania vocatur: eam tres gentes hodie incolunt, ait Æneas Sylvius de Europa c. 2. Teutones, Siculi & Valachi. Hi Flacci priùs dicti à Flacco, qui eò coloniam deduxit, postea corrupto vocabulo Valachi pro Flaccis nuncupati. *Dacos* primùm ultra Danubium per Lentulum Augustus repulit. Trajanus verò Decebalo eorum Rege victo *Daciam* provinciam fecit, & in eam colonias juris Italici deduxit, ab Ulpian. l. 1. §. ult. ff. de censib. relatas. Auctores Dion, Sext. Rufus, Eutropius, & Orosius. In circuitu habebat decies centena millia passuum. Sex. Rufus. Sub Gallieno principe amissa, per Aurelianum est recepta, sed destituta, translatisque inde in mediam Mœsiam illius incolis, & Romanorum colonis, eam regionem *Daciam* appellavit, quæ duas Mœsias dividit, & est in dextra Danubio mare influenti, cum antea fuerit in læva, inquit P. Diaconus. Idem affirmat Sex. Rufus loquens de *Dacia* sub Gallieno amissâ: *Per Aurelianum*, ait, *translatis exinde Romanis, duæ Daciæ in Mœsiæ regionibus Dardaniæ factæ sunt*. Vopisc. Aurelian c. 39. *Cum vastatum Illyricum & Mœsiam deperditam videret, provinciam trans Danubium Daciam à Trajano constitutam sublato exercitu ac provincialibus reliquit, desperans eam posse retinere: abductosque ex ea populos in Mœsia collocavit, appellavitque suam Daciam, quæ nunc duas Mœsias dividit*. De hac intelligit Notitia, prior enim nunquam amplius est recepta: ut etiam testatur Orosi. VII. 22. *Nam Dacia trans Danubium in perpetuum aufertur*. Et *Daciam* Ripensem citra Danubium usque ad Savum appellavit: & ita Valentinianus vocat Taurومedi *Daciæ* Ripensis duci scribens, l. 13. C. de op. publ. Interiorem verò *Daciam* mediterraneam dixit, l. 4. C. de metall. nov. 11. Auctor est Jornandes de regn. & temp. succ. *Dacos*, inquit, *sub imperio suo Trajanus, Decebalo eorum Rege devicto, adjecit, ac terras ultra Danubium, quæ habent mille millia passuum, in provinciam redegit. Sed Gallienus eos, dum regnaret, amisit. Aurelianusque Imperator evocatis inde legionibus in Mœsia collocavit, ibique aliquam partem Daciam mediterraneam, Daciamque Ripensem constituit, & Dardaniam junxit*. Tempore Notitiæ *Dacia* ab Attalo Hunnorum Rege, Martiano & Valentiniano imperantibus, devastata fuit. P. Diaconus & Justin. novell. 2. Sed à Leone recepta fuisse videtur, cum de ejus ducis, & utriusque Mœsiæ, ac Scythiæ officiis disponat, l. ult. ad fin. C. de divers. offic. Justinianus certè omnibus cis Danubium Romano imperio adjectis pristinos limites restituit, d. novell. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 139. & 155. Panvin. Imp. Roman. c. 19.*

DACICUS est dictus Imperator Trajanus, victo Decebalo, *Dacorum* Rege. Dio LXVIII. p. 774. B. *Triumpho ob victoriam acto, acceptoque Dacici cognomine, in theatro gladiatores commisit, quibus delectabatur*. Ursat. de not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 658. C. Nummum etiam Troadenses Trajani cum effigie percusserunt, & nomen *Dacici* in illo ob *Daciam* imperio Romano acquisitam gratulantibus percussum indicat. *Vaillant. Numism. Imper. 1. p. 149.*

DACTYLIOTHECAS integras templis ut sacrarent, opinor natum ex consuetudine, qua insano luxu delectati veteres, ut etiam gemmis digitos oneraverint, ejus expertes deos esse noluerunt, & illorum simulacris gemmas induerunt. Plin. XXXVII. 1. *Gemmas plures, quod peregrino appellant nomine dactyliothecam, primus omnium habuit Romæ privignus Sylla Scaurus. Diuque nulla alia fuit, donec Pompejus Magnus eam quæ Mithridatis Regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret, ut M. Varro, aliique ejusdem ætatis auctores confirmant, multum prælatam Scauri. Hoc exemplo Cæsar Dictator sex dactyliothecas in æde Veneris Genitricis consecravit: Marcellus Octavia genitus in Palatina Apollinis ædem unam*. Rycq. de Capit. Rom. c. 22. Bud. de asse III. p. 364. Donat. de Urb. Rom. III. 2.

DAL.

DALMATÆ præstiterunt cæteris gentibus, quas Illyricum est complexum. *Dalmatas* à Liburnis discrevit flumen Titius. Subacti sunt post Labeates, quorum caput erat Delminium. His crimini datum erat, quod Illyricos Romanorum socios divexassent. Ergo à C. Marcio Figulo Consule anno 597. usque ad Narnnem fluvium fusi, Delminiumque compulsi sunt: à P. verò Nasica Consule, Delminio ipso incenso, in potestatem adducti. Sequutum est inde alterum cum *Dalmatis* bellum. Scribit enim Appian. Bell. civ. V. p. 761. anno 626. L. Metellum consulem adversus *Dalmatas* nulla eorum culpa, triumphandi tantùm libidine profectum, ab iis amicè exceptum, Salonæ eorum oppido hibernasse, &, deportato exercitu, sine causa de iis triumphasse. Cui vix possum assentiri, cum apud Livium scriptum inveniam, *Dalmatas* à L. Metello armis subactos, & apud Ascon. in Cicer. p. 107. L. Metellum ædem Castoris de manubiis *Dalmatarum* exstruxisse, atque subactis iis cognomen *Dalmatici* invenisse: multam *Dalmatiæ* partem C. Cosconium proconsulem, Salone capta, subegisse prodit Eutrop. VI. 4. Deinde cum *Dalmatis* Cæsar bellis civilibus perfunctus bellum gessit; siquidem P. Vatinium misit, qui tributa imposuit, & obsides pacis accepit: quo tempore illa ad Vatinium scripsit Cicer. Fam. V. 11. *Dalmatis dii malefaciant, qui tibi molesti sunt*. Et cum, Cæsare mortuo, *Dalmatæ* se quicquam daturos negarent, atque Vatinium ipsum arma parantem acie superassent, Octavianus triumvir Japudibus cismontanis, qui defecerant, receptis, cum transmontanos nondum populo Romano subjectos, Metulo eorum urbe expugnata, in potestatem redegisset, postero anno in *Dalmatas* Taulantiis proximos, qui post Vatinium victum tributum per decennium non dederant, arma convertit, atque eos ægrè, præsertim accepto vulnere, & magnis aliis affectus incommodis, tandem subegit, ut prodidit Dio XLIX. p. 414. D. *Sigon. de ant. jur. prov. I. 7. Panvin. Imp. Rom. c. 14.*

DALMATIA à monte Sardonio versus septemtrionem ad mare Adriaticum, & meridiem contra Apuliam protenditur, ab occasu habet Liburniam, ab oriente Macedoniam, à qua Drilone fluvio divisa antiquum nomen retinet. *Pancirol. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 63.*

DALMATICA est appellata vestis, in *Dalmatia* primùm confecta, & illinc Romam allata. Isid. XIX. 22. *Dalmatica vestis primum in Dalmatia provincia Græciæ texta est*. Alcuinus Offic. divin. *Dalmatica ob hoc dicitur, quod in Dalmatia sit reperta*. Ferrar. de re vest. I. 3. 9. Cerda Adv. sacr. c. 36. §. 13. Du Fresne Glossar. Figura erat chlamydi persimilis: unde dicitur tunicula, quales dicuntur Italis diaconorum tunicæ, & non differebat à toga, & quidem triumphali: & illa Reges sunt usi. Ammian. XIV. 9. *Post hæc indumentum regale quærebatur, & ministris fucandæ purpuræ tortis, confessisque pectoralem tuniculam sine manicis textam, Maras quidam nomine inductus est, ut appellant Christiani, diaconus*. Unde *Dalmaticatus in publico processit* Commodus apud Lamprid. c. 9. Et *Dalmaticatus in publico post cœnam sæpe visus est* Heliogabalus apud Lamprid. c. 26. *Baron. in Martyrol. ad 4. prid. Kalend. Junii. Cerda & Du Fresne l. l. Calcagn. Quæst. Epist. III. 1.* Ammianus non dicit *Dalmaticam* similem fuisse chlamydi figura. Nam trunca fuit, & sine manicis, de qua ille, *Dalmatica* manuleata. Sed scribit tantùm purpura infectam. Et tantum à chlamyde distabat, quantum à pallio tunica. Diaconorum vestes propriè *Dalmaticæ* non sunt, sed potius colobia, qualesque veterum tunicæ, quarum manicæ ad manus non pertingebant, & ideo tuniculæ appellantur; nec fuerunt illæ talares, ut omnes tunc *Dalmaticæ*. Et quid palmata toga cum *Dalmatica*? quid Ausonio cum Ammiano? quid Regibus cum diaconis? Palmata fuit toga

apud

apud Ausonium, literis non inscribi solita, sed variis figuris intexi. Verba Gratiani sunt, cum trabeam mitteret: *Palmatam tibi misi, in qua D. Constantius parens noster intextus est.* Quæ verba Ausonius ipsa trabea pluris æstimat. *Hæc planè*, inquit, *hæc est picta, ut dicitur, vestis, non magis auro suo, quàm tuis verbis.* Non quod ipsa verba inscripta essent, ut credidit Baronius. Sequitur enim: *Constantius in argumento vestis intexitur. Gratianus in muneris honore sentitur.* Tuniculam Ammianus appellat *regale indumentum*, non à forma, sed quod esset tota purpurea, qui tunc color solis Principibus reservatus. Principes *dalmaticatos* in publico conspectos pro magno dedecore posuit Lampridius: & non fuisse notatos, quod *dalmaticati* essent, sed quod in solis *dalmaticis*: quod existimat Kerkoetius, ne refutandus quidem est. Nec fuit colobium. A quo fuit diversa. V. supr. in *Colobium*. Ferrar. de re vest. l. l. Et tamen Epiphanii ætate nullum discrimen inter utrumque videtur fuisse, quia pro eadem veste ponit Hæres. 1. 15. *Quod dalmaticas aut colobia appellare possumus.* Unde Nicet. Choniat. Thes. Orth. t. 38. *Dalmaticis, quæ nunc colobia dicuntur.* Salmas. in Tertull. de Pall. p. 85. Ferrar. de re vest. l. l. & Anal. c. 25. Fuit verò tunica manuleata, quæ in colobii locum successit in Ecclesia, quæ, ubi primùm ex malis, & in arcto positis temporibus, quibus adolescentiam laboriosam & exercitam habuerat, cœpit emergere, multum de pristina severitate remisit, atque ab aurea illa simplicitate degeneravit. Pro paupertate quippe divitiæ magno agmine intrarunt, & divitiarum comes individuus luxus. Tum magnificè ac sumptuosè templa ædificari cœpta sunt, atque auro argentoque ornari. Exinde ministros quoque, nisi mundulè, ac nitidè vestitos talibus templis inservire indecens visum est. *Salmas. ibid. p.* 78. Et vestis, quæ olim fuerat mollium & delicatorum, postea gravissimorum sanctissimorumque Episcoporum fuit gestamen. *Casaub. in Lampr. Commodum & Cerda l. l.* Silvester Papa *dalmaticas* illis assignavit, ut afferunt Breviarium Romanum in Silvestro, & Hugo de S. Victore Erud. Theol. 1. 33. quia nuditas brachiorum culpabatur. *Pignor. de Serv. p.* 105. Alcuinus supra laudatus: *Usus dalmaticarum à B. Silvestro Papa institutus est; nam antea colobus utebantur. Colobium verò est vestis sine manicis. Cum ergo nuditas brachiorum culparetur à B. Silvestro, dalmaticarum repertus est usus.* Et VValafridus Strabo de reb. Ecclesiast. c. 24. *Et Silvester ordinavit, ut diaconi dalmaticis in ecclesia uterentur. Et primo quidem sacerdotes dalmaticis ante casularum usum induebantur: postea verò cum casulis uti cœpissent, dalmaticas diaconis concesserunt.* Idem addit à Romano pontifice earum usum aliis Episcopis permissum, aliis interdictum: sua verò ætate omnes penè Episcopos, & nonnullos presbyterorum sub casulis *dalmaticas* gestasse. *Ferrar. ibid.* 1. t. 39. 3. 9. Sed longè ante Silvestrum Episcopi etiam illis usi leguntur, si verum dicit auctor vitæ Cypriani his verbis: *Cum se dalmatica exspoliasset, ad lineam stetit.* Salmas. ibid. p. 84. Guther. de offic. Dom. Aug. II. 14. Eutychianus Pontifex auctore Damaso v. 1. constituit, *ut quicunque fidelium martyrem sepeliret, sine dalmatica, aut colobio purpurato nullatenus sepeliret.* Kirchman. de Fun. Rom. 1. 10. Morestell. Pomp. Feral. 1. 16.

DAM.

DAMARUM, quem vocamus, lusus, Belgice *dammen*, nihil, aut parum distat à ludo veterum, quem διαγραμμισμὸν vocabant: nisi quod hic sexaginta calculis albis nigrisque constabat, qui de loco in locum trahebantur; ille verò triginta tantùm calculis luditur, quindecim albis, & quindecim rubeis. *Souter. Palam.* 1. 20. *Senftleb. de alea c.* 8. *n.* 6.

DAMASCUS à *Damasco* servo Abrahæ est condita, & olim *Ara* dicta, ut testatur Hieron. in Esaj. c. 17. & Zophon. c. 2. *Pancirell. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 147. Metropolis fuit totius Phœniciæ Libanensis, & *quondam in omni Syria tenuit principatum, ut nunc Saracenorum metropolis perhibetur, unde & Rex eorum Nauvias famosam in ea sibi gentique sua basilicam dedicavit, Christianis in circuitu civibus Baptistæ Johannis ecclesiam frequentantibus.* Hieron. de loc. Hebr. in Act. Apost. *Pancirol. ibid. c.* 108. & 113. Totius orientis oculus appellabatur. Nummus Volusiani coloniam nominat: ΚΟΛ. ΔΑΜΑΣ. ΜΗΤΡΟ. ΙΕΡΑ. ΚΟΛ. Item in alio nummo: ΚΟΛ. ΔΑΜΑΣΚΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΙΕΡΑ. ΚΟΛ. *Pancirol. ibid. c.* 63.

DAMIA dicta fuit Bona dea. Festus: *Dea quoque ipsa Damia appellabatur.* Panvin. de Civit. Rom. c. 37. Alex. Gen. VI. 8. Stuck. de Sacrif. p. 16.

DAMIATRIX appellabatur sacerdos Bonæ deæ. Festus: *Sacerdos ejus Damiatrix appellabatur.* Legendum est *damiatrix*. Ita sanè in antiquitus excusis legitur. *Scalig. in Festum. Alex. Gen. Dier.* VI. 8. *Panvin. de civit. Rom. c.* 37. *Guther. de vet. jur. Pont.* IV. 8.

DAMIUM dicebatur *sacrificium, quod fiebat in operto in honorem Bonæ deæ, à contrarietate, quod minimè esset δημόσιον, id est, publicum.* Paullus apud Festum. *Stuck. de Sacrif. p.* 16. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 37. *Turneb. in Cicer. de Leg.* II. *Gyrald. Deor. Synt.* IV. *p.* 147. *A.* Δάμιον Doricum est, ac Tarentinum, pro δήμιον, hoc est, δημόσιον, sive publicum. Causam, cur publicum diceretur, non satis perspexerunt Paullus, nec qui illum sequuntur. Credunt illi, publicum dici, quasi minimè publicum, eo quod viro nulli liceret ei interesse. Vera nominis ratio est, quod pro populo fieret. Cicer. Haruſp. resp. c. 17. *Sacrificium Bonæ deæ per virgines Vestales pro populo, seu pro salute populi Romani fiebat, & in ea domo, in qua erat imperium.* Attic. 1. 12. *P. Clodium Appii filium, te credo audisse, cum veste muliebri deprehensum, cum apud Cæsarem pro populo fieret.* Unde de hoc sacrificio Juven. Sat. IX. 117.

Pro populo faciens quantum Laufella bibebat.

Ejus origo Græca est. Athenis enim in consuetudine positum fuit, ut quotannis in domo ejus, qui eo anno Rex erat, fieret ab uxore Regis. Demosth. Orat. adv. Neæram. Romæ à consule, quia consules quasi annui quidam Reges erant, aut eo absente, aut cœlibe, aliave causa obstante, apud prætorem fiebat. Dio XXXVII. p. 50. A. Ejusmodi verò sacra, quæ publico sumptu pro populo fiebant, publica appellabantur. Festus. *Voss. de Idolol.* II. 16. *Instit. Orat.* IV. 13. §. 10. *Lex. Etymol. Merul. de Sacrif. c.* 1. §. 5. *Meurs. Græc. Feriat. in* Δάμια. *Jonston. de Fer. Græcor.* II. 3. *Muret. Var. Lect.* IX. 11. *Brisson. de Form.* 1. *p.* 19. *Scalig. in Festum. Saubert. de Sacrif. c.* 8. *Coler. in Alex. Gen.* VI. 8. *Kipping. Antiq. Rom.* 1. 10. §. 12. *Rosin. Antiq. Roman.* IV. 9.

DAMNATA dicitur ea, quæ non provocavit. Cæterum; si provocavit, nondum *damnata* videtur. Idem est, etsi ab eo, qui jus *damnandi* non habuit, *damnata* sit. *Damnata* enim tum videtur, cum *damnatio* tenuit. Ulpian. l. 2. §. ult. de pœnis. *Eum accipiemus damnatum, qui non provocabit. Cæterum, si provocet, nondum damnatus videtur. Sed etsi ab eo, qui jus damnandi non habuit, rei capitalis quis damnatus sit, eadem causa erit. Damnatus enim ille est, ubi damnatio tenuit.* Publico planè judicio *damnata* non videtur, quæ calumniæ prævaricationisve nomine, ex causa publici judicii sit *condemnata*, licèt infamiæ notetur. In calumniatores enim nulla publica quæstio constituta est. Nam etsi lege Remmia eis pœna irrogata sit, non tamen in publicorum judiciorum legibus lex ea numeratur. Igitur, si ob publici judicii accusationem per calumniam institutam, sive ob privatum judicium per calumniam motum, ut calumniatrix mulier *damnata* sit, senatusconsulto non continetur. Publico judicio itaque reos postulare mulieribus licebit, si suam, suorumque injuriam exsequantur, vel læsæ majestatis, aut annonæ fraudatæ accusationem perferant. His enim ex causis ad accusationem publici judicii admittuntur: quam si destitisse arguantur, ob eamque rem *damnata* sint, à senatorum nuptiis non arcebuntur: quod prævaricationis crimen in hac specie judicium publicum non sit. *Brisson. de jur. connub. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1064. *B.*

DAMNATI lege Cornelia prohibebantur manumittere. V. infr. in *Manumittere*. Imagines in pompis funebribus non præferebantur. Tacit. Annal. III. 76. 4. V. illum infr. in *Imagines*. In funere Juniæ, quæ C. Cassii uxor, M. Bruti soror. Tacit. II. 32. 2. *Cotta Messallinus, ne imago Libonis exsequias posterorum comitaretur, censuit.* Figrel. de Stat. illustr. Roman. c. 37. In diem decimum pœna differebatur. Dio LVII. p. 617. A. Suet. Tib. c. 75. n. 2. Tacit. Annal. III. 51. 3. *Tiberius senatusconsultum fieri jussit, ne quis à senatu damnatus intra decimum diem necaretur, neve sententia contra eum lata ante id tempus publicaretur: quo videlicet absens etiam de eorum sententia cognoscere, & ferre judicium posset.* Senec. de tranq. c. 14. *Credisne illum decem medios usque ad supplicium dies sine ulla sollicitudine exegisse?* Postea etiam in diem trigesimum. Cod. IX. 47. 20. *Si vindicari in aliquos severius contra nostram consuetudinem pro causa intuitu jusserimus, nolumus statim eos aut subire pœnam, aut excipere sententiam: sed per dies triginta super statum eorum sors & fortuna suspensa sit.* Cujac. Observ. v. 9: xx. 32. Pollet. For. Rom. v. 18. Savar. in Sidon. Epist. I. 7. Lips. & Ryck. in Tacitum. Pitisc. in Suetonium. Manus post tergum religabantur. Plutarch. Philopœm. p. 367. C. *Tandem eum caput attolleret, atque oculos aperiret, confertim superfusi, manibus post tergum illigatis abduxerunt eum.* Homer. Iliad. φ. 30.

Ligavit post tergum manus.

Suet. Vit. c. 16. n. 2. *Donec religatis post tergum manibus tractus est.* Pitisc. in Suetonium. Cervici laqueus injiciebatur. Nicet. Choniat. IV. *Deinde collo fune inserto a præcone circumducitur.* Suet. Vit. c. 17. n. 2. *Injecto cervicibus laqueo tractus est.* Cuper. Observ. I. 12. Pitisc. in Suet. Calig. c. 35. n. 5. Capilli reducebantur in occipitium, ut ab omni populo possent adspici. In ignominia enim & supplicio natura os oculosque submittimus. Plin. Paneg. c. 34. n. 3. *Nihil gratius, nihil seculo dignius, quam quod contigit desuper intueri delatorum supina ora, retortasque cervices.* Pollet. For. Rom. v. 18. Lips. in Plinium. Cuper. & Pitisc. l. l. Puniebantur extra portam Martiam. V. illam infr. in *Porta*, & in loco, cui nomen Sestertium. V. illum infr. in *Sestertium*. Sed qui existimationis alicujus erant, ut aliquod in morte solatium haberent, & ne supplicii irrogatio cognatorum animos ad ultionem meditandam fortius incenderet, in carcere per lictores puniebantur supplicio decreto securi, vel reste. Docet Senec. Declam. IX. 2. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 6. §. 3. V. supr. in *Carcer*. Sepultura prohibebantur. Suet. Vesp. c. 2. n. 8. *Pœna conjuratorum addendum censuit, ut insepulti projicerentur.* Qua pœna maxima & horrenda difficillimis Mariana factione temporibus affecti sunt proscripti, quos sepelire non licebat, sed canibus & alitibus dilacerandi objiciebantur. Appian. Bell. Civ. I. *Guther. de jur. Man.* I. 10. Maximè perduelliones & criminis majestatis affines. Ulpian. Dig. XLVIII. 24. 1. *Hodie autem eorum, in quos animadvertitur, corpora non aliter sepeliuntur, quam si fuerit petitum & permissum; & nonnunquam non permittitur, maxime majestatis causa damnatorum.* Sic Tiberius Gracchus, *hostis judicatus, ultimo supplicio affectus, sepultura hun respoliatus est* apud Valer. Max. IV. 7. 1. *Fab. Semestr.* II. 9. *Meurs. de Funer. c. 42. Pitisc. in Suetonium.* Si quis ex alio, quàm perduellionis, aut parricidii crimine, aut aliud quàm crucis supplicium perpessi forent: eorum cadavera punitorum ad sepulturam propinqui à magistratibus non iniquis plerumque impetrabant. Cicer. Verr. v. 45. *Illorum liberi si fuerint securi percussi, ac necati, corpora feris objicientur. Hoc si luctuosum est parenti, redimat pretio sepeliendi potestatem. Onasum Segestanum, hominem nobilem, dicere audistis, se ob sepulturam Heraclii navarchi pecuniam Timarchidi dinumerasse.* Ictorum etiam, ac posteriorum quoque Imperatorum temporibus durasse morem illum, ut animadversorum cadavera non modò cognatis, sed quibuslibet petentibus darentur: ex illo Pandectarum titulo, qui de cadaveribus punitorum est, apertè constat; & ex Diocletiani, & Maximiani rescripto, l. 11. C. de relig. & sumpt. fun. *Obnoxios criminum digno supplicio subjectos sepultura tradi non vetamus.* Faber, l. l. Nicol. de Sepulcr. III. 5. §. 6.

Damnati ad bestias, ut dicuntur Modestin. l. ad bestias 31. ff. de pœnis, dicebantur, qui ex sententia bestiis objiciebantur. Ulpian. Digest. XLVII. 13. 6. *Sacrilegii pœnam debebit proconsul pro qualitate personæ, proque rei conditione, & temporis, & ætatis, & sexus, vel severius, vel clementius statuere, & scio, multos & ad bestias damnasse sacrilegos, nonnullos etiam vivos exussisse, alios verò in furca suspendisse; sed moderanda pœna est usque ad bestiarum damnationem.* Non leve fuit supplicium. Discimus ex eo, quod Claudius *legitimam pœnam prætergressus, in majori fraude convictos ad bestias condemnavit.* Suet. c. 14. n. 6. Sed & ex eo quod sine missione ad bestias damnarentur, nisi Principis auctoritas accederet. Modestin. l. l. *Ad bestias damnatos favore populi præsides dimittere non debent, nisi eorum opera exhibenda sit Romano spectaculo ob artem & virtutem noxiorum.* Unde inter pœnas capitales *ad bestias damnationem* numerat Callistr. Dig. XLVIII. 19. 28. §. 15. *Buleng. de venat. Circ. c. 33. Pitisc. in Suetonium. Panciroll. de reb. deperd. & inv. p.* 694. Nulla pœna frequentior in Christianos. Tertull. Apolog. c. 35. *Nec ulli magis depostulatores Christianorum, quam vulgus: clamare enim solebat populus, Christianos ad leonem.* Brisson. de Form. v. p. 487. Hotman. Antiq. Roman. v. p. 759. B. Cerda Adv. sacr. c. 128. n. 44. Buleng. l. l. Aliud erat *ad bestias damnari*, aliud bestiis objici. Qui enim *ad bestias damnatus* esset, si feram confecisset, & certamine pœnam luisset, crimine solutus erat: at ei qui feris objiciebatur, nulla erat missio. *Buleng. l. l.* V. supr. in *Bestiis objici*, & *Bestiarius*.

Damnati ad gladium, & ad ludum gladiatorium erant diversi. Harum pœnarum differentiam tradit Ulpian. Fragm. tit. de abigeator. *Est autem differentia inter eos qui ad gladium, & eos qui ad ludum damnantur. Nam ad gladium damnati confestim consumuntur, vel certe intra annum consumi debent. Hoc enim mandatis continetur. Enimverò qui in ludum damnantur, non utique consumuntur, sed etiam pileum & rudem accipere possunt post intervallum. Siquidem post quinquennium pileum, post triennium autem rudem induere ei permittitur.* Brisson. de Form. v. p. 486. Hotman. Antiq. Roman. v. p. 759. D. Lips. Saturn. II. 3.

Damnati ad opus, ad metallum, ad munitiones viarum, ad purgationes cloacarum dicebantur, qui damnabantur ad fossam ducendam, ad metallum fodiendum, ad vias muniendas, ad cloacas purgandas. Suet. Ner. c. 31. n. 13. *Scelere convictos non nisi ad opus damnari præceperat.* Herod. II. p. 161. *Quoties Ægyptiorum quisquam aliud deliquisset, neminem voluisse morte afficere: sed pro delicti magnitudine quemque damnare ad aggerendam certam mensuram aggerum intra urbem.* Suet. Cal. c. 27. n. 4. *Multos ad metalla, aut ad viarum munitiones condemnavit.* Ulpian. Dig. XLVIII. 19. §. 6. *Inter eos autem, in metallum, & eos, qui in opus metalli damnantur, differentia in vinculis est: quod qui in metallum damnantur, gravioribus vinculis premuntur; qui in opus metalli, levioribus; quodque refugæ ex opere metalli in metallum dantur, ex metallo gravius coercentur.* Inventum hoc est Ægypti Regum. Diodor. III. p. 150. *Reges Ægypti ob maleficia damnatos in aurifodinas compingunt. . .* Plin. Epist. x. 41. 2. *Solent ejusmodi ad balineum, ad purgationes cloacarum, item munitiones viarum, & vicorum dari.* Fab. Semestr. II. 4. Brisson. de Form. v. p. 486. Hotman. Antiq. Roman. v. p. 758. D. Pitisc. in Suetonium. V. & infr. in *Metallum*.

Damnati ad transtra, triremes, sive remos fuerunt servi gravioribus Reipublicæ temporibus, cum pecunia in ærario non esset, qua civibus stipendia darent. Liv. XXXIV. 6. *Non milites in supplementum, non socios navales ad classem tuendam, non pecuniam in ærario habemus . . . . servus ad remum ex censu constituto, cum stipendio nostro dabamus.* Antequam eos remigationi adhiberent, libertate donabant. Suet. Aug. c. 16. n. 1. *Ad viginti servorum millibus manumissis, & ad remum datis.* Panciroll. de reb. deperd. & inv. p. 706. Pollet. For. Rom. v. 19. Scheffer. de milit. nav. II. 4. Pitisc. in Suetonium.

DAM-

DAMNUM injuria datum à furto & rapina fuit diversum, quod illa lucri faciendi causa tantùm, hoc *damni* inferendi causa factum est: illa non sine dolo, hoc per imprudentiam admissum. *Sigon. de judic.* I. 5.

DAN.

DANACE, *δανάκη*, erat nummus barbaricus, obolo major. Hunc ori mortuorum inserebant, ut esset, unde portorium solverent Acherusiam trajectum. Auctor Etymol. *Δανάκη numismatis barbarici nomen est, obolo plus, quod mortuis in ore ponebant.* Suidas. *Δανάκη, hoc numismatis est genus, quod olim mortuis dabant pro Acherusiæ trajectione: est verò Acherusia palus apud inferos, quam trajiciunt mortui, prædictum nummum dantes portitori.* Junius de Pictur. II. 8. §. 13. Gutber. de jur. man. I. 16. Rhodig. Ant. Lect. X. 2. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 13: III. 18. Meurs. de Fun. c. 5. Cuper. Numism. ant. p. 235. Clasen. Theol. gentil. II. 2. 5.

DANISTA erat præpositus mutuis pecuniis dandis, fœnerandis, accipiendis. *Pignor. de Serv. p.* 334.

DANUBIUS. V. illum infr. in *Ister*.

DAP.

DAPES sunt omnes opipari & sumptuosi apparatus. Liv. Andron. apud Priscian. VII.

Quæ hæc daps est, quis festus dies?

Glossæ: *Dapes, πολυτελῆ δεῖπνα.* Et inde *dapticè*, sumptuosè: *dapticum*, magnificum, sumptuosum: *dapsilis*, magnificus. *Scalig. in Festum in Daps. Voss. Lex. Etymol. Meyen in Virg. Æneid.* VI. 225. *Ursin. Observ. c.* 6. *Pontan. in Virg. Georg.* IV. 132. *Saubert. de sacrif. c.* 26. *Stuck. Ant. Conv.* I. 33. *Guther. de vet. jur. pont.* III. 14: I. 3. Diis opipatæ dicatæ erant, cum tamen nihil quicquam cibi, potionisque sumere potuerint falsa numina, sed sacerdotes illorum gulosi & ebriosi idolis apposita devorabant. *Tomas. de donar. c.* 5. Etiam in rogo funeris comburebantur. Virg. Æneid. VI. 224. V. illum infr. in *Thus*. Kirchman. de Fun. III. 5.

DAPIFER est servus, qui cibos jam coctos infert, & mensæ apponit. Hæc dictio apud nullum antiquum auctorem, quod sciam, reperitur. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 21. Sed apud Blesens. serm. 47. *Dapifer mensa Christi.* Et Cellens. Epist. I. 5. *Comes, sive dapifer Regis Theobaldus.* Scimus tamen principem unum imperii ex Electoribus *dapiferi* munus obtinere. *Cerd. Adv. sacr. c.* 44. *n.* 20: 180. *n.* 3.

DAR.

DARDANARIUS est propola, in veteri glossario *σιτοκάπηλος, παντοπώλης, παντομεταβόλος*. Vexant annonam, & supprimunt coemptas merces, ut cariùs vendant. Ulpian. l. 6. de extraord. crim. *Annonam attemptare & vexare vel maximè dardanarii solent, quorum avaritiæ obviam est itum tam mandatis quàm constitutionibus. Mandatis denique ita cavetur: præterea debebis custodire, ne dardanarii ullius mercis sint, ne aut ab his, qui coemptas merces supprimunt, aut à locupletioribus, qui fructus suos æquis pretiis vendere nollent, dum minus uberes proventus exspectant, ne annona oneretur. Pœna in hos variè statuitur, nam plerumque, si negotiantes sunt, negotiatione tantum eis interdicitur, interdum & relegari solent, humiliores ad opus publicum dari.* Guther. de Offic. dom. Aug. I. 33. Brod. ad Pollet. For. Rom. I. I. Schott. Obser. III. 5. Cujac. Observ. X. 19. Schill Nomencl. Philol. p. 382. Crediderim vocatos fuisse ab ea opinione, qua veteres putabant magnam inesse vim magiæ: ut & ejus vi messes alio traduci posse censerent excantatis segetibus: quod eorum tanquam maleficiis & venenis magicis crederent annonam averti in ipsorum horrea: & in metiendo mensuram imminuit, ejusque modo subtrahi: aut quod ad contumeliam & probrum magis eos increparent, *dardanarios* vocantes, cum esset odiosissimum magiæ & infame vocabulum. *Dardanus* certè magus fuit. Tertull. de anim. c. 57. *Ut istis jam vocabulis utar, quibus auctrix opinionum istarum magica sonat: ostentantes & Typhon, & Dardanus.* Apul. Apol. p. 544. *Ego ille sim Phrynondas ... vel ipse Dardanus, vel quicunque alius post Zoroastrem & Hostanem inter magos celebratus est.* Artes *Dardaniæ* sunt magicæ. Colum. X. 357.

Aut, si nulla valet medicina repellere pestem,
Dardaniæ veniant artes.

Turneb. Adv. IX. 17: XXI. 4. Junius Catal. architect. p. 72. Stuck. Ant. Conviv. II. 12. Brod. Misc. IV. 10. Brouyer. de Re cibar. IV. 12.

DARDANIA provincia Mœsiæ superiori contigua est, l. 4. C. de metall. ad meridiem inter Sardonium & Orbelum montes velut hemicyclo inclusa, nunc Rassia, & Servia, seu Segoria dicitur. Hodie Turcæ est subjecta. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 139. *occid. c.* 79.

DARE actionem dicitur judex, quando actorem ad intendendam actionem admittit. Cicer. Verr. II. 27. *Si quis eum pulsasset, edixit sese judicium injuriarum non daturum: quicquid ab eo peteretur, judicem de sua cohorte daturum: ipsi autem nullius actionem reisese daturum.* Bud. in Pandect. p. 35. B. Pollet. For. Roman. III. 2.

Dare in antecessum est solvere antequam deberi incipiat, aut peti possit: quod nos *ante manum dari* dicere consuevimus. Eo genere dicendi utuntur ICti, & Senec. de ben. IV. 32. *Ego quid cui debeam, scio: aliis post longam diem repono, aliis in antecessum,* id est, antequam debeam, solvo. *Turneb. Adv.* XII. 9: XXX. 3. *Lips. in Senecam.*

Dare nihil, *diminuere* nihil de fortunis suis libertis olim licuit. *Senatusconsultum enim factum, ut Fecenia Hispalæ datio, diminutio, gentis enuptio, tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset: utique ei ingenuo nubere liceret.* Liv. XXXIX. 19. Nam etsi ante vivo patrono libertina adolescentem Æbutium sua munificentia sustentabat, clam tamen patrono, & ignaro, contraque jus libertinæ conditionis ista faciebat. Hoc certè constat, mortuo patrono jus ei fuisse testandi, tutore à prætore & tribuno petito, in cujus manu esset, & quo auctore testamentum faceret. Decretum igitur dicit Livius fuisse SCto, ut ei jus esset *dandi & diminuendi*, quod est, de suo peculio largiendi & diminuendarum fortunarum: quod non fuisse videtur concessum libertinis vivo patrono. Itaque quanquam ejus patronus fato concesserat, vel quia senatus id ignorabat, vel quia mulierem omni jure conditionis libertinæ liberatam, defunctamque beneficio suo volebat, dationem & diminutionem ei tribuit. Addit, datam etiam ei *gentis enuptionem*, quod interpretor, non ut ei jus esset extra libertinum ordinem nubendi: sed ut aliis quàm libertis sui patroni, aut gentis, & qui patronus ejus erat: id est, quàm libertis gentis illius hominis, cujus erat liberta, nubere jus esset. *Turneb. Adv.* XXX. 25. *Dationis & diminutionis* verbum sine alterius partis adminiculo intelligi non potest. Sunt enim ex eorum natura, quæ Græci dicunt *τῶν πρός τι*. Et jungunt sibi illa propter quæ intelliguntur. *Dationis* enim verbum generale est. Nam dicitur *dotis datio, legum datio, datio in adoptionem, ut fidem, in solutum.* Ut *diminutio* est *capitis, dotis, corporis, legatorum, patrimonii*, quæ omnia speciali lege non indigebant. Livii locus est scrupulosus, & difficilis, ex cujus angustiis, tanquam è saxosis cotibus, enavigare conabor. Hispala primùm munificentia P. Æbutium amatorem sustinebat, quæ eo processerat, consuetudine capta, ut post patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore à tribunis & prætore petito, cum testamentum faceret, unum Æbutium instituerer hæredem. Veteri jure feminæ, post duodecimum annum ætatis, testamenta facere possunt, tutore auctore, donec in tutela sunt. Ulpian. lib. regul. tit. de testam. Quod si mulier testamentum fecisset, quæ se capite nunquam minuisset, non videbatur *ex edicto prætoris secundum tabulas possessio dari.* Cicer. Topic. c. 11. Capite autem minui dicebatur, quæ viri convenisset in manum.

Quæ igitur nunquam se capite minuisset, id est, quæ in manum viri minimè convenisset, si non tutoris auctoritate testamentum faceret, nihil agebat. Tutoris enim auctoritas necessaria fuit ad testamenti factionem, aut si mulier lege, aut judicio ageret, si se obligaret, si civile negotium gereret. Quare cum *dote Valeriam pecuniam suam omnem dixisse* argueret marin patronus, respondet Cicer. pro Flacc. c. 35. *nihil istorum explicari posse, nisi ostenderet, illam in tutela Flacci non fuisse. Si fuit*, inquit, *quæcunque sine hoc auctore est dicta dos, nulla est*. Ex iis certum, quod cum Scto tutoris optio Hispalæ data est, frustra illi liberam bonorum suorum facultatem tributam viri doctissimi putaverunt. Si enim potestas alienandi permissa est, cur postea tutoris optio data, & auctoritas imaginaria adjecta? Ut igitur Sc̄ti mentem assequi possimus, puto Livii lectionem distinguendam, ut est in Codice veteri, qui primus Mediolani excusus est typis ad fidem MSC. an. 1480. & habet interpunctam lectionem: *utique Fecenia Hispala datio, diminutio gentis, enuptio*. Enuptionis verbum per se plenum est. Patricia enim enubere dicebatur, quæ plebejo nupsisset. Rectè igitur dictio illa *gentis ad dationem & diminutionem* refertur. *Dare gentem* dicimus, ut *dare civitatem, dare connubium*. Libertini patrem habuisse non putabantur, cum servilis cognatio nulla esset, gens nulla, nulla sacra. Nec verò servi solùm, sed etiam libertini ab iis oriundi gentem non habuerunt: verùm ii soli quorum parentes nemini servierunt. Hispalæ ergo *data gens*, id est, jus gentilitatis concessum, quasi ab ingenuis esset oriunda, majoresque nunquam servitutem servivissent, aut capite minuti essent, patremque & avum illa ciere posset. Si Vindicio servo indicii præmium libertas, & civitas data apud Liv. II. 5. Hispalæ libertinæ ingenuitas concedi potuit jure singulari, ut desineret esse libertina. Quod igitur sub Principibus aureorum annulorum jus, & natalium restitutio dicebatur, stante Republica *gentis datio* erat. Cujus diminutio fuit gentis mutatio, quæ diminutio capitis minima appellatur. Hæc fiebat aut adoptione, aut in manum conventione. Gens adoptione amittebatur, si plebejus patricium adoptasset, hic enim è patriciis exibat. Ex quo *minuere gentem* apud Cicer. pro dom. c. 14. est de gentis dignitate aliquid detrahere. Ut cum gentem patriciam populus Romanus Hispalæ dedisset, permisit illi ut plebejo se in adoptionem dare posset, quod singulare jus aliud fuit. Cujac. ad reg. Ulpian. tit. de adopt. docet feminas sui juris legibus Romanis non arrogari, ea fretus ratione, quod nullam cum feminis comitiorum communionem fuisse credat. Hispalæ exemplum hanc opinionem evertit, cui repugnat textus Ulpiani, quem notis suis illustravit. Nam *feminæ quidem non arrogant* (emendavit Cujacius *non arrogantur*) *quia liberos in potestate non habent*. Ratio legis perspicua, quæ minùs apta esset, si legeretur, *non arrogantur*. Nec enim feminæ non arrogarentur, quia liberos in potestate non habent, alioqui omnes, qui arrogarentur, liberos deberent in potestate habere, quod dici non potest. Ut nulla lege vetitum, quin feminæ possent arrogari. Etenim quod illæ sub Principibus rescripto arrogabantur, l. nam & feminæ ff. de adopt. non probat stante Republica id curiatis comitiis fieri non potuisse. Sic Livia conjux Augusti de gente Claudia in Liviam primum, mox in Juliam adoptionibus transivit. Capitis diminutio, quæ conventione in manum contingebat, sacra quidem mulieris perimebat, sed nihil derogabat genti, nisi enuptio secuta esset. Divisio populi Romani ita à Romulo facta est, ut ingenui patricii essent, aut plebeji, quorum diversa gens esset. Qui ex duobus ingenuis ortus erat, gentem habebat, Ingenui enim non dicebantur priscis temporibus libertinorum filii, qui libertini ipsi vocabantur. Suet. Claud. c. 24. n. 4. Sed ex his procreati ingenuorum sibi nomen vindicabant. Libertini verò plebis jura simul cum civitatis adeptione impetrabant. At patricia jura, nisi lege nominatim ad populum lata, nemo potuit adipisci. Libertini tamen patricii patronorum gentiles vocabantur. Quorum nomina assumebant. Hi ut inter patricios numerarentur, lege curiata opus fuit, quæ verè gentem daret. Gens illa minuebatur enuptione, quæ propriè patriciarum fuit. Nam si plebeja patricio, aut libertina ingenuo nuptiis juncta esset, gentem illæ non minuebant, sed augebant. Si verò patricia plebejo, enupsisse dicebatur, hoc est, gentem derogasse. Hanc enuptionem patriciarum solùm fuisse, idemque Hispalam lege curiata patriciam factam, & gentem habuisse, ex Livio facile est comprobare. Nam apud auctores alios vix invenire est enuptionis verbum. In multis tamen locis reponendum est, ut in oratione D. Marci l. oratione ff. de rit. nupt. qua cavetur, *ut si senatoris filia libertino nupsisset, nec nuptiæ essent*. L. audacter *enupsisset*. Tacit. Annal. VI. 27. 2. dicit *denubere*. *Quod Julia Drusi filia. . . . denupsit in domum Rubellii Blandi*. Sic *Pythagora Neronem denupsisse* idem scribit ibid. XV. 37. 4. Gentis igitur *datio* enuptione probatur, nec enim Hispala enupsisset, si libertina, & plebeja remansisset. *Guther. de vet. jur. pontif.* II. 7. Imo verba illa generalia *datio . . . . &* *diminutio. . . .* significant generaliter, sed ex subjecta materia, quid angustius velint, haud difficulter colligitur, neque alia indigent temperatione, quàm ut in re certa, & minùs latè patenti adhibeantur. Notum est *dare* in genere Ictis esse per traditionem dominium transferre, l. 75. §. ult. ff. de V. O. Non possumus autem transferre dominium, nisi quod ipsi habemus, nisi earum rerum, quæ sunt nostræ. Cui ergo permittitur in genere *datio*, et conceditur, ut eorum, quæ sunt ejus, nemine vi juris, aut potestatis, aut patronatus intercedente, dominum facere alium traditione liceat: præsertim si constet ejus antea conditionem, statumve illum fuisse, ut hanc facultatem liberam satis non habuerit. Quare neque de alia re, quàm de bonis, sive peculio Hispalæ exaudiri potest illa *datio*, neque *diminutio* cujus sit, jam ignorari necesse est; tradendo enim alteri *minuimus* nostra; atque ea vox illustrandæ, & dilatandæ prioris causa addita. At inprimis huic interpretationi obstare putat Gutherius, quod *tutoris optio* eidem Hispalæ detur. . . . Atqui nunquam fuit propositum senatui Hispalam eximere numero mulierum, aut talia et jura dare, qualia viris tantum civibus, neque omnibus, nedum sequiori sexui conveniebant. Cam apud Liv. XXXIV. *majores*, ait, *nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluisse*: idcirco illis, quæ in manu parentum, aut virorum non essent, tutoris auctoritas erat in his rebus, *si lege, aut judicio agerent, si se obligarent, si civile negotium gererent*. Ulpian. Inst. tit. XI. Non igitur propterea negandum est *dationem diminutionem* suorum bonorum datam esse mulieri, quia tutor ad *dandum diminuendum* adhibitus est. Neque enim intelligitur ei facultas alia permissa, quàm quæ legibus Romanis ingenuæ feminæ, quæ nullius in manu erat, competebat. Itaque totum hoc opponitur libertinæ conditioni, quibus superstite patrono id concessum omnibus non fuisse, minùs autem mulieri, rectè sensit Turnebus. Nam & post edictum prætoris, quo jus patronorum in libertos temperamentum accepit, patrono remansit actio operarum, & alimentorum, & societatis bonorum nomine, si id in pœnam ingrati animi pepigisset patronus (satis autem credibile est, quemque, ut maximè potuit, in futurum sibi cavisse) & morientium sine liberis ab intestato patronus hæres erat, contraque testamentum, quo liberi hæredes instituti non essent, bonorum possessionem à prætore accipiebat. Neque obest, quod mortuo patrono, nec in manu ullius erat Hispala, & tutore ad tribunis, ac prætore petito jam testamentum fecerat. Nam hoc casu non abolebatur macula libertinæ conditionis: eoque cautum est hoc Scto, ut quod ante jus erat acquisitum Hispalæ per mortem patroni, cum maneret libertini ordinis, id jam ei competeret jure privilegii, quo ingenuis æquabatur, tanquam mulieri, quæ mortuo viro in nullius potestate esset. Gutherius vocem *gentis* aptat *dationi, diminutioni, & dationem gentis* interpretatur gentilitatem, quasi esset ab ingenuis oriunda; concedi ingenuitatem illi, ut desineret libertina. . . Principio advertendum Latini sermonis consuetudinem non ferre, ut dicamus, *gentis dationem esse alicui*, hoc significatu,

catu, gentem datam esse alicui: non secus ac factionem testamenti esse alicui, non potest explicari, factum ei testamentum esse. Sed ut hoc est, potestatem alicui esse testamenti faciundi, ita illud Latinè foret potestatem alicui *danda gentis* esse. Quæ potestas, aut facultas non dabatur singulari lege, sed erat omnium civium Romanorum, imò liberorum hominum: neque admodum benè hæc phrasis de muliere enuntiatur. Absurdum est dictu, libertæ decreto senatus *dari gentem* etiam Latino sensu: nam eo ipso, quòd manumissa erat, habebat gentem patroni: sed *gentem dare* esse dare ingenuitatem, esse deinde in patricios referre, multò minus potest probari. Absurdum est etiam, cum dicitur *datio gentis*, voce posteriore significari ingenuitatem, cum intelligitur eadem ad sequens *deminutio*, gentem patriciam denotari. Inauditum prorsus est feminas in patres relatas, aut decreto senatus gentem patriciam accepisse. Quæ verò est illa gens patricia? Feceniane an Hispala? an in Claudiam, Fabiam, Corneliam, aut similem transiit? Adoptione in Liviam, mox Juliam familiam transiit uxor Augusti. Arrogari, ut verè Cujacius, non poterant feminæ. Itaque rectè emendavit Ulpianum. Totum hoc capitulum conceptum est de illis qui adoptantur, non de illis qui adoptant. Locum non habere, quod est vulgò, *arrogant*, perspicuum est ex §. 8. *Femina neutro modo possunt adoptare, quoniam nec naturales liberos in potestate habent*. Sic fuit jure antiquo, nec inficiante Justiniano. Quum hoc tam mox docturus esset Ulpianus, quàm benè monuisset ante paucos versus de atrogatione? Nam si audias: *per populum Romanum femina non arrogant*, intelliges utique, posse igitur adoptare. Ergo illudit sibi Gutherius verba Ulpiani sic recitando .... Non enim est ea ratio illorum, de quibus dubitatur, verborum Ulpiani, neque hic in Ulpiani contextu inferitur, sed inferiùs, ubi neutro modo posse adoptare feminas semel dicit. Minimè quoque conveniens est, ut libertæ, quæ corpore quæstum fecerat, gens patricia decernatur. Frustra inducitur verbo *enuptionis*, quia est apud Livium *enubere è patribus*. Quid enim opus est hanc potestatem dare, quum post legem Canulejam de connubio patrum & plebis cuivis patriciarum virginum liceret voluntate parentum, aut quorum in potestate erant, plebejo nubere? quem nodum facit ipse sibi, nec tamen solvit Gutherius. Ita quidve solvi ait, ut est colligatum, ex regulis juris: patriciam factam lege curiata Hispalam, eadem lege ex patriciis exire permitti illi debuisse. Ergo quæ gentes post acceptam Canulejam legem in patres sunt lectæ, ex iis feminam, nisi nova lectione, enubere non quivisse putandum est: lectione enim facti erant patricii omnes illius gentis: ergo & lectione enubendum habuit virgo, quia ita quid solvitur, ut est colligatum. Ridicula hæc sunt, & plena joci. Cui novus ordo datur, ei utique commune jus omnium ejus ordinis simul acquiritur. Sed & privilegia strictè ait interpretanda: nempè, ne extendantur ultra concessum favorem: interim quemlibet favori pro se introducto posse renuntiare, nota regula est. M. Annæus in excerptis: *Quidquid honoris nomine datur, in utramque partem licet: alioquin desinit præmium esse, cui necessitas injungitur*. Gens libertorum non erat alia quàm patroni, à quo nomen accipiebant, & ejusdem gentis novam familiam humiliorem ordiebantur. Sic Tullius Tiro, sic Pompeja Macrina descendens à Theophane liberto M. Pompeji, sic plures alii. In his mirum non est moribus introductum fuisse, ut ex auctoritate patroni ejusdem gentis liberti ducerent uxores, libertæ nuberent, æquè ab eodem patrono illi manumissas, hæ manumissis. V. exemplum Catonis, & Salonii scribæ ejus liberti apud Plutarch. p. 350. F. Qui ne de liberis quidem, quos in potestate habebant, inscio patrono consulerent, ii de se maritandis illum auctorem spernere essent ausi? Nec leve argumentum ejus rei præbet Tacit. Annal. VI. 18. 3. Ubi quum Pompejam Macrinam, & maritum ejus Argolicum, socerum Laconem, patrem item fratresque appellasset, subjungit n. 4. *Datum erat crimini, quod Theophanem proavum eorum Cn. Magnus inter intimos habuisset*. Communis omnium proavus Theophanes, quia ex eadem gente personæ junctæ connubiis. Rectè ergo Turnebus *gentis enuptionem* explicuit. Et ea propter additur insuper: *utique ei ingenuo nubere liceret*: quod scilicet verbis illis non erat satis expressum. In oratione D. Marci audacter legit *enupsisset*. Verò, audacter, Nam *enubere alicui* non facilè usquam inveniet: sed *enubere ex gente, ex ordine suo*. Frustra etiam legem curiatam de Hispalæ patriciatu latam fingit: nam quis Livius refert consules cum tribunis plebis egisse, ut ad plebem ferrent; credibilius utique est tributis comitiis de præmiis utriusque indicis actum, & plebiscitum ex auctoritate senatus factum. Superat omnem admirationem, quod libertos patriciorum, quia accepto nomine gentiles patronorum dicebantur, patricios tradit factos, & ut numerarentur pulcri illi liberti, lege curiata opus fuisse, quæ verè gentem daret. Hæc piget refutare. *Gronov. ad Liv.* XXXIX. 19.

DAT.

DATATIM ludere erat pila ludere, propterea quod *dabatur*: vicissim & alternis ludere. Unde quidam *datores* dicebantur in lusu pilæ, qui pilam *dabant*: alii autem factores, qui faciebant, id est, feriebant, & ludebant, quique in factiones erant divisi, id est, ut dicimus, in consuetudine in partes. Plaut. Curc. II. 3. 17.

Tum isti qui ludunt datatim servi scurrarum in via:
Et datores, & factores omnes subdam sub solum,

In corona enim alius alii dat pilam, sed sæpè fallit. Nam cum gestu simulat se alicui facere, jacit alteri, qui securus est in choro. Id Lucanus vocat:

—— non sperate fugientem reddere gestu.

Paneg. ad Pison. n. 184. Inde translatio Ennii de muliere, quæ sui copiam faciebat, cum etiam alioqui mulieres impudicæ *dare* dicerentur, apud Isidor. I. 25.

—— quasi in choro pila
Ludens datatim dat se, & communem facit.
Alium tenet, alii nutat, alibi manus
Est occupata.

Nonius exodio apud Non. Marc. II. 213. *In molis non ludunt raptim pila, datatim morse*. Lepidè indicat servos solere inter molendum de polenta rapere, & invicem alium alii dare. *Turneb. Adv.* VII. 4. *Calcagn. de tesser.* p. 296. *Bred. Miscel.* II. 24. *Palmer. Spic.* VIII. p. 707. *Caroli Antiq. Roman.* IV. 9. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 4. 2. *Ramirez. Hypomnem. ad Mart.* IV. 9. 7. *Erhard. Symbol. in Petron.* p. 592. *Columna in Ennium* p. 310.

DATORUM ludus solet vocari ludus tesserarum. Auson. Profess. Burdig. I. 29. V. supr. in *Calculi*.

DAUNII fuerunt pars Apuliæ. Plin. III. 11. *Hinc Apulia Dauniorum, in qua oppidum Salapia, Sipontum, Uria, amnis Cerbalus Dauniorum finis. Dauniorum præter dicta colonia Luceria, Venusia, oppida Canusium, Arpi*. Sigon. de Ant. jur. Ital. I. 13.

DEA.

DEÆ matres passim occurrunt in lapidibus antiquis. Diana matris cognomento ornatur in columna ænea, quæ Cliniæ in Hispania exstat:

TEMPLUM. DIANÆ.
MATRI. D. D. APU
LEJUS. ARCHITEC
TUS. SUBTRUXIT.

Nimirum Diana mater est, quatenus Lucina, & parturientium dicitur opitulatrix. Luxemburgi in ara quadrata:

MATRI. ET PATRIBUS.

Et virgines. Diana virgo dicitur in hoc monumento apud Gruter. p. 4. n. 14.

VIR.

VIR. DIANÆ SACR.
PRO SALUTE
IMP. CÆSARIS L. SEPTIMI
SEVERI PERTINACIS.

Diana virgo est, quatenus virgines ipsi ante nuptias sacratæ, quod de Diana Munichia & Brauronia Harpocration testatur. Dii autem deæque virgines appellatæ, qui quæque vel matrimonium in cœlo non contraxerant, vel virginalis ætatis curam habebant. Quemadmodum matres & patres vocabantur, quæ quique vel primi dearum deorumque parentes, vel nuptias cum aliis numinibus injerant, vel matres patresque familiarum peculiari ope & favore tueri, atque sustentare credebantur. *Boxhorn. ad Plutarch. Quæst. Roman.* 73. Earum maxima pars effingebatur sedens, in nummis antiquis, præsertim in illis, quos vel turbata, vel recuperata Imperatorum suppeditavit valetudo. *Falconer. de pyram. C. Sestii Epul. Diss. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1471. *C. Selden. de diis Syr. p.* 258.

DEALBATORES à Paterno in Codice Theodosiano omittuntur. Ab albinis, vel albariis differre possunt, quòd illi parietes, isti vasa figulina, vel quid aliud *dealbant*. Panciroll. de corpor. artif. §. 32.

DEAURATORES dicebantur, qui statuas, vasa, arma, aliave opera auro integebant. Ita in codice Theodosiano nominantur. Plutarch. de glor. Athen. p. 348. E. *Una eant Tragi histriones, & Nicostrati, & Callipidæ, & Menisci, & Theodori, & Poli, tragœdiæ, tanquam sumptuosa mulieris, comptores, & gestatores, aut potius tanquam statuarum incrustatores, deauratores, & tinctores.* Figrell. de stat. illustr. Roman. c. 16. Panciroll. de corpor. artif. §. 12.

DEB.

DEBITORUM, si ex publico solvantur, habita est ratio, qua *neque tenuiores propter imbecillitatem circumveniantur, neque locupletibus ad sua vel tenenda, vel recuperanda obsit invidia*, ut loquitur Cicer. Offic. II. 24. Hujus auctores quidam in senatu sunt T. Largio & Q. Clœlio Coss. apud Dionys. V. p. 333. & secutus postea Manlius, auctore Liv. VI. 14. diversa tamen ratione. Illi, *quo & pauperum fides gratia servaretur, & creditores jus suum consequantur*, quod addit Dionysius. Hic, quo in speciem quidem justo, *quid enim justius, quàm ut populus vivat ærario suo?* Ut ex mente plebis Flor. III. 13. re vera autem callidissimo consilio plebem, ut qui sciret rem esse ipsi haud ingratam, sibi obnoxiam redderet. *Scheffer. Agripp. Liber. c.* 7.

DEBITORES cum solvendo non essent, ut trahi à creditoribus, atque ad operas in servitute præstandas cogi possent, erat jus jam inde à condita Urbe, ut opinor, vel lege, vel more constitutum. Hac licentia abusi multi in terga etiam miserorum crudelissimè sæviebant. Et hinc plebis in montem sacrum secessio anno post Reges exactos 16. nata est. Liv. II. 23. Dionys. VI. p. 361. *Magno natu quidam in forum venit: Sabino bello ait se militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit; sed villa incensa fuerit, direpta omnia, pecora abjecta, tributum iniquo suo tempore imperatum, æs alienum fecisse: id cumulatum usuris primo se agro paterno, avitoque exuisse, deinde fortunis aliis, postremo velut tabem pervenisse ad corpus: ductum se ab creditore non in servitium, sed in ergastulum, & carnificinam esse: inde ostentare tergum fœdum recentibus vestigiis verberum. Ad hæc visa, auditaque clamor ingens oritur: non jam foro se tumultus continet, sed passim totam Urbem pervadit: nexi, vincti, solutique se in publicum proripiunt.* Atque hæc ferè ante, quàm tabulæ scriberentur. *Sigon. de ant. jur. civ. Roman.* I. 6. Tunc enim confessi æris alieni judicatis justi dies triginta dati sunt conquirendæ pecuniæ causa. Gell. XX. 1. *Æris confessi, rebusque jure judicatis triginta dies justi sunto.* V. illos infr. in *Dies*. Ubi addit Cæcilius, nisi æs alienum illis diebus dissolvissent, ad prætorem vocari solitos, qui creditoribus eos addicebat: tum nervo, atque compedibus vinciebantur: deinde eos pacisci fas erat; nisi pacti forent, in vinculis sexaginta dies habebantur: in quibus diebus tribus nundinis continuis ad prætorem in comitium perducebantur, quantæque pecuniæ essent judicati, prædicabatur, ut si quis eos eximere vellet, quod nobilissimi quique facere solebant, tantam pecuniam solveret. Hinc ille jocus apud Nævium, ut refert Cicer. de Orat. II. 63. *Videtur*, inquit, *esse misericors ille, qui judicatum duci videt, percunctaturque ita: quanti addictus? cumque illi responsum esset, mille nummum: si addidisset, tantummodo, ducas licet, esset illud genus ridiculi præter exspectationem, sed quia addidit, nihil addo, ducas licet, addito ambiguo altero genere ridiculi, fuit, ut mihi quidem videtur, falsissimne.* Ambiguum erat, *nihil addo*: quoniam ad adjectionem referri poterat, qua quis in licitatione utitur; & ad ea, quæ agebat, hoc est, nihil verborum addo, nihilque amplius à me exspectes, eum liberè ducito. Tertius nundinis, ut Gellius scribit, capite pœnas dabant, aut trans Tiberum peregrè venum ibant. Capitalis pœna acerbissima fuit, ut si plures essent creditores, addicti corpus inter se secarent. Qua pœnæ immanitate effectum est, ut Cæcilius dicebat, ne unquam aliquis eam subiret. *Namque addici & vinciri multos*, inquit, *vidimus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Dissectum esse antiquitus neminem equidem neque legi, neque audivi.* Quintil. III. 6. *Sunt quædam non laudabilia natura, sed jure concessa, ut in* XII. *tabulis debitoris corpus inter creditores dividi licuit, quam legem mos publicus repudiavit.* Tertull. Apolog. c. 4. *Judicatos in partes secari à creditoribus leges erant, consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, & in pudoris notam capitalis pœna conversa est, bonorum adhibita proscriptione.* August. ad leg. XII. tab. §. 38. Scheffer. Agripp. Liber. c. 7. Rabir. de hast. & auct. orig. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. (25.) B. Sigon. l. l. Infames, ut qui fidem creditori præstitam non servassent, redditos esse docent legati Manlii apud Sallust. Bell. Cat. p. 16. quando coram Rege Q. Marcio sic loquuntur: *Violentia atque crudelitate fœneratorum plerique patria, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus.* Liv. VI. 34. *Fama & corpore judicati atque addicti creditoribus satisfaciebant.* Summa autem ejus infamiæ in duobus maximè consistebat, quod & fidem apud honestiores amitterent, & exciderent gratia patronorum, nec deinceps digni haberentur, qui eos clientium more salutarent, prosequerentur, in viis, & id genus alia officia præstarent. Appius hoc declarat in Orat. apud Dionys. IV. p. 386. *Nulli eorum, qui me defraudarunt, nexum, aut infamiam conciliavi, sed omnes per me liberi sunt, omnes gratiam habent ut clientes & amici, atque in maximè necessariis censeri volunt.* Scheffer. l. l. Si foro cessérint, bona distrahi, & portio creditoribus, quæ ex redacto fieret, solvi, pretiumque omnibus pro portione præstari solebat. Julian. l. 5. ff. de curat. bon. dand. *Si debitor foro cesserit, & creditores privato consilio coierint, & elegerint unum, per quem bona distrahantur, & portio ipsius, quæ ex redactu solveretur: mox exstiterit alius, qui se creditorem dicat: nullam quidem actionem adversus curatorem habebit: sed bona debitoris unà cum curatore vendere poterit: ita ut quæ à curatore, & a creditore ex bonis contrahantur, omnibus pro portione præstentur.* Quod & Seneca significat de Ben. IV. 39. *Pecunia etiam malè credita actio est. Et appellare creditorem ad diem possum, & si foro cesserit, portionem feram.* Brisson. de Form. VI. p. 540. *Debitores* plerique ad columnas, in quibus Principum statuæ positæ erant, velut ad salutis quendam portum confugiebant, ubi tanquam in fide publica positi, adversum dominorum sævitiam tuti essent. Cicer. pro Sext. c. 8. *Olimne Scyllæo illo æris alieno freto, ad columnam adhæresceret, in tribunatus portum confugerat?* Voluit Cicero, propter æris alieni magnitudinem, quod contraxerat gurges, ac vorago patrimonii, cuique solvendo nec plurium exhaustæ fortunæ essent satis, non solum ut olim ad Principum columnas, veluti perfugium quoddam adversus creditores, verumetiam ad Clodii tribunatum, in ejusdem fidem hostem confugisse. Ulpian. l. eum qui ff. de

privil.

privil. credit. *Eum*, ait, *qui circa columnas se occultat, ut creditorem evitet, latitare placet*, sentiens, ex his statuæ, & columnæ illæ obæratorum corpora à creditorum injuria vindicent, non tamen à debitore pignora auferri esse impedimento. Huc pertinet illa tribunorum plebis historia, cujus meminit Val. Max. VI. 5. 4. *Rabir. de Hast. ac auct. orig. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III *p.* (21.) *B.* Hoc falsum est, nec ullius auctoritate veteris scriptoris firmari potest. In Cicerone est ἀδωρυγισμὸν, & hoc vult, ne ære alieno pressus ad columnam Mæniam in jus vocaretur, & ibi damnatus à judicibus periret, perinde ac navis in freto Siculo perit, cum ad scopulum impingit, & adhærescit, tribunatum petiit plebis. Quamdiu enim tribunus plebis erat, in jus vocari non poterat. Quod locus productus Valerii Maximi de L. Cotta tribuno plebis, qui suis creditoribus satisfacere nolebat, tribunatu plebis, ad quem confugerat, non ad columnas Principis declarat. Multò minùs de his Principum columnis loquitur Ulpianus. Sunt enim hæ columnæ, quibus se occultare solebant *debitores*, non solæ Principum bases, sed quævis aliæ columnæ, quarum erat in foro magnus numerus, post quas latitabant, dum creditorem sibi occursurum, aut viderent, aut vererentur. *Grav. Thes. Antiq. Roman. Tom.* III. *Præfat.* * * 1. *vers.* Hunc post statuas latitandi morem Ambros. de Tobia c. 7. *Ille*, inquit, *gressus debitoris singulos numerat, aucupat deflexus. Iste continuò post columnas caput obumbrat.* Additur etiam in l. Fulcinius, §. illud sciendum ff. quib. ex caus. in possess. *eum latitare videri, qui in eodem foro agit, si circa stationes se occultet.* Ausim legere *statuas.* Ita enim Sidon. Epist. I. 11. *Principe post diem viso, in forum ex more descendo: quod ubi visum est, illicò expavit, ut ait ille, nil fortiter ausa seditio. Alii tamen mihi plus quam deceret ad genua provolvi, alii ne salutarent, fugere post statuas, occuli post columnas.* Cujac. Observ. I. 13. Alciat. Parerg. IV. 27. Savar. in Sidonium. Nec, sublata de nexis lege decemvirali, omninò creditoribus addici desierunt. Fuit enim in usu addictio quædam voluntaria, qua se in voluntariam servitutem tamdiu addici patiebantur, donec suis creditoribus satisfecissent. Id testatus est Varr. de Ling. Lat. VI. 5. *Liber homo, qui suas operas pro pecunia quam debeat, dat, dum solveret, nexus vocatur, ut ab ære aberatus.* De hujusmodi addictis Diocletianus, l. 12. C. de oblig. & act. *Ob æs alienum servire liberos creditoribus jura compelli non patiuntur.* Inviti ergo creditoribus servire non coguntur, sed rectè inviti in carcerem detrahuntur, l. 1. C. qui bon. ced. poss. Et sic pœnam carceris voluntaria servitute effugere, si vellent, poterant. *Ravard. Var.* IV. 18. V. supr. in *Addictus.*

DEBITORES chirographarii. V. illos supr. in *Chirographum.*

DEC.

DECANATUS erat decem virorum societas. Ita habet glossa in rubr. tit. Cod. de Decanis. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 667. *E.*

DECANUS erat, qui *decem* præerat, etiam in militia, ipse scilicet undecimus, & caput contubernii. Veget. II. 8. *Erant decani denis militibus præpositi, qui nunc caput contubernii vocantur.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 20. Stevvech. in Veget. II. 6. Ouzel. in Minut. Felic. p. 3. Du Fresne Glossar.

Decanus lecticariorum in lapidibus libertorum domus Augustæ. Hic inter lecticarios servos fuit primus, id est, antiquior, adhuc dum etiam Romæ *il decano de palafrenieri* dictus. Ni potius ille fuerit, qui decem lecticariis præerat. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 667. *D.* Romæ, ubi magna erat populi frequentia, plurimi, qui humandis mortuis operam darent, fuerunt instituti lecticarii à portandis lectis nominati. Et hi *decani* vocabantur, l. 4. ad Novellam 43. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III *p.* 376. *D.* fortè quod in decades essent divisi. A Constantino sunt inventi, ut gratuitam exportandis defunctis operam præstarent, eamque ob causam majori Ecclesiæ Constantinopolis 950. ergasteria donavit, alia 150. Anastasius cum quibusdam aliis reditibus addidit, quæ numerum 1001. ergasteriorum efficiebant, ex quorum pensionibus sumptus funerum fiebant. Novell. 59. §. 1. Leonis Novell. 12. A. defensores Ecclesiæ ex ergasteriorum pensione alebantur. Hi ferebant cadaver, sepulcrum exstruebant, & in aliis hujusmodi laborabant, unde κοπιαταὶ, id est, laborantes vocantur in d. Novell. 59. §. 2. Nullum tamen ipsis certum locum Constantinopoli destinatum fuisse invenio; sed, ut facilè inveniri possent, credendum est eos in certo loco congregatos mansisse, quemadmodum Romæ: ubi in unis castris degebant in XIV. Urbis regione, quæ *castra lecticariorum* appellabantur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 28. *Imp. occid. c.* 5. *Du Fresne Glossar.*

DECARGYRUM, δεκάργυρον, monetæ majoris species, eademque cum ea, quæ *majorina* dicta, ex l. 2. C. si quis pecun. conflav. Sic autem appellata, quod decem argenteis minutioribus æstimaretur, proindeque sexta argenti libræ pars esset: quippè, ut est in l. 1. C. eod. C. de expens. lud. *Argenti libra una in argenteos sexaginta dividebatur.* Du Fresne Glossar. Freher. de re monet. vet. Rom. I. 2.

DECEMBER à Romulo triginta dierum constitutus, ex ordinatione Numæ unum amisit: at à Cæsare non solum ad pristinum numerum restitutus, sed ad unum & triginta etiam extentus. Nonas semper quinto mensis die, & Idus tertio & decimo tenuit. *Viola de Roman. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* VIII. *p.* 197. *C.* Ab adulatoribus Commodi Imperatoris *Amazonius* est dictus. Lamprid. Comm. c. 11. *Pro Decembri Amazonium ex signo ipsius adulatores vocabant. Amazonius autem vocatus est ex amore concubinæ suæ Marciæ, quam pictam in Amazone diligebat: propter quam & ipse Amazonico habitu in arenam Romanam procedere voluit.* V. infr. in *November.* In tutela fuit Vestæ. *Alex. Gen. Dier.* III. 24. *Rhodig. Ant. Lect.* XXV. 30. *Stuck. de sacrif. p.* 26. *Donat. Dilucid. p.* 637. *Struv. Ant. Rom. c.* 8. *p.* 349. Saturno sacrum fuisse scribunt Plutarch. Quæst. Rom. 34. *An quia Saturno a Romanis est consecratus*, & Macrob. Sat. I. 7. *Ut December sacrum Saturni vocabulum possideret.* Tiraquell. in Alexandrum. Hoc parentavit Decius Junius Brutus, & tamen majorum instituta non neglexit. V. supr. in *Brutus Decius.* Illo alea aliàs legibus vetita ludere licebat. Mart. IV. 14. 7.

Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc & hinc fritillis.

Senftleben de Alea c. 1. §. 4. Lipen. de stren. c. 4. §. 69. Et ferè totus genialis erat & festivus: unde *acceptus genius*, id est, genialis, quoniam in illo indulgebatur genio, hoc est, voluptatibus, dicitur Ovid. Fast. III. 50.

Acceptus genius illa December habet.

Juven. Sat. VII. 96.

Tunc par ingenio pretium: tunc utile multis
Pallere, & vinum toto nescire Decembri.

Senec. Epist. 18. *December est mensis, quo civitas maximè desudat, jus publicæ luxuriæ datur, ingenti apparatu sonant omnia.* Stuck. Ant. Conviv. I. 33. Grang. in Juvenalem. Lipen. l. l. Faber Semest. 2. 14.

DECEMJUGIS vocabatur currus, quem *decem* equi juncti trahebant. Suet. Ner. c. 24. n. 4. *Aurigavit quoque plurifariam: Olympiis verò etiam decemjugem.* Auctor vetus Olympiadum collectionis vocat δεκάπωλον. Quem Neronis tempore usurpari cœptum vero simile est, ita tamen, ut non ordinarius, sed extraordinarius fuerit, & ex provocatione, ac arbitrio certantium inter se junctus. Ordinariorum enim currus maximus fuit sejugis. Isidor. XVIII. 36. *Sejuga, maximus currus, currit Jovi, propter quod maximum deorum suorum eum esse credunt.* Novum fuisse, nec visum antea, vò *etiam* ostendit apud Suetonium. Romam circenses non viderunt *decemjugem*, nec per Neronem quidem exhibitum, quia nominatum Suetonius hoc factum ait Olympiis. *Scheffer. de re vehic.* II. 14. *Panvin. de lud. Circ.* 19. *Hugo de milit. equest.* I. 6. *Buleng. de Circ. c.* 50. *Pitisc. in Suetonium.*

DE-

DECEMPEDA est lignum, quo latifundia metiuntur, & in partes dividunt, oblongum pedibus decem, δεκάπους Platoni. Cicer. Phil. xiv. 4. *Quam jam peritus metator & callidus decempeda sua saxa diviserat*. Mil. c. 27. *Qui cum architectis & decempedis villas multorum, hortosque peragravit*. Stevvech. in Veget. t. 11. 8. Alex. Gen. Dier. t. t. 13. Bud. in Pandect. p. 126. A. Brisson. de Form. vi. p. 518. Lipf. de mil. Rom. v. 12. Ejus meminit Horat. Od. ii. 15. 14. V. illum infr. in *Porticus Neronis*. Apud quem an groma fuerit, fusius examinat *Salmas. Exercit. Plinian. p. 480. b. E*... Centurioni delinquenti hastæ bellicæ vice *decempedam*, quæ fuerit pertica, vel contus, gestandam ad ignominiam dedit Augustus. Suet. c. 25. n. 5. *Donat. Dilucid. p. 311.*

DECEMPEDATOR est mensor, qui *decempeda* utitur. Cicer. Philip. xiii. 18. *L. Antonius æquissimus agri publici & privati decempedator*. Salmas. Exercit. Plinian. p. 48. 2. B. Donat. Dilucid. p. 312. Stevvech. in Veget. iii. 8. Bud. in Pandect. p. 126. B.

DECEMPRIMI erant decurionum *decem* primarii, δεκάπρωτοι vocant. Hi in provinciis tributi modum in capita & agros definiebant, & exigebant pro ea forma, quæ ab Imperatore, & præfecto prætorio ad rectores provinciarum missa esset, & quod deerat, de suo sarcire cogebantur, ob quæ oneraipsis ruri habitare non licebat, L. unic. C. Si curialis relicta civitate ruri habitare maluerit. Id autem imprimis operam dabant, ne tenuiores opprimerentur, l. 1. l. 3. §. decaprotos, l. final. §. mixta ff. de muner. & honor. l. nec protostasiæ C. de muner. patrim. Cicer. pro Sext. Rosc. c. 9. *Decretum fit decurionum, ut decemprimi statim proficiscantur ad Syllam*. Buleng. de Vectig. c. 93. Sigon. de ant. jur. Ital. ii. 8. Panciroll. de magistr. munic. c. 1. & 4. Guther. de Offic. Dom. Aug. i. 15. Chifflent. de hon. bisell. c. 6. & 37. Velser. rer. August. v. p. 95. Reinef. Epist. 394. Turneb. Adv. viii. 21. Bud. in Pandect. p. 270. C. p. 275. I. Noris. Cenot. Pis. Dissert. i. c. 3. Rhodig. Ant. Lect. xxii. 14. Barthol. Auctar. c. 39.

DECEM TABERNÆ fuerunt in valle Agathæ ædi subjecta, ut ex inscriptione marmoris ibidem effossi didicimus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom. iv. 10. Nardin. Vet. Rom. iv. 6.* Ego puto illum locum esse, quem Martianus *regionem tabernolam* vocatam esse asserit, & Varro *viam tabernolarum* appellat. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iii. p. 346. D.*

DECEMVIRI, agrorum divisio cum Romæ facienda esset, agris dandis, attribuendis, judicandis creati sunt anno ab U. C. 552. Cn. Cornelio, P. Ælio coss. Liv. xxxi. 4. *Patres decreverunt, ut M. Junius prætor urbanus, si ei videretur, decemviros agro Samniti, Apulique, quod ejus publicum populi Romani esset, metiendo, dividendoque crearet*. xlii. 4. *Eodem anno*, n. ab U. C. 579. L. Postumio Albino, M. Popillio Lænate coss. *quum agri Ligustini & Gallici, quod bello captum erat, aliquantum vacaret, senatusconsultum factum, ut is ager viritim divideretur. Decemviros in eam rem ex senatusconsulto creavit A. Atilius prætor urbanus M. Æmilium Lepidum, C. Cassium, T. Æbutium Carum, C. Tremellium, P. Cornelium Cethegum, Q. & L. Appuleios, M. Cæcilium, C. Salonium, C. Munatium. Diviserunt dena jugera in singulos, sociis nominis Latini terna*. Sigon. de ant. jur. Ital. ii. 2. Laz. Comm. Reip. Rom. iii. 8. Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 1007. E.

Decemviri legibus ferendis, & Reipublicæ administrandæ creati sunt anno ab U. C. 302. hac de causa. Plebs de nimio consulum imperio querebatur, qui jus non è certis legibus, sed arbitrio suo dicerent. Petitum igitur è Græcia legibus, senatusconsulto, & plebiscito confirmatum est, ut omnibus magistratibus abrogatis *decemviri* cum summo imperio crearentur. Liv. iii. 33. *Anno trecentesimo altero, quàm condita Roma erat, iterum mutatur forma civitatis, ab consulibus ad decemviros translato imperio. Minus insignis, quia non diuturna mutatio fuit: læta enim principia magistratus ejus nimis luxuriavere. Decemviri creati sunt Ap. Claudius, T. Genutius, P. Sestius, L. Veturius, C. Julius, A. Manlius, Ser. Sulpicius, P. Curatius, T. Romilius, Sp. Postumius. Claudio & Genutio, quia designati consules in eum annum fuerant, pro honore honor redditus: & Sestio alteri consulum prioris anni, quod eam rem collegæ invito ad patres retulerat. His proximos legati tres habiti, qui Athenas ierant: simul ut pro legatione tam longinqua præmio esset honos: simul peritos legum peregrinarum ad condenda nova jura usu fore credebant*. Eadem Dionys. x. p. 629. & Pompon. i. ii. §. 24. de orig. jur. *Manut. de Leg. c. 2. & 5. Hotom. de magistrat. Roman. i. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. ii. 1869. D. Panvin. de civit. Rom. c. 70. Fast. i. p. 83. Blond. Triumph. Rom. iv. p. 87. A. Pigh. Annal. Rom. i. p. 154. Flocc. de Potest. Roman. ii. 14.* Quæcunque in xii. tabulas scripserunt, de Solonis ferè legibus translata sunt. Multa de jure divino sancita esse necesse est: siquidem ita diligenter, & ita copiosè scriptæ sunt, inspectis priùs & sapientissimi Solonis legibus, & aliarum Græciæ civitatum institutis ac moribus. Supplementa illarum à Faliscis collegisse Romanos apud Servium Honoratum scriptum est: cujus in commentariis à Cretensibus etiam aliquid sumptum animadvertimus. *Majores*, inquit, *nostri sedentes epulabantur: quem morem habuerunt à Laconibus & Cretensibus, ut Varro docet in libris de gente populi Romani, in quibus dicit, quid à quaque traxerint gente per imitationem*. Manut. l. l. Pigh. ibid. p. 146. Extraordinario jure & leges ferre, & senatum habere potuerunt. *August. de Leg. c. 7.* Legum tamen ferendarum potestas eis ita permissa est, modò ne lex Icilia de Aventino, aliæque sacratæ leges abrogarentur. *Augustin. in lege Icilia*. Cum duodenis fascibus prodibant. Liv. iii. 36. *Initio magistratus primum honoris diem denuntiatione ingentis terroris insignem fecere: nam quum ita priores decemviri servassent, ut unus fasces haberet, & hoc insigne regium in orbem, suam cujusque vicem per omnes iret, subito omnes cum duodecim fascibus prodiere. Centum & viginti lictores forum impleverant, & fascibus secures illigatas præferebant: nec attinuisse demi securim, quum sine provocatione creati essent, interpretabantur*. Augustin. in lege Valeria. Horum potestas cum in tyrannidem conversa esset, & ipsi non vellent magistratus cæteros sufficere, Appii Claudii luxuria effecit, ut Virginius filiam occideret, & in montem Aventinum ex Algido exercitus signa transferret, quo plebs quoque urbana se contulit. Pompon. l. 2. §. 24. de orig. jur. *Et cum placuisset leges quoque ferri, latum est ad populum, uti omnes magistratu se abdicarent: quo decemviri constituti anno uno cum magistratum prorogarent sibi, & cum injuriosè tractarent, neque vellent deinceps sufficere magistratibus, ut ipsi, & factio sua perpetuò Rempublicam occupatam retinerent: nimia atque aspera dominatione eo rem perduxerunt, ut exercitus à Republica secederet*. Augustin. in lege Horatia. Flocc. l. l.

Decemviri sacrorum dicti, quo ab aliis *decemviris* discernerentur. *Expulsis Regibus Sibyllinorum curam civitas suscepit*, & duumviris abrogatis, *clarissimos viros custodes eorum creavit: qui per totum vitæ tempus fungerentur eo munere, liberi ab omnibus militaribus, atque civilibus muniis: & publicè illis addidit alios, sine quibus Sibyllinos libros ab illis inspici non sivit*. Dionys. iv. p. 260. memor perfidiæ Atilianæ memoratæ infr. in *Duumviri Sibyllini*. Fueruntque hi ex patribus tantùm per 141. annos, usque ad annum ii. Olymp. 103. seu ab U. C. 386. ante D. Jesum 365. quo tempore C. Licinius Calvus & L. Sextius Lateranus tribuni plebis ad populum pertulerunt, ut deinceps sacrorum Sibyllinorum custodes *decemviri* non tantùm ex ordine patrum, sed partim ex patribus, ut hactenùs, partim ex plebe constituerentur. Id quod obtinuerunt. Liv. vi. 42. *De decemviris ex parte de plebe creandis Sextius & Licinius tribuni decimam refecti legem pertulere. Creati quinque patrum, quinque plebis*. Schmid. de Sibyll. D. 2. Taffin. de lud. secul. c. 5. Pompon. Læt. de sacerdot. c. 13. Manut. de Leg. c. 5. a. Cum gravis pestilentia esset exorta, Illorum muneris erat l. Inspicere libros Sibyllinos. Liv. vii. 27. *Pestilentia civitatem adorta coegit senatum imperare decemviris, ut libros Sibyllinos inspicerent: eorumque monitu lectisternium fuit*. β. Cum tetra prodigia nunciata essent. Liv. xxi. 62. *Ob cætera prodigia libros adire decemviros jussi*,

xxxi.

xxxi. 12. *Nihilominus decemviros adire libros de ea portento jusserunt.* Brisson. de Form. ii. p. 204. Keuchen. in Frontin. de aquaeduct. Thes. Antiq. Roman. Graev. Tom. iv. p. 1637. D. Lax. Comm. Reip. Rom. iii. 8. II. Curare ludos Apollinares. Liv. x. 8. *Decemviros sacris faciundis, carminum Sibyllae ac fatorum hujus populi interpretes, antistites eosdem Apollinaris sacrificii, ceremoniarumque aliarum plebejos videmus.* III. Edicere supplicationem. Liv. xxxvii. 3. *Supplicatio earum religionum causa fuit: quibus diis decemviri ex libris fieret, ediderunt.* Guther. de vet. jur. Pont. i. 12. Lex. l. l. Illorum numerus ad quinque quando auctus sit. V. inf. in *Quindecemviri.*

Decemviri stlitibus, ita enim veteres pro litibus, judicandis quo tempore creati fuerint, non reperio. *Hotom. de magistr.* 1. *Thes. Antiq. Roman. Graev. Tom.* ii. *p.* 1869. *E.* Creati sunt circa annum ab U. C. 467. Q. Marcio, P. Cornelio Coss. l. quod Pompon. l. 2. §. 29. ff. de orig. jur. testatur, *decemviros* litibus judicandis creatos esse, quo triumviri capitales sunt instituti: *Deinde cum esset necessarius magistratus, qui hastae praeesset, decemviri in litibus judicandis sunt constituti. Eodem tempore & triumviri capitales.* Illi verò circa eum annum, ut ex Flor. Epit. xi. constat: *Tunc verò triumviri capitales primum creati sunt.* II. Ratio scribendi hoc evincit, quod *decemviri stlitibus judicandis* dicantur prisco more, qui stlocum, stlatum, stlembum, stlitem, pro locum, latum, lembum, litem dicebant, ut scribit Festus. *Ravard. Protribun. c.* 19. Qui nugas agit, dum ait, creatos esse anno ab U. C. 467. quod dicat Pomponius *eodem tempore triumviros capitales esse institutos, qui creati sunt eo anno.* Id sanè à me negatur, cum manifestum sit, centumviros post annum 512. creatos esse, usque praefectos *decemviros* litibus judicandis. V. supr. in *Centumviri.* Nec ratio scribendi hoc evincit, quia contra illum, Raevardum, pugnant non modò vetustissima legum Romanarum fragmenta post annum ab U. C. 513. latarum, sed veterum quoque poetarum scripta, Ennii, Pacuvii, Naevii, Accii, Lucilii, Plauti, in quibus sanè non minus antiqua verba, & tunc temporis in ore totius populi Romani reperiuntur, & cuique obvia sunt. *Siccam. de centumvir. judic.* i. 9. Non erant magistratus. *Gruch. de com. Rom.* ii. 5. Omninò fuernot. Affirmant enim Dio liv. p. 540. B. *Absente adhuc ab Urbe Augusto SCtum factum est, ut xviri ex equitibus constituerentur, quorum deinde nullus in senatum est allectus, nisi quem etiam alium magistratum, cujus ratione senator posset fieri, gessisset,* Pomponius supra productus. *Siccam. l. l. Sigon. de judic. c.* 1. 8. *Masson. Ovid. Vit. p.* 65. Post quaesturam hoc munus obierunt. Suet. Aug. c. 36. *Auctor fuit, ut centumviralem hastam, quam quaestura functi consueverant cogere, decemviri cogerent.* Indicat etiam vetus inscriptio hujusmodi: SCÆVA. QUÆSTOR. DECEMVIR. STLITIBUS JUDICANDIS. TR. PL. *Zamosc. de senat. c.* 15. *Sigon. l. l.* Ex numero & corpore centumvirorum sortè diligebantur. *Gruch. l. l. Bulong. de Imp. Rom.* v. 26. *Pollet. Hist. For. Rom.* iii. 14. *Bud. in Pandect. p.* 40. *Beroald. Torrent. & Sabell. ad Suetonium.* Imò fuerunt sejuncti ab illis, nec illorum pars. Probat hoc Dio jam laudatus. Praeterea judicarunt de causis diversis ab illis, de quibus cognoscebant centumviri. *Donat. Dilucid. p.* 366. *Siccam. l. l.* Centumviros cogebant. Suetonius modò laudatus. Quod apertè etiam Plin. Epist. v. 21. 2. *Sedebant judices, ut est haud dubiè centumviri, decemviri venerant.* Augustin. de leg. in Æbutia de centumviris. Siccam. l. l. Judicia exercebant. Cicer. Orat. c. 46. *Planè duumvirorum judicium, aut triumvirorum capitalium, aut decemvirorum stlitibus judicandis dico nunquam.* Nec illud solum, verùm etiam sollennibus cognitionum diebus praetori de quacunque graviori causa cognituro non tanquam assessores, aut consiliarii, sed judices aderant. Ulpian. l. 16. ff. de manum. vind. Credibile est, illos non modò à praetore in consilium vocatos, verum etiam propria quasi jurisdictione judicasse. Magistratus enim esse affirmavit Pomponius & in libro de Oratore confirmavit Cicero jam laudatus. Judicarunt l. de libertate. Cicer. Caec. c. 33. *Cum Arretinae mulieris libertatem defenderem, & Cotta decemviris religionem injecisset, decemviri prima actione non judicaverunt.* Dom. c. 29. *Si decemviri sacramentum in libertatem injustum judicassent, tamen quotiescunque vellet quis, hoc in genere solo, rem judicatam referre posse voluerunt.* II. de causis praejudicialibus, id est, cum de statu & conditione civis Romani quaerebatur: veluti, utrum aliquis liber sit, an servus; libertus, an ingenuus, filius, an non filius; utrum aliqua praegnans sit viro, an non; uxor illius fuerit, an non fuerit, & similibus, *a.* quemadmodum centumviri non de simplicis facti, sed intricati juris controversiis haereditariis, tanquam majores judices, judicabant: ita *decemviros* litibus judicandis, de praejudicialibus causis, quae in juris disputatione versabantur, judicasse verisimile est. *ß.* Praejudicia apertè ab actionibus privatis distinguuntur, l. 35. §. 2. ff. de procurat. Quod si praejudicium non sit privata actio, publica est; quod si publica, non à privatis judicibus disceptari potuit, sed à majoribus judicibus, quales *decemviri* erant. *Siccam. ibid. c.* 10. *Sigon. de judic.* i. 28. In centumvirali judicio hoc muneris obiisse existimo, ut in illo praestarent, quod judex quaestionis in publicis. *Sigon. de priv. judic. c.* 26. Ego quae sentio dicam. Lite ordinata, & actione subscripta, praetor urbanus *decemvirorum* magistro (erat enim magister *decemvirorum* inter eos primae auctoritatis, quod ex hac veteri inscriptione manifestum est, C. FABIUS RUMINALIS MAG. XVIRUM) diem denuntiabat, quo centumvirale judicium esset exercendum, ille collegas convocabat, hastas promebat. Considente praetore cum centumviris, illi singulis tribunalibus adsidebant, capita conserere jubebant, suffragia colligebant, testes cum judicibus audiebant, omnia denique peragebant, quae in judicio centumvirali erant peragenda, centumviris oratoribus aures praebentibus. *Siccam. l. l. Sigon. de judic.* i. 28. Et haec non in foro, sed in basilicis, id est, in aulis, quae ejus officii causa constructae erant, quarum illustres fuere Porcia & Julia. *Sigon. l. l. Siccam. ibid.* ii. 4. Hastam adhibuerunt, ut nos jam docuerunt Suetonius & Pomponius. Ea sive sit praetoria, sive *decemviralis*, sive centumviralis, parum refert. Mihi una, eademque omnium videtur, nempè praetoria, quam *decemviri* & centumviri posuerint, ut judicium praetorium esse demonstraretur. *Sigon. ibid. c.* 8. & 29. Nusquam hastae *decemviralis* mentio fit, nisi apud auctorem carminis ad Pison. n. 41.

Seu trepidos ad jura decem citat hasta virorum.

Ubi sane non vult *decemviros* propria jurisdictione hastam habuisse, sed eam quae centumviros cogerent: ut sequenti n. ipse interpretatur:

Et firmare jubet centeno judice causas.

Siccam. ibid. ii. 3.

DECENNALIA erant ludi, qui Romae ab Imperatoribus *decimo* quolibet anno elapso celebrabantur. Illorum haec origo, haec ratio fuit. Caesar Augustus, cum Romanis rebus post motus & turbas maximas a se compositis & constitutis *decennio* praefuisset, sive taedio valetudinis diuturnae, curisque, ac laboribus imperii fractus de reddenda Republica seriò cogitaret, quod affirmare videtur Suet. Aug. c. 28. n. 6. sive hoc tantum prae se ferret ob causas à Dione expositas, convocato senatu rationem administrati imperii sic reddidit, ut tamen, quasi decernente eodem, in proximum quinquennium potestatem constituendae Reipublicae retineret. Verùm hoc elapso, rursus aliud quinquennium, post decennium, ac eo finito, aliud iterum decretum est, ita ut continuatis *decenniis* per totam vitam imperii summam obtinuerit. Cujus exemplum quodammodo secuti successores, etsi non ad certum tempus, sed per omne vitae spatium imperium delatum sibi haberent, singulis tamen *decenniis* festum pro ejus renovatione agebant. Haec ferè Dio liii. p. 506. E. Id primo gestum Augusto vii. Agrippa iii. coss. Sequentes igitur Augusti singulis *decenniis* celebrarunt has *πανηγύρεις*, ob id *δεκαετηρίδας* dictas Xiphilino, quibus vota diis solvebantur, initio cujusque *decennii* sollenniter postmodum suscipi consueta: militibus donativum, & annonae populo

circen-

circenses exhibebantur. *Columb. in Lactant. de mort. persec. c.* 17. *Laz. Comm. Reip. Rom.* x. 7. *Buleng. de Imp. Rom.* III. 1. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 667. *B. Taffin. de lud. secul. c.* 13. *Hospin. de orig. fest. p.* 265. *a. Donat. Dilucid. p.* 993. *Mod. de Lud. & Spect. vet.* II. 25. *Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. *p.* 1094. *E. Pagi Differt. Hypat.* II. 2. Et, quem videre nondum contigit, *Noris. Differt. de votis decennalibus.*

DECERIS, *δεκήρης*, fuit navis, dicta, quòd in singulis remis denos haberet remigum ordines. Suet. Cal. c. 37. n. 3. *Fabricavit & deceres Liburnicas.* Meibom. Fabric. nav. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 570. D. Opel. in Meibom. ibid. p. 695. D. Voss. de Trirem. constr. ibid. p. 727. A. Turneb. Adv. XIII. 31.

DECIANUS est cognomen Plautiæ gentis. C. Plautius P. F. P. N. *Decianus* Hypsæus consul fuit anno ab U. C. 424. *Deciani* cognomen ostendit, hunc adoptione ex *Deciis* ad Plautios pervenisse: sed cum prænomine à patre distinguatur; hic enim Cajus, ille Publius dicitur: suspicor *Deciani* cognomen fuisse hæreditarium, & patrem potius, qui eodem prænomine est cum avo, adoptatum fuisse. *Augustin. de famil. Roman. in Plautia.*

DECIMARI legiones dicuntur, quando decimus quisque supplicio afficitur. Liv. II. 59. *Cetera multitudo sorte decimus quisque ad supplicium lecti.* Capitol. Macrin. c. 12. *Quum seditiones militares pateretur, milites sæpius decimavit, aliquando etiam centesimavit: quod verbum proprium ipsius est, quum se clementem diceret, quando eos centesimaret, qui digni essent decimatione, atque vicesimatione.* Modum tradit Polyb. VI. 36. *Tribunus advocata concione desertores in medium producit, eosque atroci oratione increpat: qua demum finita, modo quinque sortitur, modo octo, modo viginti; atque ut verbo omnem observationem complectar, id semper agit, ut pro numero noxiorum decimus quisque semper eorum capiatur.* Finem Cicer. Clu. c. 46. *Statuerunt itaque majores nostri, ut si a multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur: ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret..... Miles, qui locum non tenuit, qui hostium impetum, vimque pertimuit, potest idem postea & miles esse melior, & vir bonus, & civis utilis. Quare, ne in bello, propter hostium metum, delinqueret, amplior ei mortis & supplicii metus est à majoribus constitutus: ne autem nimium multi pœnam capitis subirent, idcirco illa sortitio comparata est.* Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. I. 15. Lips. de Milit. Rom. V. 18. Laurent. de Rebusp. c. 7. Sichterman. de Pœn. milit. c. 5. Faber Semest. I. 18. Maurit. de Sortit. c. 33. §. 3. Stevvech. in Veget. III. 4. Patric. rei Milit. Rom. part. XI. sect. 8. Choul. Castram. Rom. p. 54. Bud. in Pandect. p. 93. H. Laz. Comment. Reip. Rom. IV. 8. Brod. Misc. I. 9. Donat. Dilucid. p. 8. Robort. de pœn. milit. Misc. Erud. Italic. Tom. I. p. 672. Pitisc. in Suet. Aug. c. 24. n. 5. Cal. c. 48. n. 2. Schill Nom. Philol. p. 388. Supplicium vetustum, & etiamsi ejus auctor ignoretur, post exactos tamen Reges statim ab Appio adhibitum. Livius modò laudatus. Proprium inde Romanis: unde *lex patria* vocatur à Dionys. IX. p. 606. *Ex alia multitudine cujusque decuria vir unus, quem sors designasset, ante ceteros periit. Ea Romanis patria quadam punitio est in eos, qui ordines reliquerunt, aut signa deseruerunt.* Appian. de Bell. civil. II. p. 457. *Utar lege patria, & nonæ legionis, quoniam ea seditionem maxime cœpit, decimum quemque sorte ad mortem ducam.* Plutarchus mox laudandus. Decimum dico: nec fallent verba Polybii jam allata: quæ non volunt quintum, aut octavum interfectum; sed pro numero delinquentium ex iis tot & tot interdum occisos. Pone quinque decurias peccasse, quinque punientur; pone octo, octo; viginti, viginti: atque hic est sensus. *Lips. & Sichterman. l. l.* Hoc supplicium diu ad tempus intermissum M. Crassus iterum adhibuit, & in usum revocavit, sicque ad posteriora transmisit tempora. Plutarch. in Crass. p. 548. E. *Quingentos primos, à quibus initium fugæ ortum fuerat, decimavit: quod patrium supplicii genus longo intervallo reduxit in exercitu.* Sichterman. l. l. Qui & ibidem de supplicii æquitate disputat.

DECIMUS prænomen est, ab ordine nascendi, ut refert Varr. de anal. II. ortum, ita ut qui *decimo* loco natus esset, is *Decimus* diceretur. Non omnes, qui *decimo* die essent nati, *Decimi* appellabantur. Et non solum hi, qui ita nati, sed alii pleique ita appellati sunt: & multi præterea ita nati, neque tamen sic vocitati. Dicendum ergo, eum qui primus hoc prænomine appellatus est, ea fortasse ratione dictum. Cæteros, quòd ab eo, aut alio ejusdem prænominis originem ducerent, aut amicitiæ, aut differentiæ, aut eadem nonnunquam causa, postea sic nominatos. *Panvin. de nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 2026. *B. Sigon. de nom. Roman. c.* 3.

DECOCTA erat aqua calida, quæ cum aromatis, aliisque dulcioribus rebus *coquebatur.* Juven. Sat. V. 50.

Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

Mart. XIV. 106.

Spoletina bibis, vel Marsis condita cellis,
Quo tibi decocta nobile frigus aqua.

Cruda aqua inflat, & terrestres quasdam partes retinet: unde bibentibus laboriosa efficitur. Alexis apud Athen. III. p. 122.

Incocta aqua crudum bibas si poculum,
Laboriosa fit, & gravis.

Decoctione flatus evaporant, & terrestres partes ignea vi discedunt. Aqua post *decoctionem* magis alget, & ut conclamatissimi fontis algorem exprimeret, *decoctam*, id est, frigidam vocat Sidon. Epist. II. 2. *Jam si tibi ex illo conclamatissimo fontium decocta referatur, videbis in calicibus perfusis repente nivalium maculas, & frustra nebularum, & illam lucem lubricam poculorum, quadam quasi pinguedine subiti algoris hebetatam.* Neronis fuit inventum. Plin. XXXI. 3. *Neronis Principis inventum est decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit sine vitiis nivis. Omnem utique decoctam utiliorem esse convenit; item calefactam magis refrigerari, subtilissimo invento.* Suet. Ner. c. 48. n. 5. *Aquam ex subjecta lacuna potaturus manu hausit: & hæc est, inquit, Neronis decocta.* Burius de Pot. antiq. c. 16. Rhodig. Ant. Lect. XXVII. 6. Stuck. Ant. Conviv. III. 6. Nonn. de re cib. IV. 5. Humelberg. in Apic. de re. coq. c. 42. Savar. in Sidonium, Grang. in Juvenalem. Baccius de Conviv. antiq. IV. p. 173. Pitisc. in Suetonium.

DECOCTORES bonorum suorum dicuntur, qui bona sua dilapidant, & comedunt. Spartian. Adrian. c. 18. *Decoctores bonorum suorum, si suæ auctoritatis essent,* id est, si sui juris essent: potest verò & ille, qui suæ non sit auctoritatis, *decoquere,* ut filiusfamilias, & pupillus: *catomidiari in amphitheatro, & dimitti jussit.* Salmas. in Spartianum. Laurent. de Natalit. c. 1. Ex Solonis lege infamia damnabantur, referente Laert. I. 55. Erat lex hujusmodi: *Similiter infamis esto, qui patrimonium abligurierit.* Donat. in Spartianum. In quibusdam etiam Græciæ urbibus mos fuit, *decoctores* in forum inducere, & sedere jussis cophinum capiti imponere ludibrii causa: idque vocabant *κοφινοῦν*. *Casaub. in Spartianum. Laurent. de Oscul. c.* 2. L. Roscius Otho à primis XIV. ordinibus exclusit, & certa attribuit loca iis, qui non sua culpa decoxissent: voluntarios verò, qui ganea, quive alea, aut luxu rem fecissent deteriorem, quique se ære obligassent, Atheniensium secutus morem, toto theatro abstinere jussit. Cicer. Phil. II. 18. *Tenesne memoria, te prætextatum decoxisse? patris, inquam, ista culpa est, concedo: illud tamen audaciæ tuæ, quod sedisti in* XIV. *cum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus; quamvis quis fortunæ vitio, non suo decoxisset.* Quo respicit Juven. Sat. III. 153.

—— exeat, inquit,
Si pudor est, & de pulvino surgat equestri,
Cujus res legi non sufficit, & sedeant hic
Lenonum pueri, quocunque in fornice nati,
Hic plaudat nitidi præconis filius inter
Pinnirapi cultos juvenes, juvenesque lanistæ,
Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.

Scalig. Poet. I. 21. Manut. de Leg. c. 3. Alex. Gen. Dier. V. 16. & ad illum Tiraquellus. Masson. Horat. Vit. p. 113.

DECOLLATIO sub Imperatoribus an cœperit, & an

an ſecuri fuerit honeſtior. V. infr. in *Gladius*, *Decollandorum* habitum deſcribunt Lat. Pacat. Paneg. Theod. c. 41. *Poplitem flectere, cervicem extendere ad plagam fortaſſe non unam*. Senec. de Ira i. 16. *Damnatus extra vallum deductus eſt, & jam cervicem porrigebat*. Id fiebat imitatione profundæ antiquitatis. Ita enim Xenoph. de Cyri exped. 11. p. 293. A. *Poſt aliorum prætorum cædem damnatus à Rege interiit. Non ut Clearchus aliique duces, capite à cervicibus ablato, quod pulcerrimum mortis genus eſſe cenſetur: ſed annum totum variis contumeliis cruciatibusque affectus, ut ſceleratus quiſpiam, tandem obiit* Menon Theſſalus. Imo & facilius & mollius, quia abſque cruciatibus & tormentis. Ideo *bona mors* vocatur Lactant. de mort. perſec. c. 22. *In cauſa capitis animadverſio gladii admodum paucis quaſi beneficium deferebatur, qui ob merita vetera impetraverant bonam mortem*. Cuper. & Baluz. in Lactantium. Quamvis poſſit etiam nonnunquam habere ſuos cruciatus & dolores, quando miles, vel *ſector collorum*, ut Cicer. Sext. Roſc. c. 29. loquitur, plures ictus infert. Pacatus ſupra laudatus. Hinc pecuniam dabant lictoribus damnatorum proximi, ut ictu uno, levandi cruciatus gratia, ipſis caput auferrent, ut conſtat ex Cicer. Verr. v. 45. Ex quo etiam diſcimus, populum tela ſumpſiſſe in carnificem, ſi plures ictus damnato infligeret; imo poſtea lege, vel conſuetudine ſancitum eſt, ut poſt tertium ictum ferire amplius non auderet, ſi fides habenda eſt Hiſt. paſſ. Cæciliæ, Valeriani, Tiburtii, aliorum p. 26. *Quam cum ſpiculator tertio ictu percuſſiſſet, caput ejus amputare non potuit, ſic autem ſeminecem eam cruentus carnifex dereliquit: nam apud veteres lex erat eis impoſita, ut, ſi in tribus percuſſionibus non decollaretur, amplius percutere non auderet*. Cuper. l. l.

DECRETUM ordinis vocabatur, cum ſoli ſummates ſententiam dixiſſent, ſicut ſoli illuſtres inter Romæ ſenatores, l. fin. in fi. ff. de ſenator. quibus dictis cæteri decuriones diſceſſionem faciebant, & ad eam partem quiſque ſe conferebat, quam ſequebatur: & quod majori parti placuiſſet, in tabulas referebatur: & hoc *decretum* vocabatur. Zeno, l. fi. C. de præd. decur. ſine decr. non alien. *Non ex tabella decretum recitari decernimus*. Pancіroll. de magiſtr. munic. c. 4.

Decretum Pontificium dicebatur, quicquid pro ſua poteſtate Pontifices ſtatuebant, quod in religionibus & ceremoniis vim legis obtinebat. *Decretum* propriè *δόγμα*, non *ψήφισμα* dixerunt. Nam quæ Pontifices *decernebant*, ſenatus ut plurimum ſua auctoritate confirmabat. *Guther. de vet. jur. Pont.* 1. 24.

Decretum præſidis erat ſententia ſine judicum conſilio ſingulis de rebus interpoſita. *Decernere* autem dicebatur prætor, cum manumitti, emancipari apud ſe permittebat, cum poſſeſſionem ex edicto dabat, cum tutorem dicebat, cum bona addicebat, & omnino cum ipſe ſine judice rem & cognoſcebat, & de ea pro ſuo judicio ſtatuebat. Talem præſidis fuiſſe cognitionem, & ut ſine judice ſtatueret, & judicibus rem ſtatuendam permitteret, oſtendit Calliſtratus apertè, cum inquit: *Quoties Princeps ad præſides provinciarum remittit negotia per reſcriptiones, veluti: Eum, qui provinciæ præeſt, adire poteris; vel cum hac adjectione: is æſtimabit, quid ſit ſuarum partium: is æſtimare debet, utrum ipſe cognoſcat, an judicem dare debeat*. Illud verò Latino ſermone pronuntiabatur. Itaque ob eam cauſam interpretes habebant, ut Verres A. Valentium in Sicilia, ut Cicero in Verrem V. ſcripſit. *Sign. de ant. jur. Prov.* 11. 5.

Decretum Principis Theophilo inſtit. de jur. nat. gent. & civil. vocatur *ἀπόφασις*, & ſententia ab illo pronuntiata inter duas partes, de quarum ipſe cauſa cognoſcit. Dicitur etiam *decretum* cognitio & ſententia magiſtratus: ſed in hoc differt à Principe, ut idem Theophilus notat, quod Principis *decretum*, & eam ipſam, & aliam ſimilem cauſam quocunque tempore exactam dirimit; magiſtratus autem *decretum* eam tantum, de qua agitur, ac ne interdum eam quidem, ſi appellatio interceſſerit. *Guther. de Offic. dom. Aug.* i. 20. Et hoc, quia Princeps Romanus pro more ſuo omnia Latinè ſcribebat, Latine tantum interponebatur. Hoc olim jure cautum erat. Tryphon. l. 48. ff. de re judicat. *Decreta à prætoribus Latinè interponi debent*. Sed Græcè ferri poſſe Imperatores Græci poſtmodum ſanxerunt, l. judices 12. C. de ſentent. & interloc. omn. judic. *Judices tam Latina quàm Græca lingua ſententias proferre poſſunt*. Pancіroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 45.

Decretum ſenatus, ſunt verba Feſti, *à ſenatusconſulto Ælius Gallus ſic diſtinguit, ut id dicat particulam quandam eſſe ſenatusconſulti, ut cum provincia alicui decernitur, quod tamen ipſum ſenatusconſultum eſt*. Ego autem exiſtimo, in uno ſenatusconſulto multa interdum fuiſſe capita, & unumquodque caput *decreti* nomine appellatum, neque ſolum *decreti*, ſed etiam conſulti: ut in illo ſenatusconſulto, de quo Cœlius ad Ciceronem Fam. viii. 8. ſatis manifeſtè patet. Sed tamen hanc diſtinctionem nondum obſervavi. Neminem enim video ita locutum, ut diceret, *in illo ſenatusconſulti decreto*: quin pro ipſo ſenatusconſulto *decretum* ſæpiſſimè uſurpatum invenio. Neque ratio repugnat. Nihil enim eſt aliud ſenatusconſultum, niſi id, quod ſenatus *decernit*. Itaque & *decretum*, & ſenatusconſultum de eadem re Cicero vocat pro Sext. c. 14. *Quis*, inquit, *unquam conſul ſenatum ipſius decretis parere prohibuit?* at in Piſon. c. 8. *Omitto illud, conſulem edicere, ut ſenatus ſenatusconſulto ne obtemperet*. Eſt autem hæc differentia: quod, etſi pro ſenatusconſulto, non tamen pro quovis ſenatusconſulto ponitur *decretum*, ſed pro eo tantùm, quod aut unius hominis cauſa factum ſit, aut, ſi ad plures pertineat, minimè tamen ad univerſam rempublicam ſpectet. Et ut ſenatusconſultum ſæpiùs de communi, quàm de privata re dicitur: ſic *decretum* ſæpiùs de privata, quàm de communi: de communi nunquam, ſemper de privata. Nunquam enim invenias, ſenatusconſulto *decretum* de ambitu factum eſt: aut de judiciis, aut de creditis pecuniis, quæ generatim ad omnes pertinent; ſed ſenatusconſultum: *decretum* autem videas dici vel de uno tantum, ut in orat. Cicer. poſt red. in ſen. c. 1. *Immenſum quiddam eſt, atque infinitum, quod huic ordini debemus; à quo ſæpè magnificentiſſimis decretis ſumus honeſtati*: vel de duobus, ut in Suet. Cæl. c. 16. n. 1. *Donec ambo adminiſtratione Reipublicæ decreto patrum ſummoverentur*; vel ita de pluribus, ut particulare ſit, ut de Buthrotia civitate Cicer. Attic. xvi. 18. *Decreta conſulum de Cæſaris actis*. Erant enim acta Cæſaris, beneficia aut in hunc & illum hominem collata, aut in hanc & illam civitatem. Fiebat autem utrumque per diſceſſionem ſenatorum: &, quod pluribus viſum erat, id aut ſenatusconſultum, aut *decretum* dicebatur, diverſo nomine, non quod diverſè fierent, ſed quod diverſa eſſet, cujus cauſa fieret: cum ſenatusconſultum modò de publica, modò etiam de privata, *decretum* autem de publica nunquam, ſed de privata ſemper fieret. Differunt etiam in hoc, quod, quemadmodum ſenatusconſultum, ſi res, de qua fit, ſpectatur, latiùs eſt quàm *decretum*; ſic ſi à quibus fiat, conſideratur, anguſtius quodammodo videtur, quàm *decretum*. Fit enim à ſenatu tantum ſenatusconſultum: at *decretum* & à ſenatu, & ab alio ordine, neque ſolum à paucis, ſed etiam ab uno. A ſenatu, ut ſupra ex Ciceronis loco allato patet. Ab alio ordine, Cicer. Attic. ix. 18. *Cæſar volet augurum decreta facere*. pro Sext. Roſc. c. 9. *Decurionum decretum ſtatim fit. . . . & Pontificum decreta ſæpè legimus*. Ab uno. Cicer. Phil. i. 1. *Ne qua tabula poſt Idus Martias ullius decreti Cæſaris, aut beneficii figeretur. Decretum prætoris* millies invenimus: & apud Ictos *Imperatoris decretum, Principis decretum, Judicis decretum*. Manut. de ſenat. Rom. c. 10.

DECUMÆ, ita veteres pro *decima*, divites Herculi, aut alicui deo bonorum omnium *decumas* pollicentes, non viſceratione modò, ſed & largitiones populo faciebant. Plaut. Stich. 1. 3. 81.

Uti decumam partem Herculi polluceam.

Plutarch. Syll. p. 474. A. *Patrimonii ſui univerſi conſecrans Sylla Herculi decimam præbuit ſplendidum epulum populo*. Bulleng. de venat. circ. c. 24. Vectig. c. 8. Tomaſ. de donar. c. 4. Loenſ. Miſcell. vi. 1.

De-

Decumæ frumenti propriè *decimam* fructuum partem significant, à quibus Cicer. Verr. III. c. 43. *ager vectigalis populi Romani ex parte decima* dicitur. Tacit. Germ. c. 29. n. 5. *decumates agros* vocat. *Buleng. de Vectig. c. 9. Turneb. Adv. 1. 5. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 17. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. 1. 16. Hotman. Antiq. Roman. II. 15. Laurent. de Rebusp. c. 3. Thys. de Magnit. Roman. 11. p.* 251. De origine Appian. Bell. Civ. 1. p. 353. *Romani nunc hos, nunc illos Italiæ populos superando, ac subjiciendo, partem agri iis auferebant, atque oppida & colonos condebant; aut si oppida opportunè jam condita, hos inducebant. Agri igitur quod cultum erat, colonis ferè assignabant; quod incultum, ut multa per bellum, id aliis cupientibus elocabant, parte decima fructuum sibi retenta in agris sativis; in plantariis, aut arboretis, quinta.* Qui quamquam de Italia dicat, tamen & producere ad provincias licet, quas multas ita habitas, ex aliis scriptorum locis liquet. *Lips. de magnit. Rom. 11. 1. Bergier. de viis milit. 1. Sect. 12. §. 4. Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c.* 3. Et illas fusiùs denarrat *Burman. Differt. de vectig. c. 2.* Eæ interdum infra modum à censoribus definiebantur. In Sicilia enim singula jugera singula medimna solvebant. Cicer. Verr. 111. In provinciis autem populi Romani non eadem semper ratio, modusque *decimarum* servatus est. Asiæ enim certum non erat impositum stipendium, sed pro anni copia, vel inopia, uberius, aut angustius vectigal exigebatur. Appian. Bell. civ. v. p. 673. *Vectigal vobis non ex censu imposuimus, ut tributum periculi expers colligamus, sed ut partes fructuum conferretis constituimus, ut & rebus vestris adversis communicemus.* Buleng. l. l.

Decumæ hæreditatum loco vicesimæ, ut solverentur; Caracallus instituit. Dio Excerpt. LXXVII. p. 754. *Præter vectigalia cum alia, quæ ab ipso primum reperta sunt, tum vectigalia decumæ, quam pro vicesima constituit, cum eorum, qui manumitterentur.* Hoc vectigal ut omnes, qui in imperio Romano erant, solverent, omnes civitate donavit. Dio l. l. *Cujus rei causa etiam omnibus, qui in orbe Romano erant, civitatem dedit, specie quidem ipsa eis honorem tribuens, sed revera ut fiscum suum augeret, quippe cum peregrini pleraque horum vectigalium non penderent.* V. plura supr. in *Constitutio Antoniana.* Brevi est abolitum. Macrinus enim Caracalli successor *ea, quæ Caracallus circa hæreditates & manumissiones, cessare jussit.* Dio LXXVIII. p. 893. E. Et apud Paullum, qui non sub Caracallo solum, sed adhuc sub Alexandro Severo inter optimos juris auctores assedit, recept. sentent. IV. 6. caput de vigesima, hæreditatum nempe, etiamnum legitur. *Vales. in Dion. Spanhem. Exercit. ad Anton. Constit. 11. §. 7. Burmann. Differt. de vectig. c. 11.*

Decumæ manumissionum loco vicesimæ, etiam à Caracallo institutæ sunt. Dio laudatus in *Decumæ hæreditatum.* Burmann. Differt. de vectig. c. 10.

Decumæ vini & olei quoque erant. Cicer. Verr. III. 7. *L. Octavio & C. Cotta coss. senatus permisit, ut vini decumas, & frugum minutarum quas ante te quæstores in Sicilia vendere consuessent, Romæ venderent, legemque his rebus, quæ ipsis videretur, edicerent.* Hic Longimanus *vinarii tituli debita flagitasse* legitur apud Symm. Epist. VII. 95. *Buleng. de vectig. c. 8. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 17. Burman. Differt. de Vectig. c. 3.*

DECUMANI dicebantur publicani, qui *decumas* ab aratoribus exigendas conduxerant. Asconius. V. illum infr. in *Manceps.* De his est frequens mentio apud Cicer. Verr. v. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. 11. 4. Burmann. Differt. de Vectig. c. 9. Voss. Lex. Etymol. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 17. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom. III. p. 262. E.*

DECURIA quamquam propriè decadem significet, tamen sæpiùs pro albo quodam, & libello, ubi in varios, sed tamen certos numeros militum & judicum nomina referebantur: catalogos, matriculas, & rotulas vocamus, & *decuriatos* milites, id est, relatos in numeros, immatriculatos. Cicer. pro dom. cap. 5. *Cum desperatis ducibus decuriatos & descriptos haberes exercitus perditorum.* Pollet. For. Roman. III. 8. Donat. Dilucid. p. 337.

Decuria Curiatia dicebatur, quæ sacris publicis apparebat, in qua lictores, apparitores, calatores *decuriabantur* & describebantur. *Decuria, δεκαρία, φατρία,* ut denum hominum classes antiqui *decurias* appellarunt. Curiatia autem *decuria* à curialibus dicta, qui curiarum servi, quo nomine posteriores Romani omnes servos curiones appellaverunt, quos antiqui calatores. Tacit. Annal. XIII. 27. 2. *Hinc plerumque tribus, decurias, ministeria magistratibus & sacerdotibus. . . .* De scribis & lictoribus Tacitus est intelligendus, vetus lapis:

L. ANTONIO
EPI TYNCHANO
LICTORI DEC. CURIA
TIÆ. QUÆ. SACRIS
PUBLICIS. APPARET

Guther. de vet. jur. pontif. II. 14.

Decuriæ judicum spectant ad illorum numerum, non ideo dictæ, quod X. continerent; sed quia *decuriare* est describere, & in ordinem redigere. Cicero laudatus in *Decuria*, & pro Sext. c. 15. *Cum vicatim servi ejus conscriberentur & decuriarentur. Decuriam senatoriam* Cicero loquens de judicibus appellat Verr. II. 32. *Hunc hominem judicum numero habebimus, hinc alteram decuriam senatoriam judex obtinebit.* Ascon. Verr. 11. *Necesse fuerat eos primum de curia L. ex decuria senatoria describi.* Patet ergo, cum judicaret senatus, *decuriam* senatoriam factam judicum. Et nimirum ccc. illi senatores, de quibus Plutarchus in Gracchis, qui judicabant, fuit hæc *decuria* senatoria. Jam verò alii ccc. equites, additi per legem Gracchi, ut Plutarchus scribit, fuit *decuria* equitum. Ita etiam cum per legem Cottæ additi sunt tribuni ærarii, illa tertia *decuria* fuit. Hanc Cæsar sustulit. Suet. c. 41. n. 5. *Judicia ad duo genera judicum redegit, equestris ordinis & senatorii. Tribunos ærarii, quod erat tertium, sustulit.* Post mortem Julii Antonius legem tulit de aliaudis & centurionibus; sed non est perlata, quia hostis est judicatus. Ideo Cicer. Phil. 1. 8. ait: *Lex est promulgata de tertia decuria judicum.* Nam hæc fuisset tertia, ut ante erat tribunorum ærariorum, quam sustulerat Cæsar. *Quartam* Augustus *addidit ex inferiore censu, quæ ducenariorum vocaretur, & judicaret de levioribus summis.* Suet. c. 32. n. 7. Quartam hanc addidisse Suetonius dicit. Credibile enim est illam tertiam tribunorum ærariorum postea fuisse restitutam. Quod tamen non memini me apud ullum legisse. Conjectura tantum ducor. Qui numerus contineretur singulis *decuriis*, docet Plin. XXXIII. 1. *Vixque singula millia in singulis decuriis inventa sunt.* Quintam *adjecit Cajus princeps, tantumque natus est fastus, ut quæ sub D. Augusto impleri non poterant decuriæ, non capiant eum ordinem, passimque ad ornamenta ea etiam servitute liberati transiliant: quod antea nunquam erat factum, quoniam in ferreo annulo equites judicesque intelligebantur.* Plin. XXXIII. 1. Sextam, etiamsi multi peterent, noluit Galba Imperator addere. Suet. c. 14. n. 8. *Judicibus sextam decuriam addi petentibus negavit.* Robort. de judic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. (13.) B. Turneb. Adv. XXIX. 16. Donat. Dilucid. p. 337. Pollet. For. Rom. III. 9.

Decuriæ scribarum. In illas distinguebantur, ordinis videlicet sui servandi gratia, quia, in civitate plena populo, & variis potestatibus parente, ingens eorum erat numerus. Cicer. Verr. III. 79. *Noli hos*, scribas, *colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum donis, de scenicorum corollariis, cum decuriam emerunt, ex primo ordine explosorum in secundum ordinem civitatis se venisse dicunt.* Ubi observandum, scribas interdum pretio *decurias* emisse: Ideo dicebantur *scriptum comparasse*. Suet. Horat. VII. n. 2. Erant plerumque liberti, & hujusmodi *decurias* sibi comparabant, ut ad equestrem dignitatem pervenirent. Scholiast. Juven. Sat. v. 3. *Sarmentus natione Thuscus, e domo Marci Favonii, incertum libertus, an servus, eo fiduciæ venit, ut pro equite Romano ageret: decuriam quoque quæstoriam compararet.* Ita Horatius, cum libertino genere natus esset,

finita

finita militia, quæ malè successerat, scriptum quæstorium emit, ut pro equite Romano se posset gerere, apud Suet. l. l. *Vales. in Ammian.* XXVIII. 6. *Barth. Adv.* L. I. *Pitisc. in Suetonium Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 788. *B.*

DECURIONES in coloniis ac municipiis erant qui Romæ senatores, Romani senatus simulacrum, *ad imitationem Urbis dominantis*, ut loquitur Justin. Nov. 38. *οἱ πολιτευόμενοι* Græcis; proprius suæ patriæ senatus, quomodo appellat Auson. Eidyll. x. 401.

—— quos curia summos
Municipum vidit proceres, propriumque senatus.

ac ut hic ex senatoribus, ita in illis ex *decurionibus* eligebantur magistratus. Eratque id in illis *decurionum* decretum, quod Romæ senatusconsultum. Cicer. Sext. c. 4. *Huic apud me P. Sextio maximas gratias egit; & hoc tempore iidem homines, nomine commutato, coloni, decurionesque fortissimi, atque optimi viri, beneficium Q. Sextii testimonio declarant, periculumque decreto suo deprecantur. Recita quæso, P. Sexti, quid decreverint Capuæ decuriones.* Quibus significat, conventum Capuæ *decuriones* post deductam à Cæsare consule coloniam esse appellatam. Hinc Suet. Aug. c. 101. n. 1. *Corpus decuriones municipiorum & coloniarum à Nola Bovillas usque deportarunt.* Et in multis veteribus lapidibus adhuc invenimus DEC. COL. quod valet, *decurio coloniæ.* Sigon. de Antiq. jur. Ital. II. 4. & 8. Voss. Lex. Etymol. Brisson. Ant. select. IV. 13. Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 16. C. Salmas. in Spartian. Adrian. c. Aurelian. c. 33. Figrell. de stat. Rom. c. 9. Reinel. Epist. 31. Petit. Var. III. 6. Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 4. Chiment. de hon. bisell. c. 37. Quare municipiorum & coloniarum senatores vocantur. Theodos. Imper. l. 33. de decur. vetat *decurionem (& sic dici oportet) curia senatorem plumbatorum ictibus subdi.* Tacit. Annal. XIII. 48. 1. *Iisdem consulibus audita Puteolanorum legationes, quas diversas senatorius ordo plebsque ad senatum miserant.* Noris. Cenot. Pisan. Diss. I. c. 3. Figrel. de stat. illustr. Roman. c. 9. Numerum in unaquaque colonia à Triumviris, qui eandem deducebant, constitutum colligo ex Cicer. Agrar. II. dicente lege Rulli de ducenda colonia Capua, *centum decuriones* ibidem decretos. Postea *decurionibus* accensebantur illi, quibus centum millium nummum, nempè duorum millium ac quingentorum scutatorum facultates erant. Plin. Epist. I. 19. *Est autem,* inquit, *tibi centum millium censum satis indicat, quod apud nos,* videlicet Comi, *decurio es.* Qui ultra viginti quinque jugera possidebat, inter *decuriones* censebatur, l. 33. de decur. C. Curialibus provinciæ Mysiæ conceditur, *ut quos e plebe idoneos habent, ad decurionatus munia devocent,* hoc est, eos è plebe cives, *quos ad decurionum subeunda munera splendidior fortuna subvexit.* Ibid. l. 53. *Noris l. l. Sigon. ibid.* II. 4. In illis legendis summa cura adhibebatur. Cicer. Fam. VI. 18. *Quæsivi è Balbo, quid esset in lege; rescripsit, eos, qui facerent præconium, vetari esse in decurionibus; qui fecissent, non vetari. Quare bono animo sint tui familiares: neque enim erat ferendum, cum qui hodie haruspicinam facerent, in senatu Romæ legerentur, eos, qui aliquando præconium fecissent, in municipiis decuriones esse non licere.* Sigon. ibid. II. 8. Allegebantur non nisi pro certo modo census, seu facultatum, præcepto legis municipali. Illum tradidit Plinius jam laudatus. *Alciat. l. 239. de verb. sign. §. decuriones. Sigon. ibid.* II. 4. *Reines. l. l.* Cum in ordinem reciperentur, binos denarios, vel hujusmodi eertam quantitatem singulis collegis distribuebant: & quoties aliqua statua, ædiculave dedicaretur, aliquid eo nomine recipiebant. Ea pecunia sportula appellabatur. Et ideo jure est cautum, minores quinque & viginti annis *decuriones* factos sportulas accipere posse, licèt suffragium ferre nequeant, l. Spurii ff. de decurionibus. *Alciat. l. l.* Illorum honores onera erant. Theophyl. in XV. Marci: *Decurio honor erat, aut potius civile onus, quo affecti fori annonam curabant, & sæpe periculum obibant, si annona gravior esset.* Inter onera illorum erant circenses & spectacula, l. 1. de munet. & honor. ff. l. 20. C. de decurionibus. Ad eas populi voluptates instruendas excitantur primates civium, l. 1. de spect. Dio Orat. 38. *Omnibus civitatibus, sed magnis præcipuè divitibus decurionibus opus est, ut legitimos istos sumptus suppeditent.* Sed & tributa *decurionibus* oneri fuere. Salvian. IV. p. 62. *Respublica Romana, vel jam mortua, vel certè extremum agens spiritum, in ea parte, qua adhuc vivere videtur, tributorum vinculis, quasi prædonum manibus, strangulata moritur. Omnes enim distributionum forma a decurionibus fiebant, ita ut si quid deesset, de suo supplerent,* l. 1. C. de privilegiis domus Augustæ. Unde nemo ferè nisi invitus *decurionum* albo se adscribi patiebatur. Synes. Epist. 93. *Quod autem in decurionibus & meum fratrem vis numerare, nec deles familiam ex improbis illis libris.* Erant etiam potius servi, quàm nervi Reipublicæ, cum nec res quidem suas sine decreto vendere, nec aliam vitæ sortem optare possent. *Buleng. de Imp. Rom.* VII. 5. Illos præsidi provinciæ plectere non permittebatur. Recipere tantùm in carcerem, vinctosque custodire, & Principi de illorum pœna scribere licebat, l. 5. in fi. prin. ff. quand. appell. sit. l. 2. fi. 1. ff. de bon. eor. eratque hoc adeo disertè mandatis principalibus, quæ præsidibus dabantur, cautum, l. divi. §. pen. & ult. ff. de pœn. ut si id admisisse *decuriones* viderentur, propter quod relegandi extra provinciam in insulam essent, Imperatori scriberetur. *Brisson. de Adult. in §. 7.*

Decurio ballistariorum dicebatur, vel qui equitibus ballistas gerentibus præerat, vel ultimo ævo, qui præpositus erat militibus illis, qui tormenta bellica ballistas appellata custodiebant, ac simul regebant. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 659. *C.*

Decurio cubiculariorum, de quo Suet. Dom. c. 17. n. 3. *Sanctum ac repugnantem adorti .... & Saturius decurio cubiculariorum:* idem fortè est, qui *decurio* Larium. Nam cubiculares dii sunt Lares. Uterque cubiculares imagines curabant. Juvat opinionem meam, quod *decurio* cubiculariorum non longè est a puero illo, cui cura Larium. Quamvis *decurio* pro eo, qui denis cubiculariis præerat, accipi potest, qui cubiculo sacro assidebant: ut fuit præpositus sacri cubiculi. Fuerunt *decuriones* Palatii, ut illos vocat Ammian XX. 4. *Aliquis,* inquit, *Palatii decurio, qui ordo est dignitatis, signa Petulantium ingressus & Celtarum.* Honor. l. 1. C. de silent. *Decuriones,* ait, *Palatii nostri, post emensum fideliter obsequium, electionem habeant.* Guther. de vet. jur. Pontif. III. 10. dom. Aug. III. 29. Panciroll. Notit. Dignit. imp. orient. c. 61.

Decurio ostiariorum dicebatur præfectus in aula, ubi plurimi ostiarii. Talis ille Titus Flavius Augusti libertus Acraba, qui sibi & Hadriæ Acrabillæ filiæ suæ, nec non & Provinciæ alteri filiæ monumentum fieri curaverat. Inscriptio Romæ:

T. FLAVIUS AUG. L. ACRABA
DECURIO OSTIARIORUM
FECIT SIBI ET
HADRIÆ ACRABILLÆ....

Spon. Misc. Erud. Antiq. sect. VI. *p.* 214.

Decurio pontificum præerat *decuriæ* curiatiæ. Hunc invenio in antiquis Inscriptionibus. Mediolani:

D. M.
C. VALERI
PETRONIANI
DECUR. PONTIF. SACERD
JUVEN. MED. CAUSIDIC

Guther. de vet. jur. Pontif. II. 14.

DECURSIO in circo Romæ hæc fuit. Cum pompa ducta esset, primum certamen quadrigarum fuit, & bigarum, & singulatorum, quod & Olympiæ factum. Romæ item trigæ illæ Heroici temporis actæ sunt, quod genus apud Græcos exolevit. Duos enim equos junctos, quomodo bigæ junguntur, tertius funarius loro devinctus consequitur. Alterum in Græcia, cum diis prisco more faciunt, nostro seculo tenet, ut aliqui se injiciant, & interferant in currus, ut confecto equestri certamine, pedibus ipsi currant. Cum enim curule certamen finem ceperit, desilientes è curribus ii qui vehuntur propè auri-

gas, quos poetæ sessores, & parabatas dicunt, Athenienses apobatas, stadium corripiunt, cursuque pedites contendunt. Cum autem cursus equitum finem cepetit, in circum cursores pedites, & athletæ inducuntur. Dionys. vii. p. 479. *Bulenger. de Circo c. 26.*

Decursio funebris dicebatur, quia in funeribus clarorum virorum, suis instructi armis, & tanquam in procinctu, gradu militari, & exercitatione quadam ludicra, milites atque adeò omnes qui exsequias venerant, sollenni ritu rogum ter ambiebant, & hoc modo affectum suum erga defunctum ostendebant. Homer. Iliad. xxiii. 13.

Hi autem ter circa cadaver pulcrè crinitos agerunt equos
Lugentes.

Virg. Æneid. xi. 188.

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos: ter mœstum funeris ignem
Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.

Decurrebant sinistro ordine, & versis insignibus. Stat. Theb. vi. 213.

Tunc septem numero turmas (centenus ubique
Urget eques) versis ducunt insignibus ipsi
Grajugenæ Reges; lustrantque ex more sinistro
Orbe rogum, & stantes inclinant pulvere flammas:
Ter curvos egere sinus, illisaque telis
Tela sonant: quater horrendum pepulere fragorem
Arma, quater mollem famularum brachia planctum.

Rectè *orbe sinistro*. Nam cursus in lævum erat luctus indicium. Interdum projectis armis. Lucan. viii. 734.

—— totus in ignem
Projectis mœrens exercitus ambiat armis.

Idque fiebat tuba sonante. Val. Flacc. iii. 346.

Inde ter armatos Minyis referentibus orbes
Concussi tremuere rogi, ter inhorruit æther
Luctificum clangente tuba.

Frequentissimum hoc Romanis. De funere Syllæ Appian. Bell. civ. 1. p. 418. Augusti Dio lvi. p. 598. B. Drusi Tacit. Annal. ii. 7. 3. Suet. Claud. c. 1. n. 7. & aliorum. *Kirchm. de fun. Roman. iii. 3. Turneb. Adv. v. 8. Constant. Land. Misc. in numm. vet. Misc. Ital. 3. p. 454. Laz. Comm. Reip. Roman. iv. 7. Lips. in Tacit. Annal. ii. 7. n. 29. Vignol. Dissert. de Colum. Anton. Pu c. 9. Nicol. de Sepulcr. Hebraor. ii. 3. 5. Gerall. in Albinov. de Morte Drusi n. 461. Bernart. in Stat. Theb. vi. 217. Gutber. de jur. man. ii. 3. Stevvech. in Veget. ii. 22. Argol. in Onuph. de lud. circ. ii. 9. Lomejer. de lustrat. c. 31. Pitisc. in Suetonium.*

Decursio militaris & exercitii haud longè ab ambulatione est, & fit in armis, & sub signis. Senec. Epist. 18. *Miles in media pace decurrit sine ullo hoste.* Suet. Ner. c. 7. n. 6. *Indictaque decursione prætorianis, scutum sua manu prætulit.* Instituta fuit ab Augusto. Veget. i. 27. V. illum supr. in *Ambulatum*. Qui tamen addit: *Equites quoque divisi per turmas, armatique similiter tantum itineris peragebant, ita ut ad equestrem meditationem interdum sequerentur, interdum cederent, & recursu quodam impetus reparârent.* Eidem iii. 4. *campicursio* vocatur: *Campicursionem, ut ipsi appellant, inspectionemque armorum assidue faciunt.* Suet. Galb. c. 6. n. 7. *campestris decursio* dicitur: *Ipse campestrem decursionem scuto moderatus, etiam ad essedum Imperatoris per viginti passuum millia cucurrit.* Finem pandit Veget. i. 9. *Ad cursum præcipue adsuefaciendi sunt milites, ut majore impetu in hostem procurrant; ut loca opportuna celeriter occupent; ut ad explorandum alacriter pergant; ut fugientium terga facilius comprehendant.* Lips. de milit. Rom. v. Dial. 14. in Tacit. Ann. ii. n. 57. Spanhem. in Juliani Orat. 1. p. 109. Laz. Comment. Reip. Rom. iv. 7. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. v. 25. Pitisc. in Suetonii Neronem. Thys. Rom. Illustr. v. p. 140.

DECUSSIS nummus erat argenteus, septima pars unciæ. Vitruv. iii. 1. pro decade accipit: *Platoni placuit denarium numerum esse ea re perfectum, quod ex singularibus rebus, quæ monades apud Græcos dicuntur, perficitur decussis.* Bud. de asse 1. p. 12. Cenal. de pond. ac mens. iat. Thes. Antiq. Roman. Græv. xi. p. 1534. C. Lipen. de Stren. c. 3. §. 26. Voss. Lex. Etymol. Idem qui denarius. Primitus fuit æreus. V. infr. in *Denarius*. Hotman. Antiq. Roman. iv. 1. 13.

Decussis est etiam linea transversa, ducta ad acutos angulos obtusos imagine quadam literæ X. Plin. xviii. 34. *Ducantur deinde alia duæ lineæ in decusses obliquæ.* Hinc *decussare*, in formam decadis, seu denarii numeri secare. Cic. Tim. c. 7. *Hanc omnem conjunctionem duplicem in longitudinem diffidit, mediaque accommodans, mediam quasi decussavit.* Colum. iii. 13. *Nam duas regulas ejus latitudinis, qua pastinator sulcum facturus est, in speciem Græcæ literæ decussavimus.* Voss. Lex. Etymol. Baldus Lex. Vitruv. Bud. de asse 1. p. 13. Rhodig. Ant. Lect. xxii. 14. Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 54.

DED.

DEDICARE est aliquid publicè splendidum ac magnificum primo fabricæ usu exhibere ex iis, quorum gratia perfecta est; ut in theatro dramata, paria gladiatorum, ferarumque penationes in amphitheatro, cursus in circo, navales pugnas in naumachia. De Tito Suet. c. 7. n. 11. *Amphitheatro dedicato ... munus edidit apparatissimum largissimumque.* Ita Nero, qua variis conviviis, qua publicis ludis, sparsisque in populum muneribus domum suam *dedicasse* dicitur apud Suet. c. 31. n. 10. *Donat. de urb. Rom. iii. 7.* Illi, qui templum *dedicasset*, tributum est ut nomen ejus templi fastigio inscriberetur. De Horatio Dionys. v. p. 304. *Templi Capitolini dedicationem atque inscriptionem absente collega occupavit alter consul M. Horatius.* Deinde Catuli honori concessum legitur, ut *nomen ejus in Capitolino fastigio fulgeret*: ut de illo Val. Max. vi. 9. §. 5. Et Tacit. Hist. iii. 72. 6. *Curam victor Sylla suscepit, neque tamen dedicavit: hoc solum ejus felicitati negatum. Lutatii Catuli nomen inter tot Cæsarum opera usque ad Vitellium mansit.* Rycq. de Capit. c. 11. *Dedicationi* præerat, vel ipse Princeps, vel cui *dedicandi* dedisset potestatem. Principem dico, in quem lege regia potestas populi translata erat. Stante enim Republica a populo lege curiata, tributis comitiis lata, præfici debebat, qui *dedicaret*. Cicer. Attic. iv. 2. *Si neque populi jussu, neque sectu quis se dedicasse diceret, nominatim ex re perfectius esset: neque populi jussu, aut plebis sectu, id facere jussus esset: videri posse sine religione eam partem area domino restitui.* Pontificum commentatia habent *L. Cassium censorem, cum de signo Concordiæ dedicande ad collegium retulisset, ei M. Æmilium pontificem maximum pro collegio respondisse, nisi eum populus Romanus nominatim præfecisset, atque ejus jussu faceret, non videri ea rectè posse dedicari.* Et *senatus consecratam aram tollendam ex auctoritate pontificum censuit, neque ullum est passus ex ea dedicatione literarum exstare monumentum.* Cicer. pro dom. c. 53. ... Formula nota est ex Cicer. ibid. c. 52. *Ades, ades, Luculle, Servili, dum dedico templum Jovi, ut mihi praeatis, postemque teneatis. Nam pontifices & præibant verba, & postem tenebant.* Pontifex, qui verba præibat, dabat operam, ut illa nec præpedita, nec balbutiente lingua pronuntiaret. Ne si verbo aberrasset, quasi minùs ritè facta, instauraretur. Quæ res tenuit Metellum pontificem hominem *adeò inexplanata lingua, ut multis mensibus tortus credatur, dum meditartur in ædificanda æde Opi fera dicere.* Plin. xi. 37. *Postis templi ibi erat, ubi templi aditus est & valva. Ambulationis postes nemo unquam tenuit in dedicando.* Cicer. ibid. c. 46. *Figrel. de Stat. Roman. c. 29. Laurent. var. sacr. gentil. c. 5. Blond. Triumph. Rom. 1. p. 16. E. Guther. de vet. jur. Pont. iii. 11.* Apud quem, ut etiam Brisson. de Form. 1. p. 115. *dedicationis* legem descriptam, & hujus à tabula differentiam annotatam invenies. *Dedicare* sub ascia. V. illud supr. in *Ascia*.

DEDITIONIS formula erat; *Rex interrogavit, estisne vos legati oratoresque missi à populo Collatino, ut vos, populumque Collatinum dederetis? Sumus. Estne populus Collatinus in sua potestate? Est. Deditisne vos, populum Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina, humanaque omnia, in meam, populique Romani ditionem?

nem? Dedimus. At ego recipio. Liv. I. 38. Plaut. Amph. I. I. 70.

Convenit: victi utri sint eo prælio
Urbem, agrum, aras, focos, seseque uti dederent.

104.

Deduntse, divina, humanaque omnia,
In deditionem, atque in arbitratum cuncti Thebano populo.

Brisson. de Form. IV. p. 354. Stevvech. in Veget. IV. 13. Augustin. de leg. in Ælia Sentia. Sigon. de ant. jur. Ital. I. I. Hotman. Antiq. Roman. II. 16. Caroli Antiq. Roman. III. 11. Loon. de manum. II. 8. 2. *Deditionem* facientes veste sordida ferè induebantur. Hirt. de bell. Alex. c. 31. *Omnis multitudo oppidanorum, armis projectis, munitionibusque suis relictis, veste ea sumpta, qua supplices dominantes deprecari consueverunt.* Stevvech. l. l. Arma tradere jubebantur. Cæs. de bell. Gall. II. 32. *Se magis consuetudine sua, quàm merito eorum, civitatem conservaturum, si prius quàm aries murum attigisset, se dedidissent: sed deditionis nullam esse conditionem, nisi armis traditis.* Brisson. & Carol. l. l. Clypeum abjiciebant, aut convertebant, aut capiti imponebant. De his Appian. bell. civ. II. p. 454. *Imposuerunt clypeos capitibus, quod est symbolum seipsos dedentium.* De conversione clypei Ammian. XXVI. 9. *Eumque secuti complures, jam pila quatientes & gladios, ad imperatorem transeunt cum vexillis, scuta perversa gestantes, quod defectionis signum est apertissimum.* Ruben. Diss. de gemm. Tiber. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1338. B. Vales. in Ammianum.

DEDITITIUS libertus est, ut docet Gajus §. 3. Instit. de jur. person. *qui post admissa crimina suppliciis subditus, & publice pro criminibus cæsus est: aut in cujus facie, vel corpore quæcunque indicia, aut igne, aut ferro impressa sunt, ut deleri non possint. Hic si manumissus fuerit, deditius appellatur.* Addit nonnulla alia Ulpian. §. 11. tit. 1. fragment. *Dedititiorum numero sunt, qui pœnæ causa vincti sunt a domino: quibus vestigia scripta fuerunt: qui propter noxam torti nocentesque inventi sunt: quive traditi sunt, ut ferro, aut cum bestiis depugnarent: vel in custodiam conjecti fuerunt: deinde quoquo modo manumissi sunt: idque lex Ælia Sentia facit.* Omnium libertorum vilissimi erant, & eorum jus minimum, nec ulla ratione ad civitatem Romanam perduci poterant. Gajus l. l. *Deditii nulla ratione possunt ad civium Romanorum libertorum beneficium pervenire.* Suet. c. 40. n. 8. *Hos quoque adjecit, Augustus, ne vinctus unquam, tortusve ullo libertatis genere civitatem adipisceretur.* Ideò *vanum nomen* eorum libertatem esse ait Justin. lege unica C. de dedit. libert. toll. Hos planè sustulit Justinian. §. 3. de libertin. *Et dedititios quidem per constitutionem nostram expulimus.* Decisio illa Justinianea extat C. VII. tit. 5. *Dedititia conditio nullo modo in posterum Rempublicam nostram molestare concedatur, sed sit penitus deleta.* Loon. de manum. II. 8. §. 1. 2. 3. Augustin. de leg. in Ælia Sentia. Pith. Subces. II. 9. Polit. Misc. c. 84. Donat. Dilucid. p. 416. Mercer. in Alex. dies gen. IV. 10. Cujac. Observ. IV. 5.

Dedititii peregrini quinam fuerint dicti, docet Theophil. Instit. 1. tit. 5. *Nam quondam peregrinorum aliqui quum Romanis vectigal penderent, infestis adversus Romanos animis, arma in eos sumpsere: quos collata acie, & dato congressu Romani vicerunt. Etenim cum impetum eorum fortitudinemque sustinere non possent, abjectis armis sese dediderunt. At Romani cum his humanè agentes, vitam quidem his concessere, sed hujus appellationis ignominia affectis, ut quia se dedidissent, dedititii vocarentur.* Polit. Misc. c. 84. Loon. de manum. II. 8. 1. Iniquissima fœderis conditione usi sunt, adeò ut non in fœdere, sed in *deditione* esse dicerentur. Liv. VIII. 2. *Campanorum aliam conditionem esse, qui non fœdere, sed per deditionem in fidem venissent. Itaque Campanos, seu velint, seu nolint, quieturos: fœdere Latino nihil esse, quo bellare, cum quibus ipsi velint, prohibeantur.* Sigon. de ant. jur. Ital. I. I.

DEDITUS hostibus non remanebat civis. Cic. de Orat. I. 40. *Sic C. Mancinum propter invidiam Numantini fœderis pater patratus cum Numantinis dedidisset, eumque illi non recepissent, posteaque Mancinus domum revenisset, neque in senatum ire dubitasset, P. Rutilius M. F. tribunus plebis de senatu jussit educi, quod eum civem negaret esse: quia memoria sic esset proditum, quem pater suus, aut populus vendidisset, aut pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium.* Pompon. D. §. 17. ff. de legation. ita: *Eum, qui legatum pulsasset, Q. Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, solitus esse solitus est respondere: quem hostes si non recepissent, quæsitum est, an civis Romanus remaneret? quibusdam existimantibus, remanere, aliis contra: quia quem populus jussisset dedi, ex civitate expulisse videretur; sicut faceret, cum aqua & igni interdiceret: in qua sententia videtur P. Mucius fuisse. Id autem maximè quæsitum est in Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditum non receperunt: de quo tamen lex postea lata est, ut esset civis Romanus, & præturam quoque gessisse dicitur.* Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. I. 6.

Deditus noxæ homo liber ejusdem planè conditionis fuit cum ἀγωγίμῳ Græcorum, ex judicati causa addictus, & vinciendus, donec judicatum solvisset, ei, cui erat condemnatus, quasi in privatum carcerem datus. Ἀγώγιμοι Græcorum noxæ dedebantur ob damnum sarciendum ei cui noxam commiserant. Quod jure Romano licuit. Idque apparet Instit. IV. tit. 8. Papin. coll. leg. Mos. tit. de atroc. injur. *Per hominem liberum noxa deditum; si tantum acquisitum sit, quantum damnum dedit, manumitti cogendus est à prætore, qui noxa deditum accepit, sed fiducia judicio non tenetur.* Salmas. de mod. usur. c. 17. & 18.

DEDUCTIO juvenum in forum eloquentiam auspicaturorum erat sollennis. V. illam infr. in *Tyrones*, & *Tyrocinium*.

Deductio navium fiebat in hunc modum: Summi ducis imperio nautæ ingrediebantur navalia, in quibus subductæ stabant triremes, & eas manibus trahebant in aquam. Virg. Æneid. IV. 397.

Tum verò Teucri incumbunt, & littore celsas
Deducunt toto naves,

Val. Flacc. I. 184.

At ducis imperiis Minyæ, monituque frequentes
Puppem humeris subeunt, & tento poplite proni
Decurrunt.

Puppem subeunt, quia puppis solebat stare in littore. Virg. Æneid. III. 277. *Stant littore puppes.* Et illam propellebant in mare, quod Græcis est τὴν πρύμναν κινεῖν, *puppim movere.* Quo facilius hoc fieret, adhibebantur vectes. Homer. Odyss. E. 161.

Vectibus sanè hanc deduxit in mare vastum.

& cylindri, lignaque teretia, & rotunda, palanges dicta, quæ subjecta navibus, ut per ea volutatæ facilius agerentur. Archimedes Syracusius machinam excogitavit, qua pauci navim omni instrumento plenam obiter in mare poterant *deducere*, ut testis est Plutarch. in Marcel. p. 306. A. De ea re sic canit Sil. Ital. XIV. 352.

—— *puppes etiam, constructaque saxa*
Feminea traxisse ferunt contra ardua dextra.

Helicem appellat Athen. V. p. 207. A. Atque hujusmodi *deductio* fuit, cum in propinquo naves essent. Sin verò longiùs petendæ, & per ingens terræ spatium, plaustris vehebantur, quibus pelles, & cruda coria erant subjecta. Liv. XXV. 11. *Contracta exemplo undique plaustra, junctaque inter se, & machina ad subducendas naves admota, munitumque iter*, coriis videlicet, pecorumque tergoribus, *quo faciliora plaustra, minorque moles in transitu esset. Jumenta inde, & homines contracti, & opus impigrè cœptum, paucosque post dies classis instructa, ac parata circumvehitur arcem.* Clarè Sil. Ital. XII. 441.

Inclusas igitur quibus haud errare dabatur
Arce superposita, claustris maris extulit astu,
Perque adversa tulit portatus in arva carinas.
Lubrica roboreis aderant substramina plaustris,
Atque recens cæsi tergo prolapsa juvenci
Æquoream rota deducebat per gramina puppim.

Suet. Cal. c. 47. n. 2. *Triremes Romam deduci curavit magna ex parte itinere terrestri*; quod vix alio, quàm hoc, potuit modo fieri. *Scheffer. de Milit. nav. III. 3. Potter. Archæol. Græc. III. 20.*

Deductio testatoris, qua legatarium sacris liberabat, eique consulebat; ne tantundem caperet, quantum omnes hæredes, sacrisque hoc modo obligabatur, dicebatur, quando *deducebat* aliquid in testamento, id est, detrahebat aliquid ex legato. Quod si nihil *deduxisset*, ex partitionis capite centum numini debebantur. Fr. Balduinus in suis ad Scævolam commentariis, quæ esset illa *deductio* ignorari credidit, cum tamen à M. Tullio explicetur. Nec intellexit, quomodo legatarius partiarius sacris liberaretur, si minus caperet quàm omnes hæredes. Putat legatarium pro parte acquirere, pro parte repudiare legatum potuisse, quod juri civili, l. legatarius ff. 38. de leg. 1. contrarium omnino est, quod Scævola optimè sciebat. *Guther. de vet. jur. Pontif.* II. 6. De *deductione*, in qua contra Balduinum insolescit, nihil habeo dicere: manifestò enim corrupta sunt verba Cicer. de Leg. II. 20. neque potest inde quicquam benè colligi, antequàm corrigantur. Cogitabam: *Atque etiam dat hoc Scævola caput partitionis, ut si in testamento deducta sacra non sint, ipsique minus ceperint, quàm omnibus heredibus relinquatur, sacris ne alligentur*. Sed hoc est in tenebris. *Gronov. de Pecun. Vet.* IV. 7.

DEDUCTORES distincti erant à salutatoribus. Cicer. de petit. consul. c. 9. *Jam deductorum officium, quo majus est, quàm salutatorum, hoc gratius tibi esse significato atque ostendito; & quoad ejus fieri poterit, certis temporibus descendito. Magnam affert opinionem, magnam dignitatem, quotidiana in deducendo frequentia.* Tantisper exspectabant, dum patronum, cui uni serviebant, domo exeuntem in forum deducerent: illum, si pedibus iret, comitabantur; ante sellam, si ea portaretur, ambulabant; & inde anteambulones dicebantur. Mart. II. 18. 5.

Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo Regis.

Sigon. de Judic. II. 30. Pignor. de serv. p. 246. Faber Semest. 1. 20. Claud. de salutat. c. 7.

DEF.

DEFENSIONEM patroni aggrediebantur accusatione perfecta, eo die, qui erat ex lege à prætore concessus. Cicer. Cluent. c. 21. *Citatur reus, agitur causa, paucis verbis accusat, ut de re judicata, Canutius: incipit respondere Cepasius.* Cæterum ut accusatores crimina inferenda, sic patroni diluenda partitis inter se muneribus susceperunt: & quoniam tres erant *defensionis* arces, aut factum negare, aut nomen facti, aut jure factum probare; si, quod firmius videbatur, factum negassent, fermè testes non dabant, aut qui producti erant, refutabant. Alcon. in Cicer. p. 78. *Testes tabulaque facti dari solent: itaque ab accusatore dantur: non facti non dantur testes: ergo nihil prosunt à parte defensoris. Quid ergo facit pro defensore? Oratio scilicet: cujus potestatem Hortensius non habuit tacente accusatore.* Cicer. Font. c. 1. *Flagito testes: plus ego in hac causa laboris consumo in poscendis testibus, quam cateri defensores in refutandis.* Accidit tamen nonnunquam, ut præcedat iniquitate judicis, aut accidentium maleficio, ut in causa Quintiana Cicero queritur *c.* 2. reum priore loco causam dicere, & antequam accusatoris criminationem audiverit, hac eleganti allegoria: *Ita fit, ut ego, qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cum etiam telum adversarius nullum jecerit: illis autem id tempus impugnandi detur, cum & vitandi illorum impetus potestas adempta nobis erit: & si qua in re, id quod parati sunt facere, falsum crimen; quasi venenatum aliquod telum jecerint, medicina facienda locus non erit.* Pollet. For. Rom. IV. 11.

Defensio conjuncta dicebatur, si reus exceptionem adjecisset. *Sigon. de judic.* 1. 21. V. illam infr. in *Exceptio*.

Defensio pura dicebatur, si reus nihil ad inficiationem addidisset. *Sigon. de judic.* 1. 21.

DEFENSOR civitatis erat primus post duumviros in urbe, à Justiniano Nov. 15. d. §. sed hoc jure Instit. de Atil. tut. & Theophilo, l. 1. §. 1. ff. de mun. & hon. Græcè ἔκδικος appellatur. Hermogen. l. numerum. §. 1. personalia, ff. d. t. *syndicum* interpretatur. *Defensio civitatis*, inquit, *id est, ut syndicus fiat, munus est personale*. Et Arcad. l. 2. C. de defens. civit. *Defensores*, ait, *quos Græci syndicos appellant, pro republica agebant, & conveniebantur.* Oecum. in Act. Apost. x. in Asia *ageraeos* dictos fuisse scribit. Hi quandam antiquorum tribunorum plebis imaginem referebant. Ex decurionibus creari non poterant. Valentin. l. unic. C. de Offic. jurid. Alexand. *Defensores*, inquit, *civitatum idoneis personis huic officio deputentur*. Ob id *defensor plebis* nominatur, l. 4. C. eod. tit. & in auth. eod. in princ. Nam in primis plebem ipsam, ac totam etiam civitatem ab injuriis & oneribus *defendere* tenebatur, prout ejus nomen indicabat. Ex nobilioribus & ditioribus urbis civibus à decurionibus unum post alium *defensores* eligebantur, ita ut singuli in orbem sua vice officio fungerentur. Ad eligendos civitatis antistites, clerici, curiales, aliique nobiliores conveniebant, & eorum judicio orthodoxus nominabatur *defensor*, à præfecto prætorio comprobabatur. Theodos. A. l. defensores .... 8. C. eod. & §. inseri auth. eod. Electus primùm jurabat, se omnia secundum jura acturum, §. jusjur. auth. eod. deinde à præfecto prætorio confirmabatur, cui pro codicillis confirmationis civitas, si ex majoribus erat, quatuor solidos solvebat; si ex minoribus, tres. Pecuniarias causas inter rusticos judicabat. Valentin. l. 3. C. eod. *Prospectum est, ut innocens & quieta rusticitas peculiaris patrocinii, id est, defensoris locorum beneficio perfruatur, & apud eum in pecuniariis causis litigandi habeat facultatem*. Pauperum, aliorumque vilium personarum in civitate lites dirimebat. Chrysost. & Oecum. in Act. Apost. xx. *Agorei sunt genus vilium judicum in Asia, qui pauperes & viles judicabant*. Aliorum etiam civium causam usque ad quinquaginta aureos cognoscebant, l. 1. C. eod. Leviora crimina audire, & punire, sed graviùs delinquentem tantùm in carcerem detrudere poterant, l. defensores 7. C. eod. §. audientium. Apud eosdem testamenta, donationesque insinuabantur. & judiciorum acta fiebant, l. penult. 5. eod. §. nulla. Olim integro quinquennio magistratu fungebantur, l. in defensoribus 4. C. eod. sed postea statutum est, ut solo biennio in eo officio permanerent, quo finito alii honestiores cives singuli ordine suo biennio hoc munus subibant, §. quæ agitur in d. auth. Hodie hi non sunt in usu: illis tamen quarundam urbium syndicos, aut minores judices, qui usque ad certam summam cognoscunt, comparare possimus. *Panciroll. de magistr. municip. c.* 9. *Buleng. de Imp. Rom.* VII. 12. *Bud. in Pandect. p.* 243. *K. Cujac. Observ.* III. 14. *Treuer. de jure jur. c.* 3. Deferre jusjurandum non poterat, nisi aut in rem suam datus esset, aut super hoc mandatum haberet, l. jusjurand. & ad pecun. §. defensor. *Treuer. l. l.*

Defensores ad oppida *defendenda* recensentur inter auxilia Palatina, quæ sub dispositione viri illustris magistri militum præsentalis in Notitia dignitatum imperii orientis. Hos *defensores mœnium* appellat Ammian. xx. 7. *Quibus adire propius ausis, defensores mœnium properarunt.* c. 11. *Defensores nisi vigilassent, in audaciam ruere præcipitem.* Constant. Porphyrog. de thematibus dicit *defensores* eos esse, qui currentes post hostes sequuntur, ipsi non currunt, sed ordine simul progredientes, eos, qui hostes sequebantur, excipiunt, & *defendunt*, si fortè in fugam vertantur, & inde nomen habuerunt. *Panciroll. Notit. dignit. Imper. Orient.* c. 40. *Turneb. Adv.* XXIV. 16.

Defensores reorum dicebantur, *aut patronus, aut advocatus, aut procurator, aut cognitor*. Alcon. in Cicer. p. 20. *Sigon. de judic.* II. 10. *Brisson. de Form.* v. *p.* 391. Ut accusatori testimonia, sic *defensori* argumenta aptiora fuerunt, quæ rhetores in verisimilia & signa distribuerunt: cujus rei clarissimum exemplum Miloniana suppeditabit. Quod si de nomine facti, aut de jure controversia fuit, tum aut subtilibus definitionibus, aut eruditis de jure, sive absoluto, sive assumptivo, disputationibus negotium confecerunt. *Sigon. ibid. c.* 18.

DEFECISSET si quis corde, faciem ejus aqua respergere solebant veteres. Plaut. Curc. II. 3. 32.

PH.

PH. *Viden' ut expalluit? datin' isti sellam ut assidat cito.*

Et aqualem cum aqua? properatin' ocyus? CU. *Animo male est.*

PH. *Vin' aquam?*

Heliodor. Æthiop. II. p. 69. *Donec tandem Cnemon, scaturiginem quandam repurgans, cum confluentem illico aqulam cavis manibus hausisset, faciem ipsorum conspersit, & nares furibundo attrectans, ad sese redirent, effecit.* Herald. Adv. I. 9. Bourdelot. in Heliodorum. Taubman. in Plautum.

DEFIGERE est ad res magicas translatum. Quicunque in aliquo actu quocunque genere magicæ artis prohibetur facere quod vult, aut à naturali functione aliqua impeditur, *defixus* intelligitur, quamvis id fiat simplicium herbarum, aut verborum potestate, nullo adhibito nodo, aut ligatura. *Defixio* propriè est πῆξις. In hac locum habuit ἀνάγκη. Quippè qui ἀναγκάζεται haud magis suæ spontis est, aut arbitrio suo utitur, quàm si *defixus*, aut constrictus esset vinculis. Πηκτὴν ἀνάγκην dixit Orpheus τὴν πῆξιν, aut καταδεσμὸν magicum. Paull. Sent. v. 23. *Qui sacra impia nocturnave, ut quem obcantarent, defigerent, obligarent, fecerint.* Plin. XXVIII. 2. *Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit. Defigere diris* aliquem, incantationibus, maleficis herbis, & aliis veneficiis sagæ dicebantur, hoc est, πῆξαι ἢ καταδεσμεῖν. Græci quoque antiquissimi verbis δεδέσθαι, & καταδεδέσθαι, hoc sensu usi sunt. Harpocration: *καταδεδέσθαι pro veneficio defixum esse, & venenis vinctum teneri. Dinarchus in accusatione adversus Pytheam.* Salmas. Exercit. Plin. p. 238. b. C. 766. a. B. *Defixiones* hominum exitium portendebant. Tertull. de Spectac. c. 2. *Homicidium ferro, veneno, magicis defixionibus perficitur.* Earum ritus, ubi de scelere Pisonis & Plancinæ in Germanicum, expressit Tacit. Annal. II. 69. 3. *Reperiebantur solo ac parietibus eruta humanorum corporum reliquiæ, carmina, & devotiones, & nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semusti cineres, ac tabe obliti, aliaque malefica, queis creditur animas numinibus infernis sacrari.* Guther. de vet. jur. Pont. IV. 10. Salmas. Exerc. Plin. p. 768. C. Cujac. Observ. XXI. 22. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14.

DEFRUTARIUM est ahenum prægrande, quo mustum coquitur, ad sapam, aut *defrutum* facienda. Colum. XII. 20. *Harum rerum singula libra in defrutarium, quod ceperit musti amphoras nonaginta, cum jam deferbuerit, & expurgatum erit, adjici debent.* Bud. de asse v. p. 609.

DEFRUCTUM *vocatur mustum quàm dulcissimi saporis ad tertias decoctum.* Colum. XII. 21. Ad dimidiam partem coqui præcipit Plin. XIV. 9. *Quod ubi factum ad dimidiam est, defrutum vocamus.* Nonn. de re cib. IV. 13. Thys. in Gell. IV. 13. Baccius de therm. vet. c. 35. Buleng. de conviv. III. 18. Beroal. in Serv. §. 54. Grapald. de part. dom. c. 3. §. 3. Meibom. de Cervis. vet. c. 9. Hummelb. in Apic. de Art. coquin. I. 19.

DEFUNCTOS in foro Romano, per quod pompa omnis ducebatur, ut vulgaris ordinaria, in exsequiarum prosecutione deflebant veteres. Tacit. Annal. III. 5. 3. *Defletum in foro.* Guther. de jur. man. I. 24. Illis aram ponebant. V. illam supr. in *Ara*. Et cum illis arma, ornamenta, & quæcunque, dum superessent, habuerant cariora, in rogum conjiciebant. V. supr. in *Arma*.

DEG.

DEGLABRARE est *glabrum* reddere, aut calvum facere, sive id novacula fiat, sive vulsura. Tertull. de pall. c. 3. *Mercurium autumant fortè palpati arietis mollitie delectatum deglabrasse oviculam*, apud quem ita lego pro *deglubasse*. Non enim Mercurius opus habebat, ut arietem lana exueret, illum excoriare. Hoc alienum fuit ab eo, quem gregum præsidem existimabant, ut indicat Pausan. Corinth. I. p. 46. *Et boni pastoris est, tondere pecus, non deglubere.* Suet. Tib. c. 32. n. 6. Vellebantur antiquitus oves ante inventam tonsuram. Varr. de Ling. Lat. IV. 8. *Pastores Palatini ex ovibus ante tonsuram inventam vellere lanam sunt soliti.* de re rust. II. 11. *Ex quorum vocabulo animadverti licet, prius lana vulsuram quàm tonsuram inventam.* Aleand. tab. Heliac. Explic. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. v. p. 743. B. Junius in Tertullianum.

DEL.

DELATORES fuerunt assidui Principibus, qui non modò crimina majestatis, sed & quævis alia objicerent, modò inde rediret ad fiscum, aut ærarium aliquid. Suet. Dom. c. 12. n. 2. *Nihil pensi habuit, quin prædaretur omni modo. Bona vivorum, ac mortuorum usquequaque, quolibet & accusatore, & crimine corripiebantur: satis erat objici qualecunque factum, dictumque adversus majestatem Principis. Confiscabantur alienissimæ hæreditates, vel existente uno qui diceret audisse se ex defuncto cum viveret, hæredem sibi Cæsarem esse.* Tib. c. 61. n. 7. *Nemini delatorum fides abrogata. Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum.* Pollet. For. Rom. IV. 2. Illis olim præmia constituebantur, quorum dulcedine ad accusandum pelliciebantur. Tacit. Annal. IV. 30. 3. *Quia Cornutus sua manu ceciderat, actum de præmiis accusatorum abolendis .... Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coercitum, per præmia eliciebantur.* VI. 47. 2. *Lælius Balbus Acutiam P. Vitellii quondam uxorem majestatis postulaverat: qua damnata, cum præmium accusatori decerneretur.* Brisson. Ant. Select. III. 17. Pollet. l. l. Hæc partim legibus ipsis, ex quibus crimen intendebatur, definita erant: partim æstimatione, & arbitrio ejus, qui de crimine cognovisset, constituebantur. Veluti lege Cornelia ad SCtum Silanianum pertinente ff. de SCto Silan. l. lege Cornelia, de præmio accusatorum, qui servos ante quæstionem de familia habitam fuga elapsos conquisissent, & renuntiassent, hoc cavebatur, ut in singulos servos, quos convicissent, quinque aureos ex bonis occisi, aut si inde redigi ea quantitas non posset, ex publico acciperent. In eo SCto, quod à Front. de aquæd. II. refertur, præmium accusatori constituitur dimidia pars ejus, quo condemnabitur is, qui in SCtum commiserit. A Caligula octava bonorum confiscatorum decreta erat. Joseph. Ant. Jud. XIX. 1. *Quod delatoribus octava confiscatorum bonorum pars decreta esset.* Nero ad quartas eorum quæ delata essent, redegit: quod inter præclara illius gesta refulit Suet. c. 10. n. 2. Præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit, id est, ut non nisi quartam quartæ præmiorum antea constitutorum partis auferrent, cum antea quidam criminum publicorum, quadruplatores inde nominati, partem quartam de proscriptorum, quos detulerant, bonis consequebantur. *Brisson. l. l. Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 31. *Cujac. Observ.* XIX. 3. *Stephan. de Jurisdict. vet. Græcor. c.* 12. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* IX. 31. Hoc quæstu cum multi vitam tolerarent, temporumque licentia ad calumnias abuterentur, exsilio, gravioribusque aliis pœnis id genus hominum à Tito, Domitiano, Trajano, affectum est. Suet. Tit. c. 8. n. 14. *Inter adversa temporum & delatores, mandatoresque erant ex licentia veteri. Hos assiduè in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac novissimè traductos per amphitheatri arenam partim subjici, ac venire imperavit: partim in asperrimas insularum avehi.* Dom. c. 9. n. 9. *Fiscales calumnias magna calumniantium pœna repressit; ferebaturque vox ejus: Princeps, qui delatores non castigat, irritat.* Quo nomine illi gratulatur Mart. de Spectac. 4. De Trajano Plin. Paneg. c. 34. n. 1. *Vidimus delatorum agmen inductum, quasi grassatorum, quasi latronum; non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant: nulla jam testamenta secura, nullus status certus, non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum Principum avaritia. Excidisti intestinum malum. Contigit desuper intueri delatorum supina ora, retortasque cervices. Congesti sunt in navigia raptim conquisita, ac tempestatibus dediti abirent, fugerentque vastatas delationibus terras.* Brisson. Pollet. & Guther. l. l. Lips. not. ad de cruce II. 11. Donat. Dilucid. p. 955.

DELECTUS habendi potestas consulibus post exactos Reges concessa fuit. Non dico penes solos consules semper hoc jus fuisse, quoniam sæpe contingebat, ut illorum

loco Dictatores, & tribuni militares cum consulari potestate, nec non in provinciis proconsules, prætores, proprætores, & si qua alia erant magistratuum nomina, hanc potestatem exercerent. Tantùm hic loquor de ordinaria belli gerendi potestate apud Romanos, quam consules tempore Scipionis, non verò ante id tempus, habebant, eo que me ducunt verba ipsa Polybii, *eligunt*, *edicunt*, *jubent*, quibus tempus præsens denotatur. *Patric. rei milit. Rom. p. 1. f. 2.* Polyb. vi. 17. *Quando consules sunt conscripturi milites, diem populo edicunt, qua die Romanos omnes militaris ætatis sistere se oporteat: atque id faciunt quotannos.* Liv. III. 11. *Consules positis sellis delectum habebant.* Dionys. VIII. p. 554. *Consules in subjecto campo curules sellas posuerunt, ubi & delectum habuerunt.* Sedebant enim in curulibus sellis, specie magistratus. Qui & hoc ut novum notat. Nam solebant in Capitolio, sive in ejus area, ut opinor. Sed in loco tamen augusto & sacro: & quare? nisi ut ante oculos religio & Jupiter opt. max. obnoxios magis omnes fractioresque redderet ad parendum, nam sæpè hic controversiæ & turbæ. Polyb. l. l. *Cum igitur dies adest, & militares omnis juventus in Urbe, & mox in Capitolio congregata.* Liv. XXVI. 31. *Ita dimissis Siculis, & ipse in Capitolium ad delectum discessit.* In Campo *delectum* habitum, tanquam novum notat Dionys. VIII. p. 574. sed eo factum, quo tribunitiæ intercessiones vitarentur, quibus ibi non erat locus. *Lips. de Milit. Rom. 1. Dial. 3. Laurent. Polym. IV. Synops. 1. §. 4. Thys. Rom. Illustr. 1. p. 46.* Dies edicebatur, ut monuit Dionysius, scripto, cum ordinaria res fuit: præconis voce, cum aliquid subitum, & scriptum videbatur tardum. Scriptum ingerit Dionysius: *diem proscripserunt.* Liv. VI. 28. *Juniores Romam ad edictum sine detrectatione convenere.* Etiam sub ipsum conventus diem signo ex arce sublato. Arnob. II. p. 91. *Cum paratis bella, signum monstratis ex arce.* Virg. Æneid. VIII. 1.

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit.

Dionys. VIII. p. 548. *Proposuerunt belli signa* consules, *& copias urbanas conscripserunt.* Lips. Laurent. & Patric. l. l. Stevvech. in Veget. 1. 6. Brisson. de Form. IV. p. 340. Kipping. Antiq. Roman. III. §. 2. In eos, qui se non sistebant, severè animadvertebatur. Non enim, qui aberant, fallere poterant consules, quia omnes qui moriebantur, vel nascebantur, in tabulas publicas referebantur. *Patric. l. l.* Ut proditores libertatis in servitutem redigebantur, qui se non sistebant, l. qui cum uno §. gravius, ff. de re Milit. *Qui ad delectum olim non respondebant, ut proditores libertatis in servitutem redigebantur. Sed mutato statu militiæ recessum à capitis pœna est: quia plerumque voluntario milite numeri supplentur.* Duaren. Disput. 1. 4. Stevvech. l. l. Citabantur deinde nominatim ac singillatim, Cicer. de Divin. 1. 45. *Itemque in lustranda colonia, ab eo, qui eam deduceret; & cum Imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur: quod idem in delectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine.* Ciceronem explicat Festus in Lacus Lucrinus: *Ominis boni gratia in delectu, censuve primi nominantur Valerius, Salvius, Statorius.* Ex eo scilicet auspicantes valentem, salvam, & stantem fore Rempublicam, quia putabant, nomina illorum bonum aliquem portendere eventum. *Lips. in Tacit. Hist. IV. n. 85. Lyd. de Re Milit. 1. 2. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. 1. 15. Laurent. Brisson. Thys. & Kipping. l. l.* Citati respondebant ad nomina, Liv. III. 41. *Silentio patrum edicitur delectus. Juniores, cum sine provocatione imperium esset, ad nomina responderunt.* Brisson. l. l. Vatrin. de Re milit. Roman. IV. 1. Ad illa qui non respondebant, mulctabantur. Minoris multæ ratio in hoc genere fuit, ut inquit Varro apud Gell. XI. 1. *M. Terentio, quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego ei ovem unam mulctam dico.* Majoris hæc, de qua Val. Max. VI. 3. 4. *M. Curius cos. cum subitum delectum edicere coactus esset, & juniorum nemo respondisset, conjectis in sortem omnibus, Polliæ, quæ proxima exierat, primum nomen urna extractum citari jussit, neque eo respondente, bona adolescentis hastæ subjecit.* Sigon. & Laurent. l. l. Lips. ibid. Dial. IV.

Interdum tamen excusationes erant, morbus sonticus, sacrificium anniversarium, alia. Gell. XVI. 4. *His additis exceptionibus; nisi harumce quæ causa erit, funus familiare, feriæve denicales, quæ non ejus rei causa in eum diem collatæ sint, quo is eo die minus ibi esset, morbus sonticus, auspiciumve, quod sine piaculo præterire non liceat, sacrificiumve anniversarium, quod rectè fieri non posset, nisi ipsius eo die ibi sit, vis hostisve status condictusve dies cum hoste.* Valtrin. l. l. Hansen. de jurejur. vet. c. 23. Schel. ad Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1170. F.

DELEGARE debitorem est alium pro se, qui solvat, substituere. Senec. de Ben. IV. 11. *Debitores nobis deos delegat, precaturque illi pro se gratiam referant.* Symmach. Epist. X. 27. *Ago gratias, & meam vicem, quia solvendo par non sum, cælestibus delego virtutibus.* Turneb. Adv. XII. 9. Lips. in Senecam. Donat. Dilucid. p. 769. Sigon. de judic. 1. 5. Buleng. de Imp. Rom. VI. 79. Fiebat hoc per stipulationem, l. delegare ff. de novation. eoque modo liberatio contingebat. Senec. ibid. VI. 5. *Nam & pecuniam dicimur reddidisse, quamvis non intervenerint nummi; sed delegatione & verbis perfecta solutio sit.* Nam qui vice sua alium reum dabat, curabat ut ille creditori stipulanti sponderet, l. si Titius, ff. eo tit. In qua conversionis specie ludit Senec. Epist. 18. *Prius, inquis, redde quod debes: delegabo tibi Epicurum: ab illo fiet numeratio.* Brisson. de Form. VI. p. 579.

DELEGATIONES tributorum per singulos annos, mense Julio & Augusto, apud præfectum prætorio uniuscujusque diœceseos, atque apud acta manifestari oportebat. Novell. Jul. 130. Dirigebantur judicibus singulatim provinciarum initio cujusque indictionis. Judices provinciæ eas proponere debebant in civitatibus, intra mensem Septembrem. Sunt verò descriptiones, quibus exigendorum tributorum, & annonarum modus continetur. Hæ manant à Principe, insinuantur apud acta præfecti prætorii, ac mittuntur in singulas provincias. *Gutber. de Offic. Dom. Aug. II. 14. Pancirol. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 5.*

DELIBAMENTA dicuntur, quæ deorsum *libantur*. Prisci ut alio genere hostiarum rem divinam inferis quàm superis faciebant; ita quoque *libamentis* aliis utebantur: quæ quod diis inferis funderent, & tanquam inferias deorsum *libarent*, ideò *delibamenta* vocabant: & cum ea funderent, se defundere dicebant. Val. Max. II. 6. 8. *Tum defusis Mercurio delibamentis, & invocato numine ejus, ut se placido itinere in meliorem sedis infernæ deduceret partem.* Turneb. Adv. XIX. 10. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 16.

DELIBATUM est ejus, quod cœnæ erat paratum, sed cujus particulam quandam decerptam diis obtulerant. Lactant. de mort. persec. c. 37. *Et hoc primus invenerat, ut nihil prorsus mensæ apponeretur nisi delibatum.* Solebant cibos etiam *libare*. Sil. Ital. VII. 182.

Distinxit dulces epulas, nulloque cruore
Polluta castus mensa Cerealia dona
Attulit, ac primum Vestæ detersit honorem
Undique, & in medium jecit libamina flammam.

Quod Dionys. IV. p. 207. dicit *cœnarum primitias libare.* Bauldri in Lactantium.

DELICIÆ dicebantur pueri urbani, & procaces, & *garrulitate amabiles*, ut dicuntur Suet. Aug. c. 83. n. e. Stat. Sylv. V. 5. 66. V. illum supr. in *Alexandrini*. Talis fuit, quem habuit Augustus, Sarmentus. Plutarch. Anton. p. 943. E. *Sarmentus puerulus inter Cæsaris ludicros fuit, quos Romani delicias vocant.* Pignot. de Serv. p. 192. Kobietzyk. de lux. Rom. II. 4. Et τὰ παιδικά. Virg. Ecl. II. 1.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin,
Delicias domini.

Inde Asiaticum libertum *in deliciis habuit*, id est, cum illo rem habuit, illum iniit Vitellius apud Suet. c. 12. n. 2. Et *delicias* facere est libidini indulgere. Catull. LXXIV. 1.

Si quis delicias diceret, aut faceret.

XLV. 23.

Unam Septimio fidelis Acme
Facit delicias, libidinesque.

Delectari enim est verbum, quod pertinet ad rem Veneream.

ream. Apul. Met. IX. p. 227. *Puer adhuc adulteros delectans*. Pitisc. in Suetonium. Vocantur etiam *delicati*, & meretrices *delicatæ*. Spartian. Adrian. c. 4. *Corrupisse eum Trajani, curasse delicatos*. Vetus inscriptio: TRIÆ EPHROSYNÆ RUFINÆ V. V. DELICATÆ. Suet. Vesp. c. 3. n. 1. *Flaviam Domitillam duxit uxorem, delicatam olim*. Casaub. in Spartianum. Lipf. Epist. Quæst. I. 15. Pitisc. in Suetonium.

DELPHAX, δέλφαξ, est parvus porcus. V. infr. in *Sacrificium nuptiale*.

DELPHINES columnis superpositi erant in spina circi, tanquam Neptuno debiti. Hos posuit, seu potius restitutos reposuit Agrippa in ædilitate sua. Dio XLIX. p. 417. A. *In circo cum videret errare homines propter multitudinem metarum, delphinas & ovata opera posuit, quibus cursuum circuitiones & conversiones ostenderentur*. Donat. de Urb. Rom. III. 14. Buleng. de circ. c. 19. Panvin. de lud. circ. I. 17. & ad illum Argolus. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 3. De illis etiam Tertull. de spectac. c. 8. *Singula circi ornamenta singula templa sunt. Ova honori Castorum adscribunt, qui illos ovo editos credendo de cygno Jove non erubescunt: delphinos Neptuno vovent*. Qui quo pacto gyros decurrentium indicare potuerint, non capio. Fortean in fastigio metarum constituti fuerunt, vel in re aliqua volubili, ut sunt aplustria: qui prout huc illuc versi fuere, qua parte circi currus exire, aut quo procurrere deberent, significaverunt. Id sibi extrema verba Dionis velle videntur. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 2. Erant illis cymbala ex ore pendentia ut plurimum, quorum sono dabatur signum, ut eodem momento excurrerent, eodemque spatio. Vitruv. X. 13. Quod genus ab Olympia desumptum auguror, ubi *delphini* locum habuere, sicuti docet Pausan. Eliac. II. p. 198. *In regula summi rostri delphinus aeneus prominet*. Sunt in circo positi, vel ut Neptuni famuli domino suo ac deo attributi. Hygin. in Delphino: *Qui Neptuno simulacra faciunt, delphinum aut in manu, aut sub pede ejus constituunt*. Vel ob miram celeritatem, de qua Aristot. de hist. anim. IX. 48. & ex illo Ælian. de anim. XII. 12. *Delphinus non modo aquatilium bestiarum, sed etiam terrenarum omnium est velocissimus, & ad saliendum præstantissimus; navium enim malos transilit*. Beleng. l. l. Cur *delphines* apponerentur, qui explicaret, nondum reperi. Cum quatuor essent circi factiones, à tunicæ coloribus distinctæ, veneta, prasina, alba, & russata: duæ tamen præcipuæ, & scriptoribus celebres, veneta & prasina: nam altera venetæ, altera prasinæ adhærebat. Cum ergo duæ illæ factiones in circo de victoria bigis, & quadrigis certarent, ut intelligeretur quinam priùs septies metam flecteret, & septem illa curricula conficeret, necesse fuit, utriusque factionis curricula, & spatia denotari, ac numerari, ut inquam intelligeretur, quot quæque spatia confecisset, ne vel errore, vel fraude plura curricula numerarentur. Non enim ova utrique factioni curriculorum numerum notare poterunt: unde etiam *delphines* appositi. Cumque venetæ factionis agitatores essent rei maritimæ studiosi, prasinæ autem reliquus populus, continentis incola, ut agricolæ, mercatores, & reliqui: factum inde est, ut venetæ aurigationis nota, & insigne, atque index *delphin* esset: prasinæ autem, id est, terrestris studii ovum, sive lignea ovalis machina. *Ferrar. Elect.* II. 15. Hoc caret ratione, & auctoritate veterum scriptorum. Emittebantur quatuor agitatores ex carceribus uno eodemque momento. Cum primum spatium confecissent, ut ab ultima meta reflecterent, erigebatur una sala ovo & *delphino* insignis; cum secundum, altera; cum tertium, tertia, & sic deinceps usque ad septimum, quo finiebantur omnia curricula, & unus erat missus confectus, nulla ratione habita prasinæ, venetæ, russatæ, aut albæ factionis. Qui ex illis quatuor aurigis primus septimo peractu, cum septem *delphini* starent erecti, venerat ad primas metas, quæ Murciæ dicebantur, unde se addiderant in spatia, victor erat, sive esset prasinus, sive albatus, & compos præmii. Id inde constabat, quod præ cæteris existeret ad metas Murcias. Non opus erat numerare ova pro prasino, nec *delphinos* pro veneto agitatore. Quidnam erigebatur pro russatis, & albis, si ova pro prasinis, & *delphini* pro venetis tantùm excitarentur? Sit ita, has factiones maximè fuisse æstimatas, & cæteris prælatas, non tamen negligebantur albatæ, & russatæ. Æquè cum aliis sortiebantur ostia, æquè vincebant, ut ex antiquis inscriptionibus liquet. Alioquifrustra circensium factionum domini illas aluissent. Quo signo ergo istorum curricula numerabantur, si ova, & *delphini* tantùm ad spatia prasinorum, & venetorum designanda collocarentur? *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* IX. *Præfat.* * 4. *vers.*

DELPHINUS, δελφὶς, bellicum est instrumentum, pertinens ad pugnas navales. Fuit massa ponderis ingentis, è ferro, vel plumbo, in *delphini* fortassis effigiem formata, quam ex antenna, sive mali navis pendentem, funibusque & rotulis religatam, in hostiles naves dejiciebant, easque ita vel mergebant in aquam, vel perforabant. Scholiast. Aristoph. II. 8. 7. & ex eo Suidas: *Delphinus est ferreum instrumentum, aut plumbeum, in delphini effigiem formatum. Hoc in antenna mali prælium commissuri suspendunt, dejiciuntque in navem hostilem, eamque submergunt*. Scheffer. de milit. nav. II. 5. Gyrald. de navig. c. 12. Salmas. Exerc. Plin. p. 402. b. F. Rhodig. Ant. Lect. VIII. 6. Calcagn. de Re naut. c. 14.

DELUBRUM differebat à templo. V. infr. in *Templum*. Frequentiùs ponitur pro templo, de cujus specie Varro rer. div. VIII. apud Macrob. Sat. III. 4. eo modo constituto, *ut præter ædem sit area assumpta deum causa*, id est, spatia relinquantur juxta aras, ministerii causa, ad sacrificia peragenda. Talia Romæ fuere plurima, ut Apollinis, Jovis Statoris, Junonis Sospitæ, Minervæ. *Guther. de vet. jure pont.* II. 3. *Cuper. in Lactant. de mort. persec. c.* 11. *Gyrald. Deor. Synt.* XVII. *p.* 474. *E. Rhodig. Ant. Lect.* XII. 11. *Stuck. de sacrif. p.* 84. *Oisel. in Gell.* XIII. 24. *Min. Fel. p.* 54. *Laurent. Sacr. var. gentil. c.* 7. *&* 16. *Blond. Triumph. Rom.* 1. *p.* 19. *A. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* II. 2. *Rycq. de Capit. c.* 13. *&* 37. *Struv. Ant. Rom. c.* 11. *p.* 508. *Schill. Nom. Phil. p.* 390. *Saubert. de sacrif. c.* 14. *Voss. Lex. Etymol. Merul. de sacrif.* c. 7. §. 3. In iis gladios & arma suspendebant veteres. Suet. Vit. c. 8. n. 2. *Strictum divi Julii gladium tenens, detractum delubro Martis*. Horat. Od. III. 5. 18.

—— signa ego Punicis
Affixa delubris, & arma
Militibus sine cade, dixit,
Direpta vidi.

Torrent. & Beroald. in Suetonium.

Delubrum Apollinis fuit in circo Flaminio in porticu Octaviæ. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III. *p.* 301. *C.* Plin. XXXVI. 5. *Ad Octaviæ porticum Apollo Philisci Rhodii in delubro suo*. Theatro Marcelli proximum fuisse probat Fabretti Inscript. p. 455. ex Kalendarii fragmento, quo legitur

APOLLINI. LATON.
AD THEATR. MARC.

Masson. Ovid. vit. p. 101.

Delubrum Cn. Domitii fuit in Urbis regione IX. cum signis Neptuni, Thetidos, Achillis, Nereidum, & Tritonum, quæ opera Scopæ. *Panvin. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III. *p.* 301. *C.* Plin. XXXVI. 5. *In maxima dignatione Cn. Domitii delubro in circo Flaminio Neptunus ipse, & Thetis, & Achilles* .... Nardin. Rom. Vet. VI. 2.

Delubrum Jovis Statoris fuit in circo Flaminio. Macrob. Sat. III. 4. *Delubrum ait alios existimare, in quo præter ædem sit area assumpta deum causa, ut est in circo Flaminio Jovis Statoris*. Forsan illud Cn. Domitii Jovi Statori dedicatum fuit. Verum à Victore recentiore, id est, descriptore ejus, qui forsan illa Macrobii legerat, veluti diversa recensentur. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 2. In capite Viæ sacræ ponitur à Plutarch. in Cicer. p. 868. D. *At progressus Cicero senatum Stesii in Jovis ædem coegit, quem Statorem Roma-*

ni vocant, ea est in capite Viæ sacra. Argol. in Panvin. de lud. Circ. I. 18.

Delubrum Junonis Sospitæ in decima fuit Urbis regione, ædi matris deum conterminum. Publius Victor. Fuit dicatum Kalendis Februarii. Ovid. Fast. II. 55.

Principio mensis Phrygiæ contermina matri
Sospita delubris dicitur aucta novis.
Nunc ubi sunt, illis, quæris, sacrata Kalendis,
Templa deæ? longo procubuere die.

Ortel. Deor. & dear. capit. I. 18.

Delubrum Larum fuit in regione octava, quæ forum Romanum. Rufus. *Panvin. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 297. D. Nardin. Rom. Vet. v. 10.*

Delubrum Martis Gradivi. V. illud infr. in *Templum*.

Delubrum Minervæ cogoomento captæ fuit in infimo clivo Cœlii montis, fortasse non longè ab æde Gregorii. Ovid. Fast. III. 837. V. illum infr. in *Minerva*. Donat. de Urb. Rom. III. 12.

Delubrum in Palatio statuit Plin. XXXVI. 5. quod videlicet, ut placet Servio, sub uno tecto plurima complexum est numina. *Roma*, inquit, *ejus opera sunt, Latona in Palatii delubro* . . . . . Donat. de Urb. Rom. III. 2.

Delubrum Veneris fuit in Via sacra, quod inter singularia & admiratione digna loca memorat Marcellinus. *Tomas. de donar. c. 16.*

Delubrum Vestæ fuit in Capitolio. Tacit. Annal. XV. 41. *Numæ regia, & delubrum Vestæ cum penatibus populi Romani exusta*. Tomas. de donar. c. 8. Barth. Adv. XXI. 4.

DEM.

DEMARCHUS, Δήμαρχος, vocabatur ordinarius magistratus Neapoleos. Neapolis erat urbs Græca, idcircò Græco vocabulo ejus magistratus appellabatur. Strabo, postquam Neapolim dixisset urbem esse Græcam, dicit V. p. 170. *Argumento rei sunt nomina magistratuum principio Græca, posterioribus temporibus Campana Græcis permixta*. Spartian. Adrian. c. 19. *Apud Neapolin demarchus, in patria sua quinquennalis*. Turneb. Adv. XXIX. 12. Salmas. in Spartianum. Tiraquel. in Alex. IV. 23.

DEMENSUM est frumentum, sive cibarium servile in singulos *menses*. Plaut. Stich. I. 2. 3.

Quot Kalendis petere demensum cibum.

Quot Kalendis est quot mensibus, id est singulis mensibus. Terent. Phorm. I. 1. 9.

Quod ille unciatim vix de demenso suo,
Suum defrudans genium, comparsit miser.

Ubi Donatus: *Servi quaternos modios accipiebant frumenti in mensem, & id demensum dicebatur*. Bud. de asse V. p. 592. Brod. Misc. III. 15. Pætus de Rom. & Græc. mens. III. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1630. E. Donati codex fortè vitiosus est, dum quatuor modios singulis mensibus servos accepisse in illo legitur. Quinque enim modios acceperunt. Senec. Epist. 80. *Servus est, quinque modios accipit, & quinque denarios*. Sallust. Hist. III. in Orat. M. Lepid. *Qua tamen quinis modiis libertatem omnium æstimavere*. Lips. Elect. I. 8. Schott. Observ. II. 34. Stuck. Ant. Conv. I. 22. Loon. de manum. III. 5. 8. Popm. de oper. serv. p. 23. Hoc dabatur illis per dispensatores. V. infr. in *Dispensator*.

DEN.

DENARIUS est nomen verè adjectivum, & significat nummum *denarium*. Gronov. de sestert. I. I. & 4. Erat que ex præcipuis nummorum argenteorum generibus. Ab uno latere urbis Romæ gelatum caput cum numeri nota X. habebat. Ita dicebatur, quod pro decem assibus in solutionem cedebat, quoad, perpetuis bellis exhausto ærario, placuit sexdecim assibus permutari, quod contigit, quum Hannibal perpetuos sexdecim annos totam Italiam crudelissimè vexabat. Plin. XXXIII. 3. *Postea Annibale urgente, Q. Fabio Maximo Dictatore, asses unciales facti: placuitque denarium XVI. assibus permutari*. Qui quanquam ex decem in sexdecim asses permutatus esset, antiquum tamen *denarii* nomen, & notam X. retinuit. *Panvin. Imp. Rom. c. 22. Panciroll. Notit. dignit. imp. Orient. c. 75. Salmas. de mod. usur. c. 6. & 7. Manut. de legib. c. 17. August. de legib. in Papiria. Lipen. de stren. c. 3. §. 32. Sperling. de numm. non cus. c. 31. Ursin. de Fam. Roman. in Titinia. Licet. de lucern. VI. 82. Malvas. Marm. Felsin. sect. 3. c. 4. Rhodig. Ant. Lect. X. 2. Calcagn. Equitat. p. 578. Schott. Observ. I. 15. Hotman. Antiq. Roman. IV. I. 13.* Continebat quatuor nummos sestertios. *Gronov. ibid. c. 4. Salmas. l. l.* Par erat drachmæ. Plin. XXI. 34. *Drachma Attica denarii argentei habet pondus*. Qui & passim, ubi apud Græcos auctores drachmis definiri pondera invenit, modò drachmas retinet, modò *denarios* subjicit. Plutarchus in Fabio Maximo post cladem ad Thrasimenum lacum ludos magnos votos factosque impensa in eos ludos dicit *sestertia trecenta triginta tria, denarios trecentos triginta tres trientem*. Quam summam mox ad Græcam pecuniam revocans ait conficere ὀκτὼ μυριάδας δραχμῶν, καὶ δραχμὰς τρισχιλίας τετρακοσίας ὀγδοήκοντα τρεῖς καὶ δύο ὀβολούς. *Gronov. ibid. I. 4. II. 6. & 7. IV. 2. Bud. de asse II. p. 209. III. p. 281. Manut. Quæst. Epist. II. 7. Salmas. de mod. usur. c. 2. Licet. de lucern. IV. 41. Turneb. Adv. XXIV. 17. Panvin. l. l. Sperling. ibid. c. 6. & 18. Savot. de numm. antiq. III. 3. Hotman. ibid. IV. 2. 4. Camerar. de Re numm. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. IX. p. 1421. B. 1425. C. Porcius de Re pecun. antiq. c. 2. & 3. Snell. de Re numm. Thes. Gronov. ibid. p. 1579.* D. Non quod drachma Attica tantum idem omninò valeret quod *denarius*, sed quia nullum nummi genus Græci habuere, quod *denario* Romano magis convenire posset. Nam quum *denarius* Romanus penderet argenti siliquas XXIV. duodeviginti siliquæ drachmam conficiebant: tres itaque *denarii* pendebant drachmas quatuor. *Panvin. l. l. Cenal. de pond. & mens. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1490. F. 1491. F.* Probat, quod scriptum legimus apud Tacit. Annal. I. 17. 4. questos milites *infructuosam* nimium illis fuisse *militiam*, quod scilicet *denis in diem assibus anima æstimaretur & corpus*. *Denarium* itaque postulabant in diem sibi dari, aucto nimirum stipendio. Alioqui quid attineret *denarium* pro drachma petere, nisi auctior esset ipsius supra drachmam indicatura? *Cenal. ibid. p. 1602. B. Ferret. in Tacitum.* Qui verò XVI. assibus, tandem XII. æstimari cœpit: in eoque stetit Augusti, & sequentium aliquot Principum ævo. Hoc argumento. Menstruum militum stipendium erat aureus, qui vicenis quinis valebat *denariis*; diurnum verò decem asses. Quod si igitur *denarius* denis tantùm assibus valuisset, aureus non sufficisset ad stipendium menstruum: sin autem sedenos asses exæquasset, milites, quibus deni tantùm in diem asses dabantur, minus aureo in mensem accepissent. Sed si in denario duodenos asses numeres, aureus continens quinque & viginti *denarios* valuit trecentis assibus, qui modum stipendii menstrui, sive triginta dierum, datis nempè militi denis in diem assibus, æquant. Idem probatur auctoritate Polyb. II. ubi de valore dimidii assis agit. Eum valuisse ait quarta parte oboli, quo concesso, quoniam *denarius*, sive drachma sex obolos continebat, & dimidius as quartam oboli partem valore æquabat: obolus integer valuit binis assibus, secundum quam analogiam sex oboli, qui *denarium* conficiunt, duodenis assibus valuerunt. *Lips. in Tacit. Annal. I. Excurs. F. Elect. I. 2. Savot. ibid. c. 20.* Quæ refellere conantur *Contaren. de milit. Rom. stip. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1519. F. & Putean. de stipend. milit. c. 14.* Conficit in Gallia solidos 6. denarios 2. Turonenses, & quatuor quinarias partes alterius: In Germania communiter quindecim cruciatos, minus vigesima quinta parte unius. In Britannia solidos quinque sterlinorum, denarios 9. Turonenses, & quatuor quinarias partes alterius: In Flandria 6. stauros, & paullò plùs denariis 8. Turonensibus: In Hispania maravilios fere 65. *Sardus de num. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI p. 1722. D.*

Dona-

Denarius æreus videtur dici assis æreus Macrob. Saturn. 1.7. sub finem seculi quarti qui scripsit: *Æs ita fuisse signatum hodieque intelligitur in aleæ lusu: cum pueri denarios in sublime jactantes, capita aut navia lusu teste vetustatis exclamant*. Loquitur de assibus æreis, quorum prima facies Jani bifrontis caput exhibet, altera proram navis: quem assem hic *denarium* vocavit, in argento enim *denarii* non signabantur sub ista figura. *Sperling. de numm. non cus. c. 6.* *Denarius* nunquam æreus fuit apud Romanos, nec drachma apud Græcos: sed ante argentum signatum decussis, ut centussis, æreus fuit. *Bud. de Asse* v. *p.* 634. Hunc alii ad unum omnes sequuti sunt. Sed non animadvertit vir doctissimus, *decussim* & *denarium* promiscuè olim appellatum. Itaque receptam hanc opinionem auctoritate veterum refellemus. Macrobius modò laudatus. Qui verbis illis perspicuè ostendit, quamvis *denarius*, quo tum utebantur, esset argenteus, & bigarum nota insignitus, tamen veteri seculo æreum fuisse, & æteæ pecuniæ figuram illam duplicem habuisse. Plutarch. in Camill. p. 135. B. *Assarium erat nummus, & is nummus æreus decuplatus ex eo dicebatur denarium*. Sed nemo apertiùs, quàm Vopisc. in Aurelian. c. 9. *Ipsi ad sumptus aureos Antonianos diurnos binos, argenteos Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum*. Hotman. Antiq. Roman. IV. 1. 13.

Denarius aureus invenitur apud Petron. c. 33. *Pro calculis albis ac nigris aureos argenteosque habebat denarios*. *Denarii* aurei vocantur, qui solido pondere *denarios* argenteos magnitudine referebant. Apertiùs deinde: *Jam scio, unde acceperis denarios mille aureos*. Solidos nimirum indicat. Nec Petronius ita locutus esset, si tempore Neronis vixisset, quando *denarii* nomen argento solum tribuebant, auro nunquam. Aliàs *denarius* aureus scriptoribus dici cœpit nummus, qui decem solidos aureos continebat sub una forma, ut Heliogabali *formæ denariæ* apud Lampr. Alex. Sev. c. 39. vocatæ sunt decem solidorum nummi, nobis 30. uncialium thalerorum. *Sperling. de numm. non cus. c. 6. Hotman. Antiq. Rom.* IV. 3. 1.

Denarius bigatus & quadrigatus V. illos infr. in *Nummus*.

DENDROPHORI dicebantur, qui arbores cædunt, ferunt & torrent. *Alciat. de verb. sign. p.* 155. *b.* 205. *b.* Qui materiam ad bellicas machinas advehebant. *Turneb. Adv.* XXIX. 16. Qui ligni materiam, quæ per nostra plurimum flumina in Adriaticum & Venetias assiduè convectantur, traducendam redimunt, quos à ratibus ex ea materia contextis, ratiarios vocant: exercitores ratium ab Ulpiano dicuntur. *Pier. Valerian. Ant. Bellun. Serm.* 1. Est potius nomen religionis, vel superstitionis. Cod. Theod. de paganis & templis, l. 20. *Omnia loca, quæ Frediani, quæ Dendrophori, quæ singula quæque nomina, & professiones gentilitiæ tenuerunt epulis, vel sumptibus deputata, fas est hoc errore submoto compendia domus nostræ sublevare*. Dicti autem, qui in honorem alicujus dei, ut Bacchi, vel matris deum, vel Silvani, arbores stirpitus excisas per urbem humeris ferrent. Artemid. II. 42. *Choream deo, Baccho, ducere, aut thyrsum, aut arbusculam bestare, omnibus malum est, exceptis servis*. Vetus auctor poematis nondum editi:

Egregios proceres currum servare Bybella,
Quem traheret conducta manus Megalensibus actis,
Arboris excisæ truncum portare per urbem,
Attin castratum subito prædicere solent.

In choro Bacchico Bacchæ solebant θυρσοφορεῖν, Silvanus δενδροφορεῖν. Hinc vetus saxum:

SILVANO. DENDROPHORO. SACRUM
M. POELICIUS. HILARUS. MARGAR.
Q.Q.P.P.CUM.LIBERIS.MAGNO.
ET. HERMONIANO. DEN-
DROPHORIS.

Virg. Georg. I. 20. V. illum infr. in *Silvanus*. Salmas. in Spartian. Anton. Caracall. c. 9. Ursat. de not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 632. F. Du Fresne Glossar. Stuck. Ant. Conviv. I. 31. Voss. de Idolol. I. 20. Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. II. art. II. p. 56. Cujac. Observ. VII. 30. Græv. Præfat. Thes. Antiq. Roman. Tom. I. pag. * * * * 3.

DENS auguribus si tremuerit, discordiam, & quandoque etiam bonum enuntiat. *Niphus de augur.* I. 9. In *dentibus* expurgandis magnam curam veteres collocarunt, adeo ut si proprii essent vitiati, alios eburneos emerent. Mart. V. 4. 5. 1.

Thais habet nigros, niveos Lecania dentes.
Quæ ratio est? emptos hæc habet, illa suos.

XII. 23. 1.

Dentibus, atque comis, nec te pudet, uteris emptis.
Quid facies? oculus, Lælia, non emitur.

Ideo fricabant & lavabant quotidie. Plin. Epist. VIII. 18. *Ac ne in lectulo quidem nisi ab aliis movebatur, quin etiam, fœdum, miserandumque dictu, lavandos, fricandosque dentes præbebat*. Solitum hoc fieri, vel spina argentea. Petron. c. 33. *Deinde spina argentea dentes perfodit*. Vel lentisco: V. illum infr. in *Lentiscus*. Et, ut nitidiores fierent, quotidie urina, aut aliis rebus putidissimis lævigabant. V. infr. in *Pumicare*. Auro, si per infirmitatem, vel aliqua caussa decidissent, vel evulsi fuissent, incrustabant. Mart. I. 73. 3.

Sic dentata tibi videtur Ægle
Emptis ossibus, Indicoque cornu.

Hinc undecima lex XII. tabb. apud Cicer. de leg. II. 24. *Neve aurum addito: ast, cui auro dentes vincti erunt, im cum illo sepelire & urere sine fraude esto*. Ferret. Mus. Lapid. IV. Memor. 9. Salmuth ad Panciroll. de reb. inv. & deperd. p. 735. Kirchm. de Fun. Rom. III. 24. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. I. c. 12. Hotman. Antiq. Roman. III. 1. p. 396. C. Aprinos honori numinum liminibus affigebant venatores. Symm. Epist. V. 66. *Tomas. de denar. c.* 31. *Dentibus* per pruritum, & amoris suavitatem colluctando coeuntium alter alterum morsitat. Tib. I. 7. 13.

Tum succos herbasque dedi, queis livor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus.

I. 9. 37.

Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Oscula, & in collo figere dente notas.

Ach. Tat. II. p. 147. *Illa artificiosè osculatur, majoreque condita suavitate basia præbet: non solum enim labris suaviari sat habet, sed etiam dentibus confligit, & circum basiantis ora depascitur, ac basia ipsa mandit. In ipso autem venerei complexus calore voluptate, quasi œstro, concitata, & basians mordet, & insanit*. Hinc labella mordere de coeuntibus dictus apud Catul. VIII. 18.

Quem basiabis? cui labella mordebis?

Cicer. Verr. V. 13. *Ex mulierum morsu vestigia libidinis atque nequitiæ*. Et Plaut. Pseud. I. 1. 6.

Teneris labellis molles morsiunculæ.

Et morsum collum apud Prop. III. 6. 21.

In morso æquales videant mea vulnera collo,
Me doceat livor mecum habuisse meam.

Kemp. de oscul. Dissert. XIII. §. 13. Passerat. in Propertium. Taubman. in Plautum. Lambin. in Horat. Od. p. 51. Broukh. in Tibull. I. 7. 14.

Dens de clavibus etiam dicebatur. Communes claves, id est, βαλανάγρας, unico tantùm *dente* præditæ erant, qui in βάλανον infigebatur ad eam extrahendam. Tib. I. 2. 18.

Seu reserat fixo dente puella fores.

Claves Laconicæ cum tribus erant *dentibus*. Aristoph. Θεσμοφ. p. 789.

Licet viri enim jam claviculas
Ipsi gestent occultas, callidissimas, ac maximè malignas,
Laconicas quasdam tres habentes claviculas,

De

De his Aratus, quem Germanicus ita vertit:

Qualis ferratos obicit clavicula dentes.

Salmas. Exerc. Plinian. p. 651. E. Turneb. Adv. xvi. 4.

DENTATUS dictus est, qui cum *dentibus* natus est. Plin. vii. 16. *Quosdam & cum dentibus nasci accepimus, sicut M. Curium, qui ob id Dentatus cognominatus est.* Glandorp. Onom. Rom. p. 289. Sigon. de nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. ii. p. 1981. C. Ursat. de not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 837. D.

DENTER fuit prænomen Romulii præfecti Urbi sub Romulo. Tacit. Annal. vi. 11. 2. *Ferunt ab Romulo Dentrem Romulium impositum.* Aliquot anni post in Cæciliorum & Liviorum cognomen transiit. *Panvin. de nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. ii. p. 2026. B.* L. Cæcilius *Denter* prætor anno ab U. C. 572. Siciliam provinciam tenuit. Liv. xxxix. 56. *Pratores inde facti L. Cacilius Denter* . . . M. Cæcilius *Denter* inter quinque legatos ad Macedoniæ & Ægypti Reges missus fuit. Liv. xlii. 6. *Per idem tempus quinque legati ad Regem missi, qui res in Macedonia adspicerent. Alexandriam iidem ad Ptolemæum renovanda amicitia causa proficisci jussi. Legati erant hi. . . M. Cacilius Denter.* Glandorp. Onom. Roman. p. 172. C. Livius *Denter* incertis suspicionibus magister equitum fingitur C. Claudio Crassino Regillensi Dictatori comitiorum habendorum causa anno 405. Hujus nepos M. Livius *Denter* consul fuit anno 451. cum M. Æmilio Paullo. Hic etiam ornatur à quibusdam magisterio equitum post annos sedecim Q. Hortensio Dictatore seditionis sedandæ causa. *Augustin. de Fam. Rom. in Livia. Glandorp. ibid. p. 542.*

DENUNTIARE est citare ad diem, qua diceodum est testimonium, quod facere poterant, præter ipsos judices, & accusatores. Plin. Epist. vi. 5. 2. *Addidit etiam, petendum à consulibus, ut referrent, sub exemplo legis ambitus, de lege repetundarum, an placeret in futurum ad eam legem adjici, ut, sicut accusatoribus inquirendi, testibusque denuntiandi potestas ex ea lege esset, ita reis quoque fieret. Denuntiandi testibus*, id est, die dicta ad judicium evocandi testationis gratia. Probus in literis antiquis: D. T. D. D. P. F. id est, duntaxat testibus decem denuntiandi potestatem faciam. Hinc *denuntiationes* pro vadimoniis & citationibus. Cicer. pro Flacc. c. 6. *Adjunxit illa, ut eos, qui domo exire nolebant, testimonii denuntiatione deterreret: qui domi stare non poterant, largo & liberali viatico commoveret.* Pollet. For. Rom. iv. 13. Absentibus quomodo *denuntiatio* facta fuerit. V. infr. in *Evocatio*.

DENUNTIATORES Romæ in qualibet Urbis regione habebantur, ut patet ex basi prægrandi in Capitolio, sub porticu Conservatorum, à Grutero exhibita p. 250. & 251. *Denuntiatorum* munus erat, deficientibus accusatoribus, gravia facinora *denuntiare*, ne impunita manerent, qui Patavii etiamnum, in quolibet vico, vulgo capi di cento, constituti. *Ursat. de not. Rom. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom. xi. p. 669. C. Nardin. Rom. Vet.* iii. 4.

DEO.

DEOSCULATIO pro adoratione ponitur. Hieron. ad Pammach. Apol. in Rufin. scribit, se καταφιλήσατε Psalmi ii. *deosculamini* vertisse adorate: *quia*, inquit, *qui adorant, solent deosculari manum & capita demittere, quod beatus Job se elementis fecisse negabat, dicens: si vidi solem, cum fulgeret, & osculatus sum manum meam ore meo. Et Hebræi juxta lingua sua proprietatem deosculationem pro veneratione ponunt.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 104. Rhodig. Ant. Lect. iv. 3: x. 8. V. supr. in *Adorare*.

DEP.

DEPALMATIO species levioris injuriæ habetur ex xii. tabb. Gell. xx. 1. *Quidam pro delectamento habebat os hominis liberi manus sua palma verberare: cum servus sequebatur, crumenam plenam assium portitans: & quemcunque depalmaverat, numerari statim secundum duodecim tabulas viginti & quinque asses jubebat.* Ouzel. in Gellium.

DEPESTA fuit vas vinarium, quod à Sabinis diebus festis in deorum mensa ponebatur. Varr. de ling. Lat. iv. 26. *Item dicta depesta etiam nunc in diebus sacris Sabinis vasa vinaria in mensa deorum posita. Apud antiquos scriptores Gracos inveni appellari poculi genus δεπέστας. Quare vel inde radices in agrum Sabinum Romanum sunt profecta.* Stuck. Ant. Conviv. ii. 27. de sacrif. p. 81. & 203. Turneb. Adv. xxii. 30. Alex. Gen. dier. iii. 10. *Ex quibus licet æstimare, inter pocula & vasa potui destinata censeri quam Varro dicit depestam.* Fortè utrobique legendum est *depastrum*. Est enim δέπαστρον apud Athen. xi. 5. poculi genus, vel etiam *depastum*, sive δέπαστον. Est enim Græcis δέπας, poculum. *Tiraquell. in Alexandrum.*

DEPILATRICES, παρατίλτριαι, erant mulieres, quæ obibant munus capilli digitis trahendi. Fiebat hoc per volsellas. *Jun. de com. c. 2.* V. illas infr. in *Volsella*.

DEPONERE est sequestri committere. Vulgo dicimus consignare in manu tertii. *Depositarii* tamen nomen videtur καθολικώτερον quàm sequestris, qui litigiosorum tantùm est *depositarius*. Cæterum in ambitus negotio, ubi controversi non sunt nummi, etiam usurpatur, ut aliud significet, quàm etymologiæ nomen indicet, ut in possessione, quæ etiam est mobilium, & aliquando ἀσωμάτων, cum tamen sonet etymon ad ea pertinere, in quibus pedem figimus & *ponimus*. Pollet. For. Rom. v. 9.

DEPONTANI *appellabantur senes, qui sexagenarii de ponte dejiciebantur. Exploratissimum illud est causa, quo tempore primum per pontem cœperunt comitiis suffragia ferre, juniores conclamaverunt, ut de ponte dejicerentur sexagenarii, qui jam nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi, quàm illi, deligerent Imperatorem. Cujus sententia est etiam Sinnius Capito. Vanam autem de ponte Tiberino opinionem*, de qua multa retulerat, *confirmavit Afranius in Repudiato*. Festus in *Sexagenarios*. Nonius xii. 22. *Sexagenarios per pontem mittendos male diu popularitas intellexit, cum Varro de vit. pop. Rom. ii. honestam causam religiosamque patefecerit. Cum in quintum gradum pervenerant, atque habebant sexaginta annos, tum denique erant à publicis negotiis liberi atque otiosi. Ideo in proverbium quidam putant venisse, ut diceretur sexagenarios de ponte dejici oportere, id est, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant.* Victor. Var. Lect. xviii. 7. Manut. de leg. c. 37. August. de leg. c. 14. & in Maria. Erasm. Adag. p. 617. Pier. Hierogl. xvii. 1. Schill Nom. Phil. p. 393. Pollet. For. Rom. v. 8. & ad illum Broidæus. Sigon. de Ant. jur. Civ. Rom. i. 17. Beroal. Annot. c. 5. Turneb. in Cicer. de Leg. p. 519.

DEPORTATIO dicitur quasi circumfloritio, cum ei, qui damnatus est, certo spatio circumscribitur pœnæ pendendæ locus. Nunc *confinitos* lingua vulgi appellat. Areopagita epistolam ad Johannem Evangelistam sic inscribit: *Johanni Theologo, Apostolo & Evangelista deportato ad Pathmum.* Deinde significationem hujus verbi expressit: *Merito istos incusans, qui vos injuria hac afficientes, arbitrantur se solem Evangelii circumscribere*, περιορίζειν τὸ Εὐαγγελίου τὸν ἥλιον, id est, qui re *deportatione* circumseptum arbitrantur reliquo orbe disclusum iri. *Bud. in Pandect. p. 249. H.* Nomen hoc reor natum esse ex eo, quod senatus censuit milites eos, qui ex Cannensi acie fugerant, ex Italia in Siciliam *deportandos* esse, nec ante inde *reportandos*, quàm Pœnus Italia depulsus esset. Ex ea re nomen *deportationis* primùm natum arbitror: cum eorum militum more in insulas pœnæ nomine rei amandabantur. *Turneb. Adv.* xx. 16. *Schill Nomencl. Philol. p. 394.* Ante Augustum nulla fuit, sed sublata aquæ & ignis interdictione successit: cum tamen veteres eædem leges valerent. Itaque & in lege Cornelia de sicariis & veneficiis, quam tulit L. Sylla Reipublicæ temporibus, *deportationem* tamen Martianus nominat. *Manut. de Leg. c. 23. Stephan. de Jurisdict. vet. Græcor. c.* 12. Spectans sui temporis consuetudinem, & nominavit non eam, quam in lege sua scripserat Sylla, pœnam, nimirum aquæ & ignis interdictionem, sed eam, qua tunc, sublata aquæ & ignis interdictione, lege Cornelia damnati plectebantur. *Manut. ibid. c. 25.*

c. 23. Servo infigi nulla Ictorum aut Imperatorum auctoritate comprobari potest; quin etiam *deportatione* damnatos ex capitali crimine honestiores homines, ut puta decuriones & principales civitatum, Icti docent. *Fab. Semest.* II. 5.

DEPORTATUS differt à relegato. I. quia *deportatum* non sequuntur bona, nisi palam ei fuerint concessa; relegatum sequuntur, nisi fuerint adempta alio modo. II. quia *deportato* solent assignari insulæ, quæ sunt asperrimæ, quæque sunt paullo minùs summo supplicio comparandæ, cùm relegato humaniùs transigitur. *Barth. Adv.* XXXIX. 14. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVII. 15. *Guther. de jur. man.* I. 10. *Criust de Honest. Discipl.* XXII. 5. *Laurent. de Rebusp. c.* 7. *Schill Nomencl. Philol. p.* 394. Ubi *deportandus* reus videbatur, præsides provinciarum, quia jus *deportandi* non habebant, l. 2. §. 1. ff. de pœnis, duntaxat annotabant, *in insulam deportandum*: & sententiam proferebant hujusmodi, *Imperatori scribendum, ut deportaretur.* Comprobata sententia præsidis, insulam imperator assignabat, l. 1. ff. quan. appell. sit, Ulpian. l. inter ff. de interdict. & relegat. *Brisson. de Formul.* V. *p.* 486. Ad *deportatos*, qui insulis concludi, & quasi aqua & igni interdicti civitate arceri solebant, pertinet constitutio Augusti, de qua Dio LVI. p. 587. D. *Edixit, ne quis eorum, quibus aqua & igni esset interdictum, in continenti, aut insula ulla, nisi qua quinquaginta millia passuum ab continente distaret, excepto Co, Rhodo, Sardinia & Lesbo degeret: neque aliquo trajicere, aut plures naves, quàm unam onerariam, mille amphoras capientem, & duas actuarias, neve servos, aut libertos super viginti haberet, ne plus quingentis millibus nummum possideret.* Brisson. Ant. Select. III. 6. Libertatem ex jure Quiritium, id est, civitatem, amittebat, non tamen illam, quæ est ex jure gentium. Etsi neque testamentum facere, neque hæreditatem capere, neque omnino earum rerum, de quibus jure civili statutum est, habere ullam liceat; jus enim in eo suum amittit, & quodam modo partem pristinæ libertatis, siquidem amittit ea quæ juris civilis sunt: quæ verò jus gentium complectitur, ea retinet omnia, adeoque libertatem, quia in servitutem non est redactus. *Manut. de Leg. c.* 19. *Brisson. de rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* VIII. *p.* 1019. *D. Fab. Semest.* II. 13. *Testamentum* tamen *ejus qui deportatur, non statim fit irritum; sed cum Princeps factum comprobaverit.* Ulpian l. si quis filio §. ejus qui ff. de injust. rup. non enim antea civitatem videtur amisisse. Ulpian. l. 1. §. deportatos ff. de legat. 3. *Deportatos eos accipere debemus, quibus Princeps insulas annotavit, vel de quibus deportandis scripsit. Ceterum priusquam factum præsidis comprobet, nondum amisisse quis civitatem videtur.* Proinde si ante decessit, civis videtur decessisse, & testamentum, quod ante reliquerat, quàm sententiam pateretur, valebit. *Guther. ibid. c.* 9. *Brisson. de Formul. & Fab. l. l.*

DEPOSITUM fuit modus distrahendæ obligationis, qui solutionis instar, ut & hodie, se habebat, cum oblata pecunia consignata *deponebatur*; quo facto, confestim, uti nunc etiam, debitor liberabatur, ut l. tutor. pro pupillo ff. de admin. tut. *Sigon. de judic.* I. 5. *Long. de Annul. c.* 11. *Deponebantur* verò signatæ res interdum apud acta, vel officium, l. si fidejussor. in fine ff. qui satisd. cog. interdum etiam in cimeliarchio, l. litibus de agric. & censit. XI. C. l. ult. C. de bo. auct. jud. poss. vel alio publico loco l. acceptam C. de usur. aliquando etiam apud virum aliquem bonum judicis arbitratu, l. ult. ff. de tab. exhib. Ut plurimum autem apud ædem aliquam sacram, l. si reus ff. de procur. & Cicer. Attic. V. 21. *Grætis postulantibus ut in fano deponerent, non concessi.* Quod ex antiquis moribus fluxisse puto, quibus consignatæ pecuniæ sacro commendari solebant, quasi tutiore loco esse non possint. Exempla suppeditat Cicer. de Leg. II. 16. *Alexander in Cilicia deposuisse apud Solos in delubro pecuniam dicitur: & Atheniensis Clisthenes Junoni Samia, civis egregius, cum rebus timeret suis, filiarum dotes credidit.* Et Herodian. I. 14. 4. scribit in illo incendio, quo Pacis templum Romæ conflagravit, magnam jacturam pecuniarum, quæ illic *deposita* erant, factam. *Long. l. l. Donat. dilucid. p.* 784. In *deposito* hoc interdum nominatim agebatur, ut res *deposita*, vel nummi periculo essent ejus, apud quem deponebantur, l. 1. §. sæpè ff. depos. Neratius etiam in l. & Aristoni ff. mandat. potuisse rem hac conditione deponi, *ut periculo ejus esset, qui depositum suscepisset.* Ulpian. l. si ut certo §. nunc videndum ff. commoda. *Aut si hoc ab initio convenit, ut & culpam & periculum præstet is penes quem deponitur.* Ejus leges aliquot subjiciam. Ulpian. l. 1. §. si deposuero ff. depos. *Si deposuero apud te, ut post mortem tuam reddas.* Pompon. l. si in Asia ff. eo. *Si in Asia depositum fuerit, ut Romæ reddatur.* Paull. l. Publia ff. eo. *Publia Mævia cum proficisceretur ad maritum suum, arcam clusam cum veste & instrumentis commendavit Gaja Seja: & dixit ei, cum salva venero, restitues mihi: certè si aliquid mihi humanum contigerit, filio meo, quem ex alio marito suscepi.* Brisson. de Formul. VI. p. 528.

DEPOSITUS dicebatur desperatus. Ovid. Trist. III. 3. 39.

Nec mea consueto languescent corpora lecto?
Depositum nec me qui fleat ullus erit?

Pont. II. 2. 47.

Jam prope depositus: certè jam frigidus æger,
Servatus per te, si modo fervor, ero.

Hæc *Hartung. locor. memor. Dec.* III. 8. §. 29. *Herald. in Arnob.* V. *p.* 203. *Schill. Nomencl. Philol. p.* 194. V. infr. in *Desperati*.

DEPUTATI armorum fabri fuerunt, qui carbones accendendo, aut ligna ferendo, vel hujusmodi alia agendo, armis fabricandis inserviebant. Novell. 85. *Solos eos arma fabricari volumus, qui in publicas fabricas allecti sunt, aut armorum officinas. Eos autem, qui arma fabricantur, nemini idiotæ, & privato arma vendere. Sed neque eos, qui numeris adscripti sunt, armorum fabros, seu deputatos, qui de publico annonas accipiunt, concedimus fabricari, aut vendere alicui arma.* Basil. Ecl. 57. *Sed neque eos, qui numeris allecti sunt, quos armorum fabros & deputatos vocant.* Buleng. de Imp. Rom. VI. 71. Pancirol. Notit. dign. Imp. Orient. c. 65. A quibus alii erant fabricenses, deputati, qui à Juliano statuti numerorum dicuntur, qui numeri cujusque militum arma procurabant; nec operabantur in fabricis sed solam diligentiam habebant armorum militum in numero constitutorum periculo, quique inter eos primatum. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 12.

Deputati sacræ vestis erant, qui eas manibus componebant, & aptabant, l. scrinius. §. deputati. C. de palatin. sacrar. largit. *Panciroll. Notit. dignit. Imp. Orient. c.* 65. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 71.

Deputati scholæ agentium in rebus erant, qui ipsis agentibus velut ministri inserviebant, & eos currentes comitabantur. *Panciroll. Notit. dignit. Imp. Orient. c.* 65. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 10.

Deputati etiam dicebantur selecti alacres ex singulis ordinibus aliquot viri minus locupletes, qui vulneratos ex acie reportabant & reficiebant. Leo constitut. 3. *Deputati dicebantur olim, qui nunc dicuntur scribones, qui sequentes aciem vulneratos in prælio recipiunt, ut medici, & curant.* Buleng. de Imp. Rom. VI. 71. Salmas. de Re milit. Rom. c. 14. Turneb. Adv. XXIV. 16.

DER.

DERTONA urbs est Liguriæ. Vulgo nunc vocatur *Tortona*. Colonia fuit Romanorum, ut testantur Vellej. I. 15. 4. & Plin. III. 5. In lapide antiquo vocatur *Julia Dertona*, quia à Julio Cæsare est deducta. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* III. 4. *Cluver. Ital. Ant.* I. 10. 14.

DES.

DESCENDERE in causam est causæ subscribere, sive adjungere, ut nunc dicunt. Cicer. Attic. VIII. 1. *Quo minus morere, si invitus in eam causam descendo, in qua neque*

que pacis, neque victoriæ ratio quæsita sit unquam: sed semper flagitiosa, & calamitosa fugæ; per translationem de partibus Pompejanis loquens. *Bud. in Pandem. p.* 209. *G.* 37. *A.*

DESERTOR *vocatur, qui per prolixum tempus vagatus reducitur*. Modestin. l. desertorem ff. de re milit. *Delictum desertionis gravius est, ut in fugitivis*, l. qui cum uno §. edicta ff. eod. tit. *Desertor etiam habetur, quisquis belli tempore abest à signis*, l. 1. C. de desertoribus. Testis quoque Appianus de bell. Pun. pro *desertoribus* lege castrensi habitos, quotquot ulteriùs secederent, quàm unde signorum cantus audiri posset: & quicquid tales committerent, exercitui imputatum. Qui in pace *deserunt*, si equites sunt, gradu pelluntur: si pedites, militiam mutant; in bello idem admissum, capite punitur, l. non omnes ff. de re milit. In puniendis autem *desertoribus* ratio etiam habita ordinis, stipendiorum, gradus militiæ, loci, vel muneris deserti, & anteactæ vitæ: tum etiam ejus, si cum altero, vel cum pluribus quis *deseruerit*, tum quo in loco apprehensus sit, eadem l. non omnes. *Desertori* dum abest, stipendia non currunt, l. cum allegaris C. de re milit. nec donativa, l. prima C. eodem & l. causa ff. de re milit. Utrumque autem accipere, hoc est, stipendia & donativa medii temporis possunt, cum in eorum restitutione principalis liberalitas specialiter hoc indulget, l. qui excubias ff. de re milit. Si in *desertione* vita fungantur, cedunt illa fisco, l. 4. C. de re milit. *Stevvech. in Veget.* 1 t. 6. *Salmuth in Panciroll. de reb. inv. & deperd. p.* 573. *Lips. de milit. Rom.* IV. *dial.* 4: V. *dial.* 19. Quo modo differat ab emansore, V. infr. in *Emansor*.

DESIGNARI dicebantur, qui gerendis magistratibus destinabantur. Gratian. Imper. Epist. ad Ausonium in ejus gratiarum actione p. 243. *Cum de consulibus in annum creandis solus mecum volutarem, ut me nosti, atque ut facere debui, ut velle te scivi, consilium meum ad Deum retuli. Ejus auctoritati obsecutus, te consulem designavi, & declaravi, & priorem nuncupavi.* Ausonius illi respondet: *Cujus orationis ordo lucidior? qua doctrina tam diligens propriis comitiorum verbis loqui, nec vocabulis moris antiqui nomina peregrina miscere?* p. 244. *Quis hæc verba te docuit? ego tam propria & tam Latina nescivi: designavi, & declaravi, & nuncupavi.* Plin. Epist. VI. 27. *Rogas ut cogitem, quid designatus consul in honorem Principis censeas.* Buchner in Plinium. Pitisc. in Suet. Jul. c. 9. n. 1. Schill. Nomencl. Philol. p. 401. Etiam Pontifices tributis facti comitiis, antequam curiatis confirmarentur, vel à collegio cooptarentur, & sacerdotium initent. Vetus lapis:

SACRATA. DOMUS. AUGUSTO
M. CLODIUS. PONTIFEX. DESIG.

Guther. de vet. jur. Pont. 1. 9. Magistratus *designabantur*, cum creati renuntiabantur, tuncque *ἀναδεικνύμενοι* & *μέλλοντες* dicuntur. Priùs enim *designabantur* magistratus, & post aliquot menses magistratum inibant. *Bud. in Pandect. p.* 276. *B.* 98. *K. Ursat. de not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 537. *B. Poverot. de Magistrat. Roman. c.* 5. Consules primi omnium in senatu sententiam rogabantur. Sallust. bell. Catil. p. 39. *Tum D. Junius Silanus primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul designatus erat, de his, qui in custodiis tenebantur.* Turneb. Adv. III. 4.

DESIGNATOR decimæ per provincias præerat decimæ per provincias procurandæ. Cognoscitur hoc ex hac nota: DESIG. X. P. P. Ex horum forte numero erant illi, quos Augustus per orbem divisit, civium & civitatum prædiis describendis. Dio LVI. p. 588. E. *Tributum ex ædibus, agrisque conferri jussit; neque tamen definivit à quibus, aut quemadmodum persolvi vellet; sed aliquot homines misit in diversas partes orbis, à quibus prædia privatorum hominum, atque adeo ipsarum civitatum describerentur.* Ursat. de not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 670. D. F.

Designator funeris erat, qui ordinem processuris, aut sessuris locum *designabat* pro conditione cujusque, & in ordinem redigebat, si qui reluctari vellent. Donat. Adelph. I. 2. 7. *Designare est rem novam facere. Designatores dicti, qui ludis funebribus præsunt: credo ob eam causam, quod ipsis ludis multa fiant nova & spectanda: simul etiam turba retineatur, quæ fiunt aut in spectaculis aut litibus.... Quemadmodum designatores, qui ludis funebribus multitudinem retinent.* In illum finem illis lictores addebantur. Horat. Epist. 1. 7. 6.

—— cum ficus prima colorque
Designatorem decorat lictoribus atris.

Quintil. Declam. VI. *Lacrymas ipsas novissime perdo, inanis domi Libitina plangitur, derisus designator redit, refertur rogus.* Junius in Tertull. de spectac. c. 10. Kirchman. de fun. Roman. IV. 9. Panvin. de civit. Roman. c. 44. Morest. Pomp. fer. VIII. 19. Panciroll. de magistr. munic. c. 25. Guther. de vet. jur. Pont. 1. 6. Pollet. For. Rom. III. 14. Ursat. de not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 670. D. Argol. in Panvin. de lud. circ. II. 2. Ferret. Mus. lapid. 1. memor. 26. Donat. Dilucid. p. 733. Nann. Misc. IV. 21. Beroal. Annot. c. 16. Fab. Agon. 1. 23. Torrent. & Bersmann. in Horatium. Lips. de amphith. c. 15. in Senec. de Benef. VI. 28. Meurs. de Fun. c. 33. Gronov. Mus. Alexandr. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. VIII. p. 2749. B. Gyrald. de var. sepel. rit. c. 10. & 15. & Faes in illum. Kipping. Ant. Rom. IV. 6. 4. Internoscebatur signo ficus, arboris funereæ. Patet hoc ex loco Horat. Epod. XVI. 46.

Suamque pulla ficus ornat arborem.

& altero modo producto. *Junius, Kirchmann. & Morest. l. l.* Quærebat victum ex copia funerum. Senec. de Benef. VI. 38. *An tu Arruntium, & Aterium, & cæteros, qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem vota habere, quæ designatores & Libitinarios? Illi tamen quorum mortes optant nesciunt, hi familiarissimum quemque mori cupiunt.* Meurs. l. l.

Designator ludorum & spectaculorum erat, qui loca sedendi unicuique demonstrabat, & populum serius venientem locabat. Græcè *ῥαβδοῦχος* vocabatur. Plaut. Pœn. prol. n. 19.

Neu designator præter os obambulet,
Neu sessum ducat, dum histrio in scena siet.

Hi nostris ceremoniarum magistris similes sunt. Horum munus, ordinibus sua loca adnotare, pellere occupatores ab alienis. Et id dicebant theatrali verbo excitare, aut suscitare. V. infr. in *Excitati*. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 670. D. Bud. in Pandect. p. 99. A. Buleng. de Circ. c. 33. & 44. Theat. 1. 54. Donat. Dilucid. p. 734. Fab. Agon. 1. 23. Guther. de jur. Man. 1. 14. Lips. de amphith. c. 15. Gronov. Mus. Alexandr. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 2749. B. Thys. de Amphith. p. 206. Corus. Miscel. Jur. IV. 24. 20. Schill Nomencl. Philol. p. 395. V. de hac hujus vocis significatione in utramque partem disputantem *Loens. Miscell.* III. 25. Internoscebatur signo virgæ. Plaut. Pœn. prol. n. 18.

Nec lictor verbum, aut virga mutiant,
Neu designator....

Junius de spectac. c. 10. Kirchman. de fun. Roman. IV. 9.

DESPERATI *dicebantur ægri, qui affecti & sine spe deponuntur. Consuetudo autem erat apud veteres, ut desperati ante januam collocarentur, vel ut extremum spiritum redderent terræ, vel ut possent à transeuntibus fortè curari, qui aliquando simili laboraverant morbo.* Isidor. X. Serv. Æneid. XII. *Kirchman. de fun. Rom.* 1. 12.

DESPONDERE Latini, & Græci *ἐγγυᾶν* dicebant, cum pater, aut frater ex eodem patre, aut avus paternus puellam elocabant. *Salmas. de Mod. usur. c.* 4. Verbum est commune, & *despondere* etiam dicuntur invicem inter se, qui conveniunt de futuris nuptiis inter se, l. si quis tutor. §. quamvis, ff. de rit. nupt. l. cum hic status. §. ult. de Donat. int. vir. & uxor. *Cujac. Observ.* XVI. 33.

DESULTOR dicebatur, qui duos equos absque ephippiis agitabat, & ex altero in alterum subinde *desiliebat.*

ius. Liv. XXIII. 29. *Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, sed quibus desultorum in modum, binos trahentibus equos inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transsultare mos erat: tanta velocitas ipsis, tamque docile equorum genus est*. Bud. in Pandect. p. 97. F. Alex. Gen. dier. VI. 22. Stevvech. in Veget. I. 18. Turneb. Adv. XVIII. 26. Scheffer. de re Veh. II. 11. Buleng. de Circ. c. 58. de equis c. 12. Guther. de jur. Man. I. 20. Donat. Dilucid. p. 228. Hugo de Milit. Equest. III. 4. Maussac. in Harpocrat. p. 28. Vales. in Maussac. not. p. 94. A veteri magistro redditur ζεύξιππος, μεταβάτης, id est, combinator. Cassiod. III. 51. *Equi desultorii, per quos circensium ministri missos denuntiant exituros, Luciferi præcursorias velocitatis imitantur*. Hygin. fab. 80. *Unde etiam Romani servant institutum, cum desultorem mittunt, unus duos equos habet, pileum in capite, equo in equum transilit*. Rectè ergo combinatores sunt *desultores*. Glossæ: Combinare, ζευγνύειν. Juncti enim erant equi: ab equorum alterutro in alterum corpus transmittebant. Præmissio illa combinatorum, sive *desultorum* dicebatur ἀποβατεία τῶν ζευξίππων, vel τὰ ἀποβατικά. *Scalig. in Manil. p.* 353. Horum primus usus à barbaris gentibus, quibus in bellis equorum mutatio probata. Tales effingunt Scythas Ammian. XXII. & Ælianus de aciebus instruendis. Indos Herod. VII. Numidas Strab. & Livius supra laudatus. Usus in curulibus illis & circensibus stadiis. Nam ut quadrigæ quatuor equorum cursum significabant, ita *desultores* uno tantummodo equo utebantur. Liv. XLIV. 9. *Semel quadrigæ, semel desultore misso*. Artemid. I. 58. *equum desultorium*, κέλητα, *agitare*. Dempster. Paral. Ant. Rom. Rosin. V. 25. Qui errat I. dum κέλητα vertit *desultorium*, qui potius est singularis, sive singulator. II. dum *desultori* unum modò tribuit equum, qui minimum habuit duos. *Scheffer. l. l.*

DET.

DETERGERE remos est illos inter concursus, eruptiones, circumventionesque aliarum navium in transcursu confringere, atque ita inutiles reddere. Sil. Ital. XIV. 282.

> *Ast alia lacera* (alii *latere*) *atque incussu roboris illæ*
> *Detergent remos*.

Liv. XXXVI. 44. *Duæ regiæ unam circumstant, & primum ab utroque latere remos detergunt*. XXXVII. 24. *Momento temporis, & navium virtus, & usus rei maritimæ terrorem omnem Rhodiis dempsit. Nam & in altum celeriter evectæ naves, locum post se quoque venienti ad terram dedere, & si qua concurreret rostro cum hostium navi, aut proram lacerabat, aut remos detergebat, aut libero inter ordines discursu prætervecta, in puppim impetum dabat*. Græcis dicebatur ἀποκόπτειν κώπας, vel παρασύρειν τοὺς ταρσούς. *Scheffer. de Milit. nav.* III. 6. *Mod. Epist. Novant.* 90.

DETERSOR mensarum servis de triclinio accensebatur. Horat. Sat. II. 8. 11. V. illum infr. in *Gausape*. Cui rei spongia apta fuit. Mart. XIV. 144. 1. V. illum infr. in *Spongia*. Hinc parasito factum nomen peniculi apud Plaut. Men. I. 1. *quia mensam*, inquit ipse, *quando edo, detergeo*. Popm. de Oper. serv. p. 140. V. infr. in *Peniculus*.

DETERSORIUM vulgare erat farina fabacea, quod dixere lomentum, & ex lupinorum farina smegma: quibus equidem Galeni, Plinii, & Dioscoridis auctoritate utendum in stuphis pro hac nostri seculi mediocritate consuluerim. Ad *detergendam* in balneis cutem vario antiqui utebantur *detersoriorum* genere, quæ smegmata cum Græcis dixere; communiter verò erant nitrum & aphronitrum, ejus spuma tenuior, & quod à mollitie dicebant aphrolitrum, quasi urna continendum. *Baccius de therm. vet. c.* 16.

DETESTATIO hostium dicebatur, quia hostes diris insequi mos fuit, ex lege sacrorum, illisque, repetitis exsecrationibus, mala imprecari. *Detestatio* illa ἀρὰ ἢ κατάρα, & devoti καταρώμενοι, qui probris & conviciis detestabiles & exsecrandi erant, quos nec ad sacra, nec ad libamina, nec ad larem domesticum, quocunque pervenissent, admittere cuiquam fas erat justo & pio. *Guther. de vet. pontif.* IV. 22.

Detestatio sacrorum in rebus soli dicebatur, quod manumissio in re mobili. Gell. XV. 27. *Iisdem comitiis, quæ calata appellari diximus, & sacrorum detestatio, & testamenta fieri solebant*. Ego intelligo esse omnem consecrationem, quam publicè in concione populi fieri oportebat. Nam *detestari sacra* est populo denuntiare, quod quisque consecrari cupit. *Gruch. de comit.* III. 2. *Panvin. de Civit. Roman. c.* 8. *Guther. de vet. jur. pont.* II. 6. Non sana sunt, quæ de *sacrorum detestatione* afferunt, quasi & illa fuerit ratio perimendorum sacrorum, quæ facta fuerit comitiis curiatis. Nam, inquiunt, *detestari* sacra est populo denuntiare, quod quisque consecrari cupit, injussu verò populi non licere vi legis Papyriæ & Carbonianæ quicquam consecrare. Sed contrarium verum est. Etenim Paull. l. 39. de verb. sign. dicit *detestari esse absenti denuntiare*, & *detestari* sacra esse absenti denuntiare sacra hæc esse hæredi scilicet, aut legato partionario facienda, si velit adire hæreditatem, vel capere legatum. Et l. 238. §. 1. *detestari* accipitur etiam pro absenti *denuntiare cum testatione*. Servius Sulpitius quoque libros scripsit de sacris *detestandis*, ex quibus secundum laudat Gell. VI. 12. *Grav. Proleg. ad Antiq. Roman. Tom.* V. *p.* 5. *& Tom.* I. *p.* 18.

DEV.

DEVERRINUS qualis fuerit deus. V. inst. in *Pilumnus*.

DEVINCTIO erat species excantationis, vergebat ad obligationem, vel nexum, qui κατάδεσμος, quæ pudicos animos ad libidinem deflecteret. Tale est carmen Virg. Ecl. VIII. 77.

> *Necte tribus nodis ternos Amarylli colores,*
> *Necte Amarylli modo, & Veneris, dic, vincula, necto.*

Guther. de vet. jur. pont. IV. 10.

DEUNX signat undecim *uncias*. Juven. Sat. I. 40.

> *Unciolam Proculejus habet, sed Gillo deuncem.*

Non inscitè, ut arbitror. Totum enim assem dividit, & ex duodecim unciis alteri unicam, alteri undecim *uncias* patrimonii tribuit. *Alex. Gen. dier.* I. 1. Quia ad assem solidum deficeretur *uncia*. Græcis Siculis dicitur ἐνδεκαούγκιον, vel ἐνδέκας. *De* in compositionibus tam verborum, quàm nominum tollit rem cui præponitur, vel in contrarium vertit. Ut *demagis* pro minus, *devirginare* virginitatem tollere, *demens* sine mente, *depygis* mulier quæ pygam non habet, *dextans* subaudiendo as minus sextante. Et rectè Varr. de ling. Lat. IV. 36. *A duodecim*, hoc est, ab asse, *una dempta uncia deunx, dextans dempto sextante*. Salmas. de mod. usur. c. 6.

Deunx calix fuit undecim *unciarum* ebriosorum & intemperantium. Mart. XII. 28. 1.

> *Poto ego sextantes, tu potas, Cinna, deunces;*
> *Et quereris, quod non, Cinna, bibamus idem.*

VI. 78. 6.

> *Misceri sibi protinus deunces,*
> *Sed crebros jubet.*

Stuck. Ant. Conviv. III. 13. Bud. de asse V. 561. Baccius de vin. & Conviv. IV. p. 172.

Deunx semuncia sextula viginti octo millia: eæque unciæ vicies octies iterumque octies multiplicatæ efficiunt asses triginta quinque. Desunt ad assem constituendum binæ sextulæ: Ii sunt octingenti pedes. Septunx autem iste cum binis sextulis supra viginti octo asses excurrens exsistit ex tribus *unciis*, quas singula millia supra assem repræsentant: vicies enim octies ter sunt octoginta quatuor, quot *uncias* habent septem asses. *Gronov. de pec. Vet.* III. 11.

Deunx sicilicus denarii sunt quindecim asses. Undecim enim *unciæ* cujusvis assis *deunx*, quadrans *unciæ* sicilicus. *Gronov. de pecun. Vet.* III. 10.

Deunx sicilicus jugeri sunt viginti septem millia pedum: nam *deunx* 26400. p. sicilicus sexcenti. Octo autem & viginti *deunces*, viginti quinque asses bes; octo & viginti sicilici, septem *unciæ*; octo *deunces* septem asses triens, octo sicilici sextans: qui conjuncti reddunt asses triginta tres dodrantem. *Gronov. de pec. Vet.* III. 11.

DEVOVERE exercitus hostiles, & urbes quas oppugnabant, postquam evocata essent numina, moris erat Romanis. *Devotionis* talis formulam habemus apud Macrob. Sat. III. 9. *Dis. pater. Vejovis. manes. sive. vos. quo. alio. nomine. fas. est. nominare. ut. omnes. illam. urbem. Karthaginem. exercitumque. quem. ego. me. sentio. dicere. fuga. formidine. terroreque. compleatis. quique. adversum. legiones. exercitumque. nostrum. arma. telaque. ferent. uti. vos. eum. exercitum. eos. hostes. eosque. homines. urbes. agrosque. eorum. & qui. in. his. locis. regionibusque. agris. urbibusve. habitant. abducatis. lumine. supero. privetis. exercitumque. hostium. urbes. agrosque. eorum. quos. me. sentio. dicere. uti. vos. eas. urbes. agrosque. capita. ætatesque eorum. devotas. consecratasque. habeatis. illis. legibus, quibus. quandoque. sunt. maxime. hostes. devoti. eosque. ego. vicarios. pro. me. fide. magistratuque. meo. pro. populo. Romano. exercitibus. legionibusque. nostris. do. devoveo. ut. me. meamque. fidem. imperiumque. legiones. exercitumque. nostrum. qui. in. his. rebus. gerundis. sunt. bene. salvos. siritis. esse, Si. hæc. ita. faxitis. ut. ego. sciam. sentiam. intelligamque. tunc. quisquis. hoc. votum. faxit. ubi. ubi. faxit. rectè. factum. esto. ovibus. atris. tribus. tellus. mater. teque. Jupiter. obtestor. cum Tellurem dicit, manibus terram tangit: cum Jovem dicit, manus ad cœlum tollit: cum votum recipere dicit, manibus pectus tangit dictator imperatorque qui soli devovere possunt*. Lydius de re milit. IV. 2. Struv. Ant. Roman. cap. 4. p. 229. Vix dubium est, quin ille mos petitus sit à *devotione* nationum, urbiumque Cananæarum, si pacem oblatam recusarent, & potestati Israelitarum sese subjicere nollent. Unde ob pertinaciam refragandi deletas fuisse animadvertimus Jos. c. 11. n. 20. *Devotionem* ferè ejusmodi fuisse conjicio, quam petiit rex Balac fieri per Balaamum pseudoprophetam Num. c. 22. n. 11. *Lydius l. l.* Hostes quos judicabant publicos posteriori tempore solebant diis inferis devovere. Hoc Maximino & filio à senatu accidit. Capitol. Gordian. c. 11. *Tunc clamavit senatus: Dii vobis gratias. Liberati ab hostibus sumus, si penitùs liberemur. Maximinum hostem omnes judicamus. Maximinum cum filio diis inferis devovemus*. Struv. ibid. p. 224. & 230.

DEVOTUS pro alterius salute vocabatur, qui pro aliorum salute morti tradebatur, & is à Græcis dictus est *ἀντίψυχος*, tanquam animam pro anima tradens, ut ait Aristides in sacris orationibus: *quando dilecta anima pro anima, corpus pro corpore contribuitur*. Tomas. de Donar. c. 4. Sic *devotos* pro patria & populo Romano Quiritum legimus. Primum exemplum reperimus sub adventum Gallorum Senonum in urbem Romam. Liv. V. 41. *Sunt, qui, M. Fabio pontifice maximo præfante carmen, devovisse eos se pro patria, Quiritibus Romanis tradant*. Sic & *M. Curtius, juvenis bello egregius, templa deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliumque intuens, & manus nunc in patentes terræ hiatus ad deos manes porrigens, se devovit, equo deinde quam poterat maximè exornato insidens, armatus se in specum immisit*, apud Liv. VII. 6. Ipsi consules pro populo Romano se *devoverunt*. Liv. VIII. 9. *In hac trepidatione Decius consul M. Valerium magna voce inclamat: Deorum, inquit, ope, Valeri opus est: agedum pontifex publicus populi Romani præi verba, quibus me pro legionibus devoveam. Pontifex eum togam prætextam sumere jussit, & velato capite manu subter togam ad mentum exserta, super telum subjectum pedibus stantem sic dicere: Jane, Jupiter, Mas pater, Quirine, Bellona, Lares, Divi Novensiles, Dii Indigetes, Divi, quorum est potestas nostrorum, hostiumque, Diique manes, vos precor, veneror, veniam peto, feroque, uti populo Romano Quiritium vim, victoriamque prosperetis: hostesque populi Romani Quiritium terrore, formidine, morteque afficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita pro Republica Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium, legiones, auxiliaque hostium mecum Diis manibus Tellurique devoveo. Ipse incinctus cinctu Gabino armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit*. Differebat hæc *devotio* ab illa, qua quos hostes publicos judicabant, *devovebant*, de qua supra, quod esset voluntaria, & pro Romana Republica fieret: quare & vota pro hisce fiebant, & dona frugesque super talem à multitudine virorum ac mulierum coogesta, quod Curtio factum Liv. VII. 6. scribit; hæc patriæ hostibus fiebat, & cum consecratione conveniebat. *Struv. Ant. Rom. c. 4. p. 228. Guther. de vet. jur. Pont. IV. 15. Kipping. Ant. Rom. III. 4. §. 5. Hotoman. de Form. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom. II. p. 1313. C. Schull. Nomencl. Philol. p. 402. Gyrald. Synt. Deor. XVII. p. 506. F. Tomas. l. l.* Et ex hoc ritu originem duxit, ut deinceps se pro Augustorum salute *devoverent* privati. De Sexto Pacuvio enim ait Dio LIII. p. 510. quod se in pleno senatu Augusto Cæsari Hispanorum more *devoverit, & aliis exemplum dederit simile faciendi*. Et ex illo more tractum est, ut addit Cassius, quod Imperatores sibi propitios reddere volentes, iisdem se dicant esse *devotos*. Ita Caligula aliquem qui se pro salute ipsius *devoverat cunctantem pueris tradidit verberatum, infulatumque, qui votum reposcentes per vicos agerent quoad præcipitaretur ex aggere*. Hæc adulatio occurrit in inscriptionibus apud Gruter. p. 272. his verbis: DEVOTUS NUMINI MAJESTATIQUE EJUS, & per hasce literas initiales exprimebatur D. N. M. Q. E. *Struv. ibid. p. 230. Guther. & Domas. l. l.*

Devotus artibus magicis dicebatur, qui malefica arte defixus veneris munus implere non potest. Tib. 1. 6. 3.

Sæpè aliam tenui: sed jam quum gaudia adirem,
Admonuit domina, deseruitque Venus.
Tunc me discedens devotum femina dixit.

1. 9. 19.

Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?

Apulejus in herbario de herba leontopodio: *Si quis devotus, defixusque in nuptiis suis fuerit, sic eum resolves*. Salmas. Exerc. Plin. p. 766. b. D. Broukh. in Tibull. 1. 6. 5. Tomas. l. l. Et quovis modo fascinatus. Quare *devotiones* & veneficia sæpiùs conjunguntur. Tacit. Annal. III. 13. 4. *Postremo Germanicum devotionibus & veneno peremisse*. IV. 15. 2. *Veneficia in principem & devotiones objectabat*. Struv. Ant. Rom. c. 4. p. 224.

Devotus etiam dicebatur, qui se numini perpetuò colendo dedicat. Inscriptio Romæ:

DECRETUM

. . . .

ITEM. DEDICATIONE. STATUARUM.
CÆSARUM. ET. AUGUSTARUM.
MULSUM. ET. CRUSTULA. PECUNIA.
NOSTRA. DEVOTIS. OMNIBUS. ET.
POPULO. DEDIMUS.

Guther. de vet. jur. Pont. IV. 15.

DEU.

DEUS propriè non habet nomen, si illud, quo *Deus* est, & dicitur, conceperis: unde interroganti quondam Mosi de nomine *Dei*, cujus imperata facturus erat, à *Deo* ipso responsum est Exod. c. 3. n. 14. *Ego sum qui sum*. Minuc. Fel. Octav. *Ne nomen Deo quæras, Deus nomen est illi: vocabulis opus est, cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo, qui solus est, totum vocabulum proprium est*. Et Trismegistus *Deum* appellat *innominatum* apud Lactant. 1. 6. *Hic scripsit libros, & quidem multos, ad cognitionem divinarum rerum pertinentes, in quibus majestatem summi, ac singularis Dei asserit: iisdemque nominibus appellat, quibus nos, Deum, & Patrem. Ac ne quis nomen ejus requireret, ἀνώνυμον esse dixit; eo quod nominis proprietate non egeat. Ipsius hæc verba sunt: Ὁ δὲ Θεὸς εἷς, ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδέεται, ἔστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος. Deo igitur nomen non est, quia solus est: nec opus est proprio*

voca-

vocabulo, nisi cum discrimen exigit multitudo, unamquamque personam sua nota & appellatione designet. Deo autem, quia semper unus est, proprium nomen est Deus. Berthald. de ara c. 10. §. 2. Almelov. Antiq. è sacr. prof. p. 110. Non est itaque quod miremur, quod de vero *Deo* tam anxiam adhibuerunt curam, cum noluerint effari, quis urbis Romæ *deus*, quod ei præfuerit nomen, idque sacrorum lege cavisse, quam promulgatam cum Valerius Seranus quidam tribunus transgressus esset, in crucem sublatus est. Serv. Æneid. I. 280. *Perite: non ait Romam, sed Romanos. Urbis enim illius verum nomen nemo vel in sacris enuntiat. Denique tribunus plebis quidam, ut ait Varro, hoc nomen ausus enuntiare, in crucem levatus est.* Almelov. l. l. Qui in vetere *deorum* cultu ad *deos* accedebant, vivo flumine se abluebant. V. supr. in *Abluebant*. Qui *deos* invocabant, nominibus ipsos appellabant, timentes ne apud eos offenderent, si fortè non suo, nec grato illis nomine vocassent, sæpè veniam errati sui petebant, totosque se ad eorum voluntatem referebant; in arbitrio ipsorum ponentes, ut è multis id nomen adsciscerent, quo magis delectarentur, suæque inscitiæ ignoscerent. Catull. XXXIV. 21,

Sis quocunque tibi placet
Sancta nomine.

Euripides, quem laudat Clemens Strom. v. p. 581. C.

Jupiter, sive mavis Dis vocari.

Serv. Æneid. IV. 577. Pontifices sic precabantur: *Jupiter optime, maxime, sive quo alio nomine te appellari volueris*. Et cum ambigerent, dicebant *quisquis*. Ovid. Met. I. 32.

Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille deorum.

Virg. Æneid. IV. 576.

——sequimur te sancte deorum,
Quisquis es.

Victor. Var. Lect. XIII. 2. Saubert. de Sacrif. c. 13. Lomej. de Lustrat. c. 4. Kipping. Antiq. Roman. I. 9. §. 10. Cerda in Æneid. I. 331: IV. 576. Schill Nomencl. Philol. p. 424. Esse omnibus quasi insculptum est. Cicer. de Legib. I. 8. *Nec de hominibus ulla gens est, neque tam immansueta, neque tam ferrea, quæ non etiam ignoret, qualem habere deceat, tamen habendum sciat*: quippe *est juris natura erga deum religio*. Ut idem de leg. II. Et, ut auctor est Aristot. Ethic. v. *Cultus dei à natura inductus, etsi modus colendi sit à lege*. Ob quam causam respondet David Psalm. 4. n. 7. dicentibus: *quis ostendet nobis bona?* respondet, inquam, *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Insinuans animæ nostræ propriam inesse naturam rationalem, à cujus lumine ea, quæ facienda, quæque sequenda sunt, doceamur, potissimum præcipua, inter quæ singulari notione nobis inest divini numinis cultus. *Morestell. de divers. dier. apud Roman. dial.* v. Et esse unum, in tanta deorum multitudine, plerumque vel ab invitis gentibus confessionem veritas expressit. Et ejus nomen plerumque in quotidianis sermonibus eis in buccam veniebat. Tertull. de testim. anim. c. 2. *Nam te quoque palam, & tota libertate, qua non licet nobis, domi ac foris audimus ita pronuntiare, quod Deus dederit, & si Deus voluerit*. Et mox: *Etiam quod penes Deum bonitatis & benignitatis omnis benedictio inter nos summum sit disciplinæ, & conversationis sacramentum, Benedicat te Deus, tam facilè pronuntias, quàm Christiano necesse est*. Lactant. II. 1. *Cum verò ipsorum cultores sæpè videamus Deum summum & confiteri, & prædicare*. Gentilis Callistratus l. non intelligitur ff. de jur. fisc. testamento ita cavisse quendam proponit: *Vos rogo, ut in eo, quod à vobis peto, fidem præstetis, perque Deum, ut faciatis, rogo*. Brisson. de formul. I. p. 80. *Deos* suos præ nimia impatientia, quod ab illis adspectu carorum suorum essent privati, conviciis incessebant, & querelis onerabant veteres. Sil. Ital. XIII. 391.

——pietas irata sinistris
Cælicolis furit, atque odit solatia luctus.

Stat. Sylv. V. I. 22.

——injustos rabidis pulsare querelis
Cælicolas solamen erat.

Morestell. Pomp. Funebr. II. 36. Kirchman. de Funer. II. 12. eosdemque lapidibus impetebant. V. infr. in *Templum*. Non colebantur Romæ, nisi qui SCto adsciti essent. Tertull. Apolog. c. 5. *Vetus erat decretum, ne qui deus ab Imperatore consecraretur, nisi à senatu probatus, ut M. Æmilius de deo suo Alburno. Et ne carmen Sibyllinum ullum licebat populo enuntiare, nisi id senatus decrevisset.* Dio XXXIX. p. 98. D. Maxima enim pars juris divini amplissimi ordinis fidei, voluntati, potestati permissa erat. Hinc in senatus disciplina cautum fuisse ex Varronis scriptis, & multis exemplis antiquis cognovimus, ne priùs *de rebus humanis, quàm de religione ad senatum referretur*. Zamosc. de senat. Rom. II. 11. Sigon. de ant. jur. civ. Roman. I. 8. Struv. Antiq. Roman. c. I. p. 60. Et sæpiùs sub arboribus. Plin. XII. 1. V. illum supr. in *Arbores*. Senec. Epist. 41. *Si tibi occurrit vetustis arboribus, & solitam altitudinem egressis frequens lucus, & conspectum cæli densitate ramorum aliorum alios protegentium submovens: illa proceritas sylvæ, & secretum loci, & admiratio umbræ, in aperto tam densæ, atque continuæ, fidem tibi numinis facit.* V. Stat. Papin. Theb. IV. 419.... & ad illum Lactantium. *Almelov. Antiq. è sacr. profan. p.* 21. qui multis originem & causas hujus ritus describit p. 12.......... 20. Dicebantur habitare in templis. Arnob. VI. p. 191. *Templum, inquit, hoc Martis est, hoc Junonis & Veneris, hoc Herculis, Apollinis, Ditis: quid est aliud dicere, quàm domus hæc Martis, hac Junonis & Veneris, Apollo hic habitat, in hac manet Hercules, illa Summanus? Ita non prima, & maxima contumelia est, habitationibus deos habere districtos?* Templa enim quasi deorum sunt domicilia, & idcirco sacræ ædes. Sic ναὸς dicitur παρὰ τὸ ναίειν, quia deus, cum constructum est templum, in eo creditur ναίειν, *habitare*. Rectè igitur Hesychius: *Templum, domus: illic deus adoratur*. Quare ἱερὸς δόμος & ἁγνὸς passim apud veteres poetas: θεῶν οἶκος sæpè apud Herodotum. Cicer. de Nat. deor. II. 27. *Concinnèque, ut multa, Timæus, qui, cum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianæ Ephesiæ templum deflagravisse, adjunxit, minimè id esse mirandum, quod Diana, cum in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo.* Herald. in Arnobium & Advers. II. 9. Evocabantur, cum obsiderent urbem hostium, eamque jam capi posse confiderent; quod aut aliter capi posse non crederent: aut etiam si posset, nefas existimarent, *deos* habere captivos. Plinius infr. in *Dii tutelares*. Carmen, quo evocabantur, refert Macrob. Sat. III. 9. *Si deus, si dea es, cui populus, civitasque Carthaginensis est in tutela, teque maxime ille, qui urbis hujus, populique tutelam recepisti, precor, veneror que, veniamque à vobis peto, ut vos populum civitatemque Carthaginensium deseratis, loca, templa, sacra, urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis: eique populo, civitatique metum, formidinem, oblivionem injiciatis, proditique Romam ad me meosque veniatis; nostraque vobis loca, templa, sacra, urbs acceptior, probatiorque sit; mihi quoque, populoque Romano, militibusque meis præpositi sitis, ut sciamus, intelligamusque. Si ita feceritis, voveo vobis templa, ludosque facturum.* Et civitatem, quæ mox in hostium potestatem erat ventura, dicebantur deserere. Æschyl. ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις n. 222.

Et: *Oratis, ut turris hostium repellat hastam?*
Chor. *Ergo hæc à diis erant.* Et: *Attamen deos*
Capta urbe excedere sermo est.

Virg. Æneid. II. 351.

Excessere omnes adytis, arisque relictis,
Dii, quibus imperium hoc steterat.

Mutet. Var. Lect. v. 18. Tomas. de donar. c. 3. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 506. D. Mod. Epist. III. 8. Stevvech. in Veget. II. 7. Bertald. de ara c. 9. Boxhorn. Quæst. Rom. c. 1. Junius de pict. II. 8. Juret. in Prudent. p. 105. Lomej. de lustrat. c. 4. Brisson. de Form. I. p. 63. Bud. in Pandect. p. 52. D. Ales. Gen. Dier. VI. 4. Struv. Ant. Rom. c. 4. p. 232. Demster. Paral. ad Ant. Rom. Rosin. III. 33. Valtrin. de Re milit. Rom. v. 5. Laurent. Polym. II. Dissert. 18. Var. sacr. gentil. c. 16. Kipping.

Antiq.

Antiq. Roman. III.4.§.6. Rader. & Pitisc. in Curt. IV. 3.21. Ne verò illam desererent, illorum simulacra catenis devinciebantur. Curt. IV. 3.21. *Quum unus è civibus concioni indicasset, oblatam esse per somnum sibi speciem Apollinis, quem eximia religione colerent, urbem deserentis. Quanquam auctor levis erat, tamen ad deteriora credenda proni metu aurea catena devinxere simulacrum, araque Herculis, cujus numini urbem dicaverant, inseruere vinculum, quasi illo deo Apollinem retenturi.* Plutarch. Quæst. 60. *Tyrii vincula injicere simulacris dicuntur.* Boxborn. in Plutarchum. Rader. Freinshem. & Pitisc. in Curtium. Rebus feliciter gestis redire credebantur. Sil. Ital. VIII. 235.

—— placavimus iras
Cælicolum, redeunt divi.

Boxborn. ibid. 4. 1. Habitu corporis majore quàm homines esse credebantur. Ita Curtio Rufo *oblata est species muliebris ultra modum humanum.* Tacit. Annal. XI. 21.§. 2. id est, ut *humana grandior, pulcriorque.* Plin. Epist. VII. 27. Drusum *species barbara mulieris humana amplior victorem tendere ultra sermone Latino prohibuit.* Suet. Claud. c. 1. n. 4. Dio LV. p. 548. C. *Turneb. Adv.* XXX. 39. *Lips. in Tacitum. Rader. in Æneid.* II. 772. *Lomej. de Lustrat. c.* 19. *Columm. in Annal. Ennii p.* 36. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 7.§. 11. *Pitisc. in Suetonium.* Sexus utriusque credebantur. V. infr. in *Sive dea*..... Salutabantur, dum officia, quæ hominibus tribuebant, ad *deos* veteres transtulerunt. Cato de re rust. c. 2. *Paterfamilias, ubi ad villam venit, ubi Larem familiarem salutavit.* Plin. VII. 53. *A. Pompejus in Capitolio cum deos salutasset.* Terent. Phorm. II. 1. 80.

At ego deos penates hinc salutatum domum devertar.

Et quidem summo mane. Quo ut potentiores salutare, sic etiam istos instituerunt. Cic. pro Sext. Rosc. c. 20. *Quod si luce quoque canes latrent in Capitolio, cum deos salutatum aliqui venerint.* Apul. Met. XI. p. 383. *Rebus jam rite consummatis, inchoata lucis salutationibus, religiosi primam nuntiantes horam, perstrepunt.* Hinc illorum *salutationes matutina* apud Senec. Epist. 95. *Vetemus salutationibus matutinis fungi.* & apud Apul. Met. XI. p. 392. *Et illico deæ matutinis perfectis salutationibus.* Brisson. de Formul. I. p. 33. Lips. ad Senecam. Claud. de salutat. c. 8. Interim dum fores templi aperirentur, ad illas, donec intromitterentur, salutatores consistebant. Senec. l. l. *Vetemus foribus assidere templorum, humana ambitio istis officiis capitur.* Et stantes deos salutabant, non de geniculis. Mart. XII. 78. I.

Multis dum precibus Jovem salutat,
Stans summos resupinus usque in ungues.

Brisson. de Formul. l. l. Capite operto. Plaut. Curc. III. 19.

Quis hic est, qui operto capite Æsculapium
Salutat?

Schegk. Præmess. c. 10. Brisson. ibid. p. 36. Circumagentes corpus dextroversum. V. supr. in *Circumvertere.* Procumbentes. Suet. Vit. c. 2. n. 10. *Circumvertensque se, deinde procumbens.* Liv. XXX. 16. *Qui ubi in castra Romana, & prætorium pervenerunt, more adorantium procubuerunt.* Rationem prodidit Plutarch. Num. p. 70. A. *Considere ab adoratione omen esse dictitant ratarum precum, & felicitatis in posterum durabilis. Ajunt etiam hanc requiem desperationem esse negotiorum, quasi actionibus expiscatis prioribus considant coram diis, ut auspicentur ab iisdem alias.* Brisson. ibid. p. 38. Pitisc. in Suetonium. Manum ori admoventes, sive dextram ad osculum referentes. Apul. Met. IV. p. 132. *Admoventes oribus suis dextram, primore digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur.* Plinius laudatus supr. in *Circumvertere.* Brisson. l. l. Rhodig. Ant. Lect. X. 8. Struv. Ant. Rom. c. 2. p. 201. Palmer. Spicil. X. p. 781. Etiam à viatoribus ad locum quendam appellentibus. Stat. Theb. IV. 808.

—— salutatus cum Leucada pandit Apollo.

Ubi vetus scholiastes: *Dii præsides locorum salutabantur ab eo appellentibus.* Stat. Sylv. III. 2. 23.

Prima salutavit Capreas, & margine dextro
Sparsit Tyrrhena Mareotica vina Minerva.

Symm. Epist. III. 55. *Jam portum nostrum complurium prima classis salutat.* Barth. in Statium. Claud. l. l.

Deus pro fortuna sæpissimè ponitur. Virg. Æneid. V. 467.

Cede deo, dixitque, & prælia voce diremit.

I. 406.

—— ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente deo:

Græcis ὁ θεός. Ex dæmonum enim concursu τύχη, nempè fortuna fiebat, ex Platonicorum sententia. Hinc illud Ovid. Met. III. 372.

Vota suos habuere Deos.

fortunatum nempe eventum. *Argol. in Panvin. de lud. circ.* II. 1.

Deus signum appellabatur, *quod in extis fuit. Hoc si integrum apparuisset, propitium numen ostendebat: si dimidiatum, & mutilum, iratum, aut non præsens.* Lactant. in Stat. Theb. V. 175.

—— & in nullis spirat deus integer extis.

Cicer. Divin. I. 51. *Non placet Stoicis singulis jecorum fissis interesse deum.* Buleng. de sort. c. 6.

Deus Viduus extra Urbem colebatur, ne scilicet in eum inciderent pontifices, sicque polluti sacrificare non possent. Quis fuerit, docet Cyprian. de vanitate idolorum: *In tantum verò deorum vocabula apud Romanos finguntur, ut sit & apud illos Viduus deus, qui anima corpus viduet, qui quasi feralis & funebris intra muros non habetur, sed foris collocatur.* Kirchman. de Funer. Roman. II. 21. Voss. de Idolol. IX. 29. Noris. Dissert. in Cenot. Pisan. III. 4. Morestell. Pomp. Feral. III. 11.

Dii adscriptitii dici possunt, qui ex hominibus in deorum numerum transferebantur, & minorum gentium appellabantur. Hos Græci παρεγγεγραμμένους, & μετοίκους vocitabant. *Gyrald. Synt. deor.* I. p. 18. *C. Rhodig. Ant. Lect.* XXII. 2. *Bud. in Pandect. p.* 53. B.

Dii æterni existimabantur, cum ex eo, quod semper eorum maneret forma: tum verò vel maximè, quod tantis viribus præditi nulla vi superari possent. Hoc significat Lucret. V. 1176.

Et manet omnino, quod tantis viribus actos
Non temere ulla vi convinci posse putabant.

Turneb. Adv. XXX. 22.

Dii aligeri quidam esse credebantur. Porphyrius: *Musis alas addiderunt, & Sirenibus, & præterea Victoriæ, Iridi, Amori, & Mercurio.* Hos ridet Plin. II. 7. *Alios aligeros esse puerilium prope deliramentorum est.* Turneb. Adv. XXVII. 5.

Dii ambigui fuerunt similes ignotis. Iis aram positam olim in ingenioso illo Poliphili somnio lib. I. reperio hoc modo:

D.
AMBIG.
D. D.

Berthald. de ara c. 10.

Dii anculi servorum fuerunt. V. illos supr. in *Anculi.*

Dii animales *appellantur quod de animis fiant. Labeo ait in libris, qui appellantur de diis, quibus origo animalis est, esse quædam sacra, quibus anima humana vertantur in deos.* Hi autem sunt *dii penates & lares.* Serv. Æneid. III. *Voss. de Idolol.* I. 11. *Heral. in Arnob.* III. *p.* 154.

Dii aquatiles junguntur Neptuno. Littorales dicuntur Catull. IV. 22. De illis Inscriptio apud Reinesium:

NEPTUNO ET
DIS. AQUATILIB.

Tales erant Tritones, Neptuni ministri, Najades, & Nereides. *Struv. Synt. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 165.

Dii

Dii averrunci, qui mala averruncabant, & depellentes, qui illa depellebant, dicebantur. Persius mox laudandus. Græcis ἀποτρόπαιοι, ἀλεξίκακοι, λύσιοι, φύξιοι, δαίμονες vocabantur. De illis Varr. de ling. Lat. VI. 5. *A vertendo averruncare: ut deus, qui iis rebus praest, averruncus. Itaque ab eo precari solent ut pericula avertat.* Preces, quas ad illos concipere solebant, refert Cato de re rust. c. 140. *Te precor, quæsoque, ut sies volens propitius mihi familiaque nostra, uti tu morbo visos invisosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperantiasque prohibessis, defendas, averruncesque.* Schott. Nod. Cicer. IV. 12. Guther. de vet. jur. pont. IV. 14. Turneb. Adv. XVIII. 4. Gyrald. Synt. deor. I. p. 25. G. Ab aliquo periculo servati, solebant illis agnam mactare. Hujus rei exempla apud Latinos Poetas exstant, Plautum, Horatium. Græcorum fuisse consuetudinem eamdem ex Persio intelligimus v. 167.

Euge puer sapias, diis depellentibus agnam
Percute.

Quia non dubitandum est, è Menandro tractum esse quod hic legitur in Persio. *Casaub. in Persium.*

Dii boni, quia largi dicebantur. Horat. Od. IV. 2. 38.

Quo nihil majus, meliusve terris
Fata donavere, bonique divi.

Testimonio est illa exclamatio, DII BONI, quam vulgi sermone tritam prope innumeri Terentii, Ciceronis, aliorumque loci confirmant. *Brisson. Form.* I. *p.* 45. *Bonus*, ut Labeo ait, *obsequiis latis atque jucundis propitiabant: qualia sunt, ut ipse ait, ludi, convivia, lectisternia.* Augustin. de Civ. Dei II. 11. *Buleng. de venat. Circ. c.* 7.

Dii breves sunt patellarii & minorum gentium. Brevis est parvus. Ita *scopulum brevem* dicit Ovid. Met. IX. 227. *Breve oppidum Calabriæ* Serv. Æneid. III. 551. *Breves deos* dicit Fulgent. Exposit. serm. ant. §. 14. *Tutuli: Varro in Pontificalibus ait tutulos sacerdotes dici brevium deorum.* Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Rom. 73. *Fortunam brevem.* V. infr. in *Fortuna.*

Dii certi vocantur, de quibus dubitari nullo modo potest, cujusmodi sunt Luna, Cœlum, Terra... Varro de rebus divinis & humanis apud August. de Civit. Dei VII. 17. *Berthal. de ara c.* 10. *Gyrald. Syn. deor.* I. *p.* 17. *D. Heller. de Deo Ignot. Atheniens.* §. 8.

Dii cœlestes ab aliis, maximè selectis, distinguuntur à Vitruv. I. 8. Alio nomine dii magni vocantur. *Struv. Ant. Rom.* I. *p.* 65. Inscriptio Bononiæ:

DIIS OMNIBUS COELESTIBUS...

Plato ὀρφικὰς Θεογονίας καὶ Μυσταγωγίας acceptam ab Ægyptiis & Pœnicibus secutus, ordines deorum, quos finxit paganorum cœca gentilitas, Νοητοὺς, Νοεροὺς, Ὑπερκοσμίους, Ἐγκοσμίους ita digerit, ut omnium primum supremumque Cœlum statuat cum Rhea, tum ex his natos, Jovem, Neptunum, Plutonem. Hi patris imperio inter se diviso,

Jupiter astra, fretum Neptunus, tartara Pluto,
Regna paterna tenent, tres tria, quisque suum.

Reines. Inscript. Class. I. n. 2.

Dii communes, qui dicuntur Virg. Æneid. XII. 118.

In medioque focos, & diis communibus aras.

sunt, quorum simulacra in gramineis aris posituri erant: ut eorum interventu, & religione sanciretur fœdus. Vocantur communes, quod eorum sacramento & religione communiter utraque pars fœdus esset percussura, & eorum numinibus statura. Communes itaque Trojanis & Latinis in fœdere jungendo. *Turneb. Adv.* XXIII. 14. *Berthald. de ara c.* 6. *Salmas. in Vopisc. Tacit. c.* 11. Sic Hercules dictus communis Æneid. VIII. 275. quia cultus ab Trojanis & Arcadibus. Communes *dii* apud Prop. I. 11. 16.

— communes nec meminisse deos.

id est, *deos*, quos & puella, & ipse amator colerent. *Cerdam Æneid.* XII. 118. Ad quem locum Servius: *Dii communes sunt, ut alii dicunt, Mars, Bellona, Victoria: quia hi in bello utrique parti favere possunt. Ut autem altioris scientia hominibus placet, dii communes sunt, ἄζωνοι vocantur, id est, qui cœli certas non habent partes, sed generaliter à cunctis coluntur: ubique enim eos esse manifestum est; ut mater deum, cujus potestas in omnibus zonis est. Alii communes deos volunt Solem, Lunam, Plutonem, Martem. Hi enim apud omnes homines inveniuntur, & sunt in omnibus terris. Prior tamen sensus, & simplex, & magis aptus negotio.* Gyrald. Synt. Deor. I. p. 22. A. Aut, si mavis *deos* communes appellare eos, quibus veluti in commune una eademque ara erigebatur. Communium ararum meminit Æschylus in Supplicibus:

Omnium verò Regum communes aras
Colite sanctè ac purè, ut vinculum columbarum.

Berthald. ibid. c. 13.

Dii Consentes erant urbani & rustici. Varr. de re Rust. I. I. *Invocabo* XII. *deos consentes, non tamen eos urbanos, quorum imagines ad forum aurata stant, sex mares, & sex femina totidem; sed illos* XII. *deos, qui maximè agricolarum duces sunt:* quique ab eo ibi declarantur Jupiter & Tellus; Sol & Luna; Rubigo ac Flora; Minerva & Venus; Lympha & bonus Eventus; Ceres & Liber. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 643. *B. Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 18. *Demster. Paralip. ad Rosin. Ant. Roman.* II. 3. Dicebantur quasi immortalitati ejus consentientes, & majestatis supremæ assessores. Ab Ennio comprehensi sunt hoc disticho, quod referunt Apul. de deo Socrat. p. 667. & Martian. Capell. de nupt. philol. & Mercur. I. 15.

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Singulos singulorum mensium tutelæ præficit Manil. II. 433. Ex illis consessus *deorum* constituitur. Et in inscriptionibus dicitur consessus *deorum* dearumque apud Grutter. p. 2. n. 11. consentium *deorum* apud eundem p. 3. n. 1. 2. Illis tamen semper Jovis præmittitur nomen: ut

I. O. M.
CETERISQ.
DIS CONSENTIBUS.

Inde etiam cœlestes dicuntur. V. suis locis. *Struv. Ant. Roman.* I. *p.* 65. *Rycq. de Capitol. c.* 39. *Gyrald. l. l. Voss. de Idolol.* I. 14. *Ferret. Mus. lapid.* III *numer.* 54. *Bud. in Pandect. p.* 53. *B. Stuck. de sacrif. p.* 27. *Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 14. *Lampr. Alex. Sev. c.* 63. *Casal. Ant. Profan. c.* I. *Argol. in Panvin. de lud. circ.* II. I. *Laurent. var. sacr. gentil. c.* 2.

Dii conservatores erant, quibus vota sollenniter nuncupata ostendit Inscriptio Salodiana:

DIIS NN
CONSERVATORIBUS
PRO SALUTE
ARIÆ SUÆ
N. NONIUS
MACRINI CONSECR.

Tomas. de donar. c. 15.

Dii fortes erant Mars, Hercules, Minerva. *His ædes Dorica fiebant. Propter virtutem enim his diis sine deliciis ædificia constitui decet.* Vitruv. I. 2. *Guther. de vet. jur. pont.* III. 6. *Philand. in Vitruv.* IV. 3.

Dii geniales dicuntur *aqua, terra, ignis, aer: ea enim sunt semina rerum, quæ Græcorum alii στοιχεῖα, alii σπέρματα vocant. Duodecim quoque signa, lunam, & solem inter hos deos computabant. Dicti a gerendo, quia plurimum posse putabantur, quos postea gerulos appellarunt.* Festus. *Scaliger in Festum. Toll. Dissert. de sistris Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* VI. *p.* 416. *C. Column. in Ennium p.* 37.

Dii genitales, qui Ennio dicuntur apud Serv. Æneid. VI.

Romulus in cœlo cum diis genitalibus ævum
Degit.

& Auson. Iliad. Perioch. IV.

Jupiter interea cum diis genitalibus una
Concilium cogit superum de rebus Achivis.

quinam sint, & cur ita vocentur, quæritur. Quibusdam videntur esse dii geniti, id est, indigetes, qui homines fuerunt. Nam genitale, quod & genitabile dicitur, non tantùm actionis est, ut genitales causæ: sed & perpessionis interdum. Lucret. apud Var. de Ling. Lat. IV. 3.

Ætheris & terræ genitabile quærere tempus,

id est, quo genitus est æther, quo genita terra. Atque hoc verbum videtur ab Ennio quodammodo novatum. Cicer. de Orat. III. 38. *Sed sæpè vel sine conjunctione verba novantur, ut ille Ennius dii genitales.* *Deos* tamen genitales esse puto æternos omnium rerum parentes & auctores. *Turneb. Adv.* IX. 26. Movet me, quòd ἀειγενέτας ab Homero deos dictos reperio: hanc vocem grammaticis modò *deorum* immortalium æternitati, modò perpetuæ eorum procreationi attribuentibus: quam posteriorem significationem poetas secutos esse existimo. *Turneb. ibid.* XX. 24. Sunt etiam qui putent genitales intelligi, qui innata eorum fœcunditate res omnes, quæ gignuntur, pariant, atque propagent. Turnebus putat hoc verbum novatum esse ab Ennio: indeque Ciceronis locum, qui sic vulgo habetur: *ut ille sensus disertus indigenitalis*, putat esse legendum, *ut ille Ennius, dii genitales*. Sed Lambini lectio antiquæ scripturæ similior, & ad veritatem propensior; sic enim habet, *ut illud senis diserti, dii genitales*. Rectè nimirum pro sene diserto significans Ennium. Intelligit verò Ennius Jovem, Martem, & Venerem, à quibus Romulus originem duxerat. *Column. in Ennium p.* 36.

Dii ignoti, Græcis θεοὶ ἄγνωστοι vocantur. Pausan. Eliac. I. p. 162. *Adjacet et ignotorum deorum ara.* Illis aræ Epimenidis Cretensis suasione erectæ fuerunt. Diog. Laert. Epimen. I. c. 110. Horum meminit Lucas Act. c. 17. n. 23. & Insctiptio supr. in *Ara*. Gyrald. Synt. deor. I. p. 17. D. Tomas. de Donat. c. 3. Berthald. de Ara c. 10. n. 2.

Dii incerti dicebantur, vel quorum certa ratio reddi nequit, ut ait Varr. rer. div. & hum. II. vel quorum sacra & templa Romanorum opinio nondum admiserat: vel quorum nomina, quia scilicet ea vulgare nefas erat, non audiverant: vel denique quia de eorum divinitate non satis constabat, ut est apud Augustin. de civ. Dei III. 12. Ovid. Met. I. 194.

Quos quoniam cœli nondum dignamur honore;
Quas dedimus, certè terras habitare sinamus.

Ignoti autem non erant iidem cum incertis; nam de incertorum divinitate ambigebatur quidem, sed tamen eorum nomina non ignorabantur, sicut ignotorum. Tales quoque Lucianus appellans μετοίκε θεὲ ἢ ἀμφίβολοι ait Hippolytum esse, & Corybantes, & Atyin, & Sabbatium. Judæi etiam incertum *deum*, quem tamen certum & verum ea gens, cæteris tantum illud boni planè ignorantibus, agnovit, & adoravit, coluerunt, ut vult Lucan. II. 592.

——*& dedita sacris*
Incerti Judæa dei.

Berthald. de ara c. 10. §. 1. Heller. de Deo ignot. Atheniens. §. 8.

Dii Indigetes. V. illos infr. in *Indigetes*.

Dii irati. Hos se habere profitebantur pagani, cum aut res ex voto non succederent, aut præter & contra votum evenirent. Et ita in veteri monumento, quod exstat Celejæ:

KAL. ÆLIONIN. DI. IR.
ET. BAL. ET. INO. COS.
CELEJÆ
AUG
P. ÆLIUS. P. F.
COS. PRO. SE
ET. SUIS
V. S. L. M.

Impios dixit illa magicarum artium insimulata apud Tacit. Annal. XVI. 31. 2. *Nullos impios deos, nec alind infelicibus precibus invocavi.* Numina maligna Juven. Sat. X. 111.

Magnaque numinibus vota exaudita malignis.

Boxhorn. Quæst. Rom. c. 3.

Dii inferi, quibus infernus est locus habitationis, ut Pluto, Proserpina. *Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 70. Crediti sunt veteribus implacabiles, quantum ad communem omnibus mortis necessitatem. De illis Virg. Georg. IV. 470.

Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.

Sunt aris & templis honorati & culti: ut & nunc apud Indos aræ passim dæmonibus erectæ sunt, ne noceant. *Berthald. de ara c.* 8. *n.* 3. Quomodo à superis distinguantur. V. inf. in *Dii superi*.

Dii littorales erant Glaucus & Panopea & Inous Melicerta apud Virg. Georg. I. 437. His veteres vovebant, se, tranquillo cursu si uterentur, in littore vota soluturos. Virg. Æneid. V. 235.

Dii, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Constituam ante aras voti reus.

Catull. IV. 22.

Neque ulla vota littoralibus deis
Sibi esse facta.

quia videlicet semper est usus felici navigatione. Lucill.

Inoque, Glaucoque, & Nereo, dein Melicerta,
Et Samothracum diis, æquoreæque Jovi,
Servatus dicat e pelagi Lucillius undis
Hos crines, aliud namque habet ille nihil.

Turneb. Adv. XXV. 21. Cerda in Virgilium. Gevart. in Stat. Sylv. III. 106. Hellespontiacum Priapum & Actium Apollinem apud Catullum intelligit *Loens. Misc.* III. 15.

Dii magici sunt inferi, Pluto, Proserpina, Hecate, quibus immolabantur hostiæ furvæ. Tib. I. 1. 61.

Concidit ad magicos hostia pulla deos.

Turneb. Adv. XVI. 4.

Dii magni sunt, qui maximum imperium, & numen habent, publicèque coluntur, ut Jupiter, Juno. Arnob. I. p. 10. *Hoc ergo dii magni norunt, perpetiuntur, & sentiunt.* Multi censent eosdem cum penatibus: sed ab illis diversos facit Virg. Æneid. III. 12.

Cum sociis, natoque, penatibus & magnis diis.

Et penates *dii* penetrales videntur fuisse, diique familiæ. *Turneb. Adv.* XV. 21. Et Macrob. Sat. III. 4. perperam confundit, cum nihil suadeat, ut hoc credamus; imo Poeta dissuadeat, qui inaniter eandem rem bis diceret. Ergo magni *dii* sunt Jupiter, Neptunus, Apollo, Vulcanus, Juno, aliique hujusmodi. Virg. Æneid. II. 622.

Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna deum.

Et mox commemorat Neptunum, Junonem, Palladem, aliosque hujusmodi. *Cerda in Æneid.* III. 12. *Feith Antiq. Homer.* I. 1. Magni *dii* tribus modis dicuntur. I. cum omnes *dii* ornantur hoc epitheto. Catull. XIV. 12.

Dii magni, horribilem & sacrum libellum!

Ovid. Amor. III. 6.

Credo etiam magnos, quo sum tam turpiter usus,
Muneris oblati pænituisse deos.

II. cum *dii* majorum gentium intelliguntur, ut illi duodecim Ennianis duobus versiculis supr. laudatis in *Dii consentes* inclusi, de quibus Virgilius jam productus. III. cum dii potes significantur, Δυνατοὶ Θεοί. Varr. de Ling. Lat. IV. 10. *Ops & Saturnus, id est, cœlum & terra, dii magni.* Passerat. in Prop. II. 34. p. 397. D.

Dii mali. Hos Romani *sanguine, cædibus, tristibus supplicationibus propitiabant*, ut ait Labeo apud Augustin. de Civ. Dei II. 11. *Buleng. de venat. Circi c.* 7.

Dii marini à Græcis vocantur θαλάσσιοι θεοὶ, vel ἐνάλιοι. Ingens eorum turba fuit: quorum princeps Neptunus, & eo antiquiores, Nereus & Oceanus. Fingebantur cani & senes, propter maris spumas; ipsique colore cœruleo, qui color est pelagi: eorum nonnulli in piscem desinebant, ut Glaucus, & Triton, aliique. *Gyrald. Synt. deor.* V. *p.* 167. *E.* In imia pumicibus, & speluncis, antrisque maris habitare putabantur. Manil. V. 429.

ipsum-

——ipsumque sub antris
Nerea, & æquoreas conantur visere nymphas.

Turneb. Adv. xviii. 32.

Dii medii erant Juno, Diana, Liber. Vitruv. i. 2. *Junoni, Dianæ, Libero patri, cæterisque diis, qui eadem sunt similitudine, si ædes Jonicæ constituerentur, habita erit ratio mediocritatis, quod & ab severo more Doricorum, & à teneritate Corinthiorum, temperabitur earum institutio proprietatis.* Guther. de vet. jure Pont. iii. 6. Philand. in Vitruv iv. 3.

Dii medioxumi, Græcis χθόνιοι dicuntur. Plaut. Cist. ii. i. 36.

Atque ita me dii deæque, superi, atque medioxumi.

Habebant sedem in medio aere, qualem locum indigetibus assignat Lucan. ix. 6.

Quaque patet terras inter, lunæque meatus,
Semidei manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vita patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animam collegit in orbes.

Struv. Ant. Rom. c. i. p. 69. Guther. de jur. man. i. 15. Savar. in Sidon. Epist. ix. 3. Hansen. de jurejur. vet. c. 10. Taubm. in Plautum. Gyrald. Synt. deor. xv. p. 437. E. Lomej. de Lustrat. c. 4. Rhodig. Ant. Lect. ii. 3. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 2.

Dii miniani fuerunt dicti, quod eorum simulacra minio antiqua consuetudine essent depicta & oblita. Varro apud Non. iv. 395. *Deos adminianos admirantes, quod sereno lumine tonuisset, oculis cæli rimari plagas.* Minio *deorum* simulacra illini solita prodit Plin. xxxiii. 7. V. illum infr. in *Jupiter Minianus*. Turneb. Adv. xxix. 28.

Dii municipales in municipiis colebantur. Italiæ enim urbes, antequam in easdem Romani coloni deducerentur, particularia quædam numina colebant, eorumque sacris proprii pontifices operabantur. Tertull. Apolog. c. 14. *Romanas, ut opinor, provincias edidi; nec tamen Romanos deos earum, quia Roma non magis coluntur, quàm qui per ipsam quoque Italiam municipali consecratione censentur: Crustuminensium Belventinus, Narniensium Viridianus, Asculanorum Ancharia, Volsiniensium Nursia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia, Faliscorum in honore est pater Curis.* Noris. Cenot. Pisan. Dissert. i. c. 5. Rhodig. Ant. Lect. xxii. 3.

Dii natalitii erant præcipuè Jupiter & Juno. Accessit & Neptunus, humore suo nativitatem promovens. Pausan. Lacon. p. 97. *Non procul à theatro Lacedæmoniorum ædes est Neptuni natalitii.* Barthol. de puerp. vet. p. 53. Tomas. de donar. c. 9.

Dii nixii dicebantur nixuum in puerperio adjutores, &, si partus difficilior esset, invocabantur. Festus: *Nixii dii appellantur tria signa in Capitolio ante sellam Minervæ genibus nixa, velut præsidentes parientium nixibus. Quæ signa sunt qui memoriæ prodiderint, Antiocho Rege Syriæ superato M. Acilium subtracta à populo Romano adportasse, atque ubi sunt, posuisse.* Barthol. de puerp. vet. p. 24. Turneb. Adv. vii. 8. Tomas. de Donar. c. 14. Gyrald. Synt. deor. i. p. 49. G. Stuck. de Sacrif. p. 44. Struv. Ant. Rom. i. p. 155. Rycq. de Capit. c. 24. Meurs. de Puerp. c. i.

Dii novensiles à Sabinis Romam sunt deducti. Varr. de Ling. Lat. iv. 10. atque iis à Tatio Rege ex voto ædes dicatæ fuerunt; quibus hæc indigitamenta hæc adscribit Varro: Herculem, Vestam, Salutem, Fortunam, Fortem, Fidem; quæ voces quanquam Sabinorum linguam sapere videantur, ad Romanæ tamen linguæ speciem adornatæ sunt. Originem vocabuli nonnulli putant, quod hæc numina nuper, vel novissimè in apotheosin, id est, deorum numerum, recepta sunt: atque hinc novensiles, quasi nuper salientes dicti: alii non novensiles, sed novensides, quasi novandis rebus præsides dicendos censent. Eorum meminit Livius supr. in *Devotus*. Calcagn. Epist. Quæst. i. 29. Gyrald. Synt. deor. i. p. 20. G. Voss. Lex. Etymol. Chiment. de hon. bisell. c. 8. Saubert. de sacrif. c. 5. Struv. Ant. Rom. c. i. p. 68. Guther. de Jur. man. i. 15. Salmas. in Spartian. Adrian. c. 14.

Dii nuptiales erant indicio Plutarch. Quæst. Roman. 2. quinque: Jupiter, Juno, Venus, Suada, vel Suadela, Diana, vel Lucina. Quibus superstitiosa antiquitas alios complures addidit nomine ridiculos, diversis nuptiarum ritibus. Nuptialibus vota faciebant, ut fortunatum conjugium redderent. *Turneb. Adv. xix. 16. Tomas. de donar. c. 13. Potter. Archæol. Græc.* iv. 11.

Dii ὁμοβώμιοι καὶ σύνναοι dicebantur duo pluresve, qui consors habebant delubrum. Romæ in domo civis privatis

ΔΙΙ ΗΛΙΩΙ
ΜΕΓΑΛΩΙ
ΣΑΡΑΠΙΔΙ
ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΣΥΝΝΑ
ΟΙΣ ΘΕΟΙΣ.

Eadem ratione Carthagine conjuncta templa habuerunt Ceres & Bacchus, quia victui humano præbent necessaria: iisque adjunctus Phœbus, prudentiæ deus, qui admoneret, deorum muneribus esse moderatè, & sapienter utendum. *Fabric. descr. urb. Romæ c. 9.*

Dii Palici qui dicti, *apud nullum penitus auctorem Latinum, quod sciam, reperi. De Græcorum penitissimis literis hanc historiam eruit Virg. Æneid.* ix. 584.

Eductum Martis luco Symetia circum
Flumina, pinguis ubi & placabilis ara Dianæ.

Nam ut Symetus fluvius in Sicilia est; ita & dii Palici in Sicilia coluntur: quos primus omnium Æschylus tragicus vir utique Siculus in literas dedit. Interpretationem quoque nominis eorum expressit versibus suis. Historia hæc est. In Sicilia Symetus fluvius est: juxta hunc Nympha Thalia, quam Æthnam vocant Lactant. in Theb. xii. 156. & Servius, *compressu Jovis gravida, metu Junonis optavit ut sibi terra dehisceret: factum est: sed ubi venit tempus maturitatis infantium, quos alvo illa gestaverat, reclusa terra est, & duo infantes de alvo Thaliæ progressi emerserunt; appellatique sunt Palici* ἀπὸ τοῦ πάλιν ἱκέσθαι*; quoniam prius in terram mersi, denuo inde reversi sunt.* Macrob. Sat. v. 19. Serv. in Virgilium, Lactant. in Statium. *Berthald. de Ara c. 20. n. i. Gyrald. Synt. deor. i. p. 71. G. Pineda in Stephanum. Cerda & Pontan. in Virgilium. Barthius in Statium.*

Dii patellarii dicebantur, quibus in patella libabatur, non magna sacrificia fiebant. Tales erant in larario domestici penates & lares. Varr. apud Non. xv. 6. *Oportet bonum civem legibus parere, & deos colere, in patellam dare* μικρὸν κρέας. Plaut. Cist. ii. i. 46.

Dii me omnes magni minutique & patellarii.

Turneb. Adv. vi. 7. Tomas. de donar. c. 8. Taubm. in Plaut. Curc. i. 2. 31. & l. l. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14. & 19. Rhodig. Ant. Lect. ii. 3. Stuck. Ant. Conviv. ii. 37. iii. 2. Voss. Lex. Etymol. in Patina. V. & infr. in *Patella*.

Dii patrii, qui & Græcè θεοὶ πάτρῳοι dicuntur, sunt qui in patria nostra coluntur: sunt & πατρῷοι, qui à patribus nostri culti sunt, quorumque per manus à patribus religionem accepimus. Virg. Æneid. ii. 702.

Dii patrii servate domum, servate nepotem.

Posteriore sensu intelligeret Xenophon de Ænea, qui ita scribit: *Servavit Æneas paternos & maternos deos.* Turneb. Adv. xvi. 4. Cerda in Virgilium. Familiæ & generis præsides. Ita apud Cicer. Verr. i. 3. sunt illi, qui pietati præsunt patrum in liberos, & liberorum in parentes, cum scribit: *Rapiunt eum ad supplicium dii patrii, quod iste inventus est, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret.* Turneb. ibid. vi. 4. Cerda l. l. Sunt ipsi penates.

Dii pellucidi & perflabiles dicuntur ab Epicuro apud Cicer. de Div. ii. 40. quod soliditatem eis non attribuebat, nec concretionem, nec corpus: sed pellucidam quandam levitatem, & lineamentorum quandam adumbratam effigiem. Nam quæ pellucida sunt & perflabilia, ut aer, nihil firmum, nihil solidum, nihil concretum habent. *Turneb. Adv.* v. 18.

Dii penates. V. illos infr. in *Penates*.

Dii peregrini dicebantur, quos ex aliarum gentium institutis amplectebantur Romani. Quod vetitum primis temporibus legibus regiis. Postea parcè, tandem tamen, accrescente imperio Romano, & publicè, & privatim omnino usitatum. Partim, ut omnium gentium *deos* demererent, omnium victores futuri. Unde Cæcilius apud Minuc. Felicem: *Dum captis in manibus hostibus adhuc ferociente victoria numina victa venerantur, dumque undique hospites deos quærunt, & suos faciunt: dum aras exstruunt etiam ignotis numinibus & manibus, sic dum universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt.* Partim ob confluxum populi ex universo orbe terrarum. Cum enim sua quisque sacra coleret, intersuit publicæ securitatis, & quietis, ut ex magistratus auctoritate peregrina sacra publicè etiam colenda & observanda admitterentur. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 10. *Gyrald. Synt. deor.* 1. *p.* 17. *G. Struv. Ant. Rom. c.* 1. p. 183.

Dii phæcasiani sunt phæcasiis calceati. Juven. Sat. III. 218.

Phæcasianorum vetera ornamenta deorum.

Turneb. Adv. x. 27. *Grang. in Juvenalem.*

Dii populares dicebantur ex selectorum numero, quia populo magis noti, & constituebant numerum octonarium: atque erant Janus, Saturnus, Genius, Sol, Orcus, Liber, Tellus, Luna. *Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 66. *Kipping. Ant. Rom.* 1. 1.

Dii privati dicebantur, quorum honori à certis tantùm familiis stato tempore sacrificia instituebantur. Liv. v. 52. *Hos omnes deos, publicos, privatosque, Quirites, deserturi estis?* Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 70.

Dii prodigiales dicebantur prodigiorum depulsores. V. illos infr. in *Jupiter prodigialis*.

Dii prodromei, θεοὶ προδρόμιοι, in præstructionibus ædificiorum colebantur, de quibus mentio est apud Pausan. Attic. p. 40. *Ostenduntur foci deorum προδρομίων*. A Domino vestibulares, à Romulo præstructores appellantur: quibus cum Alcathous murum condere inciperet, sacra fecisse dicit. *Gyrald. Synt. deor.* 1. *p.* 21. *G.*

Dii proprii apud paganos habebantur. Testatur id inscriptio hæc, quæ apud Isaram fluvium spectatur, ubi Mars conservator corporis Mercurialis Augusti dicitur:

MARTI. AUG.
CONSERVATORI
CORPORIS. SUI
MERCURIALIS. AUG.
N. V. EX. JUSSU
NUMINIS. IPSIUS.
SIGILLUM. MARMOREUM
POSUIT.

Ex qua inscriptione id præterea licet observare, *diis* proprius indita cognomina ab iis, qui eos sibi peculiari modo favere persuadebant. Sic Junones Juliæ, & Sextiliæ in marmore Romano vocantur. *Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Roman.* 73. In his nihil sani. Monumentum hoc à Mercuriale, qui fuit Augusti nostri verna, sic enim interpretanda sunt hæc verba AUG. N. V. dedicatum est Marti Augusto, sic enim sæpè vocatur in inscriptionibus, vide p. 57. n. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & plures alias. Mercurialis fuit nomen hujus vernæ, quod etiam occurrit in marmore p. 1042. n. 5.

T. FLAVIUS. VITALIS
FEC. SIBI
ET. POSTERIS EJUS
LIB. LIBERTABUSQUE
QUORUM NOMINA. L.S.S.
POSTERISQUE. EORUM
MERCURIALI
HILARI
CINNAMO
SATURNINO
CRESCENTI.

Mars ille Augustus vocatur à Mercuriale conservator sui corporis, quia illi adscribebat salutem corporis sui, magno periculo liberatus, sive per corpus intelligere mavis collegium vernarum Augusti, ut *corpus custodiariorum* p. 48. nu. 1. Lapis, quem innuit Boxhornius, de Junonibus dum scribit, Burdegalæ inventus est apud Gruter. p. 25. n. 11.

JUNONIBUS. JULIÆ
ET SEXTILIÆ

Sed Junones non sunt Sextilia & Julia, sed earum Junonibus hic lapis est consecratus, hóc est, illarum geniis. Mulieribus enim Junones tribui, ut viris genios, quis paullò humanior nunc ignorat? Sulpitia ad Junonem apud Tibullum. V. illum infr. in *Juno*. Reinef. Epist. ad Rupert. 69. p. 654. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. v. Proleg. * * * 2. vers.

Dii publici dicebantur, qui publicè templis, aris, & pulvinaribus celebrabantur. Livius jam laudatus in *Dii privati*. Licèt etiam publici Romanis κατ' ἐξοχὴν dicti fuerunt Jupiter & Fortuna, quia horum nutu suum conservari, atque promoveri imperium sibi persuadebant. *Struv. Antiq. Rom. c.* 1. *p.* 70. *Saubert. de sacrif. c.* 5.

Dii Regales dicebantur regnorum præsides, Regum proprii & principes. Justin. xi. 15. *Precari superum, inferumque numina, & regales deos, ut illi terrarum omnium victori contingat imperium.* Θεοὶ βασίλειοι, dicuntur Græcis apud Plutarch. Alex. p. 682. *D. Gnther. de vet. jur. pont.* IV. 20. *Bongars. ad Justinum.*

Dii rusticani dicebantur, qui vel frugibus, vel hominibus sæpè præerant, numina infesta, culta tamen, ne damna inferrent, quorum præses est Pan, à cujus imperio pendent Fauni, Satyri, Sileni, Nymphæ, Tritonesque. *Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 69.

Dii selecti erant octo illi, qui duodecim consentibus fuerunt additi, præcipui & summates, & habebant juxta cum illis ampliorem potestatem, & celebriores, inque majori habebantur cultu & veneratione. Illos & populares vocabant. *Gyrald. Synt. deor.* 1. *p.* 20. *C. Voss. de Idolat.* 1. 14. *Struv. Ant. c.* 1. *p.* 66.

Dii semidei fuerunt, quos Græci ἡμιθέους vocabant, quos anima cœlesti sub hominum effigie in totius mundi commodum creatos credidit antiquitas. Arnob. II. p. 97. *Nonne literas auditis commemorantes vestras, fuisse homines olim semideos, heroas, cum immanibus corporibus atque vastis?* Erant distincti ab heroibus, iisdemque majores erant, teste Labeone apud Augustin. de civ. Dei II. 14. *Hunc Platonem Labeo inter semideos commemorandum putavit: sicut Herculem, sicut Romulum. Semideos autem heroibus anteponit, sed utrosque inter numina collocat.* Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 66. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 19. C. Laurent. var. sacr. gentil. c. 2.

Dii semitales erant proprii illorum, qui iter faciebant. Virgil. Parod. Catul. de Sabino n. 20.

Neque ulla vota semitalibus deis
Sibi esse facta.

Tales fuere inprimis Mercurius, & Trivia, sive Hecate, sive Diana. Julian. Imp. Epist. 20. *Ducet autem te publicus cursus uno vehiculo & parippo. Quod si est præterea optandum aliquid, Enodiam tibi amicam, Enodiumque arcessivimus.* Voss. de Idolol. VIII. 11. Scalig. in Virgilium. Henrm. in Bergier. de viis milit. IV. sect. 43. §. 1.

Dii Semones fuerunt dicti, *quos nec cœlo adscribebant ob meritis paupertatem, sicut sunt Priapus, Hippona, Vertumnus; nec terrenos eos deputare valebant pro gratiæ veneratione: sicut Varro in Mystagogorum libro ait: Semoneque inferius derelicto, deum depennato attollam orationis eloquio.* Fulgent. Expos. serm. antiq. n. 11. *Gyrald. Synt. deor.* 1. *p.* 20. *D. Struv. Ant. Roman. c.* 1. *p.* 68. *Lips. Ant. Lect.* II. 18. *Rhodig. Ant. Lect.* II. 3.

Dii superi, ὕπατοι. Plautus supr. laudatus in *Dii inferni*. Differebant ab inferis I. Ararum numero: duæ quidem *diis* inferis ponebantur, superis tres ex pontificali disciplina, ut cum *duo altaria Phœbo* dicat Virg. Ecl. v. 66. disciplinæ hujus peritus, infernam Apollinis indicat potestatem,

statem, ut Grammaticus notat. II. Sacrificandi modo. Sacrificantes inferis aqua tantùm aspergebantur, superis abluebantur. Macrob. Sat. III. 1. *Constat diis superis sacra facturum corporis ablutione purgari: cum verò inferis litandum est, satis actum videtur, si adspersio sola contingat.* De sacris igitur superorum Virg. Æneid. II. 719.

—— donec me flumine vivo
Abluero.

At Dido cum sacra diis inferis instituit, ait apud Virg. Æneid. IV. 634.

Annam cara mihi nutrix huc siste sororem:
Dic corpus properet fluviali spargere lympha.

Superis sacrificantes thure & vino ter præfabantur: inferis lacte bis præfabantur. Virg. Ecl. v. 67.

Pocula bina, novo spumantia lacte quotannis.

Inferis pari numero furvæ hostiæ immolabantur: superis nigrantes nunquam, superis ut plurimum candidæ & impares. V. infr. in *Victima*. Quod ad hostiæ deum superum explorationem dicebant vina fundere supina manu: illud erat inferis vina vergere, ὑπτιάζειν. V. infr. in *Vergo*. Superis libati vino licebat, inferis non licebat. Superis libabant solum: inferis sacrificantes etiam vasa in ignem conjiciebant. Virg. Æneid. VI. 224.

—— congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.

Superis libare, inferis delibare se dicebant. Val. Max. II. 1. Inferos demissis ad terram manibus submissiori voce invocabant. Virg. Æneid. III. 176.

—— tendoque supinas
Ad cœlum cum voce manus, & munera libo
Intemerata focis.

Libat focis, id est, congesta cremantur, supina manu, & supina voce. At superos elata ad cœlum precabantur, & pro qualitate numinum, interdum ima, interdum summa respiciebant orantes. Serv. Æneid. III. & IV. Superi diurna sacra, inferi nocturna semper sibi retinuerunt. Serv. Æneid. IV. Nam quæ inter noctem superis fiunt, diebus adjiciuntur, non noctibus. Superis mactatæ solùm victimæ: inferis homines etiam immolati. *Guther. de vet. jur. pont.* IV. 8.

Dii terminales dicebantur, qui arvorum fines distinguebant. Erant interdum lapides. Lucret. v. 1197.

Nec pietas ulla est velatum sæpè videri
Vertier ad lapidem.

V. infr. in *Lapis terminus*. Interdum arbores, sive stipites. Et hos *arbores terminales* vocat Paull. Sent. v. 22. Et Icti, L. 1. §. 3. ff. de termino moto indiscriminatim, *arbores lapidesve terminales*. Hinc Ovid. Fast. II. 641. V. illum infr. in *Terminus*. Tib. I. I. 17.

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis.

Defigendorum ritum describit Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 5. V. illum infr. in *Lapis terminus*.

Dii tributarii dicebantur, quibus populus ultro stipem inferret, ut tributum à cive Romano conferebatur, tributumque Imperatori. Tertullian. Apolog. c. 13. *Dii qui magis tributarii magis sancti. Imo quo magis sancti magis tributarii. Majestas quæstoria efficitur; circuit cauponas religio mendicans; exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri; non licet deos nosse gratis, venales sunt.* Guther. de vet. jur. Pont. III. 7.

Dii tutelares dicebantur à tutela, quam ab iisdem exspectabant. *Saubert. de sacrif. c. 5. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 70.* Nominatim non invocabantur, & erant ignoti, ne si noscerentur, ab hostibus evocarentur. Macrob. Sat. III. 9. *Romani deum, in cujus tutela urbs Roma est, & ipsius urbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt.* Plin. XXVIII. 2. *Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat, in oppugnationibus ante omnia solitum à Romanis sacerdotibus evocari deum, cujus in tutela id oppidum esset: promittique illi eundem, aut ampliorem locum apud Romanos, cultumve. Durat in Pontificum disciplina id sacrum, constatque ideo occultatum, in cujus dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent.* Berthald. de ara. c. 10. Brisson. de Formul. I. p. 50. Boxhorn. Quæst. Roman. 1.

Dii vectigales populi Romani non fuerunt. Illos sic vocat Tertullian. Apolog. c. 13. *Publicos aquè publico jure fœdatis, quos in hastario vectigales habetis: si Capitolium, si olitorium forum petitur, sub eadem voce præconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione quæstoris divinitas addicta conducitur.* Quod illorum agri publicanis locarentur, ni lege censoria essent excepti. Cicer. Agrar. II. 21. *Vectigalia locare licebat nunquam nisi Romæ.* Quæ à civibus Romanis non exigebantur nisi portorii nomine, vel decumarum, vel scripturæ, vel salis, vel vicesimæ. Quare *dii* vectigales dicti, ut agri vectigales, qui & ipsi plerique ex hostibus capti vectigalibus subjiciebantur, ut illorum statuæ & imagines ex hostibus captæ, nullam amplius religionem, nullam venerationem habebant, venalesque jure haberi poterant, ut prophanæ. Nam cum loca essent capta ex hostibus, omnia desinebant religiosa, vel sacra esse, meritòque in fiscum cogebantur. Hygin. II. *Guther. de vet. jur. Pont.* III. 7.

Dii vernaculi *Romanorum fuerunt Romulus, Picus, Tiberinus, & Consus, & Pilumnus, & Picumnus*. Minuc. Fel. p. 201. *Sigon. de antiq. jur. civ. Roman.* I. 8. *Struv. Ant. Roman. c. 1. p. 70.*

Dii viales præerant viis. Hos invocare solebant, qui peregrè proficiscebantur, & ad viam se accingebant. *Tomas. de tesser. hospit. c. 6. Bergier. de viis milit.* IV. *sect.* 43. §. 1. Erantque Mercurius, Apollo, Bacchus, aut Hercules, quorum capita aut imagines Græci & Romani imponebant certis quibusdam columnis, aut, ut rectiùs dicam, stelis, & quasi parastatis, quas in viis publicis, tam more Romano munitis, quàm immunitis dedicabant. *Bergier. l. l.* Illis Cererem, Dianam, Priapum, Vium, & Fortunam reducem addit *Hennin. ad Bergier. l. l.* Hos unguento delinire solebant gentiles. Apul. Florid. p. 704. *Neque enim justius religiosam moram viatori objecerit, aut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata, vel etiam colliculus sepimine consecratus, vel truncus libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus.* Minuc. Fel. p. 15. *Ut tam luculenta die in lapides eum pateris impingere, effigiatos sane, & unctos, & coronatos.* Ouxel. in Minucium.

DEX.

DEXTRA *est fidei sacra*. Servius. V. illum supr. in *Corpus*. Isidor. XI. 1. *Dextra pignus pacis datur, ipsa fidei testis atque salutis adhibetur; & hoc est illud apud Tullium: fidem publicam jussu senatus dedi, id est, dextram.* Unde in fide porrecta ait Plin. XI. 45. *Inest & aliis partibus quædam religio: sicut dextra osculis aversa appetitur; in fide porrigitur.* Almelov. ant. è sacr. proph. p. 103. Junius Anim. IV. 12. Pinell. Addit. ad Argol. in Panvin. de lud. Circ. II. 1. Rhodig. Ant. Lect. IX. 22. Hansen. de jure; vet. c. 10. Kemp. de oscul. Dissert. XVII. §. 2. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 592. Minos in Alciat. Emblem. 9. In nummis etiam duplicis *dextra*, illiusque implicatæ symbolo fides & concordia signantur. Et Ovid. Heroid. II. 31.

Jura, fides, ubi nunc, commissaque dextera dextra.

Tacit. Annal. XII. 47. 3. *Mos est Regibus, quoties in societatem coeunt, implicare dextras.* Neque hoc summum apud Romanos solùm, sed apud barbaros quoque pignus fidei, & securitatis. Joseph. Antiq. Judaic. XVIII. 12. *Et dextram dedit*, inquit, *tanquam maximum confidentiæ argumentum apud omnes illos barbaros; neque enim fidem fallet quisquam ex iis, data semel dextra, neque fidem habere dubitabit, tale securitatis pignus ab iis nactus, à quibus injuriam sibi metuere poterat.* Ut non mirum *renovari dextras* pro fidei, aut fœderis redintegratione usurpasse Regem Regum apud Germanicum. Tacit. Annal. II. 58. 1. aut à Numa fidei sollenne institutum, cui flamines manu ad digitos usque involuta rem divinam facerent apud Liv. I. 21. *Spanhem.*

hem. de praest. num. Dissert. I. 104. II. 270. Et hinc promanavit mos ille, ut ad absentes legiones & exercitus, tanquam præsens hospitii & concordiæ tessera, *dextra* mitterentur. Tacit. Hist. I. 54. 2. *Miserat civitas Lingonum vetere instituto dona legionibus, dextras hospitii insigne.* II. 8. 4. *Centurionem Sisennam dextras concordiæ insignia, Syriaci exercitus nomine ad prætorianos ferentem variis artibus aggressus est.* Quæ illustrant nummi, in quibus duæ *dextræ* junctæ, cum hac inscriptione, CONCORDIA, aut FIDES EXERCITUUM; aut similes *dextræ* impositæ perticis signorum militarium. *Spanhem. l. l. Schott. in Senec. Controv. p.* 659. Cujus rei causam Varro Callimachum secutus esse ait apud Serv. ad Virg. Æneid. I. 412. quod omnis veterum auctoritas *dextra* manus virtute constaret; aut quod ex religione denarii numeri, moris fuit veterioris, ut justissimi quique fidei comparandæ gratia *dextras* jungerent. *Hansen. & Kemp. l. l.* Elata in militaribus allocutionibus assensus & approbationis erat signum. Lucan. I. 386.

— His cuncta simul assensere cohortes,
Elatasque alte, quæcunque ad bella vocaret,
Promisere manus.

Apposito sane signo: siquidem manibus peragendum plerumque erat, ad quod incitabantur. *Lips. de milit. Rom.* IV. 9. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p.* 593. *Pier. Hierogl.* XXXV. 23. *Thys. Rom. Illustr.* IV. p. 99. Pro lætis, faustis, auspicatis ponuntur. Horat. Sat. II. 1. 18.

— nisi dextro tempore Flacci
Verba per attentam non ibunt Cæsaris aurem.

Virg. Æneid. VIII. 302.

Et nos, & tua dexter adi pede sacra secundo.

Buleng. de augur. & ausp. c. 2. Bellus de part. templ. augur. c. 10. dare alicui est victoriam cedere, sequi, & submittere. Paullinus, vel Prosper:

Ac dextram, pacis palmam, dare te pudet hosti.

Clemens de vita Petri, verbis Apostoli: *Pax erit omnibus vobis, qui parati eritis dextras dare veritati Dei.* Barth. Adv. XXXII. 14. Morientis tangebant, qui se illi juramento volebant adstringere, se executuros ea, quæ vellet. Tacit. Annal. II. 71. 5. *Non hoc præcipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu, sed quæ voluerit meminisse, quæ mandaverit exsequi.* n. 8. *Juravere amici, dextram morientis contingentes, spiritum antequam ultionem amissuros.* Struv. Antiq. Rom. c. 7. p. 320. Cruceus in Statii Sylv. p. 33.

DEXTRALE dictum est, quod *dextras* plerumque ornaverit. Unde *dextra* in manuscriptis quibusdam Isidor. XIX. 31. communes virorum & feminarum. Quo discrimine separatur a brachiali. V. supr. in *Brachiale.* Bartholin. de armill. vet. §. 1. Corrigendus est Isidorus l. l. ad hunc modum: *Dextrale est commune virorum & mulierum, quia utriusque sexus dextra sunt.* Hodie legitur, *dextras esse communes,* quod ferri non potest. Falsi sunt qui ex illo corruptissimo loco Isidori *dextras* pro dextrocheriis nobis obtrudunt. *Salmas. in Capitolin. Maximin. c. 6. Ruben. Elect.* I. 38.

DEXTRATIO est motus, vel conversio, quæ a sinistra fit ad dextram, Solin. c. 45. *Excusso auriga, quem Ratumannum nominabant, relicto certamine ad Capitolium quadriga prosiluit, nec ante substitit, quam Tarpejum Jovem terna dextratione lustraret. Quod adorantes faciebant.* Plinius. V. illum supr. in *Circumvertere.* In hac circumactione corporis quæ ad dextram fit, dextra pro centro est, & dexter gyrus interior, propiorque centro, sinister vero exterior. *Dextratione adem lustrare* nihil aliud est, quam dextro interiore gyro eam circumire. Ita etiam aras circumibant. Aristoph. Pac. p. 696.

Aramque lustrans dextroversum extemplo obi.

Dextrationem in circensibus curriculis Scaliger exteriorem flexum esse autumat in Manil. v. 82. Quid velit nescio. Nam sinistratione metæ circumibantur, non *dextratione.* Metam quidem ad sinistram habebant agitatores, quam cum spatioso nimis orbe circumflecterent, per *dextros orbes ire* dicebantur, & *dextros abire.* Virg. Æneid. v. 162.

Quo tantum mihi dexter abis?

Nam sinister orbis & interior ad metam, dexter exterior & longius a meta. Manil. v. 80.

— in obliquum cursus agitare malignos,
Obstantemque mora totum percludere circum,
Vel medium turba, nunc dextros ire per orbes,
Fidentem campo, nunc meta currere acuta.

Ars erat obliquos currus opponere sequentibus, & circum quasi percludere. Qui exteriori orbe, ac longiore circuitu metam circumflectebant, dextri quidem abire, & per dextros orbes ire dicebantur, non tamen hæc *dextratio,* quæ tum fit, cum dexter orbis interior agitur. *Salmas. Plinian. Exerc. p.* 665. *a. D. Turneb. Adv.* XVIII. 35. Non est, quod neget Salmasius, se Scaligeri mentem assequi posse. Exterior circulatio in circo est quadrigæ cursus exterior, qui ad euripum admovetur. Interior circulatio currus circensis est decursio interior, quæ metas radebat. Exterior itaque longior est & dexterior. Interior brevior est, quæ sinisterior merito censebatur. Ovid. Amor. III. 2. 11.

Et modo lora dabo, modo verbere terga notabo,
Nunc stringam metas interiore rota.

id est, breviorem cursum ducam. Et contra ex eodem n. 69.

Me miserum! metam spatiose circuit orbe.
Quid facis? admoto proximus axe subit.
Quid facis infelix? perdis bona vota puellæ,
Tende precor valida lora sinistra manu.

n. ad lævum & breviorem cursum. Lucan. VIII. 199.

Æquora senserunt motus, aliterque secante
Jam pelagus nostro, nec idem spectante carina.
Mutavere sonum: nec sic moderator equorum
Dexteriore rota lævum cum circuit orbem.

Hunc Lucani axem admoveri vult metæ Ovidius, & Lucanus circuimari *dexteriore rota.* Hoc est, ita metam stringere, ut tantisper hærere videatur una cum læva rota, dum dextra incitatius circumagitur, fusis dexterorum equorum habenis, contractis sinistrorum. *Bellus de part. templ. augur. c.* 8. V. etiam infr. in *Locus sinister,*

DEXTROCHERIUM est vox Græcis, postea Latinis quoque usurpata. Capitolin. Maximin. c. 6. *Pollice ita vasto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo. Dextrocherium & dextrale* sunt idem, Isidor. in glossis: *Dextralia, brachilia.* Arculphus tamen de locis sacris brachalia & *dextrocheria,* ut diversa posuit: *Ornata virgis ferreis, pendentes, brachialia, dextrocheria.* Salmas. in Capitolinum. Bartholin. de armill. §. 1. Voss. de vit. serm. III. 1. & 8. Ruben. Elect. I. 38. Blond. Triumph. Roman. IX. pag. 198. H.

DIA.

DIABATHRA *genus solearum Græcanicarum.* Festus. Nevius apud Varr. de ling. Lat. VI. 3. *Diabathra in pedibus habebat, & erat amictus epicocro.* Muliebria erant calceamenta. Inde *diabathrarii diabathrorum* confectores. Plaut. Aul. III. 5. 39.

Sedentarii sutores, diabathrarii.

Turneb. Adv. XXIII, 17. Ferrar. de re vest. III. 21.

DIADEMA. Illud describit Curopal. de Offic. aul. Constantinop. p. 100. *Erat texile aureum, cum lapillis & margaritis, positum ad Imperatoris frontem, & pone revinctum, cerebrum versus, quamobrem etiam dicitur diadema,* Raynaud. de pil. & cæt. cap. tegm. sect. 9. Pertinet huc illud Lucian. dial. Diogen. & Alex. p. 291. *Dum vitta candida caput revinctum haberes.* Manifeste [illegible]. Idem confirmat locus Plutarch. Coriol. p. 218. E, ubi scribit, unum ex Metellis *Diademati* cognomen invenisse, *quod diu in publico versaretur fronte, in qua ulcus habebat, obligata.* Voss. Lex. Etymol. Brisson. de regn. Pers. I. 33. Paschal de coron. IX. 3. Erat insigne ornamentum capitis Regum. Tacit. Annal. VI. 42. 6. *Surena patrio more Tiridatem insigni regio evinxit.* 43. 2. *Et si qui alii delectum capiendo diademati diem haud celebraverant.* Surenæ enim gen-

gentilibus erat jus, novo Regi primum *diadema* imponere, ut in Crasso notat Plutarchus. Et quidem fascia quædam, qua caput circumligabant. Unde Monima Milesia, quum à capite *diadema* abstraxisset, collo aptavit, seseque suspendit. Et cum corporis gravitate laqueus ille confractus esset: *ô impurate*, dixit, *panne, neque in tam tristi mihi ministerio profuisti?* Bayf. de re vest. c. 20. Brisson. & Paschal. l. l. Est inventum Liberi patris. Plin. VII. 56. *Emere, ac vendere instituit Liber pater. Idem diadema Regum insigne invenit*. Paschal. ibid. c. 2. Brisson. l. l. Coloris fuit candidi. Plin. VIII. 21. *Cyrenaica hunc basiliscum generat provincia, duodecim non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula, ut quondam diademate insignem*. XI. 16. *In fronte macula quodam diademate candicans*. Val. Max. VI. 2. V. illum supr. in *Color albus*. Tacitus mox laudandus. *Lips. in Tacit. Annal.* VI. *a.* 99. *Paschal. ibid. c.* 3. *Raynaud. l. l.* In orbes sinuatum erat. Tacit. Annal. VI. 37. 2. *Nuntiavere accolæ, Euphratem nulla imbrium vi sponte in immensum attolli: simul inalbentibus spumis, in modum diadematis, sinuare orbes*. Sanè Saporem Persarum Regem *aureum capitis arietini figmentum, interstinctum lapillis pro diademate gestasse*, refert Ammian. XIX. 1. *Brisson. l. l.* Etiam in necessitate imposuisse capiti erat crimen læsæ majestatis, & morte luendum; ut contigit illi nautæ, qui desiliens in mare, ut Alexandri *diadema*, in aquas prolapsum, educeret, cum illius conservandi gratia suo capiti inter natandum illud imposuisset: ita præmio luculento ob receptum *diadema* donatus est, ut mox sit capite minutus. Arrian. VII. *Raynaud. l. l.* Romæ *diademate* usus est Caligula. Suet. c. 22. n. 3. *Nec multum abfuit, quin statim diadema sumeret, speciemque principatus in regni formam converteret*. Aurelianus. Aurel. Vict. Epit. c. 35. n. 5. *Iste primus apud Romanos diadema capiti innexuit, gemmisque, & aurata omni veste usus est, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videtur*. Alex. Gen. dier. 1. 28. & ad illum Tiraquellus. Quid si Julio Cæsari ejus rei originem tribuas, cujus statuæ *diadema* impositum, ipse etiam Lupercalibus corona aurea devinctus? Dio XLIV. p. 245. D. *Postquam eam Lupercalibus in regiam venit, & in tribunali regia veste ornatus, & aurea corona splendidus in aurata sella consedit, & ipsum Antonius Regem cum collegis sacerdotii salutavit, & diademate revinxit*. Buleng. de Imper. Roman. II. 3.

DIADUMENUS fuit dictus Imperator Antoninus, quia pileatus è matris utero prodietat. Ex triplici membrana, qua fœtus in materno utero obvolvitur, prima χορίον, seu secundina appellatur; secunda ἀλλαντοειδὴς à farciminis forma; tertia ἀμνὸς à mollitudine. Contingit interdum duas posteriores faciem ac caput infantis sic obvolvere, ut galeatum videatur. Lamprid. c. 4. *Solent pueri pileo insigniri naturali, quod obstetrices rapiunt, & advocatis credulis vendunt, siquidem causidici hoc juvari dicuntur: at iste puer pileum non habuit, sed diadema tenue, sed ita forte ut rumpi non potuerit, venis intercedentibus specie nervi sagittarii*. Raynaud. de pil. & cæt. c. tegm. sect. 3.

DIÆTA erat cœnatio, sive locus, ubi cœnabant. Suet. Claud. c. 10. n. 2. *In diætam, cui nomen est Hermæum, recesserat*. Sidon. Epist. II. 2. *Ex hoc triclinio fit in diætam, sive in cœnatiunculam transitus*. Voss. Lex. Etymol. Urtin. Append. ad Ciaccon. de triclin. p. 219. Pignor. de serv. p. 487. Velser. de zet. & zetar. apud illum p. 573. Buleng. de Conviv. 1. 26. & 27. Turneb. Adv. IX. 17. Savar. in Sidonium. Pitisc. in Suetonium. VVouvver. in Petron. p. 458. Postell. de Republ. Athen. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. V. p. 1330. D.

Diæta dicebatur quoque cubile, in quo navicularius, hoc est, navigii magister conquiescit. Petron. c. 75. *Audimus murmur insolitum, & sub diæta magistri quasi cupientis exire belluæ gemitum*. De navi Hieronis Athen. V. p. 207. C. *Diætæ erant numero triginta: quatuor lectis strata. In nautarum diæta lecti quindecim fuerant*. Douz. Præcid. in Petron. c. 10. Gonsal. in Petron. p. 295. Scheffer. de milit. nav. 3. 6.

Diæta Mammeæ fuerunt in Palatio, ab Alexandro Severo nomine matris insignitæ. Lamprid. Alex. c. 26. *In matrem Mammeam unicè pius fuit, ita ut Romæ in Palatio faceret diætas nominis Mammeæ, quas imperitum vulgus ad Mammam vocat*. Donat. de Urb. Rom. III. 2. Botrich. ant. Urb. Fac. c. 12. §. 2.

Diæta pellicum, gynæceum, & domicilium feminarum cum porticu, de qua Plutarch. Poplic. p. 105. B. *Qui Capitolii magnificentiam admiratur, si unam videat in Domitiani domo porticum, vel basilicam, vel balneum, vel pellicum diætam*. An est aula Adonidis, quæ in medio nostro vestigio cernitur undique exornata hemicyclis elegantissime, hortulisque, & areis oblongis ab utroque latere septa? *Bellor. fragm. vest. Rom. tab.* XI.

DIÆTARII dicebantur, quibus *diætarum* custodia erat commissa. Ulpian. l. 2. ff. nautæ. *Sunt quidam in navibus, qui custodiæ gratia navibus præponuntur, ut ναυφύλακες, & diætarii*. Douz. Præcid. Petron. II. 10. Gonsal. in Petron. p. 295. VVouvver. in Petron. p. 458. Edit. Erhard. Fortè ταμίας & quæstores, qui potus & cibi, reique annonariæ habebant curam. Opinor. Nam sensus legis obstat, quæ nauclerum, vel naviculariumex delicto *diætarii* obligat, tanquam magistrum, & eum, qui hunc navi præposuit. Et verborum ordo docet: eccur enim naviculario, seu magistro navis, & proretæ postponeretur? Longè melius Dionysius Gothofredus, qui exposuit eum, qui annonam navis administrat. Fr. Stypmannus novos nobis, anteaque nunquam cognitos facit *diætarios*, qui cibum ceu (ita lego) mercedem in dies recipiunt, & custodiæ causa uno aut altero tantùm die navi præponuntur. *Scheffer. de milit. nav.* IV. 7. Mihi sunt, qui in *diætis* mensas ornare, & mensis ministrare solebant. Ulpian. l. quæsitum ff. de fund. instruct. *Ostiarii autem, topiarii, diætarii, domi tantum deservientes, continebantur*. Postell. de Republ. Athen. Thes. Antiq. Græcat. Gronov. Tom. V. p. 1330. D.

DIALIA dicebantur sacra flaminis *dialis*. Qui *si valetudine, aut munere publico impediretur, pontifices dialia sacra faciebant*. Tacit. Annal. III. 58. 3. Et illa etiam peragebant, si *dialis* nullus esset inauguratus. Sic duobus & septuaginta annis post Cornelii Merulæ *dialis* cædem, cum nemo suffectus esset, pontifices ut flamines religionem curaverunt. *Guther. de jur. pont.* I. 30. *Struv. Ant. Roman. c.* 12. *p.* 611. *Dialia* etiam Athenienses celebrarunt in Festis Jovis Melichii. Et in illis non veras victimas, sed commodè effictas obtulerunt. Thucyd. 1. p. 83. A. *Alex. Gen. dier.* III. 12. *& ad illum Tiraquellus. Lomej. de lustrat. c.* 17.

DIANA dicitur & virgo, & mater. V. supr. in *Dea*. Ejus dies natalis magna festivitate sexto die mensis Aprilis colebantur. *Tomas. de donar. c.* 9. Erat dea nuptialis. V. supr. in *Dei nuptiales*. Partubus mulierum favere credebatur. *In partu*, inquit Tertull. de anim. c. 39. *Lucinæ & Dianæ ejulatur*. Ea de causa teste Macrob. Sat. VII. 16. *quia proprium est munus ejus distendere rimas corporis, & meatibus viam dare, quod accelerando partui salutare est*. Unde *dux nascentium, mortalium corporum auctor & conditrix* vocatur ab eodem Somn. Scip. 1. 11. Porphyr. apud Euseb. Præp. Evang. III. 3. *Ac partus quidem tametsi virgo Diana præest, quod novilunio vis quædam insit, qua pariendi facultatem afferat*. Ideoque facem ardentem manu gerit, qua vetetes novilunii virtutem significabant, teste Eusеb. *l. l. la Chausse de deor. simul. tab.* XII. *Kipping. Ant. Roman.* 1. 15. 16. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* II. 7. Et conjuges ejus auxilium exspectabant. Inscriptio ad lacum Nemorensem effossa anno 1554.

DIANÆ
NEMORENSI VESTÆ
SACRUM. DICT.
IMP. NERVÆ. TRAJANO AUG...
EJUS. VOTUM. LIBENS. SOLVERUNT

Tomas. ibid. c. 15. Præerat venationi, unde Horat. Od. III. 22. 1. vocatur

Montium custos, nemorumque virgo.

Et sæpè à poetis venatrix & jaculatrix dicta est. Et Ovidius *Dianam* feras insectantem describit Amot. III. 2. 31.

Talia pinguntur succincta crura Dianæ,
Cum sequitur fortes fortior ipsa feras,

Scribit Xenophon de Venat. p. 972. D, canes & venationem inventum deorum Apollinis & Dianæ. *la Chausse de insign. pont. max. tab.* XVIII. *Taffin, de lud. secul. c.* 8. §. 8. *Turneb. Adv.* VII. 26. *Kipping.* & *Demster, l. l.* Ideo altè fuit succincta, & vestis sinus fluentes nodo supra genu collectos habuit. Prudent. περὶ στεφ. x. 281.

Tum, quod Dianam molle succinctam vident,
Venantis arcum pertimescunt virginis.

Turneb. ibid. XXVIII. 16. Gyll, de Bospor. Thracic, II. 12. Ejus currum duæ cervæ trahebant. Claud. in Stilich. consul. III. 285.

Dixit, & extemplo frondosa fertur ab Alpe
Trans pelagus, cervi currum subjere jugales.

Depicta venabulum manu tenebat, cum cervo juxta illam, & ostendebatur cervicida, significando quod in venationibus vi cervos occideret: eamque ob causam à Græcis Ἐλαφηβόλος nuncupata. Plutarch. de solert. anim. p. 966. A. & illi consectabant cervorum cornua, quæ templis Dianæ affixerunt apud Plutarch. quæst. Rom. 2. ut illam venationum deam innuerent. Et illi ordinariè adjongebant pharetram, arcum, & sagittas, cum cane venatico: absque quibus venatio haud bene perfici potest, *Choul. de relig. vet. Roman. p.* 71. 72. V. & infr. in *Venatio.* Venatores sæpè numero faces spicatas accensas illi ferebant, & canes suos morbo, aut scabie affectos infulis velatos ei sistebant, omneque instrumentum venatorium ante eam collocabant. Grat. Cyneg. n. 484.

Spicatasque faces sacrum ad nemora alta Dianæ
Sistimus, & solito catuli velantur honore:
Ipsaque per flores medio in discrimine luci
Stravere arma, sacris & pace vacantia festa.

Feriis suis, quæ Idibus Augusti celebrabantur, emeritos canes, quietosque à venatione, & immunes habere credebatur, & ipsa etiam feriari. Stat. Sylv. III. 1. 57.

—— *ipsa coronat*
Emeritos Diana canes, & spicula tergit,
Et tutas sinit ire feras,

Turneb. Adv. VII. 26. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 5. Rosin. Antiq. Roman. IV. 12. Venatores ante venationem illam invocabant, & prædæ partem vovebant: finita verò venatione prædæ caput, vel pedes, vel exuvias arbori in lucis, unde ea profecta erant, suspendebant. Apul. Met. VI. p. 175. *Videt dona speciosa, & lacinias auro literatas, ramis arborum, postibusque suffixas; quæ cum gratia nomen deæ, cui fuerant dicata, testabuntur.* Prop. II. 15. 19.

Incipiam captare feras, & reddere pinu
Cornua, & audaces ipse movebo feras.

Schott. Observ. I. 12. Et ludo gladiatorio, atque ipsi etiam amphitheatro æquè atque Mars, in quo ludi gladiatorii perinde atque venationes exhibebantur. Unde Claudianus solam Dianam invocat, ut amphitheatrali pompæ faveat, de consul. Manl. n. 292.

I Trivia supplex, non aspernata rogantem
Amphitheatrali faveat Latonia pompæ.

Taffin. ibid. §. 7. Quod tamen non venatrici, sed Tauricæ singulariter attributum est. V. infr. in *Diana Taurica.* Buleng. de venat. circ. c. 7. Puellæ & pueri erant in ejus fide. Catull. XXXIV. 1.

Dianæ sumus in fide
Puellæ, & pueri integri,

quod opes ejus, quæ Lucina vocatur, vitam hauserint: & Artemis dicitur, quod sanos redeat. Puellæ etiam ritu Atheniensium initiabantur *Dianæ*, & ἀρκτεύειν dicebantur. *Turneb. Adv.* XIV. 8. Athenis ante nuptias *Dianæ* initiatæ sacra faciebant, cum propter interfectam *Dianæ* ursam respondisset oraculum, non ante placari deam posse, quàm ei virgines Athenienses, antequam nuberent, dicarentur. Pollux. v. 12. 2. *Et populus Atticus virgines ἀρκτεύειν dixit.* Lusin. Parerg. 1. 25.

Diana Aricina nuncupata est à nemore Aricino, non multùm à Roma distante. Suet. Cal. c. 35. n. 7. *Nemorensi regi, quod multos jam annos potiretur sacerdotio, validiorem adversarium subornavit.* Quod ideo ab ipso dictum, quod, ut ait Strab. v. p. 165. qui ibi primus hostiam mactabat sacerdos, rex appellabatur; servi de honore certabant fugitivi; singulisque annis ei qui tenuerat sacerdotium, certandum erat cum aliis, victor succedebat, & hi appellabantur reges Nemorenses, Pausan. Corinth. p. 69. V. illum infr. in *Templum.* Lucan. VI. 74.

Parva Mycenææ quantum sacrata Dianæ
Distat ab excelsa nemoralis Aricia Roma.

Cum sacrum nemoralis *Dianæ* instaret, id est Idus Sextiles, ab Urbe facibus accensis in nemus Aricinum discurrebatur, Prop. II. 23. 39. & Ovid. Fast. III. 269. V. illos supr. in *Aricia*, Gyrald. Synt. deor. XII. p. 370. G. Turneb. Adv. XI. 4. Pitisc. in Suetonium.

Diana Aventina est cognominata, quod in Aventino monte Romæ in primis coleretur. Prop. IV. 9. 1.

Phyllis Aventinæ quædam est vicina Dianæ.

Aventinensis appellatur à Val. Max. VII. 3. 1. *Quis Aventinensi Dianæ immolasset.* Gyrald. Synt. deor. VII. p. 374. G.

Diana conservatrix in Sicilia colebatur. Rex Agathocles nummum excudit in ejus honorem. In hoc conspicitur hinc *Diana* conservatrix, cum characteribus Græcis dicentibus ΣΩΤΕΙΡΑ: inde fulmen illi attributum sicut Vestæ, cum hac inscriptione, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΓΑΘΟΚΛΕΩΣ. *Choul. de relig. vet. Rom. p.* 81.

Diana Dictynna, cujus crebra tam Græcis quàm Romanis scriptoribus est mentio. Tib. I. 4. 21.

Perque suas impune sinit Dictynna sagittas,

Stat. Theb. IX. 632.

Per te maternos, mitis Dictynna, labores.

Ubi Lactantius: *Dictynna ob id dicta Diana Britomartis filia, virgo Cretensis Dianæ dicata, à retibus piscatorum, quæ Græcè δίκτυα nominantur, à quibus hujus corpus inventum extractum est. Insula tamen Creta pestilentia laboravit, quam evadere penitus nequivissent, nisi templum Dianæ instituissent, eamque Dictynnam vocassent à retibus.* Gyrald. Synt. deor. XII. p. 365. G. Spanhem. in Callim. Hymn. in Dian. n. 198. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. II. 7.

Diana Ephesia pingitur cum multis mammis, velut alma mater, quæ uberibus suis alit genus humanum. Hieron. in Epist. ad Ephes. *Erat Ephesi templum Dianæ, & ejusdem in ipso Multimammia, id est, multarum mammarum effigies, quia cultores ejus decepti putabant eam omnium viventium nutricem.* Coronam turritam gerit in capite, quia eadem credebatur Isis, Ceres, & Cybele, sive Terra, quæ urbibus exculta est. Codin. de Orig. Constant. *Et quoniam cujusque urbis sedes terra est, fingitur turrita, quasi urbes gestaret.* Macrob. Sat. I. 20. Iisdem ad instar *Dianæ* Ephesiæ describit: *Isis cuncta religione celebratur, quæ est vel terra, vel natura rerum subjacens soli. Hinc est, quod continuatis uberibus corpus deæ omne densetur: quia vel terræ, vel naturæ rerum halitu nutritur universitas.* la Chausse de deor. simul. tab. XI.

Diana Facelina vocatur Sil. Ital. XIV. 261.

Mille Thoantea sedes Facelina divæ.

Fascellis Hyginо apud Serv. Æneid. II. 116. *Simulacrum sustulit, absconditumque fasce lignorum, unde & Fascelitis dicitur, Ariciam detulit.* Argol. Epist. ad Tomas. de donar. c. 2.

Diana inferna dicitur Stat. Sylv. v. 3. 270.

Detulit inferna vates longæva Dianæ.

propter Hecatem, quæ etiam *Diana* est & Proserpina: unde Virg. Æneid. IV. 511.

Tergeminamque Hecatem, tria virginis ora Dianæ.

Turneb. Adv. XXII. 11. De eadem Prudent. contr. Symm. I. 365.

Denique cum Luna est, sublustri splendet amictu:
Cum succincta jacit calamos, Latonia virgo est:
Cum subnixa sedet solio, Plutonia conjux.

Barth. in Statium.

Dia-

Diana Lucina. V. illam infr. in *Juno Lucina*.

Diana Taurica. De illa Serv. Æneid. 11. 116. *Cum Græci ad Aulidem venissent, Agamemnon Dianæ cervum occidit ignarus: unde irata dea flatus ventorum removit: quamobrem cum nec navigare possent, & pestilentia laborarent, oracula consulta dixerunt, Agamemnonio sanguine Dianam esse placandam. Ergo cum ab Ulysse per nuptiarum simulationem adducta Iphigenia in eo esset ut immolaretur, numinis miseratione sublata est, cerva supposita, & translata ad Tauricam regionem, regi Thoanti tradita, & sacerdos facta Dianæ.* Gyrald. Synt. deor. xii. p. 369. E. Scythica etiam dicta est, Tauri enim populi in Scythia fuerant, unde est ablata: Lucan. iii. 86.

Qua sublime nemus, Scythicæ qua regna Dianæ.

Solin. c. 8. *Aricia Orestes oraculo monitus, simulacrum Scythicæ Dianæ de Taurica extulerat, quod priusquam Argos peteret, consecravit.* Gyrald. ibid. p. 371. D. Hæc amphitheatri fuit præses. Tertull. de spect. c. 12. *Martem & Dianam utriusque ludi*, gladiatorii & venatorii, *præsides novimus*. Cassiod. Epist. v. 42. *Spectaculum tantum fabricæ clarum, sed actione deterrimum, in honorem Scythicæ Dianæ repertum, quæ sanguinis effusione gaudebat.* Lips. de amphith. c. 4. Buleng. de ven. circ. c. 7. Taffin de lud. secul. c. 8. §. 7. Argol. Epist. ad Tomas. de Donat. c. 2.

Diana Triformis nominatur, quia trium potestatum numen est. Virgilius jam productus supr. in *Diana inferna*. Est Luna in cœlo, Diana super terram, Proserpina in inferno. *Choul. relig. vet. Rom. p. 84. Holsteen. comm. in Nymphæum Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1802. D. Turneb. Adv. xxvii. 5. Ortel. Deor. & dear. cap. 1. 26.* Cleomedes de mund. ii. ideò *triformem* dictam scribit, quod tres sint lunæ effigies, falcata, bissexta & plena. Et ideò Horat. Od. iii. 22. 3.

Ter vocata audis, adimisque letho
Diva triformis.

Gyrald. Synt. deor. xii. p. 367. C.

Diana Trivia dicta est, quod in triviis coleretur. Varr. de Ling. Lat. vi. 2. *Diana ab eo Trivia est dicta, quod in trivio ferè ponitur in oppidis Græcis: vel quod luna dicitur esse, quæ in cœlo tribus viis movetur, in altitudinem, & latitudinem, & longitudinem.* Græci τριόδον & τριοδῖτιν eadem ratione vocant. Ex nostris quidam Triviam appellatam tradunt, quod in cœlo, in terra, & apud inferos ejus sit potestas. Phurnut. c. 34. τριοδῖτιν ἐκ τῶν τριόδων ἐπωνύμως cognominatam ait, à triplici ejus mutatione, dum per cœli signa graditur. *Gyrald. Synt. deor. xii. p. 367. B. Ortel. Deor. & dear. capit. 1. 26.*

DIANIUM est locus *Dianæ* consecratus. Cato Orig. ii. *Lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Lebeus Tusculanus dedicavit Dictator Latinus.* Festus: *Dianius, locus Dianæ sacratus.* L. *Dianium*. Liv. 1. 48. *Cum se domum reciperet, pervenissetque ad summum Cyprium vicum, ubi Dianium nuper fuit.* Inscriptio Romæ:

C. JULIANUS
CÆLIUS. ANT
F.
. . . . . .
DIANIUM. D. D.

Guther. de vet. jur. pont. iii. 4.

DIANIUS collis dictus est Aventinus, à Dianæ in eo veneratione. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 1.* V. supr. in *Aventinus*.

DIAPASMATA sunt odores sicci, sive in pulverem triti, ut corporibus inspergantur ad sudores coercendos. Plin. xiii. 2. *Siccis odoribus constant, qua diapasmata vocantur.* xxi. 18. *Diapasmata inde fiunt ad sudores coercendos, ita ut à balneis inarescant corpora.* Sive in pastillis mixti, ad fœtorem oris, & animæ depellendum. Mart. 1. 88. 1.

Ne gravis hesterno fragres, Fescennia, vino,
Pastillos Cosmi luxuriosa voras.
Ista linunt dentes jentacula: sed nihil obstat,
Extremo ructus cum venit a barathro.

Quid quod olet gravius mixtum diapasmate virus,
Atque duplex animæ longius exit odor.

Harduin. in Plin. xiii. 2. Baccius de therm. vet. c. 10. Bud. in Pandect. p. 174. H. Salmas. Exerc. Plinian. p. 745. b. D. 752. a. F. Voss. Lex. Etymol.

DIARIUM est liber, quo singulorum dierum acta annotantur, Græcis ἐφημερίς. Gell. v. 18. *Quum non per annos, sed per dies singulos res gestæ scribuntur, ea historia Græco vocabulo ἐφημερὶς dicitur, cujus Latinum interpretamentum scriptum est in libro Sempronii Asellionis primo ..... Eorum quasi qui diarium scribunt, quam Græci ἐφημερίδα vocant.* Voss. Lex. Etymol. in Dies. Bud. in Pandect. p. 89. A. 104. F. 203. E. Gassend. Kalend. Roman. Procem. Guther. de Offic. Dom. Aug. iii. 35. Pigh. Annal. Rom. ii. p. 378. Schill Nomencl. Philol. p. 406. Obbrecht. in Prologum in Dictym Cretensem.

DIATRETARII sunt, qui vasa aurea, argenteaque cælant, id est, signa & imagines imprimunt. Ulpian. l. si servus, §. si calicem, ff. ad leg. Aquil. *Si calicem diatretum faciendum dedisti, si faber imperitia fregit, damni injuria tenebitur.* Posset & de his intelligi, qui pocula ad signa insigenda excavant & perforant. *Panciroll. de Corp. artif. §. 16. Notit. dignit. Imp. Orient. c. 27. Buleng. de Conviv. iv. 11. de Imp. Rom. vi. 67. Rhodig. Antiq. Lect.* xxvii. 27.

DIATRETUM. V. illud supr. in *Calix*.

DIATRIBA appellatur rei literariæ gymnasium, quia in gymnasiis philosophi versabantur. *Panciroll. de magistr. munic. c.* 22. Hoc elucet ex Gell. 1. 26. *Interrogavi in diatriba.* Sed & ab Cimone Athenis primùm *diatribas* substructas, quæ vocarentur eleutheriæ, id est, liberales, καὶ γλαφυραὶ Plutarchus scribit. *Rhodig. Ant. Lect.* xxx. 20.

DIAULION dicebatur in scena, ubi tacentibus omnibus intùs concinebat tibicen. *Rhodig. Ant. Lect. ix. 7. Barthol. de tib. c.* 10.

DIAULODROMI dicebantur cursores, qui cum ad metam pervenissent, flectentes rursus recurrebant, unde cursum inierant. Aristot. de generat. ii. *Ut natura recurrente, & revoluta ad principium unde iverat.* Τῆς φύσεως διαυλοδρομούσης. Cum reversuri ad carceres essent, unde cursum instituerant, ad metas paullulùm morabantur, ut interquiescerent. *Buleng. de Circ. c. 31. Argol. ad Panvin. de lud. Circ. ii. 1. Cenal. de pond. ac mensur. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 1484. E.*

DIAULON esse volunt geminum cursus ad eandem stadii partem retracti spatium. Panvin. de lud. Circ. ii. 1. scribit, Suidam meminisse cujusdam generis cursus, quod δίαυλον, hoc est, *per duo stadia* vocat. Fugit eum ratio. Verba Suidæ sic habent: *Diaulus qui duplicem cursum habet in decursu, ut impleat stadium, & recursu.* Buleng. de Circ. c. 31. Strauch. Olymp. Agon. §. 12. Cursui simplici additus est Olymp. 14. Pausan. Eliac. 1. p. 155. *Olympiade verò 14. additus est diaulos, è quo, accepta ex oleastro corona, victor decessit Hypenus Pisæus.* Strauch. l. l.

DIAULUS est mensura duorum stadiorum. Schol. Aristoph. in Avib. *Diaulus est distadium, seu mensura cubitorum ducentorum.* Argol. ad Panvin. de lud. Circ. ii. 1. Pinell. Addit. ad Argolum. Cenal. de pond. ac mens. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 1484. E. Lyd. Agon. sacr. Proleg. p. 12.

DIB.

DIBAPHUS non modò purpura fuit, sed purpura bis tincta. V. plura supr. in *Augures*.

DIC.

DIC erat formula rogandarum sententiarum. Cic. Attic. vii. 3. *Illud ipsum quod ais, quid fiet, cum erit dictum, Dic Marce Tulli.* vii. 1. *Sed illa quæ tum agentur, cum venero, ne ratio absentis habeatur, ut exercitum dimittas, Dic Marce Tulli.* Brisson. de formul. ii. p. 168.

DICA,

DICA, Græcè *δίκη*, est causa, actio juris. In veteri Terentii glossario exponitur schedula. *Voss. Lex. Etymol.* Scribere *dicam* dicit Plaut. Aulul. iv. 10. 30.

Jam quidem Hercle ad prætorem te rapiam, & scribam dicam,

pro aliquem in jus vocare. Respicit verò potius ad antiquiorem, aut Græcum morem, quàm quod Romani juris ordinem autumet. Habet tamen imitatorem Terent. Phorm. i. 2. 77.

Ego te cognatum dicam, & tibi scribam dicam.

Barth. Adv. iv. 15. In illis fabulis poetæ mores, studia, & instituta Græcorum imitantur: ac proinde, quæ ad eas pertinent, quo Græca magis videantur, Græcis ponunt vocabulis. Ipse Cicer. Verr. ii. 15. *Scribitur Heraclio dica*, propter Siculos, qui Græcè loquebantur. Hoc autem genere dicendi in foro Romano usus non esset. *Turneb. Adv.* xxvii. 4: xix. 14. *Dica* ergo Græcorum more scribi tum dicebatur, cum lis intendebatur, id est, judicium postulabatur. Sortiri verò *dicas* erat judices ipsos ex lege sortiri, non autem, ut Budæus existimavit, litem intendere. Hæc autem omnia ex judicio Heraclii hominis Siculi cognoscuntur, de quo Cicer. l. l. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* ii. 5. V. plura inf. in *Sortiri*.

Dica dicebatur etiam ratio, sive causa expensarum. Terent. Phorm. iv. 3. 63.

Sexcentas perinde potius scribito dicas.

Nann. Misc. ii. 18. 63.

DICATISSIMUS erat verbum devotionis, quo antiqui Imperatores prosequebantur, ut *numini ejus dicatissimus* persæpè habent monumenta, iisdem ab ipsorum aliquo ministro posita & dicata. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 673. *C.*

ΔΙΚΕΡΑΤΙΟΝ vocantur duo soles, tributum pro reficiendis Urbis muris. Cedren. in Leon. Iconom. *Cum vidisset Imperator mœnia Urbis prolapsa, dixit: vos cives non potestis mœnia Urbis restituere, sed imperavimus dispensatoribus & magistris thematum, ut peterent in canonem ad nummum milliaresium unum, quod in palatium inferretur ad mœnia reparanda. Unde mos invaluit, ut administratoribus bini soles, τὰ δικεράτια penderentur.* Manasses id institutum, aut innovatum esse ait à Nicepboro: *Nicephorus imposuit grave onus Byzantiis, ut renovarentur urbis muri qui consenuerant, quod duas siliquas, δικεράτιον, vocant mancipes hujus tributi.* Harmenop. in legg. Georg. *ceratum unum duodecim soles esse vult. Buleng. de vectig. c.* 58.

DICERE in publico qui aliquid volebant, semper ex edito loco, ut sunt aræ, & margines, sive crepidines viarum, quasi suggestu, vel tribunali pronuntiabant, ut ab omnibus faciliùs audirentur, & gestus percipi possent. Lucan. v. 16.

Lentulus è celsa sublimis sede profatur.

Sidon. carmen xvi. n. 125.

Seu te conspicuis gradibus venerabilis ara
Concionaturum plebs sedula circumsistit.

Hínc adscendere in concionem apud Cicer. de Fin. ii. 22. *Quid mereri velis jam, cum magistratum inieris, & in concionem adscenderis.* Et in oratione, quæ scripta est contra concionem Q. Metelli apud Gell. xviii. 7. *Ascendi in concionem: concursus est populi factus.* Nam qui de plano, vel area circumfusam concionem alloqueretur, nec videri facilè, nec audiri ab omnibus posset. Sic milites allocuturis Imperatoribus cespititia tribunalia in castris extruebantur. V. infr. in *Tribunal.* Circulatores, & scurræ qui in triviis, & quadriviis plebem congregabant, pro suggestu, vel tribunali, quaslibet obvias aras occupare soliti erant, ut inde quæ vellent ad multitudinem circumfusam *dicerent*. Lucian. Pseudomant. p. 755. *Mane cum nudus in forum prosiluisset, nisi quod subligari, eoque inaurato circum pudenda tectus erat, cumque falcem illam ferret, solutamque comam simul quateret, eorum more, qui à Cybele deorum matre afflati conveniunt, conscensa sublimi ara concionabatur.* Inscensa ara fumorum ille venditor populum alloquitur. *Salmas. in Tertull. de Pall. p.* 426. *Bourdelot. in Heliodor.* i. *p.* 29.

DICROTÆ, & *dicrota*, feminino ac neutro genere dicuntur, non modò Latinis, sed & Græcis, quæ & *δίκροτοι*, hoc est, biremes, licèt id quidam inficientur, dictæ, à duplici videlicet remorum ordine: sint licèt inter eruditos, qui eas naves interpretentur, quæ duobus gubernaculis à prora pariter & puppi regantur. Cicer. Attic. v. 11. *Dicrota Mitylenæorum habebam.* xvi. 4. *Ipse Domitius bona planè habet dicrota.* Hirt. de bell. Alex. c. 47. *Capit ex eo prælio penterem unam, triremes duas, dicrotas octo.* Gyrald. de navig. c. 18. Dolet. de re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 679. E. Meibom. Fabric. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xii. p. 570. C. Opel. ad Meibomium ibid. 695. D. Brod. Misc. ix. 21. A duobus gubernaculis dictas fuisse scribit *Rhodig. Ant. Lect.* xxix. 17.

DICTATA propriè sunt artis gladiatoriæ præcepta, sive quæ lanistæ discipulis suis dare solent. Suet. Jul. c. 26. n. 8. *Ut disciplinam singulorum susciperent, ipsique dictata exercentibus darent.* Tertull. ad Martyr. c. 1. *Nec tantus ego sum, ut vos alloquar. Sed tamen & gladiatores perfectissimos non tantùm magistri, & præpositi sui, sed etiam idiotæ & supervacui quique adhortantur de longinquo: ut sæpe de ipso populo dictata suggesta profuerint.* Non ineptè, *dictata*: quia revera præcepta sua armorum commisere etiam scripto. Juven. Sat. xi. 8.

Scripturus leges, & regia verba lanistæ.

Lips. Sat. i. 15. Rutgers. Var. Lect. ii. 16. Pitisc. in Suetonium.

DICTATOR vocabatur olim magister populi. V. infr. in *Magister.* Et prætor maximus. V. infr. in *Prætor.* Hæ verò voces præstantiam imperii præferunt, & dignitatis. *Lips. de Magistrat. Roman. c.* 17. *August. de Famil. in Cassia. Panvin. in Fast.* i. *p.* 70. *Hotoman. de Magistr. Rom.* i. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* ii. *p.* 1870. *A.* Res & nomen sumpta ab Albanis. Suadent hoc Liv. i. 23. & Spartian. Adrian. c. 19. & affirmat Licinius Macer apud Dionys. v. p. 337. Dionysius verò p. 336. & 337. à Græcis esse exemplum mavult, apud quos non dissimili in re Αἰσυμνῆται. *Lips. l. l. Panvin. ibid. p.* 72. Dicebatur à Consule, qui captatis auspiciis, oriente nocte, silentio illum dicebat. Liv. iv. 13. *Precatus tandem deos immortales Cincinnatus, ne senectus sua in tam trepidis rebus damno, dedecorive Reipublicæ esset, Dictator à consule dicitur.* ix. 38. *Profecti legati ad Fabium consulem, consul demissis in terram oculis, tacitus ab incertis, quidnam esset acturus, legatis recessit. Nocte deinde silentio, ut mos est, L. Papirium Dictatorem dixit.* Unde Plutarch. Marcell. p. 312. E. *Dictator non à populo, aut à patribus creari potest, sed alter consulum, quem vult, Dictatorem dicit.* Gruch. de comit. Rom. i. 2. Pigh. Annal. Rom. i. p. 82. Blond. Triumph. Rom. iii. p. 57. A. Perizon. Animadv. Histor. c. 1. p. 23. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. i. 20. Stevvech. in Veget. i. 3. Panvin. & Lips. l. l. An verò à consule duntaxat, controversum fuisse, quo tempore à tribunis militum consulari potestate Respublica gubernabatur, docet Liv. iv. 31. ubi à Vejentibus prælio victos ob discordiam tribunorum militum Romanos refert an. 327. & trepida tum civitate *dictatorem* propterea dictum M. Æmilium III. à tribuno militum A. Cornelio Cosso. Sufficere namque judicabant augures consulari potestate eum magistratum esse, qui *dictatorem* diceret. Verba Livii sunt hæc: *Mœsta civitas fuit, vinci insueta, odisse tribunos, poscere dictatorem: in eo verti spes civitatis. Et quum ibi quoque religio obstaret, ne non posset nisi ab consule dici dictator, augures consulti, eam religionem exemere. A. Cornelius dictatorem Mamercum Æmilium dixit: & ipse ab eo magister equitum est dictus.* Aliquando tamen ex senatus voluntate ad populum est latum, ut, quem vellet, *dictatorem* juberet, qui deinde à consule diceretur, quemadmodum an. 543. contigit. Tum enim populi jussu, penes quem comitiorum habendorum jus erat, M. Marcellus consul *dictatorem* comitiorum habendorum caussa dixit Q. Fulvium Flaccum, qui ex eodem plebiscito

P. Lici-

P. Licinium Crassum sibi magistrum equitum dixit, ut auctor est Liv. xxvii. 5. Hoc priscis temporibus in usu fuisse verisimile non est, quamdiu nulla à *dictatore* ad populum erat provocatio. Ipso enim creato dissolvebatur, elanguebatque mox aliorum vis magistratuum omnium, cessabat provocatio, in ipso solo cuncta imperii summi potestas permanebat, nec usquam nisi in cura parendi cuiquam auxilium erat. Tum etiam optima lege creatus dicebatur. *Pigh. Annal. Rom. l. l. & Panvin. ibid. p.* 71. V. etiam infr. in *Lex*. T. Lartio Flavio iterum, Q. Coelio coss. lex lata est de *Dictatore* sine provocatione creando, & ut de consularibus legeretur, adeoque de patriciis: consules enim tunc, & per annos deinde multos patricii fuerunt: nec prius de patriciis legi *Dictator* desiit, quàm creari duo consules patricii desierunt: non enim consul patricius *Dictatorem* quenquam de plebe dixisset. Itaque, qui primus de plebe *Dictator* fuit, C. Marcius Rutilus, is à M. Popilio Lænate consule plebejo dictus est: cum ita casus tulisset, ut adversus Etrusci belli terrorem *Dictator* dicendus esset, nec nisi à consule plebejo dici posset: quia consul alter patricius M. Fabius Ambustus bello retineretur. Ita communicata plebi *dictatura* anno ab U. C. cccic. *Manut. de Legib. l.* 5. Creandi causam explicat Cicer. de Leg. iii. 3. *Ast quando duellum gravius, discordiave civium escunt, Dictator esto, ne amplius sex menses, si senatus creverit: idem juris, quod duo consules, teneto. Isque ave sinistra dictus, populi magister esto.* Ejus imperium exponit Dionysius supr. productus: *Iste primus creatus est, qui solus bellum pacemque & omnia negotia administraret.* Pompon. de orig. jur. l. 2. §. 10. *Populo deinde aucto cum crebrò orirentur bella, & quædam acriora à finitimis inferrentur, interdum re exigente placuit majoris potestatis magistratum constitui. Itaque Dictatores proditi sunt, à quibus nec provocandi jus fuit, &, quibus etiam capitis animadversio data est. Hunc magistratum quoniam summam potestatem habebat, non erat fas ultra sextum mensem retinere.* Præter superiores causas invenio creatum etiam fuisse clavi in pestilentia figendi causa, comitiorum habendorum, quæstionis exercendæ, ludorum faciendorum, senatus legendi, feriarum Latinarum, ut passim apud Livium legimus. *Hotoman. Stevvech. Panvin. Lips.* & *Blond. l. l. Guther. de Offic. Aug. Dom.* ii. 2. *Volaterr. Comment. Urban.* xxix. *p.* 1099. *A. Pigh. ibid. p.* 81. Potestas hujus magistratus erat ampla, vel potius eximia. De pace enim, belloque agere, exercitus scribere, educere, dimittere, omniaque negotia gerere liberè, & pro arbitrio poterat, adeò ut nihil horum vel ad senatum referret. Notant Dionys. vii. p. 462. & Polyb. iii. 87. Itaque non solum jus omne duorum consulum translatum in unum. Cicer. de Legib. iii. 3. *Unus idem juris, quod duo consules, teneto.* Qua de causa etiam *δισύπατον*, quasi *duplicem consulem*, Græci eum dicunt. Sed hoc amplius, creato eo omnes magistratus præter tribunos plebis imperio se abdicabant, & relinquebatur velut frenum Reipublicæ in manu unius. Plutarch. Quæst. Rom. 80. Polyb. l. l. Dionys. xi. p. 701. Quin bona illi civitatemque adimere jus: animadvertere in vitam & caput civium, idque sine ulla provocatione. Dionys. viii. Ad quod singulare jus exprimendum 24. fasces illi præferebantur, & totidem secures, etiam in Urbe: ut nihil mirer à Liv. viii. scriptum: *edictum dictatoris pro numine semper observatum.* Lips. Hotoman. Panvin. l. l. Duo verò *Dictatores* esse non poterant. Ac ne *Dictator* sine magistro equitum. Dion. l. l. *Hotoman. l. l.* Hoc tamen semel bello Punico ii. post cladem Cannensem senatus legendi causa contigisse, ac demum occupata Republica à C. Cæsare neglectum fuisse cognoscimus. *Pigh. ibid. p.* 83. *Panvin. ibid. p.* 72. Neque *extra agrum Romanum, hoc est, Italiam dici potuit*, ut scribit Liv. xxvii. 5. *Hotoman. l. l.* Sed hæc tamen tanta vis metito terminis quibusdam circumscripta, ne exorbitaret. I. semestre duntaxat illud imperium esse voluerunt, ne in tyrannidem spatio, aut consuetudine iret. Dionys. v. p. 331. *Et semestre spatium definitum, quo exacto consules Respublicæ gubernacula reciperent.* p. 334. *Unum virum habere semestrem potestatem rerum omnium, ampliorem quam sit consulum.* Dio xxxv. p. 16. B. *Dictatorem majores nostri dixerunt, & imperium illi non ultra sextum mensem dederunt.* Cicer. de Legib. iii. 3. supra laudatus. Et quod quibusdam protogatum in annum reperiatur, ob necessitatem Reipublicæ factum scito, & præter morem: ut in Camillo, L. Papyrio, Fabio Maximo. Nam Sylla, & postea Cæsar, qui *dictaturam* perpetuam invasere, leges, & instituta Reipublicæ palam sprevere. *Lips. & Panvin. l. l. Rosin. Antiq. Roman.* vii. 17. II. Locis etiam inclusa; nec permissum *dictatori* cum imperio extra Italiam ire: scilicet, ne procul ab oculis civium & senatus res facilius innovaret. Dio clarè notat xxxvi. p. 16. C. *Itaque licet vobis dictatorem creare, modo ne extra Italiam sit cum imperio.* Idque semel duntaxat veteri Republica violatum in Attilio Collatino, qui primus *Dictator* exercitum extra Italiam duxit. Observat Liv. Epit. xix. *Lips. l. l.* III. Equum adscendere ei vetitum. Veteri enim lege, quam nominat Plutarch. Fab. p. 175. E. sancitum erat, ne equo possit uti, idque vel ob eam causam, quod, cum plus inesse roboris in pedestribus copiis putaretur, propterea in legione permanere, nec locum deserere deberet Imperator: vel quod, cum ad alia omnia *Dictatoris* esset singularis potestas, in hoc uno voluerunt eum populo inferiorem videri. Senatus tamen petenti Fabio Maximo Verrucosso contra veterem legem concessit, ut equo vehi posset: datumque id hominis virtuti, ac tempori, cum cæsis ad Cannas Romanis, in uno Fabio, *Dictatore* creato, melioris fortunæ spes reposita videretur. *Manut. Pigh. Panvin. Lips. Rosin. l. l.* Fuit primum in Urbe creatus anno 12. vel 9. ab exactis Regibus, cum 40. Latinorum urbes contra Romanos conspirassent, concitante Octavio Mamilio Tusculano Tarquinii Superbi genero, apud quem ipse tum exsulabat. *Prevot. de Magistrat. Roman. c.* 8. *Pigh. Annal. Roman.* 1. *p.* 80. *Flocc. de Potest. Roman.* 1. 8. *Latus de Magistr. Roman. c.* 16. *Lips. l. l.* Aliter tamen *Gruch. ibid.* iii. 2. Liv. ii. 18. *In hac tantarum exspectatione rerum sollicita civitate, Dictatoris primum creandi mentio orta, sed nec quo anno, nec quibus consulibus, nec quis primum Dictator creatus sit, satis constat. Apud veterrimos tamen auctores T. Lartium Dictatorem primum creatum invenio. Consulares legere, ita lex jubebat de Dictatore creando lata. Eo magis adducor, ut credam Lartium, qui consularis erat, potius quam Manium Valerium, M. Filium, Volesi nepotem, qui nondum consul fuerat, moderatorem magistrum consulibus appositum.* Hunc tamen primum fuisse docet Festus in Optima lex .... V. illum infr. in *Lex*. Sigon. in Livium, Panvin. l. l. De provocatione tamen, non perpetuum fuisse, suadere videtur apud Festum *optima lex*. Data est illa coss. L. Valerio & M. Horatio, qui nova lege sanxere: *Ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet: qui creasset, eum jus fasque esset occidi.* Liv. iii. 55. *Manut. Lips. l. l. Panvin. ibid. p.* 71. *Dacer. ad Festum. Dictatura* cxx. annis ante L. Syllam intermissa fuit. Quadringentis verò, & eo amplius, à primo *Dictatore*, ipse Sylla se *Dictatorem* in tempus, non certum, ut antea, sed incertum creari jussit: quem secutus C. Cæsar *Dictaturam* perpetuam accepit. Eam deinde M. Antonius cos. SCto sustulit. Cicer. Phil. 1. 1. *Dictaturam, quæ vim jam regiæ potestatis obsederat, funditus ex Republica sustulit.* Appianus. V. illum infr. in *Lex Antonia*. Augustin. de Legib. in Horatia. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 82. Lips. l. l.

Dictator convivii dicebatur ejus magister, sive arbiter. Dicebatur ipsa tantùm coronæ impositione. Plaut. Pers. v. 1. 18.

Do hanc tibi florentem florenti, tu eris sic dictatrix nobis.

Ursin. append. ad Ciaccon. de tricl. p. 339. Barth. Adv. xviii. 15. Buleng. de conviv. 1. 40.

DICTERIUM est verbum scenicum, quo in exordiis fabularum histriones utebantur ad captandam attentionem populi. Varro ὄνος λύρας apud Non. ii. 249.

Et orthophallica attulit psalteria,
Quibus sonant in Græcia dicteria,
Qui fabularum collocant exordia.

Scalig. in Manil. p. 360. Voss. Lex. Etymol. V. & infr. in *Exodia*.

DIDIA

DID.

DIDIA gens. V. illam infr. in *Gens*.

DIE.

DIES. Nomina *diebus* à septem errantibus stellis, quas Græci planetas vocant, antiquitus sunt indita. Dio xxxvii. p. 37. D. *Quod his septem stellis, qui planetes vocantur, dies assignari receptum est, inventum quidem putatur Ægyptiorum. Sed in omnes tamen homines haud ita pridem, ut sic dixerim, vulgari cœptum est. Caterùm Graci veteres, quantùm equidem sciam, nullo prorsus eam rem pacto cognitam habuerunt. Quoniam verò cum nationibus aliis, tum Romanis vel maximè, sic mos pervulgatus hic est, ut quasi jam patrius videatur, pauca super iis edisseram ....* Auson. Eclogar. 5. 1. Euseb. Emissen. de Pascha homil. 11. Beda de Rat. temp. c. 4. Isidor. v. 30. *Politian. Miscell. c. 8. Brisson. de Spectac. Thes. Antiq. Gracar. Gronov. Tom.* viii. *p.* 2363. *C. Haguelon. Calendar. Triling. Thes. Antiq. Gronov. Tom.* ix. *p.* 1037. *A.* Ante ejus horam primam non licebat agere cum populo, hoc est ante lucem, ante auroram. Dio xxxix. p. 120. C. *Nisi Sergius Galba tunc prætor suffragia quibusdam sub auroram (etsi lege cautum erat, ne quid cum populo ante primam horam ageretur) dedisset.* Mannt. de Legib. c. 41. *Diem* dicere est denuntiare, te certo die aliquem de crimine accusaturum. Quicunque enim magistratus alterum reum ad populum facere cogitabat, in rostra ascendebat, ac concione advocata palam testabatur, se certa, quam nominabat, *die*, de certo, quod nominabat, crimine, certum, quem nominabat, hominem accusaturum esse, ac proinde ei, ut ad audiendam sui accusationem adesset, denuntiabat. Liv. xxxvii. 57. *Gracchus & Rutilius tribuni plebis M. Acilio Glabrioni diem dixerunt, quod pecunia regia, prædaque aliquantùm capta in Antiochi castris, neque in triumpho tulisset, neque in ærarium detulisset.* Sigon. de judic. iii. 7. *Diem* diffindere est rem differre, & in aliud tempus rejicere, &, ut nos, in crastinum continuatam remittere. Liv. ix. 38. *Papirius Dictator Junium Bubulcum magistrum equitum dixit, atque ei legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit.* Gell. xiv. 2. *Jussi igitur diem diffindi.* Sic sæpiùs Icti. *Politian. Miscell. c.* 41. *Bud. in Pandect. p.* 92. *B. Gothofr. in* xii. *tabulas. Oizel. in Gellium. Sigon. de Judic.* i. 28. *Cujac. Observ.* xii. 18. *Ravard. in Leg.* xii. *tab. c.* 5. *Balduin. in Leg.* xii. *tab. c.* 10. *Marcil. in Leg.* xii. *tab. c.* 4. *Rittersh. in Leg.* xii. *tab. Cass.* iii. *p.* 3. *c.* 4. *Prevot. de Magistrat. Roman. c.* 7. *Hotman. Antiq. Roman.* iii. 3. *p.* 478. *D. Diem* eximere est longa oratione censendi tempus consumere. Gell. iv. 10. *Cato rem, quam consulebatur, quoniam non è republica videbatur, perfici nolebat, ejus rei gratia ducenda longa oratione utebatur, eximebatque dicendo diem.* Hoc *diem* extrahere dicit Val. Max. ii. 10. 7: *Ut cum invito C. Cæsare consule adversus publicanos dicendo in curia diem extraheret.* Et *diem* tollere Cicer. de leg. iii. 18. *Nec est unquam longa oratione utendum, nisi aut peccante senatu, quod fit ambitione sæpissimè, nullo magistratu adjuvante, tolli diem utile est.* Bud. in Pandect. p. 60. C. Thys. in Gellium. Pollet. For. Rom. i. 8. Manut. de Sen. Rom. c. 9. *Diem* præferre est illum antevertere, sive anticipare. Modestin. l. si à debitore, ff. ad l. Cornel. de falso: *Si à debitore prælato die, pignoris obligatio mentiatur, falsi crimini locus est.* Ubi *præferre* est anticipare, ut vetustior esse obligatio videatur. Ulpian. l. 1. §. editiones: *Editiones sine die, & consule fieri debent, ne quid excogitetur è die, & consule, & prælato die fiat*, id est, ne *præferendi diei*, & generaliter ne falsi committendi ansa inde falsariis præbeatur. Quod & de tabularum testamenti editione traditur, l. 2. §. diem ff. quemadmodum testam. aper. Posset enim adversarius quoque *die* cognito, & consule, ut Constantinus exprimit Epit. 1. 1. tit. 4. *μεταγράφειτωρ ἔγγραφον ἀναγνωστικὸν* conficere, quo scilicet quasi posteriore prius rumperetur. Liv. xxxii. 5. *Triumphare mense Januario statuerat, sed prætulit triumphi diem.* Triumphavit ante diem x. Kalend. Januar. *Cujac.* Observ. iii. 7. *Diem* proferre, & differre differunt. Proferre est *diem* dictam prorogare. Differre est rem in aliud tempus conferre: nulla cum *dies* ante prodicta fuisset. Et hoc sensu Paull. l. unius, §. 9. ff. de quæstion. *Adeò ut propterea & differantur, & proferantur custodia.* Cujac. ibid. vii. 16. Calculis, & lapillis notabantur: felices candidis, infelices nigris. V. infr. in *Dies atri*.

Dies æquales, à Græcis *ἰσημεριναὶ*, à nostris æquinoctiales appellantur, quibus horæ, tam diurnæ, quàm nocturnæ, pares sunt. Et profectò Aristoteles nihil aliud *diem* esse dixit, quàm solis excursum ab oriente in occasum. Quum verò excursus ille quotidie evariet, fiantque *dies* nunc breviores, nunc productiores, prout sol aut à nobis declinat ad tropicum capricorni, aut à tropico capricorni ad nos revertitur: certè duo sunt tantùm *dies* toto vertente anno nocti æquales, & ex eo æquinoctiales vocati: alter vernus in capite arietis, alter autumnalis in capite libræ. *Calcagn. de verbor. signif. p.* 339. *F.*

Dies agonales dicuntur, *per quos rex sacrorum in regia arietem immolat, dicti ab agone, eò quòd interrogatur princeps civitatis, & princeps gregis immolatur.* Varr. de ling. Lat. v. 3. *Donat. de urb. Rom.* iii. 14. *Panvin. de lud. circ.* 1. 19. *Buleng. de circ. c.* 5.

Dies Alliensis, quo ad Alliam Cremeramque exercitus Romanus fusus est, infamis est habitus. Cicer. Attic. ix. 5. *Nam majores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnæ, quàm Urbis captæ, quod hoc malum ex illo.* Festus: *Alliensis dies dicebatur apud Romanos obscœnissimi ominis, ab Allia fluvio scilicet, ubi Romanus fusus à Gallis exercitus est.* Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 5. Noris. Conot. Pisan. Dissert. iii. 3.

Dies atri dicuntur, *quos nunc nefastos, vel posteros vocant. Afran. Fratr. Septembris heri Kalendæ, hodie atri dies.* Non. i. 40. Veteres felicia omnia albo, & contra infausta & ominosa atro colore notabant: & *dies* felices albos, inauspicatos nigros appellabant: hosque carbone, illos creta signabant. Pers. Sat. v. 107.

> *Quæque sequenda forent, quæque evitanda vicissim,*
> *Illa prius creta, mox hæc carbone notasti?*

Qui imitatur Horat. Sat. ii. 2. 246.

> —— *Sani creta, an carbone notandi.*

Mart. xii. 34. 5.

> *Et si calculus omnis huc & illuc*
> *Diversus, bicolorque digeratur:*
> *Vincet candida turba nigriorem.*

Quem morem à Scythis translatum ferunt, qui vesperi, priusquam dormirent, calculum in pharetram mittebant candidum, si fortè *dies* is citra molestiam abiisset; atrum, si secus. Demum, ubi quis vita decederet, ejus pharetram proferebant, in qua si plures candidos calculos reperissent, felicem; si plures nigros, infelicem vixisse pronuntiabant: atque hinc vitæ summam æstimabant. Plin. vii. 40. *Vana*, inquit, *mortalitas, & ad circumscribendam se ipsam ingeniosa, computat more Thraciæ gentis, quæ calculos colore distinctos pro experimento cujusque diei in urnam condit, ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de unoquoque pronuntiat.* Candida, ut Pythagorici tradunt, ad naturam boni spectant, ut atra ad naturam mali. *Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c.* 5. *Morest. Philom.* v. 20. *Gyrald. de ann. & mens. part.* ii. *p.* 806. *D. Erasm. in Adag. p.* 57. *b. Manut. de Vet. dier. rat. apud Rosin. Antiq. Roman.* iv. 9. *Maurit. de Sortit. c.* 11. §. 3. *Torrent. in Horat. Od.* i. 36. 10. Illo mortuis parentare nefas est habitum. Macrob. i. 16. *Sed & Fabius Maximus Servilianus pontifex* lib. xii. *negat oportere atro die parentare: quia tunc quoque Janum Jovemque præfari necesse est, quos nominare atro die non oportet.* Morest. Pomp. Fetial. ix. 3. Kirchm. de Fun. Rom. iv. 1. Guther. de Jur. Man. ii. 12. Cajanum cenotaphium hanc opinionem falsitatis convincit. In eodem legitur decretum fuisse à colonis Pisanis ob mortem Caji justitium sumi: *diemque eum, quo die C. Cæsar obiit, qui dies est ante diem* ix. *Kal. Mart. pro Alliensi lugubrem memoria prodi.... caverique ne quod sacrificium publicum, neve quæ supplicationes,*

neve

neve centonia publica postea in eum diem, neve die quidlibet eris ante diem x. Kal. Mart. fiant, concipiantur, indicanturve. Igitur ille dies erat in perpetuum futurus ater, ac Alliensi similis. Ac statim ibidem decretum legitur: *Utique eodem, quod annis publicè manibus ejus per magistratus, eosve qui Pisis juri dicundo præerunt, eodem loco, eodemque modo, quo L. Cæsari parentari institutum est, parentetur.* Noris. Cenot. Pisan. Dissert. III. 6.

Dies auspicalis, quo quicunque munus, aut magistratum caperent, ejus primo die leviter aliquid delibabant, auspicii saltem causa. Panegyristes: *Illum tamen primum consulatus tui auspicalem diem tacitus præterire nullo modo possum: quo tu solus omnium consecutus es, ut quod tempus antea incipiendis tantummodò rebus aptum esse videbatur, tunc primum poneret sufficere peragendis, unoque sol curricule & officia te consulis inchoantem videret, & Imperatoris implentem.* Lips. in Tacit. Annal. IV. n. 96. Schill. Nomencl. Philol. p. 416.

Dies civilis vocatur tempus, *quod fit uno cœli circuitu, quo verus dies & nox continetur: ut cum dicimus, aliquem triginta tantum dies vixisse: relinquitur enim etiam noctes intelligi.* Censor. de die nat. c. 10. Civilem sacerdotes, & quidem in sacris, auspiciisque usurpabant. Plin. II. 77. *Sacerdotes Romani, & qui diem definivere civilem, à media nocte in mediam.* Dividebatur in quatuor & viginti horas. *Putean. reliq. conv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 252. C. Cujac. Observ. XV. 32. Hagnelon. Calendar. triling. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 1038. E. Laurent. de Ann. mens. & dieb. c. 2.* Et Paull. l. more 8. ff. de feriis: *More Romano dies à media nocte incipit, & sequentis noctis media parte finitur.* Rationes dat Plutarch. Quæst. Rom. 83. *Salmuth. in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 750.* Hetruscos imitati sunt, cum sic diem ordirentur. *Barg. de obel. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1921. D.*

Dies cognitionales, sive cognitionum sunt, quibus prætor cum consilio de controversiis decretum interponit, qui & dies decreti appellantur. Ulpian. l. 73. ff. de judic. *Quod si is qui edictum peremptorium impetravit, absit die cognitionis, is verò adversus quem impetratum est, adsit, tum circumducendum erit indictum peremptorium, neque causa cognoscetur, neque secundum præsentem pronuntiabitur*, l. 2. §. ult. ff. de bonor. possess. *Si causa cognita bonorum possessio detur, non alibi dabitur quàm pro tribunali, neque decretum de plano interponi, neque causa cognita bonorum possessio alibi quàm pro tribunali dari potest.* Siccam. de centumv. judic. II. 1. Sigon. de judic. I. 9. Ræward. Protribun. c. 9. His diebus prætor aut exercebat consilium, aut præbebat consilium, aut indicebat conventum. Exercebat consilium, cum decemviris, quinque senatoribus, totidemque equitibus Romanis in consilium adhibitis, de causis cognosceret. Ulpian. l. 2. ff. de offic. ejus cui mand. jurisd. *Mandata jurisdictione à præside consilium non potest exercere is, cui mandatur.* Præbebat consilium, cum minori manumittere volenti, & aliis omnibus, qui quid sine consilii sententia prohibentur facere, quique in integrum desiderant restitui, consilium præberet, l. 4. §. 2. ff. de manum. vind. *Minor annis viginti lege Ælia Sentia manumittere sine consilio prohibetur.* Indicebat conventum, cum quæstio inter partes non simplicis facti, sed controversi juris incideret. Senec. de Ben. III. 7. *De quibusdam etiam imperitus judex dimittere tabellam potest, ubi fecisse aut non fecisse probandum est, ubi prolatis cautionibus controversia tollitur, ubi inter disputantes ratio jus dicit. Ubi verò animi conjectura capienda est, ubi id de quo sola sapientia discernit, in controversiam incidit, non potest ad hæc sumi judex ex ordine selectorum, quem census in album, & equestris hæreditas misit.* Siccam. & Ræward. l. l.

Dies comitiales non fuerunt illi, in quos pro arbitrio comitia magistratus edicerent; sed certi quidam fuerunt jam inde à Numæ instituto, quibus solis cum populo agi posset. Macrob. I. 16. *Comitiales sunt, quibus cum populo agi licet. Et fastis quidem lege agi potest, cum populo non potest: comitialibus utrumque potest.* Erant igitur illi dies in fastis populi Romani descripti, quibus comitia haberi possent. Hoc enim idem est, atque cum populo agere. Nam rogari populi suffragia nisi comitiis non possunt. *Gruch. de comit. Roman. I. 6. Manut. de comit. Rom. c. 8. de senat. Rom. c. 5. Zamosc. de senat. Rom. c. 7. Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 586. C. Augustin. ad leg. XII. tab. §. 35. Laurent. de Ann. mens. dieb. c. 1. Perizon. de Græcor. & Roman. magistrat. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2805. A. Gyrald. de ann. & mens. oper. Tom. II. p. 805. C.* De his Ovid. Fast. I. 53.

Est quoque quo populum jus est includere septis.

Hos antiqui per C. literam notabant, ut est videre in fastis antiquorum. *Gyrald. ibid. D.*

Dies comperendini dicebantur, quibus vadimonium licebat dicere, & reum comperendinare, vadibus, ut arbitror, datis. Macrob. Sat. I. 16. *Comperendini dies fuerunt, quibus vadimonia dicere, & judicia addicere licebat.* Gruch. de comit. Roman. I. 6. Augustin. ad leg. XII. tab. §. 35. Siccam. in Fast. Kal. Roman. c. 5. Ræward. Protribun. c. 9. Laurent. de Ann. mens. dieb. c. 1.

Dies continui. V. illos infr. in *Dies utiles.*

Dies exempti possunt dici nefasti, quod eximantur, & subtrahantur rebus agendis. Græci ἐξαιρεσίμους vocant, sed in alia ratione. Cicer. Verr. II. 52. *Est consuetudo Siculorum, cæterorumque Græcorum, quod suos dies, mensesque congruere volunt cum solis, lunæque ratione, ut nonnunquam, si quid discrepet, eximant unum aliquem diem, aut summum biduum ex mense, quos illi dies ἐξαιρεσίμους dies nominant.* Si ergo aliquos eximimus dies, cur non exemptiles, exemptos, aut exhæresimos vocabimus? Plin. Epist. V. 21. *Dimittuntur centumviri, eximitur dies.* Pollet. For. Rom. I. 8. Laurent. de Ann. mens. dieb. c. 1.

Dies fasti vulgò lingabiles dicuntur, similes præliaribus, quibus contendere, & manum conserere cum adversario in foro licet. Macrob. Sat. I. 16. *Dies fasti sunt, quibus licet fari prætori tria verba sollennia, do, dico, addico.* Pollet. For. Rom. I. 9. Gruch. de comit. Roman. I. 6. Augustin. ad leg. XII. tab. §. 35. Panvin. in Fast. I. 4. Numa *nefastos dies, fastosque fecit: quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat.* Liv. I. 19. Eos postea in altera duarum tabularum, quas, ut totum Romanum jus absolvi posset, decem tabulis Athenis relatis, Ap. Claudius decemvir ex Scto addiderat, à decemviris legum scribendarum molesos fuisse existimo, ductus auctoritate Cicer. ad Attic. VI. 1. Omnibus autem aliis tabulis in album propositis, ut dies agendi peterentur à paucis, à pontificibus occultatam multo tempore istam tabulam ferunt, ita ut posset agi nec ne, pauci scirent, quum fasti *dies* vulgò non haberentur. Centum autem & circiter quinquaginta annis exactis post decemviros, Cn. Flavius M. filius libertino patre genitus Ap. Cæci scriba, qui fortè pontifex erat, fastosque *dies* apud se habebat, ejusdem Claudii hortatu *dies* ipsos fastos ex diu occultatis tabulis excepit, & consultando assiduè sagaci ingenio, eos singulis diebus ediscendos populo proposuit, publicavitque; ipsos enim (ut dixi) populus Romanus à paucis principum quotidiè petebat. *Panvin. ibid. p. 4. & 5.* Erant autem triplices, aut priore parte fasti, posteriore nefasti: aut priore nefasti, posteriore fasti: aut priore & posteriore nefasti, media fasti. Fasti priores erant, quorum pars anterior fastus erat, posterior nefastus erat, ita ut iis ante meridiem lege agere liceret, post meridiem non liceret, qui *F. P.* in Fastis notati erant: ut Vinalia mense Augusto notata sunt. Fasti posteriores, quorum pars posterior fastus, prior nefastus, ita ut iis ante meridiem lege agere non liceret, post meridiem postque sacra peracta liceret. Festus in schedis: *N. P. nota designari solent, qui nefasti priores sunt, quorum pars posterior fas. His servi liberati sunt, delectus habentur, exercitus scribuntur, & in provincias ire licet, sacra quoque instituta sunt, & vota nuncupata solvi, & ædes sacrari solent.* Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 2. Manut. de vet. dier. rat Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 948. D.

Dies feriati erant, cum forum Romanum judiciis vacaret, resque prolatæ dicebantur. Tacit. Annal. II. 35. *Res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret Cn. Pisonis*

fonis & Asinii Galli super eo negotio diversas sententias nosse. Plaut. Capt. 1. 1. 17.

Prolatis rebus parasiti venatici
Sumus.

Siccam. de centumv. judic. 11. 1.

Dies festi *diis dicati sunt. Illis insunt sacrificia, epulæ, ludi, feriæ.* Macrob. Sat. 1. 16. *Gruch. de Comit. Roman.* 1. 6. *Augustin. de Leg. c. 9. & ad Leg. XII. tab. §. 35. Laurent. de Ann. mens. dieb. c.* 1.

Dies intercalares quinam sint, & dicantur. V. infr. in *Intercalare.*

Dies intercisi erant *deorum, hominumque communes. Numa ut in menses annum, ita in dies mensem quemque distribuit; diesque omnes aut festos, aut profestos, aut intercisos vocavit.* Macrob. Sat. 1. 16. Varr. de ling. Lat. V. 4. *Intercisi dies sunt, per quos manè & vesperi est nefas, medio tempore inter hostiam cæsam & exta porrecta fas: à quo quod fas intercedit, intercisi dies: aut quod tum intercisum, nefas.* Brod. ad Pollet. For. Rom. 1. 8. Augustin. de Leg. c. 9. & ad Leg. XII. tab. §. 35. Gyrald. de ann. & mens. Oper. tom. II. p. 802. Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 694. E. Ciaccon. in ver. Kalend. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 15. C. Laurent. de Ann. mens. dieb. c. 1. Cujusmodi similes habemus in nostra religione, ut matutini festi, pomeridiani profesti. Ovid. Fast. I. 51.

Ne tamen toto perstare die sua jura putaris,
Qui jam fastus erit, manè nefastus erat.
Nam simul exta Deo data sunt, licet omnia fari,
Verbaque honoratus libera prætor habet.

Pollet. For. Rom. 1. 8.

Dies judiciarii, quos in foro Romano observabant, erant, quibus judicia exerceri poterant, & prætor sui copiam pro tribunali faciebat. Eorum alii erant postulatorii, alii cognitionales. V. illos suis locis. *Siccam. de centumv. judic.* II. 1.

Dies justi erant, quibus vis in reos delatos, aut judicatos sistebatur, & sententiæ exsecutio, solutionisque coactio suspendebatur, & differebatur in diem trigesimum. Ita dies adventus Augusti, de quo Suet. c. 57. n. 7. *Observatum est, ne quoties introiret Urbem, supplicium de quoquam sumeretur,* rectè justi vocarentur, quod illis vis & executio juris differatur, & sistatur: ut in civilibus ii etiam *dies*, qui dantur reis, & gravi ære alieno obæratis à Principe causa cognita, & extra ordinem, in dilationibus solutionum, atterminationes & respirationes vulgus vocat, & qui à die missionis in possessionem ex contumacia triginta dies dantur, usque ad proscriptionem. *Pollet. For. Rom.* 1. 8. *Augustin. ad Leg. XII. tab. §. 38. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 3. c. 11. Ouzel. in Gell.* XV. 13. Istam vocis, quam diximus, esse notionem verba legis arguunt apud Gellium: *Confessi æris, de quo facta confessio est, in* XII. *tabulis scriptum est, his verbis: æris confessi debitique judicatis triginta dies justi sunto,* id est, sunto dies triginta illis justi, in quibus in jus vocari non possint, sed justa pro illis stent ac sileant. Atque sic quidem privatis dati justi *dies*. Publicè etiam alii sic dicti sunt, per quos in tota urbe juris erant feriæ, nimirum triginta *dies*, quibus exercitus imperabatur, & vexillum in arce ponebatur. Macrobius. V. illum infr. in *dies prœliares*. Salmas. de mod. usur. c. 18. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 5. Ouzel. Augustin. l. l.

Dies legatorum dicitur cedere. V. supr. in *Cedere*.

Dies lustrici *infantium appellantur, puellarum octavus, puerorum nonus, quia his lustrantur, atque eis nomina imponuntur.* Festus. Macrob. Sat. 1. 16. *Est dies lustricus, quo infantes lustrantur, & nomen accipiunt: sed is maribus nonus, octavus est feminis.* Quare diem post septimam sumpserint, & quare femellas citiùs quàm masculos lustraverint, pluribus docet Plutarch. Quæst. Rom. 102. M. Antoninus Imperator mutasse videtur, ac tricesimum diem præfinisse. Capitolinus. V. illum infr. in *Liberi*. Ubi tamen alii legunt *intra tertium diem*. Nescio an satis benè. A Græcis hoc manavit ad Romanos; sed apud illos dies decimus erat præfinitus. Aristoph. in Avib. p. 585. n. 3. Edit. Aurel.

Non ergo decimam nunc sacrificabo & hanc ego?
Et nomen illi velut puero dedi.

Ubi Schol. *Notum, quod nomina infantibus imposuerunt decima.* Eurip. in Electr. IV. 1124.

Et partionem audisti, opinor, in meam
Pro me sacrifica (ego ipsa ritum nescio)
Decima puelli luce, sicut mos habet.

Suidas in Δεκάτην ἑστιάσαι: *Mos erat, cum pueri nati essent Atticis civibus, decima noctium à natali convocari paternos maternosque cognatos, & amicorum proximus, atque iis præsentibus nomina pueri dare, & diis sacrificare, denique qui convenissent convivari.* Die septimo, quod miramur, scribit Aristot. Hist. Anim. VII. *Plerique puerorum moriuntur ante diem septimum: ideoque & nomina tunc imponunt, tanquam de salute jam magis fidentes.* Sed licet *tunc* accipere non ita strictè, nempè circa, & post septimum diem. Nec in Truc. II. 4. 69. quasi ex more Græciæ dum scribit, nos movebit Plautus:

Quin diis sacrificare hodie pro puero volo.
Quinto die quod fieri oportet.

Nam illa sunt amphidromia Græcorum, quinto die usitata. At hæc nostra sunt *nominalia* ab illis diversa. *Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c.* 12. Ritus illis usitatos describit Pers. II. 31--39. *Ruben. Elect. I. 5. Faber Semestr. I. 6. Meurs. de Puerp. c. 6. Barthol. de Puerp. p. 136. & 149. Buleng. de Imp. Rom.* III. 18. *Scalig. in Festum. Casaub. in Persium. Moll. in Long. Past. p. 7. Laurent. Polym. I. 11. de Natalit. c. 2. Var. sacr. gentil. c. 17. Choul. de baln. p. 96. Gyrald. Synt. deor. I. 50. G.* XVII. p. 492. *C. de Ann. & mens. Oper. Tom.* II. p. 809. *E. Laz. Comm. Reip. Rom. XI. 1. Stuck. Ant. Conv. I. 16. de Sacrif. p. 45. Auctor Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 163. Crinit. de Honest. Discipl.* III. 4. *Clason. Theol. natur. I. 10. 13. Castellan. de Fest. Græcor. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VII. *p. 614. D. Blond. Triumph. Rom.* VIII. *p. 163. C. Junius in Tertull. de Idolol. c.* 16. *Lomej. de Lustrat. c. 27. Castal. de Ant. puer. prænom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p. 2063. A. Sigon. de nomin. Roman. Thes. Ant. ibid. p. 1962. B. Panvin. de nomin. Roman. Thes. ibid. p. 2034. F. Donat. & Pitisc. in Suet. Ner. c.* 6.

Dies Merkedonii. V. illos infr. in *Merkedonius*.

Dies natales privatorum, Imperatorum, amicorum erant sollennes. V. infr. in *Natales*.

Dies naturalis *est tempus ab exoriente sole ad solis occasum. Cujus contrarium est tempus, nox, ab occasu solis ad ortum.* Censor. de die nat. c. 10. Naturalem in actionibus negotiisque domesticis ac forensibus vulgus usurpabat. Plin. II. 77. *Ipsum diem alii aliter observavere. Vulgus omne à luce ad tenebras.* Dividebatur in duodecim horas. Censorin. l. l. *In horas duodecim divisum esse diem, noctemque in totidem, vulgo notum est.* Putean. reliq. prisc. conviv. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XII. p. 252. C. Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 360. Salmuth. in Panciroll. de reb. deperd. & inv. p. 750. Haguelon. Calend. Triling. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 1038. E. Laurent. de Ann. mens. & dieb. c. 2. Causam rei reddit Galen. lib. de cujusque animi peccatorum notitia atque medela. Loquitur autem in hanc sententiam agens de diei horarum numero duodenario: *Porrò*, inquit, *numerum hunc tanquam omnium utilissimum delegerunt. Dimidium enim continet & duplum, & quartum, & sextum, & duodecimum, quæ nullus alius post ipsum numerus, usque ad vigesimum quartum continere videtur. Hunc etenim tanquam longiorem repudiarunt, & duodenarium numerum tanquam commodiorem judicantes in tot particulas totius diei tempus diviserunt. Hanc autem partitionem ex usu esse alii multi, & Romani ipsi experientia comprobantes atque utentes ostendunt. Siquidem hæreditatem omnem, cum testamentum condunt, in duodecim portiones distribuunt, & ponderum, ac mensurarum, quibus in vita opus est, plurimas in duodecim partes dividunt.* Sanè quod de mictu duodenario animalis cujusdam in Ægypto Serapidi dicati, ab Hermete Trismegisto observato traditur, unde *dies* in duodecim horas sit divisa, horæque ab urina sint dictæ, fabulam olet. *Mag. Misc.* I. 15. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 47.

Dies

Dies nefasti vocantur *fastorum contrarii, per quos nefas fari prætorem: do, dico, addico. Itaque non potest agi. Necesse est aliquo eorum uti verbo, cum lege quid peragitur. Quod si tum imprudens id verbum emisit, aut quem manumisit, ille nihilominus est liber, sed vitio: ut magistratus vitio creatus, nihilo secius magistratus. Prætor, qui tum fatus est, si imprudens fecit, piaculari hostia facta piatur, si prudens dixit, Quintus Mucius abnegabat eum expiari, & ut impium non posse dicebat.* Varr. de Ling. Lat. v. 4. & 7. His senatum haberi nullis legibus vetitum fuit. Cicer. Brut. Epist. 2. *A. d. v. Eid. April. literæ mihi in senatu redditæ sunt à Lentulo nostro.* Fratr. II. 8. *A. d. III. Eid. Maji SCtum factum est in Afranii sententiam.* Qui dies nefasti, & in Fastis litera *N.* notati sunt. Neque lege tamen, neque cum populo agi licebat. *Lege*, quod fastis; cum populo, quod comitialibus essent contrarii: causas tamen agere, & conciones habere licuit. Hi omnes litera N. in Fastis notati sunt. *Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 2. Morest. Philom. v. Dial. 35. Augustin. ad Leg. XII. tab. §. 35. Gyrald. de ann. & mens. Oper. Tom. II. p. 804. D. Sigon. de judic. 1. 7. Person. de Græcor. & Roman. magistrat. III. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2816. F. Multitudo imperitorum pravè & perperam nefastos appellant tristi omine infames.* Gell. IV. 9. Cum sint illi, quibus silentium fori, & justitium erat. Ovid. Fast. 1. 47.

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur:
Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Est enim vocabulum forense, & amplectitur omnia dierum genera, quibus justitio fori indicto prætor jurisdictionem non exercebat. Itaque dies faustissimi & festissimi, ut natalis Urbis, Cæsaris, sacrorumque ludorum, quia illis prætori os velut occlusum erat, ne proferret tria illa sollennia verba, quibus totum mysterium suæ jurisdictionis absolvitur, nefasti erant. *Pollet. For. Rom.* 1. 8. Omnis itaque ater *dies* est nefastus, sed non omnis nefastus ater, cum *dies* festus etiam sit nefastus, quo jus non dicebatur. *Thys. in Gellium. Siccam. ibid. c. 5.*

Dies pandiculares dicebantur, qui supplicationum festis præcipuè communes, ideoque communicarii appellabantur, quando diis omnibus sacrificabatur, ut in multa pace. Festus: *Pandicularis dicebatur dies, idem & communicarius, in quo omnibus diis communiter sacrificabatur.* Gucher. de Jure Pontif. III. 15. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 4. Rhodig. Ant. Lect. XII. 1. Struv. Antiq. Roman. c. 9. p. 381. & 385. Lauteut. Var. sacr. gentil. c. 13.

Dies postridiani omnes, hoc est, postridie Kalendas, Nonas & Idus inter atros, religiosos & infaustos numerabantur. Macrob. Sat. 1. 16. *Dies postridianos ad omnia majores nostri cavendos putarunt, quos etiam atros, velut infausta appellatione damnarunt.* Gell. v. 17. *Complures alii senatores dixerunt recordari, quoties belli gerendi gratia res divina postridie Kalendas, Nonas,* * *Idus à magistratu populi Romani facta esset, ejus belli proximo deinceps prælio rempublicam malè gestam esse.* Siccam. in Fast. Kal. Roman. c. 5. Norif. Cenot. Pisan. Dissert. III. 3. Salmas. in Vopisc. Tacit. c. 11. Gyrald. de Ann. & mens. Oper. Tom. II. p. 806. C.

Dies postulatorii erant, quibus prætor pro tribunali postulationibus vacabat. Ulpian. l. 2. ff. Quis ordin. *In bonorum possessione, quæ pro tribunali datur, illud quæritur, si sedit quidem pro tribunali prætor, sed postulationibus non dedit.* Illis in jus vocabant, & vadimonium dicebant, causaque apud prætorem dicebatur. Cicer. pro Quint. c. 6. *Postulat à Burrieno prætore Nævius, ut ex edicto bona possidere liceat.* c. 8. *A Cn. Dolabella prætore postulat, ut sibi Quintius judicatum solvi satisdet.* Postulabant etiam in jure, ut de suspectis tutoribus cognosceretur. Ulpian. l. 1. ff. de oblig. & act. *Hæc clausula & frequens & pernecessaria est: quotidie enim suspecti tutores postulantur.* Prima etiam litis intentione, an auctores fierent. Quando te in jure *conspicio, postulo an fias auctor.* Siccam. de centumv. judic. II. 1.

Dies præliares ab justis non segregaverim, siquidem justi sunt continui triginta dies, quibus exercitus imperato vexillum russi coloris in arce positum est. Præliares autem omnes, quibus fas est res repetere, vel hostem lacessere. Macrob. Sat. 1. 16. *Præliares dies appellantur, quibus fas est bello hostem lacessere: erant enim feriæ quædam publicæ, quibus nefas fuit id facere.* Festus. *Salmas. de mod. usur. c. 18. Siccam. in Fast. Kal. Roman. c. 5. Pollet. For. Rom. 1. 9. Augustin. ad Leg. XII. tab. §. 35. Gruch. de comit. Roman. 1. 6. Gutberl. de Saliis c. 15. Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 375. Laurent. de Ann. mens. dieb. c. 1. Kipping. Ant. Roman. III. §. 2.*

Dies profesti dicebantur omnes præter festos. Dividebantur in *dies fastos, comitiales, comperendinos, statos, præliares.* Macrob. Sat. 1. 16. *Manut. de comit. Roman. c. 8. Gruch. de comit. Roman. 1. 6. Augustin. de Leg. c. 9. & in Leg. XII. tab. §. 35. Struv. Antiq. Rom. c. 8. p. 370. Laurent. de Ann. mens. dieb. c. 1.*

Dies profusionis erat, quo veluti ostentabatur, quod diebus circensibus, & festis fieri magno apparatu debebat. Symmach. Epist. II. *De canibus, quos profusionis die ita Roma mirata est, ut ferreis caveis putaret advectos.* Argol. ad Panvin. de lud. Circ. II. 2.

Dies religiosi *dicebantur infames, vel infausti.* Nigidio comm. gramm. XI. Non. IV. p. 387. Religiosi, quod religione alicujus rei non faciendæ obligati erant. Festus: *Dies religiosi, quibus, nisi quod necesse est, nefas habetur facere, quales sunt sex & triginta atri qui appellantur, & Alliensis, atque ii quibus mundus patet. Esse, Gallus Ælius, quod homini ita facere non liceat, ut, si id faciat, contra deorum voluntatem videtur facere, quo in genere sunt hæc: In ædem Bonæ deæ virum introire, adversus mystica legem ad populum ferre, die nefasto apud prætorem lege agere.* Religiosi & infausti etiam erant, quibus mundus patebat. Macrob. Sat. 1. 16. Festus. V. illos infr. in *Mundus*. Quemadmodum & ille *dies*, quo penus Vestæ patebat. Festus. V. illum infr. in *Penus*. Ii erant postridie Vestalia, postridie Matronalia, & postridie Iduum Junii. *Siccam. in Fast. Kal. Roman. c. 5. Manut. de Legib. c. 40.*

Dies sanguinis dicebatur, quo Bellonarii fanatici missioni sanguinis sui deam placabant IX. Kal. April. Treb. Claud. c. 4. *Nam cum esset nuntiatum IX. Kal. April. ipso in sacrario Matris sanguinis die Claudium Imperatorem factum.* Ad illum alludit Tertull. carm. ad senat. n. 18.

Sed quia coguntur saltem semel esse pudici,
Mente fremunt, lacerant corpus, funduntque cruorem,
Quale sacrum est vero quod fertur nomine sanguis?

Salmas. in Trebellium & Lamprid. Commod. c. 9. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 422. Lips. Epist. miscel. 75. Lomej. de Lustrat. c. 26. Turneb. Adv. XXX. 21.

Dies Saturni viæ non faustus erat. Illo est prohibitus Tibullus institutum iter exsequi 1. 3. 18.

Aut ego sum causatus aves, aut omina dira,
Saturni aut sacrum me tenuisse diem.

Superstitio inde nata, quod Saturni sidus triste & maleficum. *Lips. Saturn. 1. 5. Dous. Præcid. c. 2.*

* *Dies* sessionum dicuntur, quibus pro tribunali expediuntur ea, quæ causæ cognitionem desiderant. Ulpian. l. 2. §. dies, ff. quis ordo in bonor. possess. *Dies bonorum possessionis utiles esse, palam est, sed non sessionum numerabuntur.* Nam sedere propriè dicitur, cum pro tribunali jus reddit præfectus. Marcell. l. 7. §. Divus, ff. de in integr. restit. *Confestim pro tribunali te sedente adiit* . . . . . Et sedes pro foro tribunali præfecto prætorio frequentiùs accipitur. *Guther. de Offic. dom. Aug. II. 16. Sigon. de judic. 1. 19. Brisson. Caroll. ad Pollet. For. Rom. 1. 9. Cujac. Observ. II. 18. Ravard. Pro tribun. c. 1.*

Dies stati dicebantur, qui judicii causa cum peregrinis interponebantur, ut in XII. tab. apud Cicer. de Offic. 1. 12. *Aut status dies cum hoste*, & Plaut. Curcul. 1. 1. 5.

Si status condictus cum hoste intercedit dies.

Hostes olim peregrini appellabantur. Stati appellabantur, ut opinor, quod sisteret se quis in judicio: nam Festus ait: *Status vocatur judicii causa constitutus.* Augustin. ad Leg. XII. §. 35. Ursin. ad leg. de Scta Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1354. F. Balduin. in Leg. XII. tab. c. 43. Marcil. in Leg. XII. tab. c. 2. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 3. c. 2. Laurent. de Ann. mens. dieb. c. 1. Sigon. de judic. 1. 27. Gyrald. de ann. & mens. oper. Tom. II. p. 805. E. Struv. Ant.
Rom.

Rom. c.8. p. 375. Status propriè erat is, quem statuerat prætor; condictus is, quem litigantes, sive rei sibi invicem denuntiarunt in jure; nam *condictum est, quod quasi in communi est dictum*, ut exponit Festus. *Marcil. l. l.*

Dies utiles, qui à Græcis interpretibus ἐργάσιμοι dicuntur, hi sunt, quibus experiundi juris sui potestas est, l. 1. de divers. temp. præscript. l. miles §. quædam. ff. de adult. coerc. 1. jure C. eod. tit. His adversi sunt *dies* continui. Sunt & sessionum *dies*, qui continuis etiam adversi sunt, non tamen semper sunt utiles: nam sæpè fit, ut *die* sessionum experiundi quis potestatem non habeat. Contra, *dies* utiles plerumque sunt, quamvis sessionum non sint, utputa, si talis sit res, quæ de plano, & feriato *die* possit expediri. Ex his apparet, quid inter annum utilem, & annum continuum intersit. Nam utilis annus is est, qui constat ex *diebus* utilibus. Continuus ex continuis 363. Annum utilem sustulit Justinianus in causis restitutionum, & pro eo continuum quadriennium substituit. Quo fit, uti non possit quis hodie eam, cujus tutor, vel curator fuerit, intra nonum & vigesimum annum uxorem ducere, cum tamen olim non nisi intra sextum & vigesimum annum hæc prohibitio consisteret, l. qui pupillam, ff. de adult. coerc. l. non est ff. de rit. nupt. id est, intra quintum & vigesimum annum ætatis, & utilem annum unum, l. si patris C. de intord. matrim. l. filius, §. si quis eo tempore ff. de liber. & poth. Sublatus etiam ante in eis restitutionum causis fuerat utilis annus à Constantino, l. 2. C. Th. de in int. restit. sed introducta locorum differentia, is pro eo Romæ quinquennium, in Italia quadriennium, in provinciis triennium continuum substituerat. Quæ differentia locorum ab Justiniano sublata, & omnibus in locis quadriennium continuum definitum est, l. ult. C. de temp. in integr. restit. Sustulit etiam alia in re Justinianus annum utilem. Actiones personales in Italia præscriptione anni utilis summovebantur. Hæc præscriptio à Justiniano tollitur, l. 1. C. de annal. except. In aliis rebus, quod sciam, anni, dies, menses utiles non sunt sublati: videntur tamen expuncti à posterioribus Imperatoribus, eo scilicet, quod valdè difficilis, & lubrica esset eorum computatio: & ideò triginta dies repetendo reo præfiniti, qui utiles dicuntur, l. 3. §. ult. ff. de accusat. l. aut privatim, ff. ad Turpilianum, qui ab Augusto præfiniti, & observati sunt: & indicat Suet. Tranq. c. 32. n. 6. Hi ab Constantino Græco interprete συνεχεῖς ἡμέραι appellantur. Epitom. 1. 1. appellatur annus, qui utilis dicitur, l. in eum C. de furt. *Cujac. Observ.* 11. 18.

DIESPITER Romanis dictus est Jupiter, quasi *diei pater*. Jupiter enim est auctor lucis, & Lucretium Salii in suis carminibus cecinerunt, & Cretenses Δία τὴν ἡμέραν vocarunt. *Viola de temp. Rom. rat. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* VIII. *p.* 187. *E.* Ditem patrem Lactantius & Isidorus appellant. Ille 1. 14. *Pluton, Latinè Diespiter.* Hic VIII. 11. *Pluton Græcè, Latinè Diespiter, vel Ditis pater.* Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Tom. III. p. 367. C.

DIF.

DIFFARREATIO *erat genus sacrificii, quo inter virum, & mulierem fiebat dissolutio.* Festus. Glossæ Isidori. *Diffarreatio, dissolutio inter virum & feminam.* Alex. Gen. 11. 5. Gyrald. de sacrif. Synt. deor. XVII. p. 309. G. Sigon. de ant. jur. civ. Rom. 1. 9. Stuck. de sacrif. p. 73. Rævard. in Leg. XII. tab. c. 21. Rosin. Antiq. Rom. v. 38.

DIFFUNDERE dicuntur, qui post vindemiam è torculari, vel lacu, in cados & amphoras vinum ad asservandum in apothecis infundibulo *fundunt*, & distribuunt. Horat. Epist. 1. 3. 4.

Vina bibes iterum Tauro diffusa.

Juven. Sat. v. 30.

Ipse capillato diffusum consule potat.

Quid hoc sit, discimus ex Proculo, l. 6. & 15. ff. de trit. & vin. leg. *Illud verum esse puto, cui vinum cum vasis legatum erit, ei amphoras & cados, in quibus vina diffusa servamus, legata esse. Vinum enim in amphoras, & cados hac mente diffundimus, ut in his sit donec usus causa comprobetur, & scilicet*

cùm his amphoris & cadis id vendimus. In dolia autem alia mente conjicimus, scilicet ut ex his postea vel in amphoras, & cados diffundamus, vel sine ipsis doliis veneat. Turneb. Adv. 1. 1. Lambin. & Torrent. in Horatium. Britann. Calderin. & Grang. in Juvenalem. Hoc est, ut mihi videtur, vernaculè *bezgieten ! of kelderen. Cruq. in Horatium.*

DIFFUSORES olearii dicebantur, qui in vasa olearia oleum *infundebant*: erantque auctorati in municipiis, ut in regionibus *diffusores* vinarii, & cerevisiarii. In veteri inscriptione: EQ. R. DIFFUS. OLEARIO. EX BÆTICA. id est, Equiti Romano diffusori oleario. *Scalig. in Manil. p.* 39.

DIG.

DIGESTA duplici FF scribuntur. V. infr. in *F. F.*

DIGITALIA sunt chirothecæ, quæ singulos digitos exprimunt. V. illa supr. in *Chirotheca*.

DIGITI erant *Minervæ consecrati.* Serv. Æneid. III. 607. *Tomas. de Donar. c.* 23. *Jun. Anim.* IV. 12. *Gyrald. Dial.* 11. *Feith Antiq. Homer.* 1. 2. Amputabantur detrectantibus militiam. V. infr. in *Militia*. Illorum unus ante ἐκφορᾶς defuncto præcidebatur. V. infr. in *Ossilegium*. Meretati erant tribus annulis insigniti. Ammian. XXVIII. 4. *Receptis annulis, quos, ne violentur humoribus, famulo tradiderat, digitis ut metatis abiit.* Quolibet enim *digiti* articulo annulum delicati apponebant. V. supr. in *Annulus*. Argol. in Panvin. de lud. Circ. 1. 14.

Digitis primoribus thus aræ injiciebant gentiles. Prudent. περὶ στεφ. III. 122.

Si modicum salis eminulis
Thuris & exiguum digitis
Tangere, virgo, benigna velis,
Pœna gravior procul afuerit.

Lactant. 1. 20. ethnicos scribit colere *thure ac summis digitis, quæ sensibus intimis colere deberent.* Et v. 20. se nihil in eorum superstitionibus animadvertere, *quàm ritum ad summos digitos pertinentem.* Duorum *digitorum* meminit Hieronym. ad Heliodorum, trium Lactant. v. 18. & Ovid. Fast. 11. 573. V. illos infr. in *Thus*. Cuper. Apoth. p. 75. Brisson. de Formul. 1. p. 26. Numerare solebant veteres. Ovid. Fast. III. 123.

Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus.

Pont. 11. 3. 17.

At reditus jam quisque suos amat, & sibi quid sit
Utile, sollicitis supputat articulis.

Plin. XXXIV. 7. *Præterea Janus Geminus à Numa Rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, ut trecentorum quinquaginta quinque dierum nota per significationem anni, temporis & ævi se deum indicaret.* Hunc numerandi modum & rationem fusiùs tradunt *Beda de temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI *p.* 1701. *A.* . . . . *Pier. Hierogl.* XXXVII. 1. *Rhodig. Ant. Lect.* XXIII. 11. & 12. *Gyrald. Dialog.* 11. *VVouvver. Polymath. c.* 7. §. 1. *Senfteleb. de alea vet. c.* 18. §. 3. *Nicol. de Sigl. Vet. c.* 15. §. 2–3. *Savar. in Sidon. Epist.* IX. 9. *Colv. in Apulej. p.* 266. *Stuck. de sacrif. p.* 23. *Voss. de Idolol.* 11. 16. *Calcagn. Equitat. p.* 583. *Lipen. de Stren. c.* 4. §. 25. *Demster. Paral. in Antiq. Rosin.* 11. 3. *Laurent. de Profess.* . . . . *c.* 3.

Digito monstrari gloriosum erat. Pers. Sat. 1. 28.

At pulcrum est digito monstrari, & dicier hic est.

Horat. Od. IV. 3. 22.

Quod monstror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ.

Plin. Epist. IX. 23. 4. *Cui Rufinus, demonstrans me, vides hunc? multa deinde de studiis nostris. Et ille, PLINIUS EST, inquit. Verum fatebor, capio magnum laboris mei fructum. An, si Demosthenes jure lætatus est, quod illum anus Attica ita demonstravit, οὗτός ἐστι Δημοσθένης! Ego celebritate nominis mei gaudere non debeo?* Brisson. de Formul. VIII. p. 736. Sublato licitationes fiebant. Cicer. Verr. 1. 54. *Accurrunt tamen ad tempus tutores: digitum tollit Junius patruus.* Ambros. Epist. 11. 1. *Sed non ille solum liber, qui dominum licitatorem non pertulit, aut tollentem digitum non vidit.* Vet. comm. Horat. Sat. 11. 8. 26. *Allusit ad morem* lici-

licitationis. Erat enim Nomentanus decumanus, & Porcius publicanus. Publicani autem sublato digito licitationem vectigalium faciebant. Brisson. ibid. vi. p. 522. Calder. Observ. iii. 4. Mod. Epist. 105. Erasm. Adag. p. 189. Scalig. in Manil. p. 378. Rader. in Mart. v. 64.

Digitorum crepitu matella poscebatur. Petron. c. 27. *Trimalcio digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit.* Mart. iii. 82. 15.

Digiti crepantis signa novit Eunuchus,
Et delicata suscitator urina
Domini bibentis ebrium regit penem.

xiv. 119.

Dum poscor crepitu digitorum, & verna moratur:
O quoties pellex culcita facta mea est.

Brod. Miscell. x. 25. Pignor. de serv. p. 134. Anonym. & Pithœus in Petronium. Erasm. Adag. p. 344. a. Rhodig. Ant. Lect. xxiii. 12. Broukh. in Tibullum mox laudandum. Laurent. de Prand. c. 5. Rader. in Mart. vi. 89. 1. & alii servi ad ministeria sua excitabantur. Velius Longus de Orthogr. *Nam & digitorum sono pueros ad respondendum ciemus.* Tib. i. 2. 32.

Et voces ad digiti me taciturna sonum.

Gonsal. in Petronium. Pignot. l. l. Turneb. Adv. xxix. 30. Silentium imperabatur. V. infr. in *Silentium*.

Digitum exserebant, & precariam vitam poscebant victi gladiatores. Pers. Sat. v. 119.

Nil tibi concessit ratio, digitum exsere, peccas.

Ubi Schol. *Digito sublato ostende victum te esse à vitiis. Tractum à gladiatoribus, qui victi extensione digiti veniam à populo postulabant.* Mart. v. 64.

Nam mea jam digitum sustulit hospitibus.

Thulemar. in Freber. Cecropistrom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. ix. p. 1158. Lips. Sat. ii. 21. Savar. in Sidonium.

Ad *Digitum* pugnare dicebantur gladiatores. Mart. de Spectac. 29. 5.

Lex erat, ad digitum posita concurrere palmas
Quod licuit, lances, donaque sæpè dedit.

Ubi quid sit *ad digitum concurrere*, ambigo: anon ita propioquos, junctosque pugnare, ut *digitus* modò interesset? *Lips. Saturn.* ii. 21. *Ad digitum pugnare* dicebant pro *digitis pugnare*, quod uno verbo micare. Quintil. viii. 5. *Contra eandem sororem gladiatoris, cujus modò feci mentionem, ad digitum pugnavi.* Ita in vetustissimo, & optimo codice legebatur, quem olim à Bongarsio habui, τῷ πάνυ. Vulgò editur: *at digito pugnavi.* Martialis versum de micatione etiam intelligendum putavi. *Salmas. ad Vopisc. Carin. c.* 19. Pugnæ talis, qualem vult Lipsius, nusquam mentio, nec, qualis fuerit, potest intelligi. Athletæ, & pugiles sic certant, non gladiatores. Et Salmasius nobis minimè persuadet. Non enim micatione *digitorum* in certamine gladiatorio palma paratur, sed robore, usu, & arte armorum. Nihil est autem *ad digitum pugnare*, quàm hac conditione pugnare, ut paria non cessent à digladiando, quàm alteruter succubuerit, & *erecto digito* declaret, & fateatur, se victum esse. Cur verò hoc dicitur, *ad digitum pugnare*? Muneratores solebant, antequam committebantur gladiatores, conditiones ferre, & proponere, aut editis libellis, aut certis signis, & symbolis, unde cognoscebatur, quibus legibus certandum esset. Ad quod exemplum legitur in passione Perpetuæ & Felicitatis: *Hic Ægyptius si hanc vicerit, occidet illam gladio: & si hunc vicerit, accipiet ramum istum.* Hæc licèt per quietem viderit Perpetua, respiciebat tamen communem amphitheatralem consuetudinem, & quæ vulgariter solebant fieri. In hoc munere, de quo Martialis, ut scirent gladiatores, qua lege concurrendum esset, ejus legis signum proposuisse videtur Domitianus in amphitheatro manum *erecto digito* palmam tenentem, quo significabatur, neminem debere palmam auferre, nisi cujus adversarius se succubuisse *erecto digito* indicasset, se victum esse. Id satis clarè colligitur ex n. 1.

Cum traheret Priscus, traheret certamina Verus,
Esset & æqualis Mars utriusque diu,
Missio sæpè viris magno clamore petita est:
Sed Cæsar legi paruit ipse suæ.

Quamvis populus magno clamore peteret, cum diu Mars communis fuisset, & certassent ambiguo eventu Priscus & Verus, mittendos esse ambos, qui tam strenuè pugnassent per tam longum temporis spatium, ut neuter posset alterum vincere, Cæsar noluit violare legem suam, qua signo proposito præceperat pugnandum esse *ad digitum*. Hinc cum invictus uterque perstaret, ingenioso commento victoriam uterque consecutus est n. 6.

Pugnavere pares, succubuere pares.

Uterque succumbens tandem *digitum* sustulit, quo testabantur se esse victos, cum tamen neuter vicisset suum æmulum: Ita utrique data fuit palma tanquam victori. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. ix. Præfat.* ** 3. *vers. Tom.* vi. *Præfat.* **. Possis etiam explicare, hanc fuisse legem illius spectaculi, tamdiu pugnandum fuisse utrique gladiatorii, quamdiu Cæsar *digitum* haberet erectum, & hoc esse *ad digitum* pugnare. *Græv. ibid. Tom.* vi. *Præfat.* ** *vers.* v. etiam *Scriver. Ramirez. Rader. ad Martialem, Barth. ad Grat. Cyneget.* p. 44. .... *Ferrar. Elect.* ii. 19.

Digitus annularis est minimo proximus. Gell. x. 10. *Veteres Græcos annulum habuisse in digito accepimus sinistræ manus, qui minimo est proximus. Romanos quoque homines ajunt sic plerumque annulis usitatos.* Et inde δακτυλιώτης. Vocatur Medicinalis. Macrob. Sat. vii. 13. *Annulum in digito, qui minimo vicinus est, quem etiam medicinalem vocant, gestandum esse persuasit,* Medicus. Cicer. ad Herenn. iii. 20. *Et reum ad lectum ejus statuemus: medico testiculos arietinos tenente.* Porphyr. in Horatium: *Hoc ideo, quia certis nominibus singuli digiti appellabantur, & sunt hæc nomina: pollex, index, famosus, medicus, minimus.* Cur in hoc *digito* annulum gestandum censuerint veteres, docet Macrob. l. l. *Electus in ipsa læva manu digitus minimo proximus, quasi aptior cæteris, cui commendaretur annuli pretiositas. Nam pollex nec in sinistra cessat, nec minùs quàm tota manus in officio est: unde apud Græcos ἀντίχειρ vocatur, quasi manus altera. Pollici verò vicinus nudus, & sine tutione alterius appositi videbatur: nam pollex ita inferior est, ut vix radicem ejus excedat. Medium & minimum vitaverunt ut ineptos, alterum magnitudine, brevitate alterum: & electus est, qui ab utroque clauditur, & minus officii gerit, & ideo servando annulo magis accommodatus est.* Kitchman. de Annul. c. 4. Lnug. de Annul. c. 5. Politian. Misc. c. 62. Gyrald. Dialog. ii. Pier. Hierogl. xxxvi. 18. Murmell. in Pers. Sat. ii. 33. Alex. Gen. Dier. iv. 26. Schill Nomencl. Philol. p. 725.

Digitus index vocatus Plin. xxviii. 2. *Ungues resecari nundinis Romanis tacenti, atque à digito indice, multorum pecuniæ religiosum est.* Vocatur etiam salutaris. Suet. Aug. c. 80. n. 3. *Dextræ manus digitum salutarem imbecillum interdum sentiebat,* quod illo ori admoto silentium multis de causis salutare suaserint veteres. Apul. Met. i. p. 15. *At ille digitum à pollice proximum ori suo admovens, & in stuporem attonitus, tace, tace, inquit.* Beroal. in Suetonium. Alex. Gen. Dier. iv. 26. & ad illum Tiraquellus. Long. de annul. c. 5. Kornmann. de annul. i. 15. Saubert. de sacrif. c. 12. Gyrald. dial. ii. Piet. Gierogl. xxxvi. 12. 23. Schill Nomencl. Philol. p. 722. Murmell. in Pers. Sat. ii. 33. Rectiùs credo, quod eo ori admoto se invicem salutarent, sive illi ac pollici contractis in unum osculo impresso, salutem precarentur. Huic si annulus fuisset inditus, impedimentum esse potuisset capiendo gladio. *Ferrar. Elect.* i. 21.

Digitus medius supremi fuit contemptus, & ignominiæ index. Unde & verpus, & infamis, & impudicus dictus est. Persius, & Martialis. V. illos supr. in *Annulus*. Et cum aliquem vellent contumeliosè irridere, & per summam contumeliam notare, hunc, cæteris contractis, porrigebant, & in eum, quem ludebant, intendebant. Laert. vi. 34. *Hospitibus aliquando Demosthenem videre cupientibus, medio porrecto digito, hic, ait, nobis est ille Atheniensium orator.* Suet. Cal. c. 56. n. 4. *Quem,* Cassium Chæream, *Cajus seniorem jam, ut mollem, & effeminatum denotare omni probro consueverat .... & osculandam manum offerre formatam, commotamque in obscœnum modum.* Fiebat etiam hæc sanna interposito, seu inserto pollice inter medium & indicem, ita ut pollex ipse insertus emineret & appareret, reliquis digitis

in pugnum contractis, brachioque in eum, cui illudebatur, intento. *Ferrar. de acclam. & plaus.* II. 22. *Alex. Gen. dier.* IV. 26. *Murmell. in Pers. Sat.* II. 33. *Menag. in Laertium.* Hunc ab annulis excipit Plin. XXXIII. 1. V. illum supr. in *Annulus*. Plinius tamen scribit XXVIII. 6. singultum & sternutationem sedari, *si quis annulum è sinistra in longissimum dextra digitum transferat*. Quod utrum verum sit, naturalium rerum indagatores viderint. *Kirchman. de annul. c.* 4. *Alex. Gen.* IV. 26. *Gorl. Dactyl. p.* 7. Hic si salierit, invidias & nugas ominatur, Saturni enim digitus est; aliis autem gloriam advenire præsagit, servo subjugationem, virgini morbum, viduæ utilitatem. *Niph. de augur.* I. 9.

Digitus minimus, quia omnibus minor est, minus officii habet: quodque ejus ope minimè indigemus, propterea dici autumant: cui etiam auriculari nomen est, quod illius ope aurium sordes, quæque in his incommoda sunt, adimimus & levamus: tarditatique aurium, aut si quid in eis putidi fuerit, vel purulenti, succurrimus. *Alex. Gen.* IV. 26. etiam annulo onerabatur. Plin. XXXIII. 1. *Sunt, qui tres uni minimo congerant: alii verò & huic unum tantum, quo signantem signent*. Petron. c. 32. *Habebat in minimo digito sinistra manus annulum grandem subauratum*. Kirchman. de annul. c. 4. Hic si salierit, majoris fidei dignitatem enuntiat, quoniam Mercurii, ut dicunt, *digitus* est; aliis sterilitatem, servo calumniam, virgini ignominiam, viduæ injuriam. *Niph. de augur.* I. 9.

Digitus pollex. V. illum infr. in *Pollex*.

Digitus mensuræ quoque nomen est, & quidem minor, κατ' ἐξοχὴν mathematici *digitus*, longitudine quater diametrum transversum grani hordei complectens. Major, aliàs pollex, latitudine digiti unius cum ejus una tertia. Germanus *ein zoll*; quia hic duodecimam partem pedis constituit, ideò uncia etiam dicitur. *Pancıroll. V. L.* I. 65. *Covarruv. Var. Ref. tom.* 2. *lib.* II. *c.* 20. *n.* 5. *Frontin. de aqued.* I. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1645. *C. Cenal. de pond. ac mens. rat. Thes. ibid. Tom.* XI. *p.* 1479. *E. Sperling. de numm. non cus. c.* 24. *Barth. Adv.* I. 16. *Brisson. de formul.* VI. *p.* 552.

DIGNORARE est signare, notas inurere. Festus: *Dignorant, signa imponunt, ut fieri solet in pecoribus*. Gloss. *Dignorat*, διαγνώσκει. Virg. Georg. III. 158.

Continuòque notas & nomina gentis inurunt.

Signabant animalia, ut posset ipsa dominus recognoscere. *Argol. in Panvin. de lud. circ.* I. 13. *Scalig. Conject. in Varron. p.* 107. *Auson. Lect.* I. 23. *Cerda & Pontan. in Virgilium. Nicol. de Sigl. vet. c.* 49. §. 1.

DIL.

DILORIS dicebatur vestis, quæ *duo lora* attexta habebat. Non dicitur à numero filorum, quæ lora non sunt: nec ab intexturæ genere. Lora enim in hoc genere tunicarum sunt segmenta vestibus attexta solita. Segmenta dixi: nam Latini hac voce intelligunt lora aurata, vel fascias auratas vestibus, & præcipuè muliebribus prætexi consuetas, & eas maximè, quibus summa ora vestis prætexebatur. Juven. Sat. II. 124.

Segmenta, & longos habitus, & flammea sumit.

VIII. 207.

Credamus tunica, de faucibus aurea cum se
Porrigit.

Vestis erat muliebris, quam Gracchus induerat, & segmentata, sive quæ segmentis, hoc est, aureis fasciis, ad gutiur erat ornata. Segmenta erant mulierum, & ex auro. V. infra in *Segmentum*. Salmas. in Vopisc. Aurelian. c. 46. Bonos. c. 15. Turneb. Adv. IX. 11. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 10. Cerda Adv. c. CIII. n. 5.

DILUCULUM, ante Solis ortum aurora, quia parva diei lux: quod tum dies lucescere incipiat. Cicer. pro Sext. Rosc. c. 1. *Et cum post horam primam noctis occisus esset, primo diluculo nuntius hic Ameriam venit. Prima luce* vocat Liv. XXV. 9: XXXVII. 5. *Morestell. Philom.* IV. 4. *Struv. Ant. Rom. c.* 8. *p.* 362.

DILUDIA dicuntur tempora, quæ gladiatoribus conceduntur inter dies munerum, quibus pugnatur. *Scholiast. ad Horat. Epist.* I. 19. 47. Mihi sunt, cum medii ludi alio genere spectaculi interrumpuntur, & quasi diffiduntur. Ita enim mos, ut in media sæpè comœdia, aut tragœdia venationem, aut paria aliquot gladiatorum poscerent, tædii levandi. Horat. Epist. II. 1. 185.

Si discordes eques, media inter carmina poscunt
Aut ursum, aut pugiles.

Dio LX. p. 680. D. Circenses diffissos ait venatione & athletis interpositis: *Ursi circensibus interpositi, & athleta certarunt, & pueri Asiatici pyrrhicam saltarunt*. Lips. Sat. I. 19. Turneb. Adv. XXIII. 5. Schill Nom. Phil. p. 426. Thys. de Gladiat. p. 222.

DIM.

DIMACHÆ sunt dicti *equitum genus, ex inventione Alexandri, armorum apparatu instructi leviore, quàm qui est peditum gravis armatura, graviore verò quàm qui est equitum: exercitati in utramque, & equestrem, & pedestrem pugnam: ut & in locis equitatus aptis equis utantur: & ut ne, si in loca devenirent iniqua, & minus apta, omnino ad pugnam inepti essent, idemque experirentur, quod Lydis quandoque accidit. Equum autem apprehendebat, ac custodiebat famulus aliquis, qui in solum eum usum unà sequebatur. Ita qui ex equo descenderat, confestim inter pedites armatos pugnabat*. Pollux I. 10. 6. Hesychius: *Dimachæ dicuntur* διμάχοι, q. d. pedes simul & eques, *qui tum quidem pedites, tum verò ex equis pugnant*. Curt. V. 13. 8. *Trecentos, quos dimachas appellant, adjungit: dorso hi graviora arma portabant, cæterum equis vehebantur; cum res locusque posceret, pedestris acies erat*. Non absimiles ab isto genere sunt equites, qui hodie in militia nostra *dragondexs* vocantur, bombardas gestantes oblongas ex humeris dependentes. *Arcer. Ælian. Tact. p.* 156. *Turneb. Adv.* XIX. 32. *Brod. Misc.* II. 23. *Alard. Val. Flacc.* VI. 160. *Croph. Ant. Maced.* III. 2. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 31. *Alex. Gen.* VI. 22. *& ad illum Tiraquellus. Hugo de Milit. Equest.* III. 4. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 9. §. 2.

DIMACHÆRUS fuit gladiator in Artemid. II. 23. quem colligas facilè duobus gladiis pugnasse. *Lips. Sat.* II. 13. *Thys. de Gladiat. p.* 227. *Laurent. Polym.* IV. 9.

DIMIXI sunt lychni ænei in thermis pensiles, Græca forma, duorum angulorum & luminum. *Baccius de therm. vet. c.* 13.

DIO.

DIOCLETIANUS Imperator scribæ filius est creditus. Eutrop. IX. 19. *Diocletianum Imperatorem creavit, Dalmatia oriundum, virum obscurissimè natum: adeò ut à plerisque scribæ filius, à nonnullis Anulini senatoris libertinus fuisse credatur*. Panciroll. Notit. Dignit. imp. orient. c. 11. Quando Imperator creatus est, fuit, ut quidam dixerunt, Comes domesticorum. *Panciroll. ibid. c.* 90. Primus se ut deum adorari jussit, & gemmas vestibus, calceamentisque inseri, cum ante eum omnes Imperatores in modum judicum sollicitarentur, & chlamyde tantùm purpurea à privato habitu discernerentur. *Prosper Chronic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 301. *B. Laurent. var. sacr. gentil. c.* 10. Thermas, quas struxit, V. infr. in *Thermæ*. Constantino IV. & Licinio IV. coss. haud procul à Salonis in villa sua Spalato mortuus est III. Non. Decemb. *Fast. Idat. Thes. Ant. ibid. p.* 261. *D. Prosper. ibid. p.* 302. *E.* Cum Imperium deposuisset, privato divini honores decreti sunt. Eutrop. IX. 28. *Solus omnium post conditum Romanum imperium, ex tanto fastigio sponte ad privatæ vitæ statum civilitatemque ut remearet. Contigit igitur ei quod nulli post natos homines, ut cum privatus obiisset, inter divos tamen referretur*. Guther. de jur. man. II. 6.

DION Cassius historicus, cujus pars Romanarum historiarum exstat, & epitome Cæsarum à Xiphilino conscripta, Aproniani fuit filius, qui consul sub Commodo Imperatore fuit cum M. Atilio Metilio Bradua II. an. ab U. C. 943.

C. 493. Ipse bis consul fuit: secundum consulatum cum Alexandro Imperatore III. egit an. ab U. C. 981. Prioris consulatus tempus ignoratur. Hic ex Nicæa Bithyniæ originem duxit, præfectus Ægypti fuit, & postea Dalmatiæ & Pannoniarum. Alter *Dion* consul fuit cum C. Junio Tiberiano an. ab U. C. 1042. sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, quem putant historici filium, vel nepotem fuisse. *Augustin. de famil. Roman. in Cassia.*

DIONYSIA sunt eadem quæ Brumalia. V. illa supr. in *Bramalia.*

DIOTA erat amphora, ex eo nominata, quod utrinque ferri posset, cum utrinque sit ansata, unde ἀμφορεὺς & ἀμφιφορεὺς à Græcis appellatur, & explicatur ἄγγειον κεραμεοῦν ἀμφοτέρωθεν φερόμενον, ὅ ἐστι δίωτον. Horat. Od. 1. 9. 7.

Deprome quadrimum Sabina
O thaliarche merum diota.

Turneb. Adv. 21. 18. Schill. Nomencl. Philol. p. 430. Non tamen amphora idem quod *diota*. Amphora vas aliquod ansatum, & quidem capacius esse videtur, qualis cadus. At *diota* poculi genus est. Horatius tamen pro amphora videtur accepisse. *Torrent. ad Horatium.* Dicitur Sabina, non quod eo vinum Sabinum depromi velit. Hoc enim vilius habebatur, veluti crudum & austerum. Horat. Od. 1. 20. 1.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis.

Sed quod vasa illa vino servando apta in Sabinis fierent. *Torrent. l. l. Jan. Catal. archit. mechan. p. 193.*

DIP.

DIPHTHERA erat vestis servilis. Apud Aristoph. Vesp. p. 460. B. conqueruntur urbani senes, Philocleonem herum à servis suis domi clausum sub custodia teneri, oblitis munerum, quæ ab eo acceperant. Neque eos subit memoria διφθερῶν, καὶ ἐξωμίδων, quas ipsis emerat. Quidam veteres grammatici vestem ex corio, sive pellibus interpretati sunt, quæ propria pastorum & agricolarum. Aristoph. Nub. 1. 1. 73.

Ubi grandior eris, capellas agite è Phelleo,
Ut & pater tuus, scorteam vestem indutus.

διφθέραν ἐνημμένος. Ubi Scholiastes interpretatur περιβόλαιον ποιμενικὸν ἐκ δέρματος: non quod pallium vulgare fuit, fusum, ac longum; quis enim credat, pastores atque agricolas eo involutos opus fecisse? sed brevius indumentum, sagum scilicet ex pellibus, quod ἐξωμὶς injiceretur, inde περιβόλαιον. Quod autem viliorum tegmen esset, propterea chlamydi, ut & ῥάκος, & tribonium opponebatur. Lucian. Timon. p. 68. *Pro molli chlamyde hanc diphtheram tibi paupertas circumponit.* Ibi enim Timon ad inopiam redactus ἐναψάμενος διφθέραν terram exercet. Idem à Jove p. 70. ὑποδίφθερος, & à Mercurio p. 73. διφθερίας dicitur, id est, *sago ex pellibus confecto amictus.* Polluci tamen vii. 15. *diphthera* dicitur *tunica stricta*, ἐπίσπαστον ἔχων, *habens cucullum.* Potuit quidem & tunica ex corio confici, unde & *diphthera* appellari: propriè tamen de sago, sive veste exteriori sumebatur. *Ferrar. de re vest. 11. 4. 21. Calcagn. de verb. & rer. sign. p. 365. m. Rhodig. Ant. Lect. xvi. 10. Tiraquell. in Alexand. v. 18.*

DIPLE est *nota, quam scriptores nostri apponunt in libris Ecclesiasticorum virorum ad separanda, vel demonstranda testimonia sanctarum scripturarum.* Isidor. 1. 20. Cicer. ad Attic. viii. 2. in optimè scriptis libris: *Animadvertito illum locum, ubi erit διπλῆ, videbis de Cnæo nostro ipse Vibullius quid existimet.* Augustin. de leg. in leg. Julia de vi publ. Licet. de lucern. vi. 48.

DIPLOMATA formabantur in modum tabellarum duplicium, & significabant tabellas quasdam duplices, sive codicillos. Macrob. Sat. 1. 23. *Consulunt hunc deum & absentes diplomatibus consignatis .... primum misit signatos codicillos, ad quos sibi rescribi vellet.* Suet. Aug. c. 50. n. 1. *In diplomatibus, libellisque, & epistolis consignandis initio sphinge usus est.* Bud. in Pandect. p. 231. C. Casaub. & Pitisc. ad Suetonium. Significant literas indices ac testes concessi ab eo, qui Reipublicæ præest, beneficii. Docet hoc Suet. Ner. c. 12. n. 4. *Quibus post editam operam diplomata civitatis Romanæ singulis obtulit.* Cal. c. 38. n. 3. *Prolata divorum Julii & Augusti diplomata deflebat.* Casaub. & Pitisc. l. l. Buleng. de Imp. Rom. iii. 12. Quæ domi transigebant, ea ferè per *diplomata* annulo obsignata perficiebant præsides. Cicer. in Pison. c. 37. *Mitto diplomata tota in provincia passim data.* Plin. Epist. x. 121. *Usque in hoc tempus, domine, nemini diplomata commodavi.* Ex quo divinitus illa sunt præcepta de annulo Q. fratri 1. 1. *Sit annulus tuus non ut vas aliquod, sed tanquam ipse tu; non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ.* Sigon. de ant. jur. prov. ii. 5.

Diplomata etiam vocabantur codicilli, quod duplicata charta scriberentur, quibus usus cursus publici impetrabatur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 6. Laz. Comment. Reip. Rom. ii. 4.* Erant potius chartulæ, vel tesseræ, signo principali obsignatæ. *Bud. in Pandect. p. 231. H.* Signa itaque munita sigillo Imperatoris, vel, absente illo, ejus, qui proximam ab eo tenebat potestatem; Plutarchus enim mox laudandus σφραγῖδα memorat in eis, & διπλώματα σεσημασμένα vocat: quod apertè ostendit, signum in eis ab impresso ceræ annulo fuisse: quod exhibere debebat is, qui vehicula obtinere volebat, ex quo constaret, esse ipsum de hoc genere, cui vehicula præstanda. Instituerat vehicula Augustus loco *juvenum, qui annuntiarent, quid in provincia quaque gereretur, per militares vias; quia commodius visum est, ut qui à loco perferrent literas, interrogari quoque, si quid res exigeret, possent.* Suet. c. 49. n. 7. Instituerat quoque hæc vehicula præberi à privatis, quos ad id compellerent magistratus municipales. Plutarch. in Galb. p. 1056. C. *Nymphidius non mediocriter indoluit, cum servi publici à consulibus destinati essent, qui Scita ad Imperatorem ferrent, quibus ipsis diplomata, quæ dicuntur, dari solent, ut iis statim agnitis civitatum magistratus tabellariorum cursum accelerent in commutatione vehiculorum datis deductoribus.* Plin. Epist. x. 14. *Rex Sauromates scripsit mihi, esse quædam, quæ deberes quàm maturissimè scire: qua ex causa festinationem tabellarii, quem ad te cum epistolis misit, diplomate adjuvi.* Scheffer. de Re vehic. 1. 18: 11, 30. Columb. in Lactant. de Mort. persecut. c. 24. Synthemata vocat Hieron. Epist. ad Julianum: *Jam demisso, inquit, synthemate equus publicus sternebatur, & nobilem juvenem punicea indutam tunica balteus ambiebat.* Columb. & Bud. l. l.

DIPTYCHA erant tabellæ plicatiles, quæ duabus constabant paginis. Suidas. Latini etiam duplices dixere. Prima tabella, τὸ πρῶτον πτύχιον, primum folium. *Salmas. in Vopisc. Firm. c. 3. in Tertull. de pall. p. 371. Chiflet. Anast. Childer. Reg. c. 13. Cerd. Adv. CXLVIII. 6. Buleng. de Imp. Rom. iii. 12. Cujac. Observ. iv. 27.* Materia non una: vilior, buxus: pretiosior, citrus, ebur. *Diptychis* porrò illita cera stylo exarabatur. Non solebant magni momenti scripta iis mandari, sed res, quæ haberent usum familiarem, & pœnè quotidianum, cujusmodi erant epistolia, magistratuum adnuntiationes, & id genus alia. *VVilthem. comm. ad diptych. Leodiens. apud Pignor. de serv. p. 221.* Ex ebore factorum meminerunt Valentinianus, Theodosius, & Arcadius A. A. A. l. 1. C. de exp. lud. *Illud etiam constitutione solidamus, ut, exceptis consulibus ordinariis, nulli prorsus alteri auream sportulam, & diptycha ex ebore dandi facultas sit: cum publica celebrantur officia, sit sportulis nummus argenteus, alia materia diptychis.* Auro circumdatorum Symm. Epist. ii. 80. V. illum infr. in *Editor.* Pignor. ibid. p. 322. De illis etiam multa *Du Fresne Glossario.* & *Juret. ad Symmachum.*

Diptychum fuit etiam superior consularis amictus oblongus consulis Anastasii. Sed quinam fuerit, divinandum est. Neque enim est toga, vel trabea, quæ rotunda erat, clausa & fusior: non chlamys, quæ in summo fibula nectebatur: non pænula, quæ pariter clausa: non pallium, non aliud denuum vestimentum Romanum. Etiam ipse injectus, ac modus amiciendi planè notabilis: cum vestis illa in superiore parte, à sinistro humero sub dextrum brachium recurrat: pars autem inferior à dextro latere ad sinistrum brachium extensa eidem juxta manum imponatur. Ex omni vestium genere proximè ad chlamydem accedit, & fortasse etiam fibula ad summam oram adnexa est, sed ea rejecta in humerum ve-

ftis parte inferiore obtegitur. Cur autem pro toga chlamys eo tempore à consulibus sumpta sit, quærant doctiores, dummodo constet, togam Romanam nullo pacto esse potuisse. *Ferrar. Anal. de re vest. c. 19.*

DIR.

DIRÆ in cœlo, in inferno, & in terra quomodo distinguantur. V. infr. in *Furia*. *Diras* describit Virg. Æneid. XII. 846.

Dicuntur geminæ pestes, cognomine diræ,
Quas & tartaream nox intempesta Megæram
Uno eodemque tulit partu.

Dirarum obtestationem neglexit Crassus. Cicer. de Divin. I. 16. *M. Crasse quid acciderit videmus, dirarum obnuntiatione neglecta. Etenim diræ, sicut cætera auspicia, ut omina, ut signa, non causas afferunt, cur quid eveniat, sed nuntiant eventura, nisi provideris.* *Diras* observabant aruspices, ut & signa, quæ ex igne existebant. Stat. Theb. IV. 468.

—— atque ipse sonantia flammis
Virgulta: & tristes crepuisse ut sensit acervos
Tiresias, illi nam plurimus ardor anhelat
Ante genas, impletque cavos vapor igneus orbes;
Exclamat, tremuere rogi, & vox impulit ignem.

De illis Plin. XXVIII. 2. *Utraque memoria insignis, quoties ipsæ diræ obstrepentes nocuerint, quotiesve precatio erraverit, sic repente extis adimi capita, vel corda, aut geminari victima stante.* Buleng. de sort. c. 6.

DIRECTARIUS est, qui in alienas ædes *dirigit* furandi gratia. Glossæ: *Directarius, ὁ εἰς τὰς ἀλλοτρίας οἰκίας τοῦ κλέψαι εἰσερχόμενος.* Habent hoc ab Ulpian. qui de offic. proc. IX. *directarios* ita exponebat, *hoc est, hos qui in aliena cœnacula se dirigunt, furandi animo.* Potuisset etiam dicere, *qui in aliena cœnacula dirigunt.* Nam *dirigere* absolutum pro ire, & penetrare se. *Salmas. in Vopisc. Prob. c. 19. in Tertull. de pall. p. 206. Exerc. Plinian. p. 839. A. Turneb. Adv. II. 17. Crinit. de honest. discipl.* XVII. 8. *Bud. in Pandect. p. 213. F. Rhodig. Ant. Lect.* XXV. 20. *Augustin. de Leg. in Cornelia de injuriis. Cujac. Observ.* X. 27.

DIRIBITORES erant in comitiis centuriatis, qui tabellas populo per centurias ministrabant. Fuisse, qui tabellas populo darent, potest intelligi ex Cicer. ad Attic. I. 14. *Piso autem consul lator rogationis, idem erat dissuasor: operæ Clodianæ pontes occuparant. tabellæ ministrabantur: ita ut nulla daretur, uti rogas.* Apud Suetonium tamen legitur Cæs. c. 80. n. 5. *Post remotos Cæsetium & Marullum tribunos reperta sunt proximis comitiis complura suffragia consules eos declarantium.* Unde intelligitur, quosdam interdum alias tabellas in cistam conjicere solitos, quàm quæ ministrabantur: quas necesse erat domo secum afferre. Verum id in Cæsaris invidiam factum constat. Et ut earum tabellarum ratio non habebatur, ita rarò eveniebat. Appellabantur hi à *diribendis*, hoc est, distribuendis tabellis. Unde etiam in judiciis reperimus *diribitas* tabellas, cum singulis judicibus erant datæ. Cicer. in Pison. c. 40. *An ego exspectem, dum de te quinque & septuaginta tabellæ diribeantur?* Frat. III. 4. *Cato diribitis tabellis de circulo se subduxit.* Horum meminit Cicer. post red. in sen. c. 11. *Quando illa dignitate rogatores, diribitores, custodesque vidistis.* Et distributores vocat in Pison. c. 15. *Hoc certè video, quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, vos distributores, vos custodes fuisse.* Gruch. de Comit. I. 3. Manut. de Leg. c. 37. Turneb. Adv. XXI. 15. Rhodig. Ant. Lect. VII. 6. Buleng. de Imp. Rom. I. 3. Schott. Observ. I. 4. Hotman. Antiq. Roman. II. 11. & 12. Maurit. de Sortit. c. 28. §. 6. c. 12. §. 7. Non fuit perpetuum, ut senatores primarii in comitiis hoc munere fungerentur: sed si quando vellent comitia omni non modò fraude carere, sed etiam suo ministerio cohonestari, vel quia magna res ageretur, vel quia id honori alicujus tribuerent. Intelligitur hoc ex Cicer. in Pison. c. 15. modò laudato. Fuisse etiam ferè munera juvenum, & eorum, qui adhuc honoribus functi non erant, significat, dum ætatis & honoris excusationem allegari dicit: *Et quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis vel ætatis excusatione, vel honoris, id in salute mea nullo rogante vos vestra sponte fecistis.* Gruch. & Manut. l. l. Etiam divisores vocatos fuisse non dubitamus. Erant itaque divisores, seu *diribitores*, qui in largitionibus pecunias annonæve genus aliquod seu agros populo Romano dividebant per ejusdem tribus singulas viritim. *Donat. Dilucid. p. 649.* Ego cum Budæo in Pandect. p. 236. G. diversos existimo. Adducunt hoc argumento, quod magistri curiarum, quorum meminit Plaut. Aul. I. 2. 29. iidem erant divisores, ut Ascon. in Cicer. p. 51. unde apparet multò ante fuisse divisores, quàm lex tabellaria lata esset, postquam cœperunt esse *diribitores*. Cumque vile, ac sordidum esset munus divisorum, non fit mihi verisimile, gravissimos senatores interdum hoc munus fungi voluisse: & tamen ex dictis constat interdum illos *diribitorum* munus gerere solitos. Ut omittam, infimæ conditionis hominibus, quales erant divisores, tabellas suffragiorum committere neque tutum, neque æquum fuisse: præsertim, cum illi ipsi essent, qui corrumpenda suffragia suscipiebant. Cicer. pro Planc. c. 19. *Quam tibi commodum est, unam tribum delige tu: doce id, quod debes, per quem sequestrem, quo divisore corrupta sit.* Gruch. l. l. Tot *diribitores* non facio, quot tabellæ singulis ministrabantur, ita ut quisque sui generis tabellam populo daret. In prætorum enim comitiis, v. g. accidere poterat, ut vel viginti essent competitores. Hic si vicenos *diribitores* facias totidem competitorum tabellis ministrandis, quomodo in angustis pontibus tot homines constitisse probari poterit? præsertim cum angustia pontium manifestò ostendat ad paucos capiendos institutos fuisse. His accedit, quod si in singulis vicenos *diribitores* ponas, concedasque triginta quinque pontes fuisse pro numero totidem tribuum, efficiatur, ut *diribitorum* omnis numerus septingentorum minimum esset: quod sanè non est verisimile. Præstat ergo ut dicamus, ad singulos pontes unum fuisse *diribitorem*, qui populo centuriatim ex suis tribubus advenienti tabellas vel plures, vel pauciores, pro numero candidatorum divideret. Sed quoniam unicuique de populo dandæ erant tot tabellæ, quot erant candidati, necesse est, ut non alias pro aliis daret *diribitor* in tam magna multitudine tabellarum, rationem aliquam inventam fuisse, qua in *diribendis* tabellis hac in parte nihil peccaretur. Atqui si divisas haberet *diribitor* tabellas quas cui daret, præter quod longum fuisset in tam magno cumulo seligere, difficile etiam fuisset non peccari. Verius igitur est, ut dicamus omnes tabellas, quas singulis daret, adhuc junctas fuisse cum *diribitor* eas dabat: qui autem suffragium erat laturus, postea sibi ex ea charta in qua scripta erant, scindebat quas vellet in cistam mittere. Neque enim ulla commodior ratio inveniri potest ad *diribendas* citò & absque ullo peccato tabellas. Hæc si ita sint, sequitur non plures fuisse *diribitores* constituendos, quàm quot erant pontes: qui si cum tribuum numero convenirent, tot erant omninò *diribitores*, quot tribus. Hac enim ratione sufficiet suus cuique tribui *diribitor*. Ad quod munus seligebantur ab iis, qui comitia erant habituri, boni aliqui viri, in quibus nulla esset fraudis suspicio. Fuisse autem delectum ejus, qui haberet comitia, vel inde potest intelligi, quod reperimus, in *diribendis* tabellis fraudem factam, si quando is, qui haberet comitia, nollet populo libera committere suffragia. Veluti Piso consul nolebat legem quæ adversus Clodium ferebatur, à populo juberi: in *diribendis* tabellis fraus admissa est. Nullam enim dabant *diribitores* tabellam, *uti rogas*. Gruch. ibid. c. 4.

Diribitores dicebantur etiam ministri, qui partes ciborum singulis convivis æquales dabant. Apul. Met. II. p. 53. *Diribitores plusculi, splendide amicti, fercula copiosa.* Panem forsan *diribebant*: & videntur mutuati appellationem à *diribitoribus* comitialibus, & judiciariis. *Pignor. de serv. p. 122. Buleng. de Conviv.* II. 21. IV. 3. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. cap. 19. Demster. Paral. ad Ant. Rom. Rosin. v. 29. Cerda Adv. c.* CLXXXV. *n.* 42. Nescio an eos ipsos, an potius, qui fercula puerorum manibus allata commodè disponerent, & collocarent, ut ille jocatur, sub signis. Utra certè in verbo veteri *diribendi* est notio. *Lips. Sat.* II. 2.

DIRI-

DIRIBITORIUM fuit domus amplissima, opus M. Agrippæ, ab Augusto publici juris factum. Dio LV. p. 533. D. *Diribitorium ipse Augustus publici juris fecit. Erat domus omnium earum, quæ unquam uno culmine fuissent, maxima: nunc omni ejus tecto diruto, quia rursus inter se committi non potuit, aperto fastigio conspicitur. Illam imperfectam Agrippa reliquerat, tunc verò ad finem perductum fuit opus.* Amplitudinis ejus indicium quoque potest colligi è Plin. XVI. 40. qui de superstite ejus trabe loquens ait: *Fuit memoria nostra & in porticibus septorum à M. Agrippa relicta æquè miraculi causa, quæ diribitorio superfuerat viginti pedibus brevior, sesquipedali crassitudine.* Suet. Claud. c. 18. n. 2. *Cum Æmiliana pertinaciùs arderent, in diribitorio duobus noctibus mansit.* Nardin. Rom. Ver. IV. 10. Donat. de Urb. Rom. III. 16. Pitisc. in Suetonium. Situm fuit apud Septa in circo Flaminio. Victor. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III p. 303. P. Merul. Cosmogr. II. 4. p. 782. Donat. l. l.* & *Torrent. ad Suetonium.* Septa an non Agrippina potius, quàm vetera fuerint, dubito, quoniam nomen Agrippæ mox apud Plinium sequitur. Non ignoro simpliciùs & faciliùs ea de veteribus accipi posse, quibus tum vicinius fuerit necesse est, adeoque in alio campi latere, ubi nunc collegium Romanum est, aut certè non procul inde remotum. *Nardin. l. l.* Ad *diribitorum* munus serviebat. *Torrent. in Suetonium.* Non est rationi consonum, ædificium ingens, & culmine omnium maximum in usum tantum *diribitorum*, qui pro numero tribuum tantum quinque & triginta fuerunt, fuisse constructum. Ego venio in eam sententiam, scilicet fuisse locum, in quo populo Romano Imperatorum & virorum principum congiaria, epulæ, viscerationesve distribuerentur. *Donat. Dilucid. p. 648.* Quid si diceremus fuisse locum, in quo exercitus recensuerint, & militibus stipendia numeraverint? Certè militare logisterium, locum non dissimilem fortasse ab eo, quod & Plinius *diribitorium*, Suetonius vocari tradit Strab. XVI. Et hoc volunt *Rhodig. Ant. Lect. V* II. 6. *Hermol. Barbar. in Plinium. Voss. Lex. Etymol. Calcagn. Epist. Quæst.* I. 27. *Broid Coroll. ad Poller. For. Rom.* I. 2. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 2. *Donat. Nardin. Borrich. l. l.* Scenici etiam ludi, ut in theatro, præsertim sole æstivo, propter loci laxitatem in eo fuere facti. Dio LIX. p. 645. B. *Tunc primum senatoribus pulvinaria subdita, usúsque pileorum Thessalicorum concessus in theatris, ne solis ardore laborarent; qui sicubi esset vehementior, diribitorio foris & tabulatis instructo usi sunt.* Donat. & Nardin. l. l. V. supr. in *Campus Agrippæ.*

DIS.

DISCALCEATI in circum, si nimius ardor esset, cum ad aucupandum frigus, tum ad delicias ibant Romani. Dio LIX. p. 645. B. *Licebat iis qui vellent discalceatis spectare, qui mos jam olim tenuerat, & judicia exercere per æstatem, quod ab Augusto in celebritatibus æstivis servatum erat, sed à Tiberio planè omissum.* Ἀνυποδήτους cave intelligas, nudis planè pedibus, sed more Græco soleatis, aut crepidatis. *Buleng. de circo c. 46.* Luctum funebrem testabantur. V. infr. in *Nudipedalia.*

DISCEDERE in alia omnia. V. illud supr. in *Alia omnia.*

DISCEPTATORES sunt propriè privatarum litium cognitores, sola cognitione, & sententia contenti, ab imperio omni alieni. Quintil. XI. 1. *Nec eodem modo publica judicia, & arbitrorum disceptationes aguntur: nam ut orantem pro capite solicitudo deceat, & cura, & omnes ad amplificandam orationem quasi machinæ: ita in parvis rebus judiciisque vana sunt eadem: rideaturque meritò, qui apud disceptatorem de re levissima sedens dicturus, utatur illa Ciceronis confessione, non modò se animo commoveri, sed etiam corpore ipso perhorrescere.* Liv. I. 50. *Tarquinius monitus proximis ut purgaret se, quod id temporis venisset, disceptatorem ait se sumptum inter patrem & filium, cura reconciliandi eos in gratiam moratum esse,* id est, arbitrum dissidii, & domesticum compositorem. Quanquam *disceptare* etiam in publicis usurpetur. Hinc *disceptatio* pro summa quæstione nata ex ratione & firmamento, quam judicationem vocant, dicta. Cicer. Partit. c. 30. *Rationum & firmamentorum contentio adducit in angustum disceptationem.* Pro Cæcin. c. 2. *Quærendum etiam magis videtur, ideo quod omnia judicia, aut distribuendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt, quorum alterum levius est, propterea quod disceptatore persæpè domestico dijudicetur.* Poller. For. Rom. III. 12.

DISCERNICULUM dicta est acus discriminalis. Lucill. apud Non. I. 155.

Explicans digitis, discerniculumque capillo.

Varr. de Ling. Lat. IV. §. 29. *Discerniculum, quo discernitur capillus.* Nonius: *Discerniculum, acus, qua capillos mulierum ante frontem dividit.* Barthol. de Inaur. vet. p. 40. Pignor. de serv. p. 405. Salmas. Exerc. Plin. p. 534. 2. D. Oizel. in Gell. XVII. 15. Jun. de Com. c. 7.

DISCESSIO, pronuntiatis enim differentibus opinionibus senatorum in singulas *discedebatur*, ut quam plures probarent, cognosceretur, dicebatur *fieri in sententias.* Hirt. de bell. Gall. VIII. 53. *Sententiis dictis, discessionem faciente Marcello, qui sibi omnem dignitatem ex Cæsaris invidia quærebat, senatus frequens in alia omnia transit.* Cicer. Phil. VI. 1. *Itaque hæc sententia sic per triduum valuit, ut, quanquam discessio facta non esset, tamen præter paucos omnes mihi assensuri viderentur.* Hæc consuetudo, & ratio introducta fuit, & excogitata, ut qui ante dixerant, si post ab alio melius quidpiam censeri animadvertissent, in ejus sententiam possent pedibus ire. Ita apud Sallust. Bell. Catil. p. 59. Silanus consul designatus, cum primùm suum expoluisset consilium, *postea permotus oratione Cæsaris, pedibus in sententiam Tiberii Neronis iturum se dixerat.* Zamosc. de Senat. Rom. II. 11. Brisson. de Formul. II. p. 184. Bud. in Pandect. p. 57. B. F. Broid. Coroll. ad Poller. For. Rom. V. 8. Hotman. Antiq. Roman. II. 10. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 84. F.

DISCINCTI pro imbellibus, effeminatis, & militiæ inhabilibus apud auctores reperiuntur. Serv. Æneid. I. 214. *Accinctos industrios dicimus, ut Horat. Sat.* I. 5. 5.

—— Altius ac nos

Præcinctis.

Sic contra negligentes discinctos vocamus, ut Virg. Æneid. VIII. 724.

—— discinctos Mulciber Afros.

Ferrar. de Re vest. I. 3. 7. Oizel. in Minuc. Felic. p. 190. Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1239. C. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p. 340. Stuck. Ant. Conv. II. 29. Pigh. Annal. Rom. I. p. 5. In castris non sine nota versabantur: quinimò hoc grande scelus, morteque piandum militaris disciplinæ severi censores credebant, si quis ambulasset, aut vallum subiisset *discinctus.* Tacit. Ann. XI. 18. 5. *Ferunt militem, quia vallum non accinctus: atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, morte punitos.* Etiam ignominiæ militaris fuit genus, ut *discincti* vel stare, vel opus facere milites cogerentur. V. infr. in *Milites.* Et victi jugum transire cogerentur. V. infr. in *Jugum.* Ita etiam qui exauctorabantur, *discingi* consueverunt. Herodian. II. 13. 17. *Porrò militibus meis ita præcipio, recingant vos, ac vestimentis exutos militaribus, nudosque dimittant.* Brisson. Ant. Select. II. 7. Lips. de Milit. Rom. V. Dial. 18. Kobierzyck. de lux. Rom. I. 10. Et pro luxu perditis ac dissolutis, metaphoricè scilicet, à veste demissa & laxa, qua inambulare ii consueverunt, qui fruges tantùm consumere nati. Horat. Epod. I. 34.

Discinctus perdam ut nepos.

Pers. Sat. III. 31.

Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ.

Cornut. *Discinctum dicit negligentem & perditum: vel discinctum, obesum, & ventricosum luxuria, quia cingi non possit.* Rectè profectò, non parva namque antiquis cura, quo pacto *cingerentur* juvenes. Refert Strab. IV. p. 137. de zonæ apud Gallos mensura, qua adolescentes cingi opus erat. *Exercent se, ne fiant pingues & ventricosi; si quis autem juvenum zonæ præscriptam mensuram excedat, multari.* Verùm apud Romanos quid fœdius quàm *discinctum* quempiam in publico conspici? Hinc illud de Julio Cæsare Syllæ vati-

cinium apud Suet. c. 45. n. 5. *Caverent sibi à puero malè cinto*. Kobierzyck. & Ferrat. l. l. Turneb. Adv. xx. 13. Demster. Antiq. Roman. x. p. 715. Meimob. Mæcen. c. 19. Gorall. in Albinov. in obit. Mæcen. n. 21.

DISCUS fuit lapis gravis, quem exercentes se projiciebant, &, cum ferreus erat, massam vocabant. Eustath. Homer. Iliad. ii. 774. Huic attestari visus est Mart. xiv. 164.

Splendida cum volitant Spartani pondera disci,
Esto procul pueri, sit semel ille nocens.

Et in Onomasticis, quid fuerit lapis gravis, explicatur. Δίσκος βαρὺς λίθος. Et *saxeum discum* dicit Pindar. Isthmic. 1. 33.

O! qualiter manibus, jaculantes hastis,
Et saxeis quando discis, emiserunt!

Istos saxeos *discos* λιθοβόλους dici consuevisse notat Scholiastes, addita nominis hac ratione, quia olim victori tantum ἀντιτίμιον telluris in patria, quantum spatium jaciendo emetiri poterat. *Strauch. Olympic. agon.* §. 16. Alii, quibus ego assentior, crediderunt *discum* fuisse laminam quandam æream, vel quatuor digitorum crassitudine, longiorem paullò plùs pede, aliàs lapideam, aliàs ferream, æneam quoque sepulcro Marci Manlii Philopatris athletæ in via Salaria polito se vidisse testatus est Ligorius, cujusmodi majorem parrem, ne, dum ex alto rueret, frangeretur, fuisse puto planam, quasi lentis speciem referentem, quam in aerem projiciebant, sed modo à jaculorum missione diverso, siquidem in mittendis jaculis brachia pandebant, mox prorsum impellebant: contra in *disco* manu ad pectus adducta, atque extrorsum & deorsum adducta, rotationis instar illum in aerem ejaculabantur, ut perbellè explicat Prop. iii. 12. 10.

Missile nunc disci pondus in orbe rotat.

Quod figuram lenti similem babuerit, præter Dioscoridem lenticulam *Siecot* nuncupantem comprobat *discoboli* marmorea statua, quæ hodie Romæ in ædibus Johannis Baptistæ Victorii servatur, in cujus manu *discum* positum videre licet. Quod item ostendit alterius *discoboli* brachium lapideum hodie in magni Tusciæ ducis ædibus Pittis vocatis servatum, ex quibus similiter *discum* ejaculandi modum intelligere licet. Harum statuarum similes abas duas *discobolorum* fuisse verisimile est: quarum unam ex ære Myronem finxisse à Quintil. ii. 13. celebratam, aliam Tauriscum pictorem pinxisse refert Plin. xxxv. 11. Hanc fortnam *disci* unà cum prædictis testimoniis si vidisset, ac maturè examinasset Gulielmus Choulus, nunquam certè affirmare ausus esset, *discum* pilam rotundam in medio perforatam fuisse: nisi bonus ille vir nomine pilæ quamlibet rem orbiculatam præter Latinæ linguæ usum intellexerit. Atque hoc dico, quoniam Cyprianus in libro de spectaculis *discum* vocat orbem æneum, & in Marci Aurelii Imperatoris nummis quibusdam Apolloniæ Illirii excusis, hujusmodi *discobolorum* lusus repræsentatur, in quo *discum* quadram quandam orbiculatam, & in medio perforatam fuisse apparet. Ut hinc conjiciam, non unam *discorum* formam extitisse, qua sive in sacrificiis sive in gymnasiis uterentur. Illud attamen prætereundum non est, in *disco* jaculando artem quandam, ut Pindari interpres ostendit, necessariam extitisse: alioqui jaculatores laude frustrati deridebantur, & sæpè damna insignia spectatoribus afferebant, quod à Phœbo actum fuit, quem *disco* Hyacinthum interfecisse fabulantur. *Mercur. Gymnast.* ii. 12. *Fab. Agonist.* 1. 5: 11. 2. *Victor. Var. Lect.* xxix. 1. *Panvin. de lud. circ.* ii. 1. *& in illum Argolus*. *Turneb. Adv.* vii. 9. *Paschal. de Coron.* vi. 24. *Alex. Gen.* iii. 21. *Lyd. de re milit* v. 2. *Barth. Adv.* xxxv. 2. *Rhodig. Ant. Lection.* xxiv. 1. *Stuck. Ant. Conviv.* iii. 22. *Scalig. Poet.* 1. 22. *Schill Nom. Phil.* p. 428. *Potter. Archæol. Græc.* ii. 21. *Kipping. Antiq. Roman.* ii. 6. §. 6. *Grapald. de part. dom.* ii. 2. *Souter. de Aleat.* iii. 3. *Demster. Paral. ad Antiq. Roman. Rosin.* v. 1. Innotuit etiam Latinis scriptoribus. Ita enim de eodem Ovid. Met. x. 176.

Corpora veste levant, & succo pinguis olivi
Splendescunt, latique ineunt certamina disci.
Quem prius aerias libratum Phœbus in auras
Misit, & oppositas disjecit pondere nubes.
Recidit in solidam longo post tempore terram
Pondus, & exhibuit junctam cum viribus artem.

Strauch. l. l. V. etiam supr. in *Circulus*.

Discus vocabatur etiam quadra rotunda, qua epulæ in mensas ferebantur. Apul. ii. p. 58. *Cænarumque reliquiis discus ornatus*. Sic legimus caput Johannis Baptistæ saltatrici in *disco* oblatum esse. Unde *Discophori* appellati sunt, qui quadris ferendis destinabantur. Et ab Hieronymo dictus est discophorus, qui Danieli prandium portavit. *Mercur. de art. Gymnast.* iii. 12. *Donat. Dilucid.* p. 1014. *In Chausse Insign. Pont. Max. tab.* xiv. *Saubert. de sacrif.* c. 17. *Grapald. de part. dom.* ii. 3. 16. 22. *&* 26. *Strauch. Olymp. agon.* §. 16. *Hummelb. & Lister in Apic. de Art. Coquin.* ii. 5.

DISCUSSOR dicebatur, qui rationes exigebat, rerum momenta excutiebat. Coripp. 1.

Nec non magnanimus meritis, & nomine Magnus,
Mente placens dominis, sacris rationibus aptus,
Rectorum Latii discussor providus orbis.

hoc est, eorum hominum inspector & examinator, qui mittebantur in Italiam, quæ tum etiam sub Justiniani legatis erat. Idem enim officium *discussoris*, quod inspectoris. Sic Cod. xi. cum titulus inscriptus sit de censitoribus, peræquatoribus, & inspectoribus, sub eadem rubrica etiam de *discussoribus* agitur tit. 7. Corripi autem iste Magnus plura simul officia gerebat: nam & rationalem illum fuisse dicit simul & *discussorem*, quæ munia alioquin erant distincta. Imperator Arcadius cum Theodosio & Valentiniano c. 7. C. Instit. Quorum appellationes non recipiuntur: *Ante sententiæ tempus, & ordinem eventus, nec à discussore, nec à rationali appellare liceat*. Ejus officium quoque fuit censuum exactio & dinumeratio. Juvenc. 1.

—— novus, capitum discussio, census.

Bernard. de consider. iv. 9. *De pretio escarum, & numero panum cum ministris quotidiana discussio est, rarò admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum*. Barth. Adv. xi. 20. Du Fresne Glossario. Cerda Adv. c. 167. §. 13. Buleng. de Imp. Rom. iii. 29. de vectig. c. 96. Si in provinciis de *discussoris*, aut rationalis sententia appellatio ad comitem privatarum translata esset, & negotii mediocritas, aut regionum longinquitas, ad illius judicium litigatores venire non pateretur; comes judici provinciæ, quem ipse probabat, negotium delegabat, l. 45. C. de appellat: comes autem privatarum ante sententiæ tempus, & ordinem eventus à *discussore*, vel rationali appellationem recipere non debet. Legem V. supra. *Guther. de offic. Dom. Aug.* iii. 25.

DISOMUM vas est duorum corporum capax, quod pertinet ad jus sepulcrorum. Inscriptio:

P. ÆLIUS. VENERIANUS
HOC. VAS. DISOMUM. SIBI. ET
FELICITATI. SUÆ. POSUIT.

Guther. de jur. vet. pont. 1. 24.

DISPENSATOR, Græcis οἰκονόμος dictus, erat, qui familiæ rationes *dispensabat*, & pecuniæ administrationem habebat. Cicer. Hort. apud Non. iii. 18. *Quod tu, inquam, soles, cum rationem ad dispensatorem accipis, si ara singula probasti, summam, qua ex his confecta sit, non probare?* Fuerunt etiam in familia Palatina. Suet. Aug. c. 67. n. 4. *Diomedem dispensatorem, à quo simul ambulante, incurrenti repentè fero apro per metum objectus est, maluit timiditatis arguere, quàm noxæ*. Imò & in provinciis. Plin. xxxiii. 11. *Nostra ætas fortior fuit Claudii principatu: servus ejus Drusillanus nomine Rotundus, dispensator Hispaniæ citerioris*. Pignor. de serv. p. 307. 545. Nerius Anal. 1. 14. Alciat. de verb. sign. p. 204. Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 564. E. Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. vi. p. 212. Popm. de oper. servor. p. 26. Stuck. Ant. Conviv. ii. 21. Salmas. in Lampr. Antonin. Diad. c. 4. Donat. Dilucid. p. 463. Ræward. Var. v. 20. Vignol. Inscript. Select. p. 276. Rolin. Ant. Roman. v. 26. Kipping. Antiq. Roman. iv. 1. §. 1. Grapald. de part. dom. ii. 4. 1. Torrent. & Pitisc. in Suetonium.

DISPOSITIONES Principum sunt διατάγματα, διατάξεις, constitutiones, sanctiones pragmaticæ, edicta, promotiones ad honores, mandata, consuetudines, liberalitates, privilegia, & quicquid Princeps, nulli juris ordini adstri-

adstrictus constituebat. Justinian. l. 13. C. de proaim. sacr. scrin. *Comperimus divinitus pridem fuisse dispositum, viros devotos adjutores tuæ magnitudinis certo esse numero .... qui præter prædictam dispositionem in præsenti exuberant*, l. 15. C. eod. *Certa quidem dispositiones sunt nostri numinis, quas super adjutoribus viri illustris pro tempore quæstoris sacri palatii dedimus, quarum prima quidem ad supplicationem eorundem adjutorum emissa est, altera verò per sacram pragmaticam sanctionem facta est*. Guther. de offic. dom. Aug. III. 6.

DISTEGUM fuit ædificium duas habens contignationes: at speciatim, ubi ejus mentio est in inscriptionibus, quæ diis manibus dicantur, fuit, ni fallor, monumentum duas cameras habens, una alteri imposita. *Distigum* autem pro *distegum* videtur sculptum. Inscriptio Romæ:

L. SEMPRONIUS. L L PERIPHEMUS
L. SEMPRONIUS L L AMPHIONEUS....
DISTIGUM FECERUNT C. F.

Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. IX. *p.* 291. *Buleng. de theat.* I. 12. *Rhodig. Ant. Lect.* XVIII. 11. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 537. *C.* Erant in regiis *διστεγίαι*: quanquam privatis quoque in ædibus invenimus *διστεγίαν*: è quibus *πορνοβοσκοὶ*, & aniculæ mulieres prospectabant captantes negotiorum suorum occasiones. *Scalig. Poet.* I. 21.

DIV.

DIVALIA erant feriæ divæ Angeronæ, cui pontifices in sacello Volupiæ sacrum faciebant. Dicebantur etiam Angeronalia. *Kalendar. Roman. Explic. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 12. *B. Ciaccon. in vet. Kalend. Roman. Thes. ibid. p.* 18. *C. Siccam. in Fast. Kalend. Rom. c.* 18. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 675. *A. Struv. Ant. Rom. c.* 8. *p.* 359.

DIVERSORIUM est locus, ad quem viatores *divertunt*. Cicer. Fam. VI. 19. *Nam & villa, & amœnitas illa commorationis est, non diversorii*. de Senect. c. 23. *Ex vita ista discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura nobis diversorium, non habitandi dedit. Diversari* est manere apud aliquem hospitii jure, vel alio modo: & *diversor* is, qui *diversatur*. Cicer. de Invent. II. 4. *Caupo non multo post clamat, hominem esse occisum, & cum quibusdam diversoribus illum, qui ante exierat, consequitur*. Aliquando inter tabernam & *diversorium* erat differentia: aliquando confunduntur. Nam & tabernæ plerumque viatores & adventores excipiunt: *diversoria* vinum vendunt civibus. Qui Latini pariter cauponas & *diversoria* pro iisdem habent. *Diversorias tabernas*, quas copæ exercerent, appellat Suet. Ner. c. 27. n. 4. *Disposita per littora & ripas diversoria tabernæ parabantur, insignes ganeæ, & matronarum institorio copas imitantium, atque hinc inde hortantium, ut appelleret*. Tomas. de tess. hospit. c. 29. Stuck. Ant. Conviv. I. 28.

DIVERTICULUM est, ubi incipit semita, quæ te digredientem à publica via in alicujus villam deducit. Glossæ: *diverticulum, καταγώγιον*. Suet. Ner. c. 48. n. 4. *Ut ad diverticulum ventum est*. Ter. Eun. IV. 2. 7.

Ubi ad ipsum veni diverticulum, constiti.

Ubi Donatus: *Diverticulum est, ubi iter de via flectitur. Et propriè diverticula dicuntur in via domicilia, ad quæ de itinere divertendum sit*. Nann. Miscell. I. 19. Barth. in Rutil. II. 61. Pitisc. in Suetonium. Schill Nomencl. Philol. p. 429.

DIVES est Crassi cognomen, à fortuna ductum. *Sigon. de nomin. Roman. c.* 5.

DIVI ut Imperatores Romani vivi dicerentur, quamvis superstitionibus colerentur, non tamen sunt assecuti. Imò plerique eorum ne post mortem quidem *divi* sunt facti: & quidem vitiis detestabiles in communi odio mortalium omnibus exsecrationibus & conviciis meritò lacerati sunt. Qui verò meritis ac virtute habebantur insignes, ii post mortem ac sepulturam in *Divorum* numerum relati. Quamvis & improbis interdum id tribuerit vanitas successorum, ut Commodo Severus. Sic enim conciliata populi benevolentia firmabat imperium. Tacit. Annal. I. 11. I. *Sepultura more perfecta templum & cœlestes religiones decernuntur*. Paterc. II. 126. I. *Sacravit parentem suum Cæsar*, Tiberius, *non imperio, sed religione; non appellavit eum, sed fecit Deum*. Tacit. Annal. XV. 74. 4. *Reperio in commentariis senatus, Cerialem Anicium consulem designatum pro sententia dixisse, ut templum divo Neroni*, qui tum vivebat, *quàm maturrimè publica pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat tanquam mortale fastigium egresso, & venerationem hominum merito: quod ad omina olim sui exitus verteretur. Nam deum honor Principi non ante habetur, quàm agere inter homines desierit*. Augustus & Domitianus, dum viverent, *divi* sunt appellati. Ille à Prop. III. 3. I.

Arma deus Cæsar dites meditatur ad Indos.

Hic à Mart. V. 8. I.

Edictum domini, deique nostri.

Sed Augustum poetarum vanitas, & populorum adulatio, Domitianum ejusdem arrogantia tumorque ita nominavit. Et ipse se *dominum & deum dixit in formali, quam dictavit, epistola* apud Suet. c. 13. n. 4. Quod reliqui deinceps prosecuti sunt. Hic tamen post mortem *divus* non fuit. *Donat. de Urb. Rom.* III. 4. *Bos. Pontificat. max. c.* 2. *n.* 14. *Stewech. in Veget. Prol.* II. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 6. *n.* 6. *Vignol. Dissert. de Columm. Anton. Pii c.* 5. *Divi*, id est Julii Cæsaris in *divorum* numerum relati filius dicitur Augustus in Inscript. obelisc. Augusti. *Divus* Julii prænomen. Præponitur enim nomini, quemadmodum Lucii, Marci & Titi filius dicitur, quæ sunt prænomina. Is sanè honos habitus est reliquis ferè omnibus Imperatoribus, eorumque liberis, uxoribus, & parentibus, vel à successoribus, vel à S. P. Q. R. *Castal. in obelisc. inscript. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1862. *C.*

DIVIDERE sententiam explicat Ascon. in Cicer. p. 196. *Cum aliquis in dicenda sententia duas, pluresve res complectitur, ea si non omnes probantur, postulatur ut dividat, id est, ut de rebus singulis referatur. Non est ei, qui hoc postulat, oratione longa utendum, ac ne consurgendum quidem utique est: multi enim sedentes hoc unum verbum pronuntiant, divide: quod cum auditum est, liberum est ei, qui facit orationem, dividere*. Hoc commento in causa Milonis usus est T. Monatius Plancus tribunus plebis. Nam cum Q. Hortensius in sua sententia dixisset, ut de Milone veteribus legibus extra ordinem quæreretur, Plancus, qui quæri sanè extra ordinem vellet, veteribus autem legibus nollet, sed novam ideo fieri cuperet, ut adversus Milonem plus invidiæ concitaretur, qui flagitium nova lege vindicandum putasset, Q. Fufium senatorem, Clodianarum partium studiosum, induxit, ut *divisionem* ab Hortensio postularet. Futurum enim id, quod evenit, intelligebat, ut, *divisa* sententia, caput illud de veteribus legibus irritum fieret, nimirum cum ipse, qui tribunus plebis erat, intercessisset, ex Scto fieri vetuisset: nam, quatenus de extraordinaria quæstione Hortensius dixerat, assensus est. Hoc illud est, quod significat his verbis Cicer. Mil. c. 6. *Divisa sententia est, postulante nescio quo, sic reliqua auctoritas senatus, empta intercessione, sublata est*: cum intelligat, senatus voluntatem fuisse, ut in Hortensii sententiam Sctum fieret, sed *divisione* sententiæ factum esse, ut, quod ad quæstionem extraordinariam attinebat, id quidem non mutaretur: quod autem de veteribus legibus reliquum erat, quam vocat *reliquam senatus auctoritatem*, quia senatus, ut in capite de extraordinaria quæstione, sic in hoc de veteribus legibus simul cum Hortensio sentiebat, id mercenaria Planci intercessione tolleretur. *Manut. de Sen. Rom. c.* 9. *Bud. in Pandect. p.* 65. *A. Brisson. de Formul.* II. *p.* 182. *Zamosc. de Senat. Rom.* II. 11. *Blond. Triumph. Rom.* IV. *p.* 84. *F.*

DIVIDICULA *antiqui dicebant, quæ nunc sunt castella, ex quibus à rivo communi aquam quisque in suum fundum ducit*. Festus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 10. *Keuchen. in Frontin. de aquaduct. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1644. *D.* V. & supr. in *Castellum*.

DIVINATIO alia est naturalis, alia artificiaria. Naturalis est ipsa avis, quæ volatu, aut voce, aut gustatu ex insperato nobis suaptè natura aliquid boni, aut mali futuri prædicit. De hac Virg. Ecl. IX. 14.

Quod nisi me quacunque novas incidere lites
Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix,
Nec tuus hic Mœris, nec viveret ipse Menalcas.

Artificiaria est interpretatio auguris, qua naturalem in suam significationem interpretatur: unde Cicer. de leg. II. 8. *sacerdotum genera duo esse* dicit *; unum, quod præsit ceremoniis & sacris: alterum, quod interpretatur fatidicorum & vatum effata incognita*. Niphus de augur. I, 1. Cicer. de Divin. I. 6. *Duo sunt divinandi genera: quorum alterum artis est, alterum naturæ. Quæ est autem gens, aut quæ civitas, quæ non aut extis pecudum, aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut astrologorum, aut sortium (ea enim ferè artis sunt) aut somniorum, aut vaticinationum (hæc enim duo naturalia putantur) prædictione moveatur?* II. 6. *Quid existimandum est de conjectura eorum, qui extis, aut avibus, aut ostentis, aut oraculis, aut somniis futura præsentiunt? Nondum dico, quàm hæc signa nulla sint, fissum jecoris, corvi cantus, volatus aquilæ, stellæ trajectio, voces furentium, sortes, somnia.* Sex igitur erant *divinationum* species: I. per exta, ex aruspicum disciplina. II. per aves, ex augurali scientia. III. ex sideribus, per astrologos. IV. per sortes. V. per somnia. VI. per vaticinationes Sibyllarum & oracula. *Struv. Ant. Rom. c. 6. p. 260. Feith. Antiq. Homer. I. 16.*

Divinatio ex lucernis, forsitan etiam sacris, ad *λυχνομαντείαν* spectat. Apul. Met. II. p. 47. *Cum esset jam vespera, lucernam intuens, Pamphile, quam largus, inquit, imber aderit crastino. Et percontanti marito, qui comperisset istud, respondit, sibi lucernam prædicere. Quod dictum ipsius Milo risu secutus, grandem, inquit, istam lucernam Sibyllam pascimus, quæ cuncta cæli negotia, & solem ipsum de specula candelabri contuetur. Ad hæc ego subjiciens: sunt, aio, prima hujuscemodi divinationis experimenta: nec mirum, licet modicum istum igniculum, & manibus humanis laboratum, memorem tamen illius majoris & cœlestis ignis, velut sui parentis, quid esset editurus in ætheris vertice, divino præsagio & ipsum scire, & nobis enuntiare.* Hujusmodi lucernam & laurum sacrificuli & vates præferebant, ut eo ornatu augustiores essent. Senec. de vit. beat. c. 29. *Cum aliquis genibus per viam repens ululat, laurumque linteatus senex, & medio lucernam die præferens, conclamat iratum aliquem deorum, concurritis, & auditis; divinum esse eum, invicem mutuum alentes stuporem affirmatis.* Saubert. de sacrif. c. 16. Lipf. Elect. I. 3.

Divinatio dicebatur etiam judicium, quod fiebat, uter deberet nomen deferre, quando duo, aut plures non solum in causa repetundarum, sed etiam ambitus, & aliorum criminum accusationem sibi deposcerent. Ascon. præfat. in Divin. Cicer. p. 3. *Divinatio dicta est, quia non de facto, sed de futuro quæritur, uter debeat accusare. Alii putant divinationem dici, quod injurati judices in hac causa sedeant, & quod velint præsentire de utroque possint. Alii, quod res agatur sine testibus, & sine tabulis, & his remotis argumenta sola sequantur judices, & quasi divinent.* Gell. II. 4. *Cum de constituendo accusatore quæritur, judiciumque super ea re redditur, cuinam potissimum ex duobus, pluribusve accusatio, subscriptiove in reum permittatur; ea res atque judicum cognitio divinatio appellatur. Bassus, divinatio, inquit, judicium appellatur, quoniam divinare judicem quodammodò oporteat, quam sententiam sese ferre par sit*, & quæ sequuntur. Quale autem hoc judicium fuerit, facilè ipsa Ciceronis in Verrem *Divinatio*, in qua cum Cæcilio disputat, potest docere. *Sigon. de judic. II. 9. Brisson. ad leg. Jul. de adult. p. 174. Guther. de jur. man. III. 25. Pellet. For. Rom. IV. 2.*

DIVISIONES dicebantur sportulæ, pecuniæ, oleum, crustum, vinum, aliaque id genus, nec absimilia, quæ testatores collegiis, & sodalitatibus negotiatorum & artificum, item decurionibus, populoque interdum, die natali, parentaliorumque tempore singulis annis dari testamento cavebant. Marcian. l. cum quidem, ff. de ann. leg. *Cum quidam decurionibus divisiones dari voluisset die natalis sui: divi Severus & Antoninus rescripserunt, non esse verisimile, testatorem de uno anno sensisse: sed de perpetuo legato.* Paull. l. civitatibus ff. de legat. I. *Civitatibus legari potest etiam quod ad honorem ornatumque civitatis pertinet, ad honorem puta, quod ad munus edendum, venationem, ludos scenicos, ludos circenses, aut quod ad divisionem singulorum civium, vel epulum relictum fuerit. Hoc amplius quod in alimenta ætatis infirmæ, puta senioribus, vel pueris, puellisque fuerit relictum.* Mag. Misc. II. 2, Guther. de jur. man. II. 10. de jur. pont. III. 17. Panciroll. de magistr. municip. c. 3. Struv. Ant. Roman. c. 9. p. 452.

DIVISORES vocabantur, qui pecuniam inter tribus viritim *dividebant*, & ad suffragia largitionibus corrumpenda solebant comparari hujus operis velut redemptores. Hi certo quodam pretio accepto à candidatis, aut verò ab amicis, qui se sequestres, & interpretes in eorum causa interponebant, corrumpenda plebis suffragia suscipiebant. Cicer. Verr. Prooem. c. 8. *Unum illud ex hominibus certis, ex quibus omnia comperi, reperiebam: divisores omnium tribuum noctu ad istum vocatos. Ex quibus quidam, qui se omnia mea causa debere arbitrabatur, eadem illa nocte ad me venit, demonstrat qua iste oratione usus esset: commemorasse istum, quam liberaliter eos tractasset, etiam antea cum ipse præturam petisset, & proximis consularibus prætoriisque comitiis: deinde esse pollicitum, quantum vellent pecuniæ, si me ædilitate dejecissent .... Inventum tamen esse fortem amicum ex eadem familia Q. Verrem, Romilia, ex optima divisorum disciplina, qui sestertium quingentis millibus depositis, id se perfecturum polliceretur.* Magistros curiarum vocat Plaut. Aul. I. 2. 29. V. illum infr. in *Magister*. Nomen criminis non fuisse asserit Ascon. in Cicer. p. 51. sed tamen pro sordido, ac vili ministerio semper est habitum. Unde probri loco sæpè nepotibus objectum, si majores *divisores* fuissent. Ita Octaviano objecerunt nonnulli apud Suet. c. 3. n. 1. *patrem argentarium, atque etiam inter divisores, operasque campestres proditum*. Et C. Herennio tribuno plebis objicit Cicer. Attic. I. 17. *patrem divisorem: tribulis tuus est, & Sextus pater ejus nummos vobis dividere solebat.* Nec mirum. Tribuum in suffragiis ferendis corruptores erant. Cicero laudatus supr. in *Diribitores*. Imò fures dicebantur. Cicer. Verr. III. 69. *Tu ejusmodi evasisti, non in hominis luxuriosi, sed tantum in furis, ac divisoris disciplina educatus.* Gruch. de Comit. I. 3. Pollet. For. Rom. V. 9. Beroal. Annot. c. 88. Rævard. Var. Lect. II. 16. Sigon. de judic. II. 30. Bud. in Pandect. p. 236. E. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 5. Pitisc. in Suetonium.

DIVITIÆ Romanorum fuerunt immensæ. Illas integris capitibus describunt *Meurs. de Lux. Roman. c. 1. & Kobierzych. de Lux. Roman. I. 2.*

DIVORTIUM *inter virum & uxorem fieri dicitur.* Modestin. Dig. L. 101. Permissum fuit in XII. tabulis. Cicer. Anton. II. 28. *Frugi factus est, mimam illam suam suas res sibi habere jussit ex XII. tabulis, claves ademit, exegit.* Et Cajus ad leg. Jul. de adult. *Si ex lege repudium non sit missum, & idcirco mulier adhuc nupta videatur, tamen si quis eam uxorem duxerit, adulter non erit. Divortii* & repudii formulas prodidit Cajus ff. XXIV. 2. 2. 1. *In repudiis, id est, renuntiatione comprobata sunt hæc verba: tuas res tibi habeto. In sponsalibus quoque discutiendis placuit renuntiationem intervenire oportere. In qua re hæc verba probata sunt: conditione tua non utar.* Renuntiatio ejusmodi fuit, ut aut vir uxori, aut uxor marito, vel præsenti, vel absenti nuntium remitteret. Cicer. de Orat. I. 40. *Cum paterfamilias uxorem prægnantem in provincia reliquisset, Romæque alteram duxisset, neque nuntium priori remisisset.* Top. c. 4. *Si viri culpa factum est divortium, & si mulier nuntium remisit, pro liberis manere nihil oportet.* Nemo ante annum DXX. *divortium* cum uxore fecisse perhibetur. Qui primus fecit, is fuit Spurius Carvilius Ruga; qui M. Pomponio, C. Papirio, vel, ut aliis placet, M. Atilio, P. Valerio coss. uxori nuntium nova de causa remisit, quòd eam sterilem esse diceret, seque quærendorum liberorum causa uxorem habere jurasset. Dionys. II. p. 96. *Constat per DXX. annos Romæ nullum accidisse divortium. Olympiade demum CXXXVII. primus dicitur uxorem dimisisse Sp. Carvilius, vir non obscurus, coactus à censoribus jurare, liberorum causa se conjugem non retinere: erat enim sterilis: qui ob hoc factum, quamvis necessitate compulsus, in perpetuum exosus fuit populo.* Eadem ferè apud Gell. IV. 3. Val. Max. II. 1. 4. leguntur, licèt in anno constituendo dissentiant. Exeunti reddebatur, quicquid in domum mariti secum attulerat. Cajus modò laudatus. Cicero laudatus supr. in *Clavis*. Plaut. Amphit. III. 2. 47.

Va-

Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.

Et claves adimebantur. V, supr. in *Clavis*. Sigon. de ant. jur. civ. Rom. I. 9. Mag. Misc. II. 15. Hotoman. de rit. nupt. c. 1. Antiq. Roman. III. 3. p. 421. G. Blond. Triumph. Rom. VIII. p. 162. H. Alex. Gen. IV. 8. & ad illum Tiraquellus. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 16. Thys. in Gellium. Demster. Paral. in Ant. Rom. Rosin. v. 38. Fab. Semest. II. 23. Cujac. Observ. I. 39. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. I. c. 8. Pigh. Annal. Rom. II. p. 95. Pitisc. in Suet. Jul. c. 1. n. 1. Lege Julia nullum ratum est nisi septem civibus Romanis puberibus adhibitis præter libertum ejus, qui *divortium* faciet, l. 9. ff. de divort. quod ita quidem excipiunt, libertos omnes repelli à testimonio, cum is profectò tantùm, qui libellum fert divortii, repellatur, de quo Juven. Sat. VI. 146.

Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi.

Libertus hic non erat idoneus testis, cum sequester, & internuntius fuerit *divortii*: quod & in executore litis, & patrono eadem ratione servatur, l. ult. de test. *Cujac. Observ.* VIII. 26. *Rittersh. l. l. Laurent. de Sponsal. c.* 2. Hunc libellum mittebant non modò mariti, sed & patres impudicitia offensi. Suet. Tib. c. 11. n. 9. *Comperit deinde Juliam uxorem ob libidines, atque adulteria damnatam, repudiumque ei suo nomine ex auctoritate Augusti remissum...* Ac multò vehementiùs, crudeliùsque Caligula, qui, ut est apud Suet. c. 36. n. 6. *quibusdam, absentium maritorum nomine, repudium ipse misit*. Demster. l. l. Inter Flaminem & Flaminicam nunquam interveniebat. Festus: *Flameo amicitur nubens ominis boni causa, quod eo assiduè utebatur Flaminica, id est, Flaminis uxor, cui non licebat facere devortium.* Gell. X. 15. *Matrimonium Flaminis nisi morte dirimi non est jus.* Boxhor. Quæst. Roman. 26. Vertran. in Tacit. Annal. XV. 16. 6.

DIUS *fidius* fuit deus Sabinorum, tribus diversis appellatus nominibus, *Sanci*, *Sangi* & *Sabi*: præses, seu tutelaris deus fidei: per quem jurari solitum, *Medius fidius*. Fidei tutelam ei commissam fuisse, ac jurisjurandi probat Vincent. Rartar. de imag. deor. antiq. ex antiquo marmore insculpto in fenestræ modum, cui tres erant effigies dimidia corporis parte superiore incisæ, quarum dexterior hominis imaginem referebat togati, cum literis HONOR ad latus: sinisterior mulieris erat eodem vestitu pacifico, seu stolata, lauro coronata, & literis adscriptis VERITAS. Hæ duæ effigias dextra jungebant: inter quas puellus erat venusta ac liberali forma, additis supra caput literis DEUS FIDIUS. Supra puelli caput insculptus AMOR legitur, & superiùs hic titulus toti emblemati adscriptus: FIDEI SIMULACRUM. Traductus fuit à Tatio Romam. Dionys. II. p. 113. *Parcius Cato ait Sancum istum fuisse regiantis genium, & à nonnullis Dium Fidium, Δία πίστιον, appellari.* De ejus nominibus Ovid. Fast. VI. 213. V. illum infr. in *Hercules Sanctus*. Donat. de Urb. Rom. IV. 6. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 8. nu. 1. Brisson. de Form. VIII. p. 707. Turneb. Adv. XX. 36. Hansen. de Jurejur. vet. c. 4. Minos in Alciat. Emblem. 9. Gyrald. Synt. deor. II. p. 86. A. Pigh. Annal. Rom. I. p. 453. Crinit. de Honest. Discipl. XXI. 6. Voss. Lex. Etymol. Schill Nomencl. Philol. p. 737.

DIX.

DIXERUNT *solebat pronuntiare præco, ab utraque parte oratione consumpta, ut in consilium dimitterentur judices*. Ascon. in Cicer. p. 65. *Pollet. For. Roman.* V. 8. *Brisson. de Formul. p.* 479. *Sigon. de judic.* II. 22. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1913. *E. Blond. Triumph. Roman.* IV. *p.* 106. *E.*

DIXI *ut dicerent adultimum, oratores, cum satis visum esset fluxisse verborum, necessitatem sibi finiendæ orationis imponebant*. Ascon. in Cicer. p. 65. Donat. Terent. Phorm. II. 3. 90. *Dixi solent dicere perorata causa*. Hec. IV. 3. 6. *Hoc verbum in fine additum superiora confirmat: & est propriè iis, qui peroraverunt causam*. Brisson. de Formul. V. p. 479. Sigon. de judic. II. 22. Pollet. For. Roman. I. 12. & ad illum Broidæus. Bud. in Pandect. p. 33. H. Palmer. Spicil. x. p. 775. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 106. E. Laurent. de Rebuspubl. c. 5.

DO.

DO, DICO, ADDICO, tria verba sunt prætorum. Varro & Ovidius laudati supr. in *Dies nefasti*. Continent juris dicundi munus. *Dabant* bonorum possessionem ex legibus, ex edicto suo, ex SCtis. Sic Val. Max. VII. 7. 5. *Egregia est quoque C. Calpurnii Pisonis prætoris urbani constitutio. Cum enim ad eum Terentius ex octo filiis, quos in adolescentiam produxerat, ab uno in adoptionem dato exhæredatum se querelam detulisset: bonorum adolescentis possessionem ei dedit, hæredesque lege agere non passus est.* Cic. Fam. VII. 21. *Si bonorum Turpiliæ possessionem Q. Capio prætor ex edicto suo mihi dedit.* *Dabant* judicium recuperatorium, itemque arbitros, cum privati postulabant. Cicer. Verr. II. 12. *Prætor improbus, cui nemo intercedere potest, judicem det, quem velit.* Plaut. Bacch. II. 3. 36.

Postquam quidem prætor recuperatores dedit...

Livius. V. illum infr. in *Recuperatores*. Hinc sollennis formula apud Probum singularibus bis literis P. I. A. V. P. V. D. quam explicat Brisson. de Form. V. p. 368. *Prætor judicem arbitrumve postulo, ut des.* *Dicebant* viam in formulis, *istam viam dico*. *Dicebant* tutorem ex lege Atilia. *Dicebant* sententiam quibusdam in causis majoribus, ut in liberalibus, in popularibus, in exsecutionibus sententiarum, in appellationibus, & aliis præterea nonnullis. *Dicebant* etiam interdicendo cum de possessione, interdum etiam cum de proprietate ageretur: quod ex Pandect. XLIII. cuivis facile est cognoscere. *Dicebant* præterea indicendo, veluti cum ferias indicebant. Suet. Claud. c. 22. n. 2. *Observavit sedulo, ut quoties terra in Urbe movisset, ferias advocata concione prætor indiceret.* *Addicebant*, cum in jure cessio fiebat, in emancipatione, in adoptione. Ut enim præco addicebat rem venditam: sic prætores *addicebant* bona, possessiones, res, quæ petebantur, imo aliquando ipsos homines in servitutem creditoribus suis. Unde frequentissima mentio apud veteres *addictorum* propter æs alienum. Quod bona, & possessiones sub hoc vocabulo vel maximè intelligantur, patet ex Cicer. Verr. Proœm. c. 4. *Cujus prætura urbana ædium sacrarum, publicorumque operum depopulatio, simul in jure dicendo bonorum, possessionumque contra instituta addictio, & condonatio.* Probant hoc leges veteres: *Quicunque magistratus in ea colonia juredicundo præerit: ejus magistratus de ea re jurisdictio, judicisque datio, addictio esto.* Hotoman. de magistr. Roman. I. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1877. A. Sigon. de judic. I. 7. Pollet. For. Rom. III. 2. & 3. Siccam. de Judic. centum. I. 13. Ravard. Protribun. c. 11. Lycklama de Magistrat. c. 6. Pigh. Annal. Rom. I. p. 265.

DOC.

DOCTOR librarius est, qui artem libros componendi & consuendi aliquem *docet*. Inscriptio Romæ in ædibus Hippolyti Vitellesci:

CN. POMPEJUS
PHRIXUS
DOCTOR
LIBRARIUS DE
SACRA VIA
FECIT SIBI

Reines. Inscript. Class. XI. *n.* 123. *Spon. Misc. Erud. Ant. Sect.* VII. *p.* 256.

Doctor sagittarius fortè, qui milites in sagittandi arte edocebat. Inscriptio Romæ:

D. M.
T. FLAVIO EXPEDITO
DOCTORI SAGITTAR
FLAVIA EUPHROSINE
ET ATTICA FILIÆ
PATRI B. M.

Spon.

Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. VII. *p.* 256.

Doctores artium *liberalium*, *quo libentius & ipsi Urbem incolerent*, *civitate donavit* Julius Cæsar. Suet. c. 42. n. 2. *Donat. Dilucid. p.* 413. Διδασκάλους appellaverunt *poetas dithyramborum, comœdiarum, aut tragœdiarum. Antiphon in oratione de choreuta: nactus sum, inquit, Pantaclem poetam,* διδάσκαλον: *qualem fuisse eum declaravit Aristoteles in Didascaliis. Frequens hoc nomen hac significatione in veteri comœdia.* Harpocrat. in Διδάσκαλος. *Buleng. de Theat.* 1. 5.

Doctores vocabulo honestiori, & invidendo lanistæ dicebantur. Val. Max. II. 3. 2. *Ex ludo Cn. Aurelii Scauri doctoribus gladiatorum arcessitis.* Lipf. Saturn. 2. 15.

DOD.

DODRA vocabatur Romanorum potio, quæ ex novem diversis rebus parabatur. Auson. Epigram. LXXXVI.

> *Dodra vocor, quæ causa? novem species gero; quæ sunt?*
> *Jus, aqua, mel, vinum, panis, piper, herba, oleum, sal.*

Ita vocatur, quod ex novem diversis rebus constaret, sive ex *dodrante*, quæ continet novem uncias, quæ tres libræ partes constituunt. Idem auctor clarè docet Epigram. LXXXV.

> *Dodra ex dodrante est: sic collige, jus, aqua, vinum,*
> *Sal, oleum, panis, mel, piper, herba, novem.*

Nonnus de re Cib. IV. 18. Voss. Lex. Etymol. in Dodrans.

DODRANS à de & quadrans. Deest enim quadrans, quo minus sit as. Suet. Jul. c. 83. nu. 3. *Novissimo testamento C. Octavium hæredem instituit ex dodrante*, id est, novem illi dedit hæreditatis partes, sive tres quartas. As enim pro tota hæreditate accipitur, & *dodrans* pro novem ejus partibus. *Alex. Gen.* 1. 1. *Bud. in Pandect. de asse p.* 126.

Dodrans vocatur quoque mensura tripalmaris digitorum duodenum, Græco vocabulo σπιθαμὴ, Germ. *Ein spann. Covarruv. Var. res. Tom.* 2. *lib.* 11. *c.* 20. *nu.* 5. *Bud. in Pandect. de asse* 1. *p.* 16. 20. *Hennin. in Bergier. de viis Milit.* III. *Sect.* 10. §. 3.

DOG.

DOGA est dolium magnum, in quo vinum recenter vindemiatum colligebatur. Vopisc. Aurelian. c. 48. *Facta erat ratio doga.* In antiquo Lexico legitur: *doga*, βοῦτις: *dogarius*, βουτάριος. *Turneb. Adv.* XVIII. 19. *Casaub. & Salmas. in Vopiscum.* Impressio Vopisci Germanica habet, *docha*. Δοχαὶ Græcis, quæ capacitati alicujus parata sunt, & capacitates ipsæ, vel mensuræ dictæ: quinimo δοχεῖον vas, seu receptaculum significat. *Donat. in Vopiscum. Nicol. de Sigl. Vet. c.* 45. §. 1. Si hanc significationem sequamur, & *cupposa docha* conjunctim legamus, erit sensus, factam rationem capacitatis cuparum, quibus contineri posset vinum perceptum ex vitibus plantatis, jussu Aureliani, & consertis in locis illis priùs incultis, sicuti navium, quibus Romam veheretur, & operum, quæ ad id munus necessaria essent, ut vinum populo Romano sine pretio divideretur. Si autem vocem *docha* à cupparum dictione sejungamus, *docham* interpretabimur dolia, seu vasa alia grandia in terram defodi solita, quibus vinum primùm reconderetur. *Nicol. l. l.*

Doga etiam canalis est, quo aqua rejicitur. Gregorius Turonensis: *Tertio verò vocata virorum multitudine fossas in circuitu fieri jussit, ne fortè dogis occultis lymphæ deducerentur in fontem.* Nos etiam hodieque *dogas* vocamus fontium conceptacula. Vulgo *doyes*. Græci quoque δοχὰς dixerunt. Hesychius: Εὔριπος, δοχὰς ὑδάτων. Et sanè *doga* à δοχή, χ in g. *Salmas. in Vopisc. Aurelian. c.* 48.

DOL.

DOLABRA est instrumentum fabri lignarii, quo ligna *dolantur*, seu expoliuntur. *Stuck. de sacrif. p.* 166.

Dolabra est instrumentum in militia ad urbes expugnandas in subruendis muris. Tacit. Hist. III. 20. 5. *Conversus ad singulos, num secures, dolabrasque, & cætera expugnandis urbibus secum attulissent? rogitabat.* Liv. IX. 37. *Dolabra calonibus dividuntur ad vallum proruendum, fossasque implendas.* Brisson. Ant. Select. II. 8. Stevvech. in Veget. IV. 15. Rhodig. Ant. Lect. XIX. 2. Lipf. Poliorc. 1. Dial. 9. Thyf. de Opppug. Urb. 1. p. 163. Distincta erat à securi, licèt forma sit securis, sed unica, & simplici acie, parte altera in mucronem acuminata. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 2. *Lips. & Thys. l. l.*

Dolabra est instrumentum in re rustica ad præfractas stirpes, summasque radices, quibus ager arbusto consitus, implicatur, refodiendas. Colum. II. 2. *Nec minus dolabra, quàm vomere bubulcus utatur, & præfractas stirpes, summasque radices, quibus ager arbusto consitus implicatur, omnes refodiat, ac persequatur.* Brisson. Ant. Select. II. 8. Stuck. de sacrif. p. 166. Rhodig. Ant. Lect. XIX. 2.

Dolabra erat instrumentum in sacris, quo hostias percussas & jugulatas deglubebant. Festus meminit *dolabra pontificalis*. V. illum infr. in *Scena*. Saubert. de sacrif. c. 17. Choul. de relig. vet. Rom. p. 262. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14.

DOLIARIUS, sive *dolearis* servus. Marmor vetus.

A. TERENTIUS. M. L. CHRYSOGONUS
SER. DOLEAR
H. · S. E.

Hujusmodi servos cum cellæ vinariæ typo exhibet antiquum marmor, quod anno MDCI effossum est Augustæ Vindelicorum. *Pignor. de serv. p.* 550.

DOLICHODROMUS dicebatur, qui leucam cursu absolvisset, aut qui sex decursis stadiis, idem spatium recurrendo absolvisset. *Cenal. de pond. ac mens. rat. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1485. *E. Bergier. de viis Milit.* III. *Sect.* XII. §. 4. *Argol. in Panvin. de lud. Circ.* II. 11. *Bud. in Pandect. p.* 96. *C. Lyd. Agon. sacr. Proleg. p.* 12.

DOLICHOS erat mensura duodecim stadiorum, qua ratione continet sesquimilliare, hoc est, passus mille quingentos. Sunt qui hoc spatio leucam circumscribant: cui tamen alii duo milliaria tribuunt. *Cenal. de pond. ac mens. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1485. *E. Bud. in Pandect. p.* 126. *D. Mercur. de art. Gymnast.* II. 10. *Rhodig. Ant. Lect.* XIII. 30. *Fab. Agon.* 1. 32. *Scalig. Poet.* 1. 22. *Fasold. de Fest. Græcor. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VII. *p.* 533. *F.*

DOLIOLA fuerunt locus singularis in Foro Romano prope Cloacam, in quem despuere nefas erat. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Est locus, qui vocantur Doliola ad cloacam maximam, ubi non licet despuere, à doliolis sub terra. Eorum duæ traditæ historiæ, quod alii esse ajunt ossa cadaverum, alii Numæ Pompilii religiosa quædam post mortem ejus infossa.* Nardin. Roman. Vet. v. 7. Guther. de jur. man. 1. 6. Marlian. Topogr. Urb. Roman. III. 5. Panvin. Descript. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 297. D. Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Græv. p. 372. B. Donat. de Urb. Rom. II. 20. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. 1. p. 31.

Doliola fuerunt alia in sacello, forsan in Quirinali, ubi Flaminem Quirinalem habitasse verosimile est: in quæ *dolia* itidem despuere nefas habitum. Liv. v. 40. *Flamen interim Quirinalis, virginesque Vestales, omissa rerum suarum cura, quæ sacrorum secum ferenda, quæ quia vires ad omnia ferenda deerant, relinquenda essent consultantes, quisve ea locus fideli asservaturus custodia esset; optimum ducunt, condita in doliolis sacello proximo ædibus flaminis Quirinalis, ubi nunc despui religio est, defodere.* Nardin. Roman. Vet. v. 7. Panciroll. Descript. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 372. B.

DOLIOLUM est mons in regione XIII. quæ Aventinus dicta, admirabilis è fragmentis vasorum figulinorum, testarumque, unde ei hodieque Testacei nomen est, comportatis enatus: olim etiam quàm nunc major, quum mea ego ætate ingentem illic numerum curruum olim viderim, qui terram inde ablatam in explendas, æquandasque lutosas in vicinia vias deferebant. Causam nominis veram jam diximus: multæ enim illic figlinæ fuere, translatis eo ab Tarquinio forsan Prisco figulis, cum circum faceret, quod flumen in proximo esset ad cocta inde vasa devehenda. Et in hoc omnes

nes consentiunt veteres scriptores, ex eorum fragmentis huc abjectis montem illum surrexisse. Illa enim vulgatis fabula de tributis Urbi provinciis, & urbibus subjectis in vasis figulinis apportatis nimiùm anilis est. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 9. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 15. *n.* 4.

DOLIUM an sit in vasis vinariis, quod Javolenus ait, præsertim si vinum habeat, l. vinaria 206. de verb. sign. Trebatius à Proculo reprehensus negat, l. vinum 15. ff. de tritic. vin. & oleo leg. Cujacius solerter & ingeniosè explicat Observ. II. 36. *Salmuth ad Panciroll. de reb. deperd. & inv. p.* 143. *Dolia fundo legato continebantur*, Pompon. l. cum fundus 21. non quævis, quæ in cellis quidem defixa erant, non tamen ita, ut solo suo, aut lateribus fundo hæreant, sed ut tota, & integra erui inde possint; verùm ea, quibus terra ita adgesta est, vel quæ ita fundo adhærent, ut perpetuò ibi sint, & sine ruina ædificii avelli nequeant. *Nicol. de Sigl. Vet. c.* 45. §. 2. Mense Septembri picabant veteres. Colum. XI. 2. *Antequam fructum cogere incipiat, cuncta preparanda erunt superiore, si fieri poterit, mense. Sin minus, certè ut ante quindecim dies dolia partim picata, partim defricata, & diligenter lota marina, vel aqua salsa, & rectè siccata.* Pallad. in Septembri III. 11. *In doliis picandis hic modus erit, ut dolium ducentorum congiorum* XII. *libris picetur.* Ursin. ad Kalend. rustic. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 25. F. Ligneorum usus hodie apud omnes Italos pertransivit, sublatis in totum testaceis, cum sua picandi difficultate, & transportandi periculo, & quod omnium maximum videtur, cum pæne illa incredibili molestia hauriendi vinum per ipsorum vasorum ora, tam in diffundendo, id est, de uno in aliud vas transportando, ut docet Ictus Proculus l. vinum de tritico legato, & Colum. XII. 18. 30. quàm in depromendo & degustando, ut prædicti auctores, & Plin. XIV. 14. demonstrant: de quo & Terent. Heaut. III. 1. 51.

Relevi dolia omnia, omnes serias.

Pætus de Rom. & Græc. mens. IV. Thes. Græv. Tom. XI. p. 1654. F. *Dolia* saxis farcita, & sic cum pondere & impetu in homines & in machinas immittere, præsertim per declive, solebant veteres. In Dione LVI. p. 580. D. scribitur, cum Tiberius jussu Augusti in Dalmatia res gereret, atque oppidum aliquod in rupe assideret, *Dalmatarum alios arcas sive dolia rotunda facta more gentis, & lapidibus referta dimisisse.* Heron. Mechanicus c. 1. *Columnas, rotas, currus quadrirotos ponderibus onustos, vasa textilia lapidibus, aut terra madefacta repleta, cujusmodi sunt ea, quæ ex tabulis figura circuli composita, vinum, oleum, & tales liquores suscipiunt.* Ammian. XX. 11. *Et viminea crates, cum procederent confidenter, essentque parietibus contigua, dolia insuper cadebant, molæ, & columnarum fragmenta: quorum nimiis ponderibus obruebantur pugnatores.* Lips. Poliorc. V. Dial. 4. Thys. de Oppugn. Urb. V. p. 190.

DOLO *est flagellum, intra cujus ferrum latet pugio. Aut secundum Varronem ingens contus cum ferro brevissimo.* Serv. Æneid. VII. 664. Hinc Alphen. ff. ad leg. Aquil. *Ille flagello, quod in manu habebat, in quo dolon inerat, verberare tabernarium cœpit.* Hesychius; *Dolones, gladioli in ligno latantes.* Suet. Claud. c. 13. n. 3. *Reperti & equestris ordinis duo in publico cum dolone.* Alex. Gen. IV. 15. & ad illum Tiraquellus. Buleng. de theatr. I. 55. Laz. Comm. reipubl. Roman. VIII. 18. Salmuth. in Panciroll. de reb. deperd. & inv. pag. 31. Bud. in Pandect. p. 119. F. Bayf. de re nav. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. XI. p. 618. A. Gyrald. de navig. c. 14. Donat. Diluerd. p. 57. Beroal. & Pitisc. in Suetonium.

Dolo significat quoque armamenta, sive ornamenta navalia. Liv. XXXVI. 44. *Quibus ut æquaret lævum cornu, dolonibus erectis altum petere intendit.* XXXVII. 30. *Postquam prætoriam navem Polyxenidæ relictis sociis vela dantem videre, raptim dolonibus capessunt fugam.* Tiraquell. ad Alex. Gen. IV. 15. Beroal. in Suet. Claud. c. 13. n. 3. Qui genus describunt, sed non speciem, aut specificam differentiam, sicuti si quis hominem diceret esse animal. Cogitabam ego *dolones* dictas à Livio antennas illas, quibus minora vela brevioribus funiculis alligantur, trochleisque in altum eriguntur, vel deprimuntur, & inferiùs relaxantur, *Donat. Diluc. id. p.* 58. Si hæc interpretatio non arriserit, aliam subjicimus ex Suida desumptam, qui interpretatur *dolones* minuscula navium vela. Namque cum Livius dux Romanæ classis vela contraxisset, malosque inclinasset, armamenta composuisset, operiens hostilem classem ad pugnam, tamen ut æquaret lævum cornu, *dolonibus* erectis altum petere intendit, fefellitque hostes, qui nihil tale facturum eum existimaverant, sed solum in pugna paratum statutum crediderant. *Donat. l. l. Bayf. de re nav. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom.* XI. *p.* 618. *A. Dolet. Thes. ibid. p.* 683. *A. Gyrald. de navig. c.* 14. *Calcagn. de re naut. c.* 14. *Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 30. *Bud. in Pandect. p.* 119. *F. Scheffer. de re nav.* II. 5. *Kipping. Dissert. de Expedit. Marit.* §. 1.

DOLUS malus cur dicatur à prætore, docet Ulpian. ad edictum XI. l. 1. §. non fuit, de dolo malo: *Non fuit autem contentus prætor dolum dicere, sed adjecit malum: quoniam veteres dolum etiam bonum dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebant, maximè si adversus hostem latronemve quis machinetur.*

Dolus, an virtus quis in hoste requirat?

inquit Virg. Æneid. II. 390. *Augustin. ad leg.* XII. *tab.* §. 51. . . . . à venditione aberit, venditionibus solebat adjici: quod etiamsi adjectum non fuisset, præstari tamen debebat, l. si cum fundum §. 1. ff. 1. de contrah. empt. *Existimo te in exigendo non solum bonam fidem, sed etiam diligentiam præstare debere: id est, non solum ut à te dolus malus absit, sed etiam ut culpa. Ferè aliqui solent hæc verba adjicere, dolus malus a venditore aberit, qui etiamsi adjectum non est, abesse debet.* Ambros. Offic. III. 10. *Quid autem loquar de contractibus cæteris, ac maximè de coemptione prædiorum, vel transactionibus, atque pactis? Nonne honestatis formulæ sunt, dolum malum abesse, eumque cujus dolus deprehensus fuerit, dupli pœnæ obnoxium fore?* Brisson. de Formul. VI. p. 507. Ursat. de not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 677. D.

DOM.

DOMESTICI dicuntur omnes adjutores, sive ministri legitime constituti, tum in palatio, tum in foro. In palatio *domesticus* mensæ, comes *domesticorum*, magnus *domesticus*, scholarum *domesticus*, murorum, vel regionum *domesticus*. In foro *domestici* judicum ministri, C. de allest. & ministr. *Buleng. de Imp. Rom.* IV. 38. VIII. 19. Hi privatis negotiis vacabant, & à publicis actibus arcebantur. *Nam si necessitatibus publicis convicti sint se commiscuisse, ad potestatis majoris examen deducuntur, ut competens in eos vindicta promatur*, l. 4. C. de allest. *Post finitam magistratuum administrationem dies quinquaginta in provinciis residere*, l. 3. C. eod. ut si quid peccassent, pro modo delicti plecterentur. Illi publicis illorum usibus deserviunt, & in exsecutione tributorum comitibus obsequebantur. Cassiod. Var. IX. 13. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 15. Multa *Du Fresne Glossario.*

DOMIDUCUS, cum domum ducenda erat, quæ nubebat, colebatur. Augustin. de Civit. Dei VI. 9. *Sed domum est ducenda quæ nubit, adhibetur Domiducus.* Erat hic, cujus numine putabatur virgo matrona esse, & patriæ potestatis jugo soluta in mariti jus migrare. *Tomas. de donar. c.* 13. *Gyrald. Synt. deor.* 1. 56. *D. Voss. de Idolol.* II. 16. *Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 158. *Stuck. de Sacrif. p.* 46. *Laurent. de Sponsal. c.* 1. *Blond. Triumph. Rom.* 1. *p.* 11. *E.*

DOMINÆ dicebantur deæ. Venus apud Petron. c. 45. *Timidissimo murmure votum feci: & domina, inquam, Venus.* Juno apud Virg. Æneid. III. 438.

Junoni cane vota lubens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis.

Cybele apud Virg. Æneid. III. 113.

Et vincti currum dominæ subiere leones.

Ubi Servius: *Sanè dominam propriè matrem deum dici Varro & cæteri affirmant. Nam & ibi Proserpina ideo à Virgilio domina appellata, quod ipsa terra esse credatur, sicut & mater*

ter deum. Isis: Inscriptio Bononiensis apud Gruter. p. 84. num. 2.

DOMINÆ
ISIDI. VICTRICI.

Brisson. de Formul. 1. p. 45. *Donat. Dilucid.* p. 454. *Guther. de jur. pont.* 11. 3. *Broukh. in Prop.* 11. 4. 17. Filiæfamilias. Augustin. Conf. ix. 8. *Ancilla, cum qua solebant accedere ad cuppam, litigans cum domina minore, ut fit, sola cum sola*. Cerda Adv. c. 173. n. 10. Uxores. Epict. Enchir. c. 62. *Mulieres statim ab anno decimo quarto à viris dominæ vocantur*. Ubi Simplicius: *Plerique mortales uxoribus à prima ætate adulantur, & honorem habent, easque dominas vocant, solius concubitus causa*. Uxor viro fortunarum socia est, & ut domus ille *dominus*, ita hæc *domina* est. Hoc sibi vult vetus illud verbum: *Ubi tu Cajus, ego Caja*. Hinc *socia rei humanæ, atque divinæ domus*, id est, religionis & sacrorum *suscipitur* Cod. ix. 32. 4. *Atque hac societas vitæ quodammodo dominam eam facere* statuitur à Nerva & Cassio. Virg. Æneid. vi. 397.

Hi Dominam Ditis thalamo deducere adorti.

Suet. Claud. c. 39. n. 2. *Cur domina non veniret, requisivit*. Ad Virgilium dicit Servius: *De Græco tractum est, quia uxorem δέσποιναν dicunt*. Rittersh. in Oppian. p. 3. Pancirol. Var. Lect. 1. 76. Lyd. Serm. conviv. p. 111. Hotoman. de rit. nupt. c. 23. Forner. Select. 1. 11. Tiraquell. in v. leg. connub. Gloss. 1. p. 5. ou. 11. 12. 13. Barth. in Calpurn. 111. 50. Lips. in Tacit. Annal. 11. Excurs. P. Cujac. Observ. 111. 18. Rævard. de Div. reg. jur. xxx. Almelov. Ant. sacr. prof. p. 47. Torrent. & Pitisc. in Suetonium. Guther. de offic. dom. Aug. 111. 9. Menag. Amœn. jur. c. 25. Gentil. Parerg. 11. 23.

DOMINI *nostri* epitheton, quod passim in lapidibus, & nummis legitur, vota, dedicationes, seu opera publica, & monumenta viventium Principum indicat. *Bellor. in fragm. vest. vet. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* iv. *p.* (8.)

Domini appellabantur Dii. Jupiter apud Apul. Metam. vi. p. 192. *Tunc Jupiter prehensa Cupidinis buccula, manuque ad os suum relata: licet tu, inquit, domine fili*. . . . Ovid. Heroid. iv. 11.

Quicquid Amor jussit, non est contemnere tutum.
Regnat, & in dominos jus habet ille deos.

Inscriptio Cibini in Transsylvania apud Gruter. p. 506. n. 1.

I. O. M. JUNONI. MI
NERVÆ. ET. ÆSCU-
LAPIO. DOMINO. . . .

Broukh. in Prop. 11. 4. 17. Fratres à fratribus blandientibus. Senec. Epist. 104. *Illud mihi in ore erat domini mei Gallionis*. Loquitur de fratre Junio Gallione. *Lips. in Tacit. Annal.* 11. *Excurs. P. & in Senecam*. Mariti ab uxoribus. Virg. Æneid. iv. 214.

—— ac dominum Ænean in regna recepit.

Ubi Servius: *Est de jure, quasi per coemptionem. Vel dominum maritum, ut dominam uxorem*. & Nonius iv. 125. *Dominus, maritus*. Cyprian. de bon. pudicit. *Virginitas quid aliud est quàm soluta libertas? maritum non habet dominum*. Reines. Inscript. Class. xiv. n. 146.

D. M.
L. VIRGINIO. VIRGINIANO
A. MILITIIS. DOMINO
MARITO. SANCTISSIMO
GAUNIA. TARSIS
FECIT. ET. SIBI.

Panciroll. Var. Lect. 1. 76. *Guther. de offic. dom. Aug.* 111. 9. *Cerda Adv. c.* 136. *n.* 8. *Donat. Dilucid.* p. 86. *Menag. Amœn. jur. c.* 25. *Lips. in Tacit. Ann.* 11. *Excurs. P. Gentil. Parerg.* 11. 23. *Cujac. Observ.* 111. 18. *Almelov. Ant. sacr. prof. p.* 47. *Claud. de salutat. p.* 41. Obvii, quorum nomina vel ignorabant, vel non meminerant. Senec. Epist. 3. *Quomodo obvios, si nomen non occurrit, dominos salutamus*. Quo referendum epigramma Mart. 1. 113.

Cum te non nossem, dominum, regemque vocabam.

Lips. in Tacit. Annal. 11. Excurs. P. Torrent. in Suet. August. c. 53. Scriver. & Rader. in Martialem. Brisson. de Formul. viii. p. 744. Pædagogi ab alumnis. Ausonl. v. 450.

Componet teneros etiam qui nutriet annos,
Et dominum dominus prætexta lege sequatur.

Stat. Sylv. 11. 1. 50.

—— heu lactea colla,
Brachiaque, & nunquam domini sine pondere cervix.

Claud. Diatr. de nutric. & pædag. p. 223. Parentes à liberis. Mart. 1. 82. 1.

E servo scis te genitum, blandèque fateris,
Cum dicis dominum, Sosibiane, patrem.

Quamvis Augustus *dominum se appellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus suis, vel serio, vel joco passus sit: atque hujusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuerit*. Suet. c. 53. n. 2. *Barth. Adv.* xxxvi. 21. *Lips. in Tacit. Annal.* 11. *Excurs. P. Pitisc. in Suetonium*. Servi ab heris ludendo. Martialis supra laudatus, & v. 59. 1.

Cum voco te dominum, noli tibi Cinna placere:
Sæpe etiam servum sic resaluto meum.

Lips. in Tacit. Annal. 11. Excurs. P. Scriver. & Rader. in Martialem. Torrent. in Suet. August. c. 53. Superiores dignitate ab inferioribus, ut apud veteres Atticos τίμιοι. Τίμιος est *dominus*. Theoph. Eth. Char. c. 10. *Tu vir honeste epulare hilariter*, εὐωχοῦ τίμιε. Eurip. Suppl. n. 552.

—— ab infortunato
Honore afficitur, qui est in secundis rebus.

Et in Hecuba ait idem poeta, plerosque homines insolescere: alium propter opes; alium, quòd *dominus vulgo salutetur*, ἐν πολίταις τίμιον κεκλημένον. Postea Romanos imitati sunt Græci, & sese invicem salutarunt *δεσπότας καὶ κυρίους*. *Casaub. in Theophrastum. Gentil. Parerg.* 11. 23. *Claud. de salutat. vet. p.* 54.

DOMINIA dicuntur convivia hilariora, quæ à *domino* præbitore convivii nomen acceperunt. Gell. 11. 24. *Qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, id est, mutua inter se dominia agitarent*. Thys. in Gellium.

DOMINIUM dicebatur vel naturale, sive bonitarium, quod in bonis appellat Ulpian. Fragm. tit. 1. §. 16. his verbis: *In bonis tantum alicujus servus est, velut hoc modo, si civis Romanus à cive Romano servum emerit, isque traditus ei sit, neque tamen mancipatus ei, neque in jure cessus, neque ab eo anno possessus sit. Nam quamdiu horum quid factum fuerit, is servus in bonis quidem emptoris est, ex jure Quiritium autem venditoris est*. Vel legitimum, sive ex jure Quiritium. Theophilus: *Est itaque, ut dicunt, naturale dominium, & legitimum dominium. Et naturale quidem dicitur in bonis, & dominus bonitarius. Legitimum verò ex jure Quiritium*. Quod ut acquiratur, sex ferè res requiruntur. Varro de re rust. 11. 10. *In emptionibus dominium legitimum sex ferè res perficiunt: si hereditatem justam adiit: si ut debuit, mancipio ab eo accepit à quo jure civili potuit: aut si in jure cessit cui potuit cedere, & id ubi oportuit: aut si usucepit: aut si è præda sub corona emit: tumve cum in bonis sectioneve cujus publicè venit*. Ex hoc jure oriebatur formula: *Hunc hominem ex jure Quiritium meum esse ajo*. Et illa apud Cicer. in Verrem: *Si patet fundum Capenatem, quo de agitur, ex jure Quiritium P. Servilii esse*. Qui utrumque *dominium* habebat, jure pleno *dominus* dicebatur. Theophilus. Hanc *dominiorum* subtiliorem distinctionem sustulit Justinian, l. unic. C. de nud. jur. Quir. toll. *Loen. de manum.* 1. 4. 6. & 7. *Augustin. de leg. in Junia Norbana*. Constituto possessore, lis de *dominio* intendebatur possessori ab eo, qui possessione exclusus esset, aut qui omnino expers possessionis esset. Siquidem, ut scriptum est ff. de petit. hæred. *tenetur petitione hereditatis, qui vel jus pro possessore possidet, vel rem hereditariam, licet minimam*. *Dominium* petebatur eadem ratione, iisque prope verborum formulis, quibus possessio. Cæterum petitor cum possessore egit ita, ut primùm an auctor esset, id est, an talis esset, unde jus suum repetere posset, statueret, deinde vindicaret, tum satisdare juberet, tum sponsione provocaret. V. singula suis locis. *Sigon. de judic.* 1. 21.

DOMINO immiti ex legibus Antonini in servos sævire non licebat, licèt illi antea in illos potestas fuerit vitæ & necis. Cajus, l. 1. ff. de his qui sui vel alieni jur. sunt:

sunt. *Igitur in potestate sunt servi dominorum, quæ quidem potestas juris gentium est: nam apud omnes peræquè gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitæ necisque potestatem fuisse. Sed hoc tempore nullis hominibus, qui sub imperio Romano sunt, licet supra modum, & sine causa legibus cognita, in servos suos sævire: nam ex constitutione divi Antonini, qui sine causa servum occiderit, non minus puniri jubetur, quam qui alienum servum occiderit.* Argol. in Panvin. de lud. circ. 11. 3.

Dominus factionum dicebatur, qui, cum quatuor essent factiones, suæ quisque factioni præerat, ac circi jura tuebatur, Suet. Ner. c. 5. n. 6. *Quærentibus dominis factionum.* Lampr. Domm. c. 16. *Circenses multos addidit ex libidine potius quàm religione, & ut dominos factionum ditaret.* Dicitur aliàs magister. Inscriptio, quæ exstat Lanuvii: M. AURELIO. LIBERO. PATRI. ET MAGISTRO. ET SOCIO. DOMINO. ET AGITATORI FACTIONIS PRASINÆ. AURELIUS CÆCILIUS PLANETA PROTOGENES OB III. PALMAR. HOC DONUM VOVIT. NATIONE AFR. Et conditor. Inscriptio, quæ exstat Romæ:

D. M.
C. POMPEJO. EUSCENO.
CONDITORI. FACTIONIS. RUSSATÆ
PATRONO. B. M.
OPTIMO. ET
PIENTISSIMO.
LIBERTI. ET HÆREDES. FECERUNT
DE. SUO.

Panvin. de lud. circ. 1. 11. *& ad illum Argolus. Buleng. de circ. c.* 43. *Gonsal. in Petron. p.* 110. *Torrent. & Pitisc. in Suetonium.*

DOMITIA gens. V. illam infr. in *Gens*.

Domitia Longina fuit uxor Domitiani Imperatoris, quam *Ælio Lamiæ nuptam ille in matrimonium abduxit.* Suet. c. 1. nu. 7. & Xiphil. LXVI. p. 746. A. Et licèt ob adulterium cum Paride saltatore commissum repudiatam scribat Xiphil. LXVII. p. 759. E. tamen *intra breve tempus impatiens discidii, quasi efflagitante populo reduxit.* Suet. c. 3. n. 2. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 374. *E.*

DOMITIANUS Tito fratri successit XII. à dictatore Cæsare, qui Idibus Septembris primo die imperii sui, ut ex antiquis nummis liquet, omnia Imperatorum insignia, & titulos suscepit, & præsertim tribuniciam potestatem, quam patre, fratreque vivis nunquam adipisci potuerat: atque in sequentem annum se VIII. consulem designavit. Nam septem antea consulatus gesserat, duos ordinarios, reliquos suffectos. Exstant per singulos ejus imperii annos nummi, ex quibus ejus titulos formavi, ut hoc anno: IMP. CÆS. DOMITIANUS. AUG. P. M. TR. P. COS. VII. DES. VIII. P. P. Xiphil. LXVII. p. 760. C. *Domitianus consulem se in decem annos perpetuos, censoremque, dum viveret, primus, solusque ex privatis civibus, & Imperatoribus designavit.* Panvin. Fast. II. p. 210. Plures arcus exstruxit per omnes Urbis regiones, & insignem via Appia, de quo Statius supr. in *Arcus*. Buleng. de Triumph. c. 2. quatuor factionibus antiquis duas novas addidit, quia ex ea circi parte, ubi carceres erant, sex ostia erant, & quatuor tantùm ex iis pro carceribus usi sunt veteres, quum non nisi quatuor currentium essent, quæ vel metis proximiores, vel ad cursum aptiores esse videbantur, ne duo quæ supererant ostia, vacua essent. *Panvin. de lud. circ.* 1. 6. Circum maximum *ex lapidibus naumachiæ, densis utrimque lapidibus exstruxit*, Suet. c. 5. n. 3. *Panvin. ibid. c.* 7. Feminas pugnaces, quia addictus Palladi, cujus natalem prope Tritoniam paludem virgines ludicris armatis inter se decertantium similitudine colludebant, in arena exposuit. *Argol. in Panvin. de lud. circ.* 11. 2. Ad ornatum circi *& stadium, & odeum, & naumachiam excitavit.* Suet. l. l. *Buleng. de circ. c.* 4. *Sportulas publicas sustulit, revocata cœnarum rectarum consuetudine.* Suet. c. 7. n. 2. *Buleng. de convxv.* 1. 10. Ante meridiem cibis se explevit, ut eos annotaret, quos ad prandium vocabat, cum interim cibis abstinens appositis comedentes spectaret. *Buleng. ibid. c.* 23. In strenas quo animo fuerit, obscurum est, nisi pro ingenii sævitia priorem prædationem in usum revocasse credendum est, utpote qui bonis per luxum citò absumptis nova vectigalia, novos census, novas exactiones commentus, nihil eorum intermisit, quæ ad corradendam pecuniam faciebant. Mirum, si strenas non revocasset, quibus magnam argenti summam priores Imperatores coacervarant. *Lipen. de Stren. c.* 2. *sec. at.* §. 6. Eunuchos fieri prohibet: mathematicos, philosophos Romana urbe pellit: plurimos senatorum in exsilium mittit: de Dacis & Germanis triumphat: Dominum se & Deum appellari jubet: vites in Urbe seri prohibet: aureas & argenteas statuas sibi in Capitolio poni jubet: Christianos persequitur. *Prosper. Chronic. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 288. Domitiam Paridis amore captam repudiavit. V. supr. in *Domitia*. Buleng. de theat. 1. 51. *Occisus est in palatio anno ætatis suæ* XXXV. Prosper. Chronic. ibid. p. 289. B. Euseb. Chron. ad an. 2112. & Cassiod. ad an. 851. vel XIV. *Kal. Octobr. ann.* 849. *ætat.* 45. *imperii* 15. *& die* 5. ut tradunt Suet. c. 17. nu. 5. Eutrop. VII. 17. Aur. Vict. Epit. c. 11. n. 12. Xiphil. ibid. p. 768. B. *Panvin. ibid. p.* 213. Sepultus in templo suæ gentis. V. infr. in *Templum*.

DOMITIUS habebatur deus, ut in domo esset nova nupta. Augustin. de civ. Dei VI. 9. *Ut in domo sit, adhibetur deus Domitius.* Stuck. de sacrif. p. 47. Tomai. de donar. c. 13. Laurent. de Sponsal. c. 1. Blond. Triumph. Rom. 1. p. 11. E.

DOMUS fabrica à Vesta perhibetur reperta. Diodor. v. p. 232. B. *Dicitur Vesta domuum exstruendarum rationem reperisse; ob idque beneficium eadem à cunctis ferme hominibus in omnibus ædibus dicari, honoribus ibidem & sacrificiis culta.* Enarrator Pindar. Olymp. 1. p. 130. *Quæ ab initio domum reperit, erat Vesta, quæ Saturni erat filia: à qua domum ἑστίαν dicimus*, Spanhem. de Vest. & Prytan. §. 3. Prius in cavernis, atque antris homines habitarant, ferarum more. Lucret. v. 956.

Sed nemora, atque cavos monteis, sylvasque colebant,
Et frutices inter condebant squalida membra,
Verbera ventorum vitare, imbresque coacti.

Illa latibula Ovidius *domos* vocat, sed ita, ut ipse se corrigere videatur Metam. 1. 121.

Tum primum subiere domus: domus antra fuerunt,
Et densi frutices, & vinctæ cortice virgæ.

Tibull. 11. 1. 39.

Illi compositis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum.

Ubi veterem lectionem *casam* non invitus amplector. Est enim *domus* appellatio splendidior, quàm quæ conveniat spelæis, atque etiam tuguriis rusticanis. *Broukh. in Tibullum.* Lateritia paullulum lapidibus suffundata veteres *domo* habitabant, ut humorem effugerent, aut sabulum jacebant à pariete, qui cryptas *domi* non habebant. *Buleng. de convxv.* III. 23. *Domum* ædificabant olim, qui uxorem ducebant: ex quo credo natum illud Hesiod. Oper. II. 405.

Domum quidem prius, deinde uxorem.

Et apud Theocrit. Eidyll. XXVIII. 36. quæ à Satyrisco mulier efficitur, & loco uxoris habenda est, eum interrogat, *domumne* sibi sit ædificaturus, isque ipsi pollicetur. Apud Homer. Iliad. II. 701. cum anno nondum vertente ad Ilium uxore ducta profectus esset Protesilaus. scribitur: *ὁ δόμος ἡμιτελής.* Et à Valer. Flacc. Homeri imitatione. VI. 688.

— conjux miseranda Caico
Linquitur, & primo domus imperfecta cubili.

Catull. LXVIII. 38.

Conjugis ut quondam flagrans advenit amore
Protesilaeam Laodamia domum,
Inceptam frustra, nondum cum sanguine sacro
Hostia cælestes pacificasset heros.

Turneb. Adv. XXI. 17. Lampert. Alard. in Valerium. Potter. Archæol. Græc. IV. 11. Feith Antiq. Homer. II,

14.

14. Romani habebant *domos* valdè laxas & patentes. Val. Max. IV. 4. 7. *Angustas se habitare nunc putat, cujus domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.* Unde illas urbibus comparant Apul. de deo Socrat. p. 699. *Igitur illas ædificiorum species, in quas patrimonia sua profuderunt, amœnissimas, & exstructissimas, & ornatissimas deprehendas: villas æmulas urbium conditas, domos vice templorum exornatas.* Seneca suum, vetusque ævum disputans Epist. 91. *Non habebant domus instar urbium:* quasi dicat, at nos habemus. de Benef. VII. 10. ubi agnoscit, & increpat *ædificia privata laxitatem magnarum urbium vincentia.* Quæ non nescivit Olympiod. in Biblioth. Phot. p. 114. *Quæque magnarum domuum omnia in se ipsa habet, quæcunque mediocris urbs possit continere: nempe circum, fora, templa, fontes, balnea diversa. Ideo & poeta dixit:*

Una domus urbs est: urbs oppida plura claudit.

Mart. XII. 50. 1.

Daphnonas, platanonas, & aerias cyparissos,
Et non unus balnea solus habes.
Et tua centenis stat porticus alta columnis,
Calcatusque tuo sub pede lucet onyx.
Pulvereumque fugax hippodromon ungula plaudit,
Et pereuntis aquæ fluctus ubique sonat.

Sunt ipsa, quæ Olympiodorus dixit, exceptis *foris*, quæ intelligas fuisse hypæthra quædam, & subdivalia inter illas porticus statuis alioque ornatu, in fori faciem. Quid si revera ibi judicia, & forenses conventus? Fuere, & clientium, libertorum, servorum suorum causas domi cognoscebant. Horat. Od. III. 5. 52.

Quam si clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

Vitruv. VI. 8. *Præterea bibliothecas, pinacothecas, basilicas ad judicia, non dissimili modo quàm publicorum operum magnificentia comparatas, quod in domibus eorum sæpius & publica consilia, & privata judicia, arbitriaque conficiuntur.* Et eleganter instructas. Communiter Senec. Epist. 115. *Nos delectant ingentium maculæ columnarum: sive ex Ægyptiis arenis, sive ex Africæ solitudinibus advectæ porticum aliquam, vel capacem populi cœnationem ferunt. Miramur parietes tenui marmore inductos: cum sciamus quale sit, quod absconditur: oculis nostris imponimus. Et cum auro tecta perfundimus, quid aliud quàm mendacio gaudemus? scimus enim sub illo auro fœda ligna latitare.* In hisce I. est columnarum dispositio. In una *cœnatione, quam Callistus Cæsaris Claudii libertorum potentia notus sibi exædificaverat, ampliores triginta se vidisse*, notat Plin. XXXVI. 7. easque è sudioe lapide Germanico, cui ingens tunc pretium, & novitas. Et *in atrio Scauri maximas collocatas* XXXVI. 2. V. illum infr. in *Domus Scauri*. II. parietes marmore inducti: quod genus *incrustationis*, Græci μαρμαρώσιν dicunt. V. infr. in *Incrustare*. III. Auro tecta perfundi. Significat laquearia inaurari tota solere, quod passim scriptores, & tradunt, & damnant. V. infr. in *Lacunar*. Lips. de Magnit. Roman. III. 14. Thys. de Magnit. Roman. III. p. 308. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 8. Meurs. de Luxu Roman. c. 12. Captivarum navium rostris exornabant. Cicero ad Antonium Phil. II. 28. *An tu illa vestibula, rostra, spolia cum adspexisti, domum tuam te introire putabas?* Scheffer. de milit. nav. IV. 2. Ex *domibus* priùs conductis Kalendis Julii in *domos* recens conductas demigrabant. V. infr. in *Kalendis*. *Domus* expiandæ foribus infaustas & nocturnas aves, vespertiliones, & ferales bubones affigebant. Apul. Met. III. p. 93. *Quid, quod istas nocturnas aves, cum penetraverint larem quempiam, sollicite prehensas foribus videmus affigi, ut quod infaustis volatibus familiæ minantur exitium, suis luant cruciatibus?* Schott. Observ. I. 12. Est etiam juris axioma, quod nemo invitus de *domo* sua extrahi debeat ad jus, etiamsi magistratus jubeat? Cajus, l. 18. ff. de in jus vocando: *Plerique putaverunt, nullum de domo sua in jus vocari licere: quia domus tutissimum cuique refugium, atque receptaculum sit: eumque, qui inde in jus vocaret, vim inferre videri.* Et Paullus subjicit, l. 19. *Satisque pœna subire eum, si non defendatur, & latitet, certum est, quod mittitur adversarius in possessionem bonorum ejus.* Magna autem est domicilii cujusque prærogativa, tanquam templi, sacrariique privati. Habent enim singulorum *domus* quæque suos lares, penates, genios. Hincque est, quod prisci illi, si quando se ad bellum accenderent, hoc primum sibi proponerent, esse pro aris & focis pugnandum, ut eos ad arma impellere, non tam amor patriæ, fortunarum tutela, patrimonii, possessionumque conservatio, quàm quædam erga deos publicè consecratos, & suos lares religio concepta videretur. *Pollet. For. Rom.* v. 3. *Cujac. Observ.* VII. 15. *Ravard. de Div. reg. jur.* II. *Protrib. c.* 3. Edictum tamen denuntiabatur ei, qui *domi* suæ erat, vel si *domo* abesset, ad *domum* præconis voce, libello ædibus affixo: quod & aliis in causis frequenter fiebat. l. VIII. §. nuptæ ff. ad l. Juliam de adult. l. 13. ff. de excus. l. 5. §. 1. ff. quod vi aut clam. *Cujac. & Ravard. l. l.* V. infr. in *Evocatio*. Municipes in provinciis sic *domo* separabantur, & dignoscebantur, quemadmodum tribu in Urbe cives Romani. Id in Vitellio non obscurè docuit Suet. c. 2. n. 1. *Cæterum P. Vitellius domo Nuceria.* Sidon. Epist. I. 11. *Cæterum si requisisses: qui genus, unde domo? non eminentius quàm municipaliter natus.* Inscriptio: D. M. C. JULII. FILETIONIS. DOMO. AFRICA. . . . . Sunt & aliæ inscriptiones, quibus idem loquendi genus exprimitur, *domibus* ita distinctis: DOMO ARRETIO: DOMO ATESTÆ: DOMO ROMA: DOMO BOLDINIA: DOMO VERONA: DOMO VIENNA: DOMO CELEÆ: DOMO CARTHAGINE: DOMO ANTIOCHIA SYRIA. *Ravard. de div. reg. jur.* CXXIII. Eorum, qui nefarii sceleris, criminisque horrendi erant rei, publicabantur, evertebantur, & complanabantur. Cicer. pro Dom. c. 38. *Sp. Melii regnum appetentis domus est complanata. Ecquid aliud æquum accidisse Melio populus Romanus judicavit? Spurii Cassii domus ob eandem causam eversa, atque in eodem loco ædes posita Telluris. In Vacci pratis domus fuit M. Vacci, quæ publicata est, & eversa, ut illius facinus memoria, & nomine loci notaretur. M. Flaccus, quia cum C. Graccho contra salutem Reipublicæ fecerat, & senatus sententia est interfectus, & ejus domus eversa, & publicata est.* Ravard. Var. I. 7. De *domo* solvere quid sit, V. supr. in *Arca*. *Domo* interdicebant illis, quibus amicitiam renuntiabant. Tacit. Annal. VI. 29. 3. *Sed Cæsar missis ad senatum literis disseruit, morem fuisse majoribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eumque finem gratiæ ponere.* Ita *T. Quintio Crispino Romano palam omnibus, duobus exercitibus audientibus, renuntiat hospitium Badius Campanus* apud Liv. XXV. 18. Et *Cornelio Gallo ob ingratum, & malevolum animum domo interdixit* Augustus apud Suet. c. 66. n. 3. *Lips. in Tacit. Annal.* II. *Excurs. L. Pitisc. in Suetonium.* In amicorum *domus* secedebant, ut ibi convalescerent. Suet. Aug. c. 72. n. 4. V. illum infr. in *Domus Mæcenatis*. Plin. Epist. VII. 16. 2. *Ego in villas ejus sæpè secessi, ille in domo mea sæpè convaluit.* Lego etiam de Ptolemæo Lagi filio simile quid: notat enim Plutarch. Apophth. 28. *Ptolemæus Lagi crebrò apud amicos cœnabat, & dormiebat.* Mira consuetudo. *Casaubon Suetonium. Meibom. Mæcen. c.* 18. §. 3. Quomodo differat ab insula. V. infr. in *Insula*.

Domus Æliorum fuit in Exquiliis, sive quinta Urbis regione, eodem quo monumenta Mariana sunt loco. Val. IX. 4. 8. *Sexdecim eodem tempore Ælii fuerunt, quibus una domuncula fuerat, eodem loci, quo nunc sunt Mariana monumenta.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 15. Donat. de Urb. Roman. I. 25. Nardin. Rom. Vet. IV. 2. Faunus Ant. Urb. Roman. IV. 3.

Domus P. Africani fuit apud ædem nunc D. Georgii, ubi deinde T. Sempronius basilicam fecit. Liv. XLIV. 16. V. illum supr. in *Basilica Sempronia*. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 13. Donat. de Urb. Rom. II. 27. Faunus Ant. Urb. Rom. III. 7.

Domus M. Valerii Amerimni, equitis Romani, fuit in vico Jugario, ut ex ejus filii epitaphio didicimus. *Marlian. Topog. Urb. Rom.* II. 13.

Domus

Domus Anci Martii fuit in summa via sacra ad radices Palatini, ubi postea templum laribus surrexit. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 6. §. 5.*

Domus Aniciorum, saltem fratrum illorum trium, quorum duo simul consules fuere sub Honorio, fuit in insula Tiberiana. Claud. in Probin. & Olybr. consul. n. 126.

Est in Romuleo procumbens insula Tibri,
Qua medius geminas interfluit alveus urbes
Discretas subeunte freto, pariterque minantes
Ardua turrigera surgunt in culmina ripa.
Hic stetit, & subitum prospexit ab aggere votum
Unanimes fratres, juncto stipante senatu
Ire forum, strictasque procul radiare secures,
Atque uno bijuges tolli de lumine fasces.

Nardin. Rom. Vet. VII. 12.

Domus Annæi Senecæ fuit in Palatino Cœlium versus supra balneum. *Panvin. Descript. Urb. Rom. c. 11.*

Domus Aquilæ, & Priscillæ, de gente Hebræa Christianorum, & Petri hospitum, olim fuit, ubi S. Priscæ templum nunc est in Aventino, sive decima tertia Urbis regione. Illi ibidem & aram consecrasse dicuntur, diu post illa in honore habitam. Tandem ecclesia illic SS. Trinitati dedicata est, addito cognomine Aquilæ, & Priscillæ. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 8.

Domus C. Aquilii Equitis Romani illius, quem juris civilis scientia clarissimum fecit, in montis Viminalis dorso fuit posita. Plin. XVII. Procem. *Crasso domus magnifica: sed aliquanto præstantior in eodem palatio Q. Catuli, qui Cimbros cum C. Mario fudit. Multo verò pulcerrima consensu omnium ætate ea in colle Viminali C. Aquilii Equitis Romani.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 21. Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 343. B. Fabric. Descript. Urb. Rom. c. 11. Donat. de Urb. Rom. I. 25: III. 11. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 6. Blond. Instaur. Rom. II. §. 27.

Domus Attici Pomponii fuit in monte Quirinali, ubi nunc S. Vitalis templum. *Fabric. Descript. Urb. Rom. c. 11. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 23. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 9. Hoc minùs exploratum existimo. Nam Nepos c. 13. n. 2. *Domum habuit in colle Quirinali Tamphilanam, ab avunculo hæreditate relictam: cujus amœnitas non ædificio, sed sylva constabat.* Victor numerat inter Quirini templum & Malum Punicum, qui locus non longè fuit ab æde nunc Susannæ. Itaque cum esset amœna *domus*, & cincta nemore, remotiorem à foro, & Urbis frequentia, probabile est, prope quatuor nunc fontes sitam fuisse. *Donat. de Urb. Rom.* III. 15. *Turneb. in Cicer. de Leg.* I. *p.* 12. *Bosius in Nepotem.*

Domus Attici Vestini consulis fuit prope Forum Romanum, quem, detecta conjuratione multorum, Nero quamvis innoxium occidit. Tacit. Annal. XV. 69. 1. *Quia Vestinus imminentes foro ædes, decoraque servitia, & pari ætate habet.* Donat. de Urb. Rom. II. 27.

Domus Augusti, in qua natus est, fuit sita in monte Palatino ad capita bubula. Suet. c. 5. n. 1. *Natus est Augustus regione Palatii ad capita bubula.* In qua postea habitavit, fuit sita in Palatio. Suet. c. 72. n. 2. *Postea in Palatio, sed nihilominus ædibus modicis Hortensianis, & neque laxitate, neque cultu conspicuis, ut in quibus porticus essent breves Albanarum columnarum, & sine marmore ullo, aut insigni pavimento conclavia, ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hyeme atque æstate mansit.* Nardin. Rom. Vet. VI. 13. Borrich. Ant. Urb. Rom. Fac. c. 12. n. 2. Donat. de Urb. Rom. I. 52: III. 1. Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 364. B. Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 20. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 30. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 22.

Domus Balbini Imperatoris fuit in Carinis. Capitol. c. 16. *Domus Balbini etiam nunc Romæ ostenditur in Carinis magna, & potens, & ab ejus familia hucusque possessa.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 14. Donat. de Urb. Rom. III. 8. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 1.

Domus Bruti fuit foro proxima. Sallust. Bello Catil. p. 33. *Ille eos in domum D. Bruti perducit, quod foro propinqua erat.* Donat. de Urb. Rom. II. 27.

Domus Cæsaris Dictatoris primò fuit in Subura, post Pontificatum maximum in sacra via. Suet. c. 46. n. 1. *Habitavit primò in Subura modicis ædibus: post autem pontificatum maximum in sacra via, domo publica.* Hanc à Julia nepte nimis profusè exstructam, Augustus, qui, ut ait Suet. c. 72. n. 6. *ampla & operosa prætoria gravabatur*, ad solum diruit: ibique porticum Liviæ excitavit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 7: IV. 20. *Blond. Instaur. Roman.* III. §. 61. Docent Fulvius & Marlianus fuisse, ubi templum Pacis postea conditum est, ejusque reliquiæ cernuntur. Ajunt enim *domum* Cæsaris fuisse eversam, ibique conditam porticum Liviam, tum Pacis templum. Quod inculcant etiam interpretes Ovid. Fast. VI. 639.

Disce tamen, veniens ætas, ubi Livia nunc est
Porticus, immensæ tecta fuere domus.
Hæc æquata solo est nullo sub crimine regni,
Sed quia luxuria visa nocere sua est.
Sustinuit tantas operum subvertere moles,
Totque suas hæres perdere Cæsar opes.

Sed neutrum veritati consentaneum est. Apud Suetonium sermo est de villis elegantioribus, earumque sumptuosis ædificiis, quæ *ad solum diruerit* Augustus. Declarant hoc sequentia: *Sua verò quamvis modica.* *Domus* autem Cæsaris, post Lepidi obitum, Augusto non hæreditate, ut ait Ovidius de domo eversa, obvenerat, neque enim haberi sic poterat; sed quia Lepidi successor in pontificatu, in *domum* publicam transiturus erat, post obitum ejusdem Augusti ad alium item pontificem transituram. Qui tamen ea uti noluit teste Dione. V. illum infr. in *Domus regis sacrificuli.* Qui etiam alterius ædem fuisse, in cujus area exstructa est Livia porticus LIV. p. 537. C. *Vedius Pollio Augusto magnam hæreditatis partem, & Pausilypum villam inter Neapolim & Puteolos jacentem: jussitque, ut is populo aliquod splendidum opus faceret. Ædes Pollionis funditus evertit Augustus: porticuque ibi circumducta, non Pollionis, sed Liviæ nomen inscripsit.* Quod ergo hujus *domum* propter eximiam crudelitatem & luxum Augustus diruere voluerit, scripsit Ovid. n. 642. modò laudatus. Nam ædes diruebantur eorum, qui Romæ regnare voluissent, ut Sp. Melii, Sp. Cassii, M. Manlii.

Sed quia luxuria visa nocere sua est.

Sed neque hæc *domus* fuit ubi postea templum Pacis. Nam cum Livia porticus in ejus area exstructa fuerit, hanc post conditum templum diu superstitem, & simul exstare Romæ spectavit. Itaque Plinius, qui *Pacis templum pulcerrimum operum* appellavit XXXVI. 15. inquit XIV. 1. *Una vitis Romæ in Liviæ porticibus subdiales inambulationes umbrosis pergulis opacat.* In eadem Trajanum civibus aures dedisse aliquot annis post Vespasianum templi Pacis conditorem testatur Dion. Et Mart. de Spect. II. 9.

Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,
Ultima pars aulæ deficientis erat.

Quo tempore, cum hæc poeta scriberet, Vespasianus sua opera perfecerat. Fuit itaque *domus* Cæsaris ad radicem Palatini, ubi Vestæ templum, & ædes Vestalium erant; atque adeo sacra via media inter hanc *domum* & templum Pacis fuit producta. *Donat. de Urb. Rom.* II. 21.

Domus Caji Cæsaris *cinxit totam Urbem.* Plin. XXXVI. 15. *Donat. de Urb. Rom.* I. 26. *Bud. de asse.* III. *p.* 361.

Domus Calvi oratoris & poetæ fuit prope forum Romanum, supra scalas annularias. Eam primùm habitavit Augustus Cæsar. Suet. c. 72. n. 2. *Fabric. Descript. Urb. Roman. c.* 11.

Domus Cassii fuit extra templum Telluris. Dionys. VIII. p. 546. *Post Cassii mortem domus ejus eversa fuit, & hucusque subdialis dimittitur. Is locus extra Telluris ædem est: quam postea exstruxit civitas secundum eam viam, qua itur ad Carinas.* Marlian. Topog. Urb. Rom. III. 10. Faunus Antiq. Urb. Roman. II. 25.

Domus Catilinæ fuit juxta basilicam Opimii. *Marlian. Topog. Urb. Rom.* II. 17. *Faunus Antiq. Roman.* II. 18. De illa Suet. Gramm. c. 17. n. 3. *Docuitque Verrius Flaccus in*

atrio

atrio Catilinæ domus, quæ pars Palatii tunc erat, id est, *domus* Augustæ. *Donat. de Urb. Roman.* III. 3. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 13.

Domus Q. Catuli in colle Viminali censetur à P. Victore, & ab antiquariis: & inter illos à Blond. Instaur. Rom. II. §. 27. Sed illos hallucinari constat verbis Plinii jam laudatis supr. in *Domus C. Aquilii*. Marlian. Topogr. Urb. II. 20. Donat. de Urb. Rom. I. 25: III. 3. Docet verò Plinius conceptis verbis in monte fuisse Palatino: in quo regione decima numerat etiam P. Victor. *Donat. ibid. c.* 11. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 6. In hac taurus ex ære fuit Cimbris ereptus, sub quo jurare soliti. Plutarch. in Mario. p. 419. A. *Inducüs postulantibus concessis sub ænei tauri juramente dimiserunt. Hunc captum post pugnam tropæi loco in domum Catuli delatum ferunt*. Fuit & in eadem conclave rotundum cum hemisphærio, quicum aviarium comparat Varr. de Re Rust. III. 5. *Inter eas piscinas tantummodo accessus semita in tholum, qui est ultra rotundus columnatus, ut est in æde Catuli, si pro parietibus feceris columnas*. Nisi fortè Varro illic de templo quodam à Catulo constructo loquitur: quemadmodum è voce *æde*, & forma rotunda suspicari licet. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 15.

Domus Chilonis inter illustres regionis XII. numeratur. Cujus fuerit, non constar. Fortè Magii Chilonis fuit, solo scelerato facinore suo nobilis. De eo Val. Max. IX. 11. *Consternatum etiam Magii Chilonis amentia pectus, qui M. Marcello datum à Cæsare spiritum sua manu eripuit. Urbem enim à Mitylenis, quo se contulerat, repetentem in Atheniensium portu pugione confodit*. Id ipsum Sulpinus quoque perscribit Ciceroni Fam. IV. 12. Hinc forsan *domus* ejus posteris nota, & illius situs. Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 370. C. Qui *Cilonis* legendum putat, & Fabium Cilonem intelligi, qui ab Aurel. Vict. Epit. c. 20. n. 6. inter eos numeratur, quos Severus Imperator ditaverit. Primæ lectioni uterque codex Victoris patrocinatur, quibuscum & Notitia facit: nec Rufum dissensisse inde suspicari liquet. Panvinii sententia firmatur, quod Severus Ciloni illi eximiam *domum* dono dederit, quæ sine dubio illic sita fuit, ubi & cætera ejus Imperatoris fuerunt ædificia. Quod si verò tot concordium scriptorum correctio nimis audax videtur, in Sex: Aurelio vitium esse statuendum erit, quod eo faciliùs admittendum, quia Cassiodoro in Chronicis amicus ille Severi inter consules sub illo Imperatore factos non Cilo, sed Chilo, & Libo legatus. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 6. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 14. §. 3.

Domus Ciceronis fuit ad radices Palatii, juxta templum Jovis Statoris. Plutarch. in Cicer. p. 868. D. *In ædem proximam Jovis Statoris senatum vocavit*. A Lucio Crasso est empta. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 20. Miror ab illo illic collocari. Fuit enim in edito & summo colle, *in conspectu totius Urbis*, teste ipso Cicer. pro dom. c. 37. non autem in valle infima, ut videri vix posset. Ita de porticu, quam incensa domo inibi erexerat Clodius ibid. c. 39. *Hanc verò in Palatio, atque in pulcerrimo Urbis loco porticum esse patiemini?* Quod si objiciant Plutarchum scribentem in vita Cicer. p. 864. F. *Habitavit juxta Palatium*, Græcè habet, ἀεὶ τὸ Παλάτιον. Quæ præpositio cum accusandi casu etiam *in* significat: & veriùs interpres vertisset *in Palatio*, ut ait Cicero. Nec empta fuit de L. Crasso. Hic enim orator fuit, qui ante decesserat. Sed de P. Crasso. Sallust. in Ciceron. c. 2. *Cum in ea domo habitares, quæ P. Crassi viri consularis fuit*. Deinde in *domo* L. Crassi sex loti arbores fuerunt, quæ, teste Plin. XVII. 1. *duraverunt ad Neronis principis incendia*, quibus cremavit Urbem annis post 180. *cultu virides juvenesque, ni princeps ille accelerasset etiam arborum mortem*. At *domus* Ciceronis Clodiano incendio penitus corrupta, omniaque in eo consumpta, & solo æquata sunt, superstructa porticu Libertatis. De ejus emptione ipse ad Sextium Fam. V. 6. *Scripseras velle te bene evenire, quod de Crasso domum emissem. Emi eam ipsam millibus nummum* 35. Et Gell. XII. 12. *Cum emere vellet Cicero in Palatio domum, & pecuniam in præsens non haberet, à P. Sylla, qui tum reus erat, mutua H. S. vicies tacitè accepit*. Fuerat ante M. Livii Drusi, qui tribunus, cum de danda Italicis populis civitate leges ferret, occisus est. Vellej. II. 14. *Cum ædificaret* Drusus *domum in Palatio eo in loco, ubi est, quæ quondam Ciceronis* (Crassum omisit, qui ante Ciceronem possedit) *mox Censorini fuit, nunc Statilii Sisennæ est*. Donat. de Urb. Rom. III. 3. Nardin. Rom. Vet. VI. 15. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 12. §. 3. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 30. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 20.

Domus Q. Ciceronis fuit in Carinis. Cicer. Q. Fratr. II. 3. *Domum tuam in Carinis mundi habitatores Lamia conduxerunt*. Hanc avitam esse asserit S. Rufus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 14. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 1. Et altera in Palatino monte. Cicer. Attic. IV. 2. *Expulsi sunt fabri de area nostra. Disturbata porticus Catuli, quæ ex S. C. consulum locatione reficiebatur, & ad tectum pæne pervenerat. Q. fratris domus primo fracta conjectu lapidum ex area nostra, deinde inflammata jussu Clodii*. Marlian. & Faunus l. l. Donat. de Urb. Rom. III. 3.

Domus Claudii Centimali stetit in Cœlio. Cicer. de Offic. III. 16. *Cum in arce augurium augures acturi essent, jussissentque Titum Claudium Centimalum, qui ædes in Cœlio monte habebat, demoliri eas, quarum altitudo officeret auspiciis. Claudius proscripsit, insulam vendidit*. Ex quo intelligitur, *domum* in parte Cœlii fuisse, quæ procurrit versus Palatium Capitolio propinquior; & magna altitudine sublatam, quæ captantibus auguria è Capitolii arce editissima officeret. Addit Val. Max. VIII. 2. *ipsum judicio fuisse damnatum, coactumque pretium ejus Calphurnio Lanario restituere, cui eam, cognita demolitionem ejus jam decretam, vendiderat*. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 12. Donat. de Urb. Rom. III. 12. Nardin. Rom. Vet. III. 7. Borrich. Ant. Urb. Fac. IV. 3. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 16.

Domus Claudii Clypti hymnologi fuit in Cœlio monte, quemadmodum in ejus epitaphio legimus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 12.

Domus P. Clodii, Ciceronis inimici, fuit in Palatio. De illa Plin. XXXVI. 15. *P. Clodius, quem Milo occidit, sestertium centies & quadragies octies domo habitaverit: quod equidem non secus ac regum insaniam miror*. Proxima Ciceronis. Cicer. de Arusp. resp. c. 15. *Itaque ne quis meorum imprudens introspicere possit tuam domum, ac te sacra illa tua facientem videre, tollam altius tectum, non ut eo te despiciam; sed tu ne aspicias Urbem eam, quam delere voluisti*. Donat. de Urb. Rom. III. 3: VI. 15. Hinc liquet interiore altioreque loco Palatii sitam fuisse, ut ita ei in Urbem editiore tecti structura prospectus eriperetur. Hanc antea M. Scauri fuisse docet Ascon. in Cicer. p. 176. fortean eam ipsam, quam M. Scaurus in via habuit, quæ à Sacra via ad circum tendebat, in qua & Jovis Statoris ædes fuit, vicina ædibus Ciceronis. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 15.

Domus Corneliorum fuit in monte Quirinali è regione thermarum Constantini Imperatoris, qua parte mons Urbem planam despicit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 22. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 8. *Blond. Instaur. Rom.* I. §. 97.

Domus Cornificii in regione fuit duodecima. Victor. L. Cornificius intelligitur, qui hortatu Augusti ædem Dianæ Romæ condidit, ut auctor est Suet. Aug. c. 29. n. 13. *Pancirell. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III. *p.* 370. *D. Nardin. Rom. Vet.* VII. 6. *Domus* fuit perampla, gradus habuit, atrium, seu vestibulum cum porticibus. Fuit proxima Minervæ delubro in planitie, quæ à circo maximo tendit ad thermas Antonianas. *Beller. in Fragm. vest. vet. Rom. tab.* I.

Domus Corvina fuit sub Capitolio, ubi nunc macellum Corvorum appellatum, prope sepulcrum C. Poblicii. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 2. *Boissard. Topogr. Urb. Roman. Tom.* I. *p.* 43.

Domus L. Crassi oratoris magnifica fuit in Palatino. Plinius. V. illum supr. in *Domus C. Aquilii*. Marlian. Topogr. Urb. Roman. II. 20. Donat. de Urb. Roman. III. 11. Faunus Antiq. Urb. Roman. IV. 6. Præter sex lotos arbores ibi consitas, V. illas supr. in *Domus M. Ciceronis*, *columnas quatuor Hymettii marmoris, ædilitatis gratia ad scenam*

nam ornandam advectas in ejus atrio statuerat, cum in publico nondum essent ulla marmorea; ideoque à Co. Domitio unà censuram gerente graviter reprehensus, eademque de causa Crassus *Venus Palatina* à Bruto dictus est. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 11. *Donat. ibid.* I. 25. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 15.

Domus M. Crassi cognomento Divitis fuit in Viminali. De ea Pers. Sat. II. 36.

—— nunc Crassi mittit in ædes.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 11. De illo scribit Plutarchus p. 543. E. *nihil ipse ædificavit, nisi propriam domum*. Sed ubi fuerit, non tradit. *Donat. de Urb. Rom.* III. 11.

Domus Dionis in Palatio ponitur. Fuit credo Cassii Cocceji cognominati ex Nicea civitate Bithyniæ nobilis historiographi, Africæ proconsulis, qui & Dalmatiæ & Pannoniæ præses, & consul sub Diocletiano fuit. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 364. *D.* Ita legitur in Notitia: Apud Victorem Dionysii. At cujus? Nomen Græcum hoc, & forsan alicujus artificis, aut artium professoris percelebris. Dionysii geographi meminit Plin. VI. 27. medici XXXII. 27. XX. 3. & 11. Fuit & pictor, nec non alius statuarius, multique eo nomine alii; cujus eam fuisse ex his quis dixerit? *Nardin. Rom. Vet.* VI. 15.

Domus Ennii poetæ fuit in monte Aventino. Euseb. Chron. *Qui à Catone quæstore Romam translatus habitavit in monte Aventino parco admodum sumptu, & unius ancillæ ministerio*. Panvin. Descr. Urb. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. III. p. 310. F. Fabric. Descr. Urb. Roman. c. 11. Nardin. Rom. Vet. VII. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 3.

Domus Faberii scribæ fuit in monte Aventino. Vitruv. VII. 9. *Tum etiam Faberius scriba, cum in Aventino voluisset habere domum eleganter expolitam peristyliis, parietes omnes induxit minio*. Nardin. Rom. Vet. VII. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 3. Panvin. Descr. Urb. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 310. F.

Domus Faustuli juxta ficum fuit ruminalem. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 18.

Domus M. Flacci fuit in Palatio prope domum Ciceronis. Hac eversa Q. Catulus porticum extruxit. *Marlian. Topog. Urb. Rom.* II. 20. Val. Max. VI. 3. §. 1. *Cæterum Flacciana area cum diu penatibus vacua mansisset, à Q. Catulo Cimbricis spoliis adornata est*. Disjecta deinde à Clodio unà cum Ciceronis ædibus, quibus vicina fuit, & à senatu restituta, iterum à Clodio dissipata est. Cicer. Attic. IV. 3. *Armatis hominibus a. d.* III. *Non. Nov. expulsi sunt fabri de area nostra, disturbata porticus Catuli, quæ ex S. C. consulum locatione reficiebatur, & ad tectum pane pervenerat.* Redintegratam deinde rursus, sicut & Ciceronis *domum* perquàm probabile est. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 15.

Domus Flaminis Dialis fuit in colle Palatino. Dio LIV. p. 538. A. *Ignisque ab ea ad Vestæ usque grassatus, ita ut sacra à Vestalibus in Palatium sint translata, & in domo Flaminis Dialis posita.* Donat. de Urb. Rom. III. 3.

Domus Flaviorum supra altam semitam fuit loco, quem *malum punicum* veteres vocabant. Ibi Domitianum natum scribit Suet. c. 1. o. 1. quemadmodum *eam domum postea in templum gentis Flaviæ convertit*. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 9.

Domus Galli in monte fuit Aventino. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 15. §. 3.

Domus Gordiani Imperatoris non procul à dextra viæ Prænestinæ. Capitol. Gordian. jun. c. 32. *Domus Gordianorum etiam nunc exstat, via Prænestina, ducentas columnas uno peristylio habens*. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 15. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 3. Qui non placent, & frustra adducitur Capitolini locus mutilatus. Ille enim sic habet: *Domus Gordianorum etiam nunc exstat, quam iste Gordianus pulcerrimè exornavit*. Hanc ante dixerat in Gordiano majore fuisse Cn. Pompeji, nempe in Carinis, & Philippo principe ad fiscum Cæsareum devenisse. Quæ sequuntur, villam, non domum in Urbe describunt. *Et villa*, inquit, *eorum via Prænestina, ducentas columnas uno peristylio habens ... Cætera huic operi convenientia, & thermæ, quales præter Urbem, ut tunc, nusquam in orbe terrarum*. Quæ postrema verba villam semovent Urbe. *Donat. de Urb. Rom.* III. 9. *Ursin. not. ad Marlianum*.

Domus Hadriani privata in regione, ut credimus, fuit duodecima. Ejus meminit Capitol. in Marco c. 5. *Jussusque in Hadriani privatam domum migrare invitus de maternis hortis recessit*. Victoris sufficere debet auctoritas: tum quod Hadrianus Bonæ deæ ædem ex summo Aventino in planitiem transtulit, non procul eum à privata domo sua ædem hanc posuisse verisimile est. Sic ut hæc *domus* Subsaxana dici potuerit. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 6.

Domus Hortensii in Palatio fuit, quam secundam possedit Augustus, non procul ab æde nunc Anastasiæ. *Fabric. Descript. Urb. Rom. c.* 11. Describit illam Suetonius supr. in *Domus Augusti*. Donat. de Urb. Rom. III. 1.

Domus Hostilii Tulli, tertii Romanorum Regis, fuit in Cœlio ad ædem beatorum Johannis & Paulli. *Donat. de Urb. Rom.* III. 12.

Domus Junii senatoris in Cœlio fuit posita. Tacit. Annal. IV. 64. 4. *Adduntur sententiæ, ut mons Cœlius in posterum Augustus appellaretur: quando cunctis conflagrantibus sola Tiberii effigies in domo Junii senatoris inviolata mansisset.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 12. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 4. §. 3. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 16.

Domus Lampadii, Romanæ urbis præfecti, fuit in sexta Urbis regione, penè quo loco olim stabat pila Naris. Hanc plebs infima, ut est sæpè furori propior, facibus & malleolis concremare instituerat. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 8. §. 4.

Domus Laterani, Plauti nempe illius Laterani, qui unus de præcipuis fuit conjurationis in Neronem auctoribus, constanterque mortem oppetiit, uti Tacit. Annal. XV. 60. 1. enarrat, sedes postea Pontificum fuit, Silvestro Papæ à Constantino donata, postquam ibi in proximo Ecclesiam S. Johannis ædificasset, quæ Basilica Constantini nominata fuit. Sita fuit in Cœlio monte. Capitol. Marc. Anton. c. 1. *Natus est Marcus Romæ in monte Cœlio, in hortis: educatus est in eo loco, in quo natus est, & in domo avi sui Veri juxta ædes Laterani.* De *domo* hac Laterani jussu Neronis obsessa loquitur Juven. Sat. X. 15.

—— jussuque Neronis
Longinum, & magnos Senecæ prædivitis hortos
Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors.

Quod epitheton *egregias* indicium est, ætate quoque Juvenalis splendidas illas, & valdè conspicuas ædes fuisse: unde & à Nerone fisco addictas, & ab Imperatoribus deinceps possessas usque ad Constantinum, non vanè à plerisque omnibus asseritur. *Nardin. Rom. Vet.* III. 7. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 14. *Donat. de Urb. Rom.* III. 12.

Domus M. Lepidi. Hac pulcrior nulla Romæ fuit anno ab U.C. 676. *Intra annos triginta quinque centesimum locum non obtinuit* teste Plin. XXXVI. 15. nempe ad annum ab U.C. 711. & primum Augusti consulatum. *Lepidus* enim *primus omnium limina ex Numidico marmore* in illa *posuit. Fuitque consul anno Urbis* 666. Plin. ibid. c. 6. Sed ab illo erratum est decem annis. *Donat. de Urb. Rom.* I. 25.

Domus L. Licinii Suræ III. consulis fuit in monte Aventino. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 310. *F.* Palatinum versus. Mart. VI. 64. 12.

Quique vides propius magni certamina circi,
Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 11.

Domus Livii Drusi in monte Palatino fuit, empta est postea à Cicerone. V. illam supr. in *Domus M. Ciceronis*. Nardin. Rom. Vet. VI. 15.

Domus Lucii ab Attico in Annalibus refertur, sed locus non adjicitur. Fuit autem ea, quæ Antiochi Regis filio obsidi fuit publicè ædificata, ut est apud Asconium. *Fabric. Descript. Urb. Rom. c.* 11.

Domus Mæcenatis. Hujus mentio est apud Suet. Aug. c. 72. n. 4. *Æger in domo Mæcenatis cubabat*. Et apud Horat. Epod. IX. 3.

Tecum sub alta, sic Jovi gratum, domo
Beate Mæcenas bibam.

Ejusdem, & in ea supellectilis luxum conscripsit Senec. Epist. 114. *Ubi luxuriam latè felicitas fudit, cultus primum corporum esse diligentior incipit; deinde supellectili laboratur; deinde in ipsas domus impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum respondeat nitor.* In illa habuit *quingentos tripodas de ligno cedrino, pedibus eburneis, similes & pares inter se, super quibus epulabatur.* Dio LXI. p. 694. B. *Meibom, Macen. c.* 28. §. 1-6. V. etiam infr. in *Horti Mæcenatiani*. An eadem quæ turris. V. infr. in *Turris Mæcenatiana*.

Domus Mamurræ Formiani, fuit in monte Cœlio. Plin. XXXVI. 6. *Primum Romæ parietes crusta marmoris operuisse totius domus suæ in Cœlio monte Cornelius Nepos tradidit Mamurram Formiis natum, equitem Romanum, præfectum fabrorum C. Cæsaris in Gallia. Neque indignatio sit tali auctore inventa re. Hic namque est Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus, quem, ut res est, domus ipsius clarius, quam Catullus dixit habere, quicquid habuisset Comata Gallia. Namque adjecit idem Nepos, eum primum totis ædibus nullam nisi è marmore columnam habuisse, omnes solidas è Carystio aut Lunensi.* Marlian. Topog. Urb. Rom. IV. 11. Donat. de Urb. Rom. I. 26. Nardin. Rom. Vet. III. 7.

Domus M. Manilii Jurisconsulti celebris, & prudentis oratoris fuit in Carinis. Cicer. Parad. 6. c. 3. *M. Manilius patrum nostrorum memoria pauper fuit. Habuit enim ædiculas in Carinis.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 11.

Domus Manlii Capitolini fuit in arce, ubi postea templum Junonis Monetæ, & antea Tatius Rex habitaverat. Ovid. Fast. VI. 183.

Arce quoque in summa Junoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.
Ante domus Manli fuerat, qui Gallica quondam
A Capitolino reppulit arma Jove.

Et poetica fide Manlium pro templo, quod in Arce positum, stetisse in alnote collis jugo, cum potiùs domi fuerit in proximo sitæ, dicit Virg. Æneid. VIII. 652.

In summo custos Tarpejæ Manlius arcis
Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat regia culmo.

Fuit ergo non procul à saxo, sed propinquior templo. Cum enim non maneret in custodia Manlius, ut reliqui vigiles, è *domo* sua anseres strepentes, & Gallos sensit cum silentio subeuntes. Ex quibus demum deducitur, templum quoque Jovis Manlianæ *domus* propinquum ad rupem, & in Arce fuisse exstructum. *Donat. de Urb. Roman.* II. 3. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 5. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. 9.

Domus Marcellæ matronæ Romanæ, divino cultui devotæ, fuit in Aventino monte. Hieron. Epist. 154. ad Desiderium: *Quod si exemplaria libuerit mutuari, vel a Sancta Marcella, quæ manet in Aventino, vel . . . accipere poteris.* Nardin. Roman. Vet. VIII. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 3.

Domus Marii fuit prope Forum Romanum. Plutarch. in Mario p. 423. F. *Domum exstruxit propter Forum, vel, ut ipse dicebat, ne clientibus suis esset longius iter grave: vel quod ea re crederet fore, ut plures alii domum suam celebrarent.* Donat. de Urb. Rom. II. 27.

Domus Martialis fuit in regione septima Viæ latæ, proxima & vicina pilæ Tiburtinæ. Mart. V. 23. 3.

Nam Tiburtina sum proximus accola pila,
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem.

In primo clivo fuit inter arcam & descensum: unde in subjacentem campum Martium, laurosque in eo Vipsanas largissimus ei prospectus fuit, ut ipse testatur I. 178.

At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus.

Locus ipse, ubi Martialis habitabat, vulgo Pyrum appellabatur. Ipse Epig. I. 118. 5.

Non est, quod puerum, Luperce, vexes:
Longum est, si velit ad Pyrum venire,
Et scalis habito tribus, sed altis.

Vicinus ei fuit fons aquæ Martiæ, & illam in usum *domus* suæ à Domitiano petit IX. 19.

Sicca domus queritur nullo se rore foveri,
Cum mihi vicino Martia fonte sonet,
Quam de aeris nostris, Auguste, penatibus undam,
Castalis hæc nobis, aut Jovis imber erit.

Nardin. Rom. Vet. IV. 9. Donat. de Urb. Rom. III. 15. Fabric. Descript. Urb. Rom. c. 11. Panvin. Descript. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 295. A. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 25. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 10. V. & infr. in *Porticus Vipsania*.

Domus Maximi de multis, quas possedit, una in Aventino fuit. Martialis. V. illum infr. in *Vicus patricius*. Nardin. Rom. Vet. VII. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 3.

Domus Melii fuit in ea parte Argileti, quæ à dextra occurrit à porta Carmentali ad Velabrum, & non longè ab æde nunc D. Johannis decollati. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 13. V. sup. in *Æquimelium*.

Domus Merulana in regione fuit tertia. Gregor. Epist. II. 58. *Ecclesiam positam juxta domum Merulanam regione tertia*, quæ vel illic loci fuit, ubi nunc Ecclesia S. Matthæi est in Merulana nuncupata: vel saltem in vicinia. Et hic quorundam Antiquariorum error observandus est, qui Merulanam non *domus* alicujus, sed ingentis fuisse regionis appellationem opinati sunt, corruptamque è voce Mariana. Opinatur hoc Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 15. *Nardin. Rom. Vet.* III. 10. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10.

Domus Microscopi Novii conjuncta fuit domui Martialis. Mart. I. 77.

Vicinus meus est, manuque tangi
De nostris Novius potest fenestris.

Nardin. Rom. Vet. IV. 9.

Domus Milonis fuit in clivo Capitolino. Cicer. Milon. c. 24. *ubi domus in clivo Capitolino scutis referta* legitur. Hanc non secus ac cæteras, quæ in clivo Capitolino fuisse referuntur, in eodem, quo templa, solo sub Capitolii sitas fuisse substructionibus verosimile est: neque enim certi quid de iis produci potest. *Nardin. Rom. Vet.* V. 11. *Donat. de Urb. Rom.* II. 27.

Domus Nævii. V. illam infr. in *Sylva*.

Domus Neronis fuit inter Palatium, & hortos Mæcenatis Esquilinos. Tacit. Annal. XV. 39. 1. *Non ante Urbem ingressus est, quàm domus ejus, qua Palatium & Mæcenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret.* Suet. Ner. c. 31. n. 2. *Domum à Palatio Esquilias usque fecit.* Cum domino stetit; bis à Nerone ædificata, bis conflagravit. Semel communi totius Urbis incendio, quod ipse parricida furiarum tædis agitatus excitavit. Iterum ab ejus obitu, cum aliis ædificiis locum dedit. Ejus tanta fuit laxitas, ut Roma pænè fieret *domus* Principis, quæ nihilominus humani generis capax relinquebatur. Transitoria & postea aurea dicta est à Nerone. Suetonius: *Quam primò transitoriam, mox incendio absumptam, restitutamque auream nominavit.* Cum enim ædibus Augustalibus juncta, ad quas è Sacra via ascendebatur, inde *domus* versus Esquilias laxaretur in planitie, ubi arcus Titi, & S. Mariæ cognomento Novæ templum est, Sacram ipsam viam cum aliis vicis sibi subjectam inclusit, atrioque recepit, sic ut omnes illuc transire & liberè commeare possent. *Donat. de Urb. Rom.* III. 5: I. 27. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 18. *Nardin. Rom. Vet.* III. 13. *Voss. de magn. Rom. Vet. c.* 5. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 6. *Faunus Ant. Urb. Rom.* III. 12. *Blond. Illustr. Rom.* III. §. 44. Partes singulas sub suis vide elementis.

Domus Numæ, vulgo Regia, fuit proxima templo Vestæ in Sacra via. Ascon. Cicer. Mil. p. 200. *Facis & locis pugnæ: nam in Sacra via traditur commissa, in qua est Regia.* Ovid. Trist. III. 1. V. illum infr. in *Via sacra*. Donat. de Urb. Roman. II. 12. Altera fuit in colle Quirinali. Plutarch. in Numa p. 69. C. *Cum Regiam haberet prope ædem Vestæ, alteram habuit in colle Quirinali, cujus adhuc locum ostendunt.* Crediderim, hanc fuisse prope quatuor fontes, proximam Capitolio veteri, quod idem dedicavit. Sicut enim Rex ille, ut rebus suis religionem obtenderet, ædificato Vestæ templo *domum* illi, quæ Regia vulgo dicta est, attexuit: ita probabile est, alteram

in

in Quirinali prope delubrum à se conditum ædificasse. *Donat. ibid.* III. 15.

Domus Ovidii fuit juncta Capitolio. Ovid. Trist. I. 3. 29.

Hanc ego suspiciens, & adhuc Capitolia cernens,
Quæ nostro frustra juncta fuere Lari.
Numina vicinis habitantia sedibus, inquam,
Jamque oculis nunquam templa videnda meis.

Eam in vico Jugario fuisse, prope ædem Mariæ de consolatione hodie nuncupatæ, quidam tradunt. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 14. *Donat. de Urb. Rom.* II. 27. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 14.

Domus septem Parthorum, quæ in regione duodecima agnoscitur, videtur à Severo Imperatore donata hospitibus Parthis, qui ejus principatu post bellum cum illis gestum in Urbem advenerant vestium sumptuosissimo apparatu superbientes. Hos gemmis onustos illis temporibus se vidisse scribit Tertull. de hab. mulieb. c. 7. *Gemmarum nobilitatem vidimus Romæ de fastidio Parthorum, & Medorum, cæterorumque Gentilium suorum coram matronis erubescentem, nisi quod nec ad ostensionem ferè habentur. Latent in cingulis smaragdi, & cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu novit, & in peronibus uniones emergere de luto cupiunt. Denique tantum gemmarum habent, quod gemmatum esse non debet, si non comparet, aut ideo comparet, ut neglectum esse ostendatur. Sed & parietes Tyriis, & hyacinthinis, & illis regiis velis, quæ vos operosè resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur.* Has Romæ speciosas Severus videtur ædificasse. Aurel. Vict. Epit. c. 20. n. 6. *Ad largiendum liberalis in amicos, in inimices pariter vehemens, quippe qui Lateranum Chilonem, Æmilianum Bassum, cæterosque alios ditaret, ædibus quoque memoratu dignis, quarum præcipuas videmus, Parthorum quæ dicuntur, & Laterani.* Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 369. F. Nardin. Rom. Vet. VII. 6. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 13. §. 3.

Domus Paulli cujusdam fuit in illa Esquiliarum parte, ad quam per clivum Suburranum adscendebatur. Mart. V. 23. 1.

Mane domi nisi te merui, voluique videre,
Sint mihi, Paulle, tuæ longius Esquiliæ.

Nardin. Rom. Vet. III. 10.

Domus Pedonis, poetæ nobilis, an causidici, fuit in Esquiliis, vicina Plinianæ. Mart. I. 19. 10.

Illic parva domus tui Pedonis
Cælata est Aquila minore penna.

Donat. de Urb. Rom. III. 10. Nardin. Rom. Vet. III. 10.

Domus Persii etiam in Esquiliis fuit, ut Cornutus prodidit. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 3. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. §. 5. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10.

Domus Philippi à Victore ponitur in regione secunda. Cujus illa fuerit, dubium est. Romæ fuit L. Philippus orator, de quo plura Cicer. in Bruto c. 45. qui etiam consul fuit. Alius fuit M. Philippus Augusti vitricus, à quo ædem Herculis conditam scribit Suet. Aug. c. 29. Fuit & Philippus Imperator, & alius sub Commodo præfectus Ægypti, D. Eugeniæ pater, de quo plura Metaphrastes 25. & ultimus sub Honorio & Theodosio præfectus prætorio Illyrici, l. 6. omni C. de facr. Eccles. De primo intelligi puto. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 328. *F.* Et ego de illo Philippo Imperatore, qui post Gordianum imperavit. *Donat. de Urb. Rom.* III. 12. Causidici in regione quarta, in Carinis. Horat. Epist. I. 7. 46.

Strenuus & fortis, causisque Philippus agendis
Clarus, ab officiis octavam circiter horam
Dum redit, atque foro nimium distare Carinas
Jam grandis natu queritur...

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 11.

Domus Phyllidis fuit in monte Aventino ad Dianæ templum, aut in proximo. Prop. IV. 9. 1.

Phyllis Aventinæ quædam est vicina Dianæ.

Nardin. Rom. Vet. VII. 8. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 1.

Domus Pilati, si vulgari famæ fidem habemus, ibi fuit, ubi prope pontem senatorium altissimæ conspiciuntur ruinæ. Sed revera si quis eas contempletur attentiùs, cognoscet illic fuisse lavacra, sive sudatoria Laconica: quod ex caminarum canalibus frequentibus, qui undequaque inserti sunt, facilè judicatur. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 12.

Domus Pincii senatoris fuit in colle hortulorum. *Marlian. Topogr. Urb. Roman.* V. 26. *Panvin. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 278. *D. Donat. de Urb. Roman.* I. 19. *Boissard. Topogr. Urb. Roman. Tom.* I. *p.* 56.

Domus Plinii junioris fuit in Esquiliis. Epist. III. 21. 5. *Alloquitur Musam, ut domum meam in Esquiliis quærat.* Et ad eam per Suburram accessum ostendit Mart. X. 19. 1.

Non rusticulum nimis libellum,
Facundo mea Plinio Thalia
I perfer: brevis est labor. Peracta
Illic Orphea protinus videbis
Altum vincere tramitem Suburræ.

Fuit igitur in illa Esquiliarum parte, quæ inter ædem Clementis & Petri & Marcellini editior est. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 291. *D.* Qui in regione erravit. Fuit enim in tertia regione, in ea Esquiliarum parte, quæ versus Suburram veterem reflexa non hujus quintæ regionis fuit, sed illius tertiæ. *Nardin. Rom. Vet.* III. 10: IV. 3. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 11.

Domus Pompeji ab Antiquariis statuitur in regione nona juxta ejus theatrum. Plutarchus, quo nituntur, hæc habet p. 640. D. *Atque Pompejus ipse usque ad tertium triumphum mediocriter & simpliciter habitavit. Post populo Romano eximium illud, & celebratum theatrum exstruxit,* ὥσπερ ἐφόλκιόν τι παρετεκτήνατο λαμπροτέραν οἰκίαν ἐκείνης. Quod interpres sic vertit: *& juxta velut appendicem ædificavit domum priore splendidiorem.* Sed vox *juxta* omnino redundat, & abhorrentem à Plutarchi mente sensum efficit. Quem tamen interpres eruit à verbo παρετεκτήνατο, quasi παρατεκταίνομαι significet solum *juxta & prope ædificare*; cum idem quod simplex τεκταίνομαι sit. Dicendum ergo; *Post autem cum Romanis splendidum illud & celebre theatrum erexisset, veluti appendicem quandam ædificavit domum priore splendidiorem.* Et appendix in ædificationem, non in locum cadit. Pompejus enim post theatrum ædificavit *domum*, sed non theatro proximam; verùm illam eandem, quam ante habebat, amplificavit. Erat autem illi *domus* in Carinis paullum ultra amphitheatrum in quarta regione, ut ait P. Victor. Et Suet. Tib. c. 15. n. 1. *Statim e Carinis, ac Pompejana domo Esquilias in hortos Mæcenatianos transmigravit.* Hanc post Pompeji mortem Antonius possedit. Dio XLVIII. p. 380. B. *Carinæ loci nomen est Romæ, quo in loco Pompejus Magnus ædes habuerat, quam tum temporis Antonius possidebat.* Lenæum Pompeji libertum grammaticam ad Telluris ædem docuisse tradit Suet. Illustr. Gramm. c. 15. n. 1. *Docuitque in Carinis ad Telluris ædem, in qua regione Pompejorum domus fuerat.* Unde *domus* Pompeji vicina fuisse colligitur ædi Telluris, & hæc Carinis. Tandem Gordiani senioris fuisse refert Capitol. c. 2. *Ipse consul ditissimus, ac potentissimus Romæ Pompejanam domum possidens.* Qui & rostratam fuisse docet c. 3. *Exstat sylva ejus memorabilis, quæ picta est in domo rostrata Cn. Pompeji, quæ ipsius, & patris ejus, & proavi fuit, quam Philippi temporibus vestes fiscus invasit.* Forsan rostris navium de piratis captarum instructa fuit, quos insigni victoria Pompejus domuerat. Non diu post Gordianum occisum in imperantium ea pervenit potestatem. *Donat. de Urb. Rom.* III. 8. *Nardin. Rom. Vet.* III. 14: VI. 3. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 14. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 1.

Domus Pontificis Maximi fuit in quarta Urbis regione, vicina *domus* Regis sacrificuli. Hanc publicam esse oportebat, nam diversa fuisse munera constat, sicut apud Dionem inter ἀρχιερέα & βασιλέα τῶν ἱερῶν discrimen est. Dionem V. infr. in *Domus Regis sacrificuli.* Ante *domum* Pontificis Maximi sacellum quoddam instar tumuli decori ac venusti ex consulto senatus instructum prominebat auctore Plutarcho. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 6. §. 4. *Nardin.*

din. Roman. Vet. III. 12. V. & infr. in *Regia pontificum*.

Domus Principum virorum eo situ, venerationis credo, & celebritatis causa, positas, ac collocatas fuisse, ut aditus ad eas per deorum templa existeret. Senec. ad Polyb. c. 35. *Ibit fortuna violentior per omnia, sicut semper est solita, eas quoque domos ausa injuria causa intrare, in quas per templa aditur.* Suet. Calig. c. 22. n. 5. *Partem Palatii ad forum usque promovit, atque ade Castoris & Pollucis in vestibulum transfigurata, consistens sepè inter fratres deos medium se adorandum adeuntibus exhibebat.* Atque hinc liquet, cur Mart. Præfat. octava ad Domitianum Cæsarem scripserit, de eodem opere suo disserens: *Meminerit non nisi religiosa purificatione lustratus accedere ad templa debere.* *Ad templa*, id est, ad aulam, seu palatium Imperatoris, ad quæ ingressuris non nisi per ipsa deorum templa pateret aditus. Hinc lego apud Tibull. III. 3. 3.

Non ut marmoreis prodirem è limine templi.

Vidi calamo exaratum, aliosque prælo excusos, in quibus sic disertè scriptum. *Douza Pracid. pro Tibull. c.* 11. Hoc vetum Claudio imperante, quum jam valdè adolevisset mos fœdissimus adulandi, non primis Augusti temporibus. *Broukh. in Tibullum.*

Domus Proculi in Palatino fuit monte. De illa scribit Mart. I. 71. 11.

Protinus à lava clari sub fronte penates,
Atriaque excelsa sunt adeunda domus.

Donat. de Urb. Rom. III. 3.

Domus Propertii fuit in Esquiliis. Docet hoc ipse III. 21. 24. V. illum infr. in *Labelli*. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 11. Donat. de Urb. Rom. III. 10. Nardin. Rom. Vet. IV. 3.

Domus Publicolæ Valerii fuit sub Velia, ubi postea ædes Victoriæ. L. Higinius in libro priore de viris claris, & ex eo Ascon. in Cicer. Pison. p. 164. *P. Valerio Volesi filio Publicola ades publicas sub Velia, ubi postea fuit ades Victoria, ex lege, quam ipse tulit, populum concessisse.* Plutarch. Public. p. 26. *Domumque multo illa priore celsiorem adificavit, ubi nunc fanum, quod vicum publicum dicunt.* Quod fanum quin idem sit, atque ædes Victoriæ ab Higinio memorata, nullus dubitem. Etsi hæc *domus* sub Velia fuit, Velia verò forum prospexit, necessariò sequitur *domum* illam non longè à Jovis Statoris absuisse templo, portaque Palatii, Festus: *Romana porta instituta est à Romulo in infimo clivo Victoria.* Pecunia publica fuit facta, & janua in ea, quæ peculiari privilegio contra aliarum morem foras aperiretur. Asconius: *Valerio Maximo inter alios honores domus quoque publicè adificata est in Palatio: cujus exitus, quo magis insignis esset, in publicum versus declinaretur, hoc est, extra privatum aperiretur.* Nardin. Rom. Vet. v. 5. Boissard. Topogr. Urb. Roman. Tom. 1. p. 30. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 21.

Domus Regis sacrificuli fuit in Sacra via. Festus: *Itaque ne eatenus quidem, ut vulgus opinatur, Sacra appellanda est à regia ad domum Regis sacrificuli, sed etiam à Regis domo ad sacellum Strenia, & rursus à regia usque ad arcem.* Fuit publica, & ficti illius Regis usibus dicata, non secus atque illa Pontificis maximi. Facilè verò inducar, ut credam vicinas illas inter se fuisse: sic & vicinam illis fuisse publicam virginum Vestalium *domum*, cui postea alia Regis sacrificuli ab Augusto conjuncta fuit, è Dione discimus, qui lib. LIV. p. 541. A. *Cum esset*, inquit, *creatus Pontifex Maximus, neque domum publicam accepit, sed cum omnino publicam esse Pontifici Maximo habitationem oporteret, suarum adium partem ipse publicam esse jussit, ac Regis sacrificuli domum virginibus Vestalibus dedit, quoniam earum adibus contigua erat.* Diversi enim fuerunt ἀρχιερέως, & βασιλέως τῶν ἱερῶν. Dionis hæc est sententia: Augustum, cum Pontifex Maximus factus esset, partemque eapropter suarum ædium publicam fecisset, *domum* Regis sacrificuli contiguis Vestalibus donasse, quia illi Pontificis Maximi *domus* vicina adhærebat: quod etiamsi expressis verbis non dicat, ipse tamen hoc sensu suggerit. *Nardin. Rom. Vet.* III. 12.

Domus Romuli quænam & ubi fuerit, Mars sic admonet apud Ovid. Fast. III. 183.

Qua fuerit nostri, si quaris, regia nati,
Aspice de canna straminibusque domum.

Donat. de Urb. Roman. I. 24. Faunus Antiq. Urb. Roman. II. 5.

Domus Sabini fuit ad malum Punicum, in qua natum esse Domitianum testatur Suet. Domit. c. 1. n. 1... & consentit hic titulus ibidem repertus, & adhuc jacens:

INTER DUOS
PARIETES
AMBITUS PRIVAT.
FLAVI SABINI.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 23.

Domus Sallustii fuit in Quirinali, cujus ruinas supra hortos ejusdem in valle subjecta exstare ajunt. Qui de vita ipsius scripserunt, prope Minervæ ædem, quæ hodie Mariæ sacra est, volunt habitavisse. Quod si ita est, hæc prima fuit: altera, post prætuream Africanam ab ipso culta. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 11. *Marlian. Topogr. Urb. Roman.* IV. 23. *Nard. Rom. Vet.* IV. 7. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* 1. *p.* 48.

Domus Scauri, qui Syllam vitricum habuit, fuit in Palatino. Ascon. in Cicer. p. 176. *Demonstrasse vobis memini, hanc domum in ea parte Palatii esse, qua, cum ab Sacra via descenderis, & in proximum vicum, qui est ab sinistra parte, prodieris, posita est.* Habuit atrium, cujus columnas mitæ magnitudinis fuisse scribit Plin. XXXVI. 2. admiratusque legem sumptuariam, & censores tantam impensam dissimulanter tulisse, sic persequitur: *Etiam ne tacuerunt maximas earum, atque adeo duodequadragenum pedum Lucelli marmoris in atrio Scauri collocari: nec clam occultèque id factum est: satisdari sibi damni infecti egit redemptor cloacarum, cum in Palatium extraherentur.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 17. Donat. de Urb. Rom. III. 3. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 18.

Domus Scipionis Nasicæ fuit in Sacra via. Hæc publica illi illic fuit data, ut faciliùs ab omnibus posset conspici. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 6. §. 4.

Domus Servii Tullii Regis à Victore & Rufo statuitur in Esquiliis, editiori loco fundata, qua se olim colliculus Cispius attollebat, paullo supra templum Laurentio in Fonte hodie dedicatum; ideo structa in edito, ut in subjectum vicum patricium evidens pateret despectus, Festus. Villum infr. in *Vicus patricius*. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. §. 4. Marlian. Topogr. Urb. Roman. IV. 18. Faunus Ant. Urb. Roman. II. 20; IV. 2. Licèt patricios in vicum patricium coegerit ob dictam à Festo causam Servius Rex, nunquam tamen ibi habitavit, qui supra Virbium clivum, quod fatentur, domum habuit. Quod etiam testatur Solin. c. 2. Virbius autem clivus aut idem est, quo nunc ascenditur ad Petri ad vincula, aut exiguo intervallo ab eo distans. Cum antem *domus* Servii Regis supra clivum esset, infertur etiam non procul ab eodem templo Petri sitam, ubi nunc Minimorum Cœnobitarum *domus* & horti sunt. *Donat. de Urb. Rom.* III. 9.

Domus Spurii Cassii fuit in Carinis, vicina templo Telluris. A populo est diruta ob regni affectati suspicionem. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 6. §. 7.

Domus Stellæ consulis fuit in prima Suburra, id est, in regione Urbis tertia, ubi caput erat Suburræ, scilicet ad amphitheatrum Titi. Mart. XII. 3. 9.

Vel si malueris prima gradiere Suburra;
Atria sunt illic consulis alta mei.

Donat. de Urb. Roman. III. 10. Nardin. Roman. Vet. III. 9. Borrich. Antiq. Urb. Fac. v. 1, Fabric. Descr. Urb. Roman. c. 11.

Domus Suræ, ut puto, non procul abfuit à templo S. Priscæ in Aventino, sive Urbis regione decima tertia. Ejus meminit Mart. VI. 64. 12.

Quique videt propius magni certamina circi,
Laudat Aventina vicinus Sura Diana.

Ille fortè fuit Sura Licinius, ter consul, primùm sub Nerva, secundùm & tertiùm sub Trajano; ut est apud Cassiodorum in Chronico, & apud Fastorum scriptores. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 8.

Domus Symmachi fuit in monte Cœlio. Ipse mentionem fecit Epist. VII. 18. *Proximè in Formiano sinu regressus in Larem Cœlium, domo jam diu te abesse comperi.* Nardin. Roman. Vet. III. 7. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 4. §. 3. Fuit & alia trans Tiberim, à populo exusta. Ammian. XXVII. 3. *Quo instante urbs sacratissima otio copiisque abundantius soluto fruebatur, & ambitioso ponte exsultat, atque firmissimo, quem condidit ipse, & magna civium lætitia dedicavit, ingratorum, ut res docuit, apertissimo, qui consumptis aliquot annis domum ejus in Transtiberino tractu pulcerrimam incenderunt.* Nardin. ibid. VII. 11. Borrich. ibid. c. 16. §. 2.

Domus Tarquinii quinti Romanorum Regis fuit prope Jovis Statoris templum, juxta palatium. Liv. I. 41. *Ex superiore parte ædium per fenestras in novam viam versas: habitabat enim Rex ad Jovis Statoris.* Donat. de Urb. Roman. III. 3. Faunus Antiq. Urb. Roman. II. 9. V. & infr. in *Via sacra.*

Domus Tarquinii Superbi posita fuit ante templum Jovis Statoris. Plin. XXXIV. 6. *Annius fecialis posuit sibi statuam equestrem, quæ fuerit contra Jovis Statoris ædem, in vestibulo Superbi domus.* Marlian. Topogr. Urb. Roman. II. 11.

Domus Tatii in octava Urbis regione fuit, in arce, ut scribit Solin. c. 1. *Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 5. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. 9.

Domus Teiæ meretricis inter duos Tarpeji montis lucos fuit. Prop. IV. 9. 3.

Altera Tarpejos est inter Teia lucos,
Candida, sed potæ non satis unus erit.

Hanc autem non inter asyli lucos habitasse crediderim, quum nemo privatus unquam in Intermontio, & præsertim in ejus parte illa, ubi asylum fuit, habitasse legatur: verùm potius inter illos duos lucos, quibus Cicero ædem Monetæ convestitam fuisse dicit. *Nard. Rom. Vet.* V. 16.

Domus Tetricorum, qui duo ex triginta tyrannis fuerunt, fuit in monte Cœlio. Trebell. in Tetric. jun. c. 25. *Domus Tetricorum hodieque exstat in monte Cœlio inter duos lucos contra Isium Metellinum pulcerrima, in qua Aurelianus pictus est, utrique prætextam tribuens, & senatoriam dignitatem accipiens. Quam cum dedicasset, Aurelianum ipsum dicuntur duo Tetrici adhibuisse convivio.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 12. Donat. de Urb. Rom. III. 12. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 16. Blond. Illustr. Rom. I. §. 77.

Domus Tiberii Neronis, Tiberii Cæsaris patris, fuit in Palatio. Suet. c. 5. n. 2. *Natus est Romæ in Palatio decimo sexto Kalend. Decembr. M. Æmilio Lepido iterum & Munatio Planco Coss. post bellum Philippense.* Nardin. Rom. Vet. VI. 15.

Domus Tiberii Imperatoris fuit in Palatio. Hanc *domui* Augustæ addidit Tiberius, eaque opus hoc locupletavit veluti postico, cum facies anterior Palatinæ ædis & vestibulum respiceret Sacram viam, & locum, ubi hodie rudera templi Pacis conspiciuntur. Hæc circum maximum & Aventinum spectavit. Tacit. Hist. I. 27. 3. Galba sacrificante pro æde Apollinis, Otho, qui in eum conjuraverat, *digressus per Tiberianam domum in Velabrum, inde ad milliarium aureum sub ædem Saturni* pergexit. Plutarch. Galb. p. 1064. C. *Per Tiberii domum, quam vocant, descendit in forum.* Suet. Oth. c. 6. n. 4. *Quasi venalem domum inspecturus abscessit, proripuitque se postica parte Palatii ad constitutum: posticam partem Palatii* appellat, quam alii domum Tiberianam. In hac habitavit Antoninus Pius. Capitol. c. 10. *Cum Apollonium, quem Chalcide acciverat, ad Tiberianam domum, in qua habitabat, vocasset,* Donat. de Urb. Rom. III. 2. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 12. §. 2. Nardin. Roman. Vet. VI. 13. Faunus Antiq. Urb. Roman. II. 22.

Domus Titi fuit prope thermas, eumque locum, quem septem Salas vulgus vocitat. Ex eo constat, quod ibi Laocoontis statua est reperta, quam in eadem collocatam asserit Plin. XXXVI. 5. V. illum infr. in *Statua.* Habuit atrium, in quo Polycletus Sicyonius fecit duos pueros talis nudos ludentes, qui vocabantur astragalizontes: quo opere auctore Plin. XXXIV. 8. nihil fuit absolutius. *Marlian. Topogr. Urb. Roman.* IV. 14. V. infr. in *Statua Laocoontis.*

Domus triumphales fuerunt, quæ publico sumptu Imperatoribus fiebant, qualis P. Valerio Publicolæ data: de qua Plin. XXXVI. 15. *Subit verò cogitatio, quota portio harum fuerint area illa, quas invictis Imperatoribus decernebant publicè ad exædificandas domos: summusque illarum honos erat, sicut in Q. Valerio Publicola, qui primus consul fuit cum L. Bruto, post tot merita, & fratre ejus, qui bis in eodem magistratu Sabinos devicerat, adjici decreto, ut domus eorum fores extra aperirentur, & janua in publicum rejiceretur.* Et Dionys. V. p. 307. *Respublica decrevit, ut simul triumpharent ambo consules: privatim etiam alteri consuli Valerio aream ad ædificandum donavit in præcipua parte palatii, sumptusque in ædificium præbuit ex ærario: hujus domus ad quam stat taurus æreus, valvæ solæ inter omnes Urbis publicas & privatas ædes, dum aperitur janua, revolvuntur in viam publicam.* Bulenger. de Triumph. c. 36.

Domus Vectiliana fuit in monte Cœlio. Lamprid. Comm. c. 16. *De Palatio ipse ad Cœlium montem in Vectilianas ædes migravit, negans se in Palatio posse dormire.* De illa Capitol. Pertin. c. 5. *Ad Palatium Pertinax profectus, quod tunc vacuum erat, quia Commodus in Vectilianis occisus est.* Nardin. Rom. Vet. III. 7. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 4. §. 3.

Domus Vedii Pollionis. V. illam supr. in *Domus Cæsaris.*

Domus Virgilii fuit in Esquiliis apud hortos Mæcenatis. Donat. in ejus vita: *Habuit Romæ domum in Esquiliis, juxta hortos Mæcenatis.* Marlian. Topogr. Urb. Roman. IV. 19. Nardin. Roman. Vet. IV. 2. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 7. §. 3. Fabric. Descr. Urb. Roman. c. 11. Donat. de Urb. Roman. III. 10. Blond. Instaur. Roman. I. §. 101.

Domus Vitellii, seu uxoris ejus fuit in Aventino. Tacit. Hist. III. 70. 2. *Cur enim è rostris fratris domum imminentem foro, & irritandis hominum oculis, quàm Aventinum & penates uxoris petisset?* Nardin. Roman. Vet. VII. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 3. Panvin. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 310. E. Donat. de Urb. Roman. III. 13. Faunus Antiq. Urb. Roman. III. 2.

Domus Ulpiorum, aliàs privata Trajani fuit in Aventino. Est mentio ejus in antiqua basi, quæ ibidem sub æde Priscæ versus arcum maximum inventa est:

HERCULI
CONSERVATORI
DOMUS ULPIORUM
SACRUM
M. ULPIUS. . . .
VERECUNDUS

Panvin. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. *p.* 310. *E.*

Domus Umbricii fuit in Aventino. Juvenalis, qui amici sui migrationem ex Urbe Cumas describit, Sat. III. 84.

Usque adeo nihil est, quod nostra infantia cœlum
Hausit Aventini bacca nutrita Sabina?

Nardin. Rom. Vet. VII. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 3.

Domus, & *domus æterna* appellatur sepulcrum. Tib. III. 2. 22

Atque in marmorea ponere sicca domo.

Pedo Consol. ad Liviam n. 74.

Claudite jam Parcæ nimium reserata sepulcra,
Claudite; plus justo jam domus ista patet.

Constant. C. de sepulcr. viol. *Qui sepulcra violant, domos, ut ita dixerim, defunctorum.* Diod. Sic. I. p. 33. B. *Ægyptii defunctorum sepulcra domos æternas, ἀϊδίους οἴκους, appellitant, quod infinitum apud inferos ævum peragant.* In inscriptionibus. Hispali:

DIDIA. T. F. FABIA
MATER. IN. MEO. DOLORE
IN. HOC. SEPULCRO
NOMEN. IN. HIS. INSCRIPSI. MEUM
HIC. EST. DOMUS. MEA
CUM. MEIS.

Polæ in Illyrico:

MANILIA. PAULLA
DE. PATRIMONIO. SUO
SIBI. ET
AURELIO. PAULLINO
COMPARI. SUO
DOMUM. ÆTERNAM. P.

Guther. de jur. man. II. 20. *Kirchmann. de Fun. Rom.* III. 10. *Rutgers. Venus. Lect.* c. 2. *Ferret. Mus. Lapid.* I. 34. & 39. II. 30. 48. & 52. III. 20. *Becman. Orig. L. L. in sepulcrum. Bergier. de viis Milit.* II. *Sect.* 35. §. 5. & *Henninn. ad illum. Quensted. de Sepult. Vet.* c. 9. *Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman.* IV. 17. *Broukh. in Tibullum.* Nec mirum *domum* dici, in qua in æternum manere cadavera hominum putabant, cum *domos* vocitarent, quæ diversoria potius dici debuerunt. Diodor. I. p. 33. A. *Vivorum quidem habitacula vocant diversoria, cum in iis per breve tempus habitemus; mortuorum verò sepulcra domos æternas vocant, cum in inferis per infinitum tempus agamus.* Gorall. in Pedonem.

Domus funesta dicebatur illa, in qua erat mortuus. Servius nondum editus: *Ne quis imprudens funestam domum, rem divinam facturus, introeat, & quasi attaminatus suscepta peragere non posset.* Kirchman. de Funer. I. 14.

DON.

DONA communi nomine dicebantur, quæ diis offerebantur. Nonius XII. 32. *Dona consuetudine hæc habentur, quæ aut propitiandis diis dantur, aut hominibus pro benefactis redduntur.* Quare & Virgilius dixit Æneid. IV. 453. *dona aris imponere.* XII. 215. *cumulare altaria donis.* III. 484. *onerare donis templa.* In illis utebantur sollenni verborum formula: *accipe libens.* Tib. IV. 5. 9. V. illum infr. in *Genitus.* Senec. Agam. II. 384.

—— generis nostri
Jupiter auctor, cape dona libens.

Singula autem dari debebant manu dextra. Nam dici solebat in sacris, *da, quod debes, de manu dextra aris.* Serv. Æneid. VIII. 106. *Struv. Ant. Roman.* c. 5. p. 237. c. 10. p. 488. c. 11. p. 545. *Brisson. de Form.* I. p. 30. & 33. *Donum* est deorum, munus hominum. *Donat. in Terent. Eun.* V. 8. 27. *Fronto de nominum verborumque differentiis.* Sed illa distinctio parum firma est. Vellem paullò diligentiùs inspexissent Nonium Marcellum. Et munera dicuntur, quæ diis offeruntur. Ovid. Art. Amand. III. 653.

Munera, crede mihi, placant hominesque deosque:
Placatur donis Jupiter ipse datis.

Tomas. de Donar. c. I. Brisson. de Form. I. p. 30. Lipen. Stren. Hist. c. I. §. 10. Ut nec illa subtilitas juris, qua inter *dona* & munera, velut inter genus & speciem distinguunt. Ulpian. de verb. sign. §. 194. *Inter donum & munus hoc interest, quod inter genus & speciem. Nam genus esse donum Labeo a donando dictum dicit, munus speciem: nam munus esse donum cum causa, ut natalitium, nuptalitium.* Lipen. l. l. Ex ritu priscæ superstitionis, præcipuè Græcorum, ante fana in oleastris Romani solebant suspendere, & affigere. Virg. Æn. XII. 766.

Forte sacer Fauni foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum,
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, & votas suspendere vestes.

Oleastri vivacitas tanta est, ut si multis configatur clavis, nihil tamen lædatur. Aristoph. Plut. IV. 3. 93.

Seu oleastro affigam isti.

Ad eam consuetudinem respiciens dixit Theoph. Hist. Plant. V. 4. *Quod etiam in oleastro, qui Megaris in foro stabat, evenisse accepimus. . . . . In hoc perscisso reperta sunt ocrea, & alia quædam Attici ritus, quæ exstant in oleastro, ea parte qua sunt appensa primum, atque in cavitatem impressa.* Turneb. Adv. VIII. 16. Tomas. de Donar. c. 7. Cerda & Pontan. in Virgilium. Bodæus à Stapel in Theophrastum. Struv. Antiq. Roman. c. 5. p. 241. Etiam templorum parietibus, vel columnis. Liv. XL. 51. M. Æmilius Lepidus *ædem Jovis in Capitolio, columnasque circa poliendas albo locavit, & ab his columnis, quæ incommodè opposita videbantur, signa amovit: clypeaque de columnis, & signa militaria affixa omnis generis dempsit.* Imo & tholis. Virg. Æneid. IX. 407.

Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.

Struv. ibid. p. 238. Tomas. de Donar. c. 6. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 2.

Dona militaria erant phaleræ & torques. Suet. Aug. c. 25. n. 3. *Dona militaria aliquanto faciliùs, phaleras & torques dabat.* & coronæ. Tacit. Annal. II. 9. 4. *Flavius aucta stipendia, torquem & coronam, aliaque militaria dona memorat.* Armillæ & hastæ. Val. Max. III. 2. 24. *Totius civitatis oculos in se numerosa donorum pompa convertentem. Præferebantur enim aureæ coronæ octo, civicæ quatuordecim, murales tres, obsidionalis una, torques centum octoginta tres, armillæ centum sexaginta, hastæ octodecim, phaleræ viginti quinque.* Paschal. de Coron. VII. 1. Stewech. in Veget. II. 7. Lips. in Tacit. Annal. I. n. 181. Panvin. de Triumph. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1356. A. Brisson. de Form. IV. p. 350. Robortel. de Comm. & præm. Milit. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 148. n. B. Buleng. de Triumph. c. 12. In circo Flaminio ab ducibus triumphaturis distribuebantur. *Nardin. Roman. Vet.* I. 10. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 1. §. 9. Dum efferebatur cadaver, in oblongis perticis, sive hastis præferebantur. *Morest. Pomp. Feral.* II. 19.

Dona natalitia dicebantur, quæ puerperis, dum in lecto jacebant, dabantur. Putin hoc fuisse dictum cimelium Plaut. Truc. II. 4. 71.

Non audes aliquod mihi munus dare cimelium?

Alciat. Parerg. IX. 7. Salmuth in Panciroll. de Reb. Inv. & deperd. p. 744. Lipen. de Stren. I. §. 19. Et quæ infantibus recens natis offerebantur. Terent. Phorm. I. I. 13.

Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:
Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies;
Ubi initiabunt: omne hoc mater auferet:
Puer causa erit mittundi.

Salmuth. ibid. p. 745. Lipen. l. l. Fabric. in Terentium.

Dona nuptialia. V. inf. in *Munus*.

Dona uxoria dicebantur, quæ die natali, aut anni principio uxoribus mittebantur. Hæc valere docet Pompon. l. sed si vir. §. 8. ff. de Donat. int. vir. & uxor. *Si vir uxori munus immodicum Kalendis Martiis, aut natali die dedisset, donatio est.* *Kalendis Martiis* ait; quia hæ feminis sollennes erant, in quibus munera iis missitari solebant. Unde & femineæ dictæ Juven. Sat. IX. 54.

Munera femineis tractat secreta Kalendis.

Plaut. Mil. Glor. III. I. 97.

Da mihi, quod Kalendis mittam, Martiis cum venerint.

Sic & Tibullus sollicitus est, quodnam Neæræ, speratæ suæ, Kalendis Martiis, quæ novum inchoabant annum, munus mittat, dum ita canit. III. I. I.

Martis Romani festæ venere Kalendæ,
Exoriens nostris hic fuit annus avis:
Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa
Perque vias Urbis munera, perque domos.
Dicite Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, seu fallor, cara Neæra tamen?

Mittebantur verò umbella viridis, magna succini copia, & alia *dona*. Juven. ibid. n. 51.

En cui tu viridem umbellam, cui succina mittas
Grandia, natalis quoties redit, aut madidum ver
Incipit, & strata positus longaque cathedra . . . .

Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 741. & ad illum Salmuth p. 745.

DONARIA sunt, quæ vel usibus sacris conveniunt, vel ornamento, & honori divorum in templa locantur. Justinianus Imperator Instit. §. 8. de rer. divis. *Donaria sunt ea, quæ ad ministeria Dei dedicata sunt.* Coripp. IV. n. 21.

Et sua placandis nectunt donaria divis.

Lucan. IX. 517.

Non illic Libycæ posuerunt ditia gentes
Templa, nec Eois splendent donaria gemmis.

Græ-

Græcis *ἀναθήματα* dicuntur. Id nominis obtinuerunt, quod parietibus affigi solerent. Erantque vel publica, vel privata. Unde Artemid. Oneir. c. 2. *κοινὰ πόλεως ἀναθήματα*, *communia urbis donaria* publicis operibus accenset. Mea itaque sententia tanquam genus commune *donarium* est, quicquid vel ex voti obligatione, vel ex liberalitate diis offerebatur. *Tomasin. de Donar. c. 1. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* II. 2. E. Erant velut argumenta casuum præteritorum: & ideo in tabellis suspendebantur. V. infr. in *Tabella*. Vel in tholis ædium sacrarum. V. supr. in *Dona*. Demster. l. l. De horum materia nihil certi constitui potest, cum procul dubio eam fortuna, & conditio mortalium variaverit. Verisimile tamen est, ea magna ex parte fuisse testacea, quemadmodum hodie apud plebejos cerea. Quod persuadet ingens eorum numerus, quæ nostra memoria conspiciuntur effossa Nemi in fundo nobilium Marchionum Frangipanorum, atque ex Prænestinis, ubi olim Fortunæ templum erat: vel etiam figlina, qualem locum Romæ fuisse, ubi libri, & sigilla venibant, tradit Turneb. Adv. XXIII. 28. cujusmodi etiam quippiam de murteto, loco Veneris cultu celebrato, scribit Julian. Aurel. de cognom. deor. II. 4. de templo Dianæ Nemorensis ad nos perscripsit Joh. Argolus. *Tomas. ibid. c. 2. Struv. Ant. Roman. c. 5. p. 237.* Apollini Delphico dicata initio fuerunt ænea, post à Gelone, & Hierone Syracusarum tyrannis aurea argenteaque omnia instituta. Notat hoc Nicol. Leonicus Var. Hist. II. 96. *Tomas. ibid. c. 13.* Ubi suffixerint ea veteres, V. supt. in *Dona*. A summo ponti fice aliquando submovebantur, aliquando concinnius disponebantur, ne incomposita multitudine templis deformitatem adderent. Liv. XL. 51. V. illum supr. in *Dona*. Idem Cæsarem Augustum ex S. C. fecisse scribit Dio LI. p. 459. D. ut veteribus ornamentis, quasi contaminata ea essent, detractis ex Ægyptiaca præda meliora & speciosiora reponeret. Abominanda quoque necessitatis amarissimæ lege refigebantur. Val. Max. VII. 6. 1. *Cannensis clades adeo Urbem nostram vehementer confudit, ut M. Junii opera dictatura Rempublicam administrantis spolia hostium affixa templis, Deorum numini consecrata, instrumenta militia futura convellerentur, ac prætextati pueri arma induerent.* Virg. Æneid. v. 359.

Et clypeum efferri jussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.

Tomas. ibid. c. 6. Illis modum posuit Claudius Imperator, quum omnia opera eorum essent plena. Dio LX. *Tomas. ibid. c. 26.*

Donaria ad convivium alia ferebantur à convivis, alia à convivatore. Convivis post refectionem tradebantur domum ferenda, quæ apophoreta Græcis appellata, quod nempe domum deferrentur. V. illa supr. in *Apophoreta*, & *Convivium*. Convivatum verò vel ad ipsum convivium spectabant, eaque symbola, collecta, comessalia; vel convivatori, aut mensæ ministris, ac famulis offerebantur. Convivatori à convivis *dona* nonnunquam exhibita, est apud Xenoph. de Exped. Cyr. VII. p. 404. D. ubi splendidissimum Regis Thracum epulum describitur. Mos Thracum ibidem fertur, ut à Rege invitati pro facultate dona offerat varia: aurea pocula scilicet, tapetes, equos, pueros, vestimenta ad conjugis usum, aliaque ex arbitrio. Moris est in hunc diem in Italia, Germania, aliisque cultioribus provinciis, convivas ancillis, atque famulis peculiolæ quidpiam relinquere. *Tomas. de Donar. c. 17.*

Donaria sunt etiam loca, in quibus *dona* reponuntur. Virg. Georg. III. 533.

Imparibus ductos alta ad donaria currus.

Ubi Servius: *Donaria propriè loca sunt, in quibus dona reponuntur deorum. Abusivè templa. Nam & ita pulvinaria pro templis ponimus, quum sint propriè lectuli, qui sterni à templis supervenientibus plerisque consueverunt.* Gell. II. 10. *Et alia quædam religiosa è donariis consecratis.* Apul. Met. IX. p. 277. *Cantharoque, & ipso simulacro, quod gerebam, apud fani donarium reddito, & consecratis.* Unde & C. Fronto: *Donum, quod diis datur. Inde ubi dona ponuntur, donarium.* Valla Eleg. I. 6. immeritò Servium reprehendit, dum scribit: *Donaria non locus repositorius donorum, sed ipsa dona, licet Servius dicat: ubi dona oblata sunt.* Tomas. de Donar. c. 1. Rycq. de Capitol. c. 21. Guther. de ver. jur. Pont. III. 9. Thys. in Gellium. Beroald. & Florid. in Apulejum. Struv. Antiq. Roman. c. 5. p. 237. c. 11. p. 546. Lautent. var. sacr. gentil. c. 6.

DONATIO propter nuptias opponitur doti. Dos est, quæ datur marito uxoris nomine. *Donatio* propter nuptias, quæ propter dotem datur uxori marito nomine. Dos est *donatio* propter nuptias uxoris. *Donatio* propter nuptias est dos mariti: atque ideo, quæ donantur propter nuptias, *ἀντίφερνα* vocantur. V. illa supt. in *Αντίφερνα*. Porro eodem jure est dos, ac *donatio* propter nuptias, eadem utraque pacta recipit, eadem utriusque quantitas, ex Novel. 97. Quibus ex casibus si in persona mariti exstant, maritus lucratur dotem, vel aliquam partem, ex eisdem si in persona uxoris exstant, tantundem uxor lucratur ex *donatione* propter nuptias. *Cujac. Observ. v. 4.*

Donationes inter virum & uxorem fuerunt prohibitæ, ne mutuo & tam honesto amore invicem se spoliarent conjuges, *donationibus* non temperantes, sed profusa erga se facilitate abutentes, l. 1. d. t. quippe cum majores conjugalem amorem solis animis æstimarint, & famæ etiam conjunctorum consuluerint, ne concordia pretio, quemadmodum meretricii amores, conciliari videretur; neve melior in paupertatem incideret, & deterior ditior fieret, l. 3. ff. eodem: si quidem gratuitum & spontaneum ut esset totum hoc amare, & redamare, non autem mercenarium, veteres voluerunt: quibus etiam absurdum visum est, propter individuam societatem quicquam inter conjuges reperiri, quod commune non esset, ut est apud Plutarch. Quæst. Roman. 7. Ex indulgentia tamen Antonini Imperatoris, ut Cajus ait, permissa illa, quam dicimus honoris causa: ut ecce, si uxor viro laticlavu petendi gratia donet, vel ut equestris ordinis fiat. Id ipsum ante Cajum etiam Ulpianus tradidit tit. 7. Institution. ubi principalibus constitutionibus concessum esse ait mulieri in hoc donare viro suo, ut is ab Imperatore latoclavo, vel equo publico honoretur. *Salmuth ad Panciroll. de reb. inv. & deperd. p. 329. Brisson. de rit. nupt. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. VIII. p. 1023. A. Lipen. de Stren. 1. 19.* Erant *donationes* vectigali onnoxiæ. Augustus enim, ut dicit Dio LV. p. 565. E. constituit *vicesimam & in hereditatibus, & donationibus, quas morientes quibusdam, exceptis proxime agnatis & pauperibus, relinquebant.* De legatis tamen, & *donationibus*, quas hic mortis causa accipere necesse est, dubitat Balduinus, & Dionem imperitiæ legum Romanarum accusat, & vult immunia legata, & *donationes* fuisse à vicesima; quia auctores nunquam meminerint vicesimæ legatorum, vel *donationum*. Contrarium tamen verum esse putamus, & vicesimam legatis & *donationibus* fuisse impositam; V. infr. in *Legata*. Burman. Dissert. de Vect. c. 11.

Donationes scenicæ dicebantur, quæ scenicis præter certam mercedem lege definitam, aut pacto conventam, loco antiquatum coronarum, quæ viles admodum erant, donabantur. Fiebant etiam in auro. Spartian. Marc. c. 11. *Temperavit etiam scenicas donationes, jubens, ut quinos aureos scenici acciperent: ita tamen, ut nullus editor decem aureos egrederetur.* Alexander Severus, cum admodum parcus esset in scenicorum *donationibus*, nunquam aureos, nunquam argenteos illis donabat, & vix quidem æreos nummos, quos *pecunia* nomine intelligit Lamprid. c. 33. *Scenicis nunquam aurum, nunquam argentum, vix pecuniam donavit. Donationes* istæ Marci lege circumscriptæ editores spectabant; Imperatores verò solebant in theatro scenicis placentibus donare. Suet. Galb. c. 12. n. 7. *Cano choraulæ mirè placenti denarios quinque donavit, prolatos manu sua è peculiaribus loculis suis.* Casaub. & Salmas. in Lampridium, Herald. in Arnob. IV. p. 183.

DONATIVUM erat stipendium non debitum militi, sed ultra stipendium, mera liberalitate donatum, ut ob victoriam, aut adoptionem Cæsaris, aut auspicia imperii.

peru.

perii. Cassiod. Var. iv. 14. *Qui enim debent ad fiscum celerius esse devoti? quando amplius de nostra humanitate recipiunt, quàm stipendii jure præstetur.* Dabatur, ut apparet, & auctoritatis in ipso tyrocinio, ut militaturis. Hieronymus: *Ecce donativum, quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant.* Dabatur annuè; ideoque certum in locum milites convocabantur. Cassiod. Var. v. 27. *Devotio tua millenarios provinciæ Piceni & Samnii sine aliqua dilatione commoneat, ut eos qui annis singulis nostra mansuetudinis præmia consequuntur, pro accipiendo donativo ad comitatum faciat incunctanter occurrere.* Statum porro huic rei diem fuisse discimus ex Paulli Diaconi xx. *Cum venisset tempus, quo imperialia milites dona solent accipere, hoc enim agitur plerumque die Kalendarum Januariarum, & natali Principum, & urbium regiarum, exquisivit quatenus eos simpliciter ex prisca consuetudine fallere potuisset.* Turneb. Adv. xix. 25. xxv. 18. Alex. Gen. Dier. v. 24. & in illum Tiraquellus, Kobierzyk. de lux. Rom. 1. 3. Laz. Comm. Reip. Rom. iv. 9. Buleng. de Imper. Rom. ii. 11. Bud. in Pandect. p. 258. H. Rhodig. Lect. Ant. xxvii. 27. Ubi milites dimidiam ejus partem deposuerint. V. infr. in *Pecunia*.

DOR.

DORSO est cognomentum Fabiorum. *Sigon. de cognom. Roman. c. 5.* Is est antiquissimus *Dorsonum*, qui capta Urbe ex Capitolio in collem Quirinalem ritu Gabino accinctus ad statum sacrificium Fabiorum accessit: & inde in Capitolium reversus est anno ab U. C. 363. Is C. Fabius *Dorsi* appellatus est. Ejus gentis duos tantùm consulares invenio, M. Fabium, qui consul fuit anno ab U. C. 408. cum Ser. Sulpicio Camerino: & C. Fabium illius fortasse filium, qui ann. 480. consul fuit cum C. Claudio Canino iterum. *Augustin. de Famil. Roman. in Fabia.*

DORSUALIA vocabant pelles, & operimenta, quibus mulorum, boumque & equorum terga insternebantur. Treb. Poll. Gallien. c. 8. *Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boves, cornibus auro jugatis, & dorsualibus sericis discoloribus præfulgentes.* Quæ *saga fucu tincta* vocat Capitol. Ver. c. 5. *Volucrem equum sagis fuco tinctis coopertum in Tiberianam ad se adduci jubebat.* Salmas. in Capitolinum. Grapald. de part. dom. 1. 8. §. 21. Hugo de Milit. Equest. 1. 4.

DORYPHORI erant protectores & corporis custodes tanta dignatione, ut qui *doryphori* Imperatoris fuissent, sæpè exercitibus præficerentur. Ipsi etiam magistri militiæ, & duces exercituum habuere suos *doryphoros*, qui honestiori numero fuere quàm hypaspistæ. Nemo autem inter *doryphoros* principis aut ducis accensebatur, qui singulari sacramento fidem suam Imperatori, & Imperio non obstrinxeret. Procop. Vandal. i 1. *Moris erat Romanis omnibus ab antiquo neminem ducis alicujus doryphorum constitui, quin prius sanctissimum sacramentum dedisset fides sua, & benevolentia erga ducem, maxime erga Imperatorem.* Buleng. de Imp. Rom. iii. 38.

DOS.

DOS omnis aut datur, aut dicitur, aut promittitur. Datur hoc modo: is qui dabat, hæc ferè, aut similia verba proferebat: *dos est tibi decem talenta*; & sponsus respondebat: *accipio.* Eum morem expressit Terent. Andr. v. 4. 47.

—CH. *Dos Pamphile est*
Decem talenta.

& respondet Pamphilus: *Accipio.* Quod interpretans Donatus, sic scripsit: *Ille nisi dixisset accipio; dos non esset; dato enim ab acceptatione confirmatur: nec potest videri datum id quod non sit acceptum.* Dotis dictio erat quædam obligationis species, quæ nulla præcedente interrogatione contrahebatur. *Et non solum in hac obligatione ipsa mulier poterat obligari, sed & pater ejus, & debitor mulieris. Hæ enim tres personæ nulla interrogatione præcedente, dictione dotis legitimè obligabantur*, auctore Cajo Instit. lib. post. & Ulpian. tit. 6. Etiam mulieres dixerunt *dotes*. Apul. Apol. p. 562. *Cur ego Pudentilla animum flecterem? quod ex ea commodum caperem, uti dotem mihi modicam potius quàm amplam diceret?* Dotis promissio cum *dotis* dictione nihil quicquam commune habebat. Qui enim pro muliere sponso *dotem* promittebant, *hi communi jure obligari solent*, hoc est, *ut interrogati responderent*, *& stipulationem promitterent*, auctore Cajo. Docet hoc de *dotis* promissione differens Plaut. Trin. v. 2. 38.

Isthac lege filiam tuam sponden' mihi uxorem dari?
CH. *Spondeo.*

Dos data, dicta, aut promissa instrumento quodam comprehendebatur, ne si quando solutum esset matrimonium, ignoraretur, quid *dotis* nomine apud virum mulier haberet. Apul. Apol. p. 545. sic de dotalibus tabulis loquitur: *Nihil verbis opus est, cum multo disertiùs ipsa tabula loquantur.* . *Præter hæc, ea conditione factam conventionem, si nullis ex me susceptis liberis vita demigrasset, ut dos omnis apud filios ejus Pontianum & Pudentem maneret: sin verò uno, unave superstite diem suum obiisset, ut tum dividua pars dotis posteriori filio, reliqua prioribus cederet. Hæc ut dico, tabulis ipsis docebo.* Ræverd. de auctor. prudent. c. 4. Savar. in Sidon. Epist. 1. 11. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. v. 37. Est verò *pecunia nuptiarum causa data*. Varr. de Ling. Lat. iv. 36. Neque tamen omnis *dos* pecuniariam nomine continetur, quanquam Aristæn. Epist. 1. 6. *Et breves paratis nummis in dotem tuam opus erit patri.* Aliquanto expressiùs Acro ad Horat. Od. iii. 24. 21. *Dos est donum puellarum nubentium.* Ulpian. l. 3. ff. de jur. dot. *Dotis appellatio non refertur ad ea matrimonia, quæ consistere non possunt; neque enim dos sine matrimonio esse potest: ubicunque igitur matrimonii nomen non est, nec dos est.* Quibus verbis officium, munus, atque ipsam velut *dotis* conferendæ originem indicavit, ut & cum matrimonio fit, & fine eo illa esse non possit, hoc est, *ut onera matrimonii qui sustinet, dotem percipiat.* Scævola apud Paull. l. 46. ff. famil. ercisc. Consentanea sunt, quæ scripsit Papinian. l. 6. ff. de castr. pecul. *Dos matrimonio cohærens, oneribus ejus, ac liberis communibus, qui sunt in avi familia, confertur.* Itaque si nulla matrimonii onera fuissent, id est, nulli liberi communes, *dos* divortio facto ad uxorem redibat, vel ea mortua sine prole, ad eum, unde profecta fuerat, ut difficillimum sit judicare, quis propriè dominus *dotis* dici possit. Non me latet sæpissimè ad maritum eam delatam. Pseudocornut. ad Pers. Sat. ii. 14. *Nerius morte conjugum locupletatus, fœnerator est factus notissimus, dos enim a cive Romano data, non patrio dicta nomine, si repudium non intervenerit, post mortem uxoris ad maritum pertinet.* Mart. x. 43. 1.

Septima jam Phileros tibi conditur uxor in agro,
Nulli plus Phileros, quàm tibi reddit ager.

Et si fortè in adulterio maritus uxorem deprehendisset, *dote* eam poterat multare. Acro ad Horat. Sat. 1. 2. 128. *Antea adultera dotem tantum perdebant.* Ipse Satyricus:

Janua frangatur, latret canis, undique magno
Pulsa domus strepitu resonet, vel pallida lecto
Desiliat mulier, miseram se conscia clamet,
Cruribus hæc metuat, dotis deprehensa.

De *dotis* summa non levis est quæstio inter magnos viros. Lipf. ad Tacit. Annal. 11. Cujac. ad Novell. 22. Mansambert. id est, Marcil. in Commonitoriis, contendunt summam *dotis* præstitutæ esse *decies*. Ramiresf. ad Martialem in hypomnematis, & Mercer. ad Aristænetum contra nituntur, *dotis* dictæ nullam certam summam fuisse, sed ætatem, familiam, conditionem, natalia inspici debere. Ego tamen senatoriam, ut plerumque, *dotem* puto potuisse præfiniri. Cur enim census potius, quàm *dos* certus foret? & tamen quin census certissimus esset, nullus est, qui inficias ibit. Hæc quæ fuerit, omnino non est exploratum, frequentiùs *decies*. Scholiast. Juven. Sat. x. 335. *Centena dabuntur, dos scilicet secundum morem.* Senec. ad Helv. c. 12. *Beatiores istos putas, quarum pantomimæ decies sestertio nubunt, quam Scipionem, cujus liberi à senatu,*

tuto-

turore suo, in dotem as grave acceperunt? Papinian. l. 6. ff. de usur. & fruct. *De fisco ideo numerari decies centena nomine dotis jussit*, hoc est, decies centena sestertiorum nummum, ut exponit Ant. August. Emend. 11. 6. *Demster. Paral. ad Ant. Roman. Rosin.* v. 37. *Laurent. de Sponsal. c.* 1. *Brisson. de Form.* vi. p. 544. *Hotomann. Disput. de Auteo Justinianeo. Turneb. Adv.* xviii. 30. Filiæ nolhæ an à patre debeatur, & ad quem, si ei constituta est, soluto matrimonio revertatur, V. infr. in *Spurius*. Civium, qui de Republica bene erant meriti, filiæ *dotem* ex ærario publico acceperunt. V. insr. in *Filia*.

Dos adventitia est, ut Julianus ait, si quis certam quantitatem patri donaverit, ut hanc pro filio daret. *Rhodig. Antiq. Lect.* xxviii. 24. *Demster. Paral. ad Antiq. Roman. Rosin.* v. 37.

Dos inofficiosa dicitur esse, cum in fraudem legis Papiæ amplius dodrante marito secundo datur, exstantibus liberis ex priore matrimonio, l. 2. de inoffic. dot. C. Theod. *Augustin. de Legib. in Papia Poppea*.

Dos profectitia dicitur Ictis, quæ à patre, vel parente profecta est de bonis ejus. *Rhodig. Ant. Lect.* xxviii. 24. *Demster. Paral. ad Antiq. Rom. Rosin.* v. 37.

Dos receptitia est, quam sibi soluto matrimonio extraneus contra communis juris regulam reddi stipulatur. Cajus, l. mortis causa 31. §. 2. sed & dos ff. de mort. caus. donat. *Sed & dos, quam quis in mortem mulieris à marito stipulatur, capitur sane mortis causa: cujus generis dotes receptitia vocantur*. Hotoman. de rit. nupt. c. 8. Demster. Paral. ad Ant. Rom. Rosin. v. 37.

DOSSENUS est cognomentum gentis Rubriæ, in nummis æreis & argenteis. Hoc in hanc gentem manasse putat Ursinus à *dosso*, quod pro *dorso* antiqui dixerunt. Unde *Dossens* forte illi, qui amplo erant *dosso*. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 836. D.

DRA.

DRACMA an, & quatenus denario par fuerit. V. supr. in *Denarius*.

DRACO erat vas fistulatum in myliario, tubæ instar, ære tenui, per declive myliario circumdatum, ut aqua, dum ad os *draconis* conglomerati specie pluries eundem ignem ambiret, per tantum flueret spatii, quantum accirendo coloti satis esset. *Baccius de Therm. c.* 9.

Draco erat etiam inter militia Romanæ signa. Erant similacra verorum *draconum*, ea arte expressa, ad terrorem hostibus inferendum. Ammian. xvi. 10. *Alios purpureis subteminibus texti circumdedere dracones, hastarum auratis gemmatisque summitatibus illigati, hiatu vasto perflabiles, & ideo velut ira perciti sibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum*. c. 12. *Quo agnito per purpureum signum draconis, summitati hastæ longioris aptatum, velut senectutis pandentis exuvias, stetit unius turma tribunus*. De illis Claud. in Rufin. ii. 365.

Mansuescunt varii vento cessante dracones.

Stevvech. in Veget. 1. 23. Casaub. in Vopisc. Aurelian. c. 28. Pier. Hierogl. xv. 16. Licet. de Lucern. vi. 20. Laz. Comm. Reip. Rom. vii. 7. Illorum originem Apollini tribuit Isidor. xviii. 3. *Draconum signa ab Apolline morte Pythonis serpentis inchoata*. De Græcis quod addit falsum est. Assyriis tribuit Curopal. de Offic. Constantini: *Cyrus, ut Medorum principatum adeptus est, Assyrius bellum intulit, & ab iis cepit tunicæ genus, & draconis vexillum*. Indis scriptor incertus apud Suidam: *Indi, gens barbara, quibus in bello erant signa in quoque mille equites draco, extensus in pertica. Ejus caput ex argento factum erat, dentibus restrictis & nudis minace rictu: reliquum corpus serico textu, longitudine, & crassitudine, & varietate coloris in verum draconem*. Scythis innominatus scriptor apud Suidam: *Signa Scythica, quæ ferunt in bello, sunt vela vel textilia colore variegata, quæ in speciem maxime serpentium assimilata sunt, & suspensa è mediocribus hastis*. Et quia illorum pars, aut confines sunt Daci, quid mirer eos quoque vulgo usurpasse? Imò non alia signa habent in columna Trajani, bello illo Dacico. Ab illis ipsis Romani sumpserunt, ut fit, imitatione. Placuit enim ille terror, quem moti in aere faciunt, & visum bello aptius quàm Romana illa signa. Ab iis ergo vel hoc argumento, quod ante Trojani ævum eos in Romanis legibus non legas. Nisi quis tamen à Persis magis petat, cum inter spolia à Zenobia capta & traducta, etiam *Persicos dracones* legamus apud Vopisc. Aurelian. c. 28. Deinceps crebri in Romana historia. Veget. ii. 13. *Dracones per singulas cohortes à draconariis feruntur ad prælium*. Si per singulas cohortes, sane multi. Proprii quidam & peculiares Principis fuerunt, qui toti è purpura in ejus comitatu. V. Ammianum. Non fuerunt depicti, aut acu texti in velo; sed corpora tota, & solida è pannis & subtemine facta. Moveor ita censere è Trajani columna, in qua palam sic exstant: corpora dico, non imagines. Moveor & Suidæ verbis, ubi longitudo & profunditas iis datur. Eo inclinant nos Ammiani verba: *hiatu vasto perflabiles, & ideo velut ira perciti sibilantes*. Lips. de Milit. Rom. iv. Dial. 5. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 9. §. 2. Lyd. Synt. de re Milit. iii. 7. Choul. de Castram. Roman. p. 16. Hugo de Milit. Equest. ii. 4. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 9. Thys. Rom. Illustr. iv. p. 93. Schill Nomencl. Philol. p. 1040. Non formabantur ex metallo, ut aquila, sed vel picti, vel intertexti, & *in linteo*, ut Tertull. Apolog. c. 16. *depicti*. Claud. Honor. Consul. iii. 138.

Hi volucres tollunt aquilas, hi picta draconum
Colla levant, multusque tumet per nubila serpens
Iratus stimulante noto.

Sidon. Carm. v. n. 409.

—— textilis anguis
Discurrit per utramque aciem, cui guttur adactis
Turgescit zephyris.

Demster. Paralip. in Rosin. Antiq. Roman. x. 29.

DRACONARII sunt dicti milites à signo, in quo *draconis* effictà imago. *Alex. ab Alex. Gen. Dier.* iv. 2. Imò significati κατ᾽ἐξοχὴν hoc nomine appellabantur. Veget. ii. 7. *Signiferi, qui signa portant: quos nunc draconarios vocant*. Stevvech. in Veger. 1. 23. Pier. Hierogl. xv. 16. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 560. A. Guther. de Offic. dom. Aug. ii. 14. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 9. Thys. Rom. Illustr. iv. 93. Sollenniter torquem habuerunt. Ammian. xx. 4. *Maurus nomine quidam postea Comes tunc hastatus, abstractum sibi torquem, quo ut draconarius utebatur, capiti Juliani imposuit*. Hinc apud Prudent. περὶ στεφ. 1. 64. Hemetrio & Chelidonio, qui ambo *draconarii* fuerunt, cum ducerentur ad supplicium, torques exuuntur.

Ite, signorum magistri: & vos tribuni absistite,
Aureos auferte torques.

Scheffer. de Torquib. Antiq. c. 8.

DRAMA est genus orationis, cujus phrasi personæ loquentes introducuntur. Hieron. super Cantica: *Drama interdum actus comicorum significat. De hac dictione scriptum legimus illud in Ecclesiastico officio: Ante thorum hujus virginis, frequentate nobis dulcia cantica dramatis*. Cenal. de Pond. ac mens. rat. Tom. iv. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 1523. A. De voce, inventione, objecto, & fine, multa *Voss. Instit. poet.* ii. 2.

DRO.

DROMONARII erant remiges cursoriarum navium, quæ δρόμωνες, expediti cursus navigia. Cassiod. Var. iv. 15. *Comperimus, dromonarios viginti & unum de constituto numero mortis incommodo fuisse subtractos*. Buleng. de Imp. Rom. vi. 7. Guther. de Offic. dom. Aug. iii. 14. Bergier. de viis Milit. iv. Sect. 44. §. 7. & ad illum Henninius.

DROMONES *sunt longa naves*. Isidor. xix. 1. *Cursoriam* vertit Sidon. Epist. 1. 5. *Ticini cursoriam, sic navigio nomen, ascendi*. Erat opportuna ad rem frumentariam convehendam. Cassiod. Var. v. 16. *Decrevimus mille dromones fabricandos assumere: qui & frumenta publica possint convehere, & adversis navibus, si necesse fuerit, obviare*. Gyrald. de Navig. c. 18. Scheffer. de Milit. nav. ii. 2. Bergier. de viis Milit.

Milit. iv. Sect. 44. §. 7. & ad illum Henninius. Savaro in Sidonium. Forner. in Cassiod. iv. 15. Buleng. de Imp. Rom. vi. 7. Du Fresne Glossario.

DROPAX est genus unguenti, ex auripigmento, & viva calce concinnatum, ad exurendam depascendamque genitalem pilorum materiam. Paris pantomimus, qui Domitiano fuit in deliciis, aliique excogitarunt, & à medicorum filiis peti possunt. De illo Mart. III. 74. 1.

Psilothro faciemque lavas, & dropace calvam,
Nunquid tonsorem Gargiliane times?

x. 65. 8.

Levis dropace tu quotidiano:
Hirsutis ego cruribus, genisque.

Junius de Coma c. 2. Mercur. de Art. Gymnast. iv. 9.

DRU.

DRUIDÆ fuerunt sacerdotes Gallorum. Plin. xxx. 1. *Tiberii Cæsaris principatus sustulit Druidas eorum*, Gallorum. Suet. Claud. c. 25. n. 14. *Druidarum religionem apud Gallos penitus abolevit*. Et Britannorum, sive *ex Gallia oceanum transgressa, & ad natura inane pervecta* fuerit, ut commemorat Plinius: sive *in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimetur* illorum *disciplina*, ut vult Cæs. B. G. vi. 13. 11. Certè apud Britannos Gallorum *sacra deprehendi, superstitionum persuasione*, dicit Tacit. Agric. c. 11. n. 5. *Voss. de Idolol.* 1. 35. *Pitisc. in Suetonium*. Gestarunt torques. Strab. iv. p. 136. de ipsis: *Gestant aureos circum colla torques*. Scheffer. de Ant. torq. c. 9. Vita hominis, etiam innocentis, deorum iram placari credebant. Cæs. B. G. vi. 15. *Natio est omnium Gallorum admodum dedita religionibus, atque ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in prœliis, periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur, quod pro vita hominis nisi vita hominis reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrabantur, publicèque ejusdem generis habent instituta sacrificia. Alii immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent, quibus succensis, circumventi flamma examinantur homines. Supplicia eorum, qui in furto, aut latrocinio, aut aliqua noxa sint comprehensi, gratiora diis immortalibus esse arbitrantur. Sed cum ejus generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt*. Tomas. de Donar. c. 40. Hos sustulisse Tiberium Plinius, Claudium Suetonius supra dixerunt. Sed Tiberium in Urbe tantùm, Claudium in Gallia sustulisse putant Lips. in Tacit. Annal. xii. n. 102. & Vossius jam laudatus. Attamen illorum adhuc meminerunt Tacit. Annal. xiv. 30. Lamprid. Alex. Sev. c. 60. & Vopisc. Aurel. c. 44. nisi, ut monuit Pith. Adv. 1. 5. solum morem ἀνθρωποθυσίας, non universam gentem Claudium sustulisse credamus. *Saggittar. de Jan. Vet. c.* 1. §. 12. De *Druidibus* etiam scripserunt *Cluver. Germ. Ant.* 1. 24. *Gesner. Mithrid. p.* 21. & 38. *VVaser. ad illum p.* 106. *Pufendorf. de Druid. c.* 2. *Saubert. de Sacrif. c.* 7. *Bodin. Meth. Histor. c.* 7. *Merul. Cosmogr.* II. 3. 11. *Reines. Inscript.* 1. 51. *Pius Annot. post. c.* 62.

DRUNGARII, vel potius *Druncarii*, ut tradit Leo in libro de Apparatibus bellicis c. 3. n. 42. olim dicti fuerunt chiliarchi, qui militibus mille præerant. *Drungarius* itaque, vel *Druncarius* erat caput *Drunci*, olim tribunus, nunc colonellus, aut regimenti præfectus. *Leunclav. Pandect. Hist. Turc. c.* 173. *Scheffer. de Milit. Nav.* iv. 5. *Stevvech. in Veget.* III. 16. *Cerda Adv. Sacr. c.* 176. §. 4. *Buleng. de Imp. Rom.* ix. 34. *Turneb. Adv.* xxiv. 25. *Meurs. Glossar. Græcobarb. Du Fresne Glossario. Voss. Lex. Etymol.*

DRUNGUS erat militum multitudo cuneatim rostratimque pugnantium, fronte scilicet in angustum desinente. Vopisc. in Prob. c. 19. *Omnium gentium drungos usque ad quinquagenos homines ante triumphum duxit*. Ita militum cuneum vocaverunt, quia & caput porcinum appellabant. Vegetius ubique globos interpretatur. III. 19. *Aut à vagantibus globis, quos vocant drungos*. c. 16. *Scire debet dux, contra quos drungos, hoc est, globos hostium, quos equites oportet poni*. Salmas. & Casaub. in Vopiscum. Meurs. Glossar. Græco barb. Du Fresne Glossario. Stevvech. in Vegetium.

DRUSUS fuit ante cognomen Liviorum. Is enim Livius, qui eo primùm cognomine usus est, *hostium duce Drauso cominus trucidato, sibi posterisque suis cognomen invenit*. Suet. Tib. c. 3. n. 5. Appellatus autem est Livius *Drusus*. Postea cum Tiberius Neroque Claudii Liviæ filii, Augustique privigni in Liviorum gentem inserti essent, *Drusi* cognomen Claudiis quoque communicatum est, appellatusque est Tiberii Cæsaris frater Nero Claudius *Drusus*. Prænominis postea munere fungi cœpit in *Druso* Tiberii Augusti filio, Augusti nepote, quem *Drusum* Julium Cæsarem appellat Dio LVII. Ita etiam appellatus est *Drusus* Cæsar Germanici Cæsaris filius, qui post patris mortem, cum Tiberio criminante hostis à senatu judicatus esset, cum fratre Nerone occisus est. *Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2026. *E. Sigon. de Nomin. Roman. c.* 5. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 683. *E.*

Drusus M. Livius, ut Flor. c. 70. & 71. scribit, optimatium partes tuebatur, qui, cum senatus molestè ferret judicia equitibus lege Sempronia data, ea ad senatores transferre conabatur, plebem spe largitionis corrumpens: socios quoque & Italicos populos spe civitatis Romanæ concitavit: leges per vim agrarias, & frumentarias tulit, item judicialem, ut æquarentur senatores equitibus in judiciis. Sed cum promissa civitas sociis non præstaretur, atque bellum sociale pararetur, Livius *Drusus* etiam senatui invisus factus fuit, quasi illius belli auctor: qua de causa domi suæ interfectus, incertum à quo, inventus est. Ejus etiam leges sublatæ sunt, quasi contra auspicia, & legem Cæciliam & Didiam latæ essent, quæ trinundinum observari jubebant. Cicer. pro dom. c. 16. *Decrevit senatus, M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam & Didiam latæ essent, populum non teneri*. Augustin. de Legib. in Livia.

Drusus Tiberii frater fuit augur. Quod apparet ex lituo, qui illi in nummo tribuitur, & *clarissimum insigne auguratus* vocatur Cicer. Div. 1. 17. quamvis historia de hoc ejusdem honore minimè loquatur. Sed Dio. LIV. p. 544. & Suet. Claud. c. 1. n. 5. quæsturam, præturam urbanam, triumphales honores, ovatiooem, consulatum, & proconsulare imperium tantummodò referunt. *Fabrett. de Aqueduct. Diss.* 1. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1703. *B.* Sepultus est in campo Martio. Suet. Claud. c. 1. n. 6. *Nardin. Rom. Vet.* vi. 7.

Drusus Tiberius Claudius. V. illum supr. in *Claudius*.

DUC.

DUCATUS est ipsius ducis dignitas. Suet. Ner. c. 35. n. 14. *Quia ferebatur ducatus & imperia ludere*. Panciroll. Notit. dign. Imp. Orient. c. 150. Stevvech. in Veget. 1. 13. *Ducatus* ludere dicebantur pueri. V. infr. in *Ludere*.

DUCENARII in militaribus erant in schola Agentium in rebus. Et *ducenarii* vox, in monumentis militum, armatæ militiæ nomen est: *si quidem primus hastatus duas centurias, id est, ducentos homines ducebat in acie secunda, quem nunc ducenarium vocant*. Veget. II. 8. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 687. *C. Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 15. *Salmas. Capitol. Pertin. c.* 2. *Panciroll. Notit. dignit. Imp. Orient. c.* 64. *Buleng. de Imp. Rom.* vi. 50.

Ducenarii dicebantur etiam, qui *ducenam* gerebant, vel *ducentis* scholaribus præerant, ad hanc dignitatem semper ordine, ac successione evecti, ut patet l. 1. 3. & 4. C. de agentibus in rebus. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 687. *D.*

Ducenarii dicebantur quoque, qui *ducentesimam* exigebant, quæ vectigal erat ad instar centesimæ, & quinquagesimæ, de quibus mentio habetur l. 1. C. de exact. tribut. *Ducenarii, & centenarii, sive sexagenarii non prius debent aliquem ex debitoribus convenire* .... Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 687. D. Turneb. Adv. XXIX. 16. Buleng. de Imp. Rom. vi. 50.

Ducenarii judices erant, qui *ducenta* sestertia in censu habe-

habebant, id est, censum equestrem dimidiatum, quinque millium coronatorum; cum solidus esset quadringeotorum, id est, decem millium. Suet. Aug. c. 33. n. 7. V. illum supr. in *Decuria*. Bud. de asse III. p. 275. in Pandect. p. 268. H. Pollet. For. Rom. III. 9. Turneb. Adv. XXIX. 16. Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Romao. Græv. Tom. XI. p. 687. E. Buleng. de Imp. Rom. VI. 50.

DUCENTESIMA erat vectigal, quod erat aurei semissis in centenarium. Primos instituit Tiberius. Tacit. Annal. II. 42. 7. *Regnum in provinciam redactum est, fructibusque ejus levari posse centesima vectigal professus Cæsar, ducentesimam in posterum statuit.* Remisit autem Caligula. Et hoc ex nummis æneis ejusdem Imperatoris constat, in quorum aversa parte tres hæ literæ exstant, R. CC. *Ursin. & Vertran. ad Tacitum. Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 943. B. Laz. Comment. Reip. Rom. II. 13. Buleng. de Imp. Rom. VI. 50.*

DUCI dicebantur addicti. Creditores enim debitores, qui æri alieno non essent solvendo, domum *ducebant*. Unde in legibus XII. tabularum: *Ast quei endo jus addicit, secum ducito.* Schott. Nod. Cicer. II. 14. Salmas. de mod. usur. c. 18.

Duci in anctionibus, subhastatione, emptionibusque usitata olim fuit formula. Notum hoc est è Jurisconsultis, cum dicerent: *ducas licet.* Schott. Nod. Cicer. II. 14.

Duci dicebatur funus. Juven. Sat. I. 146.

Ducitur iratis plaudendum funus amicis.

Prop. II. 1. 58.

Ex hac ducentur funera nostra domo.

Dicebantur exsequiæ. Quintil. Decl. X. *Satiare misera, satiare saltem memoria diei illius, quo exsequias duximus.* Funus enim locis laudatis nihil aliud quàm exsequiæ, & funeralis pompa. Etiam absolutè. Pers. Sat. II. 14.

—— *Nerio jam tertia ducitur uxor.*

Serv. Georg. IV. 256. *Funera ducunt, cum exsequiali scilicet pompa. Ducere funerum. Persius.* Kirchm. de Fun. Rom. II. 1. Passerat. in Propertium. Grang. in Juvenalem. Faea in Gyrald. de Var. sepel. III. 5.

Ductu dicebatur Imperator gessisse bellum, cui ipse interfuit. Suet. Aug. c. XI. n. 1. *Domuit partim ductu Cantabriam.* Curt. VI. 3. 2. *Quorum alia ductu meo perdomui.* Lips. Mil. Rom. II. Dial. 12. Pichen. in Tacit. Annal. II. 41. Brisson. de Form. IV. p. 353. Demster. Paral. ad Ant. Rom. Rosin. II. 16. Vales. in Ammian. XVI. 12. Notat hæc vox operam, administrationem, exsequutionem, qualis Imperatori, aut Duci exercitus incumbit. *Bosius dissert. de compar. eloq. civil. §. 17.*

DUE.

DUELLA est pars tertia unciæ: tres enim ex eis unciam constituunt: dicta à *duabus* conjunctis sextulis, constans ex scripulis octo: de qua Fannius:

Sextula cum dupla est, veteres dixere duellam.

Pætus de Rom. & Græc. Pond. V. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1665. A. Bud. de Asse I. p. 15.

DUI.

C. DUILLIUS consul de Pœnis primus apud Romanos triumphum navalem egit anno ab U. C. 494. Liv. Epit. 17. *C. Duilius consul adversus classem Pœnorum prospero pugnavit, primusque omnium Romanorum ducum navalis victoriæ duxit triumphum. Ob quam causam & perpetuus quoque honos habitus est, ut revertenti à cœna, tibicine canente, funale præferretur.* Flor. II. 1. *Duilius victor ad Liparas, mersa & fugata hostium classe, primum illum maritimum egit triumphum, cujus quod gaudium fuit? Quum Duilius Imperator non contentus unius diei triumpho, per vitam omnem, ubi à cœna rediret, prælucere funalia, & præcinere sibi tibias jussit, quasi quotidie triumpharet.* Quæ totidem ferè verbis repetunt Cicer. de Senect. c. 13. Val. Max. III. 6. 4. Aur. Vict. de Vir. illustr. c. 38. n. 4. Sil. Ital. VI. 667. *Barthol. de Tib. c. 4. Nicol. de Triumph. c. 16. §. 2.* Illi ob navalem hanc victoriam statua cum columna rostrata in Foro Romano decreta fuit. Plin. XXXIII. 1. Quintil. I. 7. Ejus basi inscriptio, antiqua illa scribendi ratione, incisa erat, quam superioribus annis in Capitolinis Urbis ruinis repertam, quantum licuit, ex auctoritate veterum scriptorum, suppleverunt Ant. Augustinus, Carolus Sigonius, & Fulvius Ursinus, & insigni commentario explicavit Petrus Ciacconius. *Panvin. de Triumph. c. 2. Augustin. de Legib. in Decr., Castal. de Column. triumph. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. IV. p. 1942. F.* Antea vocabatur *Bilius*. V. supr. in *B*.

DUL.

DULCIARIUS dicitur, qui placentas, vel *dulcia* conficit. Glossæ: Πλακουντάριος, *dulciarii, placentarii*. Græci γλυκαντῆρας dixerunt. Lamprid. Heliogab. c. 27. *Dulciarios & lactarios tales habuit, ut quæcunque coqui de diversis edulibus exhibuissent, vel structores, vel pomarii, illi modò de dulciariis, modò de lactariis exhiberent.* Apul. Met. X. p. 329. *Pastor dulciarius, qui panes & mellita concinnabat edulia.* Salmas. in Lamprid. Heliogab. c. 27. & 32. VVouvver. in Min. Felic. p. 116. Stevvech. in Veget. I. 6. Buleng. de Conviv. I. 9: II. 50. Bud. in Pandect. p. 130. Laz. Comm. Reip. Roman. II. 15. Rhodig. Ant. Lect. XXVI. 31: XXVIII. 8: XXX. 10.

DULCIUM & *dulcia* dicebantur placentæ, vel liba. Lamprid. Heliogab. c. 32. *Alia de dulcius.* Scholiast. Juven. Sat. VI. 632. *Dulcia, placenta veneno plena.* III. 188. *Dulcium malum, quod stomachum indigestum præstat.* Hinc *dulciarium opus*, & *dulciamen*, quod Græci γλύκασμα. Nam γλυκάσματα Græcis placentæ. Moschopolus: πέμματα γλυκάσματα. *Salmas. in Vopisc. Tacit. c. 5. & Lampridium. Buleng. de Conviv. II. 39. Brouyer. de Re cibar. VI. 7.* Kalendis Januariis pauperiores strenæ loco sibi invicem mittebant. Mart. VIII. 33. 11.

Hoc linitur lute Jani caryota Kalendis,
Quam fert cum parvo sordidus asse cliens.

XIII. 27. 1.

Aurea porrigitur Jani caryota Kalendis,
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

In omen futuræ suavitatis ineuntis anni, & ut dulces dies anni à dulcibus rebus auspicarentur. Ovid. Fast. I. 185.

Quid vult palma sibi, rugosaque carica, dixi,
Et data sub niveo condita mella cado?
Omen, ait, causa est: ut res sapor ille sequatur,
Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.

Hospin. de Orig. Fest. Ethn. p. 92. Lipen. de Stren. c. 3. §. 15. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 412.

DUM.

DUMIA genus. V. illam infr. in *Gens*.
Dumia tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

DUP.

DUPLARII dicuntur in antiquis inscriptionibus. Romæ:

Q. VÆSIO. Q. F. PAL. NIGERIANO
MIL. COH. V. PR. 7. VERI. MILIT.
LEG. X. GEMIN. DUPLAR....
T. ÆLIUS. T. F. POP. HEDISCUS
MIL. DUPLAR. ARMATUR. VIXIT....

& *duplicarii* Liv. II. 59. *Ad hoc centuriones, duplicariosque, qui reliquerant ordines, virgis cæsos securi percussit.* Varr. de Ling. Lat. IV. 16. *Duplicarii dicti, quibus ob virtutem duplicia cibaria ut darentur, institutum.* Et in inscriptione veteri infr. in *Sesquiplares*, & διμοιρίτης Pollux I. 23. quod duos denarios virtutis nomine causa mereret, cum unus esset stipendium militis diurnum. Veget. II. 7. *Armatura duplares, qui binas consequuntur annonas*, & Varro jam laudatus. *Lips. de Milit. Rom. V. Dial. 16. Stevvech. in Vegetium. Salmas. de re milit. Roman. c. 19. de mod. usur. c. 8. Faber Semest. I. 19. Schel. in Polyb. Ant. Rom. Grav. Tom. X.*

Tom. x. *p.* 1203. *D.* 1217. *F.* 1221. *B. in Hygin. ibid. p.* 1080. *E. Spon. Misc. Erud. Ant. Sect.* vii. *p.* 257. *Rutgers. Var. Lect.* v. 20. *Cuper. Observ.* 1. 8. *Reines. Inscript. Class.* 1. *n.* 25: viii. *n.* 78. *Turneb. Adv.* xxi. 28. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* xi. *p.* 688. *D. Guther. de offic. dom. Aug.* ii. 12. *Hugo de Milit. equest.* ii. 6.

DUPONDII appellantur auditores primi anni in edicto Justiniani, quo juris auctoritas confirmatur. Quamobrem in controversiam venit. Ego, ut aliorum sententias omittam, sic eos appellatos existimo ridiculè, quod non essent magni pretii, sed duorum assium: ut si triobolares, aut diobolares auditores diceremus. Nam *dupondius* duos asses significat, vel quatuor & viginti uncias, vel sedecim sescuncias, ac pro pecunia parva ponitur. Cicer. pro P. Quint. c. 16. *Si dupondius tuus ageretur, Sext. Navi, si in parvula re captionis aliquid vererere*. Turneb. Adv. viii. 19. Pollet. Fot. Rom. iii. 13. Alciat. de verbor. signif. iv. p. 79.

DUPONDIUS dicebatur olim, quod geminis assibus constaret; quanquam & as diminutus esset à libra & septuncem & semuncum. Re tamen mutata nomen immotum permansit. *Cenal. de Pond. ac mens. rat. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom.* xi. *p.* 1519. *A. Freher. de re monet. Rom.* 1. 1. *Salmas. in Lamprid. Alex. Sev. c.* 39. *de mod. usur. c.* 6. *Gronov. de Pecun. Vet.* iii. 11. *Bud. de Asse* 1. *p.* 12. *in Pandect. p.* 292. *H. Barth. Adv.* xxi. 6. *Rhodig. Ant. Lect.* iv. 7. *Snell. de re numm. Thes. Antiq. Graecar. Gronov. Tom.* ix. *p.* 1559. *C. Hotman. Antiq. Roman.* iv. 2.

DUU.

DUUMVIRI dicti sunt à numero *duorum*, & exemplo *duorum* Romanorum consulum creati sunt. Non *duumviros*, sed *duumvirum* in singulari dicit Theodos. l. duumvirum 13. C. de magistr. munic. *Duumvirum impunè non liceat extollere potestatem fascium extra metas territorii propriæ civitatis*. Quia etsi duo erant, unum tantum magistratum administrabant, seu unius judicis vicem sustinebant, l. magistratu 25. ff. ad mun. aut quia sicut consules singuli alternis duodecim fascibus utebantur, ita *duumviri* alternatim duos fasces præmittebant. *Pancіroll. de magistr. munic. c.* 8. *Chimentell. de Hon. bisell. c.* 5. Campani, ut narrat Cicer. Agrar. ii. 34. eorum fastum describens, *pratores se appellari volebant, cum cæteris in coloniis duumviri appellarentur*. Velser. Ret. Vindel. v. p. 271. Panciroll. l. l. Consules fuisse appellatos diu est cum frustra requisivi. In Ausonio nihil ad eam rem præsidii reperiri potuit, etsi retineatur edita lectio omnium codicum fide nixa; quæ sanè nihil absurdi importat, si Poetam loqui cogites, qui *duumvirum* appellare potuit *consulem*; sicut pastorem alius magistrum, cerdonem alius ex hoc licentioso genere sutorum regulum, eoque trajectionem à Velsero tentatam non necessariam esse semper judicavi. *Reines. Epist.* 31. *Var. Lect.* iii. 16. Nimis elatè Ausonius, si se Burdigalæ *duumvirum* electum verbis istis intelligi voluit de Urbib. xiii. 39.

Diligo Burdigalam: Romam colo: civis in hac sum,
Consul in ambabus.

Mihi perplacet:

—— *consul in hac sum,*
Civis in ambabus.

Est enim ad veritatem expeditius, & proximo confirmatur hemistichio:

—— *cuna hic, ibi sella curulis.*

Velser. ibid. p. 272. In hujus sententiam, qui alioquin sua auctoritate me frangit, gradior, sed non curro; loripes sum, & Mulciberi assecla. Scio namque, præsertim de coloniis, quod omni cultu usque ad ambitionem imitari, ac spirare studebant Urbem parentem, cujus ex utero incolæ traduces ad alias inhabitandas terras mittebantur. Hinc decuriones, alter veluti senatus, ac simulacrum quoddam amplissimi ordinis in Urbe. Ex hoc corpore lecti *duumviri*, quot Romæ consules. Quod si isti *duumviri* consilio, auctoritate, prudentia totidem quasi consules in ea republica præerant; quid vetat, ut ambitiosa aliqua civitas eodem nomine consulari *duumviros* nuncupasset? En Burdigala apud Ausonium modò laudatum. Velserus [illegible] usus remedio mutavit. Ore poetico locutum Ausonium censuit Reinesius. Ego nihil vatem redarguo. Atqui obstat, inquis, consularis apicis augustissimum decus, quod una Roma, domina, mater, & princeps cæterarum sibi adsciverat, tanquam peculium suum, quod nulla sibi è vili ori civitatum grege civitas usurparet. Sed placet interrogare: nonne dictaturæ nomen, scio esse extraordinarium, longè augustius, atque excellentius consulari? nonne potestas sanctior, major, formidabilior? nonne hic unus magistratus periculosissimis, ac difficillimis Reipublicæ temporibus, ubi primùm affulsit, cæteri honores connivebant, ut exorto sole minora sidera sepeliuntur? & tamen permittimus Lanuvio, tenui alioquin oppido, ut magistratum suum vocet Dictatorem, neque ullius ἀκυρολογίας arguimus, quod ita vocarit Cicer. pro Mil. c. 10. Vocavit autem, quia is populus Lanuvinus, vel usu antiquo, vel ambitione, vel alio respectu ita appellari maluit. Ita Adrianus apud Spartian. c. 19. *Per Latina oppida Dictator, & Ædilis, & Duumvir fuit*. Pro varia nempè populorum consuetudine, quia magistratum suum hic *Dictatorem* vocabant, hic *Ædilem*, hic *Duumvirum*; non quod Adrianus eodem in loco omnes illos honores sustulerit. Jurisconsultis itidem *consules* pro *duumviris*, ut in l. cum quidam 30. de acquir. hæred. *Divus Pius rescripsit consulibus*. Consules, hoc est, magistratus, aut *duumviri* alicujus civitatis, qui de incerto jure, ut sæpè factum, imperatorium culmen consulebant. Vocem *consulibus* in *consulentibus* reformat Hotoman. Observ. vii. c. ult. Sed non movendum consulem hunc municipalem agnoscens mecum censet Scipio Gentilis de J. dictione 11. 5. *Chimentell. l. l.* Summus decurionum & civitatis hic erat magistratus, nisi alia alicujus loci fuisset consuetudo. Ulpian. l. 1. ff. de albo scrib. *Scribantur decuriones eo ordine, quo quisque eorum maximo honore in municipio functus est, ut puta, qui duumviratum gesserunt, si hic honor præcellat*. Nec alii quàm decuriones *duumviri* creari poterant. Paull. l. honores 7. §. 18 qui ff. de decret. *Is, qui non sit decurio, duumviratu, vel aliis honoribus fungi non potest, quia decurionum honoribus plebeji fungi prohibentur*. Nec ex omnibus decurionibus, sed ex potioribus tantum eligebantur. Paull. l. l. *Honores, & munera, non ordinationi*, id est, inferioribus, sicut in *ordinem redigi* dicuntur, qui deprimuntur, *sed potioribus quibuscumque injungenda sunt*. Panciroll. l. l. Chimentell. ibid. c. 4. Eadem forma in eligendis, quæ in creandis decurionibus, observabatur, hoc excepto, quod tribus ante, aut pluribus mensibus, quàm magistratum inirent, nominabantur: ut si fortè justam recusandi honoris causam habuissent, alii eorum loco congruo tempore substitui possent, l. 1. C. de magistr. munic. l. 28. C. de decur. Kalendis verò Martiis magistratum nominabant, inquit Constantinus d. l. 28. C. de decur. ut splendidiorum honorum, munerumque principia primo tempore curentur. *Panciroll. l. l. Buleng. de Imp. Rom.* vii. 7. Antiquitus lictores duo cum bacillis anteibant. Cicer. Agrar. ii. 34. *Anteibant lictores, non cum bacillis, sed ut hic prætoribus anteeunt cum fascibus duobus*, & Apul. Met. 1. p. 33. *Et lixas, & virgas, & habitum prorsus magistratui convenientem in te video*. Qui postea aucta ambitione in fasces crevere. Arcadius cum collegis, l. 53. C. de decurion. tit. 31. *Duumvirum impunè non liceat extollere potestatem fascium extra metas territorii propriæ civitatis*. Velser. Chimentell. Panciroll. l. l. & Augustin. ad leg. xii. tabul. §. 44. Noris. Cenot. Pis. Diss. 1. 3. Gentil. d. l. 53. fasces ad jus ludorum, aut editionis traduxit. Hoc ego non probo. Si namque verba Imperatorum expendo, ubi *potestatem fascium* vocant, ac *territorii* mentionem *injiciunt*, spectasse eos auctoritatem, atque jus in *duumviris*, non inanem, aut ludicrum splendorem, facile adducor ut sentiam. *Chimentell. l. l.* Non ad jurisdictionem, hanc enim non habebant, sed notionem tantum, verùm ad alias res pertinebant. *Reines. l. l. Guther. de Offic. dom. Aug.* 1. 5. Hoc non tam purum est, atque illime, quin aliter alii judicent. Prærit Paullus, ac turbam submovet, ut jurisdictionem vindicet *duumviris*, l. 26. ff. de municip. *Ea, quæ magis imperii sunt, quàm jurisdictionis,*

nis, magistratus municipalis facere non potest. Ergo ea, quæ puræ sunt jurisdictionis, aut quæ magis sunt jurisdictionis, quàm imperii, omnino faciet. Sic *municipalis jurisdictio* l. incola 29. ff. de municip. Hanc quoque opinionem affirmat Cujac. ad l. 1. 2. 3. 4. de jurisdictione. Illigerus ad Donell. XVII. 7. Gothofr. ad l. 4. de damno infecto, specimina afferens jurisdictionis, præsertim ad certam quantitatem, de quo Paull. Sent. v. Item pignoris capionem, legis actionem, servorum castigationem, & curatoris dationem, de quibus Cujac. ad d. l. 53. C. de decurion. Buleng. de Imp. Rom. VII. 9. Gentilis eidem favet *duumvirali* jurisdictioni de J. dictione s. 7: 11. 6. Adi & Berter. Pithao. s. 10. Vizzan. de mand. Princip. c. 1. Passim quoque in lapidibus II. IIII IV. VII juri dicundo. Panciroll. l. l. Sic. Ædilis juridic. quod patet Gruterianum indicem percurrentibus. *Chimentell. ibid. c. 5.* Purpura quoque, id est, limbo purpureo circumdata toga utebantur. Liv. XXXIV. 7. *Magistratibus in coloniis, municipiisque toga prætexta habendæ jus est: nec id ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur mortui*. Notis. & Panciroll. l. l. Tunicam albam gestabant. Juven. Sat. III. 178.

— *clari velamen honoris*
Sufficiunt tunicæ summis ædilibus albæ.

Creati olim populo munus gladiatorium edebant, id est, aliquot paria gladiatorum ad certamen committebant, ut constat ex Apul. Met. x. p. 335. *Thyasus gradatim permensis honoribus quinquennali magistratui fuerat destinatus, & ut splendori capessendorum responderet fascium, munus gladiatorium triduanis spectaculis pollicitus, latius munificentiam suam protendebat*. Cum inibant magistratum, soliti sunt decurionibus singulos, vel binos denarios elargiri. Plin. Trajan. Epist. 82. *Qui ineunt magistratum, solent totam bulen, atque etiam ex plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios, vel singulos dare*. Panciroll. l. l. Buleng. de Imp. Rom. VII. 9. Annuum fuisse patet ex l. 1. quemadm. munciv. & l. 16. de decurion. C. De Africæ *duumviris* legimus in gestis de purgatione Felicis Episcopi tom. 1. Concil. Labei p. 1451. *Magistratus, supplete anno, omnes actus suos domum suam tulit*. De Hispanis in Synodo Eliberitana can. 56. *Magistratum uno anno, quo agit duumviratum, prohibendum placuit, ut se ab Ecclesia prohibeat*. Id moris erat quarto seculo æræ Christianæ. Cæterum observo ex inscriptione Capuana apud Pighium Annal. Roman. ad annum ab U. C. 719. initio imperii Augusti nondum colonici magistratus tempus fixum, ac certum fuisse: nam ibidem nominantur *duumviri* modò EX K. SEPT. ad K. FEBR. & EX K. FEBR. ad K. JUL. Postea ex K. JAN. ad K. JAN. Denique EX K. JAN. ad K. JUL. ut *duumviratus* quinquemestris, semestris, ac etiam annuus gereretur. *Noris. l. l.*

Duumviri capitales dicebantur, qui de perduellionis crimine judicabant. Liv. I. 26. *Duumviros, qui Horatio perduellionem judicent, secundum legem facio. Lex horrendi carminis erat: Duumviri perduellionem judicent. Si à duumviris provocavit, provocatione certato: si vincent, capite obnubito: infelici arbori reste suspendito. Verberato, vel intra pomœrium, vel extra pomœrium*. Duravit hic mos semper stante Republica. Itaque C. Rabirius à Julio Cæsare, & L. Cæsare *duumviris* perduellionis damnatus est, sed ad populum provocavit, ut omnibus est notum ex Suet. Jul. c. 12. n. 1. Dion. XXXVII. p. 41. & ex Oratione Ciceronis pro eo. *Hotoman. de magistr. Rom. 1. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. II. p. 1870. F. Sigon. de Judic. III. 4. & 15. Manut. de Leg. c. 4. Laz. Comment. Reip. Rom. III. 2. Flocc. de Potest. Roman. II. 5. Las. de Magistr. Roman. c. 6.*

Duumviri navales erant magistratus extraordinarii, quales alii atque alii creabantur, ut quæcunque negotia occurrebant, quæ extraordinariam curationem requirere videbantur. Liv. IX. 30. *Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum: utraque pertinentia ad rem militarem .... alterum ut duumviros navales classis ornandæ, reficiendæque causa idem populus juberet. Lator hujus plebiscitifuit M. Decius tribunus plebis*. Hunc verò non fuisse ordinarium magistratum, inde potest colligi, quod Liv. XL. 18: XLI. 1. cum rursus hujus magistratus meminit, certam causam creationis assignat: nec simul creari facit cum ordinariis magistratibus, sed prout necessitas requirebat. Cum enim ita scribit XL. 26. *Duumviri navales creati C. Matienus & C. Lucretius*. Verba antecedentia ostendunt subitò eos creatos, postquam nuntiatum est à Liguribus obsideri L. Æmylium. At si ordinarius magistratus fuisset, non ita pro necessitate subitò crearetur; sed jam superiore anno creatum cum reliquis magistratibus ordinariis oportuisset. Et XLI. 1, quia fecerat mentionem C. Furii *duumviri* navalis, propterea, ut causam hujus magistratus reddat, statim subjicit: *Adversus Illyriorum classem creati duumviri navales erant, qui tuendam viginti navibus mari superiore Anconam, veluti cardinem haberent*. Quia verò illic *duumvirum* navalem appellat L. Cornelium Dolabellam, eo anno, quo erant Coss. M. Manlius & M. Junius Brutus: qui etiam biennio ante, Coss. A. Postumio, & C. Calphurnio, in eo magistratu erat, ut ait Liv. XL. 42. hinc profectò argumentum duci potest, non fuisse eum ordinarium magistratum, cujus imperium esset plùs quàm annuum. Quod autem tributis comitiis crearentur, ex communi illa ratione ostendi potest, quod inter minores magistratus hi essent. *Gruch. de Comit. Roman. II. 2. Scheffer. de Milit. nav. II. 4: IV. 5. Buleng. de Imp. Rom. v. 57. Augustin. de Legib. in Decia. Laz. Comment. Reip. Rom. III. 2. Flocc. de Potest. Roman. II. 21.*

Duumviri quinquennales in marmoribus qui vocantur, hoc judicandi genere, de quo supr. in *Duumviri*, quandoque quinquennio fungebantur. Tergesti: L. VALERIO PAPIRIO PAPINIANO VII. VIR. I. D. Q. Q. PRÆF. ET TERGESTE FLAM. HADR. PONT. AUGUR. COLLEGIUM FABRUM. PATRONO MERENTI. Quo L. Papirius *duumvir* quinquennalis, id est, integro quinquennio judicasse significatur. Idem Corinthi observatum fuisse tradit Apulejus laudatus in *Duumviri*. Panciroll. de magistr. munic. c. 8. Plin. Epist. II. 1. *Veritus, ne fortè inter quinquennales crearetur, qui minuendis publicis sumptibus judicio senatus constituebantur*. Buleng. de Imp. Roman. v. 28. Quinquennales ego coloniarum censores interpretor. Parum cautè confunduntur cum summis *duumviris*. Distinguit claré C. Hedii lapis: II. VIR. II. VIR. QUINQ. Rursus alii à quatuor viris. C. Vesidieni iste: IIII. VIR. JUR. DIC. IIII. VIR. QUINQ. A. Quintilii alter: IIII. VIR. JURE. DIC. IIII. VIR. QUINQ. In quibus quinquennales tum duumviros, tum quatuorviros observo. Censores, censumque in coloniis fuisse, vel ex S. C. de XII. coloniis, quæ Quintus Fabio & Fulvio coss. abnuissent milites dare, quod exstat apud Liv. XXIX. 15. in promptu est: *Censum in iis coloniis agi ex formula Romanis censoribus data: dari autem placere eandem, quam populo Romano: deferrique Romam ab juratis censoribus coloniarum, priusquam magistratu abirent*. In civitatibus Bithynicis *senatum à censoribus lectum* scripsit Plin. Epist. x. 83. Marmor apud Smet. p. 85. n. 2. CENSITOR. CIVIUM. ROMANORUM. COLONIÆ. VICTRICENSIS. Apud Occon. Inscr. p. 23. n. 2. CENS. ET. DUUMVIRATU. BENE. ET. E. R. P. ACTO. Accedat lex Constantini, qua medicis & professoribus immunitatem tribuit C. lib. 13. tit. 3. l. 1. *Si quis eos vexaverit, centum millia nummorum ærario inferat, à magistratibus, vel quinquennalibus exactus*. Magistratuum nomine summos, id est II. viros quinquennalium censores, ad quos census ratione immunitatis cognitio & tuitio pertineat, omnino complectitur. *Velser. Rer. Aug. Vind. p. 272. Reines. Var. Lect. III. 16. Chimentell. de Hon. Bisell. c. 7. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 2.*

Duumviri sacri, sive ædis locandæ, faciundæ, dedicandæ, non quidem sacerdotes erant, sed qui hæc peragerent, potissimum ex sacerdotibus legebantur. Nam ubi ædes aliquo casu vota erat, statim qui locarent, dedicarent, *duumviri*, populi comitiis tributis, lege Papiria renuntiabantur. Liv. VII. 28. *Senatus duumviros ad eandem ædem*, Junonis *Monetæ, pro amplitudine P. R. faciendam jussit*. XXII. 33. *Ædem Concordiæ, quam per seditionem militarem biennio ante L. Manilius prætor in Gallia vovisset, locatam ad id tempus non esse: itaque duumviri ad eam rem creati à M. Æmilio prætore Urbis Cn. Pupius & Cæso Quintius Flamininus ædem in*

arce

arce faciendam locaverunt. Panvin. de Civ. Rom. c. 40. Et quidem factum, cum magistratus ille, qui voverat, non amplius superesset. Exemplum in æde Jovis adducit Liv. xxxv. 41. *quam L. Furius Purpureo prætor Gallico bello voverat, dedicavit Q. Marcius Ralla duumvir*. Qua re & sæpiùs filii voventium *duumviri* creati sunt. Sic *Castoris ædem vota Latino bello, Postumio dictatore, filius ejus duumvir ad id ipsum creatus dedicavit*. Liv. II. 42. *Struv. Ant. Roman. c. 12. p. 635. Guther. de jur. Pont.* III. 12. *Laz. Comment. Reip. Rom.* III. 2.

Duumviri Sibyllini curabant sacra librorum Sibyllinorum. *Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman.* I. 19. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 3. c. 2. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1. Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. *p.* 1104. C. Dionys. IV. p. 259. *Tarquinius duos è civibus viros illustres elegit, additis duobus ministris publicis, quibus istorum librorum custodiam tradidit. Horum duumvirorum alterum M. Atilium*, Tullium vocat Val. Max. III. c. 13. *visum non bona fide rem gerere, in bubulum culeum insutum projecit in mare*, sive, ut inquit Valerius, *quia librum* Sibyllinum, *secreta civilium sacrorum continentem, custodia sua commissum, corruptus, Petronio Sabino describendum dedisset*. Panvin. de Civit. Roman. c. 35. Schmid. de Sibyll. D. 1. Taffin. de Lud. secul. c. 5. A quo fuerint instituti, inter auctores controvertitur. A Rege Tarquinio Prisco institutos fuisse scribunt Lactant. 1. 6. & Serv. Æneid. VI. 36. quos sequitur Rosin. Ant. Rom. III. 24. eò quòd Sibylla Romam venit, ut narrat Solin. c. 8. Olympiade quinquagesima, qua tota Tarquinius Priscus regnavit juxta Eusebii Chronicon. A Rege Tarquinio Superbo institutos tenent Dionys. Halicarn. l. l. Gell. 1. 19. Solin. c. 8. Plin. XIII. 13. Pompon. Læt. de Sacerd. c. 13. quos sequitur Alex. Gen. Dier. III. 16. Tiraquellus ejus illustrator utramque proponit sententiam, atque indecisam rem relinquit. Ego sententiæ posteriori subscribendum puto, ob auctoritatem eorum qui illam tradunt, suntque Lactantio & Servio longè anteferendi. Maximè, cum nullum fundamentum sit, quo eos tueri nititur Rosinus, asserens ex Solino eam Sibyllam tempore Tarquinii Prisci Romæ fuisse, cujus libri asservabantur à *duumviris*. Potuit enim ea Sibylla Romam venire tempore Tarquinii Prisci, & libros suos nondum composuisse, sed Romæ tempore Tarquinii Prisci, & Servii eos Romæ, aut alibi conscribere, ac tum demum regnante Tarquinio Superbo Romam redire, & libros suos venales exponere. Alterutrum fecisse sentit Solinus: qui etsi ejus adventum Romæ collocet Olympiade quinquagesima, tamen scribit libros suos venales Tarquinio Superbo exposuisse, atque ab eodem clarè sentit fuisse creatos. Manserunt usque ad annum U. C. 288. quo tempore C. Licinius & C. Sextius tribuni plebis effecere, ut illis octo adderentur. Atque ita ex patribus quinque, ex plebe quinque creari cœperunt. Livius. V. illum supr. 10 *Decemviri sacrorum*. Taffin. de an. secul. & lud. secul. c. 5.

DUX.

DUX significabat olim Imperatorem, quem Cicer. de Orat. I. 48. vocat *belli gerendi administratorem*. Disertè Liv. IV. 20. *Nec ducem novimus, nisi cujus auspicio bellum geritur*. Suprema *ducis* auctoritas, & potestas dicebatur *imperium*, *sine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris administrari non potest*, ut cum Cicerone loquamur. Dignitas autem hæc & auctoritas initio solùm fuit penes consules & prætores: verùm postquàm Imperatores imperii sedem transtulerunt Constantinopolim, in provinciis remotioribus, & quæ limitum loco erant, constituti sunt præsides, sive rectores, validis cum præsidiis. Hi, quod rei militari præessent, dicti sunt *duces*, ut apparet ex Cassiodori formula *ducatus* Rhætiarum Var. VII. 4. ubi ait: *Multum his creditur, quibus confinales populi deputantur*. Et deinde: *Ducatum tibi credimus Rhætiarum, ut milites in pace regas, & cum eis fines nostros solenni alacritate circumeas*. Hinc leguntur in Notit. Imp. Orient. p. 89. *Duces Thebaidos, Palæstinæ, Arabiæ, Phœnices, Syriæ & Eufratensis, Osrhoenæ, Mesopotamiæ, Scythiæ, Mœsia Secunda, Mœsia Prima, Dacia Ripensis*. Occident. p. 165. *Provinciæ Mauritania Cæsariensis, Tripolitana, Pannonia Secunda Ripariensis sive Savia, Provincia Valeria Ripensis, Pannonia Prima & Norici Ripensis, Rhætia Prima & Secunda, Provincia Sequanici, Tractus Armoricani, & Nervicani, Belgica Secunda, Germania Prima, Britanniarum, Moguntiacensis*, qui subinde nomine, non munere mutato, secundum Imperatorum arbitria & lubitum dicebantur, & fiebant consulares, sive proconsulares, aut proprætores. *Etiam duces appellabantur, qui quolibet in loco prætorum vicem obtinebant*, ut narrat Zosim. II. 32. *Bergier. de viis Milit.* IV. *Sect.* 17. §. 4. Hos *duces* & illorum insignia in Notitia Imperii fusiùs describunt *Pancirollus, & Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 4. Torque, velut nota dignitatis, ac officii, utebantur *duces* militares apud Romanos. Curopalates: *Gestabant quondam duces torques, quæ honorem ipsorum demonstrabant*. Marcellin. XXIX. 26. *Tigavias venire jusserat cum tribunis, quorum unus torquem pro diademate capiti imposuit Firmi*. Imponit torquem suum tribunus, ex quo gestasse apparet. *Scheffer. de Ant. torquib. c.* 8. Priusquam Urbem egrederentur *duces* ad bellum abituri, munus gladiatorium & venatus dabant. Unde ille mos sit tractus, breviter dicit Capitol. Max. & Balb. c. 8. *Multi dicunt, apud veteres hanc devotionem contra hostes factam, ut civium sanguine litato specie pugnarum se Nemesis, id est, vis quædam fortunæ, satiaret. Alii hoc literis tradunt, quod verisimilius credo, ituros ad bellum Romanos debuisse pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudos inter se cohortes, ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, aut vulnera & sanguinem perhorrescerent*. Stevvech. in Veger. I. 6. Sardus de mot. gent. III. 3. Martis templum ingrediebantur, & primò ancilia, mox hastam simulacri ipsius commovebant, dicendo: Mars vigila. Serv. Æneid. VIII. 3. *Stevvech. l. l.* Eorum uxores, aut propinqui vota in portis Urbis suspendere, id est, suspensa tabella voto se obligare interdum solebant, reditum optantes & ominantes; sed iis reducibus vota solvebant, quæ suspensa tabella susceperant, illi portæ, per quam redierant. Prop. IV. 3. 17.

Omnibus heu portis pendent mea noxia vota.

n. 71.

Armaque cum tulero porta votiva Capena,
Subscribam: salvo grata puella viro.

Turneb. Adv. XXIII. 6. Stevvech. l. l. Passerat. in Propertium. Vestem mutabant. Cæs. Bell. Gall. VII. 88. 1. *Accelerat Cæsar, ut prælio intersit, cujus adventu ex colore vestitus cognito, quo insigni in præliis uti consueverat*. Veget. III. 5. *Vel certè mutata, qua utitur veste*. Stevvech. in Vegetium. Ex devictis regnis, & provinciis nomina sibi sumebant. P. Cornelius Scipio primus à devicta provincia nomen retulit, & ab Africa Africanus dictus est. Liv. XXX. 45. *Africanum cognomen militaris prius favor, an popularis aura celebraverit, an sicuti Felicis Sullæ, Magnique Pompeji patrum memoria, cœptum ab assentatione familiari sit, parum compertum habeo. Primus certè hic Imperator nomine victæ ab se gentis est nobilitatus. Exemplo deinde hujus, nequaquam victoria pares, insignes imaginum titulos, claraque cognomina familiæ fecere*. Et L. Scipio Asiaticus, L. Æmilius Paullus Macedonicus, & Metellorum alter Macedonicus, alter Numidicus appellari meruerunt. Hunc honorem multò majorem quoque sibi fecere Romani principes, qui non solùm Germanici, Parthici, Dacici .... appellari gaudebant; sed ipsas quoque provincias subjugatas nomen suum ferre voluerunt. Et hoc est cur in Notitia imperii, in Britannia quinque provincias constituerunt: *Britanniam primam, Britanniam secundam, Flaviam, Maximinam, & quinto Valentinam*, seu potius *Valentinianam*, dictam, quod Theodosius Valentiniani Imperatoris ductor missus in Britanniam, Valentini cujusdam, qui in exsilium missus, in illa seditionem excitaverat, seditionem sedavit. Statim enim ea pars Britanniæ *arbitrio Principis velut ovantis* nomen mutavit. Ammian. XXVIII. 3. Item ab expugnatis oppidis *duces* cognomen mutuati sunt. Sic à captis Coriolis Coriolanus. Testes Dionys. Halicarn. VI. p. 414. Val. Max. IV. 3. Eo respexit Cicer. Fam. II. 10. *Oppugnavi quinque & viginti diebus, aggeribus, vineis, turribus oppidum Pindenissum*

muni-

munitissimum tantis operibus, ut mihi ad summam gloriam nihil desit, nisi nomen oppidi. Stevvech. in Veget. prolog. iv. p. 388. Funus publicum, ταφὴ δημοσία, aliquando *duci* exercitus à militibus indicebatur. Dionys. xi. *cui ludi funebres additi pro castrensi apparatu.* Liv. xxviii. 21. *Guther. de jur. man.* i. 5. Defuncti arma diis, quos coluisset, suffigebantur. Parthenius ille moriturus apud Papin. Theb. ix. 906.

Hæc autem primis tela infelicia castris
Ure, vel ingrata munus suspende Diana.

Tomas. de Donar. c. 21. Hoc jus singulare illi concessum erat, ut *si in bello occidisset, etsi corpus ejus non compareret, tamen lugeretur.* L. exhæredarum. §. si quis ff. de his qui not. infam. *Guther. l. l.* Funus *ducis*, qui occubuisset in acie, milites quantum poterant militaribus studiis celebrabant. Ea pompa fuit, ut armatæ, instructæque legiones in turmas, & centurias cum vexillis militaribus inversis, aut abjectis militiæ insignibus conmitentur, phalerasque equis detrahant, ensium mucrones, & lanceatum cuspides humi dejectos ferant, & rogum lustrent. *Alex. Gen. Dier.* iii. 7. Tacit. Annal. iii. 2. 2. *Igitur tribunorum, centurionumque humeris cineres portabantur: præcedebant incompta signa, versi fasces: atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebs, trabeati equites, pro opibus loci, vestem, odores, aliaque funerum solennia cremabant.* Tiraquell. in Alexandrum, Lipf. in Tacitum.

DYN.

DYNASTÆ sunt homines in civitate primarii & potentes, eam gubernantes. Unde nunquam in singulari nomine *dynastam* apud scriptores observamus, sed semper in plurali, quia magistratus erat non unius, sed plurium. *Donat. Dilucid. p.* 574. Hoc vel ex Nepote mox laudando promptum est refellere. *Dynastes* enim est regulus, & certi loci, tractusque dominus. Tales fermè hodie comites, barones, alii. Gradus exprimunt Cicer. Phil. ii. 12. *Si cæteri Reges, tetrarcha, dynastaque fuissent.* Suet. Tib. c. 26. n. 6. *Ne Augusti quidem nomen ullis nisi ad Reges ac dynastas epistolis addidit.* Nep. 17. 7. 3. *Cum maxima munera ei ab Regibus, & dynastis, civitatibusque conferrentur.* Qui & Thyum, quem *dynastem* vocat 14. 2. 2. Regem appellat ibid. 3. 4. Unde & Paphlagoniæ Rex dicitur Athen. iv. p. 144. F. *Bœcler. Ind. in Nepotem. Casaub. Exercit. in Baron.* ii. 10. *Tiraquell. in Alex.* iv. 23. *Bud. de Asse* iii. p. 317.

E



scribebant olim pro *A*. Ita escendere, estate, espicere, pro ascendere, astare, aspicere. *Palmer. Spicil.* vi. p. 71 t.

E & *F* in veteribus libris ex scriptura Romana propter figuræ affinitatem sæpiùs invicem mutabantur. Ita *fructatis* apud Symm. Epist. iv. 18. legitur pro *eructatis*: Et *Frucinal* pro *Erucinal* legitur apud Festum: Nulla fuit Venus frutis, & si ulla, ejus templum non Frutinal diceretur, sed Frutal. Nec templum Romæ Veneris Frutis, sed Erucinæ. Inde L. *Erucinal, templum Veneris Erucinæ.* Salmas. Exercit. Plin. p. 5 n. e. E. 610. b. F. Lamprid. Alex. Sever. c. 66.

E & *I* in multis promiscuè scripserunt veteres. Quintil. 1. 4. *Quid? non E loco I fuit: ut Menerva, leber, & magester, & Dijove & Vejove pro Dijovi & Vejovi.* Et in plurimis, *fuet, dedet, tempestatebus, emereto* quod *E* locum *I* occupat, priscæ vetustatis est indicium. In Duiliana columna *exemet* pro *exemit*, & *cepet* pro *cepit*, aliaque id genus visuntur. *Explan. Ant. Inscript. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* iv. p. 1837. *D. Gronov. de Pec. Vet.* 1. 10. *Fruter. Verif.* i. 16. *Palmer. Spicil.* 1. p. 616. *V.* p. 694. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* vii. c. 12. viii. c. 4. *Turneb. Adv.* iii. 5.

E & *O* non rarò olim tradebant mutuas operas, & in alternas sedes subibant. In vetustis monumentis reperitur *pellinctor*, pro pollinctor. Et *pelluctum* quasi polluctum. Et *vorto* pro verto invenitur. Ita Græci in exoticis non rarò mutant *E* in *O*. Ut Ὀρκύνιος δρυμὸς, qui aliis Ἑρκύνιος, *Hercynia sylva*. Turneb. Adv. xxviii. 31. Moreitell. Pomp. Feral. 1. 13. Salmas. Exercit. Plin. p. 430. b. C. Malvas. Marm. Felsin. Sect. vii. c. 12.

E pro *T* sæpè mutant Latini. In Pandectis Florentinis legendum *Xelachia*, id est, ξυλοχία. Ita ῥεμυλκὸς, *remulcus*, ματτύη, *mattea*, ἐρμὸς, *remus*. Salmas. Exercit. Plin. p. 54. b. G. 198. a. C. 743. a. C. Malvas. Marm. Felsin. Sect. vii. c. 12.

EBO.

EBORA, quæ Liberalitas Julia colonia, nunc *Evora*, urbs Lusitaniæ insignis. Plin. iv. 22. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* xi. p. 782. C.

EBORACUM, Britanniæ nunc etiam urbs insignis, vulgo *Jork*. Saxum Eboracense:

M. VEREC. DIOGENES. IIIIII. VIR. COL.
EBOR. IDEMQ. MORT. CIVES. BITURIX.
HÆC. SIBI. VIVUS. FECIT.

Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. xi *p.* 629. *C.*

EBR.

EBRIA fuit cognomen apud Romanos, non secus ac *Helluo, Gurges*, & talia. Pomponius Auctorato apud Charis. de Anal. Edit. Putsch. p. 37. *Neque ego sum Memmius, neque Cassius, neque Minatius Ebria.* Nec verò mirum feminino modo viro adhæsisse, cum pariter reperiantur dicti *Asella*, & non pauca talia. *Barth. Adv.* iii. 7.

EBU.

EBUR *quomodo poliretur, Democritus invenit.* Senec. Epist. 90. *Menag. in Laert. Vit. Philos.* ix. 43. Elegantem usum præbuit in simulacris, quibus effingebant deos, in sellis sceptrisque virorum principum, in tabellis, in mensarum etiam pedibus, quæ sæpiùs pardos hiantes repræsentaverunt. Unde Juven. Sat. vi. 123.

Grande ebur, & magno sublimis pardus hiatu.

Nec tamen tam latè ejus usus patet, quàm putavit Oppian. de Venat. ii. 511. ubi sic canit:

—— ex cornibus vero
Arcus rotundi, & innumeri fabricantur opera.

Planè etiam fallitur, cum ex *ebore* fieri putat arcus. Quippè materia ejus rigida est, non flexilis. *Voss. de Idolol.* iii. 50. Plin. viii. 10. *Dentibus ingens pretium, & deorum simulacris laudatissima ex iis materia.* xii. 1. *Ut à diis nato jure luxuria, eodem ebore numinum ora spectarentur & mensarum pedes.* Kozierzych. de Lux. Rom. ii. 7. Junius de Pict. iii. 11. In *ebore* scripsisse veteres negat Scaliger adversus Guilandinum: affirmat Salmasius ad Vopisci Tacitum. V. illos infr. in *Libri elephantini*.

EBURARIUS, *eborarius*, sive *faber eburarius* dicebatur, qui lectis, sellis, aliisque rebus ex *ebore* tornandis, aut sculpendis incumbebat. Inscript. Florentiæ in villa Strozzi:

Q. CONSIDIUS EUMOLPUS
FABER EBURAR.

Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. vi. *p.* 222. *Panciroll. de Corp. artif.* §. 27.

EBURNUS cognomen fuit Romanorum, à colore. *Sigon. de Nom. Roman. c.* 5.

ECA.

ECASTOR jusjurandum fuit per *Castorem*. Per illum non jurabant viri teste Gell. xi. 6. idque studiosè observatum antiquis: ut retrò, nec feminæ per illum, id est, ædem Pollucis, aut ipsum. Mulierum firmat ritum Donat. Andr. iii. 2. 6. Ubi cum dixisset Terentius:

Per ecastor scitus puer est natus Pamphilo.

ille

ille addit: *Per Castorem*, glossema est Pollucem, *ornativa sunt jurandi*, *apta feminis*. Et Macrobius, sed usu non stabili: & qui posuit jam varius & mutabilis sexus? nuscuit se tandem huic jurijurando viris, ut ex Sophocle docet Strab. VIII. Cui tamen Plautus obloquitur, apud quem Asin. v. 2. 14. 19. 27. 30. 38. Artemona per *Castorem* jurat, sui sexus more; perque eundem parasitus n. 46. etsi venia facili, utriusque causa. Qua cætera & Plautus, aliique comici sanctè hæc discriminant, nisi ubi librariorum scæva manus bonos auctores malè flagellat, quod vereor, ne sæpiusculè in Plauto: unde in eo pro *Ecastor* audenter lego *Ædepol*, ubi id dicta antiquitatis ratio perpetua requirit. *Hansen. de jurejur. vet. c. 4.*

ECC.

ECCERE *est jusjurandum, ac si dicatur per Cererem, ut ecastor, ædepol. Alii eccere pro ecce positum accipiunt.* Festus. Ejus meminit Terent. Phorm. II. 2. 5.

G. *Obsecro te*. Ph. *Si rogabit*. G. *In te spes*. P. *Eccere*.

Sed dubium est, an legendum sit *eccere*, pro ecce res, sive ecce rem, ut sit positum: an *eccere* sit adverbium jurisjurandi. Certè in Andria v. 4. ubi habemus:

Ego Critonem video, & certè is est.

legendum est: *eccere is est*. Nann. Misc. II. 21. Hansen. de Jurejur. vet. c. 3. Brisson. de Formul. VIII. p. 707. Veteres glossæ: *Eccere*, κατὰ τῆς Δήμητρος. *Scalig. in Festum.*

ECCE TIBI VINDICTA erant verba sollennia prætoris, cum lictori virgam tradebat servo percutiendo pro ejusdem manumissione. Cum enim qui servum manumittere volebat apud prætorem, eum è manu emisisset, prætor vindicta, id est, virga servi capiti imposita ita dicebat: *Dico eum liberum esse more Quiritium.* Inde conversus ad lictorem addebat: *Secundum tuam causam, sicuti dixi, Ecce tibi vindicta.* Sigon. de judic. I. 13. Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv Tom. XI. p. 703. A.

ECE.

ECETRA fuit Volscorum urbs clarissima, ab Antiatum finibus longius dissita, ultra & Tusculum & Algidum, inter Coram Volscorum & Anagniam Hernicorum, quia Volsci Æquis simul & Hernicis fuere contermini, in montibus scilicet sita, qui erant in confinio Æquorum Hernicorumque, supra Norbam Signiamque versus septentrionem. Dionys. x. p. 647. *Ecetra tum clarissima Volscorum erat, & optimo loco sita.* Hujus meminit Liv. III. 10. *Ecce Hernici nuntiant, Ecetra Antiates colonos palam concilia facere.* Cluver. Ant. Ital. III. 8. 15. Eo colonia deducta est anno ab U. C. 258. Significat hoc Dionys. VI p. 366. cum scribit, Auruncos postulasse à senatu, ut agro, quem Romani ademerant Volscis *Ecetranis*, atque in eum colonos deduxerant, qui præsidio gentis essent, decederent, alioquin se armis eos moturos. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 5.

ECH.

ECHINUS erat ornamentum circa manus carpum. *Rhodig. Antiq. Lect.* VIII. 13: XII. 18. *Barthol. de Armill. vet.* §. 1.

ECL.

ECLOGA est breviarium inter legendum excerptum. Sic *ecloga* reperiuntur è Diodoro, è Polybio, è Ctesia, è Theophrasto, è Strabone. Unde & poemata imitata *ecloga* vocantur, ut Bucolica Maronis è Theocrito. Ac proinde etiam sine imitatione poemata: quod imitatorum brevitatem & similitudinem habeant. Sed & loci insignes ἐκλογαὶ vocantur, quod excerpi notarique potissimum soleant. *Turneb. Adv.* IX. 22. *Guther. de Jur. man.* I. 18. *Muret. Var. Lect.* XIX. 3.

ECLOGARII sunt homines eruditi, qui ex libro, qui recitatur, κατὰ τύχην excipiunt, quæ maximè observatu digna videntur, quæ pro suis postea venditent. Cicer. Attic. XVI. 2. *Sed notentur eclogarii.* Bosius in Ciceronem. Guther. de Jur. Man. I. 18. Muret. Var. Lect. XIX. 3. Turneb. Adv. IX. 22.

ECLOGIA sunt carmina celebrandæ defunctorum memoriæ composita. Hæc *celebrandæ Marcelli memoriæ composita, aliosque studiorum honores rejecit* Octavia Augusti soror. Senec. ad Marc. c. 2. Hoc genus uni C. Lutorio Prisco letale fuit, quem, *cum celebri carmine Germanici supremæ defleverat, pecunia donatus à Cæsare, corripuit delator: objectans ægro Druso composuisse, quod, si exstinctus foret, majore præmio vulgaretur. Id C. Lutorius in domo P. Petronii, socru ejus Vitellia coram, multisque illustribus feminis, per vaniloquentiam legerat. Ut delator exstitit, cæteris ad dicendum testimonium exterritis, sola Vitellia nihil se audivisse asseveravit: sed arguentibus ad perniciem plus fidei fuit: sententiaque Haterii Agrippæ consulis designati indictum reo ultimum supplicium.* Tacit. Annal. III. 49. I. Ad portam, dum cadaver collocatum, & frequentes ad exsequias conveniunt, à poetis & rhetoribus recitari solebant, aut ipsi portæ affigebantur, quæ à prætereuntibus legerentur, posteaque in defuncti honorem vulgarentur. Cicer. de Fin. II. 35. *Non eclogia monumentorum significant hoc velut ad portam? Uno ore, cui plurima consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum.* Guther. de Jur. Man. I. 18.

Eclogium etiam dictum est epitaphium, quale fuit Augusti, qui cum defunctum Drusum pro concione laudasset, *eclogium* tumulo versibus à se compositis inscribi jussit. Suet. Claud. c. I. n. 11. *Guther. de Jur. Man.* I. 18.

EDI.

EDICERE non est dirimere privatorum controversias, sed publicorum jus constituere, & jura generalia sancire. Quicunque ergo jus *edicendi* habent, mero imperio præditi sunt, cum *edicere* idem sit quod dare jura. *Edicendi* jus habent prætores, ædiles curules, tribuni plebis, consules. *Pollet. For. Roman.* III. 2.

EDICTA dicebantur, quæ cum magistratus cæteri, ut consules, ædiles, tribuni, tum potissimum prætores *edixerunt*, quos consulum loco ad jura in Urbe reddenda creatos accepimus. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 5. Illorum fuerunt duo genera: I. quo jurisdictionis suæ formulam initio magistratus proponebant: II. quo pro magistratus auctoritate, ut res tulisset, quæ visa essent, imperabant. *Sigon. ibid. c.* 20.

Edicta sua singulis de rebus diligenter scripta ediderunt præsides Romani in provincias ingressi, & ad ea postea totam jurisdictionem suam accommodarunt. Improbè autem factum judicabatur, si quis aliqua de re aliter in provincia, atque in Urbe *edixisset*; aut aliquod *edictum* contra leges provinciæ fecisset, aut contra *edictum* suum jus dixisset. Nam ni ita esset, profectò nunquam Cicero in accusatione Verris posuisset, quod prætor urbanus de hæreditatibus aliquid scripsisset in urbano *edicto*, quod postea de provinciali dempsisset, & quod contra leges Siculis datas *edixisset*. Aut certè non ita de se ad Attic. v. 21. scripsisset: *Cum ego in edicto translatitio centesimas me observaturum haberem, cum anatocismo anniversario, ille ex syngrapha postulabat quatuor, quid ais? inquam, possumne contra meum edictum?* Sigon. de Ant. jur. prov. II. 5. Hæc provincialia postea dicta sunt, & ad *edicti* prætoris perpetui exemplum mox constituta videntur, ut similiter Romani orbis provinciæ fixo stabilique jure in posterum ab eatum præsidibus regerentur. Illa verò an ab Hadriano itidem, cujus jussu fuerint condita, ut censuit Dodvvell. ad Spartian. Hadrian. p. 335. an verò Marco debeantur, haud licet certò statuere: cum Gajus, qui XXXII. libros ad illud *edictum* provinciale scripsisse in Justinianeo indice dicitur, & è quibus deinum libros de eo *edicto* nobis hodie constat, sub Pio & Marco vixerit. *Spanhem. Exercit. ad Constitut. Antonin. Imperat.* II. n. 11. Etiam principes, prætores, præsides, aliique magistratus majores, & duces belli, cum quid palam jubebant, aut vetabant fieri, id fecerunt *edicto*. Suet. Ner. c. 4. n. 4. *Munus etiam gladiatorium; sed tanta favi-*

sevitia, ut necesse fuerit Augusto clam frustra monitum edicto coercere. Donat. ad Eun. v. 7. 36. *Edictum dicitur pratoris, & imperatoris.* Rævard. de Divid. reg. jur. c. II.

Edictum edilium curulium *de venditionibus rerum Labeo scribit esse tam earum quæ soli sunt, quàm earum quæ mobiles sunt, aut se moventes*, l. 1. ff. de ædilit. edict. Voluerunt Icti, quicquid esset in prædio vitii, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstari. Videntur id idem ædiles etiam voluisse. Sed diversa ratione. Icti enim vi, & potestate hujusmodi clausulæ, *ex bona fide*, in contractibus bonæ fidei vindicandam esse venditorum fraudem censuerunt. Cicer. Offic. III. 16. *Igitur ad fidem statuit pertinere, notum esse emptori vitium quod nosset venditor.* Ædiles certam quandam excogitasse videntur stipulationis speciem, qua faciliùs, & expeditiùs vendentium fallaciis occurreretur, deceptisque succurreretur emptoribus, ejusque stipulationis meminit Ulpian. l. 31. ff. de evict. Et quia stipulationis ea conditio est, ut actionem pariat ex stipulatu, hinc certè intelligere etiam facilè potes ædiles, propriæ cujusdam actionis medio, hujusmodi fraudem vindicari voluisse, quæ fraus non actione quidem, sed sola Ictorum interpretatione indiciis bonæ fidei accommodata ante ædilitium *edictum* vindicabatur. Id quod expressè demonstrant *edicti* ædilitii verba, l. 1. *Emptori, omnibusque ad quos ea res pertinet, judicium dabimus; si quis adversus ea sciens dolo malo vendidisse dicetur, judicium dabimus.* Moris erat, ut qui servum venderet, interposita stipulatione emptori caveret, sanum, furtis, noxisque solutum, & non esse fugitivum, l. 2. ff. de rer. permut. l. 11. §. 4. ff. de act. empt. Idque ædiles expressò *edicto* voluisse, testis est Donatus, sic in Heaut. Terentii scribens: *Fugitivi proprie servi. Unde in edicto ædilium curulium titulus est servorum fugitivorum: si quis fugitivus, errove sit, noxave solutus non sit.* Si servus furtis, noxisque inveniretur non solutus, aut insanus, vel fugitivus, simul atque emptori abesse cœpisset aliquid, eo nomine ex hujusmodi stipulatione actioni locus erat, l. 4. ff. de act. empt. eaque actio ab ædilibus impertabatur, à quibus hujusmodi stipulatio solet proponi, l. 31. de evict. *Simili modo qui jumenta vendit, promittere solet*, inquit Ulpian. l. 11. §. 1. de act. empt. *esse, bibere, ut oportet.* Eoque etiam nomine, si quæ venditoris deprehenderetur fraus manifesta, ædiles ab emptoribus adiri solent. In hujusmodi cautionibus interponendis opus fuisse videtur industria quadam singulari. Adeo quidem, ut Icti ab ædilibus proposita stipulationis vulgari quadam formula non contenti, alias excogitarent cautionum formulas, quibus in omni negotio abundè forent emptoribus visum. *Ravard. Protribun. c.* 10.

Edictum Carbonianum. V. illud infr. in *Sepulcrum hereditarium.*

Edictum peremptorium prætor edidit in eum litigatorem, qui non venit, cum judex venit, nec morbum excusavit. De quo sic l. Ulpian. ff. de judic. l. 68. *Ad peremptorium judicium hoc ordine venitur, ut primo quis petat post absentiam adversarii edictum primum, mox alterum, & tertium. Quibus propositis tunc peremptorium impetret, quod inde de hoc nomen sumpsit, quod perimeret disceptationem, hoc est, ultra non pateretur adversarium tergiversari. In peremptorio autem comminatur is, qui edictum dedit, etiam absente diversa parte cogniturum se, & pronuntiaturum. Nonnunquam hoc edictum post tot numero edicta, quæ præcesserint, datur; nonnunquam post unum, vel alterum, nonnunquam statim, quod appellatur unum pro omnibus. Hac autem æstimare oportet eum, qui jus dicit, & pro conditione causæ, vel personæ, vel temporis, ita ordinem edictorum, vel compendium moderari.* Sigon. de Judic. I. 28. Pollet. For. Rom. v. 3. & ad illum Broidæus. Brisson. de Form. v. p. 415.

Edictum prætores urbani Romæ magistratum ineuntes proposuerunt, ex quo jus se dicturos esse professi sunt. *Sigon. de judic.* I. 6. *Ant. jur. prov.* II. 5. *Spanhem. Exercit. ad Constit. Antonin. Imperat.* II. §. 12. *Pigh. Annal. Rom.* I. p. 264. In illo non solum illa comprehensa sunt, quibus de rebus prætor cogniturus esset, sed etiam de quibus judicium daturus, & quo modo. Cicer. Vert. II. 13. *Edictum hominis cognoscite: si quis perperam judicasset, se cogniturum, cum cognosset animadversurum.* III. 13. *Qui in decumanos ultipli judicium daturum edixit, idem habuit in edicto, se in aratorem in quadruplum daturum.* c. 14. *Illa verò præclara clausula edicti, quod omnium controversiarum, quæ essent inter decumanum & aratorem, si uter velit, edicit, se recuperatores daturum.* Sigon. de Ant. jur. Prov. II. 5. Primis temporibus in eum tantum annum hæc *edicta* valuerunt, quo is prætor erat, qui proposuerat. Unde *legem annuam* appellavit Cicer. Vert. I. 109. *Qui plurimum tribuunt edicto, prætoris edictum legem annuam dicunt esse.* Et illi *finem adferre* dicuntur *Kalendæ Januariæ.* Cicero: *Si finem edicto prætoris afferunt Kalendæ Januariæ, an non initium quoque edicti nascitur à Kalendis Januariis? an in eum annum progredi nemo poterit edicto, quo prætor alius futurus est: in illum, quo alius præter fuit, regredietur?* Verùm cum prætores passim ab *edictis* suis propositis recedere in jure dicendo consuessent, C. Cornelius tribunus plebis anno ab U. C. 687. legem tulit, auctore Dione, ut prætores ex *edictis* suis perpetuis jus dicerent: & quod semel Kalendis Januarus *edixissent*, id in toto præturæ suæ tempore observarent. Qua lege, addit Ascon. p. 123. *gratiam ambitiosis prætoribus, qui variè jus dicere assueverant, sublatam esse.* Hoc verò perpetuum dicebatur, quia prætores ex *edictis* ab anni, seu præturæ suæ initio proponi pro more solitis perpetuò jus dicere tenebantur: non verò intra ejusdem anni, quo illi eo magistratu fungebantur, spatium eadem *edicta* variare, vel immutare, aliave eorum loco, unde n jura civibus darent, proponere. Docent hæc Ciceronis de Verris prætoris urbani actis, seu de iis, quæ ille adversus proprium *edictum*, præter fas omne, & facta jam ea de re Senatusconsulta decreverat, verba I. 119. *Et cum edictum totum eorum arbitratu, quamdiu fuit designatus, componeret, qui ab ipso jus ad utilitatem suam nundinarentur: hoc verè in magistratu contra edictum illud suum sine ulla religione decernat.* Dein c. 120. *Nam quæso, redite in memoriam, judices, quæ libido istius in jure dicendo fuerit, quæ varietas decretorum.* Mox: *Cum erat ad eum vocatum, & in aurem ejus insusurratum, aliàs revocabat eos, inter quos jam decreverat, decretumque mutabat, aliàs inter alios contrarium sine ulla religione decernebat, ac proximis paullo antè decreverat.* Spanhem. Exercit. ad Constitut. Antonin. Imperat. II. §. 12. Augustin. de Legib. in Cornelia de *edictis* perpetuis. Noodt de Jurisdict. & Imper. I. 7. Pigh. Annal. Rom. I. p. 264. Postremò sub Hadriano, seu ejus jussu, ac auctoritate conditum et à Salvio Juliano, non verò, juxta Aur. Victor. de Cæs. c. 19. n. 2. & cui suffragium non debuit H. Grot. Spart. ad jus Justinian. p. 84. à Didio Juliano Imperatore, *edictum* illud perpetuum, ex quo, non verò ad annum amplius prætorum arbitrium, seu juxta nova & incerta eorum *edicta* jus civibus deinceps à prætoribus urbanis diceretur. *Sigon. de Judic.* I. 6. *Spanhem. l. l. Augustin. de Legib. in Cornelia de edictis perpetuis. Buleng. de Imperat. Rom.* III. 12. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 32. *Bud. in Pandect. p.* 50. *E. Laz. Comment. Reip. Rom.* II. 4.

Edictum à Principe proponendum quæstor dictabat. Vocabantur *edicta*, quæ non ære incisa, sed prætorum exemplo in albo scribebantur. Suidas: *Album fuit murus gypso illitus ad civilia negotia scribenda.* Malè. Omnino album tabula fuit, in qua scribebatur. Theoph. Institut. de action. §. pœnales dicit album, *quia literis albis tabula scripta esset.* Per urbes imperii mittebantur, & diebus triginta legenda proponebantur, quemadmodum in Claudii Cæsaris *edicto* observatum fuisse scribit Joseph. Ant. XIX. 5. *Hoc meum edictum*, inquit, *per magistratus civitatibus publicari volo, non minus triginta diebus ita preponendum, ut ab omnibus humi stantibus possit perlegi.* Panciroll. Not. dignit. Imp. Orient. c. 73. Buleng. de Imp. Rom. III. 5.

Edictum repentinum & peculiare, non enim omnia perpetua fuerant, de singulis, ut cujusque postulavit occasio, interponebatur. Res enim frumentaria, tributaria, viaria à præsidibus per *edicta* administrabatur. Cicer. Vert. III. 14. *Apronio affirmante, se p. us decuma non daturum, exoritur peculiare edictum repentinum: ne quis frumentum de area tolleret. Edictum repentè nascitur, ut ante Kal. Sext. omnes decumas ad aquam deportatas haberent.* Sigon. de Ant. jur. prov. II. 5.

Edictum translatitium dicebatur, quia aut integra *edicta* ex superioribus aliorum *edictis*, aut capita aliquot in sua posteriora transferebant præsides Romani: & interdum nova addebant. Cicer. Verr. 1. 44. *In re tam usitata satis est ostendere, omnes antea jus ita dixisse, & hoc vetus edictum, translatitiumque esse.* Fam. III. 8. *Romæ composui edictum, nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, cum Samum ad me venissent, ut de tuo edicto totidem verba transferrem in meum. Diligentissimè scriptum caput est, quod pertinet ad minuendos sumptus civitatum: quo in capite sunt quædam nova salutaria civitatibus.* Spanhem. Exercit. ad Constit. Antonin. Imper. II. §. 12. Sigon. de Judic. 1. 6.

Edictum appellabatur etiam citatio, quia secundum *edicti* ritum fiebat. Justinian. A. Nov. 122. seu. §. jubemus in Auth. de litigio: *Jubemus*, ait, *ordinarios judices non solum voce præconis, sed & propositis edictis absentem vocare in judicium, quia vox præconis paucis innotescit.* Pancitoll. Notit. Dignit. imp. orient. c. 11. *Edicto* ut plurimum etiam senatores in curiam vocabantur. Tacit. Annal. 1. 7. 3. *Ambiguus imperandi, ne edictum quidem quo patres in curiam vocabat, nisi tribunitiæ potestatis præscriptione posuit.* Et qui aberant, revocabantur. Liv. XLIII. 11. *Interim M. Æmilio prætori mandatum est, ut edicto senatores omnes ex tota Italia, nisi qui Republicæ causa abessent, Romam revocaret.* Brisson. de Form. II. 164: III. 277.

Edictum etiam est ludorum & spectaculorum. Senec. Epist. 119. *Nemo qui parturienti filiæ obstetricem arcessit, edictum & ludorum ordinem perlegit.* Ad hæc facit locus Senec. de Brev. vit. c. 16. *Itaque ad occupationem aliquam tendunt, & quod interjacet, omne tempus grave est: tam mehercule, quàm cum dies muneris edictus est.* *Edicebant* & describebant futurum munus in libellis. Ita vocat Cicer. Phil. II. 38. *Quid de commentariis infinitis? quid de chirographis loquar? quorum etiam imitatores sunt, qui ea tanquam gladiatorum libellos palam vendidant.* Lips. Saturn. II. 18.

EDITIO est secunda litis præparatio. Duplex fuit: I. Actionis, sive formulæ, qua actor se usurum minabatur. Fiebat ante vocationem in jus. Nam qui sic testato conventus erat, postulabat, sibi genus, sive formulam ejus actionis, qua petitor se uti velle dicebat, edi, id est, ostendi, l. non videtur 33. ff. de judic. quod Ulpianus his demonstrat verbis: *Editio fit, ut sciat reus, utrum cedere, an contendere debeat:* nam cessio apud prætorem fiebat. Itaque actionum *editio* speciem non institutæ, sed futuræ litis demonstrare dicitur, l. 3. C. eod. Dicebatur etiam rei judicium. Cicer. pro Quint. c. 20. *Judicium quin acciperet, in eadem ipsa verba, quæ Nævius edebat, non recusasse.* Interdum tamen *editio* actionis in jure fiebat, velut in specie d. l. non videtur de judic. atque ita cum vocatione in jus cohærebat, ut vix, ac ne vix quidem ab ea divelli posset: qua de causa videmus in Codice titulum de *edendo* præcedere titulum de in jus vocatione, cum tamen in Pandectis hic illum antecedat. II. nimirum instrumentorum litis fiebat in jure apud prætorem, cum is, qui judicium postulabat, prætori instrumenta, quibus intentionem suam fundabat, exhibebat, veluti tabulas testamenti, chirographum, pacta, stipulationes, l. 1. §. edenda ff. eod. *Hotman. de Lite ordin. c. 2.* V. etiam supr. in *Actor*.

EDITIONES dicuntur spectacula & munera. Tacit. Annal. III. 37. 3. Drusus *diem editionibus*, ita lego pro ædificationibus, *noctem conviviis trahebat.* Lips. in Tacit. n. 88. Inscriptio Nespolitana: HIC. OBLITERATO. MUNERIS. SPECTACULO. IMPETRATA. EDITIONE. AB. INDULG. MAX. PRINCIPIS. DIEM. GLADIATORUM. ET. OMNEM. APPARATUM. PECUNIA. SUA EDIDIT. *Thulemar. in Freher. Cecropistrom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p.* 1156. Illis Imperator sæpè præsidebat. Suet. Aug. c. 45. n. 6. *Die Kalendarum Januarii, cum mane pro æde Capitolini Jovis paullulum curuli sella præsedisset.* Tib. c. 6. n. 7. *Præsedit & Actiacis ludis, & Trojanis Circensibus.* Non tamen semper. Alius enim, quos honore mactare volebat, suas vices interdum mandabat. Ita Claudius sub Cajo honores auspicatus, *illius vice spectaculis præsedit.* Suet. c. 7. n. 2. *Buleng. de Theatr.* 1. 30. *Cuper. Observ.* IV. 13. *Chimentell. de Hon. bisell.* c. 32. Illarum sumptus fuere tanti, ut plerisque res ad rastrum per eam magnificentiam rediret. Lactant. VII. 11. *Munerum editores populari levitate ducti opes vel magnis urbibus suffecturas impendebant.* Et appetente *editionum* tempore plerique Urbe abibant ob gravitatem sumptuum. Sed nihilominus, si prætores, aut quæstores designati non adessent, quo tempore ludos populo exhibere tenebantur, condemnatione triticaria plectebantur, l. 1. & 2. C. de præt. & quæst. Fiscus eorum nomine expendebat sumptus, quos absentes postea refundere cogebantur, l. 6. ibidem. *Buleng. de Circo c.* 40.

EDITOR is erat, qui suis impensis lanistas conducebat, ut cruentum spectaculum exhiberent. Capitolinus in Antonino: *Absens populi Romani voluptates per ditissimos editores curari vehementer præcepit.* Thulemar. in Freher. Cecropistrom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1156. Moris erat, ut libellos proponeret, in quibus dies futuri muneris, item nomina & paria gladiatorum: scilicet alliciendæ plebi, & exspectationi commovendæ. V. illos infr. in *Libelli*. Id vocabant pronuntiare munus. Suet. Jul. c. 26. n. 5. *Munus populo pronuntiavit in filiæ memoriam.* Ostendere munus. Cicer. Fam. IX. 8. *Etsi munus flagitare, quamvis quis ostenderit, ne populus quidem solet nisi concitatus.* Proponere munus. Suet. Tit. c. 8. n. 5. *Omnes tanta comitate tractavit, ut proposito gladiatorio munere, non ad suum, sed ad spectantium arbitrium editurum se professus sit.* Edicere munus. V. supr. in *Edictum*. Lips. Saturn. II. 18. Fab. Semestr. 12. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 386. Freher. Cecropistrom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1153. B. & in illum Gunter. Thulemarius. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Thys. de Gladiat. p. 230. Laurent. Polym. IV. Synops. 9. Plerique fuerunt privati, tamen dabant non quasi privati. Per dies enim omnes muneris prætextæ illis jus, lictorum, accensi: omninoque imaginem quandam gerebant magistratus. De prætexta Festus: *Prætexta pulla nulli alii licebat uti, quàm ei qui funus faciebat.* Cicer. Pison. c. 4. *Sext. Clodium, qui nunquam antea prætextatus fuerat, ludos facere, & prætextatum volitare passus es.* Ideò *novo more palliolatus præsedit* Claudius *ob valetudinem gladiatorio munere, quod simul cum fratre memoriæ patris edebat*, Suet. c. 2. n. 5. cum debuisset prætextatus. Sed palliolum in morbo vestis. De lictoribus & accenso Cicer. de Legib. II. 24. *Reliqua sunt in more, funus ut indicatur, si quid ludorum: dominusque funeris utatur accenso atque lictoribus.* Lips. ibid. 1. 13. Buleng. de Circo c. 43. Thys. de Gladiat. p. 217. Per circum ferebatur bigis, non quadrigis, aut sejugibus. Symm. Epist. VI. 4. *Natali urbis suffectum consulem currus quo vehebatur evolvit per ferociam bigarum, quæ triumphum vehebant.* Buleng. l. l. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 3. Si ludi in multam noctem protraherentur, abeuntibus faces præferri jubebat. Dio LVIII. p. 633. A. de Sejano, qui, ut Tiberium calvum irrideret, per pueros calvos faces præferentes abeuntes deducebat. Epulum sæpiùs etiam populo dabant, qui ludos *edebant*, Imperatores. Dio XXXVII. p. 50. D. *Populus etiam, qui ante hæc tempora ludos gladiatorios nulla intercedente requie totos spectaverat, tum primum inter actionem surrexit, pransusque est. Isque mos, tum Pisone & Messala consulibus, cœptus hodieque, quoties Imperator ludos exhibet, observatur.* Sidon. Epist. 1. 11. *Postridie jussit Augustus, ut epulo suo ludis circensibus interessemus.* Faber Semestr. 1. 6. Tathin. de Lud. secul. Rom. c. 9. §. 7. Savar. in Sidonium, Buleng. ibid. c. 40. Peractis ludis ad amicos absentes munuscula mittebant. Symm. Epist. II. 80. *Filius noster Symmachus, peracto munere candidato, offert tibi dona .... Quæso ut ejus nomine diptycha & apophoreta suscipere dignemini, qui apparatus ejus plura & præclara tribuistis. Domino & principi nostro auro circumdatum diptychum misi. Cæteros amicos eburneis pugillaribus & canistellis argenteis honoravi.* v. 54. *Ad te diptychum candidati, & apophoreticum librarum argenti duarum misimus, approbare cupientes editioni nostræ te non animo defuisse.* Buleng. l. l. Juret. ad Symmachum. E longinquis provinciis aurigas in Italiam terra marique arcessebant, & ante studiosè erudiebant, quàm publicè spectandos se præberent, ut populi

puli studia conciliarent. Symm. Epist. VI. 43. *Aurigas nostros, & aliquot scenicos navi impositos, & secundum praeceptum meum missos ad Campaniam nuntiavit. Longè ante ludos, & ipsos jungendis equis erudire debemus, & novitate eorum favorem plebis allicere.* Buleng. l. l.

EDU.

EDUCATOR dicebatur, qui in infantibus *educandis* curam impendebat. Justinian. Instit. I. 6. *Justa autem manumissionis causa hæ sunt, veluti si quis patrem, aut matrem, filium, filiamve, aut fratres, sororesve naturales, aut pædagogum, aut nutricem, aut educatorem....* Apul. Metam. II. p. 38. *Ego sum Byrrhena illa, cujus fertè sæpiculè nomen inter tuos frequentatum educatores retines.* Pignor. de Serv. p. 381.

EDULIA dea præses existimata est *eduliis* infantium. Donat. Phorm. I. 1. 15. *Legitur apud Varronem, initiari pueros Edulia, & Potica, & Cuba, divis edendi, & potandi, & cubandi, ubi primum à lacte, & à cunis transierunt.* Augustin. de Civ. Dei IV. 11. *Edulica* dicitur: *In diva Edulica esca̅m præbeat.* Sed in antiquis codicibus est *Educa*, ut testatur ad Augustinum Vives. Varron. Caton. vel de lib. educ. *Edusa* apud Non. II. 310. *Cum pro cibo & potione initiarent pueros, sacrificabantur ab edulibus Edusa, & Potinæ nutrini à potione.* Gyrald. Synt. deor. I. p. 48. F. Pius Annot. prior. c. 3. Stuck. Ant. Conviv. I. 17. Sacrif. p. 45. Almelov. Antiq. sacr. proph. p. 49. Barthol. de Puerp. p. 123. Meurs. de Puerp. c. 5. Laurent. de Natal. c. 1. & 2. Polym. II. Diss. 36. Tomas. de Donar. c. 10. Blond. Triumph. Rom. I. p. 12. E.

EDULIUM fuit largitio & donatio Principis rerum esculentarum. Lamprid. Alex. Sev. c. 22. *Quum edulitatem*, vilitatem legunt ad hunc locum Gruterus & Casaubonus, *populus Romanus ab eo peteret, interrogavit per curionem, quam speciem caram putarent. Illi continuo exclamaverunt, carnem bubulam atque porcinam.* Hæc Macrinus per literas parabat, ut scilicet cui F. contingeret, ficus, fasianos, frumentum, & similia mittere solitus esset: & Heliogabalus *nonnunquam tot picta mantilia in mensam mittebat his edulibus picta quæ apponerentur, quot missus esset habiturus, ita ut de acu, aut de textili pictura exhiberentur.* Lamprid. c. 27. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 690. F. Argol. in Panvin. de Lud. circ. Thes. ibid. Tom. IX. p. 182.*

EFF.

EFFARI & *effata* sunt verba auguralia, ab auguribus enim loca sacra inaugurabantur. Varr. de Ling. Lat. V. 7. *Effata dicuntur, quod augures finem auspiciorum cœlestium extra Urbem agris sunt effati. Hinc effari templa dicuntur ab auguribus.* Festus: *Minora templa fiunt ab auguribus, cum loca aliqua tabulis aut linteis sepiuntur, ne uno amplius ostio pateant, certis verbis definita. Itaque templum est locus ita effatus, aut ita septus, ut ex una parte pateat, angulosque habeat affixos ad terram.* Brisson. de Form. I. p. 122. Guther. de Jur. Pontif. III. 2. Laurent. Polym. III. Synops. 2. Var. sacr. gentil. c. 5. Hospinian. de Templ. I. 5. Scalig. in Festum.

EFFERRI & *ferri* arbores dicuntur, cum auspicato Jovis fulguri arbor capitur & consecratur. Inscriptio: *Quod vi tempestatis, ictu fulminis arbores sacri luci deæ Diæ attacta arduerint, earumque arborum eruendarum, ferendarum....* Talis *capillor* dicebatur. Serv. Æneid. X. 423. *Tua quercus: in tuis ripis creata. Sanè superiùs de speciebus stativi augurii dictum est, in quibus capillorem esse diximus, quod hoc tangit. Capillor autem dicitur, cum auspicato arbor capitur & consecratur Jovis fulguri.* Guther. de jur. man. I. 3.

EFFIGIES tum animalium, tum deorum, aliquando erat tutela navis. De animalibus, Tacit. Annal. VI. 34. 4. *Nec quisquam ariete sacrificaverit, credito vexisse Phryxum: sive id animal, seu navis insigne fuit.* Festus in Europa: *Alii eam a prædonibus raptam, & nave, cujus tutela effigiem tauri habuerit, in eam regionem esse delatam.* Lactant. I. 11. *Navis tutelam habuit in aquilam figuratam.* Laurent. Polym. 2. Diss. 3. De diis Stat. Theb. VIII. 270.

— inscriptaque deus qui na.. iget alno.

Minerva. Ovid. Trist. I. 9. V. illum infr. in *Tutela*. Val. Flacc. VIII. 202.

Puppe procul summa vigilis post regna magistri,
Hæserat aurata genibus Medea Minerva.

Appolline. Virg. Æneid. X. 170.

— huic totum insignibus armis
Agmen, & aurato fulgebat Apolline puppis.

Laurent. l. l. Lampert. in Valerium Flaccum. Cerda in Virgilium.

Effigies hominum carorum defunctorum, I. si cadaver non esset, ut in peregrè functis, aut diu functis, aut putidum decorè proponi non posset, cerea ejus loco ostendebatur. De Augusto, qui Nolæ obierat, Dio LVI. p. 591. D. *Lectus erat ex auro & ebore, purpureis, auratisque stragulis: in cujus ima parte cadaver arca inclusum latebat: effigies autem ejus cerea triumphali habitu supra apparebat.* De Pertinace, qui dudum obierat, Dio LXXIV. p. 841. B. *In lecto posita erat effigies Pertinacis cerea, ornatu triumphali.* De Germanico, qui Antiochiæ obierat, quia Tiberius parcus visus in ejus reliquiis honorandis, Tacit. Annal. III. 5. 7. *Ubi illa veterum instituta? propositam toro effigiem?* Lips. in Tacit. §. 15. Laurent. Polym. III. Synops. 9. Figrell. de Stat. Rom. c. 11. Meurs. de Fun. c. 19. Kirchm. de Fun. Rom. II. 7. In cubiculis colebatur. Hygin. Fab. 104. *Laodamia fecit simulacrum æreum simile Protesilai conjugis, & in thalamis posuit, sub simulatione sacrorum, & eum colere cœpit.* Devon. de Bell. Troj. V.

Hemonis absentem suspirat mœsta maritum,
Et non sensuros vultus premit, oscula figens
Cerea.

Suet. Cal. c. 7. n. 1. *Cujus effigiem Augustus in cubiculo suo positam, quotiescunque intraret, exosculabatur.* II. Vivorum, sed absentium in cubiculis ponebatur, ut conspectu eorum nihilominus fruerentur amantes. Sil. Ital. VIII. 88.

— mox turbida anhelum
Retulit in thalamos cursum, subitoque tremore
Substitit, & sacrum timuit tetigisse cubile.
Inde amens, nunc sideream, Juliique tuamque
Effigiem fovet amplexu, nunc tota repente
Ad vultus conversa tuos, ab imagine pendet.

Barth. Adv. IV. 22. Scirpeas in Tiberim statis diebus dejiciebant Vestales. V. illas supr. in *Argei*. & infr. in *Pons sublicius*. Scriptoris melioris notæ libris quandoque præfigebatur. Mart. XIV. 186.

Quàm brevis immensum cœpit membrana Maronem?
Ipsius vultus prima tabella gerit.

Sic de pugillaribus suis ipse loquitur. I. 2. 3.

Hos eme, quos arctat brevibus membrana tabellis.

De pugillaribus planè videtur loqui, cum addit n. 4.

— me manus una capit.

Junius de Pictur. II. 8. Rader. in Martialem. Urbium devictarum triumphantibus præferebantur. V. infr. in *Oppidum*. Etiam suas aliorumque certis diis dedicabant. Hujus moris vestigium est in hoc lapide:-

P. VEIDIUS. P. F. POLLIO
CÆSAREM. IMP. CÆSARI. AUG.
ET COLONIÆ. BENEVENTANÆ.

Pollio enim ibi non aliud quàm *effigiem* Cæsaris Imperatoris dedicat, consecratque Augusto & coloniæ suæ. Tacit. Annal. III. 64. 2. *Cum haud procul theatro Marcelli effigiem divo Augusto Julia dicaret.* Dionys. II. p. 116. etiam scribit, *Romulum ex manubiis Vulcano dedicasse quadrigas æreas, simulque suam effigiem.* Hic mos etiam in Græcia obtinuit. Diogenes in vita Platonis: *Mithridates Rodobati filius Persa Musis statuam Platonis dicavit.* Lips. in Tacit. §. 150. Figrel. de Stat. Rom. c. 29.

EGE.

EGERIA dea dicta est *quod alvo conceptum egereret*. Quare illi *sacrificabant prægnantes*. Festus. *Turneb. Adv. III. 5. Barthol. de Puerp. p. 18. Tomas. de Donar. c. 14. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 156. Stuck. de Sacrif. p. 45.*

Egeria nympha fuit, quam finxit Numa Pompilius, qui *pro commenda imperita multitudine cum deorum metum injiciendum esset ratus, sibi cum illa congressus nocturnos esse simulabat, cujus monitu, quæ acceptissima diis essent, sacra institueret, & sacerdotes præficeret*. Liv. i. 17. Val. Max. i, 2. 1. *Numa Pompilius, ut populum Romanum sacris obligaret, volebat videri sibi cum dea Egeria congressus esse nocturnos: ejusque monitu accepta diis immortalibus sacra instituere*. Eam autem teste Dionys. iv. p. 222. Musarum unam fuisse contendebant veteres. *Struv. Ant. Roman, c. 2. p.* 178. *Clasen. Theol. gentil.* iii. 3. 1. *Vener. de Orac. ant. c.* 2. *Boxhorn. Quæst. Rom. Plutarch.* 34. *Panvin. de Civ. Rom. c.* 10. De ejus cum Rege Numa colloquio scribit Ennius Annal. i.

Olli respondet suavis sonus Egeriai.

Turneb. in Cicer. de Leg. i. 14. Columm. in Ennium p. 40. Pro cœlo coluit vallem Aricinam. Virg. Æneid. vii. 762.

—— insignem quem mater Aricia misit
Eductum Egeriæ lucis.

& Camœnarum lucum. Juven. Sat. iii. 10. V. illum infr. in *Lucus*. Kipping. Antiq. Roman. i. 4. §. 3. In illa, inter ornamenta palatii Farnesiani locata, apparet partim crine soluto vatis quoddam instar, partim scribentis species, sive illa fata dicam, sive Romanis injungenda facta, prout ea deinceps ipse Rex pontifici suo exscripta exsignataque attribuisse dicitur ab Livio, indigitamenta Pompiliana alias dicta. Scribit volumine explicato in genu, non pluteo, aut quocunque alio mensæ auxilio ad fulciendum subjecto, sive ut inde nemoris destituti, & planè non instructi umbram spectator supponat, seu ut veterum perinde, ac nostrorum modo ad subita se parantium, nunc ita in usu etiam frequentantium in eo consuetudinem commemoret. Quippè veteres sic genubus magis adsuefacti fuerunt. V. infr. in *Lectica lucubratoria*. Refert de Numa Plutarch. p. 61. F. solitum eum à prima adolescentia usum Urbis, atque frequentiam hominum fugere, in loca se abdita, & sola recipientem, quæ plerumque diis sacra habebantur. & hinc natam famam, opinionemque hominum, cum *Egeria* illum nympha consuesse. *Nardin. Rom. Vet.* iii. 3.

Egeriæ fons. V. illum infr. in *Fons*.

EGERIUS fuit prænomen in gente Tarquinia à Prisci Regis fratris filio usurpatum, qui cum post patris Aruntis mortem natus, testamento præteritus ab avo Damarato fuisset, ab egestate, qua premebatur, *Egerius* Tarquinius vocatus est. Dionys. iii. p. 177. Liv. i. 34. *Aruns Tarquinius, patre Arunte, & avo Damarato defunctis natus postumus, nec patrimonium ullum, nec avitorum bonorum hereditariam partem consecutus erat: ob id cognominatus Egerius; quod pauperes & inopes ita Romani nominent*. Panvin. de Nomin. Romao. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. ii. p. 2027. A. Strein. de Gent. & Famil. Roman. in Tarquinia. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman Græv Tom. xi. p. 825. B.

EGESTA, *Ægesta*, *Segesta*, discordant enim in hujus urbis nomine scriptores; sed horum discordiam ita Festus componit: *Segesta*, inquit, *quæ nunc appellatur, oppidum in Sicilia est, quod videtur Æneas condidisse, præposito ibi Egesto, qui eam Egestam nominavit; sed præposita est ei S litera, ne obscœno nomine appellaretur*. Describitur à Cicer. Verr. iv. 33. *Segesta est oppidum pervetus in Sicilia, quod ab Ænea fugiente a Troja, atque in hæc loca veniente, conditum esse demonstrant. Itaque Segestani non solum perpetua societate, atque amicitia; verùm etiam cognatione se cum populo Romano conjunctos esse arbitrantur* .... Ciaccon. Columm. rostr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1815. D. Vinding. Hellen. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. xi. pag. 560. D. Salmas. Exercit. Plin. pag. 78. b. G. Turneb. Adv. xxvi. 17.

EGN.

EGNATIA gens. } V. illas infr. in *Gens*.
EGNATULEJA gens. }

EGR.

EGREGIATUS fuit in Imperio Romano titulus honorarius, concessus ut plurimum iis, qui in palatio militaverant, aut quibus provinciæ commissæ erant primipilaribus post emeritam militiam, & Cæsarianis, ut est in Cod. Th. l. de honor. codicill. l. 3. de cohortat. l. 1. de Cæsarian. l. 5. de decurion. Ex quibus colligitur dignitate Perfectissimatu inferiorem fuisse. Non dabatur sordidis aut vilibus. Constant. l. 1. C. de murileg. *Monetarius*, ait, *nec dignitas perfectissimatus tribuitur, nec ducena, vel centena, vel egregiatus*. Du Fresne Glossar. Pancirnll. Notit. Dignit. Imp. orient. c. 4. Buleng. de Imp. Rom. ii. 18. Guther de Offic. dom. Aug. i. 4.

EGREGII qui olim in Imperio Romano fuerint, elici potest ex Cassiod. Var. i. 4. *Pater candidati sub Valentiniano Principe gessit tribuni & notarii laudabiliter dignitatem. Honor, qui tum dabatur egregiis, cum ad imperiale secretum tales constet eligi, in quibus reprehensionis vitium nequeat invenire*. Lactant. v. 13. *Nemo egregius, nisi qui bonus, & innocens fuerit: nemo clarissimus, nisi qui opera misericordia largiter fecerit: nemo perfectissimus, nisi qui omnes gradus virtutis impleverit*. Cerda Adv. c. 186. §. 15. Pancirol. Notit. dignit. Imper. Orient. c. 4. Buleng. de Imp. Rom. ii. 18. In primis erant scriniarii Principis, qui postea tribuni & notarii palatii creabantur, Cassiodorus modò laudatus. Quarundam etiam provinciarum administratores *egregii* dicebantur. Constant. l. 5. C. de decurion. *Eos quibus provincia commissa sunt, quique merito amplissimarum administrationum honorem perfectissimatus, vel egregiatus adepti sunt, frui oportet dignitate indulta*. Privilegia illorum erant, *non posse torqueri, nec plebejorum suppliciis puniri*, l. 11. C. de quæstion. *Pancirol. & Buleng. l. l.*

EI.

EI diphthongum pro *I* prisca Romanorum scriptura adhibuit, aut loco *I* promiscuè usurpavit. In numinia veterum legas passim *leibertas*, *eidus*, *preimus*, *Serveilius*, *Opeimius*, *plebes*. Quod & passim occurrit in antiquis marmoribus, & vetustis inprimis plebiscitorum, ac legum formulis. *Spanhem. de præst. numm. Dissert.* ii. *p.* 80.

EJU.

EJURATIO *significat id, quod desideretur, non posse præstari*. Festus. *Bonam copiam ejurare* est jurare se non habere, unde creditoribus satisfaciat, sive æs alienum exsolvere non posse. Cicer. Fam. ix. 16. *Tu, quod mihi bonam copiam ejures, nihil est*. Varr. de Ling. Lat. vi. 5. *Omnes, qui bonam copiam ejurarent* .... *Judicem ejurare est sacramento rejicere*. Cicer. de Orat. ii. 70. *P. Mucium judicem ejuro: iniquus est*. *Parentes ejurare* est non agnoscere, nec pro talibus habere. Senec. de Ben. vi. 4. *Quid? non tam duri quidam, & scelerati patres sunt, ut illos aversari, & ejurare jus fasque sit?* Hansen. de Jurejur. Vet. c. 5. Salmas. de mod. usur. c. 18. Gronov. in Script. Eccles. c. 6. Pith. Subc. ii. 8. Stuck. de Sacrif. p. 135. Struv. Ant. Rom. c. 7. p. 326. Lips. in Senecam. Dacer. in Festum. Manut. in Ciceronem.

ELÆ.

ELÆOTHESIUM dicebatur olei repositorium, cella, ubi unguenta asservabantur, sive locus, ubi ceromate, id est, cerato oleo perfundebantur athletæ. Vitruv. v. 11. *Ad sinistram ephebei elæothesium*. Philand. in Vitruvium. Bald. Lex. Vitruv. Mercur. de Art. Gymnast. i. 11. Panvin. de Lud. Circ. ii. 1. & ad illum Argolus. Baccius de Therm. Vet. c. 6. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 136. Laurent. Polym. iv. Synops. 9.

ELE.

ELECTRUM est auri quoddam genus non adeo coctum

ctum aut purum. Vocatum hoc *electrum*, eo quod, ut docet Plin. xxxiii. 4. in eo auro quinta argenti portio inesset, quod modò naturale esse, modò cura effici ait, & si quintam argenti portionem excedat, incudibus non resistere tradit. Ex miscella enim argenti, auri fulvus color aliquantùm pallescit, & colorem adipiscitur, qualem in ambra, quod *electrum* etiam vocatum observamus, cujus gummi, *electri* inquam maxima copia in septemtrionalibus reperitur partibus, & ad nos in varias species animalium, aliarumque rerum etiam efformatum, & in frustra etiam ingentia efferri non semel vidimus, in quibus muscæ, apes, & lacertulæ, aliaque similia animalcula continebantur interclusa. *Donat. Dilucid. p.742. Lipen. de Stren.c.3. §. 45. Savot. de numm.* ii. 9. *Stuck. Ant. Conv.* iii. 12. *Camerar. de Re numm. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom.* ix. *p.* 1417. *E. Brod. Misc.* vi. 23. *Sabin. Lect. Subcis.* 1. 16. *Barth. Adv.* v. 17. *Junius de Pictur.* iii. 11. *Cerda Adv. c.* 106. §. 25. *Pancirol. de reb. invent. & perd. p.*228. Suidas tamen refert, fieri quoque ex auro cum vitrea quadam & lapidea confusione: idque illustri splendore nitere ait. *Camerar. l. l. Salmuth. ad Pancirol. p.* 232. *Ejus natura est, ad lucernarum lumina clariùs splendere. Venena etiam, quod nativum est, deprehendi gemina ratione. Nam & discurrunt in calicibus arcus cœlestibus similes: & igneum stridorem edunt.* Plin. l. l. Quia verò ex auro & argento mixtum est, & tertiam quandam speciem constituit: rectè ab Ulpiano responsum est, auri appellatione non contineri, l. 4. ff. de legat. 1. Quia enim ab auri & argenti habitu recessit: ideò nec auri potest, nec argenti nomine comprehendi. Hoc optimè declarat Tertull. adv. Hermog. c. 25. *Nam & testam*, inquit, *licèt ex argilla confectam, jam non argillam vocabo, sed testam: & electrum, licèt ex auro & argento fœderatum, nec argentum tamen, nec aurum appellabo, sed electrum: à cujus hoviu quod devertit, pariter & à vocatu ejus recedit, appellationis, sicut & conditionis proprietate.* Salmuth & Savot. l. l. Ræward. Var. 1. 19. Scalig. in Manil. p. 415.

per ELEMENTA jurare solebant veteres. Virg. Æneid. xii. 197.

Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera, juro.

Horat. Od. ii. 8. 9.

Expedit matris cinere opertos
Fallere, & toto taciturna noctis
Signa cum cœlo.

Unde Servator noster Matth. c. 5. n. 34. *Ego verò dico vobis, ne jurare omninò: neque per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum ejus.* Stuck. de Sacril. p. 141. Herald. Adv. ii. 13.

ELENCHI appellabantur inaures, imprimis eæ, in quibus proceriores margaritæ admodum pyræ quasi ex aliquo capite protrahebantur in turbinatam, fastigiatamque pyramidem. Plin. ix. 35. *Elenchos appellant fastigiata longitudine alabastrorum figura in pleniorem orbem desinentes, hos digitis suspendere, ac binos, & ternos auribus feminarum gloria est.* Juven. Sat. vi. 456.

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extentis magnos commisit elenchos.

Scholiastes: *Uniones margaritas oblongas, magnarum gemmarum elenchos.* Bartholin. de Inaur. 1. & 2. Pignor. de Serv. p. 410. Cerda Adv. c. 175. §. 2. Grapald de Part. dom. vi. 19. Etiam oblongæ & rotundæ, uti sunt tituli, sive columellæ, quas Græci *στήλας* appellant. Hæ hoc nomine ad mulieres transierunt, quia *elenchus* pro titulo dicitur, quo quis convictus veluti probabatur. Ille autem idem erat cum titulo, vel elogio, quo fama alicujus, sive bona, sive mala traducebatur, sed præcipuè mala. Et hoc *στηλογραφίαν* Græci vocant. *Salmas. de mod. usur. c.* 15. *Bartholin. l. l.*

ELEPHANTOS *Italia primum vidit Pyrrhi Regis bello, & boves Lucas appellavit, in Lucanis visos anno Urbis* 472. Plin. viii. 6. *Panvin. de Lud. Circ.* ii. 3. *Pinell. Addit am. p.* 555. *Ciaccon. Column. rostr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xv. *p.* 1819. *F. Rhodig. Ant. Lect.* xiii. 18. In triumphis M. Curii Dentati iii. Consulis, & L. Cornelii Lentuli, quos de Pyrrho Rege, Samnitibus, & Lucanis egerunt, septem annis ad superiorem numerum additis. *Panvin. & Rhodig. l. l. Stevvech. in Veget.* iii. 24. *Buleng. de Triumph. c.* 21. *&* 26. *Demster. Paral. ad Antiq. Rosin.* x. 29. Cujus tamen exempla refellunt *Scheffer. de Re vehicul.* 1. 9. *& Nicol. de Triumph.* §. 20. §. 6. Eadem *plurimos anno* 502. *victoria L. Metelli pontificis in Sicilia de Pœnis captos. Centum quadraginta duo fuere transvecti ratibus.* Plinius. *Augustin. de Famil. Roman. & Strein. de Gentib. & Famil. Roman. in Cæcilia.* & *Stevvech. l. l.* Romani has bestias in bellum primùm eduxerunt bello Philippico P. Sulpitio Galba, C. Aurelio Cotta Coss. id est, anno Urbis 553. Liv. xxxi. 36. *Ante prima signa locatis elephantis, quo auxilio tum primum Romani, quia captos aliquot bello Punico habebant, usi sunt.* Stevvech. l. l. Hugo de Milit. equest. 1. 5. Sunt quibus placeat, *elephantos* olim eundem usum præbuisse in bellis, & eundem locum tenuisse acie, quem nunc obtinent vulgares bombardæ. Certè & ante aciem collocabantur, ad proturbandos, & perrumpendos hostilis exercitus ordines. *Salmas. de Re milit. Roman. c.* 13. Interdum tamen illis post exercitus terga ordo datus est: pugnaque incepta iisdem illicò via per ordines patefacta, ut de subito visu suo, & hostes, & equos pariter perterrefacerent, Appiano teste de bello Hispaniensi. Interdum ipsis equitum turmis immiscebantur. Hirtius de bello Africano. *Stevvech. l. l.* In circum introducti sunt L. Cæcilio, C. F. Metello Pontifice maximo, & C. Furio C. F. Pacilo Coss. anno ab U. C. 502. Plin. viii. 6. *Pugnaverunt centum quadraginta duo. Verrius eos pugnasse in circo, interfectoque jaculis tradit L. Piso inductos duntaxat in circum, atque ut contemptus eorum incresceret, ab operariis hastas præpilatas habentibus, per circum totum actos*, Fenestella apud Plin. viii. 7. tradit Romæ primos omnium pugnasse in circo Claudii Pulcri ædilitate curuli Marco Antonio, A. Postumio Coss. an. U. C. 655. Ascon. in Cicer. p. 166. scribit, Pompejum Magnum *ludis, quibus theatrum à se factum dedicavit, elephantorum pugnam primum omnium in circo dedisse*; quod verosimile non est: nam ex probatissimis Verrii, Pisonisque Annalibus, ante Pompejum Magnum eos in circo exhibitos fuisse ad pugnam constat. *Panvin. de Lud. circens.* ii. 3. *Buleng. de venat. circ. c.* 11. *&* 28. *Fab. Agon.* 1. 29. *Pigh. Annal. Rom.* iii. *p.* 180. *Blond. Triumph. Rom.* ii. *p.* 49. *A.* Pugnarunt etiam in arena cum equitibus & peditibus ad veri prælii formam inter se commissi. Suet. Jul. c. 39. n. 7. *Venationes edidit per dies quinque, ac novissimè pugna divisa in duas acies, quingenis peditibus, & elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc inde commissis.* Plin. viii. 7. *Pugnavere & Cæsaris Dictatoris tertio consulatu ejus viginti contra pedites quingentos: iterumque totidem turrites cum sexagenis propugnatoribus, eodem quo priores numero peditum, & pari equitum ex adverso dimicante: postea singuli, principibus Claudio & Nerone, in consummatione gladiatorum.* Buleng. de venat. Circi c. 28. Funambuli etiam dati sunt tempore Neronis. Suet. Ner. c. 11. n. 5. *Notissimus eques Romanus elephanto supersedens per catadromum decucurrit.* Xiphil. lxi. p. 697. D. *Quo tempore elephas introductus in theatrum, in summum ejus fornicem conscendit, atque inde vehens hominem in fune decurrit.* Galbæ Suet. c. 6. n. 1. *Prætor commissione ludorum Floralium, novum spectaculi genus, elephantos funambulos dedit. Elephantos* per funem incedendi artem addiscere testatur Plin. viii. 2. *Postea & per funes incessere.* c. 3. *Mirum maximè, & adversis quidem funibus, sed regredi magis utique pronis.* Buleng. de Theatr. 1. 41. Venat. circi c. 21. Pitisc. in Suetonium. Quod *elephantorum* ludicrum cum olim non satis assequerer, illustris Gombevvillæus Parisinus ex antiquo numismate significavit, *elephantos*, quod in uno funiculo divaricata nescirent colligere crura, duabus chordis parallelis incedentes duxisse choreas. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. §. 5. *Spanhem. Dissert.* iii. *de Præst. & usu numism. p.* 126. Ornabantur torquibus, & monilibus. Locus memorabilis est de *elephanto* Alexandri Soli dicato apud Philostr. de vit. Apollon. ii. 6. *Esse illi torques aureos circa dentes, seu coronam libeat appellare, & in torquibus literas Græcas insculptas hæc verba referre: Alexander Jovis filius, Ajacem Soli, hoc enim Ajacis nomen ipse Elephanto imposuit.* Scheffer. de Torquib. antiq. c. 13. Lychnum, ceu facem,

proboscide gestant, in præclaris aliquot nummis Antiochi Dionysii ministerio haud alieno à reliqua hujus animalis industria, & de qua inter alios Manil. iv. 236.

Cumque elephante loqui, tantamque aptare loquendo
Artibus humanis varia ad spectacula molem.

Certè spectaculo minùs admirando, quàm eosdem videre funambulos, ut modò dictum, in theatris Romanorum; aut aliàs pila ludentes; aut in munere gladiatorio Germanici, sollennibus epulis admotos, earundem promuscidum opera, ut moderatos convivas, cibum ac potum decenter sibi ministrantes. Nota res ex Seneca, Suetonio, Æliano, aliisque. Sed quod magis appositum, ut vel inde pateat, unde morem illum horum λυχνοφόρων *elephantum* acceperit Julius Cæsar, de quo Suet. c. 37. n. 3. *Adscendit ad lumina quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus*. Dio XLIII. p. 224. E. *Multis elephantis faces ferentibus deductus est*. Spanhem. l. l. Ex ære in Sacra via fuerunt. Cassiod. Var. x. 30. *Relationis vestræ tempore comperimus in via Sacra elephantes æneos vicina omnimodis ruina titubare....* fortè ad ima clivi, qua ad Palatium tendebatur. Solebant hi cum curribus poni triumphalibus in honorem Imperatorum. Ita SCTO à Capitol. Maximin. c. 25. allato *Maximo, Balbino, & Gordiano statuæ cum elephantis decernuntur*. Et *quadriga elephantorum Gordiano decreta sunt, nepotè quo Persas vicisset* Gordiano tertio c. 27. Et illo vetustior Suet. Claud. c. 11. n. 5. *tradit illum Aviæ Liviæ divinos honores, & circensi pompa currum elephantorum Augustæ similem decernendum* curasse. *Nardin. Rom. Vet.* III. 12. Illis successu temporis triumphatores sunt usi. Sic in pompa Regis Syriæ Antiochi apud Atheo. v. 5. habemus currum *elephantorum*: & in alia Ptolæmæi Philadelphi apud eundem paullò post Calixenus Rhodius commemorat. Apud Romanos hoc primus instituit Pompejus. Plin. VIII. 2. *Romæ juncti primum subiere currum Pompeji Magni Africano triumpho: quod prius India victa triumphante Libero patre memoratur*. Demster. Patal. ad Rosin. Antiq. x. 29. Nicol. de Triumph. c. 20. §. 6.

Elephantus Herbarius, de quo Victor regione octava, fuit statua *elephanti* ab Augusto posita, cum munusculis ab olitoribus ei porrectis. Vel statua fuit pilæ imposita, seu basi, quæ loco illi foret pro insigni. Verùm utralibet fuerit, saltem eo in loco posita fuit, ubi olera vendi solita. *Nardin. Rom. Vet.* v. 16.

Elephantus signum etiam fuit militare. Appian. Bell. civil. II. *Exercitus Cæsaris ità animo confirmatus est, ut quinta legio poposcerit opponi elephantis, eosque egregiè vicerit, ac nunc etiam ea de causa elephantos in signa huic legioni construuntur*. Ita tamen, ut in clypeis, signisque manipulorum fuerit. Non enim amotam aquilam opinor. *Lips. de Milit. Rom.* IV. *Dial.* 5.

ELEUTHEROCILICES fuerunt populi αὐτόνομοι in Asia sub Romanorum imperio libera adhuc Urbe. Quod nomen illis ad sua usque tempora a Myrina Amazone, à qua liberi iidem sunt relicti, hæsisse tradit Diodor. III. p. 188. *Quos quia spontè se fidei ipsius permitterent, liberos esse jussit: eamque ob causam etiamnum Eleutherocilices appellantur*. Eos autem ita dictos ab ea Ciliciæ parte, quam qui incolerent, sua ætate Ἐλευθεροκίλικες fuor appellati, notat Stephanus. Cicer. Attic. v. 20. *Nos Pindenissum, quod oppidum munitissimum Eleutherocilicum omnium memoria in armis fuit, cinximus....* Spanhem. Exercit. ad Constitut. Antonin. Imper. II. §. 14. de præstant. numism. dissert. IX. p. 784. Robortell. de Provinc. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. (3) F.

ELI.

ELICATORES sunt dicti ab aqua *licienda*, sive *elicienda*: quo verbo *eliciendi* in hac ipsa re utitur, l. 3. C. de Aquæduct. Sunt iidem qui Aquileges. V. illos supr. in *Aquilex*. Chimentell. de Hon. bisell. c. 39.

ELICES sunt dicti sulci aquarii majores. Festus: *Elices sulci aquarii, per quos aqua collecta educitur è liris*. Salmas. Exercit. Plinian. p. 512. a. A. in Vopisc. Prob. c. 21.

ELL.

ELLYCHNIUM asbestinum, amiantumve non in omnibus lucernis, quæ diu arsisse compertæ sunt, inventum est; imò verò nullus est, qui usquam in repertis hujusmodi lucernis tale quid offenderit; quum earum inventores, & possessores nihil omninò de hac re observatum memoriæ mandaverint. Si enim lucernæ istæ *ellychnio* præditæ fuerunt incombustibili ex lapide amianto asbestove, cur non observavissent, observatumque id prodidissent lucernarum detectores? cur in iisdem servatis adusque tempora nostra *ellychnium* id non haberent, custodirentque sedulò illarum possessores? *Licet. de Lucern. Antiq.* II. 39. Nulla unquam reperta fuisse, admodum levis est conjectura. Hoc enim accidere potuit, quia igne, aut ætate consumpta fuerint. Quanquam Vives non pauca à se visa testatus est. Quod si fuerit *ellychnium*, putat ex amianto, aut lino asbesto confectum. Utrumque expendamus. Non enim lucernas caruisse *ellychnio* illud evincit, quod quamvis caphura, naphta, & id genus materia sine *ellychnio* ardeant, præterquam quod consumpta materia ignis exstinguitur, intelligi non potest, quo pacto accendi, & extra lucernam ardere ignis potuerit, nisi aliquo filamento conceptus, quod esset olei vehiculum. Nisi quis dicat, lucernæ sepulcro abditam flammam cæco lumine torpuisse. Deinde ad quid exiguum istud foramen lucernarum omnium rostro adstiturum, nisi immittendæ papyro, & exserendo lumini? Quod verò *ellychnium* illud ex amianto, & lino asbesto fuerit, difficultate non caret. Nam si *ellychnium* incombustibile fuit, nihil opus oleo futurum: semel enim concepta flamma, cum filamentum exstingui non posset, perpetuò arsisset. Sed næ isti lini asbesti naturam parum intelligere videntur. Quod inde appellatum, quod igne confici, & consumi non possit. V. supr. in *Asbestinum*. Ferrar. de vet. lucern. sepulcr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 1016. E.

ELO.

ELOGIUM, quod jam pridem obtinuit, vel *elleginm*, ἐλλόγιον, quam vocem Romani usu fecerunt suam; nam *elogium* planè nihil aliud quàm ἐλλόγιον, titulus, causæ brevis explicatio, præfatio. Suet. Cal. c. 24. n. 10. *Tres gladios, in necem suam præparatos, Marti ultori, addito elogio, consecravit*: sive quæpiam simplex sententiæ expositio. Cicer. Sen. c. 20. *Solonis esse elogium, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum, lamentisque vacare*. Casaub. in Suet. Jul. c. 48. Voss. Lex. Etymol.

Elogium agitatorum in basi in veteribus inscriptionibus ita conceptum est; vicit sejuge, septejuge, bigas, trigas, uno anno, alieno principio, duobus introjugis. Diocles præcedens cum introjugis tribus. Diocles septem equis in se junctis nunquam ante hoc numero spectato equorum certamine, sine flagello, aliis certaminibus vicit, inter singulares vicit. *Elogia* illa vocantur tituli in veteribus inscriptionibus, novis actionibus, & nunquam ante titulis scriptis. Ponebantur in circo. Illis victorum memoria consecrabatur. *Buleng. de Circo* c. 54.

Elogium dicitur etiam inscriptio monumentalis. Cic. Fin. II. 35. *Nonnè elogia monumentorum id significant?* Memoria enim & inscriptio nominis cum summa rerum gestarum in prima, & obvia, seu adversa parte tumuli ponebatur. Virg. Cul. n. 410.

Hic tumulus super inseritur: tum fronte locatur
Elogium.

Salmas. Exercit. Plin. p. 858. b. A. Taubman. in Virgilium. Voss. Lex. Etymol.

Elogium meretricis cellulæ inscriptus est titulus, quo & prostitutæ nomen, & quantum uno concubitu mereret, designabatur. Tertull. de Spect. c. 17. *Ipsa etiam prostibula, publica libidinis hostiæ, in scena proferuntur..... locus, stipes, elogium, etiam quibus opus non est, prædicantur*. Brisson. de Jur. conoub. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1068. B. E.

Elo-

Elogium pecuniæ expeosæ causam continens, brevis est scriptio, sive præfatio summæ, quæ in rationes refertur. Exemplum & formula est in illo Vespasiani infr. in *Rationes privatæ*. Et illo ex rationibus Periclis, exagitato à comicis: *Εἰς τὸ δέον ἀνήλωσα τοσοῦτον*. Hinc ἐλλογίζειν inferre rationibus cum indicatione causæ. Latinè *imputare*. Paullus dixit *καταλογίζειν*. Glossar. *Imputat, ἐλλογεῖ*. *Casaub. in Suet. Jul. c. 47.*

Elogium puniendorum etiam dicebatur titulus, & malorum facinorum index. Marcian. ff. XLVIII. 3. *Idem de irenarchis præceptum est, quia non omnes ex fide bona elogia scribere compertum est*. Suet. Cal. c. 27. n. 2. *Nullius inspecto elogio*. Turneb. Adv. XVIII. 5. Barth. Adv. IV. 18. Cerda Adv. c. 106. §. 2. 160. §. 2. Nerius Anal. I. 32. Hugo de prim. scrib. orig. c. 31. Casaub. in Suetonium. Hoc offerebatur Principi, qui jam pœnæ addictos à judicibus vel revocabat à pœna, vel pœnæ permittebat. Ammian. XIV. 5. *Ideoque fertur, neminem aliquando ob hæc, vel similia pœnæ addictum, oblato de more elogio, revocari jussisse* Imp. Constantium. Sulpic. Sever. Hist. sacr. II. ext. *Evodius Priscillianum gemino judicio auditum, convictumque maleficii .... nocentem pronuntiavit, redegitque ad custodiam, donec ad Principem referret. Gestis ad palatium delatis censuit Imperator, Priscillianum, sociosque ejus capitis damnari oportere*. Et Princeps *solebat annotare, quinam mortis supplicium commeruissent*, ut ille apud Ælian. Var. Hist. XIV. 43. V. illum supr. in *Annotare*. Perizon. in Ælianum. Vales. in Ammianum.

ELU.

ELUDERE dicuntur gladiatores adversarium, cum cujus petitionem vel gladio, vel rude objecta vitant, aut motu cito declinant. Manil. V. 163.

Ille cito motu rigidos eludere cæstus.

Turneb. Adv. XXVIII. 15. Lips. Saturn. II. 20. Cerda in Virg. Æneid. V. 438. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Chamillard. in Prudent. contr. Symm. I. 656. Thys. de Gladiat. p. 253. tum quem vicerunt. Terent. Eun. I. I. 10.

Perfit: eludet, ubi te victum senserit.

Ubi Donatus. *Eludere propriè gladiatorum est, cum vicerint*. Cicer. Cat. I. c. I. *Quamdiu furor iste tuus eludet? Eludere est finem ludo imponere*. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 15.

ELUGERE dicitur, qui tempus moribus, aut legibus præfinitum sumptis lugubribus complet. Liv. XXXIV. 7. *Quid cum eluxerunt, sumunt?* Paull. X. ad edictum: *Quæ virum elugent, intra id tempus sponsam fuisse non nocet*. Ulpian. VIII. ad edictum: *Prætor ad id tempus se retulit, quo vir elugeretur: qui solet elugeri propter turbationem sanguinis*. Kitchman. de Fun. IV. 10. Guther. de Jur. man. III. 28. Noris. Cenot. Pis. Diss. III. 2. Rævard. Var. I. 20.

EMA.

EMANCIPATIO fuit liberorum è patria potestate dimissio. Legis actionibus comprehensam, & apud prætorem factam esse testis est Modestin. ff. de Jurisdict. *Magistratus*, inquit, *apud quem legis actio est, & emancipare filios suos, & in adoptionem dare potest*. Paullus: *Apud magistratus municipales, si habent legis actionem, emancipari, & manumitti potest*. Cæterum in *emancipationem* & vindicatio, & mancipatio incidit. Qualis hæc fuerit venditio. V. supr. in per *Æs & libram*. Qui ergo naturalis pater filium *emancipare* volebat, is secundum postulationem die cognitionis filium suum fiduciario patri *emancipabat*, hac verborum formula utens, quæ vindicationem simul & mancipationem complectebatur: *Hunc hominem ex jure Quiritium meum esse ajo, quoniam emptus est mihi hoc ære, æneaque libra*. Naturalis verò pater respondebat: *Hunc filium meum tibi mancipo*. Et accepto pretio in jure cedebat, quo facto prætor addicebat. Quoniam verò ex lege filius à patre venundatus usque ad tertiam mancipationem in potestatem patris redibat, propterea secunda inde mancipatio, & in jure cessio adhibebatur: cumque iterum filius in potestatem patris redisset, tum tertia adhibebatur hoc modo: *Ego vero hunc filium meum tibi mancipo ea conditione, ut mihi remancipes, ut inter bonos bene agi oportet, ne propter te, tuamque fidem frauder*. Ac tertium accepto pretio cedebat, & prætor tertium addicebat. Qua re perfecta tum demum filius è potestate patris egressus putabatur. Unde fiduciarius pater, qui dominus ejus erat factus, eundem naturali patri sine fraude remancipabat: naturalis verò filium, quem quasi servum coemerat, manumittebat: atque ita liber ille, id est, sui juris factus erat, ut Cajus scripsit. *Sigon. de Judic. I. II. Ant. jur. civ. Rom. I. 10. Rævard. Protribun. c. 5. Nann. Misc. X. 5. Fab. Semestr. II. 23. Gronov. de Pecun. Vet. c. 7. Augustin. ad leg. XII. tabul. §. 6. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1914. D.*

EMANSIONIS in militia causæ an justæ essent, solebat diligenter examinari. Arrius Menand. ff. de Re milit. *Examinantur causæ semper emansionis, cur, & ubi fuerit, & quid egerit: & datur venia valetudini, affectioni parentum & affinium, & si servum fugientem persecutus est, vel si qua hujusmodi causa*. Paull. I. 14. ff. de Re milit. ... *habetur tamen ratio dierum, quibus reversus est, item temporis navigationis, vel itineris, & si se probet valetudine impeditum, vel à latronibus detentum, similive casu moram passum, dum non tardiùs à loco profectum se probet, quàm ut occurrere posset, intra commeatum restituendus est*. Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1171. C.

EMANSOREM inter, & desertorem non est ea differentia, quod hic reducatur, ille revertatur. Nam & qui revertitur, quandoque pro desertore habetur, l. qui commeatus ff. de Re milit. & qui reducitur pro *emansore*, l. qui cum uno §. edicta ff. eod. Differentia tantum est in tempore, l. aut facta. §. tempus ff. de pœn. l. 3. §. si ad decem ff. de Re milit. *Emansor* est qui diu abfuit, desertor qui perdiu, sive prolixo tempore, l. 3. §. emansor. ff. eod. Diu, aut perdiu noli accipere pro decennio, aut vicennio, aut tricennio. Nam & qui quinquennio abfuit, pro desertore habetur, l. milites §. ult. ff. eod. Sed temporis observatione judici relicta, hoc satis est notari, tempore solo discerni *emansorem* à desertore, quod desertor perdiuturno tempore abfit, *emansor* non ita prolixè. *Cujac. Observ.* VI. 26.

EMB.

EMBLEMA est ornamentum exemptile, quod ad placitum vasis argenteis, aureisve tolli, & reponi potest. Talia sunt sigilla, variaque, ut doiculorum, sic & alia rerum aliarum simulacra affabrè cælata, vel depicta. Dicitur de veste & de vase. Hæc vox cum peregrina esset, & Romanis auribus non satis nota, Tiberio Cæsari minimè placuit, ut Principi, qui patriam linguam præferret externæ. Suet. c. 71. n. 1. *In quodam decreto patrum, cum emblema recitaretur, commutandam censuit vocem, & pro peregrina nostratem requirendam: aut si non reperiretur, vel pluribus, & per ambitum verborum rem enuntiandam*. Dio LVII. n. 612. B. *Statilio Tauro, L. Libone consulibus Tiberius edixit, ne quis aureo vase, nisi ad sacra uteretur: dubitantibus nonnullis, an argenteis etiam, quæ aureis emblematis cælata essent, interdixisset: facturus hac quoque de re edictum, emblematum vocabulum quia Græcum esset, in eo poni prohibuit: quanquam Latinum id, quod id interpretaretur, non haberet*. Qui frustra commutandam censuit hanc vocem. Est enim satis trita. Ea Lucilius apud Cicer. Orat. c. 44. de Orat. III. 43. & de clar. Orat. c. 79. est usus:

Quam lepide lexeis compostæ? ut tesserolæ omnes
Arte pavimento, atque emblemate vermiculato.

Ipse Cicer. Verr. IV. 21. *Te, cum inspiciendum*, thuribulum, *poposcisses, avulso emblemate, remisisse*. c. 23. *Quæ probarant, iis crusta, aut emblemata detrahuntur*. Bergier. de viis Milit. II. Sect. 21. §. 12. Salmas. Exerc. Plin. p. 736. b. F. 737. b. D. 789. b. F. in Vopisc. Aurelian. c. 46. Firm. c. 3. Rhodig. Ant. Lect. XII. 19. Voss. Lex. Etymol. Bud. de Asse p. 355. in Pandect. p. 120. H. Turneb. Adv. VIII. 10. Junius de Pictur. III. 1. Pitisc. in Suetonium.

tonium. Grapald. de Part. dom. 12. c. 3. Minos in Alciati Emblem. p. 62. *Emblematibus*, & signis diversis, quæ sæpissimè studia defuncti, quæ vivus exercuerat, sepulcra ornabant veteres. Cicer. Tusc. Quæst. v. 23. in Archimedis mathematici sepulcro positam fuisse sphæram cum cylindro narrat: *Ego autem cum omnia collustrarem oculis, animadverti columellam non multum è dumis eminentem, in qua inerat sphæræ figura & cylindri*. Moreftell. de Pomp. Funeb. viii. 13. Latinè insertam Publio Syro hoc carmine,

Frugalitas inserta est rumoris boni.

dici contendit Scalig. in Manil. p. 411. & ex Scaligero Casaub. ad Suetonium; negant Salmas. in Vopisc. Aurel. c. 46. p. 574. & Exercit. Plin. p. 789. b. D. E. F. Voss. & Pitisc. l. l.

EMBOLIMUS annus. } V. illos in *Mensis*.
Embolimus mensis. }

EMBOLUM fuit rostrum in navibus, sive trabs prominentior ære munita. Scholiast. Pind. Olymp. 7. 35. *Embola sunt navium rostra*. Græcis χαλκώματα νεῶν, ut est apud Diodor. xx. & naves χαλκέμβολοι. Petron. c. 30. *Quorum imam partem, quasi embolum navis aneum, finiebat*. Locus erat in prora. Suidas: *Embolum aneum firmum circa proram*. Propriè erat ad carinam. Pollux 1. 9. *Ejus, carinæ, juxta proram terminus est, quod proembolum vocatur, quod autem sub ea parte, embolum dicitur*. V. infr. in *Rostra*. Scheffer. de Milit. Nav. ii. 5. Calcagn. de Re naut. c. 14. Epist. Quæst. 1. 13.

EME.

EMERITI vocabantur, qui *emeritum* accipiebant. Vocabantur etiam veterani. Martian. l. deferri ff. de jure fisci: *Veterani sacris constitutionibus delatores esse prohibentur, propter honorem utique emeritæ militiæ*. Stevvech. in Veget. ii. 3. Putean. de Stip. milit. c. 17. Isidor. ix. 3. *Emeriti dicuntur veterani, solutique milites, qui jam in usu prælii non sunt, quia mereri militare dicitur, a stipendiis scilicet, quæ merentur. Iidem & veterani dicuntur, quia jam in usu prælii non sunt, sed post multos militiæ labores quietis suffragium consequuntur*. Valtrin. de Re milit. Rom. vi. 5.

EMERITUM dicebatur pecunia, sive præmium militare, quod dabatur illis, qui stipendia explevissent. Loco enim agri placuit pecuniam dari. Dio liv. p. 539. C. *Anni militiæ civibus determinabantur, quantumque ii pecuniæ emeritis stipendiis pro agro, quem nunquam non petebant, essent accepturi*. Percennius novas militiæ leges præscribens apud Tacit. Annal. 1. 17. 6. *Ut singulos denarios mererent, sextus decimus stipendii annus finem adferret, ne ultra sub vexillis tenerentur, sed iisdem in castris præmium pecunia solveretur*. Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c. 6. Putean. de Stipend. milit. c. 17. Quibus ambigo an assentiar, quia præter agros & pecuniam recipere solebant. Testes historici, Tacitus inprimis, apud quem non semel & pecuniæ, & agrorum est mentio. *Lips. in Tacit. Annal. l. Excurs. G. Stevvech. in Veget.* ii. 20. Nec pecunia illa dicebatur *emeritum*; nam Arrius Menander mox laudandus distinguit *præmia & emeritum*. Aliud enim præmia, aliud *emerita*; nam præmia ultra *emerita* dabantur. Modestinus, & Arrius statim laudandi. *Torrent. & Babelon. in Suet. Aug. c. 24. n. 5.* Ego malim hoc vocabulum ad stipendia *emeritis* data restringere, ut alia sint a commodis. *Franckenstein. l. l.* Et ego suspicor *emeritum* fuisse in agris, præmium in pecunia. *Stevvech. l. l.* Dicebatur *emeritum*, quia scilicet *emeritis* debebatur. Modestin. Dig. xlix. 16. 3. §. 12. *Si expleto tempore militiæ redeat, ut veteranus restituetur, & emerita accipiet*. §. 8. *Qui militiæ tempus in desertione impleverit, emerito privatur*. Arrius Menand. ibid. 5. §. 7. *Si post multum tempus redit, qui ab hostibus captus est, præmia & emeritum capit*. Suet. Aug. c. 24. n. 5. *commoda emeritorum præmiorum*. Vit. c. 15. n. 3. *justæ militiæ commoda*. Aug. c. 49. n. 5. *commoda missionum*, & Cal. c. 44. n. 4. *Commoda emeritæ militiæ* vocantur. Lipf. & Putean. l. l. Quantum hoc fuerit, docet Dio lv. p. 565. E. ubi ab Augusto prætorianis assignata fuerit *quinque millia drachmarum*, sive Romano numero *viginti millia nummum*: reliquis militibus *tria millia drachmarum*, sive *duodecim millia nummum*. Istis quidem, si sedecim stipendia implessent: his, si viginti. Hæc tria millia drachmarum ad mille quingentas à Caligula recisa sunt. Suet. c. 44. n. 2. *Commoda emeritæ militiæ ad sex millium summam recidit*. Putean. l. l.

EMI.

EMISSARIUM est locus in hortis, aut pratis, quo aquam, quæ irrigasset terram, *emittebant*. Cicer. Fam. xvi. 18. *Helico nequissimus sestertia ducenta dabat, nullo emissario*. Suet. Claud. c. 20. n. 2. *Perfecit emissarium Fucini lacus*. c. 32. n. 2. *Convivatus est super emissarium Fucini lacus*. Baldus Lex. Vitruv. Pitisc. in Suetonium.

Emissarium, sive exsiccationem Fucini lacus, qui hodie *Lago di Marso*, aut *de Celano* dicitur, *ab Augusto, precantibus assiduè Marsis*, qui in Latio eum accolunt, *negatum* scribit Suet. Claud. c. 20. n. 2. V. infr. in *Lacus*. Claudius Augusto audacior molitus est lacus exsiccationem per *emissarium*, & sic agros culturæ reddere. *Aggressus est*, ut ait Suet. ibid. n. 4. hoc opus *non minus compendii spe, quàm gloria, cum quidam privato sumptu emissuros se repromitterent, si sibi siccati agri concederentur*. Deinde & gloriosum erat, opus Augusto ne quidem tentatum perficere. Itaque, ut pergit Suet. ibid. n. 5. *per tria passuum millia partim effosso monte, partim exciso, canalem absolvit ægrè: & post undecim annos, quamvis continuis triginta hominum millibus sine intermissione operantibus*. Atque ita, ut loquar cum Horat. de Art. poet. n. 65.

Regis opus, sterilisque diu palus, aptaque remis
Vicinas urbes alit, & grave sentit aratrum.

Meritò *Regis opus*, cui perficiendo regnio magnanimitas, & regifici sumptus expetuntur. De hoc *emissario* Plin. xxxvi. 15. *Ejusdem, Claudii, inter maxime memoranda equidem duxerim, quamvis destitutum successoris odio*, absolutum tamen dixit Suetonius modo laudatus. *Bergier. de viis milit.* 1. *Sect.* 16. §. 3. iv. *Sect.* 46. §. 3. & 4. *Cluver. Ital. Ant.* ii. 15. §. 3.

EMISSARIUS est, qui ab alio *emissus*, & subornatus est alterius vexandi gratia, aut arcana aliorum cognoscendi causa. Cicer. Fam. vii. 2. *Persuaserat nonnullis invidis meis, se in me emissarium semper fore*. Suet. Galb. c. 15. n. 4. *Solos ex omnibus Neronis emissarios vel maleficentissimos incolumes præstitit*. Holler. For. Rom. iv. 4. Cerda Adv. c. 84. n. 5. Pitisc. in Suetonium.

EMISSIONES equorum in circo judicabantur à spectatoribus togæ excussione. Ovid. Amor. iii. 2. 71.

Favimus ignavo. sed enim revocate, Quirites,
Et date jactatis undique signa togis.
En revocant: at, ne turbet toga mota capillos,
In nostros abdas te licet usque sinus.

Frustra enim interdum agitatores. Arnob. vii. p. 245. *Qui cantherios frustra, & sine ulla ratione exeuntes spectatum proficiscantur*. Et in epitaphio C. Appuleji Dioclis legitur: *frustra exiit*, hoc est, cursus justus non fuit, vel quia equorum *emissiones* legitimæ non fuere, vel quòd aliquod æquum impedimentum in currendo ei accidit. *Panvin. de Lud. circens.* 1. 14. & *ad illum Argolus*.

EMP.

EMPORIUM, ἐμπόριον, est locus, quo conveniunt mercatores. *Forum nundinarium* vocatur Plin. viii. 51. *Emporii* vocem retinent Cicer. Attic. v. 2. *Cum per emporium Puteolanorum iter facerem*, & Plin. v. 9. *Coptos Indicarum Arabicarumque mercium Nilo proximum emporium*. Voss. Lex. Etymol. Tholos. Synt. jur. xxxv. 3. §. 1. & 2.

Emporium variarum mercium nono quovis die, præsertim edulium, mellis, & pomorum fuit ante ævum Neronis in tertia Urbis regione, ad locum Metæ sudantis, ubi forum postea Vespasiani visum. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 5. §. 1.

Emporium pro rebus venalibus, quæ in Urbem importabantur, navali additum fuit ante portam Trigeminam

in

in decima tertia Urbis regione. Liv. XLI. 26. *Censores extra portam Trigeminam emporium lapide straverunt, stipitibusque sepserant, & porticum Æmiliam reficiendam curarunt, gradibusque ascensum à Tiberi in emporium fecerunt.* Donat. de Urbe Roma III. 13. Mathan. Topogr. Urb. Rom. IV. 1. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 5. §. 11. c. 15. §. 3. Nardin. Rom. Vet. VII. 9. Aurelianus urbanis inclusit mœnibus. V. infr. in *Navalia*.

EMPTIO, & venditio erat contractus bonæ fidei, inter quos jure civili licebat, nudo consensu factus de re certa certo pretio in perpetuum domini jure obtinenda. *Sigon. de Judic.* I. 5. Voce *emptionis* omnem dominii acquirendi modum intelligebant. Varr. de Re Rust. II. 10. *In emptionibus dominum sex ferè res legitimum perficiunt: si hereditatem justam adiit; si, ut debuit, mancipio ab eo accepit, à quo jure civili potuit; aut si in jure cessit, qui potuit cedere, & id ubi oportuit; aut si usu cepit; aut si è præda sub corona emit; tumve cum in bonis, sectioneve cujus publicè venit.* Quod si quo horum modorum esset partum, nihil à litibus fore periculi intellexit, quod à jure civili præstaretur. Quod eo magis credo, quia docet etiam Pompon. 1. de statu libertatis, *emptionis* verbo legem XII. tabularum alienationem omnem esse complexam. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 11. *Augustin. ad leg. XII. Tabul.* §. 5. Nullam obligationem firmiorem existimabant. Et Justinianus scribit Instit. II. *Venditæ res & traditæ non aliter emptori acquiruntur, quàm si is venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit, veluti expromissore, aut pignore dato. Quod quamquam cavetur,* inquit, *ex lege XII. Tabularum; tamen rectè dicitur, & jure gentium, id est, jure naturali, id effici.* Idem III. Instit. de empt. & vend. in prin. & p. item pretium scribit *emptionem* & venditionem contrahi simulatque de pretio convenerit. *Augustin. ibid.* §. 27. Permutatione peragebatur mercium. Paull. Dig. XVIII. 1. 1. *Origo emendi vendendique à permutationibus cœpit. Olim enim non ita erat nummus: neque aliud merx, aliud pretium vocabatur, sed unusquisque secundum necessitatem temporum, ac rerum, utilibus inutilia permutabat . . . Sed an sine nummis venditio dici hodie possit, dubitatur: veluti si ego togam dedi, ut tunicam acciperem. Sabinus & Cassius esse emptionem & venditionem putant. Nerva & Proculus permutationem, non emptionem esse ajunt. Sabinus Homero teste utitur, qui exercitum Græcorum ære, ferro, hominibusque vinum emere refert Iliad. H.* 472.

Hinc Græci comati vinum emebant
Alii quidem ære, alii autem splendido ferro,
Alii verò pellibus, alii autem ipsis vaccis,
Alii autem mancipiis.

Sed hi versus permutationem significare videntur. Plin. XXXIII. 1. *Quantum felicior ævo, cum res ipsæ permutabantur inter se, sicut & Trojanis temporibus Homero credi convenit. Ita enim, ut opinor, commercia victus gratia inventa. Alios coriis boum, alios ferro captivisque rebus emptitasse tradit.* In prisco codice, quem probo, non *emptitasse*, sed *mutasse* scriptum est. Virg. Georg. III. 307.

——quamvis Milesia magno
Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.

Ubi Servius: *Mutentur, comparentur. Nam apud majores omne mercimonium in permutatione constabat, quod & Cajus Homerico confirmat exemplo.* Pius Annot. post c. 152. Casal. de Prof. Roman. III. c. 17. Cerda in Virgilium. Spanhem. in Julian. Orat. I. p. 138. Salmas. Exerc. Plin. p. 175. a. C. Muret. in Catull. XII. 18. Feith Antiq. Homer. II. 10. Schill Nomencl. Philol. p. 904. *Emptionis* & venditionis prædiorum negotia apud argentarios Romæ conficiebantur, & tabulis eorum inscribebantur, quæ non tantùm ad probandum contractum, sed etiam constituendam obligationem vim habebant. *Joach. Stephan. de Jurisd. vet. Græc. c.* 14. Specie *emptionis* lites alienas ad se transferebant, qui, insatiabili quæstus cupiditate flagrantes, delinquentes deferebant. Hoc vitium Romam post penitus irrepsit, ut non sine justa causa Imperatores eam *emptionem* vexationis & calumniæ, quæ ἐργολαβία honesto juris prætextu dicebatur, atque sub pactione quotæ litis fiebat, foro exterminarint, l. litem C. de procurat. *Joach. Stephan. ibid. c.* 12.

EMPTOR bonorum creditoris vocabatur is, qui emerat, & actiones omnes à debitore in bonorum *emptorem* transferebantur, & conveniebatur non aliter ac bonorum possessor, siquidem uterque successor prætorius erat. *Sigon. de Judic.* I. 18.

Emptor familiæ dicebatur, qui cum per æs & libram testamentum fiebat, adhibitis quinque testibus, qui, ut inquit Festus, classici dicuntur, & libripende, per imaginariam quandam mancipationem, certa juris sollennitate hæreditatem emebat, nuncupato interea in hunc modum testamento. Tabulas tenens testator, Hæc, inquit, uti his tabulis, cerisque scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor, itaque vos Quirites testimonium præbetote. Suet. Ner. c. 4. n. 1. *Ex hoc Domitius nascitur, quem emptorem familiæ in testamento Augusti fuisse mox vulgo notatum est.* Dicis causa adhibebatur *emptor* familiæ, non ipse hæres, sed ut testator vivens quodammodo bona sua alienasse videretur, quæ demum post mortem ejus hæres acciperet. *Ravard. de Auctor. prud. c.* 21. *Calcagn. Equitas. p.* 577. *Augustin. ad Leg. XII. Tabul.* §. 27. *Brisson. de Form.* VII. p. 585. *Beroal. & Torrent. in Suetonium.*

Emptor fiduciarius in ejusmodi venditione, quæ sub conditione resolvitur, quodammodo etiam est pigneratitius creditor. Nam quasi pignoris nomine rem venditam possidet, donec sibi redditum sit pretium, si pretium illud vice pecuniæ mutuæ datum fuit *emptori*. Fidem etiam ejus quadamtenus secutus est *emptor*, qui fiduciam habuit rem sibi ab eo redditum iri, nec quasi *emptam* servaturum. *Salmas. de Mod. usur. c.* 14.

EN.

EN pro *in* scripserunt veteres. Columna rostra testimonio est. In illa legitur: EN SICELIAD. & ENQUE EODEM MACESTRATOD. Et Kalendarium marmoreum, quod ex antiquis ruinis effossum in Farnesiana bibliotheca Romæ asservatur, in quo dies aliquot ita notantur, EN, quos *intercisos* interpretor ex Varrone, Macrobio, & hoc lapide, non *endotercisos*, ut quibusdam doctissimis alioqui viris placuisse video. *Ciaccon. Column. rostr. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* IV. p. 1814. F.

ENC.

ENCÆNIA sunt celebritates, sive feriæ, quæ novo operi facto, dicandoque consecratæ sunt. Suidas: *Encænia, festum, quo factum est aliquid novi.* Augustin. in Johann. XXVIII. 1. interpretatur *festum dedicationis templi.* Paull. Diacon. in Justinian. XVI. *Facta sunt encænia apud Constantinopolim, & recondita sunt lipsana Andreæ & Lucæ Apostolorum, & transiit Menas Episcopus cum sanctis lipsanis sedens in carruca aurea Imperatoria, lapidibus insignita, tenens thecas S. Apostolorum in genibus suis, & ita encænia celebravit.* Pinell. Additam. ad Argol. in Panvin. de lud. circ. II. 15. Cerda Adv. c. 36. nu. 1. Buleng. de Imp. Roman. III. 2. Quintil. VII. 2. *Scitum & venustum est: neminem non aliquando cœpisse peccare, nec per encænia ducendum scelus primum.* Hic latet nescio quid argutum & eruditum, quod è verbi proprietate puto eruendum. *Encænia*, celebritates & feriæ dictæ, publicè, palamque magno hominum conventu agitabantur, & celebrabantur: at verò maleficia, & scelera clam perpetrantur: nihilque in his æquè ac conscios, & testes oculos homines reformidant: ea certè per *encænia* non ducunt, nec publicant. *Turneb. Adv.* XII. 12. De *encæniis* etiam *Gyrald. Synt. Deor.* XVII. p. 502. *D. Rhodig. Ant. Lect.* XXII. 14. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 33. *Bud. in Pandect.* p. 205. *C. Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 6.

ENCARPUS est florum, frondiumque, & pomorum implexus, atque contextus, coronario luxu foliis flores & fructus intercursantibus, & loro, sive fascia circumcinctis & advolutis. His columnarum frontes ornabantur. Vitruv. IV. 1.

xv. 1. *Et cymatiis, & encarpis pro crinibus dispositis frontes ornaverunt*. Turneb. Adv. xi. 4. Salmas. in Capitol. Gordian. c. 3. Philand. in Vitruvium.

ENCAUSTICA pictura fuit antiquis in usu, per ignem fiebat. Hodie aut incognita est, aut saltem inusitata. Mentionem facit, sed modum non describit Plin. xxxv. 11. *Ceris pingere*, ait, *ac picturam inurere, quis primus excogitaverit, non constat. Quidam Aristidis inventum putant, postea consummatum à Praxitele. Sed aliquanto vetustiores encausticæ picturæ exstitere, ut Polygnoti, & Nicanoris, & Arcesilai Pariorum. Lysippus quoque Æginæ picturæ suæ inscripsit* ΕΝΕΚΑΥΣΕ, *quod profectò non fecisset, nisi encaustica inventa. Pamphilus quoque Apellis præceptor non pinxisse tantum encaustica, sed etiam docuisse traditur Pausiam Sicyonium, primum in hoc genere nobilem*. Qui se putant in artis hujus deperditæ penetralia evasisse, aiunt duos fuisse modos pingendi ceris, ope ignis. I. fuisse in cera indurata, & certis aliis rebus admixta, & in formam tabularum complanata: in hujus superficie, quæ unius tantum erat coloris, & velut area futuræ picturæ, scalptas fuisse pro lubitu figuras: in scalptos hosce sulcos, sive liras postea esse insertas alias ceras diversorum colorum, veluti in opere lithostroto, aut musivo, eo artificio, atque industria, ut nullæ juncturæ, nullæ rimæ, nullæ insertiones, & applicationes ab acuto spectantis oculo potuerint animadverti. Hanc autem singularem dotem in ista picturæ specie nobilem fuisse, & excellentem, quod eo longè melius, quàm ulli penicilli coloribus dilutis, exhiberetur, & exprimeretur velut vivam, & veræ certantem carnem humanam. II. fuisse, cum non cereæ illæ tabulæ, sed ex ebore fierent, quæ aream quasi præberent futuræ picturæ: in his graphio, aut stylo, quem cestrum vocabant, scalptas fuisse liras, lineasve figurarum exhibendarum: deinde artificiosè habita ratione luminis, atque umbræ, item splendoris, atque differentiæ colorum variandorum, candorem eboris illis inservisse, ut picturis suis lumen, & quasi exstantiam, sive eminentiam; ceras verò variorum colorum, ut umbram scienter iisdem picturis conciliarent, nec non splendorem, qui est fulgens nitor ille inter lumen & umbram, quam Græci *τόνον* vocant, atque item elegantem, & gratam varietatem colorum, quam Græci *ἁρμογὴν* vocant, quæ est insensilis ille transitus ab alio colore ad alium, adderent. Quatuor hæc in arte pictoria res, nostris pictoribus notatæ sub nominibus vernaculis *Jour, Lumiere, Relief; Ombre, Umbrages; Lustre, Eclat; Variation de couleure, Passoe insensibile d'une couleur en une autre*; Plin. xxxv. 5. *Tandem se ars ipsa distinxit, & invenit lumen, atque umbram, differentia colorum alterna vice sese excitante: deinde adjectus est splendor: alius hic, quam lumen: quem, quia inter hoc & umbram esset, appellaverunt τόνον: commissuras, (alii commixturas) vero colorum & transitus ἁρμογὴν*. *Bergier: de viis milit. v. Sect. 12. §. 6. Pancıroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 105. de reb. deperd. & inv. p.* 15 & ad illum *Salmuth. p. 17. Salmas. in Vopisc. Aurelian. c. 46. Exercit. Plinian. p. 164. a. B. Gauric. de Sculpt. c. 12. Demontios. de Pictur. Antiq. 11. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. ix. p.* 800. *B. Buleng. de Pictur. & Plast. 1. 6. & 7. Voss. de Idolol. iv. 91. & hodeg. xx ix. 24. Cuper. Harpocr. p.* 136. & apud illum *Le Moine Epist. de Melanoph. p. 257. Scheffer. de Milit. nav. ii. 6. Junius Catal. artif. p. 128. 146: Pignor. de Serv. p. 356.*

ENCAUSTO quodam singulari aureis bullis manu sua Imperator subscribebat. Nam Leo Imperator, l. 6. C. de diversis rescriptis disertè vetat, sacra rescripta alio colore, quàm purpurea inscriptione lustrari, & cocti muricis, tritique conchylii ardore ea signari præcipit, atque hujus sacri *encausti* confectionem privatis sub gravi pœna interdicit. Etsi autem quale hoc *encaustum*, Græci appellant *σιβασμία ἀσφαία, σεβασμίαις ᾗ θαυμάστοις χρώμασι*, fuerit, liquido nobis non constat, tamen ex illa Leonis lege patet, imperialia rescripta purpureis literis, & *encausto* muriceo insigniri consuevisse. *Kirchman. de Annul. c. 8. Longus de Annul. c. 9. Pancıroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c.* 105. *Borremans. Var. Lect. c. 4.*

END.

ENDROMIS. Hoc genere vestis *ἐν δρόμῳ*, id est, in cursu, & palæstra utebantur. *Bayf. de re Vest. c.* 13. ut sudorem per cursum conciliatum illa abstergerent. *Salmuth ad Pancıroll. de reb. deperd. & inv. p. 167.* Non quod cursui apta esset, quid enim currenti magis incommodum? sed quod post cursum, & quodlibet certamen usui esset, ne frigus madidos sudore artus penetraret. *Mercer. ad Tertull. de Pall. c. 4. Ferrar. de Re Vest.* 11. 1. 11. Fuit villosa, pinguis, crassa, & soloci filo contexta. Verba Tertull. l. l. sunt de Cleomacho, qui ex pugile turpiore palæstra intercutitus factus erat: *Utique sicut vestigia castrum virilia occupavit, ita endromidis solocem aliqua multitia synthesi extrusit*. Ubi synthesi lineæ, mollique pallio *endromida* hirsutam, pinguemque, & soloci filo contextam opponit. Ferrar. l. l. Athletarum fuit peculiaris. Mart. iv. 19. 1.

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam,
Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet:
Sordida, sed gelido non aspernanda Decembri
Dona, peregrinam mittimus endromida.
Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona,
Sive harpasta manu pulverulenta rapis.
Plumea seu laxi partiris pondera follis:
Sive levem cursu vincere quæris Athan.
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
Neve gravis subita te premat Iris aqua:
Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres:
Non sic in Tyria sindone tutus eris.

Alibi pauperis munus idem esse ait, sed non usum pauperis, cum à divitibus in gymnasiis adhiberentur. Sumptam autem præcipuè ad pellendum frigus, docet Juven. Sat. iii. 102.

——igniculum brumæ si tempore poscas,
Accipit endromidem.

Idem cum mulieres perstringit, quæ cum viris in palæstra exercebantur, ait Sat. vi. 246.

Endromidas Tyrias, & femineum ceroma
Quis nescit?

Ubi non rectè *Tyriae* molliores explicari videmus. Nam omnes omninos *endromides* pingues, crassæque erant, quippe arcendo frigori. Sed divites, ut saltem colore distinguerentur, eas absurdo luxu purpura suebant. *Ferrar. & Bayf. l. l. Salmas. in Tertull. de Pall. p.* 310. *Spanhem. in Callim. hymn. in Dian. n.* 16. Græci, quod mireris, non de vestis genere, sed de calceis interpretantur Dianæ, & venatoribus vindicant. V. quia non Græcas, sed Græco-Romanas antiquitates denarramus. *Spanhem. & Salmas. l. l.*

ENG.

ENGYTHECA, *ἐγγυθήκη*, fuit machina ænea, quæ amphoras, & pocula sustinebat. Athen. v. p. 210. *Engythecam ænea fuisse his verbis monstrat. Anne, inquit, superiore, cum refici vellem, ærariæ officinæ tradidi: est enim minimè simplex, ac nuda, verum Satyrorum sigillis ornata, bubulisque capitibus, Lebetibus fuit subditum fulcrum*. De *engytheca* Plin. xviii. 35. *Nec non & in conviviis, mensisque nostris, vasa, quibus esculentum additur, sudorem repositoriis linquentia, diras tempestates prænuntiant*. Argol. in Panvin. de Lud. circens. ii. 2. Junius de Pictur. ii. 8. Buleng. de Conviv. iv. 17.

ENS.

ENSIS V. illum infr. in *Gladius*.

ENU.

ENUBERE est extra ordinem, aut genus, aut gentem *nubere*. Et *patribus enubere* est plebejo nubere. Liv. x. 23. V. illum infr. in *Pudicitia*. Turneb. Adv. xxx. 25.

Guther.

Guther. de vet. jur. Pont. II. 7. Gronov. in Liv. XXXIX. 19. V. supr. in *Dare*.

EPA.

EPACTÆ, Græcè ἐπάκται, sive ἐπαγόμεναι, scilicet ἡμέραι, sunt dies introductæ, sive dies intercalares; & hoc nomine appellantur apud Græcos, Romanos, & nos hodie undecim dies illi, qui in anno solari plures sunt, quàm in lunari. Solaris enim annus est dierum 365. Lunaris verò 354. Belgæ illos vocant *den fleutel des jaers*. Illarum usus est vetus & novus. Vetus, qui obtinuit in anno Pompiliano, ubi ex illis componebantur Merkedonii & 90. dies. Novus, qui obtinet in anno Juliano; non ab ipso Julio institutus, sed nuperus, & à Christiano inventus. Hæc fusiùs exsequuntur *Muncker. de Intercal.* III. 16. *Gyrald. de Ann. & menſ. Oper. Tom.* II. *p.* 793. *G. Laurent. Polym.* III. *Synopſ.* 16. *Gaza de Menſ. Attic. c.* 14. & 15. *Petavil. de Rat. epactar. c.* 1-4. *Hagueloin. Kalend. Triling. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1032. *B. Laurent. de ann. & menſ. c.* 1.

EPH.

EPHAPTIS, ἐφαπτίς, erat *involucrum quoddam puniceum, purpureumve, quod manibus circumvolvebant milites, vel venatores*. Pollux IV. 18. 2. *Buleng. de Theatr.* I. 55. *Scal. Poet.* I. 16. *Laurent. Polym.* III. 5. Ultimis ad Nemesianum arbitratur fuisse insigne histrionum, quo persona bellica, vel venantis agnoscebatur, quale hodie ferè milites in brachio etiam alligant. Scalig. Conject. ad Varr. p. 50. interpretatur chlamydem, quam brachiis circumvolvebant milites, cum scuto carerent. Sed hos refellit ipse Pollux. Illum, ne dicam morem talem apud neminem veterum reperiri, quia non brachium, sed *manus* nominat. Hunc, quia chlamydis, vel chlænæ jam meminerat, nec de iis tanquam de re parvula, ut indicat συγκριμάτιόν τι, loqui censendus est. Puto ego ἐφαπτίδας esse chirothecas, non tales, qualibus hodie politiores, vel rustici utuntur; sed fascias & lintea, quibus tota manus, & fortè singuli digiti seorsum involvebantur. Tradit hoc Musonius apud Stob. Serm. I. *Quare minimè honestum est vestitu nimio perire corpus, aut fasciis involvere, aut manus, pedesque circumligatas pannis ac linteis quibusdam molles ac languidos reddere, cum morbo non sunt implicati*. Ut enim apud Pollucem συγκρμάτιον, ita apud Stobæum πιλήματα, sive *circumligatio* occurrit; ueque pedes fasciis, quas pedulos, & πελλώματα ποδῶν vocant, involverunt, ita alis manus, & fortè digitos singulos. *Cuper. Apoth. Hom. p.* 181.

EPHEBEUM erat locus in palæstra, in quo puberes exercebantur. Vitruv. V. 11. *Ephebeum in medio, Hoc autem est exedra amplissima cum sedibus, quæ tertia parte longior sit quàm lata*. Philand. in Vitruvium. Baldus Lex. Vitruv. Panvin. de Luc. Circens. II. I. & ad illum Argolus. Bud. in Pandect. p. 96. F. Laurent. Polym. I. Synopſ. 38. IV. Synopſ. 8. Imo erudiebantur, & studendi gratia sedebant. Quia verò veteribus pauci erant libri: disputando magis, quàm scribendo se exercebant. Eratque locus ille instar capituli Monachorum, quod in monasteriis soler cogi: cujus in locum scholæ nostræ successeruot. *Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.* 159. *Choul. de Antiq. Exercitat.* Philandrum tamen, & qui illum sunt secuti, hac in re meliùs sensisse existimo. Utrum verò apud Romanos, qui cum viris ante decimum sextum annum pueros commercium ullum habere vetabant, hoc verum fuerit, affirmare non auderem. Neque tamen negare possumus pueros exerceri in palæstra consuevisse. V. infr. in *Palæstra*. Mercur. Art. Gymnast. I. 8. Debemus hæc potius accipere de ganea quadam, imo etiam de lustro fortasse, ac lupanari, quo res turpes à juvenibus feminis, maribusque exoletis, atque adeo à viris, aut semiviris, ne dicam à senibus quoque nonnullis, & lucronibus, & juvenilem lasciviam exercentibus, illo scilicet palæstræ genere, quod ἐλαιοπώλιον nuncupabant. Nam Eustathius refert ad Iliad. T. fol. 1205. lin. 20. ἐφηβεῖον καλεῖσθαι τὰ συμπόσια apud Athen. X. non longè ab initio: & adjicit hoc amplius, isto ἐφηβείων nomine turpe ac inhonestum illud significari diversorium, in quo res illæ simul veneris utriusque patrarentur, quas modò dixi. Cui consentaneum, quod à Suida etiam adnotatur. *Ἐφηβεῖον apud Herodotum sumitur pro, cum ignominia, & intemperantia, petulanter, turpiter, intemperanter & ignominiosè, ut puberes plerique vivere solent*. Faber Agonist. III. 27.

EPHEMERIS est diurna actorum scriptura. V. supr. in *Diarium*.

EPHIPPIA sunt stragula, quibus equi sternuntur, vel sellæ equis ad insidendum impositæ. Non. II. 312. *Ephippium tegmen equi ad mollem vecturam paratum*. Horat. Epist. I. 14. 43.

Optat ephippia bos piger.

Fuerunt priscis incognita, ut ex equestribus statuis, tum ex ære fusis, tum ex lapide factis, addo etiam numismata, colligere licet. Varro Cato, vel de lib. educ. apud Non. l. l. *Mihi puero modica una fuit tunica & toga, sine fasciis calceamentum, equus sine ephippio*. Quod tamen non in perpetuum fuisse arbitror, ut Neronis denique ævo Equites in transvehendo ea usurparint. Dio LXIII. p. 721. B. *Ferunt Equites Romanos Neronis temporibus, dum quotannis recenserentur, primum ephippiis usos fuisse*. Quin Cæsar, cum Germanos ostendit iis caruisse, hoc quoque addocet, Romanos habuisse, quos eo nomine ut molles illi contemnebant, de Bell. Gall. IV. 2. *Nihil*, inquit, *illorum moribus turpius aut inertius habetur, quàm ephippiis uti. Itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum quamvis pauci adire audent*. Lipſ. Milit. Rom. III. Dial. 7. Brod. Misc. IV. 16. Laurent. Polym. IV. Synopſ. 2. Camerar. Hippocom. Theſ. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. XI. p. 821. B. Hugo de Milit. Equest. I. 4. Potter. Archæol. Græc. III. 3. Illorum loco pelles. . . . . . equis insternebant. V. infr. in *Equus*.

EPI.

EPIBATES quivis conscensor ex vi Græci verbi dici potest. Hinc *epibateria* scansoriæ machinæ. Usu tamen venit, ut ea voce de conscensoribus navium dicatur, qui vel peregrinationis, vel negotiationis causa, sua, vel aliena navi utuntur. *Bal. Lex. Vitruv. Schol. in Hygin. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* X. *p.* 1096. *C. Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 30. *Bud. in Pandect. p.* 135. *A.* Etiam de navalibus militibus, & propugnatoribus classiariis, sicut apud Græcos, ita etiam Latinos. Suidas: *Epibatas vocant milites in triremibus*. Etymolog. Sylburgii: *Epibatæ dicuntur, qui quidem non remigant, sed pugnant*. Vitruv. II. 8. *Artemisia cum esset id renuntiatum, in eo portu abstrusam classem, celatis remigibus, & epibatis comparatis, reliquos cives in muro esse jussit*. Sed hos milites statim vocat: *Expositis militibus & remigibus, classem Rhodiorum inanem abduxit in altum. . . . Ita Artemisia, in navibus Rhodiorum suis militibus & remigibus impositis, Rhodum est profecta*. Fortè, quoniam in pugna tabulata, sive catastromata conscendere consueverant, & inde adversus hostes pugnare. Ita enim Thucyd. VII. Τοξόται καὶ ἀκοντισταὶ ἐπιβεβήκεσαν. Non tamen omnibus in locis justos milites significant. Quod ex eo manifestum, quia subitò armatos, leviumque militum loco habitos reperimus. Nam si justi fuissent milites, quid armatura ista opus erat? At in Hirt. Bell. Afric. c. 20. *Cæsar interim remigum, epibatarumque partem ex classe Gallorum Rhodiorumque armare, & in castra evocare, uti si posset eadem ratione, qua adversarii, levis armaturæ interjecta inter equites suos interponeretur*. Thucyd. VII. p. 486. A. *Gylippus è suorum nautarum epibatarumque numero, quos armaverat, sumptis pergit Syracusas*. Qui tamen remiges non fuerunt. Patet inde, quia ut diversi ab ipsis ponuntur. Videntur itaque ex nautis *epibatæ* dicti, qui, cum necessitas requireret, vice militum pugnabant. Hinc enim Suidas l. l. adjicit: καὶ μὴ κωπηλατοῦντας μὲν, ἐπιτηδείους δὲ πρὸς τὸ μάχεσθαι. Quorum verborum

borum hic videtur sensus. Omnes quidem milites *epibatas* vocatos, at præter hos etiam μὴ καταλεγέντες ἐν, hoc est, qui non quidem remiges, nautæ tamen essent, & ad pugnam prælìumque adhiberi possent. *Scheffer. de Milit. nav.* II. 3. *Gyrald. de Navig.* c. 19. *Pius Annot. post.* c. 82. *Bud. in Pandect.* p. 106. C. 135. *A. Schel. & Bald.* l. l. *Laz. Comm. Reip. Roman.* x. 14.

EPICEDIUM, ἐπικήδειον, est carmen funebre, quod dicebatur in exsequiis, cum justa persolverentur. Ut epitaphium, quod ad tumulum. *Scalig. Poet.* I. 50. Docet hanc differentiam Serv. Ecl. v. 20. *Epicedium est, quod dicitur cadavere nondum sepulto: ut n.* 20.

Exstinctum nymphæ crudeli funere Daphnin. . . .

Epitaphium autem post completam sepulturam dicitur, ut num. 44.

Daphnis ego in sylvis, hinc usque ad sidera, notus.

Scalig. ibid. III. 121. Voss. Lex. Etymol. Gutber. de jur. man. I. 18. V. etiam infr. in *Titulus*.

EPICOMBIA dicuntur missilia, quæ per aliquem senatorii ordinis in populum sparguntur, die quo Imperator exit è templo. Sunt fasciculi segmentis lineis alligata habentes numismata aurea Imperatoria tria, totidem argentea, aut plura, & obolos æreos totidem. Sparguntur hujusmodi fasciculi circa decies mille in areis, quæ sunt ante vestibulum templi, aut in Augustali, stante eo, qui projicit, super Augustalis gradus. Georg. Pachymer. Hist. IX. Michael Palæologus Andronici filius die Constantini Magni coronatur: *jaciuntur soliti fasciculi numismata alligata habentes*. Buleng. de Imperat. Rom. II. 1, & 11.

EPIDROMUS *est velum secunda magnitudinis, quod suspenditur in puppi.* Isidor. XIX. 3. Hesychius: *Epidromus est velum, in puppe sublatum.* Scheffer. de Milit. Nav. II. 5. Gyrald. de Navig. c. 14. Kipping. Dissert. de Exped. marit. §. 1.

EPIMENION fuit demensum servorum, quod dabatur illis in singulos menses. Glossæ nondum editæ: *Ἐπιμήνια, cibaria*. Juven. Sat. VII. 120.

—— aut veteres Maurorum epimenia, bulbi.

Et *navem cibariorum* τὸ πλοῖον τῶν ἐπιμηνίων vocat Arrian. in Epictet. II. 7. quam quotmensibus Gratillæ missura erat mulier quædam. *Salmas. de Mod. usur.* c. 4. *Voss. Lex. Etymol.*

EPIMETRON, sive *interpretium* dicitur augmentum illud, quod capiebant susceptores ultra vectigal, quod à provincialibus exigebant. Non enim eandem quantitatem frumenti, vini. . . . poterant susceptores Romæ reddere, quam in provinciis receperant, quia vel naturalem diminutionem patiebantur illæ species, vel corrumpebatur pars aliqua, hinc necessarium damnum illis eveniebat; quapropter Imperatores constituerunt, ut illis aliquid *epimetri* nomine daretur. Non verò una & eadem quantitas erat *epimetri*, sed pro ratione provinciarum, vel specierum differentia, major vel minor erat: in remotioribus provinciis plus *epimetri* nomine dabatur quàm in propinquioribus, l. 9. C. de suscept. Lucania dabat decimæ semissem earnis porcinæ, l. 4. C. de suar. pro vino & lardo exigebatur vigesima, pro frumento quinquagesima, pro hordeo quadragesima, d. l. 9. & l. 15. C. de suscept. Aridarum frugum, quia eæ faciliùs transportantur, *epimetron* erat centesima, l. 3. 14. & 15. C. eod. Non autem totum *epimetron* susceptores tulisse, sed dimidium cum annotatoribus communicare debuisse, l. 3. C. de suscept. At *epimetro* immunes erant quædam provinciæ, quarum vectigalia ad certum pretium redacta erant, & quæ non ipsas species, sed earum loco pecuniam susceptoribus dabant. Cassiod. Var. II. 39. *Redactum est ad pretium, ubi pati non poterant detrimentum, quod nec itineribus imminuatur, nec laboribus fatiatur.* Burman. Dissert. de vectig. c. 9.

EPINICIA, ἐπινίκια, quasi dicas *postvictoralia*, erant, quæ in certaminibus victori canebantur. Suet. Ner. c. 43. n. 4. *Sequenti die latum inter latos cantaturum epinicia, quæ jam nunc sibi componi oporteret.* Scalig. Poet. II. 13. Faber Agonist. II. 13. Stuck. Ant. Conviv. I. 21. Bud. in Pandect. p. 210. C. Laz. Comm. Resp. Roman. x. 15. Laurent. Polym. IV. Synops. 17. Cerda Adv. c. 169. n. 20. Mod. de Lud. & Spect. II. 22. Fasold. de Fest. Græcor. Decad. Decim. Fest. 3. Meurs. Græc. Feriat. III. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VII. p. 769. F. Jonston. de Fest. Græcor. c. 7. §. 27. Originem ab Apolline habere fabulantur gentiles: cum enim Jupiter armis fugasset Saturnum è regno, Apollo lauro coronatur, ac purpurea toga ornatus, carmine ad citharam victoriam celebrarit Jovis; deosque omnes, qui convivio interant, oblectarit miram in modum. Eo respexit Tibull. II. 5. 7.

Sed nitidus, pulcerque veni, nunc indue vestem
Sepositam, longas nunc bene pecte comas.
Qualem te memorant, Saturno Rege fugato,
Victori laudes concinuisse Jovi.

Voss. Instit. Orator. III. 7. 12.

EPIRHEDIUM significat currum. De hoc Quintil. I. 5. *Junguntur ex duobus peregrinis, ut epirhedium. Nam cum sit præpositio* ἐπὶ *Græca, rheda Gallicum, nec Græcus tamen, nec Gallus utitur composito; Romani suum ex alieno utroque fecerunt.* Juven. Sat. VIII. 66.

—— trito ducunt epirhedia collo
Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.

Coraf. Miscell. III. 20. 5. Fuit vehiculum, quod Latini arcam appellarunt. Arcera enim ab ad & carrus. Id erit *epirhedium*, spuria & hibrida voce. *Scalig. in verb. Etymol. quas subjungit Conjectaneis.* Est genus carri quadrati, à rheda & Græco proverbio factum. *Voss. in Glossis.* Non amplector sententiam Corasii. Si enim currus fuit, quid ita nomen habet à *rheda*? Currus rotas duas habet, *rheda* quatuor. Non Scaligeri. Si enim *arcera* à carru, nil commune habet cum *epirhedio*, quod auctore Quintiliano est à *rheda*. Quare aliud *epirhedium*, aliud arcera. Arceræ clausæ fuerunt tabulis. Non sic *epirhedia*; Scholiastes enim Juvenalis explicat per plaustra. De quorum genere si fuerunt, non potuerunt esse clausa. Non Vossii. Plaustrum sanè non est quadratum, sed bene longum. Et quid est *quadratus carrus*? Sine dubio his verbis respexit ad arcam, quæ arceram constituebat. Hæc quia fuisse quadrata visa est, cum sit ista species arcarum vulgo, ideo *quadratum carrum* dixit. Fuit verò vehiculum Romanis solis usitatum, de genere plaustrorum, à *rheda* nomen habuit, & *rheda* non absimile, sed *rheda* fortasse minuta. Dictum, sicut ab epistola et epistolium. Habuit adjunctos equos, verùm inertes ignavosque, quos *segnipedes* appellat, & cum asinis comparat Juvenalis. Usus quis fuerit, non licet divinare. Illud liquet, genus tardum fuisse, nec adhibitum ad cursum, verùm onera. Ideo *segnipedum* in eis locus, qui aliàs debuissent esse celeris. Sed *& colla trita* in illis Juvenalis notat, quod fine dubio à difficultate laboris in commovenda gravi mole. *Scheffer. de Re vehic.* II. 32.

EPIRUS ab Acroceraunis montibus Illyrico, Macedoniæve finitimis usque ad sinum Ambracium pertinens populos habuit Chaonas, Molossos, Thesprotos, Amphilochos, & Athamanes. Chaones, & Thesproti, & Molossi, veteranomina, Romanis rem in *Epiro* gerentibus abierant, atque uno ferè *Epirotarum* nomine omnes signabantur. Bello Persei Macedonico ad Perseum defecerunt. Illorum prædam eum senatus exercitui dedisset, L. Paullus Imperator, omni viro, atque argento tacita denuntiatione uno die ex septuaginta oppidis extracto, urbes ipsas diripi, murosque dirui jussit, præda vendita est omnium; de ea summa militi numeratum est. Liv. XLV. 34. *Sigon. de Ant. jur. prov.* I. 9.

EPISCENIUM dicitur, quod supra *scenam* exstruitur, id est, columnationis, sive contignationis ordines. Vitruv. VII. 5. *Præterea supra eam, scenam, nihilominus episcenium.* Philand. in Vitruvium. Gyrald. de Poet. histor. dial. VI. p. 334. B. Hesychio ἐπισκήνιον τὸ ἐπὶ τῇ σκηνῇ κατάγαιον, *pars quæ ad superiorem scenam aucta, vel quæ ipsi scenæ superadditur.* Blaod. Lex. Vitruv. Buleng. de Theatr. Præf.

EPISTOLÆ differunt à codicillis. Senec. Epist. 55. *Video te, mi Lucili, cum maxime audio: adeo tecum sum, ut dubitem, an incipiam non epistolas, sed codicillos tibi scribere.* Ex quibus colligunt omnes, & præcipuè Lipsius in

in sua Institut. Epistol. c. 2. codicillos inter præsentes, *epistolas* inter absentes intercedere. Erat & *epistola* brevior codicillis. Senec. Epist. 45. *Epistola non debet sinistram manum legentis implere*. Laurent. Polym. I. 20. *Epistolarum* usus fuit, ut priùs scriberetur nomen eorum, ad quos destinabantur, nisi major minori scripsisset. Unde præsides suum nomen inferioribus præmittebant, quemadmodum memorat Ambros. in II. ad Corinthios. *Pancirol. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 86.* Imo in nominibus olim receptum, ut in ipsa fronte *epistolæ* bina semper ponerent, suum & alienum: illo præposito, etiam ad digniorem. Cum cause, quoniam primæ legentis cogitatio, & desiderium est scire à quo missa. Etiam hoc servatum, ut nomina nuda, nec blandientia, aut laudantia verba sibi, alterive tribuerent. Excipio, si quis in imperio, aut magistratu: tum enim verbo additum; P. Servilius Rullus tribunus plebis. xvir. Cn. Pompejo proconsuli. At epitheta nulla: nisi ad unicè caros, aut domesticos, quos interdum *humanissimos*, *optimos*, *suavissimos*, *suas animas* appellabant, & receptissimo verbo *suos*. Quod postremum interdum etiam ad leviter notos usurpabant; sed labens ætas passim, & omnibus dedit: adeo ut Imperatorem ipsum sane quàm familiariter *suum* salutet Plinius in magni operis præfatione. Ab hac mente Mart. XIV. 11.

Seu leviter noto, seu caro missa sodali,
Omnes ista solet charta vocare suos.

Et in Plinii junioris epistolis vix aliter legas: sicut & Pandectarum aliquot locis. *Lips. l. l. Nicol. de Siglis Vet.* c. 35. §. 3. Certum fuit initium, certa clausula. Initium fuit Platoni antiquissimum, χαίρειν, *gaudere*, vel εὖ πράττειν, *bene agere*, ut patet ex ejus ad Dionysium III. aliisque pluribus exemplis, quæ collegit Lucian. de Salutat. p. 496. haud dubiè ex colloquiorum more, quo in occursu illarim salutamus. Græcis χαίρειν precari in usu fuit, aut εὖ διάγειν, aut εὖ πράττειν. Horatius non præter solitum Græcus expressit ista Epist. I. 8. 1.

Celse gaudere, & bene rem gerere Albinovano
Musa rogata refert.

Omittebant hoc interdum, & præsertim Reges, quasi per majestatem. Pertinere etiam ad præloquium videbatur vetus ordiendi formulæ S. V. B. E. E. V. quæ in privatis literis frequens, in publicis perpetua, etiam posteriore ævo. Concipi solet & his notis S. V. G. E. V. id est, *si vales gaudeo, ego valeo*. Hirt. de Bell. Hispan. c. 26. *Lips.* & *Nicol. l. l.* Hanc formulam Pythagoras & Archytas mutarunt in ὑγιαίνειν. Cleon primus pro initio scripsit χαίρειν, auctore Luciano ibid. p. 497. quemadmodum Latinè utramque formulam expressit Horatius modò laudatus. Jam vulgo *salvere*, & *salutem plurimam dicere*; item *suo*, vel *suis* dicimus teste Martiale jam allato. *Menag. in Diogen. Laert.* III. §. 61. *Hugo de prim. scrib. orig.* c. 13. *Lips. Instit. Epistol.* c. 3. *Claude de Salutat.* c. 9. Clausula Græcis est *Pax*; quæ item adhibita omnibus ferè rebus finiendis. Auson. Eidyl. XII. 163.

Totum opus hoc sparsum crinis velut Antiphila Pax.

Hanc tamen præposterè aliam fecit scribendo in extrema epistola χαίρειν Ptolemæus Lagi ad Seleucum. Hugo l. l. In clausula hæc quinque sollennia ferè insunt. I. Valedictio, quæ inserta pariter ex sermonis ritu, quo abeuntes alter alteri benè precamur. Expressa antiquis simplici verbo vale. Ovid. Trist. V. 13. 33.

Accipe, quo semper finitur epistola verbo,
Atque meis distent ut tua fata, vale.

Lips. ibid. c. 4. Hugo & Claude l. l. Interdum *have*, *salve*, nec indecorè cum adjectiuncula *mi animo*, *mi suavissime*. Aut alio verbo ad argumentum apto: *vale & veni*. II. Loci adjectio, quæ necessaria inter absentes: nisi de eo planè constet. Itaque Ciceroni crebrò omissa. *Lips. l. l.* III. Temporis, in quo dies semper, annos plurimum, horas interdum notatas invenies. De Augusto Suet. c. 50. n. 1. *Ad epistolas omnes etiam horarum momenta, nec diei modò, sed & noctis, quibus data significarentur, addebat*. Lips. & Hugo l. l. Unde *datum* à barbaris usurpari cœptum vice clausulæ illius Ciceronianæ A. D. id est, ad diem, vel ante diem. V. illam supr. in *A. D.* Hugo l. l. IV. Subscriptio, quæ priscis ignota, nisi fortè in literis ad Imperatores: quibus subscriptum per speciem honoris, & obsequii, *devotos se esse*. Nos tamen usurpamus, nec damno apud grandes, aut ignotos: apud familiares vacuum videatur, imo vile. V. Subscriptio, quæ nobis inter legitima, veteribus raro forrasse usurpata. *Lips. l. l.* Illas obsignaverunt creta. V. supr. in *Creta*: & deinde cera. V. supr. in *Cera*: & lino obligeverunt, eoque soluto solverunt. V. inst. in *Linum*. Ab amicis missas osculabantur, & ad oculos admovebant. Julianus in Epistolis: *Ut accepi tuas literas, osculabar, & ad oculos admovebam, & arctè tenebam, quasi verens, ne tua imaginis species mihi per oblivionem evolaret in legendis tuis literis*. Buleng. de Imperat. Roman. III. 15. Laurent. Polym. II. 37. Per *epistolam* Latinorum manumissionem esse factam V. infr. in *Latini*. Per O, an per U scribendum sit V. infr. in *Scævola*.

Epistola adventoria dicitur, quæ adventanti amico mittitur obviæ. Mart. Præf. XII. *Et studui paucissimis diebus ut familiarissimas mihi aures tuas exciperem adventoria sua*. Rhodig. Ant. Lect. XXIX. 3. Hugo de prim. scrib. orig. c. 13.

Epistola evocatoria. Sidon. Epist. VIII. 12. *Sed si epistolam spernis evocatoriam*. Hæc Trigetium Burdigalam invitabat & *evocabat*. Frequentiùs *evocatoria* vocatur sine adjectione passim in jure. Quibus addes quod ait Jornand. de reb. Getic. sub finem: *Theodoricum suæ genti Regem audiens ordinatum Imperator Zeno grave suscepit, eique evocatoria destinata, ad se in urbem venire præcepit*. Formulas exhibet Cassiod. V. 28. *Et ideo tam desiderio vestro satisfacientes, quàm quod vos necessarios esse credidimus, jussis præsentibus evocamus*. Savar. & Sirmond. in Sidonium. Henom. in Bergier. de viis milit. IV. Sect. 15. §. 9.

Epistola formalis vocatur, quia Imperator aliquid edicebat, & publicè imperabat, aut publicè ad aliquos scribebat: ut ex ejus stylo, & forma, & exemplari similes scriberentur. Habebant enim eam formam, quam instrumenta & edicta publice habent. Suet. Dom. c. 13. n. 4. *Cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam*. Turneb. Adv. V. 8. Savar. in Sidon. VI. 8. Buleng. de Imperat. Rom. III. 12. Hugo de prim. scribend. orig. c. 13. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 33. Marcil. in Suetonium. Lips. de Institut. Epistol. c. 4.

Epistola Principis Theophilo definitur *rescriptum ejus ad relationem magistratus, de re quapiam ancipiti emissum*, Instit. de jur. nat. gent. & civil. Sed hoc non est perpetuum. Nam rescripta sunt responsa Principis, & relationes magistratuum, aut preces, & desideria supplicantium, libello ab iis dato. At *epistolæ* propriè sunt literæ Principis, quæ illius mentem aperiunt sine supplici libello, aut relatione. Quod inscriptio legis Honorii & Theodosii indicat, l. fin. C. de his qui accus. non possunt. *Imperatores Honorius & Theodosius A. A. Consulibus, prætoribus, tribunis plebis, senatui S. D.* Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 33. Harum cura demandabatur illarum præfectis. Sæpè enim ob occurrentes necessitates *epistolas* Principi, vel aliis scribere præfecti cogebantur, aut causæ evectionum, ubi alicui equis publicis currendi facultatem dabant, vel ubi quis munere officii functus, cum honoreras *epistolis* mittebatur, quæ testimoniales vocabantur, l. 2. C. desertor. l. ult. C. de professor. vel ubi ad annonam, tributave publica spectantia, aut alia ad Rempublicam pertinentia ordinabant. Cassiod. Var. XI. 23. *epistolas canonicas* nominat ad canonem tributorum pertinentes. Qui harum curam habebant, *Epistolares* sunt vocati. Hi introducta ad præfectum causarum appellatione, gesta coram priore judice accipiebant, & sequentia acta scribebant, l. ult. §. in his C. de temp. appell. *Pancirol. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 17. Buleng. de Imp. Rom.* IV. 14. *Guther. ibid.* III. 4.

EPISTOMIUM, ἐπιστόμιον, est æramentum, quo ora fluentium obturantur, & laxantur, cum opus est, dum manu ducitur vertibulum illud pertusum, quod admittit, vel arcet aquam, prout hoc aut illo modo versatur. Hoc ad hauriendum ad quotidianum usum vinum

in

in hypogeis utimur, fontem appellantes. Vitruv. x. 13. *Singulis canalibus singula epistomia inclusa sunt, manubriis ferreis collocata, qua manibus cum torquentur, ex arca* (alii *ex ara*) *patefaciunt naves in canales*. Bud. in Pandect. p. 164. K. Bald. Lex. Vitruv. Cerda Adv. c. 67. c. 7. Grapal. de Part. dom. II. 3. §. 7. Rhodig. Ant. Lect. xxx. 18. Philand. in Vitruvium.

EPISTYLIUM. *Supercolumnium* diceres Latinè. Est velut magna trabs perpetua, è lapide, aut materiatio opere, à columna ad columnam pertinens, & secundum longitudinem suam duobus cephalis hinc & inde imposita, uti si duo homines supra sua capita ferrent trabem, aut lignum. Vitruv. III. 3. *Epistyliorum ratio sic est habenda*. Plin. xxxv. 14. *Patris ades Jovis & Herculis, quamvis lapideas columnas, & epistylia circumdarent*. Bergier. de viis militar. v. Sect. 10. §. 6. Salmas. Exercit. Plin. p. 575. a. G. Bald. Lexic. Vitruv. Argol. in Panvio. de Lud. Circens. 1. 27. Grapald. de Part. dom. 1. 8.

EPITAPHIUM est carmen, quod dicebatur ad tumulum. V. supr. in *Epicedium*.

Epitaphium est etiam elogium, quod tumulo inscribitur. *Scalig. Poet.* III. 121. Differebat à titulo. V. infr. in *Titulus*. Ad characteres spectabiliores reddendos minio interdum notabatur. Plin. xxxIII. 7. *In voluminibus quoque scriptura usurpatur, clarioresque literas, vel in auro, vel in marmore, etiam in sepulcris facit*. Niquet. Histor. tit. cruc. 1. 7.

EPITHALAMIUM est carmen, quo nuptiæ celebrantur; θάλαμ☉ est cubiculum nuptiale primo suo significatu. *Scalig. Poet.* III. 100. *Cresoll. Theatr. rhet.* III. 9. *Voss. Lex. Etymol. Laurent. Polym.* IV. 17. *Robortell. ad Epithalam. Catulli* Ad ostium cubiculi canendum erat, ut durabile esset conjugium. *Barth. Adv.* xxxv. 8.

ΕΠΤΆΛΟΦΟΣ à Græcis, *septicollis* à Fabio Pictore, *septemgemina* à Statio Sylv. IV. 1. 6. dicitur Roma. Et Prop. III. 9. 56.

Septem urbs alta jugis, toti quæ præsidet orbi.

Hos colles Virgilius in Georgicis, & in Epithalamio Ausonius, propter sedes regias aliquando in iis constitutas septem arces nominarunt. *Fabric. Descr. Urb. Roman.* c. 3. *Rycq. de Capitol.* c. 1.

EPO.

EPONA. V. illam infr. in *Hippona*.

EPOREDIA est nunc etiam urbs subalpinæ Galliæ, in finibus Salassorum, ad Durium fluvium, Vulgo *Jurea*. Sita est in ipsis faucibus Salassorum vallis; inter duo altissima juga in edito vertice condita. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. p. 888. *D. Claver. Germ. Ant.* 1. 13. 5. Anno ab U. C. 633. Mar o VI. & Flacco Coss. *Eporediam* colonia deducta est ad cohibendas Salassorum hostium incursiones. Strab. IV. p. 142. *Postremò Cæsar Augustus eos funditus sustulit, & universos sub corona vendidit in Eporediam coloniam translatos. Quæ colonia Romanorum in hoc fuerat condita, ut præsidio esset contra Salassos*. Sigon. de Ant. jur. It. I. III. 6.

EPOTIDES, ἐπωτίδες, dicebantur projecturæ navium, velut aures, promontoria tigna, sive trabes, tabulæque crassiores ab utroque proræ latere prominentes, ad eludendos rostrorum ictus. Schol. Thucyd. VII. p. 508. D. *Epotides ligna sunt, ab utraque prora parte prominentia*. Quod docet Thucydidis locus, quem mox afferemus. Falsus est Etymologus, quando in puppi ponit: *Sunt autem*, inquit, *quæ puppis ajunt esse summitatem, cui affiguntur epotides*. Nescio, annon circa rostrum fuerint. Ita certè ex Strabone in mentem venit, qui sic de Hispania III. *Promontorium Artemidorus navi assimilat, & ad figuram accedere tres insulas, quarum rostri vicem una gerat, reliquæ epotidarum*. Apud Latinos an fuerint in usu, hactenus non nihil dubitavi. Sanè neque nummi, neque marmora effigiem ipsarum exhibent, nisi quis Valentiniani nummum quemdam simile quid habere putet. Excogitasse videntur Corinthii, postea Syracusani imitati esse. Thucyd. VII. p. 509. D. *Instruxerant classem Syracusani cum aliis rebus: & proris imposuerant crassas epotidas, iisque tigna junxerunt, & intus, & extra, quæ usque ad navium latera spatio ferè senum cubitorum pertingerent, ad majorem eorum firmitudinem, quomodo & Corinthii adversus naves, quæ ad Naupactum erant, suarum proris instructi pugnaverant*. Scheffer. de Milit. Nav. II. 5. Voss. de Tritem. & Liburn. Constr. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 721. D. Gyrald. de Navig. c. 11. Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 621. D.

EPP.

EPPIA gens. V. illam infr. in *Gens*.

EPR.

EPRIA gens. V. illam infr. in *Gens*.

EPU.

EPULÆ sunt cibi sollennes, & propriè publicum convivium in propatulo civibus exhibitum. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* VI. *de conviv. Vet.* c. 4. *Morestell. Philom.* V. *Dial.* 6.

Epulæ adjiciales. V. illas supr. in *Cœna*.

Epulæ Albanæ, quæ in monte Albano celebrabantur. Mart. XII. 48. 11.

Non Albana mihi sit comessatio tanti,
Nec Capitolina, Pontificumque dapes.

Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 4. In monte Albano datæ fuerint in Quinquatriis Palladi institutis. Stat. Sylv. IV. 2. 63.

Qui mihi felices epulas, mensasque dedisti
Sacra tua, talis longo post tempore venit
Lux mihi, Trojana qualis sub collibus Albæ
Cum modo Germanas acies, modo Daca sonantem
Prælia, Palladio tua me manus induit auro.

Rader. ad Martialem.

Epulæ Capitolinæ, quæ in Capitolio celebrabantur. Mart. supr. in *Epulæ Albanæ*.

Epulæ funebres. V. illas supr. in *Cœna funebris*.

Epulæ genales dicebantur quæ à novo marito apparabantur. Illis tibia interveniebat. Thalassio Romanis, non secus atque Græcis Hymenæus inclamabatur. Nova nupta laudabatur. *Laurent. de Sponsal. & nupt.* c. 1.

Epulæ militares in ducis alicujus, alteriusque personæ principis electione, aut in bello, vel ante prælium, vel post prælium majore solito cibi potusque abundantia atque lætitia celebrabantur. I. Hoc semper fuisse moris legimus, ut qui vel Imperatores appellati, vel aliud aliquod honorificum munus militare erant adepti, militibus, vel suæ erga illos benevolentiæ, atque gratitudinis pro accepto beneficio testificandæ, vel animos illorum sibi magis magisque conciliandi gratia, magnificum aliquod, splendidumque *epulum* exhiberent. Exempla passim apud auctores occurrunt. II. Ante prælium præsertim periculosius, quod imminere videbatur, operam Imperatores dederunt, ut milites priùs *epulis* paullò liberalioribus atque copiosioribus corroborarentur, atque animarentur, quo majoribus numirum viribus, animorumque alacritate pugnam capesserent. Hinc & à Latinis *prandium militare dictum*, ut Treb. Poll. in Gallien. c. 2. testatur, quod ad bellum *milites paret*, *à cunctis iniri* solitum. III. Finito prælio rursus opus erat, militum, qui superstites remanserunt, corporis, animique vires largioribus, lautioribusque epulis refici, & restaurari, quod ad pugnam, si ita necessitas postularit, denuò capessendam, atque redintegrandam sufficere possint. Id ipsum Homerus sub Ulyssis persona Achillem alloquentis docet hunc in modum Iliad. XIX. 229.

Quotquot verò è bello odioso reliqui fuerint,
Meminisse potus & cibi, ut adhuc magis
Viris cum hostibus pugnemus indesinenter usque.

Stuck. Ant. Conviv. 1. 21. Faber Agonist. II. 19.

Epulæ

Epula natalitiæ. V. illas supr. in *Cæna*.

Epula nundinariæ erant quoque inter nundinarum sollennia, ut notare est in lege 69. ff. pro socio: *Cum societas ad emendum coiretur, & conveniret, ut unus reliquis nundinarias præstaret, eosque ad negotium admitteret, si eas eis non solverit, & pro socio, & ex vendito cum eo agendum est*. Huc etiam coquus nundinalis referendus est, apud Plaut. Aul. II. 4. 45. *Putean. de Nundin. Roman. c. 28. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 448.*

Epula Pontificales.
Epula Saliares. } V. illas supr. in *Cæna*.
Epula triumphales.

EPULARES dicebantur, qui ad sacras *epulas* admittebantur, quod iis tantùm fas erat, qui castè purèque accedebant. *Siccam. ad Fast. Kalend. Rom. c. 4.*

EPULONES erant sacerdotes, qui *epulis*, ludis, ac sacrificiis *epularibus* præfecti erant. Festus: *Epulones dicebant antiqui, quos nunc Epulones dicimus. Epulum indicendi Jovi, cæterisque diis potestatem habebant.* Aring. Rom. Subterr. II. I. 6. Gyrald. Synt. Deor. XVII. p. 481. D. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 4. Morestell. Philom. v. 6. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 19. Clasen. Theol. Gentil. III. I. §. 12. Stuck. Antiq. Conviv. I. 23. Kipping. Antiq. Roman. I. 12. 8. Blond. Triumph. Roman. I. 20. G. Peculiare illorum munus erat, curare ut ejusmodi *epula* ab aliquo ipsis testamenti tabulis decretæ operi demandarentur. Si fortè enim quandoque legatarii id præstare diu neglexissent, eorundem bona, ac jura pariter collegio *Epulonum* ex legum præscripto cedebant. *Blond. ibid.* II. *p.* 33. *Roissard. Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* 14. *Aring. l. l.* Vario fuerunt numero. Quando primùm instituti sunt Coss. L. Furio Purpureona, & M. Claudio Marcello, anno Urbis 558. tres creati sunt. Liv. XXXIII. 42. *Roma eo primum anno Triumviri epulones facti sunt C. Licinius Lucullus, T. Romulejus, qui legem de creandis his tulerat, & P. Porcius Lecca. His Triumviris, item ut Pontifici, lege datum toga prætexta habendæ jus.* Cicer. de Orat. III. 19. *Pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt, cum essent ipsi à Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti.* At postea Septemviri fuerunt. Gell. I. 12. *Item cujus pater Flamen, & Augur, aut Quindecimvir sacris faciundis, aut Septemvir epulonum.* Ut autem Ciceronis ætate eum numerum fuisse credam, ex eo colligo, quod hujus sacerdotii mentionem facit Lucan. I. 602.

Septemvirque epulis festus, Titiique sodales.

Ut enim rationem temporis habeat Lucanus, necesse est initio belli civilis, cujus prodigia illic scribuntur, fuisse *Septemviros epulones*. At si tempore belli civilis inter Cæsarem & Pompejum erant *Septemviri epulones*, nemo autem legatur ad sacerdotum numerum centum & eo amplius annorum spatio adjecisse præter Syllam Dictatorem, relinquitur ut Syllæ instituto *Septemviri epulones* esse cœperint, qui ad illud usque tempus fuerant *Triumviri*. Nam non ita multo tempore ante Syllæ dictaturam adhuc *Triumviros epulones* fuisse colligi potest ex Cicer. l. l. Lucius enim Crassus illo loquitur de *Triumviris epulonibus*, quem constat non multò ante Syllæ dictaturam mortem obiisse. De illorum munere Cicer. de Arusp. resp. c. 10. *Ludos minùs diligenter factos pollutosque: quos ludos? Te appello Lentule: tui sacerdotii sunt thensæ, curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæque ludorum publicorum: Vosque Pontifices, ad quos epulones Jovis Opt. Max. si quid est prætermissum aut commissum, adferunt, quorum de sententia illa eadem revocata atque instaurata celebrantur.* Gruch. de Comit. Roman. II. 2. Hospinian. Fest. Ethnic. p. 224. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 695. D. Volaterr. Philol. XXIX. p. 1104. D. Panvin. de Civit. Roman. c. 39. Struv. Ant. Roman. c. 12. p. 606. Choul. Relig. vet. Roman. p. 214. Taffin. de ann. secul. c. 11. §. 7. Pigh. Annal. Roman. II. p. 260. Laurent. Var. sac. gentil. c. 1. Rosin. Antiq. Roman. III. 18. Læt. de Sacerdot. c. 14. Kipping. Aring. Gyrald. Clasen. & Morestell. l. l. Illorum collegium unum fuisse ex summis negat *Gutherus*, affirmant *Superus & Norisius*. V. illos supr. in *Collegium*.

EPULUM ut instrueretur, opus erat obsonatoribus, macellariis, coquis, τραπεζοποιοῖς, mensæ præfectis, architriclinis, structoribus, scissoribus, & aliis, de quibus suis locis. *Buleng. de Conviv.* I. 18. Instituebatur ludorum causa, quod *ludorum sacrificium epulare* vocat Cicer. de Orat. III. 19. *epulum ludorum causa* Liv. XXXIII. 42. *Struv. Ant. Roman. c. 9. p.* 396. Quæres, cum ludi toto die perdurarent, & quandoque diebus tribus continuati dicantur, unde *epulas* haberent spectatores. Editores *epulum* populo dabant, dispositis tabernis, quæ prope circum erant. Dio XXXV. *Καὶ ὁ δῆμος ἀπαυτὶ μέχρι τότε τὰς ὁπλομαχίας θεώμενος, καὶ ἄριστον εἵλετο.* Scribit quoque Dio XXXVII. p. 50. D. antiquos Romanos sine cibo per totum diem in circo perdurasse, sed mox anno ab U. C. 693. Pisone & Messalla Coss. provisum, ut cibum in meridie caperent, & ludi quiescerent. Prandebant, sive tecta, sive sportulis datis. Rectam dedit J. Cæsar, dispositis per vicinas tabernas cibis, teste Plutarcho. Sportularum meminit Arrianos in Epictetum. Suet. Claud. c. 34. n. 6. *Dimisso ad prandium populo spectaculis præsidebat.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 16. Buleng. de Circo c. 41. & 56. Pitisc. in Suetonium. Dabatur quoque in statuarum dedicatione. Dio LVII. p. 610. A. *Statuam quando Augusto Livia dedicare, ac propterea Patricios & Equites cum eorum uxoribus convivio accipere statuerat. Sed Tiberius ipse epulum viris, illa tantum mulieribus, eo jubente, præbuit.* Inscriptio apud Gruter. p. 414. n. 2. OB. DEDICATIONEM. STATUÆ. DECURIONIBUS. ET. SEVIRIS. ET. JUVENIBUS. SPORTULAS. ET. POPULO. EPULUM. ET. OLEUM. EADEM. DIE. DEDIT. *Figell. de Stat. Rom. c. 30. Struv. ibid. c. 11. p.* 545.

Epulum Herculis nobilissimum & celeberrimum fuit. Nævius apud Priscian. IX. Apud quem sic lego: *Qui decumas partes, quantum alieni fuit, polluxit, tibia publicando epulo, Herculi decumat.* Nam hujusmodi *epulum* tibia publicabatur, ut Jovis. Herculi votivum *epulum* tanto sumptu fiebat, ut Herculanarum decimarum, & pollucturum impensas tabularii supputarent. Hinc Plaut. Mod. I. I. 23. *pollucibiliter obsonare* est omnem rem intempestivis conviviis deperdere. *Guther. de vet. jur. Pontif.* IV. 23. *Laurent. var. sacr. Gentil. c.* 14.

Epulum Jovis non alibi quàm in Capitolio celebrabatur. Martialem V. supr. in *Epula Albana*. In sacrificiis enim sollennibus non dies magis stati, quàm loci sunt, in quibus fiant. Illo *epulo ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitabantur. Quod genus severitatis ætas nostra diligentiùs in Capitolio, quàm in domibus suis servat.* Val. Max. II. I. 2. Populo denuntiabatur à sacerdotibus pridie quàm celebraretur. Arnob. VII. p. 238. *Jovis epulum cras est. Jupiter enim cœnat, magnisque implendus est dapibus, jamdudum inedia gestiens, & anniversaria interjectione jejunus.* Kalendarium Rusticum: MENS. NOVEMB. JOVIS. EPULUM. Hoc *Epulones* indicebant. V. supr. in *Epulones*. Guther. de vet. jur. Pontif. IV. 23. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 695. B. Hospinian. Fest. Ethnic. p. 223. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 4. Rader. in Mart. XII. 48. II. Elmenhorst. in Arnobium. Rosin. Ant. Roman. IV. 15. Faber Semest. I. 6. V. & supr. in *Cœna dialis*.

Epulum triumphale. V. illud supr. in *Cœna triumphalis*.

EQU.

EQUÆ, ut velociores, ad certamen curule præferebantur. Ælian. V. H. VI. 36. *Equæ ad rem curulem aptiores esse creduntur.* Plin. X. 63. *Vicisse Olympia prægnantem Echeratis Thessali equam.* Hinc Horat. Od. II. 16. 35.

—— tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa.

Serv. Georg. I. 59. *Epirus creat equas optimas, quæ apud Elidem palmas merentur in Jovis Olympici curuli certamine. Nec mireris equas currere. Nam, ut docet Plinius, velociores sunt, ideo quod in cursu urinam faciunt.* Scheffer. de Re vehic.

vehic. 1. 12. Circa Olyssiponem & Tagum sine ulla admissura à solo favonio concipiunt, Var. de Re rust. II. 7. *In Lusitania ad oceanum in ea regione, ubi est oppidum Olyssippo, monte sacro, quadam è vento concipiunt equa*. Sil. Ital. XVI. 364.

Nullus erat pater, ad zephyri nova flamina campis
Vectonum eductum genitrix effuderat Harpe.

De *equabus* Lusitaniæ Virg. Georg. III. 273.

Ore omnes versa in zephyrum stant rupibus altis.

Buleng. de Circo c. 5. VVouvver. Polym. c. 10. Mod. Epist. 130.

Equa cernens quatuor satyros à Victore collocatur in octava Urbis regione, quæ Forum Romanum dicitur. Marmoreæ erant effigies, vel æneæ. Fortè hi sunt quatuor satyri, quorum auctor ignoratur, descripti à Plin. XXXVI. 5. *Multa*, inquit, *in eadem schola sine auctoribus placent, satyri quatuor, ex quibus unus Liberum patrem palla velatum Veneri prafert. Alter Liberum similiter. Tertius ploratum infantis cohibet. Quartus cratere alterius sitim sedat*. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 356. C.

EQUARIUS vocabatur medicus *equorum*. V. illum infr. in *Mulomedici*.

EQUESTRIA, ἱππαστικῶν, supple loca, erant subsellia, in quibus *equites* sedebant, & ludos spectabant. Senec. de Ben. VII. 12. *Equestria omnium equitum Romanorum sunt, in illis tamen locus meus fit proprius, quem occupavi. Habeo in equestribus locum, non ut vendam, non ut locem, non ut habitem; in hoc tantum, ut spectem. Propterea non mentiar, si dicam me habere in equestribus locum: sed cum in theatrum veni, si plena sunt equestria, & jure locum habeo illic, quia sedere mihi licet: & non habeo, quia ab his, cum quibus jus mihi loci est commune, occupatus est*. Suet. Cal. c. 26. n. 8. *Ut equestria ab infimo quoque occuparentur*. Lips. de Amph. c. 14. Chimentell. de Hon. Bisell. c. 34. Buleng. de Circo c. 33. Turneb. Adv. IV. 19: XVIII, 33. Voss. Lex. Etymol. in cavea. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. V. 10. Pitisc. in Suetonium. Thys. de Amphith. p. 285. Equitibus attribuit L. Roscius Otho. V. infr. in *Equites*.

EQUIRIA dicebantur *ab equorum cursu. Eo enim die currunt equi campo Martio*. Varro de Ling. Lat. V. 3. A Romulo in honorem Martis instituta erant. Festus: *Equiria ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in campo Martio exercebantur*. Celebrabantur III. Kal. Mart. Ovid. Fast. II. 857.

Jamque dua restant noctes de mense secundo,
Marsque citos junctis curribus urget equos.
Ex vero positum permansit Equiria nomen:
Qua deus in campo prospicit ipsa suo.

& prid. Id. Mart. Ovid. Fast. III. 517.

Sex ubi sustulerit, totidem demerserit orbes,
Purpureum rapido qui vehit axe diem;
Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.

Marlian. Topogr. Urb. Roman. V. 3. Panciroll. Descr. Urb. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 359. E. Perion. de Græc. & Roman. Magistrat. III. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2810. A. 2811. A. Hospinian. de Orig. Fest. Ethnic. p. 110. Buleng. de circo c. 1. Nardin. Roman. Vet. VI. 1. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 406. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 494. B. Alex. Gen. Dier. V. 26. & ad illum Tiraquellus. Schil. Nom. Philol. p. 468. Hugo de Milit. Equest. III. 1. Faunus Antiq. Urb. Roman. IV. 21. Pigh. Annal. Roman. II. p. 42. Volaterr. Comment. Urb. XXX. p. 1093. E. Blond. Instaur. Roman. II. §. 33. Triumph. Rom. II. p. 36. A. Valdequàm mirum mihi, fateor, hoc accidit, in tanta rerum affluentia, magnificentiaque publica, in herba, & gramine prati fuisse spectata, nec partem illi aliquam campi peculiarem fuisse attributam, præsertim cum & alii circi minoris usus, & frequentiæ, majorique intervallo ab Urbis parte cultissima disjuncti, muris circumdati fuerint. Quare quemadmodum septa, aut sicut theatrum, & stadium, à Cæsare in Campo Martio è ligno fabricata sunt, ita & hæc suo fuisse inclusa spatio crediderim. Nec alium *Equiriis* sirum, quàm aream Navoniam tribuerim, quæ quidem gramine obsita, sed suis inclusa limitibus fuisse videtur, donec ab Alexandro Severo in circi formam speciemque conversa est. Contra absurda magis illorum opinio videtur, qui alium sibi ad *Equiria* celebranda circum somniavere, nempe illic locorum, ubi nunc ædes B. V. Aquiriæ est: quo usque graminea pars campi Martii non provenit. *Nardin. l. l. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 11. §. 6. Cœlius præstabat usum campi Martii, ad *Equiria* celebranda, si quando Tiberis planitiem inundando altiora requirere jubebat loca. Ovid. Fast. III. 521.

Qui tamen ejecta si fortè tenebitur unda,
Cœlius excipiet pulverulentus equos.

Festus: *Martialis campus in Cœlio monte dicitur, quod in eo Equiria solebant fieri, si quando aqua Tiberis campum Martium inundassent*. Nardin. ibid. III. 7. Tiraqnell. Hospinian. Buleng. l. l. Priora fuere, ut equitatus lustraretur: altera, ut numerus integraretur, si licet augurari, *Buleng. l. l.*

EQUITANDI artem addiscebant Romani equis ligneis, hyeme quidem sub tecto, æstate verò in campo positis, super quos, Vegetio teste, juniores primò inermes, dum consuetudine proficerent; deinde armati cogebantur ascendere. Qua in re maxima cura adhibebatur, ut non solum à dextris, sed etiam à sinistris partibus, & insilire, & desilire condiscerent, evaginatos etiam gladios, vel hastas tenentes. Vitio autem fuisse datum adolescenti Romano, qui nesciret *equitare*, significat cum stomacho quodam scribens Horat. Od. III. 24. 54.

——nescit equo rudis
Harere ingenuus puer.

Valtrin. de Re milit. Roman. 1. 4. Hugo de Milit. Equest. III. 1.

EQUITARE in arundine ludus est, cujus meminit Horat. Sat. II. 2. 248.

Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Val. Max. VIII. 8. *Socrates non erubuit tunc, cum interposita arundine cruribus suis cum parvulis filiolis ludens ab Alcibiade visus est*. Plutarch. Apophth. Lacon. p. 213. E. de Agesilao: *Quia colludebat cum filiolis, arundinem quasi equum inscendens*. Buleng. de Lud. vet. c. 28.

EQUITES peditibus opponuntur, ut in acie. V. infr. in *Equites & equester ordo*. Hos in legione Romulus ipse legionis auctor instituit trecentos, denis *equitibus* opulentissimis, quibusque ac nobilissimis ex singulis triginta curiis delectis, quos in tres centurias descriptos, Ramnensium, Tatiensium & Lucerum nomine distinxit Liv. 1. 36. De illis Plinius infr. in *Trossuli*. Valtrin. de Re milit. III. 4. Perperam prisci confundunt hos cum legionariis, cum illi similiores fuerint ei *equitum* generi, quos Adriani ætas singulares Imperatoris vocabat, aut prætorianos, posterior verò domesticos protectores. Ab ea confusione ortum est quod Plinius scriptum reliquit. Non enim ejusdem generis fuerunt, qui sub Romulo, Regibusque Celeres appellati sunt, cum legionariis, quos aliquando Flexutes à flectendis equis, & Trossulos ab oppido dictos fuisse constat. Illi privati ac domestici Romuli, Regumque *equites* fuerunt ad custodiam corporis eorum instituti, & alia quæ vellent ministeria obeunda. Liv. 1. 16. *Trecentos armatos ad custodiam corporis, quos Celeres appellavit, non solum in bello, sed etiam in pace habuit*. Dionys. II. p. 86. *Senatu deinde ex centum senioribus constituto, videns sibi & juvenum manu opus futurum, cujus ministerio & ad corporis tutelam, & ad necessaria munia peragenda uteretur, CCC. viros robustissimos, ex nobilissimis familiis delectos circa se habuit, commendates curiarum suffragiis, quemadmodum senatores antea, denos per singulas curias. His in universum fuit nomen & nunc Celeres. Qui in Urbe sibi quasi corporis custodes armati apparerent, & ministratorum vice mandata ejus exsequerentur, in bello autem protectorum munus, & propugnatorum sustinerent*. Salmas. de Re milit. Roman. c. 20. Numerus pro numero legionum variatur: singulis enim trecenti dabantur. *Schel. ad Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.*

x. p.

x. p. 1207. *D. Salmaſ. l. l.* Imò crevit magis magiſque numerus prolabente jam antiqua diſciplina, & honore legionum, donec ſeculis ſequentibus omne robur exercitus ad *equitem* recidit. *Schel. ad Hygin. Theſ. Ant. ibid. p.* 1079. B.

Equites, qui publico *equo* merebant, à Romulo in denas partes diviſos eſſe ſcribit Ovid. Faſt. III. 127.

Inde pares centum denos ſecrevit in orbes
Romulus: haſtatos inſtituitque decem.
Et totidem princeps, totidem pilanus habebat
Corpora: legitimo quique merebat equo.

Sed falſum eſt à Romulo inſtitutos ejuſmodi *equites* legionarios, qui equo publico donabantur, eoque merebant legionibus adjuncti & inſerti. Veriſimile eſt à Servio eos inſtitutos legionarios *equites*, cum conſtet primum illum ex Regibus non ſolum pedites, ſed etiam *equites* ex cenſu legiſſe, qui mos duravit uſque ad Marium. Is ergo Servius *equites* elegit ex illis qui maximum cenſum haberent, quique generis eſſent illuſtrioris, quos in octodecim centurias diſtribuit, eoſque adjunxit primis octoginta legionariorum centuriis. *Digeſſit*, inquit Dionyſ. IV. p. 222. *in octodecim centurias, eaſque primis illis legionariorum* LXXX. *centuriis attribuit*. Salmaſ. de Re milit. c. 20. Antiquitus, ut docet Polyb. VI. 18. *equites* legionis poſt pedites legi ſolebant, ſuo autem tempore ante delectum peditum. Ratio etiam eligendi diverſa fuit utriuſque militiæ: olim ſolebant probari, utitur enim verbo δοκιμάζεσθαι Polybius; ſed ejus tempore ex cenſu eligi ſolebant, ἐκλογῆς γινομένης πλουτίνδην. Notat etiam diſcrimen è numero, quod antiquo tempore ſcriberentur ducenti *equites* in quater millia peditum, quo numero conſtabat legio; ſua verò ætate fierent trecenti in ſingulas legiones. Ponit enim differentiam in modò delectis. Qualis ea fuerit, non deprehendes ex hac Caſauboni verſione: *Mox equites olim quidem poſteriore loco moris erat deligere, & quaternis peditum millibus adjungere ducentos. Nunc priore loco eos centuriant, è cenſu jam ante per cenſores electos, atque illorum trecentos unicuique legioni aſſignant*. Si ætate Polybii è cenſu eligebantur, annon etiam moris idem olim fuit? Certè vel à temporibus Servii Regis, qui primus ex cenſu peditum *equitumque* legendorum morem inſtituit, ea conſuetudo deligendi *equites* ſervata eſt apud Romanos. Præterea in poſteriore hoc delectu *centuriatos è cenſu equites jam ante per cenſorem electos*, magis convenire videtur priori inſtituto legendi *equitis*, quo δοκιμάζεσθαι eos dixit Polybius. Ac iſto genere poſteriore ſcribit, à cenſore ſimpliciter lectos fuiſſe πλουτίνδην, id eſt, pro habitu pecuniarum. Ita interpretanda ſunt Polybii verba: Olim poſt peditum delectum *equites* legebantur, quia facilis admodum fuit eorum tunc electio. Ex numero quippe eorum, qui jam in *equeſtri* ordine erant recenſiti pro copia cenſus, eos probatos deligebant, qui *equo* mererent, & legionibus aſſignarentur, Ideò utitur verbo δοκιμάζειν, quia ſpectatæ virtutis, ac probatæ vitæ ex *equeſtri* ordine, & ex *omni equitum* numero eos eligebant, qui æra *equeſtria* facerent, & *equo* publico mererent, & legionibus adſcriberentur. Ex octodecim centuriis, in quas ex cenſu *equites* deſcriptos diximus, certi deligebantur poſtquam pedites legionarii lecti fuerant, qui *equites* legionarii eſſent. Hi ultimo loco ſolebant legi, quia nullo negotio ex ea multitudine, cui cenſus *equeſtris* erat, magis idoneos deligebant, quibus *equos* publicos aſſignarent, & militares. Polybii ætate aliter delectus *equitum* fiebat. Ex plebe enim ipſa eos eligebat, qui cenſum haberent *equeſtrem*, ut *equites* fierent, & *equi* publici iis aſſignarentur, atque in legione militarent. Conſuetudo videtur inducta tempore belli Punici II. Exhauſto quippe frequentibus adverſis prælus *equeſtri* ordine, in delectu eorum faciendo, cùm *equites* ſcriberentur legionarii, ex civibus legebantur, qui cenſum habere poſſent *equeſtrem*. Et quia operoſior erat hæc electio, ideò antequam pedites conſcriberentur, *equitum* hujuſmodi ex cenſu ſcribendorum electioni vacabat cenſor. *Salmaſ. ib. c.* 21. *Patric. Rei milit. Rom. part.* II. *ſect.* 3. Armatura, ſi Polyb. VI. 23. credimus, non eadem ſemper fuit. Antiquiſſimis enim temporibus loricas non habuerunt; ſed ἐν περιζώμασι, id eſt, *ſuccincti*, ut ille ait, præliabantur. Quare conſequebantur id quidem, ut ad deſcendendum ex *equis*, inſiliendumque leves & expediti eſſent; ſed in congreſſibus præliiſque maximè vulneribus erant expoſiti, cùm ferè nudi pugnarent. Haſtæ erant tenues & graciles. Scuta ex corio bubalo fiebant. Galeæ faciem non tegebant. Ideò cùm hanc inutilem eſſe ſenſiſſent, aliam à Græcis mutuati ſunt. Quo autem tempore id cœperit, ſcriptores reticent. Quocunque autem modo ſe res habeat, *equites* Romani Græcorum exemplo loricam, ſcutum firmum, haſtaſque robuſtas acceperunt. *Valtrin. de Re milit.* III. 12. *Patric. part.* VII. *ſect.* 3. & 4. *Laurent. Polym.* IV. *Synopſ.* 2. *Thyſ. Rom. Illuſtr.* III. *p.* 85. Pro rerum & locorum opportunitate nunc ante aciem, nunc in acie, nunc peditum cornua cinxere. Liv. III. 22. *Fabius non permiſtam unam civium ſociorumque, ſed trium populorum tres ſeparatim acies circa vallum hoſtium inſtruxit: equites item ſuæ cuique parti poſt principia collocat*. IV. 18. *Dictator dextro cornu, ſiniſtro Capitolinus intulit ſigna: ante mediam aciem cum equitatu magiſter equitum proceſſit . . . M. Valerius dextro, P. Decius ab lævo cornu ad equites in cornibus poſitos evehuntur*. Valtrin. ibid. V. 2. Lipſ. de Milit. Roman. IV. 2. Thyſ. ibid. V. p. 89. Interdum à tergo ponebantur ſpatiis relictis inter manipulos, aut legiones, qua poſſent cum impetu emitti. Id fiebat fallendo hoſti, & ut improviſa res eſſet. Liv. XXIX. 2. *Hiſpani inter cornua, & mediam aciem intervalla patentia ſatis latè fecerunt, qua equitatum, ubi tempus eſſet, emitterent. Et Romani more ſuo exercitum inſtruxiſſent, id modò hoſtium imitati ſunt, ut inter legiones & ipſi patentes relinquerent vias*. Lypſ. & Thyſ. l. l. Nunc præcedebant, nunc ſubſequebantur agmen. Præmittebantur quidem, cùm in hoſtem iretur in locis planis & apertis, ut latè explorarent hoſtem, pabulatione, frumentatione, & aquatione prohiberent, exciperent excedentes ex itinere, carperent, ac malè haberent agmen, morarentur iter, opus caſtrorum tardarent. Cæſ. Bell. Civ. I. 63. *Relinquebatur Cæſari nihil, niſi ut equitatu agmen adverſariorum malè haberet & carperet . . . Equites ab eo miſſi flumen tranſeunt; & cùm de tertia vigilia Petrejus atque Afranius caſtra moviſſent, repentè ſeſe ad noviſſimum agmen oſtendunt, & magna multitudine circumfuſa, morari, atque iter impedire incipiunt*. c. 78. *Cæſar equitatu præmiſſo, qui noviſſimum agmen carperet, atque impediret, ipſe cum legionibus ſubſequitur. Nullum intercedebat tempus, quin extremi cum equitibus præliarentur*. Hæc cum ſequeretur Afranium & Petrejum Cæſar. At cum recederet à Pompejo, poſt prælium Dyrrhachinum, ipſe in noviſſimo agmine *equites* habuit, Pompejus, qui ſequebatur, in primo. Cæſ. ibid. c. 75. *Pompejus exercitum è caſtris eduxit, equitatumque præmiſit ad noviſſimum agmen demorandum . . . . equitatus conſecutus noviſſimos prælio detinebat*. Schel. ad Hygin. Theſ. Antiq. Rom. Græv. p. 1259. B. Centenum pedum ſpatio à tribunorum tabernaculis intermiſſo, utriuſque legionis oppoſiti inter ſe, atque adverſi tendebant; ſic tamen, ut inter ipſos via ſimiliter pedum quinquagenum relinqueretur. Longitudo tabernaculorum *equitum* eadem fuit, quæ ipſius viæ, pedum videlicet centenum, uſque ad ipſum vallum: altitudo quoque fermè æqualis, ita ut quadratam figuram referrent. *Valtrin. ibid.* IV. 5. Bello Vajenti ſtipendium merere cœperunt. Liv. V. 7. *Tum primum equis merere cœperunt*. Solebant verò in ſtipendiis ferè accipere triplex, quod pedes accipiebat ſimplum, centurio duplum. Quod indè originem habuerit, quia ſimplum *equiti* daretur pro *equo*, alterum ſimplum pro ſervo, tertium in ſumptum ipſius. *Gronov. de Pecun. Vet.* III. 2. *Strein de Gent. & Fam. Rom. in Gens Julia. Valtrin. ibid.* III. 15. *Salmaſ. l. l. Bud. de Aſſe p.* 391. 696. *Laurent. Polym.* IV. *Synopſ.* 3. *Stevvech. in Veget.* II. 18. *Lipſ. de Milit. Rom.* I. *dial.* 5. Illorum cuſtodiam quamvis Polybius nullam agnoſcat, veteri tamen Republica tam nocturnam, quàm diurnam obſervo, ſed aliam diurnam, aliam nocturnam. Ex inſtituto enim Pauli Æmilii etiam meridie mutabant propter fatigationem hominum & *equorum*. Livius: *Antea arma omnes, & frenatis equis equites*

diem totum perstabant. Id cum æstivis diebus urente assiduo sole fieret, tot horarum æstu ac languore ipsos equosque fessos hostes integri sæpè adorti vel pauci plures vexabant. Itaque ex matutina statione ad meridiem decedi, & in postmeridiem succedere alios jussit. De matutina & pomeridiana statione loquitur: at nihil de nocturna. Nec de nocturna quicquam legi: non quod nullæ essent, sed quod de nocte extra castra huc illuc commeantes, latè explorarent, aut etiam in excubias dividerentur, non autem grandiori aliquo corpore certa loca tuerentur, ut interdiu, quas vulgo vocant stationes. Excubabant de nocte, si qua fides Vegetio infr. in *Excubia*, quaterni ex singulis turmis, & per quaterniones, utique illis temporibus: at qui interdiu, totæ, aut plures ferè turmæ. Illi circuibant castra, aut pro castris in excubus stabant: hi certo loco constituebantur. Illi non ad pugnandum, sed ad explorandum positi: hi suum locum mordicus tueri debebant. *Schel. ibid. p.* 1188. *E.* Romani, ut dignissimi, in medio locati, & liberrimos habent egressus. Tuti hic: & quanquam in acie alia dispositio, tamen recepti tunc inter pedites, quia in castris nullus eorum usus. Horum podismus è Polybio notus est area pedum 1000. ad passus si redigas, sunt 400. Hoc in omnibus manipulis æqualiter, & turmis. Spatium satis grande 30. equitibus 30. equis; nec enim unus plus uno militari equo, opinor, habuit: non tamen prægrande, cogitanti calones totidem: fortasse & decurionibus ipsis aliqui honestiores comites, aut ministri: item jumenta, aut muli ad sarcinas, hordeum, frumentum. Nec enim ipsi equites onusti, aut eorum insessoru equi. *Lips. de Milit. Roman.* v. *dial.* 4. *Thys. Rom. Illustr.* v. *p.* 114. *Schel. ibid. p.* 1153. *C.* 1259. *F.* Viris quoque lautioribus persuaserat luxuria, ut Afros quosdam, & Numidas *equites* alerent, qui si aliquò extra Urbem eundum foret, iter præcurrerent, & agmen sequentis heri ducerent. Senec. Epist. 123. *Omnes jam sic peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat.* Mart. x. 13. 1.

Cum cathedralitios portet tibi rheda ministros,
Et Libys in longo pulvere sudet eques.

Imperatoribus ipsis id etiam fuit in usu. Svet. Ner. c. 30. n. 10. *Iter fecisse traditur phalerata cum Mazacum turba.* Mazaces enim sunt Afri. *Lips. in Tacit. Hist.* 11. *n.* 43. *Kobierzyck. de Lux. Roman.* 11. 2. *Turneb. Adv.* xxiv. 6. xxvii. 8. *Thys. Rom. Illustr.* 111. *p.* 86. *Pignor. de Serv. p.* 289. Præmia equestria fuerunt cornicula, armillæ, torques, pecunia, catellæ, fibulæ, phaleræ, hastæ, coronæ, equi, promotiones, statuæ equestres. V. singula suis locis. Pœna quoque ad disciplinam, ut calcari ad cursum equus, incitatur. Pœnam ignominiæ opposuit Svet. Aug. c. 39. n. 1. *Unumquemque equitum rationem vitæ reddere coegit, atque ex improbatis alios pœna, alios ignominia notavit:* Ego pœnam dividere malim in ignominiam & supplicium: nam ignominia quoque pœna est. Ignominiæ sunt I. traditio pugillarium. Svet. ibid. n. 2. *Lenissimum genus admonitionis fuit, traditio coram pugillarium, quos taciti, & ibidem statim legerent:* & iisdem lectis erubescerent, vitii, & erroris comperti. II. Notatio. Svet. ibid. n. 3. *Notavit aliquos, quod pecunias levioribus usuris mutuati graviori fœnore collocassent.* Plerunque enim publicani olim fuere. III. Erasio ex albo. Svet. Domit. c. 8. n. 10. *Equitem Romanum ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissæ adulterii crimen intenderat, erasit judicum albo.* Nam & judicia *equitibus* concessa olim fuerunt. IV. Confractio hastæ. Ammian. xxv. *Cum Tertiacos equites, quod legiones deseruissent in prælio adversus Persas, Julianus accusatos punire statuisset . . . ademptis signis, hastisque confractis, omnes eos, qui fugisse arguebantur, inter impedimenta, & sarcinas, & captivos iter agere imposuit.* V. Mutatio militiæ. Val. Max. 11. 7. 9. *Turmas equitum, ademptis equis, in funditorum alas transcripsit.* n. 15. *Decreverunt, ut ex iis, qui equo meruerant, peditum numero militarent.* VI. Relegatio. Liv. xxiv. 18. *Ut ii omnes, quos censores notassent, pedibus mererent, mitterenturque in Siciliam ad Cannensis exercitus reliquias.* xxv. 5. *Cannensis reliquiæ cladis hic exercitus erat, relegatus in Siciliam.* Ammianus modò laudatus. VII. Equo publico spoliari, ære dirui, ærarium fieri. Liv. xxvii. 13. *Illis omnibus adempti equi, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant. Addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent iis, qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis privatis facerent. Magnum etiam numerum eorum conquisierant, qui equo merere deberent, & omnes ærarios fecerunt.* Quinam ære diruti, & ærarii fuerint dicti. V. supr. suis locis. VIII. Discinctum, nudisque pedibus ad castrorum principia stare, non posse intra castra tendere, aut è pellibus tentorium habere. Val. Max. 11. 7. 9. *Calpurnius Piso consul. C. Titium equitum præfectum, quia arma cum suis tradidisset, his ignominiæ generibus affecit. Jussit eum toga laciniis abscissis amictum, discinctaque tunica indutum, nudis pedibus à mane in noctem usque ad principia per omne tempus militiæ adesse. Interdixit etiam ei convictum hominum, usumque balnearum.* c. 15. *Decreverunt, ne quis eorum intra castra tenderet, neve locum extra assignatum vallo, aut fossa cingeret, neve tentorium ex pellibus haberet.* Ignominia redimi, & vitium virtute deleri potuit. Frontin. iv. 1. 22. *Domitius Corbulo duas alas extra vallum jussit tendere, donec assiduo labore, & prosperis excursionibus redimerent ignominiam.* §. 19. *Appii Claudii sententia senatus eos, qui à Pyrrho Rege Epirotarum capti, & postea remissi erant, equites ad peditem redegit, pedites ad levem armaturam, omnibus extra vallum jussit tendere, donec bina hostium spolia singuli referrent.* Supplicia sunt virgis, & securi percuti. Illis percussi *equites*, etiam magistri *equitum*, & Imperatorum filii, si mererentur. Liv. viii. 32. *Tunc Papirius* dictator *spoliari magistrum equitum* Q. Fabium Maximum Rullianum, *ac virgas, & secures expediri jussit.* Et jussisset Fabius, nisi populi precibus eum Papirius donasset; c. 7. *Manlius consulis filius, occiso Geminio Metio provocatore, ignarus fati futurique: ut omnes, inquit, pater tuo sanguine ortum verò ferrent, provocatus equestria hæc spolia capta ex hoste cæso porto.* At pater Manlium *deligatum ad palum* securi subjecit. Sunt & alia pœnarum genera credo *equiti* irrogata, & fortè eadem omnia quæ peccanti pediti. V. illa infr. in *Milites*. Hugo de Milit. Equestr. v. 1. Sichterman. de Pœn. milit. c. 15. Hugo traditionem pugillarium inter pœnas recenset militares. Svetonius tamen loquitur de equitibus, qui publicani erant; minimè verò de equitibus sensu militari. *Sichterman. l. l.* Illorum vexilla V. infr. in *Vexillum*.

Equites alarii. V. illos supra in *Alarii*. Habebant *equites* alares gregarii unum tantùm equum; duplicarii & sesquiplarii binos; decuriones ternos. Prisco illo, & verè *equitum equitatu* gregarii quoque non plures uno *equo* habuerunt: unus enim publicus dabatur, & in hunc è publico stipendiū. *Schel. in Hygin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* x. *p.* 1081. *A.*

Equites Augustani, quos, ut laudes suas canerent, elegit Nero. Tacit. Annal. xiv. 15. 5. *Tunc primum conscripti sunt equites Romani, cognomento Augustanorum, ætate, ac robore conspicui, & pars ingenio procaces, alii in spe potentiæ. Hi dies, ac noctes plausibus personare. Formam principis vocemque deum vocabulis appellantes, quasi per virtutem clari, honoratique agere.* Quinque millia fuerunt numero. Dio lxi. p. 699. B. *Nam & peculiare quoddam militum ad quinque millia corpus instituerat, qui Augustales nominati, incipiebant eum laudibus extollere: post hos cæteri omnes inviti, excepto Thrasea, acclamare cogebantur.* Paullò aliter Suet. c. 20. n. 6. *Adolescentes equestris ordinis, & quinque amplius millia è plebe robustissimæ juventutis undique elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent, operamque navarent cantanti sibi.* Hugo de Mil. Equ. v. 1. Vertran. in Tacitum. Pitisc. in Svet.

Equites prætoriani. V. illos inf. in *Prætoriani*.

Equites promoti sunt fortè dicti, quia ad vexillationem Palatinam non nisi per quosdam alios gradus promoti ascēdebant, quod in aliis non ita semper observabatur: ipsi verò inter se sibi gradatim succedebant. Veget. 11. 3. *Legionum nomen in exercitu manet hodie, sed per negligentiam superiorum temporum robur infractum est, cum virtutis præmia occuparet ambitio, & per gratiam promoverentur milites, qui promoveri consueverant per laborem;* c. 21. *Quasi enim in orbem quendam per diversas cohortes, & diversas scholas* mi-

milites promoventur, ita ut ex prima cohorte ad gradum quempiam promotus, vadat ad decimam cohortem; & rursus ab ea crescentibus stipendiis, cum majore gradu per alias recurrat ad primam. Ideoque primipili centurio postquam in orbes omnes cohortes per diversas administraverit scholas, in prima cohorte ad hanc pervenit palmam, in qua ex omni legione infinita commoda consequitur: Inde ad *equestrem* militiam transibat. Et subjicit: *Ita legionari equites cohortes suas contubernali affectione venerantur.* Panciroll. Notit. Dignit. imp. Orient. c. 34. Laz. Comm. Reip. Rom. vi. 4. Hugo de Milit. Equest. v. 1.

Equites sacculatii fuerunt vocati, qui pro Cinna contra Syllam steterant. Ascon. in Cicer. p. 149. *Equester ordo pro Cinnanis partibus contra Syllam steterat, multasque pecunias abstulerat: ex quo saccularis sunt appellati: multique ob ejus rei invidiam post Syllanam victoriam erant interfecti.* Gentil. Orig. p. 251.

Equites singulares instituit Octavianus, si qua fides inscriptionibus, in quibus frequentissimè occurrunt. In quibusdam appellantur *equites singulares:* in aliis *equites singulares Imperatoris nostri, equites singulares Cæsaris, Augusti, Augusti nostri.* V. Gruterum. *Ala singularium* meminit etiam Tacit. Hist. iv. 70. 3. *Accessit ala singularium excita olim à Vitellio.* Fuit hæc singularis quædam, ut ipsum nomen satis ostendit, *equitum* manus, cujus ut evocatorum, & primipilarium, aliàs major, aliàs minor numerus, quæ Hyginus distinctè trecentis, quadringentis quinquaginta, sexcentis, octingentis, & nongentis suum in castris assignat locum. *Schel. in Hygin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. x. p. 1059. A. Reines. Inscript. Class. 1. n. 16. viii. n.* 2. Fortè singulares sunt dicti, quia inter eos nullus gradus præterquam eorum præfecti reperiebatur, & erant singuli: vel quod essent singulares & optimi. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* iii. *p.* 192. *B.* Videntur dicti, non quod inter eos nulli sunt gradus, sed quod singulariter sit mandatum iis munus custodiendi Imperatorem, aut quod lecti sunt ab Imperatoribus singulari cura propter virtutis & roboris opinionem. Nam ante Imperatorum tempora nulla fit mentium *equitum* singularium. *Græv. ibid. Prolog.* ** 4. Erant ad custodiam Augusti selecti, similes iis trecentis, quos sibi corporis custodes selegerat Romulus, ut notat Salmas. de Re milit. c. 20. Illos Adrianus & sequentium Imperatorum ætas *singulares Imperatoris*, aut *prætorianos* vocabat; posterior verò *domesticos, & protectores.* Spon. Misc. Erud. Antiqu. Sect. vii. p. 257.

Equites, & *equester* ordo Romæ duobus modis est acceptus: uno, quo *equites* senatoribus in civitate; altero, quo peditibus in acie opponuntur. Utraque divisio à Romulo in Rempublicam illata est. Idem enim, cum legionem constituisset ex tribus peditum millibus, legioni *equites* trecentos adjecit, auctore Plutarch. p. 24. D. Hos autem *equites* nihil aliud fuisse apparet, quàm tres illas centurias ab eodem conscriptas Ramnensium, Tatiensium, & Lucerum, quas post auctas sub iisdem nominibus à Prisco Rege, & sex factas Liv. 1. 36. & Dionys. iii. p. 203. prodidere. Itaque huc intuens dixit Val. Max. iii. 4. 2. *Numerum senatus amplificavit, equestrem ordinem uberiorem reliquit.* Quasi verò Priscus *equitum*, qui senatui opponuntur, non qui peditatui, numerum auxerit, cum inter utrumque genus plurimum interfuerit. Nam senator merere equo potuit, senator autem *eques* esse Romanus, ubi in senatum erat adscitus, desiit. Neque tamen nego, quin & hoc, & illud *equitum* genus bella frequentarit; sed hoc dico, longè alia decora illorum *equitum*, quàm horum, & militia, & domi fuisse. Unde autem distinguerentur, in magna vetustatis obscuritate quærimus. Mihi quidem veterum, quos post nominabo, auctoritate ita persuasum est, *equites* alios equo publico meruisse, alios privato: illos autem in civitate senatoribus, hos in exercitu peditibus respondisse; utrosque autem, aut Regum, aut consulum, aut censorum, aut denique eorum, qui censendi jus haberent, arbitrio fuisse subjectos. Video hoc Cic. de Leg. iii. 3. docuisse, cum ita scivit: *Censores pecunias, ævitates, ordines partiunto: equitum, peditumque prolem describunto. Ordines* enim cum dixit, senatum, plebem, & *equites* equo publico intellexit; cum *peditum, equitumque prolem*, qui privato equo, quique pedibus stipendia facerent, significavit. De utroque genere Liv. v. 7. cum narrasset de clade Vejenti, & metu Senatus hoc nuntio accepto, subjicit: *Cum repentè quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, senatum adeunt, & equis se suis stipendia facturos promittunt.* Fuisse autem *equites* aliquot, qui *equites equo publico* dicerentur, testis est Cicer. Phil. vi. 5. *Altera statua est equitum Romanorum, qui item adscribunt: PATRONO, quem unquam patronum iste ordo adoptavit? si quendam, me debuit.* Quibus verbis nos admonet, ordinem illum equestrem, quem ipse in consulatu suo in gratiam cum senatu reduxerat, ex iis *equitibus* fuisse, qui equo publico & fuerunt, & dicti sunt. Quos *equites Romanos militares* appellavit Ascon. in Cicer. p. 19. Unde equum publicum, cum de hoc ordine verba faceret Plin. xxxiii. 1. *Annuli planè medium ordinem, tertiumque, plebi, & patribus inseruere: & quod antea militares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniæ judices tribuunt.* Item: *Equitum nomen substitit in turmis equorum publicorum.* Intelligit enim *equites* primùm ab equis publicis, post à censu judices dictos. Non omnes autem, qui equo mererent, ex hoc ordine fuisse, ostendit Cicer. Phil. 1. 8. ubi in legem Antonii, qua centuriones in tertiam judicum decuriam conjiciebat, ita disputat: *At quæ est ista decuria judicum? centurionum, inquit: quid? isti ordini judicatus lege Julia, etiam ante Pompeja, Aurelia non patebat? census præfiniebatur, inquit. Non centurioni quidem solum, sed etiam equiti Romano. Itaque viri fortissimi, atque honestissimi, qui ordines duxerunt, res & judicant, & judicaverunt. Non quæro, inquit, istos: quicunque ordinem duxit, judicet. Atqui si ferretis, quicunque equo meruisset, quod est laudatius, nemini probaretis: in judice enim spectari & fortuna debet, & dignitas.* Qui satis perspicuè demonstrat, non quicunque equo mereret, equestrem ordinem explevisse: nam equester ordo alteram judicum decuriam obtinebat: cui tertiam centurionum cum addere Antonius vellet, inquit Cicero: *Atqui si ferretis, ut quicunque equo meruisset, nemini probaretis.* Quod hercle non dixisset, si quicunque equo mereret, judicia obtinuisset. Ostendit idem Val. Max. ii. 9. 7. qui bello Punico ii. *quadringentes juvenes equestris ordinis equis publicis spoliatos* scribit, cùm tamen qui equo mererent, iis temporibus innumeri essent. *Sigon. de Antiqu. jur. civ. Rom.* ii. 3. *Manut. de Civit. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* 1. *p.* 5. *E. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 697. *B. Schill. Nomencl. Philol. p.* 464. *Lips. de Milit. Rom.* 1. *Dial.* 5. *Strein. de Gent. & Famil. Roman. in Licinia.* Duplex ab ipsis Reipublicæ Romanæ temporibus hoc *equitum* genus fuisse falsissimum est. Si illæ tres *equitum* centuriæ à Romulo lectæ, quæ legioni adjicerentur, quæque subindè crescente Urbe creverunt, & à successoribus Romuli fuerunt auctæ, *equites* tantùm fuerunt, qui in acie peditatui opponerentur, non qui in Urbe *ordinis equestris* numero essent, senatuique opponerentur, unde quæso est ille *ordo equestris*: à quo, & ex quo genere hominum, & quando fuit is institutus? In Romuli rebus gestis nullorum *equitum*, quos delegerit, meminit quisquam, quàm illarum trium centuriarum. Ait quidem Sigonius, utriusque *equitis* divisionem institutam à Romulo fuisse; sed cum Tatienses, Ramnes, & Luceres ab *equestri ordine* removet, nullam ostendit hujus ordinis originem. Fundamentum hujus sententiæ unicum est, *equites* alios fuisse, qui meruerint equo publico, hos *equestris ordinis* homines esse; alios, qui equo privato meruerint, qui in exercitu peditibus responderint, & qui diversi fuerint ab *equestri ordine*. Nihil in his est veri, si accipias, ut accepit Sigonius. Respublica Romana à Romuli tempore usque ad Marium nullos alios novit *equites*, qui peditibus legionariis in acie responderent, quàm qui in Urbe senatui opponebantur, nimirum qui merebant equo publico, sive erant *ordinis equestris* viri. Tres illæ centuriæ Tatiensium, Ramnetum, & Lucerum à Romulo lectæ, fuerunt *equestris ordinis* origo; hi, & illorum posteri fuerunt *equites* ex civibus Romanis, qui in castris peditatui Romano,

rio, in Urbe senatui opponebantur. Nullus in triginta *turmis equestribus* alius merebat civis, quàm qui esset *equestris ordinis*, nisi fortè temporibus iniquissimis, cum necessitas Reipublicæ non pateretur leges, & instituta tueri. Reliqui omnes cives merebant pedibus in legione. Quis mortalium ex Cicer. de Leg. III. 3. illam sententiam colligat, nisi qui hanc opinionem imbiberit, quam sibi persuasit Sigonius? Nihil aliud illa præ se ferunt, quàm censores cujuslibet patrimonium, & ætatem descripsisse, & secundùm facultates retulisse cives in classes, & ordines, ut, qui censum *equestrem* haberet, si nihil aliud obstaret, in *equestrem* ordinem, qui senatorium censum haberet, in senatorium ordinem adscriberetur, utque præterea tam *equestris ordinis*, quàm ceterorum civium liberi utriusque sexus, quot & qua essent ætate, in tabulas referrentur censorias. Si aliorum *equitum* fuit illa proles, quàm *equestris ordinis*, cujus ordinis fuit proles peditum? Nam censores plebem quoque in suum ordinem descripserunt, hoc est, tertium. Alii ergo deberent esse pedites, quorum proles in censum referebatur, quàm plebs Romana. Sed hæc absurda sunt. Livii locus non stabilire, sed evertere sententiam Sigonii mihi videtur planissimè. Censet enim non fuisse *equestris ordinis* homines, sed qui dicti fuerint *equites* equo privato. Primò enim *equitum equo privato* quis meminit? Non, quia sunt *equites equo publico*, consequitur fuisse quoque *equites equo privato*. Sanè in nullo antiquo monimento, quod ad nos pervenit salvum ex illo rei literariæ naufragio, ullum vestigium est, aut memoria *equitis equo privato*. Dein est hic extraordinarius planè, & fortuitus quidam casus, cùm extremis Reipublicæ temporibus illi, qui censum equestrem habebant, sed nondum à censoribus essent in *equestrem ordinem* relati, spontè suam offerrent operam, quam navaturi erant Reipublicæ sine ære *equestri*, quod merebant *equites* equo publico; reliqua plebs horum exemplo commota, quæ non habebat censum equestrem, æquè gratuitam Reipublicæ operam deferebat, ac illi fecerant, qui dicuntur in Epitome hujus libri *suis equis meruisse*, ut legendum quoque in ipso Livio, quia nondum equus publicus illis erat assignatus. Si fuisset talis ordo in Republica, qui suis equis meruerit, cur hoc tanquam singulare quid notasset Livius, illo tempore fuisse, qui *equestrem* censum habebant, qui sine stipendio equis suis Reipublicæ volebant præsto esse? Cur ii tantum, qui *equestrem* censum habent, profitentur nomina? Nimirum quia etsi nondum adscripti fuerant *equestri ordini*, spes tamen erat, ut proximo lustro ei adscriberentur à censoribus: interea in *turmis equestribus*, quæ illa clade imminutæ erant, idem volebant Reipublicæ præstare officium suis equis, quod præstabant *equites* equo publico. Equidem si turmæ *equestres*, quæ in acie opponebantur militi legionario, non fuerunt *equites* equo publico, cur dicit hic Livius, eos, quibus *census equester erat, equi publici non erant assignati, senatum adeunt, equis se suis stipendia facturos promittunt*? quia publicos nondum habebant. Si turmæ *equestres* potuissent suppleri hominibus, qui suo equo militarent, ineptè scripsisset Livius, *quibus census equester erat, equi publici non erant assignati*. Sufficeisset, quibus census *equester* erat, senatum adeunt, equis se stipendia facturos promittunt, scilicet gratis. Ex loco Cicer. Phil. 1. 8. putat Sigonius perspicuum esse, non quicunque equo meruisset, *equestrem* ordinem explevisse, sic loquitur, quia *equester* ordo alteram judicum obtinuerit decuriam, cui tertiam centurionum addere voluerit Antonius. Non probo. Num omnes, qui *equestris* erant ordinis, quia secunda judicum decuria ex *equite* conscribebatur, in illam legebantur? Poterant legi, sicut omnes qui senatorium, omnes qui *equestrem* censum habebant, poterant in illos ordines adscisci, non tamen, nisi cum censoribus probarentur, in illos legebantur; id quod multò magis observabatur in judicibus, quia, ut ipse Cicero hic liquidò declarat, non tantum spectari debebat in judice legendo fortuna, sed & dignitas, hoc est, non tantum *equestris* ordo, sed in judicibus ex eo legendis gravitas, justitia, fides, quas virtutes in judice requiri testatur in oratione pro Milone Cicero.

Non omnes verò *equestris ordinis* fuisse judices ex judiciariis legibus nemini potest obscurum esse. Itaque apud Ciceronem *quicunque equo meruisset*, nihil aliud significare, quàm quicunque equo publico meruisset, non tantum ex iis elucet, quæ attulimus, sed & indè, quod nulli judices fuerint lecti unquam ex aliis *equitibus*, si vel fuissent *equites* equo privato, quos tamen nullos fuisse supra docuimus, quàm *ex equestris ordinis* viris. Ex hoc loco Ciceronis igitur effici nullo modo potest in Republica Romana fuisse alios *equites*, qui fuerint *equestris ordinis*, alios, qui in acie oppositi fuerint pediti: multò minus ex loco Valerii Maximi. Illis temporibus quidem innumeri erant, qui equo merebant. Sed nihil indè. Cum singulis legionibus adderentur triginta turmæ legionariæ, ex legionibus duabus quadraginta turmas delectas ad rem illam, ad quam delegati erant, explicandam, quam cum malè sua, credo, culpa gessissent, fuisse spoliatas equis publicis. Equidem ad Marii tempora semper hoc fuit observatum, ut turmæ triginta, quæ singulis legionibus apponebantur, non nisi essent *equites* equo publico, nisi fortè cum summum Reipublicæ discrimen id exigeret, nonnunquam nonnulli suis mererent equis, qui censum haberent *equestrem*, quamvis nondum essent lecti in *equestrem ordinem*. Post Marium rei *equestris* magna facta fuit immutatio. Nam loco triginta turmarum, quæ ex Romanis *equitibus* ante Marii tempora constabantur, post conscribebantur *equites* ex Italia, & provinciis, qui addebantur legionibus loco pristinarum triginta turmarum. Dicebantur autem *ala*, nunquam *turmæ*. Plerumque ala non erat tricenaria, ut triginta turmæ legionariæ, sed vel quingenaria, vel sexcenaria, vel milliaria. Hinc in C. Cæsaris exercitu in Gallia bellantis pauci fuerunt *equites* Romani; qui erant, ii distinguebantur ab *equitatu*, quem ille habebat ex Gallis, & Germanis, aliisque gentibus. *Equites* enim Romani junguntur aut evocatis, aut tribunis, aut aliis perficiebantur administrationibus bellicis, sive quod bellis civilibus valdè attritus esset *equestris ordo*, ut tot legionibus, quibus tum res gerebatur, non sufficeret; præcipuè cum Romæ præessent alii judiciis, alii vectigalia conducerent, aut quod illius ordinis dignitas ita crevisset, ut inter gregarios *equites* legionarios merere plerique gravarentur. Etiam Lips. l. l. duplices Romanos *equites* fuisse censet, non tamen Sigonii secutus rationem. Sed alios fuisse equo publico, alios sine eo. Illos fuisse vetustissimos, & prope solos *equites* dictos, eosque dici à Plinio, quem modò laudavimus, *militares*. Et equos publicos contendit fuisse militares. Sed si soli equi publici dicti sunt militares, quomodo dicebantur illorum equi, qui merebant nonnunquam equis suis ut Vejente bello; nonne illorum equi fuerunt etiam equi militares? Verùm hæc non est mens Plinii, qui, cum hæc scriberet, suam respiciebat ætatem, qua *equestris ordinis* viri non merebant in turmis legionariis, ut olim, quibus propterea equus publicus erat assignatus, & æs *equestre* ad illum alendum, & hic equus publicus, quem militarem dicit, erat tunc insigne *ordinis equestris*. Suo verò tempore non requiri ait Plinius equum publicum, sed tantum censum *equestrem*, quem qui habebat, donabatur annulo aureo, hoc est, adscribebatur *equestri ordini*. Pecuniæ tantùm, sive censui *equestri* tribuebatur *equestris ordinis* dignitas, retinebantque hoc tantùm *equestris ordinis* insigne *equites* Romani sui temporis, annulum nimirum aureum, altero verò, equis militaribus, dudum carebant. Nam sub Imperatoribus non legebantur turmæ triginta legionariæ, ut olim, ex *equestri ordine*, sed ex Italicis & provincialibus alæ, ut vidimus paullò ante. Qui quadringena possidebat, *equestri ordini* adscribebatur, quanquam nunquam militiæ nomen esset daturus, ut Ovidius, qui, ut ipse prodidit, habebat equum publicum, nunquam tamen militavit. Sic enim de se scripsit Trist. IV. 1. 71.

Aspera militia juvenis certamina fugi,
Nec nisi lusura movimus arma manu.

Nec aliter intelligendus Asconius supra allatus. Per *equites* enim, ex quibus olim triginta turmæ, quæ singulæ

legio-

legioni solebant addi, legebantur in delectu, quod suo tempore exoleverat, cum nullæ essent turmæ legionariæ, nec equites militares gregarii, ex equestri ordine lecti, aut valdè rari. Hinc Plin. l. l. prioribus statim subjicit: *Equitum nomen subsistebat in turmis æquorum*, olim scilicet, non suo tempore, quo dudum nullæ turmæ fuerant *equestris ordinis*. Lipsius putat mutatum esse bello Vejenti, ut soli *equites* equo publico fuerint militares. Illo enim bello, & deinceps fuisse in legionariis turmis multos, qui equis suis militarint. Cave credas. Quomodo locus Livii sit intelligendus, egregiè, dum ad illum scripsit, ostendit Schel. in Polyb. c. 4. *Non cura pretium*, inquit ille, *his diu inhærere. Plana est sententia: Tunc primum suis equis merere equites cœperunt. Id videas ex Epitome, ubi clarè est: Equites tunc primum equis suis merere cœperunt. Et, nisi fallor, ita reliquerat Livius. De re certè dubitari non potest. Ante eam diem non nisi publico equo meruerant, tum primum suis equis militaverunt: ante dena millia ad emendum publicum equum acceperant, tunc ipsi equum emere cœperunt, pro quo certus numerus æris assignatus*. Sed quinam fuerunt *equites* equo publico, *quorum apud Tullium, & in inscriptionibus antiquis*, Imperatorum tempore scriptis, sæpè fit mentio? Erant *equites* Romani, qui equum publicum habebant, ut olim, non ut militarent ut antiquis temporibus, cum nullus alius *equitatus* esset Romanus, quàm ex *equestri ordine* conscriptus, sed ut esset tantum insigne honoris, & *equestris ordinis*. Equo publico donabantur multi à censoribus, aut Imperatoribus, qui censorum personam sustinebant nonnunquam, cum lustrum conderent; hi in *equitum* transvectione recognoscebantur. Imprimis sub Imperatoribus nonnulli, sive milites, sive alii, sive quod rebus præclarè gestis hunc honorem essent meriti, sive gratia Imperatorum, eorumve, qui illos Imperatoribus commendarunt, donabantur equo publico, ut alii ornamentis senatoriis. Sic Imperator Adrianus M. Antonino *honorem equi publici sexenni dedit*, teste Capitol. c. 4. & in inscriptione antiqua apud Gruterum honestatur equo publico puer septennis. Equus publicus tum erat tantum monumentum honoris, quo erant affecti, & insigne *ordinis equestris*, in quem erant allecti. Hominum ex *equestri ordine*, sive *equitum* equo publico tempore Ciceronis alii publicum conducebant, alii judices legebantur, sed nulli in delectu, quem consules agebant, legionarii legebantur *equites*, ut priscis temporibus. Nullæ certè ex illis *equitibus* equo publico sub Imperatoribus conscribebantur legionariæ turmæ, nec est credibile tum temporis tantæ dignitatis viros peregrini generis alis, quæ tum temporis loco turmarum legionibus adjiciebantur, fuisse admixtos. Præficiebantur verò Romani *equites* aut alis, aut cohortibus, aut tribuni legionibus præerant, quæ *equestres militiæ* dicuntur Svet. Claud. c. 25. n. 1. & Plin. Epist. VII. 25. 2. Erant autem curationes militares, quibus tum præficiebantur *equites* Romani, aut in Ægyptum, aliasque Cæsareas provincias legati Imperatorum mittebantur. Sub Republica virtutis præmium erat, cum *equiti* Romano equi publici alendi gratia fieret à censore; sed erat quoque ignavorum pœna publico equo spoliari à censore. Præmium, credo, fortium virorum, cum onere levabantur alendi equum publicum; nam cum levarentur hoc honore, levabantur simul munere merendi equo in turma. Hoc docet Liv. XXXIX. 19. *Sctum factum, ut tribuni plebis referrent, ut P. Æbutio, cujus pater equo publico meruerat, emerita stipendia essent, ne invitus militaret, neve censor ei equum publicum assignaret*. Vides fuisse beneficium, si *equestris ordinis* viro non assignaretur equus publicus, causam verò fuisse, ne invitus militaret. Quicunque enim illis temporibus equum publicum habebant, cogebantur decem stipendia facere. Insignis etiam de hac re locus est apud Plutarch. in Pompej. p. 630. A. *Gratissimum verò spectaculum populo se ipse* Pompejus *præbuit, cum militiæ vacationem postularet. Mos est equitibus Romanis, ubi legitimum tempus stipendiorum impleverunt, ut equum in forum ad censores adducant, enumeratisque singulis ducibus & imperatoribus, sub quibus meruerunt, ac reddita militiæ ratione, petant vacationem*. Hoc fecisse videntur reddito equo publico. Nam hæc erat causa, cur equum Pompejus ad censores in forum deducebat, ut ex sequentibus patet. Si cui ante confecta stipendia hæc vacatio dabatur propter insigne aliquod meritum, id utique beneficium, & jus quoddam præcipuum, quo liberabantur merendi necessitate. Pœna verò *equitum*, qui malè rem gesserant, erat ademptio equi publici: quia cui adimebatur equus publicus, removebatur ex *equestri ordine*, amittebatque illius ordinis dignitatem. Cognosces hoc ex Suetonii Caligula. Is inquit c. 16. n. 5. *equites Romanos severè, curiosèque, nec sine moderatione recognovit: palam adempto equo quibus aut probri aliquid, aut ignominiæ inesset: eorum, qui minore culpa tenerentur, nominibus modò in recitatione præteritis*. Græv. Præfat. ad Thes. Antiq. Roman. Tom. 1. * * 3. vers. Illorum duplex fuit genus, illorum nempe, qui à proavis hæredes *equestris ordinis* erant, & eorum, qui fortunæ, seu militiæ munere fiebant *equites*. Hanc distinctionem Ovidius vel solus docet. Trist. IV. 10. 7.

—— Usque à proavis vetus ordinis hæres,
Non modo fortunæ munere factus eques.

Amor III. 8. 9.

Ecce recens dives, parto per vulnera censu,
Præfertur nobis sanguine factus eques.

15. 5.

Siquid id est, usque à proavis vetus ordinis heres,
Non modò militiæ turbine factus eques.

Masson. Horat. vit. p. 114. Priores videntur dicti *illustres*. Tacit. Annal. IV. 58. 1. *Eques Romanus ex illustribus Curtius Atticus* XI. 4. 1. *Pergit Suilius addere reos equites Romanos illustres: speciosi*. Paterc. II. 59. 2. *Fuit C. Octavius, ut non patricia, ita admodum speciosa equestri genitus familia*. 88. 2. *splendidi*. *Tunc Urbis custodiæ præpositus C. Mæcenas, equestri, sed splendido genere natus*. Plin. Epist. VI. 15. 1. *Passienus Paulus, splendidus eques Romanus: insignes*. Tacit. Annal. XI. 5. 2. *Samius insignis eques Romanus*. Lips. in Tacit. Annal. XI. 12. 15. Ruben. de Re vest. 1. 14. Masson. l. l. Suspicor ego sic dictos, qui non quidem senatores, sed & censum habebant, & spem senatoriæ dignitatis: imò etiam ordinis ejus insigne, id est latum clavum. *Lips. l. l.* Cui non assentior, dum scribit splendidos *equites* vocari eos solum, qui laticlaviam adepti erant. Omnes enim illi, qui ex antiqua familia equestri orti erant, *equites splendidi* vocantur. Ita modò Paterculus de Mæcenate; *Ruben. l. l.* Cæteris, saltem *modo factis*, præcelluerunt. Indicavit hoc Ovidius satis clarè. Istius etiam præcellentiæ jure prima in XIV. theatri gradibus subsellia ex lege Roscia videntur occupavisse. Licet suspicari eo respexisse Horatium, cum illum, in quem scribit, *magnum* vocat *equitem*: eum nempe exagitans, quòd se tanquam illustrem. . . . *equitem* gereret, ac adeo in primis gradibus sederet, *Othone contempto*, hoc est, contra quàm ferebat Roscii Othonis lex. Versus Horat. Epod. IV. 15.

Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedet.

Masson. ibid. p. 115. Ovid. vit. p. 68. Non temerè, aut omnes, sed cum delectu, & examine etiam morum, ad *equum* publicum rescribebantur. In excerptis glossarii veteris legi: *Dicente quodam esse sibi substantiam equestris dignitatis, sed cum equum publicum peteret, prætermissum se esse; securum crimine, quod ipsi concitaverunt: Hadrianus dixit: qui equum publicum petit, emendatus esse debet, cætera autem vitæ tuæ ipse probabis*. Lips. l. l. Illos olim dabat censor, judex scilicet morum. Liv. XXXIX. 19. *Ne* P. Ebutius, *invitus militaret, neve censor ei equum publicum assignaret*. Atque ille ipse censor, cum jam haberent, recognoscebat, & si quid vitii in iis, adimebat. Erat moris, ut *equites* ad tribunal censorum venirent, manu ducentes unusquisque suum equum: si retinere iis permittebant censores, sinebant illos abire; sin aliter, ut diximus, equum illis adimebant, illumque vendi jubebant. Liv. XXXIX. 44. *In equitatu recognoscendo L. Scipioni Asiageni ademptus est equus*. XXIV. 18. *His, superioribusque illis equi adempti, qui publicum equum habebant*. Pers. III. 29.

Censoremve tuum vel quod trabeate salutas.

Comment. *Cognitio equitum Romanorum censoribus erat subjecta, quæ nunc consulum est officii.* Miror de consulibus, nec exemplum legi. Principes ipsos id usurpasse inferioribus temporibus satis clarum. Suet. Cal. c. 16. n. 5. *Equites Romanos severè curioseque recognovit, palam adempto equo, quibus aut probri, aut ignominia aliquid inesset.* Lips. l. l. Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 29. B. 34. D. Ræfvard. Var. II. 15. Lycklama de Magistrat. c. 8. Masson. Ovid. vit. p. 121. Fiebat hæc à censoribus singulis lustris, postea ab Imperatoribus passim tempore non certo. Idque non aliud fuit quàm censura quædam in *equites equosque* publicos, & quasi examen. *Lips. in Tacit. Annal.* II. *n.* 215. *Hugo de Milit. Equestr.* II. 5. Ad quod faciebat etiam ipsa transvectio, quæ à recognitione alia erat, & istorum *equitum* propria pompa, à Q. Fabio Rulliano instituta. Liv. IX. 46. *Ab eodem institutum dicitur, ut equites Idibus Quintilibus transveherentur.* Val. Max. II. 2. *Trabeatos equites Idibus Juliis Q. Fabius transvehi jussit.* Aurel. Vict. c. 32. n. 3. *Q. Fabius Rullianus primus instituit, ut equites Romani Idibus Quintilibus ab æde Honoris*, Martis mox dicet Dionysius; sed Honoris ædes extra Collinam portam fuit, non longè ab ea Martis, *albis equis*, rescribo *alti*, quis enim credat tot unius coloris fuisse? Nec aliud vult quàm sublimes & conspicuos in *equis* fuisse, *insidentes in Capitolium transirent.* Pompam describit Dionys. VI. p. 351. *Pugnæ ad Regillum plura monumenta sunt, sed ante omnia insigne, pompa & transvectio equitum Romanorum, qui publicum equum habent. Ii per centurias & turmas divisi, ordine equis insidentes vehuntur omnes quasi è pugna venientes, ramis oleæ coronati, & purpureas palmatas togas induti, quas trabeas dicunt. Incipiunt ab æde quadam Martis extra Urbem sita, transeuntesque cum alia loca Urbis, tum forum & ædem Castorum prætereunt, interdum ad quinque virorum millia, gerentes præmia & dona militaria, quæcunque à ducibus in bello acceperint.* Primores civium præibant & ducebant. Et hi *magni auctores*, de quibus Val. Max. l. l. *Equestris ordinis juventus omnibus annis bis Urbem spectaculo sui sub magnis auctoribus celebrabat, die Lupercalium, & equitum probatione.* Qui *probationem* dixit, quia, ut tetigi, in ea examen & discussio vitæ. Suet. Aug. c. 38. n. 3. *Augustus equitum turmas frequenter recognovit, post longam intercapedinem reducto more transvectionis. Sed neque detrahi quemquam in transvehendo ab accusatore passus est, & senio, vel aliqua corporis labe insignibus permisit, præmisso in ordine equo, ad respondendum, quoties citarentur, pedibus venire.* Vides accusatores, citatos, imo & detractos ignominiosè, quod tamen Augustus ultrà interdixit. Si sine culpa, abibant, & *equum traducebant*: si aliter, sistebant, & jubebantur *vendere equum*. Sollennia hæc verba. Val. Max. IV. 1. *Traduc equum sacerdos, & lucrifac censoriam notam.* Liv. XXIX. 37. *Claudius Livium vendere equum jussit.* Lips. de Milit. Rom. & in Tacit. l. l. Manut. ibid. p. 33. 4. Ræfvard. Var. Lect. II. 15. Coras. Misc. Jur. I. 11. Bud. in Pandect. p. 90. Hugo de Milit. Equestr. II. 5. Junius Fastor. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 245. C. Laurent. Polym. IV. Synops. I. §. 4. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. I. 17. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 696. D. Pigh. Annal. Rom. I. p. 87. Thys. Rom. Illustr. I. p. 49. Alex. ab Alex. Gen. dier. III. 28. & ad illum Tiraquellus. Pitisc. in Svetonium. Cicero primus in illo suo nunquam satis laudando consulatu à plebe separavit, & tertium ordinem in Rempublicam induxit. Atque ab illo tempore, ut scribit Plinius jam laudatus, tertium hoc corpus in Republica factum est. *Streinn. l. l.* Discernebantur à senatu clavo angusto. V. supr. in *Clavus angustus*: à plebe annulo aureo. V. supr. in *Annulus aureus*. Sigon. de Ant. Jur. civ. Rom. II. 4. Illorum etiam propria erat trabea. Hoc modo docuerunt nos, ubi de *equitum* transvectione loquuntur, Dionysius, & Valerius Maximus. Ideo *trabeata agmina* ipsi equites Stat. Sylv. IV. 2. 32.

Hic tum Romuleos proceres, trabeataque Cæsar
Agmina mille simul jussit discumbere mensis.

V. 2. 17.

—— non sanguine cretus
Turmalis, trabeaque Remi.

quia erant trabeati exemplo Regum. Et in funere Germanici *trabeati equites* apud Tacit. Annal. III. 2. 2. Qui hanc vestem sumpserunt non doloris indicium, cum contra ea uterentur in diebus sollenibus, & lætis, ut in transvectione teste Dionysio jam laudato; sed ordinis, ad discriminandum, inquam, in coloniis *equitem* à plebe, & splendorem funeri conciliandum. *Lips. in Tacitum. Hugo de Milit. Equest.* V. 1. *Ferrar. de re vest.* I. 2. 5. *Bayf. de Re vest. c.* 10. *Laz. Comm. Reip. Rom.* VIII. 5. Illis L. Roscius Otho primus in theatro quatuor decim gradus attribuit anno U. C. 686. Liv. Epit. 99. *L. Roscius tribunus plebis legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur.* Cicer. Phil. II. 18. *Sedisti in quatuordecim ordinibus, cum lege Roscia decoctoribus certus locus esset constitutus, quamvis fortunæ vitio, non suo decoxisses.* Verùm illa lex sæpè neglecta, sæpè restituta ab Imperatoribus. Ideo frequenter in jus vocati, qui in quatuordecim sederent, sæpè excitati à lictoribus. Lex fuit, ne sedeat in quatuordecim ordinibus, qui ludicram artem exercuerat, qui se prætori in hortis ostenderat, neque in scenam erat productus. Si accusabitur theatrali lege, si excitatus fuerit de spectaculis, aget injuriarum. Eam prolapsam restituit Domitianus, plebe promiscuè loca *equitum* occupante. Mart. V. 8.

Edictum domini, deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit
Dum laudat modò Phasis in theatro
Ilias purpureas & arrogantes
Jussit surgere Lectius lacernas.

Buleng. de Circo. c. 35. Manut. de Leg. c. 3. Augustin. de Legib. in Julia theatralis. Pitisc. in Suet. Aug. c. 40. n. 2. Plerique fuerunt publicani. Plin. XXXIII. 2. *Judicum appellatione separari equestrem ordinem, primi omnium instituere Gracchi, discordi popularitate in contumeliam senatus: mox ea debellata auctoritas nominis vario seditionum eventu circa publicanos substitit, & aliquando tertiæ vires publicani fuerunt. M. Cicero demum stabilivit equestre nomen in consulatu suo, ei senatum concilians, ex eo ordine se profectum celebrans, & ejus vires peculiari popularitate quærens.* Cicer. Planc. c. 9. V. illum infr. in *Publicani*. Non tamen omnes. Cujus rei argumento est id, quod exstat apud Nepotem de Attico equite Romano c. 5. n. 3. *Ad hastam publicam nunquam accessit, nullius rei neque præs, neque manceps factus est:* & apud Varon. de Re rust. I. *Offendi ibi C. Agrium equitem Romanum, & P. Agrasium publicanum.* Sigon. ibid. c. 4. Judices dicti sunt à judicando. *Augustin. de Legib. c.* 7. Judicia primis temporibus penes solos senatores quidem fuerunt, usque ad annum Urbis 630. Sed illo lex Sempronia lata est, ut judicia in *equestrem* ordinem transferrentur. Et illa ratio duravit ad annum usque 647. quo lege Servilia latum est, ut *equestria* judicia cum ordine senatorio ita communicarentur, ut minor tamen numerus senatorum esset, quod quidem usque ad annum 662. observatum est, quo Livia lege sancitum est, ut æqua ex parte judicia penes senatum, & *equestrem* ordinem essent: usque dum Plautia lex ferretur anno 664. quæ nonnullos etiam ex plebe unà cum senatoribus & *equitibus* admisit. Post anno 673. lege Cornelia lata judicia *equestri* adempta ad solum ordinem senatorium redierunt. Hoc usque ad legem Aureliam usurpatum fuit, quæ anno 683. sanxit, uti cum senatoribus, & *equites*, & tribuni ærarii judicarent. Sed hos Julius Cæsar sustulit, judiciaque ad solos *equites* & senatores iterum revocavit. *Hotoman. de Senat. & SCt.* II. 2. *Manut. de Legib. c.* 15. *August. de Legib. in Sempronia. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* II. 18. *Judic.* II. 6. *Siccama de Centumv. Judic.* I. 5. *Pollet. For. Rom.* III. 8. & 9. *Zamosc. de Senat. Rom.* I. 15. *Robert. de Judic. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 12. 13. *Bud. in Pandect. p.* 263. *H. Barth. Adv.* XVI. 3. *Vitell. cont. Merul. c.* 21. *Cujac. Obs.* XXI. 31. Rebus Imperatorum vitio prolapsis quadrigarii fuerunt. Svet. Aug. c. 43. n. 4. *In circo auri-*

aurigas, cursoresque & confectores ferarum, & nonnunquam ex nobilissima juventute produxit. Alcon. in Cicer. p. 148. *Dicit eum in victoria quadrigarium, quod cum Sylla post victoriam circenses faceret, ita ut honesti homines quadrigas agitarent, fuit inter eos C. Antonius*. Buleng. de Circoc. 50. Magistratus aut non capiebant. Cic. pro Clu. c. 55. *Converte te nunc ad equestrem ordinem, atque in cæteros ordines: easdem vitæ conditiones, quas senatores, non perferent. Putant enim minus multos sibi laqueos legum, & conditionum, ac judiciorum propositos esse oportere, qui in summum locum civitatis aut non potuerunt ascendere, aut non petiverunt*. Suet. Aug. c. 2. o. 3. *A quibus duplex Octaviorum familia defluxit. Cneus, & deinceps ab eo reliqui omnes functi sunt honoribus summis. At Cajus ejusque posteri, seu fortuna, seu voluntate, in equestri ordine constiture*. Aut illo capto *equites* esse desinebaot. Nero quidem & Salinator censores, & Pompejus Magnus consul in illis magistratibus *equum* publicum habuerunt. Liv. xxix. 37. *Equitum census actus est, & fortè ambo censores equum publicum habebant*. Val. Max. II. 9. 6. *Claudius Nero Liviusque Salinator cum equitum centurias recognoscerent, & ipsi propter robur ætatis etiamnum eorum essent è numero, alter alterum equum vendere jussit*. Pompejum narrat Plutarch. p. 630. B. cum primùm consul esset, ad censores Catulum & Gellium *equum* manu ducentem venisse, atque ab iis ex ordine interrogatum, legitima à se omnia stipendia se Imperatore confecta, respondisse. Sed facilè evenire potuit, ut aot propter robur ætatis post captos magistratus *equum* publicum tenuerint, & tamen senatores fueriot: siquidem ut invenio apud Suet. Aug. c. 38. o. 4. Augustus *reddendi equi gratiam fecit eis, qui majores annorum quinque & quadraginta retinere eum nollent*. Aut, quod malim, in senatum illi quidem, sed jure magistratus, non lectione censoria venerint: nam Salinatorem disertè scribit Livius à censoribus L. Veturio, P. Licinio *in senatum venire coactum, sed tum aut verbo assensum, aut pedibus in aliorum sententiam esse profectum*. Et rectè. Neque enim legisse eum potuerunt, cum nullo senatu lecto abdicarint. Pompejum autem perspicuum est consulem factum, cum adhuc eques Romanus esset, id est, ut inquit Dio, cum nondum senator esset: neque verò quanquam quæsturam gesserat, legi in senatum ante consulatum potuit; cum per annos septendecim nulli censores fuisseot, qui senatum legerent, neque ante Dictatore Sylla legi propter ætatem potuisset. Fuisse autem hoc moris scribit Isidorus, *ut quamvis quis senatoria origine esset, tamen usque ad legitimos annos eques Romanus esset, deindè ordinem senatorium iniret*. Itaque & Pompejus hic Magnus Pompei Strabonis, viri consularis, ac triumphalis filius, *eques* tamen Romanus fuit: atque *equestris* ordinis homines sæpè senatorum filios fuisse apud Livium animadvertimus: & Cicer. Verr. IV. 20. Cn. Calidii *equitis* Romani filium senatorem & judicem nominat. *Sigon. l. l. Gæv. Præfat. in Thes. Ant. Rom. Tom. 1.* * * *3. vers.*

EQUULEUS, sive *eculeus* fuit tormenti genus, quo ad extorquendam de servis veritatem utebantur antiqui. Cic. pro Dejot. c. 1. *Cum more majorum de servo in dominum ne tormentis quidem queri liceat, in qua quæstione dolor veram vocem elicere possit etiam ab invito, exortus est servus, qui, quem in equuleo appellare non posset, eum accuset solutus*. Milon. c. 21. *Facti in equuleo quæstio est, juris in judicio*. Translatum est inde ad cruciandos homines, & acerbiore supplicio afficiendos, quod in Christianis Martiribus patuit. Nec differunt inter se scriptores, sed in ejus duntaxat perfecta definitione ac forma explicanda. *Gallon. de Martyr. cruc. c. 3. p. 130. Sigon. de Judic.* III. 17. Nihil aliud fuisse quàm laminam ferri ignitam, qua homines torqueri consuevissent, legitur in Calepini Lexico in voce *Equuleus*. Sed per Deum immortalem quid potuit dici insulsius? Quid laminæ ignitæ cum parvo equo, sive pullo equino commune? Deceptum eo fuisse arbitror, quod Valerius Maximus & Quintilianus. V. illos infr. in *Fidicula*. ubi de *equuleo* mentionem faciunt, & laminæ ignitæ candentisque meminerint. *Mag. de Equul. c. 6.* & ad illum *Jungermannus & Gallon. de cruciat. Martyr. p. 132. Laurent. de Rebusp. c. 7.* Fuit catasta lignea, cochleata, ad intendendum ac remittendum apta, atque ad torquendos homines instituta. Tormenti verò genus erat hujusmodi: Ubi catastæ huic brachia, pedesque ejus, qui torquendus erat, nervis quibusdam, quæ fidiculæ dicebantur, alligaverant, tum catasta intenta, atque in altum erecta, ut ex eo, quasi ex cruce quadam miser ille penderet: primùm compagem ipsam ossium illius dividebant, deindè candentibus ejusdem corpori laminis admotis, atque bisulcis ungulis ferreis lateribus laniatis doloris acerbitatem augebant. *Sigon. de Judic.* III. 17. *Donat. Dilucid. p. 842. Laurent. l. l.* Sigonius permiscet *equuleum* cum catasta, nec non & cum genere illo compedum, quo rei in carcere positi, injectis ad quartum, vel quintum foramen pedibus, ad jugem cruciatum sic vincti detinebantur. *Gallon. de Cruciat. mart. p. 161. & 164. Baron. in Martyrol. ad 22. Januarii*. Est id pœnæ genus, quam nostri hodie funem appellant. Quod deprehendimus ex auctoritate Senecæ Epist. 67. *Podagra distortus, aut equuleo longior factus*. Volaterr. Comm. Urban. XXXI. 10. In hoc homines brachiis post terga revinctis, funique per trochleam transducto alligatis sustolluntur, & mox pendentes statim demittuntur, ut his brachia ponderis vi, qua humeris junguntur, facilè luxentur, cruciatu mehercle magno. Sed Seneca illi non parum adversatur; nam de nescio quo homine loquitur. Et qui hodie vulgato cruciatus genere fune torquentur, quomodo longiores fiunt? quo pacto conjiciuntur in aliquod vas, aut instrumentum capax? Sic enim loqui consuevere auctores Latini: *conjectus in dolium ferreis clavis præfixum, conjectus in arcam, conjectus in lebetem*. Ut qui detruduntur in locum aliquem similiter capacem: *conjectus in carcerem, conjectus in fornacem, conjectus in latrinam*, quæ loca conjectum excipere & continere possint. In vulgato autem tormento funis peodet è trochlea, cui alligantur manus torquendi: & nihil est quod torquendum excipiat. *Mag. ibid. c. 3. Laurent. l. l.* Mirandulæ cum essemus, spectavimus tormenti genus ex asseribus compacti in morem adamantis acuminati effigiatum. Huc tanquam in equum conjiciebantur rei nudi, ita ut acumen premeret partem, quæ honestè nominari nequit, distentis per pondera manibus pedibusque quo graviores insiderent. *Equuleum* vocavere. Eorum ego sententiæ accedo. *Seghet. apud Magium ib. p. 43. Brod. Misc.* II. 9. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 12.* Stipes erat, cui velut *equo* imponebantur, ac variè torquebantur, cruciabantur, & distendebantur. De Romani martyrio cum scripsisset Prudent. περὶ στεφ. x. 108.

> *Incensus his Asclepiades jusserat*
> *Eviscerandum corpus equuleo eminus*
> *Pendere, & uncis vinculisque crescere.*

subjicit n. 114.

> *Jubet amoveri noxialem stipitem.*

Turneb. Adv. IV. 3: XV. 16. Hotman. Antiqu. Roman. v. p. 762. E. Huic sententiæ suffragari videtur, tormenti genus nostris temporibus, quod jure à similitudine *equuleum* appellare licet. Namque quatuor stipites ita adnectunt, ut quatuor *equorum* crura videantur in infima parte, quæ solo hæret, exteriùs extensos, in superna verò ita compaginatos, ut hinc inde asseribus circumvestiri in supremis in lineam rectam desinant, quæ acuminatam, angularem, peracutam formam efficit: hanc autem ferrea lamina circumducunt, cui reos tanquam sessores imponunt, pedibus gravibus ponderibus annexis, quæ tamen humum non contingant, & manibus retrò ligatis. *Donat. l. l.* Ego crediderim fuisse ligneum scamnum, sive ligneam arcam pedibus quatuor ligneis consistentem, fundoque carentem, quæ utrimque capiebat tympana, & funes, quibus manus, pedesque sontium, & torquendorum obligarentur, & protraherentur, non sine magno dolore totius corporis. Quamobrem Senec. l. l. inquit: *In equuleo longior factus est*. Quare manifestum hoc pacto ossibus è compage motis, solutisque corpus productum fuisse. In hoc pendere solebant, qua suspensi aere in vacuo, corpore eo pacto extenso, non è simplici fune ad perpendiculum, ut alii censent. *Mag. l. l.* Fuit potiùs machina lignea ad veri

equi similitudinem fabricata, cum duabus striatis rotulis in extremis, excavatisque ejus partibus inditis, quæ cum erat aliquis in ea torquendus, per axiculos ductoriis funiculis trajectis versabatur: quocirca fiebat, ut illis alligatus variè excruciaretur, atque distenderetur. Consueverunt veteres hoc modo *equuleum* construere. Præparabant stipitem rectum, longitudinis, latitudinisque convenientis; in cujus extremis partibus excavatis, duas striaras rotulas, quæ per axiculos verti possent, indebant; tum deinde, ut ex omni parte elevatus remaneret è terra, desumebant quatuor ligna eo paullò arctiora, atque minora, quæ deinceps clavis ferreis non longè ab ultimis stipitis partibus affigentes, fabricabant machinam quatuor quasi pedibus veri equi instar insistentem. Huic torquendus supinus imponebatur, pedibus vinctis, & manibus post tergum religatis; deinde tortores per machinulam ad *equulei* pedes fixam, rotis corpus extendebant, à capite, & à pedibus machinam vertentes. Aliquando laxatis funiculis incurvum, ac pendulum ab *equuleo* cadere sinebant. *Gallon, ibid. p.* 133. Quod machina illa tortoria instar *equi*, sive *equulei* fabricata esset, cum Magio de Equuleo c. 12. & Pamelio ad Epistolam Cypriani martyris 33. sentit Gallonius adducto vel uno testimonio Pomponii apud Non. 11. 284.

Et ubi insilui in cochleatum equuleum,
Ibi tollutim tortor.

Sed quod supinos jacuisse credit, quia Hieron. ad Innoc. Epist. 49. ait: *Cum equuleus corpus extenderet, oculis, quos tantum tortor alligare non poterat, suspexit ad cœlum.* Et Senec. Epist. 66. *Hoc nobis persuadere conaris, nihil interesse, utrum aliquis in gaudio sit, an in equuleo jaceat.* Id nequaquam fieri potuisse videtur, sed cum in *equuleum* insiluissent, more equitantium, dispessis cruribus insedisse, & cum retrò brachia convellerentur, nonnisi curvos stetisse. Apud Senecam non *jaceat*, sed taceat legendum esse Muretus indicavit. Nam fuisse manus post tergum religatas ipse fatetur ex Euseb. Hist. VIII. 2. *Quidam enim primum manibus à tergo colligatis ligno appensi, & machinis quibusdam membra eorum universa distenta, distractaque.* Quod laxatis funiculis noxii incurvatis corporibus sub *equulei* machinam cadere sinerentur, probat ex Ammian. XXVI. 10. *Innocentes tortoribus exposuit multos, & sub equuleo cepit incurvos.* XXVIII. 1. *Quanquam incurvus sub equuleo staret, erecta tamen facie cœlum versus.* Sed hæc indicant potiùs stetisse in *equuleo* incurvos, cum funes intenti essent, & non cum laxarentur. Nam intentio illa, qua brachia retrò sursum trahebantur, cogebat incurvos stare, qui *equuleo* insidebant, cum & pedes rotulis deorsum revellerentur, ut in tormento funis ductarii videmus. Itaque vix capio, quomodo apud Ammianum *incurvus* ille sub *equuleo erecta facie cœlum versus* esse posset, nisi intelligit cervicem modicè deflexam: major in eo difficultas est, & quidem non una, quomodo aliquis *equuleo* insidens, sive inequitans, dicatur *stare sub equuleo:* deinde, quod sæpè in actis Martyrum occurrit, *appendi*, vel *suspendi in equuleo: Adduxit in conspectum suum equuleum, & jussit suspendi in eo Crescentianum.* Et de S. Thelica: *Qui cum pendendo in equuleo extensus, se Christianum esse pronuntiaret.* Quibus inductus Caracciolus existimat, *equuleum* fuisse unum tantùm stipitem erectum, & cochleatum, ad quem manibus, pedibusque revinctum hominis corpus, sursum, ac deorsum, eodem tempore, tortoris arbitrio distendebatur. Nam Prudent. Peristeph. x. 491.

Miserum putatis, quod retortus pendeo,
Extentis ulnis,

Et v. 109. infr. laudandus. Euseb. Hist. VIII. 2. modò laudatus. Paullin. de S. Martino: *porrecti robore ligni.* In actis Martyrum: *in equuleo suspensi, in equuleum levatus.* Ex quibus etiam apparet, manibus à tergo ligatis, id est, non hinc inde distractis, sed retrò vinctis appensos, ut junctis pedibus infernè distenderentur. Acta tergeminorum fratrum apud Adonem XIII. Januarii: *Ligatis manibus susum, ac pedibus jusum.* Si in *equuleo* reus supinus jacuisset, scilicet in trabe oblonga quatuor pedibus suffulta, ut vult Gallonius, quomodo sursum, ac deorsum distrahi potuisset? Multò minùs si in catasta, quæ est opinio Sigonii, nam catastam ipsam fuisse erectam qui fieri potuit, cum tabulatum, sive pegma esset? Itaque Caraccioli opinio probabilior videtur, fuisse erectum stipitem, ita enim intelligimus, quo modo homines in *equuleo* suspenderentur, id est, in erecto stipite: quomodo *starent sub equuleo incurvi* apud Ammianum; nam cum essent brachia retrò alligata, ut in tormento trochleæ, sive funis tortorii, reductis, ac revulsis brachiis, homo rectus stare non poterat. Obstat modò vox *equulei:* nulla enim erecti stipitis cum *equuleo* similitudo. Nam quod ait Caracciolus, *equuleum* per C, non per Q scribendum esse, utroque modo scriptum scimus: quod verò subjicit, *eculeum* dictum, quia *culeum*, id est, corium, sive pellem valdè ea machina extenderet, ineptum est: nunquam enim *culeus* pro hominis pelle, sed pro utre, hoc est, sacco ex corio accipitur: nec pellis modò, sed totum corpus extendebatur. Obstat etiam illud veteris poetæ:

Cum in cochleatum equuleum insilui,

quod de equo proprium, *ibi tollutim tortor*, non volubiliter torqueor, ut Nonius explicat, sed succutior, id est, modò in altum tollor, modò contrario nisu deprimor, quod faciunt, qui equo succussatori resident, Itali *trottare* à *quadrupedare*, ut in Originibus diximus. Hæc omnia credere nos cogunt, aut non unam *equulei* formam apud veteres fuisse: aut ita compactum, ut ex duplici ligno constaret, stipite scilicet erecto, & altero ligno ad medium apposito, eoque quatuor pedibus innixo, cui torquendus insidens, illinc brachiis sursum, hinc pedibus deorsum extenderetur, & pars illa, qua sedemus, acuto transversi stipitis dorso diffinderetur. Prudent. Peristeph. x. 108.

Incensus his Asclepiades jusserat
Eviscerandum corpus equuleo eminus
Pendere, & uncis, vinculisque crescere.
Apparitores sed furenti suggerunt
Illum vetusta nobilem prosapia,
Meritisque multis esse primum civium.
Jubet amoveri noxialem stipitem,
Plebeja clarum pœna ne damnet virum.

Apud Paullinum *robora sursum porrecti ligni*, certè est stipes erectus, ex quo pendens *incurvus sub equuleo stare* dicitur Ammian. XXVIII. 1. sicut *sub equuleo multos cepit incurvos* apud eund. XXVI. 10. Nam *equuleo* insidentis brachia sursum trahi non poterant, nisi retrò stipes erectus fuisset, cui imposita trochlea, per quam funi retrò vincta brachia sursum trahebantur, sicut altera machina infra *equuleum* posita pedes deorsum revellebantur. Nam quod Pamelius in notis ad Epistolam Cypriani martyris 33. existimat reos in *equuleum* conjectos ex Cicer. Tusc. Quæst. v. 5. næ ille non *equuleum*, sed equum Trojanum comminiscitur. Non ibi Cicero de reo loquitur, qui in *equuleum* conjiceretur. Verba ejus sunt: *Nam etiam in tormentis rectè, honestè, laudabiliter, & ob eam rem benè vivi potest: hæc etiam in equuleum conjiciuntur, quo vita non adspirat beata.* Hoc est, ista durant etiam in *equuleo*, si mittantur in *equuleum*, perseverant. Quomodo enim in equum conjectus extendi potuisset, nisi ut in tauro Perilli igne subjecto torquebatur? *Conjici* igitur idem est, quod eodem hoc numero Cicero ait, *ire in equuleum*, & *imponi in equuleum.* Quomodo *in equuleum conjectus* insilire in eum dici poterat? Quàm dirum autem, & crudele tormenti genus illud esset, præter illa Prudent. Peristeph. v. 109.

Vinctum retortis brachiis
Sursum, ac deorsum extendite,
Compago donec ossium
Divulsa membratim crepet.

x. 493.

Compago nervis quod sonat crepantibus.

vel testis est unus Sil. Ital. 1. 175. ubi *equuleo* tortum Regis Hispanorum servum describens, ait:

—— ferum visu, dictuque: per artem
Sævitia, extenti, quantum tormenta jubebant,
Creverunt artus, atque omni sanguine rupto
Ossa liquefactis fumarunt fervida membris.

Ferrat.

Fertar. Elect. r. 5. Valesf. in Ammianum, Græv. Thesf. Antiq. Roman. Tom. 11. Præf. ******

EQUUS primus à Neptuno è terra excitatus dicitur. Virg. Georg. 1. 12.

—— tuque ò cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percussa tridenti.

Quare Pamphos vetus poeta vocat Neptunum *equorum datorem* apud Pausan. Ἀχαϊκ. p. 227. Et qui per Neptunum jurabant, equorum jubas attingere soliti erant, Homer. Iliad. XXIII. 584.

En age equos tangens neptunia jura,
Fraude meas nulla prudens tardare jugales.

Eum alii Arionem, quidam Scythium, nonnulli Schironem dictum volunt, ut Servius docet. Quidam in Arcadia, nonnulli in Thessalia: unde & ab Arcadibus dictus est Ἵππιος Ποσειδῶν apud Pausan. Ἀρκαδ. p. 257. Primum in Thessalia *equum* exstitisse à Neptuno editum docet Lucan. VI. 396.

Primus ab æquorea percussis cuspide saxis
Thessalicus sonipes bellis feralibus omen
Exsiluit, primus chalybem frenosque momordit,
Spumavitque novis Lapithæ domitoris habenis.

Buleng. de Equis c. 4. Ortel. Deor. & Dear. cap. c. 11. Jun. Emblem. 1. Potter. Archæol. Græc. III. 2. Quia primus *equos* domuit, & *equestris* rei scientiam tradidit. Diodor. v. p. 233. A. *La Chausse de an. ant. Lucern. tabul.* IX. *Ortel. l. l.* Illis currum Panathenæorum festo primus Erichthonius junxisse memoratur. Virg. Georg. III. 113.

Primus Erichthonius currus, & quatuor ausus
Jungere equos, rapidisque rotis insistere victor.

Ubi Servius: *Varro in libro 5. qui Mirabilium inscribitur, Erichthonium tradit primum quatuer junxisse equos ludis, qui Panathenaici appellantur.* Procidum quendam Cecropis ætate id fecisse tradit Ado in Chronico: *Hac etiam ætate primus Procidus quadrigam junxit: eodemque tempore Cecrops Athenas condidit. L. Trochilus.* Is enim facto hoc commemoratur à Theone in Aratum: *Mythologi dicunt, aurigam esse imaginem seu Bellerophontis, sive Trochili, filii C llithea, prima Argis sacerdotis, qui primus currum equis junxit.* Meursf. de Regib. Athen. II. 1. Buleng. l.l. Stevvech. in Veget. II. 34. Illo vehi Bellerophontem docuisse ferunt. Vixit Bellerophon ante CHRISTUM anno circiter 1360. Hoc videtur illi tribui, quod celeritatem *equi* ad itinera conficienda primus observarit, & ad usus adhibuerit humanos. Quanquam ne hoc quidem fortè ipsi aliter concedi possit, quàm quatenus ostenderit apud suos. Nam alias de Sesanchose, quem & Sesostrem appellant à Ægyptiorum Rege Dicearchus: *Ajunt eum primum invenisse, quomodo conscendere homo equum possit.* Vixit Sesostris circa annum mundi 2475. Unde liquet Bellerophontem eum antecessisse annis quasi centum atque quindecim, cum Bellerophontis ætas incidat in annum mundi 2590. *Scheffer. de Re vehic.* I. 8. In illos ut allevarentur, interdum hasta innitebantur. De Cornelio Cosso Liv. IV. 19. *Quem cum equo ictum dejecisset, confestim & ipse hasta innixus se in pedes excipit.* Equos etiam quidam insueverunt ad flectenda crura, & sese dimittendum. De *equo* miræ fidei in herum, qui eum in pugna Cannensi graviter læsum in dorsum voluit suscipere, Sil. Ital. X. 465.

Inde inclinatus collum, submissus & armos
De more, inflexis præbebat scandere terga
Cruribus.

Digniores & molliores habebant qui manu tolleret, & adjutaret. Stratores Latinis dicebantur. V. illos infr. in *Strator.* & ἀναβολεῦσι Græcis. V. illos supr. in Ἀναβολεύς. Instrumentum portatile juxta *equum* apponebant, & eo velut gradu attollebantur. Eustath. Odyss. A. n. 155. *Anaboleus dicitur illud ferrum, cui pedes imponunt quidam, ut inscendant commodius.* Fit hodie interdum in curribus. In illos insiliebant, ut rusticuli nostri nullo nisu se in *equos* subjiciunt. Et id saltu quodam factum docet Virg. Æneid. XII. 288.

—— corpora saltu
Subjiciunt in equos.

Inde salino in equum ligneum Romæ. V. infr. in *Equi lignei.* Lipsf. de Milit. Rom. III. Dial. 7. Potter. Archæol. Grec. III. 3. Hugo de Milit. Equest. I. 4. In lateribus viarum quoque illi, qui vias militares sternebant, collocabant altiores quosdam lapides, & tanquam quædam pusilla suggesta excitabant: ex quibus parvo negotio quilibet, tenui etiam corporis firmitate, poterat se conjicere in dorsum *equi.* Ita C. Gracchus plures vias, cum studeret cunctorum Italiæ populorum animum sibi conciliare, stravit. Et cum ipsas commodas fecisset atque ornasset, curavit etiam, ut lapidibus certa mensura positis, & columellis quibusdam notarentur millia passuum, & aliis itidem propioquioribus lapidibus effecit, ut qui *equo* veherentur, possent in eum facilè ascendere. Plutarchus in Gracchis p. 838. A. *Victor. Var. Lect.* XXXVII. 15. *Hugo & Potter. l. l.* Alii equos condocefaciebant sese submittere ad faciliorem inscensum. Polux I. 11. *Instituendus etiam equus, ut se submittat, ut faciliùs eques conscendere possit.* De equo Cloetu Equitis Romani Sil. Ital. X. 465.

Inde inclinatus collum, submissus & armos
De more, inflexis præbebat scandere terga
Cruribus.

Hugo & Potter. l. l. Thysf. Rom. Illust. III. p. 84. Consualibus immunes erant ab opere apud Romanos. V. super in *Consualia.* Illyrii *quaternos jaciebant nono quoque anno in mare, quia Neptunus tridentis ictu terra equum exciverat.* Festus in Hippius. *Argol. in Panvin. de Lud. Circensf.* I. 3. *Tomas de Donar.* c. 32. Nimis efflictim illos deperibant nonnulli. Verus Imperator *Volucri equo* Prasino aureum simulacrum fecerat, quod secum portabat. *Illi passas uvas & nucleos in vicem hordei in præsepe ponebat, sagis fugo tinctis coopertum in Tiberianam ad se adduci jubebat. Mortuo sepulcrum fecit in Vaticano.* Capitol. c. 6. Credibile ad circum Neronis proximè. Adrianus *equos & canes sic amavit, ut eis sepulcra constitueret.* Spartian. c. 20. Augustus ipse *equo fecit sepulcrum, de quo Germanici Cæsaris est carmen.* Plin. VIII. 42. Caligula *Incitato equo, cujus causa pridie circenses, ne inquietaretur, vicinia silentium per milites indicere solebat, præter equile marmoreum, & præsepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monile è gemmis, domum etiam & familiam, & supellectilem dedit, quo lautiùs nomine ejus invitati acciperentur: consulatum traditur destinasse.* Suet. c. 55. n. 8. Buleng. de circo c. 60. Guther. de jur. man. II. 37. Aring. Rom. Subterr. II. 5. 19. Borrich. Aor. Urb. Fac. c. 16. §. 3. Kirchman. Append. Fun. Rom. c. 6. *Equis* pelles insternebant prisci Romani illos conscensuri, ex nobilioribus quidem rariores quasdam, ut è lynce, tigride. Alii centunculos insternebant, aut viliores pannos: honestiores vestem pretiosam magis, aut tapetem. Magistratibus, & qui cum imperio erant, jus fuit purpura, aut cocco insternere: atque hi consulares, & imperatorii *equi.* Thysf. Rom. Illustr. III. p. 85. Ejus effigiem in signis prætulerunt Romani. Plin. X. 4. *Erat & antea prima, cum quatuor aliis, lupi, minotauri, equi, apri, quæ singulos ordines anteibant.* I. Quia per hujusmodi animantis speciem, cuio bello interfit, plurimumque valeat, Martis commoditatem designare voluerunt. II. Quia hoc animal præsagit pugnam, & gloriæ, atque victoriæ cupidum est. III. Quia armatos vehit. IV. Quia velox est, ut Martem decet, ac impetu, & furore maximè plenum. *Salmuth. in Panciroll. de Reb. deperd. & inv.* p. 589. *Lipsf. de Milit. Rom.* IV. *Dial.* 5. Erat inter præmia *equestria.* Pedestris cursus præmium, haud dubiè ad equestrem respectans, *equum* proposuit Virg. Æneid. V. 310.

Primus equum phaleris insignem victor habeto.

Rursum Niso, si vicerit, Ascanius promittit *equum* Turni Æneid. IX. 269.

Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus? ipsum illum clypeum, cristasque rubentes
Excipiam sorti, jam nunc sua præmia, Nise.

Hugo de Milit. Equest. V. 1. De *equis* curandis scripsit *Joachimus Camerarius.*

Equus æneus Constantini fuit in Foro Romano. Additur Genio populi Romani aureo. A Rufo & Victore omittitur. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thesf. Ant. Rom. Græv.*

Grav. Tom. III. p. 351. D. Marlian. Topogr. Urb. III. 5.

Equus æneus Domitiani fuit prope eam columnam, quæ unica stat in medio foro, auro superfusus. Stat. Sylv. I. 1.

Quæ superimposito moles geminata colosso
Stat Latium complexa forum.

Cujus sub altero pede erat Rheni fluminis Germaniæ simulacrum, de qua provincia Domitianus triumphaverat. Stat. n. 51.

Ænea captivi crinem tegit ungula Rheni.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 2. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 28. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 13. Nicol. de Triumph. c. 18. §. 2.

Equus æneus Tiridatis Romæ factus, in regione septima, sive Lata via collocatus est, quia illo vectus est in Italiam ad accipiendum regnum Parthorum à Nerone; cujus manu enim ut hoc reciperet, cum Corbulone copiarum Romanarum præfecto pacem inierat. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 349. D.* Fuerunt ex Antiquariis, qui ingentes duos illos *equos* marmoreos, qui in Quirinali ante palatium Papale conspiciuntur, fuisse Tiridatis existimavere. Sed hi ab illis fuerunt diversi; fuerunt enim Tiridatis ænei. Nisi fortè in eo Rufus corruptus sit, quod minimè probabile est. Non enim alii in Urbe ænei *equi* fuerunt, qui Rufi descriptorem movere potuerint, ut *eneos* pro *marmoreis* poneret. Quare eos vel diffractos, fusosque fuisse dicendum est, vel inter innumeras alias statuas, ac monumenta Urbis ænea à Constantio nepote Heraclii Imperatoris Constantinopolitani asportatos. Pancirollus *equum Tiridatis* hic singulari numero recensens, eo ipso satis ostendit, quam parum accuratus in urbis Romæ describendis fuerit rebus notabilibus. Victor verò & Rufus, cum *equi* scripsere, currum quoque à Nerone Tiridati de more positum indicare videntur. *Nardin. Rom. Vet. IV. 10. Donat. de Urb. Rom. III. 15. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 9. §. 2.*

Equus avertarius est ille, qui impedimenta, sive manticam portat, quæ nobis *la malle*, *valize*: unde *malier* nobis pro equo *avertario*. Bergier. de viis milit. IV. Sect. 15. §. 6. & ad illum Henninius.

Equus Cæsaris Dictatoris *traditur priores pedes humanis similes habuisse. Hac effigie locatus est ante Veneris Genitricis ædem.* Plin. VIII. 42. Suet. Cæs. c. 61. Solin. c. 45. in medio ejus foro positam, statuæ ejus ex ære inauratæ, quæ etiam pro illa æde, persimilis. *Donat. de Urb. Rom. II. 21. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 5. & 9. Faunus Ant. Urb. Rom. II. 23.*

Equus October, quem dum Idibus Decembribus immolatum esse dicit Plutarch. Quæst. Rom. 96. valdè errat. Immolabatur enim Octobribus ab illis hoc nomine dictus. Festus: *October equus appellatur, qui in campo Martio mense Octobri immolatur quotannis Marti, bigarum victricium dexterior, de cujus non levis contentio solebat esse inter Suburanenses & Sacravienses, ut hi in regia parte, illi ad turrim Mamiliam id figerent; ejusdemque cauda tanta celeritate perfertur in regiam, ut ex ea sanguis destillet in focum, participandæ rei divinæ gratia; quem hostiæ loco quidam Marti bellico deo sacrari dicunt, non, ut vulgus putat, quia velut supplicium de eo sumatur, quod Romani Ilio sunt oriundi, & Trojani ita effigie in equi sunt capti.* Boxhorn. in Plutarchum. Buleng. de Equis c. 3. Junius Fast. Thes. Antiq. Roman. Græv. VIII. p. 252. E. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 407. Stuck. Sacrif. p. 97. Alex. Gen. Dier. III. 18. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 590. Rosin. Ant. Rom. IV. 14. Siccam. in Fast. Kalend. c. 16. Nardin. Rom. vet. III. 6. & 12. Petav. in Juliani Orat. v. p. 19. edit. Lipsi. Argol. in Honuphr. de Lud. Circ. I. 13. Lomej. de Lustrat. c. 23. Ortel. Deor. & dear. cap. I. fig. 15. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 6. §. 1.

Equus publicus quis fuerit, parum compertum est. Varr. de Ling. Lat. VII. 38. *mille assarium* vocat. Quibus verbis stipendium fortasse aliquod vel alendi, vel emendi equi causa de publico constitutum significat. *Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman. II. 3.* Dicebatur qui sumptu publico alebatur: ut si quid subiti negotii incidisset, mutatis celeriter *equis*, quo vellet Imperator, aut Respublica, quemque nuntium mittere posset. Ulpian. l. 2. de in jus voc. *Vocari in jus non potest, qui equo publico in causa publica transvehitur.* Ulpiani enim tempore *equo* publico *equites* non sunt usi, sed proprio ex sua, aut stipendiaria pecunia comparato, & eo quidem duplici, ut cum fatigato alter recens, expeditusque succederet. *Coras. Misc. jur. civ. I. 11. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 6.* Minimè: Ulpianus enim de transvectione equitum. V. illam supr. in *Equites*. in censu publico loquitur. *Cujac. Obs. XIII. 29. Hotoman. Obs. III. 21. Gothofr. & Bud. ad Ulpianum.* Verùm ideò nominabatur publicus, quia de publico dabatur à censore ei, qui erat equestri loco natus, quique haberet censum equestrem, si censoribus placeret, ut mereret in turmis legionariis Romanorum equitum, cuique ad alendum illum *equum* erat assignatum stipendium. Liv. V. 7. *Quum repente, quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, consilio prius inter se habito, senatum adeunt; factaque dicendi potestate, equis se suis stipendia facturos promittunt.* Putean. de Stipend. Milit. c. 5. Ursat. de not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 699. D. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. I. Præfat. * * * * Ob aliquod flagitium, quod maximæ erat ignominiæ, adimebatur. Ademptionis exemplum refert Gell. IV. 20. *Censores P. Scipio Nasica & M. Popillius quum equitum censum agerent, equum nimis strigosum, & malè habitum, sed equitem ejus uberrimum & habitissimum viderunt. Et cur, inquiunt, ita est, ut tu sis quàm equus curatior? quoniam, inquit, ego me curo; equum Statius servus meus. Visum est parum reverens esse responsum, relatusque in ærarios, ut mos est.* Putean. & Ursat. l. l. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 3. Emend. II. 18. Hunc *militarem* vocant Asconius & Plinius. Ille in Cicer. p. 19. *Per equites Romanos militares arbitrio creandorum sacerdotum senatus*. Hic supr. in *Equites*. Sigon. l. l. *Equus* publicus sæpe occurrit in veteribus monumentis pro eo ipso, qui *equo* publico meret. Ut in veteri inscriptione: *Judici decuriæ quintæ, equo publico per Trajanum, duumviro municipii Consaburenensium.* In aliis multis inscriptionibus id occurrit, ut quis *equus publicus* dicatur qui *equo publico* donatus est. *Equus publicus* mira, sed tamen Romanis solita locutione pro *equite*, qui *equum* habet *publicum*. Sic ordo pro ordinis ductore. Unde primi ordines, & principes ordinis pro principalibus, & primis ordinum ductoribus. *Salmas. de Milit. Rom. c. 21.* Ubi *equo publico* legitur, subaudiendum *honorato*, vel *donato*: quod confirmat inscriptio dei Noctulii, quæ Brixiæ:

DEO NOCTULIO
P. VIRLIUS. P. F. FAB. ASSIA
NUS EQUO PUBLICO
SACERDOS. . . . .

In illa necessariò subaudiendum *honoratus*, alioquin eodem casu fuisset scribendum *Equus publicus*. Frequentissimè ablativo absoluto utebantur: v. g. cum Cæsares tribunitia potestate I. & II. dicebantur hoc est, exornati vel donati. Apud Reines. Inscript. Class. XIII. n. 65. legitur inscriptio:

C. CADISIUS. Q. F. VETUR. CA
LENUS. EQ. PUBLICUS
FECIT. SIBI. ET. MATRI. . . .

Si lapis sit correctus, fatendum id locutionis genus, equidem rarò, aliquando tamen fuisse usurpatum. *Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. VII. p. 259.*

Equus sagmarius est jumentum dorsuarium & clitellarium. Suidas: *Sagmaria jumenta sunt, quæ sarcinas & impedimenta gestant, & res necessarias ferunt.* Lampr. Heliog. c. 4. *Quæ equo sagmario vehetur.* Turneb. Adv. XXX. 16. Græcæ vocis formatio Latina, ut in multis. Recens Hellenismus retinuit, & dixit σαγμάριον. *Salmas. in Lampridium. Pepma de Instrum. fundi c. 4. Scheffer. de Re vehic. II. 2.*

Equus sellaris, quo homo vehitur. Græcis est φορὸς ἵππος, vel κέλης: nam Eustathius explicat κέλης ἵππος ἀνάβατος, qui ἀπλῶς *equus* nominatur: ut in vita Hilarii: *Quod ubi vir comperit, pretinus & ipse pedibus iter ingressus*

gressus, urbem Romam sine equo, sine sagmario intravit. Salmas. in Lampr. Heliog. c.4.

Equus Trajani in ipsius foro fuit locatus. Ejus imaginem in Trajani numismatis signatam vidimus, cum hac inscriptione: S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 1.

Equi agminales vocabantur, quia turmatim incedebant. l.3. & 6. C. de cursu publico. *Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient.* 1.6. *Bergier. de viis Milit.* IV. *Sect.* 12. §.4. Uterque erat α. *Equi* agminales exacti fuerunt à provincialibus, & quidem ex possessionibus, seu patrimoniis, adeoque inter munera patrimonii fuerunt. β. & quidem exacti ἐκ πλαγίας ὁδοῦ, *ubi à publico itinere militari aliqua via divertendum erat*, scilicet in via publica, in qua cursus publicus non erat, d. l. 3. ergo γ. agminales ac paraveredi παρανάλιοι in d. l. 3. & 6. sive iidem dicti sunt δ. agminales, vel, ut volunt Bud. ad l. 18. §. 21. ff. de mun. & hon. & Guther. & Offic. dom. Aug. III. 14. quod agmini exercitus trasmittendo, & convehendis impedimentis præbiti: vel potiùs, quòd agmina quædam equorum in civitatibus seu prope civitates ad eum finem à provincialibus haberentur, ἵπποι φορβάδες, Suidæ ἀγελαῖοι: nam d. l. 3. publici agminales, eorumque præbitione, seu usurpatione mala provincialibus inferri dicuntur. *Hennin. ad Bergierum.*

Equi circenses parabantur ludis circensibus. De quibus Varr. de Re rust. II. 7. scribens alios ad militiam, alios ad cursum laudat, & alios militibus, alios quadrigariis idoneos esse ait, sic: *Itaque peritus belli alios equos eligit atque alit, ac docet, aliter quadrigarius, ac desultor.* Horat. Od. II. 16. 35.

—— tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa.

Quadrigarios circenses vocat Festus. Veget. art. veter. II. 59. *Animalium dorsa ut laboris plurimum sentiunt, ita diligentiùs sunt curanda: exceptis enim iis, qui deputati sunt circo, reliquorum mulorum, equorum, asinorumque genus, sub sellis seu sygmis solo tergo præstant officium.* Panvin. de Lud. circ. I. 13. & ad illum Argolus. Erant publici. Cod. lib. II. tit. 40. l. 2. 3. *Qui equos circenses in suos usus converterit, unius libra auri multam ferat.* Fuerunt & quædam provinciæ, quæ vectigales *equos*, ac quadrigas populo Romano penderent, quod vectigal non redimebant modò equites, sed & senatores. Ascon. in Cicer. p.152. *Antonius redemptas habebat ab ærario vectigales quadrigas, quam redemptionem senatori habere licebat per legem.* Interdum tamen & ut plurimum ab editoribus dabantur, interdum quadrigarii ipsi habuerunt proprios, quos ad cursum probè instituerant. *Buleng. de Circo* c.51. Cursu confecto, sudore oblitos halantesque, spiritu mox requiete, ac sedato aquæ aspersione reficiebant. Stat. Sylv. IV. 4. 31.

—— & Eleis auriga laboribus actos
Alpheo permulcet equos.

Buleng. de Circo. c. 31. Feith. Antiq. Homer. IV. 10. Ulpian. l. 4. ff. de hi qui not. infam. *Ut qui aquam equis spargunt, non habeantur ignominiosi.* Quibus verbis plerique nodum in scirpo quærentes involucri aliquid contineri existimant, quod nobis antiquitatis ignoratio obscurum reddat. Ego verò, quod & ipsa verba palam sonant, eos significari credo, qui circensibus deservientes *equos* cursu incalescentes frigida perfundebant, quo paullulum refocillati alacriùs cursum repeterent. Festus: *Nasiterna est genus vasis aquarii ansati, & patentis, quale est, quo equi perfundi solent.* Brisson. Select. Antiq. I. 10. Erasm. Adag. p. 342. Coras. Misc. jur. civ. IV. 24. 19. Scalig. in Festum. Salmuth. in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.96. & oleo inungebant, ut hoc pacto vegetiores & nitidiores apparerent. Homer. Iliad. ψ. 281.

—— qui ipsis admodum sæpè humidum oleum
Jubis superfudit, quum lavisset aqua pura.

Buleng. & Feith. l. l. Ætate, aut alia ulla ratione debilibus ex horreis fiscalibus Imperatorum jussu attributa est alimonia: ut ex Valentiniani, Valentis & Gratiani rescripto l. 1. C. de equis curul. intelligimus, in fabis puta, vel similibus, quorum l. 2. mentionem facit. Hoc non tam sobolis reparandæ ad dominici gregis conservationem pertinuit, quàm ad ipsam pietatis cujusdam in bruta etiam animalia naturalis rationem, ac veluti remunerationem, & vetustarum victoriarum præmium. Imperatorum hæc verba sunt: *Palmatis atque Hermogenis equis, quos in curulis certaminis sorte, vel contentionis incertum, vel annorum series, vel diversa ratio debiles fecit, ex horreis fiscalibus alimoniam præberi decrevimus.* Fab. Agonist. II. 28. Buleng. ibid. c.55.

Equi cursales dicuntur l. 64. C. de curs. publ. & apud Cassiodor. Var. IV. 47. *Legatorum nostrorum suggestione comperimus, cursuales equos frequenti usurpatione fatigari*, & *equi cursui publico destinati*, l. 1. C. de curs. publ. infr. laudanda. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 10. §.2. 12. §.2. & ad illum *Henninius*. *Pro cursu equorum provincialium & pabula, & pecuniam sollenni ratione conferebant*, l. 19. C. l. 64. C. de curs. publ. l. 9. C. de ann. & trib. Postea, ut videtur, adæratio pabuli fuit introducta in provincialium levamentum, & cursus publici emolumentum. Sed quoniam deinde hinc duo iterum incommoda emergebant, ut provinciales iniquo adærationis pretio valdè gravarentur, & ut mancipes eorumque apparitores, sive muliones, non benè haberent animalia, nec justa iis pabula, quasi nimis cara præberent, & sic privati lucelli causa eadem vexarent animalia, utrique malo Honorius obicem posuit l. 18. C. & l. 60. C. de curs. publ. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 13. §. 11. & ad illum *Henninius*. Hos non fustibus, sed tantum virga, aut flagro admonere licebat, ne cursui publico per sævitiam cogentium redderentur inutiles, l. 2. C. de curs. publ. *Quoniam plerique nodosis & validissimis fustibus inter ipsa primordia currendi animalia publica cogunt, quicquid habent virium absumere, placet, ut omnino nullus in agitando fuste utatur, sed aut virga, aut certe flagro, cujus in cuspide infixus brevis aculeus, pigrescentes artus innocuo titillo poterit admonere, non ut exigat tantum, quantum vires valere non possunt. Qui contra hanc fecerit sanctionem, promotus regradationis humilitate plectetur, munifex pœnam deportationis excipiet.* l. 1. *Equos qui publico cursui deputati sunt, non lignis, vel fustibus, sed flagello tantummodo agitari decernimus: pœna non defutura contra eum qui aliter fecerit.* Bergier. de viis milit. IV. Sect. 12. §.4. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orient. c. 6.

Equi desultorii fuerunt Olympiade XXXIII. primùm propositi *Laurenb. Græc. Ant. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IV. *p.*43. *B.* Lucifero & Hespero sacros fuisse perhibet Cassiodorus Epist. III. 51. Erant igitur *equi* duo, sine ephippiis adjuncti, dicti, quod ex his facilè desiliant desultores. Suet. Jul. c.39. n.5. *Quadrigas, bigasque, & equos desultorios agitaverunt nobilissimi juvenes.* Varro supr. *in Equi circenses*. Erant etiam in exercitibus, qui equitibus singulis præsto erant, exercitatis ita militibus, ut uno de via fesso, desilire possent in recentem. Liv. XXIII. 29. V. illum supr. in *Desultor*. Panvin. de Lud. Circens. I. 9. & ad illum Argolus. Demester. Paral. ad Rosin. Antiq. Rom. V. 24. Hugo de Milit. Equest. III. 4. Buleng. de Circo c. 12. Bud. in Pandect. p.97. Salmas. ad Vopisc. Carin. c.19. p.845. a. Auctor anisc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p.699. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 30. Kipping. Antiq. Roman. II, 6. §. 5.

Equi fluviatiles describuntur Diodor. I. p.22. *Equus fluviatilis est quadrupes bisulcus, seu ungula scissa, dentes exsertos majores habet dentibus aprorum, aures, caudam, vocem equo similem.* Buleng. de Equis c.2. Ægypto in provinciæ formam redacta, Cleopatræ morte, Augustus Cæsar ludos edidit multis diebus, & *equus* fluviatilis in theatrum est inductus. Dio LI. p.460. A. *Buleng. de Venat. Circi* c.19.

Equi funales dicti sunt, quia in illis insidebant ante currum triumphi, qui faces, seu funalia gestarent, siquidem lumina aliquando in apparatu triumphi juxta triumphantem deferri solebant. *Donat. Dilucid.* p. 562. Nihil magis ridiculum. Vocabantur enim hoc nomine, quòd funibus alligati forent ad latus jugalium. Hos ideò Greci σειραφόρους, σειραίους, παρηόρους, & παρασείρους vocabant. In quadriga duo erant *equi* jugales, funales totidem, funales,

nales, qui loro alligabantur; non enim veteres, ut nunc fit, binos *equos* ligabant, verùm quatuor æquata fronte. Sil. Ital. XVI. 379.

—— pacis de more putares

Æquata fronte, & concordi currere freno.

In his medii erant ζύγιοι, qui jugo subjiciebantur: latera ipsorum stipabant duo alii, funales dicti. *Argol. in Panvin. de Lud. circens. I. 16. Mader. in Panvin. de Triumph. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1372. D. Salmas. Exercit. Plin. p. 730. B. Scheffer. de Re vehic. I. 12. Rutgiers. Var. Lect. I. 10. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 14. Buleng. de Circo c. 59. Popm. de Instrum. fund. c. 4. Turneb. Adv. XIV. 17. Torrent. in Suet. Tib. c. 6.* Græci & Latini pariter dexteriorem & sinisteriorem funalem usurparunt. Suet. Tib. c. 6. n. 6. *Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est sinisteriore funali equo, cum Marcellus Octaviæ filius dexteriore veheretur.* Ausonio Epitaph. 35. mox afferendo simpliciter sunt dextri & lævi. Funales erant digniores, & præsertim sinister; nam cum circa metam eundum esset, interior ad metam erat sinister, atque ille pænè totum cursus ordinem sustinebat. Hoc modo interpretandus Ausonius, qui laudat *equum* Bosphorum:

Pegasus hinc dexter currat sibi, lævus Arion

Funis, & ad quartum det tibi Castor equus.

Ubi *equs funis* est *equus funalis*. Si igitur quartus est Castoris *equus*, huic sinister erit Arion jugalis: sinister, qui ad Cyllarum, & propterea lævus à poeta dicitur, & sic alter jugalis Pegasus erit, dexter jugalis Phosphoro, atque ita Phosporus erit lorarius, seu funalis sinister in digniori loco. *Argol. l. l. Salmas. ibid. p. 631. a. C.* Potest esse dubium de funali sinistro. Manifestè namque Hesychius prærogativam illam dextro tribuit. Verba Hesychii: *Σειροφόρος, οἰωνὸς ἡγεμονικός.* Dicit, hoc vocabulum Græcum, quod Latinis etiam funalis, omen aliàs, vel ducem denotare. Et paulò ante: *Seriophorum, principale, translatum verò ab equis funalibus dextris.* Scheffer. l. l. Hoc in bellicis, & aliis, si fortè, curribus locum habuerit, in agonisticis & circensibus secus obtinuisse videtur. Hoc ratio adducta planè postulat, & evincunt testimonia Silii Ital. XV. 355–361. Stat. Theb. VI. 444. *Salmas. ibid. E.* Ego cur in his, non in illis hoc obtinuerit, causam nullam video. Neque enim dubium, quin circenses ludi velut umbra esse præliorum cum quadrigis debuerint. At in pugnis ludicris, quantum licet, res ad veritatem comparatur. Testimonia Silii & Statii diversum non evincunt. *Scheffer. l. l.* In triga tertius funalis loramento adnexus adjungebatur duobus *equis* bigarum in morem junctis. Stat. Theb. VI. 461.

Nominibusque ciet Pholoen Admetus, & Irim,

Funalemque Thoen.

Panvin. de Lud. Circens. I. 9. & ad illum Argolus.

Equi jugales dicebantur medii, quod essent in medio funalium constituti. Jugales, quia jugo alligabantur. Schol. Aristoph. Nebul. I. 1. 122. & ex illo Suidas: *Jugales sunt, qui jugo subjiciuntur, id est, medius dexterior, & medius sinisterior, & omnino qui non est funalis, dicitur jugalis.* Salmas. Exerc. Plin. p. 630. b. A. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 16. Pinell. Additam. ad Argol. I. 12. Buleng. de Circo c. 59. Mader. in Panvin. de Triumph. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1372. D. Scheffer. de Re vehic. I. 12. Popm. de Instrum. Fund. c. 4.

Equi lignei in campo Martio erant constituti, ut juniores in illos insilirent, & ex illis desilirent. . . . . Veget. I. 18. *Non tantum autem à tyronibus, sed etiam à stipendiariis militibus salitio equorum districtè est semper exacta. Equi lignei hyeme sub tecto, æstate ponebantur in campo, super hos juniores primo inermes, dum consuetudine proficerent, demum armati cogebantur ascendere. Tantaque cura erat, ut non solùm à dextris, sed etiam à sinistris, & insilire, & desilire condiscerent, evaginatos etiam gladios, vel contos tenentes. Hoc enim assidua meditatione faciebant, scilicet, ut in tumultu prælii sine mora ascenderent, qui tam studiosè exercebantur in pace.* Necessarium hoc illi ævo, quod adjumenta ad scandendum in *equos* nulla habuit. *Lipss. de Milit. Roman. V. Dial. 14. Hugo de Milit. Equest. I. 4. Thys. Rom. Illustr. III. p. 84. V. p. 141. Potter. Archæol. Græc. III. 3.*

Equi pares dicebantur *equi* duo, quibus desultores usi. Nam pares pro duobus usurpantur. Festus: *Paribus equis, id est, duobus, Romani utebantur in prælio, ut sudante altero transirent in alterum.* Unde pararii apud Senec. de Benef. II. 23. qui paribus *equis* vehuntur. Dicebantur ἄμιπποι. Hesychius: *Hamippos vocant equos pares conjunctos, sine jugo tamen.* Suidas: *Hamippi dicuntur, & desultores, qui duobus equis junctis, sella, & ephippiis carentibus vehuntur, qui transiliunt ab alio in alium cum res vocat.* In hamippis auriga in altero *equo* sedebat, in paribus *equis* miles. Desidente Republica combinatos *equos* vocarunt, qui & in circi prolusione adhibiti. Chrysost. de Circo: *Ne te prolusio paribus in equis, προλούσια κομβινάτα, delectet, ne ante judicium, legitimumque certamen in discrimen venias, si paribus equis currere vis, κομβινάτοιν. Buleng. de Circo c. 58.*

Equi quadrijuges sunt quatuor *equi* juncti modo dicendo infr. in *Equi sejuges*. Quod cognoscimus ex curru solis, de quo sic Ovid. Met. II. 167.

—— tritumque relinquunt

Quadrijuges spatium, nec, quo prius, ordine currunt.

Scheffer. de Re vehicul. I. 12.

Equi sejuges sunt *equi* sex, juxta se continua serie collocati, non ante se bini & bini. Festus, *Juges, ejusdem jugi, pares: unde & conjuges, & sejuges.* Quomodo intelligendus quoque Isidor. XVII. 36. *Quadrigæ, & bigæ, trigæ, & sejugæ ab equorum numero, & jugo dictæ.* Vult à jugo dictas, non quod jugum unum habeant, sed quod inter se jugentur. Hoc enim propriè jugare, à quo differt jungere. Jugantur enim animalia, cum vel sub unum mittuntur jugum, vel æquali fronte, velut sub jugo uno, constituuntur. Junguntur autem quando quovis modo firmantur ad vehiculum. Græci pænè ad eundem modum ζεύγνυμι, vel συζεύγνυμι ἵππους dixerunt, ut Latini *equos jungere*, quemadmodum constat ex Homer. Odyss. Ψ. 244.

- - - ὑπ' ἄγ' ἵππους

Ζεύγνυσθ' ὠκύποδας.

& Ælian. II. 27. *Ζεῦξαι τὸ ἅρμα.* Usurparunt autem hoc etiam, cum junguntur æqua fronte. Pollux. X. 12. *Zeugos dicitur, quicquid junctum est, etiamsi sit trium quatuorve jumentorum.* Scheffer. de Re Vehic. I. 12. Panvin. de Lud. Circens. I. 9. & ad illum Argolus. Ab Augusto primùm inductos constat. *Argol. l. l.* Unde hoc constet, ego sanè ignoro, nec legere me recordor. Verùm suspicor deceptum Argolum à Plinio non satis diligenter inspecto: Sic habet XXXIV. 5. *Serum hoc, & in his nonnisi à D. Augusto sejuges, sicut & elephanti.* Hic quia sejuges dicuntur ab Augusto, ipse de sejugibus in ludis circensibus accepit. Atqui totum illud caput agit de statuis, & inter cætera de curulibus etiam, quas ponebant apud Græcos Romanosque. Unde verba proximè præcedentia sic habent: *Sed illi,* Græci, *celetas tantum dicabant in sacris victores. Postea verè & qui bigis, vel quadrigis vicissent. Unde & nostris currus in his, qui triumphavissent. Serum hoc, & in his nonnisi à D. Augusto sejuges.* Sententia est, fuisse receptum apud Græcos primùm, ut statuas equestres dedicarent illi, qui victores extitissent in ludis sacris celete. Postea factum, ut dicarent quoque bigas, vel quadrigas sculptas marmore, vel fusas ære, qui vicissent isto genere. Inde consuetudinem venisse Romam, ut & qui triumphassent, dedicarent statuas triumphales, quadrigas puta: sed hoc factum serò, & adhuc seriùs, ut triumphales sejuges. Hoc enim primum auctorem habere D. Augustum. Nulla mentio ludicri Circensis, aut quod sejuges in eis miserit Augustus. Et si sollenne fuit, ut currerent Jovi, etiam ante Augustum longo tempore fuisse notas necesse est *Scheffer. ibid. II. 14.*

Equi singulares dicuntur, qui singillatim currebant. Castori & Polluci ab antiquis dicati fuerunt. Dicti sunt singulatores. Senec. de Benef. II. 23. *Pararii in beneficiis, & singulatores.* Buleng. de Circo c. 57. Fuere etiam singulatores Principum, qui nempè Principibus iter ingredientibus uno equo celeres assisterent, tanquam prodromi. Vetus inscriptio: *Publico Ælio Decmino. B. M. Mil. a.*

XIIX.

XIX. *equiti singulatori Augusti*. Altera: *M. Ulpio viatori, equiti singulatori Augusti*. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 9. Dicebatur. κέλης. V. supr. in *Celes*.

Equi triumphales erant numero quatuor. Ovid. de Art. I. 214.

Quatuor in niveis aureus ibit equis.

Coloris erant albi. Et fuit de colore observatum statim ab initio triumphorum, ipsoque Romulo, si sequimur Prop. IV. I. 32.

Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

Verùm hæc de Romuli triumpho fidei ancipitis est narratio. Magis credendum Livio, qui Camillum ita scribit triumphasse v. 23. *Maximè conspectus ipse est, curru equis albis juncto Urbem invectus: parumque id non civile modo, sed humanum etiam visum. Jovis Solisque equis æquiparari Dictatorem in religionem etiam trahebant, triumphusque ob eam unam maximè rem clarior, quàm gratior fuit*. Demester. Paralip. in Rosin. Antiq. Roman. X. 29. Bochart. Hierozoic. I. 2. 7. Broukh. in Tibull. I. 8. 8. Sed odium tam memorabile in virum de Republica optime meritum sine causa ortum esse non potuit. Non fuit autem, quam prodit Livius, causa, si & ante ipsum illa triumphantium fuit consuetudo. Adde, quod hoc ipsum tradiderit Plutarch. in Camill. p. 132. D. Quanquam assequi non possim, quod ne postea quidem scribat quenquam id usurpasse: *Quatuor equos albos adjunxit ad currum, eoque Romam est ingressus, quod nemo Imperatorum, neque ante, neque post ipsum fecit*. Servius profectò tradit velut rem sollennem Eneid. IV. 543. *Qui triumphat*, inquit, *albis equis utitur quatuor*. Verùm potest Servius ad sua respexisse tempora, quomodo fortasse fecerunt & cæteri, qui de quadrigis albis loquuntur. Et Cæsarum ætatem respexerunt, qua primùm invaluerit usus *equorum* alborum in curribus triumphalibus. Ante illorum tempora ignoratur, an quadrigæ albæ triumphantium fuerint. Sed nec vetustiores, qui triumphos descripserunt, albos equos memorant. Dionys. VIII. p. 535. de Siccio: *Invectus est in Urbem curru cum equis aureis frenis insignibus*. Nudos non albos vocat *equos*. Plutarch. de L. Paullo Æmilio p. 273. D. *Post ipse invectus est curru egregiè ornato*. *Equos* nullos albos memorat. *Scheffer. de Re vehic. II. 13. Buleng. de Triumph. c. 21. Nicol. de Triump. c. 20. §. 4. Kipping. Dissert. de Victor. §. 4.*

ERC.

ERCTUM citum. V. illud infr. in *Familiæ erciscundæ*.

ERE.

ERECTORES ovorum, & delphinorum fuerunt ministri in circensibus ludis, qui nimirum curricula numerabant, *Panvin. de Lud. Circens. I. 15.*

ERG.

ERGASTULARIUS fuit dictus *ergastuli* præfectus. Colum. I. 8. *Ut ergastularius magis obnoxii perpetiendis injuriis*. . . . . Lips. Elect. II. 15.

ERGASTULUM ad carceris formam in villis locus fuit subterraneus, depressus, sedibus & angustis fenestris distinctus. In illo vincti servi detinebantur ad agrum colendum, ad molendum, ad lapidem cædendum, ad aquam hauriendam, & quicquid tale. *Ergastulorum* usus Gracchorum ævo increbruit. Romani enim, devicta Italia, ceperant jure belli haud parum suburbani, & longinqui agri. Eum universum partim sub hasta vendidere, partim tenuioribus civibus utendum locavere, exiguo aliquo tributo imposito, sive pensione. Hoc velut præmium iis militiæ, & sanguinis, placuitque res omnibus præter divites, qui paullatim egenos pellere, & ad se trahere cœperunt finitimos quisque agros. Donec Stolonis lex paullisper eos coercuit, definito quingentorum jugerum modo, supra quem haud fas possidere. Sed coercuit certè paullisper, rupit enim mox hoc frenum cupiditas, & suppressa avaritia, non oppressa caput extulit altiùs, agrosque omnes pretio, fraude, vi à pluribus traxit ad paucos. Hinc illa divitum latifundia: hinc pauperum ab agris exsilia; hinc inductio *ergastulorum*. Unde enim pauci illi tot agris colendis? Plutarch. in Gracch. p. 827. D. *Paullo post, cum vicini illi divites per suppositas personas transferrent conductiones agrorum in sese, & denique palam jam etiam & suo nomine detinerent; expulsi pauperes, neque ad militiæ munus alacres se præbebant, neque ad educandos liberos. Ita ut mox Italiam universam infrequentem & vacuam liberorum capitum esse contigerit, & ergastulis compleri barbarorum: per quos divites agros suos colebant, civibus exactis*, Carcerem appellat hunc locum Juven. XIV. 24.

Quem mire afficiunt inscripta ergastula, carcer Rusticus.

Et eidem æquipatat Liv. VII. 4. de T. Manlii filio: *Quem pater in opus servile, prope in carcerem, atque in ergastulum dederit*. *Ergastulum* quindecim constituebant, si credimus Apul. Apol. p. 482. *Quindecim liberi homines populus est: totidem servi familia: totidem vincti ergastulum*. Lips. Elect. II. 15. Brisson. Antiq. Select. II. 9. Pignor. de Serv. p. 520. Voss. Lex. Etymol. Maussac. in Harpocrat. p. 33. Diu mansere, & quidem ad principatum usque Hadriani, qui salubriter sustulit. Spartian. c. 18. *Ergastula servorum & libertorum tulit*. Ita enim sæpè illi scriptores Cæsarei ferendi verbo usi, pro auferendi. Etsi parum plenè fortasse aut firmiter: & iterum sustulisse videtur Theodosius Imperator ex Cedreno & historia Ecclesiastica. Ideo silentium de iis apud Ictos priscos. *Lips. & Maussac. l. l.* Ab his ego sentire nequeo. Nam qui in opus publicum, aut in metallum damnantur, ut abigeatores, incendiarii, plagiarii, aliique, nonne in *ergastulum* damnantur? opus enim publicum, & metallum *ergastuli* nomine signabatur. Operis autem publici, & in metallum damnationis frequens est apud Ictos mentio, ut in libris Digestorum videre est. Sed dicat fortasse aliquis, *ergastula* publica non sustulisse Hadrianum, sed tantum privata. Non enim metus ex publicis, ne homines liberi, præter eos, quos hæc pœna constrinxerat, in ea per vim conjicerentur: & servi, qui hac pœna afficiebantur, ex dominorum jussu, non in publica, sed in privata mittebantur. Et hoc ego concesserim. Et puto malè sentire viros doctos, qui de publicis etiam Hadriani constitutionem explicant. Hadriani enim multa rescripta & constitutiones in libris Digestorum reperiuntur, quæ mentionem habent operis publici, & metalli pœnæ. *Salmas. in Spartian. Hadrian. c. 18.*

ERGASTULUS dicebatur ille, qui in pœna & noxa. Lucill. XV. *Non ergastulus unus. Et alius*: laudat enim alium aliquem auctorem, etsi innominatum. *Judicem opposuit, ut nemo sententiam liberè quasi ergastulus possit dicere*. Straba enim mens, ut sæpè, Nonio v. §. 102. dum custodem pœnalis loci *ergastulum* interpretatur. Homines erant servi, qui in *ergastula* detrusi, iique tum noxii, tum innoxii. Noxii, puta, si qui ex servis contumaci ingenio, fugitivi, mali & malitiosi, crebri in delicto. Hos dominus ex more damnabat in hanc pœnam, temerè, ut solet, sæpè, & per iram. Senec. de Ira III. 32. *Magnam rem sine dubio fecerimus, si servulum infelicem in ergastulum miserimus*. Interpres vetus ad Horat. Sat. II. 7. 118. *Quasi octo servos herus miserit in ergastulum agri Sabini*. Juven. Sat. VIII. 179.

Quid facias talem sortitus Pontice servum?
Nempè in Lucanos, aut Thusca ergastula mittas,

Innoxii, puta, si qui viles servi, captivi, barbari, corpore tantum boni: & quibus cerebrum omne in manu. Hos emebant vulgò in hunc tantùm finem. Docuit hoc Plutarch. supr. in *Ergastulum*. Ingenui etiam interdum & liberi per vim, sive fraudem. Suet. Aug. c. 32. n. 2. *Rapti per agros viatores sine discrimine, liberi servique, ergastulis possessorum supprimebantur*. Tib. c. 8. n. 4. *Curam sustinuit repurgandorum tota Italia ergastulorum, quorum domini in invidiam venerant, quasi exceptos supprimerent non solum viatores, sed & quos sacramenti metus ad hujusmodi latebras compulisset*. Lips. Elect. II. 15. Perpetim vincti habebantur,

custo-

custodiæ scilicet causa, & in ferro. Colum. I. 8. *Utrumque maximè servari debet, ut & quem paterfamilias tali pœna multaverit, villicus, nisi ejusdem permissu, compedibus non eximat; & quem ipse sua sponte vinxerit, antequam sciat dominus, non resolvat.* Unde ἄνδρες vincti appellantur. Sen. de Ben. VII. 10. *Vasta spatia terrarum colenda per vinctos.* de Brev. vit. c. 12. *Qui vinctorum suorum greges in ætatum & colorum paria diducit?* Lips. l. l. Brisson. Antiq. Select. II. 9. Erant etiam inscripti, id est, stigmatiæ, sive literis, notisque, in facie puncti, ut essent noscibiles. Mart. VIII. 75. 9. V. illum infr. in *Inscripti*. Et Juvenalis supr. in *Ergastulum*. Lipis. l. l. Salmas. in Spartian. Adrian. c. 18. & semirasi, & capitis altera pars erat illis capillata, altera nuda, per ignominiam, & per risum. Apul. Metam. IX. p. 280. *Frontes literati, & capillum semirasi.* Lips. l. l.

ERI.

ERICIUS fuit munitio militaris, infestis undique horrens telis, ut aculeis echinus. *Turneb. Adv.* IV. 8. Transversariæ ad portas trabes, aculeis confixæ, eæque versatiles. Cæs. Bell. Civ. III. 67. *Erat objectus portis ericius. Hic paullisper est pugnatum, quum irrumpere nostri conarentur, illi castra defenderent. Sed tamen nostri virtute vicerunt: excisoque ericio, primo in majora castra irruperunt.* Lipis. Poliorc. V. Dial. 4. Thys. de Oppugn. Urb. V. p. 191. Tela, passive, aut humi, aut in aliqua materia defigebantur, non valdè remota à terra: ut illis impetus hostium tardaretur, quod illac penetrare nequirent. *Victer. Var. Lect.* XXIV. 1.

ERIPERE vocabant in circo, quando primus nimio spatio metam evitasset, & qui tum sequebatur auriga, inter metam & priorem breviori spatio delatus, ex secundo primus efficiebatur. *Panvin. de Lud. Circens.* I. 14. In veteri inscriptione positum est, *successit, & vicit.* Quod ita accipiendum est tanquam si dictum esset, secundo ostio missus est, & vicit. Nam de primo ostio missis dicebatur, *occupavit, & vicit*. Tertio ostio missus, ut proximus ferebatur secundo, ita proximè sequentem, & instantem tergo sustinebat quartum. Tam ab eo itaque cavendum habebat, ne præverteretur, quàm studendum, ut secundo, & primo primatum *eriperet*. Hic non poterat ad palmam pervenire, nisi prægressis campum *eriperet*. Nec enim secundo tantùm ostio missum præcedere, ut palma potiretur, debebat, sed etiam primo. Nihil erat successisse secundo, quia magis obstabat primus. Nam etiamsi secundus primatum *eriperet* primo, non tamen fuit necesse, ut tertius in locum successerit secundi. Quippe primus, qui in locum secundi reciderat, adhuc restabat superandus isti tertio. De eo igitur, qui tertio ostio exibat, dicebatur artis circensis vocabulo, *eripuit, & vicit*. Præmium siquidem *eripiendum* veluti erat primo & secundo loco egressis, siquidem palmam consequi vellet. Sic enim loquebantur circenses. In descriptione circensis spectaculi, quod Scipio edebat in Africa, ubi studiosè vocabulis omnibus artis circensis usus est, Sil. Ital. XVI. 389.

> *Tene, Astur, certante feret quisquam æquore palmam*
> *Erepto?*

Erepto æquore est erepto campo, seu spatio in circo, ut te antecedat, & ferat palmam. Sic optimum equum, in quo omnis spes victoriæ ei posita erat, alloquitur auriga. *Salmas. Exercit. Plin. p. 635. E. Græv. Thes. Ant. Rom. Tom. IX. Præfat. * * 2. vers.*

ERO.

EROGATOR nuncupabatur, qui pecuniam & solatium militibus de manu in manum dabat. C. l. 16. de erog. milit. annon. *Erogator publicum solatium manu sua sine ullo dolo & fraude singulis militibus enumeret.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 699. C. Stevvech. in Veget. IV. 7. III. 3.

ESO.

ESOPIA dicebantur sedes, quæ in augurali & saliari carmine *sesopia* sunt. V. infr. in *Sesopia*.

ESS.

ESSEDARII sunt, qui ex *essedo* pugnant. Sunt inter gladiatores sollennes. Philarg. ad Georg. III. 204. *Hinc & gladiatores essedarii dicuntur, qui curru certant.* Fuit duplex, ut ille vult, gladiatorum genus, unum quod certabat sine curru, aliud quod cum curru. Quando curru certabant, dicebantur non gladiatores simpliciter, sed cum addito, *gladiatores essedarii*. Suet. Cal. c. 35. n. 8. *Cum quodam die muneris essedario Porio ob prosperam pugnam servum suum manumittenti studiosius plausum esset, proripuit se ex spectaculis indignabundus & clamitans, dominum gentium populum ex re levissima plus gladiatori tribuentem, quàm consecratis principibus, aut præsenti sibi.* Simpliciter tamen sic appellatos discimus ex Petron. Fragm. p. 8. *Processit statim scissor, & ad symphoniam gesticulatus ita laceravit obsonium, ut putares essedarium hydraule cantante pugnare.* Cur essedarium? quia solus pugnare cum pluribus consuevit. Ista namque ratio similitudinis. Videbatur scissor versari inter obsonia, & aliud post aliud aggredi, ac lacerare, sicut *essedarius* solebat certantes secum in arena pedites; & sicut ita mulier *essedaria*, de qua statim, nanos adoriri debebat. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 23. *Lips. Saturn.* II. 12. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Laurent. Polymath.* IV. 9. *Thys. de Gladiat. p.* 227. Fuerunt inter legitimos gladiatores: quanquam mixtim, opinor, modò è curru, modò pedites præliati sint. Senec. Epist. 29. *Non possum, inquit, tibi dicere. Nescio enim quid de gradu faciat. Tanquam de essedario interrogaretur.* Horum sententiam esse puto: *essedarios* solitos etiam pedites pugnare, de curru subitò delapsos. Nescio, igitur, ajebat, cujusmodi hic *essedarius*, quem nunquam de gradu, & incessu pugnantem vidi. *Lips. l. l. & in Senecam. Casal. l. l.* Hoc verba Senecæ non docent. Non enim inter se, quod existimavit Lipsius, & in pictura expressit adjecta, sed cum aliis, peditibus videlicet, videntur pugnasse. Hinc Petron. Fragm. p. 17. unicam nominat mulierem *essedariam*, cui oppositos fuisse nanos joci causa puto. Verba clara sunt: *Jam nanos aliquot habet, & mulierem essedariam*, qui scilicet prælium inter se committant, nani pedites, & mulier ex *essedo*: sic enim conveniens fuerat, ut una plures posset æquare. Locum Senecæ puto aliter accipiendum. Nempe, cum Græcinus quæreretur, quid sentiret de virtute philosophi, de quo ibi sermo, respondisse ipsum ait Seneca, tanquam quæreretur de virtute *essedarii*, de qua non possit constare, cum de gradu pugnare non soleat. Virtus vera militis apparet ex certamine, quod fit collato gradu. Qui sic pugnat, *certare de gradu* dicitur, quomodo qui vincitur certamine hujusmodi, *de gradu dejici*. Contra non certat de gradu, qui non eodem gradu consistit, sed discurrit, & modò pugnat ab hac, modò ab illa parte. Tales fuerunt *essedarii*. Unde Cicer. Fam. VII. 6. *Caveto, ne ab essedariis decipiaris*. Quia horum fuit proprium, non tam virtute contendere, quàm arte, ac consilio, simulare impetum in hoc loco, aggredi in alio celeriter circumductis equis, mox fugam præ se ferre, tum *essedum* convertere, ac nec opinantes adoriri. Hoc respiciebat Græcinus, & ideo de virtute philosophi, de qua quærebatur, nihil se respondere posse dixit. Habuerunt suos aurigas. Servos eos fuisse, vero consentaneum, cum ipsi *essedarii* gladiatores aliquando essent liberi. Liber fuit, qui describitur Suet. Cal. c. 35. n. 8. quando ipse *ob prosperam pugnam servum suum manumisit*. Non fuit liber, cui Claudius, *cum pro eo quatuor deprecarentur filii, magno omnium favore indulsit rudem*, apud Suet. c. 21. n. 11. In ipsis aurigis magnum ad victoriam obtinendam momentum fuit, quia *essedarius* prior aurigam illum suum post & propter pugnam prosperam manumisit: cujus rei nullam quidem eo tempore ido-

idoneam satis habuisse causam videtur aliam, quàm quod victoriæ illius causa non postrema servus fuerit per doctam aurigationem. *Scheffer. l. l.*

. ESSEDUM fuit vehiculum Belgarum. Virg. Georg. III. 204.

Belgica vel molli meliùs fert esseda collo.

Ubi Servius: *Belgica esseda, Gallicana vehicula. Nam Belgæ civitas est Galliæ, in qua hujusmodi vehiculi repertus est usus.* Et Belgica intelligi debent, quando Gallica vocantur. Philarg. ad Virgilium: *Esseda vehiculi genus, vel currus, quo soliti sunt pugnare Galli.* Comment. Cruq. ad Horat. Epist. II. I. 191. *Esseda, vehicula sunt Gallica.* Galli de Belgis sunt intelligendi. *Esseda Britanna* dixit Prop. II. I. 86.

Esseda cælatis siste Britanna jugis.

Quia hoc genus mutuati sunt à Belgis: *Essedorum* non ut rei novæ, sed ut notæ pridemque receptæ mentionem facit Cicer. Attic. VI. I. *Hic Vedius venit mihi obviam cum duobus essedis.* Scripta est hæc epistola ante Cæsaris in Britanniam expeditionem. Inde sequitur, *esseda* Romanis non modò notas, sed & usurpatas fuisse; priusquam eis nota esset Britannia. Militares falcibus videntur fuisse armatæ. Ita enim Jornand. Rer. Goth. c. 2. *Bellum gerunt bigis, curribusque falcatis, quos more vulgari essedas vocant.* Non tamen semper. Cæsar sanè, qui cum cura *essedas* describit de Bell. Gall. IV. 33. V. illum supr. in *Britanni*, nullam falcium facit mentionem. Non militares falcibus caruerunt. Ad quid enim falces in eis conducerent? Non militares sellas habuerunt clausas. Mulieres enim etiam *essedis* vehebantur. Has notum est libenter usas sellis clausis. Iis caruerunt militares. Cæsar enim pugnatores ait *ex essedis desilere, per temonem incurrere, in jugo insistere, & inde se in currus citissimè recipere*, quod vix videtur potuisse sella clausa. Rotas habuerunt duas. Nominantur enim currus, duas verò rotas habere proprium curruum exstitit. Ducebantur ab equis. Cæsar. V. illum supr. in *Britanni*. Equorum numerus videtur fuisse binarius. *Bigas* hanc ob causam, ut opinor, nominavit Jornandes modò laudatus. Et à mulabus. Docet hoc epigramma Claudiani de mulabus Gallicis, quas in *essedo* commemorat. Ambulabant jumenta non æqua fronte omnia, ut in quadrigis, nisi forsitan *essedæ* militares, neque bina & bina, verùm pro se singula. Docet Claudian. ibid. n. 5.

Quamvis quaque sibi longis discurrat habenis.

Ubi *discurrere sibi quaque* dicitur, quæ currit pro se, nulli alii à latere associata. Illorum usus I. ad militiam fuit & prælia. Iis pugnaverunt Galli. Philarg. jam laudatus. Britanni. Cæs. de Bell. Gall. IV. 24. Britanni *consilio Romanorum cognito, præmisso equitatu, & essedariis, quo plerumque genere in præliis uti consueverunt, reliquis copiis subsecuti sunt.* II. In pace ad itinera. Cicero jam adductus. Sidon. Epist. II. 10. 22.

Hinc ager sonat, hinc Arar resultat,
Hinc sese pedes atque eques reflectit,
Stridentum & moderator essedorum.

Et illis utebantur viri etiam in dignitate constituti. Suet. Cal. c. 51. n. 4. *Cum* Cajus *trans Rhenum inter angustias, densumque agmen iter essedo faceret.* Galb. c. 18. n. 2. *Cum per omne iter victimæ caderentur, taurus securis ictu consternatus essedum ejus invasit.* III. ad onera deportanda. Sidon. Epist. IV. 18. *Nulla esseda subvehendis oneribus attrahebantur.* Claudiani etiam epigramma allatum videtur innuere, quasi onera interdum aliqua iisdem deportarint. IV. ad spectacula triumphalia. Horat. Epist. II. I. 191. V. illum infr. in *Pilentum*. & gladiatoria. Mart. I. 105. 8. ubi agit de spectaculo.

Turpes esseda quo trahunt bisontes.

Et *essedarii* fuerunt inter gladiatores. V. supr. in *Essedarii*. Scheffer. de Re vehic. II. 23. Tathn. de Ann. secul. c. 16. §. 16. Barth. Adv. X. 17. XXXV. 18. Tiraquell. in Alex. Gen. Dier. II. 30. Bud. in Pandect. p. 266. F. Jun. Catal. Architect. p. 38. Voss. Lex. Etymol. de vit. serm. I. 2. Savar. in Sidonium. Ligor. de vehic. c. 13. Bochart. Chan. I. 42. Cerda ad Virgilium. Coras. Miscell. jur. CIV. III. 20. Hugo de Milit. Equest. I. 6. Blond. Triumph. Rom. IX. p. 200. G. Broukh. in Propertium.

ETH.

ETHOLOGI sunt mimi morum imitatores. Suidas: *Ethologus, qui in teatro mores personarum effingit: morum ac personarum effictor, & affectionum repræsentator.* Cicer. de Orat. II. 59. *Mimorum est ethologorum, si nimia est imitatio, sicut obscœnitas.* Quintil. Inst. Orat. VI. 3. *Ethos uno verbo Latinè dici non potest: hoc enim omnes mentis habitus continentur.* Buleng. de Theatr. I. 48. Bud. in Pandect. p. 94. C. Gyrlad. de Comœd. Thes. Antiq. Græc. Gronov. VIII. p. 1480. D.

ETHOPOEA est *imitatio morum alienorum*. Quintil. Inst. Orat. IX. 2. *Imitatio morum proposita persona.* Suidas. Illam depingit Cicer. de Orat. II. 59. *Est autem hæc hujus generis virtus, ut ita facta demonstres, ut mores ejus, de quo narres, ut sermo, ut vultus omnes exprimantur, ut iis, qui audiant, tum geri illa fierique videantur.* Senec. Epist. II. *Artifices scenici, qui imitantur affectus, qui metum & trepidationem exprimunt, qui tristitiam repræsentant: hoc indicio imitantur verecundiam, dejiciunt vultum, verba submittunt, figunt in terram oculos, & deprimunt.* Buleng. de Theatr. I. 48. Bud. in Pandect. p. 94. D.

ETR.

ETRUSCOS Polyb. II. 16. à Pisis oppido Romam usque perducit, id est, ut ego interpretor, inter Arnum, Tiberimque flumina concludit. Ex quo patet, eos, qui à Macra amne *Etruriæ* initia ducunt, quanquam rectè, non tamen ad Romanæ Reipublicæ tempora aptè institutere: qua florente Luca etiam inter Ligures est numerata. Et ita Arretium quoque primum in mediterraneis oppidum *Etruriæ* collocat. Unde C. Flaminium consulem Annibali ex Gallia in *Etruriam* irrumpenti ad Arretium ait occurrisse. Non quod omninò ab Arretino agro tum *Etruria* principium ceperit, siquidem Fæsulæ ante occurrunt, quàm Arretium; sed quod ille firmius esse oppidum Arretium ad Annibalis impetum excipiendum existimarit. Neque verò à Fæsulis initium videtur habuisse *Etruria*, sed à Pistorio: cum scribat Sallust. de Bell. Catil. p. 51. *Catilinam exercitum in agrum Pisteriensem abduxisse, ac sub ipsis radicibus montis consedisse, qua illi erat descensus in Galliam properanti.* Ejus partes tres ab antiquis factæ sunt. I. Maritima à Tiberi ad Arnum. II. Ciscimina omnem regionem cis Ciminium montem continet, quæ est inter Tiberim, regionem maritimam, & Ciminia juga. III. Transciminia à Ciminis jugis ad Pistorium pertinuit. Illorum commune quondam consilium fuit ad fanum Voltumnæ: quo in loco duodecim *Etruriæ* tum principes populi de summa rerum consultare, ac de bello, paceque statuere soliti sunt. Cum illis acie primus decertavit Romulus, & deinde sæpè rebellantes omnes prope, qui secuti sunt, Reges devicerunt, Tullus, Ancus, reliqui. Ultimum cum illis bellum gesserunt Q. Fabricius Luscinus, Q. Marcius Philippus & T. Coruncanius: quorum illos de *Etruscis*, hunc de Vulsiniensibus & Ulcientibus triumphasse, scriptum est in fragmentis tabularum Capitolinarum: Victoriam Coruncani comprobat etiam Zonaras, qui eum triennio post in consulatu rem cum *Etruscis* gessisse, & fœdus percussisse scribit. *Sigon. de Ant. jur. Ital. I. 9.*

EUA.

EUANDER fuit filius Mercurii & Themidis nymphæ, quæ & Carmanta dicebatur, sexaginta annis ante bellum Iliacum, Fauno in Aborigenibus regnante, ex urbe Arcadiæ Palanto, domesticis seditionibus, & intestinis discordiis pulsus venit in Italiam ad novas sedes quærendas. A Rege Aboriginum Fauno jure cognationis benignè & hilariter susceptus, locoque & agris, ubi nunc Roma est, assignatis, Palatinum montem prope Tiberim,

con-

condito parvo oppido, hortatu Carmentæ munivit, Palantium ab Urbe, ex qua oriundus erat, appellans; quod posteà corrupta voce Palatium nominatum est. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 209. *B. Nicol. de Rit. Bacchan. c.*14. *Landin. in Virg. Æneid.* VIII. 344. Constat hoc ex Dionys. I. 24. Aurel. Victor. c. 5. n. 1....4. Quin & ab eodem Græcum Ῥώμης nomen Urbi inditum fama fert, quæ Latinis Valentia est. Conditam, aut saltem habitatam fuisse ab *Euandro* dubitare vix licet: imò ab *Evandro* urbem primùm conditam, post desertam, deinde à Romulo restitutam, quæque priùs Palatii nomen obtinebat, Romam ab eodem nuncupatam, vero quàm maximè simile est. *Nardin. Rom. Vet.* I. I. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* I. §. 2. Reliqua *Evandri* regni quinque fuerunt monumenta: quorum I. Specus Caci. II. Templum ab ipso Victoriæ dedicatum in monte Palatino. III. Ara maxima ab Hercule sibi ipsi structa. IV. Arca Carmentæ matris Evandri. V. Altare Jovis inventoris. *Nardin. l. l.*

EUC.

EUCLABRIS dicebatur mensa, quam mactata victima Flamen, aut Sacerdos instrui faciebat. Et hinc vasa sacrificiis inservientia nominabantur *Euclabria*. Super illam collocabant victimam dissectam, ut diligenter in intestina inquirerent. *Choul. de Relig. vet. Roman. p.*261.

EVE.

EVECTIONES sunt codicilli, quibus facultas equis publicis currendi conceditur, l. evectiones, l. judicibus de curs. public. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.*15. §. 1. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.*72. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 3. III. 15. *Salmas. in Capitol. Pertin. c.* 1. *Buleng. de Imp. Rom.* VI. 29. *Bud. in Pandect. p.*231. I. Vocantur etiam combinæ. V. illas supr. in *Combina*. diplomata. V. illa supr. in *Diplomata*. & tractoriæ. V. illas infr. in *Tractoria*. Has ut haberent, antequam iter inirent, illi ipsi qui cursu publico utebantur, erat opus. Non enim pro sua auctoritate, aut voluntate, ac lubitu cursum publicum usurpare poterant. In singulis civitatum, mutationum, mansionum stationibus dabant illas inspiciendas, alioquin vel in prima statione detinendi. l.8. C. T. de curs. public. *Evectiones ab omnibus postulentur, quacunque conspicui fuerint dignitate: non enim debet esse unquam efficax usurpatio, quæ possit animalibus publici cursus inferre perniciem. Quod si quis putaverit esse resistendum, & sine evectione iter facere detegitur, ubi repertus fuerit, eundem jussimus detineri, ac de ejus nomine ad prudentiam tuam* (Lex hæc scripta est ad Taurum PF. P.) *& ad Musonium clarissimum virum comitem, & magistrum officiorum referri*. Hinc Capitol. Pertin. c. 1. *Dein præfectus cohortis in Syria profectus, T. Aurelio Imperatore, à præside Syriæ, quod sine diplomatibus cursum usurpaverat, pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere coactus est*. In illis continebatur certus equorum cursualium, quibus uti liceret, numerus; diesque certus, intra quem uti liceret, quo elapso irriti erant dati & impetrati codicilli. Qui *evectionem* obtinuerat, eam præsidi provinciæ, per quam transiturus erat, ostendere tenebatur, & ille subnotabat, seu subscribebat. l. 22. G. de curs. publ. *Cunctos judices laudanda tua sinceritas monebit, ut minimè quosque transire patiantur, antequam seriem evectionis aspexerint, & congrua subnotatione dimiserint. Sanè cujuscunque fuerit dignitatis, qui nostra interdicta calcaverit, retentetur, dum super ipsius nomine ad mansuetudinem nostram querela dirigatur, cui vindicta non erit*. Pancitoll. & Bergier. l. l. Sine illis illi solùm inter civiles magistratus, & deinde Imperatorum, sive domus Augustæ ministros Palatinos utriusque militiæ cursum publicum usurpare poterant, qui ipsi aliis illas concedendi jus habebant. Tales ante Constantini M. tempora fuerunt proconsules, proprætores, præsides, judices, duces, vicarii, aliique. Verum Constantinus, eumque secuti Imperatores his abstulerunt utramque potestatem, tam usurpandi sine *evectionibus* cursus publici, quàm concedendi aliis *evectiones*; eamque sibi, suæque auctoritati retinuerunt, & tantum præfectis prætorio, ac magistris officiorum, l.9. C. de curs. public. *Judicibus facienda evectionis copiam denegamus: cum id tantum nostro numini, & tuæ sedi*, Florus erat PR. P. cui scribebatur, *nec non viro illustri magistro, officiorum sit reservandum*. Bergier. ibid. Sect.16. §.1. & ad illum Henninius.

EVERRIATOR dicebatur, qui lustrabat domos funestas. Festus: *Everriator vocatur, qui accepta jure hereditate, justa facere defuncto debet, quæ si non fecerit, seu quid in ea turbaverit, suo capite luat. Exverræ sunt purgatio quædam domus, ex qua mortuus ad sepulturam efferebatur, quæ fit per everriatorem, certo genere scoparum adhibito, ab extra verrendo dictarum*. Kirchman. de Fun. Rom. IV. 1. Morestell. Pomp. Feral. VIII. 18. Lomej. de Lustrat. c.13. Laurent. Polym. III. Synops. 13. Meurs. de Fun. c.37. Blond. Rom. triumph. II. p. 39. B. Schill Nomencl. Phil. p.470.

EUG.

EUGE spectatores, quasi animum pugnantibus addituri, solebant acclamare pugnis decertantibus. Laert. de vit. Philosoph. II. 37. *Tum verò ille, hercle nobis pugnis decertantibus unusquisque vestrum acclamat, euge Socrates, euge Xantippe*. Quam eandem formulam simili in re hodie etiam videmus usurpari. *Ferrar. de Acclamat.* VII. 16. Et auditores poemata recitantibus. Pers. Sat. I. 49.

Euge tuum, & belle: nam belle hoc excute totum.

Schott. Observ. I. 16. Cresoll. Theatr. Rhetor. III. 20. §. Voss. de Imitat. 5. 8. §. 2.

EUN.

EUNUCHI curabant & custodiebant matronarum thalamos. Claudian. XVIII. 98.

—— cumque omnibus unica virtus
Esset in eunuchis, thalamos servare pudicos.

n.419.

Militia eunuchi nunquam progressa cubile.

Inde *eunuchi* dicti, qui τὴν εὐνὴν, id est, lectum matronarum custodiunt; vel, quod bonæ sint mentis, εὔνοι, & à Venereis semotæ. Pectebant dominæ crines, & gestabant aquam lavanti. Claudian. ibid. n.105.

—— consulque futurus
Pectebat dominæ crines, & sæpè lavanti
Nudus in argento lympham gestabat alumnæ.

Faciebant ventulum dominæ dormienti. Claudian. ibid. n.108. V. illum infr. in *Flabellum*. Erat enim in more positum Romæ, ut cum matronæ somnum meridianum caperent, adesset aliquis servorum, qui ventulum faceret æstus pellendi, & muscarum abigendarum gratia. Terent. Eun. III. 5. 47. V. illum infr. in *Flabellum*. Cingebant latus incedentibus per urbem cum flabellis, & umbellis. V. infr. in *Flabellum*. Maritalem lectum sæpiùs corrumpebant & violabant. Juven. Sat. VI. 366.

Sunt quos eunuchi imbelles, ac mollia semper
Oscula delectent, & desperatio barbæ:
Et quod abortivo non est opus.

Et ut ad ardentem Cupidinis flammam exstinguendam forent idonei, adultiori ætate castrabantur. Juven. ibid. n.371.

Ergo spectatos, ac jussos crescere primum
Testiculos, postquam cœperunt esse bilibres,
Tonsoris damno tantùm rapit Heliodorus.

Kobierzych. de Lux. Roman. II. 3. Sacri cubiculi ministri erant. Viri docti putant dictos fuisse à cubiculo custodiendo, quod ἔχειν significat etiam custodire. Auctor Etymologici tradit denominatos ἀπὸ τοῦ τὴν εὐνὴν ἔχειν, ἢ ἐπιμελεῖσθαι ἢ φυλάττειν. *Εὐνὴ* generaliter pro omni loco, in quo quis commoratur. Unde præpositus *eunuchorum* præpositus cubiculi vocatur à Zonar. in Constantio: τῶν βασιλικῶν εὐνούχων πρωτεύων. Et quia plures cubiculo Principis adhærebant, ex consuetudine omnes cubicu-

bicularii *eunuchi* dicti. Euagr. Hist. Eccles. IV. 22. *Ex his ut plurimum eligebantur ministri imperialis cubiculi, quos vulgo eunuchos vocant*. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 29. In aulis Principum ad tantum potentiæ sunt evecti, ut pro ipsorum libidine, non Imperatoris tantum palatia, verum etiam universi orbis regimen administraretur. Heliogabalus etiam *mancipium eunuchorum* à Lampridio appellatur, eos namque in consiliis turpibus habebat & promovebat. Hanc insolentiam Gordianus tertius coercuit. Capitol. c. 24. *Evasisse nos gravem temporum maculam, qua per spadones, & per illos, qui tibi amici videbantur, erant autem vehementes inimici, omnia vendebantur, voluptati nobis est, & eo magis, quo tibi gratior emendatio est*. Kobierzyck. l. l. *Eunuchos* fieri vetuit Domitianus. Suet. c. 7. n. 5. *Castrari mares vetuit*. Philostr. Apollon. VI. 17. *Per ea tempora Domitianus Imperator legem tulerat, ne quis homines faceret eunuchos*. Hinc Mart. VI. 3. 5.

Plus debet tibi Roma, quod pudica est.

Buleng. de Imperat. Rom. II. 5. Pitisc. in Suetonium. Illorum occursus habebatur inauspicatissimus. Chrysostomus: *Veluti iste primus mihi occurrit exeunti, omnino mihi mala infinita evenient*. Claudian. II. 121.

——cum pallida nudis
Ossibus horrorem dominis praberet imago,
Decolor & macies occursu laderet omnes,
Aut pueris latura metus, aut tadia mensis,
Aut crimen famulis, aut procedentibus omen.

Buleng. de Omin. c. 1. Brod. Miscell. IV. 1. Laurent. Polym. IV. Synops. 21. V. & infr. in *Spado*.

EVO.

EVOCATI dicebantur ii, qui ex civibus, è sociis; ex equite, ex pedite sumebantur, sed rogatione & precibus. Erant veterani, gnari, prudentesque militiæ, qui expletis stipendiis sponte in gratiam consulum, aut ducum militiam sumebant. Dio XLV. p. 276. B *Evocatorum manus, quos aliquis anacletos Græcè, quasi revocatos, quod defuncti militia iterum ad eam revocentur, dixerit*. Lips. de Milit. Roman. I. 8. Turneb. Adv. I. 9. Valtrin. de Re milit. II. 5. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 701. C. Spon. Miscell. Erud. Antiq. Sect. VII. p. 259. Stevvech. in Veget. II. 3. Laurent. Polym. IV. Synops. 1. §. 4. Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom. I. 15. Schel. in Polyb. Thes. Græv. Tom. X. p. 1160. C. Patric. de Re milit. Rom. p. VIII. Sect. 3. Hugo de Milit. equest. III. 4. Thys. Roman. Illustr. I. p. 51. Cujac. Observ. VII. 10. Kipping. Dissert. de Victor. §. 7. Faber. Semestr. I. 15. Non tantum in castris metabantur prope consulem, id est, 325. pedes tantum ab eo remoti, quanta erat nimirum latitudo arearum; sed etiam cum agmen duceretur, nec non in pugna & lustratione exercitus, vel quandocunque usus, & necessitas postulabat, consuli & quæstori præsto erant. *Patric. ibid. p. IX. Sect. 27.*

Evocati etiam dicebantur *equestris ordinis juvenes, qui manente annulorum aureorum usu, excubias circa cubiculum Galba vice militum agerent*. Suet. Galb. c. 10. n. 4. Hi sunt illi, opinor, qui *Evocati Augusti* dicti. Hygin. de Limit. p. 209. *Nuper ecce quidam evocatus Augusti, vir militaris disciplina*. Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1058. B. Hugo de Milit. Equest. III. 4. Lips. de Magn. Rom. I. 4. Thys. de Magn. Rom. I. p. 242.

EVOCATIO deorum ex urbibus obsidendis qui olim facta sit. V. supr. in *Dii*.

Evocatio militiæ erat genus, cum *ad diversa loca diversi mittebantur propter cogendos exercitus*. Serv. Æneid. VIII. 1. V. illum infr. in *Militia*. Conquisitores illi vocantur Hirt. de Bell. Alex. c. 2. *Nam in omnes partes, per quas fines Ægypti, regnumque pertinet, legatos, conquisitoresque, delectus habendi causa miserant*. Stevvech. in Veget. I. 6. Tiraquell. in Alex. Gen. Dier. VI. 22. Turneb. Adv. XXVI. 22. Brisson. de Form. IV. p. 341. Guther. de vet. jur. Pont. I. 14. Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom. I. 15. Bud. in Pandect. p. 139. A. Laz. Comm. Reip. Roman. IV. 7. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. X. 3.

Evocatio mortuorum, sive manium fiebat ad sepulcrum. Horat. Epod. V. 15.

Canidia brevibus implicata viperis
Crines, & incomptum caput
Jubet sepulcris caprificos erutas ...

XVII. 47.

Nec in sepulcris pauperum prudens anus
Novendiales dissipare pulveres.

Solebant *advocari Mercurius carminum vector, & illex animi Venus, & Luna noctium conscia, & manium potens Trivia*. Apul. Apol. p. 459. Qui omnes *veris suis nominibus ciebantur*. Lactant. II. 7. Tempus observabatur, dum silens esset luna. Horat. Epod. V. 51.

Nox & Diana, qua silentium regis,
Arcana cum fiunt sacra.

Quod vocat Virg. Æneid. II. 255.

——tacita per amica silentia luna.

Dicebatur *luna silens* tempus illud novilunii, quo otiosa agit luna, & non lucet, exinde silere dicebatur. *Guther. de vet. jur. Pon. IV. 9. Struv. Antiq. Rom. c. 6. p. 306. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14.*

Evocatio, qua reum, actore postulationum die prætoris auxilium implorante, prætor, audita & cognita causa, ad sui defensionem *evocari* jubebat, fiebat nonnunquam solis denuntiationibus, interdum literis, interdum etiam edictis, l. 26. ff. de fideic. lib. Sic, ni fallor, ut si latitans denuntiationibus *evocari* posset, nec literis, nec edictis opus esset: sin minus, interdum literis, interdum edictis *evocaretur*, l. 5. de pœn. Literis quidem, si Roma abesset: edictis verò, si sic in Urbe latitaret, ut aditum ad se nullum præstaret. Has tres species ab invicem esse discernendas semper existimavi, ut si aditum ad se lictori is, qui latitabat, præstaret, vel è publico conspiceretur, sollenni testatione domum ejus denuntiaretur, quæ denuntiatio detestatio dicebatur, l. 19. ff. de in jus voc. Quod si in Urbe non esset reus, literas à prætore impetrabat actor ad illius loci magistratus, in quo frustrationis causa adversarius latitabat, l. 1. & 4. ff. de req. reis. Cicer. Verr. II. 10. *Verres simulac tetigit provinciam, statim Messanam literas dedit, Dionem evocavit*. Attic. X. 13. Attende πράξιν πολιτικῶ. *Evocavit literis è municipiis denos, & quatuor viri venerunt ad ejus villam mane*. Solebat etiam, si nec denuntiationibus, nec literis is, qui latitabat, evocari posset, jussu, & auctoritate prætoris edictum, hoc est, libellum ad ipsas rei latitantis ædes non sine denuntiatione, & sollenni vicinorum, aliorumve proborum civium testatione actor proponere, sive, ut utar Vinuleji verbis, *tabulas ad rei latitantis januam figere*, quibus latitantem in jus evocabat, ut ita admonitus defensor sui existeret, l. 4. §. toties ff. de damn. inf. l. 5. ff. 1. quod vi aut clam. Nec sanè, ut aliquis contumax ediceretur, satis erat uno edicto non paruisse, sed *eum demum contumacem esse* respondet Hermogen. l. 53. de reb. judic. *qui tribus edictis propositis prasentiam sui facere contemnit*. Et id ad tres etiam denuntiationes, & ad tres etiam literas referri posse indicat ipsemet Ictus; addit enim: *Et pro tribus edictis, literis, vel denuntiationibus, unicum interdum edictum pratorem proponere*: illudque, *quod perimeret disceptationem*, hoc est, quod ultra reum non pateretur tergiversari, inde *peremptorium* appellatum existimavit Ulpian. l. 70. ff. de judic. V. illud supr. in *Edictum*. Illudque à reliquis edictis quomodo discerni soleat, ex eo facilè intelligi potest, quod in manuscripto quodam de verbis juris antiquissimo libello, quem habeo, sic scriptum est: *Si judex in edicto adjiciat, si die prascripto non veneris, quasi contumax condemnaberis: tunc judicium peremptorium emittitur*. Et post hujusmodi edictum impetratum, cum dies ejus supervenisset, tunc absens in jure citari debebat, & sive responderet, sive non responderet, causa agebatur. *Revard. Protribun. c. 3.*

EVOLUTIO apud Polyb. VI. 38. in significatione sua militari accepta, sive de hastatis, sive de aliis intelligatur, vix ullum admittit sensum. Ælian. Tactic. c. 27. duos

evolutionis modos ponit, unum per versum, alterum per juga; sive, ut nos diceremus, per altitudinem, & per frontem: additque, utriusque tres esse species. *Evolutionem*, quæ dicitur chorea, vel Persica, vel Cretica, dicit fieri ad hunc modum, ut phalanx quidem eundem locum retineat, singuli verò armati pro locis, quæ priùs tenebant, alia occupent, & lochagus in locum tergiductoris se transferat, eoque frons agminis convertatur, ubi antea tergum erat. Hac ratione fiebat, ut fronte in eum locum translata, ubi anteà tergum erat, secundus occuparet locum penultimi, tertius antepenultimi, & hi vicissim loca priorum. Macedonica erat, cum lochagus se converteret, & reliqui ad scutum deflectentes, ipsum præterirent, à tergo ejus consisterent, ita ut ipse quidem eodem remanens loco, frontem ad eam partem converteret, à qua antea fuerat aversus. Hæc hostibus pone imminentibus fugæ speciem præbebat. Huic contraria erat Laconica, qua tergiduce se convertente, reliqui etiam se convertebant, & succedentes cum lochago tergum agminis fronte mutabant: unde hæc persecutionis speciem hostibus pone imminentibus exhibebat. De *evolutionibus* per juga, sive frontem, non aliud tradit, quàm eas tum fieri, cum ad intermedias phalangum sectiones cornua quis velit statuere, & vice versa sectura proximos in locum cornuum, ut partes mediæ corroborentur, ac dextræ quidem similiter sinistris, ac sinistræ dexteris. Hoc qua ratione fiat, c. 28. exponit, dicens, si quis tagma aliquod, quod est justum quadratum sedecim hominibus per singula latera constans, *evolvere* velit, id fieri, vel ut agmen eodem loco maneat, vel transeat in locum agminis dextri vel sinistri. Quomodo id autem fiat, deinde non docet. Polyb. vi. 38. *hastatorum evolutionem* factam aliquando esse tradit. Sed illa non videtur ad ullum dictorum modorum referri posse. Quoniam hastati pone prima impedimenta incedentes, cum hostis à dextra subitò appareret, omnes ad hastam inclinabant, relictisque à tergo impedimentis, hosti obviam procedebant. Idemque cum principes & triarii utriusque legionis, nec non socii in alis facerent, instruebatur acies, quatuordecim manipulos in fronte habens. Nulla hic ergo *evolutio* per versum, sive secundùm altitudinem locum habebat, quoniam neque *chorea* fiebat, in qua universum quidem agmen eodem maneret loco, tergiductor verò in lochagi, & hic vicissim in illius locum transiret: multò minùs *Macedonica*, in qua lochagus relicta fronte ad tergum agminis se conferret: neque *Laconica*, quoniam hostes erant à fronte. Atque hæc non de solis hastatis, sed etiam omnibus aliis ordinibus intelligenda sunt. Quod si autem dicamus, hastatis, qui tunc extremum in sinistro cornu locum obtinebant, *evolutionem* per jugum facientibus, secundum manipulum ad latus exterius magis deflexisse, factoque eo alios in eodem cornu magis se dilatasse, videtur *evolutio* hæc, de qua Polybius loquitur, aliquem locum habere posse. Non tamen referri potest ad ullam speciem harum trium, quæ ab Æliano referuntur. Porrò in cornu dextro hastati non erant primi, ut in sinistro, sed triarii sociorum; qui cum pariter sese dilatarent, non solos hastatos, sed etiam triarios ultimos *evolutionem* fecisse Polybius dicere debuisset. Sic ut ultima triphalangia sociorum contrario modo disposita esset, atque tres præcedentes, in quibus semper primi erant hastati, secundi principes, & tertii triarii, prout Polybius ordine eorum mentionem fecit; in illa verò primi essent triarii, secundi principes, & ultimi hastati. Quod si hoc modo rem sese habuisse dicamus, sensum aliquem locus Polybii habebit. *Patric. de Re milit. Rom. par.* xiii. *Sect.* 9. *Lips. de Milit. Rom.* v. *Dial.* 12.

EUR.

EURIPUS dicitur propriè pars illa maris Euboici, quæ sexies reciprocat aquarum æstum, ut scribit Antiphilus Byzantius Floril. 1. 36.

Euboici sinus o mare reciprocans,
Aqua erratilis; propriis fluctibus contraria
Die ac nocte facta ter infida, & fallax,
Quantum fluctum fœnore acceptum in naves mittis?

septies reciprocare ajunt Seneca Herc. Oet. iii. 779.

Euripus undas flectit instabiles vagus,
Septemque cursus flectit, & totidem refert.

Plin. ii. 97. *Euripi in Eubœa septies die, ac nocte reciprocantis.* Strab. ix. p. 278. *Euripum septies quavis die, ac nocte mutari ajunt.* Numerum non definit Liv. xxviii. 6. *Fretum Euripi non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat: sed temerè in modum venti, nunc huc, nunc illuc, verso mari, velut monte præcipiti devolutus torrens rapitur: ita nec nocte, nec die quies navibus datur.* Buleng. de Circo c. 21. Brod. Misc. v. 6. Laz. Græc. Antiq. ii. 2. Voss. Lex. Etymol. Bernart. in Stat. Theb. vii. 334.

Euripus est aquæductus apertus, & grandis, quem vulgo canalem aquæ dicimus. Hesychius: Εὔριπος, δοχὴ τῶν ὑδάτων. Δοχὰς ὑδάτων exponit, quas Latini dogas inde dixere. Et hoc propriè irriguare, cum riguis, sive rivis aqua inducitur: eriguare cum deducitur. *Keuchen. in Frontin. de Aquæd. ii. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* iv. *p.* 1656. *F. Salmas. Exercit. Plin. p.* 638. *b. A.* 639. *a. G. Brod. Misc.* v. 6. *Voss. Lex. Etymol. Bernart. in Stat. Theb.* vii. 334.

Euripus, seu fossa denum pedum altitudinis & latitudinis, sive palmarum nostrarum xiii. & tertiæ erat inter porticus, & trium laterum vacuum spatium, sive arenam. Auctor Cæsar Julius fuit. Suet. c. 39. n. 5. *Circensibus spatio circi ab utraque parte producto, & in gyrum Euripo addito.* In eo crocodilli, aliaque animalia aquatilia occisa. Plinius, ubi de Scauro ait, *Euripum* ipsum ad tempus excavasse, addit in illo & illos exhibuisse viii. 26. *Primus hippopotamum & quinque crocodilos Romæ ædilitatis suæ ludis M. Æmilius Scaurus temporario Euripo ostendit.* Et editæ pugnæ navales. Sed hi ludi navales fuerunt soli navium procursus, non autem navalia certamina. Plin. viii. 7. *Pompeji altero consulatu: dedicatione templi Veneris Victricis, pugnavere in circo viginti, aut, ut quidam tradunt, septemdecim elephanti. Universi eruptionem tentaverunt, non sine vexatione populi, circumdati clathris ferreis. Qua de causa Cæsar Dictator, simile spectaculum editurus, euripis arenam circumdedit.* Nardin. Roman. Vet. vii. 2. Donat. de Urb. Roman. iii. 14. Buleng. de Circo c. 21. Salmas. Exercit. Plin. p. 639. Laurent. Polym. iv. Synops. 9. Panvin. de Lud. Circens. 1. 6. Rittersh. in Oppian. p. 144. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 13. §. 2. Fab. Epist. 1. 14. Moll. Long. Pastor. p. 4. Casal. de Urb. ac Imp. Rom. splend. part. 2. c. 3. Voss. Lex. Etymol. Heliogabalus vino implevit, ut in eo certamen navale ederet. Lamprid. c. 23. *Fertur in euripis vino plenis navales circenses exhibuisse.* Donat. & Buleng. l. l. Lampridius nihil certi de circi *Euripo* exprimit; verùm simpliciter de *Euripis*, qui & alibi excavari potuere. Cæsaris *Euripus* non diu durasse videtur; *Nero Cæsar sustulit, equiti loca addens.* Plin. l. l. Videtur tamen Cassiod. Var. iii. 51. significare, *Euripos* in sua usque tempora perdurasse: *Euripus*, inquit, *maris vitrei reddit imaginem; unde illic delphini æquorei aquas interfluunt.* Verùm utrum alius de novo factus sit, an verò non tam circum sui temporis, quàm priscum sub primis Imperatoribus descripserit, alieno dijudicandum arbitrio relinquo. Tandem aquam *Euripis* immissam, stagnantem deinde, & quæ finitis ludis rursum exhausta sit, existimo: non autem aquam vivam, fluentemque, ad quam inducendam aquæductu, vel tubulis, non sine ingenti sumptu, opus fuisset. *Nardin. l. l.*

EUT.

EUTRAPELUS fuit cognomen Volumniorum. Unde Cicero ad Volumnium Fam. vii. 32. *Εὐτραπελία tuarum literarum fecit, ut intelligerem, tuas esse.* Sigon. de Nom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. ii. p. 1975. C. Glandorp. Onom. Rom. p. 922.

EX.

EX animi tui sententia erat popularis, & vulgaris formula jurisjurandi, qua prout se res haberet, jurare profitebantur. Cicer. de Offic. III. 29. *Quod ex animi tui sententia juraris, sicut verbis concipitur more nostro*. Liv. XXII. 53. *Ex mei animi sententia juro, ut ego Rempublicam P.R. non deseram*. Quid hoc sit, aperit Quintil. v. 8. *Sententiam veteres, quod animo sensissent, vocaverunt. Id cum est apud oratores frequentissimum, tum etiam in usu quotidiano quasdam reliquias habet: nam & juraturi ex animi nostri sententia, & gratulantes ex sententia, dicimus*. Nostro verbo, ex conscientia, sincera fide, ut l. 3. §. ejusdem ff. de testibus. *Hansen. de jurej. vet. c.13.Gronov.Observ.* IV.14. *Brisson.de Form.* VII. *p.*711. *Lips.Var.Lect.* I.1. *Hotom.de Form. Thes.Antiq. Roman. Grav.Tom.* II. *p.*1917. *D.Cujac.Observ.* I. 21. Illam etiam censores præmittebant in jurejurando exigendo, cum lustrum conderent, & curam rei uxoriæ veteri instituto apud Romanos haberent, & caverent, ne quis civis Romanus cœlebs, & sine uxore esset. Cicer. de Orat. II. 64. *Ridicule etiam illud L. Porcius Nasica censori Catoni cum ille, Ex tui animi sententia, tu uxorem habes? Non hercle, inquit, ex animi mei sententia. Lips. l.l.* Gell. IV. 20. *Censor agebat de uxoribus sollenne jusjurandum. Verba hæc erant ita concepta: & tu ex animi tui sententia uxorem habes? Sollenne jusjurandum* vocat Gellius juramentum, quod annis singulis à maritatis civibus Romanis singulis, de uxoribus, earumque moribus exigebatur. Sic accipi posse auctor est Tacit. Annal. XVI. 22. 1. *Quin & illa objectabat, principio anni vitare Thraseam sollenne jusjurandum*. Eoque sensu *sollennia munera, & sollennia patronorum onera* dixerunt Icti l. 2. §. pen. de admin. tut. l. 2. de veter. *Ravard. Var.* IV. 13. *Turneb. in joc. Cicer. p.* 40.

Ex consule, quæstore, prætore . . . . eundem esse, qui sine præpositionis adjectione consul, quæstor, prætor, Mysiogerum Institutionum initio sequeos putat Alciat. Dispuoct. IV. 3. Ego verò ejusmodi appellationes perinde valere, ac si consularem, quæstorium, prætorium dicerem, quo modo olim, qui consulatum, quæsturam, præturam gesserant, vocabantur. Nam cum Imperatores jus consularitatis, quæstoriatus, prætoriatus quibusdam dare cœpissent, qui nunquam illos magistratus gessissent, cœperunt ii, qui verè fuerunt in magistratu, non jam amplius consulares, quæstorios, prætorios se vocare: ita enim vocabantur etiam, quibus hoc Principali tantum beneficio tributum erat: sed *ex* consule, quæstore, prætore. Scribendum autem, atque efferendum sexto casu, ut *ex* cubiculariis, archiatris, protectoriis. Non est autem unica dictio, aucta præpositione, per omnes casus variabilis; sed duæ orationis partes sejunctæ: quasi dixeris, non esse consulem, quæstorem, prætorem; sed *ex* consule, quæstore, prætore, id est, *ex* consulis, quæstoris, prætoris honore, & imperio abiisse. Ex l. unica C. de quæstoribus, ubi legitur: *ex quæstura honore*, *ex* non pertinet ad proximam vocem quæsturæ; sed ad alteram longiùs dissitam, ut sit: ex honore quæsturæ. Ita in actione prima Synodi Chalcedonensis recensentur quinque *ex* consulibus, id est, consulares: quos si consules interpretaris, uno eodemque tempore sex consules ordinarii, ne suffectos putes, extitisse videbuntur. Nam Imperator Flavius Marcianus consulatum eo ipso anno gerebat. Non posse autem hæc per casus flecti, sed prælatæ præpositioni sexto casu tantum servire, argumento est lapis apud Gloriosos, punctis notato literarum, quæ desiderantur, numero suppletus: EX. VICARIO. ASIE. EX. PRÆFECTO. PRÆTORIO. EX. PRÆFECTO. UR. *Castal. Var. Lect. Miscell. Ital. Erud. Tom.* I. *p.*35. *Cerda Advers. Sacr. c.* 142. *n.* 1. *Stevvech. ad Veget.* II. 9. *Crinit. de Honest. discipl.* X. 12. *Salmas. in Lampr. Comm. c.* 7. *Alex. Sev. c.* 33. *Capitol. Maxim. c.* 20. *Gord. c.* 7. & 22. *Vopisc. Prob. c.* 13.

Ex jure manu consertum quid sit, docet Gell. XX. 10. . . . . *Verba sunt ex antiquis actionibus, quæ, quum lege agitur, & vindiciæ contenduntur, dici nunc quoque apud prætorem solent. Ennius.*

> *Non ex jure manu consertum, sed mage ferro*
> *Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi.*

Manum conserere est, de qua re disceptatur, in re præsenti, sive ager, sive quid aliud est, cum adversario simul manu prendere, & in ea re omnibus rebus vindicare. Vindicia, id est, correptio manus in re, atque in loco præsenti, apud prætorem ex duodecim tabulis fiebat, in quibus ita scriptum est: SI. QUI. IN. JURE. MANUM. CONSERUNT. Sed postquam prætores propagatis Italiæ finibus, datis jurisdictionibus, negotiis occupati, proficisci vindiciarum dicendarum causa in longinquas res gravabantur: institutum est, contra XII. *tabulas, tacito consensu, ut litigantes non in jure apud prætorem manum consererent, sed ex jure manu consertum vocarent; id est, alter alterum ex jure ad conserendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret: atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, uti unam glebam, in jus in Urbem ad prætorem deferrent: & in ea gleba, tanquam in toto agro vindicarent*. Bud. in Pandect. p. 27. I. Pollet. For. Roman. v. 4. Brisson. de Form. v. p. 375. Oisel. in Gellium. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 692. F. Sigon. de Judic. I. 21. Rævard. in Leg. XII. tab. §. 6. de Div. reg. jur. CVIII. Marcil. in Leg. XII. tab. c. II. Hotoman. Antiq. Roman. III. p. 481. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 3. c. 8. Column. in Ennium p. 80.

Ex statione est idem ni fallor qui stationarius, miles, apparitor, ministerve publicus, qui magistratui, seu præsidi ministrabat ad quadragesimæ Galliarum exactionem. Inscriptio Romæ ad Laureoti:

DIS MAN
FEDIA EPICTESIS
PLACIDO CÆSARI
EX STATIONE XXXX GALLIARUM
FECIT ET SIBI ET SUIS LIBERTIS
LIBERTABUSQUE POSTERISQUE EORUM.

Spon. Miscell. Erud. Antiq. Sect. VI. *p.* 217.

EXA.

EXACTOR erat nomen servi apud Romanos. Antiquum elogium, quod extabat Romæ in museo Carpensi:

SEX. POMPEJUS FAUSTUS
SEX. POMPEI. EXACTOR.

Ejus officium describit Scævol. l. 41. de fideicom. libert. *Stichus arcarius probante domino nomina fecit, & rationes à domino scriptas exhibuit, nec postea nomen ullum fecit: quæro an si qui minus solvendo fuerint debitores, quibus alii exactores erant applicati, nondum videatur conditioni satisfactum?* Pignor. de Serv. p. 334. Lips. in Tacit. Annal. III. n. 32.

Exactor operum dominicorum dicitur in epitaphio, quod Romæ visitur:

M. AURELIUS. AUGG. N.N.
LIB. EPAPHRODITUS
EXACTOR OPERUM. DOM. N. N.

Plin. Epist. IX. 37. 3. *Medendi una ratio, si non nummo, sed partibus locem, ac deinde ex meis aliquos exactores operi, custodes fructibus ponam*. Lips. in Tacit. Ann. III. n. 32. Pignor. de Serv. p. 335. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 12.

Exactor pecuniarum fiscalium, ut vocatur Firmico Astron. III. 11. erat, qui annuas fiscariorum præstationes repetebat. Novell. 30. *Comitiana præerat vectigalibus*. XIII. *erant πράκτορες, exactores vectigalium. Cursalis apparitor, optio actuarius, publici debiti exactor, & compulsor esse potest*. Buleng. de Vectig. c. 3. de Imp. Rom. VI. 51. Vocabatur etiam compulsor. V. in *Compulsor*. Spanhem. de Præst. numism. Dissert. IX. p. 813. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 702. A.

Exactor supplicii dicitur præpositus ad exigendum perficiendumque, & quasi custos. Liv. II. 5. *Qui spectator erat amovendus, eum ipsum fortuna exactorem supplicii dedit*. Tacit. Ann. XI. 3. *Denuntiat centurionibus, & tribuno, qui aderant, exsequi cædem: custos & exactor è libertis Evodus datus*. Lips. in Tacit. Annal. III. n. 32.

EXAGIUM est genus ponderis. Vetus Inscriptio: *Sub exagio potius pecora vendere, quàm digitis concludentibus tradere.* Glossæ: Ἐξάγιον, *pensatio.* Novell. Theod. & Valent. tit. 23. *De ponderibus quoque, ut fraus omnis amputetur penitus, à nobis aguntur exagia.* Buleng. de Vectig. c. 75. Cerda Advers. c. 121. §. 47. Senftleb. de Alea c. 18. §. 1. Scalig. de Re numm. Thes. Antiq. Græc. Gronov. IX. p. 1525. C.

EXARCHUS, ἔξαρχος. Gloss. Græc. Lat. Ἔξαρχοι, *proceres, principes. Exarchi* Italiæ, vel Ravennæ, qui ab Imperatoribus Constantinopolitanis in Italiam cum imperio mittebantur. *Du Fresne Glossario. Buleng. de Imp. Rom.* VIII. 84. *Pancirol. Notit. Dignit. Imp. Occid. c. 1.*

EXARMARI dicitur causa, cum à subornatis testibus expugnatur, debilitatur, infirmatur. Plin. Epist. III. 9. 29. *Ex testibus quidam, sive iratus, quod evocatus esset invitus, sive subornatus ab aliquo reorum, ut accusationem exarmaret,* Pollet. For. Roman. IV. 14. Bud. in Pandect. p. 135. C. Μεταφορικῶς. *Exarmare* ea forma dicitur, qua excalceare, id est, armis dispoliare: à Græcis ἀφοπλίζειν dicitur. *Exarmare* navem est navem armamentis spoliare, ut malo, rostro, antenna, carchesio, clavo, pede, ancora, & reliquis. *Exarmare* feras est dentes, ungues, vel alia noxia membra adimere, vel etiam tutamina, quibus vim propulsare nata sunt. Lamprid. in Heliog. c. 21. *Habuit & leones, & leopardos exarmatos in deliciis, quos edoctos per mansuetarios subito ad secundam & tertiam mensam jubebat accumbere, ignorantibus cunctis, quod exarmati essent, ad pavorem & ridiculum excitandum.* Bud. l. l.

EXAUCTORATIO interdum differt à missione, cum quis sine ignominia *exauctoratur.* Tacit. Annal. 1. 36. 4. *Missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari qui sena dena fecissent.* Missio enim datur iis, qui penitus dimittuntur, *Exauctorantur,* qui solvuntur stipendio, nec tamen dimittuntur, sed habentur sub vexillo, non sub aquila, aut signis legionis: neque jam legionarii sunt, retinentur tamen, donec emerita solvantur, aut agri assignentur. Sed & qui sub signis habebantur, à legionariis distinguuntur, & subsignati vocantur: quia non sunt sub aquila. Tacit. Hist. 1. 70. 5. *Peaino itinere subsignanum militem traduxit.* Turneb. Adv. III. 3. Bud. in Pandect. p. 93. D. Lips. in Tacit. Ann. 1. nu. 106. de Milit. Rom. V. Dial. 19. Laurent. Polym. IV. Synops. 3. Stevvech. in Veget. II. 3. Thys. Rom. Illustr. V. p. 154. Valtrin. de Re milit. Rom. VI. 6. Interdum plena, & ignominiosa missio significaretur. Et illa fuit, cum detractis insignibus militaribus inter infames aliquem Imperator efficiebat Ulpiano teste mox laudando, Et *exauctoratus* dicitur, qui *militia remotus castris ejicitur,* l. 39. pr. ff. de liber. caus. Lamprid. Alex. Sever. c. 52. *Severitatis tanta fuit in milites, ut sæpè legiones integras exauctoraverit,* id est, cum ignominia dimiserit. *Exauctoratas legiones* ab Augusto dicit Suet. c. 24. n. 4. Ubi sacramento tantùm fuisse solutos scias, sine ignominiæ mentione, verùm ademptis emeritis & præmiis, quæ finita militia dari solita. Quæ tertia à prioribus diversa *exauctorationis* est significatio. *Sichterman. de Pœn. militar. c. 13. Valtrin. ibid. c. 8. Robort. de Pœa. milit. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. X. p. 1483. A.* Formulam *exauctorationis* tradit Lampr. in Alex. c. 52. *Quirites discedite, atque arma deponite.* Arma enim primùm, deinde sagulum deponere jubebantur. Lampridius: *Mirando exemplo depositis armis, depositis etiam sagulis militaribus, omnes non ad castra, sed ad diversoria varia recesserunt.* Suet. Vit. c. 10. n. 2. *Quicquid prætorianarum cohortium fuit uno exauctoravit edicto, jussas tribunis tradere arma.* Et *exauctorare* per insignia militaria detrahere exponit Ulpian. ff. de iis qui not. infam. tit. 2. l. 2. *Sed & si eum exauctoraverit, id est, insignia militaria detraxerit, inter infames efficit, licèt non addidisset, ignominiæ causa se eum exauctorasse.* Schott. Observ. III. 23. Pitisc. in Suet. Aug. c. 24. n. 4. Et calceos. Tertullian. de Coron. milit. c. 1. *Speculatoriam,* inquit, *morosissimam pedibus absolvit,* id est, caligam militarem deponit, *Balduin. de Calc. c. 24. Ferrar. de Re vest. II. 3. 14.*

EXAUGURARE est omni religione liberare, auguris profanum reddere. Liv. 1. 55. *Inter principia condendi hujus operis, movisse numen ad indicandam tanti imperii molem traditur deos: nam quum omnium sacellorum exaugurationes admitterent aves, in Termini fano non addixere: idque omen, auguriumque ita acceptum est, non motam Termini sedem, unumque eum deorum non evocatum sacratis sibi finibus, firma stabiliaque cuncta portendere.* Turneb. Adv. XXX. 31. Laurent. Polym. III. Synops. 2. Struv. Antiq. Rom. c. 11. p. 509. & 519. Guther. de vet. jur. pontif. II. 3. Ræv ard. Conject. II. 17.

EXC.

EXCALCEATI obierunt cursores & tabellarii sua munia, quia corrigiarum abruptio properantes non minùs moretur, quàm ipsamet calceamenta, quæ pedum quasi vincula sunt, & impedimenta. Sic enim eos magis expeditos atque agiles fuisse, par est credere. Et ita sanè censuit Musonius philosophus apud Stob. Serm. 1. p. 18. *Ac discalceatum incedere præstantius est quàm calceari: propemodum enim dixerim, calceatum esse perinde esse ac colligatum & vinctum esse. Cæterum immunitas calceorum multum facilitatis, & agilitatis præbet pedibus, si exercitati fuerint. Unde tabellarios videre est non uti calceamentis in viis: atque ex athletis cursores non posse servare celeritatem, si opus sit ipsos currere in calceis.* Suet. Vesp. c. 8. n. 8. *Classiarios, qui ab Ostia & Puteolis Romam pedibus per vices commeant, petentes constitui aliquid sibi calcearii nomine; quasi parum esset, sine responsione abegisse, jussit post hac excalceatos cursitare. Et ex eo ita cursitant.* Balduin. de Calc. c. 21. Byn. de Calc. Hebr. 1. 5. §. 4. Sagittar. Nudip. c. 1. §. 8. Laurent. Polym. 1. Dissert. 6. Pitisc. in Suetonium. Et incedere non dubitarunt viri etiam maximi, ut Phocio apud Athenienses. Plutarch. c. 6. *Ruri, aut militia nudus semper, & absque calceis incedebat, nisi frigus vehementissimum, & intolerabile incidisset; ita ut per jocum etiam milites intensum gelu significari amicto Phocione dicerent.* Cato Uticensis apud Romanos. Plutarch. c. 9. *Sæpè nudis pedibus, & sine tunica post prandium in publicum prodiit, non gloriæ venandæ studio, sed assuefaciens se, ne cujus ipsum rei, nisi turpis, puderet.* Bergier. de viis milit. IV. Sect. 11. §. 6. Demster. Paral. ad Ant. Rom. Rosin. V. 36.

EXCEDERE erat verbum arenæ. Et *excedere* dicebatur gladiator, qui vitabat petitionem adversarii. Cicer. Catil. 1. 6. *Parva quadam declinatione, &, ut ajunt, corpore excessi tuas petitiones ita conjectas, ut vitari non posse videreatur.* Lips. Saturn. II. 20. Cerda in Virg. Æneid. V. 438. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Chamillard. in Prudent. contr. Symm. 1. 656. Thys. de Gladiat. p. 233.

EXCEPTIO succedit actioni, dicta est quasi quædam exclusio, quæ interponi actioni cujusque rei solet, ad excludendum id, quod ad intentionem condemnationemve deductum est: vel, ut Paull. tit. de except. conditio est, quæ modo eximit reum à damnatione. *Pollet. For. Rom. 1. 12. v. 4.* Non omnem actoris intentionem excludebat, ut inficiatio, sed ejus partem. His verbis concipiebatur: *extra quam si,* vel *nisi si,* ut si reus vixisset: *Imo hereditas mea est, non tua, nisi testamento prodatur, quo tibi relicta appareat,* aut aliquid tale. Cicer. de Inv. Rhet. II. 20. *Lex est: in judicio privato præjudicium ne fiat publico. Cum ad vim quotidianam faciendam quidam armati venissent, armati contra præsto fuerunt: & cuidam equiti armato quidam ex armatis resistenti gladio manum præciderunt. Agit is, cui manus præcisa est, injuriarum. Postulat is, quicum agitur, à prætore exceptionem, extra quam si in eum capitis præjudicium fiat,* id est, non excludit totam actionem injuriarum, sed ex ea tantum parte, si in reum capitis præjudicium fiat. *Sigon. de Judic. 1. 21. Brisson. de Form. V. p. 402....* Sunt verò *exceptiones* aut temporales & dilatoriæ, quæ ferè translationes à Rhetoribus dicuntur: aut perpetuæ & peremptoriæ, qualis est doli mali, rei judicatæ, pacti conventi perpetui, solutionis, & si quid contra leges, senatusve consultum factum esse dicitur. *Pollet. ibid. n. 4.*

EXCEPTORES erant, qui acta judiciorum scribebant in causis appellationum coram præfecto prætorio. Anastas. l. in sacris scriniis 12. §. modum insuper sportularum C. de proxim. sacr. scrin. *Jubemus*, inquit, *pro editione actorum exceptoribus dimidiam solidi partem dari*. Loquitur de scriniariis Palatinis, quos vult *exceptoribus*, qui acta scripserunt, tenues sportulas solvere. Non integris dictionibus solum acta judiciorum coarctabantur, sed ut celeriùs expedirentur, notis scribebantur. Modestin. l. inter eos §. 1. 1. ex quib. caus. maj. *Eos*, inquit, *qui notis scribunt acta præsidum, Reipublicæ causa non abesse certum est*. Metaphrast. xxvi. Februarii in v. Porphyrio Episcopo: *Cornelius*, ait, *Diaconus sciens notis scribere, quibus utuntur in judicio, notabat omnia, quæ dicebantur, & opponebantur*. Cum verò causa examinabatur, *exceptores* acta, quæ scripserant, præfectis, aut præsidibus recitabant, ut apparet ex actis cujusdam judicii relatis ab Augustin. cont. Cresconium v. 29. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 19. & 86. de Magistr. munic. c. 9. Buleng. de Imp. Rom.* iv. 20. *Cerda Advers. c.* 186. §. 20. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* ii. 14: iii. 7. *Bud. in Pandect. p.* 105. *C. Laz. Comm. Reip. Rom.* ii. 4. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom.* vii. 48.

EXCITARI dicebatur in theatro, qui loco sibi non debito surgere jubebatur. Mart. v. 14. 1. V. illum infr. in *Viæ in spectaculis*. Quintil. iii. 7. *Si excitatus fuerit de spectaculis, aget injuriarum*. Suet. Aug. c. 14. n. 2. *Cum spectaculo ludorum gregarium militem in xiv. ordinibus sedentem excitari per apparitorem jussisset*. In eodem verbo pulcrè lusit Diogenes apud Laert. vi. 48. *Citharœdum quendam, quo cantante omnes discedebant, eumque relinquebant, salutavit, salve galle. Illo quærente, quid ita? quia, inquit, cantans omnes excitas*. Lips. de Amphith. c. 15. Beroald. & Pitisc. in Suetonium. Thys. de Amphith. p. 207.

EXCORRECTOR dicebatur, qui *corrector* esse desierat. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. xi. p. 703. E.*

EXCUBIA una, ut hodieque fit, erat totum *νυχθήμερον*. Polyb. vi. 33. eundem manipulum de nocte atque interdiu custodiæ prætorii apponit. Clariùs idem ostendit in *excubiis* tribunorum: cum enim tres manipulos cuique tribuno assignet, per quos in orbem eat munus hoc præbendi duas *excubias* tam de die, quàm de nocte, adjicit non grave esse, quia quarto quoque die ad manipulum redeat. Ergo nox & dies pro una vice habebantur. Præterea velites, quorum est nocturna munimentorum custodia, totum diem ait propter vallum in *excubiis* manere. Livius de castris Punicis: *Ibi quia sub lucem lignatum & pabulatum quidam dilapsi fuerant, neglecta magis omnia & soluta invenere, arma tantum in stationibus posita, milites inermes, aut humi sedentes, accubantesque, aut obambulantes ante vallum, portasque*. Apparet, nec *excubias*, nec stationes diurno tempore cessavisse, locum tantum aliquatenus mutatum & rationem. Qui enim nocturnis vigiliis, & stationibus vallum penè expleverunt, in sequente luce accubuerunt juxta vallum. Qui in portis noctu stationem habuerunt, illa proxima die pro portis inveniebantur. Illud tamen adhuc quærimus: quorsum ex suis (tariores haud dubiè) sed quot in statione posuerint, & quoties illæ mutatæ fuerint? At illæ quas singuli manipuli ex suo numero ordinant, vigiliæ videntur esse, nec. per diem in statione manere. Minimè enim necessaria tum tanta stationum frequentia per tota castra, & Polybius horum non meminit, nisi in nocturnis custodiis. Vegetius etiam illas, quas de singulis centuriis sumit, ad noctis tempus restringit iii. 8. *De singulis centuriis quaterni equites, & quaterni pedites excubitum noctibus faciunt*. Et Hyginus ex quaque centuria, *in singulas vigilias vult ire*, id est, propriè in custodiam noctis. *Schel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. x. p. 1188. B.* Equitum custodiam V. etiam supr. in *Equites*. Quatuor *excubiæ* sunt sedecim homines. *Excubia* enim una quatuor homines erant, unde & *τετράδιον* appellatur, ut apud Lucam Actor. c. 12. n. 4. Ubi Petrus ab Herode in custodiam conjectus *τέσσαρσι τετραδίοις στρατιωτῶν* servandus datur, hoc est, quatuor *excubiis*, sive sedecim militibus, quot Hyginus ex singulis centuriis quotidie vult excubare. *Schel. ibid. p. 1034. E. Lips. de Milit. Rom. v. dial. 8.*

EXCUBIÆ *diurnæ sunt, vigiliæ nocturnæ*. Isidor. ix. 3. Serv. Virg. Æneid. ix. 159. *Laurent. Polym. iv. Synops. 3.* Sed hi falluntur. Nam sive originem vocis spectamus, ducitur ab *excubando*, id est, extra papiliones & locum assignatum *cubando*. Illorum hoc propriè est, quorum in statione, aut vigiliis vices nondum advenerunt, aut jam præterierunt: uno enim vigilum vigilante, & sub armis stante, tres reliqui juxta *cubant*: sive usum respicimus, non crebriùs pro diurna statione, quàm pro vigiliis accipitur. *Schel. in Polyb. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom. x. p. 1180. F.* Unicuique ordini, sive manipulo triariorum, principum, hastatorum à militibus, qui in eo metabantur, & ex suo numero disponebantur, docente Polyb. vi. 33. præstabantur. Reliquæ ab ipso Imperatore ordinabantur, & in tres partes dividebantur, & assignabatur earum I. quæstori, ipsiusque apparatibus. II. duobus legatis, qui in militia secundum ab Imperatore locum tenentes singulis legionibus præerant. III. custodiæ valli, quæ mandabatur velitibus, tota die in *excubiis* ibi manentibus, quod & de nocte intelligendum, quoniam Polybius hìc agit de vigiliis, sive *excubiis* nocturnis. *Patric. rer. milit. Rom. part. x. sect. 16. Excubitores* de loco & tempore stationum sortiri voluerunt veteres, tum æquitatis causa, tum etiam securitatis: æquitatis, quia loca alia aliis periculosiora, nec omnes horæ noctis vigilantibus æquè molestæ & graves: securitatis, quia contra proditiones & fraudem hostilem prodest, neminem ante noctem scire, qua hora, & qua parte castrorum vigilias obiturus sit. In castris tamen Romanorum *excubiis*, quæ interiora servabant castra, suus certusque locus fuit assignatus. Ad prætorium semper unus per vices *excubabat* manipulus: ad scamnum tribunorum certæ semper ex illis manipulis, quibus ea sors obvenerat, vigiliæ: singuli præterea manipuli juxta sedem suam singulas ponebant. De solo itaque ordine vigiliarum hi sortem trahere potuerunt, & traxisse probat illud Silii Italici vii. 155.

——jamque excubias sortitus iniquas,
Tertius abrupta vigil iret ad arma quiete.

At eos, quibus portarum, & exteriorum castrorum tutela committebatur, etiam loca quæ tenerent, & ibi necessarium magis, sorte divisisse ostendunt, Virg. Georg. iv. 165.

Sunt quibus ad portam cecidit custodia sorti.

Val. Flacc. iii. 70.

Jamque adeo nec porta ducem, nec pone moratur
Excubias sortita manus.

Stationes igitur externa castra tenentes, de loco, & tempore vigiliarum; *excubiæ* verò, utique interiores, de ordine tantum sortem trahebant. Quibus autem prima *excubia* sorti cecidisset, ii ab optione suo, priusquam *excubitum* irent, ad tribunum deducebantur, accipiebantque tesseram, id est, exiguas tabellas pro *excubitoribus* omnibus, notis diversis insignitas. *Schel. ibid. p. 1186. B. Maurit. de Sortit. c. 31. §. 3. Lips. de Milit. Roman. v. 8. Thys. Rom. Illustr. v. p. 124.* Alii igitur primas, alii secundas, alii tertias, alii quartas *excubias*, ordine ita exigente, agebant. Polyb. l. l. *E singulis quaternionibus eorum qui ad custodias sunt destinati, ille qui primus in statione est futurus, ad tribunum vespere deducitur ab agminis coactore cujusque signi. Tribunus omnibus his pro singulis excubiis parvulas e ligno tessellas tradit oppidò exiguas, quæ nota quadam sunt insignita.* Patric. ibid. sect. 17. Initium buccina indicabat, uti hodie in castris tympanum, & in castellis sonus campanæ. Cura illud dandi incumbebat primo centurioni triariorum, sive primipilo primi ordinis. Polybius. *Patric. ibid. Sect. 20. Schel. ibid. p. 1187. A.*

Excubiæ Latinis nonnunquam diligentem custodiam quamlibet denotant. Claud. de Bell. Gild. n. 296.

——vix hac amentia nostris
Excubiis, nedum puero rectore, quiesset.

Illis etiam muniebantur Regum thalami. Virg. Cir. n. 210.

Jamque adeo dulci devinctus lumina somno

Nisus erat: vigilumque procul custodia primis
Excubiis foribus studio jactabat inani,

Unde ductum in virginieis quoque cubiculis ancillas quoque peculiares collocatas, quæ rosam illam custodirent, quæ semel tantum carpitur. Mart. Capell. II. *Quam cum prædicta disponentem rimatim ab ostio speculabunda cognosceret, aliam ejus ancillam cui Agryphia vocabulum est, atque intra cubiculum præbebat excubias, adorta est increpare.* Bart. Adv. XXI. 15.

EXCUBITORES servos, qui nocturnas ad limen habebant custodias, præter janitores habebant potentiores. Isidor. IX. 3. *Excubitores dicuntur, pro eo, quod excubias semper agunt. Sunt enim ex numero militum, & in porticibus excubant propter regalem custodiam.* Quintil. Decl. 1. *Dicitur cæcus sine rectore, sine duce, per inane longum, per tot offensa limina, per excubantes servulos errasse cum ferro; cubiculum deinde patris intrasse.* Cohortes habebant in vestibulo palatii ad majorem sui securitatem Imperatores Romani. Suet. Ner. c. 8. n. 1. *Septemdecim natus annos, ut de Claudio palam factum est, inter horam sextam septimamque processit ad excubitores.* Oth. c. 6. n. 1. *Obstitit respectus cohortis, quæ tunc excubabat.* Coripp. I.

Excubiæ primum quæ summa palatio servant,
Imperium felix dominis intrantibus optant,
Et cunctos aditus armato milite vallant.

Illas, si quando foris cœnarent, in aliena domo suum officium factitas, habebant comites. Suet. Oth. c. 4. n. 3. *Quoties cœna Principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim dividere.* Et illis qui præerat, vocabatur tribunus *excubitor.* Suet. Claud. c. 42. n. 6. *Excubitori tribuno signum de more poscenti non temerè aliud dedit ...* Ner. c. 9. n. 4. *Primo imperii die signum excubanti tribuno dedit.* Sagittar. de Jan. Vet. c. 17. §. 1-4. Buleng. de Imper. Rom. III. 36.

EXCULCATORES videntur dicti à jaculis *exculcandis*, id est, emittendis. Nam *exculcare* ita significat ἐκβάλλειν. Ut inculcare est ἐμβάλλειν. Nisi si fortè potius ab *excurrendo* sic appellatos placeat. Nam & *proculcatores* Ammian. XXVII. 10. dixit, qui sunt procursatores. Nempe à *calcare*, quod est iter terere ac facere. Græci recentiore τακτικῶν scriptores σκούλκας & σκουλκάτωρας appellant, & pro exploratoribus eam vocem usurpant. Quod inde est, quia levibus militibus ad explorandum utebantur, & ad hoc sæpè præmitti & præcurrere solebant, ut constat ex Joseph. Ἁλώσ. III. 8. Inde verbum σκουλκεύειν, pro explorare. Pro excubitoribus etiam hos *exculcatores*, sive *sculcatores* posuere, quia munus hoc etiam fuit velitum, excubias ante castra agere circa vallum, ut apud Polybium legimus. *Salmas. de Re milit. Roman. c. 9. Vales. in Ammianum.* Ab *exculcandis* glandibus dictos puto; fuerunt enim, qui missilia, & lapides, & glandes exculcabant & ejiciebant. *Turneb. Adv.* XXVIII. 12. Quod falsum. Non enim funditores erant, sed jaculatores. Rariùs quippe funditorum, vel sagittariorum opera utebantur ad explorandum & excubandum pro castris, frequentiùs jaculatorum, ut olim velitum, quos jaculatores fuisse constat. A funditoribus & sagittariis etiam distinguit Veget. II. 17. *Ferentarii autem, armatura, excalcatores, sagittarii, funditores, hoc est, levis armatura, adversarios provocabant ante aciem procedentes.* Erant itaque levis armaturæ pedites, & jaculatores. Hos enim *excalcatores* sua ætate dictos scribit Veget. II. 15. *Post hos erant ferentarii, & levis armatura, quos nunc excalcatores, & armaturas dicimus.* Salmas. l. l. Panciroll. Notit. Dignit. Imp. occid. c. 21.

EXE.

EXEDRA invenitur apud Ulpian. l. 33. ad edictum l. si verò plures §. interdum ff. de his qui dejec. vel effud. ubi ita scribitur: *Interdum tamen, quo sine captione actoris fiat, oportebit prætorem æquitate motum potius dare actionem in eum, ex cujus cubiculo, vel exedra dejectum est: licèt plures in eodem cubiculo habitent.* Homo quisquam insigniter impudens, (est ille Accursius) asserit *exedram* fuisse genus fenestræ, qualem in nostris ædibus hodie conspicimus. Ego animadverto, cubiculum designari columnis fultum, & epistyliis pluribus, excisis spatiis, quibus prospectus in viam erat, aliquando sub dio, aliquando sub tecto. *Alex. Gen. Dier.* V. 11. Erat potius locus amplus, & ad considendum aptus. Græca enim origine à sessione dictam patet. Vitruv. V. 11. illam describit: *Constituuntur autem in tribus porticibus exedræ spatiosæ, habentes sedes, in quibus philosophi, rhetores, reliquique qui studiis delectantur, sedentes disputare possint.* Cicer. de Fin. V. 2. *Hoc autem tempore etsi multa in omni parte Athenarum sunt in ipsis locis indicia summorum virorum: tamen illa moveor exedra: modo enim fuit Carneadea, quem videre videor. Est enim nota imago, à sedeque ipsa tanti ingenii magnitudine orbata desiderari illam voce puto.* Bud. in Pandect. p. 119. H. Struv. Ant. Roman. c. 11. p. 518. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 909. B. Chimentell. de Hon. bisell. c. 23. Panvin. de Lud. Circens. II. 1. & ad illum Argolus, Tiraquell. in Alexandrum. Laurent. Polym. IV. Synops. 9. Baccius de Therm. Ver. c. 6. Neocor. Mus. Alexandr. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2774. B. Domus nostræ non habent *exedras.* Si tamen locus quispiam seligeretur amœnus, pulcer, isque cathedris ornaretur, & in eo ad colloquendum confabulandumque pomeridianis horis amici convenirent, quis negaret appellari debere, & esse *exedram?* Quasdam autem, vernas fortè & æstivas, apertas fuisse docemur testimonio Vitruv. VII. 9. *Apertis verò locis, id est, peristyliis, aut exedris, aut cæteris ejusmodi locis, quo sol & luna possit splendores, & radios demittere, denigratur.* Bald. Lex. Vitruv.

EXERCENTIBUS se in campo, qui exercitationi militum erat deputatus, sagittariis, funditoribus, ac reliquis militibus, si aliquem intempestivè transeuntem læderent, actio legis Aquiliæ denegabatur: at contra qui data opera in eum jaculabatur, Aquilia tenebatur. Auctor est Ulpian. lib. 18. ad edictum hodie, l. 9. ff. ad legem Aquiliam. Idem sanxit Justinian. Instit. ad legem Aquiliam §. Injuria autem: *Itaque si quis dum jaculis ludit, vel exercitatur, transeuntem servum tuum trajecerit, distinguitur. Nam si id à milite in eo campo, ubi solitum est exercitari, admissum est, nulla culpa ejus intelligitur: si alius tale quod admiserit, culpa reus est. Idem juris est de milite, si in alio loco, quàm qui ad exercitandum militibus destinatus est, id admiserit.* Stevech. in Veget. II. 23.

EXERCITATIONE & labore militari bellicam virtutem, ne otio miles languesceret, aluerunt Romani: & milites in pace, umbratili certamine ad belli labores, veraque pericula duraverunt. Senec. Epist. 18. *Miles in media pace decurrit sine ullo hoste, vallum jacit, & supervacuo labore lassatur, ut sufficere necessario possit.* Itaque militares copiæ non ab armis, robore, præliisve, sed ab una *exercitatione* nomen invenerunt, ut Varr. de Ling. Lat. IV, 16. & Cicer. Tusc. Quæst. II. 16. tradiderunt. Simul enim adolescentes laboris patientes erant, id est, simul atque virilem togam sumpsissent, in campum Martium deducebantur, ibique ad omnem belli disciplinam *exercebantur.* Tantique *exercitationem* veteres fecerunt, ut in ea una posita esse omnia arbitrarentur. Hinc illa Cicer. l. l. *Quid exercitatio legionum? quid? ille cursus, concursus, clamor, quanti laboris est? ex hoc ille animus in præliis paratus ad vulnera: adduc pari animo inexercitatum militem, mulier videbitur. Cur? tantum interest inter novum, & veterem exercitum, quantum experti sumus. Ætas tyronum plerumque melior: sed ferre laborem, contemnere vulnus consuetudo docet.* Valtrin. de Re milit. Roman. I. 4. Hac miles victoriam meditatur, tantòque ideo promptiùs assequetur, quantò diligentiùs meditatus fuerit. Sic castris positis perpetuò paratus & promptus erit ad dimicandum. Virg. Georg. III. 346.

Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Injusto sub fasce viam dum carpit, & hostem
Ante exspectatum positis stat in agmine castris.

Ramus de Milit. Jul. Cæs. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. X. p. 1563. B. Et hac fiet, ut nihil magis optet, quàm prælium, nihil seditionis moveat. Hujus negligentia aliquando maximam totius exercitus perturbationem evitare non

poruit,

potuit, de qua Cæs. de Bell. Gall. I. 39. *Ramus ibid. p.* 1561. *D. Stevvech. in Veget.* I. 15.

EXERCITOR navis est, *ad quem obventiones, & reditus omnes perveniunt: sive is dominus navis sit, sive à domino navem per aversionem conduxit, vel ad tempus, vel in perpetuum.* Ulpian. §. Exercitorem ff. de *exercitoria* actione. *Sigon. de Judic.* I. 17. *Brisson. de Form.* VI. p. 541. *Laz. Comm. Reip. Roman.* IV. I.

Exercitor dicitur etiam gymnasta, sive magister athletarum. Plaut. Trin. IV. 3. 8.

——huic, quisquis est,

Gurgulio est exercitor: is hunc hominem cursuram docet.

Hoc enim ab athletis est desumptum. Quia in brevitate illa proscenii currebat servulus & recurrebat, sed lento & mimico cursu: senex ludit, &, hunc hominem, inquit, tardus aliquis gurgulio ad cursum exercuit: ita currit, nec procurrit. Eadem allusione ibid. II. I. 3.

Magister mihi exercitor animus hic est.

Lips. Epist. I. 15. Douza ad Plautum. Goldast. Epist. Philol. 73.

EXERCITUS appellabatur justa militum manus, sive incesserit, sive castris locatis vallum circumductum habuerit, sive præsidio loci posito pro mœnibus excubuerit, sive denique acie constructa ad prælium ductus sit. Erant in illo non solum varia genera militum ducumque; verùm etiam non unum genus militiæ semper inerat, potissimum verò ex peditatu & equitatu consistebat: ac sicubi opus erat, & locus admittebat, classem conjunctam habebat. Habebat acies, ordines, principia, & globos militares, in quibus ordine certo milites consistebant. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. 2. lustrabatur. V. infr. in *Lustratio.* sub pellibus habebatur. V. infr. in *Pellis. Exercitum* imperandi jus non erat pontificibus. Gell. XV. 17. *Centuriata comitia intra pomœrium fieri nefas esse; quia exercitum extra urbem imperari oporteat, intra Urbem imperari jus non sit: propterea centuriata comitia in campo Martio haberi, exercitumque imperari præsidii causa solitum: quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus.* Qui non dicit, ab eo, qui comitia habebat, imperari *exercitum* oportuisse; sed hoc tantùm, *imperari exercitum præsidii causa solitum, quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus.* Potuit ergo præsidii causa imperari *exercitus* aut à consulibus, aut à prætoribus, aut à tribunis militum, atque interim à pontificibus comitia haberi. *Gruch. de Com. Roman.* I. 3. Quasi verò pontifex solum haberet comitia sacerdotii causa, & consul iisdem comitiis *exercitum* præsidii causa imperaret. Ego adduci non possum, ut credam, eadem comitia quasi ex parte dimidia, hoc est, partim à consule, partim à pontifice maximo ioita fuisse. Gellius loquitur de pontifice maximo, qui centuriatis Regis sacrorum comitiis præerat: quid hoc ad consulem? Bellum nonnisi centuriatis comitiis indicebatur. Centuriata comitia magistratuum, legum, & judiciorum, in trinundinum promulgabantur: at Regis sacrorum nullo interjecto temporis spatio per cornicinem calabantur. Tum si vis repentina hostium ingruisset, in rebus trepidis pontifex *exercitum* imperabat, hoc est, populum rogabat, ut vellet juberet arma præsidii causa capi. Rationem Gellius hanc reddit: *quia populus esset in suffragiis ferendis occupatus.* q. d. bellum omnium ordinum consensu potuisse apparari, cum de re alia populus rogaretur, non exspectato trinundino ob præsentem hostium metum. *Guther. de vet. jur. pont.* I. 14. De Rege sacrorum nihil tale invenio. Et puto Interregem cum Rege sacrorum ab eo confundi. De comitiis pontificum centuriatis Gellium loqui apparet falsum esse, & verba sunt accipienda in genere de comitiis centuriatis. Falsum quoque est, quod de pontificis jure fingit in rebus trepidis. Nec imperare *exercitum* est rogare, an vellent juberent Quirites arma præsidii causa capi, & bellum indicere: sed *mittere accensum circum mures, ut vocet inlicium Quirites,* ut loquitur Varr. de Ling. Lat. v. §. 9. hoc est, populum Romanum convocet ad comitia centuriata. Est ergo convocare populum dispositum per centurias, & sub signis partem in campum Martium ducere ad suffragia ferenda, partem præsidii causa locare in Janiculo. Dicitur autem populus urbanus *exercitus* ea de causa, quod distributio populi in centurias, secus ac in curias, seu tribus, propriè spectet rem militarem, ut cuique centuriarum classi certa arma per Servium Tullium auctorem centuriarum assignata erant. Dein non quidem omnes centuriæ, sed tamen bona pars cum armis in arce, dum cæteri suffragia inirent, excubarent. De qua parte enuntiatam postea quasi κατ' ἐξοχὴν hanc phrasin apparet ex loco Gellii. Ideo centuriata comitia appellat militaria Arnobius. Hunc pontifex comitiorum ergo potuit imperare, quia qui centuriata habuit comitia, quæ pontifex Regis sacrorum causa habere potuit, eidem etiam jus fuit *exercitum* imperandi. *Gronov. Observ.* I. 1. *Bos. de Pon. max.* c. 5. §. 5. *Oizel. in Gellium.*

EXERTI dicebantur, qui habebant humerum & brachium dextrum nudatum. V. illos supr. in *Cincti.*

EXH.

EXHÆREDARE filium nominatim, vel *hæredem* instituere necesse olim fuit ei, qui filium in potestate habebat: filias verò, aut nepotes, ac reliquos liberos per virilem sexum descendentes licebat inter cæteros *exhæredare*: vel si silentio fuissent præteriti, jus accrescendi eis ad certam portionem præstabatur. Qua de re etsi Justinian. l. maximum vitium, §. scimus C. de li. præ. scribat filiam præteritam ad semissem olim ex jure accrescendi fuisse vocatam; tamen ut Theophilus scribit, & Cajus Instit. II. & Paul. Sent. III. notant, si *heredes* scripti sui *heredes* sint, ut puta filiæ fratris, in eam partem vocabatur, quam esset ab intestato habitura. Sin autem extranei *heredes* sint, ipsa semissem consequebatur. De nepotibus nihil Cajus & Paullus scribunt, propterea quod hi lege Vellea ne rumpant, si sui *heredes* sunt, instituendi, aut *exheredandi* sunt nominatim. De postumis qui statuendum sit, V. infr. in *Postumus.* Augustin. de Legib. in Junia Vellea. Brisson. de Form. VII. p. 604. Siccam. de Centumv. judic. II. 5. Illis nullum remedium vel civili, vel prætorio jure relictum erat, quo ad bona inhumani patris testamento ejus sollenniter facto, & subsistente pervenirent, deque ea re tandem maximæ querelæ ad populum ferrentur, populus Romanus, ad quem summa erat provocatio, per centumviros, qui erant legitimus P. R. conventus, extra ordinem jussit subvenire, *non enim erat consentiendum parentibus, qui injuriam adversus liberos suos testamento inducunt,* l. 4. ff. de inoff. testam. Cujus æquitatem considerantes consules, prætores, atque ipsi principes, adeò suis legibus, edictis, & decretis confirmarunt hanc querelam, ut tandem in ordinariam jurisdictionem abierit. *Siccam. l. l.*

EXHÆREDATIO liberorum non sine magna fiebat causa. Cicer. pro Sext. Rosc. c. 19. *Exheredare pater filium cogitabat. Mitto quærere, qua de causa: quæro, qui scias: tametsi te dicere, atque enumerare causas omnes oportebat. Et id erat certi accusatoris officium, qui tanti sceleris argueret, explicare omnia vitia, atque peccata filii, quibus incensus parens potuerit animum inducere, ut naturam ipsam vinceret, ut amorem illum penitus insitum ejiceret ex animo, ut denique patrem esse sese oblivisceretur: quæ sine magnis hujusce peccatis accidere potuisse non arbitror.* Senec. de Clem. I. 14. *Numquid aliquis sanus filium à prima offensa exheredat? nisi magna & multa injuriæ patientiam evicerint, nisi plus est quod timet, quàm quod damnat, non accedit ad decretorium stylum. Multa ante tentat, quibus dubiam indolem, & pejore loco jam positam revocet: simul deplorata est, ultima experitur.* Brisson. de Form. VII. p. 606.

EXI.

EXIRE in re gladiatoria erat verbum vitandi, & cavendi. Dicebatur enim gladiator adversarii petitiones *exire.* Manil. v. 163.

Ille cito motu rigidos eludere castus;

Nunc exire levis missas, nunc mittere palmas.

Eo alludunt Virg. Æneid. v. 138.

Corpore tela modò, atque oculis vigilantibus exit.

Lucret. v. 1329.

Nam transversa feros exibant dentis adactu
Jumenta.

Lipſ. Saturn. II. 20. Cerda in Virgilium. Fayus in Lucretium. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part. 2. c. 4. Chamillard. in Pruden. contr. Symmach. I. 656. Thyſ. de Gladiator. p. 233.

Exire dicebantur, quorum nomina ſortibus inſcripta, & in urnam demiſſa, inde extrahebantur. V. inſr. in *Sortes convivales.*

EXO.

EXODIA dicebantur modi tibicinum, quibus receptui canebatur. Suidas: Ἐξόδιοι νόμοι, *tibiarum modi ac ſoni, ad quos chori & tibicines exibant.* Io Atellanis vocabantur diverbia, quod tragœdis ſcena egreſſis ad recreandum ſpectatorem è priſtina modeſtia ſubjiciebantur. Juven. Sat. VI. 7.

Urbibus exodio riſum movet Atellana.

Scholiaſt. Juven. Sat. III. 175. *Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret; ut quicquid lacrymarum, atque triſtitiæ coegiſſent ex tragicis affectibus, hujus ſpectandi riſus detergeret.* Liv. VII. 2. *Poſtquam lege hac fabularum ab riſu, ac ſoluto joco res avocabatur, & ludus in artem paullatim verterat, juventus hiſtrionibus fabellarum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus jactare cœpit, quæ inde exodia poſtea appellata, conſertaque fabellis potiſſimum Atellanis ſunt: quod genus ludorum ab Oſcis acceptum tenuit juventus.* Turneb. Adv. III. 17: X. 27: XIV. 17. Buleng. de Theatr. I. 9. Scal. Poet. I. 10. Caſaub. de Roman. Satyr. II. 1. Valeſ. in Ammian. XXVIII. 4. Blond. Triumph. Rom. II. p. 47. B. Piriſc. in Suet. Tib. c. 45. n. 2. Turrig. ad Urſi Tog. inſcr. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 403. B. Demſter. Patal. Ant. Rom. Roſin. v. 9. *Exodia* dicebantur dictaria, ſi erant in fine fabulæ, ut εἰσόδια, ſi ante fabulam, & ἐμβόλια, ſi in media fabula interponerentur. Firmic. VI. 31. exitus fabularum vocat: *Cum effeminati corporis mollitie cinædos efficient, & qui veterum fabularum exitus in ſcenis ſæpè ſaltantes imitentur.* Scalig. in Manil. p. 360. Horum nihil verum eſſe poteſt. Nam *exodia* Atellanarum alia ratione dicta, nec in fine fabularum introducebantur, & res erat prorſus à fabula ſeparata: & fallitur ille vetus ſcholiaſtes, qui *exodiarios in finem ludorum intraſſe* ſcripſit. Cum illa ſcriberet, reſpiciebat ad nominis rationem; nam *exodium* eſt finis, vel exitus. Non minùs errat, dum apud Firmicum *exitus fabularum* pro *exodiis*, quæ in fine fabularum ponerentur, accipit. Quis enim non videt Firmicum de pantomimis loqui, qui veteres hiſtorias ſaltando exprimebant? nam *exitus fabularum* pro fabulis poſuit Firmicus, ac de mimis qui poteſt accipi? Rectè autem pantomimos, & hiſtriones, fabularumque veterum ſaltatores cum cinædis effeminati corporis junxit: nam illi ipſi ſaltatores effeminato, fluxoque erant corpore, & magnam partem cinædi. Tertull. Apolog. c. 15. de pantomimis: *Quid quod imago dei veſtri ignominioſiſſimum caput, & famoſum veſtit? quod corpus impurum & ad illam artem effeminatione productum Minervam aliquam, vel Herculem repræſentat?* de Spectac. c. 23. *Quid de pantomimo, qui etiam muliebribus curatur?* Hinc ſpectare licet, quàm benè cinædos & pantomimos ſimul poſuerit Firmicus, & eandem illis conſtellationem aſſignaverit. De mimis res alia eſt. *Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c. 42. Voſſ. de Inſtit. Poet. II. 35. §. 2. & ex Salmaſio Cren. in Caſaubonum.*

EXOMIS erat veſtis ſtricta, & anguſta, ex qua humeri exerebantur, ſive nudi conſpiciebantur. Partim fuit tunica, partim pallium. Heſychius: *Exomis tunica pariter & pallium. Utriuſque enim uſum præbebat: & tunica quidem, quod cingeretur: pallium autem, quod altera pars injiceretur, ſive circumponeretur. Quare & Comici de exodio aliquando dicunt quod indueretur, aliquando quod ſuperinduceretur.* Quod non aliter intelligi poteſt, quàm quod alam quanquam, ſive manicam latiorem haberet, quæ more pallii injici, ac circumponi poſſet. Talis enim *exomis*. Pollux VII. 13. *Exomis, tunica unicam manicam habens.* Heſychius: *Tunica ſervorum atque operariorum, quæ alteram tantum alam adſutam habet.* Tunica quin fuerit, dubitari non poteſt, quia corpus, non ſecus ac vulgaris, totum complectitur. Sed ab illa diſtinguitur, quod prorſus manicis carebat, ut etiam humeros retudaret, quales antiquiſſimorum Romanorum tunicas deſcribit Gell. VII. 12. *Viri Romani primo quidem ſine tunicis toga ſola amicti fuerunt: poſtea ſubſtrictas & breves tunicas citra humerum deſinentes habebant, quod genus Græci dicunt ἐξωμίδας. Cuper. Apoth. Homer. p. 150. Ferrar. de Re veſt. I. 3. 8: II. 4. 22. Gyrald. de Poet. hiſtor. dial. VI. p. 336. E. Faber Semeſt. I. 15.* Fuit ſervorum, non tamen ſolorum. Apud Ariſtophanem enim Lyſiſtr. p. 879. cives ſenes ajunt:

Sed exomidem exuamus, ut virum decet.

Et Ælian. Var. Hiſt. IX. 34. *Diogenes cum veniſſet Olympiam, & Rhodios quoſdam adoleſcentes videret pretioſis veſtibus amictos, inquit, Hic eſt faſtus. Deinde cum incidiſſet in Lacedæmonios in vili ac ſordida exomide, Hic, inquit, alius eſt faſtus.* Quare Suidas interpretatur *tunicam ingenuorum, quæ brachia non tegeret, eſſet tamen vile indumentum.* Et Gellius ab antiquiſſimo tempore à Romanis geſtatas modò dixit. Porro comicum veſtimentum fuit. Feſtus: *Exomides ſunt comici veſtitus exertis humeris.* Pollux IV. 18. *Veſtis præterea comica, exomis, tunica alba, non inſignita, ſutura carens à lævo latere.* Scilicet ſervorum. Poſtquam ea veſtis in deſuetudinem abiit, antiquus ſervorum habitus in ſcena retentus eſt. *Ferrar. ibid. II. 4. 22.*

EXOPRASIA fuit tributum pro iis rebus, quæ exportarentur, & foris venderentur. *Buleng. de Vectig. c. 88.*

EXOSTRA erat ſedes ſublicis elata, ſtrata longuriis, ſuper quibus ſella. Deſtinabatur locus is ad ea recitanda, quæ ſecretò parata eſſent in ædibus, qualia in Oedipode Sophoclis, Plauti Amphitruone, Caſina, & aliis. *Scalig. Poet. I. 21. Stevvech. in Veget.* IV. 21. Cicer. de Prov. Conſ. c. 6. *Itaque ille alter quibuſcum jam in exoſtra helluatur, antea poſt ſiparium ſolebat.* Eadem dicebatur ἐγκύκλημα. *Turneb. Adv.* XX. 21.

Exoſtra erat etiam machina militaris oppugnatoria. Veget. IV. 21. *Exoſtra dicitur pons, qui de turri in murum repentè protruditur.* Turneb. Adv. XX. 21. Stevvech. in Vegetium.

EXP.

EXPEDITI abſolutè dicuntur levis armaturæ milites. Liv. XXII. 16. *Succeſſit tamen Pœnus cum expeditis equitibusque.* Et c. 21. *Adverſus eos tribus millibus cum expeditis auxiliis à Scipione miſſis,* id eſt, brevium armorum auxiliis. Fuit hoc proprium nomen velitum, ac levis armaturæ. Feſtus in v. Advelitatio: *Velites dicuntur expediti milites.* Salmaſ. de Re milit. Roman. c. 17. Schel. in Hygin. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. X. p. 1053. F.

EXPEDITIONIS dies ut publico edicto indicaretur, mos fuit ſub Principibus Romanis. De Alexandro Severo hæc Lamprid. c. 45. *Itinerum dies publicè proponebantur, ita ut edictum penderet ante menſes duos, in quo ſcriptum eſſet: Illa die, illa hora ab urbe ſum exiturus, & ſi dii voluerint, in prima manſione manſurus: per ordinem manſiones, deinde ſtativa, deinde ubi annona eſſet accipienda: & quidem eo uſque quamdiu ad fines barbaricos veniretur.* Stevvech. in Veget. I. 6.

EXPENSA in rationibus dicuntur, quia Romani olim *appendere*, ſeu ponderare pecuniam magis ſolebant, quàm numerare. *Putean. Reliq. conviv. priſc. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XII. p. 256. *F.* De illis ante, quàm bellum inchoetur, cogitandum eſt. Veget. III. 3. *Ante igitur quàm inchoetur bellum, de copiis expenſiſque ſolers debet eſſe tractatus, ut pabula, frumentum, cæteraque annonariæ ſpecies, quas à provincialibus conſuetudo depoſcit, maturiùs exigantur;*

stributa deficiunt, prorogato aere comparanda sunt omnia. Frustra enim disciplinam militarem suis proponat; verbera, crucem frustra minitetur, cui non suppetat, unde stipendia militibus, aut annonam solvat. Nam, ut censuit Rex Ostrogothorum Theodoricus apud Cassiod. Var. iv. 13. *disciplinam non potest servare jejunus exercitus, dum quod deest, semper præsumat armatus. Necessitas moderamen non diligit: nec potest imperari multis, quod nequeunt custodire paucissimi.* Stevvech. in Vegetium.

EXPENSILATIO dicebatur, quia creditor in tabulis suis scribebat nomen debitoris, cui *expensam* crediti summam ferebat, quam dedisset mutuam. Ascon. in Cicer. p. 97. *Expensum ferre est scribere, te pecuniam dedisse.* Qui pecuniam, quam mutuo dabant, domo numerabant, & ex arca sua, nomen illius, cui eam dederant, in tabulis suis perscribebant, & summam debiti. Gell. xiv. 2. *Is clamitabat probari apud me debere pecuniam datam consuetis modis, expensilatione ....* Salmas. de Mod. usur. c. 11. Ouzel. in Gellium.

EXPIATIO multum differt à propitiatione manium, quamvis *ἱλάσκεσθαι expiare* significet, & propitiare, atque *ἵλαος* propitius dicatur. Propitiamus vel leviter iratos, aut offensos deos. Plauti amantes in Pœn. i. 2. 120.

AG. *Quo te agis?* AD. *egone? in Veneris.* AG. *quid eo? ut Venerem propitiem.*

AG. *Eho! irata est? propitia hercle est, vel ego pro illa spondeo.*

At *expiatio* crimen obtinet, à qua *piacula* sunt sacra, quibus fraus, scelus, aut cædes purgarentur. Serv. Æneid. iv. 636: vi. 153. Sed quoniam *expiatio* omnis ad propitiationem refertur, utraque eodem plerumque verbo denotatur. Sic *busta piare* pro manes propitiare, placare dixit Prop. iv. 7. 34. *Guther. de Jur. man.* ii. 14. *Struv. Ant. Rom. c. 4. p. 225. Stuck. de Sacrif. p. 225.* In *expiationibus*, & devotionibus spargebantur sive lauri, sive olivæ ramo, *θαλλῷ*. Atticis peculiariter, uti vocatur Theocr. Eidyll. xxiv. 96. Hoc vocabulum est Latio datum apud Virg. Cir. v. 376.

Pergit amycleo spargens altaria thallo
Regis Iolchiacis animum defigere votis.

Et *thalli* vocem non aliter accipio apud Apul. Met. xi. p. 381. *Exin gaudio delibuti populares, thallos, verbenas, corollas ferentes.* Virg. Æneid. vi. 229.

Idem ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.

Ovid. Fast. v. 677.

Uda fit hinc laurus, lauro sparguntur ab uda
Omnia quæ dominos sunt habitura novos.
Spargit & ipse suos lauro rorante capillos.

Et sulphur adolebatur. V. infr. in *Sulphur*. Kipping. Antiq. Roman. i. 11. §. 19. Voss. Lex. Etymol. Scalig. in Cirin. Cerda. in Virgilium.

EXPILATOREM inter & furem est differentia: nam *expilator* est fur atrocior, & improbior: idem etiam dicitur esse raptor. Sed & hic nonnihil ab *expilatore* distat: nam *expilatores* specialiter dicuntur, qui obvium quemque noctu corripiunt, & vestimento exuunt, ut habet l. aut facta de pœn. quo loco *expilationes* discernuntur à furtis, & atrociores esse dicuntur, quia nocturni sunt fures. *Cujac. Observ.* xv. 31.

EXPLICIT completo libro veteres solebant subjicere, significare volentes perventum esse ad finem voluminis, quod planè *explicatum* esset, & evolutum. Hieron. Epist. ad Marcellam. V. illum infr. in *Feliciter*. Baluz. in Salvian. de Gubern. Dei i. p. 25.

EXPLODERE, Græcis *ἐκκροτεῖν*, dicitur à pedum *supplosione*, quia, cum olim ligneum esset theatrum, calcibus pluteos tundebant. *Scalig. Poet.* i. 21. *Laurent. Polym.* ii. *Dissert.* 12.

EXPLORATORES sunt milites in exercitu, qui consilia, & actiones hostium investigant. Herodian. viii. 1. *Speculatores atque exploratores exercitus narrant Maximino vacua relicta in urbe, aufugisse omnes incolas.* c. 3. *Nuntiant exploratores maximam Italiæ urbem Aquilejam portas occlusisse.* Hi publicè nutriebantur. Procop. de Bell. Persico. i. *Exploratores antiquitus, tam apud Romanos, quàm apud Persas, lex est publicè ali, qui clam adversus hostes ire consueverunt, ut illorum facta diligenter vestigata ducibus renuntient.* Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 154. occid. c. 87. Ab adversariis venientes capitis pœnam subeunt. Menand. l. omne ff. de re milit. *Exploratores, qui secreta nuntiaverunt hostibus, proditores sunt, & capitis pœnas luunt.* Appian. Punic. p. 21. *Ille castra sua movit, ter remissis in Romana exploratoribus: hos comprehensos Scipio, præter castrensem morem, non interfecit: sed jussos circumire, ut armamentaria, machinasque, & decurrentem exercitum inspicerent, dimisit incolumes ad Hannibalem, ut eum edocerent de singulis.* Stevvech. in Veget. iii. 5.

EXPOSITIO infantum, omnium ferè gentium fuit, sed & Græcorum plerorumque, exceptis Thebanis, apud quos lege vetitum infantes *exponere*. Lacedæmonii disciplina cæteris rigidiores ab hac *exponendi* consuetudine non abhorruerunt. Nam maximi natu tribules, id est, qui ejusdem erant tribus, allatum ad se infantem vel probabant, si tollendus videretur: vel improbabant, si *exponendus*. Crag. de Rebupl. Lacedæm. iii. 2. Noodt Jul. Paull. c. 1. Stephan. de vet. Græcor. jurisd. c. 13. A Græcis ad Romanos transiit. Illi, statim atque natum in lucem edidisset puerpera, humi ponebant; & quem alere voluissent, de terra tollebant; quem alere noluissent, tanquam supposititium extra ædes *exponendum* curabant, aut in ripam, aut ad litus, in vasculo de papyro facto & bitumine illito, vel cantharo. *Laurent. de Natal. & Conviv. c. 2. Polym.* ii. *Dissert.* 36. *Demster. ad Rosin. Antiq. Roman.* i. 1. *Ouzel. Minuc. Felic. p. 306. Noodt ibid. c. 2. & 5.* Instrumentum, quo Moses *expositus*, navigioli formam expressisse videtur. *Fiscella scirpea* nominatur Exod. c. 2. n. 3. in vulgatis Bibliis. Josephus & Clemens scirpos interpretantur, cum ex papyro vas constructum dicant, quia iis in locis abundat. Unde etiam vulgatus legit Esaj. c. 18. n. 2. *Qui mittit in mare legatis, & in vasis papyri super aquas.* Hocque genus navigiolorum Nilo familiare meminit Lucan. iv. 135.

—— *sic cum tenet omnia Nilus,*
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

Barthol. de puerp. vet. p. 85. Cantharo exponi solitos docent Aristoph. Ran. v. 1. 71. Et Terent. Andr. iv. 4. 30. V. illos supr. in *Cantharus*. Non nudi exponebantur, qui mos Græciæ, sed aliquid sibi matres detrahebant, corporique ipsorum imponebant. Inde autem postea, ut comici, tragicique fabulantur, aliquando illi agnoscebantur. *Laurent. & Barthol. l. l.* Locus puero exponendo dicatus plerumque concursu hominum frequentabatur, quo magis obvii inventu, & faciliores asportatu essent, si quis eos fortè educare non gravaretur. Et in desertis collocati pro occisis erant. Græci exponebant ad compita; Romani & Ægyptii ad fluvios. Illi quoque ad lacum Velabrensem, ubi puerorum fiebat commutatio, & ad columnam lactariam, denique ad cloacas. *Barthol. ibid. p.* 888. Primi palam prohibuerunt Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus, l. 2. C. de infant. expos. *Unusquisque sobolem suam nutriat: quod si exponendam putaverit, animadversioni, quæ constituta est, subjacebit. Sed nec dominis, vel patronis repetendi aditum relinquimus, si ab ipsis expositos quodammodo ad mortem voluntas misericordia amica collegerit: nec enim suum quis dicere poterit, quem pereuntem contempsit.* Quænam hic *animadversio constituta*, disputat *Noodt ibid. c.* 6.

EXPRÆTOR an, & quis fuerit dictus. V. supr. in *Ex*.

EXPROMISSOR alius est ab adpromissore. Hic enim simul cum promittendi reo obligatur. *Expromissor* verò solus, quia in rei principalis locum successit, pro quo animo promisit. *Salmas. de Mod. usur. c.* 16.

EXPLUSIM ludere dicebantur lusores, quando jacta pila se invicem, ne eam possit rapere, *expellunt*. Varro apud Nonium. V. illum infr. in *Follis*. Hoc *pilam geminare volantem* vocat Lucan. Paneg. ad Pison. n. 182. id est, reddere, dum ipsa adhuc volat, nec decidit. *Caroli Antiq. Roman.* iv. 9. *Demster. Paralip. ad Antiq. Roman. Rosin.* v. 1. *Turneb. Adv.* vii. 4. *Mercur. de Art. gymnast.* ii. 5. *Kipping. Antiq. Roman.* iv. 4. 1. *Ramirez. Hypomnem. ad Mart.* iv. 19. 7. *Erhard. Symb. in Petron. p.* 592.

EX-

EXPUNCTI dicebantur milites, si quando exauctorarentur. Plaut. Curc. iv. 4. 29.

Miles pulcrè centuriatus est expunctè in manipulo.

Uti præscriptis punctis in albo signabantur, quibus stipendia procedebant. Fermè perpetuus fuit mos veterum, ut iis, quæ sibi constabant, puncta adscriberent. *Calcagn. de Verb. signif. p.* 372. Et explicat vetus Schol. in Pers. ii. 13. *Expungere tractum à militibus, qui expuncti dicuntur, dum foras à militia emittuntur.* Lips. Anal. Milit. Rom. p. 261. Casaub. in Persium. *Expuncti* etiam dicebantur favore privati, vel repulsi. Veteres enim *punctis* suffragia solebant notare. Et *punctum* pro suffragio & favore accipitur. Unde de iis, quibus cuncta feliciter proveniunt, in proverbium abiit illud Horat. de Art. Poet. n. 343.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Calcagn. l. l. Erasm. Adag. p. 58. a. Guther. de Offic. dom. August. iii. 1.

EXQ.

EXQUÆSTOR an, & quis fuerit dictus. V. supr. in *Ex*.

EXQUILIÆ majores fuerunt, quàm totum est illud, quod hodiernis includitur, spatium. Illud quippè ne totos quidem septem amplectitur colles, cum major horum extra muros exsulet portio. *Voss. de Magnit. Rom. Vet. c.* 4. *Pantirell. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* iii p. 341. *B. Nardin. Roman. Vet.* ii. 2. Solin. c. 1. *Servius Tullius Exquiliis supra clivum Urbium, Tarquinius Superbus & ipse Exquiliis supra clivum Pullium ad Fagutalem lacum habitarunt.* Panvin. Descript. Urb. Roman. Thes. Græv. ibid. p. 276. C. In illis supplicium de sontibus sumptum est. Tacit. Annal. ii. 32. 5. *In P. Martium consules extra portam Exquilinam, cum classicum canere jussissent, more prisco advertere.* Suet. Claud. c. 25. 9. *Civitatem Romanam usurpantes in campo Exquilino securi percussit.* & Horat. Epod. v. 99. V. illum supr. in *Capite*. Et pauperum, vilio rumque mancipiorum cadavera sunt combusta, aut projecta. Ille locus peculiari nomine vocabatur Sestertium. *Kirchman. de Fun. Rom.* ii. 24. *Bergier. de viis Milit.* ii. *Sect.* 38. §. 4. *Sect.* 24. §. 4. *Lips. Tacit. Annal.* xv. n. 129. *Nardin. Roman. Vet.* iv. 2. *Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 7. §. 3. *Hofmm. de Orig. templ.* iii. 1. De publico isto, & communi plebejorum loco Augustus aliquot jugera Mæcenati concessit, qui ibi hortos cœpit colere. Horat. Sat. i. 8. 6. V. illum infr. in *Puticula*.

EXQUILINA porta. V. illam infr. in *Porta*.

Exquilina tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

Exquilina via. V. illam infr. in *Via*.

EXQUILINUS mons hos habet fines. Ab amphitheatro secundum Carinas orientem versus valle profunda primùm, deinde modica dividitur à Cœlio, complexus & aliud exigui collis velut additamentum, qui templo Sanctæ Crucis cognomento in Hierusalem nobilitatus est. Quanquam hic æquè ad Cœlium, *Exquilinum*, in finibus utriusque situs, putatur pertinere. Inde perpetuo tractu mœnibus cingitur, & ultra portam S. Laurentii, qua pater in planitiem, propter aggerem olim Tarquinii conversus ad septemtrionem jungitur Viminali: mox ab eodem fecernitur teoui vallicula in ipsis hortis Peretinis, quæ profundior in Vico olim Patricio, & Suburra, mox redit ad amphitheatrum. *Donat. de Urb. Rom.* iii. 9. *Fabric. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* iii. p. 341. *D. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. ibid. p.* 276. *E. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c.* 7. §. 1. *Nardin. Roman. Vet.* ii. 2. Septem olim colliculis, seu clivis attollebatur, hodieque conspicuis, quorum quatuor Oppii montis cacumina dicebantur, quod mons Oppius pars magna esset *Exquiliarum*. Borrich. & Nardin. l. l. Urbi à Tullo Hostilio est adjectus, ut vult Liv. 1. 44. *Inde deinceps Urbem auget Exquiliis: ibique ipse, ut loco dignitas fieret, habitat.* A Servio Tullio, ut scribit Dionys. iv. p. 218. *Urbi duos colles Viminalem & Exquilinum addidit* Servius, *singulos justa op pidi magnitudine: atque ibi loca civibus latè carentibus ad ædificandum distribuit: ipse quoque Exquiliis domum statuit* *loco regionis ejus commodissime.* Hanc in auctoribus diversitatem peperit, quod aliqui Reges primi adjecerint, aut habitarint: reliqui ædificiis, aliisve rebus ornarint, atque auxerint. *Fabric. & Panciroll. l. l. Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* 1. *p.* 8. *C. D.* Nunc mons S. Petri ad vincula, vel S. Mariæ majoris ab eorundem templis appellatur. *Panvin. ibid. p.* 277. *A.* Gallieno Imperatori carus fuit summoperè, & ibi posuit arcum, & in eodem admirabilem colossum voluit collocare. *Donat. ibid. c.* 23. *Bellor. Fragm. vest. vet. Rom. Tab.* 3.

EXS.

EXSECUTIO dicebatur fieri duobus modis. Magistratus enim suas, judicumque à se datorum sententias duobus modis *exsequebantur*. Interdum enim judicem, arbitrumve in eam rem dabant, l. à divo §. si post. & §. sed si emptor & §. sic quoque judices ff. de re judic. l. si prætor. ff. de judic. Idque rectè atque ordine fiebat. Nonnunquam verò viatorem, apparitoremve vice arbitri ad judicati, vel decreti sui, vel præcepti *exsecutionem* dabant, l. ult. ff. de judic. Eaque extra ordinem fieri dicebatur, quemadmodum demonstrat l. si pignora ff. de evict. his verbis: *Si pignora veneant per apparitores prætoris extra ordinem sententiam exsequentes.* Brisson. Select. Antiq. iv. 2. Pollet. Form. Rom. v. 18.

EXSEQUIÆ sunt officium funebre, quod in funere *exsequimur*, &, ut Cicer. pro Mil. c. 32. vocatur, *celebritas supremi dies*, quæ ab amicis, atque etiam aliis, quibus id muneris est impositum, præstatur. *Stuck. Ant. Conviv.* 1. 26. Honestiorum per præconem indici solebant. Formulam indictionis V. infr. in *Formula*. Romanis mos fuit, cum amicos ad illas convocarent, proclamare defunctos neque vi, neque cæde, vel veneno diem suum obiisse: quia *carnificis etiam loco habebatur, qui se vulnerasset, & moreretur.* Festus in *Carnificis*. Guther. de Jur. man. 1. 9. Dicebantur duci. V. supr. in *Duci*. Ad has, si defunctus de Republica benè meritus fuisset, non solùm cognati & amici, verùm etiam tota adeò civitas confluebat. Aderant magistratus, senatores, equites, atque adeò omnis populus, ut hac ratione suam erga defunctum benevolentiam testarentur: &, si fieri posset, de dolore, luctuque superstitum liberorum, & propiu quorum in se transferrent particulam, vel aliorum animis solatii aliquid quasi aspergerent. De Hierone Liv. xxiv. 4. *Funus fit regium, magis amore civium & caritate, quàm cura suorum celebre.* In reliquis pauci comparebant præter cognatos. Horum enim proprie funeris cura. Plin. xxxv. 2. *Semper defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.* Dionys. xi. p. 714. *Virginius cum veram causam Antonium celasset, & se cujusdam cognati necessariò mortem audisse simularet, cujus funus & sepultura sibi ex lege esset curanda, dimissus est.* Ignoti hominis *exsequias* iri vitio dabatur. Senec. de Tiraq. vit. c. 12. *Quorundam quasi ad incendium currentium misereberis: usque eo impellunt obvios, & se, aliosque præcipitant: cum interim cucurrerint, aut salutaturi aliquem non resalutaturum, aut funus ignoti hominis prosecuturi.* Et Athenis lege prohibitum erat in alio rum funus accedere. Cicer. de Legib. i. i. 26. *Sublata etiam erat celebritas virorum, ac mulierum, quo lamentatio minueretur. Habet enim luctum concursus hominum: quocirca Pittacus omninè accedere quemquam vetat in funus aliorum.* Kirchman. de Funer. Roman. i. i. 10. Moretell. Pomp. Feral. 11. 3. 4.

EXSEQUIUM fuit cœna funebris. V. illud. infr. in *Silicernium*.

EXSIBILANTES, sive in theatro, sive in auditoriis, solebant pedes supplodere, & ipsa sed iia calcaneis verberare. Quam rem Græci una voce πτερνοκοπεῖν expresserunt. Pollux ii. 4. *Posterior pedis pars calcaneum dicitur, unde πτερνοκοπεῖν derivatur, quod est, calcaneo scena in theatris percutere, ut aliquem exsibilent.* iv. 19. *De theatro usitatè dicitur, sedilia talis pulsare, quod πτερνοκοπεῖν appellaverunt. Hoc autem aliquem explodentes faciebant; unde & explodere, & exsibilare dicitur.* Ferrar. de Acclam. & plaus. ii. 15.

EXSILITIO quodammodo cursus assimilatur. De illa hanc

sententiam tulit Oribas. VI. illam *diuturnis capitis morbis accommodari, thoracem adjuvare: materiam, quæ ad partes superiores rapitur, ad inferiora reclinare: cruribus imbecillis, sese non alentibus, excarnibus, stupidis, atque tremulis præsidium afferre.* Hanc etiam intellexisse opinor Suetonium, qui c. 83. n. 1. Augustum ambulare solitum, *ut in extremis spatiis subsultim decurreret*, scribit, quasi sic infirmitati coxendicum, femoris, & cruris sinistri, quibus afflictabatur, sæpè occurreret. *Mercur. Gymnast.* v. 8.

EXSILIUM est commutatio loci pœnæ causa. Hi enim qui aliquid deliquerant, patria abire jubebantur, iisque aliæ sedes adsignabantur. Hinc proverbium Græcum de exsulibus γῆν πρὸ γῆς. *terram pro terra*. Sichterman. de Pœn. Milit. c. 10. In nulla lege est nominatum, sed aquæ & ignis interdictio nominabatur. V. supr. in *Aqua & igni interdicere*. Cicer. pro Cæcin. c. 34. *Exsilium, non supplicium est, sed perfugium portusque supplicii, nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eo solum vertunt, hoc est, sedem, ac locum mutant: Itaque nulla in lege nostra reperietur, ut apud ceteras civitates, maleficium ullum exsilio esse multatum; sed cum homines vincula, neces, ignominiasque vitant, quæ sunt legibus constituta, confugiunt, quasi ad aram, in exsilium. Qui si in civitate legis vim subire vellent, non prius civitatem, quàm vitam, amitterent: quia nolunt, non adimitur iis civitas, sed ab iis relinquitur, atque deponitur*. Reo in exsilium profecto, causa nihilominùs peragebatur, & sententiæ ferebantur; ipse tamen reus, quod ad corpus attinet, aut ad præsentem ignominiam, sibi jam caverat: leviora ducebat reliqua, sive sibi absenti aqua & igni interdiceretur, sive pœnæ publicarentur, sive aliqua infamiæ nota incureretur. *Manut. de Leg. Rom. c. 19. Sigon. de Judic.* II. 13. *Bud. in Pandect. p. 141.* I. Ejus genera fuerunt duo, voluntarium & legitimum: & voluntarii rursus duo genera. I. cum reus ante latas à judicibus sententias in *exsilium* abibat, vel ut legis pœnam vitaret, vel quia, cum se damnatum iri perspicuè videret, spontè vellet eam pœnam subire, quam paullò pòst leges sine dubio illaturæ viderentur. II. cum reus post damnationem, quia multam à judicibus dictam solvere non posset, ex urbe discedebat. Quod ut putem & legibus, ad effugiendam multæ solutionem, fuisse permissum adducor verbis Cicer. pro Cæcin. c. 33. *In colonias Latinas sæpè nostri cives aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt: quam multam si sufferre voluissent, tamen manere in civitate potuissent*. Legitimum erat, cum reus, non illo quidem verbo, re tamen ipsa in *exsilium* mittebatur. Vetus enim consuetudo fuit, inducta legibus, more confirmata, quæ non modò in Republica, sed Imperatorum quoque ætate, multisque post seculis viguit: ut si quis *exsilii* pœna dignus videretur, et nulla *exsilii* facta mentione, tecto, aqua, igni interdiceretur. Ita earum rerum, quæ maximè sunt ad vitam sustentandam necessariæ, usu privatus, cum uno aeris alimento contentus esse non posset, abire cogebatur. Cicer. pro domo c. 10. *Qui erant rerum capitalium damnati, non prius hanc civitatem amittebant, quàm erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est, mutandi soli causa venerant: id autem ut esset faciendum, non ademptione civitatis, sed tecti, & aquæ, & ignis interdictione faciebant*. Manut. l. l. Bud. ibid. p. 246. G. Laurent. Polym. IV. Synops. c. 22. de Rebuspubl. c. 7. Faber Semestr. II. 5. Sichterman. l. l. Legitimum gravius fuit voluntario. I. quod eos, quibus aqua & igni interdictum est, recipi tecto intra spatium interdictum. V. hoc supr. in *Aqua & igni interdicere*, leges vetent; quod iis non contigit, qui sua spontè in *exsilium* profugerunt. II. quod, ut ego arbitror, aliquanto turpius est, *exsulare* ejectum legibus, quàm *exsulare* non ejectum: qui verò sua voluntate discedit, non is civitate pellitur, sed eam ipse deserit, ac relinquit. III. quod, quibus interdicitur, ii senatores postea non sunt, & eos legi suo loco a censore in senatum leges prohibent: quibus verò non interdicitur, ii etiamsi Urbe carent, senatores tamen sunt. Cicer. pro dom. c. 31. *Ne enim quidem, cum aberam, negare poteras esse me senatorem; ubi enim tulerat, ut mihi aqua & ignis interdiceretur? quod Gracchus de P. Popilio, Saturninus de Metello tulit, homines seditiosissimi de optimis, ac fortissimis civibus, non ut esset interdictum, quod ferri non poterat, tulerunt, sed ut interdiceretur. Ubi cavisti, ut meo me loco censor in senatum legeret? quod de omnibus, etiam quibus damnatis interdictum est, scriptum est in legibus*. Manut. l. l.

EXSULES appellantur omnes, quibus aqua & igni interdicebatur, quoniam *exsilii* causa solum vertere cogebantur. *Sigon. de Judic.* II. 3. Non verè propriéque libertate carent. Etsi enim neque testamentum facere, neque hæreditatem capere, neque omnino earum rerum, de quibus jure civili statutum est, habere ullam liceat. Jus quidem in eo *exsul* suum amisit, & quodammodò partem pristinæ libertatis: (siquidem amittit ea, quæ juris civilis sunt: quæ verò jus gentium complectitur, ea retinet omnia) libertatem tamen ipsam, qui redactus in servitutem non sit, adhuc retinet. *Manut. de Legib. c.* 19. Illis *exsilii* locus non definiebatur; sed ipsi, cum Romæ esse non liceret, eas urbes, ut jucundas, aut quietas, aut commodas, aut sibi fortasse benevolas ad habitandum legerunt. Polyb. VI. 12. *Capite damnatis egredi palam ex Urbe licuisse: quod si tribuum una, quæ scilicet ad damnationem deesset, suffragium de reo nondum tulisset, facultatem reo esse datam exsilii suo sibi arbitratu diligendi: exsulibus autem commorari tuto licebat, in qua vellent urbe fœderata, ut Neapoli, Præneste, Tibure, item aliis in urbibus, quibus hoc jure fœdus intercedit cum Romanis*. Manut. l. l. Spanhem. Exercit. ad Constitut. Anton. Imper. I. §. 5. Gentil. Parerg. II. 13. Immensas habebant interdum opes. *M. Piso exuta dignitate, & accepto quinquagies sestertio, in decem annos relegatur*, apud Tacit. Annal. III. 17. 9. Quis non obstupescat huic *exsuli* centum viginti quinque millia Philippicorum pro viatico fuisse? Testis idem Tacit. Annal. XII. 22. 3. de Lollia Paullina, cui publicatis bonis cedenti Italia *quinquagies sestertium ex opibus immensis relictum est*. Non immeritò luxum hunc sui ævi, temporumque detestatus Seneca prorupit in hæc verba ad Helv. I. 12. *Eo temporum prolapsa est luxuria, ut majus viaticum exsulum sit, quàm olim patrimonium divitum*. Sed horum liberiùs evaganti opulentiæ frenum injecit Augustus edicto, ne quis eorum servos, aut libertos supra viginti haberet; neu plus quingentis millibus nummum, id est, viginti quinque millibus carolinorum. Auctor Dio LVI. in actis ab U. C. 765. *Meurs. de Lux. Rom. c.* I. *Kobierzyck. de Lux. Rom.* I. 2.

EXT.

EXTA vetus Scholiastes Martiani Capellæ notat vitalia fuisse septem, linguam, cor, hepar, lienem, pulmonem & duos renes, quæ *singula inspiciebant aruspices, ut ex uno quoque non minus atque de omnibus prædictione facerent*. Artemid. Oneirocr. III. 67. *Victimarii singula signa rimantur, & sciunt ad quid singula conveniant, & tamen pronuntiata, ac sententias nihil magis ex unoquoque quàm ex omnibus faciunt, ac proferunt*. Buleng. de Sortib. c. 7. Quæ si sana, integra, vivida, & vegeta erant, omen erat bonum; malum verò, cum morbida, pallida, languida, livida erant, aut cum prorsus abessent. Quæ interdum aberant, vel dæmonum ope subtracta, vel, ut Casaub. in Athen. IX. 6. poparum & victimariorum fraude ablata compendii causa, ut victimas succidaneas procurarent. Lucan. I. 617.

Atque iram superum raptis quæsivit in extis.
Terruit ipse color vatem: nam pallida tetris
Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore
Plurimus asperso variabat sanguine livor.

Kipping. Antiq. Roman. I. 12. §. 14. Antiquitus non nisi plenè cocta diis reddebantur, post etiam semicocta & semicruda. Arnob. II. p. 91. *Cum Romulo Pompilioque regnantibus percocta plane, ac madida diis cremarentur exta: nonne Rege sub Tullio cœpistis & leviter animata porricere prisca observatione contempta?* Omnibus paratis ignis accendebatur ex lignis lectis, & cuilibet deo sacris, quare & *sanctos ignes* Virg. Æneid. III. 405. *pium ignem* Ovid. Trist. V. 6. 4. vocant. *Exta* verò lancibus imposita inserebant aris, & offerebant diis. Virg. Æneid. XII. 214.

In flammam jugulant pecudes, & viscera vivis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.

Georg. II. 194. V. illum infr. in *Reddi*. Hoc verò *exta diis dare* dicunt Liv. XXIII. 24. Cato de Re Rust. c. 134. Varr. de Re Rust. I. 29. *imponere* Virg. Æneid. VI. 253. Sil. Ital. IV. 769. *reddere* Virg. Georg. II. 194. Tacit. Hist. IV. 53. Suet. Aug. c. I. n. 3. *porricere* Macrob. Sat. III. 2. *Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 477. Brisson. de Form. I. p. 27. Guther. de vet. jur. Pont. IV. 2. Buleng. ibid. c. 6. Stuck. de Sacrif. p. 196.* Notis quibusdam signari à diis, varièque moveri, & quasi animari credebant. Tibull. II. 5. 13.

Tuque regis sortes, per te præsentit aruspex,
Lubrica signavit cum deus exta notis.

Stat. Theb. V. 176.

—— & in nullis spirat deus integer extis.

Arnob. modò laudatus. Auspicatum enim erat, si *exta* leviter trepidarent. Zeno Veron. de Jona: *Non aris fætentibus funestos excitant ignes, non thura cremant, non merum profundunt, non pecudum inexspectata morte rapti jecoris spirantes consulunt fibras.* Virg. Æneid. IV. 63.

—— pecudumque reclusis
Pectoribus inhians, spirantia consulit exta.

Lomej. de Lustrat. c. 14. Bulen. l. l. Illa aruspices aperiebant, inspiciebant, rimabantur. Auctor Priapej. 32. n. 5.

Cujus viscera non aperta Thuscus
Per pellem poterit videre aruspex.

Græci intimas victimarum partes dicunt τραχηλίζεσθαι. Ita Paull. Heb. c. 4. n. 13. cum earum præcordia reteguntur, quia dissectionis initium fiebat à cervice, quæ τράχηλος propriè dicitur. Huc respicere videtur Propheta Habac. c. 3. n. 13. ubi de interitu, mactatione, & quasi concisione hostium verba faciens, ait: *Confregisti caput è domo improbi usque ad collum nudando fundamentum maximè.* Hunc morem *exta* scrutandi, ac per sectionem rimandi à Judaicis sacerdotibus mutuati sunt gentiles. *Lyd. Agonist. sacr. c. 17.* Et quidem Romani hoc fissiculare appellabant. Apul. de Deo Socrat. p. 674. *Vel somnus conformandis, vel extis fissiculandis.* Glossæ Isidori: *Fissiculator: augur naturas in extis animantium quærens.* Scalig. in Priap. p. 193. Elmenhorst. in Indic. Apul. Florid. in Apulejum. Buleng. de Sort. c. 5. Lyd. l. l. Dicebantur reddi. V. infr. in *Reddi*.

Exta adjutoria *dicuntur, quæ certum aliquid indicant, aut ab incendio, aut à veneno, talique re certum instare periculum portendunt, aut finium deminutionem.* Festus in *Muta*. Scalig. in Festum. Buleng. de Sort. c. 7.

Exta arguta dicuntur, quæ conspicuas & illustres habent notas. *Buleng. de Sort. c. 7. Stuck. de Sacrif. p. 191. Saubert. de Sacrif. c. 20.*

Exta aulicoqua dicuntur, quæ in ollis coquebantur, & elixabantur. Festus: *Aulas antiqui dicebant, quas nos dicimus ollas: quia nullam literam geminabant. Itaque aulicoqua exta, quæ in aulis coquebantur, dicebant; id est elixa.* Stuck. de Sacrif. p. 195. V. infr. in *Extar*.

Exta bona dicuntur splendida, benè colorata, integra, plena, solida, & absque ulla labe, macula & vitio: quod propitios deos, prosperosque & secundos eventus, lucra, hæreditates, commoda denuntiabant. Cicer. de Div. I. 39. *Quid enim habet aruspex, cur pulmo incisus etiam in bonis extis dirimat tempus?* Contra ea *non bona*, quæ sunt pallida, tabida, livida, marcida, exilia, vitiosa, aut quæ omnibus partibus suis non constabant, & quibus aliquid deerat, quæve aliqua labe, & tetris notis aspersa, sua sede mota, & naturali situ minimè posita erant. Cicer. de Divin. II. 17. *Aut tanta inter eos dissensio, sæpè etiam inter proximos, ut Apollinis exta bona sint, Dianæ non bona.* Brisson. de Form. I. p. 22. Caroli Antiq. Roman. I. 11.

Exta clivia dicuntur, quæ aliquid prohibent. *Saubert. de Sacrif. c. 20. Stuck. de Sacrif. p. 191.* V. Festum supr. in *Auspicium clive*.

Exta lustralia dicuntur præpinguia, eò quòd lustralis, id est, quinquennalis bos dicitur esse perfectæ ætatis. De illis Stat. Theb. I. 505.

Electa cervice greges lustraliaque exta.

Stuck. de Sacrif. p. 191. Buleng. de Sort. c. 6. Beroald. in Suet. Aug. c. I. n. 2. Rectiùs ita: *Lustralia*, id est καθάρσια: quod cum sacra omnia lustrarent, purgarentque homines: extorum usu hoc inprimis consequerentur, & sacrificiorum participes essent, à quibus impii arcebantur. *Kipping. Antiq. Roman. I. 11. §. 11.*

Exta muta dicuntur, in quibus nulla erant signa. Paullus Festi: *Muta exta appellabant, in quibus nihil divinationis animadvertebatur.* Buleng. de Sort. c. 7. Saubert. de Sacrif. c. 20. Stuck. de Sacrif. p. 191. Alex. Gen. Dier. V. 23. Brisson. de Form. I. p. 24. Festi schedæ præter lacunas. Sic tamen rectè vestigia sequi videor. *Muta dicuntur omnia, quæ nihil habent nisi vocem, sive mugitum absque intellectu: unde etiam mutas dicimus literas, quæ ita pronuntiantur, ut cui potius conveniant, sono cognosci non possit.* Dacer. ad Festum.

Exta prosecta. V. illa infr. in *Prosecta*.

Exta regalia dicuntur, *quæ potentibus insperatum honorem pollicentur; privatis & humilioribus hæreditates; filiofamiliæ dominationem.* Festus. *Saubert. de Sacrif. c. 20. Buleng. de Sort. c. 7. Stuck. de Sacrif. p. 191. Brisson. de Form. I. p. 24. Alex. Gen. Dier. V. 23.*

Exta tristia dicuntur, quæ sacrificantibus tristia portendebant. V. Paullum supr. in *Auspicium piaculare*. Curt. VII. 7. 22. *Erigyo Aristander occurrerat, tristia exta fuisse significans.* Si jecur lividum esset, aut vitiosum, vel in coquendo distabuit, aut sanies purulenta efflueret, caputve fibrarum postulas haberet. Lucan. I. 619.... 633. Senec. Oedip. II. 355... Tristia dicuntur, quia deos iratos portendebant. Plutarch. Camill. p. 132. F. *Aruspices in victimis obnuntiaverunt portenta deorum iram.* Vocabantur etiam pestifera & piacularia. *Alex. Gen. Dier. V. 23. Brisson. de Form. I. p. 22.*

EXTAR dicitur olla, in qua *exta* coquebantur. Lexicon antiquum: *Extar est olla, ubi exta coquebantur.* Non enim semper verubus assignabantur. Varro. *Hæ sunt quarum in sacrificiis exta in olla, non in veru coquuntur.* *Olla extaris* dicitur Plauto Rud. I. 2. 46.

—— semper petunt
Aquam hinc, aut ignem, aut vascula, aut cultrum,
aut veru,
Aut aulam extarem.

Turneb. Adv. XXII. 2. Saubert. de Sacrif. c. 17. Taubman. in Plautum. Voss. Lex. Etymol. Auctor misc. def. pro Salmas. in jus Attic. & Rom. p. 222.

Extar fuit διατρεχὸν ἀγγεῖον, vas ipsum, quo sedilia in theatro spargebantur. Hoc vocabulo Latino illud nuncupat Charisius. *Nimbum* appellat Matt. IX. 39. 5.

Lubrica Corycio quamvis sint pulpita nimbo.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 12.

EXTEMPLO erat verbum sacrorum. Sacrificio enim patrato à præcone pronuntiabatur. Quo significabatur, ut exirent ex templo. Quod quia citò fiebat, inde pro citò & propetè sumi cœptum est. Varr. de Ling. Lat. VI. 2. *Extemplo est continuo: quod omne templum debet circum septum, nec plus quàm unum templum habere.* Serv. Æneid. I. 96: VI. 210. *Extemplo, illico, statim. Et est augurum sermo. Templum enim dicitur locus manu designatus in aere, post quem factum illico captantur auguria.* Scalig. Conect. Varron. p. 106. Buleng. de Augur. c. 12.

EXTERIOR quis in deambulationibus dicatur. V. infr. in *Locus sinister*.

EXTISPICES appellantur aruspices, qui, postquam hostia immolata est, *extis inspectis*, futura prædicunt. *Laurent. Var. Sacr. gentil. c. 1. Polym. III. Synops. 1.* Cicer. de Div. II. 11. *Artificiosæ divinationis illa fere genera ponebas, extispicum ....* Hi ex *extis* judicabant, in quibus, dum adhuc palpitantia, observabant, an situ naturali posita, sana, integra, & vegeta, vel aucta; an verò tabefacta, morbida, pallida, ulcerosa, languida, livida, quibus dein portendebant. Ovid. Met. XV. 136.

Protinus ereptae viventi pectore fibras
Inspiciunt, mentesque deum scrutantur in illis.

Senec. Thyest. IV. 755.

Erepta vivis exta pectoribus tremunt,
Spirantque venæ, corque adhuc pavidum salit;

At

At ille fibras tractat, ac fata inspicit;
Et adhuc calentes viscerum venas notat.

Maximè observabant, an *aut absit aliquid, aut supersit*. Cicer. de Divin. I. 52: II. 15. *Caput* enim *jecoris ex omni parte diligentissimè considerant: si verò id non est inventum, nihil putant accidere potuisse tristius*. Cicer. ibid. II. 13. Quippè infelicissimum erat, si aliqua pars abesset, atque *exta pestifera* dicebantur. *Repentè* enim *extis admi capita, vel cerda, aut geminari victima stante putabant*. Plin. XXVIII. 2. Atque tunc *exta sine capite esse* dicuntur. Cicer. ibid. II. 15. Vel cæsum caput in *extis* reperiri dicebatur. Ovid. Met. XV. 813.

Victima nulla litat: magnosque instare tumultus
Fibra monet, cæsumque caput reperitur in extis.

Lætum è contrario habebatur omen, si jecur duplicatum. Sueton. Aug. c. 95. n. 2. *Immolanti omnium victimarum jecinora replicata intrinsecus ab ima fibra paruerunt*. Struv. Ant. Rom. c. 6. p. 289. Stuck. de Sacrif. p. 192. Buleng. de Sort. c. 7.

EXTISPICII, licèt pervetusta apud Græcos sit divinatio ex inspectione victimarum, nullum apud Homerum extat exemplum. Notare tantùm videtur nomine *ἱερῆος*, quem cum *μάντιν* conjungit Iliad. I. 62.

Sed age aliquem vatem, μάντιν, interrogemus, vel sacerdotem, ἱερῆα.

Et ita interpretatur Eustath. Iliad. XXIV. 221.

Sed qui vates sunt aruspices, vel sacerdotes.

Ait enim ex veterum sententia duo genera *μαντέων* constitui; *θυοσκόους*, qui ex suffitu divinarentur, & *ἱερέας*, qui ex visceribus, ac *extis* futura prævideren, quos alio nomine *ἱεροσκόπους* refert vocari. *Feith. Antiq. Homer.* I. 17. Ciceronis ætate valdè fuit celebratum. Cicer. de Divin. I. 10. *Quid fissum in extis, quid fibra valeat, accipio: quæ causa sit, nescio. Atque horum quidem plena vita est: extis enim omnes ferè utuntur.* c. 16. *Nam, ut nunc extis: quamquam id ipsum aliquanto minùs, quàm olim; sic tum avibus magnæ res impertiri solebant.* Maximè cultum ab Etruscis. Cicer. ibid. c. 42. *Etrusci, quòd religione imbuti studiosiùs, & crebriùs hostias immolabant, extorum cognitioni se maximè dediderunt: & ex hominum, pecudumve conceptu, & satu, ostentorum exercitatissimi interpretes fuerant*. Stuck. de Sacrif. p. 193. Van Dale de Divin. Idolol. c. 2. Et sine ullo vix bellum commissum. Dionys. III. p. 140. *Bellum cunctando trahebat, quod videret exta de pugna exitu consulta nihil fausti portendere*. p. 142. *Cumque exta super pugnam consulerem, & divina signa difficiliora esse animadverterem*. Liv. VIII. 9. *Romani consules priusquam educerent in aciem, immolaverunt. Decio caput jecinoris à familiari parte cæsum aruspex dicitur ostendisse*. Struv. Antiq. Rom. 6. p. 201. Stuck. de Sacrif. l. l.

EXTRAORDINARII in militia notant electos & eximios. Polyb. VI. 24. *Præfecti primùm ex omnibus sociis aptissimos eligunt ad proprium usum consulum, tam equites, quàm pedites, quos vocant extraordinarios. Id valet interpretatum, electi*. Suidas hunc locum aspexit: *Extraordinarios. Romanus sermo: significat autem electos*. Quanti isti fuerint, partite dicit Polybius: *Equites*, inquit, *tertia pars*: id est, è sexcentis ducenti. Tot enim in cornu uno sociorum fuerunt. Horum equitum mentio certa in Liv. XL. 31. *Flaccus luce prima C. Scribonium præfectum socium ad vallum hostium cum equitibus extraordinariis sinistra ala mittit*. Pedites, inquit, *pars quinta*, nempè totum cornu. Id autem legionem plurimum *æquabat*. Ergo è quater mille ducentis essent in extraordinariis octingenti quadraginta. Quid si major numerus sociorum, ut sæpè, crescebant & isti, sed ad modum dictum. Et horum meminit Liv. XXXIV. 47. *Cohors extraordinaria missa à consule ad tuendum quæstorium*. Lips. de Milit. Roman. II. 7. Patric. de Re milit. Roman. part. IX. sect. 32.

EXV.

EXVERRÆ dicebantur genus illud lustri, quo funesta familia expiabatur, certo scoparum genere. V. Festum supr. in *Everriator*. Nimirum ut omnis contactus immundus, qui à funere oriri poterat, ultima vice exigeretur foras. *Kipping. Antiq. Rom.* IX. 6. 7. *Voss. de Idolol.* I. 11. *Saubert. de Sacrif. c.* 5. *Morestell. Pomp. Feral.* VIII. 18. *Kirchm. de Fun. Rom.* IV. 1. *Meurs. de Fun. c.* 15. *Laurent. Polym.* III. *Synops.* 13. *Schill Nomencl. Philol. p.* 487.

EXU.

EXUVIÆ dicuntur vestes, Virg. Ecl. VIII. 91.

Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit.

Tertull. de Pall. c. 4. *Tunc certissimè pallium super omnes exuvias & peplos augusta vestis deduxit oculos*. Erant communes deorum & dearum. Festus: *Tensa vehiculum argenteum, quo exuviæ deorum ludicris circensibus in circum ad pulvinar vehebantur*. Jovis *exuviarum* meminit Suet. Aug. c. 94. n. 9. *Cum fulmine, & sceptro, exuviisque Jovis Opt. Max.* Erant illæ toga picta, & tunica palmata. Juven. Sat. X. 38.

In tunica Jovis, & picta Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa toga.

Salmas. ad Tertullianum. Donat. de Urb. Rom. II. 7. Junius de Pictur. II. 8. §. 9. Rycq. de Capit. c. 19. Pitisc. in Suetonium. *Exuviis* hostium sepulcra sua ornabant. Lactant. Stat. Thebaid. XII. 64. *Exuviis enim hostium exstruebatur Regibus mortis pyra, quem ritum sepulturæ hodie quoque barbari servare dicuntur, quem strabas dicunt lingua sua*. Kirchman. de Fun. Rom. III. 18. Ferarum captarum.... Dianæ suspendebant venatores. Stat. Sylv. I. 4. 32.

—— tamen accipit omnis
Exuvias Diana tholo, captivaque tela
Bellipotens.

Tomasin. de Donat. c. 6.

F.



pro *E* sæpè in antiquis libris scriptum deprehenditur. V. supr. in *E*.

F pro H Latinis acceptum esse docent exempla, quæ a Festo plura producuntur in Fedum: *Fedum antiqui dicebant pro hædo, folus pro olere, fostim pro hoste, fostiam pro hostia*. Schegk. Præm. 3. Dacer. in Festum. Id ad ultima quoque tempora traductum docet nos Lationtan inter omnes hodie proxima ex corruptis lingua Hispanica, quæ plurima Latinis per *F* pronuntiata per *H* nunc quoque exprimit, mordicus videlicet retinens, quod à Latina pronuntiatione acceperat. Quod *formosum* dicunt Latini, id *Hermoso* est Hispanis: quod *facere*, *hazer*: quod *fabulari*, *hablar*: quod *favus*, illis *havo*. Et infinitus talium numerus. *Barth. Adv.* XLI. 17.

F pro PH crebrò est usurpatum. Patet hoc ex nummis; Numeriani, TRIUMFUS QUAD. Honorii, TRIUMFATOR GENTT. BARBAR. Helenæ Juliani Cæsaris conjugis, cujus epigraphe ISIS FARIA, Domitiani, JOVI JUVENI TRIUMFATORI. Constantis Imperatoris, OB VICTORIAM TRIUMFALEM. Nec aliam vulgò scripturam præferunt nummi Phocæ Imperatoris, nisi DN. FOCAS. *Spanhem. de usu & præst. num. Dissert.* II. *p.* 81. *Voss. Lex. Etymol.*

F & V. sæpè mutantur. Sic pro *grafare* factum *gravare*, & pro *grafatores* vulgò *gravatores* dicimus. *Salmas. Exercit. Plinian. p.* 775. *a. C.*

F siglam postremam, in calce inscriptionis sitam, liceat interpretari *Filia*, seu *Filii*. Ita in hoc marmore parentibus à liberis inscripto:

M. MARCIO
LEBINTHO
ET MARCIÆ FUSCÆ
C. CLODIUS ZOSIMUS
ET MARCIA MYRTALE F

Quod nimirum tales fuerint C. Clodius Zosimus & Marcia Myrtale, seu saltem hæc postrema dicti Clodii fortasse uxor, lapidem hunc ponentes, seu ponens M. Marcio Lebintho patri, & Marciæ Fuscæ matri. Quanquam enim peculiaris hæc expositio communi aliorum adversetur, te-

ten-

nentium *F*, in fine præsertim collocatam, importare *Fecit*: non est quin *Filium*, seu *Filios* etiam quandoque sonet, præcipuè si qui fuerint qui inscripserunt. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* VII. *c.* 12.

FF duplici libri Digestorum ævo Germanorum Cæsarum in omnium Ictorum libris signati fuisse reperiuntur. Ratio hæc est. Pompejus primùm consul cœpit magnam legum copiam, & indigestam coarctare, & in ordinem collocare, sed obtrectatorum metu non perseveravit: deinde M. Crassus, mox C. Cæsar: quod Justinianus perfecit, & ordinavit: & ideò geminatum *ff* significat Digestis, id est, fieri fecit, id est, in ordinem, brevitatem, id est, ordinatam, reduxit. *Scoppa Collect.* I. 9. Ego me ejus opinionis esse dico, PP veteris Romanæ scripturæ, qui geminato numerus dualitatis in vocabulo Pandectarum significabatur olim, primùm minoribus *pp* scriptum esse, deinde concrevisse in alterum illum characterem, qui ductu facilior sit, & minùs laboriosus. *Barth. Adv.* II. 17. V. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 17.

FAB.

FABA, & pisum coctionis causa seritur. Fit enim ex istis jus densum pultaceum, quod Gallicè dicitur une purée de pois. *Buleng. de Conviv.* II. 24. Inter legumina, inquit Plin. XVIII. 12. *maximus honos fabæ: quippè ex qua tentatus sit etiam panis. Faba multiplex usus omnium quadrupedum generi, præcipuè homini. Frumento etiam miscetur apud plerasque gentes, & maximè panice solida, aut delicatius fracta.* Et Isidor. XVII. 4. *Faba, Græca etymologia, à vescendo vocabulum sumpsit, quasi faga: φάγειν enim Græcè comedere dicitur, primum enim homines hoc legumine usi sunt.* Pythagoræ tandem decreto damnata, quod sensus hebetare, & insomnia facere crediderit, vel quod mortuorum animæ in ea sint. Alii à Pythagora damnatam tradunt, quod omnes animas affinitatem habere credebat, quocunque tandem transmigrarent. Ideò Pythagoræ cognata dicitur Horat. Sat. II. 6. 63.

O quando faba Pythagoræ cognata, simulque
Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo.

Ubi Acron. *Pythagoras philosophus ab omnibus animalibus abstinens, etiam à fabis abstinuit: quod viridis in pyxide area servata vertitur in sanguinem, unde fertur maluisse eum latrones incurrere, quam per fabæ segetem transire, cum aliunde refugium non haberet. Fabam quoque animal esse dicebat, quod cocta sanguinis humorem ex se emitteret.* Aristoxenus verò apud Gell. IV. 11. nullo sæpiùs legumento Pythagoram dicit usum quàm *fabis*, quoniam is cibus, & sensim subduceret alvum, & levigaret. Sed creditur symbolum ejus κυάμων ἀπέχεσθαι non de *fabis* intelligendum, sed de rebus Venereis intelligendum, nam in æquivoco tota vis est, κύαμος enim & *fabam*, & testiculum significat. Tamen ante Pythagoram Amphiaraus primus à *fabis* abstinuit, vaticinationis, quæ fit per somnum, gratia, ut auctor est Didymus apud Constantin. Cæs. de Agric. II. Is enim cibus teste Cicer. de Divin. I. 30. *tranquillitatem mentis quærentibus est contrarius.* Orphei etiam versus à Didymo, qui Pythagora vetustior, laudatur:

Esse fabas simile ac caput absumpsisse parentum.

Clem. Alexand. Strom. III. p. 435. E. dicit, Pythagoram *fabarum* esum interdixisse, quod mulieres steriles redderet; Theophrastum verò de causis plantarum prodere, *fabarum* siliquas, si ponantur ad radices arborum, quæ nuper sunt plantatæ, ipsas exsiccare, quin & gallinas domesticas, quæ illas assiduè edunt, effici steriles. *Mines de Symbol.* p. 29. *Nonn. de Re cib.* I. 9. *Gyrald. Pythag. Symbol. c.* 9. *Erasm. Adag.* p. 745. a. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 8. *VVindet. de funct. vit. stat. c.* 5. *Lomej. de Lustrat. c.* 24. *Torrent. in Horatium. Broyer. de Re cibar.* VII. 2. In cibis autem inter omnia legumina gratiam peculiarem obtinent, & mensis expetitæ, præsertim virides, nec admodum adultæ. Vim habent detergendi, adeò ut lomentum ejus, seu farina sordes è cute, & lentes faciei egregiè detergeat: alvum etiam movent, præsertim virides, quod humidius alimentum præbeant. Unde *fabarum* esum fabris ferrariis, quibus ob ignis vim assiduam alvus induratur, familiarem esse dicit Mart. X. 48. 16.

Et faba fabrorum, prototomique rudes.

Nonn. l. l. In epulis funeralibus primum locum obtinent. Varr. de vit. pop. Rom. I. apud Nonn. II. 513. *Quibus temporibus in sacris fabam jactant noctu, ac dicunt se lemures domo extra januam ejicere.* Ex Varrone Festus: *Faba & lemuralibus jacitur larvis, & parentalibus adhibetur sacrificiis, & in flore ejus luctus litera apparere videntur.* Plinius mox laudandus. Ritum graphicè depingit Ovid. Fast. V. 435.

Terque manus puras fontana proluit unda,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.
Aversusque jacit: sed dum jacit, hæc ego mitto;
His, inquit, redimo meque meosque fabis.
Hoc novies dixit, nec respicit: umbra putatur
Colligere, & nullo terga vidente sequi.

Meurs. de Fun. c. 35. Kirchm. de Fun. Rom. IV. 7. Dacer. in Festum. Guthet. de Jur. man. II. 12. Morell. Pomp. Fer. IX. 2. Stuck. de Sacrif. p. 74. Alex. Gen. Dier. III. 12. & ad illum Tiraquellus & Colerus. Gyrald. Synt. Deor. XVII. p. 535 F.. Ferrar. Elect. II. 24. VVindet. Nonn. Lomej. l. l. *Fabam nec tangere, nec nominare Diali flamini licet, quod ea putatur ad mortuos pertinere.* Festus. Idem Plin. l. l. *Quin & prisco ritu fabacia sua religionis diis in sacro est, prævalens pulmentari cibo, & hebetare sensus existimata, insomnia quoque facere. Ob hæc Pythagorica sententia damnata: ut alii tradidere, quoniam mortuorum animæ sint in ea. Qua de causa parentando utique assumitur. Varro & ob hæc Flaminem ea non vesci tradit.* Ab Ægyptiis id videntur habuisse Romani, nam, ut Herod. II. p. 116. *Ægyptii à fabis abstinent. Sacerdotes verò illas ne aspicere sustinent, arbitrantes haud mundum id edulium.* Nonn. Meurs. Kirchm. Morellell. l. l. Ludis Floralibus à magistratibus jactabatur, vel in circo ab ædilibus. *Buleng. de Circo c.* 56.

Faba Ægyptia, seu Pontica folium habet petasi instar magnum, caulem cubitalem. Dioscor. II. 12. *Buleng. de Conviv.* II. 56. *Bruyer. de Re cibar.* VII. 2. Ejus triplicem utilitatem facit Athen. III. 72. I. est floris ad coronamenta. II. ciborum maturo fructu ad epulas. III. radicis ad edendum ex jusculo. *Buleng. ibid. c.* 59.

Faba fresa dicitur, quæ sine cortice coquitur, ut concha cum cortice. *Buleng. de Conviv.* II. 56. *Nonn. de Re cib.* I. 9.

Faba refriva *dicitur, ut ait Cincius, quæ ad sacrificium referri solet domum ex segete auspicii causa, quasi revocet domum. Data enim est & tritico ad rem divinam faciendam. Alius dubitat, an ea sit, quæ prolata in segetem, domum referatur, an quæ refrigatur, quod est torreatur. Sed opinionem Cincii adjuvat, quod in sacrificiis publicis, cum puls fabata diis datur, nominatur refriva.* Festus. Plin. XVIII. 12. *In eadem, faba, peculiaris religio. Namque fabam utique è frugibus referre mos est auspicii causa, quæ ideo refriva appellatur.* Scalig. in Festum. Voss. Lex. Etymol. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 12. Stuck. de Sacrif. p. 74.

FABARIÆ Kalendæ. V. illas infr. in *Kalenda*.

FABATARIUM est vas amplissimum, in quo *fabatum*, id est, granum *fabæ* reponitur. Lamprid. Heliog. c. 20. *Barbas mullorum tantas jubebat exhiberi, ut pro nasturtiis : . . . exhiberet plenis fabatariis.* Buleng. de Conviv. II. 25. *Fabatum* enim vocabatur *fabæ* granum. Glossæ: *Fabatum*, φαβατόκοκκος. *Salmas. in Lampridium.* Ego intelligo vas, aut patellam, in qua puls *fabata* ponebatur, & Laribus offerebatur. *Turneb. Adv.* XXIV. 4. *Casaub. in Lampridium.*

FABIA gens. V. illam infr. in *Gens*.

Fabia lex. V. illam infr. in *Lex*.

Fabia tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

FABII, à *Fabio* Herculis filio orti. Plutarch. in Fabio p. 174. *Ex nympha memorant, alii ex muliere indigena, quæ cum Hercule juxta Tiberim amnem concubuerat, Fabium natum, virum qui numerosam Romæ, & claram propagavit gentem Fabiorum.* Sil. Ital. II. 3.

—— Fabius, Tirynthia proles.

VI. 633.

—— cum regia virgo
Hospite victa sacro Fabium de crimine læta

Pro-

Precreat, & magni commiscet seminis ortus
Arcas in Herculeos mater ventura nepotes.

Juven. Sat. VIII. 14.

Natus in Herculeo Fabius Lare.

Idem Festus in Fovii. *Sigon. de Nom. Roman. c. 4. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. II. p. 2000. E.* Illorum familia Herculi olim peculiariter sacrata fuit. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 23. Videntur in patricios relati, quo tempore Romulus patricios legit ex Sabinis iis, quos cum eorum Rege T. Tatio in civitatem advocavit. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 7.

FABRATERIA est oppidum Volscorum. Vulgo nunc vocatur *Falvatera*, & *Falvaterra*. L. Papirio Cursore iterum & L. Plantio Venoce consulibus, anno ab U. C. 424. *Fabraterni* missis Romam legatis sese in fidem populi Romani dediderunt, ut à Samnitium armis defenderentur. Liv. VIII. 19. *Cluver. Ital. ant.* III. 8. 21. Colonia est facta Cassio Longino & Sextio Calvino consulibus, Vellej. I. 15. 4. anno ab U.C. 628. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 5. *Cluver. l. l.*

FABRI argentarii, aut vascularii vocantur à Ictis l. penult. in princ. de aur. & arg. leg. l. ult. de act. & oblig. qui vasa argentea fabricant. *Panciroll. de Corpor. artif.* §. 14.

Fabri carpentarii nominantur à Papiniano tit. 4. uti & in lege Salica: *Si quis majorem, inferiorem, scantionem, mariscalcum, stratorem, fabrum ferrarium, aurificem, sive carpentarium....* Ubi quid aurifici commune sit cum *carpentario*, ego sanè non video: nisi dicamus *carpenta* & vehicula auro & argento consuevisse exornari, ut luculento testimonio confirmat Plin. XXXIV. 17. *Pignor. de Serv. p. 567. Pancirol. de Corpor. artif.* §. 30. *Stevvech, ad Veget.* II. 11.

Fabri ferrarii & lignarii seorsum olim in legionibus non erant: sed ipsi milites, aut aliqui inter eos longo usu sic docti, & mixti fortassis aliqui ex professo tales. At tempore Veget. II. 11. & supra, quæque jam *legio habebat fabros lignarios, structores, carpentarios, ferrarios..... ad hybernorum ædificia fabricanda; ad machinas, turres ligneas, ceteraque quibus vel expugnabantur adversariorū civitates, vel defenduntur propria, præparatos, qui vehicula, ceteraque genera tormentorum, vel nova facerent, vel quassata repararent.* Lips. de Milit. Rom. V. dial. 13. Inscriptio via Labicana:

DIS MANIBUS SACRUM
C. ANCHARIUS C. L. EUTYCHUS FABER
FERRARIUS LEG. XX. GEMINÆ
L. ANCHARIUS C. F. PHILOSTORGUS
FABER LIGNAR. MACHIN. BELL.

Reines. Inscript. Class. VIII. *n.* 65. Apud Vegetium *fabres tignarios* legi meliùs promiserum. *Turneb. Adv.* XXIV. 12. Et ita emendabat Modius. In quo illi adstipulantur apud me libri M. S. N. H. & tres Susii. *Tignarios* agnovit Cicer. de Clar. Orat. c. 73. *Ego me Phidiam esse mallem, quàm vel optimum tignarium.* Et illorum meminit inscriptio vetus:

SABINÆ
AUGUST
MAGISTRI QUINQUENNALES.
COLLEGI. FABRIUM. TIGNAR....

Stevvech. ad Vegetium.

Fabri navales utriclarii dicebantur, qui vasa navalia & utriculares tibias faciebant. Inscriptio apud Gruter. p. 448. n. 5.

D. M.
G. PASQUI. OPTATI. LIB. PAR
DALÆ. IIIIII. AUG. COL
JUL. PAT. AR. PATRONI
EJUSDEM. CORPORIS. ITEM. PATRON
FABROR. NAVAL. UTRICLAR....

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. XI. *p.* 710. *B.*

FABRICÆ erant officinæ armorum. Ita *fabricas* appellat Cæs. de Bell. Civ. I. 34. *Armorum officinas in urbe instituerant.* In illis *omnia armorum genera formabantur.* Veget. II. 11. *Stevvech. in Vegetium.* Non tamen omnia in singulis, paucis exceptis, fiebant, sed certa in diversis. Græcè ὁπλοποιεῖα dicebantur. Quindecim institutæ erant in orientali imperio, videlicet quinque in oriente, tres in Ponto, una in Asia, duæ in Thraciis, & quatuor in Illyrico, omnes in oppidis locatæ, quæ non longè à limitibus imperii, militibusve erant: Clibanaria, in qua arma pro tegendis cataphractis parabantur Antiochiæ, Cæsareæ Cappadociæ, Nicomediæ: Hastaria, in qua hastæ fiebant, Irenopolitana: Scutaria, in qua scuta & arma protegendi corporis gratia, ut thoraces, ocreæ, cassides, & similia fabricabantur, Ædessæ, Antiochiæ, Damasci, Hadrianopoli Hæmimonti, Horteomargensis, Marcianopoli, Naissatensis, Nicomediæ, Ratiarensis, Sardensis, Thessalonicensis. *Pancirolli. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 67 - 71. *Bergier. de viis Milit.* IV. *Sect.* 21. §. 2. *Stevvech. l. l. Lyd. de Re milit.* III. 4. In occidentali novendecim, sex in Italia, octo in Galliis, quinque in Illyrico. Armorum Salonitana, ubi armorum nomine non gladii ut aliàs continentur, sed cassides, cataphractæ pectus tegentes, ocreæ, manicæ ferreæ, & similia; Arcuaria Ticinensis; Balistriria Triberorum: loricaria Augustodunensis, & Mantuana: Sagittaria Concordiensis, & Matisconensis: Scutaria, Acincensis, Cornutensis, Cremonensis, Lauriacensis, Sirmiensis, Suessionensis, Triberorum, Veronensis: Spataria, Ambianensis, Luceusis, Remensis. *Pancirol. Notit. Dignit. Imp. occid. c.* 30. 31. 32. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 12. *Bergier. ibid.* §. 9. *Stevvech. & Lyd. l. l. Laz. Comment. Reip. Rom.* IV. 6.

FABRICENSES dicebantur *fabri*, qui in certis Imperii locis arma *fabricabant*, l. 1. & tot. tit. C. de Fabricensibus. Nulli enim ea aut emere, aut vendere, sicuti nec alibi facere licebat, §. 1. Authen. de armis, l. eorem ff. de publica. *Fabricata* & perfecta in publicum armamentarium deferebant. d. l. 1. de Fabricensibus. Creabantur *Fabricenses* idonei viri, & probati, qui curiales non fuissent, nec ulli oneri civitatis obnoxii. Quare prius testibus de hac re examinatis, & actis apud præsidem provinciæ, vel civitatis defensorem conscriptis, qui à curia liberi apparebant, in *Fabricensium* collegium cooptabantur, & ex publico salarium accipiebant, l. 4. C. de Fabricensibus. Formulam de armorum factoribus creandis recitat Cassiod. Varr. VII. 18. Semel verò *Fabricenses* facti, nec ipsi, nec eorum liberi, *fabricam* armorum deserere poterant, sed inviti, cui semel erant adscripti, *fabrica* obnoxii permanebant. Et ideò ut ubique dignosci possent, nota, seu stigma eorum brachiis, quemadmodum & tyronibus, imprimebatur, l. 3. l. jure l. ult. C. eod. tit. de Fabricensibus. Arcadius A. *Stigmata*, inquit, *hoc est, nota publica fabricensium brachiis ad imitationem tyronum infligantur, ut hoc saltem modo latitantes possint agnosci.* Immunes ab hospitibus recipiendis erant, l. Fabricensium C. de metat. judicemque solum magistrum officiorum habebant, l. pen. C. de Fabricensibus. Ejus enim cura arma *fabricabantur*, & ad diversa loca transferebantur, l. ult. C. eod. tit. Aliquo ex *Fabricensibus* decoquente, aut fugiente, pro eo cæteri tenebantur, & ideò bona sine legitimo hærede defuncti ad corpus *Fabricensium* pertinebant. Novell. Theodos. 13. *Pancirol. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 67. *Bergier. de viis Milit.* IV. *Sect.* 21. §. 3. 4. 6. 7. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* III. 12. *Laz. Comment. Reip. Rom.* IV. 6.

FABRINIA gens. }
FABRITIA gens. } V. illas infr. in *Gens.*

FABULINUS erat deus, quem præfecerant infantibus fari incipientibus. Invocab tur ab illis cum fari inciperent. Nonius XII. 56. *Sic cum primò fari incipiebant, sacrificabant divo Fabulino.* Tomas. de Donar. c. 10. Barthol. de Puerp. p. 121. Meurs. de Puerp. c. 5. Pollet. Hist. For. Rom. I. 10. Gyrald. Synt. deor. I. p. 49. B. Stuck. de Sacrif. p. 44. Alex. Gen. diet. VI. 26. Laurent. de Natal. c. 1. Kipping. Antiq. Roman. l. 1. §. 10.

FAC.

FACERE unico verbo dicebant veteres, quod est rem divinam religionibus exhibere. Virg. Ecl. III. 77.

Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

Quod Macrob. Sat. III. 2. παραφράζει. *Cum faciam rem divinam vitula, cum vitulam pro frugibus sacravero.* Varro infr. in *Flamen dialis.* Guther. de vet. jur. Pontif. IV. 6. Bosius de

Pont.

Pont. Max. Rom. vet. c. 1. Brisson. de Form. 1. p. 18. Verbo **ποιεῖν** eo significatu usi sunt non solùm prophani scriptores, sed etiam veteris fœderis interpretes Græci. 1. Reg. 18. n. 23. *Ego quoque parabo, καὶ ἐγὼ ποιήσω τὸν βοῦν, & ignem non imponam.* Psalm. 66. n. 15. *Parabo boves cum hircis, ποιήσω σοι βόας μετὰ χιμάρων. Bosius l. l.*

FACIEM, qui summo manè surgebant, abluebant. V. supr. in *Abluebant.* totam mulieres continebant inclusam monstruosæ cuidam larvæ, quam in publicum proditurae in ipso domus limine detrahebant, ut sic ad primum sui aspectum omnium ora, oculosque converterent. Juven. Sat. VI. 461.

Interea fœda aspectu, ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppaana
Spirat, & hinc miseri viscantur labra mariti.

n. 471. V. illum infr. in *Panis madidus.* Tertull. de Vel. Virg. c. 12. *Jam & consilium formæ à speculo petunt, & faciem morosiorem lavacro macerant, forsitan & aliquo eam medicamento interpolant.* In publico aliquo tectorio abscondebant. V. infr. in *Femina.* Lacte asinino macerabant, quo candidior videretur. Plin. XXVIII. 12. *Cutem in facie erugari, ac tenerescere, & candorem custodire lacte asinino putant.* Dio LXII. p. 714. E. Poppæa Sabina *quingentas asinas, quæ proximè peperissent, quotidie mulgebat, ut ipsarum lacte lavaretur. Formam enim & nitorem corporis magno studio curabat.* Quam ob causam *faciem pinguia Poppaana spirantem* dixit Juvenalis modò laudatus. Et ad illum Scholiastes: *Poppæa uxor Neronis adeò diligens in excolenda forma fuit, ut eam quinquaginta asinæ sequerentur missam in exsilium, quarum lacte candorem corporis provocabat.* De illa Juven. ibid. n. 468.

—— *atque illo lacte fovetur,*
Propter quod secum comites educit asellas,
Exsul Hyperboreum si dimittatur ad axem.

Pigmento decolorabant, & adscititia venustate adulteratæ oculos spectantium decipiebant. Tertull. de Cult. femin. c. 5. *Cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt.* Ovid. Art. Am. III. 199.

Scitis & inducta candorem quærere cera:
Sanguine quæ vero non rubet, arte rubet.

Viri etiam, ne cœlestes injuriæ teneram cutem læderent, ac deturparent, ejusmodi medicamentis oblinebant, tum suam, Suet. Oth. c. 12. n. 4. *Faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consueverat.* Et illi insultat Juven. Sat. II. 104.

Nimirum summi ducis est occidere Galbam,
Et curare cutem, summi constantia civis:
Bebriaci campo spolium affectare palati,
Et pressum in facie digitis extendere panem.

tum pædagogiorum. Senec. Epist. 123. *Omnium pædagogia oblita facie vehuntur, ne sol, ne frigus teneram cutem lædat: turpe est neminem esse in comitatu puerorum, cujus sana facies medicamentum desideret.* Kobierzyck. de Lux. Roman. 1. 7. Mariscott. de Pers. & Larv. c. 8. Casaub. in Spart. Adrian. c. 4. & in Suet. Othon. c. 12. n. 4. Aqua adspergebant veteres, si cui cor defecisset. V. supr. in *Defecisset.* Defuncti ut unusquisque & ex vestibus, & ornatu facilè posset dignoscere, qui sua morte obierant, vel *facie* erant non planè deformi, illorum cadavera palam ferebantur. Non rarò etiam *faciem* solebant fucare, præsertim feminarum puellarum, ut mortuæ apparerent venustiores. Id constat ex eo, quod tradit Dio LXI. p. 692. E. Brittanici corpus gypso oblitum à Nerone fuisse, ne livor appareret è veneno. *Morestell. Pomp. Feral.* II. 10. *Guther. de Jur. man.* 1. 15.

FACINOROSI non quidem ad ultimum supplicium, quod meruerant, sed ad viarum publicarum opus, per omnem suæ vitæ ætatem, ob scelera & crimina, condemnabantur, quemadmodum qui ad metalla, & in Gallia ad remos damnantur. Anysis Ægypti Rex, ut tradit Herod. II. pag. 63. quoties Ægyptiorum quisquam aliquid deliquisset, neminem voluit ultimo affici supplicio, sed pro sui quemque delicti magnitudine damnari ad aggerundam certam mensuram aggerum intra urbem, unde quisque nocentium erat oriundus; atque ita urbes sublimiores sunt effectæ. Licèt autem hi ad opus viarum per judices Romanos condemnati non fuerint honestioris, sed vilioris ordinis; Caligula tamen, teste Suet. c. 27. n. 4. *Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis,* ut quæ servis solebant ob scelera inuri, *ad metalla, & munitiones viarum, aut ad bestias condemnavit.* Nero quoque, ut idem testatur c. 31. n. 12. præter alia opera, *fossam quoque ab Averno Ostiam, ut navibus, nec tamen mari iretur, inchoavit,* & horum *operum perficiendorum gratia, quod ubique erat custodiæ, in Italiam deportari: etiam scelere convictos nonnisi ad opus damnari præcepit.* Bergier. de viis Milit. 1. Sect. 10. §. 11. Si meruerant vita multari, delictum eorum, vel proclamabatur à præcone tunc, cum per vicos trahebantur ad supplicium. Lampridius. V. illum in *Fures.* Vel ligneæ tabulæ albæ inscriptum nigris literis illis præferebatur, aut collo appendebatur. V. infr. in *Titulus.*

FACTIO *& factiosus honesta vocabula erant, unde adhuc factiones histrionum & quadrigariorum dicuntur.* Festus. Harum duæ initio fuerunt, à coloribus vestium, quibus, dum cursitarent, induebantur, nomina sortitæ: alba scilicet, & rubea, sive russata; qui quum certatim pedibus, sive curribus insidentes currerent, & populo Romano magno oblectamento erant, & sacra Circensia perficiebant. Postea ex duabus quatuor factæ sunt: prasina, russata, veneta, alba. Tertull. de Spect. c. 9. V. illum supr. in *Colores factionum.* Panvin. de Lud. Circ. 1. 10. Buleng. de Circo c. 48. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 11. §. 2. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 357. D. Thulemar. in Freher. Cecropistrom. Thes. Antiq. Roman. Græv. IX. p. 1157. Mercur. Gymnast. III. 9. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 5. Quæque suum in circo stabulum habuit. Caligula ob ingens aurigandi studium sæpè ibi morabatur. Suet. c. 55. n. 6. *Prasinæ factioni ita addictus, & deditus, ut cœnaret in stabulo assiduè, & maneret.* Et stabula quatuor factionum memorantur à Sexto Rufo & P. Victore de Regionibus Urbis. *Borrich. l. l.* Hisce Domitianus duas adhuc addidit, panni videlicet purpurei & aurati. Suet. c. 7. n. 3. *Duas circensibus gregum factiones aurati purpureique panni ad quatuor pristinas addidit.* Mart. XIV. 55.

Proficies nihil hoc, cædas licet usque flagello,
Si tibi purpureo de grege currit equus.

Panvin. & Argol. in Panvin. de Lud. Circens. 1. 10. Thulemar. & Borrich. l. l. Sed aurati & argentei panni *factiones* addidisse dicit Xiphil. LXVII. p. 760. D. V. illum supr. in *Color argenteus.* Quid si autem πυῤῥοῦν apud illum reponere auderemus? Certè unius syllabæ mutatione res conficeret. Si id religioni habemus, dicendum est, insignem fuisse errorem, aut supinitatem Xiphilini in exscribendo. Nam argenteus color albus est, atque jam ante factio albata. *Ruben. Elect.* II. 17.

Factio alba, seu albata vocabatur, quod vestibus albis amicti ejus factionis aurigæ cursitarent. De hac Plin. VIII. 42. *Claudii Cæsaris sæcularium ludorum circensibus excusso auriga albati equi palmam occupavere, primatum obtinuere, opposita effundentes, omnia, quæ contra æmulos debuissent, peritissimo auriga insistente, facientes.* Panvin. de Lud. Circens. 1. 10. Pancirol. Descript. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 357. D. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. 4. Marmorea tabula Romæ in domo Cechinorum de hac *factione* ita sonat allegante Gruter. Inscript. p. 339. C. APULEJUS. DIOCLES. AGITATOR. ANNORUM. XXII. MENS. VII. D. XXIII. AGITAVIT. CURRUM. IN. FACTIONE. ALBATA. *Thulemar. in Freher. Cecropistrom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IX. *p.* 1157. *Panvin. l. l.*

Factio prasina vocabatur, quod vestibus prasini coloris amicti ejus factionis aurigæ cursitarent. Prasinus autem color est viridis ad similitudinem porri. Nam πράσον Latinè porrum dicitur. Hinc vestes è viridi lana prasinæ dicuntur. Mart. X. 29. 4. V. illum supr. in *Color prasinus.* Petron. c. 28. *In aditu ipso stabat ostiarius prasinatus.* De *factione* prasina Suetonius supr. in *Factio* laudatus. Et Ner. c. 22. n. 1. *Quondam tractum prasinum agitatorem inter discipulos querens, objurgante magistro, de Hectore se loqui ementitus est.* Juven. Sat. XI. 195. V. illum supr. in *Color prasinus.* Panvin. de lud. Circens. 1. 10. Buleng. de Circo c. 48. Pancirol. Descript.

Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 357. D. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 4.

Factio rosea, sive rubea, sive russata appellabatur, è rubei coloris vestimentis nomen sortita. Russus enim, sive russatus, sive roseus appellationes sunt rubei coloris. Russati aurigæ mentio est apud Plin. VII. 53. supr. in *Color russeus*. Coccineam hanc *factionem* vocat Mart. XIV. 131.

Si veneto, prasinove faves, qui coccina sumis,
Ne fias ista transfuga veste, vide.

Panvin. de Lud. Circens. I. 10. Panciroll. Descript. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 357. D. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 4.

Factio venera dicebatur à veneto, id est, cœruleo colore, qui teste Veget. IV. 37. est fluctibus marinis similis. Svet. Vit. c. 13. n. 5. *Quosdam de plebe ob id ipsum, quod venetæ factioni clarè maledixerant, contemptu sui, & nova spe id ausos opinatus, occidit*. Panvin. de Lud. Circens. I. 10. Buleng. de Circo c. 48. Panciroll. Descript. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman Græv. Tom. III. p. 357. D. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 4.

Factiones uti in circo, sic etiam in amphitheatro. Vilissimæ enim animæ addictæ his ludis, & velut consecratæ, in partes deducebantur, & magno studio huic generi gladiatorum favebant, aut illi. Hic enim in Thracum armaturam pronus, alius in Myrmillonum, aut secutorum. Antoninus Imperator. Sed V. illum infr. in *Parmularius*. Lips. Saturn. II. 24. Thys. de Gladiat. p. 236.

FACTORES sunt fabri lignarii, qui dolia & cupas *faciunt*. Pallad. I. 6. *Doliorum, cuparumque factores necessariò habendi sunt*. Barth. Adv. XXXIX. 8.

Factores sunt, qui oleum *faciunt*, id est, ut ritè in cellam veniat, omnia procurant. Sunt alii à legulis. Cato de Re Rust. c. 65. *Leguli volunt, uti olea caduca quàm plurima sit, quo plus legatur. Factores ut in tabulato diu sit, ut fracida sit, quo facilius efficiant*. Barth. Adv. XXXIX. 8. Pignor. de Serv. p. 549. Popm. de Instrum. fundi c. 3.

Factores in pilæ lusu sunt, qui *faciebant*, id est, qui feriebant, & ludebant, quique in *factiones* erant divisi, id est, ut dicimus in consuetudine, in partes. Plaut. Curc. II. 3. 18.

Et datores, & factores omnes subdam sub solum.

Turneb. Adv. VII. 4: XIV. 22. Scalig. in Manilium p. 117.

FAD.

FADIA gens. V. illam infr. in *Gens*.

FÆC.

FÆCIUM inunctio pro persona olim fuit usitata. Schol. Aristoph. Νεφελ. dicens: Poetas, *ne noti essent, facibus unctos, poemata per vicos cantitasse plaustris insidentes*. Ex quo in temporis ratione nonnihil hallucinatus est Sidon. Carm. IX. 232. dicens:

Pictum facibus Æschylon secutus.

Ejus enim jam ætate decentiores aliæ personæ videbantur: licèt tali tinctura vultus contentus Aristophanes post Æschylum, quasi personatus in scenam prodierit, Cleonis personam acturus. *Mariscott. de Pers. & Larv. c. 7.*

FÆS.

FÆSULÆ est urbs inter primas Etruriæ antiqua. Reliquiæ cum Episcopali sede etiam nunc imminent in Apennini collibus. Hodie vocatur *Fiesole*. Ejus memoria extat apud Polyb. II. 22. *Ipsi occulta profectione Fæsulam tendunt*. Liv. XXII. 3. *Lava relicto hoste Fæsulas petens, medio Etruriæ agro prædatum profectus* ..... Cluver. Ital. Ant. II. 3. 8. Colonia Romanorum postea est facta, colonis eo à Sylla deductis. Cicer. Cat. II. 9. *Hi sunt homines ex iis colonis, quos Fæsulis Sylla constituit*. Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 4. Cluver. l. l.

FAG.

FAGUTAL fuit *sacellum Jovis, in quo fuit fagus arbor, quæ Jovi sacra habebatur*. Festus: *Fagutal à fago, inde etiam quod ibi sacellum Jovis Fagutalis*. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. Fertur fuisse, qua parte Exquilinus spectat extremum Viminalem, imminetque Suburræ, olim Oppius dictus. Varro ibid. c. 4. *Oppius mons princeps locum Exquilinum, lucum fagutalem habet*. Donat. de Urb. Rom. III. 10. Gyrald. Synt. deor. II. p. 88. C. Stuck. de Sacrif. p. 86. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 3. Alex. Gen. dier. II. 18: VI. 11. Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. III. p. 73. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

FAL.

FALCIDIA lex. V. illam infr. in *Lex*.

FALCO fuit cognomen Pompejis & Valeriis commune. Festus: & Serv. Æneid. X. 145. *Falcones dicuntur, quorum digiti pollices in pedibus intro sunt curvati, à similitudine falcis*. Gloss. vet. *Falcones, δάκτυλοι ποδῶν ἔσω βλέποντες*. *Alex. Gen. dier. I. 9. Junius de Pictur. III. 9. Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XI. p. 900. F.*

FALERINA tribus. } V. illas infra in *Tribus*.
FALERNA tribus. }

FALISCI erant genus farciminis, infarcto ventre, vel intestinis optimis carnibus, concisis cum pipere & sale. Stat. Sylv. IV. 9. 35.

Non lucanica, non graves falisci.

Mart. IV. 46. 8.

Et lucanica, ventre cum falisco.

Baccius de vin. & conviv. IV. p. 162. Nonn. de Re cibar. II. 14. Domit. in Statium. Voss. Lex. Etymol.

FALLUS erat *lignum oblongum, in cujus vertice fascinum scorteum fuit*. Suidas. Dionysiis *fallus* gerebatur pone virgines canephoras, & *fallicum* canebatur. Plutarchus in Alexandro. *Fallica sunt carmina, quæ ad fallum canuntur*. Suidas. *Buleng. de Theatr. I. 1.*

FALSARIORUM semper ubique maxima extitit copia, qui *falsa* testimonia componerent, *falsosque* testes adhiberent, qui ea suis gemmis ac sigillis signarent illo inscio, quem testatorem *falsè* prædicabant. Hi à Romanis deprehensi, & convicti in exilium mittebantur. Ad quod respexit Ovid. de Pont. II. 6. 69.

Nec mea subjecta convicta est gemma tabella
Mendacem linis imposuisse notam.

Long. de Annul. p. 114. Interdum manus amputabantur. V. infr. in *Pars*.

FALX arboraria est, qua arbores putamus. Cato de Re rust. c. 10. *Falces arborarias quinque*. Varr. de Re rust. I. 22. *Dicuntur ab eodem scriptore opus esse arboraria tres*. Turneb. Adv. VII. 23.

Falx lumaria, *qua secamus lumeta, cum in agris serpunt spinæ, quas quod à terra agricolæ solvunt, id est, luunt, lumecta dicuntur*. Varr. de Ling. Lat. IV. 31. Festus: *Luma genus est herbæ, vel potius spinæ*. Turneb. Adv. XXX. 23. Scalig. in Festum.

Falx rustaria est, ut aliqui interpretantur, rusticaria, vel ruralis. Varr. de Re rust. I. 22. *Dicuntur ab eodem scriptore opus esse falces rustariæ decem*. Cato de Re rust. c. 11. *Falculas rustarias decem*. Et ita ego modò dici fingebam, modò à rusco ruscarias somniabam. Dici enim non potest, quàm mihi molesta vox ista fuerit. Et vanus ineptusque semper ariolus eram. Nunc ad veram tandem evasisse conjecturam videor. Cum enim apud Festum reperiam, *Rustum est rubus*, haud dubiè *falces* rustarias interpretabor, quibus ruri secantur rubi, qui per agros serpunt. *Turneb. Adv.* VIII. 23: XXIII. 26. *Dacer. in Festum. Popm. de instrum. fundi c. 8.*

Falx sirpicula est, qua sirpabantur & alligabantur dolia veterum, quæ fictilia erant, tum cum erant fracta. Varr. de Ling. Lat. IV. 31. *Sirpicula vocata à sirpando, id est, ab alligando. Sic sirpata dolia quassa cum alligata dicta. His utuntur in vinea alligando fasces, incisos fustes, faculas*. Turneb. Adv. VII. 23.

Falx stramentaria est, qua post messem stantia in segete stramenta desecamus. Cato de Re rust. c. 10. *Falces stramentarias sex*. Turneb. Advers. VII. 22.

Falx vindemiæ etiam est instrumentum. *Falces*, & cætera vindemiæ instrumenta partim argentea, partim aurea in Dionysii templo suspendebant veteres. Philostr. VII. Apollon. II. 4. *Tomasin. de Donar. c. 27.*

Falx in militia terrestri erat *trabs, qua adunco præfigebatur ferro, & de muro extrahebat lapides*. Veget. IV. 14. Hinc Cæs. de Bell. Gall. VII. 86. *Falcibus vallum, & loricam rescindunt*. Cui etiam *falces murales* dicuntur ibid. III. 14. *Falces præacutæ, insertæ, affixæque longuriis, non absimili forma muralium falcium*. Has laqueis injectis deflectebant. Cæs. ibid. VII. 22. *Nam & laqueis falces avertebant, quas quum destinaverant, tormentis introrsus reducebant*. Valtrin. de Re milit. Rom. V. 6. Stevvech. in Veget. IV. 23. Sigon. Emend. I. 11. Erat etiam in militia navali teli genus *falx* longurio inserta. Liv. XXVIII. 45. *Secures quoque sunt polliciti, rutra, falces, alveolos, quantum in quadraginta longas naves opus esset*. Ejus usus ad præcidendos funes antennarum hostilium, quo navibus aufugere nequeant. Veget. IV. 46. *Falx dicitur acutissimum ferrum, curvatum ad similitudinem falcis, quod contis longioribus inditum, calatorios funes, quibus antenna suspenditur, repente præcidit: collapsisque velis liburnam pigriorem, & inutilem reddit*. Cæsar pergit l. l. *His, quum funes, qui antennas ad malos destinabant, comprehensi, adductique erant, navigio remis incitato prærumpebantur: quibus abscissis antennæ necessario concidebant*. Scheffer. de Milit. nav. II. 7.

FAM.

FAMILIA est *cœtus famulorum*. Ulpian. l. 1. ff. de vi & vi arm. & *familiæ appellatione omnes, qui in servitio sunt, continentur*. Ulpian. l. 25. ff. de ædil. edict. Gloss. *Familia, οἰκετεία*. Varro de Re rust. I. 16. *Si ab fundo longius absunt oppida aut vici, fabros parent, quos habeant in villa: sic necessarios artifices, ne de fundo familia ab opere discedat*. Phædr. IV. 21. 23.

—— veste, nummis, familia
Hominem exornavit.

sit. 19. 1.

Æsopus domino cum solus esset familia.

Familiam, inquit Cicer. pro Cæcin. c. 19. *intelligimus, quæ constat ex servis pluribus: quum unus homo familia non sit*. Erat enim minimum quindecim capitum. Apulejus laudatus sup. in *Ergastulum*. Et *familiares* vocantur servi. Senec. Epist. 47. *Ne illud quidem videtis, quàm omnem invidiam majores nostri dominis, omnem contumeliam servis detraxerint. Dominum patrem familiæ appellarunt, servos, quod etiam in mimis adhuc durat, familiares*. Voss. Lex. Etymol. Pignor. de Serv. p. 41. Morestell. de Feriis Roman. Dial. 18. Keuchen. in Frontin. de Aquæd. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1657. E.

Familia dicebatur etiam curatoribus aquarum data, tum publica, quam Agrippa: tum privata, quam Claudius constituerat. V. supr. in *Consularis aquarum*.

Familia dicebantur quoque gladiatores, qui sub uno lanista agebant. Senec. de Ben. VI. 12. *Quo lanista, qui familiam suam summa cura exercet, atque ornat*. Suet. Aug. c. 42. n. 4. *Cum venalitias, & lanistarum familias Urbe expulisset*. In lapide prisco: MUNUS FAMILIÆ GLADIATORIÆ. Eum dicebant *familiæ* præesse. Cicer. pro Sull. c. 19. *At præfuit familiæ Cornelius. Jam si in paranda familia suspicio est nulla; quod præfuit, nihil ad rem pertinet*. Nam hunc Cornelium scilicet fuisse pro lanista. *Lips. Saturn. I. 15. Thulemar. in Freher. Cecropistrom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1155. Thys. de Gladiat. p. 220.* Hinc natum proverbium, *ducere familiam*: quod idem censeo, ac *familiæ* præesse. Sumptum est ab hac ipsa lanistarum præfectura. Estque Ciceroni familiare. Cicer. Phil. V. 8. *Lucius quidem frater, ut qui peregrè depugnavit, familiam ducit*. Fam. VII. 5. *Accedit etiam, quod familiam ducit in jure civili, singularis memoria, summa scientia*. Lips. & Thys. l. l. Muret. Var. Lect. IV. 17.

Hi dicebantur quoque doctores, magistri, & dictata dare. V. singula suis locis.

Familiæ appellatio est quoque translata ad eos, qui ex eadem sunt cognatione, ut *familia* Cæsarum, Scipionum. Festus: *Familia antea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux & princeps generis vocabatur pater, & mater familiæ: Unde familia nobilium Pompiliorum, Valeriorum, Corneliorum: & familiares ex eadem familia: postea hoc nomine etiam famuli appellari cœperunt, permutata I cum U litera*. Voss. Lexic. Etymol. Morestell. de Feriis Roman. Dial. 18. A gente quo modo differat V. infr. in *Gens*. Illarum conditio fuit varia. I. Si genus spectabimus, aliæ fuerunt patriciæ, aliæ plebejæ. Romulus enim, ut scribit Dionys. II. p. 83. Urbe condita totum populum in duas partes distribuit; unam eorum, qui inter cæteros aut genere, aut virtute, aut divitiis excellebant; alteram eorum qui his omnibus rebus inferiores erant: atque illos quidem patres, hos verò plebejos nominavit. Patres vel ab ætate, quasi senes, unde senatores; vel quod filios, vel quod patres haberent, plebeji non haberent: vel denique Atheniensium exemplo, qui summo loco natos, εὐπατρίδας; obscuro, ἀγροίκους vocarunt, appellavit. Ut autem patriciis sacra, judicia, magistratus, senatum, & totius Reipublicæ administrationem commisit; sic plebejos, his omnibus muneribus vacuos, quæstuosis artibus operam dare voluit. Itaque P. Decius plebejus in hanc sententiam apud patres ita est locutus apud Liv. X. 8. *Semper ista audita sunt eadem; penes vos auspicia esse, vos solos gentem habere, vos solos justum imperium domi militiæque*. Et Appius Claudius patricius apud Liv. VI. 41. V. illum supr. in *Auspicia*. Animadversione dignum est, eum plebejum fuisse, qui civitate Romana donabatur; patricium autem neminem, nisi nominatim vel à Regibus, vel à populo, vel denique ab Imperatore factus esset, fuisse. Cur autem ejusdem gentis ac nominis *familiæ* altera patricia, altera plebeja fuerit, quales plerasque fuisse reperimus, causas reddimus I. quod non ab eodem ambæ fonte fluerent, ut si quis *familiam* M. Tullii Longi, qui patricius anno post Reges exactos decimo consul cum Ser. Sulpicio fuit, quæ à Ser. Tullio Rege duceretur, diversam esse à M. Tullii Ciceronis oratoris *familia* dixerit, qui plebejus fuit, quam à Tullio Attio Volscorum Rege, qui multò post Ser. Tullium vixit, manasse quibusdam placuit. II. quod ex patricia aliqua gente alii ad plebem se contulerint, alii in patriciatu remanserint; ex plebeja verò alii à plebe ad patres transierint. Siquidem scribit Suet. c. 2. n. 1. gentem Octaviam in patricias traductam, procedente tempore ad plebem se contulisse, ac rursus per D. Julium in patriciatum rediisse. Et Cicer. Brut. c. 16. *Transitiones à plebe sunt, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunduntur genus; ut si ego me à M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Ser. Sulpicio consul fuit*. III. ab adoptione, ut cum plebejus à patricio, aut contra patricius à plebejo adoptaretur. Necesse enim erat eum conditionem sequi adoptantis. Ita M. Brutus plebejus à Q. Cæpione patricio adoptatus, & Q. Cæpio Brutus dictus; & P. Scipio patricius à Q. Metello plebejo adoptatus, & Q. Metellus Scipio dictus, patriciam Brutorum, & plebejam Scipionum *familiam* reddiderunt. IV. à libertate. Liberti enim assequuntur illi quidem nomen domini gentilicium; at conditionem, si patricius sit, non assequuntur. Unde Horatius Flaccus plebejus, cum & Horatii patricii sint. V. à civitate. Nam qui civitatem beneficio alicujus patricii impetrabant, ii nomen ejus tantum adipiscebantur, in plebe autem remanebant. II. Si honores spectabimus, partim nobiles, partim novæ fuerunt. Nobiles patricii dicti sunt, quibus primùm honores ii, ex quibus nobilitas comparatur, in Republica patuerunt: post autem plebeji etiam, ubi primùm ad curules honores pervenerunt, nobiles dici cœpti sunt: neque enim ex genere nobilitas, sed ex imaginibus paratur: siquidem ii nobiles dicti, qui majorum suorum imagines haberent. Quid sit imago, & imaginem sui ponere, V. infr. in *Imago*. Novi dicti sunt, qui nulla majorum commendatione ipsi primi ad magistratus curules pervenerunt. Appian. Bell. civ. II. p. 428.

II. p. 448. *Novos homines vocant eos, qui non majorum gloria, sed suaptè virtute inclaruerunt.* Itaque Cicer. in Rull. II. 1. *Me hominem novum consulem fecistis.* II. 36. *Quemadmodum cum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt: sic, si quid deliquero, nullæ sunt imagines, quæ me à vobis deprecentur.* in Pison. c. 1. *Obrepsisti ad honores commendatione fumosarum imaginum.* Sigon. de Nom. Roman. c. 6. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 2008. C. 2018. B. Manut. de Civit. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. I. p. 1. E. Robortell. de Famil. Roman. Misc. Erud. Ital. Tom. I. p. 640. Strein. de Gent. & fam. Rom. in Claudia plebeja. Rævard. Var. v. I.

Familia Acilia plebeja, sed nobilis consulatibus quinque, & triumpho uno ante Imperatores fuit, neque postea minùs floruit. Vigente Republica ejus stirpes duæ, Glabrionum & Balborum. V. illas suis locis. Consulares ambæ fuerunt. *Augustin. de Famil. Roman. in Acilia. Streinn. de Gentib. Roman. in Acilia.*

Familia Ælia, sive Ailia, plebeja, sed non ignobilis multis ex consularibus viris, & duobus censoriis, ac duobus, qui magistri equitum fuerunt. Antiquiores cognomento Pati, sive Pæti dicti, deinde Cati, Tuberones, Ligures, Lamiæ vigente libertate. Postea ex eadem Imperatores fuerunt P. Ælius Hadrianus, T. Ælius Antoninus Pius, L. Ælius Aurelius Commodus. V. illos suis locis. *Augustin. de Famil. Roman. in Ælia. Glandorp. Onomast. Roman. p. 11. Strein. & Ursin. de Famil. Roman. in Ælia.*

Familia Æmilia, sive Aimilia patricia clarissima fuit, ab ipsis initiis libertatis Reipublicæ Romanæ ad Augusti tempora multis illustribus viris domi militiæque decorata, pontificatu maximo, dictaturis, triumphis, principatibus senatus, censuris, consulatibus, magisteriis equitum, & tribunatibus militum, consulari potestate, & triumviratu Reipublicæ constituendæ, ita sæpè, ut paucæ eam numero vincant, exornata est. Dividitur in quinque præcipuas stirpes, quæ cognominibus distinguuntur, Mamercinorum, Barbulatum, Paullorum, Paporum, Lepidorum. *Augustin. de Famil. Roman. in Æmilia. Streinn. de Gentib. Roman. in Æmilia. Morestell. de Feriis Roman. Dial. 20. Malvas. Marm. Felsin. Sect. VII. c. 8. Glandorp. Onom. Roman. p. 20. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 2002. B. Patin. Fam. Rom. p. 7.*

Familia Antonia in duas gentes divisa, patriciorum, & plebejorum, paucos habuit, qui magistratus majores, & honores fuerunt adepti. Patricii duo Merendæ cognomento dicti, quorum alter T. Antonius decemvir legibus scribendis fuit anno Urbis 303. Alter Q. Antonius, hujus, ut creditur, filius, tribunus militum fuit consulari potestate anno 331. Secutus est magister equitum M. Antonius, P. Cornelio Rufino Dictatore anno 419. quem superioribus patriciis connumerassem, nisi me cognominis defectus, & prænomen Marci retardaret, & quod jam tum plebeji magistri equitum fierent, post C. Licinium Calvum, qui primus è plebe fuit anno 385. Plebeji post hunc sex, consulatus obtinuerunt septem, censuras duas, triumphos duos, ovationem unam, magisterium equitum unum, triumviratus Reipublicæ constituendæ duos. *Familia* princeps florente Republica fuit M. Antonius. V. illum, ejusque filium & nepotes supr. in *Antonius*. Augustin. de Famil. Roman. in Antonia. Streinn. de Gentib. Roman. in Antonia. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 2002. B. Ursin. de Famil. Roman. in Antonia. Glandorp. Onomast. Roman. p. 65.

Familia Aquilia duplex, patriciorum, & plebejorum, paucos habuit consulares, & triumphales, aut aliis maximis honoribus usos. Patriciorum vetustissima memoria est. M. Aquilium duumvirum sacris faciundis à Tarquinio Superbo insui culeo jussum ob libros Sibyllinos evulgatos scribit Dionys. IV. 260. Post hanc Aquiliorum, & filiorum L. Junii Bruti primi consulis conjuratio, ut Reges restituerentur. Dionys. V. p. 281. Primus consul C. Aquilius Tuscus anno 256. Ovans de Hernicis in Urbem rediit. Post centum uno minus anno L. Aquilius Corvus tribunus militum fuit consulari potestate cum aliis quinque patriciis. Plebeji tres consulares, & triumphales fuerunt. Primus C. Florus M. F. C. N. consul fuit, & de Pœnis triumphavit IV. Non. Octobr. anno 494. Post hunc M. Aquilius M. F. M. N. fuit consul anno 624. & triumphavit ex Asia III. Non. Novemb. anno 627. Hujus filius M. Aquilius consul fuit anno 651. Ovans rediit proconsul de servis fugitivis ex Sicilia post biennium. Postea senatu à censoribus motus iterum prætor fuit Cicerone consule, & à senatu abdicare coactus ob conjurationem Catilinæ occisus est. Addendus est his C. Aquilius Gallus Ictus, qui prætorius fuit. Tempore Augustorum invenio M. Aquilium C. F. Julianum, qui consul fuit anno 791. Q. Aquilium Sabinum, qui bis consul fuit sub Caracalla anno 986. & 988. Aquilium Orfitum, qui consul fuit anno.... *Augustin. Ursin. & Patin. de Famil. Roman. in Aquilia. Glandorp. Onomast. Roman. p. 111.*

Familia Attilia duplex, patriciorum, qui Longi dicti sunt; & plebejorum, qui Reguli, & Serani, & Calatini, & Bulbi sunt appellati. V. illos suis locis. *Augustin. & Patin. de Famil. Roman. in Attilia. Glandorp. Onomast. Roman. p. 133. Ferret. Mus. Lapid. IV. memor. 39.*

Familia Aurelia, priùs Auselia dicta, & plebeja, tribus cognominibus distincta est: Cottarum, Orestarum, Scaurorum. Cottæ ab anno Urbis 500. ad 700. septem habuit consulares, quorum unus bis fuit consul, duo censores, unus magister equitum, unus triumphalis. Orestæ eisdem temporibus tres consulares; unus etiam triumphalis. Scaurus unus consularis. Hæc florente Republica. Postea multis Imperatoribus illustris reddita est. Nam propter adoptionem Hadriani T. Aurelius Antoninus, qui postea Pius appellatus est, T. Aurelius Antoninus dictus, & quos ipse adoptavit, M. Annius & L. Cejonius Aurelii Antonini appellati sunt, & post eos Commodus M. F. item Caracalla Septimii Severi filius, & Elagabalus M. Aurelii Antonini dicti sunt. Severus quoque Alexander, Valerianus, Claudius, Aurelianus, Probus, Carus, Carinus, Numerianus, Diocletianus, Maximianus, Constantius, Severus, Maxentius, Constantinus & Licinius Aurelii fuerunt appellati. Orestas, Cottas, & Scauros V. suis locis. *Augustin. & Patin. de Famil. Roman. in Aurelia. Glandorp. Onomast. Roman. p. 142. Sigon. de Nom. Roman. c. 4. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 2005. A.*

Familia Cæsarum ante Augustum quatuor dictaturas, censuram, sex triumphos, pontificatum maximum, consulatus novem obtinuit. Cæsarum I. Ser. Julius S. F. L. N. consul fuit anno 596. II. Sext. Cæsar C. F. S. N. à Vertio appellatur. Consul fuit anno 662. III. L. Cæsar L. F. S. N. superioris frater patruelis consul fuit anno primo belli Marsici. Censor fuit anno proximo post consulatum. Biennio post occisus est cum C. Cæsare Strabone, qui ædilis curulis fuit, quæstor trib. milit. bis, decemvir agris dandis, attribuendis, judicandis, & pontifex. IV. Hujus filius L. Cæsar consul fuit anno 689. Semper optimarum partium fuit, nulla propinquitatis C. Cæsaris, vel M. Antonii habita ratione. Qua de causa proscriptus est à triumviris, conservatus à sorore invito filio ejus Antonio. Hujus filius fuit alter L. Cæsar, qui cum mandatis de pace missus est ad Cæsarem initio belli civilis. V. C. Julius C. F. C. N. Cæsar. Fuit pontifex maximus. Et pontificatus initium fuit idem ille annus conjurationis Catilinæ, in qua consensisse insimulatus est. Quadriennio post consul fuit anno 694. Post consulatum decem annos Gallias tenuit, postea cum exercitu adversus Cn. Pompejum, & consules Romam venit. Dictator à M. Lepido prætore urbano dictus est anno 704. Iterum consul anno proximo quo anno victo Pompejo II. dictator Reipublicæ constituendæ. III. consul anno 707. Fuit & III. dictator anno proximo. IV. consul sine collega. Eodem anno IV. dictaturam iniit, quæ ei postea perpetua concessa est. In tertio consulatu quater triumphum egit, I. de Gallis & Germanis. II. de Pharnace Ponti Rege ex Asia III. ex Ægypto de Rege Ptolemæo. IV. de Juba Mauritaniæ Rege ex Africa. In quarto consulatu quintum egit ex Hispania. Anno 709. dictator IV. vel potius perpetuus consul. V. occisus est Eidibus Martiis. In quar-

ca dictatura ovans ex monte Albano VII. Kal. Februar. reversus est. V. etiam supr. in *Cæsar Julius*. Augustin. de Famil. Roman. in Julia.

Familia Calpurnia, origine Sabina, plebeja fuit, multosque babuit consulares viros, censorios tres, triumphalem unum. Tribus cognominibus distinguitur, Pisonum, Bestiarum, Bibulorum. V. illos suis locis. *Augustin. de Famil. Roman. in Calpurnia. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 2005. *D. Glandorp. Onomast. Roman. p.* 187.

Familia Cassia duplex, patriciorum, & plebejorum. Patricius unus consularis, cujus cognomen variè scribunt: alii Vitellinum, alii Viscellinum, alii Bicellinum. Ter consul fuit, bis triumphavit, primus magister equitum fuit. Consul fuit anno 251. & triumphavit de Sabinis. Quadriennio post magister equitum primus factus est. Iterum consul fuit anno nono post alterum consulatum. Tertiò consul fuit septennio post factus, agrariam legem primus tulit, & de Volscis & Hernicis triumphavit. Ex lege agraria tyrannidis affectatæ crimine offensi senatores post consulatum damnarunt, eo interempto domus diruta est, in solo ædes Telluris facta est. A patre de consilio propinquorum damnatum, & interemptum fuisse aliqui historici prodiderunt, & peculium Cereri consecratum. Plebeji septem consulatus totidem, censuras duas ante Cæsarem Dictatorem obtinuerunt. Cognomen omnibus Longinus, uno Varo excepto, & altero Longino Ravilla dicto. *Augustin. Ursin. & Patin. de Famil. Roman. in Cassia. Glandorp. Onomast. Roman. p.* 202. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* V. *c.* 17. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 593. *D.*

Familia Deciorum fuit Romæ clarissima & amplissima, cum propter res domi militiæque præclarè fortiterque gestas, tum verò propter singularem erga patriam pietatem & amorem. Nam Q. Decius, parens hujus *familiæ*, qui primus è Deciis consul fuit, Codri Atheniensium Regis exemplo, devovit se, & voluntariam mortem pro patria oppetiit: cujus mors ita gloriosa fuit, ut eandem concupisceret filius, & amplissimis perfunctus honoribus, & quartum tum consul. Nepos haud ipse majorum suorum virtute indignus, & quidem certè laudem, quæ in hac *familia* floruit, cupidissimè est persecutus, dissimili tamen ratione: neque enim se devovit, ut quidam existimant, sed consul in prælio contra Pyrrhum fortiter pugnans cecidit. Plebeja fuit. Juven. Sat. VIII. 254.

Plebeja Deciorum animæ, plebeja fuerunt
Nomina: pro totis legionibus attamen, & pro
Omnibus auxiliis, atque omni plebe Latina
Sufficiunt dis infernis, terræque parenti.

Augustin. & Strein. de Famil. Roman. in Deciorum. Glandorp. Onomast. Roman. p. 295.

Familia Juliorum duodecim majoribus honoribus usos habuit, qui decemviratum legibus scribendis, dictaturam, censuram, magisterium equitum, consulatus VII. tribunatus militares consulari potestate IX. consecuti sunt. Juliorum I. C. Julus L. F. consul fuit anno 264. II. hujus filius fuisse creditur C. Julius C. F. L. N. qui consul fuit post septem annos. Decemvir fuit legibus scribendis anno 302. legatus occisus est anno deinde atii. III. fuit Vopiscus Julius Julus, qui fuit consul anno 280. Hic fortasse superioris frater fuit. IV. C. Julus consul fuit anno 306. Hic fortasse decemviri filius fuit. II. consul post annos duodecim. V. L. Julus, qui Vopisci filius fuisse creditur, tribunus militum fuit anno 315. Fuit etiam magister equitum. Anno proximo consul n. 323. VI. Sext. Julus post sex annos tribunus militum fuit: hujus parentes ignoramus. VII. C. Julus L. F. Vopisci N. tribunus militum fuit anno 345. & triennio post iterum. Censor mortuus est anno 361. VIII. Hujus frater fuit L. Julus, qui tribunatum militum gessit anno 352. & iterum post quadriennium. IX. Ante hunc alter L. Julus eundem magistratum gessit biennio ante priorem superioris tribunatum. Ejus parentes ignoramus. X. eodem nomine appellatus est. Tribunus militum fuit anno 365. XI. ejusdem nominis similem tribunatum gessit anno 374. XII. C. Julius Julus dictator rei gerundæ causa in castris dictus est anno 401. *Augustin. de Famil. Rom. in Julia.*

Familia Livia, quamvis plebeja, olim admodum floruit, octo consulatibus, censuris duabus, triumphis tribus, dictatura, ac magisterio equitum honestata. Svet. Tib. c. 3. n. 3. Sed cum ejus verba cum his fastis consularibus, qui hodie circumferuntur, contuli, ante ejusdem Imperatoris tempora septem consulatus, magisteria equitum duo invenio. Quo fit, ut existimem, alterum magistrum equitum, non magistrum, sed consulem in illis fastis, quos Svetonius secutus est, proditum fuisse. Liviorum cognomina fuerunt Denter, Salinator, Drusus, Libo, Æmilianus, Claudianus. V. illos suis locis. *Augustin. & Strein. de Famil. Rom. in Livia. Glandorp. Onomast. p.* 542.

Familia Lucretia patricia cum Tarquiniis Regibus propinquitate conjuncta, & ab eis propter injurias desciscens vindicandæ libertati causam præbuit, & exactis Regibus intra 130. annos septemviri consulatus sex, tribunatus consular. potestate totidem, triumphos duos in ea obtinuerunt. Omnes cognomine Tricipitini, uno excepto Flavo, V. illos suis locis, sunt appellati. Plebejæ sine cognomine fuerunt. P. Lucretius præfectus Urbis anno 294. Sp. Lucretius ædilis plebis creatus prætor anno 548. Ei Ariminum, sive Gallia provincia obtigit. Alter Sp. Lucretius prætor. Ei Hispania ulterior provincia obtigit a. 581. Anno proximo C. Lucretius Gallus prætor etiam fuit. Paullò ante idem, sive alter C. Lucretius duumvir navalis fuit anno 572. Ante hæc tempora anno primo belli Punici II. duo quæstores Romani à veniente in Ligures Hannibale intercepti sunt C. Fulvius & L. Lucretius. Et cum cognomine Vespillonis & Osellæ. V. illos suis locis. *Augustin. & Strein. de Famil. Roman. in Lucretia. Glandorp. Onomast. Roman. p.* 556. *Vaillant. Numism. p.* 69.

Familia Lutatia plebeja nobilissima fuit, viris clarissimis atque ornatissimis illustris. Consulatus quinque, censuras duas, triumphos tres, & principatum senatus quinque tantùm viri consecuti sunt. Omnes Catuli cognomine, uno excepto Cercone, nuncupati. V. illos suis locis. *Augustin. Famil. Roman. in Lutatia. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Lutatia. Vaillant. Numism.* I. *p.* 11.

Familia Pinciorum circa Constantini tempora nobilissima admodum in Urbe fuit, ut pleraque testantur elogia hinc inde per Urbem posita, quæ ejus gentis viris, & feminis, honorificentissimis titulis dicata sunt. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom.* III. *p.* 278. *D.*

Familia funesta dicebatur, quamdiu justa defuncto non fecisset hæres, auctore Varr. de Ling. Lat. IV. Cajus, l. 28. ff. de stipul. serv. *Quod ejus familia funesta facta ex tempore mortis intelligatur*. Rævard. de Div. reg. jur. CXXXVIII. Gurbet. de jur. man. 1. 7.

Familiæ emptor. V. illum supr. in *Emptor*.

Familiæ erciscundæ titulus est Digest. a. 2. Hac in voce mirabilis est admissa corruptio, cujus auctor fortasse ipse Tribonianus, quum antiquum verbum non caperet, quo usi ICti. Hæc actio *familiæ* erciscundæ ex lege XII. tabularum constituta fuit cohæredibus, & consortibus à communione discedere volentibus, qua inter eos res hæreditariæ dividerentur. Qui igitur à consortio hercti non citi, id est, hæreditatis non divisæ, ferctum enim & herctum appellabant bona & hæreditatem, discedere volebant, & herctum citum habere, id est, hæreditatem divisam, ea actione experiebantur *familiæ* erciscundæ. Tota hæreditas eo judicio dividi petebatur, non sola *familia*. ICti veteres *familiæ* nomine non hæreditatem universam intelleaere, sed eam tantùm, quæ in numero servorum consistit. V. supr. in *Familia*. Neutiquam mihi fit verisimile solius *familiæ* appellatione eam actionem constituisse XII. tabolas, quæ universæ hæreditatis, ac totius patrimonii divisionem spectabat. *Familiam* à pecunia aperte distinguit Gell. 1. 9. *Quod quisque familiæ pecuniæve habebat, in medium dabant*. Sæpè occurrit *familia* & pecunia junctim posita ad designandas hominis divitias. Atque hæc ita distinguuntur in XII. tabulis: *Paterfamilias ut ei super familia, pecuniave sua legasset, ita jus esto*. *Familiæ*, & pecuniæ nomine tum universa bona comprehendebantur. Nam eorum divi-

divitiæ in pecore consistebant. Gell. xix. 1. *Græcus quispiam dives ex Asia, magno, ut videbamus, cultu paratuque rerum & familiæ*. Phædr. iv. 21. 23. laudatus supr. in *Familia*. Ercisci, quod pro dividere positum putant in ea locutione, nihili verbum est, & cœlo ignotum Latino in ea significatione. Nugas agit Paullus Festi abbreviator, dum erctum citum explicat his verbis: *Erctum à cohercendo dictum, unde & ercisćunda, & ereiscs. Citum autem à ciendo vocatum*. Imò erctum significat patrimonium: citum divisum. Inde herćto non cito, bonis hæreditatis non divisis. Hinc actio illa xii. tabularum ita concepta fuisse videtur: *Familiæ, herćti, ciunda*, id est, *familiæ*, & reliquorum bonorum, quæ herćti nomine comprehenduntur, dividundorum. Hoc, cum Tribonianos non caperet, mutavit in *familiæ* ercíscundæ, & putavit id esse *familiæ* dividendæ. Ab eo Philox. Gloss. ercíscundæ exponit *διαιρέσεως*. Fortè etiam in xii. tabulis scriptum fuit: *Familia ercti ciscunda*. Nam ciso idem est quod cio, pro divido: & ciscunda pro ciunda, dividenda. Glossæ: *cienda, διαμεριζόμενα. Salmas. Exercit. Plinian. p. 891. b. D. Victor. Var. Lect.* xxxv. 1. *Cujac. Observ.* ix. 36. *Revard. de Div. reg. jur.* lxxxv. *Rittersh. in Leg. xii. tab. Class.* iii. *p.* 26. 24.

FAN.

FANNIA lex. V. illam infr. in *Lex*.

FANUM differt à templo, quod sit area templi & solum, templum ædificium. *Turneb. Adv.* iii. 9. *Guther. de Vet. jur. Pontif.* ii. 3. Est locus templo effatus, jam consecratus. Liv. x. 37. *In ea pugna Jovis Statoris ædem votam, ut Romulus ante voverat. Fanum tantum, id est, locus templo effatus, jam sacratus fuerat*. Primis temporibus *fanum* Romæ nullum. Cum adolesceret Urbs religionibus dedita, & paupertatis onera levaret votis, *fana* fuere plurima. Propriè tamen *fanum* est locus sacer sine ædificio *ἱερὸν*, ut colligimus ex Cicer. Attic. xii. 35. *Fanum fieri volo, neque hoc mihi erui potest, sepulcri similitudinem effugere non tam propter pœnam legis studeo, quam propter ἀποθέωσιν, quod poteram, si in villa facerem. In agro ubicunque fecero, mihi videor assequi posse, ut posteritas habeat religionem*. Guther. l. l. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 7. Buleng. de Templ. Ethnic. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. vii. p. 51. C. *Fana* sistere quid sit, docet Festus: *Sistere fana, cum in urbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorum fanorum constituere, quod Antistius Labeo ait in Comment.* xv. *Juris pontificii, fana sistere esse lectisternia certis locis & diis habere*. Duobus itaque modis dicitur *fana sistere*. I. cum in oppidis condendis loca statuuntur, decernuntur, definiuntur *fanis*, quæ illic construenda erant. Tacit. Annal. iv. 37. *Cum D. Augustus sibi, atque urbi Romæ templum apud Pergamum sisti non prohibuisset*. Hist. iv. 53. *Templum iisdem vestigiis sisteretur*. II. lectisternia certis locis, & diis habere. Et eadem forma, qua sellisternium, quoque lectisternium haberi dicitur. Epitomator Paullus extulit: *lectisternium certis in fano locis componere*, loca accipiens de partibus ejusdem *fani*, non de locis Urbis, quod ego magis opinabar. *Fana* itaque sistit, qui certa statuit, ac decernit *fana*, ubi supplicationis gratia lectisternia habeantur, sive componantur numinibus. *Chementell. de Honer. bisell. c.* 31. *Voss. Lex. Etymol. Bellus de Part. templ. augur.* 1. §. 3. *Struv. Antiq. Roman. c.* 11. *p.* 509. *Turneb. & Guther. l. l. Fana* exaugurare quid sit. V. supr. in *Exaugurare*. Cui *fani* cura commissa erat, is *magister fani* vocabatur. Capuæ.

Q. PETICIO. M. F. FAL
MAG. FANI. DIANÆ.

Guther. l. l.

Fanum Carmentæ fuit in infima parte montis Capitolini versus Tiberim, ubi priùs habitaculum fuerat Carmentæ. Solin. c. 1. *Pars infima Capitolini montis habitaculum Carmentæ fuit, ubi & Carmentale fanum est, à quo Carmentalis porta nomen est*. Ejus meminit Gell. xviii. 7. *Domitio Favorinus noster cum fortè apud fanum Carmentis obviam venisset*. Ouzel. in Gellium. Et Dionys. 1. 25. *Aram erectam contemplatus sum Carmentæ ad portam Carmentalem sub Capitolio*. Ibi nunc reliquiæ ædiculæ Catharinæ hodie cernuntur. Hoc *fanum* mulieres Romanæ ei deæ ædificarunt, gratiam referentes, quod vehicula, quibus S. C. privatæ fuerant, ipsis essent restituta. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* iii. 12.

Fanum Dominarum Albæ Juliæ legitur:

MESTRIUS. MARIINUS
PICTOR. CONSTITUIT
PRO. SALUTE. SUA. ET
SUORUM
FANUM. DOMINARUM

Dominas hic pro duabus dictas nemo ambiget. Sic *vota solvere* Jovi domino dixit poeta. Dominæ autem sunt Parcæ, quæ vitæ dominari credebantur, quibus pro salute sua, & filiorum Pictor *fanum* constituit. *Guther. de vet. jure pont.* ii. 3.

Fanum Febris fuit in monte Palatino. Val. Max. ii. 5. *Febrem ad minus nocendum templis colebant, quorum adhuc unum in Palatio, alterum in area Marianorum monumentorum, tertium in summa parte Vici Longi extat*. Cicer. de Nat. Deor. iii. 25. *Qui tantus error fuit, ut perniciosis etiam rebus non modo nomen deorum tribueretur, sed etiam sacra constituerentur. Febris enim fanum in Palatio consecratum videmus*. Marlian. Topogr. Urbis Rom. ii. 21. Elmenhorst. in Minuc. Felic. p. 233. Jun. Anim. iii. 1. Laurent. Var. sacr. Gentil. c. 6. Fulv. Antiq. Roman. 1. p. 65. ii. p. 101. Struv. Rom. c. 1. p. 168. Nardin. Rom. Vet. vi. 14. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 12. §. 3.

Fanum Herculis fuit ad portam Capenam. Mart. iii. 47.

Capena grandi porta qua pluit gutta,
Et qua pusilli fervet Herculis fanum.

Nardin. Rom. Vet. iii. 3.

Fanum Rediculi ad portam Capenam in via Appia ad secundum ab Urbe lapidem à Romanis ædificatum fuisse, ibique Hannibalem castra metatum, indeque tempestatibus revocatum legimus. Puto ego illud fuisse in eo colliculo, qui cis ædem Sebastiani mœnibus Urbis subjectus est. Ita Festus: *Rediculi fanum extra portam Capenam Cornificius ait fuisse: qui Rediculus propterea appellatus est, quia accedens ad Urbem Hannibal ex eo loco redierit quibusdam visis perterritus*. Nardin. Rom. Vet. iii. 3. Aring. Rom. Subterr. iii. 10. 13. Gyrald. Synt. Deor. 1. p. 60. F. Alex. Gen. ii. 4. Struv. Ant. Rom. 1. p. 162.

Fanum Vaticani dei in monte fuit Vaticano. *Blond. Instaur. Rom.* 1. §. 44. *Aring. Rom. Subterr.* ii. 3. 9.

Fanum Veneris Murciæ religiosè sub monte Vaticano colebatur. Festus: *Murcia dea sacellum erat sub monte Aventino, qui antea Murcus vocabatur*. In veteribus monumentis Danielis nostri idem scriptum reperi: *Vallis ipsa ideo Murcia dicta est, quod fanum Veneris Verticordiæ ibi fuerit, circa quod nemus murtetis consitum fuisset*. Scalig. in Festum. Aring. Rom. Subterr. iii. 1. 5.

FAR.

FAR *primus antiquis Latio cibus*. Plin. xviii. 8. *torrere, ut auctor est Hemina, Numa instituit*. Plinius mox laudandus. *Laurent. Var. Sacr. Gentil. c.* 1. Illo pro frumento utebantur veteres. Gell. xx. 1. ex LL. xii. tabularum: *Qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato*. Horat. Sat. 1. 5. 68.

—— *cui satis una*
Farris libra foret, gracili sic, tamque pusillo?

Augustin. in Leg. xii. tabb. §. 38. Buleng. de Conviv. ii. 57. Ouzel. in Gellium. Ab illo in quovis sacrificio factum est initium. Dionys. ii. p. 95. *Romani existimantes far esse omnium frugum præstantissimum & antiquissimum, ab hoc in omni sacrificio, in quo victima crematur igne, initium faciunt*. Rhodig. Ant. Lect. xxviii. 17. Laurent. l. l. Ad sacrificia non erat purum nisi tostum. Plin. xviii. 2. *Numa instituit deos fruge colere, & mola salsa supplicare, atque, ut auctor est Hemina, far torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset. Id uno modo consecutum statuendo non esse purum ad rem divinam, nisi tostum*. Brisson. de Form. 1. p. 7. Laurent. ibid. c. 22. *Farre* etiam nuptiæ fiebant. V. supr. in *Confarreatio*.

FARCIMINA dicuntur intestina carne minutatim concisa referta. Replentur variis rebus, carne frustulatim, minutatimque incisa, sanguine, adipe suillo, aromatibus, sale, & rebus aliis. Apic. de Art. coquin. ii. 5. *Humelberg. in illum.*

FARINA fabacea nihil utilius est in balneis pro familiari detersorio; vel per se indita cuti, vel & aceto, teste Dioscoride, pilos renascentes graciliores reddit, & adolescentes facit tardiùs pubescere; tollit maculas, ac lentigines, & æquat cicatrices, & rugas carnis. *Baccius de Therm. Vet. c. 16. & 24.*

FARRATA est genus edulii. Juven. Sat. xi. 109.

Ponebant igitur Tusca farrata catino.

Ubi vetus Interpres: *Cibus ex farre, qui cibus primus antiquorum fuit.* Apud Spartian. Anton. Get. c. 5. ubi pro *farta* sic lego, quia Palatinus *farrata* scriptum habet pro *farta*, & confirmat editio Mediolanensis, quæ habet *farata*, est genus placentæ ex *farre*, vel *farre* conspersæ. Sic & *farreum libi genus ex farre* apud Festum. Erit tamen fortasse, qui putabit *farratam* genus fuisse pultis ex *farre*. Et sanè videor pultis *farrata* alicubi mentionem legisse. *Salmas. in Spartianum.*

FARTULEIA gens. V. infr. in *Gens.*

FARTORES erant servi, quibus in *farciendis* animantibus veteres utebantur. Colum. viii. 7. *Pinguem quoque facere gallinam quamvis fartoris, non rustici, sit officium.* Barth. Adv. viii. 4. Turneb. Adv. xxiv. 23.

Fartores etiam dicuntur, qui *farcimina* conficiunt. Plaut. Truc. ι. 2. 11.

—— de nostro sæpè edunt, quod

Fartores faciunt.

Turneb. Adv. ii. 29.

Fartores erant quoque servi, qui ob frequentes salutationes & prensationes domino aderant. *Pignor. de Serv. p.* 282. Festus: *Fartores nomenclatores quidam, velut infarcient nomina salutatorum in aurem candidati.* Panciroll. Notit. Dignit. Imp. occid. c. 3.

FAS.

FASCES erant bacilli aliquot teretes loro colligati in modum *fascis*, quorum exemplar frequens in lapidibus & nummis. Fiebant ex ulmo. Plaut. Asin. iii. 2. 28.

Ubi sæpe ad languorem tua duritia dederis octo

Validos lictores ulmeis affectos lentis virgis.

ii. 3. 74.

Ipsus, qui tibi subvectabant rure huc virgas ulmeas.

vel ex betula. Plin. xvi. 18. *Betula ab bur est Gallica, mirabili candore, atque tenuitate, terribilis magistratuum virgis.* Quod tamen nescio, an universè id accipiendum, an ex verbis ejus, de Gallia tantum. Italiæ sanè communior ulmus. *Fascium* inventum Vetuloniæ Etruriæ urbi adscribit Sil. Ital. viii. 484.

Maoniaque decus quondam Vetuloniagentis,

Bissenos hac prima dedit præcedere fasces,

Et junxit totidem tacito terrore secures.

Lips. Elect. i. 23. Dionys. v. p. 195. scribit Etruscorum legatos Tarquinio Prisco attulisse duodecim secures, ut quidam, inquit, scripserunt, ex singulis urbibus ferentes. Erat enim Etruriæ mos Regi securim, & virgarum *fascem* lictorem præferre. Quod si duodecim illis Etruriæ regulis unum esse ducem exercitus placuisset, illi duodecim *fasces* dabant: idque ait alios ad Romulum referre, sed fieri potuisse, ut Romulus Tuscorum morem secutus sit. Tarquinium tamen scribit ad senatum retulisse, an illis insignibus eum uti paterentur: illis permittentibus, lictores duodecim cum securibus & virgis jus dicenti præsto erant, & euntem præcedentibus. *Augustin. de Legib. in Julia. Lycklama de Magistrat. c. 7.* Illos ante magistratum ferebant lictores in humeris inclinatos. Ea enim specie in nummo Bruti cernuntur. Et de illis Hegesipp. Excid. v. *Habent & sacerdotia suos fasces, qui elevantur non humeris, sed moribus, & attolluntur non virgarum proceritate, sed fides altitudine.* Ubi clarè de *humeris*. Etsi aliter surrectos non negem. In ea gestatione mos, ut si per viam majori alicui magistratui occurrerent, statim submitterent *fasces*, &, honoris habendi causa, inclinarent. Ortus mos, ut videtur, à Valerio Poplicola, qui primus summisit *fascibus* in concionem adscendit. Liv. ii. 7. *Gratum id multitudini spectaculum fuit; summissa sibi esse imperii signa: confessionemque factam, populi quam consulis majestatem, vimque majorem esse. Summissis fascibus*, id est, in terram depressis, & ante pedes quodammodo dejectis. Erant, qui in Livio interpretantur *fasces* depositos & lictores abire jussos. Signanter enim Plutarch. in Poplic. p. 102. D. *Ipse etiam fasces ad concionem accedens depressit, & inclinavit.* Ab hoc ritu natum proverbium: *submittere fasces*, id est, cedere, & fateri se minorem, usurpatum præter alios Cicer. in Brut. c. 6. *Cum tibi ætas nostra jam cederet, fascesque summitteret.* Lips. l. l. Rhodig. Ant. Lect. xii. 7. Brassic. in Adagus. Alex. Gen. dier. i. 27. Bud. in Pandect. p. 89. F. Regibus exactis illis potestate regia usi sunt consules. De illis Liv. ii. 1. V. illum supr. in *Consul.* Panvin. de Civit. Rom. c. 55. Pigh. Annal. Rom. i. p. 65. Rhodig. & Augustin. l. l. Bini igitur consules duodecim *fasces* habebant. Unde Liv. viii. 12. *Æmilius, cujus tum fasces erant, collegam dictatorem dixit*, id est, qui ea die imperium habebat. Alternis enim diebus imperabant consules cum ambo aderant. *Bud. l. l.* Vicissitudo hæc *fascium* habendorum non in dies singulos, ut Budæo placet, sed in menses mutabatur, ut ex Gellio statim laudando apparebit. Quod etiam ait Dionys. v. p. 278. *Eoque mense*, inquit, *alterum collegam ministri duodecim sine securibus cum bacillis præcederent.* Suet. in Jul. c. 20. n. 2. auctor est, *C. Cæsarem consulem antiquum retulisse morem, ut quo mense fasces non haberet, accensus ante eum iret, lictores pone sequerentur.* Augustin. l. l. Habebat verò illos priori mense consul ætate major, sequenti ejus collega. Plutarch. ibid. p. 103. D. *Cui*, Lucretio Lucretiæ patri, *majori natu priorem locum concedens tradidit fasces. Inde hæc prærogativa hucusque grandioribus ætate est conservata.* Val. Max. iv. 1. 1. *Ad quem*, Lucretium, *quia major natu erat, priores fasces transferri jussit.* De hac vicissitudine Gell. ii. 15. *Capite septimo legis Juliæ priori ex consulibus fasces sumendi potestas fit; non qui plures annos natus est, sed qui plures liberos, quam collega, aut in sua potestate habet, aut bello amisit. Sed si par utrique numerus liberorum est; maritus, aut qui in numero maritorum est, præfertur. Si verò ambo & mariti, & patres totidem liberorum sunt: tum ille pristinus honor instauratur; & qui major natu est, priores fasces sumit. Super his autem qui aut cælibes ambo sunt, aut parem numerum filiorum habent, aut mariti sunt, & liberos non habent, nihil scriptum in lege de ætate est. Solitos tamen audio, qui lege potiores essent, fasces primi mensis collegis concedere, aut longè ætate prioribus, aut nobilioribus multo, aut secundum consulatum ineuntibus.* Augustin. Panvio. Pigh. l. l. Caroli Antiq. Roman. ιι. 11. Lips. de Magistrat. Roman. c. 9. Lycklama de Magistrat. c. 7. Pitisc. in Suetonium. Cautum quoque fuit, ne, si ambo *fasces* cum securibus haberent, terror duplicaretur, ut alter consul *fasces* duodecim securibus alligatos, alter verò virgarum *fasces* tantum cum lictoribus haberet. *Panvin. l. l.* Hoc est falsissimum. I. P. Valerius Poplicola *secures avulsit fascibus: moremque reliquis confulibus, ut tantum extra Urbem securibus uterentur, intra mœnia contenti solis fascium insignibus.* Dionys. v. p. 292. II. vicissim quot mensibus alter consulum habebat *fasces*, alter tantum apparitorem, ut ex Suet. Jul. c. 20. n. 2. patet. *Grav. Thes. Antiq. Roman. Tom. 1. Præfat.* **** *Caroli l. l.* Decemviri omnes cum duodenis prodeunt apud Liv. iii. 36. *Initio magistratus primum honoris diem denuntiatione ingentis terroris insignem fecere. Nam cum ita priores decemviri servassent, ut unus fasces haberet, & hoc insigne regium in urbem, suam quisque vicem per omnes iret, subito omnes cum duodenis fascibus prodiere. Centum viginti lictores forum impleverant, & fascibus secures illigatas præferebant: nec attinuisse demi securim, quum sine provocatione creati essent, interpretabantur.* Augustin. de Legib. in Valeria. Duumviri municipales *fascibus* utebantur instar consulum. V. supr. in *Duumviri*. Prætoribus

sex

sex præferebantur. V. supr. in *Consul.* Ut & proconsulibus. Ulpian. l. proconsules ff. de offic. proconsulis. *Proconsules non amplius, quàm sex fascibus utuntur.* Augustin. de Leg. in Julia. *Fasces* laureati erant insignia Imperatorum post relatam ab aliquo magno hoste victoriam. Meminit Cicer. de Divin. 1. 28. *C. Marium cum fascibus laureatis quærere ex te.* Cæs. de Bell. civ. III. 71. *Sed neque in literis quas scribere est solitus, neque in fascibus insignia lauri prætulit.* Tacit. Annal. XIII. 9. 5. *Ob res à Quadrato & Corbulone prosperè gestas laurum fascibus imperatoriis addi.* Laz. Comment. Reip. Rom. II. 2. & 20. Demster. Antiq. Roman. x. 29. Mader. in Panvin. de Triumph. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1353. C. Rader. in Mart. VII. 6. 6. Nicol. de Triumph. c. 9. §. 2. etiam in Urbe, si nullum gereret ordinarium magistratum. Origo rei ab Augusto, cujus honori senatus decrevit an. ab U. C. 734. uti consulari potestate semper esset, *fascibusque* duodecim uteretur. Dio LIV. p. 527. E. *Ut consularem potestatem, quamdiu viveret, haberet, ut semper, & ubique fasces ei duodecim præferrentur.* Eumque morem tenuerunt Principes secuti. Post adulationem postea irrupit, ut omnium Principum *fasces*, & semper laureati essent: eaque nota maximè distinctus à vulgo Princeps. De Gordiano Herod. VII. 6. 2. *Sequebatur ipsum principali pompa omnis . . . . virgæ item laureata, quo insigni principes à privatis dignoscuntur.* Capitol. Maximin. c. 14. *Inde Carthaginem venit cum pompa regali, & protectoribus, & fascibus laureatis.* Quando id cœperit ignoro. Paullatim quidem non solum laureati admissi *fasces*, sed & aurati. Claud. in Honor. VI. consul. n. 645.

—— *desuetaque cingit*

Regius auratis fora fascibus Ulpia lictor.

Lips. in Tacit. n. 26. Colligati ferebantur. Plutarch. Quæst. Roman. 81. *Id signo fuit, iram magistratus non debere esse in proclivi, & solutam; & fascium solutionem, qua paullatim fit, moram aliquam iræ injicere, & cunctationem, & nonnunquam facere, ut sententia de supplicio exigendo mutetur.* Pollet. For. Rom. v. 13. Magistratuum postibus suffigebantur. Aurel. Vict. de Vir. Illustr. c. 20. n. 1. *Quarum plebeja cum sororem salutaret, cujus vir tribunus militum consulari potestate erat, fasces lictorios foribus appositos indecenter expavit.* Claudian. de cons. Olybr. & Probin. n. 231.

Unanimes fratres cuncto stipante senatu

Ire forum, strictasque procul radiare secures,

Atque uno bijuges tolli de limine fasces.

Petron. c. 30. *In postibus triclinii fasces erant cum securibus fixi.* Sagittar. de Jan. vet. c. 33. §. 2. In funere principum præcedebant. Polyb. VI. 51. *Fasces & secures, ac reliqua principatibus consueta, secundum dignitatem cujusque præcedunt, qua dum in vivis esset, in Republica eminuit.* Et quidem versi. Tacit. Annal. III. 2. 2. V. illum supr. in *Dux.* Albinov. de fun. Drusi n. 141.

Quos primum vidi fasces, in funere vidi,

Et vidi versos, indiciumque mali.

Kirchman. de Fun. Roman. II. 7. Moreftell. Pomp. Feral. II. 20. Nicol. de Luct. Græc. c. 11. Lips. in Tacitum.

FASCIÆ ædificiorum Ionicis, Corinthiis, & compositi ordinis epistyliis eminentiæ sunt illæ, quæ instar tæniarum gradatim dispositæ, epistyliorum frontes ornant. Vitruv. III. 3. *Reliqua pars epistylii præter cymatium dividenda est in partes duodecim, & earum trium prima fascia est candida.* Tuscanicum & Doricum Vitruvius sine *fasciis* exhibet. Palladius & Barrocius veteres, ut profitentur, imitati duabus ornant. Referunt autem speciem adpactarum, ornamenti & utilitatis gratia, regularum. *Philand. in Vitruvium. Bald. Lex. Vitruv.*

Fasciæ crinales sunt vittæ, mulieribus etiam hodie in usu ad capillos colligandos, compescendosque. Varr. de Ling. Lat. IV. 29. *Fasciola, qua capillum in capite colligarent.* Mulieres capillos ita colligentes eos in orbem volvebant. Juven. Sat. VI. 495.

—— *altera lævum*

Extendit, pectitque comas, & volvit in orbem.

Quam rem etiamnum antiquæ nobis statuæ ostendunt. *Mag. Var. Lect.* III. 3. V. etiam infr. in *Nimbus.*

Fasciæ crurales fuerunt longæ quædam vittæ laneæ, aut etiam lineæ, quibus antiqui ad contegenda cooperiendaque crura utebantur, eas complicando volumine rotundo, & simplici, intextoque nonnunquam, & alterno: quod expressum conspexi in statua, quanquam non admodum vetusta, in quodam angulo palatii divi Marci Veneti. Vel etiam, quibus tibialia laxiora socculosque comprimerent, retinerentque ne diffluerent, ac dilaberentur. Hac figura visuntur in antiquis statuis, leoninis quibusdam capitibus ad cruris medium ferè, quousque pertinebant, insignita. *Mag. Var. Lect.* III. 3. Romæ nonnisi ab ægrotis, aut delicatis, & molliæ laborantibus sumebantur. Quintil. XI. 3. *Palliolum, & fascias, quibus crura vestiuntur, & focalia, & aurium ligamenta sola excusare potest valetudo.* Horat. Sat. II. 3. 247.

—— *ponas insignia morbi*

Fasciolas, cubital, focalia.

Nec ulceris excusatio, quam prætendebat Pompejus, admittebatur à viris prudentibus, sed incurrebat ille in reprehensionem, ferens tibiales *fascias* præter morem aliorum civium. Et in illo insolentia rei augebatur colore; quia *fascias* cretatas gerebat, hoc est, candida creta dealbatas. Cicer. Attic. II. 3. *Etenim mihi ejus caliga, vel fasciæ cretatæ non placebant.* De creta illa Plin. XXXV. 17. Hic color regius erat e in *fasciis*, quod regium diadema non nisi candida *fascia* esset. Hinc candida *fascia* in regni suspicionem objicitur Pompejo apud Valerium Maximum supr. in *Color albus. Nigron. de Calig. c.* 2. §. 13. *Salmas. & Donat. in Lamprid. Alex. Sever. c.* 40. *Brod. Misc.* x. 17. *Demster. Paral. ad Ant. Rom. Rosin.* v. 35. *Casaub. ad Suet. Aug. c.* 82. *n.* 1. *Gudius in Phædr.* v. 7. 36. *Ferrar. Elect.* II. 2.

Fasciæ cubiculares erant, quas habebant ad usum lecti cubicularis. Cicer. de Divin. II. 65. *Defert ad conjectorem quidam, somniasse se, ovum pendere ex fascia lecti sui cubicularis.* Donat. Dilucid. p. 980.

Fasciæ humerales dici possunt latæ illæ, quas citris dependentibus in sinistro humero suspensas in antiquitatis monumentis habent ferè omnes, tam conviviorum, quàm sacrificiorum ministri. Credo pallia appellata, quando ex lana, non ex lino erant. Sic pallia linteis opponit Petron. c. 28. *Jam Trimalcio unguento perfusus tergebatur non linteis, sed palliis ex mollissima lana factis.* Byzantini etiam Imperatores humeralem *fasciam*, sive lorum portabant, sed ex serico & auro, ac gemmis distinctum. Ita in donatione Constantini: *Deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque Phrygium, nec non & superhumerale, videlicet lorum, quod imperiale solet circumdare collum.* Lorum hoc erat *fascia* auro atque gemmis distincta, quæ utrique humero imposita, deinde in pectore crucis signum exprimebat, ut analabon antiquorum monachorum, & stola nostrorum sacerdotum. *Ruben. de Re vest.* I. 13.

Fasciæ mammillares sunt, quibus mulieres olim utebantur ad mammas cohibendas. Isidor. XIX. 33. *Fascia est qua tegitur pectus, & papillæ comprimuntur, atque crispante cingulo angustius pectus arctatur.* Ovid. Rem. Amor. n. 337.

—— *omne papillæ*

Pectus habent tumidæ; fascia nulla tegat.

Mart. XIV. 134. 1.

Fascia crescentes dominæ compesce papillas.

Donat. Dilucid. p. 980. Laurent. in Phædr. v. 7. 36. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman. v. 35.

Fasciæ medicinales erant, quarum usus antiquis in medicinæ usu. Constat ex Oribasii libro, quem de *Fasciis* conscripsit, & passim apud medicinæ scriptores omnes. Cicer. Brut. c. 60. *Cn. Octavius, qui defunctus erat, fasciis, & multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus.* Spart. Anton. Pio c. 13. *Quum esset longus, & senex, incurvatusque, tiliaceis tabulis in pectore positis fasciabatur.* Donat. Dilucid. p. 980.

Fasciæ pectorales virorum fuerunt breves & angustæ tuniculæ, pectus & dorsum tegentes, & quales nostræ interulæ, & subuculæ, quæ ex lana, gossypio, & serico conficiuntur, licèt illæ manicis caruerint. Sursum versus texebantur. Isidor. Pelusiot. Epist. 74. *Apud quos vel maxima indumentum ejusmodi solet fieri, & arto quadam texi, pecti-*

nem retrorsum impellendo, ut fit in fasciis pectoralibus. Ferrar. Annal. de Re vest. c. 13.

Fascia pedules, ut vocantur Ulpian. l. 25. §. fasciæ de aur. & arg. .... *Fasciæ crurales, pedulesque, & impilia loco vestium sunt*. erant quædam segmenta, vel panni ex lanea veste decisi, vel etiam ex coactilicia, quibus involvebantur pedes atque integebantur, ad eundem planè modum, quo crura ipsa *fasciis* illis, quæ crurales proinde sunt appellatæ. Habebantur sub pedibus, & infra calceos. Fronto *pedule* interpretatur, *quod sub pedibus præstaret utilitatem*. Absolutè dicuntur *fasciæ*. Lamprid. Alex. Sever. c. 40. *Fasciis semper usus est*. Varro apud Nonium supr. in *Ephippia* laudatus. *Salmas. in Lampridium. Dempster. ad Antiq. Rom. Rosin.* v. 35. *Laurent. in Phædr.* v. 7. 36. *Alciat. Præterm.* 1. p. 119. *C. Casaub. in Suet. Aug.* c. 82. n. 1. *Byn. de Calc. Hebr.* c. 3. §. 17. *Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv.* p. 336. *Turneb. Adv.* XVIII. 23. *Cujac. Observ.* X. 17.

Fascia pueriles sunt panni & involucra, quibus infantes in cunis colligantur. Plaut. Truc. v. 13.

Fasciis opus est.

Vopisc. Aurelian. c. 4. *Quod vinctum fasciola Aurelianum aquila de cunis levaverit*. Erant modò albæ, modò purpureæ pro varia puerorum fortuna. Capitol. Clod. Alb. c. 5. *Accessit omen, quod cum pueri ejus familiæ russulis fasciolis illigarentur, quod fortè lota atque uda essent russula fasciola, purpurea matris illigatus est fascia*. Barthol. de Puerp. p. 98. Salmas. in Vopiscum. Donat. Dilucid. p. 980.

Fascia in vestibus erant institutæ purpuræ, vel conchylii, quæ vestibus assui è panno solebant. Suet. Cal. c. 17. n. 5. *Pueris ac feminis fascias purpuræ, ac conchylii distribuit*. Propterea feminis dantur & pueris, quos scimus fuisse prætextatos. *Casaub. in Suetonium*.

FASCINUM ut plurimum oriri existimabant veteres ab invidia iis, quibus invidebatur, damnosa, perniciosa ac pestifera, solo enim obtutu, & aspectu invido, atque maligno invidus hominibus, & maximè pueris, nocuisse usu didicerant: natura namque ingenitum est, ut quæ unicuique maximè displicent, ea è medio tollere procuret: idcircò eam multis modis placare, atque exstinguere studebant. Comperio autem usos esse ad hoc l. ridiculo aliquo spectatoribus objecto. Ejus exemplum est mentula, seu similis res aliqua turpicula, quam de collo puerorum ad *fascinum*, & *fascinantium* invidiam repellendam suspendebant. Varr. de Ling. Lat. VI. *Pueris turpicula res in collo suspenditur, ne quid obsit bonæ scævæ causa*. Quocirca & *fascinum* mentulam significat. Horat. Epod. VIII. 18.

Minus ve languet fascinum.

Ubi Porphyrio: *Fascinum pro virili parte posuit, quoniam fascinandis rebus hæc membri deformitas apponi solet*. Priap. Catin. 27. n. 3.

Paedicaberis fascino pedali.

Fabri etiam ferrarii ante fornaculum solebant ridicularia quædam appendere, invidiæ avertendæ gratia. Et in remedio erant Satyrica signa: etiam satyrion invidiam depellebat. Quæ enim turpia erant & ridicula ad avertendam illam pestem accommodata credebantur, obtutu, & aspectu invidentium ex obscoenitate, & miraculo turpitudinis avocatis, ut refert Plutarchus. Hujusmodi amuleta dicebantur bascania: est autem bascanus, qui oculorum acie *noceat*, id est, petnecat, corrumpitque visa. II. Fortunæ fecundæ occultatione. Catull. V. 9.

Dein cum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa ne sciamus,
Aut ne quis malus invidere possit.

Hunc invidiæ livorem evitabimus, si nec venditemus, nec ambitiosè nimis jactemus, minimèque ceteris non præfetamus. Inter omnia namque æqualitas maximè conciliat amicitiam, & tuetur; ostentatio autem ubique invidiosa. Qui se nimis exponunt, perpetuos habent persecutores eos, qui se in eodem bonorum genere optant esse quàm clarissimos. Ab hoc invidiæ genere diversum minimè videtur, quod de Hadriano Imperatore legitur, qui non alia de causa magnos quosdam viros, & architectos primi nominis perdidisse dicitur, nisi hac una, quod in his studiis, in quibus ipse primum se esse volebat, non poterat pati quempiam præstare. Quo ambitu cum & Nero laboraret, Lucianum tradunt non tam ab eo fuisse necatum, quod conjurationis fuisset particeps, quàm quod in poeticæ studiis multum sibi nomen vendicasset. III. casu aliquo adverso spontè suscepto atque contracto. Hujus exemplum extat de Polycrate apud Herod. III. p. 202. A. cui nihil acciderat, quod nollet, nisi quod annulum, quo delectabatur, in mare sua voluntate de Amasis consilio abjecerat, ut deorum invidiam extingueret. *Fascinus* autem teneris magis quàm puberibus nocebat. Virg. Ecl. III. 103.

Nescio qui teneros oculus mihi fascinat agnos.

Idcirco Cuninam, quæ dea erat, pueris in cunis additam ferunt, ut ab illis *fascinum* arceret. Lactant. I. 20. V. illum supr. in *Cunina*. Triumphantium etiam mos fuit, ut in bulla, quam in triumphis præ se gestabant, includerent remedia, quæ adversus invidiam pollere credebant. Putabant similiter, ut qui ter despueret in sinum, *fascinum* posset avertere. Theocr. Eidyll. VI. 39. V. illum infr. in *Spuere*. Præterea & Fescennini versus ad hoc fuere reperti. V. illos infr. in *Fescennini versus*. Alfar. de Invid. & Fasc. vet. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 894. C. Rhodig. Ant. Lect. IV. 6. Turneb. Adv. IX. 28. Gyrald. Var. Crit. Dialog. 7. 1. Barthol. de Puerper. p. 159. Tomas. de Donar. c. 10. Voss. Lex. Etymol. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 8.

FASCINUS erat deus *fascini* depulsor. Hujus rei causa curribus triumphantium subjiciebatur, ut *fascinum* in auctores rejiceret, eosdemque *fascinum* recipere, & invidiam jubeiet. Plin. XXIV. 4. *Et Fascinus Imperatorum quoque, non solum infantium custos, qui deus inter sacra Romana à Vestalibus colitur, & currus triumphantium, sub his pendens, defendit medicus invidiæ, jubetque eosdem recipere*. Turneb. Adv. IX. 28. Alfar. de Invid. & Fasc. vet. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 894. C. V. Plinium fusiùs explicatum infr. in *Triumphantes*.

FASELARES sunt faseli qui sumebantur cum garo & aceto irritandæ gulæ pro antecœna, apud Galen. de facult. aliment. II. Lamprid. Ant. Heliog. c. 20. *Ut pro faselaribus exhiberet*. .... Buleng. de Conviv. II. 25. & 63. Salmas. in Lampridium.

FASTI appellati sunt marmoreæ tabulæ, quibus virtutum præmia, honores & triumphos dico, generosæ posteritati exemplo æternitati consecrare, & sacra deorum anniversaria statis diebus, certisque ceremoniis, purè, sanctèque colere docebatur populus Romanus. Fuere majores, & minores. Majores rursum consulares, & triumphales. Val. Max. VII. 3. 2. *Quod tam vafrè telluri impressum osculum Urbi libertatem, Bruto proximum in Fastis locum tribuit*. Cic. Fam. V. 12. *Etenim ordo ipse annalium mediocriter delectat quasi enumeratione Fastorum*. Anson. Epigr. de Fastis: I. 1.

Ignota æterna ne sint tibi tempora Roma,
Regibus, & patrum ducta sub imperiis,
Digessi Fastos, & nomina præpetis avi,
Sparsa jacent Latiam si qua per historiam.

Originem hisce assero ex Annalibus Maximi n. Pontificis. V. illos supr. in *Annalium cura*. Majores impropriè à minoribus appellatione sumpta *Fasti* nominati sunt. Nam ut illi *fastos* nefastosque dies, sacra, epulas, ludos, ferias, urbi consulatus, dictaturas, bella, victorias, aliaque continebant. Quamobrem Isidor. V. 18. *Fastos* bosce non à *fastis* diebus, sed à *fascibus* dictos existimat. *Siccam. in Fast. Kalend. Rom.* c. 1. Annis circiter 410. à quarto anno regni Numæ ad annum ab U. C. 550. P. Sulpicio Averrione, P. Sempronio Sopho consulibus penes solos pontifices sacri omnis, humanique juris scientia, & auctoritas deliruit, quo anno C. Flavius Cn. F. Appii Cæci pontificis maximi scriba, *Fastosque* apud se habens, dietum discrimina ex occultis pontificum tabulis memoria excepit, paullatimque edifcens populo, publica vir. Liv. IX. 46. *Eodem anno C. Flavius Cn. F. scriba, patre libertino humili fortuna ortus, ceterum callidus vir, & facundus, adilis curulis fuit. Civile jus repositum in penetralibus pontificum evulgavit, fastosque circa forum in albo proposuit, ut, quando lege agi posset, sciretur*. Quæ res adeò grata fertur fuisse populo, ut infimæ sortis homo C. Pætilio & L.

& L. Domitio, quorum patres consules fuerant, repulsam passis, cum Q. Aurelio Prænestino ædilis creatus sit. *Siccam. l. l. Augustin. ad Leg.* XII. *tabul.* §. 35. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 9. *Panvin. Fast.* I. *p.* 5. Imo libri, in quibus nuda nomina magistratuum continebantur, qui singulis annis fuere, sive consules, vel censores, aut dictatores, perinde ac sunt qui in tabulis Capitolinis incisi fuerunt, & ii qui ex hortulis Colotianis in aream domus Gentilis Delphinii transportati sunt: item municipales, qui à Petro Appiano. De quo *Fastorum* genere frequens apud veteres scriptores est mentio. De his Liv. IX. 18. *Paginas in annalibus magistratuum, fastisque percurrere licet, consulum, dictatorumque, quorum nec virtutis, nec fortuna ullo die populum Romanum pœnituit.* IV. 3. laudatus supr. in *Annales*. De his Val. Max. VI. 2. *Cujus Marii septem in fastis consulatus leguntur.* Panvin. l. l.

Fasti consulares sunt majores. Illis consulum & dictatorum, qui in annos singulos magistratum gessere, nomina, bella, victoriæ, Reipublicæ mutationes, ludi fecit lares, aliaque memorandi casus notabantur, duplici fini: annorum notationi, & rerum gestarum memoriæ. *Siccam. in Fast. Kalend. Roman.* c. I. De his Cicer. pro Sext. c. 14. *Iidem consules, si appellandi sint consules, quos nemo est, qui non modò ex memoria, sed etiam ex fastis evellendos putet.* Fam. v. 12. *Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos delectat, quasi enumeratione fastorum.* Panvin. l. l. Horum conditor vixit imperante Constantio Constantini filio: lunaribus enim illius ætatis fizygiis pares calculos posuit juxta normam cycli, quo Latina Ecclesia ad neomenias paschales utebatur. *Noris. Dissert. ad Fast. Consul. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 381. *C.* In illis contexendis sola consulum cognomina recitat, & plurima quidem, quæ ex marmoreis Capitolinis tantum lapidibus intelliguntur. Non pauca prioris sæculi cognomina erratis characteribus exprimuntur, ac non semel idem cognomen variata orthographia exaratur. Præterea annos, quibus abdicatis consulibus, decemviri, vel tribuni militares consulari potestate, tres aut quatuor, & postea etiam sex *fastis* prænotantur, hic duorum tantum tribunorum cognominibus designat. Imo cum anno ab U. C. 378. ac proximo quadriennio nulli curules magistratus creati fuissent, sed L. Sextius Lateranus ac C. Licinius Stolo tribuni plebis rem Romanam superbè & impotenter administraverint, hic iisdem annis ficta quædam nomina præfigit, quæ inter ann. 380. scribit: Baccho solo, quod nusquam in Romana gente cognomen auditum. Et nullus dubito, quin nonnulla in eosdem *fastos* aliena manu, eaque ignava potius, quàm maligna, infarta fuerint. Commendantur tamen eo præcipuè, quod annos quorumcunque consulum triplici nota designant: nempe feria, & ætate lunæ in Kalendis Januarii, quæ duo singulis consulatibus, aut binis tribunis militaribus adjiciuntur, ac præterea charactere annorum omnium bissextilium, quos præposita litera B ac consulibus majori Romano, eoque rubro charactere descriptis indicat; quamvis anni bissextiles apud Romanos ab U. C. 709. annum tunc luxatum emendante Cæsare initium habuerint; quos tamen per annos Julianos prolepticos à primis usque consulibus longiori serie deduxit. *Noris. ibid.* 363. *C.*

Fasti Kalendares appellati, quod à Kalendis ad Kalendas toto anno sacra, feriasque statas contineant, sunt minores illi. Illis, ut Festus ait, *totius anni fit descriptio*. Et, ut Verrius, *sunt libri, quibus dierum totius anni continetur computatio*. Sacras has tabulas contaminavit vesana superbia, & fœdissimæ populi in Imperatores adulationes: perrupitque in deorum consortium principum ambitio, nec contenti iis, quæ maxima inter homines dari possunt, sedem inter deos, atque animi sacra occuparunt. Primus M. Antonius, quod objicit illi Cicer. Phil. II. 34. *in Fastis ad Lupercalia adscribi jussit: C. Cæsari, dictatori perpetuo M. Antonium consulem populi jussu regnum detulisse.* Idem commisit Cicero in honoribus Bruto Cæsaris interfectori deferendis, Epist. ad Brut. 14. *Ego enim D. Bruto liberato, cum lætissimus ille civitati dies illuxisset, idemque casu Bruti natalis esset, decrevi, ut in Fastis ad eum diem Bruti nomen ascriberetur.* Pari adulatione *Fastis* adscriptum fuit: *Hoc die Cæsar pontifex maximus factus est.* Item: *Hoc die Cæsar Alexandriam recepit.* Item: *Victor Cæsar.* Item: *Hoc die Cæsar Hispalim vicit.* Item: *Augusti natalis in circo Augustalium.* De his Tacit. Annal. I. 15. 3. *Inter quæ tribuni plebis petivere, ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti Fastis additi Augustales vocarentur.* Et si quæ bis in dies accrescente adulatione accesserunt. Fuerunt duplices, rustici & urbani. *Siccam. in Fast. Kalend. Rom.* c. I.

Fasti Pontificum diversi sunt ab annalibus. Ad illos nemo præter pontifices admittebatur. Incensa Urbe plerosque periisse scribit Liv. VI. I. Hinc queritur tribunus plebis apud eundem IV. 3. *Si non ad Fastos, non ad commentarios pontificum admittimur; ne ea quidem scimus, quæ omnes peregrini etiam sciunt.* Bofins Exerc. Hist. de Pont. Max. Rom. Vet. c. 4. Erant nihil aliud quàm dierum cognitio, quibus fari, aut non fari liceret. Gloss. vet. *Fastus*, ἡμερολόγιον. Distincti etiam erant à ceremoniarum libris, qui abstrusum & reconditum jus & pontificium, & occultum genus literarum continebant. Tota enim juris pontificalis dispositio magnam religionem, ceremoniasque declarabat, quarum secreta *Fastis* non committebantur, quos Cn. Flavius surripuit. Illi enim legis continebant actiones, non sacrorum disciplinam. *Guther. de vet. jur. pontif.* I. 22.

Fasti rustici Kalendares sunt dierum, festorumque notatio, quos rustici in agris observabant. Illi enim cum agrorum cultu, vineisque pangendis continuè essent occupati, frequentissimis illis festorum sollennitatibus vacare non poterant. Quamobrem Kalendas, nonas, eidus, nundinas, atque unum aut duo ad summum festa singulis mensibus celebrabant, & quæ ad agriculturæ rationem maximè faciunt, signa zodiaci, dierum longitudinem, tutelares mensium deos, quidquid singulis mensibus fieri oporteret, notabant. *Siccam. in Fast. Kalend. Rom.* c. I.

Fasti triumphales sunt majores. Illis ducum & imperatorum triumphi de populis & gentibus bello victis à S. P. Q. R. decreti, actique, adjectis anno, mense, & die, perscripti fuere, & consularibus additi. *Siccama in Fast. Kalend. Roman.* c. I. Illos à Pighio restitutos exhibet *Grav. Thes. Ant. Roman. Tom.* XI. *p.* 219. Exhibet quoque *Modius de Triumph. vet.* I. 26.

Fasti urbani Kalendares erant, de quibus supr. in *Fasti Kalendares* diximus, quos Romæ atque alibi in oppidis observabant, quos non uno loco, sed singulis ferè Urbis regionibus, & curiis, imo ab illustribus viris in atriis privatis propositos fuisse, ut in vastissima urbe, & totius orbis empor o ubique factorum observatio in oculos hominum incurreret, probant diversa harum tabularum fragmenta variis in locis effossa. *Siccam. in Fast. Kalend. Roman.* c. I.

FASTIGIUM Latinis est cujusque rei summa pars, ædificiorum maximè. Virg. Æneid. I. 442.

——& fastigia suspicit urbis.

Videtur idem Latio esse, quod Græcis ἀετός. Vocabulum architectis est peculiare & proprium, & illo eam templorum potissimum partem notant, quæ in aciem desinens, tympano, corona, & acroteriis constat. Hinc translatio: *fastigium operi imponere*. Bald. Lex. Vitruv. Vulgari, & communi notione erat tectum in utramque partem proclinatum ad stillicidia deducenda, quod trichoron vocant Spart. Pescen. Nig. c. 12. *Domus ejus hodie visitur in campo Jovis, quæ appellatur Pescenniana, in qua simulacrum ejus in trichoro constituit.* & Stat. Sylv. I. 3. 58.

——partitis distantia tecta trichoris.

Nam pluribus *fastigiis*, id est, trichoris recta plerumque fiebant. Cicer. Frat. III. I. *Absolutum offendi in aedibus tuis tectum: quod supra conclavia non placuerat tibi esse multorum fastigiorum.* Salmas. in Spartianum. Erat marmoreum. De Centenio ædificatore Juven. Sat. XIV. 88.

Nunc Prænestinis in montibus alta parabat
Culmina villarum, Græcis, longèque petitis
Marmoribus.

Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 7. Interdum est ornamentum *fastigii*, & quodammodo *fastigii fastigium*. Talia ornamenta addebantur *fastigiis* templorum, quibus privatorum ædificiorum culmina habentia quoque tecti formam, quæ *ἀετὸς* & *ἀέτωμα* dicebatur, carebant, ut statuæ, victoriæ, & alia deorum simulacra. Ἀκρωτήρια dicuntur Græcis. Hesychius: *Fastigia*, *ἀκρωτήρια*, *templorum signa supernè illis imposita*. Et illa *fastigia*, quia vocem, qua exprimerent, non habuerunt, vocant Latini. Qua de causa & vocem Græcam retinet, & à *fastigio* distinguit Vitruv. III. 3. *Membra omnia, quæ supra capitula columnarum sunt futura, id est, epistylia, zophori, coronæ, tympana, fastigia, acroteria*. Et hæc *fastigiorum* ornamenta *signa fictilia, aut area inaurata* vocat III. 2. *Ipsarum ædium species sunt baryca, barycephala, humiles, lata, ornantque signis fictilibus, aut areis inauratis earum fastigia* Eodem modo, quo ornati solebant deorum templa, ornaverunt Cæsaris, cui multa ut deo decreta erant, ædium *fastigium*. De illo Suet. Cæs. c. 81. n. 8. *Calpurnia uxor imaginata est, collabi fastigium domus*. Hoc Plutarch. Cæs. p. 738. A. narrans idem Calpurniæ somnium vocat *ἀκρωτήριον* quasi *fastigii fastigium*, & domus *fastigio* impositum, *Nam quum Cæsaris ædibus velut ad ornamentum, & amplitudinem ex S. C. esset adjunctum ἀκρωτήριον, id per quietem imaginata collabi Calpurnia videbatur lamentari & lacrimari*. Salmas. Exerc. Plin. p. 853. b. E. & in Spartianum. Victor. Var. Lect. XVII. 18. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 33. Scheffer. in Obseq. c. 127. Buleng. de Donar. pontif. c. 16. Pitisc. in Suetonium.

FAT.

FATUORUM etiam insania magnoperè delectabantur, & ex inordinato mente dejectorum sermone, futilique lingua suam capiebant voluptatem. Senec. Epist. 50. *Harpasten uxoris meæ fatuam scio hereditarium onus in domo mea remansisse; ipse enim aversissimus ab istis prodigiis sum. Si quando fatuo delectari volo, non est longè quærendus, me video. Hæc fatua subitò desiit videre. Incredibilem tibi narro rem, sed veram: nescit se esse cæcam, subinde pædagogum suum rogat, ut migret, ait domum tenebrosam esse*. Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 4.

FATUM ferè vocant plerique antiquorum necessitatem, quæ omnes constringit, quia vivimus ut moriamur, imo vivimus & morimur simul, non tam mortales quàm morientes. Statum enim unicuique vitæ terminum esse nemo nescire potest. Quem, ubi advenerit, amplecti debemus, nec datum est evitare. Quod simul & immotum, & adamantinis, ut loquitur Plato, constrictum vinculis, & mutari natum pagani credidere. Nec duo illa se mutuò hic subvertunt, si ex eorum sententia loquamur. *Fatum* mutari potest, & tamen est *fatum*. *Fatum* manet, cum mutatur, & cum non mutatur. Cum non mutatur, manet quod fuit: cum mutatur *fatum*, fit quod antea non erat. Adeo ut duplex fuerit *fatum*, alterum, quod nunquam mutandum, alterum, quod poterat exorari. Sic *dii faciles* dicti apud Juven. Sat. X. 7.

Evertere domos totas optantibus ipsis
Dii faciles.

Leves Hecubæ apud Senec. Troad. Act. I. n. 1.

Quicunque regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leves metuit deos,

Leves, faciles, quod aut revera mutarent *fatum*, aut mortalibus mutare videntur. Quod de vitæ termino creditum vulgo fuit. Locus illustris est in Apul. Met. XI. p. 366. *Quod si sedulis obsequiis, & religiosis ministeriis, & tenacibus castimoniis numen nostrum promerueris; scias, ultra statuta fato tuo spatia vitam quoque tibi prorogare mihi tantum licere*. Creditum igitur olim vitæ terminum, quanquam fixum semel, ita mutari posse, ut aut majori, aut breviori temporis spatio includeretur. Et ea mens Furiæ in monumento sepulcrali, quod Romæ in horto secreto re monasterii Sebastiani marito bene de se merito posuit, cum *fato suo se addi* vult, hoc est, citiùs quàm decretum est, mori, ut tantò celeriùs ad maritum suum posset pervenire. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 9. Cicer. Phil. I. 4. scribit: *Multa impendere videntur præter naturam præterque fatum*. & nihil diversum *naturæ* & *fati* nomine significat, sed unum idemque declarat. Itaque mors naturalis, mors est fatalis, cum ætate quis confecta extrema senectute moritur. Quæ enim mors immatura gladio infertur, nec fatalis est, nec naturalis. Ita morti naturali & fatali opponit mortem vulnere illatam, vel pœna irrogatam Cicer. pro Coel. c. 32. *Nolite judices aut hunc jam natura ipsa occidentem velle maturius exstingui vulnere vestro quàm suo fato*. Turneb. Adv. XIII. 9. Gell. XIII. 1. ubi quærit, utrum *natura* & *fatum* idem valeant: *præter naturam* violentam mortem designari rectè censet: at *præter fatum* non sui operis, & temporis esse profitetur. Animadvertit Ciceronem duobus verbis unam & eandem rem nusquam explicare; sed cum *naturam* à *fato* separasset, variam utriusque verbi significationem demonstrare. Nam quæ in faciendo fine vitæ violenta sunt, non videntur Gellio à *fato* venire, & quod *fatum* atque *naturam* dixit Cicero, id multo ante Demosthenem *fatalem, & spontis suæ mortem* appellasse. Serv. Æneid. IV. 653. *Tribus modis humana omnis vita continetur. Natura, cui ultra centum & viginti solstitiales annos concessum non est diuturniore frui luce. Fato, cui nonaginta anni, hoc est, tres Saturni cursus exitium creant, nisi fortè aliarum stellarum benignitate tertium ejus superet cursum. Fortuna, id est casu, qui ad omnia pertinet, quæ extrinsecùs accidunt, ut ad ruinam, incendia, naufragia, venena, vim, fatique diem occupatum*. Quod optimè in Didone Virg. Æneid. IV. 653.

Vixi, & quem dederat cursum Fortuna peregi.

Hic enim non ad *naturam* & *fatum* mortem retulit num. 696.

—— quia nec fato, merita nec morte peribat.

Sed ad Fortunam, quam violentæ mortis agnoscit auctorem. Quare mors illa, quæ præter naturam accidit, Fortunæ tribuitur: casui, quæ præter *fatum*. At natura & *fatum* ei, qui morbo finitur *θανάτῳ ἰδίῳ*, aut qui morte sua defungitur. Suet. Jul. c. 89. n. 1. quod est sua die mori, vel sua morte. Natura longior vita mortalibus conceditur: *fato* brevior, ad quod mors omnis acerba etiamnum refertur, non ad naturam. *Guther. de Jur. man.* I. 5. Prospera *fata* pueris nuper editis cum voto concepta, tabulisque obsignata ipsorum capitibus subjiciebantur. Declarat hoc, easque impietatis plenas scribit Chrysost. ad Galat. & Senec. Epist. 60. *Execrationes parentum* appellat. *Tomas. de Donar. c.* 10.

FAU.

FAUCIA tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

FAVERET ut linguis, pontifice, & magistratu præmonitus, monebatur & populus à præcone. Horat. Od. III. 1. 2.

Favete linguis: carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus, puerisque canto.

Favere linguis erat I. silere. Senec. de vit. beat. c. 26. *Hoc verbum*, favete linguis, *non, ut plerique existimant, à favore trahitur, sed imperatur silentium, ut ritè peragi possit sacrum, nulla mala voce obstrepente*. II. bona verba dicere, ac prophanis, & malè ominatis parcere. Festus: *Faventia bonam ominationem significat. Nam præcones clamantes populum sacrificiis favere jubebant. Favere enim est bona fari. At veteres poetæ pro silere usi sunt favere*. Ovid. Fast. I. 71.

Prospera lux oritur: linguis, animisque favete,
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Brisson. de Form. I. p. 8. Guther. de Vet. jur. pontif. IV. 2. Turneb. in Cicer. de Leg. II. p. 99. Adv. V. 19. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 719. F. Kipping. Antiq. Roman. I. 9. §. 2. Casaub. in Theophr. Charact. p. 380. Castal. Observ. Decad. II. 10. Broukh. in Tibull. II. 1. 1.

FAVISSÆ erant *cella quædam & cisterna in Capitolio, quæ in area sub terra essent, ubi reponi solerent signa vetera,*

quæ

quæ ex eo templo collapsa essent, & alia quædam de religiosè donariis consecratis. Gell. II. 10. Adeo reverentes rerum sacrarum Romani erant, ut quicquid in eo templo ætate frangeretur, collaberetur, aut fatisceret, non corrumperent, cremarentve, aut in alios usus converterent; verùm ea omnia, ad instar cadaverum, in puteis illis areæ, seu vestibuli, subterraneis terræ mandarent, atque sepelirent. *Nardin. Roman. Vet.* v. 15. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 10. §. 8. *Marlian. Topogr. Urb. Roman.* II. 7. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 475. *B. Salmas. Exerc. Plin. p.* 852. *a. B. Famus Antiq. Urb. Roman.* II. 6. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 5. *&* 10.

FAUNA, sive *Fatua*, eadem quæ Bona dea. V. illam supr. *in Bona dea*.

FAUNALIA dicuntur *Fauni* festa, quæ anniversario pervigilio Nonis Decembribus celebrabantur in sylvis, ac pratis. *Jun. Fastor. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 256. *E. Rosin. Antiq. Roman.* IV. 16. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 10. §. 15. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 494. G. De hœdo & vino illi res divina fiebat. Horat. Od. III. 18. 5.

Si tener pleno cadit hœdus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina cratera, vetus ara multo
Fumat odore.

II. 10.

Cum tibi nona redeunt Decembres.

Gyrald. ibid. p. 550. E. Erant bina: priora sub initium veris, idibus Februariis. Ovid. Fast. II. 193.

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic ubi discretas insula rumpit aquas.

id est, in insula Tiberina. Altera brumæ initio, nonis Decembribus. Horatius modò laudatus. *Brouck. in Prop.* II. 15. 14.

FAUNUS apud Latinos regnabat quondam, vates futurorum præscius, & tortvus aliquis planetarius, ab excessu pro deo cultus, ἐπιχώριος δαίμων, ait Dionys. Antiq. Roman. I. p. 24. *Kippink. Antiq. Roman.* I. 4. §. 4. *Gyrald. Synt. deor.* XV. *p.* 444. C. Huic deo capripedi è naufragii discrimine erepti, aut ex ipso naufragio servati, dona & vestimenta vovebant, & ad oleastrum suspendebant. Virg. Æneid. XII. 766.

Fortè sacer Fauni foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, & votas suspendere vestes.

Tomas. de Donar. c. 7.

FAVOR & *favere* sunt verba theatrorum & circi. Illa non tacitam & occultam populi spectantis benevolentiam significant; sed quæ voce etiam, ac gestu exprimeretur. Et una *favoris* voce faustæ omnes spectaculorum acclamationes, & plausus comprehendebantur. Senec. Epist. 29. *Si te videro celebrem secundis vocibus vulgari, si intrante te clamor, plausus, & pantomimica ornamenta obstrepuerint, si tota civitate feminæque puerique laudaverint: quidni ego tui miserear, cum sciam quæ via ad istum favorem ferat?* Plin. Epist. IX. 6. 2. *Nunc favent panno, pannum amant: & si in ipso cursu, medioque certamine, hic color illuc, ille huc transferatur, studium, favorque transibit, & repente agitatores illos, equos illos, quos procul noscitant, quorum clamant nomina, relinquent.* Universum *favendi* morem pulcerrimè expressit Ovid. Amor. III. 2. 65. . . . . . 76. *Ferrar. de vet. acclam. & plaus.* II. 4. *Salmas. in Vopisc. Aurel. c.* 48. *Casaub. in Lampr. Comm. c.* 15. *Spart. Pescenn. c.* 2. *Broukh. in Tibull.* II. 5. 110.

FAUSTUS utrum prænominis an cognominis munere in *Fausto* Sulla, Sullæ Felicis dictatoris filio, functum sit, incertum: pluribus tamen rationibus cognomen crediderim. Nam ferunt id eo tempore filio Cornelio imposuisse, quo ipse Felix appellatus est: caruisset ergo per tot annos prænomine Sulla junior, cùm longè ante natus esset, quàm pater Felix appellaretur. Quare eum L. Cornelium Sullam Faustum vocatum fuisse existimo. Ascon. in Cicer. p. 170. *Faustus Sulla tum quæstor, filius Sullæ Felicis*. p. 177. *Frater ejus Faustus Cornelius Sullæ filius*. Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 2017. B. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 130. B. Spanhem. de præst. num. Dissert. VI. p. 530. Koborell. Aonn. I. 24. Prænomen tamen esse contendit *Sigon. Emend.* II. 19.

FAUTOR pedarius. V. illum infr. in *Pedarius*.

FAX.

FAX funerum erat, & sepulcrorum lucerna. Plin. VI. 37. *E quibus, scirpis, detracto cortice, candelæ luminibus, & funeribus serviunt.* Cortex ille nihil aliud quàm similitudo Ægyptiæ papyri, qua utebantur fortasse homines tenuiores. Et ex Plinio Isidor. XI. 2. XX. 10. *Funus dictum à funibus accensis, quos ante feretrum papyris cera circumdatis ferebant.* Consuetudo hæc à more efferendi mortuos noctu permansit, ut etiam in illis, quæ interdiu ducebantur, funeribus *faces* adhiberentur. Serv. Æneid. VI. 224. *Per noctem autem urebantur: unde permansit, ut mortuos faces antecedant.* Tacit. Annal. III. 4. 1. *Dies, quo reliquiæ Augusti tumulo inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies. Plena Urbis itinera, collucentes per campum Martis faces.* Kirchm. de Fun. Roman. II. 3. Ferrar. de Vet. lucern. sepulcr. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XII. p. 1000. D. Morestell. Pomp. Feral. II. 21. Noris. Cenot. Pisan. Diss. III. c. 6. Casal. de Urb. ac Imper. Rom. splend. part. 2. c. 21. de Proph. Roman. III. c. 16. Meurs. de Funer. c. 24. Lips. in Tacit. Annal. III. Excurs. A. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman. V. 37. Clasen. Theol. Gentil. I. 10. §. 24. Et in parentalibus etiam annuis accendebantur. V. infr. in *Sepulcrum*.

Fax iter de nocte ingredientibus præferebatur. Ovid. Fast. IV. 167.

Semiustamque facem vigilata nocte viator
Ponet, & ad solitum rusticus ibit opus.

Met. I. 493.

Ut facibus sepes ardent, quas fortè viator
Vel nimis admovit, vel jam sub luce reliquit.

Varr. de Re Rust. I. 14. *Naturale sepimentum prætereuntis lascivi non metuet facem ardentem.* Peculiares in usum viatorum solebant incidi è ligno querno, vel iligno, quæ γρύβεα vocabant. *Turneb. Adv.* III. 22. *Casaub. & Pitisc. in Suet. Jul. c.* 31. *n.* 2. *Barth. in Stat. Theb.* XII. 241. *Pignor. de Serv. p.* 258. *Schul. Nom. Philol. p.* 154.

Fax, sive hastula, non adusta, sed urens, è picea tæda, larice, & si quod tale genus, & quibus in usum luminis domi etiam usi, etsi hæ paullò robustiores, aut grandiores, in militia erat obvium & populare telum. Virg. Æneid. I. 154.

Jamque faces, & saxa volant; furor arma ministrat.

Lucan. VII. 511.

—— inde sagitta,
Inde faces & saxa volant.

Lips. Polior. IV. dial. 4. V. dial. 5. Thys. de Oppugn. urb. V. p. 191. Laurent. Polym. IV. Synops. II. §. 9. In navali erat insigne, quo de nocte prætoria navis à cæteris distinguebatur, cum apud Græcos, tum apud Latinos. De Græcis Diodor. XX. *Gubernatoribus dein enuntiavit, ut in facem intenti prætoriam sequantur.* De Romanis Appian. Bell. Civ. II. p. 483. ubi Cæsar nuntiat gubernatoribus, *ut nocte sequantur ignem prætoriæ suæ, interdiu verò ejus signum.* Prætoriæ ignem, ait, sive *facem*: unde patet hanc solam aliquam ejusmodi habuisse; alioquin enim nequivisset ab aliis discerni. Et confirmat Flor. IV. 8. 5. cum de Sexto Pompejo, paullò ante 350. navium domino scribit, cum sex septemve fugisse, extincto *prætoriæ navis lumine*, non & cæterarum navium luminibus. *Scheffer. de Milit. nav.* III. 1.

Fax prima vocatur crepusculum. Macrob. Sat. I. 3. *Ab hoc tempore prima fax dicitur.* Lumina tunc accendebantur. Qua ratione *prima lumina* dixit Horat. Sat. II. 7. 33. *Morestell. Philomus. dial.* 9.

Faci-

Facibus quinque nova nupta ad genialem lectum admittebatur. *Alex. Gen. dier.* II. 5. Illæ *faces* parabantur ad deducendam virginem ad maritum, potius quàm ad deducendam illam ad lectum: nec fortasse tot fuit opus, ut illa cubitum deduceretur. *Mercer. ad Alexandrum.* Illas adhibitas, quod non nisi ubi contenebrasset, in mariti domum deduceretur: & potissimùm quinque usurpatas, ut numerum individuis nuptiis convenientem, scribit Plutarch. Quæst. Rom. 2. *Sigon. de Ant. Jur. civ. Roman.* I. 9. *Blend. Triumph. Rom.* VIII. *p.* 261. *C. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman.* v. 37. Fiebant ex spina alba, ut Pompejus scribit. Ideoque Catull. carm. LXI. n. 14.

Pelle humum pedibus, manu
Spineam quate tædam.

Eaque ratione *spinam nuptiarum facibus auspicatissimam* dixit Plin. XVI. 18. Non desunt tamen, qui nuptiales *faces* ex pino confici solitas omni asseveratione contendant, & *pineam* apud Catullum legendum censeant. Moventur versibus Ovid. Fast. II. 557. quo loci à conjugio per aliquot dies abstinendum hac periphrasi suadet:

Dum tamen hac fiunt, vidua cessate puella,
Exspectat puros pinea tæda dies.

Quanquam illic, absque ullo versus vitio, rectè *spinea tæda* legi posset. Sed proferam alios locos, qui eandem immutationem non ferant. Varro II. de vit. pop. Rom. apud Nonium: *Cum à nova nupta ignis in face adferretur, foco ædilis sumptus*, sic enim lego, *fax ex pine ablata esset, ut eam puer ingenus adferret.* Virg. Cir. n. 439.

Pronuba nec castos incendet pinus amores.

Senec. Med. I. 111.

Multifidam jam tempus erat succendere pinum,
Excute sollennem digitis marcentibus ignem.

Rursus idem Varro apud Charisium Sosipatrum, *In Asia*, ait, *fax ex spina alba profertur, quod purgationis causa adhibetur.* Sanè spinæ albæ ad maleficia depellenda vim inesse antiquitas credidit. Ovid. Fast. VI. 129.

Sic fatus, spinam, qua tristes pellere posset
A foribus noxas, hac erat alba, dedit.

n. 165.

Virgaque Janalis de spina ponitur alba,
Qua lumen thalamo parva fenestra dabat.
Post illud neque aves cunas violasse feruntur;
Et rediit puero, qui fuit ante, color.

Verùm quid prohibet, ex variis arborum generibus *faces* nuptiarum confici solitas dicere? Plinius enim *l. l.* spinum quidem *facibus nuptiarum auspicatissimum fuisse* scribit; suis tamen temporibus *carpinum & corylum facibus familiarissimas* fuisse subjicit. *Brisson. de Rit. nupt. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* VIII. *p.* 1034. *B. Salmas. Exerc. Plin. p.* 370. *G. Beroal. in Apul.* IV. *p.* 512. *Turneb. Adv.* XXI. 29. *Scalig. Poet.* III. 100. *Lacerd. Virg. Æneid.* VII. 397. *Tiraquell. in Alexandrum. Delr. in Senec. Med.* I. 37. *Licet. de Lucern. sepulc. Thes. Ant. Rom. Grav.* XII. 1000. *D. Erhard. in Petron. p.* 588. *Casal. de Pref. Rom. rit. c.* 22. *Hotman. de Rit. nupt. c.* 16. *Demster. Paral. ad Antiq. Rom.* v. 37. *Bartholin. de Cruc. c.* 4. *Laurent. de Sponsal. c.* 1. *Feith Antiq. Homer.* II. 14. *Fuscus, Landus, Muretus, Robortellus, Marcilius in Catullum.* Sunt fateor hæc veri maximè similia, sed non lubet ea pleniùs excutere, dum non videam hic magis ad malorum depulsionem; quàm luminis usum esse attendendum. *Facem* autem luminis gratia esse adhibitam nemo non scit; adeoque jam dicti hanc ex pinu constitisse, quamvis non negem, eam non ex aliis arboribus factam fuisse. Nam ipsam originem si evolvas accuratiùs, conveniet cum tæda, id est, *facem* illam & tædam vocare solebant, ex arbore tæda luminis causa in sacrum usum invectam. Sic enim Ovid. Heroid. XII. 34.

Ardet ut ad magnos pinea tæda deos.

Dein Lexicon Græco Latinum vetus πεύκη, *larix, pinus, tæda* exponit: & Glossarium vetus Latino-Græcum, *tæda*, δαΐς, πεύκη, καὶ λαμπάς. Quæ si conferas loca, evidenter satis comperies, tædam, seu *facem* nuptialem ex pinu, vel saltem arbore tæda, quæ species tædæ est, fuisse confectam. Consentit nobiscum Plin. XVI. 10. *In Europa*, inquiens, *sex genera cognatarum arborum ferunt. Ex iis pinus atque pinaster....* Deinde causam reddit, quare eligi potiùs tæda debuerit: *Sextum genus est tæda proprié dicta, abundantior succo, quàm reliqua, parcior liquidiorque quàm picea, flammis ac lumini sacrorum etiam grata.* Almelov. Conject. p. 145. Ex pino arbore factas etiam volunt *Alex. l. l. & Coler. ad illum & Ursin. Arbor. Biblic. c.* 7. §. 4.

FEB.

FEBREM pro dea habebant Romani. *Lipen. Stren. c.* 1. §. 7. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 10. §. 8. Quia nullus hoc morbo vitæ humanæ infensior, aut frequentior est. Et hinc nunc *diva*, nunc *sancta*, nunc *magna* cognomen ei à veteribus est inditum. Apud Transsylvanos in saxo est:

FEBRI. DIVÆ. FEBRI
SANCTÆ. FEBRI. MAGNÆ
CAMILLA. AMATA. PRO
FILIO. MALE AFFECTO. P

Ara illi posita. V. illam supr. in *Ara Febris.* Fanum illi structum. V. illud supr. in *Fanum Febris.* Tomas. de Donar. c. 35. Struv. Ant. Rom. I. p. 169.

FEBRUA *appellabantur quæcunque purgamenti causa in quibusque sacrificiis adhibebantur. Id verò quod purgabatur, dicebatur februatum.* Festus. Ovid. Fast. II. 19.

Februa Romani dixere piamina patres:
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.

Varro, qui laudatur infr. in *Februarius.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 714. C. p. 843. B. Lambec. in Kalend. vet. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 115. E. Morestell. de Mens. Dial. III. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 535. A. de Ann. & mens. p. 775. D. Stuck. Ant. Conviv. I. 26. de Sacrif. p. 226. Brisson. de Form. I. p. 31. Struv. Ant. Roman. c. 8. p. 345. Blond. Triumph. Rom. II. p. 35. A. *Februa*, sive purgamina, hoc est, quæ ad flagitiorum expiationes pertinerent, paucis antequam spectacula ederentur diebus, Imperator ipse, sive consules & XV. Viri sacris faciundis in Capitolio, & Palatio, ante Apollinis Palatini, & Jovis Capitolini templa, pro suggestu considentes distribuebant. Hæc erant tædæ, sulphus, & bitumen. Ea verò liberi tantùm capiebant. Servi enim his sollennibus sacris omnino exclusi erant. Hoc in antiquo Domitiani nummo, qui est apud Masseum, intelligitur, in cujus altera parte est ipsius imago, cum hac stelographia: IMP. CÆS. DOMIT. AUG. GERM. COS. XIIII. A tergo hæc sunt: inprimis vir, quem Imperatorem esse verisimile est, pro amplo suggestu læva, ante templi cujusdam porticum, quæ quatuor columnis Corinthiis sustinetur, sedens, distribuensque ejusmodi piamina manu dextra, atque ante pedes habens duo vasa, sub cujus tribunali hoc scriptum est: SUF. P. D. hoc est, suffimenta populo data. Ante quem à parte dextra sunt duo præterea homines, alter parvus prope illum manus attollens, aliquid à sedente principe accepturus, perinde ac pueri solent facere: alter grandior retro accipiens hæc suffimenta, seu piamina de manu principis sedentis: & circumscriptum est: PONT. MAX. TR. POT. VIII. CENSOR. P. P. P. LUD. SÆC. FEC. *Panvin. de Lud. Secul. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom.* IX. *p.* 1086. *B.* Fuit etiam ritus antiquorum, ut *februa* omnia in profluentem abjicerent, nec respicerent. Hoc peritè tangit Virg. Ecl. VIII. 101.

Fer cineres Amarylli foras, rivoque fluenti
Transque caput jace, ne respexeris.

Guther. de Jur. man. II. 7.

FEBRUARIUS. Illius diebus pro impetranda quiete mortuorum populus circa sepulcra, piaculis, & sacrificiis manes placabat, cereis & facibus circa tumulos accensis. Macrob. Sat. I. 13. *Lustrari eo mense civitatem necesse erat; quod statuit, ut justa diis manibus solverentur.* Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 345. Lalamant. de Ann. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 275. A. Kirchm. de Fun. Rom. IV. 1. Ideo καθάρσιον, id est, *expiatorum* vocat Plutarch. Romul. p. 31.

p. 31. A. Num. p. 72. E. Et *ob sacra, quibus manes placabantur, & vita functis inferia multis diebus dabantur, à Romanis sic vocatum Juba tradit* apud Athen. III. p. 98. B. *Ferrar. de vet. lucern. sepulcr. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. III. p. 999. F. Morestell. de Mensib. Dial. 3. & Junius de Ann. & Mens. c. 4. Thys. Exercit. Misc. 22.* Hoc verò mense *Februario* institutum I. quia hybernum tempus, quando longæ sunt noctes, antiqui voluerunt eligere. Sacrificia autem illa, quæ inferis fiunt, de nocte fieri solebant. II. quia fine potius anni, quàm alio mense sacra illa facere voluerunt. Quo magis auspicato annus inciperet. Unde & Brutus mutato anno ultimum anni mensem Decembrem potius elegit. V. Cicer. supr. in *December*. Thys. l.l. Numæ vocatur mensis. Sidon. Epist. II. 14. *Jani Numaque ninguidos menses in otio fuliginoso, sia tunicata quiete transmittere.* IX. 16. *Quàm duodecimum nostrum, quem Numa mensem vos nuncupatis. . . .* quia Numa illum instituit. Aurel. Vict. de Vir. Illustr. c. 3. n. 1. *Annum in duodecim menses distribuit, additis Januario & Februario.* Junius l.l. Savaro in Sidonium. Antiquitus fuit sub tutela Neptuni. *Panvin. de Lud. Circ. II. 2. Junius l.l.* Solis: c. 1. ait, *deputatam esse diis inferis propter dies pares.* Ita fermè & Plutarchus *τοῖς χθονίοις* sacrum prædicans. *Junius l.l.* Ultimus erat mensis anni atque duodecimus. Cicer. de Leg. II. 21. *Februario autem mense, qui tunc extremus anni mensis erat, mortuis parentari voluerunt.* Sidonius modò laudatus. *Struv. Antiq. Roman. c. 8. p. 345.* A quo secundo loco sit constitutus, est incertum. Id enim à Numa minimè factum esse inde patet, quod utique postquam institutus est iste mensis, aliquandiu postremus esse debuerit. Mutationem illam sisus *Februarii* decemviris tribuit Ovid. Fast. II. 47.

Sed tamen, antiqui ne nescius ordinis erres,
Primus, ut est, Jani mensis & ante fuit.
Qui sequitur Janum, veteris fuit ultimus anni:
Tu quoque sacrorum, Termine, finis eras.
Primus erat Jani mensis, quia Janua prima est:
Qui sacer est imis manibus, imus erat.
Postmodo creduntur spatio distantia longo
Tempora bis quini continuasse viri.

Ergo aliquot seculis novissimus mensis fuit: unde & in eodem intercalatum est. *Petav. de Vet. Ann. Roman. c. 73. Hotman. Antiq. Roman. III. 1. p. 384. D.* Qui hoc suo dixerit periculo. Ovidius enim dicit *creduntur*. Et bene, nuspiam enim legitur, decemviros Januarium & Februarium conjunxisse. Ipseque Ovidius ea de re dubitat. Si tempora distinxerimus, potuerit Numa, qui per annos 43. & quidem in summa pace imperavit, *Februarium* initio quidem ultimo loco posuisse, deinde autem secutis temporibus secundo loco collocasse. Plutarch. Num. p. 72. E videtur statuere, Numam duorum mensium non additionem, sed tantùm transpositionem instituisse, dum scribit: *mensium sive additorum, sive transpositorum, alter Februarius, quasi lustralis quidem dictus est.* Et hæc transpositio videtur facta diversis temporibus. Fuit enim tempus, quo Januarius fuerit mensis penultimus, & *Februarius* ultimus; aliud item tempus, quo Januarius fuerit primus, & *Februarius* ultimus; aliud denique tempus, quo Januarius fuerit primus, & *Februarius* secundus. Et tria hæc diversa tempora esse potuerunt sub uno eodemque Numa, qui correxit intercalationem anni, ita ut tertio quolibet octennio non 90. sed 66. dies intercalarentur, etiam ordinem mensium, his terve postea, aliter atque aliter corrigere potuit. Unde minimum ter Numæ hoc institutum esse scribit in Eclogario suo Ausonius: VIII. 1.

Primus Romanas ordiris Jane Kalendas:
Februa vicino mense Numa instituit.

IX. 1.

Jane nove, primo qui das tua tempora mensi:
Jane bifrons, spectans tempora bina simul.
Post superum cultus, vicine Februa mense,
Dat Numa cognatis manibus inferias.

X. 7.

Unus erit tantum duodetriginta deorum,
Quem Numa præposito voluit succedere Jane.

Respicit enim Kalendarii Pompiliani ab ipsomet Numa postliminio factam mutationem & correctionem. *Muncker. de Intercal.* III. 9. 1–6. Illo quolibet quadriennio inserebatur dies, & ideo *intercalarius* vocabatur. Liv. XXXVII. 59. *Triumphavit mense intercalario pridie Kalendas Martias.* Viola de Vet. & Nov. Roman. temp. rat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 177. D. & Junius l. l. Inserebatur ille inter 23 & 24. diem, & nunquam pauciores viginti tribus illum antecedebant. Et nihilominus perpetuò constabat diebus 28. *Petav. ibid. c. 72. §. 4. Scalig. de Emend. temp. 1. p. 14.* Illud enim biduum pro uno die habebatur. V. supr. in *Bissextum. Retinuit octo & viginti dies; quasi inferis & diminutio, & par numerus conveniret.* Macrob. Sat. 1. 13. *Siccam. de Ann. Romul. & Num. Thes. 8. Viola ibid. p. 176. E. Gassend. Kalend. Roman. c. 2.* Habuit pauciores dies comitiales, quàm omnes reliqui menses; nam ut Ascon. in Cicer. p. 94. *hoc mense frequens senatus postulatis provinciarum, legationibus audiendis dabatur.* De quo Cicer. Fam. 1. 4. *Senatus haberi ante Kalendas Februarias per legem Pupiam non potest, neque mense Februario toto, nisi perfectis, aut rejectis legationibus.* Quo in loco de Januario tantùm sancitum lege Pupia. Sed de *Februario* lex Gabinia sanxit. Cicer. Fratr. II. 12. *Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur, non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum: & quod Gabinia sanctum sit, etiam cogi, ex Kalendis Februariis usque ad Kalendas Martias legatis senatum quotidie dari.* Manut. de Sen. Rom. c. 5. Pollet. For. Rom. IV. 9. Hotman. Antiq. Roman. III. 1. p. 385. E. *Februario* mense, quo parentalia celebrabantur, nuptiæ infaustæ, & ominosæ habebantur. Ovid. Fast. II. 555.

Postea præteritis tumulis redduntur honores,
Prodigiusque venit, funeribusque modus.
Dum tamen hæc fiunt, viduæ cessate puellæ,
Exspectet puros pinea tæda dies.
Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurva comas.
Conde tuas hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer, habent alias mœsta sepulcra faces.

Pomponii tamen nuptias prid. Id. *Februar.* celebratas indicat Cicer. ad Fratr. II. 2. *Brisson. de rit. nupt. p. 13. & 48. Hotoman. de Vet. rit. nupt. c. 13. Laurent. de Sponsal. & nupt. c. 1.*

FEC.

FECIALES *fidei publicæ inter populos præerant. Per hos enim fiebat, ut justum conciperetur bellum, & ut fœdere fides constitueretur. Ex his mittebant, antequam conciperetur, qui res repeterent: & per hos etiam nunc fit fœdus.* Varr. de Ling. Lat. IV. 15. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 2. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 714. E. Gyrald. Synt. Deor. XVII. p. 480. E. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 3. c. 2. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 30. Clasen. Theol. gentil. III. 1. §. 16. Laurent. Polym. IV. Synops. 1. §. 2. Carols Antiq. Roman. III. 1. Flocc. de Potest. Roman. 1. 9. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 86. G. Lat. de Sacerdot. c. 9. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1105. A. Kipping. Antiq. Roman. 1. 12. §. 15. Rosin. Antiq. Roman.* III. 21. Non erant senatores. Liv. XXXI. 8. *Consuls à patribus commissum est, ut, quem videretur, ex iis, qui extra senatum essent, legatum mitteret ad bellum Regi indicendum.* Atque etiam Imperatores nonnunquam sibi legasse in equestri adhuc ordine constitutos certum est. Scribit enim Cornelius Nepos, Atticum equitem Romanum, ne quidem cum Cicerone voluisse ire in Asiam, cum apud eum legati locum obtinere posset. *Zamosc. de Sen. Roman. 1. 15.* Ex familiis tamen nobilissimis eligebantur. Dionys. II. p. 131. *Septima sacrarum legum pars dicata erat collegio fecialium, quod Græci εἰρηνοδίκας dicerent. Hi sunt selecti ex præstantissimis familiis viri, funguntur que per omnem vitam eo sacerdotio.* Viginti numero fuisse videtur indicare Varro

de vit.

de vit. pop. Rom. III. apud Nonium: *Si cujus legati violati essent, qui id fecissent, quamvis nobiles essent, ut dederentur civitati, statuerunt, fecialesque viginti, qui de his rebus cognoscerent, judicarent, statuerent, constituerunt.* Valtrin. de Re milit. Roman. I. 8. Ouzel. in Gell. XVI. 4. Pigh. Annal. Roman. I. p. 30. Sertor Resius Æquicolarum Rex primus jus *feciale* excogitavit. Valet. X. Romanis primus constituit Numa, sive ab Æquicolis, sive ab Ardeatibus assumptum, Nam Romæ ante Numam collegium *fecialium* non fuit. Id instituit, quum indicturus esset bellum Fidenatibus ob latrocinia quædam, & excursiones in agros Romanos factas, scireque prius vellet, utrum secum convenire sine bello vellent. Dionys. l. l. *Panvin. de Civit. Roman. c. 32. Valtrin. l. l.* A collegis, ut cæterorum collegiorum sacerdotes deinde subrogabantur. Post legem Domitiam populi suffragiis creatos fuisse pro certo asserere non ausim, cum id nusquam me legisse meminerim, Ut tamen credam eos populi tributis comitiis creatos fuisse, adducor, quod penes collegium viginti *fecialium* erat publicæ religionis pars una non minùs necessaria, quàm quæ erat penes augures, pontifices, XV viros S.F. & VII viros epulonum. Unde fit, ut pari ratione credam, ante legem Domitiam cooptari per collegas solitos, sicut illi cooptabantur, præsertim cum nusquam reperiamus, vel à pontificibus eos creatos, sicut flamines, vel à magistratibus, post primam eorum à Numa creationem. Quod si ante legem Domitiam cooptari à collegio concedamus, necesse est, ut hac lege suffragiis populi creari cœperint. Habere partem religionis publicæ, à reliquis sacerdotibus separatam, patet ex Cicerone, apud quem de Leg. II. 9. seorsum hæc lex ponitur: *Fœderum, pacis, belli, induciarum oratores, feciales judices sunto.* Fuisse eorum collegium cognoscitur ex Liv. XXXVI. 3. *Consul inde M. Acilius ex S.C. ad collegium fecialium retulit, ipsine utique Regi Antiocho indiceretur bellum.* Gruch. de Comit. Roman. II. 2. Panvin. l. l. Illorum usum apud Livium non videmus ante Hostilii tempora. Ita ille in Hostilii rebus I. 24. *Fecialis Regem Tullum ita rogavit,* Aurel. Vict. de vir. illustr. c. 5. n. 4. scribit *Ancum Marcium jus feciale, quo legati ad res repetundas mitterentur, ab Æquicolis transtulisse; & id Rhesum primum excogitasse.* Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Roman. III. 21. Gyrald. Flocc. Valtrin. & Ouzel. l. l. Capita velabantur lana. Liv. I. 32. *Legatus, ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato, filum lanæ velamen est.* Et *lana*, non *lino* legendum apud Virg. Æneid. XII. 120.

Velati lana. ——

Sic enim vetus consuetudo notabitur. Ex lino fit potius muliebre vestimentum, quàm virile. Idcirco res bellicas gerentibus haud convenit. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 30. Et cingebantur verbena. Virg. l. l.

—— *& verbena tempora cincti.*

Plin. XXII. 2. *Auctores imperii Romani conditoresque immensum quiddam & hinc sumpsere, quoniam non aliunde sagmina in remediis publicis fuere, & in sacris, legationibusque verbena. Certè utroque nomine idem significatur, hoc est, gramen ex arce cum sua terra evulsum: ac semper & legati, cum ad hostes, clarigatumque mitterentur, id est, res raptas clarè repetitum, unus utique verbenarius vocabatur.* Serv. ad Virgilium: *Verbena propriè est herba sacra, sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur feciales, & pater patratus, fœdera facturi, & bella inducturi.* Lipen. de Stren. c. 3. §. 13. Marlian. Topogr. Urb. Roman. II. 6. Voss. Lex. Etymol. Tiraquell. in Alex. v. 27. Curt. de Cult. hort. v. 5. Loens. Misc. IX. 7. Guiland. Papyr. Membr. XVS. §. 20. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 655. Boxhorn. Kipping. & Demster. l. l. Munera, ut tradit Dionys. l. l. erant custodire, ne Romani bellum fœderatæ civitati injustum inferrent, in his qui fœdera rumpere cœpissent, ad eos legatos ire, & justa primùm ratione repetere, atque si postulatis, qui læserant, non obtemperarent, iis bellum indicere, simili ratione, si læsos se esse à Romanis socii aliqui asseverantes æqua postularent, ea cognoscere, comprehensosque sontes læsis deditios tradere. Injurias quoque legatis factas judicare, & quæ pia sunt in fœderibus custodire, pacem facere, atque factam, si non es legibus sacris facta videatur, irritam habere, Imperatorum iniqua facta, quæcunque circa jusjurandum & sponsiones fierent, cognoscere & expiare. Quum bellum indicere justum & pium esse judicarent, unus quidem *fecialium*, quem reliquis suffragiis prætulerint, ornatus veste, & gestaminibus sacris, ut inter alios conspicuus, manifestusque sit, ad eorum urbem qui læserint, proficiscitur, & attingens fines Jovem deosque alios invocat testans, quod ad repetendum jus pro Romanis proficiscitur. Postea juratus quod ad urbem vadit, quæ priùs injustè egerit, & execrationes maximas sibi ipsi ac Romæ imprecatus si mentiatur, intra fines pergit, deinde cuicunque primùm occurrit hunc obtestatus, sive civis is fuerit, sive rusticus, easdemque imprecationes apponens ad urbem vadit; deinde antequam urbem ineat, janitorem ipsum, sive alium, quem primum obvium in porta habuerit, eodem modo testatus, in forum progreditur, illicque adstans, qua causa venerit, cum primoribus disserit, jusjurandum, ut prius, & imprecationes apponens. Si illi tempus ad consultandum petant, decem eis dierum cum dederit, iterum redit, & usque ad tertiam petitionem exspectat. Elapsis triginta diebus, si justa civitas non exhibeat, diis cœlestibus, manibusque invocatis abit, hoc tantùm dicto, quod de eis consultabit per otium S.P.Q.R. Pronuntiat deinde in senatu cum aliis adstans *fecialibus* peractum esse ab ipsis, quantum fuerit ex legibus sacris pium, & si decernere bellum velint, non amplius religione prohiberi. Cincius porro de re militari III. apud Gell. XVI. 4. *fecialem populi Romani bellum indicentem hostibus, telumque in agrum eorum jacientem, his verbis uti scripsit: Quod populus Hermundulus, hominesque populi Hermunduli, adversus populum Romanum bellum fecere, deliquereque, quodque populus Romanus cum populo Hermundulo, hominibusque Hermundulis bellum jussit, ob rem eam ego, populusque Romanus, populo Hermundulo, hominibusque Hermundulis bellum indico, facioque.* Panvin. de Lud. Circens. II. 2. & Gyrald. Synt. Deor. XII. p. 480. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 635. Hotom. de Formul. Thes. Antiq. Roman. Græv, Tom. II. p. 1910. E. Flocc. l. l.

FEL.

FEL nubentes sacra Junonis facientes cum reliquis victimarum extis non porrigebant, sed demptum, & avulsum abjiciebant; mysticè significantes, omnem bilem, & amaritudinem à nuptiis abesse oportere. Plutarch. de Præcept. conjug. p. 141. E. *Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1029. E. Casal. de Rit. nupt. c. 3.*

FELICITAS, quam Græci εὐδαιμονίαν vocant, etiam antiquis dea est existimata. Ejus symbolum apud antiquos fuit in numismatibus femina in solio sedens, dextra caduceum, sinistra grande cornucopiæ tenens, cum hac inscriptione: FELICITAS PUBLICA. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 715. B. Gyrald. Synt. Deor. I. p. 37. F. Ortel. Deor. & dear. capit. 11. 48.*

FELICITER fuit vox familiaris in ludis amphitheatralibus. Suet. Galb. c. 7. n. 2. *Præsedit nonnunquam spectaculis in Caji vicem, acclamante populo feliciter partim patruo Imperatoris, partim Germanici fratri.* Plutarch. Galb. p. 1061. *Cum ederetur aliquando spectaculum, & tribuni militum, ac turmarum ductores sollenne illud Romanorum, feliciter, Galbæ Imperatori precarentur.* Flor. III. 3. 20. *Frequens in spectaculo rumor, victoria Cimbrica feliciter.* Taffin. de Lud. secul. c. 9. §. 8. Ferrar. de Acclam. & Plaus. II. 2. Brisson. de Form. VIII. p. 719. Gruter. Suspic. VS. 10. Pitisc. in Suetonium.

Feliciter etiam acclamatio in sponsalibus usitata. Appian. Bell. Civ. V. p. 709. *Quoniam Marcellus nuper obierat, maritus Octaviæ sororis Cæsaris, postulaverunt pacis auctores, ut frater eam collocaret cum Antonio: moxque desponsa, dictum feliciter: consequentibus faustis acclamationibus totius exercitus utrique bene precantis.* Juven. Sat. II. 119. V. il-

lium

lom infr. in *Tabula nuptiales*. Suet. Dom. c. 13. n. 2. *Acclamationem epulari die libenter audiit, Domino & Dominæ felicit*er. Ferrar. de Acclam. & Plaus. vi. 12. & 13. Brisson. de Form. viii. p. 719. Muret. Var. Lect. ix. 8. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. v. 37.

Feliciter vocem completo libro antiqui solebant subjicere, & statim scriptionem continuare. Hieronym. ad Marcell. *Scire debemus apud Hebræos in fine librorum unum è tribus solere subnecti, ut aut amen* אמן *scribant, aut sela* סלה *aut salom* שלום, *quod exprimit pacem, unde & Salomon pacificus dicitur: ut solemus nos completis opusculis ad distinctionem rei alterius sequentis medium interponere Explicit, aut Feliciter, aut aliquid ejusmodi*. Sæpè invenimus antiquis in membranis diversos libros, interdum etiam diversorum auctorum opera, sine ullo spatio continuata, altera tamen harum dictionum interposita. Librarii verò vocem illam modò appingunt fini prioris libri, modò sequentis initio. Apud Pollion. Claud. c. 1. scripserat librarius: *Divus Claudius. Feliciter*. Editum: *Feliciter ventum est ad principem Claudium*. Sic invenimus in regio: *Antoninus Pius. Feliciter*. Casaub. in Pollionem.

FELIX cognomen est. *Sigon. de Nom. Rom. c. 5.* In Cornelia gente Syllæ adhæsisse probant ejusdem denarii; ut pateat verè adsertum ab Appian. Bell. Civ. 1. p. 410. illam *Felicis* appellationem Syllæ ab adulatoribus tributam, postea eidem in cognomen vertisse, & statuam equestrem pro rostris S. C. illi eum hoc nomine erectam. Frequens postea apud Romanos evasit, unde passim in marmoribus *Felices*; & maximè mulierum, *Felicitas*, etiam diminutiva, *Felicissima*, *Felicula*. Scilicet boni ominis loco habita apud veteres olim fausta id genus nomina. *Spanhem. de Præst. Num. Dissert.* vi. *p.* 530. Syllæ exemplo à Cæsaribus est admissum. Commodo peculiari senatus decreto est concessum. Lampr. c. 8. *Inter hæc Commodus, quum occidisset Perennem, appellatus est Felix. Inter plurimas cædes multorum civium, quasi quidam novus Sylla. . . .* Spanhem. ibid. Dissert. viii. p. 725.

FEM.

FEMINÆ non admittebantur per Italiam ad sacra Herculis. Rationem prodidit Macrob. Sat. 1. 12. *Mulieres in Italia sacro Herculis non licet interesse; quia Herculi, cum boves Geryonis per agros Italiæ, duceret sitienti respondit mulier, aquam se non posse præstare, quod feminarum deæ celebraretur dies, nec ex eo apparatu viris gustare fas esset. Propter quod Hercules facturus sacrum detestatus est præsentiam feminarum & Potitio ac Pinario sacrorum custodibus jussit, ne mulierem interesse permitterent*. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 13. §. 3. Brisson. de Form. 1. p. 7. Nec comitiis interesse, nec suffragia ferre, neque foro, aut concionibus immisceri poterant. Gell. v. 19. *Cum feminis nulla comitiorum communio est*. Val. Max. iii. 8. 6. *Quid femina cum concione? si patrius mos servetur, nihil*. Alex. Gen. dier. iv. 3. Tiraquell. ad Alexandrum & Leg. connub. l. 10. n. 31. An à castris exsulaverint, V. infr. in *Milites*. A ludis funebribus prohibebantur. Videtur hoc innuere Plutarch. Quæst. Roman. 14. Tradit enim *Sempronium ideo libellum repudii uxori misisse, quod ludis funebribus interfuisset*. Quidam ob spretum mariti imperium hoc factum putant: sed verius est funere pugilum spectaculum fuisse, à quo sexus muliebris omnino summovebatur. Suet. Aug. c. 44. n. 8. *Athletarum spectaculo muliebrem sexum omnem adeo summovit, ut pontificalibus ludis pugilum par postulatum distulerit in sequentis diei matutinum tempus: edixeritque, mulieres ante horam quintam venire in theatrum non placere*. Guther. de Jur. man. ii. 9. Promiscuè cum viris non intrabant in balneas, nisi per abusum. Hinc tot privatarum balnearum numerus. Et quædam videntur publicæ fuisse muliebres, ut Agrippinæ Augustæ Neronis matris. Olympiadis item balneæ in Suburra. Et quas trans Tiberim, quasi extra conspectum hominum habuisse Ampelidem & Priscilianam ex P. Victore cognoscimus. *Baccius de Therm. Vet. c.* 52. Gratis lavabantur. V. infr. in *Quadrans*. Sedentes vescebantur. Val. Max. ii. 1. *Feminæ cubantibus viris sedentes cœnitabant*. Chimentell. de Honor. bisell. c. 29. Falconer. Dissert. de Pyram. Cest. Epul. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1472. A. Buleng. de Conviv. 1. 31. Postea tamen accubuerunt. Suet. Cal. c. 24. n. 1. *Pleno convivio singulas sorores infra se vicissim collocabat, uxore supra cubante*. Cicer. Fam. ix. 26. *Infra Eutrapelum Cytheris accubuit*. Ovid. Amor. 1. 4. 15.

Cum premet ille torum, vultu comes ipsa modesto
Ibis, ut accumbas.

Ciaccon. de Triclin. p. 5. Lips. in Tacit. Annal. xii. num. 10. Buleng. l. l. Pitisc. in Suetonium. Et quidem in sinu virorum. De puella cum viro cœnatura Ovid. Amor. 1. 4. 6.

Alteriusque sinus aptè subjecta fovebis?
Injiciet collo, cum volet, ille manum?

n. 35.

Nec premat indignus sinito tua colla lacertis,
Mitte nec in rigido pectore pone caput.

Id vocabant inferiorem jacere. Scipio in orat. contra Gallum apud Gell. vii 12. *Qui in conviviis adolescentulus cum amatore, cum chirodota tunica interior accubuerit*. Nec ab alia causa Dolabella Cæsarem dicit *spondam interiorem regiæ lecticæ*. Pueri enim meritorii non aliter jacebant apud amatores. Et infra jacere. Suetonius & Cicero modo laud. tu *Lips. l. l. Ciaccon. ibid. p.* 50. Asiaticæ latum clavum videntur portasse. Nam Esaj. c. 3. n. 21. inter cultum muliebrem τὰ μεσοπόρφυρα recenset secundum LXX. versionem. Romanæ, etiamsi senatorum uxores, aut filiæ essent, non portarunt. Nec hoc usquam apud scriptores invenio. Imo Imperatores Valentinianus & Valens l. 18. C. Theod. de præt. & quæst. apertè *feminis* laticlavi usum adimunt: *Etsi, injustum enim*, verba legis sunt, *atque dedecus videtur, mulieres ad laticlavum & insignia procedere....* Ruben. de Re Vest. 1. 16. Sed adimitur id, quod aliquando in usu fuit, non quod nunquam factum est. Non ergo *feminis* ademptum jus laticlavi, quod nunquam in usu, sed *injustum, atque dedecus mulieres* latum clavum, & prætoris insignia gestare dixerunt Imperatores. *Ferrar. Anal. de Re vest. c.* 22. Nupturæ lege Julia dabatur tutor à prætore urbano ad dotem dandam, ducendam, promittendamve, si legitimum tutorem pupilla non habebat. Et non tantùm nupturæ, verùm etiam ei quæ jam nupta est: Ulpian. l. non tantum 7. ff. de tutor. & curat. *Non tantum ad dotem dandam nuptura curatorem dari oportet: verum etiam ei quoque, quæ jam nupta est*. Ut enim Mart. Capell. de Nupt. Philol. ix. scribit: *Etiam matrimonium copulato dotem dare viro feminis nullis legibus prohibetur*. Et Paull. Sent. ii. 21. *Dos*, ait, *aut antecedit, aut sequitur matrimonium. Et ideo, vel ante nuptias, vel post, dari potest*. Itaque *& ad dotem augendam, & mutandæ quoque dotis gratia curator dari potest*. Planè in nuptiis contrahendis tutoris curatorisve consensus non exigitur, eoque spreto pupilla pro arbitrio suo rectè nubit. Et ita Severus & Antoninus rescripserunt l. sciendum est. ff. de rit. nupt. in hæc verba: *Ad officium curatoris administratio rerum pupillæ pertinet: nubere autem arbitrio suo potest*. Verùm ei ad dotem constituendam tutor lege Julia dabatur. *Brisson. de Jur. connub. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* viii. *p.* 1073. *E.* In perpetua erant tutela. Ulpian. tit. xi. §[…]. *Tutores constituuntur tam masculis, quàm feminis: sed masculis quidem impuberibus duntaxat, propter ætatis infirmitatem: feminis autem tam impuberibus quam puberibus, & propter sexus infirmitatem, & propter forensium rerum ignorantiam*. Quamobrem Augustum memoriæ proditum est summi beneficii loco & jure singulari Liviæ uxori & Octaviæ sorori concessisse *sua sine tutore administrare*. Hæc Dio xl[…] p. 414. C. *Brisson. ibid. p.* 1020. *E. Kobierzyck. de Lux. Roman.* ii. 3. *Fab. Semestr.* ii. 23. Et sine tutorum auctoritate non poterant in manum convenire. Hoc Cic[…] pro Flacco dilucidè ostendit. Et idem pro Cluent. c. 5. *Nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus*. Quod autem ea *tutela legitima* dicitur à Cicer. Attic. 1. 4. indicio est lege xii. tabularum introductam. Id quod verum puto, &

ex

ex Athenienſium legibus hoc caput à decemviris deſcriptum, quandoquidem & apud illos mulieres tutorum, quos *κυρίους* vocabant, poteſtate continerentur. *Bud. Comm. Ling. Græc. p.* 22. *Briſſon. ibid. p.* 1021. *E.* V. & infr. in *Tutela mulierum*. In familiam, & ſacra mariti tranſibant. *Siccam. in Faſt. Kalend. Rom. c.* 4. In manum conveniendo cum capite fortunas quoque ſuas in familiam, ac domum mariti transferebant. Cicer. Top. in loc. ab effect. ſcribit: *Cum mulier viro in manum conveniebat, omnia quæ ejus fuerant, viri fiebant dotis nomine*. Unde Boethius, uxore defuncta, quæ in manum conveniſſet, bona ejus ad virum pertinuiſſe bene colligit. *Briſſon. ibid. p.* 1022. *A. Hotman. Antiq. Roman.* III. 3. *p.* 416. Erant olim abſtemiæ per initia. Tertull. Apolog. c. 6. *Cum mulieres uſque adeo vino abſtinerentur, ut matronam ob reſignatos cellæ vinariæ loculos ſui inedia necarint; ſub Romulo verò quæ vinum attigerat, impune à Mecenio marito trucidata ſit. Idcirco & oſcula propinquis offerre etiam neceſſitas erat, ut ſpiritu judicarentur*. Ratio fuit, ne in aliquod dedecus prolaberentur. Val. Max. II. 1. 5. *Vini uſus olim Romanis feminis ignotus fuit, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur. quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconceſſam venerem eſſe conſuevit*. Et, ut Dionyſ. II. p. 96. *Ebrietas initium eſt ſtupri: ſtuprum verò, ſeu violata pudicitia vecordiæ eſt principium*. Quomodo, & à quibus punitæ fuerint convictæ, V. infr. in *Jus maritale*. Non tamen prorſus abſtemiæ fuere, ſed tantum à temeto. Suffragatur Athen. x. p. 440. E. *Apud Romanos vinum mulieribus interdictum eſt: iis tantum paſſum vinum licuit bibere, quod ex uva paſſa fit, guſtu ſimile vino dulci Ægoſthenenſi, aut Cretico, hoc ſcilicet, cum urget valdè, ſitim leniunt. Vinum autem ſi qua biberit, id celare non poteſt, primum quidem quod cellam vinariam non committunt mulieri; deinde quod eam oſculentur tum ſui, tum mariti cognati ad conſobrinos uſque, & id quotidie ubi ſtatim illam aſpexerint, quia vinum non temetum, ſed paſſum dulce permittitur mulieribus; dulce vero non inebriat*. Plin. XIV. 13. *Cato, ideo propinquos feminis oſculum dare, ut ſcirent, ac temetum olerent. Hoc tum nomen vino erat*. Caſaub. in Athen. x. 11. Buleng. de Conviv. Proluſ. 551. Heindreich Maſſil. II. Theſ. Ant. Rom. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2962. E. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. 1. 9. Bruyer. de Re cibar. III. 7. Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 1. c. 7. Hotman. ibid. p. 450. A. Feith. Antiq. Homer. III. 2. Laurent. de Prand. & cœn. c. 14. Schill Nomencl. Philol. p. 1522. Et ideo claves cellæ vinariæ non habebant. V. ſupr. in *Clavis*. Citiùs ſunt aptæ ad generandum quàm mares: quod in illis calor naturalis, qui generationis cauſa eſt, prius complementum ſuum habeat, ſive effectum. Rationem inquirens primo calori naturali tribuit Macrob. VII. 7. *Nec hoc tacebo, quod cum calor ſemper generationis cauſa ſit, feminæ ideo celeriùs quàm pueri ſiunt idoneæ ad generandum, quia calent amplius*. Deinde frigiditati earundem: *Quod cito admoventur generationi, non nimii caloris, ſed naturæ infirmioris eſt: ut exilia poma celeriùs matureſcunt, robuſta ſeriùs. Sed ſi vis intelligere in generatione veram rationem caloris: conſidera viros longe diutiùs perſeverare in generando, quam mulieres in pariendo. Et hæc tibi ſit indubitata probatio in utroque ſexu, vel frigoris, vel caloris. Nam vis eadem in frigidiore corpore celeriùs exſtinguitur, in calidiore diutiùs perſeverat*. Putean. Reliq. conviv. priſc. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XII. p. 268. C. Prægnantes Opigenæ cereas imagines offerebant, auxilium in partu deprecantes. *Jun. Faſt. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 246. *B.* Lanam faciebant. V. infr. in *Lana*. Sacerdotio fungebantur. Conſtat ex marmore, quod Romæ repertum:

P. POSTHUMIÆ. P. F. PAULLÆ.
SACERDOS. D. JULI. AUGUST.

Item in Hiſpania alicubi:

LUCR. L. F. CAMPANA
FLAMINIA. PERPETUA
DOMUS. AUGUST.

Tacit. Annal. XIII. 2. 5. agens de Agrippinæ honoribus: *Decreti & à ſenatu duo lictores, flaminium Claudiale*. Hoc dicitur à Tacito, quaſi Agrippina Claudii fuiſſet flaminica, exemplo Liviæ, quæ Auguſti ſacerdos fuit, ut conſtat ex Vellej. II. 75. 3. *Livia*, inquit, ... *Romanorum eminentiſſima, quam poſtea conjugem Auguſti vidimus, quam tranſgreſſi ad deos ſacerdotem ac filiam*. Lipſ. in Tacit. n. 8. Berthald. de Ara c. 15. §. 3. c. 30. §. 6. Falconer. ad Inſcript. Athlet. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2310. A. In ſupplicationibus, quæ avertendæ deorum iræ cauſa habebantur, aut cum hoſtili aliquo nuncio perculſa civitas ad deos, & vota confugiebat, templorum limina paſſis crinibus verrebant. Lucan. II. 30.

—— *hæ pectora duro*
Afflixere ſolo: laceraſque in limine ſacro
Attonitæ fundere comas.

hoc eſt, quod ait Artemid. II. 34. *σαρῶν τὰ περὶ τὸν ναόν*. Sic enim ille II. 34. *Abſtergere deorum ſimulacra, aut luſtrare, aut ungere, aut verrere limina templorum, & baſes ſimulacrorum*. Liv. III. 7. *Stratæ paſſim matres crinibus templa verrentes veniam irarum cœleſtium, finemque peſti expoſcunt*. Lipſ. Elect. II. 6. Herald. in Arnob. 1. p. 47. Sagittar. de Jan. vet. c. 35. §. 8. Briſſon. de Form. 1. p. Velato capite in publicum procedebant. Id adſtruunt exempla non vulgarium modò mulierum, ſed etiam Auguſtarum, Liviæ, Marciæ, Fauſtinæ, quas nummi antiqui capite obducto repræſentant, addito lemmate PUDICITIA. Poppæam item Sabinam Neronis conjugem tradit Tacit. Annal. 45. 4. non niſi *velatam, quia ſic decebat*, & infrequenter in publicum produſſe. Quod quod Val. Max. VI. 3. 10. ſcribit C. Sulpitium Gallum *uxorem dimiſiſſe, quod eam capite aperto foris verſatam cognoverat*. Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect. V. Aring. Roman. Subterr. IV. 37. §. 31. Tiraquell. in SV. Leg. connub. Gloſſ. 1. p. 4. n. 21. Kirchm. de Fun. Roman. IS. 16. Mercede conducebantur ad lamentabile carmen accommodatum ad deplorandum & collaudandum mortuum. V. infr. in *Præfica*. Priſcis temporibus in luctu utebantur veſtibus atris. Dionyſ. VIII. p. 530. *Romanorum matronæ, ut mos eſt illis in luctu domeſtico, & neceſſariorum funeribus, depoſito auro, & purpura, cæteroque ornatu atrata ipſum per annum integrum luxerunt*. Suidas in Μάρκ[illegible]: *Matronæ auro & reliquo ornatu depoſito, pulliſque veſtibus induta, per integrum annum eum luxerunt*. Ricinus, V. illa infr. in *Ricinium*, poſitis ſumebant togas pullas, quibuſcum in funus prodirent. Et illæ deinceps veſtes in luctu. Varr. apud Non. XVI. §. 13. *Ut dum ſupra terram eſſet, riciniis lugerent: funere ipſo, ut pullis palliis amictæ*. Hæ togæ etiam anthracinæ vocabantur. Varr. ibid. §. 14. *Propinqua adoleſcentula etiam anthracinis, proxima amiculo nigello, capillo demiſſo ſequerentur lectum*. Sub Imperatoribus albis. V. ſupr. in *Color albus*. Quamdiu maritum luxerint, V. infr. in *Luctus*. Tutelam adminiſtrare non poterant, V. infr. in *Tutores*. Præ nimio amore in maritorum rogos ſe abjiciebant. Senec. Declam. II. 2. *Quædam ſe maritorum rogis ardentibus miſcuerunt*. Ideo etiam plerumque cuſtodiebantur, ne ſe rogo præ animi impotentia injicerent. Quintil. Decl. X. *Scitis ipſi, quo exſequiarum die extracta ſit, quamdiu filium tenuerit allambentibus flammis*. Kirchm. ibid. III. 4. Moreſtell. ibid. VII. 5. Nobiliores, & quarum filii magiſtratus curules geſſiſſent, in honoratiore veſte efferebantur. Prop. IV. 12. 61.

Et tamen emerui generoſos veſtis honores.

Scaliger in Propertium. Kirchman. ibid. I. 10. Meurſ. de Fun. c. 20. Scheffer. de Re vehic. I. 18. Guther. de Jur. man. I. 24. Id ſi vel maximè verum foret, nihil tamen faceret ad hanc noſtram, quæ admodum adoleſcens diem ſuum obiit, deque ſuis filiis, ut de pueris, loquitur n. 71.

Fungere maternis vicibus, pater, illa meorum
Omnis erit collo turba ferenda tuo.

n. 83.

Conjugium, pueri, laudate & ferte paternum.

& matrem Scriboniam Auguſti uxorem etiam tum habebat n. 55.

Nec ſe dulce caput, mater Scribonia, læſi.

& ſeipſam immatura morte raptam profitetur n. 17. quod

factum

factum non fuisset, si filios habuisset prætorius, & consulates. *Vestis honores* itaque ad fœcunditatem refero. Inducit epithetum *generosæ*. Illarum enim nomina, quæ tres peperissent liberos, in tabulas publicas referebantur, ut *multorum liberorum procreatorum præmia* consequerentur. Dio LV. p. 549. D. In quibus, opinor, vestis honorator, quæ fœcundis matronis vel lege, vel more, & non iis, quæ nunquam pepererant, in funere concedebatur. *Beroal. & Broukh. in Propertium, Turneb. Adv.* XXIII. 7. *Bebel. Apophor.* 1. 14. Post mortem etiam laudabantur, jussu legis, de qua Plutarch. de virtut. mul. p. 242. E. *Romanam legem maximè probo, qua mulieres itidem ut viros publicè post mortem meritis laudibus affici jubet.* Honoris hujus feminis à senatu decreti causam indicat Liv. v. 50. *Cum in publico deesset aurum, ex quo summa pactæ mercedis Gallis conferret, à matronis collatum acceperunt. Matronis gratiæ actæ, honosque additus, ut earum sicut virorum post mortem sollennis laudatio esset.* Indicat, quamvis paullò aliter, Plutarch. in Camill. p. 133. B. Inde *matrem Popiliam* Catulus apud Cicer. de Orat. II. 11. *Juliam Cæsaris filiam, Pompeji uxorem*, nonnulli apud Dion. XXXIX. p. 120. *Drusillam Caji sororem* maritus Lepidus apud Dion. LIX. p. 648. *Liviam Augustam* C. Cæsar pronepos apud Tacit. Annal. I. 5. 6. & Svet. Cal. c. 10. n. 3. *Poppæam Sabinam* maritus Nero apud Tacit. Annal. XVI. 6. 4. *aviam Juliam* Augustus apud Svet. c. 8. n. 1. *Juliam amitam, & uxorem Corneliam* C. Julius Cæsar apud Svet. c. 6. n. 1. & Plutarch. Cæs. p. 907. C. laudarunt. *Kirchm. ibid.* II. 19. *Meurs. de Fun. c.* 39. *Guther. de Jur. man.* I. 25. *Rittersh. in* XII. *tabb. class.* I. *c.* 15. *Faes ad Gyrald. de Sepult. c.* 6. *Turneb. in Cicer. joc. p.* 9. *Pitisc. in Svetonii Julium. Morestell. Pomp. Feral.* III. 6. Olim promiscuè cum viris in circo spectabant. Sed hoc vetuit Augustus. Svet. c. 44. n. 6. *Feminis ne gladiatores quidem, quos promiscuè spectari sollenne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit*; i. summa cavea. Calpurn. VII. 26.

Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste
Inter femineas spectabat turba cathedras.

Ibi *feminas* spectasse ostendit Cynthia apud Prop. IV. 9. 24.

Nec cum lascivum sternet arena forum,
Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum.

Lips. Amphith. c. 14. Elect. I. 19. Buleng. de Venat. circ. c. 34. Voss. Lex. in Cavea. Barth. in Calpurnium. Pitisc. in Svetonium. Sub Domitiano in arena pugnaverunt. Svet. c. 4. nu. 2. *Nec virorum modò, sed & feminarum pugnas commisit.* Tacit. Annal. XV. 32. 3. *Feminarum illustrium, senatorumque plures per arenam fœdati sunt.* Stat. Sylv. I. 6. 53.

Stat sexus rudis, insciusque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanain, ferumque Phasin,
Thermodontiacas calere turmas.

Sub Severo illis arena interdicta est. Xiphil. LXXV. p. 858. B. *Per illud tempus factum est mulierum certamen, in quo coacta convenerat tanta multitudo athletarum, ut miraremur omnes, quemadmodum eos stadium caperet. In hoc certamine cum mulieres post agrestes saltationes ita pugnassent, ut etiam in ceteras matronas illustres ab eis desumpta scommata jacerentur; prohibitum fuit, ne amplius ulla mulier, undecunque orta, more gladiatorio certaret.* Alex. Gen. dier. VI. 19. & ad illum Tiraquellus. Lips. Saturn. II. 4. in Tacit. Annal. XV. 32. n. 49. Laz. Comm. Reip. Roman. X. 13. Fab. Semestr. II. 10. Scriver. in Mart. de Spect. p. 9. Onuph. de Lud. circens. II. 1. & ad illum Argolus. Pitisc. in Svetonium. Buleng. de Venat. circ. c. 37. Thulemar. in Freher. Cecropistrom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1155. Et apud veteres aurigæ fuerunt. Nausichaa apud Homer. Odyss. VI. 81.

Hæc cepit scuticam, formaque insignis habenas,
Utque irent, mulos percussit.

Cynthia apud Prop. IV. 8. 21.

Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit,
Ausa per impuros frena movere lacus.

Tom. II.

Argol. in Onuphr. ibid. I. 11. Beroal. in Propertium. Repudii non erubescebant Senecæ temporibus. Ita enim ille de Ben. III. 16. *Nunquid jam ulla repudio erubescit, postquam illustres quædam, ac nobiles feminæ non consulum numero, sed maritorum annos suos computant? & exeunt matrimonii causa, nubunt repudii.* Faber. Semest. II. 23. Adulterii commissi convictæ cogebantur togatæ, sive virili toga indutæ in publicum procedere. V. infr. in *Toga*. Decalvabantur. *Faber. ibid.* III. 21. *Raynaud. ibid. Sect.* III. Statim domo exigebantur. Paull. Sent. II. tit. 27. *Eum qui deprehensam in adulterio uxorem non statim dimisit, reum lenocinii postulari placuit.* Aut enim lenonem esse, aut planè ferreum necesse est, cui scienti prudentique sine dolore tanta injuria infertur. Atque ita Claudium Georgium, cum deprehensam in adulterio uxorem retinuisse detectus esset, sine accusatore lenocinio damnatum refert Ulpian. l. 2. §. unde ff. de adult. Nec reprehensione caruisse illam tribuni militum patientiam ait Plin. Epist. VI. 31. qui post delatum adulterium uxorem retinuerat, quasi contentus æmulum removisse. *Brisson. ad Leg. Jul. de adult. p.* 183. Propter hanc infamiæ notam, & vitæ turpitudinem testimonium dicere non poterant: & lege Julia de vi nominatim cavebatur, ut ne ad testimonii fidem admitterentur. *Brisson. de Jur. connub. Thes. Græv. ibid. p.* 1066. *B. Long. de Annal. p.* 102. A marito non reducebantur. Et narrat Svet. Domit. c. 8. n. 10. Domitianum *judicum albo equitem Romanum ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissæ adulterii crimen intenderat, erasisse.* Brisson. ad Leg. Jul. p. 192. Ab ingenuis, etiam inferioris ordinis homine, non ducebantur. Et qui adulterii damnatam sciens uxorem duxerit, lege Julia pro adultero punitur. Ulpian. l. mariti 29. princ. ff. ad leg. Jul. ad adult. *Mariti lenocinium lex coercuit, qui deprehensam uxorem in adulterio retinuit, adulterumque dimisit: debuit enim uxori quoque irasci, quæ matrimonium ejus violavit: tunc autem puniendus est maritus.* Brisson. de Jur. connub. Thes. Græv. ibid. p. 1065. A. 1066. & 1070. C. ad Leg. Jul. 182. Imo à marito occidebantur. V. infr. in *Jus maritale*. Ab hostibus interdum obsides imperabantur. Svet. Aug. c. 21. nu. 5. *A quibusdam novum genus obsidum feminas exigere tentavit: quod negligere marium pignora sentiebat.* Qui quare novum? Romani enim virgines obsides Porsenæ olim dederunt: interque eas Clœliam. Tacit. Germ. c. 8. n. 2. *Adeo ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellæ quoque nobiles imperantur.* Athen. XIII. p. 605. D. id primum inventum Cleonymo Spartano vult, parum verè. *Mihi*, inquit ille, *juxta naturam fecisse Cleonymus Spartanus videtur, qui primus mortalium* (magis rectè, si primus Græcorum dixisset) *obsidias à Metapontinis feminas virgines accepit nobilissimas, & pulcerrimas.* Ubi disc. is Metapontinos, imo credo ceteros Italiæ populos, habuisse antiquos hunc morem. *Lips. in Tacit. n.* 29. V. plura infr. in *Mulieres, & Uxores*.

FEN.

FENESTELLA est cognomen Valeriorum. Observavimus in hoc nummo Augusti, cujus inscriptio: *Cæsarea Augusta, Lucio Cassio. Cajo Valerio Fenestella, duumviris.* Vaillant. Numism. I. p. 17.

FENESTRALIS porta, V. illam infr. in *Porta*.

FER.

FERÆ distinguuntur à bestiis in lapide Neap. apud S. Johannem majorem: *Venatione pass. denis bestiis, & quatuor feris.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 8. Capiebantur aut indagine canum. Tib. IV. 3. 7.

——claudam densos indagine colles,
Et demam celeri ferrea vincla cani.

Tædis & fossis. Claud. Stilich. Consul. II. 339.

Non illos tædæ ardentes, non strata supernè
Lapsuro virgulta solo, non vocibus hœdi
Pendentis stimulata fames, non fossa fefellit.

Aut si eques à tergo instans in lineas & retia compelleret. Senec. de Clem. I. 12. *Si feras lineis & pennis clausas contineas, easdem à tergo eques incessat, tentabunt fugam per ipsam formidinem*. Aut si formido ipsa è pennis conserta terriculo esset, & in insidias ageret. V. infr. in *Formido*. Odore, & & colore terrebantur. Grat. n. 79.

—— *à vulture dirus avaro*
Turbat odor sylvas.

Aut subsidebant irruentibus feris, easque venabulo excipiebant: sed non cum feras ad venationem captarent. Auson. Epist. III. 28.

—— *cervos*
Circumdas maculis, aut multa indagine penna,
Aut spumantis apri cursum clamoribus urges,
Subsidisque fero.

Buleng. de Venat. Circ. c. 16. Argol. l. l. Ex ultimo orbe conquirebantur; ursi ex Caledonia, & Pannonia; leones, & tigres ex Africa; crocotæ, & rhinocerotes ex India; crocodili ex Ægypto advehebantur. Unde ex Cod. II. tit. 45. *Ab Imperatore cautum legimus, ne bestiæ, quæ ad comitatum ab omnibus limitum ducibus transmittuntur, plusquam septem dies intra singulas civitates retinerentur*. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 5. Ad venationes emere sine principis permissu nemo poterat. Symmach. Epist. VII. 122. *Adde si placet, quod à me postulatum tenes, ut aliarum Libycarum mihi emptio sacra auctoritate præstetur*. Cod. Theodos. I. ven. ferar. *Quandoquidem occidendi feras, non venandi, venundandique licentiam dederimus*. Et gratulatur de leopardis, qui sibi sacris literis concessi erant, Symmach. Epist. VII. 59. *Sacras mihi literas Julius agens in rebus exhibuit leopardorum munificentiam exhibentes. Idem tuam desideratam nobis paginam simul tradidit. Principe igitur loco salutationis tibi solvo reverentiam. Dehinc postulo, ut pro me gratias agas votivæ largitatis auctori* . . . . Buleng. de Venat. Circ. c. 18. de Circo c. 60. Casaub. Gordian. c. 4. Casal. l. l. Captæ Romam transvehebantur plaustris. Symmach. Epist. IV. 56. *Plures de Dalmatia ursos in apparatum domus nostræ proximè venturos fides asserit nunciorum: quorum subvectionem dispositis vehiculis etiam privatim debemus instruere*. Aut ratibus. Utrumque genus attigit Claud. Stilich. Consul. II. 325.

—— *ratibus pars ibat onustis*
Per freta, per fluvios, exsanguis dextera torpet
Remigis, & propriam metuebat navita mercem.
Per terram pars ducta rotis, longoque morantur
Ordine plaustra vias, montanis plena triumphis,
Et fera sollicitis vehitur captiva juvencis.

Senatores nullum portorium pro advectione *ferarum* pendebant, ab aliis vectigal quinquagesimæ exigebatur. Symmach. Epist. V. 66. *Buleng. de Venat. Circ. c. 18. Casal. l. l.* Omne genus *ferarum* in circum & amphitheatrum induci moris erat, alias spectandi causa, ut phœnices & crocodilos: alias pugnæ, ut leones, tigres; alias voluptatis, ut lepores, damas; alias herbaticas, mansuetas alias, crudivoras, solidungulas, dentatas, cornigeras. Claud. ibid. n. 316.

—— *sed luxuriantis arenæ*
Delicias, Pompam nemorum, quodcumque tremendum
Dentibus, aut insigne jubis, aut nobile cornu,
Aut rigidum setis capitur, decus omne timorque
Sylvarum, non cauta latent, non mole resistunt.

Buleng. ibid. c. 18. Laz. Comm. Reip. Rom. x. 5. Casal. l. l. Partim in cavis subterraneis recondebantur sub ipsos ludos, partim deponebantur in caveis sub interiore porticu, è qua portulæ & aditus plures pertinent in arenam. Liv. XLI. 27. *Censores locaverunt carceres in circo, & ova ad notas curriculis numerandas, &* * *dam, & metas trans* * *& caveas ferreas pe* * *intromitterentur*. Per has bestiæ intromittebantur in arenam. Nec de aliis caveis Stat. Sylv. II. 5. 11.

—— *stat cardine aperto*
Infelix cavea, & clausis circum undique portis,
Hoc licuisse nefas pavidi timuere leones.

Ubi nota & portas. Certè etiam portæ in circo ad bestias emittendas apud Plaut. Pers. III. 3. 30.

Ubi quid crediderit, citiùs extemplo à foro
Fugiunt, quàm ex porta ludis cum emissus est lepus.

Ostia videtur Varro appellasse de Re Rust. III. 5. *Ostium habere debet humile & angustum, & potissimum ejus generis, quod cochleam appellant, ut solet esse in cavea, in qua*, potius *è qua*, nisi caveam pro amphitheatro ceperit, *tauri pugnare solent*. Lips. de Amphith. c. 9. Ex illa emittebantur vel singulæ. Cassiod. Var. v. 42. *Illo in tenuem regulam venire suspensus invitat exitiabilem feram*. Mart. VIII. 55.

Tantus in Ausonia fremuit modò terror arena,
Quis non esse gregem crederet? unus erat.

Vel simul plures. Vopisc. Prob. c. 19. *Edidit alia die in amphitheatro una missione centum jubatos leones*. Plin. VIII. 16. *Leonum simul plurium pugnam Romæ princeps dedit Q. Scævola*. Buleng. ibid. c. 17. Egredientium impetus magnus erat. Vopisc. l. l. *Neque erat bestiarum impetus ille, qui esse è caveis egredientibus solet*. Lips. & Buleng. l. l. Iterumque in eas immittebantur post pugnam. Senec. de Ira II. 12. *Curriculi motus, rotarumque versata facies leones redigit in caveam*. Lips. l. l. *Feras*, quibus aliqua in re usi erant, velut de se bene meritas, libertate remunerabantur, & in agros, sylvasque dimittebant. V. supr. in *Bestias*.

FERALIA erant festa publica, quibus ferebant epulas ad sepulcra. Festus: *Feralia diis manibus sacrata festa à ferendis epulis vel feriendis pecudibus*. Varr. de Ling. Lat. v. 3. *Feralia ab inferis & ferendo, quod ferunt tunc epulas ad sepulcrum, quibus jus ibi parentare*. Originem horum Æneæ tribuit Ovidius, postquam illa descripserat, Fast. II. 543.

Hunc morem Æneas pietatis idoneus auctor
Attulit in terras, juste Latine, tuas.
Ille patris genio sollennia dona ferebat,
Hinc populi ritus edidicere novos.

Harum status ac sollennis fuit mensis Februarius. V. supr. in *Februarius*. Dies ejusdem mensis decimus nonus, hoc est, XI. Kal. Martii, ut videre est cum ex veteri Kalendario Romano, tum ex Ovid. Fast. II. 567.

Non tamen hoc ultra, quàm quum de mense supersunt
Luciferi quot habent carmina nostra pedes.
Hanc quia justa ferunt dixere Feralia lucem,
Ultima placandis manibus illa dies.

Atqui Elegiacos versus constare undecim pedibus vel pueris notum est. *Kirchm. de Fun. Roman.* IV. 1. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 715. *D. Gyrald. Synt. Deor.* XVII. *p.* 493. *G. Stuck. Antiq. Conviv.* I. 26. *de Sacrif. p.* 163. *Alex. Gen.* III. 12. *Castellan. de Fest. Græc. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom.* VII. *p.* 283. *B. Quensted. de Sepult. Vet. c.* 13. *Faes in Gyrald. de Var. sepel. rit. c.* 1. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 10. §. 10. *Hospin. de Orig. Fest. p.* 106. *Rosin. Antiq. Rom.* IV. 6.

FERCULUM dicitur Latinè cibus, qui apponitur. *Ferculum*, teste Nonio, *est missus cibi, ita dictus, quod mensa inferatur*. Stuck. Ant. Conviv. III. 1. Demster. Antiq. Roman. Rosin. v. 29. Qui unde hoc habeant, non satis scire possum. Apud Nonium profectò ipsum nihil tale invenias. Quare suspicor secutos Calepinum, qui similiter: *Ferculum, teste Nonio, missus cibi, ita dictus, quod ad mensam inferatur*. Sed confundit Calepinus Nonium cum Fulgentio. Deinde *missum cibi* vocat, quod Fulgentio est *missus carnium*. Postremò *missum cibi* putat ipsum cibum. Ac ne videatur sine auctoritate hoc facere, subdit Juven. Sat. I. 94.

—— *quis fercula septem*
Secreto cœnavit avus?

Nempe quia hic cœnari *fercula* dicuntur, utique significare cibos arbitratus est. Sed non observavit, poetam figura receptissima posuisse pro cibis *fercula*, quæ in *ferculis* apponebantur. Quomodo & mensas usurpavit alicubi in hac significatione, atque alii fecerunt. Nam & *tenuem mensam* Horat. Od. II. 16. 14. & *opimam mensam* Sil. Ital. XI. 282. ita usurparunt. Quare *fercula* non magis erunt cibi dapesque quàm mensæ, si quid propriè significarint, quæras. *Scheffer. de Re vehic.* II. 3. *Nicol. de Triumph. c.* 22. §. 1. Erat verò tabula lignea latior, qua vasa plura ciborum una vice imposita inferri mensis solebant: Non

enim

enim mensis imponebant lances elegantiores; sed machinulis quibusdam venusto artificio elaboratis imponebant. Petron. c. 35. *Laudationem ferculum est insecutum, planè non pro exspectatione magnum, novitas tamen omnium convertit oculos. Rotundum enim repositorium duodecim habebat signa in orbe disposita, superque proprium convenientemque materia structor imposuerat cibum.* Habemus hic *ferculum*, nec nisi unicum, in eo tamen cibos duodecim, suis comprehensos patinis, pro signis duodecim, quibus *ferculum* fuit pictum. Ergo *ferculum* non fuit unius cibi, vel patinæ, sed plurium. Et *trina fercula* apud Svet. Aug. c. 74. n. 5. non sunt tres patinæ, sed *tria fercula*, singula patinarum plurium, per vices missus non cœnæ quotidianæ, sed convivio illata. *Scheffer. l. l. Buleng. de Conviv. 11. 4. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. 11. 2. Pitisc. in Svetonium.* In sollennibus conviviis coronabatur. Et verò auctore Athen. v. p. 195. in iis ludis, quos apud Daphnen Antiochus edidit, fuerunt convivia, in quibus exhibiti sunt, vivi anseres, lepores, damæ cum aureis coronis. Qui *ferculorum* luxus quandoque dispositus fuit per nomina signorum cœlestium. Quippe singulis signis impositus fuit cibus, unicuique convenientissimus, in quibus fuit *ferculum*, cui nomen corona. Petron. l. l. *Super arietem cicer arietinum, super taurum bubale frustum, super geminos testiculos & renes, super cancrum coronam.* Ultimorum verborum interpretatio sumi debet ex Arato, ubi agit de ortu cancri:

Jam simul ut supero se toto lumine cancer
Extulit, extemplo cedit delapsa corona,
Et loca convisit cauda tenus infera piscis
Dimidiam retinens stellis distincta corona
Partem etiam supera, atque alia de parte repulsa est.

Ubi Scholiastes ait, cum cancer inibi est, ut exoriatur, mediam partem *coronæ* videre est super terram; alteram partem occasus occupat, & obscurat, *corona* descendente in occasum. Ergo *corona* præit cancro. Ad cujus rei imitationem structor convivii inter illa fercula, quæ imitabantur duodecim signa zodiaci, *coronam* collocavit super cancrum, nempe servato in ferculis ordine cœlesti. *Paschal. de Coron. 11. 4. Gonsal. in Petronium. Mader. de Coron. Thes. Antiq. Roman. Graev. Tom. VIII. p. 1414. C.*

Ferculum habebant etiam in funeribus. I. quidem illo deportati peregrè defunctorum cineres, si fuissent in auctoritate summa constituti. Svet. Cal. c. 15. n. 3. *Matris, fratrisque cineres per splendidissimum quemque equestris ordinis, medio ac frequenti die duobus ferculis Mausoleo intulit.* Scheffer. de Re vehic. 11. 5. Sic appellat *pompatius*, ut cum Tertull. de Spect. c. 7. loquar, *instrumentum*, in quo cineres erant cum inferrentur in Mausoleum, ob similitudinem aliquam *ferculorum* triumphalium. Vocem *tropæum* non multò aliter usurpat Jul. c. 84. n. 2. *Casaub. in Svetonium.* Sed *ferculum* dici, cui quid insit, hactenus non puto lectum esse. Et vocabulum non signat rem, quæ aliam contineat, vel concludat, verùm in qua alia gestetur. Cineres non *ferculis* includebantur, sed urnis. Schol. Lycophr. *Mos erat, peregrè mortuos cremare, cineresque ipsorum urnis inclusos in patriam perferre.* Et matris fratrisque cineres Cajus in *fercula* non *condidit, sed in urnas* apud Svet. n. 2. Et patet, urnas illas collocatas super *fercula* fuisse, atque illatas Mausoleo. Dio quidem etiam LIX. p. 642. A. putat hoc factum more triumphantis. Sed quomodo hæc ad triumphum possint referri non video, quoniam omnia pietate singulari fieri Cajus credi voluit. Magis est, ut credamus imitatum eos, qui deducere pompam circensem solebant. Nam & illi splendidissimè vestiti thensas comitabantur. Nec fuit pænè idem cum tropæo in funere Julii. Nam tropæum notat perticam, cum transverso baculo in summo, defixam ad lecti caput, qualis in pertica etiam spolia hostilia suspendi solebant. Sed *fercula* Caji fuerunt pulpita exstructa. Deinde illud suspensam habuit vestem, in qua fuit occisus. At *fercula* Caji urnas non suspensas, verùm impositas. *Scheffer. l. l.* II. Idem erat quod pheretrum. Pro pheretro *ferculum* capit Stat. Theb. VI. 126.

Portant inferias, arsuraque fercula.

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. 11. 2. Sed ille sine dubio est falsus. Nam intelliguntur munera præferri solita, ut appellat Svet. Jul. c. 84. n. 2. Hæc enim simul cum mortuo cremabantur injecta igni, non pheretra. Ideo *arsura fercula* dixit ipse Statius. Qui & munera illa dicit imposita *ferculis* peculiaribus, quo conspectiora, splendidioraque omnia evaderent. III. quo cibi in tumulis defunctorum diis manibus apponebantur. Plin. X. 10. *Notatum in his rapacissimam & famelicam semper alitem nihil esculentis rapere unquam ex funerum ferculis.* Scheffer. l. l. V. hos cibos supt. in *Feralia*.

Ferculum ludorum quoque fuit sacrorum. Erat, ut volunt Grammatici, pulpitum vehiculi, cui simulacra imponebantur, ut thensa ipsum vehiculum sacrum. Cic. Verr. v. 72. *Omnes dii, qui vehiculis thensarum sollennes cœtus ludorum initis.* Svet. Jul. c. 76. n. 2. *Thensam & ferculum in circensi pompa.* Torrent. ad Svetonium. Taffin. de Lud. secul. c. 15. §. 14. Quos ego vellem nominasse aliquem Grammaticorum, qui *ferculum* dixerit esse pulpitum vehiculi, quod vocatur thensa; nam hactenus invenio neminem. Hoc quidem scio, pulpitum exponere, sed thensæ pulpitum vocare, id verò penitus ignoro. Torrentius, quia pulpitum vocari vidit, ipse de thensæ pulpito conjecit. Non profectò ita Acro, qui pulpitum exposuit. *Fercula*, inquit, *sunt pulpita, in quibus deorum simulacra reponebantur, quia in pompa circensi hujusmodi simulacra deorum ferebantur.* Vocat pulpita, sed thensarum nullam facit mentionem: imo in iis deorum simulacra dicit *lata*, quod non convenit, si ea pulpita in vehiculis reposita fuere. Quod enim est in vehiculo, non tam fertur, quàm ducitur, aut vehitur. Denique à thensis separat disertim Svet. l. l. *Scheffer. de Re vehic. 11. 3. Stuck. Ant. Conviv. IV. 1.*

Ferculum triumphale I. quo suspensæ hostium à se devictorum vestes & exsuvias gestabant, præsertim quas duces taxillet duci, & opima spolia vocabant. Liv. 1. 10. *Romulus spolia ducis hostium cæsi suspensa, fabricato ad id aptè ferculo gerens, in Capitolium ascendit.* Quale fuerit, docet Plutarch. in Rom. p. 27. B. Liquet hinc, fabrefactum ex stipite simplici, cui in capite appositum transversè lignum brevius, figura crucis. Livius *ferculum* vocavit, quoniam inferebat. Ferebat, ut opinor, erecta, sed paullisper tamen reclinata in dextrum humerum. Plutarch. l. l. *Captum ferculum, dextroque applicatum humero, ac subrectum gerens incessit.* Unde discimus, gestasse *ferculum* non in dorso, sed in humero, nec tamen demissum jacenque, sicut hastæ gestantur, sed erectum. Nempe arma spoliaque imposuerat, quæ obhærere aliter nequibant. Quia tamen propter pondus manu libera gestari molestum ac difficile constabat, ideo applicatum humero habebat. Scheffer. de Re vehic. II. 3. Stuck Ant. Conviv. IV. 1. Nicol. de Triumph. c. 22. §. 1. II. quo signa, atque alia in pompa triumphali gestabantur. Svet. Jul. c. 37. n. 4. *Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum: veni, vidi, vici.* Scheffer. l. l. Barth. Adv. XXXV. 22. in Stat. Theb. VI. 126. Nicol. ibid. §. 2. Buleng. de Conviv. II. 4. Omnes illas res, quæ proferebantur, *apparatum* triumphi appellat Paterc. II. 56. 2. *Cæsar quinque egit triumphos. Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini testudine, Africani ebore, Hispaniensis argento rasili constitit.* De *ferculis* acceperunt viri docti. Torrent. ad Svet. Jul. c. 37. nu. 1. ubi hæc adducit verba: *De triumphi ferculis, diversa factis materia loquitur,* ait. Sed *ferculum* propriè loquendo non est *apparatus*, verùm id, quo apparatus gestabatur. Ideo *ferculum* semper ex eodem fuit genere, ligno scilicet, non ita apparatus. Pro apparatu Svetonius dixit instrumentum. *Triumphum*, ait de Cæsare, *egit diverso quemque apparatu, & instrumento.* Instrumentorum triumphi, atque apparatum velut eandem rem posuit, & illos titulos, imagines rerum diversarum, & id genus intellexit. Habuit enim Cæsaris triumphus præter titulos etiam imagines, quales dixi. Quintil. VI. 3. *Cum in triumpho Cæsaris eborea oppida essent translata, & post paucos dies Fabii maximi lignea, thecas esse oppidorum Cæsaris dixit.* Hic

oppida eborea sunt in instrumento, atque apparatu Cæsaris, ut Suetonius vocavit. Fabius & ipse habuit in triumpho suo, verùm lignea, quod fuit usitatius, frequentiusque. Hæc ergo oppida, & tituli, & imagines, & alia id genus gesta in triumpho, non nudis manibus, sed imposita ferculis, quo essent conspectiora. Neque ista inter se confundenda. Ascon. Verr. I. p. 85. *Ferculis signa ante triumphantem vehi per pompam solebant*. Per signa simulacra oppidorum, arcium, & similium, præcipuè verò illo in loco statuas, & simulacra deorum hosti erepta intelligit, quod ipse Ciceronis locus manifestè docet. Non autem dicit *fercula*, seu signa vecta, verùm *signa vecta ferculis*, quia illis *ferculis* imponebantur. Neque res tantùm imposita solummodo, sed ipsi vivi homines, clariores maximè, ac nobiliores ex captivis. Iole, quæ loquitur de iis, qui matura morte captivitatem evaserunt, apud Senec. Herc. Oet. l. 109.

Non captiva dabit brachia vinculis,
Nec pompa veniet nobile ferculum.

Respexit & philosophus de vit. beat. c. 25. *In alienum imponar ferculum, exornaturus victoris superbi, ac feri pompam*. Videntur que hi ostentati cum catenis, & appositis, erectisque ex ipsorum spoliis tropæis. Hoc memorat Ovid. Trist. III. 4. 103.

Scuta sed & galea gemmis radientur & auro,
Stentque super vinctos trunca tropæa viros.

Fercula illa, quibus portabantur tituli, fuerunt similia superioribus, illis, inquam, quibus Romulus est usus. Poterant imagines aliquæ, aliaque minutiora, præsertim es ligno fabrefacta sic gestari. At de iis, quibus imposita statuæ gravioris materiæ, ipsique vivi homines, quis possit credere? Videtur aliud docere Josephus, quando loquens de hoc genere, non *ferculis*, sed pegmatis impositos esset ait. Verba ejus sunt de triumpho Vespasiani de Bell. Jud. VII. 24. *Stupori erat pegmatum, quæ portabantur, fabricatio tam magna, ut occurrentes timerent, ne, qui subjerant, gestare haud valerent, nam quadam in tabulatum ter tumque exereverant. Erat autem per singula pegmata dux, ita ut captus fuerat, ordinatus*. In Græco est, ὃν τρόπον ἐλήφθη, quod significare puto, positum fuisse ibi habitu captivi, injectis catenis, sicuti fiebat, quando capiebantur: hocque respicere id ipsum, quod de captivorum habitu in *ferculis* superiùs notavi. Docet autem illis verbis, pegmata fuisse, quibus duces vivi fuerunt impositi, hoc est tabulata lata, structaque in altum. Fuisseque non simplicia, sed habuisse plura tabulata, alia super alia. Denique cum essent magna ponderosaque, gestata quidem ab hominibus, sed bene multis, quod in altero genere minimè fiebat. Quomodo lata fuerint hæc pegmata, id non declarat. Verisimile, hoc factum humeris subjectis, suppositisque asseribus validis. Nisi quod extare tamen facerent supra humeros & ipsa capita. Et hæc possunt nominari *fercula*. Ratio enim vocabuli non repugnat. Et in re simillima Seneca uterque ac Ovidius modò laudati *fercula* nominarunt. *Scheffer. l.l. Nicol. ibid.* §. 2.

FERENTARII fuit commune nomen levis armaturæ. Fuisse genus equitum tradit Varr. de Ling. Lat. VI. 3. *Ferentarii equites hi dicti, qui ea modò habebant arma, quæ ferrentur, ut jaculum*. Non loricas habebant, non galeas, non parmas, sed ea tantùm arma quæ *ferrentur*. Ut equites fuere *ferentarii*, quos & ἀκροβολιστὰς ἱππέας vocat, Tacitus, & leviter armati, qui differebant ab equitibus graviùs armatis, qui ea omnia arma habebant, quibus corpus tegitur ac defenditur, non sola quæ *feruntur*, ita & pedites. *Ferentarios* dixit Sallust. Bell. Catil. p. 54. de levi armatura peditum, non quod illi ejus ætate in militia noti essent; sed quia veterum verborum affectator hos etiam inter alia à Catone furatus est, *Ferentarios*. Salmas. de Re milit. c. 14. Lips. Anal. ad Milit. Roman. p. 271. Valtrin. de Re milit. Roman. III. 3. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Orien. c. 33. Ales. Gen. VI. 22. & ad illum Tiraquellus Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 15. *Ferentarios* Festus interpretatur *auxiliares a ferendo auxilio* dictos. Ex quo patet eum putasse propriè appellatos levium armorum pedites, qui ab externis missi essent. Hi externi *ferentarii* in illo bello Punico sæpè usurpati à Romanis fuere. *Salmas. ibid. c.* 16.

FERENTINA porta. V. illam infr. in *Porta*.

FERENTINUM est urbs Latii in Hernicorum finibus. Vulgo nunc *Ferentino*, & corruptiùs *Fiorentino* dictum. Colonia huc deducta est Romanorum in consulatu L. Cornelii Merulæ, & Q. Minucii Thermi anno ab U. C. 559. Liv. XXXV. 9. *Eodem anno coloniam Latinam in agrum Ferentinum triumviri deduxerunt Cn. Manlius Volso, L. Apustius Fullo, P. Ælius Tubero*. Cluver. Ital. Antiq. III. 6. 6. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 768. E. Panvin. Descr. Urb. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 251. A. Donat. de Urb. Roman. I. 21. Possumus suspicari ante legem Juliam civitate donatum, ac municipium factum fuisse. Siquidem C. Gracchus, in ea oratione, quam de legibus habuit promulgatis inter municipia Italiæ retulit, atque municipes ipsos à magistratibus Romanis verberatos, tanquam cives Romanos est conquestus. V. Gell. X. 3. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 9. *Cluver. l. l.*

FERETRUM, sive Græcè *pheretrum*. Erat lignea machina, qua exportabantur cadavera, non quidem ipsa funeris capsa, sed cui imposita ea portabatur. *Barth. Adv.* LIX. 12. Fiebat è cupresso. Stat. Theb. VI. 54.

Tristibus interea ramis, teneraque cupresso
Damnatus flammæ thorus, & puerile feretrum
Texitur.

Vel etiam è quercu, & fuit cratis instar. Virg. Æneid. XI. 64.

Haud segnes alii crates, & molle feretrum
Arbuteis texunt virgis, & vimine querno.

Texi dixit modò etiam Statius. *Meursf. de Fun. c.* 20. *Kirchm. de Fun. Roman.* II. 9. *Merestell. Pomp. Feral.* II. 9. 2. *Voss. Lex. Etymol. Nicol. de Luct. Græcor. c.* 7. §. 7. *de Sepul. Hebræor. c.* 2. §. 4. *Quenfted. de Sepult. c.* 6. *Gejer. de Luct. Hebræor. c.* 5. *Ramirez. Hypomnem. in Martial. p.* 265.

FERI, *feri*, fuit vox militum in prælio sese adhortantium: ut scribit Plutarch. in Marcello p. 302. B. *Nam nunc etiam in conflictibus, quum hostibus instant, ad feriendum crebrò adhortantur se mutuò*. Valtrin. de Re milit. Roman. V. 3.

FERIÆ dicebantur ἀργίαι, αἱ σχολαί, in quibus otium & cessatio operum, aut judiciorum. *Guther. de Jur. pontif.* III. 14. Illis opere abstinebant, & ut abstinerent, monebantur. Festus. V. illum infr. in *Præclamitatores*. Serv. Georg. I. 268. V. illum supr. in *Calator*. Macrob. Sat. I. 16. *Affirmabant sacerdotes pollui ferias, si indictis, conceptisque opus aliquod fieret*. Brisson. de Form. I. p. 118. Scalig. in Festum. Pollet. For. Roman. V. 13. Ræværd. Var. V. 19. Caroli Antiq. Roman. I. 6. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 2. Umbro tamen negabat *eum pollui, qui opus, vel ad deos pertinens, sacrorum causa fecisset, vel aliquid ad urgentem vitæ utilitatem respiciens actitasset*. Scævola *consultus quid feriis agi liceret, respondit, quod prætermissum noceret, si bos in specum decidisset, eumque paterfamilias adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse: nec ille, qui trabem tecti fractam fulciendo ab imminenti vindicavit ruina*. Macrob. l. l. Nec aliter Virg. Georg. I. 268.

Quippe etiam festis quadam exercere diebus
Fas & jura sinunt. Rivos deducere nulla
Religio vetuit, segeti prætendere sepem,
Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio mersare salubri.

Kipping. l. l. Litibus & jurgiis ut abstinerent, per præconem edicebatur. V. infr. in *Lis*. Non tantum à cæde, sed etiam à quacunque læsione. Macrob. Sat. I. 15. *Feriis vim cuiquam fieri piaculare est: ideoque tunc vitantur nuptiæ, in quibus vis fieri virginibus videtur. Sed Verrium Flaccum juris pontificii peritissimum dicere solitum refert Varro, quia feriis tergere veteres fossas liceret, novas facere jus non esset adeo magis viduis quàm virginibus idoneas esse ferias ad nubendum*. Lipen. de Strenprim. æt. c. 2. §. 25. Broid. Cotoll. ad Pollet. For. Rom. I. 8.

Feriæ compitales. V. illas infr. in *Ludi compitales*.

Feriæ

Feriæ conceptivæ *sunt, quæ quotannis à magistratibus, vel à sacerdotibus concipiuntur in dies certos, vel etiam incertos.* Macrob. Sat. I. 16. Festus. *Augustin. de Leg. in Hortensia. Guther. de jur. Pontif.* III. 15. *Perion. de Græc. & Rom. magistr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VI. *p.* 2804. *B. Bud. in Pandect. p.* 42. *G. Volaterr. Rer. Urban.* XXIX. *p.* 1086. *A. Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 38. *F.*

Feriæ denicales *sunt privata sacrorum propriorum.* Festus in Privatæ. Hisce familia funere polluta certis quibusdam ceremoniis purgabatur. Festus: *Denicales feriæ celebrabantur, cum hominis mortui causa familia purgabatur. Græci enim νέκυν mortuum dicunt.* Meurs. de Fun. c. 37. Kirchm. de Fun. Roman. IV. 1. Morestell. Pomp. Feral. VIII. 18. Guther. de Jur. man. I. 8. & 14: II. 7. Tiraquell. in Alex. Gen. III. 7. Crag. de Repub. Laced. III. tab. I. Instit. 7. Cicer. de Legib. II. 22. *Nec verò tam denicales, quæ à neco appellatæ sunt, quia residentur mortui; quàm ceterorum cœlestium quieti dies, feriæ nominantur.* His mulos jungere non licebat. Clum. II. 22. *Apud pontifices legimus, feriis tantum denicalibus mulos jungere non licere, ceteris licere.* Meurs. l. l. Brisson. de Spectac. & Fer. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2427. B.

Feriæ imperativæ eæ sunt, quæ non conceptivæ erant, sed nova aliqua ex causa constituebantur, veluti ob bellum bene gestum, vel ob prodigia. Magistratus majores illas indicere solebant senatus auctoritate. Macrob. Sat. I. 16. *Feriæ imperativæ sunt, quas consules, vel prætores pro arbitrio potestatis indicunt.* Hæ aliquando in quinquaginta dies decretæ, qui dierum cumulus hominis dignitati tribuebatur. Harum constituendarum causa dictatorem quandoque senatui dici placuit: *quandoque edicto imperare, ut cum terra movisset. In quo illud fuit observatum ex decreto pontificum, ut dei nomen, cui servari ferias oporteret, uti solet, statuere, & edicere quiescerent; ne alium pro alio nominando falsa religione populum alligarent. Eas ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem opus esset, hostiam SI DEO, SI DEÆ immolabat.* Gell. II. 28. *Guther. de Jur. pont.* III. 15. *Augustin. de Leg. in Hortensia. Broid. Coroll. ad Pollec. For. Rom.* I. 8. *Volaterr. Rer. Urban.* XXIX. *p.* 1086. *A. Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 38. *F.*

Feriæ Latinæ dicebantur, quæ quotannis in Albano monte à tribus minus quinquaginta Latinis civitatibus, Romanisque magistratibus quatriduano sacrificio Jovi Latiali celebrabantur: unde sacrificium Latiar dicebatur. Illas instituit Tarquinius Superbus. Dionys. IV. p. 250. *Conferunt in eas populi sacrorum participes, quidam agnos, quidam caseos, quidam lactis certum modum, quidam consimile liborum genus. Communis omnium victima est taurus unus, de quo cuique populo sua certa portio tribuitur.* VI. p. 415. *Feriis Latinis dies tertius est additus, cum prius duo tantum essent; primus consecratus à Rege Tarquinio, quo tempore devicit Etruriam; alter à populo additus, quando pulsis Regibus libertatem adeptus est: tunc verò tertius accessit ob plebis, quæ secesserat, reditum.* Ob patrum & plebis concordiam quartus est additus. Plutarch. in Camill. p. 151. F. *Adjectus insuper Latinis dies unus, ut quaternis diebus agerentur. Illarum tempore, quo publicæ quondam induciæ inter Romanum populum Latinosque firmatæ sunt, inchoari bellum non decebat.* Macrob. Sat. I. 16. *Hotoman. de Magistr. Rom.* I. *Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1873. *A. Pollet. For. Roman.* I. 8. *Bud. Pandect. p.* 42. *G. Valtrin. de Re milit.* I. 7. *Perion. de Græcor. & Rom. magistr.* III. *Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2804. *B. Laz. Comm. Reip. Rom.* X. 3. *Pigh. Annal.* I. *p.* 52. *Buleng. de Imp. Rom.* V. 15. *de Prodig.* IV. 52. *Panvin. Fast.* I. *p.* 114. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græc. Tom.* XI. *p.* 715. *F. Guther. de Jur. Pont.* III. 15. *Gyrald. Syn. deor.* II. *p.* 83. *C.* XVII. *p.* 492. *G. Mod. de Lud. & Spect.* II. 20. *Pitisc. in Suet. Jul. c.* 79. *n.* 2.

Feriæ messium sunt, cum fruges in horrea conduntur. Stat. Sylv. IV. 4. 40.

—— messesque reversæ
Dimisere forum, nec jam tibi turba reorum
Vestibulo, querulique rogant exire clientes,
Cessat centeni moderatrix judicis hasta,

Incipiebant ab VIII. Kal. Julii ad Kal. Augusti. *Siccam. de Centumv. judic.* II. 1. Ita eas Imperator Theodosius l. ut in die Domin. C. de Feriis, certis finibus temporumque intervallis circumscripsit. Sed videtur vim intulisse naturæ, & eadem ubique eodem tempore ab ea exegisse, cum aliæ regiones aliud ingenium soli habeant. Et ut quæque regio vel soli vicinior est, vel ab eodem remotior, ita sibi mandatorum, creditorumque vel citiùs, vel tardiùs usuras cum sorte repræsentet. Paullus verò l. præsides, 2. ff. de Feriis: *Præsides provinciarum ex consuetudine cujusque loci solent messis vindemiarumque tempus statuere.* Pollet. For. Rom. I. 8. Brisson. de Spect. & fer. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2427. C.

Feriæ novendiales fieri solebant I. cum prodigium aliquod accidisset, quod per novem dies continuos, sacro, quod inde novendiale dicebatur, expiabant. Institutæ sunt à Rege Tullo Liv. I. 31. *Romanis ab eodem prodigio novendiale sacrum publicè susceptum est. Mansit sollenne, ut quandoque idem prodigium nuntiaretur, feriæ per novem dies agerentur.* Kirchm. de Fun. Roman. IV. 1. Dacer. ad Festum. II. cum defunctis, erant enim hæ privatæ alicujus familiæ sacra, parentabant. Glossæ: *Novendialia, ἔννατα ὅτι νεκρῶ ἀγόμενα.* August. in Genesin: *Nescio utrum inveniatur alicui Sanctorum in scripturis celebratum esse luctum novem dies, quod apud Latinos Novendial appellant.* Dictæ sunt quod nono post mortem die completis ad tumulum sollennibus funeri finis fieret. Porphyr. ad Horat. Epod. XVII. *Novendiale sacrificium est, quod mortuo fit nona die quàm sepultus est.* Kirchm. & Dacer. l. l. Tomas. de Donar. c. 3. Quensted. de Sepult. vet. c. 13. Turneb. Adv. XXIV. 27. Lips. in Tacit. Annal. VI. n. 19. Guther. de Jur. man. I. 15. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 488. C. Rhodig. Antiq. Lect. XVII. 21. Schill Nomencl. Philol. p. 806.

Feriæ repentinæ sunt, quæ ob res prosperè gestas à solo Imperatore indicuntur, & imperiales vocantur, l. sed & si §. feriæ ff. & quibus caus. maj. *Siccam. de Judic. centumv.* II. 1. *Guther. de Vet. jur. pontif.* III. 16. *Pollec. For. Rom.* I. 8. *Broid. in Polletum.*

Feriæ sementinæ *sunt, quæ à pontificibus edicebantur, & appellabantur à semente, quod sationis causa susceptæ.* Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Fuerunt instituta, quasi ex his fruges grandescere possint.* Festus. Sacra in æde Telluris fiebant Telluri & Cereri. Varr. de Re rust. I. 2. *Sementinis feriis in ædem Telluris veneram.* Fusiùs Ovid. Fast. I. 657.... *Perion. de Græc. & Rom. magistr.* III. *Thes. Ant. Græc. Gronov.* VI. 2804. *B. Stuck. Ant. Conviv.* I. 23. *Struv. Ant. Roman. c.* 9. *p.* 445. *Pollet. For. Rom.* I. 8. *Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 38. *G.*

Feriæ stativæ *sunt universi populi communes certis, & constitutis diebus, ac mensibus, & in fastis statis observationibus annotatæ.* Macrob. Sat. I. 16. *August. de Legib. in Hortensia. Guther. de Jur. Pontif.* III. 14. *Valtrin. de Re milit. Rom.* I. 7. *Perion. de Græcor. & Rom. magistrat.* III. *Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2804. *A. Volaterr. Rer. Urban.* XXIX. *p.* 1086. *A. Kipping. Antiq. Rom.* I. 10. §. 12. *Rosin. Antiq. Roman.* IV. 5. *Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 38. *F.*

Feriæ stultorum *appellabantur Quirinalia, qui erat dies festus Quirini, quod eo die Quirino sacrificant ii, qui sollenni die aut non potuerunt rem divinam facere, aut ignoraverunt suorum fornacalium sacrorum diem, commissum piaculum expiabant mora, atque quod sui non fecerant, quibus permittebatur feriis sacrum faciebant.* Ex Scaligeri emendatione Festus. Ovid. Fast. II. 513.

Lux quoque cur eadem stultorum festa vocetur
Accipe: parva quidem causa, sed apta, subest.

n. 527.

Curio legitimis nunc fornacalia verbis
Maximus indicit; nec stata sacra facit.
Inque foro, multa circum pendente tabella,
Signatur certa curia quæque nota.
Stultaque pars populi, quæ sit sua curia, nescit:
Sed facit extrema sacra relata die.

Plutarch. Quæst. Rom. 88. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 940. *E. Nardin. Roman. Vet.* II. 1. *Lipen. de Stren. c.* 4. §. 68. *Alex. Gen.* III. 12. *Lomej.*

de Lustrat. c. 30. *Perion. de Magistr. Roman. & Græc.* III. *Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2809. *D. Volaterr. Rer. Urban.* XXIX. *p.* 1086. *A. Blond. Triumph. Roman.* II. *p.* 38. *G.*

Feriæ vindemiales sunt, quæ maturis uvis celebrabantur. Minuc. Fel. p. 10. *Sanè & ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverant.* Celebrabantur à X. Kalend. Septemb. ad Idus Octobris. *Siccam. de centumv. jud.* II. 1. *Pollet. For. Roman.* I. 8. *VVeuwer. & Elmenhorst in Minucium Felicem.* V. supr. in *Feriæ messis.*

FERONIA dea, culta in plerisque locis Italiæ, sed in primis prope Terracinam. Dionys. II. p. 113. V. illum infr. in *Sabini.* Ejus meminit Virg. Æneid. VII. 800.

Et viridi gaudens Feronia luco.

Serv. Æneid. VIII. 564. V. illum infr. in *Manumissio.* Unde *& libertinæ pro facultatibus suis conferebant, unde Feroniæ donum daretur.* Liv. XXII. 1. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 71. *E.* III. 126. *C. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 720. *F. Jun. de Coma c.* 2. *Reines. Inscript. Class.* I. *n.* 31. *Ortel. Deor. & dear. c. fig.* 20.

FERRI dicuntur arbores. V. supr. in *Efferri.*

FERRUM, cum fundi non posset per naturam, radebant in pulverem, eumque ignitum injiciebant obsessi in obsessores murum conscendentes. Suidas in Τιτυά. *Liquida omnia, & fusilia in hostes, ex superiore loco, ferventia mittebantur. Inter alia verò & ferri pulverem, quem multo igne candentem reddiderant, in murum subeuntes parabant effundere.* Lip. Poliorc. V. 2. Thys. de Oppugn. urb. V. p. 190.

FERTORIUM, sive sella *ferteria*, ut φορεῖον Græcis, quodcunque est gestatorium ægris commodum, ac præcipuè lecticula, in qua ad medicum olim ægrotantes portabantur. Cæl. Aurel. Tard. pass. I. I. *Adhibenda vectatio pro viribus ægrotantis fertorio.* c. 5. *Adhibenda gestatio, primo ex lectulo pendente, tum etiam fertoria sella.* Chimentell. de Hon. bisell. c. 24. Mercur. de Art. gymn. III. 11. Barth. Adv. XXIII. 3. Pignor. de Serv. p. 278.

FERTUM, sive *ferctum* est libi optimi genus. Festus: *Fertum genus libi dictum, quod crebriùs ad sacra ferebatur; nec sine strue, altero genere libi: quæ qui adferebant, struferctarii appellabantur.* Cato de Re rust. c. 135. *Ferctum Jovi moveto. Jupiter te hoc ferto obmovendo bonas preces precor.* Pers. Sat. II. 48.

Et tamen hic extis, & opimo vincere ferto
Intendit.

Voss. Lex. Etymol. Guther. de jur. pontif. IV. 3. Jur. man. II. 24. Pius Annot. post. c. 147. Turneb. Adv. XXVIII. 28. Lomej. de Lustrat. c. 13. Salmas. Exerc. Plin. p. 891. C. Stuck. de Sacrif. p. 75.

FERULA per se levissima, tamen acerbum doloris sensum generat. Aristot. Probl. Sect. IX. c. 8. quærit, cur ictus *ferulæ* vehementiorem doloris sensum efficiat, quàm rerum duriorum; & respondet, quod *in ictu ferulæ semper geminæ percussiones contingant.* Itaque ad ipsos quoque homines verberandos assumebatur, ut ostendit Apollonius Tyaneus apud Philostr. VIII. 2. Et in vit. sophist. I. Gorgiæ dictum satis significat, qui reprimens Chærephontis hominis impudentissimi temeritatem, proposita quæstione insolescentis: *Scio*, inquit, *terram in tales homines edere ferulas.* In scholis frequens earum usus: & pœnam intulisse gravem, & acerbam produnt testimonia. Mart. X. 62. 10. *tristes ferulæ* dicuntur, quod fletum adolescentibus, doloremque cierent. His utentem Orbilium Grammaticum vocat *sævientem* Hieron. Apol. in Rufinum: *Memini*, inquit, *me ad Orbilium sævientem de aviæ sinu tractum esse captivum.* Et alterum cognominem eandem ob causam *plagosum* nominavit Horat. Epist. II. 1. 70. Tumidas *ferulis* manus fieri consuevisse testis optimus rem expertus ait Fulgent. Mythol. Præf. I. *Scholaribus rudimentis tumidas ferulis gestaveram palmas.* Itaque jam pœnæ securus, & gaudens opinor id. Juven. Sat. I. 15.

Et nos ergo manum ferulæ subduximus.

Aliæ enim corporis partes iisdem pulsabantur. Apul. Met. p. 296. *Altissimè sublato puero, ferula nates ejus obverberans.* Cresol. Theatr. Rhet. V. 6. De hoc proverbio etiam *Erasm. Adag. p.* 439. *Tiraquell. in Alex.* II. 25. *Savar. in Sidon. Epist.* II. 10. *Grang. in Juvenalem. Pitisc. in Suet. Cal. c.* 20. *n.* 4.

Ferula nominabatur etiam rudis lanistæ, qua secernebatur & cognoscebatur, quia *ferula* erat. Dio LXXII. p. 826. C. *Pugnabat cum eo lanista quispiam, vel etiam gladiator, ferulas habens.* Ubi Commodo velut discipulo gladium ligneum tribuit, magistro *ferulam.* Seneca ab hoc more ludit in Satyra Menippæa: *Eum proximo munere, inter novos auctoratos, ferulis vapulare placet.* Nam novi auctorati, novitii gladiatores, quos *ferula* aberrantes lanista cædebat, veluti legitimus magister. *Lips. Saturn.* I. 15.

FES.

FESCENNINA, sive *Fescennini* versus in urbe *Fescennina* primò inventi & acclamati, allati sunt. Serv. Æneid. VII. 695. *Fescenninum oppidum est Campaniæ, ubi nuptialia inventa sunt carmina. Fascinum* arcere putabantur. Festus: *Fescennini versus, qui canebantur in nuptiis, ex urbe Fescennina dicuntur allati, sive ideo dicti, quia fascinum putabantur arcere.* Hæc *Ferrar. de Acclam. & Plaus.* VI. 23. *Brisson. de Rit. nupt. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1047. *D. Buleng. de Theat.* I. 9. *Gyrald. de Poet. dial.* I. *Oper. Tom.* II. *p.* 48. *F. Laurent. de Sponsal. & nupt. c.* 1. *Casal. de Rit. nupt. c.* 1. *de Urb. ac Imper. Rom. splend. p.* 2. *c.* 16. *Salmuth. in Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p.* 689. *Merul. Cosmogr.* II. 4. 21. *Kipping. Ant. Rom.* IV. 2. §. 3. *Blond. Triumph. Rom.* VIII. *p.* 161. *B. Schill Nomencl. Philol. p.* 511. Temerè compositi & rudes nascentia adhuc Romanæ poeseos primordia fuere. Illos casci illi homines in conventibus suis, ac festis sollennibus post fruges conditas, & labores rusticos exactos, sacrificiis operati, ut animum relaxarent, & sese jucunditati traderent, genio indulgentes inter epulas usurpabant, per ludum & jocum inter se jocularia dicta obscœnitate, & opprobriis referta jacentes. Horat. Epist. II. 1. 139.

Agricolæ prisci, fortes, parvoque beati
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus, & ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, & pueris, & conjuge fida
Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus & vino genium memorem brevis ævi
Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit.

Dacer. ad Festum. Ferrar. ibid. c. 22. Etiam vindemiatores dicacibus conviciis vel lacessebant prætereuntes, vel à prætereuntibus provocati se ulciscebantur. Horat. Sat. I. 7. 28.

Tum Prænestinus salso, multumque fluenti
Expressa arbusto regerit convicia durus
Vindemiator & invictus, cui sæpè viator
Cessisset, magna compellans voce cucullum.

Initio itaque in quoslibet identidem *Fescennini* versus jactabantur. Haud absurdè hoc colligitur ex Horatio. Testificatur etiam Macrob. Saturn. II. 4. *Fescenninos versus Augustum scripsisse in Pollionem.* Hinc ad nuptiales penetrarunt thalamos. *Ferrar. l. l.* Prodiderunt hoc Catull. c. LXI. n. 127.

Nec diu taceat procax
Fescennina locutio.

Senec. Contr. VII. 6. *Inter nuptiales Fescenninos in crucem generis nostri jocabantur.* Plin. XV. 22. V. illum infra in *Nux.* Ferrar. ibid. c. 21. Erant plenissimi dictis jocosis. Hinc dicuntur joci. Claudian. Epithal. Honor. & Mar. n. 31.

Permissisque jocis turba licentior
Exultet tetricis libera legibus.

Seneca modò laudatus. Sales & convicia. Lucan. II. 369.

Non soliti lusere sales, nec more Sabino
Excepit tristis convicia festa maritus.

Procaces. Modò prolatus Catullus. Imo obscœni. Ovid. Fast. III. 675.

Nunc mihi cur cantent, superest, obscœna puella,
Dicere: nam coeunt, certaque probra canunt.

Varro

Varro Agathone apud Non. IV. 330. *Pueri obscœnis verbis novæ nuptæ aures returant*. Ferrar. ibid. c. 24. Pier. Hierogl. XL. 42. Jun. Adag. p. 318. Schott. in Senecæ controversias. Brisson. Casal. & Laurent. l. l. Jactabantur à pueris. Festus in Prætextam: *Alii quod nubentibus depositis prætextis à multitudine puerorum obscœna clamentur*. Varro modò laudatus. Et puellis. Ovidius jam allatus, tunc maximè cum ad virum ducebatur sponsa. Hieron. Epist. ad Demetriad. hoc confirmat. Nam inibi nuptiales aliquot ordine percurrens, cum novæ nuptæ ad maritum deductionem nominasset, *Fescennios* illico commemorat: *Quam habitura pronubam? quo deducenda comitatu? stridor Punica lingua procacia tibi Fescennina cantabit*. Ferrar. ibid. c. 26. Acclamabantur verò ad omnino avertendum & depellendum *fascinum*, quod habebant etiam laudes, quibus novam nuptam solebant ornare. Ita Julia Manlio nupta laudatur à Catullo in carmine nuptiali. n. 86.

Flere desine, non tibi
Aurunculeja periculum est,
Ne qua femina pulcrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
Talis in vario solet
Divitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.

Et subjicitur n. 127.

Nec diu taceat procax
Fescennina locutio.

Ferrar. ibid. c. 25. Laurent. l. l.

FESTRA erat ostium minusculum in sacrario Capitolii. Macrob. Sat. III. 12. *Antonius Gnipho in eo volumine, quo disputat quid sit festra: quod est ostium minusculum in sacrario: quo verbo etiam Ennius usus est*. Rycq. de Capitol. c. 44. Struv. Ant. Rom. c. 11. p. 516.

FESTUCA dicebatur virga prætoris, quæ manumittendis à lictore imponebatur: à Græcis κάρφος nuncupatur. Plaut. Mil. IV. I. 15.

Ean' ingenua, an festuca facta è serva libera est?

Pers. Sat. V. 175.

Non in festuca lictor quam jactat ineptus.

Politian. Miscell. c. 98. Voss. Lex. Etymol. Taubm. in Plautum. Causaub. in Persium. Ræward. Var. IV. 9. Faber. de Magistr. Roman. p. 196. Ouzel. in Gell. XX. 10. Vocabatur etiam vindicta. V. illam infr. in *Vindicta*.

FESTUM ancillarum, ob liberatam ipsarum ingenio ab hoste patriam, Nonis Julii à senatu institutum. *Tomas. de Donar. c.* 38. V. illud infr. in *Juno Caprotina*.

Festum Cybeles hoc modo celebrabant ejus sacerdotes. Primo ejus die, qui erat a. d. IX. Kal. April. Galli comam jactantes crebris ictibus lacertos cruentabant: atque is dies sanguinis dicebatur. Proximus magna omnium lætitia celebrabatur, eoque Hilaria dictus. Tertio quiescebant. Quarto, qui erat a. d. VI. Kal. April. simulacrum ejus carpento impositum Almonis aqua abluebant. Hic lavatio, ille requietio dicebatur. Kalendarium Romanum Constantini ævo exaratum. XI. *arbor intrat*. X. *tubilustrium*. IX. *Kal. April. sanguen*. VIII. *Hilaria*. VII. *requetio*. VI. *lavatio*. Quem locum illustrat Julian. Orat. V. p. 168. C. *Sacram arborem succidi illo ipso die ferunt, quo sol supremam æquinoctiorum apsidem attigit: altero die tubarum clangore perstrepunt: tertio sacra & arcana dei Galli messis putatur. Secundum hoc, ut ajunt, Hilaria, festique dies succedunt*. Sacra hæc arbor erat pinus. V. singula suis locis. *Vales. in Ammian.* XXIII. 3.

Festum Fortunæ muliebris Kal. Decembr. celebratum est ob sublatum eo die bellum. *Jun. Fast. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 256. *D.*

Festum Jani Kalendis Januarii vicatim celebrabatur. Erat moris, ut civis, qui vestimento pretiosiori, quod sumebant *festorum* tempore, destitueretur ad cohonestandum *festum*, aut Urbe illo die abesset, aut domi inclusus lateret. Ad hæc, lætitiæ declarandæ causa, ponebant illo die multos super ædes lychnos, crebras accendebant ante fores pyras, multas agebant pantomimi ad populum oblectandum comœdias, & ludos histriones. Pervigilium quoque indicebatur in templis. Omnes eo die liberabantur, qui æris alieni causa in nervo erant, dissolutis ex ærario publico debitis. Mensæ illo die ponebantur convivis ad januam, cum maxima epularum abundantia, ut plura essent, quæ superessent, quàm quæ absumebantur. Ac ne quid deesset, quo minus omnium rationibus provideretur, omnes illo die pauperes investigabantur, ut in summa rerum omnium copia viverent. Erat enim lex veterum, ut nemini fas esset publicè *festum* agere, nisi omnibus prius vici sui pauperibus prospexisset. Putabant enim Romani, si illum diem genialiter agerent, Janum temporalium deum ab omni ipsos penuria liberaturum, Janum deum gratissimum esse dictitantes, qui exiguum sibi impensum cumulatissimè remuneraretur. Itaque frequentes die Jani *festo*, non tamen omnium promiscuæ indicebantur supplicationes, sed seorsim senatores, flamines, censores, plebeji, matronæ, virgines vestales; at omnes legati, peregrini cum captivis supplicatum ibant. Mos autem erat Romæ, ut illo die togam Imperator insigne imperii indueret, & quotquot è captivis manu illam poterant tangere, liberabantur, venia facinorosis data, & exsulibus exsilio remisso. Nunquam enim principes Romani *festum* illud celebrabant, quin singulare aliquod clementiæ, aut munificentiæ specimen ederent. *Lipen. de Stren. c. 2. sac. at. §.* 18. *Perion. de Magistr. Græc. & Rom.* III. *Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2807. *C.*

Festum Vestæ erat a. d. V. Iduum Junii. Illo passim convivia agitabantur, asini floribus coronati, & velut monilia è panibus minutis constricta ferentes, per Urbem circumducebantur, molæ sertis impositis ornabantur. Ovid. Fast. VI. 307. V. illum infr. in *Mola asinaria*. Kipping. Antiq. Rom. I. 10. §. 5. Hospin. de Fest. p. 180. Rosin. Antiq. Rom. IV. 10. Hering. de Molendin. q. 2. §. 28.

Festum vindemiale non aliud esse mihi persuasum, quàm sacra Liberi, quæ C. Cæsar primus Romæ celebravit. Autumno adulto celebrabatur. Tacit. Ann. l. XI. 31. 4. *Messallina non aliàs solutior luxu, adulto autumno, simulacrum vindemiæ per domum celebrat*, id est, mense Octobri. Ita etiam signatum eo mense in horologio veteri: VINDEMIÆ SACRUM LIBERO. Etsi Athenienses mense Novembri celebrasse in Philostrati IV. legi. De ipsa re Ser. Ecl. V. 30. *Hoc apertè ad Cæsarem pertinet, quem constat primum sacra Liberi patris transtulisse Romam*. Ideo nummus percussus Cæsari, in cujus parte C. VIBIUS. RUFUS. & impressa ara, cui persona histosia imposita, item thyrsus, & tigris adjuncta ad memoriam non dubiè hujus rei. Lamprid. Heliog. c. 11. *Cum ad vindemiam vocasset amicos nobiles, & ad corbes sedisset, gravissimum quemque percontari cœpit, an esset promptus in Venerem: posteaquam senes vidit erubescere, conclamavit se ad juvenes: à quibus cum audiret ætati congrua, gaudere cœpit, & dicere vere liberam*, emendo *Liberi*: in eo enim lusum, quasi in ea libertas vindemialis digna verè Libero deo, *vindemiam esse, quam sic celebrarent. Ferunt multi ab ipso primum repertum, ut in vindemiarum festis multa in dominos jocularia & audientibus dominis dicerentur*. Videtur ritus postea imperii fuisse, ut Princeps extra urbem dies aliquot lasciviret, & vacaret huic vindemiali *festo*. Paull. Diacon. de Gest. Longobard. III. 6. *Procedente itaque Tiberio ad villam, ut juxta ritum imperialem triginta dies ad vindemiam jocundaretur. Magnam coronam* dictum esse suspicor ex Tertull. de Coron. Milit. c. 7. *Sed & alias Liberum principem corona plane laurea etiam vulgus agnoscit, cum dies in illum sollennes magnam appellat coronam*. Lips. in Tacit. n. 125.

Festum Virtutis & Honoris quo die olim cultum sit, nec veterum scripto, nec marmorum tabulis expressum inveni. De hoc ita scribit Dio LIV. p. 535. C. *Festum, quod Virtutis & Honoris celebrabatur, in eum diem, quo hodie agitur, transtulit*. Verùm quo die olim celebratum, & in quem diem translatum sit, non addit. *Siccan. in Kust. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 70. *F.*

FIB.

FIBRÆ *dicuntur rei cujusque extremitates: sicut Cicer. in Pison. c. 11. Fibra cincinnorum madentes. & Tusc. Quæst. III. 6. Non solum ramos miseriarum amputare, sed omnes radicum fibras evellere. Unde & jocineris extremæ partes fibræ à nonnullis appellantur.* Serv. Georg. 1. 120. Illas observabant extispices. Ovid. Trist. 1. 10. 13.

Hac mihi non ovium fibra, tonitruve sinistri,
Linguave servata pennave dixit avis.

Buleng. de Sort. c. 6. Brisson. de Form. 1. p. 20. Ferrar. de Re vest. II. 1. 19. Voss. Lexic. Etymol.

FIBULA architectonica est ferramentum, quo tigna conjunguntur. Quod comprobasse videntur, qui *confibulam* quoque ferrum dicunt, quo lapides quadrati, & tigna inter se conjunguntur. Inde *confibulare* apud Isidorum in Glossis. *Rhod. de Acia c. 4. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 11. de Insign. & Fib. c. 4.* talea, & velut lignea, sic appellem, ancora immissa ad ligandum. *Lips. Poliorc. 11. 5.* vinculum, & velut clavus, quo vel tigna inter se, vel arbores connectuntur. *Turneb. Adv. VIII. 6. Philand. in Vitruv.* 1. 5. Utrum quadratum quoddam ex firmissima materia vinculum, quo bina tigna cum media trabe revinciuntur? an adminiculum ejusmodi, cui in cruce tau Gallici transversum lignum innititur? *Ramus de Milit. Cæsar. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. x. p. 1553. B.* Illatum meminerunt Cæs. de Bell. Gall. IV. 17. *Hæc*, tigna bina, *bipedalibus trabibus immissis, quantum eorum tignorum junctura distabat, binis utrimque fibulis ab extrema parte distinebantur: quibus disclusis, atque in contrariam partem revinctis tanta erat operis firmitudo, atque ea rerum natura, ut quo major vis aquæ se incitavisset, hoc arctius illigata tenerentur.* Vitruv. 1. 5. *Uti utraque muri frontes inter se, quemadmodum fibulis, his taleis colligata.* Lips. & Rhod. l. l.

Fibula chirurgica. Hanc verbosius explicant *Rhod. de Acia c. 7 —— 13.* & *Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Roman. 75.*

Fibula gymnastica, sive theatralis, quæ cantoribus & comœdis inserviebat, ut illorum virilia conservandæ vocis gratia coercerentur, illique à Venere arcerentur, fuit annulus, sive circulus æreus, vel argenteus, quo trajiciebatur cuticula, eam partem operiens, quam exerceri nolebant. Non quidem, ut falsò creditum est quibusdam, totum membrum, unde procreamur, transfigebat, sed tantùm cutem glandis velamen. Cels. VII. 25. *Infibulare quoque adolescentulos, interdum vocis, interdum valetudinis causa quidam consuerunt; ejusque hæc ratio est: cutis, quæ super glandem est, extenditur, notatur utrinque à lateribus atramento, qua perforetur, deinde remittitur .... Tum qua nota sunt cuti, acu filum ducente transuitur, ejusque fila capita inter se deligantur, quotidieque id movetur, donec circa foramina cicatricula fiant; ubi hæc confirmata exempto filo fibula inditur, quæ quo levior, eo melior est.* Hinc Mart. XII. 81.

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Ut sit comœdis omnibus una satis.

Pueros hoc modo custoditos, ne pubescens ætas in virilitatem præcipitaretur, docet Plin. XXXIII. 12. *Jam verò & pædagogia ad transitum virilitatis custodiuntur argento.* Quare Romanæ matronæ cantorum concubitus summopere appetebant, & magno redimebant. Juven. Sat. VI. 73.

Solvitur his magno comœdi fibula, sunt quæ
Chrysogonum cantare vetent.

Hi namque homines, cum majori pretio gratificarentur matronis, quàm vocem venderent, patiebantur se *refibulari*, etiamsi vox deterior fieret. Mart. XIV. 215.

Dic mihi simpliciter comœdis & citharœdis
Fibula quid præstet? carius ut coeant.

Non fuit itaque theca, & vagina ænea, quæ virorum partes tegeret, licèt dicat Mart. XI. 76. 1.

Theca tectus ahenea lavatur
Tecum Cælia servus.

n. 8.

Servo Cælia fibulam remitte.

Et VII. 81. 5.

Dum ludit media populo spectante palæstra,
Delapsa est misero fibula, verpus erat.

Nam apud illum est subligaculum, & potiùs *fibula* ipsius tutamen, cujus usus non ad custodiendam vocem: qui enim fieri poterat, si tam facilè removebatur, & sponte cadebat? sed honestatis causa adhibebatur, præcipuè à Judæis, ad celandam præcisionem, qui tamen non *infibulati*, nec enim poterant, cum pellicula carerent, quæ trajiciebatur; sed quia fermè, qui *infibulati* erant, etiam thecam hujusmodi, & alutam gestabant, sive ut laterent, sive ne nimio motu, atque incussu annulus cutem læderet, sive aliam ob causam. Propterea impropriè Martialis *fibulam* appellavit, quæ *fibula* non erat, certè nullus in ea *fibula* usus, qui erat Venerem arcere: atque hujusmodi theca, sive vagina ex aluta, & removeri facilè poterat, & sponte labebatur. Cum præterea Celsus supra dixerit, *fibulam meliorem quo levior*: at hæc quæ ad celandum inventa adeo gravis, ut *Judæum pondus*; quo recutitorum inguina tegebantur, appellaverit Mart. VII. 43. 1.

Inguina succinctus nigra tibi servus aluta
Stat, quoties calidis tota foveris aquis.
Sed meus, ut de me taceam, Lecania, servus
Judæum nulla sub cute pondus habet.

Ferrar. de Re vest. II. 1. 18. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 11. de Insign. & Fib. c. 4. Buleng. de Theat. II. 6. de La Chausse de Tesser. tab. VII. Pignor. de Serv. p. 155. Rhod. de Acia c. 6. Voss. Lex. Etymol. Dalechamp. in Plin. XXXIII. 12.

Fibula vestiaria, Græcis *περόνη*, & *πόρπη*, monente Didym. in Odyss. Σ. 292. propriè est ornamentum cinguli, qua per annulum pars cinguli retinetur, ad vestem subligandam. Accuratius forsan Isidor. XXIX. 31. *Quod pectus feminarum ornat, vel pallium virorum in humeris, cingulum in lumbis firmat.* Similiter vetustissimum anonymi in bibliotheca Ambrosiana MSC. *Fibulæ sunt, quibus pectus feminarum ornatur; à viris in humeris, seu cingulum in lumbis, portantur.* Jure in humeris. Etsi enim plerumque in dextro, nonnunquam tamen in altero hærebant, modò vetustioribus statuis fidendum. Et ita Pollux VII. 13. *Tunica aperta fibulis circa humeros connectebatur.* Eo ferè modo puer, qui Mercurium in scena referebat, *ephebica chlamyda sinistrum tegebat humerum.* Apul. Met. x. p. 345. Rem aperiunt Sophocl. Trachin. n. 933.

Hæc cum dixisset, mox celeri manu
Vestem suam solvit, qua aurea
Mamillas coercebat fibula, totumque nudavit
Latus, ac sinistrum humerum.

Ælian. Var. 1. 18. *Tunicarum eam partem, quæ est ab humeris usque ad manus, non consuebant; sed continuis fibulis aureis, & argenteis constrinxere.* Hæ usque ad intimam utriusque partis oram plerumque nodis, ac *fibulis* constringebantur: imo vestis reliqua in pectore. Claud. in Eutrop. II. 183.

—— post terga reductas
Uberibus propior mordebat fibula vestes.

Rhod. de Acia: c. 5. Casal. de Urb. ac Imper. Rom. splend. part. 2. c. 11. In antiquis monumentis ferè orbiculari figura apparent in medio ad instar bullarum protuberantes, ut scilicet in interiori parte duobus uncinulis utraque vestis pars necteretur. Sive duo semicirculi, aut virgulæ incurvæ vestimentis hinc inde aptarentur, quæ committerentur, & injecta acu jungerentur. *Ferrar. de Re vest.* II. 17. Conspiciuntur etiam formæ quadrangulæ, equi, hinnuli, avis, delphini, cochleæ, & anguium specie. *Casal. de Insign. & Fib. c. 4.* Superius annexa in sinum fundebat togam *fibula*, instar veli vento inflati. Interiùs, & in extrema parte grandiorem habet acum, cum æreo, aut aureo filo: quo efficiebatur, ut illa absque ulla difficultate quasi fluctuans vagaretur, ipsius præsertim acus cuspide in canalicula, quæ in altera *fibulæ* parte erat, impressa. Facta erat potissimum in eum finem, ut togam supra dextrum humerum connecteret: in quo duæ illius partes subjectam acum in dicta canalicula stringebant. Nec enim adsuta panno *fibula*, sed duas togæ partes adstringendo, non verò transfigendo subnectebat. Quapropter

supra

supra *fibulam* nodus quidam conspiciebatur ex toga, quæ cum venustate & elegantia dilatabatur. *Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 312. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. v. 31. de La Chausse de Tesser. tab. vii. Rhod. & Casal. l. l. Pignor. de Serv. p.* 152. Fiebat ex ferro, orichalco, argento, auro, aut quovis metallo: infimæ sortis hominibus propria erat ferrea, ænea. Festus: *Infibulati sacrificabant Flamines propter usum æris antiquissimum æreis fibulis*. Mediocris fortunæ milites manipulares in baltheis, aut phaleris argenteis utebantur, donec Aurelianus iis aureas indulgeret. Vopisc. Aurelian. c. 46. Ditioribus postea Leonis Augusti decreto concedebatur aurea: Principibus frequentior. Ita Didoni Æneid. iv. 139.

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Quin & gemmis distinctæ fuerunt. Virg. Æneid. v. 312.

—— lato quam circum amplectitur auro
Baltheus, & tereti subnectit fibula gemma.

Claud. de Rapt. Proserp. ii. 40.

Collecta teretes nodantur jaspide gemmæ.

Panciroll. ibid. p. 314. Casal. Demster. & Rod. l. l. Aureæ & gemmeæ originem ex veterum Hebræis processisse satis probabile est; nempè supremo sacerdoti dilecti populi tali magnificentia sub mysterii velo adornatam imperabat Dominus: quod Reges deinde fuerunt imitati, penes quos diu sacrorum jus mansit, ac postea Imperatores ac primates, donec tandem crescente in dies luxu singularis *fibularum* usus in communem transiret. Continebat quoque capillitium. Lucian. dial. de Domo: *Aliqua fibula, vel tænia comam diffluentem colligans*. De hac fortè Virg. Æneid. x. 137.

—— fusos cervix cui lactea crines
Accipit, & mollis subnectit circulus auro.

Casal. & Rhod. l. l. Feminarum mundo annumerabantur. Prudentius illum denarrans Psychom. n. 448.

—— crinalis acus, redimicula, vitta,
Fibula, flammeolum, strophium, diadema, monile.

Plin. xii. 19. *Revehunt vitrea, & ahena, vestes, fibulasque cum armillis & monilibus. Ergo negotiatio illa feminarum maximè fide constat.* xxxiii. 1. *Fabricam etiam deum fibulas, & alios muliebris ornatus.* Demster. Rhod. & Casal. l. l. In virtutis præmium, & benefactorum gloriam tribuebantur, vel tribunis. Plin. xxxiii. 3. *Sed in militia quoque ita tantum adolevit hæc luxuria, ut M. Bruti in Philippicis campis reperiantur frementes, fibulas tribunitias ex auro geri.* vel puerulis, quos ad virtutem erigere, & incitare volebant. Liv. xxvii. 19. *Puerum annulo aureo, tunica laticlavia, Hispano sagulo, & aurea fibula ornatum donat.* Demster. l. l. Casaub. ad Vopisc. Aurelian. c. 46. De *fibulis* tribunitiis V. *Ferrar. ibid. c.* 16. Erat inter præmia equestria. Liv. xxxix. 31. *Quintius alter prætor suos equites catellis, ac fibulis donavit.* Hugo de Milit. Equest. v. 1.

FIC.

FICANA via. V. illam infr. in *Via*.

FICEDULA recensetur inter saluberrimas aves: utitur enim saluberrimo alimento. Mart. xiii. 48.

Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus uvis,
Cur potius nomen non dedit uva mihi?

Unde etiam autumno sunt longè suaviores, & obesiores, ubi ficus sunt maturæ. Athen. ii. 65. B. Συκαλὶς *vocatur ficedula, quæ capitur, cum ficus sunt maturi*, ut hunc locum supplet Casaub. Anim. ii. 24. Erant deliciæ hominum gulæ natorum. Juven. Sat. xiv. 7.

—— qui radere tubera terræ,
Boletum condire, & eodem jure natantes
Mergere ficedulas didicit nebulone parente.

Ex illis non solis clunibus, ut reliqua avium, sed totæ placebant. Gell. xv. 8. *Præfecti popinæ negant ullam avem, præter ficedulam, totam comesse oportere. Cæterarum avium, atque altilium, nisi tantum apponatur, ut à clunaculis inferiori parte saturi fiant, convivium putant inopia sordere; superiorem partem avium, atque altilium, qui edunt, eos palatum non habere.* Conditturam illius exhibet Trimalcio apud Petron. c. 33. *Persecutus putamen manu, pinguissimam ficedulam inveni piperato vitellio piperatam.* Castellan. de Esu carn. iv. 16. Kobierzyck. de Lux. Roman. ii. 11. Bochart. Hieroz. ii. 1. 14. Bruyer. de Re cibar. xv. 44. Nonn. de Re cibar. ii. 31. Buleng. de Conviv. ii. 8. Bellon. de Nat. avium vii. 17. Gesner. de Avib. iii. 5. Gonsal. in Petronium. Grang. in Juvenalem. Pitisc. in Svet. Tib. c. 42. n. 6.

FICELIÆ fuit locus in monte Quirinali, in quo habitavit Nepos vicinus Martialis apud illum vi. 27. 1.

Bis vicine Nepos; nam tu quoque proxima Floræ
Incolis, & veteres tu quoque Ficelias.

Donat. de Urb. Roman. iii. 15. Sed Martialis agit de duplici vicinia: quod in uno loco vicove fieri, factumque fuisse vix verisimile est. Quare prima vicinia fuit domus ad Floræ circum: & quoniam unicam tantùm se domum in Urbe habere, & unum exiguum urbanum Domitiano indicat ix. 19. 1.

Est mihi, sitque, precor, longum te præside, Cæsar,
Rus minimum; parvi sunt & in Urbe lares.

Altera non alia esse potuit quàm in *Ficeliis*, ruris illius suburbani. Sicut in *Ficeliis*, qui locus ubi fuerit ignoratur, Nepos & Martialis vicina habuerint prædia, in Urbe verò domos. *Nardin. Rom. Vet.* iv. 9.

FICTILIA non tantùm in pauperiorum ædibus, sed etiam in opulentiorum conviviis olim usurpabantur. Tib. i. 1. 31.

Fictilia antiquus primus sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto.

Val. Max. iv. 3. 7. *Cui consulatum gerenti, cum Ætolorum gens omnia ejus vasa argentea, magno pondere, & exquisita arte fabricata per legatos misisset, qui superiori tempore gratulandi causa ad eum profecti retulerant, fictilia se in ejus mensa vasa vidisse, moniti ne continentiæ quasi paupertati succurrendum putarent, cum suis sarcinis abire jussit.* Auson. Epigr. viii. 1.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

adeoque etiam in deorum immortalium fanis, ac sacrificiis solennibus. Senec. Epist. 95. *Tuberonis ligneos lectulos, & cum in publicum sterneretur, hædinasque pro stragulis pelles, & ante ipsius Jovis cellam: proposita convivio vasa fictilia, quid aliud est, quàm paupertatem in Capitolio consecrare? .... Omnium illorum aurum argentumque fractum est, & millies conflatum, at omnibus seculis Tuberonis fictilia durabunt.* Cicer. Parad. 1. *Quid autem Numa Pompilius? minusne gratas diis immortalibus capedines, ac fictiles urnas fuisse, quàm delicatas aliorum pateras arbitramur?* Dionys. ii. p. 93. *Libationes etiam vasis non argenteis, aureisve infusas vasis, sed culignis, & gutturniis testaceis.* Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Rom. v. 30. Buleng. de Conviv. iv. 11. Stuck. Ant. Conviv. iii. 12. Marlian. Topogr. Urb. Rom. iv. 1. Brod. Misc. v. 19. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 361. Baccius de Conviv. iv. p. 168. Brouckh. in Tibullum. Torno etiam accurabantur. Plin. xxxv. 12. *Aut quæ rota fiunt, etiam fictilibus doliis, ad vina excogitatis .....* Mart. xiv. 102. 2.

Et Surrentina leve toreuma rota.

Buleng. ibid. c. 16. Rader. in Martialem. Et à tenuissima subtilitate laudantur. Plin. l. l. *Hocque in templo* Capitolino *ostenduntur amphoræ duæ propter tenuitatem consecratæ, discipuli magistrique certamine, uter tenuiorem humum duceret.* Kobierzyck. de Lux. Roman. ii. 10. Pice liquida illinebant, ne liquorem infusum æstate exsudarent: hinc vasa picata, testæ picatæ apud scriptores celebratæ. *Laurent de Fistul. c. 3.* V. infr. in *Pix*.

FICTOR est, qui ex argilla statuas & signa facit, Græcè πλάστης. Varr. de Ling. Lat. vi. 3. *Fictores dicti a fingendis libis.* Hinc Cassius Parmensis apud Svet. Aug. c. 4. n. 5. Hanc finxit *manibus collybo decoloratis Nerulonensis mensarius*. Salmas. Exercit. Plinian. p. 737. b. E. Casaub. in Svetonium. De *Fictoribus* pontificum, illorumque discipulis, inscriptio reperitur, quæ illos enumerat inter sacrorum ministros:

T. STA-

T. STATILIUS. CALOBÆRUS. NO-MENCL. CUM. STATILIO. DIONYSIO. TRIB. XVI. FLAVIÆ. ET. STATILIO. MYRONE. DISSIGNATORE. SCANAR. FILIIS. ET. STATILIO. DIONYSIO. DISCIPULO. FICTORUM. PONTIFICUM.

Hi sacrorum ministri ingenio nobis *fingendi* sunt, utemurque artifice Servio, qui Æneid. IV. 512. docet in sacris aliquando simulata pro veris accipi. Unde cum de animalibus, quæ difficilè inveniuntur, sacrificandum esset, de pane, vel cera fiebant, & pro veris accipiebantur. Sic Virg. l. l.

Sparserat & latices simulatos fontis Averni.

Quæ simulatio tenuioris fortunæ hominibus concessa est. Illi enim cum nullum animal sacrificare possent, taurum è farina fingebant. Et *Tauri verbenaque in commentario sacrorum significant ficta farinacea* apud Festum. Et hinc *fictores* pontificum dicti, qui de pane, vel cera simulatas hostias faciebant. *Guther. de vet. jur. Pontif.* II. 54. *Dacer. in Festum.*

Ficus Navia dicebatur, quam Tarquinius Priscus in Comitio posuit eopse loco, ubi Accius Navius miraculum cotis novacula sectæ exhibuit. Festus: *Et ficum ab eo satam ibi esse intra id spatium loci, qui contentus fine sacro sit, eamque, si quando arescere contigisset, subseri, sumique ex ea surculos jussisse: quo facto tantos intra temporis tractus, cum alia in eo loco complures ficus enata essent, atque ea avulsa deinde de sacro illo loco radicitus removerentur omnes, qua ibi tunc temporis erant, ficum præter unam illam, ejectas fuisse admonitu fatali, ac jussu in primis aruspicum; & divinis etiam responsis promittentibus, quamdiu ea viveret, libertatem populi Romani incolumem mansuram: ideoque coli, & subseri ex illo tempore cœptam.* Dionys. III. p. 104. miraculum hoc in foro factum refert, ubi ejus tribunal erat: eumque locum puteum fuisse appellatum, statuamque à Rege Accio in loco positam. Ad hoc respondetur, miraculum illud in foro accidisse, sed juxta comitium, cui Tarquinii tribunal vel conjunctum, vel vicinum fuit. Hinc Accio statua posita est in gradibus comitii, qui in forum porrigebantur: atque ita *ficus* justa Dionysium in foro fuisse posita dici potuit. Etiam in foro simul & in comitio fuisse dici commodè potuit, si ea in fori planitie ad initium comitii sata fuit. Plin. XV. 18. *Ficus* arbor in foro ipso ac comitio Romæ nata, sacra fulguribus ibi conditis. *Nardin. Rom. Vet.* V. 3.

Ficus Ruminalis fuit arbos vetustissima in Palatino, sub qua Romulus & Remus infantes expositi, juxta Liv. I. 4. secundum Varronem verò flumine exundante eò delati, à lupa educati fuerunt. Victor in regione fori ita eam recenset: *Ficus Ruminalis in comitio, ubi & Lupercal*, Serv. Æneid. VIII. 90. *Ficus Ruminalis, ad quam ejecti sunt Romulus & Romus, quæ fuit, ubi nunc est Lupercal, in circo.* L. in comitio: *hac enim labebatur Tiberis.* Tacit. Annal. XIII. 58. 5. *Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quæ super octingentos & quadraginta annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus, & arescente trunco deminutam prodigii loco habitum est.* Festus ad curiam eam modò posuit. E quibus conficitur in comitio fuisse propè curiam, ut & ad Germalum, & Lupercal; quamquam hæc duo diversæ regiones fuerunt. Quare crassi erroris hinc Pomponius Lætus convincitur, qui eam propè rotundam ecclesiam S. Theodori collocat, contra Lupercal, sub Capitolio. Omittemus & aliorum somnia, verum ejus situm ex ædificiorum positu reliquorum ostendisse contenti, secundum quem comitium, uti verisimile est, ampliore spatio, quàm curia, ad latus australe post curiam aliquantulum loci habuit, quo loco *ficum* Ruminalem fuisse ne dubitandum quidem videtur. Quod si autem illic, (ubi duas illas vias, quæ tres regiones IV. VIII. & X. dispescebant, compitum fuisse diximus, seu plateam decussatam) in angulo quartæ regionis Vulcanale fuit, & in angulo decimæ, sive boreali palatii Lupercal; in altero ex duobus angulis octavæ regionis post curiam, & è regione Lupercalis *ficus* Ruminalis fuerit necesse est: qui locus hodie designari potest, ab æde S. Mariæ Liberatricis occupatus, aut saltem in proximo. Atque ita *ficus* illa non supra antrum Lupercalis fuit, sed è regione, antro isti & infantibus umbram præbens: eaque de causa à Romanis lupæ illic effigies posita fuit duos gemellos lactantis. Liv. 2. 23. *Eodem anno Cn. & Q. Ogulnii ædiles curules ad ficum Ruminalem simulacra infantium conditorum Urbis sub uberibus lupæ posuerunt.* Nardin. Rom. Vet. V. 3. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 7: II. 12. Donat. de Urb. Rom. II. 58. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 58. Columna in Ennium p. 55. a. f. Hanc Romani colebant maxima veneratione; haud secus ac Samii viticem, quæ multis seculis ab eis in Junonis templo custodita fuit: quoniam sub ea Junonem editam fuisse perhibebant. Plin. XV. 18. *Colitur ficus arbor in foro ipso, ac comitio Romano nata, sacra fulguribus ibi conditis, magisque ob memoriam ejus, quæ nutrix fuit Romuli, ac Remi conditoris, Ruminalis appellata; quoniam sub ea inventa est lupa infantibus præbens rumen: ita vocabant mammam.* Addidimus huic loco vocem *Ruminalis*, quæ in Plinii exemplaribus videtur deesse. *Columna l. l.* Eandem esse cum *ficus* Navia contendit *Scalig. ad Festum*; sed pluribus negat *Salmas. Exercit. Plin. p.* 800. *a. E.* Dissertationes illorum fusiores hæc charta non admittit, & ad integros fontes lectorem ablegare satius esse duximus, quàm illos in compendium contrahere.

Ficus Velabrensis in Velabro à P. Merula statuitur. De illa Mart. XI. 53. 9.

Altera non deerunt tenui versata favilla,
Et Velabrensi massa recocta ficus,

Ubi quum de massa *ficubus* recocta Poeta loquatur, non de arbore, sed de fructu potius illud accipiam, qui illic venditus. Verùm præferenda alia lectio: *recocta foco.* Et admittenda Janvinii expositio, de caseo ibi fumo indurato. Sed & de massa, quæ illic recocta & vendita fuerit, accipi potest. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 4.

FID.

FIDELIA est vas Samnium ad usus plurimos. Plaut. Aul. IV. 2. 15.

Mulsi congialem plenam tibi faciam fideliam.

Buleng. de Conviv. IV. 56. Nostri *fillettam* appellant. Pers. Sat. III. 74.

— nec invideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penus.

Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1475. B. Solebar cum pipere, perna, & orca mænæ, & ejusmodi tenuibus munusculis, quæ addit Satyricus patronis, & causidicis avarioribus donari. *Casaub. ad Persium.*

FIDENÆ *stadiis quadraginta in agro Sabino à Roma fuit dissita, urbs magna & populosa. Illam Albani condiderunt, eodem quo Nomentum & Crustumium tempore, tribus fratribus colonias deducentibus; quorum natu maximus Fidenarum fuit conditor. Hanc Romulus Romanam fecit coloniam.* Dionys. Ant. Rom. II. p. 116. *Missis ad eam incolendam duobus millibus quingentis civibus Idibus Aprilis.* Plutarch. Romul. p. 32. E. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 5. *Cluver. Ital. Ant.* II. 9.

FIDENAS fuit cognomen L. Sergii, qui ab urbe *Fidenis* sic dictus est. Liv. IV. 17. *L. Sergius Fidenas; à bello credo, quod deinde gessit, appellatus. Hic enim primus cis Anienem cum Rege Vejentium secundo prælio conflixit, nec incruentam victoriam retulit.* Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Glandorp. Onomast. p. 789.

FIDENATES sæpè victos postremò Mam. Æmilius Mamercinus dictator III. anno Urbis 328. delevit. Liv. IV. 31. *Ubi Fidenatium populo rebellare placuit, & tanquam nisi ab scelere bellum orsuri nefas esset, sicut legatorum antea, ita tunc novorum colonorum cæde imbutis armis, Vejentibus sese conjungunt.* In eos dictator exercitu abducto, castra & urbem eorum cepit, atque diripuit. *Panvin. Imper. Roman.* c. 3.

FIDES dea à Romanis est culta. Cicer. de Nat. Deor. II. 23. *Tum res ipsa, in qua inest vis major aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa vis nominetur deus, ut Fides, quam in Capi-*

tolio

eblis dedicatam videmus proximè à M. Æmilio Scauro; ante autem ab Attilio Calatino erat Fides consecrata. Sine cæde, ferro & sanguine res *Fides* fiebat. Sacerdotum manus velabantur panno, quia *Fides* tecta esse debet & velata, & ob secretum *Fidei*. Apul. Met. III. p. 96. *Sed proh Jupiter, & secreta Fides numina.* Sil. Ital. II. 486.

Justitiæ consors, tacitumque in pectore numen.

Ipsa alba veste vestiebatur, quia recta & candida esse debet. Horat. Od. I. 35. 21. V. illum supr. in *Color albus.* Ostendebatur interdum in denariis, duabus junctis manibus, interdum imagunculis duabus dextram dextræ jungentibus. Ad quod allusit Virg. Æneid. VIII. 150.

Accipe, daque fidem.

Ortel. Deor. & dear. cap. II. 49. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 23. Panvin. de Lud. Circens. I. 3. & ad illum Argolus. Gyrald. Synt. deor. I. pag. 29. D. Struv. Antiq. Roman. cap. I. p. 143.

Fides Attica est incorruptissima in Diogeniani collectaneis. Athenis enim erat templum *Fidei* deæ, cujus meminit Plaut. Aul. III. 6. 46.

Nunc hoc mihi factum est optimum, ut te auferam,
Aulam in Fidei fanum: ibi abstrudam probe.

Clarè Vell. II. 23. 4. *Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ à Sulla captæ sunt, imputat Atheniensibus, nimirum veri vetustatisque ignarus est: adeo enim certa Atheniensium in Romanos fides fuit, ut semper, & in omni re, quicquid sincera fide peteretur, id Romani Attica fide fieri prædicarent.* Hansen. de Jurejur. vet. c. 14.

Fides erat etiam insigne navis. Inscriptio:

D. M.
C. SENIO. SEVERO. MANIPULARIO
EX. III. FIDE. NATIONE. BESSUS

Hansen. de Jurejur. vet. c. 1.

FIDEICOMMISA appellabantur, quæ *Fidei* hæredis, ut ea redderet, committebantur: ut siquid ei testator datum vellet, cui per leges capere non licebat. Itaque non jubebatur hæres, sed rogabatur. Horum duo genera, unum quo res singulæ, veluti vestis, aut fundus relinquebantur; alterum, quo universæ, ut hæreditas transferebantur: ut *L. Titius heres esto. Pete abs te L. Titi, ut meam hereditatem C. Sejo restituas.* Sigon. de Judic. I. 4. *Fideicommissorum* originem tradit Justinian. Instit. II. 23. §. 1. *Sciendum*, inquit, *est omnia fideicommissa primis temporibus infirma fuisse, quia nemo invitus cogebatur præstare id, de quo rogatus erat. Quibus enim non poterant hereditatem, vel legata relinquere, si relinquebant, Fidei committebant eorum, qui capere ex testamento poterant hereditatem.* Quæ verba ita interpretatur Theophilus, ut ea de peregrinis intelligat. Evenisse enim nonnunquam ait, ut civis Romanus parentes, aut cognatos peregrinos haberet, qui cum ex testamento neque hæreditatem, neque legata consequi possent, rogabantur hæredes, qui testamenti factionem haberent, ut his legata, aut hæreditatem restituerent. *Augustin. de Legib. in Junia Norbana. Falconer. Dissert. de pyram. C. Cest. Epul. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1478. F.* Relinquebantur his verbis: *jubeo, rogo, volo, mando, fidei committo.* Justinian. l. 2. C. commun. de legat: *Omne*, inquit, *verbum significans testatoris legitimum sensum, legare, vel fidei committere volentis, utile atque validum est, sive directis verbis, quale est JUBEO forte, sive precariis utatur testator,* ROGO, VOLO, MANDO, FIDEI COMMITTO. *Brisson. de Form. VII. p. 669.*

Fideicommissa tacita sunt, cum alicujus fides eligitur, quæ quod in testamento relictum est, alteri qui capiendi jus non habet, restituturum se testatori promisit: Vel quoties quis neque testamento, neque codicillis rogatur, sed domestica cautione, aut chirographo obligatus, ad præstandum ei, qui capere non potest, sese obligat, l. 1. & 3. ff. de jur. fisc. & l. in tacit. 103. ff. de legat. & fideic. 1. Sic in jure dicitur, *tacitam fidem accommodare; tacitam pecuniam apud se habere, quæ refundi debeat: & mutuam pecuniam tacitam accipere.* Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 25. Brisson. de Form. VII. p. 674. Sigon. de Judic. I. 4.

FIDEICOMMISSARIUS dicebatur prætor, qui de *fideicommissis* jus dicebat. Pompon. l. 2. §. 32. ff. de Orig. Jur. *Post deinde Claudius duos prætores adjecit, qui de fideicommissis jus dicerent.* Suetonius autem Claud. c. 23. n. 2. *Jurisdictionem de fideicommissis quotannis, & tantum in Urbe delegari magistratibus solitam in perpetuum, atque etiam per provincias potestatibus demandavit.* Sed hæc explicare est facile ex verbis Fabii, qui sic scribit III. 6. *Non debes apud prætorem petere fideicommissum, sed apud consules: major enim prætoria cognitione summa est.* Ulpian. Instit. tit. 25. *Fideicommissa non per formulam petuntur, ut legata: sed cognitio est Romæ quidem consulum, aut prætoris, qui fideicommissarius vocatur: in provinciis verò præsidum provinciarum.* Hotoman. de Magistr. Roman. I. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1878. F. Falconer. Dissert. de Pyram. C. Cest. Epul. Thes. Antiq. Roman Græv. Tom. IV. p. 1479. A. Brisson. de Form. V. p. 413. Pitisc. in Suetonium.

FIDEJUSSIO pertinebat ad stipulationem, & ut aliam obligationem confirmaret, erat instituta. *Fidejussionis* formula erat: *Centum à me Titio tua fide credita esse jubes? jubeo.* Omni obligationum generi adhibebatur. *Sigon. de Judic. I. 5. Salmas. de Mod. usur. cap. 16. Brisson. de Form. VI. pag. 579.*

FIDEJUSSOR erat, qui *fide*, aut periculo suo suadebat, ut id, de quo ageretur, fieret, quoniam ejus eventum præstaret. Jubebat autem sua *fide*, qui auctor, ac suasor, ut alteri quid crederetur. *Sigon. de Judic. I. 5. Salmas. de Mod. usur. c. 16.* Dabatur à magistratibus municipalibus. Papin. l. 2. §. ult. ff. de administr. *Pro magistratu fidejussor interrogatus pignora quoque specialiter dedit.* Brisson. de Form. VI. p. 579. Plerumque ita interrogabatur: *quantam pecuniam credidero, vel, quod credidero, fide tua esse jubes?* Papin. l. si debitori §. ult. ff. de fidejussor. *Si filius in causa peculiari ita fidejussorem acceperit: quantam pecuniam credidero, fide tua esse jubes?* Javolen. l. si ita ff. de acceptilat. *Quod ego decem credidi, de ea pecunia mille modios tritici fide tua esse jubes?* Brisson. ibid. p. 578.

FIDIBUS canendi tres fuerunt modi. I. Cum *fides* primùm pulsarent, deinde canerent. II. Cum voce & *fidibus* simul canerent. Tib. III. 4. 70.

Et similes chordis reddere voce sonos.

Virgilio hoc est *obloqui numeris*, Æneid. VI. 646.

Obloquitur numeris septem discrimina vocum.

Ubi Servius: *Chordarum laudem esse verbis obloqui.* III. Prius simul voce, & *fidibus* canere, post sola voce. Tib. III. 4. 39.

Hanc primum veniens plectro modulatus eburno,
Felices cantus ore sonante dedit.
Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti,
Edidit hæc tristi dulcia verba modo.

Virg. Æneid. VI. 647.

Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.

Buleng. de Theatr. II. 39.

FIDICINES & *fidicinæ* olim conviviis adhibebantur. Ammian. XXX. 1. *Cumque apponerentur exquisita cupedia, & ædes pulsu nervorum, & articulato, flatilique sonitu resonarent, jam vino incalescente.* Petron. in Fragmentis.

Memphitides puellæ,
Sacris deum paratæ.
Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci
Trementibus labellis.

Buleng. de Conviv. III. 30.

FIDICULÆ idem sunt cum equuleo. *Mag. de Equul. c. 2. & 12.* Certum est fermè cum equuleo à scriptoribus conjungi. Val. Max. III. 3. 5. ext. *In Theodoro quoque Hieronymus Tyrannus tortorum manus frustra fatigavit; rupit enim verbera, fidiculas laxavit, solvit equuleum, laminasque extinxit, priusquam efficeret ut tyrannicidii conscios indicaret.* Quintil. Declam. ult. *Ideò enim equuleum movebam artifex senex, tenebam fidiculas ratione sævitiæ, ut leniter sedibus suis remota compage, per singulos artus membra laxaret.* Quare Magius idem fuisse *fidiculas* & equuleum credidit. *Ferrar. Elect. I. 6.* Dicebantur nervi quidam, quibus brachia & pedes ejus, qui torquendus erat, alligabantur, & catasta intenta compages nodium divellebatur. *Sigon. de Judic. III. 17.*

Hot-

Hotman. Antiq. Roman. v. *p.* 762. *G.* Quibus noxios *fidiculis* torquere idem est, ac eosdem *fidiculis* equuleo alligatos intendendo, eorundem singulas ossium commissuras summo cum dolore distrahere. In hanc sententiam scripsisse videtur Valla Eleg. 1. 5. dum ait: *fidiculas esse instrumentum ex duobus obliquatis lignis compactum, ita dictum, vel ab extorquenda fide, vel à nerveis funibus, quibus torquendi alligantur.* Sed si ea, quæ de hisce in notis ad Romanum martyrologium XI. Kalend. Februar. conscripta, atque firmissimis argumentis sunt comprobata, attento animo intuebimur, illos errasse sine dubitatione intelligemus. Fuerunt potius ungulæ ferreæ, quibus damnati discruciabantur. Isidot. v. 27. *Ungula dicta, quod effodiant: hæ & fidicula, quia iis vel in equuleo torquentur, ut fides inveniatur.* Cum itaque *fidiculis*, æquè ac ungulis, latera hominis in equuleo extensi *finderentur*, easdem ungulas ea de causa *fidiculas* appellatas esse nobis par est credere, quod nimirum reorum latera & ipsa *finderent*. Prudent. Περὶ Στεφ. x. 549.

— vertat illum carnifex
In os loquentis; inque maxillas manum,
Sulcosque acutos, & fidiculas transferat.

Ungulas intellexisse Asclepiadem judicem, docetur n. 556.

Imples jubentis dicta lictor improbus,
Charaxat ambas ungulis scribentibus
Genas, cruentis & secat faciem notis:
Hirsuta barbis solvitur carptim cutis,
Et mentum adusque vultus omnis scinditur.

Suet. Tib. c. 62. n. 3. scribens: *Excogitaverat inter genera cruciatus, etiam, ut longa meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris delegatis, fidicularum simul, urinaque tormento distenderet*, intelligit remotissimum tormenti genus ab eo, quod in martyrum rebus gestis, aliisque laudatis auctoribus per *fidiculas* testatum apparet. *Gallon. de Martyr. cruc. c.* 3. *p. m.* 150. *Duran. Var. Lect.* 1. 15. *Cerda Adv. c.* 71. §. 9. *Laurent. de Torment. c.* 7. *Aring. Rom. Subterr.* II. 4. §. 14. & 15. *Scalig. in Manil. p.* 399. Hæc non indicant, *fidiculas* fuisse ungulas. Sed quia, antequàm ungulæ membrum aliquod lacerarent, prius illud *fidiculis*, sive nerveis funiculis arctissimè ligabatur, ut intumescens pars illa sæviùs laceraretur, ut fit in sanguinis emissione, cum brachium priùs arctissimo nodo constringunt. Eodem modo lictor jussus ungulis faciem lacerare, in eam *fidiculas* transfert, quibus genæ constrictæ intumescerent: deinde sic turgidas, & inflatas ungulis secat, & charaxat, id est, per faciem sulcos rectè, & transversè ducens, ut olim stylo in tabulis ceratis, hodie calamo, scripta delentur, sive, ut vulgò loquitur, cancellantur. *Ferrar. l. l.* Aliud tormenti genus an apud Suetonium fuerit, lector eruditus judicabit. Certè ungulas non designari, hoc clarum. Et cur Suetonius in alia χρήσει illud nomen sumeret, quàm Valerius Maximus, quam Quintilianus? Isidori verò auctoritas sola an nos debeat adigere, ut *fidiculas* fuisse ungulas ferreas credamus, nescio. *Jungerm. in Magium p.* 100. Non ergo est dubium *fidiculas* fuisse nervos, sive funiculos, ut iis in equuleo brachia, pedesque religati extenderentur, & convellerentur, ut censet Sigonius: sive, quod verisimilius est, crassioribus quidem funibus hominem in equuleo extentum, & distractum, nam *fides*, & funiculi facilè disrupti fuissent: sed brachiorum, pedumque ac genuum juncturas *fidiculis* arctissimè colligatas, cum ut nodi ipsius tormento vinctus ceu lateret, tum membra ipsa compressione tumescentia atrociùs ungulis soderentur, & cruciarentur. *Ferrar. l. l. Minos in Alciat. Emblem.* 13.

FIDIUS. V. illum supr. in *Deus Fidius.*

FIDUCIA erat species mancipationis, ut Boetius ait; nempè, *quoties cui res aliqua mancipabatur cum eo, ut eam mancipanti remanciparet: veluti, si quis tempus dubium timens amico potentiori fundum mancipasset, ut sibi cum tempus, quod suspectum esset, præteriisset, redderet. Hæc mancipatio fiduciaria nominata, quod restituendi fides interponeretur.* Liv. XXXII. 38. *Optimum ratus Corinthum Nabidi Lacedæmoniorum tyranno veluti fiduciariam dare, ut victori sibi restitueret, si quid adversi accidisset, ipse haberet.* Itaque *fiducia* videtur fuisse contractus, quo fidem alicujus secuti rem ei aliquam dicis causa mancipabant, ita dictos, quod nulla alia re, quàm fide, ac probitate emptoris freti eam venditionem celebrabant. In ejus verò formula hæc verba fuere sollennia: *Ut inter bonos viros benè agi oportet: &, uti ne propter te, fidemve tuam captus, fraudatusve sim.* Sigon. de Judic. 1. 5. Bud. in Pandect. p. 25. E. Rævard. Protribun. c. 5. Auctor misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 292.

FIG.

FIGULIENSIS Via. V. illam infr. in *Via*.

FIGULINA, vel *figlina* apud Latinos, plastica apud Græcos generali vocabulo dicitur ars terræ argillosæ in duritiam excoquendæ. Dividitur in duo genera opificii; quorum alterum est, cum opus conjicitur in protypum, seu proclasma; alterum, cum opus fingitur ad rotam figularem. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 20. §. 1. Hadriani tempore civitates fuerunt, quæ quotannis Imperatori pro tributo, vel ad operum publicorum instaurationem, certam coctorum laterum quantitatem conferre debuerint: & commodi sui gratia Romæ plures *figulinas* habuerunt, ubi tegulas, lateresque coquebant in hunc usum, eosque lateres nomine artificum notabant, ut *ex figulina canonis operis doliaris*: ut ex his colligendo huic tributo, & operibus præfecti inita ratione colligere possent, num hi suum hujus illiusve anni tributum contulissent, aut quantum ad illius adbuc deesset supplementum. Quod ut faciliùs in tanta *figlinarum* multitudine, & rei tam vilis ad explendum tributum copia, possent rescìscere injunctum singulis, numerum officinarum adnotabant, ut ex *figulina* I. II. III. & sic porrò. Ita in inscriptione apud Gruterum.

EX FIG. SEX. AT. SILV. F. VI.

numerus senarius, qui extremus, *figulinam sextam* indicat. Civitas, civitatesve, quibus id oneris impositum, quæ fuerint, si quis conjecturæ locus, ex Hetruria fuisse existimem; ubi teste Plin. XXXV. 12. prima omnium Italorum ex argilla vasa fingi cœpta, quum hanc illuc artem Eucarus & Eugrammus Corintho intulissent Demarati Corinthii in fuga comites. *Falconer. Epist. ad Datum Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* IV. *p.* 1491. *C.* Ab antiquis temporibus, & in hanc usque diem in Vaticani montis campis perseverant, in quibus ex argilla, & creta, quæ proximo è monte eruitur, vasa artificum manu fiebant. Has videtur Plinius intellexisse, cum dicit XXXV. 12. *Vitellium ducentis sestertiis patinam condidisse, cui fornax in campis ædificata fuit.* Hinc quandoque *fragiles* ejusdem *montis patella* nuncupantur. Juven. Sat. VI. 344.

Et Vaticano fragiles de monte patella.

Vaticani quoque cadi notantur. Mart. 1. 19. 1.

Quid te Tucca juvat vetulo miscere falerno
In Vaticanis condita musta cadis?

Aring. Rom. Subterr. II. 3. 12. Juxta Tiberim pariter exstabant. V. infr. in *Mons Testaceus.*

FIGULUS, qui Græcè dicitur κεραμεύς, ex creta amphoras & dolia, quibus exportabantur fructus; & in villæ ædificationem tegulas & imbrices; aliaque vasa, quæ mercis gratia venirent, parabat. *Panciroli. de Corpor. artif.* §. 22. *Pignor. de Serv. p.* 534. Cum autem horum ars esset valdè necessaria, *Numa Pompilius Rex septimum figulorum collegium instituit.* Plin. XXXV. 12. *Panciroll. l. l. Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 1. Illis *salinum cum sale in mensa ponere religionis habebatur, quod quondam in Esquilina regione figulo, cum fornax plena vasorum coqueretur, atque ille proximè eam convivatus, super modum potus, somno esset oppressus cum convivis suis, præteriens quidam petulans ostio patente ex mensa salinum conjecit in fornacem, atque ita incendio excitato figulus cum suis concrematus est.* Festus. *Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 276.

Figulus est cognomen Marciorum. *Figulos* consulates duos invenio, ambos eodem prænomine. Prior C. Marcius C. F. Q. N. Consul. an. 591. E Gallia rediit, & abdicavit se consulatu, quod vitio factus esse diceretur. Iterum consul sexto anno postea fuit cum Cn. Lentulo Lupo. Cum

Del-

Delmatis variè pugnavit. Victoria tandem potitus est. C. *Figulum* prætorem fuisse invenio an. 484. eum hunc ipsum fuisse arbitror & classi præfectum. Hujus filius C. Figulus Jctus, cum in petitione consulatus repulsam tulisset, postridie fertur consulentibus dixisse: *vos consulere scitis, consulem facere nescitis*. Alter consularis C. *Figulus* C. F. à Dione appellatur, Icti, ut arbitror, filius, aut nepos. Consul fuit cum L. Julio Cæsare an. 689. Ante hos T. Marcius *Figulus* an. 524. nuntiavit senatui palmam enatam in impluvio suo. *August. & Strein. de Famil. in Marcia. Glandorp. Onomast. Roman. p. 584.*

Figulus fuit etiam cognomen P. Nigidii, viri prætorii, astrologi & medici. Hoc adeptus est, quod interroganti, cur gemini dispari condirione nascerentur, proposuit commentum de rota *figulari*, quæ brevi temporis momento maxima spatia revoluta percurrat. Hujus responsi meminit August. de Civ. Dei v. 3. *Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Glandorp. Onomast. Roman. p. 625.*

FIL.

FILIA adoptivæ sororis duci, vel constante adhuc adoptione, licito jure poterat, quod ea cognata non esset, siquidem per adoptionem contrahitur solum cognatio, cum agnatorum jus adjunctum habet, l. a. §. patrui ff. de suis & legit. Et Claudius Imperator Neronem à se in locum filii adoptatum cum filia sua Octavia matrimonio junxit, ut refert Dio LX. p. 687. A. verùm ne frater sororem ducere videretur, adoptionis commento necessitudinis species dissoluta est. Inde Junoni Octavia à Seneca comparatur in tragœdia ejusdem nominis Act. 1. n. 219.

—— tu quoque terris
Altera Juno, soror Augusti,
Conjuxque, graves vince dolores.

Fratris, sororisve duci non poterat, C. de nupt. §. fratris. Institut. de nuptiis; tametsi talium conjugiorum usum invexit Claudius Imperator Agrippinæ Germanici fratris sui *filiæ* amore incensus, ut publici juris velamento ejus matrimonii à se cum ea contrahendi turpitudo tegeretur. Tacit. Annal. XII. 7. 2. *Claudius senatum ingressus decretum postulat, quo justæ inter patruos, fratrumve filias nuptiæ etiam in posterum statuerentur.* Sueton. Claud. c. 26. n. 10. *Illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filiæ, per jus osculi, & blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornavit proximo senatu, qui censeret cogendum se ad ducendam eam uxorem, quasi Reipublicæ maxime interesset: dandamque cæteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus incesta habebantur: ac vix uno interposito die confecit nuptias.* Verùm Imperator Nerva vetuit, ne fratrum *filiæ* ducerentur, ne tam mali exempli nuptiæ in posterum frequentarentur. Xiphil. LXVIII. p. 770. C. *Casal. de Rit. nupt. c. 2. Filia* nothæ an dos debeatur, V. infr. in *Spurius*. Crinibus passis, & apertis capitibus in parentum funus prodibant, cum filii illos velatis capitibus efferrent. Plutarch. Quæst. Rom. c. 14. respondet: *An quia filiis venerandi sunt patres tanquam dii, filiabus autem lugendi ut mortui, lex utrique parti suum decoro conveniens assignavit officium? An quia luctui maximè convenit, quod est alienum à consuetudine? solent autem mulieres ferè tectis, mares nudis capitibus in publicum progredi.* Kirchm. de Fun. Roman. II. 16. Guther. de Jur. man. I. 23. Si duæ, pluresve essent in familia, quomodo distinguantur, V. infr. in *Sorores*. Non mulieribus, sed viris præceptoribus erudiendas, & instituendas Romani solebant tradere. Eum morem, ubi disserit de *mercedibus, quæ ut liberalibus artibus instituerentur pupillæ nomine præceptoribus dantur*, docet nos Julian. l. 4. ff. ubi pupill. educ. Mart. IV. 49. 1.

Quid tibi nobiscum est ludi scelerate magister?
Invisum pueris, virginibusque caput.

Suet. Gramm. c. 16. n. 1. *Q. Cæcilius cum filiam patroni nuptam M. Agrippæ doceret* .... Vetus Inscriptio: PUDENS. M. LEPIDI. LIBERTUS. GRAMMATICUS. PROCURATOR. ERAM. LEPIDÆ. MORESQUE. REGEBAM. DUM. VIXI. MANSIT. CÆSARIS. ILLA. NURUS. *Revard. Conject. II. 19.* Civium, qui optimè de Republica meruissent, *filiæ* dotem suam ex ærario accipiebant, quod contingebat iis, si parentes nihil reliquissent. Senec. Nat. Quæst. I. 17. *An tu existimas, ex auro nitidum habuisse Scipionis filias speculum, cum illis dos fuisset æs grave? O paupertas felix, quæ tanto titulo locum fecit! Non fecisset illis senatus dotem, si habuissent.* ad Hel. c. 13. *Beatioresne illos putas, quorum pantomima decies sestertio nubunt, quàm Scipionem, cujus liberi à senatu tutore suo in dotem æs grave acceperunt?* Apul. Apol. p. 435. *Quod si modò judices de ista causa sederent C. Fabricius, Cn. Scipio, Manius Curius, quorum filiæ ob paupertatem de publico dotibus donatæ ad maritos ierunt, portantes gloriam domesticam pecuniam publicam.* Caroli Antiq. Roman. II. 4. Demster. in Rosin. Antiq. Roman. VII. 31.

FILII sacrorum dicebantur pontifices. Inscriptio Romæ;

I. O. M. H. AUG
SACR
GENIO. FORINARUM
ET. CULTORIBUS. HUJUS
LOCI. TERENTIA. NICE
CUM. FONTEJO. ONESIMO. FILIO
SACRORUM. SIGNUM. ET. BASIM
VOTO. SUSCEPTO. DE. SUO. POSUIT

Dicebantur *filii* sacrorum, quorum cum pater sacerdotium gessisset, ii in illius locum succedebant. Serv. in Æneid. II. *Aut cujus majores sacerdotes fuissent, quibus in sacris quoque succedebatur.* De Thiamide hoc idem Heliod. I. p. 60. *Ego, ut scitis, cum essem filius Memphitici antistitis privatus dignitate sacerdotii, quam frater natu minor post patris obitum mihi contra leges eripuit.* Guther. de Jur. Pontif. I. 7. Malè. Verborum hic ordo est: *cum Fontejo Onesimo filio posuit signum, & basin sacrorum*, subaudi *causa*. Patres sacrorum noti sunt ex Tertulliano, & inscriptionibus, sed *filios* sacrorum ignorarunt tam Græci, & Latini, quàm aliæ, ut reor, gentes. In Græca verò:

ΑΝΕΚΚΛΗΤΟΣ ΞΥΣΤΑΡΧΗΣ ΔΙΑ ΒΙΟΥ Ο ΥΟΣ.

nullum video *filium* sacrorum, sed M. Aurelium Asclepiadem reperio *filium* Demetrii Hermapolitæ Alexandrini, uti etiam clarissimè patet ex insigni illo marmore Farnesiano, quod in Grutero est primum p. 314. eidem Aurelio Asclepiadi dedicatum. Fuisse apud nonnullas gentes sacerdotia, in quibus *filii* successerint parentibus, nemo ignorat; sed ii non dicebantur sacrorum, sed sacerdotum, aut prophetarum *filii*. Græv. Thes. Antiq. Rom. Tom. v. ** 2. vers.

Filii senatorum erant equites. Hoc moris fuisse scribit Isidorus: *ut quamvis quis senatoria origine esset, tamen usque ad legitimos annos eques Romanus esset: deinde ordinem senatorum iniret.* Itaque & Pompejus Magnus Pompeji Strabonis viri consularis, ac triumphalis *filius*, eques tamen Romanus fuit. Atque equestris ordinis homines sæpè senatorum *filios* apud Livium fuisse animadvertimus. *Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman. II. 3. Zamosc. de Senat. Rom. I. 7.* Prætextati cum patribus in senatum veniebant. Docet hoc historia de Papirio Prætextato scripta à Catone in invectiva ad milites contra Galbam, quam à clade totius orationis, & cæterorum autoris ejusdem librorum eripuit Gell. I. 23. Sed addit ob intemperiem matris Papirii, & aliarum mulierum factum esse, ut senatus decerneret, ne ingrederentur in posterum. Institutum hoc Augustus revocavit, & *liberis senatorum, quo Reipublicæ celerius assuescerent, protinus virilem togam, latumque clavum induere, & curiæ interesse permisit*, teste Suet. c. 38. n. 2. *Zamosc. de Senat. Roman. II. 2.*

Filiusfamilias ex consensu patris testamenti factionem non habebat, ne faciendo testamento emancipatus videretur, cum solummodò penes illos sit faciendi testamenti potestas, qui sui juris sunt. Idem tamen causa mortis permissu patris donabat, quod donationes, venditiones, aliaque hujusmodi etiam servis, nedum *filiusfamilias*, ex consensu dominorum indulgeri soleant, eò quòd hujusmodi actus nullum certum signum emancipationis ostendant, sed quasi procuratoriam administrationem præ se ferant. *Nann. Miscell. X. 5.* Non tantùm semel, sed tertiò, à patre vendi poterat, non tantùm cœlebs, sed etiam nuptus copulatus.

Ven-

Venditus enim à patre, si benignitate fortunæ libertatem recuperasset, iterum redigebatur sub patris potestatem. A quo denuò venditus, atque iterum sui juris factus, quasi duabus venditionibus nihil actum esset, tertiò subjiciebatur patris sui dominio, à quo si tum quoque venalis habitus fuisset, & ab emptore tertiò emeruisset libertatem, tum denique asserebatur à patris tyrannide. Dionys. ss. p. 97. *Neque verò hac licentia contentus Romulus, potestatem etiam filiorum vendendorum patribus usque ad tertiam auctionem concessit: qua potestas multò major est, quàm domini in servum. Nam servus à domino venundatus recepta libertate liber est, filius iterum atque iterum in potestatem patris revertitur: post tertiam verò venditionem, si se in libertatem vindicarit, è patris potestate egreditur.* Numa Pompilius, ut addit Dionys. p. 98. hanc ad legem Romuli exceptionem adjecit: *Si pater filio concesserit uxorem ducere, quacum sacra & bona juxta leges communicet, patri posthac nullum jus fore vendendi filium.* Idem Justinian. in titulis: *Filius ter mancipatus, ter manumissus sui juris fit. Idem enim lex jubet XII. tabularum his verbis: si pater filium ter venundavit, filius à patre liber esto.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 10. Nann. l. l. Duravit ista immanitas usque ad tempora Theodosii, qui primus istiusmodi venditiones irritas esse voluit, quod in codice Theodosiano clarè deprehenditur. Cæterùm in ultima venditione licebat patri stipulari à filio tertiam partem bonorum, quæ emancipatus acquisitutus esset. Atque illud tam sævum jus Justinianus mitigavit, non sustulit, permittens patri pacisci dimidiam partem ad usumfructum, proprietatis jure exstincto, Instit. 11. 9. *Nann. l. l.* tanquam votivus dus offerebatur. Claud. Cons. Honor. IV. 158.

Uberibus sanctis, immortalique deorum
Crescit adoratus gremio.

Deorum habitu vestiebatur, ut tutelam deorum mereretur. Ita puer ille apud Herodianum, qui libellum, in quo cædes præscribebantur à Commodo, revelavit, Amoris habitu comparuit. *Tomas. de Donar. c.* 10. Si peregrè diem suum clausisset, ut raptus, more Ceteris à parentibus quasi quærebatur, humique mandabatur. Tradunt enim Varro & Verrius Flaccus apud Serv. Æneid. XI. 143. *Si filiusfamilias extra Urbem decessisset, liberos, amicosque obviam processisse, & sub noctem corpus in Urbem illatum in Cererie, facibus quoniam, id est, postea, prælucentibus, ad cujus exsequias nemo rogabatur.* Ritus hic obscuritatem fortè aliquam habet, cujus ego hanc rationem puto, quod Proserpinam raptam cum lampadibus Ceres mater luctu perdita quæsisse narratur. Hæc enim, ut Claud. de Rapt. Proserp. III. 441.

—— pleno rimatur lumine campos,
Inclinatque faces.

Guther. de Jur. Man. I. 7. Lucis claro parenti oculos claudere prohibebatur; sed hoc velis lecti obductis faciebat, magna pietatis ratione, quæ liberorum oculos à parentum funere quantum potuit avertebat. De hoc liberorum officio, quod ab omnibus illis simul peragebatur, Mart. X. 63.

Quinque dedit pueros, totidem mihi Juno puellas,
Clauserunt omnes lumina nostra manus.

Guther. ibid. c. 12. Kirchm. de Fun. Rom. I. 6. Meurs. de Fun. c. 3. Schott. in Senec. Contr. p. 640. Illum velato capite efferebat. V. supr. in *Filia.* Elatum pro Rostris laudabat. V. infr. in *Laudatio.*

Filiorum illegitimorum duo principaliter genera jure nostro tradita leguntur. Alterum eorum, qui patrem, matremve alienigenas habuissent, id est, non cives Romanos: nam cum inter exteros, & cives Romanos justum connubii jus non esset, si qui inde nascebantur liberi, sub potestate patris non erant, sed illegitimi censebantur. Cicer. Topic. c. 4. *Si mulier cum fuisset nupta cum eo, cum quo connubium non esset, nuntium remisit, quoniam qui nati sunt, patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil eportet.* Liv. XLIII. 3. *Alia novi generis hominum ex Hispania legatio venit ex militibus Romanis, & ex Hispanis mulieribus, cum quibus connubium non esset, natos se memorantes supra quatuor millia hominum, orabant, ut sibi oppidum, in quo habitarent, daretur. Senatus decrevit Latinam eam coloniam esse, libertinorumque appellari.* Hoc in numero & plerique nati ex servis comprehendi possunt. Alterum illorum, qui de Romanis quidem civibus nati erant, parentes tamen eorum secundum legum præcepta non coierunt. Id variis de causis poterat contingere, seu quia cum ea muliere juncti essent, cum qua non licebat, seu quia citra matrimonii consensum, seu quia iis non servatis quæ necessaria erant, seu aliis, atque aliis modis, qui infiniti sunt. Gloss. §. illud in fin. Instit. de nupt. Generaliter ergo constituendum erit, ubicumque patrum conjunctio aut uxoria, aut concubinatia non fuit, illegitimos semper filios oriri, quocunque dein alio modo fuerint concepti. Et hæc ipsa copulatio, quæ tales illegitimè natos edit, lato nomine fornicatio dici jure nostro videtur c. lex. 36. q. 1. sicuti & ipsi latè illegitimi appellantur. Veruntamen quoniam hic concubitus, unde tales illegitimi procreantur, varii esse possunt, propterea & variæ illegitimorum species io jure traduntur, prout multiplices illecebræ eæ esse solent, quæ parentes ad eam illicitam conjunctionem ineuodam deducere potuerunt. Sunt enim spurii, vulgò concepti, vatii, manzeres, incestuosi, nefarii, adulterini, sacrilegi, nothi, hybridæ, & bastardi, omnes inter illegitimos enumerati. *Paleot. de Noth. & Spur. c.* 3. §. 5. e. 16. §. 1. & 2. *Heuter. de Liber. homin. nativ.* c. 7. §. 3. V. singulos suis locis. Naturales sunt medii inter legitimos, & illegitimos, eoque nomine, quod illis nudum à legibus relictum est, etiam nunc appellantur, dicunturque, quasi secundum jus naturale editi, nullo juris adminiculo muniti, §. natura. Auth. quib. mod. nat. Sed dicat fortasse quis, cur non ii legitimi vocantur, si sola natura dictante juxta primævum statum orti sunt? arg. c. si 32. q. 4. Ego arbitror à legibus quid plus in matrimonio præter naturalem procreandi appetitum consideratum fuisse, l. si adversus C. de crim. expil. hær. nempè arctius quoddam vinculum, quo conjuges inter se animo, & corpore perpetuò colligarentur, rerumque omnium inter se socii redderentur. Auth. quib. mod. nat. leg. in princ. Verbum ipsum ut Ictis quàm maximè in usu, ita apud bonos, & Latinos auctores alio potiùs sensu usurpatum. Cicer. Phil. III. 6. *Cujus naturalis pater, si vita suppeditasset, consul factus esset.* Suet. Tib. c. 52. n. 1. *Filiorum neque naturalem Drusum, neque adoptivum Germanicum patria caritate dilexit.* Quo modo & Icti elegantissimè quandoque usi sunt l. 1. in prin. de bon. poss. cont. tab. & Instit. de nupt. §. sed hodie. *Paleot. ibid. C.* §. 1. & 2. c. 18. §. 1. & 2. *Heuter. ibid.* c. 6. n. 5.

FIM.

FIMBRIÆ in extrema vestimentorum parte fila fuerunt, floccique dependentes, quas nos *frangias* appellamus; item ipsa vestium extremitas, minutim concisa capitibus in acutum desinentibus ad instar pinnarum, quos ideò *merlos* dicimus. Cicer. in Pison. c. 11. *Madentes cincinnorum fimbria.* Capilli enim ferro vibrati, & in cincinnos torti, in extremitate cum solvuntur, *fimbrias* referunt. Ammian. XIV. 6. *Ut longiores fimbriæ tunicæ perspicuè luceant varietate .....* Suet. Jul. c. 45. n. 5. V. illum supr. in *Clavus latus.* Juven. Sat. VIII. 207.

Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum se
Porrigat.

Potentiores, & nobiliores in *tunicis* aurea segmenta gestatunt; & ideò ait poeta Gracchum in arena pugnantem esse nobilissimum credamus tunicæ ad fauces ornatæ. Non vestibus modò, sed & stragulis, mappisque addebantur. Inter signa letalia recenset Plin. VII. 51. *Fimbriarum curam, & stragula vestis plicaturas.* Trimalcionem discumbere commodum incipientem describit Petron. c. 32. *Pallio coccino adrasum incluserat caput, circaque onerosas vestis cervices laticlaviam immiserat mappam fimbriis hinc atque illinc dependentibus.* Ferrar. de Re vest. II. 1. 19. I. 3. 55. Salmas. in Capitol. Pertin. c. 8.

FINES

FIN.

FINES templares dicuntur, qui in quadrifinio positi possessionibus *finem* faciebant. Var. auct. de Limit. p. 295. *Fines templares sic quari debent: ut si in quadrifinio est positus, & quatuor possessionibus finem faciet, quatuor aras queris, & ades quatuor ingressus habet* . . . . . Guther. de Vet. Jur. Pontif. III. 5.

FINITORES dicuntur agrimensores agrorum; quia *finium* agrorum rectores. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XI. p. 724. B.*

FIS.

FISCELLA est fiscina, aut corbis, è funiculis, aut viminibus reticulatim plexa, qua occludebant ora bovibus, ne inter arandum herbas, aut pabulum possent invadere. Cato de Re Rust. c. 54. *Fiscellas habere oportet, ne herbam sectentur boves, cum arabunt*. Scheffer. de Re Vehic. I. 13. Voss. Lex. Etymol.

Fiscella est quoque *vas vimineum, gracile forma, ubi caseus exprimitur*. Papias in Glossario. Sæpè ita utitur Columella. Τάλαρος Græcis dicitur talis *fiscella*, qualis caseis siccandis utilis. Pollux VII. 33. 10. Τάλαρος, τυροποιΐα. *Fiscella, caseorum instrumenta. Sic enim appellatur fiscella, in qua caseus recens coagulatur*. Barth. Adv. XXXVI. 23. Popm. de Instrum. fund. p. 34. Gebhard. Tib. II. 3. 15.

FISCUS quid sit, docet Ascon. in Cicer. p. 50. *Fisci, fiscina, fiscella, spartea sunt utensilia ad majoris summe pecunias capiendas. Unde quia major est summa pecunia publica, quàm privata, ut pro censu privato loculos, & arcam, & sacellos dicimus, sic pro publico thesauro ærarium dicitur fiscus*. Ærarium & *fiscus* sic olim distinguebantur, ut ærarium populi, *fiscus* principis diceretur. Plin. Pan. c. 36. n. 3. *At non eadem fortasse severitate fiscum, qua ærarium cohibes: imò tantò majore, quanto plùs tibi licere de tuo, quàm de publico credis*. Tacit. Annal. VI. 2. 1. *Bona Sejani ablata ærario, ut in fiscum cogerentur*. Suet. Aug. c. 102. n. 7. *Quantum pecunia in ærario & fiscis, & vectigaliorum residuis*. Donat. Dilucid. p. 130. Demster. Paral. ad Ant. Rom. Rosin. VII. 36. Rittersh. in Salvian. p. 64. Guther. de vet. jur. pontif. II. 12. Rævard. Var. IV. 4. Volaterr. Commentt. Urban. XXIX. p. 1100. F. Franckenstein. de Ærar. pop. Rom. c. 2. Coras. Misc. jur. civ. VI. 19. Bud. in Pandect. p. 81. L. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 10. Rhodig. Ant. Lect. X. 2. XXIX. 6. Cellar. in Plinium. Pitisc. in Suet. Aug. c. 15. n. 3. Sed hoc successu temporis immutatum est, & promiscuè usurpatum. Spartian. Adrian. c. 7. *Damnatorum bona in fiscum privatum redigi vetuit, omni summa in ærario publico recepta*. Sic Dio, aliique scriptores Græci τὸ βασιλικὸν τῷ δημοσίῳ opponunt, privatum nempè ærarium publico. Glossæ: Ταμεῖον, *fiscus: ærarium*. Casaub. & Salmas. in Spartianum, Cujac. Observ. XXI. 11. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 31. Coras. Franckenstein & Donat. l. l.

Fiscus Judaicus erat tributum, quod Judæi omnes, qui in imperio Romano erant, debebant solvere. Dio LXVI. p. 748. C. *Ex eo constitutum est, ut Judæi, qui patrios ritus servare vellent, didrachmum quotannis Jovi Capitolino inferrent*. De illo Appian. Syr. p. 119. *Quamobrem graviora sunt Judæis tributa, quæ in singula capita, quàm quæ pro censu conferunt*. Et Suet. Dom. c. 12. n. 5. *Præter cæteros Judaicus fiscus acerbissimè actus est: ad quem deferebantur, qui vel improfessi Judaicam intra Urbem viverent vitam, vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent*. Turneb. Adv. XXII. 16. Baron. ad ann. à D. Christo 94. Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c. 10. Casaub. & Pitisc. in Suetonium.

Fiscus Pontificum erat propriè illa pecunia, quæ pœnæ nomine arcæ Pontificum inferebatur. Vetus lapis:

AVIDIA. MAXIMA
DOMUM. ÆTERNAM. V. S. P.
SI. QUIS. ALIUD. CORPUS
SUPERPOS. DET. FISCO. P.
CCC. M. N.

Hunc intelligit Hadrianus in rescripto, l. 3. §. 5. ff. de sepul. viol. *D. Hadrianus pœnam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepeliunt, quam fisco inferri jussit*. Guther. de vet. jur. pontif. II. 12.

FISSICULATIO veteribus dicta est apertio viscerum & extipiscina. V. illam supr. in *Exta*. Ut credo, *fissiculare* idem est ac *fissuris* exta distinguere, nempè ante extipiscium. *Florid. in Apulejum*.

FISSUM jecoris dicitur, cum in duo capita jecur findītur, quorum aliud domesticum, & vitale: aliud hostile, per lineam quandam, quæ jecur & fibras intersecat. Cicer. de Divin. I. 10. *Quid fissum in extis, quid fibra valeat*. de Nat. deor. III. 6. *Quis invenit fissum jecoris*? de Divin. II. 13. *Fissum familiare & vitale tractant*. Buleng. de Sort. c. 7. Brisson. de Form. I. p. 21. Salmas. Exerc. Plin. p. 91. a. G. Rhodig. Ant. Lect. IV. 17. Turneb. Adv. V. 18. Delrio in Senec. Oedip. II. 363.

FISTUCA est instrumentum ligneum, ansatum, & ferratum, quod vel suspensum funibus, trochleisque à tignis demittitur supra directos palos, ut crebris ictibus inculcentur & figantur: vel ansis manibus comprehensum extollitur, ut pali sublicæque ea machina adigantur. Cæs. de Bell. Gall. IV. 17. 4. *Hac cum machinationibus immissa in flumen defixerat, fistucisque adegerat*. Etiam pavitores *fistuca* utuntur, cum locus, aut omnis, aut ex parte congestitius fuerit. Vitruv. VII. 1. *Sin autem omnis, aut ex parte congestitius fuerit, fistucationibus cum magna cura solidetur*. Barbar. ad Vitruv. III. 3. Philand. ibid. & X. 3. Bud. in Pandect. p. 149. E. Bergier. de viis Milit. II. 15. 3. & ad illum Henninius. Guther. de jur. man. III. 15. Baldus Lex. Vitruv.

FISTULA propriè dicitur, per quam aqua fusa educitur. Ulpian. l. 47. ff. de Contrah. empt. *Si aqueductus debeatur prædio: & jus aquæ transit ad emptorem, etiam si nihil dictum sit: sicut & ipsa fistula, per quas aqua ducitur*, l. 49. *Et quanquam jus aquæ non sequatur, quod amissum est: attamen fistulæ & canales, dum sibi sequuntur, quasi pars ædium ad emptorem perveniunt*. Laorent. de Præcon. & Fist. c. 3. V. & supr. in *Castellum*. Talem fossores, cum cloacas repurgarent, repererunt non longè à Pantheo Agrippæ, & & in ea fusilibus literis erat inscriptum: TEMPLO MATIDIÆ. Iuventa est illa in latere sinisteriore templi, & in dextero immanis alia è plumbo inventa est, quinquaginta palmos sub terra defossa, lato, hiantique, qualis majorum bombardarum extrinsecùs solet esse, tubo, nec omni ex parte tereti, ac rotundo, sed paullùm acuminato, ut latius, qua fluebat in imo aqua, spatium esset. *Donat. de Urb. Rom. III. 18.*

Fistula, instrumentum musicum, differt à calamo. Calami enim planè rudes, & agrestes fuere, in *fistula* paulò amplius artis fuit. Virg. Ecl. II. 36.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.

Theocr. Eidyll. V. 5.

Quando possedisti fistulam? quid? annon cum Corydone
Tibi satis fuit culmo, qua tua tibia est, sibilare?

Quæ ita vertit Virg. Ecl. III. 25.

—— aut unquam tibi fistula cera
Juncta fuit? non tu in triviis indocte solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

Buleng. de Theatr. II. 23. Differt à tibia. *Fistulam* Pan invenit, ut statim dicetur, tibiam Minerva. Differentia desumitur ex modo, sive arte, qua ex utraque sonus elicitur. Tibia unica arundine constabat, sed pluribus in locis perforata, ideoque opus fuit apto digitorum regimine, ut reliquis omnibus clausis, per unum aliquod, pro libitu, foramen emissus rediret inflatus spiritus. Sed in *fistula*, quam plures arundines componebant, & omnes sine ullo foramine, nisi quod ex ore spiritum exciperet, debuit idem efficere ea solum arundine inflata, quam sonum reddere postulavit ratio harmoniæ, mox aliis eodem modo oris spiritu impletis. Quod sanè ingens artificium arguit, veteres eadem celeritate, atque dexteritate potuisse distantia tubulorum ora labiis percurrere, & spiritu implere in *fistula*, ac in tibiæ foramina digitis obturata levi

levi eorum motu apetire, vel claudere. Tatius de Amor. Clitoph. & Leucipp. VIII. p. 476. *Barthol. de Tib. vet.* III. 6. *Cerda in Virg. Ecl.* II. 30. *Laurent. de Fistul. c.* 3. *Buleng. l.l.* Quod qua ratione, quave celeritate veteres potuerint, mihi haud satis constat, *Scalig. Poet.* I. 4. Nihilominùs certum est *fistula* modulamen non alia lege constitisse, quàm tali oris labiorumque per omnes arundines cursu, atque recursu, quem quàm promptè exsecuti sint testatur Claud. Epithal. Pallad. & Celer. II. 34.

—— platano namque ille sub alta
Fusus inæquales cera texebat avenas,
Mænaliosque modos, & pastoralia labris
Murmura tentabat relegens, crisque recursu
Dissimilem tenui variabat arundine ventum.

Materia fuit maximè arundinea. Calpurn. Ecl. I. 17.

Nec tibi defuerit mea fistula: quam mihi nuper
Matura docilis compegit arundine Lydon.

Aut è cicutis petita. Calpurn. Ecl. IV. 21.

—— levibus quem sæpè cicutis
Ludere conantem vetuisti fronte paterna.

Ad hanc *fistula* materiam alludit Sidon. Carm. II. 15.

Alta cicuticines liquerunt Manala Panes.

Nec minùs ad *fistulam* usitatus fuit stipes avenaceus. Val. Flacc. IV. 384.

Cum subito Arcadio sonuit cava fistula ritu;
Imperiumque patris celerans Cyllenius ales
Advenit, & leni modulatur carmen avena.

Barthol. l. l. *Fistula* unius calami σύριγξ μονοκάλαμος, Hesychio ἴυγξ appellatur. Etenim ab initio singulares fuere tubuli, mox bini cohærentes. Qui numerus postremò crevit ad septenos usque, magnitudine omnes inter se impares, sed proportione certa. In summo qua inflabantur, æquales erant; inæquales, sed æqualiter, qua exit spiritus. Ovid. Met. II. 682.

—— dispar septenis fistula cannis.

Virgilius modò laudatus. *Bartholin. Scalig. Laurent. l. l. Turneb. Adv.* XII. 7. *Stat. Observ.* I. 6. Connexionis modum secundum æqualem excessum dispositis calamis, & rationem concentus, qui ex illa proportione sequebatur, omnibus aliis meliùs illustrat Ach. Tatius ibid. p. 474. *Fistula*, inquit, *pluribus è tibiis compacta est: quæ singulæ ex singulis arundinibus constant. Atque arundines ipsæ omnes, perinde ac tibia una sonum edunt: inter seque ita collocatæ sunt, ut altera alteri ordinatim adhæreant. Facies anterior posteriori similis habetur. Quoniam autem arundinum aliam alia excedit, illud scire oportet, altero ex capite quantò primam secunda superat, tantò secundam à tertia superari, cæterasque deinceps proportionem eandem sequi. Ex altero autem capite æquales illas inter se omnes esse: quæ omnium media est, ea longiore dimidio minor est. Eo autem ordine dispositæ arundines fuerunt, ut æqualis effici concentus posset. Nam cum acutissimus sonus in sublime admodum feratur, gravissimus autem contra deprimatur, amboque extremas arundines, alter alteram scilicet sortiti sint, interjacentes alias, quæ vocum intervalla moderarentur, constitui necesse fuit. Illæ enim sonos impures, sed tamen pro rata portione distinctos nactæ, acutaque cum gravitate temperantes in causa sunt, ut extrema inter se congruant sic, ut æqualis demum concentus efficiatur.* Barthol. l. l. Cera calami jungebantur. V. supr. in *Cera*. *Inventam quidam putant à Mercurio: alii à Fauno, quem Græci vocant Pana. Nonnulli ab Ide pastore Agrigentino ex Sicilia.* Ideò Fauno suspensa. V. infr. in *Pasteres*. Pendebat pastoribus de collo. Virg. Æneid. III. 661.

Solamenque mali de collo fistula pendet.

Manil. V. 116.

Pastoremque suum generant, cui fistula collo
Hæreat.

Turneb. Adv. XXVIII. 15. Laurent. l. l. Inter pastores videtur moris fuisse, ut *fistulam* suam, qua canere soliti fuerant, alicui ex maximè familiaribus, atque amicissimis in morte dono darent. Corydon se à moriente Damæta *fistulam* accepisse jactat apud Virg. Ecl. II. 37.

Fistula, Damætas dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens, te nunc habet ista secundum.

Long. Pastor. I. p. 24. *Dono tibi & fistulam illam, qua contendens multos superavi bubulcos, ac caprarios. Tu verò pro hisce etiamnum superstitem osculo dignare, mortuumque deplora.* Propterea forsan, quia magno in pretio semper atque semper magistris pecorum fuit, quaque præ cæteris maximè rudior illa ætas, utpotè Panis sui præsidis invento, delectabatur. *Moll. in Longum p.* 29. *b.*

Fistulæ in imo, & summo amphitheatro erant dispositæ, ea arte, & fine, ut odoratum quemdam humorem ejacularentur leviter, & inspergerent in sedentes. V. illas supr. in *Crocus*.

FLA.

FLABELLUM ventulo faciendo antiquis fuit in usu. Terent. Eun. III. 5. 47.

Cape hoc flabellum, & ventulum huic sic facito.

Lecti veterum non erant vulgo, ut nostri, pannis oppansis clausi: ideò moris fuit ditioribus, ut quando meridianum somnum maximè captarent, astans aliquis ventulum faceret: simul refrigerandi causa, & muscarum, ac culicum abigendorum. Nonnus sæpè in Dionysiacis. Elegantiora erant pavonina. Prop. II. 18. 59.

Et modo pavonis caudæ flabella superbi.

Mart. xi\. 67. V. illum infr. in *Musca*. & Claud. in Eutrop. I. 108. mox laudandus. Ut plurimum erant è pannis inter se colligatis in unum fasciculum. Quare Eurip. Orest. 1438. appellat *fascem plumeum bene compactum*, & notat morem esse barbaricum à Phrygia ad Græcos allatum. *Casaub. in Suet. August. c.* 82. *n.* 2. *Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p.* 274. *Bochart. Hieroz.* II. 2. 16. *Pignor. de Serv. p.* 422. *Laurent. de Præcon. & Fistul. c.* 4. Æstivo tempore etiam in circo adhibebatur. Ovid. Amor. III. X. 37.

Vis tamen interea tenues arcessere ventos,
Quos faciant nostra mota flabella manu.

Et de circo loquens de Art. amand. I. 161.

Profuit & tenues ventos movisse flabello.

Hoc, prout quis alicui factioni favebat, colorem assumebat. Juven. Sat. IX. 50.

En, cui tu viridem umbellam.

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 16. Etiam virginibus mollioribus per urbem incedentibus servi cum *flabellis*, & umbellis latus cingebant, ne sol teneram cutem læderet. Dionys. VII. p. 424. *In ludum saltatorum, & ad tibicines, aliosque musicarum illecebrarum artifices comitabantur eos pædagogæ mulieres cum umbellis, & flabellis.* Claud. ibid. II. 463.

—— flabella perosi
Aspirant trabeis: jam non umbracula gestant
Virginibus, Latias ausi vibrare secures.

Casaub. l. l. Adhibebatur etiam in triclinus, & illo pueri muscas abigebant. V. infr. in *Musca*. Sed vilis mensarum usus non fuit diuturnus; sed habitus deinceps suus pavonibus honos prior. Glaud. in Eutrop. I. 108.

Et cum sopitum fessum projecerat æstu,
Patricius roseis pavonum ventilat alis.

Brouckh. in Propertium. Lindenbr. in Ammianum.

FLACCUS fuit cognomen usitatissimum apud Romanos, & commune Aviaiis, Aviliis, Calpurniis, Flaviis, Fulviis, Turiis, Horatiis, Hordeoniis, Pomponiis, & Verriis. *Glandorp. Cognom. Indic. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 720. *C.* Plin. XI. 37. *Aures hominis tantum immobiles. Ab iis Flaccorum cognomina.* Sigon. de Nom. Roman. c. 5. *Flaccorum* I. fuit M. Fulvius Q. F. M. N. consul anno primo belli Punici I. post Urbem conditam 489. cum Appio Claudio Codice. Triumphum egit de Vulsinensibus Kal. Nov. Magister equitum T. Coruncanio dictatore an. 507. II. hujus filius Q. Fulvius M. F. Q. N. quater consul, dictator, censor, magister equitum, & triumphalis princeps hujus gentis fuit. Primum consulatum egit nono post superioris dictaturam anno cum L. Cornelio Lentulo Caudino, in eo de Liguribus triumphavit. Censor cum T. Manlio Torquato an. 522. Vitio tamen facti abdicarunt. Iterum consul post septem annos cum eodem Torquato

II.

II. etiam consule. Magister equitum an. 540. dictatore C. Claudio Centhone comitiorum causa. His comitiis consul III. designatus est cum Appio Claudio Pulcro. Dictator comitiorum causa biennio post consulatum, & his comitiis IV. consul designatur cum Q. Fabio Maximo Verrucosso V. consule. III. Hujus tres filii fuisse dicuntur Q. & L. *Flacci*, tertius datus est in adoptionem L. Manlio Acidino. Duo fratres tum primùm consules eodem anno fuerunt Q. Fulvius Q. F. M. N. *Flaccus*, & L. Manlius L. F. L. N. Acidinus Fulvianus an. 574. Ambo ante consulatum triumpharunt, Fulvius anno proximo consul designatus, proprætore ex Hispania citeriore, Fulvianus an. 568. proprætore ex eadem provincia rediit ovans. Iterum in consulatu Fulvius de Liguribus triumphavit. Censor postea an. 579. cum A. Postumio Albino. IV. Q. *Flaccus* Cn. F. M. N. qui consul suffectus fuit in locum C. Calpurnii Pisonis vitrici sui, qui in magistratu mortuus est an. 573. V. Ser. *Flaccus*, cujus parentes ignoramus, consul fuit cum Q. Calpurnio Pisone an. 618. triumphum de Varderis egit ex Illyrico. VI. C. *Flaccus* anno proximo fuit collega P. Scipionis Africani Æmiliani in secundo consulatu. Hujus etiam parentes ignorantur. VII. M. *Flaccus* M. F. Q. N. consul an. 628. cum M. Plautio Hupsaco. Biennio post proconsul de Liguribus, Vocontieis, Salluvieisque triumphavit. Cum M. *Flacco* prætore filio, alioque prætextato an. 632. occisus est cum C. Graccho tribuno plebis à L. Opimio consule. *Strein. & August. de Famil. Roman. in Fulvia. Glandorp. Onomast. Roman. pag.* 352.

FLAGELLATIO erat gravior fustigatione. Macer. l. in servorum ff. de pœnis. V. illum infr. in *Verbera*. Guther. de vet. jur. pont. II. 2. Salmas. in Lamprid. Alex. Sever. c. 51. Adhibebatur ante fixionem, & rarò in crucem dati, nisi sic purpurati. Liv. XXXIV. 26. *Multi occisi, multi capti, alii verberati crucibus affixi*. Joseph. Excid. V. 32. *Flagellati & præcruciati ante mortem omne genus verberibus, crucifigebantur*. Curt. VII. 7. 28. *Quos omnes verberibus affectos sub ipsis radicibus petræ crucibus jussit affigi*. Lips. de Cruc. II. 2. Lyd. Flor. Spars. ad pass. D. Jesu p. 140. & 174. Laurent. de Rebuspubl. c. 5. Pitisc. in Curtium. Non tamen uno semper loco, aut tempore. Aut enim ante deductionem utebantur, idque domi, aut in prætorio, quod in Servatore factum: aut in ipsa deductione, per viam, quod moris fuit magis prisci. Si domi, ligabant interdum ad columnam. Artemidorus, ubi somnium narrat servi, qui visus sibi est ab hero *deglubi & turpiter tangi*, addit: *columnæ alligatus, multas accepit plagas*. Euseb. Hist. Eccl. VIII. 10. *Alii ad columnas vultibus in se adversis adstringebantur*, qui de *flagellatione* sentit. Et hoc de Servatore nostro, cum ritus quoque prisci attestatione, Prudent. Enchir. 41. 1.

Vinctus in his Dominus stetit ædibus, atque columnæ
Annexus tergum dedit, ut servile flagellis.

Hieron. Epist. ad Eustoch. *Ostendebatur illi, Paullæ, columna, ecclesiæ porticum sustinens infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus*. Lips. ibid. c. 4. sub furca cæsi per viam ducebantur. Liv. II. 36. *Servum quidam paterfamilias, nondum commisso spectaculo, sub furca cæsum medio egerat circo*. Cicer. de Divin. I. 26. *Servus per circum, cum virgis cæderetur, furcam ferens ductus est*. Dionysius. V. illum infr. in *Furca*. Nomen patrisfamiliæ etiam exprimit Lactant. II. 8. *Antonius Maximus*, potius *Autronius* ex Macrob. Sat. I. 10. *diverberatum servum sub furca medio circo ad supplicium egerat*. Lips. ibid. III. 3. Laurent. de Torment. c. 7.

FLAGELLORUM nomine etiam virgæ intelliguntur, & virgarum *flagella*. Nam in arboribus & vitibus etiam *flagella* vocantur exiles, & tenues virgæ, quæ in summitate lasciviunt. *Salmas. in Lamprid. Alex. Sever. c.* 51. Cruci affigendi interdum virgis, interdum *flagellis* cædebantur. Discrimen esse scimus, & quia virgæ honestiores, inhonestissimo huic supplicio attributa *flagella*. Cicer. pro Rab. perd. c. 3. *Porcia lex virgas ab omnium civium corpore amovit; hic misericors flagella retulit*. Quomodo retulit? unà cum cruce scilicet, cui hæc adjuncta. Itaque propriè

servorum. Ab hac nota servilem conditionem Menæ approbat Horat. Epod. IV. 11.

Sectus flagellis hic triumviralibus
Præconis ad fastidium.

Significat à triumviris cæsum *flagris* publicè, idque sub præconis voce. V. Macrum infr. in *Verbera*. Erant hæc aspera, adeo ut Ulpian. l. 8. de pœnis scripserit, *ministrorum immanitate multas sub ejusmodi flagellis interisse*. Unde *horribile flagellum* dicit Horat. Sat. I. 3. 119.

Nec scutica dignum, horribili sectere flagello.

Eo magis, cum ea insitis talis, aut ossiculis exasperabant. Eustathius: *Flagra talaria, quæ talis insertis, involutisque confecta sunt*. Apulejus agnoscit, & scitè appellat Met. VIII. p. 264. *pecuniis ossibus catenatum*. Idem Gallis matris deum adscribit ibid. p. 261. *Arrepto flagro, quod semiviris illis proprium gestamen est, contortis tænis lanosi velleris prolixè fimbriatum, & multijugis talis ovium tessellatum, indidem sese multimodis commulcant ictibus*. Lips. de Cruc. II. 2. Barthol. de Cruc. c. 12. *Flagello* in circo equos accendebant agitatores. Homer. Iliad. Ψ.

Illi autem omnes super equos flagella sustulerunt,
Et loris cædebant voce animantes cum impetu,
Illi autem velociter per campum currebant.

Videres eos pronos, & anhelantes in ipsa juga pendere, aut in axes ipsos referri, ut cursum equorum adjuvent. Sidon. c. XXIII. n. 350.

Instant verberibus simul regentes,
Jamque & pectora prona de covino
Extensi rapiuntur, & jugales
Trans armos feriunt vacante tergo,
Nec cernas citò cernuos magistros,
Temones mage sufferunt in axes.

Qui sine *flagello* agerent equos & vincerent, eorum illustrior victoria fuit. In veteri lapide Diocles cum sine *flagello* vicisset, inter miliarios agitatores primum locum obtinuit. *Buleng. de Circ. c.* 27.

FLAMEN erat nomen sacerdotis, qui alicui deo peculiariter consecratus, ei uni singillatim sacra faciebat, à quo & nomen obtinebat. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 22. *de La Chausse de Insign. Pont. max. tab.* 1. *Clasen. de Theol. gent.* III. 1. §. 15. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* 1. *c.* 4. *Turneb. in Cicer. de Leg.* II. *p.* 100. *Kipping. Antiq. Roman.* 1. 12. §. 6. Romulo primam creationem tribuit Plutarch. in Numa p. 64. C. *Jovis Martisque sacerdotibus à Romulo institutis tertium ipse Romuli addidit, quem flaminem Quirinalem appellant*. Sed Plutarchus sæpe reperitur lapsus in Romana historia. Numæ Liv. I. 20. *Tum sacerdotibus creandis animum adjecit .... Ne sacra regiæ vicis desererentur, flaminem Jovi assiduum sacerdotem creavit: insignique eum veste, & curuli regia sella adornavit: huic duos flamines adjecit: Marti unum, alterum Quirino*. Dionys. II. p. 124. *Secundam sacrorum ministeriorum curam Numa illis tradidit, qui à gestatione pileorum & infularum flamines vocati sunt*. Aur. Vict. c. 3. n. 1. *Numa flamines tres, Dialem, Martialem, Quirinalem instituit*. Lactant. I. 22. *Itaque flamines instituit*. Merul. de Sacerdot. Roman. II. 9. Anna Dacer in Aurelium. Creabantur à populo comitiis curiatis, ut docet Gell. XV. 27. Et illis creati inaugurabantur à pontifice maximo, cujus dicto omnes suberant. Val. Max. VI. 9. *C. Valerius Flaccus à P. Licinio pontifice maximo flamen captus*. Flor. Epit. 19. *L. Cæcilius Metellus pontifex maximus A. Postumium consulem, quoniam & idem flamen Martialis erat; cum illo ad bellum gerendum proficisci vellet, in Urbe tenuit, nec passus est à sacris recedere*. Liv. XXXVII. 51. *Prinsquàm in provincias prætores irent, certamen inter P. Licinium pontificem maximum fuit & Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem .... Religio ad extremum vicit, & dicto audiens esse flamen pontifici jussus*. Cum inaugurareiur, dicebatur capi. Valerius Maximus modo laudatus. Inaugurabantur, id est, certis quibusdam, ac sollennibus captatis auguriis creabantur, dicebantur capi à patribus, velut ab hostibus. *Panvin. & Merul. l. l. Gruch. de Comit.* I. 2. *Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 30. *H*. Et ab auguribus. Docet hoc Macrob. Sat. II. 9. Apud eum inter commensales

in cœna Lentuli *flaminis* Martialis numeratur *L. Julius Cæsar augur, qui eum inauguravit*. Idem Cicer. Phil. II. 43. *Cur non inaugurare? sume diem: vide, qui te inauguret: collegæ sumus; nemo negabit*. Noris. Cenot. Pisan. Dissert. 1. c. 4. Non quidem erant pontifices, ita tamen erant adscripti in collegium pontificum, ut si quando de re aliqua apud pontifices ageretur, ipsi unà judices sederent ejus rei, de qua ad collegium pontificum relatum esset. Quod potest intelligi ex Cicer. pro Domo: quæ cum habita sit apud pontifices, ad quorum collegium rejectum erat de domo à Clodio consecrata judicium: io ea tamen oratione *flamines* judices fedisse ostendit, cum ait c. 49. *Disce orationem pontifices, & vos flamines, etiam tu Rex, disce ab homine gentili tuo, quam quam ille gentem istam reliquit*. Panvin. l. l. Gruch. de Comit. t. 2. Quum à Numa tres principin tantùm instituti fuisseot, Dialis, Martialis, & Quirinalis; postea processu temporis xii. alii Romæ additi sunt, & ad xv. oumerum aucti. Festus: *Maxima dignationis flamen Dialis est inter* xv. *flamines*. Post constitutos xii. *flamines* orta est inter eos majorum, minorumque, vel patriciorum, & plebejorum distinctio. Tres enim primi à Numa instituti majores, & patricu appellati sunt: xii. posteriores mioores, & plebeji. Festus: *Majores flamines appellabuntur patricii generis, minores verò plebeji*. Nam tres primi semper ex patriciis cooptati sunt, ut docet Cicero pro Domo c. 14. io qua oratione regem sacrorum, *flamines*, falios, interregem, & ex dimidia parte reliquos sacerdotes non nisi ex patribus creari posse tradit. Cæterùm quanquam *flamines* xv. essent, qui nomine conveniebant, collegæ tamen non erant, neque eorum quoddam collegium vocabatur. Siquidem *flamen* unius tantùm dei sacerdos erat, habebatque sua quisque sacra, quæ per se quisque procurabat, & ad alios omnino nihil attineret. Cicer. de Leg. II. 8. *Divisque aliis sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto*. Varr. de Ling. Lat. IV. 15. *Horum singuli cognomina habent ab eo deo, cui sacra faciunt*. Ita erant perpetui, ut tameo ob certas quasdam causas sacerdotio privari possent, dicebaoturque *flaminio* abire, alique subrogabantur. Quod si nullis illarum cautis coacti fuissent sacerdotium deponere, id, dum vivebant, retinere solebant. Unde Val. Max. I. 1. 4. *P. Calius, M. Cornelius Cethegus, & C. Claudius propter exta parum curiose admota aris deorum immortalium, variis temporibus, bellisque diversis flaminio abire jussi sunt, coactique etiam. At Sulpicio inter sacrificandum apex è capite prolapsus, eidem sacerdotium abstulit*. Guther. de vet. jur. pontif. I. 6. Panvin. Gytald. Struv. & Merul. l. l. Utebantur læna purpurea. V. illam infr. in *Lana*. Et pilen, qui vocabatur apex. V. illum supr. in *Apex*. Lauro vinciebantur. V. infr. in *Laurus*.

Flamen Augusti legitur io inscriptionibus:

NERONI. CÆSARI
GERMANICI. F.
TI. AUGUSTI. N. DIVI. AUG
PRON. FLAMINI. AUGUSTALI

Item:

M. ARTORIUS. M. F. PAL. PRISCUS.
VICASIUS. SABIDIANUS. TRIB. COH.
XV. VOLUNT. C. R. TR. LEG. VII.
CLAUD. PIÆ. FID. PRÆF. ALÆ. I.
PANN. PRÆF. MONTIS. BERENICIDIS. FLAM. DIVI. AUG....

Panvin. de Civit. Rom. c. 27.

Flamen Cæsaris fuit M. Antonius. A Cæsare hic mos originem habuit. Et illi etiam adhuc viventi est decretus. Suet. Jul. c. 74. n. 2. *Ampliora humano fastigio decerni sibi passus est: flaminem* ..... Dio XLIV. p. 243. C. *Sacerdotio ejus Antonium, quasi flaminem Dialem aliquem, præfecerunt*. Hoc objicit Antonio Cicer. Ph l. II. 43. *Quem is majorem honorem consecutus erat, quàm ut haberet pulvinar, simulacrum, fastigium, flaminem? Est ergo flamen ut Jovi, ut Marti, ut Quirino, sic divo Julio M. Antonius?* Panvin. de Civit. Rom. c. 27. Lax. Comm. Reip. Rom. III. 13. Pitisc. io Suetonium. Cæsare superstite, eodemque fortè vetante, non fuit inauguratus. Cicer. l. l. *Quid igitur cessas? cur non inaugurare? sume diem? vide qui te inauguret*. Eodem occiso, invidiæ fortè metu, seu quod stultitiæ proximum ducebat trucidati hominis *flaminem* esse, inaugurationem omisit. Cicer. Phil. XIII. 19. *Deceptum patrem à me Cæsarem audes affirmare? Tu, tu, inquam, illum occidisti Lupercalibus, cujus homo ingratissimus flaminium cur reliquisti?* Postea *in gratiam Cæsaris* Octaviani *ejus sacerdos factus* est anno ab U. C. 714. si vera narrat Plutarch. in Antonio. *Noris. Cenot. Pisan. Differt. 1. c. 4.*

Flamen Carmentalis Carmentæ Euandri matris sacra curabat. Cicer. Brut. c. 14. *M. Popilius quum consul esset, eodemque tempore sacrificum publicum cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis* .... Erat plebejus. Testimonio est hic Lænas, qui ex plebe consul lectus fuerat, quum *flamen* Carmentalis esset. *Panvin. de Civit. Rom. c. 25. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 608. Merul. de Sacerd. c. 2. §. 9. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1.*

Flamen Claudii legitur in vetusta inscriptione:

...... FLAMEN. DIVI. CLAUDI
DEDIT. IDEMQUE. DEDICAVIT

Panvin. de Civit. Rom. c. 27. Pancirell. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom. III. p. 328. E.

Flamen deorum omnium in auctoribus non legitur: sed tamen in antiquis inscriptionibus municipiorum, ut in hac:

PATRON. COL. FLAMINI. DIVOR. OMNIUM.

& in alia:

II. VIR. QUINQ. FLAM. DIVOR. OMNIUM.

& in illa:

II. VIRO. QUINQ. DIVOR. OMNIUM.

Turneb. Adv. XI. c. 10. Panvin. de Civit. Rom. c. 26.

Flamen Dialis Jovia sacra curabat. Erat maximæ dignationis inter omnes. V. Festum supr. in *Flamen*. Institutus fuit vel à Numa Livio auctore I. 20. vel à Romulo ipso Plutarcho auctore io Numa p. 64. C. *Panvin. de Civit. Rom. c. 23. de La Chausse de Insign. Pont. Max. & Flam. Dial. Tab. 1. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1. Flocc. de Potest. Roman. 1. 5. Merul. de Sacerd. Roman. c. 2. §. 9. Blond. Triumph. Rom. II. p. 30. H. p. 31. A.* Jovi erat assiduus sacerdos. Illum Numa insigni veste, & regia sella adornavit. Hanc dignitatem C. Flaccus alter *flamen* Dialis restituit post per multos annos dimissam, ut scilicet in senatum introiret cum prætexta & sella curuli. Liv. XXVII. 9. V. illum infr. in *Senatus*. Manut. de Senat. Rom. c. 1. Guther. de vet. jur. Pontif. I. 32. Io ejus factis cautum erat, *ut unguium, & capilli segmina subter arborem felicem terra operirentur*. Gell. N. A. X. 15. Et sic de *flaminum* factis ootatum;

Capillum dialis, nisi qui liber homo est, non detondeto.
Unguium dialis, & capilli segmina, subter arborem felicem terra integunto.

Crinit. de Honest. discipl. XX. 6. Lapsus est Ant. August. de Numism. Ant. Dial. X. qui Dialem cum duobus majoribus cæteris *flaminibus* majorem pontificem putat. Nam Dialis pontificum collegio ne quidem adscriptus erat; sed Martialis tantùm & Quirinalis, qui tamen pontifices non erant majores. Dialem collegio pontificum non fuisse attributum, intelligitur ex Cicer. pro Domo. Nam inter sacerdotes, qui de illius domo judicarunt, cum Martiali & Quirinali sedisse non dicitur. Rationem repeto à Fabio Pictore apud Gell. X. 15. *quod quotidie feriatus erat*. Guther. l. l. Tum planè ignoravit. A Cicerone *flamen* Dialis inter judices pontifices non recitatur, quia nullus per ea tempora erat *flamen* Dialis. Etenim causa Ciceronis anno ab U. C. 697. agitabatur. Hoc anno nemo erat *flamen* Dialis. Anno enim ab U. C. 667. L. Cornelius Merula *flamen* Dialis consul suffectus est in locum Cinnæ, qui consulatu, urbeque ejectus fuerat; eodem anno Cinna cum victore exercitu in Urbem ingressus, sibimet ipse venas secuit, scripta priùs tabella, testatus se id fecisse deposito apice; *flaminem* enim apicatum mori oefas habebatur. At post Merulam nemo *flamen* Dialis inauguratus est ad annum usque ab U. C. 744. Tacit. Annal. III. 58. 3. *Duobus & septuaginta annis post Cornelii Merulæ cadem neminem suffectum*. Qui etiam alterum errat scribens Diales magistratus Romæ non cepisse, quod quotidianis feriis unpe-

impediti jus dicere non possent. Nam Servius Maluginensis apud Tacit. Annal. III. 58. 3. testatus est: *Sæpè pontifices dis alia sacra fecisse, si flamen valetudine, aut munere publico impediretur.* Itaque & Diales munere publico fungebantur. Liv. XXXIX. 45. *Prætores ita sortiri jussi, ut flamini Diali utique altera juris dicendi Romæ provincia esset.* Is fuit C. Valerius *flamen* Dialis anno ab U. C. 571. prætor electus. Denique Merula, ac Maluginensis, aliique consules, quos Gellius tacito nomine recitat, consulatum gessere. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* I. c. 5. Illi equo vehi non licebat. Gell. X. 15. *Equo Dialem flaminem vehi religio est.* Festus: *Equo vehi flamini Diali non licebat, ne si longius digrederetur, sacra negligerentur.* Aliam habet rationem Plin. XXVIII. 9. *Damnatur equinum sanguis inter venena, ideò flamini sacrorum equum tangere non licet, cum Romæ publicis sacris equus etiam immoletur.* Ouzel. in Gellium. Panvin. Flocc. & Guther. l. l. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 609. Gyrald. Synt. Deor. XVII. p. 478. E. Classem procinctam extra pomœrium, id est, exercitum armatum videre nefas erat. Idcircò rarenter creatus est consul, cum bella consulibus mandabantur. Gell. l. l. *Panvin. de Struv. l. l.* Nec Italia egredi, nec ab Urbe abesse licebat. Tacit. Annal. III. 58. 1. *Non licere Dialibus egredi Italia.* Liv. V. 52. *Flamini Diali noctem unam manere extra Urbem nefas est.* Lips. in Tacit. n. 129. Gyrald. l. l. Guther. de Jur. man. III. 25. Struv. ibid. p. 610. Laz. Comment. Reip. Rom. III. 13. Erat inter eos qui non jurabant. Gell. l. l. *Jurare Dialem fas nunquam est.* Liv. XXXI. 50. *C. Valerius Flaccus, quem prætorem creaverant, quia flamen Dialis erat, jurare in leges non poterat: magistratum autem plus quinque dies, nisi qui jurasset in leges, non licebat gerere. Petente Flacco, ut legibus solveretur, senatus decrevit, ut si ædilis qui pro se juraret, arbitratu consulum daret: consules, si eis videretur, cum tribunis plebis agerent, ut ad plebem ferrent. Datus, qui juraret pro fratre, L. Valerius Flaccus prætor designatus: tribuni ad plebem tulerunt, plebesque scivit, ut perinde esset, ac si ipse ædilis jurasset.* Rationes dat Plutarch. Quæst. Rom. 43. *Sive quod tormentum liberis sit jusjurandum, oportet autem flaminem sacerdotem a tormentis, quà corpus, quà animum immunem esse: sive quod haud conveniat ei, cui sacra, id est, maxima credimus, in minimis fidem non habere ......* Hansen. de Jurejur. vet. c. 30. Turneb. Adv. XXVII. 7. Stuck. de Sacrif. p. 139. Guther. l. l. Ouzel. in Gellium. Struv. ibid. p. 611. Fab. de Magistr. Roman. p. 205. Blond. Triumph. Roman. I. p. 56. H. Annulis solidis non licebat uti, sed tantum cassis & perviis. Festus in Edera: *Sed ne annulum quidem gerere flamini Diali licebat solidum.* Gell. X. 15. *Flamini Diali annulo uti, nisi pervio, cassoque fas non est.* Kirchm. de Annul. c. 3. Dacer. in Festum. Panvin. l. l. Ignem ex illius domo efferre non licebat, nisi rei divinæ causa. Gellius: *Ignem è flaminia, id est, flaminis Dialis domo, nisi in sacrum efferri jus non est.* Festus: *Ignem ex domo Flaminia efferri non licebat, nisi divinæ rei gratia.* Panvin. Guther. & Dacer. l. l. Funebres tibias audire non licebat. Festus: *Funebres tibiæ dicuntur, cum quibus in funere canitur, quas audire flamini Diali putabant illicitum.* Ejus enim honori videtur habitum, ut tibiæ removerentur, si quando venirent exsequias. *Funus* namque *exsequi non erat religio.* Gell. l. l. licèt illas rarò itasse vero non sit absimile. *Kirchm. de Fun. Rom.* II. 5. *Mag. Var. Lect.* I. 13. *Morest. Pomp. Feral.* III. 11. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 35. *Casaub. in Theoph. Charact. p.* 352. Nec ingredi locum, in quo bustum erat, vel mortuum attingere. Gell. X. 15. Erant enim Romani in ea opinione, ut existimarint, quicquid diis superis sacrum esset, id vel solo aspectu, aut contactu rei funestæ contaminari. *Kirchm. ibid. c.* 21. *Ouzel. in Gellium. Morest. l. l.* Et opus feriis facientem videre religiosum erat. V. supr. in *Feria*. Ejus ministri debebant esse patrimi atque matrimi. Festus: *Flaminius camillus puer dicebatur ingenuus, patrimus & matrimus qui flamini Diali ad sacrificia præministrabat.* Et *Flaminia dicebatur sacerdotula, quæ flaminicæ Diali præministrabat, eaque patrima & matrima erat, id est, patrem, matremque adhuc vivos habebat.* Hoc ideò placuit, ut ostenderetur in sacris perfecta omnia, & nihil in iis desiderari oportere.

Perfectiores autem videntur, quibus parentes supersunt, quàm qui pupilli. Imò qui pupillum dicit, mortuum aliquem subintelligit. De quo inter sacra cogitare *flamini* non licebat. *Boxhorn. l. l.* Auspicabatur vindemiam, &, ut jusserat vinum legere, agna Jovi faciebat, inter cujus cæsa & porrecta *flamen* prorsus vinum legebat. *Guther. l. l. Palmer. Spicil.* I. *p.* 772. *Jun. Fast. Thes. Antiq. Roman. Grev. Tom.* VIII. *p.* 248. *F.*

Flamen Falacer *à divo patre Falacre dictus est*. Varro de Ling. Lat. IV. §. 15. Quis autem is deus fuerit, nondum inveni. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 25. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 1. Crediderim deum fuisse, quo loco cuidam, qui falacer, aut falacrinum vocabatur, præerat. Sunt enim cognomines, & gentiles locorum dii: ut Clitumnus, & fontis, & dei fontis præsidis nomen erat. Falacrinus autem locus recensetur ab Antonino in Itinerario Italiæ non procul Roma. Quispiam fortasse etiam exstimet à phalis circi nomen habuisse: sed alterum credibilius videtur. *Turneb. Adv.* VI. 5.

Flamen Floralis dictus est à Flora. V. illam infr. in *Flora*. De illo Varr. de Ling. Lat. VI. §. 3. *Sunt, in quibus flaminum cognominibus latent origines: ut qui sunt in versibus plerique, Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis. Obscura est eorum origo.* Panvin. de Civit. Rom. c. 25. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1.

Flamen Furinalis *dictus est à Furina, cujus etiam in festis Furinales feriæ sunt.* Varr. de Ling. Lat. IV. §. 14. V. illam infr. in *Furina*. Panvin. de Civit. Rom. c. 25. Turneb. Adv. VI. 5. Alex. Gen. dier. VI. 12.

Flamen Hadrianalis, ut multi putant, fuit Antoninus Pius. De Hadriano ab Antonino Pio consecrato, & *flamine* illi instituto Spartian. c. 27. *Hadrianus rogante Antonino divus à senatu appellatus est, qui templum ei pro sepulcro apud Puteolos constituit. & quinquennale certamen, & flamines, & sodales.* De *flamine* Hadrianali meminit Inscriptio:

. . . .
SODAL. HADRIANAL
PR. URB. TRIB PLEBSQ. PROV
CRETÆ. TRIB. LEG. XI. CL
X. VIR. STLITIBUS JUDICANDIS
MEDIOLANENSIS
PATRONO

Panvin. de Civit. Rom. c. 27.

Flamen Martialis à Numa secundus institutus fuit, ut Dionys. II. p. 124. & Liv. I. 20. tradunt; vel à Romulo, ut Plutarchus; quod Romuli conditoris Urbis Mars pater creditus sit. V. illos supr. in *Flamen*. Hic patricius, & major *flamen* erat. De quo Varr. de Ling. Lat. IV. §. 15. *Flamines singuli cognomina habent ab eo deo, cui sacra faciunt, sed partim sunt aperta, ut Martialis, Volcanalis.* Inscriptio:

P. CORNELIUS. P. F. DOLABELLA.
C. JUNIUS. C. F. SILANUS. FLAMEN.
MARTIAL. COS. EX. S. C. FACIUND.
CURAVERUNT. IDEM. QUE. PROBAVERUNT.

Hi consules, ut ex fastis liquet, sub Augusti imperio fuerunt. Ne autem quis hac inscriptione in dubium verteret, quod de *flaminibus* majoribus dixi, ipsos semper ex patriciis lectos fuisse, animadversione dignum, gentem Juniam plebejam quidem ante dictatorem Cæsarem fuisse, ideoque hoc sacerdotio exclusos. Verùm post Cæsaris dictatoris tempora, à quo Junia gens cum plerisque aliis in patricias allecta est, tam hoc sacerdotium, quàm cætera, quæ plebejis antea prohibita erant, obtinere potuit, ut sub Augusto hunc Junium obtinuisse videmus. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 24. *Merul. de Sacerd. c.* 2. §. 9. *Tiraquell. in Alex.* VI. 12. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 1. Huic antiquitus Italia egredi non erat concessum. Val. Max. I. 1. 2. *Metellus pontifex maximus Postumium consulem, eundemque flaminem Martialem, ad bellum gerendum Africam petentem, ne à sacris discederet, multa indicta, Urbem egredi passus non est: religionique summum imperium cessit.* Liv. Epit. XIX. *Cæcilius Metellus pontifex maximus A. Postumium*

consulem, quoniam & idem flamen Martialis erat, in Urbe tenuit, nec passus est à sacris recedere. Sed hæc cum ævo mutarunt. *Lips. in Tacit.* III. 71. *n.* 130.

Flamen Palatualis, ut Varr. de Ling. Lat. VI. §. 3. & Festo dicitur, erat *constitutus ad sacrificandum ei deæ, in cujus tutela palatium esse putabant*, quam Varro Palatuam vocat, de quo nihil præterea memoria dignum inveni. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 25. *Turneb. Adv.* VI. 5. *Alex. Gen. Dier.* VI. 12. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 1. *Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 31. *A.*

Flamen Pomonalis denominatur à Pomona *pomorum patrona*. Varr. de Ling. Lat. VI. §. 3. Minimi habitus est inter XV. *flamines*. Festus: *Minimus habetur Pomonalis, quod Pomona levissimo fructui agrorum præsidet, id est, pomis*. Panvin. de Civit. Roman. c. 26. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1. Blond. Triumph. Rom. II. p. 31. A.

Flamen Quirinalis fuit major, & patricius, à Numa in Romuli honorem institutus. V. supr. in *Flamen*. quod Romulus Quirinus appellatus patens, & Urbis conditor fuisset. De hoc frequens mentio est apud Livium, Varronem, & Festum. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 25. *Merul. de Sacerd. c.* 2. §. 9. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 1. Et huic antiquitus Italia egredi non licebat. Liv. XXXVII. 51. *Priusquam in provincias prætores irent, certamen inter P. Licinium pontificem maximum fuit, & Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem, quale patrum memoria inter L. Metellum, & Postumium Albinum fuerat. Religio ad postremum vicit, & dicto audiens esse flamen pontifici jussus*. Lipf. in Tacit. Annal. III. 71. n. 130.

Flamen Virbialis erat consecratus deo Virbio, id est, Hippolyto. Ejus nullus, quod sciam, antiquus scriptor meminit. Mentionem extare vidi Romæ in antiqua inscriptione, quæ modò non est ad manus. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 25. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 1.

Flamen Volcanalis fuit Volcano consecratus. Fuit minor & plebejus. De illo Varro. V. illum supr. in *Flamen Martialis*. Panvin. de Civit. Rom. c. 25. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1.

Flamen Volturnalis apud solum, quod sciam, legitur Varronem. V. illum supr. in *Flamen Floralis*. Panvin. de Civit. Rom. c. 25. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1. Fuit *flamen* Volturni fluvii. *Turneb. Adv.* VI. 5.

Flamines fuerunt etiam in municipiis, quia municipalis reipublicæ forma Romanæ pænè similis videtur fuisse. Lanuvini meminit Cicer. pro Mil. c. 10. *Interim cum sciret Clodius iter sollenne, legitimum, necessarium ante diem* XIII. *Kalend. Feb. Miloni esse Lanuvium, ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuvii Milo*. Sigon. de Antiq. jur. Ital. II. 8. Et aliorum inscriptiones, V. illas supr. in *Flamen deorum omnium*. Panvin. de Civit. Roman. c. 26. Erant ex ordine decurionum, nec priùs sacerdotio ornari poterant, quàm municipalia munera obivissent, l. 77. C. de decurion. Hinc *flamen* Augustalis Pisanus in cenotaphio nuncupatur *princeps coloniæ nostræ*; nempè primus inter colonos. Brutum appellat Cicer. Fam. III. 11. *principem jam pridem juventutis, celeriter, ut spero, civitatis*. Censor. de Die Nat. c. 4. Q. Cærelium commendans, ait: *Tu tamen officiis municipalibus functus, honore sacerdotii in principibus tuæ civitatis conspicuus* ..... quibus planè honorum titulis noster municipalis *flamen* insignitur. Creabantur in municipiis à decurionibus; unde in saxo Comensi p. 438. 7. laudatur L. Minucius Exoratus:

FLAMEN. DIVI. TITI. AUG
VESPASIANI
CONSENSU. DECURION

Nominatos à decurionibus magistratus prodebat. Cicero modò laudatus. His sacerdotium hoc pro certo quodam tempore deferebatur. Patet hoc ex l. 21. de decurion. qua statuit Constantinus curiales *post flaminii honorem, & magistratus, vel sacerdotii decursa insignia*, non posse cogi fieri præpositos mansionum. In antiquis saxis legitur: *Flaminis* II. *Flaminis iterum* p. 489. 10. & p. 321. 10.

C. SEMPRONIO. SPERATO. FLAMI-
NI. DIVORUM. AUGG. PROVINCIÆ.
BÆTICÆ IMP. NERVA. TRAJANO.
CÆSARI. AUG. GERM. III. VICERIO.
ALARIANO. ET. L. MARTIO. POS-
TUMO. COSS. HIC. PROVINCIÆ. BÆ-
TICÆ. CONSENSU. FLAMINIS. MU-
NUS. EST. CONSEQUUT. PERACTO.
HONORE. FLAMIN. ...

Habetur hic alter *flamen* provinciæ divorum Augustorum, à provincialibus pro certo tantùm tempore nominatus. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* 1. *c.* 4.

FLAMINALES dicebantur, viri *flaminis* honore functi, vel, ut lex loquitur in *Flamines* laudata, *post flaminii decursa insignia*: ut consulares, qui consulatum pridem consecuti. Lapis Tarraconæ p. 478. 2.

C. VALERIO. ARABINO
FLAVIANI. F. BERGIDOF
OMNIB. HON. IN. R. P
SUA FUNC. SACERDOTI
ROMÆ. ET. AUG. P. H. C
OB. CURAM. TABULARI
CENSUALIS. FIDELITER
ADMINIST. STATUAM
INTER. FLAMINALES
VIROS. POSITAM. EX
ORNANDUM. UNIVER
CENSUER

Guther. de vet. jur. pont. I. 32.

FLAMINICA vocabatur uxor flaminis. Docet Inscriptio apud Gruter. p. 322. n. 2.

AUL. SEMPR. ASPRENATI
FLAMINI. DIALI
CONJUGI. OPTIMO
BENE. MERENTI
HECALE. FLAMINICA

Festus: *Flammeo vestimento flaminica utebatur, id est Dialis uxor, & Jovis sacerdos, cui telum fulminis eodem erat colore*. De hac *lata lex erat, ut sacrorum causa in potestate viri esset; cætera promiscuo feminarum jure ageret*. Tacit. Annal. IV. 16. 6. *Struv. Ant. Roman. c.* 12. *p.* 611. *Merul. de Sacerd. Roman. c.* 2. §. 9. Quoties tonitrua audisset, feriari necessum erat. Macrob. Saturn. I. 16. *Flaminica, quoties tonitrua audisset, feriata erat, donec placasset deos*. Alex. Gen. VI. 12. & ad illum Tiraquellus. Siccam. in Fast. Kalendar. c. 4. A viro divertere non licebat. Gell. X. 15. *Uxorem si amisit flamen, flaminio decedit: matrimonium flaminis nisi morte dirimi non est jus*. Plutarch. Quæst. Rom. 49. *An quia cœlibe miserior est qui uxorem amittit? qui enim uxorem duxit, ejus domus perfecta est: qui ductam amisit, ejus non imperfecta modò, sed & mutilata est familia. Aut quia in plerisque sacris rebus obeundis uxor ei adest, neque ea absente peragi eas fas est*. Et flaminica viri unius uxor eligebatur, & ipse unius vir uxoris. Tertull. Exhort. ad castit. c. 13. *Certè flaminica nonnisi univira est, quæ & flaminis lex est*. de Monogam. c. 17. *Pontifex maximus, & flaminica nubunt semel*. Alex. & ad illum Tiraquell. l. l. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 479. A. Induebatur pallio, flammeo colore tincto. Gell. X. 15. *Venenato operitur*. Serv. Æneid. VI. 36. *Veteri ceremoniarum jure præceptum est, Flaminica venenato operta sit. Operta autem cum dicitur, pallium significatur. Venenatum autem infectum*. In omni sacrificatione utebatur virga ex malo Punico incurvata, quæ arculum vocabatur. Hanc intelligit Gell. X. 15. *In rica surculum ex arbore felici habet*. V. supr. in *Arculum*. Scalas nisi Græcas ascendere ei plus tribus gradibus religiosum est, ut de illa Gell. l. l. Ad cujus interpretationem facit fragmentum Servii: *Apud veteres flaminicam scalas plus tribus gradibus nisi Græcas scandere non licebat, ne ulla pars pedum ejus, crurumve subter conspiceretur. Eoque nec pluribus gradibus, sed tribus, ut in ascensu duplices nisus non paterentur extolli vestem, aut nudari crura: nam & ideò Græcæ scalæ dicuntur, quia ita fabricantur, ut omni ex parte compagine tabularum clausæ sint, ne aspectum ad partem aliquam corporis admittant*. Scalig. Fest. in Inarculum. Thys. in Gellium.

lium. Nunquam pectendo comere capillum ei fas erat. Hoc de seipsa testatur apud Ovid. Fast. vi. 229.

Non mihi dentosa crinem depectere buxo.
Non ungues ferro subsecuisse licet.

Gell. l. l. *Atque etiam, quum it ad Argeos, neque comit caput, neque capillum depectit.* Jun. de Coma c. 7. Thys. in Gellium.

FLAMINIA dicitur *ædes flaminis Dialis*. Festus. Ovid. Fast. ii. 27.

Ipse ego flaminia poscentem februa vidi:
Februa poscenti pinea virga data est.

Flaminia, ex ædibus *flaminis*. Ita legimus apud Ovidium pro eo, quod hodie *Flaminiam*. Scalig. in Festum.

Flaminia dicebatur *sacerdotalia, quæ flaminicæ Diali præministrabat, eaque patrimes & matrimes erat, id est, patrem, matremque adhuc vivos habebat*. Festus. *Panvin. de Civit. Rom. c. 22. & 42. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 612. Merul. de Sacerd. Roman. c. 2. c. 9.*

Flaminia prata. V. illa infr. in *Prata*.

Flaminia via. V. illam infr. in *Via*.

FLAMINII dicti sunt *flaminum* ministri. *Panvin. de Civit. Roman. c. 22. Gyrald. Synt. deor. xvii. p. 479. A. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. ii. 2. Sigon. de Nom. Roman. c. 4. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1. Merul. de Sacerd. Roman. c. 2. §. 9.* In pompa circensi nono loco succedebant. *Panvin. l. l.*

FLAMINIUS fuit cognomen Quinctiorum & Claudiorum. *Sigon. de Nom. Roman. c. 5.*

Flaminius circus. V. illum supr. in *Circus*.

Flaminius lictor. V. illum infr. in *Lictor*.

FLAMMA apparens nullo non in portento boni, faustique augurii erat. Hoc antiquorum infinita propemodum testantur monumenta. Nam qui caput arsisse Servio Tullio dormienti dicunt, futuram inde hominis humiliter alioqui nati celebritatem id judicasse, veluti Tanaquilis Thuscæ interpretatio fuit, haud ægrè consentiunt. Virg. Æned. ii. 680. cadente jam Troja, in summa rerum desperatione, verticem Ascanii correptum *flammis*, ut dejecti omnium animi in spem optimam erigerentur, causam fuisse dicit. *Pier. Valerian. de Fulmin. significat. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. v. p. 610. F. Niphus de Augur. 1. 10.* E prætoria navi sublata signum profectionis erat noctu proficiscentibus. Virg. Æneid. iii. 519.

Postquam cuncta videt cælo constare sereno,
Dat clarum è puppi signum, nos castra movemus.

Ubi Servius: *Faculam elevat*. Ita Agamemnon profectionem & discessum narrans apud Senec. iii. 327.

Signum recursus regia ut fulsit rate,
Et clara lentum remigem monuit tuba,
Aurata primas prora secavit vias.

Scheffer. de Milit. nav. iii. 3. Illa cruci affixi ustulabantur, & necabantur. Acta vetera de Pionio: *Confixus clavis in cruce, aggestis lignis, flamma combustus est*. Euseb. Hist. Eccl. iv. 15. *Cum pararent eum*, Polycarpum Smyrnæorum antistitem, *cruci suffigere, dixit: relinquite me sic; qui enim dedit exspectare ignem, dabit etiam sine vestra clavorum firmitate solutum manere in rogo*. Non ergo injuria scripsit Tertull. Apolog. c. 50. *Licèt nunc sarmentitios, & semaxios appelletis, quod ad stipitem dimidii axis revincti, sarmentorum ambitu exurimur*. Significat enim adeò crebrum in majores nostros supplicium illud fuisse, ut in illudium, conviciumque veneris, & Christiani vulgò semaxii, à stipite, cui adstringebantur: & sarmentitii, à sarmentis, quibus urebantur, sint dicti. *Lips. de Cruce* iii. 10.

FLAMMEARII dicebantur, qui *flammeo*, sive rubro colore vestes tingebant. Festus. *Flammearii, infectores flammei coloris*. Plaut. Aul. iii. 5. 36.

Flammearii, violarii, carinarii.

Ferrar. de Re Vest. 1. 3. 21. Rhodig. Ant. Lect. xxix. 23. Stevvech. in Veget. ii. 1. Taubm. in Plautum. Voss. Lex. Etymol. in Flammeum.

FLAMMEUM non fuit amictus longus, qui ad pedes demissus in humerum rejiciebatur; sed velum, quo sponsæ caput nubebatur. *Ferrar. Anal. de Re vest. c. 24. Tom. II.* Non. xiv. 31. *Flammeum vestis, vel tegmen, quo capita matronæ tegunt*. Unde Tacit. Annal. xv. 37. 4. & 5. propudiosas Neronis cum Pythagora pusillatore, ut viro, nuptias referens, cum reliqua omnia in nuptiali pompa adhiberi solita, tum nominatim ait: *inditum Imperatori flammeum*. Et Quintil. Decl. 306. vetulam nubentem alloquens, *Operis*, inquit, *flammeo canos*. E contrario Hieron. Epitaph. Paullæ, ut virginem notaret consecrandam, ait: *Neptis Christi flammeo reservatur*. Illo *boni ominis causa amiciebatur nubens, quod eo assidue utebatur flaminica, id est, flaminis uxor, cui non licebat facere divortium*. Festus. Erat *flammei*, id est, lutei coloris. Plin. xxi. 8. *Lutei coloris honorem antiquissimum in nuptialibus flammeis totum feminis concessum*. Ut si quid in facie virginis animadverteretur pudoris, is è velo color, non è genis emicare videretur. Lucan. ii. 361.

Non timidum nupta leviter tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Unde sanguineum dicitur Schol. Juven. vi. 225. *Flammeum est genus amiculi, quo se cooperiunt mulieres die nuptiarum. Est enim sanguineum, propter ruborem custodiendum.* Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect. vi. Alex. Gen. Dier. ii. 5. Pier. Hierogl. xl. xi. Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. viii. p. 1031. E. Salmuth ad Pancitoll. de Reb. deperd. & inv. p. 683. Lyd. Serm. conviv. 1. p. 82. Salden. Ot. Theol. 1. 6. 7. Pius Annot. post. c. 80. Boxhorn. Quæst. Roman. 26. Tiraquell. & Mercer. in Alexandrum. Sched. de dis Germ. ii. 5. Casal. de Rit. nupt. c. 1. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 16. Dempster. Paralip. ad Rosin. Antiq. v. 37. Langbæn. in Longin. de Sublimit. Sect. iv. n. 10. §. 29. Voss. Lex. Etymol. Bernart. in Stat. Theb. ii. 341. Stevvech. in Veget. ii. 1. Barth. Adv. xxii. 9. Salmas. Exerc. Plin. p. 190. a. A. 812. b. B. Carol. Antiq. Roman. iv. 3. Laurent. de Sponsal. & nupt. c. 1. Pitisc. in Suet. Ner. c. 28. n. 3. Kipping. Antiq. Roman. iv. 2. §. 3.

FLAMULÆ posteriori ævo fuerunt vexilla dicta è purpura, & auro mixta. Veget. ii. 1. *Equitum alæ, quod protegant acies, quæ nunc vexillationes vocantur, quia velis, hoc est, flamulis, utuntur*. Cedrenus: *Vexillationes, Romanorum equites. Vexilla passim panni, seu vela, è purpura & auro, in quadratam formam effecta. Hæc adaptantes longis hastis, circum Principes in orbem euntes, eos tegunt. Sunt autem illa quæ nunc flamula dicuntur*. Ille idem de Arabibus: *Chartam conscriptam, pacis testem, super flamula suspendentes*. Suidas: *Saurion, genus signi, vel flamula*. Lips. de Milit. Roman. iv. 5. Thys. Rom. illustr. iv. p. 93.

FLATOR dicitur *tibicen*. Festus. Hujus enim officium in *flando* exstitit. Glossarium: *Flat flator, φυσᾷ αὐλητής*. Et veteres glossæ: *Αὐλητὴς, flator, tibicinator*. Arnob. ii. p. 69. *Tibia, calamoque flantes*, pro tibicinibus. Sic *tibias inflare* dixere Latini, ubi usus tibiarum exprimendus fuit. Tertull. adv. Marcion. ii. *Nec tu si in tibiam flaveris, hominem tibiam feceris, quanquam de anima tua flaveris*. Apul. Met. vi. p. 195. *Ut tibias inflaret satyrus*. Barthol. de Tib. vet. 1. 7. iii. 1. Tomas. de Donar. c. 26. Scalig. in Festum. Elmenhorst. & Herald. in Arnobium.

Flator etiam dicitur, qui ad ignem excitandum folles commovet, quibus ventus attrahitur atque emittitur. Virg. Æneid. viii. 449.

—— alii ventosis follibus auras
Accipiunt, redduntque.

Guther. de Offic. dom. Aug. iii. 19.

Flatores æris, argenti, auri fuerunt magistratus, qui curam cudendæ monetæ habebant. Pompon. l. 2. ff. de orig. jur. *Eodem tempore constituti sunt triumviri monetales, æris, argenti, auri flatores*. Inde nummus æreus perantiquus apud Bernardinum Sandrium: C. PLOTIUS. IIIVIR. A. A. A. F. F. quem sic explicat: auro, argento, ære, flando, feriundo. Eædem notæ fuerunt in nummo æneo Augusti: S. C. M. SALVIUS. OTHO IIIVIR. A. A. A. F. F. *Land. Miscell. in vet. numism. Miscell. Ital. Tom. 1. p. 384. Crinit. de Hon. discipl.* xvii. 7. Nummos *flare* est illos fingere, fundere, formare. Ulpian. l. 9. ff. ad leg. Corn. de fals. *Quive*

argenteos nummos adulterinos flaverit, & *flaturarios* homines pecuniæ formandæ operatos Imperatores vocant, l. 6. C. de fals. monet. *Freber. de Re monet. vet.* 1. 1. Miror triumviros monetales dictos *flatores* ..... Quid enim? Num liberti *flatores* in re monetaria magistratum populi Romani suffragio gesserunt? Hoc planè absurdum est. Quare audacter affirmo Pomponium ita scripsisse: *Triumviri monetales, æris, argenti, auri F. F. LATOR.* quod est *flando feriundo latores*: & ex literarum vicinitate literam *F* literæ *F* verbo *latores* junxerunt: imperitia librariorum scriptum *flatores*. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19.

FLATURARIUS in genere dicebatur, qui *flando* aliquid conficiebat. Glossæ veteres: *χωνευτὴς, conflator.* Meminit ejuscemodi *flaturarii* inscriptio, quæ Romæ visitur ad D. Bartholomæum in insula Tiberina. Gruter. Inscr. p. 638. n. 5.

D. M.
STELIÆ. NICES. ...
C. SETLIUS. ONESIMUS
FLATURAR. DE. VIA. SAC
CONJUGI. B. M. F.

Meibom. Macen. c. 21. §. 4.

Flaturarius vocabatur etiam auri argentique monetarius. Inscriptio Romæ in vinea Cardinalis Carpensis:

DIS. MANIBUS
M. ULPIUS. AUG. LIB. SYMPHORUS
FLATURARIUS. AURI. ET. ARGENTI.
MONETAR.

Meminit Constantinus Imperator C. Theod. l. 6. de fals. mont. *Meibom. Macen. c.* 21. §. 5.

Flaturarius sigillarius dicebatur, qui & annulos conflabat ex auro, argentove, aut metallo alio, & iisdem simul gemmas includebat, aut signa gemmis, vel metallo incidebat, & insculpebat. Græcis *δακτυλιογλύφος*. Gruter. Inscript. p. 638. n. 6.

C. JUNIO. THALATIONI
C. MÆCENATIS. LIBERTO
FLATURARIO
SIGILLARIO

Hieron. in Hierem. c. 24. *artificem, & inclusorem auri, atque gemmarum* vocat. August. de Civ. Dei XXI. 4. *artificem, & insignitorem gemmarum*. Talem fuisse Mnesarchum Pythagoræ patrem tradunt Laert. VIII. 1. Apul. Florid. p. 792. Tzetzes Chiliad. XI. 369. Suidas. *Kirchm. de Annul. c.* 11. *Meibom. Macen. c.* 21. §. 6.

FLAVIA gens. V. illam infr. in *Gens*.

Flavia Julia est orbs in Callaicarum & Bracarum confinio sita, & nunc *Chiaves* vocata. *Flaviam* dictam conjectare licet, cum scilicet *universa Hispaniæ Vespasianus Imperator Augustus, jactatus procellis Reipublicæ Latium jus tribuit*, teste Plin. III. 3. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 666. *B.*

Flavia lex. V. illam infr. in *Lex*.

Flavia tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

FLAVII sunt dicti Imperatores Constantinopolitani à *Flavio* Constantino, ut à C. Cæsare Cæsares Imperatores Romani. Constantinus enim Imperator, qui *Flavius* est appellatus, novi cujusdam imperii auctor fuit. Constantinopolim novam Romam voluit appellari. Et ita in orbe Romano duæ duorum imperiorum diversæ fuerunt sedes: una dicebatur Roma vetus, altera Roma nova. Et quia hæc duo imperia fere perpetuò conjuncta fuerunt, hinc factum videri potest, ut Imperatores, qui Cæsares solùm antea dicebantur, tandem non Cæsares duntaxat, sed etiam *Flavii* appellarentur: Cæsares quidem respectu imperii Romani, cujus caput & princeps fuit C. Julius Cæsar: *Flavii* verò Constantinopolitani imperii ratione, cujus *Flavius* Constantinus prima jecerat fundamenta. Et quia Justinianus utrumque imperium simul obtinuit, hac etiam ratione factum est, ut ille non *Cæsar*, non *Flavius* solùm, sed tam *Flavius*, quàm Cæsar his verbis appellaretur: *Imperator Cæsar Flavius Justinianus*, quemadmodum ex triumphalibus titulis constat, qui proœmio Institutionum præfixi sunt, *Ravard. Conject.* III. 17.

FLE.

FLEXIO ad metam à Tzetze & Callisthene *καμπὴ* & *καμπτηρία*, à Chrysostomo *κάμπτος*, à Pacuvio *καμπτὴρ*, à Cicer. pro Cœl. c. 31. *flexus* dicitur. Ars omnis, & industria aurigæ in eo fuit, ut tutò, scienter, promptè, sinisteriore gyro metam circumageret, in quo periculum fuit, ne vel allisæ ad metam rotæ effringerentur, si propiùs in sinistrum flecteret; vel ne dexterior longiùs à meta ad podium recederet. Utrumque hoc peccatum in aurigis notat Sidon. carm. 23. n. 394.

Hic compendia flexuosa metæ
Unus dum premit, incitatus à te
Elatas semel impetu quadrigas
Juncto non valuit plicare gyro:
Quem tu, quod sine lege præteriret
Transisti remanens, ab arte restans.
Alter dum popularitate gaudet,
Dexter sub cuneis nimis cucurrit.

Virg. Æneid. v. 129.

Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Constituit signum nautis pater, unde reverti
Possent, & longos ubi circumflectere cursus.

Ars sub finem septeni spatii maximè spectabatur. Sidon. ibid. n. 370.

Tu conamine duplicatus ipso
Stringis quadrijugos, & arte summa
In gyrum benè septimum reservas.

Buleng. de Circo c. 29. Fab. Agon. 1. 28. Savar. in Sidonium.

FLEXUMINES. V. illos infr. in *Trossuli*.

FLO.

FLORA dea florentibus frumentis præposita. Fabula variè narratur. Quidam in æderuam Herculis & scortum referunt. Alii in Larentiam. Lactant. 1. 20. *Flora cum magnas opes ex arte meretricia quæsivisset, populum Romanum scripsit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellabant Floralia. Quod quia senatui flagitiosum videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei dignitas quædam adderetur, deam finxerunt esse, quæ floribus præesset, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus, aut vitibus, bene, prosperèque florescerent. Eum colorem secutus in Fastis poeta, non ignobilem nympham narravit, quæ Chloris vocitata: eamque Zephyro nuptam, quasi dotis loco id muneris accepisset à marito, ut haberet omnium florum potestatem.* Gyrald. Synt. deor. 1. p. 41. F. Lipen. de Stren. c. 1. §. 7. Panciroll. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 343. E. Argol. ad Panvin. de Lud. Circens. 1. 21. Nardin. Rom. Vet. VI. 8. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 25. Panvin. de Civit. Rom. c. 25. Ortel. Deor. & dear. capit. II. 59. Kipping. Antiq. Roman. 1. 4. §. 3. Rosin. Antiq. Roman. II. 20. Vellem Lactantius addidisset, suamne de ista conjecturam adduxisset, an alios sit secutus auctores. Sanè non arbitror, ullam fuisse ejus nominis meretricem, quæ sua legarit populo Romano. Siquidem *Floræ* sacra jam Romuli temporibus à Tatio Rege sunt inducta. Varr. de Ling. Lat. IV. 10. *Dicimus Fortunam, Fortem, Fidem, Lares. Ea re Sabinorum linguam olent: quæ Tatii Regis voto sunt Romæ dedicata. Nam, ut annales dicunt, vovit Opi, Floræque....* Hinc patet, *Floram* jam ante cultam esse à Sabinis: alioqui non ei se voto obstrinxisset Tatius Rex cum Romanis pugnaturus. Idem evincere est altero Varronis loco, quem produximus supr. in *Flamen Floralis*. Voss. de Idolol. 1. 12. Ouzel. ad Minuc. Felic. p. 233. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. 1. Præfat. *** 4. vers.

FLORALIA, sive ludi *Florales* non ideò tum temporis fuerunt, quia jam Romuli & Numæ temporibus *Floræ* sacra, & flamines erant. Hi demum celebrati sunt anno ab U. C. 513. C. Claudio Centhone, & M. Sempronio Tuditano Coss. idque non ex *Flora*, vel meretricis cujus-

quam

quam hæreditate, sed ex pecunia multaticia eorum, qui peculatus damnati erant, quia publicum populi Romani agrum occupaverant, ut narrat Ovid. Fast. v. 279. . . . Ac firmant nummi argentei, quos cudere ejus anni ædiles plebis, L. & M. Poblicii Malleoli. In iis cernere est caput genii populi Romani tanquam indicis; & figuram arietis, vel ovis, ut signum mulctæ, vel peculatus: Inscriptio est, M. POBLICIUS MALLEOLUS. Hæc quidem *Floralium* fuerunt exordia. Annua ut essent, decretum demum anno ab U. C. 580. L. Postumio Albino, & M. Popillio Lænate Coss. Occasio erat hujuscemodi. Magna sæpius fuerat verni temporis intemperies, indeque nata plurium annorum sterilitas. Placuum igitur senatui, ut *Floræ* instituerentur ludi annui; quo favore deæ, tanto jam honore auctioris, deinde arbores, plantæque omnes melius florescerent. Ovid. ibid. n. 327.

Convenere patres, & si bene floreat annus
Numinibus nostris annua festa vovent.
Annuimus votis: consul cum consule Lænas
Postumio ludos persoluere mihi.

Voss. de Idolol. I. 12. Ouzel. ad Minuc. Felic. p. 234. Pigh. Annal. Rom. II. p. 360. Celebrabantur I. Kal. Maj. *cum omni lascivia. Nam præter verborum licentiam, quibus obscœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam vestibus populo flagitante meretrices, quæ tunc mimorum funguntur officio, & in conspectu populi, usque ad satietatem impudicorum hominum cum pudendis motibus detinentur.* Lactant. I. 12. Quæ quare major, & liberior in his fuerit ludis, docet Ovid. ibid. n. 331. . . . . *Hos* M. Porcio Catone *spectante populus, ut mimæ nudarentur, erubuit postulare: quod cum ex Favonio amicissimo sibi una sedente cognovisset, discessit e theatro, ne præsentia sua spectaculi consuetudinem impediret.* Val. Max. II. 10. 8. Senec. Epist. 97. *Blond. Triumph. Rom. II. p. 36. G. Panciroil. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. III. p. 344. A. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 21. Buleng. de Theatr. I. 49. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XI. p. 722. E. Lipen. de Stren. c. I. §. 7. Bud. in Pandect. p. 171. F. Brisson. de Form. I. p. 56. Gyrald. Synt. deor. I. p. 42. B. Stuck. Ant. Conviv. I. 33. Laz. Comm. Resp. Rom. X. 10. Tomas. de Donar. c. 19. Ortel. Deor. & dear. cap. 11. 59. Laurent. de Adulter. c. 3. Polym. IV. Synops. 6. Volaterr. Rer. Urban. XXIX. p. 1085. E. Kipping. Ant. Roman. I. 6. §. 13. Rosin. Antiq. Roman. IV. 8. & 15. Pigh. ibid. p. 71.* Cum primum mense Aprili celebrarentur, postea in Majum translata sunt, quod ostendit Ovidius laudatus supr. in *Circus Floræ.* Rosin. l. l. Improvidè. Ovidius de illa translatione ne verbum quidem facit, sed exordium illorum Aprili, finem Majo constanter assignat. Duplicia fuisse vult Nardinus, sed & ille errat. V. supr. in *Circus Floræ.* Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 7. §. 4. V. etiam supr. in *Circus Floræ.*

FLORES illis spargebantur, qui honore aliquo insigni mactari meruerant. Flor. II. 7. 14. *Quid florum in consulem profuderunt?* Sic apud Herodian. IV. 15. Alexandrini *florum sparsionibus Imperatorem* Caracallam *honorabant.* Ovid. Trist. IV. 2. 49.

Quaque ibis, manibus circumplaudere tuorum,
Undique jactato flore tegente vias.

Barth. Adv. XXXIV. 9. Lips. in Tacit. Annal. XIV. n. 156. Freinshem. in Florum. Alex. Gen. VI. 6. Figrel. de Stat. Roman. c. 35. Et defuncti in feretro dum efferrentur. Plin. XXI. 3. *Scipio in tribunatu erat plebi admodum gratus, dignusque Africanorum familia. Nec erat in bonis funeris impensa. Asses ergo contulit populus, ac funus elocavit, quaque præferebatur, flores e prospectu omni sparsit.* Dionys. XI. p. 719. *Ædibus exsiliebant & mulieres, & virgines, casum illum lugentes, atque flores, & coronas in lectum jaciebant,* sive ut hac *florum* sparsione in memoriam sibi revocarent ævi hujus brevitatem, & *quæ spectatissimè floreant, celerrimè marcescere,* ut ait Plin. XXI. 1. sive ut defunctis animabus honorem habitum irent. *Kirchm. de Fun. Rom. I. 11. Freinshem. in Florum.* Et eorum tumuli. Suet. Ner. c. 57. n. 3. *Non defuerunt, qui per longum tempus vernis, æstivisque floribus tumulum ejus ornarent.* Lucian. in Nigrino: *Quidam etiam cippos suos floribus coronari jubent, stolidi etiam post mortem manentes.* Epitaphium Eutichetis aurigæ:

Sparge precor flores supra mea busta viator:
Favisti vivo forsitan ipse mihi.

Kirchm. ibid. IV. 3. Morestell. Pomp. Feral. VIII. 14. Elmenhorst. & Ouzel. in Minuc. Felic. p. 109. Malvas. Marm. Felsin. Sect. X. c. I. Barth. Adv. IV. 18. Aring. Rom. Subterr. I. 25. §. 11. Paschal. de Coron. IV. 5. Noris. Cenot. Pisan. Dissert. III. 6. Passerat. in Prop. p. 507. b. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. I. c. 21. Faea in Gyrald. de Var. sepel. rit. c. I. & 5. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 15. Blond. Triumph. Rom. II. p. 43. B. Bernegg. in Flor. II. 7. 15. Bellot. Descript. Sepulcr. Nason. tab. 35. Et quidem quotannis. Inscriptio, quæ est Ravennæ:

UT. QUOTANNIS. ROSAS. AD. MONINENTUM. EJUS. DEFERANT. ET. IBI. EPULENTUR. DUNTAXAT. IN. V. ID. JULIAS.

Lapis Patavii in idem testis esse potest:

M. MANILIUS. SURUS. P. F. IIIVIR.
CAP. ET. POMPONIA. GN. F.
MARTIALI. CONCORDIA.
INCOMPARABILES. S. V. P. HAC. F.
SINE. ULLA. PENA. UT. SUPERSTES.
ROSIS. S. JACIENTES. QUOTAN.
KL. EXORNET.

Faes in Gyrald. de Var. sepel. rit. c. I. Brisson. de Form. VII. *p. 704. Kirchman. l. l.* Imò per totum annum. Capitol. in M. Anton. Philos. c. 3. *Tantum honoris magistris suis detulit, ut sepulcra eorum aditu, hostiis, floribus semper honoraret.* Hoc Mæcenati pollicetur Albinov. n. 143.

Semper serta tibi dabimus, tibi semper odores.

Gorall. in Albinovanum. Nec non imagines. Tacit. Annal. XIV. 61. 1. *Octaviæ imagines gestant humeris, spargunt floribus.* Hist. II. 55. 2. *Populus cum lauru, & floribus Galbæ imagines circum templa tulit, congestis in modum tumuli coronis.* Figrell. & Bernegg. l. l.

FLU.

In FLUMEN mergere sontes fuit supplicii genus Romanis parum in usu. Unde *novum genus leti* dicitur Liv. I. 5. Augustus tamen apud Suet. c. 67. n. 7. *pædagogum, ministrosque Caji filii, per occasionem valetudinis, mortisque ejus, superbè, avareque in provincia grassantes, oneratos gravi pondere cervicibus, præcipitavit in flumen.* Notum tamen Græcis, Macedonibus, Syris, Germanis. *Kipping. Antiq. Roman. II. 7. §. 7. Pitisc. in Suetonium & Curt.* X. 4. 1. §. 1. Fiebat crate supernè injecta. V. supr. in *Crates.* Dicebatur reddi. V. infr. in *Reddi.*

FLUMENTANA porta. V. illam infr. in *Porta.*

FLUONIA dea. V. illam infr. in *Juno.*

FOC.

FOCALIA erant operimenta colli, & faucium. Quintil. XI. 3. V. illum supr. in *Fasciæ crurales.* Senec. Nat. Quæst. IV. 13. V. illum infr. in *Palliolum.* Turneb. Adv. VII. 10.

FOCARIA ad culinam pertinebat. Pompon. l. 15. ff. de instruct. vel instrum. leg. *His verbis Servius respondit, focariam, mercesque, quæ in his tabernis essent, legatas videri. Focus* enim in culinis. V. infr. in *Focus.* *Focariam* etiam concubinam interpretari possemus, non malè. Conjecturam possumus confirmare ex Varrone. Is enim de pastoritia concubina scribens inquit de Re rust. II. 10. *Sed eas mulieres esse oportet firmas, nec turpes, quæ in opere, ut in multis regionibus, non cedant viris: ut in Illyrico passim videre licet, quod vel pascere pecus, vel ad focum afferre ligna, ac cibum coquere, vel ad casas instrumentum servare possunt.* Pignor. de Serv. p. 5 4. Turneb. Adv. VIII. 9.

FOCARIUS etiam ad culinam pertinebat. Ligna enim cædebat, & ignes alebat. Ulpian. l. 1. §. 5. ff. naut. caup. *Cæterum, si quis opera mediastini fungitur, non continuerit: utputa focarii . . . .* Pignor. de Serv. p. 96. & 514. Kip-

ping. Antiq. Roman. iv. 1. §. 1. Hering. de Molend. q. 4. §. 56.

FOCULUS, qui in mensam cum obsoniis inferebatur, ne quid intepesceret, fuit inter vasa coquinaria. Aristoph. Acharn. iv. 1. 28.

—— famuli efferte huic illicet
Foculum mihi.

Buleng. de Conviv. iv. 9. Senec. Epist. 78. *Quia non circa cœnationem ejus tumultus coquorum est, ipsos cum obsoniis focos transferentium. Hoc enim jam luxuria commenta est. Ne quid intepescat cibus, ne quid palato jam calloso parum ferveat, cœnam culina persequitur.* Buleng. ibid. Prolus. ii. Laurent. de Fistul. & tintinnab. c. 4. Turneb. Adv. vii. 22.

FOCUS erat in coquinis. Arnob. iv. p. 130. *Et quid, quæso, ut faciat præsidatum focorum, deus iste sortitus est? per humani generis coquinas currit, inspiciens, & explorans, quibusnam lignorum generibus ardor in foculis excitetur.* Pignor. de Serv. p. 514. Erat sacer Laribus. Unde *focum* olim dixerunt *focilare*, quasi Laris focum. *Tomas. de Donar. c. 8. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 6.* Quibus in illis seponebant ollas peculiares olerum, quas Laribus sacras tangere nefas erat, tanta superstitione colebantur. Prudent. Περὶ Στεφ. x. 261.

Fuligines thure placantur Lares,
Et respuuntur consecrata oluscula;
Aut unde major esse majestas focis,
Quàm nata in hortis sarculatis creditur:
Si numen ollis, numen & porris inest.

Barth. Adv. xli. 21. In luctu non instruebatur. Juven. Sat. iii. 214.

Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.

Ubi vetus interpres: *Nec focum in domo nostra fieri patimur, quod & lugentes observare solent.* Apul. Met. ii. p. 38. *Abi fatue, qui in domo funesta cœnas & partes requiris, in qua tot jugis jam diebus ne fumus quidem visus est ullus.* Ejus rei hæc ratio est. Ut ipsi ornatum ponebant; ita ædes quoque suas ponere voluerunt: nam ignem veteres magnum earum ornamentum censebant. Hinc illud Homeri Epigramm. xiii. 5.

At lucente domus multo est augustior igne.

Atque tum *focus noxius* dicebatur. Quintil. Declam. xii. *Redite in domus vestras, videbitis noxios focos, & ignes tabe cadaverum exstinctos.* Huc alluditur à Poetis, cum optant *focum perennem*, ut Mart. x. 47. 4. aut *focum pervigilem*, ut Stat. Sylv. iv. 5. 13. aut *ignem assiduum*, ut Tibull. i. 1. 6. Quo significant, velle se à diis, ne exstinguere *focum* unquam debeant, id est, ut vivant sine funere domestico, à luctu. *Meurs. de Fun. c. 49. Kirchm. de Fun. Roman. iv. 11. Morestell. Pomp. Feral ix. 7. Florid. in Apulejum.*

FOED.

FOEDUS differt à pactione. V. infr. in *Pactio*; & à sponsione. V. infr. in *Sponsio*. Est pactio quædam civitatis, non ex Imperatoris arbitrio, sed jussu populi, aut senatus auctoritate firmata; neque ad tempus, sed in perpetuum; neque per sponsores, datis obsidibus, sed per fecialem publicum populi Romani nuntium, sollenni precatione adhibita: *per quem populum fiat, quo minus dictis legibus stetur, ut eum Jupiter ita feriat, quemadmodum a fecialibus porcus feriatur.* Quod potest cognosci ex formula *fœderum* feriendorum nobis tradita à Liv. i. 24. Porcus enim, sive porca à *fœdus* ferientibus silice percutiebatur. V. infr. in *Porca*. Quamvis & alia *fœderis* feriendi ratio fuerit illata, ut sæpè non porcus feriretur, sed lapis abjiceretur. Polyb. iii. 25. *Romani Jovem lapidem jurarunt ex veteri quodam ritu. Mos autem jurandi Jovem lapidem est hic. Fecialis lapidem tenens ita ait: si sine dolo malo ago, bonis afficiar: si sciens fallo, cæteris omnibus salvis in suis civitatibus, legibus, laribus, delubris, sepulcris, solus ego concidam, ut lapis è manibus meis decidet: nec plura locutus manu lapidem abjicit.* Sigon. de Antiq. jur. Ital. i. 1. Stuck. Antiq. Conviv. i. 30. Brisson. de Form. iv. p. 356. Valtrin. de Milit. Rom. vi. 11. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. ii. p. 1917. F. Etiam invaluit ille mos, ut aræ & sacra in fidei pignus tangerentur. Virg. Æneid. xii. 201.

Tango aras, mediosque ignes, & numina testor,
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet,
Quo res cunque cadent.

Berthald. de Ara c. xiii. n. 2. Et *fœderis* pacta à patre patrato, qui illi feriundo præerat, jurejurando firmabantur. Ejus formula inter Romanos & Albanos legitur apud Liv. i. 24. *Fecialis M. Valerius patrem patratum Sp. Fusium fecit; verbena caput capillosque tangens (pater patratus ad jusjurandum patrandum, id est, sanciendum fit) fœdus multis verbis peragit. Legibus deinde recitatis: audi Jupiter ..., populus Romanus prior non deficiet. Si prior deficit publico consilio, dolo malo, tu ille die Jupiter populum Romanum sic ferito, ut ego porcum hunc hodie feriam. Sua item carmina Albani, suumque jusjurandum per suum dictatorem, suosque sacerdotes peregerunt.* Et dextræ jungerentur. Virg. Æneid. i. 518.

Lætitiaque metuque avidi conjungere dextras.

Stat. Theb. i. 470.

Jam pariter coeunt amborum in pignora dextræ.

Hansen. de Jurejur. vet. c. 10. Sollenne fuit Romanis, ut tantùm ante meridiem illa inirent, & confirmarent. Quem ritum boni ominis causa institutum crediderim. Quemadmodum ad id plerumque Romani in agendis rebus attendebant. *Boxhorn. Quæst. Roman. c. 44. Stuck. l. l.* Ad securitatem in templis deponerentur. Ita *fœdus* Smyrnæorum & Magnetum, ad majestatem Seleuci Asiæ regis tutiùs conservandam, columnis singulis incisum, & in fano Veneris Stratonicidis, alibique, apud utramque Rempublicam ex pacto sacratum. *Tomas. de Donar. c. 24.* Scelerato sanciendo sanguis humanus adhibebatur. V. infr. in *Sanguis*. Illis sceptrum adhibebatur. V. infr. in *Sceptrum*.

FOEN.

FOENERATORES stabant ad Janum. Acro ad Horat. Sat. ii. 3. 18. *Jani statuæ tres erant; ad unam illarum solebant convenire creditores, & fœneratores, alii ad reddendum, alii ad locandum fœnus.* Epist. i. 1. 11. *Duo Jani ante basilicam Paulli steterant, ubi locus erat fœneratorum. Janus dicebatur locus, in quo solebant convenire fœneratores.* Fuere hi ad arcum Fabianum, adeoque non longè à Puteali Libonis, & basilicæ Paulli. Hinc de usurarum debitoribus Ovid. de Rem. Amor. n. 561.

Qui puteal, Janumque timet, celeresque Kalendas.

Nardin. Rom. Vet. v. 7. Land. Misc. in vet. numism. Misc. Ital. Erud. Tom. i. p. 365. V. & infr. in *Taberna nova*. Quando debita exegerint. V. infr. in *Kalenda*.

FOENILIA *extra villam facienda videntur, ut ab ignis periculo villæ sint tutiores.* Vitruv. vi. 9. Idem jubet Pallad. i. 32. *Fœni, palearum, ligni, cannarum repositiones nihil refert, in qua parte fiant, dummodo sicca sint, atque perflabiles, & longe removeantur à villa propter casum surripientis incendii.* Et hoc legibus locationum consueverat aliquando exprimi. Ulpian. l. 11. §. 4. *Inter conductorem & locatorem convenerat, ne in villa urbana fœnum componeretur.* Pignor. de Serv. p. 553.

FOENISECA *fœnum* secat. Colum. ii. 18. *Tum fœnisecam messorem oportet inducere.* Ejus insigne fuit corona è *fœno*. Ovid. Met. xiv. 646.

Tempora sæpè gerens fœno religata recenti,
Desectum poterat gramen versare videri.

Prop. iv. 2. 25.

Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno:
Jurabis nostra gramina secta manu.

Pignor. de Serv. p. 554. Popio. de Instrum. fund. p. 12. Cum enim istis, quæ vulgò ferunus, carerent capitis & pileis: sed vel nudo capite essent, vel caput cucullo vestis operirent: idcircò in magno æstu qui *fœnum* secabant, adversus ardorem solis caput torto *fœno* tegebant. *Turneb. Adv. xxiii. 6.*

FOENUM alligare cornibus cornupetarum boum solebant veteres: ut obviam prodeuntes cavendum sibi admonerentur. Quo respexit Horat. Sat. i. 4. 34.

Fœ-

Fœnum habet in cornu: longum fuge.

Et M. Crassus ob animi impotentiam, & ferocitatem *fœnum* in cornu habere dictus est. Nam cum Sicinius, *qui plurimum negotii sui temporis magistratibus, atque ducibus populi exhibuit, rogaretur, quid unum non lacesseret Crassum, sed hunc omitteret, respondit: fœnum habet in cornu.* Plutarch. in Crass. p. 547. C. Qui etiam addit: *solent Romani bobus cornu petentibus, quo obvii sibi caverent, cornu fœno circumligare.* Erasm. Adag. p. 584. b. Salmuth. in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 372. Torrent. in Horatium.

Fœnum cordum dictum est, quod serò nasceretur, aut maturesceret. *Augustin. de Legib. in Mucia.* V. supr. in *Cordus*.

Fœnum Græcum irritandæ gulæ pro antecœna fuit. *Buleng. de Conviv.* II. 63. Illo callidè in Romanos usus est Joseph. de Bell. Jud. III. 10. Cum enim Jotapata, cui præerat, acriter oppugnaretur, & pontibus per aggerem admotis, in eo esset, ut transcenderent: *fœno Græco elixo jussit tabulas pontium inspergi, & superfundi: quare illi lapsantes, & casabundi, incerto vestigio vacillabant, adeo ut nec regredi possent, aliique super ipsos pontes resupini caderent, alii in aggeres delaberentur.* Lips. Poliorc. v. Dial. 3. Laurent. Polym. IV. Syn. 2. §. 10. Thys. de Oppugn. Urb. v. p. 190.

FOENUS est res ipsa, quæ mutuo data est sub usuris, æs alienum sub usura contractum. Si aliquando usuram pecuniæ creditæ significat, hoc fit impropriè. *Salmas. de Usur. c.* 2. Si *fenus* esset usura propriè, nunquam pro mutuo ipso *fœnebris* usurpatum esset: ut nec usuram usquam legimus pro mutuo usurario usurpatam. *Salmas. ibid. c.* 5. Sed hoc argumentum fallax est, & improbum. Neque enim necesse est, quæ una parte conveniunt, ea per omnia convenire. Ut amnes duo, jugis propinquis scaturientes, est ubi coeant & misceantur, est ubi divortiis in remotissima discedant: sic his vocabulis junctum & commune est, quod ambo significant accessionem crediti: *fœnus* interim abit ab usura, eaque latiùs patet, quum sub ipso credito sub usuris, sive sorte ponitur; usura exspatiatur à fœnore, eoque latiùs patet, quum etiam ex mora, causisque ex aliis quàm ex credito accrescens explicat. *Fœnus* itaque pro usura juxta propriè, juxta antiquè dicitur. Cujus rei ratio ut appareat, sic procedendum est. Πονῶ, vel *πόνος, φόνος, φόνου, fœnor, fœnoris, & fœner fœneris*, & tandem *fœnus fœnoris*, vel *fœneris*, est, quod rependitur. Quod autem rependitur, vel tantundem est, quanti expensum; vel uberius expenso, ampliusque; vel minus, & in antecessum datum, ut lætior exspectet, sustineatque, à quo accepimus, donec omne possit exsolvi. Ut ille apud Virg. Ecl. VII. 35.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fetura gregem suppleverit, aureus esto.

Hinc igitur *fœnus* & sors est spe usurarum data, ubi opus est, alio vocabulo, vel apposito, vel intellecto usuras significante; & sors est simul cum usuris; & usura sola, ubi opus est, alio vicino, vel intellecto vocabulo significante sortem. *Gronov. Mansiss. pecun. Vet. c.* 1. *Noodt de Fœnor. & usur.* I. 3. Abolitum est lege Genuccia. Liv. VII. 42. *Præter hæc invenio apud quosdam, L. Genucium tribunum plebis tulisse ad populum, ne fœnerari liceret.* Hoc respexit Appian. Bell. Civ. I. p. 382. *Dum quidam acerbiùs usuras exigunt, contra quàm cautum esset antiquis legibus. Videntur enim prisci illi Romani, sicut & Græci abhorruisse à fœnere. Et vetitam postremo usuram* dixit Tacit. Annal. VI. 16. 2. Gronov. de Centes. usur. Α'ντεξηγ. III. §. 25. Cato de Re rust. præf. *Est interdum præstare mercaturis rem quærere, ni tam periculosum siet; & item fœnerari, si tam honestum siet. Majores enim nostri sic habuerunt, & ita in legibus posuerunt; furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Quanto pejorem civem existimarint fœneratorem quàm furem, hinc licet existimari.* Ejusdem responsum laudatur à Cicer. de Offic. II. 25. Nam cum quæreretur ab eo, an maximè in re familiari expediret *fœnerari*, respondit: an hominem occidere: nihil interesse existimabat hominem gladio, aut fœnore occidere. *Augustin. de Legib. in Genucia. Sigon. l. l. Gronov. de Pecun. vet.* III. 14. V. & infr. in *Usura*. Et in *fœnus* invehuntur præter hos, Aristoteles, Seneca, Lactantius, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, & juris Canonici auctores, ejusdemque interpretes apud *Noodt ibid. c.* 4. Sed humanæ conjunctioni non adversari, sed convenire docet *idem ibid. c.* 6. & adversariorum argumenta refutat *ibid. c.* 7–12. Ratio, quare permiserint decemviri aliquod *fœnus*, hæc est: quia vix videtur sine eo consistere posse civilis societas, & communicatio officiorum, & commerciorum. Nam quotusquisque reperitur, qui detracta spe lucri, & accessionis ex *fœnore*, mutuam alteri pecuniam dare velit? *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Class.* III. *p.* 2. *c.* 29. De vetanda versura rogationem tulisse Genucium, nihil est fortasse quod vetet credi; sed legem illam observatam diu fuisse non est credibile. *Salmas. de Mod. usur. c.* 7.

Fœnus assarium. V. illud supr. in *Asses usura*, & infr. in *Usura centesima*.

Fœnus semunciarium. } V. illa infr. in *Usura centesima*.
Fœnus unciarium. }

FOL.

FOLIS, sive *follis* est pecunia minuta Græcis ac Latinis, qui dicitur in Evangelio quadrans, *χοδράντης*, Arabibus *φόλις*, Græcis ὄβολος χαλκοῦς. *Foles* ærei primo, deinde argentei. Κεράτια Græci vocant *foles*, unde *δικεράτιον, duo foles*, tributum pro reficiendis Urbis muris. Cedren. in Leon. Iconom. *Cum vidisset Imperator mœnia Urbis prolapsa, dixit, vos cives non potestis mœnia Urbis restituere, sed imperavimus dispensatoribus, & magistris thematum, ut peterent in canonem ad nummum miliaresium annum, quod in palatium inferretur ad mœnia reparanda. Unde mos invaluit, ut administratoribus bini foles penderentur.* Æstimatio illorum est diversa apud auctores, quia alii erant ærei, alii argentei. *Buleng de Vectig. c.* 58. *Salmas. ad Spartian. Adrian. c.* 3. *Casaub. & Salmas. ad Lamprid. Heliog. c.* 22. *Scalig. de Remm. ant. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1526. *C. Gronov. de Pecun. vet.* II. 6: IV. 16. *Panciroll. Not. Dignit. Imp. Orient. c.* 30. *Savott. de Numm. Ant.* III. 16. *Hotman. Antiq. Roman.* IV. 2. 32. *Petav. in Epiphan. de Mensur. & ponder. p.* 433.

Folis etiam erat tributum à Constantino magno impositum, quod pro facultatibus solvebant viri clarissimi. Zosim. II. *Descripsit facultates clarissimorum vectigali imposito, quem folem vocavit.* Buleng. de Vectig. c. 58. Et de illo plurima Petav. in Epiphan. de Mensur. & ponder. pag. 432.

FOLLIS erat pila magna ex aluta confecta, soloque vento repleta. Quæ, si major erat, brachiis impellebatur, & simpliciter interdum pila nuncupabatur. Varro apud Non. II. 281. *Purgatum scio, quoniam videbis Romæ in foro ante januas pueros pila expulsim ludere.* Prop. III. 12. 5.

Cum pila veloces fallit per brachia jactus.

Interdum pila velox. Horat. Sat. II. 2. 11.

— *seu pila velox*
Molliter austerum studio fallente laborem . . .

Si verò minor, pugnis ejiciebatur, atque *follis pugillaris* vocabatur. Plaut. Rud. III. 4. 16.

— *extemplo hercle ego te follem pugillatorium*
Faciam.

Interdum hanc eandem pilam *folliculum* appellatam credo, sicuti à Svetonio Aug. c. 83. n. 1. quem hoc pilæ ludo valdè delectatum narrat. Mar. IV. 19. 7. *plumea* dixit *pondera follis*. V. illum supr. in *Endromis*. non quod pluma repleretur, sed ob *follis* levitatem, cujus gratia neque pueri, neque senes alioqui imbecilles inter ludendum vel omnium quid defatigabantur. Et propterea idem XIV. 47.

Ite procul juvenes, mitis mihi convenit ætas:
Folle decet pueros ludere, folle senes.

In pulverulento solo hæc exercitatio fiebat, & nullis lapidibus, aut lateribus strato, ne laberentur pedibus ludentes:

res: &, si fortè lapsi essent, ex casu damnum non paterentur. Quanquam etiam fieri potuit, ut pavimento luderent, sed pulvere humili & exiguo illud aspergeretur, ita ut pilam resilire non impediret, atque ludentium pedes magis firmarentur. Mart. XII. 84. 1.

Effugere è thermis, & circa balnea non est
Menogenen, omni tu licèt arte velis.
Captabit tepidum dextra lævaque trigonem,
Imputet exceptas ut tibi sæpè pilas.
Colliget, & referet lapsum de pulvere follem.

Mercur. de Art. gymnast. II. 5. Mag. Miscell. I. 11. Buleng. de Lud. vet. c. 9. Souter. Palam. III. 4. Voss. Lex. Etymol. in Follis. Grapald. de Part. dom. II. 4. 6. Atgol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 1. Laurent. Polym. IV. Synops. 8.

Follis etiam pulvillus dicebatur, qui sedentibus subjiciebatur, non tomento, aut pluma inserciebatur, sed vento implebatur. Lamprid. Heliog. c. 25. *Multis vilioribus amicis folles pro accubitis sternebat, eosque reflabat prandentibus illis, ita ut plerumque subitò sub mensis invenirentur prandentes.* Casaub. ad Lampridium. Chimentell. de Hon. bisell. c. 28. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 8. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. pag. 236. Grapald. de Part. dom. II. 6. 4.

Follis saccus quoque dicebatur. Veget. II. 20. *Denique decem folles, hoc est, decem sacci per cohortes singulas ponebantur, in quibus hæc ratio condebatur.* Glossar. vet. Πήρα, *mantica, follis.* Et de bene nummato Juven. Sat. XIV. 281.

—— *& tenso folle reverti*
Inde domum possis.

Ubi vetus interpres: *ut pleno sacculo revertaris.* Et *follitim ductitare* Plaut. Epid. III. 2. 15. est bene nummatim deludere, tantasque à *follibus* pecunias exhaurire, quantæ vel prodigo amanti satis esse possunt. *Voss. Lex. Etymol. Stevvech. in Vegetium. Guther. de Jur. man.* III. 10. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1179. A. Colv. in Apulej. p. 59. Gronov. de Pec. vet.* IV. 16.

Follis suscitabulum etiam est ignis, sive instrumentum, quo spiritu interveniente ignis suscitatur. Virg. Æneid. VIII. 449. V. illum supr. in *Flator*. Hoc utuntur argentariæ, & ferrariæ officinæ: utuntur & coqui, sed parvulo, ne opus sit ignem buccis insufflare. Primus Anacharsis Scytha philosophus *folles* ignis suscitatores invenit. Strab. VII. p. 209. *Grapald. de Part. dom.* II. 4. 6.

FON.

FONTES erant in ambulacris. Svet. Aug. c. 82. n. 2. *Æstate apertis cubiculi foribus, ac sæpè in peristylio saliente aqua cubabat.* Quod mirum in peristyliis salientes aquæ, & lymphæ artificiosis *fontibus* evocatæ, cum & in cubiculis easdem habuerint. Stat. Sylv. I. 3. 37.

Mirer an emissas per cuncta cubilia lymphas?

Senec. Epist. 100. *Desit sane varietas marmorum, & concisura aquarum cubiculis interfluentium.* Imo *fontes* ubique in ædibus. Mart. XII. 50. 6.

Et pereuntis aqua fluxus ubique sonat.

Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 8. Meurs. de Lux. Rom. c. 12. Lips. in Senecam. Gevart. & Bernart. in Statium. Illorum capita erant sacra. Senec. Epist. 41. *Magnorum fluminum capita veneramur: subita ex abdito vasto eruptio aras habet: coluntur aquarum calentium fontes, & stagna quadam vel opacitas, vel immensa altitudo sacravit.* Nec tantùm Romani *fontibus*, & fluviis divinitatem aliquam assignaverunt; sed & Græci. De illis nota res est veteri proverbio apud Eurip. Med. n. 410.

Sursum versus fluminum sacrorum
Vadunt fontes.

Et Callim. Hymn. in Apoll. n. 112.

Fonte è sacro parvus latex, eximius flos.

Keuchen. in Frontin. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1633. E. Spanhem. in Callimachum. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 16. Lipen. de stren. quart. æt. §. 24. Chiflet. Font. Aq. Virg. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1790. B. Genii singulis tribuebantur. Lapis antiquus apud Gentilem Delphinium Romæ:

GENIO. NOMINIS. FONTIS.
SER. MON. CHRYSEROS. CÆSA
RIS. NOSTRI. LIB. GANGALA.

Siccam. l. l. pro diis, & quidem primis, & maximis habebantur. Aristid. Hymn. in Neptun. T. I. 5. 34. *Tum quod veteres fluvios, & fontes pro diis maximis, & primis habuerint, atque etiam latices.* Spanhem. l. l. Illis hœdum immolabant. Horat. Od. III. 13. 1.

O fons Blandusiæ, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus
Cras donaberis hœdo,
Cui frons turgida cornibus.

Huc facit arula marmorea quadrata Cyaneis undis ad portam Capenam, cujus epigramma me Romæ legisse apud doctum ac nobilem Delphinium memini. In aræ dorso hœdi caput erat insculptum, eo quod esset nymphis fontanis sacra. *Pigh. Annal. Roman. Charact.* VII. *p.* 4. *Broukh. in Prop.* II. 15. 14. Epigramma habet Gruter. Inscript. p. 93. n. 11. *Broukh. l. l.* Varia apponebantur simulacra I. propter religionem. Ejus causa Apuli & Siculi Herculem, quia aquas exstincta hydra purgavit, apposuerunt: unde & thermæ Himeræ urbis in Sicilia, & Oetæ montis, & Pylarum in Thessalia in tutela Herculis fuerunt. M. Agrippa Romæ non Herculem, sed hydram ipsam ad lacum Servilium posuit. Festus. II. propter ornatum. Illorum & publicis in locis, & in nobilium ædibus adhuc plurima cernuntur. Usitatissimum fuit, deos fluminum apponere, qui formantur jacere semierecti, urnisque brachio suppositis amnes tanquam è *fonte* emittere, velati plerumque serto arundineo, & tecti carbaso, quæ est vestis Pura, & ampla, umbilico tenus, superiore corporis parte nudi. Talis cernitur Tiberis in domo Cæsia: talis Arnus in hortis Pontificiis: & duo colossi marmorei in area Capitolina Nili & Tigris, vel Naris & Anienis, vel Acheloi & Istri. Alter cubito innititur sphyngi monstro, alter tigri animali: barba alter prolixa, alter modicè resecta. Talis est colossus Rheni, prope forum Romanum jacens, quem alii Niphatis fluvii esse putant. Talis in scuto Turni apud Virg. Æneid. VII. 792.

Amnem cælata fundens pater Inachus urna.

In domo Chisiorum, extra portam Septimiam, ante deum aquarum cubantem nuda mulier stans, dextramque mamillam manu comprimens, aquam in subjectum labrum immittit. Reperiuntur frequenter nymphæ dormientes, quæ amphoris, & crateribus innituntur. Vidi monumentum antiqui operis Romæ, in capite viæ latæ, in domo privata: erat autem Nais sinu aperto supina jacens, & ventre ad pubem nudo, capite incubans amphoræ. Recentis operis in agro Neapolitano, in villa Leucopetrea, Arethusa nuda adjacet *fonti*, in nympheo conchyliato. De simili Nympha epigramma in hortulo Colotii:

Hujus Nympha loci, sacri custodia fontis,
Dormio, dum blandæ sentio murmur aquæ.
Parce meum, quisquis tangis cava marmora, somnum
Rumpere: sive bibas, sive lavere, tace.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 15. Illos lavando turbare religiosum erat. Tacit. Annal. XIV. 22. 7. *Nero fontem aquæ Marciæ ad Urbem deductæ nando incesserat: videbaturque potus sacros, & ceremoniam loci corpore loto polluisse.* Lips. in Tacit. n. 73. Siccam. & Keuchen. l. l.

Fons Albudinus legitur apud Frontin. de Aquæd. I. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1641. B. *Accipit & eum fontem, qui vocatur Albudinus, tantæ bonitatis, ut Marciæ adjutorio, quoties opus esset, ita sufficeret, ut adjectione sui nihil ex qualitate ejus mutaret:* & Svet. Claud. c. 20. n. 3. *Claudia aqua gelidos, & uberes fontes, quorum alteri Caruleo, alteri Curtio & Albudino nomen est.* Binominis eorum fuit Curtius, ut etiam *Albudinus* vocaretur. Plin. XXXVI. 15. duos tantùm, Curtium, & Cæruleum commemorat. *Influere Curtius atque Caruleus fontes.* Sicut & hæc Inscriptio: IMP. CÆSAR. VESPASIANUS. PONT. MAX. TRIB. POT. II. IMP. III. DESIG. IIII. P. P. AQUAS.

CUR-

CURTIAM. ET. CÆRULEAM. PERDUCTAS. A. DIVO. CLAUDIO. ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSASQUE. PER. ANNOS. NOVEM. SUA. PECUNIA. URBI. RESTITUIT. *Torrent. in Suetonium. Kenthen. in Frontinum.*

Fons Egeriæ Nymphæ credebatur esse ad radices Aventini non longè à Tiberi. De eo Ovid. Fast. III. 273.

Defluit incerto lapidosus murmure rivus;
Sæpè, sed exiguis haustibus inde bibi.
Egeria est, quæ præbet aquas, dea grata Camœnis,
Illa Numæ conjux, consiliumque fuit.

Donat. de Urb. Roman. III. 13. Erat dicatus Camœnis. Liv. I. 19. *Lucus erat, quem medium ex opaca specu fons perenni rigabat aqua: quo quia se persæpè Numa sine arbitris, velut ad congressum deæ, inferebat, Camœnis eum lucum consecravit.* Hunc vulgo nunc *Caffarellam* appellant, qui secundo ab Urbe lapide distat. *Nardin. Roman. Vet.* III. 3. *Aring. Roman. Subterr.* III. 20. §. 12. Illi præerant Vestales. Suidas: *Numa virgines Vestales igitur, & aquæ curam habere demandavit.* Hanc enim non opinor aliam, quàm quod *fonti* Camœnarum præesset, exque eo solo aquam ad sacra peterent. Plutarch. Num. p. 68. D. Art. *Numam prata, & campum, ubi plurimum cum Egeria versatus esset, Camœnis conjecrasse: fontem autem, qui locum irrigat, aquam sacram virginibus Vestæ attribuisse, ut ex eo quotidie haurientes purificarent, & aspergerent sacram ædem.* Sacer habitus, in deos relatus, delubrum postea accepit. Juven. Sat. III. 13.

Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis.

Symmach. Epist. I. 14. *Præterea etiam Camœnarum religio, & sacri fontis annectitur.* Lipf. de Vest. c. 10. Argol. apud Tomas. de Donar. c. 2.

Fons Lollianus fuit in Urbis regione duodecima, sive Piscina publica. *Panvin. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 308. *B.* De illo extat vetus Inscriptio:

APPIO. ANNIO. BRADUA
T. VIBIO. BARO. COS.
MAGISTRI. FONTIS. LOLLIANI
M. VULPIUS. FELIX....

Verùm cur huic illum potiùs quàm alii alicui regioni attribuerit, argumentum nullum reperio. *Nardin. Roman. vet.* VII. 6.

Fons Mercurii fuit ad portam Capenam, quo expiationis gratia veniebant mercatores. Ovid. Fast. V. 673.

Est aqua Mercurii portæ vicina Capenæ,
Si juvat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunica mercator...

Donat. de Urb. Roman. III. 14. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 8.

Fons olei ex templo classis Ravennatis in regione Transtiberina tempore Augusti ex terra exundavit, & per totum diem largissimo rivo fluxit, significans ex gentibus gratiam Christi. *Marlian. Topogr. Urbis Rom.* V. 19. *Donat. de Urb. Rom.* III. 21.

FONTEJA gens. V. illam infr. in *Gens.*

FONTINALIA dicuntur à *fonte*, *quod is dies feriæ ejus. Ab eo autem tum & in fontes coronas jaciunt, & puteos coronant.* Varro de Ling. Lat. V. 3. Scalig. Conj. in Varron. p. 77. addit: ejus scilicet *fontis*, cujus delubrum fuit juxta portam Capenam: Unde & ipsa *fontinalis* dicta est. Festus: *Fontinalia, fontium sacra, unde & Romæ fontinalis porta.* Colebantur tertio Idus Octobris, qui dies ejusdem mensis tertius decimus, eratque nefastus primo. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 724. *Lomej. de Lustrat. c.* 30. *Guther. de Jur. man.* I. 3. *Ciaccon. in Vet. Roman. Kalend. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom.* VIII. *p.* 18. *B. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. Thes. ibid. p.* 77. *B. Turneb. Adv.* XXV. 16. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 496. *F. Stuck. de Sacrif. p.* 36. *Laurent. var. facr. gent. c.* 22. *Potymat.* II. *Differt.* II. *Perion. de Rom. & Græcar. magistr.* III. *Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2814. *B. Broukh. in Prop.* II. 15. 14.

FOR.

FORARIA appellatur mulier, quæ res fructuum villæ venales, poma, nuces, agnum, hœdum, pullastros, pipiones defert in forum. Idque per Etruriam servat nomeo. *Blond. Triumph. Rom.* IX. *p.* 181. *A.*

FORCEPS est instrumentum, sive ferrum, quo capimus, sive prehendimus prunas. Hac à Cynira primò inventa fabri ferrarii calida versare consueverunt. Virg. Æneid. VIII. 453.

— versantque tenaci forcipe massam.

Grapald. de Part. dom. II. 5. 4. Voss. Lex. Etymol. Cerda in Virgilium. Turneb. Adv. VII. 22.

Forceps est ὀδοντάγρα, sive instrumentum, quo chirurgi dentes evellunt. Sosip. Charif. Instit. Gramm. I. p. 74. b. edit. Putsch. *Lucill.* XIX. *etiam medicorum forcipes esse dixit.*

— scalprorum forcipiumque
Millia viginti.

Idem paullò post:

— & uncis
Forcipibus dentes evelleret.

Voss. Lex. Etymol.

Forceps est tonsorum, qui barbam & capillos secant. Sidon. Epist. I. 2. *Barba hirtis concava temporibus, quam in subdita vultus parte surgentem stirpitus tonsor assiduus genas adæquæ forcipibus evellit.* IV. 14. *Barba intra rugarum latebras, mersis ad cutem secta forcipibus.* Voss. Lex. Etymol. Savaro ad Sidonium. Juo. de Coma c. 7.

Forceps est instrumentum ferreum, aut ligneum potius, ad modum *forcipum*, quas vulgo tenaltas vocamus, Græci καρκίνος appellant. His umbo togæ committebatur, ut structuram rugarum constringerent, & io loco suo servarent. Tertull. de Pall. c. 5. *Umbonis figmentum custodibus forcipibus adsignat.* Has inferiùs *cruces* appellat: *etiam cum reponitur, nulli cruci in posterum demandatur.* *Forcipes* enim illæ, quibus figmentum umbonis constringendum mandabatur, ad instar vulgarium *forcipum*, cum aperiebantur, crucis figuram referebant. *Salmaf. in Tertull. p.* 381. *&* 407.

Forceps etiam instrumentum erat pœnale, & destinatum suppliciis. Harum aliæ erant ad incidendum, aliæ ad comprimendum compositæ. Meminit Synes. Epist. 58. cum agit de Andronici præsidis feritate, atque *nasi forcipe auribus apprehendendis, & labiis obtorquendis parato instrumento.....* Aliæ erant dentatæ, quæ quidem tribus ferreis aculeis cutem martyris perforabant, cum stringerentur, quæ crudeliter nimis membra carpentes vellebant. *Baron. in Martyrol. Roman. d.* 26. *Junii. Aring. Rom. Subterr.* I. 29. §. 5. *Laurent. de Torment. c.* 7. *Polym.* III. *Synt.* 10.

Forceps, quæ *forfex* Gell. X. 9. in militia figura idem est. Dicitur, cum contraria cuneo acies instruitur, latioribus primis & apertis, ac paullatim desinentibus in angustum. Usus erat cuneum solvere, & atterere. Veget. II. 19. *Contra quod ordinatio ponitur: quam forficem vocant. Nam ex militibus lectissimis confertis in V. literam hic ordo componitur: & illum cuneum excipit, atque ex utraque parte concludit.* Cato de Re milit. apud Festum in Serra præliari: *Sive forte opus sit . . . aut forcipe uti.* Ammian. XVI. 11. *Cogitatum est, feliciterque præstructum, ut sævientes ultra solitum Alemanni vagantesque effusi, multitudine geminata nostrorum, forcipis specie, trusi in angustias caderentur.* Lipf. de Milit. Rom. IV. Dial. 7. Laureot. Polym. IV. Synt. I. Valtrin. de Re milit. Roman. V. 2. Thyf. Rom. Illustr. IV. p. 97. Gronov. in Ammianum.

FORCTES quinam olim fuerint dicti. V. infr. in *Sanates.*

FORCULUS erat deus, qui *foribus* præsidebat, quasi *foriculus*. Tertull. de Idolol. c. 15. *Certe esse debemus, etiam ostiorum deos apud Romanos, Cardeam à cardinibus appellatam, & Forculum à foribus, & Limentinum à limine, & ipsum Janum a janua.* August. de Civit. Dei VI. 8. *Cur For-*

Forculus, qui foribus praeest, & Limentinus, qui limini, dii sunt masculi, atque inter hos Cardea femina est, qua cardinem servat? V. eundem & supr. in *Cardea*. Sagittat. de Jan. vet. c. 4. nu. 23. Lipen. de Stren. c. 2. secund. æt. §. 23. Tomas. de Donar. c. 8. & 29. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 55. D. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 7. Polym. 11. Dissert. 14. Voss. Lex. Etymol. in Fores. Blond. Triumph. Rom. 1. p. 13. B.

FORDICIDIA *dicta sunt à fordis cædendis. Bos forda, quæ fert in ventre, quod ea die publicè immolabantur boves prægnantes in curiis complures.* Varr. de Ling. Lat. v. 3. Celebrabantur decimo septimo Kal. Maji, qui decimus quintus Aprilis. Ovidius. V. illum infr. in *Sacrificium Telluris*. Eratque dies iste Nefastus primo. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. x1. p. 724. E. Alex. Gen.* III. 12. *Perion. de Græcor. & Rom. Magistr.* III. *Thes. Antiq. Græcar. Gronov.* VI. *p.* 2812. *D. Stuck. de Sacrif. gentil. p.* 163. *Voss. Lex. Etymol. Lomej. de Lustrat. gentil. c.* 30.

FORENSIA dicebantur vestimenta, quæ in *foro*, sive *foris* adhibebantur. Habebant enim veteres vestem aliam domesticam, aliam *forensem*. Lamprid. Alex. Sev. c. 42. *Vestes forenses binas, domesticas singulas.* Ammian. xxxi. 2. *Nec alia illis domestica vestis est, alia forensis.* Fuerunt verò *forensia* toga, lacerna, penula. Non. 1. 3. *Toga, sicut in consuetudine habetur, vestimentum est, quo in foro utimur.* Unde στολὴ ἀγοραῖος, *stola forensis* dicitur Dion. lxi. p. 692. B. *Ut ob eam causam equos victores, insignes, & jam senio confectos stola forensi, non secus ac homines, ornaret.* Et illis usus est Augustus apud Svet. c. 73. n. 4. *Forensia autem, & calceos nunquam non intra cubiculum habuit, ad subitos, repentinosque casus parata.* Ferrar. de Re Vest. 1. 1. 28. Gatak. in M. Antonin. 1. §. 7. Demster. Patap. ad Antiq. Rosin. v. 32. Pitisc. in Svetonium. Vestis hæc Augusti non fuit cubicularis, ut videtur velle Ruben. de Re Vest. 1. 17. ubi docet Marcum Antoninum Imperatorem l. l. in veste cubiculari domi non ambulasse, quod illi tamen exemplo Augusti licitum fuisset; sed, ut diximus, habuit Augustus semper *forensia*, id est, togam, & calceos ad subitos, & repentinos casus, ut scilicet ea indueret, quoties honoratiores excipiendi erant, &, si egrediendum esset, nonnisi cum toga conspiceretur. Sed putavit Rubenius, Augustum *forensia* indutum, quia ea habuit intra cubiculum, & ideo *forensia* esse vestem cubicularem, magno errore. Nam contra, quod habuerit ad subitos, & repentinos casus, satis arguit, non ea induisse, nisi cum occasio postularet, ne improviso alicujus adventu in veste cubiculari deprehenderetur. *Ferrar. Anal. de Re vest. c.* 23.

FORFEX *est sartorum* instrumentum. Beda de Orthographia, *quo pannos incidunt*. Serv. Virg. Æneid. VIII. 453. *Voss. Lex. Etymol.*

Forfex fuit etiam ferrum uncatum duplex, quod immissum ponderi tenebat illud, ut per funes posset erigi in altum. Vitruv. x. 2. *Ad rechamum imum ferrei forfices religantur, quorum dentes in saxa ferrata accommodantur.* Scheffer. de Re vehic. 1. 13.

FORES, numerus pluralivus quamquam maximè in usu est, tamen in singulari reperitur. Trent. Adelph. II. 3. 11.

Sed quidnam foris crepuit?

Ubi Donatus: *Foris singularis numeri, nominativi casus.* Plautus sæpissimè. *Sagittar. de Jan. vet. c.* 3. §. 18. Quo modo olim aperirentur, & quare crepuisse dicerentur. V. supr. in *Crepuisse*. Domuum privatarum, ut & templorum fuerunt æratæ. Camillo crimini objicit Sp. Carvilius quæstor, quod ærata ostia haberet in domo. Magnificarum variis sculpturis præstantium artificum exornabantur. In templis id usurpatum scio, cur non & in privatis ædificiis? Et certè ausim dejerare Romanum hunc luxum in mente fuisse, cum valvarum cælaturam depingeret, Ovidio regiam Solis describenti Met. II. 4.

—radiabant limine valvæ.
Materiam superabat opus: nam Mulciber illis
Æquora cælarat medias cingentia terras.

Capitolii Romani cælatas nobis sistit Claud. de Sext. Consf. Honor. II. 45.

—*juvat intra tecta Tonantis*
Cernere Tarpeja pendentes rupe gigantes,
Cælatasque fores.

Hebeno cooperiebantur. Lucan. x. 117.

—*hebenus Mareotica vastos*
Non operit postes, sed stat pro robore vili
Auxilium.

Testudinum Indicarum putaminibus sectis affabrè variegabantur. Virg. Georg. II. 463.

Nec varias inhiant pulcra testudine postes.

Lucan. ibid. II. 121.

Et suffixa manu foribus testudinis Indæ
Terga sedent, crebro maculas distincta smaragdo.

Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 7. Sagittar. ibid. c. 26. §. 4. 5. Cum pulsabantur, sciscitabantur aliquando non solum qui esset, qui pulsaret, sed quot essent, maximè noctu. Petron. c. 52. *Et jam plena nox erat, quum Eumolpus ostium pulsat. Interrogo ego, quot estis?* Laurent. de Fistul. & tintinnab. c. 4. Polym. 1. Dissert. 25. Sagittar. ibid. c. 16. §. 33. Ab illis excludebantur, quos aversabatur dominus ædium. Svet. Oth. c. 3. n. 3. *Creditur* Otho *non modò missos ad arcessendam* Poppæam Sabinam *non recepisse, sed ipsum etiam* Neronem *exclusisse pro foribus adstantem, miscentemque frustra minas & preces, ac depositum reddentem.* Senec. Epist. 47. *Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, & illi qui impegerat illi titulum, qui inter rejicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi.* Interdum excluso ipsi janua impingebatur. Lucian. Dial. meretr. *Ipsum quidem advenientem exclusit, illisa utique illi janua.* Sagittar. ibid. c. 36. n. 5. Interdum arundine, sive virga à janitore rejiciebantur. V. infr. in *Janitor*. Interdum testis & regulis in illos de tecto dejectis repellebantur. Lucill. xxvii. apud Non. IV. 142.

—*has è fenestris in caput*
Dejiciam, qui prope ad ostium aspiraverint.

Juven. Sat. III. 269.

Quod spatium tectis sublimibus? unde cerebrum
Testa ferit, quoties rimosa, & curta fenestris
Vasa cadunt.

Gell. IV. 14. *A. Hostilius Mancinus ædilis curulis fuit. Is Mamiliæ meretrici diem ad populum dixit, quod de tabulato ejus noctu lapide ictus esset, vulnusque ex lapide ostendebat. Mamilia ad tribunos plebis provocavit: apud eos dixit comessatorem Mancinum ad ædes suas venisse: eum sibi fas recipere non fuisse in æde sua; sed quum vi irrumperet, lapidibus depulsum. Tribuni decreverunt: ædilem ex eo loco jure dejectum, quo cum coronario eum venire non decuisset.* Broukh. in Propertium, Douza in Lucilium. In illis statuæ collocabantur non solùm ad religionem & tutelam, verùm etiam ad fascinum avertendum. Plin. XIX. 4. *Quam rem comitata est & religio quædam: hortosque & fores tantum contra invidentium effascinationes dicari videmus. In remedio Satyrica signa.* Turneb. Adv. IX. 28. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 8. Interdiu non claudebantur. Plaut. Most. II. 2. 14.

Sed, quid hoc, occlusa janua est interdiu?

Laurent. de Fistul. & Polym. l. l. Exterior nimirum, in quam de vicis gradus fiebat, & quæ etiamnum à nostris exterior dicitur: interior verò, erant enim duæ, semper erat clausa: illa nunquam, nisi aut noctu, aut cum vacuæ essent ædes. *Operar. in Plautum.* Peregrè falsò mortui renuntiati, reversique per illas non admittebantur, sed per impluvium. Lege Plutarch. Quæst. Rom. v. Causa potissima tantæ religionis hæc, quia post ostium, & postes Lares, & Penates collocati, ut felix, & faustus egressus esset. *Laurent. Polym.* II. *Dissert.* 14. *Var. sacr. gentil. c.* 7. Feriis frondibus & lucernis ornabantur. Tertull. de Idolol. c. 15. *Plures jam invenies ethnicorum fores sine lucernis & laureis quàm Christianorum.* Juven. Sat. XII. 91.

Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operitur festa lucernis.

Pers. Sat. v. 180.

Hero-

Herodis venere dies, unctaque fenestra
Disposita pinguem nebulam vomuere lucerna.

Turneb. Adv. xxis. 12. Lips. Elect. i. 3. in Tacit. Annal. iii. n. 21. Casaub. in Persium. Sagittar. ibid. c. 32. §. 2-5. Kipping. Ant. Roman. i. 10. §. 4. V. infr. in *Nupta*. Amicarum coronabantur ab amatoribus. Athen. xv. p. 670. D. *Coronant valvas illorum quos amant honoris causa, perinde ac templi cujusdam dei vestibulum, non quidem illis quos amant, sed Amori deo coronas dicantes; aut, quod illum, quem amant, imaginem putant Amoris dei, aedesque hujus delubrum, eorum limini, quos amans, coronas appendunt.* Cum enim ante illas satis diu excubuissent, *corollas*, quas in capite gestabant, in limine dissipatas relinquebant, aut fores iisdem decorabant. Lucret. iv. 1170.

At lacrymans exclusus amator limina sapè
Floribus & sertis operit, postesque superbos
Ungit amaracino, & foribus miser oscula figit.

De quo more Ovid. Amor. i. 6. 67.

At tu, non latis detracta corona capillis,
Dura super tota limina nocte jace.
Tu domina, cum te projectam mane videbit,
Temporis absumpti tam male testis eris.

Paschal. de Coron. ii. 5. Mader. de Coron. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. viii. p. 1415. F. Sagittar. ibid. c. 37. n. 12. 13. II. disertorum hominum, qui sæpè adversarium vicissent, palma. Hoc disco è loco Luciani Rhet. præc. p. 324. ubi malus rhetor & sæpè victus, nihilominus palma sibi fores ornari gloriatur. *Ut plurimum*, inquit, *succumbo, fores tamen viridi coronantur palma. His enim illecebris erga infelices utor.* III. Imperatorum Romanorum quercu & lauru. V. supr. in *Corona quercea*. IV. mariti à sponsa introducta laneis vittis. Plutarch. Quæst. Rom. c. 31. *Mariti januam lana coronat.* Lucan. ii. 355.

Infulaque in geminos discurrit candida postes.

Per *infulam candidam* videtur intelligere laneam maritæ, qua postes *coronabat*, vittam. Plin. xxix. 2. *Lanis auctoritatem veteres Romani etiam religiosam habuere, postes à nubentibus ea cingi jubentes.* Sagittar. ibid. c. 30. n. 18. Dalechamp. & Harduin. in Plinium. V. publicè lætantium. Senec. Epist. 68. *Quod tu existimas ea tantum optabilia esse, qua per voluptatem & otium veniunt, qua excipiuntur foribus ornatis?* Tertull. Apolog. c. 35. *Cur die læto non laurea postes adumbramus?* Lips. Elect. i. 3. VI. oratorum & causidicorum, qui partam in foro victoriam appensa palma testati, suæ hoc pacto gloriæ velificari voluerunt. V. supr. in *Corona quercea*. VII. revertentium ex longinquo itinere. Illorum enim domus hoc *festo ornatu* reddebatur illustrior. Signanter hoc dico. Nam eadem hæc verba usurpavit Tacitus, quando redeuntis Pisonis domum, quin & ipsum Pisonem hoc nomine in invidiam adductum memorat. Verba sunt hæc Annal. iii. 9. 3. *Fuit inter irritamenta invidiæ domus foro imminens, festo ornatu.* Juven. Sat. xii. 91. qui ob Catulli reditum, qui peregrè profectus maxima in mari pericula expertus erat, sacra facturus, januam quoque *coronatam* cupit:

Cuncta nitent: longos erexit janua ramos.

Sagittar. ibid. n. 21. VIII. Triumphantium lauru, tanquam hæc species fidem faceret, in illis ædibus habitare caput laureatum. Hoc docet Senec. ad Polyb. c. 35. *Eas quoque domos* fortunæ *ausa injuria causa intrare, in quas per templa aditur, & atram laureatis foribus inducere vestem.* Si modò de priscis viris triumphalibus, non de Principibus loquitur. *Paschal. ibid.* viii. 12. Templorum subitò sine manu hominum sponte apertæ auspicium infaustum faciebant. Ita & Josephus templi *fores* æneas ante excidium patuisse Hierosolymis ait, quæ vix à viginti valentibus viris claudi poterant. Cicer. de Divin. i. 34. *Ante Leuctricum prælium Thebis in templo Herculis valvæ clausa repagulis subitò se ipsa aperuerunt.* Xiphil. lxiii. p. 726. C. *Nero nihil movebatur prodigiis, neque solicitus erat, quod ambæ fores & Mausolei Augustalis, & cubiculi ipsius eadem nocte sua sponte apertæ fuerant.* Buleng. de Prodig. c. 48. Sagittar. ibid. c. 35. §. 15.

FORI sunt armariola, capsulæ, plutei, in quibus libri reponuntur. Svet. Aug. c. 31. n. 1. *Hos condidit duobus forulis auratis.* Juven. Sat. iii. 219.

Hic libros dabit & forulos.

Dolet. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 681. E. Voss. Lex. Etymol. Grang. in Juvenalem. Pitisc. in Svetonium.

Fori dicebantur gradus, loca, aut subsellia in circo, in quibus sedebant spectatores. Liv. i. 35. *Tum primum circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est: loca divisa patribus, equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent; fori appellati.* Chimentel. de Hon. bisell. c. 12. Dolet. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 681. E. Buleng. de Theat. i. 29. Panvin. de Lud. Circens. i. 5. Rosin. Antiq. Roman. v. 19. Mansuros & stabiles fecit Tarquinius Superbus. Liv. i. 56. *Quæ posthac & ad alia, ut specie minora, sic laboris aliquanto majoris traducebatur opera: foros in circo faciendos.* Fortuiti enim erant, & subitario opere illi prisci. Et pecunia publica usus est Superbus. *Argol. ad Panvinium. Blond. Instaur. Rom.* iii. §. 19. Ante Tarquinium Priscum stantes spectabant ludos Romani in tabulatis, quæ furcis suspendebantur, ut liquet ex Dionys. iii. p. 200. Sed circo structo, *fores* sibi quisque faciebat opere tumultuario, in quibus sederet, ita tamen ut patribus & equitibus sua tribuisset loca, in quibus sibi quisque spectacula pararet. Livius modò laudatus. Hos *fores* tectis exornavit Tarquinius Superbus, cum ante hunc fuissent sub dio, ut testatur Dionys. iv. p. 246. qui illos vocat *παστάδας ὑποστέγους*. Hæc circi facies permansit usque ad tempora Julii Cæsaris, quem primum triplicibus porticibus circum instruxisse docuerunt nos homines docti ex antiquis monumentis. *Grav. Thes. Antiq. Roman. Præfat. Tom.* ix. *. 4.

Fori etiam erant tabulata navium, vel locus in navi aptior, qui iter navem perambulantibus præbet. Erant foris, hoc est, non in carina, aut alvo navis, ubi, velut domi, immunes essent à pluviis, & ventis: sed sub Jove frigido. Cicer. de Senect. c. 6. *Similes sunt, ut si qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant, cum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant...* Voss. Lex. Etymol. Dolet. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 681. E. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. i. 5. Gyrald. de Navig. c. 11. Scheffer. de Milit. nav. i. 4. Salmas. Exerc. Plin. p. 646. a. B. 786. a. C. in Vopisc. Procul. c. 12. Laz. Comm. Reip. Rom. x. 5.

FORICA, veteribus glossis *ἀφεδρών*, locus in foro, exonerandi ventris causa paratus. Hinc *forire*, *ἀποπατεῖν*, ventris onus deponere. Juven. Sat. iii. 38.

Conducunt foricas, & cur non omnia? cum sint
Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna jocari.

Ubi vet. Interpr. *Foricas, stercora, hoc est, vectigal; forire enim est ventrem deonerare. Alii*, inquit, *tabernas dicunt foro vicinas: alii vectigal vinarium, quod ex Africa in Urbem vehebatur: alii domos publico sumptu ædificatas ad locandum, quarum conductores lucra cupiebant.* Cujac. Observ. xxvii. 34. Lips. de Magn. Rom. ii. 6. Guther. de Offic. dom. Aug. iii. 31. Voss. Lex. Etymol. Grapald. de Part. dom. ii. 6. 24. Lyd. de Re milit. v. 1.

FORICARII sunt *foricarum* conductores. Paull. l. 17. §. Fiscus ff. de usuris. *Fiscus ex suis contractibus usuras non dat, sed ipse accipit: ut solet à foricariis, qui tardius pecuniam inferunt.* Lips. de Magn. Roman. ii. 6. Buleng. de Vectig. c. 45. Guther. de Offic. dom. Aug. iii. 31. Cujac. Observ. xxii. 34. Casaub. in Svet. Vesp. c. 8. Burman. Dissert. de Vectig. c. 12. Thys. de Magn. Roman. ii. p. 258.

FORINA dea est mihi prorsus ignota. In Romanorum tamen notis legitur: FORINAR. ROM. DD. *Forinarum Romæ dearum.* Ut tamen de notis, & essentia Inscriptionis eruditiores judicium adducant, saxum ecce collectum p. 333. n. 1.

P.POE-

P. POETELLIUS. P. L.
SYRUS
LANISTA. AD. AR. FORIN
AR. ROM. DD. VIX
ANN. XLIIX
H. S. E.

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. xi. p. 725. B.

FORMA est delineatio, & exemplar futuri operis. Cicer. ad Attic. vi. 3. *Formam mihi totius Reipublicæ, si jam es Romæ, aut cum eris, velim mittas.* Famil. 11. 8. *Cum formam Reipublicæ viderim, quale ædificium futurum sit, scire possim.* Turneb. in Cicer. Acad. Quæst. 1. p. 25.

Forma in actis scribendis hæc observabatur: in primis necessaria erat scriptura, C. quoniam contra, de prob. l. comparationes C. de fide instrument. in qua nomen contrahentis, vel testantis, vel aliud agentis ponendum erat, tempusque actus gesti, denique ipse actus totus, vel contractus ordine describendus, l. nulli C. de episc. & cleric. l. donatio C. de donat. Hæc omnia coram judice agenda erant, aut saltem legenda. *Panciroll. Notit. Dignit. imp. orient. c. 14.*

Forma aquæductuum erat canalis constructus ex firmis lateribus. Tribus enim modis aqua in Urbem ducebatur, *fistulis plumbeis, aut tubulis fictilibus, vel structilibus canalibus.* Vitruv. viii. 7. Canales ligneos addit Pallad. ix. 11. *Cum ducenda,* inquit, *est aqua, ducitur aut forma structili, aut canalibus ligneis, aut fictilibus tubis. Forma* igitur erat meatus structilis, seu ex lateritio opere fabricatus, per quem aqua ducebatur, l. 1. C. de aquæd. Hæc olim prææltis fornicibus *formam* sustinentibus utrinque muro inclusa per colles Romanos discurrebat, cujus etiam nunc veteres exstant reliquiæ. Palladius quam *formam structilem* dixerat, postea simpliciter *formam* vocat. *Pancirell. Notit. dignit. imp. occid. c. 6. Buleng. de Imp. Rom.* v. 20. *Burman. de Vectig. Dissert. c. 12.*

Forma epistolæ est, qua aliquid à principe, vel à præfecto prætoris constituitur. *Formam* à præfecto prætorio datam vocat Severus Alexander, l. 2. C. de Offic. præf. præt. Illyric. *Formam à præfecto prætorio datam, etsi generalis sit, minimè legibus, vel constitutionibus contraria .. servari æquum est.* Guther. de Offic. dom. Aug. ii. 2.

Forma etiam vocatur mustricola sutoris, Horat. Sat. ii. 3. 106.

Si scalpra, & formas non sutor ..

Turneb. in Cicer. Acad. Quæst. 1. p. 26.

Forma Trajana fuit aquæductus grandis subterraneus, cujus in martyrum actis admodum frequens mentio habetur: præcipuè in actis martyrii S. Antonini: *Eadem hora jussit Vitellius Antoninum capitis subire sententiam, qui ductus via Aurelia juxta formam Trajanam decollatus est* xi. *Kal. Septembr.* Et Julii senatoris: *Dehinc jussu Vitellii Antoninus ductus est à carnificibus via Aurelia juxta formam Trajanam, & capite plexus.* V. & supr. in *Aqua Trajana.* Aring. Rom. Subterr. ii. 11. 5. Nardin. Rom. Vet. viii. 4. Fabret. Dissert. 1. de Aquæd. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1705. A.

Forma regia dicimus esse eum, quem decoro adspectu significare volumus, quandoquidem Reges ferè omnes pulcritudine prædiri conspiciuntur. Tacit. Hist. i. 7. 5. *Ipsa ætas Galbæ & irrisui, & fastidio erat assuetis juventæ Neronis, & Imperatores forma, ac decore corporis, ut est mos vulgi, comparantibus.* De Smerdie Thracio adolescente regali *forma* ac liberali adspectu Max. Tyr. Dissert. x. p. 98. *Smerdies natione Thrax, forma elegantissima, planeque regiæ puer ....* Themist. Orat. v. p. 149. *Nascitur Rex & inter homines, sed tamen rarò, & post longa annorum intervalla, tunc scilicet, cum animi pulcritudo cum corporis excellentia conjungitur, ac commiscetur. Atque is certè magnus est Rex, cujus est forma, & species integra, omnique ex parte absoluta, & perfecta.* Curt. vi. 5. 29. *Quippe hominibus barbaris in corporum majestate veneratio est, magnorumque operum non alios capaces putant, quàm quos eximia specie donare natura dignata est.* Rhodig. Antiq. Lect. xxiv. 9. Realin. Annot. c. 14. Muret. Var. Lect. iii. 2. Column. in Ennium p. 9.

FORMIANUM vinum. V. infr. in *Vinum.*

FORMICÆ olim augurium fecerunt. Nam Midæ, cujus imperio Phrygia fuit subjecta, puero dormienti *formicæ* grana tritici in os congesserunt: parentibus deinde ejus, quorsum prodigium tenderet, explorantibus, augures responderunt, omnium illum mortalium futurum ditissimum. Nec prædictio vana exstitit: nam Midas cunctorum pænè Regum opes abundantia pecuniæ antecessit, infantiæque incunabula utili deorum munere donata, onustus auro, atque argento gazis pensavit. Cicer. de Divin. 1. 36. *Midæ illi Phrygio, cum puer esset, dormienti formicæ in os tritici grana congesserunt. Divitissimum fore prædictum est, quod evenit.* Ita Svet. Ner. c. 46. n. 2. *Vidit per quietem se pennatarum formicarum multitudine oppleri.* Tib. c. 72. n. 3. *Erat ei in oblectamentis serpens draco, quem ex consuetudine sua cibaturus cum consumptum à formicis invenisset.* Niphus de Augur. 1. 10. Buleng. de Prod. c. 39. Potter. Archæol. Græc. ii. 15.

FORMIDO in venatione vocabatur linea vario plumarum nexu discolor, qua terrentur apri, vulpes, lupi, ursi, sed potissimum cervi. In ea alternus textus plumarum, sed vulturis, & cygni præcipuè laudatur; sed & interdum sandice fucabatur. Virg. Georg. iii. 372.

Puniceæve agitant timidos formidine pennæ.

Lucan. iv. 437.

—— sic dum pavidos formidine cervos
Claudat odorata metuentes aera penna.

Linea etiam dicitur. Nemes. Cyneget. n. 303.

Linea quin etiam magnos circumdare saltus
Quæ posset, volucresque metu concludere prædas
Digerat innexas non una ex alite pinnas ...

Et *rubens pinna.* Senec. de Ira ii. 12. *Sic itaque ira metuitur, quomodo à feris rubens pinna.* Turneb. Adv. v. 5. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Venat. c. 2. Cerda in Virgilium. Lips. in Senecam. Colv. in Apulej. p. 258. Schill Nomencl. Philol. p. 522. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. ii. 7. Rhodig. Lect. Antiq. xvi. 11. *Metus* eadem significatione usurpatur. Grat. Cyneget. n. 85.

Hic magis in cervos valuit metus.

n. 88,

—— si qua metus eludat bellua falsos.

Manil. iv. 182.

Et pacare metu sylvas.

Nemesianus modò laudatus. *Huet. in Manilium. Ulit. in Grat. n. 85.* V. etiam *Ulitium in Nemesianum.*

FORMULÆ, quæ & actiones dicebantur, erant sollennium verborum conceptiones, quibus eadem in re populus Romanus uti consueverat. Vulgus hodie *stylum, formularum*ve appellat. *Hotom. de Formul. Ant.* iii. *Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. ii. p.* 1909. *A. Turneb. Adv.* xiv. 11. *Bud. in Pandect. p.* 36. *K.* Hisce privatim agendarum legis actiones præscribebant, Cicer. pro Mur. c. 13. *Gloria militaris vestris formulis atque actionibus anteponenda est.* Sigon. de Judic. 1. 9. Omnium actionum erant præscriptæ, in albo prætoris. Quintil. xii. 3. *Quorum alii se ad album, ac rubricas contulerunt.* Plaut. Pers. 1. 2. 21.

Sed fiat, ne isti faxim nusquam appareant,
Qui hic albo pariete aliena oppugnant bona.

Ad eas litigatores strictè agebant. Cicer. pro Quint. Rosc. c. 8. *Sunt jura, sunt formulæ de omnibus rebus constitutæ, ne quis aut in genere injuriæ, aut ratione actionis errare possit. Expressæ sunt enim ex uniuscujusque damno, dolore, incommodo, calamitate, injuria publica à prætore formulæ, ad quas privata lis accommodatur.* Ea qui cadebat, causa cadebat. Senec. Epist. 49. *Quid enim aliud agitis, cum eum quem interrogatis, scientes in fraudem inducitis, quàm ut formula cecidisse videatur? Sed quemadmodum illum prætor, sic hos philosophia in integrum restituit.* Quatuor verò ex caussis formula quis cecidisse videbatur. Quintil. iii. 8. *In omnibus ferè caussis, in quibus cecidisse quis formula dicitur, hæ sunt quæstiones: an huic, an cum hoc, an hac lege, an apud hunc, an hoc tempore liceat agere.* Iis judices dati adstricti

erant,

erant, quas prætor præscripserat, nec latum unguem habet discedere. Quintil. III. 11. *Privata quoque judicia sæpe unum judicem multis, & diversis formulis solent habere.* Siccam. de Centum. judic. I. 4. Pollet. For. Rom. v. 4. Sig. de Judic. I. 21. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 1.

Formula abdicationis erat, *Cum filium meum pecunias à focus accepisse mihi probatum sit, & Republica, & domo mea indignum judico, protinusque è conspectu meo abire jubeo.* Val. Max. v. 8. *Hotom. de Form. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* XI. *p.* 1909. *C.*

Formula absolvendi erat, *Secundum illum litem do.* Cicer. pro Quint. Rosc. c. 1. *Quo minus secundum eos lis detur, non recusamus.* Senec. Controv. VII. *Centumviri dixerunt, dare ipsos secundum adversarium Albutis, si juraret.* Sigon. de Judic. I. 29. Pitisc. in Svet. Claud. c. 15. n. 4. Vel, *non videtur fecisse.* Cicer. Attic. IV. 5. *Drusus, Scaurus non fecisse videntur*, id est, absolvuntur. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 1909. *C. Sigon. de Judic.* II. 22.

Formula acceptilationis Aquilianæ erat, *Quicquid te mihi ex quacunque causa dare facere oportet, vel oportebit, præsens, in diemve, aut sub conditione: quarumque rerum mihi tecum actio, quæve adversus te petitio, vel adversus te persecutio est, eritve: quodve tu mecum habes, tenes, possides, quanti quaque earum rerum res erit, tantam pecuniam dari stipulatus est A. Agerius: spopondit Numerius Negidius. Quod Numerius Negidius A. Agerio promisit, spopondisve, id haberetne à se acceptum, Numerius Negidius A. Agerium rogavit: A. Agerius Numerio Negidio acceptum fecit.* Justinian. Instit. III. III. quibus modis toll. oblig. Dig. XLVI. de Accepul. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 1909. *C. D.*

Formula acclamandi patronis causarum *erat*, *euge, belle, ò hominem literatum, σοφῶς, σοφῶς*, ut probat Fab. ad Senec. Contr. IX. & confirmat Tertull. adv. Valent. c. 8. *In scholis Carthaginensibus fuit quidam rigidissimus rhetor Latinus, Phosphorus nomine: cum virum fortem peroraret: Venio, inquit, ad vos, optimi cives, de prælio cum victoria mea, cum felicitate vestra, amplatus, gloriosus, fortunatus, maximus, triumphalis, & scholastici statim familiæ Phosphori σοφῶς acclamant.* Siccam. de Centumv. judic. I. 13.

Formula actionis arbitrariæ erat, *quantum æquius melius.* Cicer. pro Quint. Rosc. c. 4. V. illum supr. in *Arbitrium.*

Formula actionis bonæ fidei erat I. *ex bona fide*, quæ contractibus bonæ fidei accommodabatur. II. *ut inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione*, quæ in fiducus usurpabatur. III. *quantum æquius, melius*, quæ rei uxoriæ erat propria. Cicer. Offic. III. 15. *Dolus malus legibus erat vindicatus, ut tutela XII tabulis, circumscriptio adolescentium lege Latoria, & sine lege, judiciis, in quibus ad ditum, Ex fide bona: reliquorum autem judiciorum hæc verba maxime excellunt, in arbitrio rei uxoriæ; melius æquius; in fiducia; ut inter bonos bene agier oportet.* Sigon. de Judic. I. 21. Turneb. Adv. XXV. 23.

Formula actionis furti adjuti erat, *ope, consilio tuo furtum factum esse ajo.* Cicer. de Nat. deor. III. 30. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* II. *p.* 1909. *E.*

Formula actionis in personam erat, *ajo te mihi dare facere oportere.* Justin. Instit. §. Sic itaque de Action. *Sic itaque discretis actionibus certum est, non posse actorem suam rem ita ab aliquo petere, si apparet eum dare oportere.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. II. p. 1909. D. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 561. B.

Formula actionis in rem. Petitor: *Fundus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur, meus est: eum ego ex jure Quiritium meum esse ajo: inde ibi ego te ex jure manu consertum voco.* Is unde petitur: *Unde tu me ex jure manu consertum vocasti, inde ibi ego te revoco.* Prætor: *Utrisque superstitibus istam viam dico: inite viam.* Idem: *Redite viam.* Petitor: *Quando te in jure conspicio, postulo anne sies auctor.* Is unde petitur: *Auctor, sed anne tu dicis, qua causa vindicaveris.* Cicer. pro Mur. c. 12. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *pag.* 1909. *E.*

Formula addictionis in diem erat, *ille fundus centum esto tibi emptus: nisi si quis intra Kal. J inu tr. proximas meliorem conditionem fecerit, quo res à domino abeat*, l. 1. ff. de in diem addict. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 1910. *B.*

Formula agendi in rebus corpore vacantibus, ut in usufructu, erat, *ajo usumfructum fundi tui, qui est in agro Sabino, esse meum: ajo, jus eundi agendi per fundum tuum esse meum: ajo, jus ex fundo tuo aquam ducendi, vel jus adversus ædes tuas altius tollendi esse meum.* Hoc autem proprium in his fuit, quod non solum affirmanter intendi poterat, sed etiam negantee, hoc modo: *Ajo, usumfructum fundi mei non esse tuum: ajo, jus eundi agendi per fundum meum non esse tuum.* Sigon. de Judic. I. 21.

Formula agentium in judicio actoris & rei erat, cum reus prior ita agebat: *Ubi tu es, qui me vadatus es? ubi tu es, qui me citasti? ecce ego me tibi sisto, tu contra & te mihi siste.* Procedente actore rogabat, *quid ais?* respondebat actor, *ajo*, e. g. *fundum, quem possides, meum esse: ajo, te mihi dare, facere oportere*, prout natura actionis postulabat, quam ille intendere volebat. Docet hoc Plaut. Curc. I. 3. 5.

Ubi tu es, qui me convadatus Veneriis vadimoniis?
Ubi tu es, qui me libello Venerio citavisti? ecce me.
Siste ego tibi me, & mihi contra itidem te ut sistas suadeo.

Sigon. de Judic. I. 21.

Formula ampliationis erat, *amplius cognoscendum.* V. illam supr. in *Amplius.*

Formula annalis divisionis legatæ, vel pro anniversario celebrando, vel pro alicujus statuæ dedicatione, erat, *decurionibus denarios tredecim, Augustalibus duodecim, populo undecim.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 668. C.

Formula anquisitionis quænam fuerit, V. supr. in *Anquisitio.*

Formula antestantis quænam fuerit, V. supr. in *Antestari.*

Formula arbitri ante latam sententiam erat, *arbitror, te hoc modo actori satisfacere debere.* Sigon. de Judic. I. 29.

Formula arrogationis erat: *velitis jubeatis Quirites, uti Lucius Valerius Lucio Titio tam ex jure legeque filius sibi siet, quam si ex eo patre matreque familias ejus natus esset: utque ei vitæ necisque in eum potestas siet, uti pariendo filio est: hoc ita, ut dixi, ita vos Quirites rogo.* Gell. v. 19. Ubi suspicor legendum pro *pariendo, patriendo*, ut fit *endo* pro *in*, vetustè. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 1910. *D.*

Formula asserendi in libertatem erat: *hunc ego hominem ex jure Quiritium liberali causa assero manu.* Ter. Adelph. II. 1. 38.

SA. *quid si ego tibi illam nolo vendere,*
Coges me? ÆS. *minimè.* SA. *namque id metui.* ÆS. *neque vendundam censeo*
Quæ libera est: nam ego liberali illam assero causa manu.

Sigon. de Judic. I. 21. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1910. D. V. supr. in *Causa liberalis.*

Formula aurei annuli in concione donandi erat: *Quandoquidem tu in prælio, in bello, in re militari mihi nunquam defuisti, omnibusque in periculis mecum versatus es, ob hasce res hoc aureo annulo te dono.* Hæc ferè ex Cicer. Verr. III. 80. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1910. D.

Formula belli indicendi quædam fuerit, V. supr. in *Fecialis.*

Formula carminis in ducendis nuptis quænam fuerit, V. infr. in *Hymen.*

Formula cautionis de dolo malo erat: *uti ne propter fidem tuam captus, fraudatusve siem.* Cicer. De Offic. III. 17. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1911. D.

Formula cessionis in jure quænam fuerit, V. supr. in *Cessio.*

For-

Formula coemptionis in matrimonio quænam fuerit, V. supr. in *Coemptio*.

Formula conclucandi luci erat: *si deus, si dea es, cujus illud sacrum est, uti tibi jus siet porco piaculo facere, illiusce sacri coercendi ergo. Harumce rerum ergo, sive ego, sive quis jussu meo fecerit, uti id rectè factum siet. Ejus rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, domo, familiæque meæ, liberisque meis*. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1912. A.

Formula consilii dimittendi erat: *ilicet*, id est, *ire licet*. V. infr. in *Ilicet*.

Formula consponsorum in judicio quænam fuerit, V. supr. in *Consponsores*.

Formula contestandæ litis quænam fuerit, V. supr. in *Contestari*.

Formula cretionis in hæreditatibus quænam fuerit, V. supr. in *Cretio*.

Formula dedicationis spoliorum & templi erat: *Jupiter Feretri, hæc tibi Victor Romulus Rex arma fero, templumque iis regionibus, quas modò animo metatus sum, dedico sedem opimis spoliis, quæ Regibus, ducibusque hostium cæsis, me auctorem sequens posteri ferent*. Liv. I. 10. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. II. p. 1912. D.*

Formula deditionis quænam fuerit, V. supr. in *Deditio*.

Formula deferendi nominis quænam fuerit, V. infr. in *Nomen*.

Formula devotionis describitur à Liv. VIII. 9. V. illum supr. in *Devotus*.

Formula dicendæ diei videtur hæc fuisse: *Ap. Claudi, huc ad me Nonis Septembris adesto, ut te accusari audias, quod vindicias contra libertatem dederis*. Sigon. de Judic. III. 7.

Formula dimittendi funeris erat: *ilicet*. Serv. in Virg. Æneid. VI. 226. *Populi corona tamdiu stabat respondens fletibus præficæ, id est, principis planctuum, quamdiu consumpto cadavere, & collectis cineribus diceretur novissimum verbum ilicet, quod ire licet significat. Unde est,*

—— *dixitque novissima verba*.

Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1313. D. Kirchm. de Fun. Rom. III. 9.

Formula dimittendi senatus erat: *nihil vos moramur patres conscripti*. Capitolin. Anton. Philos. c. 10. V. illum supr. in *Comitia*. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1313. F. Zamosc. de Senat. Rom. II. 11. Caroli Antiq. Rom. II. 9. Casaub. in Capitolinum.

Formula dimittendorum manium erat, *vale*. Serv. Æneid. VI. 231. *Vale dicebatur post tumuli peracta sollennia*. III. 68. *Est hoc loco, quod dicimus more sollennis, vale*. II. 789. *Recedentis significatio est: unde & mortuus dicitur, ut* XI. 97.

—— *salve æternum mihi maxime Palla,*
Æternumque vale.

Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1313. D. Kirchm. de Fun. Rom. III. 8.

Formula discessionis permittendæ quænam fuerit, V. supr. in *Alia omnia*.

Formula divortii quænam fuerit, V. supr. in *Divortium*.

Formula donationis causa mortis erat: *illum agrum, aut illam domum me malo habere, quàm te: te, quam heredem meum*. Anian. Paulli interpres Sent. II. 23. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. II. p. 1914. B.*

Formula duumvirorum de perduellione judicantium exstat apud Liv. I. 26. *Duumviri perduellionem judicent. Si à duumviris provocarit, provocatione certato: si vincent, caput obnubito: infelici arbori suspendito: verberato, vel intra pomœrium, vel extra pomœrium*. Hotoman. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1914. B.

Formula edicti censorum erat, *nobis non placet*. Gell. XV. II. *Cn. Domitius Ænobarbus, & L. Licinius Crassus Censores de coercendis rhetoribus Latinis ita edixerunt . . . Quapropter & iis, qui eos ludos habent, & iis, qui eo venire consueverunt, visum est faciendum, ut ostenderemus nostram sententiam, nobis non placere*. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1914. C. Brisson. de Form. II. p. 195.

Formula edicti, quo debitor latitans evocabatur, erat: *Qui fraudationis causa latitaverit, si boni viri arbitratu non defendetur, ejus bona possideri, vendique jubebo*. Sigon. de Judic. I. 18.

Formula edicti, quo senatus vocabatur, erat: *Senatores, quibusque in senatu sententiam dicere licet*. Clausula hæc invenitur apud Livium, Festum, & Gellium. At ab initio statim post magistratus annuos institutos citabantur hoc modo: *Qui patres, quique conscripti essent*, teste Liv. II. 1. *Zamosc. de Sen. Rom. II. 4. Brisson. de Form. II. p. 164.*

Formula emancipationis quænam fuerit, V. supr. in *Emancipatio*.

Formula evocationis deorum quænam fuerit, V. supr. in *Dii*.

Formula exceptionis erat, *extraquam*, l. 1. §. Labeo. ff. de flu. *Extraquam si quid ita factum sit, uti lege fieri licuit*. aut *si*, l. 2. §. ult. de dol. except. *Si in ea re nihil metus causa factum est*. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1914. F.

Formula exercitus evocandi erat: *Qui vult salvam Rempublicam, me sequatur. Si enim esset tumultus, qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium: & exinde proferens duo vexilla, unum roseum, quo pedites evocabat, alterum cæruleum, quo equites, dicebat . . . .* Serv. Æneid. VIII. 1. Cicer. pro C. Rabir. perdull. reo c. 7. *Fit SCtum, ut C. Marius, L. Valerius coss. operam daret, ut imperium populi Romani majestasque conservaretur: qui Rempublicam salvam esse vellent, arma capere, & se sequi jubent*. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1915. A.

Formula exsecrationis legitur apud Liv. XXII. 53. præeunte verba P. Scipione: *Si sciens fallo ex animi mei sententia, tum me Jupiter Opt. Max. domum familiamque meam pessimo letho afficiat*. Schol. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1171. D. & apud Sall. Bell. Catil. p. 19. Catilina, *cum ad jusjurandum populares sceleris sui adigeret*, dicitur *humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse: inde, cum post exsecrationem omnes degustavissent, sicut in sollennibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum*. Gyrald. Synt. deor. I. p. 507. D. Broid. Corollar. ad Pollet. For. Rom. IV. 14.

Formula ferendi judicem adversario erat: *Se illi judicem ferre: in vindicias in servitutem ab libertate dederit*. Rogabat autem eum, ut eo contentus esset, & non alium posceret, his verbis, de quibus Festus: *Si alium procas, nive alium procas. Est enim poscere procare, quod dicitur in judice collocando*. Sigon. de Judic. I. 23.

Formula fidejubendi erat: *Centum quæ mihi Cajus debet, eadem mihi dare spondes? spondeo. Stichum autem decem fide tua jubes? jubeo. Quantam pecuniam credidero, fide tua esse jubes? jubeo*. Ex tract. de fidejuss. in Pandect. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. II. p. 1915. B.* V. supr. in *Fidejussio*.

Formula fiduciæ quænam fuerit, V. supr. in *Formula actionis*.

Formula fœderis peragendi quænam fuerit, V. supr. in *Fecialis* & *Fœdus*.

Formula hæredis instituendi erat: *Titius heres esto, Titium heredem esse jubeo*. Illa autem institutio, *heredem instituo, heredem facio*, plerisque improbata est. Ulpian. instit. c. 21. Substituendi: *Titius heres esto, cernitoque in diebus proximis centum, quibus scieris, poterisque. Nisi ita creveris, exheres esto: tunc Mævius heres esto, cernitoque in diebus . . . .* Ulpian. Inst. c. 22. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. II. p. 1915. C.*

Formula impunitatis, quæ omnibus planè legibus adscribebatur, ut si quid contra alias leges, ejus legis ergo, quæ promulgabatur, factum esset, nihil subsisteret, erat. *Si quid sacri, sanctique est, quod jus non sit rogari, ejus hac lege nihil rogatur*. Brisson. de Form. II. . . . Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 967. A.

For-

Formula indicendi Compitalia quænam fuerit, V. ſupr. in *Feria Compitales*.

Formula indicendi funeris quænam fuerit, V. infr. in *Funus indictivum*.

Formula inlicii vocandi erat: *Quod bonum, fortunatum, felixque, ſalutareque ſiet populo Romano Quiritium, reique publicæ populi Romani Quiritium, mihique, collegæque meo, fidei, magiſtratuique noſtro: omnes Quirites, pedites, armatos, privatosque, curatores omnium tribuum, ſi quis pro ſe, ſive pro altero dare rationem volet, voca inlicium huc ad me.* Varro de Ling. Lat. v. 9. Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1916. D.

Formula intentionis in actione de calumnia. V. illam ſupr. in *Actio de calumnia*.

Formula intentionis in actione exercitoria. V. illam ſupr. in *Actio exercitoria*.

Formula intentionis in actione de dote. V. illam ſupr. in *Actio de dote*.

Formula intentionis in actione de furto. V. illam ſupr. in *Actio de furto*.

Formula intentionis in actione inſtitoria. V. illam ſupr. in *Actio inſtitoria*.

Formula intentionis in actione quod juſſu. V. illam ſupr. in *Actio quod juſſu*.

Formula intentionis in actione quod metus cauſa geſtum eſt. V. illam ſupr. in *Actio de eo quod metus...*

Formula intentionis in actione de pauperie. V. illam ſupr. in *Actio de pauperie*.

Formula intentionis in actione de peculio. V. illam ſupr. in *Actio de Peculio*.

Formula intentionis in actione de rapina. V. illam ſupr. in *Actio de rapina*.

Formula intentionis in actione de ſervo corrupto. V. illam ſupr. in *Actio de ſervo corrupto*.

Formula intentionis in actione tributoria erat: *Ajo, Mævium peculiares Stichi ſui ſervi merces ex edicto non diſtribuiſſe, & quanto minus tributum ſit quàm debuerit, tantum mihi dare oportere.* Sigon. de Judic. I. 21.

Formula intentionis in actione de ventre cognoſcendo. V. illam ſupr. in *Actio de ventre cognoſcendo*.

Formula intentionis in ambitu erat: *Ajo, te in petendo conſulatu pecuniam dediſſe tribubus, prandia, locum gladiatoribus contra legem Tulliam, atque pœnam quæ lege continetur, à te repeto.* Sigon. de Judic. II. 10.

Formula intentionis in contentione ex contractu erat: *Ajo, te mihi mutui, aut commodati, aut depoſiti, aut aliorum contractuum nomine dare centum oportere.* Ille, unde petebatur, aut inficiabatur, aut excipiebat. Inficiabatur ita dicens: *Nego me tibi dare centum eo nomine debere.* Excipiabat partem actionis excludens, ita: *Nego me tibi ex ſtipulatu centum dare debere, niſi quod metu, aut dolo, aut errore adductus ſpopondi: aut, ni minor annis XXV. ſiem.* Plaut. Rud. v. 3. 22.

GR. *Si viduum*
Iſtum redegiſſem in poteſtatem ejus, juratus dare
Mihi talentum magnum argenti. LA. *Cedo qui cum habeam judicem,*
Ni dolo malo inſtipulatus ſis, nive etiam dum ſiem
Quinque & viginti natus annos.

Sigon. de Judic. I. 21.

Formula intentionis in crimine repetundarum erat: *Ajo, te in prætura ſpoliaſſe Siculos contra legem Corneliam, atque eo nomine ſeſtertium millies à te repeto.* Cicer. Divin. c. 5. *Sicilia tota, ſi una voce loqueretur, hoc diceret: quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, ſedibus, delubris fuit, quod jus in unaquaque re beneficio ſenatus, populique Romani habui, id tu mihi C. Verres eripuiſti, atque abſtuliſti: quo nomine abs te ſeſtertium millies ex lege repeto.* Sigon. de Judic. II. 10.

Formula intentionis in noxali actione. V. illam ſupr. in *Actio noxalis*.

Formula intentionis in actione damni lege Aquilia. V. illam ſupr. in *Actio damni*.

Formula intentionis in actione de in rem verſo quænam fuerit. V. ſupr. in *Actio de in rem verſo*.

Formula intentionis in peculatu erat: *Ajo, te pecuniam publicam, cum quæſtor eſſes, avertiſſe, & falſas rationes ad ærarium retuliſſe: atque eo nomine ſeſtertium quingenties à te repeto.* Sigon. de Judic. II. 10.

Formula interceſſionis tribunitiæ erat: *Veto.* Liv. VI. 35. *Bene habet, inquit Sextius, quandoquidem tantum interceſſionem pollere placet, iſta ipſa telo tutabimur plebejos. Agedum comitia indicite patres tribunis militum creandis. Faxo juvet vox iſta, Veto.* Hotom. de Form. III. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1916. E. Briſſon. de Form. III. p. 263. Pitiſc. in Svet. Tib. c. 2. n. 10.

Formula interdicti de bonis prodigi erat: *Quando in bona paterna, avitaque nequitia tua diſperdis, liberosque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ea re, commercioque interdico.* Hotom. de Form. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1916. E.

Formula interrogandi teſtis erat: *Quæro de te, arbitrerisne?* Liv. IV. 40. *Sexte Tempani, quæro de te, arbitrerisne, C. Sempronium conſulem in tempore pugnam iniiſſe?* Ipſi teſtes reſpondebant jurati, reſpondentesque dicebant: *Arbitror.* Cicer. pro Font. c. 9. *Primum illud verbum conſideratiſſimum noſtræ conſuetudinis, arbitror, quo nos etiam tunc utimur, cum ea dicimus, jurati, quæ comperta habemus, quæ ipſi vidimus, ex toto teſtimonio ſuſtulit.* Sigon. de Judic. II. 15. Pollet. Enc. Rom. IV. 13. Briſſon. de Form. v. p. 477.

Formula interrogandi, qua cenſores in jurejurando de uxoribus utebantur, quænam fuerit. V. ſupr. in *Ex animi ſententia*.

Formula judicii in actionibus arbitrariis erat: *Eſto arbiter, & ſi paret, Mævium metu coegiſſe Servilium, ut centum daret, aut dolo malo iniquis ponderibus uſum, ut eum fraudaret, aut eidem ſtipulanti ſpopondiſſe, ſe centum tritici modios Bononiæ daturum, neque arbitrio judicis ei ſatisfaciat, tum quantum Servilius in litem juraverit, tanti damnato. Si paret, Mævium veſtem, quam Servilius exhiberi poſtulat, habere, neque is arbitrio judicis eam exhibeat, tum quanti in litem Servilius juravit, tanti damnato.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in actionibus bonæ fidei erat: *Si paret, Mævium Servilio domum aut vendidiſſe, aut locaſſe, tum quantum Mævium Servilio ob eam rem dare ex fide bona oportet, tanti damnetur. Si paret, Mævium Servilio domum mancipaſſe ea lege, ut remanciparet, ut inter bonos viros bene agier oportet, tum quantum Servilium Mævio dare ob eam rem ex fide bona oportet, tantum damnato. Si paret, Terentiam Tullio præter dotem alia dediſſe, tum quantum æquius melius videbitur, Tullium damnato.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in actionibus, in quibus cum dominis agitur cauſa ſervitutis, erat: *Si paret, Servilium Sticho Mævii ſervo juſſu Mævii centum crediſſe, neque Mævius Servilio ſatisfaciat, tum Mævius damnetur. Si paret, Mævium Sticho, quem Servilius in navi, quam exercet, magiſtrum præfecerat, centum aureos ejus rei cauſa, cui præfectus erat, crediſſe, neque Servilius Mævio ſatisfecerit, tum Servilius damnetur. Si paret, Mævium peculiares Stichi ſervi ſui merces ex edicto non diſtribuiſſe, tum quanto minus tributum ſit, quàm debuerit, tanti damnetur. Si paret, Servilium Sticho Mævii ſervo centum crediſſe, ut Mævii domum labentem fulciret, tum Mævius quatenus & in rem verſum, & in peculio Stichi eſſe conſtabit, damnetur. Si paret, Stichum Mævii ſervum Servilio noxam nocuiſſe, tum Mævius aut ſolvere, aut Stichum noxa Servilio dedere, damnetur. Si paret, urſum Mævii, aut vulnus Servilio intuliſſe, aut veſtem laceraſſe, tum Mævius, aut quanti æquum eſſe videatur, aut duplum, quanti veſtis eſt, damnetur.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in actionibus miſtis erat: *C. Aquilli, judex eſto: itaque familiam erciſcuntor, ut quod cuique ex heredibus adjudicandum eſſe videbitur, quodque Servilium Mævio dare, facere oportet, judices.* Item: *judex eſto: itaque res communes Servilii & Mævii dividito, ut quod cuique adjudicandum videtur, quodque Servilium Mævio dare, facere oportet, judices.* Item: *Judex eſto: itaque fines agrorum dirigito, ut quod cuique adjudicandum eſſe videbitur,*

quodque Servilium Mævio dare, facere oportet, judices. Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in actionibus, in quibus pars petitur, erat: *Si paret, Mævium Lucio Servilii filio centum mutuo dedisse, tum Lucius pater, quantum ex filii peculio facere poterit, damnetur: si paret, Terentiam Tullio centum nomine dotis dedisse, tum Tullius, quantum facere poterit, damnetur.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in actionibus pœnalibus erat: *Judex esto: si paret, Mævium centum Servilio abstulisse, & manifesto deprehensum esse, Mævium in quadringentos damnato: si paret, Mævium Servilio vestem eripuisse, atque ejus rei nomine eum in quadruplum Servilio dare oportere, Mævium in quadruplum damnato: si paret, Mævium Stichum servum Servilii interfecisse, factumque illud inficiatum esse, Mævium in duplum, quanti ea res eo anno plurimi fuerit, damnato.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in caussa libertatis, & ventris erat: *Si paret, Servilium liberum, aut ingenuum esse, liberum, aut ingenuum pronuntiato: si paret, Stichum servum, aut libertum Mævii esse, servum, aut libertum pronuntiato.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in condictione erat: *Si paret, Servilium Mævio mutui, aut depositi nomine centum dare oportere, neque eos restituerit, Servilium damnato: si paret, Servilium domum, aut navim ædificare, aut vestem polire ex stipulatu oportere, neque satisfecerit, eum damnato: si paret, Mævium Servilio mercedem, de qua inter eos convenerat, ob polita ejus vestimenta dare oportere, neque dederit, eum damnato: si paret, vestem, quam Stichus Mævio furto abstulit, Mævii esse, neque Stichus eam restituerit, Stichum damnato.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii recuperatorii erat: *si pareret.* Cicer. pro Quint. Rosc. c. 4. *Si pareret* H.S. ↀↀↀ. *dari oportere.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græc. Tom. II. p. 1917. A. Pollet. For. Rom. III. 15.

Formula judicii in vindicatione rei corpus habentis erat: *C. Aquili, judex esto: si paret, fundum Capenatem, de quo Servilius agit cum Catulo, Servilii esse ex jure Quiritium, neque is Servilio à Catulo restituatur, tum Catulum damnato.* Hinc reprehendit Verrem Cicero, qui in hæc verba judicem dedit: *C. Octavi, judex esto: si paret, fundum Capenatem ex jure Quiritium P. Servilii esse, neque is fundus Q. Catulo restituatur; cum debuisset dicere, neque is fundus Servilio restituatur.* Quod si exceptio intercederet, addebat: *Extra quam si testamentum prodatur, quo appareat, Catuli esse.* Sæpè tamen prætor reo iniquus exceptionem addere noluit: qua de caussa tribuni plebis appellari poterant. Cicer. Acad. IV. 30. *Postulat, ut excipiantur hæc inexplicabilia, tribunum aliquem censeo adeant, a me istam exceptionem nunquam impetrabunt.* Corpore vacantis erat: *si paret, usumfructum fundi Servilii esse Mævii, neque Servilius eum uti frui sinat, tum Servilium damnato: si paret, jus eundi, agendi per fundum esse Mævii, neque Servilius eum ire, agere sinat, tum Servilium damnato: si paret, jus ex fundo Servilii aquam ducendi, vel jus versus ædes Servilii altius tollendi esse Mævii, neque Servilius aquam ducere, aut altius tollere sinat, tum Servilium damnato.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula, qua judicium dabatur & postulabatur, erat: *si pateret*, aut *si appareret*, ut, *dabat iste judicium, si pateret, jugera ejusmodi fundi esse plura, quàm colonus esset professus, tum Xeno damnaretur.* Cicer. Ver. III. 22. Item: *quærebant, in quæ verba recuperatores daret: respondebat, si pateret, adversus edictum fecisse.* Cicer. Verr. III. 28. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 5.

Formula judicum, cum caussam non intellexissent, erat: *Sibi non liquere*: atque inde secunda actio instituebatur. Gell. XIV. 2. *Ut absolverem, inducere in animum non quivi; & propterea juravi mihi non liquere, atque ita judicatu illo solutus sum.* Cicer. pro Clu. c. 28. *Homines sapientes ex veteri illa judiciorum disciplina, qui neque absolvere hominem nocentissimum possent: neque eum, de quo orta esset suspicio, pecunia oppugnatum re incognita condemnare vellent, non liquere dicebant.* Sigon. de Judic. I. 29. Oizel. in Gellium.

Formula jurisjurandi. V. illam supr. in *Ex animi tui sententia.* Per Jovem lapidem traditur à Festo: *Lapidem silicem tenebant juraturi per Jovem, hæc verba dicentes: si sciens fallo, tum me Diespiter salva Urbe, atque bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem.* Polybius supr. in *Fœdus.* Militaris traditur à Gell. XVI. 4. *In magistratu C. Lelii C. filii consulis, L. Cornelii P. filii consulis in exercitu, decemque millia passuum prope, furtum non facies dolo malo, solus, neque cum pluribus, pluris nummi argentei in dies singulos. Extraque hastam, hastile, lignum, napum, pabulum, utrem, follem, faculam, si quid ibi inveneris, sustulerisve quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, uti tu ad C. Lelium C. filium consulem, L.ve Cornelium P. filium consulem, sive quem ad utrum eorum jus erit, proferes: aut profitebere in triduo proximo, quicquid inveneris, sustulerisve sine dolo malo, aut domino suo, cujum id censebis esse, reddes, uti quod rectè factum esse voles.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1917. F. Brisson. de Form. II. p. 338. Stevvech. in Veget. II. 4. Donat. Dilucid. p. 752....

Formula Kalendarum indicendarum quænam fuerit. V. infr. in *Kalendæ.*

Formula legati testamentarii I. per vindicationem erat: *do, lego, capito, sumito, sive habeto.* II. per damnationem: *heres meus damnas esto dare: dato, facito, heredem meum dare jubeo.* III. sinendi modo: *heres meus damnas esto sinere, Lucium Titium sumere illam rem, sibique habere.* IV. per præceptionem: *Lucius Titius illam rem præcipito.* Ulpian. Institut. c. 24. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1918. *F.*

Formula legis ferendæ erat: *Velitis jubeatis Quirites.* Cicer. pro Dom. c. 40. *Si quid jus non fuit rogari, ejus ea lege nihilum rogatum.* Cic. Cæc. c. 33. *Consules populum jure rogaverunt, populusque jure scivit.* Cicer. Phil. I. 10. jubendæ, vel antiquandæ: *Uti rogas, vel antiquo.* V. supr. in *A*, & infr. in *U.* Sanciendæ: *Ne per saturam abrogari, derogarive jus esto.* Festus. Hotom. de Form. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1918. D.

Formula libandi diis vini quænam fuerit, V. infr. in *Formula sacrificii porcæ.*

Formula literarum ab Imperatoribus ad senatum incolumi exercitu mittendarum erat: *Si vos & liberi vestri valetis, bene est: ego & exercitus valemus.* Cicero persæpè in Epistolis. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1919. *A.*

Formula lustrandi agri erat: *Mars pater te precor, quæsoque, uti sies volens, propitius mihi, domo, familiæque nostræ; cujus rei ergo agrum, terram, fundumque meum suovetaurilia circumagi jussi: uti tu morbos visos, invisosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperiasque prohibessis, defendas, averruncesque: utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire, beneque evenire siris, pastores, pecuaque salva servassis, duisque bonam salutem, valetudinemque, mihi, domo, familiæque nostræ. Harumce rerum ergo, fundi, terræ, agrique mei lustrandi, lustrique faciendi ergo, sicuti dixi, macte hisce suovetaurilibus lactentibus immolandis esto. Mars pater, ejusdem rei ergo, macte hisce suovetaurilibus lactentibus esto. Item cultro facito struem, & fertum uti adsit; inde obmoveto. Ubi porcum immolabis, agnum, vitulumque, sic oportet. Ejusque rei ergo macte hisce suovetaurilibus immolandis esto: nominare vetat Martem, neque agnum, vitulumque. Si minus in omnes litabit, sic verba concipito: Mars pater, si quid tibi in illisce suovetaurilibus lactentibus, neque satisfactum est, te hisce suovetaurilibus piaculo. Si uno, duobusque dubitaverit, sic verba concipito: Mars pater, quod tibi illoc porco neque satisfactum est, te hoc porco piaculo.* Cato de Re rust. c. 141. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1919. *B.*

Formula mancipandi. V. illam supr. in *Emancipatio.*

Formula manumittendi. V. illam supr. in *Formula asserendi in libertatem.*

Formula missionis ignominiosæ. V. illam infr. in *Missio ignominiosa.*

Formula multæ in judicio erat: *ego ei unam ovem multam dico.* Gell. XI. 1. *M. Terentius quando citatus, neque respondit, neque excusatus est, ego ei unam ovem multam dico.*

Ho-

Hotom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. pag. 1920. A.

Formula postulandi judicem à prætore erat: *Judicem, arbitrumve postulo, ut des in diem tertium, sive perendinum.* Cicer. pro Mur. c. 12. *Illud mihi mirum videri solet, tot homines, tam ingeniosos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, utrum diem tertium, an perendinum, judicem, an arbitrum, rem, an litem dicere oporteret.* Sigon. de Judic. 1. 23.

Formula postulantis vindicias quænam fuerit, V. infr. in *Vindicia*.

Formula postumos instituendi erat: *Filius meus heres esto: si filius meus me vivo moriatur, tunc si mihi quis ex eo nepos, sive quæ neptis post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus, nata erit, heredes sunto.* Scævol. l. Gallus 29. ff. de liber. & postum. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1921. C.*

Formula præconii in sacrificiis fuit *hoc age*. V. illam supr. in *Age hoc*. Et *favete linguis*. V. illam supr. in *Favere*.

Formula præconis in senatusconsulto per discessionem quænam fuerit. V. supr. in *Alia omnia*.

Formula præfandi in omnibus rebus erat: *Quod bonum faustum, felix, fortunatumque sit.* Cicer. de Divin. 1. 45. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1921. C.*

Formula precationis, qua in pompæ principio Romani Imperatores triumphantes in Vaticano utebantur, erat: *Dii nutu, & imperio quorum nata & aucta est res Romana, eandem placati, propitiatique servate.* In fine verò Capitolium ascendentes, hæc: *Gratias tibi Jupiter optume maxume, tibique Junoni Reginæ, & cæteris hujus custodibus, habitatoribusque arcis diis lubens, lætusque ago, re Romana in hanc diem, & horam, per manus, quod voluistis, meas servata, bene gestaque: eandem & servate, ut facitis, fovete, protegite propitiati, supplex oro.* Macrob. Sat. 1. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 11. p. 1921. A.*

Formula precationis consularis in consule renuntiando erat: *Quod mihi, magistratuique meo, populo, plebique Romanæ feliciter eveniret, L. Murenam consulem renuntiavi.* Cicer. pro Mur. c. 1. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 11. p. 1921. B.*

Formula pronuntiandæ condemnationis erat: *Videtur fecisse, aut, non jure videtur fecisse.* Festus: *Patravisse videri, pronuntiat magistratus, cum de consilii sententia aliquem capitis condemnaturus est.* In illa non solum crimen commissum, sed etiam pœna sumenda comprehendebatur: e.g. *Videtur vim fecisse, atque eo nomine aqua & igni illi interdico. Videtur provinciam spoliasse, atque eo nomine litem ei æstimandam esse.* Siquidem sic scribit Pompon. ff. de Interdictis: *Iis, qui relegantur, dies excedendi dari à præsidibus solet. etenim moris est, ita pronuntiari: illum provincia illa relego.* Fieri etiam potuit, ut de pœna reticuerit, & ad legem rem rejecerit. Martian. ff. ad S. C. Turpil. *Si pronuntiavit, calumniatus es, condemnavit eum: & quamvis de pœna nihil subjecerit, tamen legis potestas adversus eum exercebitur.* Sigon. de Judic. 11. 22.

Formula provinciæ quænam dicta fuerit, V. infr. in *Jus provinciale*.

Formula quærendi, an possessor auctor sit, erat: *Quando te in jure conspicio, postulo anne fies auctor?* Cicer. pro Cæc. c. 19. *Actio est in actorem præsentem: quando te in jure conspicio, postulo anne fies auctor?* Caj. ff. de rei vindicat: *Qui petitorio judicio utitur, ne frustra experiatur, requirere debet, an is, cum quo instituit actionem, possessor sit, vel dolo desiit possidere.* Sigon. de Judic. 1. 21.

Formula Regis ab Interrege rogandi erat: *Quod bonum, faustum, felixque sit, Quirites, Regem create: ita patribus visum est: patres deinde, si dignum, qui secundus à Romulo numeretur, crearitis, auctores fient.* Liv. 1. 17. Inaugurandi: *Jupiter pater, si est fas, hunc Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, Regem Romæ esse, uti tu signa nobis certa adclarassis, inter eos fines, quos feci.* Liv. 1. 18. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 11. p. 1921. D.*

Formula rei dimittendi erat: *nihil moror*. Liv. iv. 42. *Non videbit, inquit, plebs Romana sordidatos tribunos suos. C. Sempronium nihil moror.* Sigon. de Judic. iii. 13.

Formula rei uxoriæ quænam fuerit. V. supr. in *Formula actionis bonæ fidei*.

Formula relegandi erat: *Illum provincia illa, insulisque ejus relego: excedereque debebit intra illum diem.* Ulpian. l. 7. §. his qui ff. de interd. & releg. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 11. p. 1921. D.*

Formula replicationis erat: *Aut, si mihi mandatum est, ut à te peterem*, l. Itaque 48. de procurat. *Aut si res judicata non sit*, l. 24. de except. rei jud. *Aut si damnatione interposita secundum decretum vendideris*, l. consilio 7. ff. de curat. fur. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1921. E.*

Formula repudii quænam fuerit. V. illam infr. in *Repudium*.

Formula rogandi judicis erat: *Quæ salva fide facere possit.* Cicer. de Offic. iii. 10. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1921. E.*

Formula rogationis de tribunitio magistratu erat: *Si tribunos plebis decem rogabo, si quos minus hodie decem tribunos plebis fecerint: tum, quos sibi collegas cooptassint, ita illi legitimi eadem lege tribuni plebei sint, ut illi, quos hodie tribunos plebei feceritis.* Liv. iii. 64. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1922. A.*

Formula sacrificii porcæ præcidaneæ ante messem describitur à Caton. de Re Rust. c. 135. *Priusquam messem facies, porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet. Cereri porca præcidanea, porcam feminam priusquam hasce fruges condantur, far, triticum, ordeum, fabam, semen rapicium, thure, vino, Jano, Jovi, Junoni præfato. Priusquam porcum feminam immolabis, Jano struem commoveto sic: Jane pater, te hac strue commovenda bonas preces precor, ut sies volens propitius mihi, liberisque meis, domo, familiæque meæ. Ferctum Jovi moveto, & mactato sic: Jupiter te hoc fercto commovendo bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, liberisque meis, domo familiæque meæ; mactus hoc fercto. Postea Jano vinum dato sic: Jane pater, uti te strue commovenda bonas preces bene precatus sum, ejusdemque rei ergo macte vino inferio esto. Postea Jovi sic: Jupiter macte fercto esto, macte vino inferio. Postea porcam præcidaneam immolato. Ubi exta profecta erunt, Jano struem commoveto, mactatoque item uti prius obmoveris. Jovi ferctum obmoveto, mactatoque uti prius feceras. Item Jano vinum dato, & Jovi vinum dato, ita uti prius datum ob struem commovendam, & ferctum libandum: postea Cereri exta, & vinum dato.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 11. p. 1922. C. Brisson. de Form. 1. 32.

Formula salutationis matutinæ erat: *ave*, vespertinæ: *salve*. Dio LXIX. p. 796. V. illum supr. in *Ave*. Patris patriæ. *Quod bonum faustumque sit tibi, domuique tuæ, Cæsar Auguste, senatus te consentiens cum populo Romano consalutat patriæ patrem.* Svet. Aug. c. 58. n. 2. in epistolis: Senec. Epist. 15. *Mos antiquus fuit usque ad meam servatus ætatem, primis epistolæ verbis adjicere: si vales, bene est. Rectè & nos dicimus, si philosopharis, bene est.* Plin. Epist. 1. 11. *Vel solum illud scribe, unde priores incipere solebant: si vales, bene est, ego valeo.* V. supr. in *Epistola*. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 11. p. 1922. A. Lips. ad Senecam.

Formula Scti consulibus quid mandantis erat; *Si eis videatur.* Donat. in Adelph. iii. 5. 1. *Sic honorificè additur verbo, ne, quod imperativo modo pronuntiatur, superbum sit. Deductum est autem à Scti formula. Ubi enim aliquid senatus consulibus injungit, addit: si eis videatur.* Justin. xxxi. 1. 6. *Senatus scripsit Flaminino, si ei videatur, sicuti Macedoniam à Philippo, ita Græciam à Nabide liberet.* Cicer. Phil. ix. 7. *Uterque C. Pansa, A. Hirtius coss. alter, ambove, si eis videbitur, quæstoribus urbanis imperent.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1922. E. de Senat. & Sctis 11. 8. Brisson. de Form. 11. p. 218. Zamosc. de Senat. Rom. 11. 12. Scribendi: *Quid in ea re fieri placeret, de ea re ita censuerunt.* Cicero persæpè. Hotom. de Form. ibid. F. Brisson. ibid. pag. 169. Summi: *Videant*, aut *dent operam consules, ne quid Respublica detrimenti accipiat.* Hoc in atrocioribus negotiis, & aliqua

impendente procella, imò verò cum in maximum periculum, extremumque pænè discrimen adducta videbatur Respublica, decerni consueverat. Et est oltimæ necessitatis semper habita. Liv. III. 4. *Tantumque terrorem incussere patribus, ut, quæ forma SCti ultima semper necessitatis habita est, Postumio alteri consulum negotium daretur, videret ne quid detrimenti Respublica caperet.* Sallust. de Bell. Catil. p. 23. V. illum supr. in *Consul.* Quo uno versiculo satis armatos eos semper fuisse, etiam nullis armis datis, scribit Cicer. pro Mil. c. 26. *Quamquam quis hoc credat, Cn. Pompejum juris publici, moris majorum, rei denique publicæ peritissimum, cum senatus ei commiserit, ut videret, ne quid Respublica detrimenti caperet, (quo uno versiculo satis armati semper consules fuerunt, etiam nullis armis datis) hunc exercitu, hunc delectu dato, judicium exspectaturum fuisse in ejus consiliis vindicandis, qui vel judicia ipsa tolleret?* Lips. de Magistrat. Roman. c. 9. Bud. in Pandect. p. 85. D. Turneb. Adv. XXX. 15. Brisson. de Form. II. p. 211. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1922. E. Casoli Antiq. Rom. II. 9.

Formula sententiæ in actione injuriarum erat: aut *jure fecisse*, aut *non jure fecisse* videri. Hoc est apud Justin. tit. de injur. *Injuria est dicta, iniquitas. Itaque cum prætor, vel judex, non jure, contra quem pronuntiat, injuriam accepisse dicitur.* Hinc nota illa vox Concinnati dictatoris apud Liv. IV. 15. *Se Melium jure cæsum pronuntiare.* Scipionis apud Val. Max. VI. 2. 3. *Sibi Gracchum jure occisum videri.* Brisson. de Form. V. p. 483. Sigon. de Judic. I. 29.

Formula sententiæ in causa exhæredationis erat: *Videtur causas habuisse te exhæredandi.* Plin. Epist. V. 1. 6. *Ego ex consilii sententia, videtur, inquam, Curiane, mater tua justas habuisse causas irascendi tibi.* Sigon. de Judic. I. 29. Brisson. de Form. VII. p. 605.

Formula sententiæ in causa de libertate, & de ventre cognoscendo erat; *Sibi videri hominem, aut liberum, aut ingenuum, aut servum, aut libertum, aut filium ejus esse, aut non.* Sic Ulpian. ff. de liber. caus. *Pronuntiare debebunt judices, servum illius non videri.* Sigon. de Judic. I. 29.

Formula sententiæ in perduellionis damnatum ferendæ erat: *Lictor, colliga manus, caput obnubito, infelici arbori suspendito.* Cicer. pro Rab. c. 4. Liv. I. 26. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1923. A.

Formula sententiæ in privatis litibus pronuntiandæ erat: *Si quid mei judicii est.* Cicer. de Fin. II. 12. *Privatarum litium judices sumus. Nihil enim possumus judicare, nisi quod est nostri judicii. In quo frustra judices solent, cum sententiam pronuntiant, addere: si quid mei judicii est.* Hotom. de Form. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1923. B.

Formula sententiæ, si reus judicis arbitrio non pareret, erat: *Quantum ei debes, redde. Divisioni vestræ stari placet: pro ea parte, quam solvisti creditoribus, accipe.* Pompon. ff. de arbitr. *Sigon. de Judic. c. I. 29.*

Formula servum petendi. V. illam infr. in *Vindicatio.*

Formula sponsione in judicio adversarium provocandi erat; *Ni ita esset.* Hac facta reus petitorem vicissim provocabat hoc modo: *Quando negas, hunc servum meum esse, sacramento te quingenario provoco. Spondesne quingentos, si meus sit?* id est, si meum esse probavero. Cui reus, *spondeo, si tuus sit.* Et si sponsionem recusasset, litem amisisset. Inde restipulans rogabat: *Et tu spondesne quingentos, ni tuus sit?* id est, si probavero, tuum non esse. Cui petitor: *spondeo, ni meus sit.* Atque hoc nisi fecisset, litem amisisset. *Sigon. de Judic. I. 21. Brisson. de Form. V. p. 369.*

Formula sponsionis erat: *Quod à Flavio abstulero, partem dimidiam inde Roscio me soluturum spondeo.* Cicer. pro Q. Rosc. c. 18. In arbitrio: *Ni vir bonus sit.* Cicer. Offic. III. 19. In judicio: *Ni te Apronius in decumis socium esse dicat.* Cicer. Ver. III. 57. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1923. D.*

Formula stipulandi erat: *Spondes? spondeo: promittis: promitto: fidejubes? fidejubeo: dabis? dabo: facies? faciam.* Justin. §. 1. de verb. oblig. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1923. D.*

Formula stipulationis in emptione boum, aut juvencorum traditur à Varr. de Re Rust. II. 5. *Eos cum emimus domitos, stipulamur sic: illosce boves sanos, noxisque præstari? Cum emimus indomitos, sic: illosce juvencos sanos recte, deque pecore sano esse, noxisque præstari spondesne?* caprarum à Varr. de Re rust. II. 3. *Illas capras hodie recte esse, & bibere posse, habereque recte licere, hæc spondesne?* ovium à Varr. de Re rust. II. 2. *Cum emptor dixit, tanti mihi sunt emptæ? & ille respondit, sunt, & expromisit nummos, emptor stipulatur prisca formula sic: illasce oves, quâ de re agitur, sanas recte esse, uti pecus ovillum, quod recte sanum est extra luscam, surdam, minam, id est, ventre glabro; neque de pecore morboso esse, habereque recte licere: hæc si recte fieri spondes?* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græc. Tom. II. p. 1923. E. Brisson. de Form. VI. p. 491. Rævard. Protribun. c. 10.

Formula suffragii, cum rogatio accipiebatur, erat: *Uti rogas, jubes.* Liv. XXXI. 8. *Ab hac oratione in suffragium missi, uti rogarat, bellum jusserunt.* XXXVIII. 54. *Remittentibus ergo his intercessionem, omnes tribus, uti rogasset, jusserunt.* Et XXXIII. 25. V. illum infr. in *Tribus.* Brisson. de Form. II. p. 133. An hæc *formula* semper à Livio expressa sit, & ubicunque exstat, *uti rogarat, uti rogasset* scribendum, *uti rogas*, inter se disputant *Sigonius & Gronovius ad Liv.* XXXI. 8.

Formula tabularum nuptialium erat: *Liberorum quærendorum, vel suscipiendorum, vel procreandorum causa.* Ennius in Cresphonte apud Festum in Quæso:

Ducit me uxorem liberorum sibi quæsendum causa.

Suet. Jul. c. 52. nu. 5. *Uti uxores liberorum quærendorum causa duceret.* Tacit. Annal. XI. 27. 2. *Adhibitis qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa convenisse.* August. de Civ. Dei XIV. 18. *Quod concubitus conjugalis, qui secundum matrimonialium tabularum præscripta, procreandorum sit causa liberorum.* Et hic est verus conjugii finis. Et femina nubit, ut mater fiat. Et hinc matrimonium omnis causa dictum. Apud Athenienses *legitima conjunctio ad seminandos liberos dicitur fieri.* Isidor. Pelus. Epist. III. 243. Menander etiam pulcrè apud Clement. Alex. Strom. II. p. 421. A.

Ad seminandos liberos tibi trado
Meam filiam.

Brisson. de Form. VI. p. 542. Lips. in Tacit. n. 107. Merul. in Ennium. Pitisc. in Svetonium.

Formula templi concipiendi traditur à Varr. de Ling. Lat. VI. 2. *Concipitur templum verbis, non iisdem usquequaque. In arce ita: testaque mota sunto, quoad ego eas relinquam, nuncupavero. Olla ver arbor, quicquid est, quod me, septio dixisse, templum tectumque ferto in dextrum: Interea conrectione, conspicione, cortumione, utique ea rectissime sensi.* Brisson. de Form. I. p. 222. Hotom. de Form. Thes. Ant. Rom. Græ. Tom. II. p. 1924. A.

Formula testamenti nuncupati erat, ut traditur ab Ulpi. Instit. c. 20. *hæc uti in his tabulis, cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor. Itaque vos Quirites, testimonium præbetote.* Hotom. de Form. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1923. F. Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom. I. 12.

Formula Vestalis capiundæ erat: *capio te Amata.* Gell. I. 12. *Sacerdotem Vestalem, quæ sacra faciat, quæ jus siet sacerdotem Vestalem facere, pro populo Romano Quiritium, uti quæ optima lege fiat, ita te Amata capio.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1924. C. Brisson. de Form. I. p. 118.

Formula voti concipiendi traditur à Liv. V. 21. *Tuo ductu, Pythice Apollo, tuoque numine instinctus pergo ad delendam urbem Vejos: tibique hinc decimam partem prædæ voveo: te simul, Juno Regina, quæ nunc Vejos colis, precor, ut nos victores in nostram, tuamque mox futuram urbem sequare: ubi te dignum amplitudine tua templum accipiat.* Hotom. de Form. p. 1924. E. Brisson. de Form. I. p. 96. De vere sacro ab eodem XXII. 10. *Velitis, jubeatisne hoc sic fieri, si res populi Romani Quiritium ad quinquennium proximum, sicut velim eam, servata salva erit hisce duellis, datum donum duit populus Romanus Quiritium, quod duellum populo Romano*

ne cum Carthaginensi est, quaque duella cum Gallis sunt, qui cis Alpes sunt: quod ver attulerit ex suillo, ovillo, caprino, bovillo grege, quaque profana erunt, Jovi fieri, ex qua die senatus populusque jusserit. Qui faciet, quando volet, quaque lege volet, facito: quomodo faxit, probè factum esto. Si id moritur, quod fieri oportebit, profanum esto; neque scelus esto, si quis rumpet, occidetve insciens, ne fraus esto. Si quis clepsit, ne populo scelus esto, neve cui cleptum erit. Si atro die faxit insciens, probe factum esto. Si ante id ea senatus populusque jusserit fieri ac faxit, eo populus solutus, liber esto. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1924. C. Brisson. de Form. I. p. 97. Lomej. de Lustrat. c. 6.

FORMULARII dicti sunt advocati, quod *formulas* actionum componere solerent. Val. Max. VI. 2. 12. *Aulus Cascellius vir juris civilis scientia clarus, quàm periculosè contumax! Nullius enim aut gratia, aut auctoritate compelli potuit, ut de aliqua earum rerum, quas triumviri dederant, formulam componeret. Formularios* illos vocat Quintil. XII. 3. *Formularii, ac, ut Cicero ait, leguleji quidam esse maluerunt.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. 1. Turneb. Adv. IV. 5. Bud. in Pandect. p. 36. K. Pollet. For. Rom. II. 2.

FORNACALIA erant sacra, quæ pro universo populo farris torrendi gratia celebrabantur. Festus; *Fornacalia feria instituta sunt farris torrendi gratia: quod ad fornacem, quæ in pistrinis erat, sacrificium fieri solebat. Fornacalia sacra erant, cum far in fornaculis torrebant.* Illa instituit Numa Pompilius. Plin. XVIII. 2. *Is,* Numa, *& Fornacalia instituit, farris torrendi ferias.* Et induxit curio maximus. V. Ovidium supr. in *Feria stultorum.* Alex. Gen. III. 12. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 4. Lipen. de Stren. c. 4. §. 70. Bud. in Pandect. p. 117. K. Perion. de Magistrat. Græcor. & Roman. III. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2809. A. Laurent. var. sacr. gentil. c. 1. & 14. Stuck. de Sacrif. p. 148. Gyrald. Synt. deor. I. p. 41. B. XVII. p. 493. F. Voss. de Idolol. II. 61. & Lex. Etymol. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 430. Hospin. de Orig. Fest. p. 106. Rosin. Ant. Rom. IV. 6. Popm. de Oper. Serv. p. 142.

FORNACARIUS, sive *fornacator* erat servus, qui *fornacem* balnei, & caminum succendebat. Paull. l. 14. ff. de Instruct. vel instrum. legat. *Continetur autem & fornacator.* Turneb. Adv. VIII. 9. Baccius de Therm. vet. c. 9. Pignor. de Serv. p. 534. Guther. de vet. jur. Pontif. III. 4. Pancitoll. Notit. dignit. imp. occid. c. 12. Mercur. de Art. Gym. I. 12. Popm. de Oper. Serv. p. 142. Hering. de Molend. q. 4. §. 56. *Fornacarium* tamen & *fornacatorem* diversos, ac separatos esse tentari potest. *Faber. Semestr.* II. 12. Erat enim *fornacarius* idem qui pistrinarius, vel pistor. *Bud. in Pandect. p. 117. K. Voss. Lex. Etymol.* Ego tamen nihil hac de re statuo. *Gyrald. Synt. deor. I. p. 41. C.*

FORNAX est dea existimata, quoniam ante triticum, & ejus usum farra *fornacibus* torrebantur. Ovid. Fast. II. 525.

Facta dea est fornax: læti Fornace coloni
Orant, ut fruges temperet illa suas.

Lactant. I. 20. *Quis non rideat Fornacem deam, vel potius doctos viros celebrandis Fornacalibus operari?* Gyrald. Synt. deor. I. p. 41. A. Voss. de Idolol. II. 61. & Lex. Etymol. Lipen. de Stren. c. 8. Stuck. de Sacrif. p. 35. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 152.

FORNICARIA dicta est meretrix, quæ sub *fornice* prostare solet. Isidor. X. Glossæ veteres: *Fornicaria, πορνὴ ἀπὸ καμάρας, ἡ ἑταίρα. Voss. Lex. Etymol. Brisson. de Jur. connub. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. pag. 1067. A.*

FORNIX vocabatur tectum, si esset simile hemicylindro, hoc est, rotundum & oblongum, ad modum navis. *Voss. Lex. Etymol.*

Fornix arcus triumphalis quare fuerit dictus. V. supr. in *Arcus triumphales.* Exstruebatur in memoriam rerum à triumphalibus viris gestarum, quasi monumentum victoriæ. Cicer. de Orat. II. 66. *Etiam illa ridentur, quæ minuendi, aut augendi causa ad incredibilem admirationem efferuntur: velut te Crasse in concione, ita sibi ipsi magnum videri Memmium, aut in forum descendens, caput ad fornicem Fabii demitteres.* Bud. in Pandect. p. 194. F.

Fornix Fabianus *est arcus juxta regiam, in Sacra via, à Fabio censore constructus, qui à devictis Allobrogibus Allobrox cognominatus est, ibique statua ejus posita propterea est.* Ascon. in Cicer. p. 49. V. supr. in *Arcus Fabianus.*

Fornix Septimii, quamvis semiustus, ac dirutus ad hanc usque ætatem ad Capitolii radices initio fori è regione templi D. Mariæ est. Is fuit Septimii Severi, quem cæteris omnibus Romanis pulcritudine longè præstitisse commemorant. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 11: III. 7. V. illum supr. in *Arcus.*

Fornix Stertinii à Stertinio est positus in foro Boario. Liv. XXXIII. 12. *L. Stertinius ex ulteriore Hispania, ne tentata quidem triumphi spe quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit, & de manubiis duos fornices in foro Boario ante Fortunæ ædem, & matris Matutæ, unum in maximo circo fecit, & his fornicibus signa aurata imposuit* 263. Castal. de Column. triumph. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1945. C. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 18. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 8.

FORS FORTUNA differt à *Fortuna.* Donat. Phorm. V. 6. 1. ubi Terentius ipse, *ò Fortuna! ò Fors Fortuna! Fortuna dicta est incerta res: Fors Fortuna, eventus Fortunæ bonus.* Et *aliud Fortuna est, aliud Fors Fortuna: nam Fors Fortuna est, cujus diem festum colunt, qui sine arte aliqua vivunt: hujus ædes trans Tiberim est.* Ut in antiquis fastis, & apud Ovid. Fast. VI. 773.

Quàm citò venerunt Fortunæ Fortis honores!
Post septem luces Junius actus erit.
Ite, deam læti Fortem celebrate Quirites:
In Tiberis ripa munera Regis habet.

Ortel. Deor. & dear. cap. Fig. XLII. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 136. Perizon. Triad. Dissert. III. p. 244. VIII. Kal. Quint. ejus festum celebrabatur. Varro, qui in festis denarrandis mensium ordinem servat, de Ling. Lat. V. 3. & Servium Tullium auctorem facit his verbis: *Dies Fortis Fortunæ appellatus ab Servio Tullio Rege, quod is fanum Fortis Fortunæ secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Junio mense.* Perizon. de Græc. & Rom. magistr. III. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2813. B.

FORTUNA & fatum in suarum rerum eventu à sapientioribus inter paganos plerumque statuebantur. Fatum deorum, *fortuna* hominum respectu. Quicquid accidebat, à diis semel & certò decretum fati lege necessariò fieri non ignorabant. Sed cum homines extra cœli & deorum consortium positi, & futurorum ignari sæpè præter exspectationem, & contra votum eventa experirentur, casum & *fortunam* comminisci, atque huc omnia referre necesse habuerunt. Sic fatum in diis, & *fortunam* in hominibus simul conjunxit Juven. Sat. X. 349.

Nam pro jucundis aptissima quaque dabunt dii,
Carior est illis homo quam sibi. Nos animorum
Impulsu, & cæca magnaque cupidine ducti
Conjugium petimus, partumque uxoris: at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit uxor.

Ex fato conjugia diis nota, hominibus ignota, & proinde apud eos *fortuna.* Idem ibid. n. 366.

—— nos te,
Nos facimus fortuna deam, cœloque locamus.

Fortuna in cœlo dea non est, sed fit in terris. Fit autem ex ignorantia mortalium, qui nec bona, nec mala sua ante eventum certo possunt explorare, & propterea fingunt, quod non est, quasi ex eo fit, quod est. *Boxhorn. Quæst. Rom. 4. Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 456.* Inter communes, sive publicos deos habebatur. Unde & omnipotens, & publica appellatur in Inscriptionibus antiquis, quod illa non aliter, atque Jupiter ipse, nihil à providentia sua, curaque alienum habeat. *Boxhorn. ibid. q. 1.* Ejus statuam Bupalus sculptor primus omnium Smyrnæis fecit, polum capite sustinentis, manuque Amaltheæ cornu ad declarandum illius bona. Clavus eidem tribuitur, vel ad significandam ejus firmitatem, vel ad exprimendam vim, & potentiam necessitatis, quæ *fortunam* sæpissimè comitatur juxta Hor. Od. I. 35. 17.

ping. Antiq. Roman. iv. 1. §. 1. Hering. de Molend. q. 4. §. 56.

FOCULUS, qui in mensam cum obsoniis inferebatur, ne quid intepesceret, fuit inter vasa coquinaria. Aristoph. Acharn. iv. 1. 28.

—— famuli efferte huic illicet
Foculum mihi.

Buleng. de Conviv. iv. 9. Senec. Epist. 78. *Quia non circa cœnationem ejus tumultus coquorum est, ipsos cum obsoniis focos transferentium. Hoc enim jam luxuria commeata est. Ne quid intepescat cibus, ne quid palato jam calloso parum ferveat, cœnam culina persequitur.* Buleng. ibid. Prolus. 11. Laurent. de Fistul. & tintinnab. c. 4. Turneb. Adv. vii. 22.

FOCUS erat in coquinis. Arnob. iv. p. 130. *Et quid, quæso, ut faciat præsidatum focorum, deus iste sortitus est? per humani generis coquinas currit, inspiciens, & explorans, quibusnam lignorum generibus ardor in foculis excitetur.* Pignor. de Serv. p. 514. Erat sacer Laribus. Unde *focum* olim dixerunt *foculare*, quasi Laris focum. *Tomas. de Donar. c. 8. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 6.* Quibus in illo seponebant ollas peculiares olerum, quas Laribus sacras tangere nefas erat, tanta superstitione colebantur. Prudent. Περὶ Στεφ. x. 261.

Fuliginosi thure placantur Lares,
Et respuuntur consecrata oluscula;
Aut unde major esse majestas focis,
Quàm nata in hortis sarculatis creditur:
Si numen ollis, numen & porris inest.

Barth. Adv. xli. 21. In luctu non instruebatur. Juven. Sat. iii. 214.

Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.

Ubi vetus interpres: *Nec focum in domo nostra fieri patimur, quod & lugentes observare solent.* Apul. Met. ii. p. 58. *Abi fatue, qui in domo funesta cœnas & partes requiris, in qua tot jugis jam diebus ne fumus quidem visus est ullus.* Ejus rei hæc ratio est. Ut ipsi ornatum ponebant; ita ædes quoque suas ponere voluerunt: nam ignem veteres magnum earum ornamentum censebant. Hinc illud Homeri Epigramm. xiii. 5.

At lucente domus multo est augustior igne.

Atque tum *focus noxius* dicebatur. Quintil. Declam. xii. *Redite in domus vestras, videbitis noxios focos, & ignes tabe cadaverum exstinctos.* Huc alluditur à Poetis, cum optant *focum perennem*, ut Mart. x. 47. 4. aut *focum pervigilem*, ut Stat. Sylv. iv. 5. 13. aut *ignem assiduum*, ut Tibull. 1. 1. 6. Quo significant, velle se à diis, ne exstinguere *focum* unquam debeant, id est, ut vivant sine funere domestico, à luctu. *Meurs. de Fun. c. 49. Kirchm. de Fun. Roman. iv. 11. Morestell. Pomp. Feral ix. 7. Florid. in Apulejum.*

FOED.

FOEDUS differt à pactione. V. infr. in *Pactio*; & à sponsione. V. infr. in *Sponsio*. Est pactio quædam civitatis, non ea Imperatoris arbitrio, sed jussu populi, aut senatus auctoritate firmata; neque ad tempus, sed in perpetuum; neque per sponsores, datis obsidibus, sed per fecialem publicum populi Romani nuntium, sollenni precatione adhibita: *per quem populum fiat, quo minus dictis legibus stetur, ut eum Jupiter ita feriat, quemadmodum a fecialibus porcus feriatur.* Quod potest cognosci ex formula *fœderum* feriendorum nobis tradita à Liv. 1. 24. Porcus enim, sive porca à *fœdus* ferientibus silice percutiebatur. V. infr. in *Porca*. Quamvis & alia *fœderis* feriendi ratio fuerit illata, ut sæpè non porcus feriretur, sed lapis abjiceretur. Polyb. iii. 25. *Romani Jovem lapidem jurarunt ex veteri quodam ritu. Mos autem jurandi Jovem lapidem est hic. Fecialis lapidem tenens ita ait: si sine dolo malo ago, bonis afficiar: si sciens fallo, cæteris omnibus salvis in suis civitatibus, legibus, laribus, delubris, sepulcris, solus ego concidam, ut lapis è manibus meis decidet: nec plura locutus manu lapidem abjicit.* Sigon. de Antiq. jur. Ital. 1. 1. Stuck. Antiq. Conviv. 1. 30. Brisson. de Form. iv. p. 356. Valtrin. de Milit. Rom. vi. 11. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. ii. p. 1917. F. Etiam invaluit ille mos, ut aræ & sacra in fidei pignus tangerentur. Virg. Æneid. xii. 201.

Tango aras, mediosque ignes, & numina testor,
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet,
Quo res cunque cadent.

Berthald. de Ara c. xiii. n. 2. Et *fœderis* pacta à patre patrato, qui illi feriundo præerat, jurejurando firmarentur. Ejus formula inter Romanos & Albanos legitur apud Liv. 1. 24. *Fecialis M. Valerius patrem patratum Sp. Fusium fecit; verbena caput capillosque tangens (pater patratus ad jusjurandum patrandum, id est, sanciendum fit) fœdus multis verbis peragit. Legibus deinde recitatis: audi Jupiter .... populus Romanus prior non deficiet. Si prior defecit publico consilio, dolo malo, tu illo die Jupiter populum Romanum sic ferito, ut ego porcum hunc hodie feriam. Sua item carmina Albani, suumque jusjurandum per suum dictatorem, suosque sacerdotes peregerunt.* Et dextræ jungerentur. Virg. Æneid. 1. 518.

Lætitiaque metuque avidi conjungere dextras.

Stat. Theb. 1. 470.

Jam pariter coeunt amborum in pignora dextræ.

Hansen. de Jurejur. vet. c. 10. Sollenne fuit Romanis, ut tantum ante meridiem illa inirent, & confirmarent. Quem ritum boni ominis causa institutum crediderim. Quemadmodum ad id plerumque Romani in agendis rebus attendebant. *Boxhorn. Quæst. Roman. c. 44. Stuck. l. l.* Ad securitatem in templis deponerentur. Ita *fœdus* Smyrnæorum & Magnetum, ad majestatem Seleuci Asiæ regis tutiùs conservandam, columnis singulis incisum, & in fano Veneris Stratonicidis, alibique, apud utramque Rempublicam ex pacto factarum. *Tomas. de Donar. c. 24.* Scelerato sanciendo sanguis humanus adhibebatur. V. infr. in *Sanguis*. Illis sceptrum adhibebatur. V. infr. in *Sceptrum*.

FOEN.

FOENERATORES stabant ad Janum. Acro ad Horat. Sat. ii. 3. 18. *Jani statuæ tres erant; ad unam illarum solebant convenire creditores, & fœneratores, alii ad reddendum, alii ad locandum fœnus.* Epist. 1. 1. 11. *Duo Jani ante basilicam Paulli steterunt, ubi locus erat fœneratorum. Janus dicebatur locus, in quo solebant convenire fœneratores.* Fuere hi ad arcum Fabianum, adeoque non longè à Puteali Libonis, & basilica Paulli. Hinc de usurarum debitoribus Ovid. de Rem. Amor. ii. 561.

Qui puteal, Janumque timet, celeresque Kalendas.

Nardin. Rom. Vet. v. 7. Land. Misc. in vet. numism. Misc. Ital. Erud. Tom. 1. p. 365. V. & infr. in *Taberna nova*. Quando debita exegerint. V. infr. in *Kalenda*.

FOENILIA *extra villam facienda videntur, ut ab ignis periculo villæ sint tutiores.* Vitruv. vi. 9. Idem jubet Pallad. 1. 31. *Fœni, palearum, ligni, cannarum repositiones nihil refert, in qua parte fiant, dummodo sicca sint, atque perflabiles, & longe removeantur à villa propter casum surripientis incendii.* Et hoc legibus locationum consueverat aliquando exprimi. Ulpian. l. 11. §. 4. *Inter conductorem & locatorem convenerat, ne in villa urbana fœnum componeretur.* Pignot. de Serv. p. 553.

FOENISECA *fœnum* secat. Colum. ii. 18. *Tum fœnisecam messorem oportet inducere.* Ejus insigne fuit corona è *fœno*. Ovid. Met. xiv. 646.

Tempora sæpè gerens fœno religata recenti,
Desectum poterat gramen versare videri.

Prop. iv. 2. 25.

Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno:
Jurabis nostra gramina secta manu.

Pignot. de Serv. p. 554. Popm. de Instrum. fund. p. 12. Cum enim istis, quæ vulgò ferunus, carerent capitiis & pileis: sed vel nudo capite essent, vel caput cucullo vestis operirent: idcircò in magno æstu qui *fœnum* secabant, adversus ardorem solis caput totto *fœno* tegebant. *Turneb. Adv.* xxiii. 6.

FOENUM alligare cornibus cornupetarum boum solebant veteres: ut obviam prodeuntes cavendum sibi admonerentur. Quo respexit Horat. Sat. 1. 4. 34.

Fœ-

Fœnum habet in cornu: longum fuge.

Et M. Craſſus ob animi impotentiam, & ferocitatem *fœnum* in cornu habere dictus eſt. Nam cum Sicinius, *qui plurimum negotii ſui temporis magiſtratibus, atque ducibus populi exhibuit, rogaretur, quid unum non laceſſeret Craſſum, ſed hunc omitteret, reſpondit: fœnum habet in cornu.* Plutarch. in Craſſ. p. 547. C. Qui etiam addit: *ſolent Romani bobus cornu petentibus, quo obvii ſibi caverent, cornu fœno circumligare.* Eraſm. Adag. p. 584. b. Salmuth. in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 372. Torrent. in Horatium.

Fœnum cordum dictum eſt, quod ſerò naſceretur, aut matureſceret. *Auguſtin. de Legib. in Mucia.* V. ſupr. in *Cordus.*

Fœnum Græcum irritandæ gulæ pro antecœna fuit. *Buleng. de Conviv.* II. 63. Illo callidè in Romanos uſus eſt Joſeph. de Bell. Jul. III. 10. Cum enim Jotapata, cui præerat, acriter oppugnaretur, & pontibus per aggerem admotis, in eo eſſet, ut tranſcenderent: *fœno Græco elixo juſſit tabulas pontium inſpergi, & ſuperfundi: quare illi lapſantes, & caſabundi, incerto veſtigio vacillabant, adeo ut nec regredi poſſent, aliique ſuper ipſos pontes reſupini caderent, alii in aggeres delaberentur.* Lipſ. Poliorc. v. Dial. 3. Laurent. Polym. IV. Syn. 2. §. 10. Thyſ. de Oppugn. Urb. v. p. 190.

FOENUS eſt res ipſa, quæ mutuo data eſt ſub uſuris, æs alienum ſub uſura contractum. Si aliquando uſuram pecuniæ creditæ ſignificat, hoc fit impropriè. *Salmaſ. de Uſur. c.* 2. Si *fenus* eſſet uſura propriè, nunquam pro mutuo ipſo *fœnebris* uſurpatum eſſet: ut nec uſuram uſquam legimus pro mutuo uſurario uſurpatam. *Salmaſ. ibid. c.* 5. Sed hoc argumentum fallax eſt, & improbum. Neque enim neceſſe eſt, quæ una parte conveniunt, ea per omnia convenire. Ut amnes duo, jugis propinquis ſcaturientes, eſt ubi coeant & miſceantur, eſt ubi divortiis in remotiſſima diſcedant: ſic his vocabulis junctum & commune eſt, quod ambo ſignificant acceſſionem crediti: *fœnus* interim abit ab uſura, eaque latiùs patet, quum ſub ipſo credito ſub uſuris, ſive ſorte ponitur; uſura exſpatiatur à fœnore, eoque latiùs patet, quum etiam ex mora, cauſiſque ex aliis quàm ex credito accreſcens explicat. *Fœnus* itaque pro uſura juxta propriè, juxta antiquè dicitur. Cujus rei ratio ut appareat, ſic procedendum eſt. Πονεῖ, vel πόνος, φοῖνος, φοῖνορ, *fœnor, fœnoris, & fœner fœneris,* & tandem *fœnus fœnoris*, vel *fœneris*, eſt, quod rependitur. Quod autem rependitur, vel tantundem eſt, quanti expenſum; vel uberius expenſo, ampliuſque; vel minus, & in anteceſſum datum, ut lætior exſpectet, ſuſtineatque, à quo accepimus, donec omne poſſit exſolvi. Ut ille apud Virg. Ecl. VII. 35.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fetura gregem ſuppleverit, aureus eſto.

Hinc igitur *fœnus* & ſors eſt ſpe uſurarum data, ubi opus eſt, alio vocabulo, vel appoſito, vel intellecto uſuras ſignificante; & ſors eſt ſimul cum uſuris; & uſura ſola, ubi opus eſt, alio vicino, vel intellecto vocabulo ſignificante ſortem. *Gronov. Manuſſ. pecun. Vet. c.* 1. *Noodt de Fœnor. & uſur.* 1. 3. Abolitum eſt lege Genuccia. Liv. VII. 42. *Præter hæc invenio apud quoſdam, L. Genucium tribunum plebis tuliſſe ad populum, ne fœnerari liceret.* Hoc reſpexit Appian. Bell. Civ. 1. p. 382. *Dum quidam acerbius uſuras exigunt, contra quàm cautum eſſet antiquis legibus. Videntur enim priſci illi Romani, ſicut & Græci abhorruiſſe à fœnere. Et vetitam poſtreme uſuram* dixit Tacit. Annal. VI. 16. 2. Gronov. de Centeſ. uſur. Ἀντεξηγ. III. §. 25. Cato de Re ruſt. præf. *Eſt interdum præſtare mercaturis rem quærere, ni tam periculoſum ſiet; & item fœnerari, ſi tam honeſtum ſiet. Majores enim noſtri ſic habuerunt, & ita in legibus poſuerunt; furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Quanto pejorem civem exiſtimarunt fœneratorem quàm furem, hinc licet exiſtimari.* Ejuſdem reſponſum laudatus à Cicer. de Offic. II. 25. Nam cum quæreretur ab eo, an maximè in re familiari expediret *fœnerari*, reſpondit: an hominem occidere? nihil intereſſe exiſtimabat hominem gladio, aut fœnore occidere. *Auguſtin. de Legib. in Genucia. Sigon. l. l. Gronov. de Pecun. vet.* III. 14. V. & infr. in *Uſura*. Et in *fœnus* invehuntur præter hos, Ariſtoteles, Seneca, Lactantius, Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & juris Canonici auctores, ejuſdemque interpretes apud *Noodt ibid. c.* 4. Sed humanæ conjunctioni non adverſari, ſed convenire docet *idem ibid. c.* 6. & adverſariorum argumenta refutat *ibid. c.* 7–12. Ratio, quare permiſerint decemviri aliquod *fœnus*, hæc eſt: quia vix videtur ſine eo conſiſtere poſſe civilis ſocietas, & communicatio officiorum, & commerciorum. Nam quotuſquiſque reperitur, qui detracta ſpe lucri, & acceſſionis ex *fœnore*, mutuam alteri pecuniam dare velit? *Rittersh. in Leg. XII. tab. Claſſ.* III. *p.* 2. *c.* 29. De vetanda verſura rogationem tuliſſe Genucium, nihil eſt fortaſſe quod vetet credi; ſed legem illam obſervatam diu fuiſſe non eſt credibile. *Salmaſ. de Mod. uſur. c.* 7.

Fœnus aſſarium. V. illud ſupr. in *Aſſes uſuræ*, & infr. in *Uſura centeſima.*

Fœnus ſemunciarium. }
Fœnus unciarium. } V. illa infr. in *Uſura centeſima.*

FOL.

FOLIS, ſive *follis* eſt pecunia minuta Græcis ac Latinis, qui dicitur in Evangelio quadrans, χοδράντης, Arabibus φόλις, Græcis ὀβολὸς χαλκοῦς. *Foles* ærei primo, deinde argentei. Κεράτια Græci vocant *foles*, unde δικεράτιον, *duo foles*, tributum pro reficiendis Urbis muris. Cedren. in Leon. Iconom. *Cum vidiſſet Imperator mœnia Urbis prolapſa, dixit, vos cives non poteſtis mœnia Urbis reſtituere, ſed imperavimus diſpenſatoribus, & magiſtris thematum, ut peterent in canonem ad nummum miliareſium unum, quod in palatium inferretur ad mœnia reparanda. Unde mos invaluit, ut adminiſtratoribus bini foles penderentur.* Æſtimatio illorum eſt diverſa apud auctores, quia alii erant ærei, alii argentei. *Buleng. de Vectig. c.* 58. *Salmaſ. ad Spartian. Adrian. c.* 3. *Caſaub. & Salmaſ. ad Lamprid. Heliog. c.* 22. *Scalig. de Remm. ant. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1526. *C. Gronov. de Pecun. vet.* II. 6: IV. 16. *Panciroll. Not. Dignit. Imp. Orient. c.* 30. *Savott. de Numm. Ant.* III. 16. *Hotman. Antiq. Roman.* IV. 2. 32. *Petav. in Epiphan. de Menſur. & ponder. p.* 433.

Folis etiam erat tributum à Conſtantino magno impoſitum, quod pro facultatibus ſolvebant viri clariſſimi. Zoſim. II. *Deſcripſit facultates clariſſimorum vectigali impoſito, quem folem vocavit.* Buleng. de Vectig. c. 58. Et de illo plurima Petav. in Epiphan. de Menſur. & ponder. pag. 432.

FOLLIS erat pila magna ex aluta confecta, ſoloque vento repleta. Quæ, ſi major erat, brachiis impellebatur, & ſimpliciter interdum pila nuncupabatur. Varro apud Non. II. 781. *Purgatum ſcito, quoniam videbis Romæ in foro ante januas pueros pila expulſim ludere.* Prop. III. 12. 5.

Cum pila veloces fallit per brachia jactus.

Interdum pila velox. Horat. Sat. II. 2. 11.

—— ſeu pila velox
Molliter auſterum ſtudio fallente laborem . . .

Si verò minor, pugnis ejiciebatur, atque *follis pugillaris* vocabatur. Plaut. Rud. III. 4. 16.

—— extemplo hercle ego te follem pugillatorium
Faciam.

Interdum hanc eandem pilam *folliculum* appellatam credo, ſicuti à Svetonio Aug. c. 83. n. 1. quem hoc pilæ ludo valdè delectatum narrat. Mar. IV. 19. 7. *plumea* dixit *pondera follis*. V. illum ſupr. in *Endromes*. non quod pluma repleretur, ſed ob *follis* levitatem, cujus gratia neque pueri, neque ſenes alioqui imbecilles inter ludendum vel nimium quid defatigabantur. Et propterea idem XIV. 47.

Ite procul juvenes, mitis mihi convenit ætas:
Folle decet pueros ludere, folle ſenes.

In pulverulento ſolo hæc exercitatio fiebat, & nullis lapidibus, aut lateribus ſtrato, ne laberentur pedibus ludentes:

tes: &, si fortè lapsi essent, ex casu damnum non paterentur. Quanquam etiam fieri potuit, ut pavimento luderent, sed pulvere humili & exiguo illud aspergeretur, ita ut pilam resilire non impediret, atque ludentium pedes magis firmarentur. Mart. xii. 84. 1.

Effugere è thermis, & circa balnea non est
Menogenen, omni tu licèt arte velis.
Captabit tepidum dextra lævaque trigonem,
Imputet exceptas ut tibi sæpè pilas.
Colliget, & referet lapsum de pulvere follem.

Mercur. de Art. gymnast. ii. 5. Mag. Miscell. 1. 11. Buleng. de Lud. vet. c. 9. Souter. Palam. iii. 4. Voss. Lex. Etymol. in Follis. Grapald. de Part. dom. ii. 4. 6. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. 11. 1. Laurent. Polym. iv. Synops. 8.

Follis etiam pulvillus dicebatur, qui sedentibus subjiciebatur, non tomento, aut pluma infarciebatur, sed vento implebatur. Lamprid. Heliog. c. 25. *Multis vilioribus amicis folles pro accubitis sternebat, eosque reflabat prandentibus illis, ita ut plerumque subitò sub mensis invenirentur prandentes.* Casaub. ad Lampridium. Chimentell. de Hon. bisell. c. 28. Rhodig. Ant. Lect. xxvi 11. 8. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. pag. 236. Grapald. de Part. dom. ii. 6. 4.

Follis saccus quoque dicebatur. Veget. ii. 20. *Denique decem folles, hoc est, decem sacci per cohortes singulas ponebantur, in quibus hæc ratio condebatur.* Glossar. vet. Πήρα, *mantica, follis.* Et de bene nummato Juven. Sat. xiv. 281.

—— & tenso folle reverti
Inde domum possis.

Ubi vetus interpres: *ut pleno sacculo revertaris.* Et *follitim ductitare* Plaut. Epid. iii. 2. 15. est bene nummatum deludere, tanquasque à *follibus* pecunias exhaurire, quantæ vel prodigo amanti satis esse possunt. *Voss. Lex. Etymol. Stevvech. in Vegetium. Guther. de Jur. man.* iii. 10. *Schol. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. *p.* 1179. *A. Colv. in Apulej. p.* 59. *Gronov. de Pec. vet.* iv. 16.

Follis suscitabulum etiam est ignis, sive instrumentum, quo spiritu intervenienre ignis suscitatur. Virg. Æneid. viii. 449. V. illum supr. in *Flator.* Hoc utuntur argentariæ, & ferrariæ officinæ: utuntur & coqui, sed parvulo, ne opus sit ignem buccis insufflare. Primus Anacharsis Scytha philosophus *folles* ignis suscitatores invenit, Strab. vii. p. 209. *Grapald. de Part. dom.* ii. 4. 6.

FON.

FONTES erant in ambulacris. Suet. Aug. c. 82. n. 2. *Æstate apertis cubiculi foribus, ac sæpè in peristylio saliente aqua cubabat.* Quod mirum in peristyliis salientes aquæ, & lymphæ artificiosis *fontibus* evocatæ, eum & in cubiculis easdem habuerint. Stat. Sylv. 1. 3. 37.

Mirer an emissas per cuncta cubilia lymphas?

Senec. Epist. 100. *Desit sanè varietas marmorum, & concisura aquarum cubiculis interfluentium.* Imo *fontes* ubique in ædibus. Mart. xii. 50. 6.

Et pereuntis aqua fluxus ubique sonat.

Kobierzyck. de Lux. Roman. ii. 8. Meurs. de Lux. Rom. c. 12. Lips. in Senecam. Gevart. & Bernart. in Statium. Illorum capita erant sacra. Senec. Epist. 41. *Magnorum fluminum capita veneramur: subita ex abdito vasto eruptio aras habet: coluntur aquarum calentium fontes, & stagna quædam vel opacitas, vel immensa altitudo sacravit.* Nec tantùm Romani *fontibus*, & fluviis divinitatem aliquam assignaverunt; sed & Græci. De illis nota res est veteri proverbio apud Eurip. Med. n. 410.

Sursum versus fluminum sacrorum
Vadunt fontes.

Et Callim. Hymn. in Apoll. n. 112.

Fonte è sacro parvus latex, eximius flos.

Keuchen. in Frontin. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1633. E. Spanhem. in Callimachum. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 16. Lipen. de stren. quart. ær. §. 24. Chiflet. Font. Aq. Virg. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. iv. p. 1790. B. Genii singulis tribuebantur. Lapis antiquus apud Gentilem Delphinium Romæ:

GENIO. NOMINIS. FONTIS.
SER. MON. CHRYSEROS. CÆSA
RIS. NOSTRI. LIB. GANGALA.

Siccam. l. l. produs, & quidem primis, & maximis habebantur. Aristid. Hymn. in Neptun. T. 1. 5. 34. *Tum quod veteres fluvios, & fontes pro diis maximis, & primis habuerint, atque etiam latices.* Spanhem. l. l. Illis hœdum immolabant. Horat. Od. iii. 13. 1.

O fons Blandusiæ, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus
Cras donaberis hœdo,
Cui frons turgida cornibus.

Huc facit arula marmorea quadrata Cyaneis undis ad portam Capenam, cujus epigramma me Romæ legisse apud doctum ac nobilem Delphinium memini. In ara dorso hœdi caput erat insculptum, eo quod esset nymphis fontanis sacra. *Pigh. Annal. Roman. Charact.* vii. *p.* 4. *Broukh. in Prop.* ii. 15. 14. Epigramma habet Gruter. Inscript. p. 93. n. 11. *Broukh. l. l.* Varia apponebantur simulacra I. propter religionem. Ejus causa Apuli & Siculi Herculem, quia aquas exstincta hydra purgavit, apposuerunt: unde & thermæ Himeræ urbis in Sicilia, & Oetæ montis, & Pylarum in Thessalia in tutela Herculis fuerunt. M. Agrippa Romæ non Herculem, sed hydram ipsam ad lacum Servilium posuit. Festus. II. propter ornatum. Illorum & publicis in locis, & in nobilium ædibus adhuc plurima cernuntur. Usitatissimum fuit, deos fluminum apponere, qui formantur jacere semierecti, utrinque brachio suppositis amnes tanquam è *fonte* emittere, velati plerumque serto arundineo, & tecti carbaso, quæ est vestis Puxa, & ampla, umbilico tenus, superiore corporis parte nudi. Talis cernitur Tiberis in domo Cæsia: talis Arnus in hortis Pontificiis: & duo colossi marmorei in area Capitolina Nili & Tigris, vel Naris & Anienis, vel Acheloi & Istri. Alter cubito innititur sphyngi monstro, alter tigri animali: barba alter prolixa, alter modicè resecta. Talis est colossus Rheni, prope forum Romanum jacens, quem alii Niphatis fluvii esse putant. Talis in scuto Turni apud Virg. Æneid. vii. 792.

Amnem cælata fundens pater Inachus urna.

In domo Chisiorum, extra portam Septimiam, ante deum aquarum cubantem nuda mulier stans, dextramque mamillam manu comprimens, aquam in subjectum labrum immittit. Reperiuntur frequenter nymphæ dormientes, quæ amphoris, & crateribus innituntur. Vidi monumentum antiqui operis Romæ, in capite viæ latæ, in domo privata: erat autem Nais sicu aperto supina jacens, & ventre ad pubem nudo, capite incubans amphoræ. Recentis operis in agro Neapolitano, in villa Leucopetrea, Arethusa nuda adjacet *fonti*, in nympheo conchyliato. De simili Nympha epigramma in hortulo Colotii:

Hujus Nympha loci, sacri custodia fontis,
Dormio, dum blandæ sentio murmur aquæ.
Parce meum, quisquis tangis cava marmora, somnum
Rumpere: sive bibas, sive lavere, tace.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 15. Illos lavando turbare religio sum erat. Tacit. Annal. xiv. 22. 7. *Nero fontem aquæ Martiæ ad Urbem deductæ nando incesserat: videbaturque potus sacros, & ceremoniam loci corpore loto polluisse.* Lips. in Tacit. n. 73. Siccam. & Keuchen. l. l.

Fons Albudinus legitur apud Frontin. de Aquæd. 1. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1641. B. *Accipit & eum fontem, qui vocatur Albudinus, tantæ bonitatis, ut Marciæ adjutorio, quoties opus esset, ita sufficeret, ut adjectione sui nihil ex qualitate ejus mutaret:* & Svet. Claud. c. 20. n. 3. *Claudiæ aquæ gelidos, & uberes fontes, quorum alteri Caruleo, alteri Curtio & Albudino nomen est.* Binominis enim fuit Curtius, ut etiam *Albudinus* vocatur. Plin. xxxvi. 15. duos tantùm, Curtium, & Cæruleum commemorat. *Influere Curtius atque Caruleus fontes.* Sicut & hæc Inscriptio: IMP. CÆSAR. VESPASIANUS. PONT. MAX. TRIB. POT. II. IMP. III. DESIG. IIII. P. P. AQUAS. CUR-

CURTIAM. ET. CÆRULEAM. PERDUCTAS. A. DIVO. CLAUDIO. ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSASQUE. PER. ANNOS. NOVEM. SUA. PECUNIA. URBI. RESTITUIT. *Torrent. in Svetonium. Kenthen. in Frontinum.*

Fons Egeriæ Nymphæ credebatur esse ad radices Aventini non longè à Tiberi. De eo Ovid. Fast. III. 273.

Defluit incerto lapidosus murmure rivus;
Sapè, sed exiguis haustibus inde bibi.
Egeria est, qua prabet aquas, dea grata Camœnis,
Illa Numa conjux, consiliumque fuit.

Donat. de Urb. Roman. III. 13. Erat dicatus Camœnis. Liv. I. 19. *Lacus erat, quem medium ex opaca specu fons perenni rigabat aqua: quo quia se persapè Numa sine arbitris, velut ad congressum dea, inferebat, Camœnis eum lucum consecravit.* Hunc vulgo nunc *Caffarellam* appellant, qui secundo ab Urbe lapide distat. *Nardin. Roman. Vet.* III. 3. *Aring. Roman. Subterr.* III. 20. §. 12. Illi præerant Vestales. Svidas: *Numa virgines Vestales ignis, & aqua curam habere demandavit.* Hanc enim non opinor aliam, quàm quod *fonti* Camœnarum præesset, exque eo solo aquam ad sacra peterent. Plutarch. Num. p. 68. D. Ait, *Numam prata, & campum, ubi plurimum cum Egeria versatus esset, Camœnis consecrasse: fontem autem, qui locum irrigat, aquam sacram virginibus Vesta attribuisse, ut ex eo quotidie haurientes purificarent, & aspergerent sacram adem.* Sacer habitus, in deos relatus, delubrum postea accepit. Juven. Sat. III. 13.

Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur
Judais.

Symmach. Epist. I. 14. *Praterea etiam Camœnarum religio, & sacri fontis annectitur.* Lips. de Vest. c. 10. Argol. apud Tomas. de Donar. c. 2.

Fons Lollianus fuit in Urbia regione duodecima, sive Piscina publica. *Panvin. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 308. *B.* De illo extat vetus Inscriptio:

APPIO. ANNIO. BRADUA
T. VIBIO. BARO. COS.
MAGISTRI. FONTIS. LOLLIANI
M. VULPIUS. FELIX....

Verùm cur huic illum potiùs quàm alii alicui regioni attribuerit, argumentum nullum reperio. *Nardin. Roman. vet.* VII. 6.

Fons Mercurii fuit ad portam Capenam, quo expiationis gratia veniebant mercatores. Ovid. Fast. V. 673.

Est aqua Mercurii porta vicina Capena.
Si juvat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunica mercator...

Donat. de Urb. Roman. III. 14. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 8.

Fons olei ex templo classis Ravennatis in regione Transtiberina tempore Augusti ex terra exundavit, & per totum diem largissimo rivo fluxit, significans ex gentibus gratiam Christi. *Marlian. Topogr. Urbis Rom.* V. 19. *Donat. de Urb. Rom.* III. 21.

FONTEJA gens. V. illam infr. in *Gens.*

FONTINALIA dicuntur à *fonte, quod is dies feria ejus. Ab eo autem tum & in fontes coronas jaciunt, & puteos coronant.* Varro de Ling. Lat. V. 3. Scalig. Conj. in Varron. p. 77. addit: ejus scilicet *fontis*, cujus delubrum fuit juxta portam Capenam: Unde & ipsa *fontinalis* dicta est. Festus: *Fontinalia, fontium sacra, unde & Roma fontinalis porta.* Colebantur tertio Idus Octobris, qui dies ejusdem mensis tertius decimus, eratque nefastus primo. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 724. *Lomej. de Lustrat. c.* 30. *Guther. de Jur. man.* I. 3. *Ciaccon. in Vet. Roman. Kalend. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom.* VIII. *p.* 18. *B. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. Thes. ibid. p.* 77. *B. Turneb. Adv.* XXV. 16. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 496. *F. Stuck. de Sacrif. p.* 36. *Laurent. var. sacr. gent. c.* 22. *Polymat.* II. *Dissert.* II. *Perion. de Rom. & Gracar. magistr.* III. *Thes. Antiq. Gracar. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2814. *B. Broukh. in Prop.* II. 15. 14.

FOR.

FORARIA appellatur mulier, quæ res fructuum villæ venales, poma, nuces, agnum, hœdum, pullastros, pipiones defert in forum. Idque per Etruriam servat nomen. *Blond. Triumph. Rom.* IX. *p.* 181. *A.*

FORCEPS est instrumentum, sive ferrum, quo capimus, sive prehendimus prunas. Hac à Cynira primò inventa fabri ferrarii calida versare consueverunt. Virg. Æneid. VIII. 453.

—— versantque tenaci forcipe massam.

Grapald. de Part. dom. II. 5. 4. Voss. Lex. Etymol. Cerda in Virgilium. Turneb. Adv. VII. 22.

Forceps est ὀδοντάγρα, sive instrumentum, quo chirurgi dentes evellunt. Sosip. Charis. Instit. Gramm. I. p. 74. b. edit. Putsch. *Lucill.* XIX. *etiam medicorum forcipes esse dixit.*

—— scalprorum forcipiumque
Millia viginti.

Idem paullò post:

—— & uncis
Forcipibus dentes evelleret.

Voss. Lex. Etymol.

Forceps est tonsorum, qui barbam & capillos secant. Sidon. Epist. I. 2. *Barba hirtis concava temporibus, quam in subdita vultus parte surgentem stirpitus tonsor assiduus genas adasque forcipibus evellit.* IV. 14. *Barba intra rugarum latebras, mersis ad cutem secta forcipibus.* Voss. Lex. Etymol. Savaro ad Sidonium. Jun. de Coma c. 7.

Forceps est instrumentum ferreum, aut ligneum potius, ad modum *forcipum*, quas vulgo tenaltas vocamus, Græci καρκίνους appellant. His umbo togæ committebatur, ut structuram rugarum constringerent, & in loco suo servarent. Tertull. de Pall. c. 5. *Umbonis figmentum custodibus forcipibus adsignat.* Has inferiùs *cruces* appellat: *etiam cum reponitur, nulli cruci in posterum demandatur. Forcipes* enim illæ, quibus figmentum umbonis constringendum mandabatur, ad instar vulgarium *forcipum*, cum aperiebantur, crucis figuram referebant. *Salmas. in Tertull. p.* 381. *&* 407.

Forceps etiam instrumentum erat pœnale, & destinatum suppliciis. Harum aliæ erant ad incidendum, aliæ ad comprimendum compositæ. Meminit Synes. Epist. 58. cum agit de Andronici præsidis feritate, aitque *nasi forcipe auribus apprehendendis, & labiis obtorquendis parato instrumento.....* Aliæ erant dentatæ, quæ quidem tribus ferreis aculeis cutem martyris perforabant, cum stringerentur, quæ crudeliter nimis membra carpentes vellebant. *Baron. in Martyrol. Roman. d.* 26. *Janu. Aring. Rom. Subterr.* I. 29. §. 5. *Laurent. de Torment. c.* 7. *Polym.* III. *Synt.* 10.

Forceps, quæ *forfex* Gell. X. 9. in militaria figura idem est. Dicitur, cum contraria cuneo acies instruitur, latioribus primis & apertis, ac paullatim desinentibus in angustum. Usus erat cuneum solvere, & atterere. Veget. II. 19. *Contra quod ordinatio ponitur: quam forficem vocant. Nam ex militibus lectissimis confertis in V. literam hic ordo componitur: & illum cuneum excipit, atque ex utraque parte concludit.* Cato de Re milit. apud Festum in Serra præliari: *Sive fortè opus sit ... aut forcipe uti.* Ammian. XVI. 11. *Cogitatum est, solicitèque prastructum, ut savientes ultra solitum Alemannis vagantesque effusi, multitudine geminata nostrorum, forcipis specie, trusi in angustias caderentur.* Lips. de Milit. Rom. IV. Dial. 7. Laurent. Polym. IV. Synt. I. Valtriu. de Re milit. Roman. V. 2. Thys. Rom. Illustr. IV. p. 97. Gronov. in Ammianum.

FORCTES quinam olim fuerint dicti. V. infr. in *Sanates.*

FORCULUS erat deus, qui *foribus* præsidebat, quasi *foriculus.* Tertull. de Idolol. c. 15. *Certè esse debemus, etiam ostiorum deos apud Romanos, Cardeam à cardinibus appellatam, & Forculum à foribus, & Limentinum à limine, & ipsum Janum a janua.* August. de Civit. Dei VI. 8. *Cur*

For-

Ferculus, qui foribus praeest, & Limentinus, qui limini, dii sunt masculi, atque inter hos Cardea femina est, quæ cardinem servat? V. eundem & supr. in *Cardea*. Sagittar. de Jan. vet. c. 4. nu. 23. Lipen. de Siren. c. 2. secund. ær. §. 23. Tomas. de Donar. c. 8. & 19. Gyrald. Synt. deor. I. p. 55. D. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 7. Polym. II. Dissert. 14. Voss. Lex. Etymol. in Fores. Blond. Triumph. Rom. I. p. 13. B.

FORDICIDIA *dicta sunt à fordis cadendis. Bos forda, quæ fert in ventre, quod ea die publicè immolabantur boves prægnantes in curiis complures.* Varr. de Ling. Lat. v. 3. Celebrabantur decimo septimo Kal. Maji, qui decimus quintus Aprilis. Ovidius. V. illum infr. in *Sacrificium Telluris*. Eratque dies iste Nefastus primo. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 724. E. Alex. Gen.* III. 12. *Perion. de Græcor. & Rom. Magistr.* III. *Thes. Antiq. Græcar. Gronov.* VI. *p.* 2812. *D. Stuck. de Sacrif. gentil. p.* 163. *Voss. Lex. Etymol. Lomej. de Lustrat. gentil. c.* 30.

FORENSIA dicebantur vestimenta, quæ in *foro*, sive *foris* adhibebantur. Habebant enim veteres vestem aliam domesticam, aliam *forensem*. Lamprid. Alex. Sev. c. 42. *Vestes forenses binas, domesticas singulas.* Ammian. XXXI. 2. *Nec alia illis domestica vestis est, alia forensis.* Fuerunt verò *forensia* toga, lacerna, penula. Non. I. 3. *Toga, sicut in consuetudine habetur, vestimentum est, quo in foro utimur.* Unde στολὴ ἀγοραῖος, *stola forensis* dicitur Dion. LXI. p. 692. B. *Ut ob eam causam equos victores, insignes, & jam senio confectos stola forensi, non secus ac homines, ornaret.* Ex illis usus est Augustus apud Svet. c. 73. n. 4. *Forensia autem, & calceos nunquam non intra cubiculum habuit, ad subitos, repentinosque casus parata.* Ferrar. de Re Vest. I. 1. 28. Gatak. in M. Antonin. I. §. 7. Demster. Parap. ad Antiq. Rosin. v. 32. Pitisc. in Svetonium. Vestis hæc Augusti non fuit cubicularis, ut videtur velle Ruben. de Re Vest. I. 17. ubi docet Marcum Antoninum Imperatorem l. l. in veste cubiculari domi non ambulasse, quod illi tamen exemplo Augusti licitum fuisset; sed, ut diximus, habuit Augustus semper *forensia*, id est, togam, & calceos ad subitos, & repentinos casus, ut scilicet ea indueret, quoties honoratiores excipiendi erant, &, si egrediendum esset, nonnisi cum toga conspiceretur. Sed putavit Rubenius, Augustum *forensia* indutum, quia ea habuit intra cubiculum, & ideo *forensia* esse vestem cubicularem, magno errore. Nam contra, quod habuerit ad subitos, & repentinos casus, satis arguit, non ea induisse, nisi cum occasio postularet, ne improviso alicujus adventu in veste cubiculari deprehenderetur. *Ferrar. Anal. de Re vest. c.* 23.

FORFEX *est sartorum* instrumentum. Beda de Orthographia, *quo pannos incidunt*. Serv. Virg. Æneid. VIII. 453. *Voss. Lex. Etymol.*

Forfex fuit etiam ferrum uncatum duplex, quod immissum ponderi tenebat illud, ut per funes posset erigi in altum. Vitruv. x. 2. *Ad rechamum imum ferrei forfices religantur, quorum dentes in saxa ferrata accommodantur.* Scheffer. de Re vehic. I. 13.

FORES, numerus pluralivus quamquam maximè in usu est, tamen in singulari reperitur. Trent. Adelph. II. 3. 11.

Sed quidnam foris crepuit?

Ubi Donatus: *Foris singularis numeri, nominativi casus.* Plautus sæpissimè. *Sagittar. de Jan. vet. c.* 3. §. 18. Quo modo olim aperirentur, & quare crepuisse dicerentur. V. supr. in *Crepuisse*. Domuum privatarum, ut & templorum fuerunt æratæ. Camillo crimini objicit Sp. Carvilius quæstor, quod ærata ostia haberet in domo. Magnificarum variis sculpturis præstantium artificum exornabantur. In templis id usurpatum scio, cur non & in privatis ædificiis? Et certè ausim dejerare Romanum hunc luxum in mente fuisse, cum valvarum cælaturam depingeret, Ovidio regiam Solis describenti Met. II. 4.

——radiabant lumine valvæ.
Materiam superabat opus: nam Mulciber illis
Æquora cælarat medias cingentia terras.

Capitolii Romani cælatas nobis sistit Claud. de Sext. Conf. Honor. n. 45.

——juvat intra tecta Tonantis
Cernere Tarpeja pendentes rupe gigantes,
Cælatasque fores.

Hebeno cooperiebantur. Lucan. x. 117.

——hebenus Mareotica vastos
Non operit postes, sed stat pro robore vili
Auxilium.

Testudinum Indicarum putaminibus sectis affabrè variegabantur. Virg. Georg. II. 463.

Nec varios inhiant pulcra testudine postes.

Lucan. ibid. n. 121.

Et suffixa manu foribus testudinis Indæ
Terga sedent, crebro maculas distincta smaragdo.

Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 7. Sagittar. ibid. c. 26. §. 4. 5. Cum pulsabantur, sciscitabantur aliquando non solum qui esset, qui pulsaret, sed quot essent, maximè noctu. Petron. c. 52. *Et jam plena nox erat, quum Eumolpus ostium pulsat. Interrogo ego, quot estis?* Laurent. de Fistul. & tintinnab. c. 4. Polym. I. Dissert. 25. Sagittar. ibid. c. 16. §. 33. Ab illis excludebantur, quos aversabatur dominus ædium. Svet. Oth. c. 3. n. 3. *Creditur* Otho *non modò missos ad arcessendam* Poppæam Sabinam *non recepisse, sed ipsum etiam* Neronem *exclusisse pro foribus adstantem, miscentemque frustra minas & preces, ac depositum reddentem.* Senec. Epist. 47. *Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, & illi qui impegerat illi titulum, qui inter rejicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi.* Interdum excluso ipsi janua impingebatur. Lucian. Dial. meretr. *Ipsum quidem advenientem exclusit, illisa utique illi janua.* Sagittar. ibid. c. 36. n. 5. Interdum arundine, sive virgà à janitore rejiciebantur. V. infr. in *Janitor*. Interdum testis & tegulis in illos de tecto dejectis repellebantur. Lucill. XXVII. apud Non. IV. 142.

——has è fenestris in caput
Dejiciam, qui prope ad ostium aspiraverint.

Juven. Sat. III. 269.

Quod spatium tectis sublimibus? unde cerebrum
Testa ferit, quoties rimosa, & curta fenestris
Vasa cadunt.

Gell. IV. 14. *A. Hostilius Mancinus ædilis curulis fuit. Is Mamiliæ meretrici diem ad populum dixit, quod de tabulato ejus noctu lapide ictus esset, vulnusque ex lapide ostendebat. Mamilia ad tribunos plebis provocavit: apud eos dixit comessatorem Mancinum ad ædes suas venisse: eum sibi fas recipere non fuisse in æde sua; sed quum vi irrumperet, lapidibus depulsum. Tribuni decreverunt: ædilem ex eo loco jure dejectum, quo cum coronario eum venire non decuisset.* Broukh. in Propertium, Douza in Lucilium. In illis statuæ collocabantur non solùm ad religionem & tutelam, verùm etiam ad fascinum avertendum. Plin. XIX. 4. *Quam rem comitata est & religio quædam: hortosque & fores tantum contra invidentium effascinationes dicari videmus. In remedio Satyrica signa.* Turneb. Adv. IX. 28. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 8. Interdiu non claudebantur. Plaut. Most. II. 2. 14.

Sed, quid hoc, occlusa janua est interdiu?

Laurent. de Fistul. & Polym. l. l. Exterior nimirum, in quam de vicis gradus fiebat, & quæ etiamnum à nostris exterior dicitur: interior verò, erant enim duæ, semper erat clausa: illa nunquam, nisi aut noctu, aut cum vacuæ essent ædes. *Operar. in Plautum.* Peregrè falsò mortui renuntiati, reversique per illas non admittebantur, sed per impluvium. Lege Plutarch. Quæst. Rom. v. Causa potissima tantæ religionis hæc, quia post ostium, & postes Lares, & Penates collocant, ut felix, & faustus egressus esset. *Laurent. Polym.* II. *Dissert.* 14. *Var. sacr. gentil. c.* 7. Ferias frondibus & lucernis ornabantur. Tertull. de Idolol. c. 15. *Plures jam invenies ethnicorum fores sine lucernis & laureis quam Christianorum.* Juven. Sat. XII. 91.

Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operitur festa lucernis.

Pers. Sat. v. 180.

Hero-

Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Turneb. Adv. XXII. 12. Lipſ. Elect. I. 3. in Tacit. Annal. III. n. 21. Caſaub. in Perſium. Sagittar. ibid. c. 32. §. 2-5. Kipping. Ant. Roman. I. 10. §. 4. V. infr. in *Nupta*. Amicarum coronabantur ab amatoribus. Athen. XV. p. 670. D. *Coronant valvas illorum quos amant honoris causa, perinde ac templi cujusdam dei vestibulum, non quidem illis quos amant, sed Amori deo coronas dicantes; aut, quod illum, quem amant, imaginem putant Amoris dei, ædesque hujus delubrum, eorum hominum, quos amant, coronas appendunt.* Cum enim ante illas ſatis diu excubuiſſent, *corollas*, quas in capite geſtabant, in limine diſſipatas relinquebant, aut fores iisdem decorabant. Lucret. IV. 1170.

At lacrymans exclusus amator limina sæpe
Floribus & sertis operit, postesque superbos
Ungit amaracino, & foribus miser oscula figit.

De quo more Ovid. Amor. I. 6. 67.

At tu, non lætis detracta corona capillis,
Dura super tota limina nocte jace.
Tu dominæ, cum te projectam mane videbit,
Temporis absumpti tam male testis eris.

Paſchal. de Coron. II. 5. Mader. de Coron. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1415. F. Sagittar. ibid. c. 37. n. 12. 13. II. diſertorum hominum, qui ſæpè adverſarium viciſſent, palma. Hoc diſco è loco Luciani Rhet. præc. p. 324. ubi malus rhetor & ſæpè victus, nihilominus palma ſibi fores ornari gloriatur. *Ut plurimum*, inquit, *succumbo, fores tamen virides coronantur palma. His enim illecebris erga infelices utor.* III. Imperatorum Romanorum quercu & lauru. V. ſupr. in *Corona quercea*. IV. mariti à ſponſa introducta laneis vittis. Plutarch. Quæſt. Rom. c. 31. *Mariti januam lana coronat.* Lucan. II. 355.

Infulaque in geminos discurrit candida postes.

Per *infulam candidam* videtur intelligere laneam maritæ, qua poſtes *coronabat*, vittam. Plin. XXIX. 2. *Lanis auctoritatem veteres Romani etiam religiosam habuere, postes à nubentibus ea cingi jubentes.* Sagittar. ibid. c. 30. n. 18. Dalechamp. & Harduin. in Plinium. V. publicè lætantium. Senec. Epiſt. 68. *Quid tu existimas ea tantum optabilia esse, quæ per voluptatem & otium veniunt, quæ excipiuntur foribus ornatis?* Tertull. Apolog. c. 35. *Cur die læto non lauris postes adumbramus?* Lipſ. Elect. I. 3. VI. oratorum & cauſidicorum, qui partam in foro victoriam appenſa palma teſtati, ſuæ hoc pacto gloriæ velificari voluerunt. V. ſupr. in *Corona quercea*. VII. revertentium ex longinquo itinere. Illorum enim domus hoc *festo ornatu* reddebatur illuſtrior. Signanter hoc dico. Nam eadem hæc verba uſurpavit Tacitus, quando redeuntis Piſonis domum, quin & ipſum Piſonem hoc nomine in invidiam adductum memorat. Verba ſunt hæc Annal. III. 9. 3. *Fuit inter irritamenta invidiæ domus foro imminens, festo ornatu.* Juven. Sat. XII. 91. qui ob Catulli reditum, qui peregrè profectus maxima in mari pericula expertus erat, ſacra facturus, januam quoque *coronatam* cupit:

Cuncta nitent: longos erexit janua ramos.

Sagittar. ibid. n. 21. VIII. Triumphantium lauru, tanquam hæc ſpecies fidem faceret, in illis ædibus habitare caput laureatum. Hoc docet Senec. ad Polyb. c. 35. *Eas quoque domos* fortunæ *ausa injuria causa intrare, in quas per templa aditur, & atram laureatis foribus inducere vestem.* Si modò de priſcis viris triumphalibus, non de Principibus loquitur. *Paschal. ibid.* VIII. 12. Templorum ſubitò ſine manu hominum ſponte apertæ auſpicium infauſtum faciebant. Ita & Joſephus templi *fores* æneas ante excidium patuiſſe Hieroſolymis ait, quæ vix à viginti valentibus viris claudi poterant. Cicer. de Divin. I. 34. *Ante Leuctricum prælium Thebis in templo Herculis valvæ clausæ repagulis subitò se ipsæ aperuerunt.* Xiphil. LXIII. p. 726. C. *Nero nihil movebatur prodigiis, neque solicitus erat, quod ambæ fores & Mausolei Augustalis, & cubiculi ipsius eadem nocte sua sponte apertæ fuerant.* Buleng. de Prodig. c. 48. Sagittar. ibid. c. 35. §. 15.

FORI ſunt armariola, capſulæ, plutei, in quibus libri reponuntur. Svet. Aug. c. 31. n. 1. *Hos condidit duobus forulis auratis.* Juven. Sat. III. 219.

Hic libros dabit & forulos.

Dolet. de Re nav. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 681. E. Voſſ. Lex. Etymol. Grang. in Juvenalem. Pitiſc. in Svetonium.

Fori dicebantur gradus, loca, aut ſubſellia in circo, in quibus ſedebant ſpectatores. Liv. I. 5. *Tum primum circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est: loca divisa patribus, equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent; fori appellati.* Chimentel. de Hon. biſell. c. 12. Dolet. de Re nav. Theſ. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 681. E. Buleng. de Theat. I. 29. Panvin. de Lud. Circenſ. I. 5. Roſin. Antiq. Roman. V. 19. Manſuros & ſtabiles fecit Tarquinius Superbus. Liv. I. 56. *Quæ posthac & ad alia, ut specie minora, sic laboris aliquanto majoris traducebatur opera: foros in circo faciendos.* Fortuiti enim erant, & ſubitario opere illi priſci. Et pecunia publica uſus eſt Superbus. *Argol. ad Panvinium. Blend. Instaur. Rom.* III. §. 19. Ante Tarquinium Priſcum ſtantes ſpectabant ludos Romani in tabulatis, quæ furcis ſuſpendebantur, ut liquet ex Dionyſ. III. p. 200. Sed circo ſtructo, *foros* ſibi quiſque faciebat opere tumultuario, in quibus ſederet, ita tamen ut patribus & equitibus ſua tribuiſſet loca, in quibus ſibi quiſque ſpectacula pararet. Livius modò laudatus. Hos *fores* tectis exornavit Tarquinius Superbus, cum ante hunc fuiſſent ſub dio, ut teſtatur Dionyſ. IV. p. 246. qui illas vocat παςάδας ὑπαιθρίους. Hæc circi facies permanſit uſque ad tempora Julii Cæſaris, quem primum triplicibus porticibus circum inſtruxiſſe docuerunt nos homines docti ex antiquis monumentis. *Grav. Thes. Antiq. Roman. Præfat. Tom. IX.* *. 4.

Fori etiam erant tabulata navium, vel locus in navi aptior, qui iter navem perambulantibus præbet. Erant foris, hoc eſt, non in carina, aut alvo navis, ubi, velut domi, immunes eſſent à pluviis, & ventis: ſed ſub Jove frigido. Cicer. de Senect. c. 6. *Similes sunt, ut si qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant, cum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant...* Voſſ. Lex. Etymol. Dolet. de Re nav. Theſ. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 681. E. Argol. in Panvin. de Lud. Circenſ. I. 5. Gyrald. de Navig. c. 11. Scheffer. de Milit. nav. I. 4. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 646. a. B. 786. a. C. in Vopiſc. Procul. c. 12. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 5.

FORICA, veteribus gloſſis ἀφεδρών, locus in foro, exonerandi ventris cauſa paratus. Hinc *forire*, ἀποπατεῖν, ventris onus deponere. Juven. Sat. III. 38.

Conducunt foricas, & cur non omnia? cum sint
Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna jocari.

Ubi vet. Interpr. *Foricas, stercora, hoc est, vectigal; forire enim est ventrem deonerare. Alii*, inquit, *tabernas dicunt foro vicinas: alii vectigal vinarium, quod ex Africa in Urbem vehebatur: alii domos publico sumptu ædificatas ad locandum, quarum conductores lucra capiebant.* Cujac. Obſerv. XXVII. 34. Lipſ. de Magn. Rom. II. 6. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 31. Voſſ. Lex. Etymol. Grapald. de Part. dom. II. 6. 24. Lyd. de Re milit. V. 1.

FORICARII ſunt *foricarum* conductores. Paull. l. 17. §. Fiſcus ff. de uſuris. *Fiscus ex suis contractibus usuras non dat, sed ipse accipit: ut solet à foricariis, qui tardius pecuniam inferunt.* Lipſ. de Magn. Roman. II. 6. Buleng. de Vectig. c. 45. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 31. Cujac. Obſerv. XXII. 34. Caſaub. in Svet. Veſp. c. 8. Burman. Diſſert. de Vectig. c. 12. Thyſ. de Magn. Roman. II. p. 258.

FORINA dea eſt mihi prorſus ignota. In Romanorum tamen notis legitur: FORINAR. ROM. DD. *Forinarum Romæ dearum.* Ut tamen de notis, & eſſentia Inſcriptionis eruditiores judicium adducant, ſaxum ecce collectum p. 333. n. 1.

P.POE-

erant, quas prætor præscripserat, nec latum unguem habet discedere. Quintil. III. 11. *Privata quoque judicia sæpè unum judicem multis, & diversis formulis solent habere.* Siccam. de Centum. judic. I. 4. Pollet. For. Rom. v. 4. Sig. de Judic. I. 21. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 1.

Formula abdicationis erat, *Cum filium meum pecunias à sociis accepisse mihi probatum sit, & Republica, & domo mea indignum judico, protinusque è conspectu meo abire jubeo.* Val. Max. v. 8. *Hotom. de Form. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. 11. p. 1909. C.*

Formula absolvendi erat, *Secundum illum litem do.* Cicer. pro Quint. Rosc. c. 1. *Quo minus secundum eos lis detur, non recusamus.* Senec. Controv. VII. *Centumviri dixerunt, dare ipsos secundum adversarium Albutio, si juraret.* Sigon. de Judic. I. 29. Pitisc. in Svet. Claud. c. 15. n. 4. Vel, *non videtur fecisse.* Cicer. Attic. IV. 5. *Drusus, Scauros non fecisse videntur*, id est, absolvuntur. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. 11. p. 1909. C. Sigon. de Judic. II. 21.*

Formula acceptilationis Aquilianæ erat, *Quicquid te mihi ex quacunque causa dare facere oportet, vel oportebit, præsens, in diemve, aut sub conditione: quarumque rerum mihi tecum actio, quæve adversus te petitio, vel adversus te persecutio est, eritve: quodve tu mecum habes, tenes, possides, quanti quaque earum rerum res erit, tantam pecuniam dari stipulatus est A. Agerius: spopondit Numerius Negidius. Quod Numerius Negidius A. Agerio promisit, spopondit ve, id haberetne à se acceptum, Numerius Negidius A. Agerium rogavit: A. Agerius Numerio Negidio acceptum fecit.* Justinian. Instit. III. tit. quibus modis toll. oblig. Dig. XLVI. de Acceptil. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. 11. p. 1909. C. D.*

Formula acclamandi patronis causarum erat, *euge, belle, ò hominem literatum, σοφῶς*, ut probat Fab. ad Senec. Contr. IX. & confirmat Tertull. adv. Valent. c. 8. *In scholis Carthaginensibus fuit quidam rigidissimus rhetor Latinus, Phosphorus nomine: cum virum fortem peroraret: Venio, inquit, ad vos, optimi cives, de prælio cum victoria mea, cum felicitate vestra, ampliatus, gloriosus, fortunatus, maximus, triumphalis, & scholastici statim familia Phosphori σοφῶς acclamant.* Siccam. de Centumv. judic. I. 13.

Formula actionis arbitrariæ erat, *quantum æquius melius.* Cicer. pro Quint. Rosc. c. 4. V. illum supr. in *Arbitrium.*

Formula actionis bonæ fidei erat I. *ex bona fide*, quæ contractibus bonæ fidei accommodabatur. II. *ut inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione*, quæ in fiduciis usurpabatur. III. *quantum æquius, melius*, quæ rei uxoriæ erat propria. Cicer. Offic. III. 15. *Dolus malus legibus erat vindicatus, ut tutela XII tabulis, circumscriptio adolescentium lege Latoria, & sine lege, judiciis, in quibus additum, Ex fide bona: reliquorum autem judiciorum hæc verba maximè excellunt, in arbitrio rei uxoriæ; melius æquius; in fiducia; ut inter bonos bene agier oportet.* Sigon. de Judic. I. 21. Turneb. Adv. XXV. 23.

Formula actionis furti adjuti erat, *ope, consilio tuo furtum factum esse ajo.* Cicer. de Nat. deor. III. 30. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. 11. p. 1909. E.*

Formula actionis in personam erat, *ajo te mihi dare facere oportere.* Justin. Instit. §. Sic itaque de Action. *Sic itaque discretis actionibus certum est, non posse actorem suam rem ita ab aliquo petere, si apparet eum dare oportere.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1909. D. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 561. B.

Formula actionis in rem. Petitor: *Fundus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur, meus est: eum ego ex jure Quiritium meum esse ajo: inde ibi ego te ex jure manu consertum voco.* Is unde petitur: *Unde tu me ex jure manu consertum vocasti, inde ibi ego te revoco.* Prætor: *Utrisque superstitibus istam viam dico: inite viam.* Idem: *Redite viam.* Petitor: *Quando te in jure conspicio, postulo anne sies auctor.* Is unde petitur: *Auctor, sed anne tu dicis, qua causa vindicaveris.* Cicer. pro Mur. c. 12. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. 11. pag. 1909. E.*

Formula addictionis in diem erat, *ille fundus centum esto tibi emptus: nisi si quis intra Kal. Januar. proximas meliorem conditionem fecerit, quo res à domino abeat*, l. 1. ff. de in diem addict. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. 11. p. 1910. B.*

Formula agendi in rebus corpore vacantibus, ut in usufructu, erat, *ajo usumfructum fundi tui, qui est in agro Sabino, esse meum: ajo, jus eundi agendi per fundum tuum esse meum: ajo, jus ex fundo tuo aquam ducendi, vel jus adversus ædes tuas altius tollendi esse meum.* Hoc autem proprium in his fuit, quod non solum affirmanter intendi poterat, sed etiam neganter, hoc modo: *Ajo, usumfructum fundi mei non esse tuum: ajo, jus eundi agendi per fundum meum non esse tuum.* Sigon. de Judic. I. 21.

Formula agentium in judicio actoris & rei erat, cum reus prior ita agebat: *Ubi tu es, qui me vadatus es? ubi tu es, qui me citasti? ecce ego me tibi sisto, tu contra & te mihi siste.* Procedente actore rogabat, *quid ais?* respondebat actor, *ajo, e.g. fundum, quem possides, meum esse: ajo, te mihi dare, facere oportere*, prout natura actionis postulabat, quam ille intendere volebat. Docet hoc Plaut. Curc. I. 3. 5.

Ubi tu es, qui me convadatus Veneriis vadimoniis?
Ubi tu es, qui me libello Venerio citavisti? ecce me.
Sisto ego tibi me, & mihi contra itidem te ut sistas suadeo.

Sigon. de Judic. I. 21.

Formula ampliationis erat, *amplius cognoscendum.* V. illam supr. in *Amplius.*

Formula annalis divisionis legatæ, vel pro anniversario celebrando, vel pro alicujus statuæ dedicatione, erat, *decurionibus denarios tredecim, Augustalibus duodecim, populo undecim.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 668. C.

Formula anquisitionis quænam fuerit, V. supr. in *Anquisitio.*

Formula antestantis quænam fuerit, V. supr. in *Antestari.*

Formula arbitri ante latam sententiam erat, *arbitror, te hoc modo actori satisfacere debere.* Sigon. de Judic. I. 29.

Formula arrogationis erat: *velitis jubeatis Quirites, uti Lucius Valerius Lucio Titio tam ex jure legeque filius sibi siet, quam si ex eo patre matreque familias ejus natus esset: utque ei vitæ necisque in eum potestas siet, uti pariendo filio est: hoc ita, ut dixi, ita vos Quirites rogo.* Gell. v. 19. Ubi suspicor legendum pro *pariendo*, *patriendo*, ut sit *endo* pro *in*, vetustè. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1910. D.*

Formula asserendi in libertatem erat: *hunc ego hominem ex jure Quiritium liberali causa assero manu.* Ter. Adelph. II. 1. 38.

SA. *quid si ego tibi illam nolo vendere,*
Coges me? ÆS. *minimè.* SA. *namque id metui.* ÆS. *neque vendundam censeo*
Quæ libera est: nam ego liberali illam assero causa manu.

Sigon. de Judic. I. 21. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1910. D. V. supr. in *Causa liberalis.*

Formula aurei annuli in concione donandi erat: *Quandoquidem tu in prælio, in bello, in re militari mihi nunquam defuisti, omnibusque in periculis mecum versatus es, ob hasce res hoc aureo annulo te dono.* Hæc fere ex Cicer. Verr. III. 80. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1910. D.

Formula belli indicendi quædam fuerit, V. supr. in *Fecialis.*

Formulæ carminis in ducendis nuptiis quænam fuerit, V. infr. in *Hymen.*

Formula cautionis de dolo malo erat: *uti ne propter fidem tuam captus, fraudatusve siem.* Cicer. De Offic. III. 17. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1911. D.

Formula cessionis in jure quænam fuerit, V. supr. in *Cessio.*

For-

Formula coemptionis in matrimonio quænam fuerit, V. supr. in *Coemptio*.

Formula conclucandi luci erat: *si deus, si dea es, cujus illud sacrum est, uti tibi jus siet porco piaculo facere, illiusce sacri coercendi ergo. Harumce rerum ergo, sive ego, sive quis jussu meo fecerit, uti id rectè factum siet. Ejus rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, domo, familiæque mea, liberisque meis.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1912. A.

Formula consilii dimittendi erat: *ilicet*, id est, *ire licet*. V. infr. in *Ilicet*.

Formula consponsorum in judicio quænam fuerit, V. supr. in *Consponsores*.

Formula contestandæ litis quænam fuerit, V. supr. in *Contestari*.

Formula cretionis in hæreditatibus quænam fuerit, V. supr. in *Cretio*.

Formula dedicationis spoliorum & templi erat: *Jupiter Feretri, hæc tibi Victor Romulus Rex arma fero, templumque iis regionibus, quas modò animo metatus sum, dedico sedem opimis spoliis, quæ Regibus, ducibusque hostium cæsis, me auctorem sequens posteri ferent.* Liv. 1. 10. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 11. p. 1912. D.*

Formula deditionis quænam fuerit, V. supr. in *Deditio*.

Formula deferendi nominis quænam fuerit, V. infr. in *Nomen*.

Formula devotionis describitur à Liv. VIII. 9. V. illum supr. in *Devotus*.

Formula dicendæ diei videtur hæc fuisse: *Ap. Claudi, huc ad me Nonis Septembris adesto, ut te accusari audias, quod vindicias contra libertatem dederis.* Sigon. de Judic. III. 7.

Formula dimittendi funeris erat: *ilicet*. Serv. in Virg. Æneid. VI. 226. *Populi corona tamdiu stabat respondens fletibus præficæ, id est, principis planctuum, quamdiu consumpto cadavere, & collectis cineribus diceretur novissimum verbum ilicet, quod ire licet significat. Unde est,*

—— dixitque novissima verba.

Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 11. p. 1313. D. Kirchm. de Fun. Rom. III. 9.

Formula dimittendi senatus erat: *nihil vos moramur patres conscripti.* Capitolio. Anton. Philos. c. 10. V. illum supr. in *Comitia*. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 11. p. 1313. F. Zamosc. de Senat. Rom. 11. 11. Caroli Antiq. Rom. 11. 9. Casaub. in Capitolinum.

Formula dimittendorum manium erat, *vale*. Serv. Æneid. VI. 231. *Vale dicebatur post tumuli peracta sollennia.* III. 68. *Est hoc loco, quod dicimus more sollenni, vale.* II. 789. *Recedentis significatio est: unde & mortuus dicitur, ut* XI. 97.

—— salve æternum mihi maxime Palla,
Æternumque vale.

Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1313. D. Kirchm. de Fun. Rom. III. 8.

Formula discessionis permittendæ quænam fuerit, V. supr. in *Alia omnia*.

Formula divortii quænam fuerit, V. supr. in *Divortium*.

Formula donationis causa mortis erat: *illum agrum, aut illam domum me malle habere, quàm te: te, quam heredem meum.* Anian. Paulli interpres Sent. 11. 23. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 11. p. 1914. B.*

Formula duumvirorum de perduellione judicantium exstat apud Liv. 1. 26. *Duumviri perduellionem judicent. Si à duumviris provocarit, provocatione certato: si vincent, caput obnubito: infelici arbori suspendito: verberato, vel intra pomœrium, vel extra pomœrium.* Hotoman. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1914. B.

Formula edicti censorum erat, *nobis non placet.* Gell. XV. 11. *Cn. Domitius Ænobarbus, & L. Licinius Crassus Censores de coercendis rhetoribus Latinis ita edixerunt . . . Quapropter & iis, qui eos ludos habent, & iis, qui eo venire consueverunt, visum est faciendum, ut ostenderemus nostram sententiam, nobis non placere.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1914. C. Brisson. de Form. 11. p. 195.

Formula edicti, quo debitor latitans evocabatur, erat: *Qui fraudationis causa latitaverit, si boni viri arbitratu non defendatur, ejus bona possideri, vendique jubebo.* Sigon. de Judic. 1. 18.

Formula edicti, quo senatus vocabatur, erat: *Senatores, quibusque in senatu sententiam dicere licet.* Clausula hæc invenitur apud Livium, Festum, & Gellium. At ab initio statim post magistratus annuos institutos citabantur hoc modo: *Qui patres, quique conscripti essent*, teste Liv. 11. 1. *Zamosc. de Sen. Rom. 11. 4. Brisson. de Form. 11. p. 164.*

Formula emancipationis quænam fuerit, V. supr. in *Emancipatio*.

Formula evocationis deorum quænam fuerit, V. supr. in *Dii*.

Formula exceptionis erat, *extraquam*, l. 1. §. Labeo. ff. de flu. *Extraquam si quid ita factum sit, uti lege fieri licuit.* aut *si*, l. 2. §. ult. de dol. except. *Si in ea re nihil metus causa factum est.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 11. p. 1914. F.

Formula exercitus evocandi erat: *Qui vult salvam Rempublicam, me sequatur.* Si enim esset tumultus, *qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium: & exinde proferens duo vexilla, unum roseum, quo pedites evocabat, alterum cæruleum, quo equites, dicebat . . . . .* Serv. Æneid. VIII. 1. Cicer. pro C. Rabir. perdull. reo c. 7. *Fit S C tum, ut C. Marius, L. Valerius coss. operam daret, ut imperium populi Romani majestasque conservaretur: qui Rempublicam salvam esse vellent, arma capere, & se sequi jubent.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1915. A.

Formula exsecrationis legitur apud Liv. XXII. 51. præeunte verba P. Scipione: *Si sciens fallo ex animi mei sententia, tum me Jupiter Opt. Max. domum familiamque meam pessimo letho afficiat.* Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1173. D. & apud Sall. Bell. Catil. p. 19. Catilina, *cum ad jusjurandum populares sceleris sui adigeret*, dicitur *humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse: inde, cum post exsecrationem omnes degustavissent, sicut in sollennibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum.* Gyrald. Synt. deor. 1. p. 507. D. Broid. Corollar. ad Pollet. For. Rom. IV. 14.

Formula ferendi judicem adversario erat: *Se illi judicem ferre: in vindicias in servitutem ab libertate dederit.* Rogabat autem eum, ut eo contentus esset, & non alium posceret, his verbis, de quibus Festus: *Si alium procas, nive alium procas. Est enim poscere procare, quod dicitur in judice collocando.* Sigon. de Judic. 1. 23.

Formula fidejubendi erat: *Centum quæ mihi Cajus debet, eadem mihi dare spondes? spondeo. Stichum autem decem fide tua jubes? jubeo. Quantam pecuniam credidero, fide tua esse jubes? jubeo.* Ex tract. de fidejuss. in Pandect. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1915. B.* V. supr. in *Fidejussio*.

Formula fiduciæ quænam fuerit, V. supr. in *Formula actionis*.

Formula fœderis peragendi quænam fuerit, V. supr. in *Feciales* & *Fœdus*.

Formula hæredis instituendi erat: *Titius heres esto, Titium heredem esse jubeo.* Illa autem institutio, *heredem instituo, heredem facio*, plerisque improbata est. Ulpian. instit. c. 21. Substituendi: *Titius heres esto, cernitoque in diebus proximis centum, quibus scieris, poterisque. Nisi ita creveris, exheres esto: tunc Mævius heres esto, cernitoque in diebus . . . .* Ulpian. Inst. c. 22. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 11. p. 1915. C.*

Formula impunitatis, quæ omnibus planè legibus adscribebatur, ut si quid contra alias leges, ejus legis ergo, quæ promulgabatur, factum esset, nihil subsisteret, erat. *Si quid sacri, sanctique est, quod jus non sit rogari, ejus hac lege nihil rogatur.* Brisson. de Form. 11. . . . Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 967. A.

For-

Formula indicendi Compitalia quænam fuerit, V. supr. in *Feriæ Compitales*.

Formula indicendi funeris quænam fuerit, V. infr. in *Funus indictivum*.

Formula inlicii vocandi erat: *Quod bonum, fortunatum, felixque, salutareque siet populo Romano Quiritium, reique publicæ populi Romani Quiritium, mihique, collegæque meo, fidei, magistratuique nostro: omnes Quirites, pedites, armatos, privatosque, curatores omnium tribuum, si quis pro se, sive pro altero dari rationem volet, voca inlicium huc ad me.* Varro de Ling.Lat.v.9. Hotom. de Form. Thes. Antiq.Roman. Græv. Tom. II. p. 1916. D.

Formula intentionis in actione de calumnia. V. illam supr. in *Actio de calumnia*.

Formula intentionis in actione exercitoria. V. illam supr. in *Actio exercitoria*.

Formula intentionis in actione de dote. V. illam supr. in *Actio de dote*.

Formula intentionis in actione de furto. V. illam supr. in *Actio de furto*.

Formula intentionis in actione institoria. V. illam supr. in *Actio institoria*.

Formula intentionis in actione quod jussu. V. illam supr. in *Actio quod jussu*.

Formula intentionis in actione quod metus causa gestum est. V. illam supr. in *Actio de eo quod metus*...

Formula intentionis in actione de pauperie. V. illam supr. in *Actio de pauperie*.

Formula intentionis in actione de peculio. V. illam supr. in *Actio de Peculio*.

Formula intentionis in actione de rapina. V. illam supr. in *Actio de rapina*.

Formula intentionis in actione de servo corrupto. V. illam supr. in *Actio de servo corrupto*.

Formula intentionis in actione tributoria erat: *Ajo, Mævium peculiares Stichi sui servi merces ex edicto non distribuisse, & quanto minus tributum sit quàm debuerit, tantum mihi dare oportere*. Sigon. de Judic. I. 21.

Formula intentionis in actione de ventre cognoscendo. V. illam supr. in *Actio de ventre cognoscendo*.

Formula intentionis in ambitu erat: *Ajo, te in petendo consulatu pecuniam dedisse tribubus, prandia, locum gladiatoribus contra legem Tulliam, atque pœnam qua lege continetur, à te repeto*. Sigon. de Judic. II. 10.

Formula intentionis in contentione ex contractu erat: *Ajo, te mihi mutui, aut commodati, aut depositi, aut aliorum contractuum nomine dare centum oportere*. Ille, unde petebatur, aut inficiabatur, aut excipiebat. Inficiabatur ita dicens: *Nego me tibi dare centum eo nomine debere*. Excipiabat partem actionis excludens, ita: *Nego me tibi ex stipulatu centum dare debere, nisi quod metu, aut dolo, aut errore adductus spopondi: aut, ni minor annis XXV. siem*. Plaut. Rud. V. 3. 22.

GR. *si vidulum*
Istum redegissem in potestatem ejus, juratus dare
Mihi talentum magnum argenti. LA. *Cedo qui cum habeam judicem,*
Ni dolo malo instipulatus sis, nive etiam dum siem
Quinque & viginti natus annos.

Sigon. de Judic. I. 21.

Formula intentionis in crimine repetundarum erat: *Ajo, te in prætura spoliasse Siculos contra legem Corneliam, atque eo nomine sestertium millies à te repeto*. Cicer. Divin. c. 5. *Sicilia tota, si una voce loqueretur, hoc diceret: quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris fuit, quod jus in unaquaque re beneficio senatus, populique Romani habui, id tu mihi C. Verres eripuisti, atque abstulisti: quo nomine abs te sestertium millies ex lege repeto*. Sigon. de Judic. II. 10.

Formula intentionis in noxali actione. V. illam supr. in *Actio noxalis*.

Formula intentionis in actione damni lege Aquilia. V. illam supr. in *Actio damni*.

Formula intentionis in actione de in rem verso quænam fuerit. V. supr. in *Actio de in rem verso*.

Formula intentionis in peculatu erat: *Ajo, te pecuniam publicam, cum quæstor esses, avertisse, & falsas rationes ad ærarium retulisse: atque eo nomine sestertium quingenties à te repeto*. Sigon. de Judic. II. 10.

Formula intercessionis tribunitiæ erat: *Veto*. Liv. VI. 35. *Bene habet, inquit Sextius, quandoquidem tantum intercessionem pollere placet, isto ipso telo tutabimur plebejos. Agedum comitia indicite patres tribunis militum creandis. Faxo juvet vox ista, Veto*. Hotom. de Form. III. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1916. E. Brisson. de Form. III. p. 263. Pitisc. in Suet. Tib. c. 2. n. 10.

Formula interdicti de bonis prodigi erat: *Quando in bona paterna, avitaque nequitia tua disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi ea re, commercioque interdico*. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1916. E.

Formula interrogandi testis erat: *Quæro de te, arbitrerisne?* Liv. IV. 40. *Sexte Tempani, quæro de te, arbitrerisne, C. Sempronium consulem in tempore pugnam inisse?* Ipsi testes respondebant jurati, respondentesque dicebant: *Arbitror*. Cicer. pro Font. c. 9. *Primum illud verbum consideratissimum nostræ consuetudinis, arbitror, quo nos etiam tunc utimur, cum ea dicimus, jurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio sustulit*. Sigon. de Judic. II. 15. Pollet. For. Rom. IV. 13. Brisson. de Form. V. p. 477.

Formula interrogandi, qua censores in jurejurando de moribus utebantur, quænam fuerit. V. supr. in *Ex animi sententia*.

Formula judicii in actionibus arbitrariis erat: *Esto arbiter, & si paret, Mævium metu coegisse Servilium, ut centum daret, aut dolo malo iniquis ponderibus usum, ut eum fraudaret, aut eidem stipulanti spopondisse, se centum tritici modios Bononiæ daturum, neque arbitrio judicis ei satisfaciat, tum quantum Servilius in litem juraverit, tanti damnato. Si paret, Mævium vestem, quam Servilius exhiberi postulat, habere, neque is arbitrio judicis eam exhibeat, tum quanti in litem Servilius juravit, tanti damnato*. Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in actionibus bonæ fidei erat: *Si paret, Mævium Servilio domum aut vendidisse, aut locasse, tum quantum Mævium Servilio ob eam rem dare ex fide bona oportet, tanti damnetur. Si paret, Mævium Servilio domum mancipasse ea lege, ut remanciparet, ut inter bonos viros bene agier oportet, tum quantum Servilium Mævio dare ob eam rem ex fide bona oportet, tantum damnato. Si paret, Terentiam Tullio præter dotem alia dedisse, tum quantum æquius melius videbitur, Tullium damnato*. Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in actionibus, in quibus cum dominis agitur causa servitutis, erat: *Si paret, Servilium Sticho Mævii servo jussu Mævii centum credidisse, neque Mævius Servilio satisfaciat, tum Mævius damnetur. Si paret, Mævium Sticho, quem Servilius in navi, quam exercet, magistrum præfecerat, centum aureos ejus rei causa, cui præfectus erat, credidisse, neque Servilius Mævio satisfecerit, tum Servilius damnetur. Si paret, Mævium peculiares Stichi servi sui merces ex edicto non distribuisse, tum quanto minus tributum sit, quàm debuerit, tanti damnetur. Si paret, Servilium Sticho Mævii servo centum credidisse, ut Mævii domum labentem fulciret, tum Mævius quatenus & in rem versum, & in peculio Stichi esse constabit, damnetur. Si paret, Stichum Mævii servum Servilio noxam nocuisse, tum Mævius aut solvere, aut Stichum noxa Servilio dedere, damnetur. Si paret, ursum Mævii, aut vulnus Servilio intulisse, aut vestem lacerasse, tum Mævius, aut quanti æquum esse videatur, aut duplum, quanti vestis est, damnetur*. Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in actionibus mistis erat: *C. Aquilli, judex esto: itaque familiam herciscitor, ut quod cuique ex heredibus adjudicandum esse videbitur, quodque Servilium Mævio dare, facere oportet, judices*. Item: *judex esto: itaque res communes Servilii & Mævii dividito, ut quod cuique adjudicandum videtur, quodque Servilium Mævio dare, facere oportet, judices*. Item: *Judex esto: itaque fines agrorum dirigito, ut quod cuique adjudicandum esse videbitur,*

quodque Servilium Mævio dare, facere oportet, judices. Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in actionibus, in quibus pars petitur, erat: *Si paret, Mævium Lucio Servilii filio centum mutuo dedisse, tum Lucius pater, quantum ex filii peculio facere poterit, damnetur: si paret, Terentiam Tullio centum nomine dotis dedisse, tum Tullius, quantum facere poterit, damnetur.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in actionibus pœnalibus erat: *Judex esto: si paret, Mævium centum Servilio abstulisse, & manifesto deprehensum esse, Mævium in quadringentos damnato: si paret, Mævium Servilio vestem eripuisse, atque ejus rei nomine eum in quadruplum Servilio dare oportere, Mævium in quadruplum damnato: si paret, Mævium Stichum servum Servilii interfecisse, factumque illud inficiatum esse, Mævium in duplum, quanti ea res eo anno plurimi fuerit, damnato.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in caussa libertatis, & ventris erat: *Si paret, Servilium liberum, aut ingenuum esse, liberum, aut ingenuum pronuntiato: si paret, Stichum servum, aut libertum Mævii esse, servum, aut libertum pronuntiato.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii in condictione erat: *Si paret, Servilium Mævio mutui, aut depositi nomine centum dare oportere, neque eos restituerit, Servilium damnato: si paret, Servilium domum, aut navim ædificare, aut vestem polire ex stipulatu oportere, neque satisfecerit, eum damnato: si paret, Mævium Servilio mercedem, de qua inter eos convenerat, ob polita ejus vestimenta dare oportere, neque dederit, eum damnato: si pares, vestem, quam Stichus Mævio furto abstulit, Mævii esse, neque Stichus eam restituerit, Stichum damnato.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula judicii recuperatorii erat: *si pareret.* Cicer. pro Quint. Rosc. c. 4. *Si pareret* H.S. ɔɔɔ. *dari oportere.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græc. Tom. II. p. 1917. A. Pollet. For. Rom. III. 15.

Formula judicii in vindicatione rei corpus habentis erat: *C. Aquili, judex esto: si paret, fundum Capenatem, de quo Servilius agit cum Catulo, Servilii esse ex jure Quiritium, neque is Servilio à Catulo restituatur, tum Catulum damnato.* Hinc reprehendit Verrem Cicero, qui in hæc verba judicem dedit: *C. Octavi, judex esto: si paret, fundum Capenatem ex jure Quiritium P. Servilii esse, neque is fundus Q. Catulo restituatur; cum debuisset dicere, neque is fundus Servilio restituatur.* Quod si exceptio intercederet, addebat: *Extra quam si testamentum prodatur, quo apparet, Catuli esse.* Sæpè tamen prætor reo iniquus exceptionem addere noluit: qua de caussa tribunni plebis appellari poterant. Cicer. Acad. IV. 30. *Postulat, ut excipiantur hæc inexplicabilia, tribunum aliquem censeo adeant, a me istam exceptionem nunquam impetrabunt.* Corpore vacantis erat: *si paret, usumfructum fundi Servilii esse Mævii, neque Servilius eum uti frui sinat, tum Servilium damnato: si paret, jus eundi, agendi per fundum esse Mævii, neque Servilius eum ire, agere sinat, tum Servilium damnato: si paret, jus ex fundo Servilii aquam ducendi, vel jus versus ædes Servilii altius tollendi esse Mævii, neque Servilius aquam ducere, aut altius tollere sinat, tum Servilium damnato.* Sigon. de Judic. I. 24.

Formula, qua judicium dabatur & postulabatur, erat: *si pateret*, aut *si appareret*: ut, *dabat iste judicium, si pateret, jugera ejusmodi fundi esse plura, quàm colonus esset professus, tum Xeno damnaretur.* Cicer. Ver. III. 22. Item: *quærebant, in qua verba recuperatores daret: respondebat, si pateret, adversus edictum fecisse.* Cicer. Verr. III. 28. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 5.

Formula judicum, cum caussam non intellexissent, erat: *Sibi non liquere*: atque inde secunda actio instituebatur. Gell. XIV. 2. *Ut absolverem, inducere in animum non quivi; & propterea juravi mihi non liquere, atque ita judicatu illo solutus sum.* Cicer. pro Clu. c. 28. *Homines sapientes ex veteri illa judiciorum disciplina, qui neque absolvere hominem nocentissimum possent: neque eum, de quo orta esset suspicio, pecunia oppugnatum re incognita condemnare vellent, non liquere dicebant.* Sigon. de Judic. I. 29. Oizel. in Gellium.

Formula jurisjurandi. V. illam supr. in *Ex animi tui sententia.* Per Jovem lapidem traditur à Festo: *Lapidem silicem tenebant juraturi per Jovem, hæc verba dicentes: si sciens fallo, tum me Diespiter salva Urbe, arceque bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem.* Polybius supr. in *Fœdus.* Militaris traditur à Gell. XVI. 4. *In magistratu C. Lælii C. filii consulis, L. Cornelii P. filii consulis in exercitu, decemque millia passuum prope, furtum non facies dolo malo, solus, neque cum pluribus, pluris nummi argentei in dies singulos. Extraque hastam, hastile, lignum, napum, pabulum, utrem, follem, faculam, si quid ibi inveneris, sustulerisve quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, uti tu ad C. Lælium C. filium consulem, L.ve Cornelium P. filium consulem, sive quem ad utrum eorum jus erit, proferes: aut profitebere in triduo proximo, quicquid inveneris, sustulerisve sine dolo malo, aut domino suo, cujum id censebis esse, reddes, uti quod rectè factum esse voles.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1917. F. Brisson. de Form. II. p. 338. Stevvech. in Veget. II. 4. Donat. Dilucid. p. 752. ...

Formula Kalendarum indicendarum quænam fuerit. V. infr. in *Kalendæ.*

Formula legati testamentarii I. per vindicationem erat: *do, lego, capito, sumito, sive habeto.* II. per damnationem: *heres meus damnas esto dare: dato, facito, heredem meum dare jubeo.* III. sinendi modo: *heres meus damnas esto sinere, Lucium Titium sumere illam rem, sibique habere.* IV. per præceptionem: *Lucius Titius illam rem præcipito.* Ulpian. Institut. c. 24. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1918. *F.*

Formula legis ferendæ erat: *Velitis jubeatis Quirites.* Cicer. pro Dom. c. 40. *Si quid jus non fuit rogari, ejus ea lege nihilum rogatum.* Cic. Cæc. c. 33. *Consules populum jure rogaverunt, populusque jure scivit.* Cicer. Phil. I. 10. jubendæ, vel antiquandæ: *Uti rogas, vel antiquo.* V. supr. in *A*, & infr. in *U.* sanciendæ: *Ne per saturam abrogato, derogarive jus esto.* Festus. Hotom. de Form. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1918. D.

Formula libandi diis vini quænam fuerit, V. infr. in *Formula sacrificii porca.*

Formula literarum ab Imperatoribus ad senatum incolumi exercitu mittendarum erat: *Si vos & liberi vestri valetis, bene est: ego & exercitus valemus.* Cicero persæpè in Epistolis. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 1919. *A.*

Formula lustrandi agri erat: *Mars pater te precor, quæsoque, uti sies volens, propitius mihi, domo, familiæque nostræ; cujus rei ergo agrum, terram, fundumque meum suovetaurilia circumagi jussi: uti tu morbos visos, invisosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperiasque prohibessis, defendas, averruncesque: utique tu fruges, frumenta vineta, virgultaque grandire, beneque evenire siris, pastores, pecuaque salva servassis, duisque bonam salutem, valetudinemque, mihi, domo, familiæque nostræ. Harumce rerum ergo, fundi, terræ, agrique mei lustrandi, lustrique faciendi ergo, sicuti dixi, macte hisce suovetaurilibus lactentibus immolandis esto. Mars pater, ejusdem rei ergo, macte hisce suovetaurilibus lactentibus esto. Item cultro facito struem, & fertum uti adsit; inde obmovete. Ubi porcum immolabis, agnum, vitulumque, sic oportet. Ejusque rei ergo macte hisce suovetaurilibus immolandis esto: nominare vetat Martem, neque agnum, vitulumque. Si minus in omnes litabis, sic verba concipito: Mars pater, si quid tibi in illisce suovetaurilibus lactentibus, neque satisfactum est, te hisce suovetaurilibus piaculo. Si uno, duobusque dubitaveris, sic verba concipito: Mars pater, quod tibi illoc porco neque satisfactum est, te hoc porco piaculo.* Cato de Re rust. c. 142. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 1919. *B.*

Formula mancipandi. V. illam supr. in *Emancipatio.*

Formula manumittendi. V. illam supr. in *Formula asserendi in libertatem.*

Formula missionis ignominiosæ. V. illam infr. in *Missio ignominiosa.*

Formula multæ in judicio erat: *ego ei unam ovem multam dico.* Gell. XI. 1. *M. Terentius quando citatus, neque respondit, neque excusatus est, ego ei unam ovem multam dico.*

Ho-

Hotom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. pag. 1920. A.

Formula postulandi judicem à prætore erat: *Judicem, arbitrumve postulo, ut des in diem tertium, sive perendinum.* Cicer. pro Mur. c. 12. *Illud mihi mirum videri solet, tot homines, tam ingeniosos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, utrum diem tertium, an perendinum, judicem, an arbitrum, rem, an litem dicere oporteret.* Sigon. de Judic. 1. 23.

Formula postulantis vindicias quænam fuerit, V. infr. in *Vindicia*.

Formula postumoa instituendi erat: *Filius meus heres esto: si filius meus me vivo moriatur, tunc si mihi quis ex eo nepos, sive qua neptis post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus, nata erit, heredes sunto.* Scævol. l. Gallis 29. ff. de liber. & postum. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. 11. p. 1921. C.*

Formula præconii in sacrificiis fuit *hoc age*. V. illam supr. in *Age hoc*. Et *favete linguis*. V. illam supr. in *Favere*.

Formula præconis in senatusconsulto per discessionem quænam fuerit. V. supr. in *Alia omnia*.

Formula præfandi in omnibus rebus erat: *Quod bonum faustum, felix, fortunatumque sit.* Cicer. de Divin. 1. 45. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. 11. p. 1921. C.*

Formula precationis, qua in pompæ principio Romani Imperatores triumphantes in Vaticano utebantur, erat: *Dii nutu, & imperio quorum nata & aucta est res Romana, eandem placati, propitiatique servate.* In fine verò Capitolium ascendentes, hæc: *Gratias tibi Jupiter optume maxume, tibique Junoni Regina, & cateris hujus custodibus, habitatoribusque arcis dii lubens, latusque ago, re Romana in hanc diem, & horam, per manus, quod voluistis, meas servata, bene gestaque: eandem & servate, ut facitis, fovete, protegite propitiati, supplex oro.* Macrob. Sat. 1. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. 11. p. 1921. A.*

Formula precationis consularis in consule renuntiando erat: *Quod mihi, magistratuique meo, populo, plebique Romana feliciter eveniret, L. Murenam consulem renuntiavi.* Cicer. pro Mur. c. 1. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. 11. p. 1921. B.*

Formula pronuntiandæ condemnationis erat: *Videtur fecisse, aut, non jure videtur fecisse.* Festus: *Patravisse videri, pronuntiat magistratus, cum de consilii sententia aliquem capitis condemnaturus est.* In illa non solum crimen commissum, sed etiam pœna sumenda comprehendebatur: e.g. *Videtur vim fecisse, atque eo nomine aqua & igni illi interdico. Videtur provinciam spoliasse, atque eo nomine litem ei æstimandam esse.* Siquidem sic scribit Pompon. ff. de Interdictis: *Iis, qui relegantur, dies excedendi dari à præsidibus solet. etenim moris est, ita pronuntiari: illum provincia illa relego.* Fieri etiam potuit, ut de pœna reticuerit, & ad legem rem rejecerit. Martian. ff. ad S. C. Turpil. *Si pronuntiavit, calumniatus es, condemnavit eum: & quamvis de pœna nihil subjecerit, tamen legis potestas adversus eum exercebitur.* Sigon. de Judic. 11. 22.

Formula provinciæ quænam dicta fuerit, V. infr. in *Jus provinciale*.

Formula quærendi, an possessor auctor sit, erat: *Quando te in jure conspicio, postulo anne fies auctor?* Cicer. pro Cæc. c. 19. *Actio est in auctorem præsentem: quando te in jure conspicio, postulo anne fies auctor?* Caj. ff. de rei vindicat: *Qui petitorio judicio utitur, ne frustra experiatur, requirere debet, an is, cum quo instituit actionem, possessor sit, vel dolo desiit possidere.* Sigon. de Judic. 1. 21.

Formula Regis ab Interrege rogandi erat: *Quod bonum, faustum, felixque sit, Quirites, Regem create: ita patribus visum est: patres deinde, si dignum, qui secundus à Romulo numeretur, crearitis, auctores fiant.* Liv. 1. 17. Inaugurandi: *Jupiter pater, si est fas, hunc Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, Regem Romæ esse, uti tu signa nobis certa adclarassis, inter eos fines, quos feci.* Liv. 1. 18. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. 11. p. 1921. D.*

Formula rei dimittendi erat: *nihil moror*. Liv. IV. 42. *Non videbit, inquit, plebs Romana sordidatos tribunos suos. C. Sempronium nihil moror.* Sigon. de Judic. III. 13.

Formula rei uxoriæ quænam fuerit. V. supr. in *Formula actionis bonæ fidei*.

Formula relegandi erat: *Illum provincia illa, insulisque ejus relego: excedereque debebit intra illum diem.* Ulpian. l. 7. §. his qui ff. de interd. & releg. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. 11. p. 1921. D.*

Formula replicationis erat: *Aut, si mihi mandatum est, ut à te peterem*, l. Itaque 48. de procurat. *Aut si res judicata non sit*, l. 24. de except. rei jud. *Aut si damnatione interposita secundum decretum vendideris*, l. consilio 7. ff. de curat. fur. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. 11. p. 1921. E.*

Formula repudii quænam fuerit. V. illam infr. in *Repudium*.

Formula rogandi judicis erat: *Qua salva fide facere possit.* Cicer. de Offic. III. 10. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. 11. p. 1921. E.*

Formula rogationis de tribunitio magistratu erat: *Si tribunos plebis decem rogabo, si quos minus hodie decem tribunos plebis fecerint: tum, quos sibi collegas cooptassint, ita illi legitimi eadem lege tribuni plebei sint, ut illi, quos hodie tribunos plebei feceritis.* Liv. III. 64. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. 11. p. 1922. A.*

Formula sacrificii porcæ præcidaneæ ante messem describitur à Caton. de Re Rust. c. 135. *Prinsquam messem facies, porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet. Cereri porca præcidanea, porcam feminam prinsquam hasce fruges condantur, far, triticum, ordeum, fabam, semen rapicium, thure, vino, Jano, Jovi, Junoni præfato. Prinsquam porcum feminam immolabis, Jano struem commoveto sic: Jane pater, te hac strue commovenda bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, liberisque meis, domo, familiaque mea. Ferctum Jovi moveto, & mactato sic: Jupiter te hoc fercto commovendo bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, liberisque meis, domo familiaque mea; mactus hoc fercto. Postea Jano vinum dato sic: Jane pater, uti te strue commovenda bonas preces bene precatus sum, ejusdemque rei ergo macte vino inferio esto. Postea Jovi sic: Jupiter macte fercto esto, macte vino inferio. Postea porcam præcidaneam immolato. Ubi exta profecta erunt, Jano struem commoveto, mactatoque item uti prius obmoveris. Jovi ferctum obmoveto, mactatoque uti prius feceras. Item Jano vinum dato, & Jovi vinum dato, ita uti prius datum ob struem commovendam, & ferctum libandum: postea Cereri exta, & vinum dato.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 11. p. 1922. C. Brisson. de Form. 1. 32.

Formula salutationis matutinæ erat: *ave*, vespertinæ: *salve*. Dio LXIX. p. 796. V. illum supr. in *Ave*. Patris patriæ. *Quod bonum faustumque sit tibi, domuique tua, Cæsar Auguste, senatus te consentiens cum populo Romano consalutat patriæ patrem.* Suet. Aug. c. 58. n. 2. in epistolis: Senec. Epist. 15. *Mos antiquus fuit usque ad meam servatus ætatem, primis epistolæ verbis adjicere: si vales, bene est. Recte & nos dicimus, si philosopharis, bene est.* Plin. Epist. 1. 11. *Vel solum illud scribe, unde priores incipere solebant: si vales, bene est, ego valeo.* V. supr. in *Epistola*. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 11. p. 1922. A. Lipsi. ad Senecam.

Formula Scti consulibus quid mandantis erat; *Si eis videatur.* Donat. in Adelph. III. 5. 1. *Sic honorifice additur verbo, ne, quod imperativo modo pronuntiatur, superbum sit. Deductum est autem à Sctis formula. Ubi enim aliquid senatus consulibus injungit, addit: si eis videatur.* Justin. XXXI. 1. 6. *Senatus scripsit Flaminino, si ei videatur, sicuti Macedoniam à Philippo, ita Græciam à Nabide liberet.* Cicer. Phil. IX. 7. *Utique C. Pansa, A. Hircius coss. alter, ambove, si eis videbitur, quæstoribus urbanis imperent.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 11. p. 1922. E. de Senat. & Sctis II. 8. Brisson. de Form. II. p. 218. Zamosc. de Senat. Rom. II. 12. Scribendi: *Quid in ea re fieri placeret, de ea re ita censuerunt.* Cicero persæpè. Hotom. de Form. ibid. F. Brisson. ibid. pag. 169. Summi: *Videant*, aut *dent operam consules, ne quid Respublica detrimenti accipiat.* Hoc in atrocioribus negotiis, & aliqua im-

impendente procella, imò verò cum in maximum periculum, extremumque pænè discrimen adducta videbatur Respublica, decerni consueverat. Et est ultimæ necessitatis semper habita. Liv. III. 4. *Tantumque terrorem incussere patribus, ut, quæ forma SCti ultima semper necessitatis habita est, Postumio alteri consulum negotium daretur, videret ne quid detrimenti Respublica caperet.* Sallust. de Bell. Catil. p. 23. V. illum supr. in *Consul.* Quo uno versiculo satis armatos eos semper fuisse, etiam nullis armis datis, scribit Cicer. pro Mil. c. 26. *Quamquam quis hoc credat, Cn. Pompejum juris publici, moris majorum, rei denique publicæ peritissimum, cum senatus ei commiserit, ut videret, ne quid Respublica detrimenti caperet, (quo uno versiculo satis armati semper consules fuerunt, etiam nullis armis datis) hunc exercitu, hunc delectu dato, judicium exspectaturum fuisse in ejus consiliis vindicandis, qui vel judicia ipsa tolleret?* Lips. de Magistrat. Roman. c. 9. Bud. in Pandect. p. 85. D. Turneb. Adv. XXX. 15. Brisson. de Form. II. p. 211. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1922. E. Caroli Antiq. Rom. II. 9.

Formula sententiæ in actione injuriarum erat: aut *jure fecisse*, aut *non jure fecisse* videri. Hoc est apud Justin. tit. de injur. *Injuria est ἀδικία, iniquitas. Itaque cum prætor, vel judex, non jure, contra quem pronuntiat, injuriam accepisse dicitur.* Hinc nota illa vox Coocinnati dictatoris apud Liv. IV. 15. *Se Melium jure cæsum pronuntiare.* Scipionis apud Val. Max. VI. 2. 3. *Sibi Gracchum jure occisum videri.* Brisson. de Form. V. p. 483. Sigon. de Judic. I. 29.

Formula sententiæ in causa exhæredationis erat: *Videtur causas habuisse te exhæredandi.* Plin. Epist. V. 1. 6. *Ego ex consilii sententia, videtur, inquam, Curiane, mater tua justas habuisse causas irascendi tibi.* Sigon. de Judic. I. 29. Brisson. de Form. VII. p. 605.

Formula sententiæ in causa de libertate, & de ventre cognoscendo erat; *Sibi videri hominem, aut liberum, aut ingenuum, aut servum, aut libertum, aut filium ejus esse, aut non.* Sic Ulpian. ff. de liber. caus. *Pronuntiare debebunt judices, servum illius non videri.* Sigon. de Judic. I. 29.

Formula sententiæ in perduellionis damnatum ferendæ erat: *Lictor, colliga manus, caput obnubito, infelici arbori suspendito.* Cicer. pro Rab. c. 4. Liv. I. 26. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1923. A.

Formula sententiæ in privatis litibus pronuntiandæ erat: *Si quid mei judicii est.* Cicer. de Fin. II. 12. *Privatarum litium judices sumus. Nihil enim possumus judicare, nisi quod est nostri judicii. In quo frustra judices solent, cum sententiam pronuntiant, addere: si quid mei judicii est.* Hotom. de Form. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1923. B.

Formula sententiæ, si reus judicis arbitrio non pareret, erat: *Quantum ei debes, redde. Divisioni vestræ stari placet: pro ea parte, quam solvisti creditoribus, accipe.* Pompon. ff. de arbitr. *Sigon. de Judic. c. 1. 29.*

Formula servum petendi. V. illam infr. in *Vindicatio.*

Formula sponsione in judicio adversarium provocandi erat; *Ni ita esset.* Hac facta reus petitorem vicissim provocabat hoc modo: *Quando negas, hunc servum meum esse, sacramento te quingenario provoco. Spondesne quingentos, si meus sit:* id est, si meum esse probavero. Cui reus, *spondeo, si tuus sit.* Et si sponsionem recusasset, litem amisisset. Inde restipulans rogabat: *Et tu spondesne quingentos, ni tuus sit?* id est, si probavero, tuum non esse. Cui petitor: *spondeo, ni meus sit.* Atque hoc nisi fecisset, litem amisisset. *Sigon. de Judic. 1. 21. Brisson. de Form. v. p. 369.*

Formula sponsionis erat: *Quod à Flavio abstulero, partem dimidiam inde Roscio me soluturum spondeo.* Cicer. pro Q. Rosc. c. 18. In arbitrio: *Ni vir bonus sit.* Cicer. Offic. III. 19. In judicio: *Nisi Apronius in decumis socium esse dicat.* Cicer. Ver. III. 57. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1923. D.*

Formula stipulandi erat: *Spondes? spondeo: promittis: promitto: fidejubes? fidejubeo: dabis? dabo: facies? faciam.* Justin. §. 1. de verb. oblig. *Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1923. D.*

Formula stipulationis in emptione boum, aut juvencorum traditur à Varr. de Re Rust. II. 5. *Eos cum emimus domitos, stipulamur sic: illosce boves sanos, noxisque præstari? Cum emimus indomitos, sic: illosce juvencos sanos recte, deque pecore sano esse, noxisque præstari spondesne?* caprarum à Varr. de Re rust. II. 3. *Illas capras hodie recte esse, & bibere posse, habereque recte licere, hæc spondesne?* ovium à Varr. de Re rust. II. 2. *Cum emptor dixit, tanti mihi sunt emptæ? & ille respondit, sunt, & expromisit nummos, emptor stipulatur prisca formula sic: illasce oves, qua de re agitur, sanas recte esse, uti pecus ovillum, quod recte sanum est extra luscam, surdam, minam, id est, ventre glabro; neque de pecore morboso esse, habereque recte licere: hæc si recte fieri spondes?* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Roman. Græc. Tom. II. p. 1923. E. Brisson. de Form. VI. p. 491. Rævard. Protribun. c. 10.

Formula suffragii, cum rogatio accipiebatur, erat: *Uti rogas, jubes.* Liv. XXXI. 8. *Ab hac oratione in suffragium missi, uti rogarat, bellum jusserunt.* XXXVIII. 54. *Remittentibus ergo his intercessionem, omnes tribus, uti rogasset, jusserunt.* Et XXXIII. 25. V. illum infr. in *Tribus.* Brisson. de Form. II. p. 133. An hæc *formula* semper à Livio expressa sit, & ubicunque exstat, *uti rogarat, uti rogasset* scribendum, *uti rogas*, inter se disputant *Sigonius & Gronovius ad Liv. XXXI. 8.*

Formula tabularum nuptialium erat: *Liberorum quærendorum, vel suscipiendorum, vel procreandorum causa.* Ennius in Ctesiphonte apud Festum in Quæso:

Ducit me uxorem liberorum sibi quæsendum causa.

Svet. Jul. c. 52. nu. 5. *Uti uxores liberorum quærendorum causa duceret.* Tacit. Annal. XI. 27. 2. *Adhibitis qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa convenisse.* August. de Civ. Dei XIV. 18. *Quid concubitus conjugalis, qui secundum matrimonialium tabularum præscripta, procreandorum fit causa liberorum.* Et hic est verus conjugii finis. Et feminæ nubunt, ut mater fiat. Et hinc matrimonium omnis causa dictum. Apud Athenienses *legitima conjunctio ad seminandos liberos dicitur fieri.* Isidor. Pelus. Epist. III. 243. Menander etiam pulcrè apud Clement. Alex. Strom. II. p. 421. A.

Ad seminandos liberos tibi trado
Meam filiam.

Brisson. de Form. VI. p. 542. Lips. in Tacit. n. 107. Merul. in Ennium. Pitisc. in Svetonium.

Formula templi concipiendi traditur à Varr. de Ling. Lat. VI. 2. *Concipitur templum verbis, non iisdem usquequaque. In arce ita: tesquaque mea sunto, quoad ego eas relinquam, nuncupavero. Olla ver arbor, quicquid est, quod me sentio dixisse, templum tescumque ferto in dextrum: Interea conregione, conspicione, cortumione, utique ea rectissime sensi.* Brisson. de Form. I. p. 222. Hotom. de Form. Thes. Ant. Rom. Græ. Tom. II. p. 1924. A.

Formula testamenti nuncupati erat, ut traditur ab Ulp. Instit. c. 20. *hæc uti in his tabulis, cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor. Itaque vos Quirites, testimonium præbetote.* Hotom. de Form. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1923. F. Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom. I. 12.

Formula Vestalis capiundæ erat: *capio te Amata,* Gell. I. 12. *Sacerdotem Vestalem, quæ sacra faciat, quæ jus siet sacerdotem Vestalem facere, pro populo Romano Quiritium, uti quæ optima lege fiat, ita te Amata capio.* Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1924. C. Brisson. de Form. I. p. 118.

Formula voti concipiendi traditur à Liv. V. 21. *Tuo ductu, Pythice Apollo, tuoque numine instinctus pergo ad delendam urbem Vejos: tibique hinc decimam partem prædæ voveo: te simul, Juno Regina, quæ nunc Vejos colis, precor, ut nos victores in nostram, tuamque mox futuram urbem sequare: ubi te dignum amplitudine tua templum accipiat.* Hotom. de Form. p. 1924. E. Brisson. de Form. I. p. 96. De vere sacro ab eodem XXII. 10. *Velitis, jubeatisne hoc sic fieri, si respublica populi Romani Quiritium ad quinquennium proximum, sicut velim eam, servata salva erit hisce duellis, datum donum duit populus Romanus Quiritium, quod duellum populo Romano*

no

no cum Carthaginensi est, quaque duella cum Gallis sunt, qui cis Albes sunt: quod ver attulerit ex suillo, ovillo, caprino, bovillo grege, quaque profana erunt, Jovi fieri, ex qua die senatus populusque jusserit. Qui faciet, quando volet, quaque lege volet, facito: quomodo faxit, probè factum esto. Si id moritur, quod fieri oportebit, profanum esto; neque scelus esto, si quis rumpet, occidetve insciens, ne fraus esto. Si quis clepsit, ne populo scelus esto, neve cui cleptum erit. Si atro die faxit insciens, probe factum esto. Si ante idea senatus populusque jusserit fieri ac faxit, eo populus solutus, liber esto. Hotom. de Form. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 1924. C. Brisson. de Form. I. p. 97. Lomej. de Lustrat. c. 6.

FORMULARII dicti sunt advocati, quod *formulas* actionum componere solerent. Val. Max. VI. 2. 12. *Aulus Cascellius vir juris civilis scientia clarus, quàm periculosè contumax! Nullius enim aut gratia, aut auctoritate compelli potuit, ut de aliqua earum rerum, quas triumviri dederant, formulam componeret. Formularios* illos vocat Quintil. XII. 3. *Formularii, ac, ut Cicero ait, leguleji quidam esse maluerunt.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. I. Turneb. Adv. IV. 5. Budæo Pandect. p. 36. K. Poller. For. Rom. II. 2.

FORNACALIA erant sacra, quæ pro universo populo farris torrendi gratia celebrabantur. Festus: *Fornacalia feria instituta sunt farris torrendi gratia: quod ad fornacem, quæ in pistrinis erat, sacrificium fieri solebat. Fornacalia sacra erant, cum far in fornaculis torrebant.* Illa instituit Numa Pompilius. Plin. XVIII. 2. *Is*, Numa, *& Fornacalia instituit, farris torrendi ferias.* Et indixit curio maximus. V. Ovidium supr. in *Feria stultorum.* Alex. Gen. III. 12. Siccain. in Fast. Kalend. Roman. c. 4. Lipen. de Stren. c. 4. §. 70. Bud. in Pandect. p. 117. K. Perion. de Magistrat. Græcor. & Roman. III. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2809. A. Laurent. vat. sacr. gentil. c. I. & 14. Stuck. de Sacrif. p. 148. Gyrald. Synt. deor. I. p. 41. B. XVII. p. 493. F. Voss. de Idolol. II. 61. & Lex. Etymol. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 430. Hospin. de Orig. Fest. p. 106. Rosin. Ant. Rom. IV. 6. Popm. de Oper. Serv. p. 142.

FORNACARIUS, sive *fornacator* erat servus, qui *fornacem* balnei, & caminum succendebat. Paull. l. 14. ff. de Instruct. vel instrum. legat. *Continetur autem & fornacator.* Turneb. Adv. VIII. 9. Baccius de Therm. vet. c. 9. Pignor. de Serv. p. 534. Guther. de vet. jur. Pontif. III. 4. Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c. 12. Mercur. de Art. Gym. I. 12. Popm. de Oper. Serv. p. 142. Hering. de Molend. c. 4. §. 56. *Fornacarium* tamen & *fornacatorem* diversos, ac separatos esse tentari potest. *Faber. Semestr.* II. 12. Erat enim *fornacarius* idem qui pristinarius, vel pistor. *Bud. in Pandect. p. 117. K. Voss. Lex. Etymol.* Ego tamen nihil hac de re statuo. *Gyrald. Synt. deor. I. p. 41. C.*

FORNAX est dea existimata, quoniam ante triticum, & ejus usum farra *fornacibus* torrebantur. Ovid. Fast. II. 525.

> *Facta dea est fornax: læti Fornace coloni*
> *Orant, ut fruges temperet illa suas.*

Lactant. I. 20. *Quis non rideat Fornacem deam, vel potius doctos viros celebrandis Fornacalibus operari?* Gyrald. Synt. deor. I. p. 41. A. Voss. de Idolol. II. 61. & Lex. Etymol. Lipen. de Stren. c. 8. Stuck. de Sacrif. p. 35. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 152.

FORNICARIA dicta est meretrix, quæ sub *fornice* prostare solet. Isidor. X. Glossæ veteres: *Fornicaria, πορνὴ ἡ ὑπὸ καμάραις, ἢ ἑταίρα. Voss. Lex. Etymol. Brisson. de Jur. connub. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. pag. 1067. A.*

FORNIX vocabatur tectum, si esset simile hemicylindro, hoc est, rotundum & oblongum, ad modum navis. *Voss. Lex. Etymol.*

Fornix arcus triumphalis quare fuerit dictus. V. supr. in *Arcus triumphales.* Exstruebatur in memoriam rerum à triumphalibus viris gestarum, quasi monumentum victoriæ. Cicer. de Orat. II. 66. *Etiam illa ridentur, quæ minuendi, aut augendi causa ad incredibilem admirationem efferuntur: velut tu Crasse in concione, ita sibi ipsi magnum videri Memmium, aut in forum descendens, caput ad fornicem Fabii demitteret.* Bud. in Pandect. p. 194. F.

Fornix Fabianus *est arcus juxta regiam, in Sacra via, à Fabio censore constructus, qui à devictis Allobrogibus Allobrox cognominatus est, ibique statua ejus posita propterea est.* Ascon. in Cicer. p. 49. V. supr. in *Arcus Fabianus.*

Fornix Septimii, quamvis semijustus, ac dirutus ad hanc usque ætatem ad Capitolii radices imo fori è regione templi D. Mariæ est. Is fuit Septimii Severi, quem cæteris omnibus Romanis pulcritudine longè præstitisse commemorant. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 5 t: III. 7. V. illum supr. in *Arcus*.

Fornix Stertinii à Stertinio est positus in foro Boario. Liv. XXXIII. 12. *L. Stertinius ex ulteriore Hispania, ne tentata quidem triumphi spe quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit, & de manubiis duos fornices in foro Boario ante Fortunæ ædem, & matris Matutæ, unum in maximo circo fecit, & his fornicibus signa aurata imposuit* 263. Castal. de Column. triumph. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1945. C. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 18. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 8.

FORS FORTUNA differt à *Fortuna*. Donat. Phorm. v. 6. I. ubi Terentius ipse, *ò Fortuna! ò Fors Fortuna! Fortuna dicta est incerta res: Fors Fortuna, eventus Fortunæ bonus. Et aliud Fortuna est, aliud Fors Fortuna: nam Fors Fortuna est, cujus diem festum colunt, qui sine arte aliqua vivunt: hujus ædes trans Tiberim est.* Ut in antiquis fastis, & apud Ovid. Fast. VI. 773.

> *Quàm citò venerunt Fortunæ Fortis honores!*
> *Post septem luces Junius actus erit.*
> *Ite, deam læti Fortem celebrate Quirites:*
> *In Tiberis ripa munera Regis habet.*

Ortel. Deor. & dear. cap. Fig. XLII. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 136. Petizon. Triad. Dissert. III. p. 244. VIII. Kal. Quint. ejus festum celebrabatur. Varro, qui in festis denarrandis mensium ordinem servat, de Ling. Lat. v. 3. & Servium Tullium auctorem facit his verbis: *Dies Fortis Fortunæ appellatus ab Servio Tullio Rege, quod is fanum Fortis Fortunæ secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Junio mense.* Perizon. de Græc. & Rom. magistr. III. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2813. B.

FORTUNA & fatum in suarum rerum eventu à sapientioribus inter paganos plerumque statuebantur. Fatum deorum, *fortuna* hominum respectu. Quicquid accidebat, à diis semel & certò decretum fati lege necessariò fieri non ignorabant. Sed cum homines extra cœli & deorum consortium positi, & futurorum ignari sæpè præter exspectationem, & contra votum eventa experirentur, casum & *fortunam* comminisci, atque huc omnia referre necesse habuerunt. Sic fatum in diis, & *fortunam* in hominibus simul conjunxit Juven. Sat. X. 349.

> *Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt dii,*
> *Carior est illis homo quam sibi. Nos animorum*
> *Impulsu, & cæca magnaque cupidine ducti*
> *Conjugium petimus, partumque uxoris: at illis*
> *Notum, qui pueri, qualisque futura sit uxor.*

Ex fato conjugia diis nota, hominibus ignota, & proinde apud eos *fortuna.* Idem ibid. n. 366.

> *—— nos te,*
> *Nos facimus fortuna deam, cœloque locamus.*

Fortuna in cœlo dea non est, sed fit in terris. Fit autem ex ignorantia mortalium, qui nec bona, nec mala sua ante eventum certo possunt explorare, & propterea fingunt, quod non est, quasi ex eo fit, quod est. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 4. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. p. 456. Inter communes, sive publicos deos habebatur. Unde & omnipotens, & publica appellatur in Inscriptionibus antiquis, quod illa non aliter, atque Jupiter ipse, nihil à providentia sua, curaque alienum habeat. *Boxhorn. ibid.* q. I. Ejus statuam Bupalus sculptor primus omnium Smyrnæis fecit, polum capite sistinentis, manuque Amaltheæ cornu ad declarandum illius bona. Clavis eidem tribuitur, vel ad significandam ejus firmitatem, vel ad exprimendam vim, & potentiam necessitatis, quæ *fortunam* sæpissimè comitatur juxta Hor. Od. I. 35. 17.

Te semper anteit sæva necessitas,
Clavos trabales, & cuneos manu
Gestans aena,

Isidor. VIII. 11. *Fortunam à fortuitis nomen habere dicunt, quasi deam quandam res humanas variis casibus & fortuitis illudentem.* Ejus vesanos cultores irridet Plin. II. 7. hæc de illa referens: *Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus fortuna sola invocatur, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conviciis colitur, volubilis, à plerisque verò & cæca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix.* Unde improba vocatur Juven. Sat. VI. 605.

—— stat fortuna improba noctu
Arridens nudis infantibus.

La Chausse de Deor. simul. tab. XXI. De *fortuna*, ejusque attributis multa Lactant. III. 29. Habebat interdum modium in capite abundantiæ symbolum, dextra navis gubernaculum, cui delphinus, & serpens superpositi sunt, sinistra cornucopiæ sustinebat. Serpens gubernaculo superpositus designat prudentiam ad stabilitatem *fortunæ* requiri. Delphino innuitur eandem navigationi præesse, & utrumque elementum ejus nutu gubernari: unde *hominum hera* vocatur. Plaut. Merc. V. 21.

Divum, atque hominum qua spectatrix, atque hera eadem es hominibus.

La Chausse ibid. tab. XXII. Versabatur rota. Tibull. 1. 6. 32.

Versatur celeri Fors levis orbe rota.

Cicer. in Pison. c. 10. *Cum collega tu domus cantu & cymbalis personaret, cumque ipse nudus in convivio saltaret: in quo ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem, Fortunæ rotam pertimescebat.* Claud. de Bell. Get. n. 631.

Sed dea, quæ nimiis obstat Rhamnusia votis,
Ingemuit, flexitque rotam.

Guilielm. Verst. II. 17. Gebbard. & Broukh. in Tibullum. Differt à Casu, sed quomodo, V. supr. in *Casus*. Et quænam mora illi tribuatur, V. supr. in *Fatum*. Pari jure quo genius colebatur mortalibus, tanquam quæ *opes, & humanarum rerum regimen obtineat*, ut est apud Lactant. III. 29. Ut Principis genius, ita & *fortuna* colebatur. Hinc illa apud Conseranos:

FORTU
NÆ. AUG
M. FAL
JUSTUS
EX
VOTO

Et majorum effigies appendebant. Colligimus hoc ex veteri fragmento marmoreo, in quo hoc carmen heroicum:

Tu. qua. Tarpejæ. coleris. vicina. Tonanti
Votorum. vindex. semper. fortuna. meorum
Accipe. qua. pietas. ponit. tibi. dona merenti
Effigiem. nostri. conservatura. parentis.

Tomas. de Donar. c. 8. Imperatores in bellum ituri *fortunam*, ut sibi esset propitia, à qua potissimum incertos Martis eventus dependere opinabantur, hostiis & votis deprecabantur. Hinc Demosthenes in bellum iturus suo clypeo inscripsit: Ἀγαθῇ τύχῃ. Et Cæsaris symbolum erat, *virtute duce, comite fortuna.* Inscriptio:

I. O. M.
ET. FORTUNÆ. SECUNDÆ
CÆS.

Tomas. ibid. c. 21. Non enim tantùm peritia, verùm *fortuna* quoque adminiculum ad victoriam requiritur: & victoriæ *fortuna* conjunguntur. Etenim, ut Pindar. Isthm. IV. 52.

Incertitudo fortunæ
Etiam pugnantium.

Et veluti Principum genius Principes comitabatur. V. inst. in *Fortuna aurea*. Ob varietatem, atque instabilitatem Principibus maximè timenda. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* 1. 17.

Fortuna Antiatina dicebatur, quæ Antii colebatur. Suet. Cal. c. 57. n. 6. *Monuerunt & fortunæ Antiatinæ, ut Cassio caveret.* Antii cultam fuisse docet Hor. Od. 1. 35. 1.

O diva, gratum quæ regis Antium.

Ejus simulacrorum mentionem facit Macrob. Sat. 1. 23. *Ut videmus apud Antium promoveri simulacra fortunarum ad danda responsa.* Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 467. E. Buleng. de Sort. c. 1. Ortel. deor. & dear. cap. 11. fig. 43. Struv. Ant. Rom. c. 6. p. 299.

Fortuna aurea nuncupata, in cubiculis Imperatorum haberi solebat. Hæc morituro Imperatore præsente transferebatur ad successorem. Capitol. Anton. Pio c. 12. *Tertia die quum se gravari videret, M. Antonino Rempublicam, & filiam præsentibus præfectis commendavit, fortunamque auream, quæ in cubiculo Principum poni solebat, transferri ad eum jussit.* Quæ repetuntur M. Anton. Phil. c. 7. *Regia* vocatur Spartian. Sever. c. 23. *Fortunam deinde regiam, quæ comitari principes, & in cubiculis poni solebat, geminare statuerat, ut sacratissimum simulacrum utrique relinqueret filiorum.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. c. 17. Gyrald. Synt. deor. p. 459. B. Laurent. de Natal. & conviv. c. 1. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. II. 16.

Fortuna barbata colebatur, ut cultorum suorum malas speciosiùs vestiret; à quibus autem sperneretur, glabros redderet. August. de Civ. Dei. VI. 1. *Nec à fortuna barbata bonis aliquid post hanc vitam esse sperandum.* Et *multi fortunæ barbatæ supplices ad nullam, vel deformem barbam pervenire potuerunt: & sic qui eam pro barba impetranda venerabantur, à barbatis ejus contemptoribus irridentur.* Saubert. de Sacrif. c. 7. Clond. Triumph. Roman. 1. p. 12. G. In inscriptione antiqua *fortunæ barbatæ* mentio fit: & sub barbati viri, dii enim erant utriusque sexus, dextra temonem tenentis habitu sculpitur:

FORTUNÆ BARBATÆ
SACR.
L. AURELIUS MARCELLIANUS
AUG. LIBERTUS EXCERPTOR
V. S. L. M.

Spon. Ignot. deor. ar. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 266. C.

Fortuna bona Romæ in Capitolio culta fuit. Plin. XXXVI. 5. *Praxiteles simulacrum fortunæ bonæ in Capitolio.* Cicer. Verr. IV. 3. *Verres nullum horum reliquit, neque aliud ullum tamen, præter unum pervetus ligneum, fortunam bonam.* Græcè vocatur Εὐτύχη. Cebeti in tabula ἀγαθὴ τύχη. Dicta est etiam prospera, secunda, læta. *Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 458. F. Tiraquell. in Alex. Gen. 1. 13.*

Fortuna brevis. Hujus, quod quidem sciam, mentio non exstat, nisi apud Plutarch. Quæst. Rom. 73. qui tamen parvam sic perperam interpretatur. Aliud enim est parvam *fortunam* dicere, aliud brevem. Per brevem instabilitas *fortunæ*, & facilis ejus mutatio denotatur. Nisi etiam per brevem Servius Tullius voluerit significare, non nimis latè exserendam, sed intra justos limites, qui commodè regi possunt, constringendam esse imperii *fortunam*. Boxhorn. in Plutarchum.

Fortuna cæca dicebatur malos fovere, & extollere. *La Chausse de Deor. simul. Tab.* XX. Dicta est Latinis. Cicer. Phil. XIII. 5. *Observo vos P. S. quia vestrum hæc non videt, quod fortuna ipsa, quæ dicitur cæca, videt?* de Amic. c. 15. *Non solum ipsa fortuna cæca est, sed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos complexa est.* Græcis. Hinc Cebes: τύχη non solum τυφλὴ, id est, *cæca, sed & insana, ac surda.* Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 460. G.

Fortuna calva legitur, quam sub tecto nominare religio non sinit. *Alex. Gen.* 1. 13. A quibus calva dicta sit nescio, nec quare ita dicenda sit: nisi si quis contendat, ut occasionem, ita & *fortunam* esse: ut, si quæpiam bona offeratur, protinus sit arripienda, ne continuò effluat, atque prætervolet, *nequicquam mox amissam quæras*, ut dicebat L. Martius apud Liv. XXV. 38. *Tiraquell. in Alexandrum.*

Fortuna conservatrix eruitur è cippo utrinque insculpto, & inscripto, cum imagine mulieris cornucopiæ in sinistra tenentis, dextra verò temonem habentis, Romæ sic, NUM. DOM. AUG. in domo Marcelli Capisuci:

SACRUM FORTUNÆ GONSER
VATRICI HORREOR.
GALBIANORUM
M.LORINUS FORTUNATUS MAGISTER
S. P. D. D.

Gyrald. Synt. deor. XVI. *p.* 468. *B. Vaillant Numism.* I. *p.* 160. *Tomas. de Donar. c.* 21.

Fortuna convertens dicitur, quod homines ludificatur, quodque per omnia humana agitat, ac parvis momentis magnas facit mutationes, in eodemque vestigio nunquam diu stat. A Græcis *τύχη ἄστροφος* dicta est. *Alex. Gen.* I. 13.

Fortuna dubia cognominata etiam est. Hujus vicus in Aventino, sive in XIII. Urbis regione, uti P. Victor tradit. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 460. *D.*

Fortuna equestris cognominata, & in Urbe culta fuit. V. infr. in *Templum Fortunæ*.

Fortuna hujus diei statuitur à Victore in reg. X. sive Palatio. Ejus meminit Cicer. de Leg. II. 11. *Consecrata sit vel fortuna hujusce diei, nam valet in omnes dies.* Et de illa Plin. XXXIV. 8. *Fuit & alius Pythagoras Samius, initio pictor, cujus signa ad ædem fortunæ hujusce diei semnuda.* Originem hic cultus suam habet à Q. Catulo, qui in bello cum Ambronibus voluit *sacra facere fortunæ ejus diei*, apud Plutarch. Mario p. 420. *Struv. Ant. Roman. c.* 1. *p.* 137. *Turneb. Adv.* XVI. 12. *Rosin. Antiq. Rom.* II. 16. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 463. *E.* V. infr. in *Templum*.

Fortuna mala colebatur in Exquiliis. Plin. II. 7. *Alex. Gen.* I. 13. *Gyrald. Synt. Deor.* XVI. *p.* 462. *G.*

Fortuna mammosa in duodecima regione à Victore statuitur. Fuerit statua feminea, unde vico nomen, vel amplitudine, vel numero mammarum insignis; qualem ex marmore Terræ matri magnæ affingunt, & vel XXX. uberibus tumentem. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 14. §. 3. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 6. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 467. *D. Pancirol. Descr. Ur. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III. *p.* 369. *B.*

Fortuna mascula. V. illam supr. in *Ædes Fortunæ*.

Fortuna muliebris dicebatur inde, quod C. Marcius Coriolanus, cum exsul Romanis bellum intulisset, nec armis ei resisti posset, mulierum tandem, matris præsertim Veturiæ, & Volumniæ uxoris precibus, atque lacrymis cessit. In cujus rei memoriam matronæ à senatu petiere, ut illo ipso in loco, quo preces fudissent, templum *fortunæ* muliebri ædificaretur: quod & è S.P.Q.R. decretum, area publica pecunia empta, deæque consecrata; & in ea templum, & ara ex præscripto pontificum condita, sumptibus simul decretis ex publico, quibus sacrum fieret anniversarium, cui præesset matrona, quam ipsæ deligerent ad id ministerium. Liv. II. 40. Plutarch. de Fort. Rom. p. 318. F. Dionys. Halic. VIII. p. 526. *Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 135. *Gyrald. Syn. deor.* XVI. *p.* 466. *G. Alex. Gen.* I. 13. *Rosin. Antiq. Rom.* II. 16.

Fortuna obsequens cognominata est quasi indulgens, vel clemens. Obsequi apud scriptores est indulgere, clementem, tractabilem, & propitium se præbere. Eo respexit Plaut. Asin. III. 3. 126.

AR. *quem te autem nominem deum?* LE. *Fortunam, atque obsequentem.*

Meritò *fortunæ obsequentis* nomen sibi adscribi mandat servulus, qui herilis sui filii amoribus fovendis viginti argenti minas alicunde exterebraverat. *Ryq. de Capit. Rom. c.* 43. *Lips. Ant. Lect.* V. 13. *Gruter. Suspic.* IV. 10. *Rosin. Antiq. Roman.* II. 16. *& ad illum Demsterus*. In inscriptionibus antiquis legi hanc epigraphen, & adhuc legi Comi: *Fortunæ obsequenti Ord. Comens. voto pro salute civium suscepto*, Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 467. C.

Fortuna parva fuerit, quod per eam ex maximis angustiis ad maxima quævis eluctamur. Plutarch. Quæst. Rom. 75. *Quod initio humilis & obscurus, matre natus captiva, fortunæ beneficio ad regnum Romæ evectus fuit.* Boxhorn. ad Plutarchum. Alex. Gen. I. 13. Rosin. Antiq. Rom. II. 16.

Fortuna Prænestina colebatur in urbe Præneste. Cicer. de Div. II. 41. *Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum, nusquam se fortunatiorem quàm Præneste vidisse fortunam.* Legitur & hodie antiquum epigramma de *fortuna*, quæ Præneste dicata fuerit, cujus primos versus V. supr. in *Fortuna*. De illa Lucan. II. 193.

—— *vidit fortuna colonos*
Prænestina suos cunctos simul ense recisos.

Suet. Domit. c. 15. n. 5. *Prænestina fortuna toto imperii spatio annum novum commendanti lætam eandemque semper dare sortem assueta, extremo tristissimam reddidit.* Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 459. C. Buleng. de Sort. c. 1. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 16. Pitisc. in Suetonium.

Fortuna primigenia dicta, quod omnium prima culta, atque instituta fuerit apud Romanos. Primigenius idem quod primogenitus, πρωτογενής, ἢ πρωτοτόκος. Sic primigenia semina dixit Varr. de Re rust. I. 40. Quamquam & exinde nomen accepisse potuerit, quod primùm natis opitulari, eosque ad magna provehere crederetur. Quod ab historia Servii Tullii non abludit, cui in cunis jacenti exorta circum caput flamma illustrem *fortunam*, atque regnum ipsum portendit. Et Cicer. de Leg. II. 11. primigeniam *fortunam* à gignendo dicit nominatam. Nec aliter primigenia Jovis pueri fortuna in lapide Præneste effosso:

FORTUNÆ
JOVIS. PUERI
PRIMIGENIÆ
D. D.
EX. SORTE. COMPOS
FACTUS
NOTHUS. RUPICANÆ
L. F. PLOTILLÆ

Nemo enim ignorat, quantis cum periculis Jupiter, & in nativitate sua, cum pater Saturnus eum devorare statuisset, & in educatione fuerit collocatus, & quomodo *forte fortuna* evaserit. Credebant autem Romani primigeniæ *fortunæ* numen ad promovendas dignitates, & res magnas obtinendas plurimum conferre. Inscriptio, quæ exstat Præneste:

D. FORTUNÆ. PRIMIGENIÆ
C. VALERIO. C. F. NENDOLU
TIO. MARTIANO VI. VIR. AUG
DEC. OMNIBUS. HONORIBUS
CURIIS. MUNERIBUS. FUNCTO
VALERIA. SATURNINA. PATRI
L. D. D. D.

Boxhorn. Quæst. Rom. 4. *Ryq. de Capit. Rom. c.* 43. *Gyrald. Synt. deor. p.* 462. *F. Tiraq. de Primig. Præf. n.* 76. *Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 136. *Barthol. de Puerp. p.* 46. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 726. *A.*

Fortuna privata, sive propria in Palatio quoque culta fuit. Ejus meminit Plutarch. Quæst. Rom. 73. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 460. *E.*

Fortuna publica Romæ est culta in Valle Quirini, quæ inter Exquilias fuit, & Quirinalem collem. Ejus meminit Ovid. Fast. IV. 375.

Qui dicet, quondam sacrata est colle Quirini
Hac fortunæ die publica, verus erit.

Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 462. A. Ryq. de Capitol. c. 43.

Fortuna redux à Romanis cognominabatur, quod Domitianus à bello Sarmatico salvus in Urbem esset reversus. Mart. VIII. 65. 1.

Hic ubi fortunæ reducis fulgentia latè
Templa nitent, felix area nuper erat.

Claud. Cons. Honor. VI. 1.

Aurea fortunæ reduci si templa priores
Ob reditum vovere ducum, non dignius unquam
Hac dea promeritis amplas sibi posceret ædes?

Multa exstant numismata diversorum Cæsarum, in quibus & imago, & inscriptio REDUCIS FORTUNÆ. Gyrald.

rald. Synt. deor. XVI. *p.* 463. *D. Tiraquell. ad Alex. Gen.* I. 13. *Rader. ad Martialem. Gutber. de vet. jur. Pontif.* III. 16. *Struv. Ant. Rom. c.* I. *p.* 137. *Tomas. de Donar. c.* 20. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* II. 16. Recensenda est inter deas viales. In nummis, gemmis, monumentis, inscriptionibus sæpè occurrit, modò cum gubernaculo, seu clavo, modò cum rota. *Henm. ad Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 43. §. 1. Inde in quodam inedito epigrammate vocatur venustè *fortuna redux viatorum conservatrix*:

FORTUNÆ. REDUC. VIATOR
CONSERVATRIC. SACR
SEX. PERCILIUS. SEXT. FIL
PRISCUS. MAGISTER
VICI. NOVANI. FABRICI
EX. V. S.

Grav. Thes. Antiq. Rom. Tom. 2. *Præfat.* ** 4. *vers.*

Fortuna respiciens fuit, me judice, ædicula vici, qui eodem nomine apud Victorem regione X. insignitus exstat: sive etiam statua in publico eodem in vico posita. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 14. Dicitur respiciens, quia præterita respicit. *Panciról. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Græv. Tom.* III. *p.* 365. *A.* Pessimè. Dicitur, quia benigna, secunda, propitia. Hoc mulus in tanta literarum luce velle probare putidum esset. *Græv. ibid. Proleg.* ** 3. *vers.* quia nos respicit, ut opem ferat. Ad *fortunam* respicientem venustè sic allusit Plaut. Cap. IV. 2. 54.

HE. *Respice.* ER. *Fortuna quod tibi nec facit, nec faciet,*
Hoc me jubes.

Turneb. in Cicer. de Leg. II. p. 117.

Fortuna stata etiam nuncupata est. Cognoscitur ex hac inscriptione, quæ Romæ legitur: GERMANICO CÆSARE. C. FONTEJO. CAPITONE COSS. K. JAN. STATÆ FORTUNÆ. AUG. SACR, ... *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 468. *D.*

Fortuna videns, eadem quæ Isis, bonis omnibus salutaris, eorumque præmiatrix. Apul. Met. XI. p. 377. *In tutelam jam receptus es Fortunæ, sed videntis, quæ suæ lucis splendore cæteros etiam deos illuminat.* La Causs. de Simul. deor. Tab. XX.

Fortuna virgo, παρθένος appellata Plutarch. Quæst. Rom. 73. fuerit, quæ virginibus favere credebatur. Varro apud Non. II. 926. *Et à quibusdam dicitur esse virginis Fortunæ simulacrum, ab eo, quod duabus undulatis togis est opertum.* Virginensis vocatur August. de Civit. Dei IV. 11. *Ipse in Jugatino deo conjuges jungat: & quum virginis uxori zona solvitur, ipse invocetur, & virtutes ejus, & dea virginensis vocetur.* Virginalis Arnob. II. p. 91. *Puellarum togulas Fortunam defertis ad virginalem.* Quemadmodum milites arma sua diis militaribus suspendebant, sic *Fortunæ* virginali virginalis ornatus puellæ, quæ ad mulierum nomen ibat. *Herald. in Arnobium. Boxhorn. in Plutarchum. Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 460. *E. Struv. Ant. Rom. c.* I. *p.* 137.

Fortuna virilis. Ei sacra fiebant Kalend. April. Fast. IV. 145.

Discite nunc quare Fortunæ thura virili
Detis eo, gelida qui locus humet aqua.
Accipit ille locus posito velamine cunctas,
Et vitium nudi corporis omne videt.
Ut tegat hoc, celetque viros Fortuna virilis
Præstat, & hoc parvo thure rogata facit.

Perion. de Græcor. & Roman. magistr. III. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2811. F. Gyrald. Synt. deor. XVI. p. 462. C. Perizon. Triad. Dissert. III. p. 241. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. IV. 8.

Fortuna viscata, ἰξευτρία appellatur Plutarch. Quæst. Rom. c. 73. *Viscatæ nomen etsi ridiculum est, tamen tralatione contemplandum Fortunæ naturam exhibet, eminus ad se trahentis, & tangentia retinentis.* Plutarch. de Fortun. Roman. p. 322. E. *Tiraquell. in Alex.* I. 13. *Gyrald. Synt. deor.* XVI. *p.* 462. *B.* Videtur, quæ constans, & perpetua, nec facilè mutatur. Glossar. vet. *Viscosus, visco plenus, tenax.* Boxhorn. in Plutarchum.

FORULI sunt capsulæ, quibus libri reponuntur. Svet. Aug. c. 31. n. 1. *Hos condidit duobus forulis auratis.* Juven. Sat. III. 219.

Hic dabit & forulos.

Lips. de Biblioth. c. 9. Pitisc. in Svetonium. Grang. in Juvenalem.

FORUM inter & aream quodnam fuerit discrimen. V. supr. in *Area.* quodnam inter. . . . & conciliabulum. V. supr. in *Conciliabulum.* Cum basilica interdum confunditur. V. supr. in *Basilica.* Nulla fuit unquam in prisca vetustate tam exigua civitas, uti nec hodie nulla reperitur, quæ non aliquod habeat rerum venalium *forum*, sive aream, quo plebs urbana, rusticaque convenire soleat. Apud antiquos eo in loco jus quoque dici solitum constat, priusquam in eum finem basilicæ strui cœptæ. Hinc *fori* nomen omnibus deinde tribunalibus, & locis, ubi jus dicitur, datum: atque in hodieque *forum Seculare*, *forum Ecclesiasticum*, *forum internum*, *sive conscientiæ*, *forum externum*, *res fori*, & similia in frequentissimo usu sunt, notæ significationis. Quare Romam primam, quæ Quadrata dicta, suum quoque in Palatino habuisse *forum* nullus dubito, tametsi de eo ne γρῦ quidem apud scriptores antiquos inveniam: quoniam prolatis brevi post tempore civitatis mœnibus adusque Capitolium & ulteriùs, cum Tatius in Urbem cum Sabinis suis commigraret, novum è vestigio, & commodius *forum* institutum est in ea valle, quæ inter utrumque montem interjacet: quod & stetit, dum Romanum stetit imperium, & κατ' ἐξοχὴν *forum*, vel *forum Romanum* appellatum est. *Nardin. Rom. Vet.* V. 2. Inter spatiosissima, & magnificentissima urbis Romæ opera *fora* recensentur. Erant autem areæ quadratæ laxæ, & spatiolæ, cinctæ undique porticibus fornicatis, uti sunt Lutetiæ in area regia, vulgo la place royale; sed Romæ olim longè majoribus, & magnificentioris architecturæ. *Bergier. de Viis milit.* V. *sect.* 8. §. 7. *Lips. de Magnit. Roman.* III. 7. *Thys. de Magnit. Roman.* III. *p.* 293. Duorum generum erant Romæ, & in universum septendecim numerant descriptores Urbis. Erant civilia, erant venalia: illa, in quibus res, & lites agebantur; hæc, in quibus merces, aut species certæ venales, ut suarium, piscatorium, &c. In utrisque & cœtus, ac circuli, ac sermones hominum erant, ut solet in vacuis: sed magis in civilibus illis. Hæc olim fuerunt tria, Romanum, Julium, Augustum. Ad hunc numerum Senec. de ira II. 9. *Quibus trina non sufficiunt fora.* Mart. III. 38. 4.

Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Etsi idem Martialis quartum etiam vidit. Nam Domitianus inchoavit *forum* quod transitorium vocabant, & postea Nerva absolvit, ab eo Nervæ etiam dictum. Quintum denique addidit Trajanus, ab ipso sic appellatum. *Lips. & Thys. l. l.*

Forum Agonium commune est omnium mercium. V. supr. in *Campus Agonius.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 7.

Forum Ahenobarbi fuit in regione nona Urbis, sive Circo Flaminio. *Panvin. Descript. Urb. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 303. *B.* Fuit, ut puto, Cn. Domitius Ahenobarbus, qui cum L. Crasso Oratore primò consul, postea censor fuit anno ab U. C. 662. *Panciroll. Descr. Ur. Thes. ibid. p.* 380. *C.*

Forum Antoninum. Ejus idoneus index est columna Antonina. V. illam supr. in *Columna*, licèt alia nulla ejus exstet notitia: area namque hanc caruisse nemo sibi persuaderi patietur. In *foro* Antiquarii templum ponunt, & porticum, ac basilicam cum palatio. De templo res extra controversiam est, cum illud à Victore illic collocetur. Forsan & alia plura fuere. Nam Capitolinus templum illic etiam à M. Aurelio constructum refert. M. Anton. Philos. c. 18. *Templum*, inquit, *ei constructum, dati sacerdotes Antoniani, & sodales, & flamines.* Porticibus undiquaque, & basilica, rebus magnificentiæ seculi istius familiaribus, exornatum fuisse pro certo mihi affirmare posse videor. Quod de palatio ajunt, de eo nihil comperti me habere fateor. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 9. *Boissard. Topogr. Urb. Roman. Tom.* I. *p.* 52.

Forum Archemorium, sive Archimonium recensetur à Victore in regione septima Viæ latæ. Fuit ad ædem S. Nicolai de Archimoniis. *Marlian. Topogr. Urb. Roman.* IV. 25.

25. *Donat. de Roman. Vet.* II. 27. *Nardin. Roman. Vet.* IV. 9.

Forum Augusti fuit post ecclesiam S. Martinæ ad latus fermè S. Hadriani: ita ut via, quæ hodie inter utramque intercedit, recta ad *forum* Nervæ ducens, fortè antiqua illa fuerit, aut ei saltem proxime, per quam è *foro* Romano in *forum* Augusti transibatur, & inde ulteriùs in *forum* Nervæ, quod etiamnunc ex illo prospectatur. Ita cum eadem esset omnium latitudo, & alterum alteri cohæreret, unum quasi trium membrorum, seu partium, *forum* esse videbatur. Fuit angustum & pulcerrimum, & inter egregia Augusti opere numeratum à Suetonio, qui etiam faciendi caussam tradit Aug. c. 29. n. 4. *Caussa faciendi fuit hominum, & judiciorum multitudo, quæ videbatur non sufficientibus duobus etiam tertio indigere. Itaque festinantiùs, necdum perfecta Martis æde publicatum est, cautumque, ut separatim in eo publica judicia, & sortitiones judicum fierent.* Ideò autem *angustius fecit*, quia non ausus est extorquere *possessoribus proximas domos*. Duæ in eo fuere porticus, ex duobus sine dubio lateribus, quia in tertio fuit templum Martis, & in quarto basilica, in quibus ducum Romanorum statuæ positæ. Suet. c. 31. n. 8. *Et statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit, professus edicto, commentum id se, ut ad illorum velut exemplar & ipse dum viveret, & insequentium ætatum principes exigerentur à civibus.* Inter quatuor maximè admirandæ Urbis ædificia recenset Plin. XXXVI. 15. & VII. 53. mentionem *Apollinis ex ebore* facit, qui inter *fori* illius ornamenta fuit: *Ante Apollinem eboreum, qui est in foro Augusti.* Et in parte ejus conspectissima Augustum duas tabulas dedicasse, quarum altera bellum, altera triumphum exhibebat, scribit XXXIV. 4. *Super omnes Augustus in foro suo celeberrima in parte posuit duas tabulas, quæ belli pictam faciem habent & triumphum.* Nardin. Roman. Vet. v. 9. Donat. de Vet. Rom. II. 22. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 20. n. 5. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 9. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 7. Lips. de Magn. Rom. III. 7. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. 1. p. 28. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 1. c. 6. Fannus Antiq. Urb. Rom. II. 23. Thys. de Magnit. Romen. III. p. 295.

Forum Boarium dictum est, quod effigies bovis ærei in ejus medio fuerit posita. Tacit. Ann. XII. 24. 2. *A foro boario, ubi æreum tauri simulacrum conspicimus.* Ovidius mox laudandus. Vel quod ibi boves venditæ. Festus: *Boarium forum Romæ dicebatur, quod ibi venderentur boves.* Liv. XXI. 62. *In foro Boario bovem in terram contignatione sua sponte escendisse, atque inde tumultu habitatorum territum sese dejecisse.* Sic ut hujusce rei caussa bos ille æreus Ægineticus, velut insigne, in hocce *foro* positus sit. De illo Plin. XXXIV. 2. *Bos æreus inde captus in foro Boario est Romæ. Hic est exemplar Æginetici æris.* Adjunctum fuit Velabro, & fuit, ubi nunc est ædes S. Georgii in Velabro, quæ & ad vellus aureum appellata fuit: imo aliquam Velabri partem cepit. Ovid. Fast. VI. 477.

Pontibus & magno juncta est celeberrima circo
Area, quæ posito de bove nomen habet.

Quæ verba fines *fori* circumscribunt. Circus enim maximus longitudinem vallis inter Palatinum & Aventinum occupavit. A quo ad Tiberim, secundum Aventini radices area producta, & ad templum S. Georgii conversa, inde rediens ad circum, spatium definiet Boarii *fori*. Livius: *Incendio à foro Boario orto diem noctemque ædificia in Tiberim versa arsere.* Quare fluvio jungebatur. *Donat. de Urb. Rom.* II. 15. & 25. *Nardin. Rom. Vet.* v. 10. *Fabric. Descr. Urb. Rom.* c. 7. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 14. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* 1. *p.* 14. *Faunus Antiq. Urb. Roman.* III. 7. *Blond. Instaur. Rom.* II. §. 55. *Triumph. Rom.* 1. *p.* 22. *F.*

Forum Cæsaris occurrebat à sinistris descendenti è Capitolio in *forum* Romanum. Quum Romanum imperium in vastissimam molem, amplitudinemque excresceret, vetus Urbis *forum* nimis angustum esse cœpit, & cum absque ingenti templorum, aliorumque ædificiorum ruina, quibus inclusum erat, proferri, ampliarique non posset, Cæsar hoc in proximo fecit, eique tantum non conjunxit, non quidem rerum venalium, sed ad lites, aut negotia convenientium. Et in eo magnificum templum Veneri genitrici posuit, cum celeberrimæ illius deæ statua ab Cleopatra transmissa: ad cujus latus Cleopatræ quoque effigiem statuit, quæ hodieque juxta visitur. Appian. de Bell. Civ. II. p. 492. V. illud infr. in *Templum Veneris*. Hoc *Romano pulcrius* prædicat Dio XLIII. p. 224. D. Illud etiam privatus, & proconsul adhuc Galliæ concepit, atque adeò cœpit. Nam locum & aream emit, ac purgavit: magno sanè, & ipsum pretium dignum notari putavit Suet. c. 26. n. 4. *Forum inchoavit de manubiis, cujus area super HS. millies constitit.* Ea summa est nobis vicies quinquies centenum millium. Idem Plin. XXXVI. 15. *Pyramides Regum miramur opera, cum solum tantum foro exstruendo HS. millies Cæsar dictator emerit.* Dictatorem nominat Plinius, ut hominem designaret, & discerneret, non ut emptionis tempus. *Lips. de Magnit. Roman.* III. 7. *Thys. de Magnit. Roman.* III. *p.* 194. Situs ejus à nonnullis inter ædem S. Laurentii in Miranda, & templum Pacis includitur: verùm quibus id fecerint adducti rationibus, ignorare me fateor. Nam non modò templum Pacis, sed & S. Laurentii in Miranda, aliæque adhuc plures ædificia, hac S. Laurentii æde *foro* Romano, & Capitolio viciniora quartæ regionis fuere: hoc verò *forum* à Victore & Rufo in octava collocatur. Tum *forum* Nervæ, quod post ædem S. Hadriani visitur, itidem quartæ regionis fuit. Ergo minimè verisimile est, angustam velut quandam tæniam, octavæ regionis inter ædem S. Laurentii & *forum* Nervæ versus templum Pacis penetrasse. Accedit huc, quod Cæsar illud nimis longè à *foro* magno disjunxisset: unde nec Ovidius Jani templum duobus *foris* conjunctum dixisset. Quare iterùm dicendum est, inter ædem S. Laurentii & Hadriani viam fuisse in Carinas ducentem, quæ duas regiones diviserit, & per quam aditus in *forum* Cæsaris patuerit: quod post illud spatium positum, quod in utramque illam ecclesiam intercedit, jure merito unum quasi cum *foro* magno *forum* esse dici potuerit, cui etiam à latere fuit. Atque ita S. Hadriani ædes rectissimè in tribus *foris* esse apud Anastasium pluribus locis legitur. In medio ante templum Veneris Cæsaris statua equestris ex ære fuit. V. illam infr. in *Statua*. Inter tabulas nobiliores fuit illic Ajax, & Medea ante Veneris templum suspensæ. Plin. XXXV. 4. Inter cæteras verò, quibus ornatum fuit, statuas una quoque fuit Cæsaris armati loricata, ab altis ipsi posita. Plin. XXXIV. 5. *Nardin. Rom. Vet.* v. 9. *Donat. de Urb. Rom.* II. 21. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 9. *Fabric. Descr. Urb. Rom.* c. 7. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 352. *C. Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 10. §. 5. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* 1. *p.* 28. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 23.

Forum in castris quæstorio additum rebus venalibus serviit, & conventibus, & legationibus etiam audiendis. Suidas: *Paullum ultra tabernaculum prætoris locus ostensus fuit velut forum, qui gnoma appellabatur. Illic autem legationes, & nuntii, & alia administrabantur.* Sed nescio tamen, annon de loco, & *foro* quæstorio hoc accipi verius sit, quoniam eò etiam veniebant, & deducebantur primo legati. Ita sanè in Hygino scriptum: *In quæstorio maximè legati hostium, & obsides, & si qua præda facta fuerit in quæstione (* fortè *quæstorio) ponitur.* Quod autem Suidas ait gnomam appellari, mihi inauditum est: doceat qui novit. *Lips. de Milit. Rom.* v. *dial.* 3. *Thys. Rom. Illustr.* v. *p.* 110.

Forum Cupedinis est forum piscatorium, ut cognoscimus ex Apuleji variis locis. *Scalig. in Festum in Cupes.* Ita Apul. Met. 1. p. 32. *Ut prius aliquid nobis cibatus prospicerem, forum Cupedinis peto, inque eo piscatum opiparem expositum video.* Cum enim *forum* Cupedinis sit, in quo lautitiæ venderentur; primum autem in illis gradum pisces obtinebant, ideò hoc *forum* piscatorium putabat. Sed poterant pisces in *foro* Cupedinis vendi quidem, ut aliæ res lautæ: tamen piscarium *forum* aliud fuit à *foro* Cupedinis; locis enim distincta fuere teste Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Secundum Tiberim ad Junium forum piscarium vocant: ideò ait Plautus, apud piscarium, ubi variæ res; ad Corneta forum Cupedinis.* Rufus & Victor in diversis Urbis regionibus

nibus hæc *fora* collocant. *Forum* enim piscarium in VIII. Urbis regione, *forum* verò Cupedinis in IV. regione erat; nam Cornera erant inter viam Sacram, & Macellum, & ibi *forum* Cupedinis. Victor etiam, ubi XVII. *fora* numerat, Cupedinis & piscarium, tanquam diversa, nominat. Postea tamen obliterata fuerunt hæc *fori* nomina, & unicum Macelli nomen remansit. Varro l. l. *Hac omnia postquam contracta in unum locum, qua ad victum pertinebant: & adificatus locus appellatum Macellum, ut quidam scribunt, quod ibi fuerit ortus: alii quod ibi domus fuerit, cui cognomen fuerit Macellus, qua ibi publicè diruta, è qua adificatum hoc, quod vocabatur ab eo Macellum*. Nonn. de Re cibar. III. 6. Nardin. Rom. Vet. III. 13. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 6. n. 7. Donat. de Urb. Rom. II. 27. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 7. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 16. Salmas. in Lamprid. Heliogab. c. 30.

Forum, Nervæ quod dicitur, excitavit Domitianus; sed occiso, antequam absolveret, Domitiano, Nerva successor perfecit, ac dedicavit. Suet. Domit. c. 5. n. 2. *Excitavit forum, quod nunc Nerva vocatur*. Fuit post *forum* Augusti, & remotius à *foro* Romano. Quædam adhuc vestigia in via publica ejus *fori* superesse probabile est. Hæc duæ sunt columnæ insculptæ marmoreo parieti egregii operis adjunctæ: eodemque in loco superioribus annis columnæ majores imposito epistylio fastigioque extabant, adjecto titulo: IMP. NERVA CÆSAR. *Donat. de Rom. Vet.* II. 23. *Lips. de Magn. Rom.* III. 7. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 9. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 7. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* 1. *p.* 42. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 23. *Thys. de Magnit. Roman.* III. *p.* 295. *Blond. Instaur. Rom.* III. §. 53. Ad radices Quirinalis fuisse communis omnium opinio est, sub palatio quondam Comitum, nunc Grillorum: ubi ingens antiqui ædificii pars residua visitur pro majore sui portione in ecclesiam S. Basilio sacram conversa, & monasterium Neophytarum. Quin *forum* hoc fuerit, dubitare nos non sinit inscriptio hæc vetus, quæ paucis abhinc annis ibidem extabat, à Fauno publicata:

IMP. NERVA. CÆSAR. AUG. PONT.
MAX. TRIB. POT. II. IMP. II. PROCOS.

Nardin. Roman. Vet. III. 14. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 6. *n.* 7. Fuisse ornatissimum tria persuadent, I. quia ædificavit Domitianus, quadam videlicet æmulatione Cæsaris & Augusti, nec ille opera fecit nisi eximia & egregia. II. præter templum Jani ædem Palladis ibi exstruxit, quam velut sibi propitiam præcipuè colebat. De Jano Stat. Sylv. IV. 1. 13.

Janus agit, quem tu vicina pace ligatum
Omnia jussisti componere bella, novique
In leges jurare fori.

De templo Palladis Aur. Vict. Cæs. c. 12. n. 2. *Dedicato foro, quod appellatur pervium, quo adeo Minerva eminentior consurgit & magnificentior*. III. Accessit singularis cura Alexandri Cæsaris apud Lamprid. c. 28. *Statuas colossas, vel pedestres nudas, vel equestres divis Imperatoribus, in foro divi Nerva, quod transitorium dicitur, locavit omnibus cum titulis, & columnis aereis, qua gestorum ordinem continerent exemplo Augusti, qui summorum virorum statuas in foro suo è marmore collocavit, additis gestis*. Non omittendum, quod, cum alia tria *fora* judiciis dedicata essent, in *foro* Nervæ rei aliquando suppliciis mulctati sunt. De Vetronio Turino, qui acceptis muneribus multa petentibus nomine Imperatoris falsò promiserat, Lamprid. Alex. c. 36. *In foro transitorio ad stipitem illum ligari pracepit* Alexander, *& fumo apposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri jusserat, necavit, pracone dicente, fumo punitur, qui vendidit fumum*. Donat. l. l. Transitorium traxit nomen, quod ab eo in Romanum *forum*, Augusti, & Cæsaris esset transitus. *Marlian. & Fabric. l. l.* Sic & *forum* Augusti, & Cæsaris, & alia transitoria dicerentur, nam & ab his transitus erat. Sed inde traxit, quia Jani templum habebat, cui quatuor inerant portæ, sive arcus. Jani autem ejusmodi quadrilateri transitiones dicebantur, quod semper transeuntibus paterent. Nam Nerva Janum quadrifrontem ex humiliori delubro suum in *forum* transtulit. Mart. x. 28. 3.

Pervius exiguos habitabas ante penates,
Plurima qua medium Roma terebat iter.
Nunc tua Casareis cinguntur limina donis,
Et fora tot numeras, Jane, quot ora geris.

Lips. & Donat. l. l. At templum Jani, quod illic fuit, revera claudi potuit, idque quatuor portis, longè aliter ac Jani, qui in compitis erant, patentibus, & apertis semper fornicibus. Testatur Mart. x. 28. 7.

At tu sancte pater, tanto pro munere gratus,
Ferrea perpetua claustra tuere sera.

Imo potius à basilica sua, quippè per quam in aliam transiretur viam. Transitus hic etiamnum in arcu illo apparet, qui superest; ubi non porta cernitur, sed arcus ad transitum apertus: cui etiam arcui Noe, corruptè pro Nervæ, nunc nomen est. *Nardin. Lips. Thys. & Borrich. l. l.* Jani portæ frequentissimè quidem patebant in commodum transeuntium, nec nisi pacato Romano orbe, quod rarum oppidò, claudebantur. Sed verò ita, ut ne quidem semiapertæ relinquerentur, quod ex marmoribus, & antiquis numismatis liquidum est. Memini me non tantùm Romæ in hodierno Capitolio, sed & Florentiæ in vetusto marmore cœmeterii D. Mariæ à Flore portas templi Jani ita patentes vidisse, ut armatus quidam, forsan Mars ipse, in rima semiclusarum valvarum altera manu gladium vibret, crumenam ostendat altera; sed ita, ut vix nisi ipse solus ob strictiorem locum simul possit transire; unde augurari facile est, similem Janum non potuisse publicum transitum permittere. *Borrich. l. l.* Palladium etiam dictum, quia Minerva etiam ibi, familiare Principi numen. Matt. I. 2. 8.

Limina post Pacis, Palladiumque forum.

Lips. & Thys. l. l. & Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 289. D. Sed l. Martialis illud epigramma scripsit, cum primò libros suos evulgare cœpit, non omnes simul, sed, ut quemque absolverat, in lucem editos, circa initia, ut arbitror, imperii Domitiani. Hic autem, cum quindecim annis imperarit, tunc fortasse *forum* nondum inchoaverat, quod imperfectum tanto post moriens reliquit, aut certè minimam ejus partem erexerat. Cur ergo nondum exstructo jam cognomen inditum? II. Cur *forum* Nervæ, seu Palladium conjungitur cum templo Pacis, cum intercederet *forum* Cæsaris inter utrumque, ut etiam Augusti? hæc ergo primùm adferri debuerant. Itaque vel Martialis de alio ædificio Urbis scripsit, vel poeticè, quod potius dixerim, adulatorio, & suo more locutus, nomen inchoato vix *foro* dedit, & solum Flaviæ gentis ædificia, quamvis sejuncta recensuit, ut Domitiano assentaretur. *Donat. l. l.* Distantiam quod attinet, non ea mihi tanta videtur, aut magni momenti. Nam ut hodieque in Pantanis retro templum Pacis multæ viæ rectæ sunt ad id forum tendentes, ita & olim aliqua fuisse illic potuit, in qua librarius ille, apud quem liber Martialis venalis esset, degeret. Quod ad tempus attinet, non video causam ullam, cur aliud excogitaretur ædificium, aut cur Martialis adulationis arguatur à vero aliena. Est enim hoc epigramma unum de iis, quæ multis post annis cæteris addita sunt. Id liquet ex n. 1. 2. 3. in quibus plurium librorum mentionem facit. Solebat autem quotannis singulos dare libros epigrammatum, quandoque nullum, ut ipse indicat x. 70. 1.

Quod mihi vix unus toto liber exeat anno,
Desidia tibi sum, docte Potite, reus.

Quin & initio integro quadriennio, vel quinquennio, nullum edidisse videri possit librum: tum verò quatuor, vel quinque conjunctim: vel saltem editos jam antea post, emendando, secundum hoc prioribus epigramma adjecisse, quo & sequentium librorum meminit. *Nardin. l. l.*

Forum olitorium, in quo olera vendebantur, fuit extra portam Carmentalem, ubi area Montanara nunc est. Ascon. in Cicer. p. 150. *Illam demonstrat, qua est extra portam Carmentalem, inter forum olitorium, & circum Flaminium*. Marlian. Topogr. Urb. Roman. III. 12. Fabric. Descr. Urb. Roman. c. 7. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 13. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 6. Verùm si theatrum Marcelli, & per consequens area quoque Montanara

tantum in regione IX. fuit, *forum* illic olitorium esse nequit, & simul adscribi regioni XI. Ergo extra muros illud fuisse censeo, sed inter theatrum Marcelli, Tiberim, & portam Flumentanam, id est, in aliqua spatii ejus parte, quod est inter pontem IV. capitum, palatium Sabellorum, & S. Mariæ in porticu. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Forum olitorium, hoc est, antiquum macellum, ubi olerum copia.* In illo, ut & in Capitolio fiebant subhastationes, auctionesque bonorum. Tertull. Apolog. c. 13. *Sic Capitolium, sic olitorium forum petitur, sub eadem voce præconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione quæstoris divinitas addicta conducitur.* Nardin. Rom. vet. VII. 4. Donat. de Rom. vet. I. 9: II. 26. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 13. §. 4.

Forum piscatium dicebatur, ubi præter pisces varia vendebantur. A boario exitus erat in piscatium, & hoc olitorio propinquum, fuit secundum Tiberim. Varro supr. in *Forum Cupedinis.* Spatium *fori* seipsum demonstrat. Nam cum boarium ad pontem nunc S. Mariæ pertingeret, inde secundum Tiberim protendebatur usque ad mœnia à Capitolio ad Tiberim deducta juxta templum S. Nicolai in carcere, quæ ætate Augusti vix apparebant. *Donat. de Rom. Vet. II. 26. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 16. Fabric. Descr. urb. Rom. c. 7.* Inter utrumque Velabrum statui convenit, nisi Victori & Ruso hic consentientibus refragari voluerimus, qui illud in hac regione posuere. Nam Velabrum majus in undecima fuit. Apud Varronem, qui supr. in *Forum Cupedinis* proximum Tiberi fuisse dixit, nonnulli legunt *ad Junonium*, pro *ad Junium*; alii verò *ad Janum*, hoc pacto *forum* hoc proximè olitorium collocantes, in quo templum Jani fuit. Nec alia quidem id faciunt de causa, quàm ut de duobus *foris* confirment verba Ovid. Fast. I. 257.

—— cur stas sacratus in uno
Hic, ubi juncta foris templa duobus habes?

Quæ quidem nec cum situ loci, nec cum divisione regionum conveniunt. Quod ad Varronem attinet, mendum in ejus verbis manifestum est; & hinc obscura sententia. Fortean illa emendatio *ad Junonium* melior est; nam Junonis ædicula à Ruso regioni XI. attributa est, cui & *forum* piscarium adscripsit. Verùm his maturiori aliorum judicio relictis, si *forum* piscarium inter utrumque Velabrum fuisse statuendum est, haud procul à Tiberi abfuisse potuit: fortè & non longè à S. Eligii, & S. Johannis decollati ædibus abfuit. *Nardin. Rom. Vet. V. 10. VII. 4.*

Forum pistorium dicebatur, ubi panem pistores vendebant. Erat in Aventino, sive XIII. regione. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 373. A.* Et quidem illa Aventini parte, qua horrea Galbæ fuisse leguntur. In hac regione Victor collocat. Et in præruptis editisve collis nullus *foro* commodus locus est: tum & bellè pistoribus cum horreis convenit, unde paratum frumentum ad coquendum. Lubet suspicari, *forum* hoc non diu ante à Domitiano incboatum, à Trajano perfectum esse, sub quo collegium pistorum primum institutum videtur. Aurel. Vict. de Cæs. c. 13. n. 5. *Roma à Domitiano cœpta fora, atque alia multa magnificè coluit, ornavitque: & annona perpetua mirè consultum reperto, firmatoque pistorum collegio.* Nardin. Roman. vet. VII. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 4. Unum fuit inter Capitolium & Palatium, juxta ædem Vestæ: alterum in Aventino. Hodie tria sunt: unum propè S. Mariam rotundam, alterum in vico Judæorum, tertium apud S. Laurentium in Damaso. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 7.*

Forum Romanum accipitur κατ᾽ ἐξοχὴν, ut poetæ nomine apud Græcos Homerus. Ovid. de Pont. I. 8. 65.

Te modò campus habet, densa modò porticus umbra,
Nunc, in quo ponis tempora rara, forum.

Romanum dictum est à dignitate Urbis, quod præ cæteris esset ornatissimum, propter ædificia, & frequentissimum, propter judicia. Prop. IV. 4. 13.

Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
Stabant Romano pila Sabina foro.

Etiam Latium. Ovid. Trist. IV. 4. 5.

Cujus in ingenio est patriæ facundia linguæ,
Qua prior in Latio non fuit ulla foro.

Vetus, respectu ad posteriora. Herodian. IV. 2. 8. *Perque viam sacram in vetus forum deferunt.* Ad extremum, magnum, quia, ut videtur, spatio reliqua superavit. Ovid. Fast. III. 704.

Et tenet in magno templa dicata foro.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 7. Lips. de Magnit. Rom. III. 7. Donat. de Urb. Rom. II. 20. Nardin. Rom. Vet. V. 2. Thys. de Magnit. Roman. III. p. 294. Fuit olim extra pomœrium. Dionys. II. p. 113. *Facto fœdere idem, Romulus & Tatius, planitiem Capitolio subjectam, excelsa sylva, & stagno, quod propter loci cavitatem erat aquarum è vicinis montibus manantium receptaculum, terra congesta repleto, in hujus, quod nunc est, forinsum verterunt.* Donat. ibid. I. 10. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 351. A. Quis ejus ambitus, quod spatium quaquaversum fuerit, ea de re plurimùm inter eruditos controvertitur. Fulvius hinc ita se expedit; Inter Capitolinum & Palatinum fuisse satis constat. Et idem Lipsius, & Thysius. Fabricius; Incipit à Capitolii radicibus, ubi nunc Septimii arcus est, & secundum longitudinem ad S. Mariam novam, ubi Titi arcus, protenditur: secundum latitudinem à Palatini radicibus ad viam Sacram, Saturni ædem. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 1. existimat, *forum* omnem, qua patet, campum Vaccinum occupasse ad arcum Titi: quæ tamen laxitas cum ipsi nimia videatur, ante Augusti ait principatum ultra primas non fuisse promotum radices Palatini: verùm quum Suetonius tradat Augustum *forum* ampliasse, Augusti opus illud censet, protensionem scilicet illam ad arcum Titi. Et invenit in eo non modò assentientem sibi Faunum, sed & peculiari libro ea de re edito patrocinantem. Præcipuum utriusque argumentum à Valerio Poplicula dependet, quem in colle *foro* imminente, Velia appellato, habitasse scribit Dionys. V. p. 292. quæ Palatini montis pars ex sententia Marliani, & plerorumque Antiquariorum supra arcum Titi fuit. At si ætate poplicolæ Velia, sive ea pars collis, quæ supra arcum Titi est, *foro* imminebat, ut Dionysius, & eo apertiùs Plutarch. Poplic. p. 102. B. Augustus *forum* eousque non ampliavit. Nec Suetonius dicit, Augustum ampliasse *forum*, verùm novum ei addidisse contiguum, quum magnum & Cæsaris negotiis, & multitudini hominum non sufficeret. *Forum* vetus nunquam ad templum Pacis, & ædem SS. Cosmi & Damiani, imò nec ad ecclesias S. Mariæ Liberatricis, & S. Laurentii in Miranda pertigisse, ostendunt cum illa ipsa duo templa priora, quæ in *foro* non fuere, sed in via Sacra, imò quæ & alterius fuerunt regionis, tum & situs soli eorundem templorum olim depressissimus, ac rursus ad S. Mariæ ædem editus; ac tandem cætera, quæ eo spatio continentur loca, quæ quartæ regionis sunt. Templum Pacis Faunus supra curiam constructum asserit, ac si non in alia planè regione fuisset, neque nomen diversæ à *foro* dedisset regioni. Curia enim in *fori* regione, imò in ipso *foro* fuit. Quid? post templum Pacis conditum curia non amplius extabat? Atqui Victor hujus, & illius seorsim meminit. Baronius in Apologia, qua notas in Martyrologium editas defendit, ad XIV. Martii, ubi Hugonio respondet ad objecta de antiquo carcere Tulliano, *forum* ad S. Nicolai ædem in carcere fuisse censet. Verùm præter illa, quæ ipse ei regessit Hugonius, & quæ opposuit ei Donat. de Roman. Vet. II. 19. infr. in *Tullianum*, hoc ego tantum addam; si eousque *Forum* se extenderit, locum nullum relictum, nec vico Tusco, nec Jugario, nec Viæ novæ, nec Velabro, sepulcro Accæ, sacello Aji, regiæ Tarquinii Prisci, basilicæ Semproniæ, multisque ædificiis aliis, quæ inter *forum*, & ædem illam fuere intermedia. Donatus in ea fuisse valle probat, quæ inter oppositas sibi Palatini & Capitolini montis radices olim interjacebat; in cujus sententiam pedibus ire non erubesco. Ut autem limites ejus exactè cognoscamus, observandum. Illud primis Urbis initiis factum, quum vixdum à Palatino ad Capitolinum ipsa se extenderet. Illi verò populo, exiguo adhuc tum

tem

temporis, vasto *fori* spatio opus non erat: nec tamen unquam ampliatum legitur: templumque Vestæ, & Saturni, nec non regia Numæ, cæteraque ædificia antiquissima, certò nunquam aucti, verùm unius semper, ac perpetui spatii indicia sunt. Huic porrò *fori* mediocritati vestigia ejus hodieque conveniunt. Nam ad ima Palatini veteres hortei muri, quod ad ædem S. Mariæ Liberatricis est, tresque vicinæ illis columnæ, quarum epistylia ædificium hoc magis ad ipsum fuisse *forum* conversum indicant: nec non ad ima Capitolii arcus Severi, unicaque illa, quæ adhuc superest, columna à latere, nimis quàm manifesti latitudinis *fori* veteris termini sunt: quæ sanè non modò non major, verùm contra illa aliquanto ipsa valle minor esse debuit necessariò. Latitudinem longitudo tertia circiter parte superasse videtur. Ita enim Vitruvius Romæ cuncta instituta v. 1. in principio docet. Ducto igitur initio ab æde S. Hadriani, quod veterum aliquod ejusdem *fori* ædificiorum fuisse verisimile est, usque ad ædem Consolationis, longitudinem ejus tertia parte auctiorem, quàm latitudo fuit porrigendo; fieri tamen nequit, ut ipsam illam ædem Consolationis attingat; uti nonnulli affirmavere: fortè nec ultra ædiculam S. Mariæ Gratianam pervenit, aut, si hanc transiit, exiguo id fecerit spatio. Atque ita ædes S. Mariæ Liberatricis in medio circiter *foro* est, qua in longitudinem porrectum fuit: cujus rei non leve argumentum est vetus illius ecclesiæ nomen, quo S. Sylvestri in lacu esse dicebatur; qui non Juturnæ lacus fuit, ut Fulvio visum, quique in angulo *fori* fuit; sed Curtius, quem in medio *foro* fuisse docebitur infr. in *Lacus Curtius*. Nardin. l. l. Aream *fori* porticus claudebant. Cinxit illis Tarquinius Priscus. Liv. 1. 35. *Ab eodem Rege & circa forum privatis ædificanda divisa sunt loca; porticus, tabernæque facta.* Dio LXXIV. p. 841. B. *Nosque senatores, uxoresque nostræ accessimus in forum funebri vestitu: illæ in porticibus, nos sub dio sedebamus.* Tabernæ ferè argentariæ erant. Liv. XXVI. 11. *Tabernas argentarias, quæ circa forum Romanum tunc erant, jussit vendere.* Et in illo ludi literarii, in quibus pueri & puellæ literas discerent, fuerunt. Liv. III. 44. V. illum infr. in *Ludus*. Spectacula quoque gladiatorum edita sunt. Ovid. de Art. amand. 1. 163.

Hos aditus circusque novo præbebit amori,
Sparsaque sollicito tristis arena foro.
Illa sæpe puer Veneris pugnavit arena,
Et qui spectavit vulnera, vulnus habet.

Suet. Jul. c. 39. n. 2. *Munere in foro depugnavit Furius Leptinus.* Et illud *signis, ac tabulis pictis, partim ab amicis, partim è Græcia commodatis* ornabant, qui ludos edebant, *in scenæ speciem, quia adhuc theatra non fuerunt*, Ascon. in Cicer. p. 86. *Donat. & Nardin. l. l.* Ejus ornamenta singillatim recensere, multæ, & curiosæ esset curæ. Audi Strab. v. p. 163. *At idem si in forum vetus deinde progressus, alia aliis hærentia, & consequentia videas, basilicas, porticus, templa; tum Capitolium ipsum, & in eo templa; tum Palatium, & Liviæ ambulacra: is facilè priorum obliviscatur, & omnium quæ viderat extra Urbem.* Sed & Statius quædam recensuit in Equo Domitiani. Ille enim ex ære colossum illum, & se insessorem constituit in hoc *foro* n. 1.

Quæ superimposito moles geminata colosso
Stat Latium complexa forum.

Lips. l. l. V. & supr. in *Comitium*.

Forum Sallustii fuit in monte Quirinali, quo in loco ædes nunc S. Susannæ. Hoc *forum* Sallustius emit post Africanam præturam. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 23. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 7. Donat. de Urb. Rom.* II. 27. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 10.

Forum suarium fuit ad radices Quirinalis, propè clivum qui ducit ad Caballos marmoreos. De eo cognominatum templum S. Nicolai de Porcilibus. In eo sues vendebantur. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 2. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 7. Pancirell. Notit. dignit. imp. occid. c. 11. Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 17. *Donat. de Urb. Rom.* II. 27. Huic præerat tribunus, curans, ne quid inordinatè in eo fieret. & sues justo pretio, & sine fraude, ac morbo venderentur. De hoc mentio est in hoc vetusto epigrammate:

DOMINO NOSTRO
FL. CLAUDIO. CONSTANTINO
FORTISSIMO. AC
BEATISSIMO CÆSARI
·FL. URSACIUS. V. P.
TRIBUNUS. COHORTI
UM. URBANARUM
X. XI. ET. XII. ET FORI
SUARII

Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom. III. *p. 294. E. Pancirol. Desc. Urb. Rom. Thes. ibid. p. 349. F. & Notit. dignit. l. l.*

Forum Trajani, & Ulpium fuit *foro* Nervæ proximum. Ejus cochlis columna in medio olim posita hodieque index est. Hoc Apollodoro insigni architecto Trajanus post bellum Dacicum ædificavit, complanata Quirinalis montis parte, & æquata vallibus, ut docet inscriptio in columnæ basi. Fuit inter cætera Cæsarum opera maximè admirandum. Cassiod. Var. VII. 6. *Trajani forum vel sub assiduitate videre miraculum est.* Marcellin. XVI. 6. *Cum ad Trajani forum venisset* Constantius, *singularem sub omni cælo structuram, ut opinamur etiam numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos.* Atrium columnis, epistyliis, coronis cingebatur. Quidam columnas crassitudine, ac celsitate cochlidi fermè æquant. In fastigiis statuæ æneæ inauratæ fuerunt. Gell. XIII. 23. *In fastigiis fori Trajani simulacra sunt sita circum undique inaurata equorum, atque signorum militarium: subscriptumque est, Ex manubiis.* Ex præda nimirum ex bello Dacico redacta. In illo judicia fuisse acta testatur Gellius: *Phavorinus, cum in area fori* Trajani *ambularet, & amicum suum consulem opperiretur, causas pro tribunali cognoscentem.* Donat. de Rom. Vet. II. 24. Marlian. Topogr. Urb. Roman. v. 1. Lips. de Magn. Rom. III. 7. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 7. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 353. A. Nardin. Rom. Vet. v. 9. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 5. Boissard. Topogr. Urb. Roman. Tom. 1. p. 42. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 24. Bergier. de Viis milit. v. sect. 8. §. 7. Thys. de Magnit. Roman. III. p. 296. Blond. Illustr. Rom. III. §. 48.

Forum Vespasiani etiam nominat Symmach. Epist. x. 78. *Et cum ad forum Vespasiani, tam ego, quàm vir spectabilis vicarius perurgente populo fuissemus ingressi, ut quietem utriusque partis multitudini persuaderemus.* Verùm quodnam ab eo Imperatore factum *forum* fuit? aut quæ area in Urbe *forum* ejus appellari potuit? Certè mea quidem sententia non alia, quàm quæ ante amphitheatrum in extrema Sacra via extra omnem controversiam fuerit, cujus amplitudinem residuum metæ sudantis, quod illic hodieque conspicitur, aliquo modo patefacit. Ad ejus latus Vespasianus ingens illud amphitheatrum exstruxerit. *Nardin. Rom. Vet.* III. 9.

Forum vinarium. V. illud infr. in *Rationalis vinorum*.

Forum, sive *forus* dicitur etiam tabula lusoria, sive alveus. Senec. Polyb. c. 36. *Sed in Albano suo tesseris, ac foro acerbissimi funeris elevabat mala.* Suet. Aug. c. 71. n. 6. *Forum aleatorium calfecimus.* Manil. v. 427.

—— nec non lascivit amores
In varios, ponitque forum, sedatque Lycæo.

Salmas. in Vopisc. Procul. c. 13. Exerc. Plin. p. 646. a. G. Grono. de Pecun. Vet. IV. 3. & in Senecam.

Forum quoniam & juris, & nundinationis sedes fuit, factum est, ut multa Italiæ oppida, aut quia juris, aut quia negotiorum domicilia fuerunt instituta, id nominis invenerint. Hoc probatur exemplo Regii Lepidi, Galliæ citerioris oppidi, quod ita dictum prodit Festus, quia ibi *forum habuerit Lepidus*. Regium autem cum dicebant, quid aliud, quàm basilicam intelligebant, id est, locum, in quo jus, ut Romæ in basilicis, dicebatur? *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 15.

Forum Appii ab Appio, ut appellatum, sic etiam constitutum est. At à quo Appio, nihil præter conjecturam afferre possum. Me ad hanc opinionem diuturna, ac diligens Romanæ observatio antiquitatis adduxit, ut credam, ejusmo-

ejusmodi pletaque *fora*, aut à censoribus, aut à prætoribus Romanis condita esse: censoribus, cum vias in Italia sternerent; prætoribus, cum bellum gererent, aut provincias obtinerent. Cur enim cum in Appia via Appii *Forum* teste Antonino inveniam, aut aliter possum existimare, aut non ab eodem, à quo via strata est, *Forum* esse instructum putare? Viam autem Appiam Appius Claudius Cæcus censor, quod inter omnes constat, à porta Capena usque ad oppidum Capuæ munivit anno ab U.C. 441. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 15. *Leand. Albert. Descr. Ital. p.* 218.

Forum Aurelii in via Aurelia teste Antonino invenio. Illud, loquor ut opinor, constituit C. Aurelius Cotta censor. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 15.

Forum Cassii in via Cassia oppidum fuit Etruriæ. Plures Cassii fuerunt censores. Ab uno illorum hoc *Forum* conditum esse consentaneum est. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 15. *Leand. Albert. Descript. Ital. p.* 121. Fuit recta via inter Vicum atque Viterbium, medio ferè itinere inter utrumque, haud dubiè in monte Cimino, ubi etiam vestigia antiqui oppidi observantur. *Cluver. Ital. Antiq.* II. 3. 61.

Forum Claudii in via Claudia oppidum fuit Etruriæ. Aliquot Claudii fuerunt censores. A quodam illorum & hoc *Forum* conditum esse consentaneum est. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 15. *Leand. Albert. Descript. Ital. p.* 117. *Cluver. Ital. Antiq.* I. 13. 6.

Forum Cornelii in Lingonibus à Cornelio Sylla constitutum est. Prudent. Περὶ Στεφ. IX. 1.

Sylla Forum statuit Cornelius: hoc Itali urbem
Vocitant ab ipso conditoris nomine.

Conditum existimo bello civili, tum cum Sylla Carbonem, exercitu ejus ad Faventiam cæso, Italia expulit. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 15.

Forum Fulvii in Liguribus ab aliquo eorum Fulviorum, qui cum iis populis bellum gesserunt, esse constitutum facile opinione mihi patiar persuaderi. *Sigon. de Antiq. jur. Ital.* II. 15.

Forum Julii in Carnis, & in Gallia Narbonensi à C. Julio Cæsare conditum crediderim, tum cum Galliam citeriorem, & ulteriorem pro consule obtinuit. Neque enim eos audire possum, qui hæc Cæsaris esse Augusti monumenta putant. Quorum ab auctoritate cur discedam, id est causæ, quod *Forum* Julium Narbonense in Epistolis Planci, multò antequam Cæsar Augustus imperio potiretur, invenio celebrari. Adde quod quæ Augustus monumenta reliquit, ea non Julii, sed Augusti nomine signavit, nulla alia de causa, nisi ut ea à patris Julii monumentis secerneret. Cæsar autem duobus in extremis provinciæ suæ finibus duo *fora* videtur construxisse, unum in ulteriore Gallia, alterum in citeriore. Cur hoc autem ipse, vel cæteri Romani factitarint, equidem honestam quandam iis dis, & gloriæ cupiditatem mihi videor afferri posse, qua præter cæteras gentes populus Romanus semper flagravit. Ut qui armis, atque assidua bellorum contentione gentes omnes devicerant, iidem in terris non solum nobilissima victoriæ monumenta posteris proderent, sed suo etiam, per quos egregii aliquid gestum esset, nomine libenter ad æternitatem ornatent. Hinc viæ, hinc aquæ, hinc thermæ, hinc arcus, hinc fornices extiterunt. Quæ qui curarunt, ac construxerunt, eximio quodam immortalitatis amore, ac studio ducti suo nomine insignita in perpetuum esse voluerunt. Quod idem de *Foris* etiam conditis videtur esse judicandum: quæ à principio ad usum, vel juris, vel nundinarum instituta, post incolarum numero aucta, tectis frequentata, oppidi formam accepisse, ac *fori* tamen nomen, pristino jure amisso, ac meliore alio parto, videntur usurpasse. *Sigon. de Antiq. jur. Ital.* II. 15. *Cluver. Ital. Antiq.* I. 20. §. 29.

FOS.

FOSSA castrorum exteriùs vallo erat præducta: præducta inquam, & sic ab ipsa re dicebant. Tibul. IV. 1. 83.

Qua deceat tutam castris praducere fossam.

Veget. III. 8. *Tunc opere tumultuario fossa praducitur.* Cæs. de Bell. civ. I. 27. *Fossas transversas viis praducit.* Erat lata plurimum octo pedes, & totidem alta. Joseph. de Bell. Judaic. III. 3. *Fossa exterius circumjicitur profunda quatuor cubitis, lata aqualiter.* Cubitum accipio majorem, & duorum pedum: etsi nec sic modus *fossæ* nimis auctus, Nec abs re fortaste in Josepho legi ἑξάπηχυν, qui essent quindecim pedes: ut in Cæsare plus semel lego. Imò etiam alii adaugent, &c, etsi rebus libentibus, ac post Josephum. Veget. III. 8. *Milites gladio cincti fossam aperiunt, latam aut novem, aut undecim, aut tredecim pedibus: vel si major adversariorum vis metuitur, pedibus decem & septem, vel novem. Imparem enim numerum servari moris est.* Lipf. de Milit. Roman. V. 5. *Thyf. Rom. Illustr. v. p.* 117. duplex est; vel fastigiata. Hygin. de Castramet. *Fastigiata dicitur, qua a summa latitudine lateribus devexis in angustiam ad solum conjuncta pervenit.* Cæs. de Bell. Gall. VII. 73. *Scrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur, paullatim angustiore ad infimum fastigio.* c. 72. *Fossam pedes viginti latam directis lateribus duxit, ut ejus solum tantundem pateret, quantum summa labra distabant.* *Summa labra* vocat Cæsar, quam Hyginus *summam latitudinem*: & infra *ripam*. *Labra fluminis* in fragmento Sisennæ apud Nonium pro ripis, quas & Græci, & Hebræi suo idiomate per translationem sic appellant. *Summa latitudini* opponitur *solum*. Vel Punica. Hyginus: *Punica dicitur, qua latere exteriori ad perpendiculum dirigitur, contrarium devexum fit, quemadmodum in fastigiata.* Quæ sit *ripa ad perpendiculum directa, jam docuit nos Cæsar: Directo latere, cujus solum tantummodo pateat, quantum summum labrum.* Sed utrumque ferè latus ad perpendiculum dirigit Hirt. de Bell. Gall. VIII. 9. *Fossam duplicem, pedum quinum denum, lateribus directis.* Quam speciem Hyginus prætermisit, fortassis, quia improbat, exteriorem tantum ripam latere directo, interiorem fastigiatam fieri jubens, haud dubiè propter incumbens onus, pondusque valli, ne ripa decidat. Quare Punica dicatur, non observavi: fortassis, quod in fossis, aut ædificiis Pœnorum tale aliquid. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. *p.* 1115. *B.*

Fossa Cloeliæ fuerunt extra Urbem in via Latina. Liv. II. 39. *Ad fossas Cluilias quinque ab Urbe millia passuum castris positis, populatur inde agrum Romanum.* Plutarch. Coriol. p. 227. E. *Et ad Clœlias fossas quadringentis ab Urbe stadiis castra locavit.* Nardin. Rom. Vet. III. 3. Sigon. de Antiq. jure civ. Rom. I. 2.

Fossa navigabiles, ut vias novas aquaticas aperirent, non solum in Italia, sed & in provinciis compluribus à Romanis Imperatoribus, eorumve legatis fieri solebant. Talem in Germania inferiori fecit Drusus. Suet. Claud. c. 1. n. 3. Drusus *Oceanum septemtrionalem primus Romanorum ducum navigavit: transque Rhenum fossas novi & immensi operis fecit, qua nunc adhuc Drusina vocantur.* De illa, sed in singulari numero, Tacit. Ann. II. 8. 1. *Jamque classis advenerat, cum pramisso commeatu, & distributis in legiones, ac socios navibus, fossam, cui Drusiana nomen, ingressus Drusus Germanicus, precatusque Drusum patrem, ut se eadem ausum libens, placatusque, exemplo, ac memoria consiliorum, atque operum juvaret.* Fecit Corbulo, inferioris Germaniæ sub Claudio legatus. Tacit. Ann II. XI. 20. 2. Corbulo, *ut miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque, trium & viginti millium spatio, fossam produxit, qua incerta Oceani vitarentur.* Bergier. de Viis milit. IV. sect. 46. §. 6. Cluver. de Trib. Rheni alv. c. 6. & 25. Germ. Ant. III. 17. Jun. Batav. c. 8.

Fossa Quiritium dicebatur, quam, quia intervallum, quod inter Aventinum & Janiculum fuit, non adeo magnum spatium occupabat, firmandæ Urbi addidit Ancus Martius. Liv. I. 33. *Quiritium quoque fossa, haud parvum monumentum à planioribus aditu locis, Anci Regis opus est.* Nardin. Rom. Vet. I. 4. Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. 4.

Fossa etiam vocabatur sulcus aratro factus, sive à fundatore Urbis designatus. Varro de Ling. Lat. IV. 32. V. illum infr. in *Urbs*. Ovid. Fast. IV. 839.

Neve quis aut muros, aut factam vomere fossam
Transeat, audentem talia dede neci.

Donat.

Donat. de Urb. Rom. I. 2.

FOSSOR dictus est servus, cujus opus erat *fodere*. Ideoque *invisam terram fossor* canit Horat. Od. III. 18. 15. In compedibus faciebat suum opus. Juven. Sat. XI. 79.

Ipse focis brevibus ponebat olufcula, qua nunc
Squalidus in magna fastidit compede fossor.

Pignor. de Serv. p. 520.

FOV.

FOVEA etiam sylvatica venatio peragebatur. Lucret. V. 1249.

Nam fovea atque igni prius est venarier ortum,
Quàm sepire plagis saltum, canibusque ciere.

Foveas intellige asseribus, virgultis, aut paleis tectas, in quas prædæ spes feras trahit. Buleng. de Venat. c. 2.

FRA.

FRACES sunt carnes, & reliquiæ olearum fractarum, & trapeto contusarum. Plin. XV. 6. *Idem & in amurca, & fracibus: hæ sunt carnes, & inde faces.* Turneb. XXVIII. 7. Bergier. de viis milit. II. Sect. 14. §. 7. Vlit. in Grat. Cyneger. n. 474. Ut inter coagmenta materies ab gelicidiis ne laboraret, *fracibus* quotannis ante hyemem saturabatur. Vitruv. VII. 1. *Ut inter coagmenta materies ab gelicidiis ne laboret, fracibus quotannis ante hyemem saturetur: ita non patietur in se recipere gelicidii pruinam.* Bergier. l. l.

FRAMEA erat genus teli. Juven. Sat. XIII. 79.

Et Martis frameam, & Cyrrhæi spicula vatis.

Germanis deberi docet locus Tacit. de Mor. German. c. 6. n. 2. *Rari gladiis, aut majoribus lanceis utuntur. Hastas, vel ipsorum vocabulo, frameas gerunt, angusto, & brevi ferro; sed ita acri, & ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus, vel eminus pugnent.* Ejus meminit Gell. X. 25. *Voss. de vit. serm.* I. 3. *& Lex. Etymol. Thys. in Gellium. Chiflet. Thes. Sepulcr. c.* 14. Cominus pugnabant hasta collecta, eminus protensa. Dio XXXVIII. p. 91. B. in prælio Ariovisti cum Cæsare ejusmodi prælongas Marcomannorum hastas appellat *κοντούς*. Idem teli genus hodieque frequens est apud omnes ferè Europæos in usu: vocaturque vulgari vocabulo Germanis nostris *ein langer spiess!* id est, hasta longa. Hispani, Itali, Galli, & Angli, sua quique dialecto *picam longam* indigitant: qua, ut olim prisci Germani, nunc etiam omnes, *prout ratio poscit, vel cominus, vel eminus pugnant.* Hodie pedituio duntaxat est telum, apud priscos Germanos etiam equitum fuit. Tacitus: *Et eques quidem scuto, frameaque contentus est, pedites & missilia spargunt.* Germanis etiamnum sutorium, ac sartorium instrumentum, quo corium, vel vestis perforatur, eodem vocabulo dicitur variantibus dialectis, *friem! pfriem!* priem, preem. *Cluver. Germ. Ant.* I. 44. Quænam hujus teli forma fuerit, aut quomodo hodie nominetur, non satis constat. Fortè fuerit telum cum capulo, & ferro oblongo, brevi tamen, si ad gladium conferas, dolo nimirum, vel dolcho, ut vulgo vocant, oblongus, non lato, sed angusto ferro. Conjiciunt aliqui stylum ferreum, qui in eandem vaginam peculiari loculo cum cultellis inseri solet, quem vulgo vocant *ein pfriem!* à *framea*, cujus formam referat, magnitudine tamen differat, sic nominari. *Gesner. Mithrid.* p. 36. *vs.* V. etiam *Lips. in Tacit. n.* 26.

FRANCI à Trojanis descendere feruntur, qui deleto Ilio, duce Priamo Priami Regis sororis filio, per pontum Euxinum in Mæotidem paludem, & Scythiam venerunt. Æneas Sylvius de Europa c. 38. & Sabell. Ennead. III. 10. Demum Romano imperio subjecti, ipsi tributa ofque ad Valentinianum penderunt. Eo imperante, cum Alani limites Romani imperii turbarent, immunitas per decennium edicto est illis promissa, qui Alanos fudissent. Eo allecti Sicambri, qui tum ita vocabantur, sumptis armis prælio Alanos deleverunt. Quare immunitate in decennium accepta, mutato nomine *Franci*, id est, immunes sunt appellati. Exacto decennio, cum Imperator solita tributa repeteret, *Franci* libertate effrenes facti parere

detrectarunt. Commisso ob id prælio *Franci* profligati in Germaniam se receperunt, ac propè Turingiam consederunt. Sed hoc vanum esse non dubito, nam Gallieno & Probo imperantibus, ut in illis auctor est Pollio, *Franci* vocabantur. Nazarius quoque in Constantini Panegyrico ita eos appellat, unde sub Valentiniano hoc nomen accipere non potuerunt. His addendum Sicambros nunquam Valentiniano paruisse, ut eos immunes facere deberet. Quare *Francus* ipsorum lingua velut liberè agentes dictos fuisse existimo. *Franci* Faramundo Rege creato, & transmisso Rheno tandem Galliam occuparunt, & à se *Franciam* nominarunt. *Panciroll. Notit. Dignit. Imp. Orient. c.* 147. *Panvin. Imp. Rom. c.* 28. *Hendreich. Massil. Sect.* 4. V. tamen *Barth. Adv.* XLVI. 1. *Cluver. Germ. Ant.* I. 3. III. 20. *Turneb. Adv.* XXIV. 37.

Franci aurei primùm sunt cusi, hodie argentei, trientes coronatorum, viginti solidos continentes. Sed & olim duplices, *Francs a pied, Francs a cheval*. Freher. de Re monet. German. II. 3.

FRATER erat inter lasciva, & *ἐρωτικά*. Puellæ eos, quibuscum solitæ essent, &, ut propriè loquar, quibus dare consuevissent, *fratres* vocabant: & contra amatores suam comparem, cum qua caput limarent, sororem. Tibull. III. 1. 23.

Hæc tibi vir quondam, nunc frater, casta Neæra
Mittit, & accipias munera parva rogat.

Qui hoc dicit: hæc tibi mittit Tibullus ille olim futurus tibi legitimus vir, nunc tantùm amator & *frater*. Et Gyton pulliptemonis *frater* dicitur, qui illi officium præstabat, & noctu pro culcitella erat. Patet id ex nequissimæ mulierculæ argute epistola apud Petron. c. 89. *Si vis sanus esse, Gytona roga: recipies, inquam, nervos tuos, si triduo sine fratre dormieris.* Lips. Lect. Var. II. 1. Antiq. III. p. 159. Elmenhorst. Wouwer. & Ouzel. in Min. Fel. p. 81. Scriver. in Mart. p. 246. V. tamen Broukh. in Tibullum.

Fratres arvales dicti sunt *fratres*, quod primi Accæ essent liberi: *arvales*, quod pro arvorum fertilitate facerent. Gell. VI. 7. *Acca Larentia Romuli fuit nutrix. Ea mulier ex duodecim filiis maribus unum morte amisit. In illius locum Romulus Accæ Larentiæ sese filium dedit: seque & cæteros ejus filios fratres arvales appellavit. Ex eo tempore collegium mansit fratrum arvalium numero duodecim. Cujus sacerdotii insigne est spicea corona & alba infula.* Plin. XVIII. 2. *Arvorum sacerdotes Romulus in primis instituit, seque duodecimum fratrem appellavit inter illos, ab Acca Larentia nutrice sua, spicea corona, quæ vitta alba colligaretur, in sacerdotio ei pro religiosissimo insigni data, quæ prima apud Romanos fuit corona: honosque is non nisi vita finitur, & exsules etiam captosque comitatur.* Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 479. D. Struv. Ant. Rom. c. 12. p. 607. Argol. in Panvin. in Lud. Circ. II. 2. Gutber. de Jur. man. I. 3. Clasen. Theol. Gentil. III. 1. 15. Lauteor. Var. sacr. gentil. c. 1. Stuck. de Sacrif. p. 100. Turneb. Adv. XXI. 1. Saubert. de Sacrif. c. 6. Alex. Gen. I. 26. Casal. de Urb. ac Imper. Rom. splend. part. 3. c. 2. Flocc. de Potest. Rom. 1. 3. Læt. de Sacerdot. c. 4. Volaterr. Rer. Urban. XXIX. p. 1087. A. Blond. Triumph. Rom. I. p. 22. H.

Fratres vocabantur comites & rectores provinciarum. Cassiod. Var. VI. 21. *Quid de te æstimatum sit, datur adverti, cui tot videntur nobiles potuisse postponi. Additur, quod à Principe frater vocaris, ut nobilitate pretiosi nominis à vilitate criminum tollereris.* Impp. Theodosius & Valentin. Nov. de patrim. rei domin. ad comit. sacr. largit. *Marcelline frater amantissime.* Brisson. de Form. III. p. 315. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 727. E.

Fratres κατ' ἐξοχήν, aut *fratres dei* dicebantur Castores. Quomodo eosdem *τὼ θεὼ* Græci, Lacones *τὼ σιὼ* dixerunt. Ovid. de Pont. II. 2. 85. V. illum init. in *Templum Cæsaris*. Fast. I. 707.

Fratribus illa deis fratres de gente deorum
Circa Juturnæ composuere lacus.

Albinov. de morte Drusi n. 290.

Cur adeo fratres, heu sine fratre! deos?

Suet. Calig. c. 22. n. 5. *Æde Castoris & Pollucis in vestibulum*

lum transfigurata consistens sæpè inter fratres deos.... Heinſ. & ex Heinſio Goral. ad Albinovanum.

Fratres patrueles vocantur, qui ex duobus fratribus ſunt geniti. Cicer. Planc. c. 11. *Non minus ille declararet, quàm hic illius frater patruelis.* Liv. xxxx. 30. *Optimum ratus cum fratre patruele gratiam reconciliare.* Hotom. de Rit. nupt. c. 9. Pitiſc. in Suet. Jul. c. 29. n. 2.

Fratres ſe viciſſim appellare ſolent Reges, æqualitatem quandam imperii ſignificantes. Inter illos enim naturale quoddam conſanguinitatis vinculum intercedit. *Hinc Rex Regum Sapor Constantio Cæsari fratri suo salutem* dicit apud Ammian. xvii. 5. Maximianus dicitur *frater* Diocletiani apud Lactant. de Morib. perſecut. c. 8. Galerius Maximianus *frater* Conſtantii apud Trebel. Pollion. in Claud. c. 10. *Valeſ. in Ammianum. Baluz. & Cuper. in Lactantium.*

FRATRIA dicitur *fratris* uxor. Quanquam Non. xix. 6. *Fratria appellantur fratrum inter ſe uxores.* Quod ſi verum eſt, mendum eſſe apud Modeſtinum videtur, ubi ſic legitur: *Duorum fratrum uxores janitrices dicuntur, apud Græcos εἰνάτερες.* Corrigendumque, *fratria*, l. 4. §. 6. in fio. ff. de ript. nupt. *Fratriſſam* autem *fratris* uxorem Canoniſtæ appellant. 35. q. 5. c. quod autem. Cicer. pro Cluv. c. 51. *Cum eſſet gravida Auria fratris uxor.* Hotom. de Rit. nupt. c. 10.

FRAUDATIONIS cauſa latitat, qui hoc animo latitat ut creditores fraudet: ideò l. 7. §. ſed & is qui ff. quibus ex caul. in poſſeſſ. *Sed & is qui fraudationis cauſa latitat, non tamen propter creditores, & ſi hæc latitatio creditores fraudet, ut ea tamen erit cauſa, ne hinc poſſideri bona ejus poſſint: quia non hoc animo latitat, ut fraudet creditores. Animus enim latitantis quæritur, quo animo latitet, ut fraudet, an alia ex cauſa.* Urſat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 712. F.

FRE.

FRENA ſunt arma, quibus continentur, & reguntur equi. Ea putant Pelethronium inveniſſe. Plin. vii. 56. *Frenos, & ſtrata equorum Pelethronium ajunt inveniſſe.* Unde Pelethronios Lapithas, gentem totam, hujus rei auctorem facit Virg. Georg. iii. 115.

Frena Pelethronii Lapithæ, gyroſque dedere.

Alii Minervæ hoc putant deberi. Schol. Pindar. Olym. xiii. 56. *Alii ajunt, propter captum freno Pegaſum, quod Minerva Bellerophonti dedit, ſacrum & templum Hellotias Minervæ ab ipſo inſtitutum.* Primis temporibus ſine dubio fuere ſimpliciſſima, ex nudo ferro, quod inſerebatur ori equorum. Ferramentum verò illud, quod inſerebatur ori, non habebat præter unum articulum in medio, beneficio duarum anſularum mutuo ſe tenentium. Uſus erat, ut haberent in obſequio jugales, quod Horat. Od. 1, 8. 7. *temperare ora frenis.* Pertinebat huc, ut pro ratione negotii lora cum *frenis* vel attraherent, vel remitterent, & vel in hanc, vel in illam partem flecterent. Primum dicebant *frenos inhibere.* Liv. i. 48. *ſuccutere.* Valer. Max. ix. 11. *ducere & retro tendere.* Ovid. Met. xv. Græcis hoc eſt ἀναχαιτίζειν τῷ ὑπὸ χαλινοῦ καταβιάζεσθαι τὸν ἵππον. Secundum dicebant *frena dare.* Liv. xxxiv. 2. *immittere.* Virg. Æneid. i. *effundere.* Virg. Æneid. v. 888. *laxare.* Lucan. vii. Græcis hoc eſt ἐνδιδόναι τὸν χαλινόν. Medium ex his eſt *frena tenere.* Auctor Dial. de corr. cauſ. eloq. c. 31. *Scheffer. de Re Vehic.* i. 13. *Hugo de Milit. Equeſt.* i. 3. *Potter. Archæol.* iii. 3. Loco *frenorum* olim virga utebantur. V. infr. in *Virga*.

FRI.

FRICTIONIS, quam ἀνάτριψιν Græci appellant, maximus & frequentiſſimus uſus apud veteres fuit, ut ex Hippocratis, Galeni, & aliorum medicorum libris conſtat. Hæc exercitationem & antecedebat, & conſequebatur. Quæ fiebat ante exercitationem, παρασκευαστική, id eſt, *præparatoria*, ſeu *præcurſoria*: quæ poſt, ἀποθεραπευτική, Latinè *curatoria* dicta eſt. Deſuetudine abolita eſt *frictio*, quæ antiquitus ſenibus, & ſedentariam vitam degentibus, exercitii vicaria erat, etiam nunc utilitatem allatura eſſet maximam, ſi in noſtros mores revocaretur. *Stuck. Ant. Conviv.* ii. 24. *Fab. Agon.* iii. 15.

FRIGIDA nimis ſunt noxia. Hippocr. Sect. v. aphor. 18. *Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ, calidum verò amicum.* Aphor. 26. *Frigida velut nix pectori inimica. Frigidum frequentiori uſu convulſiones, tetanos, nigrores, & rigores febriles affert.* Celſ. 1. 3. A labore ſudanti adverſiſſima *frigida* potio. Dioſcor. vi. 33. *Aqua frigida abundè pota, aut meratum vinum liberaliùs potum, præſertim à balneo, aut curſu, aut vehementi exercitatione ſtrangulatas, & dolores infert.* Potionem *frigidæ* in conviviis veteres Chriſtiani adhibuerunt. Nazianz. adverſus Julianum Orat. iii. *Ferunt quoſdam, cum convivium ad conſuetam frigidæ potationem proceſſiſſet, ad frigidæ pocula ſublatis in altum oculis Chriſtum cum crucis ſigno appellaſſe.* Hinc illuceſcit locus Math. c. 10. n. 42. *Et quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ.* Butius de Pot. Ant. c. 21.

FRIGIDARIUM aderat à *frigida* lavatione ob eos fabricatum, qui ſtatim ob egreſſum tepidarii, aut caldarii *frigido* aere frui optabant: neque enim ulla ibi aquæ vaſa reperiebantur, ut poſſent æſtate plures convenire. In hac parte fieri potuit, ut loturi exſuerentur quoque, tum quia apodyterium communis pro exercitatoribus ſpoliandis locus non parum diſtabat, adeo ut loturos, ſi ibi veſtimenta depoſuiſſent, nudos per ephebæum, *frigidam* lavationem, & reliqua loca tranſire neceſſum eſſet: tum quia probabile eſt in ephebæo homines ſæpiùs inveniri conſueſſe, à quibus loturus haud quaque nudos conſpici honeſtum erat: ex quo ad hæc omnia evitanda facile eſt in *frigidario* ſeſe exſuiſſe, eo magis quod Varro atque Plinius teſtati ſunt, tam in urbibus, quàm ruri apodyterium quoque fuiſſe balnei partem. *Mercur. Gymn.* i. iii. *Demſter. Paralip. ad Roſin. Antiq. Roman.* i. 14.

FRITILLUS non eſt ipſa tabula luſoria, ut videntur velle Polyd. Virg. ii. 13. dum ſcribit: *Eſt & aliud ludi genus, quo calculis in tabula luſoria, id eſt, fritillis, & alveolis luditur.* Et Jun. Anim. ii. 4. cum inquit: *Diagrammiſmus teſſerarius ludi genus, quo calculis ſexaginta albis pariter & atris in fritilli alveo ludebatur.* Tabula enim lata & ſpatioſa eſſe conſuevit. *Fritillus* parvus erat. Juven. Sat. xiv. 5.

Parvoque eadem movet arma fritillo.

Beroal. Annot. c. 22. Sentfleb. de Alea vet. c. 11. §. 25. & 18. Sed vaſculum quoddam buxeum, ad ſimilitudinem turris, intus gradatim excavatum, per quod agitati & concuſſi tali in graduum ſupercilia offendentes volutabantur, & ita incerto quaſi jactu mittebantur in alveolum, vel tabulam, minùsque fallebantur reliqui colluſores. Tali, qui per hoc quaſi infundibulum ludebantur, διάσεισοι Græcis dicuntur, id eſt, agitati & concuſſi, ex eo nimirum, quod mota prius agitataque manu per *fritillum* jacerentur in alveum luſorium. Schol. ad Juvenalem. *Fritillus, pyxis cornea, qui φιμὸς Græcè dicitur. Apud antiquos in cornu mittebant teſſeras, moventeſque fundebant: aut fritillum pyrgum dixit* Senec. Apocol. p. 857.

—— concuſſo magna parabis lucra fritillo.

V. illum etiam infr. in *Teſſera*. Fiebat interdum è cornu. V. Juvenalis Scholiaſten. Interdum è buxo. Auſon. Profeſſ. 1. 14.

Alternis vicibus quos præcipitante rotatu
Fundunt excuſſi per cava buxa gradus.

Interdum ex ære, aut tali materia: qua de cauſa *reſonans* appellatur Senecæ laudato infr. in *Teſſera*. Forma erat rotunda, & in turriculæ formam cavata, id eſt, ſupra laxior, inferius anguſtior, infundibuli in morem. In interiore excavata parte gradatim erat teres, quo magis magiſque in gradus hoſce impingentes teſſeræ agitarentur, & concitarentur, jactuſque ipſe magis redderetur dubius. De his gradibus Auſonius, & Sidon. Epiſt. viii. 12. *Hic tabula calculis ſtrata bicoloribus, hic teſſeræ frequens eboratis reſultatura pyrgorum*, id eſt, *fritilli gradibus exſpectat.* De fallacia, cujus vitandæ cauſa *fritillus* eſt inventus, Mart. xiv. 16.

Qua-

Quærit compositos manus improba mittere talos?
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Senftleb. ibid. §. 15. Casaub. ad Theoph. Charact. p. 168. Turneb. Adv. vi. 3. Barth. Adv. xxxv. 10. Souter. Palam. 1. 3. Bartbol. de Unicorn. c. 34. Tomas. de Tesser. Hospit. c. 16. Alexand. Geo. iii. 21. & ad illum Tiraquellus. Demster. ad Rosin. Ant. Rom. v. 1. Voss. Lex. Etymol. Suspicor, tesseris injectis subtus claudi consuevisse, donec sæpiùs circumactæ, remoto obstaculo, tandem bona fide emitterentur. *Barth. l. l.* Non opus erat claudere, vel rotare *fritillum*; injecti enim in *fritillum* tali, tesseræve adeo gradibus concussæ rotabantur interiùs, ut nullo exteriore motu, vel rotatu indigerent, nec possibile esset hac ratione ad compositum alterius prosilire. Inde & Acron in Horat. Sat. ii. 7. 17. *Pyrgus, pyxis sine fundo.* A pyrgo diversum faciunt Turnebus & Salmasius. V. infr. in *Pyrgus*. De *fritilli* usu in Saturnalibus mense Decembri Mart. iv. 14. 7.

Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc & hinc fritillis.

Lambec. in Kalend. Vet. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. viii. p. 111. A.

FRO.

FRONDATOR est arbusti putator. Ovid. Met. xiv. 649.

Falce data frondator erat, vitisque putator.
Induerat scalas, lecturum poma putares.

Frondatoris operam *frondationes* appellat Colum. v. 5. *Pigner. de Serv. p. 553. Turneb. Adv.* 1. 26.

FRONDIBUS festis non tantùm deorum aræ antiquitus ornabantur: V. supr. in *Ara*: & sed etiam templorum vestibula. Cujus rei illustre exemplum in publico Trojanorum ob recessum Græcorum post decennalem obsidionem gaudio, quod sollennibus deorum festis fieri consueverat, apud Virg. Æneid. ii. 249.

Nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

Jovis esculo, aut quercu, Apollinis lauro, Minervæ olea, Veneris myrto, Herculis populo, Bacchi hedera, pampino & ficu, Panos pinu, Plutonis & Sylvani cupresso, singulorum denique sacris sibi ac dicatis arboribus aræ coronabantur. *Alex. Gen.* iv. 17. *Berthald. de Ara c.* 3. §. 4. *Cerda in Virgilium*. Erant etiam *frondes* vetustissimus hominum cibus ante glandes repertas. Ovid. Fast. iv. 395.

Panis erat primis virides mortalibus herba;
Quas tellus nullo sollicitante dabat.
Et modo carpebant vivax è cespite gramen;
Nunc epula tenera fronde cacumen erant.

Senec. de Ira iii. 20. *Sustinebant famem primo tenerrima frondium, & arborum cacumina.* Aristoph. Acharn. ii. 5. 57.

—— *pro pane absumere malva*
Gramina: pro maza raphanorum foliis exilibus uti.

Ælian. Var. hist. xiii. 26. *Diogenes summas foliorum extremitates manducabat.* Scheffer. & Perizon. in Ælianum.

FRONS *est Genio consecrata*. Servius Æneid. iii. 607. V. illum supr. in *Corpus*. *Gyrald. Synt. deor.* 1. *p.* 16. *B. Foith. Antiq. Homer.* 1. 2. *Stuck. Ant. Conviv.* ii. 32. *de Sacrif. p.* 43. *Brisson. de Form.* 1. *p.* 38. *Jun. Anim.* iv. 12. *Tomas. de Tesser. hospit. c.* 21. *Berthald. de Ara c.* 17. §. 5. Tenuis antiquis temporibus in eximia pulcritudinis laude posita fuit. Horatius & Petronius infr. in *Nimbus*. Quibus latior aliquanto, & spatiosior modus *frontis* obtigerat, crines à vertice collectos ad supercilia usque adducebant, & arctiorem sibi, & breviorem *frontem* concinnabant. Lucian. in Amor. p. 902. *Curiosius quidem composita illa, & ad supercilia usque attracta coma, breve interstitium fronti relinquunt.* Limbis insuper, id est, tæniis ac fasciolis quibusdam luxuriantem *frontis* habitum adstringebant, comprimebant, modisque omnibus coarctabant. Arnob. ii. p. 72. *Ut imminuerent frontes limbis.* Douza Comment. in Horat. c. 2. Append. c. 1. Gonsal. in Petron. p. 365. Masson. de Horat. Effig. p. 6. Herald. in Arnob. p. 102. Servorum *frontem*, si quid gravius deliquissent, pœnæ nomine, aut literis, aut aliis quibusdam notis, per ignominiam inurebant veteres. V. infr. in *Inscriptio*.

Frons est aciei illa pars, *quæ adversus hostem spectat*. Veget. de Re milit. iii. 14. *Valtrin. de Re milit. Rom.* v. 2. Recta, sive *recta fronte*, ut Cato apud Festum, dicebatur, cum æqualiter, utroque cornu, & simul concurrebant. Tibull. iv. 1. 102.

Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen,
Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo.

Veget. de Re milit. iii. 20. *Una depugnatio est fronte longa, quadrato exercitu, sicut etiam nunc & propè semper solet prælium fieri.* Obliqua verò, cum cornu ante cornu promovebatur. Græci Tactici *Obliqua phalanx, quæ alterum cornu, utrumcunque prædictum fuerit, juxta hostes magis admovet, & eo prælium facit, alterum autem abjungit.* Veget. l. l. *Secunda depugnatio est obliqua, plurimum melior. Hujus talis est modus: cum instructa acies ad congressum veniunt, tunc tu sinistram alam tuam*, cornu intelligit, & mox ita vocat, *à dextra adversarii longiùs separabis, ne vel missilia ad eam, vel sagittæ perveniant: dextram autem alam tuam sinistræ illius alæ jungo, & ibi primum inchoa prælium.* Lips. de Milit. Rom. iv. Dial. 6. *Frontis* æqualitas in exercitu quadrato minimè eo impeditur, quod in plures partes divisa sit, aut pluribus intervallis distincta. Hoc enim tantùm requiritur, ut *frons* æqualis sit, ne quos sinus, aut ne quas curvaturas habeat, ne pars aliqua in anteriora se exporrigat, dum altera recedit, aut etiam immota manet. Talis est aliquis depugnandi modus, sed non is est, qui æquata *fronte* longissimè extendit aciem. *Salmas. de Milit. Rom. c.* 10.

Frons navis dicitur prora. Schol. Thucyd. ii. *Frons navis est prora.* Ideò fortasse, quod vel cujusque rei pars anterior sic appellari possit: vel revera nonnunquam *frontem*, vel effigiem animalium prætulerit. *Scheffer. Milit. Nav.* 1. 6. In *frontem* directæ dicebantur naves, quæ proris, sive rostris statuebantur versus hostem. Liv. xxxvii. 23. *Servantes ordinem in frontem dirigere jubet.* Et: *In frontem directas habebant naves*, hoc est, ut ipse explicat, *instructas & paratas ad concurrendum*. Et: *Cæteri, quia in frontem dirigere jussi erant, non sequebantur*, hoc est, quia jam ad excipiendos impetus hostiles parati erant, sequi non poterant. Græcis hoc est *ἀντιπρώρους ἱστάναι*. *Scheffer. ibid.* iii. 5.

In fronte, in agrum tot pedes, erat formula in vetustis sepulcrorum inscriptionibus frequentior. Horat. Sat. 1. 8. 12. V. illum inf. in *Puticula*. Vet. interp. *In fronte, in latitudine: in agrum, in longitudinem.* Totus locus religione non tenebatur, qui sepulturæ destinatus erat, sed *quatenus corpus humatum est*, teste Celso, l. 2. ff. de Relig. & sumpt. Atque ideo ne religio occuparet totum solum, in quo monumentum erat ædificatum, definiri plerumque solebat modus, spatiumque loci religiosi, ut sciretur, quid puri loci relinqueretur. Ejus rei ergo hæc formula cippo inscribebatur. *Kirchm. de Fun. Roman.* iii. 21. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* v. c. 13. & 16. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* xi. *p.* 800. *B. Rader. in Mart.* 1. 93. *Gyrald. de var. sepel. ritu c.* 5. & *Faes in illum. Nicol. de Sepulcr.* iii. 15. 6.

FRONTALIA sunt ornamenta equorum. Hæc caput equi hinc inde vinciunt, & additis bullis, interdum auratis, gemmisque venustant. Plin. xxxvii. 42. de coclyde gemma: *Quandoque tanta magnitudinis fuere, ut equis Regum in oriente frontalia, atque pro phaleris pensilia facerent.* Grapald. de Part. dom. 1. 8. 15.

FRONTINI, qui Stratagematum libros collegit, an ejusdem sit libellus Aquæductuum, non sine causa dubitari potest. Purior enim, & emendatior in illis videtur sermo. *Ruben. Elect.* ii. 35. Floruit sub Nerva. Ipse in Præfatione: *Sitque mihi nunc ab Nerva Augusto aquarum injunctum officium.* Et de illo Ælian. Procem. lib. de Instr. acieb. *At postea quam cum deo patre tuo Nerva super eo contuli, ac Formiis transactis aliquot diebus apud Frontinum è clarissimis consularibus virum, quique peritia bellica laudem asportavit, collatis cum eo quoque sermonibus comperi, non minore illum studio teneri disciplina Græcis usitata: cœpi non amplius, quod de conscribendis Tacticis conceperam, vilipendere: autumans*

mans haud tantum in ea studii, operaque positum iri à Frontino, siquidem videretur Romanorum instructione deterius quid, minusve continere. Et ideò quid obstet, quominus idem Scriptor Strategicus & aquarum Præfectus fuerit, qui libellum hunc de Aquæductibus urbem Romam influentibus edidit, obscurè video. Certò certius est, Æliano alloquio ad Adrianum non alius *Frontini* meminisse, quàm consularis illius Stratagematum auctoris; quorum libri superstites etiamnum exstant, & quos idem optimo Principi Trajano dicavit. Secus ac Stevvechio visum, qui alios de militari disciplina libros eidem dedicatos opinatur in Veget. II. 3. Nam Nervæ, ac Trajani temporibus præcipuè in pretio fuit. Nec alius *Frontini* mentionem apud antiquos puto, quàm unius ejusdemque nostri, qui Stratagematum nimirum, Aquarumque libellos congessit, & cujus etiamnum Fragmenta exstant de Qualitatibus agrorum & Limitibus. Falluntur etiam illi, qui ulteriùs disquirendum contendunt, an urbanus ille prætor, cujus Tacit. Hist. IV. 39. 1. meminit ad Vespasiani II. & Titi consulatum, qui incidit in annum Urbis 823. idem cum nostro *Frontino* sit. *Keuchen. in Frontini præfationem.*

FRONTO cognomen, Glandorpio teste in cognominum Indice, fuit commune Æterninis, Aufidiis, Corneliis, Juliis gentibus Romanis. Addit & Cajis. Verum cum Cajus ferè semper prænomen, non autem nomen gentilicium noverim, in gentibus tantum, quæ a more Romano alienæ sunt, admitto. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XI. p. 728. B.*

FRU.

FRUGI appellatus est L. Calpurnius Piso ob mores. Cicer. Font. c. 13. *Qua in oratione* C. Gracchi *permulta in L. Pisonem turpia, ac flagitiosa dicuntur. At in quem virum? qui tanta virtute, atque integritate fuit, ut etiam illis optimis temporibus, cum hominem invenire nequam neminem posses, solus tamen Frugi nominaretur.* Unde Ascon. in Cicer. p. 155. *Non puto vos ignorare, hunc Pisonem ex ea familia esse, quæ Frugi appellata sit: & ideò dicit* Cicero, *aspernari eum moribus nomen.* Tiraquell. in Alex. Gen. I. 9. Augustin. de Famil. Roman. in Calpurnia. Sigon. de Nom. Roman. c. 5. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 728. E.

FRUGUM primitias Cereri deæ *frugum* offerebant Græci & Romani. Plin. XVIII. 2. *Numa Pompilius deis fruges colere instituit.* Stuck. de Sacrif. p. 73. Tomas. de Donar. c. 26. In XII. tabulis vetabantur excantari, id est, de agro in agrum traduci. Verba legis hæc sunt: *Quei. nox. frucem. aratro. quæsitam. furtim. pavesit. secuesitve. sos. pubes. sit. Cereri. sacer. estod. improbes. prætoris. arbitratu. verberatos. noxiam. duplione. sarcito.* Hujus legis meminit Plin. XVIII. 2. *Quid? non & legum ipsarum in duodecim tabulis verba sunt? qui fruges excantasset.* Meminit, & qua ratione *fruges* solent excantari, docet Apul. Apol. p. 481. *Magia ista res est delegata legibus, jam inde antiquitus XII. tabulis propter incredundas frugum illecebras interdicta. Igitur & occulta non minus, quàm tetra, & horribilis, plerumque noctibus vigilata, & tenebris abstrusa, & arbitris solitaria, & carminibus murmurata: cui non modò servorum, verum etiam liberorum pauci adhibentur.* Reorum pœnam prodiderunt Serv. in Virg. Ecl. VIII. 99. & Plin. XVIII. 3. *Frugem quidem aratro quæsitam furtim noctu pavisse, puberi XII. tabulis capitale erat, suspensumque Cereri necari jubebant, gravius quidem quam in homicidio convictum: impubem prætoris arbitratu verberari, noxiamve, duplionemve decerni. Voluerunt, eum qui fruges excantasset, Cereri esse sacrum.* Ursin. ad Leges & Scta Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1356. B. Augustin. ad Leg. XII. Tab. §. 31. Rittersh. in Leg. XII. Tab. Class. II. c. 34. Crinit. de Honest. discipl. X. 7. Florid. in Apulejum. Decemviros reprehendit Senec. Nat. Quæst. IV. 7. *Apud nos in XII. tabulis cavetur, ne quis alienos fructus excantassit. Rudis adhuc antiquitas credebat, & attrahi imbres cantibus, & repelli: quorum nihil posse fieri tam palam est, ut hujus rei causa nullius philosophi schola intranda sit.* Rævard. in Leg. XII. tab. c. 23. Hotman. Antiq. Roman. III. 2. p. 406. B. Broukh. in Prop. III. 49. Dalechamp. in Plinium. Et incendii. Cajus, l. 9. ff. de Incendio, quæ desumpta ex ejus l. 4. ad leg. duod. tab. *Qui ædes, acervumque frumenti juxta domum positum sciens, prudensque dolo malo combusserit, vinctus, verberatus igni necator. Si vero casu, id est, negligentia, noxiam sarcito: aut si minùs idoneus sit, leviùs castigator.* Reperio etiam incendiarios bestiis objectos, si humiliore loco fuerint. Sin autem in aliquo gradu dignitatis, vel capite punitos, vel in insulam deportatos. Testatur hoc Ulpian. l. 12. ff. de pœnis. *Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. II. c. 14. August. ad Leg. XII. tab. §. 31. Ursin. ad Leg. & Senatuscons. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. II. p. 1355. Rævard. & Hotman. l. l.* Pro *frugum* copia & libertate invocabant duodecim deos, qui nominantur supr. in *Dii consentes*, ut averterent morbum, mortem, labem, nebulam, impetiginem. Flora petitur, ut *fruges* cum arboribus, ac vitibus benè, prosperèque deflorescerent. Lactantius. V. illam supr. in *Flora*. A Cerere rogatum, *ut culmo surgeret alto*, teste Horat. Sat. II. 2. 124. deos agrestes, ut observat Tib. I. 1. 16.

— et messes, & bona vina date,
Adsint divi.

II. 1. 17.

Dii patrii, purgamus agros, purgamus agrestes,
Vos mala de nostris pellite limitibus.

Caroli Antiq. Roman. I. 5.

FRUMENTARIA porta. V. illam infr. in Porta.

Frumentaria res curabatur à prætoribus, sive præsidibus provinciarum. Ab illis per edicta administrabatur. V. Cicer. supr. in *Edictum repentinum*. *Frumentum* in provinciis aliud vendebatur, aliud emebatur, aliud in cellam prætoris æstimabatur, aliud imperabatur, aliud honoris causa accipiebatur. V. singula infr. *suis locis*. Et hæc omnia prætor curabat. *Sigon. de Ant. jur. prov.* II. 5. Ejus duris subvectionibus ne laboraret exercitus, præsidiis opportunis in locis positis, aut, ut sequens ætas loquebatur, prætenturis & stationibus agrarius solicitè providebatur. His vias militares securas ab incursionibus hostilibus præstabant. Iisdem præsidiis commercia, alterum inopiæ subsidium, in castra alliciebant. Antiquum valdè institutum, cujus primos inventores Cares fuisse auctor est Ælianus de Animalibus. Apud Græcos jam ab antiquo in usu fuisse ex Homero patet: *ἀγοραὶ* vocant, & *ἀγοραὶ πολέμου*. Ad quæ leges non paucæ in jure, & apud historicos exstant. Mercatores tendunt sub vallo ad portam decumanam apud Cæs. de Bell. Gall. VI. 36. Ejus inopia veteri quidem republica exercitus Romani rarò laboraverunt, suppeditante Republica *frumentum*, & vestes, & ducibus plerumque magna ratione longinqua bella tractantibus. Sed Julium Cæsarem in Galliis, & bellis civilibus, in illa celeritate incredibili bellandi, aliquoties re *frumentaria* angustè legimus usum, ut etiam aliquoties exercitus *frumento* carens, pecore, *secundo*, ut vocat, *subsidio*, aliisque remediis inopiam tutatus sit. Tantam etiam pabuli in castris suis inopiam notat Cæs. de Bell. Civ. III. 58. ut foliis *ex arboribus strictis, & teneris arundinum radicibus contusis equos aluerint*. Sed certans plerumque cum egestate patientia militum omnia superavit. *Non illis, hordeum cum daretur, non legumina recusabant: pecus vero, cujus rei summa erat ex Epiro copia, magno in honore habebant*, inquit de Bell. Civ. III. 47. Lucan. VI. 110.

— cernit miserabile vulgus
In pecudum cecidisse cibos, & carpere dumos,
Et morsu spoliare nemus, letumque minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas.

Pompejus etiam in bello civili arctis aliquoties commeatibus usus est. Quam rem non tam imprudentiæ summorum Imperatorum adscripserim, quibus nulla facilè ætas rei militaris tulit peritiores, quam licentiæ bellorum civilium, quæ disciplinam castrensem, & illa subsidia, quæ integra Republica præstari solebant, corrupit. *Scheff. in Polyb. c. VIII. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. X. pag. 1228. B.*

FRUMENTARIA largitio. V. illam infr. in *Largitio*.

Frumentaria lex. V. illam infr. in *Lex*.

Frumentaria provincia. V. illam infr. in *Provincia*.

Frumentaria tessera. V. illam infr. in *Tessera*.

FRUMENTARII dicebantur, qui appositi horreis, quæ Romæ in quavis regione Urbis plura erant, ad capiendum *frumentum* publicum, admetiebantur populo: sic tamen, ut quisque, opinor, ad horrea iret suæ regionis. Lucillius apud Non. I. 66.

> *Frumentarius est, modium hic secum, atque rutellum*
> *Unum habet.*

Paull. de Excus. tutor. ait: *Frumentarios mensores excusari à tutela*. Horreis itidem, quæ erant in provinciis, & ex illis *frumentum* admetiebantur militibus. Imò erant & legionibus, quod nos docent antiquæ inscriptiones, in quibus *frumentarii* hujus vel illius legionis leguntur. Hi exactum à provincialibus convehebant ad horrea publica, & castra. *Lips. Elect.* I. 8. *Laurent. de Conviv. c. 7. Schel. in Polyb. c.* VIII. *Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* X. *p.* 1227. *C. Ursat. de Not. Roman. Thes. Tom.* XI. *p.* 727. *C.*

Frumentarii etiam sunt dicti, qui ultrò citròque cursitabant per provincias, per domos ad *frumenta* conquirenda, præstinanda, & convehenda. *Frumenti* mercatores dictos *frumentarios* docet Plaut. Pseud. I. 2. 54.

> *Tecum ago, quæ amica ex frumentariis,*
> *Quibus cunctis montes maximi, ac acervi frumenti sunt*
> *domi.*

Lipf. Elect. I. 8. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 727. C. Laurent. de Conviv. c. 7.

Frumentarii, quorum nomen & officium sub Imperatoribus natum, & tunc primùm cognitum in ordinaria militia, dicti sunt exploratores Principum à *frumentariis* negotiatoribus: sicut enim hi *frumenta* perquirebant, ita illi investigabant, quæ in provinciis fierent, & Principi nuntiabant, ejusque mandata ad quoscunque perferebant. Erant itaque milites, & singulis quidem legionibus certo numero adscripti. Unde in veteribus inscriptionibus, *frumentarius legionis illius & illius* occurrit non rarò. Videntur originem habuisse à prima publici cursus institutione, quam ad hoc introduxit Augustus, ut omnia minima maxima, quæ in provinciis gererentur, sibi maturè, ac celeriter annuntiari possent. V. sup. in *Cursus publicus*. Spartian. in Adrian. c. II. *Erat curiosus non solùm domus suæ, sed etiam amicorum, ita ut per frumentarios occulta omnia exploraret*. Lamprid. in Comm. c. 4. *Præfecti prætorio Anterum eductum e palatio sacrorum causa, & redeuntem in hortos suos, per frumentarios occiderunt*. Capitol. Macrin. c. 12. *Cum quidam milites ancillæ hospitis pudorem depravasse suspecti essent, atque per quendam frumentarium ille didicisset, adduci eos jussit*. Salmas. in Spartianum. Pancitoll. Notit. Dignit. imp. orient. c. 65. Turneb. Adv. XXV. 17. XXIX. 12. Schel. in Polyb. c. VIII. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1227. C. Ursat. de Not. Roman. Thes. Tom. XI. p. 727. C. Nardin. Rom. Vet. VI. 10. Malvas. Marm. Fellin. Sect. V. c. 23.

FRUMENTATIO fuit antiquissima apud Romanos, & ferè semper conciliandæ plebi. Est statim post Reges ejectos adhibita. Liv. II. 9. *Blandimenta plebi per id tempus ab senatu data. Annonæ in primis habita cura, & ad frumentum comparandum missi alii in Volscos, alii Cumas*. Plin. XVIII. 3. ejus originem ad Manium Marcium ædilem plebis refert: *Manius Marcius ædilis plebis primum frumentum populo in modios assibus donavit*. Et idem fecit non multò pòst in cæde Mæliana Minutius: de quo Liv. IV. 16. *L. Minutius bove aurato extra portam Trigeminam est donatus, ne plebe quidem invita, quia frumentum Mælianum assibus in modios æstimatum plebi divisit*. Lipf. Elect. I. 8. de Magnit. Roman. II. Thys. de Magnit. Roman. I 2. p. 264. Duorum *frumentationis* initiorum unum, Livianum falsum, dubium & incertum esse alterum, Marcianum autumo. Tertius locus L. Minutio Augurino videtur deberi, quem tradit Liv. IV. 13. fame Urbem premente præfectum annonæ extra ordinem creatum, in eo magistratu *frumentum* assibus in modios æstimatum plebi divisisse. Sp. Mælius id coemerat privata pecunia ad largitiones faciendas, ut delinita hoc munere plebe, regnum, quod affectabat, faciliùs occuparet. Sed eo oppresso, necdum inaniis consilus, unà cum reliquis bonis fuerat publicatum. De eadem re Plin. XVIII. 3. *Minutius Augurinus, qui Sp. Mælium coarguerat, farris pretium trinis nundinis ad assem redegit*. Quod ita accipio, ut L. Minutius *frumentum* Mælianum assibus in modios venale proponendo, adeo pretium ejus imminuerit, ut brevi tantidem in foro prostaret. Incurrit hæc Augurini *frumentatio* in annum ab U. C. 314. *Contaren. de Frumentat. Roman. c.* I. De numero *frumentantium*, sive *frumentum* de publico accipientium, certum aliquid sub Imperatoribus reperio, non ante. Clodii lege an omnes cives acceperint, an certo numero inclusa ea liberalitas fuerit, ignoro. Julius Cæsar sanè dictator numerum definivit, quem expressit Suet. c. 41. n. 6. *Ex viginti, trecentisque millibus accipientium frumentum ad centum quinquaginta retraxit*. Dio XLIII. p. 224. D. *Quumque numerus eorum, qui ex publico frumentum accipiebant, non legitimè, sed eo modo, quo in seditionibus fieri assolet, excrevisset, recensuit eos, & dimidiam partem eorum expunxit*. Augustus auxit illorum numerum, & reduxit ad millia ducenta. Dio LV. p. 554. E. *Augustus multitudinem eorum, qui frumentum ex publico accipiebant, ad hominum ducenta millia redegit*. De se in breviario rerum gestarum Augustus ipse: *Consul. tertium. decimum. sexagenos. denarios. plebi. quæ. tum. frumentum. publicum. acceperat. dedi. ea. millia. hominum. paullo. plura. quam. ducenta. fuerunt.* Augustum secutus Tiberius videtur ad eum numerum aliquid addidisse. Tacit. Annal. VI. 13. I. *Iisdem consulibus gravitate annonæ juxta seditionem ventum .... addidit, quibus è provinciis, & quanto majorem, quàm Augustus, rei frumentariæ copiam advectaret*. Si Tiberius auxit numerum *frumenti*; ergo & *frumentantium*. Credo idem fecisse alios Imperatores. *Lips. l. l.*

FRUMENTUM latè patet, triticum, milium, far, hordeum complectitur, uno verbo, omnes fruges, quæ legumina non sunt. Plin. XVIII. 7. *Frugum sunt duo prima genera: frumenta, ut triticum, hordeum: & legumina, ut faba, cicer*. Contaren. de Frumentat. Roman. c. I. Apud Græcos & Romanos olim in area silicibus triturabatur. Duæ erant rationes molendi. Indicat eas Lucret. I. 880.

> *Conveniebat enim fruges quoque sæpè minutas,*
> *Robore cum saxi franguntur, mittere signum*
> *Sanguinis, aut aliquid nostri quo corpora aluntur*
> *Cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem.*

Unà cum suspensa mola fruges frangimus, ut in faba fresa, & in polenta crassiuscula, quam Græci χόνδρον vocant, & ex eo Aristoph. Nebul. III. 3. 5. quæ crassa sunt. Et Virg. Æneid. I. 183.

> *Et torrere parant flammis, & frangere saxo.*

quod est utcunque molere atque adeò molere. Aliquando non suspenduntur molæ, sed lapis lapidem terit, id est, mola molam, cum tenuior farina, & minutior elicitur. *Turneb. Adv.* V. 24. *Cerda in Virgilium*. Datum est itaque civibus tenuioribus. Senec. de Ben. IV. 27. *Frumentum publicum tam fur, quàm perjurus, & adulter accipiunt: & sine delectu morum, quisquis civis est*. Nec ingenuis solum, sed etiam libertis. Pers. Sat. V. 73.

> *Libertate opus est: non hac, qua, ut quisque Velina*
> *Publius emeruit scabrosum tesserula far*
> *Possidet.*

Emeruit, id est, ex servo factus est liber. Simul, inquit, ac liber factus est, possidet tesseculam frumenti. Scholiastes: *Romæ erat consuetudo, ut qui ex manumissione cives efficiebantur, in numero civium Romanorum frumentum publicum acciperent*. Lipf. Elect. I. 8. & de Magn. Rom. II. 10. Contaren. l. l. Pueris. Plin. Paneg. c. 26. n. 3. *Tu ne rogari quidem sustinuisti, & quanquam lætissimum oculis tuis esset conspectu Romanæ sobolis impleri, omnes tamen antequam te viderent, adirent, recipi, incidi jussisti: ut jam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur*. Spartian. Hadrian. c. 7. V. illum infr. in *Pueri alimentarii*. Capitol. Anton. Phil. c. 7. *Ob hanc conjunctionem pueros & puellas novorum hominum*, fortassis novem annorum, *frumentaria*

taria perceptionis adscribi praceperunt. Lipſ. l. l. Nobilibus, & magiſtratibus functis. Cicer. Tuſc. Quæſt. III. 20. *Piso ille Frugi semper contra legem frumentariam dixerat. Is lege lata consularis ad frumentum accipiendum venerat. Animadverterat Gracchus in concione Pisonem stantem. Quærit audiente populo Romano, qui sibi constet, cum ea lege frumentum petat, quam dissuaserat*. Senatoribus. Spartian. Hadrian. c. 7. *Senatoribus, qui non vitio suo decoxerant, patrimonium pro liberorum modo senatoria professionis explevit, ita ut plerisque in diem vita sua dimensum sine dilatione prastiterit*. Aratoribus & negotiantibus. Suet. Aug. c. 42. n. 5. *Atque ita post hanc rem*, locutus fuerat n. 4. de *frumentatione* publica, *ita temperavit, ut non minorem aratorum, ac negotiantium, quàm populi rationem duceret*. Poſtremò militibus. Suet. Ner. c. 10. n. 4. Nero *pratorianis cohortibus constituit frumentum menstruum gratuitum*. Tacit. Annal. XV. 72. 1. *Quibus perpetratis Nero ..., addidit sine pretio frumentum, quo ante ex modo annona utebantur*. Contaren. l. l. Militibus dabatur potiùs quàm panis. I. Quia domi antiquitus *frumentum*, non panem plebi diſtribuebant. Et fuit ea olim frugalitas & continentia, ut frequentior apud eos pultis, quàm panis uſus eſſet. II. Quia ad portandum habilius, & commodius, & pane levius. *Lex enim certa natura est*, ait Plin. XVIII. 7. *ut in quocunque genere panis militaris tertia portio ad grani pondus accedat*. III. Quia diſciplinæ intereſt, adſueſcere militem obvio, & cum primis parabili cibo, qualis puls & panis ſubcinericius: nec circumſpicere doctas piſtorum manus, aliaque deſidiæ adjumenta, per quæ luxus caſtra intrare, & diſciplinam ſolvere ſolet. *Schel. ad Polyb. c. 7. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. x. p. 1218. D.* Ejus diſtributio fuit penes ædiles. V. ſupr. in *Ædiles*. Sed non diuturna iis hæc cura, ſucceſſitque præfectus annonæ. V. illum infr. in *Prafectus*. Sub quo menſores frumentarii erant conſtituti. V. illos infr. in *Mensores*. Diſtribuebatur per teſſeras. V. illas infr. in *Tessera*. Lipſ. & Thyſ. l. l. Teſſeris acceptis ibant ad horrea. Hæc Romæ ad capiendum *frumentum* publicum in quaque regione Urbis compluta. Numerum ex P. Victore inivi ad trecenta & novem. Cognomina etiam pleriſque addita ab auctore, horrea Anicetii, Varguntejí, Galbiana, Domitiani, Sejani: quæ in deſcriptione Urbis reperies, & in ſpectionibus antiquis. V. illa infr. in *Horrea*. Olim dabatur *frumentum*: poſtea cœpit panis. V. infr. in *Panis civilis*. Tempus diſtribuendi fuit principium cujuſque menſis. Jam inde à Graccho, ut opinor, quia largitio ejus menſtrua fuit: & Appian. de Bell. civil. I. p. 362. diſertè ait, definiiſſe eum ἐπιμήνιον ἑκάστῳ. Ex Suida colligimus id ſolitum fieri ſub ipſas nonas, ὡς ἀεὶ τὰς νόνας διδομένας. Mutare eam conſuetudinem tentavit Auguſtus, ſed deſtitit propter adverſam populi voluntatem. Suet. c. 40. n. 3. *Ne plebs frumentationum causa frequentiùs à negotiis avocaretur, ter in annum quaternum mensium tesseras dare destinavit: sed desideranti consuetudinem veterem concessit rursus, ut sui cujusque mensis acciperet*. Vis tanta *frumenti* è provinciis, è Sicilia, Sardinia, & præſertim Africa atque Ægypto in Urbem convehebatur. V. infr. in *Provincia frumentaria*. Certo die dabatur, & cum cura ne is laberetur. Cæſ. de Bell. Gall. I. 16. *Diem instare, quo die frumentum militibus metiri oporteret*. VII. 32. *Post diem septimum sese reversuram confirmat; quam ad diem ei legioni, qua in prasidio relinquebatur, deberi frumentum sciebat*. Lipſ. de Milit. Roman. v. 16. Elect. I. 8. Thyſ. Rom. Illuſtr. v. p. 144. Interdum levi pretio, interdum etiam ſine pretio diſtribuebatur ſub primis Imperatoribus. Suet. Aug. c. 41. n. 6. *Frumentum in annona difficultatibus sapè levissimo, interdum nullo pretio viritim admensus est*. Sub veteri republica clementi pretio dabatur: nuſquam enim de gravitate annonæ milites legas queri. *Schel. ibid. p. 1223. A. Buleng. de Vectig. c. 36. Contaren. ibid. c. 2.* Quantum, & quoties dimenſum fuerit, docet Polyb. VI. 37. *Admetiuntur peditibus tritici partes circiter duas medimni Attici: equitibus vero hordei in mensem septenos medimnos, tritici verò binos*. Medimnus Atticus juxta Suidam ſex modiorum Romanorum eſt, in modio Romano octo chœnices, chœnix juſta menſura homini in diem alendo habebatur. Duæ itaque partes medimni, duo & triginta chœnices, quatuor modii ſunt legitimum in menſem *frumentum*, unde & *menstruum* appellabatur. Livius ſupr. in *Cibaria*. Schel. ibid. p. 1220. A. Lipſ. & Thyſ. l. l. Quando aliquo pretio dabatur, illud conſtitutum de ſtipendio deducebat quæſtor. Polyb. VI. 37. *Hoc secus gratis donatur: Romanis, sive frumentum, sive vestis tribuatur, aut etiam si quibus armis opus habuerint, horum omnium certa pretia quastor de stipendio deducit*. Patric. Rei milit. Rom. part. XII. Sect. 2. Schel. ibid. p. 1222. C. Hoc probare peculiare munus fuit tribunorum. Docet hoc lex 12. ff. de re milit. Et præſidum. Valentinianus & Valens, l. 2. C. de condit. in publ. horr. Anthemio præſidi: *Cum ad quamlibet urbem mansionemve accesseris, protinus horrea te inspicere volumus, ut devotissimis militibus deputata, & incorrupta species prabeantur*. Imò ipſorum Principum. Ab hac providentia & cura Hadrianum laudat inter cætera Spartian. c. 11. *Laborabat praterea, ut condita militaria diligenter agnosceret, reditus quoque provinciales solerter explorans, ut si alicubi quicquam deesset, expleret*. Lamprid. Alex. Sev. c. 15. *Annonam militum diligenter inspexit*. Atque adeò in morem abiit, ut de annona in horreis recondenda Principi aliquid offerretur, ut probaret ipſe, & videret, an bonum, & incorruptum eſſet *frumentum*. *Probam* vocabant. Ammian. XXI. 16. *Eique vehiculis insidenti, ut Principibus solet, annona militaris offerebantur indicia, ut ipsi nominant, proba*. Schel. ibid. c. 8. p. 1227. E. Salmaſ. in Spartian. Adrian. c. 11. Valeſ. in Ammianum. Humeris inter arma portabant milites. V. ſupr. in *Cibaria*. Ambigas, an & vendere licuerit. Nam inter probra corrupti exercitus recenſet Salluſt. Bell. Jug. p. 101. *Frumentum publicè datum vendere, panem in dies mercari*. Et notum eſt factum Galbæ apud Suet. Galb. c. 7. n. 4. qui *militi, qui per expeditionem annona arctissima residuum cibariorum tritici modium centum denariis vendidisse arguebatur, vetuit, simul atque indigere cibo cœpisset, à quoquam opem ferri, atque is fame extabuit*. Ambigas, inquam, an omnem omninò frumenti emptionem & venditionem condemnent: an tantum quod de demenſo ſuo, quibus ipſis ad vitam ſuſtentandam erat opus, vendiderint, ac luxus cauſa pro *frumento* mercati ſint panem: & in Galbæ milite, quod ſimiliter de *frumento* ſuo tam immani pretio modium vendiderit. *Schel. ibid. c. 7. p. 1221. D. Lipſ. l. l.* Duplicariis duplex dabatur. At cui bono hæc munificentia. An virtutis cauſa? Sed an cum virtute creſcit voracitas, & poſt egregia facinora alterum tantum jam capit venter? Poſſem reſpondere cum Xenophonte, qui Regi Lacedæmoniorum duplicia data ſcribit cibaria, non quo plus cæteris voraret, ſed honoris cauſa, quo partem cibariorum ſuorum cui vellet poſſet largiri. Sed apud Romanos commodo etiam, non tantum honori, ea res fuit. Duplicarii immunes erant, vel principales: ſervum habebant, cui alendo *frumenti* pars altera. *Schel. ibid. C.* Sub Imperatoribus paſſim ſuppeditabatur. V. infr. in *Provincia frumentaria*.

Frumentum æſtimatum erat, quod æſtimabat magiſtratus in cellam ſuam in uſum familiæ, cum interdum pro *frumento* pecuniam acciperet. Aſcon. in Cicer. p. 95. *Licebat magistratibus in usus suos frumentum accipere si vellent, aut pro frumento pretium: quæ astimatio dicebatur: in qua re avarissimi quique infinitam pecuniam contrahebant, iniquum pretium secus imperando*. p. 29. Sicilia *dabat astimatum, quod decretum prator in cellam, hoc est, in usus cella astimare solebat, cum interdum pro frumento pecuniam sumeret*. Buleng. de Vectig. c. 9. Sigon. de Ant. jur. prov. I. 1. Burmann. Diſſert. de Vectig. c. 2. Guther. de Offic. dom. Aug. II. 9. Laurent. de Rebuſpubl. c. 3. In poteſtate prætoris ſita erat æſtimatio. Cicer. Verr. III. 81. *Cum ex SCto & ex legibus frumentum ei in cellam sumere liceret; idque frumentum ita senatus astimasset, quaternis H. S. tritici modium, binis hordei: iste numero ad summam tritici adjecto, tritici modios singulos cum aratoribus ternis astimavit*. Sigon. ibid. II. 5.

Frumentum decumanum erat decuma, quam quiſque arator ſine pretio dare cogebatur. Aſcon. in Cicer. p. 29. *Sicilia dabat decumanum frumentum, quod ab aratoribus exigebatur sine pretio*. Quæ ſumma pro copia, vel inopia *fru-*

menti in singulos annos erat incerta. *Laurent. de Rebuspubl. c. 3. Buleng. de Vectig. c. 9.*

Frumentum emptum erat, quod aratores vendere accepto ex Sᶜto pretio cogebantur ad alendum Romæ populum. Ascon. in Cicer. p. 29. *Sicilia frumentum emptum dabat, pro quo ex Sᶜto pecunia solvebatur.* Cicer. de Divin. c. 10. *Emptum est ex Sᶜto frumentum ab Siculis, præterea Verre, pro quo frumento pecunia omnis soluta non est. Grave est hoc crimen in Verrem .... Mancipes à civitatibus pro frumento pecuniam exegerunt.* Hoc duplex erat, I. Decumanum, quod ex alteris item decumis pretio persoluto aliquando accipiebatur. Liv. XXXVI. 2. *Eidem prætori mandatum, ut duas decumas frumenti exigeret.* II. Imperatum, quod præter duas decumas æqualiter omnibus civitatibus pretio item soluto imperabatur. Ascon. in Ciceronem. *Decumæ in Sicilia lege, & consuetudine trahuntur: alteræ novis institutis propter annonæ rationem imperantur.* Buleng. de Vectig. c. 9. Sigon. de Ant. jur. Prov. I. 1. Laurent. de Rebuspubl. c. 3. Burman. Diss. de Vectig. c. 2. Hujus emendi & imperandi auctoritas prætoris tota fuit. Cicer. Verr. III. 70. *Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex Sᶜto, & ex lege Terentia, & Cassia, frumentaria. Emundi duo genera fuerunt: unum cæterarum decumarum: alterum, quod præterea civitatibus æqualiter esset distributum. Illius decumani tantum, quantum ex primis decumis fuisset: hujus imperati tritici medium octoginta millia: pretium autem constitutum decumano in modios singulos sestertii terni, imperato sestertii quaterni. Ita in frumentum imperatum sestertium bis & tricies in annos singulos Verri decernebatur, quod aratoribus solveret: in alteras decumas fermè ad nonagies.* Sigon. ibid. II. 5. Buleng. & Burmann. l. l.

Frumentum honorarium erat, quod honoris causa sponte, & sine metu prætori dabatur à provincialibus. Cicer. in Pison. c. 35. *Qui modus tibi fuit frumenti æstimandi, qui honorarii? siquidem potest vi & metu extortum honorarium nominari.* Buleng. de Vectig. c. 9. Burmann. de Vectig. c. 2. Sigon. de Ant. jur. prov. II. 5.

FUC.

FUCINUS lacus. V. illum infr. in *Lacus*.

FUCUS est herba marina rubens, qua lana inficitur. Plin. XXVI. 10. *Præcipuè vero liberat eo malo phycos thalassio, id est, fucus marinus, lactucæ similis, qui conchyliis substernitur .... Tria autem genera ejus, latum, & alterum longius quadantenus rubens: tertium crispis foliis, quo in Creta vestes tinguntur.* Virg. Georg. IV. 39.

Spiramenta linunt, fucoque, & floribus oras.

Ubi Servius: *Genus est herbæ, quo tinguntur vestes.* Quadantenus rubebat *fucus*, eoque viliorum lana tingebatur. Sed quia ad purpuræ colorem accedebat, sive mentiebatur, inde mentitus ille color pro fraude accipi cœpit. Hinc *facere fucum mulieri* apud Terent. Eun. III. 4. 41. quod *fraudem, & insidias, sub quibus occultatur veritas,* Donatus interpretatur. *Sine fuco* apud Cicer. Attic. I. 1. est simpliciter & apertè. Quintil. II. 15. *Mangonum, qui colorem fuco, & verum robur inani sagina mentiuntur.* Inde unguenta, & medicamina, quibus nativum ruborem feminæ mentiuntur, *fucus* dictus est. *Ferrar. de Re vest. II. 1. 24. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 21. Salmas. Exerc. Plin. p. 804. a. F....*

FUF.

FUFIA genus. V. illam infr. in *Gens*.

FUG.

FUGÆ servorum cognitio, vel præsidis, & proconsulis in provincia, vel præfecti vigilum Romæ fuit. Labeo, l. 1. ff. de serv. fugit. *Tamdiu autem custodiuntur, quamdiu ad præfectum vigilum, vel ad præsidem deducantur, eorumque nomina, & notæ, cujus se quis esse dicat, ad magistratus deferantur.* Pignor. de Serv. p. 24.

FUGITIVARIUS erat apud antiquos *fugitivorum* servorum reprehensor, qui eam operam profitebatur, ut fugitivos investigatos reduceret. Flor. III. 19. 7. *Itaque qui per fugitivarios retrahi debuissent, prætorias duces profuges prælio ipsi sequebantur.* Metaphoricè quodammodo hoc verbo utitur Varr. de Re rust. III. 14. *Idoneus sub dio sumendus est locus cochleis, quem totum circum aqua claudas, ne quas ibi ad partum posueris, non liberos earum, sed ipsas quæras. Aqua inquam finienda, ne fugitivarius sit parandus,* id est, φυγαδοθήρας, id est, ne si locus *fugæ* pateat cochleis, cogaris postea tanquam *fugitivos* servos, sic cochleas *fugitivas* persequi, & uti ministerio reprehensorum. Ferunt piratas hodie *fugitivariis* canibus uti ad reprehensionem remigum vinctorum, qui ad scalmum damnati aufugerunt. *Fugitivarius* ea forma dicitur, qua thunnarius, & anataria aquila anatum insectatrix, & leporaria, à necandis anatibus & leporibus inditis nominibus. *Bud. in Pandect. p. 177. E. Pignor. de Serv. p. 19. Cujac. Observ. V. 8.*

FUGITIVUS in potestate domini spe postliminii, & recuperationis manebat. Apul. Met. VI. p. 178. *Legibus, quæ servos alienos profugos invitis dominis vetant suscipi, prohibeor.* Argol. in Panvin. de Lud. circ. II. 3. Et dicitur retractus, qui è *fuga* reducitur domum ad herum. Sallust. Bell. Catil. p. 32. *In his erat Fulvius senatoris filius, quem retractum ex itinere parens necari jussit.* Translatio ab illis sumpta insignis est. Varr. de Ling. Lat. IV. *Quare illa, quæ jam majoribus nostris ademit oblivio, fugitiva si sedulitas Mucii & Bruti retrahere nequit, non si non, potuerim indagare, ero eo tardior.* Et illa de Re rustica, de qua supr. in *Fugitivarius*. Etiam Terent. Heaut. IV. 2. 11.

Retraham ad me illud fugitivum argentum.

Turneb. Adv. XXIV. 29. Illos per amicos, vel per *fugitivarios* conquisitos, stigmatibus notabant. V. supr. in *Inscriptio*: vel trudebant in custodiam publicam ad tempus, vel in pistrinum, vel interficiebant. Cicer. Fratr. I. 2. *Cum eum fugitivum postea esse ex Æsopi literis cognosceret, hominem comprehendit, & in custodiam Ephesi tradidit: sed in publicam, vel in pistrinum, non satis ex literis ejus intelligere potuimus.* Pignor. de Serv. p. 19. Etiam illis pedes amputabant interdum. V. infr. in *Pars*.

FUL.

FULCRA *sunt ornamenta lectorum, reclinatoria vulgus appellat.* Isidor. XIX. 26. Eam vocem apud vulgus invaluisse monet Isidorus, cum alioquin *fulcrum* diceretur. *Chimentell. de Honor. bisell. c. 30.* Tricliniaria sunt imus lectus. Suet. Claud. c. 32. n. 3. *Adhibebat omni cœnæ & liberos suos cum pueris puellisque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur.* Aug. c. 64. n. 7. *Neque cœnavit una, nisi ut in imo lecto assideret.* Chimentell. ibid. c. 29. Sunt alias illorum sustentacula. Varr. de Ling. Lat. VII. V. illum infr. in *Lectus*. Dicuntur pedes. Ter. Adelph. IV. 2. 46. V. illum infr. in *Lectus*. Quæ idem sunt Plin. XXXIV. 2. *Et ideò crura addiximus tricliniorum pedibus fulcrisque.* Pitisc. ad Suet. Claudium. Vulgari artificio apud Græcos, & Romanos in sphingium & gryphum speciem deformari solebant. Callixth. Rhod. apud Athen. V. *Ruben. Diss. de Gemm. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. XI. p. 1334. F.* Concharum putaminibus recentiorum luxuries cooperiebat. Frons, vel altior pars erat ex ære, & interdum gerebat formam asinini capitis vite, seu serto pampineo coronati. Juven. Sat. XI. 93.

Nemo inter curas, & seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Trojugenis factura, & nobile fulcrum:
Sed nudo latere, & parvis frons ærea lectis
Vile coronati caput ostendebat aselli.

Hygin. Fab. 274. *Antiqui nostri in lectis tricliniaribus, in fulcris capita asinorum vite alligata habuerunt.* Ex instituto Carbilii Pollionis. Plin. IX. 11. V. illum infr. in *Testudo*. Lips. in Senec. de Ben. VII. 9. Graug. in Juvenalem.

FULCRARIUS potest appellari opifex, qui spondas, & *fulcra* lectorum fabricatur, & pueriles turbines,

& rhom-

& rhombos muliebres, quibus fila agglomerantur. *Bud. in Pandect. p.* 177. I.

FULGETRAM, & *fulgetrum* dixerunt veteres. *Fulgetra* feriunt oculos. Plin. II. 54. *Fulgetrum prius cerni, quàm tonitrum audiri certum est, cum simul fiunt. Nec mirum, quoniam lux sonitu velocior, sed sonitum profectò esse fulminis, non illati: etiamnum spiritum ocyorem fulmine. Ideò quatì prius omne, & afflari quàm percuti, nec quenquam tangi, qui prius viderit fulmen, aut tonitru audierit.* Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 4. *Fulgetras poppysmis adorare consensus gentium est.* Plin. XXVIII. 2. *Guther. de Jur. man.* I. 2.

FULGORA erat dea, quam colebant, ne fulmina fierent. Augustin. de Civit. Dei VI. 10. *Quædam sunt viduæ, ut fulgora.* Morestell. de Fer. Roman. Dial. XXI. Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 6.

FULGUR existit, cum *anhelitus terræ, qui frigidi sunt, in nubem se induerint, ejusque tenuissimam quamque partem cœperint dividere, atque disrumpere, idque crebrius facere, & vehementius, tum & fulgura & tonitrua existere.* Cicer. de Divin. II. 19. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c.* 2. Pro fulmine sæpè ponitur. Festus: *Fulgur, fulguritum, id est, fulmine ictum, qui locus statim putabatur religiosus, quod eum sibi deus dicasse videretur.* Buleng. ibid. c. 11. Casaub. in Pers. p. 190. Et tamen differt à *fulmine*: quia *fulmen* est ignis à nube vibratus, *fulgur* ignis nube inclusus: unde domum *fulmine* accensam dicimus, non *fulgure*. Est enim *fulgur* nihil aliud quàm splendor ipsius *fulminis*, *fulmen* ipsum telum. Lucret. VI. 83.

Sunt tempestates, & fulmina clara canenda.

Stat. Theb. IV. 674.

—— quæque ipse micantia sensi
Fulgura.

Ajunt naturalium caussarum scrutatores, *fulgura* ex nubium collisione generari, in morem silicum duriorum, quos cum complòseris sibi, medius ex his ignis exeritus elabitur, atque ita cum *fulgure* pariter & tonitrua mugire, tonitruum scilicet sonitu indicante, & *fulgura* excussi luminis claritate. *Morestell. de Fer. Roman. Dial.* XXI.

Fulgur cœleste dicitur, cujus ictus semper est obliquus. Plin. II. 52. *Omnia à superiore cœlo decidentia obliquos habent ictus.* Lucan. I. 15.

Qualiter expressum ventis per nubila fulmen
Ætheris impulsi sonitu, mundique fragore
Emicuit, rupitque diem, populosque paventes
Terruit, obliqua præstringens lumina flamma.

Buleng. de Terr. mot. & Fulm. c. 12.

Fulgur conditum dicitur, cum ara superimposita esset. Inscriptio Nemausi p. 132. 8.

FULGUR
CONDITUM
DIVOM

Festus Fragm. in Scribonianum: *Fulgur conditum, quod cum fcitur, nefas est integi, semper foramine ibi aperto cœlum patet.* Ara illa superimposita puteal, vel capitium, quale fuit Scribonii Libonis in veteribus nummis. Gloss. vet. Περιστόμιον ἱερῦ φραγμὸς, ἱερὸς τόπος κεκαλλιεργημένος. Operculum Ulpiano, l. 13. §. fin. & l. 14. ff. de act. empt. vocatur. *Guther. de Jur. man.* I. 4. *Buleng. de Terr. mot. & Fulm.* c. 11.

Fulgur dium quodnam fuerit dictum docet Festus: *Dium fulgur appellabant diurnum, quod putabant Jovis.* Huic diurna fulmina tribuebant; quod diei esset pater. Glossæ: Κεραυνόβλητον ἡμερινὸν, *fulgur dium.* Buleng. de Terr. mot. & Fulmin. c. 11. Brisson. de Form. I. p. 127. Guther. de Jur. man. I. 2.

Fulgur peremptale describit Festus: *Peremptalia fulgura Gracchus ait vocari, quæ superiora fulgura, ut portenta, vi sua perimant duobus modis, prioribus tollendis, aut majore manubia, ut tertia secunda, secunda prima cedat.* Buleng. de Terr. mot. & Fulm. c. 6. Brisson. de Form. I. p. 127. Guther. de Jur. man. I. 2. Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 602. D. Crinit. de Honest. Discipl. II. 5.

Fulgur pestiferum hisce describit Festus: *Pestiferum fulgur dicitur, quo mors, exsiliumve significari solent.* Buleng. de Terr. motu & fulm. c. 6. Guther. de Jur. man. I. 1. Crinit. de Honest. Discipl. II. 5.

Fulgur postulare, sive postulatorium, quodnam fuerit, legitur apud Festum: *Postularia fulgura, quæ votorum, aut sacrificiorum spretam religionem designant*, eorum emendationem exigentia. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 6. Guther. de Jur. man.* I. 1. *Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 607. *F. Crinit. de Honest. Discipl.* II. 5.

Fulgur provorsum *appellatur, quod ignoratur, noctu, an interdiu sit factum.* Festus. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 6. Guther. de Jur. man.* I. 1. Cur incertum *fulgur* provorsum dicatur, non sat video, cum provorsum, sive prorsum nihil aliud sit quàm ἀντίοπον. Unicè amplector Meursii conjecturam, qui putat legendum controversum. Neque dubium est, quin controversa *fulgura* rectè dicta sint, de quibus controversia esset, quo tempore cecidissent, sive diluculo, sive crepusculo, quæ tempora diei an nocti annumerari debeant, in incerto est. *Not. in Festum.*

Fulgur renovativum vocatur Festo, *cum ex aliquo fulgure functio*, fortasse significatio, *fieri cœpit, si factum est simile fulgur, quod idem significat.* Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 6. Guther. de Jur. man. I. 1.

Fulgur summanum dicebatur nocturnum. Festus: *Nocturnum fulgur putabant esse Summani*, quia tenebrarum est pater. Gloss. Κεραυνόβολον ἀπὸ ὥρας νυκτερινὸν, *fulgur summanum.* Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 11.

FULGURATOR dicebatur haruspex. Non. I. 319. *Fulguratoris, ut extispicis, & haruspicis, ita hi fulgurum inspectores. Cato de moribus Claudii Neronis: Haruspicem fulguratorem si quis adducat.* Guther. de Jur. man. I. 2. Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7.

FULGURITA dicebantur loca fulmine icta. Talia statim fiebant religiosa. V. Festum supr. in *Fulgur*. Hoc Cæsarem Augustum impulit, ut aream in palatio à se emptam consecrarit, & Apollini dedicarit. Dio XLIX. p. 401. C. *Guther. de Jur. man.* I. 4.

FULGURITOS igni cremare antiquitus fuit religio. Plin. II. 54. *Hominem ita exanimatum cremari fas non est: condi terra religio tradit.* Et Tertullianus: *Qui de cœlo tangitur, salvus est, ut nullo igne cinerescat.* Sepeliebantur eo ipso in loco, ubi fulmen eos occiderat. Artemid. II. 8. *Fulguriti non transferuntur in alium locum, sed ubicunque fulmine occupati, ibi & sepeliuntur.* Quo pertinet Scholastica illa lex Quintil. Declam. 264. *Quo quis loco fulmine ictus fuerit, eodem sepeliatur.* Excipio locum publicum: nam quos *fulgur* intra Urbem exanimasset, puta in templo, theatro, circo, via.... illi alibi humabantur. Festus: *Statua est ludi ejus, qui quondam fulmine ictus in circo, sepultus est in Janiculo.* Humabantur, sed sine ullis justis, & *funerum* sollennibus. V. infr. in *Genua*, & *Justa*. Ad funebre *illorum* officium cura atuspicum accedebat. Senec. de Clem. I. 7. *Ecquis Regum erit tutus, cujus non membra aruspices colligant? Quod si dii placabiles, & æqui, delicta potentium non statim fulminibus prosequuntur....* Quin imo si Cornuto Persii glossatori fidem arbitrari velimus, non, ut alii, terra defodiebantur, sed in planitie terræ humabantur. Sic enim ille ad Sat. II. 27. *Jaces*, inquit, *quia fulminati supra terram positi mandantur sepulturæ.* Interdum tamen & super terram intra bidentalis conseptum relinquebantur, ut spectarentur. Plutarch. Sympos. IV. 2. *Fulmine ictorum corpora non putiscunt. Multi enim neque cremant ea, neque terra obruunt, sed sinunt ita jacere, sepientes illum locum, ut spectando sint mortui isti non putiscentes.* Kirchman. de Fun. Roman. I. 3. Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 11. Vales. in Ammian. XXIII. 5. Meurs. de Fun. c. 38. Guther. de Jur. man. I. 2.

FULLO fuit cognomen Apustiorum. Liv. XXXI. 4. *Plebeji ludi ter toti instaurati ab ædilibus plebis L. Apustio Fullone, & Q. Minucio Rufo.* Inde jocus apud Macrob. Sat. II. 2. *Faustus Sulla filius, cum soror ejus eodem tempore duos haberet mœchos, Fulvium fullonis filium, & Pompejum Maculam, miror, inquit, sororem meam maculam habere, cum fullonem habeat.* Sigon. de Nom. Roman. c. 5. Glandorp. Onom. Roman. p. III. Voss. Lex. Etymol.

Fullo est artifex, qui lavat, curat, politque vestimenta. Justin. §. item si fullo Instit. de oblig. quæ ex delict. nasc. §. 1. Instit. mand. *Si fulloni polienda curandave dederit vestimenta, nulla mercede constituta, mandati competit actio.* Præcipuè verò pannos lavando maculas emundabant. Unde jocus Fausti ex Macrobio modò allatus. Poliebant verò interpolando, & renovando vestimenta, quæ interpola vocabantur, l. Labeo ff. de contr. empt. l. præcipiunt de ædil. edict. Plures olim in civitatibus erant *fullones*. Hodie pauci hanc artem exercent. *Pancirell. de corp. artif.* §. 29. *Braun. de vest. Sacerd. Hebr.* 1. 11. 4: 16. t1. *Stuck. Antiq. Conviv.* 11. 26. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 30. *Cujac. Observ.* XI. 8. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 5. 8. De *fullonibus* etiam Pollux VII. 11. Ubi eadem ratio in lavandis vestibus ac Romæ fuisse apparet. Nam & pedum insultu pressas, & coactas, & adhibitam cretam præcipuè cymoliam, sulphurque iisdem dealbandis, demum carduorum spinis pexas, ac politas legimus. Unde propriè *κναφεῖς, κναφεῖον, κναφικοὶ, κνάπτω*. *Ferrar. de Re vest.* II. 4. 13. Ulpian. l. 1. §. 1. ff. de trib. act. negotiatoribus accenset. Varr. de Re rust. 1. 16. adscripsit rusticæ familiæ. Nec malè, quia & ruri eorum usus est, & ex artificio negotium prodit. *Pignor. de Serv. p.* 358.

FULLONIA gens. V. illam infr. in *Gens*.

FULLONICA vocatur ars *fullonis*, l. 3. in princ. ff. de aq. arcend. l. si cujus §. ult. de usufr. *Pancirell. de Corp. artif.* §. 29. Plaut. Asin. v. 2. 57.

Si non didicisti fullonicam.

Voss. Lex. Etymol. Illam *invenit Nicias Megarensis*. Plin. VII. 56. *Hering. de Molend.* q. 6. §. 17.

Fullonica, sive *fullonica* inter prædia meritoria numerantur ab Ulpian. l. 13. §. ult. ff. de usufr. quia institui solent circa fontem, rivumve privatum, ut l. 2. in princ. ff. de aqua & aq. pluv. arc. aut circa flumen publicum, & locari *fullonibus*, aut lanariis mercede certa, quoties usus est eluere vestes, aut pannos alienos. *Cujac. Observ.* XXIII. 2.

FULMEN apud Suidam est *incendium violentum, quod nubibus allisis, aut perruptis in terram cadit. Alii sunt turbinem ac vertiginem igniti aeris esse violenter delati. Non occidit autem fulmen, sed adurit.* Melius Aristot. de Mund. c. 4. *Quæ exhalationum alteram siccam aut in fumum conformatam, quæ è terra manet, alteram humidam roscidam ab humida natura profectam: ex hac nebulas, rores, & gelu omne genus, nubes, pluvias, nives, grandines: a sicca ventos, flatus, tonitrua, fulgura, turbines, fulmina existere.* Cum Aristotele sentit Senec. Quæst. nat. II. 54. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 2. & 5. Pier. Valer. de Fulm. Signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* v. p. 597. *D.* Odore sulphuris est. Senec. Quæst. nat. II. 53. *Quocunque decidit fulmen, ibi odorem sulphuris esse certum est*, Plin. XXXV. 15. *Flumina, & fulgura quoque sulphuris odorem habent, & lux ipsa eorum sulphurea est.* Ideò fulmen vocat *sulphur sacrum* Pers. Sat. II. 25.

Sulphure discutitur sacro.

Casaub. in Persium. Buleng. l. l. Vocatur *ignis Jovis*, quoniam propriè à Jove mitti putabatur. Ovid. Trist. I. 3. 11.

Non aliter stupui, quàm qui Jovis ignibus ictus
Vivit.

Virg. Æneid. 1. 46.

Ipsa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem.

Buleng. ibid. c. 6. Ad illa elicienda ex mentibus divinis Jovi Elicio aram Numa in Aventino dicavit. Liv. 1. 20. V. illum supr. in *Ara*. Plin. XXVIII. 2. *Tullum Hostilium Regem ex Numæ libro eodem, quo illum, sacrificio Jovem cælo devocare conatum, quoniam parum rite quædam fecisset, fulmine ictum.* II. 53. *Extat Annalium memoria, sacris quibusdam, & precationibus vel cogi fulmina, vel impetrari. Vetus fama Hetruriæ est, impetratum Volsinios, & urbe, & agris depopulatis subeunte monstro, quod vocavere voltam. Evocatum & a Porsenna suo Rege. Et ante eum à Numa sæpius hoc factitatum.* Buleng. ibid. c. 14. Procurari jubebantur. Liv. XXII. 26. *Aliquot homines de cælo tacti, exanimatique fuerunt. Ea prodigia ex libris procurata.* XXVIII. 11. *Tarracinæ Jovis ædem, Satrici Matris Matutæ de cælo tactam. Et ædes Cæsaris, Salutis, Quirini de cælo tacta. Prodigia consules hostiis majoribus jussi procurare.* Buleng. ibid. c. 14. id est, avertere, expiare, id facere, ut Jupiter voluntati suæ satisfactum videns avertat noxiam vim tempestatis iracundæ. Arnob. v. p. 134. *Numam illum Regem, cum procurandi fulminis scientiam non haberet, essetque illi cupido noscendi, Egeriæ monitu, castos duodecim juvenes apud aquas celasse cum vinculis.* Et sic procurationem explicat ipse p. 156. Jovi adfictis verbis: *Illo ritus genere meas iras placabis: & si quando per fulgura significavero aliquid imminere, facito hoc & illud, ut quod fieri statui, inane fiat, & vacuum, & sacrorum vi evanescat.* Barth. Adv. LV. 13. Rittersh. in Phædr. III. 3. 8. Crinit. de Honest. discipl. II. 5. Pitisc. in Suet. Galb. c. 4. n. 5. Illo immortalem gloriam, & excellam nominis magnitudinem significari putabant. Hinc Apelles, quum Alexandri Regis sui effigiem pingeret, *fulmen* in ejus manu posuit, ut ex hoc nominis amplitudinem, ex rebus ab eo gestis, in immensum propagatam, immortalemque ejus gloriam indicaret. *Pier. ibid. p.* 690. *A.* In Italia magna, & crebra fieri contingit, propterea quod mollior aer mitiore hyeme, & æstate nimbosa semper quodammodo vernat, vel autumnat. Sed in Scytia propter rigorem aeris, qui regionem immunem à *fulminum* casu præstat, talia non accidunt. Densatus enim aer nubium crassiore corio spissatur, omnisque terrarum exhalatio rigens, ac gelida, quicquid acceperit ignei vaporis, exstinguit. In Ægypto propter ardorem nimium fieri non possunt, aut quàm rarissimè, quia calidi, siccique halitus terræ raras admodum, tenuesque, & infirmas densantur in nubes. *Pier. ibid. p.* 598. *A.* Omen victoriæ esse putarunt. Nonnus in Dionys. p. 606.

—— *ubi signa victoriæ*
Firmarunt fulmina ex aere cadentia
Reliquia cælestis ignis.

Aristid. Hier. v. à destra gloriam significare docet. Romanis felix sinistrum fuit. Dionys. II. p. 80. Romulo *post vota fulgur trajecit à sinistra ad dexteram, quod Romani auspicatum putant.* Plin. II. 54. *Cum à prima cæli parte venerint, & in eandem concesserint, summa felicitas portenditur.* Buleng. ibid. c. 8. Sed comitiorum solum vitium est. V. supr. in *Comitia*. Et cum illa haberentur, & tonuisset, obnuntiatione ipsa dicebantur vitiari. *Gruch. de Comit.* 1. 4. *Guther. de Vet. jur. pont.* 1. 11: III. 2. Ad clypeorum quorundam ornatum, aut quo legionis insigne esset, in illis figuratum & expressum. Val. Flacc. VI. 53.

Cuncta phalanx, insigne Jovis, cælataque gestat
Tegmina, dispersos trifidis ardoribus ignes:
Nec primus radios, miles Romane, corusci
Fulminis, & rutilas scutis diffuderis alas.

Unde Dio LV. p. 564. B. legiones describens, *duodecimæ fulminatricis* meminit, & tale clypeorum insigne innuere videri potest, tanquam viros fortes, & *fulmina* belli continentis. *Lyd. de Remilit.* III. 5. *Alard. in Valerium.*

Fulmen atterraneum *est, quod in incluso fit.* Senec. Nat. Quæst. II. 49. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c.* 7. *Brisson. de Form.* 1. 127. *Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* v. p. 598. *F.*

Fulmen attestatum est, quod significatione sua comprobat, quod priora portendebant. Senec. Nat. Quæst. II. 49. *Attestata sunt, quæ prioribus consentiunt.* Festus: *Attestata dicebantur, quæ iterato fiebant, videlicet significationem priorum attestantia.* Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7. Brisson. de Form. 1. p. 127. Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. v. p. 602. D.

Fulmen auxiliare *est, quod advocatum, seu advocantium bono venit.* Senec. Nat. Quæst. II. 49. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c.* 7. *Brisson. de Form.* 1. p. 127.

Fulmen brutum, quia brutum antiqui grave dicebant, ea Hetruscorum disciplina dicebatur, quod sponte fiebat, Plin. II. 43. *Sed hæc omnia sunt fortuita. Hinc bruta fulmina, & vana, ut quæ nulla veniant ratione naturæ.* Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7. Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 598. F. Guther. de Jur. man. 1. 2.

Fulmen caducum est inexspectatum. Horat. Od. III. 4. 43.

Tita-

Titanas, immanemque turbam
Fulmine sustulerit caduco.

Caduciter, præcipitanter, ante justum tempus. Non. II. 172. *Caduciter, præcipitanter. Varro: At frigidos nimbos aqua ista caduciter ruentes.* Barth. Adv. VII. 19.

Fulmen clarum est illud, quod dolia exhaurit intactis operimentis, nulloque alio vestigio relicto. Comburit hoc nonnunquam, aliàs illustrat tantum. Hoc fœtum in utero illæsa matre aliquando exanimavit, corpora intactis vestibus combussit, aurum in loculis, & argentea vasa in capsulis liquefecit, loculis, capsisque integris permanentibus. Hoc interdum penetrat, hoc frangit, hoc discutit, hoc longè, latèque pervagatur, hoc auspicatissimæ prænuntiationis signum apud hujusmodi superstitionis interpretes habitum semper. De illo Nævius:

Suave suo sonitu clarè fulguravit Jupiter.

Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 600. E. Guther. de Jur. man. I. 2. Jun. Anim. v. 16.

Fulmen consiliare est, quod aut agendum aliquid suadet, aut si res in procinctu sit, ut ab incepto desistamus. Senec. Nat. Quæst. II. 39. *Consiliarium ante rem fit, sed post cogitationem: cum aliquid in animo versantibus, aut suadetur fulminis ictu, aut dissuadetur.* Ammian. XXIII. 5. *Post minacem tonitruum crebritatem, & fulgurum Jovianus nomine miles de cœlo tactus cum duobus equis concidit, quos potu satiatus a flumine reducebat. Eoque viso harum rerum interpretes arcessiti interrogatique, etiam id vetare procinctum fidentius affirmabant, fulmen consiliarium esse monstrantes: ita enim appellantur, quæ dissuadent aliquid fieri, vel suadent. Ideoque hoc nimis cavendum, quod militem celsi nominis cum bellatoriis jumentis exstinxit: & hoc modo contacta loca nec intueri, nec calcari debere fulgurales pronuntiant libri.* Divinæ quodam auctoritatis interventu videtur imperare. Cujusmodi observatio frequentissima fuit in Romanis comitiis habendis. Ut nihil unquam etiam Reipublicæ commodum, etiam utile, etiam necessarium aggredi, vel, si aggressi fuissent, prosequi auderent objectu *fulminum*, sed illico omnia intermittebantur. *Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 602. C. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 2. Guther. de Jur. man. I. 2. Brisson. de Form. I. p. 127. Lindenbr. & Vales. in Ammianum. Jun. Anim. v. 16.*

Fulmen deprecaneum *est, quod speciem periculi sine periculo affert.* Senec. Nat. Quæst. II. 49. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7.*

Fulmen fallax *est, quod per speciem alicujus boni nocet. Dat consulatum, malo futurum gerentibus: & hæreditatem, cujus compendium magno sit luendum incommodo.* Senec. Nat. Quæst. II. 49. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7. Brisson. de Form. I. p. 127.*

Fulmen familiare dicebatur in vitam fatidicum, quod primum fieret familiam suam cuique indepto. Plin. II. 52. *Vocant & familiaria in totam vitam fatidica, quæ prima fiunt familiam suam cuique indepto. Cæterum existimant non ultra decem annos portendere privata, præterquam aut matrimonio primo facta, aut natali die: publica non ultra tricesimum annum, præterquàm in deductione oppidorum.* Voss. de Idolol. III. 8. Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 602. Brisson. de Form. p. 127. Guther. de Jur. man. I. 2. Crinit. de Honest. Discipl. II. 5.

Fulmen finitum dicebatur, quod ad diem aliquid portendebat. Senec. Nat. Quæst. II. 47. *Finita ad diem utique respondent.* Pier. Valer. de Fulm. signif. Antiq. Rom. Græv. Tom. v. p. 602. D.

Fulmen fumidum non urit, sed infuscat, idque detrimentum aliquod obnuntiare formidabant veteres, quia nigra, pullaque omnia infernis potestatibus dicata sunt. His olim, quum in tenebris iter erat, non ut prodessent, sed ne nocerent, sacra fieri solita. *Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 600. E. Jun. Anim. v. 16.*

Fulmen hospitale quale fuerit, explicat Senec. Nat. Quæst. II. 49. *Hospitalia, quæ sacrificiis ad nos Jovem arcessunt, &, ut verbo molliori utar, invitant.* Tomas. Thes. hospit. c. 6. Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7. Brisson. de Form. I. p. 127. Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 599. C.

Fulmen infernum dicitur, *cum è terra exsiliunt ignes.* Senec. Nat. Quæst. II. 49. *Buleng. de Terr. mot. & fulm.* c. 7. Et plurimum brumali tempore. Hæc sæva, & exsecrabilia arbitrabatur Etruria, quia neque generalia essent, neque à sideribus venirent, sed à proxima, atque turbidiore natura; ea tamen multi Saturni sidere proficisci subtiliter conjectati sunt, sicuti quæ adurunt à Marte. *Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 598. E.*

Fulmen monitorium vocatur, *quod monet: sed nescio quare non idem sit, quod consiliarium. Nam & qui monet, consilium dat: sed habet aliquam distinctionem, ideòque separatur à consiliario: quia illud suadet, dissuadetque, hoc solum impendentis periculi evitationem continet. Ut cum timemus ignem, aut fraudem à proximis, aut insidias à servis. Etiamnum tamen aliam distinctionem utriusque video. Consiliarium est, quod cogitanti factum est: monitorium, quod nihil cogitanti. Habet autem utraque res suam proprietatem. Suadetur deliberantibus, at ultro monentur.* Senec. Nat. Quæst. II. 39. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7. Brisson. de Form. I. p. 127.*

Fulmen nuptiale dici posset, quia nuptias portendere putabatur. Virg. Æneid. IV. 166.

—— prima & tellus, & pronuba Juno
Dant signum, fulsere ignes, & conscius æther
Connubii, summoque ulularunt vertice nymphæ.

Claud. de Rapt. Proserp. II. 228.

—— ni Jupiter æthere vulso
Pacificas rubricorsisset fulminis alas
Confessus socerum: nimbis Hymenæus hiulcis
Intonat, & testes firmant connubia flammæ.

Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 15.

Fulmen obrutum vocatur, *quo jam prius percussa, nec procurata feriuntur.* Senec. Nat. Quæst. II. 49. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7. Brisson. de Form. I. p. 127.*

Fulmen ostentatorium vocatur, quo terror incutitur. Lucret. V. 1218.

—— cui non conrepunt membra pavore,
Fulminis horribili cum plaga torrida tellus
Contremit, & magnum percurrunt murmura cœlum?

Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7.

Fulmen peremptale }
Fulmen postulatorium } V. supr. in *Fulgur.*

Fulmen prænuntium, quod alii *auctoritatis*, alii *inductorium*, nuncupant, est, quod aliquot ante annis aliquid alicui, vel publicæ, vel privatæ personæ eventurum præmonstrat. De hoc quæritur, an peremptorium sit fatum, an aperturum potius alia fata quæ lateant. *Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 602. C.*

Fulmen regale vocatur, *cujus vi tangitur vel comitium, vel principalia urbis libera loca: cujus significatio regnum civitati minatur.* Senec. Nat. Quæst. II. 49. Vopisc. Prob. c. 23. *Quum imago Probi in Veronensi ita fulmine icta esset, ut ejus prætexta colores mutaret, aruspices responderunt, hujus familiæ posteros tantæ in senatu claritudinis fore, ut omnes summis honoribus fungerentur.* Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 7. & 17.

Fulmen siccum illud est, quod non adurit, neque colorem in rebus tactis vitiat, interdum levi quodam perstringit afflatu. Id genus etiam ventaneum appellaverunt, & posteritati magnarum rerum auspicia facere crediderunt. De hoc Anchises apud Virg. Æneid. II. 648.

—— ex quo me divum pater atque hominum Rex
Fulminis afflavit ventis, & contigit igni.

Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 600. D. Jun. Anim. v. 16.

Fulmen status, quod & sanctum appellatur, est, quod jam actum, transactumque sit, quum jam nihil minus interim exspectatur, divino accedente consensu, ratum firmumque futurum approbat. Senec. Nat. Quæst. II. 39. *Status est, ubi quietis, nec agentibus quidquam, nec cogitantibus quidem fulmen intervenit.* Pier. Valer. de Fulm. signif.

Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 602. F. Jun. Anim. v. 16.

FULMENTA est illud corium, quo calcei veteres, ac detriti suffulciuntur; seu quod substernitur calceis, cum reficiuntur, & nos Itali vocamus *taccone*. Lucill. apud Non. III. 98.

Sufficit huic: clavis fulmentas quatuor addit.

Plaut. Trin. III. 2. 92.

—— quid ego nunc agam?
Nisi ut sarcinam constringam, & clypeum ad dorsum accommodem:
Fulmentas jubeam appingi soccis.

Nigron. de Calig. c. 4. §. 9.

Fulmenta nuncupabantur etiam columnæ, quibus ædes *fulciuntur*. Sidon. Epist. II. 10.

Fulmentis Aquitanicis superba.

id est, columnis è marmore Aquitanico in jugis Pyrenæis cæso. *Sirmond. & Savar. in Sidonium. Nigron. de Calig. c. 4. §. 9.*

FULVIA gens. } V. illas infr. in *Gens*.
FULVINA gens. }

FUM.

FUMO cruci suffixi necabantur. V. supr. in *Cruciarius*. Vinum verustescebat. V. infr. in *Vinum*. Ejus motum observabant veteres. Scrutabantur enim, quas vertigines faceret, quaurum se attolleret, & quo motu, rectone an obliquo, vel in orbes contorto, ac complicato, agglomeratione quadam in tortiles spiras. Ovid. Trist. v. 6.

Aspice ut aura tumens fumos è thure coortes
In partes Italas, & loca dextra ferat.
Sensus inest igitur nebulis, quas exigit ignis:
Consilium fugiunt cætera pœne meum.
Consilio commune sacrum cum fiat in ara
Fratribus, alterna qui periere manu:
Ipsa sibi discors, tanquam mandetur ab illis,
Scinditur in partes atra favilla duas.

Lomej. de Lustrat. c. 14.

FUN.

FUNALIA erant cerea. Val. Max. III. 6. 4. *C. Duilius, quotiescunque epulaturus erat, ad funale cereum a cœna domum reverti est solitus*. V. infr. in *Triumphus*. supr. in *Duilius*. Fab. Agon. II. 10. Etiam in sacris ethnicis quondam sunt usurpata. Virg. Æneid. VIII. 281.

Jamque sacerdotes, primusque Potitius ibant,
Pellibus in morem cincti, flammasque gerebant,
Instaurant epulas, & mensæ grata secundæ
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.

Laz. Comm. Reip. Rom. XI. 3.

FUNAMBULI inter eos, qui miracula patrarent, non postremum tenuerunt locum. Longa exercitatione docti, & agilitate corporis suboixi suspenso vestigio in *funibus* currebant. Tertull. de Pudic. c. 10. *Age tu funambule, qui tenuissimum filum pendente vestigio ingrederis*. Justin. ad Zenam. *Sursum, deorsumque per funem ire*. Niceph. Gregor. Hist. Rom. VIII. p. 244. B. *Deinde clausis oculis, assumpto in humeros puero, per aerem quasi ingrediebatur ab altero fune in alterum*. Artis enim fuit suspendere, & librare vestigia, ne in alteram partem flecterent; quod ut tutius fieret, pondera manibus apprehensa exæquabant, ut pari libramento ingrederentur. Gregor. Nazianz. in Apolog. *Ut us, qui in ligne alto & suspense ambulant, non tutum est in hanc vel illam partem propendere vel leviter; securitatem autem affert ut aquale libramentum*. Calal. de Triag. & com. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 7. Buleng. de Theat. I. 41. Pignor. de Serv. p. 354. Mercur. Gymnast. III. 5. Barth. Adv. v. 19. Salmas. in Vopisc. Carin. c. 19. Pitisc. in Suet. Galb. c. 6. n. 1.

FUNDA fuit funiculus quidam, qui duobus capitibus manu capiebatur, altero cum ansula ne exiret, altero sine, ut dimitti posset, atque in medio latior erat, ut ibi lapis contineretur, quem, circumacto valide funiculo, & ab uno capite dimisso, vehementer projiciebant *funditores*. Quam projectionis formam duabus de causis à Phœnicibus, quos Plin. VII. 56. *fundæ* inventores fecit, repertam credo. I. ut minus manibus & lapidum asperorum attrectatione nocumentum accederet. II. ut longius, & majore impetu lapides projicerentur. Unde Davidem ad prosternendum Goliathum *funda* uti voluisse existimo, quoniam adversus robustissimum gigantem maxima vi, & maximo armorum impetu opus esse cognoverat. Hoc genus certaminis apud Balearium insularum populos usque adeò celebrabatur, ut matres filios suos aliis avibus vesci non paterentur, nisi quas *funda* sibi ipsis comparassent. Veget. I. 16. Unde *fundam Balearem* dixit Virg. Georg. I. 309.

Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ.

Ovid. Met. II. 727.

Non secus exarsit, quàm cum Balearica plumbum
Funda jacit: volat illud, & incandescit eundo.

Mercur. Gymnast. II. 12. Lips. Poliorc. IV. Dial. 2. Turneb. Adv. XXX. 32. Lyd. de Re milit. Rom. III. 9. Brod. Miscell. IV. 27. Valtrin. de Re milit. Rom. III. 11. Stevvech. in Veget. I. 16. Pigh. Annal. Rom. III. p. 73. Potter. Archæol. Græc. III. 4. Laz. Comment. Reip. Roman. IV. 15. Thysl. de Oppugn. urb. IV. p. 182. Kipping. Antiq. Roman. III. 2. §. 5. V. infr. in *Lapis*.

Funda etiam *stupea*, *aut ferrea pendebat ex uncis ferreis scorpionis*. Ammian. XXIV. 4. *Post machinam scorpionis architectus forte adsistens, reverberato lapide, quem artifex tubantier aptaverat fundæ, obtrita pectore supinatus profudit animam*. Similis casus à Suida narratur: *Rotundus lapis à machina in ejus architectum exsiluit, eique ambos oculos excussit*. *Funda* itaque ibi. Et ideò ipsas ballistas, sive monangone scripsit Heron à nonnullis *fundas* vocari. Et Græci commodè utuntur verbo σφενδονᾶν. Zonar. in Constantino. Quin & ipsum instrumentum totum σφενδόνη dicta. Gloss. *Ballista*, σφενδόνη, μάγγανον τοξικόν. Guther. Ligur. IX.

—— lapides agitata minores
Funda rotat, magnos Balearica machina muris
Incutit, & duro munimina verberat ictu.

Lips. Poliorc. III. Dial. 3. Barth. Adv. XLVI. 23. Laurent. Polym. IV. Synops. II. §. 9.

Funda est genus retis. V. infr. in *Jaculum*.

Funda vocatur quoque pala, sive pars annuli, cui gemma inseritur. Plin. XXXVII. 8. *Quamobrem præstantiores funda includuntur*. Græci σφενδόνιον appellant, quæ vox significat *fundam*. Salmas. Exerc. Plin. p. 289. G. Kirchm. de Annul. c. 3.

Funda Achaicæ *non simplex habena, ut Balearica, atque aliarum gentium, sed triplex scutale crebris suturis duratum, ne glans volutetur in jactu fluxa habena, sed librata cum sederet, veluti nervo emissa excutiatur*. Liv. XXXVIII. 29. Qui monet primùm, laudatos istos funditores *Ægio*, *Patris*, *Dymis* accitos, id est, ex Achaia, quæ gens hac laude clara. Suidas illustret, & illustretur. *Achaicum telum de iis, qui peritè, & feliciter jaculantur: quoniam optimum inter omnia, aptissimumque ad obsidiones est tale hoc telum: dicotelum funditorum ex Achaia*. Lips. Poliorch. IV. dial. 3. Laurent. Polym. IV. Synops. II. §. 9. Thysl. de Oppugn. Urb. IV. p. 183. V. & infr. in *Scutale*.

Funda dicuntur etiam crumenæ, zonæ, sive loculi, quod instar *fundæ* reticulatæ essent. Macrob. Sat. II. 4. *Quidam Græculus solebat Augusto descendenti à palatio aliquod epigramma in ejus laudem porrigere. Id cum frustra sæpè fecisset, rursusque eum idem facturum vidisset Augustus, sua manu in charta exaravit Græcum epigramma: pergenti deinde ad se obviam dedit. Ille legendo laudare, mirari tam voce, quàm vultu, cumque accessisset ad sellam, demissa in pauperem fundam manu, pauces denarios protulit, quos Principi daret, adjectu: per tuam fortunam, Auguste, si plus haberem, plus dedissem*. *Funda*, sive loculi pauperum, zona verò opulentiorum fuisse videntur. Ferrar. Elect. II. 2. *Gentil. Parerg. I. 21. Cujac. Observ. X. 26. Voss. Lex. Etymol.*

FUNDANIA gens. V. illam infr. in *Gens*.

FUNDERE *est supina manu libare: quod fit in sacris supernis*. Virg. Æneid. IV. 60.

Ipsa

Ipsa tenens dextra pateram pulcerrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Serv. Æneid. VI. 244. V. illum. infr. in *Vergo.* Stuck. de Sacrif. p. 149. Laurent. Polym. IV. Synops. 7. Var. sacr. gent. c. 6. 19. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 486.

FUNEBRES ludi. V. illos infr. in *Ludi.*

Funebres tibiæ. V. illas infr. in *Tibia.*

FUNERA dicebatur mulier, quæ reliquias in sinu legebat, cum flamma quievisset. Serv. ad Æneid. IX. 487. *Funera, id est, funerea. Nam apud majores funereas dicebant eas, ad quas funus pertinebat, ut sororem, matrem.* Senec. ad Helvid. c. 11. *In eundem sinum ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti.* Plutarch. Phoc. p. 759. A. *Mulier Megarica* Phocionis *ossa in sinu collegit.* Tib. I. 3. 5.

—— non hic mihi mater,
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.

Kirchm. de Fun. Roman. III. 6. Guther. de Jur. man. I. 27. Meurs. de Fun. c. 23. Voss. Lex. Etymol. Herald. Advers. I. 7. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 1. Lips. in Senecam. Faes in Gyrald. de Var. sepel. rit. c. 12. Cerda in Virg. Æneid. XI. 212.

FUNES fiunt ex cannabe, lino, sparto: junco ait Plinius Græcos esse usos ad *funes*, nomini credamus σχοῖνος, quo herbam eam appellant. Ex palmæ quoque foliis in oriente validos *funes* fieri, eosque in humore utiliores, moxque & ea philyra, manifestum est. Sed & ex arborum corticibus, scribit Theophr. Hist. Plant. IV. fiunt, ut ex ceraso detracto cortice, ex vite, & tilia. *Gyrald. de Navig. c. 15.* Fiebant etiam olim, si *funes* & nervorum copia deesset, ex muliebri capillo. Veget. III. 9. *Indubitatum est, crines feminarum in ejusmodi tormentis non minorem habere virtutem, Romana scilicet necessitatis experimento.* Capitol. in Maxim. Jun. c. 7. *Prætereundum ne illud quidem est, quod tanta fide Aquilejenses contra Maximinum pro senatu fuerunt, ut funes de capillis mulierum facerent, cum deessent nervi ad sagittas emittendas, quod aliquando Romæ dicitur factum.* De illis, qui Salonis erant obsessi, Cæs. Bell. Civ. III. 9. *Præfectis omnium mulierum crinibus tormenta effecerunt,* non quod ex illis tormenta constarent, sed quod balistarum *funes* inde conficerent. Ctesibius de machinis bellicis hanc rationem conficiendorum, quos Græcos *tonos* appellare scribit, sic explicat: *Tonus & ex capillis fit muliebribus, illi enim cum sint tenues, & longi, multoque oleo nutriti, cum plectuntur, magnam firmitatem accipiunt, ut non differant à nervorum robore.* Casaub. in Capitolinum, Stevvech. in Vegetium. Brant. Ursin. & Goduin. in Cæsarem. Bernegg. in Flor. II. 15. 10. Lips. Poliorc. III. 3. Toll. in Appian. de Bello Punic. p. 94.

Funes antarii dicuntur, qui in summa trochlea religantur, ducendi & reducendi ponderis gratia, ut facilè in sua sede lapides collocentur. Vitruv. X. 3. *Antarii funes ante laxi collocentur, retinacula supra scapulas machinæ longè disponantur: & si non erit, ubi religentur, pali resupinati defodiantur, & circum fistucatione solidentur, quo funes alligentur.* Πρότονοι *funes* ejusmodi à Græcis nautis dicebantur. Homer. Odys. M. 409.

Mali rudentes, προτόνους, fregit venti procella.

Bald. Lex. Vitruv. Guther. de Jur. man. III. 15. Scheffer. de Milit. Nav. II. 5.

Funes lorei in torculari erant ad premendum. Illos quinque poscit Cato de Re rust. c. 12. ut singulis prelis suus sit, ut sua succula. *Turneb. Adv.* VIII. 6.

Funes subductarii in torculari subducunt, & tollunt prelum ope succulæ additis polyspastis. Et illos quinque poscit Cato de Re rust. c. 12. *Turneb. Adv.* VIII. 6.

FUNUS facere dicebatur dominus *funeris*, ad quem tota cura pertinebat. Festus: *Prætexta pulla nulli alii licebat uti, quàm ei qui funus faciebat.* Etiam qui olla componebat. Cicer. de Leg. II. 24. *Homini mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat.* Et eleganter Plaut. Men. III. 2. 27.

Fecisti funus absenti me prandio.

Meurs. de Fun. c. 16. & 27. *Funus* facere, justa facere, & exsequi *funus* diversa sunt, l. 2. in fin. & 5. ff. de in jus vocand. Nam qui *funus* indictum pompa funebri præcedente ducit, facit *funus*: qui sacrificio, quod *humanum* Festus appellat, ritè peracto, glebam objecit, justa facit: & qui denique cadaver prosequuntur, eos exsequi *funus*, exsequiasque frequentare dixerunt veteres. Qui *funus* faciebat, *funus* ducebat, l. 14. §. 2. ff. de religios. *Si cui funeris sui curam testator mandaverit, & ille, accepta pecunia, funus non duxerit....* Qui *funus* sequebantur, exsequi *funus*, exsequiasque frequentare dicebantur. Sic de flamine diali Gell. X. 15. *Mortuum nunquam attingit, funus tamen exsequi non est religio.* Svet. Tib. c. 32. n. 3. *Quorundam illustrium exsequias usque ad rogum frequentavit.* Denique qui in sepulcrum objicit glebam, eum justa facere dicet Festus infr. in *Porca præcidanea.* Rævard. de Div. reg. jur. CXXXVIII. Qui exsequias frequentabant, *funus* prosequi etiam dicebantur. V. infr. in *Prosequi.* Nefas aspicere pontifici. Senec. Marc. c. 15. V. illum infr. in *Pontifex Maximus.* Et censori, cum lustrum suum conderet. Dio LIV. p. 541. C. V. & illum infr. in *Pontifex Maximus.* Tangere verò Imperatori. Suidas in Augusto: *Augusto Cæsare mortuo Tiberius & Drusus ducebant funus, cadaver nequaquam attingentes. Non enim licebat Imperatoribus.* Meurs. ibid. c. 14. Lips. in Senecam. Kirchm. ibid. c. 21. Locare dicebatur de iis, qui certo aliquo pretio cum libitinariis solebant contrahere, ut omnem *funeris* apparatum suis sumptibus præstarent. Plin. VII. 52. *Romæ Corfidium matertera sua maritum funere locato revixisse, & locatorem funeris ab eo elatum.* Senec. de Tranquill. c. 11. *Dum illi hæres publicum funus esurienti locat.* Kirchm. ibid. I. 9. Publicum prætor, privatum quisque dominus curabat. Val. Max. V. 2. 10. *M. Cornuto prætore funus Hirtii & Pansæ jussu senatus locante, qui tunc libitinam exercebant, tum rerum suarum usum, tum ministerium gratuitum polliciti sunt.* Meurs. ibid. c. 16. Dicebatur duci. V. supr. in *Duci.* Ducebat *funeris* præses, cui hæc cura testamento delegabatur, vel illam ultro suscipiebat, ut M. Antonius in Julii Cæsaris *funere.* In hunc Cicer. Phil. II. 36. *Tu funeri tyranni illius sceleratissimi præfuisti, tua illa pulcra laudatio, tua miseratio, tua cohortatio. Tu, tu illas faces incendisti, & eas, quibus semiustum latus illius est....* Guther. de Jur. man. I. 23. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 21. de Prof. Roman. rit. c. 26. Quo die, qua hora, & à quibus elatum fuerit. V. supr. in *Cadaver.* Præcedebant mimi, sive sicinnistæ, præficæ, ludii & histriones, liberti orcini. V. singulos *suis locis.* Imagines, & honorum insignia. V. infr. in *Imago.* Etiam triumphi, si viri triumphales essent. Lucan. VIII. 733.

Præferat ut veteres feralis pompa triumphos.

Meurs. ibid. c. 19. Qui & quo habitu prosecuti fuerint. V. supr. in *Exsequiæ.* Per forum ducebatur. V. supr. in *Cadaver.* Ad tubam, sive ad tibiam. V. infr. in *Tibia.* Et pro rostris collocatum laudabatur. V. infr. in *Laudatio funebris.* Ibique interim quiescebat: tum ad rogum efferebatur, & in illo cremabatur. V. infr. in *Pyra.* quod erat *funus commovere*, de loco in locum transmittere. Varr. apud Non. II. 703. *Funere familiari commoto, avito, ac patrio more precabamur.* Guther. ibid. c. 22. Et extra urbem sepeliebatur. V. infr. in *Sepulcrum.* In illis nudis pedibus an incesserint. V. infr. in *Nudipedalia.* Ejus sumptus in antiqua Roma modum non excessit. De Menenio Agrippa Val. Max. IV. 4. *Nisi à populo, collatis in capita sextantibus, funeratus esset....* Incertum, quot illo ævo capita in populo: sed statuamus centum millia fuisse, aut præter propter, contulerit hæc multitudo in sextantibus circiter sexcentos florenos. Eadem ferè tempestate, id est, decennio ante, Valerium Poplicolam publico *funere* efferendum populus statuit collocato à singulis quadrante. Plutarch. in ejus vita p. 109. C. *Populus decrevit, ut publico funere efferretur, quadrantem singulis conferentibus.* Ecce, quadrantem unusquisque tribuit, id est, circiter octingentos quinquaginta Carolinos universi. At deinde, ut imperium Urbis crevit, ita civium quoque opes, & cum iis item luxus. Hujus exempla per saturam collegerunt *Meurs. de Fun. c. 44. de Luxu Roman. c. 16. Quenstedt. de*

Sepult.

Sepult. vet. c. 14. *Guther. de jur. man.* III. 19. Unius hominis cadaveri ambitiosè multiplicabantur *funera*, & idem pluribus lectis efferebatur. Hoc enim gloriosum sibi putabant. Serv. Æneid. VI. 861. V. illum infr. in *Lectus funebris*. Sed cum hoc ineptum, & nimis sumptuosum esse putarent decemviri, lege lata id prohibuerunt. Vestigia legis exstant apud Cicer. de Leg. II. 24. *Credo, quod erat factitatum, ut uni plura fierent, lectique plures sternerentur: id quoque ne fieret, lege sanctum est*. Rittersh. ad Leg. XII. tab. Class. 1. c. 11. Modum & rationem hæredibus præscribebant veteres. Senec. de Brev. vit. c. 20. *Quidam disponunt etiam illa quæ ultra vitam sunt, moles magnas sepulcrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera, & ambitiosas exsequias*. Nep. 25. 22. 4. *Elatus est* Pomponius Atticus *in lecticula, uti ipse præscripserat, sine ulla pompa funeris*. Tacit. Annal. XV. 64. 5. *Exin balneo illatus, & vapore ejus exanimatus, sine ullo funeris sollemni crematur* Annæus Seneca. *Ita codicillis præscripserat, cum supremis suis consuleret*. Etiam Imperatores: Augustus apud Svet. c. 101. n. 7. *Uno volumine mandata de funere suo complexus est*. Otho apud Svet. c. 11. n. 5. *Codicillos exaravit* Otho *ad Messalinam Neronis, quam matrimonio destinaverat, commendans reliquias suas, & memoriam*. Kirchm. de Fun. Rom. 1. 4. Mutestell. Pomp. Feral II. 30. 2. Brisson. de Form. vit. p. 671. Propter pollutionem à *funere* contractam ter aqua se abluebant. V. sup. in *Abluebant*.

Funus acerbum est eorum, qui intra tyrocinii diem, & ante sumptam togam virilem moriebantur. Senec. Epist. 123. *Quantulum enim à funere absunt, & quidem acerbo, qui ad faces & cereos vivunt*. *Immaturas exsequias* vocat de Tranquill. c. 11. *Toties præter limen immaturas exsequias fax, cereusque præcessit*. Juven. Sat. XI. 44.

Non præmaturi cineres, non funus acerbum
Luxuriæ; sed morte magis metuenda senectus.

Quanquam Julianus Archiepiscopus Toletanus *acerbum* ab immaturis hoc modo distinguit, ut illa sint infantum duntaxat, hæc verò juvenum. Sic enim προγνωστ. vel de orig. hom. mort. 1. 51. *Tria sunt genera mortis, acerba, immatura, naturalis. Acerba infantum, immatura juvenum, naturalis senum*. Græcis ἄωροι θάνατοι, vel ὠμοθανεῖν παρὰ dicuntur. *Kirchm. de Fun. Rom.* 1. 4. Eodem modo distinguit etiam ad Juvenalem *Grangæus*. Immaturum, tanquam magis luctuosum, citius efferebant, ut parentum oculis subtraherent. Tacit. Annal. XIII. 17. 3. *Festinationem exsequiarum edicto Cæsar defendit, id à majoribus institutum referens, subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus, aut pompa detinere*. Meur. de Fun c. 8. Lips. in Senec. de Brev. vit. c. 20. in Tacit. n. 50. Ad ceteros immixtis tamen facibus efferebatur. V. supr. in *Cereus*.

Funus censorium fuit usitatum majoribus. Illo ceremoniis omnibus, & pompa amplissima efferebantur non nisi viri magni, & optimè de Republica meriti. Novo tamen homini Lucilio Longo pecunia publica patres decrevere apud Tacit. Annal. IV. 15. 3. Sed in Tiberii favorem, cui Lucilius omnium tristium, lætorumque socius, unusque è senatoribus Rhodii secessus comes. Sic dictum opinor, quasi in nimiam pompam, ut in opus censorium animadvertere censoribus licuisset, nisi jussus prætoris adfuisset. *Vertran. in Tacitum*. Nunis velim ad manus mihi laurus sit, quam mordeam: ita præcordia mihi saliunt ad risum. Alii idem putant publicum, censorium, indictivum. Non audio. Arbitror ego *funus* publicum, & indictivum eadem: nec aliud esse, quàm cum denuntiatur, & indicitur publicitus per præconem. Censorium partem ejus esse: id est, ut omne censorium publicum sit, qui enim aliter honoratum esse potest? at non omne publicum censorium. Ut inter magistratus honoratissimi censores, isque cumulus quasi reliquarum dignitatum: sic inter *funera* illud primo loco. Capitol. Pertin. c. 15. *Funus imaginarium ei, & censorium ductum est*. Tacit. Hist. IV. 47. 2. *Funus censorium Flavio Sabino ductum*. Annal. XIII. 2. 5. *Decretum Claudio censorium funus*. Hoc eximium fuit, quod omnia in eo purpurea fuerint, vestes stragulaque: in aliis tantum purpurea prætexta. Non obscure annuere mihi videtur Polyb. VI. 51. *Ubi autem præclarus aliquis ex domesticis obiit, instituunt funeris apparatum, & circumfusi qui similes magnitudine ac statura videntur, vestes capiunt: si consul aut prætor fuit, purpura prætextas: si censor, purpureas: si triumphalis, auro intextas*. E quibus suspicere distinctum censorium à triumphali fuisse, & hoc dignius. Mihi ita non videtur. I. quia nemo Latinorum triumphale nominat. II. quia censorium reperio principibus ipsis ductum, ut Claudio, ut Pertinaci, quos constat honestissimo affectos. III. quia illa ipsa ornamenta, quæ triumphali tribuit Polybius, reperire est in isto. V. Xiphilinum in *Severo*. Lips. in Tacit. Annal. IV. n. 43. Meurs. de Fun. c. 17. Kirchm. de Fun. 1. 4. Guther. de Jur. man. II. 1. Casaub. in Pertinacem. *Imperatorium* in Ælio vero c. 6. *Sepultus est imperatorio funere*. *Regium* in Opil. Marcian. c. 5. *Mandavit collega, ut Antoninum honorabiliter sepeliret ducto funere regio*, dicit Capitolinus. Quæ appellationes isti seculo magis conveniebant. *Kirchm. Casaub. & Guther. l. l.*

Funus collativum pertinebat ad honorem, aut ad necessitatem cum honore conjunctam. Hoc factum est I. Populi studio. Populus Romanus in Menenii Agrippæ, & Valerii Poplicolæ funus sextantes & quadrantes contulit. V. supr. in *Funus*. Et *Scipioni, qui Serapio cognominabatur, cum funeris impensa non esset in bonis, asses populus contulit, ac funus elocavit, quaque præferebatur, flores è prospectu omni sparsit*. Plin. XXI. 3. II. Senatus jussu. Et locabatur à quæstore, prætore, consule. Quæstores eos impensa publica extulerunt, quibus ad honorem sepulturæ nullæ facultates essent, ut Syphacem & Perseum captivos Reges. Sed celebrior ea impensa fuit, quæ ad honorem sepulturæ solum facta, atque iis concedi solita, qui magistratus, aut legati pro patria sanguinem profudissent: aut externi in legatione Romæ mortem obiissent. Prætor M. Cornutus *funus* Hirtii & Pansæ coss. jussu senatus locavit, cui libitinarii sestertio nummo exsequiarum apparatum tribuerunt caritate patriæ hac in re conducti, cujus ea vis est, ut sordidos homines, quæstuique addictos ad honestatem, liberalitatemque perpulerit. Consulibus Hirtio & Pansæ antea Scto mandata est Servii Sulpitii cura: cujus Scti formam, honore ipso *funeris* ampliorem profert Cicer. Phil. IX. 6. *Guther. de Jur. man.* II. 1.

Funus commune tacitum etiam vocabatur. Auson. Parent. X. 5.

Tu gremio in proavi funus commune locatus.

V. infr. in *Funus tacitum*. Kirchm. de Fun. Rom. 1. 4.

Funus familiare erat, quod soli familiares deducebant. Nam cives primarii & nobiles, quorum magna esset familia, ea contenti nullos alios vocabant. Vocabantur autem etiam amici de meliore nota, quod illos amicitia quasi inseruisset familiæ, & vocabantur à liberto, pridie elationis. Varr. de Re Rust. 1. 69. *Cum hæc diceret Stolo, venit libertus aditum ad nos flens, & rogat, ut ignoscamus, quod simus retenti, & ut eis in funus postridie prodeamus*. Meurs. de Fun. c. 17.

Funus imaginarium vocatur, quod Pertinaci ductum est. V. Capitol. supr. in *Funus censorium*. Non est cenotaphium, ut videtur velle *Laz. Comm. Reip. Rom.* III. 18. nam hæc facta peregrè tantum mortuis. Quid igitur? Dicam. In elatione principum virorum nonnullis etiam suæ imagines ponebantur. Nam multi, etsi censorio quidem *funere* efferrentur, non tamen habebant honorem imaginis collocandæ. Itaque censorium *funus* simpliciter legas apud Tacitum laudatum supr. in *funus censorium*. Imago ecce præterea posita. Tacit. Annal. IV. 15. 3. *Quanquam novo homini* Lucilio Longo *censorium funus, effigiem apud forum Augusti, publica pecunia patres decrevere*. Atque hoc imaginarium vocat Capitolinus, scriptor ejus ævi, quo non parum linguæ Romanæ decor cum imperio quoque suo declinabat. *Meurs. de Fun. c.* 17. *Guther. de Jur. man.* II. 2. & 18. *Kirchm. de Fun. Rom.* IV. 13. *Ferrer. Mus. Lapid.* 1. *Memor.* 26. *Boissard. Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* 11. Longè aliter capiendum esse, & Tacitum, & Capitolinum, facile intelliget, qui rem paullò attentius examinaverit. Non enim Taciti locus probat, eodem tempore &

funus

funus ductum Lucilio; & effigiem in foro Augusti positam; sed honores à patribus decretos tantummodo recenser, qui simulne, an diversis temporibus redderentur, hinc quomodo cognosci queat, non video. Multò minus inde imaginarium *funus* dici posse liquet; esset illud nimis improprium; imaginarium enim idem est, quod assimilatum, non verum: cum videlicet aliquid fit ad verè speciem; sic *imaginarius Rex* Flor. II. 14. 4. *imaginarium jus* Flor. III. 11. 5. *imaginaria militia* Svet. Claud. c. 25. n. 1. *imaginaria venditio*, & *imaginarium prælium* Ictis dicuntur. Quapropter ita sentiendum est, Pertinacis corpus antea quidem sepultum fuisse sub Juliano, sed Severum, postquam imperio admotus esset, denuò imaginaria quadam pompa exsequias illius iterasse, & consecrationem peregisse. Id ipsum clarè docet Capitol. c. 14. *Julianus successor illius corpus ejus, quanto potuit honore, funeratus est, quum id in palatio reperisset*. Et c. 15. supr. in *Funus censorium*. Id innuit etiam Xiphil. LXXIV. p. 841. *A. Huic funus, etsi dudum objerat, ita factum est*. Figrel. de stat. Roman. c. 11.

Funus immaturum. V. illud supr. in *Funus acerbum*.

Funus Imperatorium. V. illud supr. in *Funus censorium*.

Funus indictivum erat, ad quod per præconem convocabantur, qui exsequias irent. Festus: *Funus indictivum, ad quod per præconem evocabantur*. Cicer. de Leg. II. 24. *Reliqua sunt in more, funus ut indicatur, si quid ludorum*. Svet. Jul. c. 84. n. 1. *Funere indicto rogus exstructus est*. Kirchm. de Fun. Rom. 1. 4. Meurs. de Fun. c. 17. Noris. Diss. in Cen. Pis. III. 1. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 18. Ferret. Mus. Lapid. 1. memor. 26. Boissard. Antiq. Roman. II. p. 11. Erat amplissimum, & præter alium sumptuosum apparatum quoque ludis celebratum. Festus: *Indictiva funera sunt, quibus adhibentur non ludi modò, sed etiam desultores, quæ sunt amplissima*. Cicero modò lauda tus. *Lips. Saturn.* 1. 8. *Buleng. de Circo* a. 36. *Turneb. in Cicer. de Leg.* II. p. 164. *Kirchm. l. l.* Et hoc in tenuiorum etiam civium elatione factum. Animadvertere possumus ex Varr. de Ling. Lat. IV. 33. *Ex ædibus efferri indictivo funere præco etiam eos dicit, qui è tabernis efferuntur*. Nam in tabernis habitabant homines non sanè primarii. Et ut alii ad magnificentiam, ac pompam faciebant, ita hi ex necessitate, ut honestè saltem *funus* efferretur: alii civium præcipuos curabant vocari, hi tantum vicinos. *Meurs. l. l. Guth. de Jur. man.* 1. 20. Indictionis sollennia verba exhibent Terent. Phorm. v. 8. 38.

Exsequias Chremeti, quibus est commodum, ire jam tempus est.

Festus in Quirites: *Quiris singulare usurpatur nomen, ut in dicto est præco, qui in funeribus indictivis ita pronuntiare solet: ollus Quiris leto datus est*. Planè ut in familiari; neque quicquam differentiæ, quàm quod libertus ibi vocabat, hic præco indicebat. *Meurs. & Kirchm. l. l. Brisson. de Form.* VIII. *p.* 721. *Laurent. de Fun. c.* 1. *Morestell. Pomp. Feral.* II. 1. *Puisc. in Svetonium.* V. & inst. in *Præco*.

Funus tacitum, & tumultuarium dicebatur illorum, qui non citò, aut non toti urebantur. Tales *nec numero, nec honore* combusti dicuntur Virg. Æneid. XI. 208. qui confuso lignorum acervu lento igni dabantur, *Numero* enim est citò. Plaut. Pœn. v. 4. 102.

Cur numéro estis mortui?

id est, cur tam citò? Sic *rogo tumultuario levi cespite semiambustus est Caligula* apud Svet. c. 59. num. 2. *Guther. de Jur. man.* 1. 24.

Funus larvatum dicebatur, quando facies ruina ædium detrita, vel alio casu mutila larvis velabatur. Clarum hoc ex Epitaphio veteri duorum conjugalium prima nuptiarum nocte in toro conjugali ruina ædium oppressorum, quod Romæ adhuc conspicitur, cujus hæc sunt verba ultima: *Cari parentes luctu nec lacrymis misera ac larvata nostra deflentes funera, ne reddatis infeliciora*. Camerat. Oper. Sub cis. 1. 96. Kornman. de Mirac. mort. patr. VIII. c. 31. Kirchm. de Fun. Rom. II. 9. Quensted. de Sepult. c. 6. Morestell. Pomp. Feral. II. 10.

Funus militare arbitror dictum, quod non populus, sed milites deducebant. Liv. III. 43. *Romam ferri protinus Siccium placebat, ni decemviri funus militare ei publica impensa facere maturassent*. Deducebatur incomptis signis. Tacit. Annal. III. 2. 2. *Tribunorum, centurionumque humeris cineres Germanici portabantur, præcedebant incompta signa*. Iisque versis. Stat. Theb. VI. 214.

—tum mæsta phalanx, Teucrique sequuntur
Tyrrhenique duces, & versis Arcades armis.

Ut & reliquis armis. Virg. Æneid. XI. 92.

—versis ducunt insignibus ipsi
Grajugena Reges.

Servius: *Lugentium more mucronem, non cuspidem hastæ contra terram tenentes: scuta etiam invertentes, propter numina illic depicta, ne eorum simulacra cadaveris polluerentur aspectu*. Efferebantur quoque arma ipsorum defunctorum, & producebatur equus inornatus sine phaleris. Virg. ibid. n. 89.

Post bellator equus positis insignibus Æthon
It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora.

Et obtinuit hic mos multò quoque post, sub Imperatoribus, etiam in non militari. Chrysost. ad Antiochen. Hom. III. *Divite aliquo mortuo non servos solos, & ancillas, sed & equos necessarii sacco amicientes, & agasonibus tradentes ad sepulcrum sequi jubent*. Sanè etiam bodie in magnatum exsequiis videmus usitatum. Quandoque etiam flammæ, ad testandum luctum, arma sua injiciebant milites, pura si Imperator decessisset. Svet. Jul. c. 84. n. 6. *Injicere flammæ & veteranorum militum legionarii arma sua, quibus exculti funus celebrabant*. Meurs. de Fun. c. 17. Lips. in Tacitum. Nicol. de Luct. Græcor. c. 11.

Funus plebejum tacitum etiam vocabatur. Prop. II. 10. 25.

—adsint
Plebeji parva funeris exsequiæ.

V. infr. in *Funus tacitum*. Kirchm. de Fun. Rom. 1. 4.

Funus publicum dicebatur ejus, quem senatus de ærario publico, & collecta populi stipe sepeliret. Tacit. Ann. VI. 11. 5. *Piso viginti per annos pariter probatus, publico funere ex decreto senatus celebratus est*. Svet. Vit. c. 3. n. 2. *Defunctum senatus publico funere honoravit*. Et ita Poblicolam supr. in *Funus*. Lucilium Longum supr. in *Funus imaginarium* efferendum senatus decrevit. Ducebat senatus, & ad exsequias aderat universus populus. Quintil. Decl. 329. *Corpus illud omnibus, sibique ipsi damnatum, publicis scilicet exsequiis efferemus? Hoc agite, ducatur ingens funeris pompa, eat primus senatus, & ordo ille sanctissimus, quanquam recepta modo libertate lætus, vultus tamen habitusque ad mæstitiam transferat: dum maxima multitudo quaque, dum universus denique populus lustret atque ambiat rogum*. Et reversus domum unusquisque, ut esset liberis tanquam incentivum ad virtutem, commemorabat, dicebatque, hæc præmia habere virtutem. Docet hoc Quintil l. l. *Tum domum reversi narremus liberis nostris: hæc virtus habet præmia*. Meurs. de Fun. 17. Lipsius in Tacitum arbitratur publicum & indictivum idem esse, quod idem est ac si diceret publicum à privato nihil differre. Indictiva enim plurima merè privata sunt, licèt per præconem populus evocaretur. Publica quidem indictiva fuerunt omnia: sed non omnia indictiva publica. *Funus* unicuique privato indicere licuit. V. supr. in *Funus indictivum*. Guther. de Jur. man. 1. 20. Ego publicum nunc idem cum indictivo fuisse existimo, nunc tantum ejus partem. Idem est, cum omnem amplioris, ac splendidioris *funeris* apparatum denotat, quo ditiores potissimum, ac primores civitatis sepeliebantur. De hoc Apul. Met. II. p. 61. *Ecce jam ultimum defletus, atque conclamatus processerat mortuus, ritúque patrio, utpote unus de optimatibus, pompa funeris publici ductabatur per forum*. Pars autem est, cum vel justitium indicitur, ac publicus luctus, vel sumptus fiunt è publico. Utrumque quidem publicitus per præconem fuisse indictum arbitror: sed alterum non nisi decreto senatus, alterum verò etiam privata interdum domini *funeris* auctoritate, puta, si quid ludorum, quos ditiores plerique post mortem suam sibi fieri testamento solebant cavere. Atque hos

ribus est valdè obscurum, & nescio, an integrum. Quomodo enim lignum potest intelligi currui subjectum? An scribendum: ὃ τοῖς ἄξοσιν ὑποτιθέασι? *lignum quod axibus totarum subjiciunt*. Certè est illud bifidum lignum, quod priorem axem tenet, atque huc illuc flectit in itinere simul cum temone. Solent enim hodieque temoni utrinque adjungi ligna, quæ ab una parte coeunt, ab altera distant maximè literæ V. figura, quandoque temo ipse ab una parte *furcæ* specie dividitur. Στήριγγα appellant Plutarchus in Quæstionibus Romanis: *Lignum illud quidem nos Steringem, Romani verò furcam appellant*. Et Hesychius: *Steringes sunt fulcra: quidam sic appellant illud bifidum, quod subdi solet jugo vehiculi* τῷ ἁμάξης ζυγῷ. Lips. de Cruc. III. 3. putat ῥυμῷ legendum. Ego nihil muto, planè enim per τὸ δίκρον intellexisse integrum temonem arbitror, qui subdi jugo, & ad id loro alligari consuevit. Vocat autem δίκρον Hesychius temonem, quoniam in *furcam* desinebat, non quod *furca* ipsi subdita fuit jugo. *Furca* enim pertinebat ad axem, non ad jugum. Nam quod Plutarchus ait, *furcam* illam sustentasse temonem, aliud est. Verba ejus sunt ista in Coriolano l.l. *Habebatur punito servo, qui peccaverat, acerba, si lignum plaustri, quo sustentant temonem, circa viciniam portaret: ita enim punitum quum domestici & vicini vidissent, nullam habebant deinceps ei fidem, appellabantque eum furciferum*. Ex eo quod *furciferum* appellarum ait, manifestum, non de ligno alio sermonem esse, quàm quod *furca* est Latinis. Hoc dicit sustentasse temonem, quia tenebat eum rectum inter equos, prolapsurum alias in terram, sicut hodieque fieri in vehiculis videmus. Nempe in extremo *furcæ*, ubi ligna duo maximè distant, addi lignum aliud transversum solet, quod subjectum mediæ arbori, axem posteriorem priori adjungenti, tenet *furcam*, & cum ea temonem, ne possint procidere. Atque istoc quidem olim Plutarchus illis verbis. *Scheffer. de Re vehic. l. 4. Turneb. Adv. IV. 1. Hotman. Antiq. Roman. V. p. 757. A.* Servis non tam supplicii, quàm ignominiæ causa ferenda imponebatur. Donat. in Terent. Andr. III. 5.12. *Furciferi dicuntur, qui ob leve delictum cogebantur à dominis, ignominiæ magis, quàm supplicii causa, circa vicinos furcam in collo ferre, subligatis ad eam manibus, & prædicare peccatum suum, simulque summonere ceteros, ne quid simile admittant*. Plutarchus modò laudatus. *Hotman. l.l.*

Furca instrumentum fuit bellicum in scalas usurpatum. Liv. XXVIII. 3. *Et jam qui erexerant ad murum scalas, furcis ad id ipsum factis detrudebantur*. Certum fuisse *furcæ* genus ostendit, oblongioris, credo, aut in perticæ longiore. Scriptor in Svida: *Præparata & furcæ erant ad impediendum scalarum, ita appellant, admotionem*. Dupliciter igitur *furcæ* utiles, ad scalas ipsas rejiciendas, & resupinandas, sed & homines ipsos. *Lips. Poliorc. V. Dial. 1. Thys. de Oppugn. Urb. V. p. 189. Laurent. Polymath. IV. 2. 10.*

Furca supplicii etiam fuit genus. Fuit vetus, est nova. De veteri ex antiquitatis tenebris elicio. I. potuisse esse faciem, qua nostrum hodie patibulum: atque id ipsum reliquias, & exemplar esse ù pœna prisca. *Per humeros, per pectus isse*, mox dicet Dionysius: hoc in isto, si collo imponas. Obstat tamen huic, quod disertè ajunt *lignum duplex, biceps geminum*. Nam certè hoc triplex lignorum est: et si ista quoque forma *furca* olim dicta. II. Lignum fuisse geminum, quod a tergo per humeros, & ante per pectus, hominem medium includeret; atque ita rectum ad expansas utrasque manus iret. Futina, quam ingerere, & suadere videtur Dionys. VII. p. 473. *Vir Romanus haud ignobilis*, quis ille fuerit V. supr. in *Flagellatio*, *servum suum ad mortis supplicium tradens conservis alius ducendum, ut conspicua, & illustris pœna hominis ejus fieret, per forum verberibus affectum trahere ipsos jussit, et si quis alius in Urbe locus celeberris. Qui autem ducebant eum ad pœnam, manus ejus ambas extendentes, & ad lignum alligantes, quod circa pectus & humeros ad manuum volam pertingeret, sequebantur flagris cædentes sic nudum*. Quid tamen hic simile *furcæ*? Quomodo in utroque isto ligno homo suspensus? Nam an sex ius illud incommodaverit, imo ad guttur strangulaverit.

III. *Furcam* veram esse *furcam*, quam hodieque dicimus, & quam indicat Varr. de Ling. Lat. IV. 24. ob vallum ἐτυμολογεῖ: *quod singula ibi extrema bacilla furcillata figuram habeant literæ V*. Pro hac sententia sunt I. quod *furca* δίκρανον in bonis priscisque glossis. Item *furcifer*, δικρανοφόρος. Atqui δικράνους Hesychius describit *eas, quæ ab uno initio, & capite in duo desinunt, tanquam duos fines habentes*. Est planè figura Varroniana, & literæ jam dictæ. II. quod in curribus hodie, qua temo cum axe coit, *furca* est sustentando illi, aut fulciendo. Qua mente Sidon. Carm. 21. n. 23.

Vite capistratas cogebat ad esseda tigres,
Intrabat duplicem qua temo racemifer arcum. . .

III. cum descriptione Dionysii mihi convenire videtur examussim. Da *furcam* istam paullatim divaricantem; ab humeris per pectus, & inde manus veniat; est illud plum lignum quod descripsit. Quo, nisi huc, referas Plauti carbonarium Cas. II. 8. 1.

——ego remittam ad te virum
Cum furca in urbem, tanquam carbonarium.

Ecce, qui lignarios fasces, aut carbonum sacellos hodieque ferunt, *furcam* jungunt, cujus caput cum exstantia aliqua bacillorum a tergo est; longiores duo fine diverti per pectus descendunt, & manu utraque, quasi ad contranixum, sustentantur. Atqui, inquies, manus hic non in alto expansæ. Fateor, non in alto, expansæ tamen: & cum fructibus traherentur, ligatis ad extremas manus, etiam protendebantur, & tollebantur. Quin alius locus Plauti, qui videatur ab hac modestæ expansione, si attendis. Nam in Milite servus quispiam in otio stabat, moherculam redituram exspectans, & oequa elaberetur. Ad eum servus alter II. 4. 6.

Credo tibi eundum esse ultum extra portam,
Dispessis manibus, patibulum cum habebis.

Si placet sententia prima, in trunco abscisso, in paxillo infixo, imo in fissura superne facta, potuit firmiter appendi. Si altera, tum sic censeo, ductos quidem cum duplici ligno ad crucem, sed non cum utroque in eam actos. Quod ante pectus, depositum putem: manus fixas in altero, atque id ipsum in trunco, paxillo, fissura, ut prius, firmatum. At si tertia sedeat, facilis suspensio, sive in ipsa *furca* defixa in terram simpliciter; sive cum ea in altiorem arborem, aut lignum sint sublati. Nova inferioris ævi est inventum. Ea est instrumentorum è ligno triplici, forma jugi veteris, cui appensos homines laqueo strangulamus. Hodie quoque in usu, & speciem hanc habet in pleraque Europa. Non & priscis cognita? Non arbitramur. Credo cœpisse, cum crux desiit, & vicariam illi factam. Isidori ævo nunc nomen hoc, & usum habuit. *Patibulum vulgo*, inquit V. 27. *furca dicitur, quasi ferens caput. Suspensum enim, & strangulatum hac exanimat*. In libris legum, quas Tribonianus, atque ejus adjuvæ collegerunt, satis frequens hoc nomen, &, ut opinor, significatione novitia: quia sublato crucis supplicio, quidni etiam *furca* vetus? *Lips. de Cruce III. 4-7. Laurent. de Toment. c. 7. Cujac. ad Paull. Sen. V. tit. 17. Observ. XVI.* Figuras exhibet *Lipsius*. V. & infr. in *Patibulum*, & supr. in *Crux*.

Furcæ sepulcrales erant instrumenta, quibus alto sub rogi cinere calente rimabantur antiqui defunctorum concrematorum ossa semicombusta, intra paratas urnas recondenda. Tibull. I. 3. 5.

—— non hic mihi mater,
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.

Maternus tenerior affectus dilectissimi filii, priusquam in urnas ossa legens in sinu condebat, quousque reperisset omnia. Virg. Æneid. XI. 211.

Mœrentes altum cinerem, & confusa ruebant
Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terra.

Licent. de Lucern. VI. 5.

FURFANIA gens. } V. illas infr. in *Gens*.
FURIA gens. }

Furia lex. V. illam infr. in *Lex*.

FURIÆ sunt *deæ speculatrices, credo, & vindices facinorum*

norum, & scelerum. Cicer. de Nat. Deor. III. 18. Erant autem *in terris Furiæ, in cœlo Diræ, apud inferos Eumenides*. Serv. Æneid. IV. 610. Græcis Erynnies, Plutonis ministræ, anguibus crinitæ, semper virgines; tres numero, Alecto, Tisiphone, & Megæra: quia trium animi perturbationum, iræ, cupiditatis, libidinis præsides. *Borrich. ant. Urb. Fac. c. 16. §. 1. Gyrald. Synt. deor.* VI. *p. 209. B. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 182.*

FURINA fuit dea antiquissima, *cujus honos apud antiquos. Nam ei sacra instituta annua, & flamen attributus: nunc vix nomen notum paucis*. Varr. de Ling. Lat. V. 3. Quænam fuerit illa, etiam antiquis obscurum. Cicer. de Nat. Deor. III. 18. interpretatur Furinam. *Cur non Eumenides? quæ si deæ sunt, quorum & Athenis fanum est, & apud nos, ut ego interpretor, lucus Furinæ*. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 16. §. 1. Gyrald. Synt. deor. I. p. 52. G. VI. p. 213. D. Struv. Ant. Rom. I. p. 161. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 13. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 725. B. Turneb. Adv. VI. 5. Stuck. de Sacrif. p. 42. Nardin. Rom. Vet. VII. 11.

FURINALIA sunt dicta *à Furina, quod ei deæ feriæ publicæ dies is*. Varr. de Ling. Lat. V. 3. Festus: *Furnalia, L. Furinalia, sacra Furinæ, quam deam dicebant*. Conveniunt hisce illa Kalendarii Maffejani ad XXIV. Julii. FURR. NP. LUDI. id est, *Furinalia nefastus primo, ludi*. Nardin. Roman. Vet. VII. 11. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 725. B. Sicam. in Fast. Kalend. Roman. c. 13. Stuck. de Sacrif. p. 42. Struv. Antiq. Roman. c. 8. p. 355. Gyrald. Synt. deor. I. p. 52. G. Perion. de Græcor. & Roman. Magistrat. III. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2813. F. Rosin. Antiq. Roman. IV. 11.

FURIOSUS erat in tutela agnatorum, & gentilium. Justinian. Instit. de cur. fur. *Furiosi quoque & prodigi licèt majores viginti quinque annis sint, tamen in curatione sunt agnatorum ex lege* XII. *tabularum*. Cicero. V. illum init. in *Gentiles*. Addit Justinianus, postea prætores, vel præfectum Urbi Romæ, præsides in provinciis solitos esse ex inquisitione curatores dare. *August. ad Leg.* XII. *tabul. §. 11. de Legib. in Latoria. Rittersh. in leg.* XII. *tab. Cass.* III. *p. 1. c. 14.* Dicebatur ille, qui mente quidem omnino captus non erat, sed cui mens ita commota erat, ita conturbata, ut accepta *furia*, familiari quadam rabie videretur exagitari, interdum tamen non sine dilucidis sanæ mentis intervallis, eosque Cajus *mente insanos* appellat. *Ravard. Conject.* III. 18. *Rittersh. l. l.*

FURNUS est locus, in quo panes à pistoribus immissi decoquuntur, cujus os patens *præfurnium*. Plaut. Epid. I. 2. 16.

Malim istiusmodi mihi amicos furno mersos ....

Vetustum hunc *furnorum* usum, ac priscis Romanis familiarem notant Horat. Epist. I. 11. 12.

—— *nec qui*
Frigus collegit, furnos & balnea laudat.

Juven. Sat. VII. 3.

—— *cum jam celebres, notique Poetæ*
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent.

Quis primus reperit, liceat indagare. Seneca quidem Epist. 90. ostendit antiquos ex *farina aqua sparsa, & assidua tractatione perdomita, panem finxisse: eumque ipsum primò calido cinere, & fervente testa percoxisse: deinde furnos paullatim repertos, & alia genera, quorum fervor sarviret arbitrio*. In individuo inventio Anno cuidam Ægyptio adscribitur, ut auctor est Suidas in Ἄννος. Rem utique vetustam esse argumento est vel solus locus Gen. c. 15. n. 16. ubi *funus* fumans inducitur. *Hering. de Molendin. quæst. 2.*

FURTUM erat contrectatio fraudulenta lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve, quod lege naturali prohibitum erat committere. Idque duplex: manifestum, & nec manifestum. Manifestum, cum res in manibus *furis*, antequam destinatum in locum ferretur, deprehensa erat. Nec manifestum, cum *fur* in faciendo quidem deprehensus non erat, sed cum *furtum* fecisse negari non poterat. De manifesto in XII. tabulis: *Qui noctu furtum faxit, aut interdiu telo se defenderit, eum domino cum clamore testificanti occidere jus esto. Si neque noctu, neque se telo defendens prehendatur, virgis cæsus ei cui furtum fecit, addicitor, servus verberibus affectus de saxe dejicitor, impubes arbitratu prætoris verberator*. Nec manifesto ex lege XII. tabularum proposita pœna erat dupli, & prætoris edicto quadrupli. *Sigon. de Judic. I. 5. Schel. in Polyb. c. 1. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 5. p. 1178. D. Rhodig. Ant. Lect.* X. *6. Augustin. ad Leg.* XII. *tabb. §. 29. Faber Semest. I. 22. Ravard. ad Leg.* XII. *tabb. c. 26. Rittersh. ad Leg.* XII. *tab. §. 3. Class.* III. *p. 2. c. 30. Caroli Antiq. Rom.* III. *9. Thys. Rom. Illustr.* V. *p. 142. Kipping. Antiq. Rom.* III. 4. 1. Ratio diversitatis pœnarum hæc est: quia in manifesto *furto* major versatur impudentia, atque improbitas; majori autem delicto major debetur pœna. Pœnam autem dupli *furto* nec manifesto per legem XII. tab. fuisse propositam patet tum ex Gell. XI. 18. *Furtis omnibus, quæ nec manifesta appellantur, pœnam imposuerunt dupli*, tum ex Caton. de Re rust. procem. *Majores nostri sic habuerunt, & ita in legibus posiverunt, furem dupli condemnari*. Quadrupli pœna *furto* manifesto, non ex XII. tab. sed ex jure prætorio. §. 2. Instit. de perpet. & tempor. action. *Furti manifesti actio, quamvis ex ipsius prætoris jurisdictione proficiscatur, tamen perpetuo datur. Non omnes actiones, quæ in aliquem aut ipso jure competunt, aut à prætore dantur, & in heredem æquè competunt, aut dari solent. Est enim certissima juris regula, ex maleficiis pœnales actiones in heredem rei non competere, veluti furti ....* Deinde nocturnum, & diurnum. Exstat hæc divisio in lege divina Exod. c. 22. n. 2. 3. & in XII. tab. Verba legis de *furto* nocturno XII. tab. hæc fuerunt, quantum colligimus ex Macrob. Saturn. I. 6. *Si nox, id* est, noctu, sive nocte, quod Græcis est νύκτωρ, *furtum faxit, & im*, quod veteres dicebant pro eum, *aliquis occisit, jure cæsus esto*. Alterius capitis de *furto* diurno verba quidem ipsa non exstant: sententia ex variis collecta auctoribus hæc refertur: *ut si quis luce furtum faceret, seque telo defenderet, domino cum clamore testificanti, eum occidere jus esset*. Rittersh. Ll. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. p. 461. A. *Furtum se dolo malo in castris non facturos, cum scriberentur, jurare* debebant milites, ut docet Cincius de Re milit. apud Gell. XVI. 4. Quæ pœna, si quis in hac culpa, non docet. Polyb. VI. 35. *Fuste percutitur, qui furto aliquid abstulit è castris*. Non hic quadrupli, aut alia mitior pœna? nulla, sed abscissa omnia, ut in cætero delicto militari. Exempla etiam posteriore ævo reperio. Svet. Tib. c. 60. n. 3. *Is militem prætorianum, ob surreptum è viridario pavonem, capite punivit*. Spartian. Pescenn. c. 10. Pescennus Niger *ob unius gallinacei direptionem, decem commanipulones, qui raptum ab uno comederant, securi percuti jussit*. Lips. de Milit. Rom. V. Dial. 15. Oisel. in Gellium. Sichterman. de Pœn. milit. c. 3. Per lancem & licium non fiebat, sed perquirebatur & concipiebatur. Leges XII. tabb. *Furta per lancem liciumque concepta, sicut manifesta, vindicanto*. Gell. XI. 18. *Ea quoque furta, quæ per lancem liciumque concepta essent, perinde ac si manifesta forent, vindicaverunt. Sed nunc à lege decemvirali illa discessum est*. De hoc Festus: *Lance & licio dicebatur apud antiquos, quia qui furtum ibat quærere in domo aliena, licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat propter matrum familiæ, aut virginum præsentiam*. Cum quis sibi *furtum* esse factum querebatur, remque *furtivam* in ædes Titii à *fure* deportatam esse, si eam fortè ibi reperiret, & comprehenderet, nec Titius eum ingressu prohiberet, *furtum* conceptum dicebatur. Quod si vel in atrio eam non reperiret, sed in interioribus ædibus depositam collocatamque diceret, ut in gynæconitide, ubi mulieres manebant, quo non admitteretur: aut postremò, ne in atrium quidem ingressum Titius permitteret: lex concedebat ei, qui *furtivam* rem quærebat, ut se accingeret licio, quo expeditior ad quærendum esset: & lancem oculis opponeret, nec aut mulieribus aut virginibus, quæ in gynecæo essent, videretur: ab iis enim alienos viros cetiri veteres nolebant. *Turneb. Adv.*

Adv. xxx. 23. *Augustin. ad Leg.* xii. *tabb.* §. 19. *Scalig. ad Festum. Oisel. in Gellium. Barth. Adv.* viii. 5. *Rhodig. Ant. Lect.* x. 6. *Cujac. Observ.* xxiii. 19. *Revard. in Leg.* xii. *tab.* c. 27. Certè hic erravit, sive Paullus sit, qui nobis hunc morem conscripsit, neque enim qui licio cinctus erat, idem & lancem habebat ob oculos, qui enim *furtum* quærere potuisset? Quærere *furtum* per lancem & licium dicebatur rei furtivæ dominus, cum adhibito servo publico, qui licio cingebatur, ædes intrabat, quæ sibi *furti* suspectæ erant, ipse lancem habens ob oculos, ne cum in gynecæum intraret, corrumpendi feminas potius, quàm *furti* quærendi causa videretur ingressus. *Dacer. ad Festum, Pith. Subc.* i. 2. Hunc morem Romani ab Atheniensibus accepere. Apud quos qui res furtivas quærebant, nudi cincticulo, quod licium vocarunt Romani, amicti ædes suspectas intrabant, cum priùs deos essent contestati, se inveniendi spe quærere. Plato de Leg. xii. Inde Aristoph. Nub. i. 6. 42.

Depone vestem. Quid peccavi?
Nihil, verum nudos intrare lex jubet.
Atqui nihil furaturus ego quidem introeo.

Rationem dicit Scholiastes esse hanc, *ne quid fortè vestibus conditum inferrens, dominoque adium falsum crimen objectare possent.* Oisel in Gellium, Scalig. & Dacer. in Festum.

FUS.

FUSTIBALUS est vox novitii ævi, nescio an res ipsa. Appellant ita fundam *fusti* alligatam, quo incussu lapidem scitè, & robustè emittunt. Vegei. iii. 14. *Fustibalus fustis est longus pedibus quatuor, cui per medium ligatur funda de corio, & utraque manu impulsus, prope ad instar onagri dirigit saxa.* Hoc genus veteribus fuit in usu, & librile appellabatur. V. infr. in *Librilia*. Lipf. Poliorc. iv. dial. 3. Laurent. Polym. iv. 2. §. 9. Thysl. de Oppugn. urb. iv. p. 184.

FUSTIUM admonitio, quæ differt à *fustuario*, sive *fustigatione*, inter corporis coercitiones enumeratur ab Ulpiano, & Callistrato, l. 6. & 7. ff. de Pœnis, militibus ac paganis simul inflicta, quæque eos officii tantum commonefaciebat, & ne simile quid, aut pejus posthac committereur, erudiebat, unde κατ᾽ ἐξοχὴν animadversio dicta est, quod animadvertendi tantum gratia fieret, cum condemnati *fustuario* ad mortem usque cædi solerent. V. Polybium infr. in *Fustuarium*. Ideoque percutere in *fustigatione*, ut docet Voss. ad Paterc. ii. 78. nihil aliud quam ὀνδᾶν, & percussores ῥαϐδοῦχοι. *Sichterman. Differt. de Pœn. milit.* c. 2. & 12.

FUSTUARIUM, sive *fustigatio*, ξυλοκοπία, quod criminis noxii *fuste* percuterentur, nunquam flagellis, aut flagris, quod servorum proprium supplicium fuit. Callistr. l. 38. §. 11. de Pœnis: *Non omnes fustibus cadi solent, sed hi duntaxat, qui liberi sunt.* Sichterman. Differt. de Pœn. milit. c. 2. Fuit pœna vigiliis, aut circuitioni neglectæ. Describit Polyb. vi. 35. *Fustem capiens tribunus condemnatum leviter tangit & delibat. Quo facto, omnes qui in castris sunt, ferientes alii fustibus, alii lapidibus, plerosque in ipsis castris occidunt. Quod si quis evaserit, nec sic salvus erit: quomodo enim? cui nec in patriam reditus, nec quisquam è necessariis tecto eum receperit. Itaque planissimè pereunt, quos ea calamitas attigit.* Hic lictores non sunt administri, aut carnifex, sed tribunus signum modò dat, & objicit multitudini militari. An quia honestior illa mors? an quia tristior, & magis in animos penetrabat id exemplum? Profectò enim triste, commilitonum, & commanipulariorum manibus interfici. Servatum postea, & bello Hispaniensi *miles, qui fratrem suum in castris jugulasset, interceptus est à nostris, & fusti percussus,* ut tradit Hirt. de Bell. Hispan. c. 27. Et Dolabella sub Tiberio *decimum quemque ignominiosæ cohortis fuste percussit,* apud Tacit. Annal. iii. 21. 1. *Lips. de Milit. Rom.* v. *Dial.* 18. *Thysf. Rom. Illustr.* v. p. 150. *Valtrin. de Re milit. Rom.* vi. 8. *Patric. Rei milit. Rom. part.* xi. *sect.* 1. *Robortell. de Pœn. milit. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* x. p. 1483. *E. Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom.* i. 15. *Gatak. Miscell. Postum.* c. 46. *Turneb. Adv.* xxviii. 34. *Rhodig. Lect. Ant.* x. 5. *Laz. Comm. Reip. Rom.* iv. 8. *Laurent. de Polym.* iv. *Synops.* 3. *de Rebusp.* c. 7. *Stevvech. in Veget.* i. 26. Si ex nostrorum militum ingenio judicare licet, nullam hanc tristitiæ rationem esse puto, licèt ita Lipsio visum. Quis enim, qui morum militarium non planè ignarus est, nescit, milites nostros summo sibi honori ducere, cum mortem meruerint, si sclopetis à commilitonibus interficiantur, *barquebuzeten*, & in ea calamitate illis solatii, & unicum tristitiæ lenimentum hoc mortis genus esse; cum ex adverso sibi, suisque turpissimum putent, si à carnifice morti tradantur, & inde magnam justamque tristitiæ causam nostris moribus habeant? *Sichterman. Differt. de Pœn. milit.* c. 2. Delictorum, & criminum, ob quæ infligebatur, erant quatuor genera. Horum I. est furtum, cum nempe quis è castris aliquid furatus esset. Hoc se non facturos, dum conscriberentur, jurabant milites. V. supr. in *Furtum*. II. perjurium, ob duas causas, damnum nempe, quod decepto ex perjurio oriebatur, & ob temeratam fidem, quæ diis obstricta erat. III. Si quis juvenis in flore ætatis, incipiebant enim Romani militare anno ætatis decimo octavo, corpore subabusus esset. Hoc tamen non solebant omnes Imperatores punire, quoniam frater Flaminii scortum secum habuisse, & suo exemplo fenestram aliis ad libidinem, & licentiam aperuisse legitur. Temporibus verò posterioribus crimen hoc prorsus impunitum esse cœpit. IV. si quis ob crimen aliquod, quod per se quidem capitale non erat, jam ter ante damnatus esset. Is enim, si quartò reus esset ejusdem criminis, *fuste* percutiebatur, quasi qui ob summam ad delinquendum proclivitatem vita esset indignus. Recensentur hæc à Polyb. l. l. *Fuste percutitur is, qui aliquid è castris fuerit furatus, item qui falsum testimonium dixerit, nec non si quis in flore ætatis male usus corpore fuerit deprehensus, adhæc is, cui ter eandem ob causam mulcta fuerit irrogata.* Patric. ibid. sect. 3. Voss. in Paterc. ii. 78. Sichterman. ibid. c. 3. Caroli Antiq. Roman. iii. 9. Lipf. & Thy. l. l. *Et hæc ut crimina puniunt,* addit ille, *Ignavia verò, & flagitio militari vertunt hujusmodi delicta: si qui præmii adipiscendi causa fortè aliquod facinus suum ad tribunos falso retulerint. Similiter si qui in statione constituti locum ubi locati fuerant, formidinis ergo deseruerint: itemque si quis in ipso prælio armorum aliquam partem captus metu abjecerit.* V. singula suis locis. *Sichterman. ibid.* c. 4. *Lips. l. l.* Sed unde, inquies, genus hoc castigationis? Tarquinium Superbum primum apud Romanos introduxisse scribit Eutrop. ii. Et illi adstipulatur Suidas in voce Σούπερϐος. *Stevvech. l. l. & Gothofr. ad l. 7. ff. de pœnis.* A quibus hæc Superbo ascribi miror. Græcus enim Lexicographus supplicia ab illo excogitata enumerans, nullam *fustium* mentionem fecit, sed μάστιγας, id est, flagella invenisse scribit, quæ cum ita à *fustibus* fuerint diversa, ut nunquam ingenuo, & militari corpori admota sint; non satis intellecta voce Græca, hæc tradidisse, vel *fustes* à flagellis in *fustuario* inaccuratè distinxisse viros doctissimos non temerè credo affirmaverim. Sileo quod in laudato Eutropii loco nihil de *fustibus*, ejusque auctore Tarquinio Superbo reperias. Quantò rectiùs secuti essent viri docti auctoritatem Isidor. v. 27. qui præter lautumias, tormenta, metalla, exsilia, *fustes* quoque Tarquinium adinvenisse scribit? Sed monendum de Romanis tantum Isidorum loqui, cum dubitandum non sit, multis seculis ante Superbum, & ante inventam ferri fabricandi artem, sicuti *fustibus*, & clavis, cum armis destituerentur primi terrarum incolæ, eos bella gessisse legimus: sic sceleratorum hominum impietatem, ferri inopia, *fustibus* coercuisse, quod adeo inolevit, ut invento jam ferro, cum alia instrumenta in promptu essent, in nonnullis tamen pœnis exigendis, *fustibus* præ ferro uti maluerint subsequentium temporum homines. *Sichterman. ibid.* c. 2.

FUSUS est instrumentum filandi, sive linificium in telas attenuandi. *Hos ne mulieres per itinera ambulantes torqueant, aut omnino detectos ferant, quoniam id adversetur omnium spei, præcipueque frugum, pagana lege in plerisque Italiæ prædiis cavetur.* Plin. xxviii. 2. *Laurent.* *de*

de Sponſ. & nupt. c. 1. Argenteus mulierum ſepulcris appenſus. Ditmar. 11. p. 25. de filia Othonis Magni Imp. Conradi Franconiæ ducis uxore: *In Eccleſia Chriſti martyris Albani in Moguntia flebiliter eſt ſepulta, cujus fuſum argenteum in ejus memoria ibidem eſt ſuſpenſum.* Ita olim Tanaquili, Tarquinii Priſci uxori, ſtatuam poſuere Romani, lanam, fuſum, & colum tenentem, in probitatis, & virtutis muliebris argumentum. Plin. VIII. 48. *Lanam cum colo, & fuſo Tanaquilis, quæ eadem Caja Cæcilia vocata eſt, in templo Sangi duraſſe, prodente ſe, auctor eſt M. Varro.* Plutarch. Quæſt. Rom. 30. *Cui Cajæ in Sangi templo ſtatua priſcis temporibus poſita fuit cum ſandaliis & fuſo: quæ domi actæ vitæ, induſtriæque ſunt ſigna.* Du Freſne Gloſſario.

G.



Nova eſt conſonans. V. ſupr. in *C.* Dauſq. Orthog. 1. 5. hanc rationem delumbatam eſſe dicit, *Nam*, inquit, *cum C ſcriberetur, nondum adinventa G, credibile cuiquam eſt C ſonuiſſe ſonere ipſius G? Non opinor, non enim erat; quonam igitur ore exprimerent?* Miror contendere de veterum pronuntiatione cum Quintiliano, aliisque vetuſtiſſimis Latinæ linguæ magiſtris. Litera *C* non eodem ſono in omnibus vocibus efferebatur; nam in quibuſdam ſonum *G* præferebat. Hinc Sp. Carbilius Carbilii libertus paullò poſt initium ſexti ſeculi parvo apice inferiorem partem C ſignans, teſte Plutarch. Quæſt. Rom. 53. literam *G* præformavit, qua poſtea Latini uſi ſunt in iis verbis perſcribendis, quæ diverſo ſono à cæteris, in quibus erat C, efferebantur. In prænominibus Caj & Cneji eadem vetus litera C remanſit, quæ tamen uti antiquitus *G* ſonum habebat. Equidem Cajum cum ſono *G* Gajum pronuntiatum Quintilianus teſtatur. Cur verò literam *G* non adhibebant, niſi ob reverentiam vetuſtiſſimi prænominis C litera deſignati? *Noriſ. Cenot. Piſan. Diſſert.* IV. *c.* 5. *Ciaccon. Column. Roſtr. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1817. *D.* Alii nimis craſsè, alii quaſi zeta proferunt, quum medio quodam ſono ſit efferenda. *Calcagn. Rhet. Comp. Oper. p.* 442.

G eſt litera numeralis, quæ 400 denotat: unde verſus:

G quadringentes demonſtrativa tenebit.

Seu, ut habet Ugutio,

Ergo quater centum G nunc caudata....

Eidem literæ, ſi linea recta ſuperaddatur, quadringenta millia ſignificat. *Du Freſne Gloſſario.*

G in pluribus reſcriptis, & diverſis titulis ſingulariter ſcripta invenitur, ut in lege 10. 12. 18. 19. 20. 24. 27. C. de rei vendic. quæ ſunt Diocletiani: in lege 3. C. ne filius pro patre. *Jure manifeſto cautum eſt. G. V. Kal. Maji.* In lege etiam 1. & 4. C. de uſufr. & habitat. P. P. G. Id. Mart. quæ ſunt Severi & Alexandri. In illis *Geſta* ſignificare exiſtimo. Meam opinionem tuetur, quod ex lege Honorii ad Julianum proconſulem Africæ l. fin. C. de re judic. l. 55. C. de hæret. *Geſta, quæ ſunt tranſlata in publica monumenta, perpetuam habent firmitatem.* Geſta ergo, quæ in publico lata ſunt, faciunt fidem, quia ex his fides conſtat, ut v. g. cum de rei vendicatione agitur, in qua *G* ſcripta eſt, ad Geſta recurrendum eſt. Quare in omnibus his reſcriptis, quibus litera *G* apponitur, quod ſtatutum eſt ex veteribus monumentis, cenſus auctoritate, inſtrumentis, contractibus, quibus Geſtorum fides conſtare videtur, ſignificatur. *PP. G.* propoſita geſta dicuntur, cum nulla inſtrumenta proferuntur, ſed nuda geſtorum narratio, quæ apud Judicem probari debet. *Guther. de Offic. dom. Aug.* 1. 36. *Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 730. *E.* 912. *B.*

G & B ſæpè confunduntur, ut galbuli, galguli. Et quos hodie blerellos vocamus, haud ſcio, an ita dicti ſunt quaſi glerelli. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 223. *F.* 899. *a. D. V.* & ſupr. in *B.*

G pro C plerumque uſurpant antiqui librarii etiam Latino more, ut Gallæci pro Callaicis. Et inde proclivis lapſus apud Solin. c. 20. de Carmania Germaniam facere. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 170. *b. B. Capitol. Pertin. c.* 9. *Vaillant Numiſm.* I. *p.* 27.

G & I ſæpè invicem mutabantur. Ita à ſagis, quibus muniebantur, ſagones appellavit poſterior ætas, vel corrupta voce ſajones. Hoc in lingua Gallica frequens eſt in iis vocabulis, quæ ex Latino ſunt deflexa. Nam & ſagum ſaje dicimus, & togam toje, & dogam doje, & ſimilia ſexcenta. In veteribus etiam libris non rarò reperitur. In vetuſtiſſimo Flori libro tojam pro toga ſcriptum reperi. Et Ilycias pro Glycias hodieque legitur apud Svetonium. *Salmaſ. in Spartian. Adrian. c.* 11. *Exerc. Plin. p.* 153. *a. C.*

G loco *jū* inverſi pingebatur. V. ſupr. in *Copparia.*

Γ in *e* frequenter Latini vertebant in his vocibus, quas ex Græco mutuabantur. Miſer dixerunt ex Græco *μυγορός.* *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 23. *a. G.*

GAB.

GABALUS crux dicebatur. Varr. apud Non. II. 373. *Nos barbari, quod nocentes in gabalum ſuffigimus homines, vos non barbari noxios abſolvitis.* Lipſ. de Cruce 1. 2. Caſaub. in Capitol. Opil. Macrin. c. 11. Cerd. Adv. c. XL. n. 1. CLXVI. n. 74. Voſſ. Lex. Etymol. Inde *gabalus* dicitur homo cruce dignus: ſicut apud Lucillium carcer, qui propter ſcelera habitat in carcere. Macrin. apud Capitol. l. l.

Si talem Grajum retuliſſent fata poetam,
Qualis Latinus gabalus iſte fuit.

Caſaub. l. l.

GABATA eſt genus lancis. Mart. VII. 47. 3.

Tranſcurrunt gabatæ, volantque lances.

XI. 32. 18.

Sic implet gabatas, paropſidasque.

Baccius de vin. & conviv. p. 155. Buleng. de Conviv. IV. 10. Du Freſne Gloſſario. Cerd. Adv. XXXVI. 4. Rader. & Calder. in Martialem. Voſſ. Lex. Etymol. *Gabatarum* nomen noſtra retinent lingua: ſed, ut aſſolet, laceſſitum, & diminutum: nam *gatas* vocamus media expuncta. *Turneb. Adv.* XXV. 14.

GABELLA eſt vectigal in Gallia ſalinarium. Hæc vox Italics indictionem omnem, & præſtationem pro rebus mobilibus, aut ſe moventibus ſignificat. *Buleng. de Vectig. c.* 96. *Du Freſne Gloſſario.*

GABII Tibure ab urbe Roma viæ dimidio propius abfuerunt, nimirum citra Præneſte, in via ipſa Præneſtina, procul ab Urbe ſtadiis centum, ut inquit Dionyſ. IV. p. 252. *Sigon. de Ant. civ. Rom.* 1. 2. De *Gabiorum* ſitu multa *Kircher. Lat. vet. & nov. Part.* IV. *c.* 1. *Cluver. Ital. Ant.* III. 4. §. 33. *Leand. Ital. p.* 235.

GABINA porta. V. illam inf. in *Porta.*

Gabina via. V. illam infr. in *Via.*

GABINIA lex. V. illam infr. in *Lex.*

GABINUS cinctus. V. illum ſupr. in *Cinctus.*

GABIUSA porta. V. illam infr. in *Porta.*

GAD.

GADES eſt Bæticæ Hiſpaniæ notiſſima urbs. Vulgo *Cadix.* Urſat. de Not. Rom. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 870. F. Inſulam & urbem in inſula Oceano circumfuſa condiderunt Tyrii. Paterc. 1. 2. 6. *Ea tempeſtate & Tyria claſſis, plurimum pollens mari, in ultimo Hiſpaniæ tractu, in extremo noſtri orbis termino inſulam circumfuſam Oceano, perexigue à continenti diviſam freto, Gades condidit.* Salmaſ. in Tertull. de Pall. p. 171. Exerc. Plin. p. 204. b. F. Cluver. Introd. Geogr. II. 7.

cum GADITANIS bello Punico II. L. Martius, qui poſt

post Scipiones interfectos rem Romanam labentem sustinuit, fœdus fecit, *ea lege, ut Gaditani majestatem populi Romani comiter conservarent*: & ad eos præfectus est missus. Liv. XXXII. 3. *Gaditanis petentibus remissum, ne præfectus Gades mitteretur, adversus quod iis in fidem populi Romani venientibus cum L. Martio convenisset*. Fœdus inde multis post annis Q. Catulo cos. à senatu est renovatum; ut in Balbi defensione Cicero posuit. Secuta sunt Cæsaris inde in eam civitatem beneficia, in prætura, & dictatura. Quorum illud in eadem oratione Cicero posuit his verbis, c. 19. *Omitto quantis ornamentis populum Gaditanum C. Cæsar, cum in Hispania prætor esset, affecerit, controversias sedarit, jura ipsorum permissu statuerit*. Alterum fuit ejusmodi, ut Afranio, & Petrejo deletis civitatem Romanam eis communicarit, eamque largitionem post populus Romanus ratam esse jusserit, teste Dion. XLI. p. 164. D. *Sigon. de Ant. jur. prov.* I. 5.

GÆS.

GÆSUM, vel *gesum* in classibus Servianis non nominatur, & vox, ac telum peregrina videntur. Ab Hispanis Romanos petiisse vult Athen. VI. p. 273. F. *Ab Samnitibus scutiusum, ab Hispanis gesorum*. At alii magis dixerint à Gallis. Non. XVIII. 19. *Gesa, tela Galliarum*. Et de iis Virg. Æneid. VIII. 662.

—— duo quisque Alpina coruscat
Gesa manu.

De Virdumaro, eorum Rege, Prop. IV. 11. 42.

Nobilis è tectis fundere gesa rotis.

Sic lego pro *rectis*. Claudianus etiam quasi propriis insignibus Galliam ornans de laud. Stilich. II. 241.

Gallia crine ferox, evinctaque torque decore,
Binaque gesa tenens.

Quale autem fuit? Suidas ita: *Gesi telum, vel contus, longè feriens, ut Q. Crito in Geticis scripsit*. Et grandius fuisse jaculum etiam Festus indicat: *Gesum, grave jaculum*. Lips. Poliorc. IV. 4. Hugo de Milit. equest. II. 4. Laurent. Polym. IV. Synops. II. §. 9. Thys. de Oppugn. urb. IV. p. 185. Demster. Paralip. 10 Rosin. Antiq. Roman. X. 10. Ulit. in Grat. Cyneget. p. 141. Cerd. Adv. c. CXLI. §. 54. Cluver. Germ. Ant. I. 44. Voss. Lex. Etymol. Furer. Vetis. II. 22. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 18. Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 17. Gæsa, & pila non eadem fuerunt arma, quod asserit Kipping. Antiq. Roman. III. 3. §. 2. Liv. XXVIII. 45. de apparatu bellico Scipionis in Africam trajecturi agens, Aretinos narrat ei inter alia culta dedisse, *pila gesa, hastas longas*. Quare existimo, *gesa* quidem levium; pila verò gravis armaturæ militum fuisse. Liv. VIII. 8. in hastatorum manipulo leves vicenos milites locat, & addit: *Leve autem, qui hastam tantum, gesaque gererent, vocabantur*. *Gesa* nempe bina. Varro apud Nonium l. l. *Qui gladiis cincti sine scuto cum binis gesis essent*. Patric. Rei. Rom. mil. part. IV. sect. 3. Lips. l. l.

GAJ.

GAJANIUM, quod in campo Vaticano ponit Victor, in Notitia *Gajanum* vocatur. Pancitollus accipit de obelisco Caji, qui olim in circo ejus fuit, nunc autem aream D. Petri exornat. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 13.

GAJUS prænomen fuit. Aliquando tamen pro nomine gentilitio est usurpatum. V. supr. in *Cajus*.

GAL.

GALATEA fuit dea marina, appellata, vel quod tranquillitatem in mari pariat, vel mare ipsum significet, cum albedine spumei liquoris candescit. Eustath. Iliad. Σ. p. 1131. 4. *Præterea autem quemadmodum Thetis comparatur propagationi tempestatis; sic Galatea tranquillitati. Quæ etiam propter undarum lacteum colorem habentes spumas sic appellatur*. De illa Mart. Spect. XXVIII. 3.

—— vidit in undis
Et Thetis ignotas, & Galatea feras.

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 11.

GALATIA est à Gallis dicta, qui olim in auxilium à Rege Bythiniæ vocati in Asiam trajecerunt, & victoria potiti regnum cum eo diviserunt, sicque Græcis admixti, primò Gallo-Græci, postea *Galatæ* sunt appellati. Sext. Rufus: *Gallo-Græciam*, inquit, *id est, Galatiam, quod Antiocho contra Romanos auxilium præbuissent, invasimus. Gn. Manlius*, ita enim ex Livio, Floro, & Appiano, non *Mummius*, legendum est, *proconsul Galatas prosecutus est, & confugientes partim in Olympum, partim in Ancyram*, ita pro *Megaram* legendum, *de arduis eos in plana detrusit, & victos in perpetuam pacem redegit. Postea Galatiam Dejotarus tetraches, nobis permittentibus tenuit. Ad extremum sub Octaviano Cæsare Galatia in formam provinciæ redacta est. Eam primus M. Lollius Paullinus administravit.* Hæc provincia ab ortu Cappadociam: ab occasu Sangarium fluvium, & Bithyniam: à meridie Pamphyliam: à septentrione Pontum habet. Gomoritas à Gomor prius dictos auctor est Joseph. Ant. Jud. I. 7. Theodosius duas *Galatias* fecit, primam & secundam salutarem dictam, ut auctor est Stephanus de Urbibus. Prima consularem habebat, secunda præsidem, quod confirmat Notitia, Novell. 8. Sed primam Vicarios postea administravit, quem Justinianus depositum restituit. Hujus metropolis Ancyra fuit. Comes *Galatiæ* primæ pro codicillis magistratus solvebat, quantum majores Rectores provinciarum. Præses autem secundæ, quantum alii præsides. *Pancirol. Notit. Dign. imp. orient. c.* 128. *Volaterr. Comm. Urban.* X. p. 355. C.

GALBA fuit cognomen Sulpiciorum. Svet. Galb. c. 3. n. 1. *Qui primus Sulpiciorum cognomen Galba tulit.* . . . Ursat. de not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 901. F. Rhodig. Ant. Lect. XXIV. 5. Sigon. de Nom. Rom. c. 5.

Galba Sergius Sulpicius Imperator, quod sub Augusti mortem an. ab U. C. 767. ipsis Kal. Jan. ephebis transscriptus virilem togam sumpsisset, ex eoque die omen futuri imperii cepisset, citra dubium etiam Imperator factus sollennia strenarum ejus diei celebrasset, si quietus esse potuisset. Sed militum cum prætorianorum, tum Germanorum tumultu impeditus, magis ultionem, quàm remunerationem, stipendia, quàm munera cogitabat, cæteroquin paratus, si quietus mansisset, strenarum sollennia suo & Crispini consulatu agitare. *Lipen. de Stren. c. 2. ar. sec. §. 7. Neroni successit, nullo gradu contingens Cæsarum domum; sed haud dubiè nobilissimus, magnaque & vetere prosapia* patricia Sulpicia ortus. Svet. c. 2. n. 1. Ei, occiso Nerone, absenti adhuc in Hispania, quam legatus consularis obtinebat, cuncta Principibus solita senatus decrevit, ut ex hujus antiqui nummi inscriptione constat: SER. GALBA. IMP. CÆSAR. AUG. P. M. TR. P. COS. *Panv. Fast.* II. *p.* 204. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 606. In via Aurelia est sepultus. Svet. c. 20. n. 9. *Sero tandem dispensator Argius in privatis ejus hortis Aurelia via sepultura dedit*. Morestell. Pomp. Feral. IV. 5.

GALBANI mores sunt molliores, & effeminatiores. Mart. I. 97. 9.

Galbanos habet mores.

Turneb. Adv. XVII. 8. Lips. Elect. I. 13. Rader. in Martialem. Rhodig. Antiq. Lect. XXIV. 5. Voss. Lex. Etymol. Forte etiam ad *Galbam* Imperatorem fœdum allusit, de quo Svet. c. 22. *Rader. l. l.* Quid sint, non satis scio. Et aliquid latere debet. Est quidem hic color feminarum. Juven. Sat. II. 97.

Cærulea indutus scutulata, & galbana rasa.

Sed cur non potius mores Tyrios, & amethystinos dixit, qui colores pretiosiores, & feminis magis convenientes? cum galbeus color eorundem interpretatione vilis fuerit, herbaceus scilicet, & ideo exigui pretii. Nec dici possunt instar Galbæ Imperatoris. Quis enim hoc crimine Galbam notavit? cum potius nimius illi rigor, & severitas objecta sit. Nam quod in mares pronior fuerit, nihil ad mollitiem, nec id unius Galbæ vitium. *Ferrar. de Re vest.* II. I. 23.

GALBEUM est ornamenti genus. V. supr. in *Calbei*

GALBULA, seu galgala, Græcis dicta ἴκτερος. Quidam charadrium esse volunt, aut συκοφάγον, ficedulæ non absimilem, Plin. xxx. 2. icterum, & galgulam vocat Mart. xiii. 68. 1.

Galbula decipitur calamis, & retibus ales,
Turget adhuc viridi cum rudis uva mero.

Buleng. de Conviv. ii. 12.

GALEA inter arma ordinaria, capiti tegendo apta, primum locum sibi vindicat. *Lyd. de Re milit.* iii. 5. *Feith Ant. Homer.* iv. 8. *Kipping. Antiq. Roman.* iv. 2. §. 4. Differt à casside. Abjungit manifestò Tacit. Germ. c. 6. n. 4. *Vix uni, alterive cassis aut galea.* Discernit Isidor. xviii. 14. quod *cassis de lamina est, galea de corio.* Ipsa vox quoque præfert, quia est proprie ἀπὸ τῆς γαλέης, à fele, aut mustela: etsi à galero maluit petere Varr. de Lin. Lat. iv. 24. *Lips. de Milit. Rom.* iii. 1. *Scalig. Conj. Varr. p.* 51. *Laurent. Polym.* iv. *Synops.* ii. §. ii. *Thys. Rom. Illustr.* iii. *p.* 69. Hæc tamen vocabula confundunt auctores, & cassidem sæpiùs *galeam* appellant. Gallorum *galeas* describit Diodor. v. p. 213. B. *Æneis utuntur galeis, cum magnis appendicibus, ad prolixam ostentationem factis.* Cluver. Ant. Germ. i. 44. Illam *Lacedæmonii invenerunt.* Plin. vii. 56. *Meurs. Misc. Lacon.* ii. 1. *Stevvech. in Veget.* i. 20. Vetustissimis temporibus fiebant è pellibus mutorum animantium. Inde dixerunt κυνέην, si foret è pelle canina; λυκέην, si è lupina. Apud Homer. Iliad. K. 335. *ἰκτιδέην κυνέην* legas pro *galea* ex pelle mustelæ. Postea verò pro pelliceis introductæ sunt æneæ, ac ferreæ. Et tamen figuram muti animantis, aut capitis saltem in ea expresserunt. *Voss. de Idolol.* i. 28. iii. 70. *Feith Antiq. Homer.* iv. 8. *Caroli Antiq. Roman.* iii. 6. *Thys. l. l.* Factas ex ære docent Diodorus modò laudatus; Homerus & Virgilius mox laudandi: ex ferro Plutarch. in Camill. p. 150. D. *Fabricatas est militibus suis galeas plerasque totas ferreas, & leves in ambitu, ut gladii aut laberentur in iis, aut frangerentur.* Lips. ibid. c. 5. Valerm. de Re milit. Rom. iii. 12. Cluver. & Lyd. l. l. Forma fuit diversa. Illam exhibent *Choul. de Castramet. vet. Rom. p.* 79. & 80. & *Lyd. l. l.* Non tantum verticem, & occiput, sed & interdum faciem oculis tenus obtegebat. Sæpè enim vultum militis abscondi, quàm tegi necesse est, ne ullus ibi deprehendatur pavor, aut pallor. De milite Marcelli post pestilentiam Sil. Ital. xiv. 636.

—— tenuata jacendo
Et maciem galeis abscondunt ora, malusque
Ne sit spes hosti, velatur casside pallor.

Barth. Adv. xxii. 14. Paschal. de Coron. x. 14. Lyd. l. l. Interdum aperta erat, & habebat aspectum per quædam intervalla patentia, laminis extrorsum, & arcuatim projectis. Id quod cui rei inventum dicam, nisi quia ductoris est conjicere oculos in omnes partes, ut quicquid facto opus est imperare possit? Equidem existimo, hac ipsa de causa *galeam* majorum potestatum ita constitui, ut sit recta, hoc est, non vergens in hoc illudve latus, sed recto intuitu, ac in omnia pariter libero prospectu. Hujus rectæ apertæ, quæ eadem est summi ducis propria, exemplum extat apud Stat. Theb. xi. 524.

Hæc pugnæ facies: coeunt sine more, sine arte,
Tantum animis iraque atque ignescentia cernunt
Per galeas odia, & vultus rimantur acerbo
Lumine.

Hic duo Thebani fratres de regno contendentes infestis animis, armisque concurrunt. Et utrinque *galea* usque eo est aperta, ut ejus sit rectus in hostem aspectus. *Paschal. & Lips. l. l. Kipping. ibid.* iii. 5. §. 3. Præfixa vulgo ad terrorem habebat animalium cornua. Herodot. vii. p. 466. C. *Thraces, qui Asiam incolunt, in capitibus habebant æreas galeas, & super illas ex ære factas aures bovis & cornua, impositis etiam cristis.* De Gallis Diodor. l. l. *Aliis cornua affixa sunt, aliis avium, aut quadrupedum formas expressas habent.* Spanhem. Diss. de Præst. n. v. p. 367. V. etiam supr. in *Cornicula* & *Cornua.* Et additas habebat cristas. V. supr. in *Crista.* Et postquam ferreæ sunt inventæ, pelles his superinduebantur. De Apulorum duce Allio, in exercitu Romano, contra Annibalem, Sil. Ital. iv. 560.

Huic horret thorax Samnitis pellibus ursæ,
Et galea annosi vallatur dentibus apri.

De consule Romano in *galea* Gallica v. 132.

Ære, atque æquorei tergo flavente juvenci
Cassis erat munita viro.

Et pellis, quæ caput feræ contexerat, capiti hominis imponebatur una cum dentibus; ita ut superior pars rictus, sive hiatus integra primorem frontem ac tempora, inferior fissa aures, atque posteriores maxillas contegeret: reliqua pellis humeros, atque tergum velabat, quam inter pugnandum lævo brachio obvolvebant. Virg. Æneid. xi. 679.

Cui pellis latos humeros erepta juvenco
Pugnatori operit: caput ingens oris hiatus
Et malæ texere lupi cum dentibus albis.

Cluver. l. l. Mag. Misc. iii. 7. Cerda ad Virgilium. Stevvech. in Veget. i. 20: ii. 16. Erat militibus pro forensi, aut urbana sitella, vel urna. Et in illam sortes dejiciebantur. Virg. Æneid. v. 490.

—— dejectamque ærea sortem
Accepit galea.

n. 498.

Extremus, galeaque ima subsedit Acestes.

Homer. Iliad. vii. 176.

Sortem injecerunt in galeam Agamemnonis Atridæ.

iii. 316.

Sortes in ærea galea quassarunt, ductori.

Et eo respicit Stat. Theb. vi. 389.

Et jam sortitus Prothous versarat ahena.

Turneb. Adv. xxviii. 16. Bernart. in Statium. Cerd. in Virgilium. Maurit. de Sortit. c. 12. §. 6. Et pro poculo. *Galea poculum militis est.* Lactant. Theb. iii. 663. Apoll. Rhod. iii. 1347.

—— is è fluvii flumine
Ipsa haurit galea aquam, unde sitim restinguat.

Curt. v. 13. 24. *Dum galea haustam aquam sorbet.* Prop. iii. 10. 8. V. illum infr. in *Lacerna.* Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. x. 12. Schel. in Hygin. p. 259. Passerat. & Broukh. in Propertium. Meibom. & Gorall. in Albinov. in obit. Mæcen. n. 57. Perisc. in Curtium.

Galea appellabatur etiam galerus ex mulierum crinibus, ut Græcè περικεφαλαία. Hesychius: *Galea ex crinibus facta.* V. infr. in *Galerus.*

Galea fuit insigne, quod habuerunt naves bello paratæ. Consueverunt enim antiqui in summis navium malis *galeæ* nescio quid simile addere, unde quidam vulgo hodie *galeas* triremes vocari arbitrati sunt. *Gyrald. de Navig. c.* 12. De hoc tamen dubitari potest. Certè priùs apud Græcos, postea demum apud Latinos *galearum* mentionem factam inveniet, quisquis animum diligentiùs ad id advertet. Nam & Leo *galearum* meminit in Tacticis, cùm non nisi longo post id nomen apud Latinos reperiatur. Quid? quod de re ipsa ex nullo idoneo auctore satis constet; neque prisca monumenta id testentur: ut proinde nulla, præter communia, signa hasce naves habuisse existimari queat. *Scheffer. de Milit. nav.* iii. 1.

à *Galea* tutela, & παράσημον, quod in rostris erat, navigia vocantur, ut fuit illud, quo se in Pontum vectum scribit Ovid. Trist. 1. 9. 1.

Est mihi, sitque precor flavæ tutela Minervæ
Navis, & à picta casside nomen habet.

Du Fresne Glossario. Salm. Exerc. Plin. p. 803. b. A. Cerda Adv. c. cxx. §. 77. Quantæ florentibus Venetorum rebus horum Liburnicæ, seu *galeæ* fuerint, vel exinde conjicias, quod in illorum commentariis nauticis memorentur etiam naves, quæ à mille agerentur remigibus. Sed & constratæ erant, & castellis munitæ. Harum vestigia in hodiernis etiam supersunt *galeassis*, quæ & ipsæ constratæ sunt, & castella sustinent lignea, ut minimè dubitandum, quin ut *galea* est Liburnica aperta, ita *galeassa* recta & constrata sit Liburnica. *Voss. de Trirem. & Liburn. constr. Thes. Ant. Rom. Græc. Tom.* xii. *p.* 727. E.

Galea venatoria legitur apud Nep. xiv. 3. 2. *Ipse agresti, duplicique amiculo circumdatus, hirtaque tunica, gerens in capite galeam venatoriam.* Et quidni ista usi, isti, quibus è

cæde

cæde ferarum copia? *Lipſ. de Milit. Rom.* III. 1. *Thyſ. Rom. Illoſtr.* III. *p.* 70.

GALEARII, ſive *galiarii* recentioribus dicti ſunt, qui veteribus calones. Erant ſervi militum, propriè ſic dicti, quod *galeam* portarent. Veget. III. 6. *Denique ex ipſis calonibus, quos galearios vocant, idoneos, ac peritos uſu legebant.* Salmaſ. in Spartian. in Adrian. c. 13. Laz. Comm. Reip. Roman. IV. 13. Stevvech. in Veget. I. 20. Pignor. de Serv. p. 144.

GALEOLA fuit vaſis genus. Varr. de vit. pop. Rom. 1. apud Non. XV. 34. *Ubi erat vinum in menſa poſitum, aut galeola.* Buleng. de Conviv. IV. 16. Pitiſc. in Curt. V. 13. 24.

GALERIA tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

GALERICULUM, ſive *galericulus* eſt capillamentum adſcititium, adhibitum olim I. ad calvitiem tegendam. Calvi enim coma adſcititia imponebant oculis ſpectatorum, ne turpitudine nudi capitis offenderentur. Hoc ab Othone Imperatore factum. Svet. c. 12. n. 3. *Galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato, & annexo, ut nemo dignoſceret.* Hunc morem de more facetè riſit Mart. XII. 45.

Hædina tibi pelle contegenti
Nuda tempora, verticemque calve;
Feſtivè tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit, caput eſſe calceatum.

Quod enim *galericulus* hic ex pellibus & coriis pararetur, æquè ac calcei, non infacetè caput à calvo Phœbo calceari jocatur. Apud Rufum Avien. c. X.

Calvus eques capitis ſolitus religare capillos,
Atque alias nitido vertice ferre comas.

Ridiculum populo conſpiciente, caput exhibuit ab adverſis boreæ ſpiraminibus:

Nam mox dejecto nituit frons nuda galero,
Diſcolor appoſita quæ fuit ante coma.

II. Ad diſſimulandam perſonam in diſcurſationibus etiam nocturnis. Svet. Cal. c. 11. n. 1. *Quin ganeas, atque adulteria capillamento celatus, & veſte longa noctibus obiret.* III. ad capillos defendendos ab inquinatione, vel, ut adhibeam vocem Plaut. Trin. III. 2. 67. *collutulatione* per unguenta, juxta illud Mart. XIV. 50.

Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Raynaud. de pil. & cæt. cap. tegm. ſect. 3. Braun. de veſt. ſacerd. Heb. I. 9. Voſſ. Lex. Etymol. & de vit. ſerm. II. 15. Ferrat. de Re veſt. II. I. 20. Rhodig. Antiq. Lect. XVIII. 10. Salmaſ. in Tertull. de Pall. p. 354. Turneb. Adv. I. 17. Tiraquell. in leg. Connub. III. Gloſſ. I. p. 3. n. 27. Jun. de Coma c. 7. Caſaub. in Svet. Oth. c. 12.

GALERUS fuit pileus à *galea* ſimilitudine dictus. Hunc Mercurio adſcribit Claud. de Rapt. Proſ. I. 78.

Somniferam quatiens virgam, tectusque galero.

Et præter illum Albric. de Deor. imag. c. 6. *Galerum quoque, ſemumbellam capite portabat.* Qui etiam refert, *ex dimidia parte album, nigrum ex altera dimidia fuiſſe:* id quod diem ex adventu, noctem ex diſceſſu Solis procreatam deſignare poterat. *Aleand. Tab. Heliac. explic. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 718. *B.*

Galerus etiam dicebatur galea militum. Virg. Æneid. VII. 688.

— fulvosque lupi de pelle galeros.

Lipſ. de Mil. Rom. III. I.

Galerus quoque vocatur rotundus comarum ſuggeſtus, vel crinium adtextorum compoſitio in modum *galeri* facta. Hoc feminæ, & matronæ præcipuè caput velabant. V. Tertullianum ſupr. in *Capillamentum*. Hujuſmodi crinium fictitiorum concumulationem *galerum* vocat Juven. Sat. VI. 120.

Sed nigrum flavo caput abſcondente galero
Intravit calidum veteri centone lupanar,

Schol. *Crine ſuppoſito rotundo muliebri capitis tegumento in modum galeæ facto, quo utebantur meretrices flavo; nigro nam crine matronæ utebantur.* Ergo non ſolæ matronæ hujuſmodi *galeris* crinium utebantur, ſed etiam meretrices. Ad

diſcerniculum verò matronæ nigros, meretrices flavos ſumebant. Serv. Æneid. IV. 698. *Matronis*, inquit, *nunquam flava coma dabatur, ſed nigra.* Laudat deinde verſus Juvenalis jam allatos. *Salmaſ. in Tertull. de Pall. p.* 352. *Ferrar. de Re Veſt.* II. I. 20.

GALILÆA eſt *pars Phœnicia. Galilææ duæ ſunt, una gentium vicina finibus Tyriorum in tribu Nephthalim, ubi & Salomon viginti quinque civitates donavit Hiram Regi Tyri; altera circa Tiberiadem, & ſtagnum Genezaret in tribu Zabulon.* Hieron. in Acta Apoſtol. *Panciroll. Notit. Dignit. imp. orient. c.* 108.

GALLECIA, nunc *Gallicia*, vocata eſt provincia Hiſpaniæ ultra Buriam fluvium uſque ad Noriam promontorium, quod nunc eſt caput S. Mariæ finis terræ. Ejus metropolis eſt Flavium Brigantinum, hodie Compoſtella nuncupatum. Quidam volunt hanc olim vocatam Brachatiam Auguſtam. *Panciroll. Notit. Dignit. imp. occid. c.* 66. & 88.

GALLI ſagis villoſis ſolebant uti, quas lænas appellabant. Strab. IV. p. 135. *Lanea vero hirta, villoſo pilo, ex qua ſaga pexa crebra contexunt, quas lænas appellant.* Bayſ. de Re veſt. c. 15. Loco tunicæ geſtabant veſtes ſciſſas ac manuleatas uſque ad pudenda, ut tradit Strab. IV. p. 135. *Loco tunicarum utuntur veſte fiſſili manicata uſque ad pudenda, & nates demiſſa.* Ideo autem hæc aperta, & manuleata veſtimenta gerebant, quod, cum bracati eſſent, inferiora corporis velabantur. *Ferrar. de Re veſt.* II. 3. 9. Caput apertum, & ſine tegmine habebant. Comatos enim quidni credam ea parte intectos? Ni fuiſſent, & pleræque imo Europæ gentes, non pileum apud Parthos demum, ut novum, quæſiſſet Mart. X. 72. I.

Fruſtra blanditiæ venitis ad me,
Ad Parthos procul ite pileatos.

Lipſ. de Amphith. c. 19. Torques ferè illorum proprium fuit geſtamen. Svidas in Τορκυάτ☉: *Uſitatus vulgò apud Gallos ornatus torques fuere.* Strab. IV. p. 136. *Geſtant aureos circum colla torques.* Virg. Æneid. VIII. 659.

Aurea cæſaries illis, atque aurea veſtis,
Virgatis lucent ſagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur.

Plin. XXXIII. I. *Gallos cum auro pugnare ſolitos Torquatus indicio eſt.* Aurum non intelligit aliud, quàm torques. Unde Torquati cognomentum. Planè, ſicut Græci aliquando χρυσὸν uſurparunt. *Scheffer. de Torquib. Antiq. c.* 12. Religionibus admodum fuerunt addicti. Cæſ. de Bell. Gall. VI. 16. *Deum maximè Mercurium colunt. Hujus ſunt plurima ſimulacra. Hunc omnium artium inventorem ferunt: hunc viarum, atque itinerum ducem: hunc ad quæſtus pecuniæ, mercaturaſque habere vim maximam arbitrantur. Poſt hunc Apollinem, & Martem, & Jovem, & Minervam. De his eandem ferè quam reliquæ gentes habent opinionem: Apollinem morbos depellere: Minervam opera, atque artificiorum initia tradere: Jovem imperium cœleſtium tenere: Martem bella regere. Huic, quum prælio dimicare conſtituerunt, ea quæ bello ceperint, plerumque devovent: quæ ſuperaverint animalia capta immolant.* Viſitur adhucdum Nemauſi, quæ urbs eſt non longe à Maſſilia diſtans, inter alia venerandæ antiquitatis monumenta, templum Dianæ, vel, ut alii opinantur, Veſtæ olim ſacrum. *Hendreich Maſſil. ſect.* 2. *Claſen. Theol. Gent.* I. 7. Literarum uſum, ac cultum Maſſilienſes tranſtulerunt ad *Gallos*, qui præter literas, ac doctrinam, etiam linguam Græcam tam feliciter didicere, ut non tantum in publicis, privatiſque rationibus Græcis uterentur literis; ſed & in ſuum Gallo-Romanum ſermonem frequentiſſimos induxerint Helleniſmos, quaſi non Græcia in *Galliam*, ſed *Gallia* in Græciam migraſſe videretur, ut Strabo ſcribit. Hinc legimus Caligulam, cum tertium Lugduni conſulatum gereret, certamen ibidem oratorium in lingua Græca, & Latina ad Auguſti aram inſtituiſſe. *Hendreich. l. l. Cluver. Germ. Ant.* I. 14. Victoria parta captivos ſuos diis immolare, & reſecta hoſtium capita, nec non ſpolia ſanguine illotum perfuſa ſpectaculi gratia pro portis oppidorum affigere ſolebant; cujus exinde conſuetudinis adhucdum circa feras occiſas ve-

stigia quædam apud illos permanent, dum nobiles trunca bestiarum capita, quas vel ipsi, vel majores eorum interfecerunt, foribus, vel porticibus affixa ostendunt. *Hendreich. ibid. sect. 3. Tomas. de Donar. c.* 40. Multis seculis vitis ignari fuerunt, primùmque vino illecta juventus *Gallorum*, quæ nova illis voluptas erat, sedibus excitata suis in Italiam profecta est. Multis postea annis *Gallia* Narbonensis populi Romani provincia facta, vitem primùm habere cœpit. Julioque Cæsare res in *Gallia* gerente, aliis in *Gallia* regionibus nullus ferè vitis palmes erat. Tremellius quidem, qui Cæsare res in *Gallia* gerente exercitum duxit, cum apud Varronem ait, aliquot regiones se intus ad Rhenum accessisse, ubi nec vitis, nec olea, nec poma nascerentur, significat illic non modò vinum pressum non esse, sed ne stirpem quidem ullam vitis repetiti, quæ etiam sine cultu nasci posset. Non multò post Julium Cæsarem in Arvernis & Sequanis consitæ sunt. Domitianus postea Imperator, *ne quis in Italia novellaret, utque in provinciis vineta succiderentur*, edixerat apud Svet. c. 7. n. 6. Hoc salubre edictum non tamen exsequi perseveravit, partim adductus minacibus libellis, qui cum his versibus sparsi erant:

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ.

Qui sunt Eveni poetæ Anthol. 1. 6. 1. & sic vertuntur translati in Fastos ab Ovid. 1. 357.

Rode caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aram
In tua quod spargi cornua possit, erit.

partim legatione Scopeliani Sophistæ, quem hac de re Asia publicè miserat apud Philostr. de vit. sophist. p. 521. A. partim cavillatione impostoris Thyanei, qui à Domitiano *eunucham reddi tellurem* cavillabatur apud eundem Apollon. VI. 17. Existimo tamen nonnullis provinciis non multò post vineas ademptas esse. Alioquin Aur. Vict. Cæs. c. 37. n. 3. & Vopisc. Prob. c. 18. non scriberent, Probum Imperatorem *Gallis omnibus, & Hispanis, & Britannis permisisse, ut vites haberent, vinumque conficerent*. Imperante Juliano parabat cœlum Parisinum jam vitem ferebat, ut scribit ipse in Misopogone: sed, ut opinor, raram, nec ex qua vinum fieret. Id intelligi ex eo potest, quod Ammianus, qui sub eo militavit, *Gallos* vini quidem avidos esse scribit XV. 12. multiplices tamen ad vini similitudinem potus adulterate. Ut conjectura sit, tum quoque minus frequentem vini usum in *Gallia* fuisse. Postea tandem per *Gallias* omnes, excepta parte Belgicæ, vitis vulgata est. *Turneb. de Vino Thes. Ant. Grac. Gronov. Tom.* IX. *p.* 528. *A. Meibom. de Cervis. Vet. c.* 1. Illorum bella fusius denarrat *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* 1. 24. In Italia eam partem tenebant, ubi Mediolanum est, usque ad Rubiconem amnem. Sext. Ruf. c. 9. Vario eventu cum his pugnatum, & diu à capta Urbe, & ante ad Aliam, usque ad ætatem Marii, qui illos depulit Italia. Postea à Cajo Cæsare victi tributarii sunt facti. *Robort. de Prov. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III. (*p.* 6.) *C.* Et *singulis mensibus tributum erat illis pendendum*, ut inquit Dio LIV. p. 535. D. *Noris. Dissert. in Cenot. Pisan.* 11. Et quia populi Romano imperio subjecti vario tributorum genere dominium iis, quibus orbis terrarum, terminis circumscriptum agnoscere, & venerari cogebantur, tributum in equis solvebant. *Falconer. Epist. ad Datum Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* IV. *p.* 1490. *D.* Censum quoque deferre coacti sunt ab Augusto. Extat hac de re insigne testimonium Claudii Imperatoris in oratione de civitate Romana *Gallis* danda, cujus ære quondam incisæ extat fragmentum Gruteri p. 502. Hæc ibi Imperator de *Gallis* ait: *Illi patri meo Druso Germaniam subigenti tutam quiete sua, securamque à tergo pacem præstiterunt; & quidem cum ad census novo tum opere, & inadsueto Gallis ad bellum avocatus esset*. Drusus ann. ab U. C. 742. in Germanos primum movit, qui Romanorum fines irruperant, quia *videbant Gallos jugum servitutis gravatim ferre*. Dio LIV. p. 543. E. Tunc enim primum *Galli novo tum opere, & inadsueto* censum profiteri ab Augusto jussi fuerant, quamvis supra annum quadragesimum in provinciæ formam redacti fuissent. *Noris. l. l.* Senones *Gallos* V. infr. in *Senones*.

GALLIA omnis dupliciter ab antiquis dividitur. I. Sunt, quos C. Cæsar de Bell. Gall. 1. 1. sequitur, qui ejus tres partes faciunt; Aquitaniam, quæ ab occasu Pyrenæis montibus, ab ortu Garumna fluvio definitur; Celticam, quæ Romanis propriè *Gallia* est, & Garumna flumine, ac Rheno, itemque Oceano, & Alpibus, iis, unde Rhenus, & Rhodanus decurrunt, continetur; & Belgicam, ad oceanum, & Rheni exitum sitam, in extrema *Gallia* ora, Germanis finitimam. II. Augustus rerum potitus de eadem re fecit alio modo: ut qui quatuor in partes *Galliam* dispertiverit. Nam tribus superioribus *Gallia* partibus quartam Narbonensem adjecit, ei Celticæ quadam ex parte attributa. Celticæ autem reliqua assignavit Lugduno urbi, quam Celticæ partem, non ut ante Celticam, sed Lugdunensem ex urbis nomine dici voluit. Strab. IV. p. 122. *Augustus Cæsar, divisa in quatuor partes Gallia, Celtas Narbonensis provincia fecit, Aquitanos eosdem, quos & pater illius, auctos tamen additis decem populis, ex iis, qui inter Garumnam, & Ligerim fluvium incolunt. Reliquam Gallia partem bipartito divisam, unam usque ad superiores Rheni partes Lugduno, alteram Belgis assignavit.* Ferrar. de Orig. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. I. p. (22.) E. Dividitur quoque vel à regione, vel ab hominum cultu. A regione sic: *Gallia* vel transalpina est, quæ ulterior etiam dicitur; vel cisalpina, quæ citerior. Utraque dividitur in duas: transalpina in Narbonensem, & comatam; cisalpina in transpadanam & cispadanam. A cultu sic: *Gallia* vel comata est, vel bracata, vel togata. Comata est omnis transalpina, præter Narbonensem; bracata, quæ postea Narbonensis dicta, togata cisalpina omnis. *Manut. Quæst. Epist.* II. 2. *Cluver. Germ. Ant.* II. 1.

Gallia Belgica universa non est Belgium. Cæsar enim de Bell. Gall. V. 24. quatuor *legiones, exercitum in hybernis collocaturus*, in Belgica collocavit: *unam in Morinos ducendam C. Fabio legato dedit; alteram in Nervios Q. Ciceroni; tertiam in Essuos L. Roscio; quartam in Rhemis cum T. Labieno in confinio Treverorum hyemare jussit.* Separatim autem, sive privatim alias *tres in Belgio se collocasse* affirmat. Quòd si Belgium idem fuisset, quod Belgica, cur tres istas legiones magis in Belgio se locasse memoraret, quàm quatuor reliquas? Certè in eadem regione, in eodemque regionis nomine omnes pariter collocatæ fuissent: nec opus habuisset hac distinctione. Belgium verò vix decimam partem Belgicæ implet. Licèt oppidum non fuerit, ut Glareano visum. Qui inopiam enim levasset Cæsar, si tres legiones in unum compulisset oppidum? Sed regio, natio, sive populus. Hæc enim in commentariis suis ubique hoc vocabulo appellat Cæsar. Belgium itaque Bellovaci incoluerunt, & Bellovacorum sedes appellata fuit Belgium. Quod probat, & ubi isti fuerint Bellovaci, pluribus docet, *Cluver. Germ. Ant.* II. 2. V. etiam supr. in *Belgica*.

Gallia Bracata à genere vestium dicebatur. Hæc fuit pars Transalpinæ, quæ postea Narbonensis nominata. Plin. III. 4. *Narbonensis provincia appellatur pars Galliarum, quæ interno mari alluitur, Bracata ante dicta, amne Varo ab Italia discreta, Alpiumque saluberrimis Romano imperio jugis. A reliqua verò Gallia latere septentrionali montibus Gebenna, & Jura.* Mel. II. 5. *Pars Gallia nostro mari apposita, fuit aliquando Bracata, nunc Narbonensis.* Et Cicer. pro Font. c. 11. *sagatos, bracatosque* vocat Gallos, qui Fontejum accusabant, cum Narbonensi *Gallia*, quod ipsa declarat oratio, Fontejus præfuisset. Quo patet, licèt ea *Gallia* pars nomen mutaverit, Narbonensis dicta, quæ Bracata fuerat, ipsas tamen bracas non esse depositas. *Manut. Quæst. Epist.* II. 2. *Sigon. de Ant. jur. prov.* 1. 6. *Cluver. Germ. Ant.* II. 1. *Panciroll. Notit. Dignit. imp. orient. c.* 40.

Gallia Celtica tertia pars est *Gallia*. *Gallia* Celticæ soli *Gallia* appellatio apud Romanos propriè & strictè fuit data. Docet hoc Cæs. de Bell. Gall. 1. 1. ubi ait: *Tertiam partem incolunt, qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur.* II. 3. *Galliam* pro Celtica ponit, ubi ait: *Rhemi, qui proximi Gallia ex Belgis sunt.* Sic intelligendus est

ostetiam Strab. iv. p. 131. cum ait: *Ut simpliciter dicam, Aquitani à natione Gallica corporis habitu & lingua differunt, magis Hispanis similes.* Lugdunensis eadem dicitur. Plin. iv. 17. *Ab eo ad Garumnam Celtica, eademque Lugdunensis.* Sub Constantino M. divisa est in quatuor provincias, quas per Galliae intelligit auctor Itinerarii p. 104. *De Aquitanicas Gallias.* Lugdunensem primam, cujus metropolis Lugdunum: secundam, quae habet metropolim Rhotomagum: tertiam, cui metropolis est Turonum: & quartam, sive Senoniam, in qua metropolis est civitas Senonum. *Bergier. de viis milit.* iii. *sect.* 40. §. 1. & 4. De finibus multa *Cluver. Germ. Ant.* ii. 1.

Gallia Cisalpina pro diverso tempore diversa habuit nomina. Ab ultima seculorum memoria, quae de rebus Italicis extat, ea pars, quae à Tiberi ad Alpes patet, tota & omnis fuit Umbrorum & Hetruscorum. Verùm *Gallorum* Transalpinorum magna vis penetratis Alpibus, & ejectis Hetruscis hac sedium suarum parte, eidem terrae, partique occupatae dederunt *Galliae* nomen. Haec porrigebatur ad Rubiconem usque, exiguum fluvium, qui in mare Hadriaticum effunditur, & dividit fines inter *Galliam*, & Italiam fuit. Nam ad aetatem usque Julii Caesaris hanc Italiae partem pro *Gallia* habuerunt. Constat enim ex Julii Caesaris vita, & rebus, quod, cum illi S. P. Q. R. saepiùs, & in plures annos decrevisset provinciam *Galliarum*, aequè Cisalpinam, ac Transalpinam administrarit; exercitusque in utraque duxerit salvis Reipublicae legibus, quod idem in Italia per eas leges non licebat. Neque enim prius Rubiconem exercitu armatus transiit, quàm jacta, ut ipse ajebat, alea, & bellum civile patriae illaturus. *Bergier. de viis milit.* iii. *sect.* 30. §. 2. *Castillion. Gall. Insubr. ant. sed. Misc. Erud. Ital. Tom.* ii. *p.* 459. *Manut. Quaes. Epist.* ii. 2. *Emm. Graec. vet.* viii. *Thes. Ant. Rom. Graec. Gronov. Tom.* iv. *p.* 185. *B.* V. etiam infr. in *Italia*. Citerior etiam dicta est ob situm Alpium. Etiam Togata, & Italica, hodieque Longobardia, vel Lingobardia. *Cluver. & Castillion. l. l. Pitisc. in Suet. Jul. c.* 22. *n.* 2. Puto provinciam esse factam eo tempore, cum M. Marcellus, is qui consul quinquies fuit, primusque Hannibalem acie vicit, Virdumarum *Gallorum* Regem singulari certamine occidit, deque *Gallis* Insubribus triumphavit anno 531. Patet enim provinciam esse factam, quia coloniae plures annis sequentibus eò deductae. *Manut. de Leg. c.* 10. *Pavin. Imp. Rom. c.* 4.

Gallia comata vocabatur, *quod Galli isti comam gerebant promississimam, eaque à reliquis dignoscebantur.* Dio xlvi. p. 326. C. Erat omnis Transalpina praeter Narbonensem. Comatam *Galliam* à Caesare perdomitam appellavit Catull. c. xxix. n. 3.

Quis hoc potest videre? quis potest pati?
Mamurram habere, quod comata Gallia
Habebat omnis.

Lucan. i. 442.

Et nunc tonse Ligur, quondam per colla decora
Crinibus effusis toti praelate comatae.

Manut. Quaes. Epist. ii. 2. Jun. de Com. c. 3. Dalechamp. in Plin. iv. 17. Cluver. Germ. Ant. ii. 1. Nunc Francia dicitur. *Bud. in Pandect. p.* 86. I. Narbonensem adepti provinciam Romani facilè post aliquot annos comatam ad imperium adjunxerunt, ductu, atque imperio C. Caesaris, qui cum Narbonensem consul obtinuisset, ejus à reliquis *Gallis* ex S. C. defendendae praetextu reliquas omnes *Galliae* partes perpetuo novem annorum imperio subegit, in provinciamque redegit: cum ab Helvetiis incepisset, quos neque per provinciam armatos iter facere, neque per Aeduorum sociorum agrum in Santones, qui non longè à Tolosatibus habitabant, ire permisisset, atque ab Helvetiis ad Belgas, & Aquitanos, reliquosque Celtas, novis semper, ut ipse scribit, aut conjurationis, aut defectionis, aut hostibus dati, aut sibi negati auxilii criminibus objectis, & ad singulos eorum populos, inter se, ut nominibus, sic imperiis discrepantes arma circumtulisset. Quibus semel, atque iterum, ut res tulit, in potestatem adductis, totam comatam *Galliam* praeter socias ac bene meritas civitates provinciam fecit. Quod his verbis breviter prodidit Suet. c. 25. n. 1. *Caesar omnem Galliam, quae à saltu Pyrenaeo, Alpibusque, & monte Gebenna, fluminibus Rheno, & Rhodano continentur, patetque circuitu ad bis & tricies centum millia passuum, praeter socias, ac bene meritas civitates in provinciae formam redegit: eique quadringenties in singulos annos stipendii nomine imposuit.* Sigon. de Ant. jur. Prov. 1. 6.

Gallia Narbonensis, antea Bracata dicta, V. supr. in *Gallia Bracata*, vocitata est à Narbone Tectosagum oppido. Bello Allobrogico, de quo supr. in *Allobroges*, in provinciae formam est redacta, atque, ut quotannis in eam praetores mitterentur, institutum. Hoc Pompon. de orig. jur. §. 32. referre videtur. Et ex sequentium annorum historia patet. Tum maximè ex Critognati Arverni oratione apud Caes. de Bell. Gall. vii. 77. *Quod si ea, quae in longinquis regionibus geruntur, ignoratis, respicite finitimam Galliam, quae in provinciam redacta, jure, & legibus commutatis, securibus subjecta, perpetua premitur servitute.* Panvin. Imp. Roman. c. 14. Sigon. de Ant. Jur. prov. 1. 6. Laurent. de Rebuspubl. c. 3. Quanquam reliqua quoque *Gallia* à C. Caesare in provinciae formam est redacta: quia tamen Narbonensis prius provincia facta est; ideo *Provincia*, quod hodie quoque retinet, ex Latina enim voce detorta dixerunt Galli *Provence*, semper est appellata. *Manut. Quaes. Epist.* ii. 2. *Bergier. de viis milit.* iii. *sect.* 38. §. 1. In hanc Salyes, Cavares, Vocontii, Allobroges, & Volcae tum Aricomici, tum Tectosages erant inclusi, ita ut Narbo, & Tolosa Tectosagum, & Nemausus Aricomicorum intra eam fuerint; unde Caesar provinciales Volcas Aricomicos, & Tolosates dixit. In re vectigali, ut comatae stipendiariam, sic Narbonensi agrarium est impositum. Cicer. prò Font. c. 1. *M. Fontejus provinciae Galliae praefuit, quae constat ex iis generibus hominum, & civitatum, qui modo ab nostris Imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphis ac monumentis notati, modo ab senatu agris, urbibusque mulctati sunt.* Sigon. l. l.

Gallia togata dicta, vel quia ei provinciae Romana toga fit concessa. Unde Mart. iii. 1. 2.

Gallia Romanae nomine dicta togae.

Vel quod *reliquis esset pacatior*. Dio xlvi. p. 326. C. Hoc nomen tulit primum ea regio, quam Senones tenuerant. Eam nimirum *Galliam* primum togatae nomine ornarunt, quae primum imperio populi Romani paruit, ac cives, moresque Romanos cum usu togae Romanae prima accepit: inde Bojis, qui finitimi fuerant Senonibus, exturbatis hoc nomen communicatum puto, postquam etiam ad hos victus, cultusque Romanus est translatus. Siquidem Ptolemaeus *Galliam* togatam à Placentia Ravennam perducit. Quo fortasse quoque respexit Festus, cum scripsit: *Boicum agrum dici, qui fuit Bojorum Gallorum: esse autem citra Alpes in Gallia, quae togata dicitur.* Sigon. de Ant. jur. Ital. 1. 24. Panciroll. Notit. Dign. imp. occid. c. 58.

Gallia Transalpina adjuncta fuit Hispaniae. Hanc à Pyrenaeis montibus ad Alpes, & flumen Rhenum pertinentem à septentrione Oceanus, à meridie mare mediterraneum alluit. *Sigon. de Ant. Jur. prov.* 1. 6. *Bergier. de viis milit.* iii. *Sect.* 36. §. 1. Hanc Baptista Spagnolus Mantuanus describit his versibus:

Gallia terrent pars est non infima mundi,
Sed longe, lateque patens, Hispanica tangit
Oppida ab occasu; sese conjungit ab ortu
Italiae; nostro hinc pelago, qua respicit austrum,
Clauditur oceano, geminas ubi respicit ursas;
Unde venit boreas, hiberaaque frigora surgunt,
Et vada Teutonici tangit vastissima Rheni.

Comprehendit regnum Franciae, Belgicam, Lotharingiam, Germaniam superiorem & inferiorem, quae nobis cis Rhenum est, Rhaetos & Helveticos, quos Caes. de Bell. Gall. 1. 1. accenset *Gallis*, quamvis hodie censeantur, & origine, & lingua Germani. *Bergier. de viis milit.* iii. *sect.* 36. §. 1.

GALLICAE sunt calceamenta Gallorum. Hoc ipsarum

rum appellatio clarè prædicat. Crepidæ, ut supra dictum, pedibus calceandis ita serviebant, ut superiorem illorum partem nudam relinquerent. Et *gallicas* olim caruisse superioribus pedum integumentis est credibile: Et in eo potissimum assignari potest earum cum crepidis similitudo, ut hinc non temerè Cicer. Phil. II. 30. *gallicas* pro crepidis usurpasse ostendamus, cum Antonio *gallicarum & lacernæ* usum, tanquam Græcanicum, aut certè exoticum exprobravit. Et T. Castritium discipulis suis probio vertisse refert Gell. XIII. 21. quod *feriato die conspicerentur lacernis induti, & gallicis calceati*. Si enim calceorum ad instar contectæ fuissent, non erat, cur earum, ut & crepidarum, usus, tanquam exoticus, & effeminatus exprobraretur. Differebant à crepidis. Nam *gallicarum* quidem soleas olim, ut & nunc, è ligno fuisse arbitramur. Crepidarum verò duplici triplicive corio simul compacto constitisse. *Baldwin. de Calc. c. 14. Oisel. in Gellium. Ferrar. de Re vest.* II. I. 1: 2. 3. *Tiraquell. in Alex.* V. 18. *Verbum esse novum, non diu ante ætatem M. Ciceronis usurpari cœptum* dicit Gellius. Eundem calceum sub *gallica*, & caligæ nomine usitatum fuisse affirmat *Nigron. de Calig. c.* 2. §. 18. 19. 20. negat *Salmas. in Pollion. Gallien. c.* 16.

GALLICINIUM, aliter *galli* cantus, est tempus noctis, quo *galli* canere incipiunt. Censor. de Die nat. c. 24. Apul. Met. VIII. p. 232. *Noctis gallicinio venit quidam juvenis ex proxima civitate*. Hoc à Græcis ἀλεκτρυοφωνία vocatur, vel, ut scribit Pollux I. 7. 8. περὶ ἀλεκτρυόνων ᾠδάς, ἀλεκτρυόνων ᾀδόντων. *Morestell. de dier. civil. partib. Dial.* III. *Gyrald. de ann. & mens. Tom.* II. *p.* 796. *F. Struv. Ant. Rom.* VIII. *p.* 362.

GALLINÆ olim in cibis frequentes fuerunt. Poetæ, dum convivia describunt, earum mentionem crebrò faciunt. Juven. Sat. V. 123.

—— nec minimo sanè discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

Et Sat. XI. 134. ubi luxum reprehendit sui ævi hominum, qui stomacho erant adeo superbo, ut cibos fastidirent non impositos mensis citreis, quæ pede eburneo fulcirentur; cum tamen, nisi quis palato desipiat, non sint minus suaves, etiamsi splendor ille absit, & apparatus, nec in vilioribus mensis:

—— ulla unquam obsonia fiant
Rancidula, aut ideo pejor gallina secetur.

Horatius autem Sat. II. 4. 17. ejus meminit tanquam familiaris ferculi, quod superveniente præter exspectationem hospite, ad imperatas epulas adhiberi potest; modumque docet, quo teneritas ei subitò concilietur.

Si vespertinus subito te oppresserit hospes,
Ne gallina malum responset dura palato,
Doctus eris, vivam musto mersare Falerno.

Castellan. de Carn. esu IV. 6. Bruyer. de Re cibar. XV. 21. Buleng. de Conviv. II. 11. Ut palato gratiores essent, instituerunt veteres illas saginare, quam laudem Delo insulæ tribuunt. Plin. X. 50. *Gallinas saginare Deliaci cœperunt, unde pestis exorta, opimas aves, & suopte corpore unctas devorandi*. Modum saginandi ostendit Mart. XIII. 62.

Pascitur & dulci facilis gallina farina,
Pascitur & tenebris, ingeniosa gula est.

Non omnes ad saginam aptas fartores censent. Plinius: *Feminæ quidem ad saginam non omnes eliguntur, nec nisi in cervice pingui cute; postea culinarum artes, ut clunes spectentur, ut dividantur in tergora, ut à pede uno dilatatæ repositoria occupent*. Priscorum certè cœnis interdictæ fuere altiles. Plinius: *Hoc primum antiquis cœnarum interdictis exceptum invenio jam lege C. Fannii Cos. undecim annis ante tertium Punicum bellum, ne quid volucrum poneretur præter unam gallinam, quæ non esset altilis: quod deinde caput translatum per omnes leges ambulavit. Inventumque diverticulum est, in fraudem earum gallinaceos quoque pascendi lacte madidis cibis: multo ita gratiores approbantur*. Nonn. de Re cib. II. 19. Kobierzyck. de Lux. Rom. II. 11. Bruyer. de Re cibar. III. 2: XV. 22. Castellan. & Buleng. l. l. Etiam immolabantur. Alex. Gen. III. 12. & Stuck. Sacrif. p. 70. *Hæ ad rem divinam luteo rostro, & pedibus, puræ non sunt: nigræ vero, & imparibus digitis idoneæ*. Videntur accepisse ex Plinio, qui hoc tamen non dicit, X. 56. *Gallinarum generositas spectatur crista erecta, interdum & gemina pennis nigris, ore rubicundo, digitis imparibus. Ad rem divinam, luteo rostro, pedibusque puræ non videntur: ad opertanea sacra nigræ*. Saubert. de Sacrif. c. 23. Tiraquell. in Alexandrum. Et quidem Æsculapio. Festus in insula Æsculapio facta: *Huic, Æsculapio, gallinæ immolabantur*. Eratque salubritatis indicium: propterea quod id sacrificii genus ideo ferunt institutum, quod harum caro levissimæ sit digestionis, ac perinde languentibus commoda. Hujus rei locupletissimum testimonium apud Angelum Colotium deprehendimus: magnam quippe pedum gallinaceorum copiam proximis diebus defossam juxta cippum, in quo Romæ Æsculapii statua erecta erat, loco qui hodie vivarium appellatur: quis enim tanto numero pedes ejusmodi eo congessisset, nisi sacrificiorum reliquias ibidem relinquere mos fuisset? *Pier. Hieragl.* XXIV. 15.

Gallinæ Africanæ, vel Numidicæ, *Gallis* poulles de Guine, dicuntur, quarum olim Romæ magna gratia, hodierna die rarò inveniuntur. Varrone mox laudando teste erant *grandes, variæ, & gibberæ*. *Gallinas* corpore vix excedunt; sed longiora illis crura, plumis variis, quasi guttis distinguuntur. Mart. III. 58. 15.

Et picta perdix, Numidicaque guttata.

Sunt enim pennæ earum nigræ, albis guttis conspersæ, tanta elegantia, ut spectatores ad se rapiat. *Nonn. de Re cib.* II. 25. Dicuntur meleagrides Varr. de Re rust. III. 9. *Gallinæ Africanæ sunt grandes, variæ, & gibberæ, quas μελεαγρίδας appellant Græci*. Buleng. de Conviv. II. 14. Columella distinguit à meleagridibus VIII. 2. *Africana est, quam plerique Numidicam dicunt, meleagridi similis, nisi quod rutilam galeam, & cristam capite gerat, quæ utraque sunt in meleagride cærulea*. Et Suetonius inter hostias, quas Caligula, cum sibi divinam majestatem assereret, numini suo offerri jussit, recenset c. 22. n. 9. *Numidicas, & meleagridas*. Scalig. in Varronem. Castellan. de Carn. esu IV. 6. Nonn. l. l.

ad *Gallinas* albas dicta fuit villa Cæsarum in regione sexta, sive Alta semita. Denominationis causam referunt Suet. Galb. c. 1. n. 2. *Liviæ olim post Augusti statim nuptias Vejentanum revisenti prætervolans aquila gallinam albam ramulum lauri rostro tenentem, ita ut rapuerat, demisit in gremium. Cumque nutriri alitem, pangique ramulum placuisset; tanta pullorum soboles provenit, ut hodie quoque ea villa ad gallinas vocetur*. Plin. XV. 30. *Livia Drusilla, cum pacta esset illa Cæsari, gallinam conspicui candoris, sedenti aquila ex alto abjecit in gremium illæsam. Conservari alitem, & sobolem jussere aruspices. Quod factum est in villa Cæsarum fluvio Tiberi imposita juxta nonum lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur ad Gallinas*. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 346. E. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 23. Aring. Rom. Subt. IV. 38. §. 4. Gluver. Ital. Ant. II. 5. §. 39.

GALLINARIUM est locus parietibus inclusus ad pascendas *gallinas*. Clum. VIII. 3. *Gallinaria constitui debent parte villæ, quæ hybernum spectat orientem*. Stuck. Ant. Conviv. II. 10.

GALLINARIUS dicitur, qui *gallinas* curat. Varr. de Re rust. III. 9. *Inter duas ostium sit, qua gallinarius, curator earum ire possit*. Pignor. de Serv. p. 558.

GALLUS Cornelius fuit præfectus Ægypti. Suet. Aug. c. 66. n. 2. *Cornelium Gallum ad præfecturam Ægypti ex infima fortuna provexit*. Seipsum interfecit. Euseb. ad a. 1990. *Cornelius Gallus quadragesimo ætatis suæ anno propria se manu interfecit*. Causa fuit vel linguæ petulantia. Ovid. Trist. II. 223.

Nec fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo:
Sed linguam nimio non tenuisse mero.

Dio LIII. p. 512. C. *Cornelius Gallus ad libidinem ex honore se præcipitavit, & multa flagitiosè agebat: statuas sibi ipsi per universam propemodum Ægyptum posuit, & sua acta pyramidibus inscripsit*. Unde *ob ingratum & malevolum animum domo, & provinciis suis ille* Augustum *interdixisse* scribit

Sve-

Svetonius. Vel furtum, cujus illum insimolatum vult Ammian. XVII. 4. *Cornelius Gallus, Octaviano res tenente Romanas, Ægypti procurator, exhausit civitatem plurimis interceptis: reversusque, cum furtorum arcesseretur, & populata provinciæ, stricte incubuit ferro. Is est, si recte existimo, Gallus poeta, quem flens quodammodo in postrema Bucolicorum parte Virgilius carmine leni decantat.* Argol. in Panvio, de Lud. Circ. I. 17. Pitisc. in Svetonium.

Gallus dicitur fluvius Phrygiæ, cujus aquam qui gustassent, reddebantur insani. Festus statim laudandus. Ovid. Fast. IV. 363.

Inter, ait, viridem Cybelem, altasque Celænas
Amnis it, insanus nomine Gallus aqua.
Qui bibit inde, furit: procul hinc discedite, queis est
Cura bonæ mentis: qui bibit inde, furit.

Panvin. de Civit. Roman. c. 38. Gyrald. Synt. deor. IV. p. 142. D.

Gallus etiam dicebatur sacerdos matris deum, sive Cybeles. Causa omnino obscura. Hieron. in Oseæ IV. ait *Gallos matris deum esse ex gente Gallorum, qui à Romanis ob ignominiam illius nationis vindice animo effeminantur*, quum verò à Græcis hoc antea, ut nunc, fuerit factum, hæc Hieronymi fuit oblivio. *Valla Eleg.* V. 6. *Voss. de Idolol.* I. 20. Longè verosimilius, qui nomen iis imponunt à *Gallo*, flumine Phrygiæ. Festus: *Galli, qui vocantur, matris magnæ comites, dicti sunt a flumine, cui nomen est Gallo: quia qui eo biberint, in hoc furere incipiant, ut se privent virilitatis parte. Alii putant ideo eos sibi genitalia incidere, quia violaverint nomen patris, matrisve, ne possint ipsi fieri parentes.* Et favet Ovidius modò laudatus. Vel potius a viro nomine *Gallo*, qui primus fortè Cybeles sacerdos fuit. Sanè apud Stephanum legas: *Et Gallum, & Attin abscidisse genitalia. Ac Gallum venisse ad Tyriam fluvium, atque istic habitasse, & vocasse eum Gallum. Ab illo enim eos, quibus præcisum veretrum, Fallos appellant.* Voss. l. l. Panvin. de Civit. Rom. c. 38. Gyrald. Synt. deor. IV. p. 141. E. Saubert. de Sacrif. c. 6. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 2. Lampe de Cymbal. Ver. II. 16. Casal. de Urb. ac Imper. Rom. splend. part. I. c. 2. Maussac. in Hapocrat. p. 85. Semetipsos castrabant, unde proverbium: *Gallos quid exsecus?* Hoc in honorem evirati Attinis fuit institutum. Nulli enim in magnæ matris sacerdotibus locus fuit, nisi qui, ejus instar, fuisset eviratus. Tatian. adv. gent. p. 147. *Rhea, quam in Phrygiis montibus Cybelen vocant, exsectionem virilium lege instituit propter adamatum sibi Attin.* Eviratos fuisse testantur Prudent. Perist. X. 1066.

Ast hic metenda dedicat genitalia,
Numen reciso mitigans ab inguine,
Offert pudendum semivir donum deæ:
Illam revulsa masculini germinis
Vena, effluenti pascit auctam sanguine.

& August. de Civit. Dei VII. 26. *At vero ista magna deorum mater etiam Romanis templis castratos intulit: atque istam sævitiam, moremque servavit: credita vires adjuvare Romanorum, exsecando virilia virorum.* Voss. & Lampe l. l. Flocc. de Potest. Roman. I. 12. Læt. de Sacerdot. c. 12. Blond. Triumph. Roman. I. p. 21. B. Illorum tunicæ erant clavis varratæ. Schol. Juven. Sat. VIII. 207. *Galli in sacris utuntur tunica in modum organi, utrimque decrescentibus virgulis purpureis.* Apul. Met. VIII. p. 260. *Quidam tunicas albas in modum lanceolarum, quaquaversus fluente purpura depictas, cingulo subligati.* Ruben. de Re vest. I. 3. Sacerdotum nomine quidem, joco magis quàm seriò, veniunt apud Apul. Met. IX. p. 273. *Vaticinationisque crebris mercedibus suffarcinati piissimi illi sacerdotes.* Plin. XXXV. 12. sacerdotes vocat: *Samia testa matris deum sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant.* Non tamen fuerunt sacerdotes, saltem sacra matri deorum facientes. Apulejus enim Met. VIII. p. 255. *Gallum* Philebum *vocat unum de triviali popularium fece, qui per plateas, & oppida cymbalis, & crotalis personantes, deamque Syriam circumferentes mendicare compellunt.* Hinc scurræ magnæ matris, decipiendisque misellerculis maximè apti, circumvagabantur per pagos, vicos, ac fora, atque ita ex circumforaneorum numero erant.

Plutarch. de Pyth. orac. p. 407. B. *Maximam poesi infamiam paraverunt agyrtæ illi, ac circumforanei, & scurræ magnæ matris, & Serapidis, scelesti ac vagi.* Hos & in Dionysio juniore repræsentat Athenæus, cum de ipso ita loquitur XII. p. 541. E. *Dionysius sub extremum ætatis tempus, matri deum stipem emendicando cogens, ac tympana pulsans cum morte vitam commutavit.* De illis quoque multa Clem. Alexand. Protrept. p. 49. B. Nulla auctoritate publica nixi fuerunt; sed vates sponte currentes:

Et inertes, & insani, & quibus egestas imperabat.

Ut de ipsis in Telamone Ennius. Plin. XI. 49. eos simpliciter *matris deum gallos* vocat. *Gallos* etiam à sacerdotibus, ut minoris ordinis, ac dignitatis clarè distinguit, & cum tibicinibus... conjungit Lucian. de dea Syr. p. 679. *Sacerdotes autem ipsis multi admittuntur, quorum alii hostias mactant, alii libamina ferunt, alii vocantur igniferi, alii aræ ministri. Mea autem ætate plures etiam quàm trecenti ad victimam venire solebant. Vestis ipsis tota est candida, pileumque in capite gestant. Summus sacerdos, ἀρχιερεὺς, quotannis alius surrogatur: qui solus purpuream vestem gerit, & aurea tiara redimitur. Alia, NB. est hominum sacrorum multitudo, tibicinum videlicet, & fistulatorum, & GALLORUM. Van Dale Dissert.* I. 11.

Gallus gallinaceus fuit in augurali disciplina victoriæ signum: propterea quod avis illa victa silere soleat, canere victrix. Hinc Lacedæmonii, ut est apud Plutarchum, cum hostem viribus profligassent, *gallum* immolabant. Ferunt Socratem Iphicrati duci animos adjecisse, cum gallinaceos coram gallina pintis, & rostro dimicantes ei præmonstrasset. Quod de cantu diximus, refert Cicer. de Div. II. 26. ex Callisthene Leuctricæ calamitatis tempore, quæ Lacedemonios propemodum oppressit, cum apud Thebaidem Trophonio res divina fieret, *gallos* gallinaceos in eo loco sic assiduè canere cœpisse, ut nihil intermitterent; tum augures dixisse, Thebanorum esse victoriam. *Morestell. de Fer. Roman. Dial.* XIV. Præ primis vigil est; unde *gallos* aliqui ἀλέκτορας, quasi ἀπὸ λέκτρων, id est, à lectis mane avocantes dictos autumant; ob quam etiam causam imaginem ejus veteribus sapientissimis templorum turribus, vel tortium sacrorum perticibus imponere placuit, ut Ecclesiæ ministros submonerent, imitarentur proprietates quasdam hujus avis, quas confert Franz. Hist. Anim. II. 10. *Saubert. de Sacrif. c.* 3. Sacer fuit Marti ob pugnacitatem. Aristoph. Avib. p. 580.

Avis a nobis genere Persico
Martis pullus, è pullo domine.

Auson. Eidyll. XI. 26.

—— ter clara instantis Eoi
Signa canit serus deprenso Marte satelles.

Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. III. 10. Pier. Hierogl. XXIV. 22. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & nov. p. 650. Stuck. de Sacrif. p. 70. Saubert. ibid. c. 23. Mercurio ob vigilantiam. A prima enim mediæ noctis inclinatione solet, ut ait Lucret. IV. 714.

—— noctem plaudentibus alis
Auroram clara consuetus voce vocare.

& matutino crepusculo, matutinis astris Deum itidem laudantibus quotidie commodulatur. Et ideo excubiarum, & vigiliarum signum fuit. *Pier. ibid. c. 20. Saubert. l. l. Aleand. Tab. Hel. Explic. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 718. *A.* Et ob eandem Nocti deæ, & nocturno tempore sacrificabatur. Ovid. Fast. I. 455.

Nocte deæ Nocti cristatus cæditur ales,
Quod tepidum vigili provocat ore diem.

Stuck. & Saubert. l. l. Ut & Laribus, quod pervigil domum custodiat. Juven. Sat. XIII. 233.

—— Laribus cristam promittere galli.

Saubert. l. l. Nec non & Æsculapio, sive ob eandem vigilantiam: sive quod divinæ beneficentiæ, morborum omnium curatrici, diem, hoc est, vitæ lumen se debere veteres testantur. Ad pedes Æsculapii *gallus* sedet in onyche, quem habet Choul. p. 114. Ultima Socratis post cicutæ potum, & pedes, & tibias, & ventriculum rigentis ad amicum Critonem vox fuit: *O Crito, Æsculapio*

gallum debemus. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 12. Pier. Hierogl. XXIV. 18. Saubert. l. l. Illorum pugnantium spectaculum quotannis publicè exhibebatur Athenis. Ælian. Var. hist. II. 28. *Post devictos Persas Athenienses legem posuerunt, ut galli gallinacei quotannis uno die publicè in theatro certarent.* Pergami. Plin. X. 21. *Pergami omnibus annis spectaculum gallorum publicè editur, ceu gladiatorum.* Romæ. Herodian. III. 10. 5. *Inter se fratres*, filii Severi, *diffidebant, puerili primum certamine, edendis coturnicum pugnis, gallinaceorumque conflictibus exorta discordia.* Buleng. de venat. circ. c. 25. Barth. Adv. II. 22. Schefler. in Ælianum. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 13. Pier. ibid. c. 25. *Gallos* publicè extulit Poliarchus. Ælian. Var. Hist. VIII. 4. *Poliarchum ferunt ad eam mollitiem pervenisse, ut canes etiam & gallos, si quibus delectatus fuisset, mortuos efferret publicè, & amicos suos convocaret ad funus, splendideque eos sepeliret, atque erigeret in illorum monumentis columnas, quibus epitaphia eorum insculperet.* Kirchm. Append. Fun. Rom. c. 6. Guther. de Jur. man. II. 39.

GAN.

GANEUM dicitur *taberna meretricum*. *Ganea* & prostibula ut in theatro, sic & in circo fuerunt. Vetus poeta:

Deliciæ populi, magno notissima circo
Quintia.

Lamprid. Heliog. c. 26. *Omnes de circo, de theatro, de stadio, & omnibus locis, & balneis meretrices collegit.* Inter scotta quoque in fornicibus spectaculorum pueri steterunt, publicæ libidini expositi, donec sub Constantino Imperatore turpitudo deleta est. Certè ad omnia pænè gymnasia, & spectacula erant popinæ, & *ganea* utrique veneri, masculæ, & femineæ. *Buleng. de Circo c. 56. Salmas. in Lamprid. Alex. Sev. c. 24. Fabric. Descript. Urb. Roman. c. 12.*

GAR.

GARUM fuit liquor, quo nullus olim, præter unguenta, majori in pretio apud Romanos fuit. Cujus ita usus intercidit, ut quid olim fuerit, pænè ignoretur. Sanies fuit cruenta ex intestinis piscium. Suidas: *Garum nihil aliud est præter putredinem.* Plin. XXXI. 7. *Aliud etiamnum liquoris exquisiti genus, quod garon vocavere, intestinis piscium, cæterisque quæ abjicienda essent, sale maceratis, ut sit illa putrescentium sanies.* Seneca infra laudandus. Fiebat ex pisce olim *garo*. Plin. l. l. *Hoc olim conficiebatur ex pisce, quem Græci garum vocabant*, postea scombro. Plin. ibid. c. 8. *Nunc è scombro pisce laudatissimum in Carthaginis Spartariæ cetariis.* Mart. XIII. 102. 1.

Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe fastosum, munera cara, garum.

103. 1.

Antipolitani fateor sum filia thynni:
Essem si scombri, non tibi missa forem.

Buleng. de Conviv. II. 25. Mag. Misc. II. 9. Schott. Obs. III. 7. Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 508. Voss. de Idolol. IV. 25. Nonn. de Re cib. III. 14. Laurent. de Prand. c. 6. Scalig. Lect. Auson. II. 28. Bruyer. de Re cibar. X. 17. Ex piscibus marinis fit optimum; quod in eorum intestinis & visceribus sal facillimè tabescat, & commisceatur; quod omni tempore & loco, ob sanguineo eorum frigidum, condiantur pisces omnigeni; quod eorum sanguis inter alia ex oleo quodam liquidiore fiat; quod septicæ cujusdam naturæ sint pisces, maximè insecta marina, ideo ad stomachum recreandum aptiora, atque utiliora. Rectè Plin. XXXI. 8. *Alex tandem pervenit ad crustacea, quales cammari, locustæ, cancri*: nempe quod ex iis longè præstantissimum *garum* conficeretur. *Lister in Apic. de Art. coquin.* VII. 6. Quanto in pretio fuerit, jam indicavit Martialis, qui *fastosum* vocavit, muriæ viliori id opponens. *Singulis millibus nummum permutantibus congios pene binos*, inquit Plin. l. l. Laurent. & Schott. l. l. Manut. Quæst. Epist. 1. 4.

Garum sociorum dicitur Senec. Epist. 85. *Quid illud sociorum garum, pretiosam malorum piscium saniem, non credis urere salsa tabe præcordia?* Plin. IX. 17. *M. Apicius, ad omne luxus ingenium mirus, in sociorum garo, nam ea res quoque nomen invenit, necari eos præcellens putavit.* Auson. Epist. 21. *Scis me id nomen muriæ, quod in usu vulgi est, nec solere, nec posse dicere: quum scientissimi veterum, & Græca vocabula fastidientes, Latinum in garo appellationo non habeant. Sed quocunque nomine loquar, liquor iste sociorum vocatur.* Lemma Mart. XIII. 102. *Garum sociorum.* Voss. de Idolol. IV. 26. Nonn. de Re cib. III. 44. Jun. Anim. VI. 17. Schott. Obs. III. 7. Torrent. in Horat. Sat. II. 8. 46. Cur *sociorum* appellatum sit, controversum. Ego *Asotiorum* appellandum contendo, & puto hoc valere asotorum, & illud cognomen apud Plinium, Senecam, Martialem, Ausonium corruptum esse; quasi hoc helluonum esset proprium, & præcipuè delicatis in usu esset, *Lang. Epist. medic. c. 1. 59.* Qui est in errore manifesto. Legit enim sic contra omnes libros, nec mihi unquam persuadebit, mendum in tot auctorum libros irrepsisse. Nec satis justa hæc appellationis causa. Quodvis enim *garum* asotis, gulæque mancipiis gratum. Sunt, qui *Sosiorum* rescribunt: quasi id nomen impositum sit à Sosiorum apud Romanos familia, quæ eo liquamine aut frequentiùs usa, aut primùm Romam attulerit: quemadmodum vina Opimiana dicta, quæ à Lucio Opimio, Q. Fabio coss. anno 632. diffusa sunt. Plin. XIV. 14. Vellej. II. 117. Gentiana herba à Gentio Illyriorum Rege nomen invenit. Plin. XXV. 7. Sed eos eadem auctoritate refellimus. Dixerunt itaque laudati auctores *garum* sociorum, quia à sociis populi Romani apportaretur: quales Hispani, Matt. XIII. 40. 2.

Hesperius scombri temperet ora liquor.

Nimirum Carthagine nova, seu Spartaria fiebat. Plinius in *Garum*. Posset etiam *sociorum* dici, quasi sodalium, sive cœtus socialis, qui gulæ causa convenisset. Sed magis placet, quod priori loco dicebamus. *Voss. Schott. Nonn. l. l. VVitel. contr. Morul. c. 10. Lister. in Apic. de Art. coquin.* VII. 7. Legimus apud Apul. Met. X. p. 333. *pisces exotico jure perfusos, an garo* appellatione Græca? tanquam condimento exotico ex peregrinis regionibus allato, *Lister. l. l.* Posterius tamen placet *Torrent. l. l.*

GASTRA appellabatur ipsum navis pavimentum. *Calcagn. de Re naut. c. 13.*

Gastra vocabantur amphoræ, in quas de die vesicam exonerabant, qui per publicum incedebant. Per angiportus erant collocatæ. Petron. c. 39. *Quum hora pene tota, per omnes scrupos, gastrarumque eminentium fragmenta traxissemus pedes.* Buleng. de Vectig. c. 45.

GAU.

GAVIA lex. V. illam infr. in *Lex*.

GAULUS erat genus navigii. Inter naves recensetur à Gell. X. 25. Festus: *Gaulus genus navigii pene rotundum*, Erat navis oneraria. Schol. Aristoph. Avib. p. 570. *Gaulus, navis oneraria.* Usurparunt maximè Phœnices. Hesych. *Gauli navigia Phœnicia.* Callimachus Sidoniis tribuit, Phœnicum præcipuis. Fragm. Bentl. 217. Γαῦλος, *navicula Sidonia me ex Cypro huc deportavit.* Navigium piraticum fuisse dicit Etymologicum. *Dicitur & triremis gaulus, quia multa ferre potest*, ut ait Herod. III. *Est autem species navigii piratici, quod & Liburna dicitur, quia est capax & concava.* Triremis hic dicitur, non quasi cum tribus fuerit ordinibus, sed quia triremem sequebatur, & ad eam pertinebat, ut *scapha*. Ostendit Herodotus ipse, cujus hæc sunt verba: *Confestim duas triremes, simulque cum ipsis ingentem gaulum impleverunt varia multiplicique præda.* Scheffer. de Milit. nav. II. 2. IV. 1. Gyrald. de Navig. c. 18. Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 600. D. Dolet. Comment. Ling. Lat. II. Thes. Gronov. ibid. p. 675. F. Calcagn. de Re nav. c. 11. Voss. Lex. Etymol.

Gaulus vocabatur etiam poculi quoddam genus. Theocr. Eidyll. V. 58.

Statuam vero octo quidem gaulos Pani lactis.

Plaut.

Plaut. Rud. v. 2. 32.

Praeterea sinus, epichysis, catharus, gaulus.

Navigio, de quo modò, vasculum hoc simile. *Voss. Lex. Etymol. Gyral. de Navig. c. 18. Dolet. Thes. Ant. Graec. Gronov. Tom. XI. p. 675. F.*

GAUSAPA, *gausape*, & *gausapum*, nam haec tria Grammatici agnoscunt, fuit vestimentum ex pingui, ac densa lana compactum, tunica, lacerna, penula, ex una tantum parte villosum: nam quod utrinque villos habebat, ex eo amphimallum Graecè est dictum. Ut falli necesse sit, qui *gausape* amphimallum verterunt, quos Plin. VIII. 49. redarguit, qui *gausapina* ante aetatem suam in usu fuisse docet, amphimalla memoria sua inducta. *Ferrar. de Re vest. II. 1. 6.* Nec lanea modò vestimenta, sed etiam linea, quae villos habuere, *gausapa* dicta, eaque tegendis mensis adhibita, quae & mantilia. Mart. XIV. 138.

Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum,
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Quod autem mensae tum rotundae erant, ita & mantile, sive *gausape* pariter rotundum fuit. Ad cujus distinctionem, *gausape*, quod lectis pro stragulo injiciebatur, *gausape quadratum* dicitur. Mart. XIV. 152.

Lodices mittet docti tibi terra Catulli:
Nos Helicaonia de regione sumus.

Lodices, hoc est, stragula leviora mittet tibi Verona, densa ac villosa *gausapa* Patavium suppeditabit. Talis enim lana Patavina. Mart. XIV. 143.

Vellera cum sumant Patavina multa trilices,
Et pingues tunicas serra secare potest.

Strab. V. p. 151. *Lanam mediam inter asperam, & mollem producit Patavina regio, ex qua fiunt pretiosi tapetes, gausapa, aliaque id genus, vel ex una tantum parte, vel utrinque villosa.* *Gausapa* scilicet quadrata sternendis lectis. Apud divites erant stragula *gausapina* purpurea. Mart. XIV. 147.

Stragula purpureis lucent villosa tapetis,
Quid prodest, si te congelat uxor anus?

Vocat cubicularia, ut distinguat à tricliniaribus, quae fermè leviora, licèt & ipsa purpurea. *Ferrar. ibid. c. 7.* Mensas etiam *gausape* tergebant. Lucilius:

Purpureo tersit tunc latas gausape mensas.

Horat. Sat. II. 8. 10. V. illum infr. in *Ministri*, Ferrar. l. l. Buleng. de Conviv. I. 38. Torrent. ad Horatium. Erat vestis peregrina, unò & barbarica, nec nisi sub Augusto Romae cognita. Glossae Veteres: *Gausapa*, *βαρβαρικὸν ταπίδιον*. Messala de statuis Antonii: *Armeni Regis spolia, gausapa.* Pers. Sat. VI. 46.

Jam chlamydes Regum, jam lutea gausapa captis.

Ferrar. ibid. c. 8. Qui in gymnasiis exercebantur, itemque balneis, ut ferè lodicula, aut *gausapina* leviter obvoluti ceant, & circa verendas maximè partes. Hinc Trimalcio apud Petron. c. 28. post balneum *lectica impositus, coccinea gausapa involutus.* Senec. Epist. 53. *Memor artificii mei veteris, mitto me in mare, quomodo psychrolutam decet, gausapatus.* *Gausapa* autem hic ad manum, quia & nautis eorum usus. *Lips. in Senecam.* Sed *gausapa* in gymnasiis, & balneis, nec odiculae fuere, nec leviter tegebant, neque verendas modò partes, sed atcendo frigori totum corpus villosae, ac crassae involvebant. Neque Seneca in mare descensurus *gausapam* sumpsit à nautis. Quare enim sumeret? Navigabat Seneca, & quidem ob frigus *gausapa* involutus. Exorta tempestate cum maris coecos volvens fluctus jactationem ferre non posset, gubernatorem coegit, ut se in aliquo littore exponeret, neque exspectavit, ut navis ripae appelleret, sed morae impatiens se in aquam demisit, tanta festinatione, ut ne vestimenta quidem deponeret, sed, ut erat *gausapatus*, in mare desiluit. Psychrolutam autem, quam balneis frigida magis Laconum more delectaretur, qui in calida, rectè docti interpretantur. Quod igitur frigida delectaretur, descendit in mare, cum exspectare littus potuisset, & quidem *gausapatus*, quod brevis aqua esset, nec *gausapam* madefacere posset. Nam in balneis nudi erant, praecipuè cum in piscinam descenderent, in qua natabant. At hic crura modò, pedesque vadis inserat. Sequitur enim: *dum per aspera crepe* Erat namque littus importuosum, & asperis cautibus inaequale, ut non tam ire, quàm repere cogeretur. Petronius de lacerna, aut *gausapa* simpliciter intelligendus. *Ferrar. l. l.*

GEG.

GEGANIA gens. V. illam infr. in *Gens*.
Gegania tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

GEL.

GELASIANI in theatris dicuntur ridiculi sanniones, qui distorto ore rident, ut rideantur. Sidon. carm. XXIII. n. 301.

Mimos, schoenobatas, gelasianos.

Hos describit Claud. Manl. Theod. consul. VI. 312.

Qui latis risum salibus movisse facetus,
Qui nutu, manibusque loquax,

dicuntur ridiculi Mart. III. 41. 15.

Mimos ridiculi Philistionis.

Demosth. Olynth. II. p. 17. *Μίμους γελοίων*. Ubi Ulpianus: *Necessariè addidit γελοίων. Non enim omnis imitatio ridicula est, sed est & studiosa. Etenim tragoedia est imitatio morum, & affectuum. Et comoedia imitatio, & mimi Sophronis.* Euripides:

Hominum plerique ridiculi causa
Exercent charites mordaces: Ego verò
Odi ridiculos, si qui sani erga bonos
Effrenata habent ora.

Argol. & Pinell. in Panvin. de Lud. circ. II. 19. Buleng. de Theat. I. 42. V. & infr. in *Silli*.

GELLIA gens. V. illam infr. in *Gens*.

GELLIUS. V. illum supr. in *Aulus Gellius*.

GELU, ac frigus non minùs odores, quàm sapores sopit; odor enim ab exhalatione nititur, quem frigiditas cohibet, quae similiter gustum obtundit, ne saporem persentiat. *Vini natura ad frigus stupet.* Plin. XIV. 21. Hippocr. de Affect. *debilius efficiscribit, ut odore, & sapore quodammodo destitutum restet.* *Gelida* lympha nobiles, ac perfectas vini partes confundit: odoremque, & saporem, & quicquid pulcri, aut boni habet, detrahit. Hinc in Sarnensi apud Campanos flumine rubrum vinum ad refrigerandum appositum brevissimi temporis spatio saporem omnem, simulque & colorem amittit. Nos experimento vidimus vinum album, & rubeum, sub dio super nivem frigidissimo nivali tempore in vase locatum totaliter in *gelu* fuisse conversum nullius saporis, spiritum verò in imo detrusum reperimus. *Bacius de Pot. Antiq. c. 23.*

GEM.

ad GEMELLAS in aqua Appia dicebatur locus, qui erat intra speciem veterem, ubi jungebatur cum ramo Augustae. Altitudo aquae erat pedum quinque, latitudo unius & dodrantis, quae efficiebat quinarias 1825. amplius quàm in commentariis, quinariis 983. Erogabat quinarias 704. minùs quàm in commentariis adscribebatur, quinarius 138. Et adhuc minùs quàm ad *gemellas* mensura responderet, quinariis 1121. Intercidebat autem aliquantum ex ductus vitio, qui cum esset depressior, non facilè manationes ostendebat. *Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 26. Nardin. Rom. Vet. III. 3.*

Gemellos si peperisset mulier, habebatur signum, & benevolentiae deorum, & pietatis, pudicitiaeque puerperae. Plaut. Amph. V. 1. 32.

— BR. *At ego faciam, tu idem ut aliter praedices*
Amphitruo, piam, & pudicam esse tuam uxorem ut scias:
De ea re signa, atque argumenta paucis verbis eloquar.
Omnium primum Alcumena geminos peperit filios.
AM. *Ain' tu geminos?* BR. *Geminos.* AM. *Di me servant.*

Tacit. Annal. II. 84. 1. *Soror Germanici Livia, nupta Druso, duos virilis sexus simul enixa est: quod rarum, laetumque etiam modicis penatibus, tanto gaudio principem affecit....* Meurs. de Puerp. c. 2.

GEMI-

GEMINÆ cognomen inditum est legionibus ab Augusto, secutisque Imperatoribus, quando scilicet, aut omninò illis dissipatis, ac inter cæteras dispositis, denuò remittebantur, & conjungebantur. Dio lv. p. 564. C. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. xi. p. 822. C.*

GEMINUS est cognomen Serviliorum. Hoc primum tulerunt P. & Q. Servilii fratres. Cicer. Acad. Quæst. ii. 18. *Fac antiquos illos Servilios, qui gemini fuerunt, tam similes, quam dicuntur*, Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Glandorp. Onomast. Rom. p. 795.

GEMMA ornabantur baltei & vaginæ. Tertull. de Hab. muljeb. c. 7. V. illum supr. in *Domus septem Parthorum*. Cerd. Adv. c. 125. §. 13. Kobierzyck. de Lux. Roman. ii. 1. Equit. Claud. Epigr. xxiii. 7.

— Viridesspumis perfunde smaragdos,
Luxurient tumido gemmata monilia collo.

xx. 7.

Sanguineo virides morsu vexare smaragdos.

Buleng. de Equis c. 15. Parietes divitum. Hieron. Epist. 13. V. illum infr. in *Paries*. Socci ipsi. Plin. ix. 35. *Quin & pedibus, nec crepidarum tantum obstragulis, sed totis socculis addunt margaritas.* *Cerda l. l.* Etiam *gemma*, sive latronibus ludebant *gemmeis*, hoc est, vitreis. Mart. xii. 40. 3.

Pedis, dissimulo, gemma vis ludere, vincor.

Calculi enim vitrei in latronum lusu dicti sunt *gemmei*. Mart. xiv. 20. 2. V. illum supr. in *Calculi*. Vitrea *gemma*, & vitreum idem. Quidquid ex vitro erat, vitreum vocabant, & *gemmam vitream*. Et vitreas *gemmas* opponit veris Pollio Gallien. c. 12. *Quum quidam gemmas vitreas pro veris vendidisset.* Salmas. in Pollionem. Plerumque unica fibulæ vicem præstabat. Claud. Rapt. Proserp. ii. 40.

— viridique angustat jaspide pectus.

Vopisc. Carin. c. 17. *Habuit gemmas in calceis, nisi gemma fibula*, ut optimus Palatinus pro vulgari *gemmata*, *usus non est*. *Balteum etiam sæpe gemmatum.* Salmas. in Vopiscum. Quo modo differat à margaritis, V. infr. in *Margarita*.

GEMMARE vites eleganter veteres dixerunt, cum ad nodos sarmentorum instar *gemmarum* erumpunt. Ennius apud Charis. 1.

— purpureis gemmavit pampinus uvis.

Virg. Georg. ii. 333.

— nec metuit surgentes pampinus austros,
Sed trudit gemmas.

Hac translatione utitur Cicer. de Orat. c. 24. *Nam gemmare vites etiam rustici dicunt. Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translate cum dictum est, illustrat id, quod intelligi volumus, ejus rei, quam alieno verbo posuimus, similitudo.* Quintil. viii. 6. *Necessitate rustici dicunt gemmam in vitibus.* Dicitur etiam oculus. Philo L. quod Deus sit immutabilis p. 299. A. *Ex in palmitibus oculi, sicut rustici vocant, connivent tanquam avium dum.* Utramque vocem commiscet Plin. xvii. 22. *Alii vetant gemmantem vineam per singulos rores confodi: decuti enim oculos.* Column. in Ennium. Cerda in Virgilium.

GEMONIÆ fuerunt diritate supplicii diu infames. Suet. Tib. c. 53. n. 6. *Imputavit etiam, quod non laqueo strangulatam in Gemonias abjecerit.* Ubi subauditur vox *scala*, quam addit Val. Max. vi. 3. 3. *Corpus contumelia carceris, & detestanda Gemoniarum scalarum nota fœdavit.* Vocem gradus addit Plin. viii. 40. *Unius ex his canem nec a carcere abigi potuisse, nec à corpore recessisse abjecti in gradibus Gemoniis mœstos edentem ululatus.* Pitisc. in Suetonium. In illas unco impacto corpora trahebantur. Suet. Tib. c. 61. n. 12. *Nemo punitorum non & in Gemonias abjectus, uncoque tractus*, Vit. c. 17. n. 2. *Tandem apud Gemonias excarnificatus, atque confectus est, & inde unco tractus in Tiberim.* Juven. Sat. x. 66.

— Sejanus ducitur unco
Spectandus: gaudent omnes.

Fab. Semestr. ii. 9. Pollet. For. Rom. v. 14. Grang. in Juvenalem, Loens. Misc. Epiph. iii. 5. Kipping. Antiq. Roman. ii. 6. §. 11. Pitisc. in Suet. Tib. c. 54. n. 3. Gradus, vel scalæ dicebantur, quod surrectus inter locus, & gradibus quibusdam conscenderetur. Proinde *ἀναβαθμοὺς* appellat etiam Dio lviii. p. 621. B. *corpus Sejani in scalas Gemonias projectum, ac post in flumen missum.* Rhodig. Loens. & Laurent. de Torment. c. 7. Quasi in summum damnati abjicerentur. Mihi verisimilius est in aliis etiam gradibus fuisse depositos, ideoque paullò latioribus, Quod indicant numerosæ sub aliquot Principibus cædes. Dio lviii. p. 630. D. *Hoc modo multi viri morte affecti, multa mulieres alia in carcera, alia ad tribunal protracta captivarum instar, & earum quoque in Gemonias projecta corpora.* Donat. l. l. Ego magis puto, instar putei excavatum fuisse locum, in quem gradibus descenderetur. Alioqui, quomodo Sejani servi, ut mox dicet Dio, publica euntes via, quæ est ad carcerem, à multitudine oppressi, præcipites decidissent mortui, nisi locus declivis fuisset? *Loens. l. l.* Fuerunt in Aventino, sive regione Urbis decima tertia. Victor. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. iii. p. 309. B. Marlian. Topogr. Urb. Rom. iv. 4. Merul. Cosmogr. ii. 4. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. 4. p. 15. Faunus Antiq. Urb. Rom. iii. c.* juxta Junonis Argivæ templum, quod Camillus ex voto dedicavit, Vejis captis: quod addunt *Loens. & Laurent. l. l.* Illarum sedem incertam facit Dio lviii. p. 624. C. ubi de Sejano: *Cumque in Capitolio sacrificasset, ac deinde in Forum descenderet, servi ejus stipatores, cum propter turbam eum sequi non possent, in viam, qua ad carcerem ducit, diverterunt, ac per scalas Gemonias lapsi deciderunt.* Hæc igitur non in præcipiti clivo Aventini ad Tiberim, sed in crepidine Capitolii, aut propè carcerem fuerunt. Neque dicas, in codice Græco *Gemonias* non legi, sed *κατὰ τῶν ἀναβαθμῶν.* Quid enim hi gradus aliud, nisi *Gemoniæ* sunt? Ita Dio de Sejano jam lapsa. Sed illum in *Gemonias* fuisse protractum constat. Equidem quid Dio loco illo sibi velit, nisi *Gemonias* velit Capitolio adhærentes, non intelligo. Qui tamen utrumque velit, auctores habet, quibus id tueatur. *Donat. & Loens. l. l.* Hunc unum carcerem agnovit Roma primis seculis, Ecclesiasticis postea Mamertinum nuncupatum. *Borrich. l. l.* V. & infr. in *Tullianum*.

GEN.

GENAS *Ennius palpebras putat, cum dicit hoc versu:*

Pandite sulti genas, & corde relinquite somnum.

Alii eas partes putant genae dici, quæ sunt sub oculis. Pacuvius genas putat esse, qua barba primum oritur, hoc versu:

Nunc primum opacat flore lanugo genas.

Festus. *Genas radere est* illas *unguibus scindere*. Festus. Illas *in luctibus homines lacerant*. Artemid. i. 30. Hoc mulieribus potissimum erat peculiare. Serv. Æneid. iii. *Varro dicit mulieres in exsequiis, & luctu ideò solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfaciant.* Quem morem Atheniensibus suis jam ante Solon, & Romanis decemviri severè interdixerunt. In xii. tab. scriptum memorat Cicer. de Leg. ii. 23. *Mulieres genas ne radunto.* Plin. xi. 37. *Infra oculos malæ homini tantum, quas prisci genas vocabant, xii. tab. interdicto radi à feminis eas.* August. & Ursin. ad Leg. xii. tab. §. 44. Ferret. Mus. Lapid. iv. memor. 9. Pinell. Addit. ad Panvin. de Lud. Circ. p. 546. E. Fab. Semestr. ii. 9. Crag. de Rep. Laced. iii. 1. 9. Alex. Gen. vi. 10. Sched. de Diis German. p. 467. Fleuser. Ant. Græc. p. 757. Nicol. de Luct. Græc. c. 11. Calder. Observ. iii. 8. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 729. Kirchm. de Fun. Roman. ii. 11. Moretell. Pomp. Feral. vi. 11. §. 1. 2. Rævard. in Leg. xii. tab. c. 15. Rittersh. in Leg. xii. tab. Class. 1. c. 6. Hotman. Antiq. Roman. iii. 1. p. 390. B. Cerda in Virg. Æneid. xii. 606. Non audiendus Servius, qui legem hanc ita concipit l. l. *Mulier faciem ne carpito.* Non enim *faciem*, sed *genas*: nec *carpito*, sed *radito*, vel potius *radunto* numero plurium in legibus fuisse ex dictis liquet. Lævorsum hanc legem accepit Junius de Coma c. 2. existimans *τὸ radere* hic idem esse quod forficula resecare, quemadmodum barbæ solent. Disertè enim ideo dicit, ideò vetitam hanc muliebrium *genarum* rasuram, ut ne diuturno radendi usu succrescentibus pilis à natura non datis feminæ sub emento virilis oris honore fallerent. Atqui non id Solon,

non

non decemviri voluere: sed *genarum* lacerationes intellexere, quæ unguibus fiebant. *Kirchm. Morestell. & Rutersh. l. l.* Etiam illud est ridiculum, quod putat Junius, mulieres in exsequiis, & luctu ideò solitas ora lacerare, ut ostenso sanguine inferis satisfacerent, id est, manes placarent, atque ita imaginem quandam restituerent prisci moris, quo solebat ante rogos effundi humanus sanguis, vel captivorum, vel gladiatorum. Sed cur *genas* potius, quàm aliam quampiam corporis partem radebant, ac laniabant? An propter cognatam quandam propensionem commiserationis, quæ est in *genis*, sicut & in genubus, & oculis? *Rutersh. l. l.*

GENETHLIACI dicebantur, qui ex natali constellatione omnia captabant, & prædictiones faciebant. Gell. xiv. 1. *Adversum istos, qui sese Chaldæos, seu genethliacos appellant, ac de motu, deque positu stellarum dicere posse quæ futura sunt, profitentur, audivimus quondam Favorinum philosophum Romæ Græcè disserentem egregia atque illustri oratione.* Hanc fusiorem Gellius exhibet. *Barthol. de Puerp. p. 52. Bald. Lex. Vitruv.* Illorum vanitatem quinam damnaverint & riserint, docet *Lindenbr. in Censorin. de Die nat. c. 13.*

Genita Mana erat dea, cui pro nascentibus vota fiebant, ne domi quis bonus nasceretur, hoc est, imbellis, cui ideò canis immolatus. *Thom. Bartholin. de Puerp. p. 14.* Plin. xxix. 4. *Catulos lactentes adeo puros existimabant ad cibum, ut etiam placandis numinibus, hostiarum vice uterentur iis. Genita Mana*, sic lego pro *genito mane*, *catulo res divina fit, & in cœnis deum etiam ponitur catulina.* Plutarch. Quæst. Rom. 51. hunc morem explicat: *Cur Genitæ manæ canem immolant, votoque petunt, ne quis domi natorum bonus fiat? an quod hæc dea ortus, ac partus præest, interitui obnoxiorum, ac fluxorum corporum? ut igitur Græci Hecatæ, sic Romani Genitæ canem immolant pro domi nascentibus. Votum autem, quid si non ad homines pertinet domi nascentes, sed ad canes? ut hos optent non bonos, aut placidos, sed iracundos fieri, & terribiles.* Lips. Elect. ii. 8. Nonn. de Re cib. ii. 7. Casp. Barthol. l. l. Gyrald. Synt. deor. iv. p. 144. F. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 24. Harduin. in Plinium.

GENIUS est *deus, cujus in tutela, ut quisque natus est, vivit.* Censorin. de Die nat. c. 3. *Ferunt enim theologi, in lucem editis hominibus cunctis, salva firmitate fatali, hujusmodi quædam velut actus rectura numina sociari. Id oracula, & auctores docuere præclari: inter quos est etiam Menander Comicus, apud quem hi senarii duo leguntur:*

Adest autem viro cuilibet dæmon bonus,
Ut primum quis nascitur, vitæ arcanus ductor.

μυσταγωγὸς τοῦ βίου. Ammian. xxi. 14. Unde & in tabula Cebetis mox januæ adstare fingitur. Hinc Aufustius apud Festum: *Genius est deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignuntur: & propterea genius meus nominatur, qui me genuit.* August. de Civ. Dei vii. 13. *Quid est genius? deus est, qui præpositus est, ac vim habet omnium rerum gignendarum.* Feith. Antiq. Homer. i. 2. Ortel. Deor. & dear. cap. 11. fig. 38. Lindenbr. in Censorinum. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 109. Gyrald. Synt. deor. xv. p. 435. E. Stuck. de Sacrif. p. 31. Casaub. in Pers. p. 480. Tomas. de Donar. c. 8. Kipping. Antiq. Roman. i. 2. §. 3. Seminudus cum cornu copiæ in sinistra, & calatho in capite, dextera pateram, vel simpulum tenens, stans ante aram verbenis ornatam, quasi sacrificans, modò puerili, modò juvenili, modò senili forma conspiciebatur. Uti Ammian. xxv. 2. Juliano Imperatori obscura nocte in Galliis *genium* publicum cum cornu copiæ, velato capite apparuisse ait: quali figura & in nummo Adriani inscriptione *genio populi Romani* apparet. *Struv. ibid. p. 110. Gyrald. ibid. G. Taffin. de Ann. secul. c. 13. Chool. de Relig. vet. Rom. p. 134. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. iii. p. 351. E.* Serpentis etiam imagine interdum effingebatur. Pers. Sat. i. 113.

Pinge duos angues.

Gyrald. & Ortel. l. l. Meurs. in Lycophr. n. 1473. Rosin. Ant. Roman. ii. 14. Demster. in Rosin. Ant. Rom. l. l. Ortel. Deor. & dear. cap. 11. 38. Unde Virgilius post descriptionem elegantem, atque accuratam serpentis subjungit Æneid. v. 95.

Incertus geniumve loci, famulumve parentis
Esse putet.

Neque id sine causa ambigebat Æneas, nam ut ad hunc locum notat Servius, nullus locus caret *genio*, qui per anguem plerumque ostenditur. Casaub. ad Persium ex Aristophane in Pluto notat, duos angues pingi solitos ad denotandum locum sacrum diis. Quod tradit Isidor. xii. 4. *Angues apud gentiles progeniis locorum erant habiti semper: Unde & Pers. l. l.* Non est tamen existimandum, angues fuisse imagines *geniorum*; sed tantum eos significasse. Sicut columba non est imago Spiritus Sancti; sed eum significat, tanquam ejus symbolum, ac signum. *Taffin. l. l.* Erat deus, tutelaris virorum, ut Juno dea tutelaris mulierum. Philarg. in Virg. Ecl. iv. 63.

Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

Deus, id est, genius, seu vitæ præses, cui mensam antiquitas sacravit: dea, id est, Juno, in cujus tutela lecti geniales, puerperia muliebria, & partus jam nati. Plin. ii. 7. *Major cœlitum populus, etiam quam hominum, intelligi potest, cum singuli quoque ex semetipsis totidem deos faciant, Junones, Geniosque adoptando sibi.* Senec. Epist. cx. *Memineris majores nostros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuisse: singulis enim vel Genium, vel Junonem dederunt.* Licèt & virorum Junonem fuisse præsidem videri possit ex Juven. Sat. ii. 98.

Et per Junonem domini jurante ministro.

Sed Satyricus de molli effeminatoque loquitur: ideò rectè, quod mulieri conveniebat, ei attribuit. *Politian. Misc. c. 89. Demster. Paralip. ad Rosin. Ant. Rom.* ii. 6. *Taffin. l. l. Laurent. de Natalit. c. 2. Turneb. Adv.* iii. 12. *Guther. de Jur. Pontif.* iii. 16. *Hansen. de Jurejur. vet. c. 16. Berthald. de Ara c. 17. §. 5.* Colebatur natali die, unde dictus *deus natalis.* Tibull. iv. 5. 19.

At tu natalis, quoniam deus omnia sentis,
Annue.

Laurent. l. l. Principibus rerum dominis *genios* peculiares assignabat Romana superstitio, felicitatis eorum præstites sacrosanctos, & non violabiles: non secus atque aliæ etiam antè & post eos gentes, primoribus & Imperatoribus suis numina inesse videri volebant. Ideòque per Principis *genium* jurabant. Tertull. Apolog. c. 32. de Christianis: *Sed & juramus sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus geniis.* Apul. Met. ix. p. 311. *Contra, commilitones, ibi, nec usquam, illum delitescere, adjurantes genium Principis contendebant.* Et hoc servare summa illis erat religio. Tertull. ibid. c. 27. *Majore formidine, & callidiore timiditate Cæsarem observatis, quàm ipsum de Olympo Jovem: citius denique apud vos per omnes deos, quam per unum genium Cæsaris pejeratur.* Qui verò pejeraverat, fustibus castigabatur. Ulpian. l. si duo. §. si quis. ff. de Jurejur. *Si quis juraverit in re pecuniam per genium Principis dare se non oportere, vel intra tempus certum se soluturum, nec solverit, Imperator noster cum patre rescripsit, fustibus eum castigatum dimittere.* Barth. Adv. xli. 12. Wouwer. & Elmenhorst. in Min. Felic. p. 284. Taffin. ibid. §. 10. Caroli Antiq. Roman. i. 7. Lips. in Tacit. Annal. i. n. 242. Demster. Berthald. Ortel. & Hansen. l. l. Erant etiam *genii* regnorum. Claud. Epist. ii. 45.

Vel genius regni, vel pietatis amor.

Prudent. contr. Symm. ii. 74.

Aut fatum, aut genium, cujus moderamine regnent.

Locorum. Festus: *Alii genium esse putarunt uniuscujusque loci deum.* Virgilius & Isidorus supra laudati. Inscriptio vetus:

JOVI OPTIMO MAXIMO, ET GENIO LOCI.

Dionysius Halicarnasseus infra laudandus. Civitatum. Arnob. i. p. 15. *Et illi cati, sapientes, prudentissimi vobis videntur, nec reprehensionis ullius, qui civitatum genios ..... reverentur.* Prudent. ibid. n. 369.

Sed solers orator ait; fataliter urbem
Sortitam, quoniam genio proprium exigat ævum;
Cunctis nam populis, seu mœnibus inditur, inquit,
Aut fatum, aut genius, nostrarum more animarum.

Clem. Alex. Protr. p. 26. A. *Si sunt itaque dæmones liguritores, & scelerati, possunt etiam apertè inveniri in civitatibus*

dæmo-

dæmones indigenæ, qui honores sibi vindicant. Portarum, domorum, imò stabulorum. Prudent. ibid. II. 444.

Quanquam cur genium Roma mihi fingitis unum?
Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos genios.

Turneb. Adv. XIII. 12. Elmenhorst. & Herald. in Arnobium. Meurs. Taffin. Demster. Struv. l. l. Hinc cum locum aliquem ingrederentur primùm, aut postliminio in eum redirent, solebant eum religiosè salutare in honorem genii, quem ei præesse credebant. Ovid. Met. III. 24.

Cadmus agit grates, peregrinaque oscula terræ
Figit, & ignotos montes, agrosque salutat.

Symm. Epist. V. 72. *Octavo demum die multa reluctatus itineris difficultate, larem patrium salutavi*. Plaut. Bacch. II. 1. 1.

Herilis patria salve! quam ego biennio,
Postquam hinc in Ephesum abii, conspicio lubens.

Et in aliam regionem discessuri, illi sacrificabant, atque id appellabant *θύειν τὰ ἀποβατήρια*. Stephan. in Βουθρωτός. *Fabulantur nomen impositum fuisse ab Heleno, ex Troja in Italiam navigante, & sacrificante apobateria in Epiro. Sacrificium hoc erat bos femina*. Etiam vale dicebant. Dionys. VIII. p. 513. *Vos quoque dii penates, & lares patrii, geniique hujus loci præsides, valete*. Meurs. Taffin. & Elmenhorst. l. l. Statuarum. Stat. Sylv. I. 1. 57.

—— *insessaque pondere tanto*
Subter anhelat humus: nec ferro, aut ære laborat,
Sed genio.

Quasi non ponderi statuæ, sed Domitiani *genio*, quem continebat statua, terra cederet. Pers. Sat. VI. 48.

Diis igitur, genioque ducis centum paria, ob res
Egregiè gestas, induco.

Cur *genio*? intellige statuæ, quæ numen & *genium* habere credebantur. *Parrhas. Epist. 57. Saubert. de Sacrif. c. 5. Fr. grel. de Stat. Roman. c. 31.* Et deorum quoque. Hinc *genius Jovialis* apud Arnob. III. p. 123. Et per *genium Jovis* jurabant apud Min. Felic. p. 283. Et priscus lapis apud Gruter. p. 23. n. 6.

GENIO
JOVI STYGIO SANTO SACRUM

Sic in lapidibus reperimus *genium* Martis, Plutonis, Jucunditatis, & Floræ. *Struv. l. l.* Sacrificia illi non minùs quàm aliis diis oblata, & libatum illi interdum mola salsa. Calpurn. Ecl. V. 25.

—— *tu cespite vivo*
Pone focum, geniumque loci, Faunumque, Laremque
Salso farre voca.

Senec. Epist. 114. *Genium festo vix suo testem, pertenuis cerei fila, & crepacem mola focum, mater aut uxor investiunt.* Vocat *focum crepacem*, eò quòd mola salsa in foco crepitum ob salem edere soleat. *Taffin. & Demster. l. l.* Offerebantur etiam liba. Ovid. Trist. III. 13. 18.

Libaque dum pro te genitale notantia tempus.

Tibull. I. 8. 54.

Libaque & Mopsopia dulcia mella feram.

Taffin. l. l. Berthald. ibid. §. 3. Libabatur illi vinum. Tibull. ibid. II. 50.

Huc ades, & centum ludos, geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.

II. 2. 5.

Ipse suos adsit genius visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius è puro distillent tempora nardo,
Atque satur libo sit, madeatque mero.

Taffin. Demster. Struv. & Ortel. l. l. Adolebatur thus. Plaut. Aul. Prol. II. 23.

Huic filia una est: ea mihi quotidie
Aut thure, aut vino, aut aliqui semper supplicat.

Tib. IV. 5. 9.

Magne geni, cape thura libens.

Ovidius, ut genio faciat, thus petit Trist. V. 5. 11.

Da mihi thura, puer, pingues facientia flammas,
Quodque pio fusum stridat in igne merum.

Afferebantur flores & coronæ, quibus ornaretur. Horat. Epist. II. 1. 143.

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus & vino genium.

Tibullus modò laudatus. *Taffin. Demster. Gyrald. & Struv. l. l.* Adhibebantur etiam varii ludi, & tripudia, tempore, quo genio sacra fiebant. Prop. III. 8. 23.

Tibia nocturnis succumbat rauca choreis.

Tibullus supra allatus. Lumina quoque accendi solita. Habetur hoc ex lege nullus 12. C. de pagan. sacrif. quam sic lego: *Nullus omninò, ex quolibet genere, ordine, & cœtu secretiore piaculo, Larem igne, mero Genium, Penates odore veneratus, accendat lumina, imponat thura, serta suspendat*. Cerei etiam meminit Seneca jam prolatus. *Taffin. l. l. Lindenbr. ibid. c. 2.* Hostia illi non faciendum antiqui putarunt. Causam Varro explicat apud Censor. ibid. c. 2. *Hic forsitan quis quærat, quid causa sit, ut merum fundendum genio, non hostiam faciendam putaverit? quod scilicet, ut Varro testatur in eo libro, cui titulus est Atticus, & est de numeris, id moris, institutique majores nostri tenuerunt, ut, cum die natali munus annale genio solverent, manum à cæde, ac sanguine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent.* Gyrald. & Struv. l. l. Casaub. ad Pers. p. 175. Berthald. de Ara c. 17. §. 3. Hic mos Horatii tempore jam desiisse dicendus est, cum disertè scribat Odar. III. 17. 14.

—— *cras genium mero*
Curabis, & porco bimestri.

Qui de *genio* non loquitur per metaphoram, quo modo lautè epulantes *genium curare* dicuntur; sed de porco, in honorem *genii* tutelaris dei, die natali immolato: nam ideò natalitii lardi, quod ex porco *genio* immolato convivis apponebatur, meminit Juven. Sat. XI. 84. V. illum inf. in *Porcus*. Et agni mactati meminerit Horat. Od. IV. 11. 7.

—— *ara castis*
Vincta verbenis, avet immolato
Spargier agno.

Taffin. Berthald. Kipping. & Lindenbr. l. l. Ignis, qui hostiæ comburendæ accendebatur, fuit ex platani, ut arbitror, ramis, quoniam veteres ad ignem sacrificiorum adhibebant ex iis potissimùm arboribus, quæ diis, quibus rem divinam faciebant, erant dicatæ; jam verò platanum dictam *genio* innuit Ovid. Met. X. 95. dum *platanum genialem* vocat. Plin. XII. 1. *Spado Thessalicus prædives, & merito is dici posset Dionysius, transtulit id genus*. MSS. habent *ingenuis*. Ego substituito *in genios*. Nam inde ratio peti potest, cur Dionysius ille meritò vocari possit, quoniam transferendo illas arbores in cultum *geniorum* effecit, ut sub illis vino, ac voluptati, cujus deus est Bacchus, qui Dionysius etiam dicitur, indulgeretur in *genii* cultum. *Taffin. ibid.* §. 8. Sacrificantes albam vestem induebant. Colligitur ex Ovidio, qui diem natalem, quo *genio* sacrificabant, alloquens sic canit Trist. III. 13. 11.

Scilicet expectas solitum tibi moris honorem,
Pendeat ex humeris vestis ut alba meis.

V. 5. 7.

Quæque semel toto vestis mihi sumitur anno,
Sumatur fatis discolor alba meis.

Taffin. ibid. §. 6. Postquam *genio* veteres sacra fecerant, convivia inter sese celebrabant. Unde Censorin. l. l. notat, quod sacro *genio facto neminem oportebat ante gustare, quàm eum, qui fecerit*. In honorem enim *genii* natalitia fiebant convivia. Unde illa proverbia, & locutiones, *genio vacare, indulgere*, pro epulari: & contra *genium defraudare* pro victu parco uti. Prosternebant se veteres *genium* colentes. Prop. IV. 9. 22.

—— *geniumque meum prostratus adorat.*

Credo, sese ita prostrasse, ut fronte terram tangerent, ex eò quòd frons *genio* sacra fuerit. V. supr. in *Frons*. Taffin. ibid. §. 9. Cultus *genio* die natali impendi solebat, eò quòd crederent Romani die illo *genios*, omnia, quæ peterentur, concedere. Tibull. II. 2. 9.

Annuat &, Cerinthe, tibi quæcunque rogabis:
En age, quid cessas? annuit ille, roga.

Taffin. ibid. §. 11. Per *genios* Platonici non nisi vim mentis, & promptitudinem animi, qui in singulis est, voluerunt denotare. *Genios* suos non videre illi dicebantur, qui

sive

five ob organa corporis non rectè se habentia, five ob studium deliciarum, & voluptatum, five ob pertinacem quandam negligentiam, obtundebant nonnihil ardorem animi, ejusque magnos impetus sufflaminabant. Vivere contra *genium* suum illi dicebantur, qui cogitatione pulcerrimarum rerum distenti, divina tantùm, & cœlestia sectabantur, res humanas rectè curabant, atque ita ingenii, & virtutum suarum venerationem cum stupore omnibus meritò imponebant. *Genius* cum his familiaritatem, qualis inter amicos esse solet, inire, & præcepta sapientiæ ipsis continuò dictare credebantur. Ita ajunt, Socratem, divinum mortalem, *genium* suum vidisse, non oculis humanis, quibus quomodo viderit, quod videri non poterat? sed dum magnitudine animi, & usu rerum, cæteros mortales, tanquam ignavos, tanquam seipsos ignorantes longissimè post se reliquit, de corpore securus fuit, & vim ingenii rerum cœlestium seriæ contemplationi impendit. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 34.

Genius Curiaticus dictus est, quod ad placandos Curiatiorum manes, sacra illi facta sunt Horatiæ genti deinde tradita. Horatius enim cum populi judicio absolutus esset, Tullus Rex accitis Pontificibus deos, & *genios* placari jussit. Dionys. III. p. 159. juvenemque his lustrationibus expiari, quas fortuitæ cædi leges præscripserant Pontifices positis duabus aris: altera Junoni sororum inspectrici, altera patrio cuidam deo, seu genio, pro *δαίμονος Γενῦ* lego *Γενιῦ*, quod *δαίμονος* nomen satis indicat, quem ab interemptis homicidæ consobrinis Curiatium cognominaverunt: sacrisque quibusdam super eas factis inter cætera piamenta, quibus tum usi sunt, postremò sub jugum misērunt Horatium. *Guther. de Jur. man.* II. 14.

Genius populi Romani aureus statua fuit in regione octava *genii* tutelaris illi similis, qui in aversa parte nummorum quorundam Trajani, & Hadriani conspicitur, cum inscriptione GEN. P. R. quam Trajanus forsitan, aut Hadrianus posuerit. *Nardin. Roman. Vet.* v. 16. *Pancirol. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III. *p.* 351. *F.*

GENS differt à genere. V. infr. in *Genus*. Differt à familia, quod *gens* ad nomen, *familia* ad cognomen refertur. Itaque illa tanquam totum continere videtur, hæc quodammodo partem. Exempli gratia. Valerii omnes unius esse *gentis* dicuntur, quia uno nomine continentur omnes. At verò partes hujus *gentis* sunt plures, quæ ex cognominum varietate distinctæ sunt; eæque familiæ nominantur. Ut in gente Valeria Maximi, Messallæ, Flacci, Lævini, Faltones, Poplicolæ, Potiti. In Cornelia Cossi, Maluginenses, Scipiones, Lentuli, Dolabellæ, Sullæ, Cinnæ. In Fabia Ambusti, Maximi, Buteones, Pictores, Dorsones, Licini. In Æmilia Mamercini, Lepidi, Pauli, Scauri, Barbulæ. Itemque in cæteris. At verò Valerii omnes unius sunt *gentis*, itemque Fabii, Cornelii, atque Æmilii. Itaque rectè Festus *gentem* definit eam, *qua ex multis familiis conficeretur*. Liv. IX. 29. *Potitia gens servos publicos ministerii delegandi causa sollennia sacri ejus* Herculis *docuerat. Cum duodecim familiæ ea tempestate Potitiorum essent ..... omnes intra annum cum stirpe exstincti*. Suet. Jul. c. 6. n. 1. *Cujus gentis familia est nostra*. Aug. c. 1. n. 1. *Gens Octavia à Tarquinio Prisco Rege inter Romanas gentes allecta, mox à Serv. Tullio in patricias transducta. Primus ex hac magistratum cepit C. Rufus. Is quæstorius Cnæum & Cajum procreavit, à quibus duplex Octaviorum familia defluxit*. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1998. B. Sigon. de Nom. Rom. c. 4. Emend. II. 17. in Liv. IV. 1. Spanhem. de usu num. Dissert. VI. p. 499. Voss. de Anal. I. 7. Strein. de Gent. & Fam. Rom. Præfat. Dicebatur primum de patriciis, quod soli ipsi eam haberent; post ad plebejos etiam est translata, qui duobus, ut patricii, essent ingenuis orti. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 6. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 2009. *B. Ravard. Var.* v. 1. Illarum aliæ fuerunt patriciæ, aliæ plebejæ: aliæ nobiles, aliæ novæ. V. supr. in *Familia*.

Gens Aburia fuit plebeja. Unus, quod sciam, Livius mentionem facit M. Aburii XXXIX. 4. qui fuerit tribunus plebis sub Æmilio tum consule, hoc est, anno ab U. C. 566. Et XLI. 14. qui fuerit prætor Cn. Cornelio Scipione Hispallo, Q. Petillio Spurino consulibus anno ab U. C. 577. Videtur tamen duplex fuisse: alia plebeja, ex qua fuit prius ille tribunus plebis: alia patricia, ex qua fuit ille prætor, quia nemo prætor fuit nisi ex nobilitate. C. Aburii XLII. 35. qui legatus ad Masianissam & Carthaginenses missus fuerit P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino consulibus anno ab U. C. 582. Sed nullum adjicit cognomen, sive Geminus illud sit, sive Gemellus, aut aliud, quod tribus literis GEM. in nummis expressum est. *Ursin. de Fam. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* VII. *p.* 1277. *E. Patin. Fam. Rom. p.* 1. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 2.

Gens Accoleja fuit plebeja. Ejus, ut arbitror, nulla extat mentio nisi in duabus antiquis inscriptionibus. Una, in qua *ordo corporat.* descriptus est, *qui pecuniam ad ampliand. templum contuler. Imp. Cæsare T. Ælio Hadriano, Antonino Aug. Pio P. P.* III. *M. Ælio Aurelio Cæsare* coss. in quo quidem ordine nominatur P. Accolejus quidam Euhemer. qui P. Accoleji hujus, qui in denario quodam notatus est, pronepotis libertus fuisse credi potest. Altera, in qua nomina eorum incisa sunt, qui ad ponendam statuam Vespasiano Imp. pecuniam contulerunt L. Annio Basso, C. Cæcina Pæto coss. Inter eos enim numeratur L. Accolejus quidem Abascantus. Acculejus autem in veteribus monumentis pro Accolejus eadem ratione scriptum est, qua Agricula, Poplicula, pro Agricola, Poplicola. *Ursin. de Fam. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* VII. *p.* 1277. *E. Patin. Fam. Rom. p.* 2.

Gens Acilia fuit plebeja. V. illam supr. in *Familia Acilia*. Multis scriptorum locis corruptè Atilia pro Acilia scriptum reperitur. Nomen traxisse opinor à Græco verbo *ἀκέομαι*, id est sano. *Ursin. de Fam. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* VII. *p.* 1278. *E. Patin. Fam. Roman. p.* 3. *Vaillant. Numism.* I. *p.* 31. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 6.

Gens Æbutia fuit patricia. Ejus frequens mentio apud Livium. Ex ea T. Æbutius Elua consul fuit anno ab U. C. 254. Idem narratur à Livio Magister equitum sub Posthumio Dictatore, in illustri ad Regillum lacum pugna, contra Mamilium Latinorum ducem duello conflixisse anno ab U. C. 257. Post hunc Posthumius Æbutius Elua Cornicen consulatum gessit anno ab A. C. 311. Eodem anno M. Æbutius Elua triumvir coloniæ deducendæ lectus est. A. Servilius Dictator Magistrum equitum Posthumium Eluam dixit anno ab U. C. 317. Nocturnæ & promiscuæ Bacchanalium libidines per indicem P. Æbutium detectæ sunt anno ab U. C. 567. T. Æbutius Catus triumvir coloniæ deducendæ lectus est anno ab U. C. 570. *Patin. Fam. Rom. p.* 5. *Strein. de Gent. Rom. in Æbutia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* II. *p.* 2012. *A. Vaillant Numism. p.* 6. *&* 69.

Gens Ælia, sive Ailia, eadem est cum Allia. Hoc ex Capitolinis monumentis satis apertè intelligimus. Fuit plebeja, sed antiqua, maximisque gestis magistratibus nobilis. *Augustin. Ursin. & Patin. de Famil. Rom. in Ælia.* Pompon. de Orig. jur. patriciam appellat. Verùm sicut aliis in locis parum firmamenti tota illa disputatio Pomponii habet, sic in hoc loco, cum Ælium Tuberonem §. 46. patricium fuisse scribit, perspicuè falsum tradit. Nam ut hoc omittam, quod sanè hac in re solet plurimum valere, tribunos plebis ex Æliis complures fuisse, illud certè satis magno argumento nobis esse debet, quod cum Consulum alter è plebe, alter ex patriciis crearetur, Ælii cum patriciis semper, nunquam cum plebejis comparati sint. Qui enim primus Æliorum consulatum est adeptus, collegam Sulpicium habuit, secundus Fabium, tertius Servilium, quartus Valerium, usque ad annum 581. quo quidem duo primùm è plebe coss. creati sunt C. Popillius, & P. Ælius. *Strein. de Gent. Rom. in Ælia*. Illorum alii Pæti sunt, alii Lamiæ, Tuberones, Ligures, Cati. *Ferret. Mus. Lapid.* I. *Mem.* 36: III. *Memor.* 4. *Strein. & Augustin. l. l. Glandorp. Onom. Rom. p.* 10.

Gens Æmilia. V. illam supr. in *Familia Æmilia*.

Gens Æternia, sive Aterta consularis fuit. Ejus cognomen Fontinalis. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman Grav. Tom.* II. *p.* 2012. *A.*

Gent

Gens Afrania patriciane, an plebeja fuerit, ex scriptoribus, apud quos ejus frequens est mentio, colligi non potest. Plebejam tamen fuisse suspicamur, ea en quod Q. Cæcilius Metellus Celer, qui consulatum anno ab U. C. 693. gessit, patricius cum fuerit, ejus collegam L. Afranium plebejum fuisse necesse sit. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Afrania. Glandorp. Onom. Rom. p.* 42.

Gens Alitia, de qua altum apud historicos est silentium. Publium Alitium exhibet nummus quidam M. Antonii, qui fuerit duumvir cum L. Menio. *Vaillant. Numism.* 1. *p.* 7.

Gens Allia. V. illam supr. in *Gens Ælia*.

Gens Alliaria, de qua etiam altum apud historicos est silentium. C. Alliarium exbibet nummus quidam Augusti, qui fuerit duumvir cum T. Verrio. *Vaillant. Numism.* 1. *p.* 16.

Gens Alliena inter plebejas numerata fuit. Constat ea eo, quòd Allienus is qui legem de terminis tulit, plebejus fuit. Nomen ab Allia deductum est, ut à Nasidia, Cluvia, Satria, Nasidienam, Cluvienam, Satrienam credendum est. *Gentis* mentio extat in hac inscriptione:

ALLIENÆ. T. F.
BERENICÆ
C. VETTIUS. POLUS
UXORI
SANTISSIM. ET
C. VETTIUS. POLUS
MATRI
PIISSIMÆ. PATR
COL. FABR. ET. CENT.
L. D. D. D.

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Alliena. Glandorp. Onom. Rom. p. 48.

Gens Alusitia, de qua apud historicos nulla est mentio. Publium Alusitium exhiber nummus quidam Augusti, qui fuerit duumvir cum C. Julio. *Vaillant. Numism.* 1. *p.* 30.

Gens Anicia, etsi Romæ plebeja, non tantùm extitit consulatis, sed ad imperii culmen evecta fuit, ut abundè ex Justinianis Imperatoribus constat. In nummo argenteo occurrit Lucius Anicius Lucii filius. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* xi. *p.* 799. *C. Glandorp. Onom. Rom. p.* 53.

Gens Annia fuit plebeja. Ita multi ex antiquis scriptoribus ejus meminerunt, ut eorum locis indicandis supersedendum sit. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Gens Annia. Vaillant. Numism.* 1. *p.* 113. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 56. Tali tamen nobilitate, tantis dignitatibus emicat, ut vel selectis ab Romulo, in nascentis Urbis primordiis, centum familiis, è quibus creati fuere primi senatores, seu ab iis descendentibus, nihil invidendum habuerit. Consulares non raró fasces, instrumenta pontificalia, coronas, hastasque militares, torques, ac phaleras, quandoque statuas ipsis decretas ostendunt Gruterianæ Inscriptiones. Antiqua numismata Annios imperiale majestate coruscantes nobis repræsentant, non tantùm M. Aurelium Verum, Annium Verum antea dictum, & Lucium Annium Verum, ejus propinquum, in imperio socium sibi adscitum; sed prius L. Ælium Cæsarem Annii Veri filium, Pescennium Nigrum ex Annio Fusco progenitum, ac postremò M. Annium Florianum, quem Tacito fratre fatis erepto, *arripuisse imperium, non senatus auctoritate, sed suo motu, quasi hæreditarium esset*, ait Vopisc. c. 1. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* v. *c.* 19.

Gens Antestia eadem est cum Antistia. Intelligitur manifestè ex veteribus inscriptionibus. Exemplum extat Romæ hujusmodi:

L. ANTESTIUS. CN. FILIUS. HOR.
SARCULO. SALIUS. ALBANUS. AN-
TESTIA. L. L. PLUTIA. FUFIA. P. F.
TERTIA. SOROR. L. ANTESTIUS.
L. L. QUINCTIO. L. ANTISTIUS. L.
L. RUFUS. L. ANSTITIUS. L. Ↄ. L.
THAMYRUS. L. ANTISTIUS. L. Ↄ. L.
ANTHUS. L. ANTISTIUS. L. L. EROS.
CAPPADOXS.

Antistiæ gentis plebejæ Rheginorum, & Veterum familiæ fuere, de quibus frequens est mentio, tum apud Latinos, tum apud Græcos rerum Romanorum scriptores. Antistiorum Veterum, & consularium, & sacerdotum meminit Paterc. II. 43. 4. *Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Antestia. Vaillant. Numism.* 1. *p.* 21. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 799. *D. Glandorp. Onom. Rom. p.* 61.

Gens Antia Antio est profecta. Videntur dii Penates in eadem expressi hoc arguere. Ut illi idem acciderit, quod de Britanniæ incolis è Belgio oriundis observat Cæs. de Bell. Gall. v. 12. *qui omnes ferè iis nominibus civitatum appellantur, quibus orti ex civitatibus eo pervenerunt, & bello illato ibi remanserunt*. Spanhem. Dissert. de usu numism. vi. p. 535. Ex ea fuit C. Antius Restio, qui per eadem tempora vixit ferè, quibus M. Cicero floruit, & legem sumptuariam tulit. V. illam infr. in *Lex Antia*. Hunc incredibili quadam servi pietate servatum, cum à triumviris proscriptus esset, scribit Macrob. Sat. I. 11. *Patin. Fam. Rom. p.* 18.

Gens Antonia. V. illam supr. in *Antonius & Familia Antonia*.

Gens Apronia, ut arbitror, fuit plebeja. Ejus est mentio apud Valer. Max. vii. 8. & Ascon. in Milon. p. 206. in qua meminit L. Apronii, qui Sext. Clodium accusavit, quod eo auctore corpus Clodii in curiam illatum fuerat: item Cn. Apronii Cn. F. qui M. Saufejum M. F. accusavit, quem defendit Cicero. Fuit & Apronius Galus sub Augusto triumvir A. A. A. F. F. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Apronia. Ferret. Mus. Lapid.* ii. *Memor.* 57. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 108.

Gens Aquilia. V. illam supr. in *Familia Aquilia*.

Gens Arria fuit plebeja. Suspicor ex his, quæ de Q. Arrio scripta sunt à Cicer. Brut. c. 69. *Quod idem faciebat Q. Arrius, qui fuit M. Crassi quasi secundarius. Infimo loco natus, & honores, & pecuniam, & gratiam consecutus, etiam in patronorum, sine doctrina, sine ingenio, aliquem numerum pervenerat*. M. autem Arrius Secundus, cujus extat nummus, incertum mihi, fuerit ne is, cujus præturæ meminit Ascon. in argumento Divinationis p. 1. quem tamen Quintum prænominatum fuisse ex Cicer. Verr. iv. 20. colligo: an is, qui Syriæ præfectus fuit, in quem extat nobile epigramma Catull. lxxxiv. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Arria. Ferret. Mus. Lapid.* iv. *Memor.* 3. *Vaillant. Numism.* 1. *p.* 24. & 73. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* vi. *c.* 3. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 116. Clarissimam apud nos reddidit Arria illa Patavina illustrissima femina, Cæcinæ Pæti viri clarissimi uxor, quam mirificè extollit Plin. Epist. iii. 16. Gentilitium verò hoc nomen quandoque pro cognomine usurpatum observo in lapidibus, in quibus non tantum lego:

L. CORNELIUS ARRIUS.

sed etiam

Q. TAMUDIUS. Q. F. ARRIUS.

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. *p.* 559. *C.* Arriam hanc sic laudibus effert Mart. I. 14.

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis:
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

Malvas. l. l.

Gens Arruntia, etsi inter plebejas eam recenseat Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. ii. p. 2013. A. non contemnendæ fuit conditionis. Siquidem consulibus claruisse colligitur è Fast. ii. è quo deducitur L. Arruntium L. F. L. N. cum M. Claudio M. F. M. N. Marcello Æternino anno ab U. C. 732. & L. Arruntium L. F. L. N. Arruntii viri consularis filium cum M. Æmilio L. F. Lepido anno ab U. C. 759. consulatum gessisse. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* viii. *c.* 11. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 120.

Gens Asinia ab asino dicta est. A quadrupedibus multas *gentes* nominatas esse dicet Plutarchus infr. in *Gens Porcia*. Sigon. de Nom. Rom. c. 4. Plebeja fuit. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Asinia. Ferret. Mus. Lapid.* ii. *Memor.* 31.

Glan-

Glandorp. Onom. Rom. p. 122. Ex ea fuit C. Asinius Gallus orator & poeta, qui hujus tabellæ nummos æreos signavit, filius Asinii Pollionis, qui consul fuit cum C. Marcio Censorino anno ab U. C. 719. *Patin. l. l.*

Gens Attia dicta est ab Ati Trojano, de quo Virg. Æneid. v. 568.

Alter Atis, genus unde Atii duxere Latini:
Parvus Atis, pueroque puer dilectus Iulo.

Hoc in Augusti, qui ex Atia matre natus est, gratiam dictum à Virgilio fuisse opinor, neque enim ulla vetus Atiorum menio est. Atii plebeji fuerunt, neque præturæ gradum excessère, cognominaque Varri, Paulli & Balbi tulerunt. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* 11. *p.* 2002. *C. Patin. Fam. Rom. in Atia.*

Gens Atilia. V. illam supr. in *Familia Atilia.*

Gens Aurelia. V. illam supr. in *Familia Aurelia.*

Gens Axsia fuit plebeja. Ejus mentionem faciunt M. Varr. Rei Rust. III. 2. & Cicer. Attic. 1. 7. in qua nominat Axium quendam, qui erat, ut opinor, fœnerator. Axsius Naso quidam nominatur in denariis. Axsius autem pro Axius, ut maxsumus pro maxumus, Alexsandrea pro Alexandrea, antiqua fuit scribendi ratio. Plebejam fuisse inde colligitur, quod quidam Axsius Naso tribunus plebis legitur in fragmento lapidis Tiburtini, quod est apud me ita inscriptum:

—— SPRENAS
—— SIUS. NASO. TR. PL
—— CILIUS. CORNUTUS
—— TIUS. CATULUS
—— NIUS. STOLO. ——
TORES. LOCORUM. PUBLICORUM
DICANDORUM. EX. S. C. EX. PRIVATO
IN. PUBLICUM. RESTITUERUNT

Ursin. & Patin. Famil. Rom. in Axsia.

Gens Bæbia fuit plebeja. Frequens ejus est mentio cum apud antiquos rerum Romanarum scriptores, tum in veteribus lapidum monumentis:

L. BÆBIO. L. F.
GAL. AVITO
PRÆF. FABR. TRIB.
MIL. LEG. X. GEM. PROC
IMP. CÆSARIS. VESPASIANI. ...

Et

L. BÆBIUS. L. F
GAL. JUNCINUS
PRÆF. FABR. PRÆF
COH. IIII. RÆTORUM. ...

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Bæbia. Glandorp. Onom. Rom. p. 159.

Gens Cæcilia fuit plebeja. Princeps & parens hujus gentis, ut opinor, L. Cæcilius, qui cum C. Servilio Gemino Tucca consul fuit, & in magistratu à Senonibus est occisus. Nemo enim de Cæciliis ante hunc curulem magistratum gessit. Cognominibus Metelli, Macedonici, Calvi, Denticis, Balearici, Dalmatici, Vittati, Caprarii, Nepotis, Celeris, Cretici, Pii, Numidici, Scipionis, & Silani distincta. Nobilis admodum Romæ fuit. Pontificatus maximos quatuor, dictaturas duas, principatus senatus tres, censuras septem, triumphos novem, consulatus viginti, magisteria equitum duo intra annos ducentos & quinquaginta adepta est, quibus honoribus functi viri unde viginti. *Ursin. Strein. August. Patin. Fam. Rom. in Cæcilia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Grav. Tom.* 11. *p.* 2002. *D. Malvas. Marm. Felsin. Sect.* VIII. *c.* 6. *Vaillant Numism.* 1. *p.* 3. *&* 84. *Serv. Miscell. c.* 3. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 167.

Gens Cæcina dicitur, ut Perperna. Ejus in duabus inscriptionibus extat mentio: una, in qua Neronis temporibus C. Cæcina Largus nominatur: altera, in qua Vespasiano imperante C. Cæcina Pætus consul fuit cum L. Annio Bailo. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Cæcina. Glandorp. Onom. Rom. p.* 175.

Gens Cæsia patricia, an plebeja, incertum. Ejus frequens extat mentio in veteribus, cum lapidum, tum scriptorum monumentis. L. Cæsii meminit Cicer. Quint. 1. 2. *Nunc respondebo ad eas epistolas, quas mihi reddidit L. Cæsius.* M. Cæsii Verr. III. 43. *Et decimas agri sui Amestrati M. Cæsio decumano darent.* Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Cæsia. Glandorp. Onom. Rom. p. 182. Ferret. Mus. Lapid. I. Memor. 12. Memor. 40. De ista commentatium Bononiæ edidit *Joannes Baptista Fontejus.*

Gens Calenia, & Calvoia una, ac eadem fuit, etsi una pro altera quandoque usurpata, ob facilem lapidicidarum non tantum, sed & ipsorum passim obloquentium consuetudinem permutandi *E.* in *I.* *Gentis* hujus nihil reperitur apud auctores. Gruterus unum hoc inter cæteros milites locavit p. 301.

T. CALINIUS MARCELLUS

Sicut unam de Caleniis retulit hanc epigrapheo 935. 3.

C. CALENIO. P. FILIO
ET. PATRONO
C. CALENIUS. DEMETRIUS
ET
CALENIUS. PRIMUS
ET
CALENIA. FUSCA
B. M. ....

Malvas. Marm. Felsin. Sect. VIII. *c.* 4.

Gens Calidia patricia fuit. Hoc ex scriptoribus, qui ejus meminerunt, intelligimus. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Calidia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 185. M. Calidii meminit Cæsar de Bell. Civ. 1. 2. *Ut M. Calidius, qui censebat, ut Pompejus in suas provincias proficisceretur, ne qua esset armorum causa.* Hic prætor fuit anno ab U. C. 696. P. Lentulo, Q. Metello Coss. ejusque præturæ mentionem facit Cicer. Orat. post red. in sen. c. 9. Et hunc ut disertum oratorem laudat Brut. c. 79. *Sed de M. Calidio dicamus aliquid, qui non fuit orator unus è multis: potius inter multos prope singularis fuit.* Patin. l. l.

Gens Calpurnia & nominis, & generis originem à Calpo Numæ Regis filio accepit. Plutarch. Num. p. 73. & Festus. Ostendit hoc etiam Ovid. ad Pison. n. 14.

—— *nam quid memorare necesse est*
Ut domus à Calpo nomen Calpurnia ducat?

Cum igitur antiquissima hujus sit gentis & regia origo, à patriciis ad plebem desciviſſe Calpurnios, ut plerosque alios, existimare licet. *Ursin. Patin. Strein. Fam. Rom. in Calpurnia. Ferret. Mus. Lapid.* II. *memor.* 38. V. supr. in *Familia Calpurnia.*

Gens Caninia, sive, ut est in antiquis lapidibus, Kaninia, quatuor habuit familias, quarum in antiquis monumentis extat memoria: Rebilos, quorum meminit Liv. XLII. 28. Regulos, qui reperiuntur apud Cæs. de Bell. Gall. VII. 83. Gallos, qui habentur in antiquis denariis. Labeones, qui in Arniensi tribu censebantur, ut ex hac inscriptione intelligimus:

C. CANINIUS. C. F
ARO. LABEO. PATER. ...

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Caninia. Ferret. Mus. Lapid. III. *Memor.* 15. *Noris. Cenot. Pisan. Differt.* II. *c.* 6. *Vaillant Numism.* 1. *p.* 18. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 196.

Gens Carisia à nullo veterum scriptorum, quod ego sciam, nominatur præterquàm à Dione, qui LIII. p. 514. C. & LIV. p. 523. D. facit mentionem T. Carisii, fratris, ut opinor, P. Carisii, quorum utriusque nomina extant in antiquis denariis. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Carisia.*

Gens Cassia. V. illam supr. in *Familia Cassia.*

Gens Cerellia Romæ honesto fuit loco. Docet hoc incidenter Spartian. Sever. c. 13. ubi memorat *nobiles sine causa dictione occidisse* inter tot alios, *Cerellios, Macrinum & Faustinianum & Julianum*, & subdit: *horum igitur tantorum, ac tam illustrium virorum, nam multi in his consulares, multi prætorii, omnes certè summi viri fuere, interfector* . . . . Malvas. Marm. Felsin. Sect. VI. c. 1. Glandorp. Onom. Rom. p. 216.

Gens Cestia fuit plebeja. Colligitur hoc ex antiqua hac inscriptione:

C. CES-

C. CESTIUS. L. F. POP. EPULO. PR.
TR. PL. VII. VIR. EPULONUM. OPUS.
ABSOLUTUM. EX. TESTAMENTO.
DIEBUS. CCCXXX. ARBITRATU.
PONTI. L. F. CLA. MELÆ. HÆRE-
DIS. ET. POTHI. L.

Cicer. pro Flacc. c. 13. & Appian. Bell. civ. IV. faciunt Cestii cujusdam mentionem. C. autem Cestius, qui in inscriptione notatus est, potest is esse, cujus meminit Tacit. Hist. v. 10. 1. Quia verò L. F. in ea describitur, credi potest filius fuisse L. Cestii, à quo extat cusus denarius. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Cestia. Falconer. de Pyram. C. Cestii Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* IV. *p.* 1475. & 1477. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 218.

Gens Cipia. Hujus, quod sciam, nullus veterum scriptorum facit mentionem. Ego opinor eandem esse cum Cispia, quæ sine S. littera, antiquo scribendi more, in antiquis quoque lapidibus aliquando reperitur:

M. CISPIUS
M. L. EURYDON
M. CISPIUS. M. M. L.
ROMANUS. V A XV. PIE
CISPIA. M. M. BUSCA
M. CISPIUS. FELICIO

&

C. CISPIUS. C. F
SCAPT. SEVERUS.....

&

CIPIA. P. F
SECUNDA
FIEREI JUSSIT....

Ursin. Fam. Rom. in Cipia. Glandorp. Onom. Rom. p. 221. Si autem conjecturæ aliquis locus sit, liceatque Ciceronis locum in oratione post reditum in senatu ex antiqui libri scriptura emendatum explicare, opinor hunc esse M. Cipium, qui à Cicerone in oratione pro P. Sextio M. Cispius tribunus plebis nominatur. Hic idem tribunus plebis in priori oratione, qui in MSS. est Mospius, emendatur à Manutio M. Cipius, puriorque lectio videtur, si pro Mospius, totidem literis, reponatur M. Cipius, quàm una addita litera, quæ in MSC. non sit, M. Cispius corrigatur. *Patin. Fam. Rom. in Cipia.*

Gens Claudia, origine Sabina, duplex fuit, patriciorum, & plebejorum. Patricii minorum gentium fuerunt, utpotè post adscriptos Reges adscripti; in quatuor stirpes præcipuas cognominibus distinctas dividuntur; Regillensium, quorum aliqui Crassini etiam dicuntur, Pulcrorum, Centhonum, & Neronum. Plebeji clariores, Marcelli cognominati sunt. Unaquæque familia plurimos habuit ornatissimos viros, qui Rempublicam Romanam illustrarunt, & auxerunt usque ad Neronem Imperatorem. *Genti* originem dedit Actius Clausus, homo domi suæ nobilis, & clarus, qui Regillo à seditiosis hominibus pulsus, Romam magna clientum manu profectus est: reliquis civitas data, ipse Actius Clausus, qui postea Appius Claudius est dictus, in senatum, ac patriciorum ordinem cooptatus, ac mox consul creatus, facilè principem in Republica locum tenuit, clarissimumque nomen posteris tradidit. Nam & amplissimos honores, complures magistratus, triumphos nobilissimos assecuti, ac optimatium, & patriciorum dignitatis contra vim, & impotentiam imperitæ multitudinis assertores unici semper fuerunt, excepto duntaxat P. Clodio, qui ob expellendum Urbe Ciceronem, homini plebejo in adoptionem se dedit. Amplissimam fuisse vel hinc intelligere licet, quod ab Appio usque Clauso nullus in hanc familiam transierit. Tacit. Annal. XII. 25. 4. *Annotabant periti nullam adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eosque ab Appio Clauso continuos duravisse.* Suet. Claud. c. 39. n. 5. *Adsciturus in nomen familiæ Neronem .... identidem divulgavit, neminem unquam per adoptionem familiæ Claudiæ insertum.* Nec tantùm patriciæ, verum etiam plebejæ. Unius enim *gentis*, ac nominis familiæ aliæ patriciæ fuerunt, aliæ plebejæ. Causas V. supr. in *Familia*. Strein. Augustin. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Claudia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 2005. E. Sigon. de Nom. Rom. c. 4. Morestell. de Fer. Rom. Dial. XIX. Robortell. de Fam. Rom. Misc. Erud. Ital. Tom. I. p. 467. Casella de Prim. Ital. colon. Misc. Ital. Tom. III. p. 63. Glandorp. Onom. Rom. p. 221. Ferret. Mus. Lapid. I. memor. 27: II. memor. 48. Pigh. Annal. Rom. I. p. 293.

Gens Clœlia, sive Cluilia, eadem enim est, à comite Æneæ ejus nominis fluxit. Festus: *Clœlia familia à Clœlio Ænea comite est appellata.* Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 202. E. Strein. de Gent. Rom. in Clœlia. Sigon. de Nom. Rom. c. 4. Albana fuit. Enumeratur à Dionys. III. p. 170. & Liv. I. 30. inter eas Albanorum familias, quas Alba diruta Tullus Hostilius in Urbem, & inter patricias adscivit. Igitur minorum gentium fuit. Consulatus aliquot, & censuram adepta est, Siculique præcipuè cognomen tulit. *Panvin. l. l.* Patriciam fuisse intelligere possumus ex eo, quod scribit Liv. IV. 1. de Canulejo tribuno plebis, qui cum legem promulgasset, ut consul alter ex plebe crearetur, in quo patriciorum dignitas minuebatur, patres, ne se invitis lex perferretur, in eam sententiam ivisse, cujus auctor fuisse C. Claudius dicitur, ut pro consulibus crearentur tres tribuni militum ex patriciis, totidemque ex plebe, iique consulari potestate ornati Rempublicam gererent; eorum autem finito annuo imperio rursus senatus & plebs consuleretur, consulesne an tribunos mallent, qui verò placuissent, fierent: quibus rebus decretis, in magno plebejorum, & patriciorum petentium studio, tres ex patriciis tantùm creatos esse, A. Sempronium Atratinum, T. Clœlium Siculum, L. Atilium Longum anno ab U. C. 360. Siculi cognomen unde traxerit ignoratur: verisimile tamen est, ob aliquod hujus familiæ contra Siculos insigne factum, sive quod primum è Sicilia oriunda, Albam postea commigravit, id cognomen sortitam esse. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Clœlia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 125.

Gens Clovia, sive Cluvia, & Cluia, utroque enim modo in antiquis monumentis scripta reperitur, quemadmodum Voltejus pro Vultuejus, & Volcanus, & Flovius pro Fluvius, incertum patriciane, an plebeja fuerit, quamvis frequens ejus exstet mentio, cum apud scriptores, tum in his veterum inscriptionibus:

L. CLUVIUS. L. L. ÆSCHINUS. FECIT.
SIBI. ET. UXORI. ET. LIBERIS. ET.
LIBERTIS
Θ CLUIA. L. L. FAUSTA. VIX. ANNOS.
XXXV.
Θ L. CLUIUS. L. F. LUPERCUS. VIXIT
ANNOS II.
V. L. CLUVIUS. L. F. MAXIMUS
V. L. CLUVIUS. L. L. MUSÆUS

&

MINERVÆ
SACR
C. CLUVIUS. C. F. OUF
PATERNUS
V. S.

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Clovia. Glandorp. Onom. Rom. p. 247.

Gens Cluentia à Cloantho comite Æneæ dicta est. Virg. Æneid. v. 122.

Centauro invehitur magna, Scyllaque Cloanthus
Cærulea; genus unde tibi Romane Cluenti

Hæc gens plebeja, & nullis honoribus clara fuit. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Romane Grav. Tom.* II. *p.* 2002. *F.* V. Servium infr. in *Gens Gegania*.

Gens Cocceja, non satis constat, patriciane fuerit an plebeja. Ex ea certè Nerva Imperator, qui Domitiano successit, ortus. Fuit & inter alios M. Nerva consul suffectus cum C. Vibio Rufino anno ab U. C. 774. de qua mentio extat in antiqua Inscriptione ad radices Capitolii:

C. VIBIUS. C. F. RUFINUS. M. COCCEJUS
M. F. NERVA. COS. EX. S. C.

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Cocceja. Bergier. de viis milit.
II. *Sect.*

II. *Sect.* 16. §. 14. *Ferret. Mus. Lapid.* III. *Memor.* 30. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 248.

Gens Cœlia dicta est à Vibenna Cœle Etrusco, qui se Romam, regnante Romulo, contulit. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 2006. *A. Sigon. de Nom. Rom. c.* 4. *Vaillant. Numism.* 1. *p.* 53. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 620. *B.* Postea plebeja, & consularis fuit, Caldi cognomine insignita. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Cœlia. Panvin. & Vaillant l. l.* Cur hanc gentem plebejam faciant, ignorare prorsus me fateor, nisi ea aliquando in patriciam & plebejam divisa fuisset. *Ursat. l. l.*

Gens Considia plebeja fuit, Q. Considii meminerunt Liv. II. 52. & Dionys. IX. p. 585. *Q. Considius, & Genutius auctores agrariæ legis T. Menenio diem dicunt.* C. Considii Cæs. de Bell. civ. II. 23. *Id oppidum C. Considius Longus unius legionis præsidio tuebatur.* Ex ea fuerunt C. Considius Pætus, & C. Considius Nonianus. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Considia. Glandorp. Onomast. Rom. p.* 251.

Gens Coponia Tibure orta, & in civitatem Romanam adscita, plebejane, an patricia fuerit, incertum. T. Coponius, qui primus ex ea *gente* civis Romanus factus est, nominatur à Cicer. pro Balb. c. 23. *Quomodo igitur L. Cossinius Tiburs, pater hujus equitis Romani, optimi, atque ornatissimi viri, damnato T. Cœlio, quo modo ex eadem civitate T. Coponius, civis item summa virtute, & dignitate, nepotes T. & C. Coponios nostis, damnato C. Massone civis Romanus est factus?* Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Coponia. Glandorp. Onom. Rom. p. 252.

Gens Cordia. Hujus, nisi pro Cadius Rufus apud Tacit. Annal. XII. 22. 5. ut aliquibus placet, scribatur Cordius Rufus, præter unum Ciceronem, haud scio an alius veterum scriptorum faciat mentionem. Is enim Verr. IV. 20. L. Cordium nominat honestum virum, qui testimonium in Verrem dixit. *Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Cordia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 253.

Gens Cornelia amplissima, omniumque *gentium* nobilissima & antiquis est habita, & quidem jure ac merito. Sive enim dignitatem spectes familiarum, sive etiam præclara in Rempublicam merita, rerumque gestarum magnitudinem consideres, omnes certè omnium *gentium* virtutes, præclarissimæ hujus *gentis* splendore intereunt, & obscurantur. De origine quidem *gentis* nihil mihi, quamvis diligentissimè investiganti, occurrit. *Strein. de Gent. Rom. in Cornelia.* Fuit patricia, in alias, atque alias stirpes derivata, multos insignes viros, & omni honorum genere ornatos habuit. Plebeji vix aliquo numero fuerunt. Quod in multis familiis aliter evenit. Præcipui patricii in tres quatuorve stirpes dirimi possunt: Cossorum, qui etiam Maluginenses, & aliqui Rutili, aut Arvinæ appellantur, & Scipionum, qui etiam alia atque alia cognomina acceperunt, ut Asinæ, Calvi, Nasicæ, Africani: nec non Lentulorum, qui plura aliis cognomina sumpserunt. Adduntur his, qui propter paucos consulares viros non ita nobiles sunt: ut Rufini, Sullæ, Dolabellæ, Merulæ, Cethegi. V. singulos suis locis. *Augustin. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Carnelia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 2010. *F. Strein. l. l. Glandorp. Onom. p.* 253. *Ferret. Mus. Lapid.* V. *Memor.* 14.

Gens Cornuficia plebeja fuit. Ejus scriptores multi meminerunt. Ex ea fuit Q. Cornuficius Augur Imperator, Ciceronis in consulatu competitor, & in auguratu collega, ut ex epistolis ad eum scriptis intelligimus. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Cornuficia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 282. Quia verò Africæ provinciæ, ex qua fuit appellatus Imperator, præerat, Jovis Ammonis, qui in Africa colebatur, imaginem in denario impressit, & ab illo nomen meruit. *Patin. l. l. Bartholin. de Unicorn. c.* 2.

Gens Coruncania, quanquam plebeja, nobilis tamen, & Reipublicæ utilis fuit, Cameria, ut Claudius Imperator apud Tacit. Annal. XI. 24. 3. vel ut Cicer. pro Planc. c. 8. Sull. c. 7. tradit, Tusculo oriunda. *Panvin. de Nomin. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 2004. *D. Perizon. Anim. Histor. c.* 5. *Pigh. Annal. Rom.* 1. *p.* 284. & *p.* 431. Princeps ejus gentis Romæ fuit Ti. Coruncanius Ti. F. Ti. N. primus pontifex maximus è plebe creatus. Consul cum P. Valerio fuit anno ab U. C. 473. De Vulsinensibus triumphavit. Censor cum C. Claudio anno 485. Dictator comit. habend. U. C. anno 507. *Augustin. & Strein. de Fam. Rom. in gens Porcia. Panvin. & Pigh. l. l.* Polyb. II. 8. meminit præterea C. & L. Coruncaniorum, qui legati ad Teutam Illyriorum Reginam missi sunt, & refert minorem natu à Regina occisum: quos tamen Plin. XXXIV. 6. P. Junium & Ti. Coruncanium nominat, atque ambos à Regina interfectos, statuas illis in foro tripedaneas statutas scribit: quem secutus videtur Flor. II. 5. Præter hos nullum apud veteres Coruncanium reperire licet. *Strein. & Augustin. l. l.*

Gens Cosconia, incertum est patriciane an plebeja fuerit. Ejus quidem mentio extat in antiqua inscriptione, in qua M. Cosconius Epicurus nominatur:

M. COSCONI. EPICURI. FILII. PIISSIMI
QUI. VIX. AN. XIX. M. IIII. D. XXII
CÆTONICUS. ET. PIA. PARENTES
FECERUNT

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Cosconia. Glandorp. Onom. Rom. p. 284.

Gens Cossutia fuit, ex qua Cossutia equestri familia orta fuit, quam Cæsar dimissa Corneliam Cinnæ quater consulis filiam duxit uxorem. Suet. c. 1. n. 1. Extant nummi Cossutii cujusdam, & L. Cossutii Sabulæ C. F. M. Cossutii mentio est apud Cicer. Verr. III. 22. & Q. Cossutii in veteri lapide in Sabinis:

DIS. MANIBUS
ÆMILIÆ. SP. F.
VIX. ANN. XV
MENSES. VI. D. II
Q. COSSUTIUS. Q. F

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Cossutia.

Gens Crepereja, cujus mentionem facit Cicer. Act. in Verr. 1. c. 10. ex qua natum scribit M. Creperejum equestri familia. Crepereji cujusdam Galli sub Nerone meminit Tacit. Annal. XIV. 5. 2. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Crepereja.*

Gens Crepusia, cujus nulla mentio apud eos scriptores, quos ego quidem legerim, extat in nummis. Unde suspicari licet plebejam fuisse, ex qua L. Crepusius ædilis plebis fuerit. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Crepusia.*

Gens Cupiennia fuit, ex qua ortus C. Cupiennius, ad quem extat Epist. Cicer. ad Attic. XVI. 20. Hujus fortasse filius fuit C. Cupiennius Libo Cumanus, Augusti familiaritate clarus, corporis sui diligentissimus, sectator matronarum concubitus, ut scribit Porphyrio in Horat. Sat. 1. 2. 36.

— *mirator cunni Cupiennius albi.*

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Cupiennia.

Gens Curia. Ex hac fuit M. Curius M. F. M. N. Dentatus tribunus plebis anno ab U. C. 454. Cicero Bruto c. 14. Consul cum P. Cornelio anno 463. Cassiodorus. Bellum Samniticum gessit: omnem eum tractum, qua Nar ambit, fontesque Velini Adriatico tenus mari igne ferroque vastavit. De Samnitibus, Sabinis, Lucanis triumphavit. Flor. III. 15. Censor cum L. Papirio anno 464. Consul II. cum L. Cornelio anno 478. Valer. VI. 3. Contra Pyrrhum missus cum eo pugnavit, exercitum ejus occidit, ipsum Tarento fugavit, castra cepit, de Rege Pyrrho, & Samnitibus II. triumphavit. Plutarch. in Pyrrho p. 399. E. Cat. maj. p. 337. A. Consul III. cum Ser. Cornelio anno 479. Cassiodorus. *Augustin. & Strein. de Gent. & Fam. Rom. in Gens Porcia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 289. L. Curii P. & F. meminit etiam inscriptio Bononiæ reperta ad D. Stephani propè ostium:

L. CURIUS. CURIO. PAT.

P. Curii Blæsi inscriptio, quam exhibet Spon. Misc. Ant. Erud. Sect. II. art. 11.

P. CURIO. P. F. QUIR.
BLÆSO....

Malvas. Marm. Felsin. Sect. VII. *c.* 12.

Gens Curiatia fuit plebeja, Alba oriunda, à Tullo Rege in civitatem Romanam adscita. Dionys. III. p. 170. Ejus *gentis* familia fuit Trigeminorum, cujus idem scriptor meminit, ex qua ortus fuit C. Curiatius, cujus extant nummi. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Curiatia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Graev. Tom. II. p.* 2004. *A. Ale. Gen.* v. 4.

Gens Curtia patriciane an plebeja fuerit, ex veteribus scriptoribus non satis constat. M. Curtii, à quo lacus Curtius in foro Romano dictus est, meminerunt Dionys. II. p. 108. Liv. VII. 6. Valer. Max. v. 6. P. Curtii Salassi facit mentionem Cicer. Fam. VI. 18. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Curtia. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Graev. Tom. II. p.* 2005. *B.* 2012. *A. Glandorp. Onom. Rom. p.* 291.

Gens Didia, sive Deidia, ut in quibusdam monumentis legitur, incertum, patriciane, an plebeja fuerit. Plebejam fuisse suspicari possumus ex eo, quòd qui Didiam legem sumptuariam tulit, tribunus plebis fortasse fuit. Liv. Epit. 127. facit mentionem Didii Saxæ M. Antonii legati in Syria, qui à Labieno Pompejanarum partium victus est. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Didia. Glandorp. Onomast. Rom. p.* 300.

Gens Domitia plebeja, consulares viros, & censorios aliquot habuit, aliisque honoribus & sacerdotiis usos, qui eam nobilem reddiderunt. In duas divisa stirpes Calvinorum, & Ahenobarborum distinguitur. V. illas suis locis. *Augustin. Strein. Ursin. & Patin. de Gentib. Rom. in Domitia. Ferret. Mus. Lapid.* I. *Memor.* 40. III. *Memor.* 30. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 302.

Gens Durmia, ex qua M. Durmius, qui sub Augusto triumvir monetæ cudendæ denarios qui hodie extant, signavit, apud scriptores, quos ego viderim, non reperitur. *Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Durmia.*

Gens Egnatia plebeja fuit. C. Egnatii Maxsumi, cujus extant denarii, facit mentionem Cicer. Attic. III. 14. L. Egnatii Rufi Fam. XIII. 43. 45. & 73. Hujus fortasse filius fuit M. Egnatius is, quem in Augustum conspirasse Suet. c. 19. n. 1. Dio LIII. p. 513. B. Vellej. II. 91. 4. commemorant. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Egnatia. Ferret. Mus. Lapid.* II. *Memor.* 32. *Glandorp. Onom. Roman. p.* 312.

Gens Egnatuleja apud unum, quod sciam, Ciceronem invenitur. Is Phil. III. 3. nominat L. Egnatulejum quendam, filium fortasse C. Egnatuleji, qui victoriatum nummum percussit, quales hodieque cernere est. Extat Cordubæ in Hispania fragmentum quoddam inscriptionis antiquæ, in qua fit mentio C. Egnatulejæ C. F. quæ fortasse Egnatuleji hujus filia fuit. In inscriptione quoque basis statuæ Vespasiano Imperatori dedicatæ, nominatur quidam C. Egnatulejus Laurus. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Egnatuleja.*

Gens Eppia in tribu Cornelia censebatur & Fabia. Hoc intelligimus ex antiquis inscriptionibus:

Q. EPPIUS. Q. F. COR RUF
Θ CLODIA. C. L. SILENIO
Θ EPPIA L. F. PAULLA. VOTE
NNIANA. MATER
EPPIA. M. F. POLLA

&

P. EPPIUS. P. F. FAB
RUFUS. MIL. COHOR
II. PRÆT. T. F. I.
ARBITR

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Eppia.

Gens Epria, de qua lapis sepulcralis Labelli in Apulia:

L. EPRIUS. CHILO. VIAT. TRIB. PL
PRIM. AC. PI

Ferret. Mus. Lapid. II. 39.

Gens Fabia, si ejus ortum à capite repetimus, ad Aborigines primos Latii populos, & ad Fabium Herculis filium refertur. Hercules enim is, qui Jove natus dicitur, à Græcis ad Romanos, & usque ad oceanum pervagatus, multis *gentibus* & familiis initia, & quasi semina sui generis dedit. Hinc etiam Fabia, gens amplissima, & clarissima, multisque spectata & nobilitata virtutibus, principem suæ *gentis* Fabium Herculis filium nuncupabat. V. supr. in *Fabii.* Strein. de Gent. Rom. in Fabia. Patricia fuit majorum, ut opinor, gentium. Clarissimos habuit viros, & omni honorum genere ornatissimos. Dividitur in sex stirpes, quarum tres sequentes sunt: Vibulanorum, Ambustorum, & Maximorum; tres minùs frequentes, Dorsonum, Pictorum, & Buteorum. V. illos suis locis. *Augustin. Fam. Rom. in Fabia. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Graev. Tom.* II. *p.* 2001. *A. Ferret. Mus. Lapid.* IV. *Memor.* 17. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 319. *Crinit. de Honest. Discipl.* XXI. 13. Hujus usque ad Tiberii Cæsaris principatum mentio est, pontificatu maximo uno, auguratibus aliquot, dictaturis septem, magisteriis equitum quinque, consulatibus octo, & quadraginta, decemviratu legum scribendarum, censuris octo, tribunatibus militum consulari potestate decem, senatus principibus quinque, triumphis tredecim & ovationibus duabus illustris. His honoribus functi sunt viri sex & triginta intra annorum DL intervallum. *Panvin. l. l.*

Gens Fabricia fuit consularis, Luscini cognomento. *Vaillant. Numism.* I. *p.* 19. C. Fabricius C. F. C. N. Luscinus consul fuit cum Q. Aimilio anno ab U. C. 471. Cassiodorus. De Etruscis & Gallis triumphavit. Consul II. cum Q. Aimilio anno 475. Bellum cum Pyrrho gessit. Ad quem cum Pyrrhi medicus nocte venisset, promittens veneno Pyrrhum occisurum, vinctum eum Pyrrho reduci jussit. Cum Bruttiis & Lucanis prosperè pugnavit, de iis, Tarentinis, & Samnitibus II. triumphavit. Liv. Epit. 13. Flor. I. 18. Gell. III. 8. Censor cum Q. Aimilio anno 478. Gell. XVII. 21. Val. Max. II. 4. *Augustin. de Fam. Rom. p.* 1270. *& Strein. de Fam. Rom. p.* 1127. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 331.

Gens Fabrinia, nisi sit erratum ab eo, qui nummos æreos cudit, apud veteres scriptores non reperitur. Neque verò M. Fabrinius qui fuerit, quove tempore vixerit, invenire adhuc non potui. *Ursin. & Patin. Famil. Rom. in Fabrinia.*

Gens Fadia plebeja fuit. T. Fadius Gallus tribunus plebis anno ab U. C. 696. Priùs Ciceronis quæstor perhibetur. Cn. Fadium duumvirum exhibet quidam Augusti nummus. *Vaillant Numism. p.* 19. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* VI. c. 2. *Glandorp. Onomast. Rom. p.* 331.

Gens Fannia plebeja fuit. Constat hoc uno testimonio Cicer. ad Attic. XVI. 13. *In præsentia mihi velim scribas, quibus censoribus C. Fannius M. F. tribunus plebis fuerit: videor mihi audisse P. Africano, L. Memmio censoribus.* Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Fannia. Glandorp. Onom. Rom. p. 332.

Gens Farsuleja invenitur in antiqua inscriptione Sutrina, in qua:

PONTIFICES. A. COLONIA
CONJUNC. JULIA. SUTRIN
IN. ORD. RELAT....

Inter eos autem numeratur M. Valerius Ferox in locum Farsuleji Rufi. Q. Farsulejus quidam Vesper nominatur in basi statuæ Vespasiani Imperatoris, in qua incisa sunt nomina eorum, qui ad eam dedicandam Imperatori statuam pecuniam contulerunt L. Annio Basso, C. Cæcina Pæto coss. Extat & L. Farsuleji Mensoris mentio in antiquis nummis: *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Farsuleja.*

Gens Fenia est parum nota. Fenius Rufus præfectus annonæ apud Tacit. Annal. XIII. 22. 1. deinde prætorii apud Tacit. Annal. XV. 50. 4. Nummus quidam Augusti exhibet C. Fenium duumvirum. *Vaillant Numism.* I. *p.* 25. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 337.

Gens Flaminia fuit plebeja. Meminit ejus Cicer. Attic. XIV. 14. & 15: XV. 1. & 2. L. autem Flaminius Chilo IIII. vir auro, argento, ære feriundo sub Cæsare dictatore, ac ejusdem fortasse primus flamen fuit. Hujus flaminis mentio extat in antiquis inscriptionibus:

M. PO-

M. POBLICIO
M. F. SAB. SEXTIO
CALPURNIANO
EQUO. PUBLICO
FLAM. DIVI. JULI...

&

L. ACUTIO
L. F
FAB. PRIMO
EQUO. PUB
II. VIR. I. D
ÆDIL. Q. ALIM
FLAM. DIVI. JULI
D. D.

Urfin. & Patin. Fam. Rom. in Flaminia.

Gens Flavia fuit plebeja. Ejus frequens est mentio apud veteres scriptores. *Urfin. & Patin. Fam. Rom. in Flavia. Ferret. Muf. Lapid.* III. *Memor.* 19. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 339. Orta est ex T. Flavio Petronio, municipe Reatino, in Sabinis centurione, mox argentario, & publicano in Asia, ex qua genitus est Sabinus pater Vespasiani Imperatoris. Suet. c. 1. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 346. *A.* Nominatur & C. Flavus Hemis in denariis antiquis, Bruti legatus pro prætore, cujus meminit Nep. Attic. c. 8. n. 3. *Urfin. & Patin. h. l.* Quamvis in *gentis* Flaviæ denario legam C. FLAV. HEMIS. LEG. PROPR. neutiquam tamen existimare possum *Hemis* cognomen esse C. Flavii, quod neque ipsum, neque ullum aliud, inde flexum, derivatumque, inter tot Romanorum nomina usquam inventum sit puterem, nedum ut C. Flavii fuerit, notissimi hominis, cujus non tantum in Nepote, sed etiam in Cicerone, Cæsare, Plutarcho, & Appiano frequens occurrit mentio, utpote qui M. Bruti, qui & in altera denarii parte nominatur, *familiaris & necessarius* à Nepote vocatur. Censeo igitur vel vetustate obliteratam, vel fortè non animadversam fuisse ab Ursino transversam lineolam, quæ priori parti literæ H supernè addita erat, ut solent in his veterum nummis diversæ literæ sæpè conjungi, atque ita in hoc non C. Flavii aliquod nomen ea voce designari, sed Themidis deæ. Ejus enim effigiem quoque esse, quam in eo cernimus, ex adjecta cithara colligo, nisi studiorum, ac præcipuè carminum auctoribus, & præsidibus vulgo adjungi solita. Sive igitur illam intellexerit C. Flavius, sive Carmentam potius Euandri matrem, quæ proprio nomine Themis dicta. Plutarchus & Dionysius laudati supr. in *Carmenta*. Themidis nomine Flavius præcipuè usus videri potest, quia id simul antiquissimæ deæ erat nomen, & tunc temporis inprimis Græca lingua vulgo Romani maximè delectabantur, omniaque ferè ex illa repetere, ac deducere, seu ἑλληνίζειν studebant. Optima verò ratione hæc quoque adjunctam habet citharam, quippè quæ ἐμμέτρως χρησμοῖς, fata hominum carmine cecinit. Præcipuè divam fatidicam & vaticinam declarat præcipuè passa illa, ac horrida coma, quæ in ejus capite conspicitur. Quis enim est, qui ignoret vatibus, quum à fatidicis suis diis inspirantur, sparsos, atque arrectos semper tribui capillos? Tibull. II. 5. 65.

Jactavit fusa sed caput ante coma.

Senec. Oedip. II. 230.

Incipit Lethea vates spargere horrentes comas,
Et pati commota Phœbum.

Imò de hac ipsa Carmenta Ovid. Fast. 1. 503.

Usque erat, immissis puppim stetit ante capillis.

Perizon. Triad. dissert. III. p. 248. Multa Flaviorum epitaphia congessit *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* VII. *c.* 7.

Gens Fonteja fuit plebeja. Hoc intelligimus vel ex eo, quòd P. Clodius Ciceronis inimicus, qui ut tribunus plebis fieret, ad plebem traduci volebat, P. Fontejo plebejo homini adoptandum se dedit. Cognomen multorum hujus gentis fuit Capito. *Urfin. & Patin. Fam. Rom. in Fonteja. Malvas. Marmor. Felsin. Sect.* VIII. *c.* 7. *Ferret. Muf. Lapid.* III. 3. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 347.

Gens Fosfia consularis. Ejus cognomen Flaccinator.

Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. *p.* 1012. *A.*

Gens Fufia fuit plebeja. Erat divisa in familias Kalenorum, Strigonum, ac Geminorum. Q. Fufius Kalenus fuit tribunus plebis an. 691. D. Junio Silano, L. Licinio Murena coss. atque idem consul cum P. Vatinio an. 706. *Urfin. & Patin. Fam. Rom. in Fufia. Norif. Epist. Consul. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 402. *D.*

Gens Fulvia fuit plebeja. *Augustin. Urfin. & Patin. Fam. Rom. in Fulvia. Vaillant. Numism.* I. *p.* 113. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 351. Non paucos tamen habuit claros viros omni honorum genere ornatos. In tres familias cognominibus discretas dividitur. Nam Curvi, Pætini, & Nobiliores unam, Centumali alteram, tertiam Flacci obtinent. V. singulos suis locis. Curvos duos, Pætinos tres, Nobiliores quatuor invenio, sed septem tantum viri omnes fuerunt, quod duo bis numerantur, propterea quod alter, & Curvus, & Pætinus: alter, & Pætinus, & Nobilior appellati sint. Hi igitur septem totidem consulatus, censuram unam, triumphos sex, ovationem unam, magisterium equitum item unum assecuti sunt. *Augustin. l. l. Strein. de Gent. & Fam. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VII. *p.* 1134.

Gens Fundania plebeja fuit. Liv. XXV. 2. M. Fundani facit mentionem ædilis plebeji. In tabula etiam ænea apud Alexandrum Farnesium Cardinalem, in qua plebiscitum pro Thermesibus Majoribus Pisidis perscriptum est, mentio fit C. Fundani C. F. trib. pl. des. qui plebem primus scivit. *Urfin. & Patin. Fam. Rom. in Fundania. Glandorp. Onom. Rom. p.* 351.

Gens Furfania invenitur in Inscriptionibus. Bononiæ in suburbano Bernardini Bonsignati:

D. M.
FURFANIÆ
Æ. C. F....

Romæ via Nomentana, vinea Cinquiniæ:

DIS. MAN. SACR
M. FURFANIUS. M. F. QUIR. MARCELLUS
M. FURFANIUS. M. F. M. N. VELOX
FURFANIA. VIRGULA. MATER.
FURFANIUS. LARISCULUS
SABINUS....

Malvas. Marmor. Felsin. Sect. VIII. *c.* 5.

Gens Furia patricia fuit, vel unico M. Camillo illustris, alus etiam clarissimis viris exornata est. Dividitur in Fusiorum, sive Medullinorum, vel Paculorum, atque in Camillorum stirpes frequentiores. Phil. quoque & Purpureones ejusdem *gentis* sunt, sed pauci ex eis consulates fuerunt. Hos omnes constat Fusios primùm dictos, ut Valesios, & Aufelios, postea Fourios, sive Furios. Lusit in hoc nomine eleganter Ovidius:

Cur ego non dicam Furia te Furiam?

Sub Tullo Rege Sp. Fusius pater patratus reperitur Liv. I. 24. teste, quem ex hac familia fuisse certum est. Fusios, & Medullinos, ac Paculos septemdecim invenio obtinuisse pontificatum maximum, consulatus undecim, tribunatus militares septemdecim, censuras duas. Camillos quinque assecutos fuisse invenio dictaturas septem, triumphos quinque, consulatus quinque, tribunatus militares sex, censuram, interreges fuisse ter. Philos duos totidem consulatus, censuram, & triumphum adeptos esse. Purpureonem unum consulatum, & triumphum consecutum. *Augustin. Urfin. Patin. & Strein. Fam. Rom. in Furia. Glandorp. Onom. ast. Rom. p.* 360.

Gens Gallia inter patricias ne, an plebejas numeranda sit, ex scriptoribus, elici non potest. Cicer. Verr. III. 65. C. Gallium senatorem hominem equestrem appellat, partem forsasse C. Galli, cujus extat nummus æneus ab eo signatus, cum esset triumvir sub Augusto. Q. Galli prætoris anno ab U. C. 688. L. Cotta & L. Torquato coss. meminit Cicer. Brut. c. 80. *Urfin. & Patin. Fam. Rom. in Gallia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 377.

Gens Gavia fuit inclyta. Cujus etsi perierint imagines, remansere tamen inscriptiones, quæ de inclyta hac stirpe

 longè

longè latèque diffusa fidem faciant. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* ix. c. 4. *Glandorp. Onomast. Rom. p.* 379.

Gens Gegania dicta est à Gya comite Æneæ. Serv. Æneid. v. 117. *Bene laudat familias nobilium, à Sergesto Sergia familia fuit, à Cloantho Cluentia, à Gya Gegania, cujus facit mentionem*. Strein. Fam. Rom. in Gegania. Sigon. de Nom. Rom. c. 4. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. ii. p. 2003. A. Fuit Albana, & ejus partem Romam cum Romulo commigrasse crediderim. Nam inter primas virgines Vestales à Numa factas refertur una Gegania à Plutarch. p. 66. D. Ejus verò altera pars Romam à Tullo Hostilio transducta fuit, & inter patricias Alba eversa allecta. Dionys. iii. p. 170. Liv. i. 30. *Panvin. l. l. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* i. 7. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 380.

Gens Gellia duobus tantum denariis nobis exhibetur. Eorum alter visus est pertinere ad Gellium Cn. Pompeji legatum in bello maritimo contra piratas, cujus meminit Flor. iii. 6. 8. Alter fine dubio ad L. Gellium Poplicolam spectat, qui eum signavit, cum esset Antonii quæstor pro prætore: postea cum M. Cocceio Nerva consulatum gessit anno ab U. C. 717. V. Dion. xlviii. p. 341. B. Hujus pater L. Gellius consul fuit cum Cn. Lentulo Clodiano anno 681. Cicer. in Pison. c. 3. ad Quirit. post redit. c. 7. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Gellia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 380. *Ferret. Mus. Lapid.* i. *Memor.* 29.

Gens Genucia consularis fuit. Ejus cognomen Augurinus. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* ii. *p.* 2012. *B. Ferret. Mus. Lapid.* iv. *Mem.* 43. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 384.

Gens Grania plebeja fuit, nullisque titulis clara, nisi eam illustrassent Q. Granius ille, de quo Cicer. de Orat. ii. 60. Granius Flaccus, qui ad Cæsarem de Indigitamentis scripsit. Censor. de Die Nat. c. 3. & Granius Serenus, qui Hadriani Imperatoris legatus animum ipsius à Christianorum avertit sævitia. Euseb. Hist. Eccles. iv. 9. Oros. vii. 13. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* xi. *p.* 605. *F.*

Gens Herennia plebeja fuit, divisa in Balborum, & Gallorum familias. L. Herennii Balbi meminit Ascon. in Cicer. p. 184. Galli Asinius Pollio Epist. Cicer. ad Fam. x. 32. C. Herennii tribuni plebis, qui P. Clodium ad plebem traduxit, mentionem facit Cicer. Attic. i. 15. & 17. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Herennia*.

Gens Herminia consularis fuit. Ejus cognomen Esquilinus. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* ii. *p.* 2012. *B. Glandorp. Onom. Rom. p.* 396.

Gens Hirtia incertum patriciane an plebeja fuerit. Ejus extat mentio in antiqua hac Inscriptione:

A. HIRTIUS. A. F. M. LOLLIUS. M. F.
FUNDAMENTA. FORNICIS. FACIUNDA. COERAVERE. EIDEMQUE. PROBAVERE.

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Hirtia. Glandorp. Onom. Rom. p. 399.

Gens Horatia orta est ab Horatiis, qui Curiatios depresserunt. Dionys. v. p. 150. Neque sanè dubium est, quin majorum *gentium* patricii Horatii sint, ut qui cum Romulo primùm in Urbem migrarunt. Dividitur hæc *gens* in Pulvillos, Barbatos, Coclites. *Augustin. Strein. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Horatia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 402.

Gens Hortensia fuit plebeja, ut existimat Sebastianus Corradus, tum quod Q. Hortensius dictator legem de plebiscitis tulerit, tum etiam quod complures Hortensios tribunatum plebis gessisse in veterum monumentis reperiat. Ego Hortensios inter patricios refero. Video enim Q. Hortensium oratorem in Quintiana oratione, & in Verrinis actionibus *nobilem* à Cicerone appellari: quod qua ratione verum sit, nisi patricium fuisse dicamus, conjectura assequi certè nullo modo possum. Neminem etiam Hortensiorum, præter Lucium, quem Liv. xliii. prætorem fuisse scribit, ante hunc curulem gessisse magistratum reperio. Quum igitur conditione nobilis non sit, origine nobilem esse necesse est: cujusmodi patricii fuere. Nec verò aut quia dictator Hortensius legem de plebiscitis tulit, aut quia tribuni plebis Hortensii fuerunt, plebeji existimandi sunt. Ille enim benevolentiam, & voluntates plebis hac sua lege captabat, quod Poplicolas, Horatios, quod complures alios factitasse animadvertimus. Hi verò quod diversæ essent *gentis*, tribuni plebis creati sunt, ut etiam in Corneliis, Claudiis, Semproniis. Ipsum quidem certè Hortensium magistratum plebejum adeptum, nulli, quod sciam, veterum tradiderunt. Hoc sanè miror, Ortalum Hortensii oratoris nepotem ita loqui apud Tacit. Annal. ii. 37. 6. *En stirps, & progenies tot consulum, tot dictatorum*, quum unus ex Hortensiis fuerit dictator, unicus etiam consul. Hoc nimirum est, quod Cicer. in Brut. c. 16. queritur: *Laudationibus historiam factam esse mendosiorem. Multa enim scripta sunt in eis, quæ facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, & ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus*, quod ex stemmate liquidò constabit. *Augustin. & Strein. de Gent. & Fam. Rom. in Hortensia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 404.

Gens Hosidia ab Appiano quidem & Dione nominatur, non tamen ex eorum verbis elici quicquam potest, unde, plebejane, an patricia fuerit, scire possimus. Appian. de Bell. civ. iv. p. 613. & Dio xlvii. p. 333. A. faciunt mentionem Hosidii Getæ, proscripti à triumviris, & à filio servati. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Hosidia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 406.

Gens Hostilia ab Hosto quodam Hostilio Medullino, ut creditur, originem duxit, qui Romulo regnante Romanam civitatem adeptus fuit. Ejus *gentis* familiæ reperiuntur in monumentis Capitolinis Tulli Regis, & Mancinorum. Tubulorum apud Liv. xxvii. 6. & Catonum apud Liv. xxvii. 37. Sasernarum apud Varronem, & in nummis, *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Hostilia. Glandorp. Onomast. Rom. p.* 407. *Ferret. Mus. Lapid.* i. *Memor.* 17.

Gens Itia in uno tantum denario reperitur. Est ille, ut opinor, è L. Itio signatus, ad quem extat Horatii ode i. 29. Cicer. Phil. iii. 10. nominat quendam M. Iccium corruptè, pro M. Itium, *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Itia*.

Gens Julia manavit ab Julo. Quis autem is fuerit Julus, non satis inter auctores constat. Alii enim Ascanium Æneæ filium fuisse existimant: alii Ascanii filium, Æneæ nepotem. Priori sententiæ accedit Virgilius; quem Servius, Messalla, & reliqui secuti sunt. Posteriorem sententiam Livius tuetur, & Dionysius. Qui Virgilium sequuntur, post Æneæ mortem Julum annos octo & triginta in Latio regnasse tradunt: reliqui Ascanio hoc tribuunt, quem etiam Juli patrem faciunt. Nam duos, ut Dionysius scribit, filios habuit Æneas, Ascanium ex Creusa natum, & Silvium ex Lavinia Latini Regis filia. Ascanius patri in regno successit. Ascanio Silvius frater, excluso Julo Ascanii filio, Æneæ nepote, tum adolescentulo, cui tamen honoris causa sacerdotium amplissimum à patruo tributum est, quod *gens* Julia quasi per manus à majoribus acceptum jure semper tenuit. Hanc, ut idem scribit Tullus Hostilius Rex, Alba diruta, Romam traduxit, & inter patres cooptavit. *Strein. de Gent. & Fam. Rom. in Julia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* ii. *p.* 2001. *E. Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Julia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 414. *Ferret. Mus. Lapid.* ii. *Memor.* 34. Patricia majorum gentium fuit. Scinditur in duas præcipuas stirpes, Julorum, & Cæsarum. V. illas supr. in *Familia*. Alia etiam cognomina minùs frequentia usurparunt, ut Mento & Libo. *Augustin. Fam. Rom. in Julia*.

Gens Junia nobilissima est omnium, quæ à Trojanis & Ænea ortæ dicuntur. Oriunda est à Junio Æneæ comite. Dionys. iv. p. 264. Hæc cum in Urbem unà cum Romulo migrasset, laude, & gloria bellica sub Regibus floruit, usque ad L. Brutum, qui regio dominatu populum Romanum liberavit, clarissimus, ac postremus Juniæ *gentis*. Nam, ut Dionys. v. p. 292. scribit, nullos reliquit liberos superstites, & qui sequuntur Bruti, plebeji sunt, non patricii. Aliter tamen sensisse videtur Cicero, qui M. Brutum Cæsaris interfectorem L. Bruti

gen-

gentilem appellat, cum ait Phil. 1. 6. *Fuerit ille L. Brutus, qui & ipse regie dominatu Rempublicam liberavit: & ad similem virtutem, & simile factum stirpem in propè quingentesimum annum propagavit*. Tusc. Quæst. IV. 1. *Qui fuit in Italia temporibus iisdem, quibus L. Brutus patriam liberavit, præclarus auctor nobilitatis tuæ*. Brut. c. 14. *Quis putet celeritatem ingenii L. Bruto illi nobilitatis vestræ principi defuisse?* Quod etiam ex sententia Posidonii dicit Plutarch. Brut. p. 984. D. qui tertium Junii Bruti filium expertem conjurationis fuisse, ab eoque *gentem* Juniam propagatam tradit. Et hos sequitur Patin. Fam. Rom. in *Junia*. Gravissima Ciceronis hac in re debet esse auctoritas, magna etiam Posidonii, & Plutarchi. Dionysii tamen, qui multis sententiam suam argumentis, exquisitisque rationibus confirmat, meo quidem judicio gravissima. Neque enim quisquam ex hac *gente* per annos ducentos post Reges exactos magistratum curulem gessit: quod quidem certè in tam clara & nobili familia accidere potuisse, nulla ratione ut credam adduci possum. Et tribuit hæc Cicero Bruto, homini amicissimo, non tam verè, quàm ut pulcerrimum illud factum, quod pro libertate Reipublicæ gessit, laudando extolleret; ac primò L. Brutum, deinde progeniem ejus populum Romanum à Regibus liberasse significaret. *Strein. Augustin. & Ursin. Fam. Rom. in Junia*. Fuit & altera Junia plebeja, etiam nobilis. In plures stirpes propagata tredecim consulares viros ante Augusti imperium habuit. Eorum cognomina hæc sunt: Bruti, Scævæ, Bubulci, Petæ, Pulli, Silani & Penni. *Augustin. de Fam. Rom. in Junia. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 2003. B.* Dictatura, magisteriis equitum quatuor, consulatibus octodecim, censura, triumphisque septem ornata. *Panvin. l. l.*

Gens Labiena plebeja fuit. Ex ea fuit T. Labienus tribunus plebis, qui C. Rabirium à Cæsare subornatus perduellionis accusavit: quod ejus patruus Q. Labienus cum Saturnino occisus fuerat. Cicer. pro Rabir. c. 7. *Ursin. de Famil. in Labiena*.

Gens Lælia, quæ Romæ consularis, quamquam plebeja, in qua Sapientem, & Balbum legimus. *Ferret. Mus. Lapid. II. 5.*

Gens Lætia consularis fuit. Ejus cognomina Flavus & Rufus. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 2012. B. Glandorp. Onom. Rom. p. 519. Ferret. Mus. Lapid. II. Memor. 39.*

Gens Licinia, & antiquitate generis, & rebus gestis plebejarum omnium facilè princeps. In quatuor consulares præcipuas cognominibus distinctas stirpes propagata est: Calvorum, Crassorum, Lucullorum & Murenarum. Sed & Vari, & Getæ, & Nervæ, aliique minùs clari extitere. V. singulos suis locis. *Strein. Augustin. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Licinia. Serv. Miscell. c. 3. Glandorp. Onom. Rom. p. 522. Vaillant Numism. I. p. 1. & 23.*

Gens Livia. V. illam supr. in *Familia Livia*.

Gens Livineja, cujus una tantum Regulorum familia apud scriptores reperitur. Nam L. Livinejus Trypho, qui nominatur à Cicer. Epist. Fam. XIII. 60. libertus fuit L. Reguli, cujus exstant nummi. *Ursin. Fam. Rom. in Livineja*. Opinor in eis Livinejos patrem & filium eodem affectos prænomine, & cognomine designati. L. Reguli patris extat mentio apud Hirt. de Bell. Afric. c. 89. *Deinde eodem die Adrumete egressus, Livinejo Regulo ibi cum legione relicto, Uticam ire contendit*. Filius triumvir fuit cudendæ monetæ cum Sisenna & Pulcro sub Augusto, sed ab eodem postea senatu motus est. Dio XIV. p. 530. C. *Et Livinejus quidem Regulus deletum se ex albo patrum ægre ferens, cum filius ipsius, & multi alii, quibus se præstantiorem judicabat, in eo legerentur....* Tacit. Annal. XIV. 17. 1. *Sub idem tempus, levi contentione atrox cædes orta inter colonos Nucerinos, Pompejanosque, gladiatorio spectaculo, quod Livinejus Regulus, quem motum senatu retuli, edebat*. Patin. Fam. Rom. in Livineja. Glandorp. Onom. Rom. p. 547.

Gens Lollia fuit plebeja: ex ea enim ortus est M. Lollius Palicanus tribunus plebis. Afcon. Divin. p. 19. *Primus Sicinius tribunus plebis, nec multo post Quintius, & postremo Palicanus*. Fuit tribunus plebis anno ab U. C. 681. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Lollia. Glanderp. Onom. Rom. p. 548. Vaillant Numism. I. p. 91.* Augusto imperante fuit consulatis, quo tempore consulatum gessit M. Lollius M. F. Paullinus, illius Lolliæ Paullinæ avus, aliquando Cajo Caligulæ nuptæ, de qua Plin. IX. 35. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 618. D. 797. B.*

Gens Lucilia fuit plebeja. Ejus familiæ plures variis distinctæ cognominibus apud scriptores reperiuntur. Balbi nominantur à Cicer. Brut. c. 42. Bassi Attic. XII. 5. Longi à Tacit. Annal. IV. 15. 2. Capitones Annal. IV. 15. 4. Rufotum nulla, quod sciam, mentio extat: nisi fortè M. Lucillus Rufus, qui in argenteo quodam denario descriptus est, is fuit, quem Plutarchus in Pompejo scribit, cum tribunus plebis esset de Pompejo dictatore creando, multum repugnante Catone, ad populum tulisse. *Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Lucilia. Glandorp. Onom. Rom. p. 551.*

Gens Lucretia. V. illam supr. in *Familia Lucretia*.

Gens Luria, cujus mentionem facit Dio XLVIII. p. 375. B. Is qui sub Augusto æneos nummos cudit, quales hodieque extant, triumvir fuit, & Sardiniæ præfectus. M. Lurius Triarius, & M. Lurius Trepins nominantur in antiqua basi marmorea, in qua descripta sunt nomina eorum, qui ære conlato statuam Vespasiano Imperatori dedicaverunt L. Annio Basso, C. Cæcina Pæto coss. In inscriptione etiam basis statuæ à collegio fabrum tignariorum Catacallæ Imperatori dedicatæ Lurius quidam Martialis numeratur inter eos, qui pecuniam ad ponendam eam statuam contulerunt. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Luria*.

Gens Lutatia. V. illam supr. in *Familia Lutatia*.

Gens Mælia. Ejus cognomen fuit Capitolinus. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 2012. B.*

Gens Majania in aliquot nummis notata est. Est eadem opinor, cum ea, quæ in tabulis Capitolinis modò Mainia, modò Mænia nominatur. Ejus mentio extat in antiqua inscriptione Cætetana:

D. M. SURIÆ. SACRUM
L. MAJANIUS. HOMER. CUM
MAJANIA. HOMERIDE. FIL
U. S. P. L. D. D. D.
CURANT. L. MAJANIO. ET
IUL. MAXIM. TAURIN.
FRAT.

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Majania.

Gens Mamilia plebeja fuit. Originem & nomen à Mamilia Telegoni filia duxit. Cognomen Limetanus & nummi, & historici huic *genti* tribuunt. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Mamilia. Glandorp. Onomast. Rom. p. 566. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 2001. D. Sigon. de Nom. Rom. c. 3. Aleand. tab. heliac. Explic. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. V. p. 719.*

Gens Manlia patricia fuit, & ab ipsis initiis libertatis ad Cn. Pompeji, & Cæsaris consulatuum tempora multis præclaris viris effloruit. Initio Vulsonis & Capitolini cognomine, postea Imperiosi, & Torquati multi usi fuerunt, unus atque alter Atticus, Acidinus, Fulvianus, Longus appellatus est. *Augustin. Strein. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Manlia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 2012. B. Glandorp. Onom. Rom. p. 569.*

Gens Marcia duplex fuit, patriciorum, & plebejorum, utraque nobilissima; illa vetustate, atque origine à duobus Romanorum Regibus orta, atque decorata, & Coriolano, clarissimo viro, atque fortissimo illustris: hæc in varias stirpes divisa multis insignibus viris eluxit. Nam & Rutili, & ex his orti Censorini, & Philippi, & Figuli, & Reges, & si qui alii aliis cognominibus distinguuntur, omnes plebeji fuerunt. At patricii, quos majorum *gentium* dicere possumus, ex Sabinis Romam cum Numa Pompilio Rege migrarunt. Numa Marcius princeps *gentis* appellatus est, quod Marci filius esset, ut Numa Rex, quod Pomponis esset, Pompilium *gentis* nomen invenit. Hunc præfectum Urbis fuisse, & pontificem maximum sub Numa, & Tullo Hostilio invenio. Ex uxore Pompilia Numæ Regis filia Ancum Martium suscepit.

pit. Ita duplex origo Marciorum, aut à Numæ Regis filio, aut ab Anco Rege, & è Numæ filia orationibus, & laudationibus funerum jactabatur. *August. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Marcia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. II. p. 2005. B. Glandorp. Onom. Rom. p. 580.*

Gens Maria fuit plebeja. Quod constat ex eo, quòd C. Marius C. F. qui nullo est usus cognomine, & M. Marius Gratidianus, tribuni plebis cum essent, alter de suffragiis, alter de re nummaria leges tulerunt. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Maria.* C. Marius fuit municeps Arpinas, humili, atque obscuro loco natus, nulla majorum commendatione amplissimos honores consecutua. Contigit illi, quod haud scio an nemini, ut duabus in ædilitate acceptis repulsis, septies tamen consul summo populi studio crearetur. Vir, quem neque propter dignitatem laudare satis quisquam commodè, neque propter crudelitatem abundè vituperare potest. Nemo unquam tanto metu, & periculo Rempublicam liberavit; nemo majori calamitate eandem afflixit. Qui enim gladios Cimbrorum, & Teutonum in Rempublicam districtos à jugulis civium rejecerat: qui faces jam accensas ad Urbis excidium exstinxerat: qui Urbem & Italiam ex ore, atque faucibus hostium eripuerat, ipse ille libertatis Romanæ vindex, primus in Rempublicam gladium distrinxit, primus sceleratas faces patriæ intulit, vastitate denique Italiam, cædibus, incendio, ruina Urbem replevit. Justas ergo & debitas pœnas Reipublicæ persolvit. Armis Sullanis Urbe ejectus, in Minturnensium paludibus latuit: terra, marique jactatus, in oris Africæ desertissimis jacuit. Filius non ita multis post annis in cuniculis Præneste trucidatus est, & memoria simul, & nominis, & generis interiit. *Augustin. & Strein. Fam. Rom. in Maria. Glandorp. Onom. Rom. p. 576.*

Gens Memmia inter plebejas numeratas fuit. Hoc ex veteribus scriptoribus colligimus. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Memmia.* Oriunda est à Mnestheo comite Æneæ. Virg. Æneid. v. 116.

Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin,
Mox Italus Mnestheus, genus à quo nomine Memmi.

Prætoria tantum Reguli cognomen tulit. Sub Imperatoribus consulatum est adepta. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. II. p. 2003. C. Glandorp. Onom. Rom. p. 596. Ursin. de Fam. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. VII. p. 1292. D.*

Gens Menenia fuit consularis. Ejus cognomen Lanatus. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. II. p. 2012. B. Glandorp. Onom. Rom. p. 600.*

Gens Mescinia plebeja fuit. Hoc constat es eo, quòd C. Mescinius, quo tribuno plebis anno 696. Cicero ab exilio revocatus est, ex ea fuit natus. L. autem Mescinius Rufus sub Augusto cudendæ monetæ præfectus fuit. Hic est, qui Ciceroni proconsuli in Cilicia quæstor fuit. Cicer. Fam. XIII. 26. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Mescinia.*

Gens Metilia Albana, Tullo Hostilio Romæ regnante, Alba diruta, civitatem Romanam est adepta: & in senatorium, patriciumque ordinem est allecta. Dionys. III. p. 170. Fuit autem ex hac *gente* familia alia patricia, alia plebeja. In nummis nominatur M. Metilius Tullus quidam. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Metilia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. II. p. 2004. B. Glandorp. Onom. Rom. p. 603.*

Gens Mettia è Lanuvio municipio oriunda fuit. Suspicamur hoc ex eo, quòd M. Mettii nummi extent, in quibus Junonem Sospitam, quæ Lanuvii cum hasta, scutulo, calceolis repandis, & pelle caprina colebatur, signavit. De Mettio quodam meminit Cicer. Fam. XV. 26. Et M. Mettii Epaphroditi Grammatici Græci, quem puto libertum fuisse M. Mettii, extat mentio in hac inscriptione:

M. METTIUS
EPAPHRODITUS
GRAMMATICUS. GRÆCUS
M. METTIUS. GERMANUS. FEC

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Mettia. Glandorp. Onom. Rom. p. 602.

Gens Minatia in tribu Sabatina censebatur. Hoc ex inscriptione, quam Bisentii Etruriæ oppido descripsimus, intelligimus:

VIRTUTI. VISENT
SACR
M. MINATI. M. L. SAB. GALLI
II. VIR. I. D. QUINQ....

Val. Max. IV. 3. §. X. nominat Minatium Rufum, qui M. Catonis in Cypriaca expeditione fidissimus comes fuit. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Minatia.*

Gens Minucia consularis fuit. Ejus duplex familia, patriciorum, & plebejorum. Nam Augurini patricii consulatus quinque, decemviratum legibus scribendis, & pontificatum maximum obtinuerunt. Rufi plebeji consulatus tres, triumphos duos, & magisterium equitum Thermi plebeji consulares, & triumphales fuerunt. V. singulos suis locis. *Augustin. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Minucia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. II. p. 2012. B. Glandorp. Onom. Rom. p. 605.*

Gens Mucia plebeja quidem, & quæ serò ad consulatum pervenerit, tamen clarissimos viros habuit, & tum juris civilis scientia, tum gravitate morum insignes. Consulatus quinque, pontificatus maximos duos, & triumphum obtinuit. Omnes eodem cognomine Scævolæ usi sunt, eo excepto, qui primus id cognomen invenit, quem Cordum à multis, ab Athenodoro Opsigonum appellatum fuisse accepimus. *Augustin. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Mucia. Glandorp. Onom. Rom. p. 616.*

Gens Munatia: ejus Plancorum tantum familia in denariis reperitur, cum Rufi etiam à Cicerone, aliique à scriptoribus nominentur. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Munatia. Ferret. Mus. Lapid. II. Mem. 56. Glandorp. Onom. Rom. p. 612.*

Gens Mussidia è Sabinis, ut arbitror, fuit oriunda. Ejus mentionem facit Cicer. ad Fratr. III. I. Ubi pro Mussidius librariorum errore est scriptum Messidius. Quamvis Messidius etiam ferri possit, quod id nomen à Messiis deductum sit, ut à Mussiis Mussidius. In basi statuæ Vespasiani Imperatoris quidam D. Mussidius Januarius notatus est inter eos, qui ad eam ponendam Imperatori statuam pecuniam contulerunt. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Mussidia.*

Gens Nævia plebeja fuit. Hoc vel ex eo intelligimus, quod ex ea extitit M. Nævius tribunus blebis, qui P. Scipioni diem dixit. Val. Max. III. 8. In nummis reperiuntur ejus familiæ Balborum, & Surdinorum. L. Nævii Balbi facit mentionem Liv. XLV. 13. In veteri autem inscriptione, quæ proximis annis in foro Romano reperta, in Capitolium translata fuit, mentio fit L. Nævii L. F. Spurini prætoris inter cives & peregrinos. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Nævia. Glandorp. Onom. Rom. p. 619. Vaillant Numism. I. p. 14.*

Gens Nautia à Naute Æneæ comite fuit oriunda. Serv. Æneid. II. 166. *Quum Diomedes raptum Palladium sibi non esse aptum intelligeret, illud Æneæ transeunti obtulit, sed quum se ille capite velato sacrificans convertisset, Nautes quidam simulacrum accepit, quare Minervæ sacra non Julia gens habuit, sed Nautia.* Ita etiam scribit Varro in libro de familiis Trojanis. Majorum gentium patricia fuit, Romæque consulatus sex, tribunatus militum consulari potestate quatuor, & alios honores adepta diu floruit, Rutili cognomine ornata. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. II. p. 2003. C. Augustin. Fam. Rom. in Nautia. Glandorp. Onom. Rom. p. 622.*

Gens Neria in tribu Pupinia censebatur, quæ inter rusticas numerabatur, ab agro Pupinio, ut scribit Festus, nuncupata. Horat. Sat. II. 3. 69.

Scribe decem a Nerio.

In hunc versum scribit Porphyrio, Nerium Catienum, ita enim est in vetustissimo libro, juris studiosum fuisse, & ab Horatio ut avarum tangi. Cicer. ad Fratr. II. 3. *Cestius ab judice Cn. Nerio Pupinia de ambitu est postulatus.* Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Neria. Glandorp. Onomast. Rom. p. 624.

Gens Nonia fuit plebeja. Ex eâ enim ortus est Nonius Balbus tribunus plebis, qui edicto, quod Sosius in Antonii gratiam contra C. Cæsarem fecerat, intercessit. Dio L. p. 419. E. Reperitur in denariis Sex. Nonius Suffenas, qui prætor ludos votivos fecerit. Extat & æreus nummus, in quo Sex. Nonius Quinctilianus notatus est, qui fuit consul anno 760. cum M. Furio Camillo. Dio LV. p. 570. B. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Nonia. Glandorp. Onomast. Rom. p. 626.*

Gens Norbana inter plebejas numerata fuit. Ex ea C. Norbanus tribunus plebis exstitit anno 648. cujus rogatione Q. Servilio Cæpioni procos. imperium abrogatum est. *Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Norbana. Glandorp. Onom. Rom. p. 628.*

Gens Novia, ut videtur, plebeja fuit. L. *Novius* tribunus plebis 1. Clodio collegæ plurimum infensus ex Pædiani commentario an. ab U. C. 695. legitur. *Nevius* cognomen à novem, seu noveoario numero deducitur. *Vaillant. Numism. Tom.* 1. *p.* 48.

Gens Numetia à Numerii prænomine denominata est. Nam Cicer. pro Sext. c. 43. *Numerium*, *Serranum*, *Æmilium*, *quisquilias seditionis Clodianæ* nominat. Ad quæ notat Manutius, duos priores fuisse plebis tribunos eo anno, quo patriæ Cicero restitutus est: de quibus Ascon. in Cicer. p. 162. *Duos tribunos*, *de quibus ipsis sæpè jam diximus*, *quos de lapide emptos ait*, *Sex. Attilium Serranum*, *& Q. Numerium significat*. Numerii prænominis originem, & usum Romæ indicat Festus: *Numerius prænomen nonquam ante fuisse in patricia familia dicitur*, *quamvis Fabios*, *qui nunc post sex & trecentos ab Etruscis interfectos superfuit*, *inductus magnitudine divitiarum uxorem duxit Otacilii Maleventani*, *ut tum dicebantur*, *filiam ea conditione*, *ut qui primus natus esset*, *prænomine avi materni Numerius appellaretur*. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom Græv. Tom. XI. p. 874. A.

Gens Numicia fuit consularis. Ejus cognomen fuit Priscus. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XI. p.* 2012. *B.* Priscus ille consul fuit anno 285. Volscos prælio fudit, Antium oppidum oppugnare non ausus, Cenonem aliud oppidum minus opulentum ab Antiatibus cepit. Liv. II. 63. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 632.

Gens Numitoria fuit plebeja. Constat hoc vel ex uno L. Numitorio, qui tribunus plebis describitur à Liv. II. 58. & Dionys. XI. p. 726. Cicer. Inv. II. 34. meminit Q. Numitorii cujusdam, qui Pullus cognominatus est. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Numitoria. Glandorp. Onomast. Rom. p.* 632.

Gens Numonia cognomen Vaalæ videtur accepisse ab aliquo, qui vallo defenso id cognomen primus invenerit. Nam & denarius extat, in quo expressus est, ut videtur, vir quidam pugnans pro vallo. Vaala verò antiquè scriptum in eo denario pro Vala, ut Feelix pro Felix, & Vaarus pro Varus. Vell. II. 119. 4. facit mentionem ejus, qui fuerit legatus Quintilii Vari in Germania. *Ut Vala Numonius*, *legatus Vari*, *cætera quietus ac probus*, *diri auctor exempli*, *spoliatum equite peditem relinquens*, *fuga cum alis Rhenum petere ingressus est*. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Numonia. Glandorp. Onom. Rom. p. 634.

Gens Octavia Velitris orta Romam à Tarquinio Prisco est translata, in senatumque adscita, à Ser. Tullio patricia est facta. Romæ ad plebem translata consulatus quinque, triumphum unum obtinuit. Iterum à C. Cæsare dictatore patricia facta est, ut sororis suæ nepoti, quem postea testamento adoptavit, gratificaretur. Suet. c. 2. n. 1. Is fuit C. Octavius C. F. C. N. C. PRON. C. ABN. qui postea C. Julius C. F. Cæsar Octavianus Augustus appellatus est. Dicta est ab Octavo prænomine, à numero liberorum, ut ab illis Quinctia, Sextia, & Decia, & Decima familiæ deducuntur. *Augustin. & Strean. & Rom. in Octavia. Ferret. Mus. Lapid.* III. *Memor.* 14. *Glandorp. Onomast. Rom. p.* 633.

Gens Ogulnia fuit plebeja. Ejus mentionem facit Liv. X. 6. & Valer. Max. 1. 8. Extant & signati ab Ogulnio nummi. Eum autem opinor esse, qui consul in Fastis descriptus est anno ab U. C. 484. cum C. Fabio Buteone, Dictator cum M. Lætorio Planciano magistro equitum Latinarum feriarum causa. Liv. l. l. Q. & Cn. Ogulnios tribunos plebis nominat, qui anno 453. legem Ogulniam de sacerdotiis tulerunt. Meotio extat quoque in veteri Inscriptione:

N. OGULNIO
APOLLONIO
CONJUGI. CARISSIMO
ET. N. OGULNIO
AMPLIATO. FILIO
PIENTISSIMO
VIX. ANN. VI. MEN. X.
DIEB. VI.
OGULNIA. GALE
B. M. FECIT

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Ogulnia. Glandorp. Onom. Rom. p. 639.

Gens Opimia, vel, ut est in argenteis denariis, Opeimia, fuit plebeja. Ejus est frequens mentio apud veteres scriptores. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Opimia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 642.

Gens Oppia fuit plebeja. Ejus mentionem facit Liv. XXXIV. 1. & nominat C. Oppium tribunum plebis, qui legem Oppiam de matronarum habitu tulit anno ab U. C. 540. L. Oppii Salinatoris, qui anno 560. ædilis plebis fuit, meminit Liv. XXXV. 23. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Oppia. Glandorp. Onomast. Rom. p.* 643. *Ferret. Mus. Lapid.* 1. *Memor.* 21.

Gens Osia, cujus mentio fit in veteri inscriptione:

LUX. PATRIÆ. SUBLIME. DECUS.
· PR. OSIUS. URBIS MUNDO. FLENTE. JACENS. CONDITUR. HOC. TUMULO.

Ferret. Mus. Lapid. III. *Memor.* 37.

Gens Otacilia, Romæ plebeja, consularis tamen, ex qua consul, cognomine Crassus, fortè fortuna Marciam Otacillam Philippi Imperatoris uxorem habuit. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 648. *A.*

Gens Pacuvia ex Brundusio Calabriæ Urbe oriunda fuit. Ex illa ortus est M. Pacuvius, Q. Ennii sorore natus. Hic floruit Romæ Scipionis Æmiliani temporibus, vixit magnis laudibus, & in scribendis tragœdiis percelebris fuit, dum cæteros omnes tragicos antecelluit. Ad ultimam senectutem pervenit; multa scripsit, tandem Tarentum se confestens, ibi propè nonagenariam vitam morte finivit. Hoc epitaphium à se compositum autumant multi:

ADOLESCENS. TAMETSI. PROPERAS. HOC. TE. SAXUM. ROGAT.
UT. SE. ASPICIAS. DEIN. QUOD.
SCRIPTUM. EST. LEGAS. HIC. SUNT.
POETÆ. PACUVII. MARCI. SITA. OSSA. HOC. TE. VOLEBAM. NESCIUS.
NE. ESSES. VALE. D. M.

Crinit. de Poet. Latin. 1. 5. *Ferret. Mus. Lapid.* 11. *Memor.* 23. *Glandorp Onom. Rom. p.* 653.

Gens Papia fuit plebeja. Ejus mentio extat in antiqua hac inscriptione Casinati:

M. PAPIUS. M. F. L. MATRIUS. L.
F. DUOVIRI. L. D. SIGNUM. CONCORDIÆ. EX. S. C. RESTITUENDUM. COERAVERUNT. EIDEMQ.
DEDICAVERUNT....

In nummis L. Papius Celsus nominatur. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Glandorp. Onom. Rom. p.* 655. *Vaillant. Numism.* 1. *p.* 78. *Sigon. de nom. Roman. c.* 3.

Gens Papiria, quam veteres Papisiam vocabant, & patriciorum, & plebejorum fuit. Cicer. Fam. IX. 21. *Sed tamen*, *mi Pæte*, *qui tibi venit in mentem negare Papirium quenquam unquam nisi plebejum fuisse? Fuerunt enim patricii minorum gentium: quorum princeps L. Papirius Mugillanus*, *qui censul cum L. Sempronio Atratino fuit anno post Romam conditam* 312. *Sed tum Papisii dicebamini: post hæc* XIII. *fuerunt sella curuli ante L. Papirium Crassum*, *qui primus* Papi-

Papisius vocari est desitus. Hunc secutus est Cursor, deinde L. Maso adsititius; inde multi Masones, deinde Carbones, & Turdi sequuntur: hi plebeji fuerunt. Patricii ergo fuerunt Mugillani, Crassi, Cursores, Masones. Plebeji consulares Carbones tantum fuerunt, non consulares alii, ut Turdi, Pæti, atque alii minùs frequenter. V. singulos suis locis. *Augustin. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Papiria. Glandorp. Onom. Rom. p. 657. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. II. p. 2011. B. Vaillant Numism. I. p. 36.* Patricii multi insignes viri, & qui ab ipsis initiis libertatis ad annum 532. annis trecentis ferè clarissimi floruerint. Plebeji Carbones viri seditiosi, & partium minùs bonarum habiti sunt extremis temporibus Reipublicæ, quibus jam omnia bellis civilibus, & ambitione, ac dominandi cupiditate flagrabant. Antiquissima Papisiorum memoria est apud Pompon. de Orig. jur. l. 2. §. 2. qui refert Sextum Papisium, aut Publium temporibus Superbi Tarquinii Regis leges regias collegisse, eumque librum jus Papirianum à posteris appellatum. Sed & ab aliis, quo anno Reges exacti sunt, & C. Papisius pontifex Romanus, & Manius Papisius Rex sacrorum primus appellatur. & post annos novem M. Papisium item pontificem Asconius, quem Livius Q. Furium Fusum appellat. Mugillani tres consulatus, & tribunatus militares cum consulari potestate totidem, & censuram consecuti sunt. *Augustin. l. l.*

Gens Petillia plebeja fuit. Ejus frequens est mentio apud scriptores. Liv. VII. 15. facit mentionem C. Petillii Balbi tribuni plebis, qui primus patribus auctoribus de ambitu ad populum tulit. Et XXXVIII. 54. Q. Petillii Spurini tribuni plebis, qui legem Petilliam tulit de peculatu anno 566. M. Æmilio, & C. Flaminio Coss. Horat. Sat. I. 4. 94. C. Petillii Capitolini, cujus extant denarii. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Petilia. Glandorp. Onom. Rom. p. 671.*

Gens Petronia plebeja è Sabinis fuit oriunda. Hoc conjicimus, cum ex iis, quæ hodieque supersunt ejus *gentis* denariis, tum ex ejus Petronii cognomine, qui Sabinus appellatur à Val. Max. I. 1. Idem IV. 7. L. Petronium humili loco natum P. Cœlii beneficio ad equestrem ordinem, & splendida militiæ beneficia pervenisse scribit. C. etiam Petronius consul anno 813. P. hujus Petronii, qui triumvir sub Augusto fuit, filius Sabinus Turpilianus in Fastis descriptus est. Inscriptio Anconitana:

PETRONIÆ
SABINÆ
FILIÆ
L. PETRONII SABINI
P. P. BIS
PROCURATOR. AUG...

Ursin. Patin. Fam. Rom. in Petronia. Ferret. Mus. Lapid. II. Memor. 18. Glandorp. Onom. Rom. p. 674. Vaillant. Numism. I. p. 37. 61.

Gens Pinaria patricia fuit. Duxit originem à Pino Numæ Regis filio. Plutarch. in Num. p. 73. F. quamvis Liv. I. 7. & Dionys. I. p. 32. à Pinariis, qui Herculi sacra anniversaria faciebant, genus traxisse malunt, quibus assentitur Virg. Æneid. VIII. 270.

Et domus Herculei custos Pinaria sacri.

Hujus autem *gentis* cum plures familiæ fuerunt, duarum tantùm, quibus cognomina Nattæ & Scarpi, in denariis extat memoria, quorum & in aliis vetustatis monumentis mentio reperitur. *Ursin. Patin. Augustin. & Strein. Fam. Rom. in Pinaria. Glandorp. Onom. Rom. p. 678. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Grav. Tom. II. p. 2001. C. Sigon. de Nom. Rom. c. 4.*

Gens Plætoria, sive Lætoria, utroque enim modo apud scriptores repetitur, fuit plebeja. Fuerunt ex ea tribuni, & ædiles plebis, de quibus meminerunt Varr. de Ling. Lat. V. 2. Liv. XXX. 39. Censorin. de Die nat. c. 19. facit mentionem legis Plætoriæ. V. illam infr. in *Lex*. E Sabinis originem duxit. Inscriptio:

L. PLÆTORIO. L. F. CLAUDIA. SADINO. SACERD. ÆSCULAPI. VIX. ANN. LXXV. M. PLÆTORIUS. NUMISIANUS. SABINUS. F. C.

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Platoria. Glandorp. Onom. Rom. p. 685.

Gens Plancia fuit plebeja. Constat vel ex eo, quòd Cn. Plancius, cujus denarii extant, tribunus plebis fuit anno 696. P. Lentulo, Q. Metello coss. ejusque in primis opera M. Cicero ab exsilio revocatus est. Fuit & Macedoniæ quæstor, itemque ædilis. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Plancia.*

Gens Plautia plebeja quidem fuit, sed consulatibus octo, triumphis duobus, censura, & magisterio equitum ante Augustum ornata. Cognomina hæc habuit: Proculus, Venno, Venox, Decianus, Hypseus, Sylvanus. V. singulos suis locis. *Augustin. Strein. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Plautia. Glandorp. Onom. Rom. p. 681.*

Gens Poblicia, sive Publicia, utroque enim modo in veteribus monumentis reperitur: & Poblii antea dicti sunt, qui postea Publii, & Poblicii qui deinde Publicii, plebeja fuit. Constat ex Liv. XXVII. 22. qui C. Publicii meminit, qui fuit tribunus plebis anno 545. Huic à senatu, populoque Romano, ut ipse, posterique ejus in Urbe sepelirentur, concessum est. Colligimus hoc ex Inscriptione sub Capitolio in monumento quadrato ex lapide Tiburtino incisa:

C. POPLICIO. L. F. BIBULO. ÆD. PL.
HONORIS. VIRTUTISQUE. CAUSSA.
SENATUS. CONSULTO. POPULIQ.
JUSSU. LOCUS. MONUMENTI. QUO.
IPSE. POSTERIQUE. EJUS. INFERRENTUR. PUBLICE. DATUS. EST.

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Poblicia. Glandorp. Onom. Rom. p. 728.

Gens Pompeja plebeja, ex qua nemo ante annum sexcentesimum duodecimum consulatum fuerat adeptus, postea consulatus sex, triumphos quatuor, censuram unam consecuta clarissima extitit. *August. Fam. Rom. in Pompeja. Ferret. Mus. Lapid. I. Mem. 14. Glandorp. Onom. Rom. p. 690. Serv. Miscell. c. 3. Vaillant. Numism. I. p. 29.* Vell. Paterc. II. 21. 5. tres Pompejæ *gentis* familias fuisse tradit; sed quæ hæ sint, non explicat. Mihi duæ omninò diversæ occurrunt. I. Rufoium est, quorum quidem tres ante bellum civile Sullanum, tres post Pompejanum curules gessisse magistratus reperio. Neque tamen ignoro, quosdam ex his Bithynicos appellari. Eos enim, quia ejusdem planè sunt stirpis, cum cæteris conjunximus. Hujus auctor est & princeps Q. Pompejus, is qui rem ad Numantiam malè gessit: unde à Cicer. Brut. c. 25. *homo per se cognitus*: pro Mur. c. 7. *homo novus*: Verr. V. 70. *humilis, & obscuro loco natus* dicitur. II. Pompeji Magni est, qui propter res in prima ætate præclarè, fortiterque gestas, primus omnium Magni cognomine à Sulla decoratus, omnium certè seculorum, & nationum facilè princeps, qui fines Imperii Romani, ut scribit Cicer. Cat. II. III. 11. non terræ, sed cœli regionibus terminavit. *Strein. Fam. Rom. in Pompeja.*

Gens Pomponia plebeja fuit. A Numæ Pompilii filio duxit originem. Scribit hoc Plutarch. in Num. p. 73. F. & arguunt qui supersunt hujus *gentis* denarii. Nominatum in illis Q. Pomponius Molo, nec non Q. Pomponius Rufus. *Strein. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Pomponia. Glandorp. Onom. Rom. p. 700. Vaillant. Numism. I. p. 103.* Romæ summos honores est adepta. Sunt, qui Pomponios ante Urbem conditam fuisse scribunt, majorumque *gentium* patricios existimant eos fuisse, ex qua *gente* fuit Faustulus Romuli educator. Duplex fortè etiam Pomponiorum *gens* fuit. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. II. p. 2005. D.*

Gens Porcia fuit Tusculana. A porcis est dicta. Plutarch. Poplic. p. 103. B. Romani *facultates suas etiamnum à pecudibus peculium nominant: & vetustissimi nummi bove, vel ove, vel sue fuerunt signati, filiisque suis Suillios, Bubulcos, Caprarios, Porcios nomina indebant.* Tusculana fuit auctore Tacit. Annal. XI. 24. 3. & Cicer. de Leg. II. 2. V. illum infr. in *Patria*. Est autem hic M. Porcius Cato, princeps hujus *gentis*, qui Priscus primò, deinde, quia multarum rerum usum haberet, Cato teste Plutarch. Caton.

ton. maj. p. 336. C. appellatus est, quod cognomen posteri retinuerunt. Idem quoque à censura severè administrata Censorius dictus est: & in summa senectute, quia multa ejus in senatu, multa in foro, vel provisa prudenter, vel acta constanter, vel responsa acutè ferebantur, Sapientis cognomen adeptus est. Cicer. Offic. III. 4. Divin. c. 21. *Augustin. Strein. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Porcia. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Græc. Tom. 11. p. 2004. E. Glandorp. Onom. Rom. p. 714. Vaillant. Numism. 1. p. 19.*

Gens Postumia patricia Romæ floruit post exactos Reges, in plures divisa familias, quarum nobilissima fuit, quæ in denariis fuit, Albinorum. Illud autem in hac gente memoratu maximè dignum, quod ad interitum usque Reipublicæ nullus in ea plebejus fuerit, sed in patriciorum ordine constanter permanserit. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Postumia.* Ejus cognomina etiam fuerunt Tubertus, Albus, Regillensis, Albinus, Magnus, Megellus, Paullulus, & Temsanus. *Panvin. de Nom. Rom. Thesaur. Ant. Roman. Grav. Tom. 11. p. 2012. C. Glandorp. Onom. Rom. p. 718. Strein. Fam. Rom. in Postumia. Vaillant Numism. 1. p. 27.*

Gens Potitia antiquior, ut scribit Liv. 1. 7. origine Urbis fuit, à Potitio illo sene derivata, qui ad tempus adfuit sacris Herculis dapibus. Patricia hæc majorum *gentium* procul dubio fuit, nullis unquam honoribus, quod sciam, affecta. Hæc *gens* in duodecim familias divisa, ob Herculis sacra neglecta omnis interiit circa annum Urbis 445. Liv. l.l. & 12. 29. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. 11. p. 2001. C. Glandorp. Onom. Rom. p. 723.*

Gens Procilia è Lanuvio municipio fuit oriunda. Videtur hoc posse intelligi ex iis, qui supersunt, istius *gentis* denariis, in quibus Junonis Sospitæ, quæ Lanuvii colebatur, simulacrum, quale describit Cicer. pro Mur. c. 41. est signatum. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Procilia. Glandorp. Onom. Rom. p. 726.*

Gens Quinctia, Alba diruta, Romam à Tullo Rege est translata, & inter patricios cooptata. Liv. 1. 30. Dionys. III. p. 170. apud quem pro Κοιντιλίος, ut est in vulgatis libris, corrigendum Κοιντίος. Alterius, quæ fuit plebeja, faciunt mentionem Liv. XXIV. 39. & Cicer. pro Cluent. c. 27. *Ursin. Patin. & Strein. Fam. Rom. in Quinctia. Glandorp. Onom. Roman. p. 731. Ferret. Mus. Lapid. III. Memor. 14. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. 11. p. 2004. C.*

Gens Quinctilia fuit patricia majorum gentium. Festus: *Faviani & Quinctiliani appellantur Luperci à Favio, & Quinctilio præpositis suis.* Ruinctilius igitur primus fuit, unus ex his qui Lupercalia ante Urbem conditam celebrarit, à quo Quinctiliorum *gens* patricia, dictatoria, & consularis manavit, Vari cognomine ornata. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. p. 1001. D. Glandorp. Onom. Rom. p. 738. Strein. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Quinctilia. Ferret. Mus. Lapid. v. Memor. 21.*

Gens Renia apud scriptores non invenitur. C. Renius quidam nominatur in veteri nummo. Præterea M. Rhenius Ti. Cæsaris servus nominatur in inscriptione:

M. RHENIUS. LIBER. XYSTUS. TI.
CÆSARIS. SERVUS GERMANIC. A-
POLLONIO. VICARIO. SUO. AMI-
CO. XX....

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Renia.

Gens Roscia plebeja fuit. Constat vel ex eo, quod L. Roscius Otho, qui tribunus plebis legem theatralem tulit, ex ea ortus fuit. E Lanuvio municipio venisse, colligere possumus ex antiquis *gentis* denariis. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Roscia. Glandorp. Onom. Rom. p. 746.*

Gens Rubria plebeja fuit. Ejus mentionem faciunt Cicer. Brut. c. 45. Plutarch. Gracch. p. 839. A. quo quidem libro nominat Rubrium tribunum plebis, Gracchi in tribunatu collegam, qui rogationem tulit de colonia Carthaginem à Scipione eversam deducenda. Nominantur & alii ab aliis: ac fuit unius familiæ ex hac *gente* cognomen Dorsenus, sive Dossenus; dossum enim antiqui dicebant pro dorsum; alterius Rex. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Rubria. Glandorp. Onom. Rom. p. 748. Ferret. Mus. Lapid. IV. Memor. 1.*

Gens Rustia exhibetur in antiqua inscriptione, cujus exemplum Tiburi descripsimus:

C. RUSTIUS. C. F. FLAVOS. ITER
L. OCTAVIUS. L. F. VITULUS
IIII. VIR. D. S. S.....
VIAM INTEGENDAM
CURAVER

& in tabula Sutrina, in qua:

PONTIFICES. A COLONIA. CONJUNC
JULIA. SUTRIN. IN. ORD. RELAT

Inter eos enim pontifices descriptus est L. Rustius L. F. Plutarch. Crass. p. 564. C. qui sub Crasso contra Parthos militavit. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Rustia.*

Gens Rutilia fuit duplex: patricia, & plebeja. Ejus autem cum plures à scriptoribus familiæ nominentur, Flacci tamen, qui in veteri denario nominatur, nullam in veteribus, vel scriptorum, vel lapidum monumentis, invenire mentionem potui, Rutilii Crassi meminit Liv. XV. 47. Calvi XLV. 44. Rufi Cicer. pro Planc. c. 21. Lupi Cæsar de Bell. civ. III. 55. Censorini Val. Max. IV. 1. 3. *Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Rutilia. Glandorp. Onom. Rom. p. 752.*

Gens Salvia, Ferentino oppido, atque ea principibus Etruriæ oriundam quam scribit Svet. Oth. c. 1. n. 1. plebeja principio fuit. Ut enim tradit Appian. de Bell. civ. III. p. 598. ex ea natus est Salvius is, qui tribunus plebis anno ab U. C. 710. Ciceronis sententiæ de M. Antonio hoste judicando intercessit. Q. autem Salvium, qui in denariis nominatur, opinor eum esse, qui à Vell. II. 76. 4. Svet. Aug. c. 66. n. 2. & Dion. XLVIII. p. 376. E. Salvidienus Rufus appellatur: quod consul designatus, & imperator in denario describitur: qui quidem honos ab iisdem scriptoribus uterque ei tributus est. Sed cur Salvius pro Salvidienus in denariis nominatus sit, fateor me nescire. Nec enim placent ea, quæ de ejus adoptione à quibusdam, licèt antiquitatis benè peritis, allata sunt: quia à Salvia *gente* Salvidium, & à Salvidia Salvidienam *gentis* item nomen, non autem adoptionis cognomen, quemadmodum à Nasidia, Cluvia, Titia, Clodia, Nasidienam, Cluvienam, Titienam, Clodienam dictam esse, cum ex lapide, tum ex scriptorum monumentis constat. Sanè Salvidienum *gentis* nomen fuisse recentis confirmare exemplis possumus. De M. Salvio Othone, Othonis Imperatoris avo, vide Svet. Oth. c. 1. n. 2. & Tacit. Annal. XII. 52. 1. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Salvia. Glandorp. Onom. Rom. p. 759.*

Gens Sanquinia, cujus unus, quod sciam, mentionem facit Tacit. Ann. VI. 4. 4. qui consul ex Kalendis Martiis suffectus fuit an. 781. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Sanquinia. Glandorp. Onom. Rom. p. 764.*

Gens Satrinia in uno denario, nec alibi, invenitur in monumentis. Quemadmodum verò ab Allio Allienus, à Nasidio Nasidienus, à Salvidio Salvidienus: ita à Satrio Satriennis nomen deductum est. *Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Satrinia.* De ea in lapidibus. Et cognomentum Pollionis pluribus peculiare fecit. *Ferret. Mus. Lapid. IV. Memor. 6.*

Gens Sauseja. Hujus & in nummis mentio est, & apud Ciceronem sæpè. *Ursin. & Patin. in Sauseja. Glandorp. Onom. Rom. p. 766.*

Gens Scribonia fuit plebeja. Hoc apud veteres scriptores satis constat. Ejus duæ tantum familiæ, Curionum, ut arbitror, & Libonum in denariis reperiuntur. *Ursin. & Patin. in Scribonia. Glandorp. Onom. Rom. p. 768.*

Gens Sempronia primùm patricia, postea plebeja facta est. In nummis familiæ tres reperiuntur, Atratinorum, qui patricii fuerunt: Gracchorum, qui plebeji: & Pitionum, quos plebejos fuisse opinor. *Ursin. Patin. Strein. Fam. Roman. in Sempronia. Glandorp. Onom. Roman. p. 776. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav.*

Tom.

Tom. II. *p.* 2012. *C. Ferret. Mus. Lapid.* III. *Memor.* 10.

Gens Sentia, incertum patriciane an plebeja fuerit. Neque rerum Romanarum scriptores aliquem ex hac gente nominant, qui Lucii prænomen habuerit; cùm in veteri nummo descriptus extet L. Sentius. C. F. C. Sentii Saturnini meminit Vell. II. 77. 3. qui à triumviris Reipublicæ constituendæ proscriptus, II. 105. 2. Augusti postea legatus in Germania fuit, & consul cum Q. Lucretio Vespillone an. ab U. C. 734. cujus filius credi potest Lucius ille, quem diximus. *Ursin. Patin. Fam. Rom. in Sentia. Glanderp. Onom. Rom. p.* 783.

Gens Sepullia à nullo veterum scriptorum memoratur. Ejus memoria, quamvis fuerit sub Cæsare Dictatore, & triumvirorum temporibus non obscura, nulla pæne extaret, nisi denarii superessent, quibus P. Sepulli nomen inscriptum est. Ac licet colligere P. Sepullium Macrum illis temporibus floruisse. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Sepullia.*

Gens Sergia à Sergesto, comite Æneæ. Virg. Æneid. v. 121.

Sergestusque, domus tenet à quo Sergia nomen.

Patricia fuit majorum gentium, ut credo, cognominibus Fidenate, Natta, Silone, Catilina, Ocella, Planco, novem tribunatibus militum consulari potestate, & aliquot consulatibus decorata. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Roman. Græc. Tom.* II. *p.* 2003. *D. Augustin. Strein. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Sergia. Ferret. Mus. Lapid.* II. *Memor.* 13. *Glandorp. Onom. Roman. p.* 789. *Sigon. de Nomin. Rom. c.* 4.

Gens Servilia, vel, ut in nummis notatum extat, Servellia, Albana fuit, à Tullo Rege, Alba diruta, Romam translata, inque patriciorum ordinem allecta fuit. Liv. I. 30. Dionys. III. p. 170. Floruit Romæ ut quæ maximè. Familias habuit quatuor præcipuas. Nam & Prisci Servilii numerantur ab auctoribus, qui Axillas & Ahalas complectuntur: & Cæpiones, & Vatiæ quoque, & Gamini. *August. Strein. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Servilia. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2004. *C. Ferret. Mus. Lapid.* II. *Memor.* 19. *Glandorp. Onom. Roman. p.* 791. Dictaturas gessit, & ipsa magisteria equitum, consulatusque complures. *Panvin. l. l.*

Gens Sestia fuit patricia, nec Sestiæ plebejæ ulla in dena riis est mentio. Constat ex Liv. III. 33. qui nominat P. Sestium Capitolinum, patriciæ, ut ipse inquit, *gentis*, virum qui cum T. Menenio Lanato consul fuit anno 301. & 302. decemvir consulari potestate legum ferendarum causa. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Sestia. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2012. *C.*

Gens Sicinia plebeja fuit. Frequens ejus est mentio apud scriptores. Extantque ejus hodie nummi. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Sicinia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 804. *Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2012. *C.*

Gens Silia plebeja fuit. Constat ex Liv. IV. 54. *Non aliàs agrius plebs tulit, tribunitia sibi comitia non commissa: eum dolorem quæstoriis comitiis simul ostendit, & ulta est. Tunc primum plebejis quæstoribus creatis: ita ut in quatuor creandis uni patricio Cæsoni Fabio Ambusto relinqueretur locus: tres plebejs, Q. Silius, P. Ælius, P. Papius clarissimarum familiarum juvenibus præferrentur.* Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Silia. Nobilis tamen, & honorata, maximè circa Augusti tempora, cum etiam ad consulatum ascendit; nam antea quæsturis, & præturis contenta substitit. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 806.

Gens Silvia in tres omnino familias divisa fuit in veterum annalium monumentis. Quarum I. Æneæ est, qui Anchise patre natus post mortem Latini soceri Latinorum regnum obtinuit. Hic duos filios reliquit superstites, Ascanium Creusa matre, Ilio adhuc incolumi, natum, & Silvium Latini Regis ex Lavinia filia nepotem. Æneæ in regno successit Ascanius major natu filius. Ascanio Silvius frater excluso Julo Ascanii filio, quem Julii *gentis* suæ auctorem, & familiæ principem nominant. Silvio autem Æneas Silvius successit, Æneæ Latinus Silvius, Laviniæ & Melampodis filius, Silvii primi frater uterinus. II. Albæ Silvii traditur ab antiquis. Ex Alba Atis ortus est, Ati Capis, Capi Capetus. Capeto Tiberinus, Tiberino Agrippa, cui Romulus filius, Romulo Aventinus in regni hæreditatem successit. III. initium sumpsit, ubi ad Procam Silvium Latinorum regnum translatum est, à quo rerum Romanarum auctores historiam suam pænè omnes exordiuntur. Proca filios habuit Numitorem & Amulium. Amulius vi regnum occupavit, quo occiso Numitor in regnum est restitutus, avus maternus Romuli & Remi. *Gentem* hanc Silviam appellavimus, non tam ex consuetudine aliarum *gentium* Romanarum, quàm quod antiquitati aliquid hac in re concedendum arbitraremur. Licèt enim incertum Romuli & Remi paternum genus sit, maternum tamen ad Latinorum Reges antiqui retulerunt, quos libenter secuti sumus. *Strein. & Augustin. Fam. Rom. in Silvia.*

Gens Spurilia plebeja fuit. Hujus mentionem facit Liv. IV. 42. qui Spurilium tribunum plebis nominat, cum inquit: *Plebs tribunos plebis fecit absentes Sex. Tempanium, Agellium, & Antistium, & Spurilium: quos & pro centurionibus sibi præfecerunt Tempanio auctore equites.* Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Spurilia.

Gens Statia plebeja fuit. Hujus meminerunt Liv. II. 52. Cicer. Fratr. I. 2. Dionys. IX. p. 586. Ex ea Murcus ortus est, cujus extat denarius, quique à scriptoribus appellatur L. Statius Murcus. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Statia. Malvas. Marm. Felsin. Sect.* VII. *c.* 1.

Gens Statilia. Hujus aliquot à scriptoribus familiæ nominantur. Ex eis autem Taurorum nova fuit. Intelligimus hoc ex verbis Vell. II. 127. 1. *Rarò*, inquit, *eminentes viri non magis adjutoribus ad gubernandam fortunam suam usi sunt: ut duo Scipiones duobus Lælius, quos per omnia æquarunt sibi: ut D. Augustus M. Agrippa: & maximè ab eo, Statilio Tauro: quibus novitas familiæ haud obstitit, quo minus ad multiplices consulatus, triumphosque, & complura eveherentur sacerdotia.* Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Statilia. Ferret. Mus. Lapid. I. Memor. 19. Glandorp. Onom. Rom. p. 813.

Gens Sulpicia Camerio oppido oriunda fuit. Conjicere hoc possumus ex Ser. Sulpicii cognomine, qui primus ex ea *gente* Romam venisse creditur, & è patriæ nomine Camerinus dictus esse. Ita enim Claudia *gens* è Sabinis profecta, Sabini cognomen adepta fuit. Nullus autem è *gente* Sulpicia antiquior reperitur eo, qui consul anno ab U. C. 254. cum M. Tullio Longo fuit, quique, ut diximus, primus Camerini cognomine usus est: quamvis Ser. Galba Imperator ex hac *gente* natus, ejus originem ad Jovem retulerit. Fuit autem duplex, sive, ut quibusdam placet, triplex, patriciorum scilicet, plebejorum, & equestrium. Patriciorum Galbæ in antiquis denariis, equestrium Rufi reperiuntur. Illud autem in hac *gente* maximè notandum, Sulpiciam Rufórum familiam duobus simul prænominibus usam fuisse. Itaque in antiquis denariis nominatus L. Servius Rufus: & apud Nep. Attic. 2. 1. M. Servius Sulpicius. Sic apud Livium P. Servius Sulpicius. *Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Sulpicia. Glandorp. Onom. Roman. p.* 817. *Ferret. Mus. Lapid.* III. *Memor.* 24. Cameria autem sub Romulo Romana colonia facta fuit. Quare haud absurdum est hanc *gentem* à Romulo in Urbem evocatam, atque inter secundæ lectionis patres relatam, quæ postea Romæ nobilissima fuit, cognominibus Camerino, Cornuto, Petico, Longo, Saverrione, Paterculo, Gallo, Galba, Maximo, Prætextato, & Rufo ornata. Quæ multiplices consulatus, censuras, triumphos, & dictaturas Romæ est consecuta. *Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2003. *F.*

Gens Tarquinia ex Etruscorum urbe Tarquiniis Romam sub Anco Rege venit, cujus auctor fuit L. Tarquinius Priscus. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2006. *A. Sigon. de Nom. Rom. c.* 4.

Gens Tarquitia patricia fuit. Ejus mentio frequens est, cum in Fastis Capitolinis, in quibus L. Tarquitius Flacus

eus L. Quinctio dictatore magister equitum anno ab U. C. 295. describitur, tum in antiquis inscriptionibus:

L. TARQUITIO
L. F. POM
ETRUSCO
SULPICIANO
SCRIBÆ. QUÆSTORI
EX TESTAMENTO
D. HS. XX

&

DIS. MANIBUS
L. TARQUITIO. MARCIANO
FILIO. DULCISSIMO...

&

L. TARQUITIUS. TROPHIMUS. ET
TARQUITIA. EUTYCHIA. PARENTES
FILIO. DULCISSIMO. FECERUNT....

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Tarquitia. Glandorp. Onom. Rom. p. 829. *Ferret. Mus. Lapid.* III. *Memor.* 6.

Gens Terentia inter plebejas ab antiquis scriptoribus nominatur: ex ea enim extitit C. Terentius tribunus plebis, qui anno ab U. C. 291. legem tulit, ut quinqueviri crearentur legibus de imperio consulari scribendis, ne ipsi libidinem, ac licentiam suam pro lege haberent. Liv. III. 9. Dionys. x. p. 627. Reperiuntur in antiquis denariis *gentis* hujus familiæ duæ, Lucanorum & Varronum. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Terentia. Glandorp. Onom. Roman. p.* 831. *Vaillant Numism.* 1. *p.* 36. De Terentiis integram dissertationem, quæ Genialium dierum Dec. 1. sexta est, scripsit *Johannes Lomejerus*, & Sect. v. c. 8. Marmor. Felsin. *Carolus Cæsar Malvasia*.

Gens Thoria plebeja fuit. Hoc inter omnes ferè scriptores constat. L. Thorii Balbi meminit Cicer. de Fin. II. 20. & 22. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Thoria*.

Gens Titia plebeja fuit. Multi enim ex ea tribuni plebis extiterunt: à quibus latæ sunt leges, quæ de vectigali agrorum, de lusu, de triumviratu quinquennali, de donis & muneribus inscriptæ sub Titiæ *gentis* nomine circumferuntur. Inscriptio antiqua:

CIVIUM. ROMANORUM
QUI. MITYLENIS. NEGOCIANTUR
M. TITIO. L. FILIO. PRO-COS. PRÆF
CLASSIS. COS. DESIG. PATRONO
HONORIS. CAUSA

Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Titia. Ferret. Mus. Lapid. II. *Memor.* 32. *Vaillant Numism.* 1. *p.* 18.

Gens Titinia habuit familias patricias & plebejas. Patriciæ meminit Liv. v. 12. *Non tamen ultra processum est, quàm ut unus ex plebe usurpandi juris causa P. Licinius Calvus tribunus militum consulari potestate crearetur: cæteri patricii creati P. Mænius, L. Titinius. . . .* Plebejæ idem III. 54. facit mentionem, ubi M. Titinium nominat tribunum plebis creatum anno ab U. C. 303. quo tempore plebs in Aventinum ob facinus Appii Claudii Crassini decemviri secesserat. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Titinia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 843. *Lucet. de Lucern.* VI. 82.

Gens Tituria è Sabinis Romam venit. Constat cum ex cognomine, tum ex imagine, quæ est in ejus *gentis* denariis impressa T. Tatii Sabini, quem Romæ annos quinque cum Romulo regnasse, cum ab eo in regni consortium adscitus esset, notum est. Eodem pertinet Sabinarum expressus in denariis raptus, & Tarpeja conjectis scutis à Sabinis necata. Tituriæ autem familiæ mentio fit etiam à Cicer. pro Font. c. 5. Et in inscriptione, quæ reperta Romæ in Aventino monte fuit:

T. TITURIUS. T. F. SABINUS
T. TITURIUS. T. F. PAL. MAMER
CUS. TITURIA. SABINA
TITULUM. FECERUNT.

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Tituria.

Gens Trebania apud scriptores non invenitur. In argenteo quodam nummo, & in alio æreo L. Trebanius est descriptus. Nisi errore ita incisum sit pro L. Trebatius: ut in æreo quodam nummo Fabrini pro Fabricii errore incisum quidam suspicantur. Trebatiæ *gentis* meminerunt cum alii, tum Cicero sæpè. *Ursin. Fam. Rom. in Trebania.*

Gens Tullia inter patricias numerata fuit. Fuerunt plurimæ Tulliæ *gentis* familiæ cognominibus distinctæ. Longorum mentio extat apud Cicer. Bruto. Montanorum apud Cicer. Attic. XII. 52. Cimbrorum apud Senec. Epist. 83. Plutarch. Brut. p. 991. D. Rufforum apud Hirt. Bell. Afric. c. 85. Senecionum apud Tacit. Annal. xv. 50. I. Memoratur etiam M. Tullius Decula, qui consul fuit cum Cn. Cornelio Dolabella anno ab U. C. 672. Præcipuè Ciceronum. V. illos infr. in *Tullius*. Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Tullia. Glandorp. Onom. Rom. p. 851. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. II. p. 2011. B.

Gens Turpilia Romana. Veronæ ad D. Proculi hæc extat inscriptio:

TURPILIO. Q. F. POB. Q. TURPILIO.
Q. F. POB. INGO. I D. AVO. MACRO.
FRATRI. TURPILIA. Q. F. SECUNDA

In foro piscario prope macellum:

D. M
M. TURPILI. CASSIANI. FILIUS. PA-
TRI. PIENT.

Ferret. Mus. Lapid. IV. *Memor.* 46.

Gens Valeria è Sabinis oriunda, cum T. Tatio Rege Romam venit. Dionys. II. p. III. princeps fuit Volusus Valerius, vel Valesius. Plutarch. Poplic. p. 97. Cum autem multas hæc *gens* habuerit familias patricias, & plebejas, quarum extat mentio apud scriptores, soli in denariis Acisculi, Flacci, Messallæ, & Catulli reperiuntur. Extat & denarius cusus à M. Valerio Barbato M. Antonii triumviri R. P. C. quæstore provinciali. Ita enim interpretor notas illas Q. P. non autem quæstor publicus, ut faciunt alii. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Valeria. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Græv. Tom.* II. *p.* 2004. *F. Glandorp. Onom. Rom. p.* 859. *Streun. de Fam. Roman. in Valesia.* Prima & præcipua est Latinarum *gentium*, cum propter generis antiquitatem, tum etiam propter summam nobilitatem, eximiasque virtutes, quibus facilè cæteris antecelluit. Valesia primùm, post Valeria dicta est. V. supr. in *Gens Furia & Papiria*. Meminit etiam cujusdam Valesii Val. Max. II. 4. 5. qui Diti patri & Proserpinæ, ara sub terra reperta, facta primus furvis hostiis fecit: cujus exemplum secutus Valerius Poplicola apud eandem publicè nuncupatis votis, cæsisque atris bobus, Diti maribus, Proserpinæ feminis, lectisternioque, ac ludis trinoctio factis, aram terra obruit. Atque hæc quidem Valeriæ *gentis* fuisse sacra gentilitia opinor. Universa verò hæc *gens* in quatuor familias distributa est. In prima Poplicolas, Maximos, Potitos, Corvinos, Messallas collocamus: ea ratione, quia ejusdem fuit stirpis. In secunda Flaccos: In tertia Palcones: In quarta Lævinos constituimus. *Augustin. Fam. Rom. in Valeria.*

Gens Varganteja, incertum patriciane fuerit, an plebeja. Opinor patriciam fuisse. Mentio extat in antiqua inscriptione:

FORTUNÆ. EQ
SACR
M. VARGUNTEJUS
M. F. STELL. APITIUS.
7. COHOR. X. PRÆT. ET.
VARGUNTEJA. HILA
RA. L. SUA. SUA. PECUM
V. S. L. M.

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Varganteja. Glandorp. Onom. Rom. p. 878.

Gens Vergilia fuit plebeja. Ejus historici faciunt mentionem. Vergilium autem, & Virgilium antiquos scripsisse, quemadmodum Verginium, & Virginium, testimonio nobis sunt veteres inscriptiones, in quibus C. Verginius Martanus, M. Verginius Narcissus, & C. Verginius Rufus consul cum C. Memmio Regulo nominantur.

Vetus

Vetus autem in Claudianum epigramma cum Calvi carmine consentit:

Et vates cui virga dedit memorabile nomen
Laurea.

Est enim in eo epigrammate ita incisum:

Εἰν ἑνὶ Βιργιλίοιο νόον καὶ Μοῦσαν Ὁμήρου
Κλαυδιανὸν Ῥώμη καὶ βασιλῆες ἔθεσαν.

Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Vergilia. Glandorp. Onom. Rom. p. 890.

Gens Vettia fuit Sabina. Hoc ex T. Tatii Sabini imagine, quæ in ejus *gentis* denario impressa est, intelligere possumus. Opinor autem, cum ipso Tatio tum primùm Romam venisse, cum à Romulo in regni consortium adscitus fuit: propterea quod Vettius quidam Interrex Plutarch. in Numa p. 64. A. nominatur, quando Numa Rex creatus fuit. Hujus *gentis* cognomen Judex sæpè apud scriptores depravatum est in Index. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Vettia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 895. *Ferret. Mus. Lapid.* II. *Memor.* 46.

Gens Veturia fuit patricia. Hoc ex veteribus scriptoribus satis constat. Eam Regibus adhuc regnantibus Romæ domicilium habuisse, vel ex eo intelligi potest, quod Veturius Mamurius, ancilium opifex, sub Numa Rege vixit. *Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Veturia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 896.

Gens Vibia fuit plebeja. In illa fuerunt Paulli, Pansæ, Postumi, Rufini, alii. *Ferret. Mus. Lapid.* III. *Memor.* 28. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 899. In antiquis denariis Varii tantùm, & Pansæ reperiuntur. Hujus memoria extat in antiquo lapide, in quo T. Vibius Barus consul notatus est cum Ap. Annio Bradua:

APPIO. ANNIO. BRADUA
TIT. VIBIO. BARO. COS....

A Vibone oppido in Sicilia profecta, atque inde in Romanam civitatem ascita, in Clustumina tribu censeri cœpit, ut apparet ex hac inscriptione:

C. VIBIUS. C. F. CLU
PANSA TR. MIL. BIS
DOMITIÆ. L. F. MAXIMÆ
UXORI....

Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Vibia.

Gens Vinicia fuit plebeja. Constat vel ex uno L. Vinicio, qui cum C. Vibio Pansa tribunus plebis cum esset, ei S. C. intercessit, quod M. Cælius recitat ad Cicer. Epist. viii. 8. *Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Vincia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 904.

Gens Vipsania. Hujus mentio frequens est in veteribus monumentis, & plures familiæ nominantur ab iis, qui Vipstanam cum ea confundunt, eandem esse cum Vipsania arbitrati. Ejus autem erroris causam dedit mendosus Taciti codex, in quo malè Vipsanus legitur lib. x. & alibi, cum Vipstanus scribi debuerit. C. enim Vipstanus Apronianus in veteribus inscriptionibus inter fratres Arvales numeratur eos, qui Neronis Imperatoris tempore fuerunt. M. autem Vipsanius Agrippa, cujus multi supersunt denarii, familia ortus est equestri, ut indicat Nep. Attic. c. 12. n. 1. *Ursin. & Patin. Fam. in Vipsania. Glandorp. Onom. Roman. p.* 905.

Gens Virginia consularis fuit. Ejus cognomina Tricostus, Rutilus, Cœlimontanus. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 2012. *C. Glandorp. Onom. Rom. p.* 909.

Gens Visellia consularis fuit. In illa vir cognomento Varro. *Ferret. Mus. Lapid.* IV. *Memor.* 18. *Glandorp. Onom. Rom. p.* 911.

Gens Vitellia fuit, ut opinor, patricia majorum *gentium*. Orta est Fauno Aboriginum Rege, & Vitellia, quæ multis locis pro numine colebatur. Svet. Vit. c. 1. n. 3. Ex ea fuerunt M. & M. Vitellii fratres uxoris Collatini primi consulis, à Bruto cum filiis, quod de recipiendis in Urbem Regibus conjurassent, interfecti. Liv. II. 4. Dionys. v. p. 281. qui illos non Vitellios, sed Gellios vocat. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* II. *p.* 1000. *D. Glandorp. Onom. Rom. p.* 913.

Gens Voconia fuit plebeja. Constat vel ex uno Q. Voconio Saxa, qui tribunus plebis legem de mulierum hæreditatibus tulit, cujus meminit Cicer. Act. II. in Vert. c. 42. & alibi, itemque alii. Ejus mentio extat in antiqua Inscriptione:

D. M
C. VALERIUS. C. F. FLAV
SPECU....... SISCIA
MIL. COH. VIII. PR.
7. VOCONI. ✠....

In tres familias divisa apud scriptores reperitur. Nam præter Saxam Q. Voconius Naso ex ea genus duxit, qui cum Cicerone prætor designatus est anno ab U. C. 686. Fuit & Vitulorum familia, quæ sola in antiquis denariis reperitur. Extat ejus mentio in hac Inscriptione:

MARTI. LEUCETIO
PRO. SALUTE. IMP
DOMINI. N. AUG. PII
Q. VOCONIUS. VITU
LUS. LEG. XXII. P. R
P. F. PONENDUM
CURAVIT

Ursin. & Patin. Fam. Roman. in Voconia. Glandorp. Onom. Rom. p. 920.

Gens Volteja, ita enim antiqui scribebant pro Vulteja, ut Volcanus & voltus pro Vulcanus & vultus, incertum patriciane fuerit an plebeja. De ea extat apud Cicer. Verr. III. 66. in epistola Timarchidis, in qua L. Vultejus quidam nominatur. Vulteji Menæ mentionem facit Horat. Epist. I. 7. 55. *Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Volteja.*

Gens Volumnia in patriciam & plebejam distinguitur. Cognomina fuerunt Amintinus, Gallus, Flamma, Violens. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* II. *p.* 2012. *D. Glandorp. Onom. Rom. p.* 922. *Ferret. Mus. Lapid.* II. 12.

GENTILES sunt, qui ejusdem sunt *gentis*, vel, ut tradit Cicer. Topic. c. 6. *qui inter se eodem sunt nomine.* Quod etiam scribit Festus: *Gentilis dicitur, qui eodem ex genere natus est, & is, qui simili nomine appellatur.* Quum ait, ex eodem genere, eos intelligit, qui ejusdem *gentis* eundem principem habent: similiter verò nomine eos, qui quamquam uno *gentis* nomine omnes utuntur, tamen non eundem sui generis auctorem habent, quo modo Cicer. Tusc. Quæst. I. 16. ait se *gentilem* Serv. Tullii Regis: *Pherecydes antiquus sanè fuit enim meo regnante gentili*, quod uterque simili gentilicio nomine uteretur, quum tamen è diverso uterque genere manaret: agnati enim non erant, neque ea eadem familia. Unde ait Brut. c. 16. *Multos usurpasse alienam familiam, cum essent ejusdem nominis & gentis, ut si*, inquit, *me à M. Tullio patricio esse dicerem, qui consul fuit cum Ser. Sulpicio.* c. 28. *Tuus gentilis Brute M. Pennus.* Fuerunt nam & Pennus, & Brutus ex eadem *gente* & nomine, ambo enim Junii, sed ex diversis familiis, nam alter ex Juniis Brutis, alter ex Junius Pennis. Quum autem scriptum sit de Inveot. II. 50. *Si furiosus existat, agnatorum gentiliumque in eo, pecuniaque ejus potestas esse.* Agnati profectò videntur esse, qui ex eadem familia sunt, quibus deficientibus *gentiles* subeant. Nam etiam Cicer. de Orat. I. 38. dixit *jus stirpis, ac gentilitatis; jura gentilitatum & agnationum.* Et de Leg. I. 7. *Homines, deorum agnatione, & gente tenentur*, quum utramque conjunctionem complecti vellet. Plin. XXXIII. 6. quoque *gentiles* nova quadam ratione appellat. Siquidem *servos gentiles esse dominorum* ait, quia eodem prænomine appellantur quo dominus, ut Marcipor, & Quinctipor, id est, Marci, & Quincti puer. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* II. *p.* 5998. *F. Sigon. de Nom. Rom. c.* 4. *& Emend.* II. 20. *Spon. Ignot. deor. ar. Thesaur. Ant. Græc. Grenov. Tom.* VII. *p.* 267. *F. Laurent. de Republ. c.* 3. *Robortell. de Fam. Roman. Misc. Erud. Ital. Tom.* I. *p.* 638. *Bud. in Pandect. p.* 278. *H.* 38. *A. Bereald. Annot. c.* 76. *Scopp. Collect.* I. 5. *Calcagn. Epist. Quæst.* I. 16. *Ravard. ad Leg.* XII. *tab. c.* 13.

Gentiles dicebantur barbari, qui non erant imperio Romano

mano subjecti, & idololatræ, ut l. à legatis 8. C. de vestig. & commiss. Theodos. A. l. fin. C. de offic. milit. jud. *Duces*, inquit, *militum, & præcipuè quibus gentes, quæ maximè cavenda sunt, appropinquant, in ipsis limitibus commorari præcipimus*. Valentin. l. 1. C. de nupt. Gentil *Nulli*, inquit, *provincialium cum Barbara sit uxore conjugium, nec ulli Gentilium provincialis femina copuletur*. Panciroll. Notit. Dign. imp. occid. c. 88. Casal. Theol. Gentil. 1. 6.

GENTIUS fuit filius Pleurati, Rex Illyriorum. Hunc cum Perseus Rex, Philippi Macedonis filius, magna mercede promissa in belli societatem traxisset, triginta diebus cum regno suo in potestatem adduxit L. Anicius prætor, anno ab U. C. 586. Bellum hoc describit Liv. XLIV. 31. *Sigon. de Ant. Jur. prov.* 1. 7.

GENUA flectere fuit, estque apud omnes gentes precantium gestus antiquissimus, & creberrimus. Is ab Hebræis ברך, à Græcis *γονυκλισία*, à Latinis supplicatio, sive *genuum* flexio, & incurvatio dicitur. Hinc *geniculari* est *genibus* flexis precari: & *geniculatio* est precatio, quæ fit *geniculando*, sive *genu* flectendo, quod verbum utrumque apud Tertullianum sæpè occurrit. *Geniculationis* usus cur tantus semper fuerit, rationem reddens in hanc sententiam loquitur Plin. XI. 45. *Hominis genibus quædam & religio inest observatione gentium. Hæc supplices attingunt: ad hæc manus tendunt, hæc, ut aras, adorant, fortassis, quia inest iis vitalitas. Namque in ipsa genus utrimque commissura dextera, lævaque à priore parte gemina quædam buccarum inanitas inest: qua perfossa, ceu jugulo, spiritus fugit*. Stuck. de Sacrif. p. 131. Illa velut misericordiæ symbola supplicantes tangebant, quorum flectendi erant animi. Eustath. Iliad. 1. p. 427. *Genua attingebant propter motus & progressionis potentiam. Symbolicè itaque eos, quibus fiebant supplices, per genua ad progressum, ea, quæ petebant, sibi præstandi causa, incitabant. Vel etiam, ut illorum, quibus supplicabant, animi inclinarentur, seu flecterentur, cum in genibus potissimum corpus frangatur, atque flectatur. Sciendum quoque est*, addit idem, *quod, licèt supplicantes, & caput, & dexteram, & genua apprehendere fuerint soliti: tamen totum supplicationis actum veteres per synecdochen vocabulo γουνάζεσθαι expresserunt: idque propterea, quod supplicantibus genua maximè sunt in promptu, cum vel caput ob celerem ejus conversionem, vel dextram, quæ nonnunquam absconditur, non ita facile sit attingere*. Ritus hujus ratio I. quod in *genibus* sit vitalitas, ut modò dixit Plinius. Hinc Theocrit. Idyll. XIV. 70. quibus *genu est viride*, hoc est, qui vigent robore. Cui simile illud Horat. Epod. XIII. 6.

Dumque virent genua.

Sic Homerus corporis vigorem *genuum* vigore, seu robore æstimavit. Et tritum illud in deorum vi ac potestate situm est, *θεῶν ἐν γούνασι κεῖται* apud Homer. Odyss. II. 129. A. 267. II. quod *genua* sint misericordiæ consecrata. Servius. V. illum supr. in *Corpus*. Stuck. Ant. Conviv. II. 32. Sacrif. p. 43. Jun. Anim. II. 11: IV. 12. Rhodig. Ant. Lect. XV. 18. Brisson. Form. VIII. p. 739. Hartung. Memor. Dec. 1. 8. §. 5. Tomas. de Donar. c. 2. de Hospit. tess. c. 8. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 16. B. Laurent. Vat. sacr. gentil. c. 7. & 10. Peith Ant. Homer. III. 14. Blond. Triumph. Roman. 1. p. 18. H. Columm. in Ennium p. 296. Et interdum osculabantur. Capitol. Maximin. jun. c. 4. *In salutationibus superbissimus erat, & manum porrigebat, genua sibi osculari patiebatur*. Ammian. XXVIII. 4. *Ex his quidam osculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt genua suavianda*. Heliodor. x. p. 493. *Tanta proceritate & prisca illa statura homo, ut cum genu Regis oscularetur, propemodum eos, qui in alto loco sedebant, adæquare videretur*. Calaub. in Capitolinum. Feith Ant. Homer. III. 14. Lips. Elect. II. 6. Claud. de Salutat. vet. c. 6. Fulmine ictorum corpora supra *genua* non tollebantur. Humabantur enim sine ullis justis, & funerum sollennibus. Illa prohibuerat casca lex Numæ Pompilii, quam recitat Festus in v. Occisum. Ea sic habet: *Sei hominem fulminis*, ita antiqui nominandi casu dicebant pro fulmen. Lips. Epist. Quæst. 1. 11. *occisit, ei supra genua ne tollito*. Super hac lege variæ sunt doctorum opiniones. Ræward. c. 32. ad leg. 12. tab. existimat velut sceleratos, & impios unco tractos fuisse, non capulo elatos. Qui verò capulo efferebantur, eos non capulo humeris imposito efferri solitos: sed in eam altitudinem à terra capulo levatos, ut supra *genua* duntaxat tollerentur. Marsil. ad Persium efferre explicat: Ad sepulturam tradere, quod idem est. Fruter. Epistola quadam ad Muretum. Et addit, videri sibi morem olim fuisse, qui etiam nunc in quibusdam Galliæ partibus est, ut restibus quibusdam, vel lineis mantilibus feretro circumvolutis, earumque extremitatibus manui obvolutis, funus ultra *genu* sustollerent, sicque in locum communem Mettia porta transferrent. His refutandis tempus non libenter teror: satis est, si dixero esse planè *ἀσυμφανῆ* (?), nec in ullo veteri scriptore hujusmodi elationis vocem, aut vestigium extare. Humeris mortuos fuisse elatos dictum supra in *Cadaver*. Omnis error ex phrasi *supra genua tollere* non rectè intellecta pullulasse mihi videtur. De hoc Casauboni sententiam meo judicio verissimam placet adscribere. Ille de legis sensu à me consultus respondit, se censere, *ὁμώνυμον* esse *ἀπὸ μέρους τὸ παντὸς*, hoc est, *πάντως τῆς ἐπὶ νεκρῷ ὁσίας, καὶ κηδείας*. Propriè enim *supra genua tollere* ita convenisse, qui sedentes cruribus, tibiisque porrectis, supra *genua* positum corpus exanime mundabant, lavabant, ungebant, & vestimenta funebria induebant: quæ certè fieri non poterant, nisi mortuum supra *genua* tollerent. Albinov. ad Liviam n. 95.

At miseranda parens suprema neque oscula fixit,
Frigida nec movit membra tremente sinu.

Arnobius alludens ad funeris ritum V. p. 166. *Ac ne medio in gremio diffluerent, priusquam veste velaret, ac tegeret, lavit utique balsamis atque unxit*. Hanc conjecturam etiam confirmant antiquæ statuæ, quæ passim locorum conspiciuntur. Mulieres sunt impositum *genibus* habentes Christi τοῦ *σωτῆρος* corpus cruci detractum, idque nudum, *πρὸ τοῦ ἐνταφιάζειν αὐτό*. Et Dionysius Alexandrinus, cujus verba ceremonias in Christianorum funeribus usitatas accuratè recensentis extant apud Euseb. VII. 17. *Sanctorum corpora*, inquit ille, *manibus erectis, supinisque excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadavera, decenter ornare, illis adhærescere, amicè complecti, lavare accuratè, & linteo involvere non gravati sunt*. Kirchm. de Fun. Rom. 1. 3. Meursi. de Fun. c. 38. Guther. de jur. man. 1. 2. *Genibus* assueti erant veteres in scribendo. V. infr. in *Lectica lucubratoria* & supr. in *Egeria*. Et deorum *genua* incerare dicebantur. V. infr. in *Incerare*.

GENUS inter, & stirpem interest, quod inter gentem & familiam. Cicer. de Amic. c. 19. *Qui aliquamdiu propter ignorantiam stirpis, & generis in famulatu fuerunt*. de Orat. 1. 38. *Quum Marcelli à liberti filio stirpe, Claudii patricii ejusdem nominis hæreditatem gente ad se rediisse dicerent nonne in ea causa fuit de tota stirpis, & gentilitatis jure dicendum?* Panvin. de Nom. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1998. E. Sigon. de Nom. Rom. c. 4. *Genus* differt à gente. Gens *genus* continet, non contra *genus* gentem. *Genus* enim ad civile principium cujusque gentis trahitur, & in linea directa versari duntaxat videtur, sic quidem ut ejus appellatione agnati non comprehendantur. Particula inscriptione de hortis legatis: EXCEPIT. NE. QUIS. EOS. VENDERET, SED. PER. GENUS. IPSORUM. POSSESSIO, CURRERET. VEL. PER. AGNATOS. VEL. MANUMISSOS. Ex quo loco probari videtur, inter solos ascendentes, & descendentes *generis* appellationem fuisse. Idque notatio nominis confirmat. Cum enim *genus* à genendo, quod veteribus cum gignendo idem est, appellatum sit, quis dubitabit, quin hi solum, à quibus nos sumus, & qui a nobis sunt geniti, *generis* comprehendantur appellatione. Gens autem quanquam ad principium etiam cujusque generationis, rectamque cognationis lineam, sive, ut ait Cornelius Fronto, *ad seriem majorum* pertineat; ad agnatos tamen, gentilesque referri nihilominus potest. Hanc *generis gentisque* differentiam ignorasse non videtur Papinianus,

qui

qui sic scribit de probat. 1. *Quoties quæretur genus an gentem quis haberet, necne, eum probare oportet.* Sic *genus* accepisse visus est etiam Symm. Epist. II. *Genus ejus*, inquit, *senatorium est; mens, ac modestia origine sua, ac stirpe nobilior.* Haud dubiè *senatorium genus* originem appellans senatoriam. Et quidem tunc id semper verum est, cum propriè quid sit *genus*, inquiritur. Abusivè enim & impropriè pro gente *generis* nomen plerumque veteres usurpasse certius est, quam ut doceri necessum sit. *Revard. Var.* v. 1.

GEO.

GEOMETRIA inventa est ab Ægyptiis, *tempore quo Nilus plus æquo crescens confudit terminos possessionum: ad quos innovandos adhibiti sunt philosophi, qui lineis diviserunt agros: inde geometria dicitur, cum non tantum terra, sed & maris, & cœli, & aeris spatia metiri consueverit.* Serv. Ecl. III. 41. Herodot. II. 145. Strab. XVII. p. 542. Isidor. II. 10. *Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* V. *p.* 719. *F. Rhodig. Ant. Lect.* XVIII. 34. *Vaillant Numism.* II. 85. *Volaterr. Comm. Urban.* XXXV. *p.* 1291. *F.* Illorum dæmona nomine Theuth invenisse scribit Plato Phædr. p. 1240. A. *Audivi circa Naucratim Ægypti priscorum quendam fuisse deorum, cui nomen Theuth: hunc primum omnium numerum, & numeri computationem invenisse, geometriamque, & astronomiam. Erat tunc totius Ægypti Rex Thamus; & in eminentissima, amplissimaque civitate, quas Ægyptias Thebas Græci appellant, deumque ipsum Ammonem vocant. Ad hunc Theuth profectus, artes demonstravit suas, dixitque eas distribui deinceps Ægyptiis cæteris oportere.* Rhodig. Ant. Lect. XXII. 15. Senftleb. de Alea c. 3. Buleng. de Lud. vet. c. 1. Hunc puto fuisse Mercurium, qui Hermes vulgo vocatus fuit. *Vives in August. de Civ. Dei* VIII. 26. *Rhodig. & Senftleb. l. l.* Et sanè non absurdum fuerit existimare, Mercurium terminalem deum latifundiis metandis præpositum fuisse, nam mensuras invenisse & pondera testatur Diodor. v. p. 236. A. quum prætereà *geometriæ* inventio nequaquam ipsi sit invidenda, utpote qui artium repertor dicatur à Cassiod. Var. II. 40. Et *geometria* inter Mercurii administras à Martiano Capella connumeretur. Ejusque inventionem apertis verbis ei tribuit Homeri enarrator, quum ait: *Mercurius Jovis, ac Majæ Atlantiadis filius, dum inter homines ageret, quatuor maxima invenit, literas, musicam, palæstram, & geometriam: propterea illum Græci quadratum effingunt, & in gymnasiis dedicant.* Aleand. l. l.

GER.

GERANON in scena erat machina, qua veluti Memnon ab Aurora, vel Endymion à Luna, rapi videretur, talis scilicet, qualis de tauro Mart. Spect. XVI. 1.

Raptus abit media quod ad æthera taurus arena.

Gyrald. de Poet. dialog. VI. p. 335. A. Edit. Lugd. Rhodig. Ant. Lect. VIII. 8. Scalig. Poet. I. 21.

GERMALUM fuit una pars montis Palatini, forum versus, in qua Ancus Rex habitavit. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 3. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 272. *D.* Plutarch. Rom. p. 19. C. *Quem nunc locum Germalum vocant, sed pridem Germano nomen fuerat, quod germanos fratres vocare solent.* Marlian. Topogr. Urb. Roman. II. 17. Donat. de Urb. Roman. I. 6. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 12. §. 1. Salmas. Exerc. Plin. p. 800. b. A. Boissard. Topogr. Urb. Roman. Tom. I. p. 30. Ex Plutarcho Marlianus expiscari sibi visus est, non Lupercal, sed *Germalum* ficui vicinum fuisse. Quare, ut auctorum dissidentium loca conciliet, geminos dicit ad Lupercal expositos, pôst translatos, nutritosque sub ficu in *Germalo*: ac ita tot auctorum loca, Lupercal disertè cum ficu Ruminali eidem loco adscribentia, mera somnia sint. Neque verò Plutarchus hic à cæteris diversus. Quum enim Lupercal spelunca fuerit, ficus arbor, *Germalus* locus Urbis, ut ipse indicat Plutarchus, facilè mente concipi possunt duo infantes in *Germalo* expositi, sub ficu, ad Lupercal. Et quia in eo Lupercal, & templum Romuli, pars illa hortorum Farnesiorum fuit, quæ ædi S. Mariæ Liberatricis imminet, & ad ipsam ecclesiam fortè pertigit, cum pars illa montis ruinis necdum, & ruderibus veterum ædificiorum adeo esset impedita. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 12.

GERMANÆ personæ ridiculæ, cum enim contra *Germanos* pugnarent Romani, illique essent corpore, & vultu prodigioso, pro ridiculo ad scenam advocabantur. Mart. XIV. 176. cui appositum, *Persona Germanica:*

Sum figuli ludus rufi persona Batavi:
Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

Argol. ad Panvin. de Lud. Circens. II. 2.

GERMANI habuerunt aruspices. Tacit. Germ. c. 10. n. 1. *Auspicia, sortesque ut qui maximè observant.* Buleng. de Sort. c. 5. Cluver. Germ. Ant. I. 36. Ex clamore militum in concursu cum hostibus omen victoriæ captabant. V. supr. in *Barritus*. Per assidua cum Romanis bella commerciaque quædam sacrorum ab iis instituta, deorumque *Germani* acceperunt nomenclaturas. Cum enim parem gentes omnes amplexæ sunt religionem, haud difficulter in sacra, & ceremonias Romanorum *Germani* concedere potuerunt. Quod subinde etiam factum. Nam & quidam ex *Germanis* ad sacerdotia allecti à Romanis. Quod vel unum exemplum Segimundi Segestis filii, sacerdotis creati apud aram Ubiorum, liquidò satis ostendit. Tacit. Annal. I. 57. 3. *Addiderat Segestes legatis filium, nomine Segimundum. Sed juvenis conscientia cunctabatur. Quippe anno, quo Germaniæ descivere, sacerdos apud aram Ubiorum creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles.* Boxhorn. Quæst. Roman. c. 1. Torquibus utebantur. Videtur quidem obstare Tacitus, quando de eorum moribus c. 5. n. 4. ait carere auro, argentoque, nec inter cætera illorum ornamenta torques recenset. Ipse tamen aliter ibid. c. 15. n. 4. *Gaudent præcipuè finitimarum gentium donis, quæ non modo à singulis, sed publicè mittuntur: electi equi, magna arma, phaleræ, torquesque.* Ita Flor. IV. 12. 25. nominatim memorat in Cheruscis, Svevis, Sicambris, quæ haud dubiè *Germanicæ* fuerunt gentes. *Cherusci equos, Suevi aurum & argentum, Sicambri captivos elegerant. Victor namque Drusus equos, pecora, torquesque eorum, ipsosque, prædæ divisit, & vendidit.* Scheffer. de Torquib. c. 12. Cluver. Germ. Ant. I. 16. Caput apertum, & sine tegmine habebant. Inducit me facilè Tacitus, qui cirros eorum, nodosque commemorat Germ. c. 38. n. 2. Imo de Suevis clarè ostendit n. 4. pugnasse eos etiam capite aperto, crinibus religatis in altitudinem quandam & terrorem. *Lips. de Amphith. c.* 19. *Cluver. ibid. c.* 16. Apud priscos *Germanos* dum igne accenso corpora defunctorum cremarentur, pro dignitate, proque opibus, quibus quisque potens erat, amici & affines, quique conjunctissimi aderant, quæ cara habebant, & præcipui cultus, cum gemitu, & questu miserabili, in luctus, & gravissimi doloris signum ignibus injiciebant. *Morestell. Pomp. Feral.* VII. 6. *Cluver. ibid. c.* 53.

Germanici fratres Metellorum tempore eisdem prænominibus non utebantur. *Augustin. de Fam. Roman. in Cæcilia.* Et raro summum honoris consularis fastigium simul tenuerunt, ut Claud. Consul. Prob. & Olyb. exclamet n. 275.

Omni nobilior lustro, tibi gloria soli
Contigit, exactum nunquam memorata per ævum
Germanos habuisse duces.

Sextus enim Anicius Hermogenianus Olybrius, & Sextus Anicius Sext. filius Probinus, nobilissimum par fratrum, rara felicitate simul consulatum gesserunt. Vix duos Fulvios in consulatu noverat Vell. II. 28. Vix Othonem & Titianum citare potest Tacit. Hist. I. 77. Vix Julianum atque Paullinum fratres consules felicitas seculi Constantiniani speraverat. Denique vix crediderim Felicem Gallum & Secundinum, qui anno 511. consulatum gesserunt, *germanos*, Severini Boethii filios fuisse, quod vult Barth. ad Claud. n. 231. cum Theodoricus Rex, te-

stis

ftis Barthio major, iftius Galli natales ex Tranfalpinis Gallus deducat, tergeminis literis ad Anaftafium Imperatorem, ad ipfum Felicem, & ad Senatum Romanum datis apud Caffiod. Var. II. 1. 2. 3. Fratres tamen Imperatores, & confules fimul laudat Barth. ad Claud. n. 276. duos Vitellios, duos Antoninos, duos Conftantinos: item Arcadium & Honorium fratres. *Lipen. de Stren. c. 2. tert. at.* §. 28.

GERMANICI cognomen multi affumpfere Imperatores poft Neronem Claudium Drufum: nam & Domitianus, & Trajanus *Germanici* cognominati fuere. Inter cæteros M. Aurelius Antoninus. Dio LXXI. p. 803. B. *Quum Marcomannis in aliquo prælio bene fucceffiffet, ab iisque Vindex Marci legatus interfectus effet, tres ei ftatuas pofuit: illis verò fuperatis, Germanicus appellatus eft. Germanos enim eos, qui in fuperioribus locis habitabant, appellamus.* Caracalla verò & ipfe apud Spartian. c. 5. *Quum Germanos fubegiffet, Germanicum fe appellavit: vel joco, vel ferio, ut erat ftultus, & demens, afferens, fi Lucanos viciffet, Lucanicum fe appellandum.* Urfat. de Not. Roman. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 732. E. Malvaf. Marm. Felfin. Sect. III. c. 4.

GERULA dicebatur mulier, quæ infantes ulnis *gerebat*. Hieron. ad Lætam: *Nutrix ipfa non fit temulenta, non lafciva, non garrula, habeat modeftam gerulam, nutricium gravem.* Pignor. de Serv. p. 378. Bartholin. de Puerp. p. 117.

GERULUS dicebatur, qui dorfo ferebat onera. Svet. Cal. c. 40. n. 5. *Ex gerulorum diurnis quæftibus pars octava exigebatur.* Colum. x. 310.

Æra finus gerulus plenos gravis urbe reportet.

Gloffæ. Ἀχθοφόρος, *gerulus, onera ferens.* Scheffer. de Re vehic. II. 2. Burman. Differt. de Vectig. c. 12. Beroald. & Cafaub. ad Svetonium. Vocabatur etiam bajulus. V. illum fupr. in *Bajulos*, Horum *gerulorum* opera præcipuè utebantur redemptores operum publicorum. Horat. Epift. II. 2. 70.

Feftinat calidus, mulis, gerulisque redemptor.

Etiam homines lecticis impofitos portare folebant. Senec. de Benef. III. 28. *Quo tandem ab iftis gerulis raperis, cubile iftud tuum circumfereatibus?* Sub pofterioribus Cæfaribus conftitutum eft corpus aliquod, & collegium *gerulorum*, qui dicebantur faccarii portus Romæ, qui erant conftituti ad portandas merces ex portu in horrea, neque licebat cui quam, per alios, imo ne per fuos quidem, merces, vel onera transferre in horrea, conftituta pœna quintæ partis ejus fpeciei, quæ per alios portata erat, fifco vindicandæ, l. un. C. de faccar. port. Rom. *Burmann. l. l.*

GES.

GESSATÆ dicebantur Galli tranfalpini, qui ad Rhodanum accolebant, à mercede, qua conducti militabant. *Sigon. de Ant. jure Ital.* 1. 24. Hi cum Gallis Senonibus Romam quondam præter Capitolium captam incenderunt. *Sigon. ibid. c.* 16.

GESTATIO eft inter placidiffimas, atque debiles exercitationes, & propterea non folum fanis, & valetudinariis; verùm etiam longis, ac inclinatis morbis, & denique iis, quibus lentæ morborum reliquiæ remanent, nec aliter eliduntur, accommodata eft. Celf. II. 15. *Geftatio quoque longis, & jam inclinatis morbis aptiffima eft: utilisque eft & his corporibus, qua jam ex toto febre carent, fed adhuc exerceri per fe non poffunt: & his, quibus lenta morborum reliquiæ remanent, neque aliter eliduntur.* *Geftationem* Gloffæ Cyrilli explicant γυμνασίαν. *Geftatio*, γυμνασία, αἰώρα. *Geftatur*, γυμνάζεται, αἰωρίζεται. In fanis ac valetudinariis poteft calorem naturalem augere, materiæ multitudinem difcutere, habitum corporis firmare, actiones ftupidas excitare, fegnitiem diffolvere, corporis turbationem fedare, iis, quos vigiliæ exercent, fomnum conciliare, & contra etiam veternofis, ac diffolutis reditum ad fe, vigiliasque parare: nam fomnum conciliat, excrementa, quæ à capite ad ftomachum delabuntur, per halitum digerendo, quæ nimirum partes funt vigiliatum præcipuæ caufæ: fed vigilias poftea inducit, corporis tenorem ad fe revocando, & corroborando. *Mercur. Gymn.* VI. 9.

Geftatio vocabatur etiam locus ipfe, & *geftationis* fpatium. Plin. Epift. II 17. *Geftatio buxo, aut rore marino, ubi deficit buxus, ambitur.* Ulpian. l. 13. ff. de ufufr. *Et fi fortè voluptuarium fuerit prædium, viridaria, vel geftationes, vel deambulationes, arboribus infructuofis opacas, atque amœnas habent.* Pignor. de Serv. p. 276. Guther. de vet. jur. pontif. III. 4. Bud. in Pandect. p. 115. E.

GESTUS eft fitus membrorum in ftatuis. Illi verò exprimi folebant, qui vel animi affectum, vel rarum aliquem eventum fignificarent, vel artem, quam quis profiteretur, aut aliud quodcunque opus, vel denique fortunam, & conditionem hominum oftenderent. Fiebant potiffimum tum manu, unde *geftuofa manus* dicuntur Gell. I. 5. tum reliquo corpore, vel quibufdam faltem membris, puta, oculis, ore, naribus, humeris, lateribus, cruribus, pedibusque, quæ pro diverfo flexu, motuque, aut fitu, varios effectus, ut gaudium, iram, contemptum, minas, dolorem, pœnitentiam, fpem, vota... prope quafi voce, & fermone ipfo indicabant. *Figrell. de Stat. Rom. c.* 19. qui fingula hæc pluribus perfequitur.

GET.

GETÆ antiquis temporibus qui dicebantur, recentioribus Gothi funt appellati. V. illos infra in *Gothi*.

GIL.

GILDO utriusque militiæ magifter in Africa fuit circa annum falutis 395. Indicat hoc epiftola Theodofii Magni ad eum fcripta. Conftantinopoli fcripta eft l. ult. C. ad l. Jul. de adulter. Poft cujus mortem tyrannide arrepta à fratre juffu Honorii profligatus, & necatus eft, ejusque bona in ærarium Principis relata anno humanæ falutis 401. Illa *Gildonis* patrimonium funt dicta. Hæc Honorius peregrino comiti, & procuratori divinæ domus per Africam commifit, l. 16. C. de bon. profcript. Tandem cum peramplum hoc effet patrimonium, & plures in regiones difperfum, proprius ei datus eft procurator, *Gildonis* appellatus, qui rationales, procuratores, & præpofitos illi præfecit, propriumque officium velut ipfe comes privatarum habebat. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c.* 41.

GIN.

GINGRA erat faltatio funebris, quam edebant ad tibiam cognominem. Pollux IV. 14. *Erat & gingra faltatio ad tibiam, dans nomen ipfi cantilenæ.* Meurf. de Saltat. vet. Thef. Ant. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 1245. E. Scalig. Poet. I. 18. Rhodig. Ant. Lect. v. 4. Barthol. de Tib. I. 6.

GINGRIATOR dicebatur tibicen, à tibiæ genere. Feftus: *Gingriator, tibicen.* Barthol. de Tib. I. 6: III. 1. Salmaf. Exerc. Plin. p. 87. E. Buleng. de Theatr. II. 26.

GINGRINA, five *gingria*, eft *genus quoddam tibiarum exiguarum*. Feftus. Parvula erat, & tyronibus artis accommodata. Hefychius: *Gingria, parva tibia, quibus primum difcunt.* Euftath. Iliad. XVII. p. 1214. ex Xenophonte palmi, feu dodrantis longitudine apud Phœnices fuiffe fcribit. Ab anferum voce dictam autumat Feftus. Qui enim primùm difcunt, inftar anferum ftrepere potius, quàm inflare modulatè videntur. In veteribus gloffis *gingron* eft *vox anferis*. Et apud Feftum *gingrire anferum vocis proprium eft*. Athen. IV. p. 174. F. hanc nominis originem adfignat, quod eas inflare moris effet in Adonis. Et Adonis lingua Phœnicum γίγγρας appellatur. Athenæo adftipulatur Pollux IV. 10. *Phœnicum lingua Gingrem Adonin vocat, & ab illo tibia nominatur.* Caftell. de Feft. Græc. Thef. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 611. B.

Bar-

Barthol. de Tib.vet. t. 6. Kirchm. de Fun. Rom. 11. 5. Scalig. in Festum. Salmas. Exerc. Plin. p. 87. D. Buleng. de Venat. Circ. c. 20. Theatr. 11. 26. Fasold. de Fest. Græc. c. 4. §. 9. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 17. Meurs. F. de Tib. c. 4. Turneb. Advers. xxvi 11. 34. Voss. de Idolol. 11. 4. de Instit. Poet. 111. 12. §. 7. Lexic. Etymol. in Gingrire. Mag. Misc. 1. 13.

GLA.

GLABRATOR, sive *glabrarius* vocabatur, qui genitalem pilorum materiam depascebat. Manil. v. 151.

—— sterilesque optare lacertos.

Qui volsos intelligit, λειογενείους, ἢ πεπιλωμένους. Mart. ix. 28. 4.

Nullusque vivat in tuo pilus crure.

Intelligit ergo levigatos, pice, ac psilothro curatos. Capitol. Pertin. c. 8. *Vasa Samnitica, calefactandæ resinæ, ac pici, devellendis hominibus, ac lavigandis.* Etiam, si diis placet, in officio domus Augustæ. Vetus inscriptio: DIOPHANTUS. TI. CÆSARIS. ORNATOR. GLABR. id est, ornator glabrarius. Miratus sum apud Martialem (V. illum supr. in *Dropax*) non solum corpus ψιλοῦσθαι, sed etiam caput ipsum. *Scalig. in Manilium.*

GLABRIO fuit cognomen Aciliorum. *Sigon. de Nom. Rom. c. 5.* Dicti sunt *Glabriones*, quod glabri, & sine pilis essent. Varr. de vit. pop. Rom. 1. Huc referri debet illud Plaut. Aul. 11. 9. 5.

—— tu illum gallum, si sapis,
Glabriorem reddes, quàm vulsus ludius.

Strein. de Gent. Romano in Acilia. I. sub Domitiano consulatum cum M. Ulpio Trajano, qui postea Imperator dictus est, cepit, in eo occisus est anno ab U. C. 853. II. hujus, ut creditur, filius, cum paterno Manii prænomine consul fuit cum C. Bellicio Torquato anno 33. post patrem sub Hadriano Imperatore. III. sub Pio Antonino cum C. Valerio Omello Veriano consul anno ab U. C. 904. IV. bis consul fuit, sed alterius anni tempus ignotum: atque adeo suffectum fuisse credendum est, iterum consul fuit collega Commodi Imperatoris in quinto consulatu anno 1038. V. consul fuit cum M. Valerio Maximo, iterum sub Gallieno & Valeriano Imperatoribus anno 1108. ultimus fuit collega Theodosii junioris in 16. consulatu anno 1139. Christi 437. *Augustin. & Strein. de Gent. & Famil. Rom. in Acilia.*

GLACIEM in scyphos dejiciebant, & potabant veteres. Plin. xix. 4. *Hi nives, illi glaciem potant, pænasque montium in voluptatem vertunt.* Senec. Nat. Quæst. iv. 13. *Inde est, quod nec nive contenti sunt, sed glaciem, velut certior illi ex solido rigor sit, exquirunt, ac sæpe repetitis aquis diluunt. Videbis quosdam graciles, & palliolo, focalique circumdatos, pallentes & ægros, non sorbere solum nivem, sed etiam esse, & frusta ejus in scyphos suos dejicere inter ipsam bibendi moram.* Bulius de Pot. Ant. c. 18.

GLADIATOR *est, qui in arena populo spectante pugnavit.* Quintil. Declam. 302. *Lips. Saturn.* 1. 7. Illorum origo à re funebri. Exemplum ab Etruscis. Ita Damascenus Nicolaus tradit: *Romani, inquit, à Tyrrhenis morem hunc acceperunt.* Ac fortasse Etrusci ipsi à Græcis. Hermippus certè apud Athen. iv. p. 154. D. *inventores gladiatoriæ pugnæ facit Mantinenses.* Si hoc non potius ad duellum pertineat, quàm ad hoc ludicrum. Undecunque exemplum; causa tamen, & origo funus. Tertull. de Spectac. c. 12. V. illum infr. in *Munus*. Serv. Æneid. x. 519. *Moris erat in sepulcris virorum fortium captivos necari: quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulcra dimicare, qui à busti cineribus bustuarii dicti.* Publicè primò in foro boario anno ab U. C. 490. dederunt M. & D. Bruti, causa mortis patris. Val. Max. 11. 4. 7. *Gladiatorum munus Romæ datum est in Foro boario, Ap. Claudio, M. Fulvio coss. Dederunt M. & D. Bruti, funebri memoria patris cineres honorando.* Liv. Epit. xvi. *D. Junius Brutus munus gladiatorium in defuncti patris memoriam edidit primus.* Ubi malè omissus Marcus. Dati in funere tamen non omni, sed virorum principum, illustriorumque. Non enim dabantur nisi in indictivo. Cicero & Festus supr. in *Funus indictivum*. In honorem Imperatorum, procerumque. Flor. 111. 20. 8. *Ille de stipendiario Thraco miles, de milite desertor, inde latro, deinde in honorem virium gladiator. Qui defunctorum quoque prælio ducum funera imperatoriis celebravit exsequiis, captivosque circa rogum jussit armis depugnare: quasi planè expiaturus omne præteritum dedecus, si de gladiatore munerator fuisset.* Paullatim verò, ut solet, res increbruit, & vulgo etiam date cœperunt etiam privati, & plerisque ea cura fuit in testamentis. Caveban, inquam, post mortem suam tot & tot paria sibi edi. Senec. de Brev. vit. c. 20. *Quidam disponunt etiam illa, quæ ultra vitam sunt, moles magnas sepulcrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera, & ambitiosas exsequias.* Modestin. ff. de usu & usufr. l. 16. *Legatum civitati relictum est: ut ex reditibus quotannis in ea civitate, memoriæ conservandæ defuncti gratia, spectaculum celebretur.* Imo, ditiori aliquo mortuo, populus munus efflagitabat, velut debitum, & ex præscripto legis. Svet. Tib. c. 37. §. 5. *Cum Pollentina plebs funus cujusdam primipilaris non prius ex foro misisset, quàm extorta pecunia per vim heredibus ad gladiatorum munus.* —— Nec hic mos in virorum saltem funeribus stetit, transiit etiam ad feminarum. Svet. Jul. c. 26. n. 5. *Munus populo, epulumque pronuntiavit in filiæ memoriam.* Dio xl. p. 225. A. *Filiæ suæ & ferarum cædes, & virorum pugnas exhibuit.* Nec dubium, quin Julii exemplum cupidè imitatus fit vulgus. In Spartian. Adrian. c. 9. certè lego, *Hadrianum præcipuos honores socrus suæ ludis gladiatoriis impendisse.* Lips. Satur. 1. 8. Kirchm. de Fun. Rom. iv. 8. & 9. Guther. de Jur. man. 1. 26. Morestell. Pomp. Feral. vi. 8. 9. & 10. Casal. de Prof. Roman. 111. c. 26. de Urb. ac Imper. Roman. splend. p. 2. c. 4. Pigh. Annal. Rom. 11. p. 13. Thysf. de Gladiat. p. 212. Blond. Triumph. Rom. 11. p. 40. H. Cerda in Virgilium. Scalig. Poet. 1. 35. Faber. Sem. 11. 10. Ferret. Mus. Lapid. 1. Memor. 26. Meurs. de Fun. c. 33. Recepti sunt etiam in convivium. Et in omni lætiori sollenne fuit, in triclinio paria aliquor gladiatorum exhibere ad pugnam. Ortus mos à Campanis. Sil. Ital. xi. 51.

Quin etiam exhilarare viris convivia cæde
Mos olim, & miscere epulis spectacula dira
Certantum ferro, sæpe & super ipsa cadentum
Pocula, respersis non parco sanguine mensis.

Strab. v. p. 173. *Eo luxus provecti sunt, ut convivas vocarent ad paria gladiatorum, quorum numerum augebant, minuebantve pro dignitate cujusque convivæ.* Ab iis avidè hauserunt Romani, de quibus Nicolaus Damascenus: *Spectacula gladiatorum non ferias tantum, & in theatris Romani exhibuerunt; sed privatim in conviviis. Quin & ad cœnam sæpe amicos vocare soliti, cum ob alia, tum ut bina aut terna paria gladiatorum videret: quos vino jam & cibo madidis intro vocabant. Atque ille quidem trucidabatur: isti manibus plausum dabant, tanquam in re læta.* Lips. Saturn. 1. 6. Pignor. de Serv. p. 194. Rhodig. Ant. Lect. xi. 10. Dausq. in Silium. Casal. de Prof. Rom. 111. c. 26. & ex Pignorio Ciaccon. de Triclin. p. 85. Dati ab Imperatoribus ad bellum profecturis. Spartian. Sever. c. 14. *Profectus dein de ad bellum Parthicum est, edito gladiatorio munere.* Capitol. Maxim. & Balbin. c. 8. *Unde mos tractus sit, ut proficiscentes ad bellum Imperatores munus gladiatorum & venatus darent, breviter dicendum est. Multi dicunt, apud veteres hanc devotionem contra hostes factam, ut civium sanguine litato specie pugnarum se Nemesis, id est, vis quædam fortunæ satiaret. Alii hoc literis tradunt, quod verisimilius credo, ituros ad bellum Romanos debuisse pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudos inter se cohortes, ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, aut vulnera & sanguinem perhorrescerent.* Lip. ibid. 11. 25. Mercur. Gymnast. 111. 4. Rhodig. l. l. Casaub. in Spartianum. Valtrun. de Re milit. Rom. iv. 2. Blond. Instaur. Rom. 111. §. 11. Buleng. de Venat. Circ. c. 11. Et tandem præbiti sunt voluptatis causa ab omnibus, qui gratiam à populo exambire vellent, aut honorem: cum res placere visa populo, & omne vulgus cupiens

cupiens harum spectionum. Tangit & carpit Flor. III. 12.10. *Unde gladiatorii adversus dominos suos exercitus, nisi ad conciliandum plebis favorem effusa largitio, quum spectaculis indulget, supplicia quondam hostium artem facit.* Dederunt illos I. Ædiles. Muneris enim ædilitii mentio antiquissima Cicer. de Offic. II. 16. Et Cæsar ædilis munus præbuit. Svet. c. 10. n. 2. Editio ea vix cœperit ante sexcentesimum Urbis annum. Livius enim funebria aliquot munera recenset, nulla ædilitia. Mansit ad extrema imperii. Capitol. Gordian. c. 3. *Ædilitatis sua tempore duodecim populo Romano munera, id est, per singulos menses singula de suo exhibuit.* II. Prætores. Plutarch. Brut. p. 988. D. Cassium facit eum alloqui: *Ab aliis quidem prætoribus munera, & spectacula, & gladiatores: à te verò depulsionem tyrannidis populus exspectat.* Dio LIV. p. 522. A. *Prætoribus curam ludorum omnium imposuit, è publico aliquid eis dari præcipiens, & interdicens, ne quis à se aliquid amplius altero impenderet in gladiatores. Neque sæpius quàm bis quoque anno gladiatores daret, neu plurium quàm sexaginta parium.* III. Quæstores instituto Claudii. Svet. c. 24. n. 5. *Collegio quæstorum pro stratura viarum gladiatorum munus injunxit.* IV. Consules. Cic. de Offic. II. 16. *Magnificentissima Pompeji munera secundo consulatu.* Svet. Ner. c. 4. n. 4. *Consul Domitius munus gladiatorium dedit tanta sævitia, ut necesse fuerit Augusto clam frustra monitum edicto coercere.* V. Pontifices. Ita *ludos pontificales* apud Svet. Aug. c. 44. nu. 8. *sacerdotales* apud Plin. Epist. VII. 24. observo. VI. Imperatores, ita quidem frequenter, ut hoc eximium censuisse videantur inter munia Principatus. Dabant enim natali suo; dabant Quinquennalibus, Decennalibus, Vicesimalibus: dabant in dedicatione publicorum operum, in victoria & triumpho, & per varias occasiones. *Lips. ibid.* II. 9. *Thys. de Gladiat. p.* 213. Erant vel coacti, vel voluntarii. Illi servi, captivi, ob delictum ad ludum gladii damnati. Hi liberi, qui gloriæ cupiditate aut pretio allecti se addicebant. *Hansen. de Jurejur. vet. c.* 20. *Thulemar. in Freher. Cecropistr. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* IX. *p.* 1155. *Lips. ibid. c.* 5. *Casal. l. l. Thys. ibid. p.* 223. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 6. §. 9. Servi aut vendebantur in ludum, aut damnabantur. De venditione Tertull. de Spectac. c. 12. V. illum laudatum infr. in *Munus*. Svet. Vitell. c. 12. n. 2. *Asiaticum circumforaneo lanistæ vendidit, dilatumque ad finem muneris repente surripuit.* De damnatione passim historiæ, & legum libri: ubi damnati ad gladium leguntur, vel ad gladii ludum. Inter illos tamen discrimen facit Ulpianus supr. laudatus in *Damnati*. Capitol. in Macrin. c. 12. *Servos, qui à domino fugissent, repertos ad gladii ludum deputavit.* Captivi aut vendebantur lanistis, aut ab Imperatoribus, postquam in triumpho ducti, dabantur in ludum. Vopisc. in Prob. c. 19. *Edita gladiatorum paria trecenta, Blemyis plerisque pugnantibus, qui per triumphum erant ducti. . .* De liberis Labienus apud Senec. Controv. X. *Curatis qui ex solitudine infantes auferat, perituros nisi auferantur: non curatis quod juvenum miserorum simplicitatem circumveniunt, & speciosissimum quemque maximè idoneum castris in ludum conjiciunt.* Lips. l. l. Addicebant se jurejurando sollenni interposito, quod vinculum servituris, jurabantque se omnia passuros ausurosque, quæ legitimum *gladiatorem* pati mos esset. Formula juramenti legitur apud Petron. c. 77. *In verba Eumolpi sacramentum juravimus, uri, vinciri, verberari, ferroque necari: & quicquid aliud Eumolpus jussisset, tanquam legitimi gladiatores domino corpora, animosque religiosissimè addicimus.* Horat. Sat. II. 7. 58.

Quid refert, uri, virgis, ferroque necari:
Auctoratus eas? an turpi clausus in arca?

In tria jurabant: ustionem, verbera, necem: quæ patiebantur ex more. Necem, cum cecidissent, & ferrum juberentur recipere: flammam, & verbera, si quando timidiùs pugnarent, aut fugerent a ferro. Senec. Epist. 7. *Occide, ure, verbera. Quare tam timidè incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit? quare parum libenter moritur? Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus nudis, & obviis pectoribus excipiunt.* Lips. Thulemar. Hansen. Kipping. & Thys. l. l. Turneb. Adv. II. 20. Utrumque hoc genus conjunxit Liv. XXVIII. 21. *Gladiatorium spectaculum fuit, non ex eo genere hominum, ex quo lanistis comparare mos est, servorum delectu, ac liberorum, qui venalem sanguinem habent.* Paullatim quoque eo ventum, ut primæ nobilitatis viri operas arenæ locarent: quidam desperatione, & bonis exuti, alii Principibus gratificantes. Senec. Epist. 100. *Aspice illos juvenes, quos ex nobilissimis domibus in arenam luxuria conjecit.* 88. *O quam vellem Catoni nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via divitibus, cursores & Numidas, & multum ante se pulveris agentem. Hic sine dubio cultior, comitatiorque quam M. Cato videretur: hic, qui inter illos apparatus delicatus cum maximè dubitat, utrum se ad gladium locet, an ad cultrum.* Ludit in homines inopes sui æris, divites alieni: qui re cum spe consumpta ad extremum deliberant, *gladiatores* fiant, an venatores. Id enim valet, *ad cultrum*. Quin sub Principibus equites polluti arena, & senatores. Origo prima rei à C. Cæsare, opinor: cujus *munere in foro depugnavit Furius Leptinus, stirpe prætoria, & Q. Calpenus, senator quondam, actorque causarum.* Quem secuti certatim alii. Augustus apud Dion. LI. p. 460. A. LIII. p. 518. A. LVI. p. 586. E. & Svet. c. 43. n. 8. Caligula apud Svet. c. 30. n. 4. Domitianus apud Svet. c. 4. n. 2. Licèt hoc de Nerone loquens Xiphil. LXI. p. 697. D. dicat fuisse turpissimum & gravissimum: & SCto interdictum fuerit. Dio XLVII. p. 383. A. Svet. Aug. c. 53. n. 8. *Lips. ibid. c.* 3. *Thulemar. & Casal. l. l.* Imo etiam feminæ. Tacit. Annal. XV. 32. 3. *Feminarum illustrium, senatorumque plures per arenam fœdati sunt.* Svet. Domit. c. 4. n. 2. *Venationes, gladiatoresque, & noctibus ad lychnuchos: nec virorum modo pugnas, sed & feminarum.* Stat. Sylv. I. 6. 53.

Stat sexus rudis, insciusque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanain, ferumque Phasin
Thermodontiacas calere turmas.

Lips. ibid. c. 4. & in Tacitum. Panvin. de Lud. Circens. II. 1. & Argol. ad illum. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 13. Fab. Serm. II. 10. Alex. Gen. VI. 19. & ad illum Tiraquellus. Scriver. in Mart. Spect. c. 6. n. 2. Morestell. Pomp. Feral. VI. 10. Casal. & Thulemar. l. l. Et nani, sive pumili. Dio LXVII. p. 763. A. *Pugnas etiam noctu sæpè exhibuit, & interdum nanus, ac feminas inter se commisit.* Stat. n. 57.

His audax subit ordo pumilorum.
Edunt vulnera, conseruntque dextras.

Lips. & Thulemar. l. l. Liberi vocabantur auctorati. V. illos supr. in *Auctorati*. Togati videntur depugnasse. Svet. Claud. c. 34. n. 7. *Induxit unum ex nomenclatoribus suis, sicut erat, togatum.* Tertull. de Pall. c. 6. *Verùm & cerdones, & omnis gladiatorum ignominia togata producitur.* Et inter Pertinacis ornamenta *gladiatoria* togam recenset Capitol. c. 8. *Et toga armaque gladiatoria gemmis, auroque composita.* Sed quis credat, togam, cum in honore, & usu fuit, fœdatam ministeriis arenæ? *Lips. ibid. c.* 17. *Thys. de Gladiat. p.* 229. Imo fusum, & prolixum vestimentum pugnæ adhibitum? Togati itaque spectaculi gratia, & per pompam incedebant, cum, ut Tertullianus loquitur, producebantur. *Salmas. in Tertull. p.* 474. *Ferrar. de Re vest.* I. I. 25. II. I. 21. Unusquisque ex illis in arenam productis insigni aliqua nota erat conspicuus. Scholiast. Juven. in Sat. III. 158. V. illum infr. in *Pinna*. Arma, quibus pugnare solebant. V. supr. in *Arma lusoria*, & *pugnatoria*. Appellabantur ea antiquis propriè ornamenta. V. infr. in *Ornamenta*. Rudem quoque, V. infr. in *Rudis*. Torquium *gladiatoriorum* mentionem facit Capitol. Pertin. c. 8. *Et macharas Herculaneas, & torques gladiatorios.* Fortè innuitur laqueus, vel quid aliud ex fune, quo adversarium capiebant. *Scheffer. de Torquib. c.* 8. Primo domi, & in reliqua familia fuerunt, ibique habiti, alti, & docti. Polybius Fragmento apud Svidam: *Olim & initio apud Romanos nudis viribus gladiatorum certamen constabat: nunc au-*

tem plures via, & modi reperti. Etiam splendidiores postea habuere domi eos, aut apud amicos. Svet. Jul. c. 26. n. 5. *Tyrones neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos, ac etiam per senatores armorum peritos erudiebat*. Quod tamen perrarum, & vulgo ars pugnandi docta, & exercita in ipso ludo. V. illum inst. in *Ludus*. Lips. ibid. c. 14. Et in illo largè edebant, bibebant, & dabantur velut in saginam, ea fine, ut domini valentes eos producerent, &, ut Cicer. Phil. II. 25. ait, *cum gladiatoria totius corporis firmitate*. Cyprian. Epist. II. ad Donatum: *Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet. Impletur in succum cibis fortioribus corpus, & arvina assidui nidoris moles membrorum robusta pinguescit, ut saginatus in pœnam carius pereat*. Inde *gladiatoria sagina*, Tacit. Hist. II. 88. 2. *Singulis militibus paratos cibos, tanquam gladiatoriam saginam dividebat*. Et saginæ nomine ludum ipsum intellexit Prop. IV. 8. 25.

Qui dabit immundæ venalia farta saginæ.

Schot. Observ. v. 9. Lips. l. l. Dabantur ad rogum, in foro, in circo, in amphitheatro, in septis, vicatim, & regionatim. Ad rogum olim, in exsequiis: isque antiquissimus locus. Postea non placuit circumducere populum, & omisso rogo ipsi *gladiatores* funebres in foro dati. Hic ergo locus vetus & diuturnus. Vitruv. v. 1. *A majoribus consuetudo tradita est, gladiatoria munera in foro dari*. Ascon. in Cicer. p. 36. *Unde ipsi & posteri ejus spectare munus gladiatorium possent: quod etiam tum in foro dabatur*, Asconii nimirum ætate, id est, Claudii. Quia verò loca sessui, & spectationi in foro parum apta, illud cœpit vilescere. Et structa sunt amphitheatra, huic ludicro destinata, non omisso tamen prorsus foro. Etiam in septis Agrippæ. Svet. Cal. c. 18. n. 1. *Munera gladiatoria partim in amphitheatro Tauri, partim in septis aliquot edidit*. Sed & circus interdum huic rei: sæpè vici & quatuordecim regiones Urbis: quod sub Imperatoribus factitatum observo. *Lips. ibid. c.* 17. Illorum nomina & paria, ut & diem edendorum in libellis ante pugnam editor proponebat. V. supr. in *Editor*, & infr. in *Libelli*. Habitus, & forma pugnantium *gladiatorum*, itemque loci, & muneris totius in tabulis pingebantur. Plin. XXXV. 7. *Pingi gladiatoria munera, atque in publicum exponi cœpta à C. Lucano. Is avo suo triginta paria in foro per triduum dedit, tabulamque pictam in nemore Dianæ posuit*. Horat. Sat. II. 7, 95.

Vel cum Pausiaca torpes insane tabella;
Qui peccas minus atque ego, cum Fulvi, Rutubaque,
Aut Placideiani, contento poplite miror
Prælia, rubrica picta, aut carbone? velut si
Re vera pugnent, feriant, vitentque moventes
Arma viri.

Contento poplite habitum exprimit pugnantium *gladiatorum*, ne ad servum ipsum quis referat. Vopisc. Carin. c. 19. *Memorabile maxime & Carini & Numeriani hoc habuit imperium, quod ludos Romanos novis ornatos spectaculis dederunt, quos in palatio circa porticum stabuli pictos vidimus*. Lips. Saturn. II. 18. Thys. ibid. p. 230. Casaub. in Vopiscum. Lomej. Gen. dier. Decad. 1. Dissert. 6. Die ipso ordine deduci in arenam mos fuit, & inibi in arena sollenni quadam pompa circumduci. Quintil. Declam. 9. *Jam dies aderat, jam ad spectaculum supplicii nostri populus convenerat. Jam ostentata per arenam periturorum corpora mortis suæ pompam duxerant*. Ad quam traductionem accommodo illud Capitol. M. Anton. c. 19. *Faustinam quondam, cum gladiatores transire vidisset, unius ex his amore succensam*. Postquam introducti, paria inter se componebantur, sive, ut Græci decenter appellant ζεύγη. Dicebantur comparari, componi, committi. V. singula suis locis. *Lips. ibid. c.* 19. *Thys. ibid. p.* 231. Post comparationem, gladii & arma, quibus pugnaturi, muneratim ostendebantur: explorandi causa, & an satis acuti. Svet. Tit. c. 9. n. 3. *Insequenti die, gladiatorum spectaculo, circa se ex industria collocatis, oblata sibi ornamenta pugnantium inspicienda porrexit*. Nam Titus ipse tum editor. Aur. Vict. Epit. c. 10. n. 10. *petisse eum gladium* dicit, *quasi ad explorandam aciem*. Dio LXVIII. p. 770. *Collocavit eos in spectaculo quodam juxta se, ignaros quod proditi essent: iisque gladios tradidit, in speciem quidem uti dijudicarent, an satis acuti essent, quod fieri solet*...... Lips. l. l. & in Tacit. Annal. III. Excurs. G. Thys. l. l. Ipsi pugnæ præmittebatur prælusio. V. illam infr. in *Præludere*. Tubæ cantus erat signum commissionis, & veræ pugnæ. V. infr. in *Tuba*. Prælusione verò ditempta, & abjectis lusoriis armis, transibant ad vera. Atque hoc est quod *dimicare ad certum* vocat Tertull. contr. Marc. III. 5. Appellabant id etiam *pugnare versis armis*. Caper de Orthogr. Auct. vet. Grammat. Edit. Putsch. p. 2245. *Inversis armis pugnasse gladiatores non est dicendum, sed versis, id est, transmutatis*. Plaut. Cas. II. 5. 36.

Necessum est versis gladiis depugnarier.

Nec enim aliud in ea armorum versione esse facilè persuadeor versu Ovid. de Art. III. 589.

Ponite jam gladios hebetes, pugnetur acutis.

Lips. l. l. Thys. ibid. p. 232. Deinde componebant se, & colligebant in arma. Et hanc ex arte posituram vocabant statum. V. infr. in *Status*. Et in illo petebat alter, vitabat alter. Petebat dico. Ita enim propriè, & ictus ipsi petitiones. V. infr. in *Petere*. Vitandi verba erant exire, excedere, ludere, eludere. V. singula suis locis. In vitando præcipua cura erat, ut latus tegerent. V. infr. in *Latus*. Stantes quidam fuerint dicti pugnare, V. infr. in *Stantes*. Tutela Mars. Tertull. de Spectac. c. 12. *Martem & Dianam utriusque ludi*, gladiatorii, & venatorii, *præsidem novimus*. Vel potius Saturnus. Lactant. VI. 20. *Munera, & quæ vocantur venationes, Saturno attribuerunt*. Auson. Ecl. XVII. 33.

Et gladiatores funebria prælia notum
Decertasse foro: nunc sibi arena suos
Vindicat, extremo cum jam sub mense Decembri
Falcigerum placant sanguine cœligenam.

Hujus tutelæ fuerunt, quia Saturnus non inter superos, sed inferos deos. Jure ergo Romani, quia *gladiatorum* sanguine placari manes credebant, eaque prima ludicri causa, hoc spectaculum dedicarunt crudo, & sanguineo deo. *Lips. ibid. c. 6. Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 8. Quinam fuerint dicti ferrum recipere. V. infr. in *Recipere*. Læsi, & mortis metuentes summittebant arma. Id signum victi, fractique. Senec. de Provid. c. 3. *Quid ego mihi istum adversarium assumam? statim arma summittet*. Nec tamen ideo liberi. Pendebat mors eorum, vel salus à nutu populi. Senec. Epist. 37. *Gladiatoribus licet arma summittere, misericordiam populi tentare; tu neque summittes arma, nec vitam rogabis. Recto tibi, invictoque moriendum est*. Vel ab editoris. Cicer. Tusc. Quæst. II. 17. *Mittunt etiam vulneribus confectis ad dominos, qui quærant quid velint. Si iis satisfactum non sit, se velle decumbere*. Dio LXXVII. p. 878. E. *Munus Nicomediæ præbuit die suo natali, in quo ferunt victum quempiam è gladiatoribus supplicasse Antonino*, qui erat editor, *ut servaretur*. Populi ergo in arena præcipuum jus: & ad ejus voluntatem domini plerumque se conformabant. Intercedebat pro victis, læsisque. Seneca libro in sapientem non cadere injuriam c. 16. Et jubebat interfici. Signum, conversus pollex. Juvenalis, Prudentius, Poeta vetus ἀδέσποτος. Si faveret, signum, pressus pollex. Horat. Epist. 1. 18. 65. V. hos omnes laudatos inst. in *Pollex*. Post hæc suffragia vulgi, si alba quidem, favensque sententia, miser ille mittebatur, sed in eum diem, aut id munus duntaxat, ut censeo: sin funesta, boni gladiatoris erat decumbere, & libenter, fortiterque recipere ferrum. Id enim imperabatur, *recipe ferrum*. Cicer. pro Sextio. V. illum inst. in *Recipere*. Feritatis erat inauditæ, quod Lactantii ipsius verbis ponam: *Qui etiam*, inquit, *percussos, jacentesque repeti jubent, & cadavera ictibus dissipari: ne quis illos simulata morte deludat*. Et superest alius ad sævitiam gradus. Nam & manum mittebant in vulnus, & sanguine velut se proluebant. Lamprid. Commod. c. 16. *Nam quum in gladiatoris occisi vulnus manum misisset, ad caput sibi detersit*. Illud prodigio habitum, non quod manum cruentasset, hoc enim ex more, sed quod capiti suo admovisset: quasi precatus sibi, suoque

capi-

capiti eadem. *Lipf. ibid. c. 22. Thyf. l. l.* Nec defuerunt, qui illorum fanguinem ex ipfo vulneris hiatu biberent, calidum adhuc, fpirantemque, contra morbum, fateor, fed jufta deteftatione Plin. XXVIII. 1. *cum plagis ne ferarum quidem admoveri ora fas fit humana.* Lipf. & Thyf. l. l. Mercur. Gymn. III. 4. Anna Fabri in Victorem. Non ergo injuria in banc feralem arenam illata, unà cum reliquo apparatu, Libitinæ inftrumenta, ut effet videlicet, quo mortui fubitò efferrentur. Quintil. Declam. 9. *Sonabant clangore ferali tuba, illatisque Libitina thoris ducebatur funus ante mortem.* Plin. XXXVII. 3. ubi de gladiatorio munere Neronis: *Arma, & Libitina, totusque unius diei apparatus è fuccino.* Ab hac re certa porta in amphitheatro, quæ Libitinenfis dicta. V. illam infr. in *Porta.* Lipf. & Thyf. l. l. Quanquam ea vera Imperatori, cum præfens, femper jus liberandi. Quinimo & folo fuperventu fuo. Ovid. Pont. II. 8. 53.

Cæfaris adventu tota gladiator arena
Exit, & auxilium non leve vultus habet.

Hæc liberatio miffio dicta. Illius effectus, ut ab imminenti periculo, & in eum diem liberarentur. Mart. XII. 29. 7.

Nuper cum Myrinus peteretur miffi læfo.

Itaque fine miffione dare *gladiatores*, & fine miffione pugna, non aliud eft, quàm ad certam mortem dari, nifi vincas: jus non effe, vulneratos, fupplicesque liberandi. Liv. XLI. 20. *Deinde fæpius gladiatores dando, & modo vulneribus tenus, modo fine miffione etiam.* Flor. III. 20. 14. *Tandem eruptione facta, dignam viris objere mortem: &, quod fub gladiatore duce oportuit, fine miffione pugnatum eft.* Id vetuit Auguftus. Svet. c. 45. n. 7. *Gladiatores fine miffione edi prohibuit.* Reperti enim fævi funt munerarii, qui omnes dabant in certam mortem. Qualem fuiffe credimus Domitium avum Neronis, de quo jam fupr. ex Svetonio. *Lipf. ibid. II. 21. Cafal. de Urb. ac Imper. Roman. fplend. part. 2. c. 4. Thyf. de Gladiat. p. 234. Laurent. Polym. IV. 9. Fab. Sem. II. 11. Pitifc. in Svetonium.* Occifi unco per arenam trahebantur in fpoliarium. Lamprid. Comm. c. 18. *Gladiatoris cadaver unco trahatur: gladiatori cadaver in fpoliaria ponatur.* Et hoc idem cenfeo fignificare Aur. Vict. Cæf. c. 11. n. 8. cum fcribit: *At fenatus gladiatoris more funus ferri decrevit.* Lipf. de Amphith. c. 21. Sanguinem ex vulnere adverfarii bibebant, tanquam iis ad confirmandum animum, & vires efficaciter conferret, & cinerem pro medela potabant, quod retulit Plin. XXVIII. 1: XXXVI. 27. *Mercur. Gymnaft. III. 4. Lipf. Satorn. II. 22. Anna Fabri in Victorem.* Victi exferebant digitum. V. fupr. in *Digitus.* Emeriti arma fua fufpendebant ad Herculis facra, videlicet ejus modi gymnafiorum deo. Horat. Epift. I. 1. 4.

——*Vejanius armis*
Herculis ad poftem fixis latet abditus agro.

Lipf. ibid. c. 23. Turneb. Adv. V. 9: XXVI. 26. Laurent. de Adult. & metr. c. 3. Tomaf. de Donar. c. 39. Cerda in Virg. Ecl. VII. 24. Victori præmia dabantur. Auguftin. de Civit. Dei III. 14. *Pugnant etiam gladiatores, vincunt & ipfi, habet præmia laudes & illa crudelitas.* Dabatur palma. Svet. Calig. c. 32. n. 7. *Myrmillionem è ludo rudibus fecum batuentem, & fponte proftratum confodit ferrea fica, ac more victorum cum palma difcucurrit.* Cicero, Livius, Lampridius. V. illos laudatos infr. in *Palma.* Etiam pecunia. Svet. Claud. c. 21. n. 10. *Nec ullo fpectaculi genere communior, aut remiffior erat, adeo ut oblatos victoribus aureos, prolataque finiftra manu pariter cum vulgo voce, digitisque numeraret.* Xiphil. LXXII. p. 826. D. *Alii*, gladiatores, *in arenam defcendentes exiguum aliquid accipiunt. Commodo è pecuniis gladiatoriis fingulis diebus 300. feftertia dabantur.* Buleng. de Circo c. 55. Lipf. Saturn. II. 23. Thyf. de Gladiat. p. 235. Laurent. Polym. IV. 9. Cafal. l. l. Et veteranis, quafi magifterii fignum: aut etiam novis in aliquo ftrenuo facto, rudis. V. illam inf. in *Rudis.* Cafal. Lipf. Thyf. & Laurent. l. l. Submoti funt è toto orbe Romano à Conftantino anno ab U. C. MLXVII. penè fexcentis, poft inftituta ea, annis. Sozom. Hift. Ecclef. I. 8. *Apud Romanos tunc primum fub-*

latum gladiatorum fpectaculum. Eufeb. de Vit. Conftant. IV. 25. *Vetuit gladiatorum cædibus pollui urbes.* Quin etiam nunc infetta Juftinianæo codici Conftantini ipfa lex lib. XI. tit. 43. *Cruenta fpectacula, in otio civili, & domeftica quiete non placent. Quapropter omnino gladiatores effe prohibemus.* Et cum fub Conftantio, & poftea fub Theodofio, ac Valentiniano rurfus irrupiffent, votum, uno & preces pro tollendis ad Honorium interpofuit Prudent. contr. Symmach. II. 1113.

Quod genus ut fceleris jam nefciat aurea Roma,
Te precor Aufonii dux augustiffime regni.
Et jam trifte facrum jubeas, ut cætera, tolli.

n. 1121.

Arripe dilatam tua, dux, in tempora famam,
Quodque patri fupereft, fucceffor laudis habeto.
Ille Urbem vetuit taurorum fanguine tingi:
Tu mortes miferorum hominum prohibeto litari.
Nullus in Urbe cadat, cujus fit pœna voluptas:
Nec fua virginitas oblectet cædibus ora.
Jam folis contenta feris infamis arena,
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.

Et fuftulit fanè Honorius occafiona Telemachi cujusdam monachi, qui *gladiatores* Romæ pugnantes pio quodam ardore diducere conatus, à populo lapidibus obrutus fuit. De quo facto Theodoret. Hift. Ecclef. V. 26. & Caffiod. Tripart. X. 2. *Lipf. ibid. I. 12. Cafal. l. l. Pagi Critic. Hiftor Chronol. in Annal. Baron. ad a. D. Jefo 357. §. 16.*

Gladiator beftiarius. V. illum fupr. in *Beftiarius.*

Gladiatores buftuarii, quia ad bufta dimicabant, funt dicti. Servius laudatus fupr. in *Gladiator.* Lipf. Saturn. I. 8. Moreftell. Pomp. Feral. VI. 8. Guther. de Jur. man. I. 26. Ferret. Muf. Lapid. I. Memor. 26. Fab. Serm. II. 10. Laz. Comm. Reip. Roman. III. 18. Cafal. de Prof. Roman. rit. c. 26. Donat. Diluc. p. 730. Thyf. de Gladiat. p. 212.

Gladiatores catervarii non finguli cum fingulis, ut moris, fed confufi, mixtique pugnabant, & per catervas. Svet. Cal. c. 30. n. 8. *Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes*, id eft, velut catervatim. Dio XLIII. p. 225. C. *Viros quidem inter fe commifit, ut moris erat, fingulos cum fingulis: fed tamen etiam majore numero in circo confertos dedit: equites cum equitibus, pedites cum peditibus pugnantes: alios verò confufè, & permixtim, æquo utrinque numero.* Nec ab alia mente *catervarios pugiles* dicit Svet. Aug. c. 45. n. 5. *Lipf. Saturn. II. 16. Laz. Comm. Reip. Roman. X. 13. Lauren. Polymath. IV. 9. Thyf. de Gladiat. p. 229.*

Gladiatores confummati dicebantur veterani, qui jam artis ufu diuturno occalluiffent, five, fi placet, rudiarii, rude donati, & emeriti. Plin. VIII. 7. *Poftea finguli Principibus Claudio & Neroni in confummatione gladiatorum.* Ita *milites confummatos* dicit Frontin. IV. 3. 12. *C. Curius, cum victis ab eo Sabinis ex SCto ampliaretur ei modus agri, quem confummati milites accipiebant.* Rhodig. Ant. Lect. XI. 11. Hæc abeunt à mente Plinii. Quem non aliter accipio, quàm quafi dixerit, in fine *gladiatorii* fpectaculi, ut elephanti additi fuerint, ad concludandos finiendosque ludos: fi finguli elephanti dimicaverint, cum *gladiatores* pugnare defiiffent. Poffis etiam *confummationem gladiatorum* accipere, cum conjuncti omnes, congregatique pugnant. *Confummare* pro in fummam colligere accipitur. Vitruv. I. 1. *Per arithmeticen fumptus ædificiorum confummantur, menfurarum rationes explicantur*, id eft, in affem colligitur fumma fumptus & ædificationis. Et ita apud Frontinum intelligo *milites confummatos*, qui in affignatione agrorum multi, ut v. g. viceni aut triceni, in fingulas centurias agri, id eft, in ducena jugera contribuuntur & conferuntur, & in unam fummam colliguntur, ut ex eo agrorum modo pro portione accipiant: videlicet dena finguli, aut plura, aut pauciora jugera. *Turneb. Adv. XXX. 33. Lipf. Saturn. II. 16. Dalechamp. in Plinium. Thyf. de Gladiat. p. 229.*

Gladiatores crupellares erant toto corpore laminis tecti;

ut sunt hodie in hastiludiis Germanorum *gladiatores*, qui tornizantes dicuntur, pede congredientes, qui olim mos è Gallia ad Romanos est translatus. Tacit. Annal. III. 43. 4. *Quadraginta millia fuere, quinta sui parte legionariis armis; ceteri cum venabulis & cultris, quaque alia venantibus tela sunt: adduntur è servitiis gladiatura destinati, quibus more gentico continuum ferri tegmen, crupellarios vocant, inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles*, Laz. Comm. Reip. Rom. x. 13. Mod. de Lud. & Spect. veter. II. 12. Non alibi ea vox lecta. Forsitan leg. *Clibanarios*. Lips. & Muter. in Tacitum.

Gladiatores cubicularii. De illis Lampr. Comm. c. 5. *In arena rudibus inter cubicularios gladiatores pugnavit lucentibus aliquando mucronibus*. Quos appellet *cubicularios gladiatores*, nescio. Ex Dione LXXII. p. 826. B. quidem perspici potest, quid velit hic Lampridius. Commodum nempe in arena & inter gladiatores rudibus pugnasse: domi verò & inter cubiculares suos, quos Græci *κοιτωνίτας* vocant, lucentibus & acutis gladiis batuisse, ita ut & quosdam interficeret. Expungenda igitur vox *gladiatores*, & ita legendum: *In arena rudibus, inter cubicularios pugnavit. . . .* aut, *inter cubicularios gladiator pugnavit*, hoc est, *gladiatoris habitu*. Salmas. ad Lampridium. Ego legendum existimo: *inter rudiarios*: nam qui *gladiatores* rude donati erant, hi jam non cogebantur ferro decertare, sed sola rude. Quanquam si quis *cubicularios* legat, non multum peccat: quod Imperator ille etiam *cubicularios gladiatores* habere potuerit: quanquam conjecturæ meæ non leve subsidium accedit ex historia Dionis, qui eum publicè sine ferro batuisse, dicit, quod, ut dixi, rudiariorum est. *Turneb. Adv.* XXV. 17. Qui hæc dea non faventte. Nam *gladiatores cubicularii* sunt, qui in conviviis depugnabant, convivales *gladiatores*. Lamprid. Heliog. c. 25. *Gladiatores ante convivium pugnantes sibi frequenter exhibuit*. Lampridium distinctione juvo: *In arena rudibus; inter cubicularios gladiatores pugnavit . . . .* Nam & Dio illum in publico sine ferro, domi gladiis, & ad cædem usque dimicasse commemorat. *Lips. Saturn.* I. 6. *Casaub. in Lampridii Heliogabalum*. In convivium receptos fuisse *gladiatores*, V. supr. in *Gladiator*.

Gladiatores fiscales sunt, qui in Cæsaris bonis, & fisco. Capitol. Gordian. c. 33. *Fuerunt sub Gordiano Romæ gladiatorum fiscalium paria mille*. Principes ipsi proprios, & peculiares habebant *gladiatores*, ad instruendum suas populique voluptates. Illos Cæsaris *gladiatores* dixit Arrian. Dissert. I. *At in Cæsaris gladiatoribus quidam sunt, quibus molestum est non produci, non componi*. Lips. Saturn. II. 16. Salmas. in Spartian. Adrian. c. 19. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 35. Thys. de Gladiat. p. 228. Laurent. Polymath. IV. 9.

Gladiatores hordearii vocabantur, quia antiquitus hordeo victitabant. Plin. XVIII. 7. *Antiquissimum in cibis hordeum, sicut Atheniensium ritu Menandro auctore apparet, & gladiatorum cognomine, qui hordearii vocabantur*. Mercur. Gymnast. III. 4. Nonn. de Re cibar. I. 7. Stevvech. in Veget. I. 14. Heting. de Molendin. q. 2. 23. Sed mihi anceps adhuc sententia ejus loci; dicam & lectio. Ideon' evincas hordeum antiquissimum in cibo Romano, quia *gladiatores* ab eo dicti? atqui tota *gladiatura* non veteres Romæ inventa. Sed nec credo eo usos. Malè alibilis is panis, flatus genitor, malique coloris. Ideoque ignominiæ causa militibus datus qui deliquissent. Inter vilissima generis eum habet Senec. Epist. 18. *Non enim jucunda res aqua & polenta, aut frustum hordeacei panis*. Quæ omnia contraria sunt *gladiatoriæ* huic saginæ. Nec tamen Plinii verbis quid faciam habeo sine libris. *Lips. Saturn.* I. 14. *Thys. de Gladiat.* p. 219.

Gladiatores meridiani. V. illos infr. in *Meridiani*.

Gladiatores ordinarii sunt artifices viliores, non legitimi, inexerciti, insuaves. Festus: *Ordinarius homo scurra & improbus, qui assiduè in litibus moratur, ob eamque causam in ordine stat prætorem adeuntium, sive dictus per contrarietatem, quia minime ordine vivit*. Pius Annot. post. c. 190. Ego accipio *gladiatura* in primis peritos, suoque apparatu, & ritu instructos, qui digladiaturi producerentur spectatorum voluptati, quique ex constitutione, vel consuetudine exhiberi soliti erant. Sicuti ordinaria sunt Ictis, quum fundus quotannis tantum præstare domino, vel principi debet. Extraordinaria verò, quæ præter morem ex inopinato inducuntur. Senec. de Ira III. 31. *Dedit duodecim fasces, sed non fecit ordinarium consulem*. Ordinarii verò consules opponuntur suffectis. Est & judex, qui ordinarius dicitur. Eum verò intelligunt, qui jure suo, vel Principis beneficio universam jurisdictionem exercere potest. *Rhodig. Ant. Lect.* XI. 10. Et ego lectos, qui legitimo tempore, & apparatu inducuntur. Senec. Epist. 7. *Hoc plerique ordinariis paribus, & postulatitiis præferunt*. Et *ordinarios pugiles* Aug. c. 45. n. 5. dicit Svetonius. *Lips. Saturn.* II. 16. *Thys. de Gladiat.* p. 229. *Laurent. Polymath.* IV. 9.

Gladiatores pegmares vocabantur, qui in pegmate voluptatis causa pugnantes, felici quodam sidere superstites ei spectaculo erant. Svet. Calig. c. 26. n. 9. *Remoto ordinario apparatu. . . gladiatores pegmares subjiciebat*. Tales *de ruina arena dimisisse* dicitur apud Petron. c. 9. *Buleng. de Theatr.* I. 36. *Ven. circ.* c. 34. *Philand. in Vitruv.* IX. 7. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 3. *Lips. Saturn.* II. 14. *Thys. de Gladiat.* p. 228. *Laurent. Polymath.* IV. 9. *Casaub. Beroal. & Pitisc. in Svetonium*.

Gladiatores piscinenses vocabantur, qui in piscinis exercebantur, atque pugnabant. Erat enim piscina Romæ publica, ad quam natatum, & exercitationis causa veniebant. Svet. Ner. c. 27. n. 2. *Epulas à medio die ad mediam noctem protrahebat, refotus sepius calidis piscinis, ac tempore æstivo nivatis*. Et huc pertinet Mart. III. 44. 13.

Piscinam peto, non licet natare.

Laz. Comm. Reip. Roman. x. 13. Mod. de Lud. & Spect. vet. II. 21.

Gladiatores postulatitii vocabantur, qui postulante populo, præter ordinarios, & consuetos principis benignitate consueverant. Cæsariani hi erant, & eximii viribus, arte, ornatu: sæpèque postulari à populo solebant, velut muneris auctarium & ornamentum. Seneca laudatus in *Gladiatores ordinarii*. Svet. Dom. c. 4. n. 3. *Quæstoriis muneribus ita semper interfuit, ut populo potestatem faceret bina paria è suo ludo postulandi, quæ novissima aulico apparatu induceret*. Aug. c. 44 n. 8. *Ut pontificalibus ludis pugilum par postulatum distulerit in sequentis dies tempus matutinum*. *Aulico apparatu* dicit Svetonius, id est, non vulgari, quo alii à lanistis arcessiti, sed aliquanto exquisitiore, ut ex aula Principis producti videri possent. Illum *pompalem* dicit Treb. Poll. Gallien. c. 8. *Gladiatores pompabiliter ornatos, cum auratis vestibus matronarum*. Fortè auro ornati fuerunt. Spartian. Adrian. c. 17. *Trecentos noxios cum auratis chlamydibus in arenam misit*. Nominatim enim hunc illumve in pugnam solebant flagitare, sive manu, sive scelere notum. Mart. Spect. XX. 1.

Cum peteret pars hac Myrinum, pars illa Triumphum:
Promisit pariter Cæsar utraque manu.

Rhodig. Ant. Lect. XI. 10. Lips. Saturn. II. 16. Rader. in Martialem. Pitisc. in Svetonii Augustum. Thys. de Gladiat. p. 229. Laurent. Polymath. IV. 9.

Gladiatores subditicii, vel supposititii dicebantur, qui fesso *gladiatori*, aut victo sufficiebantur, & contendebant cum victore. Mart. V. 25. 8.

Hermes supposititius sibi ipse.

Græci vocant ἔφεδρον. Plutarch. in Syll. p. 470. C. *At postrema pugna Telesinus Samnis, καθάπερ ἔφεδρος ἀθλητὴς, tanquam succenturiatus, suffectusque athleta, defesso jam Sylla comparatus, haud multum abfuit, quin eum ad portas urbis Romæ funderet, prosterneretque*. Substituebatur autem sæpè unus, alter, tertius. Unde in glossis: *Ἔφεδρος, tertiarius*. Dio Carac. LXXVII. p. 873. C. *Gladiatorum sanguine inprimis delectabatur: & ex iis Batonem quendam, cum tribus ex ordine eodem die pugnare jussit*. Lactant. VI. 20. *Irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter alter e duobus occisus est, & tanquam humanum sanguinem sitiant, oderunt moras: alios illos compares dari poscunt recentiores*. Hos sors deci-

decidebat. Plin. Epist. VIII. 14. 22. *In spectaculis sors aliquem seponit, ac servat, qui cum victore contendat.* Stat. Sylv. III. 1. 139.

Jam placida dant signa tuba, jam sertibus ardens
Fumat arena sacris.

Lipf. Saturn. II. 14. Laurent. Polymath. IV. 9. Thyf. de Gladiat. p. 227. Cellar. in Plinium.

Gladiatores victores dicebantur, nescio an -ψιλῶς-, & ab effectu, an cognomine certo, & discernendi causa. Plin. XXXVI. 15. *Raptisque è contrario repente pulpitis, eodem die victores è gladiatoribus suis produxit.* Et in lapide veteri:

HIC. PRIMUS. ET. SOLUS. VI-
CTORES. CAMPANIÆ. PRÆ-
TIIS. ET. ÆSTIM. PARIA.
GLAD. EDIDIT.

Lipf. Saturn. II. 16. Thyf. de Gladiat. p. 229.

Gladiatores Hoplomachos, Mirmillones, Retiarios, Thraces, Xysticos, V. singulos infr. suis locis.

Gladiator etiam vocatur spectaculum, sive munus *gladiatorium*. Cicer. Attic. II. 1. *Quarit ex me, num consuessem Siculis locum gladiatoribus dare?* II. 24. *Ut in foro gladiatoribus Gabinii Pompejum adoriventur.* 1. tempore ludorum, quo *gladiatores* à Gabinio exhibebantur. *Lipf. Saturn.* I. 7. *Palmer. Spicil.* VII. *Tom.* IV. *Thes. Crit. Gruter.* p. 7x4. *August. de Leg. in Tullia.*

Gladiator quoque appellatur *gladiorum* confector, is, qui *gladios* facit, μαχαιροποιός. Tarrunt. Patern. l. 6. ff. D. de jur. immun. *Quibusdam aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit: ut sunt mensores, gladiatores...* Lipf. Saturn. I. 7. Panciroll. de Corp. art. §. 55.

GLADIATORIUM est merces *gladiatorum*, quia multi olim ingenui operas suas arenæ certa mercede locabant. Liv. XLIV. 31. *Deinde in custodiam C. Cassio tribuno militum traditus, vix gladiatorio accepto decem talentis ab Rege Rex, ut in eam fortunam recideret.* Sensus enim est, pluris conduci *gladiatorem*, quam quanti in bellum Gentius conjectus est. *Turneb. Adv.* XXIX. 7. *Lipf. Saturn.* I. 7.

GLADIUM *invenerunt Curetes.* Diodor. V. p. 231. A. Claud. Eutrop. II. 281.

Curetumque alacres ad tympana suscitat enses.

Rapt. Proserp. II. 269.

Seu tu sanguineis ululantia Dindyma Gallis
Incolis, & strictos Curetum respicis enses.

Pignor. Magn. deum matr. init. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 513. F. Ex humero suspendebant, & ad latus demittebant. Homer. Iliad. II. 45.

Circum humeros jecit clavis gladium argentatis.

Virg. Æneid. VIII. 459.

Tum lateri, atque humeris Tegeaeum subligat ensem.

Nec id Heroum modò seculo, sed obtinuit postea: atque adeo apud Romanos. Claud. in prim. Stilich. consul. II. 91.

Gestatesque patri capulis radiantibus enses.

Lipf. in Tacit. Annal. I. §. 157. Cerda in Virgilium. Feith Ant. Hom. IV. 9. Thyf. Rom. Illustr. III. p. 76. Ponebant venienti magistratui honorem exhibituri. De congressu Pompeji & Tigranis Plutarch. Pomp. p. 637. A. V. illum infr. in *Lictor.* Nemini, præter militibus, *gladio* moribus Romanis licebat incedere. Et his concessum fuisse existimo eos, qui milites non essent, tali aliquo cinctos prodire visos exarmare, & malo insuper mactare. Petron. c. 42. *Hac locutus gladio cingor latus, mox in publicum prosilio, furentisque more omnes circumeo porticus.... Notavit me miles: &, quid tu, inquit, commilito, ex qua legione es, aut cujus centuria. Cum constantissimè, & centurionem, & legionem essem ementitus: age ergo, inquit ille, in exercitu vestro phacasiati milites ambulant? Cum deinde vultu, atque ipsa trepidatione mendacium prodidissem, ponere jussit arma, & malo cavere.* Ejus amissi ignominia magna erat. Apul. Met. IX. p. 311. *Placuit, ut ipse se contubernio absconderet: nam præter propriam contumeliam, militaris etiam sacramenti genium, ob amissam spatham verebatur, ipsi autem, signis nostris enotatis, investigationi, vindictæque sedulam darent operam.* Barth. Adv. LIII. 9. Erat etiam inter insignia prætoris, ad significandam quæstionem. Cyprian. Epist. 11. *Sævit invicem discordantium rabies, & inter togas pace rupta forum litibus mugit insanum. Hasta illic, & gladius, & carnifex præsto est.* Sigon. de Judic. I. 7. & præfecti prætorio. Ita de Plautiano, qui prætorias cohortes sub Imperatore Severo rexit, Herod. III. 11. 3. *Ensem gestabat, cæteraque omnia supremæ dignitatis insignia.* Dio LXVIII. p. 778. B. *Trajanus Suram Licinium ad præfecturam prætorianam promoturus, gladiumque, quo eum ob dignitatem accingi oportuit, præbiturus vagina eduxit, atque ipsi porrigens: accipe,* inquit, *hunc gladium, ut si bene imperavero, pro me: sin male, in me utaris.* Et Nymphidius Sabinus sub Galba præfectus prætorio Tigellino collegæ imperat, ut *gladium poneret*, & potestate, cujus *gladius* insigne erat, se abdicaret. *Faber Semestr.* I. 3. Romanorum qualis fuerit, his verbis tradit Polyb. VI. 21. *Unà cum scuto ensis pendet, ad dextrum femur, Hispaniensem vocant, mucrone eximie, desertur violenter, eo quod obeliscus ejus firmus, stabilisque existit.* Horat. Epod. VII. 1.

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?

Stevvech. in Veget. I. 19. Hoc novum est nostris moribus, & videntur esse quæ resistant. Primum, quomodo facilis ea eductio? quomodo vagina inibi non impedimento ad pugnam? Sed & Joseph. Excid. III. contra de ipsis Romanis: *Pedites utrimque gladium gestant. Longiorem quidem illum ad sinistrum latus: nam qui ad dextrum est, palmi, sive duodecim digitorum mensum non excedit.* Nonne clarè longiorem, id est, Hispaniensem istum ad lævam ponit? Et cum eo Sidon. carm. II. 393.

—— balltis hostilibus asper
Applicat à læva fulgentem balteus ensem.

Amplius, sub ipsum Polybii ævum nummos reperio, in quibus sunt sinistri. Hæc cum ita sint, olim dubitavi, ecquid ista Polybii vera satis, aut sana. Nunc minimè, & eo descendo, ut mutasse hanc rem censeam, & aliter atque aliter gestasse. Certè, quin Josephi, id est, Flaviorum ævo fuerint sinistri, non est ambigendum, cum gladioli, aut parameria introducta. Etsi parum etiam firmiter. Nam ecce in columna Trajani plerosque militum cinctus iterum pro prisco ritu dextros video, idemque in Antonini: etsi Imperator tamen ipse, & tribuni habent ferè sinistros. Omnino variavit ea res. Et cur in Romanis ita miremur, quod non in Gallis? Nam ii quoque certò dextros gestarunt, quod Strabo, & Diodorus clarè scribunt. Atqui incommoda eductio. Non in Romanis quidem, qui nec longi nimis erant, & ab humero, non à medio cingulo pendebant. *Lipf. de Milit. Rom.* III. *Dial.* 3. *Anal. ad Milit.* p. 280. *Lydus de Re milit.* III. 8. *Cluver. Germ. Ant.* I. 44. *Caroli Antiq. Roman.* III. 6. *Thyf. Roman. Illustr.* III. p. 76. *Kipping. Antiq. Roman.* III. 2. 1. Ejus traditio imperium in aliquem collatum denotabat. Senec. de Clem. I. 2. *Præstitisti, Cæsar, civitatem incruentam.... quo majus mirabilibusque est, quod nulli unquam gladius citiùs commissus est.* Dio XLII. de Antonio Julii Cæsaris equitum magistro scribit, eum *gladio*, quo accingebatur, militum stipantium multitudine, & ipsis inprimis actionibus demonstrasse penes unum esse totam rerum summam. Inferiores à Regibus, & Imperatoribus accipiebant. V. Trajanum Suræ prætorio præficientem modò laudatum. *Lydus l. l. Faber Semestr.* I. 3. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* X. 10. Et depositio regni atque imperii privationem designabat. Plutarch. in Pompj. p. 637. A. Tigranem præmonitum à militibus Pompeji *gladium exuisse, usque tradidisse* scribit. Tacit. Annal. XV. 31. I. de Tiridate Parthorum Rege: *Quippe propriis nuntiis Corbulone petierat, ne quam imaginem servitus Tiridates perferret, neu ferrum traderens.* Modius in Liv. XXXIII. 44. Lydius l. l. Illis suæ olim fuerunt inscriptiones, quæ nomen ejus, qui gestabat, aut Imperatoris, cui

militabat exprimebant. *Ensiculi* literati meminit Plaut. Rud. IV. 4. 112. V. illum supr. in *Crepundia*. Toleti in cœnobio Hieronymianorum asservatur ensis, quem Ægydius de Albornoz Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus Roma illuc attulit, in cujus altera facie antiquis characteribus scriptum cernitur: NERONIS CÆSARIS MUCRO. Dehinc recentioribus literis alteri faciei inscriptum: QUO PAULLUS TRUNCATUS CAPITE FUIT. Petrus de Alcocer Histor. Tolet. II. 27. *de Roa Singular.* II. 3. 12. *Lydius l. l.* In Imperatorum oculis ensem nudare non fuit fas cuiquam. Præfectus quidem prætorio, ipsique milites prætorii ferro accincti, sed apud Imperatorem stringere capital fuit. *Buleng. de Imper. Rom.* II. 16. Illo sese invicem salutare mos fuit militum. Lucan. IV. 174.

——tenuere parumper
Ora metu: tantum nutu, motoque salutant
Ense suos.

Stat. Theb. XII. 400.

——teque ille acie respexit ab ipsa
Ense salutatam, & nutantis vertice coni.

Claud. de Salutat. c. 9. Loco aliquo publico, aut sacro, ad continuandam famam, & gloriam eorum apud posteros, qui illo rem strenuè gesserant, custodiebantur. Sic Martis bellicosissimi quondam Thracum Regis ensis servatus legitur usque ad tempora Attilæ Hunnorum tyranni. Juvencus Calanus in historia ejus: *Processit in Scythiam, Regemque Scytharum sibi tributarium reddidit. Apud quem invenit gladium Martis, qui fingitur deus fuisse bellorum, eo quod truculente bellator Scythas perdomuit, & apud eos regnasse perhibetur. Cujus gladii munere gratulatus, ut erat magnanimus, quasi sibi totius orbis offerretur imperium, Martis gladium præ se, quacunque iter arripuisset, ferens.* Barth. Adv. XIX. 12. Lydius l. l. Destinati alicui facinori, aut per quos memorabile aliquid patratum erat, consecrabantur. Tacit. Annal. XV. 74. 3. *Ipse eum pugionem apud Capitolium sacravit, inscripsitque Jovi vindici.* Dio LXXVII. p. 88c. B. *Gladium, quo fratrem interfecerat, deo consecrare est ausus.* Svetonius supr. in *Elogium*. Casaub. in Svet. Calic. c. 24. Lips. in Tacit. §. 160. de Roa Singul. I. 7. 1. Reines. Epist. 19. Ryq. de Capitol. c. 28. Lydius l. l. Schill Nomencl. Philol. p. 550. In circo fuit loco metarum. Serv. Georg. III. 18. Æneid. VIII. 636. *Circenses sine ludorum adjectione dicti sunt, vel à circo eundo, vel à circuitu, vel ab ensibus, quod exhibebantur in circuitu ensibus positis. Ubi enim nunc metæ sunt, olim gladii ponebantur.* Nam cum rudis vetustas loca hujusmodi ludis apta nondum ædificasset, eos locis virentibus, atque herbosis, in littore fluminum agebat, in altera parte positis *gladiis*, ita ut enses aliquando, & flumina, vel ubi non erant flumina, enses tantum metarum locum obtinerent. *Panvian. de Lud. Circens.* 1. 4. Et illo in reos animadvertebatur. Ulpian. in l. aut damnum ff. de pœn. *Vita adimitur, ut puta, si damnatur aliquis, ut gladio in eum animadvertatur. Sed gladio animadverti oportet, non securi, vel telo.* August. Serm. de Cypriano: *Cum enim Galienus Maximus decretum ex libello recitasset, in Tascium Cyprianum gladio animadverti placet.* Brisson. de Form. V. p. 483. Illumque dederunt statuis, vel strictum in manu, vel appositum. De stricto *gladio* in manu Junii Bruti Plutarch. Brut. p. 984. A. *M. Brutus genus suum ab Junio Bruto deduxit, quem prisci Romani æneum inter Reges in Capitolio posuerunt, cum ense stricto. Gladio* accinctam Domitiani statuam docet Stat. Sylv. I. I. 43.

——latus ense quieto
Securum: magnus quantum mucrone minatur
Noctibus hibernis, & sidera terret Orion.

Figrel. de Stat. Rom. c. 21. *Gladii* supplicium fuit ignotum reipublicæ priscæ, etiam in militia. Ideo Lucanus VIII. 672. mox laudandus. Cœpit sub Imperatoribus, statimque in creberrimo usu. *Lips. in Tacit. Annal.* XV. n. 146. *Cuper. in Lactant. c.* 22. Eo sensu Lucani locus non est accipiendus. Nam non voluit poeta, vel crebrò, vel rarò homines decollatos: sed sensus est, quum ætate, qua scripsit, eo ars pervenisset, ut celeriter, & uno ictu res perageretur; aliter olim in morte Pompeji visum, quum nondum artis esset caput ense rotare, unde diu, ac variis ictibus fuit vexatus. Quod patet ex præcedentibus, colla ponit Pompejus in obliquo transtro,

Tunc nervos, venasque secat Septimius, *nodosaque frangit*
Ossa diu: nondum artis erat caput ense rotare.

Sub Imperatoribus perfectè hoc artificium inventum, etiamsi antea jam diu usitatum; cum hac tamen differentia, ut sub Imperatoribus demum didicerint artem uno ictu caput amputandi, cum Reipublicæ temporibus cervices tantum inciderentur: unde sæpissimè *jugulum præbere*, ex quibus quoque patet Reipublicæ priscæ ignotum non fuisse. *Sichterman. de Pœn. milit. c.* 6. Honestior fuit quàm pœna securis, ab eaque mente illam Antonini Caracallæ vocem capio apud Spartian. c. 4. & Dion. LXXVII. p. 872. D. cum securi Papinianus occisus esset, *gladio te exsequi oportuit meum jussum.* Et eleganter Xenoph. de Expedit. Cyri II. p. 293. A. *Post aliorum præterum cædem, damnatus à Rege interiit* Meno Thessalus. *Non ut Clearchus, aliique duces, capite à cervicibus ablato, quod pulcerrimum mortis genus censetur....* Liv. VII. 15. *Nec in acie tantum ibi cladis acceptum, quam quod trecentos septem milites Romanos captos Tarquinienses immolarunt: qua fœditate supplicii aliquanto ignominia populi Romani insignior fuit.* Cur tantæ ignominiæ hoc mortis genus haberetur, modus efficiebat, quem aperit paucis verbis Flor. II. 5. 3. *Legatos quippe nostros, ob ea quæ deliquerant jure agentes, nec gladio quidem, sed ut victimas securi percussit.* Faber Semestr. I. 4. Lips. & Cuper. l. l. Casaub. in Svet. Aug. c. 15. n. 2. Sed à viris doctissimis nulla adfertur auctoritas, quæ hanc securis præ *gladio* fœditatem possit probare. Caracallæ verba in utramque partem possumus accipere, aut quod vel in morte exhibitum honorem Caracalla Papiniano inviderit, aut quod supremo illo honore invidiæ flammam aliqua ex parte restinguere optaverit. *Valtrin. de Re milit. Roman.* VI. 8. *Sichterman. l. l.* Locus ex Xenophonte adductus, si aliunde honestas probata fuisset, illustrare quodammodo potuisset, nihil tamen probat, cum hic de Romanis sermo sit, auctor verò Græcus de Græcis loquatur. A Livio *fœditatem supplicii*, relativè ad *gladium*, ut honestius supplicii genus dictum non mihi liquet; potius, quod D. manibus suorum immolati erant, *ignominiam* vocasse puto. Flori locus forsan per anticipationem scriptus. Sed si ex eo securis pœnam turpiorem *gladii* fuisse concedamus, necesse est ut cadat Lipsii sententia, *Republica prisca gladii supplicium fuisse ignotum*, nam quomodo securis *gladio* honestior dici potuit à Floro, si tunc nullus *gladius*, nullumque *gladii* supplicium? Omitto, quod ante Imperatores sæpiùs *gladio* in milites fuisse animadversum doceat Hirt. de Bell. Afric. & Hispan. *Sichterman. l. l.* Sumptum est à speculatoribus. V. infr. in *Speculator*. An etiam à tribunis. V. infr. in *Tribunus*. Scuto misso *gladiis* strictis interdum pugnabant Romani. Cæs. de Bell. Gall. I. 25. *Multi ut diu jactato brachio, præoptarent scutum manu emittere, & nudo corpore pugnare.* De pugna inter Magnentianos, & Constantini exercitum Julianus Imperator Orat. II. p. 59. *Abjectis clypeis districtis ensibus irruere.* Cæs. de Bell. Gall. I. 52. *Rejectis pilis comminus gladiis pugnatum est.* Spanhem. in Julian. Orat. p. 240. b. m.

Gladius Hispaniensis vocabatur, quod eum ab Hispanis Romani mutuati essent: utrinque enim punctim magis quàm cæsim feriebant. De Romanis Veget. I. 12. *Præterea non cæsim, sed punctim ferire discebant.* De Hispanis Liv. XXII. 46. *Gallis Hispanisque scuta ejusmodi forma ferè erant: dispares, ac dissimiles gladii: Gallis prælongi, ac sine mucronibus: Hispano punctim magis quam cæsim assueto petere hostem, brevitate habiles, & cum mucronibus.* Eadem habet Polyb. III. 114. Illumque describit VI. 21. *Imperant gladium quem vocant Hispaniensem, habetque mucronem eximium, & ictum utrimque vehementem, quoniam lamina ejus firma est & stabilis.* Valtrin. de Re milit. Rom. III. 12. Brod. Miscell. I. 40. Patric. Rei milit. Rom. part. 5. sect.

5. Thys.

5. Thyſ. Roman. Illuſtr. III. p. 76. Kipping. Antiq. Roman. III. 2. 1. Ejus in pugna Manlii illa veteri cum Gallo meminerunt Liv. VII. 10. *Hiſpano cingitur gladio, ad propiorem habili pugnam.* & Gell. IX. 13. *Gladio Hiſpanico cinctus contra Gallum conſtitit.* Et Hiſpanicum vocant, non quia reipſa talis eſſet, cum Romani nec in Italia ſua domini etiam eſſent; ſed quoniam Manlius eques, depoſita parma, & longiore ſuo *gladio*, qui equitum erat, ſumpſit pedeſtre ſcutum, & *gladium* breviorem, Hiſpanicum poſtea dictum. Ad tempora enim Hannibalis, & belli Punici II. cum ſcilicet Romani vires, & conſtantiam experti militiæ Hiſpanicæ hunc enſem aſſumpſerunt, apud Suidam refert ſcriptor incertus: *Celtiberi paratura gladiorum longè aliis antecellunt: nam & mucronem validum habent, & ictum potentem ex utraque parte. Quare & Romani uſitatos, & patrios gladios deponentes, à temporibus Hannibalis iſtos Hiſpanorum aſſumpſerunt.* Lipſ. de Milit. Rom. III. 5. Thyſ. l. l. Fuit brevis, & duos pedes in lamina non explevit: vi tamen, & firmitate maxima; nam galeas diviſas, corpora detruncata brachiis abſciſſis, aut tota cervice defecta legimus. Erat ergo forma, & facies *gladii*, qualis ferè eſt hodie noſter equeſter: apparet ita in noſtris monumentis priſcis: & ſi in iiſdem etiam acie ſimplici, & supernè leviter pandus, ad orientalem & Turcicam formam. *Thyſ. ibid. p.* 77.

GLANS fuit cibus veterum. Plin. Procem. XVI. *Proximum erat narrare glandiferas arbores quoque, quæ prima victum mortalium aluerunt.* Ovid. Faſt. IV. 399.

Poſtmodo glans nata eſt: bene erat jam glande reperta:
Duraque magnificas quercus habebat opes.

Illis è fago lectis veſci primus inſtituit Pelaſgus in terra Arcadica natus. Hæc victus ratio etiam apud poſteros ejus uſurpata fuit, ita ut Pythia, cum Lacedæmonios à terra Arcadica abſtinere juberet, hos proferret verſus:

Glandivori opponens ſeſe tibi in Arcade terra.

Lauremb. Græc. Ant. Theſ. Ant. Græc. Gronov. IV. 45. A. Stuck. Ant. Conv. II. 8. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 3: XVIII. 9. Bruyer. de Re cibar. XI. 42. Broukh. in Tibullum mox laudandum. Cœpit contemni, poſtquam Cereris beneficio terra novis frumenti ſeminibus locupletata luxuriavit. Ovid. ibid. II. 401.

Prima Ceres homini ad meliora alimenta vocato
Mutavit glandes utiliore cibo.

Tibull. II. 1. 37.

Rura cane, ruriſque deos: his vita magiſtris
Deſuevit querna pellere glande famem.

taleque fuit mortalium in *glandiferas* quercus odium, ut unde natum ſit illud, *ſatis quercus.* Menetrej. Symbol. Dian. Epheſ. ſtat. explic. Theſ. Gronov. Tom. VII. p. 376. De *glande* legenda Ulpian. ad edictum LXX. l. un. de gland. leg. ſcripſit: *Ait prætor glandem, quæ ex illius agro in tuum cadat, quominus illi tertio quoque die legere, auferre liceat, vim fieri veto. Glandis nomine omnes fructus continentur.* Plin. XVI. 5. *Cautum eſt lege XII. tabularum, ut glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere.* Auguſtin. ad Leg. XII. tab. §. 43. Ræuard. ad Leg. XII. tab. c. 28. Rittersh. ad Leg. XII. tab. Claſſ. III. p. 2. c. 9.

Glans etiam *eſt plumbum in modum glandis informatum.* *Salluſt. Bell. Jug. p.* III. *Romani pro ingenio quiſque, pars eminus glande, aut lapidibus pugnare.* Non. XVIII. 6. *Glandes* plumbeas in hoſtes funda jaciebant veteres. Prop. IV. 3. 65.

Plumbea cum torta ſparguntur pondera funda.

Ovid. Met. II. 727.

Non ſecus exarſit, quàm cum Balearica plumbum
Funda jacit.

Lyd. de Re milit. III. 1. Lipſ. Polior. IV. 2. Barth. Adv. XXIII. 20. Quale armorum genus fuerit, ignoratur. Sciendum tamen eſt, eam corporibus infigi potuiſſe. Liv. XXXVIII. 21. *Eadem cum aculeus ſagitta, aut glandis abdita introrſus tenui vulnere in ſpeciem urit, & ſcrutantes qua vellant, telum non ſequitur.* Ex quibus verbis apparet, eam habuiſſe aculeum, quo corpus penetrare poſſet; vel, ſi habuit formam *glandis*, vel globi ſclopetarii, magna ſanè vi oportet tormento excuſſam fuiſſe. Id verò qua ratione factum ſit, apud nullum ſcriptorem reperire potui. *Patric. Res milit. Rom. p.* 5. *ſect.* 1.

GLAREA & ſilex quandoque eamdem rem notant, quandoque diverſas, & contrarias. Licè enim parvuli illi calculi leves, & quaſi politi, qui ſive integri, ſive fragmentis diſperſi reperiuntur per terræ ſuperficiem, revera, naturæque ſuæ ingenio ſint ſilices, tamen in viarum materia ſæpiſſimè opponuntur ſilicibus, quorum nomen ob molis ſuæ parvitatem amittunt, & differentiæ cauſa *glarea* accipiunt. Tib. I. 8. 57. Villum inſt. in *Via Tuſculana. Siliceos lapides* dicit Procop. de Bell. Goth. I. & intelligit durum, aſperumque lapidem, & è rupibus non illum minutum, & tenuem, quem vulgo vocamus, & qui in *glaream* potius venit. *Glarea* itaque media eſt inter arenam & ſilicem, & minùs ad terræ naturam accedit quàm arena, minùs etiam ad naturam ſaxi quàm ſilex: adeo, ut forſan dicere liceat, eſſe inſtar arenæ craſſioris, & inſtar minutorum ſilicum. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 3. *Lipſ. de Magn. Rom.* III. 10. *Barth. Adv.* III. 4.

GLAUCUS piſcis nulla in re apro erat inferior, cœnarum vel præcipuus fundus. Caput erat in honore. Pollux VI. 9. 3. *Glauci cerebrum, quod erat lautum & nobile.* Anaxandrides Comicus:

Qui primus invenit magni pretii exſecta grandia
Glauci ora.

Quod adeo apud omnes notum fuit, ut in parœmiæ locum pænè abierit. Antiphanes:

—— difficilius cœpta deſeram
Quam Callimedon glauci abjiciat caput.

Archeſtratus prædicat optimos Olynthios, & Megarenſes, Ennius Surrentinos.

Surrenti fac emas glaucum Cumas apud.

Optimi hyberno erant tempore; nam æſtivo latere teſta. Ovid. Halieut. II. 117.

Et nunquam æſtivo conſpectus ſidere glaucus.

Nonn. de Re cibar. III. 28. Buleng. de Conviv. II. 30.

GLE.

GLEBA dicitur *glebalis functio*, C. lib. 6. tit. 2. *Glebam poſſeſſionum, non perſonarum eſſe perſpicimus.* Syneſ. Epiſt. *Et antiquam glebam ſenatus vectigalem excipiens.* Oblationis genere quodam à ſenatoribus exigebatur, ſicut aurum coronarium à decurionibus, aut argentum à negotiatoribus. Dicitur *glebale* aurum, penſio, deſcriptio, collatio, præſtatio *glebalis*, aurum oblatitium, follis ſenatorius, *gleba* ſenatoria, C. lib. 6. tit. 2. *Buleng. de Vectig. c.* 67.

Glebæ injectio juſtam, & plenam faciebat ſepulturam, & ab illa ſepulcrorum vel religio, vel ſanctitas ſtatim incipiebat. Cicer. de Leg. II. 22. *Priuſquam in os injecta gleba eſt, locus ille, ubi crematum eſt corpus, nihil habet religionis, injecta gleba tumulus, & humatum eſt, & gleba vocatur, ac tum denique multa religioſa jura complectitur.* Varr. de Ling. Lat. IV. 4. *Humilior mortuus vocabatur, & familia ante jactam glebam, aut os ad luſtrandam familiam exceptum.* Poſt *glebæ* igitur injectionem tandem humatus dicebatur, ac tum demum ſepulcrum fiebat religioſum. *Kirchm. de Fun.* III. 21. *Calcagn. Collect. veſt. p.* 480. *Guther. de Jur. man.* II. 18. *Quenſted. de Sepult. c.* 12. *Meurſ. de Funer. c.* 43. *Gyrald. de var. ſepel. rit. c.* 1. & 8. & *Faes ad illum.* Qui ritus neſcio an fluxerit ab illo altero terram ter plena manu injiciendi fortuitò oblatis cadaveribus, ſi quando ea legitime ſepelire non liceret. Græcis pariter ac Romanis eum uſitatum reperio. Ælian. Var. Hiſt. V. 14. *Lex etiam hæc eſt Attica, ſi quis in inſepultum cadaver hominis inciderit, ut omnino ei terram injiciat.* Val. Max. V. 3. 3. ext. *Phocion poſt obitum nullam Atticæ regionis, quæ oſſibus ejus injiceretur, glebulam invenit.* Acron. in Horat. Od. I.

18. 38. *In sacris hoc genus sepulturæ tradebatur, & etsi non obrueretur, manu plena ter jacta terra cadaveri pro sepultura esset.* Quintil. Declam. v. *Ignotis cadaveribus humum congerimus, & insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantulocunque veneretur aggestu.* vi. *Nobis* rerum natura *adversos exanimes genuit non solum miserationem, quæ cogitationi nostræ subit, sed etiam religionem. Inde ignotis quoque corporibus transeuntium viatorum collatitia sepultura, inde injecta ab alienis humus.* Observo autem *glebam* illam in os mortui injici consuevisse. Cicero modò laudatus. Et Horatius infr. in *Pulvis* laudandus. *Meurs. in Lycophr. p. 191. Turneb. Adv.* xvi. 22. *Kuhn. in Ælianum. Kirchman. & Faes in Gyrald. l. l.* Quod Romani glebam injicere, id eleganter Phocylides γαῖαν, Moschion κόνιν ἐπιμοιρᾶσθαι dixerunt. *Kirchman. & Faes l. l. Demster. Paralip. in Rosin. Antiq.* v. 39. De hoc pulveris injiciendi more V. etiam inft. in *Pulvis*.

GLESSUS est succinum. Plin. xxxvii. 3. *Certum est gigni in insulis septemtrionalis oceani, & à Germanis appellari glessum: itaque & à nostris unam insularum ob id Glessariam appellatam, Germanico Cæsare ibi classibus rem gerente, Austraviam à barbaris dictam. Nascitur defluente medulla pinei generis arboribus, ut gummi in cerasis, resina in pineis. Erumpit humoris abundantia, densatur rigore, vel tepore autumnali. Cum intumescens æstus rapuit ex insulis, certè in littora expellitur, ita volubile, ut pendere videatur, atque considere in vado: quod arboris succum esse prisci nostri credidere, ab id succinum appellantes.* Braun. de vest. Hebr. ii. 14. 4. Buleng. de Conviv. iv. 13.

GLI.

GLIRES admittebantur conviviis veterum. Næv. apud Non. ii. 633. *Prætisum, omasum, pernam, callum, glires, glandia.* Mart. iii. 58.

Nec venit inanis rusticus salutator:
Fert ille ceris cana cum suis mella,
Metamque lactis Sarsinate de sylva,
Somniculosos ille porrigit glires.

Ammian. xxviii. 4. *Poscuntur etiam in conviviis aliquos trutina, ut appositi pisces, & volucres ponderentur, & glires.* Lindenbr. in Ammianum. Colaub. in Lamprid. Heliog. c. 22. Buleng. de Conviv. ii. 18. Non quidem domnorum illud, spurcumque animal, quod nobis invitis domus sæpè oberrat, & suppellectilem arrodit; sed agreste, quod sylvas incoluit. Testatur hoc Plin. viii. 57. *Qua in re notatum, non congregari, nisi populares ejusdem sylvæ: & si misceantur alienigenæ, amne, vel monte discreti, interire dimicando.* Noon. de Re cib. ii. 11. Hos saginabant veteres. Varr. de Re rust. iii. 16. *Hi saginantur in doliis, quæ etiam in villis habent multi. . . In hoc dolium addant glandem, aut nuces juglandes, aut castaneam. Quibus in tenebris, cum cumulatum positum est in doliis, fiunt pingues.* Illorum vivarium *glirarium* Varro ibidem nominat. Ejus primus auctor fuit Fulvius Hirpinus. *Hummelb. & Lister. in Apic.* viii. 9. *Nonn. l. l.* Numerabantur inter ganeatos cibos, adeo ut *censoriæ leges, princepsque M. Scaurus in consulatu cœnis ademerint.* Plin. xxxvi. 1. & l. l. *Grapald. de Part. dom.* i. 7. §. 21.

GLO.

GLOBULI erant placentæ. *Muret. Var. Lect.* xvii. 15. *Grapald. de Part. dom.* ii. 3. §. 24. Eorum compositionem tradit Cato de Re rust. c. 80. *Caseum cum alica ad eundem modum misceto: inde quantum voles facere, facito: in ahenum caldum unguen indito: singulos, aut binos coquito, versatoque crebro duabus rudibus, coctos eximito: eos melle unguito, papaver infriato.* Buleng. de Conviv. ii. 54. Ad illos alludit Petron. c. 1. *Mellitos verborum globulos . . .* Barth. Adv. xxv. 10.

GLOBUS dicitur manus militum, *quæ à sua acie separata, vago superventu incursat inimicos.* Veget. iii. 19. Sed & figura globosa, & in rotundum videtur fuisse. *Lips. de Milit. Rom.* iv. *dial.* 7. *Valtrin. de Re milit. Rom.* v. 2. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient.* c. 52. *Thys. Rom. Illustr.* iv. p. 97.

GLOMUS *appellatur in sacris crustulum cybii figura, & oleo coctum.* Festus. *Buleng. de Conviv.* iv. 18.

GLOS vocatur soror mariti. Festus: *Glos, viri soror, à Græco γάλως.* Modestin. l. 4. §. 6. ff. de gradib. *Viri soror glos dicitur, apud Græcos γάλως.* Nonius etiam fratris uxori hoc nomen tribuit xix. 4. *Glos appellatur mariti soror atque eadem fratris uxor.* Hotoman. de Rit. nuptiar. c. 10.

GLUTINATORES inserviebant librariis, conglutinandæ papyro operam impendentes. Legebatur Neapoli:

MANNIO. STICHIO
TIBERII. CÆSARIS
GLUTINATORI

In vetere glossario *glutinator* est κολλητής. Illorum meminit Cicer. Attic. iv. 4. *Etiam velim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utebatur glutinatoribus* Pignor. de Serv. p. 230.

GNA.

GNÆUS. V. supr. in *Cnæus*.

GNAPHALIUM, *alii χαμαίζηλον vocant, cujus foliis albis, mollibusque utuntur pro tomento.* Plin. xxvii. 10. Glossæ, *tomentum, γνάφαλλον.* *Salmas. Exerc. Plin.* p. 282. b. B. *Rhodig. Ant. Lect.* xvi. 17. *Buleng. de Circo* c. 32. *Arvol. in Panvin. de Lud. Circens.* i. 5.

GNI.

GNIDUS erat civitas insignis Cariæ, sita in promontorio, quod ad littus habebat, & Doris dicebatur. De illo Actor. c. 27. n. 7. *Quum multis diebus tarde navigaremus, vixque pervenissemus secundum Gnidum.* Panciroll. Not. dignit. imp. orient. c. 125.

GNO.

GNOMON est umbilicus, sive stylus, qui per umbras horas indicat, & Græco vocabulo γνώμων dicitur. Quæri potest, cur stylus, horarum ostensor, *gnomon* dicatur. Puto primam originem esse à verbo γνῶναι, cognoscere, unde γνώμη, cognitio quædam, sententiave, & γνώμων, cognitor, index, norma. Primi enim horologiorum inventores, non quidem stylum in horologiorum meditullio, umbilicove figebant, sed normam ita erigebant, quod nunc quoque passim, tum Germani, tum Galli faciunt, ut latus unum horizonti, seu horologii plano hæreret, alterum ad perpendiculum erigeretur. A norma igitur illa, quam *gnomonem* Græci dicunt, stylus ipse, quamvis norma non sit, nomen adeptus est. *Baldus Lex. Vitruv. Salmas. Exercit. Plin.* p. 447. a. F. 471. b. G. 487. a. C. *Voss. Lex. Etymol.* Illum invenit philosophus Anaximander. Laert. ii. 1. *Gnomonem primus invenit, statuitque in horologio Lacedæmone.* Vel ejus discipulus Anaximenes, si fides habenda Plin. ii. 76. *Utramque hanc rationem, quam vocant gnomonicen, invenit Anaximenes Milesius, Anaximandri discipulus: primusque horologium, quod appellant sciothericon, Lacedæmone ostendit.* Meurs. Miscell. Lacon. ii. 19. Salmas. ibid. p. 445. b. F. 451. b. C. 457. a. D. 462. b. E. Menag. in Laertium.

GOB.

GOBIO, sive *gobius*, est *piscis littoralis ex eorum numero, qui parvi perpetuò manent, præstantissimus ad voluptatem, coctionem, distributionem, & succi bonitatem, si in arenosis littoribus, aut inter saxa vivit. Nam qui in fluminum ostiis, aut stagnis marinis versatur, esui non est commodus.* Galen. de Aliment. facult. iii. Mart. xiii. 88. 1.

In

In Venetis sint lauta licèt convivia terris,
Principium cœnæ gobius esse solet.

Honore non eo fuisse, quo mullos, & alios pretii ingentis, indicat Juven. Sat. xi. 37.

Nec mullum cupias, cum sit tibi gobio tantum
In loculis.

Buleng. de Conviv. ii. 35. Voss. de Idolol. iv. 24. Rader. in Martialem.

GOE.

GOETIA est species magiæ, qua invocabantur dæmones circa sepulcra ad evocandos mortuos. Suidas: *Goetia est invocatio dæmonum maleficorum, quæ fit circa sepulcra.* Et, *Goetia ad evocandos mortuos per invocationem.* Dicitur, ut addit Suidas, *à lamentis,* ἀπὸ τῆς γόων, *& fletibus, quæ circum sepulcra fiunt.* In Glossis γόης est *veneficus.* Et apud Hesychium γοητεύει significat *in fraudem illicit, captat deos, corrumpit, conficit medicamenta, excantat.* Finell. Addit. Argol. ad Panvin. de Lud. Circens. ii. 3. Kirchm. de Fun. iii. 13. Rhodig. Ant. Lect. ix. 23. Buleng. de Mag. licit. & vetit. i. 11. Agripp. de Vanit. scient. c. 45.

GOM.

GOMERIATICUM erat vectigal, quod solvebatur pro lanarum fascinis. Gomeriæ enim fascinæ. *Buleng. de Vectig. c. 86.*

GOMPHI *est oppidum primum Thessaliæ venientibus ab Epiro.* Cæs. de Bell. Civ. iii. 80. Eodem die sunt oppugnati & expugnati. V. latiùs de hac oppugnatione differentem Cæsarem. *Ramus de Milit. Jul. Cæs. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1587. F.*

GOR.

GORDIANI Imperatores tres fuere Maximi Imperatoris successores, vel potius ejus tyrannidis vindices. Ex his duos Africanos cognominatos scimus, patrem, & filium, pecuniamque eorum nominibus signatam, in qua M. ANT. GORDIANUS AFR. conscriptum esse videmus. Seni pater fuit Mettius Marullus, mater Ulpia Gordiana, ex Graecchorum genere patrem, ex Trajani cognatione matrem esse dicebat. Uxor Fabia Orestilla Antonii pronepotis esse dicebatur. Ipse multis voluminibus Antoninorum Augustorum res gestas versibus, atque soluta oratione conscripsit, seque, & liberos suos modò Antoninos, modò Antonios appellabat. Consulatus duos pater gessit, filius unum, omnes suffectorum fuisse credimus. Neque enim aliud expressum est, quàm patrem priore consulatu collegam Antonini Caracallæ, posteriore Alexandri Imperatoris fuisse. Imperium paucis diebus in Africa obtinuerunt, filiusque in prælio occisus, pater octogenarius seipsum laqueo suffocavit. Tertius senioris Africani ex filia nepos cum D. Cœlio Balbino, & M. Clodio Pupieno Max. Augustis Cæsar dictus, illis occisis, & Maximino Aug. ac Julio Maximo Cæsare M. Antonius Gordianus Augustus appellatus est. Tribunitiam potestatem sexies, consulatum bis obtinuit. *Augustin. de Fam. Rom. in Antonia. Landus in vet. num. Rom. Misc. Explic. Miscell. Ital. Tom. i. p. 490.* qui de illorum virtute, æquitate, severitate multa. Imperium tenuere pater & filius non ultra sex menses, nepos per annos sex. Omnes Antonii dicti, non Antonini, ut perperam à quibusdam nominantur. Lamprid. Heliog. c. 34. *Et quoniam hic ultimus Antoninorum fuit, neque postea hoc nomen in Republica loco Principum frequentatum est, etiam illud addendum est, ne quis error oriatur, quum duos Gordianos narrare cœpero, patrem, ac filium, qui se de Antoninorum genere dici volebant, non nomen in illis primum fuit, sed prænomen: deinde, ut plerisque in libris invenio, Antonii dicti sunt, non Antonini.* Capitol. Gordian. c. 17. *Literis, & moribus clarus fuit præter nobilitatem; quam, ut nonnulli, ab Antoninis, ut plurimi, ab Antoniis duxit.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 772. F. Tres, non quatuor fuisse contra Gallum quendam hoc asserentem multis docet in *Historia trium Gordianorum Gisbertus Cuperus.* Senioris divitiæ ex eo innotuere, quod *in omnibus civitatibus Campaniæ, Etruriæ, Umbriæ, Flaminiæ, Piceni de proprio per quatriduum ludos scenicos, & juvenalia edidit.* Quod de illo Capitol. c. 4. *Buleng. de Theat. i. 10.*

GOT.

GOTHI appellabantur temporibus recentioribus, qui antiquis Getæ, quorum qui orientales tenebant, Ostrogothi, qui occiduas Visegothi vocati. *Panvin. Imp. Rom. c. 28.* Spartian. Caracal. c. 10. *Adde etiam Geticus Maximus, quod Getam occiderat fratrem, & Gothi Getæ dicerentur.* Philostorg. Hist. Eccles. ii. 5. *Ex iis trans Danubium Scythis, qui ab antiquis quidem Getæ, nunc verò Gothi appellantur.* Hos eosdem esse, qui vetustioribus seculis Scythæ fuerunt dicti, observat etiam Procop. de Bell. Gothic. iv. 5. *Spanhem. in Julian. Orat. i. p. 51.* Torques habuerunt. Saxo ii. 20. *Dona in præsentes plurima erogavit, & inter cætera torquem aureum ingentis ponderis collo Rolvonis, ad ostendendam ejus claritatem, appendit.* Et, *Rogatus pretiosum torquem, qui virtutis & victoriæ præmium proponebatur, in alterius manus deponere, mox armillas, & torquem, ut erat in navigio collocatus, ingenti excussas jactu, postulanti porrigere statuit.* Firmant hoc ipsi nummi veteres, in quibus videas vultus *Gothorum* cum torquibus. *Scheffer. de Torquib. c. 12.* Apud illos soli sacerdotes, omnibus laicis exclusis, erant pileati. Jornand. de Reb. Gothic. n. 35. *Dicenus Gothis è Gothorum gente elegit nobilissimos, & prudentiores viros, quos Theologiam edoctos fecit sacerdotes, nomen illis pileatorum contradens: quia opertis capitibus tiaris, quos pileos alio nomine nuncupamus, litabant: reliquam verò gentem capillatam dicere jussit; quod nomen Gothi, pro magno suscipientes, adhuc hodie suis cantionibus reminiscuntur.* Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect. xiv. Cadavera Principum in quercubus tanquam sacris locis suspendebantur, aut flammis juniperi ligni comburebantur, vel humi cum gladio, & clava condebantur. *Morestell. Pomp. Feral. x. 4.* Hi primi omnium, quos cum aliis barbaris flumina transire ausos Constantinus Imperator primùm, dein Julianus Cæsar, tum Valentinianus magnis affecerant cladibus, atque intra suos fines continuerant. Sub Valente bellum cum Romanis diu intermissum hanc ob causam repararunt. Haud multo tempore ante Valentis Imperatoris obitum, *Gothi* trans Istrum constituti, bello civili ob agrorum fines exorto inter se conflictabantur. Post civiles seditiones sedatas Hunni diu in propriis & inaccessis clausi montibus, repentina rabie, & furore perciti, palude Mæotide egressi, relicto patrio solo, *Gothis* bellum intulerunt, in quo Ostrogothis vectigalibus factis, Visegothorum, quos aliquot prœliis vicerant, & patriis sedibus, agrisque ejecerant, Transdanubianas regiones sibi ipsis vendicavere. Visegothi natali suo ab Hunnis pulsi, Danubio trajecto, à Valente sine ulla fœderis pactione, & armorum depositione intra imperii Romani limites suscepti sunt. Qui eis Thraciæ partem ad habitandum concessit. Sed per avaritiam Maximi Thraciarum ducis fame ad rebellandum coacti, Thraciæ finibus non contenti, vicinas sibi regiones, & urbes populari cœperunt, ideoque Valens illis bellum indixit. Superatis prima congressione Romanis, *Gothi* per Thraciam diffusi sunt. Valens exercitu adversus eos educto, lacrymabile in Thracia bellum gessit, in quo ad primum *Gethorum* impetum perturbatis Romanorum equitum alis, Romanæ legiones equitum præsidio denudatæ, & à *Gothis* cinctæ, usque ad internecionem cæsæ sunt. Valens quum sagitta saucius fugeret, & ob dolorem nimium sæpè equo laberetur, ad cujusdam villulæ casam deportatus est. Ubi supervenientibus *Gothis*, domo incensa, vivus quoque crematus est anno Imperii decimo quarto, vitæ quinquagesimo. Contigit hæc clades v. Idus Augusti anno Christi 378. Valente vi. & Valentiniano juniore ii. Aug. Coss. *Gothi* Valentis cæde super-

biores

biores facti, omnem Thraciam igni ferroque vastarunt, Constantinopolim aggressi, eam aliquot mensibus obsederunt. Hunni quoque, qui Visegothos expulerant, & cum iis Ostrogothi, & Alani, audita Romanorum clade, trajecto Istro, Pannoniam, Mœsiam, & Daciam devastabant. Theodosius Imperio suscepto, multis prœliis *Gothos* vicit, è Thracia ejecit, & ne parvam Romanorum exercitus manum assiduis bellis consumeret, cum Athanarico Rege Visegothorum pacem fecit: illoque decimo quinto die, postquam Constantinopolin, quo illum evocaverat, advenerat, mortuo, *Gothorum* universa gens Theodosio se dediderunt. Quo defuncto, contra fœdus Regem sibi elegerunt Alaricum, qui pace facta magister militiæ ab Imperatore Honorio creatus, atque contra Hunnos, audita Theodosii morte, Istro iterum trajecto, Pannoniam, Mœsiam, & finitimas regiones occupantes missus est. Honorius *Gothorum* timore perterritus, illis sedes, & agros tot laborum pro Romani Imperii dignitate tuenda præmium petentibus Gallias concessit. *Gothi* exagitati perfidia Stiliconis illis nihil suspicantibus die sancto Paschali bellum inferentis, cum Stilico, licèt Honorii jussu, antequàm cœpta perficeret, occisus esset, cœptum iter in Gallias deseruerunt, & Romam citato gradu contenderunt. Urbem IX. Kal. Sept. ceperunt, incenderunt, & populati sunt Varrone & Tertullo coss. anno Christi 411. *Panvin. l. l.*

GOTHICUS fuit appellatus Gratianus Imperator. Saxa hoc monstrant. Ob gravia, & cruenta bella cum Gothis gesta, præcipuè descripta ab Ammian. XXXI. 11. 12. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 735. *B.*

GRA.

GRABATUS est lectus vilior, nullis illis magnificis, aut splendidioribus tapetibus, aut alio apparatu cinctus, aut exornatus. Prudentius junior: *Stabam ego ex una parte grabati; & Leo Abbas ex altera.* Auctor. Moret. n. 5.

Membra levat vilis sensim demissa grabato.

Erat talis lectus, qui ab uno homine portari posset, Rusticus Elpidius:

—— nam jam qui lapsa movere
Non poterat, duro subjecit colla grabato.

Humilior ordinariis lectis. Cæl. Aurelian. Acut. II. 37. *Jubentes eos quiescere, non solum corporis officio, sed, si fieri poterit, etiam cura animorum, lecto mutato ad grabata ægros transferendos.* Exhibebatur in diversoriis. Notum hoc ex Petron. c. 52. *Ille se at in grabatum rejecit.* Barth. Adv. XXXV. 8: XLIV. 19. Eratque pauperiorum. Senec. Epist. 18. *Non est quod nunc existimes me ducere te ad modicas cœnas, & pauperum cellas . . . , Grabatus ille verus sit, & sagum, & panis durus, ac sordidus.* 20. *Magnificentior sermo tuus in grabato videbitur panno.* Buleng. de Conviv. I. 28.

GRACCHANUS dictus est Junius historicus ab amicitia C. *Gracchi* tribuni plebis. Plin. XXXIII. 2. *Junius qui ab amicitia ejus Gracchanus appellatus est.* Sigon. de Nom. Rom. c. 5.

GRACCHUS est cognomen Semproniorum communissimum atque insigne. Eo tamen Novios usos esse etiam in indice cognominum observat Glandorpius. *Ursin. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 730. *F.* 980. *D.* A Fuerunt duo fratres, Tiberius & Cajus, tribuni plebis. A civibus suis sunt occisi, quod plerasque leges adversus nobilitatem per vim tulerant, Tiberius à P. Scipione Nasica; Cajus à L. Opimio consule. *Augustin. de Leg. in Sempronia.* V. illorum leges infr. in *Lex Sempronia.*

GRADUS Capitolino templo fuisse exploratum est; quibus in ejus vestibulum ascenderetur, Liv. VIII. 6. *Cum commotus Annius ira se ab vestibulo templi citato gradu proriperet, lapsus per gradus, capite graviter offenso, impactus imo est ita saxo, ut sopiretur.* Donat. de Urb. Rom. II. 5. Centum fuerunt à Foro Romano, quibus superbè adibatur. Tacit. Hist. III. 71. 4. *Et qua Tarpeja rupes centum gradibus aditur.* Quos tamen continuos fuisse non arbitror, & retractiones suas habuisse, ut appellat Vitruv. III. 3. id est, areolas, ubi fessi pedem figerent, & respirarent, quas post singulos septem, aut novem *graduum* ordines solere interponi architecti notarunt. *Gradus* autem isti haud dubiè ad majestatem. *Lips. de Magnit. Rom* III. 5. Qui centum *gradus* ad Monetæ cum *gradibus* Jovis Capitolini confudisse videtur. Alia tamen omnia ut sentiam, M. Varronis apud Gell. II. 10. verba faciunt: *In memoria mihi esse, quod Q. Catulus curator restituendi Capitolii dixit, voluisse se aream Capitolinam deprimere, ut pluribus gradibus in ædem conscenderetur, suggestusque pro fastigii magnitudine altior fieret; sed facere id non quisse, quoniam favissæ impedissent.* His, inquam, verbis omninò persuadeor, Capitolini templi *gradus* ad illos Monetæ nequaquam pertinuisse. Nam si hoc concedendum esset, non area Capitolina, sed ipsum Forum deprimendum à Catulo fuisset ad *gradus* elevandos. *Ryq. de Capitol. c.* 12. Hac ratione parum urgeri Lipsium judico. Ille enim non continuatos, sed intermissos, & subinde per intervalla planis areolis retractos constituit, in quibus consisterent ascendentes, ac respirarent. Cur ergo non diceret, *gradus* à Foro ad aream usque Capitolinam fuisse minoribus retractionibus interstinctos: ibi verò, ubi erant favissæ, in plateam laxatos, ut ex ea ad templi vestibulum minores identidem areolas, & præcinctiones haberent? Ut hodieque ad ædem D. Petri Vaticanam exstructos videmus *gradus*. Area enim perampla, & intermedia dividuntur, neque carent retractionibus, qui magis distant à templo. Catulus ergo poterat magis aream Capitolinam deprimere, ut diminutis gradibus, qui ab illa pertinent ad Forum, pluribus ab eadem ascenderetur in templum, nisi favissæ impedissent. Non tamen ad ejus sententiam accedo. Nam apud Tacitum sermo non est de *gradibus* templi Capitolini, vel Junonis Monetæ; sed iis, quibus adiretur Tarpeja rupes ab occidente fluvium versus. Vitelliani enim milites, de quorum pugna historicus, cum Capitolium invasissent, relicto clivo Capitolino, à quo repulsi fuerunt, juxta Asylum, & paullò remotiùs per *gradus* Tarpejæ rupis ascendere ceperunt, *sed propior*, inquit, *atque acrior per Asylum vis ingruebat*: cum milites per vicinius Asylum irrumpere, quàm per centum illos *gradus* remotiores mallent. Si verò templi Capitolini *gradus* inceperunt à Foro, ibi triumphantes duces è curru descendere debuerunt, perque eos cum reliqua comitantium turba in templum ascendere. Nam ad templum Jovis desinebat triumphus, cujus pars *gradus* erant. Atqui triumphantes curru adscendebant in montem Capitolinum è Foro. V. infr. in *Triumphus*, non per ullos *gradus*. Nec hoc docent loca Dionis, quibus XLIII. p. 224. B. Cæsar *gradus in Capitolio genibus ingressus conscendit*. LX. p. 680. B. Claudius *per gradus in Capitolio genibus ascendens, levantibus eum utrinque generis*. Uterque enim more majorum per clivum Capitolinum in arcem curru sunt invecti, sed per *gradus* ab area Capitolina in templum genibus adscenderunt. Hoc innuit ipsa Dionis locutio: *gradus, qui sunt in Capitolio*, id est, in ipso templo Capitolino. Et Hos *Cæsar genibus ingressus ascendit, nulla neque currus, qui ei ex adverso Jovis positus fuerat, neque imaginis orbis terrarum pedibus suis subjectæ, neque inscriptionis ejus habita ratione*. Hæc autem erant in templo Jovis, in quo & *gradus*. Nulli igitur *gradus* à Foro, aliquot ab area Capitolina fuerunt. Centum verò *gradus* Taciti fuerunt ad rupem, saxumque Tarpejum, propè veterem Carmentalem portam, & theatrum Marcelli ad occidentem. *Donat. de Urb. Rom.* II. 5. V. plura infr. in *Rupes Tarpeja*. In renuntiatione magistratuum quinam fuerint. V. infr. in *Magistratus*,

Gradus in compositione capillorum aliter & annuli dicebantur. Inflexio enim ipsa, & crispatio capillorum nexiles annulorum orbes imitabatur. Comæ tamen sic annulatim crispatæ, non etiam confusæ, ac turbatæ, & indiscriminatim, temerèque implexæ habebantur, sed per *gradus* quosdam positæ, & ordine digestæ, ita ut unaquæque annulorum series stationem quasi suam servaret, & *gradatim*, alveolatimque alia super aliam scanderet. Latini in his exprimendis *ordinem*, *stationem*, *gradus* solent usurpare. Ovid. Art. III. 434. *ponere comas in statione, &*

crinet

crines in ordine. Ἕδραν Euripides dixit. Quintil. Instit. Orat. XII. 10. *gradus* & annulos junctim posuit. Manil. v. 147. *Tortos in fluctum ponere crines*. Eleganter. Nam illa crinium per annulos inflexio, & per *gradus* digestio, fluctuum modò extantium, modò subsidentium, & invicem se propellentium undulatos, intortosque motus planè refert. Ovid. Amor. I. 14. 25. annulum, & nodum tortilem inflexi capilli vocat *sinum*:

Quam se præbuerant ferro patienter, & igni,
Ut fieret torto nexilis orbe sinus.

Salmas. in Capitol. Pertin. c. 12. Rhodig. Ant. Lect. XV. 8. Meurs. de Lux. Rom. c. 3. Durant. Var. Lect. III. 5. Torrent. & Pitisc. in Suet. Ner. c. 51. n. 3.

Gradus gladiatorium & militum appellatur status, quo congressuri armis sese componunt. Unde *componere ad præliandum gradum* apud Petron. c. 40. Ovid. Met. IX. 40.

Digredimur paullum: rursumque ad bella coimus;
Inque gradu stetimus.

Tacit. Annal. I. 64. 2. *Cuncta pariter Romanis adversa; locus uligine profunda, idem ad gradum instabilis*. Nep. Them. c. 5. 0. 1. *Xerxes à Themistocle gradu depulsus est*, id est, est victus. Hinc *gradu depelli* metaphoricè dicitur, cujus status ita conturbatur, ut si quis in pugna de loco dejicitur apud Cicer. Offic. I. 23. *Fortis, & constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur*. Et proverbium, *de gradu dejici*, ad perturbationes animi tumultuantis, & à statu rationis quasi discedentis venustate accommodatur. Utitur illo Cicer. Attic. XVI. 15. *Ex quo mihi videtur στρατόπεδον ille dejectus de gradu*. Et *meruerunt gradu cadere*, qui in solida terra pugnantes, inque *gradu*, & in statu stantes pulcram petunt per vulnera mortem, non pendentes in fluctibus. Senec. Agam. III. 515. *Gronov. ad Senecam, Lips. Saturn. II. 20. Fab. Agon. I. 11. Baecl. Ind. Nepot. Thys. de Gladiat. p. 233. Lyd. Agon. sacr. c. 6.*

Gradus honorum dicuntur, quibus quis à minoribus incipiens summos tandem capessit. Suet. Claud. c. 4. n. 3. *Quid est, quod dubitemus, quin per eosdem articulos & gradus producendus sit?* Hoc *per omnes honorum gradus efferri*. Cicer. Cat. I. 11. *per omnes honorum gradus provehi*. Auson. Paneg. p. 239. *singulis punctis honorem colligere*. Cicer. Tusc. Quæst. II. 26. dicunt. *Cuper. Obs. III. 20. Pitisc. in Suetonium.*

Gradus militum dicuntur, qui alicujus in militia sunt loci, qui inde pelli puniendi dicuntur. ff. de re milit. de militum pœnis: *Pro modo delicti aut castigatur, aut gradu militiæ dejicitur*. Quod *mili(tia) amoveri* dicitur apud Rufum de pœnis militaribus: *Miles qui militiam suam deserit, aut flagris caditur, aut militia sua movetur*. Et *militiam mutare* apud eundem: *Qui statione sua decesserit in pugna, aut fustibus caditur, aut militiam suam mutat*. Salmas. in Lamprid. Alex. Sev. c. 51. Valtrin. de Re milit. Rom. VI. 8. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 572.

Gradus portuum dicuntur pontes, & loca, præsertim ad ostium fluminis, ex quibus conscensio in naves fiebat, quem tutò petere navigantes, indeque navigaturi naves solvere sine periculo poterant. In illis erant *gradus*, aut scalæ, quibus in mare descendebatur: unde portus celebres in Asia *Scalas* Europæi mercatores vocant, ubi aquam, & commeatum navibus imponendum accipere navigantes solent. Surita in Itiner. Antonin. p. 652. *Gradus antiquitus vocati videntur pontes, ad littus, aut fluminum ripas constrati, ex quibus naves commodiore ingressu conscenderentur ad navigandum, & ad quos appellerent*. Val. Max. III. 6. 1. *P. Scipio, cum in Sicilia augendo, trajiciendoque in Africam exercitu, opportunum quærendo gradum, Carthaginis ruinam animo volveret*. Bergier. de viis Milit. IV. Sect. 48. §. 10. Albert. Descr. Ital. p. 430. Vales. Notit. Gall. in voce Rhodanus.

Gradus in theatris appellabantur loca, in queis spectatores sedebant. Vitruv. v. 6. *Gradus ubi subsellia componantur, ne minus alti sint palmo pede & digitis sex, Latitudines eorum, ne plus pedes duos semis, ne minus pedes duos constituantur*. Sed cur tam lati? parum enim ex symmetria & bono loci videtur, duos pedes & semis latos eos facere. Quod verum est, sed latitudinem eam exigit in contextu illa *graduum* ratio sedendi. Pedes enim eorum, qui in superiore *gradu* spectant, innixi inferiori *gradui* proximo, qui ne læderent sedentes alios, neve ipsi læderentur, opus habuere aliqua laxitate. Fortasse etiam ad pone transeundum, si qui surgerent, aut sedentibus jam aliis intrarent. Erant è lapide. Unde illud Aristippi: *cui bono eruditio? huic saltem*, inquit, *ne in theatro lapis sedeat super lapidem*. Quanquam & sæpè è ligno. Serò repertum, ut pulvilli interrerentur senatui: idque primus Caligula instituit. Dio LIX. p. 645. B. *Pulvilli tunc primum senatoribus, ne nudis asseribus insiderent, subjecti*. Postea id equiti concessum. Juven. Sat. III. 151.

——— *exeat, inquit,*
Si pudor est, & de pulvino surgat equestri.

Lips. de Amphith. c. 13. Pith. Adv. II. 17. Bald. Lex. Vitruv. Thys. de Amphit. p. 202. Per initia fuerunt cespititii. Ovid. de Art. I. 105.

In gradibus sedit populus de cespite factis,
Qualibet hirsutas fronde tegente comas.

aut subitarii. Tacit. Annal. XIV. 20. 2. *Quippè erant, qui Cn. Pompejum incusarent, quod mansuram theatri sedem posuisset: nam antea subitariis gradibus, & scena in tempus structa ludos edi solitos: vel si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse*. Buleng. de Circo c. 35.

Gradus interiores etiam erant intra porticus, per quos ad spectacula adscendebant. Hi ita flexi, & dispositi aptè, ut quantumvis conferta multitudo, statim ingredi ordinatè, & sine conflictu potuerit. Ordines hi *graduum*, sive scalarum miro artificio pœnè invicem decussabantur: & ad ostiola sua, sive vomitoria singuli ducebant. *Lips. de Amphit. c. 21. Thys. de Amphit. p. 209.*

GRÆCARI est Græcanicis exercitationibus, disci, & pilæ, aliisque *Græcorum* nationi usitatis uti. Horat. Sat. II. II. 10.

——— *vel si Romana fatigat*
Militia assuetum Græcari.

Eas enim militiæ Romanæ opponit, id est, militaribus exercitationibus: mox duas Græcorum subjungit exercitationes n. 11. discum & pilam.

seu pila velox,
Seu te discus agit.

Turneb. Adv. VII. 9. Souter. de Aleat. III. 12.

Græcari est etiam majoribus poculis poscere, geniumque multo vino expiare. *Græcorum* enim luxum in conviviis Romani sunt imitati, unde mos Romam allatus, ut se hilariùs Baccho perluerent. Plaut. Most. I. 1. 21.

Dies, noctesque bibite, pergræcamini.

Cicer. Verr. I. 26. *Discumbitur, fit sermo inter nos, & invitatio, ut Græco more biberetur*. Kobierzyk. de Lux. Roman. t. 5. Rhodig. Ant. Lect. XVIII. 6. Stuck. Ant. Conviv. III. 13. Souter. de Aleat. III. 12.

GRÆCI Arcades ex media Peloponneso magna classe ad Italiæ littora transvecti appulerunt: quorum duces Lycaonis filii duo fuerunt Oenotrus & Peucetius. *Ferrar. de Orig. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. (4.) *D.* Aliquanto post alia classis *Græca* ad has ipsas Italiæ regiones appulit, ante Trojam captam annis circiter sexaginta, ut rationem ineunt Romani, profecta ex urbe Arcadica Pallantio. Duæ naves fuerunt, non ex communi sententia civitatis in coloniam eo missæ, sed orta in populo seditione, quæ pars infirmior valentiori cesserat, imposita in naves Euandrum ducem secuta, in Italiam sua spontè venerat. V. supr. in *Euander*. Ferrar. ibid. p. (7.) C. Paucis annis post Arcadas alia classis *Græca*, duce Hercule, in Italiam renavigavit. Victorem exercitum vir fortissimus ex ultimis terris, hoc est, Argos in Peloponnesium, subacta Hispania, & aliis gentibus, quæ sunt ad occasum, reportabat. Compluribus ex militibus illius, alii diuturnæ peregrinationis odio, alii assiduitate laborum defatigati, ab duce impetrata missione, nacti collem idoneum, quem, qui tum vivebant homines, Saturnium, eorum posteri Capitolinum dixere; in eo sedem rerum omnium sua-

suarum collocarunt. Ii maximam partem erant Pheneatæ, & Epei ex Elide, qui suis urbibus vastatis, ac direptis ab hostibus belli tempore, quod contra Herculem fecerant, nullo redeundi domum desiderio tenebantur: quibus Trojani aliquot se aggregaverunt è numero eorum, quos, Ilio capto, cum ibi Laomedon regnaret, Hercules captivos in militiam abduxerat. Habuerunt collem Saturnium à principio soli, separatim à cæteris; non autem ita multò pòst, suis cum sacris, tum legibus, & victu cum Aboriginibus communicatis, in unum convenerunt, pacto fœdere, ut cuncti eodem jure essent, & ejusdem civitatis populares censerentur. *Ferrar. ibid.* (F) Cum signa, & scalpturas Ægyptias omisissent, brevibus quibusdam dictis plurima comprehendebant: cujusmodi erant oracula, unde Apollo *Λοξίας*, id est, obliquus, & quasi flexuosus est cognominatus: & sapientum præcepta, nosce teipsum, tempori parce, à fabis abstineto, super terram ne navigato, & alia sexcenta, quæ brevissima cum sint, multarum rerum congeriem complecti solent. *Bargæus de Obelisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1913. *C.* Unius etiam, aut plurium syllabarum detractione nomina scribebant. *Tomas. de Donar. c.* 7. Vocibus à vocali incipientibus digamma Æolicum addebant: & Helenam Felenam, Hormias Formias, Hebrum Februm, Halesum Falesum, *ἔαρ Fέαρ, ἄνακτα Fάνακτα, οἶνον Fοῖνον* dicebant. Quod Serv. Æneid. VII. 695. & Dionys. I. p. 16. testatur. *Bargæus ibid.* 1916. *B.* Ferarum spectaculum illis in amoribus fuit. Julian. Epist. pro Argivis: *Corinthii*, inquit, *ad agones musicos instituendos aut gymnicos non multa egent pecunia: ad venationes autem, quæ in theatris sæpè fiunt, ursos emunt, & pardalos, quos sumptus facilè ferunt ut opulenti.* Buleng. de Venat. Circ. c. 19. Caput apertum, & sine tegmine habebant. Apud Homerum certè, non causiæ, non pilei usquam mentio: nec celat nos ejus interpres, quin silentium id causam habeat ab hoc ritu. Quin Soranus in vita Hippocratis anxius est, cur imago ejus pileata cernatur: idque alii ad peregrinationes ejus retulere, alii ad alias causas, quas ibi vide. *Lips. de Amphith. c.* 19. Torquibus non videntur usi. Quin imò barbarum gestamen vocant. De Britannis Herodian. III. 14. 13. *Ventrem, atque cervicem ferro incingunt, ornamentum id esse, ac divitiarum argumentum æstimantes, perinde ut aurum cæteri barbari.* Per *χρυσὸν* torques intelligit, & *τὸν κόσμον βαρβάρων* ait æstimasse, quod opinor non dixisset, si Græcorum ea fuisset consuetudo. Sanè Pollux V. 16. in solis mulieribus recenset. Ex quo mihi persuasissimum est, nullum earum, nisi in his, apud Græcos fuisse usum. Quod fortè factum odio Persarum Græcis semper imminentium. Nam reliquæ omnes ferè in Oriente gentes habuerunt. *Scheffer. de Torqub. c.* 12. Honestiores albis induebantur vestibus. Hic cultus enim erat simplicior, ac naturæ ipsi propior, imò & civilior, cum pullus in luctu sumeretur. Artemid. II. 2. *Alba vestimenta solis sacrificus conferunt, & servis Græcorum: reliquis turbationem significant, propterea quod hi, qui in turba versantur, albo vestimento utantur. Opificibus autem manuariis cessationem, & otium portendunt: & quantò pretiosiora fuerint vestimenta, tantò plus otii prædicunt. Neque enim operarii, maximè qui mechanicas artes exercent, albis vestibus utuntur.* Ex his licet discere *Græcos* ingenuos vulgò albis vestimentis usos: quod declarat illud, *eos, qui in turba*, sive in foro *versantur, albis vestibus indutos*, id est, omnes vulgò liberos homines. Cæterùm alba vestimenta in somnis visa Græcorum servis fausta erant: quia scilicet illis libertatem portendebant, quod ingenui in ea veste conspicerentur. Sed honestiores tantum. Nam opifices, & sellularii, populique fæx, ut apud Romanos, fermè in sordida, nigraque veste erant. Et ideò his hominibus cessationem ab opere portendi ait, quod albis vestibus non uterentur. *Ferrar. de Re Vest.* II. 4. 13. Isidis sacra à Romanis potius quàm ab Ægyptiis arcessiverunt, vel religionis forma in deterius abeunte, vel assentationis causa erga Urbem rerum jam demum potitam. Scriptores enim, & numismata, unde Isidem fanis, ac ceremoniis apud *Græcos* cultam esse discimus, recentioris sunt ætatis. *Bacchin. de Sistris Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VI. *p.* 415. Isidis mihi sacra unà cum amicitia Regum Ægyptiorum in Urbem migrasse videntur, quo tempore Ptolemæus Philopator senatui P. Q. R. tutelam filii moriens commisit. Jam dudum verò ante *Græcis* usurpata videntur, adscitaque præcipuè, quum Ptolemæus Soter in *Græcas* urbes, ac præsertim Rhodiorum civitatem, terræ motu graviter concussam, debilitatamque, suam liberalissimè effunderet benignitatem. Ut enim *Græculi* ad adulationem semper facti fuere, ita ad Ptolemæi captandam gratiam sacra quoque Ægyptiaca in suas admisisse eos existimo civitates. In Ægialeæ insulæ propè Cretam nummo Serapis, vel Osiris conspicitur: & in altera parte Isis nuda super navigii proram spicas manibus tenens. *Tollius in Bacchin. l. l.* Auspicandi ratio *Græcis* & Romanis non una fuit. V. supr. in *Auspicandi*. Variis artibus potus parare instituerunt, quorum præstantissimum ex uvis expresserunt, quod vinum nuncupatur, ejusque inventum Baccho attribuerunt. *Butius de Potu Antiq. c.* 1. Primi nives potaverunt. Xenoph. de dict. & fact. Socratis II. p. 739. D. *Ut verò voluptuosè bibas, vina varia, pretiosaque, ac in æstate circumiens hinc & illinc quæritas nivem.* Butius ibid. c. 18. In conviviis sedebant ensibus cincti, quem morem Athenienses primi abjecerunt. *Buleng. de Conviv.* I. 34. Solebant nominare illum, cui poculum tradituri essent. Cicer. Tusc. Quæst. I. 40. *Theramenes cum vinum bibisset, propino, inquit, hoc pulcro Critiæ.* Buleng. ibid. III. 19. Sese ungebant. Anacreon Hippocrate antiquior frequenter unguenta commemorat. Apud Athen. XI. Xenophanea longè antiquior Hippocrate unguenta in convivia adhibita ostendit. *Buleng. ibid. c.* 28. De rebus gravioris negotii consultabant. Homerus:

— da epulum senioribus,
Parebis illi ex multis congregatis, qui melius
Consilium suggesserit.

Buleng. ibid. c. 36. Ex illis discessuri Jovi Servatori libabant. Suidas: *Mos fuit veteribus post convivium bibere in honorem boni dæmonis. Alii verò dicunt primum poculum sic dici, sed discessuros bibisse in honorem Jovis Servatoris.* Berthold. de Ara c. 30. §. 8. Balnea habuerunt. Illis & ipse Alexander voluptuosissimè usus est, ut Strabo est testis. Thucydides optimæ fidei ea primis scriptoribus *Græcis* hunc morem tribuit Laconibus, qui ex Asiaticis didicerint nudi, ac oleo, pulvereque conspersi in luctam descendere, ac postea lavari. *Baccius de Therm. vet. c.* 1. Lenibus, ac tepidis duntaxat balneis, ut narrat Plutarch. in Symposiacis, quasi pro modestia usi sunt. Et Alexander febricitans in balneo dormivit. Mulieres quoque Galatarum pultem cum pueris suis inter lavandum esitare consueverunt. Postea acerrunæ, ac laniantibus similes corpora parari aquæ cœperunt. *Baccius ibid. c.* 10. Eos, ut narrat Firmicus, qui sibi aliquid contulerant, vel qui consilio, aut virtute juverant, divinis appellarunt nominibus: & ideò Cererem, quia attulerat frumenta, & colligendarum frugum tradiderat disciplinam, post mortem ob beneficium, quod ea frugum copia nascebatur, consecrarunt. *Tomas. de Donar. c.* 26. Cadavera non cremabant, sed condebant, sive terræ mandabant, & aggesta humo contumulabant cum funebri veste. Cadaverum sepeliendorum, præcipuè bello peremptorum erat illis tanta cura, ut qui illos inhumatos relinquerent, quovis supplicio dignos putarent. Idcircò summos duces, quia cæsos navali pugna in mare dejecerant, gravibus pœnis, & capitis supplicio affecerunt. Cum autem peremptorum corpora assequi nequirent, illorum ossa, & disjecta membra passim strata exquirebant, ut humo tegerent. Adeò ut Nicias cum exercitu iter faciens, ne duorum militum inhumata corpora relinquerent, totum subsistere agmen, donec humarentur, jusserit. Et Cimon Miltiadis filius, ut pater sepulcro conderetur, captivum se præbere non dubitavit. *Morestell. Pomp. Feral.* X. 5. *Licet. de Lucern. sepulcr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 1013. *D.* Defuncti laudes sollenni oratione, & longè petito prœmio prosequebantur. Pericles proditur primus fuisse, qui carmine & laudibus eos, qui in bello Peloponnesiaco pro patria occubuerant, prosecutus fuit. Alii verò Solonem *Græcis* funebrem orationem primum invenisse fuerunt. *Alex. Gen-*

dier.

dier. III. 7. *Morestell. ibid.* III. 7. Ludis, & certaminibus celebrabant. Hujus moris auctores Acastum, & Thesea facit Plin. VII. 56. *Ludos gymnicos in Arcadia Lycaon instituit, funebres Acastus in Iolco, post eum Theseus in Isthmo.* Morestell. ibid. VIII. 19.

GRÆCIA fuit duplex: una intra Isthmum, altera extra Isthmum. V. supr. in *Achaja*. Propter frequentia latrocinia, & crebras incursiones etiam in pace armata degebat: itaque tunicæ, & pallii communis usus fermè exoleverat, cum lineas tunicas, sive loricas passim gestarent, & pro pallio chlamydes. Thucyd. I. p. 4. *O. Ferrar. de Re vest.* II. 4. 7. Quando provincia sit facta, V. supr. in *Achaja & Corinthus*.

GRÆCOSTASIS quid fuerit explicat Varr. L. L. IV. 32. Locus scilicet, *ubi nationum sisterent legati, qui ad senatum essent missi*. Conclave fuisse videtur, vel porticus, aut quid aliud simile, ubi legati exterarum gentium, priusquam in senatum introducerentur, resistebant, atque etiam post exposita mandata legationis, interea dum à senatu responsum exspectabant, detinebantur. Fuit *sub dextra* curiæ *à comitio locus substructus*, ut addit Varro. Verùm qua parte comitii fuerit, dubito. Nam ab ea, qua Forum respicit, parte fuisse nequit, nam præterquàm, quod in Foro fuisse nusquam legitur, comitium quoque è Foro expulisset. Quare vel ad illud ejus latus fuit, quod Vulcanali obversum, quod vox *supra* videtur indicare apud Plin. XII. 1. ubi legitur: *In Græcostasi, quæ tunc supra comitium erat.* Vel in illo latere, quod versus viam sacram curiæ objectum fuit. Cæterum ipsa ejus situs ichnographia colligi dimetiendo poterit: *Duodecim*, ait, *tabulis ortus tantum & occasus nominatur. Post aliquot annos adjectus est & meridies accenso consulum id pronuntiante, cum a curia inter Rostra, & Græcostasin prospexisset solem. A columna ænea ad carcerem inclinato sidere supremam pronuntiabat.* Sic ut in parallela linea mathematica inter orientem & occidentem solem sita fuerint *Græcostasis, Rostra, columna ænea, & carcer*. Si quis igitur Rostra consideret in angulo comitii occidentali, ubi hoc cum curia desinebat, nimirum ad tres columnas adhuc ibi superstites, *Græcostasis* necessaria in orientali comitii angulo collocanda est, qui inter viam sacram fuit, & viam illam, quæ quartam regionem ab octava disterminat: adeò ut *Græcostasis* inter eandem viam, & comitium intermedia fuerit, è regione fermè illius viæ, quæ nunc inter ædes S. Laurentii est, & SS. Cosmæ & Damiani. Hoc enim modo sol necessariò perpendiculari umbra meridiem designavit inter *Græcostasin & Rostra, columnamque & carcerem*. Benè etiam Varro *substructum* dixit *locum* hunc: quippè cui substructio illa ab ea parte, qua in viam sacram porrigebatur, necessaria fuit. *Nardin. Rom. Vet.* V. 2. *Donat. de Urb. Rom.* II. 20. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. 2. *Bellor. Fragm. Vest. Vet. Rom. Tab.* XI. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 16. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III *p.* 356. *E Brisson. de For.* II. *p.* 238. *Turneb. Adv.* XXII. 18: XX. II. 27. *Pollet. For. Rom.* I. 3. *Zamosc. de Senat. Rom.* II. 18. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 30. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* II. 18. *Biond. Instaur. Rom.* II. §. 64. Capitolinus *Græcostadium* vocat & *post incendium* ab Antonino Pio *restitutum* scribit c. 8. *Panciroll. l. l.*

GRALLÆ sunt perticæ ligneæ, quibus innituntur *grallatores*. Græcis dicuntur κλάπαι, & notiori vocabulo colobathra ab auctoribus Græcis atque etiam Latinis. *Salmas. in Spartian. Carac. c.* 4.

GRALLATORES sunt, qui perticis superstantes magnis passibus gradiuntur. Inde *gradus grallatorius*, qui opponitur testudineo apud Plaut. Amph. IV. 4. 52. ut maximus, & celerrimus tardissimo. Festus: *Grallatores appellabantur pantomimi, qui ut in saltatione imitarentur Ægipanas, adjectis perticis furculas habentibus, atque in his superstantes ad similitudinem cruris ejus generis gradiebantur, utique propter difficultatem consistendi.* Plaut. Pœn. III. 1. 27.

Vincerctis cursu cervos, & grallatorem gradu.

Non. II. 361. *Grallatores sunt colobathari. Gralla enim sunt fulcra, quibus innituntur. Varro mutuum mulis scabant, Græce ἀγοραίων: Grallatores, qui gradiuntur grallis, quæ sunt pertica lignea sine animo, sed ab homine, qui in his stat, agitantur.* Salmas. Exerc. Plin. p. 294. A. in Spartian. Carac. c. 4. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 1. Palmer. Spicil. X. Thes. Crit. Gruter. Tom. I. p. 774. Beroal. Annot. c. 94. Pius Annot. prior. c. 1. Casal. de Trag. & Com. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 7.

GRAMMATICA est rectè scribendi loquendique ratio, & scientia interpretandi poetas & historicos. Diomed. II. p. 421. . Edit. Putschian. *Tota grammatica consistit propriè in intellectu poetarum, scriptorum, & historiarum prompta expositione, & in rectè loquendi, scribendique ratione.* VVouvver. Polym. c. 8. *Roma olim ne in usu quidem, nedum in honore ullo erat, rudi scilicet, ac bellicosa etiam tum civitate, nedum magnoperè liberalibus disciplinis vacante.* Svet. Gram. c. 1. n. 1. *Primus, quantum opinamur, studium grammaticæ in Urbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi æqualis, qui missus ad senatum ab Attalo Rege inter secundum ac tertium bellum Punicum.* Svet. ibid. c. 2. n. 1. hoc est, annis post Scipionem Barbatum supra centum & viginti. Ante id tempus, Grammaticæ regulis nondum constitutis, una Romæ loquendi, scribendique lex erat populi consuetudo. *Antiq. Inscript. Explan. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1838. *B. VVouvver. ibid. c.* 4.

GRAMMATICI, modò disciplina, & assiduitate scholas tuerentur, ampla emolumenta trahebant. M. Antonius Gnipho de mercedibus non paciscebatur, eoque plura ex liberalitate discentium consequebatur. Remmius Palæmon ex schola quadragenta annua capiebat. Tantidem docendum conduxit Calvinum Elicium equitem Romanum L. Apulejus. Verrius Flaccus habitationem in palatio, & centena sestertia in annum ab Augusto meruit. Servi literatores immanibus pretiis sunt empti, dein manumissi. Julius Cæsar addidit honorem, omnes liberalium artium doctores, quo libentiùs & ipsi Urbem colerent, & cæteri appeterent, civitate donando. *Gronov. de Pecun. Vet.* IV. 11. *Panciroll. de Magistrat. municip. c.* 4. Libros conquirebant, & bibliothecas instruebant. Suidas auctor Tyrannionem *grammaticum* comparasse librorum ultra triginta millia, & Epaphroditum Chæronensem triginta millia optimorum librorum collegisse. Quo pertinet illud Ausonii ad Philomusum:

Emptis quod libris tibi bibliotheca referta est,
Doctum, & grammaticum te Philomuse putas.

VVouvver. de Polym. c. 16. §. 18. Et ob librorum peritiam bibliothecis præficiebantur. Alexandrinæ bibliothecæ præfuit Demetrius Phalereus, quem Tertull. Apolog. c. 18. *Grammaticorum probatissimum* vocat: *Ptolemæorum eruditissimus*, inquit, *cum studio bibliothecarum Pisistratum æmularetur, ex suggestu Demetrii Phalerei Grammaticorum probatissimi, cui præfecturam mandaverat.* Postea Zenodotus *Grammaticus* eidem bibliothecæ præfectus fuit, ut tradit Suidas. Simili modo Augustus bibliothecæ Palatinæ delegit criticos, qui librorum quasi quendam senatum legebant, ne qua ineptiis novorum hominum scripta in ea reponerentur. Horum sæpè meminit Horatius. C. Melissum *Grammaticum curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu suscepisse refert* Suet. de Illustr. Grammat. c. 21. n. 3. qui & C. Julium Hyginum *Grammatica* studiis clarum *Palatinæ bibliothecæ præfuisse* scribit ibid. c. 20. n. 2. Pompejo item Macro Augustum *bibliothecas ordinandas delegasse* scribit idem Jul. c. 56. n. 12. *VVouvveren ibid.* §. 21. Legationes obibant. Suidas: *Dionysius Alexandrinus, Glauci filius, grammaticus, qui à Nerone usque ad Trajanum docuit, & bibliothecis præfuit. Fuit ab epistolis, & a responsis, & varias legationes obiit.* Suet. de Illustr. Grammat. c. 2. n. 1. Crates Mallotes *per omne simul legationis, & valetudinis tempus plures ἀκροάσεις subinde fecit.* Pitisc. ad Suetonium. Statuis donabantur. Suet. ibid. c. 9. n. 7. *Statua ejus Beneventi ostenditur.* c. 17. n. 4. Verrius Flaccus *statuam habet Præneste*, Figrel. de Stat. Roman. c. 13.

GRAMMATOPHYLACIUM quid, V. supr. in *Chartophylacium*.

GRANATA quare hodie dicatur Hispania Bœtica, V. infr. in *Hispania*.

GRANARIUM est locus destinetus reponendis frugum *granis*, & ex tabulis fiebat, stipitibus vel in terra defieis, vel supre terram collocatis. Pers. Sat. v. 110.

Jam nunc adstringas, jam nunc granaria laxes.

Popm. de Instrum. fuod. §. 15. Blond. Rom. triumph. ix. p. 180. Grapald. de Part. dom. ii. 11. §. 1.

GRANIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

GRAPHIARIUM est repositorium, loculamentum, sive receptaculum *graphiorum*, in quo *graphia* recondun-tur. *Theca graphiaria* dicuntur Suet. Claud. c. 35. n. 3. Mart. xiv. 21.

Hae tibi erunt armata suo graphiaria ferro.

Id est, stylis ferreis, sive *graphiis*, quibus *graphiaria*, dum *graphia* instar armorum sunt, sunt armata, & instru-cta. *Beroal. Annot. c. 26. Pignor. de Serv. p. 226. Grapald. de Part. dom. ii. 9. §. 7. Hugo de Prim. scrib. orig. c. 9. Rader. in Martialem. La Chausse de Tesser. tab. ix. Pitisc. in Suetonium.*

GRAPHIUM erat stylus ferreus, sive æreus, ab una parte acutus, qua exarabantur in ceræ literæ: ab altera par-te planus, qua inducebatur, quod perperam erat exara-tum, & rursus complanabatur ceræ. Sympos. in ænigmate, cujus lemma *graphium*:

De summo planus, sed non ego planus in imo,
Versor utrimque manu, diverso & munere fungor:
Altera pars revocat quidquid pars altera fecit.

Graphia cum pugillaribus circumferebant Romani, qui in Urbe nunquam gladio, aut pugione accingebantur. Itaque in subita ira ad hæc, quæ in promptu erant, confugie-bant. Ita *Erixonem equitem Romanum, quia filium suum flagellis occiderat, populus in foro graphiis confodit*. Senec. de Clem. i. 14. Et *Cæsar Cassii bracchium arreptum graphio trajecit*. Suet. Jul. c. 82. n. 2. *Salmas. Exerc. Plin. p. 735. b. E. Pignor. de Serv. p. 224. .... Voss. Gramm. i. 35. Grapald. de Part. dom. ii. 9. 7. Calvin. & Lips. in Senecam.*

GRATIANUS Eusebio & Hypatio coss. sive anno 359. natus est, filius Augusti Valentiniani, die xiv. Kalend. Majas. *Fasti Idat. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. xi. p. 263. D.* Sub initium imperii titulo Pontificis Maximi est usus. Sed & post annos decem, hoc est, anno imperii xiii. ante obitum iv. eundem titulum inter sollennes, & Imperatorios alios ei non semel tribuit Ausonius, præceptor ip-sius, & in aula diu versatus. Sic enim in gratiarum actione pro consulatu sibi decreto Imperatorem alloquitur c. 10. *Unus in ore omnium Gratianus, potestate Imperator, virtute victor, Augustus sanctitate, Pontifex religione.* c. 12. *Sic potius, sic vocentur, quæ tu Pontifex maximus deo participa-tus habuisti.* Bosius de Pontif. Max. Imper. Roman. c. 5. Decem mensibus, quibus maritum defunctum mulier de-bebat lugere, duos adhuc adjecit. V. infr. in *Luctus*. Sub illo, Valentiniano & Theodosio, gentilium res mirum in modum collapsæ sunt, cum quod Eucherio & Syagro coss. id est, anno 381. proscriptioni subjecissent, *si quis vetitis sacrificiis diurnis, nocturnisque, velut vesanus, ac sacrilegus incertorum consultorum emerserit, fanumque sibi, aut templum ad hujusmodi sceleris excusationem assumpserit*, l. 7. C. de pagan. tum quod *Gratianus* secuto anno 383. sum-ptibus sacrificiorum, ac stipendiis sacerdotum ademptis Pontificis maximi titulum respuisset, quod hactenùs more majorum, absque labe tamen ipsorum sacrorum, Christiani Imperatores à Constantino Magno ob summam potestatis amplitudinem retinuerant. *Lipen. Stron. inst. c. 2. ar. tert. §. 9.* Unde mox argutum illud in *Gratianum* scomma jactarunt, si *Princeps non vult appellari Pontifex maximus, admodum brevi Maximus Pontifex fiet*. Maximum tyrannum tunc ducem exercitus in Britannia innuentes. Quæ res etiam eventu non caruit. Nam gentiles senatores iniquo animo ferentes, potestatem judicandi de rebus ad gentilitiam superstitionem pertinentibus, quæ hactenùs penes Pontifices fuerat, tributam esse præfecto Urbis Graccho V. C. candidato Christianæ religionis, Maximo arripiendæ tyrannidis, & necandi *Gratiani*, ejiciendique Valentiniani cum uxore Justina auctores extiterunt. *Lipen. & Bos. l. l.*

GRATULATIO, quæ εὐχαριστία, gratiarum est actio, qua deos venerabantur, vel ob voti solutionem, vel publi-cam lætitiam, aut bellum prosperè gestum. Ob votum, cum redderetur, propriè *gratulatio*, ob liberalitatem pri-mitiæ. In sollennibus ludis vitulationes, ob bellum pros-perè gestum supplicationes fiebant. Cicer. Verr. iv. 43. *In gratulationibus mentum Herculis osculari solent.* Guther. de Jur. Pont. iv. 16. man. iii. 30.

GRAVITATIS vestræ, *gravitatis suæ*, *gravitatis tuæ* titulis Imperatorum præsides ac rectores decoraverunt. *Gravitatis vestræ* exemplum habetur, l. 27. ff. de liberali causa. *Vestræ gravitatis est ex fide personarum, quod utile est pupillo, constituere.* *Gravitatis suæ* mentio est, l. 18. C. de pact. *Rector provinciæ pro sua gravitate, ne alter pro altera exigatur, providebit*, l. 4. C. si advers. rem judic. *Nullum vobis præjudicium fieri præses provinciæ pro sua gravitate curabit.* *Gravitatis tuæ* meminit, l. 1. C. de bon. vacant. x. *Scire debet gravitas tua.....* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 731. F.

GRE.

GREX dicitur factio, & *greges* vocabantur multitudo aurigarum cujuscunque factionis, quibus qui singulis præ-erant, factionum, sive *gregum* præfecti, magistri, domi-ni, & conditores vocabantur. Suet. Ner. c. 22. n. 3. *Ne dominis quidem factionem dignantibus, nisi ad totius diei cursum greges ducere.* Panvin. de Lud. Circens. i. 11.

Greges dominici ut plurimum equorum erant, quos Imperatores ad usus bellicos plurimos in provinciis coeme-bant, & in sua pascua immittebant: ex quibus si quis fur-to abigeret, nec redderet sponte, multa libræ auri pro sin-gulis equis puniebatur, l. unic. C. de greg. domin. *Burman. Dissert. de Vectig. iv. p. 64.*

GRI.

GRIPHI dicuntur ænigmata ab impliciti quodam genere retis: quare & in conviviis, quod eis præcipuè uterentur veluti retibus, ad convivas obscuris quæstionibus ca-piendos, *griphos* appellabant. Suidas complectitur utramque significationem: *Griphus rete piscatorium: item perplexa oratio, qua significationem aliquam, sed reconditam, & obscuram in se habet.* Pollux vi. 19. *Griphus jocum habet & solertiam: cui quidem qui solvebat, aliquid carnis donabatur: qui non solvisset, poculum aquæ salsæ bibere jubebatur.* Gyrald. Ænigm. Oper. Tom. ii. p. 613. F. Edit. Lugdun. Buleng. de Conviv. iii. 35. Stuck. Ant. Conviv. iii. 17. Voss. Lex. Etymol. Rhodig. Antiq. Lect. xxviii. 4. Potter. Archæol. Græc. iv. 20. Thysl. in Gell. i. 2.

GOR.

GROMA, sive *gruma*, est *mensura quædam, qua flexæ viæ ad lineam diriguntur, ut est agrimensorum, & talium.* Non. i. 316. Festus: *Groma vocatur genus machinulæ cujusdam, quo regiones agri cujusque cognosci possunt, quod genus Græci vocant γνώμονα.* *Voss. Lex. Etymol. Columm. in Ennium p. 117.*

Groma in castris locus erat medius, ubi *gromæ* organum à metatore ponebatur, ut quatuor faceret angulos norma-les, & ita divideret castra in quatuor partes, quarum viæ in *gruma* loco conveniebant. Non. i. 316. *Grumæ sunt loca media, in qua directa quatuor congregantur, & conveniunt viæ.* Idem voluit Hygin. Gromatic. cum ait *grumam ponis in tetrantem*. Idem ait *gromam* fuisse propè prætorium. Fuit enim quasi forum castrense. *Voss. Lex. Etymol. Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. x. p. 1067. B. Salmas. Exerc. Plin. p. 472. D.* Circa *gromam* autem, hoc est, in principiis, & ad principia, dabantur per exercitum jura, & imperia, indicebantur munera, habebantur castrensia judicia, fiebat res divina, huc convocabatur ad concionem exercitus, huc turba castrensis, ut ad forum, conveniebat, huc totos dies versabatur, donec principia

dimit-

dimitterentur. Ideò ait Suidas, hîc legationes, & nuntios, & omnia administrari. *Schel. & Salmas. l. l.* Fortè, quia normas habebat, & perpendicula pendentia, pertica vocatur in fragmento incerti agrimensoris: *Si fuerit ergo vallis, quæ conspectum agentis exsuperet, per ipsam metis ad ferramentum appositis erit descendendum: cujus rigoris incessum, ut à se in contraria æquemus, afflicta ante linea capitulum pertica æqualiter ad perpendiculum cultellare debemus.* Salmas. ibid. p. 473. à G. 479. à F. b. E. Cui non assentior. Erat sanè τεχνικὸν utrumque instrumentum: sed aliud hæc, aliud illa. Pertica, vel decempeda mensurabant singulas partes, *groma* in tetrante figebatur, & quatuor castrorum portas ostendebat. *Groma* signum erat, pertica mensura. *Groma* dirigebat perticam, pertica à *groma* dirigebatur. *Schel. ibid.* 1068. *a. C.*

GROMATICI dicuntur professores agrimensoriæ artis. Hygin. de Castramet. p. 1022. Edit. Traject. *Professores ejus artis, superscripta causa, gromatici sunt appellati.* Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1026. A. Posterioris ætatis hoc inprimis videntur egisse, ut, contractis copiis, pedaturam quam densissimis castris complerent, quo minori labore munitio perficeretur, & perfecta paucioribus defensoribus egeret. Lucan. vi. 288.

Agminaque interiùs muro breviore recepit,
Densiùs ut parva disponeret arma corona.

Coronam appellabant, quicquid exteriùs, vel interiùs circumdabat. *Schel. ibid. p.* 1071. *D.*

GROSPHUS, γρόσφος, non est pilum, multò minùs glans; sed hasta. Eustath. Odyss. iii. 626. ambigit de scriptura, *grosphus*, an *groschus* sit scribendum, dicit tamen esse *ἀκόντιον, jaculum.* Et ita Polyb. vi. 20. V. illum infr. in *Hasta militaris.* Lips. de Milit. Rom. iii. 1. Patric. Rei militar. Rom. part. 5. sect. 2. Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1270. D.

GRU.

GRUS, quia ejus caro, ut auctor est Galenus, planè dura est, & fibrosa, concoctuque difficilis, non est comedenda, nisi post aliquot dies quàm jugulata fuit. Quippè mora nonnihil tenerescit, præsertim si appensis ponderibus tendatur, ita ut fibræ disrumpantur. Valentissimæ est materiæ, teste Celso, & si à robusto ventriculo superetur, plurimum alit. Sanguinem tamen generat melancholicum, & justo crassiorem. *Castellan. de Carn. esu* iv. 27. *Nonn. de Re cibar.* ii. 33. Placuit tamen gulæ, adeò ut ex Melo insula, una Cycladum, Romam deferretur, unde apud Varr. Sat. περὶ ἐδεσμάτων *grues Melica* laudantur. Saginabatur curiosè in γερανοβοσκείῳ. Plutarch. orat. ii. de carnium esu: *Alii grues & olores oculis consutis inclusos tenebris saginant, aliena temperamentis, & condimentis gustum novum obsonio suo concinnantes.* Unde etiam in mensarum honore fuit. Horat. Sat. ii. 8. 85.

—— deinde secuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis, sale multo, non sine farre.

Plin. x. 23. *Cornelius Nepos, qui D. Augusti principatu obiit, cum scriberet turdos paullo antè captos saginari: addidit ciconias magis placere quam grues, cum hæc nunc ales inter primas expetatur, illam nemo velit attigisse.* Nonn. & Castellan. l. l. Buleng. de Conviv. ii. 24. Atque adeò in Romanos videtur mihi exclamare Stat. Sylv. iv. 6. 8.

Ah miseri! quos nosse juvet, quid Phasidos ales
Distet ab hyberna Rhodopes grue.

Castellan. l. l.

Grus fuit etiam color in veste feminea. Ovid. Art. iii. 182.

Albentesque rosas, Threiciamve gruem.

Ferrar. de Re vest. i. 3. 20.

Grus in theatris machina quædam fuit ex alto delata ad raptum corporis, qua usus Autor in Memnone. *Grus fuit*, de qua Mart. Spect. xvi. 1.

Raptus abit media quod ad æthera taurus arena,
Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.

Buleng. de Theatr. i. 22.

GRY.

GRYPHUS, sive *gryphs* est, ut scribit Ælian. de Anim. iv. 27. *animal Indicum quadrupes, ut leo, robustissimis unguibus leonum similibus: dorsum pennis induitur nigris, anterior pars corporis rubris, alæ candidis: ore est aquilino, oculis igneis, nidosque in montibus facit. Bactri populis Indis finitimi eos illic auri custodes esse, aurumque effodere, simulque eo ipso nidos construere dicunt. Indi vero auri custodes esse negant, siquidem auri minimè egent; sed cum ad illud colligendum homines accesserunt, hos de pullis suis valdè timentes pro eis pugnare. Certant etiam cum aliis animalibus, quæ facillimè vincunt: at contra elephantos, & leones stare non audent.* La Chausse de æn. antiq. lucern. tab. vi. Menetrej. Dian. Ephes. Stat. Symb. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. vii. p. 380. A.

GUB.

GUBERNACULUM, πηδάλιον à Græcis dictum, est temus longior, ad puppim religatus, quo cursum navis moderamus. Habuerunt apud priscos quædam naves unum, pleræque duo, aliqua tria etiam, & quatuor *gubernacula*. Unum minimæ habuere, paullò majores duo. Heliod. v. 15. *Alterum gubernaculorum amittunt.* Alterum, inquit, unde duo habuisse apparet. Itaque & Carthaginenses duos rectores singulis navibus præficiebant, inconveniens esse dictitantes *duo quidem gubernacula habere, cum verò qui navigantibus utilissimus esset, & imperium navis teneret, solum, & absque successore, ac socio esse.* Ælian. Var. Hist. ix. 40. Petron. c. 62. *Nunc per puppim, per ipsa gubernacula dilabendum est.* c. 74. *Non arbor erat relicta, non gubernacula.* *Gubernacula* ubique ait, ut plura habuisse intelligas. Quid? quod Argo navis imaginibus probetur, quarum nulla est, quæ non duo *gubernacula* exhibeat. Tria quædam gentes Indiæ habere solent. Quatuor in ista Philopatoris fuere. Athen. v. p. 204. Qua in parte fuerint, non satis constat. Quæ uno regebantur, id in medio puppis videntur habuisse. Quæ verò duobus, in lateribus, non multum à medio. Docent prisca monumenta, & inprimis Oppian. de Piscat. i. 191.

Lateraque utraque, circaque eos qui in puppi sunt frenos
Gubernaculorum.

Inveniuntur, quæ non in puppi tantùm, sed & prora habuere: ut Suionum apud Tacit. Germ. c. 44. n. 2. *Forma navium eo differt, quod utrimque prora paratam semper appulsui frontem agit: nec velis ministrantur, nec remos in ordinem lateribus adjungunt.* Qui etiam meminit Annal. ii. 6. 2. *Plures appositis utrimque gubernaculis, converso ut repentè remigio hinc, vel illinc appellerent.* Suidas in Δίπρυμνα: *Sunt & quædam, quæ binis gubernaculis à prora, & puppi instructæ sunt, ut non conversi & in hostes navibus ferrentur, & recederent, & eos tam progressu, quàm recessu fallerent.* Quibus verbis & usus hujus rei indicatur. Quia tamen propriè ad puppim pertinebant, ideò credo Suidam naves hujusmodi ἀμφιπρύμνους appellasse, quasi quæ nullas proras, duas puppes tantùm habuerint. In Danubio usurpata ait fuisse. Ex istis duobus movebant modò hoc, modò illud, prout in hanc, aut istam partem erat navigandum. Theodor. de Provid. Orat. ii. *Scheffer. de Milit. nav.* ii. 5. *Perizon. in Ælianum. Bochart. Hieroz.* ii. 4. 2. *Voss. de Liburn. & trirem. construct. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xii. *p. D. Muncker. in Hygin. Fab.* 14. *Gyrald. de Navig. c.* 11. Remis religabatur. Apparet ex Veget. iv. 46. *Secreto incidunt funes, quibus adversariorum ligata sunt gubernacula.* Scheff. l. l. Posidonius existimavit inventum esse exemplo à piscibus sumpto, qui cauda reguntur, & levi ejus in utrumque momento velocitatem suam flectunt, *Gyrald. l. l.*

GUBERNATOR trierarcho, aut pentecontarcho licèt esset subjectus, rem administrabat navalem. Imperabat nautis & remigibus. Pollux i. 9. §. 7. *Qui gubernaculis assidet, vocatur gubernator, nautarum princeps.* Inde Liv. xliii. 8. *Magister sociorum navalium* vocatur. Non tantùm dicebatur

batur regere navim, verùm & *sedere* ad *gubernacula*. Pollux l. l. Sedere autem significat cum auctoritate, & imperio præesse, ut, quod tu jubeas, alii exsequantur. Sedebat in puppe certo loco, quem Græci, ut Pollux ibid. §. 3. docet, *ἴγκλιμα* nominaverunt. Videtur is in summitate puppis fuisse. Ita nummi veteres eum exprimunt. Nimirùm quo faciliùs videre posset, quid per totam navim fieret, aliique imperata ejus meliùs acciperent. Lucian. dial. Clar. & Mercur. *Coscende Menippe, vir optime, & primum locum occupa juxta gubernatorem in summo, ut videas omnes*. In illo summa requirebatur scientia, ne quid præposterè juberetur, ne, cum remis utendum esset, tollerentur vela. Hanc Græci *τέχνην κυβερνητικὴν* nuncupavere. Consistebat maximè in notitia siderum & ventorum, portuum & locorum cognitione, *gubernaculorum*, velorumque administratione justa. Acætes apud Ovid. Met. iii. 592.

Mox ego, ne scopulis hærerem semper iisdem,
Addidici regimen, dextra moderante, carinæ
Flectere, & Oleniæ sidus pluviale capellæ,
Taygetenque, Hyadasque oculis, Arctonque notavi,
Ventorumque domos, & portus puppibus aptos.

Oportebat ipsum præter cætera capere *gubernacula*, vela in ventum dirigere. Senec. Epist. 108. *Non magis mihi potest quisquam talis prodesse præceptor, quàm gubernator in tempestate nauseabundus. Tenendum est rapiente fluctu gubernaculum, luctandum cum ipso mari, eripienda sunt vento vela, quid me potest adjuvare rector navigii attonitus & vomitans?* Virg. Æneid. x. 218.

Ipse sedens, clavumque regit, velisque ministrat.

Erant vulgò singuli in singulis navibus. Max. Tyr. Diss. xxix. *Non vides, ut gubernator navigationem moderetur, ut anima corpus?* In majoribus interdum duo fuisse videntur. Ita Memnon apud Photium de Ptolomæi octere, sive navi octo ordinum: *Qui de foris pugnabant, erant mille ducenti, duos etiam gubernatores habebat*. Ælianus supr. in *Gubernaculum*. Scheffer. de Milit. nav. iv. 6. Habebat pallium humeris injectum, adstrictum nodo in sinistra parte, ut brachium faciliùs moveret in circumagendo *gubernaculo*. Plaut. Mil. iv. 4. 41.

Facite, ut venias ornatus huc ornatu nauclerico,
Causiam habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam,
Palliolum habeas ferrugineum, nam is colos thalassicus est,
Id erit connexum in humero lævo, expapillato brachio,
Præcinctus, atque assimulato, quasi gubernator sies.

Scheffer. ibid. ii. 7.

GUR.

GURGES vocatus est Q. Fabius Rulliani F. *à devorato patrimonio*. Macrob. Saturn. ii. 9. *Sigon. de Nom. Rom. c. 5.*

GUS.

GUSTATIO erat prima pars cœnæ. Petron. c. 22. *Jussi discubuimus, & gustatione mirifica initiati, vino etiam Falerno inundabamur*. Turneb. Adv. xix. 7. *Gustus* dicitur Mart. xi. 53. 5.

Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
Utilis, & porris fila resecta suis.
Et quæ Picenum senserunt frigus olivæ.
Hæc satis in gustu, cætera nosse cupis.
Mentiar, ut venias, pisces, conchylia, sumen.

Stuck. Ant. Conviv. iii. 1. Buleng. de Conviv. ii. 4. Veteres glossæ *γαρόγαρον* exponunt, quod garum, vel oxygarum, & alia salsamenta in illa cœnæ initiatione apponerentur. Mart. iii. 50. 3.

—— affertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque liber.

Gustationem, & *gustum* etiam pro jentaculo dicebant. Vetus glossarium: *Gustus, γεῦμα, γευσμα: gustare: ἀκρατίζομαι: gustarium, ἀκρατισμα*. Utebantur enim sole, lavabantur frigida, gustabant, deinde prandebant: alii impransi totum diem durabant. Plin. Epist. vi. 16. *Usus ille sole, mox frigida, gustaverat jacens, studebatque*. Vulgò est: *mox frigidam gustaverat*. Absurdissimè. Confirmet nostram emendationem Plin. Epist. iii. 5. *Post solem plerumque frigida lavabatur, deinde gustabat, dormiebatque minimum, mox quasi alio die studebat in cœnæ tempus*. Salmas. in Vopisc. Tacit. c. 11.

GUSTATORIUM erat vas escarium, cui *gustatio* imponebatur. *Buleng. de Conviv. iv. 10.*

GUSTUS per omnia elementa quærere dicuntur veteres, quia erant cibi in aqua, in aere, & in terra conquisiti. Juven. Sat. xi. 14.

Interea gustus elementa per omnia quærunt
Nunquam animo pretiis obstantibus.

Romæ etiam sub Imperatoribus, quum luxus invaluisset, cibos interdum per singulas literas disponebant, quod apud Spartianum Geta Commodi frater fecit. Juven. Sat. vii. 184. dixit:

Qui fercula doctè disponit.

Buleng. de Conviv. ii. 5. Grang. in Juven. xi. 14.

GUT.

GUTTURIS si pars dextra quateretur, bonam locutionem significari affirmabant augures, servo, ac libertino lucrum: at si sinistra pars, fugam injucunditatis omnibus significari, aliis liberam gloriam, militi nummorum acquisitionem, virgini injucunditatem, gubernatori navis laudem. *Niphus de Augur. c. 9.*

GUTTURNIUM, sive *guttos*, est vas vinarium, à quo vinum fundebatur in simpulum. *Turneb. Adv. xxiii. 30. Stuck. de Sacrif. p. 81. & 203. Oizel. in Gell. xvii. 8. Cassal. de Prof. Rom. rit. c. 15.* Ad modum *gutturis*, seu colli incurvi guttatim liquorem infundens. *Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 1474. C.* Erat etiam *vas, quo aqua in manus dabatur: ab eo, quòd per oris angustias guttatim fluat*. Ut ait Festus. *Salmas. in Capitol. Maximin. c. 3. Grapald. de Part. dom. ii. 3. §. 7.* Famuli aqua plenum dextra tenebant, & ex illo aquas super convivarum manus effundebant. Fabius Pictor: *Aquam manibus dato, pollubrum sinistra manu tenete, dextra vas cum aqua*. Stuck. Ant. Conviv. ii. 33.

GUTTUS, sive *guttum*, erat etiam genus vasis, quo Romani utebantur ad oleum in balneis guttatim fundendum, quo post lavationem in unctuarii ab unctore ungebantur. Juven. Sat. iii. 261. V. illum infr. in *Strigil.* Salmas. in Capitol. Maximin. c. 3. Grapald. de Part. dom. ii. 4. §. 17: i. 10. §. 11. Baccius de Therm. vet. c. 11. de Conviv. Antiq. 1. 14. Stuck. Ant. Conviv. ii. 25. Saubert. de Sacrif. c. 17. Pignor. de Serv. p. 83. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 149. Oizel. in Gell. xvii. 8. Victor. Var. Lect. xxxvii. 1. Cassal. de Prof. Rom. rit. c. 24. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 18. part. 3. c. 1. de Therm. Ant. Græc. Gronov. Tom. ix. p. 640. E. Apul. Flor. p. 777. *ampullam olearium* dixit. Fiebat ut plurimùm è cornu bubulo. Nobiliores è cornu rhinocerotis habebant. V. infr. in *Rhinoceros*. Erat etiam in sacra supellectile, ex fago. Plin. xvi. 38. *Fagi: pectines transversi in pulpa. Apud antiquos inde & vasis honos. Manius Curius juravit se ex præda nihil attigisse, præter guttum faginum, quo sacrificaret*. Broukh. in Tibull. 1. 11. 8.

GYM.

GYMNASIARCHA, sive *gymnasiarchus* erat *gymnasii* præfectus, qui athletarum, & certaminum gymnicorum curam habebat. Hesychius: *Gymnasiarcha, præfectus xysti*. Panvin. de Lud. Circens. ii. 1. Panciroll. de Magistr. Munic. c. 22. Grapald. de Part. dom. ii. 2. Cicer. Verr. iv. 42. *Demoliendum curavit Demetrius gymnasiarchus, quod. is eo loco præerat*. Ab eo munere philosophos, rhetores, grammaticos, & medicos immunes esse scribit Modestin. l. si duas 6. alias, l. sed & reprobari §. cum similiter de excus. tut. *Panciroll. l. l.* Erant viri in Republica præcipui, qui summa cum potestate publici *gymnasii* curam gererent, certum in tempus electi à Republica. Hinc in inscri-

inscriptionibus γυμνασιαρχήσαι δὶς, ἰμὸ τὸ τρίτον, καὶ τέταρτον, καὶ πέμπτον. V. Gruter. p. 327. Mutabantur aliquando etiam per singulos menses, ut liquet ex marmore apud Spon. Itiner. Tom. II. p. 336. 377. & 436. 437. Publicum ergo erat munus, atque hinc ab Aristot. Polit. VI. 8. γυμνασιαρχία inter politicos magistratus recensetur. Imò ipse Imperator Titus γυμνασιαρχήσας dicitur apud Gruter. p. 173. Et sumptuosum. Unde apud Philon. in Flacc. p. 984. Lampo accusator Flacci dicitur damnum fecisse bonorum suorum satis magnum, quia coactus fuerat *gymnasiarchæ* munus suscipere. *Perizon. in Ælian.* II. 6. *& Addend. p.* 982. De quibus plura qui voluerit, evolvat *Perizoni Ælianum*, & *dissertationem van Dale* de illis, quæ est illarum octava.

GYMNASIUM erat publicus in separata Urbis regione locus exstructus, in quo ungebantur, fricabantur, luctabantur, discum jactabant, aut tale quippiam factitabant, ut docet Galen. de tuend. valet. II. Hæc loca ita nuncupata fuerunt, quum exercitatores ibi ut plurimùm denudabantur. Γυμνάζεσθαι enim antiquissima vox etiam denudari significare videtur. Unde Mart. III. 68. 3.

Gymnasium, therma, stadium est hac parte, recede,
Exuimur, nudos parce videre viros.

Et Bardesenes apud Euseb. de Præp. Evang. VI. 8. Græcos ait non potuisse ulla vi siderum prohiberi, quin in *gymnasiis* nudis exercerentur corporibus. Verùm an omnes, & toti semper denudarentur, qui sanitatis tantùm gratia exercerentur, non est ita compertum. Suspicor tamen luctatores, pugiles, atque alios quosdam potuisse denudari, quemadmodum athletis in usu erat, quos tamen subligacula pro pudendis tegendis tam in publicis, quàm in privatis certaminibus habuisse ratio decoris exigit. *Mercur. Gymn.* I. 6. *Lyd. Agon. sacr. proleg. p.* 5. Romani Tiberi propinquum constituerunt, ne longiùs ad deponendas inter exercendum contractas sordes ire cogerentur. *Mercur. ibid. c.* 10. Thucyd. v. p. 398. Lacedæmonios primos corpora in *gymnasio* nudasse, atque oleo perfudisse scribit. Et Cicer. de Orat. II. c. 5. scriptum reliquit: *gymnasia delectationis & exercitationis gratia primum ab Græcis instituta.* Rhodig. Ant. Lect. VII. 26. Faber Agon. I. 2. Spanhem. in Julian. Orat. I. p. 133. Statuis plerumque ornabatur. Sic Verris statua in *gymnasio* Leontinorum apud Cicer. Verr. II. 66. Neronis in *gymnasio* ejus apud Tacit. Annal. XV. 22. 2. constituta legitur. Profectò haud dubiè à Græcis more & exemplo. In *gymnasio* Atheniensi, quod Ptolemæum vocabatur, fuisse Ptolemæi, Jubæ, & Chrysippi statuas tradit Pausan. Attic. p. 15. Et de Berosi statua Plin. VII. 37. *Astrologia*, inquit, *enituit Berosus, cui ob divinas prædictiones Athenienses publicè in gymnasio statuam inaurata lingua statuere.* Figrel. de Stat. Rom. c. 24. Laurent. de Professor. c. 1.

Gymnasium balneum dicebatur. Joseph. de Bell. Jud. I. 16. Herodes *apud Tripolim, & Damascum, & Ptolemaidem publicas balneas, quæ gymnasia dicunt, condidit.* Hoc hinc emanasse arbitror, quia domi, & in umbra, balneis, & unctionibus mollius se curabant. *Rhodig. Ant. Lect.* XXX. 29. *Baccius de Therm. vet.* c. 5.

Gymnasium etiam dicitur locus, in quo animus excolitur disputationibus, & commemorationibus de studiis philosophiæ. *Figrel. de stat. Rom. c.* 24. Hoc nomen haudquaquàm convenit ludo literario: nusquam enim minùs, quàm in tam sanctis sodalitatibus nudos agere convenit. *Scalig. Poet. c.* 22. Cicer. de Orat. I. 13. tamen utitur pro philosophorum scholis: *Clamabunt, credo, omnia gymnasia, atque omnes philosophorum scholæ, sua hæc esse omnia propria.* Et juxta cum illo Plin. Epist. I. 22. 6. *Non quidem gymnasia sectatur, aut porticus, nec disputationibus longis aliorum otium suum delectat.* Nec mirum, quando γυμνάσιον non est ductum à γυμνὸς, sed à γυμνάζω, quod ἀθλεῖν significat exercere. Videntur autem scholæ hoc nomine non tam μεταφορικῶς dictæ, quàm quod philosophi olim ea ad philosophandum loca elegissent, in quibus in palæstra juventus exerceri solita erat. Nam *multis seculis ante gymnasia inventa sunt, quàm in his philosophi garrire cœperunt.* Cicer. de Orat. II. 5. *Voss. Lex. Ety-*

mol. Statuis plerumque decorabatur, Mercurii, quæ Hermæ appellabantur, Minervæ, & imprimis illarum, quæ, quia ex Mercurio, & Minerva junctim constructæ, Hermathenæ dicebantur. De Hermis Cicer. Attic. I. 8. *Signa Megarica, & Hermas, de quibus ad me scripsisti, vehementer expecto. Quicquid ejusdem generis habebis, dignum Academia tibi quod videbitur, ne dubitaris mittere.* De Minerva. Juven. Sat. III. 219.

Hic libros dabit, & forulos, mediamque Minervam.

De Hermathena Cicer. Attic. I. 4. V. illum infr. in *Hermathena*. Communis fuit Mercurius & illarum, in quibus corpus exercebant: Minerva singularis & propria iis, in quibus animum excolebant. *Figrel. de Stat. Rom. l. l.*

GYMNASTICA est ars, qua homines exercentur ad sanitatem tuendam, & corporis robur sustinendum. Quare Aristot. Polit. VIII. 3. præcipit adolescentes *gymnastica*, & pædotribæ esse tradendos, ita ut fiant exercitatiores, & firmiores. Plato autem de Legib. VII. p. 896. C. *gymnastica* nomine exercitationes omnes bellicas contineri docet. *Panvin. de Lud. Circ.* II. 1. *Mercur. Art. Gymnast.* V. 1.

GYMNICA est ars, & doctrina, qua homines cum disciplina exercentur, non sanitatis tantùm, & pugnæ, sed victoriarum gratia; imò ipsa pugna, & decertatio. A publica concertantium æmulatione, præmiorumque, quæ victoribus dabantur, spe, originem habuit. Postea ad deorum cultum, hominumque delectationem transiit. Hinc Cicer. pro Mur. c. 19. *Ludis oblectamur, & ducimur,* scripsit. Demum ad exercitium corporis, & sanitatem tuendam, corporisque vires exercendas frequentata est. *Panvin. de Lud. Circens.* II. 1.

GYN.

GYNÆCIARIUS, γυναικιάριος, à *gynæcio* barbarè deductum est. *Bud. in Pandect. p.* 243. *C.* erat ille, qui pannos curabat, vel rudes adhuc tergebat, vel forfice incidebat: opus quidem, quod ferè à mulieribus fieri solebat. *Coter. de jur. Milit.* I. 33. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 20. *Pancirol. Notit. dign. Imper. orient. c.* 75. *Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & invent. p.* 326.

GYNÆCIUM est textrinum, sive conclave, id est, locus interior ædium, in quo mulieres degere solent, & opera textoria, & muliebria exercere. Constantin. l. 2. C. de murileg. *Pancirol. Notit. dignit. Imp. orient. c.* 75. *Philand. in Vitruv.* VI. 10. *Coter. de jur. Milit.* I. 33. Dicitur ἀπὸ τῆς γυναικὸς, ideò scilicet, quod apud antiquos ejusmodi munera mulieribus magis quàm viris demandata fuerint. *Braun. de vest. Heb. Sacerd.* I. 17. §. 33.

Gynæcium est repositorium, & quasi armarium mundi muliebris, sed usu quoque vestiaria res, quæ pro Principis majestate in præcipuis provinciarum civitatibus adservabatur ad usum vel necessitatis, vel splendoris. *Bergier. de viis Milit.* IV. *Sect.* 23. §. 2. Horum vestipisci, si non reformidas vocem Plaut. Trin. II. 1. 22. dicebantur *procuratores gynæciorum*. Procurabant enim, ne quid in tu vestiaria ad usum, splendoremque domesticum Principis desideraretur. Vestes militares, quas Imperatores solebant quotannis militibus distribuere, item navium vela, cum classis instruenda, fieri curabant. *Bergier. ibid.* §. 3. *Pancirol. Notit. dign. imp. orient. c.* 75.

GYP.

GYPSATUS vocabatur servus, cujus pedes creta erant denotati. Tib. II. 6. 21.

Nota loquor: regnum ipse tenet, quem sæpè coegit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Ovid. Amor. I. 8. 64.

Despice gypsati crimen inane pedis.

Hinc Plin. XXXV. 17. *Est & vilissima creta, qua circum producere ad victoriæ notam, & pedes venalium trans mare advectorum denotare instituerunt majores.* Et Juven. Sat. I. 111.

Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.

Popm. de Oper. serv. p. 176. Mercur. Var. Lect. III. 21. Sagittar. Nudiped. 1. §. 27. Brisson. de Form. VI. p. 494. Brod. Miscell. I. 17. Stuck. Ant. Conviv. II. 13. Demster. Paral. Ant. Rosin. v. 36. Cyllen. in Tibullum. Column. in Ennii Fragm. de Medea p. 203. Pignor. de Serv. p. 30. Argol. ad Panvin. de Lud. Circens. I. 14.

H



Dimidiatum, hac nota pro adspiratione non rarò usurparunt veteres. *Salmas. Exerc. Plin. p. 489. b. F.*

H, adspirans nota, in antiqua Romanorum scriptura, sublata. Quintil. Instit. Orat. I. 5. *Diu servatum, ne consonantibus adspiraretur, ut in Graccis, & triumpis.* Ita planè citra omnem adspisationem in nummis reperies eadem nomina, Graccus, triumpus, ac præterea Cilo, Pilippus, Tampilus, Ypsæus, pro Gracchus, triumphus, Philippus, Tamphilus, Hypsæus, ut vulgò postea receptum. *Spanhem. de Numism. usu & Præst. Dissert. II. p. 80. Pigh. Annal. Rom. I. p. 460. II. p. 257.*

H in signis militaribus signa notat *hastatorum*, quorum teste Liv. XXXVII. 39. *prima signa, deinde principum erant*. Hinc in denario gentis Valeriæ, ut & in gente Claudia & Cornelia signis legionum adduntur literæ H. P. id est, hastatorum & principum signa, *Spanhem. de Numism. usu & Præst. Dissert. VI. p. 558.*

H pro F in veteri Romanorum scriptura invenitur. Serv. in Æneid. VII. 695. *Faliscos Halesus condidit. Hi autem immutato H in F. Falisci dicti sunt; sicut febris dicitur, quæ antea hebris dicebatur.* Spanhem. de Numism. usu & Præst. Dissert. II. p. 60.

HAB.

HABENÆ, quæ & retinacula, frenis annexa sunt lora, manuque tenentur, ut equum in gyros flectere, impellere, & retinere valeamus. Virg. Æneid. XII. 327.

—— manibus molitur habenas.

Sil. Ital. VII. 696.

Ferrata calce, atque effusa largus habena
Cunctantem impellebat equum,

Grapald. de Part. dom. I. 8. §. 15. Torrent. in Horat. Epist. II. 2. 15.

Habena erat funis fundæ. Græcis κῶλον. Suidas: *Cola, funda utrimque membra, sive partes.* Liv. XXXVIII. 29. *A pueris ii more quodam gentis, saxis globosis, quibus fermè arena immistis strata littora sunt, funda mare apertum incessentes, exercebantur. Itaque longiùs, certiùsque, & validiore ictu quàm Balearis funditor, eo telo usi sunt. Et est non simplicis habena, ut Balearica, aliarumque gentium funda.* Lips. Poliorc. IV. 3.

Habena dicebatur lorum, sive funis, qui è malo trahebatur. E sparto Hispano texi, & complicari solebat. Quam ob causam nonnulli falsò existimaverunt, Varrone reclamante, ab Homero σπάρτα nuncupata, quum tamen σπάρτον Homeri temporibus minimè in usu foret: sed Liburni plerasque naves loris suerent, Græci magis cannabi, & stuppa, cæterisque sativis rebus, à quibus σπάρτα appellabant. Hæc lora *habenas* Poetæ vocant. Quibus profectò illud consuetum est, à re equestri ad nauticam, & à nautica rursus ad equestrem jucundas facere translationes: ut planè illud Homericum agnoscatur, qui mentionem faciens νηῶν ὠκυπόρων, subjungit αἳ θ' ἁλὸς ἵπποι ἀνδράσι γίνονται. Quod bellè imitatum Plautum videmus Rud. I. 5. 10.

Nempe equo ligneo per vias cæruleas
Estis vecta.

Calcagn. de Re naut. c. 15.

Habena erat lorum, quo sandalia, seu soleæ ad pedem religabantur, circa digitos primores. Soleæ enim non erant concavæ, instar calceorum, sed planæ, & solùm πέλμα, sive κάττυμα habebant, quod ad pedem illis religabatur. Turpilius:

Sandalio innexa digitis primoribus.

Pollux VII. 22. *Tyrrhenica, quorum solea lignea, quatuor digitorum latitudinis, lora autem inaurata: erat enim sandalium.* Pollucis ἱμάντας *habenas* reddit Gellius, ubi de soleis loquitur. *Salmas. in Tertull. Pall. p. 413.*

Habena erat lorum, quo servi impuberes pro quæstione cædebantur. Horat. Epist. II. 2. 15.

In scalis latuit metuens pendentis habenæ.

Ubi vetus commentator: *Non latuit, inquit, in scalis, sed ordo est, metuens habenæ pendentis in scalis, latuit. Secundum morem Romanorum, qui servos suos ad gradus habenis, id est, loris ligatos flagellabant. Idcircò è media domo à gradibus ad timorem servis incutiendum habena pendebant.* Ulpian. l. 1. de Sc. Silaniano: *Solet hoc in ea observari, ut impuberes non torqueantur: terreri tantum solent, & habena, vel ferula cædi.* Laurent. de Torment. c. 7. Torrent. & Lambin. in Horatium. Petav. in Themist. Orat. Addend. p. 724.

HABET *hoc* erat inter gladiatores vox propria insultantis adversarii, aut acclamantis vulgi. Virg. Æneid. XII. 294.

—— teloque orantem multa trabali
Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet.

Prudent. Psychom. II. 49.

Tunc exarmata jugulum meretricis adacto
Transfigit gladio, calidos vomit illa vapores . . . .
Hoc habet, exclamat victrix Regina.

Simpliciter etiam *habet*. Senec. Herc. Oet. IV. 1457.

Habet, peractum est: quas petis pœnas, dedit.

Agam. V. 905.

Habet, peractum est: pendet exigua malè
Caput amputatum parte.

Lips. Saturn. II. 21. Turneb. Adv. XVII. 10. Barth. Adv. XLI. 16. Palmer. Spicil. VIII. p. 743. XIV. p. 858. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Laurent. Polym. IV. 9. Thys. de Gladiat. p. 233.

HABITATIO quandoque gratis concedebatur. Cujusmodi concessionis formulas duas habemus sub tit. de donat. ff. una est in l. Aquilius. *Quoniam & cum patre meo semper fuisti, & me eloquentia, & diligentia tua meliorem reddidisti: dono, & permitto tibi habitare in illo cœnaculo, eoque uti.* Altera in l. Lucius. *Ille illi salutem. Hospitio illo, quamdiu volueris, utaris, superioribus diætis omnibus, gratuito. Idque te voluntate mea facere hac epistola notum tibi facio.* Brisson. de Form. VI. p. 555. Quandoque legabatur. Quod fiebat his verbis: *Damnas esto heres Titium sinere in illa domo habitare quoad vivet*, l. damnas ff. de usufr. leg. Scævol. l. codicillis ff. eod. tit. *Hoc amplius libertis, libertabusque meis habitationes in domo, quamdiu vivent.* Modestin. l. qui plures ff. eod. tit. *Qui plures habebat libertos, testamento suo dixit, se habitationem relinquere iis, quos codicillis designasset.* Brisson. ibid. VII. p. 640. Interdum ab ædium venditore excipiebatur. Paull. l. si sterilis §. ult. ff. de action. empt. *Qui domum vendebat, excepit sibi habitationem, donec viveret, aut in annos singulos decem.* Ulpian. l. Julianus §. si venditor eod. tit. *Si venditor habitationem exceperit, ut inquilino liceat habitare, & colono, ut perfruiscat ad certum tempus.* Brisson. ibid. VI. p. 499. Mos etiam erat, eos qui in provinciis domicilium habentes, Romæ, vel in Italia, studiorum, aut alia justa de causa morari volebant, *habitationem* impetrarent rescripto Principis, nec ante discederent, quàm id ipsum etiam impetrassent. Hunc morem, ubi de liberis Valeriani cujusdam studiorum causa Romam deductis scribit, tradit Cassiod. Var. IV. 6. *Quos illustris magnificentia tua in supra dicta urbe facias commorari, nec illis liceat ante discedere, nisi hoc secunda discernamus iterum jussione.* Rævard. de Div. reg. jur. CXXIII.

HA-

HAD.

HADRIAM in Picenum coloni missi sunt, ut legimus Epit. xi. credo anno, postquàm Picentes devicti sunt, M. Atilio, L. Julio consulibus. Vomano flumine humectatam tradit Sil. Ital. viii. 438.

> —— *stat que humectata Vomano*
> *Hadria.*

Eandem in mediterraneis non longè à Matrino amne collocat Strab. v. p. 166. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* ii. 5.

HADRIANUS Imperator. V. illum supr. in *Adrianus*.

HÆR.

HÆREDITARIA sacra. V. illa infr. in *Sacra*.

Hæreditaria sepulcra. V. illa infr. in *Sepulcra*.

HÆREDITARIUM jus. V. infr. in *Jus*.

HÆREDITAS *nihil aliud est quàm successio in universum jus quod defunctus habuit*. Cajus, l. nihil aliud ff. de verb. signif. *Sigon. de Judic.* i. 4. *Calcagn. de verb. signif.* p. 351. Omnis, quantacunque esset, si morientis supremo judicio non esset divisa, tum ab ipso jure in duodecim partes dividebatur: quas quidem omnes in unum collatas assem pleraque antiquitas dixit, singulas verò disjunctim divisas uncias appellavit. Itaque si te hæredem in uncia instituero, in duodecim partes diviso prius toto asse, hoc est omni patrimonio, & fortunis meis, unica tantum pars tibi institutionis jure debebitur: cum verò te hæredem in assem effecero, solidam *hæreditatem*, & integrum patrimonium, nullis diminutis partibus, transferre volo. Ulpian. l. servum meum ff. de hæred. instit. & Justinian. l. hæreditas ff. de hæred. instit. *Hæreditas plerumque dividitur in duodecim uncias, quæ assis appellatione continentur.* Alex. Gen. i. 1. Mag. Miscell. i. 15. Pætus de Roman. & Græcor. Mens. i. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 1612. D. Boxhorn. Quæst. Roman. c. 47. Brisson. de Form. vi. p. 595. Petebatur ab eo, qui rem *hæreditariam* pro *hærede*, vel pro possessore possidebat. Paull. l. postquàm ff. de hæred. petit. *Postquàm legatum à te accepi, hæreditatem peto. Et qui ex asse, vel ex parte hæres erat, intendebat hæreditatem suam esse, vel pro parte: sed hoc solum ex officio judicis restituebatur, quod adversarius possidebat: aut totum, si ex asse esset hæres, aut pro parte, ex qua hæres erat*, l. licet minimam ff. de hæred. petit. *Hæreditatem, vel hæreditatis partem qui petebat, non ex eo metiebatur, quod possessor occupabat, sed ex suo jure. Et ideo, si vel ex asse hæres esset, totam hæreditatem vindicabat, licèt reus unam rem possideret: sive ex parte hæres esset, partem duntaxat petebat, quamvis adversarius totam hæreditatem possideret*, l. 1. §. 1. ff. si pars hæred. pet. *Quinimo si duo possiderent hæreditatem, & duo essent, qui ad se partes pertinere dicerent, non singuli à singulis petere contenti esse debebant, puta primus à primo, vel secundus à secundo: sed ambo à primo, & ambo à secundo*, §. 2. ibid. *Quod si quis se ex parte hæredem diceret, cohæres autem ejus possideret hæreditatem cum extraneo, cum non plus cohæres haberet sua parte, à solo extraneo peti hæreditas debebat: isque restituere damnabatur quicquid possidebat.* §. 3. ibid. *Sed & si is, qui se ex parte dimidia hæredem dicebat, trientem hæreditatis possideret, deinde residuum sextantem vellet prosequi, utique partem dimidiam à singulis petere debebat. Sic fiebat, ut à singulis sextantem consequeretur, & haberet bessem: ipse vero tenebatur ad restitutionem sextantis ex triente, quem possidebat.* §. 4. ibid. *Brisson. de Form.* v. p. 424. *Hæreditatem* cernere V. supr. in *Cernere*: & adire V. supr. in *adire*.

Hæreditas legitima fuit, quæ ab intestato ex lege xii. tabularum delata fuit. Quod si quis intestatus moreretur, lex primùm liberis, deinde agnatis *hæreditatem* tribuit. *Sigon. de Judic.* i. 4. *Ant. jur. civ. Rom.* i. 5. In legis hac de re à decemviris latæ verbis referendis variant auctores. Plenissima tamen conceptio videtur esse, quæ à viris doctissimis ex Ulpian. compat. leg. Mosaic. cum jur. civil. Roman. i. 16. restituta est in hunc modum: *Si intestato*, vel, ut alii legunt, *intestatus moritur* paterfamilias, *cui suus hæres nec escit, agnatus proximus familiam habeto: si agnatus nec escit, gentiles familiam habento.* Rittersh. in Leg. xii. tab. Class. iii. 2. c. 20. Ad illam *is qui in utero fuit ex lege* xii. *tabularum admittitur, si fuerit editus. Inde solet remorari insequentes sibi agnatos, quibus præfertur, si fuerit editus.* Ulpian. l. intestato p. ult. de suis & legi. Qui addit, quod propter eandem legi addi existimo: *Post decem menses mortis natus non admittitur ad legitimam hæreditatem. Si nemo verò suus hæres, vel eorum, quos inter suos hæredes prætor, vel constitutiones vocant, exstat, qui successionem quoquo modo amplectatur, tunc ex lege duodecim tabularum ad agnatum proximum pertinet hæreditas.* Justinian. de Legit. agnat. success. in princ. *Augustin. ad Leg.* xii. *tab.* §. 24. & 25.

Hæreditas testamentaria fuit justa, & sollennis testatio mentis, ac voluntatis nostræ de universo jure nostro in aliquem, pluresve post mortem nostra abalienando: atque in hac de *hæreditatibus*, legatis, & fideicommissis caverunt, & secundos, tertiosve *hæredes* substituerunt. *Sigon. de Judic.* i. 4. Hæc ad solos cives Romanos jure civili pervenire potuit. Etenim qui cives Romani non erant, nec testamentum facere, nec testamento testes interesse, neque ex testamento quicquam capere poterant. Id quod in libris Ictorum positum, gravissima etiam Ciceronis auctoritate video comprobatum. Is enim Archiam poetam civem Romanum fuisse eo argumento ostendit Orat. c. 5. quod *adisset hæreditates civium Romanorum*. Et cum Æbutius negasset, Cæcinam Volaterannum *hæredem* Cæsenniæ esse posse, quod Volaterranis civitas à L. Sylla dictatore esset adempta, Cicero illi respondit in defensione Cæcinæ c. 35. Syllam ita tulisse de civitate Volaterranorum, *ut non tolleret hæreditates: jussisse autem, ut essent eodem jure, quo Ariminenses, quos constaret à civibus Romanis hæreditates capere potuisse.* Atque hoc est, quod *Quiritium jus legitimum hæreditatum* vocavit pro domo c. 13. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* i. 11.

HÆREDIUM est *prædium parvulum*. Festus Varr. de Re rust. i. 10. *Antiquus noster ante bellum Punicum pendebat bina jugera, quod à Romulo primum divisa dicebantur viritim: quæ quod hæredem sequerentur, hæredium appellarunt.* Plin. xix. 4. *In duodecim tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper in significatione ea hortus: in horti verò hæredium.* Colum. Præf. p. 3. *Quintius Cincinnatus ab aratro vocatus ad dictaturam venit: ac rursus fascibus depositis ad juvencos, & quatuor jugerum avitum hærediolum rediit*, id est, *εἰς τὸ χωρίδιον τὸ πατρῷον*. Auson. Eidyll. iii. 1.

> *Salve hærediolum, majorum regna meorum,*
> *Quod proavus, quod avus, quod pater excoluit.*
> *Quod mihi jam senior, properata morte, reliquit.*

Bud. in Pandect. p. 144. E. Voss. Lex. Etymol. in Hæres. Grapald. de Part. dom. i. 5. §. 1. Beroald. in Plinium. Bos. Ind. Nepot. Ernst. in Nepot. xxiv. 1. 1. Sigon. de Ant. jur. Ital. ii. 2.

HÆRES propriè dicitur dominus bonorum defuncti, cui legitimo jure, id est cognationis id obvenit, quasi debitum sit id bonum, non adventitium. Festus: *Hæres apud antiquos pro domino ponebatur.* Bud. in Pandect. p. 144. E. Gloss. Philox. Heres, *κύριος*, *κληρονόμος*. Plaut. Men. iii. 2. 11.

> *Prandi, potavi, scortum accubui, abstuli*
> *Hanc, cujus hæres nunquam erit post hunc diem.*

Inde Justinian. §. ult. de hæred. qual. & differ. *Pro hærede*, inquit, *gerere est pro domino gerere: veteres enim hæredes pro dominis appellabant.* Comment. in Festum. Inde *exhæres*, qui desiit esse dominus, & possessor. Plaut. Most. i. 3. 77.

> *Ut ego exhæredem meis bonis me faciam.*

Bacch. iv. 8. 8.

> *Nive exhæredem fecera vitæ suæ.*

Taubm. Plaut. Men. iii. 2. 11. Firmat hanc sententiam, quod Germanis, & Belgis hodieque *Heer* dominum notat. *Voss. Lex. Etymol.* Efficitur tribus modis: I. suo nomine, quod ad *suos hæredes* jus pertinere arbitror. II. per se, cum extraneus institutus est. III. per alios, servos puta, aut filios. Cajus, l. 1. ff. de hæred. petit. *Hæreditas ad nos pertinet, aut vetere jure, aut novo. Vetere, è lege duodecim*

decim tabularum: vel ex testamento, quod jure factum est. Ulpian. §. 2. ibid. *Sive suo nomine, sive per se, sive per alios effecti sumus.* Cajus ibid. §. 3. *Vel ab intestato, fortè quod sui heredes defuncto sumus, vel agnati, vel quod manumisimus defunctum, quodve parens noster manumiserit. Novo jure fiunt heredes omnes, qui ex SCtis, aut ex constitutionibus ad hereditatem vocantur.* August. ad Leg. XII. tab. §. 23. Nemo institui poterat, nisi ut certò demonstraretur, l. 9. §. 9. de hæred. instit. *Heres institui, nisi ut certè demonstretur, nemo potest.* Qui *frater non erat, si fraterna caritate diligeretur, rectè cum nomine suo, sub appellatione fratris heres instituebatur*, l. nemo dubitat §. 1. ibid. *Si quis autem heredis nomen non dixisset, sed indubitabili signo eum demonstraverit, quod penè nihil à nomine distat: non tamen eo, quod contumeliæ causa solet addi, valet institutio*, l. quotiens §. si quis ibid. Instituebatur verò his verbis, *hic mihi heres esto*, cum esset coram, qui ostendebatur, l. nemo dubitat ff. de hæred. instit. *Nemo dubitat, rectè ita heredem nuncupari posse, hic mihi heres esto, cum sit coram, qui ostenditur.* Etiam rectè hisce: *Titius & Sejus, uterve eorum vivet, mihi heres esto*, l. Titius ibid. vel: *uter ex fratribus meis, Titio, & Mævio, Sejam uxorem duxerit, heres esto*, l. quoties §. si quis ita ibid. vel: *cujus nomen codicillis adscripsero, ille mihi heres esto.* Brisson. de Form. VII. p. 593. Aut scribebatur, aut palam nuncupabatur, l. ult. ff. de jur. codic. Si nuncupabat, debebat palam, id est, ut exaudiri à septem testibus posset, l. hæredes palam ff. qui testam. fac. poss. Suet. Cal. c. 38. n. 7. *Cum jam & ab ignotis inter familiares, & à parentibus inter liberos palam heres nuncuparetur.* Cicer. pro Mil. c. 18. *Testamentum palam fecerat, & illum heredem, & me scripserat.* Et is qui meruerat. Plin. Epist. II. 3. *Et hic hereditatem, hic legata, quasi mereatur, accipit.* Mart. VII. 65. 1.

Heredem Fabius Labienum ex asse reliquit:
Plus meruisse tamen se Labienus ait.

Quintil. Declam. 325. *Quo merito tuo te scripsit heredem? Vox communis est. Iisdem verbis interrogare te possum, quid merueras, ut te scriberet heredem?* Interdum ita scribebatur, ut intra certum tempus adiret *hereditatem*, l. 75. §. si quis hæres ita ff. de adquir. hæred. *Si quis heres ita scriptus fuerit, ut intra certum tempus adeat hereditatem, & si non ita adierit, alius ei substituatur, prior autem heres, antequam adiret, decesserit: nemo dubitat, quin substitutus ultimum diem aditionis exspectare non soleat.* Ille hoc verbo *adeo* utebatur, l. 51. eum qui §. filiusfamilias ibid. *Filiusfamilias heres scriptus patrem suum certiorem fecerat, videri sibi solvendo esse hereditatem. Pater rescripserat, sibi parum idoneam renunciari. Itaque debere eum diligentius explorare: & ita adire, si idoneam comperisset. Filius acceptis literis patris adit hereditatem. Dubitatum est, an rectè adisset . . . . Sed & si quis ita dixerit: si solvendo hereditas est, adeo hereditatem, nulla aditio est.* Brisson. ibid. p. 603. Pro nullo, aut minimo lucro illam adire recusabat. Ideò lex Furia, & lex Voconia latæ sunt, quarum altera certam quantitatem singula legata excedere prohibebatur; altera, plus uni legatario relinquere, quàm quantum apud *heredes* maneret, non licebat. *August. de Leg. in Voconia.* Annuli traditione sæpiùs designabatur. V. supr. in *Annulus*. In nomen, & familiam testamento adoptabatur. Suet. Jul. c. 83. n. 4. *C. Octavium heredem etiam in familiam, nomenque adoptavit.* Qui & idcircò post eam diem semper Cæsar est appellatus, ut in Epistolis Bruti ad Ciceronem. Sic T. Pomponius Atticus Q. Cæcilii avunculi testamento adoptatus non tantum ex dodrante *heres* est factus, sed & Q. Cæcilius Atticus est appellatus. Varr. de Re rust. II. 2. *Atticus, qui tunc T. Pomponius, nunc Q. Cæcilius cognomine eodem.* Suet. Tib. c. 7. n. 4. *Agrippam neptem Cæcilii Attici duxit uxorem.* Et *Q. Cæcilius Q. F. Pomponianus Atticus* dicitur Cicer. III. 20. Nep. XXV. 5. 2. *Cæcilius moriens testamento adoptavit eum, heredemque fecit ex dodrante, ex qua hereditate accepit circiter centies LLS.* Politian. Misc. c. 31. Faber Semestr. I. 14. Buleng. de Imp. Rom. II. 1. Augustin. Emend. III. 8. Ernst. in Nepotem. Pitisc. in Suet. Augustum & Tiberium.

Heres extraneus *appellatur, qui testatoris juri subjectus non est. Itaque liberi quoque nostri, qui in potestate nostra non sunt, heredes à nobis instituti, extranei heredes nobis videntur. Qua de causa, & qui heredes à matre instituuntur, eodem numero sunt: quia feminæ in potestate liberos non habent. Servus quoque heres à domino institutus, & post testamentum factum ab eo manumissus, eodem numero habetur.* Justinian. Instit. §. 4. de hæred. qualit. Suet. Claud. c. 4. n. 13. Claudium *ne heredem quidem, nisi inter penè extraneos nuncupavit* Augustus. *Pitisc. in Suetonium.* Lugere debebat secundum animi sui patientiam, non elugere. Luctuosa enim *hereditas* ea est solum, quæ liberis, aut parentibus defertur, l. fin. C. de instit. & substit. aliorum luctus sub persona risus est, ut Mimus docet. *Gruber. de Jur. man.* III. 28.

Hæres fiduciarius appellatur, cujus fidei testator *hereditatem* suam committit ad tempus, post alii reddendam. Javolen. l. 46. §. Sejus Saturninus ff. ad SCtum Trebell. *Sejus Saturninus archigubernus ex classe Britannica testamento fiduciarium reliquit heredem Valerium Maximum trierarchum: à quo petiit, ut filio suo Sejo Oceano, cum ad annos sedecim pervenisset, hereditatem restitueret.* §. 67. *Idem dicendum est, & si citra consilium donandi fiduciarius heres id fecerit.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 719. B. Salmas. de Mod. usur. c. 14. Bud. in Pandect. p. 24. D. Et *hereditas* fiduciaria, quæ sic relicta est. Javolen. l. l. *Si Sejus Oceanus, cui fidei commissa hereditas ex testamento Seji Saturnini, cum annos sedecim haberet, à Valerio Maximo fiduciario herede restitui debeat, priusquam præfinitum tempus ætatis impleret, decessit: fiduciaria hereditas ad eum pertinet, ad quem cetera bona Oceani pertinuerint.* Bud. ibid. p. 25. I. Salmas. l. l.

Heres institutus *dicebatur, qui primo gradu erat scriptus.* Modestin. l. 1. ff. de vulgar. & pupill. substit. Vocabatur *heres primus*, l. idem est. §. ult. ff. de testam. milit. l. quamdiu ff. de adquir. hæred. *primo gradu scriptus*, l. denique ff. de injust. rupt. vel *primo loco*, l. si non lex. §. ult. ff. de hæred. instit. *Brisson. de Formul.* VII. p. 606.

Heres necessarius dicebatur, qui omninò, sive velit, sive nolit, tam ab intestato, quàm ex testamento ex lege XII. tabularum *heres* fit. Justinian. Instit. de hær. qual. §. 3. *Sui autem, & necessarii heredes sunt, veluti filius, filia, nepos, neptis ex filio, & deinceps ceteri, qui in potestate morientis fuerint. Sed his prætor permittit volentibus abstinere hereditate: ut potius parentis, quàm ipsorum bona similiter à creditoribus possideantur.* August. de Leg. in Junia Vellea, & ad Leg. XII. tab. §. 23. Etiam dicitur servus institutus hæres Justinian. ibid. §. 2. itidem *sic appellatus, quia sive velit, sive nolit, omnino post mortem testatoris protinus liber, & necessarius fit hæres.* Huic *hereditate* abstinere volenti prætor, vel proconsul id non permittit, l. 57. §. 2. ff. de acquir. hæred. *Servis autem necessariis heredibus, sive puberes sint, sive impuberes, hoc non permittitur.* Is verò cogitur *heres* esse, ut dominus defunctus ignominia non afficiatur per distractionem, & auctionem bonorum suorum, quæ infamiæ proxima est. Dat hanc rationem Justinian. Instit. §. 1. quib. ex caus. manum. non lic. *Valdè enim prospiciendum erat, ut egentes homines, quibus alius heres exstiturus non esset, vel servum suum necessarium heredem haberent, qui satisfacturus esset creditoribus: aut hoc eo non faciente, creditores res hereditarias servi nomine vendant, ne injuria defunctus afficiatur.* Qui pro hac ignominia, ad quam ferendam obligatur, libertatem, quæ res est inæstimabilis, consequitur: & sibi ipsi acquirit, quicquid post patroni mortem acquirit: nec obnoxia facit sua bona creditoribus, etiamsi patroni bona non sufficiant. Justinian. Instit. de hær. qual. §. 2. *Pro hoc tamen incommodo illud ei commodum præstatur, ut ea, quæ post mortem patroni sui sibi acquisierit, ipsi reserventur. Et quamvis bona defuncti non sufficiant creditoribus: tamen ex ea causa res ejus, quas sibi acquisierit, non veneunt.* Si nimirum separationem bonorum suorum à bonis patroni petierit, & patroni bonis sese non immiscuerit, l. 1. §. 18. ff. de separation. *Ita sciendum est, necessarium heredem servum, cum libertate institutum, impetrare posse separationem: scilicet, si non attigerit bona pa-*

na patroni, in ea causa sit, ut ei, quicquid postea acquisierit, separetur: sed & si quid ei à testatore debetur. Loon. de Manum. serv. I. §. 15. 16. 17.

Heres substitutus *dicebatur, qui secundo, vel tertio gradu erat scriptus.* Modestin. l. 1. ff. de vulgar. & pupill. substit. Appellabatur *heres secundus*. Suet. Aug. c. 102. n. 3. *Heredes instituit secundos. Drusum Tiberii filium ex triente, & ex partibus reliquis Germanicum. secundo gradu scriptus*, l. denique ff. de injust. rupt. vel *secundo loco scriptus*, l. postumos. ff. de Scto Silan. Aut si tertio gradu scriptus esset, *heres tertius*. Suet. Claud. c. 6. n. 6. *Qui moriens, & in tertiis heredibus eum ex parte tertia nuncupatum. . . .* Poterat quis plures *heredum* gradus facere. Marcell. l. si plures. ff. de jure delib. *Si plures sint gradus heredum institutorum.* Marcian. l. potest ff. de vulgari & pupill. *Potest quis in testamento plures gradus heredum facere, puta, si ille non heres erit, ille heres esto: & deinceps plures: ut novissimo loco in subsidium vel servum necessarium heredem instituat.* Marcell. l. Lucius Titius ff. de hæred. instit. *Sallustium & Varronem primo, an secundo, vel tertio gradu heredes instituere voluerit.* Substitutio, quæ in hunc casum, *si heres non erit*, fiebat, vulgaris vocabatur. Cajus Instit. II. 4. *Substitutio est, quæ post institutionem à testatore fieri solet, id est, secundi heredis appellatio. Et duæ sunt: quarum una vulgaris dicitur, alia pupillaris. Vulgaris dicitur, ille mihi heres esto, sive hoc filio, sive extraneo: quod si hereditatem meam adire noluerit, illum substituo, ad quem hereditas mea debeat pervenire.* Vulgari ergo modo, ut loquitur Modestin. l. jam hoc jure §. ult. ff. de vulg. hæred. substituebatur ita, *si heres non erit*, aliique. Hæc autem verba in eo, quem alieno juri subjectum esse testator sciebat, sic accipiebantur: *si neque ipse heres erit, neque alium heredem effecerit.* In eo verò, quem paterfamilias arbitrabatur, illud significabant: *si hereditatem sibi, vel ei, cujus juri postea subjectus esse cœperit, non adquisierit.* §. ult. Instit. de vulgar. & pupillar. *Brisson. de Formul. VII. p. 606. Salmas. de modo usur. c.* 11.

Heres suus ideò appellatur, quia domesticus est, & vivo quoque patre quodammodo dominus existimatur. Quinam illi sint, V. supr. in *Heres necessarius*. Suorum mentionem fieri in duodecim ex Callistrati verbis constat, l. liberorum de verb. signif. *Liberorum*, inquit, *appellatione nepotes, & pronepotes, cæterique qui ex his descendunt, continentur. Hos enim omnes suorum appellatione lex XII. tabularum comprehendit.* Suos autem ab intestato primos ex eadem lege vocari scribit Justinian. Instit. III. §. 2. de hæredit. quæ ab intest. defert. & Cajus, l. 1. & 3. de hæred. petit. ait ex lege XII. tabularum ab intestato ad nos *hereditatem* pertinere, fortè quod sui *heredes* defuncto sumus vel agnati, vel ex aliis causis, quæ illic referuntur. Suos autem Justinianus appellat, ut dictum est, eos qui in potestate defuncti erant, in quibus adoptivi numerantur. Emancipati sui *heredes* non sunt, quoniam in potestate parentis esse desierunt, qua de causa nullo jure ex duodecim vocantur; prætor tamen eis bonorum possessionem *unde liberi* præstitit, ut scribit Justinian. l. Emancipati, l. l. Nepotes verò tum lex XII. tabularum vocat, cum filio mortuo, aut alio pacto è medio sublato, is in potestate reperitur. Succedit autem cum filiis nepos hujusmodi, quod evidenter in duodecim caveri Diocletianus Frontoni rescripsit, l. 3. de suis & legitim. Idem Marcellæ rescripsit postumum suum potiorem sorore consanguinea esse ex ordine legis XII. tabularum. Qua de causa scribit Justinian. l. postumi de hæred. quæ ab intest. defer. *Postumi quoque, qui si vivo parente nati essent, in potestate ejus futuri forent, sui heredes sunt.* Augustin. ad Leg. XII. tab. §. 23. & 24. de leg. in Junia Vellea. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 20. c. 21.

HAL.

HALTERES, ἁλτῆρες, erant plumbeæ pilæ, massulæve, quibus utraque manu se librabant, ut certiùs assilirent. Pausan. Eliac. I. p. 175. *Sicut halteres, athletarum libramenta, circuli oblongiore figura, illa quidem non prorsus in ambitum circumducta. Nam qua pars manibus prensatur,*

ansulas habet, intra quas digiti, uti intra clypeorum lora, immittuntur. De his Mart. VII. 66. 6.

Halteres agili rotat lacerto.

XIV. 49.

Quid pereunt stulto fortes haltere lacerti?
Exercet melius vinea fossa viros.

Bud. in Pandect. p. 96. B. Turneb. Adv. XXVIII. 28. Rhodig. Ant. Lect. XIV. 5. Alex. Gen. III. 21. & ad illum Tiraquellus. Mercur. Gymnast. II. 12. Voss. Lex. Etymol. Demster. Paral. ad Antiq. Roman. Rosin. V. 1. Potter. Archæol. Græc. II. 21.

HAM.

HAMA fuit instrumentum idoneum restingendis incendiis. Plin. Epist. X. 42. *Nullus unquam in publico sipo, nulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda.* Juven. Sat. XIV. 305.

Dispositis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet.

Ubi vetus interpres: *Per translationem disciplinæ militaris sparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam Urbis cum hamis, & cum aqua vigilias curare consueverunt vicinis.* Paull. l. 3. §. sciendum est ff. de Offic. præf. Vigil. *Sciendum est, præfectum vigilum per totam noctem vigilare debere, & coerrare calceatum cum hamis & dolabris.* Voss. Lex. Etymol. Brod. Misc. IX. 17. Casaub. in Treb. Poll. Claud. c. 14. Cerda Adv. sacr. c. 36. §. 14. Brisson. Antiq. Roman. II. 8. Leopard. Emend. IX. 22. Grang. in Juvenalem. Popin. de Instrum. Fund. c. 19. Qualis *hama* fuerit, non satis constat. A Polluce I. 12. 15: X. 29. inter ἐργαλεῖα γεωργικά, à Suida verò inter οἰκοδομικά & τεκτονικά ponitur. Et verisimile est disturbandis ædibus aptum instrumentum fuisse. Hæc interpretatio fit probabilis adjuncto dolabræ verbo, cujus & in re rustica & in re bellica usus est. V. supr. in *Dolabra*. Brisson. l. l. Ego vas aquarium rotundioris formæ, & ventris globosioris interpretor, quo ad incendia exstinguenda solebant uti. Forma intelligi potest ex Column. X. 381. de cucurbita:

— *sive globosi*
Corporis, atque utero nimium quæ vasta tumescit,
Ventre leges medio: sobolem dabit illa capacem
Narycia picis, aut Actæi mellis Hymetti,
Aut habilem lymphis hamulam.

Turneb. Adv. XIX. 23. Brisson. Leopard. & Voss. l. l.

HAMUS connectebat armillam, in altero capitulo eminebat. Præstabat idem, quod in aliis fibulæ, circuli, aut clavi. Ab illo cutis erat tuta, quia, ut credo, non nudo brachio armillæ inducebantur, sed manica interposita, roboris ergo. *Barthol. de Armill.* §. 4.

Hamus etiam, sive ex ære fuerit, sive ex ligno, fuit instrumentum in cubiculis, aulis & repositoriis, quibus capitis tegmina, & variæ res aliæ melius appensæ, quam jacentes servarentur, verbo à piscatorii *hami* similitudine translato. *Blond. Triumph. Rom. IX. p. 182. F.*

HAR.

HARENA. V. illam supr. in *Arena*.

HARIOLUS. V. illum supr. in *Ariolus*.

HARMAMAXA, sive *armamaxa*, non est essedum, non pilentum, non petoritum, sed vehes gestatorius, qui opera humana sine jumentis tollitur, & circumferunt manibus, humerisve; cujusmodi sellæ fuerunt gestatoriæ Suetonio, & lecticæ Senecæ, sive religionis, sive mollitiei causa, præcipuè ad ægrotos portandos comparatæ. Hoc Tertull. de Spectac. c. 7. demonstrat, cum nominat primùm currus, quos equi vehunt, & jumenta quælibet, & in eis pilenta: tum majoris religionis ergo thensas, quas homines trahunt funalibus; postremò summæ religioni testandæ *harmamaxas*, quas homines sustollunt, & gestant, sanctimoniæ studium officio suo erga res sacras, atque divinas ostendentes. *Junius in Tertull. p. 84.* Qui errat meo judicio, quoniam aliud ex auctoribus col-

legitur, maximè Plutarcho in Themistocle, qui accipit pro vehiculo, quo mulieres vehi solebant. Valla asserit esse virorum currum, sed fallitur, si velit solos viros eo usos. Apud Athen. v. p. 206. D. corpus Alexandri illo portatur. Ex quo fatendum est, eum currum utrique sexui in usu fuisse, licèt feminæ maximè uterentur. Itaque Tertullianus intelligit ejusmodi vehicula, atque ex iis asserit probari, quorum esset circensis pompa, Christianorumne, an idololatrarum: quoniam Romani utriusque sexus, qui iis *harmamaxis* vehebantur, erant in veste, quæ erat in deorum sacris usitata, & coronas, atque exuvias in deorum honorem ferebant, aut certè aliqua pertinentia ad sacrificia. Puto verò idem esse *harmamaxas*, quod esseda, pilenta, ac petorita: nam eis, sicut *harmamaxis* in pompis circensibus, & aliis, viri, feminæque utebantur. *Tasin. de Ann. secul. c.* 15.

HARPAGO & ferrea manus confunduntur à Curt. iv. 2. 12. *Ferrea quoque manus, harpagonas vocant, quas operibus hostium injicerent .... præparabantur.* Distinguuntur à Cæs. Bell. Civ. 1. 57. 2. *Is manus ferreas, atque harpagonas paraverant.* Et rectè. Nam ut Dion. LXXIV. p. 845. D. *harpagones* celeriter emitti ac retrahi solebant, manus ferrea cum pondere decidebat, retinebatque quodcunque amplexa erat. Huic accedit, quod Plin. vii. 56. Anacharsim *harpagonas*, manus autem Periclem Atheniensem invenisse memoriæ prodidit: etsi ἅρπαγα ab Agrippa excogitatum scribit Appian. Bell. Civ. v. p. 739. *Scheffer. de Milit. nav.* ii. 7. *Stevvech. in Veget.* iv. 44. *Rhodig. Ant. Lect.* xxix. 27. *Brod. Misc.* ii. 30. *Calcagn. de Re naut. c.* 16. *Laz. Comm. Reip. Roman.* vi. 7: viii. 18. *Grapald. de Part. dom.* i. 2. 6. *Voss. Lex. Etymol. Pitisc. in Curtium.* Puto igitur *harpagones* propriè fuisse uncos ferreos, ex capite asseris cujusdam pendulos, quibus catena ex altera parte, quæ malo navis forsitan, aut turri affixus erat, dimissis, subitò corripere hostilem navim, correptamque in sublime poterant attollere. Ipse Liv. xxx. 10. *asseres* fuisse scribit *ferreo unco præfixos, suspensos catenis*, quos in naves hostiles dejicere solebant. Et sic ferè Athen. v. p. 108. C. *In navi mali tres fuerunt, & horum singulis aptati asseres, è quibus harpagones, plumbeaque massa in hostem jacerentur.* Præcipuus ergo usus *harpagonum*, ut navim hostilem in sublime erigerent, rursumque demissam in fluctus præcipitarent. Quia verò ancorarum formam referebant, ideò opinor ancoras vocavit Zonar. ii. ubi de Duillio: *Ancoras & ferreas manus paravit.* Scheffer. l. l.

HARPASTUM fuit pila parva è corio, dicta ex eo, quòd ludentes alter alteri pulvere aspersam raperet. Mart. vii. 31. 10. V. illum infr. in *Polvat.* Σφαῖραν μικρὰν vocat Clem. Alex. Pædag. iii. 10. *Buleng. de Lud. Vet. c.* 9. *Laurent. Polym.* iv. *Synops.* 8. Laboriosum ludi genus erat, grandioribusque tantum conveniens. Quum enim multi simul pilam arripere conantur, in terram se invicem prosternunt, pulvereque & sudore infecti flavescunt. Mart. iv. 19. 6. V. illum supr. in *Endromis.* Souter. de Aleat. iii. 4. Fab. Agon. i. 6. Mercur. Gymnast. ii. 4. Ut discus in sublime, ita *harpastum* in terram rotabatur incredibili volubilitate. Ut alii athletæ, ita *harpasto* ludentes subligaria induebant. Mart. vi. 66. 4.

Harpasto quoque subligata ludit.

Demster. Parad. ad Ant. Rom. Rosin. v. 1. De *harpasto* quoque *Scalig. Poet.* i. 18. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* ii. 1. *Bacc. de Therm. vet. c.* 7.

HARPE erat gladius falcatus & incurvus, quo Mercurius traditur Argo centum oculis insignito caput amputasse, & quo Perseum Medusæ caput ademisse poetæ memorant. Is etsi nobis Germanis hoc seculo in usu non sit, fuit tamen ante patrum memoriam, & est adhuc Hungaris, Turcis, ac Tartaris, qui illud gladii genus gentilitia voce *sablam* vocant. Lucan. ix. 662.

Et subitus prapes Cyllenida sustulit harpen,
Harpen alterius monstri jam cæde rubentem.

Laz. Comm. Reip. Rom. viii. 18.

HARPOCRATES habebatur filius Isidis & Osiridis, qui cum ea post mortem, ut nugantur, rem habens genuit infantem ante completos menses, & debilem inferioribus membris. Ejus tempus natale censebant circa solstitium hybernum. Plutarch. de Isid. & Osir. p. 377. B. Nam idem scribit, quosdam velle Osirin sepeliri, quando semen terra occulitur, & rursum apparere, quando pullulare incipit: ideò Isin, cum se sentiret gravidam, appendisse sibi phylacterium, sexta die mensis Paophi, & peperisse circa solstitium hybernum imperfectum, ac recentem, quod tum primi flores, & germina incipiunt pullulare. *Cuper. Harpocr. p.* 5. *La Chausse de Deor. simul. tab.* xxvi. *Politian. Miscell. c.* 83. *Spon. Miscell. Ant. erud. Sect.* 1. *art.* 5. *Gyral. Synt. deor.* 1. 57. Et deus silentii. Ovid. Met. ix. 691.

Quique premit vocem, digitoque silentia suadet.

Unde *Ægyptium Sigalionem* illum appellat Auson. Epist. xxv. 26.

Te velut Oebaliis habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Ægyptius oscula signet,
Obnixum Paulline taces.

Describunt illum Capell. 11. *Tunc subsellia flammabunda curtum suscipere sidereum: verum quidam redimitus puer ad os compresso digito salutari silentium commonebat.* August. de Civit. Dei xviii. 5. *Et quoniam ferè in omnibus templis, ubi colebantur Isis & Serapis, erat etiam simulacrum, quod digito labiis impresso admonere videretur, ut silentium fieret; hoc significare idem Varro existimat, ut homines fuisse eos taceretur.* Illum Ægyptii suis adhibebant sacris, ut silentio colendum ostenderent summum deum. *Coper. ibid. p.* 2. *Politian. La Chausse, Gyrald. & Spon. l. l. Putean. Rel. conv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* xii. *p.* 256. *B.* Cupidinem ingeniosè finxerunt *Harpocrati* deo silentii totam consecrasse. Forsan, quod ea silentii symbolum, cujus in amore vis magna. Præceptum est Ovid. Art. ii. 607.

Præcipue Cytheræa jubet sua sacra taceri,
Admoneo, veniat ne quis ad illa loquax.

Tomas. de Donar. c. 16. Plura de *Harpocrate* qui voluerit, evolvat *Cuperi Harpocratem*, & *Lomejeri* ad mythologiam ethicam transferentis *Dier. gen. Dec.* 1. *Dissert.* 111.

HARUGA, ut Donat. Ter. Phorm. iv. 4. 48. sive *haruiga*, ut dicitur Festo, *est hostia, cujus adhærentia inspiciebantur exta.* Brisson. de Form. 1. p. 14. Buleng. de Sort. c. 6. Saubert. de Sacrif. c. 20. Cerda Adv. sacr. c. 134. n. 17. Vera ejus scriptura videtur fuisse *aruga*. Docuit hoc me Varr. de Ling. Lat. iv. 19. *Aries, quod eum dicebant ares veteres, nostri arviga: hinc arvignos. Hæ sunt, quarum in sacrificiis exta in olla, non in veru coquuntur: quas & Attius scribit, & in pontificalibus libris videmus in hostiis eam arugam, quæ cornua habet.* Rutgers. Var. Lect. iii. 9. Propriè igitur hostia, cum aries scilicet mactabatur. Sed postea quævis hostia, cujus exta inspiciebantur, hoc nomine est dicta. *Dacer. ad Festum.*

HARUSPEX. V. illum supr. in *Aruspex*.

HAS.

HASTA. *Hastarum* origo apud Hetruscos fuit, qui *hastam curim* vocabant, & Sabini *quirim*: unde Romulus Quirinus dictus est. Ovid. Fast. ii. 477.

Sive quod hasta quiris priscis est dicta Sabinis,
Bellicus à telo venit in astra deus.

Reges verò suos vocabant *Curitos*, id est, Joves hastatos. Iris enim Jupiter, vel Jovis fiducia dictus erat, & *hasta* cum diademate erant Hetruscorum Regum insignia, ut probat Johannes Annius in sua historia Hetrusca. *Siccam. de Centumv. judic.* ii. 3. Et à vetustissimis temporibus regiæ potestatis insigne fuisse ostendit Justin. xliii. 3. 3. *Per ea tempora*, cum scilicet Sabinæ raperentur, *Reges hastas pro diademate habebant, quas Græci sceptra dixere.* Ita ex ligno Regum Latinorum sceptrum componit Virg. Æneid. xii. 210.

Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.

Hinc de Guntramo Rege Gregor. Turon. vii. 33. *Dein eam in manus Childeberti hasta, ait: hoc est indicium, quod tibi omne regnum meum tradidi.* Et Aimoin. iii. 68. *Hastam, quam manu gerebat, nepoti tradidit, inquiens: hoc*

aman-

amantissime nepos, indicio noveris, te mihi successurum in regno. Chiflet. Anast. Childer. Reg. c. 7. Hansen. de vet. jurejur. c. 15. Feith Antiq. Homer. II. 4. Erant diis sacratæ, & illorum statuis in antiquis monumentis, & numismatibus addebantur. Docent hoc Justin. XLIII. 3. 3. *Namque & ab origine rerum pro diis immortalibus veteres hastas coluere: ob cujus religionis memoriam adhuc deorum simulacris hastæ adduntur.* Pausan. Bœot. p. 315. *Chæronenses colunt sceptrum, quod Jovi fabricasse Vulcanum fingit Homerus, quod Mercurius dedit Pelopi, Pelops Atreo, Atreus Thyesti, atque ab eo Agamemnon accepit.* Qui pergit: *hoc enim sceptrum colunt, hastam illud vocantes.* Et mox: *Templum illi publicè exstructum non est; sed qui singulis annis creatur sacerdos, sceptrum in domo sua habet: & illi quotidie sacrificia fiunt, & mensa apponitur referta omni genere carnis & bellariorum.* Parthenopæus apud Æschylum Sept. contr. Theb. n. 535. per *hastam* jurat, & colit pro deo. Verba Æschyli sunt:

Jurat verò per hastam, quam habere magis quàm deum
Ausus est colendam, oculisque cariorem.

Virg. Æneid. XII. 95.

—— nunc ò nunquam frustrata vocatus
Hasta meos.

Turneb. Adv. VIII. 16. Cuper. Apoth. Homer. p. 22. Bernegg. in Justinum. Hartung. Memor. III. 6. t. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 73. B. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1. Stuck. de Sacrif. p. 143. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 16. Lyd. de Re milit. III. 9. Donat. Dilucid. p. 606. Lampert. in Val. Flacc. III. 707. Cerda in Virgilium. Hansen. l. l. Antiq. *hastas* non, ut nunc fit, jacentes, pendulas, sed intra ligneam columnam reconditas asservare consueverant. Homer. Odyss. I. 128.

Hastam quidem ferens posuit ad columnam longam
Intra thecam hastarum.

Ubi Eustathius: *Δουροδόκη est turbinata theca hastarum, in columnam inclinata, in qua hastæ in rectum stant.* Ad quam fortasse consuetudinem allusit Virg. Æneid. XII. 92.

Exin, quæ in mediis ingenti adnixa columnæ,
Ædibus adstabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium.

Quem locum enarratores ex Homericorum versuum ignoratione non rectè exponunt, & profectò non arridet, quod de columnæ adminiculis dicit Donatus. *Mag. Miscell.* III. 2. *Pontan. in Virgilium. Hansen. l. l.* Terræ infixas, non jacentes habere consueverunt milites in armis dormientes. Ita Diomedem cum sociis in armis dormientes *hastas* ita habuisse collocatas, ut rectæ starent *ἐπὶ σαυρωτῆρος*, scribit Homer. Iliad. X. 150.

Iverunt ad Tydidem Diomedem: hunc invenerunt
Extra tentorium procul cum armis, circumque socii
Dormiebant: sub capitibus autem habebant clypeos: hastæ
vero ipsæ
Erectæ in cuspide.

Ubi Eustathius: *Σαυρωτὴρ dicitur ferramentum quoddam, in quo humi defixo collocabantur hastarum calces.* Cur ita haberi consuevissent, docet Dio Chrysostomus Orat. II. de Regno loquens in hanc sententiam: *Diomedem verò valdè durè reclinavit super tergore bovis agrestis, figens in circuitu hastas, non ornatus gratia, sed ut parata ad accipiendum essent.* Hanc defigendarum *hastarum* consuetudinem observavit Aristoteles, qui in Poet. inquit, sua etiam ætate apud Illyrios fuisse servatam. Illyriis autem imperavit Diomedes, & Diomedææ insulæ è regione sunt Illyriorum. Quidam viri eruditissimi hanc consuetudinem apud Illyros duntaxat fuisse scriptum reliquerunt: verùm ego & apud Hebræos eandem fuisse demonstrari arbitror ex 1. Sam. c. 26. n. 7. Sic enim in eo legitur: *Venerunt David & Abisai ad populum nocte, & invenerunt Saulem dormientem in tentorio, & hastam fixam in terram ad caput ejus.* Mag. l. l.

Hasta amentata differebat à velitari. Erat gravior, & major, & ut majore impetu torqueretur, habena, vel amento media vinciebatur, cui digitus inserebatur ad conatum jactus adjuvandum. Metaphoricè amentatam *hastam* dicit Ambrosius: *Intorquenda est amentata illa, non manipularis sententia.* Cicer. de Orat. I. 57. *Amentatas hastas ab aliquo accipere, & eas oratoris lacertis, viribusque torquere.* Turneb. Adv. XIV. 11: XXVI. 12. Donat. Dilucid. p. 605.

Hasta censoria, seu locationis erat, quam censores vectigalia, & tributa locaturi in foro figebant, quod auctoritate S. P. Q. R. fieret. Liv. XXXIX. 44. *Censores edicto, submotis ab hasta qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paullulum imminutis pretiis locaverunt.* Colum. de Re rust. præfat. 1. *Ubi dii cultus agrorum progeniem suam docuerant, ibi nunc ad hastam locamus.* Siccam. de Centumv. judic. II. 3. Burmann. Dissert. de vectig. c. 8. Brisson. de Form. VI. p. 522. Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 17. Rabir. de Hast. & auct. orig. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 24. C. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 17.

Hasta centumviralis erat, quæ posita significabat centumviros esse cogendos, & centumvirale judicium quasi publicum populi Romani conventum esse exercendum. Hæc nominatur, ubicunque centumviralis judicii mentio est. Suet. Aug. c. 36. n. 1. *Ut centumviralem hastam, quam quæstura functi consueverant cogere, decemviri cogerent.* Mart. VII. 62. 7.

Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum.

Stat. Sylv. IV. 4. 43.

Cessat centeni moderatrix judicis hasta.

Hæc centumviris fuit præfixa, ut indicaret summum, & populare esse judicium, cum ex universo populo Romano ad hoc judicium sortiti; & supremam illis judicandi potestatem fuisse commissam, cum provocari ab illis non licuerit. Hoc clarum est, quod intricati juris, & difficillimas, non facti, sed de æquitate, & jure controversias ad ipsos deferrent: quod absurdum fuisset, si ab illis ad alios provocare licuisset. *Siccam. de Centumv. jud.* II. 3. *VVitell. contr. Merul. c. 21. Pollet. For. Rom.* III. 14.

Hasta cœlibaris haud dubiè appellabatur, quia tollebat cœlibatum. Hac nubentium caput comebatur. Arnob. II. p. 91. *Cum in matrimonia convenitis, nubentium crinem cœlibari hasta mulcetis?* Ovid. Fast. II. 559.

Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurva comas.

Rationes dat Festus: *Cœlibari hasta caput nubentis comebatur, quæ in corpore gladiatoris stetisset abjecti, occisique, ut quemadmodum illa conjuncta fuerit cum corpore gladiatoris, sic ipsa cum viro sit. Vel quia matronæ Junonis Curitis in tutela sint, quæ ita appellabatur a ferenda hasta, quæ lingua Sabinorum curis dicitur. Vel quod fortes viros genituras ominetur. Vel quod nuptiali jure imperio viri subjicitur nubens: quia hasta summa armorum, & imperii est. quam ob causam viri fortes ea donantur, & captivi sub eadem veneunt, quos Græci δορυαλώτους, & δοριατήτους vocant.* Illisque has addit Plutarch. Quæst. Rom. 86. *Id esse signum, primùm vi, & bello fuisse ductas. Vel moneri nuptas, quia bellicosis jungantur maritis, debere ipsas ornatu uti simplici, & à luxu, ac mollitie alieno. Vel per ambages innui, solo ferro conjugium discissum iri.* Beroaldi. Annot. c. 1. Boxhorn. in Plutarchum. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p. 683. Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect. VII. Barthol. de Inaur. c. 2. Brisson. de Rit. nupt. p. 46. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 16. Voss. de Idolol. II. 26. Schill. Nomencl. Philol. p. 560. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 16. Kipping. Antiq. Roman. IV. 2. §. 3. Blond. Triumph. Rom. VIII. p. 161. A.

Hasta cornea Romuli. V. illam supr. in *Cornus*.

Hasta cruenta erat rubei coloris, quæ in castris editiore loco ponebatur, cum civitas aliqua, vi subacta, hostili furore diripienda esset, quæ designabat militibus licentiam esse in bona fortunasque victorum impunè grassari. Cicer. de Offic. II. 8. *Dum homines perditi hastam illam cruentam, & meminerint, & sperabant, quam P. Sylla cum vibrasset, dictatore propinquo suo, idem XXXVI. anno post à sceleratiore hasta non recessit.* Cæs. de Bell. Gall. II. 33. *Postridie ejus diei refractis portis, quum jam defenderet nemo, atque intromissis militibus nostris, sectionem ejus oppidi universam Cæsar vendidit.* Siccam. de Centumv. judic. II. 3. Alex. Gen. III. 16. Lyd. de Re milit. III. 9. Cerda in Virg. Æneid. II. 231. *Sceleratam*, & *cruentam* dictam observamus,

mus, quod *sceleratorum* opes commissas, & publicatas: vel bello, sanguine denique quæsitas, sub *hasta* venire moris fuerit. *Rabir. de Hast. & auct. orig. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III. *p.* (23.) *E.* Hoc merum est commentum. Nihil Cæsar de *hasta*, sed significat illius oppidi incolas, & illorum bona vendita fuisse in auctione. Quam dicitur P. Sylla vibrasse, à Cicerone *cruenta* dicitur, quia Romæ posita *hasta* in foro civium in illo bello, & proscriptione jugulatorum bona vendebantur, non quod fuerit rubri coloris, ut ridiculè exponit Siccama. Non alia fuit, quàm quæ paullò pòst ab illo *venditionis hasta* dicitur. *Grav. Thes. Antiq. Roman. Præfat.* II. * * * * * 4. Eademque *scelerata* vocatur, quod *sceleste* venderentur bona civium, qui in bello civili à partibus adversariorum steterant, & aut in prœlus perierant, aut in proscriptione. *Grav. ibid. Tom.* III. *Proleg.* * * 2.

Hasta decemviralis. Sed hujus nusquam fit mentio. V. supr. in *Decemviri stlitibus dijudicandis*.

Hasta fecialis erat, quam pater patratus, bellum nomine populi Romani genti alicui indicturus, post sollennes precationes factas in eorum regionem projiciebat. Virg. Æneid. IX. 53.

> *En, ait, & jaculum intorquens emittit in auras*
> *Principium pugnæ.*

Siccam. de Centumv. judic. II. 3. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 18. Erat sanguine infecta. Ammian. XIX. 2. *Vixque ubi Grumbates hastam infectam sanguine ritu patrio, nostroque more conjecerat fecialis, armis exercitus concrepans involat in muros.* Vel è sanguineo frutice, sive è sanguinea arbore facta, Certè *sanguineam* vocat Liv. I. 32. ut cruentum, & atrox bellum minaretur. *Turneb. Adv.* VIII. 23: XI. 17. *Barth. Adv.* XL. 4. *Valtrin. de Re milit. Rom.* I. 11. Ritum hunc notavit Serv. ad Virg. l. l. *Post clarigationem hasta in eorum fines missa, indicabatur jam pugnæ principium. Post tertium autem & tricesimum diem quàm res repetissent ab hostibus, feciales hastam mittebant.* Posteris temporibus cum propter imperii magnitudinem pater patratus mitti ad fines hostium non posset, consul qui Imperator belli erat futurus, ex columna ad ædem Bellonæ, propè portam Carmentalem, *hastam* mittebat eam partem versus, in quam ituri erant. Servius: *Denique cum Pyrrhi temporibus adversus transmarinum hostem bellum Romani gesturi essent, nec invenirent locum, ubi hanc sollennitatem per feciales indicendi belli celebrarent, dederunt operam, ut unus de Pyrrhi militibus caperetur, quem fecerunt in circo Flaminio locum emere, ut quasi in hostili loco jus belli indicendi implerent. Denique in eo loco ante pedem Bellonæ consecrata est columna.* Ovid. Fast. VI. 207. V. illum supr. in *Ædes Bellonæ*. Festus. V. illum supr. in *Consul*, & ibi auctores laudatos.

Hasta fiscalis erat, qua posita ea vendebantur, quæ ad fiscum pertinebant, quæ venditio sine *hasta* peracta, rata non habebatur, l. 1. & 2. C. de jur. fisc. nam auctoritate Principis, & ejus, qui Principis nomine ei præerat, facta non esse videbatur. *Siccam. de Centumv. jud.* II. 3.

Hasta frumentaria, sive salutis erat, cum in summa annonæ caritate frumentum publicum ad *hastam* vendebatur, Quintil. Decl. 12. *Sed si semel ponis hastam salutis, & redemptores vitæ admittis, melius vendens.* Siccam. de Centumv. judic. II. 3. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 17. Nullius sunt pretii, quæ de hac *hasta* tradunt. *Grav. Thes. Antiq. Roman. Præfat.* II. * * * * * 4.

Hasta militaris. Græcorum Δόρυ. Commune ferè id nomen est, & in plura valet: diciturque tam de grandi illa, qua comminùs utuntur, quàm de leviore, quam eminus jaculantur. Strab. X. p. 309. *Duplex hastarum usus, alia comminus, alia eminus.* Lips. Poliorc. IV. dial. 4. Salmas. de Milit. Rom. c. 5. Thys. de Oppugn. urb. p. 185. Præmium erat ejus, qui hostem percusserat. Polyb. VI. 37. *Imperator ei, qui hostem vulneraverit, hastam donat.* Γαῖσον est in Græcis. Hoc jaculi genus esse scimus: sed hic communiter sumit pro *hasta*. Latini quidem non aliter præmium efferunt. Festus: *Romani viros fortes sæpè hasta donarunt.* Sil. Ital. VI. 291.

> *Hac tunc hasta datus nobis, pretiumque secundi*
> *Vulneris.*

Cato in oratione, quam habuit apud equites, apud Festum in Optionatus, vocat *hastam donaticam*. Erat sine ferro. V. infr. in *Hasta pura*. Lips. de Milit. Rom. V. Dial. 17. Valtrin. de Re milit. Rom. VI. 4. Buleng. de Triumph. c. 12. Hugo de Militia equest. V. 1. Thys. Rom. Illustr. V. p. 147. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. X. 10. *Hastæ* erant velitum. Polyb. VI. 20. *Junioribus quidem mandabant gladium ferre, & hastas, γρόσφους. Telum verò quod grosphos vocamus, habet in longitudine quidem plerumque duos cubitos, in crassitie unum digitum. Ferrum est unius spithamæ, atque adeò extenuatum, & in aciem productum, ut necessariò statim à primo jactu inflectatur, nec possint hostes retorquere.* Istæ, quia forma sua quadam minores, discretæ ab aliis dictæ *hastæ velitares*. Festus: *Advelitatio, jactatio quædam verborum figurata ab hastis velitaribus.* Liv. XXXVIII. 4. *Consul ingentem vim pilorum, & velitarium hastarum paraverat.* Habuit miles septem; primum enim ac præcipuum ejus munus fuit jaculari. *Lips. ibid.* III. 1. *Valtrin. ibid.* III. 12. *Kippinг. Antiq. Roman.* III. 1. §. 12. *Caroli Antiq. Roman.* III. 6. *Thys. Rom. Illustr* III. *p.* 69. Equitibus *duabus de causis erant inutiles. I. quia graciles eas faciebant & tremulas, eoque nec collineare rectè, & scopum contingere poterant: & priusquam cuspidem in aliquo defigerent, concussa ipso motu equorum pleraque frangebantur. II. quia sine ima cuspide facta, solam plagam, illamque primore parte dabant: eaque defracta, reliquum inutile, & inefficax iis erat. Græcanicam ideò structuram asciverunt loco sua, in qua mucronis ictum dirigi rectè, atque efficacem esse contingat, eò quòd ita conficitur hasta, ut stabilis sit, non tremula; & similiter versa hastæ cuspidis usum firmum esse, & violentum.* Quod quo tempore factum sit, silet enim Polybius, difficilis conjectura est. Illis *hastas* tribuit Liv. II. 6. *Contrario ictu per parmam uterque transfixus, duabus hærentes hastis moribundi ex equis lapsi sunt* Aruns & Brutus. XL. 40. *Equites, detractis frenis, bis ultrò citròque cum magna strage hostium, infractis omnibus hastis, transcurrerunt.* Ex quibus locis haud missiles fuisse colligitur. Unde & contum equiti tribuit Veget. II. 14. *Eligendus est decurio, qui turmæ equitum præponatur, ut possit equitare fortissimè, contum sciat uti.* Missilium tamen disertè meminit Liv. VI. 13. *Equitum, inquit, turmæ immissæ, dato signo, ne singulorum morando cæde, spatium ad evadendum multitudini darent: satis esse missilibus, ac terrore impediri cursum.* Et Cæs. Bell. civ. I. 79. *Equites ex loco superiore in adversos tela conjiciebant.* Patric. Rei milit. Rom. p. 7. sect. 4. Valtrin. l. l. Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 17.

Hasta prætoria, seu venditionis erat, quæ ponebatur, cum ex prætoris decreto bona rei essent publicè vendenda: alioquin enim prætorem *hastam* non posuisse existimo, sed tunc poni solitam, cum aut reo contumaciter manente, aut parente quidem, sed causa cadente, prætor adversæ parti bona ejus addiceret. Quo sensu dixit Senec. de Brev. vit. c. 11. *Quos hasta prætoris infami lucro exercet.* Per *infame lucrum* eam haud dubiè bonorum proscriptionem intelligens, quæ missionem in bona decretalem post diem XXX. sequebatur. Festus: *Hastæ subjiciebantur, quæ publicè venum dabant, quia signum præcipuum est hasta.* Senec. de Ira I. 2. *Videbis capita principum sub civili hasta venalia.* Juven. Sat. III. 33.

> *Et præbere caput domina venale sub hasta.*

Siccam. de Centumv. jud. II. 3. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 11. Rabir. de Hast. ac auct. orig. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. (22.) C. Brisson. de Form. VI. p. 511. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 17. Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 17. Fuit auctionis insigne, symbolum enim fortitudinis, & ea principes rerum suarum auctoritatem tueri, ac conservare solent. Homer. Iliad. II. 56.

> *Virginem, quam sane mihi præmium elegerunt filii Græcorum,*
> *Hastaque mea possedi*, . . .

Rabir. ibid. E. Et belli jure sibi vindicant aliena, & ideò ponebatur *hasta*, ut emptores cognoscant, se has res, quas sub *hasta* emunt, optimo jure empturos, ac possessuros, perinde ac si res bello quæsitas emant. Non longè ab hac sententia abit

Hoto-

Hotomannus, qui putat *hastæ* signo indicare voluisse populum Romanum evictionem earum rerum belli & armorum periculo se præstiturum. Sed mihi potestatis signum, & symbolum videtur, ideoque tribuebatur diis, & deorum simulacris addebatur. V. infr. in *Hasta sacra*. A diis transiit ad Reges diis proximos. Hinc in Republica consules, & triumphantes, qui quasi Regum personam in Republica sustinent, utebantur sceptro eburneo, quod *hastæ* ligneæ successit. Sed & judicia centumviralia exercebantur *hasta* in foro posita. V. illam supr. in *Hasta centumvirali*. Sic quoque vectigalia locabantur à censoribus sub *hasta*. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. III. Proleg. ** 2.

Hasta pura dicebatur, quæ erat sine ferro. Sicut argentum purum, cui nihil insculptum; vestis pura, cui nihil è purpura attextum. Svet. Claud. c. 28. n. 1. *Quem Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit.* Virg. Æneid. VI. 760.

Ille, vides? pura juvenis qui nititur hasta.

Ubi Servius: *Pura, id est, sine ferro. Nam hoc fuit præmium apud majores ejus, qui tunc primum vicisset in prælio, sicut ait Varro in libris de gente populi Romani.* Lips. de Milit. Roman. V. Dial. 17. Zamosc. Daciæ antiq. c. 6. Valtrin. de Re milit. Roman. VI. 4. Buleng. de Triump. c. 12. Turneb. Adv. XXIX. 1. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 16. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 15. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 738. F. Panvin. de Triumph. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1356. A. Lyd. de Re milit. III. 9. Donat. Dilucid. p. 604. Thys. Roman. Illustr. V. p. 147. Alex. Gen. dier. IV. 18. Rosin. Antiq. Roman. X. 26. & Demster. Parai. X. 10. Nicol. de Triumph. c. 10. §. 6.

Hasta quæstoria erat similis censoriæ in tabulis publicis, ubi multæ in ærarium referebantur. Unde de jure *hastæ* Tacit. Annal. XIII. 28. 3. *Addidit L. Piso designatus consul, ne quid intra domum pro potestate animadverterent: neve multam ab iis dictam quæstores ærarii in publicas tabulas ante quatuor menses referrent, medio temporis contradicere liceret: deque eo consules statuerent. Cohibita arctius & ædilium potestas, statutumque quantum curules, quantum plebeji pignoris caperent, vel pœnæ irrogarent. Et Helvidius Priscus tribunus plebis adversus Obultronium Sabinum ærarii quæstorem contentiones proprias exercuit, tanquam jus hastæ adversus inopes inclementer augeret.* Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 17. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 17.

Hasta rustica est stimulus, quo tardos boves increpamus. Virg. Æneid. IX. 609.

—— versaque juvencum

Terga fatigamus hasta.

Hoc enim sic accipiendum videtur: Semper in manibus tela militaria gerimus, etiam cum terram subigimus. *Turneb. Adv.* XXIX. 25.

Hasta sacra, quæ deorum immortalium statuis apponebatur. Lucan. VII. 458.

Fulminibus manes radiis ornabit, & hastis.

Significabant deos bellorum præsides esse, eorumque auspicus gubernari. Sed an omnium deorum statuæ *hastis* fuerint ornatæ, affirmare non audeo; certè Lanuvii ad Junonis statuam *hasta* erat, quæ mota sæpè prodigio fuit. Martis quoque statua in Numæ sacrario ambabus manibus *hastam* terebat, quæ cum moveretur, hostiis majoribus à pontifice maximo prodigium illud expiabatur, apud Gell. IV. 16. *Siccam. de Centumv. judic.* II. 3. *Figrel. de Stat. Roman.* c. 21. & 32. Lucanus non agit de *hastis* istis: in emendatis editionibus dudum rectius legitur *astris*. Et sic legendum esse docti viri ostenderunt ex nummis Julii Cæsaris, quibus stella est apposita, divinitatis index. *Græv. Thes. Ant. Rom. Tom.* II. *Proleg.* ***** 3. *vers.*

HASTARIUM vocabatur locus, ubi res publicæ venum dabantur, quia *hastæ* subjiciebantur. Tertull. Apolog. c. 13. *Publicos eque publico jure fœdatos, quos in hastario vectigales habetis.* Cerda Adv. sacr. c. 135. §. 14. c. 141. §. 398. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 17. Grapald. de Part. dom. II. 10. §. 8.

HASTATI initio quum instituti sunt apud Romanos duxerunt nomen suum ab armis suis id est *hastis*. Varr. de Ling. Lat. IV. 16. *Hastati, quod primi hastis pugnabant.* Qui non malè, si *primo* legas. Olim enim ita factum adsignificat, postea mutatum, etsi nomine manente. Nam Polybii ævo, atque etiam ante, *hastati* pilis & gladiis pugnabant: *hastæ* jaculatoriæ apud velites remanserunt solos. Olim tamen, ut Varro, alter, & cum eo Ennius:

Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber.

Quinetiam Liv. VIII. 8. bello in Latinos, cuique *hastatorum* manipulo admiscet *vicenos leves, qui hastam tantum, gesaque gererent*: reliquias, ut apparet, veterum *hastatorum*. Lips. de Milit. Rom. II. Dial. 1. Schel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. X. p. 1272. D. Thys. Rom. Illustr. II. 54. Laurent. Polym. IV. Synops. 1. §. 5. An antepilani, & antesignani fuerint dicti, V. supr. in *Antepilani*. Quo loco pugnaverint, V. infr. in *Principes*. Quot fuerint numero, docet Ovidius infr. in *Pilani*. Ut primipilus ordo primus triariorum; ita *hastatorum* primus ordo primus *hastatus*, secundus ordo secundus *hastatus* dictus: & sic deinceps. *Stewech. in Veget.* II. 8.

HAU.

HAUSTRA *propriè dicuntur rotarum cadi ab hauriendo, sicuti Græcè* ἀντλία. *Lucret.* V. 517.

Ut fluvios versare rotas, atque haustra videmus.

Nonius. 1. 43. *Pith. Adv.* II. 16. *Barth. Adv.* I. 1. Minus rectè. Nam cadi propriè sunt situli, qui tollenonibus suspenduntur, aut trochleis per funes è puteo tolluntur. Sunt verò modioli rotis affixi, quibus aqua hauriebatur, ac fundebatur. Vitruv. X. 10. *Circa earum frontes affiguntur pinnæ, quæ cum percutiuntur ab impetu fluminis, cogunt progredientes versari rotam: & ita modiolis aquam haurientes, & in summum referentes, sine operarum calcatura, ipsius fluminis impulsu versata, præstant quod opus est ad usum.* Hi modioli sunt *haustra* Lucretii. *Salmas. Exerc. Plinian. p.* 416. *a. Ad. in Vopisc. Bonos. c.* 15. *Keuchen. in Frontin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1645. *D.*

HEB.

HEBE erat dea juventutis, & adolescentiæ, ejusque qui flos ætatis dicitur: unde & *ephebus* dictus, ejus ætatis adolescens. Huic juvenes comas vovebant. *Tomas. de Donar. c.* 10. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 334. *E.*

HEC.

HECATOMBE fuit celebre sacrificium. Capitol. Max. Balb. c. 11. *Hecatombe tale sacrificium est: centum aræ uno in loco cespititiæ exstruuntur, & ad eas centum sues, centum oves mactantur. Jam si imperatorium sacrificium sit, centum leones, centum aquilæ, & cætera hujusmodi animalia centena feriuntur. Quod quidam etiam Græci quondam fecisse dicuntur, quum pestilentia laborarent: & à multis Imperatoribus id celebratum constat.* Lomej. de Lustrat. c. 23. Saubert. de Sacrif. c. 18. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 498. D. Blond. Triumph. Roman. I. p. 18. F. Voss. Lex. Etymol. Potter. Archæol. II. 4. Volaterr. Rer. Urban. XXIX. p. 1087. B. Stuck. de Sacrif. p. 237. Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. p. 169. Cerda Adv. sacr. c. 135. §. 15. Sardus de Rit. gent. III. 15. Tomas. de Donar. c. 4. Schill Nom. Pirlol. p. 562. Etiam voverunt, cum bellum essent ituri: unde apud Plutarch. in Mario p. 420. C. Marius cum Cimbris pugnaturus *lautas manus ad cœlum tendens diis vovit se immolaturum centum boves*. Tomas. l. l.

HECATONSTYLON, ἑκατόστυλον, hoc est, porticus centum columnarum. Hæc fuit magna, & celebris illa Pompeji porticus ad ipsius Pompeji theatrum. Eusebius in Chronico: *Theatrum Pompeji incensum, & hecatonstylon.* Centenario numero cum poetæ, tum oratores utuntur in amplificando. Duplicant enim centum, & centum, non quod numerus centenarius sit definitus, sed

etiamsi

etiamsi res ipsa centesimum excedat, ut Pompejanæ porticus columnationes tecta procedentes satis indicant in nostro vestigio, quæ majori longitudine producebantur. Andreas Bufalinus ipsum vestigium refert ad insignes reliquias, quæ durant adhuc in Cœlio amphitheatrum versus, & agnoscit murorum structuras, & hemicyclos per intervalla, descendentes à summitate collis in planitiem, ubi porticus stetisse autumat. *Bellor. Fragm. vest. vet. Rom. tab.* XII.

HED.

HEDERA Libero patri fuit sacra, *quia, ut ille semper juvenis, hæc semper viret: vel quia ita omnia, sicut ille mentes hominum, alligat.* Festus. Tibull. III. 6. 1.

Candide Liber ades, sic sit tibi mystica vitis,
Sic hedera semper tempora vincta feras.

La Chausse de Æn. ant. lucern. tab. x. Minos in Alciat. Emblem. 204. Si fabulas audimus, ob Cissi commutationem: is ex Bacchi saltatoribus erat, qui quum ex saltu prolapsus interiisset, in *hederam* versus dicitur, ut refert Constant. Cæs. XI. 31. Aliam fabulam narrant alii, nempe infantem Bacchum à perquirente Junone *hedera* occultatum. Ovid. Fast. III. 769.

Nisiades nymphæ, puerum quærente noverca,
Hanc frondem cunis apposuere novis.

Plinius tamen XVI. 4. *Antiquitus,* ait, *corona nulla nisi deo dabatur; feruntque Liberum patrem primum omnium imposuisse capiti suo ex hedera.* At Phurnut. c. 30. ideo Baccho tribui *hederam* scribit, quod ejus folia vitis foliis, corymbi racemis uvæ sint similes: quod nescio quis considerat apud Plutarch. Symp. III. 2. Fabulam verò sapit opinio de vitis feracitate, si putator ejus *hedera* fuerit redimitus, quam vide apud Constant. Cæs. v. 24. An non potius, quia habet *spiritum, quo furor excitatur & commovetur,* ut visum Plutarcho: an quia *antipharmacum est,* ut loquitur Isidor. XVII. 9. *ebrietatis*? æquum enim fuit, ut Bacchus, qui vini potum invenit, malis inde enascentibus etiam succurreret, quemadmodum Plutarchus considerat: quam quoque Varronis fuisse sententiam innuit Serv. VIII. 13. sive id efficiat refrigerando, ut quoque affirmat Clem. Alex. Pædag. II. 28. sive quia sua acrimonia vapores digerit in cerebrum sublatos. *Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 713. B. Paschal. de Coron.* I. 16. *Minos l. l.* Illa cingebatur caput eorum, quicunque Libero patri erant initiandi, ut ostendit Euripides in bacchis. *Tomas. de Donar. c.* 27. Imo & poetarum. Horat. Od. I. 1. 29.

Me doctarum hederæ præmia frontium
Diis miscent superis.

Ita & caput docti, & poetæ *hedera* circumiri, non item alicujus rustici, & imperiti, ait Prop. II. 4. 25.

Rusticus hæc aliquis tam tristia prælia quærat,
Cujus non hedera circuiere caput.

Ovidius mox laudandus missus in ultimas terras vult *hederam* imagini suæ demi, veluti à se abdicans omnem jucunditatem, eamque, quæ nomini suo adhærebat, nominis æternitatem. Paschal. de Coron. I. 18. Aleand. l.l. Gyrald. de Poet. dial. I. p. 21. Broukh. in Tibull. III. 6. 2. An quia vinosi sunt poetæ? Serv. l. l. *Hedera ideo coronantur poetæ, quoniam poetas semper vino plurimo manifestum est uti.* Nam vinum non immoderatè sumptum incitabulum ingenii videtur esse ad virtutes, & literas; quod & Plato non negat. Hac de re Plutarch. Symp. VII. 10. Aliter tamen alii. Serv. Ecl. VII 25 *Hedera coronantur poetæ, quasi Libero consecrati, qui etiam, ut Bacchæ, insaniunt: vel quod semper virent hederæ, sicut carmina æternitatem merentur.* Dicendum tamen poetarum præsidem statui Bacchum, quia non alius est ab Apolline. *Aleand. l. l.* Et poetas non minùs in Bacchi, quàm Apollinis tutela fuisse ab antiquis constitutos, ut etiam numina illa confusa a theologis paganorum, *hederas* verò Baccho esse sacras. Coronabantur ergo Baccho sacris frondibus iidem æquè atque Apollinis lauru. Ovid. Trist. I. 6. 1.

Si quis habet nostri similes in imagine vultus,
Deme meis hederas; Bacchica serta, comis.
Ista decent lætos felicia signa poetas,
Temporibus non est apta corona meis,

Quibus declaratur, ideo poetas *hederaceis* coronis fuisse ornatos, ut viderent omnes læto illos esse animo perpetuo, velut amicos deorum, & eorum insignia portantes. *Bart. Adv.* LVI. 5. Pocula ejus foliis circumdabantur, vel ligno ethingebantur. V. supr. in *Cissybium*. Bacchi sacerdotes Liberalibus coronabantur. V. infr. *in Liberalia*.

HEL.

HELCIARII sunt servi, qui loris, & capistris juncti, adversis fluminibus; aut vento contrario naves, vel machinas, molasque trahunt. Mart. IV. 64.

Quem nec rumpere nauticum celeuma,
Nec clamor valet helciariorum.

Popm. de Oper. serv. p. 151. Brod. Miscell. IV. 11. Grapald. de Partib. dom. I. 8. §. 20. Calcagn. de Re naut. c. 18. Scheff. de Milit. nav. II. 3. Cerda Adv. sacr. c. 185. §. 44. Voss. Lex. Etymol. Kipping. Dissert. de Expedit. marit. §. 1. Hi ad officia se invicem adhortabantur, ut uno connixu pariter conspirantes admoliri universis viribus possent, quod singulis nequeunt: ut fieri sæpè vidimus Venetiis in loco, qui lingua Veneta Dogana vulgo appellatur. *Dolet. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 687. *C. Bud. in Pandect. p.* 106. *C.*

HELCIUM vocatur funis, quo equi currus, & onera trahunt. Apul Met. IX. p. 279. *Jamque maxima diei parte transacta, defectum alioquin me, helcio sparteo dimoto, nexu machinæ liberatum applicant præsepio.* p. 290. *Helcio tandem absolutus, refectusque securè redditus.* Voss. Lex. Etymol. Cerda Adv. sacr. c. 185. §. 44. Grapald. de Part. dom. I. 8. §. 20. Popm. de Oper. serv. p. 151. Florid. in Apulejum.

HELEPOLIS fuit machina bellica, utilis ad urbium expugnationem. Excogitata quidem à Demetrio Poliorcete, fabricata tamen à Dioclide Abderita, cujus in ea machina singularis industria fuisse prædicatur apud Athen. v. p. 206. D. Ammian. XXIII. 5. *Pro his arietum meditamentis jam crebritate despectis, conditur machina scriptoribus historicis nota, quam helepolim Græci cognominamus: cujus opera diuturna Demetrius filius Antigoni Regis Rhodo, aliisque urbibus expugnatis Poliorcetes est appellatus. Ædificatur autem hoc modo. Testudo compaginatur immanis, axibus roborata longissimis, ferreisque clavis aptata: & contegitur coriis bubulis, virgarumque recenti textura, atque limo asperguntur ejus suprema, ut flammeos detrectet, & missiles casus. Conseruntur autem ejus frontalibus trisulcæ cuspides præacutæ, ponderibus ferreis graves, qualia nobis pictores ostendunt fulmina, vel fictores, ut quicquid petierit aculeis exsertis abrumpat. Hanc ita validam molem rotis & funibus regens numerosus intrinsecus miles, languidiori murorum parti viribus admovet concitis: & nisi desuper propugnantium valuerint vires, collisis parietibus aditus patefacit ingentes.* Ejusdemque meminerunt Vitruv. x. 22. Athen. x. p. 415. A. Diodor. Sicul. XX. p. 758. C. 779. D. Plutarch. in Demetr. p. 908 E *Lips. Poliorc.* III. 1. *Stevvech. in Veget.* IV. 14. *Scott. Obs.* IV. v. 26. *Cerda Adv. sacr. c.* 131. §. 9. *Baldus Lex. Vitruv. Philand. in Vitruvium. Lindenbr. in Ammianum. Voss. Lex. Etymol. Crinit. de Honest. discipl.* XIX. 2.

HELIOCAMINUS dicitur vaporarium quoddam solare, & apricus locus, ad quem sol hybernus accedens ipsum evaporat, & calefacit. Fuit enim prisci moris, ut juxta zetam *heliocaminus* construeretur; zeta enim locus erat unius cubiculi capax, solem hybernum prospectans, ita constructa, ut per *heliocaminum* vaporem acciperet. Ulpian. l. si arborem ff. de servit. urban. præd. *Quod si arbor a te compacta heliocamino meo solem adimeret, eo quod umbram facit in loco heliocamini, id contra servitutem tibi facere non licet.* Plin. Epist. II. 17. 20. *In hac heliocaminus quidem, alia xystum, alia mare, utraque solem, cubicu-*

bicu-

biculum autem valvis, crypsoporticum fenestra prospicit. Alex. Gen. Dier. v. 5. Bud. in Pandect. p. 115. C. Kobierzyck. de Lux. Rom. II. 9. Salmuth. in Pancіroll. de Reb. deperd. & inv. p. 131. Turneb. Adv. XVIII. 22. Grapald. de Part. dom. I. 10. §. 5. Catan. & Cellar. in Plinium.

HELIOGABALUS *prius est dictus Varius, post Heliogabalus à sacerdotio dei Heliogabali, cui templum Romæ in eo loco constituit, in quo prius ædes Horci fuit, quem & Syria secum advexit.* Lamprid. c. 1. *Ursat de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 773. B. *Circo columnas addidit auro insignes, & pavimenta ipsa scobe auri, & argenti stravit, dolens quod non posset & electri.* Lamprid. c. 31. *Onuphr. Panvin. de Lud. Circens.* I. 7. *Buleng. de Circ.* c. 4. *In euripis vino plenis navales circenses exhibuit.* Lamprid. c. 23. *Buleng. ibid. c.* 21. *Solido argento habuit lectos, & tricliniares, & cubiculares. Primus omnium privatorum toros aureis toralibus texit.* Lamprid. c. 19. *Buleng. de Conviv.* I. 34. *Montem niveum in viridario domus æstate fecit advectis nivibus.* Lamprid. c. 23. *Butius de Potu Antiq. c.* 18.

HELIOPOLIS urbs Ægypti quondam clara, utpote quæ regioni nomen dedit. De illa Strab. XVII. p. 553. *Et regio Heliopolitana, ubi solis urbs est, aggeri magno imposita. Solis templum habet, & Mnevis bovem, qui in septo quodam nutritur, & ab Heliopolitanis pro deo habetur.* Præfecturam eam nominat Plin. v. 9. quia Ægyptus tota in præfecturas erat divisa, quarum prima *Heliopolitana*. In hanc urbem à Severo Imperatore coloniam esse deductam docet Ulpian. l. 1. ff. de censibus: *Est & Heliopolitana, quæ à divo Severo, pro belli civilis occasione, Italica colonia rempublicam accepit.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 631. C.

HELIX erat machina, quam Archimedes Syracusanus excogitavit, qua pauci navim omni instrumento plenam obiter in mare poterant deducere. Athen. v. p. 207. A. *Navim absolutam Hiero in mare detrahi jussit. At in detrahenda cum plurimum esset difficultatis, ac dubitationis, Archimedes machinatus paucis instrumentis eam deduxit, excogitata helice machina, qua tantum navigium in mare pertraxit.* De ea sic cecinit Sil. Ital. XIV. 352.

—— puppes etiam, constructaque juxta
Femineа traxisse ferunt contra ardua dextra.

V. etiam Plutarch. in Marcell. p. 306. *Scheffer. de Milit. nav.* III. 1. *Heins. & Dausq. in Silium.*

HELLESPONTUS vocatur angustum fretum circa Propontidem, vulgo *urbium Gallipolis* nuncupant: sed in Notitia imperii regio Asiæ ad *Hellesponti* oram sita significatur: ab oriente habet Pontum & Bithyniam, à meridie Lydiam, à septemtrione Propontidem, ab occasu *Hellespontum* fretum. *Pancіroll. Notit. imp. orient. c.* 103.

HEM.

HEMERODROMUS dicebatur cursor, qui uno die ingens spatium cursu conficiebat. Liv. XXXI. 24. *Ni speculator (hemerodromos vocant Græci, ingens die uno cursu emetientes spatium) contemplatus regium agmen è specula quadam, prægressus nocte media Athenas pervenisset.* Nep. I. 4. 3. *Philippidem cursorem ejus generis, qui hemerodromi vocantur, Lacedæmonem miserunt, ut nuntiaret, quàm celeri opus esset auxilio.* Turneb. Adv. XXVII. 7. Rhodig. Ant. Lect. XVIII. 8. Stephan. Schediasm. VI. 2. Bœcler. Buchner. Lambin. & Rave in Nepotem. Lips. Epist. Select. III. 59. Apud quem quantum spatium quotidie emensi fuerint, invenies.

HEMEROLOGIUM anni Juliani, mensibus suis distinctum, festorum, ludorumque dies exhibens, è ruderibus antiquitatis produxit Petrus Ciacconius Toletanus. *Putean. de Nundin. Roman. c.* 21.

HEMICYCLIUM, quod vocat Cicer. de Amic. c. 1. *Cum sæpè multa narraret, tum memini domi in hemicyclio sedentem, ut solebat, in eum sermonem illum incidere*, quidam interpretantur sedem auguris, quoniam M. Scævola itidem erat augur. Sed meminerint, velim, Q. Mutium in templo tunc non fuisse; nisi Tullii domum quodd in veluti templum quia dicat deæ Suadæ: neque ibi avium oscinum, aut præpetum volatus, aut cantus observasse: sed cum amicis jucundis, ac beatis de amicitia disseruisse. Et quod Tullius illic utitur verbo *solebat*, conjecturam potius est *hemicyclium* non fuisse Mutio paratum, tanquam sellam auguralem, ac prorsus debitam huic honori, sed quoniam consuetudinis, aut commoditatis gratia illic soleret quiescere. Mihi verò succurrebat referre ad rotum consessum in orbem, ac rotunditatem paratum, sive exedram, domusque, aut ædificii partem, ubi disputationes habitæ. *Chimentell. de Hon. bisell. c.* 23. *Turneb. Adv.* XXVIII. 37.

HEMINA est dimidia pars sextarii. Fannius:

At cotylas, quas, si placeat, dixisse licebit
Heminas, recipit geminas sextarius unus.

Gell. III. 14. *Contra quoque, si ex sextario hemina fusa est, non dimidiatum sextarium fusum dicendum est.* Fuit mensura liquidorum, & aridorum. Colum. XII. 49. *Sat erit tot heminas salis adjicere, quot sunt modii olivarum.* c. 41. *Priusquam de igne medicamentum tollatur, tres heminæ roris Syriaci contriti, & cribrati, super omnia adjiciuntur.* Pendet vino, aceto, aut aqua plena uncias decem. *Pætus de Roman. & Græcor. mens.* III. *Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1640. *C. Buleng. de Conviv.* III. 17. *Imp. Rom.* VI. 65. *Agric. de Mens. Roman.* I. *p.* 7. *&* 21. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVIII. 30. *Bud. de Asse* v. *p.* 545. *Voss. Lex. Etymol. Alex. Gen.* II. 20. *& ad illum Tiraquellus. Calcagn. Epist.* XV. 1. *Porcius de Re pecun. c.* 9.

HER.

HERBÆ acres in antecœnio *ἀναστομώτικων χόρων* adhibebantur, ut appetitus excitaretur:

—— acria circum
Rapula, lactucæ, radices, qualia lassum
Pervellunt stomachum, siser, alec, fæcula Coa.

Horat. Sat. II. 8. 7. *Buleng. de Conviv.* II. 4.

HERCULANEA aqua. V. illam supr. in *Aqua*.

Herculaneus rivus. V. illum infr. in *Rivus*.

HERCULES pictus refert capite divinitatis coronam, dextra clavam, læva poma aurea, pellem leoninam sinistro brachio impositam. De clava, & leonis pelle Albric. de Deor. imag. c. 22. *Secunda victoria Herculis notabilis fuit, quia ipse pugnasse cum leone, ipsumque clava mactasse, & interempto pellem abstulisse dicitur, quo deinde spolio incessit semper indutus, signum victoriæ perceptæ. In quo etiam ostentatur animi fortitudo, contra quam nulla vis corporea prævalet, quæ semper spolium leonis, id est, vim virtutis defert.* Diodor. I. p. 14. D. narrat clavam, & leonis exuvias *Herculi* antiquo ideò attributas fuisse, quia nondum inventis illo tempore armis homines secum bellantes lignis repellebant, pellibusque belluarum pro tegumentis utebantur. Poma aurea Hesperidum in hortis Atlantis Regis Mauritaniæ ab *Hercule* sublata dracone custode interempto canit Ovid. Met. IV. 643.

Tempus, Atla, veniet, tua quo spoliabitur auro
Arbor: & hunc prædæ titulum Jove natus habebit:
Id metuens, solidis pomaria clauserat Atlas
Mœnibus, & vasto dederat servanda draconi.

La Chausse de Deor. simul. tab. 30. Præter illa & tertium armorum genus illi tribuitur, nempè arcus, & sagittæ: ideò *Scytalo sagitti-pelliger* Tertull. de Pall. c. 4. dicitur: *Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* V. *p.* 715. *C. Cuper. Harpocr. p.* 55. *Voss. de Idolol.* II. 15. Ludorum Circeosium originem sunt qui ad *Herculem* referunt. V. inf. in *Ludi*. Putabatur præesse athletis, & gladiatoribus, qui facta ejus scilicet & robur æmularentur. De athletis lapis Græcus Romæ indicat, in quo aliquoties nominatur, *Herculanei athleta*. Varro: *Ex his, atque hujusmodi institutis vel ad Herculis athleta facti erant.* De gladiatoribus Horatius laudatus supr. in *Gladiator*, & præter illum Commodus, qui *Herculem* se dici voluit, imò

imo pingi, fingi: quia gladiator. Unde ejus ædes vulgo in Amphitheatro. Vitruv. I. 7. *Herculi, in quibus civitatibus non sunt gymnasia, neque amphitheatra, ad circum.* Lipf. Saturn. II. 23. Voff. de Idolol. III. 19. Et ejus statuæ in gymnasiis ponebantur. Eustath. ad Odyff. Θ. *Ideo in gymnasiis Amorem cum Hercule & Mercurio statuunt, quorum alter robori, alter sermoni praest: è quorum copula generatur amor.* Buleng. ibid. c. 9. Aquas calidas sibi à Vulcano indicatas reperit, ut tradit Ibycus, ut cum laboribus esset confectus, recrearetur. Natal. Mythol. VII. I. Pisander verò *Herculi* demonstratas ait. *Butius de Potu antiq. c. 2.* Illum religionis causa Apuli & Siculi fontibus opposuerunt, quia aquas exstincta hydra purgavit: Unde & thermæ urbis Himeræ in Sicilia, item Oetæ montis, & Pylarum in Thessalia in tutela *Hercules* fuerunt: quod Pindari, & Sophoclis interpretes scribunt. Et sunt, qui omnes ei thermas esse sacratas velint. *Herculea* thermæ Albisis, & Medinlani in primis nobiles, à quibus etiam vicus Mediolanensis nomen traxit. *Fabric. Desc. Urb. Roman. c. 15.* Illi supplicabant viam ituri, Festus. V. illum infr. in *Propter viam.* Tomaf. de Donar. c. 14. Erat enim inter deos viales, quia credebatur peragrasse totius universi orbis terras & maria, ut monstrorum, quæ ipsius ætate per omnes orbis regiones erant, domitorem. Dionyf. I. p. 54. *Veriora videntur, quæ de eo,* Hercule, *narrant historici, qui res gestas ejus mandarunt literis: videlicet, quod cum esset ætatis sua ducum præstantissimus, magnasque ductaret copias, quicquid terrarum oceano cingitur, peragraverit, tollens tyrannos, quotquot essent, graves, & subjectis intolerabiles: aut, si qua civitas præ ferocia molestaret finitimos, hospitumve nefariis gauderet cadibus: pro quibus legitima regna, moderatasque respublicas constituit, & in vitam mores induxit humanos ac sociabiles. Adhac cum Gracis juxta versatus est ac barbaris, cum maritimis atque mediterraneis, quibus ante male conveniebat per infida commercia: & in desertis terris urbes condidit, fluminaque avertit campos inundantia, viasmunivit in difficilibus accessu montibus, nihil non molitus, ut mare, ac terra quàm latissimè paterent usibus cunctorum mortalium.* Bergier. de Viis milit. IV. Sect. 43. §. 10. Cur multi divitum illi decimam bonorum suorum consecrent, quærit, & sibi respondet Plutarch. Quæst. Roman. 18. *An quod is quoque Roma decimam boum Geryonis partem deposuit? Aut quod effecit, ne Romani porro decimas Etruscis penderent? Aut Herculi, ut voraci, & largiter cænanti copiosius sacraverunt?* Mihi quidem potissima ratio videtur, quod præ cæteris diis quàm maximè & tueri, & mala averruncare posse crederetur. Unde in lapidum antiquorum inscriptionibus comes, custos, conservator, defensor, magnus custos, & ita porro nominatur. *Boxhorn. in Plutarchum Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 15. Per Herculem mulieribus jurare nefas, & illicitum fuisse scribit Varro. Non enim templum ejus ingredi licebat, ut viris Bonæ deæ, ut dicit Suidas. Sed huic opinioni refragatus Plaut. Truc. II. 1. 1. qui Altaphium sic loquentem introducit:

Ha, ha, ha! Hercle quievi, quia introivit odium.

Et Apulejus, apud quem anus per *Herculem* jurat Met. IV. p. 131. *Bono animo esto, me Hercules, nec vanis somniorum termentis terreare.* Hensen. de Jurejur. vet. c. 4. La Chausse l. l. In ejus sacrificio nullus alius deus nominabatur, quia semideus censebatur. Aut quia adhuc inter homines degenti Evander aram posuit, & victimam obtulit. Neque intra sepimenta canis conspiciebatur. Omnium enim animalium nullum infestius habuit cane. Hic enim ei plurimum negotii identidem exhibuit. Et Cerberus canis fuit. Plutarch. Quæst. Roman. 89. *Brisson. de Form. I. p. 61.*

Hercules amicus cognominabatur, quia deus lucri ab antiquis creditus est. Horat. Sat. II. 6. 10.

O si urnam argenti fors quæ mihi monstret; ut illi,
Thesauro invento, qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule,

Mercenarius enim colonus, hinc enim hoc cognomen, assiduè *Herculem* deprecabatur, ut est à Porphyrione proditum, ut sibi aliquid boni præstaret. Hunc itaque *Hercules* in somnis ad Mercurium duxisse visus est, qui occultum, obseratumque thesaurum ostendit: quo effosso, ille illum ipsum agrum mercatus est, in quo mercenariam operam faciebat. *Gyrald. Synt. deor. x. p. 329. A.*

Hercules Amphitryoniades dictus est, quod existimatus sit Amphitryonis filius. Prop. IV. 10. I.

Amphitryoniades qua tempestate juvencos
Egerat à stabulis, ò Erythea, tuis.

Catull. LXVIII. 112.

Audet falsiparens Amphitryoniades.

Gyrald. Synt. deor. x. p. 326. D.

Hercules Astrologus *est dictus, quod eo die se flammis injecit, quo futura erat obscuratio solis.* Festus. *Gyrald. Synt. deor. x. p. 330. G.* Atqui is se flammis injecit anno ante Christum natum 1196. quo nulla fuit solis obscuratio. Meliùs Serv. Æneid. I. 747. *Hic Atlas, Japeti filius in Africa natus dicitur. Hic quod annum in tempora diviserit, & primus stellarum versus, vel circulorum, vel siderum transitum, naturasque descripsit, cælum est dictus sustinere, quia nepotem suum Mercurium, & Herculem docuisse dicitur, unde & Hercules cælum susceptum sustinuisse narratur propter cæli scientiam traditam. Constat enim Herculem philosophum fuisse.* Comment. in Festum.

Hercules Claviger dictus est à clava gerenda. Ovid. Met. XV. 22.

Claviger alloquitur: patrias, age, desere sedes.

Fast. I. 543.

Ecce boves illuc Erytheidas applicat heros
Emensus longi Claviger orbis iter.

Gyrald. Synt. deor. x. p. 333. A.

Hercules Custos nuncupatus est. Ovid. Fast. VI. 209. V. illum infr. in *Templum.* Gyrald. Synt. deor. x. p. 331. A. Brisson. de Form. I. p. 50.

Herculis Defensor dictus est in prisco marmore:

HERCULI. DEFENSORI
PRO. ITU. ET. REDITU
D. CLODII. SEPTIMI
ALBINI. CÆSARIS
D. CLODIUS. D. L
FELIX
ACTOR. CÆSARIS. N. D. D

Lips. Tacit. Annal. II. Excurs. F. Lomej. de Sacrif. c. 4. Et Severus *Herculis Defensoris* elogio signatur in antiquo numismate. *Spanhem. de usu & Præst. numism. Diss.* VIII. *p. 747.*

Hercules Dexter cognominatus est, hoc est, propitius, & favens. Perf. Sat. II. 9.

—— & ò si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule.

Idque sumptum, quod deus lucri ab antiquis creditus sit. Cornutus in Persium. *Gyrald. Synt. deor. x. p. 329. A.* Et à studiosis rei faciendæ fuisse cultum, & πλουτοδότην existimatum, Græci Latinique auctores testantur: & satis notum est *Herculi* solitum polluceri à repentè ditatis. Ad κερδῷον *Herculem* alludit ille, qui de Tranione damnosissimo Theuropidis servo ait apud Plaut. Most. IV. 2. 68.

—— Is vel Herculi conterere quæstum possit.

Ex hoc loco tamen Gyraldus non debuit τὸ dexter ceu proprium cognomen *Herculis* afferre. Nam *dextro* hic κοινῶς positum pro βοηθοῦντος ἢ συναιροῦντος, & pro eo, quod Horatius, quem imitatus, dixerat Sat. II. 6. 10. *amico Hercule.* Sic *Apolline dextro* Prop. III. 1. 47. dixit. *Casaub. in Persium.*

Hercules Gaditanus cognominatus est. Nomen *Herculis* Hadriano tribuunt aliquot nummi, qualem unum evulgavit Tristanus cum inscriptione HERC. GADIT. seu *Herculi Gaditano.* Spanhem. de usu & Præst. numism. Diss. VIII. p. 745.

Hercules Magusanus vocatur in hac inscriptione:

HER-

HERCULI
MAGUSANO
M. R. R. I. M. F. F. I.
V. I. S.
TERTIUS
V. S. L. M.

Quæ inventa est VVestcappellæ, qui pagus est in ea Zelandiæ insula, quæ VValachria appellatur, à Philippo Burgundo, qui oceano tunc temporis præfectus erat, anno post natum Christum 1514. Hoc cognomentum à Goesa Zelandiæ civitate desrvatum facile mihi esset asserere, si aut urbs illa tantam antiquitatem præferret, aut mendacio ejus gloriæ statuerem velificari, aut ætas hæc ineptias probaret. Quanquam interea non abnuerim *Herculem* sic nominatum à loco, cujus vestigia hodie non habemus. Sæpè quidem mecum cogitavi, an pro HERCULI MAGUSANO scriptum fuerit HERCULI MAGNO SANCTO, quod ab hac lectione tam longè non abit. Sed tamen hoc minus nunc probo. Quicquid sit, miles Romanus *Herculi*, tanquam custodi, & conservatori suo, lapidem hunc libens meritoque dedicavit. Enimverò deum hunc post Martem militibus bello præ cæteris opitulari persuasum olim fuit. Quo faciunt tot marmora antiqua, & inter cætera illud, quod Malaccæ in Hispania videtur:

Q. SERVILIUS. VULNERE
SERVATUS. HERCULI. DEO
INVIC. SING. ÆREUM. EX.
VOTO. POSUIT. PROPE. MARTEM.
ARGENT. IN. MAGNA.
ARA.

Quodcunque enim fortitudine, & virtute se probat, id in *Herculis* tutelâ esse credebatur. Illa autem in bello potissimum est opus. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 1. *Voss. de Idolol.* 1. 35. Prolixiores, quat hæc charta non capit, de hoc *Hercule* diatribas scripserunt *Eynd. Chronic. Zeland.* 1. 8. & *Cuper. Monum. Antiq. p.* 218. 225.

Hercules Musagetes appellatus est, quia Musarum ductor, & dux. V. infr. in *Templum*.

Hercules Oetæus cognominatus est ab Oeta monte, ubi se hominem incendio exuit, qua de re leguntur tragœdiæ. Prop. III. 1. 32.

Troja bis Oetæi numine capta dei.

Arnob. 1. p. 20. *Thebanus, aut Tyrius Hercules, hic in finibus sepultus Hispania, flammis alter concrematus Oetais.* IV. p. 144. *Qui in Oetæis verticibus Herculem post morborum comitialium ruinas dissolutum prodidit.* Gyrald. Synt. deor. x. p. 333. B.

Hercules Olivarius cognominatus est Romæ. Ejus Victor in undecima regione, quæ Circus est maximus, meminit, & non longè ab ara maxima & Portuni æde commemorat. *Gyrald. Synt. deor.* x. p. 332. F. *Primus Olympiæ oleastro est coronatus.* Plin. XVI. 44. Hinc Olivarius dici potuit ea corona redimitus. Hoc fuit Myronis opus Eleutheritæ. Plin. XXXIV. 8. *Fecit etiam Herculem, qui est apud circum maximum in æde Pompeji Magni.* Eum in circo consecratum, quia Olympiæ quadrigis vicerat, in quibus oleastro victores caput cingebant. Plin. XV. 4. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 367. *E. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 13. §. 4. *Brisson. de Form.* 1. *p.* 50.

Hercules Pacifer fuit dictus ob pacem, quam mortalibus victoriis suis procuravit. Inscriptio Romæ:

SANCTISSIMO
HERCULI. PACIF
INVICTO
SACRUM
P. JUNIUS. P. F. CERI
NUS. PRÆF. EQUIT. SING.
V. S. L. M.

Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. 11. *art.* 10. *Cuper. Harpoc. p.* 81. *Gyrald. Synt. deor.* x. *p.* 331. *F.*

Hercules Pollens vocatur in antiquis inscriptionibus: ut istac Interamnæ Nahartium in Umbria:

LOCUS
SEPULTURÆ
CULTORUM
HERCULIS
DEFENSORIS
POLLENTIS
INVICTI

Voss. de Idolol. 1. 22.

Hercules Prodicius cognominatus est à Cicer. Offic. 1. 32. ea ratione, quod Prodicus Ceus sophista antiquus primus suis indutus scriptis, voluptatem, vel, ut aliis placet, vitium & virtutem in solitudine *Herculi* adhuc puero apparuisse, ut, utram sibi vellet, vitæ comitem assumeret: hæc turpi, & deformi erat habitu, sed genuino, ac nativo decore pulcra: illa ornatissimis vestibus, ac calceis induta: nihilominus ille *Herculem* dixit voluptati virtutem antepofuisse: hinc ergo *Hercules* Prodicius. *Gyrald. Synt. deor.* x. *p.* 327. *F.*

Hercules Sanctus dictus est à Sabinis. Ælius apud Varr. de Ling. Lat. IV. §. 10. ait *hunc esse Sanctum à Sabina lingua, Herculem à Græca.* Hinc Prop. IV. 10. 71.

Sancte pater salve, cui jam favet aspera Juno,
Sancte, velis libro dexter inesse meo.
Hunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sanctum Tatii composuere Cures.

Ovid. Fast. VI. 213.

Quærebam, Nonas Sancto, Fidione referrem,
An tibi Semipater: tunc mihi Sanctus ait:
Cuicunque ex illis dederis, ego munus habebo:
Nomina terna fero, sic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inque Quirinali constituere jugo.

Sanctum pro propitio antiqui posuerunt. Tibul. IV. 6. 7.

At tu sancta fave, ne quis divellat amantes.

IV. 5. 12.

Tune procor insidos, sancte, relinque focos.

Gyrald. Synt. deor. x. p. 331. A. Sanctus, Sancus, an Sangus vocandus sit, disputant pluribus *Voss. de Idolol.* 1. 12. *Demster. Paral. Rosin. Antiq. Roman.* 1. 13. *Dilher. Disput. Academ. Tom.* 1. *Disp.* 4. §. 4. *Manut. Quæs. Epist.* 1. 1. *Pentan. Observ. in Fragm. Histor. p.* 189. *Scalig. Conject. in Varr. p.* 32. *Gothofr. in Varr.* 1. 13. *Heins. in Ovidium, Passerat. in Propertium. Gyrald. ibid. Synt.* 1. *p.* 69. *E. Struv. Ant. Rom. c.* 1. *p.* 125. *Brisson. de Rit. nupt. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1037. *A. Donat. de Urb. Rom.* 1. 21. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 8. §. 1. *Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Rom.* 30.

Hercules Saxanus cognominatur in inscriptione Tiburtina apud Gruter. p. XLIX. n. 3. vel, quod vias munivent in difficilibus ascensu montibus, ac, ut sic dicam, saxa aperuerit. Vel, quod ei acervi lapidum, & saxorum congeries per vias dedicarentur. Aut, fortitan ex eo, quod pater Jupiter filio *Herculi* adversus Ligures pugnanti auxilium in hostes miserit imbrem saxorum, sive petrarum rotundarum, ut ex Æschyli Prometheo quoque adducit Strab. IV. p. 126. Aut quod Myscelum Alemonis Argolici filium reum spretarum legum, calculis nigris in album conversis absolverit. Ovid. Met. XV. 41.

Mos erat antiquus, niveis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absolvere culpa.
Tum quoque sic lata & sententia tristis, & omnis
Calculus immitem demittitur ater in urnam.
Quæ simul effudit numerandos versa lapillos,
Omnibus è nigro color est mutatus in album:
Candidaque Herculeo sententia numine facta
Solvit Alemoniden.

Bergier. de Viis publ. IV. Sect. 43. §. 11. Kircher. Lat. vet. ac nov. p. 194. Ego Saxani nomen ex eo natum existimaverim, quod in saxeto coleretur. Ut saxetanus dixit Mart. VII. 77. 1.

Quum saxetani ponetur cauda lacerti.

Et eundem puto cum eo qui in petra nominatur in antiquo monumento, quod exitat Mediolani in lupanari publico:

HERCULI
IN PETRA SACR.....

Boxhorn. Quæst. Rom. 1. Ego verò, quod ejus signum ex lapide Tiburtino, quemadmodum Venus in vetustis monumentis dicitur Gabinia, & Albana, quod ex lapide, qui exciditur in latomiis, fuerit formata. Eundem verò esse, qui vocetur *Hercules in petra*, non est verosimile. Est sanè alius Mediolanensis lapis apud me ineditus, in quo legitur HERCULI IN PETRAE. Unde constat sic nominari *Herculem* ab æde agri Mediolanensis ei sacrata, quamvis ignoremus, an locus quidem ibi olim fuerit, cui Petræ nomen, & in quo fuerit ejusdem nominis templum, an verò aliam ob causam illi templo hoc nomen fuerit impositum. Non nego tamen *Herculem in petra* eundem esse posse *Herculi Saxano*, dicique ut *tempus in novacula* apud Phædr. v. 9. 1. pro novaculam manu gerens, *milites in hastis* apud Ennium pro milites hastati: ut *Hercules in petra* sit *Hercules Saxeus*, ex petra excisus, ut in inscriptione Malaccensi, quam Boxhornius paullò post producit, Mars argenteus. Hoc certum est *Herculem* fuisse Tiburis deum tutelarem, & præcipuè ibi cultum, templumque habuisse famosissimum: unde *Herculeum Tibur* dicitur Mart. 1. 13. 1. Nec aliam ob causam dictus est *Hercules Saxanus*, *& Hercules in petra*, quàm quod templum Tiburtini *Herculis* fuit altè positum in edito saxo, sive petra, quam *summam Tiburis arcem* vocat Juven. Sat. XIV. 86. V. illum supr. in *Ædes privata*. Ædificavit, inquit, villam in Tiburtino summo monte, quæ & splendore, & altitudine superat Fortunæ, & *Herculis* templum. Hinc & colles Tiburtini dicti sunt, *Herculei*, quod *Herculi* sint sacri, & in uno illorum fuerit *Hercules in petra*, & propterea ipsum Tibur altum vocatur. Mart. VII. 12. 3.

Venit in Herculeos colles: quid Tiburis alti
Aura valet?

Græv. Proleg. ad Thes. Tom. v.***

Hercules Somnialis cognomine apud Romanos cultus est. Hæc vox ὀνειρόσομπος significat.

V. F.
CULTORES. HERCULIS.
SOMNIALIS. DECURIA. I
DIS. MANIBUS.

Salmas. Exerc. Plinian. p. 248. b. D.

Hercules Sylvanus qui dicitur Victori in regione quinta, quæ Esquiliæ, est idem qui *Hercules Rusticus* dicitur Lamprid. Commod. c. 10. Rusticus enim, & agrestis, & sylvanus συνώνυμα sunt. Unde & sylvatica, & agrestia animalia eadem sunt. Ut *Hercules* Sylvanus, sic & Mars Sylvanus dicebatur. *Salmas. in Lampridium. Exerc. Plin. p. 194. b. C.* Ego apud Victorem lego, *Hercules Syllanus*. Er puto sic dictum ob statuam à Cornelio Sylla illi hoc in loco erectam. *Pancirell. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. *p. 341. F. Brisson. de Form. 1. p. 50.*

Hercules Tarentinus dictus est, quia Fabius Maximus Verrucosus, capta urbe Tarento, ejus statuam juxta suam æneam equestrem in Capitolio collocavit. Plutarch. in Fabio p. 187. C. Strab. VI. p. 192. Plin. XXXIV. 7. Aur. Vict. de vir. Illust. c. 43. n. 6. Lysippi opus fuit æreum, & à Verrucoso tanquam victoriæ suæ monumentum asportatum. *Ryq. de Capit. Rom. c. 25.*

Hercules Tricosus dicitur in carmine, quod Romæ in Capitolio sub ejus signo legitur:

ALCMENÆ. JOVIS. ET. MAGNI.
FORTISSIMA. PROLES.
TRICOSUS. SUBITO. POST. MEA.
FATA. VOCOR.

Tricosi nomine homo vafer, callidus, & denique ex dolis omnibus consitus denotatur. Nimirum à tricis connectendis. Quippe *Hercules* tot, & tam sæpè laudatos labores suos artibus quibusdam confecisse videtur, Sed *Hercules* à simplicitate passim ab antiquis commendatur; unde minimè vafer dicitur Senec. Apocol. p. 849. *Et imposuerat Herculi homini minimè vafro, nisi fuisset illic Febris.* Et Placidus vocatur in veteri inscriptione, quæ est Romæ:

HERCULI. PLACIDO
JABOLENUS. AUG. LIB

Hæc ergo interpretatio non placet. Et verior, meo judicio, sese offert. Tricosus est idem ac ille, qui nullius amplius usus, vim suam, & robur diutiùs non potest probare. Gloss. vet. *Tricosus*, ἀχρεῖος, ἄχρηστος, ληρώδης. Atque ita *Hercules* meritò post fata tricosus nominatur. Quamdiu vixit, par omnibus, aut major fuit: postquam fato concessit, subito simul cum vita invidendam, qua tot facinora edidit, tot labores decertavit, virtutem amisit. *Boxhorn. Quæst. Roman.* 2. Stephanus Pighius videtur propiùs à verò abesse, qui putat à Græcorum poetarum variis tricis in fabulis de eo scriptis, tricosum appellari. *Græv. Preleg. ad Ant. Rom. Tom.* v. *p. S.*

Hercules Triumphalis. Plin. XXXIV. 7. *Hercules ab Evandro sacratus in foro boario, qui triumphalis vocatur, atque per triumphos vestitus habitu triumphali.* Gyrald. Synt. deor. x. p. 330. G. Buleng. de Triumph. c. 36. Qui an idem cum Victore? uterque sanè in foro boario. Sed hic auctorum divisa est. Triumphalis ille, quem Plinius in foro boario locat, hoc est in VIII. Urbis regione, à P. Victore statuitur in XI. ad portam Trigeminam. Sic enim ille: *Ara maxima, Hercules triumphalis.* Rufus quoque *Herculem triumphalem* cum ara maxima in regione circi maximi ponit: *Templum Herculis, Hercules triumphalis, Circus Maximus, Hercules Olivarius, Ara maxima.* Onuphrius in XI. regione Urbis suæ recenset *templum Herculis Victoris in foro boario.* Sed multis modis fallitur. I. nullum templum *Herculis Victoris* fuit, sed ædes tantum parva, & sacellum. II. forum boarium non est in XI. regione Urbis, sed in VIII. III. Rursus templum *Herculis* in XI. regione, ubi circus maximus, nominat tantum, non etiam Victoris. Omnino puto triumphalem, & victorem fuisse idem cognomentum. Sic triumphales, & victrices lauros poetæ dicunt. Cum triumphalis igitur, sive victor tam in foro boario, quàm ad portam trigeminam fuerit, facilè sic conciliari potest Plinius cum P. Victore. *Salmas. Exerc. Plin. p. 8. b. D.*

Hercules Victor est cognominatus. Virg. Æneid. VIII. 363.

—— hæc limina victor
Alcides subiit.

Quod nomen licèt ab ejus crebris victoriis deduci possit, & *quod omne animalium genus vicerit*, ut putat Varro apud Macrob. Sat. III. 6. nihilominus tamen ad somnium refertur. Macrob. l. l. *Marcus Octavius Herennius primâ adolescentia tibicen, postquam artis diffisus fuæ est, instituit mercaturam; & bene re gesta decumam Herculi profanavit. Postea, cum navigans hoc idem ageret, à prædonibus circumventus fortissimè repugnavit, & victor recessit. Hunc in somnis Hercules docuit sua opera servatum: cui Octavius impetrato à magistratibus loco ædem sacravit, & signum; Victoremque literis incisis appellavit. Dedit ergo epitheton deo, quo & argumentum veterum victoriarum Herculis, & commemoratio nova historia, quæ recens Romano sacro causam dedit, continetur.* Gyrald. Synt. deor. x. p. 328. E. Brisson. de Form. 1. p. 50. Quidam ab Evandro Herculem positum tradunt in foro boario, qui & Triumphalis diceretur. Extat adhuc antiqua inscriptio Aquini, HERCULI VICTORI. *Gyrald. l. l.* V. supr. in *Hercules Triumphalis*.

HERMÆ erant statuæ Mercurii sine brachiis, & pedibus, quas in compitis collocabant Græci, & Romani. Serv. Æneid. VIII. 138. *Mercurium quum in monte dormientem invenissent, manus ei amputaverunt, unde & ipse Syllenius, & mons dicuntur, namque Græci κύλλα aliqua mutilatos parte corporis dicunt, unde etiam hermes vocamus quosdam simulos in modum signorum sine manibus.* Suidas in voce Ἑρμαῖ. *Hermæ erant Athenis lapides in vestibulis ædium atque templis: quia enim ajunt Mercurium sermonis, & veritatis præsidem esse, propterea & ejus imagines quadratas, & cubicas fecerunt, indicantes quod quemadmodum ea, quæ hanc habent figuram, in quam partem cadant, semper stabilia, & recta sunt; ita sermo & veritas similes semper sibi ipsi est, mendacium verò fluxum, multifidum, & minimè sibi coherens.*

Erecto

Erecto veretro ut plurimum depingebantur. Macrob. Sat. I. 19. *Pleraque etiam simulacra Mercurii quadrato statu figurantur, solo capite insignita, & virilibus erectis: quæ figura significat solem mundi esse caput, & rerum satorem, omnemque vim ejus non in quodam divisorum ministerio membrorum, sed in sola mente consistere, cujus sedes in capite est: quatuor latera eadem ratione finguntur, qua & tetrachordum Mercurio creditur attributum, quippe significat hic numerus vel totidem plagas mundi, vel quatuor vices temporum, quibus annus includitur, vel quod duobus æquinoctiis, duobusque solstitiis zodiaci ratio distincta est.* Has statuas præcipuè colebant feminæ, earumque virilia ornabant, & venerabantur, fœcunditatis sibi procurandæ causa, sicuti videre est in eleganti marmore apud Boissardum in Antiquitatibus Romanis sculpto. Solebant in triviis erigi ad indicanda viarum discrimina. V. ioft. in *Lapis. Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. I. art. 4. Gyrald. Synt. deor.* x. *p.* 301. *D. Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* v. *p.* 723. *E. Bergier. de Viis publ.* IV. *Sect.* 43. §. 4... 7. *& ad illum Hennin. Holsteen. Comment. in Nymp. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1802. *B. Gyll. de Bosphor. Thrac.* II. 13. *Meurs. Attic. Lect.* IV. 6. *Herald. Adv.* II. I. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 7. *Clasen. Theol. gentil.* I. 13. 5. *Guther. de Jur. man.* II. 28. *Castellan. de Fest. Græcor. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* VII. *p.* 665. *F. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 780. *A. Sagittar. de Jan. Vet. c.* 38. *Figrell. de Stat. Roman. c.* 17. *Kipping. Antiq. Roman.* I. I. 21. *Dempster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* II. 9. *Minos in Alciat. Emblem.* 8. *Gyrald. Synt. deor.* IX. *p.* 301. *D.*

HERMÆUM erat diæta, seu cœnatio in Palatio, ἀπὸ τοῦ Ἑρμοῦ, a Mercurio, a cujus nomine nomen illi fuit inditum. Suet. Claud. c. 10. n. 2. *In diætam, cui nomine est Hermæum, recesserat.* Lapis vetus:

SYMPHORO
TESSERARIO
SER. CÆSARIS
DE. DOMO. GELO
TIANA. FECIT
PHILODESPOTUS
SER. CÆSARIS
EX. HERMÆO
FRATRI. B. M.

Donat. de Urb. Rom. III. 2. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 13. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 12. §. 2. *Pitisc. in Suetonium.*

HERMATHENA erat statua *Hermam & Athenam* repræsentans, id est, Mercurium & Minervam. Simile signum cum Titus Pomponius Atticus reperisset Athenis, Romam illud misit, ut Ciceronis amici sui bibliothecæ ornamento esset. Cicer. Attic. I. 3. *Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est ornamentum Academiæ proprium meæ: quod & Hermes, commune omnium, & Minerva singulare est ejus Gymnasii. Quare velim, ut scribis, cæteris quoque rebus quamplurimis eum locum ornes.* Non mirum erat Mercurium Minervæ conjungi, fiebat enim utrique commune factum, eò quòd ille eloquentiæ præesset, hæc doctrinæ. Eloquentia nisi comitem doctrinam habeat, quid est nisi nudus, inanisque sonus? Doctrina verò absque eloquentia obscurus, & inutilis thesaurus. Hic ergo mysticus *Hermathenæ* typus esse mihi videtur, ab Atheniensibus non immeritò effictus, cum essent olim omnium hominum doctissimi, & eloquentissimi. *Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect.* I. *art.* 4. *Figrel. de Stat. Roman. c.* 24. *Turneb. Adv.* VIII. 24. *Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 14. *Tomas. de Donar. c.* 23. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 8. *de Profess. c.* I. *Dempster. Paralip. Antiq. Rom. Rosin.* II. 9. *Minos in Alciat. Emblem.* 9.

HERMERACLÆ dicebantur statuæ Mercurii & Herculis, quod nimirum Herculis caput Mercurii quadratæ statuæ impositum esset. Cicer. Attic. I. 18. *Signa nostra, & Hermeraclas cum commodissimè poteris, velim imponas.* Cippo tetragono, & clava dignoscebantur. Mercurii cum Hercule conjunctio designabat vel fortitudinis sociam debere esse eloquentiam, vel eloquentiam ipsam esse monstrorum domitricem: unde Galli *Herculem* suum eleganti typo depingebant, catenis ex ejus ore exeuntibus, auditoresque multos illis alligatos trahentibus. *Spon. Misc. Erud. Ant. Sect.* I. *art.* 4. *Guther. de Jur. man.* II. 28. *Turneb. Adv.* VIII. 24. *Figrel. de Stat. Roman. c.* 24. *Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 14. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 8. *de Profess. c.* I.

HERMEROTES erant signa dei, compositi ex *Herme*, seu Mercurio, qui tenet caduceum, & crumenam perpetuum Mercurii typum, & Cupidine, qui *Eros* Græcis dicitur, qui amabilis pueri specie nudus incedit. Quo prisci mysteriis turgentes fortè exprimebant amori conjunctam esse eloquentiam debere. Plin. XXXVI. 5. inter eximia sculptorum opera *Hermerotes* Taurisci recenset. *Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect.* I. *art.* 4. *Gyrald. Synt. deor.* IX. *p.* 302. *A.*

HERMULÆ, sive *Hermetes* parvi erant duo simulacra Mercurii in circo ante carceres fixi, funem, vel catenam prætendentes carceribus, ne equi, apertis carcerum valvis, ante signum datum procurrerent. His catenis opera ministrorum ad signum datum prolapsis in certamen effundebantur. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 6. §. 3. *Lyd. Agon. sacr. c.* 30. Inventum *Hermularum* ad laxandam ὕσπληγγα Tlepolemo Myrensi tribuit Philoxenus hoc epigrammate:

Τληπόλεμος ὁ Μυρεὺς ἑρμᾶς ἀφετήριον ἕρμα
Τριδόμοις δῆξεν παῖς ὁ Πολυκράτεος.

Τριδρόμοι, sunt παιδοδρόμοι, qui cursu certant in sacris agonibus. Ἀφετήριον ἕρμα est repagulum, vel ὕσπληγξ, vel βαλβίς. Nam ἕρμα est septum, & περίφραγμα. Ergo ἑρμᾶς ἀφετήριον ἕρμα repagulum, quod ab *hermulis* laxatur. Haud scio, utrum istos *Hermulas* è stadio in circum traduxerit Cassiodor. Var. III. 51. an ipsi quoque eo traducti sint ad eundem usum. V. illum infr. in *Ostia*. Certè in stadio primulum visitati illi ἀφετήριον ἑρμᾶι. *Salmas. Exercit. Plin. p.* 648. *b. F.*

HERNICI fuerunt proximi Latinis. Hos primus Superbus Rex societate devinxit, ac Latinarum feriarum participes fecit. Deinde C. Aquillio, T. Sicinio coss. anno ab U. C. 267. quod contra fœdus agrum Romanum populati essent, bello petiti, à Sp. Cassio III. consule, cum pacem petiissent, fœderis conditiones easdem, quibus Latinos ille in secundo consulatu obstrinxerat, magna cum populi Romani querimonia acceperunt. Servarunt pacem usque ad a. 463. quod ostendit Livius, cum scribit, *eo anno Latinos, Hernicosque defecisse, qui post pugnam ad lacum Regillum factam per annos prope centum nunquam ambigua fide in amicitia populi Romani fuerant.* Itaque anno 391. *Hernicis* post res nequicquam repentas bellum indictum, L. Genucium consulem in hostes profectum, ut insidiis eorum circumventum interiisse VII. 6. Postero anno Ferentinum eorum oppidum a C. Licinio consule vi captum VII. 9. deinceps à M. Fabio Ambusto, & C. Plautio pluribus prælius victos VII. 11. Cum autem concilium omnium populorum habentibus Anagninis omnes *Hernici* nominis cum populo Romano bellum suscepissent, a. 547. à Q. Marcio Tremulo consule acie superati sunt, atque in ditionem accepti. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 6. *Panvin. Imp. Rom. c.* 5. *Augustin. de Fam. Rom. in Aquilia.*

HEROES dicebantur, qui post præclarissimas quasque res gestas mortalia corpora relinquentes in cœlum ascendisse dicuntur, honores diis similes sortiti. Horum statuæ inter simulacra in circo quarto loco visebantur. *Panvin. de Lud. Circens.* I. 2. *Gyrald. Synt. deor.* I. *p.* 326. *B.* Apri, aut tigridis, aut leonis exuviis, aut pelle Libystidos ursæ, aut hinnuli, aut vulpis induebantur. Homer. Iliad. K. 177.

Sic dixit: hic circa humeros induit pellem leonis
Fulvi, magni, talarem.

Et ex heroicorum temporum consuetudine:

Dat Niso Mnestheus pellem, horrentisque leonis
Exuvias.

apud

apud Virg. Æneid. ix. 306. Et Aventinus apud eundem vii. 666.

—— pedes tegmen torquens immane leonis
Terribili impexum seta, cum dentibus albis,
Indutus capiti, sic regia tecta subibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu,

Turneb. Adv. xxix, 25. Paschal. de Coron. ix. 25. Byn. de Calc. Hebr. i. 2. 2. Cerda in Virgilium. In conviviis non accumbebant, sed sedebant. Quod de illis Athen. i. p. 14. Homerus *heroas* suos, & procos Penelopes sedentes in convivio facit Odyss. I. 7.

Convivantes autem per domum audiunt cantorem,
Sedentes ordine.

Et Catull. lxiv. 303.

Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus.

Lipf. Ant. Lect. iii. p. 144. Byn. ibid. ii, v. 4. Buleng. de Conviv. i, 34. Stuck. Ant. Conviv. ii. 34. Cerda ibid. vii. 176. Laurent. Polym. iii. ix. Carnibus utebantur maximè assis: interdum elixis. *Heroas*, inquit Eustathius, *inducit Homerus elixis utentes carnibus, præcipuè tamen assis, unde & optanii inflectitur nomen, ex usu frequentia*. Signatur autem eo verbo coquina. *Rhodig. Ant. Lect.* xxviii. 2. *Buleng. ibid.* ii. 5. Piscibus non sunt usi, nisi ubi terrestria animantia deficerent. Plato, ut evinceret illorum magnam continentiam, dicit illos non fuisse piscibus usos, quamvis prope Hellespontum castra metati essent. Idem innuit Eubulus Comicus:

Piscem ullum comedisse dicit Homerus quempiam Græcorum?

Solos Menelai socios, annonæ penoria coactos, in Pharo refert piscationi se dedisse, ut famem placarent. Odyss. Δ. 368.

Semper enim circa insulam socii errantes piscabantur
Curvis hamis; domabat verò ventrem fames.

De illorum temporum frugalitate Ovid. Fast. vi. 173.

Piscis adhuc illi populo sine fraude natabat,
Ostreaque in conchis tuta fuere suis.

Nonn. de Re cibar. iii. 4. Buleng. de Conviv. ii. 30. Trigis maximè sunt usi, quibus duo equi adjuncti sub jugum mittebantur, tertius funarius. *Buleng. de Circo* c. 59.

HEU.

HEURESIS quid fit mense Novembri in Kalendario rustico Farnesiano, quærendum. Fortasse dies designatur is, quo Ceres Proserpinam filiam à Plutone raptam, omnibus terris perquisitam invenit. Apul. Met. x. i. p. 357. *Sive tu Ceres alma frugum parens originalis, quæ repertu lætata filiæ... Repertu* pro inventione dixit, quod verbum respondet Græco *Εὕρεσις*. *Ursin. ad Kalend. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* viii. *p.* 26. *E*.

HEX.

HEXAPHORUM dicebatur lectica, quæ à sex famulis gestabatur, delicatorum hominum arbitratu. Laxior erat ad modulum opum, & luxus. Modesti, & frugi homines quatuor tantùm adhibebant, & Capell. Philol. ii. Philologiæ in cœlum euoti totidem adscripsit; *laborem, amorem, epimeliam, & agrypniam*: nec aliter virginem decebat, studiosam videlicet, minimèque delicatam. Mortui honestiores *hexaphoro* efferebantur. Mart. ii. 81. 1.

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit,
Cum tamen tua sit, Zoile, sandapila,

ix. 3. 11.

Octo Syris suffulta datur lectica puellæ:
Nondum sandapila pondus amicus erit.

Pignot. de Serv. p. 274. Moreft. Pomp. Feral. ii. 8. & 9.

HIC.

HIC *jacet* erant sollennia in sepulcrorum titulis verba, quibus sepultum ibi aliquem volebant denotare. Tibul. i. 3. 53.

Quod si fatales jam nunc explevimus annos
Fac lapis inscriptis stet super ossa notis.
Hic jacet immiti consumptus morte Tibullus,

Mart. vi. 52. 1.

Hic jacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagathus, domini cura, dolorque sui,

Kirchm. de Funer. Rom. iii. 19. Brisson. de Form. vii. p. 691. Broukh. in Tibullum.

Hic situs est erant etiam sollennia in sepulcrorum inscriptionibus verba, quibus sepultum ibi aliquem volebant denotare. Lucill. apud Tonat. in Phorm. ii. 1. V. illum supr. in *Columella*. Vibul. iii. 2. 27.

Sed tristem mortis demonstret litera causam,
Atque hæc in celebri carmina fronte notet.
Lygdamus hic situs est: dolor huic & causa Neæra
Conjugis erepta, causa perire fuit.

Aurel. Vict. de Vir. Illust. c. 42. n. 6. *Positus est apud Libyssam in arca lapidea, in qua hodieque inscriptum est, Annibal hic situs est*. Kirchm. de Funer. Roman. iii. 19. Brisson. de Form. vii. p. 690.

HIE.

HIERAN facere dicuntur cursores, qui fessi eodem temporis articulo lineam, quæ ad ultimas metas erat, attingebant. Tenebant enim se immobiles, & ibi stabant, donec pronuntiarentur victores Hellanodicis. Senec. Epist. 83. *Quomodo tamen hodiernum certamen nobis cesserit, quæris? quod rarò cursoribus evenit, hieran fecimus*. Metaphora ducta est à ludo calculorum, in quo è quinque lineis, media *hiera* dicta est, ubi inciti calculi erant. Qui ad *hieram* redactus erat, ad incitas redactus à Romanis dictus erat, *Κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς*, id est, res desperata est, *Buleng. de Circo c.* 22. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* ii. 1. *Muret. in Senecam*. Ajunt, parum probant, aut Senecæ aptant. Fallor, aut unus Polybii locus est, qui huc faciat, cum de Pœnis & Romanis scribit I, *Αν illos in Sicilia decertasse, neque malis victos, ut Fabius ait, destitisse, sed tandem*, inquit, *velut indefessi, & invictis viri, atque athletæ, sacram coronam fecere*. Planè, quod hic noster dicit: eos paria fecisse in certamine, & utrumque coronam demeruisse, neque cepisse. Credo enim moris fuisse, ut in victoria ambigua, & cum pares in meta, deo corona sacraretur, ideoque proverbium, *ἱερὰν ποιεῖν*, nempe *τὸν στέφανον*. Quod noster dixit *ἱερὰν* ad coronam adspectans. Ita arbitror. *Lipf. ad Senecam*. V. etiam *Fabr. Agonist.* ii. 33.

HIERAPOLIS fuit urbs clara majoris Phrygiæ. De illa Paull. ad Coloss. c. 4. n. 13. *Magnus zelus est ei pro iis qui sunt Hierapoli*. Nerone imperante terræ motu periit. Eusebius in Chronicis. *Panciroll. Notit. dignit. Imperii orient. c.* 126. Vocabatur etiam Callinicum, quod Latinè sonat pulcra victoria. Nunc Hepo. Erat in finibus imperii Romani prope Persas. Justinianus, dirutis vetustis muris, inexpugnabile fecit. Procop. de Ædific. Justian. *Panciroll. ibid. c.* 149.

HIERO tyrannus Siciliæ naves onerarias maximæ formæ ædificandas curavit, Illarum una amplius duo millia onerum, *lastas* vulgo appellant, portavit: singulis oneribus quatuor mille pondo tribuendo. *Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Antiq. Roman. Tom.* xii. *p.* 571. *B*. Ejus canis caritate domini, incenso heri rogo, injecit se flammæ. Plin. viii. 40. *Alex. Gen.* iii. 7. *Moreftell. Pomp. Feral.* vii. 4.

HIEROGLYPHICÆ literæ. V. illas infr. in *Litera*.

HIERONICÆ dicebantur certaminum sacrorum victores. Erant illa quatuor: Pythia, Isthmia, Nemeæa, Olympia. *Periodon vicisse dicebatur, qui illa vicerat, à circumitu eorum spectaculorum*. Festus. Ad eandem formam *Πυθονίκης*, *Ὀλυμπιονίκης*, *Ἰσθμιονίκης*, *Νεμεονίκης* dicit Xiphil. lxiii. p. 720. A. Svet. Ner. c. 24. n. 3. *Ac ne cujus alterius hieronicarum*

ronicarum memoria, aut vestigium extaret usquam, subverti, & unco trahi, abjicique in latrinas omnium statuas, & imagines imperavit. Bud. in Pandect. p. 97. K. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1091. E. Pitisc. in Svetonium. *Hieronicis* ingentes honores habebantur. Vitruv. Præfat. *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemeea vicissent, Græcorum majores ita magnos honores constituerunt, ut non modò in conventu stantes cum palma, & corona ferant laudes, sed etiam cum revertantur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in mœnia, & in patrias invehantur, eque Republica perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur*. Svet. Ner. c. 25. n. 1. *Reversus è Græcia Neapolim albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos hieronicarum est*. Causam prodit Plutarch. Sympos. II. 5 ... *hunc habet intellectum, non magnopere civitati muro opus esse viros habenti, qui pugnare possent & vincere*. Bull. l. I. Jun. Anim. I. 12. Camet. Decad. VIII. 8. Petav. in Themist. Orat. XI. p. 629. Lydius Agonist. sacr. c. 37. Bernart. in Stat. Theb. VI. 5. Reliquos honores *hieronicis* habitos fusiùs denarrat *Faber Agon.* II. 12. & 13.

HIL.

HILARIA deo Pani credebantur sacra, quem ut omnium auctorem coluit priscorum vanitas. *Rhodig. Antiq. Lect.* VII. 16. *Egnat. in Vopiscum mox laudandum*. Hoc est haud dubiè falsum. Erant festæ Matris deum. Herodian. I. 10. 11. *Veris initio, stato, sollennique die pompam Matri deum Romani celebrant. In ea, quæ apud quemque sunt divitiarum præcipua, supellexque pleraque Imperatoria, materia, aut artis spectanda, præferri ante deam solent. Passimque omnibus ludendi licentia permissa, sic ut personas induant quas cuique libitum, nullamque non magistratuum quoque imaginem, prout cujusque studium, repræsentent: sic ut non temerè à falsis veros dignoscas*. Celebrabantur VIII Kalend. April. Macrob. Sat. I. 21. *Celebratur lætitia exordium ad octavum Kalendas Apriles, quem diem Hilaria appellant, quo primùm tempore sol diem longiorem nocte protendit*. Vopisc. Aurelian. c. 1. *Hilaribus, quibus omnia festa, & fieri debere scimus, & dici, impletis sollennibus vehiculo suo me & judiciali carpento Junius Tiberianus accepit*. Lamprid. Alex. Sev. c. 37. *Kalendis Januariis, & Hilariis matris deum fa stianus*. Turneb. Adv. XXIV. 45. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 493. F. Casaub. in Lampridium. Petav. in Julian. Orat. V. p. 90. Salmas. in Vopiscum. Hospinian. de Fest. Ethnic. p. 135. Cerda Adv. sacr. c. 186. n. 2. Stuck. Ant. Conviv. I. 33. Laz. Comm. Reip. Rom. XI. 2. Lomej. de Lustrat. c. 26. Calcagn. Epist. 7. & de Reb. Ægyptiac. p. 236. Meurs. Græc. Feriat. IV. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 802. D. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 18. Polym. IV. Synops. 6. Faber Semest. I. 6. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 12. Rosin. Antiq. Roman. IV. 7.

HILARODI erant mimi, qui ludum gravitate temperabant, & *hilaritate* carmina sua condiebant. Athen. XIV. p. 620. D. *Nobis frequenter mimi exhibentur nomine Hilarodi, quos nunc quidam Simodos ideo vocant, ut inquit Aristocles de Choris I. quod Simus Magnes aliis poetis Hilarodus elegantior, ac concinnior fuerit*. p. 621. B. *Gravior illis poetis est, quem vocant Hilarodum. Non enim frangitur in motus parum viriles: utitur veste virili, corona aurea coronatur; olim calceo usus est, nunc crepida: psallit & mas & femina*. Buleng. de Theatr. II. 12. Scalig. Poet. I. 52. Rhodig. Ant. Lect. VII. 16. Gyrald. de Comœd. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 480. C. Faber Agonist. I. 3. & 24. Voss. de Instit. Poet. II. 21. §. 2. & 3.

HIN.

HINNULEUS, & *hinnulus* est fœtus capreolorum, capreatum, damarum. Horat. Od. I. 23. 1.

Vitas hinnuleo me similis Chloe.

Buleng. de Conviv. II. 22. Ex ejus ossibus tibias faciebant. Callim. Hymn. in Dian. n. 244.

Nondum hinnulorum ossa perforata erant,

Opus Minervæ, ex quo cervis pernicies.

Superstitioni forsan affine, quod non omnia *hinnulorum* ossa tibiis convenire putabant, nam eorum, qui cacto spina confixi erant, ossa tibiis inutilia judicabant. Hesychius: *Cactus spina, qua hinnulus confixus, ejus ossa utilia tibiis non sunt*. Philetas: *Hinnulus mortuus, qui acuta cacto confixus non fuerit, sonitum in tibia edat*. Bartholin. de Tib. c. 4. Spanhem in Callimachum. Ejus pelle induebantur Luperci. Senec. Oedip. II. 438.

Nebride sacra præcincta latus
Mænas.

Eurip. Phen. n. 1742.

Heu Cadmeis hinnulorum pellibus
Induta ego aliquando
In montibus Semeles saltavi sacrum tripudium.

Lomej. de Lustrat. c. 34.

HINNUS est parvus equus. Recentioribus est burdo. Varr. de Re rust. II. 8. *Hinnus qui appellatur, est ex equo & asina, minor quàm mulus, corpore plerumque rubicundior, auribus ut equinis, jubam, & caudam similem asini habens*. Colum. VI. 37. *Qui ex equo & asina concepti generantur, à patre nomen traxerunt, quod hinni vocantur*. Buleng. de Equis c. 13. Scheffer. de Re Vehic. II. 6. Rhodig. Ant. Lect. III. 20. Grapald. de Part. dom. I. 8. §. 3. Salmas. Plin. Exerc. p. 75. 2. B.

HIP.

HIPPAGOGÆ erant naves, quæ equos, & equites vehebant. Liv. XLIV. 28. *Postero die, quàm Sabota classis venit, quinque & triginta naves, quas hippagogas vocant, ab Elea profectæ, cum equitibus Gallis, equisque, Phaneas promontorium Chiorum petebant*. *Hippagines* dicuntur Gell. X. 25. Et describuntur Festo: *Hippagines naves, quibus equi vehuntur, quas Græci ἱππαγωγοὺς dicunt*. Svidas: *Hippagoga navis, equos & viros vehens*. Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 595. E. Dolet. de Re nav. ibid. p. 677. E. Calcagn. de Re nav. c. 11. Gyrald. de Navig. c. 18. Rhodig. Ant. Lect. VIII. 9: XXI. 22. Scheffer. de Milit. nav. IV. 1. Grapald. de Part. dom. I. 8. §. 16. Voss. Lex. Etymol.

HIPPIUM erat pars hippodromi, quæ equorum cursu terebatur. Diacon. VIII. *Cumque hippodromum celebraret, introduxit Artabastum unà cum filiis ejus, & amicis ligatum circum per hippium*. Inde deferebantur, qui pompabantur. Diaconus: *Quos omnes per hippium pompavit*. Ut sit *hippium* locus proximus spinæ Cassiodori. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* t. 27.

HIPPOCOMUS Græca voce, Latina à mulis mulio vocatur. Hi in singulis stationibus civitatum, mutationum, & mansionum erant, & accurabant equos cursuales, iisque paleas, stramina, fœnum, hordeum, avenam subministrabant. Hos Francogalli nostri appellant *palefreniers*, ab antiqua voce *palefroy*, quæ equum ephippio instratum veteri lingua, quam nostrates Romanensem dicunt, notat. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 13. §. 9. *Pancirol. Notit. Dignit. imp orient.* c. 6.

HIPPODROMUS dicebatur iter, quod uno die conficit eques, sive via militaris, ut scribit Hieron. in Genes. XLVIII. *Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Circo* c. 1.

Hippodromus est equorum curriculum, sive theatrum, ubi agitantur equi, sive in quo de pernicitate certatur citra simulacrum pugnæ. *Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Circo* c. 1. *Bud. in Pandect.* p. 165. I. *Paschal. de Coron.* VI. 15.

Hippodromus Palatii in Actis martyris S. Sebastiani memoratur: nam in eo virgis cæsus, & interemptus est. Locus ei assignatur supra arcum Titi, ubi nunc devota S. Sebastiani ædes est, cui prius S. Andreæ in Pallara nomen, ab Urbano VIII. restituta. At mihi ipse circus maximus fuisse videtur, Palatio conjunctus. Certè id ipsa actorum ejus martyris verba significare videntur: ut & Bedæ illa in martyrologio: *Tunc jussit eum Diocletianus in hippodromum palatii duci, & fustigari, donec deficeret . . . Sed*

ille apparuit in somnis S. Matrona Lucina dicens: juxta circum invenies corpus meum pendens in unco. Nardin. Rom. Vet. VI. 13.

HIPPONA fuit dea equorum & stabuli. Eam antiqui sunt venerati. Plutarch. Parall. p. 312. E. *Fulvius Stellus à mulieribus animo alieno cum equa rem habuit: ea suo tempore filiam edidit perpulcram, cui pater Hippona nomen indidit. Atque hac dea est equorum procurationem gerens. Agesilaus Italic.* III. Fulgent. Expos. serm. ant. §. 11. V. illum supr. in *Dii*. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 46. C. In equilibus illam pingebant. Apul. Met. III. p. 96. V. illum supr. in *Auriga*. Minuc. Fel. p. 260. *Quis tam stultus, ut hoc colat? quis stultior, ut hoc coli credat? nisi quod vos & totos asinos in stabulis vestris cum vestra Hippona consecratis.* Et per illam jurabant. Juven. Sat. VIII. 156. V. & illum supr. in *Auriga*. Tomas. de Donat. c. 32. Buleng. de Equis c. 20. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. 1. 10. Stuck. de Sacrif. p. 35. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 476. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 3. *Eponam* legendum esse contendunt *Turneb. Adv.* XXIV. 4. *Herald. Rigalt. & Ouzel. ad Minucium Felicem. Equonam* verò *Barth. Adv.* XXXVII. 1.

HIPPOPOTAMUS vocatur, *quod sit equo similis dorso, juba, & hinnitu, rostro resupinato, aprinis dentibus, cauda tortuosa, ungulis binis, die in aquis commoratur, nocte segetes depascitur, & hunc Nilus gignit.* Isidor. XII. 6. *Buleng. de Equis* c. 2. Describunt illum quoque Plin. VII. 25. Ammian. XXII. 15. Achill. Tat. IV. p. 222. *Vales. in Ammianum. Salmas. Exerc. Plin. p.* 323. 324. Ad boum speciem, non equorum, accedere docet *Spanhem. Dissert.* III. *de Praest. & usu numism. p.* 131. & ea de causa, jurene an injuria, tuus arbitratus esto, tua judicatio B. L. illum ridet *Gronov. in Ammianum.* Ἵππος ποτάμιος dicitur Ælian. de Anim. V. 53. Nonn. Dionys. XXVI. 236.

Et illic fluvialis equus, fusca ungula pontum
Illius per salsa natat, velut ille calentes,
Qui prope Niliacas Memphim transcurrit arenas.

Ejus testiculi sunt medicinales. Schol. Nicand. in Theriac. p. 37. *Et hippopotami testiculus prodest.* Est idem qui hippocampus. *Argol. & Pinell. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 2.

HIR.

HIRCUS Baccho immolabatur. V. supr. in *Bacchus*. Eratque præmium tragœdorum. Horat. de Art. Poet. n. 220.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

Theocr. Eidyll. 1. 4.

Si ille acceperit cornutum animal, tu capram capies.

Alex. Gen. VI. 19. & ad illum Tiraquellus. Scalig. Poet. 1. 44. Torrent. in Horatium.

HIRNEA fuit vas vinarium. V. illud supr. in *Cirnea*.

HIRPINI fuerunt Samnites, & adhæserunt iis Lucanis, qui mediterranea tenuerunt. Strab. V. p. 173. *Samnites Hirpini subsequuntur, ipsi quoque Samnitæ. Nomen iis à lupo coloniæ ductore, quem hirpum Samnites appellant. Attingunt hi Lucanos mediterraneos.* Retinuerunt vel extremis temporibus nomen. Bellum ipsum Italicum anno ab U. C. 612. gestum est documento, in quo *Hirpinorum* præcipuè egregia opera celebratur. *Sigon. de Ant. Jul. Ital.* 1. 20. Egregios alebant equos. Juven. Sat. VIII. 62.

Sed venale pecus Corythæ, posteritas &
Hirpini, si rara jugo victoria sedit.
Nil ibi majorum respectus, gratia nulla
Umbrarum, dominos pretiis mutare jubentur
Exiguis.

Unde & *Hirpinus* equus ejus nominis apud Matt. III. 63. 12.

Hirpini veteres qui bene novit avos.

Et in inscriptione antiqua:

HIRPINUS. N. AQUI
LONIS. VICIT. CXIV.
SECUNDAS. TULIT
LVI
TER
TUL
XXXVI

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. 1. 11. *Grang. in Juvenalem.*

HIRTIA gens. V. illam supr. in *Geas*.

HIRUNDINES in ludos afferebant veteres, solitasque domum redire, alligato filo victoriæ indicio ad suos dimittebant, ut rem prosperè gestam renuntiarent. Quamvis in Romano circo idem olim factum testetur Plin. X. 24. *Cæcina Volaterranus equestris ordinis quadrigarum dominus comprehensas hirundines in circum secum afferens, victoriæ nuntias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes, illito victoriæ colore.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 16. Lips. Saturn. II. 6.

HIS.

HISPANI *didicerunt à Romanis post secundum bellum Punicum aqua calida lavari.* Justin. XLIV. 2. 6. antea non consueverant nisi in frigida lavari. *Baccius de Therm. vet.* c. 3. Torquibus sunt usi. Nummi à Gothis in Hispania cusi hoc docent: cusi procul dubio ab illis, quum illic rerum potirentur. *Scheffer. de Torquib.* c. 12. Tributum Romanis in equis pendebant. *Falconer. Epist. ad Datum Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* IV. *p.* 1490. *D.* Martem coluerunt. Macrob. Sat. 1. 19. *Accitani, Hispana gens, simulacrum Martis radiis ornatum maxima religione celebrant, Neton vocantes.* Clasen. Theol. gentil. 1. 7. Censebantur in tribu Galeria. *Reines. Epist. ad Rupert.* 35. *Chimentell. Marm. Pisan. de Hon. bisell.* c. 2.

HISPANIAM Romani vocarunt quicquid terrarum Pyrenæis montibus, mari mediterraneo, atque oceano ipso est conclusum, Pyrenæis quidem ab oriente, mediterraneo à meridie, à reliquis partibus oceano. *Sigon. de Ant. Jur. Prov.* 1. 5. Invadendæ Romanis eadem causa, quæ Siciliæ fuit, nempe ut Pœnis occurrerent, qui majorem ferè partem ejus Amilcare primùm, deinde Asdrubale Amilcaris genero ducibus occuparant. Itaque cum multa alia amicitiæ fœdera cum Pœnis, tum hoc postremum cum Asdrubale icerant, ut finis Punici imperii amnis Iberus esset, & Saguntinis trans Iberum populi Romani sociis libertas servaretur. Mortuo Asdrubale cum Annibal Amilcaris filius imperium accepisset, tota ferè trans Iberum sub imperium adjuncta *Hispania*, cum Saguntum contra fœdus oppressit, tum exercitu Iberum traducto Ilergetes, Bargusios, Ausetanos, & Jacetaniam, quæ subjecta Pyrenæis montibus est, subegit. Hac de causa Cn. Scipio proconsul in *Hispaniam* missus, orsus à Jacetanis, usque ad Iberum flumen, partim renovandis societatibus, partim novis instituendis, Romanæ ditionis omnia fecit, & post, cum ad Pœnos iterum defecissent, recepit. Victo autem classe ad Iberum Asdrubale, Annibalis fratre, populos amplius centum viginti ex ultima *Hispania* ad imperium Romanum adjunxit, atque usque ad saltum Castulonensem pervenit. Inde Publio fratre adjuncto Carpetanos subegit, & Sagunto recepta, Turditanos, qui contraxerant eis cum Carthaginiensibus bellum, in potestatem redactos vendidit. Horum inde gloriam P. Scipio P. F. qui postea Africanus est appellatus, cumulavit. Hic enim *Hispaniam*, quæ patris, patruique continuatis cladibus tota fermè defecerat, recepit, Carthagine nova trans Sucronem, & Astapa trans Bætim expugnatis, atque Asdrubale & Magone ducibus hostium tota *Hispania* pulsis. Quo factum est, ut Scipionis virtute imperium populi Romani usque ad Anam flumen propagatum sit, atque *Hispania* omnis præter Lusitaniam, & Gallæciam ab occidente, & Cantabriam, Asturiamque à septentrione sub ditionem populi Romani concesserit. Hic annus fuit ab U. C. 542. quo anno Livius *Hispaniam primam continentis*

pro-

provinciam factam esse prodidit. Appianus *annuos magistratus, qui pacis præsides essent, in Hispaniam mitti cœptos notavit*. Multis deinde bellis gestis universa *Hispania* præter Cantabros, & Astures, à populo Romano subacta in duas provincias est divisa: quarum finis plerumque fuisse videtur saltus Castulonensis, ut significat Cæsar de Bell. Civ. I. 38. cum scripsit, *Afranium citeriorem Hispaniam obtinuisse, Petrejum à saltu Castulonensi ad Anam, Varronem Vettonum agrum, & Lusitaniam*. Sigon. l. l. Panvin. Imp. Roman. c. 14. Panciroll. Notit. dignit. Imp. occid. c. 66. Augustus verò totam *Hispaniam* à se sub jugum missam in tres provincias divisit, Bæticam, Lusitaniam, Tarraconensem. Bæticam populo Romano reliquit, in quam Prætor mittebatur, in alias Legati. Strab. III. p. 115. *Bætica populo Romano attribuitur, ad quam Prætor mittitur, qui legatum habet & quæstorem. Reliqua Hispania est Cæsaris, qui duos mittit legatos, prætorium & consularem, prætorius legatum habet, qui Lusitanis vicinis jus dicit*. Panciroll. & Panvin. l. l. Paucis hæc Paterc. II. 38. 4. *In Hispanias primi omnium duxere exercitus Cn. & P. Scipiones initio secundi belli Punici, abhinc annos 250. inde varie possessa, & sæpe amissa partibus, universa ductu Augusti facta stipendiaria est*. Manut. de Leg. c. 10. Vectigal illis impositum est stipendiarium, & frumentarium. Cicer. Ver. III. 6. *Cæteris impositum est vectigal certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis*. pro Balb. c. 18. *Hispani agris, stipendioque multati*. Nam ut in Sicilia decumas, sic in *Hispania* vicesimas frumenti exactas ostendit Liv. XLIII. 2. ubi scribit, P. Licinio & C. Cassio coss. anno ab U. C. 582. *questos de magistratuum Romanorum avaritia Hispanos impetrasse, ne frumenti æstimationem magistratus Romanus haberet, neve cogeret vicesimas vendere Hispanos, quanti ipse vellet; & ne præfecti in oppida sua ad pecunias cogendas imponerentur*. Conventus juridicos *Hispaniæ* multos enumerat Plin. III. 1. & 3. Cordubensem, Hispalensem, Astigitanum, Gaditanum, Tarraconensem, Saldubensem, qui etiam Cæsaraugustanus, Carthaginensem, Cluniensem, & Lucensem. Qui à populo ne omnes, an postea ab Augusto, cum totam perdomuisset, instituti sint, parum compertum est. Hispalensis certè ante Augustum meminit Cæs. de Bell. Civ. II. 12. Cordubensis Hirt. de Bell. Alex. c. 57. Gaditani Svet. Jul. c. 7. n. 1. *Sigon. l. l.*

HISTORIA est rerum gestarum diffusa declaratio, quibus gerendis interfuerit is, qui eas narret: in qua temporum, locorum, hominum, rerumque gestarum monumenta ornatè explicantur, regio sæpè, aut pugna describitur, conciones, & cohortationes interponuntur, quo consilio, & qua ratione singula gesta sint, edocetur. In hac autem *historiæ* circumscriptione *nonnihil rationis* existimat esse Gell. V. 18. quum nomen trahere videatur ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, quod res præsentes spectare, sive cognoscere significat. Quæ declaratio mihi quoque multum placet. Accipi deinceps latiùs cœptum est *historiæ* nomen; ut non solum de expositione rerum gestarum diceretur, quibus interfuerit is, qui eas describeret; verùm & de quavis narratione, quæ vel antiquitus, vel tempore illius, qui scribit, fuerit, sive observato annorum ordine, ut Dionysius, Livius, Tacitus, Dio, alii: sive non, ut Plutarchus, Cornelius Nepos, Plinius in vitis illustrium virorum; item Appianus, & Sex. Rufus fecerunt, qui alia ratione res gestas conscripsere. *Panvin. in Fast.* I. p. 3. V. & supr. in *Annales*.

HISTRIO. Hunc à Thuscis acceperunt Romani. Liv. VII. 2. *Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Thusco dabant: imitari deinde eos juventus, simul inconditis inter se jocularia fundentes versibus, cœpere; nec absoni à voce motus erant. Accepta itaque res, sæpiùsque usurpando excitata, vernaculis artificibus, quia hister Thusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum*. Gyrald. de Poetis Dial. VI. Voss. Lex. Etymol. In stit. Poet. II. 36. §. 3: III. 9. 2. Scalig. Poet. I. 30. Casal. de Trag. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 1. c. 7. Blond. Triumph. Roman. II. p. 47. B. Propriè est pantomimus. Glossæ: *Histrio*, παντόμιμος. Fabulas agebat saltando. Per saltatorem *histrionem* intelligit Svet. Cal. c. 54. n. 2. *Threx & auriga, idem cantor, atque saltator. Canendi, ac saltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quo minus & tragœdo pronuntianti concineret, & gestum histrionis quasi laudans, vel corrigens palam effingeret*. Salmas. in Vopisc. Aurelian. c. 6. Tertull. de Pall. p. 329. Gronov. in Liv. VII. 2. Voss. l. l. Pro personarum, quas sustineret, varietate varius fuit ornatus. Latini Reges cum lituo egrediebantur: Imperatores Romani paludati cum purpura, laurea, & stipatoribus suis: Reginæ cum syrmate, & croceo velo: exsules cum atro, fuscove indumento: barbari Reges cum diademate, aut tiara: cæteri, quos ducebant, cum pileolis, & galeris. Dii cum insignibus suis, Liber cum thyrso, Phœbus cum cithara, Jupiter cum fulgure, & telo trisulco. Quod ad pedes attinet, omnes gestare cothurnos. *Casal. ibid.* c. 1. *Buleng. de Theatr.* I. 55. Baculum manu habebat. Svet. Ner. c. 24. I. *In quodam tragico actu cum elapsum baculum citò resumpsisset*. Hunc Græci ῥάβδον, & στίχον vocant. Unde ῥαβδῳδοὶ, & στιχῳδοὶ, quod inter cantandum lauri ramum, seu virgam tenebant. *Torrent. in Svetonium*. Incurvum fuisse litui forsitan in modum scribit Plutarch. περὶ παιδ. ἀγωγ. p. 2. D. *Et incurvos histrionum baculos in rectum reducere nulla vis possit*. Neronis tamen apud Svetonium potius fuerit sceptrum regium, quod personam Regis agens in tragœdia manu sustinuerit. Docet hoc Philostr. Apollon. V. 2. *Et Creontis, & Oedipi, quos, quum hoc acciderit, saltaverit Nero, facta, dictave examussim scire tanti æstimat, ut timeat, ne forte quid in porta, aut in stola, sceptrove deliquerit*. Baculum manu gestabat, sive ad concinnitatem aliquam moris, sive ad gesticulandum. *Fab. Agonist.* I. 23. *Buleng. de Theatr.* I. 55. *Lips. Elect.* I. 28. *Ferrar. Elect.* II. 5. *Casaub. & Pitisc. in Svetonium*. Primùm fæcibus ora obducebat, ne agnosceretur: postea personas assumpsit. Quas quis invenerit, constare negat Aristoteles de Poet. c. 5. Aliqui Thespidi tribuunt, alii Æschylo. V. infr. in *Persona*. Alebantur etiam ab Imperatoribus ad instruendum suas, populique voluptates. Spartian. Adrian. c. 19. *Histriones aulicos publicavit*, id est, in publico, ut agerent, permisit, & publicè spectandos dedit. *Lips. Saturn.* II. 16. *Casaub. & Salmas. in Spartianum*. Per initia unus fuit *histrio* tragicus, quem Thespis invenit, ut chorus aliquando quiesceret; cum enim nondum *histriones* essent, chorus ipse totam fabulam agebat. Mox Æschylus secundum adhibuit. Tertium addidit Sophocles, & scenæ descriptionem, quam Græci σκηνογραφίαν vocant: unde & à Græcis quibusdam τριταγωνιστὴν est vocitata. Et in hunc ferme modum consummabatur tragœdia. *Gyrald. de Comœd. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 1484. *C. Bulenger. de Theatr.* I. 7. Conviviis adhibebantur. Svet. Aug. c. 74. n. 6. *Acroamata, & histriones, aut etiam triviales ex circo ludios interponebat*. Liv. XXXIX. 6. *Tunc psaltriæ, sambucistriæque, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis*. Buleng. de Conviv. III. 30. Pignor. de Serv. p. 183. Et ne quid ineptiarum intermitteretur, *histriones* in funeribus indictivis lectum mortui præcessisse invenio. Dionys. VII. p. 477. *In illustrium virorum funeribus præter alias pompas vidi & satyricos, qui lectulum præcedebant, & sicinnem saltationem saltabant, præcipuè verò in fortunatorum virorum funeribus*. Moresteil. Pomp. Feral. II. 18. Statuæ illis ponebantur. Festus: *Statua est ludii ejus, qui quondam fulmine ictus in circo sepultus est, in Janiculo, cujus ossa postea ex prodigiis, oraculorumque responsis senatus decreto intra Urbem relata in Volcanali, quod est supra comitium, obruta sunt, superque ea columna cum ipsius effigie posita est*. De histrione Mnesthere Dio LX. p. 679. D. *Caji memoriam ægre ferentes omnem æreum nummismatа, quod ejus imaginem haberet, conflari jusserunt, id quidem factum, non tamen æs in meliorem usum conversum, quia Messalina ex eo Mnesteris histrionis statuas fecit*. Figrel. de Stat. Rom. c. 13. Plausum petebant, & si placuissent, auferebant. Horat. de Art. Poet. n. 155.

—*donec cantor, vos plaudite, dicat*.

Quintil. vi. 1. *Tunc est commovendum theatrum, quum ventum est ad ipsum illud, quo veteres tragœdiæ, comœdiæque clauduntur plaudite*. Buleng. de Theatr. 1. 59. Pitisc. in Svet. Aug. c. 100. n. 1. Si ineptè agerent, aut parum probarentur, à populo non expectata judicum sententia exsibilabantur. Cicer. Parad. 3. *Histrio, si paullum se movit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllaba brevior, aut longior, exsibilatur, exploditur*. de Orat. iii. 50. *Quotusquisque est, qui teneat artem numerorum ac modorum? At in his si paullum modo offensum est, ut aut contractione brevius fuerit, aut productione longius, theatra tota reclamant*. Scal. Poet. 1. 21. Ferrar. de Acclamat. & Plaus. ii. 16. Voss. de Institut. poet. ii. 10. §. 5. Buleng. l. l. Sæpè sunt Romæ coerciti. Svet. Aug. c. 45. n. 9. *Coercitionem in histriones magistratibus in omni tempore, & loco, lege vetere permissam ademit, præterquam ludis, & scena*. Ademit etiam jus virgarum. Tacit. Hist. 1. 77. 2. *Theatri licentia proximo priore anno cœpta gravius tum erupit. . . . . Actum de ea seditione apud patres, dicebanturque sententiæ, ut prætoribus jus virgarum in histriones esset. Intercessit Haterius Agrippa tribunus plebis, increpitusque est Asinii Galli oratione, silente Tiberio, qui ea simulacra libertatis senatui præbebat. Valuit tamen intercessio, quia D. Augustus immunes verberum histriones quondam responderat, neque fas Tiberio infringere dicta ejus*. Quod tamen redditum magistratibus videtur esse lege Julia de vi publica: non quidem nominatim, sed prudentum interpretatione. V. Paull. Sentent. v. tit. 26. Exsilium & carcer certè relicta sunt ab Augusto. Tacit. Annal. iv. 14. 3. *Pulsi tum histriones Italia*. Et xiii. 28. 1. *In vincula ducti fautores histrionum*. Idem ergo juris in histriones ipsos. *Lips. in Tacit. Annal. 1. n. 261. Casaub. de Trag. & Com. c. 2. Voss. ibid. c. 39. §. 5. 6. 7. Buleng. ibid. c. 52.* Illorum mercedem V. infr. in *Merces*.

Histrio statarius erat, qui erat minùs actuosus, & ad fabulas statarias; nam statariæ quædam dicebantur comœdiæ, & statarius dicebatur *histrio*, qui ad illas magis quàm motorias accommodatus habebatur. Cicer. Brut. c. 30. *Sed eos etiam, quos statarios appellant*. Turneb. Adv. 1. 10.

HOC.

HOC *age*. V. supr. in *Age*.

HOD.

HODIE *nate salve*, salutationis formula erat usitata inter amicos de feliciter translacto puerperio. Meliorum enim morum gentes de illo lætabantur, & patri gratulabantur. Gell. xii. 1. *Eamus, & puerperum visum, & patri gratulatum. Tum in primis ædibus complexus hominem, congratulatusque assedit*. Formula ferè legitur apud Plaut. Pseud. 1. 3. 15.

Hodie nate, heus! hodie nate, tibi ego dico, heus hodie nate.

Bartholin. de Puerper. p. 61.

HOL.

HOLCADES quales fuerint naves, V. infr. in *Naves onerariæ*.

HOLOGRAPHUM quid sit, V. infr. in *Testamentum holographum*.

HOLOSERICA vestis erat tota ex serico, nulla alia materie. Primus Romanorum est illa usus Heliogabalus. Lamprid. c. 26. *Primus Romanorum holoserica usus veste fertur, quum jam subserica in usu essent*. Bayf. de Re Vest. c. 3. Meurs. de Lux. Roman. c. 4. Rhodig. Ant. Lect. xvi. 8. Cerda Adv. sacr. c. 106. n. 19. Grapald. de Part. dom. ii. 6. 18. Ejus pretium immensum fuisse conjicio ex Vopisc. Aurelian. c. 45. *Vestem holosericam neque ipse in vestiario suo habuit, neque alteri utendam dedit. Et quum ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio blatteo serico uteretur, ille respondit: absit ut auro fila pensentur. Libra enim auri tunc libra serici fuit*. Bayf. l. l. Ferrar. de Re Vest. 1. 1. 20.

HOLOVERA, sive *holobera* vestis erat birrus totus verè sericus, & totus conchyliatus: velut è capitibus illius tituli, in quo ejus mentio est, Cod. xi. tit. 8. conjicere licet. Nam illæ vestes totæ dicuntur ex brevitate, & compendio sermonis: cum purpuræ, aut serici, aut conchylii nomen subaudiendum sit. Zonaras & Balsamon interpretantur texta holoserica. *Turneb. Adv. 1. 13. Cerda Adv. sacr. c. 71. n. 1. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 75. Du Fresne Glossar.* Si *holovera* sunt tota ex serico texta vestimenta, quid fiet holosericis? aut quo tandem ea numero habebimus? an erit aliquod discrimen statuendum inter *holovera*, & *holoserica*? nullum sanè video posse statui, si sententiæ doctorum virorum stabimus: & tamen discrimen erat tantum, ut cum promiscuus usus esset holosericæ vestis, sola *holovera* vestimenta privatis interdicta, principi, ejusque domui dedicarentur. Interpretati sunt *ἀπὸ τῆς βαφῆς*, aut *βάμμα*. Induxit illos in hunc errorem Zonaras, qui *βῆρα σηρικὰ* esse *ὁλόβηρα* dixit. Magnus scilicet, & idoneus auctor, cui vel injurato debeat credi. *Holovera* igitur erant vestimenta tota ex purpura, quibus non alius admixtus ferebatur color, sed solus verus, & purpureus. Quod verba ipsa legis Theodosianæ sic ostendunt, ut nemini, quantumvis pertinaci, contra mutire liceat. Ita enim habent: *Nec pallia, tunicasque domi quis serica contexat, aut faciat, quæ tincta conchylio nullius alterius permixtione subtexta sunt: proferantur ex ædibus, tradanturque, aut pallia ex omni parte textura cruore infecta conchylii*. Quid potest dici manifestius? tunicæ, aut pallia ex omni parte texturæ cruore infecta conchylii sunt, quæ *holovera* eadem illa lege appellavit: id est, in quibus utraque pars texturæ, subtemen & trama scilicet, purpura tincta essent: quæ propterea dicta sunt *holovera*, id est, tota ex vero colore. Sic enim purpureum per quandam excellentiam vocabant, nomine ex Græco, & Latino composito. Et Græci *ἀληθινὸν χρῶμα* dixere pro purpureo, vel coccineo. Hesychius: Κοττάβαρα εἶδος χρώματος ἀληθινοῦ, *ὃ λέγομεν κόκκινον*. *Salmas. in Pollion. Claud. c. 17. Tertull. de Pall. p. 96. Exerc. Plinian. p. 695. a. C. de Ann. Climact. p. 621. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. v. 31.*

HOM.

HOMICIDA sui sepultura plerumque prohibebatur. Quintil. Declam. iv. *Qui causas voluntariæ mortis in senatu non reddiderit, insepultus abjiciatur*. Et vulgatum illud in scholis Rhetorum: *Homicida sui insepultus abjiciatur*. Atque ideo tanquam novum in Tiberii sævitia notat Tacit. Annal. vi. 29. 2. *Promptas ejusmodi mortes metus carnificis faciebat, & quia damnati, publicatis bonis, sepultura prohibebantur: eorum, qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi*. De his cupio verba Josephi apud Hegesipp. de Bell. Hierosol. iii. 17. *Hæc non solum moribus hominum, sed etiam legibus interdicta accipimus. Namque alii insepultos projici jubent eos, qui se in ferrum dejecerunt. Dignum est enim, ut qui patris imperium non expectaverunt, priventur quasi quodam matris gremio, terra sepulcro. Alii dextram manum abscindunt defunctis, ut separent à membris sui corporis, quod adversus corpus suum vesano militavit furore*. Veteri quidem jure nullam pœnam fuisse constitutam in reos, qui ante latam sententiam se interficerent, testatur exemplum C. Licinii Macri, qui repetundarum reus, dum sententiæ diriberentur, in Mænianum conscendit, & cum *M. Ciceronem, qui judicium cogebat, prætextam ponentem vidisset, misit ad eum qui diceret, se non damnatum, sed reum perisse, nec sua bona hastæ posse subjici. Ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore, ac faucibus coartatis, incluso spiritu pœnam morte præcurrit. Qua cognita re Cicero de eo nihil pronuntiavit*, ut ait Val. Max. ix. 12. Sub Imperatoribus verò horum omnis tam ex testamento, quàm ab intestato cessabat successio, & bona hæredibus erepta in fiscum redigebantur. *Kirchm. de Fun. Rom. Append. c. 9. Guther. de Jur. man. 1. 9.* V. etiam supr. in Αὐτόχειρες, & infr. in *Mors*.

HOMI-

HOMICIDII *pœna legis Corneliæ olim quidem in insulam deportatio, & bonorum omnium ademptio erat: hodie humiliores bestiis subjiciuntur, altiores deportantur in insulam.* Marcian. l. 3. §. pen. ad l. Corn. de sicar. *Hodie*, hoc est, non Alexandri solum, sub quo Marcianus floruit: sed etiam Severi & Antonini temporibus. Iis enim imperantibus Tertullianus vixit. Qui de spectac. c. 21. *Et qui insigniori cuique homicida leonem poscit....* de anima c. 23. *Nam illa sicarum varus, & exquisitis etiam præter naturam eruditis feris dissipant, & quidem viventem, imo nec facile morientem, curata mora finis ad plenitudinem pœnæ.* Iisdem etiam in crucem tollebantur. Paull. Sent. v. 23. *In honestiores pœna capitis vindicari placuit, humiliores verò in crucem tolluntur, aut bestiis objiciuntur.* Petron. c. 71. *Cum interim imperator provinciæ latrones jussit crucibus affigi.* Ræ vard. Conject. 1. 16. Rittersh. ad Leg. xii. tab. Class. ii. c. 10. Fustuario etiam puniebantur. Hirt. de Bell. Alex. c. 27. *Miles, qui fratrem suum in castris jugulasset, interceptus est à nostris, & fusti percussus.* Sichterman. de Pœn. milit. cap. 4.

HOMULUS cognomen Valeriorum fuit. Notat Glandorp. in Indice cognominum. Addo ego ex Inscriptione Juliorum:

D. M
C. I. HOMUL. SAL. LAC. UX.
PIENTISS.

hoc est, *Dis manibus Cajus Julius Homulus Salviæ Laches, seu Lachesis uxori pientissimæ.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 607. C.

HON.

HONOR erat deus, *qui dabat honorem.* Augustin. de Civ. Dei iv. 24. Lactant. 1. 20. *Ab hoc illud M. Marcelli de consecratione Honoris, atque Virtutis, honestate nominum differt, re congruit.* Ego aliquando rogatus, quomodo effingerem deum *Honorem*, ita respondi: quod deam Virtutem fingerem præcedere; & deinde ad eam *Honorem* à Cupidine duci. Idque ex re ipsa elicui. Nihil enim aliud esse videtur *Honor*, quàm quem ex virtute ipsa assequimur. Nam & vidimus *Honoris* ædem post Virtutis templa poni solere. Alciatus tamen in Fidei symbolo *Honorem* purpurea veste depingit, laurea coronatum. Ita enim cecinit:

Stet depictus Honor, Tyrio velatus amictu.

Gyrald. Synt. deor. 1. p. 34. C. Illi aperto capite sacra faciebant. *An quod honor splendida est res, illustrisque & aperta: qua de causa etiam egregios, & honoratos viros capite retegendo venerantur: ideo numinis quoque ejusdem nominis hunc ritum exhibent?* Plutarch. Quæst. Rom. 13. *Gyrald. ibid. p. 27. C. Alex. Gen. 11. 22. Stuck. de Sacrif. p. 103. Tomas. de Donar. c. 5. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 10. Ortel. Deor. & dear. ca. 11. fig. 41.*

Honor est idem ac magistratus, præfectura, imperium, publicæ rei administratio. Lucan. ii. 18.

——latuit plebejo tectus amictu
Omnis honos.

hoc est, qui erant in magistratu. *Si intervenerit honor* l. 3. ff. mandati, & *honoris causa* l. nuper de donat. inter vir. & ux. Hinc *honorati*, qui in magistratu, ἐν ἀρχῇ, aut ordinis dignitate, vel qui gesserunt *honores*. Titulus est Cod. xi. de *Honoratorum* vehiculis: quo sensu *Honorati* in l. honorati 1. C. de offic. jud. civ. & *honoratis viris*, l. 3. C. de offic. divers. jud. Adde Valentin. novell. de *Honoratis*. Inscr. Gruter. p. 279. n. 3. *Honorati & decuriones*. Ubi *honoratos* accipio pro duumviris, aut alio summate magistratu in municipio, quatenus diversi sunt à decurionibus. Neque enim semper *honorati* simpliciter sunt ipsi decuriones, ut voluit Panciroll. de Munic. magistr. c. 1. Ovid. Fast. 1. 52.

Verbaque honoratus libera prætor habet.

Chimentell. de Hon. bisell. c. 33. Manut. de Senat. Rom. c. 3. Illorum duo sunt genera. I. quod in rebus divinis cernitur. II. quod in humanis. Eo sacerdotia continentur; hoc magistratus, & imperia. Hæc decora, atque insignia dignitatis nemo, nisi civis Romanus, assequi potuit, usque adeo, ut qui furtim hoc esse or adepti, ii re comperta *honorum* gradum cum toto civitatis honore lege Papia amiserint. Id quod M. Perpernæ contigisse notavit his verbis Valer. Max. iii. 4. §. 5. *Non parvus consulatus rubor M. Perpernæ, utpote qui consul antequam civis.... cum interim ejus vita triumphavit, mors Papia lege damnata est. Neque patrem ejus nihil ad se pertinentia civis Romani jura complexum, Sabelli judicio petitum, redire in pristinas sedes coegerunt. Ita M. Perpernæ nomen adumbratum, falsus consulatus, caliginis simile imperium, aliena in Urbe improbè peregrinatus est.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. 1. 18.

Honor est magistratus, aut publici muneris species quædam, atque imago. Hinc *honorarii tituli dignitatum nullo laborioso administrationis actu*, ut loquitur Imperator, l. 187. C. de decurion. & *præfectura dignitas honoraria* Juliano Nov. 70. Et Tacit. Hist. ii. 39. 1. *Honor imperii penes Titianum fratrem: jus, ac potestas penes Proculum præfectum.* Chimentell. de Hon. bisell. c. 33.

Honor est munusculum, præmium, merces, donum. Lucill. xxx. apud Non. iv. 231.

Virginis hoc pretium, atque hunc reddamus honorem.

Cicer. Fam. xvi. 9. *Curio misi, ut medico honos haberetur.* Dixerat Epist. 6. *Medico ipsi puto aliquid dandum esse, quo sit studiosior.* Inde *honorare* est donare. Suet. Aug. c. 45. n. 4. *Quo non pro merito certantium quemque honoraverit.* Macrob. Sat. ii. 3. *Laberius in fine ludorum annulo aureo honoratus à Cæsare.* Ita apud Græcos & τιμὴ 1. Tim. c. 5. n. 17. & τιμᾶν Matth. c. 15. n. 5. si illi contuleris Marc. c. 7. n. 12. Contra *inhonoratus*, qui sine dono. Ovid. Met. xiii. 41.

Nos inhonorati, & donis patruelibus orbi.

Chimentell. de Hon. bisell. c. 33.

Honor est ornamentum quodlibet, & existimatio ad laudem. Ovid. Fast. 1. 619.

——matres carpenta vehebant.
Mox honor eripitur.

Flor. iv. 11. *Omnes in unum principem congesti honores, templa, imagines.....* Cicer. Attic. v. 21. *Nullos honores mihi, nisi verborum decerni sino: statuas, fana, τεθριππα prohibeo.* Inde Inscriptiones: *Honore accepto*, & *Honore contentus*. E diverso *inhonoratus* apud Suet. Claud. c. 11. n. 8. *Ne Marcum quidem Antonium inhonoratum transmisit.* Chimentell. de Hon. bisell. c. 33. Prisc. in Suetonium.

Honor dicebatur sacrificium. Plaut. Aul. prol. n. 23.

——ea mihi quotidie
Aut thure, aut vino, aut aliquo semper supplicat,
Dat mihi coronas; hujus honoris gratia...

Hinc *perfectus honor* est peractum sacrificium. Virg. Æneid. iii. 177.

——munera libo
Intemerata focis, perfecto lætus honore
Anchisen facio certum.

Guther. de Vet. jur. pontif. iv. 7.

HONORARIUM dicitur dominii recognitio, & relevamentum, symbola quædam annua, ut fruges præcoces, armati homines, cataphracti, lanceæ, corollæ, & alia infinita, quæ ad constitutum diem domino à vasallo repræsentari debent, nisi pretio redimantur. *Pollet. For. Rom. ii. 10.*

Honorarium vocatur advocatis quod datur hostimentum operæ oratoriæ, non merces, aut salarium, quasi quodam antidoro beneficium compensetur, non de opera satisfiat, sed *honor* recognoscatur. Itaque qui ante peractam litem quid petunt, committunt in leges, aut etiam paciscuntur de eo, quod post sententiam sunt consequuturi. Amittitur enim *honorarii* nomen, & transit in mercedem pactam, vel debitam. Quis enim hoc appellet *honorarium*, quod imperatum, & stipulatum est ab eo, qui accepturus est? *Honorarii* ea vis est, ut animo dantis æstimetur. Ulpian. l. 1. ff. de extraord. cognit. eleganter. *Si eis cautum est honorarium, vel, si quis de lite pactus est, videamus*

an petere possit. Et quidem de pactis ita est rescriptum ab Imperatore nostro, & divo patre ejus: Litis causa malo more pecuniam tibi promissam ipse quoque profiteris: sed hoc ita jus est, si suspensa lite societatem futuri emolumenti cautio pollicetur: si verò post causam actam cauta est, honoraria summa peti poterit usque ad probabilem quantitatem, etsi nomine palmarii cautum sit, sic tamen, ut computetur id, quod datum est cum eo, quod debetur, ne utrumque compositum licitam quantitatem excedat. Licita autem quantitas intelligitur pro singulis causis usque ad centum aureos. Plin. Epist. v. 21. 3. *Proposuerat breve edictum; admonebat accusatores, admonebat reos, exsequuturum se, quæ SCto continerentur. Suberat edicto SCtum: hoc omnes, quicquid negotii haberent, jurare prius, quàm agerent, jubebantur, nihil se ob advocationem cuiquam dedisse, promisisse, cavisse. His enim verbis, ac mille præterea, & venire advocationes, & emi vetabantur. Peractis tamen negotiis, permittebantur pecuniam duntaxat decem millium dare.* Pollet. For. Rom. II. 11. Alciat. Dispunct. III. 9. Tiraquell. de Nobilit. c. 29. Bud. de Asse v. p. 659.

Honorarium decurionatus dicebatur, quod aliis curialibus pro introitu dabant, qui fiebant decuriones. Trajanus apud Plin. Epist. 114. *Honorarium decurionatus omnes, qui in quaque civitate Bithyniæ decuriones fiunt, inferre debeant nec ne, in universum à me non potest statui.* Quantum hoc fuerit, narrat Plin. Epist. 113. *Lex Pompeja, domine, qua Bithyni, & Pontici utuntur, eos qui in bulen à censoribus leguntur, dare pecuniam non jubet: sed ii, quos indulgentia tua quibusdam civitatibus super legitimum numerum adjicere permisit, & singula millia denariorum, & bina intulerunt.* Panciról. de Magistr. municip. c. 3. Pollet. For. Rom. v. 11.

HONORIUS nobilissimus in purpuris natus est die quinto Idus Septembris Ricomere & Clearcho coss. anno post natum D. Jesum 384. *Fast. Idat. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. XI. p. 265. E. Prosp. Chron. Thes. Grav. ibid. p. 311. F.* Romam cum triumpho ingreditur, præeunte currum ejus Attalo, quem Liparæ vivere jussit exsulem, Honorio XI. & Constantio II. coss. *Prosp. Chron. Thes. ibid. p. 315. A.* Legem cum Arcadio de aqua Claudia edidit, quæ est XI. lib. XV. tit. 2. in Cod. Theodos. & fortasse cum Theodosio II. aliquid in aqua Marcia operatus fuit. *Fabret. de Aquad. Dissert. II. Thes. Antiq. Roman. Tom. IV. p. 1735. E.* Urbis muros refecit, ut liquet è Claud. Honorii consulatu VI. & ex Inscriptionibus. *Nardin. Rom. Vet. I. 8.* Maridiano, & Asclepiodoto coss. est mortuus. *Prosp. ibid. F.* Ejus corpus, auctore Paullo Diacono, juxta Petri Apostoli atrium in Mausoleo sepultum est. Huic soboles nulla fuit. Nam duæ Stilichonis filiæ, Maria & Hermantia, una post alteram ei conjugio sociatæ, utræque Dei judicio inopinata morte præventæ ex hac luce virgines migravere. *Marlian. Topog. Urb. Rom. v. 21.* Hoc manifestum est mendacium, dicat, quicquid velit, Paullus Diaconus. Utriusque enim concubitum apertissimè demonstrat Claud. in Epithal. Honor. & Mar. n. 339.

Aurea sic videat similes Hermantia tædas:
Sic uterus crescat Mariæ: sic natus in ostra
Parvus Honoriades genibus considat avitis.

Ursin. in Marlianum.

HOP.

HOPLOMACHUS est Græcum nomen. Universè sonat quemvis gladiatorem, qui pugnat armatus. Et vix aliter Dio Cassius, quum ὁπλομάχους, & ὁπλομαχίας scripsit, ubi magis tritè dixeris μονομάχους, & μονομαχίας. Tamen etiam species est certa gladiatorum. Senec. Controv. III. *Quidam cum hoplomachis, quidam cum Threcibus optime pugnant.* Suet. Cal. c. 35. n. 5. *Hunc è spectaculis detractum repente Threci, & mox hoplomacho comparavit.* In utrumvis valet Mart. VIII. 74. 1.

Hoplomachus nunc es, fueras ophthalmicus ante,
Fecisti medicus, quod facis hoplomachus.

Idem forte qui Samnis. V. infr. in *Samnites*. Lips. Sat. II. 11. Mod. de Lud. II. 21. Radet. in Martialem. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splendor. part. 3. c. 4. Laurent. Polym. IV. 9. Thys. de Gladiat. p. 226. Lyd. Agonist. sacr. c. 10.

HOR.

HORA fuit juventutis dea. Ennius Annal. 1. apud Non. II. 394.

Te Quirine pater veneror, Horamque Quirini.

Ovidius Hersiliam Romuli conjugem post amissum maritum à Junone in *Horam* mutatam scribit, atque canit Met. XIV. 851.

—— & priscum pariter cum corpore nomen
Mutat, Horamque vocat: quæ nunc dea juncta Quirino est.

Hanc nonnulli eandem volunt esse, quæ Horta. *Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 172. Stuck. de Sacrif. p. 27. Tomas. de Donar. c. 11. Tiraquell. in Alex. III. 22. Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. VIII. p. 181. D. Columna in Ennium p. 43.*

Horæ Romæ trecentis annis ignoratæ fuerunt. Censor. de Die nat. c. 23. *Horarum nomen non minus annos trecentos Romæ ignoratum esse credibile est: nam in XII. tabulis nusquam nominatas horas invenias, ut in aliis postea legibus.* Plin. VII. 60. *Tertius consensus fuit in horarum. Serius hoc Romæ contigit. Duodecim tabulis ortus tantum & occasus nominantur.* Stevvech. in Veget. III. 2. Gyrald. de Ann. & mens. Oper. Tom. II. p. 817. G. Salmuth. in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 749. Putabantur Jovis & Themidis filiæ, dictæ *Eunomia* ab æquali distributione, *Dice* à justitia, *Irene* è pace. *Gyrald. ibid. p. 816. C. Barth. Adv. LIX. 6.* Inventæ à Trismegisto. Mar. Victorin. in Cicer. Rhetor. 1. p. 151. *Horarum duodecim hæc esse origo memoratur. Quodam tempore Hermes Trismegistus, cum esset in Ægypto, sacrum quoddam animal Serapi dedicatum, quod in toto die duodecies urinam fecisset, pari semper interposito tempore, per duodecim horas diem divisum esse conjecit: & exinde hic horarum numerus custoditur.* Quod animal Cynocephalum fuisse scribit Horus Apollo Hierogl. c. 15. *Rursum æquinoctia signantes Cynocephalum sedentem pingunt Ægyptii. Duobus enim anni æquinoctiis, duodecies in die per singulas numerum horas urinam reddit, idemque & noctu facit. Unde non immerito suis hydrologiis Ægyptii Cynocephalum sedentem insculpunt, è cujus membro aqua defluat, idque propterea, quod duodecim, ut jam dixi, in quas æquinoctii tempore dies ac noctes ex æquo dividuntur, horas significat.* Sed ridicula prorsus hæc est *horarum* origo. Verior omnibus videbitur de aqua clepsydram duodecies de die perlabente, quæ apud Victorinum ibidem legitur: *Alii dicunt ex quadratura cæli, quæ secundum musicam rationem in duodecim partes dicitur esse divisa, horas duodecim esse nominatas. Aquam enim per totum diem exceperunt tenuissima caverna defluentem, & hanc majores nostri in duodecim partes diviserunt: ex his partibus horis numerum imposuerunt.* Pier. Hierogl. VI. 4. Barth. l. l. Gyrald. ibid. E. Viola de vet. & nov. Roman. temp. rat. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 181. A. Pinell. Additam. ad Panvin. de Lud. Circens. I. 17. Stuck. de Sacrif. p. 27. Haguelon. Kalend. Triling. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 1039. C. Alciat. de verb. signif. p. 99. Credebantur Solis ministræ. Val. Flacc. IV. 92.

—— Sol auricomus cingentibus horis
Multifidum jubar, & bisseno sidere textam
Loricam induitur.

Ejus vestispices, atque ornatrices. Stat. Theb. III. 407.

Solverat Hesperii devexo margine ponti
Flagrantes Sol pronus equos, rutilamque lavabat
Oceani sub fonte comam, cui turba profundi
Nereos, & rapidis accurrunt passibus Horæ,
Frenaque, & aurata textum sublime corona
Deripiunt; laxant roseis humentia loris
Pectora; pars meritos vertunt ad molle jugales
Gramen, & erecto currum temone supinant.

Barth.

Barth. ibid. xxviii. 18: xxxiv. 14. Florum præsides. Unde *πολυάνθεμοι* dicebantur. Pindar. Olymp. xiii. 21.

—— multas verè in
Corda hominum immiserunt
Horæ multum florida anti-
quas artes.

Et lectum nuptiis parare, id est, tapetibus, & floribus sternere. Theocritus, cum de Europa Agenoris filia ab Jove rapta Eidyll. xx. 159.

—— Jupiter rursus aliam assumebat formam,
Solvitque ei zonam: & illi lectum parabant Horæ.

Barth. ibid. xxxiv. 14. Tomas. de Donar. c. 13. Cœli janitrices, & custodes. Homer. Iliad. E. 749.

Portæque cœli ultroneæ apertæ sunt, quas custodiebant Horæ.

Ovid. Fast. 1. 125.

Præsideo foribus cœli cum mitibus horis.

Viola l. l. Barth. ibid. xx. 6. Gyrald. Synt. deor. xiii. p. 418. D. Pigh. Them. Thes. Gronov. ibid. p. 1168. D. Stuck. ibid. p. 28. Jun. de Ann. & mens. c. 3. Duodecim diem, & totidem noctem conficiebant. Prima diei, cum primum dilucesceret, vocabatur, duodecima extremum diei tempus. Par *horarum* noctis ratio, quo numero cum dies, & nox circumscriberetur, pro quoque anni tempore, ac dierum, noctiumque productione, atque contractione, longiores quoque, ac breviores diversis temporibus fuerunt. *Stat. Observ. 1. 9. Calcagn. de Verb. signif. p.* 339. Hinc Mart. xii. 1. 4.

Hora nec æstiva est, nec tibi tota perit.

ubi productam horam vult intelligi. Rursus Plaut. Pseud. v. 2. 10. cum Simo dixisset:

Credo equidem potesse te, scelus, Massici montis uberrimos quatuor
Fructus ebibere in una hora.

Pseudolus protinus subjicit: *hiberna addito*, brevem admodum volens significare. *Calcagn. ibid. p. 40. Laurent. de Ann. & mens. c. 2.* Qua ratione Romani suas *horas* fuerint dispertiti, docet Mart. iv. 8.

Prima salutantes, atque altera conterit hora,
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores,
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæstris,
Imperat extructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est Eupheme meorum,
Temperat ambrosias cum tua cura dapes.

Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 361. Mercur. Gymnast. iv. 6. Calcagn. Alciat. & Stat. l. l. Matutinæ erant meliores reliquis. Virg. Æneid. ix. 156.

Nunc adeo, quoniam melior pars acta diei.

Siquidem postquam somnus domitor curarum demulsit pectora, mane sub galli cantum, quum animus integrior, corpus validius, nullo labore defatigatum, ingenium vegetius, nullis curis exagitatum. Hinc matutina frons gravis, prudens, severa. Mart. xiii. 2. 10.

Et matutina simul fronte venis.

Plaut. Pers. 1. 3. 34.

—— mane quod tu occœperis
Negotium agere, id totum procedit diem.

Et sacræ antiquis habitæ: & *ἱερὸν ἦμαρ* dicitur à Plutarcho *ὁ πρωΐ*. Ideoque tunc diis cœlitibus sacrificabant. Virg. Æneid. vi. 59.

Surge, age, nate dea, primisque cadentibus astris
Junoni fer rite preces.

Laurent. ibid. c. 3. Cerda in Æneid. ix. 156. Et salutationibus matutinis adesse, & templis assidere deos veteres censebant, ut verè Apollonius Thyaneus scriptum reliquerit, *primo mane cum deo esse versandum*. Tomas. de Donar. c. 5. Illisque docebantur pueri. Auson. Eidyll. xv. 28.

Nec matutinis agitet formido sub horis.

Mart. 12. 30. 7.

Nec matutini cirrata caterva magistri.

Barth. ibid. iii. 18. *Horas* observabant, & indicabant pueri. Docent hoc poetæ. Juven. Sat. x. 215.

—— clamore opus est, ut sentiat auris
Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas.

Mart. viii. 68. 1. V. illum infr. in *Hora causidicorum*. Docent hoc historici. Plin. vii. 53. *Cn. Bebius Tamphilus pretura & ipse functus, cum à puero quæsisset horas*. Svet. Dom. c. 16. n. 4. *Tunc horas perquirenti, pro quinta, quam metuebat, sexta ex industria nuntiata est*. Salmas. Exercit. Plin. p. 447. a. G. Laurent. ibid. c. 2. Grang. in Juvenalem, Herald. & Rader. in Martialem. Struv. ibid. p. 367. Pitisc. in Svetonium. Sereno tempore prætor, si inter rostra, & Græcostasin, quæ rostris vicina erat, prospexisset Solem, accensum exclamare jubebat meridiem. Ex umbra enim, radiisque solis, prout certa loca attingerent, meridiem, aliasque diei partes capiebant Romani; non secus ac rustici nostri solent. Varr. de Ling. Lat. v. §. 9. & Plin. vii. 60. V. illos supr. in *Accensus*. Struv. ibid. p. 364. Lindenbr. in Censor. l. l. Calcagn. Epist. Quæst. ii. Illas interdum tintinnabulo indicabant. Mart. xiv. 163. 1.

Redde pilam, sonat æs thermarum, ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.

Laurent. l. l.

Horæ anni quatuor tempora, ver, æstas, autumnus, & hyemes vocantur. Macrob. Sat. 1. 21. *Et quatuor tempora, quibus annus orbis impletur, horæ vocantur*. Censor. de Die Nat. c. 19. *Sunt qui tradant, hunc annum trimestrem Horum instituisse, eoque ver, æstatem, autumnum, hyemem ὥρας, & annum ὧρον dici, & Græcos annales ὥρους, eorumque scriptores ὡρογράφους. Puteau. Reliq. conv. præf. c. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. xii. p. 249. E. Viola de Ant. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. viii. p. 181. C. Stuck. de Sacrif. p. 28. Gyrald. Synt. deor. xiii. p. 418. D.*

Horæ æquales, sive æquinoctiales, & naturales sunt, quæ semper eædem sunt, ubique pro loco, cœlique regione certæ ac statæ. Bis in anno contingunt, nempe æquinoctio verno, & autumnali: quibus temporibus dies æquales sunt noctibus. *Stat. Observ. 1. 9. Lalamant. de Temp. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. ix. p. 1048. C. Gyrald. de Ann. & mens. p. 816. A. Calcagn. de verb. signif. p. 332. Viola de Ant. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. viii. p. 181. D.*

Horæ inæquales, quæ & artificiales, civiles, & temporariæ dicuntur, potissimùm fiunt circa solstitium & brumam. Nam cum circa solstitium æstivum dies sint longiores noctibus, fit, ut *horæ* etiam nocturnis sint longiores: tunc enim dies habet *horas* sedecim, nox octo. In bruma contra fit: nam cum tunc noctes sint longiores diebus, *horæ* etiam nocturnæ diurnis sunt longiores, ut nox sedecim horas, dies tantum octo habeat, æquales tamen inter se. *Lalamant. de Temp. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. 12. p. 1048. D. Viola de Ant. & nov. Roman. temp. rat. Thes. Ant. Roman. Græc. Tom. viii. p. 181. C. Gyrald. de Ann. & mens. 817. E. Alciat. de Verb. signif. p. 99. Gassend. Kalend. Roman. proœm. Puteau. de Nundin. Rom. c. 25. Laurent. de Ann. & mens. c. 2. Calcagn. Epist. Quæst. ii. de Verb. signif. p. 339. Bargæus de Obelisc. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. iv. p. 1922. D.*

Horæ planetariæ vocantur *horæ* planetarum, sive errantium stellarum, quoniam singuli planetæ singulis *horis* dominari, & præesse ab astrologis dicuntur, & mortalia, ut ajunt, disponere. *Gyrald. de Ann. & mens. p. 817. F. Stuck. de Sacrif. p. 27.*

Hora actori, & reo à prætore, aut alio judicii præside præscribebatur, & illud *horarum* præscriptum lex vocabatur. Plin. Epist. 12. 9. 9. *Nam quum ex lege accusator sex horas, novem reus accepisset: ita diviserat tempus reus inter me, & eum, qui dicturus post erat, ut ego quinque horis, ille reliquis uteretur.* Cicer. Verr. 1. 9. *Hic tu fortasse eris diligens, ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam, nisi omni tempore, quod mihi concessum est, abusus ero, queREre, deum atque hominum fidem implorAvero, circumvenerit Cajum Verrem, quod accusator nolit tamdiu, quàm licet, dicere:*

quod mihi mea lex cum det, eo uti mihi non licebat? Observavi ita comparatas ferè ejusmodi leges temporum præstitutorum, ut reus sesquialteras haberet *horas* ad accusatorem, ut, si accusatori sex darentur, reo novem, id est, tantundem, dimidio plus, ut causa, quam egit Plinius. Item in causa Milonis accusator duas, reus tres, id est, sesquialteram habuit, naturalis enim favor pro laborantibus. Quanquam in causa Rabirii conqueratur se in semihoram coactum. *Pollet. For. Rom.* I. 11. *Alex. Gen.* IV. 11.

Hora, agi cum populo qua posset, omnis erat intra ortum solis, & occasum; reliquis non licebat. Ante primam enim horam, id est, ante lucem, ante auroram, nihil agi licuisse cum populo, ait Dio XXXIX. p. 120. C. V. illum supr. in *Comitia tributa*. Quod si non ante primam, sequitur, ut nec post extremam, id est, eam, quæ diem claudit, agi cum populo licuerit: siquidem nec vespertina Scta rata fuisse, neque prætori urbano jus dicere post solis occasum licuisse, traditum est à Cicer. Phil. II. & à Censor. de die natali c. 24. *Manut. de Leg. c.* 40. *Zamosc. de Senat.* II. 7.

Hora, balneo assignata, erat octava æstate, nona hyeme. Plin. Epist. III. 1. V. illum supr. in *Balneum*. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 129. & 171. Stuck. Ant. Conviv. II. 25. Butius de Por. ant. c. 3. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. I. 14. Indicabatur sonitu tintinnabulorum, ære factitio conflatorum, in thermis summo quopiam fastigio positorum, sicuti hodie sacrorum. Martialis supr. in *Hora* laudatus. Qui illic indicat, elapsa communi *hora* lavandi, frigescere thermas, ac sola frigida sore lavandum, & virgine frigida. *Baccius de Therm. vet. c.* 12. *Stuck. l. l.*

Hora causidicorum erat tertia à Solis ortu, nisi ex gravi aliqua causa extra ordinem cognosceretur. Martialis. V. illum supr. in *Hora*. Nona à meridie, tertia scilicet post pastum, ut mane post Solis exortum. Cicer. Verr. Proœm. c. 10. *Nona hodie sunt Sextiles, hora nona convenire cœpistis.* Tamen legitur apud Plutarch. Cat. Utic. p. 780. D. ut paradoxon, M. Catonem post prandium, & vinum causas cognovisse, quasi id extra ordinem foret. Litibus à tertia ad sextam operam datam significat Mart. VIII. 67. 1.

Horas quinque puer nondum tibi nuntiat, & tu
Jam conviva mihi Cæciliane venis:
Cum modo distulerint rauca vadimonia tharta.

Significat enim dimitti forenses ante *horam* prandii, & vocatum ad prandium Cæcilianum venisse ante *horam*, & dum adhuc litigaretur in foro. *Pollet. For. Rom.* I. 10. Prætor diebus fastis, summo mane in comitium, sive forum veniebat, atque in tribunali sella posita assidebat, & accenso, ut horam tertiam populo circumstanti inclamaret, imperabat. Varro supr. in *Hora* laudatus. Tertia inclamata, tum per accensum populum eundem rogabat, num quis esset, qui apud se lege agere vellet. *Sigon. de Judic.* I. 9.

Hora cœnæ erat, quæ consequebatur lavationem. V. supr. in *Cœna*.

Hora jentaculi erat tertia. *Buleng. de Conviv.* I. 23. *Laurent. de Conviv. c.* 6. V. supr. in *Jentaculum*.

Hora prandii non fuit eadem omnibus olim gentibus. Olim Romæ sero vespere ab agris redeuntes cœnam, quod idem prandium fuit, capiebant. Ætate Ciceronis sub *horam* nonam, aut decimam: ætate Ausonii sub *horam* quintam, ut & nos hodieque. Galenus de Telepho Grammatico: *Quibus diebus non lavabatur, tertia hora ungebatur, & leviter terebatur, tergebaturque, deinde postea alicam in aqua coctam crudo melle pulcerrimo admiste edebat, quod ei tum satis erat. Ita & prandebat hora septima, aut aliquanto citius.* Buleng. de conviv. I. 23. Laurent. de Conviv. c. 6. V. infr. in *Prandium*.

HORATIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

Horatia pila. V. illam infr. in *Pila*.

Horatia tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

HORATIANA tabula. V. illam infr. in *Tabula*.

HORATIUS Barbatus. V. illum supr. in *Barbatus*.

Horatius Cocles. V. illum supr. in *Cocles*.

Horatius Pulvillus. V. illum infr. in *Pulvillus*.

HORDEARII gladiatores. V. illos supr. in *Gladiatores*.

HORDEARIUM vocabatur, quod equiti pro *hordeo* ad alendum equum dabatur. Festus: *Hordearium æs, quod pro hordeo equiti Romano dabatur.* Muret. Var. Lect. XII. 5. Balduin. de Calc. c. 21.

HORDEUM primum Eleusine inventum fuit. Phurnutus: *Molæ dicuntur, grana hordei. Eleusis verò locus, ubi primum reperta sunt.* In agone enim gymnico, qui habebatur Eleusine, victoribus dabatur præmium, Schol. Pindar. Olymp. IX. 150. *Celebratur illic agon Proserpinæ & Cereris, qui vocatur Eleusinia; cujus præmium erat mensura hordei.* Huc fortasse respexerit Plin. XVIII. 7. V. illum supr. in *Gladiatores hordearii*. Meur. Eleus. c. 28. *Optimum esse candidum, & purum; sed minus quàm triticum alere* scribit Dioscor. II. 108. *Buleng. de Conviv.* II. 59. Apud veteres Romanos dabatur equis. Plaut. Asin. III. 3. 116.

Demam tibi de hordeo, ni tolutim badizas,

Et *hordearius missus*, quod quadrigis pro præmio *hordeum* dabatur. Græci quoque *hordeum* ad pabulum equorum habebant: unde κριθῶντα πῶλον vocant. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 274. *b. A. Hering. de Molendin.* q. 2. §. 23. Et ignominiæ pro tritico militibus. Polyb. VI. 36. *Reliquis hordeum pro tritico admetiens, extra castra, & munitionem castrorum tendere eos jubet. Atque ita cum periculum, & metus fortis ex æquo omnibus impendeat; nemo enim scit, in quem sit casura: exemplum autem vescendi ex hordeo in omnes pariter edatur: hoc instituto quàm maximè poterat fieri, consultum est utrique rei: ut & terror injiceretur, & acceptum detrimentum sarciretur.* Plutarch. Marcell. p. 313. C. *Concione dimissa, cohortibus, quæ terga dederant, jussit pro tritico hordeum dari.* Svet. Aug. c. 24. n. 5. *Cohortes, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pavit.* Valdè ignominiosum hoc erat. Communi enim militum cibo videbantur indigni, rejecti ad jumentorum cibum. Plin. l. l. *Panem ex hordeo antiquis usitatum vita damnavit, quadrupedumque tradidit refectibus.* Lips. de Milit. Rom. V. 18. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 8. Patric. Rei milit. Roman. Part. 21. Sect. 7. Potter. Archæol. Græc. IV. 18. Faber. Semest. I. 17. Stevvech. in Veget. I. 13. Hering. l. l. Robortell. de Pœn. milit. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. 2. p. 1484. B. Lyd. de Re milit. VI. 6. Nonn. de Re cibar. I. 7. Mercur. Gymnast. I. 3. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 15. Pitisc. in Svetonium.

HORIA *est navicula piscatoria*. Plaut. Rud. IV. 2. 5.

Salute horia, quæ in mari fluctuoso....

IV. 3. 81.

Mea opera, labore, & rete, & horia.

Non. III. 3. Unde Gell. X. 25. *horiolam* vocavit in scapharum numero. Fulgent. Expos. serm. ant. §. 15. *Horiam dicunt navicellam modicam piscatoriam. Plaut. Cacist.*

Male hunc alligari ad oriam,
Ut semper piscetur, etsi sit tempestas maxima.

Gyrald. de Navig. c. 18. Palmer. Spicil. I.

HOROLOGIARIUM dicitur turris, vel quodlibet eminens cum *horologio*. *Horologiarii* mentio est in inscriptionibus à Grutero collectis p. 6. n. 6.

I. O. M. ET
JUNONI REGIN
PRO. SAL. IMP. M. AUR. ANTONINI
ET. JULIÆ. AUG. MATRIS. AUG.
M. ULP. MUCIANUS. MIL. LEG. XIII. GEM.
HOROLOGIAR. TEMPLUM. A. SOLO.
DE. SUO. EX. VOTIS. FECIT

Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. *p.* 749. *D.*

HOROLOGIUM invenit Anaximenes Milesius. Plin. II. 76. V. illum supr. in *Gnomon*. Laurent. de Ann. & mens. c. 2. *Horum antiquissimum Romæ quod fuerit, inventu difficile est. Alii enim apud ædem Quirini primum statutum dicunt, alii in Capitolio, nonnulli ad ædem Dianæ in Aventino.* Censor. de Die nat. c. 22. Qui significat, in tribus illis editioribus Urbis locis singula solaria fuisse posita, intervallis *horarum* ostendendis. Fabius quidam Vestalis apud Plin.

Plin. vii. 60. *L. Papirium Cursorem primum horologium solare Romanis statuisse prodidit ad adem Quirini, cum tandem dedicaret a patre suo votam ante duodecim annos, quam cum Pyrrho bellatum est.* Sed M. Varro apud eundem *primum statutum in publico, secundum rostra, in columna tradit, bello Punico primo, à M. Valerio Messalla consule. Catana capta in Sicilia, deportatum inde post triginta annos, quàm de Papiriano horologio traditur, anno Urbis* 477. *Illud autem ad Siciliæ clima descriptum cum ad horas Romæ non conveniret, Q. Marcius Philippus censor aliud diligentius ordinatum juxta censitus; idque munus inter censoria opera gratissimè acceptum est.* Incidit censura Q. Marcii Philippi anno ab U. C. 589. collega L. Æmilio L. F. M. N. Paullo. *Rycq. de Capitol. c.* 39. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 457. *b. D. Pollet. For. Rom.* 1. 9. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 8. §. 2. *Nardin. Roman. Vet.* iv. 6: vi. 6. *Struv. Ant. Rom. c.* 8. *p.* 366. *Vossior. Var. Lect.* xxi. 13. *Stevvech. in Veget.* iii. 8. *Augustin. de Famil. in Papiria. Gyrald. de Ann. & mens. p.* 819. *E. Pigh. Annal. Rom.* ii. *p.* 18. *Laurent. l. l.* Fuerunt etiam in basilicarum ornamentis, Varro de Ling. Lat. v. *Solarium dictum id, in quo horæ in sole inspiciebantur: quod Cornelius in basilica Æmilia & Fulvia inumbravit.* Ad illud secundum rostra, in foro, conciones persæpè habebantur, & judicia minorum reorum pronuntiabantur. Cicer. pro Quint. c. 18. *Vixit enim semper inculte, atque horride, natura tristi ac recondita fuit: non ad solarium, non in campo, non in conviviis versatus est.* Et de juvenibus ibi declamantibus ad Herenn. iv. 10. *Ita petulans es, atque acer, ut ne ad solarium quidem idoneus, ut mihi videtur; sed penes scenam, & in ejusmodi locis exercens.* Rycq. l. l. v. & infr. in *Sessather.*

HORREA ultra privata, in singulis Urbis regionibus, etiam multa fuerunt publica. Numerum ex P. Victore inivi ad trecenta & novem. Cognomina etiam pletisque addita ab auctore, *horrea* Aniceti, Varguntejі, Sejani: & ab ipsis Imperatoribus, *horrea* Augusti, Domitiani: quæ & in descriptione Urbis reperies, & in spectionibus antiquis. *Lips. Elect.* 1. 8. *Bellor. Fragm. vestig. vet. Rom. tab.* 2. Illis utebantur non tantùm ad reponenda frumenta, verum etiam ad alia commoda; nempe ad asservanda deposita, & pignora, l. 8. C. de pignor. act. *Cum igitur asseveres in borreis pignora deposita, consequens est, secundum jus perpetuum pignoribus debitori perceuntibus; si tamen in horreis, quibus & alii solebant publicè uti, deposita sint.* Ab Alexandro Imperatore facta esse scribit Lamprid. c. 39. *Horrea in omnibus regionibus publica fecit, ad qua conferrent bona ii qui privatas custodias non haberent.* Stevvech. in Veget. iii. 7. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iii. p. 327. C. & Notit. dignit. imper. occid. c. 16. Buleng. de Imper. Rom. vi. 5. Bellot. l. l. Nardin. Rom. Vet. iii. 4. Lampridio hac in re fides non est habenda. Constat enim sub Antonino fuisse Romæ, in quibus homines pretiosissima sua quæque reponerent. Paull. l. 3. ff. de offic. præf. vig. *Effractura fiunt plerumque in insulis, horreisque, ubi homines pretiosissimam partem fortunarum suarum reponunt, cum vel cella effringitur, vel armarium, vel arca, & custodes plerumque puniuntur: & D. Antoninus Erycio Claro rescripsit: ait enim posse eum horreis effractis quæstionem habere de servis custodientibus, licet in illis ipsius Imperatoris portio esset.* In ejusmodi argentarii instrumenta reposita habebant. l. 6. ff. de edendo: *Si quis ex argentariis, ut plerique eorum, in villa habeat instrumentum, vel in horreo, aut ad locum te perducet, aut descriptas rationes dabit.* Salmas. in Lampridium. Brisson. Ant. select. iv. 18, Vinarii suum vinum. Scævol. l. 7. ff. de instruct. vel instrum. leg. *Horreum vinarium cum vino, & vasis.* Nec obscurè significant Imperatores, qui *vinum in horreis positum venisse* scribunt C. l. 2. de pericul. & comm. rei vend. *Brisson. l. l. Cellar. in Plin. Epist.* viii. 18. 11.

Horrea dicebantur etiam in civitatibus, & mansionibus loca publica, tanquam repositoria quædam, in quibus frumentum, & carnes salitæ asservabantur, militibus per vias militares in expeditionem ituris eroganda, & distribuendæ: & quidem sub singulis mensibus, suo nomine communi annonæ militaris. Huc refer utriusque codicis titulos de *conditis in publicis horreis:* & præcipuè Imperatorum Valentiniani & Valentis rescriptum Anthemio præsidi, l. 2. C. d. t. *Cum ad quamlibet urbem, mansionemve accesseris, protinus horrea inspicere te volumus, ut devotissimis militibus deputata, & incorrupta species præbeantur.* Bergier. de Viis milit. iv. 20. §. 2.

Horrea Aniceti, priori Victori memorata, item Vargunteji, & Domitiani apud recentiorem Victorem, fi modò verè illa olim extiterunt, nusquam meliùs quàm in xiii. Urbis regione, sive Aventino, posita existimo: quo scilicet naves è Sicilia, & Sardinia, *horreis* Urbis appellatis, iteinque ex Attica & Ægypto, frumentum adferentes appellere solebant. *Nardin. Rom. Vet.* vii. 9.

Horrea chartaria fuerunt in quarta Urbis regione, quæ templum pacis vocatur. In illis charta conservabatur. Testaria, quod legitur apud Rufum & Victorem, ad Canthatia, quod præterea apud Victorem, ad rem vix faciunt. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* iii. *p.* 337. *D.*

Horrea Domitiani in xiii. Urbis fuerunt regione. V. supr. in *Horrea Aniceti.*

Horrea Galbæ non lego, sed Galbionis, quia non Galbana, sed Galbiana vocantur à Victore in xiii. Urbis regione: *Horreorum Galbianorum Fortuna.* Quod dicitur, quia simulacrum Fortunæ conservatricis his *horreis* adstabat, quod ea tueri à gentibus credebatur, ut ostendit inscriptio, exhibita supr. in *Fortuna conservatrix.* In illa NUM. DOM. AUG. est, Numini dominorum Augustorum, scilicet Theodosii junioris, & Valentiniani III. Lorinus factum illud sua pecunia dedicavit: appellatur magister nimirum regionis hujus xiii. Galbio unus fuit ex ducibus Valentiniani contra Bonifacium Africæ tyrannum missus circa annum 429. ut auctor est Prosper, à quo Galbiana *horrea,* quæ fortè ille annona impleverat, aut ad hunc usum Reipublicæ tradiderat, sunt appellata. Galbana verò à Galba Principe, vel alio ex ea familia derivantur, sed aliqua anterioribus temporibus eorum mentio fieret. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* iii. *p.* 372. *E. Notit. dign. imp. occid. c.* 16. Ego existimo, ita Galbione illis factum nomen foret, non Galbianorum, sed Galbionorum scribendum fuisse. Tum & in Notitia vitium foret in lectione vulgata: *Horrea Galba.* Nardin. Rom. Vet. vii. 9.

Horrea Germaniciana & Aggrippinæ fuerunt in octava Urbis regione, sive in Foro Romano. A Germanico, & Agrippina sunt condita. Ille fuit filius Claudii Drusi privigni Augusti, quem jubente Augusto Tiberius ejus patruus adoptavit: & Agrippinam M. Agrippæ ex Julia filia Augusti natam uxorem duxit. Hæc, sive à Germanico, sive Agrippina facta, utriusque conjugis nomen conservarunt. Victor separat, & alia Germanico, alia Agrippinæ tribuit. *Panciroll. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* iii. *p.* 356. *B.*

Horrea P. R. quæ à Diocletiano aucta, & instaurata ejus nomen sumpserunt, conspiciuntur inter Tiberim, & montem testaceum, centum, & quinquaginta cellis conspicua. Horum ruinæ instar arcis amplissimæ adhuc extant in vinea Julii Cæsarini patricii Romani. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* 1. *p.* 16.

Horrea Sempronia. V. illa infr. in *Lex Sempronia frumentaria.*

HORTA erat dea, quæ mediante juvenum animi ad honestas actiones incitarentur. V. Plutarchum infr. in *Templum Hortæ.* Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 159. Lipen. de Stren. c. 1. §. 4. Tomas. de Donar. c. 11. Donat. de Urb. Rom. iii. 22. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 51. G. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 9.

HORTATOR remigum primus erat magistratuum navalium minorum. Ennius Annal. vii.

Hortatore bono prius, quàm jam finibus termo est.

Plaut. Merc. iv. 2. 4.

—— coquos, quasi in mari
Solet hortator remiges hortarier,
Ita hortabatur.

Græcis

Græcis *κελευστής*. Qui in Glossis *jussor* vertitur. Κελευστὴς, *jussor*. Nimirum, quia maxima officii illius pars jubere remiges, vel pergere, vel pulsare. Ovid. Met. III. 618.

—— & qui requiemque, modumque
Voce dabat remis animorum hortator Epopeus.

Hinc *pausarius* Senec. Epist. 56. *Audire vel pausarium possim voce acerbissima remigi modus dantem.* Vocatur etiam *portisculus*. V. illum infr. in *Portisculus*. Scheffer. de Milit. Nav. IV. 7. Erat in medio remigum. Polyb. I. XI. *Remiges sedere ad remigia jusserunt in littere, eodem servato ordine, ut si in navium transtris considerent, hortatore in medio locato.* Dicas, quomodo incedere potuit sub catastromate? Quasi hoc necesse fuerat. Poterat sedere pari modo, sicut remiges. Poterat sedere altiùs, ut ab omnibus conspiceretur. Poterat imò & stare, loco ejus ad hoc sic aptato. Et stetisse videtur propter ista Polybii: *μέσον ἐν αὐτοῖς τάξαντες τὸν κελευστήν.* *Opel. de Fabric. trirem. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XII. p. 699. C. Heins. in Sil. Ital. p. 403.*

HORTI si plurali numero proferantur, non sunt olerum, aliarumve herbarum; verùm arborum: ut *horti* Alcinoi, Sallustiani, Luculliani, Pompejani, Curtiani. Et horum significatio, sive etiam singulari numero enuntietur, apud antiquos, Festo auctore, latissima fuit, ut etiam *omnis villa* comprehenderetur: *In duodecim Romanarum legum tabulis*, ut ait Plin. XIX. 4. *nusquam nominatur villa, semper in ea significatione hortus, in horti verò heredium*: ut hacce appellatione non privatus hujusmodi cujusque locus contineatur, verum amplæ latæque regiones, quæ fertilitate perspicuæ, & arboribus domesticis frugiferæ, riguæque, & amœnæ comprehendantur: quæ & prætoria, aut alia pulcerrima ædificia adjuncta, & addita habeant. *Curt. de Hortor. cultur.* VI. 1. *Bergier. de viis mil. v. Sect. 8. §. 5.* Unde de sua ætate Plin. l. l. *Jam quidem hortorum nomine in ipsa Urbe delicias, agros, villasque possident.* Bergier. l. l. *Horti* enim Romanorum initio modici, ut ille Tarquinii Superbi in Esquiliis, in quo capita eminentium papaverum decussit. Cultiores deinde, sumptuosissimi, & celeberrimi fuerunt. *Borrich. Ant. Urb. fac. c. 14. §. 2.* *Quam rem*, pergit Plin. l. l. *comitata est & religio quadam: hortosque & fores tantum contra invidentium effascinationes dicari videmus. In remedio satyrica signa, quanquam hortos tutela Veneris assignante Plauto.* Varr. de Re rust. I. 1. *Adveneror Venerem, cujus est procuratio hortorum: quo nomine rustica vinalia instituta.* Festus illi *duo templa consecrata duodecimo Kalend. Septembris fuisse* scribit: *alterum ad circum maximum, alterum in luco Libitinensi.* Priapum autem *hortorum* deum cæteri voluerunt: illique generationis causa *hortorum* curam assignaverunt, quod *hortis* nihil fœcundius. Nam cæteri agelli semel quid annuatim procreant, *horti* verò fructu aliquo semper perennes sunt. Colum. X. 26.

—— sed truncum fortè dolatum
Arboris antiquæ numen venerare Ithyphalli,
Terribilis membri, medio qui semper in horto,
Inguinibus puero, prædoni falce minetur.

Tibull. I. 1. 23.

Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Arceat ut sæva falce Priapus aves.

Curt. ibid. c. 3. Tomas. de Donar. c. 8. Statuis ornabantur. Cicer. pro Dom. c. 43. *Omnia signa, tabulas, ornamentorum quod superfuit in fanis, & communibus locis, tota è Græcia, atque insulis omnibus domum suam deportavit: adilitatem duobus in locis, partim in arca, partim in hortis suis collocavit.* Plin. Epist. VIII. 18. 11. Domitius Tullus *fuit tam copiosus, ut amplissimos hortos eodem, quo emerat, die instruxerit plurimis, & antiquissimis statuis.* Curt. ibid. c. 2. Figrel. de Stat. Roman. c. 6. Habitabantur ab illis, qui ad ædificia voluptaria, quæ in illis erant, sui colligendi, & reficiendi causa secedebant. Hinc Cicer. Attic. XII. 40. scribit, se cum filiæ mortem lugeret, *triginta dies in hortis fuisse.* Et Claudium *abjecta spe dignitatis, ad otium concessisse, modo in hortis, & suburbana domo .... delituisse* scribit Suet. c. 5. n. 3. Et de Thrasea Tacit. Annal. XVI. 34. 1. *Tum ad Thraseam in hortis agentem quæstor consulis missus vesperascente jam die.* Brisson. Ant. Select. III. 13. Popm. in Ciceronem, Pitisc. in Suetonium. Hospitium præbebant hospitibus, qui in illos invitabantur. Senec. Epist. XXI. *Cum adierint hos hortulos, & inscriptum hortulos: Hospes hic benè manebis, hic summum bonum voluptas est, paratus erit istius domiculi custos, hospitalis, humanus, & te polenta excipiet, & aquam quoque largè subministrabit.* Hospitalitatem etiam suam in *hortis* sic memorat Mart. IV. 64. 25.

Hoc rus, seu potius domus vocanda est,
Commendat dominus; tuam putabis:
Tam non invida, tamque liberalis,
Tam comi patet hospitalitate,
Credas Alcinoi pios penates,
Aut facti modo divitis Molorchi.

Tomas. de Tesser. hospital. c. 14. Venales, antequàm emptio contraheretur, inspiciebantur. Cicer. Attic. I. 1. *Si hortus inscripseris, & si de epistola certiorem me feceris, dederis mihi quod ad te scribam.* 28. *Hortos quoniam hodie eras inspecturus, quid visum tibi sit, cras scilicet.* Brisson. de Form. VI. p. 499. Vectigales erant. Frontin. de Aquæduct. II. loquens de vectigalibus ex aquæductibus, dicit *ea constare ex hortis, ædificiisve, quæ sunt circa ductus, aut castella .... & ductus publici hominibus privatis ad hortorum usum subserviunt.* Burman. Dissert. de Vectig. c. 12. Illorum cultor servus erat tam in urbana, quàm in rustica familia:

D. M
FELICI. CÆS. SER
VILLICO. HORTORUM
MAJANORUM

&

IDEM. POSTEA. VILLICUS. IN
HORTIS. SALLUSTIANIS ....

&

LOCUM. ADSIGNATUM. A MOSCHO. PROC. HORTORUM. MAJANORUM. & LAMIANOR

Pignor. de Serv. p. 496. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XI. p. 529. B.

Horti Adonidis, ex more Assyriorum floribus referti, ipsi Adonidi in florem commutato sacri, erant inter templa, porticus, aulas, thermas, cœnationes, bibliothecas, viridaria, aliasque peregrinas delicias, quas ædes Palatinæ augusta magnificentia, & amœnissima varietate nobiles continebant. Philostr. in vit. Domitiani: *Postquàm Regi alloquendi Apollonio otium fuit: ii, quibus mandatum fuerat, in regiam ipsam introduxere. Fortè autem Rex cum Palladi nuper sacrificasset, viridi ramo coronatus in Adonidis aula constiterat. Erat autem aula illa hortulis undique circumdata, & floribus abundabat, quos Assyrii in honorem Adonidis mysteriorum causa domi plantant.* In nostro vestigio inspicimus multiplices porticus, & ambulationes mira columnarum structura dispositas, & in medio aula Adonidis, undique exornata hemicyclis elegantissimè, *hortulisque*, & areis oblongis ab utroque latere septa. An hæc est illa pellicum diæta, gynæceum, & domicilium feminarum cum porticu, de qua Plutarch. Poplic. p. 105. B. *Qui*, inquit, *Capitolii magnificentiam admiratur, si unam videat in Domitiani domo porticum, vel basilicam, vel balneum, vel pellicum diætam.* Bellor. Fragm. vest. vet. Rom. tab. XI.

Horti Agrippæ fuerunt ejus thermis conjuncti, inter Pantheon, & ædem S. Andreæ. Hos moriens populo legavit. Dio LIV. p. 542. B. *Moriens, Agrippa, etiam populo hortos, & balneum à se denominatum legavit.* Donat. de Urb. Rom. III. 23. Nardin. Rom. Vet. VI. 4. V. & infr. in *Stagnum*.

Horti Agrippinæ, quæ nupta Germanico Cæsari, mater Caji Caligulæ, avia Neronis, fortasse Germanici antea fuerunt. Meminit Senec. de Ira III. 18. *Deinde adeò impatiens fuit differendæ voluptatis* Cajus, *ut in xysto maternorum hortorum, qui porticum à ripa separat, inambulans, quosdam ex illis cum matronis, atque aliis senatoribus ad lucernam decollaret.* Fuerunt ad Tiberim, quod illa verba significant: *qui porticum à ripa separat.* Confirmat Philo leg. ad Cajum: *Excipiens nos in campo ad Tiberim, primum, cum*

quiret de maternis hortis. Donat. de Urb. Roman. III. 23. Fuerunt in illa planitie, quæ est inter basilicam D. Petri, & Tiberim. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 16. §. 3. *Nardin. Roman. Vet.* VII. 13.

Horti Anteri. Horum meminit Lamprid. in Commod. c. 4. *Anterum ductum à palatio sacrorum causa, & redeuntem in hortos suos per frumentarios occiderunt*. Donat. de Urb. Rom. III. 23.

Horti Antonini Pii. Horum meminit Capitol. c. 3. *In viridario Antonini taurus marmoreus cornibus ramis arboris accrescentibus appensus est*. Donat. de Urb. Rom. III. 23.

Horti Argiani fuerunt in septima Urbis regione, quæ Via lata dicitur. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 294. *F. Donat. de Urb. Rom.* III. 23. In Notitia imperii multò rectiùs Largiani vocantur, quia Largiorum familiæ frequens apud veteres occurrit mentio. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 10.

Horti Asiniani à Victore in regione Urbis duodecima, quæ Piscina publica vocatur, adnotantur, quia in Via nova fuerunt. Frontin. de Aquæd. I. *Anio vetus pervenit in regionem Viæ Novæ ad hortos Asinianos, unde per illum tractum distribuitur*. Videntur igitur fuisse sub Aventino propè thermas, & ad caput Viæ novæ, quoniam regio XII. ulteriùs non porrigebatur. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 6. Sed quomodo Frontinus potuit meminisse Viæ novæ, si ea demum cœpit sub Caracalla? V. infr. in *Via nova*. Frontinus sub Vespasiano & Nerva floruit, Trajani obiit principatu, diu ante Caracallæ tempora. Restat, ut arbitremur, fuisse quidem illam Viam novam ante Caracallam, sed non ita munitam ædificiis, non ita superbam cultu. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 14. §. 2. Fortè fuerunt Asinii Pollionis propè thermas Antonianas & Aventinum, ubi atrium Libertatis instauratum bibliotheca instruxit. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23. *Nardin. & Borrich. l. l.*

Horti Caji & Lucii fuerunt in Esquiliis, propè ipsorum basilicam, & porticum. Dio LXVI. p. 757. B. *Pugnatum est ab aliis in horto Caji & Lucii*. Alii pro *horto lucum* vertunt. Sed verisimile est, & *lucum*, & *hortos* fuisse; in Esquiliis præsertim, quas Augustus repurgnavit, sepulcris amotis, & producto pomœrio salubriores fecit, & ornavit. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23.

Horti Celoniæ Fabiæ fuerunt in regione Urbis duodecima. Fragmentum vestigii veteris Romæ: *Horti Celoniæ Fabiæ*. Celonia dicta à nomine, seu agnomine Cilonis patris, cujus domus in dicta regione à Victore describitur. Fabia à cognomine gentilitio. Itaque Fabium Cilonem speciosam domum in Urbe ædificasse, & Celoniam Fabiam *hortos* suos excultos habuisse comperimus. Cæterùm Cilonis, aut Celonis, I littera in E mutata, non est novum in antiquis inscriptionibus. *Bellor. Fragm. Vest. vet. Rom. tab.* X.

Horti Cœlii fuerunt ad Tiberim. Cicer. pro Cœl. c. 15. *Habes hortos ad Tiberim: ac diligenter eo loco præparasti, quo omnis juventus natandi causa venit*. Donat. de Urb. Rom. III. 23.

Horti Crassipedis fuerunt in prima Urbis regione, quæ porta Capena dicebatur, in via Appia. Cicer. Frat. III. 7. *Romæ, & maximè Appia, ad Martis, mira proluvies. Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ*. Illorum etiam meminit Fam. I. 9. *Nam cum mihi condixisset, cœnavit apud me in mei generi Crassipedis hortis*. Nardin. Rom. Vet. III. 2.

Horti Dolabellæ. Horum meminit Suet. Galb. c. 12. n. 4. *Germanorum cohortem à Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam dissolvit, quasi Cn. Dolabellæ, juxta cujus hortos tendebat, pronsiorem*. Donat. de Urb. Rom. III. 23.

Horti Domitiæ. Hos alii Domitios vocant, & eos accipit Paullus Merula de *hortis Neronis*. Verùm, quod Nero omni ævo cognomine hoc notior orbi exstiterit, quàm nomine familiæ paternæ: *horti* verò illi non fuerunt familiæ hæreditarii, sed ipsius Neronis proprii, in illius sententiam pedibus ego non ierim: verùm potius affirmarim *hortorum* Neronis tempore Victoris nullum fuisse vestigium, cum & circum, & *hortos* Neronis Constantinus, ut ædem D. Petri constitueret, destruxerit. *Horti* Domitiæ, Neronis amitæ, diversi fuere, non tamen longè ab illis Neronis remoti, & ad Tiberim: ubi Adrianus molem illam suam, seu sepulcrum erexit. Capitol. in Antonin. Pio c. 5. *Sed Adriano apud Bajas mortuo, reliquias ejus Romam pervexit sanctè, ac reverenter, atque in hortis Domitiæ collocavit*. De eodem sepulcro Spartian. Adrian. c. 19. *Fecit sepulcrum juxta Tiberim*. Quæ de sepulcro, & humatione Adriani dicuntur, ubi *horti* Domitiæ essent, demonstrat. Quia enim alter in *hortis* Domitiæ, alter ad Tiberim in suo sepulcro humatum refert, ostenditur, *hortos* ad molem, & sepulcrum Adriani fuisse. Ergo hic *horti* Domitiæ fuerunt, quorum postea Nero interfecta illa hæres fuit: qui & dehinc ad Cæsares alios pervenerunt. Vopisc. Aurel. c. 49. *Displicebat ei, cum esset Romæ, habitare in palatio, ac magis placebat in hortis Sallustianis, vel in Domitia vivere*. Donat. de Urb. Rom. III. 23. Nardin. Rom. Vet. VIII. 13.

Horti Domitiæ alterius. Horum meminit Capitol. in M. Anton. Philos. c. 1. *Natus est Marcus Romæ in monte Cœlio in hortis: & educatus est in eo loco, in quo natus est, & in domo avi sui Veri juxta ædes Laterani*. c. 4. *Ubi comperit se ab Adriano adoptatum, magis est deterritus quàm lætatus: jussusque in Adriani privatam domum migrare, invitus de maternis hortis recessit*. At Marci mater *vocata est Domitia Calvilla, Calvisii Tulli bis consulis filia*, ut Capitol. c. 1. quæ etiam Domitia Lucilla dicta est. Capitol. c. 6. *Valerius Omulus quum Lucillam matrem Marci in viridario venerantem simulacrum Apollinis vidisset:* . . . . Spartian. in Julian. c. 1. *Educatus est apud Domitiam Lucillam matrem Marci imperatoris*. Hi *horti* quod in Cœlio monte juxta ædes Laterani fuisse dicuntur, non procul à basilica Lateranensi fuere; & iidem fortasse, qui postea Commodiani dicti sunt. Spartian. Pescenn. Nigr. c. 6. *Hunc in Commodianis hortis, in porticu curva, pictum de musivo inter Commodi amicissimos videmus*. Donat. de Urb. Roman. III. 23. Nardin. Rom. Vet. III. 7.

Horti Domitiani fuerunt in regione decima quarta Transtiberina. Et quidem Domitiæ Longinæ, quæ uxor Domitiani Imperatoris. In his libenter versatum fuisse Aurelianum memorat Vopiscus. V. illum supr. in *Horti Domitiæ*. Panciroll. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 374. D.

Horti domus aureæ inferebant Esquilinum montem usque ad templum S. Martini cognomento *in Montibus*. Et quia, teste Tacit. Annal. XV. 39. 1. *hortos suos & domum Mæcenatis hortis continuaverat*, hinc illi sumebant initium ad orientem extensi in parte collis, ubi Esquilinæ Virginis, vulgò majoris, & D. Antonii templa: desinebantque in *hortis* Pertetinis. Porrò, cum *hortos* Mæcenatis Nero possideret, quod Augustum Mæcenas hæredem dixerat, & ab illo ad Cæsares successores bona devenerant, eosdem domui suæ Nero adjecit; ut à colle Palatino, palatioque Principum totas fermè Esquilias occuparent. *Donat. de Urb. Rom.* III. 5.

Horti Epaphroditiani Frontino memorati fuerunt Epaphroditi, qui Neronis fuit libertus, eidemque à libellis. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23.

Horti Galbæ Imperatoris fuerunt via Aurelia, quæ propè ædem nunc S. Pancratii mittebat in Etruriam. Probabile est in ipso Janiculo propè templum B. Martyris fuisse. Suet. Galb. c. 20. n. 9. *Dispensator Argius Galbæ caput, & cæterum truncum in privatis ejus hortis Aurelia via sepultura dedit*. Tacit. Hist. I. 49. 1. *Galbæ corpus dispensator Argius, è prioribus servis, humili sepultura in privatis ejus hortis contexit*. Donat. de Urb. Rom. III. 23. Nardin. Roman. Vet. VII. 11. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 16. §. 1. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 28.

Horti Gallieni ubi fuerint, non constat. Constat tamen Gallieno Esquilinum collem carum summoperè fuisse, ibique ei positum arcum: eundemque in eodem colle admirabilem colossum collocare voluisse. Quare *hortos* abducere non possum. Habuisse docet Capitol. c. 17. *Quum iret ad hortos nominis sui, omnia palatina officia sequebantur*. Donat. de Urb. Rom. III. 10. & 23.

Horti Getæ, Victore teste, fuerunt trans Tiberim. Hic

Seve-

Severi Augusti filius à patre regni successor æquali potestate cum Antonino Caracalla fratre constitutus, paullò pòst ab illo trucidatus est. Non est autem vero absimile, *hortos* Getæ propè portam Septimianam ad Tiberim, ubi hodie Farnesiani sunt, fuisse. Ambigi potest, an hos Severus ante possederit, & à patre filius acceperit, an ipse sibi paraverit. Sic enim de Severo Spartian. c. 4. *Proficiscens ad Germanicos exercitus hortos spatiosos comparavit*. Donat. de Urb. Rom. III. 23. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 376. A. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 16. n. 1.

Horti Heliogabali fuerunt, qui *Spei veteris* dicti sunt. Lamprid. c. 13. *Et hoc quidem modo ipse secessit ad hortos Spei veteris*. c. 14. *Pars militum in palatium, pars in hortos, in quibus erat Varius, ire tendunt*. Et, *inde itum est in hortos: ubi Varius invenitur certamen aurigandi parans*. Ubi fuerint, indicat Frontin. de Aquæd. 1. *Partem sui aqua Claudia prius in arcus, qui vocantur Neroniani ad Spem veterem transfert*. Et, *rectus ductus Anienis veteris secundum Spem veterem veniens intra portam Esquilinam in altos rivos per Urbem ducitur*. Ex quibus locis deducitur, Spem veterem ad portam Næviam, nunc majorem, fuisse, ubi incipiunt arcus Neroniani, & transeuntes ab Esquiliis in Cœlium montem ad templum S. Stephani terminantur. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23. *Nardin. Roman. Vet.* IV. 2.

Horti Julii Cæsaris ad portam Collinam fuerunt, Obseq. de Prodig. c. 131. *Turris hortorum Cæsaris ad portam Collinam de cælo tacta*. Donat. de Urb. Rom. III. 23. Faunus Antiq. Urb. Rom. v. 7. Hi enim vel non fuerunt illi Tiberi vicini, sed alii: vel contextum Obsequentis hìc corruptum esse necesse est; & pro Collina aliam portam substituendam, nisi fortè Sallustianos *hortos* intellexit, qui postea Cæsarum fuere. Dio XLII. p. 197. A. de hoc flumine mentionem facit, solosque *hortos* Cæsaris nominat, non indicata, vel porta, vel flumine. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 11. Fuerunt etiam circa Tiberim, Horat. Sat. 1. 9. 18.

Trans Tiberim longè cubat is propè Cæsaris hortos.

Vicini Antonianis. Dio XLVII. p. 351. A. *Ex Cæsaris, Antoniaque hortis, qui ad Tiberim siti, interque se vicini erant*. Hos populo testamento reliquit. Suet. c. 83. n. 5. *Populo hortos circa Tiberim publicè legavit*. Dio XLIV. p. 258. A. *Civitati relinquebat hortos, qui apud Tiberim erant*. Nardin. & Donat. l. l. Turneb. Adv. XV. 18. Lips. in Tacit. Ann. VI. n. 2. Pitisc. in Suetonium.

Horti Lamiani fuerunt in Esquiliis, sive in quinta Urbis regione, Caligulæ adamati, in queis & sepultus est. Suet. c. 59. n. 2. V. illum inst. in *Sepulcrum*. Mæcenatianis propinqui fuerunt. Philo Legat. ad Cajum p. 1040. E. *Arcessens duorum hortorum curatores, Mæcenatis & Lamiæ: propinqui autem sunt inter se & Urbi*. Donat. de Urb. Roman. III. 23. Nardin. Roman. Vet. IV. 5. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 7. n. 3. Hos Philo extra Urbem collocat, Nec mirum. I. Mœnia civitatis dignoscere tum temporis, Dionysio teste, difficile erat ab ædificiis tantùm non obscurata. II. Homo peregrinus, ac ignarus locorum civitatis, qui in *hortis* Agrippinæ ante fuerat extra Urbem, in campo Martio; quum viridia illa latè protensa, continuataque intueretur, *hortos* quoque Lamiæ extra mœnia esse credidit; aut saltem more consueto Urbis partem maximè celebrem, habitatamque, Romæ, seu civitatis nomine insignivit. Quod si igitur Mæcenatianis vicini fuere, aut si ad S. Mariæ majoris ædem, aut, si quis ita malit, juxta domum exiguam illam Æliorum fuisse necesse est, inter tropæa Mariana, ædem S. Bibianæ, & S. Matthæi. *Nardin. & Donat. l. l.*

Horti Luculli fuerunt in colle Pincio, sive Hortulorum. Verùm quod eos Rufus & Victor unanimiter in regione nona collocent, partem ejus collis, planitiei contiguam, nonæ regionis fuisse consequitur, & cum sexta confinem, eo in angulo, in quo cum septima conjungitur, verùm humiliùs multo, inter utrumque collem. *Nardin. Roman. Vet.* IV. 7. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 11. §. 6. Quo loco Urbis consiti, facem præfert Frontin. de Aquæd. 1. *Arcus aquæ Virginis initium habeat sub hortis Lucullianis, finiuntur in campo Martio, secundum frontem Septorum*. Aqua quidem Virgo, ut hodieque, postquàm à Nicolao V. pontifice maximo ductus refectus est, cernitur, per subterraneos, & profundissimos specus meabat sub collibus declivibus in Tiberinam planitiem, & alveum, extra Urbem, & Pincianam, sive Collatinam portam. His collibus adjunctus est is, quem olim collem Hortorum, hodie Trinitatis, à celebri ejus templo dixere, Campo Martio imminens; quem subterlabens aqua, inde super arcus in campo exstructos usque ad Septa, ubi fons erat, decurrebat. Quare *horti* Lucullani, sub quibus inchoatur arcus, aliquam partem Pincii collis campo Martio imminentem occuparunt, ubi nunc pars item hortorum Mediceorum, Cenobium, & *hortus* fratrum Minimorum cognomento. Illorum tanta fuit amœnitas, ut postquàm semel in Principum Romanorum venere potestatem, mirificè ab illis fuerint adamati. Plutarch. Lucull. p. 518. C. *Quando vel hac ætate, itagliscente luxu, horti Lucullani inter Principis sumptuosissimos habentur*. Venerunt in potestatem Augustorum Claudio Imperatore, cum à Valerio Asiatico secundum consule magnificentiores, pulcrioresque factos Messalina Claudii uxor concupivit. Tacit. Annal. XI. 1. 8. *Pariterque hortis inhians, quos ille à Lucullo cœptos insigni magnificentia excolebat*. In quibus deinde, ut hujus, cæterorumque flagitiorum pœnas penderet, gladio tribuni confossa est. Tacit. ibid. 37. 1: 38. 1. *Interim Messalina Lucullianis in hortis icta tribuni transfigitur*. Donat. de Urb. Roman. III. 23. Nardin. l. l.

Horti Mæcenatis à doctioribus antiquariis (& inter illos à Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 19.) ad thermas Diocletianas, ubi fuerit turris illa editior, è qua Nero incendium Urbis decantavit, removentur. Nimium namque hic hallucinatur Blond. Rom. Instaur. 1. §. 100. qui in Quirinali eos fuisse vult, & turris illius vestigia in *hortis* Columnensibus exstare, in quibus ingens quoddam veteris ædificii fragmentum residuum spectatur. Decepit bonum illum virum, quod ex eo loco in Urbis hodiernæ amplitudinem latissimus prospectus sit. Sed nec illorum minùs insignis error est, tam vanam sibi opinionem fingentium. Nam, præterquàm quod illorum immensum debuisset esse spatium, si à thermis Diocletiani per plures colles usque ad S. Petri in vincula protensi fuissent, ubi domus aurea Neronis desinebat, ipsas quoque vias plerasque publicas interclusissent, magis in Viminali, quàm in Esquilino colle fuissent; incendiumque Urbis, quo Palatinus, Cœlius, Circus, Forum, & vicina loca, imis Esquiliis contermina, ut Suetonius ait, conflagrarunt, è Diocletiani thermis conspici non potuisset. Erroris hujus duæ mihi causæ fuisse videntur; I. quod Horat. Sat. 1. 8. *hortos* Mæcenatis in campo Esquilino factos indicet, qui ad aggerem Servii retro illas thermas fuisse creditur. Sed hoc est, in quo erraverunt: quod aggeres illos duos inter se non distinxerint. Campus enim Esquilinus propè aggerem Tarquinii fuit, non autem propè aggerem Servii. II. quod Acro in eandem satyram dicit: *antea sepulcra erant in loco, in quo sunt horti Mæcenatis, ubi sunt modo thermæ*. Verùm non adeò res incredibilis est, in Esquiliis, colle tam largæ amplitudinis, thermas fuisse à thermis Diocletiani diversas: si modò in grammatico illo non aliquod vitium memoriæ, vel quis alius lapsus fuit. Nam, ut huic omninò fidem habeamus, Campus Esquilinus in Quirinalem, Viminalemve transferendus mihi non videtur. Contra ea, ubi *horti* illi incipiebant, nempè ad S. Martini ædem in Montibus, thermæ erant Trajanæ, quas quin Acro intellexerit, nullus dubito. Sanè rationi convenienter ait Donat. de Urb. Rom. III. 23. *fuerunt in Esquiliis, latissimoque ambitu, à templo circiter S. Martini in Montibus, orientem versus, ultra S. Antonii ædem processere*. Nec usquam meliùs, quam ad S. Martini ecclesiam, in universam Urbem, aut saltem frequentissimam ejus partem, prospectus à turri patuit, ut eam describit Horat. Od. III. 29. 9.

Fastidiosam desere copiam, &
Molem propinquam nubibus arduis:
Omitte mirari beatæ
Fumum, & opes, strepitumque Romæ.

Ego

Ego tamen *hortos* illos angustiore spatio inclusos fuisse existimem. Via namque Tiburtina, quæ in Urbe ab hodierna Suburra, & S. Luciæ æde in silice per S. Viti arcum ad usque portam S. Laurentii pervenisse animadvertitur, nec Augusti, neque item Neronis ætate obstructa, occlusave esse potuit. Quare quicquid loci inter eam viam, & tropæa de Cimbris, & Teutonis fuit, *hortos* Mæcenatis occupasse crediderim, porrectosque deinde S. Martini æde in Montibus usque ad Urbis mœnia: si modò Urbis mœnia attigere; quod vix putem. *Nardin. Roman. Vet.* iv. 2. *Borrich. Ant. Urb. fac.* c. 7. §. 3. *Curt. de Hortor. cultur.* vi. 16. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* iv. 4. *Meibom. Mæcen.* c. 28. §. 7..... Habuit hos Mæcenas ex procuratione Augusti. V. infr. in *Puticuli*. Hos *novos agros* appellat Prop. iv. 8. 1.

Disce quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
Quum vicina novis turba cucurrit agris.

Meibom. ibid. §. 16. Scalig. & Broukh. in Propertium. Kirchman. de Funer. ii. 24.

Horti Mariani à Mario, opinor, Cimbrorum illo victore fuerunt consiti. Plin. xxv. 7. *Ea pictura, cum peracta esset in Marianis hortis, accensa fulmine, cum optima hortorum parte conflagravit.* Horum solum nomen ad nos pervenit: ubi, aut quomodo parati fuerint, quia cæteri siluerunt, ego quoque silentio prætéribo. Neque enim dixerim fuisse ad Anienem, ubi Marii tumulus, de quo Lucan. i. 582.

Tollentemque caput gelidas Anienis ad undas
Agricola fracto Marium videre sepulcro.

Donat. de Urb. Rom. iii. 23.

Horti Martialis poetæ fuerunt in Quirinali. Ipse sic ait x. 58. 7.

Hic mihi quando dies meus est, jactamur in alto
Urbis, & in sterili vita labore perit,
Dura suburbani dum jugera pascimus agri,
Vicinosque tibi, sancte Quirine, Lares.

Donat. de Urb. Roman. iii. 23.

Horti Martialis Tullii, vel Julii in regione Transtiberina, sive Urbis decima quarta apud Victorem fuerunt: quamquam aliqui omninò falsi hos poetæ attribuant. Alius certè habeodus est à Poeta, qui de illis sic scribit iv. 64. 1.

Juli jugera pauca Martialis,
Hortis Hesperidum beatiora,
Longo Janiculi jugo recumbunt:
Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam:
Illuc Flaminia, Salariaque
Gestator patet.

Hunc hodie locum *Montem Marium* nuncupant, valdè apricum, & amœnum. *Donat. de Urbe Rom.* iii. 23. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 20.

Horti Mirabiles seculis minùs vetustis dictus est locus, qui est post ædem S. Martinæ. Refert hunc Martinellus in Roma Sacta. Ego suspicor, & mihi fingo, *hortum* fuisse infelici isto ævo in ipso Fori Augusti situ: cujus cum ambitus columnas adhuc aliquas, & alia haberet priscæ magnificentiæ monumenta, & reliquias, nomen ipsi mirabilis ab iisdem fuisse conciliatum. *Nardin. Rom. Vet.* v. 9.

Horti Neronis iidem fuerunt, qui Caji, & antea Agrippinæ matris fuerant. Quis enim neget, occiso sine hæredibus Cajo, *hortos* ad Agrippinam ejus sororem, sororibus superstitem, Neronis matrem, insigni gratia, & potentia ab exsilio revocatam, tum in potestatem Neronis fuisse devolutos? Tacit. Annal. xiv. 3. 1. *Igitur Nero vitare secretos ejus congressus: abscedentem in hortos laudare, quod otium lacesseret.* Martyrum sanguine Nero illos consecravit. Tacit. ibid. xv. 44. 7. *Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis tectis laniatu canum interirent.... Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat.* Donat. de Urb. Roman. iii. 23. Nardin. Rom. Vet. vii. 13. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 16. §. 3. Marlian. Topogr. Urb. Roman. v. 21. V. supr. in *Horti Agrippinæ*.

Horti Numæ Regis ubi fuerint, non constat, nisi fortè in Quirinali, ubi quædam alia hujus Regis, aut sub Aventino collocandi sunt. Referuntur ab Ovidio. Sic autem ille Fast. iii. 339.

Cæde caput, dixit: cui Rex, parebimus, inquit:
Cædenda est hortis eruta cæpa meis.

Donat. de Urb. Rom. iii. 23.

Horti Ovidii fuerunt ad pontem Milvium. Ita enim Ovid. de Pont. i. 8. 43.

Nec quos pomiferis positos in montibus hortos
Spectat Flaminiæ Claudia juncta viæ:
Quos ego nescio cui colui, quibus ipse solebam
Ad sata fontanas, nec pudet, addere aquas.

Existimantur autem in eo fuisse fastigio, quod est ultra pontem Milvium, inter duas vias, quæ ibidem disjunguntur. Veruntamen non minùs rectè, fortean & veriùs, in opposito clivo fuere, quantùm ex ipsis verbis Auctoris colligere est, in via Claudia supra tabernam, in ejusdem viæ prospectu sito. *Nardin. Rom. Vet.* vii. 13. *Donat. de Urb. Rom.* iii. 23. V. etiam infr. in *Via Claudia*. In his *hortis* operam carminibus navabat. Trist. i. 10. 37.

Non hæc in nostris, ut quondam, scribimus hortis.

Masson. Ovid. vii. p. 83.

Horti Pallantiani propinqui fuerunt Varianis, sive Spei veteris. De his Frontin. ii. *Finiuntur arcus Claudiæ, & Anienis post hortos Pallantianos.* Victor in regione Urbis quinta Esquilina Plancianos, vel Plautianos nominat: quos tamen non semoverim à Pallantianis; mutantes scilicet subinde cum dominis nomen. Plautianus enim multùm gratia, & opibus valuit sub Severo. Nec minùs Pallas Claudii libertus, eidemque à rationibus, quemque incestis Agrippinæ nuptiis etiam pervertit; ideòque illo Principe ditissimus, & potens in aula, Neronis quoque imperio validus stetit: cum Agrippina *adversus Burrum, & Senecam moderatores Principis habebat in partibus Pallantem*, ut ait Tacit. Annal. xiii. 2. *Donat. de Urb. Roman.* iii. 23. *Bellor. Fragm. vest. vet. Rom. tab.* ix. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* iii. *p.* 291. *B. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. ibid. p.* 352. *C.* Ab his ego non dissentiam. Accuratiùs tamen eorum situm indaganti intra mœnia fuisse videntur ad primum castellum, in quo aqua Claudia, & Anio novus, quæ uno, communique aquæductu Urbem intrabant, in usus privatos diducebantur. Quare non longè à porta majore, atque æde S. Crucis in Hierosolymis *horti* illi abfuisse dicendi sunt. *Nardin. Roman. Vet.* iv. 2.

Horti Pompeji minùs celebres sunt, quamquam duplices. Hos dono accepit à Cæsare, ut ait Appian. Bell. civ. ii. *Antonius Pompejanis in hortis à Cæsare dono quondam sibi traditis versabatur.* Sed potius sub hasta emit, cum Pompeji bona à Cæsare venderentur. Cicer. Phil. ii. 26. *Hasta posita pro æde Jovis Statoris bona Cn. Pompeji Magni voci acerbissimæ subjecta præconis... Tantus te stupor oppressit, vel, ut veriùs dicam, tantus furor, ut cum sector sis isto loco natus, deinde cum Pompeji sector....* Idemque postea c. 29. *Appellatus de pecunia, quam pro domo, pro hortis, pro sectione debebas.* Duplices videtur adstruere Ascon. Orat. pro Mil. p. 187. *Timebat Pompejus Milonem, seu timere se simulabat: plerumque non domi suæ, sed in hortis manebat, idque ipsum in superioribus, circa quos etiam magna manus militum excubabat.* p. 202. *Et ideò ne domi quidem sua, sed in hortis superioribus ante judicium mansisse, ita ut villam quoque præsidio militum circumdaret.* Et huc verba Matt. ii. 14. 10.

Illinc Pompeji dona, nemusque duplex.

accommodari possunt. Fuerunt extra Urbem. Quod perspicuè tradit Ascon. ibid. p. 203. Notat enim, cum Pompejus proconsul, habebat enim exercitus in Africa, & in Hispania, eosque per legatos administrabat, esset ad Urbem, *habitasse in hortis: senatum habitum in porticu Pompeji, ut Pompejus posset interesse.* Non enim in curiam intra pomœrium venire poterat. Quod & ipsam porticum extra Urbem fuisse demonstrat. Et idem Plutarch. Pomp. p. 642. B. *Quando ante triumphum vetitum erat ingredi Urbem, misit Pompejus petitum ad senatum, ut comitia consularia proferret. Quod cum non obtinuisset, quærens Afranium consulem face-*

facere, nummus pro eo in tribus pronuntiavit, atque ad eos accipiendos venerunt in hortos Pompeji: quos utique tunc Pompejus habitabat. Accedit, quod superiores villam, Asconio modò laudato auctore, adjunctam habebant: quare in edito, patentique loco esse debuerunt, quem Urbis civium tectis impedita non præbuisset. Has ob causas in colle Pincio fuisse arbitror, propè Lucullianos. Hæc enim videtur fuisse ejus loci dispositio, aut primò sepulcrum Domitiorum propiùs portæ Flaminiæ extaret. Suet. Ner. c. 50. n. 2. *Reliquias Neronis gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod prospicitur è campo Martio, impositum colli hortulorum*. Credibile est, monumento propinquos alios *hortos* eodem colli impositos, sed eorum scriptores non meminere. Sequebantur Luculliani in *hortis* nunc Mediceis: Pompejani versus Pincianam portam, ubi pars tum Mediceorum est, tum Ludovisiorum *hortorum*. Quoniam autem villa his erat adjuncta, arbitror peramplo patentique ambitu protensam ad orientem, aliquam partem Burghesiæ nunc villæ attigisse. Inferiores, si divinandum est, probabile fuerit, ad Pompeji porticum & theatrum fuisse. Nisi quis putet, dici inferiores eo quòd conjuncti cum superioribus ad radices collium, aut certè in ima ejus loci parte essent constituti; quod in medium relinquo. In priorem tamen opinionem inclinat animus. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 3.

Horti Sallustiani in Quirinali ad portam Salariam, sive Collinam fuere. Auctor eorum Crispus Sallustius Romana primus in historia, idemque suorum *hortorum* amœnitate nemini secundus. Hic ex Africæ prætura, quam à Cæsare acceperat, refertus pecunia Romam reversus, eam partem Quirinalis montis delegit, in qua *hortis pretiosissimis*, ut loquitur Cicero in Sallustiana, & loco amœnitatem, & sibi scriptis historiis perpetuum nomen daret, quamquam scriberet ipse, contra quàm fecerat. Horum meminit Tacit. Hist. III. 82. 4. *Tertium agmen per Salariam Collina porta propinquabat*. n. 6. *Ii tantum conflictati sunt, qui in partem sinistram Urbis ad Sallustianos hortos per angusta, & lubrica viarum flexerant. Superstantes maceriis hortorum Vitelliani, ad serum usque diem saxis pilisque subeuntes arcebant, donec ab equitibus, qui porta Collina irruperant, circumvenirentur*. Ex quo loco deducitur, non modò ad portam, sed intra portam Collinam fuisse. Tacit. Annal. XIII. 47. 3. *Regredienti*, Neroni, *per viam Flaminiam compositas insidias, fatoque evitatas, quoniam diverso itinere Sallustianos in hortos remeaverat*. Nec mirum, eo Neronem divertisse; erant enim Sallustiani *horti* Principis. Quare post Neronem Vespasianus teste Dion. LXVI. p. 650. A. *rarò habitabat in Palatio. In hortis autem Sallustianis plurimum erat, eoque recipiebat quemcunque non solum senatorii, sed cujuscunque ordinis*. Nerva *morbo periit in hortis Sallustianis*, referentibus Eusebio, & Cassiodoro in Chronicis. *Aureliano placebat vivere in hortis Sallustianis*. V. Vopiscum supr. in *Horti Domitia*. Eosdem Alexandri Severi fuisse colligitur ax Ulpian. l. cum servus. §. constat ff. XXX. de leg. & fideic. *Si verò Sallustianos hortos, qui sunt Augusti, vel fundum Albanum, qui principalibus usibus deservit, legaverit quis, furiosi est*. Sub eodem enim floruit Ulpianus, & prætorianis præfectus fuit. Situs hic est. Curvatur collis ad portam Collinam, duæque planities: altera ad mœnia Urbis, & *hortos* Ludovisianos pertinet; altera secundum altam semitam, nunc piam, ad ædem S. Susannæ, & *hortos* Barberinos protenditur, utraque olim celebrata Sallustianis *hortis*. In medio vallis angusta primùm, deinde latior. In angusta visitur cavea circi *hortorum* Sallustianorum, ubi acclivi hinc, atque hinc solo apparent hodieque sedilium, & templi Veneris subobscura vestigia. Sed ex altera parte ad *hortos* nunc Barberinos terminabantur. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 20. *Curt. de Hortor. cultur.* VI. 15. *Pancirell. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 345. *C.* Blond. Instaur. Rom. II. §. 28. illos agnoscere videtur inter portam Salariam, Numentanam & ædem S. Susannæ, quod ibi multa ætate sua antiquitatum vestigia vidisset. Nec Donatus in diversum abit. Verùm Tacitus modò laudatus apertissimè extra Urbem fuisse arguit; nam agmen illud Vespasiani, quod via Salaria ad portam Collinam pergebat, ad *hortos* accessisse Sallustianos dicitur, priusquam Urbem intrasset, de quorum maceriis Vitelliani hostes ab aditu Urbis arcebant. Idem & in Actis SS. Cyriaci, Largi, & Smaragdi confirmatur, qui eo loco capite plexi fuere: ubi nomen thermarum *hortis* datum esse, ut naumachiæ, & theatri circo, palatii aliis ædificiis, res minimè nova est. *Nardin. Roman. Vet.* IV. 7. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 8. §. 5. Siti igitur fuerunt inter duos circos sub B. V. Victricis æde, & S. Susannæ, quam vallem sua etiam memoria Salusttico nuncupatam fuisse Fulvius asserit. Ego verò partem eorundem etiam in Pincio fuisse crediderim, qui Quirinali oppositus, nunc collis hortulorum appellatur: persuasus loci altitudine, prospectum in maximam Urbis sibi subjectæ partem habente. Non tamen eousque in longitudinem extensi fuerunt, ut magnam hujus collis partem occuparint, quemadmodum recentioribus placet antiquariis; neque item, ut ad portam pertigerint Collinam; quoniam inde erumpentes equites Vitelliani spatium habuere milites Vespasiani circumveniendi, qui *hortos* adoriebantur Sallustianos. *Nardin. l. l.*

Horti Senecæ ubi fuerint, non facilè assererem; diversos enim fuisse à fundis, & agris suburbanis probabile est: inter quos fuit Nomentanus. Senec. Epist. 110. *Ex Nomentano meo te saluto*. Criminabantur invidi teste Tacit. Annal. XIV. 52. 2. *quod hortorum amœnitate, & villarum magnificentia quasi Principem supergrederetur*. 53. 6. *Tales hortos instruit, & per hæc suburbana incedit, & tantis agrorum spatiis, tam late fœnore exuberat?* De iisdem Juven. Sat. X. 16.

—— & magnos Senecæ prædivitis hortos
Clausit.

Donat. de Urb. Rom. III. 23. Curt. de Hortor. cultur. VI. 15.

Horti Serviliani. Sed illorum neque auctor, neque certa sedes proferri potest. Servilia quidem gens Romæ clarissimos plurimos consules dedit. Ab aliquo hujus gentis Servilio dictos putaverim potius, quàm à Servio: quamvis scribat Macrob. Sat. I. 6. *Cum contra & cognomina ex propriis sint tracta nominibus, ut ab Æmilio Æmilianus, à Servio Servilianus*. Fuerunt Neroni Cæsari in deliciis. Tacit. Annal. XV. 53. I. affirmat, eum *rarum egressu, domoque, aut hortis clausum*. Hi verò erant Serviliani. Tacit. ibid. 55. I. *Igitur cœpta luce Milichus in hortos Servilianos pergit, deductusque ad Neronem urgens periculum, & graves conjurationes docet*. De iisdem Suet. Ner. c. 47. n. I. *Nuntiata exercituum defectione*, Nero, *transiit in hortos Servilianos*. Ibique desertus ab omnibus, *procurrit*, inquit Suet. n. 7. *quasi præcipitaturus se in Tiberim*. Qui locus admonet, ut *hortos* Servilianos Tiberinæ ripæ adsitos putem. Cur enim habitans in *hortis* Imperator procurrisset se præcipitaturus in Tiberim, nisi *hortos* fluvius ipse alluisset? Neque enim credibile est, eum extrema timentem, si *horti* à Tiberi longè aberant, ab eis egressum de media nocte per mediam Urbem ad fluvium decurrisse. Accedit, quod Nero cogitans de fuga, libertorum fidissimos Ostiam præmisisset, quo deinde secundo Tiberi esset ipse venturus, ab eisdem *hortis* soluto navigio. Itaque cum alium hac de re scriptorem non viderim, nec mihi manifestius argumentum sit; arbitror non longè à ponte nunc Sixto in minore campo fuisse ad ripam Tiberis. Hic enim, affirmante Strabone, præter plurima, & pulcerrima ædificia, multis etiam lucis, & *hortis* ad amœnitatem consitus erat. *Donat. de Urb. Rom.* III. 23.

Horti Spei veteris. V. illos in *Horti Heliogabali*.

Horti Statilii Tauri memorantur sub Claudio Principe à Tacit. Annal. XII. 59. I. Agrippina *Statilium Taurum opibus illustrem, hortis ejus inhians, pervertit*. Donat. de Urb. Rom. III. 23.

Horti Tarquinii Superbi antiquissimi in Urbe fuerint. In illis inambulans Rex consulenti per nuntium Sexto filio nihil respondit; sed, ut olim Periander Corinthiorum tyrannus in re non dissimili eminentiores spicas contrivit, sic Tarquinius summa papaverum capita decussit, auctoribus Liv. I. 54. & Dionys. IV. p. 255. Hi fuerunt in Esquiliis.

lis. At in qua parte montis? Solin. c. 1. *Tarquinius Superbus & ipse Esquiliis supra clivum Pullium ad Fagutalem lucum.* Hic autem fageus lucus pertinebat ad montem Viminalem, qui idcircò Fagutalis etiam nuncupatus est. Ideòque *hortos* in Esquiliis fuisse dicendum est, qua versus vicum patricium vergunt ad partem viminei collis, in qua ædes S. Laurentii; erant enim ædibus adjuncti. Livius: *Rex velut deliberabundus in hortum ædium transit, sequente nuntio filii.* Ovid. Fast. II. 703.

Hortus odoratis suberat cultissimus herbis,
Sectus humum rivo leve sonantis aquæ.

Quæ sequuta sunt tempora *hortos* in pretio habuerunt, sed minimè pretiosos: quippè caulium, & brassicarum proventu uberrimo *horti*, & agricolæ prisci probabantur: nec illos florum blandimenta delectabant; sed olera, quæ aut facilè coquerentur, aut *ex sese expedita, & parata ligno parcerent, igni non egerent.* Quod scribit Plin. xix. 4. Nec sanè exiguus *hortorum* fructus exstitit, cum *procerum cognomina* produxerunt. Ut non minùs natos inter leguminα Fabios, Lentulos, Pisones, aliosque hujusmodi Roma laudaret, quàm ex lactucarum thyrso Lactucinos. Jam, quod ait idem l. l. *In fenestris suis plebs urbana in imagine hortorum quotidiana oculis rura præbebat, antequàm præfigi prospectus omnis coegit multitudinis innumerata sæva latrocinatio.* Sed hi *horti pensiles* crescente luxu *rotis promovebantur ad solem, rursusque hibernis diebus intra specularium monumenta revocabantur.* Plin. xix. 5. Quod confirmat etiam Mart. VIII. 14. 1.

Pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam,
Mordeat & tenerum fortior aura nemus:
Hibernis objecta notis specularia puros
Admittunt soles, & sine fæce diem.

68. 3.

Invida purpureos urat ne bruma racemos,
Et gelidum Bacchi munera frigus edat:
Condita perspicua vivit vindemia gemma,
Et tegitur felix, nec tamen uva latet.

Sic autem non solum poma servabant, sed etiam flores alieno tempore exprimebant. Senec. Epist. 122. *Fomento aquarum calentium, & calorum apta mutatione bruma lilium, florem vernum exprimunt.* Hac ratione, teste Columella, ferè toto anno Tiberio Cæsari cucumis ferebatur. Sed singulis diebus allatos Tiberio cucumeres notat Plin. xix. 5. *pensiles eorum hortos promoventibus in solem rotis olitoribus.* Donat. de Urb. Rom. III. 23.

Horti Terentiani viginti jugerum fuerunt via Appia. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 27. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III. *p.* 254. *C.*

Horti Torquatiani in regione Urbis quinta Esquilina fuerunt. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 291. *B. Donat. de Urb. Rom.* III. 23. Possent jungi lacui, & balineo Torquati, quorum in prima regione Victor & Rufus fecerunt mentionem. Fuisse illos extra portam Capenam, ubi vetus Anio, & aquæ Augustæ ramus viæ Appiæ jungebantur, refert Front. de Aquæd. 1. *Jungitur ei,* loquitur de via Appia, *ad Anienem veterem in confinio hortorum Torquatianorum Augusta ramus milliaria in supplementum ejus addito cognomento decem Gemellorum.* Nardin. Rom. Vet. III. 3: IV. 2.

HOS.

HOSIDIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

HOSPES significatu ampliori significat peregrinum. Terent. And. IV. 5. 15.

—— nunc me hospitem
Lites sequi, quam hic mihi sit facile, atque utile
Aliorum exempla commonent.

Cicer. Acad. 1. 3. *Nam nos in nostra urbe peregrinantes, atque errantes tanquam hospites, tui libri quasi domum deduxerunt; ut possemus aliquando, qui & ubi essemus, agnoscere.* Attic. VI. 3. *Est aliquid advenientem non esse peregrinum, ut que hospitem.* Tomas. de Tess. hospit. c. 4. Differt tamen à peregrino & advena. Cicer. Agrar. II. 34. *Nos jam non hospites, sed peregrini, atque advenæ nominabamur.* Stuck. Antiq. Conviv. 1. 28. Propriè dicitur, qui vel alterum *hospitio* excipit, vel ipse excipitur. Cicer. pro Dejot. c. 3. *Per dexteram te istam, C. Cæsar, rogo, quam Regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti.* Ovid. Met. 1. 144.

—— non hospes ab hospite tutus.

Priori modo Jupiter ipse *hospes* vocatur ab Ovid. Met. x. 224.

Ante fores horum stabat Jovis hospitis ara.

Posteriori Cicero ipse ad Fam. IX. 26. *Non multi cibi hospitem accipies, sed multi joci.* Tomas. l. l. Stuck. ibid. c. 27. *Hospites* aut erant domestici, aut incogniti. Qui domestici, erant amici externi, in quos alludit Mart. III. 5. 3.

Unus erit, mihi crede, satis, cui non eris hospes.

Hi verò magnis honoribus excipiebantur. Nam ut eorum erat fortuna, & nobilitas, armis, fistulis, buccinis, atque tympanis procul admodum ab urbe, partim peditatu, partim equis, & curribus honorificè iis obviam ibant incolæ, eos exspectantes in amplissimo loco, ubi summa comitate, & verbis eos salutare, & in urbem ea pompa introducere, eosque ad proprios lares congregatis amicis deducere consueverunt. Cui officio, si legati erant, seligebantur etiam à senatu viri graviores, qui iis omnia *hospitalitatis* officia prolixè deferrent, conviviisque magnificis, ac muneribus acciperent. Habebant illi tesseras hospitales. V. illas infr. in *Tessera.* Sin autem erant incogniti, & peregrini, horum quatuor erant genera. I. peregrinorum, puta mercatorum, & negotiatorum, qui lucri gratia undique convolant, nihil maris pericula, vel asperas vias timentes. II. eorum, qui orbis delicias ut lustrent, vel discendi causa, longè à patria, & parentibus, veluti exsules spontanei regiones diversas peragrant, ut sunt hodie Germani, Galli, Flandri, ac Belgæ, qui propter virtutes spontè exsulant: vel qui sacrorum causa, & ludorum spectacula publica convolant. III. eorum, qui publicè à populo, vel à Principe missi, legationis causa aliunde accedunt. IV. eorum, qui fortuna, aut casu aliquo adveniunt. Hi maximè *hospitio* sunt accipiendi, atque humaniter tractandi. *Tomas. ibid. c. 9. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c.* 20. Illorum pedes lavabantur, ut pulvis in via contractus detergeretur. Ita Ulyssi apud Homerum. Et quidem priscos *hospitibus* præbuisse aquam calidam, ad abluendum corpus, & pedes: gelidam manibus, indicat illud Martialis:

—— calida, gelidæque minister.

Et Horat. Sat. 1. 4. 86.

Sæpè tribus lectis videas cœnare quaternos;
E quibus unus avet quavis aspergere cunctos
Præter eum, qui præbet aquam.

II. 2.

—— nec sic, ut simplex Nævius, unctam
Convivis præbebit aquam.

Ubi *præbere aquam* est convivio excipere. *Tomas. ibid. c.* 13. *Nonn. Misc.* IV. 2. *Casal. l. l.* Quo loco fuerint, docet Gell. v. 13. ubi officiorum gradus, & ordines recenset. *Conveniebat facilè, & constabat ex moribus populi Romani, primum juxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei, tutelæque nostræ creditos. Secundum eos proximum locum clientes habere, qui sese itidem in fidem, patrociniumque nostrum dediderunt. Tunc in tertio loco hospites, posteà esse cognatos affinesque.* Massurius autem Sabinus Jur. Civ. III. apud Gellium antiquiorem locum *hospitibus* tribuit quàm clienti: *In officiis apud majores ita observatum est, primum tutelæ, deinde hospiti, deinde clienti, tum agnato, postea affini.* Tomas. ibid. c. 19. Discedentibus munera dabantur. Nero Claudius Tiridati Armeniæ Regi abeunti contulit sestertium millies, nimirum quinquagiesta centena millia coronatorum. Et apophoreta dicta Martiali, quod retroferrentur, nempè domum. Sic Martialis librum XIII. Apophoreta inscribit. *Tomas. ibid. c. 28. Casal. l. l.* Qui eos cædere ausi fuissent, scelerati & impii dicebantur, & illorum facinus capitale. Plaut. Most. II. 2. 44.

TR. *Capitalis cædes facta est.* TH. *Quid est? non intelligo.*

TR.

TR. *Scelus inquam factum est jam diu antiquum, & vetus.*

Antiquum: id adeò nos nunc factum invenimus.

TH. *Quid istud est, scelesie? aut quis id fecit? cedo.*

TR. *Hospes necavit hospitem captum manu.*

Eodem omnino sensu Thracum Regem fas omne abrupisse, quod Polydorum Priami filium *hospitem* suum, ac tutelæ suæ commissum interfecisset, dicit Virg. Æneid. III. 49–56. *Berthald. de Ara c. 19. §. 3.*

HOSPITALE dicebatur diversorium. Vitruv. VI. 10. *Præterea dextra, ac sinistra domuncula constituuntur, habentes proprias januas, triclinia, & cubicula commoda, ut hospites advenientes, non in peristylia, sed in ea hospitalia excipiantur.* Nostra ætate caupona, & diversorium vocatur. *Tomas. de Tesser. hospital. c. 4. Stuck. Ant. Conviv. I. 27.*

Hospitale dicebatur in tragœdia domuncula *hospitibus*, & peregrinis advenientibus in scenam destinata. Vitruv. V. 7. *Mediæ valvæ ornatus habeant aulæ regiæ, dextra ac sinistra hospitalia.* In scenis enim tres de more aperturæ, in media nobiliori & principe erant, præcipuè in tragicis, aulæ regiæ, utrimque verò *hospitalia*. Pollux IV. 19. de partibus theatri: *In tragœdia dextra porta advenarum est.* Bald. Lex. Vitruv.

Hospitalia vulgò etiam dicitur domus publica egenis excipiendis. *Hospitium* non ineptè potest appellari. Græcis *xenodochium* dicitur. Suidas: *Xenodochium, publicus locus hospitibus recipiendis destinatus.* Tomas. de Tesser. hospital. c. 4. Stuck. Ant. Conviv. I. 27.

HOSPITALITAS est quædam amicitia *hospitio* contracta, vel liberalitas, & quædam animi propensio in *hospitibus* recipiendis. Cicer. Offic. II. 18. *Rectè etiam à Theophrasto est laudata hospitalitas; est enim, ut mihi quidem videtur, valdè decorum, patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus: idque etiam est Reipublicæ ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in Urbe nostra non egere.* Tomas. de Tesser. hospital. c. 4. Ejus jus apud veteres eo in pretio fuit, ut sanguinis id nexui præferrent. Hoc autem sale, & mensa contrahi solitum. Mutuis quoque muneribus inter se homines copulabantur, vel coram, vel per internuntios. Hinc Virg. Æneid. IX. 359.

Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
Cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim
Quæ mittit dona, hospitio cum jungeret absens
Cædicus.

Et hoc quidem jus velut hæreditarium à parentibus ad posteros traducebatur. *Tomas. ibid. c. 10.*

HOSPITIUM est consuetudo, qua alios in nostram domum accipimus. De cujus necessitudine Budæus: *Hospitium est familiaris quædam amicitia, vel mihi hospitandi apud illum, vel illi apud me.* Si verò locus indicatus, *hospitium* domus est, quæ gratis, liberaliterque venienti *hospiti* patet. Cicer. Fam. IX. 6. *Hoc idcirco nosse te volui, ut scires, hospitium tibi ubi parares.* Attic. II. 16. *Te in Arpinati videbimus, & hospitio agresti accipiemus.* Hinc locutionem formulæ *hospitium* esse alicui cum aliquo. Cicer. Fam. XIII. 19. *Cum Lysone Patrensi est mihi hospitium vetus.* 36. *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est: familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo.* *Hospitio* conjungi. Cicer. pro Dejot. c. 14. *Cum Dejotaro mihi amicitiam Respublica conciliavit, hospitium voluntas utriusque conjunxit.* *Hospitium* cum aliquo facere. Cicer. pro Balb. c. 14. *Gaditani cum L. Cornelio publicè hospitium fecerunt.* Tomas. de Donar. c. 4. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 20. *Hospitii* usus, & necessitudo antiqui instituti erant, non modò inter privatos, sed etiam inter populos: neque id quidem modò, sed etiam inter singulos, privatosque homines, & civitates, quæ sanctè, religiosèque eam coluere. Sic populum Romanum cum aliis, vel populis, vel Regibus, vel etiam privatis hominibus Senatusconsulto scimus *hospitium* contraxisse. Quo alludens Virg. Æneid. VII. 263.

Ipse modo Æneas, nostri si tanta cupido est,
Si jungi hospitio properat, sociusque vocari,
Adveniat.

Tomas. ibid. c. 5. Bud. in Pandect. p. 253. H. Stuck. Ant. Conviv. I. 27. Brisson. de Form. II. p. 241. Quod inter populos, & civitates contrahebatur, Græci προξενίαν, Latini *hospitium* publicum vocabant: quod inter privatos, Græcè ἰδιοξενία, Latinè *hospitium* privatum dicebatur. cujus nota, pignusque erat tessera *hospitalis*. Lucian. Phalar. II. p. 741. *Ego, ò Delphi, cum neque publicum Agrigentinis, neque privatum Phalaridi ipsi hospitium antehac præbuerim: οὔτε πρόξενος, οὔτε ἰδιόξενος.* De Timasitheo Liparensi, qui legatos Romanos *hospitio* exceptos, ac Delphos usque deductos, retrò in Urbem sospites reduxerat, Liv. V. 28. *Hospitium cum eo S.C.to est factum, donaque publicè data.* XXXVII. 54. Rhodiorum *princeps legationis expositis initiis amicitiæ cum populo Romano, meritisque Rhodiorum Philippi prius, deinde Antiochi bello: Nihil, inquit, nobis tota nostra actione, Patres conscripti, neque difficilius, neque molestius est, quàm quod cum Eumene nobis disceptatio est: cum quo uno maximè Regum singulis, &, quod magis nos movet, publicum civitatis nostræ hospitium est.* Cicer. Verr. IV. 65. Syracusani *decernunt statim, ut fratri meo hospitium publicè fieret: quod is eandem voluntatem erga Syracusanos suscepisset, quam ego semper habuissem: id non modo tum scripserunt, verum etiam in ære incisum nobis tradiderunt.* Arctum necessitudinis hujus fuit olim vinculum, atque etiam divini numinis reverentia sanctum, quod juris hujus disceptationi præfecit antiquitas Jovem *hospitalem* appellans, & invocans, quasi *hospitii* præsidem, & vindicem. V. illum infr. in *Jupiter*. In Verrem, tanquam *hospitii* violatorem, invehitur Cicer. Verr. V. 42. *Pater aderat Dexio Tyndaritanus, homo nobilissimus, hospes tuus: cujus tu domi fueras, quem hospitem appellaras: eum cum illa auctoritate, & miseria videres præditum, num te ejus lacrymæ, num senectus, num hospitii jus, atque nomen à scelere aliquam ad partem humanitatis revocare potuit? Sed quid ego hospitii jura in hac tam immani bellua commemoro: qui Sthenium Thermitanum, absentem hospitem suum, cujus domum per hospitium exhausit, & exinanivit, absentem in reos retulerit, causa indicta capite damnarit: ab eo nunc hospitiorum jura, atque officia quæramus?* Bud. l. l. Tomas. ibid. c. 7. Si quem verò contracti *hospitii* pœnituisset, renuntiare *hospitium* solebat, ne *hospitii* jus violaret. Cicer. Verrin. II. 36. *Itaque iste vehementer Sthenio infensus, hospitium ei renuntiat.* Tomas. ibid. c. 28. Brisson. ibid. p. 742.

Hospitia peregrinorum Romæ in Cœlio etiam fuerunt, hoc est, cohortes militares, Germanæ, Illyricæ, Batavæ, in usum Imperatoris, & Reipublicæ pretio conductæ; quippè locum incolebant proximum templo, hodie Navicellæ dicto. Nam, ne quis miretur, alios habebat Roma milites, quàm qui castro prætorio claudebantur. Quid quod post destructum à Constantino castrum prætorium custoditum sit palatium à septem cohortibus Armeniorum, quibus & sua debebantur *hospitia*? Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 4. §. 1.

HOSTIA est victima, dicitur de parvis animalibus, ut ovibus, volucribus: victima de magnis, ut tauris. Plaut. Pseud. I. 3. 95.

Nolo victimas: minimis med' extis placari volo.

Arnob. VII. p. 223. *Quoniam volucres hostiarum quoque numero puniius.* Popm. Diser. Verb. II. p. 99. Scalig. in Catal. p. 233. Saubert. de Sacrif. c. 18. Adducta debebat esse *membris omnibus integra, indivisa, perfecta, sana, innocua, non mutila, non imperfecta, neque cornibus carens.* Pollux I. 1. §. 26. neque cauda. Aristoph. Acharn. III. 3. 35.

Dic. *Sacrificari isthac nequit.* Meg. *quodum nequit*
Sacrificari? cedo! Dic. *quia caudam non habet.*

Ubi Schol. *In Sacrificiis non mactantur, quæ cauda truncantur. Et in universum, quod integrum non est, atque sanum, diis non mactatur.* Unde victimas probandi mos extitit. Lucian. de Sacrif. p. 368. *Sertis coronant pecudem, multoque ante explorant, an legitima sit, & sacris idonea, ne quid fortè mactent ex iis, quæ religio repudiat: deinde ad aram adducunt, & sub oculis dii jugulant.* Hunc morem docet Virg. Æneid. IV. 57.

— mactant lectas de more bidentes.

Ubi

Ubi Servius: *Non vacat lectas. Moris enim fuerat, ut ad sacrificia eligerentur oves, quibus nihil deesset*. Virg. ibid. vi. 38.

Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit: totidem lectas de more bidentes.

Ubi Servius: *Intacto, id est, indomito, ut Georg.* iv. 540.

—— intacta totidem cervice juvencos.

De more, antiquo scilicet, quem prætermisit, ut omnibus notum, id est, ne habeant caudam aculeatam, ne linguam fissam, ne aurem nigram. Lomej. de Lustrat. c. 23. Turneb. Adv. xi. 1. Saubert. de Sacrif. c. 18. Brisson. de Form. i. p. 14. Stuck. de Sacrif. p. 112. Guther. de Jur. Pontif. iv. 20. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 461. Nec quilibet fœtus statim à nativitate censebatur ad sacrificium idoneus, sed requirebatur tempus immolationi conveniens. Varr. Re Rust. ii. 4. *Qui à partu decimo die habentur puri, ab eo appellantur ab antiquis sacres, quod tum ad sacrificium idonei dicuntur primum*. Brisson. ibid. p. 7. Saubert. & Lomej. l. l. Dicebatur probari. V. infr. in *Probari*. Ad aram ducebatur, non trahebatur. V. infr. in *Victima*. Ducebatur prælato titulo, cui scilicet deo esset mactanda. Suet. Aug. c. 59. n. 2. *Nonnulli patrumfamilias testamento caverunt, ut ab heredibus, prælato titulo, victima in Capitolium ducerentur*. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 2. Faber Semest. ii. 8. Et ad eam admovebatur. V. supr. in *Admoveri*. Admota dicebatur stare, interim dum vota conciperentur, eique vinum, ac mola inspergeretur. Illi verò verbo quædam placidæ quietis nota inest. Virg. Georg. ii. 195.

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

Mart. iii. 24. 1.

Vite nocens rosea stabat moriturus ad aras
Hircus, grata tuis victima, Bacche, sacris.

Plin. xxviii. 2. *Si repentè extis adimi vel capita, vel corda, aut geminari, victima stante, acciderit*. Brisson. l. l. Stuck. ibid. p. 161. Struv. ibid. p. 468. Si verò inter ducendum reluctaretur, aut admota aufugeret, dirum esse omen putabatur. Macrob. Sat. iii. 5. *Observatum est à sacrificantibus, si hostia, quæ ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetque, se invitam altaribus admoveri, amoveretur, quia invito deo offerri eam putabant*. Festus. V. illum supr. in *Auspicium piaculare*. Inter prodigia Pharsalicæ cladis hoc quoque ponit Lucanus laudatus supr. in *Admoveri*. Suet. Jul. c. 59. n. 2. *Quum immolanti aufugisset hostia, profectionem adversus Scipionem & Jubam non distulit*. Brouck. in Tibull. ii. 1. 15. Lomej. de Lustrat. c. 12. Cerda in Virg. Æneid. ii. 223. Merul. l. l. Kipping. Antiq. Roman. i. 12. §. 24. Pitisc. in Suetonium. Antequàm cæderetur, mola salsa conspergebatur. Serv. Æneid. x. 541. *Immolat, quasi victimam, ut ille consueverat, nam hoc verbo ad sacerdotis nomen allusit. Sane immolari propriè dicuntur hostiæ, non cum caduntur, sed cum accipiunt molam salsam*. Cato in Originibus ita ait: *Lavini boves immolatos, priusquam cæderentur, profugisse in sylvam*. Festus: *Immolare est mola, id est, farre molito, & sale hostiam perspersam sacrare*. Suetonius modò laudatus. Illa conspersa à victimario securi percutiebatur, sive feriebatur. Flor. ii. 5. 3. *Legatos nostros non gladio, sed, ut victimas, securi percutiunt*. Ovid. Trist. iv. 2. 5.

Candidaque adducta collum percussa securi
Victima purpureo sanguine tingat humum.

Met. vii. 428.

—— feriuntque secures
Colla torosa boum vinctorum cornua vittis.

Brisson. ibid. p. 16. Struv. ibid. p. 475. Saubert. de Sacrif. c. 18. Stuck. ibid. p. 12. 148. Merul. de Sacrif. c. 3. §. 2. & 6. Feith Antiq. Homer. i. 10. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 19. Kipping. l. l. Hering. de Molendin. q. 3. §. 15. Percussa, & in aram data mactari dicebatur. Serv. Æneid. iv. 57. V. illum infr. in *Mactare*. Inde quoties mola, vel thus, vel vinum super victimam fundebatur, clamabant: *mactus est taurus thure, vel vino*. Serv. Æneid. ix. 641. *Macte, id est, magis aucte, affectata gloria. Et est sermo tractus à sacris. Quoties enim aut thus, aut vinum super victimam fundebatur, dicebant: mactus est taurus vino, vel thure, hoc est, cumulata est hostia, & magis aucta*. Brisson. ibid. p. 18. Stuck. Ant. Conviv. ii. 37. de Sacrif. p. 148. 12. Voss. Instit. Orat. iv. 9. §. 9. Saubert. l. l. Struv. ibid. p. 463.

Hostiæ ambarvales dicebantur, quæ ambarvaliorum festo circum arva ducebantur. Festus: *Ambarvales hostiæ dicebantur, quæ pro arvis à duodecim fratribus sacrificabantur. Ambarvalis hostia est, quæ rei divinæ causa circum arva ducitur ab iis, qui pro frugibus faciunt*. Macrob. Sat. iii. 5. *Hinc nomen hostiæ acquisitum est ab ambiendis arvis*. De illis Virg. Georg. i. 345.

Terque novas circum felix eat hostia fruges.

Struv. Ant. Roman. c. 10. p. 464. Gyrald. Synt. deor. xvii. p. 487. G. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 4. Broukh. in Tibull. ii. 1. 15.

Hostiæ animales vocantur sacrificia, quibus aliquod animal sacrificatur. Hæc sacrificiis inanimalis, aut ex thure, aut ex visceribus crematis opponit Arnob. vii. p. 212. *Aut enim thus datur, & liquefactum carbonibus disperit: aut animalis est hostia, & ab canibus abligurritur sanguis: aut si aliquod viscus aris fuerit traditum, ratione ardescit pari, & dissolutum in cineres labitur*. Lomej. de Lustrat. c. 23. Brisson. de Form. i. p. 13. Etiam quibus sola anima deo sacratur. Macrob. Sat. iii. 5. *Trebatius de relig. i. docet hostiarum genera esse duo: unum, in quo voluntas dei per exta disquiritur: alterum, in quo sola anima deo sacratur, unde etiam aruspices animales has hostias vocant. Virgilius illud ostendit, cum facit Entellum victorem Erycis mactare taurum; non ut expleret animalis hostiæ causas, ipse usus est nomine:*

Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo.

Guther. de Jur. pontif. iv. 20. Turneb. Adv. xiv. 4. Gyrald. Synt. deor. xvii. p. 487. G. Merul. de sacrif. c. 2. §. 3. Quæ quidem observatio non caret vanitate. *Herald. ad Arnobium.*

Hostiæ arugæ, sive harugæ. V. illas supr. in *Haruga*.

Hostiæ caviares. V. illas supr. in *Caviaria*. Scalig. & Dacer. in Festum. Gyrald. Synt. deor. xvii. p. 487. C. Lomej. de Lustrat. c. 23. Struv. Ant. Roman. c. 10. p. 464. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 4.

Hostiæ circumferraneæ dictæ sunt, quia sacerdos eos aqua pura circumferebat, qui funeri operam dedissent. Apul. Met. iii. p. 71. *Tandem pererratis plateis omnibus, & in modum eorum, qui lustralibus piamentis minas portentorum hostiis circumferraneis expiant*. Sic lego apud scriptorem Africanum, in fingendis nominibus audacem, cum illas ipse *lustrales* vocet Apol. i. p. 483. Frustra enim circumforaneæ *hostiæ* ad expiationem notarentur, cum *hostiæ* ferè omnis à circumforaneis emi soleret. Nova quidem hæc vox videri potest, sed plura hujusmodi nova verba in Apulejo, ut in aliis scriptoribus Africanis, jam canescunt. *Guther. de Jur. man.* ii. 7.

Hostiæ eximiæ dicebantur, *quod in sacrificiis optimum pecus è grege eximebatur*. Festus. Donat. Hec. i. 1. 4. *Eximia pecora dicuntur, quæ à grege excepta sunt ad usus dominorum suorum, ut uberiùs pascantur. Sed propriè eximii sunt porci majores, qui ad sacrificandum excepti liberius pascuntur*. Verùm non de porcis tantùm, sed de quibuslibet *hostiis* eximium dici, ex Veratio docet Macrob. Sat. iii. 5. *Veratius in pontificiis quæstionibus docet eximias dictas esse hostias, quæ ad sacrificium destinatæ eximuntur à grege, vel quod eximia specie, quasi numinibus offerendæ eligantur*. Virg. Georg. iv. 538.

Quatuor eximios præstanti corpore tauros
Ducit.

Brisson. de Form. i. p. 13. Guther. de Jur. pontif. iv. 20. Struv. Ant. Roman. c. 10. p. 465. Gyrald. Synt. deor. xvii. p. 486. F. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 4. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14. Kipping. Antiq. Roman. i. 11. §. 12. Cerda in Virgilium. Mag. Misc. iv. 4.

Hostiæ injuges vocabantur, *quæ nunquam domitæ, aut jugo subditæ sunt*. Virg. Æneid. vi. 38. supr. in *Hostia* laudatus. Macrob. Sat. iii. 5. Et Senec. Thyest. ii. 299. requirit

Aris candidum tergo bovem
Curvoque nunquam collum
Depressum jugo.

Fulgent. Serm. Ant. expos. n. 10. *Manilius Chrestus libro, quem de deorum hymnis scripsit, ait Minerva injuges boves sacrificari, id est, jugum nunquam ferentes; illa videlicet causa, quod & virginitas jugum nesciat maritale, & virtus nunquam sit jugo prementi subjecta*. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 463. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 488. A. Merul. de Sacrif. c. 3. §. 3. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14. Kipping. Antiq. Roman. I. 11. §. 12.

Hostiæ lactentes, sive minores, opponuntur perfectis, & majoribus. Cicer. de Leg. II. 12. *Quibus hostiis immolandum cuique deo, cui majoribus, cui lactentibus*. Liv. XXII. 1. *Decretum, ut ea prodigia partim majoribus, partim lactentibus hostiis procurarentur*. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 464. Lomej. de Lustrat. c. 23. Brisson. de Form. I. p. 13. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 3.

Hostiæ lustrales dictæ sunt, quas censores lustro completo sollenni sacrificio offerebant. Serv. Æneid. VIII. 182. V. illum infr. in *Lustralia*.

Hostiæ majores dictæ sunt ab ætate. Harum sacrificia ex decreto senatus sæpiùs sunt facta. Liv. XXII. 1. *Decemvirorum monitu decretum est, Junoni majoribus hostiis sacrificaretur, & hac ubi facta, decemviri Ardeæ in foro majoribus hostiis sacrificarunt*. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 464. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 4. Serv. Æneid. XII. 170. *In rebus, quas volebant finiri celerius, senibus, & jam decrescentibus animalibus sacrificabant: in rebus verò, quas augeri, & confirmari volebant, de minoribus, & adhuc crescentibus immolabant*. Ascanius Jovi majorem vovet Æneid. IX. 627.

Et statuam ante aras aurata fronte juvencum
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem,
Jam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.

Lomej. de Lustrat. c. 23.

Hostiæ mediales dictæ sunt, quia meridie immolabantur. Festus: *Medialem appellabant hostiam atram, quam meridie immolabant*. Struv. Antiq. Rom. c. 10. p. 464. Merul. de Sacrif. c. 2. § 4.

Hostiæ optatæ dictæ sunt, quas ædilis constitutis hostiis immolandas optabat, sive eligebat. Festus: *Optatam hostiam, alii optimam appellant eam, quam ædilis tribunitius constitutis hostiis optat, quam immolari velit*. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 464. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 4.

Hostiæ piaculares piaculi luendi gratia cædebantur. Plin. Pan. c. 34. n. 4. *Quum velut piaculares publicæ sollicitudinis victimæ supra sanguinem noxiorum ad lenta supplicia, graviores que pœnas ducerentur*. Brisson. de Form. I. 1. p. 13. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 4. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 17. Qui non annotaverunt, cum de succidaneis loquitur, eas piaculares dictas: quod monet Plaut. Epid. I. 2. 36.

Men' piacularem fieri ob stultitiam tuam,
Ut meum tergum stultitiæ tuæ subdas succidaneum?

Guther. de Jur. pontif. IV. 20. Frustra. Nam ea erat differentia, ut omnes succidaneæ essent piaculares, non autem omnes piaculares succidaneæ. *Struv. Ant. Roman. c. 10. p. 464.*

Hostiæ præcidaneæ dictæ sunt, *quæ ante sacrificia sollennia pridie cædebantur. Porca etiam præcidanea appellata, quam piaculi gratia ante fruges novas fieri cœptas immolari Cereri mos fuit, si qui familiam funestam aut non purgaverant, aut aliter eam rem, quam oportuerat, procuraverant*. Gell. IV. 6. Et ita Festus. *Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 485. E. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 463. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 3. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 13. Thys. in Gellium*. Paullus verò ejus mutilator, *Præcidaneam porcam dicebant, quam immolare erant soliti ante, quàm novam frugem præciderent*. Qui non advertit, quid sit præcidanea, quid item succidanea. Præcidanea *hostia* imitabatur Græcorum προτέλειαν. Et quæ sunt Atteio feriæ præcidaneæ, Græcis est προτέλειος ἡμέρα, succidaneæ, τὰ δεύτερα ἱερεῖα. Et non à cædendo, sed à cedendo, pete e. *Scalig. in Festum.*

Hostiæ prodigæ *dicebantur, quæ consumuntur*: Festus. *Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 464. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 487. C. Brisson. de Form. I. p. 13. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 4.*

Hostiæ puræ dicebantur, quæ ad sacrificium aptæ. Varro in *hostia* laudatus. Festus: *Sacrem porcum dici ait Varrius, ubi jam à partu habetur purus. Suis fœtum sacrificio die quinto purum esse, pecoris die octavo, bovis tricesimo*, scribit Plin. VIII. 51. Et addit, *Coruncanium ruminales hostias, donec bidentes fierent, puras negavisse*. Et agnum *è Græco* ἁγνὸς, *quod significat castum: eo quod sit hostia pura, & immolationi apta*. Struv. Ant. Roman. c. 10. p. 461. Merul. de Sacrif. c. 2. §. 3.

Hostiæ regiæ dicuntur vel Regis animalia, vel pro Regis salute oblata, vel de Regibus victis capta. Nam etsi nomen Regis Imperatores Romani vitarunt, tamen quæ ad Imperatorem pertinerent, & Imperatoris erant, regia vocabantur. Hæc offert Aurelianus apud Vopisc. c. 20. *Quælibet animalia regia non abnuo, sed libens offera*. Nulla autem erant alia, quàm quæ inter animalia, uti Reges inter homines, excellebant; qualia erant leones, aquilæ, & similia, quæ ad Imperatorum sacrificia aliàs requirebantur; V. Capitolinum supr. in *Hecatombe*. Struv. Ant. Roman. c. 10. p. 465.

Hostiæ ruminales dictæ videntur fuisse sexus feminei, eædem ac mammatæ, cum mamma veteribus dicta rumen. V. Plinium supr. in *Hostiæ puræ*. Struv. Ant. Roman. c. 10. p. 464.

Hostiæ succidaneæ dictæ sunt, *quæ si primis litatum non erat, post easdem ductæ cædebantur: quæ, quasi prioribus jam cæsis, luendi piaculi gratia, subdebantur, & succidebantur: ob id succidaneæ nominatæ, litera i scilicet tractim pronuntiata: audio enim quosdam eam literam in hac voce barbarè corripere*. Gell. IV. 6. Festus: *Succidanea hostia appellatur, quæ secundo loco cædebatur, quod quasi succideretur, dicta. Quidam à succedendo, non à succidendo dictam putant*. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 486. A. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 463. Guther. de Jur. pontif. IV. 18. & 20. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 13. V. & supr. in *Hostiæ piaculares & præcidaneæ*.

HOSTILIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

HOSTILINA dicebatur *dea præfecta segetibus, cum novis aristis æquabantur, quas veteres hostire æquare dixerunt*. Augustin. de Civ. Dei IV. 8. *Tomas. de Donar. c. 26. Gyrald. Synt. deor. I. p. 141. E. Voss. de Idolol. II. 61. Stuck. de Sacrif. p. 35. Rhodig. Ant. Lect. XXIV. 30.*

HOSTIS Romana proprietate loquentibus peregrinum notat. Varr. de Ling. Lat. IV. 1. *Multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant: ut hostis. Nam tum eo verbo dicebant peregrinum qui suis legibus uteretur, nunc dicunt eum, quem tunc dicebant perduellem*. Cicer. de Offic. I. 12. *Equidem illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam mitigante: hostis enim apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant XII. tabulæ: adversus hostem æterna auctoritas esto*. Sic Petronius *hostile lignum* pro peregrè advecto in Apodix. Bell. Civ. n. 30. dixit. Et apud Plautum aliquoties *hostis* civi opponitur. Quo allusit Val. Flacc. IV. 159.

Hostis an externus fato delapsus ab oris.

Jam *hostes* dicuntur illi, cum quibus publicè bellum habemus. Cicer. Fin. V. 20. *Quotiescunque dicetur malè de se quis mereri, sibique esse inimicus, atque hostis*. Barth. Adv. XXII. 9. Morestell. de Divers. dier. Dialog. XIII. Tomas. de Tesser. hospital. c. 23. Augustin. de Famil. in Lucretia: ad leg. III. tab. §. 16. Ursin. ad easd. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1354. F. Alard. in Valerium. Rittersh. ad Leg. XII. tab. Clas. III. p. 3. c. 2. *Hostes* à senatu judicabantur qui contra patriam arma cepissent, vel à Republica defecissent, resque novas moliti essent. Cicer. Phil. III. 6. *Judicetur, non verbo, sed re, non modò non consul, sed etiam hostis Antonius*. Suet. Ner. c. 49. n. 2. *Legit se hostem à senatu judicatum*. Ulp. l. amission. §. 1. ff. de cap. minut. *Sed & hi, quos senatus hostes judicavit*. Brisson. de Form. II. p. 261. Nec provocationem ad ullum magistratum, aut ad populum habebant: nec erat, ut senatus judicium infirmare posset. *Manut. de Senat. Rom. c. 10.* In bello superati, quanquam in illos jure belli nihil non licebat, plerumque tamen mitiùs, & humaniùs habebantur pro eorum arbitrio, qui superiores extiterant: ut cædi,

& stragi

& ſtragi erepti, vitam quidem certè, ſed interdum & libertatem, atque commeatum, id eſt, abeundi ad ſua licentiam: ut Hiſpani, & Maſiniſſæ nepos à C. Scipione ad Carthaginem, ut Celtæ Romanorum ſocii ab Hannibale, integrumque ſtatum, & facultates impetrarent: vel ſinguli, vel etiam univerſi, ut Tuſculani, Æqui, Volſci, Sabini, Hernici, quos in civitatem etiam Romani acceperunt: &, aut nudi, hoc eſt, diſcincti, ereptis armis, teliſque cum aliqua ignominia, aut ſine ulla ſub jugum miſſione, certis legibus, atque conditionibus fœdere inter belli duces icto, quod ex jure gentium valeret. Ii, quibus vitæ ſolius facultas concedebatur, libertatis, bonorumque omnium damno mulctabantur, & in ſervitutem deducti priorem conditionem, & ſtatum permutabant, quod alieno dominio contra naturam ex jure gentium ſubjicerentur. *Fab. Semeſt.* II. 3. Interdum pro deridiculo habendi tondebantur. Prop. IV. 12. 38.

Quorum ſub titulis Africa tonſa jaces.

Claud. in Rufin. I. 379.

Tonſa comas imò barathri claudere receſſu.

Barth. Adv. VII. 15. & in Claudianum. Lyd. de Re milit. VI. 6. In prælio devictorum colla pedibus conculcabantur. V. infr. in *Pes*. Interemptorum cadavera propinquis petentibus ad ſepulturam reddebantur. Unde ad Cajum Gracchum Licinia uxor de inſepulto Tiberii fratris cadavere apud Plutarch. Gracch. p. 845. *Vigot improbitas, vis, & ferrum dominantur jam in ſubſelliis. Si apud Numantiam frater tuus occubuiſſet, cadaver petitis induciis reddidiſſent nobis.* Et Vibulenus gregarius quidam miles ad Blæſum caſtris Pannonicis ſub Tiberio præfectum in hæc verba erumpit apud Tacit. Annal. I. 22. 3. de patre ſuo per ipſius ſatellites jugulato: *Reſponde Blæſe, ubi cadaver abjeceris: ne hoſtes quidem ſepulturam invident.* Hoc ab Hercule ortum eſſe auctor eſt Plutarch. Theſ. p. 14. *Herculem hoſtibus principem mortuorum cadavera conceſſiſſe in iis, quæ de Hercule prodita ſunt, invenies.* Kirchm. Append. Fun. Rom. c. 4. Guther. de Jur. man. I. 6. Fab. Semeſt. II. 1. Aring. Rom. Subt. I. 4. §. 4. & 5. Interdum etiam ab ipſis victoribus ſepeliebantur. Galli Senones à Romanis recuperata Urbe. Varro. V. illum ſupr. in *Buſta Gallica*. Hanc humanitatem L. Cornelius Conſul Hannoni Carthaginenſium duci præſtitit. Nam cum is pro Olbia oppido fortiſſimè dimicans occubuiſſet, *corpus ejus è tabernaculo ſuo amplo funere extulit, nec dubitavit hoſtis exſequias ipſe celebrare.* Val. Max. V. 1. *Kirchm. ibid. c.* 5. Capita interdum à victoribus ferocioribus amputabantur, & in contumeliam haſtæ ſuffixa circumferebantur. V. ſupr. in *Caput*. Arma numini conſecrabant, & concremabant. V. ſupr. in *Arma*.

HOSTIUS, ut inquit Valerius, *fuit prænomen ejus, qui peregrè apud hoſtem*, mendosè hoſpitem, *natus eſſet*. Hoſtem appellatum fuiſſe apud veteres quemcunque peregrinum, dictum ſupr. in *Hoſtis*. Macrob. Sat. I. 4. eum *Hoſtum* vocatum fuiſſe ſcribit, qui primus in *hoſtico*, id eſt, in agro hoſtili procreatus eſſet. Hinc prænomen à tribus tantum uſurpatum fuiſſe reperi, à patre, avoque Tulli Hoſtilii Regis, & ab *Hoſtio* Lucretio Tricipitino conſule, quod omnibus literis in tabulis Capitolinis exaratum eſt. *Panvin. de Nom. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* II. *p.* 2027. *D. Sigon. de Nom. Roman. c.* 3. Legendum eſt autem *Hoſtus*. Hoc ex eo intelligi poteſt, quod Liv. IV. 30. *Lucretium Tricipitinum Hoſtum* vocat: & in conſulibus Capitolinis anno 336. ſcriptum eſt, P. LUCRETIUS HOSTI F. Macrobius etiam *Hoſtilii Hoſti filii* mentionem facit Sat. I. 6. *Sigon. l. l.*

HUM.

HUMATIO eſt ſepulturæ genus antiquiſſimum. Cicer. de Leg. II. 22. *Mihi quidem antiquiſſimum ſepulturæ genus id fuiſſe videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terræ corpus, & ita locatum, ac ſitum, quaſi operimento matris obducitur.* Minuc. Fel. p. 327. *Nec, ut creditis, ullum damnum ſepulturæ timemus, ſed veterem, & meliorem conſuetudinem humandi frequentamus.* Lactant. VI. 12. *Quin etiam non defuerunt, qui ſupervacaneam facerent ſepulturam, nihilque eſſe dicerent, tſſe mali, jacere inhumatum, atque abjectum. Quorum impiam ſapientiam cum omne humanum genus reſpuit, tum divinæ voces, quæ id fieri jubent. Verùm illi non audent dicere, id non eſſe faciendum, ſed ſi forte non fiat, nihil eſſe incommodi. Itaque in ea re non tam præcipientium, quam conſolantium funguntur officio; ut ſi fortè ſapienti id evenerit, ne ſe ob hoc miſerum eſſe putet. Nos autem non, quid ſapienti ferendum ſit, dicimus; ſed quid facere ipſe debeat. Itaque non quærimus nunc, utrumne tota ſepeliendi ratio ſit utilis, nec ne: ſed hæc, etiamſi ſit inanis, ut illi exiſtimant, tamen facienda eſt, vel ob hoc ſolum, quod apud homines benè, & humanè fieri videtur. Animus enim quæritur, & propoſitum ponderatur. Non enim patiemur, figuram, & figmentum Dei feris, & volucribus prædam jacere; ſed reddamus terræ, unde ortum eſt.* Guther. de Jur. man. II. 17. Elmenhorſt. in Minucium. Calcagn. Collect. Vetuſt. p. 380. Kirchm. de Funer. III. 21. Nicol. de Sepulcr. Vet. II. 3. 1. & 2.

HUMERUS dexter ſi ſalierit, utilitatem ſignificat artifici manuali in opere ſuo, ſervo utilitatem, & mortem domini ſui, virgini nuptias, viduæ luctum, mercatoribus utilitatem, gubernatori bonum iter, mulieri gaudium. Sin autem ſiniſter, inſidias à muliere illatas ſed ſalutares portendit. *Niphus de Augur.* I. 9. Dextrum unà cum brachio exertum communis recentior habitus habuiſſe haudquaquàm videtur. Ideò Quintil. XI. 3. *Tum ſinus injiciendus humero, cujus extremam oram rejeciſſe non dedecet.* Ideò Curius Fortunatianus: *Sinus ab humero poteſt labi.* Quod non poteſt niſi de dextro intelligi: nam ad ſiniſtrum *humerum* nulla pars ſinus patet. Iterum Fabius poſt illa verba: *Operiri humerum cum toto jugulo non oportet: alioquin amictus fiet anguſtus.* Non totum jugulum vult unà cum *humero* operiri: vult ergo ipſum *humerum* operiri: nam pars juguli *humero* planè nudo operiri nulla poteſt. Præterea Tertull. de Pall. c. 5. ait *umbonis ambitum, unde ſinus naſcitur, retrahi à ſcapulis*. Eſt ergo in ſcapulis aliquod tegimen, unde *retrahitur* (non dixit, *detrahitur*, ut oſtendat aliquid in *humero* manere) illud circa umbonem unde naſcitur ſinus. Denique veteres ſtatuæ id liquidò oſtendunt. *Gronov. Epiſt. ad Rhedium apud Ferrar. de Re Veſt.* I. 1. 39. Sed id nummi veteres quorum non exigua apud me copia, tum ſtatuæ omnes quas Venetiis vidi, quaſque Boiſſardus dedit, id mani feſtè evincunt. In nummis præcipuè Adlocutiones omnes Congiaria, Reſtitutiones provinciarum, quæ plurimæ in Adriani numiſmatis hunc habitum repræſentant. Negas id Quintiliani ætate factum. Atqui ipſe tradit veteres more Græcorum veſte brachium continuiſſe, ergo ipſius ævo exerebatur. Quomodo autem exeri velato *humero* commodè potuerit, non video, etiamſi nullæ ſtatuæ, aut nummi id oſtenderent. Imò non niſi exerto *humero*, ac brachio ſinus in toga efficiebatur. *Nam veteribus*, inquit Rhetor, *nulli ſinus: perquàm breves poſt illos fuerunt. Itaque etiam geſtu neceſſe eſt illos in principiis uſos eſſe alio, quorum brachium ſicut Græcorum veſte continebatur. Sed nos de præſentibus loquimur.* Cur nulli, aut perbreves veteribus ſinus? quod brachium more Græcorum veſte cohibebant, ſive non exerebant. Exerto humero, ac brachio, quod tunc fiebat, pars togæ, quæ olim brachium, & *humerum* velabat delapſa, & brachio ſubjecta, cadenſque in pectus ſinum efficiebat. Quid clariùs iis verbis: *Ille qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum obliquè ducitur velut balteus?* Paullò antè dixerat: *Sinus decentiſſimus, ſi aliquanto ſupra imam togam fuerit, nunquam certè ſit inferior.* Subjicit: *Ille*, id eſt, ſinus, *qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum obliquè ducitur.* An poteſt pars togæ eſſe ſub dextro *humero*, & *humerum* velare? Nullus cohibito brachio ſinus, qui exerto fiebat. Cum ergo addit, *humero ſinum injiciendum*, de dextro accipi non poteſt. Quid enim injiceretur, ſi tectus *humerus* erat? Deinde quis credat partem togæ poſteriorem ad ſcapulas ſinum appellari? Nec aliter injici poterat, quam reducto intra togam brachio, quod ſinum penitus deſtruxiſſet. Sinus ergo, hoc eſt, pars togæ, quæ ſiniſtrum

humerum, brachiumque velabat, cum sæpè delaberetur, & *humerum* renudaret, erat *humero* injicienda, & sedi suæ reddenda. *At si*, inquit Rhetor, *incipientibus, aut paullum progressis decidat toga, non reponere eam prorsus negligentis, aut pigri, aut quomodo debeat amiciri nescientis est.* Quod ait Curius: *Sinus ab humero potest labi.* Quare & illa: *Operiri jugulum cum toto humero non oportet* .... de sinistro pariter capienda. Vult enim partem togæ, quæ *humero* labebatur, reduci in *humerum*, eumque velari, sed non cum eo etiam jugulum, ne angustior fieret amictus, & strangularet magis ita conjecta, quàm operiret. Quod puto innuisse Tertullianum: nam dilapsa in brachium sinistra togæ parte, & renudatis scapulis, retrahendum posterioris umbonis ambitum, ut sinister *humerus* iterum operiretur. Vel, si aliud intellexit, parum ad rem nostram, qui vulgares habitus exequimur, & non quos ille Rhetoricè de suo commentus est. Quare non modò pars sinus ad sinistrum *humerum* pertinebat, sed nihil aliud sinus superior fuit, quàm pars togæ, quæ dextro brachio subjecta, ad sinistrum *humerum* recurrebat, extrema ejus parte ad pectus cadente, quam sinum vult esse decentissimum Quintilianus. *Si aliquanto supra imam togam fuerit*, id est, non ultra togæ oram inferiorem protendatur, quod aliquando eveniebat in togis laxis, ac fusis, quarum sinus longiùs fluebat, contra in angustis etiam brevior cadebat. *Ferrar. Epist. ad Gronovium de Re Vest.* I. 1. 39.

HUN.

HUNNORUM gens omnium, qui Imperium Romanum sunt conati exscindere, sævissima, quam Theodosius per Pannoniam se diffundentem devicerat, & trans Danubium rejecerat, iterum Istro trajecto Pannoniam omnem, Daciam, Mœsiam, Noricum, Rhætias, Illyrici & Thraciæ partem, Theodosio mortuo occupavit. Hujus gentis Reges fuerunt Supthar, Rusila, Bleda, & generis humani, orbisque flagellum Attila, qui Romano Imperio sub Valentiniano tertio ingentes intulit calamitates, urbes excidit, provincias devastavit, & omnia igni, ferroque consumpsit, Thraciam, & Illyricum sævissima populatione vexavit, omnia præter Perinthum & Adrianopolim cepit. Macedoniam postbæc, Mœsiam, Achajam, Græciam omnem populatus est. Non contentus his provinciis, quas majores sui Imperio Romano eripuerant, fortissimarum gentium, quas debellaverat, præsidio fretus, animum ad occupandum totum occidentis imperium intendit. In Gallias transgressus, memorabili prælio in campis Catalaunicis ab Æsio patricio, adjuvantibus Meroveo Francorum, & Theoderico Visigothorum Regibus victus, in Pannoniam redire coactus est. Reparatis viribus, quum expeditionem in Italiam edixisset, & Aquileja capta, & diruta, Venetiam omnem devastasset, dum ultrà progredi pararet, obvium habuit Leonem papam pro pace a Valentiniano missum, cujus precibus exoratus, relicta Italia in Pannoniam reversus est. Ubi, dum rerum in Italiam redire pararet, morte repentina decessit. Post cujus obitum *Hunnorum* Imperium paullatim labefactari cœpit, quum Ostrogothi, Gepidæ, Heruli, Marcomanni, Turingi, Suevi, Quadi, Rugi, & septemtrionales alii populi ab eo defecissent. Quibus rerum tumultibus ab Ostrogothis victi Pannonia, & finitimis regionibus, quas Romanis antiquitus ereptas longo tempore tenuerant, ejecti sunt, & in Scythiam fugati. *Panvin. Imp. Roman.* c. 28.

HYA.

HYENA in Africa nascitur. Solin. c. 30. *Hyænam mittit Africa, cui non spina riget collum, continuatum ut se flecti nequit, nisi toto corpore circumacto.* Exhibebatur in ludis, & venationibus. Capitol. Gordian. c. 33. *Fuerunt sub Gordiano Romæ belbi, id est, hyænæ decem.* Panvio. de Lud. Circens. II. 3. & ad illum Argolus.

HYALOSTROTUM erat pavimentum, factum è particulis vitri, variis & diversis coloribus tincti. *Cocree Antiq. Biblic.* v. 6.

HYB.

HYBERNA veteres illi & prisci Romani diu ignoraverunt, continentia quidem cum accolis bella, sed tamen ita gerere consueti, ut hyeme quasi à rerum natura, & tempore anni induciis factis dimitterent semper militem, in domosque, & tecta sua reducerent. Obsidione Vejorum anno ab U. C. circiter 348. primùm instituta *hyberna*. Liv. v. 2. *Quum spes major Imperatoribus Romanis in obsidione, quàm in oppugnatione esset, hybernacula etiam, res nova militi Romano, ædificari cœpta.* Et quia nova, eoque gravis, *stipendiis*, ut ait Flor. I. 12. 8. sunt *taxata*. Servabatur tamen diu post illa tempora, quoties licebat, mos antiquos, & hybernacula adeo in promiscuo usu tunc non erant, ut etiam pro pœna irrogarentur. Frontinus: *P. Valerio consuli senatus præcepit exercitum ad Sirin victum ducere Setinum, ibique castra munire, & hyemem sub tentoriis exigere.* Bello Punico II. militum, qui ex Cannensi prælio fugerant, ignominiæ hoc legitur inter cætera adjectum apud Liv. XXVI. 1. *Ne in oppidis hybernarent, neve hyberna propius Urbem decem millibus passuum ædificarent.* Equidem mali moris, solutæque disciplinæ semper habitum, equitem, non tantum peditem, per oppida, vicos, aut villas spatium, sub tectis, & in umbra æstiva agere. Ostendit hoc P. Scipio Africanus, cui cum relatum esset benè magnum Carthaginensium equitatum per æstatem sub tectis contineri, *Sint*, inquit, *vel plures, dum talem habeant ducem.* Tam mollis, effeminatique animi, tam corruptæ licentiæ maximo Imperatori videbatur, quod hodie in morem vertit, equites æstivo anni tempore domos circumspicere, & recessum, ut quantumvis multitudinem adoriri non dubitaverit, nec sibi magnoperè inquirendum de eorum numero putaverit, quos tam molliter haberi comperisset. Proprio enim rerum agendarum, & ipsius quodammodo virtutis tempore alibi quàm sub dio, aut pellibus habitare, quid nisi dedecus, nisi flagitium rei militaris æstimarent homines in castris educati, in iisque tantum rei bene gerendæ momentum ponentes? Solebant autem ferè remittere aliquid de virtute, nec vulgaris duritiæ habebantur, ne hyeme quidem domos subire. Jactantia erat Ariovisti: *Invictos Germanos, exercitatissimos in armis, intra quatuordecim annos tecta non subiisse.* Sed postquàm longinqua, & gravia bella procul à domo traxere, militem, militiamque perennem fecere nullo præstituto militandi tempore, nisi quis legitimorum stipendiorum esset, aut bello confecto domum reduceretur: non rarò disciplinæ interfuit, ut tam hyeme, quàm æstate in castris continerentur, quo semper velut in procinctu adversus hostem stantes, neque insidiis locum præberent, neque hosti laxamenti aliquid darent ad respirandum, viresque recolligendas; simul ut inter externos, & sæpè pessimos mores remoti ab oppidorum, vitiorumque contactu sanctiùs, & incorruptiùs agerent. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* X. p. 1109. *F. Lips. de Milit. Rom.* V. *Dial.* 1. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. 4. *Stewech. in Veget.* I. 3. *Pigh. Annal. Rom.* I. p. 209. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 3.

HYRBIDA fuit appellatus Q. Varius tribunus plebis. Val. Max. VIII. 6. 4. *Q. autem Varius propter obscurum jus civitatis hybrida cognominatus, tribunus plebis legem adversus intercessionem collegarum perrogavit.* Plin. VIII. 53. *In nullo genere æquè faciles mistura cum fero, qualiter natos antiqui hybridas vocabant, seu semiferos, ad homines quoque, ut in C. Antonium Ciceronis in consulatu collegam appellatione translata. Non in suibus tantum, sed in omnibus quoque animalibus cujuscunque generis ullum est placidum, ejusdem invenitur & ferum.* Horat. Sat. I. 7. 1.

Proscripti Regis Rupili pus atque venenum
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
Omnibus & lippis notum & tonsoribus esse.

Quo loco Acro aquilas quoque ex vulture & aquila ita appellari scribit, item canes ex venaticis & gregariis natos.

101. *Augustin. de Leg. in Varia. Paleot. de Noth. & spur. c. 17. n. 6. Heuter. de Liber. homin. natiu. c. 7. §. 3.*

HYD.

HYDRAULÆ dicebantur organarii, sive qui *hydraulicis* instrumenta tractabant. L. 4. C. de excusf. mun. *Hydraulæ munerum civilium immunitatem sibi jure concessam minimè approbare possunt.* Veteres glossæ: τ' ὑδραύλαι, organarius. Suet. Ner. c. 54. n. 1. *Proditurum se parta victoria ludis etiam hydraulam.* Petron. c. 36. *Ut putares Darium hydraule cantante pugnare.* Bartholl. de Tib. Vet. III. 7. Pignor. de Serv. p. 176. Pancirolli. de Reb. deperd. & inv. p. 260. & ad illum Salmuth. Pitisc. in Suetonium.

HYDRAULICA poteft dici unaquæque machina, qua aqua per fiftulas fubducitur. Vox enim eft ex αὐλὸς, id eft, tibia, aut fiftula, & ὕδωρ, aqua. Si ergo Latinè interpretareris, unico vocabulo diceres machinam aquafiftulatam. Quod quamvis ita fit, ufus tamen apud peritos mechanicos obtinuit, ut de particulari machina diceretur, per quam aqua vento, qui aquæ motu creatur, preffa, per fiftulas in fublime pellitur, & fonum edit. Defcribit illam pluribus integro capite Vitruv. x. 12. & hoc caput explicat Turneb. Adv. II. 22. Invenit verò Ctefibius Alexandrinus. Vitruv. IX. 9. *Ctesibius, cum animadvertisset, ex tactu cæli, & expressionibus spiritus, vocesque nasci, his principiis usus, hydraulicas machinas primus instituit.* Plin. VII. 37. *Ctesibius pneumatica ratione, & hydraulicis organis repertis.* Bald. Lex. Vitruv. Buleng. de Theatr. II. 32. Bartholl. de Tib. Vet. III. 7. Pignor. de Serv. p. 176. Salmas. in Lamprid. Anton. Heliog. c. 32. Exerc. Plin. p. 449. b. E. Pancirolli. de Reb. deperd. & inv. p. 260. & ad illum Salmuth. Lampe de Cymbal. III. 17. Savar. in Sidon. Epift. I. 2. Perfecit Archimedes. Tertull. de Anim. c. 14. *Specta portentosissimam Archimedis munificentiam, organum hydraulicum dico, tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocum, tot compendia sonorum, tot commercia modorum, tot acies tibiarum, & una moles erunt omnia.* Pitisc. in Suet. Ner. c. 41. n. 7.

HYDRAULIS fuit genus tibiæ, vel fiftulæ, cujus canales aqua infpirabantur. Athen. IV. p. 174. B. *Hoc musicum instrumentum hydraulis, sive repenas inter ea, quæ fidibus tenduntur, sive ea, quæ inflantur, inventum est nostratis Alexandrinus, tonsoris arte, cui Ctesibius nomen fuit.* Salmas. Exerc. Plin. p. 449. b. E.

HYDRELÆUM cum Græcis appellamus aquæ, & olei mixturam. Quo medicamenti genere in balneis fæpiffimè utimur, & quando maximè diu humorem, vel aquæ qualitatem inhærere corpori volumus. Ut in exficcatis, & fqualidis ufu evenit: cum enim aqua ex fui natura madefaciens, atque humectans actionem non obtineat diuturnam, leniter prodeft: cogit verò oleum fui tenacitate plurimùm eam inhærere particulæ, cui opus eft. Partium verò mixtionis hujus non eft certa menfura: cum & pro affectus qualitate, & prout collibitum fuerit, in capaci aquarum pelvi admixto oleo temperari poffint. *Baccius de Therm. Vet. c. 32.*

HYDRIA eft vas aquarium. Johan. c. 2. n. 7. *Implete hydrias aqua, & adferte architriclino.* Cicer. Verr. II. 19. *Dicebant hydrias argenteas Verri datas esse.* Illa utebantur etiam ad ferenda fuffragia. Cicer. ibid. c. 51. *Quot essent renuntiati, tot in hydriam sortes conjicerentur: cujus nomen exisset, ut is haberet id sacerdotium.* Baccius de Vio. & Conviv. IV. p. 170. Voff. Lex. Etymol. Bayf. de Vafcul. Thef. Ant. Græc. Gronov. IX. p. 697. C. Cenal. de Pond. & menf. 1st. Thef. Ant. Rom. Græv. XI. p. 1475. A.

HYDROGARUM inter veterum fuit cupedias. Sciunt hoc omnes, qui Græcos & Romanos fcriptores non ignorant: ut minimè fit mirum Romanos in publicis epulis ab iftis lautitiis abftinuiffe. Ejus ut luxuriofæ rei meminit Lamprid. Heliog. c. 29. *Hydrogarum Romanorum ducem primus publice exhibuit, quum ante a militaris mensæ esset, quam postea statim Alexander reddidit.* Salmas. in Lampridium. Nonn. de Re cib. III. 44. Buleng. de Conviv. II. 43.

HYDROMELI eft genus aquæ mulfæ, ex imbre puriffimo, & melle temperatum. Plin. XIV. 17. *Fit vinum & ex aqua ac melle tantum. Hoc vocatur hydromeli, & vetustate saporem vini assequitur, nusquam laudatius quàm in Phrygia.* XXXI. 6. *Hydromeli quoque ex imbre puro cum melle temperabatur quondam, quod daretur appetentibus vinum ægris, veluti innocentiore poto.* Plautus *mellinam* putatur vocare Pfeud. II. 4. 51. ubi jungit:

Murrhinam, passum, defrutum, mellinam.

Paradi diverfos modos præter Plinium habent Colum. XII. 12. Diofcor. v. 9. Pallad. VII. 7. *Voss. Lex. Etymol. de Idolol. IV. 79. Meibom. de Cerev. Vet. c. 20. Buleng. de Conviv. III. 18.*

HYDROMYLÆ funt molæ aquatiæ. Vitruv. x. 10. *Eadem ratione versantur hydromylæ.* Ita enim legendum, non hydraulæ: loquitur enim de tympanis aquariis ad molendam farinam. *Turneb. Adv. III. 7. Salmas. Exerc. Plin. p. 416. B. in Lamprid. Heliog. c. 24. Bald. Lex Vitruv.*

HYG.

HYGIAS filius fuit Æfculapii. Cujus ope quifpiam, cum pedibus forfan laboraffet, fanitate recepta appendit tabellam pedes exhibentem additis literis H. D. id eft, *Hygiæ donum.* Aut miles aliquis Romanus, qui Annibalis fævitiam evafit, dum cæteri captivi pedibus mutilati dimitterentur. Quod à Val. Max. IX. 2. ext. 2. notatum reperio. Spectatur hæc tabella Romæ apud Johannem Cafalem in candido marmore. *Tomas. de Donar. c. 7.*

HYL.

HYLAS fuit hiftrio, difcipulus Pyladis. Macrob. Sat. II. 7. *Pylades Hylam discipulum usque ad æqualitatis contentionem eruditione provexit: populus deinde inter utriusque suffragia divisus est. Et cum canticum quoddam saltaret Hylas, cujus clausula erat magnum Agamemnonem, sublimem, ingentemque Hylas velut metiebatur. Non tulit Pylades, & exclamavit è cavea: tu procerum, non magnum facis. Tunc populus eum coegit idem saltare canticum: cumque ad locum venisset, quem reprehenderat, expressit cogitantem, nihil magis ratus magno duci convenire, quàm pro omnibus cogitare.* Buleng. de Theat. I. 51.

HYLERNA fuit locus Tiberi vicinus cum luco. Ovid. Faft. VI. 105.

Adjacet antiquus Tiberino lucus Hylernæ:
Pontifices illuc nunc quoque dona ferunt.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 2. Donat. de Urb. Rom. III. 13. Ariog. Rom. Subt. III. 1. §. 3. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 3.

HYM.

HYMEN eft membranula in natura muliebri: quæ fcinditur virginibus primo quoque Veneris tentamento, atque aditu. *Scalig. Poet. I. 50. Voss. Lex. Etymol.*

Hymen, five *hymenæus* eft carmen nuptiale. Τὸ γαμήλιον ἆσμα Pollux III. 3. §. 4. γαμικὸν ὕμνον Suidas vocant: & τὸ τοῖς γαμοῦσι ἐπᾳδόμενον interpretatur Hefychius, *Hymenis* voce iic ufus eft Stat. Sylv. I. 2. 23.

Ergo dies aderat Parcarum conditus albo
Vellere, quo Stella, Violantilleque professus
Clamaretur hymen.

Hymenæi Terent. Adelph. v. 7. 6.

— *Verum hoc mihi mora est.*
Tibicina, & hymenæum qui cantent.

n. 8.

— *missa hac face,*
Hymenæum, turbas, lampadas, tibicinas.

Voff. Lex. Etymol. Bartholin. de Tib. II. 12.

HYMENÆUS deus nuptiarum eft habitus. Pingebatur, ut ex Catull. LXI. 5 — 10. facilè colligimus, coronatus

floribus, & amaraco, dextra facem tenens, sinistra flammeum, in pedibus croceos soccos habens. Seneca sic effinxit Med. I. 67.

Et tu qui facibus legitimis adest,
Noctem discutiens auspice dextera,
Huc incede gradu marcidus ebrio,
Præcingens roseo tempora vinculo.

Gyrald. Synt. deor. IV. p. 131. A. Sunt, qui putent, ex Libero, & Venere genitum, certarum nuptiarum auctorem fuisse, & inventorem; atque ob hoc meritum increbuisse consuetudinem acclamandi in nuptiis *Hymenæe*. Ita Donat. Adelph. V. 7. 7. Quidam apud Proclum in Chrestomathia, & Tzetzem Chil. XIII. 396. prodidere, Terpsichoræ filium *Hymenæum*, mox ducta uxore, è thalamo evanuisse: ideòque propter illius investigationem, ac desiderium fuisse à priscis institutum, ut in nuptiis acclamaretur. Narrant alii, juvenem quendam, *Hymenæum* appellatum, ipso nuptiarum die, ruina domus oppressum, interiisse: expiationis autem causa cœptum ex eo tempore in nuptiis *Hymenæi* nomen frequentari, & acclamari. Sed Serv. Æneid. I. 655. *hoc falsum est*, inquit, *nam vitari magis debuit nomen extincti. Sed hoc habet veritas. Hymenæus quidam apud Athenas inter bella sævissima virgines liberavit: quam ob causam nubentes ejus invocant numen, quasi liberatoris virginitatis*. Ex hoc placet Terent. l. l. & aliis apud Proclum & Tzetzem, fusiùsque explicat Lactant. Stat. Theb. III. 283. Proclus verò, in cujus sententia ego acquiesco, quid de hac voce, & consuetudine ipse sentiat, aliorum sententiis prolatis, subjicit ista: *Ego vero felicis vitæ acclamationem esse puto, præsentibusque fidam matrimonii societatem cum mutuo amore comprecari; Æolica dialecta votum innectendo, quasi ὑμήναιον, & ὁμονοεῖν, id est, una habitare, & eadem sentire, eos concorditer viventes optarent*. Ferrar. de vet. acclam. & plaus. VII. 14. Gyrald. ibid. D. . . . . Feith Antiq. Homer. II. 14. Potter. Archæol Græc. IV. 11. Scalig. Poet. I. 50. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Imperat. Rom. III. 17. Calcagn. Equitat. p. 564. Laurent. de Spons. & nupt. c. 1. Casal. de Rit. nupt. c. 1. Acclamabatur, cum in domum viri nova nupta deduceretur. Plaut. Cas. IV. 3. 1.

Age tibicen, dum illam educunt huc novam nuptam foràs,
Suavi cantu concelebra omnem hanc plateam Hymenæo.
Io Hymen, Hymenæe, io hymen.

Catull. LXI. 120.

—— sed abit dies,
Prodeas nova nupta:
Tollite, ò pueri, faces;
Flammeum videor videre.
Ite, concinite in modum,
Io Hymen, Hymenæe Io,
Io Hymen Hymenæe.

Ferrar. ibid. c. 15. Et quidem à tibicine, ut Plautus, & pueris, ut Catullus modò laudati dicunt. Non enim Catullus negat, quin tibicen: neque Plautus, quin pueri adhiberentur; nimirum pueri ad tibicinem modulatè canebant *Hymenæum*. Terentius enim supr. in *Hymen* laudatus apertissimè mentionem facit tibicinæ, & aliorum, puerorum scilicet, ut ego interpretor, qui ad tibicinam concinnè canerent *Hymenæum*. Nec officit nostræ interpretationi, quod tibicinam dicat Terentius, Plautus tibicinem; nam sicut hodie, item & olim, promiscuè tam feminæ, quàm mares, & tibiis, & fidibus, & cæteris musicis instrumentis canebant. *Ferrar. l. l. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 9.*

HYMNUS erat genus cantus, qui in sollennioribus deorum sacris, ac celebritatibus potissimùm obtinebat. *Feith. Ant. Homer. IV. 4.* Interea dum sacrorum sollennium vigiliis populus ante lucem ad templa veniret, *hymni* à sacerdotibus publicis decantabantur, collatis ad tibiam vocibus, quas *exercitationes deorum* Arnob. VII. vocat. Pontifex interea pulvinaria pertransibat, hisque verbis utebatur, *vigilasne deum gens?* In *hymnis* autem intercalaris versus frequenter post aliquantulos interponebatur, quem pro-

pius vero est in hujusmodi cantibus à populo fuisse repetitum. *Guther. de Jur. pontif. IV. 1.*

HYP.

HYPÆTRÆ ambulationes erant apertæ, subdiales, sine tecto, aeri expositæ. Vitruv. V. 11. *Proximè xystum, & duplicem porticum designentur hypæthræ ambulationes, quas Græci παραδρομίδας, nostri xysta appellant: in quas per hyemem ex xysto sereno cœlo athletæ prodeuntes exercentur*. c. 9. *Ita duas res egregias hypæthræ ambulationes præstant, unam in pace salubritatis, alteram in bello salutis*. Philand. in Vitruvium. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 1. Guther. de Jur. man. II. 30. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 12. Bud. in Pandect. p. 96. E. Alex. Gen. III. 9.

Hypæthra ædes erant cœlo expositæ, ut liber in illas aer ingressum haberet. Vitruv. I. 2. *Ædificia sub divo, hypæthraque constituuntur*. Nos loca ejusmodi aperta, seu scoperta appellamus, qualia sunt cavædia displuviata, & peristylia in cœnobiis, & aliis. *Bald. Lex. Vitruv.*

HYPOCAUSTUM est locus in balneo sub pavimento concameratus, vacuus, in quo succenso igne calidus vapor conceptus in superiora emittitur. Vitruv. V. 10. *Sic enim efficietur, ut in vasario ex hypocausto communis sit usus eorum utrorumque. Ahena supra hypocaustum tria sunt componenda, unum caldarium, alterum tepidarium, tertium frigidarium: & ita collocanda, ut ex tepidario in caldarium, quantum aquæ calidæ exierit, influat, de frigidario in tepidarium ad eundem modum: testudinesque alveorum ex communi hypocausti calefacientur*. Plin. Epist. II. 17. 23. *Applicitum est cubiculo hypocaustum perexiguum, quod angusta fenestra suppositum calorem, ut ratio exigit, aut effundit, aut retinet*. Si Latinè vocabuli vim reddere velles, haud improbè diceres *subincensum*. *Vaporarium* vocat Cicer. Fratr. III. 1. *Vaporarium, ex quo ignis erumpit, est sub tectum cubiculi*. Bald. Lex. Vitruv. Philand. in Vitruvium. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 1. Mercur. Gymnast. I. 10. Salmuth in Pancîroll. de Reb. deperd. & inv. p. 133. Grapald. de Part. dom. I. 10. §. 5. Baccius de Therm. vet. c. 9.

HYPOGEUM est ædificium subterraneum, arcuato opere extructum: ut cellæ vinariæ, oleariæ, & ejusmodi. Vitruv. VI. 11. *Sin autem hypogea, concamerationes que instituentur*. Philand. in Vitruvium. Bud. in Pandect. p. 149. C.

Hypogeum erat etiam camera subterranea reponendis defunctorum cadaveribus, & sarcophagis. Inscriptio:

D. M.
FULVIUS CHARISIUS IN HYPOGEO
INSTRUXIT N XIII SIBI ET SUIS LIB....

Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. IX. p. 291. Illa monumenta fuerunt apud Græcos, ubi corpora integra condere cœperunt. Petron. c. 71. *In conditorium etiam prosequuta est defunctum, positumque in hypogeo Græcorum more corpus custodire, ac flere totis noctibus, diebusque cœpit*. Salmas. Exerc. Plin. p. 849. b. F. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 3. Gonsal. in Petronium. Gyrald. de Var. sepel. rit. c. 2. & Faes in illum.

HYPOPODIUM erat instrumentum balneatorium apud Paull. Sent. III. 7. nimirum suppedaneum, quod cum scamnis meritò conjungit Ictus. *Chimentell. de Hon. bisell. c. 25.*

HYPORCHEMA erat canticum, quod gestibus, & motibus saltantis repræsentabatur. Athen. IV. p. 181. B. *Inde vocantur Cretensia hyporchemata*. Vetus Epigramma:

O quoties imitata meo se femina gestu
Vicit, & erubuit, totaque mota fuit.
Motibus, ac dictis, tragica quoque voce placebam,
Fingebam vultus, habitus, ac verba loquentum,
Ut plures uno crederer ore loqui.

Buleng. de Theat. I. 51.

HYPOSCENIUM erat in magnificis theatris sub proscenio, illo aliquantò depressius, ad quod per gradus descendebant. *Scalig. Poet. I. 21.* Columnis, & sigillis ornatum, obversum theatro, sub legio situm. *Buleng. de Theat. I. 22.*

HYP.

HYPSÆUS fuit cognomen Plautiorum. Et illorum C. Plautius C. F. C. N. *Hypsæus* consul fuit anno ab U. C. 406. & 412. Volscos vicit, Privernum cepit. L. Plautius *Hypsæus* prætor anno 605. malè adversus Viriatum in Hispania pugnavit. M. Plautius *Hypsæus* consul fuit anno 628. Hunc cum conjuge Orestilla in rogum impositum tredit Valer. Max. IV. 6. P. Plautius *Hypsæus*, quæstor aliquamdiu Pompeji, consulatum petiit cum P. Scipione, & T. Annio Milone: sed, cum ob perditas ipsorum contentiones comitia haberi non possent, honore frustratus est, Pompejo sine collega consule creato. Huic ambitus reo, genibus provoluto, supplicantique, ut se ab imminentis judicii periculo liberaret: *facesse hinc*, dixit, *neque mihi cœnæ tempus exime*. Sed nimis superbè, & insolenter ad eum, qui & amicus esset, & quæstor suus fuisset. Val. Max. IX. 5. 3. *Glandorp. Onomast. p. 681. Augustin. de Fam. Rom. in Plautia. Strein. de Gent. & Fam. in Plautia. Ursin. & Patin. Fam. Rom. in Plautia.*

I.



Pro E subinde in veteribus libris, & lapidibus irrepsit. *Consipium* de Fragm. Ennii, & apud Festum Pauli, l. 3. in saxis. *Aurilia, Jabolina, mancips, Missus* pro *Messius* in 2. 256. *Spindon, Senicio, Simpronia, Viratoa* in lib. not. Tir. *Horcistipolis* pro *Orchestopolis*, *cantilina*, *triclimastis*, *Archimedis*, nominandi casu .... *Reines. Inscript. Class. 1. n. 51. Malvas. Marm. Felsin. Sect.* VIII. *c.* 4. *Fab. Semestr.* II. 16. *Ursin. Not. ad Kalend. Rustic. Farnes. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* VIII. *p.* 25. *B. Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 14. *Tertull. de Pall. p.* 307. *Palmer. Spicil.* 1. *p.* 616.

I pro G positum in veteribus libris non rarò reperitur. In Flori libro vetustissimo *tojam* pro *toga* scriptum reperi, cum illum auctorem recenserem. *Ilyciae* pro *Glycias* hodieque legitur apud Suet. Tib. c. 2. n. 7. *foliora* pro *folgora* apud Arnob. II. *sajonum* pro *sagonum* apud Cassiod. Var. IV. 47. *Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 11. *Exerc. Plin. p.* 43. *a. G.* 137. *a. D.*

I duplici solebant veteres interdum uti inter duas vocales. Ideò scribebant *Aijacem*, *Maijam*, *Troijam*. In inscriptione Ursi togati legitur THERMIS TRAIJANI. Id notavit Velius Longus de Orthographia, dicens id observari, quoties *I* est inter duas vocales: imò eddit: *I* aliquando triplicari, ut *coniijcio*, *adiijcio* .... *Turrig. ad Urs. inscript. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XII. *pag.* 399. *B.*

I alterum in genitivis geminantibus solebant veteres subtrahere in oratione tum adstricta. Ita poetæ Claudi pro Claudii. Horat. Epist. 1. 9. 1.

Septimius Claudi nimirum intelligit unus.

Appi, pro Appii. Horat. Epist. 1. 6. 26.

Porticus Agrippæ, & via te conspexerit Appi.

Peculi, pro peculii. Virg. Ecl. 1. 33.

Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.

tum soluta, ne metri causa id factum dicat Priscianus. Docent hoc veteres inscriptiones:

I. O. M. D.
PRO. SALUTE. AUGG. N. N
L. SEPTIMI SEVERI. PII
PERTINACIS. ET. M
AURELI. ANTONINI. PII
FELICIS. AUGUSTI. ET
JULIÆ. AUG. ET. S. P. Q. R
SEMNUS. AUGG. N. N. LIB. OPTIO
TABELLARIORUM. STATIONIS
MARMORUM. ARAM. POSUIT

Vides Septimi, Aureli, pro Septimii, Aurelii. Apud Delphinos:

TI. CLAUDIUS
LEMNUS
DIVI. CLAUDI
AUGUSTI. LIB
A .... STUDIIS

Claudi pro Claudii. *Castal. Var. Lect. c.* 9. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* IV. *p.* 455. *Barth. Adv.* IV. 21. *Turrig. in Ursi togati inscript. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XII. *p.* 402. *B.*

JAC.

JACI propriè dicebantur tesseræ, dati calculi. Hinc *jactus* videtur propriè vocari debuisse tessera, quod *jaceretur*; datus autem calculus, quod daretur: at vice versa nos hodie vocamus datos, vel dados tesseras, *jactes* verò calculos. Hinc *jacti*, vel *jactones* nobis hodièque dicuntur calculi, quibus in putandis rationibus utimur. Græci sanè βόλους non tantùm tesserarum *jactus*, sed etiam tesseras ipsas nuncuparunt. Ovid. Art. II. 203.

Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos;
Tu malè jactato, tu malè jacta dato.

Qui malè *jactaverat*, malè *jacta* non dabat, sed artem pro fortune adhibebat, & in melius reponere tentabat, quod infeliciter ceciderat. Malè *jactat*, cui quod *jactu* opus est, non cadit. Malè *jactum* dat, qui quod malè cecidit, non corrigit, sed fortunam tesserarum sequitur, nullamque artem adhibet, qua vim fati, aleæque malè faventis frangat, vel saltem molliat. Ovidius præcipit amanti cum amica ludenti, ut & malè tesseras *jactet*, & malè calculos moveat, & sic de industria perdat, ac vinci se patiatur. Malè enim hodie legitur: *tu benè jacta dato*. Tesseræ *jactabantur*, calculi dabantur, id est, promovebantur. Dare enim calculum dicebant pro movere. In *jactandis* tesseris fortuna dominabatur, in dandis, hoc est, promovendis calculis sola ars locum habebat. Malè igitur *jactabat*, qui in tesserarum *jactu* fortunam parum sibi faventem habebat. Malè autem calculum dabat, qui malè ludebat, nec ex arte calculum promovebat. Poterat verò aliquis, qui malè *jactasset*, etiam si malè *jactus* cecidisset, benè tamen calculum dare, in quo ars erat, & sic malam fortunam corrigere. At vult Ovidius, eum, qui cum amica ludit, & male *jactare* tesseras, hoc est, infelicem *jactum* adducere, & male etiam calculos dare. *Salmas. in Vopisc. Procul. c.* 13. *Senter. de Aleat.* 5. 24.

JACULA duorum erant generum, rudia, & ferrata. Rudia appello, quæ simplici ligno constabant, non alia materie ad lædendum. In eo genere sunt sudes & faces. V. illas suis locis. Ad illa refero præpilata missilia, sic dicta, non quod è ferro, quasi pili instar præfixa: sed, licèt essent sine ferro, quia pilæ instar rotunda. Vocem sic explico, & firmo ex Plin. IX. 30. ubi de locustarum marinarum cornibus, dicit ea *propria rotunditate præpilata*. De re satis liquet ex Quintil. Instit. v. 12. *Declamationes, quibus ad pugnam velut præpilatis exerceri solebamus*. Opponit veris, micantibusque telis præpilata: sicut declamationes, quæ scholæ, & exercitii sunt, forensibus orationibus, & pugnæ. Hirt. de bell. Afric. c. 72. cum Cæsar elephantos suos exercet, ipsosque milites, & equos adsuefacit ad eorum aspectum: *Equites in eos pila præpilata conjiciebant, atque in consuetudinem equos patientiâ bestiarum adducebat*. Quis ibi censebit veris, ferratisque pilis petitos? Sed etiam cum à pilis sejungit, & restrictè præpilata pila dicit, ostendit, non, ut vulgata, cum ferro fuisse. Simile de elephantis Plin. VIII. 6. *L. Piso introductos duntaxat in circum, atque ut contemptus eorum cresceret, ab operis hastas præpilatas habentibus, per circum totum actos*. Profectò ibi quoque obtusas accipere est, in ludicra modò insectatione, & exactione. Ferrata ferunt plura, & multigenera, ut hasta, lancea, verutum, gesum, tragula. V. singula suis locis. *Lips. Poliorc.* IV. *Dial.* 4. *Thys. de Oppugn. urb.* IV. *p.* 184.

Jacula veteribus Latinis dicebantur etiam tesseræ lusoriæ. Isidorus: *Olim autem tesseræ jacula appellabantur*. *Jaculum* est, βολὶς, vel βόλιον. Glossæ: βολὶς, *jaculum*. Sal-

maſ. in Vopiſc. Procul. c. 13. Soutet. de Alea. I. 24. Senftleb. de Alea vet. c. 7. §. 6.

Jacula vocabantur quoque retia piſcatoria, quod, ut *jaculum*, in mare conjiciantur. Inſcriptio:

QUINTUS. MARIUS. OPTATUS.
HEU. JUVENIS. TUMULO. QUALIS. JACET. ABDITUS. ISTO
QUI. PISCES. JACULO. CAPIEBAT. MISSILE. DEXTRA
AUCUPIUM. CALAMO. PRÆTER. STUDIOSUS. AGEBAT

Plautus vocat *rete jaculum* Aſin. I. I. 86.

Venari autem rete jaculo in medio mari.

Trin. I. I. 14.

Quaſi in piſcinam rete qui jaculum parat.

Ferret. Muſ. Lapid. v. Memor. XI. Dicitur *rete jaculum* ad diſcrimen verriculi, quod non jacitur, ſed verritur, id eſt, trahitur. Appellatur etiam funda à fundendo. Virg. Georg. I. 141.

Atque alius latum funda jam verberat amnem.

Ubi Servius: *Funda eſt genus retis, dictum à fundendo, id eſt, jaculum, quod dicitur βόλος. Turneb. Adv.* XVIII. 26.

JAN.

JANA vocabatur luna. Varr. de Re ruſt. I. 37. *Nunquam rure audiſti, octava Janam creſcentem, & contra ſeneſcentem? & qua creſcente, & qua ſeneſcente fieri oporteret? & tamen quædam melius fieri poſt octavo Janam quàm ante?* Ubique ſemper in Varronianis editionibus appoſitum eſt gloſſema, *luna*, & in textum irrepſit. Anno Romano depravato, opus fuit lunæ dies populo per pontificem calari, quos ante depravationem ex ordine menſium etiam ruſtici ipſi tenebant. Nam anno in menſes imparis numeri dierum redacto, pontifex in Curia Calabra, ſi nonæ ſeptimanæ futuræ erant, hoc ſignificabat populo, ſepties dicto, KALO JANA NOVELLA. Si autem quintanæ eſſent, quinquies dicto, KALO JANA NOVELLA. Apage apage JUNO COVELLA, quod in veteribus tam ſcriptis, quàm excuſis Varronis libris legitur. Legitur autem de Ling. Lat. v. n. 4. Nam tametſi Kalendæ Junoni erant dicatæ, tamen Nonæ nulli deo dicatæ erant, de quibus agitur. De luna quippè, non de Kalendis hic ſermo. Prætereà illud COVELLA, quod pro cœleſti accipiunt, qui hanc lectionem defendunt, quàm ridiculè faciunt? Covum quidem veteribus erat cœlum, non autem cœleſte. De luna igitur eſt ſermo, non de Junone. *Scalig. de Emend. temp.* II. *p.* 174. *Guther. de Jur. pontif.* I. 22. *Voſſ. de Idolol.* II. 16. *Lipen. de Stren.* IV. §. 20. *Stuck. de Sacrif. p.* 29.

JANICULUM eſt mons imminens Tranſtiberinæ regioni. Janus in illo urbem ſuam poſuit, è regione Capitolii, quæ Saturni ſedes. Virg. Æneid. VIII. 355.

Hæc duo prætereà, disjectis oppida muris,
Reliquias, veterumque vides monumenta virorum:
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem,
Janiculumque illi, huic fuerat Saturnia nomen.

Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 278. F. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 20. Pancirol. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Græv. ibid. p. 375. B. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 3. Nardin. Roman. Vet. VII. II. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 16. n. I. Blond. Inſtaur. Roman. I. §. 51. Nunc Mons aureus nominatur, & corrupto vocabulo Montorius. Ex hoc propter altitudinem Roma maximè conſpicua, cæteris autem infrequentior eſt ob aeris gravitatem, utrumque teſtante Mart. IV. 64. 3.

Longo Janiculi jugo recumbunt
Et planus modico tumore vertex
Cœlo perfruitur ſereniore.
Hinc ſeptem dominos videre montes
Et totam licet æſtimare Romam.

In hunc aliquando plebem Romanam ſeceſſiſſe, & à Q. Hortenſio dictatore revocatam ſcribit Plin. XVI. 10. *Q. Hortenſius dictator, cum plebs ſeceſſiſſet in Janiculum, legem in Eſculeto tulit, ut quod ea juſſiſſet, omnes Quirites teneret.* Fabric. & Panvin. l. l. Ab ortu & meridie prata Mucia, & portam Portuenſem, ac Tiberim reſpicit: ab occaſu habet campos, Urbis muros, & portam Janiculenſem, vel Pancratianam: à ſeptemtrione reſpicit Vaticanum, camposque Neronianos. *Panvin. l. l. Marlian. ibid.* I. 7. *Janiculum*, & quidquid erat trans Tiberim, olim extra Urbem, & pomœrium fuiſſe cenſet *Donat. de Urb. Rom.* I. 6. Sed ejus argumenta refutat, & Tranſtiberina loca, & Janiculum ingenti murorum ambitu olim Urbi fuiſſe connexa; eo ſolo muniendi intermiſſo ſpatio, quod interfluens ad tranſitum Tiberis occupabat, qui, cum nullus ripas murus impediret, liberè hinc inde pontibus tranſibatur: ita ut utraque ripa mœnia incluſa fuerint, firmiter ſibi perſuadet *Nardin. Rom. Vet.* I. 4.

JANITORES erant ſervi, *januarum* cuſtodes. Illos offendimus nunc ſtantes. Petron. c. 28. *In ipſo aditu ſtabat oſtiarius praſinatus.* Sagittar. de Jan. vet. c. 16. n. 12. nunc ſedentes. Tib. I. I. 55.

Me retinent vinctum formoſæ vincla puellæ,
Et ſedeo duras janitor ante fores.

Ovid. Faſt. I. 137.

Uſque ſedens primi veſter propè limina tecti
Janitor egreſſus, introitusque videt.

Vitam ſedentariam exigebant, haud, ante pedes quod erat, proſpicientes modò; ſed etiam poſt reſpicientes: credo, ne quis adventor gravior, quàm adveniſſet, diſcederet. *Dous. Præcid. Tibull. c.* I. *Almelov. Conject. p.* 147. *Sagittar. l. l.* nunc recubantes. Apul. Met. I. p. 22. *Janitor pone ſtabuli oſtium humi cubitans*, nimirum in cella, quæ propè januam. Varr. R. R. I. 13. *Villici proxime januam cella eſſe oportet; eumque ſcire, qui introeat, aut exeat noctu, quidve ferat, præſertim ſi oſtiarius eſt nemo.* Sagittar. ibid. n. 14. & 15. Non ſervabat vinctus, ſed canis: ipſe liber à vinculis erat, ut ex Plauto diſcimus. *Erhard. Symb. Petron. p.* 597. Qui hoc negat: nos tamen nube teſtimoniorum plerumque catenatos fuiſſe probabimus. Colum. Præf. *An putem fortunatius à catenato repulſum janitore ſæpè nocte ſera foribus ingratis adjacere?* Ovid. Amor. I. 6. I.

Janitor indigne dura religate catena,
Difficilem moto cardine pande forem.

n. 25.

Excute: ſic nunquam dura religere catena.

Antipat. Anthol. VII. 161. 5.

Siquidem notam auriferas, amicus es, neque janitor
In pedibus, neque canis in veſtibulo ligatus eſt.

Et hæc ſunt oſtiarii impedimenta apud Afranium: cujus verba debemus Feſto in tintinnare: *Tintinnare eſt apud Nævium hoc modo. Tantum ibi molæ crepitum faciebant, tintinnabant compedes. Et apud Afranium: oſtiarii impedimenta tintinnare audio.* Sagittar. ibid. §. 19. Barth. in Stat. Sylv. I. 2. 35. Adv. LV. I. Popm. de Oper. ſerv. p. 133. Muret. Var. Lect. XVI. 10. Kipping. Antiq. Roman. IV. I. §. I. Rævard. Var. v. 20. Pignor. de Serv. p. 447. Parrhaſ. in Claud. de Rapt. Proſerp. III. 146. Brod. Miſcell. IV. 3. Catenam manumiſſi conſecrabant Laribus. Horat. Sat. I. 5. 65. V. illum ſupr. in *Catena.* Vel Saturno. Mart. III. 29. I.

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne.

Sagittar. ibid. §. 21. Illotum munus erat I. Servare, & cuſtodire domum. Voce ſervare hac in re uſi veteres. Prudent. Periſteph. II. 312.

Hoc cum ſtuperet territus
Obſeſſor atri liminis;
Quem cura pernox manſerat,
Servare feralem domum.

Venant. Epiſt. ad Svagrium V. *Si placet hoc capere pariete inſcripto, pro me oſtiario pictura ſervet veſtibulum.* Et obſervare. Senec. de Conſtant. c. 15. *Domus hæc ſapientis anguſta, ſine cultu, ſine ſtrepitu, ſine apparatu, nullis obſervatur janitoribus, turbam venali faſtidio digerentibus: ſed per hoc limen vacuum & ab oſtiariis liberum fortuna non tranſit.* Hinc dicebantur hoſpitem admittere. Tib. I. 7. 61.

Et

Et tibi nescio quas dixit mea Delia pœnas,
Si tamen admittas, sit, precor, illa levis.

Et contra ea ingratum, qui introire vellet, summovere. Senec. ibid. c. 14. *Quidam sic à cinerario impulsos molestè ferunt, & contumeliam vocant ostiarii difficultatem.* Illasque inconsultiùs intranti obstare. Coripp. III.

——custodes ardua servant
Limina, & indignis intrare volentibus obstant,
Condensi numero, fastu, nutuque tremendi.

Sagittar. ibid. §. 23. 37. 38. 39. Et ad manus illis erat arundo, qua amoliri à foribus indignos, & importunos possent. Petron. c. 94. *Ac me iterum in cellam sacerdotis nihil recusantem perduxit, impulitque super lectum, & arundinem ab ostio rapuit, iterumque nihil respondentem mulcavit.* Et hæc est janitoris virga apud Senec. l. l. *Quid ergo? sapiens non accedet ad fores, quas durus janitor obsidet? Ille verò, si res necessaria vocabit, experietur, & illum, quisquis erit, experietur, & illum, quisquis erit, tanquam canem acrem, objecto cibo leniet: nec indignabitur aliquid impendere, ut limen transeat. Ille pusilli animi est, qui sibi placet, quod ostiario liberè respondit, quod virgam ejus fregit, quod ad dominum accessit, & petiit corium.* Prop. IV. 7. 21.

Nec crepuit fissa, me propter, arundine custos.

Sagittar. ibid. §. 40. Lips. ad Senecam. Douz. Præcid. in Petron. II. 4. Broukh. in Propertium. Pignor. de Serv. p. 370. II. Servare ignem Larium. Hoc ex Arist. Sacr. Serm. v. in principio observavimus. Ignem videlicet Larium familiarium, qui in atrio fuit non procul ab *janua.* Ovid. Fast. I. 135.

Omnis habet geminas hinc atque hinc janua frontes,
E quibus hæc populum spectat, at illa Larem.

His venerationis gratia consueverat ignis accendi. Capitol. Pertin. c. 14. *Et cum apud Lares sacrificaret, carbones vivacissimi extincti sunt, cum inflammari soleant.* Pignor. ibid. p. 452. Sagittar. ibid. p. 43. III. Vilissima quæque ministeria obire. Videtur id colligi posse ex Petron. c. 28. *In aditu ipso stabat ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo, atque in lance argentea pisum purgabat.* Vile nimirum, & sordidum opus, quo & Venus Psycheo exercuit apud Apul. Met. VI. *Pignor. ibid. p. 454. Sagittar. ibid.* §. 44. Etiam carcerum publicorum *janitores* fuerunt, Plin. XII. 36. *Humilis in plebe, & ideo ignobilis puerpera supplicii causa carcere inclusa matre, cum impetrasset aditum, à janitore semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam.* Prudent. Peristeph. II. 346.

Tunc ipse manceps carceris,
Et vinculorum janitor,
Repente Christum credidit.

Sagittar. ibid. §. 45.

JANITRICES dicebantur feminæ, quæ ad custodiam *januæ* interdum ab antiquis adhibebantur. Plaut. Curc. I. I. 76.

Anus hic solet cubitare custos, janitrix.

Annus vocatur. Nam tales plerumque erant *janitrices*. Anus apud Tib. I. 7. 67.

Hæc foribusque manet noctu me affixa, proculque
Cognoscit strepitu me veniente pedum.

Hinc illam sic alloquitur n. 69.

Vive diu, mi dulcis anus.

Petron. c. 39. *Quamvis non minas sudoris habuimus, etiam postquam ad stabulum pervenimus. Anus enim ipsa inter deversitores ingurgitata ne ignem quidem admotum sensisset.* c. 55. *Anus præcipuè lippa, sordidissimo præcincta linteo, soleis ligneis imparibus imposita, canem ingentis magnitudinis catena secum trahit, instigatque in Eumolpum.* Et, quod ex regio culmine devoluta in servitutem, vel custos liminis, vel nutrix fore cogatur, Hecuba lamentatur apud Eurip. I. 193.

——an
Apud aditus vestibula custodiam obtinens,
Aut liberorum gubernatrix, ego, quæ Trojæ
Regios olim habebam honores.

II. 491.

Quæ autem huic senectuti sunt incommodissima,
His me adhibebunt, vel januarum custos
Claves ut servem, ego mater Hectoris.

Gebhard. in Prop. II. 6. 37. Sagittar. de Jan. Vet. c. 20. §. 1. 2. Almelov. Conject. p. 148. Pignor. de Serv. p. 454. Voss. Lex. Etymol. Schill Nomencl. Philol. p. 591.

Janitrices dicuntur etiam duorum fratrum uxores. Modestin. l. non facile §. 6. ff. de gradibus. V. illum supr. in *Fratria*: ubi perperam laudatur ex l. 4. §. 6. de rit. nupt. In veterum patrum decretis relatum est Alexandri Pontificis, hujus nominis secundi, quoddam responsum, quo dicitur *duorum fratrum uxores janitrices appellari, quasi eandem januam tenentes, vel per eandem januam intrantes.* Quam sententiam, quisquis fuit, Isidorus omnino malus Latinitatis auctor, visus est sequi Etym. x. 8. Sed dii boni! quam evidenti errore: tantum incidisse in corruptos à librariis codices. Modestini verba sunt ita legenda: *duorum fratrum uxores εἰνάτερες dicuntur apud Græcos, quod idem Homerus significat.* Cum igitur magis probi illi patres quàm docti apud Modestinum legissent, *duorum fratrum uxores inateres* dici, Græcam dictionem, quæ in eorum codice Latinis notis scripta erat, Latinam existimaverunt, & corruptè scriptam: unde non *inateres*, sed *janitrices* legendum crediderunt. Quorum error deprehenditur ex Homer. Iliad. Ω. 769. quod inter legendum Icto restituimus. Nemo enim unquam audebit profiteri, se apud idoneos auctores *janitrices* eo significatu offendisse. *Alciat. Dispunct.* II. 23. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVIII. 24. His ego assentiri non possum. Nam præter Florentini libri, & Isidori auctoritatem, veterum laudatissimæ Glossæ hoc vocabulum pro Latino agnoverunt: *Janitrices, δύο ἀδελφῶν γυναῖκες, σύννυμφοι.* Aliæ: *Σύννυμφος, consponsus, janitrix.* Consponsus proba, & antiqua vox, Afranioque usurpata. Cur non & *janitrix*? Hujus appellationis origo à patribus Decretalium non est petenda, a quibus hoc vocabulum ad nos defluxisse putat Alciatus, sed à doctissimis veterum monumentis, ac literis. Invenies enim Romanorum fuisse antiquum morem, ut quæ uxor in manum viri primum convenisset, ea sibi in atrio domus ad ipsam *januam* lectum sterneret, qui adversus dictus. Prop. IV. 11. 81. V. illum infr. in *Nuptia.* Dictæ itaque sunt, quod pariter adversum lectum januæ sternere, in eoque cubare, tanquam custodiæ causa solerent. *Gentil. Parerg.* II. 11. *Scalig. in Catull.* LXVII. 3. *in Festum in Putas. Voss. Lex. in Janitrices. VVouwer. in Petron. p. 403. Sagittar. de Jan. vet. c. 20. §. 5. 6. Schill Nomencl. Philol. p. 591.*

JANUA est primus ingressus ad interiora domus. *Januis* præfuit *Janus*. Gloss. Philox: *Janus, Θυραῖος θεός.* Terent. Maur. de Metris:

Jane pater, Jane tuens, dive, biceps, biformis,
Stridula cui limina, cui cardine tumultus,
Cui reserata mugiunt aurea claustra mundi.

Hinc est, quod cum clavi ipsum efformarint veteres. Macrob. Sat. I. 9. *Apud nos Janum omnibus præesse januis ostendit, quod simile Θυραίῳ. Nam & cum clavi, ac virga figuratur, quasi omnium & portarum custos, & rector viarum.* Ovid. Fast. I. 99.

Ille tenens baculum dextra, clavemque sinistra.

Arnob. VI. p. 209. *Fronte Janus ancipiti, aut dentata illa, qua insignitus est, clavis.* Sagittar. de Jan. Vet. c. 1. 1—4. Voss. Lex. Etymol. Gyrald. Synt. deor. IV. p. 154. F. Ortel. Deor. & dear. cap. II. Fig. 27. Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 175. F. Est inventa cum ipsis ædibus. Adamum autem statuimus primum domus architectum. *Hujus enim sunt*, ut Suidas, *omnia inventa & documenta, ac omnes doctrinæ, & quicquid ad vitam degendam est utile, & necessarium.* Saturnio quidem ævo *non domus ulla fores habuit*, apud Tibull. I. 3. 43. & apud eundem II. 3. 41.

Nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
Janua.

Sed qui non videt, ea esse fabulosa? *Sagittar. ibid.* §. 22. 23. Pauperes, & mediocris fortunæ homines comparabant ea ligna, quæ per fortunas suas comparare poterant. Di-

vites

vires ligna conquirebat pretiosiora. In hoc genere erat I. Cedrus, quam, quia *cariem non sentit, nec rimam, fissuramque capit sponte*, ut Plin. xvi. 40. non rarò apud Romanos ad *januas* adhibitam fuisse reor. II. Cupressus. Plin. xvi. 40. *Valvas esse è cupresso, & jam quadringentis prope annis durare materiam omnem novæ similem. Cupressus in eis electa, quoniam præter cætera uno in genere materiæ nitor maximè valeat æternus.* Cedrum, & cupressum conjungit Virg. Georg. ii. 442.

Dant alios aliæ fœtus, dant nobile lignum
Navigiis pinos, domibus cedrum, atque cupressum.

III. Ulmus. Plin. xvi. 40. *Rigorem fortissimè servat ulmus, ob id cardinibus, assamentisque portarum utilissima, quoniam minimè torquetur.* IV. Citrus. Varr. apud Non. ii. 132. *In quibus Libyssa citrus fascias cingit fores.* V. Acer. Ovid. Met. iv. 487.

——postes tremuisse feruntur
Æolii, pallorque fores infecit acernas.

VI. Quercus, quia lignum ejus validissimum. Ovid. Amor. ii. 1. 25.

Carminibus cessere fores, injunctaque posti,
Quamvis robur erat, carmine victa sera est.

Fiebant etiam I. ex ferro. Plaut. Pers. iv. 4. 21.

At enim illi noctu occentabunt ostium, exurent fores:
Proinde tu tibi jubeas concludi ædes foribus ferreis:
Ferreas ædes commutet, limina indas ferrea:
Ferream seram, atque annulum.

II. ex ære, non tantum templorum, sed etiam privatorum nonnullorum. Plin. xxxiv. 3. *Prisci limina etiam, ac valvas ex ære in templis factitavere. Quin etiam privata opulentia eo modo usurpata est. Camillo inter crimina objecit Sp. Carvilius Quæstor, quod ærata ostia haberet in domo.* III. ex ebore, tum templorum. Cicer. Verr. iv. 56. *Confirmare hoc liquido, judices, possum, valvas magnificentiores, ex auro, atque ebore perfectiores nullas unquam ullo templo fuisse. Ex ebore diligentissimè perfecta argumenta (L. antepagmenta) erant in valvis.* tum lautiorum hominum. Plin. viii. 10. *Magnitudo dentium videtur quidem in templis præcipua. Sed tamen in extremis Africæ, qua confinis Æthiopiæ est, postium vicem in domiciliis præbere.* IV. ex auro. Sed an illo puro unquam fuerint, quis posset dubitare. Laminis aureis obductas fuisse novimus, ut proinde meritò vocari possint aureæ. De Capitolini Jovis foribus res nota est ex antiquis monimentis. Stilico has laminas in summa pecuniæ inopia detraxit. Zosim. v. 38. *In magna pecuniæ inopia mandavit Stilico, ut fores in Capitolio Romano, quæ auro magni ponderis obductæ laminis illis spoliarentur.* Auratos postes memorat Hieron. Comm. v. in Esai. c. 22. Et Epist. ad Marcell. *Ad superbas fores pergimus, & inter linguas rodentium ministrorum postes ingredimur auratos.* Sagittar. ibid. c. 23. Buleng. de Templ. Ethnic. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. vii. p. 52. C. Injungi dicebatur postibus. Ovidius supr. laudatus. Injungere est ἐφαρμόττειν. Injungitur janua posti, dum immissa, & commissa combinatur. Possumus etiam injungere interpretari ex Polluc. x. 4. ἐπιζυγῶσαι. *Apud Comicos ἀναζυγῶσαι idem quod aperire significat. Quemadmodum pro claudere ἐπιζυγῶσαι.* Vel injungere est ἐπιπακτοῦν τὰς θύρας. Qua fortasse mente Onomasticum injungo reddit προσάγω. Apud Heliodor. 1. θύρας ἐπικειμένας intellexeris fores injunctas. Injunguntur ergo, cum tabellæ postibus insertæ, atque adstrictæ sunt. Hinc Ovid. Amor. iii. 1. 49.

Per me decepto didicit custode Corinna
Liminis adstricti sollicitare fidem.

Sagittar. ibid. c. 6. §. 6. Erat in edito, & gradibus aliquot ad eam solebant veteres ascendere. Virg. Æneid. ii. 492.

——postesque sub ipsos
Nituntur gradibus.

Senec. Epist. 84. *Præteri istos gradus divitum, & magno aggestu suspensa vestibula.* Hodieque hoc fieri videmus in optimatum ædibus, & regiis Principum. *Turneb. Adv.* xii. 5. *Donat. de Urb. Rom.* iii. 2. *Stuck. Ant. Conviv.* ii. 30. *Sagittar. ibid. c.* 8. §. 34. *Cerda in Virgilium.* Græci exituri *januam* in publicum projiciebant. V. supr. in *Crepuisse fores.* Apud Romanos cum aperiretur, introrsum flectebatur: nisi quod singulari lege quibusdam concederetur, Græcorum more in viam explicare. Plin. xxxvi. 15. *Subit cogitatio, quota portio harum fuerint areæ illæ, quas invictis Imperatoribus decernebant publicè ad exædificandas domos, summusque illarum honos erat. Sicut in L. Valerio Publicola, qui primus consul fuit cum L. Bruto, post tot merita, & fratre ejus, qui bis in eodem magistratu Sabinos devicerat, adjici decreto, & domus eorum fores extra aperirentur, & janua in publicum rejiceretur. Hoc erat clarissimum inter triumphales quoque domos.* Sagittar. ibid. c. 22. §. 12. Stuck. l. l. V. Cujac. Observ. xiii. 27. Antequam illi janitores adhiberentur, pulsabatur marculo, sive malleo. Plutarch. de Curiosit. p. 516. E. *Nisi pulsato prius ostio ingredi in alienam domum non est moris, & nunc ejus rei gratia janitores habentur. Antiquitus mallei januis appensi signum dabant: ne scilicet alienus matremfamilias in medio offenderet; aut virginem, aut servum vapulantem, aut vociferantes ancillas.* Sagittar. ibid. c. 16. §. 5. Mag. de Tintinn. c. 19. Stuck. ll. Aliquibus etiam veterum, ceu vulgo hodie consuevit fieri, appendebantur tintinnabula. Svet. Aug. c. 91. n. 4. *Ideoque mox tintinnabulis fastigium ædis redimivit, quod ea ferè januis dependebant.* Senec. de Ira iii. 35. *Quid miser expavescis ad clamorem servi, ad tinnitum æris, ad januæ impulsum?* Sagittar. ibid. c. 22. §. 14. Mag. de Tintin. c. 5. Fab. Semest. ii. 8. *Januis* templorum leo, qui custodiæ, atque excubiarum signum est, appingebatur. Horus Hierogl. c. 19. *Leo vigilans oculos claudit, eosdem, cum dormit, apertos habet: quod quidem custodiæ, atque excubiarum signum est. Unde & non absque significatione sacrorum claustris leones, qui custodum loco sunt, appinxerunt.* Pier. Hierogl. i. 4. Rhodig. Ant. Lect. xiii. 8. Sagittar. ibid. c. 27. §. 19. Nomen dei, cujus erat, inscribebatur. Jamblich. de Vit. Pythag. 1. 2. *Templum exstruxit Apollini, cum hac inscriptione, Pythii.* Dionys. 1. p. 52. *Latini ei Haroum posuerunt cum hac inscriptione, Patris dei terrestris, qui Numicum amnem possidet.* Symm. Relat. ad Valentinianum: *Vidit placido ore delubra, legit inscripta fastigiis deum nomina.* Heral. in Arnob. vi. p. 232. Buleng. de Templ. Ethnic. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. vii. p. 52. E. Sagittar. ibid. c. 28. §. 3. Nicol. de Sigl. vet. c. 28. §. 1. Nonnunquam memorabiles sententiæ. Talis fuit γνῶθι σεαυτόν. Et integra interdum poemata affigebantur. Rutil. 1. 268.

Intrantemque capit, discedentemque moratur
Postibus affixum dulce poema sacris.

Sagittar. ibid. c. 6. Interdum inscriptionibus addebatur nomen fundatoris. Inscriptio Jovis Maximi:

MARCUS HORATIUS CONSUL EX
LEGE TEMPLUM JOVIS OPTIMI MA
XIMI DEDICAVIT ANNO POST RE
GES EXACTOS

Sic post restaurationem Panthei nomina sua præfigi curarunt restauratores, simulque templi mentionem fecerunt in inscriptione, quam laudamus infr. in *Pantheon.* Nicol. ibid. c. 2. Scholarum, in quibus veteres philosophi docebant. Pythagoræ scholæ inscriptum fuit:

Cantabo doctis, vos vani claudite portam.

Platonis: *Nemo huc ingrediatur geometriæ ignarus.* Interdum fundatoris fit mentio. Inscriptio antiqua:

C. AVILIUS LICINIUS TROSSUS
CURATOR
SCHOLAM DE SUO FECIT
BEBRUX AUG. L. DRUSIANUS A.
FABIUS XANTHUS CUR. SCRIBIS
LIBRARIIS ET PRECONIBUS ÆD.
CUR. SCHOLAM AB INCHOATO
REFECERUNT MARMORIBUS OR-
NARUNT VICTORIAM AUGUS-
TAM ET SEDES ÆNEAS ET CÆ-
TERA ORNAMENTA DE SUA PE-
CUNIA FECERUNT.

Sagittar. ibid. c. 7. *Nicol. ibid.* §. 6. Tricliniorum, & cœnaculorum appingebant S. & ST. silentii notam. V. infr. in S. Sæpiùs coronæ suspendebantur. V. supr. in *Fores*. Etiam obsignabantur. Aristot. de Rep. I. binc ait, *& domus obsignari jannas, & eas aperiuri, ostendentes civibus, & hospitibus signa in hunc modum aperiunt*. Prop. IV. I. 145.

Nec mille excubiæ, nec te signata juvabunt
Limina.

Longus de Annul. c. 11. Veteribus fuerunt sacræ habitæ, ac diis, deabusque consecratæ. De Jano, Limentino, Forculo, Cardea, Vesta, Hermis, suis locis agitur. *Sagittar. ibid. c.* 38. Prope *januam* canis unus, pluresve excubabant, qui illam custodiebant, ne quis invitis janitoribus intraret. Antipat. Anthol. VII. 163. 3. V. illum supr. in *Janua*. Sed de illis jam dictum est supr. in *Canis*. V. & alia de *januis* observanda supr. in *Fores*.

Janua Caci publica respexerit Palatium, nam alioquin Evander, quod Maro canit, non potuisset in Palatino consistens ejus cavum indice digito monstrare: nihilominus Hercules nequaquam ea parte irrupit, obstante immenso saxo; verum speluncæ forsan dorsum, quod Tiberi imminebat, perforans novam sibi *januam* aperuit, & illam in regionis undecimæ ramum patefactam. Hinc Maroni traditur illa silex, perquam avulsam penetravit Hercules, lævum ad amnem incubuisse; unde Solino dicitur habitasse Cacus ad Salinas prope portam tergeminam. Sed ejusdem posticum, sive pseudothyron esse versus Tiberim conversum, in quo elisæ ipsi fauces, & victoria Herculi parta: atque ideo in crepidine montis supra Navalia ædes Herculi victoria decreta est. Intellexerit proinde pseudothyron Ovid. Fast. I. 563.

Ille aditum fracti præstruxerat obice montis,
Vix juga movissent quinque bis illud onus.
Nititur hic humeris, (cœlum quoque sederat illis)
Et vastum motu collabefactat onus;
Quod simul evulsum est, fragor æthera concutit ipsum,
Ictaque subsedit pondere molis humus.

Et cur negemus prædoni astutissimo posticum? quod & bestiolis subterraneis familiare; nec Romanis olim insuetum fecundum Horat. Epist. I. 5. 31. V. illum infr. in *Posticum*. Quomodo Caci more, non unum, sed plura sibi fabrica verit postica Hanoibal jam vetulus, & à Romanis sibi metuens, fusè edisserit Nep. XXIII. 12. §. 3. 4. 5. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 15. §. I.

Janua consulum, prætoriumque, ac denique magistratus illius, qui ludos edebat, signumque mittendis quadrigis edebat, erat in circo ostium illud, quod ad medium spatium dirigebatur. Anson. Epist. XVIII. II.

Ostia quot pro parte aperit stridentia circus,
Excepto, medium quod patet ad stadium.

Hoc non solebat cum cæteris aperiri, vel si aperiebatur, nullæ ex eo certè mittebantur quadrigæ. Fuit medium inter alia circi duodena ostia, & sena utrimque habuit. Hoc *ad medium stadium patuisse* dicit Ausonius. Et sanè ea adversò metas respiciebat. *Janua, consulumque sedes* vocatur Sidon. carm. XXIII. n. 317. V. illum supr. in *Carceres*. Qualis fuerit ille locus, aut quomodo vocatetur, non tacuit Auctor anonymus in vita Alexandri Magni de ludis Olympicis. Altare fuisse dicit circa mediam proram circi, proræ quippe habuit figuram *ἡ ἄφεσις*, quæ satis lata erat, quæque discriminabat utrimque ordinem ostiorum. *Janua* consulum, vel ostio, quod ad medium circi spatium patebat Romæ, hic *ἄφεσις*, vel hæc prora media respondebat. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 635. *a. D. b. F.*

JANUAL, *libi genus, quod Jane tantummodo libatur*. Festus. *Cereale libum* vocat Ovid. Fast. I. 127.

Inde vocor Janus: cui cum Cereale sacerdos
Imponit libum, mixtaque farra sali.

Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 174. C. Lipen. de Stren. c. 2. prin. &c. §. 19. Stuck. de Sacrif. p. 75. Voss. Lex. Etymol. Struv. Ant. Roman. c. 9. p. 411. Crispin. in Ovidium. Kalendis Januariis *Jano* tanquam primo anni, & mensis su spici hoc factum fiebat. Ex libo, mola, mero, & thure conficiebatur. Mola farina horna, & sale miscebatur. Merum, & thus in lætitiam, & suffimentum fundebantur. Ovid. Fast. I. 172.

Jane, tibi primo thura merumque fero.

Lipen. l. l. Gyraid. Synt. deor. XVI I. p. 549. C.

JANUARIUS mensis anni apud Romanos auspex. Junoni fuit sacer. *Alex. Gen.* III. 24. *Rhodig. Ant. Lect.* XXV. 30. *Jun. de Ann. & mens. c.* 4. *Struv. Ant. Roman. c.* 8. *p.* 345. *Panvin. Fast. I. p.* 18. Ante Numam dies octo & viginti habuit, à Numa in honorem imparis numeri uno die auctus, deinde è Cæsaris constitutione duobus additis unum & triginta tenet. *Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* VIII. *p.* 188. *D. Morestell. Philomus.* I. *Dial.* 4. Fuit tempus, quo mensis fuit penultimus, alius quo primus. V. supr. in *Februarius*. Plutarch. Quæst. Rom. 19. ait *Januarium* primum omnium numerari cœptum, cum anteà undecimus esset, *quod Kalendis Januarii consules primi ejectis Regibus Romæ magistratum inierunt*. Addit tamen *probabilius esse, quod alii dicunt, Numam pacis studiosum, & qui cives à re bellica ad agriculturam transferre cuperet, Januario principem locum assignasse, Janoque magnos honores detulisse, ut qui civilis, & terræ colendæ, quam belli fuisset studiosior*. Gyrald. de Ann. & mens. Oper. Tom. II. p. 766. A. Synt. deor. IV. p. 157. C. Jun. ibid. C. Lalamant. de Ann. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 274. B. Struv. l. l. Morestell. ibid. II. 2. Lipen. de Stren. c. 4. §. II.

JANUS habebatur antiquissimus Rex Italiæ. Venit in Italiam, placida exceptus Tiberis vehitura. De ejus adventu ita majores ratiocinantur, ut factum adstruant anno post diluvium 108. qui & 23. ante regnum Babylonicum, & turrim illam, in qua linguarum confusio facta est. Deinde ad disponendas colonias orbem terrarum peragraturus solvit ratem: huc redeundi tamen concepta spe, ubi jam senior requietem delegerat: quod hæc regio Reginam suo in solio Orbi præsidentem in Itola, si orbis situm advertas, repræsentet Europam, cujus Italia brachium dextrum, quæ coronatum sustinens tripodem hospitibus, & hospitalibus offerat diis. Tripus autem ipsa est Sicilia, quæ & penus, & horreum. Ea igitur figura nihil optatius magis optimo Regi, sanctissimo patrifamilias. Ager verò is est, qualem laboriosior, & industrior agricola exoptaret. Interea præmiserat in Italiam *Janus* Cranum, & Cranam, quæ & Carnia, & Crania, filios natu maximos, & eorum subcrescentem sobolem, cum Comero Gallo, & ejusdem filiis ex Japeti genere. *Leo Castell. de prim. Ital. colon. p.* I. & 2. *Quo regnante omnium domus religione, ac sanctitate fuerunt munita: idcirco ei divini honores illi sunt decreti, & ob merita introitus, & exitus aditum consecrati*. Macrob. Sat. I. 9. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 106. *Primus fuit antiquorum illorum deorum, quos Romani materna lingua Penates appellabant*. Procop. de Bell. Goth. I. *Castal. de Templ. Pac. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* IV. *p.* 1854. *C.* In sacrificii principio fuit invocatus: vel quia primus, ut ait Q. Fabius Pictor, docuit Italos vinum & far ad sacrificium. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 22. vel qui primus templum in Italia condidit. *Clasen. Theol. Gentil.* III. 2. *Laurent. ibid. c.* 5. Rationem dat Cicero jam laudatus supr. in *Janua*: *quia in omnibus rebus vim habet maximam*. Dat. Ovid. Fast. I. 171.

Mox ego; cur, quamvis aliorum numina placem,
Jane, tibi primo thura merumque fero?
Ut possis aditum per me, qui limina servo,
Ad quoscunque voles, inquit, habere deos.

Et Arnob. III. p. 117. *Quem in cunctis anteponitis precibus, & viam vobis pandere deorum ad audientiam creditis*. Gotb. de Vet. jure pontif. IV. 2. Herald. in Arnobium. Struv. ibid. c. 4. p. 209. Etiam creditus est primævum chaos, seu confusa illa unitas & in profundum patens ex Hesiodi descriptione. Unde Ovid. Fast. I. 103.

Me Chaos antiqui, nam res sum prisca, vocabant:
Accipe, quam longi temporis acta canam.

Lipen. de Stren. c. 4. §. 20. Quæ invenerit, docet Draco Corcyræus

cyræus de Lapidibus apud Athen. xv. p. 692. D. his verbis: *Janum fama est bifrontem fuisse, altera facie posteriori, anteriori altera: Janum flumen, Janumque montem ab eo fuisse denominatum, quod in eo monte habitaverit: coronas illum reperisse, navigia, rates: nummum aneum ab illo signatum: qua de causa civitates in Gracia multa, Italia, & Sicilia monetam cudunt impressa bicipiti facie, & ex altera parte, vel navigio, vel corona.* Muson. Philos. de Lux. Græcor. c. 8. Laurent. ibid. c. 9.

Janus Bifrons dicebatur, quia facie gemina pingebatur. Serv. Æneid. xii. 198. *Namque postquam Romulus & T. Tatius in fœdera convenerunt, Jano simulacrum duplicis frontis effectum est, quasi ad imaginem duorum populorum.* Fortè, quia præterita & futura respicera existimaretur. Ovid. Fast. i. 65.

Jane biceps, anni tacitè labentis imago,
Solus de superis, qui tua terga vides.

Alciat. Emblem. xviii.

Jane bifrons, qui jam transacta, futuraque calles,
Quique retro sannas, sicut & ante, vides.
Tot te cur oculis, tot fingunt vultibus? an quod
Circumspectum hominem forma fuisse docet?

Alias quoque rationes dat Plutarch. Quæst. Rom. 24. *Landus Numism. Roman. Miscell. c. 1. Gyrald. Synt. deor. iv. p. 154. G. Struv. Ant. Roman. c. 1. p. 106. Voss. de Idolol. ii. 16. Lipen. de Stren. c. 4. §. 45. Cuper. Monum. Ant. p. 204. Lalamant. de Ann. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. viii. p. 274. E. Morestell. Philomus. ii. Dial. 2. Rosin. Antiq. Roman.* ii. 3. *Jani Gemini* simulacrum dextra manu trecentorum, & sinistra quinque & quinquaginta numerum designans ad ostendendam solaris anni dimensionem, statuerunt Romani. Plin. xxxiv. 7. *Janus Geminus à Numa Rege dicatus, qui pacis, bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, ut trecentorum quinquaginta quinque dierum nota anni, temporis, & avi se deum indicaret.* Viola de vet. & nov. Roman. temperat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. viii. p. 171. E. Jun. de Ann. & mens. c. 1. Lipen. ibid. §. 25. Struv. ibid. p. 107.

Janus Claviger dicebatur, quod cum clavi ipsum veteres effotmaverint. *Sagittar. de Jan. vet. c. 1. §. 4. Gyrald. Synt. deor.* iv. *p. 156. E. Lipen. de Stren. c. 4. §. 25. Struv. Antiq. Roman. c. 1. p. 107. Voss. de Idolol.* ii. 16. *La Chausse Deor. simul. tab.* xv. Veteres hoc docentes V. supr. in *Janua.*

Janus Clusius cognominabatur à claudendis templi portis. Ovid. Fast. i. 129.

Nomina ridebis: modò namque Patulcius idem,
Et modò sacrifico Clusius ore vocor.

Gyrald. Synt. deor. iv. p. 156. E. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 196. Voss. de Idolol. ii. 16. Viola de vet. & nov. Rom. temperat. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. viii. p. 174. A. Spon. Ignot. deor. ar. Thes. Ant. Græcat. Gronov. Tom. vii. p. 266. B. Rosin. Antiq. Roman. ii. 3. Lipen. de Stren. c. 4. §. 26. Quando, & quoties ejus portæ clausæ sint. V. infr. in *Templum.*

Janus Consivius dicebatur, quod genus humanum consereret. Macrob. Sat. i. 9. *Consivium, à conserendo, id est à propagine generis humani, qua Jano auctore conseritur.* Bottich. Antiq. Urb. sac. c. 16. §. 1. Gyrald. Synt. deor. iv. p. 157. B. Lipen. de Stren. c. 4. §. 27. Struv. Antiq. Roman. c. 1. p. 106. Voss. de Idolol. ii. 16. Rosin. Antiq. Roman. ii. 3.

Janus Curiatius dictus est, quia Horatius victor cum Junone sororia in memoriam Curiatii Albani sacraverat. *Lipen. de Stren. c. 4. §. 27. Rosin. Antiq. Roman.* ii. 3.

Janus Junonius fuit dictus, quod omnium mensium ingressum teneret. Macrob. Sat. i. 9. *Junonium, quasi non solum mensis Januarii, sed omnium mensium ingressus tenentem: in ditione autem Junonis sunt omnes Kalenda: unde & Varr. Rer. divin.* v. *scribit Jano duodecim aras pro totidem mensibus dedicatas.* Lipen. de Stren. c. 4. §. 27. Gyrald. Synt. deor. iv. p. 155. G. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 106. Rosin. Antiq. Roman. ii. 3.

Janus matutinus deus est dictus, quod *sit diei dominus*, ut ait Servius infr. in *Janus Quadriceps, in quo ortus est, & occasus.* Horat. Sat. ii. 6. 20.

Matutine pater, seu Jane libentiùs audis,
Unde homines operum primos, vitæque labores
Instituunt.

Gyrald. Synt. deor. iv. p. 157. D. Voss. de Idolol. ii. 16.

Janus Pater dictus est *quasi deorum deus.* Macrob. Sat. i. 9. A. Græcis etiam dictus *προπάτωρ*, ut in illo hymno, qui *ποιὸς* dicitur:

Χαῖρ' Ἴαν προπάτωρ, Ζεῦ ἄριστε.

Gyrald. Synt. deor. iv. p. 157. D. Rosin. Antiq. Rom. ii. 3.

Janus Quadriceps, & Quadrifrons etiam dictus est. Hoc innuit Mart. viii. 2. 1.

Et lingua pariter locutus omni.

Nam, ut ait Servius, *omnes de duobus non dicimus.* Scribunt Plutarchus & Critolaus, qui Phænomenων librum composuit, Saturnum à Latino quopiam agricola hospitio susceptum, ejus filiam Oenotriam vitiasse: quo partu natos ferunt, *Janum, Hymnum, Festum, & Felicem*, quibus Saturnus pater serendæ vitis, & vini conficiendi rationem ostendit, ejusque muneris ut aliis auctores essent, permisit. Hinc ergo finitimi agricolæ, cum vinum gustassent, inconsuetæ potionis vi diu gravi somno pressi jacuere: mox expergefacti, & sibi venenum propinatum suspicantes, *Janum* ejus inventorem saxis, & lapidibus obruerunt: cujus filiæ puellæ patris interitu mœrore percitæ, laqueo vitam finivere: quas in cœlum omnes sustulisse Saturnum tradunt: appellatasque *προτρυγητῆρας*, quod earum ortus vindemiam præcedant. Sed multo post tempore laborantibus pestilentia Romanis, Apollinis oraculum respondit: *non ante pestilentiam sedandam, quàm Saturni ira expiaretur, quam ex filii nece conceperat.* Hinc Lutatius Catulus ædem Saturno in rupe Tarpeja construxit, *Janumque* sacravit quadrifrontem: seu à puellarum numero, quæ patri laqueo, & spiritu parentaverant: vel à quatuor anni temporibus. *Gyrald. Synt. deor. iv. p. 155. C. Rosin. Antiq. Roman.* ii. 3. Si Servio fides habenda, originem suam debet Phaleris, sive Faleriis, civitati Tusciæ. Ita enim scribit ad Æneid. vii. 607. *Postea captis Phaleris, civitate Tuscia, inventum est simulacrum Jani cum frontibus quatuor: propter quod in foro transitorio constitutum est illis sacrarium aliud, quod novimus hodieque quatuor portas habere. Janum certè apud aliquos quadrifrontem esse non mirum est. Nam alii eum diei dominum volunt, in quo ortus & occasus: alii anni totius, quem in quatuor partes constat esse divisum.* Cuper. Monum. Ant. p. 208. Donat. de Urb. Rom. ii. 23. & 26. Bonon. à Cruc. Syllog. c. 8. Voss. de Idolol. ii. 16. Lipen. de Stren. c. 4. §. 41. Oisel. in Minuc. Fel. p. 187. Gyral. l. l.

Janus Quirinus dictus ast ab hasta, quam Sabini curim, seu quirim vocabant, quasi bellorum potens. Macrob. Sat. i. 9. *Quirinum, quasi bellorum potentem, ab hasta, quam Sabini curim vocant.* Lipen. de Stren. c. 4. §. 27. Struv. Ant. Roman. c. 1. p. 106. Gyrald. Synt. deor. c. 4. p. 157. G. Nardin. Roman. Vet. v. 7. Rosin. Antiq. Roman. ii. 3.

Janus Vertunus etiam dictus est, si Fabio Pictori credimus, si quidem, qui ejus nomine circumfertur, liber legitimus est. Sic enim scribit: *Imus Argiletus est, ubi Janus quadrifrons, qui & Vertunus, in fine vici Tusci, ad radices Capitolii, in foro Boario.* Gyrald. Synt. deor. iv. p. 157. E. Bonon. à Cruc. Syllog. c. 8.

Janus via quædam adjuncta à templo *Jani* dicta est, in qua fœneratores & trapezitæ habitabant, ejusque partes *summus, imus, medius Janus* dictæ. Horat. Epist. i. 1. 54. V. illum infr. in *Mercatores.* Cicer. de Offic. ii. 25. *A quibusdam optimis viris ad medium Janum sedentibus.* Hic locus an esset ad *Janum* bifrontem, an ad quadrifrontem, definire non ausim; potius tamen ad quadrifrontem constituerem. *Donat. de Urb. Rom.* ii. 26. *Borrich. Ant. Urb. sac. c. 6. §. 8.* Quæsitum est à doctis, cur *Janus* medius sit nuncupatus.

Qui-

Quibusdam placet Acronis sententia, scilicet, *Janum* dici medium, quod tres essent *Jani* statuæ, ad quarum medium solerent fœneratores, & creditores convenire. Porphyrio eos ad *Janum* in Basilica stetisse dicit. Chiliadum auctor in Ciceronem de Officiis, tres illas *Jani* statuas, vel etiam, ut Landinus ex quorundam sententia dicebat tria *Jani* in foro templa commenta esse suspicatur; probabiliusque esse ait, medium *Janum* vocari, quod in medio foro basilicam haberet: nihilque ad hanc opinionem adstruendam allegat. Ego in tanta vetustatis caligine censuerim medium dici, quod inter duo fora sacratus staret, ad quem tanquam celebriorem, ac loci ratione commodiorem & fœneratores, & mercatores convenire solerent. Ad quod existimandum me impellunt versus Ovid. Fast. I. 257.

Cum tot sint Jani, cur stas sacratus in uno,
Hic ubi juncta foris templa duobus habes?

Ad hunc in usum hujusmodi hominum sedilia fuisse docuit Cicero jam laudatus. *Mag. Miscell.* II. 12. *Nann. Miscell.* IV. 13. Non statuæ, aut templa ibi sunt intelligenda, sed transitiones perviæ. Unum enim erat in Urbe *Jani* templum, idque in vico Thusco, mercatoribus & fœneratoribus frequentissimo. Et hinc factum est, ut ille vicus *Janus* appellaretur. Caput ejus summus *Janus*, infima pars imus *Janus*, media pars medius *Janus* appellabatur. Ibidem erat puteal, ubi debitores non solvendo damnabantur. Ovid. Rem. Amor. n. 561. V. illum supr. in *Fœneratores*. Scopp. Collect. 1. 2. V. etiam Turneb. Adv. VI. 10. Lipen. de Stren. c. 4. §. 37. Torrent. ad Horatium. Cruq. ad Horat. Sat. I. 3. 18.

Jani compitalitii aliud longè erant quàm *Jani* templa. Transitus erant, quibus ex uno in alium commeabatur locum, quibusque duplex, ut *Jano*, facies erat, introitus scilicet & exitus. Inserviebant usui publico compendia viarum sectantium in foro alibive negotiatorum. Cicero laudatus supr. in *Janna*. Plurimi tales Romæ per compita frequentiora, & fora variè sparsi. P. Victor. *Jani per omnes regiones incrustati, & ornati signis*. Erant saxeæ quadratæ moles, nullis planè januarum claustris munitæ, arcubus quatuor latè patentibus visendæ, usu quidem similes hodiernis byrsis, non autem vel capacitate, vel forma. Talis *Janus* marmoreus in foro Boario conspicitur, pænè integer. *Nardin. Rom. Vet.* I. 9: V. 7. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 6. §. 8. *Donat. de Urb. Roman.* II. 26. *Lipen. de Stren. c.* 4. §. 36. *Bonon. à Cruce Syllog. c.* 16. *Gyrald. Synt. deor.* XV. *p.* 456. *G. Fagrell. de Stat. Roman. c.* 26. *Brod. Miscell.* II. 19. Etiam in portis interiores transitus, qui in multis tam antiquis, quàm hodiernis, etiamnunc recti, detectique visuntur, *Jani* fuere appellati. Liv. II. 49. & Ovid. Fast. II. 201. V. illos supr. in *Janus*. Et quia in Carmentali dexter fuit, consequitur etiam sinistrum in eadem fuisse. *Nardin. ibid.* I. 9.

JAP.

JAPUDES à Liburnis discrevit fluvius Tendanius, ab Istris flumen Arsia. Hos cis montes ad mare habitantes C. Sempronius Tuditanus in consulatu subegit, ac de iis anno sexcentesimo vigesimo quarto triumphavit. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 7.

JAPYGES, quos & Peucetios, & Pediculos vocarunt, fuerunt unum genus Apulorum. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 13. Solin. c. 2. *Japygas ab Japyge Dædali filio.* Imperitè quidam *Japyges* cum *Japodibus* confundunt. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 43. *b. A.*

IDE.

IDEA Jovis legitur disertim Varisii oppido agri Mediolanensis. Tertio à Marsilia lapide etiam *Idea* nomen occurrit in hoc monumento:

MATRIS. DEUM. MAGNÆ.
IDEÆ. PALATINÆ. EJUSQ.
M. RELIGIONIS. AD. PANOR
NAVIUS JANUARIUS

Et Romæ in ædibus Columanis, in ara; M. D. M. IDEA. ET. ATTIDI. MINOTAURO. Superfluum I. vitio statuarii existimaverim. Nec enim minus illi in literarum notis errarunt, quàm librarii, qui tot mendosos codices nobis dederunt. Ita alibi veterum inscriptionum invenite est DIRVITA pro DIRUTA, MEDIOLANIENSIS pro MEDIOLANENSIS. Igitur pro *Idea Jovis* legendum est *Dea Jovis*, quæ est Juno. Nihil facilius quàm in notis statuarium lineolam unam, qualis I litera, superaddere. An verò eo recurrere non est necesse, & bene scriptum *Idea Jovis*, sicut *Idea mater deum*? ut *Idea Jovis* sit mater deum, ac proinde etiam Jovis. Mater autem deum bene *Idea* dicta est ab *Ida* monte, quem sacrum, dedicatumque sibi habebat: quod nemo nescit. *Boxhorn. Quæst. Rom. c.* 5.

IDO.

IDOLA consecrabantur hoc ritu. Profani signi sacramentum erat *Sute ex vinas*. Lapidem enim, vel lignum, aliusque materiæ simulacrum ritu, & sollennibus verbis deum fieri credebant. Itaque consecratum vulgus orare, & publicè colere non dubitabat, tanquam in ligno, aut lapide præsentis numinis vis adesset. Simulacrum dum funditur, fabricatur, sculpitur, nondum deus est: plumbatur, consternitur, erigitur, nec adhuc deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur, & postremo deus erat, cum homo voluisset, aut dedicasset. Tria ergo in lapide requitebantur, ut deus evaderet, ornatus, consecratio, oratio. Primò enim ornabant *idolum*, supellectile varia, & pretiosa, quæ imperitæ multitudinis animos obumbraret; sic exornatum, & depexum *idolum* consecrabatur. Apud Romanos nihil fuit tam sollenne quàm dies consecrationis. Verba sollennia cum idolorum vanitate perierunt, si quæ fuerunt, quæ fortè nulla, ut ex Principum consecratione colligi potest, in qua nulla verborum conceptio sollennis. *Guther. de Jur. Pont.* IV. 22. *Laurent. var. sacr. Gentil. c.* 14. Kalendis Januariis pædore, quo per totum annum conspersa essent, abstergebantur. *Lipen. de Stren. c.* 2. *prim. at.* §. 21. V. inst. in *Kalendæ*. Illis immolari interdixit Constantinus Magnus. Euseb. de Vit. Constant. III. 50: IV. 25. Sozomen. I. 3. & 4. Socrat. I. 14. *Lipen. ibid. c.* 2. *at.* 3. §. 2.

IDU.

IDULIA dicebantur sacra ab ove, quæ singulis *Idibus* Jovi immolabatur. Festus: *Sacram viam quidam appellant, quod eo itinere utantur sacerdotes idulium sacrorum conficiendorum causa*. Varro de Ling. Lat. IV. 8. *Oritur caput Sacræ viæ ab Strenia sacello, quæ pertinet in arcem, qua sacra quotquot mensibus feruntur in arcem, & per quam augures ex arce profecti solent inaugurare*. Donat. de Urb. Rom. II. 12. Turneb. Adv. XX. 35.

IDULIS *dicebatur ovis, quæ omnibus Idibus Jovi mactabatur*. Festus: *Tusci hoc nomine illam vocant, & omnibus Idibus Jovi immolatur à flamine*. Macrob. Sat. I. 15. *Junius de Ann. & mensf c.* 5. *Siccama in Fast. Kalend. Rom. c.* 6. *Struck. de Sacrif. p.* 27. *Hospin. de Fest. Ethnic. p.* 96.

IDUS dividunt mensem, nam eo lapso computamus dierum numerum, quatenus à sequentibus Kalendis distant. Unde cum dicimus sexto Kalendas, sextum diem intelligimus qui ante Kalendas est. *Alciat. ad leg.* 98. *de verb. signif.* Macrob. Sat. I. 15. *Idus vocamus diem, qui dividit mensem. Iduare enim Hetrusca lingua dividere est*. Quo allusit Horat. Od. IV. 11. 16. V. illum supr. in *Aprilis*. Et Dionys. XI. p. 737. exponit *Idus* διχομηνίδα ἡμέραν, hoc est, *diem dissectorem mensis*. Jun. de Ann. & mens. c. 5. Voss. Lex. Etymol. Gassend. Kalend. Roman. c. 1. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 6. Viola de ver. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 187. E. Gaza de Mens. Attic. c. 14. Haguelon. Kalend. Triling. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 1038. D. Jovi sacras habuere Romani. Macrob. Sat. I. 15.

15. *Omnes Idus Jovis ferias observandas sanxit antiquitas.* Ovid. Fast. I. 56.

Idibus alba Jovi grandior agna cadit.

Stuck. de Sacrif. p. 27. Perion. de Græcor. & Roman. magistrat. III. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2815. D. Jun. l. l. In has solutionis dies solebat conferri: ut creditores, quæ fœneraverant in Kalendas, *idibus* reciperent, & relegerent. Horat. Epod. II. 67.

Hæc ubi locutus fœnerator Alphius
Jam jam futurus rusticus
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Kalendis ponere.

Cicer. Attic. X. 5. *Ad me nuper se HS. XXX. emisse, ut scriberem, an vellem, addici diem pecuniæ Idus Novembris esse,* Catil. I. 6. *Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis idibus senties.* Inde Kalendariorum & Iduariorum corpora dicta in inscriptione apud Gruter. p. 478. n. 9.

L. VAL. L. FIL
GAL. FAVENTINO
II. VIRALI
QUI. ANNONA
FRUMENTARIA
EMPTA. PLEBEM
ADJUVIT. ET. OB
ALIA. MERITA. EJUS
COLLEGIA. KA
LENDARIUM. ET. IDUARIA. DUO
CIVI. GRATISSIMO
POSUERUNT

Habebant enim civitate, ut & privati, Kalendaria sua, ex quibus qui fœnori ponebant, Kalendarii, & curatores Kalendarii: qui relegebant, Iduarii dicebantur. Cicer. Attic. XIV. 20. *Jam vel sibi habeat nummos, modo numeret Idibus.* Pith. Subcis. II. 4. Brisson. de Form. VI. p. 758. Torrent. & Cruq. in Horatium. Cujac. tract. VIII. ad African. in exposit. l. pen. ff. de rebus cred. Manut. & Popm. ad Cicer. ad Attic. XIV. 20. Vereor, ut viris his assentiri possim. Nusquam enim hoc exstat, & contrarium exemplis probamus infr. in *Usura*. Nec juvat eos Cicero. Quid si enim Canhoa *idibus* acceperit fœnebrem pecuniam, & ejus restitutionem *idibus* promiserit? quamvis enim solerent pecuniæ Kalendis dari, & repeti; tamen nil vetabat, si ita res ferret, eas aliis quoque diebus, verbi gratia, *idibus* dari, & repeti: & exemplum apud Scævol. l. 89. §. ult. ff. de solution. Horatius tantum indicat, Alphium fœneratorem, cui jam placebat vita rustica ex Horatii commendatione, mutasse consilium: & cum exspectaretur, ut rus abiret, contra relegisse omnes usuras, sibi ex Kalendis debitas: quod cum factum esset *idibus*, deinde non vitam rusticam cogitasse; sed opportunitatem pecuniæ, ne otiosa esset, futuris Kalendis rursus fœnori collocandæ. Non magis quem movere possit lapis allatus. Hunc Gruterus sic edidit; sed mendosè. Scribe QUI ANNONA, id est, QUIA ANNONA, geminata litera A: ut duplex sit positi monumenti causa; una, quod *annona frumentaria empta plebem adjuvit* L. Valerius Faventinus; altera, *& ob alia merita ejus*. Utcunque erit, quod de Kalendariis dicit Pithæus, in ea inscriptione appellari, qui fœnori ponebant pecuniam publicam, à vero non abhorret: sed quod de *iduariis* dicit, ejus probationem quæro: nusquam enim extat. Quanquam quæ sint duo collegia iduaria, nec ipse intelligo. Quod si suspicioni locus sit in re obscura, quia laudatur Faventinus præsertim, quod annona frumentaria plebem adjuvit, forsan videri possint ea collegia esse eorum, qui in municipio habebant curam pecuniæ alimentorum infirmæ ætatis ex plebe, aut annonæ populo præbitæ: quorum munerum meminit inscriptio apud Gruter. p. 386. n. 4.

L. CASURIO. L. F.
CLU. SPECULATORI
ÆD. IIII. VIR. I. D. Q. ARC
PUBL. ET. PEC. ALIMENTAR
DEFENSORI. R. P. CUR. ANN.
POPULO PRÆBITÆ

Etiam Alexand. l. 3. C. de compensat. cum ait: *In ea quæ Reipublicæ te debere fateris, compensari ea quæ invicem ab eadem tibi debentur, is cujus de ea re notio est, jubebit, si neque ex Kalendario, neque ex vectigalibus, neque ex frumenti, vel olei publici pecunia, neque tributorum, neque alimentorum, neque ejus, qui statutis sumptibus servit, neque fideicommissi civitatis debitor sis.* Illa tamen collegia *iduaria* dici non liquet. *Noodt de Fœnor. & usur.* II. I. Octonos æris asses pueri pro mercede disciplinæ, in ludum qui ibant, referebant. V. infr. in *Minerval*. Matrimonio contrahendo habebantur religiosæ. V. infr. in *Kalenda*.

Idibus Januariis permissum erat tibicinibus, vestem indutis muliebrem, per Urbem circuire. Magnos illis honores Numa Rex religionis causa contulerat, quibus cum postea tribunis militum consulari potestate Rempublicam administrantibus privarentur, universi Roma Tibur secesserunt. Desiderati inde, quod religio tenebat animos Romanorum, nemine sacrificiis præcinente, acciti que cum non obtemperarent, sed Tibure manerent, libertus quidam magistratibus promisit occultè, se eos Romam reducturum. Instructo proinde pollucto, tanquam si diis rem sacram fecisset, invitat tibicines, adhibitis etiam convivio mulieribus: & per totam noctem compotatio, choreæ, & joci protrahuntur. Tum subitò ficta trepidatione, improviso patroni adventu se perturbatum ait, persuadetque tibicinibus, ut vehicula circumquaque pellibus obtecta conscendant. Tibur se eos revecturum dolosè promittens. Ibi circumactis vehiculis eos, qui per temulentiam, & tenebras animadvertere, ubi locorum essent, nequibant, universos Romam prima luce perfert. Erant autem plerique vestibus floridis, & muliebribus amicti ob nocturnam comessationem, & convivium. Exinde cum magistratibus tibicines in gratiam redierunt, decretumque est, ut tali habitu istum diem eis per urbem vagari liceret. Plutarch. Quæst. Rom. 54. Liv. IX. 30. Valer. Max. II. 5. 4. *Alex. Gen.* III. 18. *& ad illum Tiraquellus. Bartholin. de Tib.* III. 1. *Merul. de Sacerd. c. 4. §. 4. Stuck. de Sacrif. p.* 169.

Idibus Februariis in Tiberis insula, ubi Fauni ædes erat, Romani rem divinam, & sacrum annuum fecerunt. Ovid. Fast. II. 193. V. illum supr. in *Faunus*. Alex. Gen. III. 18. & ad illum Tiraquellus.

Idibus Martiis *& publicè, & privatim ad Annam Perennam, quo commodè annare, & perannare liceret, festum geniale fuit.* Macrob. Sat. I. 12. Ovid. Fast. III. 523.

Idibus est Annæ festum geniale Perennæ,
Non procul à ripis advena Tibri tuis.
Plebs venit, ac virides passim disjecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quisque sua.

Alex. Gen. III. 18. & ad illum Tiraquellus. Viola de Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 170. E. Lambec. in Kalend. vet. Thes. Græv. ibid. p. 107. E. Buleng. de Omin. c. I. Brisson. de Form. I. p. 58. Gyrald. Synt. deor. I. p. 59. C. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 14. Rosin. Antiq. Roman. II. 17. Hic dies post Julium Cæsarem à Bruto & Cassio interfectum parricidium est dictus, quia ille illo die conjuratorum scelere occubuerat, ac propterea perpetuum justitium in eum diem institutum. Svet. Jul. c. 88. n. 3. *Placuit Idus Martias parricidium nominari: ac ne unquam illo die senatus ageretur.* Junius Fast. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 254. D. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 5. Zamosc. de Sen. Roman. II. 7. Dempster. ad Rosin. Ant. Roman. IV. 8. Brisson. de Form. II. p. 230. Stephanus Claverius ad finem Claudiani III. de laudibus Stilichonis, qui non Idus, sed Kalendas Martias parricidium hoc facit. *Demster. l. l.*

Idibus Aprilis Q. Fabius Jovi victori ædem, quam bello Sabino voverat, cum quibus cruento Marte, & infestis sæpè cladibus dimicatum fuerat, dedicavit: eaque dies festa in posterum haberi cœpta. Ovid. Fast. IV. 621.

Occupat Apriles Idus cognomine victor
Jupiter: hac illi sunt data templa die.

Alex.

Alex. Gen. III. 18. & ad illum Tiraquellus. Gyrald. Synt. deor. I. p. 79. E.

Idibus Majis mercatorum dies festus agebatur, quod Mercurio, qui mercimoniis præest, natalis foret: quodque Appio Claudio & P. Servilio consulibus ædes illi dicata fuerat, qui mensis mercimoniis facer in posterum semper habitus. Quippe eo mense mercatores Majæ, Mercurioque sacrum facere, & suem prægnantem immolare, seque & merces ex Mercurii fonte ad Capenam lustrare assueverant, ita magnos, & uberes quæstus facere opinati. Festus: *Majis Idibus mercatorum dies festus erat, quod eo die Mercurii ædes esses dedicata.* Ovid. Fast. v. 669.

Templa tibi posuere patres spectantia circum
Idibus: ex illo est hæc tibi festa dies.
Te, quicunque suas profitetur vendere merces,
Thure date, tribuas ut sibi lucra, rogat.

Sequentia V. supr. in *Fons Mercurii.* Alex. Gen. III. 18. & ad illum Tiraquellus. Putean. de Nundin. c. 29. Siccam. in Fast. Kalend. c. 11. Caroli Antiq. Roman. 1. 5. Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom. II. 10.

Idibus Juniis alter tibicinum dies anniversarius agebatur festus: qua die tibicines, qui sacris præcinunt, per Urbem vadere feriatos, & ad ædem Minervæ convenire sollenne fuit: ipsasque minusculas Quinquatrus, quod diem quintum post *Idus* feriatum haberent, appellarunt. Festus: *Minuscula Quinquatrus appellabantur Idus Junia, quod is dies festus erat tibicinum, qui Minervam colebant.* Ovid. Fast. VI. 651.

Et jam Quinquatrus jubeor narrare minores.
Nunc ades o cœptis flava Minerva meis.
Cur vagus incedit tota tibicen in Urbe?
Quid sibi persona, quid stola longa volunt...

Alex. Gen. III. 18. & ad illum Tiraquellus. Bartholin. de Tib. III. 1.

Idibus Quintilibus equitum turmæ festa fronde, & olea ornatæ, in campo Martio instructæ, tanquam qui congredi acie parant, trabeati ab æde Honoris in Capitolium transibant. V. hunc ritum supr. in *Equites.*

Idibus Sextilibus sacra fiebant Dianæ. Mart. XII. 68. 2.

Augustis redit Idibus Diana.

Auson. Eclugar. XVII. 5.

Et medias Idus Maji, Augustique recursu,
Quas sibi Mercurius, quasque Diana dicat.

Has intelligit Prop. II. 23. 39.

Cum videt accensis devotam currere tædis
In nemus, & Triviæ lumina ferre deæ.

Mulieres enim voti damnatæ, & compotes ab Urbe ardentes faces in Aricinum nemus, ubi religiosissimè colebatur Diana, ferebant illius deæ feriis. Ovid. Fast. III. 269.

Sæpè potens voti frontem redimita coronis
Femina lucentes portat ab Urbe faces.

Venatores sæpenumero faces spicatas accensas eo ferebant, & canes suos morbo, aut scabie affectos infulis velatos deæ sistebant, omneque instrumentum venatorium ante eam collocabant. Grat. n. 485.

Spicatasque faces sacrum ad nemora alta Dianæ
Sistimus, & solito catuli velantur honore:
Ipsaque per flores medio in discrimine luci
Stravere arma, sacris & pace vacantia festa.

Sed & Diana illis ipsis feriis suos emeritos canes, quietosque à venatione, & immunes habere credebatur, ipsaque etiam feriari. Stat. Sylv. III. 1. 55.

—— *ipsa coronat*
Emeritos Diana canes, & spicula terget:
Et tutas sinit ire feras.

Turneb. Adv. VII. 26. Cruceus in Statium. Rosin. Ant. Rom. IV. 13. Hisce etiam servorum dies festus erat, quod Servius Tullius ancilla genitus in lucem tunc editus fuisset. Eodem tempore uxoribus caput lavare felix, faustumque putabatur: servique, & servæ æquato jure, & nullo discrimine liber, an servus esset, cum dominis colludere, & festos dies Romæ agere solebant. Festus: *Servorum dies festus erat Idibus Augusti, quia eo die Rex Tullius filius ancillæ natus est.* Plutarch. Quæst. Rom. 98. *Cur Idibus Sextilibus, qui nunc Augustus dicitur, feriæ sunt utriusque sexus servis, mulieres autem tum maximè lavare, & purgare capita student? An hoc servis datum, quod eo die Servius Rex natus fuit è captiva ancilla? lotio autem capitis ab ancillis feriarum causa cœpta, etiam ad liberas pervasit?* Alex. Gen. III. 18. & ad illum Tiraquellus. Rosin. l. l. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 4. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 494. G.

Idibus Septembribus prætor maximus clavum pangebat. V. supr. in *Clavus.* Et templum Jovis Capitolini à M. Horatio consule dedicatum est. V. infr. in *Templum.*

Idibus Octobribus in campo Martio immolabatur equus October. V. supr. in *Equus.*

Idibus Novembribus epulum indictum. Kalendarium. EID NP. Epul. indict. hoc est, Eidus, nefastus primo, epulum indictum. V. supr. in *Epulum.*

JEC.

JECORUS legitur in Lexico vetere Latino-Græco, qui ἀσωπόμ⊕. Emendabat amicus meus pro *Jecorus Ephorus.* Sed in Lexico sub literam *I* non cadit *E.* Lectionem Latinam retineo. Græcam restituo paucis literis immutatis, vel conversis, ἡπατοσκόπος. *Jecorus* ab *jecore* inspiciendo aruspex dictus est. qui vere legem sacrificiis dabat, & pontifici adhibebatur sacra facienti. *Gutber. de jur. pontif.* II. 14.

JECUR ad naturam sanguinis proximè accedit: siquidem nihil pænè aliud est, quàm sanguis crassior redditus, & quasi concretus; nam & primum est sanguinis generandi instrumentum; qua de causa etiam animalium omnium *jecur* crassi est succi, & ad coquendum difficile, & tardè venas permeat, ut optimè censuit Galen. de Aliment. facult. III. 11. Meliora autem, vel deteriora sunt, secundum animalis cujusque naturam, quare ut sues quadrupedum cætera alimenti bonitate superant, ita etiam suillum hepar cæteris præpollet. Longè præstantissimum erit, si sues antea caricis pastæ fuerint, quo cibo *jecur* amplissimum, jucundissimumque evadit, quod Græci συκωτὸν, seu ficatum appellant. Et Pullux VI. 9. §. 2. ἧπατα σιτυ-κασρῶα vocat. Et sues ipsi dicuntur χοῖροι συκαζόμενοι à Pallada Anthol. II. 17. 2. nu. 1. Inventum hoc fuit M. Apicii. Plin. VIII. 51. *Adhibetur & ars jecori feminarum, sicut anserum, inventum M. Apicii, fico carica saginatis, ac satie necatis repente mulsi potu data.* Nonn. de Re cibar. II. 13. Castellan. de Esu carn. 1. 4. Rhodig. Antiq. Lect. IV. 17: VI. 5. Salmas. Exerc. Plin. p. 744. a. F. Voss. de Idolol. III. 93. Instit. Orat. IV. 13. §. 8. *Jecur* dicit Pers. Sat. 1. 25.

—— *Rupto jecore exierit caprificus.*

quod in eo etiam, non tantum in corde, sensa animi collocata, & affectus crederent, eamque animi sedem, & domicilium existimarent. Ideo idem n. 46.

—— *neque enim mihi cornea fibra est.*

Et Sat. v. 29.

Quod latet arcana non enarrabile fibra.

Et in epigrammate apud Svet. Gramm. II. n. 4.

En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.

Turneb. Adv. x. 1: XIII. 11. Casaub. in Pers. 1. 25. Voss. ibid. 7. §. 8. Pitisc. in Svetonium. Deditum fuit vel maximè Cupidini. Claud. IV. Honor. Consul. n. 247.

—— *nil collatura Cupido*
In jecur, & tractus imos compulsa recessit.

Firmicus, *In jecore, unde libido nascitur, & voluptas.* Barth. Adv. VII. 12. Anserinum in omni genere *jecinorum* præstat, tanquam tenerius, humidius, & suavius. Plin. x. 22. *Nostri sapientiores, qui eos jecoris bonitate novere. Fartilibus in magnam amplitudinem crescit: exemptum quoque lacte mulso augetur. Nec sine causa in quæstione est, quis primus tantum bonum invenerit. Scipio Metellus vir consularis, an M. Sestius eadem ætate eques Romanus.* Sagina in magnam molem auctum est, & in summis deliciis habitum. Juven. Sat. v. 114.

Anseris

Anseris ante ipsam magni jecur, anseribus par,
Mart. XIII. 58. 1.

Aspice, quàm tumeat magno jecur ansere majus,
Miratus dices, hoc rogo crevit ubi?

Ut in molem excresceret, ficubus illos, non secus ac porcos alebant. Pallad. I. 30. *Peractis triginta diebus, si ut jecur tenere sit at optabis; tunsas caricas, & aqua maceratas in offas volutabis exiguas, & per dies viginti continuos ministrabis anseribus.* Horat. Sat. II. 8. 88.

Pinguibus & ficis pastum jecur anseris albi.

Turneb. Adv. XIII. 17. Buleng. de Conviv. II. 19. Nonn. ibid. c. 34. Castellan. ibid. IV. 23. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 11. Tanquam insani, perditique luxus exemplum, quod *canes jecinoribus anserum paverit* Heliogabalus, notat Lamprid. c. 20. *Castellan. l. l.* Ejus inspectio vocabatur *ἡπατοσκοπία*. Hanc Græci per synechdochen sic nominarunt, quod, quanquam explorarent ea omnia, quæ viscerum nomine continentur, ut hepar, lien, cor, renes, & cætera: *jecur* tamen vaticinationis istius sedem, & quasi fontem existimabant: quo rectè constituto, & optimè temperato pro victimæ natura læta promitti; eo autem mutilato adversa portendi opinabantur, sive tesragarentur cætera, sive consentirent: & quod inde initium inspectionis, considerationisve istius fiebat. *Stuck. de Sacrific. p.* 190. Considerabant enim, nitidumne id esset, atque plenum, an horridum & exile, cum capite, & sine capite, & quid inde læti, tristisve præviderent, renuntiabant. Philostr. Apollon. VIII. 3. *Jecur in quo vaticinii sedem esse dicunt ejus artis periti.* Ἡπατοσκοπικὴν τέχνην vocat Phlegon, qui ejus originem à Sibyllinis carminibus repetit *ἐν Θαυμασίοις*. Herodian. VIII. 3. 17. *Dicebatur autem Crispinus ad bellum sic audacter sustinendum etiam aruspicum responsis, qui læta exta nuntiarent, animatus: etenim magnopere fidem hujuscemodi signis habere Itali consueverunt.* In hujusmodi extispiciis *fibras, fissum, & caput* observabant. V. illa suis locis, *Brisson. de Form. I. p. 20. Lyd. de Remlit. I. 3. Buleng. de Sort. c. 7. Vener. de Orac. & divinat. antiq. c. 7. Alex. Gen. V. 25. & ad illum Tiraquellus. Gonsal. in Petron. p. 428.* Petron. c. 97. *Recluso pectore extraxit fortissimum jecur, & inde mihi futura prædixit.* Veteres, urbes structuri, *jecinora* pecorum ibi pascentium inspexerunt; & si fuissent livida, aut vitiosa, alio secesserunt. Vitruv. I. 4. *Majores è pecoribus immolatis, quæ pascebantur in iis locis, quibus aut oppida, aut castra stativa constituebantur, inspiciebant jecinora, & si erant livida, & vitiosa prima, alia immolabant, dubitantes utrum morbo, an pabuli vitio læsa essent. Cum pluribus experti erant, & probaverant integram, & solidam naturam jecinorum ex aqua & pabulo, ibi constituebant munitiones. Si autem vitiosa inveniebant indicio, transferebant.* Ituri in prælium, & cum hoste pugnaturi consultatoriam mactabant victimam, in hujus *jecore* aruspex duo constituebat capita, quorum alterum civi, alterum hosti dicabat; collatisque capitibus hujus, aut alterius partis pronuntiabat victoriam, Lucan. I. 626.

Quodque nefas, nullis impune apparuit extis,
Ecce vides capitis fibrarum increscere molem
Alterius capiti, pars ægra, & marcida pendet:
Pars micat, & celeri venas movet improba pulsu.

Interdum deerat signo piaculari, & oppidò horrendo. Plin. XI. 37. *Jecur in dextra parte est. In eo, quod caput extorum vocant, magna varietatis. M. Marcello circa mortem, cum periit ab Annibale, defuit in extis. Sequenti deinde die geminum repertum est. Deinde & C. Mario, cum immolaret Uticæ, item Cajo principi Kalendis Januariis, cum iniret consulatum, quo anno interfectus est: Claudio successori ejus, quo mense interemptus est veneno.* Saubert. de Sacrif. c. 20. Struv. Ant. Roman. c. 6. p. 290. *Replicata* dicuntur *jecinora*. Svet. Aug. c. 95. n. 2. *Immolanti omnium victimarum jecinora replicata intrinsecus ab ima fibra paruerunt, nemine peritorum aliter conjectante, quàm læta per hac, & magna portendi.* Plin. l. l. *Divo Augusto Spoleti sacrificanti primo potestatis suæ die, sex victimarum jecinora replicata intrinsecus ab ima fibra reperta sunt: responsumque duplicaturum intra annum imperium*, quæ duplicia Obseq. de Prodig. c. 29. *Cæsari cum honores decreti essent, & imperium adversus Antonium, immolanti duplicia exta apparuerunt.* & Dion. XLVI. p. 314. C. *Omnium hostiarum duodecim jecinora gemina, διπλᾶ inveniebantur.* Illa verò semper habita sunt lætissima, sive omnino essent replicata, sive tantum ex parte. Val. Max. I. 6. 9. *Ejus jecur sine capite inventum est: proxima caput jecinoris duplex habuit. Quibus inspectis aruspex tristi vultu, non placere sibi exta, quia prima tam tristia, secunda nimis læta apparuissent, respondit.* Svet. & Plin. l. l. *Buleng. de Sort. c. 7. Casaub. & Pitisc. in Svetonium.* Hanc impietatem prohibuit Imperator Theodosius, l. 2. C. de pag. & sacr. & templ. *Ne quis mortalium faciendi sacrificii sumat audaciam, ut inspectione jecoris, extorumque præsagio vanæ spem promissionis accipiat; vel, quod est deterius, futura sub exsecrabili consultatione cognoscat. Acerbioris etenim imminebit supplicii cruciatus ei, qui contra vetitum præsentium, vel futurarum rerum explorare tentaverit veritatem.* Saubert. l. l.

JEJ.

JEJUNIA sua superstitiosa, & suas quasdam abstinentias à certo alimentorum genere habuerunt gentiles, vel ad tempus aliquod, vel perpetuum, ac semper, quibus magnam se putabant à diis suis inire gratiam. Talia fuerunt illa Cybeles, cujus sacerdotes, ut Hieronymus de illis scribit, per dies aliquot inediam perferebant, ut deinde phasianis avibus vicissim tanta majori cum voluptate impleri possent. Tale quoque fuit superstitiosum illud apud Romanos *jejunium*, quod decemviri ad expianda prodigia, & averruncandam iram cœlestem, è libris Sibyllinis Cereri instituendum esse renuntiarunt. Liv. XXXVI. 37. *Eorum prodigiorum causa libros Sibyllinos ex Scto decemviri quum adiissent, renuntiarunt: Jejunium instituendum Cereri esse, & id quinto quoque anno servandum.* Stuck. de Sacrif. p. 250. Rhodig. Ant. Lect. XXVII. 20. Struv. Ant. Roman. c. 9. p. 389. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 2. De hoc Clem. Alexandr. Protrept. p. 13. D. *Tessera Eleusiniorum mysteriorum. Jejunavi, bibi cyceonem, accepi è cista, operatus deposui in calathum, & è calatho in cistam.* Arnob. V. p. 175. *Eleusiniorum vestrorum notas, & origines producunt turpes, antiquarum elogia literarum: ipsa denique symbola, quæ rogati sacrorum in acceptionibus respondetis: Jejunavi, atque ebibi cyceonem, ex cista sumpsi, & in calathum misi: accepi rursus, in cistulam transtuli. Jejunabant* ad repræsentandam Cereris in luctu suo à cibo, potuque abstinentiam. Clem. ibid. B. *Hospitio cum excepisset Cererem, præbet cyceonem illi. Illa autem recusante accipere, & bibere nolente, lugens enim erat, molestia Baubo facta.* Quæ habes quoque apud Arnob. ibid. p. 174. *Meurs. Eleus. c.* 10. Etiam Ethnicis fuerunt in usu valetudinis causa. Senec. Epist. 68. *Alius levat vomitu stomachum, alius frequenti cibo fulcit, alius interposito jejunio corpus exhaurit & purgat.* Svet. Vesp. c. 20. n. 3. *Quamvis ad tuendam valetudinem nihil amplius quàm fauces, cæteraque membra sibimet ad numerum in sphæristerio refricaret, inediamque unius diei per singulos menses interponeret.* Laurent. de Prand. & cœn. vet. c. 22.

JEN.

JENTACULUM erat cibus matutinus. Isidor. XX. 2. *Jentaculum est primus cibus, quo jejunium solvitur. Nigidius: Nosipsi jejunia jentaculis levibus pollinimus.* Usum, & horam indicat Mart. XIV. 223.

Surgite jam pueri, vendit jentacula pistor,
Cristataque sonant undique lucis aves

Afran. apud Non. II. 440. *Hæc jejuna jentavit.* Et *mane singulos jamne jentassent sciscitabatur* Vitellius apud Svet. c. 7. §. 6. *Bacc. de Conviv. Ant. I. 1. Laurent. de Conviv. I. 1. Ursin. Append. ad Ciaccon de Tricl. p. 161. Stuck. de Sacrif. I. 7. Kipping. Antiq. Roman.* IV. 3. 1. *Nonn. de Re cib.* I. 4. Non tamen hæc perpetua *jentaculi* ratio fuit: quem-

quemadmodum docet illud Apul. Met. I. p. 26. *En, inquam, paratum tibi adest jentaculum: & cum dicto manticam meam humero exuo, caseum cum pane properè ei porrigo.* Et illud Pomponii *Nihil habeas jentaculi præter nauticum panem.* Voss. Lexic. Etymol. Nunquam igitur *jentaculum* sine pane, uno panis caput erat *jentaculi*, aliquando siccus, & solus. Vopisc. in Tacit. c. 11. *Panem nisi siccum*, id est, solum, *nunquam comedit.* Senec. Epist. 83. *Non mul tum mihi ad balneum superest, panis deinde siccus, & sine mensa prandium.* Interdum pani addebant palmulas, uvas passas, nucleos, mel Atticum crudum, aut coctum, aut aliquid melliti, operisve dulciarii, salsi etiam aliquid aliquando. Inde panem gustare, comedere, & *jentare* res eadem. Svet. Aug. c. 76. n. 3. *Nos in essedo panem, & palmulas gustavimus.* Et: *Dum lectica ex regia domum redeo, panis unciam cum paucis acinis uvæ duracinæ comedi.* Et: *Quin balneo demum post horam primam noctis duas bucceas man ducavi prinsquam ungi inciperem.* Salmas. in Vopiscum. Kipping. l. l. *Jentaculi* hora erat tertia, aut quarta. Unde Martialis eum, qui ad quintam veneerat pransurus, serò venire, ut *jentaret*, nimis tempori, ut pranderet, dicit VIII. 67. 9.

Mane veni potius, nam cur te quinta moretur?
Ut jentes, serò Cæciliane venis.

Salmas. ibid. & ad Lamprid. Alex. Sev. c. 30. Pueri verò soli ferè *jentaculo* sunt usi: perinde ac hodie ubique ferè gentium hoc usurpatum est, ut pueri summo mane semper aliquid cibi capiant. Ea propter Phædromum adolescentulum *Veneri jentaculum vovere* facit Plaut. Curc. I. I. 72. Similiter & Phronesium meretrix sic ait apud Plaut. Truc. II. 7. 37.

——*non novisti, obsecro?*
Qui illic apud me erat; hujus pater pueri illic est: usque ad jentaculum
Jussit ali.

Præter pueros, & senes, qui valetudinis gratia utebantur *jentaculo*, nullos alios unquam usos puto; quod si aliqui erant, qui uterentur, protinus tanquam incontinentes notabantur. *Mercur. de Potion. ac edul. ant. c. 10. Nonn. l. l.* Opificibus tamen, qui laborioso opere vitam tolerant, ne natura laboribus deficiat, *jentaculo* vires sunt firmandæ. *Nonn. l. l.*

IGN.

IGNIS pro excubiis, seu vigilibus accipitur. Pro remissis, ac languidis excubiis dicit Tacit. Annal. I. 65. I. *invalidos ignes.* Pro crebris, ac densis Stat. Theb. XII. 353.

Contractæque vices, & crebrior excubat ignis.

Laurent. Var. sacr. gentil. c. 22.

Ignis est inventum Vulcani. Suidas: *Ister ait, Athenienses instituisse primum lampada Vulcano sacrificantes, in memoriam, quod usum ignis docere alios excogitaverit.* Hinc Æschyl. Prom. vinct. n. 7. 8.

Tuum enim florem, artificis ignis splendorem,
Mortalibus furatus tribuit.

Castellan. de Fest. Græcor. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 680. B. *Ignem* non semper domi suæ veteres excitabant, sed à vicinis plerumque petebant: neque enim facilè negare petenti licebat. Videbatur enim hoc valdè alienum esse ab ipsa humanitate, & vita hominum atque natura, quæ aqua & *igne* carere non potest. Hinc Plaut. Trin. III. 2. 53.

Facile est inventu: datur ignis, tamen etsi ab inimicis petas.

Eodem & Ennii versus pertinent, quos refert Cicer. de Offic. I. 16.

Ut homo, qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit
Ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

Eodem respicit Plautus, cum ait Aul. I. 2. 12.

Cave quemquam alienum in ædes intromiseris.
STA. *Quod si quispiam ignem quærit?* EUC. *Extingui volo:*
Ne causa quid sit, quod te quisquam quæritet.

Nam si ignis vivet, tu extingueris extemplo.

Phædr. III. 19. 3.

Ignem quæreas, aliquot lustravit domos:
Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet.

De flamma tamen deum, id est, de *igne* sacrificiorum, non licebat accendere *ignem*, vel mutuari lumen. Phædr. IV. 10. 1.

Lucernam fur accendit ex ara Jovis,
Ipsumque compilavit ad lumen suum;
Onustus qui sacrilegio quum discederet,
Repente vocem sancta misit religio;
Malorum quamvis ista fuerint munera,
Mihique invisa, ut non offendar subripi;
Tamen, scelleste, spiritu culpam lues,
Olim quum adscriptus venerit pœnæ dies.
Sed ne ignis noster facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas deos,
Veto esse tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flamma deum,
Nec de lucerna fas est accendi sacrum.

Rittershus. in Phædr. III. 19. 3. Taubm. in Plautum. Saubert. de Sacrif. c. 16. Schill Nom. Philol. p. 599. *Ignem*, & flammam apparentem in augurium receperunt gentiles: ut legitur de flamma Servii Tullii, quæ apparuit circa caput dormientis. Hanc historiam scribunt Plin. II. 110: XXXVI. 27. Cicer. Divin. I. 53. Val. Max. I. 6. I. Liv. I. 39. Dionys. IV. 2. Aur. Vict. de Vir. Illust. c. 7. n. I. Flor. I. 6. I. Serv. Æneid. II. 682. Et de flamma L. Martii ducis exercituum Cornelianorum apud Liv. XXV. 39. Valer. Max. I. 6. 2. Philosophi notant ex naturalibus causis oriri posse hunc *ignem*. Apud Photium certè Biblioth. cod. 242. Damasius recenset plura, quæ partim prodigiis, partim naturalibus causis accensas. Cæterum sicut *ignis* clarus est & splendidus, ita claros etiam futuros, quibus eveniunt, talia prodigia ostendunt. *Freinshem. in Florum. Niphus de Augur.* I. 10. Quid *ignis* saltans, sonans, crepans, extinctus in auguriis significet, fusiùs docet *Niphus ibid. c. 21. tab. 8. 11. Igne* feræ irritabantur in circo. Euseb. Hist. Eccl. VIII. 7. *Impetus ac incursus pardalum, ursorum, aprorum agrestium igne, ac ferro saustorum, boumque.* Buleng. de Ven. circ. c. 22. In nuptiis adhibebatur. V. supr. in *Aqua.* Illo funestæ familiæ purgabantur. Funus enim prosecuti redeuntes aqua corpus aspersi *ignem* supergrediebantur. Festus in v. aqua: *Funus prosecuti redeuntes ignem supergrediebantur aqua aspersi, quod purgationis genus suffitionem vocabant.* Quod ad *ignem* rogi non extenditur solum, sed ad domesticum locum, quo domus omnis purgabatur *igni*, & aqua, quia his duobus vita humana maxime continetur. Hinc *puriter facere* dixerunt veteres. Nævius apud Non. XI. 58. *Sequere me, puriter volo facere, igne, atque aqua volo hunc accipere.* Guther. de Jur. man. II. 7. Kirchm. de Fun. Rom. III. 9. Alex. Gen. III. 7. Morestell. Pomp. Fun. VIII. 10. Habet vim lustrandi maximam, & lustrationes terreæ comprehenduntur sub illis, quæ per *ignem* fiebant. Serv. Æneid. VI. 742. *Animæ terra purgantur, quæ nimis oppressæ sordibus fuerint, deditæ scilicet corporalibus blandimentis, id est, transeunt in corpora terrena: & hæ igni dicuntur purgari. Ignis enim ex terra est, quo exuruntur omnia, nam cœlestis nihil perurit.* Ab *igne* hæ lustrationes denominabantur, quia hoc in eis elementum prædominatur maximè. *Igne* enim novissimam mundi purgationem peragendam esse crediderunt gentiles. Ovid. Met. I. 256.

Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Lomej. de Lustr. c. 19. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 17. Feith. Antiq. Homer. I. 6. Schubart. de Diluv. Deucal. c. 2. Iis, qui aras amplexi tenebant, solebat admoveri, ut non ab hominibus per injuriam inde extrahi viderentur, sed incendii metu, & ardoris inde fugere cogerentur. Itaque Hermione apud Eurip. Androm. I. 256. *Ignem tibi adhibebo.* Ubi enarrator: *Moris erat ad aram con-*

confugientibus ignem adhibere. Et leno, ut ancillas suas, quæ ad aram Veneris perfugerant, locum deserere cogat, *ignem* sibi poscit apud Plaut. Rud. III. 4. 56.

DÆ. *Quid facies?* LA. *Vulcanum adducam, is Veneris est adversarius.*

n. 60.

LA. *Ibo hercle aliquo quæritatum ignem.* DÆ. *Quid cum inveneris?*

LA. *Ignem magnum hic faciam.*

n. 63.

Hasce ambas hic in ara ut vivas comburam.

dicit quidem homo avarissimus, & superbissimus; sed ea conditione, si vellent locum relinquere: cujus fiducia herile contemnebant imperium, & jus sui corporis lenoni adimere volebant, seque in libertatem vindicare conabantur. *Turneb. Adv.* IX. 12. Illo etenim affixi ustulabantur. V. supr. in *Flamma*. Imo obscœnis corporis partibus, ut viscerum vivorum combustio corporis exterioris conflagrationem anteveniret, & præciperet, *ignem* fuisse immissum, inter crudelissima antiquitatis supplicia notatum est. Svet. Domit. c. 10. n. 7. *Verùm aliquanto post civilis belli victoriam sævior, plerosque partis adversæ novo quæstionis genere distorsit, immisso per obscœna igne.* Apul. Met. x. p. 359. *Dehinc, quod reserat, clamantem quoque, quod frustra pellicatus indignatione bulliret, fratrisque nomen sæpius iterantem, velut mentitam, atque cuncta fingentem, titione candenti inter media femina detruso, crudelissimè necavit.* Barth. Adv. XIX. 16. Laurent. de Torment. c. 7. Pitisc. in Svetonium. Imperatoribus præferebatur. Herodian. I. 8. 8. *Nihilo tamen secius pristinum illi, Lucillæ, sorori suæ honorem Commodus reliquit usurpandum: nam & sella Imperatoria sessitare in theatro, & ignem de more præferri patiebatur.* I. 16. 9. Marcia Commodi concubina *nihilo differebat à legitima uxore, sed omnia ut Augustæ aderant, præter ignem.* II. 3. 5. *Venit in senatum, neque ignem passus sibi præferri, neque aliud ullum principatus insigne attolli.* Non verò è carbonibus, aut ligno, nec qualis ille apud Horat. Sat. I. 5. 36. *pruna batillus*. Lampas tantum fuit. Marc. Anton. de Rebus suis I. §. 17. *Posse eum, qui in aula vivit, carere stipatoribus, carere veste insigni, purpuraque, item lampadibus.* Corippus de adventante Imperatore in theatrum II.

——prænuntius ante
Signa dedit cursor, posita de more lucerna.

Lips. in Tacit. Annal. I. Exc. A. Barth. Adv. XI. 18. Buleng. de Imperat. Rom. II. 26. Gataker. in M. Antoninum. Opinor hunc morem Romam traductum è Persis. Illorum enim Regi prælatus *ignis*. Xenoph. Κυροπ. VIII. p. 215. A. *Et pone currum in magno foculo ignis præferebatur.* Et post *ignem* illum secutus Cyrus. Ammian. XXIII. 6. *Ferunt etiam, si justum est credi, ignem cœlitus lapsum apud se sempiternis foculis custodiri: cujus portionem, ut faustam, præisse quondam Asiaticis Regibus dicunt.* Lips. & Buleng. l. l. Brisson. de Regn. Pers. I. p. 83. Colere primus Nemrod jussit: quem aliqui Ninum arbitrantur. Scriptor Chron. Alexand. p. 64. *Nemrodo cognomen Nini imposuerunt. Hic pro deo ignem colere instituit.* Credibile est, ab eo cultu Ur vocatam Babyloniæ urbem, quia *ignis* in ea coleretur, sive cultus is proprius fuerit, sive symbolicus. *Voss. de Idolol.* II. 64. *Stuck. de Sacrif.* p. 30. In Romanam civitatem ejus culturam Numa Pompilius, Romanarum superstitionum primarius architectus invexit. Plutarch. Camill. p. 139. A. *Scribunt tamen nonnulli præter æternum ignem nihil eas servare, quem Numa Rex, tanquam rerum omnium principium, dedit colendum. Ignem igitur virum curiosum, Numam, consecrasse, & perennem mandasse servandum, ut instar æternæ, quæ universitatem moderatur, virtutis.* Stuck. ibid. p. 153. Etiam antiquitus in privatis ædibus, illarumque parte interiore, *ignem* servabant, & fovebant. Arnob. II. p. 91. *In penetralibus, & colitis perpetuos fovetis focos.* Id factum Larium, aut & Vestæ privatim honori. Varro de Vit. P. R. I. *Culina dicta, quod ibi colebant ignem.* Lips. de Vest. c. 14. Dubio procul illum coluerunt, quod in illum reversura sint omnia, seu resurrectionis medium: ut nimirum hoc à malis purgati majori splendore deinceps oriantur. Super ista re notabilis legitur annotatio Clem. Alex. Strom. V. p. 549. C. *Ephesius quoque novit, ex philosophia barbara edoctus, expiationem per ignem eorum, qui male vixerunt, quam Stoici deinceps ἐκπύρωσιν dixere: secundum hanc eandem præditum substantia quenquam resurrecturum statuunt: & sic illi resurrectionem designant.* Idem ex Porphyrio demonstrat Euseb. Præp. Evang. III. 4. *Aquam, & ignem colunt, præstantissima elementa, tanquam præcipuas causas nostræ salutis.* Schubart. l. l.

Ignis exploratorius, sive speculatorius belli tempore in usu fuit antiquis. Virg. Æneid. VI. 518.

——flammam media ipsa tenebat
Ingentem, & summa Danaos ex arce vocabat.

Inventorem hujus doli Sinonem facit Dict. Bell. Troj. V. 12. Hi *ignes* speculatorii vocati, aliquando fumi. Liv. IV. 27. *Prius pæne cepit castra, quàm oppugnari hostes satis scirent: inde fumo, ut convenerat, datum signum: ubi conspectum à dictatore est, exclamat, capta hostium castra.* Nisi velimus, *per noctem flammis, per diem fumo significatum*, dicere cum Veget. III. 5. *Laurent. Var. sacr. gentil. c. 22. Stevvech. in Vegetium.*

Ignis sacrificialis, sive sacrificus, in sacrificiis planè fuit necessarius. Sine illo nullum sacrificium confici poterat. Unde *aras flagrantes* vocat Virg. Æneid. XII. 171.

——admovitque pecus flagrantibus aris.

Et *fulgentes* Tib. II. I. 15.

Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras.

Stuck. de Sacrif. p. 151. Adductis enim ad altaria hostiis, vel etiam paullò ante, *ignis* accendebatur. Ovid. Fast. II. 647.

Ligna senex minuit, concisaque construit alte,
Et solida ramos figere pugnat humo.
Dum sicco primas irritat cortice flammas;
Stat puer, & manibus lata canistra tenet.

Struebatur ex lignis lectis, & cuilibet deo sacris, quare & *sanctos ignes* vocat Virg. Æneid. III. 405.

Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat.

Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 478. Et hinc dicebantur *ignem in aram inferre*. Plaut. Pœn. I. 2. 104.

Quia jam non dudum ante lucem ad ædem Veneris venimus,
Primæ ut inferremus ignem in aram.

Aris reponere ignem. Virg. Æneid. III. 231.

Instruimus mensas, arisque reponimus ignem.

Aris imponere flammas. Lucan. VI. 525.

——funereas aris imponere flammas
Gaudet.

Hunc petitum arbitror à sacra perpetua flamma adytorum quorundam, quæ πυραιθεῖα, & πυρεῖα dicebantur, velut & sacerdotes *ignis* æterni πυραιθοι. Suidas. Niceph. Hist. Eccl. XIV. 19. Theodor. Hist. Eccl. V. 39. *Sambert. de Sacrif. c. 16. Brisson. de Regn. Pers. II. p. 265. Stuck. de Sacrif. p.* 154. Etiam ex cœlo petebant *ignem*, quo in hoc negotio utebantur. Serv. Æneid. XII. *Apud majores aræ non incendebantur, sed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebant altaria.* Scheffer. in Phædr. IV. 10. 13. Quamvis autem tota victima *igne* non lustraretur, primitiæ tamen in eum conjectæ totam victimam purificatam esse significabant. Homer. Odyss. Γ. n. 444.

——senex verò eques Nestor
Aquamque molasque spargere primus cœpit; multis autem Minervæ
Supplicavit, primus primitias offerens, ex capite pilos in ignem jaciens.

Ideoque & culter resecans ἀγνίζειν, & ignis pilos resectos comburens ἀγνὸς dicitur. De cultro Eurip. Alcestide nu. 75.

Accedo ad eam, ut gladio primitias resecem,
Iste sit sacer diis inferis,
Cujus hic culter consecrat, ἀγνίζει, capillum capitis.

De igne Electra n. 810.

ex

—— *ex canistro*
Sumpto deinde acuto cultro Ægisthus, vitulinos pilos
Exscindens, lustrali, ἀγνὸν, eos igni imponit dextra.

Lomej. de Lustrat. c. 28. Si non conspiciebatur clarus, erectus, hostiarum cupidè devorans, ac ambiens, infelicissimum erat signum. Lucan. I. 549.

—— *Vestalis raptus ab ara*
Ignis, & ostendens confectas flamma Latinas
Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit,
Thebanos imitata rogos.

Senec. Oedip. II. 307.

TIR. *Quid flamma? largas jamne comprehendit dapes?*
MAN. *Subito refulsit lumen, & subito occidit.*
TIR. *Utrumne clarus ignis, & nitidus stetit,*
Rectusque purum verticem cœlo tulit,
Et summam in auras fusus explicuit comam?
An latera circa serpit incertus via,
Et fluctuante turbidus fumo labat?

Planè se litasse existimabant, si erectè in altum surgeret, ut Octavio, & Alexandro Magno apud Svet. c. 94. n. 8. Ovid. de Pont. IV. 9. 53.

Surgat ad hanc vocem plena pius ignis ab ara,
Deque bonum voto lucidus ignis apex.

Saubert. l. l.

Ignis Vestæ perpetuus quare consecratus fuerat, rationem reddit Phurnut. c. 28. *Ignis perpetuus*, inquit, *Vesta dicatus est, quod videatur pluribus & ipsam esse ens; nimirum ignis iste perpetuus Vesta consecratus ostendit ipsam esse causam ejus ignis, qui in mundo est, quasi ejus ve exortus sit. Est & alia causa perpetui ignis, nempe quod terra fœcunda mater sit animalium omnium, & suam vitam ab igne habeat.* La Chause de æn. ant. lucern. tab. v. Exhibebatur in templo rotundo, quod Numa illi asservando extruxerit. Plutarch. Num. p. 67. C. *Ferunt Numam ædem Vesta sacro igni orbicularem circumjecisse, ut ibi asservaretur; adumbrans non effigiem terra, quasi ea Vesta sit, sed universi mundi, cujus in medio ignem locant Pythagoræi, eamque Vestam nominant, & unitatem.* Festus in Rotunda ædes: *Rotundam ædem Vesta Numa Pompilius consecrasse videtur, quod eandem esse terram crediderit, eamque pila forma esse, ut sui simili templo dea coleretur.* Sive itaque Vesta terram denotaverit, sive totum universum, sive *ignem* etiam, in omnibus illis rotunditatem observamus, & proinde ædes Vestæ rotunditati eorum debebat adæquari. *Boxhorn. Quæst. Roman. c. 31. La Chausse l. l. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. sp. end. part. 3. c. 3. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* II. 12. Habebant illum in hoc templo, quia vigilantiæ forsan cujusdam infinitæ fuerit documentum. Virtus verò illa magna imperia & constituit, & conservat. *Boxhorn. ibid.* q. 22. Hujus custodia in templo Vestæ virginibus fuit commissa; vel quod purissimum elementum debuerit asservari ab iis, quæ libidinis impuritati nondum succubuerant; vel quod domesticis curis non debuerint illæ distineri, quas infinitam solicitudinem ad æterni *ignis* custodiam conferre oportebat; vel quod indicare voluerint, illibatam semper, & sui juris futuram populi Quiritium Romani majestatem, cujus pignus, *ignem* dico, virgines nullius libidinem expertæ, nulli viro subjectæ, liberæ, & planè suæ, custodiebant. *Boxhorn. ibid.* q. 31. *Rhodig. Ant. Lect.* XV. 13. *Clasen. Theol. Gent.* III. 1. Non in lampade aliqua fuit suspensus, ut crediderunt Licet. de Recond. antiq. lucern. IV. 37. & Casal. l. l. sed in ipsa ara: nec flamma ardens ex oleo, aut qua aliqua re liquida erat, verùm substratis cineribus lignis alebatur. Liquet è facto Æmiliæ virginis Vestalis, quod refert Dionys. II. p. 128. *Hæc dicens, & è veste linea fasciam abstrahens, qua cincta erat, jactavit illam post orationem in aram. E frigido cinere, ac ne scintillam quidem retinente, multa per carbasum emicuit flamma.* Et *foculum* vocat Val. Max. l. l. §. 7. *Maxima vero virginis Æmiliæ discipulam, extincto igne, tutam ab omni reprehensione Vesta numen præstitit: qua adorante, cum carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuisset, subito ignis emicuit.* Plures ibidem fuisse focos colligi potest ex Val. Max. V. 4. §. 7. *Ignoscite vetustissimi foci, veniamque æterni date ignes.* Non fuisse autem suspensum, nec in terra, verùm supra aram, præter Dionysium exprimit etiam Lucanus modò laudatus. Et IX. 992.

—— *& quorum lucet in aris*
Ignis adhuc Phrygius.

Item Sil. Ital. I. 542.

Et nos virginea lucentes semper in ara
Laomedontea Trojana altaria flamma.

Nec in nuda ara, ut aliorum sacrorum *ignes*, verùm in ara unum, plurave erant vasa fictilia. Val. Max. IV. 4. 11. *Et æterna Vesta focos fictilibus etiamnum vasis contentos....* Nardin. Rom. Vet. V. 5. Ferrat. de vet. lucern. sepulcr. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 1008. D. Rationes, quibus præter hunc etiam lucernæ flammulam in honorem Vestæ semper ardentem absque ulla fomitis novi appositione Vestales custodivisse conatur Licetus probare, paginis una pluribus refutat *Ferrarius*. Inter prodigia omnium maxima habebant Romani, si extingueretur, interitus, aut imminutionis Reipublicæ id signum interpretantes, à quacunque tandem causa eveniret. Dionys. II. p. 128. & *si quando interstinctus esset, virgines verberibus afficiebantur à pontifice maximo.* Festus. Plutarch. Num. p. 67. A. nuda quidem, sed *obscuro loco, & velo medio interposito*, ut addit Plutarchus. Exempla hujus castigationis sunt in historia. Val. Max. I. 1. 6. *P. Licinio pontifice maximo virgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens ignis æterni custos fuisset, digna visa est quæ flagro admoneretur.* Liv. XXVIII. 11. *Ignis in æde Vesta est extinctus, cæsaque flagro Vestalis, cujus custodia noctis ejus fuerat.* Nota de *flagro* utrobique: quæ servilis castigatio. Nota etiam de *custodia ejus noctis*, ut per vices ivisse videatur, & singulis suis noctibus duntaxat excubasse. *Lips. de Vestal. c. 8. Struv. Ant. Rom. III. c. 10. p. 625. Casal. l. l.* Quod si autem extinctus, sua, & certa ratio accendendi iterum erat: quam Dionys. l. l. alibi se dixisse profitetur: sed nempe in libris, quos fatum invidit. Est ea tamen in Festo, quem laudavimus supr. in *Cribrum*. Quam rationem eliciendi *ignis* agnoscit Simplic. in Aristot. de Cœlo III. *Ignem è lignis excutiunt, alterum lignorum, tanquam terebram, in altero circumvertentes.* Similem ceremoniam, sed paullò diversam, Græcis fuisse tradit Plutarch. ibid. p. 66. C. Nam si *quando sacer ibi ignis devixit, negant ... fas esse alio igne accendi, sed novum parandum, eliciendumque ex ipso sole. Quod faciunt scaphiis, sive vasculis, quæ parantur ex latere trigoni rectanguli, quod duo latera æqualia habent: devergunt autem ex circumferentia in unum centrum. Cum igitur soli opponuntur, ut radii ejus in ipsum centrum cogantur, & implicentur, aere attenuato, fomenta levissima, & siccissima apponunt, quæ facillimè per renixum & reflexionem concipiant accensum ignem.* Hæc ita alibi. Romæ, ut dixi. Lips. & Hyde l. l. Vulgò legitur, ὃ φαν μὴ Φῶν........ Legendum: ὃ φαν. Corrupta lectio Lipsium in hanc sententiam induxit, ut Plutarchum crederet, morem illum *ignis* è sole suscitandi Græcis solis, non Romanis adscribere: quos idem ille non solis, sed igniarii beneficio id ipsum curare solitos putat. Verùm non est, quod de Romanis Plutarchum loqui dubitemus, si rectè illius orationem expendimus. *Petav. in Julian. Orat.* IV. p. 86. Etiam sine interstinctione ulla *ignis* solebat novus accendi, novo anno, prima die mensis Martii. Macrob. Sat. I. 12. *Prima die Martii, ignem novum Vesta aris solent accendere, ut incipiente anno cura denuo servandi novati ignis inciperet.* Ovid. Fast. III. 143.

Adde, quod arcana fieri novus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Lips. Ferrar. Casal. & Struv. l. l. Curam hanc virginibus Vestalibus incubuisse Juliani apostatæ ævo, patet ex memorabili in eam rem loco, qui legitur Orat. IV. p. 155. *Æternam ecce flammam de sole conceptam sacræ apud nos virgines pro variis anni tempestatibus conservant: in quo id ipsum præstant, quod circa terras efficit luna, ut ignem à sole susceptum custodiant.* Spanhem. de Vest. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. V. p. 690. B.

IGNISPICIUM Latinis, Græcis πυρομαντεία, & πυ-

πυρομαντεία dicitur divinatio, quæ per ignem sacrificialem fiebat. Illud Amphiaraus invenit. Plin. VII. 56. *Ignispicia Amphiaraus*. Hujus rationem in sacrificii Argonautici explicatione tradit Apollonius:

—— Idmon autem cum admiratione conspicatus
Undique insignem ex sacrificiis fulgorem
Purpureis circumgyrationibus, & auspicati ominis emicantem
E vestigio mentem Apollinis aperuit.

Ubi Scholiastes *ταῖς πορφυρέαις ἑλίκεσσιν* interpretatur *fumi circumvolutionibus, & curvis ignis circumgyrationibus, circumvolutionibus, quasi purpureis, & boni ominis*. Stuck. de Sacrif. p. 157. Barth. Adv. XXXIII. 15.

IGNITABULUM *ignis receptaculum* interpretatur Festus. In veteri Onomastico vertitur *πυρεῖον*. Et in eodem *igniarium* quoque *πυρεῖον* exponitur. Nempe *igniarium*, & *ignitabulum* idem notant. Πυρεῖον proprie appellabant lignum, quod altero ligno tamdiu terebrabatur, donec ignem conciperet. Lignum, quod sufternebatur, vocabatur *πυρὰς*: alterum, quo vice perforaculi utebantur, *τρύπανον*. Ἐσχάρα vocatur Theophr. Hist. Plant. V. 10. *Igniaria commodissimè capi ex atragena vocata existimans. Conceptaculum, ἐσχάραν, ex hac: terebrum verè, τρύπανον, ex laure faciendum censent. Non enim, ut ex eodem quod agit, quodque patitur, sed è diversis accipiantur, & alterum patiendi vim obtineat, natura protinus exigit*. Salmas. Exerc. Plin. p. 126. a. G. Voss. Lex. Etymol. Bodæus à Stapel in Theophrastum. Grapald. de Part. dom. II. 4. §. 2.

Ignitabulum dicitur etiam cremium, sive fomes, hoc est, arida materia, quæ ignem terebrando excussum recipit. Gloss. Philox. *Ignitabulum*, *δᾳδὸς φάβδιον*. *Voss. Lex. Etymol.*

IGNOBILES appellabantur, qui nec majorum, nec suas habebant imagines, ut novi, qui suas tantum, & illi demum nobiles, qui majorum imagines. Jus enim imaginum jus nobilitatis fuit. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 9. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 20. *Guther. de Jur. man.* I. 21.

IGNOMINIA est nota nominis. Cicer. de Rep. IV. apud Non. 1. 93. *Censoris judicium nihil ferè damnato affert nisi ruborem. Itaque quod omnis ea judicatio versatur tantummodo in nomine, animadversio ista ignominia dicta est*. Plurimum distabat ab infamia, quæ non nisi magistratuum sententiis, ac judiciis, & quidem iis infertur, quibus ex lege irrogatur, l. infamem 7. ff. de publ. jud. Nam si esset idem *ignominia* quod infamia, frustra prætor edictis perpetuis infamia notasset eos, qui ab Imperatore cum *ignominia* dimissi essent, l. de his ff. qui not. infam. De his, qui à censoribus notarentur, nihil edicto comprehensum est. Non igitur infames sunt *ignominiosi*, ut infamium ac damnatorum pœnis teneantur. *Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 527. Sigon. de Judic. II. 3.*

Ignominia militaris differt ab animadversione. Hæc pœnam significat, illa probrum, & notam. Svet. Tib. c. 19. n. 1. *Animadversionum, & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis, atque etiam legato legionis, quod paucos milites cum liberto suo trans ripam venatum misisset, ignominia notate*. Ibi simul adnota caussam notandi *ignominia*; nec milites tantum, & centuriones notari solitos, sed etiam tribunos, & legatos. Cal. c. 44. n. 1. *Legatos, qui auxilia serius adduxerant, cum ignominia dimisit*. Robort. de Pœn. milit. & ignom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. pag. 1485. A.

Ignoscere gentibus devictis dicebatur Imperator, quas liberas relinquebat, ac suis uti legibus, suosque creare more patrio magistratus permittebat ex auctoritate senatus. Hic enim acceptis ab Imperatore de superatis hostibus, & regione in potestatem redacta literis, secum de mulcta, & præmiis eorum, qui victi essent, consultabat, ac quid sibi fieri placeret, Imperatorem admonebat, decem, aut quinque legatis senatoribus ad eum missis, ut ex eorum sententia de hostibus, & eorum regione statueret. *Sigon. de An. jur. prov.* I. I.

ILE.

ILERNUS, V. illum supr. in *Hylerna*.

ILEX fuit Vaticano celebris ævo Plini, utrum in monte, an campo, non exprimitur. Additus ei erat titulus literis Etruscis. Ait enim ille XVI. 44. *Vetustior autem Urbe in Vaticano ilex: in qua titulus æreis literis Etruscis religione arborem jam tunc dignam fuisse significat*. Nardin. Rom. Vet. VII. 13. Aring. Rom. Subt. II. 3. §. 13. Ultimus enim ibi Etruriæ limes, & Etrusci oppido olim intenti. Habet ergo hæc *Ilex*, quod fortiter opponat Pausaniæ, cui Arcad. p. 254. vetustissimæ arbores fuere *vitex Samia ad Junonis ædem, olea in arce Athenis, Deli palma, quercus Dodonæa, & platanus Menelao bello Trojano sata*. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 16. §. 3. Dalechamp. in Plinium.

ILI.

ILIA fuit filia Numitoris. Hanc patruus Amulius per speciem honoris Vestalem legit, & perpetua virginitate spem partus ademit, veritus ne liberi avi regno exacti injurias aliquando vindicarent. Alii eam Rheam Sylviam appellant. Quæ haud multò post vi compressa, quum geminos edidisset infantes, seu ita rata, seu quod auctor culpæ honestior erat, Martem incertæ stirpis patrem dixit. Verùm nec deus, nec ipsi homines illam, aut filios à regia crudelitate vindicarunt. Ipsa enim secundum aliquos juxta legem viva defossa: vel, ut aliis placet, perpetuo carceri condemnata, & filii in profluentem mitti jussi. Sic Dionys. I. p. 62. *Quum Ilia Vestalis virgo ad Martis lucum isset, aqua pura haurienda gratia, in templo compressa est. Sunt qui putent ab aliquo ex procis; nec desunt, qui dicant ab Amulio ipso patruo armato, qui quum amore ejus captus esset, Martis specie armatus, & incognitus cum ea rem habuit. Alii à genio loci, alii verè à sacerdote aliquo, seu pontifice eam compressam esse asserunt*. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 213. E. Strein. de Gent. & fam. Rom. in Sylvia. A poetis *Ilia* potissimum, ab historicis maximè Rhea Sylvia fuit dicta. De hujus appellatione multis inter se egerunt Theodorus Ryckius & Jacobus Perizonius. V. illa relata à *Perizonio ad calcem* VII. *Æliani*.

Ilia fuit sacer agon, quem Lysimachus videtur instituisse, quum Alexandro mortuo, qui debellatis Persis promisit se in Iliensium Urbe delubrum celeberrimum conditurum, & sacrum certamen constituturum, templum hoc condidit, teste Strab. XIII. p. 408. Hujus mentio apud Eusebium in Chronico de Nerone: *Isthmiis, & Pythiis, & Iliis, & Actiis coronabatur*. Ruben. de Urbib. Neocor. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1352. F.

ILICET *semper finem rei significat, at actum est. Ilicet per syncopen, quod significat, ire licet. Sic judices de concilio dimittebantur, suprema dicta cum præco pronuntiasset*. Calphurn. in Ter. Heaut. V. 2. 25. Donat. in Ter. Phorm. I. 4. 31. Hoc etiam legere est apud Serv. Æneid. II. 424. *Ilicet, confestim, mox. Sed apud veteres significabat, actum est. Olim enim judex, si dare finem rebus agendis voluisset, per præconem dicebat: Ilicet, hoc est, ire licet, id est, acta & finita res est*. Brisson. de Form. V. p. 480. Scalig. Conject. Varr. p. 106. Saub. de Sacrif. c. 27. Schill. Nom. Phil. p. 600. Stuck. de Sacrif. p. 220. Laurent. Var. sacror. gentil. c. 14. Voss. Lex. Etymol. Putean. Reliq. Conviv. pris. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 254. B.

Ilicet tanquam novissimum verbum, corpore jam in monumentum collocato, reliquiisque conditis, & omnibus sollenni more peractis, præfica pronuntiabat: quo dicto quilibet domuitionem parabat. Serv. Æneid. VI. 216. V. illum supr. in *Formula funeris dimittendi*. Kirchm. de Fun. Roman. III. 9. Moretell. Pomp. Feral. VIII. 8. Schill. Nom. Phil. p. 601. Alex. Geo. III. 7. & ad illum Tiraquellus. Brisson. de Form. VIII. p. 748. Stuck. de Sacrif. p. 220. Ferret. Mus. Lapid. III. Mem. 2. IV. Mem. 24. Schegk. Prænest. Epist. IX. Parthas. Epist. XIX. Gyrald. de Varr.

sepel.

ſepel. rit. c. 12. & Faes in illum. Meurſ. de Fun. cap. 27. Voſſ. Lex. Etymol. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 10.

ILIENSES nummis ſuem imprimebant. Solebant enim veteres animalia, quibus abundabant, nummis ſuis depingere. *Pancirol. Notit. Imp. orient. c.* 38. In illorum urbe olim erat ſacrarium Palladis. Et extat Julii Cæſaris nummus inſcriptus: ΙΛΙΕΩΝ ΔΙΣ ΝΕΟΚΟΡΩΝ. *Ruben. de Urb. neocor. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 1352. *E.*

ILITHYA eſt à pleriſque Diana exiſtimata, ut ſcribit Phurnut. c. 34. V. illam infr. in *Sacrificium Ilithyæ.*

ILIUM dextrum ſi ſaliret, in auguriis peregrinationem portendebat: aliis, ſi ſiniſtrum, bonum novum, aliis negotiationem præſagiebat. *Niphus de Augur.* I. 9. externa quadam notatione, & ſignificatione, præ dolore, & indignatione vehementiori feriebant veteres. Homer. Iliad. Π. n. 125.

—— at Achilles
Coxas percutiens, Patroclum allocutus eſt.

Odyſſ. N. n. 198.

Flevitque poſtea, & ſua percuſſit femora
Manibus dejectis.

Hartung. Memor. Dec. 1. 8. 8.

ILL.

ILLEGITIMI. V. illos infr. in *Filius.*

ILLICE eſt urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis. Plin. III. 3. *Reliqua ora colonia immunis Illici, unde Illicitanus ſinus.* Hinc inſignis viget, vulgo *Alicante.* Auguſtin. Antiq. Rom. & Hiſp. Dial. VII. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 607. D.

ILLUSTRIS epitheton quando inventum ſit non conſtat. Id ſerius inſtitutum eſſe videtur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 2. Primùm *nota fuit, non meriti, aut honoris: unde & meretricibus tribuitur.* Serv. Æneid. VI. 758. Hoc ſenſu *fama illuſtrem* dixit Virg. Æneid. VII. 79. Uſus poſtea obtinuit, ut viri magni nominis *Illuſtres* vocarentur, nomenque hoc maximæ dignitatis eſſet. Svet. Jul. c. 48. n. 1. *quo togati cum illuſtrioribus provinciarum diſcumberent.* Guther. de Offic. dom. Aug. I. 10. Erat hæc ſumma in imperio dignitas, quæ à patriciis ab Auguſto inventis originem habuit. *Panciroll. l. l.* Parum commodè. Dignitates *Illuſtrium*, Spectabilium, Clariſſimorum, Perfectiſſimorum ævo Conſtantini Magni natæ ſunt, quo tempore patricii quatuor præfecti prætorio eſſe cœperunt. De quibus conſulendus Zoſim. II. 40. *Buleng. de Imp. Rom.* II. 21. *Spectabilibus erant ſuperiores* teſte Sidon. Epiſt. VII. 9. ſcilicet inter clariſſimatus, & *illuſtratus* dignitatem. Nam ſicut ſpectabiles clariſſimis ſuperiores ſunt l. 5. C. de prox. ſacr. ſcrin. ita *illuſtribus* ſunt inferiores dicta l. 32. Iſidor. IX. 4. *Primi ordines ſenatorum dicuntur illuſtres, ſecundi ſpectabiles, tertii clariſſimi. Jam inferius quartum aliquod genus non eſt.* Savaro in Sidonium, Buleng. l. l. Ob merita concedebatur. Innoc. Pap. Epiſt. 1. 9. *Domine fili merito illuſtris.* Sidon. Epiſt. VIII. 6. *Vir ortu clariſſimus, privilegio ſpectabilis, merito illuſtris.* Cerda Adv. Sacr. c. 167. n. 10. Buleng. l. l. *Illuſtrium* ordo ita à Zenone componitur, ut *primi ſint patricii, vel expatricii, præfecti prætorio, præfecti Urbis, conſulares viri, quos tam ordinaria profeſſio, quàm Principis ſublimavit oratio,* l. C. 3. ubi ſenator. vel clariſſ. *Guther. l. l.* Novella Valentiniani de honoratis, & quis præferatur in gradu, quinque facit *Illuſtrium* gradus. I. Eorum, qui verè *illuſtrem* dignitatem geſſerunt. II. Vacantium præſentium in comitatu principis. III. Vacantium abſentium. IV. Honorariorum præſentium. V. Honorariorum abſentium. *Guther. Panciroll. Buleng. l. l.* Fruebantur hoc privilegio, ut per ſeipſos lites civiles, aut criminalem injuriarum actionem exercere non poſſent, ſed per procuratores id agere compellerentur. Indignum enim videbatur ſpecioſas perſonas cum inferioribus cauſam dicendo ante judices ſtare, l. pen. C. de procurator. Habebant & hoc præcipuum, ut rei criminum facti, à nullo quàm à Principe, vel eo, cui Princeps cauſam delegaſſet, poſſent judicari. Quo tempore, etſi præſentes, cum judicibus tamen in inferiore auditorii parte ſedebant, ne litigantium modo ſtare cogerentur. A judicibus quoque inconſulto Principe condemnari non poterant, ſed tantum abſolvi, l. ult. C. ubi Senat. vel clariſſ. nec niſi ex ſcripto in judicium vocari, vocatique ſe judicio ſtaturos, aut judicatum ſoluturos, ſatisdare non compellebantur, ſed ſatis etiam erat criminaliter accuſatos id juramento promiſiſſe, l. pen. C. de dignit. Cum præſidibus provinciarum honoris gratia in tribunali ſedere poterant, niſi ipſi litigaſſent: nam quo tempore illorum cauſæ agitabantur, ab eo loco abſtinebant, l. ult. C. de Offic. div. jud. & l. 1. C. de Offic. civ. jud. Poterant etiam quas ferunt ſententias per officiales ſuos recitare: cæteri ex ſcripto legere tenentur, l. ult. C. de ſent. ex peric. reci. Turpibus lucris abſtinere oportebat, nec ultra trientem uſurarum capere, l. eos. 26. §. 1. C. de uſur. nec vilem uxorem ducere, l. 1. C. de natural. lib. quod ultimum poſtea eſt ſublatum §. ult. in Authent. quib. mo. nat. offic. ſui §. quia verò in Authent. ut lic. matr. & aviæ. *Panciroll. l. l.*

ILLYRICUM inter Italiam, quæ tum Formione amne terminabatur, ac Macedoniam, Epirum, Pannoniam, & mare ſuperum ſitum gentes quidem plurimas eſt complexum, ſed pleraſque obſcuras, neque ulla ſanè memorabili re geſta inſignes. Incolæ, muliere Teuta regnante, populationibus non contenti, & rapinis, quas in mari agebant, alterum quoque ex legatis Romanis, qui miſſi fuerant, de acceptis injuriis conqueſtum, occiderunt. Quare bellum iis, L. Poſtumio, & Cn. Fulvio coſſ. primum indictum eſt. Quos brevi coſſ. Appollonia capta debellarunt. Atque cum Regina Teuta his conditionibus pax facta eſt, ut Teuta quotannis tributum penderet, ac omni ferè *Illyrico* cederet, neque ei extra Liſſum, niſi cum duobus, iiſque inermibus lembis navigare liceret. Quieverunt *Illyrici* uſque ad bellum Perſicum, vel Macedonicum II. In quo quum Perſeus ultimo belli diſcrimine à Romanis urgeretur, Gentium *Illyriorum* Regem ad belli ſocietatem magnæ pecuniæ pactione per legatos attraxit. Adverſus quem L. Anicius Gallus prætor à Romanis miſſus, *Illyricum* omne gentis capite Scodra capta intra triginta dies ſubegit, ac Gentium ipſum Regem cepit. *Illyricumque*, & Dalmatiam eodem anno, quo Macedoniam Paullus, idem L. Anicius debellavit, & unam provinciam fecit. Triumphavitque poſt Paullum aliquot diebus Rege *Illyriorum* Gentio, cum fratre, conjuge, & liberis ante currum ducto. *Panvin. de Imp. Rom. c.* 14. *Sigon. de Ant. jur. Prov.* I. 7. *Panciroll. Notit. dign. Imp. occid. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VII. *p.* 1785. *B. Robert. de Prov. Roman. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* (6) *E. Manut. de Leg. c.* 10. *Laz. Græc. ant.* I. 2. Romani in deſcribenda *Illyrici* provincia non omnem *Illyrici* regionem ſunt complexi, verùm eam Liſſo tantum oppido maritimo terminaverunt, reliquos autem ad Epirum *Illyricos* Macedoniæ provinciæ attribuerunt. Plin. III. 22. in *Illyrico* tres conventus nominat, Scardonam, Salonam, & Naronam, in quo quia utitur Varrone, fit, ut ita Varrone quoque, id eſt, Republica vigente, obſervatum eſſe exiſtimem. Salonenſis conventus meminit etiam Cæſ. Bell. Civ. III. 9. Eadem cum in veteribus lapidibus *Salona Julia* nominetur, à Cæſare videtur deducta, eo magis quod bello civili Cæſaris *Salonam cives Romanos incoluiſſe* ſcribit Hirt. Bell. Alex. c. 43. *Sigon. l. l.* Incolæ bibaciſſimi fuerunt. *Buleng. de Conviv. Proluſ.* III. Neptuno, quod tridentis ictu terra equum excierit, quaternos equos jaciebant nono quoque anno in mare. Feſtus in Hippius. *Tomaſ. de Donar. c.* 32. In omni *Illyrico* frequens fuit cultus Solis, vel Apollinis, quem Belenum vocabant. *Salmaſ. in Vopiſc. Aurelian. c.* 39. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 9. §. 7.

IMA.

IMAGINARII, *vel imaginiferi inter principalium militum nomina* appellantur, *qui Imperatoris imagines ferunt.*

Veget. II. 7. *Imagines* Imperatoris vexillis inscriptas. V. infr. in *Imago*. Junius de Pict. I. p. 94. Savot. de Numm. Ant. I. 4. Choul. de Castram. vet. Roman. p. 16. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 24. Buleng. de Imperat. Rom. II. 12. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 9. Ad hoc genus militum alludit & inscriptio vetustatis, quæ Lugduni visitur:

D. M. ET MEMORIÆ ÆTERNÆ.
SOLENNIO FIDO MIL. LEG. I. MI-
NERVÆ IMAGINIFERO MATURI-
NA VICTORINA CONJUGI CHARIS-
SIMO PONENDUM CURAVIT.

Laz. Comm. Reip. Roman. VII. I.

IMAGO *est simulacrum oris similitudinem affabrè, miroque artificio effictam, coloribus, pigmentisque adumbratam referens*. Polyb. VI. 51. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* II. 20. *de Nom. Roman. c. 6. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. II. p. 2019. D. Hotman. Antiq. Roman.* II. 9. *D.* Quanquam non rarò dicantur, quæ ex metallo, & marmore sunt. Ita legimus apud Cicer. in Orat. c. 31. *Demosthenis imaginem ex ære vidi*. Et apud Tacit. Agric. c. 46. n. 4. *Non quia intercedendum putem imaginibus, quæ marmore, aut ære finguntur*. Tamen propriè *imago* est, quæ vel cera exprimitur, vel coloribus, & pictura repræsentatur. Et differt à statua, quæ propriè lapidea est, sive ænea; hæc verò, vel cerea, vel picta. Et hoc sensu ceteas *imagines* signis opponit Plin. XXXV. 2. cum dicit: *Apud majores nostros in atriis hæc erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, ærea, aut marmorea; expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera*. Sic *imagines* pictas argenteis, æreisque statuis opponit l. l. *Imaginum quidem picturæ quam maximè similes in ævum propagabantur figuræ: quod in totum exolevit: Ærei ponuntur clypei, argentea facies surdo figurarum discrimine, statuarum capita permutantur. Adeo materiam malunt conspici omnes, quàm se nosci*. Figrel. de Stat. Roman. c. 1. *Imaginem* sui ponere, ac posteris tradere non poterant, nisi qui curules magistratus gessissent: quorum post aliquot tempora primus esse cœpit ædilitas curulis, qui magistratus ante patriciis patuit, quàm plebejis. De jure ponendarum *imaginum* Cicer. Verr. V. 14. *Ego me ob ædilitatem mihi delatam adeptum esse intelligo antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, jus imaginis ad memoriam posteritatemque prodendam*. Et Agrar. II. 1. *Est hoc in more positum, ut ii qui beneficio vestro imagines familiæ suæ consecuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant*. Est autem *consequi imagines familiæ*, magistratus curules à majoribus suis gestos capere. *Sigon. & Panvin. l. l.* Stultissimè templis argenteas, aureasque legabant antiqui, ad pondus usque centum & amplius, pro infernorum pœnis evitandis. Stat. Sylv. V. 1. 189.

Da Capitolinis æternum sedibus aurum,
Quo niteant sacri centeno pondere vultus
Cæsaris, & propriæ signet cultricis amorem.
Sic ego, nec furias, nec deteriora videbo
Tartara, & Elysias felix admittar ad oras.

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 557. E.

Imagines amicorum annulis insculptas gestabant veteres. Ovid. Trist. I. 6. 5.

Hæc tibi dissimulas, sentis tamen omnia dici,
In digito qui me fersque refersque tuo.
Effigiemque meam fulvo complexus in auro
Cara relegati, quæ potes, ora vides.

Epicuri *imaginem* in annulis habuere familiares ejus. Cicer. de Fin. V. 1. *Nec tamen Epicuri licet oblivisci, si cupiam: cujus imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis, & in anellis habent*. Kirchm. de Annul. c. 12. Long. de Annul. c. 6. Laurent. de Insign. c. 3.

Imagines cubiculares dicebantur in cubiculis positæ. Plin. XXXV. 2. *Iidem & vultus Epicuri per cubicula gestant, ac circumferunt*. Svet. Aug. c. 7. n. 2. *Nactus puerilem imagunculam ejus æream, veterem .... hoc nomine inscriptam, quæ dono à me Principi data inter cubiculares colitur*. Cal. c. 7. n. 1. *Cujus effigiem habitu Cupidinis, in æde Capitolinæ Veneris Livia dedicavit, Augustus in cubiculo suo positam, quotiescunque introiret, exosculabatur*. Figrel. de Stat. Roman. c. 10. Barth. Adv. IV. 22. Guther. de Vet. jur. pont. III. 8. Faes ad Gyrald. de Sepulc. c. 1. Casaub. & Pitisc. in Svetonium.

Imagines defunctorum, dum exsequiæ fierent, præferebantur. Plyb. VI. 51. *Cum illustris vir aliquis ex eadem gente, vel familia diem clausit ultimum, ad funeris elationem eas proferunt: assumunt verò togas, si consul, aut prætor fuerit, prætextas: si censor, purpureas*. Horat. Epod. VIII. 11.

——funus atque imagines
Ducant triumphales tuum.

Ubi Interpres: *In funere nobilissimi quibusque solebant præferri imagines majorum, quod observari videmus in funeribus principum*. Val. Max. VIII. 15. *Africanus imaginem in cella Jovis Opt. Max. positam habet, quæ quotiescunque funus aliquod Corneliæ genti celebrandum est, inde petitur*. Erant nihil aliud, quàm expressæ corporis effigies humerorum tenus è cera consolationis ergo asservatæ. Nam, ut ait Lactant. II. 2. *Omnino fingendarum similitudinum ratio idcirco ab omnibus inventa est, ut posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentia fuerunt separati*. Morest. Pomp. Fer. II. 19. Guther. de Jur. man. I. 19. Kirchm. de Fun. Roman. II. 7. Bellor. Descr. Sepulcr. Nason. tab. V. Sagittar. de Jan. Vet. c. 26. §. 13. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 20. Lips. Elect. I. 29. Kipping. Ant. Rom. IV. 6. 6. II. 1. 5. Ob turpe, & immane crimen damnatorum in exsequiis non ferebantur, sed frangebantur. Tacit. Annal. II. 32. 2. *Sotti Messalinus, ne imago Libonis exsequias posterorum comitaretur, censuit*. Sic Bruti & Cassii abolitas docet Tacit. Annal. III. 76. 4. *Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatæ sunt, Manlii, Quintii, aliaque ejus nobilitatis nomina: sed præfulgebant Cassius atque Brutus hoc ipso, quod effigies illorum non visebantur*. Unde Juven. Sat. VIII. 18.

Frangenda miseram funestat imagine gentem.

Kirchman. l. l. Figrell. de Stat. Roman. c. 37. Quot igitur majorum *imagines*, totidem lectuli videntur funeribus prælati, ita ut suus cuilibet *imagini* lectulus esset, in quo portabatur. Quanquam interdum non in hujusmodi lectis, sed in oblongis perticis, vel hastis sublatas, ut fercula triumphorum solebant, non ineptè quis existimaverit, præeunte Sil. Ital. X. 566.

Non conjunx, natisve aderant, non juncta propinquo
Sanguine turba virum, aut celsis de more feretris
Præcedens prisca exsequias decorabat imago.

Kirchm. l. l.

Imagines deniqu erant aut privatæ, aut sacræ, aut honorariæ. Privatæ domi affixæ domus erant portio, ad quarum ornatum institutæ, atque tanquam pars ædium vendi poterant, quia privati juris erant. Sacræ, aut honorariæ, sine crimine majestatis vendi non poterant; quia privati juris non erant, quinimo publici; nam proximum sacrilegio majestatis crimen. Aliquando *imagines*, & statuæ non sacræ, quæ nempe ex hostibus captæ, quæ & venales, & vectigales dictæ (loca namque capta ab hostibus desinebant esse religiosa, vel sacra, meritòque in fiscum cogebantur) quas aliquando relinquebant, aliquando amovebant, & usibus suis applicabant. *Laurent. var. sacr. gentil. c. 5. Figrel. de Stat. Rom. c.* 36 Dei *imagine* annulum ne quis insignitum gestaret, inter Pythagoræ præcepta, quæ symbola appellantur, memoriæ proditum est, quod Pythagoræ effatum à Clem. Alex. Strom. V. p. 559. C. quasi præceptum, aut consilium fuit expositum, quod à Mose jussum fuerat; ne qua scilicet *imago* adoranda effingeretur: quoniam Dei majestas, quæ intelligentia tantum percipitur, vili pendi censetur, cum in materia

coli-

colitur; eaque magis, quæ in annulo gestatur; siquidem contemptum parit, quæ in promptu est videndi consuetudo. Hujusmodi gestamen vetitum dicit Jamblich. de Vit. Pythag. c. ne cui fortè in locum immundum sacram *imaginem* deferre contingeret. *Casal. de Insign. c. 3.* In fastigio domus collocabantur. Spartian. Pescenn. c. 12. *Domus ejus hodie Romæ visitur in campo Jovis, quæ appellatur Pescenniana: in qua simulacrum ejus in trichoro*, id est, in fastigio, *constituit*. Vopisc. Florian. c. 4. *Imago Apollinis, quæ ab his colebatur, ex summo fastigio in lectulo posita sine cujuspiam manu deprehensa est.* Salmas. in Spartianum, & Vopiscum. Peregrinantes secum gestabant, ut illis facerent suis sestis. *Laurent. ibid. c. 14.*

Imagines doctorum ponebantur in bibliothecis, tum publicis. Svet. Tib. c. 70. n. 5. *Scripta eorum, & imagines publicis bibliothecis inter veteres, & præcipuos auctores dedicavit.* Plin. VII. 30. *M. Varronis in bibliotheca, quæ prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romæ est, unius viventis posita imago est.* tum privatis. Plin. Epist. IV. 28. 1. *Herennius Severus, magni æstimat in bibliotheca sua ponere imagines municipum suorum, Cornelii Nepotis, & Titi Cassii.* Cicer. Attic. IV. 9. *Literis sustentor, & recreor, malo que in illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis, sedere, quàm in istorum sella curuli.* Et melioris notæ libris præfigebantur. Mart. XIV. 186.

Quam brevis immensum cepit membrana Maronem?
Ipsius vultus prima tabella gerit.

Jun. de Pictur. II. 8. §. 7. Lips. de Biblioth. c. 10. Lomej. de Biblioth. c. 14. Figrell. de Stat. Roman. cap. 24. Laurent. Var. sact. gentil. cap. 8. Thes. Antiq. Roman. p. 380.

Imagines Imperatorum etiam signa vocabantur. Veget. II. 6. *Hæc imagines Imperatorum, hoc est, divina, & præsentia signa veneratur.* Savot. de Numm. antiq. I. 4. Panvin. de Imper. Roman. c. 16. Quis unquam audivit *imaginem* Cæsaris signum dictum esse? *Imagines* Imperatorum in parvis orbibus adnectebantur hastis signorum, non ipsæ erant signa. *Grav. Antiq. Roman. Tom. I. Præfat.* * * * * 3. Nomen Imperatoris noviter creati vexillis inscribere solebant milites. Dio XL. p. 128. E. *Signum unum ex iis, quæ magna sunt & velorum similia, & puniceas literas insculptas habent, ad indicium exercitus, & Imperatoris sui faciendum.* Svet. Vesp. c. 6. n. 4. *Nomenque ejus vexillis omnibus sine mora inscripserunt.* Sub illis literis *imago* picta Imperatoris. Quod statim dicet Xiphilinus. Hanc lacerabant, qui ab Imperatore deficiebant. Xiphil. LXV. p. 737. D. *Et tunc Vitellii imagines de signis detrahunt.* Tacit. Hist. III. 31. 3. *Primores castrorum nomen, atque imagines Vitellii amoliuntur.* Jun. de Pictur. II. 8. Tomas. de Donar. c. 21. Lips. de Milit. Rom. IV. dial. 5. & in Tacitum. Roa Singul. I. 1. Marcil. & Pitisc. in Svetonium, Stevvech. in Vegetium, Figrel. de Stat. Roman. c. 31. Pancirol. Notit. dign. Imp. Orient. c. 53. Laz. Comm. Reip. Rom. VII. 5. Buleng. de Imp. Rom. II. 12. Nonn. in Goltz. Jul. Cæsar. numism. p. 72. Nicol. de Sigl. vet. c. 26. §. 6. Thys. Rom. Illustr. IV. p. 93. Quælibet legio habebat easdem pro insigni. Modest. de vocab. rei milit. *Totius legionis insigne sunt imagines Imperatorum, quas tanquam divina, & præsentia signa singuli venerantur.* Veget. II. 6. *In secunda acie, post aquilam, & imagines cohors sexta consistit.* Panciroll. ibid. c. 24. Ante omnia in castris inter legionum signa adorabantur. Svet. Calc. c. 14. n. 7. *Artabanus Parthorum Rex aquilas, & signa Romana, Cæsarumque imagines adoravit.* Sed præcipue ab ipsis militibus. Tertull. Apolog. c. 16. *Religio Romanorum tota castrensis, signa veneratur, signa jurat, omnibus diis præponit. Omnes illi imaginum suggestus in signis* (ita pro *insignes* legit *Lips. de Mil. Rom. IV. 5.*) *monilia crucium sunt.* Ubi signa sunt Imperatorum *imagines*. Capitol. Maximin. c. 24. *Milites in cerfectis publicos hostibus recepte sunt ab oppidanis, rogantes: & primum ita, ut ante imagines Maximi, & Balbini, & Gordiani adorarent.* Et quidem inter principia legionum. Tacit. Annal. IV. 2. 4. *Ut socium laborum, non modo in sermonibus, sed apud patres & populum celebraret* Sejanum, *coli-*

lique per theatra, & fora effigies ejus, interque principia sineret. Figrel. l. l. Suas solebant ad Urbem mittere, qui Imperatoris nomen, & Augustam dignitatem in absentia consequebantur, quo seipsos S.P.Q.R. faciliùs insinuarent. Hoc ante Antoninorum imperium nemini, ut opinor, legitur accidisse: permulti autem id fecerunt subsequentibus annis. Quod Ammianus Marcellinus, & Zosimus historiæ Romanæ auctores testantur. Nam & Constantii Imperatoris imago recepta in Urbem est: & item Galerii. *Crinit. de Honest. Discipl.* XVII. 10.

Imagines majorum etiam ex cera fiebant, quamvis, sed rariùs, ex ære. V. supr. in *Imago*. Hinc non ceræ, sed *μετωπικαί* ceræ dicebantur. Ovid. Fast. I. 591. V. supr. in *Cera*. Formam exprimunt verba Plinii supr. in *Imago* laudata: *Expressi cera vultus.* Non enim tota corporis effigies statuebatur, membris omnibus, à vertice ad pedes, justa magnitudine efformatis. Quis enim locus, quæ domus tanti exercitus capax, si totis, integrisque simulacris majorum, avorumque replenda fuisset, præcipuè cum ex *imaginum* multitudine censeretur omnis nobilitas? Probo insuper auctoritate Polybii supr. in *Imago* producti. Cicer. Bruto: *Ex quo tanquam ex ore imago exprimitur.* Talis erat Pompeji Magni in triumpho ejus translata, de qua Plin. XXXVII. 2. *Imago Cn. Pompeji è margaritis, illa regio honore grata, illius probi oris venerandique per cunctas gentes. Et tunc fieri tuos vultus? Et clareque intelligi posset, jam tum illud caput, orientis opibus sine reliquo corpore ostentatum.* Nec obscura res est, quam etiam arguere possunt hodieque ex antiquissimis seculis reservatæ apud Romanos, alibique in Italia veterum effigies hac forma ex ære, & vario marmore expressæ. *Figrell. de Stat. Rom. c. 11. Nardin. Rom. Vet.* III. 13. *Lips. Elect. I. 29. Turneb. Adv.* XXVI. 3. *Donat. Dilucid. in Vopisc. p. 1057. Sagittar. de Jan. vet. c. 27. §. 9. 10. 11.* Credo tamen paullatim procedente luxu etiam justa magnitudine statuisse, membris omnibus à vertice ad pedes expressis. Id indicant Juvenalis versus Sat. VII. 125. quibus Æmilium causidicum, quod statuam suam equestrem in atrio posuerat, perstringit:

—— hujus enim stat currus aheneus, alti
Quadrijuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curvatum hastile minatur
Eminus, & statua meditatur prælia lusca.

Nec est, quod quis objiciat, domum tanti exercitus vix capacem fuisse. Admodum nimirum ampla, & spatiosa erant atria, ut facilè possent capere non contemnendam *imaginum* manum. *Sagittar. ibid. §. 12.* In atrio servabantur. Senec. de Ben. III. 28. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant, notè magis quàm nobiles sunt.* Svet. Galb. c. 2. n. 2. *Ut Imperator etiam stemma in atrio proposuerit.* Mart. II. 90. 5.

Differat hoc, patrios optat qui vincere census,
Atriaque immodicis arctat imaginibus.

Plinius productus supr. in *Imago*. Sagittar. ibid. §. 4. Sigon. de Nom. Rom. c. 6. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 2019. D. Kobierzyk. de Luxu Rom. II. 7. Nardin. & Figrel. l. l. Pitisc. in Svetonium. Causam, cur ibi ponerentur, eleganter exponit Val. Max. V. 8. 3. ubi, cum T. Manlium Torquatum dixisset filium suum ob male administratam provinciam condemnasse, *videbat*, inquit, *se in atrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati severitate conspicua imago posita erat: prudentissimoque viro succurrebat, effigies majorum cum titulis suis idcirco in prima ædium parte poni solere, ut eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur.* Figrell. & Sagittar. l. l. Junius de Pictur. II. 8. Quia verò ignis Larium servabatur in atrio, fieri non potuit, quin fumo obfuscarentur. Hinc legas de fumosis *imaginibus* apud Senec. Epist. 44. *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus.* Cicer. in Pison. c. 1. *Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum.* Juven. Sat. VIII. 6.

Quis fructus generis tabula jactare capaci
Corvinum, posthac multa contingere virga
Fumosos equitum cum dictatore magistros?

Sagittar. ibid. §. 5. & Nardin. l.l. Qui verò cavere vellent, ne planè corrumperentur fumo, armariis quibusdam, sive thecis includebant. V. supr. in *Armarium*. Sagittar. ibid. c. 16. Illisque apertis festis diebus exornabant. Polyb. VI. 51. *Imagines per sollennitates publicas aperiunt, & cum studio ornant. Togas hæc simulacra assumunt; si vir consularis, aut prætorius quis fuerit, prætextas: si censorius, purpureas: si triumphalis, aut simili quo alio honore functus, auro radiantes.* Addamus etiam coronatas. Hoc colligimus ex Cicer. pro Mur. c. 41. *Domumne se verteret? ut eam imaginem clarissimi patris sui, quam paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominia, lugentemque videret.* Hinc sensus aperitur Vopisci in Floriano, quem laudavimus supr. in *Armarium*. Est enim hujusmodi: quod senatores in publica lætitia, quod lætarentur pristinam auctoritatem sibi redditam, *imagines frequenter aperirent*, id est, reclusis armariis *imaginum*, eas conspiciendas ornarent, quod festis diebus fieri solebat. *Donat. in Vopiscum p.* 1058. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 1. 5. Illarum curam apud atrienses servos fuisse reor. Hoc non obscurè colligo ex Colum. XII. 3. V. illum supr. in *Atriensis*. Si hoc in villa factum à servis, qui constituti essent ab atrio: quidni in Urbe dixerimus iis inter cætera operæ incubuisse, ut darent operam, ne quid detrimenti *imagines* caperent? *Sagittar. l. l.* Annulis insculptas plerumque solebant gestare. Cicer. Catil. III. 5. *Tum ostendi tabellas Lentulo, & quæsivi, cognosceretne signum: annuit. Est verò, inquam, signum quidem notum, imago avi tui, clarissimi viri, qui amavit unicè patriam & cives suos, quæ quidem te à tanto scelere etiam muta revocare debuit.* Sed annulus ille, si à majorum virtute degenerabant, illis detrahebatur. Val. Max. III. 5. 1. *Cn. Scipio superioris Africani filius prætura petitor candidam togam adeo turpitudinis maculis obsolefactam in campum detulit. . . Insuper è manu ejus annulum, in quo caput Africani sculptum erat, detraxerunt.* Kirchm. de Annul. c. 12. Junius l.l.

Imagines Principum in foro, vel alio loco publico, vel privatis ædibus aliàs locabantur. Habuit hoc ab Augusto initium. Hunc enim honorem antea in usu positum in principio sui principatus Tiberius sibi fieri vetuit. Svet. c. 26. n. 4. *Prohibuit etiam statuas, atque imagines, nisi permittente se poni: permisitque ea sola conditione, ne inter simulacra deorum, sed inter ornamenta ædium ponerentur.* Postea per totum imperium circumferebantur, cum quis Augustus creabatur. Zosim. II. 12. *Maxentius se jam constabilitum putans habere imperium, mittebat in Africam, & Carthaginem, qui ejus imagines circumferrent.* IV. 37. Theodosius dat in mandatis Cynegio, *ut imaginem Maximi conspiciendam Alexandrinis exhiberet, publicèque reponeret, & populo indicaret consortem imperii hunc esse factum.* A Gratiano *sacri vultus* appellantur, L. 1. C. de pub. lætitia: *Si sacros*, inquit, *vultus ...antibus populis inferimus, hoc sine immedico pretio ...ntiari, excipique sancimus.* Ut verò honestius colerentur, velut idola diis dicata conceptis verbis consecrabantur, nec eas amplius cuique vendere licebat, qui læsæ majestatis crimen incurrere nolebat, cum aliàs à statuariis publicè venire possent. Marcian. l. 5. ad leg. Jul. majest. *Non videtur*, inquit, *contra majestatem fieri, ob imagines Cæsaris nondum consecratas venditas.* Solebant & has privati secum ferre, aut ad eas confugere, ut se ab alicujus potentis vi tuerentur, quod ad alicujus invidiam, vel ad suggillandum fieri prohibetur. Callistr. l. capitalium §. ad statuas ff. de pœnis. *Ad statuas*, inquit, *confugere, vel imagines Principum in injuriam alterius, prohibitum est: cumque, qui imaginem Cæsaris in invidiam alterius prætulisset; in vincula publica conjici.* Ex ære inaurato, & quandoque auro & argento conflari solebant. Ambros. Hex. VI. 9. *Sola*, inquit, *ære sua Principum capita, & ducti vultus de ære adorantur.* Lamprid. Diadum. c. 3. *Fecit Bassiani simulacra ex auro, & argento.* Quandoque etiam ex cera fingebantur. Nazar. Paneg. Constant. loquens de ejus *imaginibus* à Maxentio tyranno dejectis: *Aboleri*, inquit, *hic vultus non potest, universorum pectoribus infixus est, nec commendatione ceræ, aut pigmentorum fucis renitet.* Fisci pecunia, non provincialium fundebantur, l. pen. C. de stat. & imagin. Porticibus, aut aliis ædificiis publicis, atque adeo privatis affigebantur. Arcad. A. l. si quando C. de oper. publ. *Si quando*, inquit, *usus exegerit, vel porticus, vel quaslibet ædes ætatis senio, seu fortuitis concussas casibus reparare, liceat, etiam inconsulta clementia, cum reverentia sui imaginem deponere, vel nostram, vel retro Principum, repertatamque post refecta ædificia, loco proprio denuo collocare.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 24. Has transeuntes venerabantur, honoremque exhibebant. Nazianz. Orat. adv. Julian. III. p. 83. B. *Nec enim corona, & diademata, & purpura nitor, & memorabiles leges, & tributa, & subditorum multitudo ad approbandum, gratulandumque ipsis imperium sufficiunt; sed adorationem quoque accedere necesse est, ut augustiores appareant. Parumque habent ipsi adorari, nisi idem quoque sibi in imaginibus, picturisque præstetur, quo cumulatior sit ipsis, perfectiorque veneratio.* Ambrosius modò laudatus. *Figrel. de Stat. Roman. c. 31. Panciroll. l. l.* Insculpebant annulis. Plin. Epist. X. 16. *Quod paullo tardius feci, dum requiro gemmam, quam sibi habentem imaginem Pacori, & quibus insignibus ornatus fuisset, subtractam indicabat.* Laurent. de Insign. c. 3. Quod tamen fas non fuit, nisi quibus admissionum liberti jus illud dedissent. Ita intelligendus Plin. XXXIII. 3. *Fuit & alia Claudii principatu differentia in solis iis, quibus admissionum liberti jus dedissent imaginem Principis in annulo ex auro gerendi, magna criminum occasione: quæ omnia salutaris exortus Vespasiani Principis abolevit, æqualiter publicando Principem.* Magna autem cautio adhibenda erat iis, qui Principis *imaginem* gestabant, ne delatoribus calumniandi occasio præberetur. Nam sub Tiberio capitale erat teste Svet. c. 58. n. 3. *circa Augusti simulacrum servum cecidisse, vestem mutasse, nummo, vel annulo effigiem impressam latrinæ, aut lupanari intulisse.* Imo matulam sumere ea manu, quæ annulum principis *imagine* signatum habebat, crimini dabatur. Senec. de Ben. III. 26. *Cœnabat Paullus prætorius in convivio quodam, imaginem Tiberii Cæsaris habens ectypa, & eminente gemma. Rem ineptissimam fecero, si nunc verba quæsiero*, inquit Seneca, *quemadmodum dicam illum matellam sumpsisse. Quod factum simul & Maro ex notis illius temporis vestigatoribus notavit. At servus ejus, cui nectebantur insidiæ, ei ebrio annulum extraxit. Et cum Maro convivas testaretur, admotam esse imaginem obscœnis, & jam subscriptionem componeret, ostendit in manu sua servus annulum.* Kirchm. de Annul. c. 12. Figrel. de Stat. Roman. c. 36. Gorl. de Annul. p. 17. Long. de Annul. c. 1. Pitisc. in Svetonium. Et nummis. Zonar. II. inter honores Julii Cæsaris refert simul decretum, ut ejus *imago nummis exsculperetur.* Dio XLVII. p. 341. E. *Brutus numismati, quod faciebat, imaginem suam incidit.* Svet. Ner. c. 25. n. 6. *Posuit statuas suas citharœdico habitu; qua nota etiam nummum percussit.* Cujus loci indicio intelligimus ipsas statuas in nummis repræsentatas, ita quidem, ut cum Imperatoribus suis statuas erigerent provinciæ, ac urbes, confestim easdem & exprimerent in nummis, quos iidem in honorem Principum cudebant. *Figrell. ibid. c. 35.* Et hos qui promiscuis usibus violaverant, majestatis postulabantur. Docuit hoc nos jam laudatus Svetonius. Docet etiam Philostratus, apud quem in claro Pamphyliæ oppido impietatis nonnemo damnatus legitur, qui servum verberibus affecerat ferentem fortè drachmam argenteam, in qua expressa erat Tiberii effigies. Quo referri debet infelix casus juvenis illius ex equestri ordine, qui ultimo supplicio destinatus à Caracalla legitur, quod nummum signatum ejus imagine in lupanar intulisset, ut observat Dio in Excerptis Peireskii. *Spanhem. de Præst. num. Dissert. 1. p. 20.* Tyrannorum dejiciebantur, solo affligebantur, frangebantur, luto oblinebantur. V. inf. in *Statua*. *Ne quis in invidiam alterius portaret, Sēlo cavetur*, inquit Scævol. l. 38. de injur. Sententia est: qui in invidiam novi alicujus Imperatoris imaginem Imperatoris defuncti, etiam post memoriam ejus damnatam, portare non vereretur. Id interdum fieri consuevisse testis est Svet. Ner. c. 57. n.

57. n. 3. *Non defuerunt, qui imagines ejus prætextatas in Rostris proferrent.* Nec aliò respexit Ambros. in Psalm. 38. ad hunc modum scribens: *Si quis tyranni imaginem habeat, qui jam victus interiit, jure damnetur. Quomodo tu hostis, & adversaris imaginem in civitatem veri Imperatoris inducis, nisi ipse te damnes?* Imperatoris *imago* sic interdum solebat portari, ut ea vestibus intexeretur. V. infr. in *Vestis.* Ravard. Conject. II. 6.

Imagines reorum ad vivum expressæ, & de industria sic efficiæ, in crucem tollebantur. Pollio trig. tyrann. c. 29. *Novo injuriæ genere imago* Celsi *in crucem sublata persultante vulgo, quasi patibulo ipse Celsus videretur affixus.* Hic mos etiam hodie planè servatur in reis absentibus judicatis, & capite damnatis, quorum *imago*, eadem propè forma, eodemque genere à carnifice in patibulum defertur, & suspenditur, qua ipsi rei si adessent, idem supplicium ex sententia reapse subituri. *Salmas. in Pollionem, Lips. de Cruce* III. 12.

Imagines Adriani Imperatoris in templo Olympii Jovis, quod exstruxerat, & dedicaverat. Pausan. Attic. p. 16. *Ibi imagines Adriani, duæ quidem sunt ex lapide Thasio; duæ autem Ægyptiæ: ææa autem stant ante columnas, quas Attici vocant colonias urbes.* Meurs. de Fort. Athen. c. 7.

Imago Jalysi erat Romæ in templo Pacis, opus Protogenis, cum cane illo celeberrimo, cujus spumam oris cum pictor effingere non posset, post repetita tandem frustra tentamina indignabundus *spongiam picturæ impegit, quæ colores è penicillis abstergebat, atque ita fortuna industriam pictoris, artemque admirabili similitudine effictâ spuma supplevit,* ut est apud Plin. xxxv. 10. *Nardin. Rom. Vet.* III. 12.

Imago Scipionis Africani fuit posita in cella Jovis Optimi Maximi. Valerius Maximus. V. illum supr. in *Imaginos defunctorum.*

IMB.

IMBRICES sunt tegulæ curvæ, & oblongæ, ad arcendum imbrem ex primo sui usu tectis applicitæ. Crediderim has fuisse ad testarum modum aptè olim percussas, nisi mavis collisas, ut certum redderent sonum. Suet. Ner. c. 20. n. 6. *Qui divisi in factiones plausum genera condiscerent: bombos, & imbrices, & testas vocabant.* Ferrar. de Acclam. I. 11. Hoc plausus genus appellatum est ad similitudinem crepitantis super pluvias tegulæ. Hunc sonitum voce παχλάζειν in diluvii descriptione eleganter describit Lycophr. n. 8. *Casaub. in Suetonium. Ferrar. l. l. Buleng. de Imperat. Rom.* II. 31. Ego cymbalis vindicare aggredior. Lapides enim, & abscissa saxis frustula cymbalorum in modum in omni Græcia usitata reperio. Hermippus Comicus apud Athen. XIV. p. 636. D.

Petrarum verò lepades abscindentes crembala pulsant.

Aristoph. Nebul. I. 3. 32.

Fies in dicendo tritus, crepitaculum, pollen.

Ubi Scholiastes clariùs rem explicat: *Illa verè dicens lapides confligit super ipsum.* Τρῖμμα *ergo dixit ab attritu lapidum. Crotalum vero, quia confligitur. Pollen verò ob asperitatem. Solent enim ita appellare difficilia. Aliter. Illa dicens Socrates, simul conterens in sacrificia montanos lapides, & confligens, colligensque lapidum particulas conjicit in senem, quemadmodum solent, qui sacrificant mola salsa.* Eustath. in Iliad. Ψ. p. 1450. *Quod verò dicat attritus, istud convenit cum illo Comici* τρῖμμα, *quod coincidit cum crotalo facto ex testa lapide.* Addere etiam poteris Suidam in voce Τρῖμμα. *Lampe de Cymbal. Vet.* I. 18.

IMM.

IMMISSARIUM erat receptaculum aquæ in aquæ ductibus. V. illud supr. in *Castellum.*

IMMOLARE est hostiam mola salsa conspergere. V. supr. in *Hostia.* *Immolare* autem non dicebatur popa, aut victimarius; sed is, qui sacra faciebat. Cicer. Div. I. 52. *Quod ne dubitare possimus, maximo est argumento, quod paullò antè interitum Cæsaris, qui cum immolaret eo die, quo primum in aurea sella sedit.* c. 33. *Cum Sylla immolaret in agro Nolano ante prætorium.* Suet. Jul. c. 59. n. 2. *Cum immolanti aufugisset hostia.* Brisson. de Form. p. 18. Pitisc. in Suetonium.

IMMUNES vectigalibus erant omnes res, quas quis non negotiandi animo, sed utendi deferebat. l. 5. C. & l. 4. §. 1. ff. de public. Et sic in lege censoria Siciliæ portus cautum erat publicis tabulis, *servos, quos quis domo ducet suo usu, pro his portorium ne dato.* Qua lege etiam enumerantur servi, qui rectè inter usuales haberi possunt, sub quibus eunuchi non comprehendebantur, qui magis luxui, & mollitiei, quàm usus domestici gratia comparabantur; hinc & pro eunuchis portorium solvi debebat, ut ex l. C. de Eunuch. colligitur. Extra res has usuales *immunes* erant res, quas legati exterarum, vel sociarum gentium Roma ad proprias sedes deferebant, l. 18. C. de vectig. non verò si ex patria sua Romam deportabant. Etiam *immunes* res erant exercitui paratæ, l. 9. §. 7. ff. de publican. Instrumenta quoque itineris *immunia* fuisse, docet fragmentum legis censoriæ apud Quintil. Declam. 359. *Præter instrumenta itineris omnes res quadragesimam publicano debeant.* Illæ etiam *immunes* debere portus invehi videri possunt, quæ per provincias à negotiatoribus vendendi gratia circumvehebantur, sed quæ, cum emptorem invenire non possent, iterum domum reportabantur. Dubium autem circa hanc circumvectionem jus apud antiquos fuit, cum utrinque rationes, & pro publicanis, qui portoria flagitabant, & pro negotiatoribus, qui recusabant, allegarentur. Exemplum hujus altercationis est apud Cicer. Attic. II. 16. ubi Quintus fratrem Ciceronem consuluerat, num portorium circumvectionis deberetur publicanis, qui illud petebant, obloquentibus negotiatoribus. Ciceronis sententia erat, non deberi; Quintus verò rem ex concilii sententia ad Senatum rejecit, cujus decretum ignoramus. *Burmann. Dissert. de Vectig. c.* 5.

Immunes etiam in militia vocabantur milites, qui vacabant muneribus. Quænam illa fuerint, V. infra in *Munifices.* Dicebantur etiam beneficiarii, quod beneficio Imperatorum illis vacarent. Duo enim genera ejusmodi *Immunium*: alii, qui ex lege, & more vacabant; alii, qui ex beneficio. Ex lege omnes tribuni & centuriones, qui arbitri erant, & exactores munerum, non actores. Item equites, ob dignitatem. Val. Max. II. 9. 7. *Equestris ordinis bona magnaque pars, quadringenti juvenes, censoriam notam patienti animo sustinuerunt: quia in Sicilia ad munitionum opus explicandum ire jussi, facere id neglexerant.* Frontin. IV. 1. 23. *Aurelius Cotta consul, cum ad opus equites necessitate cogente jussisset accedere, eorumque pars detrectasset imperium, questus apud censores effecit, ut notarentur.* Ex quo liquet *immunes* eos vulgò fuisse, nec nisi in necessitate admotos: quod tunc quoque recusarunt in parte, ne jus scilicet suum remittere, aut projicere viderentur. In eodem numero pono etiam veteranos, & evocatos, quos omninò probabile est, cum spontè militiam sumerent, munerum hac necessitate non adstrictos, nisi item in necessitate. A quo exemplo exauctorati, & qui sub vexillo habebantur temporibus Principum, *cæterorum immunes erant,* ait Tacit. Annal. I. 36. 4. *nisi propulsandi hostis.* Beneficio autem, quibus id indultum per gratiam, sive quia virtute meruissent. Tale, cum Annibal Imperator Campanis concedit apud Liv. XXIII. 7. *Ne civis Campanus invitus militaret, munusve faceret:* quod valet, nec ad militiam adigi debere; nec si in ea sponte esset, ad munus. In eodem VII. 7. octo cohortes Hernicorum scribuntur, *quæ duplex stipendium acciperent, immunes quoque operum militarium essent, in unam pugnæ laborem reservati.* Nec Imperatores solum ipsi dabant, sed etiam pro tempore tribuni. Quintil. Declam. III. *Transeo oblatam nolente munerum vacationem, & blanditiis adulatum militi tribunum.* Remissiore, & minus intenta militia invaluit, vacationes pretio etiam, idque à centurionibus emi. Inter alia, quæ militiam, & rem Romanam everterunt, hanc scitu esse inter occultas causas. Hoc per bella civilia cœptum mansit sub Augusto. In seditione, quæ statim ab ejus morte, milites loqui facit Tacit.

Tacit. Annal. I. 17. 4. *Hinc, è decem assium stipendio, arma, vestem, tentoria: hinc sævitiam centurionum, & vacationem munerum redimi.* Quam centurionum sævitiam, avaritiam, aut fraudem ampliter declarat Hist. I. 46. 3.... 6. *Lips. de Milit. Rom. v. 6. ad Tacit. Hist. I. n. 90. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 14. Thys. Rom. Illustr. v. p. 122. Laurent. Polym. IV. Synops. 3. Bernegg. in Justin. XXXVII. 4. I.*

IMMUNITAS etiam hominibus quibusdam specialiter data est ab Imperatoribus, quod à bonis, & justis Principibus in utilitatem publicam, & ad reddendum bene meritis præmium frequentabatur, ab avaris autem etiam solebat vendi. Narrat hoc de Galba Suet. c. 15. n. 3. *Nihil non per comites, atque libertos pretio addici, aut donari gratia passus est, vectigalia, immunitates* .... De commodo Lamprid. c. 14. *Vendidit etiam suppliciorum diversitates, & sepulturas, & immunitates.* Utilitatis publicæ causa multis personis *immunitates* à portoriis concessæ sunt. Sic militibus *immunes res, quas usui suo, non quas veno exercerent,* concessit Nero apud Tacit. Annal. XIII. 51. 2. postea ab sequentibus Imperatoribus militibus, & iis qui in Palatio degunt, *immunitas* concessa est ex Valentiniani & Valentis constitutione, quæ est l. 3. C. de immun. concess. Veteranis, & eorum filiis idem privilegium continuatum est à Constantino, l. 2. C. de vectigal. quod postea iidem Imperatores confirmaverunt, l. 9. C. Quæstores etiam senatorii portoria non solvebant pro feris, quas ex remotis regionibus Romam ad spectacula deportari curabant. Symmach. Epist. v. 60. & 63. *Grave majoribus visum est, ut tolerantibus onera senatoria dignitatis sumptus immodicus adderetur.* Naviculariis, qui frumentum ex provinciis vectigalibus Romam vehebant, concessum est, ut quasdam merces, quas sibi, & propriæ utilitatis causa, unà cum frumento apportabant, *immunes* inferrent; dummodo sub prætextu fiscalium specierum, mercatoribus latebram, & fraudandi occasionem non præberent, l. 23. & 24. C. de navicular. *Burmann. Dissert. de Vectig. c. 5.* Etiam lege à Constantino lata *immunitas* conceditur accusatoribus eorum, qui adulterinam monetam cudunt, l. 1. C. de fals. monet. Et Gratiani constitutione, quæ legitur C. Th. l. 1. de desert. sancitur, *ut qui desertorem servus prodiderit, libertate donetur: si mediocris loci ingenuus, immunitate potiatur.* Spanhem. ad Constit. Anton. Imper. Exerc. II. §. 20. Et sacerdotibus à militia. V. infr. in *Sacerdos.*

IMMUSSULUS *ales est ex genere aquilarum, sed minorum virium, quàm aquila: qua volucris rare, & non ferè, præterquàm vere apparet, quia æstum, algoremque metuit. Appellatur autem ita, quod subitè, & inexpectata se immittat.* Festus. Glossarium: *Immussulus, ὄρνεον βασιλικὸν, ὄρνις βασιλικός. Scalig. ad Festum.* Plin. X. 7. *Immussulum augures Romani magna quæstionis habent. Immussulum aliqui vulturis pullum arbitrantur esse. Masurius immussulum dicit esse pullum aquilæ, priusquàm albicet cauda.* Arnob. II. p. 84. *Quid in mundo faciunt bubones, immussuli, buteones?* Rhodig. Ant. Lect. VIII. 18. Buleng. de Augur. c. 6. Brisson. de Form. I. p. 122.

IMP.

IMPEDIMENTA, cum in hostem movebant, sequebantur interdum, non suum genus, sed omnes legiones: interdum, cum ab hoste recedebatur, præmittebantur, ita tamen, ut his justa manus præsidio esset. Præmisit Cæsar, à Dyracchio recedens, de Bell. Civ. III. 75. aliquot dies continuos, unamque iis legionem præsidio misit. Sæpissimè autem hoste vicino in medio totius agminis recipiebantur. Cæsar, cum longius ab hoste abesset, post suam quamque legionem ducebat: hoste appropinquante, ex consuetudine, totius exercitus *impedimenta* in unum locum conferebat. Utrumque nos docet de Bell. Gall. II. 17. *Quidam ex Belgis, eorum dierum consuetudine itineris nostri exercitus perspecta, nocte ad Nervios pervenerunt, atque his demonstrarunt inter singulas legiones impedimentorum magnum numerum intercedere; neque esse quicquam negotii, cum prima legio in castra venisset, reliquæque legiones magnum spatium abessent, hanc sub sarcinis adoriri: qua pulsa, impedimentisque direptis, futurum ut reliqua contra consistere non auderent.* c. 19. *Nam quod hostis appropinquabat, consuetudine sua Cæsar legiones expeditas ducebat, post eas totius exercitus impedimenta collocabat. Inde duæ legiones, quæ proximè conscriptæ erant, totum agmen claudebant, præsidioque impedimentis erant.* Probat hoc omninò scriptor militaris: *Impedimenta, sagittarii, calones, vehiculaque in medio collocentur, ita ut expedita pars peditum & equitum sequatur: nam ambulantibus interdum à fronte, sed frequentior à tergo superventus infertur: à lateribus quoque paris armatorum manu impedimenta claudenda sunt.* Schel. Not. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1260. D. Stevvech. ad Veget. III. 6.

Impedimenta dicuntur etiam jumenta. Suet. Cal. c. 51. n. 4. *Ut eos impedimentis stipatos reperit.* Frontin. Strat. II. 1. 11. *C. Cæsar bello civili cum exercitum Afranii & Petreji circumvallatum siti angeret, iisque ob hoc exasperatus, interfectis omnibus impedimentis, ad pugnam descendisset* .... Quæ Frontinus *impedimenta*, Cæsar eandem historiam narrans vocat jumenta de Bell. civ. I. 81. *Ibi & inopia pabuli adducti, & quo essent ad iter expeditiores, omnia sarcinaria jumenta interfici jubent.* I. 40. *Cum legiones flumen transissent, impedimentaque, & omnis equitatus sequeretur; subitò vi jumentorum* ..... *pons est interruptus.* Græv. & Pitisc. in Suetonium.

IMPERATORIS appellatio in historia Romana accipitur. I. pro ἡγεμὼν, & στρατηγὸς, qui hoc nomine appellatus à militibus, imperium belli suis auspiciis gerendi à populo accepisset. Cicer. de Orat. I. 48. *Imperator est administrator belli gerendi.* Hæc titulus non erat, nec nomini præponebatur. II. pro victor, & νικητὴς, sic solitus appellari, qui res magnas bello gesserat, & decem millia hostium ceciderat. Appian. de Bell. civ. II. p. 455. *Id honoris olim ducibus conferebatur à suis militibus tanquam virtutis testimonium, quem illi post quodvis præclarum belli facinus admittebant: nostra autem ætate, ut audio, nemini contingit hujusmodi appellatio, nisi cæsis hostium decem millibus.* Dio XLIII. p. 235. C. *Imperatoris nomen, non antiqua tantum pro consuetudine, qua id cum alii, tum ipse quoque sæpius, ex bello reportaverant, neque ea ratione, quod ei merum imperium, absolutamque potestatem deferrent, Cæsari tribuerunt; sed eo modo, quo nunc iis, qui summum imperium obtinent, tum primo Cæsari primum imposuerunt, tanquam ipsi proprium. Hoc nomen à Julio, tanquam peculiare summi imperii cognomentum, ad omnes deinceps Imperatores dimanavit: non tamen sublata antiqua hujus nominis ratione, sed utraque integra. Itaque iterum eis tribuitur, quum victoriam aliquam obtinuerunt. Nam qui sunt Imperatores, semel hac appellatione, sicut & aliis, adeoque prima utuntur. Qui vere bellis hac appellatione dignum aliquid gesserunt, ii priscum quoque sibi nomen adsciscunt. Unde fit, ut quis eorum iterum, & tertium, & pluries, nimirum quoties id meritus sit, Imperator nominetur.* Hæc ponebatur post nomen, ut Cicero *Imperator* Lentulo *Imperatori*. III. pro Rex à Julio Cæsare. Hæc ferè nomini præponebatur, ut in lapide veteri: IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUG. PONT. MAX. COS. XIIII. IMP. XX. TRIBUNIC. POTEST. XXXVIII. *Buleng. de Imperat. Rom. I. I. de Triumph. c. 10. Sigon. de Jur. prov. II. 7. & in Fast. p. 304. Valtrin. de Re milit. VII. 1. Ferrar. de Acclamat. VI. 8. Brisson. de Form. IV. p. 351. Castal. Obel. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 1860. Morestell. de Fer. Roman. dial. 13. & 14. Occo Numism. p. 22. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 550. D. 618. D. Nonn. in Aug. Cæsar. Numism. p. 42. Hotman. Antiq. Roman. II. 14. Panvin. in Fast. II. p. 168.* Ipse erat supremus, & communissimus, ut sic dicam, ducum, à quo cives, socii, equites, pedites, denique omnes, & omnia pendent. Ille est, qui non solum habet ductum, sed etiam auspicia. Distinguunt enim ista Suetonius, & qui hoc loquendi genus ad res Græcanicas transtulit, Curtius. V. illos supr. in *Ductu*. Ductu enim, cum ipse bello interfuit: auspiciis, cum illo mandante aliis, & fortunam, ac deos suos commodante. Pulcrè ad Augustum de privignis Horat. Od. IV. 14. 32.

Te copias, te consilium, & tuos.
Præbente divos.

Significat ipsos duxisse, hunc direxisse, & jussisse. Idem ad eundem de Tiberio clarè Ovid. Trist. II. 173.

Per quem bella geris, cujus nunc corpore pugnas;
Auspicium cui das grande, deosque tuos.

Sumptum autem à more veteri, quo omnia gesta auspicato, & præsertim in bellis. Cicer. de Divin. II. 36. *Rem bellicam majores nostri administrari, nisi auspicato, noluerunt.* Et prælio Alliensi, ut novum, & triste prodigium habet Liv. v. 38. quod *nec auspicato, nec litato instruunt aciem.* Nec alia fuit in castris ipsum augurale, & juxta prætorium situm. Hæc olim ita, & seriò servata, postea nonnihil imago, & nomen mansit. Cicer. de Nat. deor. II. 3. *Veritas auspiciorum spreta est, species tantùm retenta: itaque maxima Reipublicæ partes, in his bella, quibus Reipublicæ salus continetur, nullis auspiciis administrantur.* Quid verò mirum, cum pleraque jam à proconsulibus aut proprætoribus administrarentur, quibus ea nulla? Cicer. de Divin. II. 36. *Quàm multi anni sunt, cum bella à proprætoribus, & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent?* Causa, quia soli magistratus auspicia habebant, atque ea *domo, Latinis feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis rite nuncupatis, secum ferebant, nec privati auspicia sequebantur.* Liv. XXII. 1. Etsi tamen res neglecta, nomen mansit: & P. Scipio quoque ea sibi vindicat, qui sine ullo magistratu, proconsule in Hispaniam missus. Ita enim ad seditiosos milites apud Liv. XXVIII. 27. *Quis mihi nec hodie quidem scire videmini, quo amentia progressi sitis: quid facinoris in me, quid in patriam, parentesque, ac liberos vestros, quid in deos sacramenti testes, quid adversus auspicia, sub quibus militatis, ausi sitis.* Atque adeò auspicium simpliciter pro imperio. Tacit. Annal. III. 19. 4. *Drusus Urbe egressus repetendis auspiciis, mox ovans introiit.* Resumpsisse imperium proconsulare significat, quod ingressu amiserat: nec ipsa auspicia fas capere extra Urbem. Ejus insignia lictores cum fascibus, atque paludari. Ita enim ad bellum egredi solent. De Varrone consule Sil. Ital. IX. 420.

Isque ut Varronem procul inter prœlia vidit,
Et juxta sagulo circumvolitare rubenti
Lictorem; nosco pompam, atque insignia nosco:
Flaminius modo talis, ait.

Liv. XLI. 10. V. illum infr. in *Paludamentum.* Lictorem Silius facit in *rubenti sagulo* ire, id est, paludamento. Quin ipse dux talis. V. infr. in *Paludamentum.* Tubæ etiam incinuerunt, & ad eas facta profectio. Observa ritum apud Varr. de Ling. Lat. VI. 3. ibidem, nescio an alibi, lectum: nisi fortassis huc referendum ejusdem Varronis fragmentum apud Nonium laudatum supr. in *Abolla.* In illo enim pro *ad turbam, ubi sera,* legerem *ad tubam* pro hoc ritu, & *ubi sera.* Ut diceret Varro, aut quicunque ille apud Varronem, togam sibi extractam, & paludamentum datum, incinente tuba. Lips. de Milit. Roman. II. 12. Thys. Rom. Illustr. II. p. 65. Magnam habebat vim, sicut Dio LIII. p. 508. B. declarat, ubi narrat, cum omnium rerum arbitrium, & potestatem in se transferre vellent olim Cæsares, ne invisi essent, id sibi arrogasse, indendo nomina illa, quæ vigebant Republica florente. Vis autem hæc erat, habere delectum, pecuniam colligere & imperare, de bello & pace statuere, in provinciis summum jus habere, cives perimere posse & intra & extra pomœrium: quo loco sciendum non fuisse hanc potestatem ulli *Imperatori,* qui duceret exercitum, vigente Republica datam intra pomœrium, nam ubi primùm Urbem ingrediebantur, imperium deponebant. *Robort. de Cognom. Imperat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VII. p. 1142.* Etiam tribuniciam potestatem, & proconsulare jus, & summam supra senatum auctoritatem, quam jus quintæ relationis vocarunt, usurpaverunt. Dio LIII. p. 518. E. *Ea propter senatus Augusto hos honores decrevit, ut tribunus plebis perpetuus esset, et quoties senatus haberetur, etiamsi consulatum non gereret, de quibuscunque rebus referre posset, ut proconsulare imperium semper haberet, neque id in Urbem intrans deponeret, aut renovando opus esset: ut major ipsi in provinciis, quàm præfectis earum semper esset potestas. Inde exortum est, ut Augustus, quique eum sunt secuti Imperatores, lege quadam reliquis bisce, & tribunitia potestate uterentur. Nam tribunus plebis nomine neque Augustus, neque ullus alius Imperator gessit.* Jus quintæ relationis innuitur à Dione his verbis: *ut quoties senatus haberetur, etiamsi consulatum non gereret, de quibuscunque rebus referre posset,* hoc est, quod post omnes magistratus, qui relationem habebant, iterum referre, & statuere posset: eò quòd omnium magistratuum jus, functionemque in se haberet. Manifestius fit hoc ex decreto Senatus in æs inciso, & Romæ invento in Cœlio apud Johannem Lateranum, quo Vespasianum Imperatorem ornavere: *Utique ei senatum habere, relationem facere, remittere, senatusconsulta per relationem, discessionemque facere liceat, uti licuit D. Augusto, Julio Cæsari, Aug. Ti. Claudio Cæsari, Aug. Germanico; utique cum ex voluntate, auctoritateve, jussu, mandatuve ejus, præsenteve eo senatus habebitur, omnium rerum perinde jus habeatur, servetur, ac si è lege senatus edictus esset, haberetur que.* Loens. Miscell. Epiph. VIII. 20. Laurent. de Rebus pub. c. 3. Illi, cum eligeretur, aut confirmaretur, acclamatum est à senatu. Vopisc. in Tacit. c. 4. *Post hæc quum Tacitus, qui erat primæ sententiæ consularis, sententiam in certum quem vellet dicere, omnis senatus acclamavit: Tacite Auguste, dii te servent: te diligimus, te principem facimus, tibi curam Reipublicæ, orbisque mandamus. Suscipe imperium ex senatus auctoritate: tui loci, tua vita, tua mentis est quod mereris....* Plures hinc acclamationes similes collegit *Ferrar. de Acclam. & Plaus.* IV. 4: VII. 4. Prænomen *Imperatoris* Cæsari dictatori à senatu decretum esse auctor est Suet. Cæs. c. 76. n. 2. Hoc tamen illi decretum est, non ut imperium, ac suprema in omnes potestas instar regni denotaretur, quam illum subsecuti *Imperatores,* & Principes eo denotari voluerunt; sed quo omnium res gestas, & numero, & celeritate Cæsar superasse intelligeretur. Quare ad laudem, non ad potentiam declarandam hoc Cæsari delatum existimo. Opinionis meæ auctor est Cicero cum multis in locis, tum his verbis: *Laudetur verò hic Imperator, aut etiam appelletur.* Dio contrariam sententiam tueri videtur. Sed loquitur de temporum suorum consuetudine. Et in hoc fallitur, æquè ac in eo, quod credit tribuniciam potestatem ab *Imperatoribus* susceptam ad se, non ad plebem tuendam. Sed rectiùs Tacitus, qui longè aliter nobiscum sentit. Neque enim aut senatus regiæ potentiæ prænomen decrevisset nondum omninò oppressa Republica, aut decretum Cæsar suscepisset, qui à se regiæ notæ invidiam amotam volebat. Nondum autem omninò oppressa Republica dixi, quod spes erat, ut constituta Republica Cæsar dictatura, ut Sulla fecerat, abiret. Denique fuerunt etiam qui *Imperatoris* prænomine abstinuerunt, Tiberius, Caligula & Claudius. Tiberium recusasse auctor est Suet. c. 26. n. 6. *Prænomen quoque Imperatoris recusavit.* Et juxta cum illo Dio LVII. p. 602. D. *His itaque a[illegible]ibus instructus Tiberius statim ad exercitus, & provincias omnes Nola tanquam Imperator literas dedit, Imperatorem quidem se non appellans: nam id cum aliis nominibus sibi decretum non assumpsit.* Castal. Obelisc. August. Inscr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1860. E. Panvin. II. p. 177. Gronov. Marmor. bas. coloss. Tiber. erect. c. 9. Fuit id moris aliquando Romanorum, ut quem *Imperatorem* facerent, eum in altum tollerent, & levatum dicerent *Imperatorem* factum. Claud. Honor. cons. IV. 173.

Sed mox, cum solita miles te voce levasset;

Ammian. XX. 4. *Impositus scuto pedestri, & sublatius eminens, nullo silente, Augustus renuntiatus, jubebatur diadema proferre.* Liban. in Προσφωνητ. *O felix scutum, in quo solennis inaugurationis mos peractus est, omni tibi tribunali convenientius!* Pith. Subcis. II. 6. Lindenbrog. & Vales. in Ammianum. Non utebatur pænula. Spartian. Adrian. c. 5. *Tribunus plebis factus est, in quo magistratu ad perpetuam tribuniciam potestatem omen sibi factum asserit, quod pænulas amiserit, quibus uti tribuni plebis pluviæ tempore solebant, Imperatores autem nunquam: unde hodièque Imperatores sine pænulis à togatis videntur.* V. de hoc loco decertantes inter Casaubonum & Salmasium ad Spartianum, & Ferrar. de Re Vest.

Vest. II. 2. 5. Sed toga. Nam in toga confossum Cæsarem esse scribit Suet. c. 81. n. 1. & Caligulam, *cum die muneris assedario Foro ob prosperam pugnam servum suum manumittentis studiosius plausum esset, ita se proripuisse e spectaculis, ut calcata lacinia togæ præceps per gradus iret.* c. 35. n. 8. Domitianum *Martem togatum* appellat Mart. VI. 76. 1.

Ille sacri lateris custos, Martisque togati.

Et VII. 1. 12. V. illum infr. in *Toga palmata*. Eaque non pura semper, & communi, sed aliquando purpurea, & triumphali. Hoc apparet, quod inter reliquos honores hunc Cæsari à senatu tributum testatur Dio XLIV. p. 242. B. *Primum ei datum est, ut semper etiam in ipsa Urbe toga triumphali indutus incederet.* Eo tamen honore non semper usum Cæsarem credere par est, quod Dio XLIII. p. 234. D. tradit *eum ex Sello vestem triumphalem omnibus ludis gestasse.* Et LIII. p. 515. A. post devictos Astures datam Augusto *potestatem Kalendis Januariis singulis corona, & vestis triumphalis gestandæ.* Tacit. Annal. XIII. 8. 1. inter honores, quos sueta adulatione senatus Neroni ob pulsos Armenia Parthos decreverat, eum præcipuè recenset, *supplicationes, & diebus supplicationum vestem Principi triumphalem.* Non igitur in usu communi. Et reliqui Imperatores in civili, & vulgari habitu. Lamprid. c. 40. tradit Alexandrum adeò civili ingenio fuisse, ut, licèt Imperator, *prætextam, & togam pictam nunquam nisi consul acceperit.* Ferrar. ibid. t. s. 26. Bibebat frigidam. De Othone Tacit. Hist. II. 49. 3. *Vesperascente die sitim haustu gelidæ aquæ sedavit.* Suet. c. 11. n. 3. *Post hæc sedata siti gelidæ aquæ potione.* De Alexandro Lamprid. c. 30. *Ut biberet etiam frigidam Claudiam jejunus ad unum propè sextarium.* c. 37. *Frigida semper usus est.* De Gordiano juniore Capitol. c. 21. *Frigidorum præcipuus fuit. Nec facilè per æstatem nisi frigida, & quamplurimum bibit.* Butius de Pot. Ant. c. 19. Ad ejus tabernaculum omnes tubicines & cornicines tempore cœnæ tuba, & buccina canebant. Polyb. XIV. 3. *Cœnæ tempore buccinatores & tubicines canere Romæ erat moris.* Buleng. de Conviv. III. 37. Ornabatur I. pontificatu. Augustus primus illum suscepit. Suet. c. 31. n. 1. Augustus *postquàm pontificatum maximum mortuo Lepido suscepit, quicquid fatidicorum librorum, Græci, Latinique sermonis, nullis, vel parum idoneis auctoribus vulgò ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit, ac solos retinuit Sibyllinos.* Hoc verò pontificum demonstrat potestatem, quorum fuit, sacrorum libros probare, vel improbare. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 15. Creatus est anno ab U. C. 760. Tib. Claudio Nerone, & Quintilio Varo coss. pridie nonas Martias, ut est apud Ovid. Fast. III. 419-429.

Cæsaris innumeris, quos maluit ille mereri,
Accessit titulis Pontificalis honos....

Fuit pontifex, sed non maximus, quamdiu vixit Lepidus, *cui vivo*, ut refert Suetonius, *adimere noluit pontificatum maximum.* Castal. Obelisc. August. inscript. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom IV. p. 863. B. *Imperatores* cæteri Augusti exemplum secuti, omnes ad pontificatum maximum arrepserunt. Horum tamen nullus ante Adrianum pontificis maximi officium peregit. Nam priores honore contenti rem ipsam neglexerunt. Et Domitianus, qui Corneliam virginem maximam damnavit apud Plin. Epist. IV. 11. non pontificis partes sustinuit, sed tyranni personam, qui illustrati seculum tali exemplo concupivit. II. auguratu. Hunc notavi in illorum numismatibus. Est apud me nummus argenteus Vespasiani, est æreus Aurelii Veri, uterque cum insignibus auguratus. Est aureus Augusti cum hac inscriptione: *Cæsar. Divi. Filius. Augur. Pont. Imp. Quar. Cos. Ter.* Est argenteus D. Julii, cum in numerum deorum allectus est, in quo Veneris templum signatum, cum stella, & Cæsaris statua habitu augurali. Quæ Taciti corruptam lectionem indicant. Ille Hist. I. 77. 4. *Otho Pontificatus Auguratusque honoratis jam senibus....* Corrigo ex nummis meis: *Sed Otho Pontificatus Auguratusque honoratus insignibus.* Quod sequentia verba confirmant. Addit enim Tacitus: *cumulum dignitatis addidit*, quod Imperator, Pontifex maximus, & Augur esset, imperatoriamque majestatem amplissimorum sacerdotiorum honore cumulasset. III. Quindecimviratu, ut tribus illis summis, & amplissimis sacerdotiis sacra omnia in manu haberet. Est nummus Vitelli argenteus cum notis XV. VIR. SACR. FAC. in quo tripus cum delphino & avicula, quæ ad Apollinem omnia referuntur, cujus proprii Quindecimviri erant sacerdotes. Quod si duo, vel tres essent *Imperatores*, illorum unus pontificatum maximum gerebat, cæteri pontifices majores erant, ut ex nummis probatur. Sunt divorum fratrum, in quibus M. Aurelius Antoninus pontifex maximus duabus his literis vulgatis inscribitur P. M. M. Aurelius pontifex tantum. Quod idem in Caracallæ, & Getæ, Diocletiani, Maximinique nummis, & cæteris passim licet observare. *Guther. l. l.* Dicebatur adorari, dum protectores, illi qui semper aderant, cum quotidiè salutarent, purpuream ejus vestem osculabantur, l. 3. C. de advoca. divers. l. 1. C. de appar. præf. præt. l. 1. C. de appar. præf. Urb. & ejus limbum flexis genibus venerabundi deosculabantur, l. 1. C. de comit. & trib. schol. l. 1. C. de silentiar. l. 2. C. de fabricen. Primus Diocletianus genua coram se flecti jussit, & adorari. Eutrop. IX. 16. 2. *Diocletianus primus regiæ consuetudinis formam magis, quàm Romanæ libertatis invexit, adorarique se jussit, cum ante eum cuncti salutarentur.* Imò antè eum Caligula & Domitianus. Aur. Vict. de Cæs. c. 39. n. 4. *Namque se primus omnium Caligulam post, Domitianumque dominum palam dici passus, & adorari se, appellarique uti deum.* Cum igitur quotidie domestici id facerent, adorare purpuram is dicebatur, qui inter domesticos recipiebatur, d. l. restituendæ, & l. C. de fabricens. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 90. V. supr. in *Adorare*. Ignis illi præferebatur. V. supr. in *Ignis*. Ejus nomen inscribebatur signis & vexillis. Quod etiam factitatum in libera Republica. De Crasso in Parthos movente Dio XL. p. 128. E. *Signum unum ex iis, quæ magna sunt, & velorum similia, & puniceas literas inscriptas habent, ad indicium exercitus, & Imperatoris sui faciendum.* Scriptor Thebaidos III. 399. etiam Græcis tribuit, sed mentem habens in historia Romana:

—— aurea clarum nota
Nomen ducum vexilla præscriptum ferunt.

facitque literas aureas, quas Dio puniceas. Huc pertinet illud Suet. Vesp. c. 6. n. 4. *Nomen ejus vexillis omnibus sine mora inscripserunt.* Etiamsi scutis. Quintil. pro Milite: *Inscriptum in scuto C. Marii nomen.* Dio L. p. 421. D. notat Romanos *milites Cleopatræ nomen scutis inscripsisse.* De utroque ritu Prudent. contra Symmach. I. 487. V. illum supr. in *Crux*. Contra cum deficerent ab illo, lacerabatur. Tacit. Histor. II. 85. 1. V. illum supr. in *Imago*. Lips. in Tacit. n. 39. Ron Singul. I. I. Buleng. de Imperat. II. 12. Tomas. de Donar. c. 21. Nicol. de Sigl. vet. c. 26. §. 6. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. X. 29. Marcil. & Pitisc. in Suetonium. In bellum iturus in Jovis Capitolini templo auream coronam in sinu Jovis deponens vota nuncupabat. *Tomas. de Donar. c.* 3. Auctore Cicer. de Aruspic. resp. periculosissimis bellis vota faciebat diis, ea ad aras in ipsorum fano persolvens. Hinc Ovid. Fast. VI. 241.

Mens quoque numen habet, menti delubra videmus
Vota metu belli, perfide Pœne, tui.

Hinc tot in castris aras apud bonos scriptores legimus, tot ante bellum sacrificia, & oblationes; imò commisso sibi bello, antequam Urbe exiret, Martis sacrarium ingressus hastam nummis commovebat, dicens: *Mars vigila.* Alios item deos hostiis & votis deprecabatur, & præcipuè Fortunam, ut sibi esset propitia, à qua potissimùm incertos Martis eventus dependere opinabantur. Hinc Demosthenes in bellum iturus suo clypeo inscripsit, *bona fortuna.* Et Cæsaris symbolum erat: *virtute duce, comite fortuna.* De qua Inscriptio:

I. O. M.
ET. FORTUNÆ. SECUNDÆ.
CÆS....

Hinc tot emanarunt elogia fortunæ. V. illa supr. in *Fortuna*. Tomas. ibid. c. 21. Valtrio. de Re milit. Rom. IV. 2. In illud iturus, not ex illo reversus, primum omnium ædem Jovis, deinde Vestalium, tum Jani adibat. Erat enim lex Romæ, ut in *discessu Imperator ædem Jovis ultimo, in reditu*

vero

verò Jani templum omnium primum adiret. Nam in expeditionem proficiscentium humeris in æde Vestalium injiciebatur paludamentum, eorundem in æde Jovis pedem senatores, & in templo Jani manum aversam osculabantur. *Lipen. de Seren. c. 4. §. 47.* Exercitum præmissum sequebatur, verùm antequàm id faceret, si consul esset, qui exiret, ferias Latinas indicebat, & Jovi Latiali sollenne sacrum in monte Albano faciebat, & ait Dio XLVI. p. 313. B. nunquam Consules ante Latinas ex Urbe profectos esse, quin ea res magno ipsis, & Reipublicæ steterit. Hinc illa apud Liv. XXI. 63. senatus indignantis, quia C. Flaminius hoc omisisset: *non cum senatu modò, sed cum diis immortalibus C. Flaminium bellum gerere: conscientia spretorum, & Capitolium, & sollennem votorum nuncupationem fugisse, ne Latinas indiceret, Jovique Latiali sollenne sacrum in monte Albano faceret, ne auspicato profectus in Capitolium ad vota nuncupanda, paludatus inde ad provinciam iret.* Munusque gladiatorium, & venationes dabat. V. supr. in *Gladiator.* Quibus omnibus, divinis, humanisque procuratis, sumpto paludamento, cum lictoribus item paludatis, aliisque insignibus imperii, amicis prosequentibus, ac benè ominantibus proficiscebatur ad portam. Liv. XXXI. 14. *Tum P. Sulpicius secundum vota in Capitolio nuncupata paludatus cum lictoribus profectus ab Urbe.* Quæ profectio etiam celebris esse solet frequentia deducentium, prosequentiumque. Liv. XLII. 49. *P. Licinius consul, votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab Urbe est profectus. Semper quidem ea res cum magna dignitate, ac majestate geritur, præcipuè tamen convertit oculos, animosque, cum ad magnum, nobilemque, aut virtute, aut fortuna hostem euntem consulem prosequuntur. Contrahit enim non officii modo cura, sed etiam studium spectaculi, ut videant ducem suum, cujus imperio, consilioque summam Rempublicam tuendam permiserunt.* Lips. de Milit. Roman. II. 12. Thys. Rom. Illustr. II. p. 66. Hinc tanquam novum, & insolens in C. Flaminio observat Liv. XXI. 63. *Lixæ modo, sine insignibus, sine lictoribus profectum clam, furtim, haud aliter, quàm si exsilii causa solum vertisset.* Et de C. Claudio XLI. 10. *C. Claudius consul veritus, ne fortè ea res provinciam, exercitumque sibi adimeret, non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus, uno omnium certiore facto collega, nocte profectus præceps in provinciam abiit.* Ad portam prætoris nomine salutabatur. Festus: *Prætor ad portam nunc salutatur is, qui in provinciam proprætore, aut proconsule exit: cujus rei morem ait Cincius in libro de consulum potestate fuisse talem. Albanos rerum potitos usque ad Tullum Regem. Alba deinde diruta usque ad P. Decium Murem cos. populos Latinos ad caput Ferentina, quod est sub monte Albano, consulere solites, & imperium communi consilio administrare. Itaque quo anno Romanos Imperatores ad exercitum mittere oporteret, jussu nominis Latini, complures nostros in Capitolio à sole oriente auspiciis operam dare solitos. Ubi aves addixissent, militem illum, qui à communi Latio missus esset, illum, quem aves addixerant, prætorem salutare solitum, qui eam provinciam obtineret prætoris nomine.* Salutatus, aut continuò ad exercitum proficiscebatur, aut si quid in Urbe negotii haberet, extra Urbem per aliquot dies commorabatur, propterea quod cum imperio in Urbe esse non posset. Et quamdiu extra Urbem cum imperio subsistebat, ad Urbem esse dicebatur. V. supr. in *Ad.* Valtrin. l. l. In medio stabat agmine. Virg. Æneid. IX. 28.

—— medio dux agmine Turnus
Vertitur arma tenens.

Ratio enim vult, ut ibi sit, unde prospiciat, & mandet facillimè in omnes partes: qui locus medius est, sed paullum tamen ad finem magis admotus. Nam inter principes, & triarios, ante aquilas stetisse censeo. *Lips. de Milit. Rom. IV. 4. Barth. Adv. XXVIII. 13. Valtrin. ibid. V. 2. Thys. ibid. IV. p. 94.* Vitellius tamen in ingressu Urbis Romæ ante primum agmen incessit. De Cajo Julio Suet. c. 57. n. 1. *In agmine nonnunquam equo, sæpius pedibus anteibat.* De Vespasiano Tacit. Hist. II. 5. 1. *Acer militiæ anteire agmen.* De Othone Tacit. Hist. II. 11. 7. *Lorica ferrea usus ante signa, pedester.....* Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1265. E. Plurimùm in equo. Liv. VI. 7. *Camillus in equum insilit, & ante signa obversus in aciem ordines interequitat.* Lips. l. l. Concionans, cum milites suos alloqueretur, aut pro concione laudaret, ferè stabat: at cum judicis partibus fungeretur, sella sedit. In judicio adsidentes legatos describit Quintilianus in Milite Mariano: *Nec pudet accusatorem apud C. Marium assidentibus legatis, præfectisque, & istis illi prodigio dissimillimis tribunis, coram armatorum judicio, objicere militi, quod vir sit.* Prioris moris exempla habes in Galba & Vespasiano Tito: posterioris in Papirio, Scipione, & aliis. Tractum à more urbano, quo judices sedebant, oratores ad populum verba facientes stabant, satis congruente cum natura rerum habitu utroque, quia alteros quieto, sedatoque animo, alteros commotiori munus suum explere oportet. *Schel. in Hygin. Thes. Græv. ibid. p. 1066. E.* Augurio accepto, & addicentibus auspiciis, inauspicato enim nihil seriæ rei agere fas erat, exercitum ad concionem vocabat. Tacit. Annal. II. 14. 2. *Auctus omine addicentibus auspiciis, vocat concionem, & quæ sapientia prævisa, aptaque imminenti pugnæ disserit.* Hygin. de Castramet. *Ut augurio accepto insuper adscendat, & exercitum felici auspicio alloquatur.* Fiebat id classico: convocati sub suis quisque ducibus & signis, manipulatim aut centuriatim conveniebant, & tribunali circumfusi, ibi potissimum signa, & aquilas constituebant. Liv. XXII. 30. *Ut constituta sunt ante tribunal signa, progressus ante alios magister equitum.* Quem habitum, faciemque circumstantium, & signa, & vexilla præferentium, numismata, & monumenta vetera etiam nunc ostendunt. In tribunali concionaturo ponebatur castrensis sella, ut apparet ex Suetonio, recensente c. 18. n. 7. inter infausta omina, quæ Galbæ in adoptione Pisonis evenerant, quod ministri castrensem sellam de more ponere obliti fuerunt: *Adoptionis die neque milites allocuturo castrensem sellam de more positam pro tribunali, oblitis ministris.* Liv. VIII. 32. *Ne tribunal quidem satis quietum: legati circumstantes sellam orabant, ut rem in posterum diem differret.* Legati enim cum *Imperatore* adscendentes tribunal sellam ejus circumstabant. *Schel. ibid. p. 1066. B. Lyd. de Re milit. IV. 2.* Invisebat ægros, & saucios, non primores tantùm, sed manipulares; sustentabat alloquio, cura, ope, sibique & bello firmabat. Paterc. II. 114. 1. *O! rem dictu non eminentem, sed solida, veraque virtute, atque utilitate maximam, experientia suavissimam, humanitate singularem, per omne belli Germanici Pannonicique tempus, nemo è nobis, gradumve nostrum, aut præcedentibus, aut sequentibus imbecillus fuit, cujus salus, ac valetudo non ita sustentaretur Cæsaris cura, tanquam distractissimus ille tantorum onerum mole huic uni negotio vacaret animus. Erat desiderantibus paratum junctum vehiculum lectica ejus publicata, cujus beneficium, cum alii, tum ego sensi. Jam medici, jam apparatus cibi, jam in hoc solum importatum instrumentum balinei nullius non succurrit valetudini. Domus tantùm, ac domestici deerant: cæterum nihil quod aut ab illis præstari, aut desiderari posset.* Tacit. Annal. I. 71. 3. *Ut cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere, vulnera intuens, alium spe, alium gloria, cunctos alloquio, & cura, sibique, & prælio firmabat.* Schel. ibid. p. 1048. F. Stevvech. in Veget. III. 2. Salutabatur summo manè in castris à centurionibus & tribunis. Joseph. Exc. III. *Manè & sub auroram milites quidem singuli ad centuriones, ad tribunos porrò isti conveniunt salutaturi: cum quibus ad ducem primarium omnes deinde ordinum ductores.* Lips. ibid. V. 10. E castris profecturus prior detendebat tentorium. Nulli enim ante licitum erat suum tentorium detendere; uti nec licitum erat ea erigere, antequam *Imperatoris* erecta essent. Fiebat id autem, non solùm ut sua ducibus constaret auctoritas & veneratio, sed etiam quia locatio prætorii, & tentoriorum tribunitiorum erat vel basis, & norma totius castrametationis, ad quam reliquarum pedaturarum omnium situs, & ordo exigebatur; Polyb. VI. 38. *Neque auferre, neque figere suum cuique tabernaculum prius fas est, quàm tribunorum & Imperatoris fuerint tensa, aut detensa.* Patric. Rei milit. Roman. p. XIII. sect. 1.

sect. 1. Quòties hostium exercitus delevisset, aut urbem expugnasset, lauro victoriæ signo literas involutas ad senatum mittebat. V. illas inst. in *Litera*. Si res capitis ageretur, ipse cognoscebat, damnabat. Ita de Turpilio, qui oppidi præfectus turpiter aufugerat, Sallust. Bell. Jug. p. 119. *Jussus à Metello causam dicere, postquàm sese parum expurgat, condemnatus, verberatus, atque capite pœnas solvit.* Et, ubi res liquida, sine causæ dictione. Dionys. xi. p. 725. *Lex dedit ducibus facultatem interficiendi eos, qui non obediunt, aut signa deserunt, idque causa indicta.* Flor. ii. 2. 17. *Nec deerant, qui ipso Punici maris nomine deficerent, augente insuper metum tribuno Nannio: in quem, nisi paruisset, securi districta Imperator metu mortis navigandi fecit audaciam.* Hoc liberum jus valdè submittebat militem, & ad omnia promptum, volentemque faciebat. *Lips. ibid.* v. 18. Curiam intrans patres salutabat. Suet. Aug. c. 53. n. 6. *Die senatus nunquam patres, nisi in curia salutavit, & quidem sedentes, ac nominatim singulos, nullo submonente, & discedens, eodem modo sedentibus valedicebat.* Ex salutationi osculum addebat. Plin. Paneg. c. 23. n. 1. *Gratum erat cunctis, quod senatum osculo exciperes, ut dimissus osculo fueras.* Claude de Salut. vet. c. 9. Rationes die post triumphum in ærarium referebat. V. infr. in *Præsides*. Moriens legionibus, & cohortibus legabat pecuniam. Tacit. Annal. i. 8. 3. *Prætoriarum cohortium militibus singula nummum millia; legionariis autem cohortibus civium Romanorum trecenos nummos viritim dedit.* Suet. Aug. c. 102. n. 4. *Legavit prætorianis militibus singula millia nummorum: cohortibus urbanis quingenos, legionariis tricenos nummos.* Robort. de Comm. milit. Misc. Erud. Ital. Tom. i. p. 663. Ludis *Imperatores* conviciis proscindebat populus Romanus. Spartian. in Julian. c. 5. *Occupatis indifferenter omnium subselliis, populus geminavit convicia in Julianum.* Suet. Aug. c. 68. n. 5. *Populus quondam universus ludorum die, & accepit in contumeliam ejus, & assensu maximo comprobavit versum in scena pronuntiatum de Gallo matris deum tympanizante.*

Viden' ut cinædus urbem digito temperet?

Argol. in Panvin. de Lud. circens. ii. 16. *Imperatores*, ut hoc ultimo loco addam, mali, & sævi aurigandi studio ad insaniam vacaverunt. Cajus apud Dion. lix. p. 643. E. *Aurigavit, & pugnavit, & saltavit, & tragœdiam egit; & hæc quidem semper fecit*, & Suet. c. 54. n. 3. *Aurigabat exstructo plurifariam circo.* Nero apud Tacit. Annal. xiv. 14. 1. *Vetus illi cupia erat curriculo quadrigarum insistere.* n. 3. *Clausum valle Vaticana spatium, in quo equos regeret, haud promiscuo spectaculo ....* & Suet. c. 22. n. 2. *Cum inter initia imperii eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet, ad omnes etiam minimos circenses commeabat è secessu.* n. 4. *Mox & ipse aurigare, atque etiam spectari sæpiùs voluit: positoque in hortis inter servitia, & sordidam plebem rudimento, universorum se oculis in circo maximo præbuit.* Commodus apud Herodian. i. 13, 17. *Aurigando, bestiisque conficiendis supra modum exercebatur*, & apud Spartian. c. 8. *Voluit quadrigas in circo agitare. Dalmaticus in publico processit, atque ita signum quadrigis emittendis dedit.* Panvin. de Lud. Circens. i. 12. In ludis feras jaculabantur. Tiberius apud Suet. c. 72. n. 6. *Castrensibus ludis non interfuit solum, sed etiam missum in arenam aprum jaculis desuper petiit.* Commodus apud Dion. lxxii. p. 822. A. *Nam præter ea, quæ faciebat domi, magnum numerum hominum, & belluarum publicè sæpè interfecit; quinque enim equos fluviatiles simul, ac duos elephantos variis diebus solus ipse manibus suis confecit: præterea rhinocerotes, & camelopardalin occidit.* Panvin. ibid. ii. 5. Pitisc. in Suetonium. Cruentis spectaculis mirificè capiebantur. Marcellin. xiv. 7. *Erat autem diritatis ejus hoc quoque indicium, nec obscurum, nec latens, quod ludicris cruentis delectabatur, & in circo sex vel septem aliquoties vetitis certaminibus pugilum vicissim se concidentium, perfusorumque sanguine, specie ut lucratus ingentia lætabatur.* Buleng. de Venat. circ. c. 25.

IMPERIOSI cognomen primus habuit *L. Manlius A. F.* quod nimis severè delectum habuerit dictator anno ab U. C. 390. clavi figendi causa creatus. Liv. vii. 3. *Ea religione adductus senatus dictatorem clavi figendi causa dici jussit. Dictus L. Manlius Imperiosus ... bellum Hernicum affectans; delectu acerbo juventutem exagitavit.* Sigon. de Nom. Rom. c. 5. August. de Fam. Rom. in Manlia. Glandorp. Onom. p. 569. Brisson. de Form. vii. p. 733. Alter fuit *Cn. Manlius L. F. A. N. Capitolinus Imperiosus*, ut illum appellat M. Verrius. Consul fuit cum M. Popillio Lænate anno quarto post patris dictaturam. Iterumque anno interjecto cum C. Marcio Rutilo, ut quidam arbitrantur: neque enim à veteribus proditum est eundem iterum creatum. Interrex biennio post fuit. Censor cum eodem Rutilo primo è plebe fuit. Tertius alter Cn. Manlius superioris, ut creditur, filius, nisi fortè idem ipse est, magister equitum fuit à dictatore L. Furio Camillo dictus a. 408. *Augustin. l. l.*

IMPERIUM est major quædam jubendi, cogendi, & coercendi potestas. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* i. 21. *Gruch. Refut. post. Sigon. Disput.* c. 1. In hac significatione negantur omnes magistratus *imperium* habuisse; tametsi omnes jubendi potestatem haberent. In ea accipitur apud Varronem, cum scribit: *magistratus aut vocationem habere, ut coss. cæterusque qui imperium habent.* Vocabuli ea vis passim observatur apud Livium, Sallustium, Cæsarem, Ciceronem, cæterosque Latinos scriptores, ut in majoribus magistratibus sæpissimè *imperium* tantum, nonnunquam *imperium* simul, & potestatem usurpent, in minoribus potestatem. Ita *imperium* accipit Paull. l. 2. ff. de in jus vocando: *In jus vocare non oportet, neque consulem, neque præfectum, neque prætorem, neque proconsulem, neque cæteros magistratus, qui imperium habent, qui & coercere aliquem possunt, & jubere in carcerem duci.* Nam si *imperii* nomine omnes magistratus complecteretur, falsum dixisset: quandoquidem multi minorum magistratuum in jus vocari potuerunt, ut omnes, qui potestatem neque vocationis populi vi nim habebant, neque prehensionis, teste Varrone apud Gell. xiii. 13. *Gruch. l. l.* Habebatur in Urbe; & magistratus, qui illud habebat, nullo alio honoris titulo, nisi, qui magistratus nomine continetur, ornabatur; cum magistratu ipso mandabatur, est enim jus ipsum magistratus. Consulare, si consul habebat, prætorium, si prætor, dictatorium, si dictator haberet, vocabatur. Quin etiam consulare, prætoriumque tum mandabatur, cum aliquis consul, prætorque à populo comitiis centuriatis creabatur; eademque ratione dictatorium tum transmittebatur, cum aliquis a consule, aut ab interrege dictator dicebatur. *Sigon. l. l.* Sed contra hunc disputat *Gruch. ibid. c. 19. Imperium* ludere dicebantur pueri. V. infr. in *Ludere*.

Imperium justum vocabatur, quod à populo curiatis comitiis est transmissum. Cicer. Ligar. c. 9. *Justo cum imperio in provinciam profectus erat.* Justum fore arbitrabantur, si justis acciperetur comitiis, quæ justa habebantur, si auspicato habita essent, qualia centuriata, ac curiata fuerunt: quorum illis magistratus, his *imperium* militare mandabatur. Hoc indicat Camillus in oratione, qua Vejentanam commigrationem dissuadet apud Liv. v. 52. *Comitia curiata, quæ rem militarem continent, comitia centuriata, quibus consules, tribunosque militares creatis, ubi auspicato, nisi ubi assolent, fieri possent?* Transmittebatur autem non omnibus, sed iis duntaxat, qui aut in magistratu, aut certè ex magistratu provincias adepti essent: ut dictatoribus, consulibus, & prætoribus, aut qui ex consulatu, & prætura sortiti provincias essent. De dictatoribus, consulibus, sive tribunis consularibus, Liv. ix. 38. *Papirio dictatori legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod Faucia curia fuit principium, duabus insignis cladibus, captæ urbis, & Caudinæ pacis. Macer Licinius tertia etiam clade, quæ ad Cremeram accepta est, abominandam eam curiam facit.* Significat autem, præter dictatorem ad bellum iturum, etiam consulibus, & tribunis militaribus consulari potestate curiatam legem fuisse latam; quod clades, cujus meminit, ad Cremeram, & ad Caudinas furcas consulibus ducibus accepta sit: captæ verò Urbis, tribunis militaribus consulari potestate. De consulibus Cicer. Agrar. ii. 12. *Consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* De prætoribus, aut qui ex prætura provincias sortiti essent, Cæs. de Bell. civ. i. 6. *In reliquas*

pro-

provinciae prætores à senatu mittuntur, neque, quod superioribus temporibus acciderat, expectant, ut de eorum imperio ad populum referatur. Ad populum cum dicit, plebiscitum excludit. *Sigon. de Ant. jur. prov.* II. c. *de Leg. cur.* c. 7. *de Ant. jur. civ. Rom.* c. 21. *& post. cum Gruchio disput. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* 1. *p.* 742.... Sed in illum verbosiùs invehitur *Gruch. Responf. ad binas Sigon. reprehens. Thes. Grav. ibid. p.* 719. *F*...

Imperium merum fuit cognitio rerum capitalium, non merum privatarum, quod propriè jurisdictio est appellata; mistum utrarumque. Ulpian. ff. de de jurisdict. *Imperium aut merum est, aut mistum. Merum est imperium habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines. Mistum est imperium, cui etiam jurisdictio inest, quod in danda bonorum possessione consistit. Jurisdictio est etiam judicis dicendi licentia*, id est, merum *imperium* continet causarum capitalium cognitionem; mistum non solum cognitionem rerum capitalium, sed etiam jurisdictionem, id est, privatarum cognitionem, quæ cum multis aliis in rebus versetur, tum vel maximè in danda bonorum possessione, & dando judicio posita est. Paullus de officio ejus, cui mandata est jurisdictio. *Mandata jurisdictione etiam imperium, quod non est merum, videtur mandari.* Sigon. de judic. II. 4. Pollet. For. Roman. III. 1. Guther. de Vet. jur. Pontif. II. 1. de Offic. dom. Aug. 1. 2. Buleng. de Imp. Rom. v. 23. Cujac. Observ. XXI. 30. Noodt de Jurisdict. & imper. 1. 4. & 5.

Imperium militare est jus habendi exercitus, belli gerendi, & rei totius bellicæ capessendæ. Cicer. Phil. v. 16. *Demus imperium C. Cæsari, sine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris administrari non potest.* Et alibi: *Decrevi imperium exercitum habenti: quid est enim sine imperio exercitus?* Quibus verbis significatur, præsidi, qui habebat *imperium*, jus esse permissum exercitui imperandi, bellum auspiciis suis gerendi, & totius rei militaris suo consilio, atque arbitrio, in sua provincia gubernandæ. *Sigon. de Ant. jur. prov.* II. 6. *Ant. jur. civ. Rom.* 1. 21. *Robert. de Cognom. Imper. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* VII. *p.* 1142. Hoc nisi extra Urbem non habebatur. Et non nisi extra Urbem habitum esse duo sunt argumenta. I. quod neque consules hoc juris habuerunt, nisi nobili illo Scto armati, quo decerni solebat: *viderent, ne quid detrimenti Respublica caperet.* Sallust. de Bell. Catil. p. 23. V. illum supr. in *Consul* II. quod neque triumphaturi in Urbem triumphantes cum exercitu inire, nisi lata de eorum triumpho lege potuerunt: Liv. XXVI. 21. *Tribuni plebis ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, ut M. Marcello, quo die Urbem ovans iniret, imperium esset.* Habebat hoc lege curiata. V. supr. in *Imperium justum*. Lege enim delatum *imperium* tum dicebatur, cum nominatim alicui erat commissum. Sic enim dixit Festus: *Cum imperio esse dicitur, cui nominatim est à populo mandatum imperium.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. 1. 21. Hinc *cum imperio esse* dicebantur ii, quibus senatus populusque Romanus exercitum dederat, qui exercitui præerant, qui essent imperatores, qui habebant potestatem belli gerendi. Apparet hoc ex verbis Cicer. ex Phil. v. 16. jam productis. Differunt etiam inter se *cum imperio esse*, & cum magistratu esse. Suet. Tib. c. 12. n. 2. *Nemine cum imperio, aut magistratu tendente quoquam, quin Rhodum diverteret:* quibus verbis magistratus, qui imperatores essent, & qui non essent, intellexit. Eodem modo etiam locutus est Ulpian. ff. ad legem Juliam: *Qui quis magistratus populi Romani, qui ve imperium potestatemve haberet.* Sigon. de Ant. jur. prov. III. 4. de Leg. curiat. c. 7. & post. cum Gruchio disput. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom 1. p. 750. C. Manut. de Senat. Rom. c. 4. Ego puto verbi *imperii* unam semper notionem, unamque significationem in omnibus locutionibus hujusmodi esse; *cum imperio esse*, vel *missum esse*, vel *in imperio esse, imperium datum, mandatum, prorogatum esse, imperii insigna, pro imperio aliquid agere*, nempè, ut nihil intelligatur aliud, quàm vehementior illa imperandi potestas, qua uti in gerendo publico negotio sibi publicè commisso quisque poterat. Et *cum imperio* esse mihi significat talem magistratum obtinere, in cujus potestate inesset belli gerendi facultas, tametsi nunquam bellum attingeret; quàm ut significet, cujusdam exercitus *Imperatorem* esse. *Gruch. Resp. ad bin. Sigon. repreh. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* 1. *p.* 727. *B. ad post. Sigon. disput. Refut. c.* 4. 45. & 49. V. tu interim *Sigonium l. l.*

Imperium Romanum appellatur totus ille gentium, nationum, locorum ambitus, qui sub populi Romani erant ditione. Exempla frequenter apud scriptores occurrunt. *Gruch. ad post. Sigon. disput. refutat. c.* 1. Illius fines in omnia terrarum, & maris spatia fuerunt propagati. Itaque haud vanè Petron. de Mut. Reip. n. 1.

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua tellus, qua sidus currit utrumque.

Ovid. Fast. II. 683.

Gentibus est aliis tellus data limite certo,
Romanæ spatium est urbis, & orbis idem.

Dionys. 1. p. 3. *Roma urbs imperat toti terræ, quæ quidem inaccessa non sit, habitaturque ab hominibus; sed & toti mari imperat, non solum huic intra columnas Herculeas; sed ipsi oceano quocunque est navigabilis; primaque, & sola ab omni ævi memoria terminos sibi potentiæ fecit orientem, & occasum.* Sed illud nemo negaverit, florem Asiæ, Africæ, Europæ in hoc *imperio* fuisse: ipsa etiam gentium robora, ingenia, opes. Cætera non tam conquirere non potuit, quàm contempsit, & judicio reliquit. Quod ut clariùs liqueat; *imperium* cum in suo culmine fuit ab Augusto ad Trajanum, fines ejusdem sub Augusto erant ab oriente Euphrates; à meridie Nili cataractæ, & deserta Africæ, & mons Atlas; ab occidente Oceanus; à septentrione Danubius & Rhenus. Ita enim claudere *imperium* limitibus natura instituit. Hoc laudat Tacit. Annal. 1. 9. 5. *Mari Oceano, aut amnibus longinquis septum imperium.* Et 1. 11. 8. scribit Augustum libello, quo rationes imperii conscripserat, *consilium addidisse coercendi intra terminos imperii, incertum metu, an per invidiam.* Nolebat Augustus posteros proferre terminos *imperii*, quia nimia vastitas perinde *imperiis*, ac corporibus periculosa esset: temperarique meliùs, ac defendi justa amplitudo, quàm immodica posset. Et Augusto quidem similes Imperatores potiùs cupiebant augere dignitatem, quàm propagare *imperium* inter barbaros, gentem inopem, minimæque utilitatis, ut refert Appian. Hist. procem. Sive etiam per invidiam noluit Augustus ampliari fines *imperii*, ne alii gloriam suam vincerent. Posteri hoc consilium neglexerunt, & ultra terminos nova quæsiverunt; ut Claudius, qui Britannias in ipso Oceano devicit: Trajanus, qui ab oriente Arabiam, Armeniam, Mesopotamiam, à septentrione Daciam subegit. Ita moti, prolatique termini trans Euphratem ad Tigrim: iterumque trans Danubium tota Dacia addita ad mare rubrum. Hoc laudat Tacit. Annal. II. 61. 4. *Ventum est ad Elephantem, & Syenen, claustra olim imperii Romani, quod nunc rubrum ad mare patescit.* Hinc Claud. de Honor. Consul. IV. n. 42.

Subdidit oceanum sceptris, & margine cœli
Clausit opes: quantum distant à Tigride Gades,
Inter se Tanais quantum Nilusque relinquunt.

Qui verò deinde prædicti *imperii* claustra laxarunt, id magno rei Romanæ malo experti sunt, cum tantum *imperium* deinde mole sua dissolutum sit. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 1. *c.* 2. *Lips. de Magnit. Roman.* 1. 3. *Thys. de Magnit. Roman.* 1. *p.* 239. *Laurent. Polym.* IV. 4. Ab Augusto penes unum Principem usque ad M. Antoninum & Verum continuavit. Hi simul primi imperare cœperunt: deinde Severus cum Antonino filio, & alii; sed hi nullam provinciarum divisionem fecerunt, cum semper apud majorem tota auctoritas permaneret. Probus & Florianus, auctore Zonara in Probo, in diversis partibus, sed paucis mensibus regnaverunt. Cum verò Diocletianus, & Maximianus principatu se abdicassent, orientem cum Illyrico Galerio Maximino: Constantii verò Chloro Constantini Magni patri cum Africa occidentis partes assignarunt. Sed is, Italia tum à Maxentio occupata, ultra Alpes Cottias tantum regnavit. Post hos Magni Constantini filii aliter *imperium* diviserunt: quod fratribus extinctis primò in Constantium, mox in Julianum

apostа-

apostatam in solidum pervenit, donec Valentinianus illud denuò cum fratre est partitus; orienteque Valenti tradito, occidentem sibi retinuit; quorum deficientibus successoribus solus Theodosius Magnus rerum potitus, filiis Arcadio orientem, & Honorio occidentem reliquit. Itaque Ægypto, & utraque Libya usque ad Syrtes majores, & Europa usque ad Drilonem fluvium Arcadio traditis, ibi utriusque fines *imperii* fecerunt. Reliqua in occidente cum Africa, Hispaniis, & Britannia Honorius obtinuit: cuncta tamen communi nomine, velut unum esset *imperium*, administrabant. Continuata hæc est divisio usque ad Valentinianum tertium & Martianum, sub quibus Barbari Britanniis, Hispaniisque prius occupatis, demum Gallias, ac tandem Italiam cum Illyrico, & Africa tenuerunt; occidentisque exstinctum est *imperium*, solum orientis, etsi multis agitatum fluctibus, aliquot seculis incolume permansit. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. p.* 1330. *occid. p.* 1778. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. In hoc omninò quatuor fuerunt Reipublicæ novæ formæ auctores. Quorum primus Romulus, secundus Augustus, tertius Adrianus, & quartus Constantinus Imperator fuit. Quæ omnia fusiùs persequitur *Panvin. Imp. Rom.* 1-24. . . Reditus V. infr. in *Reditus*.

IMPETRITUM est auguralis disciplinæ proprium. Plaut. Asin. II. 1. 11.

Impetritum, inauguratum est, quovis admittunt aves.

Val. Max. I. 1. 1. *Prisco etiam instituto rebus divinis opera datur: cum aliquid commendandum est, precatione: cum exposcendum, voto: cum solvendum, gratulatione: cum inquirendum vel extis, vel sortibus, vel impetrito: cum sollenni ritu peragendum, sacrificio. Impetrito*, an quod in saxo sedebat augur? Puto enim ratum illud auspicium, *impetritum*, quasi in petra fixum dici, ab saxo silice, in quo auguri de cœlo servanti sedendum erat. Qui postremum *vel* ex Valerio rejiciunt, næ potiori parte, ac penè capite imminutum volunt. Hæc enim esset Valerii sententia: cum inquirendum est, cum quid occultum, aut futurum investigandum, rebus divinis opera datur, vel extis, vel sortibus; *impetrito*, hoc est, rato auspicio, & fixo augurio, sive litatione, ut exponit Scaliger ad Festum, cui *impetritum* est *καλλιέρημα*. Tertia verò potissima inquirendi ratio, per *augurium*, omittitur. Plenior est sententia, ut ego distinxi: *vel extis, vel sortibus, vel impetrito*, id est, augurali *καλλιερήσει*, litatione. Extorum enim inspectione inquirere haruspicum est, sortitione vatum, *impetrito* tandem augurum. *Bellus de Part. templ. augur. c.* 1. *Gutber. de Vet. jur. pontif.* IV. 12. *Buleng. de Augur. c.* 9. *Turneb. Adv.* V. 18. *Stuck. de Sacrif. p.* 232.

IMPIATI dicti sunt scelerati. Festus: *Impiatus, sceleratus.* Hi propriè homicidæ creduntur. Et rectè Apul. Met. I. p. 25. *cruore humano aspersum, atque impiatum* dixit: ut Plauti Tranio, cum monstra fingeret, & narraret hospitem ab hospite in ædibus necatum, Most. II. 2. 73.

Scelesta, inquit, *hæ sunt ædes, impia est habitatio.*

Impique homicidæ dicti, quod ante expiationem sacris omnibus arcerentur, pro qua diis manibus debebatur postulio. *Gutber. de Jur. man.* II. 14.

IMPILIA sunt pedum integumenta è lana coacta. Utitur Ulpian. l. 25. §. fasciæ ff. de aur. & arg. leg. *Fasciæ crurales, pedulesque, & impilia vestis loco sunt.* Imò & Plin. XIX. 2. *Theophrastus auctor est, spartum esse bulbi genus, circa ripas amnium nascens, cujus inter summum corticem, eamque partem, qua vescuntur, esse laneam naturam, ex qua impilia, vestesque quædam conficiantur.* Græcis ἐμπίλια dicuntur. *Voss. Lex. Etymol. Gutber. de Offic. dom. Aug.* III. 16. *Chiment. de Honesell. c.* 29. *Cujac. Observ.* V. IIIX. 13.

IMPLORARE *est in malis positos cum ploratu aliquem rogare*. Donat. Adelph. III. 4. 43. Et Serv. Æneid. X. 19. *Implorare est auxilium cum miseratione deposcere: qua ratione bene dicimus, imploro te, ut auxilium misero feras. Contra, imploro te ad diem festum, non procedit narratio.* Adversus vim, & injuriam *implorabant* fidem populi Romani. Cicer. Font. c. 17. *Cum virgo Vestalis ex altera parte germanum fratrem complexa teneat, vestramque, judices, ac populi Romani fidem implorat.* & Quiritium. Senec. Epist. 15. *Nemo statim Quiritium fidem implorat.* Interdum exclamabant: *Porro Quirites.* V. infr. in *Quiritare*. Brisson. de Form. VIII. p. 718.

IMPLUVIATA vestis. V. illam infr. in *Vestis*.

IMPLUVIUM *est locus sine tecto in ædibus, quo impluere imber in domum possit.* Ascon. in Cicer. p. 88. Cicer. Verr. I. 56. *Ostendam, in ædibus privatis longa, difficilique vectura columnas singulas ad impluvium, HS. quadragenis millibus, non minus magnas locatas.* Plaut. Amph. V. 1. 56.

Devolant angues jubati deorsum in impluvium.

Quomodo differat à compluvio. V. supr. in *Compluvium*. Blond. Triumph. Rom. II. p. 191. A. Turneb. Adv. X. 17. Grapald. de part. dom. I. 2. §. 1. Philand. in Vitruv. VI. 4. Bald. Lex. Vitruv.

INA.

INARCULUM *erat virgula ex malo Punica incurvata, quam regina sacrificans in capite gestabat.* Festus. *Paschal. de Coron.* IV. 15. *Saubert. de Sacrif. c.* 10. *Blond. Triumph. Rom.* I. *p.* 15. C. Servius vocat *arculum*. V. supr. in *Arculum*.

INAUDITUM, indemnatum, incognita, indictaque causa neminem interficiendum esse adeò verum est, ut nec possit pater filium, quem in potestate habet, occidere, nisi præses, vel præfectus Urbi *audierit* eum priùs, & condemnaverit, l. 2. ff. ad l. Cornel. de sicariis, l. 3. C. de patr. potest. Id autem juris, quod in Urbe etiam tum cum Reges essent, fuit, postea relatum est in XII. tab. Salvian. de jud. & provid. Dei VIII. p. 168. *Interfici indemnatum quemcumque hominem etiam duodecim tabularum decreta vetuerunt.* Itaque dum August. de Civit. Dei I. 19. sic scribit: *Vos appello leges, judicesque Romani, nempè post patrata facinera, nec quemquam scelestum indemnatum impunè voluistis occidi*: eum dicemus leges XII. tab. intelligere. Videtur hoc sumptum ex *Lycurgi legibus, quæ de indemnatis supplicium sumi vetabant*. Refert hoc Val. Max. VIII. 2. 12. ext. *Cujac. Observ.* IV. 12. *Ravard. ad* XII. *tab. c.* 27. *Var.* I. 7. *Forner. Rer. quotidian. c.* 7. *Delrio in Senec. Med.* II. 199. *Sitzmann. in Salvianum. Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Class.* II. *c.* 4. *Hotman. Antiq. Roman.* III. 2. *p.* 403. G.

INAUGURARI dicebantur, qui in sacerdotum, & in specie *augurum* numerum adscribebantur, & cooptabantur. Cicer. Phil. II. 43. *Quid igitur cessas? cur non inaugurare? sume diem: vide, qui te inauguret.* Suet. Cal. c. 12. n. 2. *Deinde augur in locum fratris sui Drusi destinatus, priusquam inauguraretur, ad pontificatum traductus est.* Qui *inaugurabantur*, jurejurando adigebantur, se nihil è mysteriis enuntiaturos. *Brisson. de Form.* I. *p.* 124. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 1. *Buleng. de Augur. c.* 4. *Gruch. de Comit.* II. 4. *Gutber. de Jur. Pontif.* I. 25. *Struv. Ant. Rom. c.* 12. *p.* 561.

INAUGURATIO est certus quidam ritus, quo sacerdotes publici ejus numinis majestati devoventur, ad cujus ministerium cooptati sunt. Summi sacerdotis *inaugurationem* vocat consecrationem, & eleganter versibus describit Prudent. Περὶ στεφ. X. 1011-1050. Et hic fuit ritus *inaugurandi* summi sacerdotis, cujus sollennitas in aliis publicis sacerdotibus mihi quidem parum perspecta. Conjicio tamen, quod in Regibus & magistratibus, qui Regum vices obierunt, illud idem in sacerdotibus aliquatenus observatum cum *inaugurarentur*. Sumebat diem cooptatus sacerdos, aut captus, qua præstituta, prodibat è tentorio sub divum, stansque in loco puro ritè mactatis victimis, Jovi Regi, & cæteris diis vota faciebat. Augures intererant *inaugurationi*, ut signum de cœlo felix ostenderetur, illudque signum fulguris à sinistris datum pronuntiarent, etiamsi nullum esset datum. De diei præfinitione Cicero jam laudatus in *Inaugurari*. In Rege sacrorum notandum, quod non *inaugurabatur*, nisi se magistratu abdicasset. L. Cornelius Dolabella cum in locum Cn. Cornelii Dolabellæ suffectus esset Rex sacrorum, essetque duumvir navalis: *contentio fuit inter illum & C. Servilium pontificem maximum* apud Liv. XL. 42. V. illum supr. in Ca-

in *Calata comitia*. Ratio abdicationibus in sacrorum Rege ea fuit, quod ille sacerdotii legibus ab omni ministerio bellico abstineret. Dionys. v. p. 278. Quod in cæteris sacerdotiis non fuit constitutum, qui civilibus & bellicis muneribus fungi potuerunt. *Guther. de Jur. pontif.* 1. 25. *Struv. Ant. Rom. c.* 12. *p.* 561.

INAURANDI ratio apud veteres non fuit una. Vopisc. Aurel. c. 40. *Habuit in animo, ut aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur, dicens plus esse auri in rerum natura quàm argenti: sed aurum per varias bractearum, filorum, & liquationum usus perire, argentum autem in suo usu manere.* Cameræ igitur *inaurabantur* per bracteas, vestes auro intexebantur per fila, pelles, & argentea vasa *deaurabantur* per liquationes. Sic bracteationibus, filationibus, & liquationibus aurum peribat, non autem argentum. Nec enim bractearum argentearum quisquam meminit: nec filorum argenteorum ad vestes texendas, vel intexendas; nec item *inargentabantur* pelles, aut vasa. Liquatione autem, vel auro liquato *deaurabantur* pelles, sicuti & vasa. Nam ita etiam in membranas aurum mittebatur, quum scilicet literis aureis perscribebantur. Hieron. ad Eustoch. de Custod. virgin. *Inficiuntur membrana colore purpureo, aurum liquescit in literas.* Omisit hic Aurelianus aliud genus *inaurandi* pocula argentea, quod non fiebat auro liquato, sed aureis clavis immissis in argentum, & insertis. Hoc genere deaurata, *auro clusa, & auro vincta* dicebantur. Non exoleverat hæc *inaurandi* ratio Aureliani temporibus: sed ejus ideò non meminit, quod aurum sic missum in argentea pocula non pereat, sed integrum, & in sua natura maneat. Perit verò, nec in usu suo manet, quod in bracteas extenditur, aut in fila deducitur, aut liquatur. *Salmas. in Vopiscum.*

INAURIS erat proprium ornamentum *aurium*. Ambros. de Abrah. c. 9. *Has inaures habebat, quæ non gravarent aures.* Ex vix aliunde suspensa dicuntur pretiosa illa grana, id est, margaritæ, vel uniones, qui *inaures* denotabant, quàm de aurium cavernis, & cicatricibus. Quod, quamvis non approbet in Christianis, refert tamen Cyprian. de Habit. Virg. *An vulnera*, inquit, *inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali secularis ignara crucietur, ut postea de aurium cicatricibus, & cavernis pretiosa grana, id est, inaures dependeant?* Barthol. de Inaur. c. 9. Cujac. Observ. x. 17. Ræ
vard. Var. 1. 4. Imam aurium partem pro appendendis *inauribus* perforabant. Et ideò Tertull. de Hab. mulieb. c. 9. *Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt.* Barthol. ibid. c. 5. Fiebant ex margaritis. Plin. ix. 35. *Inter scopulos pars major margaritarum invenitur, sed in alto quoque comitantur marinis canibus. Nec tamen aures feminarum arcentur.* Præfat. xii. *Quo magis & magis admirari subit, ab iis principiis cædi montes in marmora. Unionem in rubri maris profundo, smaragdum in ima tellure quæri. Ad hoc excogitata sunt aurium vulnera.* Ex auro. Proverb. c. 25. n. 2. ex vulgata versione: *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem.* Judic. c. 8. n. 24. *Postulabo à vobis postulationem, ut detis mihi quisque inaurem spoliorum suorum: inaures autem aureæ erant iis, quia Ismaelitæ erant. Fuit autem pondus inaurium aurearum ....* Job. c. 42. n. 11. *Dederunt ei unusquisque inaurem auream unam.* Apul. de Dogmat. Platon. p. 570. *Auris antum quantum puer nobilitatis insigne in auricula gestavit.* Barthol. ibid. c. 3. Ex ære. Ovid. Met. x. 115.

—— parilique ex ære nitebant
Auribus in geminis circum cava tempora baccæ.

Inter instrumenta cultus olim extabat Romæ apud Lælium Paschalinum *inauris* ærea geminis tribus vitreis oblongis dependentibus ornata, è mundo tenuioris alicujus, & paupertinæ feminæ. *Pignor. de Serv. p.* 410. *Barthol. l. l.* Erant communes tam viris, quàm feminis. Plin. ix. 35. *Sed quota hæc portio est reputantibus purpuras, margaritas. Parum scilicet fuerat in gulas condi maria, nisi manibus, auribus, capite, toto corpore à feminis juxta virisque gestarentur.* Qui inter utrumque sexum earundem usum ita distinguit xi. 37. ut viros præcipuè in oriente eis delectari dicat: *Aures hominis tantum immobiles. Nec alia parte femina majus impendium margaritis dependentibus. In oriente quidem & viris aurum gestare eo loci decus existimatur.* In viros cum zelo haud exiguo invehitur Augustin. Epist. ii. 73. *Execranda autem, ait, superstitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum in summis ex una parte auriculis suspensæ deputantur, non ad placendum hominibus, sed ad serviendum dæmonibus adhibetur.* Et mox: *Quid autem cum iis agendum sit, si solvere inaures timent, & corpus Christi cum signis diaboli accipere non timent?* Et illis auri, & gemmarum usum interdixit Alexander Severus apud Lamprid. c. 41. *Gemmarum quod fuit, vendidit, & aurum in ærarium contulit, dicens gemmas viris usui non esse: matronas autem regias contentas esse debere uno reticulo, atque inauribus, & baccato monili ....* Quamvis viris prohibeantur, nihilominùs inter ornamenta mulieribus licita recensentur ab Ulpian. l. 25. ff. de aur. arg. mund. mulieb. *Licita ornamenta muliebria enumeret armillas, inaures ....* Et l. 34. ff. de aur. & arg. leg. *Ornamenta muliebria sunt, quibus mulier ornatur, ut inaures.* Et apud Romanos hæc aurium insignia matronis adjudicata legimus apud Val. Max. v. 2. 1. *Cum Marcum Coriolanum patriam oppugnare conantem Veturia mater, & Volumnia uxor nefarium opus exsequi non essent passa, in earum honorem senatus matronarum ordinem benignissimis decretis adornavit. Sanxit namque ut feminis semita viri cederent, confessus plus salutis in stola, quàm in armis fuisse, vetustisque aurium insignibus novum vittæ ordinem adjecit.* Barthol. ibid. c. 6. Demster. Paral. ad Antiq. Roman. Rosin. 1. 20. Gestabuntur I. in ornatum. Ulpianus jam laudatus. Ezech. c. 17. n. 1. *Et ornavi te ornamento, & dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis.* II. ad gratiam conciliandam, Claud. de Honor. Consul. vi. 523.

At velut officiis trepidantibus ora puellæ
Spe propiore thori mater solertior ornat
Adveniente proco, vestesque & cingula comit
Sæpè manu, viridique angustat jaspide pectus,
Substringitque comam gemmis, & colla monili
Circuit, & baccis onerat candentibus aures:
Sic oculis placitura tuis.

Nec propter aliam causam *inauribus* gratiam formæ conciliatæ meretriciam signum credebatur. Ovid. de Art. 1. 431.

Quid cum mendaci damno mœstissima plorat?
Elapsusque cava fingitur aure lapis.

Et lautitiam meretriciam describens Mart. xi. 50. 3.

Nunc plorat speculo fallax ancilla relicto:
Gemma vel è digito, vel cadit aure lapis.

III. in luxum. Ælian. Var. Hist. 1. 18. *Nunquid verò pleraque antiquarum mulierum luxu diffinxere? quæ tutulum sublimem capiti imponebant, pedes vero sandaliis induebant, ex auribus longas inaures dependentes habebant.* De Lollia Paullina conquerentem habeo Plin. ix. 35. *Lolliam Paullinam nec serio quidem aut sollenni cerimoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsaliorum cœna, vidi smaragdis, margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus toto capite crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisque.* Barthol. ibid. c. 7. Luxus aurium magnus fuit. Senec. de Vit. beat. c. 17. *Quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit?* Hui, quæ ista res, in auribus solis locupletis domus censum? Ita est, nihil mentitur. Nunquid Serviliæ margaritam Julius emit sexagies sestertio, sive trecentis millibus florenorum? Suet. c. 50. n. 5. *Ante alias dilexit M. Bruti matrem Serviliam, cui & proximo suo consulatu sexagies sestertio margaritam mercatus est.* Et, quasi in quodam luxus certamine, Romanæ matronæ conjungebant uniones duos, tres, quatuor, atque ita gestabant, & quidem ex singulis auribus. Plin. ix. 35. *Hos, uniones, digitis suspendere, & binos, ac ternos auribus, feminarum gloria est. Subeunt luxuriæ ejus nomina, & tædia exquisita perdito nepotatu: siquidem cum id fecere, crotalia appellant, ceu sono quoque gaudeant, & collisu ipso margaritarum.* Senec. de Benef. vii. 9. *Video uniones, non singulos singulis auribus comparatos, jam enim exercitatæ aures sunt oneri ferendo: junguntur inter se, & insuper alii binis superponuntur. Non satis muliebris insania viros subjeceras, nisi bina, ac terna patrimonia auribus pependissent.* Viden' bina, ac terna patrimonia, pro numero

videlicet unionum. Hinc illud Senec. de Tranquill. n. 15. *Quid refert, quantum* mulier *habeat, quot lectlicarios, quam oneratas aures.* Meurs. de Lusu Roman. c. 5. Demster. l. l. In sepulcra inferebantur. Arrian. vi. p. 436. In sepulcro Cyri fuerunt *torques, acinaces, inaures ex auro & gemmis.* Bartholin. de Inaur. c. 10.

INC.

INCANTATIO erat maleficium, quo segetes, & fruges alienæ vel *excantabantur*, vel pelliciebantur, ac transferebantur alio, sive in alium agrum ex eo, in quo satæ, & natæ erant. V. infr. in *Segetem.*

INCENDERE ad stipitem supplicii genus fuit Romanis usitatum. Vulcat. Gallic. Avid. Cass c. 4. *Primus etiam in supplicii genus invenit, ut stipitem grandem poneret pedum octoginta & centum, id est, materiam, & a summo usque ad imum damnatos ligaret: & ab imo focum apponeret, incensisque aliis fumi cruciatu, timore etiam alios necaret.* vel, ut Salmasius legendum monet, *alios fumo cruciatos, etiam timore necaret.* Laz. Comm. Reip. Rom. iv. 8.

INCENDIA Romæ olim, plus quàm hodie, frequentia fuerunt. Causam ego divinare non possum, nisi fortè ædium camini alia olim, ut nunc, forma ædificati fuere. Tum nec in templis perpetuum fuit, uti nunc, lampadum lumen, *Nardin. Rom. vet.* iii. 7. Bello Punico secundo Romæ inter Salinas, & portam Carmentalem omnia ædificia, quæ erant in vico Jugario, sub Capitolio comprehendit, Æquimeliumque jacens inter rupam Tarpejam & Velabrum: mox extra Carmentalem portam per ripam Tiberis in Fortunæ, ac Matutæ templa debacchatum est. Liv. xxiv. 47. *Roma fœdum incendium per duas noctes, ac diem unum tenuit: solo æquata omnia inter Salinas, & portam Carmentalem, cum Æquimelio Jugarioque vico: in templis Fortunæ, ac matris Matutæ, & Spei extra portam latè vagatus ignis sacra, profanaque multa absumpsit.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. i. 8. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom iii. p. 256. F. Neronis cœpit in vico Æmiliano, Tacit. Annal. xv. 40. 3. *Plusque infamiæ id incendium habuit, quia prædiis Tigellini Æmilianis proruperat.* Borrich. Ant. Urb. fac. c. 9. §. 5. Neronem Urbem *incendisse* prodiderunt Suet. c. 38. n. 2. *quasi offensus deformitate veterum ædificiorum, & angustiis, flexurisque vicorum incendit Urbem.* Xiphil. lxii. p. 708. B. *Paucos homines, quasi ebrii essent, aut alia maleficia facerent, clam in varias partes Urbis dimisit. Hi primo unum, & alterum locum, plurave, alia alibi succenderunt,* & præter illos Orosius & Eusebius. Dubitat Tacit. ibid c. 38. n. 1. *Sequitur clades, forte, an dolo Principis, incertum: nam utrumque auctores prodidere. Regiones,* ut addit idem c. 40. n. 4. *quatuor integræ manebant, tres solo tenus dejectæ: septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant lacera & semiusta.* Donat. de Urb. Rom. i. 27. Pitisc. in Suetonium. Qui etiam tempus annotat c. 41. n. 3. *Fuere qui annotarent, 14. Kalend. Sextil. principium incendii hujus ortum.* c. 40. n. 1. *Sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus,* hoc est circiter 25. diem Julii. Confert in consulatum C. Lecanii & M. Licinii, qui erat annus Julianus 109. Christi 64. *Scalig. de Emend. temp.* v. *p.* 471. Ad auguria trahuntur, si crebra sunt. Xiphil. lxxii. p. 829. B. *Ante mortem* Commodi hujuscemodi prodigia visa sunt. . . . . *Præterea incendium de nocte excitatum in quibusdam ædibus ad templum pacis pervenit, consumptisque tabernis, in quibus erant merces Ægyptiorum, & Arabum, invasit in palatium, ubi adeo exusta sunt multa, ut libelli qui ad principatum pertinebant, omnes ferè conflagrarint.* Buleng. de Pro. i. c. 51. vigiles restinguebant. Senec. Epist. 66. *Intervenerant quidam amici, propter quos major fumus fieret, non hic, qui erumpere ex lautorum culinis, & terrere vigiles solet; sed hic modicus, qui hospites venisse significaret.* Et hi quidem ad Augustum pertinent, qui rejecta triumvirorum nocturnorum, ædilium, & tribunorum plebis cura, per se maluit huic rei consuli. Suet. Aug. c. 25. n. 2. *Libertino milite Romæ incendiorum causa usus est,* c. 30. n. 2. *Adversus incendia excubias nocturnas, vigilesque commentus est.* Eadem Dio lv. p. 566. C. Paull. Dig. i. 1. de Offic. præf. vig. Strab. v. p. 162. *Pignor. de Serv. p.* 64. *Nardin. l. l.*

INCENDIARIORUM crimen est grave. Ideòque rectè fecerunt decemviri, qui hoc intactum non reliquerunt: ut discimus ex l. 9. qui ædes ff. de incend. ruin. nauf. quæ est desumpta ex iv. Caji ad xii. tab. Quibus verbis concepta lex fuerit, non satis liquet. Sufficiat nobis, quod sciamus mentem legislatorum, quæ ex sequentibus constare potest: *Qui ædes, acervumve frumenti juxta domum positum sciens, prudensque dolo malo combusserit, vinctus igni necator.* Notetur vetus mos suppliciorum, quo vix quenquam capite puniebant, quin prius vinctum verberibus etiam multavissent. Cremationem etiam vocat Paull. Sent. v. 17. 2. ubi inter summa supplicia etiam illam numerat. Visa autem fuit hæc justissima pœna, ut qui igne aliis damna dedisset, ignis supplicium sustineret. Ferè enim qua quisque re peccaverit, eadem etiam plectendus est. Eandem pœnam ignis etiam posteriores legislatores retinuerunt, ut videre est l. 28. capitalium §. 12. incendiarii ff. de pœn. Reperio etiam bestiis objectos, si humiliore loco fuerint. Sin autem in aliquo gradu dignitatis, vel capite punitos, vel in insulam deportatos, l. ult. ff. de Incendiar. *Rittersh. in Leg. xii. tab. Class.* ii. c. 14.

INCERARE genua deorum est votum suum nuncupatum, & in charta conceptum, conscriptumque deorum genibus *cera* obsignatum affigere. Juven. Sat. x. 55.

Propter quæ [illegible] *est genua incerare deorum.*

Hoc *votum affig*[illegible] dixit Apul. Apol. p. 492. *Votum in alicujus statuæ femore assignasti;* & signare Plin. Epist. i. 44. *Precati deos, ut velint vota semper solvi, semperque signari.* Turneb. Adv. i. 17: xxx. 19. Voss. Lex. Etymol. in Cera. Lipen. de Stren. c. 5. §. in. Rutgers. Var. Lect. v. 5. Guther. de Vet. Jur. Pontif. iv. 17. Salmas. de mod. usur. c. 11. Nonn. in Cæsar. August. numism. p. 72. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 10. Caroli Antiq. Roman. i. 4. Kipping. Ant. Romap. i. 9. §. 14. Grang. in Juvenalem. Florid. & Gentil. in Apulejum.

INCESTUS est consanguineorum, vel affinium abusus C. lex. 36. q. 1. Et hinc *incestuosi* dicuntur, qui ex conjunctis transversalibus, vel affinibus suscepti fuere. Gloss. Rub. C. de incest. nupt. *Paleot. de Noth. & Spur. c. 16. n.* 10. *Heuter. de Liber. hom. nativ c.* 7. §. 3. Ita grave crimen ducebatur, ut cum P. Clodius Bonæ deæ ceremonias, & sacra libidinis causa polluisset, Sctum factum sit, ut populus de reo cognosceret: qui licet cognoscere, quæstionem de *incestu* non esse legibus prætori demandatam. Quod eo magis opinamur, quia legimus apud Ascon. p. 171. de M. Æmilio Scauro, qui princeps senatus fuit, deminutæ, ac neglectæ religionis reo, comitiis tributis, accusante tribuno plebis Cn. Domitio esse quæsitum. *Manut. de Leg. Rom. c.* 20. Præterea, ut *incesti* persecutio ad judices, ita illius procuratio ad pontifices pertinebat. Tacit. Annal. xii. 8. 2. *Addidit Claudius, sacra ex legibus Tulli Regis, piaculaque apud lucum Dianæ per pontifices* [illegible]*anda: irridentibus cunctis, quod pœna, procurationesque incesti id temporis exquirerentur.* Guther. de Vet. jure pontif. ii. 7. Qui commiserant, de rupe Tarpeja dejiciebantur. V. infr. in *Rupes.*

INCILIA sunt *fossæ, quæ in viis factæ ad educendam aquam.* Festus. Cicer. Fam. viii. 5. *Sane tanquam aqua in quodam incili, omnia jam adhæserunt.* Ulpian. Pand. xliii. *Incile est locus depressus ad latus fluminis. Fossas inciles* dicit Cato de Re Rust. c. 156. *In monte fossas inciles habere oportet.* Salmas. Exerc. Plin. p. 512. a. D. Rhodig. Ant. Lect. iii. 29. Guthberl. de Salus c. 12. Voss. Lex. Etymol. Schill Nomencl. Philol. p. 608.

INCINARIUM dicebatur ministerium cinissonum. Charis. Instit. Gramm. i. p. 78. Vet. Gramm. Putsch. *Muliebre ministerium incinarium dicitur, nam Cato in Orig. Mulieres,* inquit, *nostra capillum cinere inungitabant, ut rutilus esset crinis.* Barth. Adv. iv. 21.

INCITATUS fuit nomen equi, quem insano honore effecit Caligula. Suet. c. 55. n. 3. *Incitato equo, cujus causa prodie circenses, ne inquietaretur, vicinia silentium per milites*

tites indicere solebat, præter equile marmoreum, & præsepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monile è gemmis, domum etiam, & familiam, & supellectilem dedit, quo lautius nomine ejus invitati acciperentur, consulatum quoque traditur destinasse. Dio LIX. p. 650. E. *Quendam suorum equorum, Incitatum nomine, ad cœnam quoque adhibebat, & inauratum ei hordeum apponebat, & in poculis aureis vinum propinabat, & salutem ejus, ac fortunam jurabat.* Panvin. de Lud. circens. I. 13. Bortich. Ant. Urb. fac. c. 16. §. 3. Barth. Adv. IV. 6. Raynaud. de Pil. Sect. XV. Rhodig. Ant. Lect. XXII 24. Fab. Semestr. II. 10. Pius Annot. post. c. 24. Pitisc. in Suetonium.

INCITEGA erat machinula, in qua constituebatur in convivio amphora, de qua subinde deferrentur vina. Ea autem utebantur, ne vinarium vas, puta crater magnus, aut amphora labem ex fundo in mensa relinquat, cum sæpè videamus lagenas mensæ impositas circulum de vino describere in mappa. Itaque copones, ne mappa, aut mantile maculam ullam contrahant, imponunt circulos de ligno: super quibus statuuntur lagenæ. Sed crescente luxuria has machinulas Romani abjecerunt: & ne citreæ mensæ læderentur, si sine incitegis crateres impositos nudæ sustinerent, gausapas insternebant. Pauperes verò, ut puto, *incitegas* retinuerunt. Mart. XIV. 138.

Nobilius villosa tegant tibi gausapa citrum:
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Nam potest intelligi *incitega* per circulum illum. Sed nihil impedit & maculam circularem vasorum vinariorum intelligere. Et *incitega*, ut puto, non erant circuli specie. Græcis vocatur ἐγγυθήκη. Polemo Περιηγητής: ἐγγυθήκη, ἡ ἐπ' αὐτῆς κύλικα. Dicta est quasi ἐγγυθήκη. Et ita vocabatur ab Alexandrinis. Athen. V. p. 210. C. *Quæ verò ab Alexandrinis vocatur angotheca, triangularis est, medio cava, superimpositum cratera recipiens: Pauperes quidem eam habent ligneam, divites æream, vel argenteam.* Herod. I. p. 10. E. vocat ὑποκρητηρίδιον. *Apud Delphos dedicavit grandem ex argento pateram, item incitegam,* ὑποκρητηρίδιον, *parvulam ex ferro compactam.* Scalig. & Dacer. in Festum. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Imperat. Rom. II. 34. de Conviv. I. 37. Auctor misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 451.

INCITI dicuntur calculi in ludo latrunculorum, qui eo sunt redacti, ut *cieri*, moverique nequeant. Isidor. XVIII. 67. V. illum supr. in *Calculi*. Plaut. Trin. II. 4. 136.

Alii exulatum abierunt, alii emortui, alii se suspendere.
Hem nunc hic cujus est, ut ad incitas redactus est?

Pœn. IV. 2. 85.

— tacitus tace modo
Profectò ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit.
Qui prius disperibit, faxo quam unam calcem civeris.

Quid ciere calcem, V. supr. in *Calcem*. Salmas. in Vopisc. Procul. c. 13. Cognat. apud Erasm. Adag. p. 122. Souter. Palam. I. 22. Scalig. Conject. in Varr. p. 186. Nerius Anal. II. 16. Senftleb. de alea Vet. c. 10. §. 11.

INCOMMA fuit palus mensuralis in castris, ad quem militum statura examinabatur. V. illum infr. in *Milites*.

INCORPORATIO vocabatur, quando rationales, seu procuratores, quos in singulis provinciis habebat comes rerum privatarum, bona publicata, aut alia ratione ad fiscum pertinentia, postquàm comes illa inferre se fisco scripserat, in provinciis ea singula describebant, & rebus Cæsaris aggregabant: & postremò titulos, sive inscriptiones id significantes, vel insignia Principis prædiis imponebant. Valentin. A. I. si quando C. de bon. vacant. ad Florentinum comitem rerum privatarum: *Si quando*, inquit, *alicujus publicatione, aut ratione juris, aliquid rei nostræ addendum est, ritè, atque sollenniter per comitem rerum privatarum, deinde per rationales in singulis quibusque provinciis commorantes incorporatio impleatur, & diligens stylus sigillatim omnia adscribat: tituli verò quorum adjectione prædia nostris sunt consecranda substantiis, non nisi publica testificatione proponantur.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 88. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 25.

INCREMENTA dicuntur liberalitates. Spartian. Adrian. c. 7. *Pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit.* Vopisc. c. 4. *Ut ejus dignitas incrementis adjuvetur.* Casaub. in Spartianum. Buleng. de Vectig. c. 25. Gother. de Jur. man. II. 10.

INCRUSTARE est parieti, pavimento, aut alteri operi *crustam* adjungere, inducere, & applicare: marmor in *crustas* tenues sectum parieti imponere, & pro tectorio ei dare. Lucan. X. 114.

Nec summis crustata domus sectisque nitebat
Marmoribus.

Secandi ratio in Plin. XXXVI. 6. *Arena hoc fit, & ferro videtur fieri, serra in prætenui linea premente arenas, versandoque, tractu ipso secante. Crusta* verò feminino genere est fragmentum quoddam tenue, vel lapidis, vel ligni, vel vitri, vel alterius ejusmodi eorum, quæ non comeduntur. Virg. Georg. III. 360.

Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ.

Coras. Misc. IV. 16. Salmuth ad Pancirol. Rer. deperd. & inv. p. 137. Bergier. de viis milit. II. Sect. 19. §. I. v. 11. I. Turneb. Adv. XIX. 4. Torrent. Horat. Sat. I. 3. 55. Lips. de Magnit. Roman. III. 14. Thys. de Magnit. Roman. III. p. 308.

INCUBARE pellibus victimarum, est in illis dormire in deorum templis ad accipienda illorum responsa. Virg. Æneid. VII. 86.

— huc dona sacerdos
Cum tulit, & cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit.

Ubi Servius: *Incubare dicuntur propriè hi, qui dormiunt ad accipienda responsa: unde est, ille incubat Jovi, id est, dormit in Capitolio, ut responsa possit accipere.* Plaut. Curc. II. 2. 16.

Namque incubare satius te fuerat Jovi
Tibi qui auxilium in jurejurando fuit.

II. 18.

Siquidem incubare velint, qui pejeraverint,
Locus non præberi potis est in Capitolio.

Hoc à Græcis hauserunt Romani. Pausan. Attic. I. p. 33. *Præter eos, qui Apollinis furore correpti olim dicuntur, nemo inter vates oracula edidit, sed præstabant vel somniorum interpretatione, vel augurali scientia, vel aruspicina, ut facilè existimem, Amphiaraum interpretandorum somniorum laude excelluisse. Quod vel ex eo liquet, quoniam quo tempore deificatus est, futurorum cognitionem per somnia constituit. Ad hujus oraculum quicunque accedit, purgari primum oportet. Purgatio est, ut deo res sacra peragatur, cui & omnibus, quorum nomina in ara sculpta sunt, sacrificant. His peractis mactati arietis pellem substernunt, atque ita dormiunt, somnii significationem referentes.* Pius Annot. post. c. 10. Voss. de Idolol. III. 35. Guther. de Vet. jur. pontif. IV. I. Braun. de Vest. sacerd. Hebr. I. 4. §. 9. Stuck. de Sacrif. p. 181. Saubert. de Sacrif. c. 20. Rhodig. Ant. Lect. XXVII. 14. Paschal. de Coron. IX. 24. Choul. de Relig. Rom. p. 260. Laurent. de Prand. c. 7. Cerda in Virgilium. Tomas. de Donar. c. 3. Clasen. Theol. gentil. I. 4. 17. Kipping. Antiq. Roman. I. 5. I. 8. 8. I. I. 14. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 2.

IND.

INDEMNATUM non esse interficiendum. V. supr. in *Inauditum*.

INDEX imaginis, sive statuæ est inscriptio, sive litera scripta, compendio *indicans* quod maximè sciri interest. Plutarch. de Homero: *Elegans est etiam genus orationis epigramma, sive inscriptio: quod inventum est imaginum, & monumentorum gratia, compendio indicans, qualis sit, cui honoris causa aliquid tale obtigit.* Tibull. IV. I. 130.

Nec quivis quid quaque index sub imagine dicat.

Figrell. de Stat. Roman. c. 27. Vocatur etiam *Titulus*. V. infr. in *Titulus*.

INDICARE in germano significatu minus est quàm deferre. Ita in conjuratione Catilinariorum Fulvia *index* fuit. Sed interdum pinguius, & plenius quid sonat, ut

non deferre tantùm, & denuntiare, sed damnare significet. Quod ita capiendum putamus, cum scilicet de præmio constituendo *indicanti* quæritur, quod demum consequitur, qui eam dat operam, ut non denuntiet, arguat, accuset solum, sed etiam damnet: ut cum effectu verba accipiantur, & aliquem tandem exitum sortiantur; quemadmodum invenire latronem est exhibere judicio vinctum, sistere præsidi, vel præfecto prætorio puniendum. Ulpian. l. indicasse ff. de verb. signif. *Indicasse est detulisse, arguisse, accusasse, & convicisse.* Ut lcti, ita omninò usurpat Plaut. Asin. v, 2. 87. ubi senex ab uxore deprehensus in lupanari, & condemnatus rapitur domum tanquam ad supplicium. Ait enim:

Malè cubandum est, indicatum me uxor adducit domum.

Ubi primum delatus à parasito erat, accusatus, & convictus ab uxore. *Pollet. Hist. For. Rom.* iv. 11.

INDICIUM profiteri est ultrò sese, consortesque criminis deferre. Tacit. Annal. vi. 3. 6. *Et summum supplicium decernebatur, ni professus indicium esset.* Suet. Domit. c. 17. n. 2. *Professus conspirationis indicium.* Quod Ciceroni est *indicium postulare* in Divin. c. 11. *Quapropter si tibi indicium postulas dari, quod tecum una feceris, concedo, si id lege permittitur deferre.* Curt. v. 11. 7. *Stimulante conscientia indicium patrono detulisse.* Pollet. Hist. Fori Rom. iv. 7. Bud. in Pandect. p. 225. I.

INDICTIO est qua subditi monebantur, ut se ad solutionem compararent, priusquàm collecta exigeretur, l. ult. C. de indict. *indicitur que* hoc genus collectæ, pro rebus, quæ possidentur, quibus si spontè cesserit possessor, onere hujus pensitationis liberatus, sicut ususfructus perit, re perempta, vel flumine occupata, l. repeti, l. cum usumfructum ff. quibus modis ususfruct. Quod tamen sua ætate usurpatum negat Salvian. v. p. 96. *Plerique*, inquit, *pauperculorum atque miserorum spoliato resculis suis, & exterminati agellis suis, cum rem amiserint, amissarum tamen rerum tributa patiuntur.* Non potest *indici* nisi ab eo, cui lege, aut jura imperii id competit. l. 1. C. de superind. l. 1. C. de vacat. mun. *Indicebatur* autem lustro quoque aurum, argentum, aut ferrum, C. de indict. *Indictio* Ciceroni collecta, collatio, symbola, ἔρανος Polluc. iii. 26. vulgò taille, similis capitationi. Indictionis primæ, secundæ, tertiæ meminit Cassiod. Vari. iii. 25. *Siliquaticis titulum, quem fide dominicatus puro dederamus discussione indictionis primæ, secunda, vel tertia per provinciam Dalmatiam ordinatio tibi nostra permittit.* Quædam fuerunt canonicæ, & è lege factæ, quædam extraordinariæ, & per magistratus ex improviso decretæ collationes, l. 1. C. de indictione. *Buleng. de Vectig. c.* 18.

Indictio significat item spatium quindecim annorum, qui in se revolvuntur. Græci vocant ἐπινεμήσεις. Sub Augusto hoc olim monstravit annum, quo Romanis tributa ferri solebant, & simul etiam indicavit, quotus esset annus post tributorum solutionem. Cum enim Romani dominarentur universo fere orbi terrarum, terrasque remotiores sibi fecissent tributarias; Octavius Augustus tertio anno ante nativitatem D. Jesu præcepit, ut illi qui in remotioribus locis degerent, ob difficultatem itinerum, exacto demum lustro, seu quinquennio tributum solverent, ac in fine primi quinquennii aurum afferrent ad dominationis typum; in fine secundi argentum ad stipendia militum; in fine tertii æs & ferrum ad armorum reparationem. Neve hæc ipsorum constitutio facilè ea memoria hominum laberetur, sanxerunt Imperatores, atque etiam postea Pontifices Romani, nullum instrumentum à notariis publicis confectum, stabile, & firmum habendum esse, nisi anno *Indictionis* determinatum esset, quod & hisce temporibus observari solet. Incipit autem cyclus *indictionis* ex Imperatorum sententia 24. die Septembris; quo tempore ob maturitatem frugum optimè solvi possunt tributa. At ex Pontificum decreto tunc demum, quando & anni nativitatis Christi mutari solent. Unde tabelliones Imperiales mutant *indictionem* die 24. Septembris: Tabelliones Imperiales vero pontificia auctoritate fungentes, in curia Romana Pontificis post tres demum menses, ut patet ex actis Concilii Constantiensis, in quibus mutatur annus Domini, & *indictio* simul. *Organ. apud Muncker. de Intercal.* iii. 16. §. 4. *Buleng. de Vectig. c.* 18. Cujus rei nulla apud veteres auctores mentio exstat. Dionysius quidem Exiguus Abbas Romanus, qui ante mille annos vixit, scribit, *indictiones* ab Augusto Cæsare ante Christi adventum institutas fuisse Olymp. 194. anno primo, 8. Kal. Octobr. Nam *indictione* quarta D. Jesum Christum natum scribit: quod & Bedas affirmat de natura rerum c. 47. Sed Chyrius Fortunatianus V. C. Afer, cujus Hieronymus, & ab eo Sophronius meminere, rationem inveniendi *indictiones* annuas conscribens, nullam earum originis mentionem facit. Mirum quoque & Isidorum tam accuratum scriptorem ne verbum quidem de *Indictione* fecisse. Et omnia, quæ hactenus de *Indictione* allata sunt, haud rectè sunt dicta. Siquidem *indictiones* non sub Augusto Cæsare, sed longo tempore post sub Constantino Augusto inventæ sunt, neque ad tributi, vel pensitationis usum, sed ad temporum rationem digerendam, erroresque tollendos, qui circa tempora & annos oboriri poterant. Observavi etiam enim ante Constantini Augusti imperium nullibi, neque apud publicos, neque apud privatos scriptores, unquam *Indictionis* mentionem fieri ea ratione qua nunc usurpatur; sub ejusdem verò imperio, & paullò post ubique & passim, pro annorum digestione *Indictionis* vocabulum tam in publicis, quàm in privatis actionibus frequentari; verùm quo potissimùm anno, aut quam ob causam, diu incertus fui. Sed singula Constantini facta cum examinavissem, & *Indictionum* rectam computationem fecissem, inveni eo anno, quo Maxentius à Constantino victus est, *Indictionem* primam inchoatam fuisse. Is erat annus Christi 313. Hoc anno Constantini de Maxentio victoriam fuisse, Socrates & Sozomenus cum Eusebio scribunt, septimo Imperii sui anno, ipso II. & Licinio II. coss. atque ut auctor incertus in panegyrico scribit circa 8. Kal. Octobr. pridie quàm tyrannus septimum Imperii sui annum inchoaret. In cujus rei memoriam ego primam *Indictionem* institutam fuisse existimo, quæ & 8. Kal. Octobr. singulis annis inchoatur. *Panvin. Fast.* ii. p. 265. *Gyrald. de Ann. & mens. Oper. Tom.* ii. p. 754. *D. Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 11.

INDIGETAMENTA, τὰ ἱερατικὰ βιβλία, ut dicuntur in glossis, erant libri pontificum, qui dedicationum ritus continebant, & deorum, dearumque nomina, atque hominum in deos relatorum. Serv. Georg. i. 21. *Nomina hæc numinum in indigetamentis inveniuntur, id est, in libris pontificalibus: qui & nomina deorum, & rationem ipsorum numinum continent.* Varro apud Non. iii. 56. *Quorum nomina habent scripta pontifices.* Salmas. Exerc. Plin. p. 51. b. B. Voss. Lex. Etymol. de Idolol. i. 12. Guther. de Vet. jur. pont. i. 20. Scalig. & Dacer. ad Festum.

INDIGETARE est ὀνομάζειν, precari, invocare. Sic enim ea voce usus Macrob. Sat. i. 17. cum ait: *Namque virgines Vestales ita indigetant, Apollo medice, Apollo Pæan.* Fallus igitur Johannes Auratus, cum putavit, *indigetare* semper esse ἐκθεοῦν, sive *indigetem facere*. Nos potius putamus, nunquam sic accipi. *Voss. Lex. Etymol. Guther. de Vet. jur. pontif.* i. 20.

INDIGETES dicebantur *dii, quorum nomina vulgari non licet.* Festus. Rectè: nec enim efferebantur eorum nomina in vulgus, in quorum tutela urbs Roma esse credebatur, ne ab hostibus possent evocari. Liv. i. 2. *Situs est Æneas, quemcunque eum dici jus fasque est super Numicum flumen, illum Jovem indigetem appellant.* Guther. de Vet. jur. pontif. i. 20. Crinit. de Hon. discipl. i. 18. Brisson. de Form. i. p. 51. Ita quidem Festus. Sed Serv. Georg. i. 498. Æneid. xii. 794. *Indigetes duplici ratione dicuntur, vel secundum Lucret.* i. 61. *quod nullius rei egeant.*

Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri.

Vel quod nos eorum indigeamus, unde quidam omnes deos indigetes appellari volunt. Alii patrios deos indigetes dici debere tradunt. Alii ab invocatione indigetes dici volunt, quod indigito est precor, & invoco. Ex his maximè probatur, quod dicitur l. deos *indigetes* esse patrios, qui Græcis θεοὶ πατρῷοι, καὶ ἐγχώριοι. Quomodo *indiges* erit ab *indu* pro

in

in & ago. Atqui *indiges* sit, qui locum eliquem incolit. Unde & Græcis *ἐντόπιος* vocatur. II. *indigetem* esse ab *indigito*, hoc est, invoco. V. supr. in *Indigetare*. Ita *indigetes* dicti sint, quia cum ex hominibus dii facti sunt, una cum ceteris diis invocantur. Atque eadem mente cum Sasmal. Exerc. Plin. p. 51. b. A. deduxeris ab *in* & *dicare*, hoc est, *ἐπιφημεῖν*, à qua significatione est dedicare, ut *indico* sit *ἀναφημῶ*, *indices*, & e in g converso *indiges*, *ὁ ἀποφηθείς*, *inter deos consecratus*. Voss. Lex. Etymol. Saubert. de Sacrif. c. 5. Tacet. in Festum. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 19. F. Vaillant Numism. c. 1. p. 83. Barth. Adv. II. 13. Demster. Rosin. Parel. II. 17. Elmenhorst. in Arnob. 1. p. 32. Cerda in Virgilium. Leutent. ver. sacr. gentil. c. 2. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 66. Vlit. in Grat. Cyneg. n. 438. Primus, quem *Indigetis* nomen sortitum invenimus, est Æneas. Cui sacellum exstructum cum ejusmodi inscriptione: PATRI DEO INDIGITI, QUI NUMICI AMNIS UNDAS TEMPERAT. Festus: *Indigitis nomine Æneas ab Ascanio appellatus, cum pugnans cum Mezentio nusquam apparuisset, in cujus nomine etiam templum construxit.* Meminit etiam Tib. II. 5. 45.

Illic sanctus eris, quum te veneranda Numici
Unda deum cœlo miserit Indigetem.

Voss. de Idolol. 1. 12. Broukh. in Tibullum.

INDUCI propriè dicuntur calcei. Tertull. de Pall. c. 4. *Impuro crure purum aut mulleolum inducit calceum.* c. 5. *Si quid calceatus inducitur.* Cicer. Herenn. 1. 13. de Invent. Rhet. II. 50. *Solea lignea in pedibus inducta.* Apul. II. p. 63. *pedes palmeis baxis inductum*, id est, palmeas baxas pedibus inductas habentem. *Salmas. in Tertullianum.*

INDUCIÆ *sunt pax castrensis paucorum dierum.* Varr. Libr. human. qui est de bello & pace. Item alio in loco: *Sunt belli feriæ.* Varronem sequitur Donat. Eun. 1. 1. 15. In illa autem Gell. 1. 25. reprehendit, quod paucos dies adjecit, ostendens solere & in horas dari: addam ego & in annos etiam viginti, triginta, quadraginta, etiam centum: quarum apud Livium exempla: quæ & illam Paulli, l. postliminium ff. de captiv. definitionem redarguunt: *Induciæ sunt, cum in breve, & in præsens tempus convenit, ne invicem se lacessant.* Sunt potius conventio, per quam bello manente ad tempus bellicis actibus abstinendum est. Bello, inquam, manente: nam bellum status est nomen, qui potest esse etiam, cum operationes suas non exerit. *Grot. de Jur. bell. & pac. III. 21. 1. Brisson. de Form. IV. p. 364. Sigon. de Ant. jur. Ital. 1. 1. Cerda Adv. c. 141. §. 160.*

INDULGENTIÆ criminum ortum habuerunt à publica relaxatione publicarum pœnitentiarum, olim injungi solitarum pro delictis gravioribus, ut docet Bellarm. de indulg. 1. 3. ubi refert *indulgentiarum* initium ad Apostolorum tempore, atque earum usum tunc fuisse probat ex 2. Corinth. c. 2. n. 10. ubi Paullus incestuoso, & excommunicato seriam agenti pœnitentiam, auctoritate à Christo accepta concedit *indulgentiam*, condonans rogatu Corinthiorum id pœnitentiæ, quod supererat faciendum, ne ob nimiam severitatem daretur locus insidiis diaboli. Verba ejus sunt: *Cui autem aliquid condonastis, & ego condono: nam ego quod donavi propter vos condonavi in persona Christi, ut non circumveniamur à Sathana.* Solebant à Principibus dari tempore ludorum secularium, & alias. Mentio consuetudinis Principum concedentium abolitionem criminum x. Digesti novi tit. 16. ad Sctum Turpilianum, l. 8. in qua Paullus Ictus ita loquitur: *Abolitio aut publicè fit ob diem insignem, aut ob publicam gratulationem.* Ad eam legem Glossa notat, tum fieri abolitionem criminum ob publicam gratulationem, *quando par ludus fieri debet.* Par autem ludus est ille, qui est ad gratulationem publicam, ut maximè fuerunt ludi seculares. Glossa item habet abolitionem eam à solo Principe fieri posse. Digesti l. l. l. si intervenienté de ea re ita loquitur Ulpianus: *Si interveniente publica abolitione, ut fieri solet vel ob lætitiam aliquam, vel ob honorem domus divinæ, vel ex qua alia causa, ex qua senatus censuit abolitionem reorum fieri ....* De eadem Diocletianus & Maximianus ita loquuntur C. IX. tit. 41. l. 2. *Cum eo tempore, quo indulgentia nostra* (nota hoc nomen pro *abolitione*) *crimina ex*tinxit, *accusatio à te instituta non fuerit, publicæ abolitionis præceptio cessat.* In quam glossa rectè per *crimina* intelligit accusationes criminum: addo ego & pœnas intelligi posse, non ipsas criminum culpas. Nam ut ex communi opinione Ovid. Pont. 1. 1. 64.

Pœna potest demi, culpa perennis erit.

Quæ confirmo ex I. C. eodem his verbis: *Indulgentia P. C. quos liberat, notat: nec infamiam criminis tollit, sed pœnæ gratiam facit.* Tessin. Chronol. lud. secul. c. 15. §. 5. & 6. Buleng. de Vectig. c. 19.

Indulgentia munerum. V. illas infr. in *Munificentia*.

Indulgentia tributorum sæpiùs fiebant, si vel bellorum injuria, vel annona gravi possessores exhausti essent. Euagr. V. 13. *Tiberius remisit tributa subditis ad unum integrum annum, & necessitates vectigalium quibus Adaarmanes nocuerat, liberavit, non ad mensuram damni accepti, sed longè supra.* Georgius monachus in Chron. Constantinus Magnus *remisit publica vectigalia, & debitorum chartas in foro Romano incendit.* Euseb. de Vita Constant. IV. 2. *Illationum annuarum, quæ fiunt pro singulis regionibus, quarta parte sublata, eam possessoribus donavit, ut si quis imminutionem æstimet, quarto quoque anno eos immunes agnoscat: quod & postea lege obtinuit.* Buleng. de Vectig. c. 19. Spanhem. de Præst. numism. Dissert. IX. p. 815. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 9. V. & infr. in *Reliqua*.

INDUMENTA barbarica civibus Romanis interdicere solebant Imperatores. Unde etiam C. IV. tit. de habitu, quo uti oportet intra Urbem, *majores crines*, & *indumenta pellium* prohibentur, quæ Gothorum propria erant, ut ex Sidonio, Synesio, & aliis constat. *Ruben. de Re vest.* 1. 12.

INF.

INFANTES utero egressi statim lavabantur. Hieron. in Ezech. IV. *Orti infantes ad eluendum sanguinem lavantur aqua.* Bromia ancille apud Plaut. Amph. V. 1. 50.

Postquàm peperit pueros, lavare jussit nos.

A matre enim sanguinolenti prodeunt. Artemid. 1. 15. *Propterea, quod à sanguine infans est rejectus.* Juven. Sat. VII. 195.

—— modo primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.

Atque hos propterea Icti sanguinolentos nominant: extatque in Codice titulus de iis qui sanguinolentos exceperint: quod Constantinus Imperator dixit à *sanguine comparare*. l. 1. ejus tituli. Inter cæta Clodium Albinum, qui candidissimus natus est, refert Capitol. c. 4. *Quum exceptus utero, quod contra consuetudinem puerorum qui nascuntur, & solent rubere, esset candidissimus, Albinus est dictus.* Salmas. in Capitolinum. Barthol. de Puerp. p. 62. Grang. in Juvenalem. Potter. Archæol. Græc. IV. 14. Lavabantur autem partim sale, modico satis, partim aqua, eaque vel tepida, ut in funeribus, vel fervente, vel frigida. *Rhodig. Ant. Lect.* VI. 2. *Barthol. ibid.* p. 63. Additum subinde oleum in *χύτλῳ*. Nonn. Dionysiac. XXV. 491.

Nato vero illi erat contentio nutrix: gladii vero ipsi
Mamma erat, & vasa olearia, χύτλα, cades & fascia
thorax.

vel toto corpore, vel oculis, naribusve, ad infantis robur, & calorem non satis firmum augendum, conservandum. Eo tamen ordine, ut lotionem aquæ sequeretur oleum. Collocabantur in clypeo. Ennius apud Nonium:

Nam ubi introducta est, puerumque ut lavarent, collocant
In clypeo.

vel in mnautetma, vel labello, vel alio vase. *Barthol. ibid.* p. 66. Alvei quoque testudinei in familia Cæsaris erant in usu. Capitol. ibid. c. 5. *Fuit & aliud signum futuri imperii. Nam quum Cæsariana familia hoc specimen habuerit, ut par vuli domus ejus in testudineis alveis lavarentur, nato infantulo testudo ingens patri ejus munere piscatoris allata est: quod ille homo literatus omen accipiens, & testudinem libenter accepit, & eam aurari jussit, atque infantulo ad excaldationes pueriles dicare, nobilitandum etiam hanc sperans.* Barthol. ibid. p. 67. Salmas. in Capitolinum. Recens natis virgam populeam

in solo defigebant. V. infr. in *Virga*. Parentibus dissimiles illegitimi habebantur. Phocylides:

Non similes natos lectus deducit adulter.

Huc facit jocus Juliæ Augusti filiæ apud Macrob. Sat. II. 5. quæ conscii flagitiorum mirantibus, quomodo similes Agrippæ filios pareret, cum tam vulgò potestatem sui corporis faceret; dixit: *Non nisi plena navi tollo vectorem*. Et qui gratiam alicujus captabat, aspectis liberis, dicebat esse patri simillimos. Theophrast. Charact. c. 6. *Et ad cœnam vocatus, convivii dominum jubebit vocare liberos suos, ingressosque magis similes patri dicet, atque ficus ficui*. In similitudine vultus magnum esse pudicitiæ argumentum existimabatur. Horat. Od. IV. 5. 23.

Laudantur simili prole puerperæ.

Quintil. Declam. 18. *Quæ pudicitiæ prima fiducia est, edidit partum, quem maritus agnosceret; non timuit, ne stupra, furtivosque concubitus parvuli vultus, aut crescentis infantiæ similitudo detegeret*. Meurs. de Puerp. c. 2. In humum abjiciebantur. Plin. Præf. VII. *Hominem tantum nudum, & in nuda humo, natali die abjicit natura ad vagitus statim, & ploratum*. Suet. Aug. c. 5. n. 2. *Se esse possessorem, ac velut aditum sole, quod primum Augustus nascens attigisset*. Ovid. in Ibin n. 221.

Qui simul impura matris prolapsus ab alvo
Cinyphiam fœdo corpore pressit humum.

Brod. Misc. IV. 3. Demster. ad Rosin. II. 19. Kemp. de Oscul. c. 25. §. 13. Rhodig. Ant. Lect. XXIX. 14. Meurs. ibid. c. 4. Laurent. de Natalit. c. 2. Barthol. de Puerp. p. 69. Factum hoc I. ut vocem terræ contactu acciperent. Macrob. Sat. I. 12. *Quod infantes partu editi non prius vocem edant, quàm attigerint terram*. II. ut auspicarentur recti esse diis conjugalibus, ut explicat Varr. de Vit. pop. Roman. c. 2. apud Nonium. III. ut Opem, sive matrem communem salutarent. Hoc persuadet Macrob. Sat. I. 10. *Huic deæ, Opi, sedentes vota concipiunt, terramque de industria tangunt, demonstrantes & ipsam matrem mortalibus appetendam*. Barthol. & Kemp. l. l. Humo tollebantur à parente, vel procuratore ejus, quo inter legitimos numerarentur hæredes. Senec. ad Marc. c. 18. *Consulti sunt de nobis parentes nostri, qui cum conditionem vitæ nossent, in hanc nos sustulerunt*. Juven. Sat. IX. 84. V. illum infr. in *Postes*. Terent. Andr. III. 1. 6.

Nam quod peperisset, jussit tolli.

Barthol. ibid. p. 72. Kemp. Laurent. & Demster. l. l. Kipping. Antiq. Roman. I. 1. §. 10. V. & infr. in *Tollere*. Si sexus non essent sequioris, hunc enim patres tollere nolebant; sed potius præcipiebant exponi. V. supr. in *Expositio*. imò necari. Ovid. Met. IX. 677.

Edita fortè tuo fuerit si femina partu;
Invitus mando: pietas ignosce: necetur.

Barthol. ibid. p. 75. Illis sublatis coronam foribus in lætitiæ signum appendebant. V. infr. in *Postes*. Pannis involvebantur adhuc rubentes. Capitol. Albin. c. 4. *Filius mihi natus est, ita candidus statim toto corpore, ut linteamen, quo exceptus est, vinceret*. Hieron. in Ezech. c. 16. *Tenera infantium corpora pannis involvuntur, duplicem ob causam: ut & sale siccatur corpus, quod pannis, ut desudat, servatur, & stringitur: & membra tenerrima ne facile depraventur: unde & corpora barbarorum Romanis corporibus rectiora sunt: usque enim ad secundum & tertium annum semper pannis involvuntur*. Casaub. in Capitolinum. Barthol. ibid. p. 97. Potter. l. l. Solebant ablui vesperi, antequam dormituri in cunas reponerentur. Liquet hoc ex Ennio modò laudato, & Theocrito mox laudando. *Meurs. ibid.* c. 5. In cunis reponendus fasciis circumducebatur. V. illas supr. in *Fasciæ puerules*. Cunarum loco erant clypeus. Theocr. Idyll. XXIV. 3. 3.

Utrumque ablutum, & jam plenum lactis, alieno
Deposuit clypeo.

Et vannus. Auctor Etymolog. *Veteres in vannis liberos suos dormire faciebant*. Callim. Hymn. in Jovem. n. 47.

—— te vero sopivit Adrastea
In aureo vanno.

Qui in ventilabris collocabant, in auspicium futurarum divitiarum id faciebant. Scholiastes Callimachi: *In ventilabris olim infantes dormituros collocabant, in futurarum divitiarum, & affluentiæ auspicium*. Inde Λικνίτης Bacchum quoque dictum tradit Hesychius: *Licnites epitheton Bacchi à vannis, in quibus infantes dormiunt*. Serv. Georg. I. 166. nisi quod pro Λικνίτης Λικνίτην ibi dicatur: *Nonnulli Liberum patrem apud Græcos Λικνίτην dici asserunt: vannus autem*, non *vallus*, ut ibi legitur, *apud eos λικνὸς nuncupatur: ubi de more positus esse dicitur, postquàm est matris utero editus*. Meurs. ibid. c. 5. Spanhem. & Anna Fabri in Callimachum. Potter. l. l. Claude Diatr. de Nutric. c. 4. Masculi Genio, femellæ Junoni in tutelam tradebantur. De Genio Arnob. II. p. 91. *Toga sternitis lectulos, & maritorum Genios advocatis*. Juven. Sat. VI. 21.

—— vetus est alienum Postume lectum
Concutere, atque sacri genium contemnere fulcri.

De Junone Tibull. IV. 12. 15.

Hac per sancta tuæ Junonis numina juro.

Petron. c. 26. *Junonem meam iratam habeam*. Meurs. ibid. c. 4. Edusæ, & Potinæ initiabantur. V. infr. in *Initiari*. Nomen dare solebant proximi. Suet. Ner. c. 6. n. 4. *Futuræ felicitatis signum evidens lustrico die exstitit. Nam C. Cæsarem roganti sorore, ut infanti ei, quod vellet, nomen daret, intuens Claudium, ejus dare se dixit*. Ubi nomen pro prænomine capiendum, quia ipsa gentilia nomina certa semper eademque erant; at prænomina modò mutabant. Polyæn. VI. 1. 6. *Jason, puero sibi procreato, ad imponendum ei nomen principibus Thessalorum convocatis, advocavit fratrem, ut primas in eo negotio partes ipse susciperet. Fratri litationum principatum concessit, eique potestatem nomen puero indendi dedit*. Ruben. Elect. I. 5. Pitisc. in Suetonium. Die lustrico salivam ad labra, & frontem illis solebant admovere, idque digito infami. Pers. Sat. II. 32.

—— frontemque, atque uda labella
Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat.

Salivæ enim inesse vim quandam mirificam existimabant, ut fusse docet Plin. XXVIII. 4. Alludit eo Athanasius, cum Priscillæ & Montani delicia appellat *anuum sputa* in tractatu contra omnes hæreses. Adhibebant non meram, sed pulverem sputo turbatum, hoc est lutum. Petron. c. 91. *Mox turbatum sputo pulverem medio sustulit digito, frontemque signavit*. Neque apud Persium *lustralem salivam* aliter interpretor. Nam sine luto expiationis non peragebantur. Fascinum, quod timebant illis, avertebant. Pers. ibid. n. 34.

—— Urentes oculos inhibere perita.

Eo salivam, sive sputum valere credebant. Dio Chrysost. Orat. 33. *Quid verò lutum? oculum malum avertit, fascinum & invidiam*. Eam ob causam & Cuninæ vota faciebant. V. supr. in *Cunina*. Amuleta etiam, & res turpiculas pueris appendebant. Vota pro illis facientes eos manibus quatiebant. Persius mox laudandus. Quasi præsentibus diis illos ostenderent. Hoc πάλλειν χερσὶν dicit Homer. Iliad. Z. 474.

Sed hic suum dilectum filium ut osculatus est, libravitque manibus.
Sic infit, supplicare Jovi, aliisque diis.

Βρέφος Lycophr. Alex. n. 460. de votis pro infante loquens:

Patri suo preces duxit impetrabiles,
Aquila catulum in ulnis quatiens.

ἀποργιάζειν alii apud Hesychium, qui hoc explicat, *infantem manibus quatere*. Faciebant verò vota pro divitiis. Pers. ibid. n. 35.

Tunc manibus quatit, & spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.

Per *spem macram* intelligit infantem tenellum, ac fermè adhuc à partu rubentem. *Spes* enim Latinis familiare est pro pueritia, aut juventute: item pro puero, ac juvene. Pro forma, & potentia, Pers. ibid. n. 37.

Hunc optent generum Rex & Regina: puellæ
Hunc rapiant.

Idem Juven. Sat. X. 289.

Formam optat modicè pueris, majore puellis
Murmure, cum Veneris fanum videt anxia mater
Usque ad delicias votorum.

Pro absoluta omnibus numeris felicitate, quam poetica circumlocutione exprimit n. 38.

quic-

— quicquid calcaverit hic, rosa fiat.

ut Sat. I. 38.

— è manibus illis
Nascentur violæ.

& Claud. Laud. Seren. II. 89.

— quacunque per herbam
Reptaret, fluxere rosæ.

Casaub. in Pers. II. 200. nomina apud acta parentes debebant profiteri, & in illorum capita aliquid Junonis Luciæ templo inferre. V. infr. in *Nummus*. Ad tibiam efferebantur. V. infr. in *Tibiæ funerales*. Antiquitus non cremabantur. Plin. VII. 16. *Hominem priùs quàm genito dente cremari, mos gentium non est*. Juven. Sat. XV. 138.

Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
Virginis occurrit, nec terra clauditur infans,
Et minor igne rogi.

Et quia discrimen ætatis in sepeliendis veteres observabant, *infantibus pueris neque inferias ferebant, neque cætera faciebant, quæ par est facere aliis pro mortuis: nondum enim his terra communicata est, neque eorum quicquam, quæ terra nascuntur: neque sepulcra exstruebant, neque monumenta, ac collocationem mortuorum amabant, neque corporibus adsidebant*. Plutarch. Consol. ad uxor. p. 612. A. Tacit. Annal. XIII. 17. 3. *Festinationem exsequiarum edicto Cæsar defendit, id à majoribus institutum referens, subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus, aut pompa detinere*. Allusit huc Auson. Parent. X. 5.

Tu gremio in proavi funus commune locatus,
Invidiam tumuli ne paterere tui,

Sic apud Græcos hoc quoque ætatis discrimen observatum innuit Eurip. Alcest. II. 55. ubi Apollinem sic loquentem inducit:

Si anus moriatur, splendidiùs sepelietur.

Kirchmann. de Funer. Roman. I. 4. Locus, ubi sepeliebantur, vocabatur suggrundarium. V. infr. in *Suggrundarium*.

INFERIÆ erant *sacrificia, quæ diis manibus inferebant*. Festus. Suet. Cal. c. 3. n. 7. *Sicubi clarorum virorum sepulcra cognosceret, inferias manibus dabat*. Constabant præcipuè liquoribus, ac victimis. Quæ liquoribus constabant, à Græcis propriè Χοαὶ vocabantur, à fundendo. Aristot. de Mundo: Θεῶν τε θυσίαις, ἢ ἡρώων θεραπείαις, ἢ χοαῖς κεκμηκότων. Quod Apul. de Mund. p. 751. ita reddidit: *Diis sacrificatur, geniis ministratur, obitis libatione profunditur*. Liquores erant I. Aqua, quæ arferia, vel arferia vocabatur. V. supr. in *Arferia*. II. Vinum. Festus: *Respersum vinum significat apud antiquos: quia in sacris novemdialibus vino mortui sepulcrum spargebatur*. Eratque hoc plerumque merum. Virg. Æneid. V. 77. V. illum supr. in *Carchesium*. Allusit huc Apul. Met. IV. p. 124. *Post istum sermonis terminum poculis aureis defunctorum commilitonum vino mero libant*. III. Lacte & sanguine. Virg. Æneid. III. 66.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras.

Ubi Servius: *Ideo lactis & sanguinis mentio facta est, quia affirmantur animæ lacte & sanguine delectari*. Et paullò post: *Benè animam lacte & sanguine dicit elicitam ad tumulum. Lacte namque nutritur corpus post animæ conjunctionem, & anima sine sanguine nunquam est, quo effuso recedit*. Victimæ erant I. Animalium. Virg. Æneid. V. 94.

Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
Incertus Geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet: cædit quinas de more bidentes
Totque sues, totidem nigrantes terga juvencos.

Tacit. Hist. II. 95. 2. *Lætum fœdissimo cuique, apud bonos invidiæ fuit, quod, exstructis in campo Martio aris, inferias Neroni fecisset: cæsæ publicè victimæ, cremataque, faces Augustales subdidere*. II. Hominum. Respexit eo Cicer. Flacc. c. 38. *Quam potestis P. Lentule, qui vos in complexus liberorum, conjugumque vestrarum trucidates, incendio patriæ sepelire conatus est, mactare victimam gratiorem, quam si L. Flacci sanguine illius nefarium in vos odium satiaveritis? Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego....* Kirchm. de Fun. Rom. IV. 2. Turneb. Adv. IV. 22. Noris. Cenot. Pisan. Dissert. III. c. 5. Paschal. de Coron. IV. 7. Quenstedt de Sepult. vet. c. 13. Saubert. de Sacrif. c. 5. Ferret. Mus. Lapid. II. 10. Guther. de Jur. man. II. 11. Kipping. Antiq. Roman. IV. 6. 11. Minos in Alciat. Emblem. 117. Nec propinquis tantum hæc propinqui faciebant, sed etiam amici amicis, & maximè viris illustribus, quorum memoriam sanctam haberent, quorumque virtutes admirarentur. Suetonius modò laudatus. Auctor horum Dispiter, unde & vita functis imperare est creditus, teste Diodoro Siculo. *Meurs. de Fun. c. 30. Quenstedt l. l.* II. Hominum. V. infr. in *Sanguis*.

INFERTORES appellabantur structores, qui fercula *inferebant*. Juven. Sat. V. 80.

Aspice, quam longo distinguat pectore lancem,
Quæ fertur domino, squilla, & quibus undique septa
Asparagis, qua despiciat convivia cauda,
Cum venit excelsi manibus sublata ministri.

Ubi habent veteres glossæ, *ministri, infertoris*. Eædem ad illa ejusdem Sat. XI. 142.

Nec frustum capreæ subducere, nec latus Afræ
Novit avis noster tirunculus.

ita explicant, *hoc est, quod vult dicere, infertor noster furtum facere ignorat*. Pignor. de Serv. p. 114. Buleng. de Conviv. IV. 4.

INFESTI dicebantur spectatores favorem denegantes, converso scilicet pollice. Suet. Jul. c. 26. n. 7. *Gladiatores notos, sicubi infestis spectatoribus dimicarent, vi rapiendos, servandosque mandabat*. Cæsar propè tenens, certissimo in vitæ discrimine positos gladiatores illos, qui inter dimicandum spectatores haberent *infestos*, hoc est, minimè faventes, sive, quod esset natura lenissimus, sive quod in muneribus edendis frequentem omninò cuperet habere gladiatorum numerum, quos morti *infestus* populus converso pollice destinabat, eos vi quandoque rapiendos, sibique ad munera reservandos jubebat. *Infestum* quoque pollicem pro converso à Pentadio fuisse positum facilè crediderim Elegia de Spe:

Sperat & in sæva victus gladiator arena,
Sit licet infesto pollice turba minax.

Nimirum ad id respexit poeta, quod in gladiatoriis ludis fiebat nonnunquam. Quamvis enim qui adversario inter dimicandum succubuerat, de more jugulandus esset, ipsumque necis signum daret populus converso pollice; fiebat tamen aliquando, ut populus ipse pro victo intercederet, & jam non alterum convertens pollicem, sed utrumque premens, eum à morte liberaret. *Ferrar. de Acclam. & plaus. II. 13. Politian. Misc. c. 42. Turneb. Adv. XI. 6. Lips. Saturn. II. 22. Erasm. Adag. p. 57.*

INFIBULATIO quid, & quinam *infibularentur*. V. supr. in *Fibula*.

INFREQUENS *appellabatur miles, qui abest, abfuitque à signis*. Cornific. ad Herenn. IV. 27. *Prætereo, quod rei militaris te infrequentem tradidisti*. Plaut. Trucul. II. 1. 19.

Hunc pro infrequente mittas militia domum.

Talis ære dirutus fiebat. Auson. Centon. præfat. *Procedere mihi inter frequentes stipendium jubebis; sin aliter, ære dirutum facies*. Benè *inter frequentes*: nam qui *infrequens*, patiebatur hanc pœnam. Frontin. IV. 1. 48. *Decrevit senatus, ut ea legio tota infrequens referretur, stipendium ei annuum non daretur, æraque rescinderentur*. Lips. de Milit. Roman. V. dial. 18. Thys. Rom. Illustr. V. p. 152.

INFULA est fascia latior, eaque lanea, & alba, quæ ambit eam capitis partem, quæ capillo tegitur, ab uno tempore pertingens ad alterum; & utrinque adstricta, ac dependente vitta. Virg. Æneid. X. 538.

Infula cui sacra redimibat tempora vitta.

Ubi Servius: *Infula, fascia in modum diadematis, à qua vittæ ab utraque parte dependent, quæ plerumque lata est, plerumque tortilis de albo, & cocco*. Erat sacerdotum. Isidor. XIX. 30. *Infula est fasciola sacerdotalis capitis, alba, in modum diadematis, à qua vittæ ab utraque parte dependent, quæ infulam vinciant*. Erat sacerdoti, quod diadema Regi. Virg. Æneid. II. 428.

— nec te tua plurima Panthu
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.

perinde ac si Martem accuset impietatis, qui *infulato* sacerdoti vitam eripere non dubitavit. Magistratuum summorum, ut Romæ consulum. Jornandes memorans libr. de Successor. exactis Regibus urbem Romam fuisse sub auspiciis consulum: *Postremò, Superbi illius importuna dominatio nonnihil, imò vel plurimum profuit. Sic enim effectum est, ut agitatus injuriis populus cupiditate libertatis incanderetur: mutataque regali dominatione, ad consulum infulas se referret*. Paschal. de Coron. iv. 22. Bernart. in Stat. Theb. v. 678. Raynaud. de Pil. & cæt. cap. reg. Sect. xiii. Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 262. b. G. in Spartian. Adrian. c. 6. Potter. Archæol. Græc. ii. 4. Bud. in Pandect. p. 147. I. Laz. Comm. Reip. Rom. ii. 3. Turneb. Adv. xxviii. 6. Brosl. in Cassiodor. Var. ii. 1. Barth. Adv. xlvi. 1. Stuck. de Sacrif. p. 104. Braun. de Vestit. sacerd. Hebræor. ii. 4. §. 24. Casaub. in Spartian. Adrian. c. 6. Buleng. de Imper. Rom. ii. 3: iii. 14. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14. Falcon. de Pyram. C. Cestii Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom iv. p. 1472. C. Saubert. de Sacrif. c. 10.

INFUNDIBULUM fiebat ex ligno excavato, & ære, per quod latices in vasa ex solio *infundimus*. Cato de Re Rust. c. 13. *In torcularium usu quod opus est .... infundibula duo*. Colum. xii. 3. *Raram supra modum velut per infundibulum transmittere imbres*. Grapald. de Part. dom. i. 3. §. 12.

Infundibulum est etiam in molettina, sive molendino, instrumentum, quo machinæ appenso mobilis, & tremulæ ligneæ linguæ percussione ministratur molis frumentum, unde farina fiat. Vitruv. x. 10. *In qua machina impendens infundibulum subministrat molis frumentum*. Philand. in Vitruvium. Bald. Lex. Vitruv.

ING.

INGENUI, ita à Romulo facta est divisio populi, patricii erant, aut plebeji, quorum diversa gens esset. Qui ex duobus *ingenuis* ortus erat, gentem habebat. *Ingenui* enim non dicebantur priscis temporibus libertinorum filii, qui libertini ipsi vocabantur. Sed ex his procreati *ingenuorum* sibi nomen vindicabant. *Gutber. de Vet. jur. pontif.* ii. 7. Multum inter ipsos intererat. Patebat omnibus æquè aditus ad honores, sed ita, si à re familiari parati satis viderentur. Nam neque decurio, qui gradus io militia fuit, esse quisquam poterat, nisi c. millia possideret: neque eques, nisi cb. neque senator, nisi ccꝏ. ita & virtute opus erat, qua præditi magistratus publicum negotium gerere præclarè possent, & fortunis, quæ dignitatem augent, ipsamque quodammodò virtutem exornant. Erat etiam illa inter *ingenuos* differentia, quod qui supra ccb. æris in censum non detulisset, is in militiam legi non poterat. Id adeò causæ fuit, quod res familiaris obsidis vice, pignorisque apud Rempublicam videbatur. Eorum hominum duo genera fuerunt, proletarii, & capite censi. V. illos suis locis. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 1. p. 36. F.* Libertinas uxores ducere non poterant. Hoc declarat SCtum, quo Hispalæ Feceniæ libertinæ concessum fuisse scribit Liv. xxxix. 19. *ut ei ingenuo nubere liceret: neu quid ei qui eam duxisset, ob id fraudi, ignominiæve esset*. Quo patet, libertinis cum reliquis civibus connubia non fuisse. Postea lege Papia cautum est, ut *omnibus ingenuis, præter senatores, eorumque liberos, uxores libertinas habere liceret*. Addit Ulpianus: *Si senator libertinam habuerit uxorem, quamvis interim uxor non sit, attamen in ea conditione est, ut si amiserit dignitatem, uxor esse incipiat*. Et Paullus ex lege Julia subjungit: *Qui senator est, quive filius, nepos, pronepos ve, ex filio, vel ex filia natus, cujus eorum est, erit ve, ne quis eorum sponsam, uxoremve sciens dolo malo habeto libertinam*. Manut. de Leg. Rom. c. 16. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. i. 9. Laurent. de Sponsal. c. 2. Brisson. de Jur. connub. p. 120. Hotoman. de jur. nupt. & matrim. c. 2. Zamosc. de Senat. Rom. i. 16. Lipf. in Tacit. Annal. iii. Excurs. C.

INGRATUS libertus quis, & an in servitutem retrahi potuerit. V. infr. in *Libertis*.

INGUEN dextrum si salierit, utilitatem: cæteris autem inimicos exuperare portendit: sin autem sinistrum, insidias: cæteris autem iter utile enuntiat. *Niphus de Augur.* i. 9.

INH.

INHIBERE remis est sensim retrocedere. Qui enim urgentur ab hoste, non quidem apertè fugiunt, retrocedunt tamen, & majoris securitatis causa frontem obvertunt hosti, navigio sic inclinato, flexoque, ut, cum opus est, possint concurrere; cum non est, flexum peonus convertere in fugam. Justin. ii. 12. 7. *Inhibete remis, & à bello discedite*. Curt. iv. 4. 9. *Quum Tyri inhibentes remis ægrè evellere navem, quæ herebat*. Id ipsum dicit *inhibere* sine adjecto nominis casu Liv. xxxvii. 30. *Inde quum tumultu injecto, quum invellere se ab hoste cupientes inhiberent Rhodii*. Et puppis avertere Nep. xxiii. 11. 6. *Nova re perterriti, cum quid potissimum vitarent, non viderent, puppes averterunt*. Schesser. Mil. Nav. iii. 4. Gronov. Obs. iv. 26. Bud. in Comm. Ling. Græc. p. 242. Salmas. Epist. 113. & 114. Vorst. in Justinum. Pitisc. in Curtium.

INI.

INJICERE manum est verbum antiquum juris, & est propriè, *quoties nulla judicis auctoritate exspectata rem nobis debitam vindicamus*, ut Serv. Æneid. x. 419. Quintil. vii. 7. *Si dubium, aut alteri, aut invicem utrique de jure sit controversia; ut in retali patri in filium patrono in libertum manus injectio sit, liberti hæredem sequantur. Liberti filium quidam fecit hæredem, invicem petitur manus injectio: & patronus negat jus patris illi fuisse, quia ipse in manu patroni fuerit*. Bud. in Pandect. p. 59. A. Brisson. de Form. v. p. 374. Cerda in Virgilium. *Injectionis* hujus formula erat, *hic meus est*. Ovid. Amor. i. 4. 40.

Et dicam mea sunt, injiciamque manus.

ii. 5. 30.

Injiciam dominas in mea jura manus.

Ad hunc vindicationis morem sollennem allusit Virg. Ecl. ix. 9.

Quod nunquam veriti sumus, ut possessor agelli
Diceret: hæc mea sunt, veteres migrate coloni.

Brisson. l. l. Manus injectionem recipere V. infr. in *Recipere*.

INITIA erant sacra, maximè Cereris. Varr. de Re Rust. iii. 1. *Cui consentaneum est, quod initia vocantur potissimum ea, quæ Cereri fiunt sacra*. Cicer. de Leg. ii. 14. *Nam mihi cum multa eximia, divinaque videntur Athenæ tuæ peperisse, atque in vitam hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem, & mitigati sumus: initiaque ut appellantur, ita re vera principia vitæ cognovimus*. Arnob. v. p. 168. *Ut cæteras turpitudinum species persequamur, quas mysteria illa continent sancta, quibus initiis nomen est, & quæ non omnibas vulgo, sed paucorum taciturnitatibus tradita*. *Initiatus* est sacris imbutus. Varr. de Ling. Lat. iv. *Per initiorum dies non initiati templum Cereris impudenter ingressi*. Illis *initiatus* est Augustus. Suet. c. 93. n. 2. *Athenis initiatus, cum postea Romæ pro tribunali de privilegio sacerdotum Atticæ Cereris cognosceret*. Dio li. p. 445. A. *Res Græciæ constituit, & divarum sacris initiatus est*. Saubert. de Sacrif. c. 17. Elmenhorst. & Herald. in Arnobium. Turneb. in Cicer. de Leg. p. 106. Pitisc. in Suetonium. *Initalia* dicuntur Capitol. Anton. Philos. c. 27. Ita enim habet codex bibliothecæ Palatinæ: *Athenis fuit, & initalia Cereris adiit, ut se innocentem probaret*. Hoc μυηθεὶς in eadem historia reddidit Dio. Probavit verò innocentiam Antoninus, quod exesse sacris jubebantur, qui sibi alicujus sceleris essent conscii. Hoc fiebat non solum in Eleusiniis sacris, sed in aliis omnibus, in quibus clamabat sacerdos, & edicebat, exirent omnes, qui se innocentes non esse scirent. Quod eleganter describitur Grat. in 446.

Emicat ipse, manu ramum pallente sacerdos
Termiteum quatiens, procul hinc extorribus ire
Edico præsente deo, præsentibus aris,

Queis

Queis scelus, aut manibus sumptum, aut in pectore motum est,

Inclamat, recidere animis trepidantia membra.

Salmas. in Capitolinum. Illorum ritus fusiùs describunt *Meurs. Eleusin. c. 7. 8. 9. Lomej. de Lustrat. c. 16.*

INITIARI Edusæ & Potinæ sive Poticæ, dicebantur infantes, dum à lacte depellebantur. Eugraph. ad Terent. Phorm. I. I. 15. *Initiare est ad cibum infantem instruere, qui & ipse dies est natalis quodammodo.* Donat. ad eundem: *Legitur apud Varronem initiari pueros Edulia, & Potica, & Cuba, divis edendi, & potandi, & cubandi: ubi primum à lacte, & cunis transierunt:* quod Virg. Ecl. IV. 63.

Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

Hoc adnotavit Probus. Sed Terentius Apollodorum sequitur: apud quem legitur in insula Samothracum à certo tempore pueros initiari more Atheniensium. Non. II. 310. *Varro Cato vel de liberis educandis: cum pro cibo & potione initiarent pueros, sacrificabantur ab edulibus Edusa, & à potione Potina nutrici.* Almelov. Antiq. p. 49. Ego Terentium intelligendum arbitror, non de Edulia, Potica, & Cuba. Nam Athenienses suos liberos Cereri, & Liberæ *initiare* solebant, quod ita notum est omnibus, qui mediocriter in literis Græcis sunt versati, ut testimoniis confirmare velle, sit rebus non dubiis fidem quærere. *Turneb. Adv. III. 6.*

INJURIA est non cavere, quod cavari debuit, & potuit, ut is, qui eo loco jaculatur, ubi vel nulli, vel soli se milites exercere solent. *Injuria* demum erat, quæ aut pulsatione, aut convicio, aut turpitudine corpus, aures, aut vitam alicujus violavit, aut nostram, aut alterius in contumeliam nostram. De ea sic in XII. *Si injuriam alteri faxit*, XXV. *æris pœna sunto. Si membrum rupit, nisi cum eo pacit, talio esto. Si os fregit. . . . æris sunto.* Gell. XX. 1. Justinian. III. Prætores inde permiserunt, ut passi *injuriam* pro arbitrio æstimarent, secundum gradum dignitatis, & vitæ honestatem. *Sigon. de Judic. I. 5. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 2. c. 36. Injuria* nomine & vis, non modò publica, verùm etiam privata continetur. Nam L. Sylla, ad arcendam vim, legem tulit de injuriis. V. illam infr. in *Lex*. Has leges magna ex parte lex Aquilia de *injuria*, ab Aquillio tribuno plebis rogata correxit: de qua mentionem facit Ulpianus his verbis: *Lex Aquilia omnibus legibus, quæ ante de damno injuriave locuta sunt, derogavit, sive lex XII. tab. sive alia quæcunque fuerit.* Manut. de Legib. c. 30. De illa facta qui se purgare volebant, jurejurando id faciebant. Duplici autem modo ea res transigebatur. Interdum enim jurabant, se non fecisse, l. lex Corneliа §. hac lege: *Hac lege permittitur actori jusjurandum deferre, ut reus juret, injuriam se non fecisse.* Interdum satisfaciebant. Mart. XII. 80. 1.

Nil unse scripsi Bithynice: credere non vis,

Et jurare jubes: malo satisfacere.

Ovid. Rem. Amor. II. 697.

——qui dicit multa puella

Probra, satisfieri postulat ille sibi.

Satisfacturi olim jurabant se agnoscere, quod indigno eam *injuriam* intulissent, eaque res vindicabat læsum ab infamia. Qui sine illa satisfactione hujusmodi offensas condonabant, habebantur vel ignavi, quod ultionem non audebant expetere, vel ita flagitiosi, ut in legibus, & judiciis spem nullam vindictæ haberent. Svet. Jul. c. 73. n. 4. *Valerium Catullum, a quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulaverat, satisfacientem eadem die adhibuit cœnæ.* Ejusmodi formula utebantur, *nolle esse dicta, nolle hanc injuriam factam esse, nolle factum.* Plaut. Amph. III. 2. 7.

——quin ego illum aut deseram,

Aut satisfaciat mihi: atque adjuret insuper,

Nolle esse dicta, quam me insontem protulit.

Terent. Adelph. II. 1. 8.

Tu quod te posterius purges, hanc injuriam mihi nolle

Factam esse, hujus non faciam: credo hoc; ego meum jus persequar:

Neque tu verbis solves unquam, quod mihi re male feceris.

Novi ego vestra hæc; nollem factum: jusjurandum dabitur, te esse

Indignum injuria hac; indignis quum egomet sim acceptus modis.

Brisson. de Form. VIII. p. 716. Nann. Misc. II. 7. Turneb. Adv. XVIII. 25. Muret. Var. Lect. XII. 7. Scalig. in Festum in manticularum. Broukh. in Tibull. II. 5. 104. Laurent. de Rebuspubl. c. 4. Torrent. & Pitisc. in Svetonium.

INQ.

INQUIRENDI dies, si reus, legibus interrogatus, inficiatus esset crimen, à magistratu petebantur, maximè in causa repetundarum, ut in causa Verris. Verres primum delatus, agitata divinatio, lege interrogatio, lite contestata *inquisitio*, demum accusatio, & damnatio. Magistratus enim, qui sese improbè gesserant in administranda provincia, post missum successorem, postulari ab iis, quos concussionibus, & latrociniis vexaverant, causam dicebant repetundarum, ex lege Acilia, deinde Cornelia, & Julia. Sed de admissis via constare poterat, nisi qui delationem obtineret, impetraret certos dies ad peragrandam provinciam, in qua grassatus erat reus, ut in omnia *inquireretur*. Est enim *inquirere*, quod vulgo dicimus, facere enquestam, & informationem, colligere, & conquirere argumenta inartificialia undequaque ad reum convincendum. Hoc muneris dabatur I. Accusatori. Cicer. Proœm. Verr. c. 2. *Itaque cum ego diem inquirendi in Siciliа postulavissem perexiguam, invenit iste, qui sibi in Achajam biduo breviorem postularet.* II. Reo. Plin. Epist. V. 20. 2. *Inducti in senatum inquisitionem postulaverunt: tum Varenus petiit, ut sibi quoque defensionis causa evocare teste liceret, recusantibus Bithynis cognitio suscepta est.* n. 6. *Censuit Acilius Rufus, consul designatus, inquisitionem Bithynis dandam: postulationem Vareni silentio præteriit. Hæc forma negandi fuit: Cornelius Priscus consularis, & accusatoribus, quæ petebant, & reo tribuit, vicitque numero. Impetravimus rem, nec lege comprehensam, nec satis usitatam, justam tamen.* III. Legatis extra ordinem, ut hodie fit commissariis. Plin. Epist. III. 19. 11. *Norbano non ordo legis, non legati nomen, non inquisitionis officium præsidio fuit.* n. 36. *Summo die Salvius Liberalis reliquos legatos graviter increpuit, tanquam non omnes, quos mandasset provincia, reos peregissent.* Pollet. For. Rom. IV. 9. Brisson. de Form. V. p. 575.

INS.

INSCRIBERE loco eminentiore solebant nomen suum in fronte ædis, qui illam novam, vel restitutam dedicassent. Arnob. VI. p. 193. *Templa, quæ tholis sunt aureis, & sublimibus elata fastigiis, auctorum inscriptionibus comprobantur.* Romæ in Pantheo:

M. AGRIPPA. L. FILIUS. COS. TER-
TIUM. FECIT.

Hoc cum Septimius Severus, & M. Aurelius Imperatores restituissent, scripserunt ad ominis sui immortalitatem:

IMP. CÆS. L. SEPTIMIUS. SEVER.
PIUS. PERTINAX. ET. IMP. CÆS. M.
AURELIUS. ANTONINUS. PAN-
THEUM. VETUSTATE. COLLA-
PSUM. CUM. OMNI. CULTU. RES-
TITUERUNT.

Cum victore Sylla Capitolium conflagrasset, curamque ille suscepisset deorum sedem amplissimam reparandi; hoc solum felicitati suæ negatum questus est, quod non dedicarit. Plutarch. Syll. p. 104. E. Tacit. Hist. III. 72. 6. Huic operi Q. Catulli nomen inscriptum est. Plin. XIX. 1. Quod ita Julium Cæsarem perturbavit, ut hoc maximè prætor egerit, ut Q. Catuli nomen à Jovis Capitolini templo tolleretur. Svet. c. 15. n. 1. Sed hoc tamen inter

tot

tot Cæsarum opera usque ad Vitellium mansit. Tacit. l. l. Licèt huic repugnet Dio XLIII. p. 220. C. Hæc *inscribendi* nominis consuetudo non in templis solum, sed in signis, monumentisque publicis ambitiosè quæsita est. Ut cum *Segestanis Diana redderetur, illa in excelsa basi posita est, in qua grandibus literis P. Africani nomen incisum erat, eum Carthagine capta restituisse*. Cicer. Verr. IV. 34. Quin etiam *omnium municipiorum foris statuæ ornamentum fuerunt, & honores legendi ævo basibus inscripti*. Plin. XXXIV. 4. *Gutther. de vet. jur. pont.* III. 12.

Inscribere mercede ædes est illas velle locare. Terent. Heaut. I. 1. 92.

—— inscripsi illico
Ædes mercede.

Vox *merces* additur, ne de venditione intelligatur: nam æquè domus, quæ venditur, quàm quæ locatur, *inscribi* potest dici. Merces verò significat omne id, quod ex agris locatis, pecunia sub usuris credita, & aliis rebus, quarum proprietas ad nos, usus ad alios pertinet, redigimus. V. infr. in *Merces*. Cuper. Obs. I. 17. Salmas. de Mod. usur. c. 15.

INSCRIPTIO crucis astrictionem sequebatur. Erat causa supplicii, & ipsum crimen. Romana voce vocabatur *titulus*. V. infr. in *Titulus*. Lips. de Cruc. II. 11.

Inscriptio sepulcrorum adeo fuit propria, ut vix sine illa monumenti nomen, vel memoriæ tueri possint. Unde Servius . . . . *Locus ustrina dici solet, operis constructio sepulcrum, inscriptum nomen memoria, atque monumentum*. Et se legendis sepulcris in memoriam mortuorum redire testatur Cato apud Cicer. de Senect. c. 7. *Nec sepulcra legens, vereor, quod ajunt, ne memoriam perdam, his enim ipsis legendis redeo in memoriam mortuorum*. Græcis *ἐπιγραφὴ* vocatus. Interdum concipiebatur prosa oratione, interdum versibus. V. infr. in *Titulus*. Solebat minio plerumque signari, ut clarior esset, & à viatoribus tantò faciliùs legi posset. Plin. XXXIII. 7. *Minium in voluminum scriptura usurpatum, clarioresque literas, vel in auro, vel in marmore, etiam in sepulcris facit*. Kirchm. de Fun. Rom. III. 19. Bergier. de Viis milit. II. Sect. 39. §. 2. Brisson. de Form. VIII. p. 691. Salmas. Exerc. Plin. p. 858. b. A. Bortemans. Var. Lect. c. 4. Exprimebatur hisce plerumque verbis D. M. vel D. M. S. vel disertim DIS MANIBUS SACRA. Prudent. in Symmach. I. 402.

Ecce deos manes cur inficiaris haberi?
Ipsa patrum monumenta probant. DIS MANIBUS illic
Marmora secta lego.

Gell. X. 18. *Id monumentum Artemisia cum DIS MANIBUS SACRIS Mausoli dicaret*. Kirchm. l. l. Sequebantur defuncti I. Nomen. Senec. Epist. 60. *Qui latitant & torpent, sic in domo sunt, quomodo in conditivo. Horum licet in limine ipso nomen marmori inscribas, mortem suam antecesserunt*. Prop. II. 1. 81.

Quandocunque igitur vitam mea fata reposcent,
Et breve in exiguo nomine marmor ero.

Ovid. Met. VIII. 539.

Affusæque jacent tumulo: signataque saxo
Nomina complexa, lacrymas in nomina fundunt.

Laber. apud Macrob. Sat. II. 7.

Sepulcri similis nil nisi nomen teneo.

II. Parentes, patria, & familia. Callim. Epigr. XVI. 1.

Quæ tu Timonoe es? proh Jupiter, haud ego nossem
Te, nisi vidissem, nomen inesse patris
Timothei cippo, Methymnaque urbis.

Theophr. Charact. c. 14. *Si uxor obierit, monumento ejus & mariti, & patris, & matris nomina inscribere, itemque cujas ipsa sit: tum hoc elogium insuper adjicere, singulari omnes probitate erant*. Kirchm. l. l. Morest. Pomp. Feral. VIII. 13. III. Res gestæ, quibus præclarum sibi nomen pepererant. Sic Augustus res suas columnis æneis ad sepulcrum suum collocatis insculpi jussit. Dio LVI. p. 591. B. *Altero continebatur enumeratio rerum à se gestarum, quas incidi in columnas æneas, ac statui ante suum sepulcrum jussit*. Plutarch. in Syll. p. 475. E. *Monumentum Syllæ in campo Martio est, inscriptionem ab ipso ferunt conceptam, & relictam, cujus hoc caput est, se neque ab ullo amicorum beneficiis, neque ab ullo inimico maleficiis superatum fuisse*. Talis fuit Virginii Rufi, qui sepulcro suo incidi jussit hoc carmen teste Plin. Epist. VI. 10. 4.

Hic situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam
Imperium asseruit non sibi, sed patriæ.

Quam sic extulit Xiphil. LXVIII. p. 770. C. *In cujus mortui sepulcro inscriptum fuit, eum, superato Vindice, nequaquam sibi imperium asseruisse, sed patriæ*. IV. Spatium vitæ, sive anni, menses, dies, & horæ, quot vixissent. Inscriptio:

VALERIA. TROPHIMA. FILIO. DULCISSIMO. ET. PIENTISSIMO. ET. FRUGALISSIMO. VIXIT. ANNIS. XXIX. MENS. VIII. DIES. XVI. HORIS. VII.

Mart. V. 36. 3.

Impletura fuit sexta modo frigora bruma,
Vixisset totidem ni minus illa dies.

Vult enim dicere, ipsam vixisse annos 5. menses 11. & dies 25. V. Matrimonii tempus. Inscriptio Romæ in veteri tabella marmorea ad aquam virginem, in horto familiæ Bubalorum:

VEJANIUS. SMETENIAMUS. LICINIÆ. DEMETRIANÆ. CONJUGI. KARISSIMÆ. CUM. QUA. FECIT. ANNOS. IX. M. VI. D. XXV.

Si matrimonium fuisset placidum, & tranquillum, illi addebatur: *sine querela, sine offensa, sine jurgio* . . . . Illarum clausularum plenissimæ sunt *inscriptiones*. Plin. Epist. VIII. 5. *Grave vulnus Macrinus noster accepit. Amisit uxorem singularis exempli etiam si olim fuisset. Vixit cum hac XXXIX. annis sine jurgio, sine offensa*. VI. Mortis causa interdum, nunc ad gloriam, nunc ad commiserationem. Fuitque hoc ipsum moris admodum vetusti. Theocr. Idyll. XXIII. 46. ex Heinsii versione:

Hoc quoque carmen habe, paucis quod ductibus addam:
Sustulit hunc crudelis Amor, ne perge viator:
Sed procul absistens, dic, sævum ardebat amicum.

Tibull. III. 2. 27.

Sed tristem mortis demonstret litera causam.
Atque hæc in celebri carmina fronte notet:
Lygdamus hic situs est: dolor huic, & cura Neæræ
Conjugis ereptæ causa perire fuit.

Sic Nursini *Mutinensi acie interemptorum civium tumulo publicè exstructo adscripserant, PRO LIBERTATE EOS OCCUBUISSE*. Suet. August. c. 12. n. 2. *Kirchm. ibid. c. 20. Brisson. ibid. p. 692. Morest. l. l. Meurs. de Fun. c. 32. Broukh. in Tibullum*. Hæ ferè nunquam sine siglis reperiebantur, ut multis docet *Nicol. de Sigl. Vet. c. 31.*

Inscriptio statuarum, & imaginum vocabatur index. V. supr. in *Index*. & titulus. V. infr. in *Titulus*.

Inscriptio erat quoque supplicii genus antiquum, quo summa irrogabatur ignominia, cum liberi hominis facies signis perpetuò mansuris, profundis characteribus inurebatur. Senec. de Ira III. 3. *Varia pœnarum genera, lacerationes membrorum, inscriptiones frontis*. Suet. Cal. c. 27. n. 4. *Multos honesti ordinis deformatos prius stigmatum notis condemnavit* . . . Etiam fugitivorum, & servorum, si quid gravius deliquissent, pœnæ nomine, facies aut literis, aut aliis quibusdam notis per ignominiam inurebantur. Unde *στιγματίαι*, id est, *notis compuncti* dicebantur. Pollux III. 7. 2. *literati*. Plaut. Cas. II. 6. 49.

Si hic literatus me sinat.

inscripti. Mart. VIII. 75. 9.

Quatuor inscripti portabant vile cadaver.

Et illorum *vultus inscripti*. Plin. XVIII. 3. *At nunc eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inscriptique vultus exercent*. Auson. Epigr. XV. 3.

Ergo notas scripto tolerasti Pergame vultu:
Et quas neglexit dextera, frons patitur.

Veræ literæ *inscribebantur* fronti, uno vultu sæpè toti. Literæ aut plura verba, quæ crimen continerent, causam-

que

quæ notæ: puta, *cave à fure, à fugitivo*. . . . Senec. de Ben. IV. 37. *Improbissimo militi, ingratissimo hospiti, avidissimo naufrago stigmata inscriberet ingratum hospitem testantia*. Optimè Petron. c. 63. *Implevit Eumolpus frontem utriusque ingentibus literis, & notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit*. Interdum & plures versus. Zonar. III. duos quospiam monachos, quia Imperatorem Theophilum liberius monuissent, inter alias ignominias, *inscriptos* ait: & quidem ita, ut duodecim versuum epigramma exciperet illa vultus, ut sic dicam, tabula: *Deinde facies eorum compunxit, & notis illis hos Jambicos versus atramento infuso expressit*; additque ipsos versus probos, plenos. Ratio *inscribendi* ita habuit: ut primum literæ, sive notæ inurerentur candenti ferro. Juven. Sat. XIV. 21.

Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti duo propter lintea ferro.

Alius quidam poeta de Ctisolœcho apud Athen. III. p. 109. D.

Claudus, notis compunctus, ac inustus.

Val. Max. VI. 8. *Servus inexpiabili nota per summam oris contumeliam inustus*. Post inustionem atramentorum subinde infunderetur, quo eminerent magis literæ, & lectui se præberent. *Lips. Elect.* II. 15. *Hugo de Prim. scrib. orig.* c. 19. *Rhod. in Scrib. Larg.* p. 310. *Long. de Anul.* c. 11. *Pignor. de Serv.* p. 170. *Dousa, Præcid. in Petron.* II, 6. *Rhodig. Ant. Lect.* VII. 31. *Laurent. de Torment.* c. 7. *Vinet. ad Ausonium. Herald. ad Martialem. Signor. de Serv.* p. 27. *Cujac. Observ.* VII. 13. *Potter. Archæol.* I. 10. *Nicol. de Sigl. vet.* c. 25. *Brod. Miscell.* IV. 24. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 1. 3. Manus quoque tyronum aliquando *inscribebantur*, & signabantur. Veget. I. 8. *Sed non statim punctis signorum scribendus est tyro*. II. 5. *Nam victuris in cute punctis milites scripti jurare solent*. Vera hæc fuerunt stigmata. Aetius VIII. 12. *Stigmata vocant, quæ in facie, aut alia parte corporis inscribuntur, qualia sunt militum in manibus*. Suspicor nomen Imperatoris ibi scriptum fuisse. Augustin. Epist. 50. *Neque enim si quisquam regio charactere à signato desertore signetur, & accipiat indulgentiam: atque ille redeat ad militiam, ille autem esse in militia, in qua nondum erat, incipiat; in aliquo eorum character ille rescinditur, an non potiùs in ambobus agnoscitur, & honore debito, quoniam regius est, approbatur?* Qui dum regium characterem appellat, non est dubium quin de illo sentiat. An hoc à sacris petitum? Dici possit. Nam quos deo alicui consecrabant, & initiabant, hos stigmatibus inurebant. Prudent. Περὶ στεφ. X. 1076.

Quid cum sacrandas accipit sphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus,
His membra pergunt urere; utque igniverint,
Quamcunque partem corporis fervens nota
Stigmarit, hanc sic consecratam prædicant.

Potuit exemplo quodam pravæ religionis primò hoc induci, ut talis quasi consecratus militiæ ostenderetur: tum etiam ab hac causa, ut agnosci posset, nec latitaret. Eam Imperatores Arcadius & Honorius, l. 3. C. de Fabric. præierunt: *Stigmata, hoc est, nota publica fabricensium brachiis ad imitationem tyronum infligantur, ut hoc saltem modo possint latitantes agnosci*. Lips. de Milit. Rom. I. Dial. 9. Turneb. Adv. XXIV. 12. Hugo l. l. Stevvech. in Vegetium. Lyd. de Milit. Roman. I. 6. Nicol. de Sigl. vet. c. 26. §. 13. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 12. Cujac. ad Codicem.

INSEPULTORUM pœnam apud inferos observamus in Plaut. Most. II. 2. 68.

Nam me, inquit, in Acherontem recipere Orcus noluit,
Quia præmaturè vita careo, per fidem
Deceptus sum, hospes hic me necavit, isque me
Defodit, insepultum.

Ex quo *insepultos* non solum dicuntur ii, quorum corpora Exquiliniis alitibus exponuntur, aut quorum

—crux futura est sepulcrum,
Ubi majores sunt siti, avus, proavus, abavus.

ut jocatur Sceledrus Plaut. Mil. II. 4. 19. sed qui etiam defossi sunt sine glebæ, vel terræ injectione. Horum enim *insepulta sepultura*, ut Cicer. Phil. I. 2. qui inferorum exsules

Centum errant annos, volitant & littora circum.

Virg. Æneid. VI. 329. Hæc illos pœna gravior post mortem manere videbatur. Quamobrem Vespasianus tum præter pœnæ conjuratorum Caligulæ addendum censuit, ut *insepulti* abjicerentur. Suet. Vesp. c. 2. n. 8. *Guther. de Jur. man.* I. 8.

INSICIA. V. illa infr. in *Isicia*.

INSIGNIA sunt propria alicujus ornamenta, quibus ab aliis distinguitur, ut definit Accurs. l. 2. in princ. in vers. insign. ff. de his qui not. infam. Ideo inventa sunt, ut his honestatus cæteris spectabilior videatur. Quare qui aliis excellit ab *insignibus insignis* dicitur, l. quicunque C. de procur. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient.* c. 22.

Insignia consecrationis Augustarum in nummis hæc ferè notantur, templa, pavones, sacerdotes, carpentum. Templum Juliæ Augustæ pulcerrimum in nummis expressum est. Pavones Junoni, ut aquilæ Jovi, sacræ Augustas in cœlum ferunt, illarumque consecrationem designant. Sacerdos in nummo Faustinæ Antonini, dextra imagunculam, sinistra faciem inversam tenet. Carpenta, aut thensæ diis tantum, aut semideis decernuntur, quibus cœlestis origo delata est. *Guther, de Jur. man.* II. 6.

Insignia consularia, quæ & ornamenta dicuntur, fuerunt trabea, stola latis clavis distincta, scipio, calcei aurati, sella curulis à Principe data, aut permissa. Tacit. Annal. XIII. 10. 1. *Eodem anno Cæsar consularia insignia Asconio Labeoni, quo tutore usus erat, petivit à senatu*. Hist. IV. 4. 3. *Adduntur primo Antonio consularia insignia*. Guth. de Offic. dom. Aug. II. 5. Buleng. de Imperat. Roman. I. 18. Imper. Rom. II. 14.

Insignia deorum in statuis consecratorum erant fulmen, radius, astra. Quorum simul meminit Lucan. VII. 458. V. illum supr. in *Hasta*. Figrel. de Stat. Rom. c. 32.

Insignia familiarum in scutis depingebant, & præclara à parentibus gesta repræsentabant. Virg. Æneid. VII. 657.

—clypeoque insigne paternum
Centum angues, cinctamque gerit serpentibus hydram.

Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 38.

Insignia magistratus sunt sellæ curules, in quibus jus dicebant: quæ inter honores summos computatæ sunt. Tacit. Annal. II. 83. 1. *Honores, ut quis amore in Germanicum, aut ingenio validus, reperti, decretique: sedes curules sacerdotum Augustalium locis, superque eas corona quercea statuerentur*. Guther. de Offic. dom. Aug. II. 16.

Insignia magistri militum erant non tantum ipsorum magistratuum, sed & legionum, cohortium, & vexillationum equitum symbola, quæ ipsi in clypeis, aut vexillis depicta gerebant, nec mutare, aut deferere poterant. A Principe enim inventa ex laterculo mittebantur. Hæc Veget. II. 18. *Digmata* vocat, quæ diversis imaginibus descripta, velut ænigmata, mysticum sensum continent. Hæc pro tesseris Honorius usurpat. *Clandestinum*, inquit, *ad collegas digma mittat*, l. 6. C. Th. de fiurtis. Ab his *insignibus* Itali militum vexilla hodie *insignia* appellant. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient.* c. 22.

Insignia præfecti prætorio erant pilæ auratæ, & erectæ habentes vultus Principis, & mensam tapeto ornatam, in qua candelabra quatuor hinc inde deposita, luminibus ardentibus apta: atque in medio eorum codex, sive mandatorum liber, duabus fibulis occlusus, in cujus integumenti umbilico imago item Principis impressa est. Carpentum quoque quadrijugum. *Guther. de Offic. Dom. Aug.* II. 16. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient.* c. 22. *Buleng. de Imperat. Roman.* III. 3.

Insignia rectorum provinciarum eadem ferme erat, liber scilicet mandatorum abaco impositus substrato tapete. Iisdem vultus Principum in summa aurea pala expressi præferebantur. Iidem purpura, & torque aureo coronabantur. Tertull. de Idolol. c. 18. *Igitur purpura illa, & aurum cervicis ornamentum eodem more apud Ægyptios, & Baby-*

Babylonies insignia erant dignitatis, quo more nunc prætexta, vel trabea, vel palmata, & corona aurea sacerdotum provincialium. Buleng. de Imp. Rom. II. 2.

Insignia Regum sociis bene meritis Romani contulerunt, sellam eburneam, scipionem, coronam. Dionys. v. p. 303. *Romanus senatus cum Tyrrhenis abeuntibus convenisset, decrevit Porsenæ thronum eburneum, & sceptrum, & coronam auream, & vestem triumphalem, qua Reges ornari sueti.* Liv. xxx. 15. *Scipio in tribunal ascendit, & Massanissam Regem appellatum aurea patera, aurea corona, sella curuli, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donavit.* Tacitus. V. illum infr. in *Socii*. Buleng. de Imperat. Rom. III. 5. Illa omnia à veteribus Etruscis transtulit Tarquinius Priscus. Flor. I. 5. 5. *Duodecim Tusciæ populos frequentibus armis subegit. Inde fasces, trabea, curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta; inde toga picta, tunicaque palmata: omnia denique decora & insignia, quibus imperii dignitas eminet.* Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. 8. A.

Insignia senatorum erant lati clavi, calcei, publice epulandi jus, locus ludis honestissimus. Præter hæc in provinciis lictorum quoque & apparitorum pompa. V. infr. in *Senator*.

INSINUARE est veluti in sinum audientis sensum suum immittere: & *insinuatio* apud Rhetoras clara est ex Quintil. IV. 1. *Eo quidem exordium in duas dividunt partes, principium, & insinuationem: ut sit in principiis recta benevolentiæ, & attentionis postulatio.* Argol. ad Panvin. de Lud. Circens. I. 11.

Insinuare est in acta referre. Leo A. l. 30. in hac C. de donat. *Donationes apud magistratum census insinuentur*, id est, actis inserantur. Anastasius ibid. l. 32. *Secundum divi Leonis constitutionem donationes apud virum clarissimum magistrum census insinuari præcipimus.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 14. Etiam publicare, notum facere, & denuntiare. Et qui jussiones magistratibus perferebat, *insinuator sacrarum literarum* dicebatur, l. 2. C. public. lætit. *Constitutio vult singulas provincias insinuatoribus sacrarum literarum sex solidos dare.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. 8.

INSITIO arborum à Saturno primùm in Italia evulgata est. Macrob. Sat. I. 7. *Hunc deo insertiones surculorum, pomorumque educationes, & omnium ejuscemodi fertilium tribuunt disciplinas.* Aliter Lucretius, qui hunc Saturno honorem dare non vult v. 1363.

At specimen sationis, & insitionis origo,
Ipsa fuit rerum primum natura creatrix:
Arboribus quoniam baccæ, glandesque caducæ
Tempestiva dabant pullorum examina subter.
Unde etiam libitum est stirpes committere ramis,
Et nova defodere in terram virgulta per agros.
Inde aliam atque aliam culturam dulcis agelli
Tentabant, fructusque feros mansuescere terra
Cernebant indulgendo, blandèque colendo.

Hujus cura arbores sylvestres & feræ agrestem naturam paullatim exuunt, adoptione melioris. Varr. de Re Rust. I. 40. *In quamcunque arborem inseras, si ejusdem generis est duntaxat, ut sit utraque malus, ita inserere oportet, referentem ad fructum, meliori genere, ut sit surculus, quàm est, quo vinitur arbor.* Pallad. de Re Rust. XIV. 6. 1.

Insita proceris pergit concrescere ramis,
Et sociam mutat malus amica pyrum.
Seque feros sylvis hortatur linquere mores,
Et partu gaudet nobiliore frui.

Broukh. in Tibull. II. 1. 43.

INSOLATIO erat corporis exercitatio apud gymnastas usitata, quæ in libris medicorum ἀλέωσις & ἡλίωσις dicitur. Veteres inter quotidiana præsidia valetudinis habebant, jacere in sole. Plin. Epist. III. 5. 10. *Æstate, si quid otii, jacebat in sole.* aut ambulare nudos in sole. Plin. Epist. III. 1. 8. *In sole, si caret vento, ambulat nudus.* Hoc uti sole dicit Plin. Epist. VI. 16. 5. Avunculus meus *usus est sole.* *Insolare* est in sole ponere. Colum. XII. 27. *Uva commodius insolata percoquuntur.* Et *insolatio* est siccatio in sole apud Plin. XXI. 14. *Candidissima fit etiam post insolationem recocta.* Alii uncti utebantur sole, alii sine unctione. Illum solem unctum, quo uncti calefiebant, quæ fuit ξηραλοιφεῖν veterum: hunc solem assum appellat ad hunc morem alludens Cicer. Attic. XII. 6. *Pro isto asse sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, à te nitidum solem unctumque repetemus.* Casaub. in Pers. Sat. IV. 32. Buchner. in Plin. Epist. VI. 16. 5.

Insolatio fuit & aliis lascivorum hominum, quando nudi ad solem expositi operam dabant dropacistis, qui inhonestas partes corporis depilabant. Hæc est cura cutis ad solem, quam exagitat Pers. Sat. IV. 17.

Semper & assidua curata cuticula sole.

n. 32.

At si unctus esses, & figas in cute solem.

Figere in cute solem, poetica figura, pro exhibere cutem ad solem, cum diuturniore mora. Hoc enim significat figere. Senec. de Brev. vit. c. 13. *Persequi singulos longum est, quorum aut latrunculi, aut pila, aut exsequendi in sole corporis cura consumpsere vitam.* Casaub. in Persium.

INSOMNIA mane aqua calida, aut generoso temeto antiqui expiabant. Aristoph. Ran. v. 2. 81.

Agite ministri, facem accendite,
Rorem è flumine urnulis haurite,
Lympham calfacite,
Ut divinum somnium expiem.

De mero Matt. XI. 50. 7.

Amphora nunc petitur nigri cariosa Falerni,
Expiet ut somnos garrula saga meos.

Butius de Potu Antiq. c. 12.

INSPICIUM erat sollennis vox in sacrificiis. Tertull. Adv. Marc. I. 12.

Nascentum geneses constringere; posse videri
Extorum inspiciis, resque expectare futuras.

Hinc Matt. Capell. II. p. 39. hæc verba: *Tages sulcis emicuit, & ritum statim gentis, sypnumque monstravit*, emendo, & lego: *& ritum statim gentis, inspiciumque monstravit.* Barth. Adv. XXV. 11. Buleng. de Sort. c. 6.

INSTAURARE est ἀνανεοῦν, ἀνανέωσαι, σφάξαι, *mactare.* Gloss. Hesych. Hinc *instaurare diem donis* est sacrificia repetere. Virg. Æneid. IV. 63. Ubi Servius: *Instaurat ideo, quia jam supra sacrificaverat.* Sacra enim, si polluta essent, rursus perficiebantur. Ut cum Clodius sacra bonæ deæ polluisset, Virgines cum pontificibus nefas esse duxerunt, & *instaurarunt.* Latinæ feriæ *Pontificum decreto instaurata sunt: quod legati ab Ardea questi in senatu erant, sibi in monte Albano Latinis carnem, ut assolet, datam non esse.* Liv. XXXII. 1. *Guther. de Vet. jur. pontif. I. 21: III. 22. Perion. de Græcor. & Roman. magistrat. III. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2806. D.*

INSTITA est limbus, sive fascia, quæ matronarum stolæ subsuebatur. Horat. Sat. I. 2. 29.

—— sunt, qui nolint tetigisse, nisi illas,
Quarum subsuta talos tegit instita veste.

Ubi Acron: *Quia matronæ stola utuntur demissa usque ad imos pedes, cujus imam partem ambit instita subsuta.* Voss. Lex. Etymol. Fallitur Acron, vestis enim *instita* subsuebatur. Rectiùs Porphyrio: *Matronas significat. Hæ enim stola utuntur ad imos pedes demissa, cujus imam partem ambit instita assuta.* Ovid. de Art. I. 31.

Este procul vittæ tenues, insigne pudoris,
Quæque tegis medios instita longa pedes.

Ferrar. de Re vest. I. 3. 17. Rhod. in Scribon. Larg. p. 206.

Instita est etiam extra vestem fascia, qua vinciebant. Petron. c. 20. *Duas institas ancilla protulit de sinu: alteraque pedes nostros alligavit, altera manus.* Scribon. Larg. c. 33. *Oportet ventrem constringere instita longa.* Talibus mortuos involvebant. Papias: *Instita sunt parva linteola, quæ mortuum involvunt.* Hieronymus: *Lazarus institis vinctus jacuerat in sepulcro.* Voss. Lex. Etymol. Cujac. Obs. XII. 24. VVouvver. & Erhard. in Petronium.

INSTITOR *est qui tabernæ, locove, ad emendum, vendendumque præponitur: quique sine loco ad eundem actum præponi-*

ponitur. Ulpian. l. 18. ff. de instit. act. & Paull. ibid. l. 3. Horum mentio, fit l. 2. ff. de usu & habit: *Servus, cujus mihi usus legatus est, acquirit mihi, si institor sit, & operis ejus utar in taberna*, l. 13. §. 2. ff. de institor. act. *Si duo, pluresve tabernam exerceant, & servum, quem ex disparibus habebant partibus, institorem præposuerint*. . . Pignor. de Serv. p. 349. Voss. Lex. Etymol. Sigon. de Judic. 1. 17. Ant. Jur. civ. Rom. II. 10. Brisson. de Form. VI. p. 540. Schill Nomencl. Philol. p. 620.

INSTITUTIONES sunt libri, quibus prima elementa docendæ alicujus artis, aut scientiæ ita concluduntur, ut rudis aliquis per gradus ad ejus cognitionem pervenire possit. Sic apud veteres ICtos *Institutiones* legimus scripta brevia, at pernecessaria tamen præcepta venientia ad finem juris civilis, ut illis lectis, atque cognitis certa fundamenta habeantur, ad quæ latior, & consummata notitia referri possit. Sic in humanis, & divinis literis libros eodem titulo habemus. Ut sunt *Institutiones* oratoriæ Quintiliani, Vegetii rei militaris, Lactantii rerum divinarum, Vitruvii Pollionis architectonicæ, Cassiani denique rerum ad monasticam vitam absolvendam observandarum. Tales etiam quas Justinianus juri civili à se in corpus quoddam redacto præposuit, ut adolescentes velut certa inde elementa, atque fundamenta haurirent, quibus immissi amplissimam juris, & constitutionum seriem aggrederentur. Sunt tamen, qui eum elegantissimum libellum *Instituta* inscribere malint, avocati etiam auctoritate Græci metaphrastæ Theophili; quod vocabulum, si eodem modo capiatur, idem certè etiam significabit, tamen per translationem hoc fiet, cum *Instituta* alioquin sint ea quæ docentur, aut jam docta sunt potius, vel quæ lege, aut consuetudine in mores recepta, auctoritate quadam constituendum servantur. Pariter verò in veteribus manu exaratis libris Vegetii rei militaris *Instituta* inscribuntur, & Cassiani etiam codices idem præferunt. Ego tamen subbarbarum aliquid sonare existimo, & translationem talem esse, quali opus ad perfectiorem titulum sollicitandum è manibus studiosorum non existimem. *Barth. Adv.* II. 17.

INSTITUTUM differt à more. Nam qui primus egregii quicquam in Republica gessit, adeo ut ejus exemplum polleri ultro sint secuti, is auctor *instituti* prædicatur. Ubi verò consuetudo aliqua teneri ignorato exempli auctore cœpit, mos majorum appellatus est. Quia ergo *institutum* antiqua observatio est, cujus auctor aliquis celebratur, profectò nihil inauspicato agere, *instituto* agebatur, quia Romulus, & deinceps cæteri nihil nisi captatis ante auspiciis est unquam aggressus. Collegam in demortui collegæ locum sibi subrogare, *instituto* custodiebatur; quia Valerius mortuo Bruto id fecit: eamque posteritas omnis est imitata. Divortium cum uxore liberorum quærendorum causa, *instituto* tenebatur, quia C. Carvilio Ruga auctore factitatum ab omnibus est. More autem majorum cum alia fieri dicuntur, tum ea, quæ jam inde à majoribus *instituta* sine ulla interruptione consuetudinis etiam usurpantur: ut petitores in toga candida, eosdemque distinctos petere: ut seniores à juvenibus domo in curiam deduci, atque inde reduci; ut prætorem urbanum consulare imperium absentibus consulibus sustinere; ut ne quis se inter consulem, & proximum lictorem, quamvis officii causa una progrederetur interponeret. *Instituta* autem, & mos majorum tantam vim habuerunt, ut cum antequam in consuetudinem venirent, sine crimine prætermitti possent, postquam tacita omnium assensione sunt comprobata, pro gravissimis legibus sanctissimè custodita sint. Unde scripsit Cicer. de Rep. v. *ante suam memoriam & morem ipsum patrium præstantes viros adhibuisse, & veterum morem, ac majorum instituta excellentes viros retinuisse*. Et Romulum Rempublicam *non legibus magis scriptis quàm non scriptis* fundasse II. p. 94. Numam verò *leges omnes, & instituta Romuli observasse*, ibid. p. 124. testis est Dionysius. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 5.

INSTRATUM dicitur quicquid ad injiciendi, *insternendive* usum adhibetur. Ulpian. l. 45. ff. de verb. signif. *Instratum omne vestimentum continere quod injicitur Labeo ait: neque enim dubium est, quin stragula vestis sit omne pallium* περίστρωμα. *Chiment. de Hon. bisell. c.* 31.

INSTRUMENTUM est omne id, quo quidquam instruitur, ut v. g. in villa suburbana *instrumenta* omnia è ferro, ligno ve, quibus agricultura indiget; in palatio urbano penus, vel vestiarium. Dein & ea, quæ ad memoriam, notitiamve alicujus rei, vel facti conservandam valebant, *instrumenta* dicta; ut & indicia certa, atque testimonia. Paull. l. prim. ff. de fide instrum. *Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest: & ideo tam testimonia, quàm personæ instrumentorum loco habentur*. Svet. Vesp. c. 8. n. 12. Confecit *instrumentum imperii pulcerrimum, ac vetustissimum, quo continebantur pene ab exordio Urbis SCta, plebiscita de societate, & fœdere, & privilegio cuicumque concessis*. Quod à Vespasiano confectum, aut armarium fuit, exempla continens veterum tabularum ordine dispositarum, vel potiùs volumen, seu volumina, cuncta SCta & plebiscita. . . . continentia. Quod confirmat Apul. Florid. p. 775. *Quippe præconis vox garrula ministerium est: proconsulis autem tabella sententia est, quæ semel lecta neque augeri litera, neque autem minui potest: sed utcunque recitata est, in provinciæ instrumento refertur*. Nardin. Rom. Vet. v. 13.

Instrumentum seu publicum, seu privatum nomen Imperatoris habebat adscriptum. Arrian. Dissert. in Epictet. I. 19. *Hodie quidam de sacerdotio Augusti mecum loquebatur. Dixi ei: abstinete isto ambitu, magnos sumptus frustra facies. Respondit ille: at ii, qui contractus scribunt, nomen meum adscribunt*. Macchab. I. *Ut omnes contractus in ea regione nomine ejus adscripto tempus notent*. Buleng. de Imperat. Rom. I. 8. *Instrumenta* litium, & testamenta dictabantur quondam à studiosis juris. Svet. Ner. c. 32. n. 3. *Deinde ut ingratorum in Principem testamenta ad fiscum pertinerent. At ne impune esset studiosis juris, qui scripsissent, vel dictassent ea*. Arrian. ibid. II. 13. *Sed neque juris studiosum assumpsit unquam, qui ei legitima interpretaretur: sed testamenta non scribit, nesciens, quis scribi debeat, nec scientem adhibens, neque sponsionem aliter signat, quàm securitatem scribit, sensu suo, & arbitrio utitur sine jurisconsulto*. Buleng. de Imper. IV. 8. Rævard. Conject. II. 10. Casaub. & Pitisc. in Svetonium. De *instrumentis* litium Quintil. XII. 8. *Ideoque opus est intueri omne litis instrumentum, quod videre non est satis, perlegendum erit*. . . . In tabulariis, aut in basilicis dilicepabantur, & agebantur. Quintil. de Orat. c. 39. n. 2. *Quantum virium detraxisse orationi auditoria, & tabularia credimus, in quibus jam fere plurima causa explicantur?* Nardin. Rom. Vet. v. 13.

Instrumenta artis sepè sepulcro insculpebantur, & artificem declarabant. In columella Archimedis sphæra & cylindrus conspiciebantur. V. insr. in *Sepulcrum*. Salmas. Exerc. Plinian. p. 859. b. A. Morestell. Pomp. Feral. VIII. 15.

Instrumenta fori erant in tribunali, subselliis judicum, litigantium, patronorum, subscriptorum, cognitorum, custodum, laudatorum, pragmaticorum, testium, reliquorumque advocatorum, & abacis notariorum, & scribarum. Fuit & in fori *instrumentis* tabularium, quod & tablinum, Græcis grammatophylacion, & chartophylacion: ubi actorum forensium commentarii velut in armario asservarentur. Virg. Georg. II. 501.

Insanumque forum, & populi tabularia vidit.

Pollet. For. Rom. I. 6.

INSUBRES, ut conjectura auguror, intra Ollium, & Ticinum flumina, Alpes, & Padum se tenuerunt. De Ticino significat Liv. v. 35. cum scribit: *Insubres trajectis Alpibus præter antiquam gentem Lævos, Ligures circa Ticinum amnem incolentes expulisse, eamque regionem occupasse*. Oppida hi coluerunt Cremonam, Bergomum, Mediolanum, Ticinum, Acerras, & Novariam. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 24. *Cluver. Ital. ant.* I. 24. §. 2. *Leand. Descr. Ital. p.* 641.

INSULÆ appellabantur veteribus ædes, seu ædificia minora, domus autem majora, ac splendidiora, sic ut ea

inter

inter illas differentia fuerit, quæ nunc est, inter privatorum tenujorum ædes, & procerum, vel ditiorum palatia. Et hoc mihi ad verum accedere videtur, & cum Rufi, & Victoris mente convenire. Hoc confirmatur ex Suet. Ner. c. 38. n. 4. ubi Neronia incendium commemorat. *Tunc præter immensum numerum insularum* (ecce tantam copiam, seu numerum *insularum* ante incendium) *domus priscorum ducum arserunt hostilibus adhuc spoliis adornatæ* (en tibi ædificia *insulis* magis conspicua, & splendidiora) *deorum ædes, & quicquid visendum, atque memorabile ex antiquitate duraverat*. Hic illa *præter immensum numerum insularum*, distinctionem apertè præ se ferunt ab iis, *quicquid visendum, atque memorabile*... quibus & domus, & ædes deorum comprehenduntur. *Nardin. Rom. Vet.* III. 4. *Cujac. Obser.* XIX. 21. *Lips. de Magnit. Roman.* III. 14. Falsum est, domos dictas tantum esse splendidiores potentium hominum ædes, *insulas* verò tenujorum hominum ædiculas. Id quidem certum est, domos dici ampla procerum, & hominum nobilitate, & divitiis præstantium ædificia, sed *insulæ* quoque, si vocem hanc propriè accipias, ut antiquis Reipublicæ temporibus accepta fuit, erant majora ipsis domibus ædificia, ut *insula* Clodii, *insula* Luculli, quarum Tullius meminit. Ædes fanè, quæ aliis non sunt adjectæ, & communi cum iis pariete junguntur, sed suis ambiuntur undique muris, quales sunt plerumque regiæ, & palatia principum, & nobiliorum hominum, majores esse solent domibus aliorum civium contiguis, quamvis & inter eas sint, quæ emineant amplitudine, & splendore, nec tamen sunt *insulæ*. Non verius est, quod Casaub. ad Svetonium, Voss. Lexic. Etymol. Gonsal. ad Petronium, aliique tradunt, post Neronem omnes ædes conducticias, præcipuè quæ tenujoribus elocarentur, dictas fuisse *insulas*, & dominos *insularum* esse locatores: quod est falsum. Nec enim omnes XIV. regiones in illo perierunt incendio, nec omnibus aliis ædibus conducticiis pauperiorum potuissent præstrui porticus. Sic enim sanxere Nero teste Svet. c. 16. n. 1. *Formam ædificiorum Urbis novam excogitavit, ut ante insulas & domos porticus essent, de quarum solariis incendium arceretur*. Quomodo, & quænam ante quasvis egenorum angustas ædiculas possunt esse porticus? In hanc sententiam inducti sunt multitudine *insularum*, quas commemorat Victor, aliique, quæ fuerunt domicilia pauperiorum, quarum ubique major est numerus, quàm pecuniosorum. *Insula* ergo propriè est spatiosum ædificium, quod non habet communem cum aliis parietem. Festus. Illis verò plerumque adsitæ fuerunt multæ ædes parvæ, & mediocres, quæ tenujoribus civibus locabantur, easque *insulas* æquè dictas fuisse, quia majoris *insulæ* ambitus eas complectebatur. Hinc in glossis Philox: *insula*, νῆσος, *συνοικία*. Eadem: *συνοικία, conclavium, conclavia, insula*. Nimirum *συνοικία* est *cohabitatio*. Et *σύνοικος ὁ ἅμα οἰκῶν, cohabitator: συνοικῶ, commaneo, cohabito*. *Συνοικίαι* erant cum aut plures familiæ, vel inquilini habitarent aut in eadem domo, aut in pluribus ædibus ejusdem *insulæ*. Tales ædes dicebantur *conclavatæ*, quia sub eadem erant clave, hoc est, quibus una erat porta, sed plura loca, quæ incolebantur à diversis familiis. Inde & *conclavia* exponuntur in glossis. Nam *conclave*, ut Calphurn. ad Terent. Heaut. v. 1. 29. ait, *est locus, intra quem loca multa & cubicula clausa sunt adhærentia triclinio*. Hoc quid aliud est quàm *συνοικία* aut in una domo, aut in unius *insulæ* pluribus ædiculis, quæ & ipsæ nominabantur *insulæ*. Qui in illis habitabant, dicebantur *insulares*. Justin. XXXII. 2. 1. *Antiochus, adhibito exercitu, nocte templum Elymæi Jovis aggreditur. Qua re prodita, concursu insularium cum omni militia interficitur*. Illud templum fuit *insula*, ut erant pleraque templa, uti & post Christianorum ecclesiæ, & basilicæ, quæ ab Hieronymo, & aliis vocantur quoque *insulæ*. Qui verò in ædibus illi templo appositis habitabant æditui, sacerdotes, & alii sacrorum ministri, qui primario sacerdoti parebant, dicti sunt *insulares*. In Asia fuerunt talia, circa quæ habitabant plurimi homines, qui erant sub ditione primi sacerdotis. Talis fuit sacerdos Comanorum in Bellonæ templo, quod erat in Cappadocia, de quo Cicer. Fam. XV. 4. *Cumque magnum bellum in Cappadocia concitaretur, si sacerdos armis, quod facturus putabatur, se defenderet*. Huic subjecta erant sex millia hominum, quæ interdum arma capiebant, & injuriam aliorum propulsabant. Hæc clarissimè confirmat Petron. c. 55. & 56. Apud hunc videmus *insulam* M. Manicii, in qua plures ædiculæ, inter quas etiam fuit, quæ diversitori erat elocata. Cum inter cauponem & hospites rixa, & pugna incaluissent, concurrunt *insularii*, hoc est, & illi, qui hanc *insulam* parvam incolebant, quam conduxerat diversitor, & alii, qui in aliis *insulis*, seu ædibus illius majoris, & veræ *insulæ* Manicii habitabant, & opem ferebant, qui dicuntur *insularii*: intervenit tandem procurator *insulæ*, & Encolpum sibi cognitum servavit. Procurator *insulæ* est, qui Manicii absentis res procurabat in illa *insula*, & providebat, ne aut mercede dominus *insularum* defraudaretur Mancinius, aut *insula* ab *insularius* corrumperentur, utque tota farta tecta servaretur. *Insularios*, homines viliores degentes in *insulis* contumelioso nomine vocat servos: *non discedant ocyus nequissimi servi?* Procurator *insulæ* qui vocatur, appellatur κατ' ἐξοχὴν *insularius* à Pompon. l. 16. de usu & habitat. quod *insulariorum* primus esset, & illorum curam gereret, & quasi quoddam in illos inhiberet imperium: *Dominus proprietatis etiam invito usufructuario, vel usurario fundum, vel ædes, vel saltuarium, vel insularium custodire potest*. Ab his *insularius* alii sunt *insularum* domini, de quibus Suet. Jul. c. 41. n. 6. *Recensum populi nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit*. Tiber. c. 48. n. 1. *Munificentiam exhibuit quibusdam dominis insularum, quæ in monte Cœlio deflagrarant, pretio restituto*, qui n. illas veras *insulas* urbanas possidebant, ut Clodius, Mancinius, Lucullus. *Grav. Antiq. Roman. Præf.* IV. * * 3.

Insula Feliculæ erat alta, & insignis domus, plura cœnacula, & cubicula habens, quam Tertull. adv. Valentin. c. 7. pro ampla, & in plures deitates divisa citat: loquens enim de insania Valentiniani, qui triginta deos somniabat, & cuique suum cœlum assignabat, ait: *Meritorium factus est mundus, insulam Feliculam credas, tanta tabulata cœlorum nescio ubi*. Panciroll. Descr. Urb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 362. A. Nardin. Rom. Vet. VI. 10. Fuit Romæ, in nona regione Urbis extrema ad Minervium, atque Minerviam Chalcidicam, non pro Iseo & Serapeo, ut legitur in descriptione Urbis libro, qui notitia utriusque imperii inscriptus est. P. Victor insulam Phelidii, sive Phelidis appellavit ab eadem origine Urbis regione nona, quæ Circus Flaminius inscripta est. *Junius in Tertullianum*.

Insula Tiberina enata est post ejectos Reges. Ita Liv. II. 5. *Ager Tarquiniorum, qui inter Urbem ac Tiberim fuit consecratus Marti, Martius inde campus fuit. Fortè ibi tum seges farris dicitur fuisse matura messi, quem campi fructum quia religiosum erat consumere, desectam cum stramento segetem magna vis hominum simul immissa corbibus fudere in Tiberim, tenui fluentem aqua, ut mediis caloribus solet. Ita in vadis hæsitantis frumenti acervos sedisse illitos limo, insulam inde paullatim, & aliis, quæ fert temere flumen, eodem invectis, factam. Postea credo additas moles, manuque adjutum, ut tam eminens area, firmaque templis quoque ac porticibus sustinendis esset*. Nec diversus abit Dionys. V. p. 288. Illam etiam describit Plutarch. Poplic. p. 100. E. Paullatim deinde ædificata fuit in speciem navis: cujus nonnulla extant ex Tiburtino lapide vestigia in hortis fratrum S. Bartholomæi, ubi & incisus visitur serpens. Ajunt in hanc illam formam effictam in memoriam navis, quæ serpentem, quem Æsculapium fuisse fabulantur, Epidauro Romam advexit. *Mesopotamiam* appellat Plutarch. Othon. p. 1068. D. ubi Cæsaris statuam spontè conversam in orientem refert, quo in medio fluminis illam sitam fuisse indicare vult: *Et in Mesopotamia insula statuam C. Cæsaris, cum neque terræ motus, neque ventus fuisset, vesperè conversam esse ad solis ortum*. Nec abludit in ejus descriptione Ovid. Met. XV. 739.

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis;
Insula nomen habet, laterumque a parte duorum
Porrigit æquales media tellure lacertos.

Eadem

Eadem & in compluribus Martyrum actis nomen *Lycaoniæ* obtinet. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 12. *Borrich. Ant. Ur. Fac. c.* 16. §. 2. *Donat. de Urb. Rom.* III. 21. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 16. *Boissard. Topogr. Urb. Roman. Tom.* I. *p.* 11. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* IV. 4. *Blond. Instaur. Rom.* II. §. 78. Pontem, qui *insulam* jungit Urbi, indicat titulus marmore excisus Q. Lepidum, & M. Curium ædiles: alium qui *insulam* Janiculo jungit, Valentinianum superiorem, & Valentem, qui Romanum Imperium primus ad ruinam perducere adjuvit, exstruxisse. Quos nuper Pontificis Eugenii opera instauratos, & Tiburtino lapide stratos videmus. *Blond. ibid.* §. 80. & 81.

INSURGERE remis dicuntur remiges, qui quidem, cum remi sunt impellendi, consident, & reclinant se. Unde Virg. Æneid. V. 136.

Considunt transtris, intentaque brachia remis.

Et Xenophon mox laudandus. Sed non semper sedent. Verùm cum remi sunt elevandi, *surgunt* paullum. Val. Flacc. I. 450.

Insurgit transtris, & remo Nerea versat.

Virg. Æneid. III. 207.

Vela cadunt, remis insurgimus.

V. 189.

Hortatur Mnestheus: nunc nunc insurgite remis.

Græci hoc *ἀνερέσσειν* nominant, ut ex Xenophonte mox laudando discemus. Remigandi artificium in hac re vel potissimum consistit, ut simul & eodem tempore impellantur remi. Hoc dicitur *paribus remis insurgere*. Virg. Æneid. III. 560.

Eripite à fossi, paribusque insurgite remis.

Lucan. III. 525.

——paribusque lacertis
Cæsaris hinc puppes, hinc Graja remige classis
Tollitur.

Sanè, nisi hoc observetur, fieri necesse est, ut se impediant mutuo, uno sese inclinante, surgente altero. Xenoph. Oeconom. p. 841. E. *Cur remiges sibi invicem minimè sunt molesti? an quod ordine sedeant, ordine remis incumbunt, ἀνιάλλων, ordine se in humeros attollunt?* Inæqualiter etiam impulsa navis modo in hoc, modo in diversum latus deflecteret. Sicut piratæ illi *huc, atque illuc à recto cursu deferebantur, quod inscitia non æqualibus intervallis remigabant*, apud Heliod. II. Græcis hoc artificium *ἀτροπεδῶν* dicitur, notante Hesychio, quoniam *æqualiter, nec in alteram, aut alteram partem navis sic impellitur*. Scheffer. de Milit. nav. III. 2.

INT.

INTER cæsa & porrecta notabat illud tempus, quod erat inter victimas cæsas, & exta porrecta, hoc est, illud quo exta porriguntur: quo medio tempore sacerdotes solebant ceremonias quasdam peragere. Cicer. Att. V. 18. *Ne quid inter cæsa, aut porrecta, ut ajunt, oneris mihi addatur, aut temporis.* Qui hoc dixit pro eo, quod est inter hæsitationem, & cunctationem rei alicujus cœptæ aut perficiendæ, aut omittendæ. *Morestell. Philomus.* V. *dial.* 16.

INTERCALARE denotat interserere, ac velut interjicere dies, mensesve, ad complendam hiulci temporis rationem, ad instar termitis, qui in diffissas biantesque plantæ rimas immittitur, coalescitque cum plantario: unde aptiore metaphora Græci istud *ἐμβάλλειν* efferunt, translatum à surculo in truncum scissum insito, atque immisso. Hinc insititios dies, aut menses, quos *intercalares* nostri, illi *ἐμβολίμους* vocant, qui velut adventitiæ sortis in dierum legitimorum numerum arcesserentur, ut *ἐμβόλιμα ἔπη, versus adscititios, insertosque* genuino operi, illi nominant. Huc spectat & *intercidentis* vocabulum, quo diem Februarii *intercalarem* donasse Romani videntur, quem ita dictum existimo, quoniam quarto quoque anno velut *intercideret*. Hoc ex Plutarch. in Numa p. 72. A. elici posse puto sic dicente: *Mensem intercalarem, quem μερκηδῖνον (μερκήδινον perperam scripserunt librarii) vocabit Romani, mense Februario....* Jun. de Ann. & mens. c. 7. Muncker. de Intercal. I. 1. Gyrald. de Ann. & mens. Oper. Tom. II. p. 759. G. Panvin. in Fast. I. p. 29. De *intercalandi* apud Romanos auctore inter scriptores ambigitur. Macrob. Sat. I. 13. *Quando primo intercalatum sit, variè refertur. Macer Licinius ejus rei originem Romulo assignat. Antias libro secundo Numam Pompilium sacrorum causa id invenisse contendit. Junius Servium Tullium Regem primum intercalasse commemorat. Tuditanus refert magistratum III. decemviros de intercalando populum rogasse. Cassius eosdem scribit auctores. Fulvius id egisse Marium consulem dicit ab U. C. 562. inito mox bello Ætolico: sed hunc arguit Varro, scribendo antiquissimam legem fuisse incisam in columna ærea à L. Pinario, & Furio consulibus, cui mentio intercalaris adscribitur.* Cum ergo incertum sit, à quibus primùm *intercalatum* sit, obtinuit tamen, testibus Plutarch. p. 72. A. & Liv. I. 19. ut à Numa Rege ferè credantur. *Gyrald. ibid. p.* 761. *G. Muncker. ibid. c.* 5. *Viola de Vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* VIII. *p.* 178. *A. Putean. de Bissext. c.* 2. *Jun. & Panvin. ll. Turneb. in Cicer. de Leg.* II. *p.* 118. A quo instituta videtur sacrorum potissimum causa, ut nempe ad suas semper tempestates congruerent. Sic certè Antias apud Macrob. l. l. Licinius Macer de illa *intercalatione* ob duos menses, quovis anno deficientes, intelligi potest. Junius de mox memorata reformatione potest accipi, cum scilicet bruma ejus tempore regressa jam foret in finem Septembris. Tuditanum & Fulvium erroris jam arguit Varro. *Gassend. de Kalend. Rom. c.* 2. Cura *intercalandi* commissa fuit pontificibus. Censor. de Die nat. c. 20. *Quod delictum ut corrigeretur, pontificibus datum est negotium, eorumque arbitrio intercalandi ratio permissa. Sed errorum profunda caligine fluctuabant Romani, cum in sacerdotes potestatem transtulissent intercalandi; qui licenter gratificantes publicanorum, vel litigantium commodis, ad arbitrium suum subtrahebant tempora, vel augebant.* Ammian. XXVI. 1. Solin. c. 1. Pergit Censorinus: *Sed horum plerique, ob odium, vel gratiam, quo quis magistratu citius abiret, diutiusque fungeretur, aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro, damnove esset, plus minusve ex libidine intercalando, rem sibi ad corrigendum mandatam ultro depravarunt. Adeoque aberratum est, ut C. Cæsar Pontifex maximus suo III. & M. Æmilii Lepidi consulatu....* Svet. Jul. c. 40. n. 1. *Fastos correxit, jam pridem vitio pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumno competerent.* Guther. de vet. jur. pontif. I. 22. Gyrald. ibid. p. 762. A. Muncker. ibid. I. 7. III. 15. Manut. Quæst. Epist. I. 5. Gassend. ibid. c. 3. Putean. ibid. c. 3. Jun. l. l. Petav. de Vet. an. Roman. c. 77. Ruben. Dissert. de Nat. August. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1383. B. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1. Correxit Cæsar, non ut pontifex maximus, sed ut princeps. V. supr. in *Annus*.

INTERCALATIO in re militari, quam Ælianus de aciebus instituendis *παρεμβολὴν* appellat, est, cum inserimus per directum intervallis præpositorum militum aliquos ex iis, quos postponi placuerat. *Bud. in Pandect. p.* 99. I. *Muncker. de Intercal.* I. 1.

INTERCEDERE erat id, quod vulgo dicimus, se opponere. In quo sollenne erat verbum, *Veto*. V. infr. in *Veto*. *Intercedendi* jus datum est tribunis plebis jam ab illo tempore, cum in sacro monte institutus magistratus est, qui plebem tueretur. Quod cum ita sancitum esset, *intercessio* tribunitia Ælia lege confirmata est. *Manut. de Leg. c.* 8. Illis omnibus magistratibus licebat *intercedere*; quia in *intercedendo* major iis potestas erat, quàm reliquis omnibus magistratibus in agendo. Quo fit, ut cessantibus omnibus imperiis, creato dictatore, adhuc *intercedendi* potestas tribunis plebis relinqueretur, ut scribit Plutarchus in Problematibus. Quo etiam in loco scribit propter illam *intercedendi* potestatem tribunos plebis veriùs imperii solutionem habuisse, quàm imperium: ut qui in *impediendo* plurimum possent, in imperando parum. Et Sylla dictator, quanquam tribunitiam potestatem valdè minuisset, detracta potestate agendi cum populo, gerendique postea

alte

alterius magistratus, *intercessionem* tamen reliquit, ut scribit Cicer. de Leg. III. 9. *Gruch. de Comit. Roman.* I. 4. Et non tantum illi SCto *intercedebant*, sed etiam omnes, qui eadem potestate, qua ii, qui SCtum facere vellent, majoreve essent. Varro in Epistola ad Oppianum apud Gell. XIV. 7. *Postea scripsit de intercessionibus: dixitque intercedendi, ne SCtum fieret, jus fuisse iis solis, qui eadem potestate, qua ii, qui SCtum facere vellent, majoreve essent.* Scribit etiam Ascon. in Cicer. p. 165. *Q. Scævolam, cum animadverteret, Crasso, propter summam ejus in Republica potentiam, ac dignitatem, senatum in decernendo triumpho gratificari, non dubitasse majorem Republica, quàm collegæ habere rationem: ac ne fieret SCtum, intercessisse.* Itaque, si SCtum fiebat à consule, jus *intercedendi* habebat alter consul; erat enim eadem potestate: si à prætore, poterat non modò alius prætor, sed consul etiam *intercedere*: prætor, quia eadem potestate: consul, quia etiam majore esset. Sed hujusmodi *intercessiones* admodum infrequentes invenimus; tribunitiæ sunt creberrimæ: nam tribunorum plebis proprium erat *intercedere*: est enim tribunorum potestas non ad inferendam injuriam, sed ad prohibendam inducta. *Manut. de Senat. Roman. c.* 10. *Bud. in Pandect. p.* 59. *D.* Tribunorum verò actionibus impediendis soli collegæ jus habebant. Dionys. X. p. 658. *Nihil enim eorum quæ à tribunis plebis fiunt, vetari, aut impediri potest ab ullo alio, quàm ab uno ex collegis.* VII. 430. *Nunquid meministis in pacanda seditione per vos id nobis concessum esse, quando tribuni plebis concilium plebis advocarint de re quavis, non affuturos patricios, nec concilium obturbaturos?* p. 431. *Tribuno cum plebe agenti nemo contradicat, nemo sermonem interrumpat. Qui contra fecerit, tribunis vades dato mulctæ, quam hi dixerint, solvendæ. Qui vades non dederit, extremo supplicio plectitor: ejusque sacra esto omnis pecunia.* Horum *intercessio* locum habebat in magistratuum centuriatis comitiis. Liv. VII. 17. *In secundo interregno orta contentio est, quod duo patricii consules creabantur: intercedentibusque tribunis, interrex Fabius ajebat in duodecim tabulis legem esse, ut quodcumque postremum populus jussisset, id jus, ratumque esset. Jussum populi, & suffragia esse. Quumque intercedendo tribuni nihil aliud, quàm ut differrent comitia, valuissent.* Dionys. VIII. p. 557. *Quando vocabant consules populum, ut consules crearent, tribuni plebis, quibus impediendi erat potestas, intercedebant: itaque comitia dirimebantur.* Hoc verò efficiebat *intercessio* tribunorum, non ut populum vocare non posset consul, quod nemo ei vetare poterat, sed ne quid his comitiis suffragiis populi peragi posset. Etiam in comitiis legum. In illis magistratus *intercedebant*, non cum lex promulgabatur trinundino, sed eo die, quo ferebatur. Neque enim tribuni vetare poterant, ne quisquam concionem haberet promulgandæ suæ legis causa: sed ne populus acciperet legem, quæ inutilis, aut perniciosa videretur. Itaque quamdiu promulgabatur, licebat oratione dissuadere legem: cum verò ferebatur, *intercessio* interponenda erat, ne à populo acciperetur. *Gruch. l. l. Augustin. de Leg. c.* 12. *Lycklama de Magistrat. c.* 4.

INTERCESSIO impediebat legem. Causæ, quæ, quo minus promulgata lex perferri posset, impedimento fuerunt, traduntur quatuor. I. Cum tribuni plebis, quorum propriè *intercedendi* jus erat, edita illa voce, VETO, *intercedebant*. Exempla V. infr. in *Veto*. II. Cum is, qui promulgarat, vel amicorum precibus adductus, vel senatus auctoritate commotus, vel ipse sua sponte consilium mutabat: quod C. Manilius, & L. Cæcilius, uterque tribunus plebis, diversis temporibus fecerunt, ille in lege de libertinorum suffragiis, hic in ea, quam de minuenda ambitus pœna promulgavit. III. Cum neque intercedente tribuno, neque eo, qui promulgaverat, consilium mutante, comitiales dies, id est, eos, quibus agi cum populo licebat, consul eximebat, vel supplicationibus decernendis, vel feriis indicendis, non solum iis, quæ Latinæ dicebantur, quas indicere soli consules poterant; sed etiam iis, quæ imperativæ, quas non modò consulibus, verùm etiam prætoribus ipsorum arbitratu licebat impera-re. Quo in genere usum esse Q. Cornelium Lentulum Marcellinum consulem, ut C. Catonis tribuni plebis legibus obsisteret, videmus in Cicer. ad Q. Fratr. Epist. II. 9. IV. Quæ & ipsa comitiis, quacunque de re haberentur, impedimento esset, erant auspicia: quorum duo genera reperio, I. quo magistratus tantum utebantur, quæ spectio dicebatur, vel de cœlo servare. V. infr. in *Servare*, II. ad augures pertinebat, cum ex avium signis, id est, volatu, cantu, & tripudio solistimo auspicium faciebant: nam si quid adversi viderant, aut audierant, id nuntiantes comitia impediebant, & obnuntiare dicebantur. V. infr. in *Obnuntiare*. Manut. de Legib. c. 36. Augustin. de Legib. c. 12.

INTERCIDONA qualis fuerit dea V. infr. in *Pilumnus*.

INTERDIARIUS est fur diurnus. Antiquus glossematum scriptor: *Interdiarius est ἡμεροκλέπτης, cui contrarius ἡμερόκοιτος, dormitator, fur nocturnus.* Cujac. Observ. XI. 27.

INTERDICERE dicebatur prætor in edictis. Ita in edicto, ut in flum. publ. navig. lic. *Ut per lacum, fossam, stagnum publicum navigare liceat, interdicam.* De cloacis: *Item, ne quid fiat, immittaturve, interdicam.* Brisson. de Form. III. p. 285.

INTERDICTA erant formulæ, atque conceptiones verborum, quibus prætor aut jubebat aliquid fieri, aut prohibebat: quod tunc maximè fiebat, cùm de possessione, quæ erat rei corpore præditæ, ut domus, aut quasi possessione, quæ rei corpore vacantis, ut ususfructus, inter aliquos contendebatur. Erant itaque decreta prætorum de iis rebus, quas judicum cognitioni committendas non putarunt, sed sibi ipsis pro imperio reservarunt. Itaque *interdictum* fuit actionis, sive judicii quasi principium. Nam, ut scribit Cajus ff. de vindicatione, *is, qui destinavit rem petere, animadvertere debuit, an aliquo interdicto posset nancisci possessionem: quia longè commodius est, ipsum possidere, & adversarium ad onus petitoris compellere; quam alio possidente petere.* Et ita inter cæteras legis actiones rectè reponitur etiam *interdicere*: quod est non tam *interdictum* interponere, quod est prætoris, quàm *interdictum* postulare, sive *interdicto* contendere, quod est litigatoris: ut scripsit Quintil. III. *Non debuisti interdicere, sed petere; an rectè interdictum sit, ambigitur*, id est, non debuisti *interdicto* uti, sed actione: an rectè *interdicto* actum sit, ambigitur. *Interdictum* dabat prætor, cum mittebat in possessionem. *Sigon. de Judic.* I. 16. *Guther. de Jur. man.* III. 13. *Cujac. Observ.* V. 17. Illa prætor in albo proposita habebat, C. L. 1. de interdict. *Præses ad exemplum interdictorum, quæ in albo proposita habet.* Brisson. de Form. III. p. 283. Ordinario jure reddebantur. Ulpian. l. 1. ff. si ventr. nom. mul. in possess. mitt. *Coget eam discedere, non prætoria potestate, vel manu ministrorum: sed melius, & civilius faciet, si eum per interdictum ad jus ordinarium remiserit.* Brisson. ibid. V. p. 388. & ab illo edebantur, l. 2. §. Si per legatarium ff. quod legatorum: *Eo tempore, quo editur interdictum, satis accipere paratus sit.* Brisson. ibid. V. p. 389. Quomodo differat ab actione, fusiùs explicat *Cujac. l. l.*

Interdicta, quæ ad res privatas pertinuerunt, fuerunt de possessione I. adipiscenda. Hoc dabatur ei, cui bonorum possessio à prætore decreta erat, in hunc modum: *quod bonorum ex edicto meo illi possessio data est, quod de his bonis pro herede, aut pro possessore possides, possideresve, si nihil usucaptum esset, quandoquidem dolo malo fecisti, uti desineres possidere, id illi restituas.* Erat autem utile hoc *interdictum* ei, qui tum primum conaretur adipisci possessionem. II. retinenda. Ejus fuere duo, quæ tum usurpabantur, cum inter eos, qui de proprietate litigare volebant, non conveniebat, uter possideret. Unum ad res immobiles pertinuit, quod fuit: *Uti eas ædes, de quibus agitur, nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possidetis, quominus ita possideatis, vim fieri veto.* Alterum ad mobiles; quod fuit: *Utrubi hic homo, quo de agitur, majore parte hujus anni fuit, quo minus eum ducas, vim fieri veto.* III. recu-

petan-

peranda, Hoc reddebatur iis, qui vi dejecti essent de possessione fundi, vel ædium. *Sigon. de Judic.* I. 16. Ejus fuere duo. Unum de vi armata, quod fuit: *Unde tu vi illum dejecisti, eo illum restituas jubeo.* Alterum fine armis, quod fuit: *Unde tu vi illum dejecisti, cum abs te nec vi, nec clam, nec precario possideret, eo illum restituas jubeo.* Sigon. l. l. Brisson. de Form. v. p. 388. Bud. in Pandect. p. 24. I.

Interdicta, quæ ad res sacras, & publicas pertinuerunt, fuerunt vel prohibitoria, vel restitutoria, vel exhibitoria. Prohibitoriorum formula erat: *vim fieri veto.* Ita in edicto de mort. infer. *Quo, quave illi mortuum inferre invito te jus est, quominus illi eo, eave mortuum inferre, & ibi sepelire liceat; vim fieri veto. Quo illi jus est te invito mortuum inferre, quominus illi in eo loco sepulcrum fine dolo malo ædificare liceat, vim fieri veto.* Restitutoriorum formula erat, *restituas.* l. 1. ff. *quorum bonorum* supr. Exhibitoriorum verò, *exhibeas.* Ita in edicto de lib. pers. *Quem liberum dolo malo retines, exhibeas jubeo. Qui, quave in tua potestate est, sis, eave apud te est, dolove malo tuo factum est, quominus apud te esset, ita eum, eamve exhibere jubeo.* Brisson. de Form. III. p. 283. v. p. 388. Sigon. de Judic. I. 16.

INTERIOR in deambulationibus quis dicatur. V. infr. in *Locus sinister.*

INTERJUNGERE equos est illos dejungere, donec cibo sint recreati. Mart. III. 67. 6.

Exarsitque dies, & hora lassos
Interjungit equos meridiana.

II. 6. 15.

Et cum currere debeas Bovillas,
Interjungere quaris ad Camœnas.

Ludit Poeta in voce *Bovillas*, & *Camœnas*, & innuit frustra quærere in literis Severum & carminibus doctis, quæ hic Camœnæ sunt, remissionem aliquam, cum ingenium ipsius cogat eum ire ad Bovillas, id est, rustica, & crassa. Qui putant, tractum esse à curru, cujus rotæ interjectu sudere junguntur, ut quiescant, nihili sunt. Lexicon Argentoratense: *Interjungo ἐφίστημι.* Mallem. ἐφίστημι. Quo modo habemus apud Arrian. v. Ἐπέστησε τὴς ἵππους ἐν ἀγῶνι similiter pro cohibere, moram injicere, facere quiescere. *Scheffer. de Re Vehic.* I. 12. *Scaliger Propert.* I. 14. 12. *Rader. ad Mart.* II. 6. 15.

INTERLUDE existimavi aliquando partem fuisse palatii Imperialis, locumve ei vicinum, quoniam ei proximum templum Palladis illic dicitur, quod in Palatino fuisse ex multis martyrum actis constat, ad tribunal Imperatorium ante illud templum adductis. Ejus fit mentio apud Anastasium in Cornelio: *Quem tamen jussit sibi præsentari cum præfecto Urbis in Interlude noctu ante templum Palladis.* Tum & Claudium II. & Diocletianum solitos jubere constat, ut martyres ad se in partem palatii anteriorem adducerentur. Unde conjiciunt nonnulli, *Interlude* locum fuisse conjunctum, seu contiguum conclavibus, seu areis *ludis* destinatis: cujusmodi & hodie in palatiis Principum conspiciuntur, ubi pila, rhombo. . . . luditur: verùm cum observassem in actis martyrum præsides, & magistratus sæpè inferiores parari sibi tribunal jussisse in *Tellure*, vel in *Tellude*, ut in actis Crescentiani, Julii, Gordiani, Sisinnii & Saturnini. . . vocem *Interlude* apud Anastasium vitiosam esse animadverti, & in *Tellure* legendum. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 13.

INTEMELIUM in Velabri ambitu quoque fuerit. Liv. XXXIII. 11. *Lupus Exquilina porta ingressus frequentissima parte Urbis cum in Forum decurrisset, Thusco vico, atque Intemelio, per portam Capenam prope intactus evaserat.* Quid fuerit, ignorare me fateor: & locum mendosum esse negare non audeo. Adhæc incertum, an in hac regione fuerit, cum inter vicum Thuscum, & portam Capenam in alia esse regione potuerit. Verùm quid fuerit, aut ubi fuerit, aliis disquirendum relinquo, attigisse contentus, quia vico Thusco in Livio adjungitur. *Nardin. Rom. Vet.* v. 10.

INTERMETIUM dicebatur in circo totum illud spatium, quod à primis *metis* ad ultimas fuit. In glossis veteribus τὸ μεταξὺ τῶν καμπτήρων. Corripus dixit:

Et spatium media qua se vi pandit arena.

Πέλμα Cedreno. A Latinis spina. *Buleng. de Circo* I. 25. *Pinell. Addit. ad Panvin. de Lud. Circens.* I. 15. *Salmas. Exerc. Plin.* p. 460. a. F. 638. b. *E. Voss. Lex. Etymol.*

INTERMONTIUM dictus fuit instar valliculæ locus umbrosus, & medius inter Capitolium & Arcem. Dionys. II. p. 88. *Locum umbrosum & medium Capitolii & Arcis, quod nunc lingua Romana vocatur Intermontium, anorum quercetorum ab utroque clivo densis septum arboribus, quibus jungebantur colles.* Donat. de Urb. Rom. II. 10. Nardin. Rom. Vet. v. 13.

INTERNUNTII fuerunt portio comitatus apud parum pudicas mulieres. Horum meminit Juven. Sat. XIV. 28.

Ut non ter decies respiret, conscia matri
Virgo fuit, ceras nunc hac dictante pusillae
Implet, & ad mœchum dat eisdem ferre cinædis.

Pignor. de Serv. p. 428.

INTERPOLARE *est immittere, & interponere, & novam formam è vetere fingere. Cicer. Verr.* I. 61. *Aliquid demendo, mutando, interpolando. Et est tractum ab arte fullonia, qui poliendo diligenter vetera quæque quasi in novam speciem mutant. Plaut. Amphit.* I. I. 61.

Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.

Non. I. 141. Frustra. Ducitur à tectorio, quod *interpolari* dicitur, cum propter venustatem induceretur, aut opus temporis longitudine exolevisset. Plin. XXXV. 16. *Terra Chia lacte diluta tectoriorum albaria interpolantur.* Guther. de Jur. Man. II. 28. Taubm. in Plautum.

INTERPRES vocatur, qui inter venditorem & emptorem paratur, ac proxeneta difficultates inter utrumque oriri solitas ob *pretium* explicat. Inde ad alia translatum hoc nomen. Is efficiebat, ac contendebat, ut rei, quam deferebat venditor, exæquaretur *pretium*, quod afferebat emptor, & sic justa permutatio procederet. Græcis προμνήστωρ & προπώλης is appellabatur, qui venditori emptorem conciliabat. *Salmas. Exerc. Plin.* p. 708. b. F. *de Usur.* p. 476. *Voss. Lex. Etymol.* Imo inter duos eadem lingua utentes quovis modo medius est, vel μέσος, qui pactionem, conventionem, & contractus quosvis conficit: quemque alio nomine proxenetam vocant. Ascon. in Cicer. p. 59. *Interpretes sunt, per quos inducitur pactio.* Plaut. Mil. IV. I. 5.

Quin tu tuam rem cura potiùs, quàm Seleuci: qua tibi
Conditio nova, & luculenta fertur per me interpretem.

Curc. III. I. 64.

Quod te præsente istic egi, teque interprete.

id est, te proxeneta, te conciliatore. Sicque Juno à Didone apud Virg. Æneid. IV. 608. vocatur *interpres curarum*, sive, explicante Servio, *media, & conciliatrix*, quia illa quasi media erat inter Didonem, atque Æneam, conabaturque Carthaginensium Reginam, & Trojanum ducem connubio stabili jungere. Et idem præstabat hominibus diversæ linguæ. Ideo Isidor. X. *Interpres, quod inter partes medius sit duarum linguarum, dum transfert.* Tales fuerunt illi, qui mercatoribus aderant in urbe Colchicæ regionis Dioscuriade. Nam eo cum ex omnibus nationibus confluerent peregrini, Romani necesse habebant ad negotiationes peragendas *interpretibus* uti. Plin. VI. 5. *Urbe adeo clara, ut Timosthenes in eam 300. nationes dissimiles linguis descendere prodiderit. Et postea à nostris 130. interpretibus negotia ibi gesta.* Hinc & ipsi legati eo nomine nonnunquam veniunt, quia inter populos pacem, & fœdera facere solent. Val. Flacc. VI. 690.

Regius Eois Myraces interpres ab oris
Venerat, ut Colchos procul atque Aetia Parthis
Fœdera dotato non irrita jungeret auro.

Cuper. Apoth. Homer. p. 273. Bottemann. var. Lect. c. 11. Sigon. de Judic. II. 30.

Interpres judiciorum quis, V. infr. in *Sequester.*

Interpres erat quoque, qui legatorum ab exteris, & diversa lingua utentibus gentibus ad senatum, vel Imperatorem missorum verba *interpretabatur*, & faciebat, ut sena-

tus oratores, illi contra senatum intelligerent. Hi videntur *interpretes diversarum gentium* appellati in vetere inscriptione Goltzio laudata. Cicer. de Divin. II. 64. *Si Pœni in senatu nostro sine interprete loquerentur*. Fin. v. 29. *Ita quemadmodum in senatu semper est aliquis, qui interpretem postulet, sic isti nobis cum interprete audiendi sunt.* Unde Plin. xxv. 2. velutrem miraculo proximam extollit, *Mithridatem solum mortalium viginti duabus linguis locutum esse, nec de subjectis gentibus ullum hominem per interpretem appellatum ab eo, annis 56. quibus regnavit.* Huc pertinent, quos magistratus Romani in provincias cum imperio missi apud se habebant, ad desideria provincialium intelligenda. Cicer. Verr. III. 37. *Varius est in Sicilia interpres, quo iste interprete, non ad Græcam linguam, sed ad furta, & flagitia uti solebat.* Tales arbitror Julium Firmicum appellare *potentissimorum judicum interpretes*; id est, præfectorum prætorio, Urbis, & vice sacra judicantium. *Cuper. Apoth. Homer. p. 274. Buleng. de Imp. Rom. II. IV. 24. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 15. Pellet. For. Rom. v. 13.* Horum dignitas etsi magna fuit, ipsis tamen cum Imperatore epulari non licebat. Procop. de Bell. Pers. II. *Justinianus Braducionem interpretem mensæ adhibuit, quod nunquam prius consuetum. Non enim interpretem, quanquam nullo magistratu inferiorem, simul cum Imperatore epulari fas esse omnes norunt.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 72.

Interpres sacer dicebatur vel deus, qui Jovis placita ad homines ferebat. Talis Mercurius qui *interpres* divum vocatur. Virg. Æneid. IV. 356.

Nunc etiam interpres divum, Jove missus ab ipso....

Ad hoc officio Ἑρμῆς vocatur παρὰ τὸ ἐρῶ, id est, λέγω; ut habet Etymologicum magnum. Eoque respiciens Servius ita commentatur: *interpres divum, Hermes: expressit verbum de verbo.* Hoc numero dæmones à gentilibus habebantur, quos πορθμεύοντας Plato appellat; qui hominum preces ad deos; & horum jussa ad illos reportant. Apul. de Deo Socrat. p. 674. *Sunt quædam divinæ mediæ potestates, inter summum æthera, & infimas terras, in isto intersiti aeris spatio, per quas & desideria nostra, & merita ad deos commeant: hos Græce nomine δαίμονας nuncupant. Inter terricolas, cœlicolasque vectores hinc precum, inde donorum, qui ultro citroque portant hinc petitiones, inde suppetias, seu quidam utrinsque interpretes, & salutigeri.* Vel homo, qui vates, aruspices, arioli, augures, conjectores, ostenta, portenta, prodigia, somnia, & quæcunque à diis putabantur mitti signa; victimarum fibras, volatus, garritus avium, per quæ deos futura prædicere persuasum habebant, interpretabantur, & explicabant. Virg. Æneid. III. 359.

His vatem aggredior dictis, & talia quæso:
Trojugena, interpres divum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii laurus, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.

Servio exponitur, *vaticinator, qui mentem deorum mortalibus publicat.* x. 175.

Tertius, ille hominum divumque interpres Asylas;
Cui pecudum fibræ, cœli cui sidera parent,
Et lingua volucrum, & præsagi fulminis ignes.

Et ibi Servius: *Deorum, quos interpretatur, hominum, quibus interpretatur, & qui divinas indicat mentes, interpres vocatur.* Cuper. Apoth. Homer. p. 275.

Interpres tandem dicitur etiam is, qui, dum ex incognita lingua incognitum aliquid transfert, obscuram quodammodo orationem claram reddit, ac perspicuam, quid in aliam seu scripto, seu viva voce, linguam vertit. Horat. Art. Poet. n. 133.

Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres.

Cicer. Fam. VII. 19. *Nullam artem literis sine interprete, & doctore, & sine aliqua exercitatione percipi posse.* de opt. gen. Orat. c. 5. *Non converti, ut interpres, sed ut orator sententiis iisdem.* Cuper. Apoth. Homer. p. 278. Borremans. Var. Lect. c. 11.

INTERPRETATIO pontificum dicebatur, quia potestatem habebant judicium, hoc est, quasi laturi judicium sedebant, & apud illos de re ipsa disceptabatur, quam à senatu rejectam, & ab iis præjudicatam, consulibus postea referentibus SCtum sequebatur. Ut cum ad pontifices rejectum de domo Ciceronis frequens collegium omni eam religione liberavit. Quod cum ad senatum relatum esset, censuit domum illam religione liberatam videri. Cicero vocat *responsionem* ad Attic. IV. 1. *De domo nostra*, inquit, *nihil adhuc pontifices responderunt.* Guther. de Vet. jur. pontif. I. 24.

INTERREGNUM *appellatur spatium temporis, quousque in locomortui alius ordinetur.* Festus. Primum institutum est mortuo Romulo. Liv. I. 17. *Patres decem decuriis factis, singulisque in singulas decurias creatis, qui summæ rerum præessent, inter se consociant: decem imperitabant, unus cum insignibus imperii, & lictoribus erat: quinque dierum spatio imperium finiebatur, ac per omnes in orbem ibat: annuumque intervallum regni erat. Id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, interregnum appellatum.* Eadem Plutarch. Num. p. 61. A. Dionys. II. p. 119. Inde mos fluxit, ut cum sine summo imperio civitas esset, tum patricius, & à patriciis *Interrex* proderetur. Cicero pro Dom. c. 14. *Auspicia populi Romani, si magistratus patricii creati non sint, intereant necesse est, cum Interrex nullus sit; quod & ipsum patricium esse, & à patricio prodi necesse est.* Ascon. in Cicer. p. 180. *Ideoque Pompejus gener Scipionis, & T. Munatius tribunus plebis referri ad senatum de patriciis convocandis, qui Interregem proderent, non essent passi. cum Interregem prodere moris esset.* Qui dies tantum quinque imperium obtineret, è quo alius deinde creabatur in dies alteros quinque, itemque alius atque alius eodem modo, dum consules creari possent. Ascon. ibid. p. 195. *Domum ejus per omnes interregni dies, fuerunt autem ex more quinque, obsederunt.* Ad undecimum etiam perventum esse, cum per dies quinquaginta quinque sine summo imperio civitas esset, scribit Liv. VII. 21. *Infestam,* inquit, *patribus plebem Interreges cum accepissent, ad undecimum Interregem seditionibus certatum est.* Hotoman. de Magistrat. Roman. I. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 1781. C. Gruch. de Comit. I. 2. Ouzel. in Gell. XIV. 7. Panvin. Fast. I. p. 48. Lips. de Magistrat. Roman. c. 19. Rosin. Antiq. Rom. VII. 16. Alex. Gen. Dier. v. 6. & ad illum Tiraquellus. Blondus Rom. triumph. III. p. 55. B. Stad. in Flor. I. 1. Edit. Franeq. p. 527. Kipping. Ant. Roman. II. 3. §. 4. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 3. Pigh. Annal. Roman. I. p. 26. Perion. de Roman. & Græcor. magistrat. III. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. VI. p. 2802. B. Flocc. de Potest. Roman. II. 4. Læt. de Magistr. Roman. c. 5.

INTERROGATIO quæ legibus fiebat, habet plus mysterii intus, quàm præ se ferebat: nam litis contestationem in publicis continebat. Tum reus opponere poterat exceptiones dilatorias, declinatorias, reliquasque translationes, aut peremptoriè submovere, depellereque intentionem constituto judicio. Dies dicebatur ante *interrogationem* legibus. Cicer. pro Dom. c. 18. *Qui neque adesse sit jussus, neque citatus, neque accusatus.* c. 31. *In me, cui dies dicta nunquam est, qui reus non fui; qui nunquam sum à tribuno plebis citatus.* Die accusationis rursus citabatur reus. Cicer. Divin. c. 13. *Ita mihi deos velim propitios, ut cum illius temporis mihi venit in mentem, quo die citato reo mihi dicendum sit, non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco.* Pollet. Form. Rom. IV. 8. Hotman. de Lite ordin. c. 7.

INTERSCALMIUM est locus inter duos scalmos remigum vacuus & medius. Erat vulgo duorum cubitorum. Vitruv. I. 2. *Navibus interscalmio, quod διηχαϊκὸν dicitur.* Voss. Lex. Etymol.

INTERTIARE est sequestro deponere, ex ἔντριτος, ut Glossæ Latino-Græcæ dicunt: *sequester, μεσίτης, ἔντριτος*. Ansegis. III. 46. *Si auctor venerit, & rem interciatam recipere noluerit. Illa verò intertiata furtu ablata si esset, licebat ei, super quem intertiata erat, sacramento se excusare de furto.* Sed ubi *intertiare* quis legit? *Hansen. de Jurej. vet. s.* 17. *Cerda Adv. c. 121. §. 46.*

INTERVALLA ordinum in acie dicebantur etiam viæ, & spatia, in quæ priores, qui pugnaverant, si pellerentur

lerentur, aut non pellerent hostem, retrocedebant. In hoc ars omnis, & arcanum militiæ Romanæ, habere vias inter manipulos, claudere, & aperire eas, prout visum. Huic invento pænè omnes eorum victorias liceat adscribere. Græci *διαχώρια*, vocant. Hæc *intervalla* duplicia: inter genera, & inter manipulos, Inter genera tranversa erant, post singulum quodque militum corpus: ut post hastatos, spatio relicto, principes sequerentur: iterum spatio post illos triarii. Ergo transversa illa *intervalla* duntaxat bina. Alia inter manipulos directa spatia, aut viæ, quæ in uno ipso genere manipulum à manipulo discernebant. Hæc in denis manipulis necessariò novem erant. Modus, & quantitas singulorum pro locis, pro copiis, pro ducis arbitrio variavit; tamen illa transversa granduscula fuisse videntur: & probabile est, principes ab hastatis, quinquaginta circiter pedes fuisse remotos, triarios ab illis centum. Nam hic erat prætor, & signa, & principiorum ipsa forma. Opus etiam profectò tali aliquo *intervallo* ad procedendum, aut recedendum, & ne agmina miscerentur. Jam in directis viis aliter atque aliter fuit pro usu. Si velites interjecti, latiusculas fuisse oportuit, pedum viginti, aut triginta. Si non, fuerint fanè pedum decem. Id quoque pro numero legionum aliter, & ubi hæ multæ, ac, quod sequitur, manipuli, spatia non potuere esse magna. Usus istarum viarum magnus. In pugna enim, etsi divisi ordinibus, tamen unum omnes corpus statim fiebant, cum opus: & per vias istas jungebant se, & disjungebant. Hoc ita, exempli causa, factum. Hastati premuntur, volunt principes succedere, & illos recipere, statim id fiebat beneficio viarum: recedebant enim manipuli hastatorum singuli, & aversi leviter vias principum ingrediebantur, quas ii laxabant, & ipsi quoque leviter procedebant. Tum aut retinebant apud se hastatos, duplicato agmine: aut planè fessos retro se locabant in grandiore *intervallo*, ordinibus semper servatis. Idem in triariis, si principes improsperè pugnantes receptarent. Nec manipuli manipulos impellebant in hoc recessu. Nam singula genera vias suas dimensas habuere, sed non per alia genera penetrantes. Manipuli principum claudebant à tergo viam hastatorum, & liberum per eum adjectum, aut excursum habebant; idemque triarii per illorum. In quincuncem igitur dispositio ista manipulorum fuit. Inter singulos verò milites spatium fuit tres pedes, idque utrimque à latere, à tergo, ob gladii scutique usum commodum. Triarii sub vexillis considebant. V. Livium supr. in *Acies*. Vetus levis armatura, quæ constitit rorariis & accensis, non in prima acie, aut viarum *intervallis*, sed post triarios in extrema acie disposita erat, Itaque tunc non committebant pugnam, quod postea factum; pugnabant enim fundis, jaculis, & telis, quæ eminus mitterentur. Postera ætas velites à triariis removit, & ad principia locavit. Et triplex ferè eorum locatio: interdum ante omnia signa, & in fronte: interdum mixta primis manipulis, aut potiùs in jam dictis viis: denique non in viis sparsi, sed in cornibus positi junctim: eaque crebra dispositio & Vegetio sollennis. Sed ubicunque positi, prodire ante alios soliti, & pugnam committere, cum datum signum. Cedentes autem inter legiones recipi solebant, & à tergo poni, aut iterum alia procurrere. *Lips. de Milit. Rom.* IV. I. *Thys. Rom. Illustr.* IV. *p.* 88.

INTERVALLUM propriè est spatium, quod est *inter vallum*, vel cervulum, & alium cervulum, ut testatur Varro. Hygino de Castramet. nisi castrensi est spatium hoc, quod est *inter vallum* & legiones, dum scribit: *Et ideo à quibusdam intervallum est cognominatum*. Schel. in Hyginum Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. pag. 1072. A.

INTERULA erat tunica interior. *Ferrar. de Re vest.* I. 3. 2. Nugatur professor ille regius, qui *interulam* à tunica sic distinguit, quasi tunica sub toga semper gestaretur, *interula* sub pallio: quo nihil imperitius, nec ineptius dici potest. Tunica enim sub pallio communiter gestata, haud secus quàm sub toga: unde illud vulgare proverbium, *tunica propior pallio*. Et apud Plaut. Pœn. v. 2. 15.

Quæ illa avis est, quæ cum tunicis advenit?
Numnam is à balneis circumductus pallio?

Ex quibus versibus constat, palliatos etiam tunicas habuisse. Profectò tam palliati, quàm togati, tam Græci, quàm Romani tunicas habebant, & sub tunicis *interulas*. Eadem quippe differentia Latinis tunicæ, & *interula*, quæ Græcis χιτὼν, & χιτωνίσκος. *Interula* sub tunica habebatur, & ἀμέσως corpori insidebat, atque ἐπὶ χρωτὶ, ut vocant Græci. Lineæ erant, & nostris camisiis respondebant. Græci recentiores ὑποκάμισα appellant. Vocantur & ἐντοσίδια, hoc est, ad verbum *interula*. Ἐσωφόρια quoque dicta. Anastasius in vita Johannis Eleemosynarii: *Ille ergo putans quod egenus esset, expoliavit se esophorium suum. Hypocamisum* paullò post vocavit: *Et dicebat semper, quod posset intentione dandi pauperibus expoliare divites, & ipsum etiam hypocamisum ab eis benevolè auferre*. *Interulam*, quia suberat tunicæ, *subuculam* Latinè dixere. Horat. Epist. I. I. 95.

—— si fortè subucula pexa
Trita subest tunicæ.

Salmas. in Tertull. de Pall. p. 409.

INTESTABILIS habebatur, qui, ut inquit Caj. l. 26. ff. qui test. fac. poss. *lege jubebatur, ne ejus testimonium reciperetur, & ne ipsi diceretur testimonium*. Ulpian. l. 18. §. 1. ff. eod. *Si quis ob carmen famosum damnetur, Scto expressum est, ut sit intestabilis. Ergo nec testamentum facere poterit, nec ad testamentum adhiberi*. Glossæ Philox: *Intestabilis*, ἀπαγορευθεὶς, ἄτιμος, μὴ προσδεκτὸς εἰς μαρτυρίας: Item ἄτεστις, ἀμάρτυρος. Hinc factum, ut *intestabilis* homo, invisus, sceleratus, flagitiosus & exectabilis esset. Horat. Sat. II. 3. 181.

—— is intestabilis & sacer esto.

Plaut. Curc. I. I. 30.

Semper caveto, ne sis intestabilis.

Turneb. Adv. XXIX. 14. Ouzel. in Gell. XV. 13. Sigon. de Jud c. II. 14. Ræward. ad Leg. XII. tab. c. 10. Rittersh. ad Leg. XII. tab. Class. III. p. 2. c. 19. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. p. 442.

INTESTATUS fuit dictus testamento, non facto, rupto, irritove facto, & ab hærede destituto. Quod si quis *intestatus* moreretur, lex primùm liberis, deinde agnatis hæreditatem attribuit. *Sigon. de Judic.* I. 4. Ulpian. l. 1. in prin. de suis & leg. t. *Intestati propriè appellantur, qui cum possent testamentum facere, testati non sunt. Sed & is qui testamentum fecit, si ejus hæreditas adita non est, vel ruptum, vel irritum est testamentum; intestatus non impropriè dicetur decessisse. Planè qui testari non potuit, propriè non est intestatus, puta impubes, furiosus, vel cui bonis interdictum est: sed hos quoque pro intestatis accipere debemus*. August. ad Leg. XII. tab. §. 54.

INTESTINUM opus propriè dicitur, quod ex ligno fit, sed elegantiore fabrica, & ea arte, quam minutiariam nunc appellamus. Veteres quoque λεπτουργίαν dixere. Unde & λεπτουργοὶ τεχνῖται apud Theophanem. Glossæ: λεπτουργὸς, *faber lignarius*. Varr. de Re rust. III. 1. *Quam villam haberet, opere tectorio, & intestino, & pavimentis nobilibus spectandam*. Vitruv. IV. 4. *Pluteis marmoreis, seu ex intestino opere factis*. Plin. XVI. 42. *Firmissima ad tectum abies, eadem valvarum repagulis, & ad quæcunque libeat intestina opera firmissima*. Plurimi artificii hæc opera. Ideo addit Plinius: *sive Græco, sive Campano, seve Siculo fabricæ artis spectabilis*. In illis locum habent alcæ, runcinæ, & planæ. *Intestina* sunt autem illa opera dicta, quod intra domum tantum locum habeant, & in ædium interiori parte sita sint, ad differentiam τῶν ὑπαιθρίων. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 728. *Pancir. l. de Corp. Artif.* §. 36. *Grapald. de Part. dom.* I. 1. §. 7. Est instrumentum domus, ut scamna, sedes, grabati, abaci, subsellia, fulcra, plutei, armaria, scrinia, foruli, loculamenta, mensæ, tripodes, monopodia, dorsualia, quæ igni opponuntur cum accumbimus, repagula & claustra lignea, & si quæ talia. *Bud. in Pandect. p.* 164. *C.*

INTIMARI est actis inseri, in acta referri. Leo A. Constantino P. P. l. 30. C. de donat. *Donante licet dona-*

tionem suam ad quemcunque voluerit magistratum intimare. Hinc *intimatio* vocatur ipsi insinuatio, l. consulta 23. C. de test. *Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c.* 14.

INTRITUM est moretum, cui allium admixtum est, aut cibus, cui allium *intritum* est. Terent. Phorm. ii. 2. 4.

Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum.

Ubi Donatus: *Παροιμία apta parasito, quae de cibo est. Hoc autem inter rusticos de alliato moretario dici solet. Et benè intristi: propriè enim intrita dicitur hujusmodi cibus.* Turneb. Adv. xvi. 17. Plenè ac propriè etiam Phædr. i. 26. 7.

——intrito cibo

Plenam lagenam posuit.

Varr. de Re rust. ii. 9. *Nec non ita panem hordeaceum dandum, ut non potiùs eum in lacte des intritum.* Fiebat ex commixto pane, macerato lacte, addito nonnunquam allio, caseo, & similibus: *Scheffer. ad Phadrum.* Malè. *Intrita* est propriè ἔμβρεχέ. *Intrita* ex vino, ex posca, ex aqua apud Celsum est panis *intritus*, & friatus in vinum, aut poscam; aut aquam: Ε'νθρυπτὸν ἄρτον Græcis. *Intritus cibus* Phædro. Ad hanc *intriti* significationem etiam proverbium comicum jam allatum. *Salmas. ad Vopisc. Aurelian. c.* 46. Imo illi benè. Apud Phædrum existimo est *intritum cibum*, quem consummatum vocamus. Apud Hesychium ἐντρίψαντα τὸ Διονύσιο ἔμβρωμα. Fortè ἐντρίψαν τὸ Διονύσιο βρῶμα. Baccho enim id *intritum* ex vino offerebant; *une soupe trempee en vin.* Ε'μβρωμα vox usitata apud Eustathium. *Valef. in Lex. Harpocrat. p.* 26. *Neapol. ad Ovid. Fast.* iv. 367.

INTRODUCTORES, Græcis εἰσαγωγεῖς, dicebantur, qui athletas in stadium inducebant. Plato de Leg. vi. agens de certamine monodiæ, hoc nomine censet eum, qui athletas in theatrum inducit: *Unus ille princeps fiat est; qui non minus quàm quadraginta annos natus sit. Unum quoque in monodia sufficere arbitramur, qui non minus triginta, & qui personas in theatrum opportunè inducat.* Itaque isti εἰσαγωγεῖς eos in certamina inducebant, quorum jam inter athletas recepta nomina; id est, super quorum nomine ritis multa cognitio fuerat. *Paschal. de Coron.* vi. 11.

INTUSIUM cœpit dici, cum binas Romæ tunicas habere cœperunt, quo scilicet ab inferiore superior distinguerentur, & subucula esset inferior viri tunica; *intusium* inferior tunica mulieris. Varro apud Non. xiv. 36. *Postea quàm binas tunicas habere cœperunt, instituerunt vocare subuculam & intusium.* Nec Varro morem suæ ætatis ostendit, sed longè superioris: nam *intusium* semel & iterum à Plauto nominatur. Muliebrem fuisse inferiorem tunicam intelligitur l. ex Plauti locis, muliebrem vestem planè significantibus. II. Varronis verbis, quæ cum palla *intusium* conjungunt de Ling. Lat. iv. 30. *Alterius generis item duo, unum, quod foris, ac palam, palla: alterum, quod intus, à quo intusium.* Nec sibi adversatur Varro scribens apud Non. ii. 312. *Mihi porro modicanna fuit tunica, & toga, sine fasciis calceamenta, equus sine ephippio.* Non enim dicit, *me puero*, quibus verbis morem omnium communem ostenderet: sed; *mihi puero*, ut continentiam suam, domesticamque disciplinam ostenderet. Nam, licèt ante Varronis ætatem secunda tunica esset inducta, quam in viris subuculam, in mulieribus *intusium* appellatam dixi: non tamen increbruerat ita hic mos, ut omnium communis esset. *Manut. Quæs. per Epist.* iii. 2. *Ferrar. de Re vest.* i. 3. 1. & 30. *Kipping. Antiq. Rom.* iv. 5. 15.

INV.

INVITATOR vocabatur vocator. Cicer. Attic. ii. 19. *Cosconio mortuo sum in ejus locum invitatus: id erat vocari in locum mortui.* Vocabat ad cœnam Imperatoris; Mart. ix. 93. i.

Ad cœnam si me diversa vocaret in astra
Hinc invitator Cæsaris, inde Jovis.

Antiqua inscriptio Romæ apud Gruter. p. 598. n. 6.

AGATHOPUS AUGG. LIBERT.
INVITATOR

Luth. C. de Offic. divers. *Item scrinii sacrorum libellorum sit: Officii: . . . . invitatorum.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 66. Pignor. de Serv. p. 112. Buleng. de Imperat. Rom. ii. 37. de Conviv. i. 25. Guther. de Offic. dom. Aug. iii. 5. Stuck. Ant. Conv. ii. 1.

IO.

IO *Saturnalia* in Saturnalibus ut acclamarent, mos fuit. Mart. xi. 2.

Clamant, ecce mei IO Saturnalia versus.

Liv. xxii. 1. *Ad ædem Saturni per Urbem Saturnalia die ac nocte clamatum:* Brisson. de Form. viii. p. 720. Ferrar. de Acclam. & Plaus. vii. 16.

Io triumphe Imperatori triumphanti, dum per Urbem in Capitolium curru veheretur, milites solebant acclamare. Varr. de Ling. Lat. v. 7. *Sic triomphare appellatum; quod, cum Imperatore milites redeuntes clamitant per Urbem in Capitolium eunti, Io triumphe, Io.* Horat. Od. iv. 2. 49.

Tuque dum procedis, Io triumphe,
Non semel dicemus, Io triumphe
Civitas omnis; dabimusque divis
Thura benignis.

Tibull. ii. 6. 121.

Ipse gerens laurus, lauro devinctus agresti
Miles, Io, magna voce, triumphe canet.

Brisson de Form. iv. p. 351. Ferrar. de Acclam. & Plaus. vi. 9. Nicol. de Triumph. c. 21. §. 2. Buleng. de Triump. c. 32. Demster. Paral. ad Antiq. Roman. Rosin. x. 29. Caroli Ant. Roman. iii. 10. Kipping. Dissert. de Expedit. marit. §. 4.

JOC.

JOCOS; & *jocularia* quædam carmina, & dicteria milites io suos Imperatores triumphantes solebant jacere. Dionys. vii. p. 477. *Ex triumphis, qui aguntur, satis liquet, hujus cavillatores, & satyricos apud Romanos jam inde à priscis seculis receptos fuisse. Permittitur enim iis, qui triumphum prosequuntur, jambos, & dicteria jacere in clarissimos quosque viros, atque adeo in ipsos quoque Imperatores; quemadmodum Athenis olim iis; qui plaustris vecti pompam prosequebantur, obvios quosque scommatibus impetere licebat; nunc verò carmina ex tempore canunt.* Mart. i. 5. 3.

Consuevere jocos vestri quoque ferre triumphi:
Materiam dictis nec pudet esse ducem.

Svet. Jul. c. 49. n. 7. *Gallico triumpho milites ejus inter cætera carmina, qualia currum prosequentes joculariter canunt, etiam vulgatissimum illud pronunciaverunt:*

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem,
Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias,
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

c. 51. *Ne provincialibus quidem matrimoniis abstinuisse, vel hoc distycho apparet; jactato æquè à militibus per Gallicum triumphum:*

Urbani, servate uxores, mœchum calvum adducimus,
Aurum in Gallia effutuisti, hic sumpsisti mutuum.

Ferrar. de Acclam. & plaus. vi. 10. Brisson de Form. iv. p. 352. Nicol. de Triump. c. 21. §. 3. Mariscott. de Person. c. 5. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 655. Buleng. de Triumph. c. 32. Demster. Paral. ad Antiq. Romao. Rosin. x. 29. Caroli Antiq. Roman. iii. 10. Kipping. Dissert. de Victor. §. 4. Alex. Gen. dier. vi. 6. & in illum Tiraquellus. Lydius de re milit. vi. 32. Rader. ad Martialem. His in triumphali pompa fortè datus locus, ut inter præmia virtutis triumphator, modestiæ causa, vitiorum quoque admoneretur, nec sibi nimium placeret. *Boxhorn. in Suetonium* Illos ad modos musicos dicebant. Dionysius modò laudatus. Et quidem alternis. Liv. iv. 53. *Itaque cum ex SCto Urbem ovans introiret, alterni inconditi versus militari licentia jactati.* Ferrar. ibid. c. 11.

JOH.

JOHANNIS Apostoli ædes, ubi in ahenum bulliens immissum fuisse vetus per manus tradita fama est, fuit ante portam Latinam. Vocula *ante* hoc apertissimè indicat, præterquam quod olim damnatos extra portam ad supplicium duci sollennis mos erat. *Nardin. Rom. Vet.* 1. 7.

Johannes VIII. audivit femina, quod à mascula Nicolai decessoris fortitudine decidere visus esset. Unde fabula de *Johanna* Papissa, quam mendacii, & nugacitatis ferè frustra revincunt Panvinius, Baronius, Remondus, ac Leo Allatius. *Raynaud. de Pil. & eat. cap. tegm. Sect.* v. V. tamen infr. in *Sedes stercoraria.*

JOV.

JOVIA est dicta regio Spallato Dalmatiæ proximior à Diocletiano, qui se *Jovem*, vel *Jovium* appellabat. *Pancirell. Notit. dignit. imp. occid. c.* 37.

IPS.

IPSULLICES erant *bractea in virilem, muliebremque speciem effecta*. Festus. *Voss. Lex. Etymol. Jun. de Pictur.* II. 8. Videntur signare imagunculas, quibus magi utebantur, ut eum, cujus imago esset, pellicerent in amorem. *Voss. l. l.*

IRE.

IRENARCHÆ, quasi *pacis auctores* dicti, erant præfecti militum stationariorum, in certis urbis, aut territorii locis collocatorum, ut ortos tumultus sedarent, latrocinia prohiberent, & factiosos, & crimina patrata præsidi indicarent. Eligebantur à decurionibus, & à præside probabantur. Honor. A. l. unic. C. de *Irenarchis*: *Irenarcha*, inquit, *qui ad provinciarum tutelam per singula territoria faciunt stare concordiam, à decurionibus judicio præsidum provinciarum idonei nominentur*. Eorum literis sine legitimis probationibus non credebatur. Marcian. l. Divus 6. ff. de custod. reor. *Hadrianus Julio secundo ita scribit, & alias rescriptum est, non esse utique epistolis eorum credendum, qui quasi damnatos ad præsidem remiserint. Idem de Irenarchis præceptum est, quia non omnes ex fide bona elogia scribere compertum est. Sed Irenarcha, cum apprehenderint latrones, interrogent eos de sociis, & receptatoribus, & interrogationes literis inclusas, atque obsignatas ad cognitionem magistratus mittant. Igitur qui cum elogio mittuntur, ex integro audiendi sunt, etsi per literas missi sunt, vel etiam per Irenarchas perducti*. . . . Pancirol. de Magistr. municip. c. 18. Notit. dignit. imper. orient. c. 75. Buleng. de Imp. Rom. VII. 22. Guther. de offic. dom. Aug. III. 33. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 669. D. Cerda Adv. sacr. c. 121. n. 24.

IRP.

IRPEX *est genus rastri ferrei, quod plures habet dentes ad extirpandas herbas in agris*. Festus. Serv. Dan. ad Virg. Georg. I. 95. *Ad agrorum scilicet exæquationem, quam irpicem rustici vocant*. Voss. Lex. Etymol. Diversi sunt *irpices*, quia rapiunt, & verrunt, quæ in terra serpunt inutilia, & sic agrum purgant, & mundant, ab illis rastris, vel cratibus dentatis, quibus occatur ager ad glebas comminuendas, & exæquandas. Haud dubium tamen, quin occatorias crates *irpices* rustici vocaverint ab similitudine. Nam hodieque nostri agricolæ *herpices* appellant hujusmodi crates dentatas, quibus semina, postquam jacta sunt, operiunt. *Hersas* vocant deducto ab *hirpice*, vel *irpice* nomine. Utuntur autem ut plurimum hujusmodi *irpicibus* in usagris, qui nec depressos sulcos, nec extantes habent porcas. *Salmas. Exerc. Plinian.* p. 513. a. *D. Popm. de Instrum. fund.* c. 6.

ISA.

ISAURIA Ciliciæ ad Taurum montem proxima, Lycaonibusque finitima à Publio Servilio subacta fuit. De hac Ammian. XIV. 8. *Cilicia lateri dextro adnexa Isauria, pari forte uberi palmite viret, & frugibus multis: quam mediam navigabile flumen Calycadnus interscindit. Et hanc quidem præter oppida multa duæ civitates exornant, Seleucia, opus Seleuci Regis: & Claudiopolis, quam deduxit coloniam Claudius Cæsar. Isaura enim ante hac nimium potens, olim subversa ut rebellatrix internecivæ ægrè vestigia claritudinis pristinæ monstrat admodum pauca*. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 116. & 142. Emm. Græc. vet. VIII. Thes. Ant. Græc. Gronov. IV. p. 174. F. Vales. in Ammianum.

ISAURICUS dictus est P. Servilius ab *Isauris* urbe Ciliciæ captis. Strab. XII. p. 391. *Exhibuerunt Romanis negotium, & P. Servilio, qui cognomen Isaurici inde retulit, quem nos vidimus. Is & Isauriam Romanis subegit*. Sigon. de Nomin. Rom. c. 5. Pitisc. in Svet. Jul. c. 3. n. 1.

ISC.

ISCHII pars dextra si quatitur, domesticorum, aut amicorum rixam, alius autem bonum: sin autem sinistra, tristitiam narrat, alius instabilitatem. *Niphus de Augur.* I. 9.

ISE.

ISELASTICUM est præmium *Iselasticorum*. Plin. Epist. X. 119. *Ego contra scribo iselastici nomine*. Cellar. in Plinium. *Iselasticum agona*, V. supr. in *Agon*.

ISEUM, vel *Isium* templum fuit *Isidis* in regione nona, quod Alexander Imperator signis ornavit. Lamprid. c. 26. *Iseum, & Serapeum decenter ornavit additis signis Deliacis, & omnibus mysticis*. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 362. A.

Iseum Metellinum fuerit Isidis sacellum, aut templum, ab aliquo Metellorum constructum. Trebell. Poll. XXX. tyran. c. 25. *Tetricorum domus hodieque extat, in monte Coelio, inter duos lucos, contra Isium Metellinum, pulcerrima, in qua Aurelianus pictus est*. Nardin. Rom. Vet. III. 7.

ISI.

ISICIUM carne minutim *incisa* cum arvina permixta constat: Græci ἴσικιον & ἰσίκιον vocant, ut σαλσικία pro σαλσίκια; unde σαλσικοπῶλαι Græcis recentioribus sunt ἀλλαντοπῶλαι. Erant aromatibus, vel herbis odoratis condita, vulgus *salsiças* vocat, & maximis deliciis annumerat. Ejusmodi *insicus*, & minutalibus ex carne vulgo farciebantur avium ventriculi, ut anserum & gallinarum. *Esiciata* dictæ recentioribus pro *isicatis*. *Esiciatam* describit vetus epigramma nondum editum in lemmate *Esiciata*:

Amisit proprias vacuato corpore carnes,
Acceptque novas, dedit, ac tulit, & grave lucrum
Perdendo acquirit, damnum bene crevit in illa.

Item aliud de ansere farto:

Eminet impleto pullorum carnibus anser,
Et varias mensa torridus ambit opes.
Inguinibus nam portat olus, ventrisque soluti
Truditur e medio esiciata nitens,

Vulvula esiciata mentio est apud Apic. de Re coquin. II. 3. & *circellorum esiciatorum* apud eund. ibid. c. 5. *Salmas. in Lampr. Heliog.* c. 19. *Nonn. de Re cibar.* II. 14. *Castellan. de esu carn.* II. 2. *Buleng. de Conviv.* II. 30. *Humelberg. & Lister. in Apicium*. *Gutherl. de Salus* p. 139. Fiebant etiam ex piscibus. Apic. ibid. c. 5. *Isicia fiunt marina de cammaris & astacis, de loligine, de sepia, de locusta, de pectine, de ostrea*. Heliogabalus primus novas has cupedias orbi dedit. Lamprid. c. 19. *Primus fecit de piscibus isicia, primus de ostreis, & lejostreis, potius lithostreis, & aliis hujusmodi marinis conchis, & locustis, & cammaris, & scillis*.

lis. Sed vetustis ex Apicio initium habuisse videntur. Nisi fortè hos libros suppositios esse dicamus, ut doctorum non nullis placet, & ipse stylus satis arguit, qui multum à Tiberii seculi puritate deflectit. *Casaub. ad Lampridium. Nonn. ibid.* III. 41.

ISIS fuit Jovis Ægyptii filia, Osiridis soror & conjux, de quibus singulari libello Plutarchus. *Ortel. Deor. & dear. cap.* 11. *fig.* 44. *Clafen. Theol. gent.* 1. 7. *VVelph. in Morell. de Philosoph. orig. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* x. *p.* 305. C. Ejus imago sindone tegitur, florem sacrum gerit in capite, & globum aspidibus circumdatum, solitum ejus caput ornamentum, vel modium abundantiæ, & fœcunditatis symbolum, sive calathum frugum maturitatis indicem. Porphyr. apud Euseb. Præp. Evang. III. 3. *Calathus autem is, quem ipsa gestat, ubi altiorem in locum subvecta jam est, frugum maturitatem, quam iis circa luminis incrementum alendis efficit, repræsentat*. Stolam tenet ad denotandam humidam vim lunæ, quæ semina humore fovet, donec sol eam sublevat ad generationem: eaque de causa in ejus sacris amphoram aquæ inter mysteria efferri moris fuisse narrant Lucian. de Dea Syria & Plutarchus. *La Chausse de Deor. simul. Tab.* xx. & xxxIII. *Struv. Antiq. Roman. c.* 1. *p.* 184. *Cuper. Harpocr. p.* 45. Habebatur itaque eadem quæ luna. Et hoc docent simulacra, quoniam nigris vestibus, & cornigera ad similitudinem lunæ effingebatur. Vestibus illis ejus occultatio, & adumbratio significabatur; in quibus desiderio, & amore capta solem sequi videtur. *Voss. de Idolol.* II. 24. *Gyrald. Synt. deor.* XII. *p.* 383. G. *Ortel. l. l.* Etiam credita est *Ægypti genius, qui per sistri motum, quod gerit in dextra, Nili accessus, recessusque significat, per situlam, quam sinistra manu retinet, ostendit affluentiam omnium lacunarum*, ut docet Serv. Æneid. VIII. 696. *Gyrald. & Ortel. l. l.* Illam quoque pro anni charactere ponebant Ægyptii. Horus Apollo Hierogl. c. 3. *Annum porro significare volentes, Isidem, hoc est, mulierem pingunt. Hoc ipse etiam deam significant. Est autem apud eos Isis astrum, quod Ægyptia lingua Sothis, Græcis dicitur Astrocyon*: eo quod in reliqua sidera imperium obtinere credatur, vel quod in ejus exortu præsagia sumebant, quid eo anno eventurum esset, rei cujusque exitium explorantes. *Jun. de Ann. & mens. c.* 1. *Anim.* 1. 5. *Comment. in Horum. Ortel. & Gyrald. l. l. Tell. Dissert. de Sistr. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* VI *p.* 416. Ejus apparatus sacer tanta schematum diversitate, & ridiculis commentis instructus describitur ab Apul. XI. p. 368. ut nulla vetiùs pompa personatorum quoddam simulacrum, & imitationem repræsentet. *Ecce*, inquit, *pompa magna paullatim procedunt anteludia, votivis cujusque studiis exornata pulcerrimè. Hic incinctus baltheo militem gerebat; illum succinctum chlamyde copides, & venabula venatorem fecerant: alius soccis subauratis, indutus serica veste, mundoque pretioso, & adtextis capite crinibus, incessu perfluo feminam mentiebatur: porro alium ocreis, scuto, galea, ferroque insignem è ludo putares gladiatorio procedere. Nec ille deerat, qui magistratum fascibus, purpuraque luderet: nec qui pallio, baculoque, & baxeis, & hircino barbitio philosophum fingeret: nec qui diversis arundinibus, alter aucupem cum visco, alter piscatorem cum hamo induceret*. Mariscott. de Pers. & Larv. c. 3. Cultum receperunt Romani. Lucan. VIII. 833.

Nos in templa tuam Romana recepimus Isin.

Lamprid. Comm. c. 9. *Sacra Isidis coluit, ut & caput raderet.* Spartian. Carac. c. 9. *Caracalla sacra Isidis Romam deportavit, & templa ubique magnifica eidem deæ fecit. Sacra majore reverentia celebravit, quàm antea celebrabantur. In que quidem mihi mirum videtur, quem ad modum sacra Isidis primum per hunc Romam venisse dicantur, quum Antoninus Commodus ita ea celebraverit, ut & Anubin portaret, & pausas ederet: nisi forte iste addidit celebritati, non eam primus invexit.* Svet. Dom. c. 12. n. 5. *Sacra Isidis sæpe in lintea religiosaque veste propalam celebravit.* Urtin. ad Kalend. Rust. Farnes. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 24. A. Rosin. Antiq. Rom. II. 22. & ad illum Dempsterus: In illis feminæ per decem dies secubabant, & maritorum consuetudine abstinebant. Tibull. 1. 3. 25.

Quidve pie, dum sacra colis, pureque lavari
Te memini, & puro secubuisse toro?

Vocabant in casto, vel pervigilio secubare. Nec enim aliter rem divinam sine piaculo facere poterant. Tunc mulieres sacra nocturna in templo *Isidis* peragebant, neque eo viris accedere licebat, saltem quod audaculi quidam veste muliebri amicti irrumperent, & mulierum pudicitiam attentarent. Ovid. de Arte Am. 1. 77.

Nec fuge linigeræ Memphitica templa juvencæ.
Multas illa facit, quod fuit ipsa Jovi.

Kipping. Ant. Rom. 1. 5. §. 2. Ejus sollennia ideo tristia vocantur à Prop. II. 24. 1.

Tristia jam redeunt iterum sollennia nobis.
Cynthia jam noctes est operata decem.

Itaque eas, quæ negare vellent noctem amatoribus, prætexere posse causam sacrorum *Isidis* docet Ovid. Amor. 1. 8. 73.

Sæpè nega noctem, capitis modo finge dolorem:
Et modo quæ causas præbeat, Isis erit.

Brisson. de Form. 1. p. 6. V. etiam supr. in *Cadureum*. Sacerdotes, navigium, templa, V. *suis locis*. Plantas in votum illi ponebant. Inscriptio spectatur Romæ ad D. Mariam in ara Cœli:

ISIDI
FRUCTIFERÆ
Ꝺ Ꝺ
POSUIT

Fortasse aliquis longa peregrinatione peracta ad patrios Lares reversus deæ peregrinationis præsidi ob vitæ incolumitatem eas appendit; aut potiùs post multos viarum labores parato sibi præsidio vitæ reliquum, longè forsitan ab Urbe, huic deæ, tanquam tritici, & hordei inventrici sub *Fructiferæ* titulo desideratæ quietis monumentum fixit. *Tomas. de Donar. c.* 7. Ejus opem in recuperata valetudine experti, tabellas ei suspendebant: unde Tibull. 1. 3. 28.

—— nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Qui mos in tota adhuc durat Italia. Sacra quomodo sublata, & quam ob causam sacerdotes Urbe pulsi, & templa diruta sint, docet Joseph. Ant. Judaic. XVIII. 4. *Fabric. Desc. Urb. Roma. c.* 9. Adde quæ in *mensa Isiaca* habet *Pignorius*.

Isis Athenodoria in regione duodecima à Victore ponitur. Antiquarii templum à Caracalla constructum putant, qui & duo inscriptionum fragmenta afferunt inter ædem S. Sixti & thermas Ant. effossa. In horum altero legas: SECULO FELICI ISIAS SACERDOS ISIDIS SALUTARIS CONSECRATIO. In secundo verò: PONTIFICIS VOTIS ANNUANT DII ROMANÆ REIPUBLICÆ ARCANAQ. MORBIS PRÆSIDIA ANNUANT. QUORUM NUTU ROMANO IMPERIO REGNA CESSERE. Adducunt & illa Spartiani de Caracalla supr. in *Isis* allata. Verisimile enim in nova quoque à se munita via Imperatorem numini huic templum dedicasse. Hoc ut concedam, facilè à me impetrari potest. Attamen *Isidem Athenodoriam* non ædem, sed statuam fuisse existimo, deæ illi alicubi in publico positam, ut cæteris diis fieri solitum: & auctorem, seu artificem, Athenodorum statuarium Rhodium, celebrem Polycleti discipulum. De hoc Plin. XXXIV. 8. *Ex his Polycletus discipulos habuit Argium, Asopodorum, Alexin, Phrynonem, Dinonem, Athenodorum.* Fuitque is unus ex statuariis, qui admirabilem Laocoontis statuam fecere, quæ olim in Titi domo, nunc in Vaticano ostenditur. De ea Plin. XXXVI. 5. *De consilii sententia fecere summi artifices Agesander, & Polydorus, & Athenodorus Rhodii.* Quare quum Athenodorus is statuarius fuerit, non autem architectus, opus ejus statua fuit, diu ante Caracallæ principatum facta, inde toti illi tractui fortan impertitum nomen est. *Nardin. Roman. Vet.* VII. 6. *Pancirol. Descr. Urb. Roman. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom.* III. *p.* 369. C. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 14. §. 2. *Faunus Ant. Urb. Rom.* III. 13.

Isis Patricia in regione quinta à Rufo & Victore ponetur,

tur, fuit ædes, vel facellum, vel fignum aliquod ejus, ab hoc vico, in quo erat, denominatæ. De vico Mart. 2. 68. 2.

Sed domus in vico Lelia patricio.

Forsan ea vox ex illis fuit ftatuis, quas Auguftus in vicis pofuit, cujufmodi Apollo Sandaliarius, & Jupiter tragœdus. *Nardin. Rom. Vet. iv.* 3. *Pancirol. Defcr. Urb. Roman. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom. iii. p.* 342. *F. Gyrald. Synt. deor. xii. p.* 386. *A. Cuper. Harpocr. p.* 151.

Isis Pelagia etiam cognominabatur, ut datur intelligi ex marmore quodam vetufto, reperto in vinea Johannis Pogii pontificii quæftoris, extra portam Flaminiam. *Gyrald. Synt. deor. xii. p.* 385. *G. Bacchin. de Siftr. Thef. Ant. Rom. Græv. Tom. vi. p.* 414. *C.* Eft Pelagia dicta propter inventam navigationem. Culta etiam Corinthi. Paufan. Corinth. p. 48. *Jam quum Acrocorinthum adfcendant, fana duo Ifidis videant: alterum Pelagia, alterum Ægyptia cognomento.* Cuper. Harpocr. p. 151.

Isis Pharia dicebatur à Pharo infula Ægypti ex adverfo Alexandriæ. Itaque in veteri infcriptione apud Gruter. p. 84. n. 1. ΕΙΣΙΔΙ ΦΑΡΙΑ. Imo & ἀγνὴ Phariam videntur nominaffe. Gloffarium Benedicti Abbatis Floriacenfis: *Ifis, Φαρία. Voff. de Idolol. ii.* 24.

Isis Regina cognominata videtur in marmore, in ædibus Fr. Quirini Patavii. *Gyrald. Synt. deor. xii. p.* 385. *G.*

Isis Triumphalis nominatur in marmore, in domo Cardinalis Cæfii Romæ. *Gyrald. Synt. deor. xii. p.* 386. *A.*

Isis Urbis regio tertia conjuncta fuit Cœlimontanæ, fita in ea Exquiliarum parte, quæ latus auftrale refpicit. Defcribunt illam Rufus & Victor. Ambitus ejus magna ex parte Cœlimontanæ conterminus, ab colle fcilicet S. Crucis, ufque ad prærupta Cœlii, quæ fub vinea funt SS. Johannis & Paulli. Hinc dextrorfum flectens incluso amphitheatro Titi, & exclufa meta fudante, hortisque S. Mariæ novæ & Piis, quæ quartæ fuere regionis, pertigit procul dubio ad radices ufque Exquiliarum, quibuscum à S. Andreæ in Portugallo ufque ad hodiernam Suburam, & clivum S. Luciæ in filice, & S. Martini in montibus fecedens, quicquid antiquorum ædificiorum inter iftas ecclefias fuit, complectebatur. Hoc in faftigio ad ortum tendens, exclufo arcu S. Viti, fed ædem S. Martini in Merula na complexus; tecta finitum ibat in angulo feptentrionali Cœlii: cujus certa fatis argumenta fuot horti Mæcenatis, qui ad S. Martini in montibus, & ædem S. Viti in macello pertingebant: quæ duo loca quintæ regioni attribuuntur: inde & ad S. Matthæi in Merulana, quæ ecclefia hujus regionis eft. *Nardin. Rom. Vet. iii.* 8.

ISO.

ISOLINA. V. illa infra in *Menolinum.*

IST.

ISTHMIA quinquennalia fuiffe dicunt Plin. iv. 5. & Solin. c. 9. *Ifthmi pars altera cum delubro Neptuni quinquennalibus inclyta ludis.* Sed τριετηρικὰ fuiffe ludos, ita ut τριετηρίδα de folo biennio accipiat, exemplis pluribus affirmat *Schmidius Prolegomenis ad Ifthmionicas.* Sifyphus inftituit frater Athamantis; cum Ino Athamantis uxor, in quam fævierat maritus, cum filio Melicerta, in pelagus, ad petram Moluridem defiluiffet, & Neptuni commiferatione Ino in Leucotheam converfa effet, Melicertes verò Palæmon habitus fuiffet. Paufan. Attic. p. 43. Hos diu intermiffos reftauravit, & Neptuno facros effe juffit Thefeus longè, quàm antea fuiffent, illuftriores. Plutarch. Thef. p. ii. E. *Ludos Herculis imitatione primus inftituit, ambiens, ut ficut in illius memoriam Jovi Olympia, ita Ifthmia Neptuno Graciam honorem fuum agerent.* Laz. Græc. Antiq. i. 6: ii. 3. Scalig. Poet. i. 26. Faber Agonift. ii. 23. Mod. de Lud. & fpectac. vet. ii. 23. Pafchal. de Coron. vi. 27. Barth. ad Stat. Theb. vi. 11. Guther. de Jur. man. ii. 9. Vaillant. Numifm. i. p. 118. Meurf. Thef. c. 10. Potter. Archæol. Græc. ii. 24. Pitifc. in Suet. Ner. c. 24. n. 7. Ipforum participes à Corinthiis facti funt Romani poft Fulvium & Poftumium confules Olymp. 138. Polyb. ii. 12. *Poft illud principium legati deinceps alii ad Corinthios, atque Athenienfes miffi fuere à Romanis: eoque primum tempore à Corinthiis decretum eft, ut Ifthmici ludicri participes Romani fierent.* Excifa dein Corintho, apud Sicyonem ludos Romano Imperio vigente celebratos intelligimus è Paufan. Corinth. p. 45. *Ifthmici ludi ne excifa quidem à Mummio Corintho intermiffi funt: fed etiam in ipfa urbis vaftitate, ut eos faciundos curarent, datum negotium fuit Sicyonus.* Ac ex eo demum tempore, vel etiam pofteriùs fub Imperatoribus Romanis *Ifthmico* conventu apud Corinthum non gymnicos, aut muficos tantum, fed etiam beftiarios, feu venatorios immenfis fumptibus ludos in theatris exhibitos tradit Julian. Imper. Epift. 35. *Non enim ad gymnicos, muficofve ludos magna pecunia Corinthiis opus eft: fed ad venationes, qua fape in theatris exhibentur: urfas, & pantheras emunt: quæ quidem ipfi facile ferunt propter opum, & fumptuum magnitudinem: & multis quidem civitatibus, ut par eft, pecunias conferentibus, ipfi oblectationem fus inftituti redimunt.* Faber. l. l.

ISTHMUS eft locus, qui ex utraque parte pelago alluitur. *Ifthmorum* omnium clariffimus eft Corinthiacus, qui medius inter Jonium, & Ægæum mare porrectus, à feptentrione Atticam, à meridie Peloponnefum excipit. Plin. iv. 4. *Ifthmus appellantur anguftia, unde procedit Peloponnenfus inter duo maria Ægæum & Jonium.* Paufan. Corinth. p. 44. *Ifthmus Corinthiacus mari utrinque alluitur, duobus ejus latera promontoriis terminantur, Cenchreis, & Lechao.* Gerbel. Græc. Antiq. Thef. Ant. Græc. Gronov. Tom. iv. p. (44.) D. Pitifc. Svet. Jul. c. 44. n. 5. *Perfodere navigabili alveo anguftias tentavere Demetrius Rex, Dictator Cafar, Cajus Princeps, Domitius Nero, infaufto, ut omnium patuit exitu, incepto.* Plin. l. l. *Tam fcilicet difficile eft, divinitus attributam certis rebus naturam humana arte fuperare.* Paufan. l. l. Tentaffe Demetrium docet Strab. i. p. 37. *Aut Strabo, & Demetrium Ifthmum Peloponnefiacum perfringere conatum; ut claffibus navigationis tranfitum praberet, ab architectis prohibitum: qui, cum metarentur, renuntiaverunt ......* Julium Cæfarem Svet. c. 44. n. 5. *Deftinabat perfodere Ifthmum,* & juxta cum illo Dio xliv. p. 242. D. Plutarch. Cæf. p. 735. B. Cajum Svet. c. 21. n. 4. *Deftinaverat ante omnia Ifthmum in Achaja perfodere, miferatque jam ad dimetiendum opus primipilarem.* Neronem Svet. c. 19. n. 3. *In Achaja Ifthmum perfodere aggreffus, pratorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus eft, tubaque figno dato, primus raftello humum effodit, & corbula congeftam humeris extulit.* Sed hoc tentante Nerone *fanguis è terra erupit, auditaque funt lamenta, & mugitus, & fpectra multa apparuerunt,* ut narrat Xiphil. lxiii. p. 722. A. Quem hoc tentaturum, fed fruftra prænoverat Apollonius. Philoft. Apollon. iv. 8. *Cum in Ifthmo conftitiffet aliquando Apollonius, & mare Lechao porsus circumpofitum mugiret: is, inquit, terra vertex fcindetur forfitan: ego tamen magis credo non fciffum iri. Hac autem dixit jam pranofcens non futuram Ifthmi fectionem, quam poft annos feptem facere cogitavit Nero.* Bergier. de viis milit. iv. fect. 47. n. 2. & illum Heoninius. Rhodig. Ant. Lect. xxi. 19. Gerbel. ibid. p. (45) D. Pitifc. ad Svet. Julium & Neronem. Poftremus omnium Herodes Atticus, cum alia præclara opera confeciffet, nihil egiffe fe arbitrabatur, nifi & *Ifthmi* fectionem tentaffet. Sed metuens, ne facilè id à Principe nimiùm ambitiofo impetraret, ab incepto magnifico quidem illo, & haud dubiè, fi fortuna vota Attici afpiraffet, utili deftitit. *Gerbel. l. l.*

ISTRI fuerunt populi Illyrici, Italiæ adjacentes, quos à Japudibus Arfia flumen difcrevit. Bello funt petiti anno ab U. C. 532. cum naves & ipfi Romanorum cepiffent, eafque diripuiffent. Quibus à P. Scipione & M. Minucio conf. partim vi, partim voluntate ad deditionem adductis, facile fuit, ut fequentes confules C. Lutatius, & L. Veturius fine pugna ufque ad Alpes penetrarent. Renovatum eft bellum cum illis. Scribit enim Livius anno ab U. C. 572. L. Duronio prætori Apuliam decretam, & *Iftres* adjectos, quod Tarentini Brundifinique nuntia-

bant, maritimos agros infestos transmarinarum navium latrocinius esse. Itaque triennio post A. Manlius consul decreto *Istrico* bello profectus ab Aquileja castra ad lacum Timavi posuit, & collatis signis malè pugnavit; post recuperata pugna *Istrorum* ad octo millia cæcidit. Postero verò anno M. Junius & A. Manlius, cum Aquilejæ hibernassent, exercitu in fines *Istrorum* inducto, quatuor millia eorum cæciderunt, eosque ad pacem petendam datis obsidibus compulerunt. Dumque Nesactium oppidum, quo se principes *Istrorum*, & regulus ipse Æpulo receperat, summa vi oppugnabant, successor C. Claudius consul superveniens oppidum cepit. Rex, ne in manus hostium perveniret, sibi mortem conscivit. Duo deinde oppida Mutilam & Favetiam vi capta delevit. Atque ita *Istria* trium oppidorum excidio, & morte Regis pacata, omnes undique populi obsidibus datis in ditionem venerunt. *Sigon. de Ant. jur. prov.* I. 7. *de Ant. jur. Ital.* III. 5. *Stad. ad Flor.* II. 10.

Istri nomen inter Grajos & Latinos qui assumerent, fuerunt homines clari. Siquidem Antigenis *Istri* historias citant Plutarchus, & Plinius: & P. Attilius *Ister* Pannoniæ præfectus legitur sub Claudio apud Tacit. Annal. II. 29. 3. *Freher. Cecropistrom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* IX. *p.* 1154. *C.*

ITA.

ITA *me dii ament* est formula jurandi. Terent. Heaut. II. 3. 67.

Pragandio, ita me dii ament, ubi sim nescio.

Hinc Plaut. Bacch. IV. 8. 51.

— *Ita me Jupiter, Juno, Ceres,*
Minerva, Latona, Spes, Ops, Virtus, Venus,
Castor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules,
Summanus, Sol, Saturnus, dique omnes ament.

Hansen. de Jurejur. vet. c. 13. Brisson. de Form. VIII. p. 708.

Ita mihi deos velim propitios est formula jurandi. Cicer. Divin. c. 13. *Ita mihi deos velim propitios, ut non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco.* Ubi Asconius: *Genus jurisjurandi, id est, quod dicimus: tantum mihi divinitas faveat, quantum verum est illud, quod dico tibi.* Hansen. de Jurejur. vet. c. 13. Brisson. de Form. VIII. p. 708.

Ita sim felix est formula jurandi. Svet. Tib. c. 21. n. 8. *Jucundissime, & ita sim felix, vir fortissime.* Prop. I. 7. 3.

Atque ita sim felix, primo contendis Homero.

Hansen. de Jurejur. vet. c. 13. Brisson. de Form. VIII. p. 708. Vechner. Hellenol. II. 13. §. 3. Schott. in Senec. Cont. III. 16. Douz. & Passerat. in Propertium. Pitisc. in Svetonium.

Ita vivam est formula jurandi. Val. Max. IX. 13. 3. *Brutus à Furio, quem ad eum occidendum Antonius miserat, comprehensus, non solum cervicem gladio subtraxit, verùm etiam constantiùs eam præbere admonitus, ipsis his verbis juravit, Ita vivam, dabo.* Senec. Epist. 82. *Hic est Brutus, qui cum periturus mortis moras quæreret, ad exonerandum ventrem secessit, & evocatus ad mortem, jussusque præbere cervicem: Præbebo, inquit, ita vivam.* Cicer. Fam. II. 13. *Nam, ita vivam, putavi.* Hansen. de Jurejur. vet. c. 13. Brisson. de Form. VIII. p. 708.

ITALIA dicta est à quodam Italo, Arcadum Rege. Dionys. I. p. 27. *Italia post nominata est à viro præpotente Italo. Hunc Italum dicit Antiochus Syracusanus bonum, ac prudentem virum extitisse, & ex finitimis alios oratione persuadendo, alios per vim cogendo, agrum sibi omnem subjecisse, quicunque intra duos sinus Napetinum & Scylleticum continetur: & ea prima terra ab Italo Italia nominata est: qua regione cum potitus esset, & mortales multos haberet sub potestate, è vestigio proximos quosque appetiisse, & suæ ditioni civitates multas adjecisse: illum autem fuisse Oenotrum genere.* Aristot. Politic. VII. 10. *Ajunt ex iis, qui illic habitant homines facundi, Italum quendam Oenotriæ Regem fuisse: à quo nomine mutato Italos pro Oenotriis esse appellatos.* Arcadem fuisse convincitur testimonio Thucyd. VI. p. 411. B. *Et ferè adhuc extant in Italia Siculi, ipsaque regio ab Italo quodam, Arcadum Rege, hoc habente nomen, sic est cognominata.* Hinc Virg. Æneid. III. 163.

Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt,
Oenotrii coluere viri, nunc fama minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.

Ferrar. de Orig. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. I. p. (5) B. Panvin. Descr. Urb. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. III. p. 208. A. Jun. Anim. I. 22. Cluver. Ant. Ital. I. I. §. 7. Leand. Ital. p. 4. Vindung. Hellen. Thes. Antiq. Græcat. Gronov. Tom. XI. p. 375. C. Ejus termini fuerunt duplices, alii à natura, alii ab hominum arbitrio & jure. A natura limitatur Alpibus, & mari mediterraneo, qua Siciliam, & Macedoniam respicit. Hos limites Sicul. Flacc. de Condit. Agror. p. 2. innuit, cum dicit: *Italiam ab Alpibus in mare porrigi, ac tribus lateribus exteras gentes intueri à Cicilia usque ad Galliam, omne litus Africum esse contrarium: rursus à Leucopetra partem, qua ad mare attingit, Macedoniam, & aliquam Epiri partem spectare: Adriaticum verò litus Illyricum contra se habere.* Plura Polyb. II. 14. Limites ab arbitrio hominum & jure dati sunt illi, quos populus Romanus pro temporis diversitate diversos constituit, & sæpè transposuit. Antea quidem versus Adriaticum mare Æsin fluvium terminum faciebat, sursus Rubiconem fluvium, qui fluvii in Adriaticum mare excurrunt: versus mare Tyrrhenum termini fuerunt fluvii, modò Varus, modò Arnus; secundum ea, quæ docet Strab. V. p. 381. 404. 413. *Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 18. §. 2. I. *Sect.* 9. §. 3. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. I. *Ferrar. de Orig. Rom. ibid. p.* 3. *B. Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c.* 48. *Cluver. ibid.* I. 3. *Panvin. Imp. Rom. c.* 4.

ITALICA est urbs Hispaniæ Bæticæ, vulgò Sevilla la Veja, fuit patria trium Augustorum, Trajani nempe, Adriani, & Theodosii senioris. De illa Augustin. Antiq. Hispan. Dial. VIII. *Ursat de Notis. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 900. *C. Vaillant. Numism.* I. *p.* 37. Stephanus: *Est & Italica urbs Iberiæ, Gentile Italicesius.* Ptolem. II. 6. *Juxta Lusitaniam tenent Turditani urbes plurimas, in quibus Lælia, & Italica, & Gallica ad Lusitaniam spectat, utraque in ultimis Hispaniarum sita.* Condidit hanc Scipio, cum rebus in Hispania compositis, de reditu in Italiam cogitans *omnes Italos vulneribus affectos in una urbe collocavit, quam ab Italia Italicam nominavit, claram natalibus Trajani & Adriani, qui posteris temporibus Romanum imperium tenuere.* Appian. de Bell. Hispan. p. 275. *Oisel. in Gell.* XVI. 13.

ITALICENSES dicti fuerunt ab *Italica* Hispaniæ Urbe. Hi stultè, cum essent municipes, in jus coloniarum mutari cupierunt. *Existimarunt meliore esse conditione colonias, quam municipia. De cujus opinionis tam promiscua erroribus D. Adrianus in oratione, quam de Italicensibus in senatu habuit, peritissimè disseruit: mirarique se ostendit, quod & ipsi Italicenses, & quædam item alia municipia antiqua, quum suis moribus, legibusque uti possent, in jus coloniarum mutare gestiverint.* Manut. de Civit. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 30. E. Vaillant. Numism. I. pag. 57.

ITALICUM jus. V. infr. in *Jus*.

ITE.

ITE *missa est* dicitur in fine sacri. Ut enim Græci, cum sacris operati essent, missum populum faciebant, nec abeundi potestas prius cuiquam erat, quàm sacrificulus pronuntiasset *λαοῖς ἄφεσις*, id est, *populis missio*: ita Latini uno verbo *ilicet* dicebant, quod est, *ire licet*. Et nunc solet sacerdos dicere, *ite, missa est*, missam, ut videtur, pro missione accipiens: quo exemplo & Cyprianus *remissam peccatorum* pro remissione scripsit. Videtur ergo à parte totum sacrificium missa appellatum. Sed hæc sententia parum est probabilis, à recedendi facultate inditum nomen sacrificio, & Græci ipsi non *ἄφεσιν*, sed

[illegible] id appellant, quod nomen propriè id exprimit, quod Hebraicè missa sonat. Est enim mos apud Hebræos, unde missa formatur, munus personale tributi, censusque offerendi; & missa ipsa oblatio, quæ domino suo fit propter debitum personale. Credendum itaque est, priscos Christianos, qui origine Judæi erant, sua voce id sacrum appellasse, quam deinde Latini receperunt. Itaque *ite missa est*, perinde est, ac si diceretur: *licet, oblatum est*. Mosellell. Pomp. Fetal. VIII. 8.

ITER, actus, & via differunt, quod *iter* hominis est; actus hominis & jumenti; via hominis, jumenti, & vehiculi. Nam *iter* ab itum, quæ ab homine itur: actus ab agendo, qua jumentum agitur; via à vehendo, qua ire potest vehiculum: quod tradit etiam Isidor. XV. 16. Unde consequitur, *iter* esse angustius actu, actum via. Nam angustiore spatio it homo, quàm armentum; ac armentum angustius spatium requirit, quàm vehiculum. *Iter* denuum pedum latitudine definitur, quantum requiritur, ut transire possint occurrentes. Actus est *iter* quatuor pedes latum: ut scribit Festus in voce *Actus*. At viæ latitudo legibus XII. tabularum in porrectum pedes habet octo: in anfractum, id est, ubi flexum est, pedes duodecim. Via igitur actum, actus *iter* comprehendit, non quidem ex vocis proprietate (nam *iter* solum jus eundi, actum solum jus agendi, via solum jus vehiculi significat) sed ex consequenti, quia minus in majori comprehenditur. *Voss. Lex. Etymol. in Via. Augustin. ad Leg.* XII. *tabb. Carr. Var. c.* 28. *Nann. Miscell.* IX. 5. *Cujac. Observ.* XXII. 35. *Revard. in Leg.* XII. *tab. c.* 14. *Hotman. Antiq. Roman. p.* 431. Unius diei licèt non eadem semper accipiatur ratione, quippè si per multos dies continuandum sit, σταθμοὶ, seu mansiones viginti ut plurimum passuum absolvuntur millibus, sed si unius diei *iter* seorsim spectes, multò patet latiùs. Itaque Strabo *itineri* diurno stadia adsignat ducenta, & quinquaginta, & aliquando etiam plura quàm trecenta. Procopius cum decem & ducentis id componit stadiis. Sed verò Græci antiquiores, ut Herodotus in Melpomene, & Dicæarchus, & complures alii *itineri* diurno terrestri ducenta tribuunt stadia, quæ viginti quinque passuum conficiunt millia. *Voss. de Magnit. Romæ vet. c.* 3. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 351. *a. G. b. G.* Facturi *iter* se succingebant. Petron. c. 87. *Placuit puella consilium: itaque collegit altiùs tunicam, flexitque se in eum daphnona, qui ambulationi hærebat.* c. 96. *Deinde convicium verens, abeundi formavi consilium: collegique cultu meo ire extra casam cœpi.* Oisel. in Minuc. Felic. p. 189. Gonsal. in Petronium.

Iter ad sepulcrum est jus sepulcri, l. 3. ff. quemad. servit. amitt. Quod Paullo est *iter* sepulcro debitum, l. 4. ff. eod. Nec tamen jus illud *itineris* pars est sepulcri: nullam enim servitus hæc religionem habet, quæ privati juris manet, ideoque remitti domino fundi servitutis, & acquiri potest, l. servius §. servitutem ff. de servitutibus. Hanc servitutem ulus religionis admisit, cum aliter non possit constitui, nisi inter dominos prædiorum. Quare sepulc tum licèt in nullius sit bonis, viam tamen ad sepulcrum possumus vindicare, l. 1. ff. Si servit. vindic. Quod si nulla via sit ad sepulcrum, *iter* quod non debetur, vicinus præstare cogitur, & si à vicino id prohibeatur, Imperator Antoninus cum patre rescripsit, *iter* ad sepulcrum peti precario, & concedi solere, ut quoties debetur, impetretur ab eo, qui fundum habet conjunctum. Nec tamen hoc rescriptum, quod impetrandi dat facultatem, etiam civilem actionem inducit, sed extra ordinem vici num interpellare permittit, quem præses compellere debet, ut justo pretio *iter* præstet: ita tamen ut de opportunitate loci prospiciat, ne vicinus magnum patiatur detrimentum, l. si quis sepulcr. ff. de religios. Præses ipse extra ordinem judicabat de *itineris* præstatione ad sepulcrum, non dato judice speciali: sed post acceptum judicium tunc dabat judicem, qui de loci opportunitate cognosceret. Et quod Cicer. pro Sext. Rosc. c. 9. *de grandi patrimonio ne iter quidem* Roscio *ad sepulcrum patrium relictum esse*: docet jure veteri invitum neminem cogi potuisse, ut per suum fundum *iter* ad sepulcrum præstaret. Quod jus imperatorum rescriptis correctum, quæ sæpè cum receptis legibus pugnant. *Guther. de Jur. man.* III. 12. *Kirchm. de Fun. Rom.* III. 22.

ITH.

ITHYPHALLUS est propriè penis erectus; ab ἰθὺς, quod valet *dibic*, & φαλλὸς penis, sive τὸ ἐντεταμένον αἰδοῖον, ut Hesychius exponit. *Voss. Lex. Etymol.* Membra virilia, quæ Græco nomine *phallos*, & *ithyphallos* appellabant, insolitæ magnitudinis in Bacchanaliorum festo, inter cætera pompæ impudicæ fercula, à viris muliebri veste indutis gestare moris erat: & hæc ipsa in templorum propylæis, & in ipsis templis nudata omnium oculis proponebantur, ut auctor est Lucian. de dea Syria. *Nicol. de Rit. Bacchan. c.* 12. *Eggeling. Myster. Ceter. & Bacch. Thes. Ant. Græc. Gronov. p.* 73. *A.* Ponebantur etiam in hortis, quibus Priapus credebatur præesse, propter eorum fœcunditatem. Colum. X. 31.

—— sed truncum fortè dolatum
Arboris antiquæ numen venerare Ithyphalle,

La Chausse de Mutino Tab. 1.

ITI.

ITIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

ITY.

ITYRÆI sunt Syri. Plin. V. 23. Cui Strab. XVII. adstipulari videtur. Probus Scythas esse dicit. Parthos Serv. in Georg. II. 448.

—— Ityræos taxi curvantur in arcus.

Verius est regionem Judææ conterminam fuisse ex Luc. c. 3. n. 1. qui Philippum fratrem Herodis Antipæ *tetrarcham Ityrææ, & Trachonitidis* fuisse scribit. Tacit. Annal. XII. 23. 2. *Ityræique & Judæi, defunctis Regibus Sohemo atque Agrippa, provinciæ Syriæ additi.* Pancitoll. Notit. dignit. imp. orient. c. 141. occid. c. 70.

JUB.

JUBAR *dicitur stella lucifer, quæ in summo habet diffusum lumen, ut leo in capite jubam. Hujus ortus significat circiter esse extremam noctem. Itaque ait Pacuvius:*

Exorte jubare, noctis decurso itinere.

Varr. de Ling. Lat. VI. 4. *Ante solis ortum eadem stella vocabatur jubar, quod jubata.* Idem ibid. V. 2. De vespero etiam rectè dici monuit Festus: *Jubar stella, quam Græci appellant φωσφόρον, vel ἑωσφόρον, hoc est, lucifer, quod splendor ejus diffundatur in modum jubæ leonis.* Calvus in Epithalamio:

Hesperium ante jubar quaties.

Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 709. A.

JUBERE dicebatur populus Romanus. Festus: *Jubere ponebatur pro decernere, quod valet interdum pro decernere: ut populus jussit.* Hoc verbo utebatur, cum legem, aut aliud rogatus à magistratu respondebat, si rogationem probaret, *volumus jubemusque*. Macrob. Saturn. III. 16. *Quod in foro gestum sit, qui suaserint, qui dissuaserint, quod tribus jusserint, quod vetuerint.* Cicer. de Orat. I. 14. *Num apud populum de legibus jubendis, aut vetandis.* Unde Cicer. de Leg. III. 3. *Populi jussa, vetita cum suffragiis consciscentur.* Rogandi formula directa *ἀνυποθέτως* ita concipiebatur, *velitis jubeatis*. Proinde vocula *ne*, quæ librariorum incuria ei sese comitem dedit apud Liv. XII. rejicienda & expungenda est. Ab obliquis tamen rogationibus, quibuscum ei bellè convenit, non arceo. Liv. I. 46. *Ausus est ferre ad populum, vellent juberentne se regnare.* XXX. 43. *Tribuni plebis ad populum tulerunt, vellent juberentne senatum decernere.* Brisson. de Form. II. p. 131. Dacer. ad Festum

JUDÆA

JUD.

JUDÆA antea à Pompejo domita, primò Herodi, deinde Archelao, Philippo, & alteri Herodi est concessa, & illis extinctis provincia facta; sed eam rebellantem Romano Imperio Vespasianus adjecit. *Pancirall. Notit. dignit. imp. orient. c. 99. Robortel. de Prov. Rom. Misc. Erud. Ital.* 1. *p.* 608. Anno ab U. C. 759. deportato in exsilium Archelao, Romanis provinciis cum addita fuisset, ac Quirinius Syriæ præses censum in eadem perageret, Judas Gaulonites teste Joseph. xviii. 1. solicitabat ad defectionem populos, censum nihil aliud quàm manifestam servitutis professionem dictitans. Erat hoc opus Judæis tum novum & inadsuetum, neque unquam in ea gente factitatum. Idem narratur Actor. c. 5. n. 37. *Post hunc extitit Judas Galilæus in diebus professionis, & avertit populum post se.* Et illa verba, *in diebus professionis*, indicant tum primùm Judæos coactos ab Augusto per Quirinum præsidem censum profiteri. *Noris. Cenot. Pisan. Diss.* ii. *c.* 16. §. 10.

JUDÆI caput operiebant in mœrore, non quomodocunque, sed illud obvolventes undique lacinia togæ ab humeris reducta. Et sic opertus incessit David 2. Sam. c. 15. n. 30. fugiens truculentiam Absalonis. In jejunio, juxta illud Psalm. 68. n. 11. *Operui in jejunio animam meam*, Reliquo tempore nudis erant capitibus. *Raynaud. de Pil. & cat. cap. tegm. Sect.* ii. *p.* 1224. *F. Edit. Gravian.* Tum alibi, tum maximè in templo, instantes orationi, velabant operti caputio. Hoc fecerunt imitatione Mosis, non audentis aspicere contra Deum, ad rubi aspectum, & idcircò abscondentis faciem suam tegendo caput caputio. Idcircò sacerdotes habuerunt varia capitis tegumenta, ut sacris operando semper haberent caput velatum. Ut docet Abulens. in Levit. xiii. q. 10. *Raynaud. ibid. p.* 1228. *D. Brod. Misc.* v. 8. Habuerunt ignem perpetuum ex jussu Dei. Lev. c. 6. n. 5. *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies.* n. 6. *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Lipf. de Vest. c. 15. Romæ inter cives Transtiberinos locus & sedes illis fuit. Transtiberinam regionem, insalubrioris utpotè aeris, & à nobiliori reliquæ Urbis ambitu dissitam quique infimæ sortis homines ut plurimum tenere consueverant. Quàre Mart. 1. 42. 1.

Urbanus tibi Cæcili videris;
Non es, crede mihi: quid ergò? verna es;
Hoc quod Transtiberinus ambulator,
Qui pallentia sulphurata fractis
Permutat vitreis.

Qui loquitur procul dubio de Judæis, sulphurariam hujuscemodi artem jam tum tanquam hominum vilissimis exercentibus. Hoc enim docet idem. xii. 57. 13.

A matre doctus, nec rogare Judæus,
Nec sulphurati lippus institor mercis.

Philo Legatione ad Cajum, ubi ita de Augusto loquitur: *Nec dissimulans sibi probari Judæos: alioquin non passus fuisset trans Tiberim bonam partem Urbis teneri à Judæis, quorum plerique erant libertini, quippè qui belli jure in potestatem redacti ab heris suis manumissi fuerunt, permissi majorum more vivere.* Aring. Rom. Subterr. ii. 21. 17. Borrich. Antiq. Urb. fac. c. 3. §. 3. Voss. de Magnit. Urb. Rom. c. 4. Hoc tamen non obstat, quo minus aliis quoque temporibus gens illa Romæ passim sua habuerit domicilia, quippè ubi & aliis à ritu sacrorum R. P. aliena sacra colentibus habitandi facultas fuit; quemadmodum ex Aquilæ & Priscillæ domo liquet. Hi enim sub Claudio Urbe pulsi, & post reversi in Aventino domum habuerunt; ubi nunc S. Priscæ ædes est. *Nardin. Rom. Vet.* vii. 11. Illorum religionem Romani, cum cæteras omnes probarent, non sunt amplexi. I. quod gentium sacra exsecrati semper fuerint *Judæi*. Et ideò quæ *Judæorum* detestati pagani. II. quod divinus cultus, qui apud *Judæos* obtinebat, planè à gentium religione esset alienus. Utramque rationem non obscurè innuit Tacit. Hist. v. 3. 1. *Plurimi auctores consentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Occhorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum, ut invisum deis, alias in terras avehere jussum.* c. 4. n. 1. *Moses, quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus, contrariosque cæteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos sacra: rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta.* c. 5. n. 1. *Cætera instituta sinistra, fœda, pravitate valuere.* Boxhorn. Quæst. Rom. 1. Illorum nomine primis Ecclesiæ nascentis temporibus etiam venerunt Christiani. Sever. Sulp. Hist. sacr. ii. 99. *Adrianus existimans se Christianam fidem loci injuria perempturum, in templo, ac loco dominicæ passionis simulacra constituit. Et quia Christiani ex Judæis potissimùm putabantur (namque tum Hierosolyma non nisi ex circumcisione habebat Ecclesia sacerdotem) militum cohortem custodias in perpetuum agitare jussit, quæ Judæos omnes Hierosolymæ aditu arceret. Quod quidem Christianæ fidei proficiebat, quia tum penè omnes Christum Deum sub legis observatione credebant.* Minuc. Fel. p. 260. *Quis tam stultus, qui hæc colat, nisi vos, qui & totos asinos in stabulis cum vestra Hipona consecratis?* hisce gentiles mordet, quod fama adorati aselli non modò Hebræos, sed Christianos quoque insultarent. Nostri enim iidem cum Hebræis habiti olim, præsertim vigentibus legalibus. Movebantur præsertim ethnici Evangelii fama; habet enim Luc. c. 2. n. 16. *Venerunt festinantes, & invenerunt infantem jacentem in præsepi.* Inde Juven. Sat. iii. 14.

Judæis, quorum cophinus, fœnumque supellex.

Pii siquidem tunc Christiani pro *Judæis* habiti præsepinus domibus repræsentantes, fœnum, cophinumque apponentes ignaris ethnicis obloquendi, ac quod insusurratum fuerat de capite asini adorato ab Hebræis, augendi rumore stolido ansam exhibuere. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* c. 10. *Pitisc. in Suet. Claud. c.* 25. *n.* 12. §. 43. Solem adorabant, & illum adoraturi insidebant equis soli dicatis, & equitabant ab ingressu templi usque ad cameram Nethan-Melech. 2. Reg. c. 23. n. 11. *Josias Rex abolevit equos, quos dederant Reges Juda soli in introitu templi Domini, juxta cameram Nathan Melech eunuchi, qui princeps erat in suburbiis, & quadrigas solis combussit igne.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. 1. 9. Pitisc. in Curt. iii. 3. 11. §. 47. Roma sunt pulsi à Tiberio. Suet. c. 36. n. 2. *Judæorum juventutem, per speciem sacramenti, in provincias gravioris cœli distribuit: reliquos gentis ejusdem, vel similia sectantes Urbe submovit.* Illos Urbe submovendi occasionem Tiberio datam prodit Joseph. xviii. 5. Et, cum Romam immutata rerum facie essent revocati, à Claudio. Suet. c. 25. n. 12. *Judæos impulsore Chresto assiduè tumultuantes Roma expulit.* Actor. c. 18. n. 2. *Eò quòd præcepisset Claudius, ut omnes Judæi Roma excederent.* Quamvis illorum cœtus saltem inhibuisse scribat Dio lx. p. 669. A. *Aring. Rom. Subter.* ii. 23. §. 6. 7. 8. *Pitisc. in Suet. Tiberium & Claudium.* Corpora defunctorum aromatibus delibuebant. Joban. c. 19. n. 39. *Involverunt corpus Christi linteis, & aromatibus, sicut mos est Judæis funerare.* Matth. c. 26. n. 12. *Quod unguentum hoc misit super corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Kirchm. de Fun. Roman. 1. 8. Moreltel. Pomp. Feral. 1. 12. Aring. ibid. 1. 23. 3. Ad tibias efferebant. Matth. c. 9. n. 23. *Et cum venisset Jesus in domum principis, & vidisset tibicines.* Morestell. ibid. ii. 14. Extra urbem sepeliebant. Sepulcrum Lazari erat extra Bethaniam. Joh. c. 11. n. 38. Josephi Arimathææ extra Hierosolymam. Joh. c. 19. n. 41. Patet idipsum ex historia viduæ Naimitanæ Luc. c. 7. n. 12. Monumenta illa, in quibus domicilium habuit dæmoniacus, extra urbem Gergesenorum fuerunt. Matth. c. 8. n. 28. Post resurrectionem Domini plurimi Sancti, tumulis relictis, in urbem ingressi sunt. Matt. c. 27. n. 53. *Kirchm. ibid.* ii. 20.

JUDEX & arbiter quomodo differant, V. supr. in *Arbiter*. *Non omnes judices dari poterant ab iis, qui judicis dandi jus habebant. Quidam enim lege impediuntur, ne judices sint: quidam natura, quidam moribus. Natura, ut surdus, & mutus, & perpetuò furiosus, & impubes: quia judicio carent. Lege, qui senatu motus est. Moribus, feminæ, & servi: non quia non habent judicium, sed quia receptum est, ut*

tiva.

ticiibus officiis non funguntur. Paull. ff. de Judic. l. cum prætor. §. non autem. *Sigon. de Judic.* I. 24. *Augustin. de Legib.* c. 15. *Judices* etiam dicebantur consules, antequam consules dicerentur. V. supr. in *Consules*. Qua ætate dari potuerint, V. supr. in *Ætas*. A magistratibus fuisse diversos, non minimo illa sunt argumento, quod magistratus *judicium* darent, *judices* causa cognita judicarent; illi *judices* cogerent, hi in *judicium* cogerentur; illi populi suffragiis, hi à prætoribus; illi ex universo populo, hi ex certo plerumque ordine allegerentur; in iis, quid quisque deceret, observaretur; in his quid plerique statuerent, spectaretur; *judices* denique sententiam ferrent, magistratus *judicum* sententiam pronuntiarent. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 18. Contentione aliqua orta, jurgioque moto, actor *judicem* adversario, quem ipsi commodum erat, ferebat. Liv. VIII. 33. *Eumque tibi fugientis exercitus tui, fugienti senatus judicium judicem fero*. Cicer. de Orat. II. 65. Ut *Sergius ille Galba cum judices L. Scribonio tribuno plebis ferret familiares suos*. In hæc verba sponsionis: *Ni ita esset, multi privatum ferebant Volscio judicem*. Item: *Se illi judicem ferre, ni vindicias in servitutem ab libertate dederit*. Rogabat autem eum, ut eo contentus esset, & non alium posceret verbis, de quibus Festus: *Si alium procas, nive alium procas. Est enim poscere procare, quod dicitur in judice collocando*. Si *judex*, quem actor ferebat, à reo probabatur, tum *judex* convenire dicebatur. Cicer. Quint. Rosc. c. 15. *Quem si ferrem judicem, refugere non deberet, quo modo testem productum reprehendere audebit?* Val. Max. II. 8. *Itaque judex inter eos convenit Attilius Calatinus*. Sigon. de Judic. I. 23. Brisson. de Form. V. p. 369. Bud. in Pandect. p. 265. Land. Vet. Numm. Explic. Misc. Ital. Erud. Tom. I. p. 366. Fab. de Magistr. Roman. p. 212. Poller. Fot. Rom. V. 7. Consensu enim litigantium *judices* à prætore olim dari solebant. Quod constat ex Papin. l. 23. ff. de appellat. Et potest intelligi ex Cicer. pro Clu. c. 43. *Neminem voluerunt majores nostri, non modo de existimatione cujusquam, sed ne pecuniaria quidem de re minima, judicem esse, nisi qui inter adversarios convenisset*. Et idcircò *observandum esse*, ait Callistr. l. 17. de Judic. *ne is judex detur, quem altera pars nominatim petit*. Rævard. Protribun. c. 11. Noodt de Jurisd. & imper. I. 13. Qui judicem rejiciebant, sollennibus verbis illum sibi iniquum ejerabant. Cicer. de Orat. II. 70. *Placet etiam mihi illud Scipionis illius, qui Tib. Gracchum perculit: Cum ei M. Flaccus multis probris objectis P. Mutium judicem tulisset, ejero, inquit, iniquus est*. Verr. III. 60. *Standiune postulare de conventu recuperatores. Tum iste negat se de existimatione sua cuiquam, nisi suis commissurum. Negotiatores putant esse turpe id forum sibi iniquum ejerare, ubi negotientur. Prætor provinciam totam sibi iniquam ejerat*. Brisson. l. l. In rejectorum numerum alios sive prætor, sive *judex* quæstionis subsortiebatur. Ascon. Cicer. p. 47. *Rejectio dicitur, quia, cum multi judices in consilio cum prætore judicaturi essent, qui quæsitor fuisset in publica causa, v. g. repetundarum, ambitus, majestatis, necesse fuerat eos primum de decuria senatoria conscribi, cum senatus judicaret, deinde in urnam sortito mitti, ut de pluribus necessarius numerus confici posset: tertio, id est, post urnam, permitti accusatori ac reo, ut ex illo numero rejiciant, quos putaverint sibi aut inimicos, aut ex alia re incommodos fore. Rejectione celebrata, in eorum locum, qui rejecti fuerant, subsortiebatur prætor alios, quibus ille judicum legitimus numerus compleretur*. Sigon. ibid. II. 12. Siccam. de Judic. centumv. I. 5. Brisson. Select. ex jur. civil. antiq. II. 1. Fab. de Magistr. Roman. p. 212. Illum prætor pro arbitrio suo non apprehendebat, quamquam tale exemplum in castris, & de militari præmio apud Liv. XXVI. 48. sed ea lectis, atque ex albo judicum dabat. Gell. XIV. 2. *Quo primum tempore à prætoribus lectus in judices sum*, i. e. in album judicum selectorum relatus. Senec. de Benef. III. 7. *Non potest ad hæc judex sumi ex turba selectorum, quem census in album & equestris hereditas misit*. Noodt l. l. Oizel. in Gellium. Nonnunquam rejiciendorum *judicum* numerum dictabat prætor, ut in causa Milonis per legem à Domitio judicii illius gratia datam quintum ex singulis ordinibus ab utraque parte rejici poterant. Quod si ita est, cum essent tres *judicantium* ordines, senatorum, equitum, & tribunorum ex lege Aurelia, quam aliquot ante annis Aurelius Cotta prætor tulerat ædile Marco Cicerone, & Cajum Verrem repetundarum accusante, & in eo tribuni fuerint usque ad dictaturam Julii Cæsaris, si quini ex singulis ordinibus rejiciebantur, necesse est ab accusatore quindecim, & à reo totidem rejectos. Si ergo auferantur de septuaginta & uno triginta, reliqui erant quadraginta unus. Quare Asconii codex corruptus est, ubi p. 101. legitur quinquaginta & unus pro quadraginta & uno, nisi ærarios tribunos ad equites, vel senatores retruserit. *Pollet. l. l.* Postulabantur enim à prætore his verbis: *Prætor judicem arbitrumve postulo uti des*. Quæ singularibus literis P. J. A. P. V. D. testatur Probus. Hinc toties recantatæ phrases prætoriæ in jure: *judicium dabo, judicium non dabo*. Brisson. ibid. p. 368. Pollet. ibid. V. 5. Sed interdum dabantur à Principibus. Ulpian. l. minor autem. §. 4. *Sed & si ab Imperatore judex datus cognoscat: restitutio ab alio, nisi à Principe, qui judicem destinavit, non fiet*. Brisson. ibid. p. 416. Pollet. ibid. III. 11. Ex quibus lecti fuerint, V. supr. in *Equites*. Ea verò lectio per prætorem urbanum, aut peregrinum celebrabatur. De urbano agitur in lege Cornelia, ubi est: *Prætores urbani, qui jurati optimum quemque in selectos judices referre debent*. De peregrino in lege Servilia Glauciæ, in qua est: *Prætor, qui jus dicet inter peregrinos*, CDL. *viros legat, dum ne quem legat, qui in magistratu sit, aut fuerit, aut senator sit, aut fuerit, eosque in concione pronuntiet, juretque se eos dolo malo sciensem non legisse*. Sigon. de Judic. II. 6. Ant. jur. civ. Rom. II. 18. & Siccam. de Centumv. judic. I. 5. Fiebat verò sortitione. Prætor enim eorum nomina in urnam conjiciebat, ac sorte eum numerum educebat, quem lex præscribebat. V. *Asconium modo laudatum*. Brisson. Select. ex jur. civ. antiq. II. 1. Sigon. ibid. c. 12. Siccam. l. l. Jurabant in leges, omnimodo se cum veritate, & legum observatione judicium dispositiuros. Ascon. p. 48. *His perfectis, jurabant in leges judices, ut obstricti religione judicarent: cum jurassent omnes ...* Ante eum Cicero non semel de judicibus: *ut non nisi jurati sententia dicerent*. Et Offic. III. 10. mox laudandus. *Hansen. de Jurejur. vet. c. 9. Sigon. l. l. Brisson. ibid.* VIII. 715. *Manut. de Leg. c. 27. Ravard. Var.* V. 8. *Brod. Coroll. ad Pollet. For. Rom.* V. 7. *Putean. de Jurejur. ant. judic. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* V. *p.* 893. ... *Fab. de Magist. Roman. p.* 212. Sedebant. Animus enim sedendo magis sapit, ut est in proverbio, habetque acriorem contentionem in quiete corporis, & cum natura nulla molestia impeditur, constantius sese in rem propositam intendit, ut simul cum corpore affectus mentis componatur. Hinc Tranio in ara sedens, ad quam confugerat, cum sollicitaretur ut surgeret, timens dorso suo, & olfaciens dolum Teuropidæ, apud Plautum Most. V. 1. 53.

TEUR. *Surge dum huc, est consulere quiddam quod tecum volo.*

TRA. *Sic tamen hinc consilium dedero, nimio plus sapio sedens.*

Accedit, quod auctoritas, & majestas magis visenda ostenditur in sedente, quàm stante. Unde dictæ sunt in jure *sessiones judicum*, de quibus l. 2. ff. quis ordo in bonor. poss. Et apud Cicer. de Nat. deor. III. 30. *Exeamus è theatro, veniamus in forum, sessum ite precor. Quid? ut judicetur, qui tabularium incenderit*. Ubi Cotta Academicus Vellejum & Balbum *judicaturos* facit sedere. *Pollet. ibid.* I. 5. & 7. *Laurens. Var. sacr. gentil. c.* 10. *Minos in Alciat. Emblem.* 144. Stantes etiam judicabant, sed, ut verisimile videtur, de re parva. Unde Cicer. Brut. c. 84. *In comitium veniunt, ad stantem judicem dicunt*. Quomodo se gerere debeant, declarat Cicer. Offic. III. 10. his verbis: *At neque contra Rempublicam, neque contra jusjurandum, ac fidem amici sui causa vir bonus faciet, nec si judex quidem erit de ipso amico. Ponit enim personam amici, cum induit judicis: tantum dabit amicitiæ, ut veram amici causam esse malit, ut peroranda litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cum verò jurato dicenda sententia sit, me-*

mine

mineris deum se adhibere testem, id est, ut ego arbitror, mentem suam, qua nihil homini dedit ipse deus divinius. Sigon. de Judic. I. 28. Prætor illis dabat tabellas, &, ut sententias ferrent, mittebat in consilium. Cicer. pro Flacc. c. 39. *Cum tabella vobis, judices, dabitur, non de Flacco dabitur solum.* Mittere autem, & dimittere in consilium *judices* erat jubere illos ad urnas ire, atque in eas tabellas sententiam continentes conjicere. Ascon. in Cicer. p. 77. *Mittere judices in consilium est dimittere judices ad sententiam dicendam, ubi allegatis omnibus argumentis orator dixerit, dixi.* Cœl. apud Cicer. Fam. VIII. 8. *Mittit in consilium eosdem illos, qui litem æstimarant, judices.* Tum consurgentes in consilium ibant. Cicer. pro Cluent. c. 27. *Consurgitur in consilium*, Et c. 20. *Cum in consilium iri oporteret, quæsivit ab reo C. Junius, quæsitor ex lege illa Cornelia, quatum erat, clam, an palam de se sententiam ferri vellet: responsum est, clam velle fieri: itum est in consilium, omnibus sententiis Scamander prima actione condemnatus est.* Sigon. ibid. II. 22. Brisson. ibid. V. p. 460. In consilium autem plerumque adhibebant amicos. Gell. XIV. 2. *Tunc ibi amici mei, quos rogaveram in consilium, viri exercitati, atque in patrociniis, & in operis fori celebres, semperque se circumundique distrahentibus causis festinantes, non sedendum diutius.* XII. 13. *Cur hoc me potiùs rogas, quàm ex istis aliquem peritis, studiosisque juris, quos adhibere in consilium judicaturi soletis?* Brisson. l. l. In majoribus judiciis sententiam non dicebant, aut pronuntiabant, sed mutis tabellis clam declarabant; prætor autem ex tabellis majore numero pronuntiandam colligebat. Quæcunque verò cognovissent, habebant enim in illis solam cognitionem, ea non ut esse facta, sed *videri* pronuntiabant. Cicer. Verr. V. 6. *O præclarum Imperatorem, comprehendi jussit, quis non pertimescat causam dicere dominus, quod servis tam formidolosum, fecisse videri pronuntiavit?* Tacit. Annal. XIV. 43. 4. *Pronuntiemus ultro dominum jure cæsum videri.* Pollet. ibid. V. 15. Brisson. ibid. V. p. 482. Cujac. Obs. III. 26. Bud. in Pandect. p. 268. E. Gronov. in Senec. Nat. Quæst. I. 16. Rittersh. Gud. Scheffer. in Phæd. I. 10. 9. Decurias, in quas sunt distributi, V. supr. in *Decuriæ*. Δωροφάγοι, & qui munera accipiunt, non tantum in sacris literis malè audiunt, sed etiam apud profanos auctores, ut Hesiodum & alios: nec non in jure nostro. Loca parco adscribere. Et meritò sanè. Nihil enim est, quod magis occæcare solet etiam animum sapientis, quàm sordes, sive munera, quibus rectum judicium corrumpitur. Ita sordes pro corruptela munerum legimus in jure nostro: ut l. 3. §. 1. & l. 9. §. pen. ff. de recep. arbit. l. 15. §. 1. ff. de judic. ubi hæc tria conjunguntur, gratia, inimicitia, sordes. Æquè enim ista omnia magnam vim habent ad corrumpendum judicium. Etenim ut C. Jul. Cæsar præclarè apud Sallust. Catil. p. 40. *Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet. Haud facilè animus verum providet, ubi illa officiunt: neque quisquam omnium lubidini simul, & usui paruit, ubi intenderis ingenium, valet. Si lubido possidet, ea dominatur; animus nihil valet.* Pro sordibus etiam pretium quandoque usurpatur, ut l. 2. postr. die C. de pœn. jud. qui malè judic. *Qui pretio*, inquit Constantinus, *depravatus, aut gratia perperam judicaverit.* Rectè igitur decemviri hoc crimen ad suam curam revocarunt: & in talem *judicem*, talemve arbitrum, qui ob rem judicandam accepisset pecuniam, severissimè animadvertendum censuerunt, lata lege, ut is capite pœnas lueret. Meminit hujus Gel. XX. 1. in disceptatione illa nobili, quam de Leg. XII. tab. cum Cæcilio Icto habuisse scribitur Phavorinus Philosophus. Steph. Pighius Annal. III. p. 150. eam his verbis concipit: *Judicem, arbitrumve jure datum, qui ob rem dicendam accepisse pecuniam convictus erit, capite puniunto.* Sed cum hæc pœna nimis acerba, & gravis videretur, passi sunt eam legem abire in desuetudinem. Puniebant quidem Athenienses ob tale crimen, sed multò leviùs. Multa enim duntaxat ei dicebant, teste Polluc. VIII. 1. Sic lege Julia repetundarum tenebantur, qui pecuniam acceperint ob talem causam. Successerunt deinde edicta prætorum, quibus cautum fuit de pœna *judicis* malè judicantis dolo malo: nempè ut litem faciat suam, & proinde parti læsæ per talem sententiam cogatur veram litis æstimationem præstare, l. 15. filiusf. §. 1. ff. de judic. Secutæ sunt postea constitutiones Imperatorum, ut videre est tit. C. de pœn. jud. qui malè judic. & n. 142. c. 2. l. 2. C. constituit Imperator Constantinus, ut *judex*, qui dolo malo perperam judicaverit, non solum dispendium æstimationis sustineat, h. e. ut fiat infamis; sed etiam litis discrimen subeat, id est, quanti interfuerit illius, qui per sententiam ejus fuerit læsus. *Rittersh. ad Leg. XII. tab. Class.* II. c. 5. Sententias calculis in urnam missis dicebat. V. infr. in *Sententia*.

Judex in circensibus ludis dicebatur, qui ludos moderabatur, victorum palmas judicabat; & controversias ortas dirimebat. Suet. Ner. c. 12. n. 10. *Citharæ* coronam *à judicibus ad se delatam adoravit.* Vocabatur etiam *magister*. Suet. ibid. c. 22. n. 1. *Et quondam tractum Prasinum agitatorem inter condiscipulos querens, objurgante magistro....* c. 12. n. 10. *Magistros toti certamini præposuit consulares.* Et *brabeuta*. Suet. ibid. c. 53. n. 4. *Brabeutarum more in stadio humi assidens.* Panvio. de Lud. Circens. I. 15. Paschal. de Coron. VI. 10. Fab. Agon. I. 26. Gerbel. Græc. Antiq. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. IV. (60) A. Pitisc. in Suetonium.

Judex cognitionum sacrarum præfectus Urbi, qui cognoscebat ex delegatione Principis. Inscriptio apud Gruter. p. 284. n. 8.

MEMMIUS. VITRASIUS. ORFITUS
V. C. ITERUM. PRÆFECTUS. URBI
JUDEX. SACRARUM. COGNITION
TERTIUM.

En Vitrasius præfectus Urbi iterum, qui jure magistratus vice sacra judicabat: Sed *judex* sacrarum cognitionum est tertium, id est, non jure magistratus, sed delectus à Principe. Quod clarè alia inscriptio probat, in qua præfectus Urbi electus est ad cognoscendas jure Cæsaris cognitiones apud Gruter. p. 381. n. 3.

L. CÆSONIUS. PRÆ. URBI. ELECTUS. AD. COGNOSCENDAS. VICE.
CÆSARIS. COGNITIONES.

Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 25.

Judex constitutionum sacrarum dicebatur, cui cura commissa erat controversiarum, quæ ex constitutionum interpretatione oriebantur: Omnes enim articuli illis singulatim non poterant comprehendi, ideòque ad Principem recurri debebat. Nam ejus est interpretari, cujus est condere. Dubias hujusmodi interpretationes Princeps Paullino delegavit in inscriptione, quæ hos *judices* exhibet apud Gruter. p. 282. n. 3.

ANICIUS. PAULLINUS. JUN. V. C.
CONS. ORDINARIUS. ET. JUDEX
SACRARUM. CONSTITUTIONUM.

Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 25.

Judex nummarius vocabatur nummis, sive pecunia corruptus. Cicer. Attic. I. 13. *Infectandis, exagitandisque nummariis judicibus*, pro Clu. c. 27. *Varia judicum genera: nummarii pauci.* Suet. Dom. c. 8. n. 3. *Nummarios judices cum suo quemque consilio notavit.* Poller. For. Rom. V. 9. Bud. in Pandect. p. 126. H. Beroald. Torrent. & Pitisc. in Suetonium.

Judex pedarius qui fuerit, V. infr. in *Pedanens*.

Judex privatus, loquor de merè privato, non ideò solum dicebatur, quod causæ privatæ ab illo ventilarentur, sed quod homo privatus iis judicandis daretur, nec qui cum imperio, aut potestate erat, dari poterat. Errat enim Torrentius, qui privatos *judices* ad Suet. Claud. c. 14. n. 6. interpretatus est prætores, & centumviros, cum maximè inter se differant *judex* privatus, & centumvir. V. supr. in *Centumviri*. *Judex* privatus est homo privatus, qui causas privatas, & civiles dijudicat; prætor est, qui sententiam ejus exsequitur. Ipsumque refutant Suetonii verba, quæ interpretatus est: *Nam & iis, qui apud privatos judices plus petendo formula excidissent, restituit actiones.* Apud privatos enim *judices* ad formulam contendebant.

bant. In albo prætoris omnium formulæ erant perscriptæ, V. supr. in *Album*. Ad eas litigatores strictè agebant. Et ea qui cadebat, causa cadebat. V. supr. in *Formula*. Siccam. de Centumv. judic. 1. 4. De qua re cognoverat, de ea quoque sententiam ferebat. Julian. l. 74. ff. de judic. *De qua re cognoverit judex, pronuntiare quoque cogendus erit*. Brisson. de Form. v. p. 460. Pollet. For. Rom. v. 15. Siccam. l. l. Sententiam latam non poterat rescindere, & desinebat esse judex. Ulpian. l. 55. ff. de re judic. *Judex posteaquàm semel sententiam dixit, postea judex esse desinit, & hoc jure utimur, ut judex, qui semel pluris, vel minoris condemnavit, amplius corrigere sententiam non possit: semel enim male, seu bene officio est functus*. Brisson. ibid. p. 461. Siccam. ibid. c. 6. Pollet. ibid. c. 16.

Judex quæstionis. Hunc alii eundem ac prætorem faciunt, alii non solum non prætorem, sed hominem omnino privatum. Non fuisse prætorem hæc argumenta sunt. I. quod in iisdem causis, in quibus *judex* quæstionis versatus esse dicitur, in iis etiam prætor præfuisse invenitur. Ut in causa Oppianici prætor Verres, *judex* quæstionis C. Junius; in causa Verris prætor M. P. Glabrio, *judex* quæstionis Q. Curtius; & in causa Cluentii prætor Q. Naso, *judex* quæstionis Q. Voconius. II. quod in legibus de judiciis publicis hæc verba fuerunt: *magistratus, quique cum judicio publico præesset*. Item: *magistratus, judexve quæstionis*, scilicet nomine magistratus prætorem intelligendo, atque à *judice* quæstionis apertissimè secernendo. Item in aliis: *prætor, qui ex hac lege quæret: judex, qui eam rem quæsiverit, quive judex ex hac lege factus erit*. III. quod Quintilianus scribit, prætorem fuisse occupatum in his, quæ essent imperii; judicem quæstionis in iis, quæ essent cognitionis. Non fuisse privatum, ostendunt I. quod *Judex* quæstionis in legibus *quæsisse*, & ab Asconio *quæsitor fuisse, & quæstionem exercuisse* dicitur. II. quod in lege Cornelia de veneficiis erat: *Judex quæstionis cum iis judicibus, qui ei obvenerint, de ejus capite quærito, qui venenum fecerit*. Et Cicer. Verr. 1. 61. atque in illum Ascon. p. 109. *judicem* quæstionis sortitioni *judicum* operam dedisse apertè scribunt. Quæstionem verò qui habuit, & *judicum* sortitionem exercuit, is privatus omninò esse non potuit; est enim quæstio capitalis rei cognitio. III. quod à lege cognitionem acceperit, non à magistratu, ut apparet ex ff. de officio ejus, cui mandata est jurisdictio. IV. quod idem fuit in *judicio* publico *judex* quæstionis, atque in privato decemvir litibus judicandis. At decemvir fuit magistratus: Ergo multò magis *judex* quæstionis. Qui verò privatum esse dicunt, ii *judicem* faciunt: quod esse non potuit. *Judex* enim sorte obvenit quæsitori: at *judici* quæstionis sorte *judices* obveneruut, ex locis commemoratis. Si ergò ipse sortitus est *judices*, profectò non ut *judex* sorte lectus, sed ut magistratus suffragio creatus quæsivit. Ego verò censeo, *judicem* quæstionis neque prætorem fuisse, neque omninò privatum, sed tamen cum potestate: eum verò magistratum captum fuisse post ædilitatem, ut post quæsturam decemviratus litibus judicandis. Hoc appatet ex C. Visellio, quem scribit Cicer. in Brut c. 76. *cum post curulem ædilitatem judex quæstionis esset, mortuum esse*. Et ex vetere monumento C. Octavii, in quo ipse item post ædilitatem, & ante præturam *judex* quæstionum vocatur:

C. OCTAVIUS. C. F. C. N. C. PRON
PATER. AUGUSTI
TRIB. MIL. BIS. Q. ÆDIL. PL. CUM TORANIO
JUDEX. QUÆSTIONUM
PR. PROCOS. IMPERATOR. APPELLATUS
EX. PROVINCIA. MACEDONIA.

Cicero quoque pro Cluent. c. 29. *C. Junium judicem quæstionis hominem ædilitium jam prætorem opinionibus hominum constitutum* scribit. *Sigon. de Judic.* II. 5. *Gruch. de Comit. Roman.* I. 2. *Robort. de Judic. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III. *p.* (15) *C. Broid. Goroll. ad Pollet. For. Rom.* III. 7. V. etiam infr. in *Prætores*. *Judex* autem quæstionis, qui & *judicum* princeps appellatur ab Asconio, postquàm à prætore data erat, exercebat, *judices* sortiebatur, testes audiebat, quæstiones habebat, tabulas inspiciebat, quæ prætor propter imperii dignitatem non curabat. *Sigon. l. l. Siccam. de Centumv. Judic.* 1. 5. V. tamen & *Manut. de Legib.* infr. in *Veneficium*.

JUDICANDI necessitas quædam est imposita decuriatis, & non mirum, si tantoperè contenderent, ut alias haberent in eo officio decurias molestiæ socias. Cicer. Verr. 1. 8. *Hoc si vobis ideò levius videtur judices, quod putatis onus esse grave, & incommodum judicare, intelligere debetis, utrum id onus vosmetipsi rejeceritis, an quod probare populo Romano fidem vestram, & religionem non potueritis, ideò vocatis judicandi necessitas erepta sit*. Arcadius item, l. 18. §. 14. ff. de muner. & honor. cum judicatum refert *inter munera personalia judicandi* appellat *necessitatem*. Accedit & mulctæ periculum, si citati non adessent. Cicer. Phil. v. 5. *Quæro igitur, si Lysiades citatus judex non responderit, excuseturque Areopagites esse, nec debere eodem tempore Romæ, & Athenis res judicare, accipietne is, qui quæstioni præerit, excusationem?* Si ergo non aderant, poterat prætor multam infligere, quam opinor gravem fuisse, ex Plin. Epist. IV. 29. 2. *Ecce, Licinius Nepos prætor acer, & fortis vir, multam dixit etiam senatori. Egit ille in senatu caussam suam: egit autem sic, ut deprecaretur. Remissa est multa: sed timuit, sed rogavit, sed venia opus fuit*. Est autem verisimile pignoriscapione, aut multa arbitraria multatos, ut senatores, qui ex contumacia non veniebant evocati in curiam. Cicer. Phil. I. 5. Cum noller venire vocatus, M. Antonius interminabatur ædium incendium, aut disturbationem, ad quæ Cicero: *Quis unquam tanto damno senatorem coegit? aut quid est ultra pignus, aut multam?* Pollet. For. Rom. III. 10. Bud. in Pandect. p. 263. F. Cujac. Observ. XXI. 31.

JUDICARE aliud est, aliud jus dicere: contra quàm, qui veterum Ictorum libros ignorant, opinantur: & quemadmodum civilibus in rebus prætor non cognoscit, neque *judicat*; sed jus dicit: sic, qui ab ipso judices sunt dati, non jus dicunt, sed cognoscunt ac judicant. Hinc recuperatores, hinc C. viri, hinc arbitri, quos prætor dabat. Et in epistola ad Q. Fratrem, *Prætor solet judicare, deberi?* Prætor enim urbanus de nullo crimine publico quærebat: itaque nec quæsitor dicebatur: tantum, civilibus controversiis ad eum delatis jus dicebat, hoc est, judices, & judicii formulam, quam sequerentur, dabat. Nec enim prætor ipse *judicare* solitus erat, sed, cum judices ab ipso dati de controversia cognovissent, ac *judicassent*, exequebatur. Ideò in omnibus fermè edictis prætorum legitur, *judicium dabo*, in quo posteriores lapsi sunt. Quædam tamen erant, in quibus non modò non *judicabat*, verum nec jus dicebat prætor urbanus, sed, omissa jurisdictione, imperio prætorio exequebatur: ut cum bonorum possessionem secundum tabulas, aut contra tabulas dabat: item, cum restituebat in integrum: & hujus generis nonnulla. *Manut. de legib. c.* 19.

JUDICATA qui non faciebant, acerbissima coercebantur hac lege, cujus hæc sunt verba apud Gell. XX. 1. *Æris. confessi. debitique. jure. judicatis. triginta. dies. justi. sunto. post. deinde. manus. injectio. esto. in. jus. ducito. ni judicatum. facit. aut. quis. endo. em. jure. vindicet. secum. ducito. vincito. aut. nervo. aut. compedibus. quindecim. pondo. ne. minoribus. aut. si. volet. majoribus. si. volet. suo. vivito. ni. suo. vivit. qui. em. vinctum. habebit. libras. farris. in. dies. dato. si. plus. volet. dato. Tertiis. nundinis. partis. secanto. si. plus. minusve. secuerunt. sine. fraude. esto*. August. ad Leg. XII. tab. §. 38 *Judicatum* solvi satisdate, id est, solvere, quod esset *judicatum*, & vel rem restituere, vel litis æstimationem præstare, compellebatur olim possessor, ubi in rem agebatur. Et quisquis in rem actione conveniebat, sive suo, sive alieno nomine accipere, ita cavere cogebatur. At in actionibus in personam, si propriò quis nomine *judicium* accipiebat, *judicatum* solvi non satisdabat: si verò alieno nomine interveniret, omnino satisdabat, quia nemo alieno rei, sive litis idoneus defensor sine satisdatione intelligebatur, l. qui prop. §. qui alium ff. de procurat. *Brisson. de Form.* v. *p.* 392. *Sigon. de Judic.* 1. 27.

JUDI-

JUDICIUM est potestas de rebus aut privatis, aut publicis ex jure, & legibus Romanis *judicandi*. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 18. Etiam sententia, quam *judices* à prætore litigatoribus *judicium* postulantibus dati re cognita tulerunt. Quod docuisse videtur is qui Herenniana Rhetorica scripsit, cum dixit II. 13. *Judicatum esse id, de quo aut sententia lata, aut decretum interpositum esset*. Neque enim dubium est, quin his verbis, & prætoris, & judicum cognitionem exprimere voluerit. Dabatur à præside eo modo, quo postulabatur, id est, aut ex lege provinciæ, aut ex edicto prætoris, si quid, quod abesset à lege Commodi, contineret. Ex lege quidem, ut Rupilia apud Siculos, in qua scriptum est apud Cicer. Verr. II. 13. *Ut quod civis cum cive ageret, domi certaret suis legibus: quod Siculus cum Siculo non ejusdem civitatis, ut de eo prætor judices ex lege Rupilia sortiretur. Quod privatus à populo peteret, aut populus à privato: senatus, ex aliqua civitate, qui judicaret, daretur, cum alternæ civitates rejectæ essent. Cæterarum rerum selecti judices ex civium Romanorum conventu proponi solebant. Inter aratores, & decumanos lege frumentaria, quam hieronicam appellabant, judicia fiebant*. Moris autem fuit, ut cum res ex lege Rupilia gereretur, dicæ scriptio præcederet, inde citatis litigatoribus una sortitio post triginta dies, inde altera, & quidem ex voluntate litigatorum, fieret; Dicam scribere, & sortiri quid sit V. supr. in *Dica*. Hæc omnia ex judicio Heraclii hominis Siculi cognoscuntur, de quo Cicer. Verr. II. 15. Ex edicto, cum more Romano postulabatur, id est, ut sibi aut *judex* unus, aut tres recuperatores darentur. Sic enim cum prætore quoque urbano agebatur. Hoc autem erat ex edicto, quia prætor hoc in edicto posuerat, se de illis, aut illis rebus judicem, aut recuperatores daturum. Cicer. Verr. III. 14. *Præclara clausula edicti, quod omnium controversiarum, quæ essent inter aratorem, & decumanum, si uter velit, edicit, se recuperatores daturum*. Sigon. de Ant. jur. prov. II. 5. Constituere dicitur eodem modo, quo dare actionem, & futuræ causæ processum, & seriem ordinare. Quintil. III. 13. *Rarum est, ut in foro judicia solum propter id constituantur, sicut divinationes, quæ fiunt de accusatore constituendo, & nonnunquam inter delatores, uter præmium meruerit*. Pollet. For. Rom. III. 7. Bud. in Pandect. p. 209. K. Cogere est ejus, cujus præsidere, utrumque meri imperii. Val. Max. IX. 12. 7. *Cum M. Ciceronem, qui id judicium cogebat*, id est, qui causæ præerat. *Pollet. ibid. c.* 14. Dies *judicio* indicebatur in hunc modum. Si tribuni plebis multam irrogarant, diem comitiis tributis dicebant, quod ipsi pro potestate poterant; si perduellionem, diem centuriatis comitiis à prætore urbano poscebant. Cicer. pro Dom. c. 32. *Cæso ille Quinctius, & M. Furius Camillus, & C. Servilius Ahala damnati comitiis centuriatis, cum in exsilium profugissent, ab eodem populo in suam pristinam dignitatem sunt restituti*. Hos verò satis constat, reus à tribunis plebis esse factos. Antias apud Gell. VII. 9. *Licinius tribunus plebis perduellionis ei diem dixit, & comitiis diem à Q. Marcio prætore poposcit*. Sigon. de Judic. III. 13. Proferebatur, si aut judex, aut alter litigatorum morbò impeditus abesset. Sic enim scriptum erat in XII. *Si judex, alterve ex litigatoribus morbo sontico impediatur, judicii dies diffisus esto*. Hinc Paull. ff. de Judic. *Judex datus in eodem officio permanet, licèt furere cœpisset, quia rectè ab initio judex addictus est; sed judicandi necessitatem morbus sonticus remittit*. Sigon. ibid. I. 28.

Judicium calumniæ fuit in petitorem, si is calumniatus fuisse argueretur. Erant autem calumniatores, qui accepta pecunia litem falsò intenderant, aut prætermiserant. Ulpian. ff. de calumniat. *In eum, qui ut calumniæ causa negotium facesseret, vel non facesseret, pecuniam accepisse dicetur, intra annum in quadruplum ejus pecuniæ, quam accepisse dicetur, post annum simpli in factum actio competit*. Gell. XIV. 2. *Is cum suis patronis clamitabat, probari apud me debere pecuniam consuetis modis expensi latione, mensæ rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obsignatione, testium intercessione: ex quibus omnibus si nulla re probaretur, dimitti jam sanè oportere, & adversarium de calumnia damnari*. Sigon. de Judic. I. 32. Ouzel. in Gellium.

Judicium centumvirale est decretum, seu sententia, quam centumviri ex XXXV. P. R. tribubus. V. supr. in *Centumviri*. à decemviris litibus judicandis sortiti & coacti, inque diversis tribunalibus divisi, hasta posita, & prætore sollenniter præsidente, in basilicis, certisque sessionum diebus, de controversiis privatis, præcipuè verò de hæreditatis petitionibus faciebant. Differebat à privato, nec enim centumviri privati erant *judices*. V. supr. in *Centumviri*. Siccam. de Centumv. Judic. I. 6. Magis ad publicorum, si illorum formam consideres, judiciorum ordinem intelliges inclinare. Eaque ratione à privatis judicus causas centumvirales visus est distinxisse Plin. Epist. VI. 33. 9. *Interventu acribus illis, & erectis frequens necessitas computandi, ac pene calculos, tabulamque poscendi, ut repente in privati judicii formam centumvirale vertatur*. Quintil. V. 10. *Proprium est illud causæ, quod Amphictyones judicant, ut alia apud centumviros, alia apud judicem privatum in iisdem quæstionibus ratio sit*. Nec id ignoravit Justin. l. fi. C. de petit. hæred. *Magnitudo, & auctoritas centumviralis judicii non patiebatur per alios tramites viam hæreditatis petitionis infringi*. Huc referendum, quod scribit Quintil. IV. 1. *Quibusdam in judiciis, maximèque capitalibus, ut apud centumviros, ipsi judices exigunt solicitas, & acuratas quæstiones*. Ræward. Protribun. c. 20. Qui hoc argumentis probat adeò levibus, & ficulneis, ut tanti ICti auctoritatem vix mereantur. Nam nusquam aperit, qua in re cum publicis *judiciis* conveniat. Plinius, & Quintilianus centumvirale *judicium* à privatis discernunt. Sed in jure nostro semper verum esse non potest, quod privatum non est, necessariò esse publicum. Ex Quintiliano si hoc probare velit, quod scribat, *capitalibus ut apud centumviros*, quasi centumviralia *judicia* capitis pœnam irrogaverint, qua ratione verè publica fuissent, præter scripturæ mendum (nam *ut & apud centumviros* legendum est) respondeo etiam, capitales causas privatæ quæstionis judicium fuisse: nec eas solas esse capitales, cum de mortis pœna quæritur, quemadmodum nec publica judicia omnia eo modo capitalia sunt; sed & cum de existimatione hominis dicitur, capitales causas appellari. Cicer. pro Q. Rosc. c. 16. *Si quæ sunt privata judicia summæ existimationis, & penè dicam capitis, tria hæc sunt, tutela, fiducia, societatis*. pro P. Quint. c. 31. *Horribile est causam capitis dicere*. Illa verò oratio rei privatæ fuit. Similiter quod scribit, etsi Rævardus ejus non meminerit, Plin. Epist. V. 1. 7. *Cohæredes mei componere, & transigere cupiebant, non diffidentia causæ, sed metu temporum. Verebantur, quod videbant multis accidisse, ne ex centumvirali judicio capitis rei exirent*. Non ita capiendum est, quod centumvirali *judicio* rei capitis judicarentur, sic enim interpretor; verùm ne quid illis ab Aufidio Curiano, iisque quos advocaverat, objiceretur, quod deinde capitis pœnam irrogaret. Quod ipsum n. 8. Plinius confirmat, nimirum inter cohæredes ejus fuisse, *quibus Rustici, & Gratillæ*, cujus ex testamento Plinius cum cæteris legatum acceperat, *objici amicitia posset*, & ut ego conjicio, propter infamiam periculosa. Deinde si ob id, quod centumviri *solicitas, & accuratas actiones exigerent*: sanè illud ejusdem pretii argumentum est, cujus hoc quod sequitur, nempe, eam ob causam publicum fuisse, quod Justinianus dixerit .... Nam quid mirum centumviros *solicitas, & accuratas actiones exegisse*, qui plerumque omnes eloquentia ipsi, & juris scientia erant insignes, & obscurissimas controversi juris, non facti causas deciderent? V. supr. in *Centumviri*. Magnitudo, & auctoritas, quam objicit, centumviralis *judicii*, non solum ad magnificum, & reverendum tot splendidissimorum hominum consessum pertinet (quamquam quid magnificentius spectari potuit, quàm tot homines clarissimos in excelso, & spatioso tribunali, in splendidissima basilica, eloquentissimis viris causas agentibus, & adstante multiplici ordine numerosa civium Romanorum corona, controversias plenas dignitatis, & spei summa cum auctoritate decidere?) verum hoc magis significari existimo, centumvirale *judicium* tan-

tæ

iæ fuisse auctoritatis, ut alio ei *judicio* præjudicium adferri non potuerit. Quod etiam confirmare videtur Ulpian. l. 7. ff. de hæred. petit. *Et per minorem causam majori cognitioni præjudicium fieri non oportet: major enim quæstio minorem ad se trahit*. Quemadmodum & post subscriptum centumvirale *judicium* dilatio nulla, ut in privatis *judiciis*, dari poterat. Eam centumvirali *judicio* causæ privatæ disceptabantur. Nulla quoque hic *judicum* sortitio, aut aliud quidquam, quod ad publica *judicia* pertinere videtur. Dicimus itaque nec privatum, nec publicum fuisse, sed populare, & quodammodo universi populi Romani consilium, ad privatas controversias disceptandas coactum, cui prætor sollenniter præsidebat. Siccam. ibid. c. 7. Cujac. Observ. x. 20. Illud statim post primam centumvirorum creationem cogendi jus habuerunt decemviri litibus judicandis. Hoc Augustum instituisse indicat Suet. c. 36. *Ut centumviralem hastam; quam quæstura functi consueverant cogere, decemviri cogerent*. *Hastam* enim *cogere* est hastæ præesse, ut *judicium cogere* judicio præesse, apud Val. Max. ix. 12. 7. Atque id sic interpretabitur Dio mox laudandus. Etiam ostendit Lucan. ad Pison. n. 41. his verbis:

Seu trepidos ad jura decem citat hasta virorum,
Et firmare jubet centeno judice causam.

Imprimis Plinius, qui laudatur supr. in *Centumviri*. Siccam. ibid. c. 8. Noodt de Jurisd. & imper. i. 12. Nec cogerent modò, verùm sortirentur, & conscriberent non strictim, & uno numero, sed etiam majori, ad 180. post Augusti ætatem scilicet, qui in quatuor consilia distribuebantur. V. Plinium supr. in *Basilica*; & Quintilianum supr. in *Consilia*. Hoc confirmat Dio liv. p. 540. scribens *decemviros delectos fuisse ad illa judicia, quæ ad centumviros sorti deferebantur*. Siccam. ibid. c. 8. Hotoman. de magistr. Roman. i. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. ii. p. 1867. E. Sigon. de Judic. i. 28. Edicebatur diebus cognitionalibus. V. illos supr. in *Dies*. nec iis omnibus, sed cum prætor consilium nec exerceret, nec præberet, minimè feriis, cum forum Romanum *judiciis* vacabat, & res prolatæ dicebantur. Auct. ad Pison. n. 72.

Huc etiam tota concurrit ab urbe juventus,
Auditura virum, si quando judice fesso
Turbida prolatis tacuerunt jurgia rebus;

Stat. Sylv. iv. 4. 40.

— *messesque reversa*
Dimisere forum, nec jam tibi turba reorum
Vestibulo, querulique rogant exire clientes.
Cessat centeni moderatrix judicis hasta.

Siccam. ibid. ii. 1. In basilica Julia habendum. V. supr. in *Basilica*, & *Causa centumvirales*. Causas, quæ in illo disceptarentur. V. etiam supr. in *Causa centumvirales*. Ad hastam in illo positam. V. supr. in *Hasta centumviralis*. Ad hos causas detulere prætores perplexi juris controversiam continentes, non tamen ipsi eis *judiciis* præfuere, credo, muneribus aliis occupati. *Sigon. l. l.* Imò ipse Prætor urbanus illi præsidebat. V. infr. in *Prætor urbanus*. Quomodo in illo sederit. V. supr. in *Consilia*. Siccam. ibid. i. 12. Noodt & Hotoman. l. l. Græv. Thes. Antiq. Roman. Præfat. Tom. ii. * * * * * 2. vers. Tribunal, sellamque prætoriam ascendebat, centumviri se in quatuor tribunalia diffundebant; decemviri singuli singulis tribunalibus, tanquam *judices* quæstionis, & suffragia collaturi assidebant, hasta centumviralis *judicii* indice singulis consiliis affixa. *Judicio* ita ornato, & disposito, populus multiplici corona tribunalia omnia circumstabat, & advocati summa eloquentia causas orabant. *Siccam. ibid.* ii. 4.

De *Judiciis* corruptis crimen capitale crediderim. Id ex eo conjicio, quod C. Gracchus tribunus plebis eam legem in ordinem senatorium tulit, cæteros ordines excepit: ut in oratione pro Cluentio legimus. Cum igitur & crimen ipsum per se gravissimum fuerit (quid enim gravius, quàm innocentem, accepta pecunia, condemnare?) & Gracchus eam legem, ut in eadem oratione ait Cicero, pro plebe tulerit, ad licentiam senatorii ordinis retundendam: leviore pœna eum contentum fuisse verisimile non est. Quod eo magis existimo, quia postea L. Sylla crimen hoc comprehendit ea lege, quam de veneno tulit, ut capitale crimen cum capitali, venenum scilicet cum *judiciis* corruptis conjunxisse videatur. Gell. xx. 1. legis xii. tab. testimonio hoc confirmat: in illa scriptum esse ait, ut qui *ob rem judicandam pecuniam accepisse convictus esset, capite puniretur*. ut Gracchus non hoc ipse novum sanxerit, sed à xii. tab. petitum in suam legem transtulerit. Romæ quis *judicium* primus corruperit, ignoratur. Athenis verò Anytum Anthemionis filium hanc pestem primum induxisse scribit Plutarch. Alcib. p. 193. E. *Manut. de Legib.* c. 29.

Judicium curiatum est curiatis comitiis factum. Unicum hoc extat P. Horatii. Hoc primum, ut inquit Cicer. Mil. c. 3. Romæ capitis *judicium* fuit. P. autem Horatius tum de parricidio interrogatus est lege Numæ, quæ fuit: *si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, parricida esto*. Parricidam scilicet vocavit, auctore Festo, *non qui parentem occidisse diceretur, sed qualemcunque hominem*. Atque hac lege interrogatum eum tradunt Festus, Dionys. iii. p. 159. & Cicer. l. l. *Romana civitas primum judicium de capite vidit P. Horatii, qui nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus, cum sua manu sororem interfectam esse fateretur*. Actio tamen instituta est ea lege, quam tum Rex Tullius tulit, qua lege creati duumviri sunt, ut perduellionem, id est, rem capitalem, & mortis pœnam judicarent, & si reus ad populum provocasset, ad eum de provocatione certaretur. Provocavit Horatius. Ita de provocatione certatum ad populum est. Populus absolvit. Liv. i. 26. *Sigon. de Judic.* iii. 4.

Judicium falsi fuit in *judicem*, si ob judicandum pecuniam accepisset, de quo in xii. tab. scriptum fuit. Unde Gell. xx. 1. *Nisi duram esse legem putes, quæ judicem, arbitrumve datum, qui ob rem judicandam pecuniam accepisse convictus est, capite punit*. V. supr. in *Judicium*. Abrogata lege xii. tab. lege repetundarum de hoc crimine quæsitum est. *Sigon. de Judic.* i. 33.

Judicium juris extraordinarii est, cum magistratus ipse, nullo dato *judice*, causas leviores cognoscit. Cognitio propriè dicebatur, differentiæ causa à jurisdictione, quæ ordinarii juris erat. V. supr. in *Cognitio*.

Judicium majestatis, publicum quidem, sed non semper capitale fuit. Nam Claudiæ Vestali, Appii Cæci filiæ, C. Fundanius, & Tit. Sempronius ædiles plebis, quod populo Romano calamitatem esset imprecata, multam dixerunt æris gravis xxv. millia, quæ capitalis pœna non fuit. *Judicium* illud & publicum fuisse, inde patet, quod ad populum factum est. Id etiam Atejus Capito propterea inter publica retulit *judicia*. Et majestatis nomine notatum his verbis significat Suet. Tib. c. 2. n. 8. *Claudia novo more judicium majestatis apud populum mulier subiit, quod in conferta multitudine, ægrè procedente carpento, palam optaverit, ut frater suus Pulcer reviviscerет, atque iterum classem amitteret, quo minor turba Romæ foret*. Manut. de Legib. c. 19. Sigon. de Judic. ii. 3.

Judicium ordinarium, quod consueto juris ordine peragebatur. Eratque aliud privatum, aliud publicum, aliud centumvirale. V. singula suis locis. *Siccam. de Centumv. Judic.* i. 4.

Judicium privatum magistratuum erat decretum, seu sententia de controversiis privatis, quod aut magistratus ipsi, qui jus dicebant, aut judices à magistratibus jus dicentibus dati tulerunt, prout jure erat sancitum. Tota *judiciorum* privatorum tractatio quinquepartita disputatione constat, controversiarum, juris, jus dicentium, actionum, & judiciorum. V. singula suis locis. *Sigon. de Judic.* i. 1. Causæ, de quibus constituebatur, erant lites, seu controversiæ civiles, ac privatæ appellatæ; civiles quidem, quod aut jure civili comprehensæ, aut à jure civili profectæ sunt; privatæ verò, quod aut privatum quemque, non populum, nec Rempublicam attingerunt, aut quod privato tantùm, cujus res agebatur, actio conveniret, non è populo cuicunque. Harum aliæ pertinent ad personas, aliæ ad res, aliæ ad obligationes. V. singulas suis locis. *Sigon. ibid.* c. 2. Ejus universa forma

sive

five legibus, five moribus fuit contenta, quousque Augustus Imperator, cum Rempublicam constitueret, legem Juliam tulit, qua diligentiùs hæc omnia sanxit. Ejus meminit Gell. XIV. 2. *Atque in rerum quidem diffisionibus, comperendinationibus, & aliis quibusdam legitimis in rebus ex ipsa lege Julia, & ex Sabini Massurii, & ex quorundam aliorum jurisperitorum commentariis commoniti, & adminiculati sumus.* Sigon. ibid. c. 27. Leges, ex quibus hæc *judicia* facta sunt, fuerunt XII. tabularum, quæ jus omne privatum complexæ sunt: & post illas, quæ XII. tabulas suppleverunt, Furia, Voconia, Atinia, Atilia, Aquilia, & Falcidia: & prætorum edicta, sive leges, quas prætores, & ædiles curules initiò magistratus proposuerunt: in quibus quo modo de singulis controversiis jus dicturi in suo magistratu essent, cives admonebant. Erat enim eis permissum, ut à legibus scriptis discederent, &, quoniam non omnia comprehendi eis potuerant, eas adjuvarent, aut supplendo, aut corrigendo, si opus est. *Sigon. ibid. c. 6.*

Judicium privatum populi de controversiis, aut ad res, aut ad personas, aut ad obligationes pertinentibus constituebatur. Illorum unicum est exemplum Liv. III. 71. *Victoriam honestam ex hostibus partam turpe domi de finibus sociorum judicium populi deformavit. Aricini, atque Ardeates de ambiguo agro quum sæpè bello certassent, multis invicem cladibus fessi, judicem populum Romanum cepere. Quum ad causam orandam venissent, concilio populi à magistratibus dato, magna contensione actum. Jamque editis testibus, quum tribus vocari, & populum inire suffragium oporteret, consurgit P. Scaptius: &, si licet, inquit, consules de Republica dicere, errare ego populum in hac causa non patiar . . . : Agrum, de quo ambigebatur, finium Coriolanorum fuisse, captisque Coriolis jure belli publicum populi Romani factum. Consules, quum Scaptium, non silentio modo, sed cum assensu etiam audiri animadvertissent, deos, hominesque testantes flagitium ingens fieri, patrum primores arcessunt: cum his circumire tribunos, orare, ne pessimum facinus pejore exemplo admitterent, judices in suam rem litem vertendo. Vocata tribus judicaverunt, agrum publicum populi Romani esse. Nec abnuitur ita fuisse, si ad judices alios itum foret.* Sigon. de Judic. III. 1.

Judicium prolusorium non est dictum à collusione, quasi συγκακουργικὸν, sed προαγωνιστικόν: est enim præjudicialis causa, quæ hoc verbo significatur. Proludere est futurum certamen meditari, & exercendarum virium causa, confirmandique animi simulacrum certaminis inire. Virg. Georg. III. 232.

Et tentat sese, atque irasci in cornua discit
Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.

Juven. Sat. V. 26.

Jurgia proludunt.

Augustin. de Civit. Dei II. 4. *Scenicos ipsos domi hæc sua proludendi causa coram matribus suis agere puderet.* Inde proludere est aliquid agere, quod ad justum certamen pertinet: quasique exordium legitimi plenique certaminis auspicari. Certamen autem pro *judicio* ponitur apud Græcos, ut periculum: quod etiam Latini imitantur: ita factum est, ut prolusionis vocabulum ad causas translatum sit. Sic Cicero divinationem suam prolusionem Verrinæ accusationis vocat Divin. c. 14. In ea enim de constituendo accusatore Verris agebatur. Apud Græcos προαγῶνες præludia pugnæ vocantur, ut excursiones ad prælium lacessendum. Dicebantur etiam orationes, vel altercationes, quæ habebantur apud Thesmothetas. Ulpian. l. 14. ff. de Appellat. Si *perlusorio*, legendum est *prolusorio judicio actum sit adversus testamentum . . . : Bud. in Pandect. p. 250. D.*

Judicium publicum magistratuum erat decretum, aut sententia, quod de criminibus ad Rempublicam pertinentibus, quæsitore aliquo *judicium* exercente; judices ex tribus ordinum decuriis secundum leges à populo latas, ordinaria judicandi via faciebant. Publicum dictum est, quod cuivis è populo actio permitteretur. Publicorum longè fuit alia ratio quam privatorum. *Neque enim*, ut inquit Justinianus, *per actiones ordinata sunt, neque omnino simile quidquàm cum privatis judiciis habuerunt; magnaque diversitas eorum fuit & in instituendo, & in intendendo.* Sigon. de Judic. II. 1. Siccam. de Centumv. Judic. I. 5. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. II. Præfat. * * * * * 4. Alia fuerunt capitalia, alia non fuerunt. Quod etiam scripsit Paullus ad edictum Principis his verbis: *Publicorum judiciorum quædam capitalia sunt, quædam non capitalia. Capitalia sunt, ex quibus pœna mors, aut exsilium est, hoc est, aquæ, & ignis interdictio; per has enim pœnas eximitur caput de civitate; nam cætera non exsilia, sed relegationes propriè dicuntur: tunc enim civitas retinetur. Non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coercitio pœna est.* Sigon. ibid. c. 3. Hotman. Antiq. Roman. II. 13. His operam dederunt I. Reges. Dionys. II. p. 87. Romulum Regem delicta maxima cognovisse, minora senatoribus permisisse scribit. Et Liv. I. 49. qui cum Superbum Regem scribit, *ut metum populo incuteret, cognitiones capitalium rerum sine consiliis per se solum exercuisse: perque eam causam, in exsilium agere, bonisque multare potuisse*, non obscurè, quid cæteri superiores Reges servarint, ostendit. II. Consules. De illis ex eo elicere possumus, quod in Regum locum successerunt. Et quod Brutus primus consul de conjuratis ultimum supplicium causa ipsa cognita sumpsit. III. Quæstores à populo constituti, cum jus consulum lege Valeria de provocatione lata est imminutum, & cautum est in posterum, ne consul de capite civis Romani injussu populi quæreret; verùm ii quos populus quæstionibus publicis præfecisset. Quæsitores parricidii sunt appellati. Non multò post Reges exactos sunt instituti. In lege enim XII. tab. eorum mentio fiebat. Pompon. ff. de orig. jur. l. 2. §. 23. *Quoniam de capite civis Romani injussu populi Romani non erat permissum lege consulibus jus dicere, propterea quæstores constituti à populo, qui capitalibus præessent, & appellabantur quæstores parricidii, quorum meminit lex XII. tabularum.* Sigon. ibid. c. 4. Augustin. ad Leg. XII. tab. §. 46. Siccam. de Centumv. judic. I. 5. Leges, ex quibus facta sunt, fuerunt Corneliæ, quas L. Cornelius Sylla tulit in dictatura; Pompejæ, quas Cn. Pompejus tulit maximè in tertio consulatu; Juliæ, quarum alias C. Julius Cæsar & dictator, alias C. Cæsar Octavianus Imperator tulerunt. *Sigon. ibid. c. 26. Judicium* publicum populus Romanus jam inde à Romulo Rege usque ad Augustum Imperatorem retinuit: verùm non iisdem semper comitiis; nam curiatis quidem tantùm sub Regibus, centuriatis autem, & tributis Republica dominatu regio liberata. Judicavit de criminibus, & pœnis criminum omnibus, quæ ad se à magistratu essent delata. *Sigon. de Judic.* III. 1.

Judicium recuperatorium vocabatur injuriarum à prætore datum. Cicer. de Invent. II. 20. *Non oportet in recuperatorio judicio ejus malefici, de quo inter sicarios quæritur, præjudicium fieri.* Sigon. de Judic. I. 22. Nann. Misc. IX. 7. Recuperatores V. infr. in *Recuperatores.*

Judicium rei fuit duplex: unum pro reo, restitutio in integrum appellata. V. infr. in *Restitutio.* alterum contra reum, addictio. V. supr. in *Addictio.* Sigon. de Judic. I. 30.

Judicium secretum, quod tacitum vocabatur, aliquando ex senatus decreto fiebat: quo vel ambitus damnabantur candidati, vel ut ratio eorum in comitiis nulla haberetur; quod largitione, & contra majorum morem petisse viderentur. Cicer. Attic. IV. 5. *Senatus decrevit, ut tacitum judicium ante comitia fieret ab his consiliis, quæ erant omnibus sortita in singulos candidatos, magnus tremor candidatorum.* Offic. II. 7. *Quamvis demersæ sunt leges alicujus opibus, quamvis tremefacta libertas, emergunt tamen hæc aliquando, aut judiciis tacitis, aut occultis de honore suffragiis.* Poller. Por. Rom. V. 10.

Judicium turpe erat calumniæ, prævaricationis, furti, bonorum vi raptorum, injuriarum, de dolo malo, pro socio, mandati, tutelæ, depositi, & alia quædam à Juliano memorata Dig. III. Hoc damnatis adempta erat *judicandi* potestas. Cicer. Cluent. c. 42. *Quod si illud judicium putaretur, ut cæteri, turpi judicio damnati, in perpetuum*

omne

omni honore, ac dignitate privantur. Manut. de Leg. c. 15. Zamosc. de Senat. Rom. 1. 5.

JUG.

JUGARIUS vicus, V. illum infr. in *Vicus*.

JUGATINUS deus colebatur, ut ex Varrone scribit Augustin. de Civit. Dei vi. 9. *cum mas & femina conjungebantur*. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 356. E. Tomas. de Donar. c. 13. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 56. D. Laurent. de Spons. c. 1. Stuv. Ant. Roman. c. 1. p. 157. Blond. Triumph. Rom. 1. p. 11. E.

JUGATIO est pensitatio certa, quam pro suæ possessionis portione veteres præstabant, & pro numero animalium quibus possessiones exercebant, l. 1. lib. C. 10. tit. 48. In singula *juga*, & capita quaternæ siliquæ definiuntur. C. lib. 12. tit. 4. Huc facit Novell. 17. *Coges publicos mancipes, aut exactores in suis acceptilationibus omnibus diserte indicare super quibus eas edunt, hoc est, modum & numerum jugerum, & capitum, seu quæ est alia appellatio in iis locis, & pro quibus, & qualibus prædiis ista exigunt*. Ζύγα, juga, ζυγοκέφαλα, *jugatio & capitatio*. Unde apparet, aliud esse *jugationem*, aliud *jugationem* cum capitatione conjunctam, quæ ζυγοκέφαλα dicuntur; *Buleng. de Vectig. c.* 12. Ideo quantitas *jugerum* in tabulas relata. In Ecloga Basilic. *Tabulas significantes quantitatem pecuniarum, & specierum, & jugorum*. Justinian. Novell. 17. *Decentes, se non posse quantitatem jugerum exponere*. Buleng. ibid. c. 15.

JUGERUM quomodo ab actu differat, docet Plin. XVIII. 3. *Jugerum vocabatur, quod uno jugo boum in die exarari posset: Actus, in quo boves agerentur, cum aratur uno impetu justo. Hic erat CXX. pedum: duplicatusque in longitudinem jugerum faciebat*. Similiter Colum. v. 1. *Clima quoquoversus pedum est LX. actus quadratus undique finitur pedibus CXX. hoc duplicatum facit jugerum, & ab eo, quod erat junctum, nomen jugeri usurpavit*. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Vectig. c. 12. Donat. de Urb. Rom. 1. 25. Nardin. Rom. vet. VII. 2. Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 2. p. 1130. E. Cenal. de Pond. ac mensurai. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1486. E. Brisson. de Form. VI. p. 502. Rycq. de Capitol. c. 12. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. 1. 5. Postell. de Republ. Athen. c. 1. An sit πλέθρον Græcorum, te docebit *Perizon. in Ælian. Var. hist.* III. 1.

JUGULATIO est pœna levissima, quod mors, *jugulo* esfracto, statim consequatur. *Laurent. de Rebuspubl. c. 7.*

Jugulatio, sive mactatio victimæ statim consecuta fuit, postquam percussa, cæsa, icta, ac in terram dejecta fuit. Sacerdos non *jugulabat* victimam, sed popa, aut victimarius ad nutum sacerdotis. Popa victimam *jugulante*, alius vase sanguinem excipiebat, quod Attici σφαγεῖον vocant. Collum ejus reflectere solebant trahendo illud retrorsum, ita ut quasi cœlum contueretur. *Clasen. Theol. gent.* III. 5. *Bochart. Hieroz.* II. *p.* 324. *Stuck. de Sacrif. p.* 175. *Feith. Antiq. Homer.* 1. 10.

JUGULI si dextra pars tremuerit, bonum significat, servo tamen cogitationes, virgini procacitatem, viduæ laborem, militi cognationis privationem: sin autem sinistra, maligni quicquam, servo ornamentum, virgini virum, viduæ bonam locutionem, cæteris autem non bonum: secundum alios significat insidias: iis verò, qui in angustiis sunt, malorum constantiam, servis ægritudinem, virgini convivium, militi lacrymas, mercatori restitutionem, gubernatori navis bonum navigium: sin autem sinistra, liberto jucunditatem, servo ægritudinem, militi submersionem, mercatori damnum, gubernatori tristitiam, mulieri injucunditatem: sed secundum alios, viatori damnum, servis tristitias, cæteris omnibus bonum, & convivium. *Niphus de Augur.* 1. 9.

JUGUM *fit tribus hastis, humi fixis duabus, superque eas transversa una deligata*. Liv. III. 28. Dionys. III. p. 159. *Mos est Romanis, quoties hostes traditis armis deditionem faciunt, duo tigna recta humi defigere, hisque tertium transversum superimponere, captivosque sub ista tigna transmittere, atque liberus ad sua dimittere. Hoc ipsi jugum vocant*. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 337. E. Voss. Lex. Etymol. Ouzel. in Gell. XVII. 21. §. 77. Valtrin. de Re milit. VI. 9. Rosin. Antiq. Roman. X. 21. Schill Nomencl. Philol. p. 630.

Jugum est instrumentum illud, ad quod & temo vehiculi, & funes cæteri, quibus trahitur currus, religantur. Materia ipsius vulgo fuit lignea. Inde Esaj. c. 10. n. 27. *Auferetur jugum de collo tuo, & computrescet jugum à facie olei*. Dicit, *computrescet*, quod non convenit in aliam materiam. Apud Homer. Iliad. Ω. n. 269. in vehiculo Priami est buxeum *jugum*. Ænea tamen apud Apollon. III. 1283. & ferrea apud Claud. Consul. Prob. & Olybr. n. 82. occurrunt. Forma est eadem in cunctis animalibus, cujuscunque essent generis. Nullius enim differentiæ meminerunt Græci, nec Latini. Deinde, quia, quæ in *jugo* boario memorantur partes, eædem iisdemque cum nominibus occurrunt & in *jugo* equorum, quod liquet ex Polluc. 1. 10. 10. qui *jugum* equorum sic describit, sicut alii *jugum* boum, aliorumve animantium. Habuerunt veterum *juga* ligna non duplicia, & coeuntia in orbem, qualia hodie per Germaniam, & regiones alias sunt in usu, sed simplicia, eaque leviter inflexa circa medium, curvaque. Inde Ovid. de Art. 1.

Prabes & in curvo colla premenda jugo.

Scheffer. de Re vehic. 1. 11.

Jugum textorium, sive liciatorium est lignum illud teres, circa quod licium, sive stamen intendunt textores. Ovid. Met. 1. 55.

Tela jugo juncta est.

Braun. de Vestit. sacerd. Hebr. 1. 16.

Juga vocabantur quoque in navibus transtra remigum. Virg. Æneid. VI. 411.

Inde alias animas, quæ per juga longa sedebant,
Deturbat.

Servius Æneid. v. 136. *Et transtra dicuntur, & juga*. & l. l. *Græcè dixit: ζυγὰ enim dicuntur quæ transtra nominamus*. V. illa infr. in *Transtra*.

Jugum contrahentibus matrimonium imponi consueverat. Serv. Æneid. IV. 16. *Vinculo jugali propter jugum, quod in matrimonio ponebatur conjungendis*. Festus: *Juges ejusdem jugi pares: unde conjuges*. Hinc Horat. Od. II. 5. 1.

Nondum subacta ferre jugum valet
Cervice.

Plaut. Curc. 1. 1. 50.

Jamne ea fert jugum.

Casal. de Rit. nupt. c. 1. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 16. Abstem. Annot. Lamp. Cru. 1. p. 885. Lyd. Serm. Conviv. 1. p. 59. Passerat. in Catull. LXIV. 302. Quia ut *jugo*, sic matrimonii quoque onera pariter ferenda sunt; hinc factum, ut *jugi* vocabulum, & ea quæ a *jugo* veniunt, ad matrimonium, & res matrimoniales passim transferantur. *Torrent. ad Horatium*. Hoc idoneorum, & locupletum auctorum testimonio non probatur, & ideò admittere non possum. Μεταφορικῶς sunt dicta, quæ Plautus & Horatius dixerunt. *Brisson. de rit. nupt. p.* 56.

JUL.

JULIA familia. V. illam supr. in *Familia*.

Julia lex. V. illam infr. in *Lex*.

Julia tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

D. JULIANI castellum ad Osam fluviolum fuisse credit, & pro nostro Osæ castro accipit Frontinus. Verius S. *Juliani* parietinæ, nomenque, sesquimilliario circiter ultra, trans Castrum in Castiglione, Tibur versus, longiusque adhuc à Prænestina remanent. *Fabrett. de Aqueduct. Diss.* III. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1767. *A.*

Julianus Imperator iter fecit per Danubium. Illud describit Mamert. Paneg. Julian. p. 165. *Longissimo cursu Istrum placuit navigare: proh sancta divinitas! quæ navigationis illius fuit pompa, cum dexteriorem inclyti fluminis ripam, utriusque sexus, omnium ordinum, armatorum atque inermium*

perpetuus ordo prætexeret: despiceretur ad lævam in miserabiles preces gens mixta barbaria: omnes urbes, quæ Danubium incolunt, audita, omnium audita decreta, levati status, instaurataque fortuna: innumerabilibus barbaris data venia; & munus pacis indultum: qui properationem illam contemplabitur, nihil egisse præter viam Imperatorem putabit: qui gestarum rerum multitudinem considerabit, properasse non credet. Bergier. de Viis milit. iv. Sect. 44. §. 6. Lecticam consularem intra palatii secreta introire jussit. Mamert. ibid. p. 68. *Penè intra ipsas Palatina domus valvas lecticas consulares jussit inferri, & cum honori ejus, venerationique cedentes sedile illud dignitatis amplissimæ recusaremus, suis nos propè manibus impositos mixtus agmini togatorum præire cœpit pedes; gradum moderans penè ad lecticis nutum, & viatoris imperium.* Insidiosa Apostatæ humilitas! *Lipen. de Stren. c. 2. sec. at.* §. 24. Gentilismum stabiliturus, templa restituit, sacrificia restituit, aras deorum, deatumque restituit, & quod vi parum proficeret, dolis, & variis prætextibus ad apostasiam Christianos solicitavit. Sic, ut alia omittam, militibus Christianis strenas obtulit, ut iis fidem eriperet; dona dedit, ut à Christo averteret. Idque anno Christi 362. Fl. Mamertino, & Fl. Nevitta coss. ipsis Kalendis Januariis factum est. Hoc fusiùs narrant Paul. Diacon. Hist. Misc. xi. 37. Greg. Nazianz. in Julian. Orat. i. Theodor. Hist. Eccles. iii. 16. Sozom. v. 16. *Lipen. ibid. tert. at.* §. 5. In Persas profectus, Christianorum diis suis post victoriam sanguinem voverat, ubi à quodam simulato perfuga ad deserta perductus, cum fame, & siti magnam partem exercitus perdidisset, occisus est. *Prosper. Chron. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 306. *E.* Quomodo perierit, fusiùs narrat Ammian. xxv. 3.

JULIUS, qui antea dictus est Quintilis; *in honorem Julii Cæsaris dictatoris, legem ferente M. Antonio, nomen fortitus est, quod hoc mense ad* iv. *Idus Julius fuerit procreatus.* Macrob. Sat. i. 12. Dio xliv. p. 242. E. V. illos infr. in *Lex Antonia.* Festus: *Julium mensem appellarunt, quod eo mense dicitur Julius natus.* Morestell. Philom. ii. Dial. ix. Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. viii. p. 193. F. Junius de Ann. & mens. c. 4. Lalamant. de Anno Roman. Thes. Græv. ibid. p. 278. C. Augustin. de Fam. Rom. in Julia. Panvin. Fast. i. p. 27. Castellan. de Mensib. & ann. Græc. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. ix. p. 1001. F. Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 347. Munncker. de Intercal. t. 8. 6. Gyrald. de Ann. & mens. Tom. ii. p. 776. B. Stuckde Sacrif. p. 26. Habuit & habet unum & triginta dies, nonas septimo die mensis, idus autem decimo quinto. *Viola l. l.*

C. *Julius* Cæsar. V. illum supr. in *Cæsar.*

JULIUS fuit antiquitus cognomen *Juliorum*, cum antea Ascanii Æneæ filii fuisset, qui *Julus* dictus est. Virg. Æneid. i. 271.

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo.

Ubi hanc rationem dat Servius: *Migrasse postea in Ascanium & Mezentium bella, sed eos singulari certamine dimicasse. Et occiso Mezentio Ascanium Iulum cœptum vocari, à prima barba lanugine, quæ ei tempore victoriæ nascebatur.* Sunt enim propriè *juli* teneræ illæ lanugines, quæ in arboribus flores antecedunt, ut in ficu grossuli. Plin. xvi. 29. *Ferunt & avellanæ julos compactili callo ad nihil utiles.* Unde per metaphoram dicuntur *juli* teneræ illæ lanugines, quæ in juvenum genis primæ enascuntur. Hoc cognomen cum à gente *Julia*, quæ ab illo appellata fuit, intermissum esset, M. Antonius IIIvir iterum in usum revocavit, & in honorem C. *Julii* Cæsaris dictatoris à *Julo* oriundi, alteri filiorum suorum prænomen dedit, *Julumque* Antonium vocavit. *Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* ii. *p.* 2017. *E.*

JUM.

JUMENTUM, currumve, si ille, qui in jus vocabatur, imbecilla valetudine esset, qui vocabat, dare cogebatur à lege in hunc modum loquente apud Gell. xx. 1. *Si in. jus. vocato. morbus. æviasque. vitium. esset. qui. in. jus. vocabit. jumentum. dato. si. nolet. arceram. ne. sternito.* Quibus Gellius addit: *jumentum quoque non id solum significat, quod nunc dicitur: sed vectabulum etiam, quod à junctis pecoribus trahebatur.* Sigon. de Judic. i. 18. Augustin. in Leg. xii. tab. §. 36. Rittersh. in Leg. xii. tab. Class. iii. p. 3. c. 3. Cur vocans in jus vocato debuerit dare *jumentum*: neque potuerit cogere vocatum, ut pedibus incederet; ratio fuit: humanitas, & commiseratio; quæ vetat afflicto addi afflictionem. Periculum quippè fuisset, ne talis viribus exhaustus in via ipsa deficeret. *Rittersh. l. l.* Voce præconis, privatis vendentibus, venibat. Apul. Met. viii. p. 254. *Refectis jumentorum corporibus, quò vendibiliores videremur, ad mercatum producimur: magnaque voce præconis pretia singulis nuntiantes, equi, atque alii asini opulentis emptoribus præstinantur.* ix. p. 277. *Altera die productum me rursum voce præconis venui subjiciunt.* Brisson. de Form. vi. p. 510. Qui *jumenta* vendebat, solebat ita promittere, *esse, bibere, ut oportet.* Ulpian. l. 11. §. Animalium, ff. de action. empt. & vend. *Animalium quoque venditor cavere debet, ea sana præstari: & qui jumenta vendidit, solet ita promittere, esse, bibere, ut oportet.* Varr. de Re rust. ii. 2. *De reliquo antiqua fere formula utuntur: cum emptor dixit, tanti sunt mihi emptæ, & ille respondit, sunt: & expromisit nummos: emptor stipulatur prisca formula sic: illasce oves sanas rectè esse, uti pecus ovillum, quod rectè sanum est, extra luscam, surdam, minam, id est, ventre glabro: neque de pecore morboso esse, habereque rectè licere? hæc sic rectè fieri spondes?* Mag. Misc. iv. 3. Brisson. ibid. p. 497. Fuerunt in castris plura, sed gregariis militibus non nisi ad usum communem: nempè, ut tentoria, ut molas, & si quid tale, ferrent. Digniores sibi quædam habuere, & ad proprium usum. *Lips. de Milit. Rom.* v. *Dial.* xi. Imbecillis erat suum valetudinarium in castris, sui medici. Non enim fabris ferrariis, & indoctissimis quibusque, uti hodie moris, sed medicorum filiis res veterinaria olim demandabatur. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. *p.* 1050. *C.*

JUN.

JUNCTORES erant servi, qui *jungebant* rhedam equis, vel mulis. Alphen. l. 203. ff. de Verb. signif. *Et sibi videri eos demum usos sui causa patremfamilias habere, qui ad ejus corpus tuendum, atque ipsius cultum præpositi destinatique essent: quo in genere junctores* ... *Jungere* hoc sensu probum verbum. Et inde *junctura* apud Capitol. Ver. c. 5. *Data etiam vehicula cum mulabus, ac mulionibus, cum juncturis argenteis.* Pignor. de Serv. p. 441.

JUNIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

JUNIORES Romæ *invitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei convivio essent interfuturi: ne senioris adventum discubitu præcurrerent; sublataque mensa priores consurgere, & abire patiebantur.* Valer. Max. ii. 1. 9. *Bulleng. de Conviv.* 5. 34. Aut lucta, aut cursu, aut saltu, aut pila, ludicrisque id genus exercitiis se exercebant in ephebæis. Hunc morem repræsentat Plaut. Bacch. iii. 3. 24. ubi in persona severi senis indicat pueros primis viginti annis cum pædagogo in palæstram ante solem exorientem venisse solitos:

Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila,
Saliendo se exercebant, magis quam scorto, aut saviis.

Fortiori autem juventa iisdem quidem exercebantur, vel acrioribus etiam plerumque ludis, halteribus, harpasto, & aliquando cæstu. Vel armorum variis generibus, ut in palæstris. Vel in hippodromis cursu equi, vel agitatu. *Baccius de Therm. vet. c.* 7. Illorum nomine, ut ex Dionys. iv. p. 221. patet, omnes eos Servius Tullius comprehendit, qui quadraginta quinque annis minores essent. Et hi tenebantur foris militare. *Patric. Rei milit. Rom. part.* 11. *sect.* 2. V. & infr. in *Seniores.* Hi non tam urbani erant quàm rustici, & ex rusticis non solum, qui agrum Romanum incolebant; sed etiam, qui extra agrum Romanum, vel publicum, vel privatum agrum cives Romani in Latio, atque adeò in Italia possidebant, vel negotii gerendi causa extra Italiam habitabant. Unde Livius de Bell. Pers. dixit: *multi.*

multitudinem juniorum ingentem ex foris, & conciliabulis esse conscriptam. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 14. Ad palum in campo Martio omni genere armorum sese exercebant, & in equos ligneos insiliebant, & ex illis desiliebant. V. supr. in *Campus*, & inf. in *Salcia*.

JUNIUS mensis primùm triginta dierum à Romulo, mox viginti novem à Numa, deinde rursus triginta à Cæsare fuit constitutus, & habet nonas quinto mensis die, idus verò decimo tertio. *Viola de vet. & nov. Roman. temp. rat. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* VIII. *p.* 193. *F.* Nuptiis erat aptissimus. V. infr. in *Nuptia*.

JUNO fertur educata à Temeno Pelasgi filio, qui in prisca Stymphalo habitavit. Pausan. Arcad. p. 253. *Vindung. Hell. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 73. *F.* Ejus nutrices feruntur fuisse Euboea, Prosymna, & Acræa, quas filias habuit Asterion fluvius. Pausan. Corinth. p. 59. *Lex. Græc. Ant.* II. 2. Jovis soror, & conjunx nuncupatur, ob similitudinem, & conjunctionem, quam aer, qui, cum eo nihil sit mollius, femina dicitur, habet cum æthere. *Vener. de Orac. Antiq. c.* 10. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 1. *Stuck. de Sacrif. p.* 30. *Aleand. Tab. Heliac. Ex plic. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* V. *p.* 738. *E. Struv. Antiq. Rom. c.* 1. *p.* 87. *Rosin. Antiq. Roman.* II. 6. Cui in Samo nupsit. Lactant. I. 17. *Insulam Samum scribit Varro prius Parthenian nominatam, quod ibi Juno adoleverit, ibique etiam Jovi nupserit.* Augustin. de Civit. Dei VI. 7. *Sacra sunt Junonis, & hæc in ejus dilecta insula Samo celebrantur, ubi nuptui data est Jovi.* Nam *Junonem* in Samo clam fuisse devirginatam ajunt: moremque inde manasse apud Samios, ut clam virgines abducerentur, ac mox in propatulo nuptialia sacra peragerentur, ut scribit Eustath. Iliad. Ξ. *Castellan. de Fest. Græcor. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VII. *p.* 668. *C.* Dea erat cubilis, & illam inter nascentes feminæ præcipuè adesse putabant veteres. Testis est Tibull. IV. 6. 1.

Natalis Juno, sanctos cape thuris acervos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.

Poetæ lucem affert Mart. Capell. II. *Uos in conspectum numinis diva pervenit, atque, ut mos virginis erat, iis avit aromatibus, divam talibus deprecabatur; Juno pulcra, licèt aliud nomen tibi consortium cæleste tribuerit, & nos à juvando Junonem, unde & Jovem dicimus, nominemus: Juno & Lunam, quod lucem nascentibus tribuas, ac Lucetiam convenit nuncupari.* Plutarch. Quæst. Rom. 76. *In ipsa materia Juno est Lucina: ideoque Junoni nomen est à juve nescendo: & Junonem vocant Lucinam, quasi Lucinam dicere: putantque eam in partubus auxilium ferre mulieribus, ut & lunam, unde illud:*

Per cæruleum astrorum polum,
Partus celerantemque lunam.

Facillimè enim mulieres sub plenilunium videntur prolem emiti. Tomasf. de Donat. c. 8. Gyrald. Synt. deor. II. p. 118. F. Berthald. de Ara c. 17. §. 5. Hinc Arnob. III. p. 112. *Parturiunt, parturiunt, ut difficiles puerperiorum tricas Juno mulceat, corrigatque Lucina?* p. 114. *Puerperiis Juno præposita est, & auxiliatur genetricibus fœtus.* Meurs. de Puerp. c. 1. Illique ad impetrandam partus facilitatem vota gravidæ faciebant. Allusit Prop. IV. 1. 95.

Idem ego cum Cinara traberet Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram;
Junoni votum facite impetrabile, dixi,
Illa parit.

Tomasin. ibid. c. 14. Et soboles commendabatur. Vetus monumentum in ara Capitolii in domus Augusti conservationem olim erecta:

JUNONI
CONSERVATRICI
LIBERORUM. DO
MUS. AUGUSTI
D. D.

Et verè *Junoni* honor iste deferebatur, Quæ namque prima conjugum animos invicem conciliaverat, cujus nova mater fenerat opem, à prolis cura fuisse alienam, iniquum videbatur. *Tomas. ibid. c.* 10. Per illam fœminæ jurabant. Quartilla apud Petron. c. 27. *Junonem meam iratam habeam.* Tibull. IV. 13. 15.

Hæc tibi sancta tuæ Junonis numina jure.

III. 6. 47.

Etsi perque suos fallax juravit ocellos,
Junonemque suam, perque suam Venerem.

Juven. Sat. II. 98.

Et per Junonem domini jurante ministro.

Berthald. de Ara c. 17. §. 5. Scalig. in Catull. p. 188. Politian. Miscell. c. 89. Broukh. in Tibull. III. 6. 47. Propert. II. 4. 17. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 6. Cum aerem significet, ἥρα ὁ ἀήρ, κατ' ἀναγραμματισμὸν, pura, & alba hostia ad serenitatem expetendam ei accensetur. Virg. Æneid. IV. 59.

Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ,
Ipsa tenens dextra pateram pulcerrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Georg. III. 532.

Quæsitas ad sacra boves Junonis.

nempè albedinis exquisitæ. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 2. Illi omnes menses erant sacri. Per illam enim intelligitur luna, ut tradit etiam Plutarch. Quæst. Rom. 76. Ex lunæ autem motu menses numeramus. *Junonis* Lunæ Reginæ meminit antiquus lapis, quem videre est Veronæ:

JUN. LUN
REG. SACR
P. VITULLIUS
PHILOLOGUS
VI. VIR. AUG
INFERIO

Rohxorn. in Plutarchum. Augustæ, sive Imperatorum uxores vocabantur *Junones*. Liviam *Junonem* vocat Ovid. Pont. III. 1. 117.

Quæ Veneris formam, mores Junonis habendo.....

II. 145.

Cum tibi contigerit vultum Junonis adire.

Et in nummo, quem æreum laudat Falconetius, circa caput Liviæ legitur ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ. Et Octaviam nutrix apud Senec. Octav. I. 219.

—— te quoque terris
Altera Juno, soror Augusti.

Cuper. Explic. gemm. August. p. 208. *Junones* etiam priscis temporibus uxores suas mariti appellaverunt, ut Joves hæ maritos suos. Plaut. Cas. II. 3. 14.

Eja, mea Juno, non te esse decet tam tristem tuo Jovi.

Serv. Ecl. VIII. 30. *Varro spargendarum nucum dicit esse rationem, ut Jovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona sit sicut Juno.* Senftleb. de Alea veter. c. 15. §. 5.

Juno Ammonia Græcorum more est dicta, caprinis cornibus in Latio culta, ejusque in nummis gentis Papiæ, Prociliæ, atque Rosciæ obvia. *Struv. Ant. Roman. c.* 1. *p.* 88. *Rhodig. Ant. Lect.* XVIII. 28. *Gyrald. Synt. deor.* III. *p.* 130. *B.*

Juno Argiva est denominata ab Argis, quo loco ἡραῖα, & *Junonis sacra celebrabantur, in quibus hecatombe, id est, ex centum bobus sacrificium fiebat.* Hujus celebritatis præmium fuit æreum scutum, & ex myrto corona: id quod in commentarius in Pindarum legimus. Ejus signum describitur à Pausan. Corinth. p. 59. *Deæ signum in solio sedet, eximia magnitudine, auro & ebore fabricatum, Polycleti opus, corona capiti imposita: ea Gratias, & Horas egregiè factas habet. Dea manu altera Punicum malum, altera sceptrum tenet.* Quidam putavere Argivam eandem esse cum Pelasga apud Prop. II. 21. 11.

An contempta tibi Junonis templa Pelasga.

Πελασγὸς enim, ajunt, Argos tenuit, unde Argivi Pelasgi. Ego tamen secutus Eustathium, Samiam *Junonem* intelligo: nam de ea agens inquit: *Samus Pelasgia dicta est à Pelasgis quibusdam, ex quibus & Juno Pelasgia dicta.* Gyrald. Synt. deorum III. p. 127. F.

Juno bona, Græcis χρηστή, etiam dicta est. Virg. Æneid. I. 740.

Adsis lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno.

Cujus interior doctrina tegitur verbis Pausan. Arcad. p. 266. *Ad ejus via lævam Boni dei ædes est. Quod si dii hominibus bonorum auctores sunt, deorum verò supremus est Jupiter, rectè quidem hoc Jovis maximè proprium cognomen conficere possis.* Rhodig. Ant. Lect. xxviii. 6. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 5. Gyrald. Synt. deor. iii. p. 122. B.

Juno Caprotina à Romanis est culta. Ejus meminit Arnob. iii. p. 118. Dies ejus festus erant Nonæ Juliæ. Originem narrat Macrob. Sat. 1. 11. *Nonis Juliis diem festum esse ancillarum tam vulgo notum est, ut nec origo, nec causa celebritatis ignota sit. Junoni enim Caprotinæ die illo liberæ pariter, ancillæque sacrificant sub arbore caprifico, in memoriam benignæ virtutis, quæ in ancillarum animis pro conservatione publicæ dignitatis apparuit. Nam post Urbem captam cum sedatus esset Gallicus motus, respublica verò esset ad tenue deducta; finitimi opportunitatem invadendi Romani nominis aucupati, præfecerunt sibi Postumium Livium Fidenatium dictatorem: qui mandatis ad senatum missis postulavit, ut, si vellent reliquias suæ civitatis manere, matresfamilias sibi, & virgines dederentur. Cumque patres essent ancipiti deliberatione suspensi: ancilla nomine Tutela, seu Philotis pollicita est se cum cæteris ancillis sub nomine dominarum ad hostes ituram: habituque matrumfamilias, & virginum sumpto, hostibus cum prosequentium lacrymis ad fidem doloris ingestæ sunt. Quæ cum à Livio in castris distributæ fuissent, viros plurimo vino provocaverunt, diem festum apud se esse simulantes. Quibus soporatis, ex arbore caprifico, quæ castris erat proxima, signum Romanis dederunt: qui cum repentina incursione superassent, memor beneficii senatus omnes ancillas manu jussit emitti, dotemque eis ex publico fecit; & ornatum, quo tunc erant usæ, gestare concessit; diemque ipsum Nonas Caprotinas nuncupavit, ab illa caprifico, ex qua signum victoriæ ceperunt: sacrificiumque statuit annua sollennitate celebrandum: cui lac, quod ex caprifico manat, propter memoriam facti præcedentis adhibetur.* Fabric. Descr. Urb. Roman. c. 10. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 13. Ferrar. de Re Vest. 1. 1. 25. Gyrald. Synt. deor. iii. p. 124. E. xvii. p. 494. E. Saubert. de Sacrif. c. 11. Struv. Antiq. Roman. c. 1. p. 87. Hospinian. de Orig. Fest. p. 193. Laz. Comm. Reip. Roman. xi. 3. Lauten. Polyth. iv. Synops. 6. Pier. Hierog. lii. 33. Schill Nomencl. Philol. p. 252. Rosin. Antiq. Roman. ii. 6. Hæc omnia ferè soleus ex Plutarch. p. 145. F. sublegit Macrobius. Sed de *Junone* Ovid. Art. Amand. ii. 57.

Porrige & ancilla, quæ pœnas luce pependit
Lusa maritali Gallica veste manus.

Sed Macrobii illa ad Ovidii sententiam nihil faciunt, qui non Latinos, sed Gallos huc dolo deceptos indicat, cui, ut Romano, major fides habenda. Illi tamen lux petenda ex eodem Plutarch. Parall. p. 313. *At Atepomarus,* inquit ille, *Gallorum Rex bello Romanos infestans, professus est non ante recessurum, quàm Romani suas uxores Gallis cognoscendas misissent. Romani consilio ancillarum obsequuti, has pro liberis miserunt: & barbari nimio rei Venereæ abusu fatigati in somnum sunt soluti. Retana, ea princeps consilii fuerat, caprifico conscensa in murum evadit, remque consulibus indicat. Ita Romani facta eruptione vicerunt: atque hinc festus ancillarum dies sumpsit initium. Aristides Milesius auctor Italic.* 1. Ovidii sensus: Ancillas ab amatore esse colendas, & quidem nonis caprotinis, peculiari eorum festo, in memoriam ejus diei, quo Gallicus exercitus deceptus veste maritali, id est, stola matronali, Romanis pœnas persolvit. Ejusdem festi meminit Auson. Eclog. c. 17. n. 9.

Festa Caprotinis memorabo celebria nonis,
Quum stola matronis dempta tegit famulas.

Ex quo apparet, ancillas ea die stolam, id est, tunicam purpuream, auro segmentatam, peculiarem matronarum gestasse. Sicut eadem die matronas prætextatas sacrificasse tradit Varr. de Ling. Lat. v. 3. *Ferrar. Elect.* ii. 25. V. illum infr. in *Prætexta*.

Juno Cinxia dicta est, quia conjugalibus federibus præesse credebatur, à replicatione cinguli. V. hoc supr. in *Cingulum*. Festus: *Cinxiæ Junonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quod initio conjugii solutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta.* Arnob. iii. p. 115. *Cingulorum replicationi Cinxia supersit.* Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. viii. p. 1028. D. de Form. 1. p. 49. Gyrald. Synt. deor. iii. p. 121. E. Stuck. Ant. Conv. ii. 29. de Sacrif. p. 46. Struv. Antiq. Rom. c. 1. p. 87. Ferret. Mus. Lapid. 1. memor. 3. Voss. de Idolol. ii. 16. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 16. de Rit. nupt. c. 1. Lauten. de Spons. c. 1. Kipping. Antiq. Roman. 1. 1. §. 10.

Juno Curis à Sabinis nuncupata, & deinde à Romanis: nam hastam Sabini curim appellabant. Cato orig. *Quirinalis collis à Junone Sabinorum dea, quam illi Curitim, id est, hastatam Junonem vocant: etenim hastam curim, & curinam proferunt, quia his simul & Hetruscis non est litera Q. sicut Romanis.* Festus: *Curitim Junonem appellabant: quia eandem ferre hastam putabant.* Ovid. Fast. ii. 477. V. illum supr. in *Hasta*. Hinc etiam à priscis institutum legimus, ut nubentium, quod essent in *Junonis* tutela constitutæ, caput comeretur hasta, quam vocabant cœlibarem. *Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* vii. *p.* 1027. *D. de Form.* 1. *p.* 49. *Gyrald. Synt. deor.* iii. *p.* 127. *B. Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Rom.* 86. *Rhodig. Ant. Lect.* xxi. 16. *Cuper. Observ.* ii. 2. *Voss. de Idolol.* ii. 26. V. illam supr. in *Hasta*.

Juno Cypra dicta est à Tyrrhenis. Sil. Ital. viii. 433.

Et queis littoreæ fumant altaria Cypræ.

Tyrrheni huic templum condiderunt, & consecraverunt pone Castellum Piceni emporium, ut scribit Strab. v. p. 166. *Gyrald. Synt. deor.* iii. *p.* 130. *D.*

Juno Domiduca, & Interduca vocabatur à Romanis, quod ad sponsi ædes sponsas comitabatur, vel earum iter protegeret. Augustin. de Civit. Dei vii. 3. *Hæc tamen Interduca est pueris . . . . Ponitur autem Juno, quia Interduca est, & Domiduca, quasi prosit quicquam iter capere, & domum duci.* Mart. Cap. ii. *Interducam, & Domiducam mortales puellæ debent in nuptias convocare, ut & earum itinera protegas, & in optatas domos ducas.* Gyrald. Synt. deor. iii. p. 121. C. Voss. de Idolol. ii. 26. Stuck. de Sacrif. p. 46. Brisson. de Form. 1. p. 49. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. viii. p. 1032. D. Kipping. Antiq. Roman. 1. 1. §. 10. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. ii. 19.

Juno Februa, Februalis, Februata, & Februla nuncupabatur, quod ipsi eo mense sacra fiebant. V. Festum supr. in *Februarius*. *Ejus feriæ,* ut addit Festus, *erant Lupercalia, quo die mulieres februabantur, à Lupercis amiculo Junonis, id est, pelle caprina.* Mart. Cap. ii. *Februalem ac Februam mihi poscere non est necesse, cum nihil contagionis corporeæ fetus intemerata pertulerim.* Gyrald. Synt. deor. iii. p. 124. E. Lomej. de Lustrat. c. 4. Ursat. de Not. Roman. Tiber. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 714. C. Struv. Ant. Rom. 1. p. 87. Brisson. de Form. 1. p. 49. Ferret. Mus. Lapid. 1. memor. 3. Meurs. de Puerp. c. 1. Rosin. Antiq. Roman. ii. 6.

Juno Feronia à plerisque est credita. Serv. Æneid. vii. 800. *Circumibant trabem Campaniæ colebatur Juno virgo, quæ Feronia dicebatur.* V. illam supr. in *Feronia*.

Juno Fluonia appellata fuit, quod fluoribus menstruis adesset: & proinde ei feminæ sacra faciebant. Festus: *Fluoniam Junonem mulieres colebant, quod eam sanguinis fluorem in conceptu retinere putabant.* Augustin. de Civit. Dei viii. 2. *Sed ibi est & dea Mena, quæ menstruis fluoribus præest, quamvis Jovis filia, tamen ignobilis est. Et hanc provinciam fluorum menstruorum in libris selectorum deorum ipsi Junoni idem auctor, Varro, assignat, quæ in diis selectis etiam Regina est: & hinc tanquam Juno Lucina cum eadem Mena privigna sua eidem cruori præsidet.* Gyrald. Synt. deor. iii. p. 129. A. Barthol. de Puerp. c. 1. Tiraquell. in Alex. ii. 25. vi. 26. Stuck. de Sacrif. p. 44. Ferret. Mus. Lapid. 1. memor. 3. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 87. Kipping. Antiq. Roman. 1. 1. §. 10. Rosin. Antiq. Roman. ii. 6.

Juno Gabina vocabatur, quod summo cultu à Gabinis coleretur. Virg. Æneid. vii. 682.

——— *quique arva Gabinæ*
Junonis, gelidumque Anienem, & roscida rivis
Hernica saxa colunt.

Sil.

Sil. Ital. XII. 536.

— nec amœna retentant
Algida, nec juxta Junonis tecta Gabina.

Gyrald. Synt. deor. III. p. 130. E.

Juno Gamelia etiam colebatur. Plutarch. Conjug. præc. p. 141. E. *Junonis Gameliæ rem sacram facientes cum reliquis sacris fel non consecrant, sed eximentes post aram projiciunt: id scilicet significante legislatore, neque quid bilis, neque iracundiæ in nuptiis esse oportere.* Euseb. de Præpar. Evang. III. 1. *Eandem in posterum Gamelion appellarunt.* Gyrald. Synt. deor. III. p. 120. B. Taffin. de Lud. secul. c. 12. Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1029. E. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 23. Alex. Gen. dier. VI. 4. Laurent. de Sponsal. c. 2.

Juno Juga vocabatur à conjonctione maris & feminæ. Festus: *Quia ibi fuerat ara Junonis jugæ, quam putabant matrimonia jungere.* Exemplo Græci sermonis, quo vocabatur Ζυγία. Hoc nomen Græcissans usurpavit Apul. Met. VI. p. 77. *Quam cunctus oriens Zygiam veneratur.* Comprobat hæc Dionysius: *Jupiter & Juno primi juncti sunt & sociati: itaque ille pater omnium dicitur: hæc vero juga, quia jungit marem cum femina.* Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1030. E. Gyrald. Synt. deor. III. p. 119. F. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 3. Taffin. de Lud. secul. c. 12. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 788. D. Struv. Antiq. Roman. c. I. p. 87. Borremans. Var. Lect. c. 17. Alex. Gen. II. 5. & ad illum Tiraquellus. Kipping. Antiq. Roman. I. I. §. 10.

Juno Kalendaris vocabatur, quoniam omnes Kalendas illi attributas existimabant veteres. Macrob. Sat. I. 15. *Omnes Kalendas Junoni attributas & Varronis, & pontificalis affirmat auctoritas: quod etiam Laurentes patriis religionibus servant, qui & cognomen deæ ex ceremoniis addiderunt Kalendarem Junonem vocantes.* Ovid. Fast. I. 55.

Vindicat Ausonias Junonis cura Kalendas.

Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 6. Guther. de Jur. pontif. I. 23. Gyrald. Synt. deor. III. p. 124. D. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 88. Jun. de Ann. & mens. c. 5. Stuck. de Sacrif. p. 27. Hospin. de Fest. Ethnic. c. 4. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 5. Rosin. Antiq. Roman. II. 6.

Juno Lacinia cognominabatur ab oppido Lacinio in extremis Italiæ partibus. Virg. Æneid. III. 552.

— attollit se diva Lacinia contra.

In ejus ara sub dio sita cinerem immobilem esse, perflantibus undique procellis, scribit Plin. II. 107. *Struv. Ant. Roman. c. 1. p. 89. Bellor. Numism. Ephes. tab. 3. Gyrald. Synt. deor. III. p. 125. F.* V. plura infr. in *templum Junonis Laciniæ.*

Juno Lucina dicebatur, quod lucem credebatur nascentibus dare. Varr. de Ling. Lat. IV. 10. *Quæ ideo videtur à Latinis Juno Lucina dicta, vel quod est e terra, ut physici dicunt, & lucet: vel quod ab luce ejus, qua quis conceptus, usque ad eam qua partus quis in lucem, una vivat, donec mensibus actis produxit in lucem. Facta igitur à juvando & luce Juno Lucina: à quo parientes eam invocant. Lucina enim nascentium dux, quod menses hujus. Hoc vidisse antiquos apparet, quod mulieres potissimum supercilia sua attribuerunt ei deæ. Hic enim maxime debuit collocari Juno Lucina, ubi à diis lux datur oculis.* Cicer. de Nat. deor. II. 27. *Luna est Lucina. Itaque, ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nostros Junonem Lucinam in pariendo invocant.* Gyrald. Synt. deor. III. p. 119. B. Nardin. Roman. Vet. V. 14. Bellor. Descr. sepulc. Nason. tab. VIII. Voss. de Idolol. II. 26. Struv. Ant. Roman. c. 1. p. 87. Borremans. Var. Lect. c. 17. Brisson. de Form. I. p. 49. Potter. Archæol. Græc. IV. 14. Laurent. de Sponsal. c. 1. Meurs. de Puerper. c. 1. Fasold. de Fest. Græcor. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VII. p. 566. B. Feith Antiq. Homer. I. 2. Kipping. Antiq. Roman. I. 1. §. 10. Rosin. Antiq. Roman. II. 6. Fingebatur, si antiquis numismatibus credendum, hoc modo, ut est in Faustinæ Aug. Pii. In cujus tergo matronæ stolatæ imago stans cernitur, quæ dextera pateram, sinistra hastam tenet, his literis adscriptis, JUNONI LUCINÆ. *Gyrald. l. l.*

Juno Magna cognominabatur. Macrob. Sat. III. 4. observat ex Cassio Hemina, *Samothracas deos eosdem esse Romanorum penates, & proprie dici θεοὺς μεγάλους.* Secundum hanc doctrinam ait loquutum Virg. Æneid. III. 437. cum cecinit:

Junonis magnæ primum prece numen adora.

Etiam τὴν μεγάλην nominasse videtur Ovid. Fast. II. 435.

Monte sub Esquilio multis incæduus annis
Junonis magnæ nomine lucus erat.

Gyrald. Synt. deor. III. p. 121. G.

Juno Matrona etiam dicta videtur. Ita enim Serv. Æneid. VIII. 84. *Quæsitum est, quæ sit Juno maxima. Nam, ut diximus, variæ sunt ejus potestates, ut Curitis, Lucina, Matrona, Regina.* Taffin. de Lud. secul. c. 12. Eratque, quæ heram in rebus domi gerendis regeret. Kipping. Antiq. Roman. I. 1. §. 10.

Juno Mephitis quoque dicta fuisse videtur. Ita enim Serv. Æneid. VII. 84. *Alii Mephitim Junonem volunt, quam aerem esse constat. Novimus autem putorem (mephitis proprie est terræ putor) non nisi ex corruptione aeris nasci sicut etiam bonum odorem de aere incorrupto; ut sit Mephitis dea odoris gravissimi, id est, grave olentis.* Borrich. Ant. Urb. fac. c. 7. §. 4.

Juno Moneta à Romanis est cognominata: nam cum, non multo ante captam Urbem à Gallis, *terræ motus factus est, ferunt vocem extitisse à Junonis templo, quod erat in arce, ut de sue plena fieret procuratio: quocirca,* ut jam dictis addit Cicer. de Divin. I. 45. *Junonem illam appellatam Monetam.* Gyrald. Synt. deor. III. p. 123. B. Marlian. Topogr. Urb. Roman. II. 5. Rycq. de Capitol. c. 41. Crinit. de Honest. Discipl. XXI. 4. Kipping. Antiq. Roman. I. 1. §. 10. Rosin. Antiq. Roman. II. 6. Ortel. Deor. & dear. cap. 1. fig. 19. Aliam hujus cognominationis causam in v. Moneta refert Suidas. Ait enim: *Cum Romani pecunia indigerent in bello contra Pyrrhum & Tarentinos, Junonem orasse: quæ illos monuit, si justitia armis uterentur, pecuniam eis non defuturam: quod cum Romanis recte contigisset, Monetam Junonem veneratos esse: ejus rei signum fuisse, quod numisma, id est, moneta inscripta in ejus templo asservabatur.* Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 332. E. Pigh. Annal. Roman. I. p. 451. Gyrald. & Ortel. l. l. *Junonem* Monetam Carisiæ gentis nummus capite feminino, crinibus circumplexis, ac monili circa collum repræsentat. *Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 88. Gyrald. l. l.*

Juno Natalis dicta fuit, quod natali die colebatur. Sic dicitur à Tibullo laudato supr. in *Juno*. Gyrald. Synt. deor. III. p. 119. E. Stuck. Ant. Conviv. I. 16. Taffin. de Ann. secul. c. 13. Laurent. de Natalit. c. 1.

Juno nuptialis dicta est a nuptiis. Plutarch. *Αἴτ.* quæst. II. vocatur Ἥρα τελεία, *Juno nuptiarum præses.* Pollux III. 3. §. 4. scribit, & matrimonium vocari τέλος, & τέλειοι, qui matrimonium ineunt: quin & ipsa conjonctionis actio προτέλεια, ab *Junone* præside nuptiarum, quam in primis virgines ante nuptias sacrificiis placabant. Suidas: *Juno τελεία, & Jupiter τέλειος colebantur in nuptiis, tanquam præsides nuptiarum. Τέλος enim significat nuptias. Propterea προτέλεια dicuntur sacrificia, quæ fiunt ante nuptias.* Brisson. de Rit. nupt. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1029. B. Gyrald. Synt. deor. III. p. 120. D. Laurent. de Sponsal. c. 2.

Juno Opigena *à matronis colebatur, quod ferre eam opem in partu laborantibus credebant.* Festus. *Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 87. Gyrald. Synt. deor. III. p. 119. E. Rosin. Antiq. Roman.* II. 6.

Juno Pelasga. V. illam supr. in *Juno Argiva.*

Juno Populonia cognominabatur, quam populus, seu plebs precabatur, ut innuit Martian. II. *In Papiriano jure etiam relatum est, aram vicem præstare posse mensam dicatam: ut in templo Junonis Populoniæ augusta mensa est,* ut scribit Macrob. Sat. III. 11. Quidam Populoniam vocant, quod ex nuptiis populi procreentur. *Gyrald. Synt. deor. III. p. 121. F. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 87. Rosin. Antiq. Roman.* II. 6.

Juno Regina à Latinis est cognominata, quod soror, & conjux Jovis, deorum, atque hominum Regis. Cicer. pro Dom. c. 57. *Te, Juno Regina, precor, ac quaeso....* Liv. v. 21. *Te, Juno Regina, quae nunc Vejos colis, precor....* Illam Camillus dictator Vejis transvexit in Aventinum. Liv. c. 22. *Quum jam humanae opes egesta à Vejis essent, amoliri tum deum dona, ipsosque deos, sed colentium magis, quàm rapientium modo coepere; namque delecti ex omni exercitu juvenes, purè lotis corporibus, candida veste, quibus deportanda Romam Regina Juno assignata erat, venerabundi templum inire, prima religiosè admoventes manus: quod id signum more Etrusco nisi certae gentis sacerdos attrectare non esset solitus. Deinde quum quidam, seu spiritu divino tactus, seu juvenili joco, visne Romam ire Juno? annuisse caeteri deam conclamaverant: inde fabulae adjectum est, vocem quoque dicentis, velle, auditam; motam certè sede sua parvi molimenti adminiculis sequentis modo accepimus levem, ac facilem translatu fuisse: integramque in Aventinum aeternam sedem suam, quo vota Romani dictatoris vocaverant, perlatam, ubi templum ei postea idem, qui voverat, Camillus dedicavit.* Sacrum deae peractum refert his verbis Liv. xxvii. 37. *Ab aede Apollinis boves feminae albae duae porta Carmentali in Urbem ductae: post eas duo signa cupressea Junonis Reginae portabantur: tum septem & viginti virgines longam indutae vestem, carmen in Junonem Reginam canentes ibant, illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens & inconditum, si referatur. Virginum ordinem sequebantur decemviri, coronati laurea, praetextatique. A porta jugario vico in forum venere, in foro pompa constitit; & per manus reste data, virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt: inde vico Tusco, Velabroque, per Boarium forum, in clivum Publicium, atque aedem Junonis Reginae perrectum: ibi duae hostiae ab decemviris immolatae, & simulacra cupressea in aedem illata.* Gyrald. Synt. deor. iii. p. 122. B. Taffin. de Lud. secul. c. 12. Broukh. in Prop. iv. 5. 63. Brisson. de Form. i. p. 49. Faunus Antiq. Urb. Roman. iii. 1. Pigh. Annal. Rom. i. p. 451. Ortel. Deor. & dear. cap. i. 17. Kipping. Antiq. Rom. i. 1. §. 10. Rosin. Antiq. Rom. ii. 6.

Juno Samia nuncupata est à Samo insula notissima. Virg. Aeneid. i. 19.

Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo.

Pausan. Achaic. p. 209. *Dicunt Samii, natam in Samo Junonem ad flumen Imbrasum, sub vitice, quae hac ipsa aetate in Junonis sacro solo ostenditur.* Gyrald. Synt. deor. iii. p. 127. C.

Juno Sororia, ut dicitur Festo in *Sororium tigillum*, sive sororum inspectrix, ut Herodot. iii. p. 159. propè Carinas fuit, ad clivum Suburanum, qui nunc ducit ad aedem S. Petri in vinculis. Habuit nomen à Sororio tigillo, quod cum Jano Curiatio dicavit Horatius, unus ex trigeminis victor contra Curiatios. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Gyrald. Synt. deor. iii. p. 121. C. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 89. Rosin. Antiq. Rom. ii. 6.*

Juno Sospita Lanuvii in primis colebatur, & quidem *majoribus hostiis*, ut scribit Liv. xxiv. 1. Ejus simulacrum fingebatur *cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis.* ut scribit Cicer. de Nat. deor. i. 29. Festus: *Sispitem Junonem, quam vulgo Sospitam appellant, antiqui usurpabant, cum ea vox ex Graeco videatur sumpta, quod est σώζειν.* Ejus meminerunt Liv. xxiii. 31. *Signa Lanuvii ab Junonis Sospitae cruore manavere.* Sil. Ital. xiii. 364.

Lanuvio generate, inquit, quem Sospita Juno
Dat nobis Milo.

Gyrald. Synt. deor. iii. p. 123. F. Broukh. in Prop. iv. 8. 16. Rosin. Antiq. Roman. ii. 6. Ortel. Deor. & dear. cap. i. fig. 18. Cuper. Obs. ii. 2. Ejus sacra à Numa Pompilio Rege primum Romae instituta ritu Aboriginum antiquissimo, quo Lanuvii superstitiosissimè colebatur. *Pigh. Annal. Roman. ii. p. 48. & 152.* Sub initium regiminis consules illi sacrificabant. Cicer. pro Mur. c. 41. *Nolite à sacris patriis Junonis Sospitae, cui omnes consules facere necesse est, domesticum, & suum consulem potissimum avellere.* Lipen. Hist. de Stren. c. 2. art. 1. §. 22. Gyrald. l. l. *Sispitam*, non *Sospitam* esse dicendam docent *Spanhem. de Praest. Num. ii. p. 83. Cellarius in Silium. Struv. Antiq. Roman. c. 1. p. 88. Ortel. l. l.*

Juno Unxia accepit nomen, quod vetus Romanorum mos fuit, ut novae nuptae mariti domum intrantes postes ungerent. V. infr. in *Nupta*. Sagittar. de Jan. vet. c. 30. §. 19. Gyrald. Synt. deor. iii. p. 121. D. Stuck. Ant. Conviv. ii. 30. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 7.

JUP.

JUPITER pingebatur specie virili, trioculari, sine auribus, sinistra sceptro, dextra fulmine armata, pedibus gigantes, quos domuit, calcans, aquila adstante, quae ei sacra, & quae juvenem Ganymedem forma insignem futurum pocillatorem ex Ida subvexit. *Ortel. Deor. & dear. cap. 1. fig. 2.* Sedens supernè nudus, infernè tectus fingitur, ut docet Porphyr. apud Euseb. de Praep. Evang. iii. 3. Sedet, ut immotam potestatis suae constantiam, & stabilitatem significet; partes corporis superiores nudas habet, quod ipse intelligentibus, ac coelestibus mundi partibus se conspicuum exhibeat: inferiores verò tectas, quod deus humi repentibus sit ignotus, & in infimis rebus, penitusque reconditis, absconditus oblitescat: sceptrum laeva tenet potestatis indicium, vel etiam quod in eo latere cor caeterarum humani corporis facilè princeps, vimque intelligendi maximam complexum intestinum velut in proprio domicilio conquiescat: adest aquila, qua indicatur, eum spiritibus aereis imperare, ut aquila volucribus. *La Chausse de Insign. Pont. max. tab.* xxiii. Dicebatur tum *Κρονίδης*, sive Saturnius, tum Aetheris filius: ut legere est apud Clementem Alexandrinum Admonitione ad gentes, quia pro diversa considerandi ratione unum idemque numen, nunc Saturnus, nunc Coelus videtur. *Voss. de Idolol. ii. 37. Allat. in Philon. Byzant. de mund. mirac. Ant. Graec. Gronov. Tom.* viii. *p.* 2660. *D.* Natus fertur in Creta. Lucian. de Sacrif. Edit. Amstel. Tom. i. p. 367. *Cretenses Jovem affirmant apud se & natum, & educatum fuisse.* Lambec. in Kalend. Vet. Thes. Antiq. Roman. Graev. Tom. viii. p. 107. A. à Corybantibus nutritus. Scol. Sophocl. in Ajac. *In Creta à Corybantibus nutritus fuit Jupiter.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. ii. 2. Barba profunda illi tribuitur. Cicer. Nat. deor. i. 30. *Isto namque modo dicere licebit Jovem semper barbatum, Apollinem semper imberbem.* Arnob. vi. p. 209. *Ricinatus Jupiter, atque barbatus.* Prudent. Περὶ στεφ. x. 272.

Barbam rigentem dum Jovis circumplicat.

V. tamen infr. in *Jupiter Anxurus*. Ruben. Dissert. de Gemm. Tiber. Thes. Antiq. Roman. Graev. Tom. xi. p. 1336. A. Salmas. Exerc. Plin. p. 721. D. Fuit mas & femina. V. infr. in *Sive deo....* Fuit supremus, & maximus deorum, quod cum ex omnibus veterum scriptis, atque monumentis, tum ex versibus Orphicis adductis ab Apul. de Mund. p. 753. quàm maximè patet. *Struv. Antiq. Rom. c. 1. §. 83. Vaillant. Numism. ii. p. 26.* Consiliarii, quibus in maximis rebus agendis utebatur, erant dii consentes. Qui quinam fuerint, V. supr. in *Dii Consentes*. Martian. Cap. i. 15. *Tunc etiam ut inter alios ipsius collega Jovis, qui bisseni cum eodem Tonante numerantur.* Augustin. de Civ. Dei iv. *Cum his consultabat Jupiter, si tonare vellet aliquando.* Et tunc *consiliaria fulmina* dicebantur. *Argol. in Panvin. de Lud. secul. ii. 2.* V. supr. in *Fulmen*. Habebatur praecipuè inter deos communes, sive publicos. Unde & deorum, hominumque pater est appellatus. Quo facit illud Themist. ad Valent. de Pace: *Homerus, inquit, quoties Jovem nominat, non Graecorum tantum, Barbaris exclusis, patrem, sed plenius, divum, hominumque parentem vocat.* Boxhorn. Quaest. Rom. i. In celebritate Olympica secundo loco sacrificia illi fiebant. Pausan. Eliac. p. 313. *Sacra primum faciunt Vestae, deinde Jovi Olympio.* Spanhem. de Vest. Thes. Antiq. Roman. Graev. Tom. v. p. 665. B. Villarum procuratores pro illarum incolumitate vota faciebant. Hoc indicat marmor in agro Brixiensi

JOVI. OPT. MAX.
CONSERVATORI. POS
SESSIONUM. ROSCIOR
UM. PAUCUULIANI. N. COS
ET. BASSÆ. FILIORUMQUE
EORUM. EX. VOTO. L
ROSCIUS. EUBULUS. NUTRIT
ET. PROCURAT. CUM. ROSCIO
FIRMO. LIB. PROC. EOR

Tomas. de Donar. c. 26. Atro die non nominabatur. Macrob. Sat. I. 16. *Fabius Maximus Servilianus pontifex* XII. *negat oportere atro die parentare: quia tunc quoque Janum Jovemque præfari necesse est, quos nominari atro die non oportet.* Guthet. de Jur. man. II. 12.

Jupiter Ægiuchus, Græcè αἰγίοχος Ζεὺς, ὁ αἰγιήοχος. Lactant. I. 21. *Ipsius Cretici Jovis sacra, quid aliud, quàm quomodo sit, aut subtractus patri, aut nutritus, ostendunt? Capella est Amalthea nympha, quæ uberibus suis aluit infantem.* Germanicus Cæsar in Aratæo carmine:

—— illa putatur
Nutrix esse Jovis; si verè Jupiter infans
Ubera Cretea mulsit fidissima capra,
Sidere quæ claro gratum testatur alumnum.

Hujus capellæ corio usum esse pro scuto Jovem, contra Titanas dimicantem, Musæus auctor est: unde à Poetis αἰγίοχος nominatur. Gyrald. Synt. deor. II. p. 90. F. Choul. Relig. vet. Rom. p. 45.

Jupiter Ammon à Romanis, & Græcis in primis ab arena deducitur: ἄμμος quippè arena vocatur. Plin. XII. 23. *Ergo Æthiopiæ subjecta Africa, ammoniaci lacrymam stillat in arenis suis, inde etiam nomine Ammonis oraculo, juxta quod gignitur arbor.* Cum afflatu scribit Festus: *Hammo cognominatus, quia in arena putatur inventus, quæ Græcè hoc nomine ἄμμος appellatur: cui cornua affinguntur arietis, à genere pecoris, inter quod inventus est.* Ægyptii, qui certiora videntur dicere, affirmant, *Aman* Jovis esse nomen. Plutarch. de Isid. & Osir. p. 354. C. *Porrò cum plerique existiment peculiare apud Ægyptios nomen esse Amun, quod nos producto vocabulo Ammonem dicimus.* Arati interpres, sive Bassus, sive Cæsar Germanicus, & Hygin. Astron. Poet. II. 20. scribunt, quod aries, qui aquam Libero patri monstravit, cum exercitum siti deficientem per Africam duceret, immortalitati redditus, & in numero signorum cœlestium collocatus fuerit. Et quod ob benefactum illud Liber illi magnificum templum exstruxerit illo loco, in quo aqua reperta fuit, novem dierum itinere ab Alexandria distante, arenoso, & serpentium pleno. *Gyrald. Synt. deor* II. *p.* 106. *F. Choul. de Relig. vet. Roman. p.* 45. *Ouzel. in Minuc. Felic. p.* 195. *Vaillant Numism.* II. *p.* 114. *Voss. de Idolol.* I. 27: II. 11. *Faller. Miscell. Theol.* II. 4. *Peucer. de Divin. p.* 226. *Turneb. Adv.* XIV. 18. *Rhodig. Ant. Lect.* XVIII. 37. *Borremans. Var. Lect. c.* 19.

Jupiter Anxurus cognominatus est in Italia, in tractu Campaniæ, habitu pueri imberbis. Hujus est mentio apud Virg. Æneid. VII. 799.

Circumque jugum, queis Jupiter Anxurus arvis
Præsidet.

Ubi Servius: *Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Jupiter, qui Anxurus dicebatur, quasi ἄνευ ξυρὸς, id est, sine novacula, quia barbam nondum rasisset.* In lapide vetusto legitur: FORTUNÆ. PRIMIGENIÆ. JOVI. PUERO. EX. TESTAMENTO. *Jupiter nondum barbatus* dicitur Juven. Sat. VI. 15. Et in nummo gentis Vibiæ apud Fulvium Ursinum cernitur juvenis radiatus, ut videtur, in sella sedens, & hastam tenens, cum inscriptione: JOVIS. AXUR. C. VIBIUS. *Cuper. Harpocr. p.* 84. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 108. *A. Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* V. *p.* 708. *A. Choul. Relig. Roman. p.* 54. *Ouzel. in Minuc. Felic. p.* 195. *Landus Explic. in Numism. Rom. Misc. Ital. Misc. Tom.* I. *p.* 432. *Ruben. de Gemm. Tiber. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 336. *B. Nonn. in Cæsar. August. Numism. p.* 94. *Ortel. Deor. & dear. cap.* 1. 4.

Jupiter Ἀπόμυιος, idest, muscarius, fugabat, & pel-

lebat muscas. Ferunt, cum Hercules in Olympia rem divinam faceret, & multitudine muscarum infestaretur, *Jovi* Apomyio sacrificasse: qua re illico ultra Alpheum fluvium muscæ omnes facto agmine evolarunt. Et *Elei Myiagron deum invocabant, muscarum multitudine pestilentiam adferente: quæ protinus interibant, quæ litabatur illi deo.* Plin. X. 28. Pausan. Eliac. I. p. 161. *Proditum est Herculem Alcmenæ filium, Jovis porricientem, cum muscas abigere non posset, vel quod ei tunc primum in mentem venerit, vel quod tralatitium fuerit, Abactori muscarum hostiam mactasse: cum perlitatum esset, omnes repentè muscas trans Alpheum evolasse, inde servatam ab Eleis, ut ad abigendas ex Olympia muscas idem sacrum usurparetur.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 94. G. Selden. de Diis Syr. II. 6. Voss. de Idolol. IV. 99. Lomej. de Lustrat. c. 12. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 2.

Jupiter Arbitrator cognominatur, ex æquitate omnia statuens, & pensitans. *Jovis Arbitratoris pentapylon* in reg. X. quæ Palatium, statuit Victor. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 364. *A. Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 88. *F. Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 1. *Brisson. de Form.* I. *p.* 49. *Rosin. Antiq. Roman.* II. 3.

Jupiter Capitolinus Romæ in Capitolio summa veneratione est cultus, & summo honore habitus. Plin. Paneg. c. 94. n. 1. *In fine orationis præsides, custodesque imperii deos, ego consul pro rebus humanis, ac te præcipuè Capitoline Jupiter precor.* Inscriptio vetus:

JOVI. CAPIT
MARTI. ET. FORTUNÆ
ALIISQ. DIS. CONSERVAT
DOMUS. AUG.....

Huic proprium erat cognomen *optimi maximi*. V. infr. in *Jupiter optimus*. Ouzel. in Minuc. p. 198. Gyrald. Synt. deor. II. p. 80. C. Tomas. de Donar. c. 11. Rycq. de Capitol. c. 20. Rosin. Antiq. Roman. II. 5. Ornamenta ejus erant I. Fulmen aureum. Minuc. Fel. p. 198. *Jupiter cum Capitolinus dicitur, tunc gerit fulmina.* Liv. XXXII. 1. *Cn. Flaminio, & Cn. Servilio coss. decemvirorum monitu decretum fuit, fulmen Jovi aureum quinquaginta pondo fieret.* II. Barba aurea. Suetonius de Cajo Jovem imitaturo c. 52. n. 2. *Aurea barba fulmen tenens.* Petron. Fragm. Tragur. p. 29 *Licet Jovem Olympum clames .... aut ego me non novi, aut non deridebis, licèt barbam auream habeas.* III. Sceptrum aureum, vel eboreum. Augustin. de Civit. Dei IV. 9. *Ipsum enim, Jovem, deorum omnium, dearumque Regem esse volunt. Hoc ejus indicat sceptrum, hoc in alto colle Capitolium.* Ovid. Fast. V. 45.

Assidet inde Jovi, Jovis est fidissima custos,
Et præstat sine vi sceptra tremenda Jovi.

Rycq. de Capitol. c. 19. *Vacca simul, & taurus auratis cornibus Jovi Capitolino immolabatur.* Serv. Æneid. IX. 627. Tacit. Hist. IV. 53. 4. *Tum Helvidius Priscus prætor, lustrata suovetaurilibus area, Jovem precatus.* Guther. de Vet. jur. pontif. III. 13. Ex qua materia factus fuerit, V. infr. in *Jupiter fictilis*.

Jupiter Carvilianus est dictus, *quem in Capitolio fecit Sp. Carvilius, victis Samnitibus sacrata lege pugnantibus, è pectoralibus eorum, ocreisque & galeis. Amplitudo tanta est, ut conspiciatur a Jove Latiario,* malo legere *Latiari. Reliquiis limæ suam statuam fecit, quæ est ante pedes simulacri ejus.* Plin. XXXIV. 7. In hoc mirot allucinatum fuisse Fabr. Sem. III. 4. eundem cum summo Capitolino existimantem, quem Vitelliani milites, incenso ejus templo, oppugnant apud Philostr. Apollon. V. cum ille non æneus, vel marmoreus, sed eburneus, vel aureus verosimiliter fuerit. Adhæc Capitolinus intra cellam suam positus, ab astantibus, aut propè accedentibus, conspici tantùm potuit. Templi enim alæ, sive latera omnem eminus aspectum auferebant. Cum tamen Carvilianum signum Plinius ab amphitheatro commodè conspectum (si vulgatam lectionem sequimur, quam sequendam non puto) vel (uti nos correximus) è monte Albano videri potuisse annotaverit. *Rycq. de Capitol. c.* 25.

Jupiter Conservator est cognominatus in numismatibus. In Domitiani priore facie ipsius effigies, in posteriore Jovis imago stans, dextera duas sagittas, vel potius duo ful-

mina, sinistra hastam habet erectam. Inscriptio: JOVI CONSERVATORI. In altero quoque ejusdem C. Val. Diocletiani, à tergo cujus idem erat Jupiter, dextra Victoriolam porrigens, sinistra verò hastam erectam habet. Inscriptio: JOVI CONSERVATORI ORBIS. *Gyrald. Synt. deor. II. p. 109. C. Choul. de Relig. Rom. p. 46. Rycq. de Capitol. c. 20. Brisson. de Formul. I. p. 49. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.*

Jupiter Corniger appellatur. Ovid. Art. III. 789.

Sed neque Phœbei tripodes, nec corniger Ammon.

Claud. Honor. consul. IV. 142.

—— *tibi corniger Ammon.*

Et ita conspicitur in nummo argenteo Cyrenæorum vetusto, adducto à Villiomaro in loci contr. Titii VIII. 24. In cujus altera parte *Jupiter* Ammon cornibus arietinis visitur. Cornutus fingitur, vel quia cornua ingentem vim solis denotant. Macrob. Sat. I. 21. *Ideò & Ammonem, quem deum solem occidentem Libyes existimant, arietinis cornibus fingunt, quibus maximè id animal valet, sicut radiis sol.* vel quia significant potentiam Chamii, & regni ejus, quod posteri obtinuerunt: vel quia *fatis ejus sunt involuta responsa.* Nempè ex gentium opinione, licèt certa quidem, & infallibilia essent oracula Ammonis: nihilominùs verbis flexis, tortisque, instar arietinorum dei cornuum, constabant. Unde Lucan. Pharsal. IX. 514.

—— *sed tortis cornibus Ammon.*

Sil. Ital. Punic. IX. 298.

Ac patrius flexis per tempora cornibus Ammon.

Ouzel. in Minuc. Felic. p. 197. Berthald. de Ara c. 6. §. 2.

Jupiter Crescens vocatur in nummo Valeriani, in quo exprimi curavit capram, quæ *Jovem* puerum dorso veheret, cum tali inscriptione: JOVI CRESCENTI. *Cuper. Harpocr. p. 85. Choul de Relig. Roman. c. 46.*

Jupiter Custos appellatus est, & in primis cultus à Romanis. Apul. de Mund. p. 752. *Multi vocant Urbis custodem.* Senec. Nat. Quæst. II. 45. *Eundem, quem nos Jovem, intelligunt custodem, rectoremque universi.* In numismatibus quibusdam Neronis sedet in solio, dextra fulmen habet, læva hastam, cum hac inscriptione, JUPITER CUSTOS. *Gyrald. Synt. deor. II. p. 80. A. Choul de Relig. Rom. p. 53. Landus in Numism. Misc. Explic. Miscell. Ital. Tom. I. p. 418. Rycq. de Capitol. c. 39. Brisson. de Form. I. p. 49. Spanhem. in Callim. Hymn. in Jovem n. 81. Burman. Jov. Fulg. c. 2.*

Jupiter Dapalis est dictus, quia dape, non victima placaretur. Dapes propriè sunt cibi, seu epulæ sacræ, quæ divis offerebantur instar sacrificii. Cato de Re rust. c. 133. *Dapem hoc modo fieri oportet. Jovi Dapali culignam vini, quantum vis, polliceto. Eo die feriæ bubus, & bubulcis, & qui dapem facient. Quum pollicere oportebit, sic facies. Jupiter Dapalis, quod tibi fieri oportet in domo familia mea culignam vini dapi . . . Jupiter dapalis macte istace dape.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 89. C. Barth. Adv. XXXVI. 4. Turneb. Adv. XXIX. 31. Brisson. de Form. I. p. 49. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter Dictæus in Dictæi montis antro, qui est Cretæ, habitasse fertur & educatus. Serv. Æneid. III. 171. *Dictæus mons Cretæ est, dictus à Dicte nympha, quæ ibi colebatur, in quo monte dicitur altus Jupiter, ut Georg. IV. 152.*

Dictæo cœli Regem pavère sub antro.

Gyrald. Synt. deor. II. p. 90. A. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 160.

Jupiter Diespiter diei pater. Varr. de Ling. Lat. IV. 10. *Diespiter dictus, id est, diei pater.* Macrob. Sat. I. 15. *Cretenses Jovem διὰ τὴν ἡμέραν vocant: ipsi quoque Romani Diespitrem appellant, ut diei patrem.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 86. F. Turneb. Adv. XXV. 1. Rosin. Antiq. Rom. II. 5.

Jupiter Dolichenus Romanis dicitur Græcanico more. Vetus lapis apud Smetium sic est inscriptus: JOVI O. M. DOLICHENO. *Jupiter* videtur id nominis adeptus παρὰ τὸ δόλιχον, quod interpretantur veteres Grammatici τὸ ἱππόδρομον, quod potissimùm erat quatuor stadiorum. Unde à longitudine ipsa decursionis δόλιχον appellatum. Δολιχὰ namque sunt iis τὰ μακρὰ, τὰ πολλά. Ideò δολιχὸν πλόον apud Homerum, & in florilegio, δολιχοὶ κάμακες, δολιχαὶ ἀκωκίδες . . . Hinc Dolichenus *Jupiter*, vel quia sollennis illi thensarum pompa quotannis è Capitolio in circum duceretur; vel quod Latinarum feriis quadrigæ certarent in Capitolio. *Rycq. de Capitol. c. 20. Salmas. in Spartian. Adrian. c. 2. Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. III. p. 80.*

Jupiter Elicius est dictus ab eliciendo. Ovid. Fast. III. 327.

Eliciunt cœlo te Jupiter, unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.

Plin. II. 53. *Elicium quoque Jovem accepimus.* Ridenda ex Antiat. Hist. II. legitur fabula, quo pacto artem *Jovis* eliciendi Numa edoctus fuerit. Illam lectione dignam fusius prodidit Arnob. V. p. 154. *Gyrald. Synt. deor. II. p. 87. E. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 14. Barth. Adv. IV. 12. Buleng. de Terr. mot. V. 14. Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 599. C. Lomej. de Lustrat. c. 10. Struv. Ant. Roman. c. 1. p. 84. c. 4. p. 231. Burman. Jov. Fulg. c. 9. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 2. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.*

Jupiter Fagutalis. V. illum supr. in *Fagutal.*

Jupiter Feretrius à Romanis est appellatus, & cultus. Unde fuerit dictus, incertum fuisse ostendit Prop. IV. II. 45

Nunc spolia in templo tria condita, causa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ante ducem.
Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Jovis.

Festus dictum scribit à *ferendo, quod pacem ferre putaretur, ex cujus templo sumebant sceptrum, per quod jurarent, & lapidem silicem, quo fœdus ferirent.* Scaliger optimè monuit dictum à feretro pompæ triumphalis. Val. Flacc. III. 143.

Has pretor exuvias, & opima cadavera nostro
Linquite, ait, feretro.

Gyrald. Synt. deor. II. p. 82. D. Rycq. de Capitol. c. 39. Herald. in Minuc. Felic. p. 199. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 84. Marlian. Topogr. Urb. Roman. II. 2. Donat. de Urb. Rom. II. 10. Nicol. de Triumph. c. 5. §. 3. & 4. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter fictilis in Capitolio stetit. Plin. XXXV. 12. *Turrianus à Fregellis accitus, cui locasset Tarquinius Priscus effigiem Jovis in Capitolio dedicandam. Fictilis is fuit: atque ideò miniari solitus.* Huc allusit Juven. Sat. XI. 115.

Hanc rebus Latiis curam præstare solebat
Fictilis, & nullo violatus Jupiter auro.

Dictus igitur in populo fictilis *Jupiter*, quemadmodum Hercules etiam Romæ materiarius, quia è materia, sive ligno ab eodem artifice olim compositus. Plin. l. l. *Ab hoc eodem factum Herculem, qui hodieque materiæ nomen in Urbe retinet.* Rycq. de Capitol. c. 18. Tomas. de Donar. c. 2. Donat. de Urb. Rom. I. 25. Nardin. Rom. Vet. VI. 15. Eburneum tamen fuisse Capitolinum postea duplici suspicione permoveor ut credam. I. quod fictilia, & lignea deorum simulacra eburneis mutata affirmat Plin. l. l. II. ex loco isto Arnob. VI. p. 201. quo Olympium & Capitolinum *Joves* comparat mordaci, & satyrica quadam ratione: *O utinam,* inquit, *liceret in simulacra alicujus medias introire pendigines! imo, utinam liceret Olympiacos illos, & Capitolinos Joves deducere in sua membra resolutos! omnesque illas partes, quibus summa concluditur corporum, discretas, & singulas contueri!* Optat utrumque videre *in sua membra resolutum*, hoc est, in eburneas laminulas, quibus summa corporum compaginata est, videre comminutum. Trajanus è solido auro *Jovem* in Capitolio videtur posuisse. Eruere id videor ex Mart. XI. 5. 3.

Scriptus, fortè *sculptus & æterno nunc primum Jupiter auro.*

Rycq. l. l. V. etiam inst. in *Statua Jovis.*

Jupiter Fidius. V. illum supr. in *Dius Fidius.*

Jupiter Fulgur videtur appellari apud Festum: *Provorsum fulgur appellatur, quod ignoratur, noctu an interdiu sit factum. Itaque Jovi Fulguri, & Summano fit, quod diurna Jovis, nocturna Summani fulgura habentur.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 81. D.

Jupiter Fulgurator à quibusdam ex nostris dictus est,

ut

ut Græcum vocabulum *ἀστραπαῖον* exprimerent, & *ἀστραπαῖος*, quo & Poetæ, & Lucianus usus est in Timone. Est etiam vocatus *συναγείρων τὰς ἀστραπὰς Ζεὺς*, quasi *συναγείρων τὰς ἀστραπὰς*, hoc est, *fulgura, & coruscationes congregans*, ut exponit Hesychius. *Gyrald. Synt. deor. II. p. 81. E. Crinit. de Honest. Discipl.* II. 5.

Jupiter Fulminans, aut Fulminator dictus est à Latinis, à fulminibus videlicet, quæ Capitolinus gestare manu solitus. Plin. II. 7. *Alii in ipso Capitolio fallunt, & fulminantem pejerant Jovem*. Apul. de Mund. p. 752. *Idem fulminator, fulgurator, & tonitrualis, ac serenator dicitur*. In volumine Smetiano antiquorum inscriptionum ara Tudertina est, cum Titulo: ARA JOVIS FULGURATORIS. *Rycq. de Capitol. c. 20. Gyrald. Synt. deor. II. p. 81. B. Vaillant Numism. II. p. 15. Buleng. de Terræmot. & fulm. c. 6. Crinit. de Honest. Discipl.* VIII. 12. Non semper fulmine fuit armatus, sed sumpsit primò, postquam gigantes regnum cœleste affectarunt. Ovid. Fast. III. 437.

Jupiter est juvenis, juveniles aspice vultus;
Aspice deinde manum: fulmina nulla tenet.
Fulmina post ausos cœlum affectare gigantes
Sumpta Jovi, primo tempore inermis erat.

Cuper. Harpocr. p. 99.

Jupiter Gamelius, sive nuptialis nuptiarum, & matrimonii curam habere putabatur. Hujus meminit & Chrysippus, & Hieron. in Jovinianum: *Ridiculè*, inquit, *Chrysippus ducendam uxorem sapienti præcipit, ne Jovem Gamelium, & Genethlium violet: isto enim modo apud Latinos ducenda uxor erat, qui Jovem non haberent nuptialem.* Gyrald. Synt. deor. I I. p. 105. A. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 23.

Jupiter Herceus est cognominatus, quod aræ ejus intus in septo ædium, præsertim optimatum, erigerentur. *Περίβολον* enim, id est, circuitum, & septum *ἕρκος* vocant Græci. Harpocrat. *Sitribules ei, & ara Jovis Hercei, & Apollinis patris sunt. Jupiter Herceus, cui ara intra conseptum, seu aulam domus cujusque structa erant. Περίβολον quippe ἕρκος vocabant.* De Herceo Jove Ovid. in Ibin n. 284.

Cui nihil Hercei profuit ara Jovis.

Lucan. IX. 979.

Herceas monstrator, ait, non respicis aras.

Gyrald. Synt. deor. II. p. 96. B. Turneb. Adv. XIV. 15. XVII. 6. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 4. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 1.

Jupiter Hospitalis fuerit hospitii præses, & vindex, & in cujus tutela hospites esse credebantur. Sine dubio Græcorum auctoritate. Ait enim Homer. Odyss. Ξ.

Ab enim Jovè sunt omnes hospites.

Cicer. Fratr. II. 11. *Non faciam, ut illum offendam, ne imploret fidem Jovis hospitalis.* pro Dejot. c. 6. *Si te palam interemisset, Jovis quidem illius hospitalis numen non unquam celare potuisset.* Eadem mente Virg. Æneid. I. 735.

Jupiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur,
Hunc lætum Tyriisque diem, Trojaque profectis
Esse velis.

Huc pertinet Lycaonis fabula, qui cum hospitio susceptos hospites necaret, à suscepto *Jove*, postquam ei epulas humanas apposuisset, versus in lupum, exemplo suo ostendit hospitii jura non esse violanda. Ideoque hospes vocatur *Jupiter*, ejusque ara fuit venerationi apud Ovid. Met. V. 224.

Ante fores horum stabat Jovis hospitis ara.

Tomas. de Tesser. hospital. c. 6. Brisson. de Form. I. p. 48. Barth. Adv. XXXIII. 2. Bud. in Pandect. p. 254. A. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 20. Demster. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 5. Bourdelot. in Heliodor. II. p. 48.

Jupiter Idæus est cognominatus vel ab Ida Phrygiæ, vel ab Ida Cretæ monte, ubi *Jovis* incunabula, & sepulcrum. Mart. IX. 35. I.

Jupiter Idæi risit mendacia busti.

Callim. Hymn. in Jovem. n. 6.

Jupiter, Idæis genitum te in montibus ajunt.

Ubi, ut notant Scholia, de monte Cretæ sermo est. *Gyrald. Synt. deor. II. p. 90. D.*

Jupiter Imperator apud Prænestinos celebrabatur, cujus simulacrum apud ipsos cum esset, Romam translatum fuit, in Octava Urbis regione collocatum, ut Victor testis est. Liv. VI. 29. *T. Quintius semel acie victor, binis castris hostium, novem oppidis vi captis, Præneste in deditionem accepto, Romam revertit: triumphansque signum Præneste devectum Jovis Imperatoris in Capitolium tulit. Dedicatum est inter cellam Jovis ac Minervæ. . . . .* Cicer. Verr. IV. 58. *Jovem Imperatorem quanto honore in suo templo fuisse arbitramini? colligere potestis.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 79. E. Brisson. de Form. I. p. 49. Struv. Antiq. Rom. c. I. p. 84.

Jupiter Inventor cognominatus & cultus est à Romanis, cujus ara dicitur fuisse prope portam Tergeminam, ab Hercule instituta, inventis bobus. Dionys. I. p. 31. *In proximo Jovi Inventori aram Hercules posuit, quæ Romæ est prope portam Tergeminam, & ob inventas boves deo juvencum unum mactavit. Hæc sacra etiam mea ætate Romani ritu mere Græco faciunt, quemadmodum ab illo sunt instituta.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 88. F. Brisson. de Form. I. p. 49. Rosin. Ant. Rom. II. 5.

Jupiter invictus. V. illum infr. in *Templum*.

Jupiter *Καταιβάτης*, id est, descensor est cognominatus. Pausan. Eliac. I. p. 162. *At Jovi Katabatæ quæ dicata ara est, maceria undequaque ambitur, & modico à maxima ara interstitio intervallo distat.* Sunt qui sic ideo appellatum tradunt, vel propter fulmina, vel quod è cœlo sæpè descendisse putaretur ad amores potiendos. *Gyrald. Synt. deor. II. p. 110. E.* & integro volumine *Petrus Burmannus.*

Jupiter Lapis dictus est, ut nonnulli existimant, ab ipso lapide *Jove* vocato, qui Saturno oblatus fuit ab Ope: nam & Euseb. Chron. ait: *in Creta regnavit Lapis.* Inde *Jovem lapidem jurare* est sanctissimum apud Romanos jusjurandum. Cicer. Fam. VII. 12. *Quomodo autem tibi placebit Jovem lapidem jurare, cum scias, Jovem iratum esse nemini posse?* Gell. I. 21. *Jovem lapidem, quod sanctissimum jusjurandum est habitum, paratus sum ego jurare.* Apul. de Deo Socrat. p. 673. *Nam & jusjurandum Jovisjurandum dicitur, ut ait Ennius. Quid igitur censes? jurabo per Jovem lapidem, Romano vetustissimo ritu?* Ritum describit Polybius. V. illum supr. in *Fœdus*. Gyrald. Synt. deor. II. p. 84. F. Hansen. de Jurejur. Vet. c. 21. Stuck. de Sacrif. p. 139. Rhodig. Antiq. Lect. XXI. 15. Struv. Ant. Roman. c. 7. p. 317. Rycq. de Capitol. c. 19. Pius Annot. prior. c. 10. Turneb. Adv. XXX. 16. Pollet. Foe. Roman. IV. 14. Sigon. de Judic. I. 28. Caroli Antiq. Roman. I. 7. Putean. de Jurejur. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 855. E. Cujac. Observ. I. 21. Rævard. Varr. V. 5. Rosin. Antiq. Roman. II. 5. Laurent. de Rebuspubl. c. 4. Putat nonnemo, veteres *Jovem lapidem* appellasse, quod olim ejus fuerit *lapideum* simulacrum: atque ita *Jovem* velut testem juramenti manu sua veneratos esse. *Thysius in Gellium.*

Jupiter Latialis dictus fuit, quia in Albano monte, qui etiam Latialis appellabatur, cultus est. Huic curæ erant feriæ Latinæ. V. illas supr. in *Feria*. Ideo suspicabar *Latiali Jove* legendum esse apud Plinium laudatum supr. in *Jupiter Carvilianus*, qui inter portentosæ horrendæque magnitudinis simulacra *Jovem* illum nominat, ut scilicet è monte Albano, in quo hujus ædes celebrata est, videri potuerit, cum non fuerit res adeo magna, aut annotatione digna, ab amphitheatro Flavio, quod est in capite viæ sacræ, & in quo sacellum Latiarii, sanguinarii hujus *Jovis*, colossum Capitolinum, turri parem, conspicuum fuisse. *Rycq. de Capitol. c. 25. Rosin. Antiq. Roman.* II. 5. V. tamen *Nardin. Rom. Vet.* IV. 6.

Jupiter Latiaris, sive Latiarius dicitur Festo in Oscillum: *Latinus Rex prælio, quod ei fuit adversus Mezentium Caritum Regem, nusquam apparuit, & judicatus fuit Jupiter Latiaris.* Huic curæ erant ludi gladiatorii. Prudent. adv. Symm. I. 396.

Funditur humanus Latiari in munere sanguis,

Con-

Confessusque ille spectantum solvit ad aram
Plutonis fera vota sui.

Plutonem enim quidam hunc esse existimarunt, quamvis Latinum. Regem Festus. Et inde humano sanguine colebatur. Minuc. Fel. p. 198. *Jupiter vester, cum Latiaris dicitur, cruore perfunditur*. Cujus? hominis ad bestias damnati. Eo enim spectant verba Tertull. Apolog. c. 9. *Ecce in illa urbe religiosissima Æneadarum est Jupiter quidam, quem ludis suis humano proluunt sanguine, sed bestiarii, inquitis. Hoc opinor minus quàm hominis. An hoc turpius, quod mali hominis? Certè tamen de homicidio funditur*. Rycq. de Capitol. c. 25. Gyrald. Synt. deor. II. p. 83. B. Ouzel. in Minucium. Struv. Ant. Roman. c. 10. p. 459. Buleng. de Venat. circi c. 7. Tomasi. de Donar. c. 40. Pigh. Annal. Roman. I. p. 52.

Jupiter Lucetius. De illo Serv. Æneid. IX. 570. *Lucetius*, inquit, *lingua Osca Jupiter dictus à luce, quam præstare hominibus dicitur: ipse enim est nostra lingua Diespiter*. Gell. V. 12. *Lucetius dictus Jupiter, quod nos die & luce, quasi vi ea ipsa afficeret, & juvaret*. Gyrald. Synt. deor. II. p. 87. A. Turneb. Adv. XXV. 1. Gutberl. de Saliis p. 140. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter Majus à Tusculanis est cultus. Macrob. Sat. I. 12. *Apud Tusculanes quoque vocatur deus Majus, qui est Jupiter*. Gyrald. Synt. deor. II. p. 88. F. Stuck. de Sacrif. p. 26.

Jupiter Miniatus est dictus Cicer. Fam. IX. 16. *Volo videre animum, qui mihi audeat ista, quæ scribens, apponere, aut etiam polypum Miniani Jovis similem*. Obtinebat enim mos, ut *Jupiter* fictilis miniaretur. Patet hoc ex Plinio laudato supr. in *Jupiter fictilis*. Apud illum enim ex veteri lectione Aldina lego: *atque ideo miniari solitus*. Nec minùs elata sunt, quæ idem affert ex Verrio XXXIII. 7. *Enumerat auctores Verrius, quibus credere sit necesse, Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, triumphantumque corpora: sic Camillum triumphasse. Hac religione etiam nunc addi in unguenta cœnæ triumphalis, & à censoribus inprimis Jovem miniandum locari*. Rycq. de Capitol. c. 18. Borremans. Var. Lect. c. 4. Hansen. de Jurejur. vet. c. 21. Brod. Misc. III. 13. Guter. de Jur. man. I. 4. Balduin. de Calc. antiq. c. 14.

Jupiter Olympius, ut Stephanus scribit, celebrabatur in Olympia, quæ priùs dicebatur Pisa: unde & Pisæus dicebatur. Fuerunt, qui à monte dictum putaverunt. Diodor. IV. p. 144. C. eum cognominatum prodit ab Olympo præfecto, qui *Jovem* erudivit. Hinc & Latini Olympum aliquando pro *Jove* ceperunt. Virg. Æneid. IX. 1.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

Et Nævius, à quo desumpsit Virgilius:

Panditur interea domus altitonantis Olympi.

Gyrald. Synt. deor. II. p. 93. A. Rhodig. Ant. Lect. XX. 13. In conviviis primum poculum, seu prius crater *Jovi* Olympio, & deis Olympiis, ut Pollux VI. 2. scribit, libabatur. *Buleng. de Conviv*. III. 15. *Gyrald. l.l.*

Jupiter Opitulus, & Opitulator est *dictus, quasi opis lator*. Festus. *Gyrald. Synt. deor*. II. *p*. 89. *B. Brisson. de Form*. I. *p*. 49.

Jupiter Optimus Maximus est cognominatus, quod velit, & possit omnibus prodesse; & optimus quidem, antequam maximus: quia majus est certè, gratiusque prodesse, quàm magnas opes habere. Cicer. Dom. c. 57. *Quocirca te Capitoline, quem propter beneficia populus Romanus Optimum, propter vim Maximum nominavit*. Fin. III. 20. *Jovem cum Optimum, & Maximum dicimus, hoc intelligi volumus, salutem hominum in ejus esse tutela*. Lactant. I. 10. *Quod omnium horum pater Jupiter, qui in sollenni precatione Optimus Maximus nominatur*. Gyrald. Synt. deor. II. p. 79. B. Rycq. de Capitol. c. 20. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 199. Vaillant de Numism. I. p. 156. Marlian. Topogr. Urb. Roman. II. 4. Caroli Antiq. Roman. I. 1. Pitisc. in Suet. Jul. c. 39. n. 2.

Jupiter Paganicus dictus est, quia fortè paganicis feriis venerandus. Vetustum marmor Assisii, quod oppidum est in Umbria: JOVI. PAGANICO. SACRUM. EX. INDULGENTIA. DOMINORUM. SUCCESSUS. PUBLICUS. MUNICIPUM. ASISINATIUM. SER. AMOENIANUS. ÆDEM. CUM. PORTICIBUS. A. SOLO. SUA. PEC. FECIT. *Gyrald. Synt. deor*. II. *p*. 117. *D. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom*. XI. *p*. 785. *B. Brisson. de Form*. I. *p*. 48.

Jupiter in primis *Pater* est dictus, ob eam, quam erga omnia creata & condita benevolentiam, ac omnium rerum providentiam habere existimabatur, ut ait Diodor. V. p. 234. C. Varr. de Ling. Lat. IV. 10. *Jupiter mortales, atque arbores, herbasque omnes juvat. Eundemque appellans dicit Ennius: Divumque hominumque pater rex. Pater verò, quod patefaciat omnia, & ipsum semen*. Val. Soranus apud August. de Civit. Dei VII. 9.

Jupiter omnipotens rerum, regumque, deumque
Progenitor, genitrixque deum, deus unus, & omnes.

Etiam à Græcis vocatus est πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, γενέτωρ, πατρῷος. Sed & ideo Pappum, & Pappæum appellatum legimus. *Gyrald. Synt. deor*. II. *p*. 78. *C*.

Jupiter Pistor est à Romanis cultus. Lactant. I. 20. *Quo tempore* Galli Capitolium obsidebant, *Jovi Pistori ara posita fuit, quod Romanos deus in quiete monuisset, ut ex omni frumento quod haberent, panem facerent, & in hostium castra jactarent; eoque facto, soluta est obsidio, desperantibus Gallis, inopia subigi posse Romanos*. De *Jove* Pistore sunt versus Ovid. Fast. VI. 349.

Nomine quam pretio celebratior arce Tonantis
Discant Pistoris quid velit ara Jovis.

m. 393.

Posse fame vinci spes excidit, hoste repulso,
Candida Pistori ponitur ara Jovi.

Gyrald. Synt. deor. II. p. 84. D. Struv. Antiq. Rom. c. I. p. 84. Brisson. de Form. I. p. 49. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter Pluvius etiam à Romanis cultus est. Tibull. I. 8. 26.

Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

Ausonius:

Annua sulcata conjecta & semina terra
Pascit hyems; pluvio de Jove cuncta madent.

Græci quoque Ὄμβριον, & Ὑέτιον venerati sunt. *In Hymetto monte Atticæ Pluvii Jovis ara fuit*. Pausan. Attic. p. 31. *Gyrald. Synt. deo*. II. *p*. 87. *C. Lambec. in Kalend. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom*. VIII. *p*. 112. *D. Rhodig. Ant. Lect*. XXVII. 6. *Pius Annot. post. c*. 117. *Brod. Misc*. II. 21. *Barth. Adv*. XLI. 21. *in Papin. Theb*. IV. 758. *Kipping. Ant. Rom. c*. 1. §. 22. *Auctar. in Pappum p*. 108. *Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom*. V. *p*. 756. *D. Parrhas. Præfat. de Rapt. Proserp*. II. 43. *Bronkh. in Tibullum. Gatak. in M. Anton*. V. §. 7. Athenienses, ut quondam Romani, nimia siccitate & pluvia agris, campisque laborantibus, ambarvalia faciebant, & circum arva, camposque supplicationes obibant, *Jovem* invocantes, quem ob id Hyetium, hoc est, pluvium nuncupabant, circumeundo exerta voce clamitantes: plue, plue ò Jupiter in aridos Atheniensium agros: ut videlicet aridam eorum regionem madefaceret. Formulam hanc prodidit M. Antonin. de Reb. gest. V. §. 7. *Loens. Miscell*. IX. 10.

Jupiter Pompejanus in campo minore colossus *Jovis* fuit, a Claudio Imperatore ad theatrum Pompeji erectus. Plin. XXXIV. 7. *Talis in campo Martio Jupiter à Claudio Cæsare dicatus, qui vocatur Pompejanus a vicinitate theatri*. Ejus etiam Rufus & Victor meminerunt. *Nardin. Roman. vet*. VI. 8. *Rosin. Antiq. Rom*. II. 5.

Jupiter prædator est cognominatus, quod ei è præda aliquid deberetur. Serv. Æneid. III. 223. *Romanis moris fuit, ut bella gesturi de parte prædæ aliquid numinibus pollicerentur: adeo ut Romæ fuerit unum templum Jovis prædatoris, non quod prædæ præest, sed quod ei aliquid ex præda debeatur*. Gyrald. Synt. deor. II. p. 88. G. Brisson. de Form. I. p. 49. Toll. in Appian. Punic. p. 41. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter prodigialis fuit dictus, quia portentis averruncandis

cundis mola salsa illi facerent. Plaut. Amph. II. 2. 107.

Sed mulier, postquam experrecta es, prodigiali Jovi
Aut mola salsa hodie, aut thure comprecatam oportuit.

Buleng. de Omin. c. 1. Turneb. Adv. VII. 15. Gyrald. Synt. deor. II. p. 88. B. Gruter. in Plautum.

Jupiter propugnator dicitur in lapide antiquo, in quo mentio ÆDIS JOVIS PROPUGNATORIS. Idem restituendum haud dubiè in fragmento inscriptionis, quæ exstat Vesunnæ Petrocoriorum; JOVI PR... PAC. Et ita pro *propagator* malim legere apud Apul. de Mund. p. 753. *Boxhorn. Quæst. Rom. 1. Brisson. de Form. 1. p. 49. Choul. Relig. vet. Rom. p. 52. Rosin. Ant. Rom. II. 5.*

Jupiter redux dictus est, quia qui re bene gesta ex bello redierunt, arma ei dedicabant. Laodamia Protesilao ita scribit apud Ovid. Heroid. XIII. 49.

Di, precor, à nobis omen removete sinistrum:
Et sua det reduci vir meus arma Jovi.

Tomas. de Donar. c. 21.

Jupiter Romanus dictus est à Roma urbium principe, & Romana arce, quemadmodum ab aliis Italiæ civitatibus Hercules Tiburtinus, Juno Vejentana, Fortuna Antias & Prænestina, Pallas Surrentina, Apollo Cumanus. Liv. VIII. 6. *Cum & coss. crebro deos implorantes, testes fœderum, & patrum indignationem, & numina Jovis Romani sperneret Annius.* Rycq. de Capitol. c. 10.

Jupiter Sabazius, sive Sabatius occurrit in inscriptionibus. Romæ in horto D. Petri Montorii:

JOVI. OPTIMO. MAXIMO
SABATIO
C. CÆTRONIUS. OCCI
US. VALERIANUS. MIL
SEMPLAR. ARMATURÆ
V. S. L. M.

Et in antiquis scriptoribus. Val. Max. I. 3. §. 2. *Idem, qui Sabazii Jovis cultu simulato mores Romanos inficere conati sunt, domos suas repetere coegit.* Firmic. de Error. prof. relig. *Sabazium colentes Jovem, anguem, cum initiantur, per sinum ducunt.* Frequentissimum fuit cognomen Bacchi, teste Hesychio, Et fortè à Baccho ad *Jovem* translatum, eo quod *Jupiter* Bacchi parens censeretur. Diodor. III. p. 148. C. V. illum supr. in *Bacchus.* Irrepsit vox illa ex Saboe, bacchantium Thraciæ barbaro clamore. V. supr. in *Bacchus. Spon. Misc. Erud. Ant. sect. 3. p. 78. Rubent. Dissert. de numm. Asiæ recepta, Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1374. B. Lampe de Cymbal. vet. III. 10. Gyrald. Synt. deor. VIII. p. 277. G. Voss. de Idolol. II. 14. Reines. Inscr. Class. 1. n. 156. Camerar. Hor. IV. 6. Jun. Anim. IV. 1. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 5.* Ego apud Prob. de Not. antiq. pro *Jovi Sabatio* lego *Jovi Statio*, qui tanquam Imperator exercitus, vel militari apud veteres colebatur. *Ernst. ad Probum c. 9. & Ursat. de Not. Rom. Thes. Græv. ibid. p. 785. F.*

Jupiter Stator dictus est à stando, quod ipse stet, erectus nimirum ad opem ferendam, ut vult Hieronymus: vel quod stare fecerit Romuli exercitum ad fugam inclinatum. Liv. I. 12. Dionys. II. p. 114. V. illos infr. in *Templum Jovis Statoris*, vel quod ejus beneficio omnia stent. Senec. de Benef. IV. 7. *Jovem statorem rectè dices: qui non (ut historici tradiderunt) ex eo quod post votum susceptum acies Romanorum fugientium stetit, sed quod stant ejus beneficio omnia, stator, stabilitorque est.* In nummis Antonini Pii & Gordiani a tergo imago stans nuda, & dextra hasta nixa, sinistra fulmen tenet cum hac inscriptione: JOVI STATORI. *Pancirol. Desc. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 339. A. Tomas. de Donar. c. 3. Gyrald. Synt. deor. II. p. 83. G. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 84. Choul. Relig. vet. Roman. p. 52. Hospin. de Orig. Fest. p. 187. Brisson. de Form. 1. p. 48. Rosin. Ant. Roman. II. 5.*

Jupiter Tarpejus etiam dictus fuit Capitolinus, quia *ante Tarpejus fuit dictus à virgine Vestali Tarpeja, quæ ibi à Sabinis necata armis & sepulta*, ut Varr. de Ling. Lat. IV. 7. Hinc Prop. IV. 1. 7.

Tarpejusque pater nuda de rupe tonabat,

Ovid. Fast. VI. 34.

Junctaque Tarpejo sunt mea templa Jovi.

Gyrald. Syn. deor. II. p. 80. F.

Jupiter Tonans ab auguribus primùm appellabatur, & fulgens. Cicer. de Nat. deor. II. 25. *Hunc etiam augures nostri: cum dicunt, Jove fulgente, tonante: dicunt enim, cœlo fulgente, tonante.* Tonantem *Jovem* Augustus Cæsar post Cantabricum bellum in Capitolium constituit: unde & Capitolinus Tonans aliquando vocatus est, qui tamen alius est à Capitolino. Distinguit certè Svet. Aug. c. 91. n. 4. *Cum dedicatam in Capitolio ædem Tonanti Jovi assiduè frequentaret, somniavit queri Capitolinum Jovem cultores sibi abduci: seque respondisse, Tonantem pro janitore ei appositum.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 81. F. Rosin. Ant. Roman. II. 5.

Jupiter Tragœdus fuit dictus. Romæ vicus tragœdus fuit, quod in eo tragœdi, sive histriones habitarent. In illo *Jupiter* dedicatus stetit. Svet. Aug. c. 57. n. 4. *Ex qua summa pretiosissima deorum simulacra mercatus, vicatim dedicabat, ut Jovem Tragœdum.* Commentat. in Svetonium.

Jupiter Victor est cognominatus, quod omnia vincere putaretur. Liv. X. 42. *Papirius in ipso discrimine, quo templa diis immortalibus vovere mos erat, voverat Jovi victori, si legiones hostium fudisset, pocillum mulsi, priusquam temetum biberet, sese facturum.* Romani illi diem festum celebrarunt Idibus Aprilis. Ovid. Fast. IV. 621. V. illum infr. in *Templum*. Græci etiam Nicæum vocavere, nescio an à Victoria, id est, *vicæ* dictum: an à loco. Meminit ejus Liv. XLIII. 21. *Alio Rex Perses profectus, altero die ad templum Jovis, quem Nicæum vocant, posuit castra.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 79. C. Brisson. de Form. 1. p. 48. Rosin Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter vimineus. Ejus aræ erant, ubi vimina multa nata essent. Varr. de Ling. Lat. IV. 8. *Colles viminalis à Jove viminæo, quod ibi aræ sunt ejus, aut quod ibi vimineta fuerunt.* Festus. V. illum infr. in *Porta*. Gyrald. Synt. deor. II. p. 88. C. Brisson. de Form. 1. p. 48. Dacer. in Festum. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter ultor sceleratorum impia facta ulciscebatur. Plin. XXXVI. 15. *Pantheon Jovi ultori ab Agrippa factum.* Exhibet hunc Gordiani nummus argenteus cum inscriptione: JOVI ULTORI. *Gyrald. Synt. deor. II. p. 89. E. Choul. Relig. vet. Rom. p. 52. Rosin. Antiq. Rom. II. 5.*

JUR.

JURAMENTUM vix est, ut Latinè dici possit, quamvis hoc vocabulo Seneca & Ulpianus usi fuerint. *Treller. de Jurejur. c. 1.* Non usus est illo Seneca de Clem. II. 1. Apud illum enim non est legendum: *In cujus verba Principes Regesque juramentum faciant:* sed *In cujus verba Principes Regesque jurent*, ut ad illum rectè contendunt Muretus, Lipsius, Gronovius, Cellar. Antibarb. p. 62. Vorst. de Latin. merit. susp. c. 22. Nec Ulpianus ipse, l. 34. §. 5. ff. de Jurejurando, ubi exstant hæc verba: *Si de qualitate juramenti fuerit inter partes dubitatum.* Nam vox *juramenti* Ulpiani verbis purioribus ex suæ ætatis consuetudine à Triboniano est inserta. *Cellar. Antibarb. l. l.* Unde vocabulum planè barbarum pronuntiat *Scopp. de Styl. hist. p. 155.* De Ulpiano tamen non dubitat Vorstius. Et ego contrarium statuo, quia inveni sub argenteæ ætatis initium apud Asconium Pædianum in Cicer. p. 128. *Eaque pactio ab utroque juramento firmata est.* Ejusque sub finem apud Scribonium Isagoge in Artem medicam, qui vixit Trajani & Adriani temporibus, si hæc, quod vult Cellarius, ad Antoninos extenditur. Apud hunc, ut testatur Johannes Rhodius ad Scrib. Larg. p. 22. legitur c. 2. *Per sacramentum juramenti.* & c. 3. *Memor sit juramenti Hippocratis.* Quos secuti sunt Ammian. XXI. 9. XXIV. 2. Sulpic. Sev. Hist. I. 8. Hieron. in Paral. I. 4. Licèt illos illo priores fuisse usos putet Cellar. l. l. *Pitisc. Lex. Latino-Belgice.* Dicitur etiam voce simplici *jurandum*, Plaut. Cist. II. 1. 26.

Abs quærere, ubi jurando tuæ satis sit subsidii.

Terent.

Terent. Andr. IV. 3. 13.

Quia si fortè opus sit ad herum jurandum mihi
Non apposuisse,

Ubi Donatus: *Sic locutus est, ut explicari, atque intelligi non possit: aut enim deest jus, ut sit jurandum pro jusjurandum: aut, ut vulgo dicitur, juramentum.* Hansen. de Jurejur. vet. c. 6. Popm. de Usu ant. locut. I. 7. Vorst. l. l. Composita *jusjurandum*. Cicer. Fam. V. 1. *Magna voce juravi verissimum pulcerrimumque jusjurandum*. Offic. III. 31. *Nullum vinculum ad stringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt*. Et duabus divisis; quasi *Jovis jurandum* Ennius apud Cicer. Offic. III. 29.

O fides alma; apta pennis, jurandum Jovis.

Nævius:

Jus sacratum, Jovis jurandum sanguine.

Hansen. l. l. Satis commodè definitur Cicer. l. l. *Jusjurandum est affirmatio religiosa*. Ubi affirmatio non simpliciter pro eo, quod negationi opponitur; sed generaliter pro omni asseveratione, seu assertione rei alicujus, sive affirmativa sit, sive negativa, quod Græci ἀπόφανσιν dicunt: nam & negativè *jurari* aliquando infinitis exemplis probari potest. Et religiosa dicitur. Cum enim religio sit erga Deum, *jurari* autem nisi per Deum non possit, palam est eam demum affirmationem jurandi appellatione censeri, quæ religiosa est. *Trellser. & Hansen. l. l.* Hoc priùs quàm dignaremur mortalium usu; & sede, abjerat fides, conventorum, dictorumque constantia, nusquam quid firmum humanis mentibus, aut verbis: Hinc Menander: *Ætate nostra fides omnis confunditur.* Opus erat Deo teste, vindice, ut quod nequitia violarat mortalium, summa immortalium auctoritas cohiberet. Hæc *jurisjurandi* origo; hæc cunabula; etsi pudenda. Numa Pompilius primus *ea pietate Romanorum pectora imbuerat, ut fides, ac jusjurandum, propulso legum, ac pœnarum metu civitatem regerent*. Liv. I. 21. *Hansen. ibid. c. 1.* Apud juris auctores solet adjungi his ferè verbis: do, defero, refero; remitto, suscipio, exigo. Datum dicitur, cum *juratum* est, l. non erit §. dato, & l. nam postea ff. hoc tit. sunt enim hæc tria synonyma, præstitum, datum, interpositum. Deferre quid sit, neminem esse reor, qui non intelligat. Referre dicitur, qui cum ei delatum est, ait se non teneri *jurare*, sed ipsum, qui detulit. Suscipere dicitur, qui *jurare* paratus est. Remittere, qui *jurisjurandi*, quod semel detulit, gratiam fecit, l. remittit l. Labeo ff. hoc tit. Exigere idem esse puto, quod deferre, vel petere, l. quoties l. in duobus §. exceptio l. jusjurandum & ad pecunias §. ait prætor ff. eod. *Trellser. ibid. c. 2.* Gratia *jurisjurandi* solet aut ad delatum, & susceptum, aut ad præstitum referri. Qui *jusjurandum* remittit, gratiam *jurisjurandi* facere dicitur, l. 6. de jurejur. Qui præstiti religione aliquem liberat, is etiam *jurisjurandi* gratiam facit, l. 38. ad municipal. Remittens *jusjurandum* non aliter gratiam facere intelligitur, quàm si deferente se adversarius jurare paratus suscipiat *jusjurandum*, d. l. 6. Eaque res efficit, ut hujusmodi gratia nec absenti, multòque minùs ignoranti fieri possit. Nam quomodo ab ignorante suscipi *jusjurandum*, aut quomodo ignorans esse paratus actore deferente ad *jurandum* potest? Et idcirco nequaquam videri ambiguum debet, quin pessimè de *jurisjurandi* delati remissione Pomponium acceperint interpretes, Labeonis sententiam ad hunc modum referentem, l. 41. de jurejur. *Labeo etiam absenti, & ignoranti jurisjurandi gratiam fieri posse respondit: sed & per epistolam gratia jurisjurandi fieri potest*. Proinde non delati, susceptique, sed præstiti *jurisjurandi* absenti, & ignoranti gratiam fieri potuisse verisimilius est, idque sibi Pomponium, & Labeonem voluisse. Dici non potest, quàm id ipsum Plauti auctoritate confirmetur. Postquam enim *jurejurando* per Veneris aram conceptis verbis præstito talentum argenti magnum Gripo promisisset Labrax leno, hanc summam Dæmones lenoni à servo suo piscatore Gripo remitti volens, his verbis usus est Rud. V. 3. 57.

DÆ. *Res soluta est Gripe, ego habeo.* GR. *At ego me mavolo.*

DÆ. *Nihil hercle hic tibi est, ne tu speres; jurisjurandi volo*
Gratiam facias.

Sic *jurisjurandi* gratiam visus est etiam accepisse Svet. Tib. c. 35. n. 2. *Equiti Romano jurisjurandi gratiam fecit, ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se nunquam repudiaturum ante juraverat*. Rævard. Var. V. 2. Edicto ad illud vocabantur. Cæs. de Bell. civ. III. 102. *Erat edictum Pompeji nomine Amphipoli propositum, ut omnes ejus provinciæ juniores, & Græci, civesque Romani jurandi causa convenirent*. Femori manu subjecta proponitur apud Cedren. p. 31. ubi Jacobi morituri cum Josepho actio declaratur: *Jacobus, ut finem vitæ suæ advenisse intellexisset, ad se evocatum femori suo, ut moris erat, manum subjicere jussit, juramentoque obstrinxit. . . .* Affine illud Liv. VIII. 9. *Pontifex eum togam prætextam sumere jussit, & velato capite manu subter togam ad mentum exerta, super telum subjectum pedibus stantem sic dicere*. Hansen. ibid. c. 19. Manum levare rem adeo veterem non esse existimo, sed ritum hujus ævi, licèt supplicum, & adorantium, imo mancipum, quid à populo ementium, aut conducentium ritus fuerit. Vir quidem doctus in observationibus suis, ubi Aristotelem Polit. IV. hujus meminisse dicit, penè suasisset. Sed μνημονικὸν σφάλμα est, nec in toto Politicorum opere quicquam ejusmodi. *Hansen. ibid. c. 13.* Ejus formulas singulas V. suis locis. Romanis magna religione & observantia semper fuit: Gell. VII. 18. *Jusjurandum apud Romanos inviolatè, sanctèque habitum, servatumque id & moribus, legibusque multis ostenditur. Id indicant*, ut inquit Cicer. Offic. III. 31. *leges in XII. tabulis, indicant sacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides: indicant notiones, animadversionesque censorum, qui nulla de re diligentiùs, quàm de jurejurando judicabant.* Imperatores Arcadius & Honorius tanti *jusjurandum* æstimaverunt, ut cum pleraque acta à tyrannis aboleri voluerint, tamen, quæ fuerant *jurejurando* decisa, aut, ut ipsi loquuntur, *sacramento terminata*, rata ut essent, edixerint, l. 9. C. de infirm. his quæ sub. . . Unde, in quem nescio, jure inclamat Sallust. Hist. I. *Ut te neque hominum, neque deorum pudet, quos perjurio, & perfidia violasti.* Ex hac religione factum, ut ad aras jurarent, & inter jurandum tangerent. Plaut. Rud. V. 2. 26.

——GR. *Tange aram hanc Veneris.* LA. *Tango.*
GR. *Per Venerem hanc jurandum est tibi.*

n. 49.

GR. *Tene aram hanc.* LA. *Teneo.* GR. *Dejura, te mihi argentum daturum.*

Cicer. pro Flacc. c. 36. *Is si aram tenens juraret, crederet nemo.* Idem in Græcia servatum. Justin. XXIV. 2. 8. *Ptolemæus sumptis in manibus altaribus contingens ipsa simulacra, & pulvinaria deorum, inauditis, ultimisque exsecrationibus adjurat.* Hansen. ibid. c. 2. Brisson. de Form. VIII. p. 712. Caroli Antiq. Roman. I. 7.

Juramentum Aphrodisæum multis obvium, aliisque Venereum, amatorium, volaticum, mihi ridicularium dicetur. Plautus enarrationis chorum ducet, qui Aphrodisia Veneris esse festum diem ait Pœn. I. I. 63: II. 45: V. 3. 4. Plato in Convivio: Ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος. Ex quo fortè Ovid. Art. amat. I. 633.

Jupiter ex alto perjuria ridet amantum.

Et Horat. Od. II. 8. 13.

Ridet hoc, inquam, Venus ipsa: rident
Simplices nymphæ.

Tibull. III. 6. 49.

——*perjuria ridet amantum*
Jupiter, & ventos irrita ferre jubet.

Hoc, quia amantum est, irritum putabant, neque ad deos quicquam pertinere, tanquam jocosum. *Hansen. de jurejur. vet. c. 29.*

Juramentum, sive *jusjurandum* Calumniæ, sive Kalumniæ ortum à gladiatorum consuetudine habet. V. illud supr. in *Calumnia*. Multis in locis est sublatum, propter perjurii metum, quando ex philautia ferè semper plus æquo suæ causæ serviant litigantes: adeo multi sibi in animum inducunt

cunt cogi non posse, aut debere ad veritatem denudandam, & in adversariorum castra depoftandam. At quantò magis hoc formidandum est in criminalibus, ubi de capite, & fortunis quæstio vertitur; nam quotusquisque est, qui tum se putet religione teneri? Natura autem comparatum est, ut omnes, nescio quo modo, promptiores, & paratiores simus ad excusationem & elevationem culpæ propriæ, ad causationem, & confessionem tardiores. *Pollet. For. Roman. v. 4.*

Juramentum consulum dicimus, quia consules non semel *juraverunt*, dum inirent magistratum & ponerent, primis inquam honoris sui diebus. V. supr. in *Consul.*

Juramentum declamatorum vocamus, quia à *jurejurando* auspicabantur. Senec. Suas. VII. de Gorgonio: *Nam cum cœpisset scholasticorum frequentissimo jam more à jurejurando, & dixisset multa.* Et de Surdino ingenioso adolescente: *Solebat dulces sententias dicere, frequentiùs tamen prædulces, & infractas. In hac suasoria cum jusjurandum bellis sensibus complexus esset, adjecit . . .* Quando id cœperit, desieritve, non legi. Sanè in declamationibus utriusque Quintiliani, & Calpurnii Flacci nihil tale. *Hansen. de jurej. vet. c. 9.*

Juramentum Imperatorium vocamus, quia Imperatores, aut sub imperii natalem sollenni ritu, aut post οἱ τῷ τύχῃ jurabant. Docent hoc annales Romani & Græci: ex quibus pauca & de privato *jurejurando*, nam de illo statto nunquam finis. Photius in Praxagora auctor est Licinium Imperatorem Romanum, cui pars illa imperii obvenerat, quam Maximinus tenuerat, intellecta in se expeditione, *metu perculsum immanitatem texisse, & humanitatis speciem præferentem, jurejurando etiam se obstrinxisse, clementem deinceps subditis futurum, quaque fœdere illa promisisset, integrè servaturum.* Herodian. II. 13. 18. narrat Severum Imperatorem, cum prætorianis militibus Roma ob Pertinacis cædem interdiceret, jussionem *jurejurando* firmasse: *vobis autem sic impero discedatis quàm longissimè: edico item, juroque, ac denuntio capite pœnas daturum, si quis vestrum posthac intra centesimum lapidem pareat.* In Roma vetere consul senior *jusjurandum* ab Imperatore accipiebat, argumento è Plin. Paneg. c. 64. n. 2. ibi Trajanus apud defunctum, senioremque consulem, in sella sedentem curuli juravit, illo *jusjurandum* præbente, & sollennia verba præeunte. In nova ὁ μέγας λογοθέτης in templo Blachernarum, auctore Niceta in Manuele Comneno III. *Hansen. de jurejur. vet. c. 7.*

Juramentum judiciale appellatur, quod in judicio à judice defertur, ut necessarium, quod in judicio ab adversario, & voluntarium, quod extra judicium, quia ex conventione utriusque partis defertur. Atque ita *jurisjurandi* tres sunt species: voluntarium, necessarium, & judiciale, ut patet ex Rubrica, quæ his verbis concipitur: *De jurejurando, sive voluntario, sive necessario, sive judiciali.* Quod à judice defertur, necessarium vocare malunt interpretes: judiciale autem, quod ab adversario. Citantque Paulli responsum, L. ult. ff. de in lit. jur. ubi *jusjurandum* in litem ex necessitate juris deferri dicitur, quod à solo judice deferri certum est, l. videamus §. deferre ff. eod. Sed hoc argumentum non ita magni momenti est, cum & *jusjurandum* ab adversario delatum necessitatem in se contineat. Paull. recept. sent. II. 1. *Si reus*, inquit, *cum jurare velit, actor illi necessitatem jurisjurandi remisit, & hoc liquido appareat, actio in eum non datur.* Hæc enim verba de eo *jurejurando* intelligenda esse, quod ab adversario defertur, indicat Aniani interpretatio, cum l. remittit. ff. hoc tit. Dici fortasse commodiùs poterit *jusjurandum*, quod à judice defertur, ideo necessarium esse appellandum, quia referri non possit, c. ult. de jurejur. Sed hac ratione voluntarium etiam necessarium dicendum esset: nam neque in eo relationi locus est. Proinde *jusjurandum*, quod à judice defertur, judiciale malo appellare. *Trellier. de jurejur. c. 2.*

Juramentum judicum. V. supr. in *Judex*.

Juramentum magistratuum dicimus, quia fas cuiquam non erat, magistratum ultra quinque dies gerere, nisi qui publicè in lege jurasset. Liv. XXXI. 50. *C. Valerius Flaccus, quem præsentem crearant, quia flamen Dialis erat, jurare in leges non poterat: magistratum autem plus quinque dies, nisi qui jurasset in leges, non licebat gerere. Ni jurasset,* ponere eum debebat. Qui etiam *jurarunt* illo posito. docet Cicer. in Pison. c. L. V. illum supr. in *Consul.* Hansen. de jurejur. vet. c. 8.

Juramentum militare, V. infr. in *Sacramentum*.

Juramentum nauticum dici poterit, quia nautæ, ut milites, & exercitus terrester, in verba consulis *jurabant*. Liv. XXII. 11. *Consul Hostiam profectus jussus, navibus, quæ ad urbem Romam, aut Hostiæ essent, completis milite, ac navalibus sociis, persequi hostium classem, ac litora Italiæ tutari. Magna vis hominum conscripta erat. Libertini etiam, quibus liberi essent, & ætas militaris, in verba juraverant.* Scheffer. de Milit. nav. II. 4.

Juramentum patrium vocatur, quod patrio fit more. De illo Plutarchus in Pericle: *Jurejurando se obstringere patrio more.* Et alibi: *Cum patrium jusjurandum jurant.* Hansen. de Jurejur. vet. c. 11. Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1173. D.

Juramentum regium vocatur, quia Rex populo, populus Regi *jurabat*. Ita Athalaricus Rex Gothorum populo Romano jurat apud Cassiod. Var. VIII. 3. *Ecce ad conditionem clementissimam sacramento inclinando nostrum eveximus principatum, ut nihil dubium, nihil formidolosum populi habere possint, quos beatus noster auctor enutrivit. Ecce Trajani vestri clarum seculis reparamus exemplum. Jurat vobis, per quem juratis, nec potest ab illo quisquam falli, quo invocato, non licet impunè mentiri.* Epist. 4. *Sed ut vobis benevolentiæ nostra jam nunc integritas innotescat, jurisjurandi vobis fecimus religione promissis, quod & nostrum possit declarare propositum, & spem debeat munire cunctorum.* Ita populus Romanus jurat Liv. II. 1. *Omnium primum avidum novæ libertatis populum, ne postmodum flecti precibus, aut donis regiis posset, jurejurando adegit, neminem Romæ passuros regnare.* Hansen. de jurejur. c. 7.

Juramentum senatus vocamus, quia sollenne erat senatum *jurare*, ut ait Plutarchus in Solone. Initio anni addit Tacit. Annal. XVI. 22. 1. *Jurat* reliquus senatus excepto Thrasea: *Quin & illa objectabat, principio anni vitare Thraseam sollenne jusjurandum.* Et de senatu, & magistratibus cæteris, ait idem Hist. IV. 41. 1. *Senatus inchoantibus primoribus jusjurandum concepit, quo certatim omnes magistratus, cæteri ut sententiam rogabantur, deos testes advocabant, nihil ope sua factum, quo cujusque salus læderetur, neque se præmium, aut honorem ex calamitate civium cepisse.* Etiam post sententiam dictam jurabat, è Republica esse quod censuisset. Plin. Epist. V. 14. 5. *Quin etiam Dextrum, qui primus diversum censuerat, prolata lege de senatu habendo, jurare coegit è republica esse quod censuisset.* Tacit. Annal. IV. 31. 4. *Siculum amovendum in insulam, tanta contentione animi, ut & jurando obstringeret, è Republica id esse.* Hansen. de jurejur. vet. c. 8. Lips. in Tacit. n. 61.

JURARE *est jusjurandum, vel tanquam jusjurandum mente conceptum proferre affirmativè.* Clem. Alexandr. Strom. VII. p. 729. B. *Hansen. de Jurejur. Vet. c. 23.* Conceptis verbis dicebantur. Plaut. Asin. III. 2. 16.

Ubi verbis conceptis sciens libenter perjuraveris.

Cicer. pro Cluent. c. 48. *P. Africanus cum esset censor, & in equitum censu C. Licinius censor produxisset, clara voce, ut omnes audire possent, dixit scire se illum verbis conceptis pejerasse.* Quod paullò latiùs Petron. c. 93. *Tollit puer oculos suos, conceptissimisque verbis juravit sibi ab Ascylto nullam vim factam.* Cum publicè enim jurandum erat, *præjurationes* qui facerent, adhibebantur. Hoc erat *conceptis* ante *verbis jurare*, post in eadem jurante subjicere: *idem in me*. Festus. V. illum supr. in *Juramentum militare*. Livius, apud quem exercitus Romanus jurat se victorem pugna rediturum II. 45. *Ego istos, Cn. Manli, posse vincere scio; velle ne scirent, ipsi fecerunt. Itaque certum, atque decretum est, non dare signum, nisi victores se redituros ex hac pugna jurent. Consulem Romanum miles semel in acie fefellit, deos*

nun-

five legibus, five motibus fuit contents, quousque Augustus Imperator, cum Rempublicam constitueret, legem Juliam tulit, qua diligentiùs hæc omnia sanxit. Ejus meminit Gell. xiv. 2. *Atque in rerum quidem diffisionibus, comperendinationibus, & aliis quibusdam legitimis in rebus ex ipsa lege Julia, & ex Sabini Massurii, & ex quorundam aliorum jurisperitorum commentariis commoniti, & adminiculati sumus* Sigon. ibid. c. 27. Leges, ex quibus hæc *judicia* facta sunt, fuerunt XII. tabularum, quæ jus omne privatum complexæ sunt: & post illas, quæ XII. tabulas suppleverunt, Furia, Voconia, Atinia, Atilia, Aquilia, & Falcidia: & prætorum edicta, five leges, quas prætores, & ædiles curules initio magistratus proposuerunt: in quibus quo modo de singulis controversiis jus dicturi in suo magistratu essent, cives admonebant. Erat enim eis permissum, ut à legibus scriptis discederent, &, quoniam non omnia comprehendi eis potuerant, eas adjuvarent, aut supplendo, aut corrigendo, si opus est. *Sigon. ibid. c. 6.*

Judicium privatum populi de controversiis, aut ad res, aut ad personas, aut ad obligationes pertinentibus constituebatur, Illorum unicum est exemplum Liv. III. 71. *Victoriam honestam ex hostibus partam turpe domi de finibus sociorum judicium populi deformavit. Aricini, atque Ardeates de ambiguo agro quum sæpè bello certassent, multis invicem cladibus fessi, judicem populum Romanum cepere. Quum ad causam orandam venissent, concilio populi à magistratibus dato, magna contensione actum. Jamque editis testibus, quum tribus vocari, & populum inire suffragium oporteret, consurgit P. Scaptius: &, si licet, inquit, consules de Republica dicere, errare ego populum in hac causa non patiar . . . : Agrum, de quo ambigebatur, finium Coriolanorum fuisse, captisque Coriolis jure belli publicum populi Romani factum; Consules, quum Scaptium, non silentio modo, sed cum assensu etiam audiri animadvertissent, deos, hominesque testantes flagitium ingens fieri, patrum primores arcessunt: cum his circumire tribunos, orare, ne pessimum facinus pejore exemplo admitterent, judices in suam rem litem vertendo. Vocatæ tribus judicaverunt, agrum publicum populi Romani esse. Nec abnuitur ita fuisse, si ad judices alios itum foret.* Sigon. de Judic. III. 1.

Judicium prolusorium non est dictum à collusione, quasi συγκακουργικὸν, sed προαγωνιστικόν: est enim præjudicialis causa, quæ hoc verbo significatur. Proludere est futurum certamen meditari, & exercendarum virium causa, confirmandique animi simulacrum certaminis inire. Virg. Georg. III. 232.

Et tentat sese, atque irasci in cornua discit
Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.

Juven. Sat. v. 26.

Jurgia proludunt.

Augustin. de Civit. Dei II. 4. *Scenicos ipsos domi hæc sua proludendi causa coram matribus suis agere puderet.* Inde proludere est aliquid agere, quod ad justum certamen pertinet: quasique exordium legitimi plenique certaminis auspicari. Certamen autem pro *judicio* ponitur apud Græcos, ut periculum: quod etiam Latini imitantur: ita factum est, ut prolusionis vocabulum ad causas translatum sit. Sic Cicero divinationem suam prolusionem Verrinæ accusationis vocat Divin. c. 14. In ea enim de constituendo accusatore Verris agebatur. Apud Græcos προαγῶνες prælodia pugnæ vocantur, ut excursiones ad prælium lacessendum. Dicebantur etiam orationes, vel altercationes, quæ habebantur apud Thesmothetas. Ulpian. l. 14. ff. de Appellat. Si perlusorio, legendum est *prolusorio judicio actum sit adversus testamentum . . . : Bud. in Pandect. p. 250. D.*

Judicium publicum magistratuum erat decretum, aut sententia, quod de criminibus ad Rempublicam pertinentibus, quæsitore aliquo *judicium* exercente; judices ex tribus ordinum decuriis secundum leges à populo latas, ordinaria judicandi via faciebant. Publicum dictum est, quod cuivis è populo actio permitteretur: Publicorum longè fuit alia ratio quàm privatorum. *Neque enim*, ut inquit Justinianus, *per actiones ordinata sunt, neque omnino simile quidquàm cum privatis judiciis habuerunt, magnaque diversitas eorum fuit & in instituendo, & in intendendo.* Sigon. de Judic. II. 1. Siccam. de Centumv. Judic. I. 5. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. II. Præfat. * * * * * 4. Alia fuerunt capitalia, alia non fuerunt. Quod etiam scripsit Paullus ad edictum Principis his verbis: *Publicorum judiciorum quædam capitalia sunt, quædam non capitalia. Capitalia sunt, ex quibus pœna mors, aut exsilium est, hoc est, aquæ, & ignis interdictio; per has enim pœnas eximitur caput de civitate; nam cætera non exsilia, sed relegationes propriè dicuntur: tunc enim civitas retinetur.. Non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coercitio pœna est.* Sigon. ibid. c. 3. Horman. Antiq. Roman. II. 13. His operam dederunt I. Reges. Dionys. II. p. 87. Romulum Regem delicta maxima cognovisse, minora senatoribus permisisse scribit. Et Liv. I. 49. qui cum Superbum Regem scribit, *ut metum populo incuteret, cognitiones capitalium rerum sine consiliis per se solum exercuisse: perque eam causam, in exsilium agere, bonisque multare potuisse*, non obscurè, quid cæteri superiores Reges servarint, ostendit. II. Consules. De illis ex eo elicere possumus, quod in Regum locum successerunt. Et quod Brutus primus consul de conjuratis ultimum supplicium causa ipsa cognita sumpsit. III. Quæstores à populo constituti, cum jus consulum lege Valeria de provocatione lata est imminutum, & cautum est in posterum, ne consul de capite civis Romani injussu populi quæreret; verùm ii quos populus quæstionibus publicis præfecisset. Quæsitores parricidii sunt appellati: Non multò post Reges exactos sunt instituti. In lege enim XII. tab. eorum mentio fiebat: Pompon. ff. de orig. jur. l. 2. §. 23. *Quoniam de capite civis Romani injussu populi Romani non erat permissum lege consulibus jus dicere, propterea quæstores constituti à populo, qui capitalibus præessent, & appellabantur quæstores parricidii, quorum meminit lex* XII. *tabularum*. Sigon. ibid. c. 4. Augustin. ad Leg. XII. tab. §. 46. Siccam. de Centumv. judic. I. 5. Leges, ex quibus facta sunt, fuerunt Corneliæ, quas L. Cornelius Sylla tulit in dictatura; Pompejæ, quas Cn. Pompejus tulit maximè in tertio consulatu; Juliæ, quarum alias C. Julius Cæsar & dictator, alias C. Cæsar Octavianus Imperator tulerunt. *Sigon. ibid. c. 26. Judicium* publicum populus Romanus jam inde à Romulo Rege usque ad Augustum Imperatorem retinuit: verùm non iisdem semper comitiis; nam curiatis quidem tantùm sub Regibus, centuriatis autem, & tributis Republica dominatu regio liberata. Judicavit de criminibus, & pœnis criminum omnibus, quæ ad se à magistratu essent delata. *Sigon. de Judic.* III. 1.

Judicium recuperatorium vocabatur injuriarum à prætore datum. Cicer. de Invent. II. 20. *Non oportet in recuperatorio judicio ejus maleficii, de quo inter sicarios quæritur, præjudicium fieri.* Sigon. de Judic. I. 22. Nann. Misc. IX. 7. Recuperatores V. infr. in *Recuperatores*.

Judicium rei fuit duplex: unum pro reo, restitutio in integrum appellata. V. infr. in *Restitutio*, alterum contra reum, addictio. V. supr. in *Addictio*. Sigon. de Judic. I. 30.

Judicium secretum, quod tacitum vocabatur, aliquando ex senatus decreto fiebat: quo vel ambitus damnabantur candidati, vel ut ratio eorum in comitiis nulla haberetur; quod largitione, & contra majorum morem petiisse viderentur. Cicer. Attic. IV. 5. *Senatus decrevit, ut tacitum judicium ante comitia fieret ab his consiliis, quæ erant omnibus sortita in singulos candidatos, magnus tremor candidatorum.* Offic. II. 7. *Quamvis demersæ sunt leges alicujus opibus, quamvis tremefacta libertas, emergunt tamen hæc aliquando, aut judiciis tacitis, aut occultis de honore suffragiis.* Pollet. For. Rom. V. 10.

Judicium turpe erat calumniæ, prævaricationis, furti, bonorum vi raptorum, injuriarum, de dolo malo, pro socio, mandati, tutelæ, depositi, & alia quædam à Juliano memorata Dig. III. Hoc damnatis adempta erat *judicandi* potestas. Cicer. Cluent. c. 42. *Quod si illud judicium putaretur, ut cæteri, turpi judicio damnati, in perpetuum*

omnis

omni honore, ut dignitate priventur. Manut. de Leg. c. 15. Zamosc. de Senat. Rom. 1. 5.

JUG.

JUGARIUS vicus, V. illum infr. in *Vicus*.

JUGATINUS deus colebatur, ut ex Varrone scribit Augustin. de Civit. Dei vi. 9. *cum mas & femina conjungebantur*. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iii. p. 356. E. Tomas. de Donar. c. 13. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 56. D. Laurent. de Sponf. c. 1. Struv. Ant. Roman. c. 1. p. 157. Blond. Triumph. Rom. 1. p. 11. E.

JUGATIO est professio certa, quam pro suæ possessionis portione veteres præstabant, & pro numero animalium quibus possessiones exercebant, l. 1. lib. C. 10. tit. 48. In singula *juga*, & capita quaternæ siliquæ definiuntur. C. lib. 12. tit. 4. Huc facit Novell. 17. *Coges publicos exactores, aut exactores in suis acceptilationibus omnibus diserte indicare super quibus eas edunt, hoc est, modum & numerum jugerum, & capitum, seu qua est alia appellatio in iis locis, & pro quibus, & qualibus prædiis ista exigunt. Ζύγα, juga, ζυγοκεφαλὰ, jugatio & capitatio*. Unde apparet, aliud esse *jugationem*, aliud *jugationem* cum capitatione conjunctam, quæ ζυγοκέφαλα dicuntur. *Buleng. de Vectig. c. 12.* Ideo quantitas *jugorum* in tabulas relata. In Ecloga Basilic. *Tabulas significantes quantitatem pecuniarum, & speciarum, & jugorum*. Justinian. Novell. 17. *Dicentes, se non posse quantitatem jugorum exponere*. Buleng. ibid. c. 15.

JUGERUM quomodo ab actu differat, docet Plin. xviii. 3. *Jugerum vocabatur, quod uno jugo boum in die exarari posset: Actus, in quo boves agerentur, cum aratur uno impetu justo. Hic erat cxx. pedum: duplicatusque in longitudinem jugerum faciebat*. Similiter Colum. v. 1. *Clima quoqueversus pedum est lx. actus quadratus undique finitur pedibus cxx. hoc duplicatum facit jugerum, & ab eo, quod erat junctum, nomen jugeri usurpavit*. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Vectig. c. 11. Donat. de Urb. Rom. 1. 25. Nardin. Rom. vet. vii. 2. Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1150. E. Cenal. de Pond. ac mensur. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 1486. E. Brisson. de Form. vi. p. 502. Rycq. de Capitol. c. 12. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. 1. 5. Poitell. de Republ. Athen. c. 1. An sit πλέθρον Græcorum, te docebit *Perizon. in Ælian. Var. hist.* iii. 1.

JUGULATIO est pœna lenissima, quod mors, *jugulo* effracto, statim consequatur. *Laurent. de Rebuspubl. c. 7.*

Jugulatio, sive mactatio victimæ statim consecuta fuit, postquam percussa, cæsa, icta, ac in terram dejecta fuit. Sacerdos non *jugulabat* victimam, sed popa, aut victimarius ad nutum sacerdotis. Popa victimam *jugulante*, alius vase sanguinem excipiebat, quod Attici σφαγεῖον vocant. Collum ejus reflectere solebant trahendo illud retrorsum, ita ut quasi cœlum contueretur. *Clasen. Theol. gent. iii. 5. Bochart. Hieroz. ii. p. 324. Stuck. de Sacrif. p. 175. Feith. Antiq. Homer. 1. 10.*

JUGULI si dextra pars tremuerit, bonum significat, servo tamen cogitationes, virgini procacitatem, viduæ laborem, militi cognationis privationem: sin autem sinistra, maligni quicquam, servo ornamentum, virgini vi tam, viduæ bonam locutionem, ceteris autem non bonum: secundum alios significat insidias: iis vero, qui in angustia sunt, malorum constantiam, servis ægritudinem, virgini convivium, militi lacrymas, mercatori restitutionem, gubernatori navis bonum navigium: sin autem sinistra, liberto jucunditatem, servo ægritudinem, mulieri submersionem, mercatori damnum, gubernatori tristitiam, mulieri injucunditatem: sed secundum alios, viatori damnum, servis tristitias, ceteris omnibus bonum, & convivium. *Niphus de Augur. 1. 9.*

JUGUM *fit tribus hastis, humi fixis duabus, superque eas transversa una deligata*. Liv. iii. 28. Dionys. iii. p. 159. *Mos est Romanis, quoties hostes traditis armis deditionem faciunt, duo tigna recta humi defigere, hisque tertium transversum superimponere, captivosque sub ista tigna transmittere, atque liberos ad sua dimittere. Hoc ipsi jugum vocant*. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iii. p. 337. E. Voss. Lex. Etymol. Ouzel. in Gell. xvii. 21. §. 77. Valtrin. de Re milit. vi. 9. Rosin. Antiq. Roman. x. 21. Schill Nomencl. Philol. p. 630.

Jugum est instrumentum illud, ad quod & temo vehiculi, & funes ceteri, quibus trahitur currus, religantur. Materia ipsius vulgo fuit lignea. Inde Esaj. c. 10. n. 27. *Auferetur jugum de collo tuo, & computrescet jugum à facie olei*. Dicit, *computrescet*, quod non convenit in aliam materiam. Apud Homer. Iliad. Ω. n. 269. in vehiculo Priami est buxeum *jugum*. Ænea tamen apud Apollon. iii. 1283. & ferrea apud Claud. Consul. Prob. & Olybr. n. 81. occurrunt. Forma est eadem in cunctis animalibus, cujuscunque essent generis. Nullius enim differentiæ meminerunt Græci, nec Latini. Deinde, quia, quæ in *jugo* boario memorantur partes, eædem iisdemque cum nominibus occurrunt & in *jugo* equorum, quod liquet ex Pollux. 1. 10. 10. qui *jugum* equorum sic describit, sicut alii *jugum* boum, aliorumve animantium. Habuerunt veterum *juga* ligna non duplicia, & coeuntia in orbem, qualia hodie per Germaniam, & regiones alias sunt in usu, sed simplicia, eaque leviter inflexa circa medium, curvaque. Inde Ovid. de Art. 1.

Prabet & in curvo colla premenda jugo.

Scheffer. de Re vehic. 1. 11.

Jugum textorium, sive liciatorium est lignum illud teres, circa quod licium, sive stamen intendunt textores. Ovid. Met. 1. 55.

Tela jugo juncta est.

Braun. de Vestit. sacerd. Hebr. 1. 16.

Juga vocabantur quoque in navibus transtra remigum. Virg. Æneid. vi. 411.

Inde alias animas, qua per juga longa sedebant,
Deturbat.

Servius Æneid. v. 136. *Et transtra dicuntur, & juga*. & l. 1. *Græcè dixit: ζυγὰ enim dicuntur qua transtra nominamus*. V. illa infr. in *Transtra*.

Jugum coeuntibus matrimonium imponi consueverat. Serv. Æneid. iv. 16. *Vinculo jugali propter jugum, quod in matrimoniis ponebatur conjungendis*. Festus: *Juges ejusdem jugi pares: unde conjuges*. Hinc Horat. Od. ii. 5. 1.

Nondum subacta ferre jugum valet
Cervice.

Plaut. Curc. 1. 1. 50.

Jamne ea fert jugum?

Casal. de Rit. nupt. c. 1. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 16. Abrahm. Annot. Lamp. Crit. 1. p. 885. Lyd. Serm. Conviv. 1. p. 59. Passerat. in Catull. xxiv. 502. Quia utrique, sic matrimonii quoque onera pariter ferenda sunt; hinc factum, ut *juge* vocabulum, & ea quæ a *jugo* veniunt, ad matrimonium, & res matrimoniales passim transferantur. *Torrent. ad Horatium*. Hoc idoneorum, & locupletium auctorum testimonio non probatur, & ideo admittere non possum. Μεταφορικῶς sunt dicta, quæ Plautus & Horatius dixerunt. *Brisson. de rit. nupt. p. 56.*

JUL.

JULIA familia. V. illam supr. in *Familia*.

Julia lex. V. illam infr. in *Lex*.

Julia tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

D. JULIANI castellum ad Olam fluviolum fuisse credit, & pro nostro Olæ castro accipit Frontinus. Verius S. *Juliani* pariemæ, nomenque, sesquimilliario circiter ultra, trans Castrum in Castiglione, Tibur versus, longiusque adhuc à Præenestina remanent. *Fabrett. de Aquæduct. Diss. iii. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1767. A.*

Julianus Imperator iter fecit per Danubium. Illud describit Mamert. Paneg. Julian. p. 165. *Longissimo cursu istrum placuit navigari: proh sancta divinitas! qua navigationis illius fuit pompa, cum dexteriorem inclyti fluminis ripam, utriusque sexus, omnium ordinum, armatorum atque inermium* per-

perpetuus ordo prætexeret: despiceretur ad lævam in miserabiles preces genu nixa barbaria: omnes urbes, quas Danubius incolunt, audita, omnium audita decreta; levati status, instaurataque fortuna: innumerabilibus barbaris data venia, & munus pacis indultum: qui properationem illam contemplabitur, nihil egisse præter viam Imperatorem putabit: qui gestarum rerum multitudinem considerabit, properasse non credet. Bergier. de Viis milit. iv. Sect. 44. §. 6. Lecticam consularem intra palatii secreta introire jussit. Mamert. ibid. p. 68. *Penè intra ipsas Palatina domus valvas lecticas consulares jussit inferri, & cum honori ejus, venerationique cedentes sedile illud dignitatis amplissima recusaremus; suis nos propè manibus impositos mixtus agmini togatorum præire cœpit pedes, gradum moderans penè ad lictoris nutum, & viatoris imperium.* Insidiosa Apostatæ humilitas! *Lipen. de Stren. c. 1. sec. 4t.* §. 24. Gentilismum stabiliturus, templa restituit, sacrificia restituit, aras deorum, dearumque restituit, & quod vi parum proficeret, dolis, & variis prætextibus ad apostasiam Christianos solicitavit. Sic, ut alia omittam, militibus Christianis strenas obtulit, ut iis fidem eriperet; dona dedit, ut à Christo averteret. Idque anno Christi 362. Fl. Mamertino, & Fl. Nevitta coss. ipsis Kalendis Januariis factum est. Hoc fusiùs narrant Paul. Diacon. Hist. Misc. xi. 37. Greg. Nazianz. in Julian. Orat. 1. Theodor. Hist. Eccles. iii. 16. Sozom. v. 16. *Lipen. ibid. sect. 4t.* §. 5. In Persas profectus, Christianorum diis suis post victoriam sanguinem voverat, ubi à quodam simulato perfuga ad deserta perductus, cum fame, & siti magnam partem exercitus perdidisset, occisus est. *Prosper. Chron. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 306. *E.* Quomodo perierit, fusiùs narrat Ammian. xxv. 3.

JULIUS, qui antea dictus est Quintilis, *in honorem Julii Cæsaris dictatoris, legem ferente M. Antonio, nomen sortitus est, quod hoc mense ad* iv. *Idus Julius fuerit procreatus.* Macrob. Sat. 1. 12. Dio xliv. p. 242. E. V. illos infr. in *Lex Antonia.* Festus: *Julium mensem appellarunt, quod eo mense dicitur Julius natus.* Morestell. Philom. ii. Dial. ix. Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. viii. p. 193. F. Junius de Ann. & mens. c. 4. Lalamant. de Anno Roman. Thes. Græv. ibid. p. 278. C. Augustin. de Fam. Rom. in Julia. Panvin. Fast. 1. p. 27. Castellan. de Mensib. & ann. Græc. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. ix. p. 2001. 1. F. Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 347. Muncker. de Intercal. 1. 8. 6. Gyrald. de Ann. & mens. Tom. ii. p. 776. B. Stuck. de Sacrif. p. 26. Habuit & habet unum & triginta dies, nonas septimo die mensis, idus autem decimo quinto. *Viola l. l.*

C. *Julius* Cæsar. V. illum supr. in *Cæsar.*

JULIUS fuit antiquitus cognomen *Juliorum*, cùm antea Ascanii Æneæ filii fuisset, qui *Julus* dictus est. Virg. Æneid. 1. 271.

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Julo.

Ubi hanc rationem dat Servius: *Migrasse postea in Ascanium & Mezentium bella, sed eos singulari certamine dimicasse. Et occiso Mezentio Ascanium Julum cœptum vocari, à prima barba lanugine, quæ ei tempore victoriæ nascebatur.* Sunt enim propriè *juli* teneræ illæ lanugines, quæ in arboribus flores antecedunt; ut in ficu grossuli. Plin. xvi. 29. *Ferunt & avellanæ julos compactili callo ad nihil utiles.* Unde per metaphoram dicuntur *juli* teneræ illæ lanugines, quæ in juvenum genis primùm enascuntur. Hoc cognomen cùm à gente *Julia*, quæ ab illo appellata fuit, intermissum esset, M. Antonius IIIvir iterum in usum revocavit, & in honorem C. *Julii* Cæsaris dictatoris à *Julo* oriundi, alteri filiorum suorum prænomen dedit, *Julumque* Antonium vocavit. *Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* ii. *p.* 2017. *E.*

JUM.

JUMENTUM, cui rumve, si ille, qui in jus vocabatur, imbecilla valetudine esset, qui vocabat, dare cogebatur à lege in hunc modum loquente apud Gell. xx. 1. *Si. in. jus. vocato. morbus. ævitasque. vitium. esset. qui. in. jus. vocabit. jumentum. dato. si. nolet. arceram. ne. sternito.* Quibus Gellius addit: *jumentum quoque non id solum significat, quod nunc dicitur: sed vectabulum etiam, quod à junctis pecoribus trahebatur.* Sigon. de Judic. 1. 18. Augustin. in Leg. xii. tab. §. 36. Rittersh. in Leg. xii. tab. Class. iii. p. 3. c. 3. Cur vocans in jus vocato debuerit dare *jumentum*: neque potuerit cogere vocatum, ut pedibus incederet; ratio fuit: humanitas, & commiseratio; quæ vetat afflicto addi afflictionem. Periculum quippè fuisset, ne talis viribus exhaustus in via ipsa deficeret. *Rittersh. l. l.* Voce præconis, privatis vendentibus, venibat. Apul. Met. viii. p. 254. *Refectis jumentorum corporibus, quo vendibiliores videremur, ad mercatum producimur: magnaque voce præconis pretia singulis nuntiantis, equi, atque alii asini opulentis emptoribus præstinantur.* ix. p. 277. *Altera die productum nos rursum voce præconis venui subjiciunt.* Brisson. de Form. vi. p. 511. Qui *jumenta* vendebat, solebat ita promittere, *esse, bibere, ut oportet.* Ulpian. l. 11. §. Animalium. ff. de action. empt. & vend. *Animalium quoque venditor cavere debet, ea sana præstari: & qui jumenta vendidit, solet ita promittere, esse, bibere, ut oportet.* Varr. de Re rust. ii. 2. *De reliquo antiqua fere formula utuntur: cum emptor dixit, tanti sunt mihi emptæ, & ille respondit, sunt: & expromisit nummos: emptor stipulatur prisca formula sic: illasce oves sanas rectè esse, uti pecus ovillum, quod rectè sanum est, extra luscam, surdam, minam, id est, ventre glabro: neque de pecore morboso esse; habereque rectè licere? hæc sic rectè fieri spondes?* Mag. Misc. iv. 3. Brisson. ibid. p. 497. Fuerunt in castris plura, sed gregariis militibus non nisi ad usum communem: nempè, ut tentoria, ut molas, & si quid tale, ferrent. Digniores sibi quædam habuere, & ad proprium usum. *Lips. de Milit. Rom.* v. *Dial.* xi. Imbecillis erat suum valetudinarium in castris, sui medici. Non enim fabris ferrariis, & indoctissimis quibusque, uti hodie moris, sed medicorum filiis res veterinaria olim demandabatur. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* x. *p.* 1050. C.

JUN.

JUNCTORES erant servi, qui *jungebant* rhedam equis, vel mulis. Alphen. 1. 203. ff. de Verb. signif. *Et sibi videri eos demum usus sui causa patremfamilias habere, qui ad ejus corpus tuendum, atque ipsius cultum præpositi destinatique essent: quo in genere junctores... Jungere* hoc sensu probum verbum. Et inde *junctura* apud Capitol. Ver. c. 5. *Data etiam vehicula cum mulabus, ac mulionibus, cum juncturis argenteis.* Pignor. de Serv. p. 441.

JUNIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

JUNIORES Romæ *invitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei convivio essent interfuturi: ne senioris adventum discubitu præcurrerent; sublataque mensa priores consurgere, & abire paterentur.* Valer. Max. ii. 1. 9. *Bulleng. de Conviv.* 1. 34. Aut lucta, aut cursu, aut saltu, aut pila; ludicrisque id genus exercitiis se exercebant in ephebæis. Hunc morem repræsentat Plaut. Bacch. iii. 3. 24. ubi in persona severi senis indicat pueros primis viginti annis cum pædagogo in palæstram ante solem exorientem venisse solitos:

Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila,
Saliendo se exercebant, magis quam scorto, ac saviis.

Fortiori autem juventa iisdem quidem exercebantur, vel acrioribus etiam plerumque ludis, halteribus, harpasto, & aliquando cæstu. Vel armorum variis generibus, ut in palæstris. Vel in hippodromis cursu equi, vel agitatu. *Baccius de Therm. vet. c.* 7. Illorum nomine, ut ex Dionys. iv. p. 221. patet, omnes eos Servius Tullius comprehendit, qui quadraginta quinque annis minores essent. Et hi tenebantur foris militare. *Patric. Rei milit. Rom. part.* ii. *sect.* 2. V. & infr. in *Seniores.* Hi non tam urbani erant quàm rustici, & ex rusticis non solum, qui agrum Romanum incolebant; sed etiam, qui extra agrum Romanum, vel publicum, vel privatum agrum cives Romani in Latio, atque adeò in Italia possidebant, vel negotii gerendi causa extra Italiam habitabant. Unde Livius de Bell. Pers. dixit:

multis.

multitudinem juniorum ingentem ex foris, & conciliabulis esse conscriptam. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. 1. 14. Ad palum in campo Martio omni genere armorum sese exercebant, & in equos ligneos insiliebant, & ex illis desiliebant. V. supr. in *Campus*, & infr. in *Salicio*.

JUNIUS mensis primum triginta dierum à Romulo, mox viginti novem à Numa, deinde rursus triginta à Cæsare fuit constitutus, & habet nonas quinto mensis die, idus verò decimo tertio. *Viola de vet. & nov. Roman. temp. rat. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* VIII. *p.* 193. *F.* Nuptiis erat aptissimus. V. infr. in *Nuptiæ*.

JUNO fertur educata à Temeno Pelasgi filio, qui in prisca Stymphalo habitavit. Pausan. Arcad. p. 253. *Vandaeng. Hell. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 73. *F.* Ejus nutrices feruntur fuisse Euboea, Prosymna, & Acræa, quas filias habuit Asterion fluvius. Pausan. Corinth. p. 59. *Lil. Gyr. Ant.* II. 2. Jovis soror, & conjunx nuncupatur, ob similitudinem, & conjunctionem, quam aer, qui, cum eo nihil sit mollius, femina dicitur, habet cum æthere. *Voner. de Orac. Antiq. c.* 10. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI. I. *Stuck. de Sacrif. p.* 30. *Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* V. *p.* 738. *E. Struv. Antiq. Rom. c.* 1. *p.* 87. *Rosin. Antiq. Roman.* II. 6. Cui in Samo nupsit. Lactant. 1. 17. *Insulam Samum scribit Varro prius Partheniam nominatam, quod ibi Juno adoleverit, ibique etiam Jovi nupserit*. Augustin. de Civit. Dei VI. 7. *Sacra sunt Junonis, & hæc in ejus dilecta insula Samo celebrantur, ubi nuptui data est Jovi*. Nam *Junonem* in Samo clam fuisse devirginatam ajunt: moremque inde manasse apud Samios, ut clam virgines abducerentur, ac mox in propatulo nuptialia sacra peragerentur, ut scribit Eustath. Iliad. Ξ. *Castellan. de Fest. Græcor. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VII. *p.* 668. *C.* Dea erat cubilis, & illam inter nascentes feminæ præcipuè adesse putabant veteres. Testis est Tibull. IV. 6. 1.

Natalis Juno, sanctos cape thuris acervos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.

Poetæ lucem affert Mart. Capell. II. *Ubi in conspectum numbentis diva pervenit, atque, ut mos virginis erat, luavit aromatibus, divam talibus deprecabatur; Juno pulcra, licèt aliud nomen tibi consortium cœleste tribuerit, & nos à juvando Junonem, unde & Jovem dicimus, nominamus: Juno & Lunam, quod lucem nascentibus tribuas, ac Lucetiam convenit nuncupari*. Plutarch. Quæst. Rom. 76. *In ipsa materia Juno est Lucina: ideoque Junoni nomen est à juvando nascendo: & Junonem vocant Lucinam, quasi Lucinam dicores: putantque eam in partibus auxilium ferre mulieribus, ut & lunam, unde illud:*

Per cæruleum astrorum polum,
Partus celerantemque lunam.

Facillimè enim mulieres sub plenilunium videntur prolem enixi. Tomasf. de Donar. c. 8. Gyrald. Synt. deor. II. p. 118. F. Berthald. de Ara c. 17. §. 5. Hinc Arnob. III. p. 112. *Parturiunt, pariunt, ut difficiles pueperiorum tricas Juno mulceat, corrigatque Lucina?* p. 114. *Puerperiis Juno præposita est, & auxiliatur genetricibus fætis*. Meursf. de Puerp. c. 1. Illique ad impetrandam partus facilitatem vota gravidæ faciebant, Alludit Prop. IV. 1. 95.

Idem ego cum Cinara traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram;
Junoni votum facite impetrabile, dixi,
Illa parit.

Tomasin. ibid. c. 14. Et soboles commendabatur. Vetus monumentum in ara Capitolii in domus Augusti conservationem olim erecta:

JUNONI
CONSERVATRICI
LIBERORUM. DO
MUS. AUGUSTI
D. D.

Et verè *Junoni* honor iste deferebatur. Quæ namque prima conjugum animos invicem conciliaverat, cujus nova mater senserat opem, à prolis cura fuisse alienam, iniquum videbatur. *Tomasf. ibid. c.* 10. Per illam fœminæ jurabant.

Quartilla apud Petron. c. 27. *Junonem meam iratam habeam*, Tibull. IV. 13. 15.

Hæc tibi sancta tuæ Junonis numina juro.

III. 6. 47.

Etsi perque suos fallax juravit ocellos,
Junonemque suam, perque suam Venerem.

Juven. Sat. II. 98.

Et per Junonem domini jurante ministro.

Berthald. de Ara c. 17. §. 5. Scalig. in Catull. p. 188. Politian. Miscell. c. 89. Broukh. in Tibull. III. 6. 47. Propert. II. 4. 17. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 6. Cum aerem significet, ἥρα ὁ ἀήρ, κατ' ἀναγραμματισμόν, pura, & alba hostia ad serenitatem expetendam ei accendebatur. Virg. Æneid. IV. 59.

Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ,
Ipsa tenens dextra pateram pulcerrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Georg. III. 532.

Quæsitas ad sacra boves Junonis.

nempè albedinis exquisitæ. *Argel. in Panvin. de Lud. Circens. t.* 2. Illi omnes menses erant sacri. Per illam enim intelligitur luna, ut tradit etiam Plutarch. Quæst. Rom. 76. Ex lunæ autem motu menses numeramus. *Junonis* Lunæ Reginæ meminit antiquus lapis, quem videre est Veronæ:

JUN. LUN
REG. SACR
P. VITULLIUS
PHILOLOGUS
VI. VIR. AUG
INFERIO

Bohxorn. in Plutarchum. Augustæ, sive Imperatorum uxores vocabantur *Junones*. Liviam *Junonem* vocat Ovid. Pont. III. 1. 117.

Quæ Veneris formam, mores Junonis habendo ....

II. 145.

Cum tibi contigerit vultum Junonis adire.

Et in nummo, quem æreum laudat Falconerius, circa caput Liviæ legitur ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ. Et Octaviam nutrix apud Senec. Octav. 1. 219.

—— tu quoque terris
Altera Juno, soror Augusti.

Cuper. Explic. gemm. August. p. 208. *Junones* etiam priscis temporibus uxores suas mariti appellaverunt, ut Joves hæ maritos suos. Plaut. Cas. II. 3. 14.

Eja, mea Juno, non te esse decet tam tristem tuo Jovi.

Serv. Bucl. VIII. 30. *Varro spargendarum nucum dicit esse rationem, ut Jovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona sit sicut Juno*. Senftleb. de Alea veter. c. 15. §. 5.

Juno Ammonia Græcorum more est dicta, caprinis cornibus in Latio culta, ejusque in nummis gentis Papiæ, Procilia, atque Rosciæ obvia. *Struv. Ant. Roman. c.* 1. *p.* 88. *Rhodig. Ant. Lect.* XVIII. 28. *Gyrald. Synt. deor.* III. *p.* 130. *B.*

Juno Argiva est denominata ab Argis, quo loco ἡραῖα, *& Junonis sacra celebrabantur, in quibus hecatombe, id est, ex centum bobus sacrificium fiebat*. Hujus celebritatis præmium fuit æreum scutum, & ex myrto corona: id quod in commentatus in Pindarum legimus. Ejus signum describitur à Pausan. Corinth. p. 59. *Deæ signum in solio sedet, eximia magnitudine, auro & ebore fabricatum, Polycleti opus, corona capiti imposita: ea Gratias, & Horas egregiè factas habet. Dea manu altera Punicum malum, altera sceptrum tenet*. Quidam putavere Argivam eandem esse cum Pelasga apud Prop. II. 21. 11.

An contempta tibi Junonis templa Pelasgæ.

Πελασγὸν enim, ajunt, Argos tenuit, unde Argivi Pelasgi. Ego tamen secutus Eustathium, Samiam *Junonem* intelligo: nam de ea ag... inquit: *Samus Pelasgia dicta est à Pelasgis quibusdam, e... quibus & Juno Pelasgia dicta*. Gyrald. Synt. deorum III. p. 127. F.

Juno bona, Græcis χρηστή, etiam dicta est. Virg. Æneid. I. 740.

Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno.

Cujus interior doctrina tegitur verbis Pausan. Arcad. p. 266. *Ad ejus viæ lævam Boni dei ædes est. Quod si dii hominibus bonorum auctores sunt, deorum verò supremus est Jupiter, rectè quidem hoc Jovis maximè proprium cognomen conjicere possis.* Rhodig. Ant. Lect. xxviii. 6. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 5. Gyrald. Synt. deor. iii. p. 122. B.

Juno Caprotina à Romanis est culta. Ejus meminit Arnob. iii. p. 118. Dies ejus festus erant Nonæ Juliæ. Originem narrat Macrob. Sat. i. 11. *Nonis Juliis diem festum esse ancillarum tam vulgo notum est, ut nec origo, nec causa celebritatis ignota sit. Junoni enim Caprotinæ die illo liberæ pariter, ancillæque sacrificant sub arbore caprifico, in memoriam benignæ virtutis, quæ in ancillarum animis pro conservatione publicæ dignitatis apparuit. Nam post Urbem captam cum sedatus esset Gallicus motus, respublica verò esset ad tenue deducta, finitimi opportunitatem invadendi Romani nominis aucupati, præfecerant sibi Postumium Livium Fidenatium dictatorem: qui mandatis ad senatum missis postulavit, ut, si vellent reliquias suæ civitatis manere, matresfamiliæ sibi, & virgines dederentur. Cumque patres essent ancipiti deliberatione suspensi: ancilla nomine Tutela, seu Philotis pollicita est se cum cæteris ancillis sub nomine dominarum ad hostes ituram: habituque matrumfamilias, & virginum sumpto, hostibus cum prosequentium lacrymis ad fidem doloris ingesta sunt. Quæ cum à Livio in castris distributæ fuissent, viros plurimo vino provocaverunt, diem festum apud se esse simulantes. Quibus soporatis; ex arbore caprifico, quæ castris erat proxima, signum Romanis dederunt: qui cum repentina incursione superassent, memor beneficii senatus omnes ancillas manu jussit emitti, dotemque eis ex publico fecit; & ornatum, quo tunc erant usæ, gestare concessit; diemque ipsum Nonas Caprotinas nuncupavit, ab illa caprifico, ex qua signum victoriæ ceperant: sacrificiumque statuit annua sollennitate celebrandum: cui lac, quod ex caprifico manat, propter memoriam facti præcedentis adhibetur.* Fabric. Descr. Urb. Roman. c. 10. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 13. Ferrar. de Re Vest. i. i. 25. Gyrald. Synt. deor. iii. p. 124. E. xvii. p. 494. E. Saubert. de Sacrif. c. 11. Struv. Antiq. Roman. c. 1. p. 87. Hospinian. de Orig. Fest. p. 193. Laz. Comm. Reip. Roman. xi. 3. Lautenr. Polym. iv. Synopl. 6. Pier. Hierog. liii. 33. Schill Nomencl. Philol. p. 252. Rosin. Antiq. Roman. ii. 6. Hæc omnia ferè soleus ex Plutarch. p. 145. F. sublegit Macrobius. Sed de *Junone* Ovid. Art. Amand. ii. 57.

Porrigo & ancillæ, quæ pœnas luce pependit
Lusa maritali Gallica veste manus.

Sed Macrobii illa ad Ovidii sententiam nihil faciunt, qui non Latinos, sed Gallos hoc dolo deceptos indicat, cui, ut Romano, major fides habenda. Illi tamen lux petenda ex eodem Plutarch. Parall. p. 313. *At Atepomarus, inquit ille, Gallorum Rex bello Romanos infestans, professus est non ante recessurum, quàm Romani suas uxores Gallis cognoscendas misissent. Romani consilio ancillarum obsequuti, has pro liberis miserunt: & barbari nimio rei Venereæ abusu fatigati in somnum sunt soluti. Retana, ea princeps consilii fuerat, caprifico conscensa in murum evadit, remque consulibus indicat. Ita Romani facta eruptione vicerunt: atque hinc festus ancillarum dies sumpsit initium. Aristides Milesius auctor Italic.* 1. Ovidii sensus: Ancillas ab amatore esse colendas, & quidem nonis caprotinis, peculiari eorum festo, in memoriam ejus diei, quo Gallicus exercitus deceptus veste maritali, id est, stola matronali, Romanis pœnas persolvit. Ejusdem festi meminit Auson. Eclog. c. 17. n. 9.

Festa Caprotinis memorabo celebria nonis,
Quum stola matronis dempta tegit famulas.

Ex quo apparet, ancillas ea die stolam, id est, tunicam purpuream, auro segmentatam, peculiarem matronarum gestasse. Sicut eadem die matronas prætextatas sacrificasse tradit Varr. de Ling. Lat. v. 3. *Ferrar. Elect.* ii. 25. V. illum infr. in *Prætexta*.

Juno Cinxia dicta est, quia conjugalibus fœderibus præesse credebatur, à replicatione cinguli. V. hoc supr. in *Cingulum*. Festus: *Cinxiæ Junonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quod initio conjugii solutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta.* Arnob. iii. p. 115. *Cingulorum replicationi Cinxia superest.* Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. viii. p. 1028. D. de Form. i. p. 49. Gyrald. Synt. deor. iii. p. 121. E. Stuck. Ant. Conv. ii. 29. de Sacrif. p. 46. Struv. Antiq. Rom. c. 1. p. 87. Ferret. Mus. Lapid. 1. memor. 5. Voss. de Idolol. ii. 26. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 16. de Rit. nupt. c. 1. Laurent. de Spons. c. 1. Kipping. Antiq. Roman. i. 1. §. 10.

Juno Curis à Sabinis nuncupata, & deinde à Romanis: nam hastam Sabini curim appellabant. Cato orig. *Quirinalis collis à Junone Sabinorum dea, quam illi Curitim, id est, hastatam Junonem vocant: etenim hastam curim, & curinam proferunt, quia his simul & Hetruscis non est litera Q. sicut Romanis.* Festus: *Curitim Junonem appellabant: quia eandem ferre hastam putabant.* Ovid. Fast. ii. 477. V. illum supr. in *Hasta*. Hinc etiam à prisca institutum legimus, ut nubentium, quod essent in *Junonis* tutela constitutæ, caput comeretur hasta, quam vocabant cœlibatem. *Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* viii. p. 1027. *D. de Form.* 1. p. 49. *Gyrald. Synt. deor.* iii. p. 127. *B. Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Rom.* 86. *Rhodig. Ant. Lect.* xxi. 16. *Cuper. Observ.* ii. 2. *Voss. de Idolol.* ii. 26. V. illam supr. in *Hasta*.

Juno Cypra dicta est à Tyrrhenis. Sil. Ital. viii. 433.

Et queis littoreæ fumant altaria Cypræ.

Tyrrheni huic templum condiderunt, & consecraverunt pone Castellum Piceni emporium, ut scribit Strab. v. p. 166. *Gyrald. Synt. deor.* iii. p. 130. *D.*

Juno Domiduca, & Interduca vocabatur à Romanis, quod ad sponsi ædes sponsas comitabatur, vel earum iter protegeret. Augustin. de Civit. Dei vii. 3. *Hæc tamen Interduca est pueris . . . . Ponatur autem Juno, quia Interduca est, & Domiduca, quasi prosit quicquam iter capere, & domum duci.* Mart. Cap. ii. *Interducam, & Domiducam mortales puellæ debent in nuptias convocare, ut & earum itinera protegas, & in optatas domos ducas.* Gyrald. Synt. deor. iii. p. 121. C. Voss. de Idolol. ii. 26. Stuck. de Sacrif. p. 46. Brisson. de Form. 1. p. 49. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. viii. p. 1031. D. Kipping. Antiq. Roman. i. 1. §. 10. Dempster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. ii. 19.

Juno Februa, Februalis, Februata, & Februla nuncupabatur, quod ipsi eo mense sacra fiebant. V. Festum supr. in *Februarius*. *Ejus feriæ*, ut addit Festus, *erant Lupercalia, quo die mulieres februabantur, à Lupercis amiculo Junonis, id est, pelle caprina.* Mart. Cap. ii. *Februalem at Februam mihi poscere non est necesse, cum nihil contagionis corporeæ sexus intemerata pertulerim.* Gyrald. Synt. deor. iii. p. 124. E. Lomej. de Lustrat. c. 4. Ursin. de Not. Roman. Tiber. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 714. C. Struv. Ant. Rom. 1. p. 87. Brisson. de Form. 1. p. 49. Ferret. Mus. Lapid. 1. memor. 5. Meurs. de Puerp. c. 1. Rosin. Antiq. Roman. ii. 6.

Juno Feronia à plerisque est credita. Serv. *Æneid.* vii. 800. *Circa hunc tractum Campaniæ colebatur Juno virgo, quæ Feronia dicebatur.* V. illam supr. in *Feronia*.

Juno Fluonia appellata fuit, quod fluoribus menstruis adesset: & proinde ei feminæ sacra faciebant. Festus: *Fluoniam Junonem mulieres colebant, quod eam sanguinis fluorem in conceptu retinere putabant.* Augustin. de Civit. Dei viii. 2. *Sed ibi est & dea Mena, quæ menstruis fluoribus præest, quamvis Jovis filia, tamen ignobilis est. Et hanc provinciam fluorum menstruorum in libris selectorum deorum ipsi Junoni idem auctor, Varro, assignat, quæ in diis selectis etiam Regina est: & hinc tanquam Juno Lucina cum eadem Mena privigna sua eidem cruori præsidet.* Gyrald. Synt. deor. iii. p. 129. A. Barthol. de Puerp. c. 1. Tiraquell. in Alex. ii. 25. vi. 26. Stuck. de Sacrif. p. 44. Ferret. Mus. Lapid. 1. memor. 5. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 87. Kipping. Antiq. Roman. i. 1. §. 10. Rosin. Antiq. Roman. ii. 6.

Juno Gabina vocabatur, quod summo cultu à Gabinis coleretur. Virg. Æneid. vii. 682.

——— quique arva Gabinæ
Junonis, gelidumque Anienem, & roscida rivis
Hernica saxa colunt.

Sil.

Sil. Ital. XII. 536.

—— nec amœna retentant
Algida, nec juxta Junonis tecta Gabina.

Gyrald. Synt. deor. III. p. 130. E.

Juno Gamelia etiam colebatur. Plutarch. Conjug. præc. p. 141. E. *Junonis Gameliæ rem sacram facientes cum reliquis sacris fel non consecrant, sed eximentes post aram projiciunt: id scilicet significante legislatore, neque iram bilis, neque iracundia in nuptiis esse oportere.* Euseb. de Præpat. Evang. III. 1. *Eandem in posterum Gamelion appellarunt.* Gyrald. Synt. deor. III. p. 120. B. Taffin. de Lud. secul. c. 12. Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1029. E. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 23. Alex. Gen. dier. VI. 4. Laurent. de Sponsal. c. 2.

Juno Juga vocabatur à conjunctione maris & feminæ. Festus: *Quia ibi fuerat ara Junonis jugæ, quam putabant matrimonia jungere.* Exemplo Græci sermonis, quo vocabatur *ζυγία*. Hoc nomen Græcissans usurpavit Apul. Met. VI. p. 77. *Quam cunctus oriens Zygiam veneratur.* Comprobat hæc Dionysius: *Jupiter & Juno primi juncti sunt & sociati: itaque ille pater omnium dicitur: hæc verò juga, quia jungit marem cum femina.* Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1030. E. Gyrald. Synt. deor. III. p. 119. F. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 3. Taffin. de Lud. secul. c. 12. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 788. D. Struv. Antiq. Roman. c. 1. p. 87. Borremans. Var. Lect. c. 17. Alex. Gen. II. 5. & ad illum Tiraquellus. Kipping. Antiq. Roman. I. 1. §. 10.

Juno Kalendaris vocabatur, quoniam omnes Kalendas illi attributas existimabant veteres. Macrob. Sat. I. 15. *Omnes Kalendas Junoni attributas & Varronis, & pontificalis affirmat auctoritas: quod etiam Laurentes patriis religionibus servant; qui & cognomen deæ ex ceremoniis addiderunt Kalendarem Junonem vocantes.* Ovid. Fast. I. 55.

Vindicat Ausonias Junonis cura Kalendas.

Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 6. Gutherr. de Jur. pontif. I. 23. Gyrald. Synt. deor. III. p. 124. D. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 88. Jun. de Ann. & mens. c. 5. Stuck. de Sacrif. p. 27. Hospin. de Fest. Ethnic. c. 4. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 5. Rosin. Antiq. Roman. II. 6.

Juno Lacinia cognominabatur ab oppido Lacinio in extremis Italiæ partibus. Virg. Æneid. III. 552.

—— attollit se diva Lacinia contra.

In ejus ara sub dio sita cinerem immobilem esse, perflantibus undique procellis, scribit Plin. II. 107. *Struv. Ant. Roman. c. 1. p. 89. Bellor. Numism. Ephes. tab. 3. Gyrald. Synt. deor. III. p. 125. F.* V. plura infr. in *templum Junonis Laciniæ.*

Juno Lucina dicebatur, quod lucem credebatur nascentibus dare. Varr. de Ling. Lat. IV. 10. *Quæ ideo videtur à Latinis Juno Lucina dicta, vel quod est e terra, ut physici dicunt, & lucet: vel quod ab luce ejus, qua quis conceptus, usque ad eam qua partus quis in lucem, una vivat, donec mensibus actis produxit in lucem. Facta igitur à juvando & luce Juno Lucina: à quo parientes eam invocant. Lucina enim nascentium dux, quod menses hujus. Hoc vidisse antiquos apparet, quod mulieres potissimum supercilia sua attribuerunt ei deæ. Hic enim maximè debuit collocari Juno Lucina, ubi à diis lux datur oculis.* Cicer. de Nat. deor. II. 27. *Luna est Lucina. Itaque, ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nostros Junonem Lucinam in pariendo invocant.* Gyrald. Synt. deor. III. p. 119. B. Nardin. Roman. Vet. V. 14. Bellor. Descr. sepulc. Nason. tab. VIII. Voss. de Idolol. II. 26. Struv. Ant. Roman. c. 1. p. 87. Borremans. Var. Lect. c. 17. Brisson. de Form. I. p. 49. Potter. Archæol. Græc. IV. 14. Laurent. de Sponsal. c. 1. Meurs. de Puerper. c. 1. Fasold. de Fest. Græcor. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VII. p. 566. B. Feith Antiq. Homer. I. 2. Kipping. Antiq. Roman. I. 1. §. 10. Rosin. Antiq. Roman. II. 6. Fingebatur, si antiquis numismatibus credendum, hoc modo, ut est in Faustinæ Aug. Pii. In cujus tergo matronæ stolatæ imago stans cernitur, quæ dextera pateram, sinistra hastam tenet, his literis adscriptis, JUNONI LUCINÆ. *Gyrald. l. l.*

Juno Magna cognominabatur. Macrob. Sat. III. 4. observat ex Cassio Hemina, *Samothracas deos eosdem esse Romanorum penates, & proprie dici θεοὺς μεγάλους.* Secundum hanc doctrinam ait loquutum Virg. Æneid. III. 437. cum cecinit:

Junonis magnæ primum prece numen adora.

Etiam τὴν μεγάλην nominasse videtur Ovid. Fast. II. 435.

Monte sub Esquilio multis incæduus annis
Junonis magnæ nomine lucus erat.

Gyrald. Synt. deor. III. p. 121. G.

Juno Matrona etiam dicta videtur. Ita enim Serv. Æneid. VIII. 84. *Quæsitum est, quæ sit Juno maxima. Nam, ut diximus, variæ sunt ejus potestates, ut Curitis, Lucina, Matrona, Regina.* Taffin. de Lud. secul. c. 12. Eratque, quæ heram in rebus domi gerendis regeret. Kipping. Antiq. Roman. I. 1. §. 10.

Juno Mephitis quoque dicta fuisse videtur. Ita enim Serv. Æneid. VII. 84. *Alii Mephitin Junonem volunt, quam aerem esse constat. Novimus autem putorem (mephitis propriè est terræ putor) non nisi ex corruptione aeris nasci, sicut etiam bonum odorem de aere incorrupto; ut sit Mephitis dea odoris gravissimi, id est, grave olentis.* Borrich. Ant. Urb. fac. c. 7. §. 4.

Juno Moneta à Romanis est cognominata: nam cum, non multò antè captam Urbem à Gallis, *terræ motus factus est, ferunt vocem extitisse à Junonis templo, quod erat in arce, ut de sue plena fieret procuratio: quocirca,* ut jam dictis addit Cicer. de Divin. I. 45. *Junonem illam appellatam Monetam.* Gyrald. Synt. deor. III. p. 123. B. Marlian. Topogr. Urb. Roman. II. 5. Rycq. de Capitol. c. 41. Crinit. de Honest. Discipl. XXI. 4. Kipping. Antiq. Roman. I. 1. §. 10. Rosin. Antiq. Roman. II. 6. Ortel. Deor. & dear. cap. 1. fig. 19. Aliam hujus cognominationis causam in v. Moneta refert Suidas. Ait enim: *Cum Romani pecunia indigerent in bello contra Pyrrhum & Tarentinos, Junonem orasse: quæ illos monuit, si justitiæ armis uterentur, pecuniam eis non defuturam: quod cum Romanis rectè contigisset, Monetam Junonem veneratos esse: ejus rei signum fuisse, quod numisma, id est, moneta inscripta in ejus templo asservabatur.* Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 332. E. Pigh. Annal. Roman. I. p. 451. Gyrald. & Ortel. l. l. *Junonem* Monetam Cariſiæ gentis nummus capite feminino, crinibus circumplexis, ac monili circa collum repræsentat. *Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 88. Gyrald. l. l.*

Juno Natalis dicta fuit, quod natali die colebatur. Sic dicitur à Tibullo laudato supr. in *Juno*. Gyrald. Synt. deor. III. p. 119. E. Stuck. Ant. Conviv. I. 16. Taffin. de Ann. secul. c. 13. Laurent. de Natalit. c. 1.

Juno nuptialis dicta est a nuptiis. Plutarch. *Ἀιτ.* quæst. II. vocatur Ἥρα τελεία, *Juno nuptiarum præses.* Pollux III. 3. §. 4. scribit, & matrimonium vocari τέλος, & τέλειοι, qui matrimonium ineunt: quin & ipsa conjunctionis actio ἱερὰ τέλεια, ab *Junone* præside nuptiarum, quam in primis virgines ante nuptias sacrificiis placabant. Suidas: *Juno* τελεία, *& Jupiter* τέλειος *colebantur in nuptiis, tanquam præsides nuptiarum.* Τέλος *enim significat nuptias. Propterea* προτέλεια *dicuntur sacrificia, quæ fiunt ante nuptias:* Brisson. de Rit. nupt. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1029. B. Gyrald. Synt. deor. III. p. 120. D. Laurent. de Sponsal. c. 2.

Juno Opigena *à matronis colebatur, quod ferre eam opem in partu laborantibus credebant.* Festus. *Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 87. Gyrald. Synt. deor. III. p. 119. E. Rosin. Antiq. Roman. II. 6.*

Juno Pelasga. V. illam supr. in *Juno Argiva.*

Juno Populonia cognominabatur, quam populus, seu plebs precabatur, ut innuit Martian. II. *In Papiriano jure etiam relatum est, aram vicem præstare posse mensam dicatam: ut in templo Junonis Populoniæ augusta mensa est,* ut scribit Macrob. Sat. III. 11. Quidam Populoniam vocant, quod ex nuptiis populi procreentur. *Gyrald. Synt. deor. III. p. 121. F. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 87. Rosin. Antiq. Roman. II. 6.*

Juno Regina à Latinis est cognominata, quod soror, & conjux Jovis, deorum, atque hominum Regis. Cicer. pro Dom. c. 57. *Te, Juno Regina, precor, ac quaso....* Liv. v. 21. *Te, Juno Regina, qua nunc Vejos colis, precor....* Illam Camillus dictator Vejis transvexit in Aventinum. Liv. c. 22. *Quum jam humana opes egesta à Vejis essent, amoliri tum deum dona, ipsosque deos, sed colentium magis, quàm rapientium modo cœpere; namque delecti ex omni exercitu juvenes, purè lotis corporibus, candida veste, quibus deportanda Romam Regina Juno assignata erat, venerabundi templum iniere, primo religiosè admoventes manus: quod id signum more Etrusco nisi certa gentis sacerdos attrectare non esset solitus. Deinde quum quidam, seu spiritu divino tactus, seu juvenili joco, visne Romam ire Juno? annuisse cæteri deam conclamaverunt: inde fabula adjectum est, vocem quoque dicentis, velle, auditam; motam certè sede sua parvi molimenti adminiculis sequentis modo accepimus levem, ac facilem translatu fuisse: integramque in Aventinum æternam sedem suam, quo vota Romani dictatoris vocaverant, perlatam, ubi templum ei postea idem, qui voverat, Camillus dedicavit.* Sacrum deæ peractum refert his verbis Liv. xxvii. 37. *Ab æde Apollinis boves feminæ albæ dua porta Carmentali in Urbem ducta: post eas duo signa cupressea Junonis Regina portabantur: tum septem & viginti virgines longam indutæ vestem, carmen in Junonem Reginam canentes ibant, illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens & inconditum, si referatur. Virginum ordinem sequebantur decemviri, coronati laurea, prætextatique. A porta jugario vico in forum venere, in foro pompa constitit; & per manus reste data, virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt: inde vico Tusco, Velabroque, per Boarium forum, in clivum Publicium, atque ædem Junonis Reginæ perrectum: ibi duæ hostiæ ab decemviris immolatæ, & simulacra cupressea in ædem illata.* Gyrald. Synt. deor. iii. p. 122. B. Tassin. de Lud. secul. c. 12. Broukh. in Prop. iv. 5. 63. Brisson. de Form. 1. p. 49. Faunus Antiq. Urb. Roman. iii. 1. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 451. Ortel. Deor. & dear. cap. 1. 17. Kipping. Antiq. Rom. 1. 1. §. 10. Rosin. Antiq. Rom. ii. 6.

Juno Samia nuncupata est à Samo insula notissima. Virg. Æneid. 1. 19.

Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo.

Pausan. Achaic. p. 209. *Dicunt Samii, natam in Samo Junonem ad flumen Imbrasum, sub vitice, quæ hac ipsa ætate in Junonis sacro solo ostenditur.* Gyrald. Synt. deor. iii. p. 127. C.

Juno Sororia, ut dicitur Festo in *Sororium tigillum*, sive sororum inspectrix, ut Herodot. iii. p. 159. propè Carinas fuit, ad clivum Suburanum, qui nunc ducit ad ædem S. Petri in vinculis. Habuit nomen à Sororio tigillo, quod cum Jano Curiatio dicavit Horatius, unus ex trigeminis victor contra Curiatios. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 10. Gyrald. Synt. deor. iii. p. 121. C. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 89. Rosin. Antiq. Rom. ii. 6.*

Juno Sospita Lanuvii in primis colebatur, & quidem *majoribus hostiis*, ut scribit Liv. xxxi. 1. Ejus simulacrum fingebatur *cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis*, ut scribit Cicer. de Nat. deor. 1. 29. Festus: *Sispitem Junonem, quam vulgo Sospitam appellant, antiqui usurpabant, cum ea vox ex Græco videatur sumpta, quod est σώζειν.* Ejus meminerunt Liv. xxiii. 31. *Signa Lanuvii ab Junonis Sospitæ cruore manavere.* Sil. Ital. xiii. 364.

Lanuvio generate, inquit, quem Sospita Juno
Dat nobis Milo.

Gyrald. Synt. deor. iii. p. 123. F. Broukh. in Prop. iv. 8. 16. Rosin. Antiq. Roman. ii. 6. Ortel. Deor. & dear. cap. 1. fig. 18. Cuper. Obs. ii. 2. Ejus sacra à Numa Pompilio Rege primum Romæ instituta ritu Aboriginum antiquissimo, quo Lanuvii superstitiosissimè colebatur. *Pigh. Annal. Roman. ii. p. 48. & 152.* Sub initium regiminis consules illi sacrificabant. Cicer. pro Mur. c. 41. *Nolite à sacris patriis Junonis Sospitæ, cui omnes consules facere necesse est, domesticum, & suum consulem potissimum avellere.* Lipen. Hist. de Stren. c. 1. art. 1. §. 22. Gyrald. l. l. *Sispitam*, non *Sospitam* esse dicendam docent *Spanhem. de Præst. Num. ii. p. 83. Cellarius in Siliim. Struv. Antiq. Roman. c. 1. p. 88. Ortel. l. l.*

Juno Unxia accepit nomen, quod vetus Romanorum mos fuit, ut novæ nuptæ mariti domum intrantes postes ungerent. V. infr. in *Nupta*. Sagittar. de Jan. vet. c. 30. §. 19. Gyrald. Synt. deor. iii. p. 121. D. Stuck. Ant. Conviv. ii. 30. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 7.

JUP.

JUPITER pingebatur specie virili, trioculatis, sine auribus, sinistra sceptro, dextra fulmine armata, pedibus gigantes, quos domuit, calcans, aquila adstante, quæ ei sacra, & quæ juvenem Ganymedem forma insignem futurum pocillatorem ex Ida subvexit. *Ortel. Deor. & dear. cap. 1. fig. 1.* Sedens supernè nudus, inferoè tectus fingitur, ut docet Porphyr. apud Euseb. de Præp. Evang. iii. 3. Sedet, ut immotam potestatis suæ constantiam, & stabilitatem significet; partes corporis superiores nudas habet, quod ipse intelligentibus, ac cœlestibus mundi partibus se conspicuum exhibeat: inferiores verò tectas, quod deus humi repentibus sit ignotus, & in infimis rebus, penitusque reconditis, absconditus oblitescat: sceptrum læva tenet potestatis indicium, vel etiam quod in eo latere cor cæterarum humani corporis facilè princeps, vimque intelligendi maximam complexum intestinum velut in proprio domicilio conquiescat: adest aquila, qua indicatur, eum spiritibus aereis imperare, ut aquila volucribus. *La Chausse de Insign. Pont. max. tab.* xxiii. Dicebatur tum *Κρονίδης*, sive Saturnius, tum Ætheris filius: ut legere est apud Clementem Alexandrinum Admonitione ad gentes, quia pro diversa considerandi ratione unum idemque numen, nunc Saturnus, nunc Cœlus videtur. *Voss. de Idolol. ii. 37. Allat. in Philon. Byzant. de mund. mirac. Ant. Græc. Gronov. Tom.* viii. *p.* 2660. *D.* Natus fertur in Creta. Lucian. de Sacrif. Edit. Amstel. Tom. 1. p. 367. *Cretenses Jovem affirmant apud se & natum, & educatum fuisse.* Lambec. in Kalend. Vet. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. viii. p. 107. A. à Corybantibus nutritus. Scol. Sophocl. in Ajac. *In Creta à Corybantibus nutritus fuit Jupiter.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. ii. 2. Barba profunda illi tribuitur. Cicer. Nat. deor. 1. 30. *Isto namque modo dicere licebit Jovem semper barbatum, Apollinem semper imberbem.* Arnob. vi. p. 209. *Ricinatus Jupiter, atque barbatus.* Prudent. Περὶ στεφ. x. 272.

Barbam rigentem dum Jovis circumplicat.

V. tamen infr. in *Jupiter Anxurus*. Ruben. Differt. de Gemm. Tiber. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 1336. A. Salmas. Exerc. Plin. p. 721. D. Fuit mas & femina. V. infr. in *Sive deo....* Fuit supremus, & maximus deorum, quod tum ex omnibus veterum scriptis, atque monumentis, tum ex versibus Orphicis adductis ab Apul. de Mund. p. 753. quàm maximè patet. *Struv. Antiq. Rom. c. 1. §. 83. Vaillant. Numism. ii. p. 26.* Consiliarii, quibus in maximis rebus agendis utebatur, erant dii consentes. Qui quinam fuerint, V. supr. in *Dii Consentes*. Martian. Cap. 1. 15. *Tunc etiam ut inter alios ipsius collega Jovis, qui bisseni cum eodem Tonante numerantur.* Augustin. de Civ. Dei iv. *Cum his consultabat Jupiter, si tonare vellet aliquando.* Ex tunc *consiliaria fulmina* dicebantur. *Argol. in Panvin. de Lud. secul.* ii. 2. V. supr. in *Fulmen*. Habebatur præcipuè inter deos communes, sive publicos. Unde & deorum, hominumque pater est appellatus. Quo facit illud Themist. ad Valent. de Pace: *Homerus*, inquit, *quoties Jovem nominat, non Græcorum tantum, Barbaris exclusis, patrem, sed planius, divum, hominumque parentem vocat.* Boxhorn. Quæst. Rom. 1. In celebritate Olympica secundo loco sacrificia illi fiebant. Pausan. Eliac. p. 313. *Sacra primum faciunt Vestæ, deinde Jovi Olympio.* Spanhem. de Vest. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 665. B. Villarum procuratores pro illarum incolumitate vota faciebant. Hoc indicat marmor in agro Brixiensi:

JOVI.

JOVI. OPT. MAX.
CONSERVATORI. POS
SESSIONUM. ROSCIOR
UM. PAUCUULIANI. N. COS
ET. BASSÆ. FILIORUMQUE
EORUM. EX. VOTO. L
ROSCIUS. EUBULUS. NUTRIT
ET. PROCURAT. CUM. ROSCIO
FIRMO. LIB. PROC. EOR

Tomas. de Donar. c. 26. Atro die non nominabatur. Macrob. Sat. I. 16. *Fabius Maximus Servilianus pontifex* XII. *negat oportere atro die parentare: quia tunc quoque Janum Jovemque præfari necesse est, quos nominari atro die non oportet.* Guther. de Jur. man. II. 12.

Jupiter Ægiuchus, Græcè αἰγίοχος Ζεὺς, ὁ αἰγίοχος. Lactant. I. 21. *Ipsius Cretici Jovis sacra, quid aliud, quam quomodo sit, aut subtractus patri, aut nutritus, ostendunt? Capella est Amalthea nympha, quæ uberibus suis aluit infantem.* Germanicus Cæsar in Aratæo carmine:

—— illa putatur
Nutrix esse Jovis; si verè Jupiter infans
Ubera Cretea mulsit fidissima capra,
Sidere quæ claro gratum testatur alumnum.

Hujus capellæ corio usum esse pro scuto Jovem, contra Titanas dimicantem, Musæus auctor est: unde à Poetis αἰγίοχος nominatur. Gyrald. Synt. deor. II. p. 90. F. Choul. Relig. vet. Rom. p. 45.

Jupiter Ammon à Romanis, & Græcis in primis ab arena deducitur: ἄμμος quippè arena vocatur. Plin. XII. 23. *Ergo Æthiopia subjecta Africa, ammoniaci lacrymam stillat in arenis suis, unde etiam nomine Ammonis oraculo, juxta quod gignitur arbor.* Cum afflatu scribit Festus: *Hammo cognominatus, quia in arena aput atur inventus, quæ Græcè hoc nomine ἄμμος appellatur: cui cornua affiguntur arietis, à genere pecoris, inter quod inventus est.* Ægyptii, qui certiora videntur dicere, affirmant, *Amon* Jovis esse nomen. Plutarch. de Isid. & Osir. p. 354. C. *Porrò complerique existiment peculiare apud Ægyptios nomen esse Amun, quod nos producto vocabulo Ammonem dicimus.* Arati interpres, sive Bassus, sive Cæsar Germanicus, & Hygin. Astron. Poet. II. 20. scribunt, quod aries, qui aquam Libero patri monstravit, cum exercitum siti deficientem per Africam duceret, immortalitati redditus, & in numero signorum cœlestium collocatus fuerit. Et quod ob benefactum illud Liber illi magnificum templum exstruxerit illo loco, in quo aqua reperta fuit, novem dierum itinere ab Alexandria distante, arenoso, & serpentium pleno. *Gyrald. Synt. deor* II. *p.* 106. *F. Choul. de Relig. vet. Roman. p.* 45. *Ouzel. in Minuc. Felic. p.* 195. *Vaillant Numism.* II. *p.* 114. *Voss. de Idolol.* I. 27: II. II. *Fuller. Miscell. Theol.* II. 4. *Peucer. de Divin. p.* 226. *Turneb. Adv.* XIV. 18. *Rhodig. Ant. Lect.* XVIII. 37. *Borremans. Var. Lect. c.* 19.

Jupiter Anxurus cognominatus est in Italia, in tractu Campaniæ, habitu pueri imberbis. Hujus est mentio apud Virg. Æneid. VII. 799.

Circumque jugum, queis Jupiter Anxurus arvis
Præsidet.

Ubi Servius: *Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Jupiter, qui Anxurus dicebatur, quasi ἄνευ ξυροῦ, id est, sine novacula, quia barbam nondum rasisset.* In lapide vetusto legitur: FORTUNÆ. PRIMIGENIÆ. JOVI. PUERO. EX. TESTAMENTO. *Jupiter nondum barbatus* dicitur Juven. Sat. VI. 15. Et in nummo gentis Vibiæ apud Fulvium Ursinum cernitur juvenis radiatus, ut videtur, in sella sedens, & hastam tenens, cum inscriptione: JOVIS. AXUR. C. VIBIUS. *Cuper. Harpocr. p.* 84. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 108. *A. Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* V. *p.* 7-8. *A. Choul. Relig. Roman. p.* 54. *Ouzel. in Minuc. Felic. p.* 195. *Landus Explic. in Numism. Rom. Misc. Ital. Misc. Tom.* I. *p.* 432. *Ruben. de Gemm. Tiber. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 336. *B. Nonn. in Cæsar. August. Numism. p.* 94. *Ortel. Deor. & dear. cap.* I. 4.

Jupiter Ἀπομυῖος, id est, muscarius, fugabat, & pel-

lebat muscas. Ferunt, cum Hercules in Olympia rem divinam faceret, & multitudine muscarum infestaretur, *Jovi* Apomyio sacrificasse: qua re illico ultra Alpheum fluvium muscæ omnes facto agmine evolarunt. Et *Elei Myiagrum deum invocabant, muscarum multitudine pestilentiam adferente: quæ protinus interibant, quà litabatur illi deo.* Plin. X. 28. Pausan. Eliac. I. p. 161. *Proditum est Herculem Alcmenæ filium, Jovis perricientem, cum muscas abigere non posset, vel quod ei tunc primum in mentem venerit, vel quod tralatitium fuerit, Abactori muscarum hostiam mactasse: cum perlitatum esset, omnes repentè muscas trans Alpheum evolasse. Inde servatum ab Eleis, ut ad abigendas ex Olympia muscas idem sacrum usurparetur.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 94. G. Selden. de Diis Syr. II. 6. Voss. de Idolol. IV. 99. Lomej. de Lustrat. c. 12. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 2.

Jupiter Arbitrator cognominatur, ex æquitate omnia statuens, & pensitans. *Jovis Arbitratoris pentapylon* in reg. X. quæ Palatina, statuit Victor. *Pancirell. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 364. *A. Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 88. *F. Rhodig. Ant. Lect.* XXI. I. *Brisson. de Form.* I. *p.* 49. *Rosin. Antiq. Roman.* II. 5.

Jupiter Capitolinus Romæ in Capitolio summa veneratione est cultus, & summo honore habitus. Plin. Paneg. c. 94. n. I. *In fine orationis præsides, custodesque imperii deos, ego consul pro rebus humanis, ac te præcipuè Capitoline Jupiter precor.* Inscriptio vetus:

JOVI. CAPIT
MARTI. ET. FORTUNÆ
ALIISQ. DIS. CONSERVAT
DOMUS. AUG.....

Huic proprium erat cognomen *optimi maximi*. V. infr. in *Jupiter optimus*. Ouzel. in Minuc. p. 198. Gyrald. Synt. deor. II. p. 80. C. Tomas. de Donar. c. II. Rycq. de Capitol. c. 20. Rosin. Antiq. Roman. II. 5. Ornamenta ejus erant I. Fulmen aureum. Minuc. Fel. p. 198. *Jupiter cum Capitolinus dicitur, tunc gerit fulmina.* Liv. XXXII. I. *Cn. Flaminio, & Cn. Servilio coss. decemvirorum monitu decretum fuit, fulmen Jovi aureum quinquaginta pondo fieret.* II. Barba aurea. Suetonius de Cajo Jovem imitaturo c. 52. n. 2. *Aurea barba fulmen tenens.* Petron. Fragm. Tragur. p. 29 *Licet Jovem Olympum clamet .... aut ego me non novi, aut non deridebis, licèt barbam auream habeas.* III. Sceptrum aureum, vel eboreum. Augustin. de Civit. Dei IV. 9. *Ipsum enim,* Jovem, *deorum omnium, dearumque Regem esse volunt. Hoc ejus indicat sceptrum, hoc in alto colle Capitolium.* Ovid. Fast. V. 45.

Assidet inde Jovi, Jovis est fidissima custos,
Et præstat sine vi sceptra tremenda Jovi.

Rycq. de Capitol. c. 19. *Vacca simul, & taurus auratis cornibus Jovi Capitolino immolabatur.* Serv. Æneid. IX. 627. Tacit. Hist. IV. 53. 4. *Tum Helvidius Priscus prætor, lustrata suovetaurilibus area, Jovem precatus.* Guther. de Vet. jur. pontif. III. 13. Ex qua materia factus fuerit, V. infr. in *Jupiter fictilis*.

Jupiter Carvilianus est dictus, *quem in Capitolio fecit Sp. Carvilius, victis Samnitibus sacrata lege pugnantibus, è pectoralibus eorum, ocreisque & galeis. Amplitudo tanta est, ut conspiciatur a Jove Latiario,* malo legere *Latiari. Reliquiis limæ suam statuam fecit, quæ est ante pedes simulacri ejus.* Plin. XXXIV. 7. In hoc miror allucinatum fuisse Fabr. Sem. III. 4. eundem cum summo Capitolino existimantem, quem Vitelliani milites, incenso ejus templo, oppugnant apud Philostr. Apollon. V. cum ille non æneus, vel marmoreus, sed eburneus, vel aureus verosimiliter fuerit. Adhæc Capitolinus intra cellam suam positus, ab astantibus, aut propè accedentibus, conspici tantùm potuit. Templi enim alæ, sive latera omnem eminus aspectum auferebant. Cum tamen Carvilianum signum Plinius ab amphitheatro commodè conspectum (si vulgatam lectionem sequimur, quam sequendam non puto) vel (uti nos correximus) è monte Albano videri potuisse annotaverit. *Rycq. de Capitol. c.* 25.

Jupiter Conservator est cognominatus in numismatibus. In Domitiani priore facie ipsius effigies, in posteriore Jovis imago stans, dextera duas sagittas, vel potius duo ful-

mina, sinistra hastam habet erectam. Inscriptio : JOVI CONSERVATORI. In altero quoque ejusdem C. Val. Diocletiani, à tergo cujus idem erat Jupiter, dextra Victoriolam porrigens, sinistra verò hastam erectam habet. Inscriptio : JOVI CONSERVATORI ORBIS. *Gyrald. Synt. deor. II. p. 109. C. Choul. de Relig. Rom. p. 46. Rycq. de Capitol. c. 20. Brisson. de Formul. I. p. 49. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.*

Jupiter Corniger appellatur. Ovid. Art. III. 789.

Sed neque Phœbei tripodes, nec corniger Ammon.

Claud. Honor. consul. IV. 142.

—— *tibi corniger Ammon,*

Et ita conspicitur in nummo argenteo Cyrenæorum vetusto, adducto à Villiomaro in loc. contr. Tit. VIII. 24. In cujus altera parte *Jupiter* Ammon cornibus arietinis visitur. Cornutus fingitur, vel quia cornua ingentem vim solis denotant. Macrob. Sat. I. 21. *Ideò & Ammonem, quem deum solem occidentem Libyes existimant, arietinis cornibus fingunt, quibus maximè id animal valet, sicut radiis sol.* vel quia significant potentiam Chamii, & regni ejus, quod postea obtinuerunt: vel quia *satis ejus sunt involuta responsa*. Nempè ex gentium opinione, licèt certa quidem, & infallibilia essent oracula Ammonis: nihilominùs verbis flexis, tortisque, instar arietinorum dei cornuum, constabant. Unde Lucan. Pharsal. IX. 514.

—— *sed tortis cornibus Ammon,*

Sil. Ital. Punic. IX. 298.

Ac patrius flexis per tempora cornibus Ammon.

Ouzel. in Minuc. Felic. p. 197. Berthald. de Ara c. 6. §. 2.

Jupiter Crescens vocatus in nummo Valeriani, in quo exprimi curavit capram, quæ *Jovem* puerum dorso veheret, cum tali inscriptione: JOVI CRESCENTI. *Cuper. Harpocr. p. 85. Choul de Relig. Roman. c. 46.*

Jupiter Custos appellatus est, & in primis cultus à Romanis. Apul. de Mund. p. 752. *Multi vocant Urbis custodem.* Senec. Nat. Quæst. II. 45. *Eundem, quem nos Jovem, intelligunt custodem, rectoremque universi.* In numismatibus quibusdam Neronis sedet in solio, dextra fulmen habet, læva hastam, cum hac inscriptione, JUPITER CUSTOS. *Gyrald. Synt. deor. II. p. 80. A. Choul de Relig. Rom. p. 53. Landus in Numism. Misc. Explic. Miscell. Ital. Tom. I. p. 418. Rycq. de Capitol. c. 39. Brisson. de Form. I. p. 49. Spanhem. in Callim. Hymn. in Jovem n. 81. Burman. Jov. Fulg. c. 2.*

Jupiter Dapalis est dictus, quia dape, non victima placatetur. Dapes propriè sunt cibi, seu epulæ sacræ, quæ divis offerebantur instar sacrificii. Cato de Re rust. c. 133. *Dapem hoc modo fieri oportet. Jovi Dapali culignam vini, quantum vis, polluceto. Eo die feria bubus, & bubulcis, & qui dapem facient. Quum pollucere oportebit, sic facies. Jupiter Dapalis, quod tibi fieri oportet in domo familia mea culignam vini dapi . . . Jupiter dapalis macte istace dape.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 89. C. Barth. Adv. XXXVI. 4. Turneb. Adv. XXIX. 31. Brisson. de Form. I. p. 49. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter Dictæus in Dictæi montis antro, qui est Cretæ, habitasse fertur & educatus. Serv. Æneid. III. 171. *Dictæus mons Cretæ est, dictus à Dicte nympha, quæ ibi colebatur, in quo monte dicitur alitus Jupiter, ut Georg. IV. 152.*

Dictæo cœli Regem pavere sub antro.

Gyrald. Synt. deor. II. p. 90. A. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 160.

Jupiter Diespiter diei pater. Varr. de Ling. Lat. IV. 10. *Diespiter dictus, id est, diei pater.* Macrob. Sat. I. 15. *Cretenses Jovem δία τῆς ἡμέρας vocant: ipsi quoque Romani Diespitrem appellant, ut diei patrem.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 86. F. Turneb. Adv. XXV. 1. Rosin. Antiq. Rom. II. 5.

Jupiter Dolichenus Romanis dicitur Græcanico more. Vetus lapis apud Smetium sic est inscriptus: JOVI O. M. DOLICHENO. *Jupiter* videtur id nominis adeptus παρὰ τὸ δόλιχον, quod interpretantur veteres Grammatici τὸ ἱπποδρόμον, quod potissimùm erat quatuor stadiorum. Unde à longitudine ipsa decursionis δόλιχον appellatum. Δολιχὰ namque sunt iis τὰ μακρὰ, τὰ πολλά. Ideò δολιχὸς πλόος apud Homerum, & in florilegio, δολιχοὶ κάματοι, δολιχαὶ ἐλπίδες . . . Hinc Dolichenus *Jupiter*, vel quia sollennis illi thensarum pompa quotannis è Capitolio in circum duceretur; vel quod Latinarum feriis quadrigæ certarent in Capitolio, *Rycq. de Capitol. c. 20. Salmas. in Spartian. Adrian. c. 2. Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. III. p. 80.*

Jupiter Elicius est dictus ab eliciendo. Ovid. Fast. III. 327.

Eliciunt cœlo te Jupiter, unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.

Plin. II. 53. *Elicium quoque Jovem accepimus.* Ridenda ex Antiat. Hist. II. legitur fabula, quo pacto artem *Jovis* eliciendi Numa edoctus fuerit. Illam lectione dignam fusiùs prodidit Arnob. V. p. 154. *Gyrald. Synt. deor. II. p. 87. E. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 14. Barth. Adv. IV. 12. Buleng. de Terr. mot. V. 14. Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 599. C. Lomej. de Lustrat. c. 10. Struv. Ant. Roman. c. 1. p. 84. c. 4. p. 231. Burman. Jov. Fulg. c. 9. Faunus Antiq. Urb. Rom. III. 2. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.*

Jupiter Fagutalis, V. illum supr. in *Fagutal.*

Jupiter Feretrius à Romanis est appellatus, & cultus. Unde fuerit dictus, incertum fuisse ostendit Prop. IV. II. 45

Nunc spolia in templo tria condita, causa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ante ducem.
Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Jovis,

Festus dictum scribit à *ferendo, quod pacem ferre putaretur, ex cujus templo sumebant sceptrum, per quod jurarent, & lapidem silicem, quo fœdus ferirent.* Scaliger optimè monuit dictum à feretro pompæ triumphalis. Val. Flacc. III. 143.

Has preter exuvias, & opima cadavera nostro
Linquite, ait, feretro,

Gyrald. Synt. deor. II. p. 82. D. Rycq. de Capitol. c. 39. Herald. in Minuc. Felic. p. 199. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 84. Marlian. Topogr. Urb. Roman. II. 2. Donat. de Urb. Rom. II. 10. Nicol. de Triumph. c. 5. §. 3. & 4. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter fictilis in Capitolio stetit. Plin. XXXV. 12. *Turrianus à Fregellis accitus, cui locasset Tarquinius Priscus effigiem Jovis in Capitolio dedicandam. Fictilis is fuit: atque ideò miniari solitus.* Huc allusit Juven. Sat. XI. 115.

Hanc rebus Latiis curam præstare solebat
Fictilis, & nullo violatus Jupiter auro.

Dictus igitur in populo fictilis *Jupiter*, quemadmodum Hercules etiam Romæ materiarius, quia è materia, sive ligno ab eodem artifice olim compositus. Plin. l. l. *Ab hoc eodem factum Herculem, qui hodieque materiæ nomen in Urbe retinet.* Rycq. de Capitol. c. 18. Tomas. de Donar. c. 2. Donat. de Urb. Rom. I. 25. Nardin. Rom. Vet. VI. 15. Eburneum tamen fuisse Capitolinum postea duplici suspicione permoveor ut credam, I. quod fictilia, & lignea deorum simulacra eburneis mutata affirmat Plin. l. l. II. ex loco isto Arnob. VI. p. 201. quo Olympium & Capitolinum *Joves* comparat mordaci, & satyrica quadam ratione: *O utinam*, inquit, *liceret in simulacri alicujus medias introire pendigines! imo, utinam liceret Olympiacos illos, & Capitolinos Joves deducere in sua membra resolutos! omnesque illas partes, quibus summa concluditur corporum, discretas, & singulas contueri!* Optat utrumque videre *in sua membra resolutum*, hoc est, in eburneas laminulas, quibus summa corporum compaginata est, videre comminutum. Trajanus è solido auro *Jovem* in Capitolio videtur posuisse. Eruere id videor ex Mart. XI. 5. 3.

Scriptus, fortè *sculptus & æterno nunc primum Jupiter auro,*

Rycq. l. l. V. etiam inst. in *Statua Jovis.*

Jupiter Fidius. V. illum supr. in *Dius Fidius.*

Jupiter Fulgur videtur appellari apud Festum: *Provorsum fulgur appellatur, quod ignoratur, noctu an interdiu sit factum. Itaque Jovi Fulguri, & Summano fit, quod diurna Jovis, nocturna Summani fulgura habentur.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 81. D.

Jupiter Fulgurator à quibusdam ex nostris dictus est,

ut

ut Græcum vocabulum *ἀστραπαῖος* exprimerent, & *ἀστραπαῖος*, quo & Poetæ, & Lucianus usus est in Timone. Est etiam vocatus *συστραπτικὸς Ζεὺς*, quasi *συναγείρων τὰς ἀστραπὰς*, hoc est, *fulgura, & coruscationes congregans*, ut exponit Hesychius. *Gyrald. Synt. deor.* 11. *p.* 81. *E. Crinit. de Honest. Discipl.* II. 5.

Jupiter Fulminans, aut Fulminator dictus est à Latinis, à fulminibus videlicet, quæ Capitolinus gestare manu solitus. Plin. II. 7. *Alii in ipso Capitolio fallunt, & fulminantem pejerant Jovem*. Apul. de Mund. p. 752. *Idem fulminator, fulgurator, & tonitrualis, ac serenator dicitur*. In volumine Smetiano antiquorum inscriptionum ara Tudertina est, cum Titulo: ARA JOVIS FULGURATORIS. *Rycq. de Capitol. c.* 20. *Gyrald. Synt. deor.* 11. *p.* 81. *B. Vaillant Nomism.* 11. *p.* 15. *Boleng. de Terræmot. & fulm. c.* 6. *Crinit. de Honest. Discipl.* VIII. 12. Non semper fulmine fuit armatus, sed sumpsit primò, postquam gigantes regnum cœleste affectarunt. Ovid. Fast. III. 437.

Jupiter est juvenis, juveniles aspice vultus;
Aspice deinde manum: fulmina nulla tenet.
Fulmina post ausos cœlum affectare gigantes
Sumpta Jovi, primo tempore inermis erat.

Cuper. Harpocr. p. 99.

Jupiter Gamelius, sive nuptialis nuptiarum, & matrimonii curam habere putabatur. Hujus meminit & Chrysippus, & Hieron. in Jovinianum: *Ridiculè*, inquit, *Chrysippus ducendam uxorem sapienti præcipit, ne Jovem Gamelium, & Genethlium violet: isto enim modo apud Latinos ducenda uxor erit, qui Jovem non habent nuptialem.* Gyrald. Synt. deor. 11. p. 105. A. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 23.

Jupiter Herceus est cognominatus, quòd aræ ejus intus in septo ædium, præsertim optimatum, erigerentur. *Περίβολον* enim, id est, circuitum, & septum *ἕρκος* vocant Græci. Harpocrat. *Si tribules es, & ara Jovis Hercei, & Apollinis patrii sunt. Jupiter Herceus, cui ara intra conseptum, seu aulam domus cujusque structa erant. Περίβολον quippe ἕρκος vocabant.* De Herceo Jove Ovid. in Ibin n. 284.

Cui nihil Hercei profuit ara Jovis.

Lucan. IX. 979.

Herceas monstrator, ait, non respicis aras.

Gyrald. Synt. deor. II. p. 96. B. Turneb. Adv. XIV. 15: XVII. 6. Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 4. Rhodig. Ant. Lect. XXI. 1.

Jupiter Hospitalis fuerit hospitii præses, & vindex, & in cujus tutela hospites esse credebantur. Sine dubio Græcorum auctoritate. Ait enim Homer. Odyss. ξ.

Ab enim Jove sunt omnes hospites.

Cicer. Fratr. II. 11. *Non faciam, ut illum offendam, ne imploret fidem Jovis hospitalis.* pro Dejot. c. 6. *Si te palam interemisset, Jovis quidem illius hospitalis numen nunquam celare potuisset.* Eadem mente Virg. Æneid. I. 735.

Jupiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur,
Hunc lætum Tyriisque diem, Trojaque profectis
Esse velis.

Huc pertinet Lycaonis fabula, qui cum hospitio susceptos hospites necaret, à suscepto *Jove*, postquam et epulas humanas apposuisset, versus in lupum, exemplo suo ostendit hospitii jura non esse violanda. Ideoque hospes vocatur *Jupiter*, ejusque ara fuit venerationi apud Ovid. Met. V. 224.

Ante fores horum stabat Jovis hospitis ara.

Tomas. de Tesser. hospital. c. 6. Brisson. de Form. 1. p. 48. Barth. Adv. XXXIII. 2. Bud. in Pandect. p. 254. A. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 20. Demster. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 5. Bourdelot. in Heliodor. II. p. 48.

Jupiter Idæus est cognominatus vel ab Ida Phrygiæ, vel ab Ida Cretæ monte, ubi *Jovis* incunabula, & sepulcrum. Matt. 12. 35. 1.

Jupiter Idæi risit mendacia busti.

Callim. Hymn. in Jovem. n. 6.

Jupiter, Idæis genitum te in montibus ajunt.

Ubi, ut notant Scholia, de monte Cretæ sermo est. *Gyrald. Synt. deor.* 11. *p.* 90. *D.*

Jupiter Imperator apud Prænestinos celebrabatur, cujus simulacrum apud ipsos cum esset, Romam translatum fuit, in Octava Urbis regione collocatum, ut Victor testis est. Liv. VI. 29. *T. Quintius semel acie victor, binis castris hostium, novem oppidis vi captis, Præneste in deditionem accepto, Romam revertit: triumphansque signum Præneste devectum Jovis Imperatoris in Capitolium tulit. Dedicatum est inter cellam Jovis ac Minervæ* . . . . Cicer. Verr. IV. 58. *Jovem Imperatorem quanto honore in suo templo fuisse arbitramini? colligere potestis.* Gyrald. Synt. deor. 11. p. 79. E. Brisson. de Form. 1. p. 49. Struv. Antiq. Rom. c. 1. p. 84.

Jupiter Inventor cognominatus & cultus est à Romanis, cujus ara dicitur fuisse prope portam Trigeminam, ab Hercule instituta, inventis bobus. Dionys. 1. p. 31. *In proximo Jovi Inventori aram Hercules posuit, quæ Romæ est prope portam Trigeminam, & ob inventas boves deo juvencum unum mactavit. Hæc sacra etiam mea ætate Romani ritu more Græco faciunt, quemadmodum ab illo sunt instituta.* Gyrald. Synt. deor. 11. p. 88. F. Brisson. de Form. 1. p. 49. Rosin. Ant. Rom. II. 5.

Jupiter invictus. V. illum infr. in *Templum*.

Jupiter Καταιβάτης, id est, descensor est cognominatus. Pausan. Eliac. 1. p. 162. *At Jovi Katabatæ quæ dicata ara est, maceria undequaque ambitur, & modico à maxima ara cinerum intervallo distat.* Sunt qui sic ideo appellatum tradunt, vel propter fulmina, vel quod è cœlo sæpè descendisse putaretur ad amores potiendos. *Gyrald. Synt. deor.* 11. *p.* 110. *E.* & integro volumine *Petrus Burmannus*.

Jupiter Lapis dictus est, ut nonnulli existimant, ab ipso lapide *Jove* vocato, qui Saturno oblatus fuit ab Ope: nam & Euseb. Chron. ait: *in Creta regnavit Lapis*. Inde *Jovem lapidem jurare* est sanctissimum apud Romanos jusjurandum. Cicer. Fam. VII. 12. *Quomodo autem tibi placebit Jovem lapidem jurare, cum scias, Jovem iratum esse nemini posse?* Gell. 1. 21. *Jovem lapidem, quod sanctissimum jusjurandum est habitum, paratus sum ego jurare.* Apul. de Deo Socrat. p. 673. *Nam & jusjurandum Jovis jurandum dicitur, ut ait Ennius. Quid igitur censes? jurabo per Jovem lapidem, Romano vetustissimo ritu?* Ritum describit Polybius. V. illum supr. in *Fœdus*. Gyrald. Synt. deor. II. p. 84. F. Hansen. de Jurejur. Vet. c. 21. Stuck. de Sacrif. p. 139. Rhodig. Antiq. Lect. XXI. 15. Struv. Ant. Roman. c. 7. p. 317. Rycq. de Capitol. c. 19. Pius Annot. prior. c. 10. Turneb. Adv. XXX. 16. Pollet. For. Roman. IV. 14. Sigon. de Judic. I. 28. Caroli Antiq. Roman. 1. 7. Putean. de Jurejur. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 855. E. Cujac. Observ. 1. 21. Ræward. Varr. V. 5. Rosin. Antiq. Roman. II. 5. Laurent. de Rebuspubl. c. 4. Putat nonnemo, veteres *Jovem lapidem* appellasse, quod olim ejus fuerit *lapideum* simulacrum: atque ita *Jovem* velut testem juramenti manu sua veneratos esse. *Thysius in Gellium.*

Jupiter Latialis dictus fuit, quia in Albano monte, qui etiam Latialis appellabatur, cultus est. Huic curæ erant feriæ Latinæ. V. illas supr. in *Feria*. Ideo suspicabar *Latiali Jove* legendum esse apud Plinium laudatum supr. in *Jupiter Carvilianus*, qui inter portentosæ horrendæque magnitudinis simulacra *Jovem* illum nominat, ut scilicet è monte Albano, in quo hujus ædes celebrata est, videri potuerit, cum non fuerit res adeo magna, aut annotatione digna, ab amphitheatro Flavio, quod est in capite viæ sacræ, & in quo sacellum Latiarii, sanguinarii hujus *Jovis*, colossum Capitolinum, turri parem, conspicuum fuisse. *Rycq. de Capitol. c.* 25. *Rosin. Antiq. Roman.* II. 5. V. tamen *Nardin. Rom. Vet.* IV. 6.

Jupiter Latiaris, sive Latiarius dicitur Festo in Oscillum: *Latinus Rex prælio, quod ei fuit adversus Mezentium Caritum Regem, nusquam apparuit, & judicatus fuit Jupiter Latiaris.* Huic curæ erant ludi gladiatorii. Prudent. adv. Symm. 1. 396.

Funditur humanus Latiari in munere sanguis,

Con-

Confessusque ille spectantum solvit ad aram
Plutonis fera vota sui.

Plutonem enim quidam hunc esse existimarunt, quamvis Latinum. Regem Festus. Et inde humano sanguine colebatur. Minuc. Fel. p. 198. *Jupiter vester, cum Latiaris dicitur, cruore perfunditur.* Cujus? hominis ad bestias damnati. Eo enim spectant verba Tertull. Apolog. c. 9. *Ecce in illa urbe religiosissima Æneadarum est Jupiter quidam, quem ludis suis humano proluunt sanguine, sed bestiarii, inquitis. Hoc opinor minus quàm hominis. An hoc turpius, quod mali hominis? Certè tamen de homicidio funditur.* Rycq. de Capitol. c. 25. Gyrald. Synt. deor. II. p. 83. B. Ouzel. in Minucium. Struv. Ant. Roman. c. 10. p. 459. Buleng. de Venat. circi c. 7. Tomas. de Donar. c. 40. Pigh. Annal. Roman. I. p. 52.

Jupiter Lucetius. De illo Serv. Æneid. IX. 570. *Lucetius*, inquit, *lingua Osca Jupiter dictus à luce, quam præstare hominibus dicitur: ipse enim est nostra lingua Diespiter.* Gell. V. 12. *Lucetius dictus Jupiter, quod nos die & luce, quasi vita ipsa afficeret, & juvaret.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 87. A. Turneb. Adv. XXV. 1. Gutberl. de Salus p. 140. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter Majus à Tusculanis est cultus. Macrob. Sat. I. 12. *Apud Tusculanos quoque vocatur deus Majus, qui est Jupiter.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 88. F. Stuck. de Sacrif. p. 26.

Jupiter Miniatus est dictus Cicer. Fam. II. 16. *Volo videre animum, qui mihi audeat ista, quæ scribens, apponere, aut etiam polypum Miniani Jovis similem.* Obtinebat enim mos, ut *Jupiter* fictilis miniaretur. Patet hoc ex Plinio laudato supr. in *Jupiter fictilis.* Apud illum enim ex veteri lectione Aldina lego: *atque ideo miniari solitus.* Nec minùs clara sunt, quæ idem affert ex Verrio XXXIII. 7. *Enumerat auctores Verrius, quibus credere sit necesse, Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, triumphantumque corpora: sic Camillum triumphasse. Hac religione etiam nunc addi in unguenta cœnæ triumphalis, & à censoribus inprimis Jovem miniandum locari.* Rycq. de Capitol. c. 18. Borremans. Var. Lect. c. 4. Hansen. de Jurejur. vet. c. 21. Brod. Misch. III. 13. Guter. de Jur. man. I. 4. Balduin. de Calc. antiq. c. 14.

Jupiter Olympius, ut Stephanus scribit, celebrabatur in Olympia, quæ prius dicebatur Pisa: unde & Pisæus dicebatur. Fuerunt, qui à monte dictum putaverunt. Diodor. IV. p. 144. C. eum cognominatum prodit ab Olympo præfecto, qui *Jovem* erudivit. Hinc & Latini Olympum aliquando pro *Jove* ceperunt. Virg. Æneid. IX. 1.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

Et Nævius, à quo desumpsit Virgilius:

Panditur interea domus altitonantis Olympi.

Gyrald. Synt. deor. II. p. 93. A. Rhodig. Ant. Lect. XX. 13. In conviviis primum poculum, seu primus crater *Jovi* Olympio, & deis Olympiis, ut Pollux VI. 2. scribit, libabatur. *Bulenz. de Conviv.* III. 15. *Gyrald. l.l.*

Jupiter Opitulus, & Opitulator est *dictus, quasi opis lator.* Festus. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 89. *B. Brisson. de Form.* I. *p.* 49.

Jupiter Optimus Maximus est cognominatus, quod velit, & possit omnibus prodesse; & optimus quidem, antequam maximus: quia majus est certè, gratiusque prodesse, quàm magnas opes habere. Cicer. Dom. c. 57. *Quocirca te Capitoline, quem propter beneficia populus Romanus Optimum, propter vim Maximum nominavit.* Fin. III. 20. *Jovem cum Optimum, & Maximum dicimus, hoc intelligi volumus, salutem hominum in ejus esse tutela.* Lactant. I. 10. *Quod omnium horum pater Jupiter, qui in sollenni precatione Optimus Maximus nominatur.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 79. B. Rycq. de Capitol. c. 20. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 199. Vaillant de Numism. I. p. 156. Marlian. Topogr. Urb. Roman. II. 4. Caroli Antiq. Roman. I. 1. Pitisc. in Svet. Jul. c. 39. n. 2.

Jupiter Paganicus dictus est, quia fortè paganicis feriis venerandus. Vetustum marmor Assisii, quod oppidum est in Umbria: JOVI. PAGANICO. SACRUM. EX. INDULGENTIA. DOMINORUM. SUCCESSUS. PUBLICUS. MUNICIPUM. ASISINATIUM. SER. AMOENIANUS. ÆDEM. CUM. PORTICIBUS. A. SOLO. SUA. PEC. FECIT. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 117. *D. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 785. *B. Brisson. de Form.* I. *p.* 48.

Jupiter in primis *Pater* est dictus, ob eam, quam erga omnia creata & condita benevolentiam, ac omnium rerum providentiam habere existimabatur, ut ait Diodor. V. p. 234. C. Varr. de Ling. Lat. IV. 10. *Jupiter mortales, atque arbores, herbasque omnes juvat. Eundemque appellans dicit Ennius: Divumque hominumque pater rex. Pater verò, quod patefaciat omnia, & ipsum semen.* Val. Soranus apud August. de Civit. Dei VII. 9.

Jupiter omnipotens rerum, regumque, deumque
Progenitor, genitrixque deum, deus unus, & omnes.

Etiam à Græcis vocatus est *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, γενέτωρ, πατρῷος.* Sed & ideo Pappum, & Pappæum appellatum legimus. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 78. *C.*

Jupiter Pistor est à Romanis cultus. Lactant. I. 20. *Quo tempore* Galli Capitolium obsidebant. *Jovi Pistori ara posita fuit, quod Romanos deus in quiete monuisset, ut ex omni frumento quod haberent, panem facerent, & in hostium castra jactarent; eoque facto, soluta est obsidio, desperantibus Gallis, inopia subigi posse Romanos.* De *Jove* Pistore sunt versus Ovid. Fast. VI. 349.

Nomine quam pretio celebratior arce Tonantis
Discant Pistoris quid velit ara Jovis.

III. 393.

Posse fame vinci spes excidit, hoste repulso,
Candida Pistori ponitur ara Jovi.

Gyrald. Synt. deor. II. p. 84. D. Struv. Antiq. Rom. c. 1. p. 84. Brisson. de Form. I. p. 49. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter Pluvius etiam à Romanis cultus est. Tibull. I. 8. 26.

Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

Ausonius:

Annua sulcatæ conjecta & semina terræ
Pascit hyems; pluvio de Jove cuncta madent.

Græci quoque Ὄμβριον, & Ὑέτιον venerati sunt. *In Hymetto monte Attica Pluvii Jovis ara fuit.* Pausan. Attic. p. 31. *Gyrald. Synt. deor.* II. *p.* 87. *C. Lambec. in Kalend. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 112. *D. Rhodig. Ant. Lect.* XXVII. 6. *Pius Annot. post. c.* 117. *Brod. Misc.* II. 23. *Barth. Adv.* XLI. 21. *in Papin. Theb.* IV. 758. *Kipping. Ant. Rom.* I. 1. §. 22. *Auctar. in Pappum p.* 108. *Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* V. *p.* 756. *D. Parrhas. Præfat. de Rapt. Proserp.* II. 43. *Bronkh. in Tibullum. Gatak. in M. Anton.* V. §. 7. Athenienses, ut quondam Romani, nimia siccitate & pluvia agris, campisque laborantibus, ambarvalia faciebant, & circum arva, camposque supplicationes obibant, *Jovem* invocantes, quem ob id Hyetium, hoc est, pluvium nuncupabant, circumeundo exerta voce clamitantes: plue, plue ô Jupiter in aridos Atheniensium agros: ut videlicet aridam eorum regionem madefaceret. Formulam hanc prodidit M. Antonin. de Reb. gest. V. §. 7. *Loens. Miscell.* II. 10.

Jupiter Pompejanus in campo minore colossus *Jovis* fuit, a Claudio Imperatore ad theatrum Pompeji erectus. Plin. XXXIV. 7. *Talis in campo Martio Jupiter à Claudio Cæsare dicatus, qui vocatur Pompejanus a vicinitate theatri.* Ejus etiam Rufus & Victor meminerunt. *Nardin. Roman. vet.* VI. 8. *Rosin. Antiq. Rom.* II. 5.

Jupiter prædator est cognominatus, quod ei è præda aliquid deberetur. Serv. Æneid. III. 223. *Romanis moris fuit, ut bella gesturi de parte prædæ aliquid numinibus pollicerentur: adeo ut Romæ fuerit unum templum Jovis prædatoris, non quod prædæ præest, sed quod ei aliquid ex præda debeatur.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 88. G. Brisson. de Form. I. p. 49. Toll. in Appian. Punic. p. 41. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter prodigialis fuit dictus, quia portentis averruncandis

candis

cendis mola falsa illi facerent. Plaut. Amph. II. 2. 107.

Sed mulier, postquam experrecta es, prodigiali Jovi
Aut mola salsa hodie, aut thure comprecatam oportuit.

Buleng. de Omin. c. 1. Turneb. Adv. VII. 15. Gyrald. Synt. deor. II. p. 88. B. Gruter. in Plautum.

Jupiter propugnator dicitur in lapide antiquo, in quo mentio ÆDIS JOVIS PROPUGNATORIS. Idem restituendum haud dubiè in fragmento inscriptionis, quæ exstat Vesonæ Petrocoriorum; JOVI PR... PAC. Et ita pro *propagator* malim legere apud Apul. de Mund. p. 753. *Boxhorn. Quæst. Rom. t. Brisson. de Form. 1. p. 49. Choul. Relig. vet. Rom. p. 52. Rosin. Ant. Rom. II. 5.*

Jupiter redux dictus est, quia qui re bene gesta ex bello redierunt, arma ei dedicabant. Laodamia Protesilao ita scribit apud Ovid. Heroid. XIII. 49.

Di, precor, à nobis omen removete sinistrum:
Et sua det reduci vir meus arma Jovi.

Tomaf. de Donat. c. 21.

Jupiter Romanus dictus est à Roma urbium principe, & Romana arce, quemadmodum ab aliis Italiæ civitatibus Hercules Tiburtinus, Juno Vejentana, Fortuna Antias & Prænestina, Pallas Surrentina, Apollo Cumanus. Liv. VIII. 6. *Cum & coss. crebro deos implorantes, testes fœderum, & patrum indignationem, & numina Jovis Romani spernaeres Annius.* Rycq. de Capitol. c. 10.

Jupiter Sabazius, sive Sabatius occurrit in inscriptionibus. Romæ in horto D. Petri Montorii:

JOVI. OPTIMO. MAXIMO
SABATIO
C. CÆTRONIUS. OCCI
US. VALERIANUS. MIL
SEMPLAR. ARMATURÆ
V. S. L. M.

Et in antiquis scriptoribus. Val. Max. 1. 3. §. 2. *Idem, qui Sabazii Jovis cultu simulato mores Romanos inficere conati sunt, domos suas repetere coegit.* Fulmic. de Error. prof. relig. *Sabazium colentes Jovem, anguem, cum initiantur, per sinum ducunt.* Frequentissimum fuit cognomen Bacchi, teste Hesychio. Et fortè à Baccho ad *Jovem* translatum, eo quod *Jupiter* Bacchi parens censeretur. Diodor. III. p. 148. C. V. illum supr. in *Bacchus*. Irrepsit vox illa ex Sabœ, bacchantium Thraciæ barbaro clamore. V. supr. in *Bacchus. Spon. Misc. Erud. Ant. sect. 3. p. 78. Rubeni. Dissert. de numm. Asia recepta, Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. XI. p. 1374. B. Lampè de Cymbal. vet. III. 10. Gyrald. Synt. deor. VIII. p. 277. G. Voss. de Idolol. II. 14. Reines. Inscr. Class. I. n. 256. Camerar. Thor. IV. 6. Jun. Anim. IV. 1. Demster. Paralipom. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.* Ego apud Prob. de Not. antiq. pro *Jovi Sabatio* lego *Jovi Stratio*, qui tanquam Imperator exercitus, vel militaris apud veteres colebatur. *Ernst. ad Probum c. 9. & Ursat. de Not. Rom. Thes. Grav. ibid. p. 785. F.*

Jupiter Stator dictus est à stando, quod ipse stet, erectus nimirum ad opem ferendam, ut vult Hieronymus: vel quod stare fecerit Romuli exercitum ad fugam inclinatum. Liv. 1. 12. Dionys. II. p. 114. V. illos infr. in *Templum Jovis Statoris*, vel quod ejus beneficio omnia stent. Senec. de Benef. IV. 7. *Jovem statorem rectè dices: qui non (ut historici tradiderunt) ex eo quod post votum susceptum acies Romanorum fugientium stetit, sed quod stant ejus beneficio omnia, stator, stabilitorque est.* In nummis Antonini Pii & Gordiani a tergo imago stans nuda, & dextra hasta nixa, sinistra fulmen tenet cum hac inscriptione: JOVI STATORI. *Pancirolli, Desc. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. III. p. 339. A. Tomas. de Donar. c. 3. Gyrald. Synt. deor. II. p. 83. G. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 84. Choul. Relig. vet. Roman. p. 52. Hospin. de Orig. Fest. p. 187. Brisson. de Form. 1. p. 48. Rosin. Ant. Roman. II. 5.*

Jupiter Tarpejus etiam dictus fuit Capitolinus, quia ante *Tarpejus fuit dictus à virgine Vestali Tarpeja, quæ ibi à Sabinis necata armis & sepulta*, ut Varr. de Ling. Lat. IV. 7. Hinc Prop. IV. 1. 7.

Tarpejusque pater nuda de rupe tonabat;

Ovid. Fast. VI. 34.

Junctaque Tarpejo sunt mea templa Jovi.

Gyrald. Syn. deor. II. p. 80. F.

Jupiter Tonans ab auguribus primùm appellabatur, & fulgens. Cicer. de Nat. deor. II. 25. *Hunc etiam augures nostri: cum dicunt, Jove fulgente, tonante: dicunt enim, cælo fulgente, tonante.* Tonantem *Jovem* Augustus Cæsar post Cantabricum bellum in Capitolium constituit: unde & Capitolinus Tonans aliquando vocatus est, qui tamen alius est à Capitolino. Distinguit certè Svet. Aug. c. 91. n. 4. *Cum dedicatam in Capitolio ædem Tonanti Jovi assiduè frequentaret, somniavit queri Capitolinum Jovem cultores sibi abduci: seque respondisse, Tonantem pro janitore ei appositum.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 81. F. Rosin. Ant. Roman. II. 5.

Jupiter Tragœdus fuit dictus. Romæ vicus tragœdus fuit, quod in eo tragœdi, sive histriones habitarent. In illo *Jupiter* dedicatus stetit. Svet. Aug. c. 57. n. 4. *Ex qua summa pretiosissima deorum simulacra mercatus, vicatim dedicabat, ut Jovem Tragœdum.* Commentat. in Svetonium.

Jupiter Victor est cognominatus, quod omnia vincere putaretur. Liv. X. 42. *Papirius in ipso discrimine, quo templa diis immortalibus vovere mos erat, voverat Jovi victori, si legiones hostium fudisset, pocillum mulsi, priusquam temetum biberet, sese facturum.* Romani illi diem festum celebrarunt Idibus Aprilis. Ovid. Fast. IV. 621. V. illum infr. in *Templum*. Græci etiam Nicæum vocavere, nescio an à Victoria, id est, *νίκης* dictum: an à loco. Meminit ejus Liv. XLIII. 21. *Alio Rex Perses profectus, altero die ad templum Jovis, quem Nicæum vocant, posuit castra.* Gyrald. Synt. deor. II. p. 79. C. Brisson. de Form. 1. p. 48. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter vimineus. Ejus aræ erant, ubi vimina multa nata essent. Varr. de Ling. Lat. IV. 8. *Collis viminalis à Jove vimineo, quod ibi aræ sunt ejus, aut quod ibi vimineta fuerunt.* Festus. V. illum infr. in *Porta*. Gyrald. Synt. deor. II. p. 88. C. Brisson. de Form. 1. p. 48. Dacer. in Festum. Rosin. Antiq. Roman. II. 5.

Jupiter ultor sceleratorum impia facta ulciscebatur. Plin. XXXVI. 15. *Pantheon Jovi ultori ab Agrippa factum.* Exhibet hunc Gordiani nummus argenteus cum inscriptione: JOVI ULTORI. *Gyrald. Synt. deor. II. p. 89. E. Choul. Relig. vet. Rom. p. 52. Rosin. Antiq. Rom. II. 5.*

JUR.

JURAMENTUM vix est, ut Latinè dici possit, quamvis hoc vocabulo Seneca & Ulpianus usi fuerint. *Trellier. de Jurejur. c. 1.* Non usus est illo Seneca de Clem. II. 1. Apud illum enim non est legendum: *In cujus verba Principes Regesque juramentum faciant:* sed *In cujus verba Principes Regesque jurent*, ut ad illum rectè contendunt Muretus, Lipsius, Gronovius, Cellar. Antibarb. p. 62. Vorst. de Latin. merit. susp. c. 22. Nec Ulpianus ipse, l. 34. §. 5. ff. de Jurejurando, ubi exstant hæc verba: *Si de qualitate juramenti fuerit inter partes dubitatum.* Nam vox *juramenti* Ulpiani verbis purioribus ex suæ ætatis consuetudine à Triboniano est inserta. *Cellar. Antibarb. l. l.* Unde vocabulum planè barbarum pronuntiat *Sciopp. de Styl. hist. p. 155.* De Ulpiano tamen non dubitat Vorstius. Et ego contrarium statuo, quia inveni sub argenteæ ætatis initium apud Asconium Pædianum in Cicer. p. 128. *Eaque pactio ab utroque juramento firmata est.* Ejusque sub finem apud Soranum Isagoge in Artem medicam, qui vixit Trajani & Adriani temporibus, si hæc, quod vult Cellarius, ad Antoninos extenditur. Apud hunc, ut testatur Johannes Rhodius ad Scrib. Larg. p. 22. legitur c. 2. *Per sacramentum juramenti. &c. 3. Memor sit juramenti Hippocratis.* Quos secuti sunt Ammian. XXI. 9. XXIV. 2. Sulpic. Sev. Hist. 1. 8. Hieron. in Paral. I. 4. 4. Licèt illos illo priores fuisse usos putet Cellar. l. l. *Pitisc. Lex. Latino-Belgico.* Dicitur etiam voce simplici *juratum*. Plaut. Cist. II. 1. 26.

Abi quærere, ubi jurando tuo satis sit subsidii.

Terent.

Terent. Andr. IV. 3. 13.

Quæ si fortè opus sit ad herum jurandum mihi
Non apposuisse,

Ubi Donatus: *Sic locutus est, ut explicari, atque intelligi non possit: aut enim deest jus, ut sit jurandum pro jusjurandum: aut, ut vulgo dicitur, juramentum.* Hansen. de Jurejur. vet. c. 6. Popm. de Usu ant. locut. 1. 7. Vorst. l. l. Composita *jusjurandum*. Cicer. Fam. V. 2. *Magna voce juravi verissimum pulcerrimumque jusjurandum*. Offic. III. 31. *Nullum vinculum ad stringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt*. Et duabus divisis, quasi *Jovis jurandum* Ennius apud Cicer. Offic. III. 29.

O fides alma, apta pennis, jurandum Jovis.

Nævius:

Jus sacratum, Jovis jurandum sanguine.

Hansen. l. l. Satis commodè definitur Cicer. l. l. *Jusjurandum est affirmatio religiosa*. Ubi affirmatio non simpliciter pro eo, quod negationi opponitur; sed generaliter pro omni asseveratione, seu assertione rei alicujus, sive affirmativa sit, sive negativa, quod Græci ἀπόφανσιν dicunt: nam & negativè *jurari* aliquando infinitis exemplis probari potest. Et religiosa dicitur. Cum enim religio sit erga Deum, *jurari* autem nisi per Deum non possit, palam est eam demum affirmationem jurandi appellatione censeri, quæ religiosa est. *Treller. & Hansen. l. l.* Hoc priùs quàm dignarentur mortalium usu, & sede, abjerat fides, conventorum, dictorumque constantia, ous quam quid firmum humanis mentibus, aut verbis: Hinc Menander: *Ætate nostra fides omnis confunditur.* Opus erat Deo teste, vindice, ut quod nequitia violarat mortalium, summa immortalium auctoritas cohiberet. Hæc *jurisjurandi* origo; hæc cunabula, etsi pudenda. Numa Pompilius primus *ea pietate Romanorum pectora imbuerat, ut fides, ac jusjurandum, propulso legum, ac pœnarum metu civitatem regerent*. Liv. I. 21. *Hansen. ibid. c. 1.* Apud juris auctores solet adjungi his ferè verbis: do, defero, refero, remitto, suscipio, exigo. Datum dicitur, cum *juratum* est, l. non erit §. dato, & l. nam postea ff. hoc tit. sunt enim hæc tria synonyma, præstitum, datum, interpositum. Deferre quid sit, neminem esse reor, qui non intelligat. Referre dicitur, qui cum ei delatum est, ait se non teneri *jurare*, sed ipsum, qui detulit. Suscipere dicitur, qui *jurare* paratus est. Remittere, qui *jurisjurandi*, quod semel detulit, gratiam fecit, l. remittit l. Labeo ff. hoc tit. Exigere idem esse puto, quod deferre, vel petere, l. quoties l. in duobus §. exceptio l. jusjurandum & ad pecunias §. ait prætor ff. eod. *Treller. ibid. c. 2.* Gratia *jurisjurandi* solet aut ad delatum, & susceptum, aut ad præstitum referri. Qui *jusjurandum* remittit, gratiam *jurisjurandi* facere dicitur, l. 6. de jurejur. Qui præstiti religione aliquem liberat, is etiam *jurisjurandi* gratiam facit, l. 38. ad municipal. Remittens *jusjurandum* non aliter gratiam facere intelligitur, quàm si deferente se adversarius jurare paratus suscipiat *jusjurandum*, d. l. 6. Eaque res efficit, ut hujusmodi gratia nec absenti, multoque minùs ignoranti fieri possit. Nam quomodo ab ignorante suscipi *jusjurandum*, aut quomodo ignorans esse paratus actore deferente ad *jurandum* potest? Et idcirco nequaquam videri ambiguum debet, quin pessimè de *jurisjurandi* delati remissione Pomponium acceperint interpretes, Labeonis sententiam ad hunc modum referentem, l. 42. de jurejur. *Labeo etiam absenti, & ignoranti jurisjurandi gratiam fieri posse respondit: sed & per epistolam gratia jurisjurandi fieri potest.* Proinde non delati, susceptique, sed præstiti *jurisjurandi* absenti, & ignoranti gratiam fieri potuisse verisimilius est, idque sibi Pomponium, & Labeonem voluisse. Dici non potest, quàm id ipsum Plauti auctoritate confirmetur. Postquam enim *jurejurando* per Veneris aram conceptis verbis præstito talentum argenti magnum Gripo promisisset Labrax leno, hanc summam Dæmones lenoni à servo suo piscatore Gripo remitti volens, his verbis usus est Rud. V. 3. 57.

DÆ. *Res soluta est Gripe, ego habeo.* GR. *At ego me mavolo.*

DÆ. *Nihil herele hic tibi est, ne tu speres; jurisjurandi volo*
Gratiam facias.

Sic *jurisjurandi* gratiam visus est etiam accepisse Suet. Tib. c. 35. n. 2. *Equiti Romano jurisjurandi gratiam fecit, ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se nunquam repudiaturum ante juraverat*. Ræward. Var. V. 2. Edicto ad illud vocabantur. Cæs. de Bell. civ. III. 102. *Erat edictum Pompeji nomine Amphipoli propositum, uti omnes ejus provinciæ juniores, & Græci, civesque Romani jurandi causa convenirent*. Femori manu subjecta proponitur apud Cedren. p. 51. ubi Jacobi morituri cum Josepho actio declaratur: *Jacobus, ut finem vitæ suæ advenisse intellexisset, ad se evocatum femori suo, ut moris erat, manum subjicere jussit, juramentoque obstrinxit*. . . . Affine illud Liv. VIII. 9. *Pontifex eum togam prætextam sumere jussit, & velato capite manu subter togam ad mentum exerta, super telum subjectum pedibus stantem sic dicere*. Hansen. ibid. c. 19. Manum levare rem adeo veterem non esse existimo, sed ritum hujus ævi, licèt supplicum, & adorantium, imo mancipum, quid à populo ementium, aut conducentium ritus fuerit. Vir quidem doctus in observationibus suis, ubi Aristotelem Polit. IV. hujus meminisse dicit, pænè suasisset. Sed μνημονικὸν σφάλμα est, nec in toto Politicorum opere quicquam ejusmodi. *Hansen. ibid. c. 13.* Ejus formulas singulas V. suis locis. Romanis magna religione & observantia semper fuit. Gell. VII. 18. *Jusjurandum apud Romanos inviolatè, sanctèque habitum, servatumque id & moribus, legibusque multis ostenditur. Id indicant*, ut inquit Cicer. Offic. III. 31. *leges in* XII. *tabulis, indicant sacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides: indicant notiones, animadversionesque censorum, qui nulla de re diligentiùs, quàm de jurejurando judicabant*. Imperatores Arcadius & Honorius tanti *jusjurandum* æstimaverunt, ut cum pleraque acta à tyrannis aboleri voluerint, tamen, quæ fuerant *jurejurando* decisa, aut, ut ipsi loquuntur, *sacramento terminata*, rata ut essent, edixerint, l. 9. C. de infirm. his quæ sub . . . Unde, in quem nescio, jure inclamat Sallust. Hist. I. *Ut te neque hominum, neque deorum pudet, quos perjurio, & perfidia violasti*. Ex hac religione factum, ut ad aras jurarent, & inter jurandum tangerent. Plaut. Rud. V. 2. 26.

——GR. *Tange aram hanc Veneris.* LA. *Tango.*
GR. *Per Venerem hanc jurandum est tibi.*

n. 49.

GR. *Tene aram hanc.* LA. *Teneo.* GR. *Dejura, te mihi argentum daturum.*

Cicer. pro Flacc. c. 36. *Is si aram tenens juraret, crederet nemo*. Idem in Græcia servatum. Justin. XXIV. 2. 8. *Ptolemæus sumptis in manibus altaribus contingens ipsa simulacra, & pulvinaria deorum, inauditis, ultimisque exsecrationibus adjurat*. Hansen. ibid. c. 2. Brisson. de Form. VIII. p. 712. Caroli Antiq. Roman. I. 7.

Juramentum Aphrodisæum multis obvium, aliisque Venereum, amatorium, volaticum, mihi ridicularium dicetur. Plautus enarrationis chorum ducet, qui Aphrodisia Veneris esse festum diem ait Pœn. I. 1. 63: II. 45: V. 3. 4. Plato in Convivio: Ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος. Ex quo fortè Ovid. Art. amat. I. 633.

Jupiter ex alto perjuria ridet amantum.

Et Horat. Od. II. 8. 13.

Ridet hoc, inquam, Venus ipsa: rident
Simplices nymphæ.

Tibull. III. 6. 49.

——*perjuria ridet amantum*
Jupiter, & ventos irrita ferre jubet.

Hoc, quia amantum est, irritum putabant, neque ad deos quicquam pertinere, tanquam jocosum. *Hansen. de jurejur. vet. c. 29.*

Juramentum, sive *jusjurandum* Calumniæ, sive Kalumniæ ortum à gladiatorum consuetudine habet. V. illud supr. in *Calumnia*. Multis in locis est sublatum, propter perjurii metum, quando ex philautia ferè semper plus æquo suæ causæ serviant litigantes: adeo multi sibi in animum inducunt

tum cogi non posse, aut debere ad veritatem denudandam, & in adversariorum castra deportandam. At quantò magis hoc formidandum est in criminalibus, ubi de capite, & fortunis quæstio vertitur; nam quotusquisque est, qui tum se potest religione teneri? Natura autem comparatum est, ut omnes, nescio quomodo, promptiores, & paratiores simus ad excusationem & elevationem culpæ propriæ, ad causationem, & confessionem tardiores. *Pollet. For. Roman.* v. 4.

Juramentum consulum dicimus, quia consules non semel *juraverant*, dum inirent magistratum & ponerent, pri mis inquam honoris sui diebus. V. supr. in *Consul*.

Juramentum declamatorum vocamus, quia à *jurejurando* auspicabantur. Senec. Suas. vii. de Gorgonio: *Nam cum cœpisset scholasticorum frequentissimo jam more à jurejurando, & dixisset multa*. Et de Surdino ingenioso adolescente: *Solebat dulces sententias dicere, frequentius tamen prædulces, & infractas. In hac suasoria cum jusjurandum bel lis sensibus complexus esset, adjecit* . . . . Quando id cœperit, deserimo, non legi. Sanè in declamationibus utriusque Quintiliani, & Calpurnii Flacci nihil tale. *Hansen. de jurej. vet. c. 9.*

Juramentum Imperatorium vocamus, quia Imperatores, aut sub imperii natalem sollenni ritu, aut post αὐτοκρατορίαν jurabant. Docent hoc annales Romani & Græci: ex quibus pauca & de privato *jurejurando*, nam de illo ita nunquam finis. Photius in Praxagora auctor est Licinium Imperatorem Romanum, cui pars illa imperii obvenerat, quam Maximinus tenuerat, intellecta in se expeditione, *metu perculsum immanitatem texisse, & humanitatis speciem præferentem, jurejurando etiam se obstrinxisse, clementem deinceps subditis futurum, quaque fœderi illa promisisset, integrè servaturum*. Herodian. ii. 13. 18. narrat Severum Imperatorem, cum prætorianis militibus Roma ob Pertinacis cædem interdiceret, jussionem *jurejurando* firmasse: *vobis autem sic impero discedatis quàm longissimè: edico item, juroque, ac denuntio capite pœnas daturum, si qui vestrum posthac intra centesimum lapidem pareat*. In Roma vetere consul senior *jusjurandum* ab Imperatore accipiebat, argumento è Plin. Paneg. c. 64. n. 2. Ibi Trajanus apud defunctum, senioremque consulem, in sella sedentem curuli juravit, illo *jusjurandum* præbente, & sollemnia verba præeunte. In nova ἡ μέγας λογοθέτης in templo Blachernarum, auctore Niceta in Manuele Comneno iii. *Hansen. de jurejur. vet. c. 7.*

Juramentum judiciale appellatur, quod in judicio à judice defertur, ut necessarium, quod in judicio ab adversario, & voluntarium, quod extra judicium, quia ex conventione utriusque partis defertur. Atque ita *jurisjurandi* tres sunt species: voluntarium, necessarium, & judiciale, ut patet ex Rubricæ, quæ his verbis concipitur: *De jurejurando, sive voluntario, sive necessario, sive judiciali*: Quod à judice defertur, necessarium vocare malunt interpretes: judiciale autem, quod ab adversario. Certum que Paulli responsum, l. ult. ff. de in lit. jur. ubi *jusjurandum* in litem ex necessitate juris deferri dicitur, quod à solo judice deferri certum est, l. videamus §. deferre ff. eod. Sed hoc argumentum non ita magni momenti est, cum & *jusjurandum* ab adversario delatum necessitatem in se contineat. Paull. recept. sent. ii. i. *Si rem, inquit, cum jurare velit, actor illi necessitatem jurisjurandi remisit, & hoc liquido appareat, actio ei non datur*. Hæc enim verba de eo *jurejurando* intelligendi esse, quod ab adversario defertur, indicat Aniani interpretatio, cum h. tit. ff. hoc tit. Dici fortasse commodius poterit *jusjurandum*, quod à judice defertur, ideo necessarium esse appellandum, quia referri non possit, c. ult. de jurejur. Sed hac ratione voluntarium etiam necessarium dicendum esset: nam neque in eo relationi locus est. Proinde *jusjurandum*, quod à judice defertur, judiciale malo appellare. *Trellier. de jurejur. c. 2.*

Juramentum judicum. V. supr. in *Judex*.

Juramentum magistratuum dicimus, quia fas cuiquam non fuit, magistratum ultra quinque dies gerere, nisi qui publicè in lege jurasset. Liv. xxxi. 50. *C. Valerius Flaccus, quem præsentem crearant, quia flamen Dialis erat, jurare in leges non poterat: magistratum autem plus quinque dies, nisi qui jurasset in leges, non licebat gerere*. Ni *jurasset*, ponere eum debebat. Qui etiam *jurarunt* illo petito. docet Cicer. in Pison. c. L. V. illum supr. in *Consul*. Hansen. de jurejur. vet. c. 8.

Juramentum militare, V. infr. in *Sacramentum*.

Juramentum nauticum dici poterit, quia nautæ, ut milites, & exercitus terrester, in verba consulis *jurabant*. Liv. xxii. 11. *Consul Hostiam proficisci jussus, navibus, quæ ad urbem Romam, aut Hostiæ essent, completis milite, ac navalibus sociis, persequi hostium classem, ac littora Italiæ tutari. Magna vis hominum conscripta erat. Libertini etiam, quibus liberi essent, & ætas militaris, in verba juraverat*. Scheffer. de Milit. nav. ii. 4.

Juramentum patrium vocatur, quod patrio fit more. De illo Plutarchus in Pericle: *Jurejurando se obstringere patrio more*. Et alibi: *Cum patrium jusjurandum jurant*. Hansen. de Jurejur. vet. c. xi. Schelm. Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1173. D.

Juramentum regium vocatur, quia Rex populo, & populus Regi *jurabat*. Ita Athalaricus Rex Gothorum populo Romano jurat apud Cassiod. Var. viii. 3. *Ecce ad conditionem clementissimam sacramento inclinando nostrum evaximus principatum, ut nihil dubium, nihil formidolosum populi habere possint, quos beatus noster auctor enutrivit. Ecce Trajani vestri clarum seculis reparamus exemplum. Jurat vobis, per quem juratis, nec potest ab illo quisquam falli, quo invocato, non licet impune mentiri*. Epist. 4. *Sed ut vobis benevolentia nostra jam nunc integritas annotescat, jurisjurandi vobis fecimus religione promitti, quod & nostrum possit declarare propositum, & spem debeat munire cunctorum*. Ita populus Romanus jurat Liv. ii. 1. *Omnium primum avidum novæ libertatis populum, ne postmodum flecti precibus, aut donis regiis posset, jurejurando adegit, neminem Romæ passuros regnare*. Hansen. de jurejur. c. 7.

Juramentum senatus vocamus, quia sollenne erat senatum *jurare*, ut ait Plutarchus in Solone. Initio anni addit Tacit. Annal. xvi. 22. 1. *Jurat* reliquus senatus excepto Thrasea: *Quin & illa objectabat, principio anni vitare Thraseam sollenne jusjurandum*. Et de senatu, & magistratibus cæteris, at re nata, Hist. iv. 41. 1. *Senatus inchoantibus primoribus jusjurandum concepit, quo certatim omnes magistratus, cæteri ut sententiam rogabantur, deos testes advocabant, nihil ope sua factum, quo cujusque salus læderetur, neque se præmium, aut honorem ex calamitate civium cepisse*. Etiam post sententiam dictam jurabat, è Republica esse quod censuisset. Plin. Epist. v. 14. 5. *Quin etiam Dextrum, qui primus diversum censuerat, prolata lege de senatu habendo, jurare coegit è republica esse quod censuisset*. Tacit. Annal. iv. 31. 4. *Siculum amovendum in insulam, tanta contentione animi, ut & jurando obstringeret, è Republica id esse*. Hansen. de jurejur. vet. c. 8. Lips. in Tacit. ii. 61.

JURARE *est jusjurandum, vel tanquam jusjurandum mente conceptum proferre affirmativè*. Clem. Alexandr. Strom. vii. p. 729. B. *Hansen. de jurejur. vet. c. 23.* Conceptis verbis dicebantur. Plaut. Asin. iii. 1. 16.

Ubi verbis conceptis sciens libenter perjuraveris.

Cicer. pro Cluent. c. 48. *P. Africanus cum esset censor, & in equitum censu C. Licinius censor prodisset, clara voce, ut omnes audire possent, dixit scire se illum verbis conceptis pejerasse*. Quod paullò fusius Petron. c. 93. *Tetigit puer oculos suos, conceptissimisque verbis juravit sibi ab Ascylto nullam vim factam*. Cum publicè enim jurandum erat, præjurationes qui facerent, adhibebantur. Hoc erat *conceptis* ante *verbis jurare*, post in eadem jurante subjicere: *idem in me*. Festus. V. illum supr. in *Juramentum militare*. Livius, apud quem exercitus Romanus jurat se victorem pugna rediturum ii. 45. *Ego istos, Cn. Manli, posse vincere scio; velle ne scirem, ipsi fecerunt. Itaque certum, atque decretum est, non dare signum, nisi victores se redituros ex hac pugna jurent. Consulem Romanum miles semel in acie fefellit, deos*

nunquam fallet. Centurio erat M. Flavolejus, inter primores pugnæ flagitator. Victor, inquit, M. Fabi, revertar ex acie. Si fallat, Jovem patrem, gradivumque Martem, aliosque iratos invocat deos. Idem deinceps omnis exercitus in se quisque jurat. Hansen. ibid. c. 5. Falsum jurare non est pejerare, ut visum nonnullis. Ita enim Cicer. de Offic. III. 29. *Non enim falsum jurare pejerare est, sed quod ex animi tui sententia juraveris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere.* Hansen. ibid. c. 3. *Jurabant* per elementa. V. supr. in *Elementa*. Jovem. V. infr. in *Lapis*. Oculos. V. infr. in *Oculus*. Principem. V. infr. in *Princeps*. Junonem. V. supr. in *Juno*. Sua vota, ut Vatinius: Ita consul fiam. Quod tantam indignationem movit Catullo, ut diceret LII. 3.

Per consulatum pejerat Vatinius,
Miser Catulle, quid moraris emori?

Et Cleopatra, quoties *jurare* volebat, maximum id votum concipiebat: *Sic in Capitolio jura reddam*, teste Dion. L. p. 422. A. Ammian. XXIV. 3. *Animabat Julianus exercitum, cum non per caritates, sed per inchoata negotiorum magnitudines dejeraret assiduè: Sic sub jugum mitteret Persas; ita quassatum recrearet orbem Romanum: ut Trajanus fertur aliquoties jurando dicta consuesse affirmare: Sic in provinciarum speciem reductam videam Daciam.* Vales. in Ammianum.

JURATOR dicebatur censor, non quod ipse *juraret*, sed quod alios sub sacramento ex animi sententia censeret. Plaut. Pœn. Prol. n. 58.

Vos juratores estis; quæso operam date;

Trin. IV. 2. 30.

Census cum juratori, rectè rationem dedi.

Census juratori, id est, census à *juratore*, vel censore. Metalepsin vocant hanc figuram Rhetores. *Jurator* & *juratus* sunt ἀντιστρέφοντα; ut amator & amatus. *Juratus*, qui *jus jurandum* adigitur: *jurator* ergo qui adigit. Κατ' ἐξοχὴν *juratores* dicuntur censores. Nullus enim magistratus totum populum Romanum, omnesque adeo cives *jurejurando* adigebat, præterquam censores. Liv. XLIII. 14. *Censores ut eam rem adjuvarent, ita in concione edixerunt: legem censui censendo dicturos esse, ut præter commune omnium civium jusjurandum hæc adjurarent. . . .* Gell. IV. 20. *Censor adigebat de uxore sollenne jusjurandum.* Gronov. Observ. IV. 3. Turneb. Adv. XXIX. 12. Hansen. de Jurejur. vet. c. 8. Acidal. in Plautum.

JURIDICUS dictus est, qui Italiæ, seu per Italiam *juri dicundo* à Principe erat præfectus. Hos sub Adriano Imperatore, qui primus hoc munus instituit, consulares dictos facile est cognoscere ex Spartian. c. 22. *qui cum quatuor consulares per omnem Italiam judices constituisse* scribit. Quos postea *juridicos* appellatos, diverso nomine, sed non diversa auctoritate, sub M. Antonino Philosopho intelligitur ex his verbis Capitol. c. 11. *Datis juridicis Italiæ consuluit, ad id exemplum, quo Adrianus consulares viros reddere jura præceperat.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 790. F.

Juridicus Alexandriæ vocabatur, quia in illa civitate erat, ut in aliis defensor, aut duumviri. Nam sæpè comparantur, & ideoque utrisque, certis casibus, tutores dandi facultas pariter tribuitur l. sancimus in curation. 30. C. de Episcop. aud. §. nos autem. Instit. de Atil. tuto. In hoc tamen differebant, quod de omnibus causis civilibus, etiam maximis, *juridicus* cognoscebat, duumviri minimas tantum judicabant. Strab. XVII. *Qui Alexandriam mittitur præfectus Augustalis, Regis ordinem gerit. Sub eo est δικαιοδότης, id est, juridicus, qui maximam in judiciis potestatem habet. Nam velut is, qui a Cæsare creabatur, de omnibus civilibus cognoscebat, quod duumviris non tribuebatur, qui ab ordine fiebant.* Panciroll. de Magistrat. municip. c. 7. Notit. Dignit. Imp. Orient. c. 122. Hotoman. de Magistrat. Roman. 1. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. pag. 1881. D.

JURISCONSULTUS *quisnam verè nominaretur, si quæreretur, eum dicerem, qui legum, & consuetudinis ejus, qua privati in civitate uterentur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum peritus esset.* Cicer. de Orat. I. 48. Hanc juris civilis scientiam maximi viri, & maximæ dignitatis professi sunt. Unde quidam à causis agendis, ut Tubero Patricius, ad jus civile transierunt, l. 2. §. post hos ff. de orig. jur. quorum antiquitus tanta fuit auctoritas, ut si jus respondendi à Cæsare iis datum esset, qui *jurisconsulti* appellabantur, eorum sententiæ, & opiniones eam auctoritatem tenuerint, ne judici recedere à responso eorum liceret, l. 1. C. de veter. jur. enucle. & l. fin. C. de legib. Unde & *juris conditores* nuncupantur, l. 23. C. de procurat. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 2. Antiquitus apud Romanos *jurisconsultorum* dabatur differentia, cum alii candidati, sive studiosi essent, qui in orationibus recitandis exercebantur: alii antecessores, vel sophistæ, qui jus interpretabantur publicè: alii *Jurisconsulti*, qui populo auctoritate Principum de jure respondebant: & postea auctores juris, qui de jure dubitantibus suis responsis auctores fiebant. *Ferret. Mus. Lapid.* IV. *memor.* 19. *Revard. Conject.* II. III. Omnes provinciarum magistratus unum, aut plures secum ducebant, l. 1. de offic. assess. quorum consilio secundum jura causas definiebant. Hi assessores & consiliarii vocabantur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient.* c. 8. V. illos supr. in *Assessores*. Illorum mercedem, V. supr. in *Honorarium*.

JURISDICTIO est appellata, quia qui jus reddiderunt, ii *jus dicere* dicti sunt. *Jus dicere* fuit reddere ea jura, quæ legibus, aut edictis continerentur. *Sigon. de Judic.* I. 7. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 3. *Pollet. For. Rom.* III. 1. *Noodt de Jurisdict. & imper.* I. 1. Erat ordinarii juris, & differebat à cognitione, quæ erat extraordinarii juris. V. supr. in *Cognitio*. Pertinuit ad privatas controversias, & omnino ad jus Quiritium tuendum. Itaque cum in foris jus dictum tradimus, prorsus quæstiones publicas removemus, quas non in foris Italicis, sed Romæ cognitas fuisse, nisi quid fortè extra ordinem factum sit, arbitramur: id quod in Bacchanalium quæstione usu venisse narrat Liv. XXXIX. 18. *Eadem solitudo*, inquit, *quia Romæ non respondebant, nec inveniebantur, quorum nomina delata erant, coegit consules circa fora proficisci, ibique quærere, & judicia exercere.* Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 15. In duobus posita, id est, ut prætor ipse judicaret, aut alterum judicare juberet. Cicer. de Leg. III. 3. *Juris disceptator, qui privata judicet, judicarive jubeat, prætor esto, juris civilis custos esto.* Cum autem judicavit, tum decrevisse, aut decretum interposuisse; cum judicare jussit, tum judicem, judiciumve, aut actionem dedisse dictus est. Cum autem decrevit, tum aut dixit, aut addixit, aut dedit; cum judicare jussit, tantùm dedit. Itaque tota *jurisdictio* his tribus verbis fuit inclusa, *do, dico, addico*. Varr. de Ling. Lat. V. 4. *Necesse est uti aliquo trium horum verborum, do, dico, addico, cum quid lege peragitur.* Sigon. de Judic. I. 7. Siccam. de Judic. centumv. I. 13. V. supr. in *Do*. A prætore potuit alteri mandari, ob eam causam, quod non lege, sed jure magistratus competit: unde scripsit Papin. ff. de offic. ejus, cui mandata est *jurisdictio*: *Quæ jure magistratus competunt, mandari possunt. Qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet; sed & ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur.* Julian. ff. de jurisdict. *More majorum ita comparatum est, ut is demum jurisdictionem mandare possit, qui eam suo jure, non alieno beneficio haberet.* Sigon. II. Noodt. de Jurisd. & imper. II. 1. Mos ille à Regibus cœpit; ut pleraque quæ magistratibus, propter vim imperii sui, competunt. Tacit. Annal. VI. 11. 1. *Antea profectis domo Regibus, ac mox magistratibus, ne Urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui jus redderet, ac subitis mederetur: feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo Sp. Lucretium impositos: dein consules mandabant; duratque simulacrum, quoties ob ferias Latinas præficitur, qui consulare munus usurpet.* Liv. I. 41. *Interim Servio Tullio* Regem Tarquinium *jubere populum dicto audientem esse. Eum jura redditurum, obiturumque alia Regis munia. Servius cum trabea, & lictoribus prodit, ac sede regia sedens alia decernit,*

de

de aliis Regem se consulturum esse simulat. Itaque per aliquot dies, cum jam exspirasset Tarquinius, celata morte, per speciem aliena fungenda vicis suas opes firmavit. Noodt Ll. Quomodo à mandatario solita fuerit geri, V. infr. in *Mandatarius*. Pendebat ab edicto prætorum, Quia erat potestas reddendi juris, quod in legibus continetetur. Omnia verò legibus comprehendi non poterant. Hinc factum, ut multa edictis ipsis prætoriis permitterentur. Siquidem ut prætores urbani Romæ magistratum ineuntes edicta proposuerunt, ex quibus *jus se dicturos* esse professi sunt; sic præsides in provincias ingressi & ipsi sua edicta singulis de rebus diligenter scripta ediderunt, ad eaque postea totam *jurisdictionem* suam accommodarunt. *Sigon. de Ant. jur. prov.* II. 5. Ut aliquando binæ *jurisdictiones*, & binæ provinciæ singulis sunt tributæ, sic posthac & binæ *jurisdictiones* singulis, & *jurisdictio* cum quæstione uni, & una quæstio duobus ex Scto commissa est. Nam Catulo, Lepidoque coss. L. Cornelius Sisenna utramque *jurisdictionem*, & C. Verres prætor urbanam *jurisdictionem* cum veneficii quæstione, & M. Fannius inter sicarios & parricidii, & M. Lætorius, ac C. Flaminius quæstionem inter sicarios, prætores omnes cum essent, sortiti sunt. *Sigon. de Judic.* II. 4. 1. 7. Hæc est consideranda in judiciis tum publicis, tum privatis. Privata, id est, de rebus civilibus, exercebant soli urbanus ac peregrinus prætores. Publicis ante constitutas perpetuas quæstiones, V. illas infr. in *Quæstio*, præsuete, quos populus creasset quæsitores, vel, ut vocat Pompon. §. 23. ff. de orig. jur. quæstores parricidii, V. illos infr. in *Quæsitor*, qui creari solebant, quotiescunque aliquod crimen publica animadversione dignum inciderat: aut is qui accusatus erat, ab aliquo magistratu ad populum provocasset. *Panvin. in Fastor.* 1. p. 108. *Lycklama de Magistrat.* c. 6.

Jurisdictio ædilium obscurior est. Paucis de rebus jus dixerunt: inprimis autem de venditione mancipiorum, & de mensuris, & de foro venalium. *Sigon. de Judic.* 1. 7.

Jurisdictio libera dicitur, cum is, qui eam habet, non impeditur majore aliqua potestate, quo minus agat pro imperio, & lege agi jubeat. Suet. Calig. c. 16. n. 4. *Magistratibus liberam jurisdictionem, & sine sui appellatione concessit.* Bud. in Pandect. p. 273. B. Pollet. For. Roman. III. 11.

JUS.

JUS *inter & æquitatem hoc interest. Jus est, quod omnia recta, & inflexibilia exigit: Æquitas est, quæ de jure multum remittit.* Donat. in Terent. Adelph. 1. 1. 27. Ulpian. l. 1. ff. de justit. & jur. *Jus est à justitia appellatum, nam, ut eleganter Celsus definit, est ars boni & æqui.* Aristot. Ethic. v. 14. de justitia & jure disputans, duo hæc tanquam differentia ponit, non tanquam genere diversa. *Bonum & æquum*, inquit, *cum sit cujusdam juris, jus est præstantius, vel melius: non autem ut genus aliud æquum & bonum, jure præstatius est: Porrò æquum & bonum est jus, non illud quidem lege comprehensum, id est, legitimum: sed legitimi juris emendatio. Siquidem cum lex posita sit in universum, sint autem quædam, de quibus universim caveri non potest: lex tamen nihilo secius in universum loquitur necessitate coacta, tametsi id rectè fieri nequit: videlicet lex id quod plerumque accidit, amplectitur, erratii ipsa sui conscia: quanquam id non legis, aut legislatoris, sed rei ipsius peccatum est. Sic enim natura comparatum est, ut omnia, quæ aguntur, eodem legis præscripto constitui non possint.* Bud. in Pandect. p. 1. C. Omne vel est à natura, vel à consuetudine, vel à legibus. *Jus* naturæ ipsum per se, sine consuetudine, & legibus, ad optimam vitæ conditionem satis erat. Satis enim beatè viveremus, si naturam ducem sequeremur. Sed quia quod justum, & laudabile est, multi, vel quia sunt hebetes, non intelligunt: vel quia sunt improbi, dissimulant: idcirco, ne peccantibus daretur excusandi locus, scripta lex est, quæ, quid agendum, fugiendumve esset, perpetuis literarum notis testatum; atque expressum ante oculos poneret. *Manut. de Legib.* c. 1. Dicere quid sit V. supr. in *Jurisdictio*. Differt à judicare. V. supr. in *Judicare*. Dixerunt I. Reges. Docent hoc de Romulo Dionys. II. p. 87. *Regi munia fuerunt . . . . deinde, ut legum & consuetudinum patriarum haberet custodiam: omnisque juris, quod vel natura dictat, vel pacta, & tabula sanciunt, curam ageret: utque de gravissimis delictis ipse decerneret, leviora permitteret senatoribus, providendo interim, ne quid in judiciis peccaretur.* de Prisco Liv. 1. 41. *Interim Servio Tullio jubere populum dicto audientem esse. Eum jura redditurum, obiturumque alia Regis munia.* II. Consules. Dionys. IX. p. 627. *Translato à Regibus, quorum arbitrio, quamdiu ab illis regnatum est, lites dirimebantur, ad annuos consulatus imperio, inter cætera officia regia, juris quoque reddendi munus ad eos devenit: ita ut quæcunque de re orta esset inter cives controversia, illi ac jure responderent.* III. Decemviri consulares. Dionys. IX. p. 683. *Ut injusta & atrocia eorum facinora specioso justitiæ velo tegerentur, singulis causis sua erant judicia. . . . nec pauca crimina, & quidem quæ maximi erant momenti, decemviri suæ cognitioni vindicabant.* Liv. III. 33. *Decemviri decimo die jus populo singuli reddebant.* Sigon. de Judic. 1. 7. Dempster. Paral. ad Rosin. Antiq. Rom. IX. p. 698. b. IV. Prætores. V. infr. in *Prætor*. V. Ædiles curules. V. supr. in *Jurisdictio ædilium*. Locus, in quo dictum est, fuit aut superior, tribunal in comitio, quod fuit pars fori Romani, in quo rostra erant. Unde qui è rostris agebant, in forum, & comitium versus agere poterant. Gell. XX. 1. *Inter eos dies, trinis nundinis continuis, ad prætorem in comitium producebantur.* Et in tribunali, quod erat locus celsior, & multorum hominum capax, sella curulis. Cicer. de Orat. 1. 37. *Nobis in tribunali Q. Pompeji prætoris urbani sedentibus.* Tacit. Annal. 1. 75. 2. *Tiberius assidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret.* Aut planus quicunque locus præter tribunal, posita sella curuli. V. infr. in è *Plano*. Diebus fastis, id est, quibus licebat agere, prætores summo manè in comitium, sive forum veniebant, atque in tribunali sella posita assidebant, & accenso, ut horam tertiam populi circumstanti inclamaret, imperabant. *Sigon. ibid.* c. 9. V. illam supr. in *Hora causidicorum*. Qui alicui litem, sive actionem intendere in animo habebat, antequam in *jus* adiret, per amicos intra parietes, quid proficere posset, experiebatur. Cicer. Quint. c. 11. *Nonne si quid in controversiam veniret, aut intra parietes, aut summo jure experiretur?* Cæcin. c. 2. *Ea judicia, quæ distrahendarum controversiarum causa reperta sunt, persæpè disceptatore domestico disceptantur.* Ubi verò res ita convenire non poterat, tum die postulationum petitor eum, unde petebatur, in *jus* vocabat. Erat autem in *jus* vocare, ut Paullus definit, *in jus experiundi causa vocare.* Non omnes tamen vocari poterant. Indicat edictum prætoris: *Parentem, patronum, patronam, liberos, parentesque patroni, & patronæ, in jus sine meo permissu ne quis vocet.* Item: *Magistratus, pontifex dum sacra facit, & qui uxorem ducunt, in jus vocare non possunt.* Vocabatur hoc modo. Qui petebat, eum, unde petebatur, conveniebat, atque ut se in *jus* sequeretur, admonebat. Si is sequi noluisset, eum in *jus* educebat, sive rapiebat. Verùm ne injuriam facere videretur, ante aliquem ejus actionis testem faciebat: capta scilicet hominis fortè intervenientis, aut præsentis auricula rogabat eum his verbis: *Licetne antestari?* V. supr. in *Antestari*. De domo sua neminem in *jus* vocari licebat. V. supr. in *Domus*. Si ille, qui vocabatur, imbecilla valetudine esset, tum, qui vocabat, jumentum, currumve dare cogebatur. V. supr. in *Jumentum*. Si is, unde petebatur, latitaret ita, ut nullam secum agendi potestatem faceret, cum de domo extrahi non posset, actor prætoris auxilium implorabat, atque reum evocari jubebat edicto. V. supr. in *Evocatio*.

Jus dicitur etiam locus jurisdictionis quicunque, sive in quo consistit prætor *juris* dicundi causa, per metonymiam. Paull. l. 11. ff. de justitia & jure: *Alia significatione jus dicitur locus, in quo jus redditur: appellatione collata ab eo, quod fit, in eo ubi fit: quem locum hoc modo determinare possumus: Ubicunque prætor salva majestate imperii sui, sal*

voque

usque more majorum, jus dicere constituit. Cicer. pro Quint. c. 25. *Dejicitur de saltu, C. Aquili, pridie Kalendas intercalares, biduo post, ut statim aliquis de jure concurrerit, non toto triduo sexaginta millia passuum conficiuntur*. De *jure*, id est, de foro, ubi decreta erat ob vadimonium desertum bonorum possessio: unde fluxerunt illæ formulæ actionum: *quando te in jure conspicio*, & *manum in jure conserere*, & post XII. tab. *ex jure manu consertum*. V. illud supr. in *Ex*. Quibus addi possunt prætorum edicta *de in jus vocando*: *si quis vocatus in jus non venerit*. Et Ulpian. l. 4. ff. de interrog. act. *quod ait prætor, qui interrogatus in jure responderit*, interpretatur ad hunc modum: *sic accipiendum est, apud magistratus populi Romani, vel præsides provinciarum, vel alios judices: jus enim eum solum locum esse, ubi juris dicendi, vel judicandi gratia consistat: vel si domi, vel in itinere hoc agat*. Pollet. For. Roman. I. 4. Sigon. de Judic. I. 7. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 3. c. 1.

Jus accretionis erat ejusmodi, ut quod alicui rei sic accrevisset, ut pars esset totius, ejus esset, cujus totum esset: atque hoc in alluvione, circumluvione, inædificatione, pictura, scriptura, prætexta valere voluerunt. *Sigon. de Judic.* I. 4.

Jus Ælianum dicebatur, quia continebat actiones, quas Sextus Ælius composuerat. Pompon. l. 7. ff. de orig. jur. *Augescente civitate, quia deerant quædam genera agendi, non post multum temporis spatium Sextus Ælius alias actiones composuit, & librum populo dedit, qui appellatur jus Ælianum*. Sigon. de Judic. I. 9. Pollet. For. Rom. V. 4. August. de Famil. in Ælia.

Jus applicationis antiquissimum non videtur alienum à *jure* clientelari. Cicer. de Orat. I. 39. *Quod quod item in centumvirali judicio certatum esse accepimus? qui Romam in exsilium venisset, cui Romæ exsulare jus esset, si se ad aliquem tanquam patronum applicuisset, intestatoque esset mortuus, nonne in ea causa jus applicationis obscurum sane, & ignotum, patefactum in judicio, atque illustratum est à patrono?* Terent. Andr. V. 4. 21.

—— *tum ille egens forte applicat*
Primum ad Chrysidis patrem se.

Ego illud ab Atheniensibus ortum esse reor: apud quos peregrini se alicui opulento civi in clientelam dabant, dicebantque. Hoc in palliata comœdia imitatus est Terent. Eun. V. 8. 9.

Thais patri se commendavit in clientelam, & fidem.

Id Athenienses appellabant νέμειν προστάτην. Qui autem ad patronum se non applicarat, in judicium vocabatur, quod dicebatur ἀπροστασίου δίκη. *Turneb. Adv.* XII. 10: XXIV. 32. *Broid. ad Pollet. For. Rom.* II. 10.

Jus captivitatis erat ejusmodi, ut quæ ex hostibus cepissent, sua fierent. *Sigon. de Judic.* I. 4.

Jus civile, V. illud infr. in *Jus Quiritium*.

Jus clientelare incepit sub Romulo Republica ordinata, & per senatores, ac cives in tribus, & classes distributa, usu à Græcis, Illyriis, Thessalis, Celtis, ac Ægyptiis recepto. *Lipen. de Scren. c. 2. prim. at.* §. 6. Incepisse sub Romulo docent Dionys. II. p. 84. Plutarch. Rom. p. 25. A. Gell. V. 13. Obligatio quænam fuerit hoc *jure* clientis ad patronum, V. supr. in *Clientes*. Hoc diutissime durasse apud Romanos non est dubium, quin etiam latius productum colligimus: cum non tantum singuli homines se in clientelam potentioris alicujus conferrent: verum etiam totæ provinciæ, vel civitates ad aliquam familiam se applicarent, cujus patrocinio se tutarentur. *Rittersh. in Leg. XII. Class.* III. *p.* 1. *c.* 2.

Jus cognationis utrum certa aliqua lege populi fuerit definitum, an moribus tantum, & veteri consuetudine, difficile dictu est. De sororis nuptiis leges fuisse dicuntur, l. si stipuler. 35. §. 1. ff. de verb. oblig. cujus tamen in extremo mores nominantur, itemque l. 8. & l. sororis 39. §. 1. ff. h. t. Credibilius est, *jus* antiquum de castis, incestisque nuptiis totum pontificium fuisse. Itaque Tacit. Annal. I. 10. 7. *Consulti per ludibrium pontifices, an concepto, necdum edito partu, rite nuberet*. Quod pluribus verbis exponit Dio XLVIII. p. 383. D. consultos à Cæsare pontifices, an Liviam Neronis uxorem gravidam sibi in matrimonium accipere liceret. *Jus* Romanum tribus regulis comprehendi potest. Quarum I. Inter eas personas, quæ parentum, liberorumque locum obtinent, in infinitum nuptiæ *jure* gentium incestæ, ac nefariæ sunt, §. ergo ff. h. t. II. Inter eas personas, quæ à latere sunt, fratris & sororis nuptiæ jure gentium incestæ sunt: patrui verò & amitæ, avunculi & materteræ, jure civili tantum: idque in infinitum. De fratribus, & sororibus exstat testimonium, l. libertinus. §. 8. juncta, l. sororis 39. ff. h. t. De patruis, avunculis, amitis, materteris, V. infr. in *Matrimonia*. III. Inter patrueles, amitinos, consobrinos nuptiæ novissimo civili *jure* permissæ sunt, §. duor. Inst. de nupt. l. celebr. 19. C. de nupt. *Hotoman. de Rit. nupt. c.* 5. V. etiam infr. in *Matrimonia*.

Jus coloniarum: V. illud supr. in *Colonia*.

Jus effectionis rei eam vim habuit, ut si species ex aliena re confecta ad pristinam formam revocari posset, ejus esset, cui erat ea res, quasi materia non esset exstincta; aut si ex utriusque materia confecta esset, ejus, qui effecisset. *Sigon. de Judic.* I. 4.

Jus Flavianum fuit dictum civile, *quia cum Appius Claudius actiones composuisset, & ad formam redegisset, C. Flavius scriba ejus, libertini filius, surreptum librum populo tradidit, & adeo gratum fuit id munus populo, ut tribunus plebis fieret, & senator, & ædilis curulis. Hinc liber, qui actiones continet, appellatur jus civile Flavianum*. Pompon. de Orig. jur. l. 2. §. 7. *Sigon. de Judic.* I. 9. *Pollet. For. Rom.* V. 4.

Jus gentium, V. illud infr. in *Jus naturale*.

Jus hæreditarium est, quo quis quid, quia hæres relictus est, possidet. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 11.

Jus honorarium fuit dictum prætorium. Papinian. l. 7. §. 2. ff. de justit. & jur. *Jus prætorium est, quod prætores introduxerunt, adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris civilis gratia propter utilitatem publicam, quod & honorarium dicitur ad honorem prætorum sic nominatum*. Prætores enim sua proposuerunt edicta, ut scirent cives, quod *jus* de quaque re quisque dicturus esset. Et hæc post tantæ fuerunt auctoritatis, ut inde *juris* honorarii nomen invenerit. *Augustin. de Legib. in Cornelia de perpet. edict. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* I. 5. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 44. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 265. *Lat. de Magistrat. Roman.* I. 24. *Flocc. de Potest. Roman.* II. 19.

Jus honorum erat, quo *jus* civitatis explebatur, & quod qui in Urbe, agrove Romano habebat, is quàm plenissimum *jus* civitatis obtinebat. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 18. V. illos supr. in *Honor*.

Jus imaginis nihil aliud est quàm *jus* nobilitatis. Etenim, ut imago à magistratu proficiscitur, sic nobilitas ab imagine: unde etiam sæpè imagines pro nobilitate sunt positæ. Qui majorum suorum habuerunt imagines, ii nobiles: qui suas tantum, ii novi: qui nec majorum, nec suas, illi demum ignobiles appellati sunt. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* I. 20. *Fagrel. de Stat. Rom. c.* 11. *Guther. de Jur. man.* I. 21. *Savot. de Numism.* I. 3. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 9.

Jus Italicum, Latinitate deterius, provinciæ Galliæ *jure* commodius, appellatum est, quia Italici plerique convenerunt in *jure*, quod manavit ex societatibus, quas populus Romanus cum populis Italicis ita iniit, ut alios deditione, alios sponsione, quosdam pactione, omnes demum fœdere aliquo in amicitiam acceperit. Hujus partes multæ numerantur, sed pleræque Italicis fuere cum Latinis communes. I. enim, ut Latini jure Quiritium caruerunt, sic Italici: ita ut non eadem libertatis, sacrorum, gentilitatis, legitimi dominii, testamentorum, ac tutelarum *jura*, quæ cives Romani, haberent: nisi fortè præcipua lege aliqua, ut municipes, & coloni aliquot, *juris* ejus partem aliquam impetrassent. II. quod de censu, de tributis, & vectigalibus Latinorum in *Jus Latii* dicetur, idem de Italicis censeo judicandum; omnes in civitatibus suis per censores suos censos esse, omnesque tributa, & vectigalia, quo modò in fœderibus cujusque cautum esset,

set, persolvisse. Unde tritum illud est Minionis legati Regis Antiochi apud Sulpicium consulem, quod narrat Liv. xxxv. 16. *Quod magis Smyrnæi, Lampsaceni que Græci sunt, quam Neapolitani, & Rhegini, & Tarentini, à quibus stipendium, à quibus naves ex fœdere exigitis?* Cui respondet Sulpicius: *Ab Rheginis, & Neapolitanis, & Tarentinis, ex quo in nostram venerunt potestatem, uno, & perpetuo tenore juris semper usurpato, nunquam intermisso, quæ ex fœdere debent, exigimus.* Partem Italiæ vectigalem fuisse demonstrat Cicer. Verr. III. 11. *Cum in omnibus*, inquit, *vectigalibus ipsius Italiæ, quæ vectigalis sit, publicanus petitor, ac pignerator, non ereptor, neque possessor soleat esse.* Quæ quidem vectigalia, quippe Italiæ universæ molesta Cæcilia tandem lege sublata sunt. V. infr. in *Lex Cæcilia*. Augustus, cum censum in toto imperii orbe indiceret, provincias alias tributo in caput, alias tributo in solum oneravit, sed Italiam immunem utriusque reliquit. Et id *jus* Italiæ dictum. Hoc hanc vim habuisse ostendit Paull. l. 8. §. 3. ff. de censib. *Laodicea in Syria, & Berytos in Phœnice juris Italici sunt, & solum earum. Ejusdem juris & Tyriorum civitas à divis Severo, & Antonino facta est. D. Antoninus Antiochenses colonos fecit salvis tributis. Imperator noster Antoninus civitatem Emisenorum coloniam, & juris Italici fecit. D. Vespasianus Cæsarienses colonos fecit, non adjecto, ut & juris Italici essent, sed tributum his remisit capitis; sed D. Titus etiam solum immune factum interpretatus est.* III. Eodem jure militiæ quo Latini fuerunt obstricti; nempe ut in auxiliis, non in legione mererent: atque ex fœderis formula numerum militum, quem jussi essent, eodem modo, quo Latini, darent. Hujus *juris* testis est Polybius, qui bello Gallico Cisalpino maximas sociorum copias præter Latinorum auxilia ait fuisse, Sabinorum, Etruscorum, Umbrorum.... Et Plinius L. Æmilio Papo, C. Attilio Regulo coss. Italiam nuntiato Gallico tumultu solam sine externis auxiliis equitum LXX. millia, peditum DCC. armasse prodidit. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 21. *Spanhem. ad Constit. Anton. Imper. Exerc.* I. §. 11: II. §. 20. Quomodo differat à *jure* Quiritium, V. infr. in *Jus Quiritium*.

Jus Latii, vel Latinitas meavit ex fœdere, quod cum Latinis est percussum, *jure* civium Romanorum deterius, Italico aliquanto commodius. Latini alio quàm cives Romani usi sunt *jure*, I. privato. *Jus* Quiritium causam privatam complexum est, libertatis, gentilitatis, sacrorum, connubiorum, patriæ potestatis, legitimi dominii, testamentorum, & tutelarum. Latini nulla hujus parte sunt usi, nisi quidam ex iis populi fundi essent facti. V. illos infr. in *Populus*. Quod autem *jus*, aut quæ consuetudo harum rerum obeundarum apud Latinos fuerit, equidem vix inveniri, aut pro certo afferri posse crediderim. Quod tamen de sponsalibus eorum proditum sit, docet Gell. IV. 4. V. infr. in *Sponsalia*. Ex illo potest intelligi, Latinos ante civitatem Romanam acceptam alio *jure* sponsaliorum esse usos: postquam in civitatem accepti sunt, *jus* in eo Quiritium esse secutos. II. publico census, militiæ, tributorum, vectigalium, suffragiorum, & honorum. Nam nec omnino quidem idem habuerunt, sed tamen in eo ad civium Romanorum conditionem propiùs accesserunt. Censos Romæ Latinos non invenio, nisi si qui aut furtim eo nomine civitatem Romanam assequi voluissent, aut jam municipes facti essent. A tributis vacuos non fuisse videtur mihi prope ad similitudinem veri accedere, quia deteriore in censu erant positi, quàm quidem cives Romani, qui tributum contulerunt, ac vectigalia pependerunt. Præsertim cum scriptum inveniam apud Liv. VIII. 8. *Latinos, postquam stipendiarii facti sunt, scuta pro clypeis usurpasse.* Militasse pro Romanis non est dubium. Hoc enim & aliis ante fœderibus, & maximè Cassiano est provisum, ut Latini Romanorum arbitrio copias pedestres, & equestres darent, quarum opera ipsi in bello uterentur. Liv. III. 22. *Hernici & Latini jussi milites dare ex fœdere: duæque partes sociorum in exercitu, tertia civium fuit.* VI. 10. *Cum quæsitum ab Hernicis, & Latinis esset, cur per eos annos militem ex instituto non dedissent.* ... Suffragiorum ratione ea usi sunt, ut nec tribum certam, in qua suffragium ferrent, habuerint; nec nisi ad leges ferendas, & judicia faciende vocati sint; nec intercedente, vel consule, vel tribuno plebis, *jus* ullum suffragii ferendi habuerint, sed sæpè Urbe, in quam suffragiorum causa venerant, abire sint jussi. Hoc Cassiano fœdere impetratum apparet, de quo Dionys. VIII. p. 538. Cassius apud illum gloriatur, *se Latinos Romanorum consanguineos, sed gloriæ eorum invidentes ad amicitiam adduxisse, atque æquo jure civitatis donasse, ut non amplius Romam adversariam, sed patriam appellarent.* Civitatem tamen neque omnino cum suffragio, neque prorsus sine suffragio Latinis datam, sed ad arbitrium magistratuum, intelligitur ea verbis, quæ addit p. 540. *Latinos, & Hernicos, quam plurimos potuit, ad suffragium ferendum accivit: qui cum frequentes venissent, urbem hospitum turba repleverunt. Quod cum ad Virginium collegam delatum esset, per compita edici jussit, ut qui in urbe domicilium non haberent, intra certam diem exirent. Cassius autem contra edixit, ut qui civitate donati essent, dunec lex accepta esset, manerent.* Magistratum, sive honores Romæ ut peterent & caperent, civitatem Romanam sunt adepti. Ascon. in Ciceron. p. 156. *Cn. Pompejus Transpadanis colonis suo jus dedit Latii, ut possent habere jus, quod cæteræ Latinæ coloniæ, id est, ut petendi magistratus gratia civitatem Romanam adipiscerentur*, id est, ut qui *jus* Latii haberent, præter cætera civitatem etiam Romanam assequerentur, ubi apud Latinos magistratum petiissent, vel potiùs gessissent. Id apertè tradit Appian. Bell. civ. II. p. 441. *Novum Comum Cæsar ad jus Latii redegit, apud quos qui annuum gessissent magistratum, cives Romani fiebant: hanc enim vim habuit Latinitas. Marcellus autem consul Novocomensem quendam, & qui apud Novocomenses magistratum gesserat, ac Romæ se propterea pro cive gerebat, in Cæsaris contumeliam virgis cædi jussit, ut intelligeret se civem Romanum non esse.* Hi magistratus fuerunt ædilitas & quæstura. Strab. IV. p. 129. *Nemauso in Gallia jus Latii datum, ut qui Nemausi ædilitatem, & quæsturam adepti essent, ii cives Romani essent: eaque de causa populus ille Romanis prætoribus non paruit.* Sigon. de Ant. jur. Ital. I. 4. Panvin. Imp. Rom. c. 9. Goltz. Ital. p. 199. Prevot. de Magistrat. Rom. c. 1.

Jus legitimi dominii fuit positum in sex rebus: hæreditate, mancipatione, in jure cessione, usucapione, sub corona emptione, & auctione. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 11. V. singulas suis locis.

Jus liberorum est à Græcis derivatum. Quippe Spartani multiplicandorum civium causa legem tulerunt, ut qui tres liberos genuisset, à custodiæ munere immunis esset, si credimus Ælian. Var. Hist. VI. 6. *Lex est Spartanis, ut qui tres filios suppeditaret Respublicæ, is ab excubiis liber esset.* Ad Romanos ita transiit, ut præturas, quæsturas, omnesque magistratus, & honores ad numerum liberorum parentibus distribuerint. Frumentum pro liberorum numero accipiebant. Et in fascibus sumendis priores erant, qui liberos plures habebant. Ideoque variæ apud Romanos leges natæ, ut Julia, Papia Poppæa..... Inprimis trium liberorum, ad quod ita ho non invitum Juven. IX. 87.

Jura parentis habes, propter me scriberis hæres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.
Commoda præterea jungentur mille caducis,
Si numerum, si tres implevero.

Quia, qui sine sobole erant, quod in testamento à testatore legatum erat, non capiebant, nec ad caducarum hæreditatum admittebantur successionem. Quapropter etiam steriles, quod fortunæ iniquitas denegaverat, a bonitate Regum, vel Imperatorum impetrare conabantur. Mart. II. 91. 5.

Quod fortuna negat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar ut esse trium.

Barthol. de Puerper. p. 5. Augustin. de Legib. in Papia Poppæa. Radet. in Martialem. Lips. in Tacit. Annal. III. Excurs. C. Bernart. in Stat. Silv. IV. 8. 21. Beroald. & Torrent. in Suet. Claud. c. 19. Origo ejus à lege Julia de maritandis ordinibus. Dio LV. p. 549. D. *Livia in numerum*

rum matrum, qua ter peperissent, adscripta. Quibus enim vel viris, vel feminis fatum aliquod proventum tot liberorum negavit, iis lex antea quidem per senatum, nunc autem per Principem jura gratificatur natorum, ita ut neque pœnis orbitatis obnoxii sint, & premia omnia multitudinis consequantur, paucis saltem exceptis. Solum hoc dedisse Principem scribit Mart. II. 92. r.

Natorum mihi jus trium roganti
Musarum pretium dedit mearum
Solus qui poterat: valebis uxor.
Non debet domini perire munus.

Lips. & Bernart. l. l.

Jus mancipii est *jus* dominii emptione acquisiti. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* 1. c. 11. V. infr. in *Mancipatio*.

Jus maritale à Romulo marito concessum in uxorem, si pudicitiam violasset, & vinum bibisset, horum convictam pro arbitrio punire, ubi causam cum propinquis cognovisset. Gel. x. 23. *Qui de victu, atque cultu populi Romani scripserunt, mulieres Romæ, atque in Latio abstemias egisse, hoc est, vino semper abstinuisse dicunt. . . M. Cato non solum existimatas, sed multatas quoque à judice mulieres refert, nun minus si vinum bibissent, quàm si probrum, & adulterium admisissent. Verba Catonis adscripsi ex oratione, quæ inscribitur de dote, in qua id quoque inscriptum est, in adulterio uxores deprehensas jus fuisse maritis necare. Vir, inquit, nisi cum divortium fecit, mulieri judex, & pro censore est: imperium, quod videtur, habet. Si quid perversè, tetrèque factum est a muliere, multatur: si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid facit, condemnatur. Et de jure occidendi ita scriptum: In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio impune necares: illa te, si adulterares, digito non auderet contingere, neque jus est.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. 1. 9. Rittersh. in Leg. x11. tab. Class. III. p. 1. c. 7.

Jus municipiorum. V. illud inf. in *Municipium*.

Jus naturale erat duplex: unum, quod natura docuerat: alterum, quod ratio. Quod natura docuerat, ideo naturale dicebatur, quia illud natura docuerat, quæ cunctis hominibus cum belluis communis erat, & sic directè. Quod ratio, ideo naturale vocabatur, qui ratio, quæ solis tributa est hominibus, esset naturalis, & sic indirectè. Non enim ideo naturale dicebatur, quod ratio illud docuerat, sed quia ratio naturalis erat: & sic per consequens, & indirectè. Si enim ratio non fuisset naturalis, utique nec *jus* illud, quod ratio docebat, *juris* naturalis nomine censeri potuisset. Hæc si considerasset Laurentius Valla, tam iniquè Ulpiano convicium non fecisset, existimans cum in brutis nulla sit ratio, nullum in iisdem *jus* esse. Quo quid absurdius potest dici? Si enim vim vi repulero, nonne *jure* facio? si id bellua fecerit, an quæso quod in brutis nulla sit ratio, ideo minùs *jure* factum causabere? Vim vi repello, quod illud mihi suggerat, qua præditus sum, ratio: bellua vim vi repellit, quod illam id natura, quam cum hominibus habet communem, sic facere docuerit. Ut enim esset *jus*, non ex utentium qualitate, sed ex facto æstimabatur. Proinde quæ ab hominibus, vel à brutis fierent, si quam justi, & æqui effigiem referrent, *juris* appellatione olim continerì, nemo nem posse inficiari arbitror. *Jus* illud, quod ratio docuit, partim erat constitutum, partim non constitutum. Quod enim naturalis ratio constituit, siquidem inter omnes homines, apud omnes peræquè custoditur, vocaturque *jus* gentium, quasi quo *jure* omnes gentes utantur: sin verò intet alicujus civitatis populum, *jus* civile dicitur. A *jure* autem solis hominibus proprio *jus* gentium recedere facile est intelligere, quia *jus* gentium *jus* est naturale constitutum, & usu receptum: *jus* verò naturæ hominum mentibus inhærens justa ratio. Quæ si constituatur, & in usum aliquem recipiatur, mutat nomen suum: & si quidem à gentibus, *juris* gentium; sin verò à civibus, *juris* civilis nomen adsumit. *Rævard. Var.* 1. 1. *Grot. de jur. bell. & pac.* 1. 1. §. 10.

Jus nexi est *jus* dominii oppignoratione, aut alia obligatione acquisiti. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* 1. 11. V. infr. in *Nexus*.

Jus nuptiarum dicebatur auctoritas tutorum & matris. Puellæ viripotentes sic olim in tutorum fuisse videntur potestate, ut ex eorum, & matris, si ea superstes esset, arbitrio nuberent. Et quamvis in deligendo marito tutores à matre dissentirent, nihil tamen arbitrio puellæ tribuebatur, sed magistratus, si res peragi inter parietes nequisset, cognita tutorum, matrisque causa, aut secundum tutores, aut, si ita videretur æquitas postulare, secundum matrem judicabant, auctore Liv. IV. 9. Nec erat, cur in *jus* proditetur, si de *jure* nuptiarum maternæ, & tutelares controversiæ transigi *inter parietes non potuissent*, ut addit Livius. Tunc enim si non verbis, saltem sortitione, controversiis hujusmodi finis imponebatur. Ea, nisi fallor, ratione, qua de servilibus nuptiis sortitione conciliatis disserit Plaut. Casin. 1. 7. Eoque respexisse videri potest Suet. Tib. c. 35. n. 5. cum ita scriberet: *Alium & quæstura removit, quod uxorem pridie sortitione ductam postridie repudiasset.* Sensus enim est, quæstorem remotum à Tiberio quæstura fuisse, quod eam, quam pridie tutoribus, matre, aliisque propinquioribus amicis dissentientibus sortitione acquisierat uxorem, postridie, hoc est, altero, quàm eam duxerat, die repudiasset. Et hoc quidem nuptiatum *jus* antiquissimum primi, expressa lege, Severus & Antoninus Imperatores sustulisse videntur. Eos enim in hæc verba rescripsisse auctor est Paull. l. 20. de rit. nupt. *Ad officium tutoris administratio pupillæ pertinet, nubere autem pupilla suo arbitrio potest.* Eamque legem intelligit Ambros. de Virginib. 1. scribens: *Nempe si hominem amarent, sua vestra per legem possent eligere quem vellent.* Rævard. Conject. II. 15.

Jus occupationis erat ejusmodi, ut, quod nullius esset, primum occupanti acquireretur. *Sigon. de Judic.* 1. 4.

Jus ordinarium opponitur cognitioni. Svetonius. V. illud supt. in *Cognitio*. Est verò, cum prætor, aut is, qui jurisdictioni præest, ipse non cognoscit, sed judices dat privatos. Marcian. l. 17. §. 2. ff. de furib. balneat. *Sed si interdiu furtum fecerunt, ad jus ordinarium remittendi sunt.* Turneb. Adv. xxvi. 19. Salmas. de Mod. usur. c. 3. Siccam. de Centumv. judic. 1. 2. Rævard. de Div. reg. jur. c. 1. Torrent. & Pitisc. in Svet. Claud. c. 15. n. 2.

Jus Papirianum fuit dictum *jus* civile, quia Sextus Papirius, qui vixit tempore Tarquinii Superbi, leges regias collegit. Pompon. l. 2. §. 2. ff. de orig. jur. *Romulus leges quasdam curiatas ad populum tulit: tulerunt & sequentes Reges, quæ omnes conscripta exstant in libro Sexti Papirii, qui fuit illis temporibus, quibus Superbus Demarati Corinthii filius, ex principalibus viris. Is liber, ut diximus, appellatur jus civile Papirianum, non quia Papirius de suo quicquam ibi adjecit, sed quod leges sine ordine latas in unum composuit.* Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. 1. 5. Augustin. de Famil. in Papiria. Pollet. For. Roman. v. 4. Rævar. de auctor. prudent. c. 1.

Jus patrium, quod cives Romani in liberos habuerunt, prope fuit infinitum. Neque enim bona solum eorum, quod tradit Dionys. VIII. p. 547. sed vita etiam, & libertas in potestate parentum fuit. Justinian. Instit. 1. *Jus potestatis, quod habemus in liberos, proprium est civium Romanorum. Nulli enim sunt homines, qui talem in liberos habent potestatem, qualem nos habemus.* Hanc jam inde à Romulo permissam fuisse tradit Dionys. II. p. 96. *Romulus omnem parentibus in liberos potestatem in perpetuum dedit coercendi, verberandi, rusticis in operibus habendi, ac demum etiam occidendi: quamvis ipsi vel Rempublicam administrarent, vel summos honores gessissent, atque ex iis maximam laudem consecuti essent. . . Neque hac licentia contentus Romulus, potestatem etiam filiorum vendendorum patribus usque ad tertiam auctionem concessit: quæ potestas multò major est, quam domini in servum; nam servus à domino venundatus recepta libertate liber est, filius iterum in potestatem patris revertitur: post tertiam verò venditionem, si se in libertatem vindicarit, è potestate patris egreditur.* Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. 1. 10. Augustin. ad XII. tab. §. 6. Nann. Misc. x. 5. Rævard. in Leg. XII. tab. c. 3. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class.

Class. III. p. 1. c. 1. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. p. 409.

Jus prætorium, quod Probus Imperator præsidibus dari voluit, vocat Vopisc. c. 13. *Jus pratorium præsidibus daremus*, quod præsides provinciarum ex administratione reversi sederent in senatu inter prætorios. *Casaub. in Vopiscum.* Cave hoc esse censeas. Est enim aliud nihil, quàm præsides cum *jure* prætorio, V. illud supr. in *Jus honorarium*, in provincias mittere. Qui cum *jure* consulari provincias administrabant Cæsarianas, consulare dicebantur, etsi nunquam consules fuissent. Sic quos Cæsar idem provinciis suis præficiebat cum *jure* prætorio regendis, prætorii legati, & legati proprætorii audiebant. *Salmasius Vopiscum.*

Jus provinciale alio nomine formula provinciæ nuncupabatur. *Jus* enim ipsum singulis regionibus à populo Romano concessum, illud est postliminium, quo regio à regione distinguitur. Emanavit ex legibus fœderis cum populo Romano percussi. Itaque ut fœderis leges æquiores, iniquioresve fuerunt, sic diversa fœderum genera intulerunt. Quoniam autem leges, quæ provinciis datæ sunt, iniquiores fuerant, quàm quæ Latio, atque Italiæ, propterea provinciæ *jus* etiam deterius, quàm Latium, eique Italia, sunt adeptæ. Nam Italia vectigalis est facta illis quidem, sed tamen in universum libertate donata. Provinciæ non solum vectigalibus, sed etiam servitute multatæ sunt: quippe quæ legibus suis, ac magistratibus *jus* dicentibus spoliatæ sunt. Id verò argumento est, quod provincia nulla fuit, quæ non Romanum prætorem, qui *jus* diceret, & quæstorem, qui vectigalia procuraret, habuerit. *Sigon. de Ant. jur. prov. I. 1. Goltz. Ital. p. 199.*

Jus Quiritium ferè idem est, quod civitas Romana & *jus* Quiritium dare, quod civitatem Romanam largiri. Dicit hoc Ulpian. fragm. tit. 3. §. 2. *Beneficio Principali Latinus civitatem Romanam accipit, si ab Imperatore jus Quiritium impetravit.* Ac jam ante de Cornelio Balbo minore, qui Romæ triumphaverat, Plin. v. 5. *Uni huic omnium externo curru, & Quiritium jure donato: quippe Gadibus genitus, civitas Romana, cum Balbo majore patruo data est.* Quum alioqui non pro eodem continuo habendum *jus* illud Quiritium, aut Romanæ civitatis, quatenus nempe plenum, seu publicum haud minùs, ac privatum *jus* civitatis intelligitur: erat enim paullò excellentius, & dignius, quàm civitas Romana. Nam quibusdam libertis concedi *jus* Quiritium à Trajano peregrinis ingenuis civitatem Romanam legimus apud Plin. Epist. x. xx. 1. *Ago gratias, Domine, quod & jus Quiritium libertis necessaria mihi feminæ, & civitatem Romanam Harpocrati, jatraliptæ meo, sine mora indulsisti.* x. 4. 2. *Quare rogo, des ei civitatem Romanam: est enim peregrinæ conditionis, manumissus à peregrina. Item rogo, des jus Quiritium libertis Antoniæ Maximillæ* . . . . . Spanhem. ad Constit. Anton. Imp. Exercit. I. §. 12. Panvin. Imp. Roman. c. 9. Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 17. B. Cellar. in Plin. x. 4. 2. De illo Cicer. in Rull. II. 19. *Retinete istam possessionem gratiæ, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum dierum, cæterorum omnium commodorum.* Quibus verbis cum publicum, tum privatum *jus* Quiritium contineri facilè quivis intelligit: quorum illud in *jure* census, militiæ, tributorum, vectigalium, suffragiorum, honorum, sacrorum erat situm: istud *jus* erat libertatis, connubiorum, patriam, legitimi dominii, nexus, testamenti, & usucapionis. *Spanhem. ibid. §. 2. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 5.* . . . *Revard. Var. v. 12. Goltz. Ital. p. 199. Jus* civium Romanorum appello universum *jus*, quo utebantur, qui optima lege cives Romani erant: quod est aliud nihil, quàm qui tribus, & maximè rusticas obtinebant. Hujus autem duæ potissimum partes feruntur: una quæ scripto constitit; altera, quæ sine scripto in consuetudinem venit. Ac scriptum quidem Reges, decemviri, Jurisconsulti, consules, tribuni plebis, senatus, & prætores constituerunt: non majorum instituta in Rempublicam invexerunt. *Sigon. l. l.*

Jus relationis penes quos fuerit. V. infr. in *Relatio*.
Jus sacrorum. V. illud infr. in *Sacra*.
Jus suffragiorum. V. illud infr. in *Suffragia*.
Jus testamentorum. V. illud infr. in *Testamentum*.
Jus tutelarum. V. illud infr. in *Tutela*.

JUSSOR erat magistratus navalis. V. illum supr. in *Hortator*.

JUSTA sunt exsequiæ, i. e. sacrificia, quæ mortuis impenduntur, & funerandi sollennitas. *Justa funebria* dicuntur Liv. I. 20. *Nec cœlestes modo ceremonias, sed justa quoque funebria, placandosque manes ut idem Pontifex edoceret. Justa peragere* est funerandi officium implere. Plin. II. 109. *Ea cum secutus justa peragerent, invenisse dicuntur epistolam.* A Græcis id sumptum, qui ὅσια appellant τὰ νόμιμα, quasi sanctum *justumque* officium. Propterea *solvere justa* dixit Cicer. pro Sext. Rosc. c. 8. *Hunc miserum, luctu perditum, qui nondum etiam omnia paterno funeri justa solvisset, nudum ejecit domo.* Bud. in Pandect. p. 91. A. Sequebantur exsequias. Stat. Theb. IX. 903.

Huic dabis exsequias: atque inter justa memento
Ne quis inexpertis hebetet mea tela lacertis.

Ubi vetus Scholiastes: *Hoc est, omnem pompam, qua manes meus decorabis, & mea memoria satisfacies.* Barth. in Statium. Hæc facere hæredes tenebantur, & evertiatores nominabantur. Festus. *Justa* autem facere erat glebam injicere, tenebanturque præstare antequam novas fruges gustarent. Qui neglexissent, capitale commisisse credebantur, ut ex illis Festi verbis apparet. *Meurs. de Fun. c. 37.* Non fiebant fulmine occisis. Festus in Occisum: *In Numa Pompilii Regis legibus scriptum est: Homo si fulmine occisus est, ei justa nulla fieri oportet.* Legis ratio I. est quam adfert Artemid. II. 8. *quod nullus fulmine ictus infamis, aut ignominiosus exstat, quietiam velut deus colebatur.* Dii enim nec *justa* fiebant, nec illi lugebantur. II. & illa probabilior, quod inter prodigia habebantur. Liv. x. 31. *Annus prodigiis sollicitus: in exercitu Appii Claudii nuntiatum est pleresque fulmine ictos.* Ut in Catilinianis prodigiis *M. Herennius decurio sereno die fulmine ictus est.* Plin. II. 51. Et post Agrippinæ parricidium *prodigia crebra & irrita intercessere* . . . . *mulier in concubitu mariti fulmine exanimata.* Tacit. Annal. XIV. 12. §. 4. Quæ quidem prodigia cum certo sacrificii genere procuranda, expiandave essent, nullo alio ritu solvi *justa* poterant, sed prodigii saltem procuratio danda piaculari sacro. *Guther. de Jur. man. I. 2.*

JUSTITIUM dicitur, quum *jura stant*, & silent. Gell. XX. 1. *Justitium est inter rees quasi interstitio quadam, & cessatio, quibus diebus nihil cum his agi jure potest.* Et tabernæ in foro claudebantur. Liv. IX. 7. *Extemplo, sine ulla publica auctoritate concessum in omnem formam luctus est. Tabernæ circa forum clausæ, justitiumque in foro sua sponte cœptum prius, quàm indictum.* III. 27. V. illum infr. in *Tumultus*. Glossæ optimæ: *Justitium*, ἀπραξία. Unde *iners* dicitur Solin. c. 1. *Ne inerti justitio langueret opera virtutis.* Hoc in luctu publico ob amissos viros principes indicebatur. Auctor consol. ad Liviam de morte Drusi n. 183.

Incerti claudunt que domos, strepitantque per urbem;
Hic illic pavidi clamque palamque dolent.
Jura silent, mutaque tacent sine vindice leges:
Adspicitur toto purpura nulla foro.

Tacit. de morte Germanici Annal. II. 82. 4. *Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magistratuum, ante Senatusconsultum, sumpto justitio desererentur fora, clauderentur domus, passim silentia, & gemitus, nihil compositum in ostentationem.* Kirchman. de Fun. Roman. IV. 11. Guther. de Jur. man. III. 29. Tiraquell. in Alex. v. 18. Fab. Semest. II. 10. Laz. Comm. Reip. Roman. IV. 7. Brisson. de Form. II. p. 259. Bud. in Pandect. p. 144. C. Poller. For. Roman. I. 8. Cerda Adv. sacr. c. 185. n. 44. Salmas. Plin. Exerc. p. 13. b. F. Moretell. Pomp. Funeb. IX. 7. Aring. Roman. Subterr. VI. 49. §. 3. Pitisc. in Svet. Tib. c. 52. n. 3.

JUT.

JUTURNA nympha fuit, ut Varr. de Ling. Lat. iv. 10. scribit, quæ juvabat: itaque multi ægroti propter id nomen aquam petere à fontibus soliti. Virg. Æneid. xii. 138.

Extemplo Turni sic est affata sororem
Diva deam, stagnis quæ fluminibusque sonoris
Præsidet: hunc illi Rex ætheris altus honorem
Jupiter erepta pro virginitate sacravit,
Nympha decus fluviorum.

Ubi Servius: *Juturna fons est in Italia saluberrimus, juxta Numicum fluvium, cui nomen à juvando inditum est: de hoc autem fonte Romam ad omnia sacrificia aqua afferri consueverat.* Alii tradunt, *Juturnam* in lacu fuisse submersam, cui ipsa nomen indiderit. Colebatur à Romanis. Ovid. Fast. i. 463.

Te quoque lux eadem Turni soror æde recepit.

quæ erat ad aquam Virgineam in regione circi Flaminii, ut Victor:

Hic ubi virginea campus obitur aqua.

Quibus poeta ostendit, in campo Martio prope virgineam aquam cultam fuisse. Variè tamen ab antiquariis hoc tempore de *Juturnæ* aqua traditur: quidam enim eam statuunt in eo loco, qui nunc vulgo Treglio appellatur, qui non infirmis rationibus aguntur: alii prope forum, non procul à circo, quo loco, ut fontem conspicaret, memini me sæpè descendisse. *Gyrald. Synt. deor. i. p. 51. C. v. p. 182. E. Voss. de Idolol.* ii. 80. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* v. 5. *Bacc. de Therm. vet. c. 4. Lomej. de Lustrat. c.* 17. *Hospinian. de Fest. Ethnic. p.* 96. *Kipping. Antiq. Roman.* i. 4. §. 3.

JUV.

JUVENALIA erant feriæ, cum juvenibus barba raderetur, ut, quemadmodum tyrocinii die pueros exuebant, sic rasa barba juventutem, inque viros transirent. Illa instituit Nero. Svet. c. 11. n. 1. *Spectaculorum plurima, & varia genera edidit: Juvenales...* Tacit. Annal. xiv. 15. 1. *Ne tamen adhuc publico theatro dehonestaretur, instituit ludos Juvenalium vocabulo.* Institutorum causam tradit Xiphil. lxi. p. 698. C. *Post hæc celebravit festa alterius generis, quæ dicuntur Juvenalia, ea propter barbam ejus, quæ tum primum rasa fuerat, facta sunt: cujus pilos in sphæram auream conjectos Jovi Capitolino consecravit.* Primum per hortos, & domos agebantur. Tacit. Annal. xv. 33. 1. *C. Lecanio, M. Licinio coss. acriore in dies cupidine adigebatur Nero, promiscuas scenas frequentandi: nam adhuc per domos & hortos cecinerat Juvenalibus ludis. Non tamen Romæ incipere ausus, Neapolim quasi Græcam urbem delegit.* Rycq. de Capitol. c. 14. Lips. in Tacit. Annal. xiv. n. 38. & Excurs. B. Faber Semestr. i. 20. Pius Annot. post. c. 21. Turneb. Adv. xxvii. 18. Rhodig. Ant. Lect. xix. 22. Siccam. in Fast. Kalend. c. 5. Tomas. de Donar. c. 11. Hospin. Fest. Ethnic. p. 231. Paschal. de Coron. vi. 30. Laz. Comm. Reip. Rom. x. 11. Torrent. & Pitisc. in Svetonium. Laurent. de Natal. c. 3. Mod. de Lud. vet. ii. 29.

JUVENES olim barbati erant, rasi viri. Juven. Sat. vi. 15.

—cujus barbam tua janua vidit.

Et id voluit Cicer. Attic. i. 16. V. illum supr. in *Barba.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. ii. 1. Ad annum quintum & trigesimum abstinebant vino. *Buleng. de Conviv. Prolus.* iii. Frequentiùs debebant lavari. *Bacc. de Therm.* c. 19. *Ludis secularibus nocturnum spectaculum non frequentabant, nisi cum aliquo majore natu propinquorum.* Svet. Aug. c. 31. n. 5. *Panvin. de Lud. secul. Thes. Antiq. Rom. Græv. Rom.* ix. p. 1079. A.

JUVENTAS dea, *quæ post prætextam excipiebat juvenilis ætatis exordia.* August. de Civ. Dei iv. 23. Effingebatur ab antiquis mulier formosa, ætate juvenili, vestibus versicoloribus, & floridis ornata, non absimilis deæ Floræ. Vocabatur & *Juventus*. Liv. xxxvi. 36. *Juventutis ædem in circo maximo Licinius Lucullus duumvir dedicavit: voverat eam sedecim annis ante M. Livius consul, quo die Asdrubalem...* & *Juventa*. Ovid. Pont. i. 10. 11.

Nectar & ambrosiam, latices, epulasque deorum
Det mihi formosa gnava Juventa manu.

Gyrald. Synt. deor. xi. p. 335. D. Laurent. de Natalit. cap. 1.

K.

K Pro C apud Romanos in Cæsarum nummis juxta & saxis non semel legitur, ex prisca utique scribendi apud eos consuetudine retenta. *Spanhem. de Præst. & usu numism. Dissert.* ii. *p.* 74. Est eadem omnino litera ac C. V. supr. in C. Unde Diomed. ii. p. 419. edit. Putsch. *K. consonans muta supervacua, qua utimur, quando à correpta sequitur, ut Kalendæ, Kaput, Kalumnia.* Idem ferè, sed explicatiùs, hoc scribit Q. Terent. Scaur. de Orthogr. ibid. p. 2252. *K. quidam supervacuam esse literam judicaverunt, quoniam vice illius fungi C satis posset, sed retenta est, ut quidam putant, quoniam notas quasdam significaret, ut Kasonem, ut Kaput, & Kalumniam, & Kalendas. Hac tamen antiqui in connexione syllabarum ibi tantum utebantur, ubi A litera subjungenda erat.* Adstipulatur his etiam Quintil. Instit. Orat. i. 4. qui *K.* literam inter redundantes numerat, & esse quorumdam nominum notam affirmat. *Pigh. Annal. Rom.* ii. *p.* 485. Primus literis adjecit Sallustius ludimagister quidam. In multis ea usi veteres; non tamen ante *o*, quanquam KOS pro consule sit in antiqua inscriptione quadam; sed ante *a*, ut cum duobus KK. *Kalumnia causam* significarent, teste Isidoro. Sanè quia ut *C.* condemnationis, ita *K.* Kalumniæ nota erat. Ideo non *C*, ut putat Turneb. Adv. viii. 22. sed *K.* intelligi puto à Cicerone verbis ex ejus oratione pro Roscio Amerino adductis supr. in *C.* & illis verbis significari, fronti kalomniatorum inuri solere *K*, ut kalumniæ notam; iisque hanc quoque pœnam imponi solere, ut accusare amplius non possent. Sanè hoc modo puniebantur prævaricatores, & tergiversatores, ut scribit Paull. Dig. xlviii. ad SCtum Turpilianum. Utebantur ea in multis, sed inprimis in tribus vocibus: unde Auson. de lit. monos. Græc. & Lat. n. 20.

Hæc tribus in Latio tantum addita nominibus K.

Quæ sint hæ voces, docet nos Terentianus Maurus:

K similiter otiosa est cæteris sermonibus;
Tumque in usu est, cum Kalendas annotamus, aut Kaput.
Sæpè Kæsones notabant hac vetusti litera.

Intellige autem, cum legis, non cum hominis caput signarent. *Voss. Gramm.* i. 17. *Pigh. l. l.*

KÆS.

KÆSO ac Caius distincta erant prænomina, ac primum *K*, alterum *C* scribebatur. Hinc in Fastis Capitolinis anno ab U. C. 296. legitur: Q. FABIUS, M. F. K. N. VIBULANUS. nempe *Marci filius, Kaisonis nepos*. Diphthongus Æ anno ab U. C. 271. Romæ nondum in usu erat, sed more Græcorum diphthongo *AI* utebantur, & scribebant, ut *Aimilius*, ita etiam *Kaiso*. Noris. Cenot. Pisan. Dissert. iii. 4. *Cæsones appellantur ex utero matris exsecti.* Festus. Prænomen hoc quandoque fuisse loco cognominis indicant antiqua saxa, & præcipuè illud apud Gruter. p. 335. n. 1.

D. M. S.
M. CÆLIO. L. F
MUTILO
VETER. LEG. XXX.
V. V

M. T.

M. T. CÆSI. M. F
KESONES. HERED
EX. TESTAMENTO. FEC...:

Urfat. de Not. Rom. Thef. Ant. Roman. Grav. Tom. xi. *p.* 790. *D. Kafo*, five *Cefo*, pater Q. Fabii Vibulani, fuit quæftor perduellionis anno ab U. C. 269. *Auguftin. de Famil. in Fabia*.

KAL.

ΚΑΙΣΑ΄ΡΙΑ, aut Σεβάστεια vocabantur omnes ædes Cæfaribus Romanis facratæ, ut liquet ex Philone Judæo de Legatione ad Cajum, & Jofepho de Bell. Jud. I. 16. Et Καισάρειον dicta fuit ecclefia apud Socrat. VII. 15. non quia à Cæfare Conftantio dedicata erat, ut viri docti exiftimant; fed quia olim Adriano Cæfari deftinata fuerat. *Ruben. de Urb. Neocor. Thef. Ant. Roman. Grav. Tom.* xi. *p.* 1357. C.

KAL.

KALENDÁS Græci non habent, fed primum menfis diem νουμηνίαν vocant. Dionyf. VIII. p. 525. *Menfe Decembri fequentis anni, tempore novilunii, quod Græci νουμηνίαν, Romani Kalendas vocant*. Pitifc. in Svet. Aug. c. 87. n. 2. Inde proverbium: *ad Græcas Kalendas*, pro nunquam. Hinc Auguftus *ad Kalendas Græcas foluturos* dixit, apud Svet. c. 87. n. 2. *quos nunquam foluturos fignificare voluit*. Erafm. Adag. p. 538. *n.* Moreftell. Philom. III. dial. 7. Hofpin. Feft. Ethnic. c. 4. Gyrald. de Ann. & menf. Oper. Tom. II. p. 791. A. Poftell. de Republ. Athen. c. 4. Et quia Græci illis carent, mirum, Romanos eas per Græcanicam literam fignaffe. *Voff. Gramm.* I. 17. Fruftra eft Balfamon, qui Expof. Canon. Synod. Trull. 62. fic appellatas dicit à tribus prudentiffimis viris Romanis, qui tempore Antonini Imperatoris Romanos à malo famis eripuerint, Kalendo, Ido, & Nono, quorum unus 18, alter 8, tertius 4 diebus urbem totam paverint, & hanc mercedem retulerint, ut à fe dies cujusque menfis appellarentur. Hoc commentum, quod mirum eft potuiffe placere gravi, & docto fcriptori, primus commentus eft, cum ignoraret, unde dicerentur, jactantiffimus ille Johannes Tzetzes Chil. III. hift. 6. 7. 8. *Voff. Lex. Etymol. in C. Lipen. de Stren. c.* 4. §. 6. De illis Macrob. Sat. I. 15. *Prifcis temporibus, antequam fafti à Cn. Flavio fcriba invitis patribus in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ lunæ primum obfervaret afpectum, vifamque regi facrificulo nuntiaret, itaque facrificio à rege, & minore pontifice celebrato, idem pontifex kalata, id eft, vocata in Capitolium plebe juxta curiam Kalabram, quæ cafæ Romuli proxima eft, quot numero dies à Kalendis ad nonas fupereffent, pronuntiabat: & quintanas quidem dicto quinquies verbo καλῶ, feptimanas repetito fepties prædicabat: & hunc diem, qui ex his diebus, qui kalarentur, primus effet, placuit Kalendas vocari*. Lalamant. de Ann. Roman. Thef. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 172. B. Siccam. in Faft. Kalend. c. 6. Lipen. de Stren. c. 4. §. 3. Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thef. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 186. E. Jun. de Ann. & menf. c. 5. Gyrald. l. l. Ea erat ratio *kalandi* i obfervandi autem momentum in vigilantia pontificis minoris erat fitum, quam natura loci adjuvabat. Rupes enim Tarpeja, feu Capitolina, in qua cum curia calabra, tum ædes pontificis erant, illo loco erat editiffima prope templum Jovis Capitolini, ex qua ortum lunæ, errantium fiderumferenitam obfervare promptum erat, quod plaga inter meridiem & occidentem oppofita liberum verfus ortum haberet profpectum. Caufa *calandarum* dierum erat, quod poft novam lunam oporteret nonarum die populares, qui in agris erant, in Urbem confluere, ut acciperent caufas feriarum à rege facrorum, fcirentque quid quoque iftius menfis die faciendum effet. *Lipen. ibid.* §. 4. Qua formula ufi fuerint, tradit Varr. de Ling. Lat. v. n. 4. dum fcribit, quod pontifex ita proclamaverit: *Dies te quinque Kale Juno novella*, fi quintanæ effent nonæ. *Dies te feptem Kalo Juno novella*, fi feptimanæ. Cur autem Juno? quia omnes Kalendæ in Junonis præfidio erant. Cur novella? quia de novis novi menfis diebus agebatur. Quanquam Scaliger pro *Juno Jana* legere malit ex vetuftis quibusdam codicibus. *Lipen. ibid. c.* 5. V. Scaligerum fupr. in *Jana*. Dicebantur primus dies cujuslibet menfis, & ab Idibus reliqui in finem menfis numero addito, ut decimo feptimo, decimo fexto, decimo quinto *Kalendas*, & fic deinceps ordine retrogrado, & imminuto, feu numeros diminuendo, dum ad ultimum diem menfis veniatur. Sed pridie *Kalendas* dicimus, non fecundo *Kalendas*, quod fecundus à verbo fequor dicatur, ultimus autem dies menfis præcedat primùm diem, feu *Kalendas* fequentis menfis, non autem fequatur. Macrob. Sat. I. 16. *Latu veteres incola, quia nihil jam tum ab Ægyptiis difcere licebat, ad quos nullus illis commeatus patebat, morem Græciæ in menfium numerandis diebus fecuti funt, ut retroverfum cedente numero ab augmento in diminutionem computatio refoluta defineret. Ita enim nos decimum diem, deinde nonum, ut Athenienfes δεκάτην καὶ ἐνάτην φθίνοντος μηνὸς foliti funt dicere.* In illis dicendi formulis compendiosè loquimur, & defectuosè: deficit enim præpofitio ante, à qua accufativus *Kalendas* dependet, & regitur, ut integra fit oratio, decimo feptimo die ante *Kalendas*, hoc eft ante primum diem menfis denominati, Maji v. g. aut Junii, aut alterius. Similiter cum dicimus ad octavum, ad feptimum *Kalendas* Aprilis, fubaudimus diem ante, ut fit ad octavum, vel ad feptimum diem ante *Kalendas* Aprilis. Unde liquet *Kalendas* menfis effe in menfe antecedenti: fic *Kalendæ* Januarii in Decembri funt, *Kalendæ* Februarii in Januario... Quot Kalendas, Nonas, Idus quilibet menfis habeat, his verfibus difces:

Sex Majus Nonas, October, Julius, & Mars,
Quatuor at reliqui: tenet Idus quilibet octo.
Inde dies reliquos omnes dic effe Kalendas:
Nomen fortiri debent à menfe fequenti.
Verfibus his nofcas menfis cujusque Kalendas:
Tantum, Tendebat, Quod, Regni. Summa, Regebat,
Sanctus, Rex, Talis, Sapienter, Regna, Subegit.

Duo ultimi verfus artis funt, fuis tantum primis, & capitalibus literis utiles, & notandi, cætera nullum fenfum habentes. Ambo verfus duodecim dictionibus conftant, quarum fingulæ fingulis menfibus attribuuntur: prima fcilicet *Tantum* primo menfi fcilicet Januario, fecunda fcilicet *Tendebat* fecundo menfi Februario, tertia tertio menfi, & fic deinceps. *Tantum* ergo, quæ prima eft dictio, Januario attribuitur: *Tendebat* Februario: *Quod* Martio: *Regni* Aprili: cæteræ dictiones cæteris menfibus eodem ordine. Dictio ergo *Tantum*, quæ Januario attribuitur, & dictio *Tendebat*, quæ Februario, fignificat Januarium & Februarium tot *Kalendas* habere, quota *T* earum litera capitalis eft in ordine alphabeti. *T* autem in alphabeti ordine decima nona eft: unde colligere licet Januario & Februario *Kalendas* novendecim effe tribuendas. Sic quia litera *Q* capitalis tertiæ dictionis in primo verfu in ordine literarum decima fexta eft, quæ Martio tribuitur, fit ut Martio fedecim *Kalendas* tribuere oporteat. Id quoque in cæteris quoque menfibus pro dictionum ordine, & literarum initialium, feu capitalium numero obfervandum, & faciendum eft. Sed memineris *Tantum* Decembri attribuendum, *Tendebat* Januario, *Quod* Februario, *Regni* Martio, *Summa* Aprili: quod in Decembri *Kalendæ* fint Januarii, in Januario Februarii, in Februario Martii, in Martio *Kalendæ* Aprilis, & cæterorum fimiliter. Cum autem in enumeratione menftruorum dierum Nonæ & Idus *Kalendas* antecedant, eaque *Kalendarum* conditio fit, ut præter unum, primum fcilicet cujusque menfis diem, reliquæ alterius menfis fint: in enumeratione trium illarum menfis partium cavebant diligenter Romani, ne ante Nonas & Idus Kalendas nominarent. Itaque Nonas, Idus, *Kalendas* dicebant, ne fi fecus nominarent, malè ominofum effet. *Lalamant. ibid. p.* 271. *B.* Junoni facras habuere Romani. Macrob. Sat. I. 15. *Omnes Kalendas Junoni tributas, & Varronis, & pontificalis affirmat auctoritas.*

V. supr. in *Juno Kalendaris*. Matrimonio contrahendo habebantur religiosæ. Macrob. I. I. *Nec hoc prætermiserim, quod nuptiis copulandis Kalendas, Nonas, & Idus religiosas, id est, devitandas censuerunt. Hi enim dies præter nonas feriati sunt: feriis autem vim cuiquam fieri piaculare est: Ideo tunc vitantur nuptiæ, in quibus vis fieri virginibus videtur.* Junius I. I. Illis creditores exigebant æs alienum: unde Horatius eas *tristes* vocat Sat. I. 3. 85.

Qui nisi, cum tristes misero venere Kalendæ,
Mercedem, aut nummos unde unde extricat: amaras
Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit.

Et Ovidius *celeres*, quod citò nimis recurrere debitoribus videantur, Rem. Amor. n. 561. V. illum supr. in *Fœneratores*. Voss. Pigh. & Hospin. I. I. Pith. Subcis. II. 4. V. & inf. in *Usura*. Senatus ut haberetur, moris erat. Hoc indicat Cicer. Epist. Attic. XIII. 46. *Rogat magnoperè, ut sim Kalendis in senatu.* XVI. 6. *Maximè dolebat, me Kalendis Sextilibus in senatu non fuisse.* Et *ne plus quam bis legitimus senatus in mense ageretur, Kalendis scilicet & Idibus*, Augustum sanxisse scribit Svet. c. 35. n. 4. *Manut. in Cicer. Attic.* XII. 5. *Hospin. l. l.*

Kalendis Aprilis Veneris simulacrum Romæ matronæ abluebant, eique sacrificabant simul cum floribus & myrto. Ovid. Fast. IV. 133.

Rite deam Latiæ colitis matresque nurusque;
Et vos, queis vittæ longaque vestis abest.
Aurea marmoreo redimicula solvite collo:
Demite divitias: tota lavanda dea est.
Aurea siccato redimicula reddite collo:
Nunc alii flores, nunc nova danda rosa est.

Mulieres etiam apud templum Fortunæ virilis, quod erat in ripa Tiberina, myrto coronatæ hoc ipso die sacrificare, & lavari consueverant. Ovid. ibid. n. 139.

Vos quoque sub viridi myrto jubet illa lavari:
Causaque cur jubeat, discite, certa subest.
Littore siccabat rorantes nuda capillos,
Viderunt satyri, turba proterva, deam.
Sensit, & apposita texit sua corpora myrto.

Reliqua V. supr. in *Fortuna virilis*. Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. c. 14.

Kalendis Augusti mensis celebratum fuit festum Spei, ob dedicatum ei hoc die templum Romæ in foro olitorio, Gyraldo ex veteri Kalendario, & Junio testibus. *Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. c.* 22.

Kalendæ Decembres, quæ alio nomine Saturnales dicebantur, viris erant dicatæ; atque his apophoreta iis mittebantur. Svet. Vesp. c. 19. n. 4. *Dabat sicut Saturnalibus viris apophoreta, ita per Kalendas Martias feminis.* Salmuth ad Panciroll. Rer. deperd. & inv. p. 747.

Kalendæ fabariæ. V. illas infr. in *Kalendæ Juniæ*.

Kalendis Februariis fuit festum deæ Sospitæ, cujus templum ad ædem matris deum in Palatio primo hujus mensis die est dedicatum. V. infr. in *Templum*. Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. c. 10.

Kalendæ femineæ. V. illas infr. in *Kalendæ Martiæ*.

Kalendæ Januariæ ex Numæ, quem postea secutus est Cæsar, institutione, initium fuerunt anni. V. supr. in *Anni principium*. Illis Jano tanquam primo anni, & mensis auspici sua sacra, quæ ex libo, mola, mero, & thure conficiebant, V. supr. in *Janual*, Romani fecerunt. Imo & juvenci albi velut deo supero mactarunt, & præ foribus ædium undequaque suaveolentia incenderunt. Id forsitan est, quod iis suo adhuc tempore exprobravit Tertull. Apolog. c. 35. *quod faces, & choros in publicum educant, vicatim epulentur, civitatem taberna habitu adolefaciant, vino lutum agant, catervatim cursitent ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras.* Templa, statuas, & aras dedicaverunt, & dedicationes illis factæ majoris dignationis fuerunt. Illis ædem Concordiæ Tiberius faciavit inscripto suo, & fratris Drusi vita pridem functi nominibus. Dio LVI. p. 586. B. statuam Constantino posuerunt coriarii; illa enim latere avello se hoc die dedicatam esse loquitur: DEDICATA KAL. JANUAR. D. NN. DIOCLET. III. ET MAXIMIANO COSS. CVRANTE THESSIO SECUNDO P. CORIARIORUM. Et aram Genio factam esse docet ipsa inscriptio:

GENIO SANCTO
M. AUR. CL. POMPEJANUS
MILES. LEG. VIII. ANTONINIANÆ
AUG. B. F. COS. K. JANUAR.

Lipen. de Stren. c. 2. at. 1. §. 19. 20. Omnium superstitionum auspicia apud illos fiebant, hoc est, omnis renovabatur religio, diversi diversorum idolorum cultus, & simulacrorum religiones de integro velut exordium sinnebant: producebantur numina ipsa, quæ stolidi putabant, & absterso pædore anni elapsi cum novo in novum veluti florem reducebantur, & de integro ceremoniæ instituebantur. Petr. Chrysol. serm. 155. *Hinc est, fratres, hinc est, quod hodie gentiles deos suos fœditatibus exquisitis, excogitato dedecore, & ipsa turpitudine turpiores deos suos videndos trahunt, distrahunt, pertrahunt.* Sermo ipse scriptus est *de Kalendis Januariis, quæ varia gentium superstitione polluebantur.* Barth. Adv. LIII. 12. Lipen. ibid. §. 21. Varia suffimenta, varias victimas, & sacrificia addebant, ut Urbs isto die tota fumare, & quasi incendiis victimarum æstuare videretur. Mart. VIII. 8.

Principium des, Jane, licet velocibus annis,
Et revoces vultu secula longa tuo:
Te primum pia thura rogent, te voce salutent,
Purpura te felix, te colat omnis honos.

Tertull. ad Uxor. c. 2. *Moratur Dei ancilla cum laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus dæmoniorum, omnibus sollennibus Regum, incipiente anno, nidore thuris agitabitur.* Lipen. ibid. §. 22. Vota pro magistratibus susceperunt veteri quidem Republica. V. infr. in *Votum publicum*. Supplicia, ne totius anni omina fœdari viderentur, cohibuerunt. Liban. in Ἐκφράσει Καλανδῶν p. 180. B. *Et flagra cessant, & plagæ: plena omnia sunt pacis, libertatis, voluptatis.* Hinc Urbi impendentium malorum maximum præsagium est visum, quod *Kalendis Januariis principio anni Sextum quendam Licinium de saxo dejecit Marius* apud Plutarch. p. 432. B. Quam fœditatem etiamsi exorsi anni velut indignabundus sollicitat Flor. III. 21. 17. *Hæc tot senatus funera intra Kalendas & Idus Januarii mensis septima illa Marii purpura dedit.* Et fœdum anni principium fecisse dicitur Tiberius interfecto Titio Sabino. Tacit. Annal. IV. 68. 1. *Junio Silano & Silo Nerva coss. fœdum anni principium incessit, tracto in carcerem illustri equite Romano Titio Sabino.* 70. 1. *Sed Cæsar sollennia incipientis anni Kalendas Januarias epistola precatus vertit in Sabinum . . . Nec mora, trahebatur damnatus: quantum obducta veste, & adstrictis faucibus niti poterat, clamitans, sic inchoari annum.* Hinc indignationis plena vox Svet. Tib. c. 61. n. 5. *Nullus pœna hominum cessavit dies . . . Animadversum in quosdam ineunte anno novo.* Lipen. ibid. c. 2. art. 1. §. 25. Pitisc. in Svetonium. Læta, & jucunda verba prosabantur. Ovid. Fast. I. 71.

Prospera lux oritur, linguis, animisque favete;
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 792. B. Invicem fausta omnia precabantur. Plin. XXVIII. 2. *Cur enim primum anni incipientis diem lætis precationibus invicem faustum ominamur?* Ovid. Fast. I. 175.

At cur læta tuis dicuntur verba Kalendis?
Et damus alternas accipimusque preces?

Brisson. de Form. I. p. 90. Ultro citroque munera miserunt. Fuerunt hæc apud priscos Romanos palmarum poma, quæ caryotæ, seu caryotides appellantur, caricæ, & mella, unde tunc dulciaria dicebantur. Mart. VIII. 33. it. XIII. 27. 1. V. illum supr. in *Caryota*. Miserunt hæc in omen suavitatis ineuntis anni, & ut dulces dies anni à dulcibus rebus auspicarentur. Ovid. Fast. I. 185. V. illum supr. in *Carica*. Quum Imperium Romanum esset auctum ditiores & aurea, & argentea miserunt. Svet. Aug. c. 57. n. 4.

n. 4. *Strenam in Capitolio Kalendis Januariis, etiam absentis: ex qua summa pretiosissima deorum simulacra mercatus vicatim dedicabat*. Hospin. Fest. Ethnic. c. 8. Barth. Adv. ii. 10. Kipping. Antiq. Roman. i. 10. §. 8. Artes quisque suas modice attingebat, auspicandi causa. Ovid. Fast. i. 169.

Quisque suas artes ob idem delibat agendo:
Nec plus quàm solitum testificatur opus.

Muret. Var. Lect. xviii. 13. Chamillard. in Prudent. Symm. i. 237. Lips. in Tacit. Annal. iv. 11. n. 96. Rosin. Antiq. Roman. iv. 5. Convivia cum gaudio, & applausu magno paraverunt. Prudent. Symm. i. 237.

——Jano etiam celebri de mense litatur
Auspiciis, epulisque sacris, quas inveterato
Heu miseri! sub honore agitant, & gaudia ducunt
Festa Kalendarum.

Lipen. ibid. §. 23. Honorem inibant novi consules, auspiciis secundis, & regalibus, hoc est, majestate Imperatoria dignis, sibi fingentes, ea ratione totum illum annum magnificentia, & felicitate tantis viris digna decursurum. Claud. Honor. Consul. iv. 1.

Auspiciis iterum sese regalibus annus
Induit, & nota fruitur jactantior aula.

Sidon. Carm. ii. 1.

Auspicio, & numero fasces, Auguste, secundos
Erige, & effulgens trabealis mole metalli
Annum pande novum.

Barth. ibid. liii. 12. Kipping. l. l. Tunc enim adscendebatur in Capitolium, Jovi Opt. Max. injuges juvenci mactabantur, multaque odoram facientia in templis, & præ foribus templi cremabantur. Ovid. Fast. i. 79.

Vestibus intactis Tarpejas itur in arces:
Et populus festo concolor ipse suo est.
Jamque novi præeunt fasces, nova purpura fulget:
Et nova conspicuum pondera sentit ebur.
Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Falisca suis.

Lipen. ibid. §. 29. Kipping. l. l. Et novum annum auspicantes manumittebant. Sidon. ibid. n. 545.

Nam modo nos jam festa vocant, & ad Ulpia poscunt
Te fora, donabis quos libertate Quirites,
Quorum gaudentes exceptant verbera malæ.

Lipen. ibid. §. 28. Savaro in Sidonium.

Kalendæ intercalares dicebantur priores & posteriores. Priores dicebantur vigesimus quartus Februarii dies, qui intercalationi dicatus erat; ut posteriores vigesimus quintus: quanquam totos reliquos à vigesimo quarto die in finem mensis ita etiam appellatos fuisse, jure fortasse quis contendat. Cicer. Fam. vi. 14. *Ego idem cum ad secundum Kalendas intercalares priores rogatu fratrum tuorum venissem ad Cæsarem*, &c. Significat Cicero se diebus duobus ante *Kalendas* intercalares priores, id est, ante vigesimum quartum Februarii venisse ad Cæsarem: id autem est vigesimo secundo Februarii. Nam hic dies biduo antecedit vigesimum quartum Februarii: ut priores dixerit ad differentiam posteriorum *Kalendarum* intercalarium, id est, vigesimi quinti, revera interpositiii & intercalarii, vel etiam illorum dierum, qui ab illo sunt ad *Kalendas* usque Martias. Cæterum vigesimus quartus *Kalendæ priores intercalares* abusivè dicitur, quippe re vera posterior, non prior intercalatur; sed quia is intercalationem proximè antecedit, imo verò unus & idem est cum intercalario; idcirco *priores Kalendæ intercalares* dicitur. *Lalamant. de Ann. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* viii. *p.* 276. *A. Gyrald. de Ann. & mens. Oper. Tom.* ii. *p.* 764. *C. Scalig. de vet. Ann. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. ibid. p.* 313. *F. Petav. de vet. anno Rom. c.* 72. *Pith. Subces.* ii. 6.

Kalendis Juliis, sive Quintilibus migrabant ex domibus priùs conductis in domos recens conductas. Cicer. Frat. ii. 3. *Domus tibi ad lucum Pisonis Liciniana conducta est; sed, ut spero, paucis mensibus post, Kalendis Quintilis in tuam commigrabis*. Fam. xiii. 2. *Propter opera instituta multorum, subitum est ei remigrare Kalendis Quintilis*. Unde Mart. xii. 32. 1.

O Julianum dedecus Kalendarum,
Vidi, Vacerra, sarcinas tuas, vidi:
Quas non retentas pensione pro bima
Portabat uxor rufa crinibus septem.

Unde Tiberius *senatori clavum latum ademit, quum cognovisset sub Kalendas Julii demigrasse in hortos, quo vilius post diem ædes in Urbe conduceret*, apud Svet. c. 35. n. 4. Augustin. Emend. iv. 14. Tiraquel. in Alex. iv. 20. Merul. de Sacrif. c. 15. n. 2. Schott. in Senec. contr. iii. 17. Brisson. de Form. vi. p. 514. Reines. Inscript. Class. vii. n. 34. Pancirol. Var. Lect. i. c. ult. Mornac. ad l. cum in plures 60. ff. Locati. Nic. Abram. ad Cicer. in Pison. n. 61. Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. c. 20. Beroal. & Pitisc. in Svetonium.

Kalendas Junias Carnæ deæ sacravit antiquitas. Nam *Junius Brutus, qui primus consul Romæ factus est, hisce pulso Tarquinio, sacrum Carnæ deæ in Cœlio monte voti reus fecit*. Macrob. Sat. i. 12. *Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. c.* 18. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom.* xi. *p.* 851. *A.* Vocantur *vulgo fabariæ: quia hoc mense adulta faba divinis rebus adhibebantur, & Carnæ pulte fabacea, & lardo sacrificabatur*. Macrob. l. l. *Junius Fastor. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* viii. *p.* 240. *F. Siccam. in Fast. Kalend. c.* 13. *Viola de vet. & nov. Rom. tem. rat. Thes. Ant. Rom. Grav. ibid. p.* 193. *B. Rhodig. Ant. Lect.* 12. 8. *Gyrald. Synt. deor.* 1. *p.* 43. *G. Hospin. l. l.* Sacrum sollenne illi Romæ celebratum fuit. V. infr. in *Mars*.

Kalendis Majis fuit festum Larium, quod ea die ara ex Curibus Sabinorum Romam translata illis consecrata fuisset. Ovid. Fast. v. 129.

Præstitibus Maja maribus videre Kalenda
Aram constitui, parvaque signa deum.
Ara erat illa quidem Curibus, sed longa vetustas
Destruit, & saxo longa senecta nocet.

Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. c. 16.

Kalendæ Martiæ, ut quod anni principium olim essent, celeberrimæ fuerunt; nam, ut Macrob. Sat. i. 12. & Solin. c. 3. indicant, *& in regia, in curiis, & in flaminum domibus laurea veteres novis laureis mutabantur. Ignis quoque novus Vestæ aris accendebatur*. Docet id Ovidius, & simul eo probare conatur, ante Numam initium totius anni fuisse. Sic enim canit Fast. iii. 135.

Neu dubites, primæ fuerint quin ante Kalendæ
Martis: ad hæc animum signa referre potes.
Laurea flaminibus, quæ toto perstitit anno,
Tollitur, & frondes sunt in honore novæ;
Janua tunc regis posita viret arbore Phœbi,
Ante tuas fit idem curia prisca fores.
Vesta quoque, ut folio niteat velata recenti,
Cedit ab Iliacis laurea cana focis.
Adde, quod arcana fieri novus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Eodem etiam die comitia auspicabantur, qui quidem mos usque ad bella Punica servatus fuit: tunc enim primùm comitia cœperunt auspicari *Kalendis* Januariis. Ovid. ibid. n. 47.

Hinc etiam veteres initi memorantur honores,
Ad spatium belli perfide Pœne tui.

Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. c. 12. Junius Fast. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. viii. p. 233. E. Lipen. de Stren. c. 2. quart. æt. §. 27. Kipping. Antiq. Rom. i. 10. §. 5. Dicuntur etiam femineæ. Juven. Sat. ix. 53. V. illum supr. in *Dona uxoria*. Unde Horat. Od. iii. 8. 1.

Martiis cœlebs quid agam Kalendis.

Quia munera mulieribus illo die viri mittebant. Svet. Vesp. c. 19. n. 4. V. illum supr. in *Kalendæ Decembris*. V. infr. in *Matronalia*.

Kalendis Septembribus Neptuni feriæ sunt celebratæ, ut est in veteri *Kalendario*. Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. c. 24.

KALENDARIUM est vox Latina, deducta nempe à *Kalendis*. Est nihil aliud, quàm mensium, dierumque, ex quibus annus constat, ac unà festorum coordinatio: imo non modò festorum, sed aliorum etiam similium,

quæ dici dierum adjuncta possunt; quoniam pleraque alia sunt, quæ *Kalendariis* plerique adscribunt. Quippe præter inscripta nostro, Ecclesiasticove *Kalendario* festa addi interdum videas comitia, ludos, nundinas, dies festos & nefastos; interdum eventa quæpiam illustriora, ut prælia, triumphos, inaugurationes, sponsalia, natalitia, funera, incendia, eluviones. . . interdum solis, lunæque ingressus in signa zodiaci, tempestatumque adeo initia; ortus, occasusque stellarum fixarum; adspectus luminarium, stellarumque errantium, prætereaque æstus, algores, pluvias, fulgura, ventos, alia, quæ astrologi ariolantur. *Gassend. Kalendar. Rom. capite proœm.* Constans est opinio, institutionem primam Romani *Kalendarii* esse ad ipsum Romulum gentis auctorem referendam. Proditum est nempe ipsum, inter alias constabiliendi regni curas, eam quoque sumpsisse, ut annum speciali ratione ordinaret, inque certos menses distribueret. *Gassend. ibid. c.* 1.

Kalendarium est etiam codex accepti & expensi, qui pertinebat ad pecunias in fœnore positas, quod fœneratoribus suit speciale. Ratio nominis est, quod antiqui moris esset, pecunias *Kalendis* credere, & usuras exigere. V. supr. in *Kalenda*. *Paginas Kalendarum* vocat Mart. VIII. 44. 11.

Centum explicentur paginæ Kalendarum.

Seneca divitem eum censet Epist. 88. quem *aurea supellex in via sequitur, qui in omnibus provinciis arat, qui magnum Kalendarii librum volvit*. Et huc alludit de Benef. I. 2. *Nemo beneficia in Kalendario scribit, nec avarus exactor ad horam, & diem debitorem appellat*. Voss. Lex. Etymol. Pignor. de Serv. p. 306. Lipen. de Stren. c. 4. §. 13. Gassend. Kalend. Roman. cap. proœm. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 13. Buleng. de Imp. Rom. VII. 16. Noris. Cenot. Pisan. Dissert. 1. c. 3. Nood de Fœnor. & usur. II. 11. Reines. Epist. 25. *Kalendarii* curator est is, qui pecuniam, vel publicam municipii, vel privati cujusque fœnori locatam curabat, sub nominibus faciendis obnoxiis Reipublicæ, aut hero suo fœnebrem pecuniam ponebat, & *Kalendis* quibusque modò caput ipsum cum usuris, modò proventum usurarum exigebat. Octavius Modestus Honoratus AD CURAM KALENDARII REIP. CANUSINORUM ab Imperatore Antonino est Inscr. IX. pag. 444. & V. p. 341. A. ATINIUS PATERNUS CUR. KALENDARII Fabraternorum novorum. VI. p. 367. NERATIUS PROCULUS CURAT. KAL. NORBANORUM datus ab Imperatore Trajano. *Reines. Noris. Buleng. l. l. Lipen. ibid.* §. 14. *Pancirol. de Magistrat. municipal. c.* 14. Non ab ordine decurionum, sed a præside provinciæ facta ejus morum. & facultatum inquisitione creabatur, & ob id nullam cautionem, ut alii, præstabat. Papir. l. ult. §. item rescripserunt 7. de adm. rer. ad civ. pert. *A curatore*, inquit, *Kalendarii cautionem exigi non oportet, cum ex inquisitione à præside eligatur*. Hujus curatio non habebatur inter honores, sed munus erat personale, l. 18. §. 2. ff. de muner. & honor. *Kalendarii curatio in aliqua civitate inter honores non habetur, sed personale munus est*. Lipen. & Buleng. l. l. Huc referri possunt collegia *Kalendariorum*, qui fœnori ponebant, & collocabant, & Iduariorum, qui relegebant, quæ habet inscriptio Exoniæ in Catalonia. V. illa supr. in *Collegium*. Pith. Subces. II. 4. Lipen. ibid. §. 15.

Kalendarium quoque accipitur pro nominibus faciendis, hoc est, debitoribus comparandis. African. l. qui filium 64. de legat. 3. *Cum quis*, inquit, *Kalendarium præstari alicui voluerit, utrumne nomina duntaxat debitorum præstari voluisse intelligendus est, an verò etiam pecuniam, si qua ab his exacta, eidem tamen Kalendario destinata fuerit? & magis puto. quemadmodum si exacta pecunia, & rursus collocata essent, permutatio nominum non perimeret, vel minueret fideicommissum: ita ipsa quoque pecunia, si adhuc Kalendario, id est, nominibus faciendis destinata essent, eidem fideicommisso cedere debeant*. Unde servus dicitur debiter domini ex ratione *Kalendarii* l. fin. ff. de peculio, id est, causa pecuniæ ratione datæ. Cujus rei frequens in jure est mentio, ubi *Kalendario præpositus* dicitur is, qui huic negotiationi præficitur. African. l. ejus qui in provin. 41. ff. si certum petat. *Ejus*, ait, *qui in provincia Stichum servum Kalendario præposuerat, Romæ testamentum recitatum est*. Et Scævol. l. uxorem 41. §. legaverat ff. de Legat. 3. *Kalendarium exercere* dicitur ab eo, qui hanc artem profitetur. *Pancirol. de magistrat. municip. c.* 14. *Reines. Epist.* 23.

Kalendarium amicorum dici posset, in quæ, ut ipsa jactantia se magis proderet, nomina illorum veteres referebant. Senec. de Benef. VI. 33. *Nescis, quantum sit pretium amicitiæ, si non intelligis multum te ei daturum, cui dederis amicum; rem non domibus tantum, sed seculis raram, quæ non alicubi magis deest, quàm ubi creditur abundare. Quid? istos in libros, quos vix nomenclatorum complectitur, aut memoria, aut manus, amicorum existimas esse? Non sunt isti amici, qui agmine magno januam pulsant, qui in primas, & secundas admissiones digeruntur: consuetudo ista vetus est Regibus, Regesque simulantibus populum amicorum describere*. Pignor. de Serv. p. 437.

KALUMNIA. V. illam supr. in *C*.

L.



Romani sæpè usurpabant vicè literæ caninæ, cujus pronuntiatio est duriuscula. Ita *flaxinea* pro *fraxinea* scripsit Calpurn. Ecl. I. 39. Quod & ipsum fortassis ex antiquo codice hausit. Hujus rei cum in libris pluscula sit reperire testimonia, tum non dubito plura in communi loquendi usu stante imperio fuisse. Id quod nos docent soli Hispani, quorum hodiernus idiotismus maximè Latinitatis servans est; pleraque autem molliùs, & delicatiùs pronuntiat, quàm Latinæ regulæ jubent: *R* quoque literam persæpè in *L* mutat, præcipuè in infinitivis, quos præpositio, aut articulus sequitur. *Barth. Adv.* XXXIV. 8. *Braun. de Vestit. sacerd. Hebr.* II. 5. §. 11. Exempla à Græcis, & Hebræis petita collegerunt *Bochart Phaleg.* III. 12. *Chan.* I. 33. 42. & 45. *Reines. Inscr. Class.* I. *n.* 24.

L & *T* interdum permutabantur. Argumento est, quod Achillis mater antiquis Thelis pro Thetis dicebatur. Varr. de Re Rust. III. 9. *Antiqui Thetin Thelim dicebant*. Voss. de Art. Grammat. II. 17. Guther. de jur. man. II. 28.

L litera normæ formam repræsentat. Vetus agrimensor: *L si in termino inveneris, norma facturam designat, & limitem gammatum*. Salmas. Exerc. Plin. p. 471. a. C. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 798. C.

L significat Lucium. Diomed. II. p. 419. Edit. Putsch. *L. nota prænominis, cum sola posita Lucium significat*. Ad prænomen tandem denotandum inter duo puncta locandum vult Auson. Epigr. XXXIV. 1.

Lucius una quidem, geminis sed dissita punctis
Litera: prænomen sic L. nota sola facit.

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 797. C.

LL est nota dupondii, qui est duarum librarum. Ex Probo verò Ernstii dupondius est nummus libralis, & notatur per *LL*. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 819. F.

LL interpretor *libens libens*, vel *libentissimè*. Scalig. apud Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 829. E. Perperam. Formula est *Lætus libens*. Exhibet illam vetus inscriptio:

SULEVIS. ET. CAMPESTRIBUS. SACRUM. L. AURELIUS. QUINTUS. 7. LEG. VIIX. GEMINÆ. VOTUM. SOLVIT. LÆTUS. LIBENS. DEDICAVIT. VIIII. K. SPTEMB. BRADUA. ET. VARO. COS.

Quem

Quem magis miror ita esse interpretatum etiam post visam epigraphen apud Gruter. p. 1074. n. 4. ubi τὸ LÆT. LIB. paullò minùs quàm in hac nostra extensum ad veram notarum illarum *LL* intelligentiam manu ducere videbatur. *Fabrett. de Aquad. Dissert.* II. *Thes. Gravii Tom.* IV. *p.* 1734. *F.*

L L denotant quoque Lucii libertum, vel Lucii libertam. Ita interpretor inscriptiones. Veronæ:

L. LAB.
L. SCÆNINIUS. L. L. QUADRATUS.
SIBI. ET. AUCTÆ. SORORI. SUÆ.

Extra Romam, ad D. Laurentii:

SERVILIA. L. L.
BONÆ. DEÆ
VOTUM. SOLVIT
FECIT. ET. SIBI.

Malvas. Marm. Felsin. Sect. II. *c.* 1. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 830. *D.*

L L S
ꟷꟷS } est sestertius. Probus Ernstii. Hujus hæc sunt

Sestertius nummus est duarum semis librarum, & notatur per LLS, vel ꟷꟷS. *Legendum tamen credo sestertium, quod erat nummus duarum librarum semis; non autem sestertius, qui denariorum duorum semis nummus habebatur.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 831. E.

LAB.

LABARUM fuit genus vexilli militaris. *Λάβωρον* per *ω* Romanis vocari scribit Sozomen. I. 4. *Ut vexillum illud, quod Romani labarum, λάβωρον, vocant, auro, & gemmis ornatum in crucis figuram transformarent.* Et in vetusto lexico *laborum* dicitur. Huic obstat mediæ syllabæ quantitas, quam corripiunt, non tantum Rabanus Maurus carmine, quod pro cruce composuit:

Hinc signant Cherubin, hac labara sancta triumphum
Brachia tensa notant.

Sed etiam, cum de Constantino loquitur, Prudent. contr. Symm. I. 487. V. illum supr. in *Crux*. Voss. Lexic. Etymol. Fuller. Misc. II. 5. Meurs. Lex. Græcobarb. in *Λάβωρον*. Turneb. Adv. XV. 16. Du Fresne Glossar. Orleans in Tacit. Annal. p. 93. a. Cujac. l. unic. C. de præpos. labar. XII. Ferrar. Elect. I. 2. Fuit purpureum, sive coccinum, vel puniceum, in speciem paludamenti Imperatorii conformatum: quod ex conto transversum, in morem antennæ, lignum habente pendebat. Constabat duabus ex rebus, principali, scilicet veste illa: & minùs principali, videlicet ligno. Vestem antiquitus *χιτῶνα*, *tunicam*, simpliciter fuisse ostendit Plutarch. in Fabio, eam que promiscuè ita vocat, non distinctè & explicate indicans, hostisne, an civis illa tunica fuerit. Liceat igitur probabiliter conjicere, ipso planè initio, exuvias, sive spolia hosti cæso detracta, fuisse indumentum illud. Hinc indumentum ita detractum *labarum*, quasi *λάφυρον* dictum opinor: mutata *φ* in *β*, quod usitatissimum: & *υ* in *α*, quod nihilo ferè minus usitatum cernitur, ut in calix à *κύλιξ*, cania à *κυνός*. Minimè verò mirandum, Græcum hoc nomen apud Romanos inveterasse, quum ritus ipse, atque adeò alii complures ritus, moresque, tam belli, quam pacis, à Græcis finitimis orti, ad Romanos facilè permanarint. Id quod declarat pars altera *labari*, nempè lignum. Illud enim nomine suo Romani ferculum appellant: exotico autem, & extraneo, valdè tamen familiari, & pervulgato, tropæum. Quoniam autem in tropæo, sive ferculo spolia suspendi moris erat, fabricari in modum crucis oportuit, asseculis transversis hinc inde eastantibus. *Fuller. ibid.* IV. 12. *Voss. l. l.* Apud Tertullian. Apolog. c. 16. non *labarorum*, sed *cantabrorum* legendum. V. supr. in *Cantabrum*. Ad ejus antiquitatem quod attinet, facilius erit in vetustis Imperatorum victoriarum monumentis sculpta oculis spectare *labaro* signa similia, quàm ejus nomen apud veteres ethnicos legere. Differebant à vexillis & cantabris, quod illorum vela transversæ hastæ sic alligata erant, ut rugas aliquas sui contractione admitterent: at in *labaris* sic erant expansa, ut integras in se depictas exhiberent imagines, ut videre licet in plurimis toreumatibus, nummisque antiquis, & maximè in duobus illis, in quorum uno ad Ælium Cæsarem pertinente repræsentatur Pannonia dextra vexillum gerens, sinistra stolam sublevans; in altero adversam Constantini nummi partem referente stant duo milites hastati clypeis innixi *labaro* intermedio. Prætereà in exercitu plura erant vexilla, *labarum* autem non nisi unum. *Baron. Annal. Eccles. Tom.* I. *an.* 312. *c.* 5. *Chausse de Sign. milit. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1530. *B.* Signum hoc Romani imperii omnium præstantissimum, à Constantino Imperatore mutatum est in effigiem crucis, auro, & lapidibus pretiosis collustratam. Id inprimis hanc ob caussam, ut assiduo ejus aspectu, & cultu, subjectos suos pedetentim à patriis ritibus desuefaceret: eumque solum Deum existimarent, quem coleret Imperator, atque illo duce, & adjutore in bello contra hostes uterentur. Nam illud veluti propugnaculum ante copias suas gestandum curavit, lectissimos satellites ad illud negotium obeundum constituit, quibus numero minimum quinquaginta nihil aliud impositum erat negotii, quàm ut vexillum hoc vallarent, undique præsidiis munirent, singulique ordine illud ipsum humeris gestarent. Et sicubi partem aliquam sui exercitus languentem cernerent, ibi tanquam subsidium præstantissimum ad victoriam obtinendam statim inferrent. Ad hoc faciendum Constantinum movit: quod cum bello civili contra Maxentium suscepto animo anxius esset, & propter magicas artes, quibus adversarium valere intellexerat, valdè metueret: iter faciens vidit ipse, & omnes ipsius milites, circa meridiem, ad orientem partem cœli, signum crucis igneo fulgore rutilare: & illa re perterritus vidit astare angelos dicentes: *Ἐν τούτῳ νίκα* Constantine. V. supr. in *Crux*. Sed cum hæc animo versaret, neque intelligeret, somno oppressus est, & dormienti Christus visus cum eo ipso signo, quod in cœlo apparuerat, jussit ut aliud signum ad ejus exemplar construeret, eoque velut præsidio in prælis uteretur. Euseb. de Vit. Constant. II. 7.... Niceph. VII. 36.... Sozom. I. 4. Paull. Diacon. XI. *Stewech. in Veget.* III. 17. *Lyd. de Re milit.* III. 7. *Alciat. Gothofred. & Anglebern. l. unic. C. de præpos. labar.* XII. *Turneb. Adv.* XV. 16. *Gretser. de Cruce* I. 4. *Tristan. Comment.* III. *p.* 484. *Lips. de Cruce* III. 15. *Panvin. de Imp. Rom. c.* 56. *in Fast.* II. *p.* 177 *Nicol. de Sigil. vet. c.* 26. §. 8. *Gyrald. Dial.* 25. *Aring. Roman. Subterr.* VI. 23. *n.* 7. *Jun. de Pict.* II. 8. *Augustin. Antiq. Dial.* I. *p.* 8. *Rhodig. Ant. Lect.* VI. 81. *Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 564. *& ad il um Salmuth p.* 594. *Gyll. Constantinop. Topogr.* III. 4.... *Schol. Nomencl. Philol. p.* 636. *Ferrar. l. l.*

LABELLUM erat lapis excavatus in formam labri, aut crateris ad fontem, quem arcam, vel arculam vocamus: quamquam *labellum* a balneo, vel vinatico *labro* tractum sit. *Guther. de Jur. man.* II. 24. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 38. *n.* 6.

LABEONES dicti sunt à *labiorum* vitio. Plin. XI. 37. *Labra, à quibus labeones dicti.* Sosip. Charis. Inst. Gram. I. p. 79. Edit. Putsch. *Verrius Flaccus sic distinxit, modica esse labra, labia autem immodica, & inde labeones dici.* Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Vaillant. Numism. I. p. 74.

LABIENA gens. V. illam supr. in *Gens*.

LABIORUM exporrectio erat olim cogitabundi gestus. Pers. Sat. III. 82.

Atque exporrecto trutinantur verba labello.

Laurent. de Oscul. c. 3.

LABRUM quomodo differat à *labio*. V. supr. in *Labeones*. *Labrum* superius si salierit, discrimen & victoriam significat, servo bonum, virgini lucrum: sin autem inferius, utilitatem; secundum verò Ægyptios operis damnum. *Niph. de Augur.* I. 9.

Labrum appellatur genus vasis, quo utebantur veteres in privatis balneis. Illa, sive ænea fuerint materia, sive

Lapi

lapidea, sive lignea, portatilia aliqua fuisse constat. Cicer. Fam. xiv. 20. *Labrum si non est in balneo, fac ut sit.* Bacc. de Therm. vet. c. 19. Videtur fuisse exstructum in cameris signino opere, atque albario. Sic enim legitur apud Vitruv. v. 10. *Labrum sub lumine faciendum videtur, ne stantes circum suis umbris obscurent lucem. Scholas autem labrorum ita fieri oportet spatiosas, ut cum priores occupaverint loca, circumspectantes reliqui rectè stare possint. Alvei autem latitudo inter parietem, & pluteum ne minus sit pedes denos, ut gradus inferior inde auferat, & pulvinus duos pedes.* Bacc. ibid. c. 11.

Labrum fossæ vocatur ejus latitudo. *Summam latitudinem* quam vocat Hygin. de Castramet. *Fastigata dicitur, quæ à summa latitudine lateribus devexis in angustiam ad solum conjuncta pervenit. Summa labra* vocat Cæs. de Bell. Gall. vii. 72. *Fossam pedum viginti directis lateribus duxit, ut ejus solum tantumdem pateret, quantum summa labra distabant. Labra summa fluminis* pro ripis Sisenn. Hist. iv. apud Non. vi. 8. *Innoxios trementibus artubus repentè extrahit, sistitque in labro summo fluminis, cælo albente.* Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1115. B.

LABYRINTHUS *est perplexum parietibus ædificium*: Isidor. xv. 2. Ovid. Met. viii. 158. *multiplex domus, cæca tecta*, & quæ n. 160.

— lumina flexum

Ducit in errorem variarum ambage viarum.

Error inextricabilis Virg. Æneid. vi. 27. *Salmuth. ad Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p. 191. Cerda in Virgilium.*

Labyrinthus Ægyptius dicitur, quem in lacu Mœridis fecerunt Reges Ægypti. Ejus viæ erant longæ, tortuosæ, & subterraneæ, quæ ad aulas, sive domus, in medio ejus quæ erant, perfossis cuniculis ducebant: cæterum adeò intricatæ, ut qui has ingressus esset, inexplicabili errore duceretur, & exitum invenire nequiret. Portam habebat ex Pario marmore candidissimo. Fessus jam eundo cum quis ad viarum finem pervenisset, deferebatur ad porticum columnis de porphyrite lapide conspicuam, quæ nonagenis gradibus ascendebatur. Inde perveniebatur in aulam, sive cœnaculum marmoreum, pulcerrimis simulacris, & statuis ornatum. Sed & viæ, seu meatus illi erant marmorei, aut lapide polito fornicibus tecti. Quædam etiam fores adapertæ ejusmodi edebant sonum, ac si tonitruum intus terribile exsisteret. Contigua *labyrintho* huic pyramis erat ampla, latitudine quaquaversum quatuor jugera soli obtinens, altitudine octo: in qua Rex ille, qui *labyrinthum* fecerat, erat sepultus. Plin. xxxvi. 13. Mel. i. 9. Strab. xvii. p. 557. Herod. Euterp. p. 166. B. *Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p. 182. Bellon. de Oper. Ant. præst. i. 9. Boissard. Antiq. Roman. Tom. ii. p. 16. Nicol. de Sepulcr. Hebræor. ii. cc. 4. 5. & 6. Kircher. Oedip. Ægypt. Class.* viii. §. 5. *Marsham Canon. Chronic. p. 415. 426. Schill Nomencl. Philol. p. 639.*

Labyrinthus Creticus fuit secundus ab Ægyptio. Hinc, inquit Plin. xxxvi. 13. *sumpsisse Dædalum exemplar ejus labyrinthi, quem fecit in Creta, non est dubium, sed centesimam tantum portionem ejus imitatum, quæ itinerum ambages, occursusque, ac recursus inexplicabiles continet: non, ut in pavimentis puerorumve ludicris campestribus videmus, brevi lacinia millia passuum plura ambulationis continentem, sed crebris foribus inditis ad fallendos occursus, redeundumque in errores eosdem. Ejus nulla extant vestigia.* Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p. 183. Lauremb. Græc. Ant. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. iv. p. 64. D. Boissard. Antiq. Roman. Tom. ii. p. 16. Marsham. Canon. Chronic. p. 291. Ejus quid adhuc videri possit, qui insulam lustravit, narrat *Bellon. de Oper. ant. præst.* i. 9. Illum describunt Ovid. Met. viii. 158.... Diodor. iv. p. 193. D. Virg. Æneid. v. 588. & ad illum paucis Servius: *Labyrinthus locus apud Cretam, factus à Dædalo, perplexus parietibus, ubi Minotaurus inclusus est, ex Pasiphae, & tauro genitus.* Schill Nomencl. Philol. p. 639.

Labyrinthus Italicus quartus fuit ab Ægyptio. Hinc, ut scribit Plin. xxxvi. 13. *fecit sibi Porsena Rex Etruriæ sepulcri causa, simul ut externorum Regum vanitas quoque ab Italis superaretur. Sed cum excedat omnia fabulositas, utemur ipsius M. Varronis in expositione ejus verbis: Sepultus est, inquit, sub urbe Clusio: in quo loco monumentum reliquit lapide quadrato: singula latera pedum lata tricenum, alta quinquagenum: inque basi quadrata intus labyrinthum inextricabilem: quo si quis improperet sine glomere lini, exitum invenire nequeat. Ejus nulla extant vestigia.* Panciroll. de Reb. deperd. & invent. p. 183. Guther. de Jur. man. ii. 21. Cluver. Ital. Ant. ii. 3. §. 66. Boissard. Ant. Roman. Tom. ii. p. 16. Nostris temporibus itaque erravit Johannes Fridericus Hervat, dum in Admir. Ethn. Theol. myst. propal. edit. Monachii a. 1626. *labyrinthos* transfert in rem nauticam, eosque censet fuisse navalia subterranea, & maritima, & affirmet c. 14. p. 102. Porsenæ *labyrinthum* non fuisse ad oppidum Clusium; sed navalia aliàs Populonii, aliàs Genuensium. Vestigia enim & ruinæ Clusini superesse affirmant quidam. Et Genua est Liguriæ caput, & quàm longissimè distat à Clusio oppido penitus mediterraneo, & Umbriæ conterminο. *Pinell. Addit. ad Panvin. de Lud. circens.* ii. 9.

Labyrinthus Lemnius *similis Ægyptio & Cretico, columnis tantum centum quadraginta memorabilior fuit: quarum in officina turbines ita librati pependerant, ut puero circumagente tornarentur. Architecti illum fecere Zmilus, & Rholus, & Theodorus indigena. Extant adhuc reliquiæ ejus.* Plin. xxxvi. 13. Pinell. Addit. ad Panvin. de Lud. circens. ii. 9. Boissard. Antiq. Rom. Tom. ii. p. 16. Cujus sepulcrum fuerit, planè ignoratur. Fuisse tamen sepulcrum liquidò constat. *Reliquias ejus* adhuc suo tempore exstitisse modò dixit Plinius. *Bellon. de Oper. antiq. præst.* i. 9. Hervat Admir. Ethn. Theolog. myst. propal. edit. Monachii a. 1626. navale subterraneum, & maritimum fuisse censet. Hoc fortè verum est. *Pinell. Addit. ad Panvin. de Lud. circens.* ii. 9.

LAC.

LAC. Hujus usus olim in sacrificiis fuit frequentissimus. Plin. Præfat. 1. *Verum & diis lacte rustici, multæque gentes supplicant.* xiv. 12. *Romulum lacte, non vino, libasse indicio sunt sacra ab eo constituta. Victimæ invergunt mulieres Ruminæ sacrificantes, vinum non adhibent: ruma enim Latinis mammam significat, & ruminalem ficum eam appellant, ad quam lupa mammam Romulo præbuit: ergo Rumina, id est, lactentibus, ac nutricibus, & alendis pueris præfecta, merum non admittit, quod est infantibus perniciosum.* Plutarch. Quæst. Roman. 56. *Stuck. de Sacrif. p. 72. Lomej. de Lustrat. c. 25. Kipping. Antiq. Roman.* i. 11. §. 7. Ceteri post messem agricolæ offerebant. *Tomas. de Donar. c. 26.* Mercurio quoque *lacte*, non vino supplicabant Romæ in vico, qui idcirco sobrius dictus. Festus. In Noctis & Fortunæ sacris *lac* legimus fuisse adhibitum. Fortunæ quidem virilis, mense Aprili simul cum thure, melle, & papavere. *Lacte* similiter Sylvanum placabant, teste Horat. Epist. ii. 1. 143. V. illum supr. in *Fescennini*. Plutoni, id est, Diti patri vino, melle, lacte, & sterilibus pecudibus sacra fieri fuerunt solita. De more urendi lactata potione in oscillorum festo testatur Festus. Pales quoque pastorum dea & pabul *lacte* fuit culta. Tibull. i. 1. 16. & Ovid. Fast. iv. 746. V. illos infr. in *Pales*. Stuck. & Lomej. ll. Etiam in inferius. V. supr. in *Inferiæ*.

LACCARIUS est, qui puteos fodit. Ita nonnulli legunt apud Pompon. l. si ex toto 8. §. 2. de leg. 1. & Martian. l. legatis 65. §. 1. de leg. 3. *Panciroll. de Corpor. artif.* §. 6.

LACCUS fuit genus fossarum subterranearum, quas latas, vel rotundas, vel quadrangulas excavabant, & ita tectorio inductis vinum, & oleum excipiebant. De Atheniensibus & aliis Græcis Suidas in Λάκκος. De illis etiam Ulpian. l. si servus 27. §. 35. ff. ad leg. Aquil. *Si tectori locaveris laccum vino plenum curandum, & ille eum pertudit, ut vinum sit effusum, Labeo scribit in factum agendum.* Bud. in Pandect. p. 119. D. *laccum* interpretatus est excipulum musti defluentis è torculari. Malè. *Laccus* enim Ulpiano idem est, quod *vini cisterna*, l. vulgatis 21. §. Sed si de navi ff. de furt. quam in terra defossam tectorio inducere, & incrustare intus,

latus, fotisque solebant. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & invent. p.* 139. *Cujac. Observ.* XIX. 9.

LACERNA non fuit vestimentum muliebre. Et errant, qui hoc putant inducti verbis Juven. Sat. I. 62.

Ipse lacernata cum se jactaret amica.

Loquitur enim Satyricus de Sporo, quem uxoris loco habuit Nero, quemque ob hoc poeta *lacernatam amicam* vocat, quod *lacerna* virorum tantum esset; quod idem est, ac si quis nunc amicam braccatam vocaret. Rectè vetus interpres: *Lacernata. Satyricè*, inquit, *habitu viriis se minam describit*. Non quidem feminam, sed qui loco mulieris esset. Forrasse quis putet id posse firmari ex Horat. Sat. II. 7. 48.

—— sub clara nuda lacerna
Quacunque excepit turgentis verbera caudæ.

Ut quidem nuperi ediderunt, & ineptè interpretati sunt *sub linea veste tam tenui, ut meretrix quasi nuda videretur*. Sed omninò contra veteres libros scriptos & impressos, qui habent *lucerna*. Sub *lacerna* prostituisse meretrices V. infr. in *Lucerna*. Ferrar. de Re vest. I. 3. 23. Etiam *sæve*, ita enim habens veteres editiones, non *sæva*, ut Baccara nomen sit viri, non feminæ, legendum apud Mart. VI. 59. 5.

Quid fecere mali nostra tibi, sæve, lacernæ?

Ferrar. ibid. II. 1. 12. Sed virile, Docet hoc Ulpianus, cum inter ea recenset, quæ solis viris permissa erant. *Ferrar. ibid. c.* 29. Initio militare ac castrense, idemque quod chlamys. Prop. III. 10. 7.

Tu tamen injecta tectus vesane lacerna
Potabis galea fessus Araxis aquam.

IV. 3. 18.

Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.

De Lucretia inter ancillas lucubrante, marito in castris Ardeam obsidente, Ovid. Fast. II. 745.

Mittenda est domino, nunc nunc properate puellæ,
Quam primum nostra facta lacerna manu.

Paterc. II. 70. 2. *Crassius existimans esse hostes qui irruerent, lacerna caput circumdedit.* 80. 3. *Quippe cum inermis, & lacernatus esset, præter nomen nihil trahens; ingressus castra Lepidi .... cum lacerna perforata esset lancea*. Ferrar. ibid. c. 1. Sigon. de Judic. III. 18. Bayf. de Re vest. c. 16. Ruben. Elect. II. 11. Donat. Dilucid. p. 418. Valtrin. de Re milit. III. 13. Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 10. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 8. Quando ejus usus cœperit in militia, haud mihi compertum: quum præter laudatos auctores nullus veterum ejus mentionem fecerit in cultu militari, ut vox sub ipsum Reipublicæ interitum nata videatur. *Ferrar. ibid. c.* 2. Paullatim deinde per bella triumvirorum civilia, quum togæ depoai cœpissent, in earum locum *lacernæ* successerunt. Schol. Pers. I. 54. *Lacerna pallium fimbriatum, quo olim soli milites utebantur. Olim*, quia postea etiam urbani passim *lacernati* esse cœpere. Quod indicat etiam Suetonius mox laudandus. Ciceronis tamen ætate earum usus in Urbe fuit ignotus, & probrosus. Unde Antonio objectat, quod in Urbem venisset cum caligis & *lacerna*, Phil. II. 30. *Quod quærebas, quomodo redissem, primum luce, non tenebris: deinde cum calceis & toga, nullis nec caligis, nec lacerna*. Et mox: *Ex omnium omnibus flagitiis nullum turpius vidi, nullum audivi, quàm quod qui consulatum peteres, is per municipia, & colonias Galliæ cum caligis, & lacerna cucurristi*. In illis enim more Romano homines togati versabantur. *Ferrar. ibid. c.* 1. & 1. 1. 35. *Sigon. & Ruben. l. l.* Conficiebatur ex lana. Mart. II. 46. 3.

Sic tua suppositis perlucent prela lacernis;
Sic micat innumeris arcula synthesibus:
Atque unam vestire tribum tua vellera possunt.

& quidem crassiore. Juven. Sat. IX. 28.

—— pingues aliquando lacernas
Munimenta togæ, duri, crassique coloris,
Et male percussas textoris pectine Galli
Accipimus.

Mart. VI. 11. 7.

—— me pinguis Gallia vestit.

Vetus interpres Juven. l. l. *Pingues, ut ostendat grossas, at per hoc pluviales, quæ maniant à pluvia, non quæ ornent*. Ferrar. ibid. c. 4. & *gausapa* vocabatur. Mart. XIV. 29. titulus est *gausapa*. Carmen ipsum:

In Pompejano tectus spectabo theatro,
Nam ventus populo vela negare solet.

Mart. VI. 59. 1.

Et dolet, & queritur sibi non contingere frigus
Propter sexcentas Baccara gausapinas.

Ferrar. ibid. c. 8. & 12. Formam antiqua monumenta repræsentant: ut pallium fuerit Græcanico brevius, ac strictius, chlamyde laxius, ac fusius. Aliàs nullum inter Græcorum pallium, *lacernam*, & chlamydem discrimen fuisset. Nam licèt initio nihil aliud fuerit quàm vestis militaris, hoc est, ipsa chlamys; credibile tamen est, postquàm in usum urbanum concessit, & decoris causa, quod togæ loco sumeretur, & quia ad propulsandum frigus, latiorem, longioremque chlamyde fieri cœptam, ut chlamys vix ad genua pertingeret, & ferè posteriorem corporis partem velaret, *lacerna* totum corpus tegeret, & infra genua caderet. Aliqui Mamurianum, quod *lacerna* lumbis penderet, id est, non ultra lumbos caderet, non notasset Mart. I. 93. 7.

Cerea si pendet lumbis & trita lacerna.

Apparet quoque ex eo, quòd cum Romæ multi palliati Græco ritu essent, multi etiam in provinciis *lacernati*, cum omnes tunicati essent, hoc unum discrimen debuit esse inter Romanum, & peregrinum vestitum. Præterea Artemid. II. 3. cum ait, si quis in somnis videat chlamydem, portendere angustias, & litigantibus damnationem, quod corpus circum amplectatur, & stringat. *Ferrar. ibid. c.* 15. & 3. Quomodo differat à læna, V. supr. in *Chlæna*: & à pænula, V. infr. in *Pænula*. Coloris fuit nigri. Quod demonstrant Suet. Aug. c. 40. n. 10. & Mart. IV. 2. 1. V. illos infr. in *Toga*. Manut. Quæst. Epist. III. 1. Solæ tenuiorum, ac pauperum pullæ fuerunt: has solas vetuit Augustus, cum alterius coloris in promiscuo usu essent. Fuerunt & albæ, & Bæticæ, & coccineæ, & Tyriæ. Martialis jocum in Horatium IV. 2. 1. referemus infr. in *Toga*. Idem XIV. 139. 2.

Indueras albas, exue callaicas.

Juven. Sat. I. 27.

Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas.

Mart. V. 8. 4.

Dum laudat modo Phasis in theatro,
Phasis purpureis ruber lacernis.

Imò variis coloribus infectæ. Mart. I. 97. 4.

Amator ille tristium lacernarum,
Et Bæticatus, atque leucophæatus,
Qui coccinatos non putat viros esse,
Amethystinasque mulierum vocat vestes.

Ubi tamen, licèt in usu essent, reprehendi qui eas gestarens. Nec minùs apud Senec. Epist. 114. *Quod vides istos sequi, qui aut vellunt barbam, aut intervellunt .... qui lacernas coloris improbi sumunt*, id est, purpurei, quoniam insolens ille color adhuc Senecæ temporibus, & audax. *Ferrar. ibid. c.* 23. & 24. *Lips. Elect. I.* 13. *Faber Semest.* I. 16. *Dempster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* V. 31. *Sigon. Donat. Laz. Casal. l. l.* Hinc ingens illarum pretium. Mart. IV. 61. 4.

Dum fabulamur, millibus decem dixti
Emptas lacernas munus esse Pompillæ.

VIII. 10. 1.

Emit lacernas millibus decem Bassus
Tyrias coloris optimi.

Utrobique ducentis & quinquaginta florenis stetere. *Ferrar. ibid. c.* 23. sive quingentis Carolinis. *Meurs. de Lux. c.* 4. Reliquis vestimentis superinjiciebatur. Juven. illis Sat. IX. 28. jam laudatus. *Salmas. in Lamprid. Alex. Sev. c.* 4. *Ferrar. ibid. c.* 4. *Dempster. l. l.* Arcendis frigori, & defendendo imbri sumebatur. Plin. XVIII. 25. *Hoc ipso virgiliarum occasu fieri putant. Aliqui ad III. Idus Novembris servant, quoniam id sidus etiam vestis institoris est, & est in cœlo notatu facillimum. Ergo ex occasu ejus de hyeme augurantur, quibus est cura insidiandi negotiatoris avaritiæ. Nubilo occasu pluviosam hyemem denuntiant, statimque augent lacernæ.*

ternarum pretia: serene asperam, & reliquarum pretium accedunt. Virgiliarum sidus, dicit Plinius, observatur ab institoribus vestis, qui à negotiatoribus, mercatoribus locupletioribus, mercium partem emebant, quas minutim & cariùs distraherent. Hi ex illarum occasu, qualis futura esset hyems, conjecturam facientes, negotiatoris avaritiæ insidiabantur, nam si nubilus occasus fuisset, quod pluviosa hyems immineret, plus *lacernarum*, quàm reliquæ vestis emebant, earumque pretium augebant: sin vero serenus fuisset occasus, augurantes futuram frigore infestam, alias vestes, ut chlænas, endromides, gausapinas emebant, earumque pretium intendebant. Hoc autem erat insidiari negotiatoris avaritiæ: lucrum nempè, quod ipse facere debuerat, avertere, & ex siderum conjectura ejus avaritiam ferire; eas vestes tantùm emendo, quas cariùs distracturi erant. Porrò aliquem *lacernarum* usum etiam domi fuisse arcendo frigori, indicare videtur Prop. IV. 9. 57. V. illum infr. in *Sulphur.* Ferrar. ibid. c. 4. & 5. Bayf. l. l. Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 16. Spectaculis operam sedentariam præstantes illis utebantur, à Lacedæmoniis monstrato more. Tertull. Apolog. c. 6. *Ne vel hyeme voluptas impediretur, primi Lacedæmonii panulam ludis excogitarunt.* Mart. XIV. 137.

Amphitheatrales nos commendamur ad usus,
Cum tegit algentes nostra lacerna togas.

Suetonius mox laudandus. Et quidem candidis, si Martiali credimus, qui ludit in Horatium, qui nigra *lacerna* spectaculis aderat. *Bayf. Laz. Casal. & Argol. l. l. Salmas. in Lamprid. Commod. c.* 16. Honoris specie deponebatur. Suet. Claud. c. 6. n. 1. *Cum interim quamquam hoc modo agenti nunquam aut officium hominum, aut reverentia publica defuit. Equester ordo bis patronum eum perferenda pro se legationis elegit . . . Quin & spectaculis advenienti assurgere, & lacernas deponere solebant.* Ut nobis usitatum est, pileum sibi detrahere advenienti majori. *Argol. l. l. Ferrar. ibid. c.* 29. Inter dona natalitia mitti solebat. Mart. VIII. 87.

Sanguine de nostro tinctas ingrate lacernas
Induis, &, non est hoc satis, esca famus.

Ferrar. ibid. c. 23.

LACERTUS est os inter acutam, gibbamque brachii partem, & manus vertebram, ut brachium est os inter humerum, & *lacertum*. Sic ea distinguit Ovid. Met. I. 500.

—— laudat digitosque, manusque,
Brachiaque, & nudos media plus parte lacertos.

Voss. Lex. Etymol. Barthol. Anat. IV. 1. Minùs rectè. *Lacertum* enim pro brachii parte superiore, humerisque propinqua usurpant Tacit. Germ. c. 17. n. 5. Narraturus enim Germanorum feminas *partem vestitus superioris in manicas non extendere*, à brachiis ad *lacertos*, inde ad pectus ascendit, dum scribit: *Nuda brachia, ac lacertos: sed & proxima pars pectoris patet.* Ipse Ovidius laudatus. Procedit enim ab inferioribus usque ad superiora membra, quibus illa pars corporis absolvitur, à digitis nimirum ad manus, à manibus ad brachia, à brachiis ad *lacertos*, dum Apollinis amorem, quo Daphnen prosequebatur, narrat, eumque omnia laudasse virginis, quæ conspectui patebant, membra canit. Aliàs *lacertum*, si inter cubitum, & manus vertebram esset, ultra cubitum tectum, deus non vidisset; sequitur enim:

Si qua latent, meliora putat.

Unde, quo nihil evidentius, de sociis Ulyssis formam humanam recipientibus, Met. XIV. 304.

Erigimur, setaque cadunt, bifidosque relinquit
Rima pedes: redeunt humeri, subjecta lacertis
Brachia sunt.

Cuper. Observ. IV. 17. *Lacertos* verberare peculiaris est magni planctus, & lugendi species. Claud. de Rapt. Pros. II. 247.

—— planctuque lacertos
Verberat.

Virg. Æneid. VII. 503.

Silvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat:

Ovid. Met. IV. 137.

Sed postquam remorata suos cognovit amores,
Percutit indignos claro plangore lacertos.

Arnob. V. p. 168. *Cur more lugentium cadant cum pectoribus lacertos?* Kirchm. de Fun. Rom. II. 11. Barth. in Claudianum. Cerda in Virgilium.

Lacertus est piscis, ex quo teste Celso, & aliis salsamenta conficiebantur. Ulpian. l. 3. §. 3. ff. de pen. leg. *Lacertos quoque cum muria sua contineri nec Labeo negavit.* Ubi muria liquamen quoddam salsum erat, quod ex piscibus sale maceratis effluebat, palato non ingratum. Ejus mentio est apud Athen. VII. p. 23. & condimentum non injucundum legitur apud eundem ibid. c. 35. Et Mart. VII. 77. 1.

Cum Sexitani fertur tibi cauda lacerti.

Et Juven. Sat. XIV. 131.

—— Conchen æstivam cum parte lacerti.

Ubi, monente Martiale, accipe partem pro cauda: sola enim in pretio fuisse videtur. *Mag. Misc.* II. 9. *Nonn. de Re cibar.* III. 43. *Voss. Lex. Etymol.*

Lacertus etiam est panis dulciarius in *lacertorum* piscium, vel magis terrestrium effigiem formatus. Apul. Met. X. p. 329. *Hic panes, crustula, lucunculos, hamos, lacertulos . . .* Mag. Misc. II. 9. Hummelb. in Apicium mox laudandum. Condiendi rationem docet *Apic. de Art. coquin.* X. 9.

LACINIA est ipsa pinna chlamydis, sive togæ. Græci πτερύγιον appellant, & aliquando κράσπεδον, quamvis & aliquando κράσπεδα pro fimbria sumantur, quia nempè extremitati *laciniæ* sæpè fimbriæ attexebantur. Patet hoc ex locis auctorum. Plaut. Merc. I. 2. 16.

At tu edepol sume laciniam, atque absterge sudorem tibi.

Asin. III. 2. 41.

Lacrymantem lacinia tenet.

Suet. Claud. c. 15. n. 11. *Ut descendentem è tribunali, lacinia togæ retenta retinerent.* Cal. c. 35. n. 8. *Ut calcata lacinia togæ præceps per gradus iret.* Ner. c. 19. n. 2. *Consurgenti ei lacinia obhæsit.* Pollux V. 4. *Quæ alii fimbrias, alii alas vocarunt.* Plutarchus in Gracchis de Scipione Nasica: *Laciniam togæ imponeas capiti.* Val. Max. II. 7. de Pisone, qui Titum equitum præfectum, quod loco fugitivis cesserat, hoc ignominiæ genere affecit. *Jussit eum toga laciniis abscissis à mane in noctem usque ad principia per omne tempus militiæ adesse.* Ruben. de Re vest. II. 9. Pinnæ, & alæ sunt anguli vestium, & ideò *laciniæ* pars, non tota *lacinia*. Etsi hujusmodi pinnæ, & anguli in chlamyde, vestimento aperto, fuerint, in toga clausa esse non potuerunt; ubicunque *lacinia*, extrema vestimenti ora, & κράσπεδα fimbriæ, quæ imæ oræ assuebantur, aut ejus pars erant. Rectè igitur Beroald. Apud. Met. I. p. 65. ait, *laciniam* esse partem vestimenti fleauosam, sinuosamque, nam cum vestes in extrema parte, præcipuè togæ, & pallia, fusiores essent, & laxiores, plicas, & rugas, veluti sinus, imæ oræ flexu efficiebant. Nec malè Elmenhorst. Ind. Apul. & alii, *laciniam* vestis cum ora confundunt: eadem enim res erat: & optimè Cujac. Obs. XII. 24. *laciniam* ait esse oram, sive extimum vestis. Loca allata apertè evincunt, *laciniam* nihil aliud fuisse, quàm imam vestimenti oram. Apul. Plaut. Merc. est pallii, aut tunicæ pars extrema, quæ faciliùs apprehendi potest; quanquam ibi pro orario, sive sudario accipi potest. Asin. est ima vestis ora, quæ in descendentibus, aut fugientibus retineri solet. Suetonio est pars extrema vestis, quæ sola pedibus implicita ad casum impellit. Pollux πτερύγιον & κράσπεδον pro eodem quidem statuit, sed utraque extrema pars vestis fuerunt. Scipio apud Plutarchum *laciniam togæ imposuit capiti*, id est, imam togæ oram revocavit, & capiti velut galeam pugnaturus imposuit, sive ut expeditior foret. Piso apud Valerium Titium abscissa extrema togæ parte, sive toga decurtata, & mutila, ludibrio omnium exposuit. Quod genus ignominiæ etiam apud Hebræos usitatum ex sacris literis notum est. *Ferrar. Anal. de Re vest. c.* 41. *Voss. Lex. Etymol.*

LACONICUM erat prima balneorum cella, in qua sicco calore sudorem provocabant, quam *sudationem assam* vocat Cels. III. 27. 3. ad discrimen ejus, quæ calida aqua fieret in altera balneorum cella, in qua calida, sive tepida aqua lavabantur. In illa calor siccus inclusus sudorem pro-

provocabat, haud aliter, ac super Bajas myrtetis, ubi tempore Celsi è terra profusus calidus vapor ædificio inclusus maximos sudores ciebat: cujus meminit Horat. Epist. I. 15. 5.

—— sanè myrteta relinqui,
Dictaque cessantes nervos eludere morbos
Sulphura.

Lacones, ut Dio LIII. p. 515. B. imprimis sudatoriis hujus modi cruditatem excoquebant. Utitur Colum. Procem. I. *Quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, & exsucto sudore sitim quærimus.* De illo etiam Mart. VI. 42. 16.

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda Virgine, Marciaque mergi.

Mercur. de Art. Gymn. I. 10. Baccius de Therm. Vet. c. 10. Politian. Misc. c. 38. Argol. in Paovin. de Lud. Circens. II. 1. Voss. Lex. Etymol. Philand. in Vitruv. v. 10. Bald. Lex. Vitruv. Grapald. de Part. dom. I. 10. §. 5. Multi signavere sub nomine hypocausti. Papin. Sylv. I. 5. 58.

—— ubi languidus ignis inerrat
Ædibus, & tenuem volvunt hypocausta vaporem.

Plin. Epist. II. 17. 23. V. illum supr. in *Hypocaustum.* Grapald. l. l. Sed illi errant. Differunt enim *Laconicum* & hypocaustum tum usu, tum forma ipsa. *Bald. l. l.* Erat veluti turriculi camerata in hemisphærium, & à rotunditate sphæristerium vocatur Suet. Vesp. c. 20. n. 3. & Plin. Epist. II. 17. 12. *Baccius & Philand. l. l.* Quibus ego planè assentiri nequeo, quoniam mihi irrationabile videtur, ut in loco calido sudationibus ædificato ludum pilæ, atque alias exercitationes, quæ in sphæristerio fieri consueverunt: fuisset namque, ut est in proverbio, camino oleum addere, si exercitationes per se corpora valdè calefacientes in calidissimis locis egissent. Qui etiam tepidarium, & *Laconicum* idem faciunt ex Vitruv. v. 10. verba ipsius Vitruvii lectitantes facilè cognoscent, utraque ab ipso separari, dum præcipit *Laconicum, sudationesque tepidario conjungi:* præterquam quod manifestè Celsus *Laconicum* vocat, ubi calor siccus eliciebat sudorem: quam conditionem tepidario minime convenire quivis intelligere valet. Id quod etiam verbis jam laudatis clarissimè significavit Martialis. *Mercur. l. l.*

Laconicum est genus vestis apud Plaut. Epid. II. 2. 50.

Cani quoque etiam ademptum est nomen. EP. *Qui?*
PE. *Vocant Laconicum.*

Cum enim aliqui canes *Lacones*, & *Laconici* dicerentur, ea vox ad vestes, quæ *Laconicæ* dictæ sunt, transiit. *Ferrar. de Re Vest.* I. 3. 13. *& Plauti Interpretes.*

LACRYMAS fundere ad cognatorum rogum solebant veteres. Auson. de suis Parentalibus, quæ hac ratione instituit: *Habet hoc opusculum mœstam religionem, qua carorum meorum obitus tristi affectione commemoro ....*

Nomina carorum, jam condita funere justo,
Fleta prius lacrymis, nunc memorabo modis.

Ovid. Pont. I. 9. 17.

Illum ego non aliter flentem mea funera vidi,
Ponendus quàm si frater in igne foret.

Homer. Odyss. IV. 197.

Namque hæc sola manent miseros solatia mortis,
Et tondere comam, & lacrymis respergere vultus.

Kirchm. de Fun. Rom. II. 11. Barth. in Stat. Theb. XII. 152. Herald. Animadv. in Arnob. v. p. 203. Broukh. in Tibull. I. 3. 8: III. 2. 12. Illarum officium morientibus gratum putabatur. Neque omninò injuria. Siquidem desiderium arguunt, quod non nisi rei alicujus carissimæ amissæ. Idcircò Solon ἄκλαυτον † ἑαυτῷ θάνατον esse noluit. Cicer. de Senect. c. 20. Tusc. Quæst. I. 49. *Solonis quidem sapientis elogium est, qui se negat velle suam mortem dolore amicorum, lamentisque vacare: Vult se carum, credo, suis esse.* Plutarch. Poplic. p. 109. F. *Jam etiam ea, qua refellens Mimnermum de vitæ spatio exclamavit:*

Mors mea ne careat lacrymis: linquamus amicis
Mœrorem: ut celebrent funera cum gemitu.

beatum Poplicolam efficiunt: quippe morte sua, non amicis modo, & familiaribus, verum etiam civitati toti, infinitis hominibus lacrymas, desiderium, mœrorem sui causa incussit. Nam matronæ Romanæ eum velut amissum filium, vel communem parentem, vel fratrem deflevere. Herald. Adv. I. 9. Illas vitreo vasculo ut plurimum injiciebant, & unà cum ossibus, cineribus, & odoribus urna claudebant. Habeo *lacrymarum* phialam vitream, cujus figura oblongior, patulo ore, & incurvo ad *lacrymas* excipiendas. Unde intelligi potest, quid sit in antiquis lapidibus *lacrymas ponere.* Romæ:

ULPIAI. SCITAI. PILUMENAI
CONJUGI. B. M. P
ÆLIUS. MACER. ANTESIG
NANOR. TRIB
LACRYMAS. POSUIT

Guther. de Jur. man. I. 27. *Nicol. de Sigl. vet. c.* 33. §. 8. *Casal. de Proph. Roman. ritib. c.* 26. Illis putabant allevari dolorem ejus, in cujus gratiam fiebant. Hoc *lacrymas lugenti commodare* dicebant. Petron. c. 71. *Adsidebat ægra fidissima ancilla, simulque & lacrymas commodabat lugenti.* Ita Terent. Andr. I. 1. 82. *conlacrumabat* interpretatur Donatus: *alienis lacrymas suas commodabat.* Rittersh. in Phædr. I. 17. 3. Kirchm. de Fun. Rom. IV. 4. Erhard. in Petron. p. 693.

LACTARII dicuntur, qui *lactaria* faciunt. Lamprid. Heliog. c. 27. *Dulciarios, & lactarios tales habuit, ut quæcunque coqui de diversis edulibus exhibuissent, vel structores, vel pomarii, illi modo de dulcibus, modo de lactariis exhiberent.* Inde & *lactarium opus.* c. 32. *Habuit etiam istam consuetudinem, ut tantum ederet alia die de pullis, alia de pisce illo, & item illo, alia de porcis, alia de struthionibus, alia de oleribus, alia de pomis, alia de dulcibus, alia de opere lactario.* Salmas. in Lampridium. Buleng. de Conviv. I. 9: II. 50. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 346. VVouvver. in Minuc. Felic. p. 116.

LACTORA Antonino in Itinerario, *Lactoratum* in antiquis lapidibus, & *Lactoratium*, Aquitaniæ Gallicæ urbs etiam nunc est *Lectore* communiter appellata. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 610. *D.* 798. *F.*

LACTUCA Laconibus propria. Translata in alias regiones nomen retinebat, & Laconica dicebatur. Theophr. Hist. Plant. VII. 4. & Plin. XIX. 8. *Lactuca tria Græci fecere genera, unum laticaulas, alterum rotunditatis, tertium sessile, quod Laconicum vocant.* Meurs. Misc. Lacon. I. 13. Adhibebatur in mensa, & primitus sub cœnæ finem. Auctor Moret. n. 76.

Grataque nobilium requies lactuca ciborum.

Vocatur *requies ciborum*, quod eo tempore adhuc *lactucis* claudebant cœnas suas. Posteà verò sub ejus initium. Unde Mart. III. 14. 1.

Claudere quæ quondam lactuca solebat avorum,
Dic mihi, cur nostras inchoet illa dapes?

In cœnæ principio solebat apponi ad appetentiam excitandam. Siquidem cum ex prolixiori prandio exigua fere esse soleat ad cibum aviditas, mos inolevit, ut in ipso statim accubitu fastidienti stomacho *lactucis* oleo, acetoque conditis appetentia excitetur. Quin & illum usum præbet, ut ante omnem cibum in venas delata sanguinis fervorem reprimat, atque hepatis, cordisque calidam intemperiem mitiget, adeò ut immodicus ejus usus Venerem coerceat, ac concumbendi desiderium exstinguat. A cœna verò ad ebrietatem reprimendam, aut soporem conciliandum, quibus peragendis illa nihil præstantius. Cum enim frigidæ sit naturæ, à cœna assumpta efficacius somnum conciliat, vinique fervorem reprimit, atque ebrietati resistit, inducta cerebro humiditate. *Lemn. de Mirac. occult. nat.* II. 42. *Pancirol. de Reb. deperd. & invent. p.* 502. *ad illum Salmuth p.* 535. *Bruyer. de Re cibar.* VIII. 4. *Carol. Antiq. Roman.* IV. 6. *Laurent. de Prand. & cœn. vet. c.* 6. *&* 12. *Stuck. Ant. Conviv.* III. 1. *Rhodig. Ant. Lect.* III. 1. *Buleng. de Conviv.* II. 5. *Ursin. Append. ad Ciaccon. Triclin. p.* 311. *Lips. Ant. Lect.* III. *p.* 143. *Scalig. in Moretum. Kipping. Antiq. Roman.* IV. 3. 1.

LACTUCINUS fuit cognomen Valeriorum. Plin. XIX. 4. *Sit aliquis & his honos, neve auctoritatem rebus utilitat*

tas adimat, cum præsertim etiam cognomina procerum inde nata videamus: Lactucinosque in Valeria familia non puduisse appellari. Quare qui consul anno ab U. C. 247. M. Valerius Maxumus dicitur in tabulis Capitolinis, is Μάρκος Οὐαλέριος Λακτύκας appellatur Dindor. xi. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 5.

LACTURCIA fuit *dea, quam lactescentibus frumentis præposuerunt* veteres. August. de Civ. Dei iv. 8. Sunt qui *Lacturnum* apud Augustinum legant. Alii *Lacticinam* legunt. Serv. Georg. i. 315. *Lactantem deum esse ait, qui se infundit segetibus, & eas facit lactescere.* Gyrald. Synt. deor. i. p. 41. D. Rhodig. Ant. Lect. xxv. 30. Vives in Augustinum. Tomas. de Donar. c. 26. Blond. Triumph. Rom. i. p. 12. H.

LACUNAR, sive *laquear* à camera distinguit Vitruv. vii. 2. V. illum supr. in *Cameræ*. Posterius ævum cameras etiam novit *laqueatas*, & tabulis subtectas. Cameras quidem ex contignationibus fecerunt veteres, sed pro signino opere, & albario eas tabulis subtexerunt. Isidor. xix. 12. *Laquearia sunt, quæ cameram subtegunt, & ornant, quæ & lacunaria dicuntur, quod lacus quosdam quadrates, vel rotundos ex ligno, vel gypso, vel coloribus habeant pictos.* Quod addit de gypso, planè confundit cameras veterum cum cameris recentiorum, & *laquearia* à cameris non discernit. Nam in veris *laquearibus* nullum gypsum. At in cameris veterum, quæ albato opere poliebantur, coronæ ex gypso fiebant ad ornamentum, quas hic Isidorus temerè confundit cum lacubus ligneis *laqueariorum*. At in cameris, quæ tabulis erant *laqueatæ*, *lacunar* & camera pro eodem usurpata. Paullin. Natal. ix. de basilica:

— *Insculptum camera crispante lacunar*
In ligno mentitur ebur.

Salmas. Exerc. Plin. p. 855. D. Turneb. Adv. xxix. 13. V. etiam supr. in *Camera*. De illo Cicer. Tulch. Quæst. v. 21. *In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari seta equina suspensum demitti jussit.* Ad magnificas ædes pertinere, non ad mediocres, & pauperes, innuit Horat. Od. ii. 18. 1.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.

Est igitur *lacunar* cœnationis, cubiculi, templive cœlum, contignatiove, variis cœlaturis, & picturis quàm magnificè ornata. *Bald. Lex. Vitruv.* Etiam inaurabatur & ejus rei origo à Capitolio. Plin. xxxiii. 3. *Laquearia, quæ nunc & in privatis domibus aureo teguntur, post Carthaginem eversam primo inaurata sunt in Capitolio, censura L. Mummii. Inde transiere in cameras, in parietes quoque, qui jam & ipsi, tanquam vasa, inaurantur.* Manil. v. 504.

Sculpentem faciet sanctis laquearia templis,
Condentemque novum cœlum, per templa Tonantis.
Hæc fuerit quondam divis concessa figura,
Nunc jam luxuriæ pars est, triclinia templis
Concertant, tectique auro nunc vescimur auro.

Senec. Epist. 115. *Et cum auro tecta perfundimus, quid aliud, quàm mendacio gaudemus? scimus enim sub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantum parietibus, aut lacunaribus ornamentum tenue prætenditur: omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est.* Epist. 90. *Lacunaria auro gravia pendent.* Hieron. Epist. ad Gaudentium: *Vivimus, quasi altero die morituri, & ædificamus, quasi semper in hoc seculo victuri. Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum.* Donat. de Urb. Roman. i. 27. Meurs. de Lux. Rom. c. 12. Kobierzyck. de Lux. Rom. ii. 7. Grapald. de Part. dom. ii. 3. 3. Lips. Admir. iii. 5. & 14. Rycq. de Capit. c. 16. Nardin. Roman. Vet. v. 15. Ne verò leves auri inductiones, aut tenues bracteas in trabibus *laquearium* fuisse existimes, satis commonefacit Statius, cum inquit:

Et nondum crasso laquearia fulva metallo.

Admonet quidam etiam Panegyristes, qui ad Gaudentium *solido auro tecta laquearia* commemorat. Quod si cui dubium manet, quæ ex arbore tam superba *laquearia* exstructa, quod genus ligni meruit tam magnificas bracteas, facilè resolvet Senec. Epist. 90. *Nec in hunc usum pinus, aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus, ut ex illa lacunaria auro gravia penderent*, Kobierzyck. l. l. Faciebant illa versatilia, & alia atque alia subinde facie convivas delectabant. Senec. Epist. 90. *Versatilia cœnationum laquearia ita coagmentat, ut subinde alia facies atque alia succedat, & toties tecta, quoties fercula, mutentur.* Eo privata ingenia, & luxuriam: quid existimas Principes tentasse, & fecisse? De Nerone Suet. Ner. c. 31. n. 7. *In ceteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis, unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores, & fistulatis, ut unguenta desuper funderentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo, diebus ac noctibus, vice mundi circumageretur.* Lips. de Magnit. Roman. iii. 14. Thys. de Magnit. Roman. iii. p. 308. Alexand. Gen. dier. v. 5. & in illum Tiraquellus. Casaub. in Athen. iv. 2. Stuck. Antiq. Conviv. ii. 14. Kobierzyck. l. l. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 219. Beroald. & Pitisc. in Suetonium. Includebant aliquando sylvas, & veras aves intermiscebant. Rutil. Itiner. i. 111.

Quid loquar inclusas inter laquearia sylvas?
Vernula quæ vario carmine ludit avis.

Qui vulgata poetarum phrasi sylvas non propriè, sed συνεκδοχικῶς inter tecta & domos includit. Suet. Ner. c. 31. n. 6. *Rura insuper arvis, atque vinetis, & pascuis, sylvisque, varia cum multitudine omnis generis pecudum, ac ferarum.* Luci enim, & arbusta in magnis illis ædibus erant, imò & super ædes. V. supr. in *Arbores*. Lips. de Magnit. Roman. iii. 14. Sitzmann. in Rutilium.

LACUS est omne aquæ perpetuæ receptaculum. Varr. de Ling. Lat. iv. 5. *Lacus, lacuna magna, ubi aqua contineri potest.* Ulpian. l. unic. §. 3. ff. ut in flumine publico .... *Lacus est, quod perpetuam habet aquam.* Nec de solis magnis id accipiebant receptaculis, verùm & de quovis fonte, in quo labrum aliquod foret, quod aquam reciperet, contineretque. Sic *lacum*, ubi jumenta adaquabantur, vocat Suet. Galb. c. 7. n. 5. *Decrevit, ut ad lacum, ubi adaquari solebat, duceretur capite involuto.* Plin. xxxvi. 15. *Agrippa in ædilitate sua adjecta Virgine aqua, ceteris corrivatis, atque emendatis, lacus* DCC. *fecit, præterea salientes* CV. *castella* CXXX. Nardin. Roman. Vet. iii. 5: iv. 5: vi. 4. Barth. Adv. ii. 22. Voss. Lex. Etymol. Priscis Reipublicæ temporibus, cum nondum invaluisset luxus, ex solis *lacubus* aqua petebatur in privatos civium usus, & quidem illa sola, quæ ex *lacu* exuberabat, & ceciderat in humum. Frontin. de Aquæduct. *Apud antiquos omnis aqua in publicos usus erogabatur, legeque cautum fuit, ne quis privatus aliam ducat aquam, quæ ex lacu humum accedit.* In legis hujus verbis propter concursum duarum syllabarum iisdem literis excidisse puto *quam*, legendumque: *ne quis privatus aliam ducat aquam, quàm quæ ex lacu humum accidit.* Sic enim pro vulgato *accedit* scribendum est, hoc est, quæ ex *lacu* exundante in humum cadit, cum supra ripa in *lacus* emisset. Hæc enim sunt verba illius legis, *id est, quæ ex lacu abundavit, eam nos caducam vocamus.* Quia scilicet ex *lacu* in humum accidebat. Unde vides rectè illam esse dictam caducam. Posterioribus temporibus in Urbe multa castella erant, quæ nominabantur *dividicula*. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. iv. * * 4. V. etiam supr. in *Castellum*. Aqua enim ex castello derivabatur in *lacus*, & balnea, & ad hortos irrigandos; in *lacu* lintea, & sordes abluebantur, potabant equi, & alia ad emundandum necessaria fiebant. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* iii. *p.* 323. *E.* Super *lacus* aliquando convivia agitaverunt veteres. Suet. Claud. c. 32. n. 2. *Convivatus est & super emissarium Fucini lacus.* Tacit. Ann. xii. 57. 3. *Quin & convivium effluvio lacus appositum magna formidine cunctos affecit.* Plutarch. Sympos. iv. 4. V. illum supr. in *Acta*. Sic & in ipso Rheno, & Tiguri in Limago mensis, epulisque positis epulas fuisse agitatas narrat *Stuck. Ant. Conv.* ii. 14.

Lacus Avernus Lucrino per angustas fauces jungebatur, vulgò hodieque *Il Lago d' Averno*, & nonnunquam *Il Lago de Tripergole*. Strab. v. p. 168. *Avernus est sinus mari pone ipsum littus profundo, faucibus commodè ad recipiendas naves instructus.* Et ejus formam Aristot. de Mirab. ii. p. 1097.

Circa

Circa Cumam Italiæ lacum esse ferunt, quem Aornon vocant, forma circulari, & profunditate immensa, tumulis undequaque septum, trium minimum stadiorum altitudine. Cluver. Ital. Ant. IV. 2. 25. Merul. Cosmogr. II. 4. 12. Leand. Ital. p. 264. In secessu quodam est, collibus veriùs quàm montibus septus, figuræ orbicularis, justæ magnitudinis. In illo nautæ negant fundum seperiri posse. *Schott. Itiner. de Agro Neapolit. c. 3.* Qui & multa de tenebroso ingressu in specum ad radicem montis situm.

Lacus Curtius in medio fuit foro Romano, sive is à Metio Curtio Sabino dictus, qui, cum sub Romulo ibi aquæ stagnarent, illo repulsus è palatii porta, abdiderat se, atque in stagnum tradito nomine immiserat: sive, quod locum fulguritum sepserat Curtius consul: sive, quod credibilius, à Marco Curtio, equite Romano, qui, ut tolleret pestilentiam Urbi ingruentem, se cum equo in gurgitem ejus dedit præcipitem. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Lacus* nomine tenus tenansit; nam terræ solum clausum erat cancellis. Ovid. Fast. VI. 403.

Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras,
Nunc solida est tellus: sed fuit ante lacus.

Dionys. II. p. 108. *Lacus iste jam terra congesta repletus est, Romani fori fere medietullium occupans.* Hæc vorago postea exsiccata æneum Domitiani equum sustinuit; ad quam cloaca maxima, quæ adhuc quodammodo navigabilis, decurrebat. *Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 2. Donat. de Urb. Rom. I. 3: II. 18. Fannus Antiq. Urb. Rom. II. 13. Ursin. de Famil. Rom. in Navia. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. n. 4. Nardin. Rom. Vet. v. 3.* In hunc stipem jaciebant Romani. Suet. Aug. c. 57. n. 4. *Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant.* Quod veteris superstitionis fuit ritus. Sic enim solebant loca hominum opinione sacra, ut *lacus*, putens venerari. Pausan. Attic. p. 33. *Qui morbo oraculi monitu levati fuerint, argentum, & aurum signatum in fontem abjiciunt.* Sozom. II. 3. *Circa tempus vero festi nemo illic*, ex puteo ad quercum Mamre effosso, *aquam haurit. Siquidem gentili quodam ritu alii lucernas accensas in eum imponere, alii vinum effundere, alii placentulas, alii nummos injicere solent.* Casaub. in Suetonium. Tomas. de Donar. c. 19.

Lacus Fucinus *est in Marsis*. Dio LX. p. 672. B. Virg. Æneid. VII. 758.

—— & Marsis quæsita in montibus herba,
Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus.

Magnitudine maris similis. Strab. V. p. 166. *non longè à Liri flumine.* Tacit. Annal. XII. 56. 1. Nunc etiam vulgò interdum *Lago Fucino*, vel, ut alii, *Lago di Marso*, sed plurimum ab oppido juxta sito *Lago di Celano* cognominatur. Ferunt eum aliquando usque ad montana impleri, rursumque subsidere, ita ut palude obducta loca rursum detegantur, & agriculturæ sint commoda, quod occulto naturæ miraculo fiebat. Marsi ergo, ne *lacus* Fucini inundationi bus frequentibus essent obnoxii, Augusto ostentabant inter alia, si emitteretur *lacus*, plurimos inde agros culturæ aptos, aut prata optima, loco aquarum stagnantium, & exundantium, futura. At ille nimias, & insanas in hanc rem impensas futuras reputans Marsis simpliciter & omninò negavit. *Cluver. Ital. Ant. II. 15. §. 3. Merul. Cosmogr. II. 4. 22. Leand. Ital. p. 228. Bergier. de Viis milit. IV. Sect. 46. §. 3. 4. Pitisc. in Suet. Jul. c. 44. n. 5.* Illum emisit Claudius. V. illum supr. in *Emissarium*.

Lacus Ganymedis fuit in Urbis regione septima, sive Via lata. Simulacrum Ganymedis Leocus fecit apud Plin. XXXIV. 8. scilicet *aquilam sentientem quid rapiat in Ganymede, & quid ferat, parcentemque unguibus etiam per vestem.* Panciroll. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 347. F.

Lacus Juturnæ fuit in foro ante templum Vestæ. Ovid. Fast. I. 708.

—— fratres de gente deorum
Circa Juturnæ constituere lacum.

P. Victor. V. illum infr. in *Templum*. Nardin. Rom. Vet. v. 4. Fuit fons, qui è radicibus scaturiens Palatini parvum illic, sed profundum *lacum* faciebat, ut describitur à Dionys. VI. Hodie nullum vestigium superest, quod rivus ille aquæ, exaggerato, exaltatoque solo, meatum aliquem sibi sub terra fecerit. Sunt qui eum existiment fontem illum, qui ad Georgii ædem in Velabro cernitur, & sub terra in Tiberim fuit. Alii verò illum Georgii aquam cloacæ maximæ opinantur; nec negari hoc potest: verumtamen, quod ibi copiosa aqua scaturiat, fortassis & Juturnæ ei fons admixtus fuerit. *Nardin. ibid. c. 5.*

Lacus Lucrinus continuò sequebatur Bajas. Describit illum Strab. V. p. 169. *Lucrinus sinus in latum producitur usque ad Bajas, interclusus ab externo mari aggere longo stadia octo tanta latitudine, quantam lati currus orbita occupat.* p. 168. *Bajis contiguus est Lucrinus sinus, & intra hunc Avernus.* Ferè omnis interiit. Quippè cum ferè biennio totus hic tractus crebris terræ motibus fuisset concussus: tandem anno à nato Christo 1538. a. d. III. Kal. Octob. ex repentino, altissimoque hiatu ignem evomente tanta cinerum pumicibus permixtorum vis eructata est, ut inde mons altissimus, latèque proxima occupans littora, qui nunc *mos novus*, & *mons cinereus* dicitur, extiterit, & nunc tenus tantum, ac cœnosa extet palus cum exiguo atund neto. *Cluver. Ital. Ant. IV. 2. 17. Leand. Ital. p. 263.* Superstitio invaluerat apud Romanos, ut cum Italiæ *lacus* locarent, Lucrinum primum appellarent. Festus: *Lacus Lucrinus in vectigalibus publicis primus locatur fruendus, ominis boni gratia.* Brod. Misc. VIII. 5. Brisson. de Form. VI. p. 522.

Lacus Pastoris fuit in Urbis tertia regione, quæ Isis & Serapis. Victor & Rufus. Non ineptè dici possit fons fuisse, ut plurimi alii, cum labro receptrice, ac retentrice aquarum perpetuo. Pastoris nomen ipsi à sculptura, picturave, pastorem exhibente, adhæsit. Sic & hodièque fontibus plurima id genus simulacra seria, ac jocosa ornamenti gratia addi solent ea, qua exsiliunt, parte; nisi forte id nominis ab aliqua familia accepit Romana, cui hoc cognomen fuerit. Fit hujus quoque mentio in actis Eusebii & sociorum: *Qui vero ducti ad petram sceleratam juxta amphitheatrum ad lacum pastoris, ibidem decollati sunt.* Qui tueri inter amphitheatrum, & radices montis Petri in vincula; cum ab altera parte inter amphitheatrum et arcum Constantini alius fons fuerit, cui metæ sudanti nomen. Quin & suspicati aliqui possent, duo illa ingentia labra mormorea, quæ in area Farnesiorum pulcerrimos duos fontes exornant, hujus aliquando *lacus* fuisse. *Nardin. Roman. Vet. III. 9.* Fuit factus à pastore, puto Junio pastore, qui anno salutis 196. cum L. Æliano sub M. Antonino consul fuit. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 334. A.*

Lacus Philippi Imperatoris fuit trans Tiberim. Aurel. Vict. de Cæsar. c. 28. n. 1. *Philippus, exstructo trans Tiberim lacu, quod eam partem aquæ penuria fatigabat*... Nardin. Rom. Vet. VII. 11.

Lacus Promethei fuit in Urbis regione quinta, sive in Exquiliis. Victor & Rufus. Statua Promethei ibi fuit posita. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 323. F. 341. D.* Non tam certum, fortè verum est, eandem veterum fuisse Naumachiam. *Nardin. Rom. Vet. IV. 2.*

Lacus Regillus est in agro Tusculano, nunc S. Praxedis dicitur. *Panvin. de Lud. Circens. II. 2.*

Lacus Sabatinus in via est Claudia, vigesimo octavo ab Urbe Roma milliario. Non procul ab illo Marcianus presbyter unà cum Macario exnicista, & Stratoclino lectore sub Maximiano Imperatore martyrium perpessus est, ut ex Marciani actis in bibliotheca Vaticana constat. *Aring. Rom. Subterr. IV. 40. §. 9.*

Lacus sanctus appellatus fuerit à Rufo in regione Urbis prima, quæ Porta Capena, stagnum aliquod accipiendis animalibus, vel etiam hominibus. Hoc nomen hodie in Aqua sancta mutatum sit: nisi potius *lacus* ille salutaris fuit, Victori simul, & Rufo memoratus. *Nardin. Rom. Vet. III. 3.*

Lacus Servilius *appellabatur ab eo, qui cum faciendum curaverat, in principio vici jugarii, continens basilicæ Juliæ, in quo loco fuit effigies hydræ, posita à M. Agrippa*. Festus. *Victor. Var. Lect.* XXII. 22.

Lacus Vespasiani in Rufo legitur in regione Urbis prima. Fortè fons aliquis hic fuit à Vespasiano hac in regione ædificatus. Vespasianus multa Urbis loca instauravit, atque exornavit, & nominatim in hac regione ædes illas duas Honoris & Virtutis, teste Plin. XXXV. 10. In actis martyrum sæpè invenias eosdem à tyrannis pro tribunali interrogatos in via Appia in palatio Vespasiani. Quare præter fontem, aut balneum, aliud illic quoque fuisse ædificium additum, verisimile est, quod vulgus postea seculis posterioribus ad barbariem vergentibus palatium appellaverit, *Nardin. Rom. Vet.* III. 2. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* III. 2.

Lacus in veste figura erant quadrata, & idem quod πλινθίον. Inde vestes *lacuata* vel πλινθίοις ἐνυφασμέναι. Isidor. XIX. 22. *Laculata*, *L. lacuata veste, qua lacus quadratos quosdam cum pictura habet intextos, aut additos acu*. Salmas. in Vopisc. Carin. c. 20.

Lacus est etiam vas amplum, in quod uvæ pressæ mustum emittebant, ad similitudinem receptaculorum aquæ. Tibull. I. I. 8.

Prabeat ex plene pinguia musta lacu.

Apertiùs Varr. de Re Rust. I. 54. *Quæ calcatæ uvæ erunt, earum scopi cum folliculis subjiciendi sub prelum, ut si quid reliqui habeant musti, exprimatur in eundem lacum*. Colum. XII. 29. *Mustum ut semper dulce tanquam recens permaneat, sic facito. Ante quam prelo vinacea subjiciantur, de lacu quam recentissimum addito mustum in amphoram novam*. Voss. Lex. Etymol. Nardin. Rom. Vet. III. 4. Burman. Dissert. de Vectig. c. 2.

LAE.

LÆLIA gens, V. illam supr. in *Gens*.

LÆNA vestimentum. V. illud supr. in *Chlæna*.

LÆNAS fuit dictus Popillius, quod cum flamen sacrificium faceret, cum *læna* in publicum exierit, & seditionem sedarit, Cicer. de Clar. Orat. c. 14. *Popillius cum consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione, & seditione nuntiata, ut erat læna amictus, ita venit in concionem, seditionemque cum auctoritate, tum oratione sedavit*. Sigon. de Nom. Roman. c. 5.

LÆTORIA gens, V. illam supr. in *Gene Platoria*.

LÆVA ideò prospera existimabant veteres, quoniam *læva* parte mundi ortum, ut Varro auctor est, Romani statuere, cœlum templum appellantes, cujus quatuor faciebant partes, quarum sinistram ab oriente, dexteram ab occidente deducebant, anticam ad meridiem, posticam ad septemtrionem dirigentes. *Valerian. de Fulmin. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 604. A. Bellus de Part. templ. augur.* c. 10. Priscis tamen illis melioris ævi scriptoribus non rarò dicuntur tristia. Horat. Epist. I. 7. 52.

—— puer hic non lævæ jussa Philippi

Accipiebat.

de Art. poet. n. 301.

—— o ego lævus,

Qui purgor bilem sub verni temporis horam.

Ovid. in Ibin n. 125.

Evenient, dedit ipse mihi modò signa futuri

Phœbus, & à læva mæsta volavit avis.

Buleng. de Augur. c. 2.

LÆVINUS cognomen per diminutionem à suo primitivo deflexum est. *Sigon. de Nom. Rom. c. 5*.

LAG.

LAGANUM *fuit genus placenta ex simila & oleo*. Hesychius. Sed loco olei nos butyro utimur. De eodem sic Isidor. XX. 2. *Laganum est latus, & tenuis panis, qui primum in aqua, postea in oleo frigitur*. Usus ea voce, si lectio sana est, & non *lachani*, ut meliores habent codices, est legendum, Horat. Sat. I. 6. 115.

Ad porri, & ciceris refero, laganique catinum.

Ad Horatium vetus Scholiastes: *Lagana sunt placentula quadam vulgares, quasi membranula composita, qua cum pipere, & liquamine condita depromi solebant ad cœnam moderatam & parabilem*. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Conviv. IV. 18. Alnelov. Lexic. Cœlian. Grapald. de Partib. dom. III. 3. §. 25.

LAGENA est vas vinarium, quam œnophorum, est verò Græcum utrumque, vocat Mart. VI. 89.

Quum peteret seram media jam nocte matellam
Arguto madidus pollice Panaretus:
Spoletina data est, sed quam siccaverat ipse
Nec fuerat soli tanta lagena satis.
Ille fide summa testa sua vina remensus,
Reddidit œnophori pondera plena sui.
Miraris, quantum biberat, cepisse lagenam?
Desine mirari, Rufe, merum biberat.

Laguncula per diminutionem usus est Plin. Epist. I. 6. 3. *Quum venabere, licebit, auctore me, ut panarium, & lagunculam, sic etiam pugillares feras*. Illo à cupa vinum, ut volunt nonnulli, in mensa apponebatur: ideoque iidem putant posse fiascum vulgariter dici. Alius est genus poculi angusti, ex quo non liberè liquor effluere solet. Conficitur ex varia materia. Fiebat etiam ex radicum filis tum ficitum etiam sylvestrium. Plin. XVI. 31. *E quibus montani prætenuia fila decerpentes, spectabiles lagenas, & alia vasa nectunt*. Bayf. de Vasc. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 701. B. Long. de annul. p. 127. Stuck. Ant. Conviv. III. 12. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 369. Popm. de Instrum. fund. c. 17. Hos veteres obsignabant. Cicer. Fam. XVI. 26. *Sicut olim matrem meam facere memini, qua lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, qua furtim essent exsiccata*. Turneb. Adv. XXX. 7. Pignor. de Serv. p. 329. Long. l. l.

LAGEOS est uva, quæ à colore leporaria dicitur, nam λαγὼς lepus est. Memorata Virg. Georg. II. 93.

Et passo Psithia utilior, tenuisque lageos.

Et ex illo Plin. XIV. 3. *Dixit Virgilius Thasias, & Mareotidas, & lageas: compluresque externas, qua non reperiuntur in Italia*. Serv. ad Virgilium: *Lageos est, quæ Latinè leporaria dicitur. Tenuis autem, penetrabilis, quæ citò descendit ad venas*. Voss. Lexic. Etymol. Buleng. de Conviv. III. 5. Cerda in Virgilium.

LAL.

LALISIO est pullus onagri, qui hoc nomine gaudet, quamdiu lacte tantum matris pascitur. Plin. VIII. 44. *Onagri in Phrygia, & Lycaonia præcipui. Pullis eorum, ceu præstantibus sapore, Africa gloriatur, quos lalisiones appellant*. Apud Mart. XIII. 94. lemma est *Lalisio*. Distichon verò tale:

Dum tener est onager, solaque lalisio matre
Pascitur, hoc infans, sed breve tempus habet.

Illorum esum primus Mæcenas instituit, Plin. VIII. 43. *Pullos earum epulari primum Mæcenas instituit, multum eo temporis prælatos onagris: post eum interiit auctoritas saporis: lalisionum oriente usu celerrimè id genus defecit*. Meibom. Mæcen. c. 26. §. 13. & 14. Bochart. Hieroz. I. 2. c. 13. Buleng. de Conviv. II. 21. Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 239. b. C. Bartholin. de Unicorn. p. 146. Grapald. de Part. dom. I. 8. §. 3.

LALLARE nutrix propriè dicitur, quæ næniam canens puerum demulcet, ut somnum ei conciliet. Unde *lallare recusant*, hoc est, dormire nolunt, cum eos sive mater, sive nutrix in cunis collocatos provocat ad somnum cantillando, apud Pers. Sat. III. 18.

—— & iratus mamma lallare recusas.

Ubi Cornutus: *Nutrices infantibus, ut dormiant, solent dicere sæpè, lalla, lalla, lalla. Aut dormi, aut lacte*. Hieron. ad Heliodorum: *Forsitan & laxis uberum pellibus mater, arata rugis fronte, antiquum referens mamma lallare congeminet*. Voss. Lex. Etymol. Casaub. ad Theophr. Charact.

trast. c. 7. & in Persium. Pignor. de Serv. p. 383. Turneb. Adv. xviii. 34: xix. 21. Scalig. Lect. Auson. ii. 11. Claude de nutric. c. 4. Similiter *lallum* dixerunt ipsam nutricum vocem infantes ad lac sugendum prolectantium. Auson. Epist. xvi. 91.

Nutricis inter lemmata,
Lallique somniferos modos.

Voss. & Turneb. l. l. Barthol. de Puerp. p. 116.

Lallare dicebantur etiam pueri, cum *lalla* imitari vellent, sed perfectè non possent. Stat. Theb. v. 613.

—— *ubi verba ligatis*
Imperfecta sonis? risusque & murmura soli
Intellecta mihi?

Ubi Scholiastes Barthio laudatus: *Lallo dicit pueruli voces, quas didicerat praeunte nutrice, non autem perfectè poterat pronuntiare.* Et hinc cunæ Græcis βαβαλιστήριον, seu βάβαλον denominatæ, quod illis βαβάζειν, *lallant.* Hesych. βαβάζειν, *verba non formata loqui.* Claud. de nutric. c. 4.

LAM.

LAMIA est cognomen Æliæ gentis, à *Lamo*, Neptuni filio, Læstrigonum Rege, Formiarum conditore. Horat. Od. iii. 17. 1.

Æli vetusto nobilis ab Lamo,
Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne fastos:
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lirin.

Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Torrent. ad Horatium. Gyrald. Synt. deor. xv. p. 448. E. Strein. & Augustin. de Gent. Roman. in Ælia. Pro nobilibus *Lamias* ob generis vetustatem usurpaverunt. De Domitiano principe nobilitati infestissimo Juven. Sat. iv. 154.

—— *hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.*

Qui notaturus feminam in primis nobilem Sat. vi. 385.

Quædam de numero Lamiarum, ac nominis alti.

Torrent. l. l.

LAMIÆ erant spectra in formosarum mulierum figuram conformata, quæ adolescentes formosos voluptatibus deliniebant, dum eos devorarent. Etiam sagæ hoc nomine cœperunt vocari, quod & hæ in aliena specie apparere, imaginariis ædificiis, supellectile, cibis, miserè fucum aliis facere, sæpè eosdem maximo mactare damno, veterum *Lamiarum* instar crederentur. Erast. lib. de *Lamiis* censet sic vocatas, quia cum spectris, qualia *Lamiæ* veterum erant, conversentur. *Voss. Lex. Etymol. Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* ii. 2. Ex Duri & Dione Libycæ historiæ scriptoribus, Suida & Phavorino plura collegit *Gyrald. Synt. deor. xv. p. 447. D.*

LAMINA erat metalli cujusvis frustum, bractea crassius, quod igne calefactum noxiorum corporibus imponebatur, ut eo torreerentur. Applicabatur ad pedes, aliudve membrum, & hominem gravissimo dolore afficiebat. Valer. Max. vi. 8. 1. Servus Antonii oratoris *plurimis laceratus verberibus, culeo impositus, candentibus laminis ustus, omnem vim accusatoris, custodita rei salute subvertit.* Cicer. Verr. v. 63. *Quid, cum ardentes laminæ, cæterique cruciatus admovebantur?* Prudent. Περὶ στεφ. x. 486.

Nec sic inusta laminis ardet cutis,
Ut febris felle atro venas exedit.

Gallon. de Martyr. cruciat. c. 3. Laurent. de Rebuspubl.... c. 7. Brod. Misc. ii. 10. Pollet. For. Rom. iv. 14. Barth. Adv. xii. 12. Turneb. Adv. iv. 3. Rhodig. Ant. Lect. x. 6. Pancіroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 12.

Lamina plumbea erat tabula è plumbo in latum ducta, qua renum loca contegebant athletæ, ut obscœnos humores inhiberent, & Veneris impetus. Hanc voci obstrepere cui non notum? *Plumbi* verò, ut Plin. xxxiv. 18. *in medicina usus est, adalligatis lumborum, & renum parti laminis frigidiore natura inhibere impetus Veneris. Visaque in quiete Venerea sponte natura erumpentia usque in morbi genus his laminis Calvus Orator cohibuisse traditur, viresque corporis studiorum labori custodisse.* Ideò Cassian. de Spir. fornic. c. 7. *In tantum se mundos à coitus pollutione custodiunt, ut cum se præparant ad agonum certamina, ne quaforsitan per somnium nocturna delusi fallacia vires minuant, multo tempore conquisitis laminis plumbeis renum contegunt loca, quo scilicet metalli rigore genitalibus membris applicito obscœnos humores valeant inhibere.* Illam pectori applicuit Nero. Plin. l. l. *Nero princeps lamina pectori imposita, sub ea cantica exclamans, alendis vocibus demonstravit rationem.* Hanc *chartam plumbeam* vocat Suet. Ner. c. 20. 0. 2. *Plumbeam chartam supinus pectore sustinuit.* Nihil enim similius quàm plumbi *lamina*, & chartæ expansa pagina. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* ii. 1. *Remes. Var. Lect.* ii. 8.

LAMPADARII vocabantur, qui *lampadum* palatii curam habebant, ut accenderentur, & niterent, iidemque qui ad usus scrinii deputati erant, ut scribit Leo, l. ult. C. de divers. offic. Ea erant scrinia memoriæ, libellorum, epistolarum, & admissionum, quorum scribis in multam noctem vigilantibus, & scribentibus, cum *lampadibus* opus esset, his accendendis, & curandis *lampadarii* præficiebantur, qui in scriniis libellorum, & ipsi à Principe erant probandi, d. l. *Pancіroll. Notit. dignit. imp. orient.* c. 66. *Buleng. de Imperat. Rom.* ii. 26. *Faber. Semestr.* ii. 10.

LAMPADES & faces victoribus præferebantur in ludis. Chrysost. Homil. 70. ad Popul. Antioch. ubi adversus mortuorum luctum ait: *Quid enim ardentes quæso lampades sibi volunt? nonnè tanquam athletas eos comitamur?* Ita Neroni è Græcia Neapolim, Romamque ipsam hieronicæ habitu ac more intranti plebs & senatus lucernas prætulerunt. Xiphil. lxiii. p. 724. A. *Nero ascendit in Capitolium tota Urbe coronata, lychnisque plena.* Fab. Agon. ii. 10. Imperatori præferebantur. V. supr. in *Ignis*. In usum nocturni luminis præferebant simulacra aurea, argenteave in juvenilem speciem efformata. Lucret. ii. 24.

Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur.

Qui non tam imitatus est, quàm propè verbatim expressit Homer. Odyss. H. 100.

Aurei verè juvenes fabrefacti ad aras
Stabant, ardentes faces manibus gestantes,
Illucentes nocte per domum convivantibus,

Casaub. in Athen. iv. 2. Junius de Pictur. ii. 8. Figrel. de Stat. Roman. c. 6. Meric. Casaub. apud Gataker. in M. Anton. de Rebus suis 1. §. 17. Ardentes noxiis interdum admovebantur. Fiebant hoc modo. Desumebantur vasa quædam lata unius palmi longitudinis, vel aliquantulum majoris, quæ deinde à summo ad arctiorem formam paullulùm præposteræ perversæque pyramidis instar contrahebantur, atque adstringebantur. Erant autem vasa, vel terrea, sicuti indicant illa, quæ ex ruinis hujusce urbis nonnunquam eruuntur; vel ferrea, ut innuit Colum. xii. 18. *Nam ea, quæ demersa sunt, ferreis lampadibus ardentibus calefiunt.* Posteà verò vasa hæc hastulis quibusdam quadratis, & simul colligatis septa, quæ ad vasorum similitudinem & ipsæ à summo paullatim adstringebantur, igne flammam emittente repleri solebant. Porrò has hastulas, si ad ea, ad quæ *lampades* usui erant, animum referamus, intelligemus quinque, aut sex palmis plus minùsve extitisse oblongas. *Gallon. de martyr. cruciat.* c. 3. *Laurent. de Rebuspubl....* c. 7.

LAN.

LANA qua ratione esset paranda, quo modo diducenda, & figuranda digitis, civibus suis demonstravit Arcas. Ob quas artes, & ingentia beneficia non ingrata vetustas divinos illi honores decrevit, inque astrorum numerum, & cœli sodalitatem collocavit. *Gerbel. Græc. Ant. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. vi. p. (63) A.* Plin. viii. 48. *Lana laudatissima Apula, & quæ in Italia Græci pecoris appellatur, alibi Italica. Tertium locum Milesia obtinet. Colorum*

plara genera: quippè cum desint etiam nomina eis, quas nativas appellant aliquot modis. Hispania nigri velleris præcipuas habet: Pollentia juxta Alpes cani: Asia rutili, quas Erythræas vocant: item Bætica: Canusium fulvi: Tarentum & sua pulliginis. Istria, Liburniæque pilo propior, quàm lana, pexis aliena vestibus. & quam sola ars scutulato textu commendat in Lusitania. Nativi memorantur præcipui quatuor, etiamsi Plinius dicat, vel *nativis nomina deesse aliquot modis.* Albus in Apulia nobilis. Matt. xiv. 155.

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.

Niger in Hispania, & Pollentia; rutilus, qui & ἐρυθρὸς dici potest, & à Martiale rufus, fulvus & suæ pulliginis Tarentinus. V. illos supr. in *Color.* Bayf. de Re vest. c. 2. Ferrar. de Re vest. 1. t. 17. *Lanam* faciebant etiam honestissimæ matronæ. Ut de opulenta aliqua Phædr. iv. 4. 5.

At alteram lanificam, frugi, & rusticam.

Et in historia Romana satis exemplorum. *Barth. Adv.* iv. 12. *Feith Antiq. Homer.* iv. 3. *Demster. Paral. ad Rosin. Ant.* 1. 13. Et quia *lanam* facere proprium feminarum est, in pelle *lanata* nova nupta considere solebat. V. infr. in *Pellis.* Et ob eandem causam ad fores sponsi etiam *lana* suspendebatur. Boxhorn. Quæst. Rom. 26. Feith Antiq. Homer. iv. 3. Pitisc. in Suet. Aug. c. 64. n. 4. §. 10. Hinc in Epitaphio veteri matronæ cujusdam Romanæ legitur:

Hoc est sepulcrum haud pulcrum pulcræ feminæ....
Domum servavit, lanam fecit.

Hinc mulierum manus lanificæ apud Auson. Parental. ii. 3.

Morigeræ uxoris virtus cui contigit omnis:
Fama pudicitiæ, lanificæque manus.

xvi. 3.

Cujus si probitas, si forma, & fama, fidesque,
Morigeræ uxoris, lanificæque manus.

Minos in Alciat. Emblem. 195. Illaque feciales ornabantur. V. supr. in *Feciales.* *Lana* & licio furtum inquirebatur. V. supr. in *Furtum.*

LANARIUS est quivis *lanarum* artifex, aut negotiator. Inscriptio Romæ:

TI. CLAUDIO. TI. L. PALLANTI
LANARIO. VIX ANN. LXVIII
TI. CLAUDIUS. L. OLYMPIUS
AURIFEX. T. E.

Salmas. in Capitol. Maxim. & Balbin. c. 5. Spon. Misc. Erud. Antiq. Sect. vi. p. 222. Speciatim *lanarius pectinarius* dicitur, qui *lanas pectit.* Vetus inscriptio: LANARII. PECTINARII. SODALES. Græci κτενιστὰς simpliciter eos appellant. Interpres Apollonii: Λανάριος, ὁ κτενιστής. Dicitur & *lanarius coactiliarius*, qui coactilia operatur, aut vendit. Vetus lapis: M. L. LARISCUS LANARIUS COACTILIARIUS. *Salmas. Exerc. Plin. pag. 281. a. C. & in Capitol. l. l.*

LANCEA est vox Hispanica. Varr. apud Gell. xv. 30. *Lanceam quoque esse verbum non Latinum, sed Hispanicum.* Vel Gallica. Diodor. v. p. 213. B. *Jaciunt hastas, quas ipsi lanceas appellant.* Sed possunt esse Hispanica stirpe, in Galliam post traductæ, ut & in Latium ipsum. Vox quidem *lanceare*, quod est, jacere, mittere, ipsis Hispanis, Gallisque & hodie est in usu. Usurpavit Tertull. adv. Marcion. iii. 8. *Aliud est, si penes Ponticos infantes in prælium erumpunt, qui ante norint lanceare, quàm lancinare*, id est, priùs *lanceam* jacere, quàm mammam trahere. *Lanceam* plerumque pili, telique ritu ejaculabantur veteres. Lucan. ii. 472.

Cujus torta manu commisit lancea bellum.

Istas jactas à Romano equite scribit Dionys. viii. p. 534. *Ac mox alii lanceas jaculati sunt.* Lips. Poliorc. iv. 4. Buleng. de Venat. circ. c. 27. Brod. Misc. iii. 16. Lyd. de Re milit. ii. 4. Panciroll. Notit. dignit. imper. orient. c. 54. Laz. Comm. Reip. Rom. iv. 15. Voss. Lex. Etymol. Hugo de Milit. Equest. ii. 4. Thys. de Oppugn. urb. iv. p. 185. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. x. 10. Vlit. in Grat. Cyneg. n. 118. Pitisc. in Curt. vi. 1. 15. Cæsaris ætate inter justa peditum tela necdum fuisse ostendit Sallustius, ubi de Catilinæ legionibus, Bell. Catil. p. 50. *Ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa: ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos, aut lanceas, alii præacutas sudes portabant.* Sub Imperatoribus, nisi fallor, peditum Romanorum factæ sunt. *Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. x. p. 1276. A.* Illis etiam cruci affixos transverberatos legimus. V. supr. in *Cruciarius.*

Lancea est urbs Hispaniæ Lusitanicæ, quæ nunc *Visco* vocatur. Ex illa *Lancienses* apud Plin. iv. 22. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. xi. p. 782. A.*

LANCEARII *lancea* utebantur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 54. Lanceariorum* quidem equestris militia duobus ab hoc proximis seculis magni æstimabatur, postea omissa, ac neglecta est. Et sanè, ut *lanceariorum* opera ad multas insignes victorias viam apertam, aciesque hostiles dissipatas esse historiæ nos docent: ita vera, & unica causa desuetæ hujus militiæ est difficultas. Nisi enim exercitati valdè fuerint hi milites, non efficient, quod dixi. Exercitatio autem artem desiderat; neque ex tempore proficit. Ipse quoque apparatus equitum, armorumque accuratior requiritur. Quare nobiles ferè cum suis domesticis hoc militiam explebant. *Bœcler. Diss. de Legion. Rom. c.* 10.

LANIPENDIA inter lanificas pensa partiebatur, quando hoc munus sordere dominabus visum est. Illam nominavit Pompon. l. 31. ff. de donat. int. vir. & uxor. *Quod in ea re uxor tanquam lanipendia fuerit.* Plaut. Men. v. 2. 44.

—— serviren' tibi
Postulas viros? dare una opera pensum postules;
Inter ancillas sedere jubeas: lanam carere.

Pignor. de Serv. p. 419. Cujac. Observ. ix. 30.

LANII differebant à macellariis. Hi enim velut publici coqui in foro carnes vendebant; illi crudas tantum venales habere soliti. Phædr. iii. 4. 1.

Pendere ad lanium quidam vidit simium
Inter reliquas merces atque obsonia.

Tomas. de Tesser. hospital. c. 29. Salmas. in Capitol. Gordian. c. 3. In pergulis prostabant, aut in foro. Plaut. Capt. iv. 2. 38.

Tum lanii, qui concinant liberis orbas oves,
Qui locant cædendos agnos, & duplam agninam dant.

Buleng. de Conviv. iv. 2. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 10. §. 6. V. infr. in *Taberna novæ.*

LANISTA Thuscum vocabulum est, & illis carnificem signat. Isidor. x. Res gladiatoria petita à Thuscis. *Lanistarum* multa ubique mentio. Lapis Romæ:

P. POETILIUS. P. L
SYRUS
LANISTA. AD. AR. FORIN

Glossæ Cyrill. *Lanista*, λυδοτρόφος, μονομαχοτρόφος, ἐπιστάτης μονομάχων. *Lips. Saturn.* 1. 15. *Voss. Lex. Etymol. Thulemar. in Freher. Cecropistrom.* §. 29. & 30. *Thys. de Gladiat. p.* 220. *Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman.* v. 24. Ipse rude, pileoque donatus, è ludo gladiatorio emissus, tyrones in ludo erudiebat, gladiatorum sive servorum, sive libertinorum familias ludis, & muneribus exhibendis destinatas alebat, penesque se habebat: *summaque cura exercebat, atque ornabat.* Senec. de Benef. vi. 12. *Fab. Semestr.* ii. 10. *Agonist.* 1. 22. *Volaterr. Comment. Urban.* xxix. *p.* 1094. *D.* Avium *lanistæ* sunt etiam apud Colum viii. 2. qui aves condocefaciunt ad pugnam. Pro ipsis gladiatoribus parum propriè, imò imperitè usurpat Prudent. contr. Symm. ii. 1093.

—— sedet illa verendis
Vittarum insignis faleris, fruiturque lanistis.

Nam de Vestali scribit, quæ spectabat gladiatores. Emebant autem *lanistæ* suos gladiatores, aut expositititios pueros huic rei tollebant. Quintil. Decl. 328. *Quantum ad te pertinet, non habet Respublica virum fortem: aut illum feræ laceraverunt, aut aliquis, quod multo indignius est, sustulit leno, aut lanista.* Mart. vi. 82. 2.

Inspexit velut emptor, aut lanista.

Lips. l. l. Patremfamilias pro *lanista* usurpavit Suet. Domit. c. 4. n. 3. V. illum infr. in *Parmularius.*

LANX dicitur vas latum & profundum, minùs excavatum

vatum quam patina. Vas scilicet escarium, in quo caro, tam tosta, quàm elixa conditur, mensæque infertur. Cicer. Attic. vi. 1. *Lancibus, & splendidissimis canistris, non olusculis nos soles pascere.* Plaut. Amph. iv. 4. 23.

Interea dum isti certant, in popinam divertundum est mihi:
Lances detergam omnes, omnesque trullas hauriam.

Curc. ii. 3. 45.

In carnarie fortasse dicis. PH. Imò in lancibus.

Juven. Sat. v. 80.

Aspice, quàm magno distendat pectore lancem
Quæ fertur domino, squilla, & quibus undique septa
Asparagis.

Dolet. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 714. E. Voss. Lex. Etymol. Baccius de Conviv. ii. 9. Erat non solum lata, sed etiam cava. Mart. xi. 32. 18.

Sic implet gabatas, parosidasque,
Et leves scutulas, cavasque lances.

Non solum quadrata, sed & rotunda alia. Horat. Sat. ii. 4. 40.

Umber, & iligna nutritus glande, rotundas
Curvet aper lances carnem vitantis inertem.

Paull. l. si in rem ff. de rei vindic. *Quamvis & in vasis occurrat difficultas, utrum lancem duntaxat dici oporteat, an etiam quadratam, vel rotundam.* Bayf. de vascul. Ant. Græc. Gronov. Tom. ix. p. 682. E. Dicuntur chrysendeta, aureis crustis illigata & exornata. Mart. ii. 43. 11.

Immodici tibi flava tegunt chrysendeta mulli.

vi. 94. 1.

Ponuntur semper chrysendeta Calpetiano.

Bayf. & Bacc. l. l. Ego geminata vasa esse puto, quorum gemmæ confertæ, & contextæ tenerentur. Id satis indicat Plutarch. Lucull. p. 493. A. Ἐδωρεῖτο χρυσένδετον σμάραγδον τῶν πολυτελῶν. Hoc vasorum genus innuit Plin. xxxiii. Præfat. *Nec hoc fuit satis, turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices: ac temulentiæ causa tenere Indiam juvat: & aurum jam accessio est.* Turneb. Adv. xiv. 3. Rader. in Martialem. Immensæ fieri cœperunt. Plin. xxxiii. 11. *Claudii principatu servus ejus Drusillanus, nomine Rotundus, dispensator Hispaniæ citerioris, quingenariam lancem habuit, cui fabricandæ prius officina exædificata fuerat: & comites ejus octingentarum octo quinquaginta librarum.* Meurs. de Lux. Rom. c. 7. Bacc. l. l.

Lanx ob similitudinem transfertur ad ea, quibus res ponderantur. Unde vocantur *bilances*, quæ duas *lances* habent. Et ex eo Gallis & Belgis *balance*. Cicer. Acad. iv. 12. *Ut necesse est, lancem in libra, ponderibus impositis, deprimi.* de Fin. v. 30. *Virtutis amplitudinem quasi in altera libra lance ponere. Terram, mihi crede, ea lanx, & maria deprimet.* Voss. Lex. Etymol. Dolet. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 715. A.

LAO.

LAODICÆA Pisidiæ metropolis, clara urbs habebatur, quæ, Nerone imperante, terræ motu periit. Tacit. Annal. xiv. 27. 1. *Eodem anno ex illustribus Asiæ urbibus, Laodicea tremore terræ prolapsa, nullo a nobis remedio, propriis opibus revaluit.* A locupletibus enim civibus est restituta. *Panciroll. Notit. dignit. impor. oriens. c. 126.*

LAP.

LAPIDARIUS is fortasse, qui simpliciter *lapides* parabat ad ædium fabricationem, an & qui gemmas, ut nos hodie vocamus *Lapidaires*. Vasione:

D. SALLUSTIO. AG
CEPTO. OPIFICES
LAPIDARI
OB. SEPULTURAM. EJUS

Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. vi. p. 222.

LAPIDATIO erat signum summi illius odii, quo malos principes liberiùs odio habebant. Nam busta eorum, qui in publica detestatione erant, *lapidibus* solebant petere. Auson. Eidyll. xv. 31.

—— crimen ob istud
Timon Cecropiis olim lapidatus Athenis.

id est, publicè diris incessitur, & ejus sepulcrum *lapidibus* obruitur. Prop. iv. 5. 75.

Quisquis amas, scabris hoc bustum cædito saxis,
Mistaque cum saxis adjice verba mala.

Illa in Balistam latronem jecit Virg. Epigr.

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus.

Cujus sepulcrum cum exectatione *lapidibus* obrutum est. Spartian. Pescen. Nigr. c. 3. *Huic ob detestationem Juliani primis imperii diebus ita Romæ fautum est senatoribus duntaxat, qui & Severum oderant, ut inter lapidationes exsecrationesque omnium uni illi feliciter optarent.* Erat verò *Julianus, cum Imperator appellatus esset, jussu Severi, & senatus occisus.* Etiam frequens fuit in vivos, quos populus detestabatur, vel cum perditi cives seditionem in civitatem inducebant, ut P. Clodii impulsu in difficultate annonæ, summaque rei frumentariæ inopia. Illa in foro sæpè visa. Cicer. pro Dom. c. 14. *Quem cæteræ pestes in lapidatione ista nominabant.* Guther. de Jur. Man. ii. 15. Crinit. de Honest. Discipl. xxv. 6. Scalig. in Propertium. Nicol. de Sepulcr. iii. 5. 9.

Lapidatio erat finis malorum poetarum. Quia enim poetæ phrenesi correpti insaniæ notam subibant, si carmina canerent; ideò imitabantur in *lapidatione* poetarum malorum pœnam insanorum, quæ erat *lapidatio*. Plaut. Pœn. iii. 1. 25.

Neque nos populus proceritis insectabit lapidibus.

Lapidationis illorum meminit Petron. c. 50. *Ex his qui in porticibus spatiabantur, lapides in Eumolpum recitantem miserunt: at ille, qui plausum ingenii sui noverat, operuit caput, extraque templum profugit .... Itaque non miror, si te populus prosequitur. Ego quoque sinum meum saxis onerabo, ut quotiescunque cœperis à te exire, sanguinem tibi à capite mittam. Movit ille vultum, & mi, inquit, adolescens, non hodie primum auspicatus sum: imò quoties theatrum, ut recitem aliquid, intravi, hac me adventitia frequentia excipere solet.* Laurent. de Præcon. c. 2.

Lapidationis nocentium sacra historia passim meminit, ex lege Mosaica in adulteros, & blasphemos. *Lapidatio* usurpata in proditores, eorumque cognatos apud Macedones. Apud Lusitanos neci destinati, *lapidibus* obruti, & parricidæ. In Perside veneficos vi compellebant, ut in amplo *lapide* caput impingerent, rursusque alio super inducto illud effringerent. Alex. iii. 5. *Lapidibus* cæsas facies militum peccantium refert Polyb. vi. 35. dum recenset supplicia militaria, & non tantum illos cædi fustibus, sed etiam contundi *lapidibus* solitos narrat; quod factum apparet in quadraginta martyres sub Licinio Imperatore. *Lapidibus* ingentibus aliquando contundebant corpora, aut distrahebant ad pedes suspendentes. *Lapidibus* aliquando obruebant. *Laurent. de Rebuspub. .... c. 7. Lips. de Milit. Rom. v. Dial. 18.*

LAPIS communi nomine est crassior materia viarum publicatum, sive sit grandis, sive sit minor, sive mediæ inter hos magnitudinis. Horum alii sparsim hinc inde per terræ superficiem repetiuntur, alii è terræ visceribus eruuntur, & crebris scalpri *lapidarii* ictibus exciduntur in *lapicidinis* è rupe viva. *Bergier. de viis milit. ii. Sect. 4. §. 1.* Excitabatur in lateribus viarum, ex quo in dorsum equi se conjiciebant ante usum stapiatum. V. supr. in *Equus*. A funditoribus funda in bello mittebatur. Diodor. v. p. 207. C. *Arma eis*, Balearibus, *fundæ tres: una caput cingunt, altera ventrem, tertia in manibus gestatur. In prælio lapides multo majores quàm reliqui jactant robustè, ut aliquo tormento lapis missus videatur. In urbium expugnatione lapidum jactu eos, qui desuper ex propugnaculis tuentur mœnia, vulnerant. In pugna verò scuta, galeas, omneque armorum genus confringunt. Ita autem rectè lapides propellunt, ut rarò effugiat ictum appetitus locus.* Mittebantur vel minæ pondere. Suidas: *Balearium insularum funditores lapides minæ pondere jaciebant.* Intelligit minam Atticam, quæ est drachmarum centum. Huc quadrat, quod habet Cæsar Bell. Gall. vii. 81. *fundas librales*. Ut fundas mittendos in numerato milites haberent, petræ impositos circumgestabant. Strabo enim Py-

fæchman Ætolum in fingulare certamen defcendentem venisse cum funda, & pera *lapidum* fcribit VIII. p. 246. Sacculos pelliceos commemorat Xenoph. Ἀνάβασ. V. p. 347. B. *Jussit levis armaturæ milites lapidum plenos habere pelles*, five *facculos pelliceos*. David etiam cum gigante pugnaturus 1. Sam. c. 17. n. 40. *elegit sibi quinque leves lapides ex valle, & illos imposuit instrumento pastorali, quod habebat, id est, peræ. Funda autem ejus erat in manu ejus*. Lipf. Poliorc. IV. dial. 2. Lyd. de Re milit. III. 9. Hebræis inventionem *lapides* funda jaciendi adfcribere audeo. Unde ad Phœnices, Hebræorum propaginem, hoc honoris illis largitur Plin. VI. 56. aliasque deinceps gentes id armorum genus devenerit. *Lyd. l. l. Lapides* quosdam religiofiffimè pagani colebant, & ut ad illorum cultum prætereuntes invitarent, ungebant: qui fortaffe *lapides divi* à Lampridio dicuntur infr. in *Lapides divi*. Tales erant & agrorum termini. Arnob. I. p. 22. *Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ornatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar*. Turneb. Adv. XV. 21. Min. Fel. p. 15. *Ut tam luculenta die in lapides eum patiaris impingere effigiatos, sane & unctos, & coronatos*. Apul. Apol. p. 497. *Negant vidisse se, qui ibi fuere, unum saltem in finibus ejus lapidem unctum*. Florid. p. 758. *Lapis unguine delibutus*. Elmenhorft. in Arnobium, Ouzel. in Minucium, Pith. Subcef. II. 14. Laurent. Var. facr. gentil. c. 23. Kipping. Antiq. Roman. I. 9. §. 6. Loenf. Mifc. II. 18. Broukh. in Tibull. I. 1. 16. Minos in Alciat. Emblem. 8. Hoc fecerunt exemplo Jacobi, qui *lapidem* unxit in loco, qui dicitur Bethel Gen. c. 28. n. 18. *Et mane surgens Jacob eodem matutino, accepit illos lapides, quos disposuerat pro cervicali sibi, & disposuit eos in statuam, & effudit oleum in summitatem ejus*. Scalig. in Eufeb. p. 198. b. De his lapidibus etiam *Dougtej. Anal. Vet. Test. Excurs.* IS. *Casaub. in Theoph. Charact. p. 347. Grang. ad Prud. contr. Symm.* I. 204. *Voss. ad Maimon. de Idolol. p. 44. Bourdelot. in Heliodor. Æthiop. p. 96.* quos ad Genefeos l. l. collegit, & de fuo illis non pauca addidit *Almelov. Antiq. Sacr. Profan. p. 69. . . .* V. infr. in *Simulacra*. Illorum acervi, Græcis Ἑρμαῖοι λόφοι dicti, in biviis, triviis, quadriviis in honorem Mercurii, ad Hermulas, quas vocabant, hoc eft, ftatuas Mercurii quadratas, ad itinera demonftranda; quos viatorum quifque præteriens crebro jactu *lapidum* augebat, ut ita facilius viam indicarent. Hac de caufa eft, quod Mercurium *lapidum* congeriem dixerint. Ifidor. in Gloff. *Mercurii, lapidum congeries in cacumine collium*. De his Corn. Sever. Ætn. II. 104.

—— qualis acervus
Exsilit imparibus saxis ex tempore jactis.

Euftath. Homer. Odyff. II. *Alii dicunt, quod Mercurialis tumulus sit acervus lapidum in via collocatus, aut ara, aut tumulus Mercurio subjectus statuæ. Alii Mercuriales communiter accipiunt tumulos, pro signis viarum, juxta aliquantam earum intercapedinem, milliari fortean, aut stadio respondentem. Ferunt enim primitus Mercurium, tanquam caduceatorem, & internuntium, purgandis itineribus, lapides, si quos inveniret, extra viam posuisse: unde existimant, si qui id imitentur, & internuntio deorum Mercurio, vias expurgent, eos in honorem dei ejuscemodi strues Hermæa, vel colles Hermæos appellare*. Didymus ad eundem: *Inde etiamnum in usu est, homines in Mercurii honorem, eo quod viarum sit præses, & ad morem deorum eum absolventium, lapidum acervos viis publicis congerere: hos autem prætereuntes crebro jactu augere, & acervos Mercuriales appellare*. Abfolverunt Mercurium dii, cum accufaretur à Junona, ob patratam Argi cædem, in gratiam Jovis; fed calculos omnes, pro fingulari cœleftis fori ritu, ad ejus pedes jactu coacervarunt, quo fcilicet facto exfectandam fibi etiam cædem illam in Junonis gratiam manifeftò notarent. Rationes cumuli plures cumulat Phurnut. de Nat. deor. c. 16. *Ouzel. in Minut. l. l. Heinsn. ad Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 43. §. 7. *Selden. de Diis Syr.* II. 15. *Voss. de Idolol.* II. 32. *Barth. Adv.* IX. 5. *Sagittar. de Januis vet. c.* 19. 27. *Gyrald. Synt. deor.* IX. *p.* 298. §. *F. Loenf. l. l.* Per *Jovem lapidem* etiam jurabant, V. fupr. in *Jupiter Lapis*. Erat quoque telum, quod valebat in omnes è ligno machinas bellicas. Salluft. de Bell. Jugurth. p. 138. *Vineæ cum paululum processerant, lapidibus, aut igni corrumpebantur*. Lucan. III. 493.

Sed super & flammis, & magnæ fragmine molis,
Et sudibus crebris, & adusti roboris ictu
Percussæ cedunt crates, frustraque laboro
Exhaustæ fessus repetit tentoria miles.

Lipf. Poliorc. V. 5. Thyf. de Oppugn. urb. V. p. 191.

Lapis aufpicatus vocabatur facer ille, qui in fundamentis templorum jaciebatur: nec una tantum litera, fed inscriptione eft defignatus. Fragmentum Romæ:

LAPIS. AUSP. S. Q. CÆCILIO. METELLO. PONT. MAX. SOLLEMNI. CUM. PRECATIONE. PAL. POP. ROM. CONJECTUS. IN. FUNDAMENTA. PORTICUS. MINER. AVENTINENS. AB. LATER. COLL. . . . . . . VIC. ARMILUSTR. D. . . . . . . IN. NUNC. D. AUGUR. AUSPI. . . . TEMPL. CONSECRA. . . . . . M. CASCELL. ÆD. SUR. . . . .

Guther. de Jur. Pont. III. 5.

Lapis divus dicitur Lampr. Heliog. c. 7. *Lapides qui divi dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ, ex adyto suo, in quo id Orestes posuerat, auferre voluit*. Qui fuerint *divi lapides*, non ita vulgatum. Ego putem fignificari fimulacra lapidea, quæ deorum nomine cenfentur, & vulgo vocantur, quæ magna religionis caufa colebantur. *Turneb. Adverf.* XXX. 16. Hoc longè à vero eft. *Lapides divos* appellat famofiffimum illud fimulacrum, ab Orefte & Iphigenia è Taurica ablatum, quod apud fe conditum effe tot Afiæ, Europæque civitates olim contendebant. *Casaub. ad Lampridium. Guther. de Jur. Pont.* III. 5. *Laureat. var. sacr. gentil. c.* 23. Haud fcio quinam ifti *divi lapides*, nec enim alibi de illis legi. Liber Palatinus habet *diviti*, ac *viviti*. Puto fcribendum: *vivi lapides*. *Vivorum lapidum* non rara apud veteres mentio, & præcipue fcriptores Græcos, qui ἐμψύχους λίθους eos vocant, qui fe movebant inftinctu dæmonis, ut narrat Photius in vita Diodori à Damafcio fcripta. Hi funt, qui βαιτύλοι dicebantur. Philo Byblienfis: βαιτύλια λίθους ἐμψύχους. De hoc genere bætyliorum fuere dubio procul ifti *vivi lapides*, qui in adyto templi Dianæ Laodiceniæ. Nam alii aliis diis videntur fuiffe confecrati, ut Jovi, Saturno, Soli, ut fcribit Photius. Sic etiam Diana fuos habuit fibi dedicatos. *Lapidem* quoque, quem Saturno devorandum tradidit Rhea pro Jova, nomine ifto Græci nuncupant, Latinis Abadir. Grammatici: *Abadir deus est: dicitur & hoc nomine lapis ille, quem Saturnus dicitur devorasse pro Jove, quem Græci βαίτυλον vocant*. Salmaf. in Lampridium. Thyf. in Gell. I. 21.

Lapis gammatus dicebatur infcriptus quadratis uncialibus, qui Γ. notatum habebat. Quod de iis *lapidibus* accipiendum eft, qui prominentiores agrorum limites terminabant. Inde *scriptus lapis* dictus Antiftio Labeoni apud Feftum, *quem ita vocari ait in agro Medullino, ubi rem divinam faciebant*. Guther. de Jur. pontif. III. 5. Lipf. in Tacit. Annal. XIII. Excurf. A.

Lapis manalis dicebatur, qui nimia, continuaque cœli ficcitate, follenni religionis pompa per Urbem deferri folebat, ut ita ab Jove pluvia impetraretur. Nec deerat unquam, uti obfervatum gentiles jactitant, bonus optatusque eventus. Feftus: *Manalem lapidem vocabant petram quandam, quæ erat extra portam Capenam juxta ædem Martis, quam cum propter nimiam siccitatem in Urbem protraherent, insequebatur pluvia statim: eumque quod aquas manaret, manalem lapidem dixere*. Non. XV. 32. *Manalis lapis appellatur in pontificalibus sacris, qui tunc movetur, cum pluviæ exoptantur*. Labeo apud Fulgent. Expof. ferm. ant. §. 4. *Fibra jocinoris sandaracei coloris dum fuerint, manales tunc verrere opus est petras*, hoc eft, addit Fulgentius, *quas antiqui solebant in modum cylindrorum per limites trahere pro pluviæ immutanda inopia*. Nardin. Roman. vet. III. 2. Turneb.

neb. Adv. xix. 24. Donat. de Urb. Roman. iii. 13. Lomej. de Lustrat. c. 28. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 3. n. 2. Boissard. Topogr. Urb. Rom. i. p. 33. Faunus Antiq. Urb. Rom. i. 17. Laurent. de Prand. c. 21.

Lapis milliare à scriptoribus passim appellatur, quia milliaria *lapideis* columnis in viis signabantur. Ut interquiescere ibi viatores possent. Et inscriptus *lapidi* numerus erat, qui quotum milliarium esset, denotaret. V. supr. in *Columna milliaris*. Hoc à C. Graccho inventum puto. Plutarch. Gracch. p. 838. A. *Ad hæc viam omnem per milliaria dimensus (capit autem paullò minùs octo stadia milliare) columnas lapideas spatii signandi gratia locavit*. Qui tamen discrimen Romani, Græcique pedis non animadvertit. Plin. xv. 18. *Non castra Punica ad tertium lapidem vallata*. xxxvi. 15. *A lapide quadragesimo ad eam excelsitatem influxere Curtius atque Cæruleus fontes*. Mart. x. 79. 1.

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum:
Ad quartum breve rus emit Otacilius.

Illorum nonnulla vestigia adhuc in via Appia, Roma Neapolim proficiscentibus occurrunt: sunt enim columnæ *lapideæ*. Illarum & una est in porta civitatis Fundorum, si rectè memini, à sinistra, in quibus milliariorum numerus, quo columnæ ipsæ ab Urbe distant, signatus inspicitur. *Pætus de Roman. & Græc. mens. i. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 1615. A. Laz. Comm. Reip. Rom. iii. 18. Brod. Misc. x. 20. Panvin. Descr. Urb. Roman. The. Antiq. Roman. Græv. Tom. iii. p. 235. E. Brisson. Ant. Select. iv. 8. Dalechamp. in Plin. xv. 30. Putean. de Bissext. c. 19. Pancirolli Var. Lex. i. 43. Sitzman. & Barth. ad Rutilium. Voss. Lex. Etymol. in Milium. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 23. Pitisc. in Suet. Aug. c. 94. n. 12.*

Lapis niger fuit in comitio, à Romulo ad sepulturam sibi destinatus. Festus: *Niger lapis in comitio locum funestum significat, ut alii, Romuli morti destinatum: sed non usu obvenit ut ibi sepeliretur, sed Faustulum nutritium ejus ibi sepultum fuisse, & Quintilium avum Ti. . . . . qui Romuli partes sequebatur*. Hunc λίθινον λέοντα vocat Dionys. i. p. 74. *In hoc prœlio quidam ajunt, Faustulum nutritorem juvenum, dum frustra conatur litem dirimere, inermem se conjecisse in medios, mortis desiderio, votique sui factum compotem. nec desunt qui lapideam leonis effigiem, quæ pro rostris in loco Romani fori præcipuo visitur, super Faustuli corpore positam esse dicant, invento, & sepulto, ubi occubuerat*. Varro tamen ibidem Romulum sepultum affirmat. Acro ad Horat. Epod. xvi. 13.

Quæque carent ventis, & solibus ossa Quirini.

Varro pro rostris sepulcrum Romuli dixit: ubi etiam in hujus rei memoriam duos leones erectos fuisse constat: unde factum est, ut pro rostris mortui laudarentur. Porphyr. ad eundem: *Hoc dicitur, quasi Romulus sepultus sit, non ad cœlum raptus, aut discerptus: nam Varro post rostra fuisse sepulcrum Romuli*. Scalig. in Festum. Nardin. Rom. Vet. v. 2.

Lapis pertusus à P. Victore in septima Urbis regione ponitur. Pertusum illum *lapidem* ita perpolio, ut credam eum esse, qui in loco attacto, cum fulgur conderetur, positus fuit. Nefas enim erat, locum illum totum integi; sed semper foramine aperto cœlum patebat. *Gutber. de Jur. pontif.* iii. 5.

Lapis publicus secundum viarum latera subrectus equi inscendendi olim erat adminiculum. V. supr. in *Equus*.

Lapis suggestus tanquam, & locus eminens dicebatur, unde præco prædicabat, atque vendebat. Plaut. Bacch. iv. 7. 17.

O stulte stulte, nescis nunc venire te:
In eo ipso astas lapide, ubi præco prædicat.

Colum. iii. 3. *Vel de lapide noxium posse comparari putat*. Cicer. in Pis. c. 15. *Præterquàm duos de lapide emptos tribunos plebis*. Ut servos venales scilicet contumeliosè. Hæc quoque Græcis consuetudo inolevit. Pollux iii. 25. *Locus autem forum, lapis, venditorium*. Turneb. Adv. x. 3. Brod. Misc. vi. 5. Pius Annot. prior. c. 10.

Lapis terminus erat frequentiùs. Tib. i. 3. 43.

—— non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva lapis.

Virg. Æneid. xii. 887.

—— saxum circumspicit ingens:
Saxum antiquum, ingens, campo qui fortè jacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.

Hos *terminales lapides* vocat Ammian. xviii. 2. *Ubi terminales lapides Alamannorum, & Burgundiorum confinia distinguebant*. Horum inter vicinos ponendorum ritum describit Sicul. Flacc. de Condit. agror. p. 5. *Cum terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram rectos collocabant, proximè ea loca, quibus fossis factis defixuri eos erant, & unguento, velaminibusque, & coronis eos coronabant. In fossis autem, in quibus posituri eos erant, sacrificio facto, hostiaque immaculata cæsa, facibus ardentibus injectis fossa cooperati sanguinem instillabant, eoque thura & fruges jactabant: favos quoque & vinum, aliaque, quibus consuetudo est terminis sacrum fieri, in fossa adjiciebant. Consumptisque omnibus dapibus igne, super calentes reliquias lapides collocabant, atque ita diligenti cura confirmabant, adjectis etiam quibusdam saxorum fragminibus circumcalcabant, quo firmiùs starent*. Brisson. de Form. v. p. 430. Onzel. in Minuc. Felic. p. 16. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 23. Rosin. Antiq. Roman. ii. 20. & ad illum Demsterus. Bourdelot. in Heliod. Æthiop. iv. p. 211. Paschal. de Coron. iv. 4. Rycq. de Capitol. c. 14.

LAQ.

LAQUEAR. V. illud supr. in *Lacunar*.

LAQUEARII sunt, qui *laquearia* fabricant. Eorum mentio fit C. l. 1. de excusat. artif. *Pancirol. de Corpor. artif.* §. 6.

LAQUEATORES erant gladiatores, *quorum pugna erat*, inquit Isidor. xviii. 56. *fugientes in ludo homines injecto laqueo impeditos, consecutosque prosternere, amictos umbone pelliceo*. Lips. Saturn. ii. 13. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Thys. de Gladiat. p. 227. Laurent. Polym. iv. 9.

LAQUEUS erat supplicii genus vilissimum & ignominiosissimum; & id genus mortis passim apud scriptores infame vocatur. Pœna *laquei* Homero quidem expressa, qui facit impudicas ancillas ab Ulysse sic puniri: atque idem *impuram mortem* ostendit, uti & Plinius, qui *præposteram* dixit ii. 63. quia *spiritus intercluditur, cui exitus quærebatur*. Sed à Græcis usurpatum vix reperias: nec à Romanis quidem in publico: etsi ii in carcere damnatis gulam *laqueo* frangebant. *Lips. de Cruce* iii. 7. *Fab. Semestr.* ii. 7. *Laurent. de Rebuspub. . . . . c. 7. Kipping. Antiq. Roman.* ii. 7. §. 3.

LAR.

LAR prænomen fuit Regum. Porsenæ. Dionys. v. p. 293. *P. Valerio Poplicola tertium, M. Horatio iterum coss. Lar Porsena Clusinorum Rex in Etruria*. Liv. ii. 9. *Jam Tarquinii ad Lartem Porsenam Clusinum Regem perfugerant*. Tolumnii. Liv. iv. 17. *In horum magistratu Fidenæ colonia Romana ad Lartem Tolumnium Vejentium Regem defecere*. c. 58. *Daturos quod Lar Tolumnius dedisset*. & Consulis Herminii. Valer. de Nomin. *Lartis prænomen à Laribus sumptum est. Creditumque ante Tuscum prænomen id esse, fuitque consularis Herminii, qui anno Urbis 306. cum T. Virginio consul fuit, prænomen*. Dionys. xi. p. 729. *Anno sequente consules fuerunt Lar Herminius, & T. Virginius*. Flectitur *Lar Lartis*. Charis. Instit. Gramm. i. p. 110. b. Edit. Putsch. *Lar, si familiaris erit, facit genitivo Laris: si Tolumnius, vel Porsena, Lartis*. Priscian. v. p. 645. a. *Lar, quando significat κατοικίδιον θεὸν, Laris facit genitivum: sin autem Imperatorem Vejentorum, Lartis, quem mactavit Cossus. Et testis est Ovidius in Epigrammatis sic dicens:*

Larte ferox cæso Cossus opima tulit.

& *Livius* jam laudatus. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom.* ii. *p.* 2028. *A. Sigon. de Nomin. Rom. c. 3. & Emend.* ii. 9. *Kipping. Ant. Rom.* i. 4. §. 3.

LARA, sive Larunda fuit nympha Tiberiana, cui ab Jove lingua fuit abscissa, quod Juturnæ cum Jove coitum Junoni indicasset. Hanc Mercurio jussit ad inferos ut deferret; inter eundum, forma puellæ illectus Mercurius, rem cum ea habuit: Et hinc nati sunt gemini Lares. Etiam Muta dicta. Ovid. Fast. II. 583.--616. *Gyrald. Synt. deor. XV. p. 440. D. Lipen. de Stren. c. 1. §. 9.*

LARALIA dicebantur etiam compitalia, quia hæc *Laribus* fierent. Festus: *Popularia sacra sunt, ut ait Labeo, quæ omnes cives faciunt, nec certis familiis attributa sunt. Fornacalia, Parilia, Laralia, Porca præcidanea.* Guther. de Jur. Pont. III. 15. Et ego illud LAR, quod in feriis mensis Decembris in Romanorum Fastis Kalendaribus Manutius *Larentalia* interpretatur, *Laralia* esse suspicor. Hujus occasionem mihi præbuit Dionys. IV. p. 219. *Deinde* Servius Tullius *per omnia compita Laribus propitiis sacella extrui, & lege statuit, ut quotannis illis sacrificia fierent, singulis familiis liba conferentibus.* Et: *Quem diem festum Romani ad mea usque tempora constanter celebrabant, paucis post Saturnalia diebus, cumprimis venerandum & magnificum, à compitis compitalia eum vocantes.* Siccam. in Fast. Kalend. c. 18. Principium inde profluxit, quod parentes vel liberos, vel affines, aut amicos domi defoderent, & sepelirent: quare credula plebs animas defunctorum cultu quodam domestico primùm, ac deinde publico, tanquam auxiliatores deos deveneraбantur. V. supr. in *Domus*. Demster. Paral. ad Antiq. Roman. Rosin. IV. 17.

LARARIUM erat locus in interiore parte domus Principis, ut & privatorum, *Laribus* dicatus, in quo heroum imagines habebant, & colebant. Imperatoris erat duplex. In priore erant dii, & homines emendatissimæ vitæ. Lamprid. Alex. Sev. c. 29. *Matutinis horis in larario suo (in quo & divos principes, sed optimos electos, & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, Orpheum, & hujusce modi deos*, fortè & *hujusmodi ceteros habebat, ac majorum effigies) rem divinam faciebat.* In altero erant homines clari. Lamprid. ibid. c. 31. *Virgilii imaginem cum Ciceronis simulacro in secundo larario habuit, ubi & Achillis, & magnorum virorum. Alexandrum vero magnum inter divos, & optimos in larario majore consecravit.* Nardin. Rom. Vet. VI. 33. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 12. §. 2. Gyrald. Synt. deor. XV. p. 441. F. Donat. de Urb. Roman. III. 2. Voss. Lex. Etymol. in Lar. Boxhorn. Quæst. Rom. 6. Figrell. de Stat. Rom. c. 10. Pollet. & Broid. For. Rom. V. 3. Saubert. de Sacrif. c. 14. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 29. vet. jur. pont. III. 10. Aring. Rom. Subterr. VI. 22. 8. Grapald. de Part. dom. II. 8. §. 1. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14. Faes ad Gyrald. de var. sepel. rit. c. 1.

LARENTALIA fuerunt dies festus dicatus *Larentiæ* Faustuli uxori. Festus: *Larentalia conjugis Faustuli nutricis Remi & Romuli Larentiæ festa.* Celebrabantur X. Kal. Januar. Macrob. Sat. I. 10. *Decimo Kalendas feriæ sunt Jovis, quæ appellantur Larentinalia.* Lipen. de Stren. c. 1. §. 7. Ovid. Fast. III. 55.

Non ego te, tanta nutrix Larentia gentis,
Nec taceam vestras, Faustule pauper, opes.
Vester honos veniet, cum Larentalia dicam:
Acceptus geniis illa December habet.

Laurentalia dicuntur Varron. de Ling. Lat. V. 3. *Accalia feria publica. Laurentina is dies, quem quidam in scribendo Laurentalia appellant, ab Acca Laurentia nominatus, cui sacerdotes nostri publicè parentant sexto die, qui Acca dicitur, & dicunt hunc diem Tarentini Accas Tarentinas.* Reliqua V. infr. in *Porta Romanula*. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 799. E. Hospin. de Orig. Fest. p. 232. Gyrald. Synt. deor. I. p. 42. E. XVII. p. 404. F. Guther. de jur. man. II. 6.

LARES habiti sunt filii Mercurii & Laræ, sive Larundæ. V. supr. in *Lara*. Fuerunt dei domestici; unde & *Lares* pro ædibus ipsis. Horat. Sat. I. 2. 56.

Qui patrium mimæ donat fundumque laremque.

Matt. I. 77. 1.

O mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce, Antenoreis spes & alumne laris.

Quia privatorum domibus præesse credebantur. V. infr. in *Lares familiares*. Morestell. de Fer. Rom. Dial. XI. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 796. B. Gyrald. Synt. deor. XV. p. 440. C. Et à singulis familiis privatim culti. Sic lapis, qui Eboræ repertus: LARIBUS. PRO. SALUTE. ET. INCOLUMITATE. DOMUS. Q. SERTORII. *Lares* Augusti, & Cæsarum alibi dicuntur. Eorum animæ credebantur, qui ejusdem familiæ jam defuncti ejus splendorem, bonumque promoverant. *Boxhorn. Quæst. Rom. c. 6.* Focus illis sacer erat. Arnob. IV. p. 133. *Hosce à nobis deos violari, Larem genium focorum?* Vetus Schol. Horat. Epod. II. *Juxta focum dii penates positi fuere, laresque inscripti: idcircò quod ara deorum larium focus fuit habitus.* Ideòque *lares nigros* vocavit Prudent. contr. Symm. I. 204.

—— *unguentoque Lares humescere nigros.*

Et in veteri denario gentis Cæsiæ *Laribus* Vulcanus superponitur. Et Servius Tullius *Laris* familiaris filius creditus, quod ejus mater conceperit in foco. *Pignor. de Serv. p. 452. Elmenhorst. in Arnobium. Ferret. Mus. Lapid. I. Memor. 36. Turneb. Adv.* XXVIII. 46. *Morestell. l. l.* Illis supplicabant thure & vino, & coronas imponebant. Plaut. Aulul. II. 8. 15.

Nunc thusculum emi, & hasce coronas floreas:
Hæ imponentur in foco nostro Lari,
Ut fortunatas faciat gnatæ nuptias.

Ipse *Lar* apud Plaut. ibid. Prol. II. 23.

—— *ea mihi quotidie*
Aut thure, aut vino, aut aliqui semper supplicat:
Dat mihi coronas.

Cum verò Plautus addit, *Aut aliqui*, eo respicit, quod & supplicarent pauxillum cibi deferendo de mensa in focum. Unde *Lares* sic compellat Tibull. I. I. 31.

Adsitis divi, nec vos è paupere mensa
Dona, nec è puris spernite fictilibus.

Et Pers. Sat. III. 26.

—— *cultrixque foci secura patella.*

Ubi vetus interpres: *Cultrix foci, quia delibandæ dapes in ea posita ad focum feruntur.* Nempè, ut ibi adolerentur. Nam igne id solitum absumi; ut indicat Plutarchus de Fortuna Romanorum. At gustare ea homini nefas. *Voss. de Idolol.* I. 11. *Stuck. de Sacrif. p. 80. Broukh. in Tibull.* I. 1. 24. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 4. §. 3. *Gyrald. Synt. deor.* XV. *p. 441. C. Laurent. var. sacr. gentil. c. 24. Faes ad Gyrald. de Var. sepel. rit. c. 1.* Coronæ Larium in Latio è spicis, & aristis, in Græcia è platano fiebant. Tib. I. 11. 11.

—— *cum paupere cultu*
Stabat in exigua ligneus æde deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctæ spicea serta comæ.

Taubman. in Plaut. Trin. I. 2. 1. Faes & Kipping. l. l. Iis commendabatur pueritia. Claud. de Rapt. Proserp. III.

Insulis natam Laribus commisit alendam.

De his ipsis, qui infantem & alere, & toto tempore servare dicebantur, explico Tibull. I. 11. 15.

Sed patrii servate Lares, aluistis & iidem,
Cursarem vestros cum tener ante pedes.

Barthol. de Puerp. p. 47. Illis completo anno decimo quarto bullas suas suspendebant ephebi. V. supr. in *Bulla*. Et catenas mancipia sui juris facta. V. infr. in *Manumissus*. Et immolabatur porcus. V. infr. in *Porcus*. Et olerum ollæ in foco consecrabantur. V. infr. in *Olla*. Peracto ædificio *Larem* familiarem dominus salutabat primum, eique sacrum faciebant, quo lemures extra januam ejiceret. Ex quo more apud nos novæ domus incolæ cœnam amicis parant: unde natum proverbium, *chasser les esprits*. Unde facetè cum Attico jocatur Cicer. ad Attic. II. 3. ecquid in nova ædium constructione ἐμβατεύσεως εἰδώλων meminerit. Meritò in tristitia temporum in effugandis lemuribus ombrarum lapsus pertimescit Cicero, quas εἴδωλα vocat, quæ propriè σκιαί. Sed unum pro alio usurpavit,

oe

neapertè nimis loqueretur, & fenestram eam patefaceret, quam angustiorem optabat. *Guther. de Jur. man.* II. 16.

Lares familiares dicebantur, qui domibus præerant. Cicer. pro Quint. c. 27. *Domino à familia sua manus illatas esse ante suos Lares familiares.* Suet. Cal. c. 5. n. 2. *Lares à quibusdam familiares in publicum abjecti.* Plaut. Aul. prol. n. 2.

Ego Lar sum familiaris ....

Καπνίδιοι θεοὶ Glossis & Prisciun. v. p. 645. qui laudatur supr. in *Lar.* Gyrald. Synt. deor. xv. p. 141. A. Herald. Adv. 1. 7. & in Arnob. p. 153. Tiraquel. in Alex. Gen. vi. 4. Kipping. Antiq. Roman. 1. 4. §. 3.

Lares grundiles dicti sunt, *quos Romulus dicitur constituisse in honorem scrophæ, quæ triginta pepererat porcos. Hoc ita affirmat hoc modo Cassius Hemina Hist.* II. *Pastorum vulgus sine contentione consentiendo, præfecerunt æqualiter imperio Remum & Romulum, ita ut de regno pares inter se essent. Monstrum fit, sus paric porcos triginta, cujus rei fanum fecerunt Laribus grundilibus. Grunnit porcus dicimus; veteres grundire dicebant, at sit instans, grundio. Cæcilius: Cruento ita ore grundibat miser. Claud. Annal.* xv. *Grundibat graviter pecus suillum.* Diomed. 1. p. 379. Edit. Putsch. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 796. *Jun. Anim.* IV. 7. *Brisson. de Form.* 1. *p.* 50. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 14.

Lares hostili dicti, quod ab urbe, quam protegebant, hostes summoverent. Festus: *Hostilus laribus immolabant, quod ab his hostes arceri putabant.* De his Prop. III. 2. 11.

Hannibalemque Lares Romana sede fugantes.

Turneb. Adv. XXIX. 13. Chiflet. Childer. Anast. c. 10. Voss. de Idolol. 1. 11. Alex. Gen. III. 12. Stuck. de Sacrif. p. 47. Brisson. de Form. 1. p. 50. Gyrald. Synt. deor. xv. p. 141. A. Kipping. Antiq. Roman. 1. 4. §. 3.

Lares parvi dicti, quia minimè sumptuosi, aut arte, aut materia. Tales in villa esse conveniebat. Juven. Sat. IX. 137.

O parvi, nostrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui soleo exorare corona.

Horat. Od. III. 23. 15.

Parvos coronantem marino
Rore deos, fragilique myrto.

Chiflet. Childer. Anast. c. 10. Torrent. in Horatium.

Lares permarini, sive marini fuerunt dii marini. Liv. XL. 52. *Idem dedicavit ædem Larium permarinum.* Turneb. Adv. XX. 35: XXVIII. 13. Brisson. de Form. 1. p. 50. Saubert. de Sacrif. c. 3. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14.

Lares præstites sua cura omnia tuta *præstabant.* Ovid. Fast. v. 133.

Causa tamen positi fuerat cognominis illis,
Quod præstent oculis omnia tuta suis.

Kalendis Majis illis sacrificabant. Ovid. ibid. n. 129.

Præstitibus Maja Laribus videre Kalenda
Aram constitui, parvaque signa deum.

Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 11. Torrent. in Horat. Sat. II. 3. p. 164. Stuck. de Sacrif. p. 47. Herald. in Arnob. p. 153. Brisson. de Form. 1. p. 50. Kipping. Antiq. Roman. 1. 4. §. 3. Alex. Gen. dier. VI. 4. & in illum Tiraquellus. Gyrald. Synt. deor. xv. p. 441. B. Canina pelle cingebantur cum cane comite. Rationes dat Plutarch. Quæst. Rom. 50. *Laribus, quos propriè vocant præstites, canes assistunt, & ipsi canum pellibus amiciuntur, quoniam qui præsides sunt, eos alienis formidolosos esse oportet, uti canes videmus, domesticis vero mites, ac mansuetos; vel quod Lares quidam furiales sunt, & exactores vitæ nostræ, atque operationum speculatores, quibus assidet canis, quem novimus ad investigandum sagacem esse.* Ovid. ibid. n. 137.

At canis ante pedes saxo fabricatus eodem
Stabat: quæ standi cum Lare causa fuit?
Servat uterque domum, domino quoque fidus uterque,
Compita grata deo, compita grata Lari.
Exagitant & Lar, & turba Diania fures:
Pervigilantque Lares, pervigilantque canes.

Laurent. Var. sacr. gentil. c. 24. Spanheim. de Vest. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 677. D. Boxhorn. Quæst. Rom. 6. Hospin. de Orig. Fest. p. 164. Tiraquell. l. l. Gyrald. Synt. deor. xv. p. 440. C.

Lares publici videntur dici Reges, Principesque defuncti, qui inter deos translati Rempublicam ope, consiliisque apud cœlites juvabant. Nec aliter in veteri lapide LARES CIVITATIS PUTEOLORUM appellantur, qui dum viverent bene de ea meriti, post mortem adhuc favere credebantur. Et sic Romulus jam cœlo sublatus ad Proculum Julium, ut quidem refert Liv. 1. 16. locutus est: *Abi, nuntia Romanis, cœlestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit. Proinde rem militarem colant.* Et hi haud dubiè iidem, qui *comitiipotentes* apud Tertull. de Spectac. c. 5. *Et nunc ara Conso illi in circo defossa est ad primas metas sub terra cum inscriptione hujusmodi: CONSUS. CONSILIO. MARS. DUELLO. LARES. COMITIOPOTENTES.* Boxhorn. Quæst. Rom. c. 6. Saubert. de Sacrif. c. 5. Turneb. Adv. XXVIII. 47. Illis in compitis sacrum fiebat porca, velut hostia lustrali. Prop. IV. 1. 23.

Parva saginati lustrabant compita porci.

Horat. Od. III. 23. 3.

Si thure placaris, & horna
Fruge Lares, avidaque porca.

Sat. II. 3. 164.

—— immolet æquis
Hic porcum Laribus.

Voss. de Idolol. 1. 11. Jun. Anim. IV. 7. Turneb. Adv. XXIX. 32. Torrent. in Horat. Odas. Kipping. Antiq. Roman. 1. 4. §. 3.

Lares querquetulani dicuntur, quod ibi querquetulanum fuisset. Varr. de Ling. Lat. IV. 8. Propè est, ut nymphas querquetulanas Festus videatur vocare: *Querquetulanæ dicebantur nymphæ, querceto virescenti præsidentes.* Turneb. Adv. XX. 35. Tomas. de Donar. c. 8.

Lares rurales, qui in compitis rusticis honorabantur. Romæ sub porticu domus Conservatorum in Capitolio legitur.

VICO LARUM RURALIUM.

Horum nempè curæ cives Romani sua ædificia suburbana, atque extra pomœria commendabant. *Tomas. de Donar. c.* 8. Cicer. de Regib. II. 8. *Lucos in agris habento, & Larum sedes.* Tibull. 1. 1. 25.

Vos quoque felices quondam, nunc pauperis agri
Custodes fertis munera vestra Lares.

Horatius supr. in *Lares publici.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. c. 3.

Lares viales sunt dii, qui viis præsunt, θεοὶ ὁδίοι, quos invocare solebant, qui peregrè proficiscebantur, & ad viam se accingebant. Plaut. Merc. v. 2. 24.

—— invoco
Vos Lares viales, ut me bene juvetis.

Arnob. III. p. 124. *Vulgus arbitrabatur eos vicorum, atque itinerum deos esse, ex eo quòd Græci vicos cognominabant laυρας.* Turneb. Adv. VII. 15. Bergier. de viis milit. IV. 45. §. 1. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 796. C. Chiflet. Anast. Childer. c. 4. & 10. Stuck. de Sacrif. p. 47. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14. Herald. Adv. 1. 7. & in Arnobium. Kipping. Antiq. Roman. 1. 4. §. 3.

LARGI insignes tres fuerunt. I. T. *Largus* dictator, qui templum Saturni in foro dedicavit, ut tradit Macrob. Sat. 1. 8. II. Valerius *Largus*, qui apud Augustum Ælium Cornelium Gallum poetam, & Virgilii carmine conspicuum, & Ægypto præfectum accusavit, quod in eum contumeliosus esset. Quare is magistratu, & bonis exutus, ac exulare jussus, se ipsum interfecit, cui in præfectura *Largus* successit. Dio LIII. p. 5. 2. Hic *Largiani* Scti auctor fuisse creditur §. ult. Instit. de succesf. libert. III. Licinius *Largus* Hispaniæ citerioris præses, *cui tuber mordenti denarium dentibus infixum* scribit Plin. XIX. 2. Orator fuit, & primus auditores corrogavit, qui se dicentem plausu exciperent. Plin. Epist. II. 14. Obscuriores I. Latinus *Largus*, qui sæpe Julium Paulum rete ad L. 56. de ædil. edict. l. 83. §. ult. de legat. 2. l. pen. §. ult. de except. rei jud. II. *Largus* Euripppianus, qui Scævolam l.

21. §. 4. de ann. legat. consulit. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 350.*

LARTIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

LARVÆ accipiuntur pro inani terriculamento. Plaut. Amph. IV. 3. 4.

Larva umbratilis, tu me minis territas.

Mariscott. de Person. c. 1. Laurent. var. sacr. gentil. c. 14. Larium enim peculiare fuit insaniam immittere. V. infr. in *Porcus*. Mariscott. ibid. c. 9. Laurent. l. l. Apul. de Deo Socrat. p. 688. *Est & secundo significatu species dæmonum, animus humanus emeritis stipendiis vitæ corpore suo abjurans. Hunc vetere lingua Latina reperio Lemurem dictitatum. Ex his ergo Lemuribus, qui posterorum suorum curam sortitus, placato, & quieto numine domum possidet, Lar dicitur familiaris. Qui verò ob adversa vitæ merita, nullis bonis sedibus, incerta vagatione, ceu quodam exsilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterum noxium malis: id genus plerique Larvas perhibent. Cum verò incertum est, quæ cuique eorum sortitio evenerit, utrum Lar sit, an Larva, nomine Manem deum nuncupant: scilicet & honoris gratia dei vocabulum additum est.* Gyrald. Synt. deor. VI. p. 214. G. Salmas. Exerc. Plin. p. 293. a. E. Diversæ sunt à Lemuribus. Nam Lemures propriè domi vagabantur. Colligo hoc ex Ovidio, cum de Lemuribus festis ita loquitur Fast. V. 442.

Et rogat ut tectis exeat umbra suis.

At *Larva* in bustis, aut sepulcris. Apul. Apol. p. 507. *At tibi pro isto mendacio duit deus iste superum & inferum commeator utrorumque deorum malum gratiam, semperque obvias species mortuorum, quicquid umbrarum est usquam, quicquid Lemurum, quicquid Manium, quicquid Larvarum oculis tuis ingerat: omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulcrorum terriculamenta.* Gutherr. de Jur. man. II. 16. Aruspices illas diligenter observarunt. Ammian. XXXI. 1. *Super his larvalis simulacrum Armeniæ Regis, & miserabiles umbræ paullo ante in negotio Theodorici cæsorum per quietem stridendo carmina quædam nimium horrenda, multos diris terroribus agitabant.* Cicer. de Divin. I. 37. *Objiciuntur etiam sæpè formæ, quæ reapse nulla sunt: speciem autem offerunt. Quod contigisse Brenno dicitur, ejusque Gallicis copiis, cum fano Apollinis Delphici nefarium bellum intulisset: tum enim ferunt, ex oraculo effatam esse Pythiam:*

Ego providebo rem istam, & albæ virgines.

Ex quo factum, ut & viderentur virgines ferre arma contrà, & nive Gallorum obrueretur exercitus. Dio LV. p. 548. C. Cum Drusus Albim fluvium in Cheruscis trajicere vellet, *quædam mulier humana specie major occurrit ei, & dixit: Druse insatiabilis, quo tandem properas? non tibi fatis concessum est hæc omnia videre: quin tu abi: jam enim tibi, & operum tuorum, & vitæ finis instat.* Buleng. de Prodig. c. 20.

Larvæ erant fictæ facies, quibus olim tragici utebantur. Horat. Sat. I. 5. 64.

Nil illi larva, aut tragicis opus esse cothurnis.

Mariscott. de Pers. c. 9.

Larva est etiam sceletus. Glossæ vet. Σκέλετος, *larva, sceletus*. Apul. Apol. p. 507. *Hiccine est sceletus? hæccine est larva?* Hæc sic aptabatur, & coagmentabatur, ut articuli ejus, vertibulæque, quibus commissa erat, & in omnem partem flecterentur, & figuras omne genus exprimerent. Tales in convivium medium jaciebantur, & ex illis eas figuras rex convivii exprimebat, ut mutationis, & brevitatis vitæ commonefaceret: & propterea bibendum esse, ut nihil de fructu hujus vitæ pereat, diceret. Id omninò planè, ac disertè cognosces ex Petronio, cujus hæc sunt c. 34. *Potantibus .... ergo, & accuratissimè lautitias nobis mirantibus, larvam argenteam attulit nobis servus sic aptam, ut articuli ejus, vertebræque laxatæ in omnem partem flecterentur. Hanc cum super mensam semel, iterumque abjecisset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adjecit:*

Heu heu, nos miseros! quam totus homuncio nil est.
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.
Ergo vivamus, dum licet esse, bene.

Ex *larva* sunt tales apud Auson. Præf. Eidyll. XIII. *Simile ut dicam ludicro, quod Græci ὀστομάχιον vocavere. Ossicula ea sunt. Ad summam quatuordecim figuras geometricas habent. Sunt enim æquilatera, vel triquetra, extentis lineis, aut rectis angulis, vel obliquis, isoscele, vel isopleura, orthogonia quoque, vel scalena. Harum vertibularum variis coagmentis simulantur species mille formarum.* Senec. Epist. 24. *Nemo tam puer est, ut Cerberum timeat, & tenebras, & larvarum habitum nudis ossibus cohærentium.* Mos hic manavit ab Ægyptiis, de quibus sic habet Herod. II. p. 133. C. *Apud locupletes eorum quum multos convenerunt, & à cœna discessum est, circumfert aliquis in loculo mortuum è ligno factum, sed pictura, & opere verum maximè imitantem, longitudine cubitali omninò, aut bicubitali, ostendensque singulis convivarum ait: in hunc intuere, pota, talis post mortem futurus.* Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 12. Scalig. Lect. Auson. II. 26. Mariscott. de Person. c. 4. Erhard. & Gonsal. in Petronium. Barth. Adv. XVI. 7. Lips. Saturn. I. 19. Salmuth de Reb. deperd. & inv. p. 555. Putean. Reliq. conv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 255. F. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 19.

LAS.

LASSANUM est vas, quo retrimenta cibi excipiuntur. Horat. Sat. I. 6. 109.

—— lasanum portantes, œnophorumque.

Græcis est λάσανον, quod familiaricam sellam interpretatur Hesychius. Inde λασανοφόρος, qui sordidum vasis, aut sellæ ejusmodi gestandæ ministerium obit. *Turneb. Adv. XIII. 3. Voss. Lex. Etymol. Turrent. ad Horatium. Wouwer. in Petron. p. 405. Edit. Francof. a. 1621. Grapald. de Part. dom. II. 6. §. 23.* Interdum etiam podium ollæ significat, quem chytropoda etiam dicebant. Quo sensu si quis accipiat, etiam sordes hominis agnoscat. Et primò ita acceperam: deinde discessionem in alteram, & receptiorem significationem feci, ut alvo subserviat. *Turneb. l. l.*

LAT.

LATERCULI sunt panificia quadrata operis dulciarii. Plaut. Pœn. I. 2. 112.

—— nihil nisi laterculos,
Sesamum, papaveremque, triticum, & frictas nuces.

Illis admiscebatur sapa. Cato de Re Rust. c. 110. *De ervo farinam facito lib. 4. & vini cyathos 4. conspargito sapa, postea facito laterculos.* Sed hoc, ut opinor, faciebant parci, & restricti patresfamilias: nam ab elegantioris palati hominibus melle condiebantur. Apul. Met. X. p. 323. *Hic panes, laterculos ... & complura scitamenta mellita.* Muret. Var. Lect. XVII. 15. Turneb. Adv. XXX. 6. Voss. Lex. Etymol. Taubm. in Plautum.

Laterculus est instructio bellica jacens, & in latum. V. infr. in *Turris*.

LATERCULUM est dictus codex, in quo olim magistratuum, & omnium in imperio Romano militantium, præfectorumque catalogum unus ex libertis Cæsaris procurator ab ephemeride, & mandatis nuncupatus scribere, & apud se conservare, illisque mandata tradere consueverat. Postea notariis tribuni titulo honestatis id negotium est commissum, qui cunctos à Romano principe ad dignitatem provectos inscribebant majori *laterculo*, qui ipsos dignitates tam civiles, quam militares administrantes, eorumque insignia, & stipendia cum magistratus codicillis, & Principis mandatis continebat, §. ult. novell. 24. §. ult. novell. 25. Scholarum etiam ordines, & in numeris militantes cum eorum symbolis comprehendebat. Icti commentarium Principis nominant. Modestin. l. abesse in fin. ff. ex quib. causs. maj. *Abesse Reipublicæ causa intelligimus tribunos militum, præfectos, & comites legatorum, qui ad ærarium, aut in commentarium Principis relati sunt.* Erat autem ærarium in æde Saturni, ubi plebiscita, & Scta reponebantur. Hoc autem postea *laterculum* est dictum, notariorum primicerio commissum. Mathematici enim quadratam

ctatam figuram, & ad aliquam altitudinem instar *lateris* surgentem, πλινθίον, id est, *laterculum* vocant, cui hic codex similis *laterculum* est appellatus. Sic & lapidem quadratum arebitecti & agmen Ælianus nuncupant, à quo *laterculum* hoc derivari Cedrenus autumat. *Qui*, inquit, *later coctus est, seu* πλινθίον *Græcis, laterculum à Romanis dicitur. Est autem hic later publicus, in quo senatorum, & legionum nomina scribebantur*. Huic codici *laterculi* nomen jam Antoninis Imperatoribus inditum fuit. Tertullianus enim, qui eo tempore vixit, loquens de animabus naturæ bonis, quas Valentinianus beatas esse volebat, ait adv. Valentin. c. 29. *Ex earum ergo laterculo, & in Reges, & in sacerdotes allegare consueverat*. Vixit Antoninorum tempore. Complectitur cum minore *laterculo* omnes ferè Notitiæ dignitates administrantes, exceptis Palatinis largitionum, & privatorum, officiisque magistratuum, quæ ex tribus scriniis, Memoriæ, Epistolarum, & Libellorum prodibant. Hunc codicem primicerius notariorum tractabat cum suis scribis, qui tribuni notarii, quod tribunis dignitate æquarentur, laterculenses à *laterculo*, & notarii à notis, quibus plurimum scribebant, sunt vocati. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 93. Buleng. de Vectig. c. 95. de Imp. Roman. 11. 12. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv: Tom. x1. p. 722. B. Junius in Tertullianum*.

LATERES aurei à figuræ similitudine vocabantur massæ auri, atque argenti infecti. Varr. de vit. pop. Rom. III. apud Non. XII. 9. *Nam lateres aurei, atque argentei primum conflati, atque in ærarium conditi*. Sesquiulysse apud eundem II. 481. *Ubi educantur barbari, innumerabiles lateres aureos habuisse*. Etiam hos, & non solum monetas in ærario suo habuerunt Romani. Docuit nos hoc Varro laudatus. Plin. XXXIII. 3. etiam narrat, *Cæsarem primo introitu Urbis civili bello suo ex ærario protulisse laterum aureorum XXV. M. argenteorum XXXV*. Paullò ante dixerat: *Auri in ærario P. R. fuere Sex. Julio, L. Aurelio coss. septem annis ante bellum Punicum III. pondo CCCXVII. argenti nonaginta duo millia, & extra numerum CCCLXXXV*. Tempore quoque Imperatorum thesaurus fisci non solum auro, atque argento numerato, verùm etiam infecto, sive massis constabat. Probo ex tit. de suscept. & l. 8. tit. de Palat. sacr. largit. & rer. priv. *Savot. de numm. ant. t. 2. Buleng. de Imp. Rom. III. 27*.

LATIAR vocabatur sacrificium Latinarum. Macrob. Sat. I. 16. *Cum Latiar, hoc est, Latinarum sollenne concipitur, nefas est prælium sumere*. Cicer. Frat. II. 4. *Dies erant duo, qui post Latinas habentur religiosi, cæteroqui confectum erat. Latiar erat exiturus*. Rhodig. Ant. Lect. XXVIII. 24. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 493. A. Jun. Fast. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 136. E. Paovin. Fast. I. p. 114. V. etiam supr. in *Feria Latina*.

LATICLAVIA dignitas non erat ipse ordo senatorius, sed gradus ad eum. Cassiod. Var. VI. 14. *Jam senatus prædestinatus est, cui nos contulimus laticlaviam dignitatem*. Ruben. de Re vest. I. 14.

LATICLAVII propriè dicebantur senatorum, vel equitum filii, qui in spem senatoriæ dignitatis *latum clavum* portabant. Svet. Ner. c. 26. n. 4. *Ac sæpe in ejusmodi rixis oculorum, ac vitæ periculum adiit: à quodam laticlavio, cujus uxorem attrectaverat, prope ad necem cæsus*. Hunc Julium Montanum *senatorii ordinis, sed qui nondum honores capessisset*, vocat Tacit. Annal. XIII. 25. 3. *Ruben. de Re vest. I. 14. Turneb. Adv. I. 2. Chiment. de Honb. fell. c. 34. Ferrar. de Re vest. I. 3. 14*. Etiam senatu moti servabant tamen iis insignibus senatoriis. Svet. Aug. c. 35. n. 3. *Quosdam ad excusandi se verecundiam compulit, servavitque etiam excusantibus insigne vestis, & spectandi in orchestra, epulandique publicè jus*. Dio LIV. p. 530. D. *Iis dum Augustus inter senatores, eodemque habitu convivia, & spectacula frequentandi copiam fecit*. Ruben. l. l.

LATINI, atque Italici à Romanis, quod ab iis in societatem recepti essent, variè socii sunt nominati. Nam & socii, & Latini socii, & socii nominis Latini, & socii, nomenque Latinum, & socii ab nomine Latino, & socii, ac Latinum dicti sunt. *Latini* quoque de Italicis, & Italici de *Latinis* dicti sunt. Sallust. Bell. Jug. p. 119. *Turpilius condemnatus, verberatusque capite pœnas solvit. Nam is civis ex Latio erat*. Val. Max. III. 2. 20. *Vibius Accus Peligna cohortis præfectus vexillum trans Punicum vallum projecit . . . Quod ut Valerius Flaccus tribunus tertiæ legionis aspexit, conversus ad suos: spectatores, inquit, alienæ virtutis huc venimus: sed absit hoc dedecus à sanguine nostro, ut Romani gloria cedere velimus*. *Latinos* enim dixit pro Italicis, quandoquidem Peligni *Latini* non erant. Dicebantur verò *Latii* incolæ, populi Romani fœderati, jure *Latii* donati. *Latium* enim eos secrevit ab Italicis, qui non erant in *Latio*; fœdus ab iis civibus Romanis, qui agrum Romanum possidebant, aut colebant in *Latio*; jus *Latii* ab iis *Latinis*, qui cum agrum *Latinum* tenerent, & tamen *Latii* jure non fruebantur. *Sigon. de Ant. Jur. Ital. I. 2. Manut. de Civit. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. I. p. 20. D.* Primis temporibus illorum appellatio fuit angustissima. Non enim solum Hernici, cæterique, qui in novo erant *Latio*, *Latini* nominis expertes fuerunt, sed ne omnes quidem, qui *Latium* vetus incoluerunt, *Latini* sunt vocati, quandoquidem neque Volsci, neque Æqui *Latinorum* in numero habiti. Non enim communibus *Latinorum* conciliis se committebant: & eo fiebat, ut seorsùm à *Latinis*, quasi ex eorum corpore non essent, vulgo nominarentur. Siquidem Sex. Tarquinius, Superbi filius, ait apud Liv. I. 53. se nisi ab Gabinis reciperetur, *perrraturum omne Latium, Volscosque inde, & Æquos, & Hernicos petiturum*. Et apud eundem II. 53. *Latinis, Hernicis assumptis, Volscos, & Æquos, in agro Latino castra ponentes per se ipsi sine Romano aut duce, aut auxilio castris exuerunt*. Ita VIII. 11. Numisius Circejensis prætor *Latinorum se ex Latinis & Volscis juventute properè excita, redituram infesto exercitu Capuam esse* professus est. *Sigon. ibid. c. 3.* Anno Urbis 414. T. Manlio Torquato, & P. Decio Mure coss. hac ratione sunt domiti. Post L. Tarquinii Superbi regnum, à quo ingentibus præliis afflicti pacis conditiones, & fœdera Romana petere coacti fuerant, in fide Romana usque ad annum Urbis 263. permanserunt. Præsertim quum à Tarquinio Superbo arctioribus amicitiæ vinculis, sanctioribusque fœderibus populo Romano conjuncti fuissent. Quo anno, Octavio Mamilio Tusculano Tarquinii Superbi regno Romano exacti genero duce, arma Romanis intulerunt. Quibus ab A. Postumio dictatore ad lacum Regillum victis fœdus, & societas antiqua à Romanis reddita est. Et in amicitia, fideque populi Romani annos amplius 150. permanserunt. Verùm quum Campanis, Sidicinis, & Auruncis adjunctis bellum Samnitibus fœderatis populi Romani movissent, atque à senatu Romano evocati, arma ponere juberentur, feroci responso, quo alterum consulem è *Latio* fieri petierunt, bellum Romanum in se convertere. Et illos prœlio ad Veserim fluvium commissu victos T. Manlius consul in deditionem accepit, atque de illis triumphavit. Nam ejus collega P. Decius eo prælio se pro legionibus Romanis devovit. Post hoc bellum *Latinum* omne biennii intervallo à Q. Publilio Philone dictatore, L. Furio Camillo, & C. Mænio coss. domitum, deinceps perpetua, atque egregia in Romanos fide semper fuit. *Panvin. Imp. Rom. c. 3. Sigon. l. l.*

Latini coloniarii sub Romanis Cæsaribus fuerunt dicti ad discrimen *Latinorum* Junianorum, sive libertorum, sic dictorum post legem de iis à Junio Norbano sub Augusto latam. Fragmentum juris, quod edidit Pithœus: *Sed nunc habent propriam libertatem, qui inter amicos manumittuntur, & fiunt Latini Juniani: quoniam lex Junia, quæ libertatem eis dedit, exæquavit eos Latinis coloniariis, qui tunc erant cives Romani, & nomen suum in coloniam dederant*. Non è libertis demum constabant, quod tamen colligit Salmas. de Mod. usur. c. 19. ex eo, quod in *Latinis* à Pithœo editis vox liberti, quia in Græcis est ἀπελεύθεροι Ῥωμαίων ἀπελεύθεροι, desit omnino restituenda, quæ à Romanis olim, seu è Romanis civibus deducebantur, dictæ ab iis *Latinæ* coloniæ: neque ita appellatæ ad exemplum *Latinorum* libertorum Junianorum, sed inde, quod cum prisco *Latii*, non verò Quiritium, sicut Romanæ coloniæ, jure mittebantur in colo-

colonias cives Romani: sed ad discrimen *Latinorum* libertorum, qui à civibus Romanis inter amicos manumissi, sed quibus non competebat jus Quiritium, dicebantur. *Spanhem. ad Constit. Imp. Anton. Exerc.* 1. §. 9.

Latini Juniani ab Ulpiano tit. III. appellantur liberti, qui *Latii* jus lege Junia Norbana sub Augusto adepti erant: & illos civitatem Romanam, & jus Quiritium multis modis adipisci posse scribit. In his erant, beneficio Principis, liberis, iteratione, militia, nave, ædificio, pistrino, & si mulier ter enixa fuerit. Hi dum viverent, quanquam se quasi pro civibus gererent, tamen jus testamenti faciendi non habebant, & dominus eorum morientium hæreditatem capiebat, nisi priùs jus civitatis vel Quiritium adepti essent. *Panvin. Imp. Rom. c.* 9.

LATIUM fuit duplex: antiquum, & novum. Antiquum à Tiberi Circejos, novum à Circejis Ptolemæus, Strabo, & Plinius producunt ad amnem Lirim. Quorum si intimum excutere sensum potui, profectò *Latium* vetus his est finibus circumscriptum, ab occasu ferè Tiberi & Etruscis; à septentrione Aniene, & Sabinis; ab oriente Ufente fluvio cum Volscis; à meridie Tyrrheno pelago: nam utrinque ad occidentem objectus est Tiberis; ad septentrionem Anio cum Sabinis & Marsis; ad ortum Samnites & Campani; ad meridiem mare. Quod si quis, qui utrumque insederint *Latium* populi, fortasse roget, nihil est quod tam facilè expedire posse videamur: cui enim obscurum est, vetus *Latium* Albanos, Rutulos, Volscos, & Æquos; novum Oscos, Ausones, & Hernicos à solitudine vindicasse? *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* 1. 3. *Manut. de Civit. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* 1. p. 20. *D. Cluver. Ital. Ant.* 1. 6. 7. *Albert. Ital. p.* 164. *Kircher. Lat. Anc. & nov.* 1. 7. *Goltz. Ital. p.* 199. *Pigh. Annal. Rom.* 1. p. 43. *Blond. Instaur. Roman.* 11. §. 48.

LATOMIA *Siculorum lingua dicitur lapidicina, id est, locus casis lapidibus exsectus.* Ascon. in Cicer. p. 72. *Pollet. For. Rom.* v. 14. *Rhodig. Ant. Lect.* XVII. 9. *Bud. in Pandect. p.* 104. *A.* Olim servi, lapidibus scilicet cædendis, in illam damnabantur. Plaut. Capt. III. 5. 65.

Inde ibis porro in latomias lapidarias,
Ibi quum alii octenos lapides effodiunt,
Nisi quotidianus sesquiopus feceris,
Sexcentoplago nomen indetur tibi.

Hinc toties ad *latomias* damnari, & ad metalla. *Laurent. Var. sacr. gent. c.* 15. *de Rebuspub. c.* 7. *Turneb. Adv.* XIV. 7.

Latomia est carcer Syracusis. Ascon. in Cicer. p. 72. Has fecit Dionysius crudelissimus tyrannus. Cicer. Verr. v. 55. *Carcer ille, qui est à crudelissimo tyranno Dionysio factus Syracusis, quæ latomiæ vocantur, in istius imperio domicilium civium Romanorum fuit: ut quisque istius animum, aut oculos offenderat, in latomias statim conjiciebatur.* Qui & illas describit ibid. n. 27. *Latomias Syracusanas omnes audivistis, plerique nostis: opus est ingens, magnificum, regum, ac tyrannorum: totum est ex saxo in mirandam altitudinem depresso, & multorum operis penitus exciso: nihil tam clausum ad exitus, nihil tam septum undique, nihil tam tutum ad custodias, nec fieri, nec cogitari potest. In has latomias, si qui publicè custodiendi sunt, etiam ex ceteris oppidis Siciliæ deduci imperantur.* Rhodig. Ant. Lect. XVII. 9. Fab. Semest. II. 7. Laurent. Var. sacr. gent. c. 15. de Rebuspubl. c. 7. Pollet. For. Rom. v. 14. Bud. in Pandect. p. 104. A.

Latomia erat quoque carcer Romæ prope Tullianum. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *In carcere pars, quæ sub terra, Tullianum, ideo quod additum à Tullio Rege. quod Syracusis, ubi simili de causa custodiuntur, vocantur latomiæ: & de latomia translatum, quod hic quoque lapidicinæ fuerint.* Hoc nomine appellat Liv. XXXII. 26. *Triumviri carceris latomiarum intentiorem custodiam habere jussi.* XXXVII. 3. *Principes Ætolorum Romam deducti, & in latomias conjecti sunt.* Donat. de Urb. Rom. II. 19. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 2. Rhodig. Ant. Lect. XVII. 9. Fab. Semest. II. 7. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 3. Bud. in Pandect. p. 104. B. Blond. Instaur. Rom. III. §. 71. Dictæ sunt, quod quemadmodum effossi agri suburbani tophaceos rubri coloris lapides Romanis fabricis perpetuò suppeditant, sic etiam Capitolium suppeditavit. Nec modò antiquitus, sed hac nostra ætate nos vidimus, eo ipso latere Capitolii, cui Tullianus carcer fuit affixus, institutis sub monte *lapidum* fodinis, fuisse rubros tophos abundè, diuque causa ædificationis egestos. Quare credendum omnino est, similes lapidicinas Anco Martio, Tullioque Regibus occasionem exstruendi carceris in cavia Capitolinis præbuisse. *Donat. l. l.*

LATRINA est balneum privatum. Non. III. 131. *Latrina g. f. & est lavatrina, quod nunc balneum vocatur.* Lucill. XI.

Qui in latrina, lacuque.

Varr. de Ling. Lat. VII. 42. *Eadem ratione domi sine quisque, ubi lavatur, balneum dixerit: & quod non erant duo, balnea dicere non consueverunt, cum hoc antiqui non balneum, sed lavatrinam appellare consuevissent.* Meurs. in Lycoph. p. 292. Edit. Bat. Inde *latrinam lavare* est in *latrinam*, sive balneum privatum aquam ferre. Plaut. Curc. IV. 4. 24.

Non pluris facio quam ancillam meam, quæ latrinam lavat.

Atque hoc erat, ut ex Plauto apparet, ministerium vilissimum. *Turneb. Adv.* XXI. 20. Glossæ Philox: *Latrina, λουτρών.* Onomast. *Lavatrina, ἀπόπατος.* *Voss. Lex. Etymol.*

Latrina est locus, in quem, ut loquitur Plaut. Curc. II. 3. 83. *saturi cunt.* Apul. Met. IX. p. 282. *Omnia prorsus, ut in quandam cœnosam latrinam, in ejus animum flagitia confluxerant.* Et locum excrementorum apud Plautum supra laudatum explicat Lambinus. *Voss. Lex. Grapald. de Part. dom.* II. 6. §. 24. *Blond. Triumph. Roman.* IX. p. 190. *H.*

LATRO erat miles mercede conductus. Serv. Æneid. XII. 7. *Latrones vocantur conducti milites: moris autem erat, ut hos Imperator & circa se haberet, & eos primum mitteret ad omne discrimen.* Festus: *Latrones eos antiqui vocabant, qui conducti militabant. At nunc viarum obsessores dicuntur.* Usus ita, ut & Servius monet, Plaut. Mil. I. 1. 75.

Nam Rex Seleucus me opere oravit maxume,
Ut sibi latrones cogerem, & conscriberem.

Hinc *latrocinari, militare mercede.* Plautus Cornic.

Latrocinatus annos decem mercedem.

In Tiberio: *Qui apud Regem in latrocinio fuisti, stipendium accepistasti.* Non. II. 508. *Voss. Lex. Etymol. Souter. de Aleat.* 1. 6. *Victor. Var. Lect.* XVI. 17. *Senftleb. de Alea c.* 12. *Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Rom.* v. 1.

Latro, sive *latrunculus* in tabula lusoria dicebatur calculus. Ovid. de Art. Am. III. 357. & Mart. XIV. 20. V. utrumque supr. in *Calculi.* Ut *latrones*, ii calculi alios adoriuntur. Ideo & milites dicebantur. Auctor Paneg. ad Pison. n. 194. V. & illum supr. in *Calculi.* Martialis modò laudatus. Souter. de Aleat. c. 6. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. v. 1. Laurent. Polym. IV. Synops. 8. Salmas. in Vopisc. Procul. c. 12. Turrig. ad Inscr. Urs. Tog. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XII. p. 397. D. Buleng. de Lud. vet. c. 55. Materiam, formam, colorem, V. supr. in *Calculi.* Utrum ludus *latrunculorum* idem sit qui ludus scachiæ, V. infr. in *Scachus*, & zatricion, V. infr. in *Zatricion.*

LATUS in augurus dextrum si palpitaverit, diuturnam paupertatem, servo verò facultatem, & gaudium præsagit. aliis utilitatem: si sinistrum, laboranti bonum statum in tota vita portendit. *Niphus de Augur.* 1. 9. Adversari maximè petebant gladiatores. Ammian. XVI. 12. *Se in modum myrmillonis operiens, hostium latera, qua nudabat ira flagrantior, districtis gladiis perforabat.* Quintil. Declam. de gladiatoribus, qui vinci volebant: *concurrebant lateribus nudis.* Tibull. I. 4. 46.

Sæpè dabis nudum, vincatur ille, latus.

Et cum plura paria pugnarent, vulnerabant non rarò quempiam per alterius *latus.* Cicer. in Vatin. c. 5. *Omnia mea tela sic in te conjicientur, ut nemo per tuum latus, quod soles dicere, saucietur.* Liv. XL. 9. *Ut à me cœptum scelus in*

me

me finem habeat, nec per meum latus tu petaris. Ideo in vitando præcipua cura, ut *latus* tegerent. Terent. Heaut. IV. 2. 5.

Triumpho: si licet me latere tecto abscedere.

Senec. Nat. Quæst. Præf. IV. *A turba, quantum potes, te separa, nec adulatoribus latus præbeas*. Lipf. Saturn. II. 20. Muret. in Terentium. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Thys. de Gladiat. p. 253. Laurent. Polym. IV. Synops. 9. Et in militia hostes. Virg. Æneid. X. 313.

——huic gladio perque area scuta,
Per tunicam squallentem auro, latus haurit apertum.

Ubi Servius: *Haurit modò ferit significat, non nudum latus, sed quod aperuerat, & putatur* ὕστερον πρότερον. *Quidam Italicam elocutionem putant: cum enim a latere quis aliquem adortus gladio occidit, hausit illum, dicunt. Latus* apertum equidem non est, quod scuto tegitur; sed Virgilius, ut solent poetæ, in heroibus suis hæc in miraculum composuisse videtur, ut ostenderet, Æneam *latus* tectum transadigendo *aperuisse*. *Pugnare in latera, in frontem, in tergum,* obvia passim apud Latinos, multòque significantiora sunt, quàm *contra aliquem pugnare*, cum denotent hanc partem præcipuè peti, in hanc pugnari. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1131. B.* Intectum, sive nudum dicebatur ejus, quem nemo comitaretur. Ambros. Serm. de obitu fratris Satyri: *Quod si aliquando sine altero prodeundum fuit, intectum latus putares.* Hinc, qui potentiores affectabantur, sive armati, sive inermes, dicuntur illorum *latus* tegere, claudere, cingere. Horat. Sat. II. 5. 18.

Ut ne tegam spurco Damæ latus?

Juven. Sat. III. 131.

Divitis hic servus claudit latus ingenuorum.

Ovid. Pont. IV. 9. 17.

Dumque latus sancti cingit tibi turba senatus.

Long. de Annul. c. 9.

LAV.

LAVACRA Principes populo gratuita præbebant, alia conducebantur, & sua quisque domi ferè habebant, præsertim nobiles cives ad privatos usus. *Donat. de Urb. Rom.* III. 19. Pro sexibus distincta fuerunt, & militibus interdicta. V. supr. in *Balneum*. Comitibus, ac magistris militum à curiis civitatum gratuitò præbebantur: quod cum etiam rei militaris comites, & tribuni poscerent, id illis ab Arcadio, & Honorio est negatum, ne tot sumptibus civitates onerarentur, l. 1. C. ne rei milit. comit. vel trib. lavac. præst. *Panciroll. de Magistr. munic. c. 14.*

Lavacrum Agrippinæ ex communi omnium antiquariorum sententia in valle Quirinali retro S. Laurentii in Panisperna fuisse creditur, in declivitate illa, quæ S. Vitalis ædem respicit: ubi duas Bacchi imagines repertas ferunt, quibus ad pedes inscriptum erat: IN. LAVACRO. AGRIPPINÆ. *Lavacrum Agrippæ* Adrianum Imperatorem inter cætera statuisse memoriæ prodit Spartian. c. 19. verùm eruditi animadverterunt illic legendum esse *Agrippinæ*. Non enim verosimile est Spartianum celebribus illis Agrippæ thermis exile *lavacri* nomen tribuisse, quod Agrippinæ balneo erat convenientius. Existimatur fuisse privatum matris Neronis. *Donat. de Urb. Rom.* III. 11. *Nardin. Rom. vet.* IV. 4. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 21. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. §. 7. Bellor. Fragm. vest. vet. Roman. tab. V. Ferret. Mus. Lapid.* IV. *Memor.* 21.

Lavacrum Apollinis in circo Flaminio ponit S. Rufus. *Buleng. de Circo c. 5. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p. 303. D.*

Lavacrum Decius Imperator Romæ exstruxit. Eutrop. IX. 4. *Romæ lavacrum ædificavit*. V. illud. infr. in *Thermæ*.

Lavacrum Elagabali. V. illud infr. in *Thermæ Variana*.

LAVATIO vocabatur vas lotioni destinatum. Ejus meminit Ulpian. l. 25. [illegible] argent. ubi de mundo muliebri: *Vasa unguentaria, & si qua similia dici possunt, velut lavatio*. Phædr. IV. 4. 21.

Seponit mœchæ vestem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam.

Si mei arbitrii res foret, *lavationem argenteam* ego dicerem innuere supellectilem omnem balnearum, ut strigiles, guttos, & id genus. Quanquam possit hoc intelligi etiam per vas illud velut principale. *Scheffer. in Phædrum. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom.* I. 14.

Lavationes varias veteribus usitatas, V. supr. in *Abluebant*.

Lavatio Cybeles matris deum sollenniter celebrabatur VI. Kalend. April. in fluvio Almone, qui non procul Urbe Tiberi miscetur. Vib. Sequest. de nom. fluv. *Almo Romæ, ubi mater deum* VI. *Kalend. April. lavatur*. Arnob. VII. p. 237. *Lavatio matris deum est hodie*. Kalendarium vetus, mense Martio, post Quinquatria, LAVATIO. Ammian. XXIII. 3. *Ad diem* VI. *Kalend. quo Romæ matri deorum pompæ celebrantur annales, & carpentum, quo vehitur simulacrum, Almonis undis ablui perhibetur*. Illo enim luctus suos ponebant Galli, & planctus, atque adeo corporum sectiones, quibus ordiebantur illud festum a. d. IX. Kalend. April. qui ideo dies sanguinis dicebatur. V. illum infr. in *Sanguis*. Stat. Sylv. V. 1. 222.

Est locus ante Urbem, qua primum nascitur ingens
Appia, quaque Italo gemitus Almone Cybelle
Ponit, & Idæos jam non reminiscitur amnes.

Val. Flacc. VIII. 239.

Sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,
Lætaque jam Cybele, festaque per oppida tedæ:
Quis modo jam sævos adytis fluxisse cruores
Cogitet? aut ipsi qui jam meminere ministri?

Lips. Epist. Miscell. 75. Lomej. de Lustrat. c. 26. Turneb. Adv. IX. 26. Ursin. ad Kalend. Rustic. Farnes. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 23. B. Elmenhorst. in Arnobium. Van Dale Dissert. I. 2. Gyrald. Synt. deor. IV. p. 142. A. Vales. in Ammianum.

LAUDATA nimiùm fascino obnoxia esse putabant veteres. Virg. Ecl. VII. 27.

Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Ubi Servius Danielis: *Quicquid ultra meritum laudatur, dicitur fascinari*. Plin. VII. 2. *In eadem Africa familias quasdam effascinantium Isygonus, & Nymphodorus tradunt, quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes.* Tertull. de Veland. Virgin. c. 15. *Nam est aliquod etiam apud ethnicos metuendum, quod fascinum vocant, infeliciorem laudis, & gloriæ enormioris eventum*. Alsar. de Invid. & Fascin. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 897. A. 898. B. Cerda in Virgilium.

LAUDATIO vocabatur oratio funebris. Senec. Epist. 2. *Aliud est laus, aliud laudatio. Hæc & vocem exigit. Itaque nemo dicit laudem funebrem, sed laudationem, cujus officium oratione constat*. Svet. Jul. c. 84. n. 4. *Laudationis loco consul Antonius per præconem pronuntiavit. . . . Laudationes* has ad Valerium Poplicolam refert Plutarch. Poplic. p. 101. F. *Gratus etiam ad populum bonos collega habitus fuit, quo exsequias, & funus decoravit Valerius, in cujus laudem orationem funebrem habuit, quæ usque adeo placuit populo Romano, ut hujus exemplo præclari, & insignes viri vita functi à præstantissimis laudentur*. Qui an primus illas instituerit, dubitat Dionys. V. p. 291. *Utrum autem Valerius primus hunc morem apud Romanos instituerit, an institutum à Regibus secutus fuerit, certò affirmare non possum. Quod tamen hoc sit Romanorum vetus inventum, in funere illustrium virorum virtutes eorum laudari, neque Græci hoc primum instituerint, ex communi historia didici*. Kirchman. de Fun. Roman. II. 18. Meurs. de Fun. c. 34. Gyrald. de vat. sepel. rit. c. 6. & ad illum Job. Faes. Morestell. Pomp. Feral. III. 4. Guther. de Jur. man. I. 25. Blond. Triumph. Rom. II. p. 40. G. Pitisc. in Svetonium. Haberi solebant pro Rostris. Acro in Horat. Epod. *Varro pro Rostris sepulcrum Romuli dixit: ubi etiam in hujus rei memoriam duos leones fuisse erectos constat: unde factum est, ut*

pro

pro Rostris mortui laudarentur. Cicer. de Orat. II. 84. *Nostra laudationes, quibus in foro utimur, scribuntur ad funebrem orationem*. Svet. Aug. c. 101. n. 7. *Laudatus est pro Rostris sub veteribus à Druso Tiberii filio*. Kitchman. l.l. Morestell. ibid. c. 2. & 3. Casal. de Proph. Roman. tit. c. 26. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 21. Pitisc. in Svetonium. A propinqua cognatione conjunctis. Polyb. VI. 51. *Circumfusa populi corona filius ascendit in Rostra, si quem puberem reliquerit, qui fortè adsit: sin minus, propinquus aliquis, & de mortui virtutibus dicit, rebusque, quas is prosperè gesserit*. Ita patrem Appium laudavit filius apud Dionyſ. IX. p. 611. *Allato in forum cadavere filius ejus adiit tribunos, & consules, petiitque, ut sibi populum ad concionem legitimam convocarent, sibique in ea more majorum, & ex populi Romani consuetudine patrem orationem funeris, qua in viros bonos haberi solet, ornare permitterent*. Patrem Tiberium Tiberius filius apud Svet. c. 6. n. 5. *Novem natus annos defunctum patrem pro Rostris laudavit*. Filium Fabius Maximus apud Plutarch. Fab. p. 188. C. *Fabius quum hunc filium amisisset, orationem quam habent in clarorum funere propinqui, ipse in foro dixit*. Kirchman. l.l. Guther. ibid. c. 24. Morestell. ibid. III. 5. Pitisc. in Svetonium. Vel, si propinqui hoc officium præstare non valerent, plerumque à viris doctissimis. Appian. Bell. civ. I. p. 417. *Pro Rostris in suggestu posito cadavere, funebrem orationem habuit vir ejus ætatis eloquentissimus, quod Faustus filius nondum esset maturus*. Plin. Epist. II. 1. *Hujus viri exsequiæ magnum ornamentum principi, magnum seculo, magnum etiam foro, & Rostris attulerunt. Laudatus est à consule Cornelio Tacito: nam hic supremus felicitati ejus cumulus accessit, laudator eloquentissimus*. Kirchman. l.l. *Laudabantur* etiam post mortem mulieres, V. supr. in *Femina*.

LAUDICOENI appellabantur, & σοφοκλεῖς, qui pacta cœna *sophos*, acclamationis formulam, orantibus, aut recitantibus acclamabant. Plin. Epist. II. 14. 4. *Sequuntur auditores, actoribus similes, conducti, & redempti mancipes: convenitur in media basilica, ubi tam palam sportulæ, quàm in triclinio dantur. Ex judicio in judicium pari mercede transitur. Inde jam non inurbanè σοφοκλεῖς vocantur: iisdem Latinum nomen impositum est Laudicœni*. Ferrat. de Acclam. III. 12. Budæo Pandect. p. 42. K. Pollet. For. Roman. I. 7.

LAVERNA erat dea furum. Horat. Epist. I. 16. 60.

—*pulcra Laverna*
Da mihi fallere.

Ubi Acron: *Laverna via Salaria lucum habet: est autem dea furum, & simulacrum ejus fures colunt, aut qui consilia sua volunt esse tacita*. Plaut. Aul. II. 3. 31.

Ita me bene amet Laverna! te jam, nisi reddi
Mihi vasa jubes, pipulo hic differam ante ædes.

Arnob. III. p. 115. *Non commemorabimus hoc loco Lavernam deam furum*. Nardin. Rom. Vet. IV. 4. Gyrald. Synt. deor. I. p. 52. E. Donat. de Urb. Roman. I. 19. Ferret. Muſ. Lapid. I. Memor. 2. Briſſon. de Form. I. p. 57. Stuck. de Sacrif. p. 42. Barth. Adv. VIII. 5. Elmenhorſt. in Arnobium. Borrich. Ant Urb. fac. c. 10. §. 8. Lipen. de Stren. c. 1. §. 6. Huic fures vota faciebant, ut institutа sua furandi, ac mentiendi fortunaret, Plautus, V. illum supr. in *Fur*. Deæ imago erat caput sine reliquo corpore. Ejus lucus erat Romæ obscurus, & abditus, ubi fures prædam dividebant. *Tomaſ. de Donar. c. 42. Scalg. in Festum in Laverniones*.

LAVERNIONES *fures antiqui dicebant, quod sub tutela deæ Lavernæ essent, in cujus luco obscuro, abditoque soliti furta, prædamque inter se luere. Hinc & Lavernalis porta vocata est*, Festus. *Borrich. Ant. Urb. fac. c. 14. §. 5. Stuck. de Sacrif. p. 42. 157*.

LAVICUM, sive *Labicum*, Albanorum colonia, in via Prænestina situm fuit, quinque millibus passuum ultra G. ios, eo in loco, ubi hodie oppidum Zagaruolo, jurisdictioni Principis Ludovisii subditum, in edito colle. Hoc magnæ vetustatis rudera, & inscriptiones ibidem passim inventæ demonstrant. Strab. V. p. 163. *Incidit deinde Lavicana via, incipiens à porta Exquilina, unde &*

Prænestina: relinquens autem ad lævam & campum Exquilinum, procedit ad 120. & amplius stadia, quæ sunt millia passuum 15, & appropinquans veteri Lavico, quod oppidum in sublimi situm, nunc dirutum est. Unde patet errare Leandrum, qui Ital. p. 218. & 221. interpretatur id oppidum, quod 30. millia passuum à Roma in edito colle & ipsum situm, & vulgo vocatur Valmontone. Ejus meminit Sil. Ital. a 11. 534.

Jamque adeo est campos ingressus, & arva Laviei.

Lavicani cum bellis continuis Romanos mirè exagitassent, anno ab U.C. 337. illorum oppidum à Romano dictatore militum ingenti corona circumdatum, scalisque captum est, & coloni eo sunt missi. Liv. IV. 47. *Postero die ad Lavicos ductus exercitus: oppidumque corona circumdatum, scalis captum, ac direptum est. Senatus censuit frequens, coloniam Lavicos deducendam: Coloni ab Urbe mille, & quingenti missi bina jugera acceperunt*. Cluver. Ital. Ant. III. 4. §. 23. Kircher. Lat. Ant. & nov. IV. 2. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 2.

LAVINIUM est urbs Latii, tribus à mari passuum millibus dissita, ab Æneа condita, postquam ab Aboriginum Rege Latino benignè exceptus, filiam ejus *Laviniam* uxorem sibi adoptasset, à qua & nomen obtinuit: quamvis alii à *Lavinio* fratre Latini, alii ab uxore Æneæ denominatam velint. Vetus conditum fuisse putatur in eo colle, in quo hodie fanum S. Petronillæ spectatur, ad fontem fluminis Numici, qui sub illo colle ea antro quodam profluit. *Kircher. Lat. Ant. & Nov. I. 7. §. 3. Cluver. Ital. ant. III. 2. §. 5. Panvin. Descr. Roman. Urb. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. III. p. 209. F. Ferret. Muſ. Lapid. V. memor. 14. Leand. Ital p. 197. 200*.

LAURENTALIA. V. illa supr. in *Larentalia*.

LAUREOLUS in pœnam ad stipitem alligatus & laceratus est, de quo Mart. I. 7. 3.

Nuda Caledonia sic pectora præbuit urso,
Non falsa pendens in cruce Laureolus.

Laureolus mimus fuit latronis alligati ad crucem, in quo Novius vinctus ab urso lacerabatur, non per lusum & jocum, sed in pœnam criminis. Catullo, sed diverso ab illo, qui Ciceronis ætate vixit, & scripsit, hunc tribuit Tertull. adv. Valentin. c. 14. *Quia nullum Catulli Laureolum fuerit exercitata*. Svet. Cal. c. 57. n. 11. *Et cum in Laureolo mimo, in quo actor proripiens se ruina sanguinem vomuit, . . .* Joseph. Ant. Jud. a IX. 1. *Mimus inductus est, in quo in crucem suffigitur latronum dux Laureolus*, Buleng. de venat. circ. c. 36. Rader. in Martialem. Homines vero in cruce fixos bestiis objiciebant. Hoc factum sæpè in publicis spectaculis. Epistola Lugdunensium apud Euseb. V. 1. de Blandina martyre: *Blandina in ligno suspensa prostituta est esca, & laniena incurrentium ferarum. Quæ, & quod in specie crucis videbantur, & ob continuam orationem multam alacritatem injiciebat certantibus*. Quod & factum non Christianis. Vult enim Martialis laudatus, quempiam sustinuisse velut in fabula personam *Laureoli*: & cum is pro argumento crucifigendus esset, sed in speciem, & moris causa: rem ea fabula Titus fecit, & noxium quempiam ita fixit, & fixum bestiis etiam objecit. *Lipſ. de Cruc. III. 11*.

LAURETUM, sive *Loretum* in vetere Republica Romæ fuisset constat, quod *in Aventino multo post Romam conditam vivere cœpisse* auctor est Macrob. Sat. III. 12. De quo hæc de Aventino loqueos tradit Dionyſ. III. p. 182. *Est is collis mediocriter altus octodecim fermè stadiorum ambitu, sylva tunc obsitus varii generis, præcipuè copiosa, & pulcra lauro, unde lauretum pars ejus à Romanis dicitur. Nunc autem est totus refertus ædificiis*. Hæc ultima verba, *nunc autem est totus refertus ædificiis*, palam faciunt, non de hoc prisco, sed de novo Cæsarum *Laureto* loqui Cassiod. I. 1. ubi agit de Gallica nobilitate, quæ tandem curiæ restituta est. Nempe ex eo *laureto*, ut ex ejus verbis conjicio, triumphales *laureæ* decerpebantur. *Tandem*, inquit, *prefsos divina le vaverunt. Romam recepere cum gloria, & avorum antiquus laurus ab ornata curia sylva legerunt*. Duas fuisse sylvas, hoc est, duo *laureta*, disertim tradit Plin. XV. 30.

xv.30. *Et durant*, inquit, *sylvæ nominibus suis discretæ, fortassis ideo mutatis triumphalibus*. Et paullò post; *Durat & in Urbe impositum loco nomen*, *quando Loretum in Aventino vocatur, ubi sylva lauri fuit*. Ibidem, scilicet, ubi Dionysius domibus sua ætate locum refertum tradit. Ut recentior sylva vocabatur *lauretum* Cæsarum, ita illud priscum dicebatur esse *lauretum* Numæ. Sulpicia in sat. cant. Domit.

Nam laureta Numæ, fontesque habitamus eosdem.

Paschal. de Coron. VIII. 2. De *laureto* etiam *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 5. *Donat. de Urb. Rom.* III. 13. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 15. §. 2. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 8.

LAURIACUM fuit Norici urbs satis ampla. Hodie exiguus vicus est sub mœnibus oppidi Ens ad confluentem amnis ejusdem nominis. Vulgo dicitur *Lorch*, contractum haud dubiè ex *Laurich*, & *Lorich*. Antoninus ad *Lauriacum* locat hyberna legionis III. & antiqua inscriptio coloniam Aurelianam. Unde claritudo, atque celebritas ejus apparet. Sed ex ejus ruinis tandem crevit propinquum oppidum Ens. *Cluver. Vindel. p.* 23. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 809. *F. Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c.* 30.

LAUROLAVINIUM fuit urbs Latii Laurento proxima. Colonia fuit Romanorum. Frontin. de Colon. p. 105. *Laurum Lavinia lege, & consecratione veteri manet. Ager ejus ab Imperatoribus Vespasiano, Trajano, & Adriano in lacinias est assignatus. Iter populo non debetur*. Quando deducta sit, non liquet. Inde Merul. Cosmogr. II. 4. 19. inter deductas incerto tempore recenset. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 628. *A.* 800. *C.*

LAURUS arbor ex omnibus manu satis, & domesticis fulmine non feritur. Hoc à veteribus memoratum tradit Isidor. XVII. 7. *Sola hæc arbor vulgo fulminari minimè creditur*. Tradit & Plin. II. 55. *Ex iis, quæ terra gignuntur, fulmen lauri fruticem non icit*. XV. 30. *Manu satarum, receptarumque in domos fulmine sola non icitur*. Hæc persuasio usque eo quorundam mentibus adhæsit, ut vel auctore Plinio proximè laudato, *Tiberius princeps, tonante cælo, coronari fuerit solitus*. Idem de illo Svet. c. 69. n. 2. *Tonitrua præter modum expavescebat: & turbatiore cœlo nunquam non coronam lauream capite gestavit, quod fulmine afflari negetur id genus frondis*. Paschal. de Coron. VIII. 12. Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 19. Pier. Hierogl. L. 15. Laurent. de Profess. & orat. c. 2. Causam afferunt Pythagoræi, quod arbor sit Phœbæa, & Apollini sacra: quæ tota à poeticis fabulis pendet, quasi ejus dei templa fulmine tacta, & combusta conflagrasse apud historicos non legamus. Nonnulli plantæ rotunditati id acceptum ferendum nugantur, qua ictus labatur: qui mihi videntur *laurum* nunquam aspexisse, in acumen potiùs, ac fastigium, tum ipso trunco, tum etiam ramis sensim tendentem. Sunt omnino pini omnes, rotundæ magis, quibus nec ignis cœlestis parcit: sed ne columnis quidem marmoreis, diu, multumque lævigatis, ac perpolitis. Nec sanè mirum, cum omnia à cœlo decidentia obliquos habeant ictus, non rectos. Quare bene, ac sapienter agerent *ταῦροφοι* quidam, si tandem cassis, & futilibus argumentis hominum mendacia confirmare desinerent. Paucos enim abhinc annos Romæ de cœlo *laurus* est tacta. *Brod. Misc.* III. 2. *Voss. de Idolol.* II. 12. *Lomej. de Lustrat. c.* 19. *Grata fuit Apollini*. Plin. XV. 30. Id verum esse discimus ex Ovidio, ubi de Daphne & Phœbo loquitur, Met. I. 556.

Oscula dat ligno, refugit tamen oscula lignum.
Cui deus: at quoniam conjunx mea non potes esse,
Arbor eris certe, dixit, mea, semper habebunt
Te coma, te cithara, te nostra, laure, pharetra.
Tu ducibus latis aderis, cum læta triumphum
Vox canet, & longas visent Capitolia pompas.

Eam Phœbo, sive Apollini, qui quantus quantus, ignis est, sicut plantam ignitam tribuit Virg. Ecl. VII. 61.

Populus Alcidæ gratissima, vitis Jaccho,
Formosa myrtus Veneri, sua laurea Phœbo.

Imitatus Theocrit. Epigram. I. 3.

At nigris foliis tibi, ò Pythie Apollo
Dicata sunt: Delphica enim petra his te ornavit.

Hinc est, quod Apollinem, veluti proprio epitheto, poetæ *δαφναῖον* vocant. Tertull. de Coron. mil. c. 7. *Habes tragœdiam Cerberi, habes Pindarum, atque Callimachum, qui & Apollinem memorat, interfecto Delphico dracone, lauream induisse qua, potiùs quasi supplicem*. c. 12. *Laurea ista Apollini, vel Libero sacrata est, illi ut deo telorum, huic ut deo triumphorum*. Paschal. ibid. c. II. Pier. Hierogl. L. 13. Clasen. Theol. gentil. I. 4. Cerda in Virgilium. *Lauro* fatidici coronabantur. Eunap. in Chrysanth. p. 157. *Familiaritas cum deo tam inelaborata, & facilis erat, ut ad vaticinia vera efferenda satis esset, si laurea capiti imposita ad solem oculos convertisset*. Isaacius in Lycophr. n. 6.

Lauri vero vaticinata est ore.

Ex quo vates fabulantur propter delectationem Apollinis lauros comedere. Sed hæc quidem nugæ sunt, & fabulæ. At illud verum, quod vaticinantes laureis ramis coronari solebant, quoniam semper sit viridis planta, & mala avertat, atque hæc oracula petentibus persuadentes aliquid ex ipsis lucrabantur: unde illinc dicti, fabulati sunt lauros comedere, vel quod lauro coronarentur, vel vaticinia dicerent iis, qui alimenta ipsis præberent. Hinc Tibull. II. 5. 63.

Vera cano: sic usque sacras innoxia lauros
Vescar.

id est, callear vaticinandi scientia. Ideo veteres *laurum μαντικὸν φυτὸν* appellaverunt, & futurorum præscia est credita. Claud. de Rapt. Pros. II. 109.

——venturi præscia laurus.

Fulgent. Mythol. I. 13. *Illi, qui de interpretatione somniorum scripserunt, promittunt in libris suis, laurum, si dormientibus ad caput posueris, vera somnia esse visuros*. Quin etiam ex *lauri* crepitu, dum crematur, veteres futura prædicebant. Si enim magno strepitu in igne crepuisset, felicitatem significabat: si siluisset, unde & tacita est dicta, infelicitatem. Tibull. II. 81.

Ut succensa sacris crepitet bene laurea flammis,
Omine quo felix, & sacer annus eat:
At laurus bona signa dedit, gaudete coloni:
Distendet spicis horrea plena Ceres.

Prop. II. 21. 46.

Et tacet exstincto laurus adusta foco.

Paschal. ibid. c. 13. Gyrald. Dialog. 16. Realin. Annot. c. 1. Rhodig. Ant. Lect. V. 7. Spanhem. in Callim. Del. n. 94. Canter. & Potter. in Lycoph. n. 6. Broukh. in Propertium, Landus in vet. numism. Rom. Miscell. Ital. Misc. Tom. II. p. 445. Casaub. in Theophr. Charact. p. 340. Cuper. Apoth. Homer. p. 250. Lomej. de Lustrat. c. 19. Buleng. de Sort. c. 3. Pier. ibid. c. 14. Meurs. P. in Lycophr. n. 6. F. Arbor. sacr. I. 4. Ursin. Arbor. Biblic. c. 42. n. 3. Clasen. l. l. Cur autem pro infausto omine haberent *laurum* tacitam in igne, in causa erat, quod id fieret præter naturam ipsius arboris. Lucret. VI. 153.

Nec res ulla magis, quàm Phœbi Delphica laurus
Terribili sonitu flamma crepitante crematur.

Plin. XV. 30. *Laurus quidem manifestò abdicat ignes crepitu, & quadam detestatione*. Inde adagium: *Magis vociferatur, quàm laurus viridis incensa*, de homine clamoso: quod ex Diogeniano refert Erasm. Adag. p. 117. *Brokh. l. l.* Illa in expiationibus & devotionibus spargebantur. V. supr. in *Expiatio*. In nuptæ novæ deductione fores, & postes ædium maritiornabantur. V. infr. in *Nupta*. Poetarum capita cingebantur. Hesiod. Deorum gener. n. 30.

Et mihi sceptrum dederunt, lauri perviridis ramum
Decerpere mirandum.

Nec mirum, *lauru* redimiri capita poetarum, cum Apollo summus omnium vatum è *lauro* edat oracula. Inde Horat. Od. III. 4. 19.

——ut premerer sacra
Lauroque, collataque myrto.

Hanc coronam sibi deberi audacter profitetur ibid. 30. 14.

——sume superbiam
Quæsitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Et

Et hanc ob causam *sub lauru mea*, veluti sub arbore mihi propria, & familiari dixit, quod idem est ac si dixisset, apud me, ibid. II. 7. 18.

Longaque fessum militia latus
Depone sub lauru mea.

Paschal. ibid. v. 12. Piet. ibid. c. 16. Gyrald. de Poet. dial. 1. p. 21. *Laurus* ut victoriam, ita & triumphum, quem victoria spectabat, designabat. Nam sine victoria nullus erat triumphus. Horat. Od. II. 1. 15.

Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

Et ideo triumphalis vocabatur. Tibull. II. 5. 5.

Ipse triumphali devinctus tempora lauro.

Paschal. ibid. VIII. 10. Mos triumphantes *lauro* coronandi à Romulo est profectus. Dionys. II. p. 102. *Ipse*, Romulus, *pompam extremus claudebat, indutus purpura, & coronatus lauro.* Plutarch. Roman. p. 27. B. *Veste ipse incincta, & capite fluente coma, laurea coronatus incessit.* Buleng. de Triumph. c. 16. Sub Principibus etiam *lauro* coronabantur triumphantes. V. supr. in *Corona triumphalis*. Ex qua illorum coronæ nectebantur est illa *laurus*, quæ sterilis est. Plin. XV. 30. *Sterilem earum, quod maximè miror, triumphalem, eaque dicunt triumphantes uti: nisi id à D. Augusto cœperit ex ea lauru, qua ei missa à cœlo minima est altitudine, folio crispo, ac brevi, inventu rara.* Vocat illam Plinius sterilem, ut eam discernat ab illa, quæ annumeratur arboribus fructuosis. Mirabile dicit sterilem præferri baccatis, quanquam & hæc habuit quoque suas baccas, sed, ut credibile est, minores aliis. Id tamen minùs mirum accidit illi, qui intelligit dignitatem hujus generis *lauri*, cui, quod deest in fructu, cumulatiùs concessum est è favore cœlesti. Et verò admirabile decus ei addidit, ut verisimile est, Augustus, cui missa traditur è cœlo. Hanc rem, ne ridicula, fideve major videri possit, memorat accuratè ibidem. *Cum Livia Drusilla pacta esset Cæsari, aquila gallinam conspicui candoris sedentis ex alto abjecit in gremium illæsam: intrepidèque miranti accessit miraculum, quoniam teneret rostro laureum ramum onustum suis baccis. Conservari alitem, & sobolem jussere aruspices, ramumque eum seri, ac ritè custodiri. Quod factum est in villa Cæsarum, fluvio Tiberi imposita juxta nonum lapidem Flaminia via, qua ob id vocatur ad gallinas: miréque sylva provenit. Ex ea triumphans postea Cæsar laurum in manu tenuit, coronamque capite gessit: ac deinde Imperatores Cæsares cuncti. Traditusque mos est ramos, quos tenuerunt, serendi, & durant sylvæ nominibus suis discretæ, fortassis ideo mutatis triumphalibus*, id est, non desumptis è vetere *laureto*, quod in Aventino esse diximus supr. in *Lauretum*. Hoc ipsum tradunt etiam Suet. Galb. c. 1. n. 2. Dio XLVIII. p. 389. & Zonar. II p. 150. *Paschal. ibid. c. 9. Buleng. l. l. Pier. ibid. c. 7. Nicol. de Triumph. c. 19. §. 4. & 5.* Quare in *triumphis* adhibita fuerit, docent Plin. l. l. *Suffimentum est cædis hostium, & purgatio. Adeoque in profanis usibus pollui laurum, & oleam fas non est, ut ne propitiandis quidem numinibus accendi ex his altaria, aræve debeant.* Et Festus: *Laureati milites sequebantur currum triumphantis, ut quasi purgati à cæde humana intrarent Urbem. Itaque eandem laurum omnibus suffitionibus adhiberi solitum erat: vel quod medicamento siccissima sit: vel quod omni tempore viret, ut similiter Respublica vireat.* Guther. de Jur. man. II. 7. Pier. ibid. c. 18. Loinej. l. l. Dabatur Jovi Capitolino. Plin. l. l. *Fasces Imperatorum decorat. Ex his*, potiùs *exin in gremio Jovis Opt. Max. deponitur, quoties victoria nova lætitiam attulit.* Ovid. Trist. IV. 2. 53.

Inde petes arcem, & delubra faventia votis,
Et dabitur merito laurea vota Jovi.

Stat. Sylv. IV. 1. 40.

Restat Bactra novis, restat Babylona tributis
Frenare: nondum gremio Jovis indita laurus.

Obseq. de Prodig. c. 123. *C. Antonius consul, cum in agro Pistoriensi Catilinam devicisset, laureatos fasces in provinciam tulit. Ibi a Dardanis oppressus, amisso exercitu, profugit. Apparuit cum hostibus protendisse victoriam, cum ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio debuerat deponere.* Paschal. ibid. VIII. 2. Lips. Tacit. Annal. II. Excurs. D. Livin. & Cellar. in Plin. Paneg. c. 8. n. 3. Bernart. in Statium. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 4: IX. 20. Buleng. l. l. Ursin. ibid. §. 4. Scheffer. in Latin. Pacat. Paneg. c. 9. & Obseq. l. l. Imperatorum januæ redimiebantur. Plin. XV. 30. *Laurus triumphis propriè dicatur vel gratissima domibus, janitrix Cæsarum.* Qui mos invaluit Augusti tempore. Ovid. Fast. IV. 953.

State Palatinæ laurus, prætextaque quercu
Stet domus: æternos tres habet una deos.

Met. I. p. 562.

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.

Cui hic honos à senatu est decretus. Dio LIII. p. 501. A. *Tunc decretum fuit, laurum poni ante ejus ædes regias, & coronam querceam superponi, tanquam inimicorum victori, & servatori civium.* Nardin. Rom. Vet. VI. 53. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 12. §. 3. Giæc. Thes. Antiq. Gronov. Tom. IV. Præfat. * * * 3. Donat. de Urb. Rom. III. 2. Paschal. de Coron. VII. 9. Folia inter bellaria adhibebantur. Athen. IV. p. 140. D. *Lauri folia pro bellariis apud veteres habita fuisse sic docet Callias, sive Diocles in Cyclopibus: Lauri folia tu arrodes.* Quod pluribus rationibus factum puto, sed potissimum hisce duabus; tum, ut vi foliorum exsiccatoria fumi ad caput elati absumerentur: tum, ut etiam odor vini, ac ciborum, qui solet sæpenumero à saturis hominibus gravis emitti, absconderetur: id quod facere admodum nobis indicat Mart. V. 4. 1.

Fœtere multo Myrtale solet vino:
Sed fallat ut nos, folia devorat lauri,
Merumque cauta fronde, non aqua miscet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire Paulle videris contra,
Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.

Mercur. Var. Lect. IV. 6. Stuck. Antiq. Conviv. III. 2. Laurent. de Prand. vet. c. 9. Rader. in Martialem. *Lauro* vinctos lictores & literas, V. infr. *suis locis*. flamines vinciebantur. Prudent. Apoth. n. 483.

Flamen & ipse suas miratur vertice lauros
Cedere, & incertum frustratur victima ferrum.

Et hos, quos vocat deum ministros, facit *laurigeros* idem poeta contr. Symm. I. 217.

Laurigerosque deum templis astare ministros.

Paschal. ibid. IV. 13.

Laurus Vipsanæ, de quibus Mart. I. 109. 3.

At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus.

nonnulli porticui adjungunt Panthei, alii verò porticui Argonautarum: cujus utriusque auctor Agrippa fuit. At mihi vix credibile videtur, nemora porticibus templorum addita fuisse, sicut illis factum, quæ libero loci spatio fruebantur: multòque verisimiliùs *laurus* illas hortis Agrippæ tribuerim: qui licèt remotiores, è cœnaculis tamen ædium conspici potuere; non secus ac Pantheon, & ædificia humiliora proxima etiamnunc illius loci prospectui patent. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 4.

Inter duas lauros vocabatur locus in campo Martio. Nam Valentinianum quidem in campo Martio fuisse cæsum, Cassiodorus & Marcellinus testantur. Chronicon autem Alexandrinum, sive Paschale *inter duas lauros* occisum ait: *Hoc anno Valentinianus Romæ inter duas lauros interemptus est.* Quin & in via Latina, & Lavicana eodem nomine fuerunt loca quædam sic nuncupata. Martyrol. Roman. Baron. ad XI. August. *Romæ inter duas lauros natalis S. Tiburtii Martyris, qui sub judice Fabiano in persecutione Diocletiani . . . duci in tertium ab Urbe milliarium, atque ibidem gladio animadverti jubetur.* Beda: *Tertio Idus Augusti Romæ inter duas lauros natalis S. Tiburtii martyris.* Græv. Thes. Ant. Rom. Tom. IV. præfat. * * * 3.

LAUSUS. V. illum infr. in *Lessus*.

LAUTIA dicebantur munera, quæ legatis dabantur. Festus in Dacrymas: *Item dautia, quæ lautia dicimus, & dantur legatis hospitii gratia.* Plutarch. Quæst. Roman. 42. V. illum infr. in *Legati gentium*. Liv. XXVIII. 39. *Locus inde lautiaque legatis præberi jussa.* Ursin. de Legib. Thes. Antiq. Rom.

Rom. Græv. Tom. II. p. 1377. F. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 612. B. E. Zamoſ. de Senat. Rom. II. 18. Scalig. in Feſtum. Gyrald. Synt. deor. II. p. 97. F. Broid. Cotoll. ad Pollet. For. Rom. III. 10. Tomaſ. de Teſſer. hoſpit. c. 14. Beroald. Annot. c. 52. Bud. in Pandect. p. 82. F. 84. B. Comment. Ling. Græc. p. 137. Stuck. Antiq. Conviv. I. 27. Briſſon. de Form. II. p. 252. Voſſ. Lex. Etymol.

LEB.

LEBES eſt *olla area*. Serv. ad Æneid. III. 466.

Ingens argentum, Dodonæosque lebetas.

qui in proverbium migraverunt. Fuerunt in Jovis Dodonæi templo, ubi ſacerdotibus reſponſa dabantur. Dicuntur à quibuſdam ſonora fuiſſe ex ære tintinnabula, à ſimilitudine *lebetum* ſic vocitata. His calculum noſtrum libenter adderemus, ſi veterum non ambiguis auctoritatibus niterentur. Verùm ſi non fuerint campanæ, eos tamen campanis non omnino abſimiles extitiſſe credendum eſt, ut maximè ſonori in proverbium aſciti ſint. *Mag. de Tintinn. c. 1.*

LEC.

LECTICA diſtincta eſt à ſella. Ictus l. 49. de legat. *Legato continentur mancipia, puta lecticarii, qui ſolam matremfamilias portabant: item jumenta, vel lectica, vel ſella, vel burdones.* Senec. de Brev. vit. c. 12. *Nec illos dudum inter otioſos numeraveris, qui ſella ſe, & lectica huc illuc ferunt.* Matt. x. 10. 7.

Lecticam, ſellamque ſequar. . . .

Svet. Domit. c. 2. n. 2. *Habitabat cum patre unà, ſellam que ejus, ac fratris, quoties prodirent, lectica ſequebatur.* Quod in eo I. quod in ſella ſederent, ſicut ipſum verbum docet, contra cubarent in *lectica*. II. quod ſella eſſet altior, *lectica* longior; ſic enim neceſſe erat, poſtulabatque in altera quidem habitus ſedentis, in altera verò habitus cubantis, jacentisve. Huc reſpexit Juven. Sat. III. 135. cum ſic canit:

Cum tibi veſtiti facies ſcorti placet, hæres,
Et dubitas alta Chionem deducere ſella.

Lipſ. Elect. I. 19. Epiſt. Centur. miſcell. 11. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 5. Scheffer. de Re vehicul. II. 4. Pollet. For. Roman. I. 6. Sella verò, poſtquam recepta in uſum, dignior habita *lectica*. Docet hoc Svetonius jam prolatus. *Lipſ. Elect.* I. 19. Geſtatorium hoc vehiculum in duplici ad Romanos fuit uſu, ad ferendos I. mortuos II. vivos. Ad mortuos, antiquus Romæ mos, & jam inde à Regibus mortui in *lecticis* efferebantur. Dionyſ. IV. p. 170. cadaver Lucretiæ efferri facit *in lectica nigris veſtibus inſtrata*. Et inter leges XII. fuit, *ne plures lecti ſternerentur uni*. Manſit is mos, quamdiu res manſit Romana. Nep. 25. 22. 4. *Elatus eſt in lecticula, ſine ulla pompa funeris*. Tacit. Hiſt. III. 67. 4. *Simul ferebatur lecticula parvulus filius, ve lut in funebrem pompam*. Lipſ. & Scheffer. l. l. Kirchm. de Fun. Roman. II. 9. Moreſtell. Pomp. Feral. v. 7. Claſen. Theol. gentil. I. 10. 24. Interdum apertis. Nam qui ſua morte objecerant, vel facie erant non planè deformi, illotum cadavera honeſtiſſimis veſtibus induta, & *lectis* quàm ſplendidè ornatis impoſita, palam ferebantur, ita ut unusquisque defuncti faciem, & ex veſtibus, ornatuque ſexum ſacilè poſſet cognoſcere: interdum tectis. Docet hoc Dio XXXII. p. 819. C. ubi ſcribit Sext. Condianum, ut ſe conde mnatum iri intellexit, equum conſcendiſſe, ex eoque paulò poſt lapſum conſultò mortem ſimulaſſe, & tum arietem pro ejus corpore elatum, & combuſtum eſſe. *Kirchm. & Moreſtell. l. l.* Sed nihil Dio de *lectica* tecta, ſeu operta. Λάρναξ enim non ſignificat *lecticam*, ſed capulum, vel arcam. Et potuit in aperta *lectica* efferri aries, ſed velatus. Nec videntur unquam aliter feciſſe. *Lectica* ſemper erat aperta, cadaver verò defuncti modò conſpicuum, modò tectum, velatumque. *Scheffer. l. l.* Ad vivos quando adhiberi cœperit, ignoro. Plauti ævo, id eſt, ſub bellum Punicum II. nec in mulierum quidem uſu fuerunt, necdum virorum. Argumento, quod in comœdiis ejus nusquam mentio. Clariori, quod in Aulularia, ubi ex profeſſo ineptias deſcribit mali ſexus, mulos, muliones, vehicula, plauſtra nominat, nihil mutit de *lecticis*. Lipſ. l. l. In uſu fuerunt Perſis, Indis, Macedonibus, Syris, & inde forſitan in Cappadociam, Bithyniamque, inde Romam pervenerunt. Quando hoc ſit factum, in incerto eſt. Lipſius temporibus Gracchanis putat, quia legitur apud Gell. x. 3. *His annis pauci ex Aſia miſſus eſt; qui per id tempus magiſtratum non ceperat, homo adoleſcens pro legato. Is in lectica ferebatur*, & pro *ex Aſia* exiſtimat ſcribendum *in Aſiam*. Non video, quo pacto flagitet hoc ſenſus, quod exiſtimat Lipſius: Annon enim miſſus eſſe Romam potuit *ex Aſia* à præſide provinciæ, vel prætore? Cum præſertim nominetur adoleſcens, qui necdum magiſtratum ceperat. Tales enim mitti a Romanis in provincias minimè ſolebant. Et eſt veriſimile habuiſſe *lecticam* illam ſecum *ex Aſia*, ubi uſus tum earum fuit frequentiſſimus, atque ita ſpectaculum ridiculum *bubulco* imperito, *qui illi obviam de plebe Venuſina advenit*. Scheffer. l. l. *Lecticæ* uſus primus in agris, non in Urbe fuit. Utebantur enim ad iter tantum, non ad delicias urbanas. Itaque in peregrinationibus frequens mentio *lecticæ*, nulla in Urbe ante ætatem Ciceronis. Illa ipſa Catulliana mulier *lectica* ferri petit ad Serapis: at Serapeum tunc extra Urbem. Tamen vicerunt deliciæ, & ſub tempora Julii Cæſaris recepta eſt in Urbem: ſcilicet corruptis moribus, & per bella civilia impunita luxu. V. Ciceronem infr. laudatum. Forma ejus duplex: alia aperta, alia tecta. Apertæ forma ſimplex, aſſeres aliquot compacti, qui capere pulvinum oblongum poſſent, in quo homo ſingulus porrectus jaceret. Ad ſummam, non aliud quàm modicus quaſi *lectus*. Aſſerum meminit Juven. Sat. III. 245.

——ferit hic cubito, ferit aſſere duro
Alter.

Qui aſſerem pro ipſa *lectica* dixit Sat. VII. 132.

Perque forum juvenes longo premit aſſere Medos.

Et Mart. IX. 23. 9.

Ut Canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet.

Qui erant exemptiles, & facilè in *lecticam* reponi potuerunt, aut tolli. Svet. Cal. c. 58. n. 8. *Ad primum tumultum lecticarii cum aſſeribus in auxilium accurrerunt*. Hoc magis ſuſpicor, quia vinculorum, quibus colligata erat, fit mentio. Mart. 57. 5.

Quem grex togatus ſequitur, & capillatus,
Recensque ſella linteisque loriſque.

Gracchus apud Gell. x. 3. *Ubi audivit, lecticam deponi juſſit: ſtuppis, quibus lectica deligata erat, uſque adeo verberari juſſit, dum animam efflavit*. Pulvinum adſtruo ex Cicer. Verr. v. 11. & Senec. ad Marc. c. 16. V. illos infr. in *Pulvinus*. Pedes etiam quidam breviores ad infimam *lecticam*. Cattul. n. 22.

Fractum qui veteris pedem grabati
In collo ſibi collocare poſſet.

Lipſ. l. l. Aſſeres non conſtituebant *lecticam*, ſed erant adjuncti, ut per eos poſſet geſtari. Docet hoc clariſſimè Svetonius laudatus. Si enim reponi potuerunt, aut tolli, non profectò ipſa ex eis conſtructa eſſe debuit *lectica*. *Lectica* ergo lectus ipſe, conſtans tabulis, quæ compactæ ſpeciem habebant lecti funebris, cui ſimile *lecticam* ipſe facit Lipſius, & comprobat verſu Mart. II. 81. I. V. illum ſupr. in *Hexaphorum*. Neque ſuit cauſa potior, cur bubulcus apud Gell. l. l. interrogaret, *num ferrent mortuum*, *lectica* primum viſa. Scilicet *lecticam* vidit eſſe illi ſimilem, quo mortui efferebantur. Aſſeres verò ligna quibus portabantur, unde Juvenalis *duros*, & *longos*; item *premi* eis dixit Medos, quando nempe humeris impoſitos. Ideo exiſtimo fuiſſe rectos, ſimplicesque per *lecticæ* latus utrumque collocatos in annulis loraſſe, &c. ut poſſent eximi, multum ante *lecticam* prominentes anterius, & retrorſum. Niſi fortè in *lecticis* gravioribus præter illos aſſeres interdum adhibuerunt & furculas, quo facilius portarent. *Scheffer. l. l. Torrent. in Sveton. n. Gonſal. in Petron. p.* 102. Vinculis, ſive funibus, quod aſſerit Lipſius, ad

ad *lecticam* religari solitos vix credo, propter cæterum *lecticarum* istiusmodi ornatum, quocum funes parum utique conveniunt. Deinde in Gracchi verbis ne quidem vinculis deligati dicuntur fuisse, sed *lectica* ipsa. Significant itaque funes *lecticæ* subjectos, in quibus reponi pulvinus solebat. Hoc conveniebat mollitiei, nec ignotum vulgo in lectis dormitoriis. Ideo Cato de Re Rust. c. 10. requirit in villa *lectos loris quatuor subtentos*. Et pulvinum *pensilem* vocat Juven. Sat. I. 158. laudatus infr. in *Pulvinus*. Pensile profectò ἀρτηματόν, quod non convenit, nisi in id quod in libero pendet aere. Sic plumæ pensiles erant liberæ, sine tabula subjecta solis funibus sustentatæ, non quidem nudæ, sed infercta sacco. V. Ciceronem supra allatum. Pedes, quibus insistebat, si deponeretur, habebat numero quatuor. Vulgariter fiebant ex ligno. Catullus modò laudatus. Ditiores inducebant argento. Athenioni philosopho *lecticam cum pedibus argenteis* tribuit Athen. v. 10. Habuerunt etiam ex auro. Apud Athenæum occurrunt *lectica pedes aureos habentes*. Scheffer. l. l. Eadem omnia in *lectica* tecta, nisi quod hæc majorum deliciarum fuit, contraque aspectum hominum, sive injuriam aeris clausa undique & munita. Ideo *cubiculum tectum* dixit Plinius in Epistolis, & *cubicula viatoria* ejus avunculus XXXVII. 2. Munita autem pelle, & velo, opere arcuato. Mart. XI. 99. 11.

Lectica nec tuta pelle veloque:

Scriptor incertus apud Suidam: *Fecerunt contextum similem lecticæ muliebri, coriisque bovinis inelaboratis induxerunt*. Fenestræ quædam in ea fuerunt ad prospectum. Juven. Sat. III. 242.

Namque facit somnum clausa lectica fenestra.

Et hæ velo, sive linteo tegebantur, quod dimovere licebat, seu adducere, pro voluntate vehentis. Aufid. Bass. apud Senec. Suas. 7. *Cicero paullum remoto velo, postquam armatos vidit*. . . Nam in *lectica*, & quidem tecta, Cicero interfectus. Ejusmodi vela ad fenestras oppansa *plagulas* vocat Svet. Tit. c. 10. V. illas infr. in *Plagula*. Lips. l. l. Apud Juvenalem de una tantum sermo est fenestra. Nec puto plures habuisse. Hæ fenestræ vulgo sine vitris fuisse videntur, at in lecticis muliebribus occlusæ vitris, lapideve speculari. Unde Juven. Sat. IV. 20.

—— magna se misit amica;

Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.

Ubi Schol. *Lecticam mulieris, aut sellam clausam dicit.* Nec velo tectas fuisse fenestras dicit Aufidius Bassus. Vela quidem in ejus verbis cerno, fenestras nullas video. Dicit quidem Lipsius: Ciceronem in *lectica*, & quidem tecta interfectum. Sed de tecta nominatim hactenus non observavi quenquam agere. Supernè tectam largimur, specularibus, aut fenestris clausam difficulter possumus intelligere. Non enim fuisse satis, removeri velum, sed & aperiri fenestram. De fenestra verò nemo loquitur. *Scheffer. l. l.* Fuit in usu jam inde à temporibus Julianis. Ipse Cæsar tecta per Urbem est latus. Cicer. Phil. II. 41. *Quis unquam apparitor, tam humilis, tam abjectus? nihil ipse poterat, omnia rogabat: caput in aversam lecticam inserens, beneficia, quæ venderet, à collega petebat*. De Antonio, & Cæsare sermo est: illum ait *caput inseruisse in aversam* Cæsaris *lecticam*; quomodo autem id convenit, nisi in tectam? Svet. Cæs. c. 71. n. 2. *Masintham nobilem juvenem ex prætura proficiscens lectica sua avexit*. Hæc occultatio, nisi de tecta, vix intelligi potest. *Lips. l. l.* Jacebat, qui ferebatur, in pulvino resupinus: Ovid. de Art. I. 487.

Interea, sive illa toro resupina feretur,

Lecticam dominæ dissimulanter adi.

Cicer. Verr. IV. 23. *Artagathum, & argentum in lectica cubans ad mare infra oppidum exspectabat*. Et quoniam cubabant; inde apud Senecam *cubile* pro *lectica*. Verba ejus de Benef. III. 28. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus?* Fuerunt adeo vulgatæ in feminas, in viros, in omnes ordines, ut Cæsar legem scribere cogeretur, & promiscuum illarum usum tollere. Svet. c. 43. n. 5. *Lecticarum usum, nisi certis personis, & ætatibus, perque certos dies, ademit*. Quæ sic in Chronicis exposuit Eusebius: *Prohibitæ lecticis uti, quæ nec viros, nec liberos haberent, & minores essent annis quadraginta*. Legem eam respexisse feminas potissimùm his verbis intelligimus, fortassis, quod in viris necdum ita usus *lecticarum* esset frequens; neque usurparent ferè, nisi languidi, & ægrotantes, Cæsare, paucisque potentioribus exceptis. Videntur huc spectare verba Dionys. LVII. p. 612. C. *Tiberius adeò male affecto corpore tum erat, ut in lectica operta in curiam illatus fuerit, concessus enim erat viris etiam harum usus, ut qui per valetudinem aliter non possent, eo modo in senatum advehrerentur*. *Personæ* illæ *certæ* fuerunt, quæ haberent maritos, justoque matrimonio sublatos liberos. Unde constat, ante usurpasse etiam innuptas, nec has modò, sed & meretriculas. Deinde ne illis quidem omnibus concessum *lecticarum* usum, sed si excessissent annum quadragesimum ætatis. *Dies illi certi*, per quos concessus mansit usus ille, qui fuerint, Eusebius non declarat. Ego suspicor, sacrorum, & ludorum publicorum dies fuisse. Ac huc traho illud Prop. IV. 9. 49.

Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum,

Nec lectica tua sudet operta mora.

Docet sanè, his *lecticis* adire theatra consuevisse. Idem firmat Juven. Sat. VI. 352.

Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,

Conducit comites, sellam, cervical, amicas.

Equidem hic sermo est de sella, sed illius fuit eadem cum *lectica* ratio, & *lecticæ* loco cœpit usurpari. *Scheffer. & Lips. l. l.*

Lectica funebris erat gestatorium instrumentum, super quod collocabantur defunctorum, præcipuè honoratiorum, cadavera. Non multum diversa fuit ab istis, quas deinde usurpare cœperunt in Urbe. *Scheffer. de Re Vehicul.* II. 5. V. illam supr. in *Lectica*.

Lectica lucubratoria dicebatur, quam domi habebant, & in qua recumbentes lectioni, meditationi, scriptioni operam dabant. Svet. Aug. c. 78. n. 2. *A cœna se in lecticulam lucubratoriam recipiebat. Ibi donec residua diurni actus conficeret, ad multam noctem permanebat*. Hæ non fuerunt portatiles, sed eodem loco fixæ in museis stabant. Non differebant à *lectis* aliis, unde *lecti* quoque vocabantur. Plin. Epist. V. 5. 5. *C. Fannius visus est sibi per nocturnam quietem jacere in lectulo suo, compositus in habitum studentis quietem ante se scrinium, ita ut solebat, mox imaginatus est venisse Neronem, in toro resedisse, prompsisse primum librum, quem de sceleribus ejus ediderat*. Ovid. Trist. I. 10. 37.

Non hæc in nostris, ut quondam, scribimus hortis:

Nec consuete meum lectule corpus habes.

In *lecticas* hujusmodi veteres scriptioni operam daturi se recipiebant, quia, ut Galen. de us. p. III. non uno loco prodidit, scripsitarunt, non super mensis, aut pluteis, ut nos hodie, sed super femore collocata charta: atque, ut ejus verbis dicam, ἐκτείναντες κατὰ τοῦ μηροῦ τὸ βιβλίον. *Casaub. & Donat. in Svetonium. Scheffer. de Re Vehicul.* II. 5. *Kobierzyck. de Lux. Roman.* II. 5. *Laurent. de Prand.* c. 21. *Buchner. in Plin. Epist.* V. 5. 5. *Lambec. Biblioth. Cæsar.* II. 7. *Gronov. Antiq. Græcar.* I. p. 28.

Lectica militaris vocabatur, qua in bello utebantur. Curt. VII. 6. 8. *Castris inde motis lectica militari ferebatur*. Hæ longè antequam in Urbe, cœperunt innotescere. Pertinebant ad duces ferè ægros ex vulneribus, vel causis aliis. Liv. XXIV. 42. *Ibi iterum Scipio lecticula in aciem illatus conflixit tragula confixus*. Et jam ante bello Punico I. etiam in prælio navali usus est consul Lutatius. Val. Max. II. 8. 2. *Consulem ea pugna in lectica claudum jacuisse, se autem omnibus imperatoris partibus functum*. Erant planè rudes & tumultuariæ, lecto in colligatos quoque modo asseres conjecto. Quali genere jam olim usi etiam in Urbe, si qui ægroti necessariò in publicum venire deberent. Aur. Vict. de Vir. illustr. c. 34. num. 10. Appius Claudius *quum de pace Pyrrhi ageretur, & gratia potentum per legatum Cyneam pretio quæreretur, senex, & cæcus lectica in senatum latus, turpissimas conditiones magnifica oratione discussit*. Subitaria hæc fuit, & in hunc unum diem parata. Plutarch.

Pyrrh.

Pyrrh. p. 394. E. φορεῖον vocat. Et hoc est qualecunque instrumentum, quo quis potest gestari. Onomast. Argentorat. *gestariorum* φορεῖον. Ejusmodi meminit Liv. II. 36. *Consensu inde haud dubio omnium, qui aderant, in forum ad consules lectica defertur*. *Lecticulam* tanquam vilem, & subitariam vocat Cicer. Div. I. 26. *Quorum de sententia lecticula in curiam est delatus*. Talem Augustus videtur habuisse in acie Philippensi. Lactant. II. 7. *Cum bello civili Brutiano implicitus gravi morbo abstinere prælio statuisset, in aciem* tamen *lectica perlatus est*. Val. Max. I. 7. *Quod cum Cæsar audisset, lectica se deferri in aciem jussit*. Et ea videtur tumultuaria fuisse, quia vera mansit in castris, & ab hostibus confossa, discerptaque est. Svet. c. 91. n. 2. *Philippensi acie quamvis statuisset non egredi tabernaculo propter valetudinem, egressus est tamen, amici somnio monitus: cessitque res prosperè, quando captis castris, lectica ejus, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa, atque lacerata est*. Scheffer. l. l.

LECTICARII erant servi, qui dominum, quoties pedibus ambulare non libuisset, *lectica* gestabant. Senec. Epist. 110. *Hoc itaque ipsi mihi dico, quoties occurrit domus splendida, cohors culta servorum, lectica formosis imposita calonibus*. Epist. 80. *Idem licet de istis omnibus dicas, quos supra capita hominum, supraque turbam delicatos lectica suspendit*. de Benef. III. 28. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus? quo te penulati isti, in militum quidem, & non vulgarem cultum subornati?* Pignot. de Serv. p. 261. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. XI. p. 805. A. Panciroll. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 376. B. Popm. de oper. serv. p. 45. Victor. Var. Lect. XXXVII. I. *Lecticarios* longos, erectos, & proceros eligebant. Tertull. ad Uxor. II. *Unde ergo nisi à diabolo m..rum petunt, bonum exhibendæ sellæ, & mulabus, & cinerarios peregrinæ proceritatis?* Voluerunt illos esse longos, quo mag.s super alios in *lectica* sublati extarent, hoc enim deco..m, & spectabile putabant. Et petebant I. Germanos, quia ll. erant tales. Tertull. ibid. I. 4. *Non Gallicos vultus, nec Germanicos bajulos, quæ nuptiarum gloriam accendunt*. Clem. Alex. Pædag. III. 4. *Qui lecticas mulierum in altum tollant, & cum impetu bajulent Germani multi*. II. Liburnos. Juven. Sat. III. 249.

—turba cedente vehetur
Dives, & ingenti curret super ora Liburno:
Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus.

III. Medos. V. supr. in *Lectica*. IV. Syros. V. supr. in *Lectica* & *Hexaphorum*. V. Mœsos. Juven. Sat. IX. 142.

—& duo fortes
De grege Mœsorum, qui me cervice locata
Securum jubeant clamoso insistere circo.

Eosque formosos, qui plerumque à feminis adamabantur. Seneca jam laudatus. Et quidem decenter vestitos. Rursus Seneca supra productus. Illorum numerus in qualibet lectica minimus fuit binarius. Tenuiorum enim *lectica* parvæ erant, ut commodè à duobus servis possent perferri. Petron. c. 56. *Procurator insulæ Bargates à cœna excitatus, à duobus lecticariis in mediam rixam perfertur: nam erat etiam pedibus æger*. Talem sibi optat ignavissimus ille tenebrio, quem describit Juven. Sat. IX. 142. supra laudatus. *Gonsal. in Petronium*. Qui, quia *lecticariorum* fit mentio, etiam de *lectica* cogitavit. Verùm non continuò necesse est. Sunt *lecticarii* Petronio etiam ministri tricliniorum, qui supellectilem curant: ut c. 34. *Insecutus est lecticarius, argentumque inter reliqua purgamenta scopis cœpit everrere*. Sunt alii alii, qui sellas gestant. Et possumus accipere de iis, qui solis ipsum gestarunt humeris. Fuit namque & hoc usitatum, & allusit auctor declam. in Cicer. c. 4. *Quem Jupiter optimus maximus in consilio deorum admisit, Italia exsulem humeris suis reportavit*. Et qui sic alios gestabant, succollare, quique gestabantur, succollari dicebantur. V. infra laudatos Plinium & Svetonium. Hoc modo & procurator ille succollatus esse potuit à duobus *lecticariis*, non ad *lecticas* ferendas, sed lectos in triclinio curandos constitutis, cum præsertim excitatus à cœna dicatur. Neque enim fieri omnino potuit, ut *lectica* etiam minima, & in ea cubans adultæ ætatis homo à duobus tantum rectè gestaretur. *Scheffer. l. l.* Juvenalis non de *lectica*, sed de sella est intelligendus. Scimus *lecticam* delicatiorum præsertim, qualis iste, de quo poeta, sex ut minùs humerorum fultura fuisse gestatam. Præterea, quid tam magis ineptum, atque importunum, quàm *lecticam* inferre, aut ægrè capiendam, aptandamque in iis spatiis, aut multorum impedimento futuram, ne spectent? At, inquis, loquimur de eo, quod erat in votis huic tenebrioni Epicureo. Ergo, iterum respondeo, non is erat mos Romanæ gentis inferendi sellas. Sique ulteriùs locum poetæ expendere nos delectat, non *lecticæ*, non sellæ illic mentio; sed id optabat dives ille, ac socors, ut duo servi è Mœsia validi cervicem sibi locando securum in circum succollarent, ubi posset consistere. Nempe ut eorundem servorum collo, atque humeris portaretur, hoc exoptabat; qui quidem firmissimi tumultuantem populi turbam, tum in viis, tum in circo ipso summoverent, securumque tandem, atque incolumem ab incurrentium, ac prementium undique periculis in spectaculo sisterent. Haud aliter ille apud Senec. Epist. XII. ubi ventrem dapibus infersisset ad mensam, satur tandem, ac lassis manibus servorum se adsportari jubebat, ac si morte occubuisset, carmenque illud ferale ad symphoniam cani, *βεβίωκε, βεβίωκε*. *Chiment. de Honor. bisell. c. 22. Lips. Elect. l. l.* vel quaternarius. Ita colligas ex *lectica*, qua Philologia subvecta est in cœlum apud Martian. II. In ea namque tantum quatuor, Labor, Amor, Epimelia, & Agrypnia. Vel frequentissimè senarius. Mart. VI. 77. 4.

Quid te Cappadocum sex onus esse juvat?

Hujusmodi *lectica hexaphoros* appellabatur. Mart. II. 81. 1. V. illum supr. in *Hexaphorum*. vel maximus octonarius. Mart. IX. 3. 11. supr. adductus. Et hujusmodi *octophoros* vocabatur. Cicer. Verr. V. 11. *Ut mos fuit Bithyniæ Regibus, lectica octophoro ferebatur*. Svetonius & Apulejus. V. illos infr. in *Octophorum*. Hi portabant *lecticam* per asseres in *lectica* dictos. De illis modò laudatus Martialis. *Lips. Elect. I. 19. Scheff. de Re vehic. II. 5. Koberzyck de Lux. Rom. II. 5.* Illis lora à collo pendentia ponderi nempe minori cum labore sublevando super interdum addebant. Huc pro..ul dubio trahendus Mart. II. 57. 5. in *Lectica* laudatus. *Gonsal. in Petron. p.* 103. Qui, dum hoc putat, falsus est. Locus Martialis nihil tale dicit. Sermo est non de *lectica*, sed de sella, de qua itidem haud constat, gestatoriane sit intelligenda, num verò sedentaria. Deinde illa lora non dicuntur facere ad gestationem, sed spectare ad sellam; propter ipsa linteaque sella nominatur recens. Denique hæc lora Lipsius de vinculis accepit, quibus insetantur asseres, non pendentia à collo gerulorum, sed colligata in *lectica*. Quare lora nihil huc faciunt. Ostendunt potiùs, ut arbitror, structuram sellæ plicatilis, quæ linteo, in quo sedebant, subtenta lora habuit, quibus sustinebatur, sicut hodieque in iis videmus. *Schaeffer. l. l.* Imponebant verò illos humeris & cervicibus. Plin. Paneg. c. 22. n. 1. *Priores invehi, & importari solebant, non dico quadrijugo curru, & albentibus equis, sed humeris hominum*. c. 24. n. 5. *Illos humeri, cervicesque servorum super ora nostra vehebant*. Dicit *super ora nostra*, quia *lectica* eminebat supra homines ambulantes vulgo, & præsertim is, qui in ea ferebatur. *Supra capita, & suspensum lectica*, quod in alto super humeros bajulantium esset collocatus, dixit Seneca supra laudatus. Juven. Sat. VI. 351.

Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.

Unde dicebantur *succollare*, quod est *in collo collocare*, ut loquitur Catull. X. 23. qui alios sic gestabant. Plin. XXXV. 10. *Qui succollantium specie labantes mulieres trepidas ferunt*. Svet. Claud. c. 10. n. 5. *Ab his lectica impositus, & vicissim succollantibus in castra delatus est*. Et *succollari*, qui sic gestabantur. Svet. Oth. c. 6. n. 6. *Laxato calceo restitit, donec omissa mora succollatus*. Schesser. l. l. Pitisc. in Svetonii Claudium. Habebant illos cum cæteris servitiis sumptu suo paratos. Aliquando munere amicorum, præsertim mulieres. Mart. IX. 3. 11. jam productus. Minùs opu-

opulenti conducebant. Habebantque hoc fine *corpora*, item *castra lecticariorum*, sicut docent veteres inscriptiones. Ubi *castra* intelligimus certa loca per Urbem, ubi stabant parati ad ministerium, si quis vellet conducere. Memorat illa Victor in regione XIV. trans Tiberim. Videntur autem hæc corpora constitisse non tam ex servis, quàm conditionis imæ plebejis, præcipuè libertis. Inscriptio vetus:

TI. CLAUDIO
AUG. LIB
TIGRANO
EX CORPORE
LECTICARIORUM CÆSARIS.

Mart. III. 46. 1.

Exigis à nobis operam sine fine togatam,
Non eo, libertum sed tibi mitto meum.
Non est, inquis, idem. Multo plus esse probabo,
Vix ego lecticam subsequar, ille feret.

Scheffer. & Lips. l.l.

Lecticarii etiam dicebantur, qui sellæ subjungebantur. Senec. de Tranq. II. 14. *Quid refert, quantum habeat, quot lecticarios, quàm oneratas aures, quàm laxam sellam?* Svet. Oth. c. 6. n. 6. *Tunc properè abditus muliebri sella in castra contendit: ac deficientibus lecticariis, cum descendisset.* Lips. Elect. I. 19. Chimentell. de Honor. bisell. c. 9. & 24. Scheffer. de Re vehic. I. 10.

Lecticarii posteriori ævo dicti sunt, qui mortuos *lecticis* impositos efferebant, unde & nomen habuerunt. A Constantino fuerunt Constantinopoli instituti, ut gratuitam hanc defunctis operam præstarent. Novell. 43. & 59. Græci κλινοφόρους videntur nominasse. Ita habet Lexicon vetus Argentoratense: *Lecticarius*, κλινοφόρος. *Kirchman. de Fun. Roman.* II. 8. *Scheffer. de Re vehic.* I. 10. *Panciroll. Notit. dignit. Imp. Orient. c. 28. occid. c. 5. Morestell. Pomp. Feral.* II. 8. §. 4. *Quersteds de Sepult. c. 6.* Vocabantur etiam decani. V. supr. in *Decanus*. Qui & eorum exemplo Romæ sunt introducti, & illos Constantinopolitanis pauciores non fuisse credendum est, qui primò 950, deinde 1100. fuerunt. Qui, cum magnus illorum esset numerus, ut facilè, & in promptu possent inveniri, unis in castris degebant, quæ *castra lecticariorum* vocata in XIV Urbis regione à Victore, & aliis erant locata. *Panciroll. ibid. Imp. Occid. c. 5. Kirchmann. l. l.*

LECTICARIOLA vocabatur, quæ se prostituebat servis *lecticam* succollantibus. Mart. XII. 58. 1.

Ancillariolum tua te vocat uxor, & ipsa
Lecticariola est: estis Alauda pares.

Turneb. Adv. XXX. 26. VVitell. in Merul. c. 8. Lips. Elect. I. 19. Kobierzyck. de Lux. Rom. II. 5.

LECTISTERNIATOR dicebatur servus, qui *sternendis lectis* præerat. Plaut. Pseud. I. 2. 29.

Tu esto lectisterniator, tu argentum eluito, atque exstruito.

Pignor. de Serv. p. 117. Ursin. Appen. ad Ciaccon. de Triclin. p. 202. Stuck. Ant. Conviv. II. 21. Grapal. de Part. dom. II. 6. 2. Voss. Lex. Etymol. Guther. de Jur. vet. pontif. III. 9. Laurent. de Conviv. c. 1. Hic per mediastinos curabat, ut opinor, scopis mundari triclinium prius, quàm *lecti sternerentur*. Plaut. ibid. n. 30.

Hæc, cum ego a foro revertor, facite ut offendam parata,
Versa, sparsa, tersa, strata, lautaque, coctaque omnia uti sient;
Nam mihi hodie natalis dies est.

Juven. Sat. XIV. 59.

Hospite venturo cessabit nemo tuorum:
Verre pavimentum, nitidas ostende columnas,
Arida cum tota descendat aranea tela:
Hic lavet argentum, vasa aspera tergeat alter.

Idemque aulæis, & velis insterni, quæ pulverem exciperent, ne dapes inquinaret. Horat. Sat. II. 8. 54. V. illum supr. in *Aulæum*. Ursin. & Laurent. l. l.

LECTISTERNIUM erat sacrum convivium ex victimis immolatis in templis deorum. Hæc ad templa, & pulvinaria deorum strata, vel ob lætitiam, vel ad avertendam deorum iram, in quibus plerumque senatores, ac patricii, cum conjugibus, & liberis ad delubra & aras procedebant, nonnunquam omnes tribus, & ordines etiam, pontifice maximo præeunte: in his enim & pueri ingenui, & libertini, ac item virgines, omnes coronati, lauream præferentes, cum pompa thensas, & fercula deum deferentes, tum & sacro carmine supplicare, & deum pacem exposcere solebant. Juxta deorum aras sternebantur, cum aliis ornamentis: quin & frondes virentes, & odoriferæ, ac flores omnis generis, & verbenæ ante deum ædes, & in ipsis templis sternebantur. Quoties indicerentur, à jurgiis & litibus abstinebant, & vinctis vincula demebant. Tribus diis, nempe Jovi, Junoni & Minervæ primùm ob deos placandos sunt apparata. Jovis simulacrum statuebatur in lecto recubans, Junonis, & Minervæ imagines in lectis considebant. Val. Max. II. 1. 2. *Jovis epulo ipse in lectulum, Juno, & Minerva in sellas ad cœnam invitantur.* Deinde multa nocte appositis epulis septem epulones introducebantur, qui cibos sacratos comedebant. Liv. V. 13. *Tristem hyemem gravis, pestilensque omnibus animalibus æstus excepit: cujus insanabili pernicie quando nec causa, nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex S. C. to aditi sunt. Duumviri sacris faciundis, lectisternio tunc primum in Urbe Romana facto, per dies octo Apollinem, Latonamque, ac Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum, tribus quam amplissimè tum apparari poterat, stratis lectis placavere. Privatim quoque id sacrorum celebratum est: tota Urbe patentibus januis, promiscuoque usu rerum omnium in propatulo posito, notos, ignotosque passim advenas in hospitium ductos ferunt: & cum inimicis quoque benignè, ac comiter sermones habitos, jurgiis, ac litibus temperatum. Vinctis quoque dempta in eos dies vincula: religioni deinde fuisse, quibus eam opem dii tulissent, vinciri.* Laurent. de Prand. & cœn. vet. c. 21. Conviv. vet. c. 4. Var. sacr. gentil. c. 5. Polym. IV. Synops. 6. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 504. C. Turneb. Adv. XXX. 32. Guther. de Vet. jur. Pontif. III. 9. Chimentell. de Honor. bisell. c. 31. Tomas. de Donar. vet. c. 4. Urlat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 695. B. Falconer. Dissert. de Pyram. C. Cest. Epul. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1468. E. Voss. Lex. Etymol. Tafin. de ann. secul. & lud. secul. c. 11. Apud Græcos etiam usitata fuisse dicetur infr. in *Pulvinar*.

Lectisternium dicebatur etiam *lectus* ipse *instratus*, cujus icones in nummis. *Chimentell. de Honor. bisell. c. 31.*

LECTORES servos habebant veteres, qui cœnantibus librum, vel poeticum, vel historicum prælegebant. Plin. Epist. I. 15. 2. *Audisses comœdum, vel lectorem, vel lyristen, vel, quæ mea liberalitas, omnes.* Nep. Attic. 14. 1. *Neque unquam sine lectione aliqua apud eum cœnatum est, ut non minus animo, quàm ventre convivæ delectarentur.* Quin dominus ipse nonnunquam legebat. Mart. V. 80. 22.

Parva est cœnula, quis potest negare?
Sed finges nihil, audiesve fictum,
Et vultu placido tuo recumbes,
Nec crassum dominus leget volumen.

Servi hi vocabantur *anagnostæ*. V. illos supr. in *Anagnostæ*. Putean. Reliq. Conviv. prisc. Ant. Roman. Græv. Tom. XII. p. 258. C. Caroli Antiq. Rom. IV. 7. Cellar. in Plinium, Loccen. in Nepotem. Buchner. in Plin. Epist. VIII. 1. Schill Nom. Phil. p. 656.

LECTUS adversus dicebatur, quem uxor primùm in manum mariti conveniens, sibi in atrio domus sternebat januæ exadversum, ut conjugii monumentum, & quasi pignus. Laber. Compital. apud Gell. XVI. 9.

Nunc tentus es tu, nunc tu susque deque fers,
Materfamilias tua in lecto adverso sedet.

Prop. IV. 12. 81. V. illum infr. in *Nuptiæ*. Ascon. in Cicer. p. 195. *Deinde omnis vi janua expugnata, & imagines deorum dejecerunt, & lectulum adversum uxoris ejus Corneliæ, cujus castitas pro exemplo habita est, fregerunt.* Scalig. in Festum in Patus. Catull. LXVII. 6. & 10 Propertium, Gentil. Pareig. II. 11. Voss. Lex. Etymol. in Janitrices.

VVou-

VVouvver. in Petron. p. 403. Sagittar, de Jan. vet. c. 20. §. 5. & 6. Oisel. in Gellium. Lipſ. Elect. 1. 17. Paſſerat. in Propertium. Schill Nomencl. Philol. p. 655. Ego cenſeo eundem prorſus fuiſſe cum geniali. Nam novæ nuptæ ſternebatur cum magnifico apparatu, quem deſcribit Lucan. II. 356.

—— gradibusque acclivis eburnis
Stat torus, & picto veſtes diſcriminat auro.

Is in nuptiis ipſis dicebatur genialis. Quare ſic dictus V. infr. in *Lectus genialis*. At poſt nuptias idem mutato nomine plerumque adverſus, vel etiam genialis. Cauſa alterius nominis à poſitura, quod hunc in atrio collocari januæ exadverſum, & religioſè ſervari mos fuit, ſcilicet conjugii monumentum, & quaſi pignus. Cuique matronæ ſuus hic lectus, & in novo conjugio novus. Cicer. pro Cluent. c. 5. *Lectum illum genialem, quem biennio ante filiæ ſuæ nubenti ſtraverat, in eadem domo ſibi ornari, ac ſterni, expulſa atque exturbata, filia, jubet.* Unde Propertius quem *adverſum* dixit, idem eſt ac ſi *genialem* dixiſſet. Ducta enim uxore alia, novus genialis *lectus*, & is poſt nuptias adverſus. Quod ſervarior hunc *lectum*, diſcimus ex Lamprid. Alex. c. 13. qui inter omina imperii ponit, *quod tabula Trajani Imperatoris, qua geniali lecto patris imminebat, dum mater eum in templo pareret, in lectum decidit.* Ecce diu poſt conjugium illa: & tamen mentio *lecti* genialis. Nec alium intelligere eſt, quàm hunc adverſum, qui in atrio. Potius verò legendum, *lecto matris*. *Lectulos* enim iſtos matronis attribui, non maritis, perpetua obſervatio eſt: & id clarum ex locis quos adduxi. De eodem Horat. Epiſt. 1. 1. 87.

—— lectus genialis in aula eſt?
Nil ait eſſe prius, melius nil cœlibe vita.

Qui lucem capit ab hoc ritu. Conjugii veriſſimum, & proprium ſignum *lectus* adverſus: ideo poeta ſignum pro re uſurpans, age, inquit, maritus eſt quiſpiam? *lectum* genialem in atrio aſpicit? malit cœlebs eſſe, & tædium fatetur ejus vitæ. Quàm aptum autem ad hunc morem, quod addit, *in aula*. Nam aula profectò hic eſt atrium. Servabatur, non tam ad uſum, quàm ad religionem: aut, ſi ad uſum, non promiſcuum conjugum, ſed matronarum tantum, quæ in eo ſolitæ ſedere, & operas ſuas edere. Prop. ibid. n. 82.

Sederit & noſtro cauta noverca toro.

& Laber. l. l. Lipſ. Elect. l. l. Torrent. in Horatium, Paſſerat. in Propertium, Cerd. in Virg. Æneid. IV. 496. Schill Nom. Phil. p. 655. Canter. infr. in *Nuptia*.

Lectus, ægroti quo ad medicos portarentur, veteribus fuit in uſu. Clemens in vita Petri: τὸ δ' Πέτρε οἰκέτης εἰς τὸ Σίδωνα manibus acto. Nam & talia vehicula uſitata fuiſſe docet nos *πολλοὺς ἐπὶ κλινῶν φέροντες εἰς ὄψιν ἐτίθεσαν*. *Fertorium* vocatur Cœlio Aureliano ſupr. in *Fertorium*. Barth. Adv. XLI. 25.

Lectus Archiacus eſt humilis, parvus, inelegans, non ſumptuoſus, ab Archia quodam non optimo artifice ſic dictus. Horat. Epiſt. 1. 5. 1.

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis.

Ita *lectos* rudes, impolitos, inelegantes, antiquos *Soterici* de artificis nomine vocat Senec. apud Gell. XII. 2. *Qui hujuſcemodi verſus amant, liqueat tibi eoſdem admirari & Soterici lectos.* Turneb. Adv. 1. 18. Hos ab illo dictos Acron ad iſtum modum docet: *Archaici lecti humiles ab Archaico fabro, qui non magnæ ſtaturæ dicitur.* Sed ille nugatur, quiſquis eſt. Nam Acronem non eſſe vel cœco apparet. Porphyrion verò ſic: *Archias breves fecit lectos, unde Archiacus.* Ne id quidem ſanum, aut dignum, quod ex tanti auctoris officina profectum exiſtimetur. *Nann. Miſc.* IV. 18. *Zurck ad Horatium.* Ita tamen plures codices legunt, ſed tres optimi noſtri habent *archaicis*. Et hæc lectio magis placet, ut Græco vocabulo Poeta uſus ſit. Græci autem ἀρχαϊκὸν vocant, quicquid veterum ſimplicitatem, ab omni fuco, & aſſentatione alienam, præ ſe fert, ſive de moribus, ſive de ſermone, ſive etiam de operibus agatur. Plutarch. Poplicola: *Simplex & antiqui operis ſtatua.* Ἁπλοῦς αὐτῷ σὺν ἀρχαϊκὸς τῇ ἐργασίᾳ. Dionyſ. II. p. 93.

Ego ſpectavi in ſacris ædibus cœnas diis propoſitas in menſis ligneis archaicis. Torrent. Lambin. Cruq. ad Horatium. Luiſin. Parerg. III. 1. Nann. l. l.

Lectus cubicularis dicebatur, quem habebant nocturnæ quietis cauſa in cubiculis. Cicer. de Divin. II. 65. *Defert ad conjectorem quidam, ſomniaſſe ſe, ovum pendere ex faſcia lecti ſui cubicularis.* Lamprid. Heliog. c. 20. *Solido argento habuit lectos, & tricliniares, & cubiculares.* Turneb. Adv. XXIV. 4. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 512. Torrent. in Horat. Epiſt. 1. 5. 1. Stuck. Ant. Conviv. II. 34. Baccius de Conviv. 1. 8. Laurent. de Prand. c. 21. Schill Nom. Philol. p. 654. Alii erant humiles, de quibus Svet. Aug. c. 73. nu. 2. *Ne toro quidem cubuiſſe ajunt, niſi humili, & modicè inſtrato.* In eos ſcanſione ſimplici, & ſcamno aſcendebant: alii altiores erant, in quos ſubſelliis conſcendere oportebat, in alios gradibus aſcendebatur. In *lectis* erant tori pluma farti, aut paleis. Senecæ *culcita humi jacebat, ipſe in culcita.* Epiſt. 87. Non erant pannis oppanſis clauſi. Ideo Auguſtus apud Svet. c. 82. n. 2. cum meridianum ſomnum caperet *æſtate, apertis cubiculi foribus, ventilante aliquo cubabat.* Buleng. de Conviv. 1. 29.

Lectus ferreus, diverſus à craticula, erat enim veri ſtrati inſtar longus, paulliſper elevatus, ut ignis poſſet ſupponi, cum ferri fruſtis in obliquum ductis, tabularum loco, paullum inter ſe diſtantibus. *Laurent. de Rebuſp. c. 7.*

Lectus funebris erat, quo mortui efferebantur. Tibull. 1. 1. 75.

Flebis & arſuro poſitum me Delia lecto.

Perſ. Sat. III. 103. V. illum ſupr. in *Cadaver*. Græci dixerunt κλίνην, & more Latino λέχος. *Herald. Adv.* 1. 9. Potentioribus ſternebatur fulcro eburno fultus. Prop. II. 10. 21.

Nec mihi tum fulcro ſternatur lectus eburno.

Buleng. de Conviv. 1. 30. Herald. Adv. 1. 9. Corollis, ac floribus ornabatur, ſive ut hac florum ſparſione in memoriam ſibi revocarent ævi hujus brevitatem, *& quæ ſpectatiſſimè floreant, celerrimè marceſſere*, ut ait Plin. XXI. 1. ſive ut defunctis animabus honorem haberent. Hoc factum tradit in funere Scipionis Plin. XXI. 3. *Aſſes ergo contulit populus, ac funus locavit, quaque præferebatur, flores è proſpectu omni ſparſit.* Et in funere filiæ Virginii Dionyſ. XI. p. 719. *Quare ædibus exſiliebant & mulieres, & virgines, caſum illum lugentes, atque aliæ flores, & coronas in lectum jaciebant, aliæ faſcias aut zonas, aliæ vittas virginalis comæ, nonnullæ etiam detonſos crinium tortorum cincinnos: & multi viri ex proximis officinis capientes alia pretio perſoluto, alia gratis, funus, quod efferebatur, donis convenientibus ſimul ornabant.* Kirchman. de Fun. Rom. 1. 11. Plures uni mortuo præferebantur, etſi id prohibitum eſſet lege XII. tab. quæ extat apud Cicer. de Leg. II. 24. *Pluſa. funera. unei. nei. facito. neive. pluſeis. lectos. endoferto.* Sic, ut auctor eſt Serv. Æneid. VI. 861. *in funere Marcelli* Auguſtus *ſexcentos lectos* præferri juſſit: *& Sylla ſex millia habuit. Hoc apud majores glorioſum fuerat.* Et apud Tacit. Annal. XVI. 11. 3. *Largitur in ſervos quantum aderat pecuniæ, & ſi qua aſportari poſſent, ſibi quemque deducere, tres modò lectulos ad ſuprema retineri jubet.* Paternæ, maternæque gentis imagines in iis collocabantur. *Kirchman ibid.* 11. 7. *Meurſ. de Fun.* c. 20. *Cujac. Obſerv.* III. 23. *Ritterſh. in Leg.* XII. *tab. Claſſ.* 1. c. 11. *Hotman. Antiq. Roman. p.* 395. *F.* Ille *funeris* propriè Libitina dicebatur. V. infr. in *Libitina*. Simul cum corpore comburebatur. Tibull. l. l. Illi ignis ſupponebatur, *ὡς οἶκος.* Virg. Æneid. VI. 223. V. illum infr. in *Thus*. Prop. II. 10. 31.

Deinde ubi ſuppoſitus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula teſta meos.

Herald. l. l. Et idem farciebatur papyro, ſcirpo, & alia omni materia combuſtili, dum pyræ inferebatur, & cum corpore cremabatur. *Salmaſ. Exerc. Plin. p.* 848. *F.* De papyro eſt illud Paullini:

Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Ad *lectos* papyro fultos pertinet hoc Mart. VIII. 44. 14.

Fartus papyro dum tibi torus crescit.
Scirpum ad funeta esse utilem docet Plin. XVI. 37. *Scirpi fragiles, palustresque. . . funeribus serviunt.* Voss. Lex. Etymol. in Scirpus.

Lectus genialis, *qui nuptiis sternebatur in honorem genii.* Festus. Serv. Æneid. VI. 603. *Geniales propriè sunt, qui sternuntur puellis nubentibus: dicti à generandis liberis.* Lips. Elect. I. 17. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 9. Dacer. in Festum. Brisson. de Rit. nupt. p. 104. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 16. Toga sternebatur. Arnob. II. p. 91. *Cum in matrimonia convenitis, toga sternitis lectulos, & maritorum genios advocatis.* Turneb. Adv. XIII. 14. Ferrat. de Re Vest. I. I. 25. Casal. de Rit. nupt. c. 1. Laurent. de Sponsal. c. I. Elmenhorst. in Arnobium. Et quidem purpurea. Catull. LXII. 46.

Tota domus gaudet regali splendida gaza.
Pulvinar verò diva geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchylis purpura fuco.

Juvenalis mox laudandus. *Grang. in Juvenalem.* Eundem pro puerperis stratum fuisse suadet Prudent. contr. Symm. I. 254.

Nondum maternam partu vacuaverat alvum,
Conceptamque viri sobolem paritura gerebat
Pronuba; jam gravida fulcrum geniale paratur.

Sternebatur autem vel palam in hortis, ut ille in Lucullianis apud Juven. Sat. X. 334.

——Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur.

Vel etiam in atrio domus, ante ipsam januam, qui idcirco adversus dictus. De quo accipiendus Propertius in *Lectus adversus* laudatus. *Bartholin. de Puerp. vet. p. 55.* Qui Propertii carmen Catullo perperam transcripsit.

Lectus lucubratorius brevis erat. In illo legebant, & commentabantur. Pers. Sat. I. 52.

——non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis.

Buleng. de Conviv. I. 29. Casaub. in Persium. Schill Nom. Philol. p. 654. V. & supr. in *Lectica lucubratoria.* Ejus pulvino solebant subjicere auctores, quibus maximè delectarentur: quod Platonem fecisse in Sophrone mimographo scribunt veteres. Ptolemæus Hephæstionis filius V. p. 326. Edit. Paris. *Demetrio Scepsio mortuo Tellidis liber ad ejus caput inventus est.* Spartian. in Æl. Ver. c. 5. *Ovidii libros amorum in lecto semper habuit.* Casaub. in Spartianum. Ego hoc non tam ad lucubratorios istos, quàm dormitorios, vel tricliniares etiam, quibus ad mensam discumbebant, referendum existimo. Nam & inter cœnandum legebant: & noctu cubantes in somnum hac ratione solvebantur. Quo autem quisque maximè delectatur, hoc legit quoque præcipuè, & secum semper habet. Ita & Alexander Magnus Homeri Iliada plurimi æstimabat, ut semper sub pulvino cum pugione habuerit. Plutarch. Alex. p. 668. C. *Buchner. in Plin. Epist. V. 5. Schill Nomencl. Philol. p. 655.*

Lectus pensilis in balneis erat in usu. Plin. XXVI. 3. *Et quoniam causas morborum scrutari prior Herophilus instituerat, vini rationem illustraverat Cleophantus apud priscos, ipso cognominari se frigida danda præferens, ut auctor est M. Varro; alia quoque blandimenta excogitabat, jam suspendendo lectulos, quorum jactatu aut morbos extenuaret, aut somnos alliceret.* Baccius de Therm. vet. c. 11. Tomas. de Donar. c. 9. Etiam in curribus & pilentis. Juven. Sat. I. 58. laudatus infr. in *Pulvinus.* Laurent. de Prand. c. 21.

Lectus tricliniaris dicitur Lampridio supr. in *Lectus cubicularis*, & quidem ob id, quod in triclinio sternebatur. *Ursin. de Triclin. p. 220. Turneb. Adv. XXIV. 4. Salmuth in Pancirolt. de Reb. deperd. & inv. p. 512. Stuck. Ant. Conv. II. 34. Bacc. de Conviv. I. 8. Laurent. de Prand. c. 21.* temporibus primis fiebant hi è stramento, &, ut ait Varro, ex herba torta, unde & tori appellati, qui à Græcis στιβάδες, & στιβάδια dicti sunt. V. infr. in *Torus.* Postea ex lapide, V. infr. in *Stibadium.* Ursin. ibid. p. 226. Stuck. l. l. & ligno quovis. Senec. Epist. 95. *Proderit narrare, & exponere Tuberonis ligneos lectulos, cum in publicum sternerentur, hædinasque pro stragulis pelles.* Sed prodeuntibus è pretioso, aut testudinum sectis laminis, ebore, argento, atque etiam auro vestiri, aut etiam solidi. Plin. XVI. 43. *Quæ in laminas secantur, quorumque operimento vestitur alia materies, præcipua sunt citrum, terebinthus, aceris genera, buxum... Excogitata sunt & ligni bractea, nec satis; cœperunt tingi animalium cornua, & dentes secari, lignumque ebore distingui, mox operiri. Placuit deinde materiam & in mari quæri. Testudo in hæc secta. Nuperque portentosis ingeniis principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderet se, plurisque veniret imitata lignum. Sic lectis pretia quæruntur, sic terebinthum vinci juvat, sic citrum pretiosius fieri, sic acer despici. Modò luxuria fuerat contenta ligno, jam lignum etiam è testudine factum.* IX. II. *Testudinum putamina secare in laminas, lectosque, & repositoria iis vestiri Carbilius Pollio instituit.* Macrob. III. 13. refert ex indice cœnæ Metelli pontificis maximi, quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus est, triclinia *lectis* eburneis strata fuisse. Plin. XXXIII. 11. *Lectos verò mulierum,* inquit, *jam pridem totos operiri argento, & triclinia quædam, quibus argentum addidisse primus Carbilius Pollio eques Romanus non ut operiret, aut Deliaca specie faceret, sed Punicana. Dein & aureos fecit, nec multo post argentei Deliacos imitati sunt.* Eos ex argento solidos Heliogabalum habuisse retulit Lampridius supr. in *Lectus cubicularis.* Sed multò ante eos aureos jam in usu fuisse refert Plin. XXXVII. 2. cum scribit *Cn. Pompejum in tertio triumpho, quem de piratis, Asia & Ponto egit, lectos tricliniares tres ex auro transtulisse.* Hinc Virg. Æneid. VI. 603.

——lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris.

Pedes, quibus fulcirentur, & fulcra ex ligno, ære, aut etiam argento erant. Ter. Ad. IV. 2. 46.

SY. *Lectulos in sole ilugneis pedibus faciundos dedit.*
DR. *Ubi potetis vos.*

Plin. XXXIV. 10. *Antiquissima æris gloria Deliaco fuit, mercatus in Delo concelebrante toto orbe, & ideo cura officinis tricliniorum pedibus, fulcrisque ibi prima nobilitas æris.* c. 3. *Triclinia ærata, abacosque, & monopodia Cn. Manlium Asia devicta primum invexisse triumpho suo, quem duxit anno Urbis 567. L. Piso auctor est. Antias quidem L. Crassum heredem L. Crassi oratoris multa etiam triclinia ærata vendidisse.* Fulcris quidam caruerunt. Varr. de Ling. Lat. VII. *Quod si esset analogia sequenda in supellectile, omnes lectos haberemus ad unam formam, & aut cum fulcro, aut sine eo.* Pedes verò partim rotundos, & tornatos, partim alia atque alia forma effictos in marmoribus Romæ videmus. *Ciaccon. de Triclin. p. 7. . . . . Bacc. de Conviv. ant. I. 8. & 9. Buleng. de Conviv. I. 30. Ursin. ibid. p. 226. . . . . . Stuck. l. l.* In simulacra varia formabantur. Etymol. magn. *Hermis lecti pes. Quoniam in ipsis sculpebant signa Mercurii, tanquam præsides somni, & somniorum.* Idem Hesych. in Ἑρμῖνα. *Figrel. de Stat. Rom. c. 6.* Inter illos, & triclinii parietes relinquebatur tantum spatii, quantum satis esset servientibus ad ministrandum, qui dicebantur ad pedes stare Mart. III. 82. 18.

At ille retro flexus ad pedum turbam.

VII. 19. 18.

Nec esculenta sufficit gula præda,
Mistu lagenam replet ad pedes vino.

Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 19. Longitudinem fuisse pedum sex, & paullò plus: latitudinem trium pedum scribit Aristot. Mechan. sect. 25. Fuerunt verò humiles, paullò inferiores mensa, quam cingerent, ut assurgerent, & in cubitum convivæ niterentur, cum cibum appeterent. *Buleng. ibid. c. 19. Ursin. ibid. p. 220.*

LEG.

LEGATA omnia directis verbis, legitimis, civilibus, & imperativis relinquebantur. *Legabantur* quatuor modis. I. per vendicationem his verbis: *do, lego.* Item his: *capite, sumito,* sive *habeto.* II. per damnationem his: *heres*

meus

meus damnas esto dare. Et ejusmodi formula testator dicebatur *damnare heredem*. Sed & per illam *legabatur* ita: *Hæres meus dato, facito, heredem meum dare jubeo* III. sinendi modo, his verbis: *Hæres meus sinito, vel damnas esto sinere Lucium Titium sumere illam rem, sibi habere*. IV. per præceptionem, his verbis: *Lucius Titius illam rem præcipito, è medio sumito, sibi habeto, vel præcipiat, è medio sumat, habeat*: vel, *è medio*, seu *è media hereditate sumito*. Quæ *legati* species in Magnonis notis hoc notarum compendio stringitur, P. S. T. Q. H. id est, *præcipito, sumito, sibique habeto*. Brisson. de Form. VII. p. 625. Interdum purè dabantur, interdum iis dies adponebatur. Puris interdum adjiciebatur, ut præsenti die darentur, veluti: *Titio centum aureos præsens dato*. Quæ adjectio etsi supervacua esset, quantum ad vim, & effectum *legati* pertinebat; tamen eam, quæ ex vulgari clausula fiebat, prorogationem impediebat. In diem *legabatur*, veluti: *annua, bima, trima die*. Quod interdum relinquebatur cum adjectione hac: *æquis pensionibus, vel pensionibus inæquis, vel boni viri arbitratu, vel pensionibus, quas putaverit legatarius*. Dies eorum, quæ purè ab initio data erant, quandoque proferebatur, & per hanc scripturam: *quas pecunias legavi, quibus dies appositus non est, annua, bima, trima die hæres meus dare damnas esto*: vel, *quas pecunias legavi, quibus dies appositus non est, eas heres meus annua, bima, trima die dato*. Atque hic erat vulgaris sermo, quo præsentia *legata* proferebantur. Interdum intra certum tempus peti non poterant, ex formula: *testator legata intra quinquennium vetuit peti, præstarique*. Quandoque cum præfinitione annorum dabantur, veluti: *Titio dena usque ad annos decem. Attiæ donec nubat, quinquaginta damnas hæres meus esto dare, & quoad vidua erit, dum uxor mea cum filio erit, quoad in potestate patris sit, usque dum filia mea annos impleat octodecim*. Brisson. ibid. p. 658. Singula, cum lege XII. tab. latissima potestas data esset vel totum patrimonium *legatis* erogare, & recusarent hæredes pro nullo, vel minimo lucro hæreditatem adire, lege Furia, V. illam infr. in *Lex Furia*, certam quantitatem excedere prohibebatur: Voconia verò, V. illam intr. in *Lex Voconia*, plus uni legatario relinquere, quàm quantum apud hæredes maneret, non licebat, *August. de Legib. in Voconia* §. 5.

LEGATIO libera dicebatur, qua florente adhuc Roma à senatu donabantur, qui etiam suarum, non publicarum rerum causa abirent, quo majore cum dignitate abessent. Cicer. Fam. X. 1. *Cum in his angustiis versarer, placitum est mihi, ut postularem legationem liberam mihi, reliquisque nostris, ut aliqua causa proficiscendi honesta quæratur*. Svet. Tib. c. 31. n. 2. *Prætor designatus liberam legationem impetravit*. De *legationis* hujus tempore Cicer. Attic. XV. 11. *Habent autem liberæ legationes definitum tempus lege Julia, nec facilè addi potest ad id, quod ad deos, genus legationis, ut cum velis, introire, exire, liceat: quod nunc mihi additum est. Bella autem est hujus juris quinquennii licentia. Quanquam quid de quinquennio cogitem, contrahi mihi negotium videtur*. Paschal. de Legat. c. 13. Pollet. Fori Roman. III. 10. Sagittar. Ot. Jenens. Dissert. XVII. Bud. in Pandect. p. 272. Tiraquell. in Alex. VI. 3. Laz. Comment. Reip. Roman. II. 6. Manut. in Cicer. Fam. XI. 1. Zamosc. de Senat. Roman. I. 16. August. de Leg. in Julia de Legationibus. Cujac. Observ. IX. 29. Turneb. in Cicer. de Leg. III. p. 197. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 92. F. Pitisc. in Svet. Tib. c. 12. nu. 1. Schill. Nom. Phil. p. 657.

Legatio muta dici posset, quæ plura signis, quàm verbis demonstrabat, per quædam nimirum obscuritatum, & ænigmatum involucra, & obibatur nuntiorum, sive legatorum ministerio, quo mittebantur literæ, tesseræ, dicta quandoque arcana, & occulta, quandoque publica, & sollennia, sæpè ita tecta, & obscura, ut illi uni, quos inter commeant, quid iis signetur, sciant, non etiam illi quorum aut ori, aut manibus creduntur. De hoc genere fuerunt illa, quæ nuntius Periandri expoluit Thrasybulo, & Tarquinii Sexto filio. Ille altiores spicas apud Herodot. V. p. 368. D. Aristot. Polit. III. 13. hic summa papavera baculo decussa apud Liv. I. 54. renuntiaret. *Paschal. de Legat. c. 5.*

Legatio votiva dicitur, quæ commemoratur à Cicer. Attic. XV. 8. *Quod autem aditus ad eum difficilior esse dicitur, scripsi ad Eutrapelum, ut is ei meas literas redderet, legatione mihi opus esse, honestior est votiva: sed licet uti utraque*. 11. *Sed heus tu, ne fortè sis nescius, Dolabella me sibi legavit a. d. 4. Non. April. id mihi heri vesperi nuntiatum est. Votiva ne tibi quidem placebat. Etenim erat absurdum, quæ, si stetisset Respublica, vovissem, ea me, eversa illa, vota dissolvere*. Laz. Comment. Reip. Rom. II. 6.

LEGATIVUM vocabatur *legatorum* viaticum. Arcad. Charis. l. 18. §. 12. ff. de muner. & honor. *Legati quoque qui ad sacrarium principis mittuntur, quia viaticum, quod legativum dicitur, interdum solent accipere, personale munus ineunt*. Pancitoll. de Magistr. mun. c. 26. Salmuth in Pancitoll. de reb. deperd. & inv. p. 664. Græci vocarunt ἐφόδιον. Dubitatum est, an is, cui non datum est, nihilominus in *legationem* proficisci debuerit. Qua de re audiendus est hæc, sive vera, sive ficta scribens Cicer. de Invent. II. 29. & è Cicerone Matt. Capell. de Nupt. Philol. V. *Rhodii quosdam delegarunt Athenas. Legatis quæstores sumptum, quem oportebat dari, non dederunt. Legati profecti non sunt. Accusantur. Intentio est, proficisci oportuit. Depulsio est, non oportuit. Quæstio, oportueritne. Ratio est: sumptus enim qui de publico dari solet, is à quæstore non est datus. Infirmatio est: vos tamen id, quod publicè vobis datum erat negotii conficere oportebat. Judicatio est, cum iis qui legati erant, sumptus, qui debebatur, de publico non daretur, oportueritne eos, qui legati erant, conficere nihilominus legationem*. Paschal. Legat. c. 73.

Legatum caducum. } V. illa supr. in *Cedere diem*.
Legatum vindicationis. }

LEGATUS est is, qui lectu, missuque publico publicum negotium peregrè agit, non minuati manu, sed eloquio, & viribus ingenii. Cum enim *legare* sonet mittere, *legatus* utrumque significat, & lectus, & missus. *Paschal. Legat. c. 1.* Semper *legati*, qui cum mandatis ad exteras nationes, & cum Imperatoribus in exercitum, aut cum magistratibus in provincias irent, ex auctoritate senatus delegebantur. Cicero ideo Vatinium, qui sibi lege sua detulerat legationem, hoc modo interrogat c. 15. *Volo audire de te, quo tandem SCto legatus sis? de gestu intelligo, quid respondeas: tua lege dicis. Es ne igitur patriæ certissimus parricida? speraras ne id, ut patres conscripti ex Republica fundatus sollerentur? ne hoc quidem senatui relinquebas, quod nemo unquam ademit, ut legati ex ejus ordinis auctoritate legarentur? a te one tibi sordidum consilium publicum visum est, adeo afflictus senatus, adeo misera & prostrata Respublica, ut non nuntios pacis, & belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilii auctores, non ministros muneris provincialis senatus more majorum deligere posset?* Et sic in Pisonem invehitur in Sext. c. 14. *Pro se ipso Piso nemo ne vestem mutavit? ne isti quidem, quos legatos non modo nullo SCto, sed etiam repugnante senatu, tute tibi legasti*. Etiam à magistratibus. Liv. XLIII. 1. *Decernunt frequentes, ut C. Sulpicius prætor tres ex senatu nominet legatos*. Sed *veteri exempla, ne ambitioni, aut inimicitiis locus foret, legationibus sortem posuisse* dicit Eprius Marcellus apud Tacit. Hist. IV. 8. 1. *Zamosc. de Senat. Roman.* II. 17. *Sigon. de Ant. jur. prov.* II. 2. Eprium tamen ut manifestum vanitatis pluribus refellit, & *legatos* esse sorte ductos se nondum invenisse testatur *Paschal.* l. l. Illis, qui in *legationibus* operam suam Reipublicæ navabant, antiquis temporibus dabantur annuli aurei. Plinius. V. illum supr. in *Annulus*. Illa quoque ætate quosdam *legatos*, qui Athenas propter leges ierant, decemviros creatos à Livio didicimus, ut pro *legatione* tam longinqua præmio esset honos. Qui autem ferro in *legatione* esset interfectus, mors ejus, statua ex SCto posita, honorabatur. Jus vero illud tractatur à Cicerone integra Phil. IX. *Zamosc. ibid.* I. 17. Erant jure gentium sacrosancti, & inviolabiles. Cicer. Verr. I. 33. *Legati nomen ejusmodi esse debet, quod non modo inter sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur*. Hinc justa &

acerba querela Hannonia apud Liv. xxi. 10. *Legatos à sociis, & pro sociis venientes bonus Imperator vester in castra non admisit, jus gentium sustulit.* Unde & *hostium jus* appellat Tacit. Annal. 1.42.3. *Hostium jus,* inquit, *& sacra legationis, & fas gentium rupistis.* Nam, ut dicit Cæs. de Bell. Gall. 3. 9. *Legatorum nomen ad omnes nationes sanctum, inviolatumque semper fuit.* Schook. Achaj. vet. c. 22. Feith Antiq. Homer. iv. 17. Grot. de jur. bell. & pac. ii. 18. 4. Illorum violatores semper infames, & invisos fuisse, maximisque pœnis affectos, docet *Paschal. ibid. c.* 26. Coronabantur verbena. Hegesipp. c. 36. Talis nimirum legatio inter ipsos hostes erat veluti quædam pacis sequestra. Quanquam & *legates*, olea velatos, sicuti pacem petentes, legimus. Virg. Æneid. vii. 153.

Centum oratores augustà ad mœnia Regis
Ire jubet ramis velatos Palladis.

Stat. Theb. ii. 389.

——ramus manifestat olivæ
Legatum.

Certè hostem credebatur exuisse is, qui, quod se conciliatorem pacis profiteretur, tam venerabili cultu insignis incedebat. *Paschal. de Coron.* iv. 19. *Cerda ad Virgilium.*

Legati civitatum ab ordine decurionum plerumque ad Principem etiam inviti mittebantur hi, qui trium superstitum filiorum numero excusati non fuissent, l. 1. C. de legat. lib. x. vel qui biennio post aliam susceptam *legationem* non vacavissent, l. 3. C. eod. Ob leves causas olim ad Principem mittebantur. Nam Byzantii quotannis ad salutandum Trajanum cum viatico, seu *legativo* duodecim millium nummum destinabant, quod Princeps prohibuit. Plin. Epist. x. 52. 1. *Requirenti mihi Byzantiorum Reipublicæ impendia indicatum est legatum ad te salutandum omnibus annis cum psephismate mitti, eique dari nummum duodena millia.* Hæ *legationes*, ut superfluæ, sunt arctatæ, & statutum; ut nonnisi ex necessaria causa mitteretur ad Principem, & causam comprobaret præses, qui suis literis *legatum* comitabatur, ut Honorii, & Theodosii rescripto cavetur, l. ult. C. eod. quod etsi de Alexandrinis loquitur, juris tamen interpretes ad alias civitates extendunt. Civitas verò debebat *legatum* eligere, & decretum de eo mittendo scribere, cui decuriones subscribebant. Et hoc Græcè psephisma vocatur. Cic. et. pro Flacc. c. 6. & 8. & Plin. l.l. *Legationes* quomodo ordinarentur, Honorius ad Monaxium P. P. scribens his verbis explicat, l. quoties 15. C. Theod. *Quoties legatio destinatur, universos curiales præcipimus, qui intra Urbem constituunt, si non ægritudine, vel alia excusabili necessitate impediuntur, in locum curiæ convenire, & decreta sua propria subscriptione firmata viro spectabili præfecto Augustali insinuare, ut ejus relatione tuis virtutibus intimata, & sub examine tuo perpensa, venire necne legati debeant, ordinetur, nullis penitus legatione libera committenda.* In eligendis hic ordo servabatur, ut priùs his, qui ætate, dignitate, & loco præcedebant, hoc munus demandaretur, nisi fortè rei magnitudo primores eligi desideraret: tunc enim ab hoc ordine receditur, l. 5. §. præses, ff. de mun. & honor. l. 4. §. pen. ff. eod. Quo tempore quis fungitur *legatione*, neque alienis, neque propriis negotiis interponere se debet, l. Paullus. in fi. ff. eo. Numerus quoque *legatorum* est præfinitus, ne plures quàm tres mittantur, l. 4. fi. ff. eo. Proprium verò, & personale munus est *legationis*, quod per alium quàm filium perfici non potuit, d. l. 4. §. legati. Privilegium habent, ne conveniantur in causis civilibus tempore, quo legatione funguntur, ne à ministerio, & officio sibi injuncto avocentur, l. si quis in legatione, l. non alias §. 1. & 2. cum l. seq. ff. de judic. l. non disting. §. item. si quis ff. de arbitr. l. cum qui §. de constit. pecun. l. 3. & 5. ff. eod. Creabantur & ad census accipiendos, quod & ipsum munus personale erat. Hermogenian. l. 1. de legat. *Ad census accipiendos legati creari videbantur, quum ad debita Reipublicæ vectigalia accipienda mittebantur.* Si in *legatione* deliquerint, vel ipsi, vel eorum servi Romæ puniuntur, d. l. non alias. Debitores Reipublicæ, aut infames *legati* fieri non possunt, l. 4. in princ. & §. 1. ff. eod. Vehebantur veredis cursus publici, siquidem Valerianus eos, qui ex causis minùs necessariis venerint, cum injuria animalibus propriis ad provinciam reverti jussit, l. 6. C. Theod. de legat. Gratianus, cum universa diœcesis unum, vel duos *legatos* ad Principem mittendos elegerit, unius rhedæ cursus publici illis evectionem concedit. Cum universa diœcesis de *legato* ad comitatum Imperatoris mittendo conveniebat, nullum requirebatur decretum, nec alicujus judicis negotiorum examinatio, sed quod majori parti primarum civitatum placuisset, obtinebat, l. 9. C. de legat. Cum ad Principis comitatum pervenissent, priùs in præfecti prætorio audita eorum petitione, nulla tamen facta determinatione examinabantur, deinde in Principis consistorio ab epistolaribus recitabantur, qui ex sententia Principis responsum scribebant, l. quotiescunque 10. C. Teod. eod. *Pancirol. de Magistr. municip. c.* 26.

Legati gentium exterarum, undecunque Romam missi, ad ædem Saturni accedebant, ibique nomina sua dabant ærarii præfectis. Plutarch. Quæst. Roman. 42. *An hoc fit eo, quod Saturnus cum fuerit peregrinus, hospitibus gaudeat? Aut historia potius quæstionem solvit? Antiquitus enim, ut apparet, quæstores legatis munera mittebant, quæ lautia dicebantur, ægrotantium curam suscipiebant, mortuisque funus è publico faciebant. Nunc autem ob multitudinem legatorum qui veniunt, sumptu omisso, id tamen servatur, ut legati accedant præfectos ærarii, qui eorum tabulas in nomina referunt.* Zamosc. de Senat. Roman. ii. 18. Gentil. de Legat. i. 16. Franckenstein de Ærar. pop. Roman. c. 4. Blond. Triumph. Roman. v. p. 110. H. Illis responsa ex publici consilii sententia semper dabantur. Ideoque hoc modo illos excipiebant, & audiebant. Si quando Reges, aut *legati* venire nunciarentur, primò; quid vellent, ab exploratoribus cognoscebatur, postea ad eos egrediebantur magistratus minores. Istud munus quæstoribus defert Liv. xlv. 13. *Egresso è nave Masgaba Masinissæ filio præsto fuit L. Manlius quæstor.* *Legati* autem sociorum, & amicorum Regum, aut populorum non excludebantur Urbe. Unde narrat Liv. xxx. 43. pace decreta à senatu, permissum Carthaginiensibus *Urbem introire, & colloqui cum civibus suis, qui capti in publica custodia essent.* Et Varro, Græcostasin propè curiam Hostiliam fuisse locum substructum, ubi nationum legati ad senatum missi subsisterent, prodidit. V. supr. in *Græcostasis*. Quæ illis hospitii gratia dabantur, lautia dicebantur. V. illa supr. in *Lautia*. Zamosc. l. l. *Lege Gabinia sanctum fuit, ut ex Kal. Febr. usque ad Kal. Mart. legatis* exterarum nationum *senatus quotidie daretur.* Cicer. Fratr. ii. 12. Qui & Fam. 1. 4. negat *senatum haberi alia de re posse mense Februario toto, nisi perfectis, aut rejectis legationibus.* Eo fit, ut ad Frat. ii. 11. scripserit: *De Commagene Rege, quod rem totam discusseram, mirifice mihi, & per se, & per Pomponium blanditur Appius. Video enim, hoc dicendi genere si utar in cæteris, Februarium sterilem futurum.* August. de Legib. in Gabinia. Zamosc. l. l. Paschal. Legat. c. 40. Cognitionem patrum proscriptorum poscebant à maximo, qui in Urbe esset, magistratu, hicque cum patribus visum esset, eos in senatum introducebat. Unde in explicatione rerum à Romanis bello Hanibalis gestarum ferunt apud Liv. xxx. 40. *legatis Carthaginensium, & Philippi Regis petentibus, ut senatus sibi daretur, responsum esse jussu amplissimi ordinis, consules novos eis senatum daturos esse.* Introducti mandata exponebant per interpretem, etiam qui nationis, sermonisque essent Græci; quem nemo non modò senatorum, sed ne elegantium quorumvis hominum Romæ ignorabat. Val. Max. ii. 2. 3. *Quis huic consuetudini, qua nunc Græcis actionibus aures curia exsurdantur, januam patefecit? ut opinor, Molo Rhetor, qui studia M. Ciceronis acuit. Eum namque ante omnes exterarum gentium in senatu sine interprete auditum constat.* Magna verò laus senatorum *legatos* bene interrogare, & efficere ut aliquid, quod nollent fortasse, responderent, percunctandi arte, & calliditate irretiri. Hoc ejus, qui senatum habebat, jussu, concessuque, postquam illi dixissent, fieri solitum ex Liv. xxx. 22. manifestum est. *Cum*

more,

more, ait ille, *tradito à patribus potestatem interrogandi, si quis quid vellet, legatos prætor fecisset: senioresque, qui fœderibus interfuerant, alia alii interrogarent, nec meminisse se per ætatem dicerent legati, conclamatum ex omni parte curiæ est, Punica fraude electos, qui veterem pacem repeterent, cujus ipsi non meminissent*. Zamosc. l. l. Paschal. ibid. c. 82. Responsa non subitò, & temerè, verùm jussis excedere e templo *legatis*, re diu, multumque agitata, & deliberata, dabant. Sic enim apud Livium sequitur: *Emotis deinde curia legatis, sententiæ interrogari cœptæ*. Et XXXVII. ita scriptum est: *Ceterum & præsentes interrogationibus undique senatorum concessionem magis noxa, quam responsa exprimentium fatigati sunt; & excedere curia jussi magnum certamen præbuere*. Quod senatui placuisset, ejus nomine magistratus respondebat. Liv. VIII. 2. *Cum de postulatis Samnitum Ti. Æmilius prætor senatum consuluisset, reddendumque his fœdus patres censuissent, prætor Samnitibus respondit*. Zamosc. l. l.

Legati hostium in Urbem non admittebantur, tanquam ad speculandum veriùs missi, quàm ad præstandam bonam fidem: sed iis & hospitium, & senatus extra Urbem dabatur. Liv. XXX. 21. *Carthaginiensium legatis vetitis ingredi Urbem hospitium in villa publica, senatus ad ædem Bellonæ datus est*. XLII. 36. *Per idem tempus legati ab Rege Perseo venerunt. Eos in oppidum intromitti non placuit, cum jam bellum Regi eorum, & Macedonibus, & senatus decrevisset, & populus jussisset*. Hinc est, quod Rhodiorum *legati* queruntur apud eundem XLV. 22. *se prope hostium more, extra Urbem manere jussos*. Imò illis respondebatur ferociter, & ipsa Italia intra paucos dies excedere jubebantur. Sallust. Bell. Jugurth. p. 84. cum ad senatum Bestia retulisset, *placeretne legatos Jugurthæ in Urbem introduci, decrevisse senatum*, ait, *ni regnum, ipsumque deditum venissent, uti in diebus proximis decem Italia decederent*. Liv. XLII. 36. *Postquam hæsitabant* Persei *legati, negantes sibi ultra quicquam mandatum esse, jussi renunciare Regi, consulem P. Licinium brevi cum exercitu futurum in Macedonia esse. Ad eum, si satisfacere in animo esset, mitteret legatos. Romam quod præterea mitteret, non esse: neminem eorum per Italiam ire liciturum. Ita dimissis P. Licinio consuli mandatum intra undecimum diem juberet eos Italia excedere, & Sp. Carvilium mitteret, qui donec navem conscendissent, custodiret*. Zamosc. de Senat. Roman. II. 18. Paschal. Legat. c. 22. Brisson. de Form. II. p. 252.

Legati Imperatorum aliis erant præstantiores. Præsidum quippe nomen sibi vindicabant, & quia Cæsarum provincias cum imperio obtinebant; ac propterea qui Cæsaribus subditas regebant provincias, *legati* Cæsarum dicebantur. Macer, l. 1. ff. de Offic. præs. *Præsidis nomen generale est: eoque & proconsules, & legati Cæsaris, & omnes provincias regentes, licèt senatores sint, præsides appellantur, proconsulis appellatio specialis est*. Urlat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 805. D. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 99. Erant nonnunquam in equestri ordine constituti. Nep. Attic. c. 5. n. 4. *Qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Asiam, cum apud eum legati locum obtinere posset*. Zamosc. de Senat. Roman. c. 15. Non tam ad imperandum, quàm ad consulendum instituti, ac missi. Magna erat *legatorum* dignitas: habebant enim potestatem Imperatoris, venerationem verò sacerdotis. Dionys. XI. p. 706. largiter explicat de L. Siccio, quem decemviri ex Urbe hoc prætextu, & titulo miserunt in castra, fraude illic, ut putabant, tollendum. Dederunt autem ei, ut inquit, *potestatem legati*. Tum subjungit: *Est omnium res honoratissima, & sacerrima apud Romanos, legatus, vim quidem, ac potestatem Imperatoris habens, sanctitudinem verò, & venerationem sacerdotis*. Jam olim in re Romana fuerunt, & quidem supra tribunos. Liv. II. 59. *Concurrunt ad eum*, Appium consulem, *legati tribunique*. IV. 17. *Legatos Quintium Capitolinum, & M. Fabium Fibulanum sequi se dictator* Mamercus Æmilius *jussit*. Electi à dictatore hoc loco: aliàs à consulibus. Sallust. Bell. Jugurth. p. 84. *Calpurnius consul, parato exercitu, legat sibi homines nobiles*. Cicer. ad Attic. XV. 11. *De tabella me sibi legavit*. Imo proprium hoc consulum esse dixeris, & eos prætoribus quoque *legatos* nominasse. Verba Polyb. Legat. CXLI. eo ducunt: ubi narrat *tantum ejus fuisse terrorem, ob ferociam gentis, & discrimina, ut nec tribuni satis multi prodirent ad magistratum capiendum, neque nominati à consulibus legati obedirent, quos oportebat cum prætore ire*. Quod tamen ita verum censeo, ut consilium, consensusque intervenerit patrum. Liv. XLIV. 18. *Senatus Cn. Servilio consuli negotium dedit, ut is in Macedoniam, quos L. Æmilio videretur, legaret*. Et Cicer. in Vatin. c. 15. hoc maximè ei objicit, quod morem hunc violarit. V. illum supr. in *Legatus*. Munus eorum consulere, administrare, præesse, & uno verbo, vicariam operam Imperatori dare. Varr. de Ling. Lat. IV. 16. *Legati qui publicè lecti* (nota *publicè*: ergo à patribus) *quorum opera, consilioque uterentur peregre magistratus, quive nuntii senatus, ac populi essent*. Eosdem Cicer. l. l. appellavit *nuntios pacis, ac belli, curatores, interpretes, bellici consilii auctores, ministros muneris provincialis*. Larga ergo potestas, sed tamen Imperatori devincta, eique obnoxia. Cæs. Bell. civil. III. 51. *Aliæ sunt legati partes atque Imperatoris: Alter omnia agere ad præscriptum; alter liberè ad summam rerum consulere debet*. Atque ea de re *fiduciariam operam obtinere legatum* scribit ibid. II. 17. scilicet quod revocetur, cum vult is qui dedit; propriam & à se non habet. Cum tamen habet, imperat, & imperii etiam insignia sumit. De Plemimio Scipionis legato Liv. XXIX. 9. *Sine respectu, non majestatis modo, sed etiam humanitatis, in legatum impetum, lictoribus prius indignum in modum mulcatis, faciunt*. Quod tamen obtinuisse modò censeo, cum absens consul, aut proconsul, atque ipse sustineret ejus vicem. Numerus eorum incertus. Plures, paucioresque fuerunt, ut senatui visum, & ut bellum, aut res poscebat. Plerumque tamen pro numero legionum attributi, singulis singuli. Sub Principibus quidem duo genera *legatorum* facta: consulares, & prætorii, quorum illi toti exercitui præessent, isti legionibus singulis: idque Augusti invento. Quasi enim unus ille jam Imperator esset, rem administrabat per *legatos*: nec aliter dicebantur: eoque nec triumphi jus habebant, cum omnia gererent auspiciis alienis. In Tacito, atque aliis scriptoribus hoc perpetuum: in quibus crebrò legas *legatos consulares*: itemque *legatos prætorios*, sive *legionum*. A Dione tota res explicata oratione Mæcenatis LII. Vocatque hos posteriores *subprætores*, aut *subpræfectos*; qui ipsi postea *duces* Latinis dicti. Scriptor aliquis apud Suidam: *Liberavit urbem intus quæsitus Fortunio legatus copiarum Mysiæ, quos duces appellant*. Lips. de Milit. Roman. II. 11. Thys. Roman. Illustr. II. p. 64. Hotoman. Ant. Roman. II. 15. Erant juxta Imperatorem, nisi tamen curarent, & præpositi essent certæ alicui legioni, aut cornu, quod sæpè; tunc enim in medio ejus, loco Imperatoris agebant. *Thys. ibid. IV. p. 94.* Illorum pedatura ad alterum latus prætorii, & ubi forum: ita ut parte una quæstor sit, parte altera ipsi. Omnino ratio vult, haud longè prætorem eos tetendisse, quia & dignitate proximi, & ad eum sermonis consiliique causa sæpè advocati. Hi ergo iterum dimidiati ad quæstorem. Ergo habent in longum singuli pedes 50. in latum 100. Est area 5000. Appello autem longum hoc loco spatium à prætoria ad decumanam, latum à principali ad principale. Quid, si plures jam *legati*, & tot quot legiones, ut inferiore ævo factum? Credo, cum tunc quæstor non ita vulgo comitaretur, eos utrumque ad latus prætorii fuisse, & sic medium habuisse suum ducem. *Lips. de Milit. Roman.* V. 3. *Thys. ibid.* V. p. III. Discrimen inter hos & proconsules V. init. in *Proconsules*.

Legati à latere nunc summi Pontificis vocantur exemplo comitum à Principis comitatu. V. illos supr. in *Comes*.

Legati legionum, quoties ab hoste esset metus, circumire ipsi vigilias, curare in ea castrorum parte qua maximè laboraretur, providere, ne quid a quoquam peccaretur, &, si peccatum esset, in reos animadvertere solebant: præterea, si quid inter diversarum legionum milites controversiæ ohortum, aderant suis apud Imperatorem, eorumque

rumque causam ut patroni agebant. Exemplum hujusce rei habet apud Liv. xxvi. 48. post expugnationem Carthaginis novæ, ubi *duobus, Q. Trebellio centurione legionis quartæ, & Sex. Digitio socio navali professis, se primos murum ascendisse*, & de corona murali apud Imperatorem *contendentibus, sociis C. Lælius præfectus classis, legionariis M. Sempronius Tuditanus* traditur *adfuisse*. Dum itaque legionarii *legatum* suum habeant in castris, vexillarii nec *legatum*, nec ullum alium pari auctoritate patronum, custodiam iis munimentorum cum legionariis demandare iniquum censet Hyginus, & inconsultum, ne hi cum *legato* suo, etiamsi quid ipsi peccaverint in tuendo vallo, conferant tamen culpam omnem in vexillarios, justo patrocinio destitutos, & injuriæ opportunos. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1056. F.*

Legati provinciarum differebant à quæstoribus provincialibus, dum auctoritatem suam acceptam ferebant præsidibus, quamvis hisce in pluribus rebus adessent, ceu socii, assessores, & consiliarii. Et quæstores præsidibus filiorum loco erant, interque eos mutua erat relatio, ut quemadmodum sine filio nemo est pater, sic nullus consul, aut prætor provincialis esset sine suo quæstore, cui cum suo consule, aut prætore mutua intercedebat necessitudo pœnè filialis. *Bergier. de viis milit. t. Sect. vii. §. 9.* Horum nomen duobus acceperunt modis; primum, qui senatus voluntatem ad alios detulerunt; deinde, qui præsidibus operam quacunque ratione navarunt. Quos ambos videtur mihi intellexisse Varro de Ling. Lat. iv. 16. & Cicer. in Vatin. c. 15. laudati supr. in *Legati Imperatorum*. Significat enim unum genus *legatorum*, qui decem, aut quinque à senatu, & ex senatu ad ordinandam provinciam, parta ab Imperatore victoria, mittebantur; item alterum, qui præsidibus in omni provinciali, ac bellico munere adjutores dabantur, ut ad arbitrium illorum sese accommodarent: de quibus Appian. Civ. Bell. i. *Legatos Romani appellant, quos provinciarum rectoribus addunt, ut iis subsidio sint*, Cæs. Civ. Bell. iii. 51. V. illum supr. in *Legati Imperatorum*. Vel à senatu dabantur, vel permissu senatus à præsidibus asciscebantur, V. supr. in *Legatus*. Numerus eorum, qui minimus, trium, ut opinor, fuit. Livium V. supr. in *Legatus*. Quin etiam Q. Cicero prætor tres tantum in Asiam secum *legatos* duxit. Habitam tamen esse rationem prætorii gradus, & consulatus, & provinciæ, & belli, & ipsius denique hominis, arbitror à senatu: siquidem Bruto, & Cassio *legatorum* numerum auctum scribit Cicero, & ipse in Cilicia proconsul secum legatos quatuor habuit, & Cn. Pompejo lege Gabinia quindecim datos satis constat. Etiam illud observatum est, ut *legatos* libenter sibi quisque legaret, qui rei militaris periti essent, atque ipsi provinciis aliàs cum imperio præfuissent. Itaque consulares consulibus, prætoribus *legatos* se poscentibus aliquando adjunxerunt, & frater fratrem, filius patrem sibi legavit: intelligebant enim, totum juris dicendi, reique gerendæ munus in consilio, fide, opera, usuque *legati*, *legatorum*ve consistere. Quoniam autem præsides *legatis* potestatis, atque imperii sui partem communicabant, hinc factum est, ut & ipsi *legati* lictoribus, ac fascibus uterentur. Quod de Pleminio P. Scipionis Imperatoris *legato* scribens ostendit Liv. xxix. 9. *Sine respectu non majestatis modo, sed etiam humanitatis, in legatum impetum, lictoribus prius indignum in modum mulcatis, faciunt.* Sigon. de Ant. jur. prov. iii. 2. Flocc. de Potest. Roman. ii. 12. De provincia decedentes rationes reddere cogebantur. De P. Scipione Africano L. Scipionis fratris sui in Asia *legato* Gell. iv. 18. *Tribuni plebis in senatu instabant, ut pecuniæ Antiochenæ, prædæque, quæ in eo bello capta erat, rationem redderet. Fuerat enim L. Scipioni Asiatico fratri suo Imperatori in ea provincia legatus. Ibi Scipio exsurgit; & prolato è sinu togæ libro, rationes in eo scriptas esse dixit omnis pecuniæ, omnisque prædæ. Illatum ut palam recitaretur, & ad ærarium deferretur. Sed enim id jam non faciam, inquit, nec me ipse afficiam contumelia: eumque librum statim coram discidit suis manibus, & concerpsit; ægre passus, quod cui salus imperii, ac Reipublicæ accepta ferri deberet, rationem pecuniæ prædatitiæ posceretur.* Sigon. ibid. c. 11.

Legati vexillariorum occurrunt apud Hyginum in Gromatico, *Salmas. in Capitol. Pertin. c. 9.* quasi præter *legatos* consulares, qui toti exercitui præerant, & prætores, qui uni legioni, aliud fuerit genus *legatorum*, *legati* vexillariorum. Non dicit Hyginus vexillariorum *legatum*, sed *legatum* eorum, id est, legionis eorum, ut qui apud legionem, à qua divulsi, ipsi abfuisse, vel pariter non fuisse, Vegetius: *Non possunt æqualiter jussa complere, qui ante pariter non fuerunt.* Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. x. p. 1056. C.

LEGIO est militum agmen, sive certa peditum, & equitum manus, in quam exercitus populi Romani dividi solebant. Primus instituit Romulus, Tam propria Romanorum fuit, quàm aut Macedonum phalanx, aut catervæ Gallorum. Numerus in illa militum non idem omnibus temporibus fuit. Romulus enim initio trium millium scripsit, peditum mille ex singulis tribubus, & centum equitibus delectis; tribus enim singulæ Tatiensium, Ramnensium, & Lucerum millia singula mittebant. Varr. de Ling. Lat. iv. 14. *Tribuni militum dicti, quod terni ex tribus tribubus Ramnium, Lucerum, Tatiensium olim ad exercitum mittebantur.* Plutarch. Romul. p. 24. D. *Singuli ordines peditum habebant terna millia, tricenos equites.* Ab eodem geminatam *legionem* victis Antemnatibus, & Cæninensibus, ac sex millium factam videtur significare Dionys. ii. p. 103. *Rursus Caninenses, atque Antemnates, quotquot voluerunt, ad habitandum Romam una cum familiis transtulit, nec agris mulctavit, nec pecuniis: eosque mox in tribus, & curias adscripsit, non pauciores tribus millibus: ita ut tum primum peditum Romanorum censerentur in universum sex millia.* Et, receptis in Urbem Sabinis, disertè id narrat Plutarch. ibid. p. 30. A. *Geminata Urbe, centum ex Sabinis senatores allecti, legiones constituta ex peditibus senis millibus, equitibus sexcentis.* Quod mihi tamen probabile non fit: eosque potius scriptores non auctum in una *legione* militum numerum, sed abundante multitudine binas ex una *legiones* ternum singulas millium esse conscriptas, significare voluisse crediderim. Quod si omnino auctam à Romulo *legionem* fateri volumus, eam ad quatuor millia redactam esse verisimilius puto, quæ ex eo quadrata dicta est, Festus in Sex. *Sex millium, & ducentorum hominum primus C. Marius conscripsit legionem, cum antea quatuor millium fuisset, unde etiam appellabatur quadrata.* Ita ut Marius, licèt in veteribus leges ante illum auctas sæpissimè *legiones*, extra ordinem, & necessitate aliqua suadente nimirum, primus ordinarium scilicet in *legione* numerum senum millium, ac ducentorum peditum fecerit. Et id quidem sine Scto. Sallust. Jugurt. Bell. p. 135. *Marius cum aliquanto majore numero, quàm decretum erat, profectus.* Ex eo igitur tempore *legiones* senis millibus peditum ordinatæ esse cœperunt: neque tamen is numerus post Marium statim frequentatus est, nam bellis civilibus adhuc quinque millibus scribebantur. *Valtrin. de milit. Roman.* iii. 1. *Panvin. Imper. Roman. c. 16. Sigon. Ant. jur. civ. Roman. i. 15. Pancirol. Notit. dignit. imper. orient. c. 36. Salmas. de Re milit. Roman. c. 6. Rom. de Milit. Jul. Cæsar. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. x. p. 1540. B. La Chausse de Sign. milit. Thes. Græv. ibid. p. 1528. B. Kobierzyck. de Lux. Roman.* ii. 2. *Thys. Roman. illustr.* 11. *p. 56. Lyd. de Re milit.* ii. 1. *Ferret. Mus. Lapid. v. memor.* 7. *Laz. Com. Reip. Rom.* v. 2. *Patric. Res milit. Roman. part.* 12. *sect.* 3. *Hotman. Antiq. Rom.* iii. 8. Malè *legio* quadrata dicitur. Agmen dicitur quadratum, nunquam *legio*. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. 1. Præf. * * * * 2. vers. In *legione*, nisi ingenui, & ex ingenuis nisi juniores, & ex junioribus, nisi in quinque classibus censerentur, & ludicræ artis expertes essent, ordine non centuriabantur. Ex quo sequitur servos, libertinos, pueros, seniores, capite censos, & histriones, si quando ad arma vocati sunt, non nisi cogente necessitate, in dubiis rebus Reipublicæ esse vocatos. Liv. xxii. 57. *Et aliam formam novi delectus inopia liberorum capitum, ac necessitas dedit: octo millia juvenum validiorum ex servitiis, prius scir-*

scir-

sciantes singulos, vellentne militare, empta publicè armaverunt, xxv. 5. *Q. Fulvius, Appius Claudius consules, cum ægrè delectum conficerent, quod inopia juniorum non facilè in utrumque, ut & novæ urbanæ legiones, & supplementum veteribus scriberetur, sufficiebat, senatus absistere eos incepto vetuit, & triumviros binos creari jussit: alteros, qui citra, alteros, qui ultra quinquagesimum lapidem in pagis, forisque, & conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent: & si qui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondum ætate militari essent, milites facerent. Tribuni plebis, si iis videretur, ad populum ferrent: ut qui minores septem & decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si septem & decem annorum, aut majores, milites facti essent: ex hoc SCto triumviri bini conquisitionem ingenuorum per agros habuerunt*. Sigon. Panvin. Valtrin. l. l. Discriminis gratia nomine primæ, secundæ, & deinceps appellabantur: ut quæ primo loco scripta esset, prima diceretur, & secunda, quæ secundo, atque ita deinceps. Usus iste *legiones* ab ordine ita nominandi obtinuit usque ad tempora Alexandri Severi, sub quo vixit Dion, cujus hæc sunt verba xxxviii. p. 90. B. *Sic enim secundum ordinem delectuum Romanæ legiones nominantur, hodieque eadem ratione cognomenta sua sortiuntur*. Apud Cæsarem iisdem numerorum nominibus distinguuntur, & appellantur sexta, octava, decima, duodecima; uti & apud alios auctores. Dion. l. memoriæ prodit, sub Vespasiano triginta septem scriptas fuisse, nominibus numerorum appellatas, quæ apud ipsum legi possunt. *Patric. de Re milit. Roman. part. 1. sect. 7. Gutber. de jur. man. iii. 26. Valtrin. Panvin. l. l. Thys. ibid. p.* 57. Vel à locis, ubi stationes habebant. Hinc *legiones* Germanicæ, Pannonicæ, Britannicæ passim inveniuntur. Vel à ducibus, ut Augusta, Claudia..... Dion lv. p. 564. A. vel denique ab aliis eventibus, ut Martia, Rapax, Victrix, Ferrea, Fulminatria..... apud Dion. l. l. atque aliæ apud alios leguntur. *Panvin. Thys. & Valtrin. l. l.* Singulis sex tribuni militum præerant populi suffragiis creati. Quod quando acciderit, aperiam. Quum enim ab initio exercitus populi Romani non nisi tria millia peditum haberet, tres tantum tribuni militum sufficiebant: post auctis Romani imperii opibus, tribuni sex primum, & postea plures quàm sex, & diversi generis esse cœperunt. Nam, ut tradit Ascon. in Cicer. p. 56. *Tribunorum militum duo erant genera, primum eorum, qui Rufuli dicebantur, hi in exercitu creari solebant, & comitiatorum, qui Romæ comitiis designabantur*. Liv. vii. 5. *Et quum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri, nam & antea, sicut nunc, quos Rufulos vocant, imperatores ipsi faciebant, T. Manlius, qui postea Torquatus appellatus est, secundum in sex locis tenuit*. Ex quibus verbis apparet, Q. Servilio II. & L. Genucio II. coss. anno Urbis 392. tribunos militum, qui ad sex aucti fuerunt, populi suffragiis creari ad *legiones* cœptos, Deinde plura tribunorum militum genera fuisse, & eos non omnes populi suffragio creatos, & hi, qui creabantur, eo primum anno fieri cœptos, Post illorum numerus est auctus, & sedecim facti. C. Junio Bubulco III. Q. Æmilio Barbula II. coss. Liv. ix. 30. *Duo imperia eo anno dari cœpta per populum, utraque pertinentia ad rem militarem: unum, ut tribuni militum seni deni in quatuor legiones a populo crearentur, quæ antea perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum, & consulum ferme fuerant beneficia*. Tribuni autem militum populi suffragiis creati singuli mille viris præerant, quum tum exercitus Romanus ex quatuor tantum *legionibus*, *legio* verò nonnisi quatuor millium peditum esset. Post quum ad quinque millia, & amplius militum augeri cœpissent, viginti quatuor tribuni à populo creari cœpti, sex que per singulas distributi. Hic tribunorum militum numerus usque ad C. Marii tempus permansit. *Panvin. l. l.* Erat divisa in decem cohortes, ex quibus unaquæque, Cæsaris etiam ætate, tres manipulos, vel certè sex centurias, duas hastatorum, duas principum, totidem pilanorum habebat. *Schol. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. x. p.* 1036. *F. Pancirolli ibid. c. 20. Salmas. ibid. c. 2.* A C. Mario primum, ut opinor, neque enim ante Marii tempora, ulla cohortium in *legione*, neque apud Polybium, neque apud alios mentio est. *Panvin. l. l.* Nihil falsius. Post Marium acies non manipulatim, ut ante, sed per cohortes instruebatur. Cohortes verò diu fuerunt ante Marium. *Grav. Thes. Antiq. Roman. Tom. 1. Præfat.* * * * * *2. vers.* Quo modo sit ordinanda. V. infr. in *Ordinatio*.

LEGITIMA hæreditas. V. illam supr. in *Hæreditas*.

Legitima stipendia. V. illa infr. in *Stipendium*.

Legitima tutela. V. illam infr. in *Tutela*.

LEGITIMATIO vulgò ex Novell. 74. definitur *natalium restitutio*. Quod quidem ex parte verum, non ex toto. Natalium enim restitutio jus omne, quod quis integris natalibus adipisci potest, attribuit, l. 2. de natal. restit. *Legitimatio* verò tantum abest, ut jus agnationis integrum alicui præstet, ut soli patri *legitimum* faciat: ab aliis verò omnibus trium generum agnatis prorsus eum alienum relinquat. Novell. 89. §. 4. Quin ne integrum quidem agnationis jus ei in parentis persona tribuit: hoc est, ut suitatem obtineat: quemadmodum olim factum fuisse argumento est l. ult. ff. de adopt. Nam *legitimationis* jus omne hoc est: primum, ut justis liberis exstantibus *legitimari* nothus, nisi per conjugium, & decurionatum, non possit: deinde, ut *legitimatus* soli patri ab intestato hæres sit, cæteris non sit: institui tamen ab omnibus hæres possit; sed à patre non majore ex parte, quàm quæ minima alicui attributa est. Sic ergo commode definietur: *Legitimatio* est, cum ex concubina susceptus, ita patri suo hæres ab intestato designatur, ut etiam institui ab eo hæres possit: dum tamen ne majorem, quàm quivis ex justis liberis, hæreditatis partem capiat. His verbis omne *legitimatorum* jus, quod quidem ad successiones pertinet, continetur. Probatur hæc definitio ex Novell. 74. & 117. §. 2. ubi γνησίους παῖδας eos Justinianus dicit, quos recepta in scholis consuetudine *legitimari* dicimus. Tribus autem modis *legitimatio* contingit: per decurionatum, concubinæ matrimonium, & Principis rescriptum. I. à Theodosio posteriore est instituta. Testatur Justin. Novell. 89. ejusque constitutio exstat, l. 3. C. de nat. lib. sed ea tota ratio à Justiniano emendata formam hanc habet: ut liberi, sive ex concubina, sive ex ancilla suscepti, atque hi quidem manumissi, per cooptationem in curiam, & suitatis, & gentilitatis, & agnationis jus adipiscantur: aut, si feminæ sint, per decurionis matrimonium. II. à Constantino primum instituta, postmodum à Justiniano ita confirmata est, ut matrimonium cum concubina contractum, sive ea ingenua, sive libertina, sive serva, & postea manumissa fuerit, liberos, & ante, & post matrimonium conceptos, *legitimos* faciat. l. divi. 5. l. cum quis. 10. & l. seq. C. de natur. lib. & Novell. 89. III. per Principis rescriptum n. ut si pater, aut ipsi nothi, ex patris testamento Imperatori preces obtulerint, jus *legitimorum* adsequantur, si modò *legitimi* non existent. Nam si *legitimi* extent, nothi non poterunt, nisi per decurionatum, & consequens parentum patrimonium, ead. novell. §. αὐτόθι. 9. & §. 11. *Hotom. de Spur. & legitim. c.* 6.

LEGITIMUS senatus. V. illum in *Senatus*.

Legitimus tutor. V. illum infr. in *Tutor*.

ΛΕΓΝΑ appellabant extremitates illas togæ, aut pallii, quæ ab ora sursum ibant. Pollux vii. 14. *Ora extrema tunicæ pars utrimque*, id est, in superiore, & inferiore parte, *λέγνα verò in amictu utrimque existentes partes, sed non ubi ora est*. Ubi claré in pallio quadrato utrimque oras fuisse supra & infra, λέγνα verò à dextro & sinistro latere videmus. Hæc λέγνα etiam prætexta fuisse indicat Hesychius. Λέγνα, inquit, τὰ παρυφασμένα τῆς παρυφῆς. Prætextam itaque non solum in una ora, sed circumcirca fuisse prætextatam credo; ut videmus in statua æreа prætextata, quæ est apud Florentiæ Ducem, ubi non solum αἱ ὧαι, sed etiam τὰ λέγνα purpura prætexta sunt. Ex hinc patet, umbonem togæ in prætextis purpureum fuisse, quod dicit Pers. Sat. v. 32.

—— totaque impune Subura
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.

Ex quia pars illa prætextæ, quam capiti injiciebant pontifices

tifices sacrificaturi, aut vota suscepturi, purpurea erat; hinc Virg. Æneid. III. 405.

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Ruben. de Re vest. II. 14. Λῶρα tales fuisse extremitates togæ, vel pallii, neque ex Polluce, neque ex Hesychio colligitur. In togis autem prætextis umbo fuit purpureus, non quia λῶρα illa, sive partes laterales purpureæ ab ora sursum adscenderent, quæ nullæ erant; sed quia, cum ima togæ ora, quæ erat purpura prætexta, lævo brachio subduceretur ad pectus; ubi ex collectione rugarum, sinus, & umbo; inde fiebat, ut ipse sinus, & umbo; non totus, sed ex parte purpureus esset, scilicet sinus inferior; nam in summa togæ ora nulla purpura; & ideò in toga pura, sive communi *candidus umbo* dicitur. Virgilius non de prætexta, sed veste tota purpurea locutus est; nisi quis credat, etiam Trojanos togatos, & prætextatos fuisse; licèt hoc poetica prolepsi excusari possit. Vestis, inquam, illa tota purpurea. Serv. ad illud *puraque in veste sacerdos: Impolluta, & pura dicitur vestis, qua festis diebus usi consueverant sacra celebraturi. Est autem linea, & purpurea: purpura enim maris vicem ad piandum præbet.* Inde factum est, ut postea Romani sacrificaturi prætextam sumerent ob inditam purpuram; & caput eadem velarent. *Ferrar. Anal. de Re vest. c. 46.*

LEGULEJUS diminutionis formam habet; ut equuleus, hinnuleus. Illos ad XII. tabularum leges refert Quintilianus supr. in *Formulariis* laudatus. *Turneb. Adv. IV. 5.*

LEGULUS vocabatur, qui oleam caducam, & verberando decussam nuda manu *legit*. Cato de Re rust. c. 145. *Legules, quot opus erant, præbeto, & strictores.* Turneb. Adv. X. 18. Popm. de Instrum. fund. c. 5. Pignor. de Serv. p. 549. & 551.

LEGUMEN *dicitur, quod manu legitur, nec sectionem requirit.* Serv. Georg. I. 74. Varr. de Re rust. I. 23. *Hoc enim quoque legumen, ut cætera quæ velluntur è terra, non subsecatur.* Voss. Lex. Etymol. Grapald. de Part. dom. II. 11. 1. Moris fuit, ut servo primùm domini ædes ingresso *legumina* super ejus caput spargerentur. *Genera leguminum coctorum ad convivium propter luxuriæ continuationem raro vocavit* Antoninus Commodus teste Lampr. c. 11. Severum Imperatorem Romanum *cibi parcissimum, patriique leguminis avidum* fuisse testatur Spartian. c. 19. Galbam *ordinario dispensatori breviarium rationum offerenti paropsidem leguminis pro sedulitate, ac diligentia porrexisse* testis est Suet. c. 13. n. 6. *Stuck. Ant. Conviv. II. 6.*

LEM.

LEMBARII erant milites classici. Classium duo erant genera: unum maris, alterum fluminum. In mari liburnis, in fluminibus *lembis*, vel lusoriis utebantur. Nam in fluminibus limitaneis habebant Romani lusorias, vel *lembos*, & in his milites classicos, vel tuendum militem. Hos *lembarios* vocat Aurelianus apud Vopisc. c. 38. *Hi compressi sunt septem millibus Hiberorum.* Ita excudi voluit primus Accursius. Vetus liber habuit *jembariorum*. Ex eo ego minima mutatione facio *lembariorum*. De lusoriis Danubianis Veget. IV. 46. *De lusoriis, quæ in Danubio quotidianis utuntur excubiis, reticendum puto.* Lusorias & *lembos* idem esse nemo potest dubitare. *Lembos amnicos* vocat Marcell. XXX. 3. quibus in fluminibus Rheno, & Danubio, & aliis utebantur. *Salmas. in Vopiscum.*

LEMBUS *navicula brevis piscatoria.* Non. XIII. 5. *Lembum invenerunt Cyrenenses.* Plin. VII. 15. *Brevem ad modum naviculam* Servius, *& solum in fluminibus usurpatam fuisse* Sabinus notant ad Virg. Georg. I. 201. Iis uti consueverant, qui in mari prædas agebant. Liv. XXXVII. 27. *Apparuit inde, piraticas celoces, & lembos esse.* qui celeres, & leviores nominat. De celeritate testatur etiam Plaut. Bacch. II. 3. 52.

Is nostra navi lembus insidias dabat:
Ubi è portu eximus, homines remigio sequi
Neque aves, neque venti citius.

Remis, non funibus trahebantur. Liv. XLIV. 28. *Sed cum jam appropinquantibus forma lemborum haud dubia esset, & concitatio remorum, directæque in se proræ, hostes appropinquare aperuissent.* Virg. Georg. I. 201.

Non aliter quàm qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit:

Unde *remipedes* dicuntur Auson. Eidyll. X. 201.

Remipedes tersant medio cum flumine lembi.

Scheffer. de Variet. nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 776. A. Milit. Nav. II. 2. Bayf. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 604. B. Dolet. de Re nav. ibid. p. 676. C. Gyrald. de Navig. c. 18. Meibom. in Pugn. nav. ad Chium §. 7. Rader. in Curt. IV. 17. Demster. in Rosin. Antiq. Roman. Paralip. VII. 32.

LEMNISCUS est *verbum Syracusanum, & illis angustam taniam significare* dicit Hesychius. *Fuisse fasciolas purpureas dependentes ex coronis* scribit Festus: quia *solebant veteres coronas laneis fasciis ex purpura alligatas donare:* quo scilicet & corona firmior, ac tota res aspectui gratior esset. Sed revera nihil nisi teniolæ, exigua vincula, quibus sive aureis, sive alteranna insignibus, coronarum ramuli colligabantur. Veget. Rei Veterin. III. 18. *Pedes, quos sanos habent, glante ferreo, vel, si defuerit, sparteo, calceabis; cui lemniscos subjicies, & addita fasciola diligentissimè colligabis.* *Glantes* vox Gothica est, unde nos *guanto* deduximus, id est, chirothecam. Nec modò coronæ ad majus ornamentum, sed palmæ quoque *lemniscis* decorabantur, non ad ligandum pedem, sed ad ornamentum. *Palmam lemniscatam* dicit Cicer. pro Rosc. c. 35. *Multas esse infames palmas; hanc primam tamen esse lemniscatam.* Auson. Epist. XX. 5.

Et quæ jam dudum tibi palma poetica pollet;
Lemnisco ornata est: quo mea palma caret.

Fiebant ex tenuissimis philyris, nempè tuniculis, quæ inter corticem, & lignum tiliæ reperiuntur. Victoribus etiam dabantur. Liv. XXXIII. 19. *Ludis dimissis, cursu propè omnes tendere ad Imperatorem Romanum; ut ruente turba in unum adire, contingere dextram cupientium, coronas, lemniscosque jacientium, haud procul periculo fuerit.* Suet. Ner. c. 25. n. 5. *Incedenti.... ingesta aves, ac lemnisci, & bellaria.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 16. Turneb. Adv. XVIII. 3. Polit. Misc. c. 72. Paschal. de Coron. II. 12. Buleng. de Triumph. c. 17. Vinet. & Scalig. in Ausonium. Voss. Lex. Etymol. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 647. Jun. de Pictur. II. 8. Pitisc. in Suetonium.

LEMNUNCULUS, vel *lenunculus* appellabatur parvus lembus. Non. XIII. 8. *Lemnunculus, navigium piscatorium.* Sallust. Hist. II. *Primo indicit forte per noctem in lemnunculo piscantis.* Cæs. Bell. civ. II. 43. *Pauci lemnunculi ad officium, imperiumque conveniebant.* Tacit. Annal. XIV. 5. 6. *Nando deinde occursu lemnunculorum Lucrinum in lacum vectam villæ suæ inferunt.* Gyrald. de Navig. c. 18. Scheffer. de Milit. nav. II. 2. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. VII. 32.

LEMONIA tribus, V. illam infr. in *Tribus*.

LEMURES inter inferorum umbras, & manes recenset Porph. in Horat. Epist. II. 2. 209. *Lemures,* inquit, *putant hominum esse post mortem vagantes umbras, dictos quasi remores à Remo, cujus occisi umbras frater Romulus placare cum vellet, Lemuria instituit.* Unde de Romulo loquens Ovid. Fast. V. 479.

Romulus obsequitur, lucemque Remuria dixit
Illam, qua positis justa feruntur avis.
Aspera mutata est in lenem tempore longo
Litera, quæ toto nomine prima fuit.
Mox etiam Lemures animas dixere silentum.

August. de Civ. Dei IX. dicit quidem *animas hominum dæmones esse, & ex hominibus fieri Lares, Lemures, sive Larvas, & Manes. Lares, si meriti boni sunt: Lemures, sive Larvæ, si mali.* De illis etiam Apul. de Deo Socrat. p. 688. Sed V. illum supr. in *Larva*. Gyrald. Synt. deor. VI. p. 215. A. Salmas. Exerc. Plin. p. 293. a. E. Voss. de Idolol. I. 11. Ferret. Mus. Lapid. II. Memor. 10. Tomas. de Donar. c. 8. Illos fabis noctu jactatis domo extra januam ejiciebant. Non. II. 513. *Lemures, larvæ nocturna, & terrificationes*

ima-

imaginum, & bestiarum. Varr. de vit. pop. Rom. I. *Quibus temporibus in sacris fabam jactant noctu, ac dicunt se lemures domo extra januam ejicere*. Ovid. Fast. v. 435.

Cumque manus purè fontana perluit unda,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.
Aversusque jacit; sed dum jacit: hæc ego mitto,
His, inquit, redimo meque, meosque fabis.

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 823. E. Guther. supr. in Lares. Lomej. de Lustrat. c. 24.

LEMURIA, quæ à nonnullis *Lemuralia* dicuntur, Romani diis inferis instituerunt, ad placandos inprimis Remi manes. V. supr. in *Lemures*. Agebantur mense Majo, & ex eo duxit originem communissimum illud dicterium, ad nos etiam perductum, *malum esse nubere mense Majo*. Ovid. Fast. v. 485. V. illum infr. in *Majus*. Triduum celebrabantur, sed interpolatis diebus. Ovid. n. 491.

Sed tamen hæc tria sunt sub eodem tempore festa,
Inter se nullo continuata die.

Primus celebrabatur septimo Idus Maji, hoc est, ejusdem mensis nono. Secundus quinto Idus, hoc est, undecimo. Tertius tertio Idus, hoc est, tertiodecimo ejusdem mensis, erantque omnes nefasti. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 624. *A. Gyrald. Synt. deor.* VI. *p.* 215. *A.* XVII. *p.* 535. *F. de Ann. & mens. Oper. Tom.* II. *p.* 773. *B. Voss. Lex. Etymol. Siccam. in Fast. Kalend. Rom. c.* 11. *Ferret. Mus. Lapid.* II. *Memor.* 10. *Stuck. Ant. Conviv.* I. 26. *Hospin. de Orig. Fest. Ethn. p.* 166. *Laz. Comm. Reip. Rom.* XI. 5. *Porson. de Græc. & Rom. magistr.* III. *Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2852. *F. Faes ad Gyrald. de var. sepel. rit. c.* I. *Vives in August. de Civit. Dei* IX. 11. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 10. §. 10. *Rosin. Antiq. Roman.* IV. 9. *& Demster. Paralip.* I. 30.

LEN.

LENÆUM erat locus amplo ambitu cum Dionysii *Lenæi* delubro, ubi certabant musici, antequàm theatrum exstructum esset. *Buleng. de Theat.* I. 25.

Lenæum erat plaustrum, quo Dionysiis utebantur, quibus poetæ ridiculi causa poëmata sedentes è plaustris canebant, Scholiast. Aristoph. Equit. p. 321. Sidon. Paneg. VII. 232.

Pictum fæcibus Æschylon secutas,
Aut plaustris solitum sonare Thespin,
Qui post pulpita trita sub cothurno
Ducebant olidamarem capella.

Buleng. de Theat. I. 2.

LENOCINIUM *facit, qui quæstuaria mancipia habuerit, sed & qui in liberis hunc quæstum exercet, in eadem causa est. Sive autem principaliter hoc negotium gerat, sive alterius negotiationis accessione utatur: utputa si caupo fuit, vel stabularius: & mancipia talia habuit ministrantia, & occasione ministerii quæstum facientia: sive balneator fuerit, velut in quibusdam provinciis fit, in balneis ad custodienda vestimenta conducta habens mancipia hoc genus observantia in officina, lenocinii pœna tenebitur*. Ulpian. l. athletas ff. de his qui infam. not. *Brisson. de Jur. connub. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom* VIII. *p.* 1065. *D.*

LENONES erant frequentes ad tabernas argentarias. Plaut. Truc. I. I. 47.

Nam nusquam alibi si sunt, circum argentarias
Scorti lenones quasi sedent quotidie.

Nardin. Roman. Vet. v. 8. Qua hora ad meretrices eundum esset, tintinnabulo significabant. Paull. Diac. XIII. 2. V. illum infr. in *Meretrices*. Argol. in Panvin. de Lud. circens. I. 8. Edicto prætoris infamia notabantur. Proinde nec accusandi publico judicio jus habebant: & ut viles, turpes, famosæque personæ, in adulterio deprehensi à maritis impunè occidi poterant, l. marito 24. ff. de adulter. Et meritò certè, ignominia hujusmodi personas notandas veteres censuerunt, quas cum Terent. Adelph. II. I. 34. *pestem, perniciemque communem adolescentium*, & cum Justin. Novell. 14. *perniciosas, & communes pestes castitatis* vocare jure possumus. Quapropter silentio prætermitti non debet Q. Metelli judicium, qui in prætura urbana Vetibio *lenoni* bonorum possessionem secundum tabulas denegaverit, separandam fori, ac lupanaris conditionem existimans, jurisque, ac legum auxilio indignos censens eos, qui tantam civitati labem inferrent. Laudanda quoque Honorii, & Theodosii constitutio, qua *lenones* patres, dominosve, quos necessitatem filiabus, ancillisve peccandi imposuisse constiterit, non solum potestatem, quàm in eos habebant, amittere, sed & proscriptionis, exsiliique pœna plecti sanciunt. Denique, nec satis unquam pro merito Justinianus laudabitur, qui genus hoc hominum urbe regia pelli, eosque, qui illecebris pellectas puellas ad quæstum alere comperti essent, acerbissimis pœnis subjici voluit, l. 6. & 7. C. de spect. & lenon. *Brisson. de jur. connub. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. *p.* 1065. *D. de Adult. p.* 178. Erant vectigales. Tertull. de Fuga c. 13. V. illum supr. in *Beneficiarius*. Suet. Cal. c. 40. n. 6. *Additumque ad caput legis, ut tenerentur publico, & quæ meretricium, & qui lenocinium fecissent*. Æschines contra Timarchum ostendit Athenis *vectigal è quæstu meretricio* fuisse. Alexander Severus *lenonum vectigal, & meretricum in sacrum ærarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis ad instaurationem theatri, circi, amphitheatri deputavit*. Lamprid. c. 24. *Buleng. de Vectig. c.* 49.

Lenones etiam nominabantur legati & feciales. Justin. II. 3. 8. *Primus Scythis bellum indixit Vexores Rex Ægypti, missis primo lenonibus, qui hostibus parendi legem dicerent*. n. 9. vocantur *legati*. P. Dan. MS. Glossarius: *Leno, id est, mediator*, qui apud Italos dicitur ambassiator. Unde Trog. Pomp. II. *Præmissis lenonibus*. Salmas. in Vopisc. Carin. c. 6. Bongars. in Justinum.

LENS est carior faba. Mart. XIII. 9.

Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem,
Vilior est alica, carior illa faba.

Pherecrates: *Ne mihi lentem per Jovem, non mihi placet, si quis comederit, os ei putidum*. Pelusiaca laudatur. Virg. Georg. I. 228.

Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis.

Buleng. de Conviv. II. 56. Ægyptiis ejus usus fuit frequentissimus, adeò ut pueros à teneris annis illa statim nutriant. Athen. IV. p. 158. D. Apud Romanos fuit annumerata inter funebres cibos. Auctor est Appian. de Bell. Parth. p. 139. ubi refert Crassi exercitum perniciem sibi imminentem indicasse, quod *lentes* in annonæ defectu fuerint exhibitæ. *Nonn. de Re cibar.* I. 10. *Kirchman. de Fun. Rom.* IV. 7. *Rhodig. Ant. Lect.* VI. 2.

LENTICULA erat genus vasis unguentarii. Apul. Flor. p. 777. *Ampullam oleariam, quam gestabant, lenticulari forma, tereti ambitu, pressula rotunditate*. Et *lenticulam* interpretatur Hieronymus *vasculum olei, quod Samuel tulit, & effudit super caput* Saulis 1. Sam. c. 10. n. 1. *Voss. Lex. Etymol. Pignor. de Serv. p.* 83. *Bartholin. de Unicorn. c.* 34.

LENTIONES sunt Latinis dicti saltatores. Glossæ: Lentio, ὁ ἐν τοῖς σατύροις ὀρχηστής. Σατυριστὰς vocat Dionys. VIII. p. 477. *Quin & in illustrium virorum funebribus pompis inter cæteros feretrum præcedentes vidi choros satyricos, qui sicinnem cantarent, maximè in divitum exsequiis.* Sic σατυριστὰς Dionysio, qui *lentiones* in illis glossis. Vetus epigramma de pantomimo:

Mascula fœmineo derivans pectora flexu,
Atque aptans lentum sexum ad utrumque latus:
Ingressus scenam populum saltator adorat,
Sollerti spondens prodere verba manu.

Salmas. in Vopisc. Carin. c. 19.

LENTULUS fuit cognomen Corneliorum. Illorum primus cognominatus est, qui *lentium* sationi egregiè vacavit. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 605. *B. Glandorp. Onom. Rom. p.* 266. Illis varia cognomina adduntur, Caudinus, Lupus, Sura, Spinther, Marcellinus, & si qua alia sunt. Sedecim invenio consecutos fuisse pontificatum maximum, & dictaturam semel, censuras quatuor, triumphos duos, ovationes duas, principatum senatus bis, consulatus sexdecim. I. *L. Lentulus* cos. fuit cum Q. Publio Philone II. an. 426. dictator post

annos

Et hanc ob causam *sub lauru mea*, veluti sub arbore mihi propria, & familiari dixit, quod idem est ac si dixisset, apud me, ibid. II. 7. 18.

Longaque fessum militia latus
Depone sub lauru mea.

Paschal. ibid. v. 12. Pier. ibid. c. 16. Gyrald. de Poet. dial. 1. p. 21. *Laurus* ut victoriam, ita & triumphum, quem victoria spectabat, designabat. Nam sine victoria nullus erat triumphus. Horat. Od. II. 1. 15.

Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

Et ideo triumphalis vocabatur, Tibull. II. 5. 5.

Ipse triumphali devinctus tempora lauro.

Paschal. ibid. VIII. 10. Mos triumphantes *lauro* coronandi à Romulo est profectus. Dionys. II. p. 102. *Ipse*, Romulus, *pompam extremus claudebat, indutus purpura, & coronatus lauro.* Plutarch. Roman. p. 27. B. *Veste ipse incincta, & capite fluente coma, laurea coronatus incessit.* Buleng. de Triumph. c. 16. Sub Principibus etiam *lauro* coronabantur triumphantes. V. supr. in *Corona triumphalis*. Ex qua illorum coronæ nectebantur est illa *laurus*, quæ sterilis est. Plin. XV. 30. *Sterilem earum, quod maximè miror, triumphalem, eaque dicunt triumphantes uti: nisi id à D. Augusto cœperit ex ea lauru, quæ ei missa à cœlo minima est altitudine, folio crispo, ac brevi, inventu rara.* Vocat illam Plinius sterilem, ut eam discernat ab illa, quæ annumeratur arboribus fructuosis. Mirabile dicis sterilem præferri baccatis, quanquam & hæc habuit quoque suas baccas, sed, ut credibile est, minores aliis. Id tamen minùs mirum accidit illi, qui intelligit dignitatem hujus generis *lauri*, cui, quod deest in fructu, cumulatiùs concessum est è favore cœlesti. Et verò admirabile decus ei addidit, ut verisimile est, Augustus, cui missa traditur è cœlo. Hanc eam, ne ridicula, fideve major videri possit, memorat accuratè ibidem. *Cum Livia Drusilla pacta esset Cæsari, aquila gallinam conspicui candoris sedenti ex alto abjecit in gremium illæsam: intrepidèque miranti accessit miraculum, quoniam teneret rostro laureum ramum onustum suis baccis. Conservari alitem, & sobolem jussere aruspices, ramumque eum seri, ac ritè custodiri. Quod factum est in villa Cæsarum, fluvio Tiberi imposita juxta nonum lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur ad gallinas: mirèque sylva provenit. Ex ea triumphans postea Cæsar laurum in manu tenuit, coronamque capite gessit: ac deinde Imperatores Cæsares cuncti. Traditusque mos est ramos, quos tenuerunt, serendi, & durant sylvæ nominibus suis discretæ, fortassis ideo mutatis triumphalibus*, id est, non desumptis è vetere laureto, quod in Aventino esse diximus supr. in *Lauretum.* Hoc ipsum tradunt etiam Svet. Galb. c. 1. n. 2. Dio XLVIII. p. 389. & Zonar. II p. 150. *Paschal. ibid. c. 9. Buleng. l. l. Pier. ibid. c. 7. Nicol. de Triumph. c. 19. §. 4. & 5.* Quare in *triumphis* adhibita fuerit, docent Plin. l. l. *Suffimentum est cædis hostium, & purgatio. Adeoque in profanis usibus pollui laurum, & oleam fas non est, ut ne propitiandis quidem numinibus accendi ex his altaria, aræve debeant.* Et Festus: *Laureati milites sequebantur currum triumphantis, ut quasi purgati à cæde humana intrarent Urbem. Itaque eandem laurum omnibus suffitionibus adhiberi solitum erat: vel quod medicamento siccissima sit: vel quod omni tempore vireat, ut similiter Respublica vireat.* Guther. de Jur. man. II. 7. Pier. ibid. c. 18. Loinej. l. l. Dabatur Jovi Capitolino. Plin. l. l. *Fasces Imperatorum decorat. Ex his*, potiùs exin *in gremio Jovis Opt. Max. deponitur, quoties victoria nova lætitiam attulit.* Ovid. Trist. IV. 2. 53.

Inde petes arcem, & delubra faventia votis,
Et dabitur meritæ laurea vota Jovi.

Stat. Sylv. IV. 1. 40.

Restat Bactra novis, restat Babylona tributis
Frenari: nondum gremio Jovis indita laurus.

Obseq. de Prodig. c. 123. *C. Antonius consul, cum in agro Pistoriensi Catilinam devicisset, laureatos fasces in provinciam tulit. Ibi a Dardanis oppressus, amisso exercitu, profugit. Apparuit eum hostibus protendisse victoriam, cum ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio debuerat deponere.* Paschal. ibid. VIII. 2. Lips. Tacit. Annal. II. Excurs. D. Livin. & Cellar. in Plin. Paneg. c. 8. n. 3. Bernart. in Statium. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 4: IX. 20. Buleng. l. l. Ursin. ibid. §. 4. Scheffer. in Latin. Pacat. Paneg. c. 9. & Obseq. l. l. Imperatorum januæ redimiebantur. Plin. XV. 30. *Laurus triumphis propriè dicatur vel gratissima domibus, janitrix Cæsarum.* Qui mos invaluit Augusti tempore. Ovid. Fast. IV. 953.

State Palatinæ laurus, prætextaque quercu
Stet domus: æternos tres habet una deos.

Met. 1. p. 562.

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.

Cui hic honos à senatu est decretus. Dio LIII. p. 501. A. *Tunc decretum fuit, laurum poni ante ejus ædes regias, & coronam querceam superponi, tanquam inimicorum victori, & servatori civium.* Nardin. Rom. Vet. VI. 13. Boreich. Ant. Urb. Fac. c. 12. §. 3. Græc. Thes. Antiq. Gronov. Tom. IV. Præfat. * * * 3. Donat. de Urb. Rom. III. 2. Paschal. de Coron. VII. 9. Folia inter bellaria adhibebantur. Athen. IV. p. 140. D. *Lauri folia pro bellariis apud veteres habita fuisse sic docet Callias, sive Diocles in Cyclopibus: Lauri folia en arrodes.* Quod pluribus rationibus factum puto, sed potissimum hisce duabus; tum, ut vi foliorum exsiccatoria fumi ad caput elati absumerentur: tum, ut etiam odor vini, ac ciborum, qui solet sæpenumero à saturia hominibus gravis emitti, absconderetur: id quod facetè admodum nobis indicat Mart. V. 4. 1.

Fœtere multo Myrtale solet vino:
Sed fallat ut nos, folia devorat lauri,
Merumque cauta fronde, non aqua miscet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire Paulle videris contra,
Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.

Mercur. Var. Lect. IV. 6. Stuck. Antiq. Conviv. III. 2. Laurent. de Prand. vet. c. 9. Rader. in Martialem. *Lauro* vinctos lictores & literas, V. infr. *suis locis*. flamines vinciebantur. Prudent. Apoth. n. 483.

Flamen & ipse suas miratur vertice lauros
Cedere, & incertum frustratur victima ferrum.

Et hos, quos vocat deum ministros, facit *laurigeros* idem poeta contr. Symm. 1. 217.

Laurigerosque deum templis astare ministros.

Paschal. ibid. IV. 13.

Laurus Vipsanæ, de quibus Mart. 1. 109. 3.

At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus.

nonnulli porticui adjungunt Panthei, alii verò porticui Argonautarum: cujus utriusque auctor Agrippa fuit. At mihi vix credibile videtur, nemora porticibus templorum addita fuisse, sicut illis factum, quæ libero loci spatio fruebantur: multòque verisimiliùs *laurus* illas hortis Agrippæ tribuerim: qui licèt remotiores, è cœnaculis tamen ædium conspici potuere; non secus ac Pantheon, & ædificia humiliora proxima etiamnunc illius loci prospectui patent. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 4.

Inter duas lauros vocabatur locus in campo Martio. Nam Valentinianum quidem in campo Martio fuisse cæsum, Cassiodorus & Marcellinus testantur. Chronicon autem Alexandrinum, sive Paschale *inter duas lauros* occisum ait: *Hoc anno Valentinianus Roma inter duas lauros interemptus est.* Quin & in via Latina, & Lavicana eodem nomine fuerunt loca quædam sic nuncupata. Martyrol. Roman. Baron. ad XI. August. *Romæ inter duas lauros natalis S. Tiburtii Martyris, qui sub judice Fabiano in persecutione Diocletiani . . . duci in tertium ab Urbe milliarium, atque ibidem gladio animadverti jubetur.* Beda: *Tertio Idus Augusti Romæ inter duas lauros natalis S. Tiburtii martyris.* Græv. Thes. Ant. Rom. Tom. IV. præfat. * * * 3.

LAUSUS. V. illum infr. in *Lessus.*

LAUTIA dicebantur munera, quæ legatis dabantur. Festus in Dacrymas: *Item dautia, quæ lautia dicimus, & dantur legatis hospitii gratia.* Plutarch. Quæst. Roman. 42. V. illum infr. in *Legati gentium.* Liv. XXVIII. 39. *Locus inde lautiaque legatis præberi jussa.* Ursin. de Legib. Thes. Antiq. Rom.

Rom. Græv. Tom. II. p. 1377. F. Salmaf. Exerc. Plin. p. 612. b. E. Zamof. de Senat. Rom. II. 18. Scalig. in Festum. Gyrald. Synt. deor. II. p. 97. F. Broid. Coroll. ad Pollet. For. Rom. III. 10. Tomaf. de Teffer. hofpit. c. 14. Beroald. Annot. c. 52. Bud. in Pandect. p. 82. F. 84. B. Comment. Ling. Græc. p. 137. Stuck. Antiq. Conviv. I. 27. Briffon. de Form. I. I. p. 252. Voff. Lex. Etymol.

LEB.

LEBES est *olla area*. Serv. ad Æneid. III. 466.

Ingens argentum, Dodonæosque lebetas.

qui in proverbium migraverunt. Fuerunt in Jovis Dodonæi templo, ubi sacerdotibus responsa dabantur. Dicuntur à quibusdam sonora fuisse ex ære tintinnabula, à similitudine *lebetum* sic vocitata. His calculum nostrum libenter adderemus, si veterum non ambiguis auctoritatibus niterentur. Verùm si non fuerint campanæ, eos tamen campanis non omnino absimiles extitisse credendum est, ut maximè sonori in proverbium asciti sint. *Mag. de Tintinn. c. 1.*

LEC.

LECTICA distincta est à sella. Ictus l. 49. de legat. *Legato continentur mancipia, puta lecticarii, qui solam matremfamilias portabant: item jumenta, vel lectica, vel sella, vel burdones.* Senec. de Brev. vit. c. 12. *Nec illos dudum inter otiosos numeraveris, qui sella se, & lectica huc illuc ferunt.* Matt. x. 10. 7.

Lecticam, sellamque sequar. . . .

Svet. Domit. c. 2. n. 2. *Habitabat cum patre unà, sellamque ejus, ac fratris, quoties prodirent, lectica sequebatur.* Quod in eo I. quod in sella sederent, sicut ipsum verbum docet, contra cubarent in *lectica*. II. quod sella esset altior, *lectica* longior; sic enim necesse erat, postulabatque in altera quidem habitus sedentis, in altera verò habitus cubantis, jacentisve. Huc respexit Juven. Sat. III. 135. cum sic canit:

Cum tibi vestiti facies scorti placet, hæres,
Et dubitas alta Chionem deducere sella.

Lipf. Elect. I. 19. Epist. Centur. miscell. II. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 5. Scheffer. de Re vehicul. II. 4. Pollet. For. Roman. I. 6. Sella verò, postquam recepta in usum, dignior habita *lectica*. Docet hoc Svetonius jam prolatus. *Lipf. Elect.* I. 19. Gestatorium hoc vehiculum in duplici ad Romanos fuit usu, ad ferendos I. mortuos II. vivos. Ad mortuos, antiquus Romæ mos, & jam inde à Regibus mortui in *lecticis* efferebantur. Dionyf. IV. p. 270. cadaver Lucretiæ efferri facit *in lectica nigris vestibus instrata.* Et inter leges XII. fuit, *ne plures lecti sternerentur uni.* Mansit is mos, quamdiu res mansit Romana. Nep. 25. 22. 4. *Elatus est in lecticula, sine ulla pompa funeris.* Tacit. Hist. III. 67. 4. *Simul ferebatur lecticula parvulus filius, velut in funebrem pompam.* Lipf. & Scheffer. l. l. Kirchm. de Fun. Roman. II. 9. Morestell. Pomp. Feral. v. 7. Clasen. Theol. gentil. I. 10. 24. Interdum apertis. Nam qui sua morte objerant, vel facie erant non planè deformi, illorum cadavera honestissimis vestibus induta, & *lectis* quàm splendidè ornatis imposita, palam ferebantur, ita ut unusquisque defuncti faciem, & ex vestibus, ornatuque sexum facilè posset cognoscere: interdum tectis. Docet hoc Dio XXXII. p. 819. C. ubi scribit Sext. Condianum, ut se condemnatum iri intellexit, equum conscendisse, ex eoque paullò post lapsum consultò mortem simulasse, & tum arietem pro ejus corpore elatum, & combustum esse. *Kirchm. & Morestell. l. l.* Sed nihil Dio de *lectica* tecta, seu operta. Λάρναξ enim non significat *lecticam*, sed capulum, vel arcam. Et potuit in aperta *lectica* efferri aries, sed velatus. Nec videntur unquam aliter fecisse. *Lectica* semper erat aperta, cadaver verò defuncti modò conspicuum, modò tectum, velatumque. *Scheffer. l. l.* Ad vivos quando adhiberi cœperit, ignoro. Plauti ævo, id est, sub bellum Punicum II. nec in mulierum quidem usu fuerunt, necdum virorum. Argumento, quod in comœdiis ejus nusquam mentio. Clariori, quod in Aulularia, ubi ex professo ineptias describit mali sexus, mulos, muliones, vehicula, plaustra nominat, nihil mutit de *lecticis*. Lipf. l. l. In usu fuerunt Persis, Indis, Macedonibus, Syris, & inde forsitan in Cappadociam, Bithyniamque, inde Romam pervenerunt. Quando hoc sit factum, in incerto est. Lipsius temporibus Gracchanis putat, quia legitur apud Gell. x. 3. *His annis paucis ex Asia missus est, qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adolescens pro legato. Is in lectica ferebatur,* & pro *ex Asia* existimat scribendum *in Asiam*. Non video, quo pacto flagitet hoc sensus, quod existimat Lipsius: Annon enim missus esse Romam potuit *ex Asia* à præside provinciæ, vel prætore? Cum præsertim nominetur adolescens, qui necdum magistratum ceperat. Tales enim mitti à Romanis in provincias minimè solebant. Et est verisimile habuisse *lecticam* illam secum *ex Asia*, ubi usus tum earum fuit frequentissimus, atque ita spectaculum ridiculum *bubulco* imperito, *qui illi obviam de plebe Venusina advenit.* Scheffer. l. l. *Lectica* usus primus in agris, non in Urbe fuit. Utebantur enim ad iter tantum, non ad delicias urbanas. Itaque in peregrinationibus frequens metro *lectica*, nulla in Urbe ante ætatem Ciceronis. Illa ipsa Catulliana mulier *lectica* ferri petit ad Serapis: at Serapeum tunc extra Urbem. Tamen vicerunt deliciæ, & sub tempora Julii Cæsaris recepta est in Urbem: scilicet corruptis moribus, & per bella civilia impunita luxu. V. Ciceronem infr. laudatum. Forma ejus duplex: alia aperta, alia tecta. Apertæ forma simplex, asseres aliquot compacti, qui capere pulvinum oblongum possent, in quo homo singulus porrectus jaceret. Ad summam, non aliud quàm modicus quasi *lectus*. Afferum meminit Juven. Sat. III. 245.

——ferit hic cubito, ferit assere duro
Alter.

Qui asserem pro ipsa *lectica* dixit Sat. VII. 132.

Perque forum juvenes longo premit assere Medos.

Et Mart. IX. 23. 9.

Ut Canusinatus nostro Syrus assere sudet.

Qui erant exemptiles, & facilè in *lecticam* reponi potuerunt, aut tolli. Svet. Cal. c. 58. n. 8. *Ad primum tumultum lecticarii cum asseribus in auxilium accurrerunt.* Hoc magis suspicor, quia vinculorum, quibus colligata erat, fit mentio. Mart. 57. 5.

Quem grex togatus sequitur, & capillatus,
Recensque sella linteisque lorisque.

Gracchus apud Gell. x. 3. *Ubi audivit, lecticam deponi jussit: struppis, quibus lectica deligata erat, usque adeo verberari jussit, dum animam efflavit.* Pulvinum adstruo ex Cicer. Verr. v. 11. & Senec. ad Marc. c. 16. V. illos infr. in *Pulvinus*. Pedes etiam quidam breviores ad infimam *lecticam*. Cattul. n. 22.

Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.

Lipf. l. l. Asseres non constituebant *lecticam*, sed erant adjuncti, ut per eos posset gestari. Docet hoc clarissimè Svetonius laudatus. Si enim reponi potuerunt, aut tolli, non profectò ipsa ex eis constructa esse debuit *lectica*. *Lectica* ergo lectus ipse, constans tabulis, quæ compactæ speciem habebant lecti funebris, cui simile *lecticam* ipse facit Lipsius, & comprobat versu Matt. II. 81. 1. V. illum supr. in *Hexaphorum*. Neque fuit causa potior, cur bubulcus apud Gell. l. l. interrogaret, *num ferrent mortuum*, *lectica* primum visa. Scilicet *lecticam* vidit esse illi similem, quo mortui efferebantur. Asseres verò ligna quibus portabantur, unde Juvenalis *duros*, & *longos*; item *premi* eis dixit Medos, quando nempe humeris impositos. Ideo existimo fuisse rectos, simplicesque per *lectica* latus utrumque collocatos in annulis fortasse, hic, ut possent eximi, multum ante *lecticam* prominentes anteriorum, & retrorsum. Nisi fortè in *lecticis* gravioribus præter illos asseres interdum adhibuerint & furculas, quo facilius portarent. *Scheffer. l. l. Torrent. in Svete. ...n. Gonsal. in Petron. p.* 102. Vinculis, sive funibus, quod asserit Lipsius, ad

ad *lecticam* religari solitos vix credo, propter cæterum *lecticarum* istiusmodi ornatum, quocum funes parum utique conveniunt. Deinde in Gracchi verbis ne quidem vinculis deligari dicuntur fuisse, sed *lectica* ipsa. Significant itaque funes *lecticæ* subjectos, in quibus reponi pulvinus solebat. Hoc conveniebat mollitiei, nec ignotum vulgo in lectis dormitoriis. Ideo Cato de Re Rust. c. 10. requirit in villa *lectos loris quatuor subtentos*. Et pulvinum *pensilem* vocat Juven. Sat. I. 158. laudatus infr. in *Pulvinus*. Pensile profectò ἀρτηματὸν, quod non convenit, nisi in id quod in libero pendet aere. Sic plumæ pensiles erant liberæ, sine tabula subjecta solis funibus sustentatæ, non quidem nudæ, sed infercta sacco. V. Ciceronem supra allatum. Pedes, quibus insistebat, si deponeretur, habebat numero quatuor. Vulgariter fiebant ex ligno. Catullus modò laudatus. Ditiores inducebant argento. Athenioni philosopho *lecticam cum pedibus argenteis* tribuit Athen. v. 10. Habuerunt etiam ex auro. Apud Athenæum occurrunt *lecticæ pedes aureos habentes*. Scheffer. l. l. Eadem omnia in *lectica* tecta, nisi quod hæc majorum deliciarum fuit, contraque aspectum hominum, sive injuriam aeris clausa undique & munita. Ideo *cubiculum tectum* dixit Plinius in Epistolis, & *cubicula viatoria* ejus avunculus XXXVII. a. Munita autem pelle, & velo, opere arcuato. Mart. XI. 99. 11.

Lectica nec tuta pelle veloque:

Scriptor incertus apud Suidam: *Fecerunt contextum similem lecticæ muliebri, coriisque bovinis inelaboratis induxerunt*. Fenestræ quædam in ea fuerunt ad prospectum. Juven. Sat. III. 242.

Namque facit somnum clausa lectica fenestra.

Et hæ velo, sive linteo tegebantur, quod dimovere licebat, seu adducere, pro voluntate vehentis. Aufid. Bass. apud Senec. Suas. 7. *Cicero paullum remoto velo, postquam armatos vidit*. . . Nam in *lectica*, & quidem tecta, Cicero interfectus. Ejusmodi vela ad fenestras oppansa *plagulas* vocat Svet. Tit. c. 10. V. illas infr. in *Plagula*. Lips. l. l. Apud Juvenalem de una tantum sermo est fenestra. Nec puto plures habuisse. Hæ fenestræ vulgo sine vitris fuisse videntur, at in lecticis muliebribus occlusæ vitris, lapideve speculari. Unde Juven. Sat. IV. 20.

——magna se misit amica;

Qua vehitur clauso latis specularibus antro.

Ubi Schol. *Lecticam mulieris, aut sellam clausam dicit*. Nec velo tectas fuisse fenestras dicit Aufidius Bassus. Vela quidem in ejus verbis cerno, fenestras nullas video. Dicit quidem Lipsius: Ciceronem in *lectica*, & quidem tecta interfectum. Sed de tecta nominatim hactenus non observavi quenquam agere. Supernè tectam largimur, specularibus, aut fenestris clausam difficulter possumus intelligere. Non enim fuisse satis, removeri velum, sed & aperiri fenestram. De fenestra verò nemo loquitur. *Scheffer. l. l.* Fuit in usu jam inde à temporibus Julianis. Ipse Cæsar tecta per Urbem est latus. Cicer. Phil. II. 41. *Quis unquam apparitor, tam humilis, tam abjectus? nihil ipse poterat, omnia rogabat: caput in aversam lecticam inserens, beneficia, quæ venderet, à collega petebat*. De Antonio, & Cæsare sermo est: illum ait *caput inseruisse in aversam* Cæsaris *lecticam*; quomodo autem id convenit, nisi in tectam? Svet. Cæs. c. 71. n. 2. *Masintham nobilem juvenem ex prætura proficiscens lectica sua avexit*. Hæc occultatio, nisi de tecta, vix intelligi potest. *Lips. l. l.* Jacebat, qui ferebatur, in pulvino resupinus. Ovid. de Art. I. 487.

Interea, sive illa toro resupina feretur,

Lecticam dominæ dissimulanter adi.

Cicer. Verr. IV. 23. *Archagathum, & argentum in lectica cubans ad mare infra oppidum exspectabat*. Et quoniam cubabant, inde apud Senecam *cubile* pro *lectica*. Verba ejus de Benef. III. 28. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus?* Fuerunt adeo vulgatæ in feminas, in viros, in omnes ordines, ut Cæsar legem scribere cogeretur, & promiscuum illarum usum tollere. Svet. c. 43. n. 5. *Lecticarum usum, nisi certis personis, & ætatibus, perque certos dies, ademit*. Quæ sic in Chronicis exponit Eusebius: *Prohibitæ lecticis uti, quæ nec viros, nec liberos haberent, & minores essent annis quadraginta*. Legem eam respexisse feminas potissimùm his verbis intelligimus, fortassis, quod in viris necdum ita usus *lecticarum* esset frequens; neque usurparent ferè, nisi languidi, & ægrotantes, Cæsare, paucisque potentioribus exceptis. Videntur huc spectare verba Dionys. LVII. p. 612. C. *Tiberius adeò male affecto corpore tum erat, ut in lectica operta in curiam illatus fuerit, concessus enim erat viris etiam harum usus, ut qui per valetudinem aliter non possent, eo modo in senatum adveherentur*. *Personæ* illæ *certæ* fuerunt, quæ haberent maritos, justoque matrimonio sublatos liberos. Unde constat, ante usurpasse etiam innuptas, nec has modò, sed & meretriculas. Deinde ne illis quidem omnibus concessum *lecticarum* usum, sed si excessissent annum quadragesimum ætatis. *Dies illi certi*, per quos concessus mansit usus ille, qui fuerint, Eusebius non declarat. Ego suspicor, sacrorum, & ludorum publicorum dies fuisse. Ac huc traho illud Prop. IV. 9. 49.

Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum,

Nec lectica tua sudet operta mora.

Docet sanè, his *lecticis* adire theatra consuevisse. Idem firmat Juven. Sat. VI. 352.

Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,

Conducit comites, sellam, cervical, amicas.

Equidem hic sermo est de sella, sed illius fuit eadem cum *lectica* ratio, & *lecticæ* loco cœpit usurpari. *Scheffer. & Lips. l. l.*

Lectica funebris erat gestatorium instrumentum, super quod collocabantur defunctorum, præcipuè honoratiorum, cadavera. Non multum diversa fuit ab istis, quas deinde usurpare cœperunt in Urbe. *Scheffer. de Re Vehicul. II. 5.* V. illam supr. in *Lectica*.

Lectica lucubratoria dicebatur, quam domi habebant, & in qua recumbentes lectioni, meditationi, scriptioni operam dabant. Svet. Aug. c. 78. n. 2. *A cœna se in lecticulam lucubratoriam recipiebat. Ibi donec residua diurni actus conficeret, ad multam noctem permanebat*. Hæ non fuerunt portatiles, sed eodem loco fixæ in museis stabant. Non differebant à *lectis* aliis, unde *lecti* quoque vocabantur. Plin. Epist. V. 5. 5. *C. Fannius visus est sibi per nocturnam quietem jacere in lectulo suo, compositus in habitum studentis quietem ante se scrinium, ita ut solebat, mox imaginatus est venisse Neronem, in toro resedisse, prompsisse primum librum, quem de sceleribus ejus ediderat*. Ovid. Trist. I. 10. 37.

Non hæc in nostris, ut quondam, scribimus hortis:

Nec consuete meum lectule corpus habes.

In *lecticas* hujusmodi veteres scriptioni operam daturi se recipiebant, quia, ut Galen. de us. p. III. non uno loco prodidit, scriptitarunt, non super mensis, aut pluteis, ut nos hodie, sed super femore collocata charta: atque, ut ejus verbis dicam, ἐντείνοντες κατὰ τὸν μηρὸν τὸ βιβλίον. *Casaub. & Donat. in Svetonium. Scheffer. de Re Vehicul. II. 5. Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 5. Laurent. de Prand. c. 21. Buchner. in Plin. Epist. V. 5. 5. Lambec. Biblioth. Cæsar. II. 7. Gronov. Antiq. Græcar. II. p. 28.*

Lectica militaris vocabatur, qua in bello utebantur. Curt. VII. 6. 8. *Castris inde motis lectica militari ferebatur*. Hæ longè antequam in Urbe, cœperunt innotescere. Pertinebant ad duces ferè ægros ex vulneribus, vel caussis aliis. Liv. XXIV. 42. *Ibi iterum Scipio lecticula in aciem illatus conflixit tragula confixus*. Et jam ante bello Punico I. etiam in prælio navali usus est consul Lutatius. Val. Max. II. 8. 2. *Consulem ea pugna in lectica claudum jacuisse, se autem omnibus imperatoriis partibus functum*. Erant planè rudes & tumultuariæ, lecto in colligatos quoque modo asseres conjecto. Quali genere jam olim usi etiam in Urbe, si qui ægroti necessariò in publicum venire deberent. Aur. Vict. de Vir. illustr. c. 34. num. 10. Appius Claudius *cum de pace Pyrrhi ageretur, & gratia potentum per legatum Cyneam pretio quæreretur, senex, & cæcus lectica in senatum latus, turpissimas conditiones magnifica oratione discussit*. Subitaria hæc fuit, & in hunc unum diem parata. Plutarch.

Pyrrh.

Pyrrh. p. 394. E. φορεῖον vocat. Et hoc est qualecunque instrumentum, quo quis potest gestari. Onomast. Argentorat. *gestatorium* φορεῖον. Ejusmodi meminit Liv. II. 36. *Consensu inde haud dubio omnium, qui aderant, in forum ad consules lectica defertur*. *Lecticulam* tanquam vilem, & fubitariam vocat Cicer. Div. I. 26. *Quorum de sententia lecticula in curiam est delatus*. Talem Augustus videtur habuisse in acie Philippensi. Lactant. II. 7. *Cum bello civili Brutiano implicitus gravi morbo abstinere praelio statuisset, in aciem* tamen *lectica perlatus est*. Val. Max. I. 7. *Quod cum Caesar audisset, lectica se deferri in aciem jussit*. Et ea videtur tumultuaria fuisse, quia vera mansit in castris, & ab hostibus confossa, discerptaque est. Svet. c. 91. n. 2. *Philippensi acie quamvis statuisset non egredi tabernaculo propter valetudinem, egressus est tamen, amici somnio monitus: cessitque res prosperè, quando captis castris, lectica ejus, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa, atque lacerata est*. Schefer. l. l.

LECTICARII erant servi, qui dominum, quoties pedibus ambulare non libuisset, *lectica* gestabant. Senec. Epist. 110. *Hoc itaque ipsi mihi dico, quoties occurrit domus splendida, cohors culta servorum, lectica formosis impositis calonibus*. Epist. 80. *Idem licet de istis omnibus dicas, quos supra capita hominum, supraque turbam delicatos lectica suspendit*. de Benef. III. 28. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus? quo te penulati isti, in militum quidem, & non vulgarem cultum subornati?* Pignor. de Serv. p. 261. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Graev. XI. p. 805. A. Pancirolt. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Graev. Tom. III. p. 376. B. Popm. de oper. serv. p. 45. Victor. Var. Lect. XXXVII. I. *Lecticarios* longos, erectos, & proceros eligebant. Tertull. ad Uxor. II. *Unde ergo nisi à diabolo m...rum petunt, bonum exhibendae sellae, & mulabus, & cinerarios peregrina proceritatis?* Voluerunt illos esse longos, quo m...g... super alios in *lectica* sublati extarent, hoc enim decorum, & spectabile putabant. Et petebant I. Germanos, quia illi ..... tales. Tertull. ibid. I. 4. *Non Gallicos vultus, nec Germanicos bajulos, qua nuptiarum gloriam accendunt*. Clem. Alex. Paedag. III. 4. *Qui lecticas mulierum in altum tollunt, & cum impetu bajulent Germani multi*. II. Liburnos. Juven. Sat. III. 249.

—turba cedente vehetur
Dives, & ingenti curret super ora Liburno:
Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus.

III. Medos. V. supr. in *Lectica*. IV. Syros. V. supr. in *Lectica* & *Hexaphorum*. V. Moesos. Juven. Sat. IX. 142.

—& duo fortes
De grege Moesorum, qui me cervice locata
Securum jubeant clamoso insistere circo.

Eosque formosos, qui plerumque à feminis adamabantur. Seneca jam laudatus. Et quidem decenter vestitos. Rursus Seneca supra productus. Illorum numerus in qualibet lectica minimus fuit binarius. Tenuiorum enim *lectica* parvae erant, ut commodè à duobus servis possent perferri. Petron. c. 56. *Procurator insula Bargates à coena excitatus, à duobus lecticariis in mediam rixam perfertur: nam erat etiam pedibus aeger*. Talem sibi optat ignavissimus ille tenebrio, quem describit Juven. Sat. IX. 142. supra laudatus. *Gonsal. in Petronium*. Qui, quia *lecticariorum* fit mentio, etiam de *lectica* cogitavit. Verùm non continuò necesse est. Sunt *lecticarii* Petronio etiam ministri tricliniorum, qui supellectilem curant: ut c. 34. *Insecutus est lecticarius, argentumque inter reliqua purgamenta scopis coepit everrere*. Sunt alii alii, qui sellas gestant. Et possumus accipere de iis, qui suis ipsum gestarunt humeris. Fuit namque & hoc usitatum, & allusit auctor declam. in Cicer. c. 4. *Quem Jupiter optimus maximus in consilio deorum admisit, Italia exsulem humeris suis reportavit*. Et qui sic alios gestabant, succollare, quique gestabantur, succollari dicebantur. V. infra laudatos Plinium & Svetonium. Hoc modo & procurator ille succollatus esse potuit à duobus *lecticariis*, non ad *lecticas* ferendas, sed lectos in triclinio curandos constitutis, cum praesertim excitatus à coena dicatur. Neque enim fieri omnino potuit, ut *lectica* etiam minima, & in ea cubans adultae aetatis homo à duobus tantum rectè gestaretur. *Schefer. l. l.* Juvenalis non de *lectica*, sed de sella est intelligendus. Scimus *lecticam* delicatiorum praesertim, qualis iste, de quo poeta, sex ut minùs humerorum fultura fuisse gestatam. Praeterea, quid tam magis ineptum, atque importunum, quàm *lecticam* inferre, aut aegrè capiendam, aptandamque in iis spatiis, aut multorum impedimento futuram, ne spectent? At, inquis, loquimur de eo, quod erat in votis huic tenebrioni Epicureo. Ergo, iterum respondeo, non is erat mos Romanae gentis inferendi sellas. Sique ulterius locum poetae expendere nos delectat, non *lectica*, non sellae illic mentio; sed id optabat dives ille, ac socors, ut duo servi è Moesia validi cervicem sibi locando securum in circum succollarent, ubi posset consistere. Nempe ut eorundem servorum collo, atque humeris portaretur, hoc exoptabat; qui quidem firmissimi tumultuantem populi turbam, tum in viis, tum in circo ipso summoverent, securumque tandem, atque incolumem ab incurrentium, ac prementium undique periculis in spectaculo sisterent. Haud aliter ille apud Senec. Epist. I. ubi ventrem dapibus infersisset ad mensam, satur tandem, ac lassus manibus servorum se adportari jubebat, ac si morte occubuisset, carmenque illud ferale ad symphoniam cani, βεβίωκε, βεβίωκε. *Chiment. de Honor. bisell. c. 22. Lips. Elect. l. l.* vel quaternarius. Ita colligas ex *lectica*, qua Philologia subvecta est in coelum apud Martian. I. I. In ea namque tantum quatuor, Labor, Amor, Epimelia, & Agrypnia. Vel frequentissimè senarius. Mart. VI. 77. 4.

Quid te Cappadocum sex onus esse juvat?

Istiusmodi *lectica hexaphoros* appellabatur. Mart. II. 81. I. V. illum supr. in *Hexaphorum*. vel maximus octonarius. Mart. IX. 3. II. supr. adductus. Et hujusmodi *octophoros* vocabatur. Cicer. Verr. v. II. *Ut mos fuit Bithynia Regibus, lectica octophoro ferebatur*. Svetonius & Apulejus. V. illos infr. in *Octophorum*. Hi portabant *lecticam* per asseres in *lectica* dictos. De illis modò laudatus Martialis. *Lips. Elect. I. 19. Scheff. de Re vehic. II. 5. Kobierzyck de Lux. Rom. II. 5.* Illis lora à collo pendentia ponderi nempe minori cum labore sublevando fuper interdum addebant. Huc pro ....l dubio trahendus Matt. II. 57. 5. in *Lectica* laudatus. *Gonsal. in Petron. p. 103.* Qui, dum hoc putat, falsus est. Locus Martialis nihil tale dicit. Sermo est non de *lectica*, sed de sella, de qua itidem haud constat, gestatoriane sit intelligenda, num verò sedentaria. Deinde illa lora non dicuntur facere ad gestationem, sed spectare ad sellam; propter ipsa lintea que sella nominatur recens. Denique haec lora Lipsius de vinculis accepit, quibus inserantur asseres, non pendentia à collo gerulorum, sed colligata in *lectica*. Quare lora nihil huc faciunt. Ostendunt potiùs, ut arbitror, structuram sellae plicatilis, quae linteo, in quo sedebant, subtenta lora habuit, quibus sustinebatur, sicut hodieque in iis videmus. *Scheffer. l. l.* Imponebant verò illos humeris & cervicibus. Plin. Paneg. c. 22. n. I. *Prioresinvehi, & importari solebant, non dico quadrijugo curru, & albentibus equis, sed humeris hominum*. c. 24. n. 5. *Illos humeri, cervicesque servorum super ora nostra vehebant*. Dicit *super ora nostra*, quia *lectica* eminebat supra homines ambulantes vulgo, & praesertim is, qui in ea ferebatur. *Supra capita, & suspensum lectica*, quod in alto super humeros bajulantium esset collocatus, dixit Seneca supra laudatus. Juven. Sat. VI. 351.

Quam qua longorum vehitur cervice Syrorum.

Unde dicebantur *succollare*, quod est *in collo collocare*, ut loquitur Catull. X. 23. qui alios sic gestabant. Plin. XXXV. 10. *Qui succollantium specie labantes mulieres trepidas ferunt*. Svet. Claud. c. 10. n. 5. *Ab his lectica impositus, & vicissim succollantibus in castra delatus est*. Et *succollari*, qui sic gestabantur. Svet. Otho. c. 6. n. 6. *Laxato calceo restitit, donec omissa mora succollatus*. Scheffer. l. l. Pitisc. in Svetonii Claudium. Habebant illos cum ceteris servitiis sumptu suo paratos. Aliquando munere amicorum, praesertim mulieres. Matt. IX. 3. II. jam productus. Minùs opu-

opulenti conducebant. Habebantque hoc fine *corpora*, item *castra lecticariorum*, sicut docent veteres inscriptiones. Ubi *castra* intelligimus certa loca per Urbem, ubi stabant parati ad ministerium, si quis vellet conducere. Memorat illa Victor in regione XIV. trans Tiberim. Videntur autem hæc corpora constitisse non tam ex servis, quàm conditionis imæ plebejis, præcipuè libertis. Inscriptio veteris:

TI. CLAUDIO
AUG. LIB
TIGRANO
EX CORPORE
LECTICARIORUM CÆSARIS.

Mart. III. 46. 1.

Exigis à nobis operam sine fine togatam,
Non eo, libertum sed tibi mitto meum.
Non est, inquis, idem. Multo plus esse probabo,
Vix ego lecticam subsequar, ille feret.

Scheffer. & Lipſ. l. l.

Lecticarii etiam dicebantur, qui sellæ subjungebantur. Senec. de Tranq. II. 14. *Quid refert, quantum habeat, quot lecticarios, quàm oneratas aures, quàm laxam sellam?* Svet. Oth. c. 6. n. 6. *Tunc properè abditus muliebri sella in castra contendit: ac deficientibus lecticariis, cum descendisset.* Lipſ. Elect. I. 19. Chimentell. de Honor. bisell. c. 9. & 24. Scheffer. de Re vehic. I. 10.

Lecticarii posteriori ævo dicti sunt, qui mortuos *lecticis* impositos efferebant, unde & nomen habuerunt. A Constantino fuerunt Constantinopoli instituti, ut gratuitam hanc defunctis operam præstarent. Novell. 43. & 59. Græci *κλινοφόρους* videntur nominasse. Ita habet Lexicon vetus Argentoratense: *Lecticarius, κλινοφόρος*. *Kirchman. de Fun. Roman.* I. 8. *Scheffer. de Re vehic.* I. 10. *Panciroll. Notit. dignit. Imp. Orient. c.* 28. *eccid. c.* 5. *Morestell. Pomp. Feral.* II. 8. §. 4. *Querstedt de Sepult. c.* 6. Vocabantur etiam decani. V. supr. in *Decanus*. Qui & eorum exemplo Romæ sunt introducti, & illos Constantinopolitanis pauciores non fuisse credendum est, qui primò 950, deinde 1100. fuerunt. Qui, cum magnus illorum esset numerus, ut facilè, & in promptu possent inveniri, unis in castris degebant, quæ *castra lecticariorum* vocata in XIV Urbis regione à Victore, & aliis erant locata. *Panciroll. ibid. Imp. Occid. c.* 5. *Kirchmann. l. l.*

LECTICARIOLA vocabatur, quæ se prostituebat servis *lecticam* succollantibus. Mart. XII. 58. 1.

Ancillariolum tua te vocat uxor, & ipsa
Lecticariola est: estis Alauda pares.

Turneb. Adv. XXX. 26. VVitell. in Meursl. c. 8. Lipſ. Elect. I. 19. Kobierzyck. de Lux. Rom. II. 5.

LECTISTERNIATOR dicebatur servus, qui *sternendis lectis* præerat. Plaut. Pseud. I. 2. 29.

Tu esto lectisterniator, tu argentum eluito, atque exstruito.

Pignor. de Serv. p. 117. Ursin. Appen. ad Ciaccon. de Triclin. p. 202. Stuck. Ant. Conviv. II. 21. Grapal. de Part. dom. II. 6. 2. Voſſ. Lex. Etymol. Guther. de Jur. vet. pontif. III. 9. Laurent. de Conviv. c. 1. Hic per mediastinos curabat, ut opinor, scopis mundari triclinium prius, quàm *lecti sternerentur*. Plaut. ibid. n. 30.

Hac, cum ego à foro revertor, facite ut offendam parata,
Versa, prasterga, strata, lautaque, coctaque omnia uti sient;
Nam mihi hodie natalis dies est.

Juven. Sat. XIV. 59.

Hospite venturo cessabit nemo tuorum:
Verre pavimentum, nitidas ostende columnas,
Arida cum tota descendat aranea tela:
Hic lavet argentum, vasa aspera tergeat alter.

Idemque aulæis, & velis insterni, quæ pulverem exciperent, ne dapes inquinaret. Horat. Sat. II. 8. 54. V. illum supr. in *Aulæum*. Ursin. & Laurent. l. l.

LECTISTERNIUM erat sacrum convivium ex victimis immolatis in templis deorum. Hæc ad templa, & pulvinaria deorum strata, vel ob lætitiam, vel ad avertendam deorum iram, in quibus plerumque senatores, ac patricii, cum conjugibus, & liberis ad delubra & aras procedebant, nonnunquam omnes tribus, & ordines etiam, pontifice maximo præeunte: in his enim & pueri ingenui, & libertini, ac item virgines, omnes coronati, lauream præferentes, cum pompa thensas, & fercula deum deferentes, tum & sacro carmine supplicare, & deum pacem exposcere solebant. Juxta deorum aras statuebantur, cum aliis ornamentis: quin & frondes virentes, & odoriferæ, ac flores omnis generis, & verbenæ ante deum ædes, & in ipsis templis sternebantur. Quoties indicerentur, à jurgiis & litibus abstinebant, & vinctis vincula demebant. Tribus diis, nempe Jovi, Junoni & Minervæ primùm ob deos placandos sunt apparata. Jovis simulacrum statuebatur in lecto recubans, Junonis, & Minervæ imagines in lectis considebant. Val. Max. II. 1. 2. *Jovis epulo ipse in lectulum, Juno, & Minerva in sellas ad cœnam invitantur.* Deinde mulcta nocte appositis epulis septem epulones introducebantur, qui cibos sacratos comedebant. Liv. V. 13. *Tristem hyemem gravis, pestilensque omnibus animalibus æstas excepit: cujus insanabili pernicie quando nec causa, nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex SCto aditi sunt. Duumviri sacris faciundis, lectisternio tunc primum in Urbe Romana facto, per dies octo Apollinem, Latonamque, ac Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum, tribus quam amplissimè tum apparari poterat, stratis lectis placavere. Privatim quoque id sacrorum celebratum est: tota Urbe patentibus januis, promiscuoque usu rerum omnium in propatulo posito, notos, ignotosque passim advenas in hospitium ductos ferunt: & cum inimicis quoque benignè, ac comiter sermones habitos, jurgiis, ac litibus temperatum. Vinctis quoque dempta in eos dies vincula: religioni deinde fuisse, quibus eam opem dii tulissent, vinciri.* Laurent. de Prand. & cœn. vet. c. 21. Conviv. vet. c. 4. Var. sacr. gentil. c. 5. Polym. IV. Synopſ. 6. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 504. C. Turneb. Adv. XXX. 32. Guther. de Vet. jur. Pontif. III. 9. Chimentell. de Honor. bisell. c. 31. Tomaſ. de Donar. vet. c. 4. Ursat. de Not. Roman. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 695. B. Falconer. Dissert. de Pyram. C. Cest. Epul. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1468. E. Voſſ. Lex. Etymol. Taffin. de ann. secul. & lud. secul. c. 11. Apud Græcos etiam usitata fuisse dicetur infr. in *Pulvinar*.

Lectisternium dicebatur etiam *lectus* ipse *instratus*, cujus icones in nummis. *Chimentell. de Honor. bisell. c.* 31.

LECTORES servos habebant veteres, qui cœnantibus librum, vel poeticum, vel historicum prælegebant. Plin. Epist. I. 15. 2. *Audisses comœdum, vel lectorem, vel lyristen, vel, quæ mea liberalitas, omnes.* Nep. Attic. 14. 1. *Neque unquam sine lectione aliqua apud eum cœnatum est, ut non minus animo, quàm ventre convivæ delectarentur.* Quin dominus ipse nonnunquam legebat. Mart. V. 80. 22.

Parva est cœnula, quis potest negare?
Sed finges nihil, audiesve fictum,
Et vultu placido tuo recumbes,
Nec crassum dominus leget volumen.

Servi hi vocabantur *anagnostæ*. V. illos supr. in *Anagnosta*. Putean. Reliq. Conviv. prisc. Ant. Roman. Græv. Tom. XII. p. 258. C. Caroli Antiq. Rom. IV. 7. Cellar. in Plinium, Loccen. in Nepotem. Buchner. in Plin. Epist. VIII. 1. Schill Nom. Phil. p. 656.

LECTUS adversus dicebatur, quem uxor primùm in manum mariti conveniens, sibi in atrio domus sternebat januæ exadversum, ut conjugii monumentum, & quasi pignus. Laber. Compital. apud Gell. XVI. 9.

Nunc tentus es tu, nunc tu susque deque fers,
Materfamilias tua in lecto adverso sedet.

Prop. IV. 12. 81. V. illum infr. in *Nuptiæ*. Ascon. in Cicer. p. 195. *Deinde omnes vi janua expugnata, & imagines deorum dejecerunt, & lectulum adversum uxoris ejus Corneliæ, cujus castitas pro exemplo habita est, fregerunt.* Scalig. in Festum in Putus. Catull. LXVII. 6. & in Propertium. Gentil. Pareig. II. 11. Voſſ. Lex. Etymol. in Janitrices.

VVou-

VVouvver. in Petron. p. 403. Sagittar. de Jan. vet. c. 20. §. 5. & 6. Oisel. in Gellium. Lipſ. Elect. I. 17. Paſſerat. in Propertium. Schill Nomencl. Philol. p. 655. Ego cenſeo eundem prorſus fuiſſe cum geniali. Nam novæ nuptæ ſternebatur cum magnifico apparatu, quem deſcribit Lucan. II. 356.

—— gradibusque acclivis eburnis
Stat torus, & picto veſtes diſcriminat auro.

Is in nuptiis ipſis dicebatur genialis. Quare ſic dictus V. infr. in *Lectus genialis*. At poſt nuptias idem mutato nomine plerumque adverſus, vel etiam genialis. Cauſa alterius nominis à poſitura, quod hunc in atrio collocari januæ exadverſum, & religiosè ſervari mos fuit, ſcilicet conjugii monumentum, & quaſi pignus. Cuique matronæ ſuus hic lectus, & in novo conjugio novus. Cicer. pro Cluent. c. 5. *Lectum illum genialem, quem biennio ante filiæ ſuæ nubenti ſtraverat, in eadem domo ſibi ornari, ac ſterni, expulſa atque exturbata, filia, jubet.* Unde Propertius quem *adverſum* dixit, idem eſt ac ſi *genialem* dixiſſet. Ducta enim uxore alia, novus genialis *lectus*, & is poſt nuptias adverſus. Quod ſervarint hunc *lectum*, diſcimus ex Lamprid. Alex. c. 13. qui inter omina imperii ponit, *quod tabula Trajani Imperatoris, quæ geniali lecto patris imminebat, dum mater eum in templo pareret, in lectum decidit.* Ecce diu poſt conjugium iſta: & tamen mentio *lecti* genialis. Nec alium intelligere eſt, quàm hunc adverſum, qui in atrio. Potius verò legendum, *lecto matris*. *Lectulos* enim iſtos matronis attribui, non maritis, perpetua obſervatio eſt: & id clarum ex locis quos adduxi. De eodem Horat. Epiſt. I. 1. 87.

—— lectus genialis in aula eſt?
Nil ait eſſe prius, melius nil cælibe vita.

Qui lucem capit ab hoc ritu. Conjugii veriſſimum, & proprium ſignum *lectus* adverſus: ideo poeta ſignum pro re uſurpans, age, inquit, maritus eſt quiſpiam? *lectum* genialem in atrio aſpicit? mallt cœlebs eſſe, & tædium fatetur ejus vitæ. Quàm aptum autem ad hunc morem, quod addit, *in aula*. Nam aula profectò hic eſt atrium. Servabatur, non tam ad uſum, quàm ad religionem: aut, ſi ad uſum, non promiſcuum conjugum, ſed matronarum tantum, quæ in eo ſolitæ ſedere, & operas ſuas edere. Prop. ibid. n. 82.

Sederis & noſtro cauta noverca toro.

& Laber. l. l. Lipſ. Elect. l. l. Torrent. in Horatium, Paſſerat. in Propertium, Cerd. in Virg. Æneid. IV. 496. Schill Nom. Phil. p. 655. Canter. infr. in *Nuptia*.

Lectus, ægroti quo ad medicos portarentur, veteribus fuit in uſu. Clemens in vita Petri: τῷ δὲ Πέτρῳ κλινήρει εἰς τὴν Σιδῶνα manibus acto. Nam & talia vehicula uſitata fuiſſe docet nos πολλοὺς ἐπὶ κλινῶν φέροντες εἰς ὄψιν ἐπιθεσαν. *Fertorium* vocatur Cœlio Aureliano ſupt. in *Fertorium*. Barth. Adv. XLI. 25.

Lectus Archiacus eſt humilis, parvus, inelegans, non ſumptuoſus, ab Archia quodam non optimo artifice ſic dictus. Horat. Epiſt. I. 5. 1.

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis.

Ita *lectos* rudes, impolitos, inelegantes, antiquos *Soterici* de artificis nomine vocat Senec. apud Gell. XII. 2. *Qui hujuſcemodi verſus amant, liquent tibi eoſdem admirari & Soterici lectos.* Turneb. Adv. I. 18. Hos ab illo dictos Acron ad iſtum modum docet: *Archaici lecti humiles ab Archaico fabro, qui non magnæ ſtaturæ dicitur.* Sed ille nugatur, quiſquis eſt. Nam Acronem non eſſe vel cœco apparet. Porphyrion verò ſic: *Archias breves fecit lectos, unde Archiacus.* Ne id quidem ſanum, aut dignum, quod ex tanti auctoris officina profectum exiſtimetur. *Nann. Miſc.* IV. 18. *Zurck ad Horatium.* Ita tamen plures codices legunt, ſed tres optimi noſtri habent *archaicis*. Et hæc lectio magis placet, ut Græco vocabulo Poeta uſus ſit. Græci autem ἀρχαϊκὸν vocant, quicquid veterum ſimplicitatem, ab omni fuco, & aſſentatione alienam, præ ſe fert, ſive de moribus, ſive de ſermone, ſive etiam de operibus agatur. Plutarch. Poplicola: *Simplex & antiqui operis ſtatua.* Ἁπλῶς αἰδοῖος καὶ ἀρχαϊκὸς τῇ ἐργασίᾳ. Dionyſ. II. p. 93.

Ego ſpectavi in ſacris ædibus cœnas diis propoſitas in menſis ligneis archaicis. Torrent. Lambin. Cruq. ad Horatium. Luiſin. Parerg. III. I. Nann. l. l.

Lectus cubicularia dicebatur, quem habebant nocturnæ quietis cauſa in cubiculis. Cicer. de Divin. II. 65. *Defert ad conjectorem quidam, ſomniaſſe ſe, ovum pendere ex faſcia lecti ſui cubicularis.* Lamprid. Heliog. c. 20. *Solido argento habuit lectos, & tricliniares, & cubiculares.* Turneb. Adv. XXIV. 4. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 512. Torrent. in Horat. Epiſt. I. 5. 1. Stuck. Ant. Conviv. II. 34. Baccius de Conviv. I. 8. Laurent. de Prand. c. 21. Schill Nom. Philol. p. 654. Alii erant humiles, de quibus Svet. Aug. c. 73. nu. 2. *Ne toro quidem cubuiſſe ajunt, niſi humili, & modicè inſtrato.* In eos ſcanſione ſimplici, & ſcamno aſcendebant: alii altiores erant, in quos ſubſelliis conſcendere oportebat, in alios gradibus aſcendebatur. In *lectis* erant tori pluma farti, aut paleis. Senecæ *culcita humi jacebat, ipſe in culcita*. Epiſt. 87. Non erant pannis oppanſis clauſi. Ideo Auguſtus apud Svet. c. 82. n. 2. cum meridianum ſomnum caperet *æſtate, apertis cubiculi foribus, ventilante aliquo cubabat.* Buleng. de Conviv. I. 29.

Lectus ferreus, diverſus à craticula, erat enim veri ſtrati inſtar longus, paullìſper elevatus, ut ignis poſſet ſupponi, cum ferri fruſtis in obliquum ductis, tabularum loco, paullum inter ſe diſtantibus. *Laurent. de Rebuſp.* c. 7.

Lectus funebris erat, quo mortui efferebantur. Tibull. I. I. 75.

Flebis & arſuro poſitum me Delia lecto.

Perſ. Sat. III. 103. V. illum ſupr. in *Cadaver*. Græci dixerunt κλίνην, & more Latino λέχος. *Herald. Adv.* I. 9. Potentioribus ſternebatur fulcro eburno fultus, Prop. II. 10. 21.

Nec mihi tum fulcro ſternatur lectus eburno.

Buleng. de Conviv. I. 30. Herald. Adv. I. 9. Corollis, ac floribus ornabatur, ſive ut hac florum ſpatione in memoriam ſibi revocarent ævi hujus brevitatem, *& quæ ſpectatiſſimè floreant, celerrimè marceſſere*, ut ait Plin. XXI. 1. ſive ut defunctis animabus honorem haberent. Hoc factum tradit in funere Scipionis Plin. XXI. 3. *Aſſes ergo contulit populus, ac funus locavit, quaque præferebatur, flores è proſpectu omni ſparſit.* Et in funere filiæ Virginii Dionyſ. XI. p. 719. *Quare ædibus exſiliebant & mulieres, & virgines, caſum illum lugentes, atque aliæ flores, & coronas in lectum jaciebant, aliæ faſcias aut zonas, aliæ vittas virginalis comæ, nonnullæ etiam detonſos crinium tortorum cincinnos: & multi viri ex proximis officinis capientes alia pretio perſoluto, alia gratis, funus, quod efferebatur, donis convenientibus ſimul ornabant.* Kirchman. de Fun. Rom. I. 11. Plures uni mortuo præferebantur, etſi id prohibitum eſſet lege XII. tab. quæ extat apud Cicer. de Leg. II. 24. *Pluſ. a. fonera. unei. nei. facito. neive. pluſeis. lectos. endoferto.* Sic, ut auctor eſt Serv. Æneid. VI. 861. *in funere Marcelli* Auguſtus *ſexcentos lectos* præferri juſſit: *& Sylla ſex millia habuit. Hoc apud majores glorioſum fuerat.* Et apud Tacit. Annal. XVI. 11. 3. *Largitur in ſervos quantum aderat pecuniæ, & ſi quæ aſportari poſſent, ſibi quemque deducere, tres modò lectulos ad ſuprema retineri jubet.* Paternæ, maternæque gentis imagines in iis collocabantur. *Kirchman. ibid.* I. 7. *Meurſ. de Fun.* c. 20. *Cujac. Obſerv.* III. 23. *Ritterſh. in Leg.* XII. *tab. Claſſ.* I. c. 11. *Hotman. Antiq. Roman.* p. 395. *F.* Ille *funeris* propriè Libitina dicebatur. V. infr. in *Libitina*. Simul cum corpore comburebatur. Tibull. l. l. Illi ignis ſupponebatur, *ὡς εἰκός*. Virg. Æneid. VI. 223. V. illum infr. in *Thus*. Prop. II. 10. 31.

Deinde ubi ſuppoſitus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula teſta meos.

Herald. l. l. Et ideo farciebatur papyro, ſcirpo, & alia omni materia combuſtili, dum pyræ inferebatur, & cum corpore cremabatur. *Salmaſ. Exerc. Plin.* p. 848. *F.* De papyro eſt illud Paullini:

Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Ad *lectos* papyro fultos pertinet hoc Mart. VIII. 44. 14.

Fartus papyro dum tibi torus crescit.

Scirpum ad funera esse utilem docet Plin. XVI. 37. *Scirpi fragiles, palustresque . . . funeribus serviunt.* Voss. Lex. Etymol. in Scirpus.

Lectus genialis, *qui nuptiis sternebatur in honorem genii.* Festus. Serv. Æneid. VI. 603. *Geniales propriè sunt, qui sternuntur puellis nubentibus: dicti à generandis liberis.* Lips. Elect. I. 17. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 9. Dacer. in Festum. Brisson. de Rit. nupt. p. 104. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 16. Toga sternebatur. Arnob. II. p. 91. *Cum in matrimonia convenitis, toga sternitis lectulos, & maritorum genios advocatis.* Turneb. Adv. XIII. 14. Ferrar. de Re Vest. I. I. 25. Casal. de Rit. nupt. c. 1. Laurent. de Sponsal. c. 1. Elmenhorst. in Arnobium. Et quidem purpurea. Catull. LXII. 46.

Tota domus gaudet regali splendida gaza.
Pulvinar verò divæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchylis purpura fuco.

Juvenalis mox laudandus. *Grang. in Juvenalem.* Eundem pro puerperis stratum fuisse suadet Prudent. contr. Symm. I. 254.

Nondum maternam partu vacuaverat alvum,
Conceptamque viri sobolem paritura gerebat
Pronuba; jam gravida fulcrum geniale paratur.

Sternebatur autem vel palam in hortis, ut ille in Lucullianis apud Juven. Sat. X. 334.

—— Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur.

Vel etiam in atrio domus, ante ipsam januam, qui idcirco adversus dictus. De quo accipiendus Propertius in *Lectus adversus* laudatus. *Bartholin. de Puerp. vet. p. 55.* Qui Propertii carmen Catullo perperam transcripsit.

Lectus lucubratorius brevis erat. In illo legebant, & commentabantur. Pers. Sat. I. 52.

—— non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis.

Buleng. de Conviv. I. 29. Casaub. in Persium. Schill Nom. Philol. p. 654. V. & supr. in *Lectica lucubratoria.* Ejus pulvino solebant subjicere auctores, quibus maximè delectarentur: quod Platonem fecisse in Sophrone mimographo scribunt veteres. Ptolemæus Hephæstionis filius V. p. 326. Edit. Paris. *Demetrio Scepsio mortuo Tellidis liber ad ejus caput inventus est.* Spartian. in Æl. Ver. c. 5. *Ovidii libros amorum in lecto semper habuit.* Casaub. in Spartianum. Ego hoc non tam ad lucubratorios istos, quàm dormitorios, vel tricliniares etiam, quibus ad mensam discumbebant, referendum existimo. Nam & inter cœnandum legebant: & noctu cubantes in somnum hac ratione solvebantur. Quo autem quisque maximè delectatur, hoc legit quisque præcipuè, & secum semper habet. Ita & Alexander Magnus Homeri Iliada plurimi æstimabat, ut semper sub pulvino cum pugione habuerit. Plutarch. Alex. p. 668. C. *Buchner. in Plin. Epist. V. 5. Schill Nomencl. Philol. p. 655.*

Lectus pensilis in balneis erat in usu. Plin. XXVI. 3. *Et quoniam causas morborum scrutari prior Herophilus instituerat, vini rationem illustraverat Cleophantus apud priscos, ipse cognominari se frigida danda præferens, ut auctor est M. Varro; alia quoque blandimenta excogitabat, jam suspendendo lectulos, quorum jactatu aut morbos extenuaret, aut somnos alliceret.* Baccius de Therm. vet. c. 11. Tomas. de Donar. c. 9. Etiam in curribus & pilentis. Juven. Sat. I. 58. laudatus infr. in *Pulvinus.* Laurent. de Prand. c. 21.

Lectus tricliniaris dicitur Lampridio supr. in *Lectus cubicularis,* & quidem ob id, quod in triclinio sternebatur. *Ursin. de Triclin. p. 220. Turneb. Adv. XXIV. 4. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 512. Stuck. Ant. Conv. II. 34. Bacc. de Conviv. I. 8. Laurent. de Prand. c. 21.* temporibus primis fiebant hi è stramento, &, ut ait Varro, ex herba torta, unde & tori appellati, qui à Græcis *στιβάδες,* & *στιβάδια* dicti sunt. V. infr. in *Torus.* Postea ex lapide, V. infr. in *Stibadium.* Ursin. ibid. p. 226. Stuck. l. l. & ligno quovis. Senec. Epist. 95. *Proderit narrare, & exponere Tuberonis ligneos lectulos, cum in publicum sternerentur, hædinasque pro stragulis pelles.* Sed prodeuntibus è pretioso, aut testudinum sectis laminis, ebore, argento, atque etiam auro vestiti, aut etiam solidi. Plin. XVI. 43. *Quæ in laminas secantur, quorumque operimento vestiatur alia materies, præcipua sunt citrum, terebinthus, aceris genera, buxum... Excogitata sunt & ligni bractea, nec satis; cœperunt tingi animalium cornua, & dentes secari, lignumque ebore distingui, mox operiri. Placuit deinde materiam & in mari quæri. Testudo in hac secta. Nuperque portentosis ingeniis principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderet se, plurisque veniret imitata lignum. Sic lectis pretia quæruntur, sic terebinthum vinci juvat, sic citrum pretiosius fieri, sic acer despici. Modò luxuria fuerat contenta ligno, jam lignum etiam è testudine factum.* IX. 11. *Testudinum putamina secare in laminas, lectosque & repositoria iis vestire Carbilius Pollio instituit.* Macrob. III. 13. refert ex indice cœnæ Metelli pontificis maximi, quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus est, triclinia *lectis* eburneis strata fuisse. Plin. XXXIII. 11. *Lectos verò mulierum,* inquit, *jam pridem totos operiri argento, & triclinia quædam, quibus argentum addidisse primus Carbilius Pollio eques Romanus non ut operiret, aut Deliaca specie faceret, sed Punicana. Dein & aureos fecit, nec multo post argentei Deliacos imitati sunt.* Eos ex argento solidos Heliogabalum habuisse retulit Lampridius supr. in *Lectus cubicularis.* Sed multò ante eos aureos jam in usu fuisse refert Plin. XXXVII. 2. cum scribit *Cn. Pompejum in tertio triumpho, quem de piratis, Asia & Ponto egit, lectos tricliniares tres ex auro transtulisse.* Hinc Virg. Æneid. VI. 603.

—— lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris.

Pedes, quibus fulcirentur, & fulcra ex ligno, ære, aut etiam argento erant. Ter. Ad. IV. 2. 46.

SY. *Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit.*
DR. *Ubi potetis vos.*

Plin. XXXIV. 10. *Antiquissima æris gloria Deliaco fuit, mercatus in Delo concelebrante toto orbe, & ideo cura officinis tricliniorum pedibus, fulcrisque ibi prima nobilitas æris.* c. 3. *Triclinia ærata, abacosque, & monopodia Cn. Manlium Asia devicta primum invexisse triumpho suo, quem duxit anno Urbis 567. L. Piso auctor est. Antias quidem L. Crassum hæredem L. Crassi oratoris multa etiam triclinia ærata vendidisse.* Fulcris quidam caruerunt. Varr. de Ling. Lat. VII. *Quod si esset analogia sequenda in supellectile, omnes lectos haberemus ad unam formam, & aut cum fulcro, aut sine eo.* Pedes verò partim rotundos, & tornatos, partim alia atque alia forma effictos in marmoribus Romæ videmus. *Ciaccon. de Triclin. p. 7. . . . . Bacc. de Conviv. ant. I. 8. & 9. Buleng. de Conviv. I. 30. Ursin. ibid. p. 226. . . . . Stuck. l. l.* In simulacra varia formabantur. Etymol. magn. *Hermis lecti pes. Quoniam in ipsis sculpebant signa Mercurii, tanquam præsides somni, & somniorum.* Idem Hesych. in Ἑρμῖνα. *Figrel. de Stat. Rom. c. 6.* Inter illos, & triclinii parietes relinquebatur tantum spatii, quantum satis esset servientibus ad ministrandum, qui dicebantur ad pedes stare Mart. III. 82. 18.

At ille retro flexus ad pedum turbam.

VII. 19. 18.

Nec esculenta sufficit gula præda,
Misto lagenam replet ad pedes vino.

Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 19. Longitudinem fuisse pedum sex, & paullò plus: latitudinem trium pedum scribit Aristot. Mechan. sect. 25. Fuerunt verò humiles, paullò inferiores mensa, quam cingerent, ut assurgerent, & in cubitum convivæ niterentur, cum cibum appeterent. *Buleng. ibid. c. 19. Ursin. ibid. p. 220.*

LEG.

LEGATA omnia directis verbis, legitimis, civilibus, & imperativis relinquebantur. *Legabantur* quatuor modis. I. per vendicationem his verbis: *do, lego.* Item his: *capito, sumito,* sive *habeto.* II. per damnationem his: *hæres meus*

meus damnas esto dare. Et ejusmodi formula testator dicebatur *damnare heredem.* Sed & per illam *legabatur* ita: *Heres meus dato, facito, heredem meum dare jubeo* III. finendi modo, his verbis: *Heres meus finito, vel damnas esto finere Lucium Titium sumere illam rem, sibi habere.* IV. per præceptionem, his verbis: *Lucius Titius illam rem præcipito, è medio sumito, sibi habeto, vel præcipiat, è medio sumat, habeat:* vel, *è medio,* seu *è media hereditate sumito.* Quæ *legati* species in Magnonis notis hoc notarum compendio stringitur, P.S.T.Q.H. id est, *præcipito, sumito, tibique habeto.* Brisson. de Form. VII. p. 625. Interdum purè dabantur, interdum iis dies adponebatur. Puris interdum adjiciebatur, ut præsenti die darentur, veluti: *Titio centum aureos præsens dato.* Quæ adjectio etsi supervacua esset, quantum ad vim, & effectum *legati* pertinebat; tamen eam, quæ ex vulgari clausula fiebat, prorogationem impediebat. In diem *legabatur*, veluti: *annua, bima, trima die.* Quod interdum relinquebatur cum adjectione hac: *æquis pensionibus, vel pensionibus iniquis, vel boni viri arbitratu, vel pensionibus, quas putaverit legatarius.* Dies eorum, quæ purè ab initio data erant, quandoque proferebatur, & per hanc scripturam: *quas pecunias legavi, quibus dies appositus non est, annua, bima, trima die heres meus dare damnas esto:* vel, *quas pecunias legavi, quibus dies appositus non est, eas heres meus annua, bima, trima die dato.* Atque hic erat vulgaris sermo, quo præsentia *legata* proferebantur. Interdum intra certum tempus peti non poterant, ex formulis: *testator legata intra quinquennium vetuit peti, præstarique.* Quandoque cum præfinitione annorum dabantur, veluti: *Titio dena usque ad annos decem. Attiæ donec nubat, quinquaginta damnas heres meus esto dare, & quoad vidua erit, dum uxor mea cum filio erit, quoad in potestate patris sit, usque dum filia mea annos impleat octodecim.* Brisson. ibid. p. 658. Singula, cum lege XII. tab. latissima potestas data esset vel totum patrimonium *legatis* erogare, & recusarent hæredes pro nullo, vel minimo lucro hæreditatem adire, lege Furia, V. illam infr. in *Lex Furia*, certam quantitatem excedere prohibebatur: Voconia verò, V. illam infr. in *Lex Voconia*, plus uni legatario relinquere, quam quantum apud hæredes maneret, non licebat, *August. de Legib. in Voconia* §. 5.

LEGATIO libera dicebatur, qua florente adhuc Roma à senatu donabantur, qui etiam suarum, non publicarum rerum causa abiissent, quo majore cum dignitate abessent. Cicer. Fam. X. I. *Cum in his angustiis versarer, placitum est mihi, ut postularem legationem liberam mihi, reliquisque nostris, ut aliqua causa proficiscendi honesta quæreretur.* Svet. Tib. c. 31. n. 2. *Prætor designatus liberam legationem impetravit.* De *legationis* hujus tempore Cicer. Attic. XV. XI. *Habent opinor liberæ legationes definitum tempus lege Julia, nec facilè addi potest ad id, quod ad deos, genus legationis, ut cum velis, introire, exire, liceat: quod nunc mihi additum est. Bella autem est hujus juris quinquennii licentia. Quanquam quid de quinquennio cogitem, contrahi mihi negotium videtur.* Paschal. de Legat. c. 13. Pollet. For. Roman. III. 10. Sagittar. Or. Jenens. Dissert. XVII. Bud. in Pandect. p. 272. Tiraquell. in Alex. VI. 3. Laz. Comment. Reip. Roman. II. 6. Manut. in Cicer. Fam. XI. I. Zamosc. de Senat. Roman. I. 16. August. de Leg. in Julia de Legationibus. Cujac. Observ. IX. 29. Turneb. in Cicer. de Leg. III. p. 197. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 92. F. Pitisc. in Svet. Tib. c. 12. nu. I. Schill. Nom. Phil. p. 657.

Legatio muta dici posset, quæ plura signis, quàm verbis demonstrabat, per quædam nimirum obscuritatum, & ænigmatum involucra, & obibatur nuntiorum, sive legatorum ministerio, quo mittebantur literæ, tesseræ, dicta quandoque arcana, & occulta, quandoque publica, & sollennia, sæpè ita tecta, & obscura, ut illi uni, quos inter commeant, quid iis signetur, sciant, non etiam illi quorum aut ori, aut manibus creduntur. De hoc genere fuerunt illa, quæ nuntius Periandri exposuit Thrasybulo, & Tarquinii Sexto filio. Ille altiores spicas apud Herodot. V. p. 368. D. Aristot. Polit. III. 13. hic summa papavera baculo decussa apud Liv. I. 54. renuntiaret. *Paschal. de Legat. c.* 5.

Legatio votiva dicitur, quæ commemoratur à Cicer. Attic. XV. 8. *Quod autem aditus ad eum difficilior esse dicitur, scripsi ad Eutrapelum, ut is ei meas literas redderet, legatione mihi opus esse, honestior est votiva: sed licet uti utraque.* II. *Sed heus tu, ne forte sis nescius, Dolabella me sibi legavit a. d. 4. Non. April. id mihi heri vesperi nuntiatum est. Votiva ne tibi quidem placebat. Etenim erat absurdum, quæ, si stetisset Respublica, vovissem, ea me, eversa illa, vota dissolvere.* Laz. Comment. Reip. Rom. II. 6.

LEGATIVUM vocabatur *legatorum* viaticum. Arcad. Charis. l. 18. §. 12. ff. de muner. & honor. *Legati quoque qui ad sacrarium principis mittuntur, quia viaticum, quod legativum dicitur, interdum solent accipere, personale munus ineunt.* Pancitoll. de Magistr. mun. c. 26. Salmuth in Pancitoll. de reb. deperd. & inv. p. 664. Græci vocarunt *πορεῖον ὁδοιπορικὸν ἐφόδιον*. Dubitatum est, an is, cui non datum est, nihilominus in *legationem* proficisci debuerit. Qua de re audiendus est hæc, sive vera, sive ficta scribens Cicer. de Invent. II. 29. & è Cicerone Mart. Capell. de Nupt. Philol. V. *Rhodii quosdam legarunt Athenas. Legatis quæstores sumptum, quem oportebat dari, non dederunt. Legati profecti non sunt. Accusantur. Intentio est, proficisci oportuit. Depulsio est, non oportuit. Quæstio, oportueritne. Ratio est: sumptus enim qui de publico dari solet, is à quæstore non est datus. Infirmatio est: vos tamen id, quod publicè vobis datum erat negotii conficere oportebat. Judicatio est, cum iis qui legati erant, sumptus, qui debebatur, de publico non daretur, oportueritne eos, qui legati erant, conficere nihilominus legationem.* Paschal. Legat. c. 73.

Legatum caducum. } V. illa supr. in *Cedere diem*.
Legatum vindicationis. }

LEGATUS est is, qui lectu, missuque publico publicum negotium peregrè agit, non militari manu, sed eloquio, & viribus ingenii. Cum enim *legare* sonet mittere, *legatus* utrumque significat, & lectus, & missus. *Paschal. Legat. c.* I. Semper *legati*, qui cum mandatis ad exteras nationes, & cum Imperatoribus in exercitum, aut cum magistratibus in provincias irent, ex auctoritate senatus delegebantur. Cicero ideo Vatinium, qui sibi legatione sua detulerat legationem, hoc modo interrogat c. 15. *Volo audire de te, quo tandem Sctô legatus sis? de gestu intelligo, quid respondeas: tua lege dicis. Es ne igitur patriæ certissimus parricida? sperasras ne id, ut patres conscripti ex Republica fundatus tollerentur? ne hoc quidem senatui relinquebas, quod nemo unquam ademit, ut legati ex ejus ordinis auctoritate legarentur? adeone tibi sordidum consilium publicum visum est, adeo afflictus senatus, adeo misera & prostrata Respublica, ut non nuntios pacis, & belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilii auctores, non ministros muneris provincialis senatus more majorum deligere posset?* Et sic in Pisonem invebitur in Sext. c. 14. *Pro te ipso Piso nemo ne vestem mutavit? ne isti quidem, quos legatos non modo nullo Sctô, sed etiam repugnante senatu, tute tibi legasti.* Etiam à magistratibus. Liv. XLIII. I. *Decernunt frequentes, ut C. Sulpicius prætor tres ex senatu nominet legatos.* Sed *veteres exempla, ne ambitioni, aut inimicitiis locus foret, legationibus sortem posuisse* dixit Eprius Marcellus apud Tacit. Hist. IV. 8. I. *Zamosc. de Senat. Roman.* II. 17. *Sigon. de Ant. jur. prov.* II. 2. Eprium tamen ut manifestum vanitatis pluribus refellit, & *legatos* esse sorte ductos se nondum invenisse testatur *Paschal.* l. h. Illis, qui in *legationibus* operam suam Reipublicæ navabant, antiquis temporibus dabantur annuli aurei. Plinius. V. illum supr. in *Annulus.* Illa quoque ætate quosdam *legatos*, qui Athenas propter leges jerant, decemviros creatos à Livio didicimus, ut pro *legatione* tam longinqua præmio esset honos. Qui autem ferro in *legatione* esset interfectus, mors ejus, statua ex Sctô posita, honorabatur. Jus verò illud tractatur à Cicerone integra Phil. IX. *Zamosc. ibid.* I. 17. Erant jure gentium sacrosancti, & inviolabiles. Cicer. Verr. I. 33. *Legati nomen ejusmodi esse debet, quod non modo inter sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur.* Hinc justa & acerba

acerba querela Hannonis apud Liv. xxi. 10. *Legatos à sociis, & pro sociis venientes bonus Imperator vester in castra non admisit, jus gentium sustulit.* Unde & *hostium jus* appellat Tacit. Annal. 1. 42. 3. *Hostium jus*, inquit, *& sacra legationis, & fas gentium rupistis.* Nam, ut dicit Cæs. de Bell. Gall. 1. 9. *Legatorum nomen ad omnes nationes sanctum, inviolatumque semper fuit.* Schook. Achaj. vet. c. 22. Feith Antiq. Homer. iv. 17. Grot. de jur. bell. & pac. ii. 18. 4. Illorum violatores semper infames, & invisos fuisse, maximisque pœnis affectos, docet *Paschal. ibid. c.* 26. Coronabantur verbena. Hegesipp. 1. 36. Talis nimirum legatio inter ipsos hostes erat veluti quædam pacis sequestra: Quanquam & *legatos*, olea velatos, sicuti pacem petentes, legimus. Virg. Æneid. vii. 153:

Centum oratores augustà ad mœnia Regis
Ire jubet ramis velatos Palladis.

Stat. Theb. ii. 389.

—— ramus manifestat olivæ
Legatum.

Certè hostem credebatur exuisse is, qui, quod se conciliatorem pacis profiteretur, tam venerabili cultu insignis incedebat. *Paschal. de Coron.* iv. 19. *Cerda ad Virgilium.*

Legati civitatum ab ordine decurionum plerumque ad Principem etiam inviti mittebantur hi, qui trium superstitum filiorum numero excusati non fuissent, l. 1. C. de legat. lib. x. vel qui biennio pòst aliam susceptam *legationem* non vacavissent, l. 3. C. eod. Ob leves causas olim ad Principem mittebantur. Nam Byzantii quotannis ad salutandum Trajanum cum viatico, seu *legativo* duodecim millium nummum destinabant, quod Princeps prohibuit. Plin. Epist. x. 52. 1. *Requirenti mihi Byzantiorum Reipublicæ impendia indicatum est legatum ad te salutandum omnibus annis cum psephismate mitti, eique dari nummum duodena millia.* Hæ *legationes*, ut superfluæ, sunt arctatæ, & statutum, ut nonnisi ex necessaria causa mitteretur ad Principem, & causam comprobaret præses, qui suis literis *legatum* comitabatur, ut Honorii, & Theodosii rescripto cavetur, l. ult. C. eod. quod etsi de Alexandrinis loquitur, juris tamen interpretes ad alias civitates extendunt. Civitas verò debebat *legatum* eligere, & decretum de eo mittendo scribere, cui decuriones subscribebant. Et hoc Græcè psephisma vocatur. Cicer. pro Flacc. c. 6. & 8. & Plin. l. l. *Legationes* quomodo ordinarentur, Honorius ad Monaxium P. P. scribens his verbis explicat, l. quoties 15. C. Theod. *Quoties legatio destinatur, universos curiales præcipimus, qui intra Urbem constituunt, si non ægritudine, vel alia excusabili necessitate impediuntur, in locum curiæ convenire, & decreta sua propria subscriptione firmata viro spectabili præfecto Augustali insinuare, ut ejus relatione tuis virtutibus intimata, & sub examine tuo perpensa, venire necne legati debeant, ordinetur, nulli penitus legatione libera committenda.* In eligendis hic ordo servabatur, ut priùs his, qui ætate, dignitate, & loco præcedebant, hoc munus demandaretur, nisi fortè rei magnitudo primores eligi desideraret: tunc enim ab hoc ordine receditur, l. 3. §. præses. ff. de mun. & honor. l. 4. §. pen. ff. eod. Quo tempore quis fungitur *legatione*, neque alienis, neque propriis negotiis interponere se debet, l. Paullus. in fi. ff. eo. Numerus quoque *legatorum* est præfinitus, ne plures quàm tres mittantur, l. 4. fi. ff. eo. Proprium verò, & personale munus est *legationis*, quod per alium quàm filium perfici non potuit, d. l. 4. §. legati. Privilegium habent, ne conveniantur in causis civilibus tempore, quo legatione funguntur, ne à ministerio, & officio sibi injuncto avocentur, l. si quis in legatione, l. non alias §. 1. & 2. cum l. seq. ff. de judic. l. non disting. §. item. si quis ff. de arbitr. l. cum qui §. de constit. pecun. l. 3. & 5. ff. eod. Creabantur & ad census accipiendos, quod & ipsum munus personale erat. Hermogenian. l. 11. de legat. *Ad census accipiendos legati creari videbantur, quum ad debita Reipublicæ vectigalia accipienda mittebantur.* Si in *legatione* deliquerint, vel ipsi, vel eorum servi Romæ puniuntur, d. l. non alii. Debitores Reipublicæ, aut infames *legati* fieri non possunt, l. 4. in princ. & §. 1. ff. eod. Vehebantur veredis cursus publici, siquidem Valerianus eos, qui ex causis minùs necessariis venerint, cum injuria animalibus propriis ad provinciam reverti jussit, l. 6. C. Theod. de legat. Gratianus, cum universa diœcesis unum, vel duos *legatos* ad Principem mittendos elegerit, unius rhedæ cursus publici illis evectionem concedit. Cum universa diœcesis de *legato* ad comitatum Imperatoris mittendo conveniebat, nullum requirebatur decretum, nec alicujus judicis negotiorum examinatio, sed quod majori parti primarum civitatum placuisset, obtinebat, l. 9. C. de legat. Cum ad Principis comitatum pervenissent, priùs in præfecti prætorio audita eorum petitione, nulla tamen facta determinatione examinabantur, deinde in Principis consistorio ab epistolaribus recitabantur, qui ex sententia Principis responsum scribebant, l. quotiescunque 10. C. Teod. eod. *Pancirol. de Magistr. municip. c.* 26.

Legati gentium exterarum, undecunque Romam missi, ad ædem Saturni accedebant, ibique nomina sua dabant ærarii præfectis. Plutarch. Quæst. Roman. 42. *An hoc fit eo, quod Saturnus cum fuerit peregrinus, hospitibus gaudeat? Aut historia potiùs quæstionem solvit? Antiquitus enim, ut apparet, quæstores legatis munera mittebant, quæ lautia dicebantur, ægrotantium curam suscipiebant, mortuisque funus è publico faciebant. Nunc autem ob multitudinem legatorum qui veniunt, sumptu omisso, id tamen servatur, ut legati accedant præfectos ærarii, qui eorum tabulas in nomina referunt.* Zamosc. de Senat. Roman. ii. 18. Gentil. de Legat. 1. 16. Franckenstein de Ætat. pop. Roman. c. 4. Blond. Triumph. Roman. v. p. 110. H. Illis responsa ex publici consilii sententia semper dabantur. Ideoque hoc modo illos excipiebant, & audiebant. Si quando Reges, aut *legati* venire nuntiarentur, primò, quid vellent, ab exploratoribus cognoscebatur, postea ad eos egrediebantur magistratus minores. Istud munus quæstoribus defert Liv. xlv. 13. *Egresso nave Masgabæ Masinissæ filio præsto fuit L. Manlius quæstor.* *Legati* autem sociorum, & amicorum Regum, aut populorum non excludebantur Urbe. Unde narrat Liv. xxx. 43. pace decreta à senatu, permissum Carthaginensibus *Urbem introire, & colloqui cum civibus suis, qui capti in publica custodia essent.* Et Varro, Græcostasin prope curiam Hostiliam fuisse locum substructum, ubi nationum legati ad senatum missi subsisterent, prodidit. V. supr. in *Græcostasis*. Quæ illis hospitii gratia dabantur, lautia dicebantur. V. illa supr. in *Lautia*. Zamosc. l. l. *Lege Gabinia sanctum fuit, ut ex Kal. Febr. usque ad Kal. Mart. legatis* exterarum nationum *senatus quotidie daretur.* Cicer. Fratr. ii. 12. Qui & Fam. 1. 4. negat *senatum haberi ulla dere posse mense Februario toto, nisi perfectis, aut rejectis legationibus.* Eo fit, ut ad Frat. ii. 11. scripserit: *De Commageno Rege, quod rem totam discusseram, mirifice mihi & per se, & per Pomponium blanditur Appius. Video enim, hoc dicendi genere si utar in cæteris, Februarium sterilem futurum.* August. de Legib. in Gabinia. Zamosc. l. l. Paschal. Legat. c. 40. Cognitionem patrum proscriptorum poscebant à maximo, qui in Urbe esset, magistratu, hicque cum patribus visum esset, eos in senatum introducebat. Unde in explicatione rerum à Romanis bello Hannibalis gestarum ferunt apud Liv. xxx. 40. *legatis Carthaginensium, & Philippi Regis petentibus, ut senatus sibi daretur, responsum esse jussu amplissimi ordinis, consules novos eis senatum daturos esse.* Introducti mandata exponebant per interpretem, etiam qui nationis, sermonisque essent Græci, quem nemo non modò senatorum, sed ne elegantium quorumvis hominum Romæ ignorabat. Val. Max. ii. 2. 3. *Quis huic consuetudini, qua nunc Græcis actionibus aures curia exsurdantur, januam patefecit? ut opinor, Molo Rhetor, qui studia M. Ciceronis acuit. Eum namque ante omnes exterarum gentium in senatu sine interprete auditum constat.* Magna verò laus senatorum *legatos* bene interrogare, & efficere ut aliquid, quod nollent fortasse, responderent, percunctandi arte, & calliditate irretiti. Hoc ejus, qui senatum habebat, jussu, concessuque, postquam illi dixissent, fieri solitum ex Liv. xxx. 22. manifestum est. *Cum*

more,

more, ait ille, *tradito à patribus potestatem interrogandi, si quis quid vellet, legatos prætor fecisset: senioresque, qui fœderibus interfuerant, alia alii interrogarent, nec meminisse se per ætatem dicerent legati, conclamatum ex omni parte curiæ est, Punica fraude electos, qui veterem pacem repeterent, cujus ipsi non meminissent*. Zamosc. l. l. Paschal. ibid. c. 82. Responsa non subitò, & temerè, verùm jussis excedere ex templo *legatis*, re diu, multumque agitata, & deliberata, dabant. Sic enim apud Livium sequitur: *Emotis deinde curia legatis, sententiæ interrogari cœptæ*. Et XXXVIII. ita scriptum est: *Ceterum & præsentes interrogationibus undique senatorum concessionem magis noxæ, quam responsa exprimentium fatigati sunt; & excedere curia jussi magnum certamen præbuere*. Quod senatui placuisset, ejus nomine magistratus respondebat. Liv. VIII. 2. *Cum de postulatis Samnitum Ti. Æmilius prætor senatum consuluisset, reddendumque his fœdus patres censuissent, prætor Samnitibus respondit*. Zamosc. l. l.

Legati hostium in Urbem non admittebantur, tanquam ad speculandum veriùs missi, quàm ad præstandam bonam fidem: sed iis & hospitium, & senatus extra Urbem dabatur. Liv. XXX. 21. *Carthaginiensium legatis vetitis ingredi Urbem hospitium in villa publica, senatus ad ædem Bellonæ datus est*. XLII. 36. *Per idem tempus legati ab Rege Perseo venerunt. Eos in oppidum intromitti non placuit, cum jam bellum Regi eorum, & Macedonibus, & senatus decrevisset, & populus jussisset*. Hinc est, quod Rhodiorum *legati* queruntur apud eundem XLV. 22. *se prope hostium more, extra Urbem manere jussos*. Imò illis respondebatur ferociter, & ipsa Italia intra paucos dies excedere jubebantur. Sallust. Bell. Jugurth. p. 84. cum ad senatum Bestia retulisset, *placeretne legatos Jugurthæ in Urbem introduci, decrevisse senatum*, ait, *ni regnum, ipsumque deditum venissent, uti in diebus proximis decem Italia decederent*. Liv. XLII. 36. *Postquam hæsitabant* Persei leg. ii, *negantes sibi ultra quicquam mandatum esse, jussi renuntiare Regi, consulem P. Licinium brevi cum exercitu futurum in Macedonia esse. Ad eum, si satisfacere in animo esset, mitteret legatos. Romam quod præterea mitteret, non esse: neminem eorum per Italiam ire liciturum. Ita dimissis P. Licinio consuli mandatum intra undecimum diem juberet eos Italia excedere, & Sp. Carvilium mitteret, qui donec navem conscendissent, custodiret*. Zamosc. de Senat. Roman. II. 18. Paschal. Legat. c. 25. Brisson. de Form. II. p. 252.

Legati Imperatorum aliis erant præstantiores. Præsidum quippe nomen sibi vindicabant, & qui Cæsarum provincias cum imperio obtinebant; ac proptetea qui Cæsaribus subditas regebant provincias, *legati* Cæsarum dicebantur. Macer, l. 1. ff. de Offic. præs. *Præsidis nomen generale est: eoque & proconsules, & legati Cæsaris, & omnes provincias regentes, licèt senatores sint, præsides appellantur, proconsulis appellatio specialis est*. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 805. D. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 99. Erant nonnunquam in equestri ordine constituti. Nep. Attic. c. 5. n. 4. *Qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Asiam, cum apud eum legati locum obtinere posset*. Zamosc. de Senat. Roman. I. 15. Non tam ad imperandum, quàm ad consulendum instituti, ac missi. Magna erat *legatorum* dignitas: habebant enim potestatem Imperatoris, venerationem verò sacerdotis. Dionys. XI. p. 706. largiter explicat de L. Siccio, quem decemviri ex Urbe hoc prætextu, & titulo mittunt in castra, fraude illic, ut putabant, tollendum. Dederunt autem ei, ut inquit, *potestatem legati*. Tum subjungit: *Est omnium res honoratissima, & sacerrima apud Romanos, legatus, vim quidem, ac potestatem Imperatoris habens, sanctitudinem verò, & venerationem sacerdotis*. Jam olim in re Romana fuerunt, & quidem supra tribunos. Liv. II. 59. *Concurrunt ad eum*, Appium consulem, *legati tribunique*. IV. 17. *Legatos Quintium Capitolinum, & M. Fabium Vibulanum sequi se dictator* Mamercus Æmilius *jussit*. Electi à dictatore hoc loco: aliàs à consulibus. Sallust. Bell. Jugurth. p. 84. *Calpurnius consul, parato exercitu, legat sibi homines nobiles*. Cicer. ad Attic. XV. 11. *Dolabella me sibi legavit*. Imo proprium hoc consulum esse dixeris, & eos prætoribus quoque *legatos* nominasse. Verba Polyb. Legat. CXLI. eo ducunt: ubi narrat *tantum ejus fuisse terrorem, ob ferociam gentis, & discrimina, ut nec tribuni satis multi prodirent ad magistratum capiendum, neque nominati à consulibus legati obedirent, quos oportebat cum prætore ire*. Quod tamen ita verum censeo, ut consilium, consensusque intervenerit patrum. Liv. XLIV. 18. *Senatus Cn. Servilio consuli negotium dedit, ut is in Macedoniam, quos L. Æmilio videretur, legaret*. Et Cicer. in Vatin. c. 15. hoc maximè ei objicit, quod morem hunc violarit. V. illum supr. in *Legatus*. Munus eorum consulere, administrare, præesse, & uno verbo, vicariam operam Imperatori dare. Varr. de Ling. Lat. IV. 16. *Legati qui publicè lecti* (nota *publicè*: ergo à patribus) *quorum opera, consilioque uterentur peregre magistratus, quive nuntii senatus, ac populi essent*. Eosdem Cicer. l. l. appellavit *nuntios pacis, ac belli, curatores, interpretes, bellici consilii auctores, ministros muneris provincialis*. Larga ergo potestas, sed tamen Imperatori devincta, eique obnoxia. Cæs. Bell. civil. III. 51. *Aliæ sunt legati partes atque Imperatoris: Alter omnia agere ad præscriptum; alter liberè ad summam rerum consulere debet*. Atque ea de re *fiduciariam operam obtinere legatum* scribit ibid. II. 17. scilicet quod revocetur, cum velit is qui dedit; propriam & à se non habet. Cum tamen habet, imperat, & imperii etiam insignia sumit. De Plemìnio Scipionis legato Liv. XXIX. 9. *Sine respectu, non majestatis modo, sed etiam humanitatis, in legatum impetum, lictoribus prius indignum in modum mulcatis, faciunt*. Quod tamen obtinuisse modò censeo, cum absens consul, aut proconsul, atque ipse sustineret ejus vicem. Numerus eorum incertus. Plures, paucioresque fuerunt, ut senatui visum, & ut bellum, aut res poscebat. Plerumque tamen pro numero legionum attributi, singulis singuli. Sub Principibus quidem duo genera *legatorum* facta: consulares, & prætorii, quorum illi toti exercitui præessent, isti legionibus singulis: idque Augusti invento. Quasi enim unus ille jam Imperator esset, rem administrabat per *legatos*: nec aliter dicebantur: eoque nec triumphi jus habebant, cum omnia gererent auspiciis alienis. In Tacito, atque aliis scriptoribus hoc perpetuum: in quibus crebrò legas *legatos consulares*: itemque *legatos prætorios*, sive *legionum*. A Dione tota res explicata oratione Mæcenatis LII. Vocatque hos posteriores *subprætores*, aut *subpræfectos*; qui ipsi postea *duces* Latinis dicti. Scriptor aliquis apud Suidam: *Liberavit urbem intus quæsitus Fortunio legatus copiarum Mysiæ, quos duces appellant*. Lips. de Milit. Roman. II. 11. Thys. Roman. Illustr. II. p. 64. Hotoman. Ant. Roman. II. 15. Erant juxta Imperatorem, nisi tamen curarent, & præpositi essent certæ alicui legioni, aut cornu, quod sæpè; tunc enim in medio ejus, loco Imperatoris agebant. *Thys. ibid. IV. p. 94.* Illorum pedatura ad alterum latus prætorii, & ubi forum: ita ut parte una quæstor sit, parte altera ipsi. Omnino ratio vult, haud longè prætorem eos tetendisse, quia & dignitate proximi, & ad eum sermonis consiliique causa sæpè advocati. Hi ergo iterum dimidiati ad quæstorem. Ergo habent in longum singuli pedes 50. in latum 100. Est area 5000. Appello autem longum hoc loco spatium à prætoria ad decumanam, latum à principali ad principale. Quid, si plures jam *legati*, & tot quot legiones, ut inferiore ævo factum? Credo, cum tunc quæstor non ita vulgo comitaretur, eos utrumque ad latus prætorii fuisse, & sic medium habuisse suum ducem. *Lips. de Milit. Roman.* V. 3. *Thys. ibid.* V. p. III. Discrimen inter hos & proconsules V. infr. in *Proconsules*.

Legati à latere nunc summi Pontificis vocantur exemplo comitum à Principis comitatu. V. illos supr. in *Comes*.

Legati legionum, quoties ab hoste esset metus, circumire ipsi vigilias, curare in ea castrorum parte qua maximè laboraretur, providere, ne quid a quoquam peccaretur, &, si peccatum esset, in reos animadvertere solebant: prætetea, si quid inter diversarum legionum milites controversiæ oboriretur, aderant suis apud Imperatorem, eorumque

rumque causam ut patroni agebant. Exemplum hujusce rei habes apud Liv. xxvi. 48. post expugnationem Carthaginis novæ, ubi *duobus, Q. Trebellio centurioni legionis quartæ, & Sex. Digitio socio navali professis, se primos murum ascendisse*, & de corona murali apud Imperatorem *contendentibus, sociis C. Lælius præfectus classis, legionariis M. Sempronius Tuditanus* traditur *adfuisse*. Dum itaque legionatu *legatum* suum habeant in castris, vexillarii nec *legatum*, nec ullum alium pari auctoritate patronum, custodiam iis munimentorum cum legionariis demandare iniquum censet Hyginus, & inconsultum, ne hi eum *legato* suo, etiamsi quid ipsi peccaverint in tuendo vallo, conferant tamen culpam omnem in vexillarios, justo patrocinio destitutos, & injuriæ opportunos. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1056. F.*

Legati provinciarum differebant à quæstoribus provincialibus, dum auctoritatem suam acceptam ferebant præsidibus, quamvis hisce in pluribus rebus adessent, ceu socii, assessores, & consiliarii. Et quæstores præsidibus filiorum loco erant, interque eos mutua erat relatio, ut quemadmodum sine filio nemo est pater, sic nullus consul, aut prætor provincialis esset sine suo quæstore, cui cum suo consule, aut prætore mutua intercedebat necessitudo penè filialis. *Bergier. de viis milit.* 1. *Sect.* vii. §. 9. Horum nomen duobus acceperunt modis; primum, qui senatus voluntatem ad alios detulerunt; deinde, qui præsidibus operam quacunque ratione navarunt. Quos ambos videtur mihi intellexisse Varro de Ling. Lat. iv. 16. & Cicer. in Vatin. c. 15. laudati supr. in *Legati Imperatorum*. Significat enim unum genus *legatorum*, qui decem, aut quinque à senatu, & ex senatu ad ordinandam provinciam, parta ab Imperatore victoria, mittebantur; item alterum, qui præsidibus in omni provinciali, ac bellico munere adjutores dabantur, ut ad arbitrium illorum se accommodarent: de quibus Appian. Civ. Bell. 1. *Legatos Romani appellant, quos provinciarum rectoribus addunt, ut iis subsidio sint*. Cæs. Civ. Bell. iii. 51. V. illum supr. in *Legati Imperatorum*. Vel à senatu dabantur, vel permissu senatus à præsidibus asciscebantur. V. supr. in *Legatus*. Numerus eorum, qui minimus, trium, ut opinor, fuit. Livium V. supr. in *Legatus*. Quin etiam Q. Cicero prætor tres tantum in Asiam secum *legatos* duxit. Habitam tamen esse rationem prætorii gradus, & consulatus, & provinciæ, & belli, & ipsius denique hominis, arbitror à senatu: siquidem Bruto, & Cassio *legatorum* numerum auctum scribit Cicero, & ipse in Cilicia proconsul secum legatos quatuor habuit, & Cn. Pompejo lege Gabinia quindecim datos satis constat. Etiam illud observatum est, ut *legatos* libenter sibi quisque legaret, qui rei militaris periti essent, atque ipsi provinciis aliàs cum imperio præfuissent. Itaque consulares consulibus, prætoribus *legatos* se poscentibus aliquando adjunxerunt, & frater fratrem, filius patrem sibi legavit: intelligebant enim, totum juris dicendi, reique gerendæ munus in consilio, fide, opera, usuque *legati*, *legatorumve* consistere. Quoniam autem præsides *legatis* potestatis, atque imperii sui partem communicabant, hinc factum est, ut & ipsi *legati* lictoribus, ac fascibus uterentur. Quod de Pleminio P. Scipionis Imperatoris *legato* scribens ostendit Liv. xxix. 9. *Sine respectu non majestatis modo, sed etiam humanitatis, in legatum impetum, lictoribus prius indignum in modum mulctatis, faciunt*. Sigon. de Ant. jur. prov. ii. 2. Flocc. de Potest. Roman. ii. 12. De provincia decedentes rationes reddere cogebantur. De P. Scipione Africano L. Scipionis fratris sui in Asia *legato* Gell. iv. 18. *Tribuni plebis in senatu instabant, ut pecuniæ Antiochenæ, prædæque, quæ in eo bello capta erat, rationem redderet. Fuerat enim L. Scipioni Asiatico fratri suo Imperatori in ea provincia legatus. Ibi Scipio exsurgit; & prolato è sinu togæ libro, rationes in eo scriptas esse dixit omnis pecuniæ, omnisque prædæ. Illis tum ut palam recitaretur, & ad ærarium deferretur. Sed enim id jam non faciam, inquit, nec me ipse afficiam contumelia: eumque librum statim coram discidit suis manibus, & concerpsit; ægre passus, quod cui salus imperii, ac Reipublicæ accepta ferri deberet, rationem pecuniæ prædatitiæ posceretur.* Sigon. ibid. c. 11.

Legati vexillariorum occurrunt apud Hyginum in Gromatico: *Salmas. in Capitol. Pertin. c. 9.* quasi præter *legatos* consulares, qui toti exercitui præerant, & prætores, qui uni legioni, aliud fuerit genus *legatorum*, *legati* vexillariorum. Non dicit Hyginus vexillariorum *legatum*, sed *legatum* eorum, id est, legionis eorum, ut qui apud legionem, à qua divulsi, ipsi abfuisse, vel pariter non fuisse. Vegetius: *Non possunt æqualiter jussa complere, qui ante pariter non fuerunt*. Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. x. p. 1056. C.

LEGIO est militum agmen, sive certa peditum, & equitum manus, in quam exercitus populi Romani dividi solebant. Primus instituit Romulus. Tam propria Romanorum fuit, quàm aut Macedonum phalanx, aut caterva Gallorum. Numerus in illa militum non idem omnibus temporibus fuit. Romulus enim initio trium millium scripsit, peditum mille ex singulis tribubus, & centum equitibus delectis; tribus enim singulæ Tatiensium, Ramnensium, & Lucerum millia singula mittebant. Varr. de Ling. Lat. iv. 14. *Triliani militum dicti, quod terni ex tribus tribubus Ramnium, Lucerum, Tatiensium olim ad exercitum mittebantur*. Plutarch. Romul. p. 24. D. *Singuli ordines peditum habebant terna millia, trecenos equites*. Ab eodem geminatam *legionem* victis Antemnatibus, & Cæninensibus, ac sex millium factam videtur significare Dionys. ii. p. 103. *Rursus Cæninenses, atque Antemnates, quotquot voluerunt, ad habitandum Romam una cum familiis transtulit, nec agris mulctavit, nec pecuniis: eosque mox in tribus, & curias adscripsit, non pauciores tribus millibus: ita ut tum primum peditum Romanorum censerentur in universum sex millia*. Et, receptis in Urbem Sabinis, disertè id narrat Plutarch. ibid. p. 30. A. *Geminata Urbe, centum ex Sabinis senatores allecti, legiones constitutæ ex peditibus senis millibus, equitibus sexcentis*. Quod mihi tamen probabile non fit: eosque potiùs scriptores non auctum in una *legione* militum numerum, sed abundante multitudine binas ex una *legiones* ternum singulas millium esse conscriptas, significare voluisse crediderim. Quod si omnino auctam à Romulo *legionem* fateri volumus, eam ad quatuor millia redactam esse verisimilius puto, quæ ex eo quadrata dicta est. Festus in Sex. *Sex millium, & ducentorum hominum primus C. Marius conscripsit legionem, cum antea quatuor millium fuisset, unde etiam appellabatur quadrata*. Ita ut Marius, licèt in veteribus leges ante illum auctas sæpissimè *legiones*, extra ordinem, & necessitate aliqua suadente nimirum, primus ordinarium scilicet in *legione* numerum senum millium, ac ducentorum peditum fecerit. Et id quidem sine Scto. Sallust. Jugurt. Bell. p. 135. *Marius cum aliquanto majore numero, quàm decretum erat, profectus*. Ex eo igitur tempore *legiones* senis millibus peditum ordinariæ esse cœperunt: neque tamen is numerus post Marium statim frequentatus est, nam bellis civilibus adhuc quinque millibus scribebantur. *Valtrin. de milit. Roman. iii. 1. Panvin. Imper. Roman. c. 16. Sigon. Ant. jur. civ. Roman. 1. 15. Pancirol. Notit. dignit. imper. orient. c. 36. Salmas. de Re milit. Roman. c. 6. Rom. de Milit. Jul. Cæsar. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. x. p. 1540. B. La Chausse de Sign. milit. Thes. Græv. ibid. p. 1528. B. Koberzyck. de Lux. Roman. ii. 2. Thys. Roman. illustr. 11. p. 58. Lyd. de Re milit. ii. 1. Ferret. Mus. Lapid. v. memor. 7. Laz. Com. Reip. Rom. v. 2. Patric. Res milit. Roman. part. 1. ii. sect. 3. Hotman. Antiq. Rom. ii. 8.* Malè *legio* quadrata dicitur. Agmen dicitur quadratum, nunquam *legio*. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. 1. Præf. * * * * 2. vers. In *legione*, nisi ingenui, & ex ingenuis nisi juniores, & ex junioribus, nisi in quinque classibus censerentur, & ludicræ artis expertes essent, ordine non centuriabantur. Ex quo sequitur servos, libertinos, pueros, seniores, capite censos, & histriones, si quando ad arma vocati sunt, non nisi cogente necessitate, in dubiis rebus Reipublicæ esse vocatos. Liv. xxii. 57. *Et aliam formam novi delectus inopia liberorum capitum, ac necessitas dedit: octo millia juvenum validiorum ex servitiis, prius ser-*

scis-

scitantes singulos, vellentne militare, empta publicè armaverunt, xxv. 5. *Q. Fulvius, Appius Claudius consules, cum ægrè delectum conficerent, quod inopia juniorum non facilè in utrumque, ut & nova urbana legiones, & supplementum veteribus scriberetur, sufficiebat, senatus absistere eos incepto vetuit, & triumviros binos creari jussit: alteros, qui citra, alteros, qui ultra quinquagesimum lapidem in pagis, forisque, & conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent: & si qui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondum ætate militari essent, milites facerent. Tribuni plebis, si iis videretur, ad populum ferrent: ut qui minores septem & decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si septem & decem annorum, aut majores, milites facti essent: ex hoc SCto triumviri bini conquisitionem ingenuorum per agros habuerunt*. Sigon. Panvin. Valtrin. l. l. Discriminis gratia nomine primæ, secundæ, & deinceps appellabantur: ut quæ primo loco scripta esset, prima diceretur, & secunda, quæ secundo, atque ita deinceps. Usus ille *legiones* ab ordine ita nominandi obtinuit usque ad tempora Alexandri Severi, sub quo vixit Dion, cujus hæc sunt verba xxxvIII. p. 90. B. *Sic enim secundum ordinem delectuum Romanæ legiones nominantur, hodieque eadem ratione cognomenta sua sortiuntur*. Apud Cæsarem iisdem numerorum nominibus distinguuntur, & appellantur sexta, octava, decima, duodecima; uti & apud alios auctores. Dion. l. memoriæ prodit, sub Vespasiano triginta septem scriptas fuisse, nominibus numerorum appellatas, quæ apud ipsum legi possunt. *Patric. de Re milit. Roman. part. 1. coll. 7. Guther. de jur. man.* III. 26. *Valtrin. Panvin. l. l. Thys. ibid. p.* 57. Vel a locis, ubi stationes habebant. Hinc *legiones* Germanicæ, Pannonicæ, Britannicæ passim inveniuntur. Vel à ducibus, ut Augusta, Claudia..... Dion LV. p. 564. A. vel denique ab aliis eventibus, ut Martia, Rapax, Victrix, Ferrea, Fulminatrix..... apud Dion. l. l. atque aliæ apud alios leguntur. *Panvin. Thys. & Valtrin. l. l.* Singulis sex tribuni militum præerant populi suffragiis creati. Quod quando acciderit, aperiam. Quum enim ab initio exercitus populi Romani non nisi tria millia peditum haberet, tres tantum tribuni militum sufficiebant: post auctis Romani imperii opibus, tribuni sex primum, & postea plures quàm sex, & diversi generis esse cœperunt. Nam, ut tradit Ascon. in Cicer. p. 56. *Tribunorum militum duo erant genera, primum eorum, qui Rufuli dicebantur, hi in exercitu creari solebant, & comitiatorum, qui Romæ comitiis designabantur*. Liv. VII. 5. *Et quum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri, nam & antea, sicut nunc, quos Rufulos vocant, imperatores ipsi faciebant, T. Manlius, qui postea Torquatus appellatus est, secundum in sex locis tenuit*. Ex quibus verbis apparet, Q. Servilio II. & L. Genucio II. coss. anno Urbis 392. tribunos militum, qui ad sex aucti fuerunt, populi suffragiis creari ad *legiones* cœptos. Deinde plura tribunorum militum genera fuisse, & eos non omnes populi suffragio creatos, & hi, qui creabantur, eo primum anno fieri cœptos. Post illorum numerus est auctus, & sedecim facti. C. Junio Bubulco III. Q. Æmilio Barbula II. coss. Liv. IX. 30. *Duo imperia eo anno dari cœpta per populum, utraque pertinentia ad rem militarem: unum, ut tribuni militum seni deni in quatuor legiones a populo crearentur, quæ antea perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum, & consulum fermè fuerant beneficia*. Tribuni autem militum populi suffragiis creati singuli mille viris præerant, quum tum exercitus Romanus ex quatuor tantum *legionibus*, *legio* verò nonnisi quatuor millium peditum esset. Post quum ad quinque millia, & amplius militum augeri cœpissent, viginti quatuor tribuni à populo creari cœpti, sex que per singulas distributi. Hic tribunorum militum numerus usque ad C. Marii tempus permansit. *Panvin. l. l.* Erat divisa in decem cohortes, ex quibus unaquæque, Cæsaris etiam ætate, tres manipulos, vel certè sex centurias, duas hastatorum, duas principum, totidem pilanorum habebat. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. x. p. 1036. F. Pancirol. ibid. c. 20. Salmas. ibid. c. 2.* A C. Mario primum, ut opinor, neque enim ante Marii tempora, ulla cohortium in *legione*, neque apud Polybium, neque apud alios mentio est. *Panvin. l. l.* Nihil falsius. Post Marium acies non manipulatim, ut ante, sed per cohortes instruebatur. Cohortes verò diu fuerunt ante Marium. *Grav. Thes. Antiq. Roman. Tom. I. Præfat.* * * * * 2. *vers.* Quo modo sit ordinanda. V. infr. in *Ordinatio*.

LEGITIMA hæreditas. V. illam supr. in *Hæreditas*.

Legitima stipendia. V. illa infr. in *Stipendium*.

Legitima tutela. V. illam inf. in *Tutela*.

LEGITIMATIO vulgò ex Novell. 74. definitur *natalium restitutio*. Quod quidem ea parte verum, non ex toto. Natalium enim restitutio jus omne, quod quis integris natalibus adipisci potest, attribuit, l. 2. de natal. restit. *Legitimatio* verò tantum abest, ut jus agnationis integrum alicui præstet, ut soli patri *legitimum* faciat: ab aliis verò omnibus trium generum agnatis prorsus eum alienum relinquat. Novell. 89. §. 4. Quin ne integrum quidem agnationis jus ei in parentis persona tribuit: hoc est, ut suitatem obtineat: quemadmodum olim factum fuisse argumento est l. ult. ff. de adopt. Nam *legitimationis* jus omne hoc est: primum, ut justis liberis extantibus *legitimari* nothus, nisi per conjugium, & decurionatum, non possit: deinde, ut *legitimatus* soli patri ab intestato hæres sit, cæteris non sit: institui tamen ab omnibus hæres possit; sed à patre non majore ex parte, quàm quæ minima alicui attributa est. Sic ergo commodè definietur: *Legitimatio* est, cum ex concubina susceptus, ita patri suo hæres ab intestato designatur, ut etiam institui ab eo hæres possit: dum tamen ne majorem, quàm quivis ex justis liberis, hæreditatis partem capiat. His verbis omne *legitimatorum* jus, quod quidem ad successiones pertinet, continetur. Probatur hæc definitio ex Novell. 74. & 117. §. 2. ubi *γνησίους ποιοῦσι* eos Justinianus dicit, quos recepta in scholis consuetudine *legitimari* dicimus. Tribus autem modis *legitimatio* contingit: per decurionatum, concubinæ matrimonium, & Principis rescriptum. I. à Theodosio posteriore est instituta. Testatur Justin. Novell. 89. ejusque constitutio extat, l. 3. C. de nat. lib. sed ea tota ratio à Justiniano emendata formam hanc habet: ut liberi, sive ex concubina, sive ex ancilla suscepti, atque hi quidem manumissi, per cooptationem in curiam, & suitatis, & gentilitatis, & agnationis jus adipiscantur: aut, si feminæ sint, per decurionis matrimonium. II. à Constantino primum instituta, postmodum à Justiniano ita confirmata est, ut matrimonium cum concubina contractum, sive ea ingenua, sive libertina, sive serva, & postea manumissa fuerit, liberos, & ante, & post matrimonium conceptos, *legitimos* faciat. l. divi. 5. l. cum quis. 10. & l. seq. C. de natur. lib. & Novell. 89. III. per Principis rescriptum n. ut si pater, aut ipsi nothi, ex patris testamento Imperatori preces obtulerunt, jus *legitimorum* adsequantur, si modò *legitimi* non extent. Nam si *legitimi* extent, nothi non poterunt, nisi per decurionatum, & consequens parentum patrimonium, ead. novell. §. *κἀκεῖνο*. 9. & §. 11. *Hotom. de Spur. & legitim. c. 6.*

LEGITIMUS senatus. V. illum in *Senatus*.

Legitimus tutor. V. illum infr. in *Tutor*.

ΛΑΙΓΝΑ appellabant extremitates illas togæ, aut pallii, quæ ab ora sursum ibant. Pollux VII. 14. *Ora extrema tunicæ pars utrimque*, id est, in superiore, & inferiore parte. *λέγνα vero in amictu utrimque existentes partes, sed non ubi ora est*. Ubi clarè in pallio quadrato utrimque oras fuisse supra & infra, *λέγνα* verò à dextro & sinistro latere videmus. Hæc *λέγνα* etiam prætexta fuisse indicat Hesychius, *λέγνα*, inquit, *τὸ παρυφασμένον τῆ παρυφῆ*. Prætextam itaque non solum in una ora, sed circumcirca fuisse prætextatam credo; ut videmus in statua ærea prætextata, quæ est apud Florentiæ Ducem, ubi non solum αἱ ᾤαι, sed etiam τὰ λέγνα purpura prætexta sunt. Et hinc patet, umbonem togæ in prætextis purpureum fuisse, quod dicit Pers. Sat. v. 32.

— *totaque impune Suburra*
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.

Et quia pars illa prætextæ, quam capiti injiciebant pontifices

rifices sacrificaturi, aut vota suscepturi, purpurea erat; hinc Virg. Æneid. III. 405.

Purpureo velare comas adopertus amictu;

Ruben. de Re vest. II. 14. Λῶρα tales fuisse extremitates togæ, vel pallii, neque ex Polluce, neque ex Hesychio colligitur. In togis autem prætextis umbo fuit purpureus, non quia λῶρα illa, sive partes laterales purpureæ ab ora sursum adscenderent, quæ nullæ erant; sed quia, cum ima togæ ora, quæ erat purpura prætexta, lævo brachio subduceretur ad pectus; ubi ex collectione rugarum, sinus, & umbo; inde fiebat, ut ipse sinus, & umbo, non totus, sed ex parte purpureus esset, scilicet sinus inferior; nam in summa togæ ora nulla purpura; & ideò in toga pura, sive communi *candidus umbo* dicitur. Virgilius non de prætexta, sed veste tota purpurea locutus est; nisi quis credat, etiam Trojanos togatos, & prætextatos fuisse; licèt hoc poetica prolepsi excusari possit. Vestis, inquam, illa tota purpurea. Serv. ad illud *puraque in veste sacerdos: Impolluta, & pura dicitur vestis, qua festis diebus uti consueverant sacra celebraturi. Est autem linea, & purpurea: purpura enim maris vicem ad piandum præbet.* Inde factum est, ut postea Romani sacrificaturi prætextam sumerent ob inditam purpuram; & caput eadem velarent. *Ferrar. Anal. de Re vest. c. 46.*

LEGULEJUS diminutionis formam habet, ut equuleus, hinnuleus. Illos ad XII. tabularum leges refert Quintilianus supr. in *Formulariis* laudatus. *Turneb. Adv. IV. 5.*

LEGULUS vocabatur, qui oleam caducam, & verberando decussam nuda manu *legit*. Cato de Re rust. c. 145. *Legulos, quot opus erunt, præbeto, & strictores.* Turneb. Adv. X. 18. Popm. de Instrum. fund. c. 5. Pignor. de Serv. p. 549. & 553.

LEGUMEN *dicitur, quod manu legitur, nec sectionem requirit.* Serv. Georg. I. 74. Varr. de Re rust. I. 23. *Hoc enim quoque legumen, ut cætera quæ velluntur è terra, non subsecatur.* Voss. Lex. Etymol. Grapald. de Part. dom. II. 11. 1. Moris fuit, ut servo primùm domini ædes ingresso *legumina* super ejus caput spargerentur. *Genera leguminum coctorum ad convivium propter luxuriæ continuationem raro vocavit* Antoninus Commodus teste Lampr. c. 11. Severum Imperatorem Romanum *cibi parcissimum, patriique leguminis avidum* fuisse testatur Spartian. c. 19. Galbam *ordinario dispensatori breviarium rationum offerenti paropsidem leguminis pro sedulitate, ac diligentia porrexisse* testis est Suet. c. 13. n. 6. *Stuck. Ant. Conviv. II. 8.*

LEM.

LEMBARII erant milites classici. Classium duo erant genera: unum maris, alterum fluminum. In mari liburnis, in fluminibus *lembis*, vel lusoriis utebantur. Nam in fluminibus limitaneis habebant Romani lusorias, vel *lembos*, & in his milites classicos, vel tuendum militem. Hos *lembarios* vocat Aurelianus apud Vopisc. c. 38. *Hi compressi sunt septem millibus Hiberorum.* Ita excudi voluit primus Accursius. Vetus liber habuit *jembariorum*. Ex eo ego minima mutatione facio *lembariorum*. De lusoriis Danubianis Veget. IV. 46. *De lusoriis, quæ in Danubio quotidianis utuntur excubiis, reticendum puto.* Lusorias & lembos idem esse nemo potest dubitare. *Lembos amnicos* vocat Marcell. XXX. 3. quibus in fluminibus Rheno, & Danubio, & aliis utebantur. *Salmas. in Vopiscum.*

LEMBUS *navicula brevis piscatoria.* Nonn. XIII. 5. *Lembum invenerunt Cyrenenses.* Plin. VII. 15. *Brevem ad modum naviculam* Servius, *& solum in fluminibus usurpatam fuisse* Sabinus notant ad Virg. Georg. I. 201. Iis uti consueverant, qui in mari prædas agebant. Liv. XXXVII. 27. *Apparuit inde, piraticas celoces, & lembos esse.* qui celetes, & leviores nominat. De celeritate testatur etiam Plaut. Bacch. II. 3. 52.

Is nostra navi lembus insidias dabat:
Ubi è portu eximus, homines remigio sequi
Neque aves, neque venti citius.

Remis, non funibus trahebantur. Liv. XLIV. 28. *Sed cum jam appropinquantibus forma lemborum haud dubia esset, & concitatio remorum, directæque in se proræ, hostes appropinquare apparuissent.* Virg. Georg. I. 201.

Non aliter quàm qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit;

Unde *remipedes* dicuntur Auson. Eidyll. X. 201.

Remipedes certant medio cum flumine lembi.

Scheffer. de Variet. nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 776. A. Milit. Nav. II. 2. Bays. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 604. B. Dolet. de Re nav. ibid. p. 676. C. Gyrald. de Navig. c. 18. Meibom. in Pugn. nav. ad Chium §. 7. Rader. in Curt. IV. 57. Demster. in Rosin. Antiq. Roman. Paralip. VII. 32.

LEMNISCUS est *verbum Syracusanum, & illis angustam taniam significare* dicit Hesychius. *Fuisse fasciolas purpureas dependentes ex coronis* scribit Festus: quia *solebant veteres coronas laneis fasciis ex purpura alligatas donare:* quo scilicet & corona firmior, ac tota res aspectui gratior esset. Sed revera nihil nisi teniolæ, exigua vincula, quibus sive aureis, sive altera nota insignibus, coronarum ramuli colligabantur. Veget. Rei Veterin. III. 18. *Pedes, quos sanos habent, glante ferreo, vel, si defuerit, sparteo, calceabis, cui lemniscos subjicies, & addita fasciola diligentissimè colligabis.* *Glantes* vox Gothica est, unde nos *guanto* deduximus, id est, chirothecam. Nec modò coronæ ad majus ornamentum, sed palmæ quoque *lemniscis* decorabantur, non ad ligandum pedem, sed ad ornamentum. *Palmam lemniscatam* dicit Cicer. pro Rosc. c. 35. *Multas esse infames palmas; hanc primam tamen esse lemniscatam.* Auson. Epist. XX. 5.

Et quæ jam dudum tibi palma poetica pollet;
Lemnisco ornata est: quo mea palma caret.

Fiebant ex tenuissimis philyris, nempè tuniculis, quæ inter corticem, & lignum tiliæ reperiuntur. Victoribus etiam dabantur. Liv. XXXIII. 19. *Ludis dimissis, cursu propè omnes tendere ad Imperatorem Romanum: ut ruente turba in unum adire, contingere dextram cupientium, coronas, lemniscosque jacientium, haud procul periculo fuerit.* Suet. Ner. c. 25. n. 5. *Incedenti . . . . ingestæ aves, ac lemnisci, & bellaria.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 16. Turneb. Adv. XVIII. 3. Polit. Misc. c. 72. Paschal. de Coron. II. 12. Buleng. de Triumph. c. 17. Vinet. & Scalig. in Ausonium. Voss. Lex. Etymol. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 647. Jun. de Pictur. II. 8. Pitisc. in Suetonium.

LEMNUNCULUS, vel *lenunculus* appellabatur parvus lembus. Non. XIII. 8. *Lemnunculus, navigium piscatorium.* Sallust. Hist. II. *Primo indicit fortè per noctem in lemnunculo piscantis.* Cæs. Bell. civ. II. 43. *Pauci lenunculi ad officium, imperiumque conveniebant.* Tacit. Annal. XIV. 5. 6. *Nando deinde occursu lemnunculorum Lucrinum in lacum vectam villæ suæ inferunt.* Gyrald. de Navig. c. 18. Scheffer. de Milit. nav. II. 2. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. VII. 32.

LEMONIA tribus, V. illam infr. in *Tribus*.

LEMURES inter inferorum umbras, & manes recenset Porph. in Horat. Epist. II. 2. 209. *Lemures, inquit, putant hominum esse post mortem vagantes umbras, dictos quasi remores à Remo, cujus occisi umbras frater Romulus placare cum vellet, Lemuria instituit.* Unde de Romulo loquens Ovid. Fast. V. 479.

Romulus obsequitur, lucemque Remuria dixit
Illam, qua positis justa feruntur avis.
Aspera mutata est in lenem tempore longo
Litera, quæ toto nomine prima fuit.
Mox etiam Lemures animas dixere silentum.

August. de Civ. Dei IX. dicit quidem *animas hominum dæmones esse, & ex hominibus fieri Lares, Lemures, sive Larvas, & Manes. Lares, si meritis boni sunt: Lemures, sive Larvæ, si mali.* De illis etiam Apul. de Deo Socrat. p. 688. Sed V. illum supr. in *Larva*. Gyrald. Synt. deor. VI. p. 215. A. Salmas. Exerc. Plin. p. 293. a. E. Voss. de Idolol. I. 11. Ferrer. Mus. Lapid. II. Memor. III. Tomas. de Donar. c. 8. Illos fabis noctu jactatis domo extra januam ejiciebant. Non. II. 513. *Lemures, larvæ nocturnæ, & terrificationes*

ima-

imaginum, & bestiarum. Varr. de vit. pop. Rom. i. *Quibus temporibus in sacris fabam jactant noctu, ac dicunt se lemures domo extra januam ejicere*. Ovid. Fast. v. 435.

Cumque manus purè fontana perluit unda,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.
Aversusque jacit; sed dum jacit: hæc ego mitto,
His, inquit, redimo meque, meosque fabis.

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 823. E. Guther. supr. in Lates. Lomej. de Lustrat. c. 24.

LEMURIA, quæ à nonnullis *Lemuralia* dicuntur, Romani diis inferis instituerunt, ad placandos inprimis Remi manes. V. supr. in *Lemures*. Agebantur mense Majo, & ex eo duxit originem communissimum illud dicterium, ad nos etiam perductum, *malum esse nubere mense Majo*. Ovid. Fast. v. 485. V. illum infr. in *Majus*. Triduum celebrabantur, sed interpolatis diebus. Ovid. o. 491.

Sed tamen hæc tria sunt sub eodem tempore festa,
Inter se nullo continuata die.

Primus celebrabatur septimo Idus Maji, hoc est, ejusdem mensis nono. Secundus quinto Idus, hoc est, undecimo. Tertius tertio Idus, hoc est, tertiodecimo ejusdem mensis, erantque omnes nefasti. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 624. A. Gyrald. Synt. deor. vi. p. 215. A. xvii. p. 535. F. de Ann. & mens. Oper. Tom. ii. p. 773. B. Voss. Lex. Etymol. Siccam. in Fast. Kalend. Rom. c. 21. Ferret. Mus. Lapid. ii. Memor. 10. Stuck. Ant. Conviv. i. 26. Hospin. de Orig. Fest. Ethn. p. 166. Laz. Comm. Reip. Rom. xi. 5. Porton. de Græc. & Rom. magistr. iii. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. vi. p. 2812. F. Faes ad Gyrald. de var. sepel. rit. c. i. Vives in August. de Civit. Dei ix. 11. Kipping. Antiq. Roman. i. 10. §. 10. Rosin. Antiq. Roman. iv. 9. & Demster. Paralip. i. 10.*

LEN.

LENÆUM erat locus amplo ambitu cum Dionysii *Lenæi* delubro, ubi certabant musici, antequàm theatrum exstructum esset. *Buleng. de Theat. i. 25.*

Lenæum etiam plaustrum, quo Dionysiis utebantur, quibus poetæ ridiculi causa poemata sedentes è plaustris canebant. Scholiast. Aristoph. Equit. p. 321. Sidon. Paneg. vii. 232.

Pictum fæcibus Æschylon secutus,
Aut plaustris solitum sonare Thespin,
Qui post pulpita trita sub cothurno
Ducebant olidam marem capellæ.

Buleng. de Theat. i. 2.

LENOCINIUM *facit, qui quæstuaria mancipia habuerit, sed & qui in liberis hunc quæstum exercet, in eadem causa est. Sive autem principaliter hoc negotium gerat, sive alterius negotiationis accessione utatur: utputa si caupo fuit, vel stabularius: & mancipia talia habuit ministrantia, & occasione ministerii quæstum facientia: sive balneator fuerit, velut in quibusdam provinciis fit, in balneis ad custodienda vestimenta conducta habent mancipia hoc genus observantia in officina, lenocinii pœna tenebitur.* Ulpian. l. athletas ff. de his qui infam. not. *Brisson. de Jur. connub. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom viii. p. 1065. D.*

LENONES erant frequentes ad tabernas argentarias. Plaut. Truc. i. i. 47.

Nam nusquam alibi si sunt, circum argentarias
Scorti lenones quasi sedent quotidie.

Nardin. Roman. Vet. v. 8. Qua hora ad meretrices eundum esset, tintinnabulo significabant. Paull. Diac. xiii. 2. V. illum infr. in *Meretrices*. Argol. in Panvin. de Lud. circens. i. 8. Edicto prætoris infamia notabantur. Proinde nec accusandi publico judicio jus habebant: & ut viles, turpes, famosæque personæ, in adulterio deprehensi à maritis impune occidi poterant, l. marito 24. ff. de adulter. Et meritò certè, ignominia hujusmodi personas notandas veteres censuerunt, quas cum Terent. Adelph. ii. i. 34. *pestem, perniciemque communem adolescentium*, & cum Justin. Novell. 14. *perniciosas, & communes pestes castitatis* vocare jure possumus. Quapropter silentio prætermitti non debet Q. Metelli judicium, qui in præture urbana Vetibio *lenoni* bonorum possessionem secundum tabulas denegaverit, separandam fori, ac lupanaris conditionem existimans, jurisque, ac legum auxilio indignos censens eos, qui tantam civitati labem inferrent. Laudanda quoque Honorii, & Theodosii constitutio, qua *lenones* patres, dominosve, quos necessitatem filiabus, ancillisve peccandi imposuisse constiterit, non solum potestatem, quàm in eos habebant, amittere, sed & proscriptionis, exsiliique pœna plecti sanciunt. Denique, nec satis unquam pro merito Justinianus laudabitur, qui genus hoc hominum ur be regia pelli, eosque, qui illecebris pellectas puellas ad quæstum alere comperti essent, acerbissimis pœnis subjici voluit, l. 6. & 7. C. de spect. & lenon. *Brisson. de jur. connub. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* viii. *p. 1065. D. de Adult. p. 178.* Erant vectigales. Tertull. de Fuga c. 13. V. illum supr. in *Beneficiarius*. Suet. Cal. c. 40. n. 6. *Adjunxitque ad caput legis, ut tenerentur publicæ, & quæ meretricium, & qui lenocinium fecissent*. Æschines contra Timarchum ostendit Athenis *vectigal è quæstu meretricio* fuisse. Alexander Severus *lenonum vectigal, & meretricum in sacrum ærarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis ad instaurationem theatri, circi, amphitheatri deputavit*. Lamprid. c. 24. *Buleng. de Vectig. c. 49.*

Lenones etiam nominabantur legati & feciales. Justin. ii. 3. 8. *Primus Scythis bellum indixit Vexores Rex Ægypti, missis primo lenonibus, qui hostibus parendi legem dicerent.* ib. 9. vocantur *legati*. P. Dan. MS. Glossarius: *Leno, id est, mediator*, qui apud Italos dicitur ambassator. Unde Trog. Pomp. ii. *Præmissis lenonibus*. Salmas. in Vopisc. Carin. c. 6. Bongars. in Justinum.

LENS est carior faba. Mart. xiii. 9.

Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem,
Vilior est alica, carior illa faba.

Pherecrates: *Ne mihi lentem per Jovem, non mihi placet, si quis comederit, os ei putidum*. Pelusiaca laudatur. Virg. Georg. i. 228.

Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis.

Buleng. de Conviv. ii. 56. Ægyptiis ejus usus fuit frequentissimus, adeò ut pueros à teneris annis illa statim nutriant. Athen. iv. p. 158. D. Apud Romanos fuit annumerata inter funebres cibos. Auctor est Appian. de Bell. Parth. p. 139. ubi refert Crassi exercitum perniciem sibi imminentem indicasse, quod *lentes* in annonæ defectu fuerint exhibitæ. *Nonn. de Re cibar. i. 10. Kirchman. de Fun. Rom. iv. 7. Rhodig. Ant. Lect. vi. 2.*

LENTICULA erat genus vasis unguentarii. Apul. Flor. p. 777. *Ampullam oleariam, quam gestabant, lenticulari forma, tereti ambitu, pressula rotunditate*. Et *lenticulam* interpretatur Hieronymus *vasculum olei, quod Samuel tulit, & effudit super caput* Saulis 1. Sam. c. 10. n. 1. *Voss. Lex. Etymol. Pignor. de Serv. p. 83. Bartholin. de Unicorn. c. 34.*

LENTIONES sunt Latinis dicti saltatores. Glossæ: Lentio, [illegible]. Σατυριστὰς vocat Dionys. viii. p. 477. *Quin & in illustrium virorum funebribus pompis inter cæteros feretrum præcedentes vidi choros satyricos, qui sicinnim cantarent, maximè in divitum exsequiis.* Sic [illegible] Dionysio, qui *lentiones* in illis glossis. Vetus epigramma de pantomimo:

Mascula femineo derivans pectora flexu,
Atque aptans lentum sexum ad utrumque latus:
Ingressus scenam populum saltator adorat,
Sollerti spondens prodere verba manu.

Salmas. in Vopisc. Carin. c. 19.

LENTULUS fuit cognomen Corneliorum. Illorum primus cognominatus est, qui *lentium* sationi egregiè vacavit. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 605. B. Glandorp. Onom. Rom. p. 266.* Illis varia cognomina adduntur, Caudinus, Lupus, Sura, Spinther, Marcellinus, & si qua alia sunt. Sedecim invenio consecutos fuisse pontificatum maximum, & dictaturam semel, censuras quatuor, triumphos duos, ovationes duas, principatum senatus bis, consulatus sexdecim. 1. *L. Lentulus* cos. fuit cum Q. Publio Philone et. an. 426. dictator post annos

annos septem rei gerundæ causa. II. *Ser. Lentulus* CN. F. CN. N. ut Vetrio placet, cos. fuit an. 450. cum L. Geoucio Aventinensi. III. *L. Lentulus* Ti. F. Ser. N. cos. ao. 478. cum Manio Curio Dentato III. triumphum egit de Samnitibus, & Lucanis Kal. Mart. IV. *L. Lentulus* Caudinus superioris filius cos. cum Q. Fulvio Flacco an. 516. censor anno proximo cum Q. Lutario Cercone, pontifex maximus an. 532. V. Hujus frater *P. Lentulus* Caudinus L. F. Ti. N. consul fuit cum C. Licinio Varo. Successor fratris fuit in consulatu, quo anno ludi seculares tertii facti sunt. De Liguribus Idib. intercal. triumphavit. VI. Cn. *Lentulus* L. F. L. N. cos. fuit cum P. Ailio Paito an. 552. procos: ovans reversus est ex Hispania citeriore post quinquennium. VII. Hujus frater L. *Lentulus* procos: nvaos ex Hispania an. 553. & anno proximo consul fuit cum P. Vitellio Tappulo. VIII. P. *Lentulus* L. F. L. N. superioris filius cos. suffectus cum Cn. Domitio Ahenobarbo an. 611. censor an. 615. cum Appio Claudio Pulcro. Princeps senatus lustro 59. & 60. lectus est. IX. L. *Lentulus* Lupus Cn. F. L. N. cos. cum C. Marcio Figulo an. 597. censor cum L. Marcio Censorino post novem annos. X. Hujus frater Cn. *Lentulus* cos. cum L. Mummio an. 607. XI. Alter Cn. *Lentulus*, cujus parentes ignoramus, cos. ao. 656. cum P. Licinio Crasso. XII. Cn. *Lentulus* Cn. F. Clodianus cos. cum L. Gellio Poplicola an. 681. Iidem censores fuerunt post biennium. Hic ex cognomine videtur à Clodia in Corneliam familiam adoptione transiisse, cujus rei incerta historia est, nisi fortè primus Marcellinorum fuit. XIII. P. *Lentulus* Sura P. F. P. N. cos. anno proximo post superioris consulatum cum Cn. Aufidio Oreste. Hujus pater naturalis Manius Aquilius vir consularis, & triumphalis fuit, à P. Lentulo Publii principis senatus filio adoptatus, P. Cornelii *Lentuli* nomen accepit. Sura dictus est, quod quæsturæ pecunia intervetsa, cum rogaretur à L. Sulla, cujus quæstor erat, *quam esset rationem redditurus, præbebo*, inquit, *suram*: illic enim pueri, & tyrones peccantes percuti solebant. Id significat, qui dixit:

Ferimur, inque vicem præbemus crura sagittis.

Post consulatum senatu motus à censoribus iterum magistratus eosdem obtinuit. Prætor iterum fuit cos. Cicerone, & in conjuratione Catilinæ, illa detecta coactus abdicare se prætura interfectus est. XIV. P. Cornelius P. F. *Lentulus* Spinther cos. cum Q. Cæcilio Metello Nepote, sexto anno post Ciceronis consulatum. Cognomen ab Spinthere histrione, cui erat simillimus, accepit, ut Val. Max. IX. 14. §. 4. & Plin. VII. 12. retulerunt. Procos: ex Cilicia triumphum egit an. 702. XV. Cn. *Lentulus* Marcellinus P. F. cos. cum L. Marcio Philippo anno proximo post superioris consulatum. Cicero in Bruto auctor est M. Marcellum veterem duorum filiorum patrem fuisse, quorum alter Marcellus Æserninus, alter P. Lentulus Marcellinus appellatus sit. XVI. L. *Lentulus* Crus P. F. flamen Martialis, qui ultimo anno libertatis Reip. Romanæ cos. fuit cum C. Marcello M. F. qui fuit Urbis annus 704. *Augustin. & Strein. de Famil. Rom. in Cornelia. Glandorp. l. l.*

LENUNCULARIUS dicebatur nauta à *lenunculis*. Inscriptio Rom.

MEMORIÆ. PERPETUÆ
Q. CÆCILIO. Q. L. NICANORI
LENUNCULARIO. R. TIB.
Q. CÆCILIUS. ANOPTES. TABUL
R. TIB. S. T. T. L.

Spon. Misc. Erud. an. Sect. VI. p. 224.

LENUNCULUS est parvus lembus. V. illum supra in *Lemunculus*.

LEO.

LEO soli est dicatum animal, & solare animal vocitatur. Plutarch. Symp. IV. 5. *Leonem soli dedicant, quod de curvi unguibus quadrupedibus sola leæna videntem edat fœtum, quod momento temporis dormiat, oculique dormientis sufful geant: & quod Leontinis fontes, & hiatus suos nova aqua repletos inveniunt Nilo exundante, quando sol per leonem transit.* Sol etiam *leonis* vultu fingebatur, inquit Lutatius, vel quod hic deus cæteros vi numinis, & potentiæ excellat, ut inter reliquas feras *leo*; vel quod sit rapidum animal. Et de hoc, vel non absimili simulacro Min. Fel. Octav. p. 261. *De capro etiam, & homine mixtos deos, & leonum, & canum vultu deos dedicatis.* Arnob. VI. p. 196. *Inter deos videmus vestros leonis torvissimam faciem, mero oblitam minio, & nomine frugiferi nuncupari.* Pignor. Mens. Isiac. explic. p. 64. Cuper. Harpocr. p. 9. Ouzel. in Minucium. Rhodig. Ant. Lect. XIII. 8. Aleand. Tab. Heliac. explic. p. 715. E. Barg. de Obelisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1917. D. Et magnæ deum matri sacrum. *La Chausse de Insign. Pont. Max. tab. 24. Lucern. an. ant. tab. 5.* Illos *capere arduus quondam operis erat, foveisque maximè. Principatu Claudii casus rationem docuit, pudendam penè talis feræ nomine, pastoris Getuli sago contra ingruentis impetum objecto: quod spectaculum in arenam protinus translatum est, vix credibili modo torpescente tanta illa feritate, quamvis levi injecto operto capite, ita ut devinciatur non repugnans: videlicet omnis vis constat in oculis.* Plin. VIII. 16. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 8. Buleng. de Venat. circ. c. 16.* Mansuetissimi fiunt, maximè teneri. Ælian. de Anim. V. 39. *Mansuefactus à teneris mansuetissimus est, & mitis in congressu, & puerorum amans, & quidvis sustinet patienter gratificans magistro. Hanno leonem habuit vasa portantem, & Berenicæ leo fuit cicur, nihil distans ab ancillis ornatricibus. Lingua enim vultum ejus perpoliebat, & rugas levigabat, & convivabat, comedens lentè & moderatè.* Illum *primus hominum manu tractare ausus, & ostendere mansuefactum Hanno è clarissimis Pœnorum traditur.* Plin. l. l. Buleng. ibid. c. 21. Argol. l. l. Qui illos mansuefaciebant, mansuetarii vocabantur. V. illos infr. in *Mansuetarii*. Plurium simul pugnam primùm Romæ in circo dedit Q. Mucius P. F. Scævola in curuli ædilitate C. Mario C. F. IV. & Q. Lutatio Q. F. Catulo coss. an. 652. Solin. c. 29. Plin. l. l. *Spectaculum ex leonibus Romæ primus edidit Q. Scævola P. F. in curuli ædilitate. Centum vero leonum jubatorum pugnam princeps L. Cornelius P. F. Sulla Felix, qui postea dictator fuit, in prætura exhibuit* an. Urbis 660. C. Cœlio Caldo, L. Domitio Cn. F. Ahenobarbo coss. Senec. de Brev. vit. c. 13. *L. Sulla primus in circo leones solutos dedit, quum alioquin alligati tunc darentur ad conficiendos eos à Rege Boccho jaculatoribus.* Panvin. de Lud. Circens. II. 3. Blond. Triumph. Rom. II. p. 49. B. Ad vehicula veteribus adhibebantur. Primus, qui hoc Romæ fecit, M. Antonius memoratur. Plin. VIII. 16. *Jugo subdidit eos, primusque Romæ ad currum junxit M. Antonius, & quidem bello civili, cum dimicatum esset in Pharsalicis campis.* Præter illum de uno legimus Heliogabalo apud Lamprid. c. 28. *Junxit sibi & leones.* Scheffer. de Re vehic. I. 9. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman. X. 29. Et immolabantur. Capitol. Max. & Balb. c. 15. *Si imperatorum sacrificium sit, centum leones feriuntur.* Saubert. de Sacrif. c. 23. Ad *leones* quotidie deposcebantur Christiani. Tertull. de Spect. c. 26. *Odisse debemus istos conventus, & cœtus Ethnicorum, vel quod illic nomen Dei blasphematur, illic quotidiani in nos leones expostulantur.* Ferrar. de Acclam. VII. 18. Quod Nilus inundaret Ægyptum, *leonis* cœlestis beneficium credebatur, & ideo Ægyptiis *leo* erat exundationis symbolum: ac si tubos leoninos, & aquæductuum formabant, ut aquæ è capite *leonino* patulo hiatu rictum deducente evomerentur. Eumque morem ab architectis Ægyptiis accepere Græci, ac Romani: ab his nos, & gentes aliæ. Uti & ab iisdem fuit Ægyptiis ad nos derivatum, quod claustris ædium, templorum inprimis, *leonis* capita, rictusque apponamus. Plutarch. de Isid. & Osir. p. 366. A. *Leonem venerantur, ac rictibus leoninis templorum fores exornant, quia Nilus exundat,*

Titanis primum curru tangente leonem.

Voss. de Idolol. II. 75. Cuper. Harpocr. p. 48. Rhodig. Ant. Lect. XIII. 8. Saubert. de Sacrif. c. 14. Quibus rebus, sed variis afficiantur, V. infr. in *Roca*.

Leo lapideus loco foris Romani celebri, & claro, pro rostris jacuit, Faustuli corpori impositus, inventi & sepulti ubi occubuerat. Dionys. I. p. 74. *Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 12.*

LEONINA civitas dicta est de nomine Leonis IV. Pontificis Romani illa Urbis pars, ubi in colle Vaticano sita est basilica Apostoli Petri. Hanc ille muro veteri, qui circa Adriani molem, & S. Spiritus xenodochium tantum protendebatur, producto, Urbis mœnibus inclusit, & Corsis à Saracenis patriis sedibus pulsis habitandam tradidit. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III. *p.* 229. *D. Donat. de Urb. Rom.* I. 14. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* I. 23: v. 9. *Blond. Instaur. Rom.* I. §. 40. V. & supr. in *Burgus*.

ΛΕΩΦΟΡΟΣ appellatur via militaris, qua iter faciturus est exercitus. Joseph. A'λωσ. III. *Post hos stratores viarum ibant, qui aggeris maligna,* τῆς λεωφόρε τὰ δύσβατα, *corrigerent, ac aspera complanarent, sylvasque obstantes præciderent, ne perplexo itinere fatigaretur exercitus.* Philo de mari rubro, viæ usum præbente populo Judaico: *Fit via lata, & militaris:* Ο'δὸς λεωφόρ☉. De hoc autem more vias muniendi exercitui iter facienti intelligenda sunt, quæ ex Esaj. c. 40. n. 3. laudant, & de Johanne Baptista interpretantur Matth. c. 3. n. 3. Luc. c. 3. n. 4. Joh. c. 1. n. 23. *Vox clamantis in deserto: parate viam Jehova, complanate semitas ejus.* Canit enim propheta, populum jam jam ex captivitate in Judæam reversurum; eique jubet muniri viam. Et hoc est, quod Josephus dixit. Tacit. Annal. I. 50. 4. *Cæcina cum expeditis cohortibus præire, & obstantia sylvarum amoliri jubetur.* Cæs. de Bell. Gall. III. 29. *Cæsar sylvas cædere instituit, &, ne quis inermibus, imprudentibusque militibus ab latere impetus fieri posset, omnem eam materiam, quæ erat cæsa, conversam ad hostem collocabat.* Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1264. D.

LEP.

LEPIDUS est cognomen Romanorum. Ex illorum stirpe decem ad M. *Lepidum* triumvirum, post eum ad obitum Augusti septem insignes magistratus, honores, ac sacerdotia obtinuerunt. Duo pontifices maximi fuerunt, unus semel, alter sex lustris princeps senatus, unus triumvir bis Reipublicæ constituendæ, unus magister equitum bis, censores tres, duo triumphales, ex quibus alter bis, unus triumphalia ornamenta accepit. Consules XV. obtinuere consulatus XVIII. ex quibus quatuor tantum suffectorum fuerunt. I. M. *Lepidus* cos. cum C. Claudio Canina an. 468. II. Marcus M. F. M. N. consul cum M. Publicio Malleolo an. 521. & cum M. Valerio Lævino post duodecim annos. III. Marcus, superioris filius, qui indolis suæ specimen prætextatus dedit, & annos natus quindecim hostem occidit, civem servavit, & ideò ei statua est in Capitolio: & de ea re denarius exstat cum his literis: M. LEPIDUS. AN. XV. PR. H. O. C. S. Alter insignem honorem habitum eidem significat: ut cum Ptolemæus Rex tutorem filio populum Romanum reliquisset, *Lepidus* hic, qui pontifex maximus, & bis consul fuit, ad Regis pueri tutelam gerendam Alexandriam missus sit. Fuit cos. cum C. Flaminio C. F. an. 566. pontifex maximus octavo postea anno, censor eodem anno cum M. Fulvio Nobiliore, & princeps senatus lectus est: iterum cos. cum P. Mucio Scævula, de Liguribus triumphavit an. 578. Hic sex lustris princeps senatus lectus est. IV. M. *Lepidus* M. F. M. N. cos. an. 595. cum C. Popillio Lænate II. V. M. *Lepidus*, Porcina dictus, principis Lepidi filius, consul an. 616. VI. Mamerci prænomine, superioris frater, undecimo postea anno cos. cum L. Aurelio Oreste. VII. M. Æmilius. Q. F. M. N. *Lepidus* à Verrio appellatur, cos. cum Q. Lutatio Catulo an. 675. Hunc esse arbitror Triumviri patrem, quem pronepotem principis senatus fuisse Cicero auctor est. Erit igitur hic Porcinæ nepos. VIII. Mamercus Æmilius Mam. F. M. N. *Lepidus* Livianus: D. Livii Drusi filius fuisse dicitur, adoptatus à Mamerco principis *Lepidi* filio, consul anno post superiorem cum Gn. Octavio, censor post consulatum an. 16. cum P. Servilio Isaurico, lustrum fecerunt 69. & proximo lustro princeps senatus lectus an. 598. IX. M. *Lepidus*, qui cum L. Volcatio Tullo cos. fuit an. 687. Hujus parentes ignorantur. X. M. *Lepidus* triumvir, qui à M. Verrio M. F. Q. N. dicitur, hoc est, septimo loco constituti filius. Prætor Cæsarem dictatorem dixit novo more, cæteros enim consules dixerunt. Proprætore ex Hispania triumphum egit an. 706. Sequenti consul fuit cum C. Cæsar III. & in tertia, & quarta dictatura magister equitum. Occiso Cæsare Idibus Martiis pontifex maximus factus est an. 709. Sequenti triumvir Reipublicæ constituendæ cum M. Antonio, & C. Cæsare Octaviano, qui postea Augustus est appellatus. Eodem anno pridie Kal. Januar. procos. ex Hispania iterum triumphavit. Kalendis ipsis cos. iterum fuit cum C. Munatio Planco. Iterum triumvir in alterum quinquennium cum eisdem collegis creatus anno secundo à Cæsare collega abdicare coactus est: erat is annus 717. vixit autem usque ad annum 740. pontifex maximus. *August. de Famil. Roman. in Æmilia. Glandorp. Onom. Rom. p.* 25. *Nonn. in Goltz. Jul. Cæsar. Numism. p.* 56.

LEPISTA *genus vasis aquarii.* Festus. Gloss. Philox. *Lepista,* εἶδ☉ χύτρας. Varro de vit. pop. Rom. I. apud Non. XV. 35. *Lepistæ etiam nunc Sabinorum fanis pauperioribus plerisque aut fictiles sunt, aut aneæ.* Vox est Dolopum. Dicit hoc Eustath. Iliad. ο. p. 1338. ac dictam λεπάςlω, *quod tenue, & patulum foret ad modum conchæ,* κϳ λεπάδας. *Voss. Lex. Etymol. Scalig. in Festum, & Conject. in Varron. p.* 53. *Dacer. in Festum. Buleng. de Conviv.* IV. 16. *Mason. Philol. de Lex. Græcor.* II. I.

LEPORARIUM appellatum est locus, quo *lepores* septis inclusos asservaret antiquitas, ut, cum opus esset, in promptum essent. Deinde, cum paullatim gulæ deliciæ excrevissent, translata fuerunt ad alia animantia, conservato tamen priori nomine. Varr. de Re rust. III. 3. *Leporaria te accipere volo, non ea, quæ tritavi nostri dicebant, ubi soli lepores sint, sed omnia septa affixa villæ quæ sunt, & habent inclusa animalia, quæ pascantur.* c. 12. *Hæc quoque nuper institutum, ut saginarent pleraque, cum exceptos è leporario concludant in caveis, & loco clauso faciant pingues.* Pinell. Additam. ad Panvin. de Lud. Circens. II. 8. Pignor. de Serv. p. 561. Grapald. de Part. dom. I. 70. I.

LEPTA apud Marc. c. 12. n. 42. & Luc. c. 21. n. 59. vir quidam doctus putat denotare minutos, æreolos, minimique pretii nummulos, hoc est chalcos, quales octo in obolo numerantur. Sed ejus opinio nimis ultimis nititur argumentis. Statuit vir doctus, *lepti,* sive chalci pondus octavam duntaxat oboli partem constituisse; unde *leptum* vocat æreolum, minimique pretii nummulum: & verbo numerare utitur ad pondus, non autem valorem nummuli istius exprimendum. Sed concedi nequit, *leptum* tam exigui ponderis nummulum fuisse, quoniam, si sex oboli in denario numerantur, & septem denarii in uncia, quadragesimam octavam duntaxat denarii partem, sive sesquigranum continuisset, qualis generis nummos, præcipuè æreos, qui tam exiguo sint pondere, nemo adhuc inter monetas veterum reperit. Alter vir doctus illa accipit pro drachmis argenteis, vel saltem æreis. Hujus opinio verò propior est. Omnes enim fatentur, nummos, qui in gazophylacio templi condebantur, destinatos fuisse usibus, & conservationi templi, impensisque illis, quas cultus divinus requirebat, & in gazophylacium illud nummos à populo secundum mandatum Dei fuisse collatos. Deus enim, ut legitur Exod. c. 25. n. 3. præceperat, ut tam viri, quàm feminæ, pro lubitu ad structuram tabernaculi quicquam de suo largirentur; & deinde, ut omnes, qui vigesimum ætatis annum attigissent, didrachmum penderent ad usus tabernaculi, ut docetur Exod. c. 30. n. 14. Longo post tempore, cum Athalia, ejusque filii templum vastassent, & expilassent, pontifex Jojadas, secundum institutum divinum, & mandatum Regis Joæ, juxta altare collocari jussit gazophylacium, ad dextrum latus eorum, qui templum intrabant, situm, ut hac ratione populus ad liberalitatem invitatus muneribus sponte collatis restaurationem templi adjuvaret, 2. Reg. c. 12. n. 10. Et hoc ab eo tempore in templo ad illum finem semper mansit. Valdè igitur credibile est, pauperem hanc viduam, pieta-

te

te in Deum, & amore cultus divini flagrantem, cum munus offerre vellet, didrachmum saltem, sive duos denarios argenteos, quos ex præcepto divino viri, non feminæ, pendere tenebantur, sponte, & lubenti animo in gazophylacium intulisse, quamvis id tenues facultates vix paterentur. Quare Servator ad Apostolos dixit, viduam hanc plus dedisse, quàm quisquam aliorum, etiam longè ditiorum, quoniam quicquid illi dabant, quamvis id revera amplius esset, parum tamen erat, pro ratione opum, quas habebant, cum contra vidua hæc, dando isto munere, omnes suas facultates exhausisset. Hinc Ambros. de viduis, de ea loquens; *Nemo plus tribuit, quàm qui nihil sibi relinquit*. Quod si igitur vidua hæc octavam tantum oboli ærei partem dedisset, muneris istius valor, pro pretio, quod illo tempore æs circiter habuit, ne trigesimam quidem secundam denarii nostratis partem æquasset, quo pretio vix quartam aciculæ partem aliquis emat. *Savot. de Numm. Ant.* III. 18.

LEPTIS urbs Africæ à Plin. v. 4. inter oppida libera reposita, colonia Romanorum fuit: eaque juris Italici, ut habetur, l. 8. §. 11. ff. de censib. *In Africa Leptis magna à divis Severo, & Antonino juris Italici facta est*. Augustin. Hispan. Ant. dial. 6. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 634. F. Vaillant Numism. II. p. 1.

LEPUS inter cibos exquisitissimos, qui ex quadrupedibus sumuntur, primas tenet. Mart. XIII. 92. V. illum infr. in *Turdus*. Aristoph. Vesp. p. 482. B. dixit *Ζῆν ἐν πᾶσι λαγῴοις, vivere in omnibus leporibus, ἀντὶ τοῦ ἐν τρυφῇ*, ut notat Scholiastes, quod ita receptum, ut in adagii formulam abierit, qua vitæ delicias indigitamus. Catius etiam apud Horat. Sat. II. 4. 44. eum, qui palato sapiat, *leporis armos sectari* jubet. Denique apud Petron. c. 36. in delicatissimo epulo Trimalcionis *ad alterum ferculum cum altilibus & suminibus lepus in medio pennis subornatus ut Pegasus videretur*, apponitur. Verisimile est illum è feris primum hominibus prædæ fuisse, primumque septis includi cœptum, quæ inde *leporaria* dicta legimus. *Castellan. de Carn. esu* III. 5. *Voss. de Idolol.* III. 66. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVI. 29. *Buleng. de Conviv.* II. 5. & 21. Hasce delicias plurimum commendavit pervulgata opinio, quod qui leporem edisset, septem diebus formosus esse crederetur. Mart. v. 30. 1.

Si quando leporem mittis mihi, Gellia dicis,
Formosus septem, Marce, diebus eris.
Si non derides, si verum lux mea narras:
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

Plin. XXVIII. 19. *Lepore sumpto in cibis vulgus arbitratur fieri gratiam corporis in septem dies, frivolo quidem joco, cui tamen aliqua debeat subesse causa in tanta persuasione*. Caussam nonnulli afferre conati sunt, quod id pulpamentum vi polleat extergendi bilem atram, atque ita animos exhilarandi. Ego hoc ex vi vocabuli, & vicinia nominum *leporis* & *leporis* tractum puto. In vocibus enim antiquitas religionem, & auspiciorum observationem magna parte constare dixit: cujus rei gratia in publicis vectigalibus lacus Lucrinus omnium primus locabatur eruendus, boni ominis gratia, ut id Reipublicæ, redemptoribusque lucrosum, quæstuosumque fieret. Hinc etiam in delectu, censuque faciendo primi, Valerius, Salvius, Staterius nominabantur, ut id populo Romano felix, ac salutare evaderet. Non secus igitur eos *lepidos* fieri, *leporemque* mutuari crediderunt, qui *lepore* uterentur. Huic sententiæ nonnihil suffragii afferre videtur epigramma antiquum, quod in Severum Alexandrum Imperatorem, quotidie *lepusculos* esitantem, jactatum est, apud Lamprid. c. 38.

Pulcrum quod vides esse nostrum Regem,
Quem Syrum sua detulit propago,
Venatus facit, & lepus comesus,
Ex quo continuum capit leporem.

Calcagn. Epist. Quæst. 1. 31. Rhodig. XXVI. 30. Bruyer. de Re cibar. XIII. 24. Voss. & Castellan. l. l. In auguriis receptus est: in exercitu enim Xerxis, Persarum Regis, quem adversus Græcos innumerosum, ac propè incredibilem paraverat, equa leporem peperit, quod turpissimam Regis fugam, quæ subsecuta est, significare voluit: est enim timidissimum animal, in exercitibus semper fugam præsagiens. *Niph. de Augur.* 1. 10. Juvenis nudus, & alatus, *leporem* dextra tenens, læva fructus, venationis opportunitatem, & fructuum abundantiam autumnali tempore videtur designare. Negotium tamen facessit auctoritas scriptorum, qui *leporum* venationi hyemale tempus opportunum tradunt. Virg. Georg. 1. 308.

Auritosque sequi lepores, tum figere damas,
Cum nix alta jacet, glaciem cum flumina trudunt.

Horat. Sat. I. 2. 206.

— leporem venator ut alta
In nive sectatur.

Unde *niveum* dicitur à Calpurn. VII. 57.

Ordine quid referam, vidi genus omne ferarum,
Hic niveos lepores . . . . .

Attamen cum in omnibus, & nummis, & toreumatibus antiquis hyemalis tempestas vestita semper conspiciatur, autumnalem hac nuda imagine repræsentari ego magis adducor, quod eadem *leporem* tenens in nummis exhibeatur; & nix ad *leporum* venationem ea sola forsan ratione videatur requiri, quod signis pedum nivibus impressis animalium gressus venatori faciliùs indicantur. *La Chausse de Deor. simul. tab.* 41. Ejus occursus ominosus, infaustus, & inauspicatus est creditus. Hoc non nostri tantum temporis vulgus credit, sed veteribus etiam persuasum fuit. Senarius Astramps. Oneirocritico:

Inauspicatum dat iter oblatus lepus,

Archidamus autem Zeuxidami filius Spartiata, Corinthiorum urbem aggressus, cum *leporem* ex loco muris vicino excitatum animadvertisset, omine in hostes converso, futurum ait ad milites, ut hostes facilè caperentur: ejus quippè casu usus ad incendendos eorum animos, & taxandam hostium ignaviam, quod urbs ea minimè bellicosa videretur, quam tuti adeò *lepores* inhabitarent. Pari propemodum eventu Aroulpho Rege, qui Berengario auxilium tulerat, Romam oppugnante, excitus è latebris clamore, tumultuque militum, *lepus* Urbem versus cursum arripuit: hunc milites toto temerè agmine concito insequi cum cœpissent, cursuque & clamoribus acriùs deterrerent, Romani, qui in propugnaculis stabant, Urbem eo impetu peti veriti, cui se longè impares propter defendentium inopiam arbitrabantur, pari consensu desertis mœnibus ad terram se summisere. Barbari occasione freti, sellis equorum, & veterinorum ad mœnia in cumulum aggestis, per eas nullo reluctante in mœnia evasere, & Leoninam urbem, primaria nunc Romanæ est regio, V. illam supe. nullo negotio ceperunt, vincendi occasionem suppeditante *leonino* occursu. *Pier. Hierogl.* XIII. 5. *Lyd. de Re milit.* c. 3. *Rhodig. ibid. c.* 29. Lepori nivis infesto vinitor cerebrum elisit, quem Baccho victimam, & munus obtulit. *Tomas. de Donar. c.* 27.

LES.

LESSUS erat ejulatio funebris, sive lugubris. Onomasticon interpretatur *θρῆνον*. Eum XII. tabulæ in funeribus adhiberi vetuerunt. Verba legis adfert Cicer. de Leg. II. 23. *Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento*. Et addit: *Hoc veteres interpretes Sex. Ælius, L. Acilius non satis se intelligere dixerunt: sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris, L. Ælius lessum quasi lugubrem ejulationem, ut vox ipsa significat: quod eo magis judico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat*. Plaut. Truc. IV. 2. 18.

Thetis quoque ipsa lamentando lessum fecit filio.

Et nihil aliud est quàm Græcorum λῖνος. Nam *lesus* Tarentini dicebant. N. autem in S. mutatur, ut *ἀρχιτέκτων, architectus, Γόργων, Gurges*. Postea *lessus* dici cœptum est, cum antiquitus consonantes literas non geminarent. *Meurs. de Fun. c.* 18. *Solon. c.* 17. *Kirchman. de Fun.* II. 6. *Guther. de Jur. man.* 1. 13. *Revard. ad Leg. XII. tab. c.* 15. *Voss. Lex. Etymol. Lips. Epist. Quæst.* IV. 12. *Rittersh. in Leg. XII. tab. Class.* 1. *c.* 6. *Turneb. in Cicer. de Leg.* II. *p.* 161. *Hotman. Antiq. Roman.* III. 1. *p.* 389. *C. Blond. Triumph. Rom.* II. *p.* 38.

H. Crag.

H.Crag. de Republ. Laced. III. 1. *leg.sacr.instit.* 9. *Taubman.in Plautum. Calder. Obs.* III. 7. & 8. *Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.*729. *Balduin. in Leg.* XII. *tab.c.*31. *Schill Nomencl. Philol. p.*662. *Casal. de Proph. Roman. rit. c.*26. *de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 56. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. 5.

LEV.

LEVANA dicebatur dea, quæ natos infantes de terra levabat. Augustin. de Civ. Dei IV. 11. *Ipsa levet natos infantes da terra, & vocetur dea Levana.* Barthol. de Puerp. c. 73. Voss. de Idolol. II. 26. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 48. D. Pius Annot. prior. c. 3. Turneb. Adv. IV. 15. Tomas. de Donar. c. 10. Stuck. Ant. Conviv. 1. 16. Aring. Rom. Subterr. x. 8. §. 13. Kipping. Antiq. Roman. 1. 1. §. 10. Blond. Triumph. Rom. 1. p. 12. E. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 19. Morem infantes recens natos de terra levandi V. supr. in *Infantes*.

LEUCÆ. vox à Latinis efficta est ex prisca aliqua voce Gallica. Consentiunt enim omnes uno ore, *leuca* vocem esse Gallicam. Vicinæ gentes eandem ad suas vias dimetiendas adoptarunt, quamvis non retinuerint veram ejus longitudinem. Imò, quod magis mirum, in ipsis Galliarum provinciis variat *leucarum* mensura, & longitudo, cum pro lubitu ab his producatur, ab illis contrahatur. *Bergier. de Viis milit.* III. *Sect.* 12. §. 2. *Salmas. Exercit. Plin. p.* 841. *b. C.* Bergierius etiam de variis illarum speciebus disserit *ibid.* §. 3.... 13.

LEUCI *è genere ardeolarum optimi sunt augurii, cum ad austrum volant, septemtrionemve. Solvi enim pericula, & metus narrant. Altero oculo carere tradunt.* Plin. XI. 37. *Buleng. de Aug. & ausp. c.* 6.

LEUCONICUM, in quo populus in circo sedebat, fiebat è concisis arundinibus. Mart. XI. 22.

Culcita Leuconico quam viduata suo.

Vocabatur quoque gnaphalium. V. hic supr. in *Gnaphalium*, & tomentum circense. V. infr. in *Tomentum*. Buleng. de Circo c. 32.

LEUCOSYRI vocati sunt Cappadoces. Rationem V. supr. in *Cappadoces*.

LEVITONARIUM *est colobium sine manicis, quali monachi Ægyptii utuntur.* Isidor. XIX. 21. Non planè tamen manicis caruisse docet Cassianus. V. illum supr. in *Colobium*. Ferrar. de Re vest. 1. 3. 8. Anal. de Re vest. c. 25.

LEX.

LEX non solum populi, plebisve jussa, & scita, seu cujuscunque potestatis decreta, verùm doctrinarum etiam præcepta, & quamcumque conventionem, atque conditionem significat. Sed in his omnibus translatitio genere utimur. *Legis* enim nomen propriè ad jus, & justitiam refertur. Papinianus Demosthenis definitionem secutus scribit *legem esse commune præceptum, virorum prudentium consultum, delictorum, quæ sponte, vel ignorantia contrahuntur, coercitionem, sponsionem denique Reipublicæ communem.* A Cicerone multis modis definitio tentata est, sed brevissima descriptio de Nat. deor. II. 31. *Lex est recti præceptio, pravique depulsio.* Ego illorum magis sententiam probo, qui leges Romanorum alia ratione definiendas esse putaverunt. Justin. Instit. l. 2. §. 7. *Lex est, quod populus Romanus senatorio magistratu interrogante, veluti consule, constituebat.* Severin. in Topic. Cicer. III. *Lex est, quam populus centuriatis comitiis sciverit.* Quomodo differat a plebiscito, privilegio & rogatione, V. infr. suis locis. *August. de Legib. c.* 5. *Manut. de Leg. c.* 31. *Palaot. de Noth. & spur. c.* 1. §. 10. Non ferebatur, nisi à magistratibus; majoribus quatuor, prætore, & consule, qui ordinarii magistratus erant: item dictatore, & interrege, qui majores quidem, ordinarii tamen non erant, neque populi comitiis creabantur: & uno minore, tribuno plebis. *Manut. ibid. c.* 32. Hi enim omnes, quia cum populo agere poterant, etiam poterant ferre ad populum, ac rogare *legem*. Agere cum populo quid sit, V. supr. in *Agere*. Et *legem* esse, quod populus Romanus, magistratu interrogante, constituebat, modò Justinianus dixit. Extraordinario etiam jure *leges* ferre potuerunt tribuni militum, qui pro consulibus creati sunt, ac decemviri *legum* ferendarum causa, triumviri quoque Reipublicæ constituendæ causa creati. Addo Regem, & tribunum celerum, item Imperatorem, post legem regiam, qua populus ei, & in eum omnem potestatem transtulit. Ulpian. l. 1. §. 1. ff. de Constit. princ. *Quod principi placuit, legis habet vigorem: utpotè cum lege regia, quæ de imperio ejus lata est, populus ei, & in eum omne suum imperium, & potestatem conferat.* De *legibus* Juliis, quæ ab Augusto latæ sunt, ut de *legibus* Regum nulla dubitatio est. *August. ibid. c.* 7. Locum ferendæ *legis* interdum prata Flaminia, qui postea circus Flaminius dictus est; interdum lucum Petilinum, quandoque Capitolium, sed plerumque forum, aut campum Martium fuisse legimus. De pratis Flaminiis, luco Petilino, Capitolio Livius testis est. De foro Cicer. pro Rab. Post. c. 7. *Si lex ferretur, convolaretis ad Rostra.* Erant enim Rostra in foro. De campo inde constat, quod cum centuriatis comitiis sæpè latæ sint, centuriata porrò comitia in campo esse habita, omnes historiæ narrant: manifestò sequitur, ut *leges* centuriatis comitiis latæ, in campo latæ sint. In loco sacro, potiùs quàm profano, latas crediderim I. quod in Rostris, qui locus erat auguratus, templumque dicebatur, sæpè à magistratu ferrentur. Cicer. pro Sext. c. 35. *Princeps rogationis Q. Fabricius templum aliquanto ante lucem occupavit* n. ut *legem* ferret. Docet hoc pro Mil. c. 14. *Potuitne Fabricio, viro optimo, cum de reditu meo legem ferret, pulso?* Rostra verò illud templum. Cicer. in Vatin. c. 10. *Cum L. Vetium indicem in Rostris, in illo, inquam, augurato templo, ac loco collocaris.* Liv. VIII. 15. V. illum infr. in *Rostra*. II. quod *leges* à P. Clodio latas in templo Castoris invenio. Cicer. in Pison. c. 9. *Eodem in templo arbitria non mei solum, sed patriæ funeris abstulisti.* Quæ sic interpretor: quo in templo *legem* de mea pernicie tulerat Clodius, eodem in templo de Macedonia tibi tradenda statim *legem* tulit: quam tu provinciam ad arbitrium tuum pro meo funere, quod idem patriæ funus fuit, ipse pactus eras: itaque provinciam *lege* tradiram, quasi præmium à Clodio debitum abstulisti. Et quidem has, cum in foro ferrentur, hoc est, tributis comitiis. In campo, in quo centuriatis ferebantur, nulla erant templa, locus, in quo ferebantur, ante auguratus fuit. Liv. III. 20. *Tribuni, ut impedienda rei nulla spes erat, de proferendo exercitu agere, eo magis quod & augures jussos adesse ad locum Regillum, fama exierat, locumque inaugurari, ubi auspicato cum populo agi posset.* Minut. ibid. c. 39. Non licebat omnibus diebus *legem* ferri, neque, quibus liceret, per omnes horas. Licebat fastis tantum diebus, nefastis non licebat: nec verò fastis omnibus, sed comitialibus tantum. V. illos supr. in *Dies*. Illis autem ita licebat, si nemo de cœlo servaret: quæ duabus *legibus*, Ælia, & Fusia, sancita erant. Id annis propè centum ante Ciceronis ætatem, ut scribit in Pisonem, institutum ad extrema ferè mansit Reipublicæ tempora. Pisone autem & Gabinio coss. P. Clodius tribunus plebis, ut armaret immoderata licentia tribunitiam potestatem, dierum discrimen, & impedimenta auspiciorum sustulit. Neque enim tantum, ut omnibus planè fastis ferri *lex* posset, verùm etiam, ne quis per eos dies, quibus cum populo liceret agi, de cœlo servaret, rogationem tulit. Idque postea servatum esse, significare videtur Cicer. de Prov. c. 19. *Aut statuendum vobis est, legem Æliam manere, legem Fusiam non esse abrogatam, non omnibus fastis legem ferri licere, cum lex feratur, de cœlo servari, obnuntiari, intercedi licere.* Opinor etiam, qui dies religiosi vocabantur, quorum in numero atri erant, iis non potuisse legem ferri. V. supr. in *Dies*. Horæ, quibus agi cum populo posset, omnes erant intra solis ortum, & occasum. V. supr. in *Hora*. Manut. ibid. c. 40. Ferebatur comitiis, aut tributis, aut centuriatis, aut etiam, ut in imperio mandando, & in adoptionibus, curiatis. Si tributis, aut cum, aut sine Scto: si centuriatis è Scto. Semper plus omninò dignitatis, at-

que

quæ auctoritatis in centuriatis, sed potestatis non minus, erat in tributis. Æquè enim populus universus tenebatur iis *legibus*, quæ tributis comitiis ferebantur, atque iis, quæ centuriatis: idque sancitum esse *lege* à Q. Hortensio dictatore lata, cum ante jure eo, quod statuisset plebs, patricii non tenerentur. Gell. xv. 27. *Tribuni neque advocant patricios, neque ad eos referre de re ulla possunt: ita ne leges quidem propriè, sed plebiscita appellantur, quæ tribunis plebis ferentibus accepta sunt: quibus rogationibus ante patricii non tenebantur, donec Q. Hortensius dictator eam legem tulit, ut eo jure, quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur.* Manut. ibid. c. 33. V. etiam supr. in *Comitia*. A corruptis moribus manarunt. Nam ubi continenter, & sobriè vivitur, ubi colitur pietas, ubi justitiæ locus est, quorsum ibi *lex* feratur? Vetustissimi mortalium prorsus omnem vim, atque luxum ignorantes, tranquillam vitam, ipsa natura duce vivebant. Post erupit injuria, & quod quisque potuit, id quisque velle, neglecta ratione cœpit. Tunc necessariò *leges* latæ, & injecta licentiæ quasi frena, quæ, si quis rectè agere sua sponte nollet, cum pœnæ metu in officio continerent. Itaque conservandæ, augendæque civitatis causa, & ut esset benè vivendi norma, *legem* inventam, manifestè cognoscitur. Et *lex* nominanda non est, cujus turpis, ac vitiosa origo sit. Nam *legis* causa justitia, & *lex* ipsa sancta, ac justa debet esse: inde enim publicum commodum exoritur, & quo munitur imperium adversus vim hostilem, & quo privati cives sua quisque bona, suum quisque jus, adversus privatorum injurias tuentur. *Manut. ibid. c. 41. August. ibid. c. 4.* Magistratus *legem* laturus scribebat eam domi, & cum peritis consultabat, ne quid contra populi rem, aut voluntatem sanciret: ne fortè pugnantia capita simul ferret: neve quid, quod vetus aliqua, si ferretur, inane, infirmumque juberet esse: ne curationem, potestatem, commodumve aliquod ipse sibi sua *lege*, aut collegis, aut cognatis, affinibus mandaret: ne pluribus de rebus, quæ non ejusdem generis, una rogatione ferretur. Addebatur illa exceptio, ut si quid jus non esset rogari, ne esset rogatum: si quid contra alias *leges* ejus *legis* ergo latum esset, ut ei, qui eam *legem* rogasset, impunè esset. Scripta *lege* legislator, antequam eam promulgaret, referebat ad senatum, ut, quo plus ponderis, majoremque vim haberet, de senatus eam sententia ferret. *Manut. ibid. c. 34. Hotman. Antiq. Roman.* II. 11. Deinde promulgabatur, id est, in publico ponebatur. Est enim *promulgare*, ut ait Festus, *quasi provulgare*. Id autem eo fiebat, ut inspiceret qui vellet, inspectam consideraret: non solum, ut intercedi posset antequam ferretur, verùm etiam, ut aliquantò ante statuere cuivis liceret, utrum, cum ferretur, antiquanda suffragiis, an accipienda esset. Quæ contra *legem* dici possint, enumerat Quintil. II. 4. *Aut enim de jure dubitari potest ejus qui rogat, ut de P. Clodio, qui non ritè creatus tribunus arguebatur; aut de ipsius rogationis, quod est varium: sive non trino fortè nundino promulgata, sive non idoneo die, sive contra intercessiones, vel auspicia, aliudve quid, quod legitimè obstet, dicitur lata esse, vel ferri, sive alicui manentium legum repugnare.* Spatium promulgationis erat trinundinum, ut illo proposita legi posset ab iis, qui in Urbem è rusticis tribubus, ac municipiis veniebant. Macrob. I. 16. *Rutilius scribit, Romanos instituisse nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die, intermisso rure, ad mercatum, legesque accipiendas Romam venirent: & ut scita, atque consulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die proposita à singulis, atque universis facilè noscebantur: unde etiam mos tractus, ut leges trinundino die promulgarentur.* Augustin. ibid. c. 10. Manut. l. l. Argol. in Paovin. de Lud. Circ. I. 18. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 448. Manut. de Legib. c. 4. Hotman. l. l. Post tertias nundinas magistratus in locum, ubi *legem* laturus erat, populum convocabat: ibi, cum *legem* præco, subjiciente scriba, recitasset, tum primus quidem is, qui *legem* promulgarat, populo suadebat, ut rogationem acciperet: sed post eum alii, non privati modò, quibus ab aliquo magistratu concio daretur; verùm quandoque etiam magistratus, pro suo quisque sensu, vel suadebant, vel dissuadebant. Quintil. l. l. *Romanis pro concione leges suadere, aut dissuadere moris erat.* Liv. xxxiv. 1. *M. & P. Junii Bruti tribuni plebis legem Oppiam tuebantur, nec eam se abrogari passuros ajebant. Ad suadendum, dissuadendumque multi nobiles prodibant.* c. 5. *Si privati tantummodò ad suadendum, dissuadendumque id, quod à nobis rogatur, processissent.* Cato apud Cicer. de Senect. c. 5. V. illum infr. in *Lex Voconia*. Et *Fabius Maximus admodum senex suasor legis Cinciæ de donis, & muneribus fuit* apud eund. ibid. c. 4. *Legem* Maniliam de bello Mithridatico Cn. Pompejo extra ordinem mandando, dissuasit Hortensius apud Cicer. pro leg. Manil. c. 17. Papiriam de tribunis plebis reficiendis Lælius & Africanus apud Cicer. de Amic. c. 25. *Brisson. de Form.* II. *p.* 131. *Manut. ibid. c. 35. August. ibid. c. 11. Hotman. l. l.* Causæ, quo minus promulgata perferri posset, denarrantur supr. in *Intercessio*. Illarum initus adscribi solebat tribus, quæ prima ad suffragium ferendum vocata erat, cui principii nomen imponebatur: simulque ejus nomen adscribebatur, qui pro tribu primus scivisset. Utrumque patet ex lege aquaria. Frontin. de Aquæduct. II. in qua est: *Tribus Sergia principium fuit, pro tribu Sextus Lucii filius Varro primus scivit.* Et in lege Thoria eadem verba primum gradum obtinent. Prima siquidem ejus clausula ita habet: *Tribus principium fuit: pro tribu Q. Fabius Q. F. scivit.* Utriusque testem habemus Liv. IX. 38. *Atque ei legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod Faucia curia fuit principium, duabus insignis cladibus, capta Urbis, & Caudina pacis: quod utroque anno ejusdem curiæ fuerat principium.* c. 46. *Quum appareret ædilibus, fierique se pro tribu ædilem videret.* Brisson. ibid. p. 138. Gronov. Observ. IV. 1. Keuchen. in Frontinum. Clausula verò vulgaris hæc fuisse videtur: *Si quid de ea re ad populum, plebemve lato opus est, coss. prætores, tribuni plebis, qui nunc sunt, quod eis videbitur, ad populum, plebemve ferant.* Quæ verba Valerius Probus notis hisce præscribi solita tradit: S. Q. D. E. R. A. P. P. V. L. O. E. COSS. PRÆTT. TR. PL. Q. N. S. Q. E. V. A. P. P. V. F. *Brisson. l. l.* Perlata in æs incidebatur. Plato Politic. p. 568. B. *Talos ter quotannis omnes pagos lustrabat, leges eorum observaturus, tabulis æreis leges insculptas circumferens: unde æreus nominatus est.* Cicer. Phil. I. 10. *Quod erit ita gestum, id lex erit, & in æs incidi jubebitur.* Ovid. Met. I. 88.

—— nec verba minantia fixo
Ære ligabantur.

Et hinc *legum* æra dicuntur Cicer. Catil. III. 8. *In Capitolio legum æra liquefacta.* Urbanè Plaut. Trin. IV. 3. 30.

Mores leges perduxerunt jam in potestatem suam:
Ea misera, etiam ad parietem sunt fixa clavis ferreis,
Ubi malos mores affigi nimio fuerat æquius.

Augustin. ibid. c. 16. Turneb. Adv. XXX. 35. Brisson. ibid. III. p. 334. Manut. de Leg. c. 38. Voss. Gramm. I. 35. Donat. de Urb. Rom. II. 9. Brod. Misc. IV. 12. Pancıroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 73. Rycq. de Capit. c. 30. Salmas. Exerc. Plin. p. 521. b. B. Pitisc. in Suet. Cæl. c. 28. n. 2. 6. 19. Lampe de Cymbal. III. 11. Et in ærarium deferebatur. V. supr. in *Ærarium*. Vetus interdum nova vel corrigebatur, vel, ut tempora, moresque ferebant, aliis cautionibus adjectis augebatur, ut moribus ad deteriora inclinantibus magis pœna gravior irrogaretur. Cicer. de Offic. II. 21. *Nondum centum & decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata est lex, nulla antea cum fuisset: at verò postea tot leges, & proxima quæque duriores.* Manut. ibid. c. 5. Castal. de Column. triumph. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1948. E. Inde dicebatur illi abrogari, cum, postquàm perlata erat, retractabatur. Modest. l. derogatur ff. de ver. signif. *Abrogatur legi, cum prorsus tollitur.* Vigebat illa, usque dum alia lege abrogaretur. Abrogare *legem* propriè populus dicebatur. Senatus non abrogabat *legem*, sed, ut abrogaretur, statuebat. *Manut. ibid. c. 42. August. ibid. c. 17. Brisson. de Form. II. p. 133. Revard. ad Leg. XII. tab. c. 1. Rosin. Antiq. Roman.* VIII. 3. Populus in hoc genere non semper fecit e Republica; nam quemadmodum sæpè malas *leges* bonus populus, sic interdum bonas malus abrogavit: à senatu verò nunquam *lex* ulla, nisi Reipublicæ causa

sa sublata est. *Erant quatuor omninò genera, quibus per senatum more majorum statueretur aliquid de legibus.* I. *Ejusmodi placere legem abrogari: ut Q. Cæcilio, M. Junio coss. quæ leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur.* II. *quæ lex lata esse diceretur, ea non videri populum teneri, ut L. Marcio, Sex. Julio coss. de legibus Liviis, quæ ut uno senatusconsulto tollerentur, Philippus consul, Livii inimicus obtinuit à senatu: ideò autem hujusmodi legibus non videri populum teneri senatus decrevit, quia contra auspicia latas esse augures monuissent.* III. *est de legum abrogationibus, quo de genere persæpè senatusconsulta fiunt, ut nuper de ipsa lege Calpurnia, quæ derogaretur.* Cicer. pro C. Cornelio. IV. quod in Cicerone, quia ejus oratio est mutila, non invenitur, fuerit, cum aliquem hostem senatus judicarat, simul, ut ejus quoque *leges*, quæ quidem adversus Rempublicam essent, tollerentur, eodem senatusconsulto, aut alio proximè facto, judicabat. Interdum neque à senatu, neque à populo, tacito autem omnium consensu per desuetudinem abrogabatur. Abrogari licuit omnes *leges* præter sacratas: quæ violatæ sæpè, abrogatæ nunquam sunt. Abroganti non eadem, quæ violanti *legem*, pœna sancitur. Tametsi nulla *lex* lata est, quæ ipsa se contra abrogationem quasi sanctionis sepimento non muniverit, gravi pœna, multave ei, qui abrogasset, irrogata. At multi multas abrogarunt, neque tamen ullam pœnam propterea subierunt. *Manut. l. l.* Derogari, cum non omninò tota, sed ejus pars *lege* posteriùs lata tollitur. Modest. l. l. *Derogatur legi, cum pars detrahitur.* Festus: *Derogare propriè est, cum quid ex lege vetere, quo minus fiat, sancitur lege nova. Indignum esse de lege aliquid derogari,* scribit Cicer. de Invent. II. 45. Obrogari, cum superioris nulla mentione facta, aliquid ei contrarium posteriore *lege* rogatur, & ita *legis* vis frangitur. Festus: *Obrogare est legis prioris infirmanda causa aliam legem ferre.* Liv. IX. 34. *Ideo Æmiliæ legi potius paruerunt, quàm illi antiquæ, quia hanc postremam populus jusserat: & quia, ubi duæ contrariæ leges, semper antiquæ abrogat nova.* Manut. Aug. l. Ræ vard. Rosin. l. l. *Lege* interrogare dicebatur is, qui postulabat, ut adversarii nomen inter reos reciperetur, & tunc delatio nominis scribebatur, & tempus inquirendi dabatur. Ascon. in Cicer. p. 44. *Reum fieri est apud prætorem legibus interrogari: cum in jus ventum esset, dicebat accusator apud prætorem reo: ajo, te Siculos spoliasse: si tacuisset, lis ei æstimabatur, ut victo, si negasset, petebatur à magistratu dies inquirendorum ejus criminum, & instituebatur accusatio.* Cicer. pro dom. c. 29. *Quis me unquam ulla lege interrogavit? quis postulavit?* Sallust. Bell. Catil. p. 15. *P. Antronius, & P. Sulla legibus ambitus interrogati.* p. 25. *Ipse lege Plautia interrogatus erat ab L. Paullo.* Sigon. de Judic. II. 10. *Lege* verò agere est jus experiri, in judicio contendere. *Manut. ibid. c. 34.* Aliquid eorum, quæ *lege* continerentur, apud prætorem, vel apud eum, qui talem jurisdictionem haberet, in jure obire, nempè vindicare, atque in jure cedere, filium suum emancipare, alienum adoptare, servum manumittere, tutorem, bonorum possessionem, interdictum, & actionem postulare. Val. Max. VII. 8. 5. *Egregia Pisonis præfecti Urbis constitutio: cum enim ad eum Terentius ex octo filiis, quos in adolescentiam perduxerat, ab uno in adoptionem dato exhæredatum se querelam detulisset, bonorum adolescenti possessionem dedit, heredesque lege agere passus non est,* id est, actionem proponere ex capite duodecim tabularum, quo scriptus hæres mitti debet in possessionem hæreditatis. *Sigon. de Judic. I. 7. & 9. Polles. For. Rom. III. 2.* Cujus intentio contemptibilis adversario videbatur, dici solitum *lege agito.* Terent. Phorm. V. 7. 90.

— PH. *Una injuria est*
Tecum. CH. *Lege agito ergo.*

Ubi hæc Donatus. Qui dicta probat auctoritate Plauti, cujus versum laudat ex Aulularia, cum habeatur Most. III. 3. 10.

Lege agito mecum: molestus ne sis, & cœnam coque.

Brisson. ibid. V. p. 387. Rævard. de div. reg. jur. CXXIII. *Legibus* solvere est, quod nunc dispensare vocamus. Liv. X. 13. *Fabius legem recitare jussit. Vix præ strepitu audita lex est: tribunique plebis nihil id impedimenti futurum ajebant, se ad populum laturos, uti legibus solveretur.* Suet. Jul. c. 18. n. 5. *Ambienti, ut legibus solveretur, multi contradicebant.* Bud. in Pandect. p. 50. A.

Lex Acilia de coloniis deducendis lata est à C. Acilio tribuno plebis an. 556. C. Cornelio Cethego, Q. Minutio Rufo Coss. Liv. XXXIII. 29. *C. Acilius tribunus plebis tulit, ut quinque coloniæ in oram maritimam deducerentur: duæ ad ostia fluminum Vulturni Liternique: una Puteolos: una ad castrum Salerni. His Buxentum adjectum. Tricenæ familiæ in singulas colonias jubebantur mitti.* Hotman. Antiq. Roman. c. I. p. 193. B. Rosin. Antiq. Rom. VIII. 9.

Lex Acilia de repetundis lata est à Manio Acilio Glabrione an. 638. eodem Manio, & Cajo Porcio Catone coss. Ascon. in Cicer. p. 62. *M. Acilius Glabrio legem tulit de pecuniis repetundis severissimam, ut qua ne comperendinari quidem liceret reum.* De illa Cicer. Prooem. Vert. c. 17. ad Glabrionem prætorem: *Fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem, qua lege populus Romanus de pecuniis repetundis, optimis judiciis, severissimisque judicibus usus est.* August. de Leg. in Acilia. Sigon. de Judic. II. 27. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 193. C. Pigh. Annal. Rom. III. p. 169. Rosin. Ant. Rom. VIII. 30.

Lex Æbutia de centumviris lata est ab Æbutio. Illa judicia centumviralia fuisse constituta crederem. Gell. XVI. 10. scribit irrisum fuisse ictum, qui duodecim tabularum antiquitatem contemnebat, *nisi quid in legis actionibus centumviralium causarum lege Æbutia lata compositum esset.* *August. de Leg. in Æbutia. Pigh. Annal. Rom. II. p. 98.* Augustinus, etsi hoc ipsa verba non exprimant, putat tamen utrumque, & de centumvirali judicio instituendo, & de *legis* actionibus duodecim tabularum, nisi earum causarum, quæ apud centumviros essent agendæ, abrogandis fuisse cautum. Contra Manut. de Legibus c. 16. Gellium de solis XII. tab. corrigendis interpretatur, cui suffragiorum calculum addit Hotman. Antiq. Roman. I. p. 194. A. qui Æbutium tribunum plebis de tollendis *legum* actionibus XII. tab. *legem* rogasse scribit. Ego lubentius assentirer Augustino, si tempus addidisset *legis* latæ, & auctorem qui tulerit. Etenim eo tempore, quo consentaneum est centumviros esse institutos, Liviana historia temporum injuria periit, Halicarnasseus eo non pervenit, cæteri ne verbo meminerunt. Illud verò constat, Æbutiorum familiam eo tempore, & postea diu præturam, tribunatum, quæsturam, pontificatum, legationes, aliosque magistratus gessisse. Itaque Æbutius is, qui *legem* de centumviris rogavit, meo judicio populum de eo rogavit an. 513. Q. Lutatio Cercone, A. Manlio coss. aut certè non ita multò pòst. *Siccam. de Centumv. judic.* I. 8. V. & Lipt. in *Centumviri.*

Lex Æbutia de curatione, & potestate mandanda lata est ab Æbutio tribuno plebis. De illa Cicer. Agrar. II. 8. *Leges veteres sunt neque eæ consulares, si quid interesse hoc arbitramini, sed tribunitiæ vobis, majoribusque vestris vehementer gratæ, atque jucundæ. Licinia est lex, atque altera Æbutia, quæ non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas ejus, cognatos, affines excipit, ne iis potestas, curatiove mandetur.* Et de hac nihil amplius. *August. de Leg. in Æbutia. Manut. de Legib. c. 16. Rosin. Antiq. Roman.* VIII. 7.

Lex Ælia de coloniis deducendis lata est à Q. Ælio Tuberone tribuno plebis an. 559. P. Cornelio Scipione Africano II. Ti. Sempronio Longo coss. Liv. XXXIV. 53. *Exitu hujus anni Q. Ælius Tubero tribunus plebis ex Scto tulit ad plebem, plebesque scivit, ut Latinæ duæ coloniæ, una in Bruttios, altera in Thurinum agrum, deducerentur.* Hotman. Antiq. Roman. I. p. 194. A. Pigh. Annal. Roman. II. p. 269. Rosin. Ant. Roman. VIII. 9.

Lex Ælia de Statilio. C. Ælius tribunus plebis tulit *legem*, qua damnatus est Stennius Statilius Lucanus, quod Thurinos infestasset. Plin. XXXIV. 6. *Publicè ab exteris posita est Romæ statua C. Ælio tribuno plebis, lege perlata in Stennium Statilium Lucanum, qui Thurinos bis infestaverat: ob id Thurini Ælium statua, & corona aurea donaverunt.* Hotman. Antiq. Roman. I. p. 195. E.

Lex Ælia & Fufia de jure comitiorum lata est non à consulibus. Cicer. in Pison. c. 5. *Centum propè annis legem Æliam & Fufiam tenueramus, quas leges ausus est nonnemo improbus, potuit quidem nemo unquam convellere.* Intra centum enim annos ante Pisonis & Gabinii consulatum non modò consules eodem anno non fuerunt Ælius & Fufius, sed nemo omninò ex Ælia gente consulatum gessit. Quare cum eodem anno lata videatur, nimirum à duobus tribunis plebis latam esse jure putabitur. *Manut. de Leg. c.* 8. Æliam tamen à Q. Ælio Pæto consule cum M. Junio Penno an. 586. Antiq. Roman. I. p. 194. B. Fufiam à P. Furio, sive Fusio Philone consule cum Sexto Atilio Serrano an. 617. Antiq. Roman. I. p. 209. A. rogatam esse vult Hotomannus. Et certè hos consules in fastis Sigonii, Onuphrii Panvinii, & Goltzii invenio. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 3. Ulricus Zasius libro, in quem antiquas leges conjecit, post interfectos Gracchos, & ante bellum Punicum III. latam esse tradit. Sed pugnantia loquitur. Nam si post interfectos Gracchos, quo modo ante bellum Punicum III? cum Ti. Gracchum Scævola & Pisone coss. annis post eversam Carthaginem, & Scipionis triumphum tredecim occisum esse, non solum historiæ, verùm & fasti declarent. Accedit testimonium Cicer. in Vatin. c. 9. *Leges Ælia & Fufia in Gracchorum ferocitate vixerunt.* Nec una, sed duæ fuere, contra quàm Zasius videtur existimasse. Nam etsi sæpè Cicero ita loquitur, ut dicat *legem* Æliam & Fufiam: aliquanto tamen eas separat, ut duas agnoscere videatur. pro Sext. c. 14. *Iisdem coss. sedentibus, atque inspectantibus, lata lex est, ne auspicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis legi intercederet, in omnibus fastis diebus legem ferri liceret, ut lex Ælia, lex Fufia ne valeret.* post red. in Sen. c. 5. *Ut lex Ælia, & Fufia ne valerent.* pro Sextio, in Vatinium, & Pisonem modò laudatus, de provinciis consularibus laudatus supr. in *Lex.* clarissimè autem de Arusp. resp. c. 27. *Sustulit duas leges, Æliam, & Fufiam, maximè Reipublicæ salutares.* Prior tulit, ut quoties cum populo ageretur, augures de cœlo servarent, magistratus & obnuntiandi, & *legis* lationi intercedendi potestatem haberent. V. Cicer. pro Sextio jam adductum. *Manut. & Rosin. l. l. August. de Leg. in Ælia. Pigh. Annal. Rom.* II. p. 423.

Lex Ælia de obnuntiatione ab aliquo tribuno plebis lata est post annum ab U. C. 600. Ascon. in Cicer. p. 160. *Obnuntiatio qua perniciosis legibus resistebatur, quam Ælia lex confirmaverat, P. Clodii lege, ut ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo servaret, sublata fuit.* August. de Leg. in Ælia.

Lex Ælia Sanctia nominatur à Cicer. Topic. c. 2. Hæc *assiduo vindicem assiduum, locupletem locupleti esse jubebat.* Pertinuit igitur ad judicia. Atque de hac lege nihil amplius neque de latoribus, neque de sententia, compertum habemus. Quin etiam Ciceronis locum esse mendosum, neque in libris scriptis ullam omninò in eo loco *legis* Æliæ Sanctiæ mentionem fieri nonnulli tradiderunt. *Manut. de Leg. c.* 15. *Hotman. Antiq. Roman.* III. *p.* 194. *D.*

Lex Ælia Sentia de manumissionibus lata est à Sex. Ælio Catulo, C. Sentio Saturnino coss. an. 756. Ejus capita sex animadverti. I. de dedititiis libertis: ut qui servus publicè vinctus, aut notis inustus, aut publicè verberatus fuisset, si manumitteretur, dedititiam libertatem consequeretur, neque unquam ad civitatem Romanam perveniret. Justin. Instit. 2. 5. 4. *Nam qui manumittebantur, modo majorem & justam libertatem consequebantur, & fiebant cives Romani: modo minorem, & Latini ex lege Julia Norbana fiebant: modo inferiorem, & fiebant ex lege Ælia Sentia dedititii.* V. Suetonium, Cajum, & Ulpianum supr. in *Dedititius libertus.* II. ut manumissiones in fraudem factæ non valerent, uno excepto hærede. Namque is, qui solvendo non est, potest ex hac *lege* servum instituere cum libertate, qui et necessarius hæres fiat, ut Justin. l. l. & Paull. ad Æliam Sentiam l. scripserunt. Idem ad edictum LVII. ait, ita demum hanc legem consetvare libertatem, si nemo alius ea eo testamento hæres esse potest. Itaque si servo libet homo, aut is, cui libertas ex fideicommisso debetur, substitutus sit, à secundo gradu incipiendum erit. Celsus quoque Dig. XXIX. scribit hac *lege* caveri, ut si duo, pluresve ex eadem causa hæredes scripti sint, ut quisque primus scriptus sit, hæres fit. Idem Ulpianus in fragmentis confirmat, eumque servum 30. annis minorem, & qui in ea causa sit, ut dedititius fieri deberet, civem Romanum, & hæredem fieri. III. domino viginti annis minori non aliter manumittere permittitur, quàm vindictà, si apud consilium justa causa manumissionis approbata, ut ait Justinianus, à quo permultæ manumissionis justæ causæ enumerantur. Gell. XV. 27. *Qui non universum populum, sed partem aliquam adesse jubet, non comitia, sed consilium edicere debet.* Consilium significat eos, qui, ut de causis manumittendi cognoscerent, cum prætore, aut præside convenerant. V. supr. in *Consilium.* Eadem *lege* cautum esse ait Ulpianus, ut minor 30. annorum servus vindictà manumissus civis Romanus non fiat, nisi apud consilium causa probata fuerit: testamento verò manumissum perinde haberi, atque si domini voluntate in libertate esset; ideòque Latinum esse. IV. Prohibetur patronis adigere jurejurando, ne nubat liberta, vel liberos tollat libertus. Nam & ipse, & liberi ejus jus patronatus perdunt, ut ait Paull. ad eandem *legem* II. V. Prohibentur patroni libertos obligare, ut mercedem operarum præstent onerandæ libertatis causa. Non tamen prohibentur à libertis mercedes capere, sed eos ita obligare, quod refert Clemens ad *legem* Juliam & Papiam VIII. VI. est de ingratis libertis in servitutem redigendis. Paull. ad edictum LXXIII. *In lege Ælia Sentia filius heres potest libertum paternum, ut ingratum, accusare, non etiam si heredi heres extiterit.* August. de Leg. in Ælia Sentia. Notit. Cenotaph. Pisan. Diss. III. p. 422. Manut. de Leg. c. 14. Rosin. Ant. Rom. VIII. 15. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 195. A. Loon. de Manum. I. 4. 9–18. Quia verò Ælii, ac Sentii distinctæ fuerunt Romanorum familiæ, unus idemque vir Ælius Sentius hujus *legis* auctor haberi non potest: ut infelicitet hallucinati scribunt Alciatus ad l. 70. de verb. signif. *Ælius Sentius legem tulit, quæ ab ejus nomine Ælia Sentia est appellata.* Et interpres Justin. Instit. I. tit. 5. de libertinis: *Hanc legem statuit consul Romanorum, qui Ælius Sentius dicebatur.* Noris. l. l.

Lex Æmilia de censoribus lata est à Mamerco Æmilio dictatore anno 319. Censura initio quinquennalis fuerat, sed Æmilius *legem* tulit, ne plus quàm annua, ac semestris esset. Liv. IV. 24. V. illum supr. in *Censores. Alios magistratus annuos esse, quinquennalem censuram gravem esse, iisdem per tot annos magna parte vitæ obnoxios vivere: se legem laturum, ne plus quàm annua, ac semestris censura esset.* August. de Leg. in Æmilia. Hotman. Antiq. Rom. I. p. 195. F. Pigh. Annal. Roman. I. p. 164. Panvin. Fastor. I. p. 88. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Æmilia sumptuaria etiam cibaria dicta est. Macrob. Sat. II. 13. *Sulla mortuo Lepidus consul legem tulit & ipse cibariam. Cato enim sumptuarias leges cibarias appellavit.* Lata est à M. Æmilio Lepido, qui consul fuit cum Q. Lutatio Catulo an. 675. In illa, ut scribit Gell. II. 24. *non sumptus cœnarum, sed ciborum genus, & modus præfinitus est.* August. de Leg. in Æmilia. Putean. Reliq. conviv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 248. A. 253. C. Perizon. in Ælian. III. 34. Bruyet. de Re cibar. III. 4. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 195. E. Blond. Rom. triumph. VIII. p. 176. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 13. Thys. in Gellium. Sed vereor, ne non ad M. Æmilium Scaurum referenda sit. Aurel. Vict. de Viris illustr. c. 72. n. 5. *Consul* an. 638. *legem de sumptibus, & libertinorum suffragiis tulit.* Plin. VIII. 57. *Glires censoriæ leges, princepsque M. Scaurus in consulatu non alio modo cœnis ademere, quam conchylia, aut ex alio orbe convectas aves.* August. l. l. Pigh. Antiq. Roman. III. p. 98.

Lex Æternia. V. illam infr. in *Lex Menenia Sestia.*

Lex Agraria. V. illas infr. in *Cassia, Licinia, Flaminia, Sempronia; Apuleja, Tullia.*

Lex ambitus. V. illas infr. in *Bæbia, Calpurnia, Julia, Petilia, Pompeja, Tullia.*

Lex Ampia Labiena de Cn. Pompejo lata est à T. Ampio,

pio, T. Labieno tribuno plebis, Metello & Afranio consulibus an. 693. ut *Cn. Pompejus ludis circensibus corona laurea, & omni cultu triumphantium uteretur: scenicis autem prætexta, coronaque laurea.* Patерc. II. 40. 4. *Hotman. Antiq. Roman.* I. *p.* 196. *A.*

Lex Annalis, vel annaria. V. illam infr. in *Villia annalis.*

Lex Annoniana, vel frumentaria. V. illas infr. in *Appuleja, Julia, Clodia, Sempronia.*

Lex Antia sumptuaria post Æmiliam, & ante Juliam ab Antio Restione est lata. Gell. II. 24. *Lex deinde Antia præter sumptum æris id etiam sanxit, ut, qui magistratus esset, magistratumve capturus esset, ne quo ad cœnam, nisi ad certas personas itaret.* Et Macrob. Sat. II. 13. *Dein paucis interjectis annis lex pervenit ad populum, ferente Antio Restione, quam, quamvis esset optima, obstinatio tamen luxuriæ, & vitiorum firma concordia nullo abrogante irritam fecit. Illud tamen memorabile de Restione latore ipsius legis fertur, eum, quoad vixit, foris postea non cœnasse, ne testis fieret contemptæ legis, quam ipse bono publico pertulisset.* August. de Leg. in Antia. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 196. B. Blond. Rom. triumph. VIII. p. 176. Rosin. Ant. Rom. VIII. 13.

Lex Antonia de dictatura. Antonius triumvir R. P. C. *tulit legem, ne quis ullam ob causam de dictatore creando referret, neve quis dictaturam oblatam acciperet: qui secus faxit, eum ut necare jus fasque esset.* Appian. de Bell. civil. III. p. 542. *Hotman. Ant. Rom.* I. *p.* 196. *C.*

Legem judiciariam Antonius consul post obitum Cæsaris conatus est ferre, qua in tertiam decuriam, quæ tribunorum ærariorum erat, centuriones, atque alaudas conjicere decreverat. Cicer. Phil. V. 5. *Antesignanos, & manipulares, & alaudas judices se constituisse dicebat.* Antonius tamen prius hostis judicatus est, quam *lex* perlata fuerit. *Prevot. de Magistr. Roman. c.* 7. *Hotman. Antiq. Roman.* I. *p.* 196. *G.*

Lex Antonia de jure cooptandorum sacerdotum lata est à M. Antonio post obitum Cæsaris, eo consilio, ut facilius, ac certius M. Æmilius Lepidus, cujus filio filiam suam collocaverat, pontifex maximus in Cæsaris locum subrogaretur. Dio XLIV. p. 269. A. Non est servata. Nititur testimonio Dionis XLVI. qui leges Antonii à Pansa consule abrogatas esse narrat, quod etiam fecit Lentulus ipse, qui scripsit his verbis ad Ciceronem Fam. XII. 14. *Primus ego leges Antonianas fregi*, ut ejus potius exemplum Pansa, quam ipse Pansæ sequutus esse videatur. Est etiam ex ipso Cicerone minimè dubium de abrogatis Antonii legibus argumentum. *Acta*, inquit Philip. XIII. 5. *Antonii rescidistis: leges per vim, & contra auspicia latas decrevistis.* Manut. de Leg. c. 2. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 196. E.

Lex Antonia de nomine mensis Julii lata est à M. Antonio Marci filio consule, ut qui mensis antea Quintilis vocabatur, *à C. Julii Cæsaris nomine Julius appellaretur, quod hoc mense ad quartum Idus Quintilis Julius procreatus esset.* Macrob. Saturn. I. 12. Dio XLIV. p. 242. E. *Hotman. Antiq. Roman.* I. *p.* 196. *D.*

Lex Appuleja agraria lata est à L. Appulejo Saturnino tribuno plebis an. 653. C. Mario VI. L. Valerio Flacco coss. Aurel. Vict. de Vir. illustr. c. 73. n. 1. *L. Appulejus Saturninus tribunus plebis seditiosus, ut gratiam Marianorum militum pararet, legem tulit, ut veteranis centena agri jugera in Africa dividerentur.* n. 5. *Tribunos plebis refectus Siciliam, Achajam, Macedoniam novis colonis destinavit: & aurum, dolo, an scelere Cæpionis partum ad emptionem agrorum convertit. Aqua, & igni interdixit ei, qui in leges suas non jurasset.* Galliæ tantum partem, unde Cimbros Marius ejecerat, dividi jussam esse refert Appian. de Bell. civ. I. p. 367. *Cæterum Appulejus legem promulgavit de dividendis agris Galliæ provinciæ, è quibus Marius nuper Cimbros summoverat, ut jam Romani juris essent, non Gallici.* August. de Leg. in Appuleja. Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 196. F. Pigh. Annal. Rom. III. p. 175. Rosin. Antiq. Rom. VIII. 10.

Lex Appuleja de coloniis lata est à L. Appulejo Saturnino: ut in singulas colonias ternos cives Romanos C. Marius facere posset. Cicer. pro Balb. c. 21. *Sed cum lege Appuleja coloniæ non essent deductæ, qua lege Saturninus C. Mario tulerat, ut in singulas colonias ternos cives Romanos facere posset, negabat hoc beneficium, re ipsa sublata, valere debere.* Hotman. Antiq. Roman. I. p. 196. E. Pigh. Annal. Rom. III. p. 175.

Lex Appuleja frumentaria lata est ab eodem Appulejo. Cicer. ad Herenn. I. 12. *Cum L. Saturninus legem frumentariam de semissibus & trientibus laturus esset, Cæpio, qui per id temporis quæstor urbanus erat, docuit senatum, ærarium pati non posse largitionem tantam. Senatus decrevit, si eam legem ad populum ferat, adversus Rempublicam videri eum facere. Saturninus ferre cœpit. Collegæ intercedere. Ille nihilominus cistellam detulit. Cæpio, ut illum contra S. C. tum intercedentibus collegis adversus Rempublicam vidit ferre, cum viris bonis impetum fecit, pontes disturbat, cistas dejicit, impedimento est, quo secius feratur lex.* *Legem* hanc ego ita accipio, ut semisse, & triente, tritici, hordeique modius daretur. *August. de Leg. in Appuleja.*

Lex Appuleja de majestate lata est ab Appulejo an. 652. C. Mario V. M. Aquilejo coss. Hac C. Norbanus accusatus est majestatis, qua minuens majestatem plectebatur. Accusavit P. Sulpicius, defendit M. Antonius optimus orator, odioque magis Q. Servilii Cæpionis, in quem seditio fuerat concitata, quique *legem* judiciariam tulerat, absolutus est, quàm causa, qua maximè premebatur. V. Cicer. de Orat. II. 48. & 49. *August. de Leg. in Appuleja. Hotman. Ant. Roman.* I. *p.* 196. *G. Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 163. 175. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 23.

Lex Aquilia de damno injuriæ lata est ab Aquillio tribuno plebis, ut scribit Ulpian. ad Edict. XVIII. V. illum supr. in *Injuria.* Quis autem hic Aquillius, quove tempore fuerit, ignoratur. Sunt, qui arbitrentur C. Aquillium Gallum fuisse, cujus sunt illa de dolo malo, de postumorum institutione, de stipulatione. Sed mihi Ictorum formulæ illæ esse videntur, hoc autem plebiscitum, de cujus rogatione nullum certum auctorem habeo quem sequar. Hujus *legis* verba Cajus ad edictum provinciale refert. Capite primo ita cavetur: *Qui servum, servamve, alienum, alienamve, quadrupedem, vel pecudem injuria occiderit, quanti id in eo anno plurimi fuit, tantum æs dare domino damnas esto.* Deinde cavetur, ut adversus inficiantem in duplum actio sit. Secundi capitis, quia in desuetudinem abiit, verba, ejusve sententia non exstat. Tertio capite ait lex: *Cæterarum rerum præter hominem, & pecudem occisos si quis alteri damnum faxit, quod usserit, fregerit, ruperit injuria, quanti ea res erit in diebus triginta proximis, tantum æs domino dare damnas esto.* August. de Leg. in Aquilia. Manut. de Leg. c. 30. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 197. A. Pigh. Annal. Rom. II. p. 330. Ad *legem* Aquiliam librum singularem scripsit *Gerardus Noodt Ictus & Antecessor Lugduno Batavus.*

Lex Ateria Tarpeja de multa est lata à Sp. Tarpejo, A. Aterio consulibus. Dionys. X. p. 674. *A præsenti anni consulibus centuriatis comitiis lex lata est licere omnibus magistratibus suæ potestatis læsæ reos multare: nam antea solis consulibus id licuerat. Multæ tamen modus non multantium arbitrio relictus est, sed ab ipsis præfinitus: ne scilicet multa, quantumvis grandis, duos boves, & triginta oves excederet: quæ lex diu servata est apud Romanos.* Festus in Peculium: *Postquam ære signato uti cœpit populus Romanus, Tarpeja lege cautum est, ut bos centussibus, ovis decussibus æstimaretur.* Hotman. Antiq. Roman. p. 197. D. IV. I. I 5.

Lex Atia Labiena de sacerdotibus lata est à T. Atio Labieno tribuno plebis L. Julio, C. Marcio consulibus, ut populus sacerdotia, quemadmodum olim lege Domitia mandaret. V. Dion. XXXVII. p. 46. D. *Hotman. Antiq. Rom.* I. *p.* 197. *E. Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 324.

Lex Atilia de deditiis lata est à L. Atilio tribuno plebis an. 543. M. Claudio Marcello IV. M. Valerio Lævino coss. Liv. XXVI. 33. *L. Atilius tribunus plebis ex auctoritate senatus plebem in hæc verba rogavit: Omnes Campani, Atellani, Calatini, Sabatini, qui se dediderunt in arbitrium, ditionemque populi Romani Fulvio proconsule, quique una secum*

cum dediderunt, agrum, urbemque, divina, humanaque, utensiliaque, sive quid aliud dediderunt, de iis rebus quid fieri velitis, vos rogo, Quirites. Plebes sic jussit: quod senatus juratus maxima pars censeat, qui assidetis, id volumus, jubemusque. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 167. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 31.

Lex Atilia de tutoribus lata est ab Atilio. Ulpian. in Fragm. *Lex Atilia jubet mulieribus, pupillisve non habentibus tutores, dari à pratore, & majore parte tribunorum plebis.* Hanc latam ante Philippum & Albinum coss. an. 567. inde conjicio, quod in ejus anni historia referenda de Hispala libertina ita scribit Liv. XXXIX. 9. *Quin eo processerat consuetudine capta, ut post patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore à tribunis & pratore petito, cum testamentum faceret, unum Æbutium instituerit haredem.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 13. Guther. de Jure pontif. II. 7. Hotman. Antiq. Rom. I. p. 197. G. Pigh. Annal. Rom. I. p. 397. August. de Leg. in Atilia. Rosin. Ant. Rom. VIII. 17.

Lex Atilia Marcia de tribunis militum lata est à L. Atilio, & C. Marcio tribunis plebis. Liv. IX. 30. *Duo imperia eo anno dari cœpta per populum; utraque pertinentia ad rem militarem: unum, ut tribuni militum seni deni in quatuor legiones à populo crearentur, qua antea perquàm paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum, & consulum fermè fuerant beneficia. Tulere eam rogationem tribuni plebei L. Atilius, C. Marcius.* Hotman. Antiq. Rom. I. p. 197. G. August. de Leg. in Atilia Marcia. Rosin. Ant. Roman. VIII. 18.

Lex Atinia de tribunis plebis lata est an. 623. C. Clodio Pulcro, M. Peperna coss. Hac senatores sunt tribuni plebis facti, & senatum potuerunt habere. Gell. XIV. 8. *Nam & tribunis plebis senatus habendi jus erat, quanquam senatores non essent ante Atinium plebiscitum.* August. de Leg. in Atinia. Orzel. in Gellium. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 6.

Lex Atinia de usucapione. Hac cautum fuit, ut, quod surreptum esset, ejus rei æterna auctoritas esset, nisi si in ejus, cui surreptum esset, potestatem revertisset. Paull. ad edict. LIV. *Quod autem dixit lex Atinia, ut res furtiva non usucapiatur, nisi in potestatem ejus, cui surrepta est, revertatur; sic acceptum est, ut in domini potestatem debeat reverti.* Idem libro singulari ad legem Furiam Caniniam: *In lege Atinia in potestatem domini rem furtivam venisse videri, si ejus vendicanda potestatem habuerit; Sabinus & Cassius ajunt.* Ejus meminit Gell. XVII. 7. *August. de Leg. in Atinia. Orzel. in Gellium. Manut. de Leg. c. 16. & 30. Hotman. Antiq. Rom. I. p. 198. A. Pigh. Annal. Rom. II. p. 255. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 19.

Lex Aufidia de ambitu lata est ab Aufidio Lurcone tribuno plebis M. Valerio Messala, M. Pupio Pisone coss. in eadem fuere, quæ in cæteris de ambitu latis legibus: novi hoc, ut qui nummos in tribu pronuntiasset, si non dedisset, impunè esset; sin dedisset, ut is, quoad viveret, singulis tribubus HS. CIↃ CIↃ CIↃ deberet. *Manut. de Leg. c. 28. Pigh. Annal. Rom. III. p. 340. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 30.

Lex Aurelia de judicibus lata est à L. Aurelio Cotta prætore an. 683. M. Licinio Crasso, Cn. Pompejo Magno coss. Flor. Epit. 97. *Judicia quoque per L. Aurelium Cottam pratorem ad equites Romanos translata sunt.* Ascon. in Cicer. p. 19. *Senatorius ordo per decem annos judicavit turpiter: nunc Aurelius Cotta legem fert, ut senatores, & equites Romani, ac tribuni ararii simul judicarent*, & 167. *Legem judiciariam ante aliquot annos, quibus temporibus accusatus est Verres à Cicerone, tulit Aur. Cotta prator: qua communicata sunt judicia, & equitibus Romanis, & tribunis arariis.* August. de Leg. in Aurelia. Bud. in Pandect. p. 82. K. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 198. C. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19. Manut. de Leg. c. 18. de Sen. Rom. c. 10. Rosin. Ant. Rom. VIII. 21.

Lex Aurelia de tribunis plebis lata est à C. Aurelio Cotta an. 678. qui eo anno cos. fuit cum L. Octavio. Ascon. in Cicer. p. 130. *Legem in concione tulit, repugnante nobilitate, magno populi studio, ut iis, qui tribuni plebis fuissent, alios quoque magistratus capere liceret: quod lex à dictatore Sulla paucis ante annis lata prohibebat.* August. de Leg. in Aurelia. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 198. D. Pigh. Annal. Rom. I. p. 94. Rosin. Ant. Rom. VIII. 6.

Lex Bæbia agraria de agris in Africa dividundis lata est à M. Bæbio tribuno plebis an. 631. Citatur in Fragm. legis ant. plebiscitum hoc: *Utei. quei. agri. loci. in Africa. dividundi. populus. Romanus. jure. belli. suos. publicos. fecerat. & quei. Roma. venum. publicè. dati. fuerant. eos. quæstor. qui. ararium. provinciam. obtinebit. in tabulis. publicis. descriptos. teneat. queive. agri. loci. populi. Rom. in Africa. publice. per. censores. predibus, acceptis. locati. essent. sua. conditionis. manerent. eorumque. possessores. pecuniam. scripturam. vectigalve. populo. aut. publicano. darent.* Tale quid plebiscito Bæbiano cautum fuisse, magis in Reipublicæ, atque ærarii, quàm plebis, aut agrariorum utilitatem, ex dicto fragmento conjectare potemus. *Pigh. Annal. Rom. III. p. 64.*

Lex Bæbia de prætoribus lata est à Bæbio an. 574. Hæc voluit, ut alternis annis quaterni prætores crearentur. Liv. XL. 44. *Pratores quatuor post multos annos lege Bæbia creati, qua alternis quaternos jubebat creari.* Hanc nominat Festus in voce rogat. *Cato in dissuasione, ne lex Bæbia derogaretur* ... August. de Leg. in Bæbia. Manut. de Leg. c. 7. Hotman. Antiq. Rom. I. p. 198. D. Pigh. Annal. Rom. I. p. 266. II. p. 339. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Bæbia Cornelia de ambitu à M. Bæbio & P. Cornelio coss. lata est an. 571. Liv. XL. 18. *Comitia consulibus creandis fuere. Creati P. Cornelius Lentulus, M. Bæbius Pamphilus.* c. 19. *Leges de ambitu coss. ex auctoritate senatus ad populum tulerunt.* Cujus sententiæ fuerit, Livius non addit. *August. de Leg. in Bæbia. Manut. de Leg. c. 28. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 202. D. Rosin. Antiq. Roman.* VIII. 29.

Lex Cæcilia de censoribus lata est à Q. Cæcilio Metello Pio Scipione cos. cum Cn. Pompejo Magno an. 701. Tulit, ut censoria potestas, quam P. Clodius imminuerat, restitueretur. Dio XL. p. 147. *C. Scipio ea, qua de censoribus à Clodio statuta, abrogavit; iisque pristinam potestatem reddidit.* Hotman. Antiq. Rom. I. p. 198. F. Pigh. Annal. Rom. III. p. 411. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Cæcilia de fullonibus lata est à Cæcilio Metello tribuno plebis an. 533. L. Veturio Philone, C. Lutatio Catulo coss. Hac ratio poliendarum vestium fullonibus præscribebatur. Plin. XXXV. 17. *Neque pigebit hanc quoque partem attingere, cum lex Metella extet fullonibus dicta, quam C. Flaminius, L. Æmilius censores dedere ad populum ferendam.* August. de Leg. in Cæcilia. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 198. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 13. & 31.

Lex Cæcilia de jure Italiæ lata est à Q. Cæcilio Metello Nepote prætore, L. Afranio, Q. Metello Celere consulibus an. 693. Ut Italia à vectigalibus immunis esset. Dio XXXVII. p. 53. B. *Hic eo modo actis, quum vectigalia & Urbi, & reliqua Italia magnoperè molesta essent, lex de iis abolendis lata omnibus perquàm accepta fuit. At pratori qui eam tulerat, is erat Metellus Nepos, infesti senatores, voluerunt & nomen ejus legi detrahere, & aliud inscribere.* Hotman. Antiq. Roman. I. p. 198. G. Pigh. Annal. Rom. III. p. 347.

Lex Cæcilia de repetundis lata est post Calpurniam. Hac lege L. Cornelius Lentulus Lupus, qui cos. cum C. Marcio Figulo fuerat an. 597. damnatus est. Val. Max. VI. 9. §. 10. *L. Lentulus consularis lege Cacilia repetundarum crimine oppressus, censor cum L. Censorino creatus est.* August. de Leg. in Cæcilia. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 198. F. Rosin. Ant. Rom. VIII. 30.

Lex Cæcilia Didia de legibus ferendis lata est à Q. Cæcilio Metello, & T. Didio coss. an. 655. Eam de *legibus* ferendis fuisse credidi, qua caveretur, uti trinis nundinis proposita *lex* esset, antequàm ferretur: utque diversa capita separarentur, atque alia id genus. Cicer. pro dom. c. 20. *Quæ est, quasi alia vis, qua sententia Cacilia legis, & Didia, nisi hæc, ne populo necesse sit in conjunctis rebus compluribus, aut, id, quod nolit, accipere: aut id, quod velit, repudiare.* c. 16. *Si, quod in cateris legibus trinum nundinum esse oportet, id in adoptione satis est trium esse horarum, nihil reprehendo. Sin eadem observanda sunt: decrevit senatus, M. Drusi legibus, qua contra legem Cæciliam, & Didiam la-*

ta

ta essent, populum non teneri. Hotman. Aotiq. Roman. I. p. 198. D. Pigh. Anoel. Rom. III. p. 184. August. de Leg. io Cæcilia Didia. Rosin. Ant. Rom. VIII. 7. Ex quibus conjicio ab his coss. non unem *legem*, sed duas diversa sententia esse latas: & alterius fuisse sententiam, ne diversis de rebus *lex* ferretur: alterius, trinuodinum in fereoda *lege* esse servandum. *Manut. de Leg. c.* 16.

Lex Cælia de suffragiis est lata à Cælio tribnno plebis Q. Cæcilio, T. Flaminio consulibus an. 630. Ut etiam io perduellioois judicio quod Cassia lege tabellaria exceptum erat, populus voce, non tabella, seotentiam ferret. Cicer. de Leg. III. 16. *Hotman. Antiq. Rom. I. p.* 198. *G. Pigh. Annal. Rom. III. p.* 135.

Lex Calpurnia de ambitu lata est à Calpurnio Pisone col. cum M. Glabrione an. 686. Cicer. pro Mur. c. 23. *Legem ambitus flagitasti, quæ tibi non deerat: erat enim severissimè scripta Calpurnia*. Hæc præter alias pœnas pecuniaria adjecta est. Ascon. in Cicer. p. 132. *Lex hæc Calpurnia de ambitu erat. Tulerat eam ante biennium C. Calpurnius Piso cos. in qua præter alias pœnas pecuniaria quoque pœna erat adjecta*. Manut. de Leg. c. 28. August. de Leg. in Calpurnia. Zamosc. de Senat. Rom. I. 19. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 5. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 199. B. Pigh. Annal. Rom. III. p. 314. Rosin. Ant. Rom. VIII. 29.

Lex Calpurnia militaris. Hac latum est, ut milites virtutis ergo civitate donarentur. Sisenn. Hist. IV. epud Non. II. 300. *Milites, ut lex Calpurnia concesserat, virtutis ergo civitate donari*. Quod de auxilus intelligendum est. *August. de Leg. in Calpurnia. Manut. de Leg. c.* 28. *Hotman. Antiq. Roman. I. p.* 199. *C. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 2.

Lex Calpurnia de repetundis lata est a L. Calpurnio Pisone Frugi tribuno plebis, L. Marcio Censorino, M. Manilio coss. iotio Punici belli III. Cicer. Verr. III. 84. *L. Piso ille Frugi, qui legem de pecuniis repetundis primus tulit*. Aogust. de Leg. in Calpurnia. Manut. de Leg. c. 22. Sigon. de Judic. II. 27. Hotman. Antiq. Rom. I. p. 199. A. Pigh. Annal. Rom. I. p. 268. Rosin. Ant. Roman. VIII. 30. Pitisc. in Suet. Jul. c. 4. n. 1.

Lex Camilli ædilibus latà est a M. Furio Camillo è Scto, ut ædiles duo ex patribus crearentur, qui curuli sella, ut consul, ceosor, & dictator sederent. *Manut. de Leg. c.* 5. Quod hac occasione factum memorat Liv. VI. 42. Cum rem dignem censeret senatus, ut propter ordines in concordiam redactos, Latinis feriis dies unus ad triduum adjiceretur. *Recusantibus id munus ædilibus plebis, conclamatum à patriciis est juvenibus, se id honoris deum immortalium causa libenter facturos, ut ædiles fierent. Quibus cum ab universis gratia acta essent, factum Scto, ut duos viros ædiles ex patribus dictator populum rogaret*. Pigh. Antiq. Roman. I. p. 269. & 447.

Lex de prætoribus ab eodem, ut existimo, est lata, ut prætor unus, qui jus in Urbe diceret, quod ante consulum munus fuerat, patricios crearetur: quæ *lex* neque à quo magistratu, neque quibus comitiis lata sit, Livius explicat. Ego tamen, cum patricii prætorem postulassent, usque, ut de gente patricia crearetur, à tribunis plebis concessum esset: non dubito, quin *legem*, qua patriciis honor accederet, patricius magistratus tulerit. Quod si ita est, latam a dictatore Camillo, qui controversias inter patres, plebemque sedavit, facilè crediderim. *Manut. de Leg. c.* 5.

Lex Canuleje de connubio late est à C. Cornelio tribuno plebis an. 309. M. Geoutio, & C. Curtio coss. Liv. IV. 1. *Anni principio de connubio patrum & plebis C. Canulejus tribunus plebis rogationem promulgavit, qua contaminari sanguinem suum patres, confundique jura gentium rebantur: & mentio primo sensim illata a tribunis, ut alterum ex plebe consulem liceret fieri, eo processit deinde, ut rogationem novam tribuni promulgarent, ut populo potestas esset, seu de plebe, seu de patribus vellet, consules faciendi*. Cum de utraque rogatione magnis contentionibus ageretur, atque impediretur à tribunis delectus; *lex* de connubio accepta est, & tribunos militum consulari potestate ex utroque corpore patres creari passi sunt. *August. de Leg. in Canuleja. Manut. de Leg. c.* 16. *Hotman. Antiq. Roman. I. p.* 199. *C.*

Lex Cassia egraria lata est an. 268. à Sp. Cassio III. cos. cum Virginio. Liv. II. 41. *Tum primum lex agraria promulgata est: nunquam deinde usque ad hanc memoriam sine maximis motibus rerum agitata. Cum Hernicis fœdus ictum, agri partes duæ ademptæ: inde dimidium Latinis, dimidium plebi divisurus consul Cassius erat. Adjiciebat huic muneri agri aliquantum, quem publicum possideri à privatis criminabatur. Alter consul* Proculus Virginius *largitioni resistebat, auctoribus patribus, nec omni plebe adversante*, quod cum Latinis, & Hernicis agrorum communicatio regni suspicionem præberet. *August. de Leg. in Cassia. Hotman. Ant. Rom. I. p.* 199. *D. Pigh. Annal. Rom. I. p.* 105. *Sigon. de Ant. jur. Ital* II. 2. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 10.

Lex Cassia de damnatis. De hac Cicer. pro Corn. epud Ascon. p. 139. *Ponam principium justissimæ libertatis, Cassiam, qua lege suffragiorum vis, potestasque convaluit: alteram Cassiam, quæ populi judicia firmavit*. Ubi hæc Asconius: *Quæ sit ista lex Cassia, qua suffragiorum potestas convaluit, manifestum est: nam ipse quoque paullò antè dixit, legem Cassium tulisse, ut populus per tabellam suffragium ferret. Altera Cassia lex, quæ populi judicia firmavit, quæ sit, potest quæri. Est autem hæc. L. Cassius L. Filius Longinus tribunus plebis C. Mario, L. Flacco coss. plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu nec esset. Tulerat autem eam maximè propter simultates cum Q. Cæcilio, qui ante biennium consul fuerat: & cui populus, quia malè adversus Cimbros rem gesserat, imperium abrogavit*. August. de Leg. in Cassia. Zamosc. de Senat. Rom. I. 19. Manut. de Leg. c. 8. Hotman. Antiq. Roman. p. 199. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 4.

Lex Cassia de patriciis lata est à C. Cassio prætore, dictatore Julio Cæsare. Hac cautum est, ut in numerum patriciorum, qui senatui deessent, elii sublegerentur. Tacit. Ann. XI. 25. 2. *Iisdem diebus in numerum patriciorum ascivit Cæsar vetustissimum quemque è senatu, aut quibus clari parentes fuerant ..... exhaustis etiam quas dictator Cæsar lege Cassia, & princeps Augustus lege Senia sublegeret*. August. de Leg. in Cassia. Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 11. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 199. G. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 7. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 4.

Lex Cassia tabellaria de judiciis secuta est post biennium Gabiniam de magistratibus mandandis. Cicer. de Leg. III. 16. *Secunda biennio post Cassia est de populi judicio. Ea à nobili homine lata est L. Cassio, sed, pace familiæ dixerim, dissidente à bonis, atque omnes rumusculos populari ratione aucupante*. Brut. c. 25. *Tum L. Cassius multum potuit, non eloquentia, sed dicendo tamen: homo non liberalitate, ut alii, sed ipsa tristitia, & severitate popularis: cujus quidem legi tabellariæ M. Antius Briso tribunus plebis diu restitit, M. Lepido cos. adjuvante*. c. 27. *Judicia populi, quibus aderat Carbo, jam magis patronum desiderabant, tabella data: quam legem L. Cassius Lepido, & Mancino coss. tulit*. M. Æmilius Lepidus Porcina, & C. Hostilius Mancinus coss. fuere an. 616. Nusquam tameo relatum inveni, io quo magistratu Cassius tum fuerit. Ascon. io Cicer. p. 56. *Inde sunt leges Cassiæ tabellariæ de suffragiis libere ferendis, non voce, sed tabula. Ille est Cassius, qui cognoscendis criminalibus causis in primis quærendum esse dicebat, cui bono*. August. de Leg. c. 13. & in Cassia. Poilet. For. Rom. V. 8. Manut. de Leg. c. 9. Turneb. in Cicer. de Leg. III. p. 215. & 216. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 199. E. Pigh. Annal. Rom. II. p. 496. Blond. Triumph. Rom. III. p. 79. C. Rosin. Antiq. Rom. VIII. 3.

Lex centuriata dicta est, quia comitiis centuriatis constituta. Eratque majoris auctoritatis, quasi plenis, justisque comitiis perlata. *Prevot. de Magistr. Roman. c.* 1.

Lex Cincia *muneralis vocata est, qua Cincius cavit, ne cui liceret munus accipere*. Plaut. Fragm. n. 13.

Neque muneralem legem, neque lenoniam
Rogata fuerint nec ne, flocci id æstimo.

Festus. Lata est à M. Cincio ... tribuno plebis, qui cum prætore, & decem legatis in Siciliam trajecit,

ut de P. Scipionis exercitu inquireret, M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano coss. an. ab U.C. 549. ut refert Liv. xxix. 20. His coss. Q. Fabius Maximus illam suasit. V. supr. in *Lex*. Ejus meminerunt Liv. xxxiv. 4. *Quid legem Cinciam de donis & muneribus excitavit, nisi quod vectigalis jam, & stipendiaria plebs esse senatui cœperat?* Cicer. de Orat. II. 71. *M. Cincius, quo die legem de donis, & muneribus tulit, cum C. Cento prodisset, & satis contumeliosè: quid fers Cinciole? quæsisset: ut emas, inquit, Cai, si uti velis.* August. de Leg. in Cincia. Pigh. Annal. Rom. II. p. 218. Manut. de Leg. c. 17. Lipen. de Stren. c. 2. tert. æt. §. 26. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 802. C. Bud. in Pandect. p. 233. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 22. Scalig. in Festum. Taubm. in Plautum. Turneb. in joc. Cicer. p. 77. Hotman. Antiq. Roman. I. p. 200. A. Pitisc. in Suet. Ner. c. 17. n. 3. De *lege* Cincia integrum tractatum scripsit *Andreas Brummerus*. Vetustate evanescentem Augustus retulit, & firmavit novo consulto senatus. Dio LIV. p. 533. C. *Oratores jussit causas nullo accepto præmio agere: qui secus fecisset, eum quadruplum accepta mercedis pendere.* Nemo miretur, cum plebiscitum fuerit, vocari senatusconsultum à Tacit. Annal. XIII. 42. 2. *Ejus opprimendi gratia repetitum credebatur senatusconsultum, pœnaque Cinciæ legis adversus eos, qui pretio causas oravissent.* Et Plin. Epist. v. 21. 3. *Causa dilationis, Nepos prætor, qui legibus quærit. Proposuerat breve edictum, admonebat accusatores, admonebat reos, exsequuturum se, quæ senatusconsulto continerentur. Suberat edicto senatusconsultum: hoc omnes, quicquid negotii haberent, jurare, priusquàm agerent, jubebantur, nihil se ob advocationem quicquam dedisse; promisisse, cavisse. His enim verbis, ac mille præterea, & venire advocationes, & emi vetabantur.* Sed id senatusconsultum credo fuisse à Trajano. *Lips. in Tacit. Annal. XI. n. 22.*

Lex Cinnæ de Italicis lata est à L. Cinna cos. quo sibi contra Sullam tum absentem opes pararet. Cum enim Italici in octo tribus novas conjecti nihil se ad comitia roboris afferre, ac ne votum, dummodò veteres 35. consensissent, intelligerent, se deceptos rati, ad P. Sulpicium novarum rerum cupidum confugerunt. Ille verò ad aucupandam eorum gratiam *legem* promulgavit, ut novi cives in veteres transferrentur. Liv. Epit. 77. Verùm hæc *lex* aut non est lata, aut certè eodem anno à L. Sulla cos. cum in Urbem ex Campania cum exercitu revertisset, ac Sulpicium ipsum, Mariumque inimicos suos Urbe exturbasset, unà cum cæteris ejus legibus est sublata. Quocirca L. Cinna, qui insequenti anno consulatum gessit, eam retulit. Paterc. II. 20. 2. *Cum ita civitas Italiæ data esset, ut in octo tribus contribuerentur novi cives, ne potentia eorum, & multitudo veterum civium dignitatem frangeret, plusque possent recepti in beneficium, quàm auctores beneficii, Cinna in omnibus tribubus eos se distributurum pollicitus est.* Sigon. de Ant. Jure Ital. III. I.

Lex Claudia de civibus lata est an. 576. à C. Claudio cos. qui ex SCto edixit, ut socii, ac nominis Latini ipsi majoresve eorum qui M. Claudio & T. Quintio censoribus, postque ea apud socios nominis Latini censi essent, omnes in suam quisque civitatem ante Kal. Novemb. redirent. Quæstio, qui ita non redisset, L. Mummio prætori decreta est. Ad *legem*, & edictum consulis adjectum est, ut dictator, consul, interrex, censor, prætor, qui tunc esset apud forum, daient operam, ut qui manumitteretur, jusjurandum daret, qui eum manumitteret, civitatis mutandæ causa manu non mittere: qui non juraret, eum manumittendum non censuerunt. Hæc in posterum causa, jurisdictioque C. Claudio cos. decreta est. Itaque cum quadriennio post censores Q. Fulvius, A. Postumius censum agerent, minorem aliquanto, quàm superiore lustro, numerum invenerunt, quia L. Postumius cos. pro concione edixerat, qui sociorum nominis Latini ex edicto C. Claudii cos. redire in suas civitates debuissent, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis civitatibus censerentur. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* III. 1. *August. de Leg. in Claudia. Hotman. Antiq. Roman.* I. 1. *p.* 101. *F. Pigh. Annal. Roman.* II. *p.* 345. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 2.

Lex Claudia de fœnore lata est à Claudio Cæsare. V. illam infr. in *Senatusconsultum Macedonianum*.

Lex Claudia de navibus lata est à Q. Claudio tribuno plebis an. 535. P. Cornelio Scipione, T. Sempronio coss. Ejus sententiam exhibet Liv. XXI. 63. *Q. Claudius tribunus plebis adversus senatum, uno patrum adjuvante C. Flaminio, tulerat: ne quis senator, quive senatoris pater fuisset, maritimam navem, quæ plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis habitum ad fructus ex agris vectandos: quæstus omnis patribus indecorus visus est.* De illa Cicer. v. 18. *Noli metuere Hortensi, ne quæram, qui licuerit ædificare navem senatori: antiquæ sunt istæ leges, & mortuæ, quemadmodum tu soles dicere.* August. de Leg. in Claudia. Zamosc. de Senat. Rom. I. 6. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 200. C. Pigh. Annal. Rom. II. p. 150. Torrent. in Suet. Claud. c. 19. Rosin. Ant. Roman. VIII. 4. Pitisc. in Suet. Dom. c. 9. n. 7.

Lex Claudia de tutelis feminarum. Sed de hac nihil aliud accepimus, quàm quod Leonis constitutione continetur C. l. 3. de legit. tut. *Constitutione divæ memoriæ Constantini lege Claudia sublata pro antiqui juris auctoritate, salvo manente agnationis jure, tam consanguineus, id est, frater, quàm patruus, cæterique legitimi ad pupillarem feminarum tutelam vocantur.* Hanc esse Constantini constitutionem, quæ Theodosian. III. repetitur aliqua ex parte deminuta: *In feminis tutelam legitimam consanguineus patruus non recuset.* Vereor autem, ne non *lex* Claudia ad tutelas feminarum pertineret, de quibus Cicero pro Muræna c. 12. *Etenim vetere jure omnes mulieres propter infirmitatem consilii in tutorum potestate erant.* Hanc perpetuam tutelam Severinus appellat Topic. II. qua liberari mulieres dicit, cum in manum viri convenissent. *August. de Leg. in Claudia, & ad Leg. XII. tab. §. 18. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 202. B. Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1020. F. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 13. Rosin. Antiq. Roman.* VIII. 17. V. infr. in *Tutela*.

Lex Clodia annonaria, sive frumentaria lata est à P. Clodio tribuno plebis an. 695. L. Calpurnio Pisone, A. Gabinio coss. Ascon. in Cicer. p. 160. *Annonaria fuit summè popularis, ut frumentum populo, quod antea semis aris, ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur.* Cicer. pro Sext. c. 25. *Remissis semissibus, ac trientibus quinta propè pars vectigalium tolleretur.* August. de Leg. in Clodia. Lipf. Elect. I. Hotman. Antiq. Rom. I. I. p. 200. E. Pigh. Annal. Rom. III. p. 363. Rosin. Ant. Rom. VIII. 12.

Lex Clodia de auspiciis lata est à P. Clodio tribuno plebis, *ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo servaret: propter quam rogationem ait legem Fusiam & Æliam, propugnacula, & muros tranquillitatis, atque otii eversam esse, obnuntiatio enim, qua perniciosis legibus resistebatur, quam Ælia lex confirmaverat, erat sublata.* Ascon. in Cicer. p. 160. *Hotman. Antiq. Rom.* I. 1. *p.* 200. *E.*

Lex Clodia de censoria nota lata est ab eodem Clodio, & eisdem coss. Ascon. in Cicer. p. 160. *Quarta Clodii lex fuit: ne quem censores in senatu legendo præterirent, neve qua ignominia afficerent: nisi qui apud eos accusatus, & utriusque censoris sententia damnatus esset.* Cicer. pro Sext. c. 25. *Consulibus illis tacentibus lata lex est, ut censoria notatio, & gravissimum judicium sanctissimi magistratus de Republica tolleretur.* in Pison. c. 5. *Quadringentos annos judicium, rationemque censoriam tenueramus: eam potestatem minuere, quo minus de moribus nostris quinto quoque anno judicaretur, nemo tam effusè petulans conatus est.* August. de Leg. in Clodia. Hotman. Antiq. Rom. I. I. p. 201. F. Pigh. Annal. Rom. I. p. 167. III. p. 363. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Clodia de collegiis lata est ab eodem Clodio, & eisdem coss. ut collegia, id est, conventus artificum, magna ex parte partim legibus, partim SCtis sublati restituerentur, multique alii instituerentur. Cicer. in Pison. c. 4. *A. P. Clodio, fatali portento, prodigioque Reipublicæ, lex Ælia & Fusia eversa est, propugnacula, murique tranquillitatis, & otii: collegia non ea solum, quæ senatus sustulerat, restituta, sed innumerabilia quædam nova ex omni fæce Urbis,*

ac

ac servitio concitata. August. de Leg. in Clodia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 201. C. Pigh. Annal. Rom. III. p. 363. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 31.

Lex Clodia de injuriis publicis lata est à Clodio. De ea nihil me legisse memini præter hæc Ciceronis pro Dom. c. 30. *At tu etiam legem de injuriis publicis tulisti, Anagnino nescio cui Menulla per gratiam, qui tibi ob eam legem statuam in meis ædibus posuit, ut locus ipse in tua tanta injuria legem, & inscriptionem statuæ refelleret*. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 200. F.

Lex Clodia de obnuntiatione lata est ab eodem Clodio, & eisdem coss. Hac cavebatur, *ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo servaret. Obnuntiatio vero, qua perniciosis legibus resistebatur, quam Ælia lex confirmaverat, erat sublata*. Ascon. in Cicer. p. 160. V. Cicer. in *Clodia de collegiis*. August. de Leg. in Clodia. Hotman. Antiq. Rom. I. I. p. 200. F. Rosin. Ant. Rom. VIII. 3.

Lex Clodia de scribis lata est à Clodio. Hujus, & nemo præter illum, meminit Suet. Dom. c. 9. n. 7. *Scribas quæstorios negotiantes ex consuetudine, sed contra Clodiam legem, venia in præteritum donavit*. Claudia *lege* de navibus potuit aliquid etiam de scribis, maximè quæstoriis, cautum fuisse, ne ipsis quoque majorem navem negotiandi causa habere liceret. Quod crediderim non tam ob ordinis honestatem, quàm quod publicis rationibus non conveniret, si quæstorum ærarii scribæ negotiarentur. *Torrent. & Pitisc. in Suetonium. August. de Leg. in Clodia. Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 200. *D.*

Lex Clodia de vi lata est à P. Clodio tribuno plebis: ut de iis, qui civem Romanum sine judicio populi, indictaque causa necassent, quæstio haberetur. *Cujus verbis etsi non nominabatur Cicero, tamen solus petebatur*. Paterc. II. 45. I. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 201. *G.*

Lex Clodia de victoriatis. Hujus meminit Plin. XXXIII. 3. *Qui nunc victoriatus appellatur, lege Clodia percussus est*. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 102. B. August. de Leg. in Clodia. Manut. de Leg. c. 17. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 20.

Lex Cœlia tabellaria perduellionis lata est à Cœlio tribuno plebis an. 635. Q. Cœlio Metello Balearico, T. Quintio Flaminio coss. ut etiam in perduellionis judicio, quod Cassia *lege* tabellaria exceptum erat, populus non voce, sed tabella sententiam ferret. Cicer. de Leg. III. 16. *Uno in genere relinqui videbatur vocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis. Dedit huic quoque judicio Cœlius tabellam*. August. de Leg. in Cœlia. Manut. de Leg. c. 9. Pollet. For. Rom. V. 8. Rosin. Ant. Rom. VIII. 3.

Lex Cornelia de agris proscriptorum lata est à L. Cornelio Sylla dictatore, & consule cum Q. Cæcilio Metello an. 673. ut proscriptorum agri publici essent: quod maximè de iis agris intelligendum est, qui in Thuscia circa Volaterras, ac Fæsulas erant, quos militibus suis Sulla divisit. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 2. *Manut. de Leg. c.* 13. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 265. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 10.

Lex Cornelia de captivis. De hac hæc scripsit Julian. l. lege Corn. ff. qui test. fac. poss. *Lege Cornelia testamenta eorum, qui in hostium potestate decesserint, perinde confirmantur, ac si qui ea fecissent, in hostium potestatem non pervenissent, & hereditas ex his ad unumquemque pertinet*. Quæ ita intelligenda sunt, non ut testamentum, quod is apud hostes fecit, valeat, nam id ne illo quidem domum redeunte valet: sed quod antea, dum in civitate esset, fecit, si illic decesserit, valeat ex *lege* Cornelia; sin autem redierit, jure postliminii. *Hotman. Ant. Rom.* I. I. *p.* 204. *G. August. de Leg. in Cornelia. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 18.

Lex Cornelia de edictis perpetuis est lata à C. Cornelio tribuno plebis an. 686. C. Calpurnio Pisone, M. Acilio Glabrione coss. ut prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent: quæ res gratiam ambitiosis prætoribus, qui variè jus dicere assueverant, sustulit. *August. de Leg. in Cornelia. Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 265. *Manut. de Senat. Rom. c.* 10. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 5. V. supr. in *Edictum*.

Lex Cornelia de falso, sive testamentaria nummaria est lata a L. Cornelio Sulla an. 673. Pompon. de Orig. jur. §. 31. *Deinde Cornelius Sulla quæstiones publicas constituit: veluti de falso, de parricidio, de sicariis: prætores quibus adjecit*. De falso legem Macer. l. 1. ff. de publ. jud. Corneliam de testamentis, Justinianus testamentariam, Cicer. Verr. I. 42. testamentariam nummariam appellant. De illa Imperator: *Item lex Cornelia de falsis, quæ etiam testamentaria vocatur, pœnam irrogat ei, qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, vel subjecerit, vel signum adulterinum fecerit, sculpserit, expresserit sciens dolo malo. Ejusque legis pœna in servos ultimum supplicium est, quod etiam in lege de sicariis, & veneficiis servatur, in liberos vero deportatio*. Ascon. in Cicer. p. 99. interpretatur testamentariam nummariam eam esse, quæ scripta esset *de moneta, ne quis privatus pecuniam faceret*. Sed & Ulpian. l. lege ff. de lege Cornelia de falso: *Lege Cornelia*, inquit, *cavetur, ut qui in aurum vitii quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos flaverit, falsi crimine teneri. Eadem lege exprimitur, ne quis nummos stagneos, plumbeos emere, vendere dolo malo vellet*. August. de Leg. in Cornelia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 204. E. & v. I. I. Brisson. Antiq. I. 8. Pigh. Annal. Rom. III. p. 262. Zamosc. de Senat. Rom. I. 16. Guther. de Offic. Dom. Aug. III. 19. Rosin. Ant. Rom. VIII. 26.

Lex Cornelia de infamia est lata à L. Cornelio Sulla. De illa Cicer. Fam. III. 11. *Est majestas, ut Sulla voluit, ne in quemvis impunè declamare liceret*. Manut. de Leg. c. 29.

Lex Cornelia de injuriis est lata à L. Cornelio Sulla 673. De illa Ulpian. l. 5. ff. de injuriis: *Lex Cornelia de injuriis competit ei, qui injuriarum agere volet ob eam rem, quod se pulsatum, verberatumve, domumque suam vi introitam esse dicat. Qua lege cavetur, ut non judicet, qui ei, qui agit, gener, socer, vitricus, privignus, sobrinusve est, propiusque eorum quemquam ea cognatione, affinitateve attinget, quique eorum ejus, parentisve cujus eorum patronus erit*. Paull. Sent. v. verò: *Injuriarum actio ex lege Cornelia constituitur, quoties quis pulsatur, vel cujus domus introitur ab his qui vulgo directarii appellantur, in quos extra ordinem animadvertitur*. Manut. de Leg. c. 30. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 204. C. III. 3. p. 468. B. Pigh. Annal. Rom. III. p. 263. August. de Leg. in Cornelia. Rosin. Antiq. Rom. VIII. 27.

Lex Cornelia de judicibus est lata à Cornelio Sulla, qui infensus equitibus, quia pro Cinnanis partibus steterant, eam tulit, ut nemo, nisi qui senator esset, judicare posset. Liv. Epit. 89. *Sulla dictator factus omne jus legum ferendarum ademit*. Ascon. in Cicer. p. 19. *Post victor Sulla leges tulerat, ut senatorius ordo judicaret*. Manut. de Leg. c. 15. August. de Leg. in Cornelia. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Hotman. Antiq. Rom. I. I. p. 202. E. Pigh. Annal. Rom. III. p. 261. Rosin. Ant. Rom. VIII. 21.

Lex Cornelia de judiciis corruptis est lata à L. Cornelio Sulla. V. illam supr. in *Judicium corruptum*.

Lex Cornelia de jurisdictione prætorum lata est à C. Cornelio tribuno plebis, C. Pisone, M. Glabrione consulibus, ut prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent: quæ res tum gratiam ambitiosis prætoribus, qui variè jus dicere assueverant, sustulit. Dio XXXVI. p. 19. C. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 205. *C.*

Lex Cornelia de legatis provincialium magistratuum est lata à L. Cornelio Sylla dictatore an. 673. ne illis decessuris in sumptus factos non amplius decernerent civitates, quàm lege à se constitutum esset. Cicer. Fam. III. 10. *Ad me adire quosdam memini, qui dicerent, nimis magnos sumptus legatis decerni: quibus ego non eam imperavi, quam censui, sumptus legatis quam maximè ad legem Corneliam decernendos*. Pigh. Annal. Rom. III. p. 264.

Lex Cornelia de limitibus constituendis est lata à L. Cornelio Sulla. Hygin. de limit. const. p. 152. Edit. Amtel. *Actuarii limites extra maximos, decumanum & cardinem, latitudinem habent ped.* XII. *Per hos iter populo, sicut per viam publicam debetur: ita enim cautum est lege Sempronia, & Cornelia, & Julia*. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 205. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 11.

Lex Cornelia de lusu lata est à Cornelio: ne quis in pecuniam luderet, sponsionemve in ludo, nisi qui virtutis causa susceptus esset, faceret: veluti, si quis certet hasta, disco, pilove jaciendo, currendo, saliendo, luctando, pugnando. Marcian. l. 3. ff. de aleat. *In quibus rebus ex lege Titia, & Publicia, & Cornelia etiam sponsionem facere licet: sed ex aliis, ubi pro virtute certamen non fit, non licet*. Utrum autem hæc *lex* Reipublicæ, an Imperatorum temporibus lata sit, vix sciri potest. *August. de Leg. in Cornelia incerta. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p.* 205. *A. Rosin. Ant. Roman.* VIII. 31. *Manut. de Leg. c.* 30.

Lex Cornelia de magistratibus lata est à L. Cornelio Sulla dictatore, & consule cum Q. Cæcilio Metello an. 673. Ejus sententiam exhibet Appian. Bell. civ. 1. p. 412. *Adhac* Sylla *leges alias antiquabat, alias ferebat, edixitque, ne quis præturam ante quæsturam gereret, neve consulatum ante præturam, neve eundem magistratum iterum susciperet, nisi post annum decimum*. August. de Leg. in Cornelia. Robortell. de Magistrat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. (57) B. Pigh. Antiq. Roman. III. p. 261. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5. Etiam ab eodem de magistratu lata est, ut qui cum imperio in provinciam profectus esset, tamdiu illud imperium retineret, quoad in Urbem reversus esset: quum antea certo, ac præfinito tempore imperium illud terminaretur: & si successor non mitteretur, nova rogatione ad imperium prorogandum opus esset. Item ut triginta tantum dies, postquàm successor missus esset, magistratui ad decedendum concederentur. V. Cicer. Famil. 1. 9: III. 6. *Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p.* 203. *B. Panvin. Fast.* 1. *p.* 120.

Lex Cornelia majestatis. Hujus *legis* auctor est incertus. Tantum enim reperio, C. Cornelium hac *lege* fuisse accusatum L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato coss. quod intercessioni collegæ tribunus plebis non obtemperaverit: defensus tamen à Cicerone est, & absolutus magno numero sententiarum, ut Ascon. in Cicer. p. 124. refert. Ita etiam scriptum est à Cicer. in Pison. c. 21. *Ausus est, mitto exire de provincia, educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum injussu populi, aut senatus accedere: quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia majestatis, Julia de pecuniis repetundis planissimè vetant*. Pigh. Annal. Rom. III. p. 262. August. de Leg. in Cornelia.

Lex Cornelia de municipiis lata est à L. Cornelio Sulla. Hac jus, & beneficium civitatis Romanæ multis, qui Cinnam, Carbonem, Marium, Scipionem, & Norbanum, cæterosque adversæ factionis duces, aut consilio, aut pecunia, aut copiis juverant, ademit. Tulit enim, ut municipiis omnibus jus civitatis, agrique adimerentur. Quod tamen de agris, non autem de civitate ratum fuisse docet Cicer. pro Dom. c. 30. *Populus Romanus L. Sulla dictatore ferente, comitiis centuriatis, municipiis civitatem ademit: ademit iisdem agros; de agris ratum est: (fuit enim populi potestas) de civitate ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt*. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 203. B. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Cornelia de novis tabulis lata est à P. Cornelio Dolabella genero Ciceronis an. 706. Plutarch. in Anton. p. 919. D. *Dolabella id temporis tribunus plebis, juvenis, & rerum novarum cupidus, legem de novis tabulis promulgabat*. V. etiam Dion. XLII. p. 198. D. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 450.

Lex Cornelia de parricidis. V. illam infr. in *Lex Pompeja*.

Lex Cornelia de patriciis lata est à Ser. Cornelio tribuno militum an. 370. *Ne quis patricius in arce, aut Capitolio habitaret*. Liv. VI. 20. *Hotman. Ant. Rom.* 1. 1. *p.* 202. *C.*

Lex Cornelia de plagiariis. Sed hujus nulla apud Ictos est mentio. Meminit ejus Apul. Met. VIII. p. 257. *Quanquam enim prudens crimen Corneliæ legis incurram, si civem Romanum pro servo tibi vendidero*. August. de Leg. in Cornelia. Beroald. & Florid. in Apulejum.

Lex Cornelia de proscriptione lata est à L. Cornelio Sulla Dictatore an. 672. cum Marianis victis Urbem ingresso, cum cives cædendi nullus finis foret, C. Metellus fertur dixisse: cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus? Tum Sulla tabulam proscriptionis primus excogitavit. Tulit autem de proscriptione *legem*, ut, qui proscriptum recepisset, capitale esset; nemine neque fratre, neque filio, neque parente excepto: qui proscriptum occidisset, sive servum dominus, sive patrem filius interemisset, ei duo talenta mercedis nomine darentur. Proscriptorum liberos honore privavit, & bona proscriptorum publicavit, positaque hasta vendidit. Plutarch. in Sull. p. 472. A. Appian. Bell. civ. 1. p. 409. *August. de Leg. in Cornelia. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p.* 203. *A. Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 260. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 5. Valeriane, an Cornelia sit appellanda, dubitat Cicer. pro S. Rosc. c. 43. *Verum ego hoc quæro, qui potuerunt ista ipsa lege, quæ de proscriptione est, sive Valeria, sive Cornelia est, non enim novi, nec scio, verum ista ipsa lege bona Sext. Roscii venire qui potuerunt?* Dubitationis causa esse videtur, quod, ut scribit idem Agrar. III. 2. *L. Valerius Flaccus Interrex de Sulla dictatore tulit, ut omnia, quæcunque ille fecisset, essent rata*, utque quem vellet civium indicta causa occidere posset; cum verò hæ omnes injustissimæ essent, ac per vim latæ, contemnere eas Cicero, atque earum minùs peritus videri vult. *Pigh. & August. l. l. Hotman. ibid. p.* 238. *E.*

Lex Cornelia de provinciarum rectoribus lata est à L. Cornelio Sulla dictatore an. 763. ut qui cum imperio in provinciam profectus esset, tamdiu illud imperium retineret, quoad in Urbem reversus esset. Cum antea certo, ac præfinito tempore imperium illud terminaretur: & si successor non mitteretur, nova rogatione ad imperium prorogandum opus esset. Cicer. Fam. 1. 9. *Se, quoniam ex SCto provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in Urbem introisset*. Fuit & hoc rogationis hujus caput, ut triginta tantum dies, postquam successor missus esset, magistratui ad decedendum concederetur. Cicer. Fam. III. 6. *Eo discessisti, quo ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege, ut opinor, Cornelia constituti essent*. Pigh. Annal. Rom. III. p. 264. Manut. de Leg. c. 10. Rosin. Ant. Rom. VIII. 8.

Lex Cornelia de repetundis est lata à L. Cornelio Sulla dictatore, quæ comperendinationem *lege* Acilia sublatam restituit. Fuit autem, ut posterior quæque *lex*, durior quam Acilia: etsi concedebat comperendinationem, quàm Acilia tollebat. Sunt autem *lege* Cornelia judicia de repetundis omnia usque ad C. Cæsaris, qui postea dictator fuit, primum consulatum administrata. *Manut. de Leg.* 1. 22. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 263. *Sigon. de Judic.* II. 27. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 202. *E. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 30.

Lex Cornelia de sacerdotiis est lata à L. Cornelio Sulla dictatore an. 673. Ut jus cooptandorum sacerdotum à populo ad collegia transferretur, *lege* Domitia antiquata, quæ per invidiam latoris perlata fuerat. Ascon. in Cicer. p. 19. *His enim decem annis, victore Sulla, spoliatus est populus Romanus potestate tribunitia, judicandi jure, quod habuit, arbitrio creandorum sacerdotum*. Dio XXXVII. p. 46. D. *Ea tempestate, quum Labienus de pontificibus creandis rogationem tulisset, plebs contra Sullæ legem Domitii legem renovavit, atque reduxit*. Utque pontificum, augurum, decemvirorumque collegia augerentur, & in singulis sacerdotes quindecim essent. Liv. Epit. 89. *Sulla dictator factus pontificum, augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim*. Utque de carminibus Sibyllinis, quæ ante biennium exusto Capitolio perierant, quindecimviri inquirerent, eaque Samo, Ilio, Erythris, atque per Africam, Siciliam, & Italicas colonias conquisita, & exscripta in libros redigerent, quantumque humana ope possent, vera à falsis discernerent. V. Tacit. Annal. VI. 12. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 260.

Lex Cornelia de sicariis, & veneficis est lata à L. Cornelio Sulla dictatore an. 673. *Lege Cornelia de siccariis, & veneficis*, inquit Marcian. l. 1. ff. ad leg. Corn. de sicar. *tenetur qui hominem occiderit, cujusve dolo malo incendium factum erit, qui hominis occidendi, furtive faciendi causa cum telo ambulaverit, quive cum magistratus esset, publicove judicio præesset, operam dedisset, quo quis falsum indicium profiteretur*

fitere-

ficeretur, ut quis innocens conveniretur, condemnaretur. Præterea tenetur, qui hominis necandi causa venenum confecerit, dederit: quive falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damnaretur: quive magistratus, judexve quæstionis sub capitalem causam pecuniam acceperit, ut publica lege reus fieret. De veneno idem ibid. l. 3. scribit capite quinto ejusdem legis caveri, *qui venenum malum necandi hominis causa fecerit, vel vendiderit, vel habuerit,* plecti. Cicer. pro Cluent. c. 54. *Jubet lex ea, qua lege hæc quæstio constituta est, judicem quæstionis, cum iis judicibus, qui ei obvenerint, quærere de veneno. In quem quærere? infinitum est: quicunque fecerit, vendiderit, emerit, habuerit, dederit. Quid eadem lex statim adjungit? recita: deque ejus capite quærito. Qui tribunus militum legionibus quatuor primis, quive quæstor, tribunus plebis. Deinceps omnes magistratus nominavit. Quive in senatu sententiam dixit, dixerit: qui eorum coiit, coierit, convenit, convenerit, quo quis judicio publico condemnaretur.* August. de Leg. in Cornelia. Manut. de Leg. c. 25. & 27. Brisson. de Form. II. p. 160. & 161. Hotman. Antiq. Roman. t. 1. p. 204. A. Pigh. Annal. Rom. III. p. 263. Rosin. Ant. Rom. VIII. 25.

Lex Cornelia de soluto legibus est lata à C. Cornelio tribuno plebis an. 686. C. Calpurnio Pisone, M. Acilio Glabrione coss. Hic postea accusatus majestatis, quod intercedente collega *legis* codicem acceperat ab scriba, & legerat, defensus est à M. Tullio orationibus, quæ hodie non exstant. Asconii interpretatio exstat p. 122. *Antiquo jure cautum erat, ne quis nisi per populum legibus solveretur: & in omnibus SCtis, quibus aliquem legibus solvi placebat, adjici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur: sed paullatim ferri erat desitum, resque jam in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne adjiceretur quidem in SCtis de rogatione ad populum ferenda, eaque ipsa SCta per paucos admodum fiebant.* Itaque C. Cornelius primò tulerat, *at ne quis nisi per populum legibus solveretur;* id cum obtinere non potuisset, contentus fuit ea *lege, ut ne quis in senatu legibus solveretur, nisi ducenti adfuissent; neve quis, cum solutus esset, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur.* August. de Leg. in Cornelia. Manut. de Leg. c. 8. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 205. B. Rosin. Ant. Roman. VIII. 7.

Lex Cornelia sumptuaria est lata à L. Cornelio Sulla. De hac ita Gell. II. 24. *Postea L. Sulla dictator, quum legibus situ atque senio obliteratis plerique in patrimoniis amplis helluarentur, & familiam, pecuniamque suam prandiorum gurgitibus proluissent, legem ad populum tulit, qua cautum est, ut kalendis, idibus, nonisque diebus ludorum, & feriis quibusdam sollennibus sestertios tricenos* (qui sunt septem drachmæ & semis) *in cœnam insumere jus potestasque esset; ceteris autem aliis diebus omnibus non amplius ternos.* Sed Macrob. Sat. II. 13. *Legem sumptuariam tulit Cornelius Sulla dictator, in qua non conviviorum magnificentia prohibita est, nec gulæ modus factus; verum minora pretia rebus imposita.* August. de Leg. in Cornelia. Hotman. Antiq. Roman. t. 1. p. 203. A. Pigh. Annal. Rom. III. p. 263. Lips. de Magnit. Roman. IV. 9. Blond. Rom. triumph. VIII. p. 176. Thys. in Gellium & de Magnit. Roman. IV. p. 334. Rosin. Ant. Rom. VIII. 13. Manut. de Leg. c. 18.

Lex Cornelia de testamentis, V. illam supr. in *Lex de Captivis.*

Lex Cornelia de tribunis est lata à L. Cornelio Sulla dictatore, ne tribunis plebis ferendarum *legum*, concionandive jus esset, neve ad eos provocatio esset, neve iis, qui tribuni plebis fuissent, alios postea magistratus capere liceret. Liv. Epit. 89. *Tribunorum plebis potestatem minuit, & omne jus legum ferendarum ademit.* Ascon. in Cicer. p. 140. *Hic Cotta, ut puto, legem tulit, ut tribunis plebis liceret postea alios magistratus capere: quod lege Sulla iis erat ademptum.* August. de Leg. in Cornelia. Hotman. Antiq. Rom. 1. 1. p. 203. D. Rosin. Ant. Rom. VIII. 6.

Lex Curia de auctoritate patrum lata est à Manio Curio Dentato tribuno plebis, M. Fulvio Pæto, Manlio Torquato consulibus an. 454. De illa Cicer. de Clar. orat. c. 14. *M. Curium, quod is tribunus plebis, interrege Appio Cæco, diserto homine, comitia contra leges habente, cum de plebe consules non accipiebat, patres ante auctores fieri coegerit: quod fuerit permagnum, nondum lege Mænia lata.* Aur. Vict. de Vir. Illustr. c. 33. n. 10. *Tribunus plebis patres auctores fieri coegit comitiis, quibus plebejus magistratus creabatur.* Hotman. Antiq. Roman. 1. t. p. 205. F. Pigh. Annal. Rom. t. p. 386. Schott. in Victorem.

Lex curiata dicebatur, quæ comitiis curiatis perferebatur. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. 1. 5. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 205. F. Prevot. de Magistr. Roman. c.* 1. Omnes, quæ ad tempus Servii Tullii sexti Romanorum Regis latæ sunt, fuerunt curiatæ, quod necdum centuriæ, nec tribus erant, quæ suffragium dicere possent. *Gruch. de Comit. Roman.* III. 2. Fuerunt quinque. I. de imperio, hoc est, rei militaris administrandæ facultate, magistratibus dando. Cicer. Agrar. II. 10. *Primum lege curiata decemviros ornat. Jam hoc inauditum, & planè novo more, uti curiata lege magistratus detur, cui nullis comitiis ante sit datus. Atque hinc perspicuum est, quod à majoribus accepistis, quid ab hoc tribuno plebis vobis relinquatur. Majores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. Nam centuriata lex consulibus ferebat, & ceteris patriciis magistratibus, tribunis plebis tum curiata iterum de iisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret.* Hi autem erant dictatores. De Papirio dictatore Liv. IX. 38. *Atque ei legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit. . . . Dictator postero die auspiciis repetitis pertulit legem, & profectus cum legionibus ad Longulam pervenit.* Consules, proconsules, prætores, & proprætores. In illis cum imperio mittendis curiata *lege* opus fuisse potest perspici ex Camilli concione apud Liv. V. 54. *Quid alia, quæ auspicato agimus omnia fere intra pomœrium, cui oblivioni, aut negligentiæ damus? Comitia curiata, quæ rem militarem continent. . . .* Cicer. Agrar. II. 12. *Consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* Hi loci ostendunt, rem militarem nemini attingere licuisse, nisi *lege* curiata id ei nominatim datum esset. At qui nemo cum imperio rem militarem gerere poterat, nisi consulari aut prætorio. Quicunque ergo in provinciam cum belli gerendi potestate mittebantur, *legem* curiatam ante habere debebant. At enim neminem prætorio, aut consulari imperio, qui belli gerendi potestatem non haberet. Unde de Appio consule in Ciliciam provinciam profecturo ita legimus apud Cicer. Fam. I. 9. *Appius in sermonibus antea dictitabat: postea dixit etiam in senatu palam sese, si licitum esset, legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam: si curiata lex non esset, se paraturum cum collega, tibique successurum. Legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse. . . . . Sunt qui putant posse te non decedere, quod sine lege curiata tibi succedatur.* Q. Frat. III. 2. *Appius sine lege curiata confirmat se Lentulo nostro successurum.* Ex his apparet, magistratibus in provincias profecturis *lege* curiata opus fuisse, sine qua non poterat legitimum esse cujusquam imperium, adeo ut non satis esset *lex* curiata omnium magistratuum communis, ut ex Cicerone paullò ante docui, quæ lata erat priusquam magistratum in Urbe inire possent; sed rursus ferenda erat alia curiata ad continuandum eis in provincia imperium. Etiam ad quæstores, qui in provinciam mittebantur, *legem* curiatam pertinuisse, verba Ciceronis indicant, cum ita scribit Phil. II. 20. *Quæstor es factus: deinde continuo sine SCto, sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucurristi.* II. qua Camillus ab exilio est revocatus. Liv. V. 46. *Accepto inde senatus decreto, ut & comitiis curiatis revocatus de exsilio, jussu populi Camillus dictator extemplo diceretur. . . . Lex curiata lata est, dictatorque absens dictus.* III. quæ ferri solebat testamentis confirmandis, quo tempore calatis comitiis in concione fiebant. Gell. XV. 27. V. illum infr. in *Testamentum.* IV. qua adoptiones fiebant. Gell. V. 19. *Quum in alienam familiam, inque liberorum locum extranei sumuntur, aut per prætorem fit, aut per populum: quod per prætorem fit; adoptatio dicitur: quod per populum, arrogatio. Adoptantur autem, quum à parente, in cujus potestate sunt,*

tertia

tertia mancipatione in jure cedantur; atque ab eo qui adoptat, apud eum, apud quem legis actio est, vindicantur. Arrogantur ii, qui quum sui juris sunt, in alienam sese potestatem tradunt: ejusque rei ipsi actores fiunt. Sed arrogationes non temerè, nec inexploratè committuntur. Nam comitia arbitris etiam pontificibus præbentur, quæ curiata appellantur. Cicer. pro dom. c. 15. *Quo die de te lex curiata lata esse dicatur, audes negare de cœlo esse servatum?* Unde Imperator Galba ad Pisonem, quem volebat adoptare apud Tacit. Hist. I. 15. 1. *Si te privatus lege curiata apud pontifices, ut moris est, adoptarem.* V. qua sacrorum detestatione fiebant. Gell. v. 27. V. illum supr. in *Detestatio sacrorum.* Gruchius de Comit. Roman. III. 2. Panvin. de Civit. Roman. c. 8. Fast. I. p. 119. de Imper. Roman. c. 14. Manut. de Legib. c. 11. Sigon. de Jur. provinc. II. 1. De imperio an urbis tantum, an verò necessaria fuerit, tanquam pro aris & focis, inter se disputant *Sigon. de usu legis curiatæ de imperio Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 742-754. & Gruch. ad poster. Sigon. de Lege curiata disputat. refutat. c. 23-31.* Ab eruditorum verò senatu secundum Gruchium fuit datum, si credimus Scævolæ Samarthanio, id tradenti in Gallorum doctrina illustrium elogiis. *Græv. Præfat. in Antiquitatum Tom. I.* * *.

Lex Decia de duumviris navalibus est lata à M. Decio tribuno plebis ann. 442. C. Junio Bubulco Bruto III. Q. Æmilio Barbula II. coss. De illa Liv. IX. 30. *Duo imperia eo anno dari cœpta per populum . . . . alterum ut duumviros navales classis ornandæ, reficiendæque causa populus juberet.* August. de Leg. in Decia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 206. A. Pigh. Annal. Rom. I. p. 366. Rosin. Antiq. Rom. VIII. 14.

Lex Didia sumptuaria est lata an. 610. Appio Claudio Pulcro, Q. Metello Macedonico coss. Macrob. Sat. II. 13. *Fanniam legem post annos decem & octo lex Didia consecuta est. Ejus ferendæ causa duplex fuit. Prima, & potissima, ut universa Italia, non sola Urbs lege sumptuaria teneretur, Italicis æstimantibus, Fanniam legem non in se, sed in solos urbanos cives esse conscriptam. Deinde, ut non soli, qui prandia cœnasve majore sumptu fecissent, sed etiam qui ad eas vocati essent, atque omninò interfuissent, pœnis legis tenerentur.* August. de Leg. in Didia. Rosin. Antiq. Rom. VIII. 13. Manut. de Leg. c. 5. & 18. Putean. Reliq. conviv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 253. B. Buleng. de conviv. I. 17. Ursin. de Fam. Rom. in Didia. Hotman. Antiq. Rom. I. I. p. 206. B. Pigh. Annal. Rom. I. II. p. 472. Blond. triumph. VIII. p. 176.

Lex Didia de trinundino. V. illam supr. in *Lex Cecilia Didia.*

Lex Domitia de sacerdotiis est lata à Cn. Domitio Ahenobarbo, tribuno plebis an. 650. C. Mario III. L. Aurelio coss. Ne sacerdotum collegia, quem vellent, cooptarent, sed ut populi id beneficium esset. Cicer. Agrar. II. 7. & Svet. Ner. c. 2. nu. 1. V. illos infr. in *Pontifex,* & in *Sortitiones.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 206. B. Pigh. Annal. Rom. III. p. 155. August. de Leg. in Domitia. Manut. de Leg. c. 2. Rosin. Ant. Roman. VIII. 1. Guthet. de vet. jur. pont. I. 9. Pitisc. in Svetonium. Existimo hac *lege* permissum, ut absentes etiam petere possent sacerdotia: nam eam, ut opinor, significat Cicer. ad Brut. c. 5. laudatus infr. in *Sacerdos.* Manut. l. l.

Lex Duilia de tribunis plebis & provocatione lata est anno, quo cædes Virginiæ decemvirorum, qui legibus scribendis erant creati, imperio finem attulit; plebis enim secessione in Aventinum, Sacrumque montem tribuni plebis creati sunt: *& in illis M. Duilius, qui insignem tribunatum ante decemviros creatos gesserat, & L. Icilius. Hic extemplo plebem rogavit, & plebs scivit, nec cui fraudi esset secessio. Et Duilius confestim de coss. creandis cum provocatione rogationem pertulit. Creati sunt L. Valerius, & M. Horatius: quorum consulatus popularis fuit. Legem hi tulere, ut quod tributim plebes jussisset, populum teneret. Et aliam de provocatione, ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet: qui creasset, eum jus fasque esset occidi. Denique de tribunis, ut qui eis nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset. M. Duilius deinde tribunus plebi plebem rogavit, plebesque scivit; qui plebem sine tribunis reliquisset, quique magistratum sine provocatione creasset, tergo, ac capite puniretur.* Liv. III. 54. 55. 56. *August. de Leg. in Duilia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 206. D. Pigh. Annal. Rom. I. p. 156. Manut. de Leg. c. 5. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 6.

Lex Duilia Mænia de comitionibus illegitimis est lata à M. Duilio, L. Mænio tribunis plebis an. 396. C. Marcio, Cn. Manlio coss. ne quis populum sevocaret. Liv. VII. 16. *Tribuni plebis non eam lege, quam exemplo moti, ne quis populum postea sevocaret, capite sanxerunt.* Hotman. Ant. Rom. I. I. p. 206. D. Rosin. Ant. Rom. VIII. 3.

Lex Duilia Mænia fœnebris unciaria est lata ab iisdem tribunis & iisdem coss. Liv. VII. 16. *Haud æquè patribus lata insequenti anno C. Marcio, Cn. Manlio coss. de unciario fœnore à M. Duilio, L. Mænio tribunis plebis rogatio est perlata: & plebs aliquanto eam cupidius scivit, accepitque.* August. de Leg. in Duilia. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 11. Manut. de Leg. c. 16. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 206. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 20.

Lex duodecim tabularum, V. illam infr. in *Tabula.*

Lex Fabia de plagiariis. *Hac lege cavetur,* ut ait Callistr. l. non statim ff. de leg. Fab. de plag. *ut liber homo, qui hominem ingenuum, vel libertinum invitum celaverit, vinctum habuerit, emerit, sciens dolo malo; quive in earum qua re socius erit; quique servo alieno, servæve persuaserit, ut à domino, dominave fugiat; vel eum, eamve invito, vel insciente domino, dominave celaverit, vinctum habuerit, emerit, sciens dolo malo; quive in ea re socius erit; ejus pœna teneatur.* Criminis *pœna pecuniaria statuta lege Fabia in usu esse desiit: nam in hoc crimine detecti, pro delicti modo coercentur, & plerumque in metallum damnantur.* Hermogen. ibid. l. 7. Imm, *si liberum hominem emptor sciens emerit, capitale crimen adversus eum ex lege Fabia de plagio nascitur.* Ulpian. ibid. l. 1. *August. de Leg. in Fabia. Manut. de Leg. c. 29. Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 34. *Hotman. Ant. Roman. I. I. p. 206. F. Faber Semestr.* II. 11.

Lex Fabia de sectatorum numero lata, à populo repudiata est. Itaque dixit Cicer. pro Mur. c. 34. *Tenuiores legi Fabiæ, quæ est de numero sectatorum, restiterunt.* Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 206. E. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 29.

Lex Falcidia testamentaria est lata à P. Falcidio tribuno plebis ann. 713. Cn. Domitio Calvino II. C. Asinio Pollione coss. Ejus capita refert Paull. l. I. ff. ad leg. Falcid. l. *Lex Falcidia,* inquit, *lata est, quæ primo capite liberam legandi facultatem dedit usque ad dodrantem, his verbis: qui cives Romani sunt, qui eorum post hanc legem rogatam testamentum facere volet: ut eam pecuniam, easque res, quibusque dare, legare volet, jus potestasque esto.* II. modum legatorum constituit his verbis: *quicunque civis Romanus post hanc legem rogatam testamentum faciet, is quantam cuique civi Romano pecuniam jure publico dare, legare volet, jus potestasque esto, dum ita detur legatum, ne minus quàm partem quartam hæreditatis eo testamento heredes capiant, eis quibus quid ita datum, legatumve erit, eam pecuniam sine fraude sua capere liceto: isque heres, qui eam pecuniam dare jussus damnatus erit, eam pecuniam debeto dare, quam damnatus est.* August. de Leg. in Falcidia. Manut. de Leg. c. 14. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 12. Ursat. de Not. Roman. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. p. 721. E. Guther. de Jur. man. III. 20. Brod. Misc. X. 2. Brisson. de Form. II. p. 160. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 207. E. Pigh. Annal. Rom. III. p. 485. Rosin. Ant. Rom. VIII. 18.

Lex Fannia sumptuaria lata est à C. Fannio coss. *post annum vigesimum secundum legis Orchiæ, anno post Romam conditam secundum Gellii opinionem* 588. *Fanniæ legis severitas in eo superabat Orchiam legem, quod in superiore numerus tantummodo cœnantium cohibebatur; licebatque secundum eam unicuique sua bona inter paucos consumere. Fannia autem sumptibus modum fecit assibus centum: unde à Lucilio poeta festivitatis suæ more centussis vocatur.* Macrob. Sat. II. 13. Gell. II. 24. *Lex Fannia ludis Romanis, item ludis plebejis, &*

Saturnalibus, & aliis quibusdam diebus, in singulos dies centenos æris (qui decem drachmas nobis reddunt) *insumi concessit, decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos; cæteris autem omnibus diebus denos*. August. de Leg. in Fannia. Manut. de Leg. c. 3. & 18. Putean. Reliq. conviv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 253. B. Pith. Subcis. II. 2. Bacc. de Conviv. II. 10. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 530. Bruyer. de Re cibar. III. 4. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 207. G. IV. I. 13. Pigh. Annal. Roman. II. p. 409. Crinit. de Honest. Discipl. XIV. 6. Lips. de Magnit. Roman. IV. 9. Thys. de Magnit. Roman. IV. p. 334. Blond. Roman. triumph. VIII. p. 176. Lipen. de Stren. c. 2. sect. XI. §. 26. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 13.

Lex Flaminia agraria est lata à C. Flaminio tribuno plebis an. 521. M. Æmilio Lepido, M. Poblicio Malleolo coss. ut ager Picenus, unde Senones Galli fuerant expulsi, militibus divideretur. Polyb. II. 21. *Quinto ab hoc tumultu anno, M. Lepido cos. Romani Galliæ Cisalpinæ agrum Picenum dictum, quem devictis Senonibus ademerant, diviserunt: postquam C. Flaminius, popularem auram captans, legem hanc suasisset, ac tulisset. Quam profecto legem, ut si quid aliud, populi Romani mores in deterius mutasse existimandum est: eandemque illi bello causam præbuisse, quod postea cum iis gentibus Romani gesserunt: multi enim Gallorum populi, præsertim Boji, in societatem ejus belli nomina dederunt, quod Romanis essent contermini: quippe non jam de imperio, aut dominatione secum illos certare; sed ut ipsos sedibus suis funditus verterent, atque perderent*. August. de Leg. in Flaminia. Manut. de Leg. c. 13. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 208. B. Pigh. Annal. Roman. II. p. 101. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 10.

Lex Flavia agraria est lata à L. Flavio tribuno plebis, ut vel agri, quos à senatu locupletes emissent, reddita possessoribus pecunia, plebi dividerentur: vel, si neminem vetere possessione moveri senatus vellet, alii agri ea pecunia, quæ ex novis vectigalibus per quinquennium reciperetur, emerentur: & plebi, quæ agros non haberet, partirentur. Cicer. Attic. I. 19. *Agraria lex a Flavio tribuno plebis vehementer agitabatur, auctore Pompejo: quæ nihil populare habebat præter auctorem*, & quæ sequuntur. Manut. de Leg. c. 13. Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2. Pigh. Annal. Rom. III. p. 348. Rosin. Ant. Rom. VIII. 10.

Lex Frumentaria. V. in *Appuleja, Clodia, Octavia, & Sempronia*.

Lex Fusia est incerta. Ejus meminit Cicer. Verr. I. 42. *Cedo mihi leges Atinias, Furias, Fusias, ipsam, ut dixi, Voconiam, omnes præterea de jure civili: hoc reperies in omnibus statui jus, quo post eam legem populus utatur*. Ascon. in Cicer. p. 99. *Istæ omnes de jure civili sunt: nihil continent criminum capitalium, publicique judicii*. Tribuniciam fuisse arbitror. Illa enim Ciceronis longius ab eo tempore absunt. *August. de Leg. in Fusia*.

Lex Fulvia de civitate Italis danda est lata à M. Fulvio Flacco cos. ann. 628. Appian. Bell. civ. I. p. 371. *Fulvius Flaccus in consulatu suo primus omnium aperte injecit populo Romani sociis civitatis cupidinem, sperantibus se fore non amplius subditos, sed imperii participes, in qua sententia quum firmiter perstaret, à senatu ad quoddam bellum ablegatus est*. Val. Max. IX. 5. I. *M. Fulvius Flaccus cos. M. Plautii Hypsæi collega, cum perniciosissimas Reipublicæ leges introduceret, de civitate danda, & de provocatione ad populum, eorum qui civitatem mutare voluissent; ægre compulsus est ut in curiam veniret. Deinde partim monenti, partim orante senatu, ut incepto desisteret, responsum non dedit. Tyrannico consul spiritu haberetur, si adversus unum senatorem hoc modo se gessisset, quo Flaccus in totius ordinis amplissimi consensu commendata majestate versatus est*. Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 2. Pigh. Annal. Roman. III. p. 38. Rosin. Ant. Roman. VIII. 2.

Lex Furia de ædilibus est lata à M. Furio Camillo dictatore an. 385. *ut duo ædiles ex patribus crearentur*. Liv. VI. 42. *Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 208. C.*

Lex Furia de testamentis est lata à C. Furio tribuno plebis. Cicer. pro Balb. c. 8. *Tulit apud majores nostros legem C. Furius de testamentis*. Illa, ut Theophilus ait, cavebatur, uni legatario non amplius mille aureis nummis legari posse. Qui plus accepisset, id quod plus esset, quadruplicatum restitueret. *August. de Leg. in Furia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 208. E. Manut. de Leg. c. 14. & 16. Rosin. Ant. Roman.* VIII. 18. *Sigon. de Antiq. jur. civ. Rom. I. 12.*

Lex Fusia de comitiis lata est à Q. Fusio Caleno prætore, C. Cæsare, M. Bibulo consulibus ann. 694. *Quum in tributis comitiis omnia simul suffragia confunderentur, itaque fieret, ut singula genera de suffragiorum eventu sic inter se contenderent, ut, quod recte statutum esset, id suo suffragio factum dicerent: quod secus, in alios rejicerent: tulit* Fusius, *ut singula genera suffragium seorsim ferrent, quo sententia internosci possent*. Dio XXXVIII. p. 65. A. Hoc modo singulorum generum suffragia seorsim renuntiabantur. *Hotm. Antiq. Rom. I. I. p. 209. B.*

Lex Fusia de obnuntiatione. V. illam supr. in *Ælia & Fusia*.

Lex Fusia, sive Furia Caninia de testamentaria manumissione est lata à P. Furio Camillo, C. Caninio Gallo coss. ann. 703. Illa, ut Paul. Sent. IV. in calce scribit, cavebatur, ut certus servorum numerus testamento manumitteretur: à duobus usque ad decem pars dimidia, à decem usque ad triginta pars tertia, à triginta ad centum pars quarta, à centum ad quingentos pars quinta: plures quàm centum manumitti non posse. Vopisc. Tacit. c. 11. *Servos urbanos omnes manumisit utriusque sexus, intra centum tamen, ne Caniniam transire videretur*. Addit Cajus Instit. I. nullam esse eorum manumissionem, qui supra eum numerum testamento manumittuntur: itaque nominatim eis libertatem relinqui oportere, & ordinem testamenti sequendum. *August. de Leg. in Fusia. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. I. 12. Meurs. de Fun. c. 44. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 208. F. Rosin. Ant. Roman.* VIII. 15. *Ravard. Conject. II. 1.*

Lex Gabinia de legatis est lata ab A. Gabinio, non quidem tribuno plebis, sed altero ex eadem familia, ut legatis gentium ex Kal. Febr. ad Kal. Mart. quotidie senatus daretur. V. supr. in *Legatis gentium*. Caput alterum fuit, ut ne in Urbe versuram facere, neve ex syngrapha jus dicere adversus provinciales homines liceret. Cicer. Attic. V. 21. *Reperio duo SCta iisdem coss. de eadem syngrapha. Salaminii cum Romæ versuram facere vellent, non poterant: quod lex Gabinia vetabat*. August. de Leg. in Gabinia. Hotman. Ant. Roman. I. I. p. 209. E. F.

Lex Gabinia de magistratibus mandandis tabellaria est lata ab homine ignoto, & sordido Gabinio tribuno plebis an. 614. Cn. Calpurnio Pisone, M. Popilio Lænate coss. Illa populo permittebatur, suffragium non voce, sed tabella ferre. Legibus tabellariis magnam jacturam nobilitas fecit, propterea quod qui palam repugnare non auderent, per tabellam quidvis efficiebant. V. supr. in *Lex Cassia*. August. de Leg. c. 13. & in Gabinia. Pollet. For. Rom. V. 8. Manut. de Leg. c. 9. Turneb. in Cicer. de Leg. III. p. 215. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 209. C. Pigh. Annal. Rom. II. p. 489. Blond. Triumph. Roman. III. p. 79. C. Rosin. Ant. Roman. VIII. 3.

Lex Gabinia de nocturnis cœtibus tulit, *ut qui coitiones ullas clandestinas in Urbe conflavisset, more majorum capitali supplicio multaretur*. Porc. Latro in Catilinam. *Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 209. C.*

Lex Gabinia de piratis est lata ab A. Gabinio tribuno plebis, Metello, Marcio consulibus an. 685. Ut bellum adversus piratas Cn. Pompejo in triennium ita mandaretur, ut toto mari, quod est intra columnas Herculis, & in maritimis provinciis, usque ad quinquagesimum à mari stadium potestatem haberet imperandi regibus, præsidibus, civitatibus, ut se rebus omnibus ad ejus belli administrationem necessariis juvarent. Plutarch. in Pomp. p. 631. E. Paterc. II. 31. 2. Ascon. in Cicer. p. 134. *Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 209. D.*

Lex Gellia Cornelia de civibus est lata à L. Gellio Popli-

pli.

plicola, Cn. Cornelio Lentulo coss. an. 681. ut cives Romani essent ii, quos Cn. Pompejus de consilii sententia singulatim civitate donavisset. Cicer. pro Balb. c. 14. *Ac sicubi esset, lex id Gellia, & Cornelia, quæ definitè potestatem Pompejo civitatem donandi dederat, sanxisset. . . Quid fuit in rogatione ea, quæ de Pompejo à Gellio, & à Lentulo coss. lata est?* Hotman. Ant. Rom. l. 1. p. 209. F. Brisson. de Form. II. p. 138. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Genucia de consulibus lata est à L. Genucio tribuno plebis an. 411. C. Marcio Rutilo IV. Q. Servilio Ahala coss. ut liceret ambos consules ex plebe creari. Liv. VII. 42. *Invenio aliis plebiscitis cautum, ut liceret ambos consules plebejos creari.* Sed an has, & sequentes *leges* Genucius tulerit, Livius non dicit; imo magis dubitat, an eodem anno latæ sint, *August. de Leg. in Genucia. Pigh. Annal. Rom.* 1. *p.* 306. *Rosin. Ant. Roman.* VIII. 5.

Lex Genucia fœnebris lata est à L. Genucio eodem anno iisdem coss. ne fœnerare liceret. Liv. VII. 42. *Præter hæc invenio apud quosdam, L. Genucium, tribunum plebis tulisse ad populum, ne fœnerare liceret.* August. de Leg. in Genucia. Hotman. Antiq. Roman. l. 1. p. 210. A Rosin. Ant. Rom. VIII. 20. Manut. de Leg. c. 16. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 306.

Lex Genucia de magistratibus lata est à L. Genucio eodem anno iisdem coss. *ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet, neu duos magistratus uno anno gereret.* Liv. VII. 42. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 210. *A. Pigh. Annal. Roman.* 1. *p.* 306. *August. de Leg. in Genucia. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 5.

Lex Genucia Æmilia de clavo pangendo lata est Sc̃to à Cn. Genucio, L. Æmilio consulibus an. 390. ut *qui prætor maximus sit, Idibus Septembribus clavum pangat.* Liv. VII. 3. ubi addit, *legem ætate sua fuisse priscis literis, verbisque scriptam, clavumque, quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuisse, eoque Minervæ templo dicatam legem, quia numerus à Minerva inventus sit.* Hotman. Ant. Rom. 1. 1. p. 209. G.

Lex Glaucia est lata à C. Servilio Glaucia, qui post damnatum Cepionem, ejusque earum calamitosissimum equitibus judicia restituit. Cicer. de Clar. Orat. c. 62. *Is, Glaucia, ex summis, & fortuna, & vita sordibus in prætura, consul factus est, si rationem ejus haberi licere judicatum esset: nam & plebem tenebat, & equestrem ordinem beneficio legis devinxerat.* Hæc *lex* illud quoque præcedentibus addidit, ut *reus comperendinaretur.* Cicer. Verr. 1. 9. V. illum supr. in *Comperendinatio.* Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7.

Lex Glicia de inofficioso testamento lata est à M. Claudio Glicia dictatore. Ad eam Cajus singularem librum scripsit, ejusque una sententia adhuc superest, l. 4. ff. de inoffic. testam. Gessit dictaturam ann. 555. C. Claudio Pulcro, L. Junio coss. Verba legis V. infr. in *Querela. Cujac. Observ.* II. 21: XIV. 14. *Siccam. de Centumvir. judic.* II. 6. Mendosè meo judicio, quum Glicia non nomen, sed cognomen sit, ut ex Fastis intelligitur. Videndum igitur, an Titia rectiùs legeretur, quæ de pupillorum rationibus lata est, quo Caji sententia pertinet. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 210. *B.*

Lex Hirtia de Pompejanis lata est ab A. Hirtio, eo, qui postea in pugna ad Mutinam cecidit, ut opinor, Pompejo superato, & C. Cæsare dictatore perpetuo constituto an. 704. ut Pompejani ad dignitatem non admitterentur. Hujus fit mentio apud Cicer. Phil. XIII. 16. *An nescitis neminem Pompejanum, qui vivat, teneri lege Hirtia dignitatis? Quisquam jam legis Hirtiæ mentionem facit? cujus non minus arbitror latorem ipsum, quàm eos, de quibus lata est, pœnitere? Omnino, mea quidem sententia, legem illam appellare fas non est: &, ut sit lex, non debemus illam Hirtii legem putare.* Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 210. C. Pigh. Annal. Roman. III. p. 437. & 447. August. de Leg. in Hirtia. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 5.

Lex Horatia de Caja Tarratia, virgine Vestali, tulit, ut certi honores ei tribuerentur, *in his, ut testabilis esset, ut si quadraginta annos nata sacerdotio abire, ac nubere voluisset, jus ei potestasque exaugurandi, atque nubendi esset, munificentiæ, & beneficii gratia, quod campum Tiburtinum, sive Martium populo Romano condonasset.* Gell. VI. 7. Plutarch. Poplic. p. 101. B. *Hotman, Antiq. Rom.* 1. 1. q. 210. *B.*

Lex Horatia de provocatione. V. illam supr. in *Lex Duilia.*

Lex Hortensia de nundinis fuit, ut nundinæ, quæ olim feriæ fuerant, *fastæ essent: ut rustici, qui nundinandi causa in Urbem veniebant, lites componerent.* Macrob. Sat. 1. 16. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 210. *E. Pigh. Annal. Roman.* 1. *p.* 409. *August. de Leg. in Hortensia, Rosin. Ant. Roman.* VIII. 1.

Lex Hortensia de plebiscitis lata est à Q. Hortensio dictatore creato an. 467. *cum plebs propter æs alienum, post graves, & longas seditiones, ad ultimum secessisset in Janiculum.* Liv. Epit. XI. De illa Pompon. l. 2. §. 8. ff. de orig. jur. *Deinde cum esset in civitate lex XII. tab. & jus civile, essent & leges actiones: evenit, ut plebs in discordiam cum patribus perveniret, & secederet, sibique jura constitueret, quæ jura plebiscita vocantur: mox cum revocata est plebs, quia multæ discordiæ nascebantur de his plebiscitis, pro legibus placuit & ea observari lege Hortensia; & ita factum est, ut inter plebiscita, & legum species constituendi interesset, potestas autem eadem esset.* Justinian. Instit. tit. 2. §. 7. de jur. nat. *Sed & plebiscita lege Hortensia lata non minus valere, quàm leges cœperunt.* Gell. XV. 27. V. illum supr. in *Lex.* Hotman, Ant. Rom. 1. 1. p. 210. C. F. Lycklama de Magistrat. c. 4. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 386. & 409. August. de Leg. in Hortensia. Rosin. Ant. Rom. VIII. 7.

Lex Hostilia de furtis, an regia, aut consularis, aut tribunicia, incertum. De illa Justinian. Instit. IV. 10. *Præterea lege Hostilia permissum est furti agere eorum nomine, qui apud hostes essent, aut Reipublicæ causa abessent, quive in eorum cujus tutela essent.* August. de Leg. in Hostilia. Rosin. Ant. Rom. VIII. 19. A. Hostilium consulem cum A. Atilio an. 583. illam tulisse dicit *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 210. *G.*

Lex Icilia de Aventino monte lata est à L. Icilio tribuno plebis ann. 297. M. Valerio Maximo, Sp. Verginio Tricosto coss. Hac *lege* Aventinus mons publicatus est, ut populus eo, ubi vellet, domos ædificaret. Sententia *legis* hujusmodi erat, ut scribit Dionys. X. p. 659. *Quæcunque privati homines justè possident, earum rerum domini sint. Quæ verò vi, aut clam ædificare aliquis cœpit, solutis ædificii sumptibus populo tradantur. Cætera, quæ publica sunt, ea populus sine ullo sumptu inter se dividat.* Hanc decemviris non licebat tollere: ita enim *legum* ferendarum potestas eis permissa est, *modo ne Icilia lex de Aventino, aliæque sacratæ leges abrogarentur.* Liv. III. 32. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 211. *A. Pigh. Annal. Roman.* II. *p.* 132. *August. de Leg. in Icilia. Rosin. Ant. Roman.* VIII. 31.

Lex Icilia de tribunis lata est à Sp. Icilio tribuno plebis an. 261. T. Geganio Macerino, P. Minutio Augurino Coss. ne quis tribuno ad populum concionanti contradiceret, neve eum interpellaret. Dionys. VII. p. 431. *Icilius tribunus hæc locutus, cum plebs cum magno clamore juberet ferre legem, scriptam jam habens, recitavit. Erat autem hæc: concionanti ad populum tribuno nemo contradicito, nec dicentem interpellato. Si quis contra fecerit, vades dato tribunis soluturum se mulctam, quam imposuerint: qui vades non dederit, morte mulctator, & bona ejus sacra sunto. Si quid controversiæ mulctarum hujusmodi causa inciderit, judicium penes populum esto.* Hotman. Ant. Roman. 1. 1. p. 211. C. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 96. Rosin. Ant. Rom. VIII. 6. *Legem* Sicinian appellant *Panvin. Imp. Rom. c.* 69. & *August. de Legib. in Sicinia.*

Lex Julia de adulteriis lata est à C. Octavio Augusto in familiam Juliam adoptato. Hujus verba sunt apud Ulpian. l. hæc verba ff. de adult. *ne quis posthac stuprum adulterium facito sciens dolo malo.* Quæ verba & ad eum qui suasit, & ad eum, qui stuprum, vel adulterium intulit, per-

pertinere Ulpianus existimat. *August. de Leg. in Julia. Manut. de Leg. c. 29. Hotman. Ant. Rom.* l. 1. p. 215. G. Ejus capita, quæ plurima, per saturam denarrant & explicant *Brisson. integro libello de adulteriis*, & ex illo *Rosin. Ant. Roman.* VIII. 24. V. & infr. in *Stuprum*.

Lex Julia de ætate judicum lata est ab Augusto. V. illum supr. in *Ætas judicum*.

Lex Julia agraria lata est à C. Julio Cæsare consule cum Bibulo ann. 694. Svet. Aug. c. 4. nu. 3. Cujus pater C. Octavius *inter* XX. *viros agrum Campanum plebi Julia lege divisit*. in primo consulatu. Liv. Epit. 103. *Leges agrariæ à Cæsare coss. latæ sunt cum magna contentione, invito senatu, & altero cos. M. Bibulo.* Hunc *obnuntiantem armis foro expulit*. Svet. Jul. c. 20. nu. 3. qui n. 6. narrat illum *campum Stellatem majoribus consecratum, agrumque Campanum ad subsidia Reipublicæ vectigalem relictum divisisse extra sortem ad viginti millibus civium, quibus terni, pluresve liberi essent.* August. de Leg. in Julia. Manut. de Leg. c. 13. Hotman. Antiq. Roman. i. 1. p. 211. G. Hanc tulit, ut inquit Dio XXXVIII. p. 58. *ita conscriptam, ut ne minimum quidem quicquam in ea reprehendendum extaret: Et ejus causa à nemine culpari poterat. Civium enim multitudo, quæ in immensum excreverat, ac sæpius jam seditionibus materiam præbuerat, ad opus faciendum, & agriculturam convertebatur: solitudines autem, quæ tum erant per Italiam plurima, frequentabantur.* Sigon. de Antiq. jur. Ital. II. 2. Pitisc. in Svetonii Julium. Eadem, ut Callistr. l. ult. de term. mot. latum est, ut qui terminos statutos extra suum agrum, finesve dolo malo movissent, pecunia mulctarentur. *Manut. ibid. c. 30. August. l. d. Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. p. 212. A.

Lex Julia de ambitu lata est ab Augusto. Svet. c. 34. n. 1. *Leges retractavit, & quasdam ex integro sanxit, ut sumptuariam, de adulteriis, & de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus.* De illa Paull. Sent. V. ita scribit: *Petiturus magistratum, vel provinciæ sacerdotium, si turbam suffragiorum causa conduxerit, servos advocaverit; aliamve quam multitudinem conduxerit, convictus, ut vis publicæ reus in insulam deportatur.* Et Modestin. l. unde leg. Jul. amb. *In Urbe hodie cessat lex: quia ad curam Principis magistratuum creatio pertinet, non ad populi favorem. Quod si in municipio contra hanc legem magistratum, aut sacerdotium quis petierit: per SCtum centum aureis cum infamia punitur.* August. de Leg. in Julia. Manut. de Leg. c. 28. Hotm. Antiq. Roman. 1. 1. p. 214 B. *Ambitum coercuit multiplici pœna, Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum, ne quid à quoquam candidato desiderarent, singula millia nummum à se divisisse* prodidit Svet. c. 40. n. 6. *Sigon. de Judic.* II. 30. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 29.

Lex Julia annalis. V. illam infr. in *Lex Villia annalis*.

Lex Julia de annona. Hac lege tenebatur, *qui contra annonam fecerit, societatemve coierit, quo annona carior fiat. Et continebatur, ne quis navem, nautamve retineat, aut dolo malo faciat, quo magis detineatur.* Ulpian. l. 2. ff. de leg. Jul. de annon. *August. de Leg. in Julia.*

Lex Julia de bonis cedendis extat in rescripto Impp. Diocletiani, & Maximiani Constitut. VII. titulo, qui bonis cedere possunt, his verbis: *Legis Juliæ de bonis cedendis beneficium constitutionibus divorum nostrorum parentum ad provincias porrectum esse, ut cessio bonorum admittatur, notum est.* August. de Leg. in Julia. Salmas. de mod. usur. c. 19. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 216. E. Rosin. Antiq. Rom. VIII. 19. & 20.

Lex Julia de civitate Italis danda est lata à L. Julio Cæsare coss. P. Rutilii collega an. 663. Ea sanxit, ut iis, qui, bello Italico exorto, in fide manserant, manserant autem omnes Latini; & iis, qui in amicitiam postea rediissent, civitas daretur. Ita primum Latini, deinde etiam Italici omnes; cum ad amicitiam populi Romani rediissent, civitate donati. Julia autem dicta *lex* est, quia solus eam Cæsar, cum ejus collega Rutilius in prælio esset occisus, & municipiorum, quæ in Italia forent, æquata jura sunt, non ut *legibus* Romanis æquè uterentur; nam coloniarum duntaxat Romanarum hoc fuit: municipia suis legibus, atque instituis vivebant; sed ut æquè jus illud civium Romanorum, ferendi scilicet suffragii, & adipiscendorum magistratuum obtinerent: quod antea municipiis, & coloniis Romanis licuerat. *Manut. de Leg. c. 7. de civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. 1. p. 21. F. Sigon. de Ant. jur. Ital.* III. 1. *August. de Leg. in Julia. Spanhem. ad Constit. Antonini Imperat. Exercit. §. 12. Prevot. de Magistrat. Rom. c. 1. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 211. D. Pigh. Annal. Rom.* III. p. 226. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 2.

Lex Julia de damnatis de vi lata est à D. Julio Cæsare post victum Pompejum, ut damnatis de vi aqua & igni interdiceretur. Sic enim Cicer. Phil. 1. 9. *Quid quòd abrogatur legibus Cæsaris, quæ jubent, ei, qui de vi, itemque ei, qui majestatis damnatus sit, aqua, & igni interdici?* Quod autem in Ictorum libris ita scriptum est, deportationem de vi publica damnatis, de privata verò publicationem bonorum in tertiam partem Julia *lege* irrogatam, possit aliquis suspicari, cum videat mentionem fieri deportationis, non esse *legem* Juliam, de qua Cicero mentionem facit, sed duas fuisse Julias: unam à C. Cæsare latam, alteram ab Augusto. Ego autem existimo, unam omnino fuisse. Nam si duæ, aliquid crederem Ictorum in libris, distinctionis causa, additum: sicuti ad *legem* Juliam de adulteriis addit Ulpianus: *Hæc lex ab Augusto lata est*: ne qua scilicet ex Juliæ nomine dubitatio posset existere. Puto igitur unam fuisse, & latam à Cæsare. Nam quod deportatio nominatur, quæ ante Augustum nulla fuit, sciendum est, sublata aquæ, & ignis interdictione, eam successisse, cum tamen veteres eædem leges valerent: itaque & in lege Cornelia de sicariis, & veneficiis, quam tulit L. Sulla Reipublicæ temporibus, deportationem Martianus nominat. *Legis* sententia est: si commissa vis armis non esset; verùm aut virgo, aut vidua rapta esset: raptor, & qui opem tulisset, capite plectebatur. *Manut. de Leg. c. 23. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 26. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. p. 212. A.

Lex Julia de fundo dotali ad Augustumne Cæsarem, an ad Cajum referenda sit, nescimus. De hac Cajus l. lex Julia de fund. dot. *Lex Julia, quæ de dotali prædio prospexit, ne id marito liceat obligare, aut donare, plenius interpretanda est, ut etiam de sponso jus idem sit, quod de marito.* Constitutio quoque Justin. l. & cum lex C. de rei ux. alien. extat, in qua ita scriptum est: *Lex Julia fundi dotalis Italici alienationem prohibebat fieri à marito, non consentiente muliere; hypothecam autem, nec si mulier consentiebat.* Quod ab eodem principe ad provincias porrectum est; item maritus posset. *August. de Leg. in Julia. Manut. de Leg. c. 16.*

Lex Julia judiciaria lata est à C. Julio Cæsare consule III. cum M. Æmilio Lepido. De ea Modestin. l. un. in fin. de Jul. ambit. *Si reus, vel accusator domum judicis ingrediatur, per legem Juliam judiciariam in legem ambitus committit, id est, aureos centum fisco inferre jubetur. Judiciorum publicorum* videtur appellasse Paull. l. lege Julia de test. *Lege Julia publicorum judiciorum cavetur, ne invito denuntietur, ut testimonium litis dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrino natam, eosve qui propiore gradu sunt: item ne liberto ipsius, liberorum ejus, parentum, viri, uxoris, item patroni, patronæ: & ut ne patroni, patronæ adversus libertos, neque liberti adversus patronum cogantur testimonium dicere.* Ulpian. l. 1. & 2. de judic. scribit ex his verbis *legis* Juliæ judiciorum, *quo minus inter privatos conveniat*, sufficere privatorum consensum, qui alicujus jurisdictionis se subjiciant, licèt ille ignoret, qui tribunali præest. Ad eandem pertinent verba Callistr. l. cum lege de recep. *Cum lege Julia captum sit, ne minor 20. annis judicare cogatur: neminem licere minorem 20. annis compromissarium judicem eligere.* August. de Leg. in Julia: Rerum potitus *judicia ad duo genera judicum redegit, equestris ordinis, aut senatorum; tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit*, ut scribit Svet. c. 41. nu. 3. *August. l. l. Zamosc. de Sen. Roman.* 1. 15. *Prevot. de Magistrat. Roman.* c. 7. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. p. 212. B. p. 215. C. *Pigh. Annal. Roman.* III. p. 452.

p. 452. *Manut. de Leg. cap. 15. Rosin. Antiq. Roman.* VIII. 21.

Lex Julia de legationibus liberis legationibus quinquennium videtur præstituisse. V. Cicer. laudatum supr. in *Legatio libera*. De leg. III. 8. Cicero tamen, cum *legem* hanc scripsisset: *rei sua ergo ne quis legatus esto*, hæc addit: *sed quare, quid reapse sit turpius, quam sine procuratione senator, legatus sine mandatis, sine aliquo Reipublicæ munere? quod quidem genus legationis ego consul, quamquam ad commodum senatus pertinere videatur, tamen approbante senatu frequentissimo, nisi mihi levissimus tribunus plebis tum intercessisset, sustulissem: tamen minui tempus, &, quod erat infinitum, annuum feci.* Credendum ergo est, postea quinquennium permissum. *August. de Leg. in Julia, Zamosc. de Sen. Rom.* I. 16.

Lex Julia de limitibus lata est à C. Julio Cæsare dictatore. Repetitio fuit Semproniæ legis. V. illam supr. in *Lex Cornelia de militibus*.

Lex Julia majestatis cui referenda sit, planè ignoro. Suspicor tamen, C. Cæsaris fuisse. Hæc præcipit, ut Martian. l. 3. ad Jul. maj. scribit, eum, qui majestatem publicam læserit, teneri. Cujus rei permulta exempla ab eodem & à Scævola traduntur. Sed & Ulpian. Disput. VIII. scribit: *Qui de provincia, cum ei successum esset, non discessit, aut qui exercitum deseruit, vel privatus ad hostes profugit, quique sciens falsum conscripsit, vel recitavit in tabulis publicis. Nam & hoc capite primo lege majestatis enumeratur.* De illa Justin. Instit. de publ. judic. §. 4. *Publica judicia hæc sunt: lex Julia majestatis, quæ in eos, qui contra Imperatorem, vel Rempublicam aliquid moliti sunt, suum vigorem extendit. Cujus pœna animæ amissionem sustinet, & memoria rei etiam post mortem damnatur.* August. de Leg. in Julia. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 213. D. Pigh. Annal. Rom. III. p. 352.

Lex Julia de maritandis ordinibus vocatur non tantùm Svet. Aug. c. 34. n. 1. sed etiam Ulpian. l. 1. unde vir & uxor. & Instit. tit. II. nec non à Paull. de Jur. patron. VI. *Lex marita* vocatur Horatio mox laudando. Lata est ab Augusto ann. ab U.C. 736. Dio. V. illum supr. in *Cœlibatus*. Papia Poppæa eadem est, si materiam spectes, sed tempore diversa. Convincitur hoc I. ex Tacit. Annal. III. 25. 1. *Relatum deinde de moderanda Papia Poppæa, quam senior Augustus post Julias rogationes incitandis cœlibum pœnis sanxerat.* II. ex Horatio. Is enim carm. secul. quod an. 736. cecinit, sic precatur n. 6.

Diva producas subolem, patrumque
Prosperes decreta super jugandis
Feminis, prolisque nova feraci
Lege marita.

Atqui Horatius diu ante Papium, & Poppæum coss. mortem obierat. Hanc Augustus non ex integro sanxit, sed retractavit. Nam Q. Metellus Numidicus censor an. 651. de ducendis uxoribus, seu de prole augenda orationem ad populum habuit. Liv. Epit. 59. *Q. Metellus censor censuit, ut omnes cogerentur ducere uxores liberorum creandorum causa. Exstat oratio ejus, quam Augustus Cæsar, cum de maritandis ordinibus ageret, velut in hæc tempora scriptam in senatu recitavit.* Orationis istius fragmentum legere est apud Gell. 1. 6. & meminit Svet. c. 89. n. 6. Imo & illa antiquioris mentio fit apud Dionys. IX. p. 580. *Prisca illorum lex cogebat illos, qui per ætatem possent, uxores ducere. Hanc*, ut pergit Svet. n. 2. *cum aliquanto quam cæteras severiùs emendasset, præ tumultu recusantium perferre non potuit, nisi adempta demum, lenitave parte pœnarum, & vacatione triennii data, auctisque præmiis.* n. 4. *Cumque etiam immaturitate sponsarum, & matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi sentiret, tempus sponsas habendi coarctavit, divortiis modum imposuit.* Torrent. in Svetonium. August. de Leg. in Julia. Lips. in Tacit. Annal. III. Excurs. C. Brisson. de jur. connub. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1054. D. Rævard. de Div. reg. jur. CCVIII. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 214. C. Ejus capita curatiùs denarrant *Brisson. & Lips. l. l. Torrent. Comment. ad legem Juliam & Papiam de matrimoniis ordinandis. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 16.

Lex Julia de modo pecuniæ possidendæ, ab aliis antea etiam lata, est lata à C. Julio Cæsare dictatore ann. 704. ne quis in auro, argentove signato plusquam HS. LX. haberet. Qua ratione ditiorum hominum arcas exhaurire conatus est, ne quis se absente res novas moliri in Italia posset. V. Dion. XLI. p. 170. D. . . . Post Cæsarem occisum, Tiberii etiam temporibus, in usu fuit. Tacit. Annal. VI. 16. 1. *Interea magna vis accusatorum in eos irrupit, qui pecunias fœnore auctitabant adversum legem dictatoris Cæsaris, qua de modo credendi, possidendique intra Italiam cavetur.* Pigh. Annal. Rom. III. p. 433.

Lex Julia de parricidis lata est à Cajo Julio Cæsare. Svet. c. 42. n. 5. *Pœnas facinorum auxit: & cum locupletes eo faciliùs scelere se obligarent, quod integris patrimoniis exsulabant, parricidas, ut scribit Cicero*; ubi ignorant eruditi; multa enim, quæ Ciceronis fuerunt, desiderantur; *bonis omnibus, reliquos dimidia parte mulctavit.* Manut. de Leg. c. 26.

Lex Julia de patronorum numero nescio an eadem sit quæ judiciaria. Tantum reperio apud Ascon. in Cicer. p. 171. *defendisse Scaurum sex patronos, cum ad id tempus raro quisquam pluribus quàm quatuor uteretur: at post bella civilia, ante legem Juliam, ad duodenos patronos esse perventum.* Id tamen Augusti temporibus evenisse arbitror. *August. de Leg. in Julia. Manut. de Leg. c.* 15.

Lex Julia de peculatu lata est à Cajo Julio Cæsare, qua peculatum, sacrilegium, & residuas pecunias est complexus. Ejus capita, quæ in Digestis exstant, collegerunt *Manut. de Leg. c. 24. August. de Leg. Jul. pecul. Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 216. *C.*

Lex Julia de pecuniis creditis lata est à C. Julio Cæsare dictatore an. 704. Svet. c. 42. n. 3. *De pecuniis mutuis, disjecta novarum tabularum exspectatione, quæ crebrò movebatur, decrevit tandem, ut debitores creditoribus satisfacerent, per æstimationem possessionum, quanti quasque ante civile bellum comparassent, deducta summa æris alieni, si quid usuræ nomine numeratum, aut perscriptum fuisset.* Ipse de Bell. civ. III. 1. 2. *Quum fides tota Italia esset angustior, neque credita pecunia solverentur, constituit, ut arbitri darentur: per eos fierent æstimationes possessionum, & rerum, quanti quaque earum ante bellum fuissent, atque eæ creditoribus transderentur.* Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. II. 11. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 213. B. Pigh. Annal. Roman. III. p. 433.

Lex Julia consularis de provinciis lata est à Cajo Julio Cæsare cos. an. 691. Ejus capita varia, quæ reperiuntur, collegerunt *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 211. *E. & Rosin. Ant. Rom.* VIII. 8.

Lex Julia dictatoria de provinciis lata est à Cajo Julio Cæsare in dictatura. Hac (credo ne quis exemplo suo continuatione imperii, & diuturna provinciarum possessione Rempublicam occuparet) cavit, ut nemo prætoriam provinciam plus anno, consularem plus biennio posset obtinere. Cicer. Phil. 1. 8. Sed huic ipse non paruit, qui provincias sine sorte pro arbitrio, judicioque suo mandavit, ut Ser. Sulpicio Achajam, M. Bruto Galliam citeriorem, Decimo ulteriorem. *Sigon. de Ant. jur. prov.* II. 1. *Zamosc. de Sen. Rom.* I. 19. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 213. *A. Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 352. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 8.

Lex Julia de pudicitia lata est à C. Octavio Augusto. Hanc arbitror cum illa altera de adulteriis coercendis esse confusam à Justinian. Instit. IV. 5. *Lex Julia de adulteriis coercendis, quæ non solum temeratores alienarum nuptiarum gladio punit; sed & eos, qui cum masculis nefandam libidinem exercere audent.* Etenim Augusti leges describit Svetonius laudatus supr. in *Lex Julia de ambitu*. Itaque eum, qui adulterii damnatam uxorem duxerit, ea lege puniri, id Imperator Alexander ad hanc legem refert l. castitati C. de adulteriis. *Castitati temporum meorum convenit, lege Julia de pudicitia damnatam in pœnis legitimis perseverare. Qui autem adulterii damnatam, si quocunque modo pœnam capitalem*

sem evaserit, sciens duxit uxorem, vel reduxit; eadem lege ex causa lenocinii punietur. Ad has leges respexit Horat. Od. IV. 5. 20.

Nullis polluitur casta domus stupris,
Mos, & lex maculosum edomuit nefas:
Laudantur simili prole puerperæ,
Culpam pœna premit comes.

August. de Leg. in Julia.

Lex Julia de repetundis pecuniis lata est à Cajo Julio Cæsare. Testis est Cicer. pro Sext. c. 64. De hac scribit Marcian. l. 1. ff. de leg. Jul. rep. *Lex Julia repetundarum pertinet ad eas pecunias, quas quis in magistratu, potestate, curatione, legatione, vel quo alio officio, munere, ministerio ve publico cepit, vel cum ex cohorte cujus eorum est. Excipit lex à quibus licet accipere: à sobrinis, propiore ve gradu cognatis suis, uxore*. Macer. ibid. l. 7. *Lex Julia de repetundis præcipit, ne quis ob judicem, arbitrumve dandum, mutandum, jubendumve ut judicet: neve ob non dandum, non mutandum, non jubendum ut judicet: neve ob hominem in vincula publica conjiciendum, vinciendum, vincirive jubendum, exve vinculis dimittendum: neve quis ob hominem condemnandum, absolvendumve: neve ob litem æstimandam, judicium ve capitis pecuniæve faciendum, vel non faciendum aliquid acceperit. Illud quoque cavetur, ne in acceptum feratur opus publicum faciendum, frumentum publicè dandum, præbendum, apprehendendum, sarta tecta tuenda, antequam perfecta, probata, præstita lege erunt*. Cicer. in Pison. c. 21. V. illum supr. in *Lex Cornelia majestatis*. August. de Leg. in Julia. Manut. de Leg. c. 22. Sigon. de Judic. II. 27. Hotman. Antiq. Rom. t. 1. p. 212. C. Pigh. Annal. Roman. III. p. 312. Rosio. Ant. Rom. VIII. 30.

Lex Julia de residuis. Martian. l. 4. §. 3. ad leg. Jul. pecul. *Lege Julia de residuis tenetur is, apud quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione, ex pecunia, quam accepit, aliave qua causa, pecunia publica resedit. Sed & qui publicam pecuniam in usu aliquo acceptam retinuerit, nec erogaverit, hac lege tenetur*. Paull. ibid. l. 9. §. 6. Pecuniam *eam quoque lex Julia residuorum post annum residuam esse jubet*, quam scilicet is, qui in provinciam ibat, debebat, eamque professus erat apud ærarium. August. de Leg. in Julia. Manut. de Leg. c. 24. Salmas. de Mod. usur. c. 3. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 216. D. Rosin. Antiq. Rom. VIII. 28.

Lex Julia de sacerdotiis lata est à C. Julio Cæsare, De hac Cicer. ad Brut. Epist. 5. V. illum infr. in *Sacerdos*. August. de Leg. in Julia. Noris. Cenot. Pisan. Diss. II. p. 125. Hotman. Ant. Rom. 1. 1. p. 212. B. Pigh. Annal. Roman. III. p. 352.

Lex Julia sumptuaria lata est à C. Octavio Augusto. Svet. supr. in *Lex Julia de ambitu*. Gell. II. 24. *Postremo lex Julia ad populum pervenit Cæsare Augusto imperante: qua profestis quidem diebus ducenti finiuntur; Kalendis, idibus, nonis, & aliis quibusdam festivis trecenti; nuptiis autem & repotiis HS. mille. Esse dicit etiam Capito Atejus edictum, Divine Augusti, an Tiberii Cæsaris, non satis commemini: quo edicto per varias sollennitates à trecentis HS. adusque duo millia sumptus cœnarum propagatus, ut his saltem finibus luxuriæ effervescentis æstus coerceretur*. August. de Leg. in Julia. Bruyer. de Re cibar. III. 4. Lips. Tacit. Annal. III. n. 115. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 216. B. Blond. Roman. triumph. VIII. p. 176. Sunt quinque Philippæi profestis; festis septem cum dimidio; nuptiis vigintiquinque. Lips. de Magnit. Roman. IV. 9. Thysl. de Magnit. Roman. IV. p. 334.

Lex Julia theatralis, ut vocatur Plinio mox laudando, lata est à C. Octavio Augusto: ut equitibus Romanis, quibus ipsis, parentibusve equester census unquam fuisset, in quatuordecim ordinibus lege Roscia theatrali constitutis considere liceret. Svet. c. 40. n. 2. *Cum autem plerique equitum, attrito bellis civilibus patrimonio, spectare ludos è quatuordecim non auderent, metu pœnæ theatralis, pronuntiavit, non teneri ea, quibus ipsis, parentibus ipsis, parentibusve equester census unquam fuisset*. Plin. XXXIII. 2. *Hac de causa constitutum, ne cui jus id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri, avoque paterno sestertia 400. census fuisset, & lege Juliæ theatrali in 14. ordinibus sedendi*. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 19. Hotman. Antiq. Rom. 1. 1. p. 216. A. August. de Leg. in Julia. Rosin. Ant. Rom. VIII. 1.

Lex Julia de tutoribus. Justin. Instit. de Atil. tut. *Si cui nullus omnino tutor fuerat ex testamento, aut ex legibus ei dabatur in Urbe quidem à prætore urbano, & majore parte tribunorum plebis tutor ex lege Atilia: in provinciis vero à præsidibus provinciarum ex lege Julia & Titia*. Aliis quoque casibus tutor ex his *legibus* petebatur, ut si sub conditione, aut ex die certo datus erat testamento tutor: item quamdiu ex testamento nemo hæres existebat, atque etiam si tutor ab hostibus captus esset. *August. de Leg. in Julia. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 216. D. Rosin. Ant. Roman.* VIII. 17.

Lex Julia de vi privata. Paull. l. legis Juliæ ad l. Jul. de vi priv. *Legis Juliæ de vi privata crimen committitur, cum cœtum aliquis, & concursum fecisse dicitur, quominus quis in jus produceretur, & si quis quæstionem de alterius servo habuisset*. Ulpian. ibid. l. si quis: *Si quis aliquem dejecit ex agro suo hominibus congregatis sine armis, vis privatæ postulari possit*. Scævol. ibid. l. hac lege: *Hac lege tenetur, qui convocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberaretur pulsaretur, neque homo occisus erit*. August. de Leg. in Julia. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 213. C. Rosin. Ant. Rom. VIII. 27.

Lex Julia de vi publica. Marcian. l. 1. ad l. Jul. de vi pub. *Lege Julia de vi publica tenetur, qui arma, tela domi sua, agrove in villa præter usum venationis, vel itineris, vel navigationis coegerit. Excipiuntur autem*, ut Scævol. ibid. addit, *arma, quæ quis promercii causa habuerit, hereditateve ei obvenerint*. Addit Marcian. ibid. l. In eadem: *In eadem causa sunt, qui turbæ, seditionisve faciendæ consilium inierint, servosque, aut liberos homines in armis habuerint*. Ulpian. ibid. l. qui dolo: *exceptum esse*, ait, *qui propter venationem habeat homines, qui cum bestiis pugnent, ministrosque ad eam habere conceditur. Eadem lege tenetur*, ut scribit Marcian. ibid. *qui pubes cum telo in publico fuerit: qui pessimo exemplo convocatis seditione villas expugnaverit, & cum telis, & armis bona rapuerit: qui ex incendio rapuerit aliquid præter materiam: qui puerum, vel feminam per vim stupraverit: qui in incendio cum gladio, aut telo rapiendi causa fuerit, vel prohibendi dominum res suas servare: qui hominibus armatis possessorem domo, agrove suo, aut navi sua dejecerit, expugnaverit concursu: qui cœtu, concursu, turba, seditione incendium fecerit: quique hominem dolo malo incluserit, obsederitque: quive fecerit, quo minus sepeliatur, quo magis funus distrahatur: quique per vim sibi aliquem obligaverit*. Addit. Ulpian. ibid. l. lege Julia: *Lege Julia de vi publica tenetur, qui cum imperium, potestatemve haberet, civem Romanum adversus provocationem necaverit, verberaverit, jusseritque quid fieri, aut quid in collum injecerit, ut torqueatur. Item quod ad legatos, oratores, comitesque attinebit, si quis quem eorum pulsasse, sive injuriam ei fecisse arguetur*. August. de Leg. in Julia. Prevot. de Magistrat. Roman. cap. 1. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 215. C. v. p. 754. C. Rosio. Ant. Rom. VIII. 27.

Lex Julia Miscella dicta est à Julio Miscella latore legis. Justin. Novell. XXII. de nupt. §. quæ verò. Vel à mixtis multarum rerum capitibus, ut satyra: quod mihi non displicet: nam & id cognomen Juliæ gentis nusquam legi: & ut esset, potuit ab hac *lege* emanare, ut Annalis cognomen. *Miscelles ludos* Svet. Cal. c. 20. n. 1. factos refert, eadem forte ille ratione appellatos. Hac *lege* cautum fuit, ut si vir uxori testamento legatum reliquisset ea conditione, ne ad secundas nuptias veniret, intra annum legatum capere posset: & nubere, si modò juraret, se liberorum procreandorum causa id agere. Post annum verò Qu. Mucii Scævolæ cautione præstita se nupturam non esse, legatum capiebat. *August. de Leg. in Julia Miscella. Brisson. Ant. Select.* III. 3. *Hotman. de Vet. rit. nupt. c. 22. Hotman. Franc. Antiq. Roman. 1. 1. p. 216. G. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 18.

Lex

Lex Julia de vigesima hæreditatum lata est ab Augusto, qui *legem* Papiam tulit, cujus & hoc erat caput, ut si quis extraneus hæres institutus fuisset, is priusquam hæreditatem adiret, vigesimam partem fisco impendere teneretur, qua *lege* filii, & proximiores hæredes non tenebantur. *Alciat. Dispunct.* III, 6. *Loens. Miscell.* IX. 8. *Laz. in Catal. leg. antiq.* Sed hi manifesti erroris convincuntur. Nam Augustus hanc *legem* tulit an. ab U. C. 759. M. Æmilio, & L. Aruntio coss. teste Dion. LV. p. 565. C. Et alii Papiam Poppæam biennio posteriorem statuunt, latam nempe an. ab U.C. 761. M. Papio Mutio, & Q. Poppæo consulibus. Balduinus in Justiniano, & ad leg. Jul. de viges. hæred. eam triennio posteriorem fuisse tradit. *Burman. Dissert. de Vectig. c.* 55.

Lex Junia de legibus militaribus abrogandis lata est à M. Junio Silano cos. an. 644. Ascon. in Cicer. p. 131. *Q. Cæcilius Metellus Numidicus, M. Junius Silanus coss. fuerunt bello Cimbrico. Junius plures leges, quæ per eos annos, quibus hæc sic gerebantur, populo latæ erant, quibus militiæ stipendia minuebantur, abrogavit.* August. de Leg. in Junia.

Lex Junia de pecuniis repetundis lata est à M. Junio Penno tribuno plebis an. 627. Mam. Aimilio Lepido, L. Aurelio Oreste coss. qua *lege* præter litis æstimationem exsilium etiam damnato est irrogatum. Ita C. Cato, qui cos. fuit an. 639. ea, ut puto, *lege* Macedonibus accusantibus utraque pœna mulctatus est. Paterc. II, 8. 1. *Mandetur memoriæ severitas judiciorum: quippe Cato consularis repetundarum ex Macedonia damnatus est, cum lis et IV. millia æstimaretur.* Eundem exsulasse Tarracone scribit Cicer. pro Balb. c. 11. Hanc ego Juniam puto, quod in *lege* Servilia repetundarum mentio fiat Calpurniæ, & Juniæ *legis*, ut earum, quæ se inter se consecutæ sint. Verba Serviliæ sunt hæc: *Aut quod lege Calpurnia, aut lege Junia sacramento actum siet, aut quod hac lege nomen delatum siet.* Calpurnia certè damnari Cato non potuit, quod exsilium nullum damnato irrogavit. *Sigon. de Judic.* II. 27. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 30.

Lex Junia de peregrinis Urbe ejiciendis, & usu ejus prohibendis lata est à M. Junio Penno tribuno plebis an. 627. Hanc commemorat Festus; quippe à quo testis citatur C. Graccbus in ea, quam scripsit de *lege* Penni de peregrinis: vituperat Cicer. de Offic. III. 11. *Male, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosque exterminant, ut Pennus apud patres nostros: usu enim urbis prohibere peregrinos sane inhumanum est.* Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 1. Pigh. Annal. Rom. III. p. 35. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Junia Licinia lata est à D. Junio Silano, & L. Licinio Muræna coss. an. 691. quam Cicero in Sextiana inter consulares refert. Quid autem in illa scriptum esset, ignoto. August. de Leg. in *Junia Licinia*. Fortè sententia fuit hæc, ut iis, qui trinundinum in ferenda *lege* non servassent, graviores, quàm *lex* Cornelia Didia sanxisset, pœnæ irrogarentur. Id puto declarant verba Cicer. Phil. V. 3. *Ubi lex Cæcilia & Didia? ubi promulgatio, trinundinum? ubi pœnæ recentis lege Junia & Licinia?* Manut. de Leg. c. 16. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 217. C. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 7.

Lex Junia Norbana de servis manumittendis lata est Tiberii Cæsaris tempore, à M. Junio Silano, L. Norbano coss. an. 771. qua servi Latinam libertatem consequebantur. *August. de Leg. in Junia Norbana. Hotman. Antiq. Roman.* I. 1. *p.* 217. *S. Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 549. V. supr. in *Latini colonarii, & Juniani.*

Lex Junia Petronia de judiciis lata est à C. Junio Celonio, Petronio Turpiliano coss. 813. Hermogen. l. lege Jun. ff. de manumiss. *Lege Junia Petronia si dissonantes pares judicum sententiæ existant, pro libertate pronuntiari jussum.* August. de Leg. in Junia Petronia. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 217. F. Rosin. Ant. Rom. VIII. 22. Item Modest. l. circumcidere in fin. ad l. Corn. de sicar. *Post legem Petroniam & Sc̃ta ad eam legem pertinentia, dominis potestas ablata est ad bestias depugnandis suo arbitrio servos tradere, oblato judici servo, si justa sit domini querela, sic pœna tradetur.* De hac *lege* nihil amplius accepi. Alia est, cujus mentionem facit Cicer. de Offic. III. 11. *Male etiam qui peregrinos urbibus prohibent, eosque exterminant, ut Petronius apud patres nostros, Papius nuper. . . . . usu verò urbis peregrinos prohibere sanè inhumanum est.* August. de Leg. in Junia.

Lex Junia sacrata de tribunis plebis lata est à L. Junio Bruto tribuno plebis an. 260. Sp. Cassio Viscell. II. Postumio Cuminio Aurunco II. coss. ut plebi sui magistratus essent sacrosancti, quibus auxilii lano adversus coss. esset, neve cui patrum capere eum magistratum liceret. Dionys. VI. p. 410. V. illum infr. in *Tribuni plebis*. Rosin. Ant. Rom. VIII. 6. V. & infr. in *Lex sacrata*.

Lex Junia Vellea de testamentis appellatur, non Julia, ut in Florentino libro vidimus apud Cajum Instit. II. & Ulpianum ad Sabin. XXXVI. Cavetur capite I. ut liceat institui nondum natos, qui cum nascentur sui erunt. Qua de causa de lege Vellea ita tractare cœpit Scævol. l. Gallus §. ille casus ff. de lib. & post. *Voluit vivis nobis natos similiter non rumpere testamentum, & videtur primum caput eos spectare, qui cum nascerentur, sui heredes futuri essent.* Verba legis referuntur hæc: *Qui testamentum faciet, is suus hæres futurus erit,* & cætera. Quibus existimo detracta fuisse verba hæc, aut his similia: *instituendi potestatem habeto.* II. non permittit institui, hoc est, non id agit *lex*, ut permittat, sed illud cavet, ut vetet rumpi, neve ob eam rem, minùs ratum esset, quod succedat. De quo autem loquatur, ex ipsis *legis* verbis apparet. *Videndum autem hac posteriore parte,* inquit Scævola §. videndum, *si quis ex suis heredibus heres esse desierit, liberi ejus,* & cætera, *in locum suorum sui heredes succedunt: possit interpretatione induci.* . . . Hoc autem posteriore capite id agi, ut non rumpatur agnatione alterius sui hæredis testamentum, hæc quoque Scævolæ verba significant. §. & videtur: *Nam etsi ita verba sunt; qui testamentum faciet, is omnes virilis sexus, qui ei suus heres futurus erit. . . . etiam si parente vivo nascatur; sequenti parte succedentes in locum liberorum non vult lex rumpere testamentum.* Sequentem enim partem alterum caput hoc, de quo agimus, interpretor, de quo mox: *Et ita interpretandum est, ut si & filium, & nepotem, & pronepotem habeas; mortuis utrisque pronepos institutus succedens non rumpat.* August. de Leg. in Junia Vella. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 217. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 18.

Lex Labiena de sacerdotiis mandandis lata est à T. Atio Labieno tribuno plebis aliquot annis post Sullæ legem. Hac Sullæ legem abrogavit, & Domitiam restituit. Fecit autem hoc auctore C. Cæsare, qui, si populus in mandando sacerdotio suffragium ferret, se, qui popularis admodum erat, pontificem maximum in demortui Metelli Pii locum creatum iri non sine causa putabat. Et hoc re comprobatum est; nam P. Servilio Isaurico & Q. Catulo Lutatio consularibus viris, & provecta jam ætate dejectis, ipse, nondum prætorius, in amplissimi sacerdotii gradum ascendit. *Manut. de Leg. c.* 2. *Guther. de Vet. jur. pont.* I. 9. *Hotman. Antiq. Roman.* I. 1. *p.* 217. *G.*

Lex Lætoria de plebejis magistratibus lata est à Lætorio tribuno plebis an. 292. Appio Claudio Sabino Regillensi, T. Quintio Barbato coss. Liv. II. 56. 57. 58. scribit P. Voleronem tribunum plebis L. Pinatio, P. Furio coss. *rogationem tulisse ad populum, ut plebeji magistratus tributis comitiis fierent.* Cui *legi* cum acriter ab nobilitate resisteretur, Lætorius ei collega creatus est: à patribus autem Appius Claudius Appii filius consul creatus est, & T. Quintius. Cum itaque inter Appium, & Lætorium contentio in maximum periculum civitatem adduxisset, *lex* accepta est: & tum primùm tributis comitiis creati tribuni sunt quinque, cum antea duo tantum fuissent. *August. de Leg. in Lætoria. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 7.

Lex Lætoria de tutelis *curatores vel propter lasciviam, vel propter dementiam dabat.* Primus enim M. Anton. Philosophus constituit, *ut omnes adulti curatores acciperent non redditis causis*, ut scribit Capitol. c. 10. Et Svetonius Præt. IV. relatus à Priscian. VIII. p. 793: XVIII. p. 1164. Edit.

Edit. Putsch. *Laetoria*, inquit, *vetat minorem annis* XXV. *stipulari*. Justin. Instit. de curat. §. 3. tamen scribit, *invitos adolescentes curatores non accipere, praeterquam in litem.* Prodigis verò, ac furiosis ex *lege* XII. tab. curatores dabantur. De hac Cicer. de Offic. III. 15. *Iste dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela* XII. *tab. & circumscriptio adolescentium lege Laetoria*. Nat. Deor. III. 30. *Inde judicium publicum rei privatae lege Laetoria*. August. de Leg. in Laetoria. Turneb. Adv. XXV. 18. Manut. de Leg. c. 15. & 30. Cujac. Observ. XIX. 33. Hotman. Ant. Rom. I. I. p. 218. A. Ursin. ad Leg. Laetoriam. Rosin. Ant. Rom. VIII. 17.

Lex Licinia de foenore lata est à L. Licinio Lucullo Asiae proconsule, ante Ciceronis consulatum, ad levandam aere alieno provinciam. Illa sanxit I. ne supra centesimam jure foenoris solveretur. II. ne majores essent usurae, quàm quibus veteri jure pecuniae antea credebantur. III. quo debitoribus consultum est maximè, ne creditoribus à debitore foenoris nomine plus omnino liceret accipere, quàm quantum fructuum creditoris quarta pars essent. *Manut. de Leg. c.* 16. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 218. *B. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 20.

Lex Licinia de ludis Apollinaribus lata est à P. Licinio Varo praetore urbano Claudio, Quintio consulibus an. 545. Cum enim hi in unum annum voverentur, & incerto die fierent, senatus Licinium ferre ad populum jussit, ut in perpetuum in statum diem voverentur. Liv. XXVII. 23. V. illum infr. in *Ludi*. Manut. de Leg. c. 3. Rosin. Ant. Rom. VIII. I.

Lex Licinia de sacerdotum electione lata est à C. Licinio Crasso tribuno plebis an. 608. Q. Fabio Maximo, L. Mancino coss. ut sacerdotum cooptatio ab ipsorum collegio ad populum transferretur. Verùm eam non pertulit. Cicer. de Amic. c. 25. *Meministis, Q. Maximo, fratre Scipionis, & L. Mancino coss. quam popularis lex de sacerdotiis C. Licinii Crassi videbatur? cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Atque is primum instituit, in forum versus, agere cum populo: tamen illius vendibilem orationem religio deorum immortalium, nobis defendentibus, facilè vincebat: atque id actum est praetore me, quinquennio ante quam cos. sum factus. Itaque re magis, quàm auctoritate, causa illa defensa est*. Pigh. Annal. Rom. II. p. 463. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 219. C. Rosin. Antiq. Rom. I. 2.

Lex Licinia de sodalitiis lata ad ambitum pertinet: *sanxit enim, ne quis coires magistratus adipiscendi gratia*: quod à Laterensi objectum Cn. Plancio ostendit Cicer. Orat. pro ipso c. 15. *Veniamus ad causam, in qua tu nomine legis Liciniae, quae est de sodalitiis, omnes ambitus leges complexus es: neque enim quicquam aliud in hac lege, nisi editios judices es secutus: quod genus judiciorum si est aequum nulla in re, nisi hac tribuaria, non intelligo, quamobrem senatus hoc uno in genere tribus edi voluerit ab accusatore, neque tandem editionem transtulerit in caeteras causas*. August. de Leg. in Licinia. Manut. de Leg. c. 30. Rosin. Ant. Roman. VIII. 31.

Lex Licinia sumptuaria lata est à P. Licinio Crasso Divite coss. cum Cn. Lentulo an. 656. *Hujus ferendae, probandaque tantum studium ab optimatibus impensum est*, inquiunt Macrob. Sat. II. 13. Gell. II. 24. *ut consulto senatus juberetur, ut ea tantummodo promulgata, priusquam trinundino confirmaretur, ita ab omnibus observaretur, quasi jam populi sententia comprobata. Lex haec paucis mutatis in plerisque cum Fannia congruit. Legis summa, ut kalendis, nonis, nundinis Romanis, cuique in dies singulos triginta duntaxat asses edundi causa consumere liceret: caeteris verò diebus, qui excepti non essent, ne amplius apponeretur, quàm carnis aridae pondo tria, & salsamentorum pondo libra: & quod ex terra, vite, arboreve sit natum*. August. de Leg. in Licinia. Bruyer. de Re cibar. III. 4. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 218. E. XV. I. 13. Lips. de Magnit. Roman. IV. 9. Thysi. de Magnit. Roman. IV. p. 334. Blond. Roman. triumph. VIII. p. 176. Stuck. Ant. Conv. I. 3. Putean. Reliq. conviv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Graev. Tom. XII. p. 253. B. Bulleng. de Conviv. I. 17. Guther. de Vet. jur. pont. I. 26. Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 499. An. 643. M. Minucio Rufo, Sp. Postumio Albino consulibus ab illo tribuno plebis latam puto. *Pigh. Annal. Roman.* III. *p.* 122.

Lex Licinia Aebutia de curatione, & potestate mandanda. Sunt tamen, qui duas *leges* constituant: alteram Liciniam, aliam Aebutiam, quae ejusdem generis fuerint. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 219. *C. Rosin. Ant. Roman.* VIII. 7. V. supr. in *Lex Aebutia*.

Lex Licinia Cassia de tribunis militum lata est à P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino coss. an. 422. *ne tribuni militum eo anno suffragiis crearentur, sed coss. praetorumque in iis faciendis judicium arbitriumque esset*. Liv. XLII. 31. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 119. *A. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 14.

Lex Licinia Mucia de civibus regundis lata est à L. Licinio Crasso oratore, & Q. Mucio Scaevola pontifice maximo ann. 658. Ascon. in Cicer. p. 131. *L. Licinius Crassus orator, & Q. Mucius Scaevola pontifex maximus, idemque orator, & illius legem de regendis in sua civitate sociis in suo consulatu tulerunt. Cum enim summa cupiditate civitatis Romanae Italici populi tenerentur, & ob id magna pars eorum pro civibus Romanis se gereret, necessaria lex visa est, ut in suae quisque civitatis jus redigeretur. Verum ea lege ita alienati animi sunt principum Italicorum populorum, ut ea vel maxima causa belli Italici, quod post triennium exortum est, fuerit*. De hac Cicer. de Offic. III. 11. *Esse pro cive, qui non sit civis, rectum est non licere: quam tulerunt legem sapientissimi coss. Crassus & Scaevola*. At apud Ascon. p. 130. *Legem Liciniam, & Muciam de civibus regundis quam duo coss. omnium, quos vidimus, sapientissimi tulissent, video constare inter omnes, non modo inutilem, sed etiam perniciosam Reipublicae fuisse*. August. de Leg. in Licinia Mucia. de Famil. Rom. in Mucia. Hotman. Antiq. Rom. I. I. p. 219. B. Pigh. Annal. Rom. III. p. 196. Manut. de Leg. c. 17. Sigon. de Ant. jur. Ital. III. I. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 2.

Lex Licinia Sexta de aere alieno lata est à C. Licinio Stolone, L. Sextio tribunis plebis an. 377. Liv. VI. 35. *Creati tribuni C. Licinius, & L. Sextius promulgavere leges omnes adversus opes patriciorum, & pro commodis plebis: unam de aere alieno, ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, id quod superesset, triennio aequis portionibus persolveretur*. August. de Leg. in Licinia Sextia. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 11. Pigh. Annal. Rom. I. p. 243. Panvin. Fast. I. p. 104.

Lex Licinia Sextia de agrorum modo lata est à jam dictis Licinio, & Sextio. Liv. II. 35. *Creati tribuni C. Licinius, & L. Sextius promulgavere leges . . . alteram de modo agrorum, ne quis plus quingenta jugera agri possideret*. Varr. de Re rust. I. 2. *C. Licinium Stolonem video venire, cujus majores de modo agri legem tulerunt. Nam Stolonis illa lex, quae vetat plus quingenta jugera habere civem Romanum . . . .* Armentorum quoque numerum hac *lege* descriptum fuisse scribit Appian. Bell. civil. I. p. 354. *Vix tandem tribunis plebis rogantibus lex lata est, ne quis haberet plus quingentis jugeribus, neque quis pasceret plus centum capitibus majoris, plusve quingentis minoris pecoris*. Accidit autem percommodè, ut C. Licinius sua *lege* intra decennium C. Marcio, Cn. Manlio coss. damnaretur. Liv. VII. 16. *Eodem anno C. Licinius Stolo à M. Popillio Lanate sua lege decem millibus aeris est damnatus, quod mille jugerum agri cum filio possideret, emancipandoque filium fraudem legi fecisset*. Colum. I. 3. *Sua lege C. Licinius damnatus est, quod agri modum, quem in magistratu rogatione tribunitia promulgaverat, immodica possidendi libidine transcendisset*. August. de Leg. in Licinia. Bergier. de viis milit. I. Sect. 14. §. 7. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 16. Hotman. Ant. Rom. I. I. p. 218. C. Pign. Antiq. Rom. III. p. 343. Panvin. Fast. I. p. 104. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 91. A. Rosin. Antiq. Rom. VIII. 10.

Lex Licinia Sextia de sacerdotiis est lata à C. Licinio, L. Sextio tribunis, P. Manlio dictatore an. 385. ut pro duumviris sacris faciundis decemviri ita crearentur, ut pars ex plebe, pars ex patribus fieret. Liv. VI. 42. *Hotman.*

man. Ant. Rom. t. 1. p. 235. C. Rosin. Antiq. Rom. 1. *p.* 156. & 260.

Lex Licina Sextia de tribunis militum lata est ab iisdem Licinio & Sextio. Liv. VI. 35. *Promulgavere legem tertiam, ne tribunorum militum comitia fierent, consulumque utique alter ex plebe crearetur.* Post annum deinde *leges* hæ omnes acceptæ sunt, & *L. Sextius de plebe primus coss. factus.* Liv. c. 42. *Pigh. Annal. Rom.* 1. *p.* 243. *Panvin. Fast.* 1. *p.* 104. *August. de Leg. in Licinia. Rosin. An. Rom.* VIII. 5.

Lex Livia de colonis lata est à M. Livio Druso tribuno plebis an. 631. Cn. Domitio Ahenobarbo, C. Fannio Strabone Nepote coss. ut duodecim coloniæ deducerentur, & singulis tria civium millia assignarentur. Plutarch. Gracch. p. 838. E. *Livio de duodecim coloniis deducendis legem ferenti, & de ternis millibus in singulas inopum scribendis erant auxilio.* Appian. Bell. civil. I. p. 364. *Plebi delinienda duodecim colonia concessa sunt.* Hotman. Ant. Rom. I. 1. p. 219. D. Pigh. Annal. Rom. III. p. 62. & 218. August. de Leg. in Livia. Rosin. Ant. Rom. VIII. 9.

Lex Livia de decemviris, qui agros in Africa dividerent, est lata post Carthaginem captam. Ejus in tabula ænea mentionem invenimus. *Manut. de Leg. c.* 13. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 62. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 10.

Lex Livia frumentaria lata est à M. Livio Druso tribuno plebis an. 662. L. Martio Philippo, Sexto Julio Cæsare coss. Liv. Epit. 71. *M. Livius Drusus, ut majoribus viribus senatus causam susceptam tueretur, socios, & Italicos populos spe civitatis Romana solicitavit: iisque adjuvantibus per vim legibus agrariis, frumentariisque latis, judiciariam quoque pertulit; ut aqua parte judicia penes senatum, & equestrem ordinem essent.* Semproniam *legem* revocavit, & tulit, ut illa de frumento plebi ex publico viritim dando valeret. *Contaren. Frument. Roman. largit. c.* 2. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. *t. p.* 220. *A. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 12.

Lex Livia judiciaria lata est ab eodem Livio Druso, qui cum senatus molestè ferret judicia equitibus lege Sempronia data, ea ad senatum transferre conatus, tulit *legem*, ut senatores æquarentur equitibus in judiciis. Appian. Bell. civil. I. p. 371. *Senatum quoque ac equites tum maximè propter judicia dissidentes invicem conabatur conciliare.* Livius laudatus in *Lex Livia frumentaria*. August. de Leg. in Livia. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 18. Hotman. Antiq. Roman. t. 1. p. 219. E. Pigh. Annal. Rom. III. p. 218. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Livia de re nummaria lata est ab eodem Livio Druso, ut octava æris pars argento misceretur. Plin. XXXIII. 3. *Livius Drusus in tribunatu plebis octavam partem æris argento miscuit.* Hotman. Antiq. Roman. t. 1. p. 219. E. Pigh. Annal. Rom. III. p. 218. Manut. de Leg. c. 17. Rosin. Ant. Rom. VIII. 20.

Lex Livia de sociis, & Italis civitate danda lata est ab eodem Livio Druso. Flor. III. 17. *His motibus ut resisteret Drusus plebem ad se Gracchanis legibus, eisdem socios ad plebem spe civitatis erexit.* Livius laudatus in *Lex Livia frumentaria*. Hotman. Antiq. Rom. 1. 1. p. 220. B. Pigh. Annal. Rom. III. p. 218. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Mænia quæ de magistratibus fuit, & cujus meminit Cicer. in Brut. c. 14. V. illum supr. in *Lex Curia*. Quo anno lata sit, quidque planè sanxerit, adhuc quæro. *Manut. de Leg. c.* 5. De ea Varro lege Mænia apud. Non. II. 289. *Si qui patriam majorem parentem extinguit, in eo est culpa, quod facit pro sua parte is, qui se eunuchat, aut aliqui liberos producit.* §. 290. *Nemo est tam negligens, quin summa diligentia eligat asinum, qui suam saliat equulam.* Quæ verba ex satyra ita inscripta sumpta esse videntur. Quamquam Nonius ita mendosus circumfertur, ut non facilè audeam ejus libri testimonio uti. *August. de Leg. in Mænia. Hotman. Antiq. Roman.* 1. *t. p.* 222. *C.*

Lex Mævia. V. illam infr. in *Sigillum*.

Lex Majestatis. V. illam in Appuleja, Cœlia, Cornelia, Julia, Varia. Incertæ *leges* mentio fit apud Tacit. Annal. IV. 34. 1. *Cornelio Cosso, Asinio Agrippa coss. Cremutius Cordus postulatur, quod editis annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum dixisset:* id crimen Cordus ita diluit, ut diceret nihil se adversus *principem, aut principis parentem, quos lex majestatis amplecteretur*, dixisse. *August. de Leg. in Lex Majestatis.*

Lex Mamillia lata est à C. Mamillio Limetano, vel Limitano tribuno plebis, Sp. Posthumio Albino, Q. Minutio Rufino coss. an. 643. Illam prodidit Sallust. de Bell. Jugurth. p. 97. *Interea Romæ C. Mamilius Limetanus tribunus plebis rogationem ad populum promulgat, uti quæreretur in eos, quorum consilio Jugurtha senatus decreta neglexisset; quique ab eo in legationibus, aut imperiis pecunias accepissent; qui elephantos, quique perfugas tradidissent; item qui de pace, aut bello cum hostibus pactiones fecissent.* Manut. de Leg. c. 17. Hotman. Antiq. Roman. t. 1. p. 220. E. Pigh. Annal. Rom. III. 121. Rosin. Ant. Rom. VIII. 23.

Lex Mamillia de limitibus est lata à C. Mamillio tribuno plebis an. 588. Extat ejus nomen in antiquis, eleganterque cusis argenteis denariis, quorum insignia nobis videntur indicare, fuisse hunc, qui legem de limitibus ex XII. tabularum lege justa latitudine finiendis tulit. Unde vulgo Limetanus vocari cœpit. Quod cognomen ad ejus quoque filios, & posteros profluit. Pigh. Annal. Rom. II. p. 392.

Lex Manilia de libertinorum suffragiis lata est à C. Manilio tribuno plebis an. 687. M. Æmilio Lepido, L. Volcatio Tullo coss. ut libertinis in omnibus tribubus suffragium esset. Cicer. pro Corn. apud Ascon. p. 128. *Legem*, inquit, *de libertinorum suffragiis Cornelius cum Manilio dedit.* Ubi Asconius: *Manilius post paucolos statim dies, quam inierat tribunatum, legem eandem compitalibus pertulit.* Augustin. de Leg. in Manilia. Pigh. Annal. Rom. III. p. 315. Rosin. Ant. Rom. VIII. 3.

Lex Manilia de Pompejo lata est ab eodem Manilio iisdem coss. Liv. Epit. 100. *C. Manilius tribunus plebis, magna indignatione nobilitatis, legem tulit, ut Pompejo Mithridaticum bellum mandaretur.* Plutarch. Pomp. p. 634. C. *Unus tribunorum plebis Manilius legem rogavit, qua legiones, & provincias, quas Lucullus habebat, dabat Pompejo. Addebat Bithyniam, quam Glabrio obtinebat: ut ille bellum cum Mithridate, & Tigrane Regibus gereret, retineretque classem, & maritimum imperium, ut ab initio acceperat.* August. de Leg. in Manilia. Hotman. Antiq. Roman. t. 1. p. 220. F. Rosin. Ant. Rom. VIII. 14.

Lex Manlia de epulonibus lata est à P. Manlio tribuno plebis, L. Furio Purpureone, M. Claudio Marcello coss. an. 558. Cicero & Livius. V. illos supr. in *Epulones*. Hotman. Antiq. Rom. t. 1. p. 221. B. Rosin. Ant. Roman. VIII. 8.

Lex Manlia de vicesima lata est à Cn. Manlio consule cum C. Marcio an. 396. ut ii, qui manumitterentur, fortunarum suarum vicesimam ærario darent. Liv. VII. 16. *Ab altero consule nihil memorabile gestum: nisi quod legem, novo exemplo, ad Sutrium in castris tributim de vicesima eorum, qui manumitterentur, tulit.* Hotman. Ant. Rom. 1. 1. p. 221. Pigh. Annal. Roman. 1. p. 283.

Lex Marcia de magistratibus est lata à Marcio Censorino: ne cui bis censuram gerere liceret. Plutarch. in Coriol. p. 213. F. *Ex hac familia*, Marciorum, *fuit Censorinus, quem populus Romanus creavit iterum censorem. Postea ille suasore sanxerunt lege, ne quis eum magistratum bis caperet.* Hotman. Ant. Rom. t. 1. p. 221. C. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 462.

Lex Marcia de Statiellis est lata à M. Marcio Sermone, & Q. Marcio Scylla tribunis plebis ann. 621. *Ut qui ex Statiellis, Liguria populis, deditis in libertatem restitutus ante Kalend. Sextil. primas non esset, cujus dolo malo is in servitutem venisset, ut juratus senatus decerneret, qui eam rem quæreret, animadverteretque.* Liv. XLII. 21. *Hotman. Antiq. Rom.* 1. 1. *p.* 221. *D. Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 364.

Lex Maria de nummis lata est à M. Mario Gratidiano prætore, L. Sulla dictatore an. 667. ut nummi certa tum excogitata ratione probarentur. Jactabatur enim illis temporibus nummus, sic, ut nemo scire posset, quid haberet. Cicer. de Offic. III. 20. *Ne noster quidem Marius Gratidianus officio viri boni functus est tunc, cum prætor esset,*

colle-

collegiumque prætorum tribuni plebis adhibuissent, ut res nummaria de communi sententia constitueretur: conscripserunt communiter edictum, cum pœna & judicio. Constitueruntque ut omnes simul in Rostra post meridiem descenderent. At Marius à subselliis in Rostra recta, idque quod communiter compositum fuerat, solus edixit. Et ea res ei magno honori fuit: omnibus vicis statuæ, ad eas thus & cerei, quid multa? nemo unquam multitudini fuit carior. Plin. XXXIII. 9. *igitur ars facta denarios probare, tam jucunda lege plebi, ut Mario Gratidiano vicatim totas statuas dicaverit.* Pigh. Annal. Rom. Tom. III. p. 238. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 221. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 20.

Lex Maria de suffragiis lata est à C. Mario tribuno plebis, qui postea septies cos. fuit, L. Cæcilio Metello Calvo, L. Aurelio Cotta coss. an. 634. Plutarch. in Mario p. 407. D. *In tribunatu cum legem ferret de suffragiis, quæ privare primores videbatur potentia, quam in judiciis obtinebant, repugnavit ei Cotta cos. fuitque auctor senatui ut legem oppugnaret, & Marium ad reddendam facti sui rationem vocaret. . . Marius inclytus in concionem egressus legem pertulit.* De ea Cicer. de Leg. III. 17. *Pontes etiam lex Maria fecit angustos, quæ si opposita sunt ambitiosis, ut sunt ferè, non reprehendo.* Angustos autem pontes Marius fecit, ut liberè cives suffragium ferrent, neque candidati mitterent, qui tabellam inspicerent, & eodem ponte consistentes aliquid per vim, aut fraudem conarentur. *August. de Leg. in Maria. Manut. de Legib. c. 9. Gruch. de Comit. II. 5. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 221. E. Pigh. Annal. Rom. XII. p. 83. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 3.

Lex Maria Porcia de triumphis lata est à L. Mario & M. Porcio Catone tribunis plebis an. 691. D. Junio Silano, L. Junio Muræna coss. V. illam infr. in *Lex triumphalis*.

Lex Memmia de calumniatoribus. V. illam infr. in *Lex Remmia*.

Lex Memmia de reis postulandis eorum, qui Reipublicæ causa abessent, recipi nomina vetabat. Itaque C. Cæsar, cum in provinciam, peracto consulatu, abiisset, & *ab L. Antistio tribuno plebis postulatus esset, appellato collegio, obtinuit, cum Republicæ causa abesset, reus ne fieret.* Svet. Jul. c. 23. n. 2. At M. Antonius, cum *quæstor proficiscens in Asiam, Brundisium jam pervenisset, literis certior factus, incestise postulatum apud L. Cassium prætorem, legis Memmiæ beneficio uti noluit*, ne sibi malè conscius videri posset; *statimque in Urbem recurrit, & pleno fiducia bonæ consilio, cum absolutionem celerem, tum profectionem honestiorem consecutus est.* Val. Max. III. 7. 9. *Manut. de Leg. c.* 15. *Hotman. Antiq. Rom.* I. I. *p.* 222. *A. Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 484. *Sigon. de Judic.* II. 9. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 22.

Lex Menenia Sestia de mulctis lata est à T. Menenio Lanato, & P. Sestio Capitolino coss. an. 302. ut oves decussi, boves centussi æstimarentur. Festus in Peculatus: *Pœna gravissima erat duarum ovium, & triginta boum. Eam legem sanxerunt T. Menenius Lanatus, & Sestius Capitolinus coss. postquam ære signato uti cœpit populus Romanus Tarpeja lege cautum est, ut bos centussibus, ovis decussibus æstimaretur.* Non est verum Menenio & Sestio coss. aut etiam ante legem Tarpejam æs non fuisse signatum. V. supr. in *Æs signatum*. Falsum etiam est Menenium & Sestium ante Tarpejam *legem* coss. fuisse. Nam Tarpejus Montanus Capitolinus, & A. Aterius Fontinalis coss. fuere ann. 300. Hi legem tulerunt ut duas oves, triginta boves mulcta non excederet, quæ lex & Tarpeja, & Ateria dicta est. Dionys. X. p. 674. At T. Menenius & P. Sestius consulatum gessere an. 302. Horum lege oves singulæ decussi, boves centussi æstimati. Invertenda ergo Festi verba: & hæc, *eam legem sanxerunt T. Menenius Lanatus, & Sestius Capitolinus coss.* post *ovis decussibus æstimaretur*, ponenda. *August. in Festum. de Leg. in Tarpeja Æternia. Manut. de Leg. c.* 17. *Oizel. in Gell.* XI. I. *Hotman. Antiq. Rom.* I. I. *p.* 222. *B. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 22.

Lex Mensia de liberorum conditione, à quo, & quando sit lata, incognitum. Invenio illam apud Ulpian. In

Tom. II.

scit. v. *Connubio interveniente liberi semper patrem sequuntur: non interveniente connubio matris conditioni accedunt, excepto eo qui ex peregrino, & cive Romana peregrinus nascitur: quoniam lex Mensia ex alterutro peregrino natum deterioris parentis conditionem sequi jubet.* August. de Leg. in Mensia. Hotman. Ant. Rom. I. I. p. 222. D. Brisson. de Jur. connub. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1053. C. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Metella de fullonibus si lata est ab aliquo Metello, Cæcilia quoque dicetur. De illa hæc Plin. XXXV. 17. *Lex Metella exstat fullonibus dicta, quam C. Flaminius, L. Æmilius censores dedere ad populum ferendam.* August. de Leg. in Metella. Adeoque lata an. 533. *Metella* apud Plinium mendosè legitur; leges enim à nomine, non à cognomine vocabantur. Et hunc Μετίλιον vocat Polybius. *Manut. de Leg. c.* 18. *Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 137. *Harduin. in Plinium.*

Lex Metilia de dictatore lata est à M. Metilio tribuno plebis an. 516. Cn. Servilio Gemino, C. Flaminio II. coss. in gratiam M. Minutii Rufi, qui magister equitum contra edictum dictatoris sui Q. Fabii Maximi pugnaverat, ut magistri equitum, & dictatoris jus æquaretur. Liv. XXII. 25. & 26. *Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 156. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 5.

Lex Minucia est lata an. 632. de non restauranda colonia Carthagine à M. Minucio Rufo tribuno plebis. Ejus meminit Festus in Osi sunt: *Osi sunt ab odio declinasse antiquus testis est C. Gracchus in ea, quæ est de lege Minucia.* Pigh. Annal. Rom. III. p. 70. Hotman. Ant. Rom. I. I. p. 222. D.

Lex Minucia de triumviris mensariis lata est à Minucio tribuno plebis, Æmilio, Terentio consulibus an. 537. V. illam infr. in *Triumviri mensarii*.

Lex Numæ de judiciis. Hanc memorat Festus in Reus: *Numma in secunda tabula, secunda lege, in qua scriptum est: si quid horum fuat unum judici, arbitrove, reove, eo die diffisus esto.* Manut. de Leg. c. 2. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Numæ de mola salsa. Hanc nominat Plin. XVIII. 2. *Numa instituit deos fruge colere, & mola salsa supplicare.* Manut. de Leg. c. 2.

Lex Numæ de parricidis exstat apud Festum in Parici quæstores: *Id fuisse indicat lex Numæ Pompilii Regis his composita verbis: si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, parricida esto.* Hac *lege* Tullus Hostilius Rex Horatium illum, qui sororem occiderat, voluit judicari. *Manut. de Leg. c.* 21. *&* 26. *Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 35. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 2.

Lex Numæ de pellice. Festus in Pellices, & Gell. IV. 3. *Cui generi mulierum etiam pœna constituta est à Numa Pompilio hac lege: Pellex aram Junonis ne tangito: si tanget, Junoni crinibus demissis agnam feminam cædito.* Manut. de Leg. c. 16. August. de Leg. in Regia. Rævard. de auctor. prud. c. 1. Voss. de Idolol. II. 27. Pigh. Annal. Rom. I. p. 34. Rosin. Antiq. Rom. VIII. 5.

Lex Numæ de pollucto fuit, qua videlicet liceret polluceri, quæ non liceret. De piscibus, qui squamosi essent, omnes præter scarum, idque propter raritatem. Rarissimus enim in Laurenti littore, atque adeo in ora Tyrrhenica erat piscis ipse, quemque cum capiebant, in mare dimittebant. Non igitur per religionis causam hoc sancitum est, sed ut parsimonia convivia, epulæque publicæ facilius ad pulvinaria compararentur. Plin. XXXII. 2. *Numa constituit, ut pisces, qui squamosi non essent, ni pollucerent, parsimonia commentus, ut convivia publica, & privata, cœnæque ad pulvinaria facilius compararentur: ni qui ad pollucitum emerent, pretio minus parcerent, eaque præmercarentur.* Puto *legem* his verbis conceptam fuisse: *Pisces, qui squamosi non sunt, nei polluceto: squamosos omnes præter scarum polluceto.* Scalig. in Festum in pollucere merces. Manut. de Leg. c. 2. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Numæ de prædiorum terminis describitur à Dionys. II. p. 133. V. illam infr. in *Terminalia*. Festus in Termino: *Numa Pompilius statuit eum, qui terminum exarasset, & ipsum, & boves sacros esse.* Pigh. Annal. Rom. I. p. 34: II. p. 393. Manut. de Leg. c. 2. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Numæ de sepulcris refertur à Festo in Occisum. V. illum supe. in *Genua*. Plin. II. 54. V. illum supr. in *Fulgaritee*, Scalig. in Festum. Manut. de Leg. c. 16. Pigb. Annal. I. p. 34. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Numæ de spoliis opimis legitur apud Festum in Opima. V. illum infr. in *Spolia*. Pigh. Annal. Rom. I. p. 33. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5. Hæc depravata, corrupta, & mutilia esse clamant Scaliger, & Ursinus. Emendet quomodo prior, V. *ad Festum*; quomodo posterior, V. in notis *ad leges Numæ Pompilii*.

Lex Numæ de divino extat apud Plin. XIV. 12. *Numæ Regis Posthumia lex est: vino rogum ne respergito. Quod sanxisse illum propter inopiam rei nemo dubitet. Ea de lege, ex imputata vite libari vina diis nefas statuit, ratione excogitata, ut putare cogerentur, alias aratores, & pigri circa pericula arbusti.* Augustin. de Leg. in Posthumia. Manut. de Leg. c. 2. Pigh Annal. Rom. I. p. 34. Bernart. in Stat. Sylv. II. 6. 90. Rosin. Ant. Roman. VIII. 5. Sed cur id Numa vetat, cum ex veteribus auctoribus satis constet, vino rogum respergi? Apparet hanc *legm* Numæ συμποτικὴν potiùs quàm πολιτικὴν & seriam fuisse. Quo sensu etiam intellexisse videtur Catull. c. 27. n. 1.

Minister vetuli puer Falerni,
Inger mi calices amariores,
Ut lex Posthumia jubet magistra.

Allusum igitur ad voluptuariorum dicteria, qui vivos se malle madere vino solebant dicere, quàm servare illud ad exsequias. *Lips. Ant. Lect.* III. *p.* 148. *Scalig. Conject. in Varron. p.* 53. *Kirchman. de Fun. Rom.* III. 6. *Dalechamp. in Plinium.* Hæc est dicta Postumia, id est, postrema, supremo que vitæ tempore lata. Vel Postuma, ab eorum similitudine, qui patre mortuo nascuntur. Nam multis annis post ejus interitum Numæ libri reperti sunt pontificii juris, ac in lucem editi, quibus id jussisse verisimile est. *Dalecamp. l. l.* Potius, quia Postumius eam aliquis in magistratu jussu Numæ tulerit. *Manut. l. l.*

Lex Octavia frumentaria est lata à M. Octavio tribuno plebis an. 633. qua Semproniam C. Gracchi abrogavit. Cicer. in Brut. c. 62. *M. Octavius Cn. filius tantam auctoritate, dicendoque valuit, ut legem Semproniam frumentariam populi frequentis suffragiis abrogaverit.* Et hanc *legem* ita laudat, & probat Offic. II. 21. *C. Gracchi frumentaria magna largitio, exhauriebat igitur ærarium: modica M. Octavii, & reipublicæ tolerabilis, & plebi necessaria; ergo & civibus, & Reipublicæ salutaris.* Ex his quidem Tullii verbis colligere est, non totam Gracchi frumentariam *legem* abrogasse M. Octavium, sed nova *lege* sua quodammodo moderasse, Rempublicam, & ærarium intolerabili damno sublevasse. Videtur tamen statuisse, vel majus pretium in singulos modios secundum annonæ caritatem; vel uti triente, atque se mille minus quàm emptus esset, civibus modius venderetur. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 76.

Lex Ogulnia de sacerdotibus lata est à Q. & Cn. Ogulniis tribunis plebis an. 453. M. Valerio Corvo V. Q. Apulejo Pansa coss. Liv. X. 6. V. illum supe. in *Augures*. August. de Leg. in Ogulnia. Guther. de Vet. jure pont. I. 9. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 222. F. Pigh. Annal. Rom. I. p. 384. Noris. Cenot. Pisan. Diss. II. p. 165. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5.

Lex Oppia de mundo muliebri lata est à C. Oppio tribuno plebis ann. 540. Q. Fabio Maximo, T. Sempronio Graccho coss. Liv. XXXIV. 1. *Tulerat eam C. Oppius tribunus plebis Q. Fabio, T. Sempronio coss. in medio ardore Punici belli: Ne qua mulier plus semuncia auri haberet, neu vestimento versicolori uteretur, nec juncto vehiculo in Urbe, oppidove, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa, veheretur.* Tacit. Annal. III. 33. 7. *Pervicacibus magis, & impotentibus mulierum jussis, quæ Oppiis quondam, aliisque legibus constrictæ...* August. de Leg. in Oppia. Manut. de Leg. c. 18. Turneb. Adv. XXVII. 26. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 222. F. Pigh. Annal. Rom. II. p. 166. Blond. Triumph. Rom. IX. p. 199. A. Ursin. de Fam. Rom. in Oppia. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 13.

Lex Optima dicebatur tum ea, qua quàm plenissimum dictatoris jus esset, significabatur, Festus: *Optima lex illa dicebatur, quæ in magistro populi faciendo quàm plenissimum posset, jus esse significabatur, at fuit M. Valerii Maximi filii Volusii nepotis, qui primus magister populi vocatus est. Postquam verò provocatio ab eo magistratu ad populum data est, quæ antea non erat, desitum est dici, ut qui optima lege, utpote imminuto jure priorum magistratuum.* Sensus autem est in magistro populi, per quem dictatorem intelligit, dicendo hæc sollennia verba consulem usurpasse: *ut qui optima lege fuerint, ita M. Valerium dictatorem dico.* tum ea, qua virgines Vestales capiebantur. In virgine enim Vestali capienda pontifices utebantur sollenni formula, quam referimus infr. in *Vestales*. Ræward. Conject. III. 20. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 222. F. Pigh. Annal. Rom. I. p. 82.

Lex Orchia sumptuaria prima omnium ad populum pervenit. Est lata Q. Fabio, M. Claudio consulibus ann. 570. Hanc *tulit C. Orchius tribunus plebis de senatus sententia, tertio anno quàm Cato censor fuerat. Summa ejus præscribebat numerum convivarum; & hæc est, de qua Cato in orationibus suis vociferabatur, quod plures quàm præscripto ejus cavebatur, ad cœnam vocarentur.* August. de Leg. in Orchia. Manut. de Legib. c. 3. & 18. Bruyer. de Re cibar. III 4. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 223. B. Pigh. Annal. Roman. II. p. 330. Blond. Rom. triumph. VIII. p. 176. Buleng. de Conviv. I. 17. & 22. Putean. Reliq. conviv. prisc. *Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XII. *p.* 253. *A. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 13.

Lex Ovinia de censoribus quando sit lata incertum: neque enim ejus in veterum libris, quos legerim, fit mentio. Nominat eam Festus in Præteriti senatores: *Donec Ovinia tribunitia intervenit, qua sanctum est, ut censores ex omni ordine optimum quemque curiatim senatu legerent.* August. de Leg. in Ovinia. Hotman. Antiq Rom. I. 1. p. 223. B. Pigh. Annal. Rom. I. p. 292. Zamosc. de Senat. Rom. I. 3. Rosin. Ant. Rom. VIII 4. & 5.

Lex pagana *in plerisque Italiæ prædiis cavebat, ne mulieres per itinera ambulantes torquerent fusos, aut omnino detectos ferrent, quoniam adversaretur id omnium spei, præcipuèque frugum.* Plin. XXVIII. 2. *Hotman. Antiq. Roman.* I. 1. *p.* 223. *D. Blond. Triumph. Rom.* VIII. *p.* 173. *E. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 31.

Lex Papia de civitate lata est post legem Claudiam non multis annis. Quo tamen potissimum anno, cum eorum temporum unà cum veterum annalium monumentis memoria evanuerit, nobis parum compertum est. Hoc amplius videtur habuisse quàm Claudia, quod Claudia non nisi socus nominis Latini esset lata, Papia etiam peregrini, cum eodem illi torti illecebris civitatis Romanæ adipiscendæ studio, atque hi, efferrentur. Siquidem Mamertini, quod oppidum in Sicilia est, hujus *legis* beneficio M. Crassum qui se Romæ pro cive gerebat. Messanam revocare sunt conati. Cujus rei, cum Balbum defenderet, exemplum adhibuit Cicer. pro Balb. c. 23. *Cum judices præ se ferrent, palamque loquerentur, quid essent lege Papia de M. Crasso Mamertinis repetentibus judicaturi, Mamertini publicè suscepta causa destiterunt.* Hac *lege* damnatus est pater M. Perpernæ ejus, qui an. 623. consul fuit. Val. Max. III. 4. 5. *M. Perperna consul antequam civis. Cujus vita triumphavit, mors Papia lege damnata est. Namque patrem illius nihil ad se pertinentia civis Romani jura complexum, Sabelli judicio petitum, redire in pristinas sedes coegerunt.* Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 1. de jur. Rom. civ. I. 18. Hotman. Ant. Roman. I. 1. p. 224. A.

Lex Papia Poppæa de connubiis cavebat, ut omnibus ingenuis, præter senatores, eorumque liberos, uxores libertinas habere liceret. V. supr. in *Ingenui*.

Lex Papia de peregrinis lata est a C. Papio tribuno plebis an. 688. L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato coss. Hac omnes peregrini, qui Romæ adversabantur, Italicis exceptis, Urbe pulsi sunt, quia non idoneos judicabat, qui cum Romanis habitarent. Dio XXXVII. p. 33. E. Est autem hic Papius ille, de quo Cicer. de Offic. III. 11. *Male, qui peregrinos urbibus prohibent, eosque exterminant,*

ut

ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper. Et de ejus lege pro Arch. c. 5. *Quid quod non modo post civitatem datam, sed etiam post legem Papiam multi in earum civitatum tabulas irrepserunt?* Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 1. August. de Leg. in Junia Petronia, & Papia Poppæa. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 224. A. Pigh. Annal. Rom. III. p. 317. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Papia Poppæa de præmiis liberos habentium lata est à M. Papia Mutilo, & Q. Poppæo Secundo coss. ann. 761. Dio LVI. p. 578. E. V. illum supr. in *Consul suffectus*. Isidor. V. 15. *Sub Octavio Cæsare suffecti coss. Papius, & Poppæus legem tulerunt, quæ à nominibus illorum Papia & Poppæa vocatur*. Ejus capita verbosiùs denarrant *Lips. in Tacit. Annal. III. Excurs. C. Hotman. Ant. Rom. I. 1. p. 224. B. Pigh. Annal. Rom. III. p. 538. Jun. in Tertull. Apolog. c. 4. August. de Leg. in Papia Poppæa. Torrent. Comment. ad leg. Juliam & Papiam de matrim. ordin. Rosin. Antiq. Rom.* VIII, 16. Eadem est, si materiam spectes, quæ Julia de maritandis ordinibus, sed tempore diversa. V. supr. in *Lex Julia*. Valuerunt ad Severi Imperatoris ævum, qui non abrogavit quidem, sed imminuit: maximè ex parte, quæ fuit de gignendis liberis. Tertull. Apolog. c. 4. *Nonne & vanissimas Papias leges, quæ ante liberos suscipi cogunt, quam Juliæ matrimonium contrahi, post tantæ auctoritatis senectutem, heri Severus constantissimus Principum exclusit?* Lips. & Jun. l. l. Illarum pœnas sustulit Constantinus. V. supr. in *Cœlibatus*.

Lex Papia Poppæa de ritu capiundæ virginis Vestalis describitur à Gell. I. 12. V. illum infr. in *Vestales*. Manut. de Leg. c. 2. Hotman. Ant. Rom. 1. 1. p. 224. A. Pigh. Annal. Rom. II. p. 51. Rosin. Ant. Rom. VIII. 1.

Lex Papiria de assibus lata est à C. Papirio Carbone tribuno plebis L. Cornelio Scipione, C. Lælio Nepote coss. an. 563. ut asses, qui unciales erant, semunciales fierent. Plin. XXXIII. 3. *Mox lege Papiria asses semunciales facti*. August. de Leg. in Papiria. Manut. de Leg. c. 17. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 223. G. Rosin. Ant. Rom. VIII. 20.

Lex Papiria de civitate lata est à L. Papirio prætore an. 421. Cornelio Cosso Arvina II. Cn. Domitio Calvino coss. Liv. VIII. 17. *Romani facti Acerrani lege ab L. Papirio prætore lata, qua civitas sine suffragio data*. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 223. E. Pigh. Annal. Roman. I. p. 332. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Papiria de consecratione lata est à Q. Papirio tribuno plebis. Quo verò tempore lata sit, ignoro. Eam tamen *veterem* appellat Cicero mox laudandus. Vetabat injussu plebis ædes, terram, aram consecrare. Hanc de ædibus sacris, de agris ab hostibus captis, non de privatis ædibus atque agris ut intelligatur, interpretatur Cicer. pro Dom. c. 49. *Video esse legem veterem tribunitiam, quæ vetat, injussu plebis ædes, terram, aram consecrare. Neque tum hoc ille Q. Papirius, qui hanc legem rogavit, sensit, neque suspicatus est, fore periculum, ne domicilia, aut possessiones indemnatorum civium consecrarentur: neque enim id fieri fas erat, neque quisquam fecerat, neque erat causa, cur prohibendo non tam deterrere videretur, quàm admonere. Sed quia consecrabantur ædes, non privatorum domicilia, sed quæ sacra nominantur: consecrabantur agri, non ita ut nostra prædia, si quis vellet, sed ut Imperator agros de hostibus captos consecraret: statuebantur aræ, quæ religionem afferrent, ipsa si loca essent consecrata: hæc nisi plebs jussisset, fieri vetuit*. August. de Leg. in Papiria. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 223. G. Pigh. Annal. Rom. I. p. 378. Rosin. Ant. Rom. VIII. 1. Manut. de Leg. c. 2. Gutber. de vet. jur. Pont. II. 6. Struv. Ant. Rom. c. 4. p. 221.

Lex Papiria de multarum æstimatione lata est à L. Papirio Crasso, & L. Julio Coss. Liv. IV. 30. *Consules fiunt L. Papirius Crassus, L. Julius. Legem de multarum æstimatione pergratam populo, quum ab tribunis parari consules unius ex collegio proditione excepissent, ipsi præoccupaverunt ferre*. August. de Leg. in Papiria. Hotman. Ant. Rom. 1. 1. p. 223. E. V. & infr. in *Lex Tarpeja Æternia*.

Lex Papiria de sacramento lata est à L. Papirio tribuno plebis, ne quis alteri temerè negotium faceret. Festus. V. illum infr. in *Sacramentum*. Manut. de Leg. c. 18. August. de Leg. in Papiria. Ursin. Not. ad leg. & Scta ad Papiriam. Hotman. Ant. Rom. 1. 1. p. 223. F.

Lex Papiria tabellaria de legibus lata est à C. Papirio Carbone tribuno plebis an. 621. P. Popillio Lænate, P. Rupilio Coss. ut in jubendis legibus, aut vetandis, populus tabella suffragium ferret. Cicer. de Leg. III. 16. *Sunt quatuor leges tabellariæ, quarum tertia est Carbonis de jubendis legibus, ac vetandis, seditiosi, atque improbi civis: cui ne reditus quidem ad bonos, salutem à nobis potuit afferre*. August. de Leg. c. 13. & in Papiria. Manut. de Leg. c. 9. Pollet. For. Rom. V. 8. Hotman. Ant. Rom. 1. 1. p. 223. E. Pigh. Annal. Rom. III. p. 15. Rosin. Ant. Rom. VIII. 3.

Lex Papiria de tribunis plebis lata est à C. Papirio Carbone tribuno plebis an. 623. M. Perperna, C. Claudio Pulcro coss. ut eundem tribunum plebis, quoties quidem vellet, creari liceret. Liv. Epit. 59. *Quum Carbo tribunus plebis rogationem tulisset, ut eundem tribunum plebis, quoties vellet, creare liceret; rogationem ejus P. Africanus gravissima oratione dissuasit, in qua dixit, T. Gracchum jure cæsum videri. Gracchus contra suasit rogationem: sed Scipio tenuit*. August. de Leg. in Papiria. Pigh. Annal. Rom. III. p. 15. Rosin. Ant. Rom. VIII. 6.

Lex Pedia de Cæsaris interfectoribus lata est à Q. Pedio cos. & Cæsaris Octaviani collega. Paterc. II. 69. 5. *Et lege Pedia, quam cos. Pedius collega Cæsaris tulerat, omnibus qui Cæsarem patrem interfecerant, aqua ignique damnatis interdictum erat*. Et eisdem coss. lege curiata à populo in adoptione confirmatum Octavium ait Appian. Bell. civil. III. p. 586. *Post sacra peracta rursum seipsum in patris familiam ac nomen inseruit curiatis comitiis, hoc est, per plebiscitum*. August. de Leg. in Pedia. Hotman. Antiq. Rom. 1. 1. p. 224. G. Rosin. Ant. Rom. VIII. 27. Pitisc. in Svet. Neron. c. 3. n. 2.

Lex Peducæa de incestu lata est à Sext. Peducæo tribuno plebis an. 640. Q. Cæcilio Metello, Cn. Papirio Carbone coss. Ejus meminit Cicer. de Nat. deor. III. 30. *Repete posteriora, de incestu rogatione Peducæa*. Hotman. Ant. Rom. 1. 1. p. 225. A. Pigh. Annal. Rom. III. p. 110.

Lex Pennia de peregrinis. V. illam infr. in *Lex Petronia*.

Lex Pesolonia de quadrupedis pauperie. De illa apud Paull. Sent. I. scriptum est. *Si quadrupes pauperiem fecerit, damnumve dederit, quidve depasta sit, in dominum actio datur, ut aut damni æstimationem subeat, aut quadrupedem dedat; quod etiam lege Pesolonia de cane cavetur*. Hotman. Antiq. Rom. 1. 1. p. 225. B.

Lex Petillia de ambitu lata est à C. Petillio tribuno plebis C. Fabio, C. Plautio coss. Liv. VII. 15. *De ambitu ab C. Petillio tribuno plebis, auctoribus patribus, tum primum ad populum latum est: eaque rogatione novorum maximè hominum ambitionem, qui nundinas, & conciliabula obire soliti erant, compressam credebant*. August. de Leg. in Petillia. Ursin. de Fam. Rom. in Gens Petillia. Manut. de Leg. c. 28. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 5. Pigh. Annal. Roman. I. p. 282.

Lex Petillia de nexis lata est è C. Petillio cos. cum L. Papirio Mugillano. Liv. VIII. 28. V. illum infr. in *Nexus*. August. de Leg. in Petillia. Manut. de Leg. c. 16.

Lex Petillia de peculatu lata est à Q. Petillio tribuno plebis an. 566. M. Æmilio Lepido, C. Flaminio Nepote coss. Liv. XXXVIII. 54. *M. Porcio Catone auctore existimantur Petillii & vivo Africano rem ingressi, & mortuo rogationem promulgasse. Fuit autem rogatio talis: velitis, jubeatis, quæratur, quæ pecunia capta, ablata, coacta ab Rege Antiocho est, quique sub ejus imperio fuerunt: quod ejus in publicum relatum non est, uti de ea re Ser. Sulpitius prætor urbanus ad senatum referat?* Ursin. de Fam. Rom. in Gens Petillia. Hotman. Antiq. Rom. 1. 1. p. 225. C. Pigh. Annal. Rom. II. p. 299.

Lex Petreja de seditiosis decimandis est lata à M. Petrejo tribuno plebis an. 668. nisi fallor. Ejus meminit Appian. Bell. civ. II. p. 457. *Tractabo vos lege Petreja, & nonam legionem decimabo, quandoquidem inde ortum*

est seditionis initium. Pigh. Annal. Rom. III. p. 243.

Lex Petronia de peregrinis tulit, ut peregrini Urbe Roma expellerentur. Cicero. Vallum supr. in *Lex Papia de peregrinis*. Hanc, opinor, in Respublicas significat Festus, ubi nunc *P. Ennii* de peregrinis corruptè, meo judicio, legitur. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 225. *D.* Sed apud Festum legendum *de lege Penni de peregrinis*. Fuit is M. Junius Pennus, de quo Cicer. de Clar. Orat. c. 28. *Tuus etiam gentilis, Brute, M. Pennus facilè agitavit in tribunatu C. Gracchum*. Et ille tribunus plebis an. 627. tulit *legem*, qua peregrinos urbibus uti prohibuit. Et ita Cicero l. l. *Dacer. ad Festum.*

Lex Petronia de servis est lata à Petronio Turpilliano consule cum Cæsonio Pæto an. 813. ne dominis potestas esset ad bestias depugnandas suo arbitratu servos suos tradere. Modestin. L. 11. ff. ad leg. Cornel. de sicar. *Post legem Petroniam, & SCta ad eam legem pertinentia, dominis potestas ablata est ad bestias depugnandas suo arbitrio servos tradere*, Hotman. Antiq. Rom. 1. 1. p. 225. C.

Lex Pinaria annalis lata est à M. Pinario Rusca tribuno plebis an. 622. Hoc demonstrat Cicer. de Orat. II. 65. Sed qualis hæc fuerit, quidve jusserit, ex ejus verbis colligere non est, quæ hæc ferè sunt: *Ut olim Rusca, cum legem ferret annalem. Dissuasor M. Servilius: dic mihi, inquit, M. Pinari, num si contra te dixero, mihi male dicturus es: ut cæteris fecisti? ut sementem feceris, ita metes, inquit*. Aliud de *lege* Pinaria nihil hactenus apud auctores me legisse memini. At non sine magna contentione latam, verba Ciceronis ostendunt. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 16.

Lex Pinaria Furia est lata à L. Pinario & Furio consulibus. Macrob. Sat. 1. 13. *Sed hoc arguit Varro, scribendo, antiquissimam legem fuisse incisam in columna ærea, à L. Pinario & Furio consulibus, cui mentio intercalaris adscribitur*. Hotman. Ant. Rom. 1. 1. p. 225. E.

Lex Plautia, sive Plotia, nam ita variabant veteres, ut in Claudia, & Clodia, aurata, & orata, aula, & olla, plaustro, & plostro, de judiciis lata est à M. Plautio Silano tribuno plebis. Cicer. pro Corn. apud Ascon. p. 140. *Memoria teneo, cum primum senatores cum equitibus Romanis lege Plotia judicarent, hominem dis, ac nobilitati perinvisum, Cn. Pompejum causam lege Varia de majestate dixisse*. Ubi Asconius: *M. Plautius Silanus tribunus plebis Cn. Pompejo Strabone, L. Porcio Catone coss. secundo anno belli Italici, cum equester ordo in judiciis dominaretur, legem tulit adjuvantibus nobilibus, qua lex vim eam habuit, quam Cicero significat: nam ex ea lege tribus singulæ ex suo numero quinos denos suffragio creabant, qui eo anno judicarent. Ex eo factum est, ut senatores quoque in eo numero essent, & quidam etiam ex ipsa plebe*. Tribus autem 35. fuerunt, unde judicum numerus 525. fuit. *August. de Leg. in Plautia. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* II. 18. *Zamosc. de Sen. Rom.* 1. 15. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 228. *Manut. de Leg. c.* 15. *Prevot. de Magistrat. Roman. c.* 7. *Hotman. Antiq. Rom.* 1. 1. *p.* 225. *F. Ouzel. in Gell.* XIII. 3. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 21.

Lex Plautia de vi lata est à P. Plautio tribuno plebis ann. 675. Q. Lutatio Catulo, M. Æmilio Lepido coss. Cum enim mortuo eo anno Sulla Lepidus Marianarum partium assertor cum Catulo Sullano de actis Sullæ contendere cœpisset, ingens concitata est seditio: victorque pulso Urbe, & in Sardinia interfecto Lepido, Catulus hanc *legem* tulit una cum P. Platio, unde etiam nomen accepit, ut dicit Cicer. pro Cœl. c. 29. *De vi quæritis, quam legem Q. Catulus armata dissensione civium Reipublicæ pene extremis temporibus tulit*. De illa Julian. l. non solum §. si dominus ff. de usucap. *Si dominus fundi homines armatos venientes existimaverit, atque ita profugerit, quamvis nemo eorum fundum ingressus fuerit, vi dejectus videtur. Sed nihilominus ea prædium etiam antequam in potestatem domini redeat, à bona fidei possessore usucapitur. Quia lex Plautia, & Julia ea demum vetuit longa possessione capi, quæ vi possessa fuissent; non etiam ex quibus vi quis dejectus fuisset*. August. de Leg. in Plautia. Manut. de Leg. c. 23. Sigon. de Judic. II. 33. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 226. A. Rosin. Ant. Rom. VIII. 27.

Lex Plautia Papiria de civitate, quod ego sciam, à nemine nominatur; mihi tamen ea, quam nominat Cicer. pro Arch. c. 4. dum ait: *Data civitas Silvani lege, & Carbonis*, Plautia Papiria videtur fuisse, lata à duobus ejusdem anni tribunis plebis M. Plautio Silvano, & C. Papirio Carbone, C. Carbonis eloquentissimi viri filio, sexennio postquam Crassus, & Scævola suam *legem* tulerant. Silvanum Cn. Pompejo Strabone, & L. Porcio Catone coss. tribunatum gessisse docet Asconius. Carbonem eodem anno tribunum plebis fuisse ex eo suspicari licet, quod enim post M. Livii mortem, qui Philippo, & Cæsare coss. est interfectus, tribunatum administrasse significat Cicer. Orat. c. 63. his verbis: *Me stante C. Carbo C. F. tribunus plebis in concione: ò M. Druse, patrem appello: tu dicere solebas sacram esse Rempublicam, quicunque eam violassent, ab omnibus ei pœnas esse persolutas: patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit*. Præterea cum à duobus ejusdem anni coss. non esse latam satis liqueat, quia Silvanus & Carbo collegæ in consulatu nunquam fuerunt: necesse est à duobus tribunis latam existimare: quod si à tribunis plebis, sequitur, ut ab iis duobus potius, quos nominavi, quàm ab aliis: ut tamen de secundo Carbonis tribunatu intelligamus. Ejus legis hæc sententia fuit, ut adscriptis in fœderatas civitates civitas daretur, ita, ut si tum, cum *lex* ferebatur, in Italia domicilium haberent, & si sexaginta diebus apud prætorem essent professi. *Manut. de Leg. c.* 17. *Spanhem. ad Constit. Anton. Imperator. Exercit.* 1. §. 13. *Hotman. Antiq. Rom.* 1. 1. *p.* 226. *B.*

Lex Plætoria de lictoribus prætoris urbani lata est à M. Plætorio tribuno plebis. Censor. de Die nat. c. 24. *Sed postea M. Plætorius tribunus plebis scitum tulit, in quo scriptum est: prætor urbanus, qui nunc est, quique posthac fuat, duos lictores apud se habeto: isque usque ad supremum jus inter cives dicito*. Varro tamen v. 2. *Suprema summum diei, id à supremo: hoc tempus* XII. *tab. dicunt occasum esse solis. Sed postea lex Plætoria id quoque tempus jubet esse supremum, quo prætor in comitio supremum pronuntiavit populo*. Manut. de Leg. c. 7. Hotman. Ant. Rom. 1. 1. p. 226. C.

Lex Poblicia sumptuaria est lata à C. Poblicio Bibulo ædile ann. 774. Ille cum collegis de sumptuariis legibus in usum revocandis patres consuluit: graviter invectus adversus profusos sumptus, & luxum civitatis. Tacit. Annal. III. 52. 3. *Nam, incipiente C. Bibulo, cæteri quoque ædiles disseruerant, sperni sumptuariam legem, vetitaque utensilium pretia augeri in dies: nec mediocribus remediis sisti posse*. Pigh. Annal. Rom. III. p. 553.

Lex Pœtelia de ambitu est lata à C. Pœtelio tribuno plebis C. Fabio, C. Plautio consulibus an. 395. Ut ne ambiendi magistratus causa nundinas, & conciliabula obire liceret. Liv. VII. 15. *De ambitu ab C. Pœtelio, tribuno plebis, auctoribus patribus, tum primum ad populum latum est: eaque rogatione novorum maximè hominum ambitionem, qui nundinas, & conciliabula obire soliti erant, compressam credebant*. Hotman. Ant. Rom. 1. 1. p. 226. E.

Lex Pœtilia Papiria de nexu est lata à C. Pœtilio, L. Papirio consulibus an. 427. De illa Liv. VIII. 28. *Jussique consules ferre ad populum, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus, aut nervo teneretur. Pecuniæ creditæ, bona debitoris, non corpus obnoxium esset*. Ubi tamen videndum, ne *pro meruisset, nocuisset* sit legendum. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 226. *F. Pigh. Annal. Rom.* 1. *p.* 340.

Lex Pompeja de ambitu lata est à Cn. Pompejo Magno an. 701. Ascon. in Cicer. p. 186. *Pompejus ab Interrege Ser. Sulpicio v. Kal. Mart. mense intercalario consul creatus est, statimque consulatum iniit. Deinde post diem tertium de legibus novis ferendis retulit: duas ex SCto promulgavit. Alteram de vi, alteram de ambitu*. De ambitu tulit *pœna graviore, & forma judiciorum breviore. Utraque enim lex prius testes dari per triduum, deinde uno die atque eodem, & ab accusatore, & à reo perorari jubebat, ita ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur*. De illa Cicer. in Brut. c. 94. *Lege Pompeja ternis horis ad dicendum datis, ad causas simillimas inter se, vel potius easdem, novi veniebamus quotidie*. De Fin. IV. 1.

Ain'

Ain'tandem, cum ego te in hac nova lege videam eodem die accusatori respondere, & tribus horis perorare, in hac me causa tempus dilaturum putas? Novam legem appellat, quæ eam judiciorum formam constituerat. *August. de Leg. in Pompeja. Manut. de Leg. c.* 15. & 29. *Prevot. de Magistrat. Roman. c.* 5. *Pigh. Annal. Roman.* 11. *p.* 410. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 29.

Lex Pompeja de civitate lata est à Cn. Pompejo Strabone consule cum M. Crasso iterum an. 698. ni mea me conjectura decipit. Huic enim placuit, cum L. Julius Cæsar *lege* sua Italicis omnibus in fidem redeuntibus subvenisset, se quoque à Gallis, qui in tanto tumultu quieti fuerant, gratiam inire. Itaque, quod verisimile videtur, *legem*, collega Catone jam extincto, tulit, qua Liguribus, & Cispadanis, & Venetis civitatem, Transpadanis Latinitatem communicavit. Hujus vestigia extant apud Plin. III. 20. *Non sunt adjecta*, inquit ille, *Cottiana civitates duodecim, quæ non fuerunt hostiles: item attributa municipiis lege Pompeja.* Testis quoque est Alba Ligurum oppidum, quæ ab hoc Pompejo Pompeja est appellata. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* III. 2. *Manut. de Leg. c.* 11.

Lex Pompeja de comitiis lata est à Cn. Pompejo Magno an. 701. ne cujus absentis in magistratuum comitiis ratio haberetur, uno Cæsare excepto. Dio XL. p. 146. E. Appian. de Bell. civ. II. p. 442. *Pompejus legem de comitiis, quæ magistratum aliquem ambientes ad ipsa omnino comitia præsto esse, neque ullius absentis rationem haberi jubebat. Cæsaris autem, cujus amici legem indignissime ferebant, absenti quoque consulatus petendi potestatem eodem decreto concedere Pompejum non puduit.* Svet. Jul. c. 28. n. 2. *Acciderat, ut Pompejus legem de jure magistratuum ferens, eo capite, quo à petitione honorum absentes submovebat, ne Cæsarem quidem exciperet per oblivionem: ac mox lege jam in æs incisa, & in ærarium condita, corrigeret errorem.* August. de Leg. in Pompeja. Manut. de Leg. c. 7. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 228. B. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5. Pitisc. in Svetonium.

Lex Pompeja de judicibus lata est à Cn. Pompejo Magno, *ut ex amplissimo censu aliter atque lecti judices, æque tamen ex illis tribus ordinibus judicarent.* Ascon. in Cicer. p. 187. De qua meminit Cicer. in Pison. *Idem*, Pompejus Magnus, *in tertio consulatu legem judiciariam acrem, & vehementem tulit: in qua nihil de ordinibus eorum, qui tum judicabant, mutavit. Sed ipsam judiciorum formam circumcidit.* Jubebat enim lex, teste Ascon. in Cicer. p. 191. *ut priusquam causa ageretur, testes per triduum audirentur, quarta die adesse omnes in diem posterum juberentur, ne coram accusatore ac reo pilæ, in quibus nomina judicum inscripta essent, æquarentur: dein rursus postera die sortitio judicum fieret unius & octoginta: qui numerus cum sorte obtigisset, ipsi protinus sessum irent: tum ad dicendum accusator duas horas, reus tres haberet, reusque eodem die illo judicaretur: prius autem quam sententiæ ferrentur, quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus rejiceret, ita ut numerus judicum relinqueretur, qui sententias ferrent, quinquaginta & unus.* Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 227. A. F.

Lex Pompeja de parricidis lata est à Cn. Pompejo Magno cos. an. 698. cum M. Crasso II. Parricidii pœnam V. infr. in *Parricidium*. Hæc eadem pœna Pompeji hac lege huic delicto est imposita. *August. de Leg. in Pompeja. Manut. de Leg. c.* 27. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 25. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 227. B. *Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 386.

Lex Pompeja de vi lata est à Cn. Pompejo Magno III. cos. an. 701. Hac, ut scribit Ascon. in Cicer. p. 187. *nominatim cædem in Appia viæ factam, & incendium curiæ, & domum M. Lepidi Interregis oppugnatam comprehendit.* Fuerant autem hæc illis diebus patrata, Clodio in Appia occiso, cujus corpus in curia combustum fuit, quo incendio & ipsa curia flagravit. *August. de Leg. in Pompeja. Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 410. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 27.

Lex Popilia, vel Pompilia, de qua Gell. I. 12. his verbis: *Nam si quis honesto loco natus adeat pontificem maximum, atque offerat ad sacerdotium filiam suam, cujus duntaxat salvis religionum observationibus ratio haberi possit, gratia Popiliæ legis per senatum fit*, incertum est, an eadem sit, quæ Pappia Poppæa, qua virgines Vestales sortito eligebantur: an, quod magis arbitror, Numæ Pompilii Regis, qui *virgines Vestæ legit, Albæ oriundum sacerdotium, & genti conditoris haud alienum*, ut scribit Liv. I. 20. *August. de Leg. in Popilia. Rovard. Conject.* III. 20. *Hotman. Antiq. Rom.* I. I. *p.* 228. *A. Pigh. Annal. Rom.* II. *p.* 51.

Lex Porcia de civibus, sive de provocatione lata est non à M. Porcio Catone, sed à Porcio Læca tribuno plebis ann. 454. Docet hoc nummus argenteus; cujus ab altera parte scriptum est: PROVOCO, ab altera P. PORCIUS LÆCA. Liv. X. 9. *Porcia lex sola pro tergo civium lata videtur: quod gravi pœna, si quis verberasset, necassetve civem Romanum, sanxit.* Cicer. pro Rabir. perduell. reo c. 3. *An de civibus Romanis contra legem Porciam verberatis, aut necatis plura dicenda sunt?* c. 4. *Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit, hic misericors flagella retulit. Porcia lex libertatem civium lictori eripuit, Labienus homo popularis carnifici tradidit.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 6. August. de Leg. in Porcia. Guther. de vet. jur. pont. II. 10. Turneb. in Cicer. Orat. pro Rabir. p. 18. Prevo. de Magistr. Roman. c. 1. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 228. E. II. 16: V. p. 754. Pigh. Annal. Rom. I. p. 383. II. p. 255. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 88 F. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2. Non ut in Urbe cives Romanos à magistratuum virgis, & securibus, sic etiam in castris vindicavit. Aliam enim disciplinam militarem esse voluerunt, aliam urbanam; itemque aliam ad pariendum terrorem exercitui, aliam populo esse propositam: siquidem ab Imperatoris imperio nulla erat provocatio. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 15.

Lex Postumia de vino lata est à Numa Pompilio. V. illam supr. in *Lex Numæ de vino*.

Lex Publilia de lusu. V. illam supr. in *Cornelia de lusu*.

Lex Publilia de legibus, & censoribus lata est à Q. Publilio Philone consule an. 414. quem dictatorem dixit ejus collega T. Æmilius Mamercinus. Liv. VIII. 12. *Dictatura popularis fuit, quod tres leges secundissimas plebi, adversas nobilitati tulit: unam, ut plebiscita omnes Quirites tenerent: alteram, ut legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent: tertiam, ut alter utique ex plebe, quum eo ventum sit, ut utrumque plebejum cos. fieri liceret, censor crearetur.* August. de Leg. in Publilia. Manut. de Leg. c. 5. & 29. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 229. A. Pigh. Annal. Rom. I. p. 164. & 409. Rosin. Ant. Roman. VIII. 5.

Lex Publilia de plebejis magistratibus lata est à Voletone Publilio Philone tribuno plebis, Claudio & Quinctio consulibus an. 281. ut plebeji magistratus, qui antea curiatis comitiis fiebant, deinceps remotis patribus tributis comitiis crearentur. Liv. II. 56. Dionys. IX. p. 600. Apud quem tamen p. 596. Πόπλιος Βολέρων legitur pro Ποπλίλιος. Nam Volero prænomen, Publilius nomen fuit. Ut non Voletonia, sed Publilia *lex* dicenda sit. In quo plerique decepti sunt. *Hotman. Antiq. Roman.* I. I. *p.* 228. *F. Pigh. Annal. Rom.* I. *p.* 115.

Lex Pupia diebus comitialibus senatum haberi prohibebat. De ea Cicer. Fam. I. 4. *Senatus haberi ante Kalendas Februarias per legem Pupiam, id quod scis, non potest.* Fratr. II. 12. *Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum.* August. de Leg. in Pupia. Manut. de Senat. Rom. c. 5. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 229. B. Pigh. Annal. Rom. II. p. 122. Zamosc. de Senat. Roman. II. 7. Rosin. Ant. Rom. VIII. 4.

Lex quina vicenaria. V. illam supr. in *Lex Lætoria*.

Lex Regia de imperio lata, Principi omne imperium, & potestatem conferebat. Ulpian. l. I. ff. de Constit. Princip. *Quod Principi placuit, legis habet vigorem; utpote cum lege Regia, quæ de imperio ejus lata est, populus ei, & in eum omne suum imperium, & potestatem conferat.* Pars *legis* in tabula ænea in basilica Lateranensi sic incisa legitur, quæ in Vespasiani gratiam à S.P.Q.R. lata, vel potiùs renovata est. Ejus verba sunt hæc: *Fœdusve cum quibus volet*

volet facere liceat, ita uti licuit divo Augusto Ti. Julio Cæsari Augusto Tiberioque Claudio Cæsari Aug. Germanico. Utique ei senatum habere, relationem facere, remittere senatusconsulta, per relationem discessionemque facere liceat, ita uti licuit divo Aug. Ti. Julio Cæsari Aug. Ti. Claudio Cæsari Aug. Germanico. Utique cum ex voluntate, auctoritateve, jussu, mandatuve ejus præsenteve eo senatus habebitur, omnium rerum jus perinde habeatur, servetur, ac si è lege senatus edictus esset, habereturque. Utique quos magistratum, potestatem, imperium, curationemve cujus rei petentes senatui, populoque Romano commendaverit, quibusve suffragationem suam dederit, promiserit, eorum comitiis quibusque extra ordinem ratio habeatur. Utique ei fines pomœrii proferre, promovere, cum ex Republica censebit esse liceat, ita uti licuit Ti. Claudio Cæsari Aug. Germanico. Utique quæcumque ex usu Reipublicæ majestate divinarum, humanarum, publicarum, privatarumve rerum esse censebit, ei agere, facere jus, potestasque sit, ita uti divo Aug. Tiberioque Julio Cæsari Aug. Tiberioque Claudio Cæsari Aug. Germanico fuit. Utique quibus legibus, plebeive scitis scriptum fuit, ne divus Aug. Tiberiusve Julius Cæsar Aug. Tiberiusve Claudius Cæsar Aug. Germanicus tenerentur, iis legibus, plebisque scitis Imperator Cæsar Vespasianus solutus sit, quæque ex quaque lege, rogatione divum Aug. Tiberiumve Julium Cæsarem Aug. Tiberiumve Claudium Cæsarem Aug. Germanicum facere oportuit, ea omnia Imperatori Cæsari Vespasiano Aug. facere liceat. Utique quæ ante hanc legem rogatam acta, gesta, decreta, imperata ab Imperatore Cæsare Vespasiano Aug. jussu, mandatuve ejus à quoque sunt, ea perinde justa, rataque sint, ac si populi, plebisve jussu acta essent. Sanctio: Si quis hujusce legis ergo adversus leges, rogationes, plebisve scita, senatusve consulta fecit, fecerit: sive quod eum ex lege, rogationeve, plebisve scito, s. ve. c. facere oportebit, non fecerit: hujus legis ergo, id ei ne fraudi esto, neve quid ob eam rem populo dare debeto, neve cui de ea re actio, neve judicatio esto, neve quis de ea re apud se agi sinito. August. de Leg. c. 18. & in Regia. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 31. Ursin. ad legem Regiam. Manut. de Leg. c. 2. Hotman. Antiq. Rom. I. 1. p. 229. C. Pigh. Annal. Rom. I. p. 17. Rosin. Ant. Rom. VIII. 22.

Lex Regia de mortuo inferendo. V. illam inf. in *Mulier*. Hanc superioris partem fuisse, ridiculum est dicere: tametsi ejus auctorem nominare difficile est, cum satis constet Regis verbum cognomen fuisse, non nomen: leges autem ex nominibus appellationem sumpsisse. Existimarem igitur Romuli, aut Numæ Pompilii legis alicujus, de qua Marcellus antea disputarat, partem hanc fuisse: cum præsertim ad sacra hæc lex pertineat, de quibus quæ leges à Numa constitutæ fuerant, semper observatæ sunt. Clem. Alex. Strom. II. p. 400. D. *Romani, si qua mulier prægnans damnata fuerit capitis, non prius permittunt, ut supplicium subeat, quàm pepererit.* Idem apud Græcos. Ælian. Var. Hist. V. 18. *Senatores Areopagi, quum veneficam quandam prehendissent, & eam morti tradere vellent, non prius ipsam interemerunt, quàm partum edidisset. Nam quum prehenderetur, prægnans erat. Innoxium itaque infantem absolventes à damnatione, eam, quæ culpam admiserat, solam morte mulctarunt.* Hotman. Antiq. Roman. I. 5. p. 230. E.

Lex de religione sacerdotes militiæ vacationem, præterquam Gallico bello, habere jussit: non quod iis bello prorsus interdiceret; sed hoc tribuit, ut, si minus ire ad militiam vellent, cogi ne possent. Nam sponte multos augures, multos pontifices ad bellum exisse historiæ narrant. Qui tamen extra Italiam primus pontifex maximus P. Licinius Crassus Mucianus contra Aristonicum, qui Asiam occupaverat, profectus est, is in prælio interfectus neglectæ religionis pœnas dedit. Hanc significat Plutarch. in Fab. Max. p. 189. A. *Crassum sacrorum cura, quod esset pontifex maximus, in Italia retinuit.* Manut. de Leg. c. 2.

Lex Remmia de calumniatoribus dicenda est, non Memmia, ut contendit Pigh. Annal. Rom. II. p. 485. Et ita legendum apud Cicer. pro Sext. Rosc. c. 19. *Ita tamen quæstus te cupidum esse oportebat, ut horum existimationem & legem Remmiam putares aliquid valere oportere.* De illa Marcian. ad SCtum Turpilianum, & Papin. l. quæsitum §. de testibus supr. in *Calumnia*. Hac lege calumniatori in fronte imprimebatur litera, qua indicabatur calumniatum esse eum. V. Cicer. supr. in *Calumnia*. August. de Leg. in Remmia. Manut. de Leg. c. 30. Stephan. de Jurisdict. vet. Græc. c. 12. Rosi. Ant. Rom. VIII. 22.

Lex Rhodia de jactu mercium est cognominata ab insula Rhodo. Isidor. sv. 17. *Rhodiæ leges navalium commerciorum sunt ab insula Rhodo cognominatæ, in qua mercatorum antiquitus fuit usus.* Mari præesse jussit Imperator Antoninus. Volus. Mæcian. §. deprecatio, ff. de Leg. Rhod. *Respondit Antoninus Eudæmoni: Ego quidem mundi dominus; lex autem maris: lege id Rhodia, quæ de rebus nauticis præscripta est, judicetur: quatenus nulla nostrarum legum adversatur. Hoc idem quoque divus Augustus judicavit.* August. de Leg. in Rhodia. *Hotman. Ant. Rom. I. 5. p. 231. A.*

Lex Romilia de adulterio lata est à Romulo. Illa adulterium capitale fuit: sic inquam capitale, ut pœna mors esset. Tulit eam Romulus his verbis: *Adulterii convictam vir, & cognati, uti volent, necanto.* Manut. de Leg. c. 29.

Lex Romilia de auspiciis est lata à Romulo. Hac sanxit, & semper servavit, ne quid publicè, nisi inaugurato fieret: vidit enim reliquas *leges*, quas ferre de rebus humanis cogitabat, haud paullò plus in novo, varièque multis ex locis confluente populo habituras esse ponderis, si cum quadam erga deos pietate conjungerentur: quandoquidem id esse quasi frenum videretur ad impetus animorum reprimendos, hominesque in officio, rectaque ratione continendos. Atque hac quidem de lege ita, ut ab ea fluxisse Romani imperii magnitudinem significet, ita loquitur Cicer. de Nat. deor. III. 2. *Romulum mihi persuadeo, auspiciis constitutis jecisse fundamenta nostræ civitatis.* Manut. de Leg. c. 2. Pigh. Annal. Roman. I. p. 17.

Lex Romilia de conjugiis lata est à Romulo, ut uxor viro pecuniarum, & sacrorum omnium esset socia, eique, si sine liberis, & intestato diem obiisset, hæres esset: si filios reliquisset, æqualem cum iis partem possideret. Quæ si adversus virum delinqueret, vir ipse cum propinquis eam judicaret: & si, aut impudica fuisset, aut venefica in liberos suos, aut etiam vinum bibisset, morte mulctaret; vel, si mallet, divortium faceret, Dionys. II. p. 95. *Manut. de Leg. c. 16. Pigh. Annal. Rom. I. p. 19.*

Lex Romilia de diis peregrinis lata est à Romulo, qui illa cavit, ne deos peregrinos, præter Faunum, colerent; neve sacrificia externa colerent. Ubi enim diversa est religio, tollitur societas, & consuetudo, & ex eo facilè odia, & ex odiis seditiones existunt: & ex hoc malo civitates sæpè intereunt. *Manut. de Leg. c. 2. Pigh. Annal. Roman. I. p. 17.*

Lex Romilia de fabulosis figmentis lata est à Romulo. Hac indixit pœnam iis, qui fabulosa figmenta de diis crediclissent. Opinio enim fabularum, quibus antiquitas deos admiscere solita est, familiaritatem quandam inter homines, & deos videtur inducere: & hinc primùm manat contemptus, & in moribus licentia, deinde ad omne facinus audacia. Ideo hoc vinculum incolumitatis publicæ firmissimum futurum putavit Rex sapientissimus. *Manut. de Leg. c. 2.*

Lex Romilia de magistratibus lata est à Romulo, ut de senatu, id est, de patriciis familiis omnes magistratus crearentur. Hanc vix putaverim comitiis curiatis, ut reliquas, ab illo esse latam. Quippe quæ adversus plebis voluntatem res esset, eam rem cur ipsius plebis judicio, potestatique committeret? Sanxit igitur hoc regio jure, publicisque tabulis consignavit, & observari lege voluit. Hoc perspicuè demonstrat Dionys. II. p. 83. cum ait: *Romulum de muneribus patriciorum, & plebejorum lege sanxisse: ut patricii sacra curarent, magistratus gererent, jus dicerent.* Manut. de Leg. c. 4.

Lex Romilia de parricidio lata est à Romulo. Illa parricidam appellari voluit, quicunque hominem liberum

occi-

occidisset. *Manut. de Leg. c. 26. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 19.*

Lex Romilia de portis, & mœnibus Urbis lata est à Romulo. Illa statuit, ne quis, nisi per portas ingrederetur, egrederetur ve: mœnia sacrosancta essent. Hanc significasse videtur Cicer. de Nat. deor. III. 40. *Est mihi tecum pro aris, & focis certamen, & pro Urbis muris, quos vos, pontifices, sanctos esse dicitis.* Manut. de Leg. c. 2. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 17.

Lex Romilia de vigiliis nocturnis in templo non habendis lata est à Romulo, optimo sanè consilio. I. ne quid per noctem minus castè, minusve pudicè sacrorum specie committeretur: qua fieri plerumque contingit. II. deinde, ne qua fieri coitio, ne quid initi adversus ipsum, publicamve rem occulti consilii, ne quid insidiarum tendi posset. Ad hanc spectavit Cicer. de Leg. II. 9. ubi illa scripsit: *Nocturna mulierum sacrificia ne sunto, prater illa, qua pro populo ritè fiant.* Manut. de Leg. c. 2.

Lex Roscia theatralis lata est à L. Roscio Othone, non consule, ut Ascon. in Cicer. p. 140. scribit; sed tribuno plebis, ut Liv. Epit. 99. *L. Roscius tribunus plebis legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proxime assignarentur.* an. 686. Manio Acilio Glabrione, Cajo Calpurnio Pisone coss. Cicer. pro Mur. c. 19. *L. Otho, vir fortis, meus necessarius, equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque lex hac, qua ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque jucunditatis est restitutus.* De illa Juven. Sat. XIV. 322.

Acribus exemplis videor te cludere: misce
Ergo aliquid nostris de moribus: effice summam
Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.

Et Cicer. Phil. II. 18. laudatus supr. in *Decoctores*. August. de Leg. in Roscia. Fab. Semestr. II. 6. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 697. E. Guther. de Jur. man. III. 20. Pigh. Annal. Rom. III. p. 315. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 19. Rosin. Ant. Rom. V. 4: VIII. 1. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Roman. V. 10. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 231. B. Masson. Horat. VIT. p. 112. Ne hæc interiret, effecit Domitianus, qui eam veluti fugitivam retraxit, & novo edicto sanxit, quod miror tacuisse historicos. Mart. V. 8.

Edictum domini, deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit.

Demster. l. l.

Lex Rubrica de agris in Africa dividendis post Carthaginem captam est lata. Ejus in tabula ænea mentionem invenimus. *Manut. de Leg. c. 13. Rosin. Ant. Rom. VIII. 10. Pigh. Annal. Rom. III. p. 64.*

Lex Rupilia de judiciis sortito dandis à P. Rupilio prætore in Sicilia lata est de decem legatorum sententia. Hac *lege* inter Siculos, qui non essent ejusdem civitatis, prætor judices sortito dabat. Cicer. in Verr. II. 13. *Siculi hoc jure sunt, ut quod civis cum cive agat, domi certet suis legibus: quod Siculus cum Siculo non ejusdem civitatis, ut de eo prætor judices ex P. Rupilii decreto, quod is de decem legatorum sententia statuit, quam legem illi Rupiliam vocant, sortiatur. Quod privatus à populo petit, aut populus à privato: senatus ex aliqua civitate, qui judicet, datur, cum alternæ civitates rejecta sunt. Quod civis Romanus à Siculo petit, Siculus judex datur: quod Siculus à cive Romano, civis Romanus datur. Caterarum rerum selecti judices ex civium Romanorum conventu proponi solent.* Maurit. de Sortit. c. 28. §. 1. Sigon. de Ant. jur. prov. II. 5. August. de Leg. in Rupilia. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 231. C. qui illum consulem an. 621. legem hanc tulisse scribit.

Lex Rutilia de tribunis militum lata est à C. Rutilio Rufo, si fastos Capitolinos sequimur, an. 391. Festus. V. illum infr. in *Tribuni*. Manut. de Leg. c. 5. August. de Leg. in Rutilia. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 231 D. Rosin. Ant. Rom. VIII. 14.

Lex Sacrata in Sacro monte est lata pro plebe adversus patricios, ut magistratus sui essent plebi, iique sacrosancti, quibus auxilii latio adversus coss. esset, neve cui patrum capere eum magistratum liceret: qua *lege* tribuni plebis quinque primi creati sunt. Utrum verò unâ tantùm *lex*, an plures in Sacro monte latæ sint, non satis constat. Liv. II. 33. & Dionys. VI. p. 410. ubi rem ipsam narrant, unam nominant. Sed Livius alibi & Cicero infr. in *Plebi urbana* non semel *sacratas leges* dicunt. Quod si unam omninò *legem* velimus fuisse, & rectè tamen dictum utroque numero defendere, rationem afferemus hanc: unam dici, quod ab eodem magistratu, eodemque tempore lata sit: plures, quia pluribus partibus constet: quo modo XII. tab. & *legem*, & *leges* appellari videmus. *Manut. de Leg. c. 5. Guther. de Offic. dom. Aug. 1. 29. Panvin. de Civit. Rom. c. 68. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. 1. 6. Struv. Ant. Roman. c. 4. p. 212. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 231. F. Rosin. Ant. Rom. VIII. 14. August. de Leg. in sacrata leges.* V. etiam supr. in *Lex Junia de tribunis plebis.*

Lex sacrata militaris lata est à M. Valerio Corvino dictatore an. 411. C. Marcio, Q. Servilio coss. Liv. VII. 41. *Lex quoque sacrata militaris lata est, ne cujus militis scripti nomen, nisi ipso volente, deleretur: additumque legi, ne quis, ubi tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor esset. Id propter P. Salonium postulatum est ab conjuratis: qui alternis propè annis, & tribunus militum, & primus centurio erat.* August. de Leg. in sacratæ leges, Manut. de Leg. c. 12. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 231. E. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. 1. 15. Rosin. Ant. Rom. VIII. 14.

Lex satura *est, qua de pluribus rebus simul loquitur.* Diomed. III. p. 483. *Alii dictam putant à lege satura, qua uno rogatu multa simul comprehendat.* Lucil. 1.

Per saturam ædilem factum, qui legibus solvat.

& Sallust. Jugurth. p. 85. *Dein quasi per saturam sententiis exquisitis in deditionem accipitur.* Festus: *Satura lex est multis aliis legibus conferta. Itaque in sanctione legum adscribitur: neve per saturam abrogato, aut derogato.* Glossar. *Satura:* νόμος πολλὰ περιέχων. *August. de Leg. c. 6. & in Satura. Scalig. in Festum. Manut. de Leg. c. 42. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 232. D: II. 11. Pigh. Annal. III. p. 4. Voss. Lex. Etymol. & Instit. Poet. III. 10. 1. Gentil. Parerg. II. 28. Casaub. de Rom. Satyr. II. 4. Pius Annot. prior. c. 2. Rosin. Antiq. Roman. v. 6. Castilion. in Sallustium.* Hanc, quo major cumulus esset, *legem*, qui *legum*, quæ in Pandectis non exstant, capita studiosè collegerunt, in hoc album retulerunt, Festi credo, & Diomedis auctoritatem cum Isidor. IV. 16. secuti. Qui cum in corruptum, & glossematis contaminatum Sallustii exemplar inciderint, quid mirum, si, ut solet, fefellerint? In antiquis calamo exaratis libris, quos videre contigit, τὸ *legem* rectè abfuit. Sed *per saturam sententias exquirere* consulem interpretor, cum nullo habito delectu, vel ordine servato, sententias rogatet, quo temporis compendium quæreret. Romani itaque, quas *leges* perpetuò valere, & æternas esse volebant, in earum sanctionibus, id est, extrema parte, qua eas, qui in eas committeretur, multa irrogabatur, & sanciebatur pœna, adjicere solebant: *neve per saturam abrogato, aut derogato.* Hoc est, ne simul quis cum aliis alicujus *leges* capitibus de iis abrogandis ad populum ferret, sed separatim de ea re tantum ageret. Cum enim turbulenti, aut factiosi magistratus *legem* aliquam abrogatam vellent, *legum* quædam capita æquissima, & multitudini valdè grata proponere, interque ea de alia *leges* abroganda in erere solebant. Qua fraude circumventus populus utiles sæpè *leges* imprudens abrogabat. Hinc apud Festum T. Annius Luscus in orat. contr. Tib. Gracchum *imperium, quod plebs deaerat, id sibi per saturam abrogatum* conqueritur. Et Justinianus quoque Latinam libertatem *quasi per saturam inductam* refert Cod. c. 1. de Latinor. libert. toll. Et in veteri tabula ænea legitur: *Extra quam sei quid in saturam feretur.* Huic vitio tollendo concepta est lex Cæcilia Didia. *Schott. Observ. Philolog. I. 2. Cren. in Casaubonum.*

Lex Scantinia quæ dicitur Cicer. Fam. VIII. 12. *Postulandum me lege Scantinia curant,* Tertull. de Monog. c. 12. *Sicut ille vester Urbinensis nec Scantiniam timuit,* & Juvenali mox laudando. Scatinia verò Suet. Dom. c. 8. n. 11. *Quosdam ex utroque ordine lege Scatinia condemnavit.* & Ciceroni

infra

infra producendo, dicta est vel à C. Scatinio Aricinio. Cicer. Phil. III. 6. *Quod autem non municipium contemnit is, qui Aricinum tantoperè despicit? Hinc Voconia, hinc Scatinia leges.* Vel à C. Scatino Capitolino tribuoo plebis, cui *M. Claudius Marcellus adilis curulis diem ad populum dixit, quod filium suum de stupro appellasset.* Val Max. VI. 1. 7. Licèt enim *leges* ab iis, qui tulerunt, appellationem plerumque sumpserint; non tamen impedit, quo minus hæc ab illo, qui primus damnatus ea fuit, Græcorum exemplo vocata fuerit. Ita enim ejusdem cum Scatinia formulæ Laja dicta est à Lajo Oedipi patre, cum is Chrysippo Pelopis filio omnium primus inter homines stuprum intulisset. Lata erat in illos, qui pudicitiam vel alterius sollicitassent, vel suam prostituissent. Unde cum quidam *legem* Juliam, quæ etiam impudicitiam coercebat, dormire adulteræ dixisset, illa facetè respondet apud Juven. Sat. II. 38.

Atque ita subridens: felicia tempora, qua te
Moribus opponunt. Habeat jam Roma pudorem.
Tertius è cœlo cecidit Cato. Sed tamen unde
Hac emis, hirsuto spirant opobalsama collo
Qua tibi? ne pudeat dominum monstrare taberna.
Quod si vexantur leges, ac jura, citari
Ante omnes debet Scantinia.

Parrhas. Epist. Quæst. 23. Manut. de Leg. c. 29. August. de Leg. in Scantinia. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. II. 13. Vinet. in Auson. Epigr. 88. Hotman. Antiq. Roman. t. 1. p. 233. A. Pigh. Annal. Roman. II. p. 117. & 435. Britann. & Gangr. in Juvenalem. Beroald. Torrent. & Pitisc. in Suetonium. Rosin. Ant. Rom. VIII. 24. Gytald. de Poet. dial. II. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 548. Ejus pœnam V. infr. in *Stuprum*.

Lex Scribonia de Lusitanis lata est à L. Scribonio tribuno plebis. De illa Liv. Epit. 49. *Quum L. Scribonius tribunus plebis rogationem promulgasset, ut Lusitani, qui in fidem populo Romano dediti, à Servio Galba in Galliam venissent, in libertatem restituerentur, M. Cato acerrimè suasit. Q. Fulvius Nobilior, & sapè ab eo in senatu laceratus respondit pro Galba: ipse quoque Galba quum se damnari videret, complexus duos filios pratextatos, & filium Galli Sulpicii, cujus tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, ut rogatio antiquaretur.* Sed tribunum hunc postea Libonem appellat. *Extat oratio ejus adversus Libonem tribunum plebis, rogationemque ejus habitam de Lusitanis.* Item Cicer. in Brut. c. 23. *Cum Lusitanis à Servio Galba pratore contra interpositam, ut existimabatur, fidem interfectis, L. Libone tribuno plebis populum incitante, & rogationem in Galbam privilegii similem ferente, summa senectute M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit.* Hujus mentio fit apud Paull. l. sequitur §. ult. de usucap. *Libertatem servitutum usucapi posse verius est: quia eam usucapionem sustulit lex Scribonia, qua servitutem constituebat, non etiam eam, qua libertatem prastat sublata servitute.* August. de Leg. in Scribonia.

Lex Scribonia de servitutum usucapionibus an consularis, an verò tribunitia fuerit, nihil certi habemus. Conjecturæ locus dabitur. Existimo fuisse L. Scribonium Libonem, L. Scribonii Libonis illius filium, qui sub Augusto consulatu functus est. Hic cum Sisenna Statilio Tauro sub Tiberio consul fuit: cujus etiam meminit Dio LVII. p. 612. C. Proinde consularem hanc legem fuisse, & temporibus Tiberii primum latam existimo. *Revard. ad Leg. Scriben.* §. 1. qui integro commentariolo hanc Scribonii *legem* fusiùs explicavit.

Lex Sempronia de ære alieno est lata à M. Sempronio tribuno plebis, Cornelio, Q. Minucio consulibus an. 560. Liv. XXXV. 7. *M. Sempronius tribunus plebis ex auctoritate patrum plebem rogavit: plebsque scivit, ut cum sociis, ac nomine Latino, pecunia credita jus idem, quod cum civibus Romanis esset.* Hotman. Antiq. Rom. t. 1. p. 233. C.

Lex Sempronia agraria lata est à Ti. Sempronio Gracch. Liv. Epit. 58. *Ti. Sempronius Gracchus tribunus plebis, quum legem agrariam ferret adversus voluntatem senatus, & equestris ordinis, ne quis ex publico agro plus quàm quingenta jugera possideret, in eum furorem exarsit, ut M. Octavio collega, causam diversa partis defendenti, potestatem lege lata abrogaret: sequi & Gracchum fratrem, & Ap. Claudium socerum triumviros ad dividendum agrum crearet. Promulgavit & aliam legem agrariam, qua sibi latius agrum patefaceret, ut iidem triumviri judicarent, qua publicus ager, qua privatus esset. Deinde quum minus agri esset, quàm quod dividi posset, sine offensa etiam plebis legem se promulgaturum ostendit, ut iis, qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia qua Regis Attali fuisset, divideretur.* Cicer. pro Sext. c. 48. *Agrariam Ti. Gracchus legem ferebat: grata erat populo; fortuna constitui tenuiorum videbatur. Nitebantur contra optimates, quod ea discordiam excitari videbant; & cum locupletes possessionibus diuturnis moverentur, spoliari Rempublicam propugnatoribus arbitrabantur.* August. de Leg. in Sempronia. Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2: III. 1. Pigh. Annal. Roman. III. p. 7. Bergier. de viis milit. 1. Sect. 14. §. 7. Hotman. t. 1. p. 233. C.

Lex Sempronia agraria lata est à C. Sempronio Graccho. Liv. Epit. 60. *C. Gracchus, Tiberii frater, tribunus plebis perniciosas aliquot leges tulit: inter quas agrariam, quam & frater ejus tulerat.* Paterc. II. 2. 3. V. illum infr. in *Lex Sempronia de civitate Italis danda.* August. de Leg. in Sempronia. Sigon. de Antiq. jur. Ital. II. 2. Pigh. Annal. Rom. III. p. 52.

Lex Sempronia de capite civium Romanorum lata est à C. Sempronio Graccho tribuno plebis an. 630. ne de capite illorum injussu populi judicaretur. Plutarch. in Gracch. p. 836. D. *Duas tulit leges, alteram, ut qui magistratu per populum amotus esset, facultatem alterius magistratus ineundi non haberet: alteram, ut si quis in magistratu civem Romanum sine judicio necasset, in eum populi judicio animadverteretur. Sed à priore destitit, precibus matris pro M. Octavio intercedentis, hanc posteriorem Populi causa tulit.* Cicer. Catil. IV. 5. *At C. Casar intelligit, legem Semproniam esse de civibus Romanis constitutam: qui autem Reipublica sit hostis, eum civem esse nullo modo posse: denique ipsum latorem legis Sempronia jussu populi pœnas Reipublica dependisse.* August. de Leg. in Sempronia. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 1. Hotman. Antiq. Roman. t. 1. p. 233. A. II. 16.

Lex Sempronia de centuriis evocandis lata est à C. Sempronio Graccho an. 630. Q. Cœlio Metello Baleatico, T. Quintio Flaminio coss. Sallust. ad Cæsar. de Rep. ordin. p. 221. *Sed de magistratibus creandis haud mihi quidem absurdè placet lex, quam C. Gracchus in tribunatu promulgaverat: ut ex confusis quinque classibus sorte centuria vocarentur.* Hac regiam *legem* Tulliam abrogare voluit, quæ jubebat ea ordine census introvocare centurias; ut magistratuum creatio, legumque jussio penes optimates; atque prudentiores maneret. Gracchus autem senatui, & optimatibus adversus eum conabatur efficere, uti comitia non minùs in tenuiorum, quàm locupletum, ac optimatum essent potestate. *Pigh. Annal. Rom.* III. p. 52. *Rosin. Ant. Rom.* VIII. 3.

Lex Sempronia de civitate Italis danda lata est à Ti. Sempronio Graccho an. 620. Paterc. II. 2. 3. *Tiberius Gracchus P. Mucio Scavola, L. Calpurnio coss. abhinc annos 162. descivit à bonis; pollicitusque toti Italia civitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus, omnibus statum concupiscentibus, summa imis miscuit, & in praruptum, atque anceps periculum adduxit Rempublicam; Octavioque collega pro bono publico stanti imperium abrogavit. IIIviros agris dividendis, coloniisque deducendis creavit se, socerumque suum consularem Appium, & Gracchum fratrem admodum juvenem.* Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 1.

Lex Sempronia de coloniis deducendis est lata à C. Sempronio Graccho. Paterch. II. 15. 1. *In legibus Gracchi inter perniciosissima numeraverim, quod extra Italiam colonias posuit.* Liv. Epit. 9. *Legibus agrariis latis effecit, ut complures colonia in Italia deducerentur.* Hotman. Antiq. Rom. t. 1. p. 234. C. Pigh. Annal. Rom. III. p. 62.

Lex Sempronia de fœnore lata est à M. Sempronio tribuno plebis L. Cornelio, Q. Minucio coss. an. 560. Liv. XXXV. 7. *Instabat cura alia, quod civitas fœnore laborabat: & cum multis fœnebribus legibus constricta avaritia esset, via fraudis inita erat, ut in socios, qui non tenerentur iis legibus, nomina transcriberentur; ita libero fœnore obruebant debitores. Cujus*

jus cernendi cum ratio quæreretur, diem finiri placuit, Feralia, quæ proximè fuissent: ut qui post eam diem socii civibus Romanis credidissent pecunias, profiterentur, & ex ea die pecuniæ creditæ, quibus debitor vellet legibus, jus creditori diceretur, deinde postquàm professionibus detecta est magnitudo æris alieni per hanc fraudem contracti, M. Sempronius tribunus plebis ex auctoritate patrum plebem rogavit, plebesque scivit, ut cum sociis, ac nomine Latino pecuniæ creditæ jus idem, quod cum civibus Romanis esset. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. III. 21. Manut. de Leg. c. 16. Pigh. Annal. Rom. II. p. 173.

Lex Sempronia frumentaria lata est à C. Sempronio Graccho, M. Fulvio, M. Plautio consulibus, sive an. 628. ut semisse & triente frumentum menstruum plebi ex publico viritim daretur. Plutarch. in Gracch. p. 837. A. *Leges, quas pro commodo plebis, & ad opprimendum senatum rogavit: alia fuit frumentaria, pretium elevans annonæ.* Liv. Epit. 60. *C. Gracchus, Tiberii frater, perniciosas aliquot leges tulit: inter quas frumentariam, ut semisse & triente frumentum daretur.* Cicer. in Brut. c. 62. *Qui tantum auctoritate, dicendoque valuit, ut legem Semproniam frumentariam populi frequentis suffragiis abrogaverit.* Hinc locus Romæ constitutus, in quo frumentum publicum asservabatur unà cum *legibus* frumentariis, horrea Sempronia dicebatur. *Manut. de Leg. c. 17. Hotman. Antiq. Roman. I. I. p. 234. E. Rosin. Antiq. Roman.* VIII. 12. Hanc Q. Cæcilio Metello, & T. Quintio Flaminino, coss. sive an. 630. latam vult *Pigh Annal.* III. *p.* 52.

Lex Sempronia de hæreditate Attali, qui populum Romanum hæredem fecerat, est lata à Ti. Sempronio Graccho. Liv. Epit. 58. *Legem se promulgaturum ostendit, ut iis, qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia, quæ Regis Attali fuisset, divideretur. Hæredem autem populum Romanum reliquerat Attalus, Rex Pergami, Eumenis filius.* Plutarch. in Gracch. p. 830. E. *Tiberius ambitiosè ad populum promulgavit legem, ut pecunia advecta regia sortitis agrum civibus ad instrumentum parandum, & subsidium agri colendi præberetur. De oppidis verò, quæ regni Attali fuissent, negavit quicquam ad curam senatus pertinere, sed de iis ad concilium se populi relaturum.* Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 233. D.

Lex Sempronia judiciaria lata est à C. Sempronio Graccho an. 630. Q. Cæcilio Metello Baleatico, T. Quintio Flaminino coss. quam paucis ante annis frater ejus Tiberius ferre conatus erat, ut judicia, quæ antea penes senatorium ordinem fuerant, ad equites transferentur. Inter senatores, & equites judicia communicasse scribunt Plutarch. in Gracch. p. 837. A. *Soli judicia in potestate senatores habebant, atque ideo populo, & ordini equestri erant formidabiles. Hic verò trecentos equites Romanos trecentis admiscuit senatoribus, atque judicia hisce sexcentis communicavit.* Liv. Epit. 60. *C. Gracchus tulit legem, qua equestrem ordinem tunc cum senatu consentientem corrumperet: ut sexcenti ex equitibus in curiam sublegerentur: & quia illis temporibus trecenti tantum senatores erant, sexcenti equites trecentis senatoribus admiscerentur, id est, ut equester ordo bis tantum virium in senatu haberet.* A senatoribus ad solos equites transtulisse videntur indicare Ascon. in Cicer. p. 19. *C. Gracchus legem tulerat, ut equites Romani judicarent.* Appian. Bell. civ. I. p. 362. *C. Gracchus, continuato sibi magistratu, ut gratificaretur equitibus, judicia ob infames corruptelas ad eos à senatoriis judicibus transferre conatus est .... Ea res pudorem incussit senatui, quo minus obsisteret plebiscito de transferendis judiciis: atque ita ad equites devenerunt. Lege hac perlata ferunt Gracchi vocem exceptam, actum jam de senatus potentia. Eam minime vanam fuisse apparuit procedente tempore. Quum enim penes alium ordinem esset jurisdictio, imperium videbatur jam equitum, senatores verò in subditorum ordinem redigi.* Et Varro de vit. pop. Rom. VI. 36. ejus enim verba ad hunc Gracchum pertinere videntur: *Iniquus equestri ordini tradidit, ac bicipitem civitatem fecit, discordiarum civilium fontem.* Sigon. in Livium & de Ant. jur. civ. Rom. II. 18. Zamosc. de Senat. Rom. I. 15. August. de Leg. in Sempronia. Manut. de Leg. c. 15. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 235. E. Pigh. Annal. Roman. III. p. 59. Rosin. Ant. Roman. VIII. 21.

Lex Sempronia de judiciis lata est à Cajo Sempronio Graccho, ne quis judicio circumveniretur. Hoc postea à L. Sulla in Corneliam de veneficiis est translatum, ut Cicero in Cluentiana scribit. V. illum supr. in *Cornelia.* August. de Leg. in Sempronia. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 234. B.

Lex Sempronia de limitibus lata est à T. Sempronio Graccho tribuno plebis an. 620. P. Mucio Scævola, L. Calpurnio coss. V. Hygin. de limit. constit. supr. in *Lex Cornelia de limitibus.* Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 234. E. Rosin. Ant. Rom. VIII. 11.

Lex Sempronia de magistratibus lata est à C. Sempronio Graccho, ut cui magistratus abrogatus fuisset, ei magistratum iterum capere jus non esset. Plutarch. in Gracc. p. 836. D. V. illum supr. in *Lex Sempronia de capite civium.* Rosin. Antiq. Roman. VIII. 5.

Lex Sempronia de militibus lata est à C. Sempronio Graccho, ut vestes militibus gratuitò, & præter stipendium darentur; & ne minores annis septendecim ad militiam cogerentur. Plutarch. in Gracch. p. 837. A. *Lex militaris fuit, qua sancitum, ut vestis publicè præberentur, neque quicquam ejus nomine stipendio militum detraheretur: ac ne quis minor decem & septem annis ad nomen cogeretur respondere.* August. de Leg. in Sempronia. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 15. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 234. C. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 14.

Lex Sempronia de provinciis lata est à C. Sempronio Graccho, ut senatus quotannis ante comitia consularia designandis coss. provincias arbitratu suo decerneret, quas deinde ipsi designati inter se sortirentur: quod ante, vel post designatos consules, vel post initum consulatum facere solebant. Cicer. pro Dom. c. 9. *Tu provincias consulares, quas C. Gracchus, qui unus maximè consularis fuit, non modò non abstulit ab senatu; sed etiam, ut necesse esset quotannis constitui per senatum, decreta lege sanxit: eas lege Sempronia per senatum decretas rescidisti? extra ordinem, sine sorte, nominatim dedisti, non consulibus, sed Reipublicæ pestibus?* Quibus verbis apparet, successionem provinciarum quotannis ex hac *lege* fuisse: quod quoque in orat. pro Balb. c. 27. significat, cum scribit: *Senatus Cæsari Imperatori decem legatos decrevit, lege Sempronia succedendum non censuit.* August. de Leg. in Sempronia. Manut. de Leg. c. 10. Zamosc. de Senat. Rom. II. 19. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 234. D. Pigh. Annal. Rom. III. p. 60. Rosin. Ant. Roman. VIII. 8. Ad eandem fortasse pertinet, quod idem scribit Verr. III. 6. *Inter Siciliam, cæterasque provincias in agrorum vectigalium ratione hoc interest, quod cæteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis, & plerisque Pœnorum, quasi victoriæ præmium, ac pœna belli: aut censoria locatio constituta est, ut Asiæ, lege Sempronia.* August. l. l.

Lex Sempronia de suffragiis lata est à C. Sempronio Graccho, ut omnes Itali in suffragiis civibus Romanis essent pares. Plutarch. in Gracch. p. 837. A. *Lex socialis fuit, qua jus suffragii ferendi cum civibus dabatur Italis.* Quod ita refert Appian. Bell. civ. I. p. 363. ut Gracchus civium Romanorum colonias in Italia fecerit; cæteris, quibus suffragia in comitiis ferre non licebat, ita ferre concessit, si tributa persolvissent. *Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 234. B. Pigh. Annal. Rom.* III. *p.* 61. *August. de Leg. in Sempronia. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 3.

Lex Sempronia de viis muniendis lata est à C. Sempronio Graccho. Plutarch. in Gracch. p. 837. D. *Ad hæc leges tulit de viis muniendis.* E. *Elaboravit potissimum in viis muniendis, tam utilitatis, quàm oblectamenti, & ornatus curam gerens. Ducebantur enim directæ ad amussim per agros viæ, atque hinc lapide quadrato sternebantur, hinc glarea aggeribus advectis refarciebantur. Complebat, & pontibus jungebat lacunas torrentibus, vel specubus excavatas, ac lateribus pari inter se fastigio utrimque comparatis æquabilem faciebat, & visendam undique operis faciem. Adhæc viam omnem per milliaria dimensus columnas lapideas spatii signandi gratia locavit.*

vit. *Alios lapides hinc inde disposuit, quibus sine subjicibus ephippiariis conscenderent equos.* V. supr. in *Equus*. Bergier. de Viis milit. I. Sect. 3. §. 5. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 234. B. Rosin. Ant. Rom. VIII. 31.

Lex Senia de senatoribus lata est à L. Senio consule suffecto an. 724. uti patet ex veteri fragmento apud Gruter. p. 299. ubi anno belli Alexandrini nominatur cos. K. NOV. L. SÆNIUS. Tacitus laudatus supr. in *Lex Cassia de patriciis*. Noris. Cenot. Pisan. Differt. III. p. 423. August. de Leg. in Lex Senia. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 7. Lips. in Tacitum. Guther. de Offic. Dom. Aug. I. 11. Malim Sentiam, quamvis neque ullum de ea te certum profero testimonium. At Seniam nemo, quod sciam, dixit, nemo legit alibi. *Vertran. in Tacitum. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 234. F.*

Lex Servilia agraria lata est à P. Servilio Rullo tribuno plebis an. 690. M. Tullio Cicerone, C. Antonio coss. ut qui agri, quæ loca, quæ ædificia, aliudve quid, quod publicum populi Romani factum esset, L. Sulla, Q. Pompejo coss. id venderetur. Item, ut omnia venirent, de quibus vendendis Scta facta erant M. Tullio, Cn. Cornelio coss. & ea pecunia agri in Italia emerentur, in quos coloniæ à decem viris deducerentur. Ut Campanus ager, & Stellas publicus populi Romani divideretur, Capuam coloni adscriberentur. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 2. *Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 234. F. Pigh. Annal. Rom.* III. *p. 319. Rosin. Antiq. Roman.* VIII. 10. Hanc Cicero consul Kal. Januar. tribus orationibus luculentissimis in senatu, & apud populum dissuasit, per capita singula illam exagitans, & damna, fraudes, & pericula ex eadem proventura demonstrans. Itaque ne perferretur, ejus consilio, atque eloquentia factum est, ut non immeritò glorietur contr. Pison. c. 2. *Ego Kal. Januar. senatum, & bonos omnes legis agrariæ, maximarumque largitionum metu liberavi. Ego agrum Campanum, si dividi non oportuit, conservavi; si oportuit, melioribus auctoribus reservavi.* Pigh. ibid. p. 323.

Lex Servilia de civitate lata est à C. Servilio Flaucia, quo anno incertum. Fortasse prætoria fuit, aut tribunitia. Servilius enim Claucia cum L. Saturnino tribuno plebis in prætura occisus est. Patet enim ante Liciniam Muciam togatam esse. Quod declarat Cicer. pro Balb. c. 24. his verbis: *Quod si acerbissima lege Servilia principes viri, ac gravissimi, & sapientissimi cives hanc Latinis, id est, fœderatis viam ad civitatem populi jussu patere passi sunt: neque in his est hoc reprehensum Licinia, & Mucia lege.* Hujus *legis* hæc sententia fuit, ut Latini, senatoribus Romanis damnatis, cives ipsi Romani fierent. *Manut. de Leg. c. 17. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 235. A. Rosin. Ant. Rom. c. 2.*

Lex Servilia de judicibus lata est à Q. Servilio Cæpione coss. an. 647. *Per illum senatorum, & equitum judicia communicata.* Obseq. de Prodig. c. 101. Tacit. Annal. XII. 60. 3. *Claudius omne jus tradidit, de quo toties seditione, ac armis certatum, cum Semproniis rogationibus equester ordo in possessione judiciorum locaretur, aut rursum Servilia lege senatui judicia redderent.* Cicer. in Brut. c. 43. *L. Crassus Serviliam legem suasit his coss. quibus nati sumus.* c. 44. *Mihi quidem à pueritia, quasi magistra fuit illa Crassi in legem Cæpionis oratio, in qua auctoritas ornatur senatus, pro quo ordine illa dicuntur, & invidia concitatur in judicum, & accusatorum factionem, contra quorum potentiam populariter fuit dicendum.* Ea de re *liberator patriæ* vocatur in lapide antiquo:

C. SERVILIO. CÆPIONI. CONCEN-
ET. TRIUMPHALI. PATRIÆ. LIBER.
DECUR VERONENSI. OB. JUDICIA.
RESTITUTA

M. S.

Rupert. ad Reines. Epist. 28. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 18. Pigh. Annal. Rom. Tom. III. p. 141. August. de Leg. in Servilia. Manut. de Leg. c. 15. Scheffer. in Obsequentem. Hotman. Antiq. Rom. I. 1. p. 235. B. Pigh. Annal. Rom. III. p. 141. Turneb. in Cicer. joc. p. 8. Rosin. Ant. Rom. VIII. 21.

Lex Servilia de repetundis lata est à C. Servilio Glaucia prætore an. 663. Cicer. pro Scauro apud Ascon. p. 172. scribit, Scaurum *reum factum à Q. Servilio Cæpione lege Servilia, cum judicia penes equestrem ordinem essent.* Ubi ad illum Asconius: *Q. Servilius Cæpio Scaurum ob legationis Asiaticæ invidiam, & adversus leges pecuniarum captarum reum fecit repetundarum lege, quam tulit Servilius Glaucia.* Cicer. in Brut. c. 62. V. illum supr. in *Lex Glaucia*. Lex, qua sibi equestrem ordinem devinxerat, hæc de repetundis fuit, cui postea Cornelia, & Julia successere. Cicer. pro Rabir. Post. c. 4. *Jubet lex Julia persequi ab his, ad quos ea pecunia, quam is ceperat, qui damnatus est, pervenerit. Hoc totidem verbis translatum caput est, quod fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia.* August. de Leg. in Servilia: Sigon. de Judic. II. 27. Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 235. A. Pigh. Annal. Rom. III. p. 153. Manut. de Leg. c. 22. Rosin. Ant. Rom. VIII. 30.

Lex Sextia de magistratibus lata est à L. Sextio, M. Furio Dictatore V. an. 386. Ut consul unus è plebe crearetur, qua de causa concessum à plebe nobilitati, ut prætor unus, qui in Urbe jus diceret, ex patribus crearetur. Liv. VI. 42. *Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 255. D.*

Lex Sicinia de tribunis plebis lata est à Sp. Sicinio tribuno plebis T. Geganio, P. Minutio coss. an. 262. in hanc sententiam, *ut nemo concionanti ad populum tribuno quidquam in contrarium diceret, neque dicentem interpellaret. Quod si fecerit, det, si id petatur, vades tribunis mulctam solvendi, quæ ei irrogabitur. Qui vades non dederit, caput ejus, ac bona sacra sint: mulcta autem certatio apud populum fiat.* Dionys. VII. p. 431. *August. de Leg. in Sicinia. Panvin. de Civit. Rom. c. 69.*

Lex Silia de ponderibus lata est à duobus Siliis P. & M. tribunis plebis. Festus in publica pondera: *Ex ponderibus publicis, quibus hac tempestate populus œtier qui solet, coæquatur seduло. uti quadrantal. vini octoginta pondo fiet, congius vini decem p. fiet. Sex sextarii congius fiet vini: duodequinquaginta sextarii quadrantal fiet vini: Sextarius æquus æquo cum librario fiet: sexdequinque libra in modio fient. Si quis magistratus adversus hac D. M. pondera, modiosque, vasaque publica, modica, minora, majorave faxit, jussitve re fieri, dolumve adduit, quod ea fiant: eum quis volet magistratus mulctare, dum minore patrisfamilias taxat, liceto: sive quis in sacrum judicare voluerit, liceto.* August. de Leg. in Silia in Festum. Scalig. in Festum.

Lex Silvani & Carbonis de peregrinis lata est Silvano, & Carbone tribuno plebis an. 664. Cn. Pompejo Strabone, L. Porcio Catone coss. Peregrinos omnes nunc appello præter Italos, Illa peregrinis video aditum quendam ad civitatem Romanam esse factum. Latum enim est, auctore Cicer. pro Arch. c. 4. *Ut qui fœderatis civitatibus adscripti essent, si tum cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent, ac sexaginta diebus apud pratorem professi essent, cives Romani essent.* Sigon. de Ant. jur. prov. III. 1. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Sulpitia de ære alieno lata est à Servio Sulpitio tribuno plebis an. 665. L. Cornelio Sylla, Q. Pompejo Rufo coss. *ne quis senator supra duo millia drachmarum æris alieni contraheret.* Plutarch. in Syll. p. 456. D. *Cenal. de Ponder. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XI. p 1524. A. Pigh. Annal. Rom. Tom. III. p. 232. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 11. August. de Leg. in Sulpitia. Hotman. Antiq. Rom. I. 1. p. 235. D. Rosin. Ant. Rom. VIII. 4.*

Lex Sulpitia de bello Macedonico est lata à P. Sulpitio Galba consule cum C. Aurelio an. 553. *Vellent, juberent Philippo Regi, Macedonibusque, qui sub regno ejus essent, ob injurias, armaque illata sociis populi Romani bellum indici.* Liv. XXXI. 6. *Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 235. F.*

Lex Sulpitia de bello Mithridatico est lata à P. Sulpitio tribuno plebis, ut Syllæ, cui Asia provincia obvenerat, ut bellum Mithridaticum administraret, imperium abrogaretur, & C. Mario mandaretur. Paterc. II. 18. 6. Liv. Epit. 77. Plutarch. in Mario p. 425. D. in Sylla 456. E. *Hotman. Antiq. Roman. I. 1. p. 235. F.*

Lex Sulpitia de civibus novis lata est à Servio Sulpitio tribuno plebis eisdem coss. ad aucupandam Italicorum gratiam. Hac cives ex octo novis tribubus, in quas adscripti erant, in omnes triginta quinque distribuere est conatus.

Etenim

Etenim cum Italici in octo tribus novas conjecti nihil se ad comitia roboris afferre, ac nervorum, dummodò veteres triginta quinque consensissent, intelligerent, se deceptos tati, ad P. Sulpicium novarum rerum cupidum confugerunt. Et hic hanc *legem* promulgavit. Hac de *lege* scriptum est à Liv. Epit. 77. Verùm ant non est lata, aut certè eodem anno à L. Sylla cos. cum in Urbem ex Campania cum exercitu revertisset, ac Sulpitium ipsum, Mariumque inimicos suos Urbe exturbasset, unà cum cæteris ejus *legibus* est sublata. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* III. 1. *Pigh. Annal. Rom. Tom.* III. *p.* 232. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 2. *p.* 235. *D. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 2.

Lex Sulpitia de libertinorum suffragiis lata est ab eodem Sulpitio, ut in omnibus tribubus libertini suffragium ferre possent, cum in quatuor tantum urbanis antea ferre consuevissent. Ascon. in Cicer. p. 128. *Manut. de Legib. c.* 9. *Pigh. Annal. Rom. Tom.* III. *p.* 242. *August. de Leg. in Sulpitia.*

Lex Sulpitia Sempronia de templis & aris ex Scto est lata à P. Sulpitio, P. Sempronio consulibus an. 449. *ne quis templum, aramve injussu senatus, aut tribunorum plebis partis majoris dedicaret.* Liv. IX. 46. *Hotman. Antiq. Rom.* 1. 1. *p.* 233. *G.*

Lex sumptuaria. V. illam supr. in *Æmilia*, *Antia*, *Cornelia*, *Didia*, *Fannia*, *Julia*, *Licinia*, *Orchia*.

Lex Tabellaria. V. illam supr. in *Cassia*, *Cælia*, *Gabinia*, *Papiria*.

Lex talaria, sive de talorum lusu nominatur à Plaut. Mil. glor. II. 2. 9.

Atque adeo, ut ne legi fraudem faciam talariæ,
Accuratote, ut sine talis domi agitent convivium.

Facetè ad legem aliquam de alea veterum alludit, qua talorum lusus conviviis interdicebatur, Publiciam fortè, aut Titiam. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 236. *Rosin. Antiq. Rom.* VIII. 31. *Taubman. in Plautum.*

Lex tapulla, sive tapulia fuit convivalis. Festus: *Tapullam legem convivalem fictu nomine conscripsit jocoso carmine Valerius Valentinus, cujus meminit Lucilius hoc modo:*

Tapullam rident legem centerere opimi.

Maussf. Exerc. Crit. II. 2. Demster. Paralip. ad Antiq. Roman. Rosin. V. 29. Scalig. & Dacer. in Festum.

Lex Tarpeja Æternia, sive Aterta de mulctis lata est an. 300. à Tarpejo Montano Capitolino, & A. Aterio Fontinalo coss. V. illam supr. in *Lex Menenia Sestia.*

Lex Terentia Cassia frumentaria lata est à M. Terentio Lucullo, & C. Cassio Varo coss. an. 680. Cicer. Verr. III. 70. *Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex Scto, & ex lege Terentia, & Cassia frumentaria.* V. 21. *Denique cum ex Scto, itemque ex lege Terentia, & Cassia frumentaria æquabiliter emi ab omnibus Siciliæ civitatibus oporteret, id quoque munus leve, atque commune Mamertinis remisisti.* Hanc quia ad frumentum ex Sicilia exportandum solum pertinebat, privilegium, non *legem* appellare possumus. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 236. *B. August. de Leg. in Terentia Cassia.*

Lex Terentilla de legibus de imperio consulari scribendis lata est à C. Terentillo Arsa tribuno plebis an. 291. L. Lucretio Tricipitino, T. Veturio Gemino Cicurino coss. Refert illam Liv. III. 9. *C. Terentillus Arsa tribunus plebis eo anno fuit. Is coss. absentibus ratus locum tribuniciis actionibus datum, per aliquot dies patrum superbiam ad plebem criminatus; maximè in consulare imperium, tanquam nimium, nec tolerabile liberæ civitati, invehebatur: nomen enim tantum minùs invidiosum, re ipsa prope atrocius quàm regium esse. Quippe duos pro uno dominos acceptos immoderata, infinita potestate: qui soluti, atque effrenati ipsi, omnes metus legum, omniaque supplicia verterent in plebem. Quæ ne æterna illis licentia sit, legem se promulgaturum, ut quinqueviri creentur legibus de imperio consulari scribendis. Quod populus in se jus dederit, eo consulem usurum: non ipsos libidinem, ac licentiam suam pro lege habituros.* Ea, ut addit Livius, perlata non est. Fuit tamen causa creandis postea decemviris legibus scribendis consulari potestate. *Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. *p.* 236. *C. Pigh. Annal. Rom.* 1. *p.* 124. *Panvin. Fast.* 1. *p.* 83. *Rosin. Antiq. Rom.* VIII. 5.

Lex Thoria de vectigalibus lata est à Sp. Thorio tribuno plebis, ne quis vectigal ullum agrorum, quos possideret, solveret; eaque cavit de pastione pecoris. Cicer. Brut. c. 36. *Sp. Thorius satis valuit in populari genere dicendi, is, qui agrum publicum vitiosa, & inutili lege vectigali levavit*, de Orat. II. 70. *Cum in senatu ageretur de agris publicis, & de lege Thoria, & premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore ejus depasci agros publicos dicerent.* Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2: civ. Roman. I. 16. August. de Leg. in Thoria. Manut. de Leg. c. 13. Pigh. Annal. Rom. III. p. 156. Turneb. in loc. Cicer. p. 75. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 236. C. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 10. *Legis hujus fragmenta duo exhibent Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 2. *& Pigh. ibid. p.* 137.

Lex Titia de lusu. V. illam supr. in *Cornelia de lusu.*

Lex Titia de muneribus nominatur ab Ausonio, qui ludit his versibus Epigr. LXXXVIII. 1.

Jurisconsulto, cui vivit adultera conjux,
Papia lex placuit, Julia displicuit.
Quæritis, unde hæc sit distantia? semivir ipse
Scantiniam metuens, non metuit Titiam.

Horum carminum interpretatio ex Titiæ *legis* ignoratione difficilis quibusdam visa est. Mihi sensus ex Tacit. Annal. XI. 3. 1. hic esse videtur: ut cum *lex* Papia præmia maritis concedat, Julia de adulteriis adulteram dimitti jubeat, Scantinia molles coerceat, Titia verò munera patrocinii causa accipi vetet: hic qui adulteram mollis detinet, metu Scantiniæ, ut Papia utatur, adversus Juliam facit, neque metuit Titiam, cum munera à mœchis accipit non patrocinii causa. De Titia ita Tacitus: *Cuncta legum, & magistratuum munia in se trahens princeps Claudius, materiam prædandi patefecerat, nec quicquam publicè tam venale fuit, quàm advocatorum perfidia, adeò ut Samius eques insignis Romanus quadringentis nummorum millibus Suilio datis, & cognita prævaricatione, ferro in domo ejus incubuerit. Igitur incipiente C. Silio cos. designato consurgunt patres, legemque Titiam flagitant, qua cavetur antiquitus, ne quis ob causam orandam, pecuniam, donumve accipiat.* August. de Leg. in Titia. Hotman. Antiq. Rom. 1. 1. p. 236. F.

Lex Titia de tutoribus. V. illam supr. in *Lex Julia de tutoribus.*

Lex Titia de vectigalibus lata est à Sext. Titio tribuno plebis M. Antonio oratore, A. Albino Postumio coss. an. 654. ut vectigal agris publicis assignatis impositum quæstor colligeret. Valer. Max. VIII. 1. damn. 3. *Sext. quoque Titium similis casus prostravit: erat innocens, agraria lege grata gratiosus apud populum.* Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 236. G. Rosin. Ant. Roman. VIII. 10.

Lex Trebonia de provinciis lata est à C. Trebonio tribuno plebis. Liv. Epit. 103. *M. Cato quum legem impediret, qua provinciæ coss. in quinquennium, Pompejo Hispaniæ, Crasso Syria & Parthicum bellum, Cæsari Gallia & Germania dabantur, à C. Trebonio plebis legis auctore in vincula ductus est.* August. de Leg. in Trebonia. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 237. A.

Lex Trebonia de tribunis plebis lata est à L. Trebonio tribuno plebis an. 303. Larte Herminio Aquilino, T. Virginio Tricosto Cœlimontano coss. De illa Liv. III. 65. *L. Trebonius tribunus plebis infestus patribus, quod se ab iis in cooptandis tribunis fraude captum, proditum à collegis, ajebat: rogationem tulit, ut qui plebem Romanam tribunos plebis rogaret, is usque rogaret, dum decem tribunos plebis faceret.* Lex concepta fuit in hæc verba apud Liv. c. 64. *Si tribunos plebei decem rogabo, si quos minus hodie decem tribunos plebei feceritis: tum ii quos sibi collegas cooptassint, ut illi legitimi eadem lege tribuni plebei sint, ut illi quos hodie tribunos plebei feceritis.* August. de Leg. in Trebonia. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 237. A. Pigh. Annal. Roman. 1. p. 93. & 157. Rosin. Ant. Rom. VIII. 6.

Lex tribunitia vocatur, quæ à tribuno plebis est lata. Cicer. in Rull. II. 8. *Leges fuat tribunitiæ, vobis, majoribusque vestris vehementer gratæ, atque jucundæ, Licinia, atque Æbutia*, vel qua tribunorum plebis potestas est constituta,

atque

utque confirmata: ut facratæ, ut Valeria; ut Horatia. Liv. v. 55. *August. de Leg. in Leges tribunitia. Hotman. Antiq. Roman.* 1. 1. p. 237. *B.*

Lex triumphalis vocatur, quæ agit de jure triumphorum. Refertur à Valer. Max. II. 8. 1. *Ob levia prælia quidam Imperatores triumphos sibi decerni desiderabant; quibus ut occurreretur, lege cautum est, ne quis triumpharet, nisi quinque millia hostium una acie occidisset. Et hæc alterius adjutorio fulta est, quam L. Marius, & M. Cato tribuni plebis tulerunt. Pœnam enim Imperatoribus minatur, qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum civium falsum numerum literis senatui ausi essent referre. Jubetque eos, cum primum Urbem intrassent, apud quæstores urbanos jurare, de utroque numero verè ab his senatui esse scriptum.* August. in Leges triumphales. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 221. F.

Lex Tullia de ambitu appellanda est, ut arbitror, quam in consulatu tulit M. Tullius Cicero an. 690. Etenim in Sext. c. 64. inquit: *Acta mea Sex. Clodio displicere quis nescit? qui legem eam contemnat, quæ dilucidè vetat gladiatores biennio quo quis petierit, aut petiturus sit, dare.... Quem non tam admiror, quod meam legem contemnat hominis inimici, quàm quod se statuit omnino consularem legem nullam putare.* in Vatin. c. 15. *Cum ego legem de ambitu ex S.C. tulerim, quæ dilucidè vetat, biennio quo quis petat, petiturusve sit, gladiatores dare, nisi ex testamento præstituta die.* August. de Leg. in Tullia. Manut. de Leg. c. 5. & 28. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 5. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 237. E. Pigh. Annal. Rom. III. p. 320.

Lex Tullia de legatione libera lata est à M. Tullio Cicerone cos. cum C. Antonio an. 690. ne, sicut antea, infinitum, sed annuum tempus ejus esset. Cicer. de Leg. III. 8. *Sed quæro, quid reapse sit turpius, quàm sine procuratione senator, legatus sine mandatis, sine ullo Reipublicæ munere? quod quidem genus legationes ego consul, quanquam ad commodum senatus pertinere videatur, tamen approbante frequentissimo senato, nisi mihi levissimus tribunus plebis tum intercessisset, sustulissem: tamen minus tempus, & quod erat infinitum, annuum feci.* Manut. de Leg. c. 7. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 237. F. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 5.

Lex Valeria de Formianis .... suffragii jure donandis lata est à C. Valerio Tappo tribuno plebis an. 565. M. Valerio Messala, C. Livio Salinatore coss. Liv. XXXVIII. 36. *De Formianis, Fundanisque municipibus, & Arpinatibus C. Valerius Tappus tribunus plebis promulgavit: uti iis suffragii latio, nam ante sine suffragio habuerant civitatem, esset. Huic rogationi quatuor tribuni plebis, quia non ex auctoritate senatus ferretur, cum intercederent, edocti, populi esse, non senatus jus, suffragium, quibus velit, impartiri; destiterunt incepto. Rogatio perlata est, ut in Æmilia tribu Formiani & Fundani; in Cornelia Arpinates ferrent: atque in his tribubus tum primum ex Valerio plebiscito censi sunt.* Pigh. Annal. Rom. Tom. II. p. 295. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 239. A. Rosin. Ant. Roman. VIII. 2. & 3.

Lex Valeria de magistratibus lata est à P. Valerio Poplicola cos. exactis Regibus. Dionys. V. p. 292. V. illum supr. in *Consul.* Manut. de Leg. c. 16. August. de Leg. in Valeria.

Lex Valeria de provocatione lata est à P. Valerio Poplicola consule, Bruto collega mortuo, an. 254. ut adversus magistratum provocatio ad populum esset: neve quis magistratus civem Romanum adversus provocationem verberare, aut necare vellet. Liv. II. 8. *Latæ leges ante omnes de provocatione adversus magistratum ad populum.* Dionys. V. p. 292. *Tulit legem, in qua statutum est, si quis magistratus unum aliquem civem capite plectere, aut flagris cædere, aut pecunia multare velit, licere privato provocare ad populi judicium: nec interim magistratui licere in eum animadvertere, donec populus suffragiis suis de eo statuerit.* August. de Leg. in Valeria. Manut. de Leg. c. 16. Guther. de vet. jur. pont. II. 10. Pigh. Annal. Rom. Tom. 1. p. 69. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 238. A. V. p. 754. A. Blond. Triumph. Rom. p. 88. E. Rosin. Ant. Roman. VIII. 5. Tulit illam comitiis centuriatis. Valer. Max. IV. 1. 1. *Legem etiam comitiis centuriatis tulit, ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem verberare, aut necare vellet.* Manut. l. l.

Lex Valeria Horatia de provocatione lata est à L. Valerio, M. Horatio coss. an. 304. *Hac legem de provocatione, unicum præsidium libertatis, decemvirali potestate eversam non restituerunt modo, sed etiam in posterum munierunt.* Liv. III. 55. *Legis* verba retulimus in *Lex Duilia.* Manut. de Leg. c. 8. August. de Leg. in Valeria. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 238. B. V. p. 754. A. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2.

Lex Valeria de provocatione lata est à M. Valerio Corvo V. cos. an. 453. Liv. X. 9. *Eodem anno M. Valerius consul de provocatione legem tulit, diligentiùs sanctam. Tertio ea tum post Reges exactos lata est, semper à familia eadem. Causam renovandæ sæpiùs haud aliam fuisse reor, quàm quod plus paucorum opes, quàm libertas plebis, poterant. Hac lex, cum eum, qui provocasset, virgis cædi, securique necari vetuisset, si quis adversus ea fecisset, nihil ultra, quàm improbè factum adjecit. Id, qui tum pudor hominum erat, visum, credo, vinculum satis validum legis.* Pigh. Annal. Rom. Tom. 1. p. 383. Hotman. Antiq. Roman. p. 238. C. V. p. 754. A. Rosin. Ant. Rom. VIII. 2. & 3.

Lex Valeria de quadrante lata est à L. Valerio Flacco suffecto coss. an. 667. ut quadrans solveretur creditoribus, hoc est, ut quarta pars debitæ pecuniæ deberetur, & tres partes creditori perirent. Paterc. II. 23. 2. *In hujus locum suffectus Valerius Flaccus, turpissimæ legis auctor, qua creditoribus quadrantem solvi jusserat: cujus facti merita eum pœna intra biennium consecuta est.* Pigh. Annal. Roman. III. p. 238. Manut. de Leg. c. 16. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 11. August. de Leg. in Valeria. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 238. D. Bœcler. Ind. in Paterc. in quadrans. Rosin. Ant. Rom. VIII. 20.

Lex Valeria de quæstoribus lata est à P. Valerio Poplicola cos. ut quæstores duo quotannis ex patriciis juvenibus à populo crearentur, qui pecuniam publicam acciperent, in ærarium Saturni cogerent, & in tabulas rationum referrent. Plutarch. in Poplic. p. 103. C. *Populo concessit, ut duos quæstores crearet. Creati primi Pub. Veturius & M. Minutius.* Zonar. II. latæ *legis* causam addit, ne consulum, scilicet, pecuniarum subsidio potentia augeretur. Qua quidem *lege* populi libertati consuluit egregiè, atque effecit, ne consul bonus in posterum à majoribus rebus pecuniarum cogendarum causa subtraheretur, & malus privaretur nervo lædendi, sublata ex ejus potestate pecunia. *Pigh. Annal. Rom.* 1. p. 69. *Rosin. Antiq. Roman.* VIII. 6.

Lex Valeria Horatia de tribunis plebis lata est à L. Valerio, M. Horatio coss. *Legis* verba V. supr. in *Lex Duilia.* Pigh. Annal. Rom. Tom. 1. p. 155: II. p. 116.

Lex Valeria Horatia de tributis comitiis lata est à L. Valerio, M. Horatio Coss. *Legis* verba V. supr. in *Lex Duilia.* Manut. de Leg. c. 8. Pigh. Annal. Rom. Tom. 1. p. 155.

Lex Valeria de tyrannide Sullæ lata est à L. Valerio Flacco Interrege, ut omnia, quæcunque ille fecisset, essent rata. Cicer. cont. Rull. III. 2. *Omnium legum iniquissimam, dissimillimamque legem esse arbitror, quam L. Flaccus Interrex de Sulla tulit, ut omnia, quæcunque ille fecisset, essent rata. Nam cum cæteris in civitatibus tyrannicis institutis leges omnes extinguantur, atque tollantur, hic Reipublicæ tyrannum lege constituit.* Cicer. de Leg. 1. 15. *Si triginta illi Athenis tyranni leges imponere voluissent, aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcircò eæ justæ haberentur? nihilo magis credo illa, quàm Interrex noster tulit, ut dictator quem vellet civium indicta causa impunè posset occidere.* August. de Leg. in Valeria. Hotman. Antiq. Roman. 1. 1. p. 238. D.

Lex Valeria de vectigalibus lata est à P. Valerio Poplicola cos. Hac civium vectigalia sunt sublata. Plutarch. in Poplic. p. 103. A. *Mox tertia, quæ succurrit inopibus, atque ea vectigali cives sublevavit, effecitque, ut acrius incumberent opificiis.* Manut. de Leg. c. 16. August. de Leg. in Valeria.

Lex Varia de majestate lata est à Q. Vario tribuno plebis an. 662. L. Marcio Philippo, C. Julio Cæsare coss. Ascon. in Cicer. p. 172. *Italico bello exorto, cum ob sociis negatam civitatem nobilitas in invidia esset, Q. Varius tribu-*

nus

nus plebis legem tulit, ut quereretur de iis, quorum opera, consiliove socii contra populum Romanum arma sumpsissent, Valer. Max. VIII. 6. 4. *Q. Varius, propter obscurum jus civitatis hybrida cognominatus, tribunus plebis legem adversus intercessionem collegarum perrogavit: qua jubebat quæri, quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent, magna cum clade Reipublicæ: sociale enim prius, deinde civile bellum excitavit*. Pigh. Annal. Roman. Tom. III. p. 219. August. de Leg. in Varia. Hotman. Antiq. Roman. t. I. p. 239. A. Manut. de Leg. c. 21. Rosin. Ant. Rom. VIII. 23.

Lex Vatinia de alternis consiliis lata est à P. Vatinio tribuno plebis C. Cæsare, M. Bibulo coss. Hujus *legis* beneficio, fuit enim de alternis consiliis rejiciendis, C. Antonius Ciceronis collega exclusus esse dicitur. Cicer. in Vatin. c. 11. *Et quoniam crebro usurpas, legem te de alternis consiliis rejiciendis tulisse, ut omnes intelligant, te ne rectè quidem facere sine scelere potuisse, quæro, cum lex esset æqua promulgata initio magistratus, multas etiam alias tulisses, exspectarisne, dum C. Antonius reus fieret apud Cn. Lentulum Clodianum? & postquàm ille reus est factus, statim tuleris in eum, qui etiam post legem reus factus esset: ut homo consularis exclusus, miser, puncto temporis spoliaretur beneficio, & æquitate legis tuæ?* Quæ appellentur alterna consilia, non facilè dixerim. Sed arbitror ad consilia judicum referri, ut alternos consiliarios actori, & reo rejicere liceret. *August. de Leg. in Vatinia. Pigh. Annal. Rom. Tom. III. p. 354. Hotman. Antiq. Rom. t. I. p. 239.*

Lex Vatinia de coloniis lata est à P. Vatinio tribuno plebis, ut C. Cæsar coloniam Novocomum deduceret. Suet. Jul. c. 28. n. 3. *Retulit etiam, ut colonis, quos rogatione Vatinia Novumcomum deduxisset, civitas adimeretur*. August. de Leg. in Vatinia. Pigh. Annal. Roman. Tom. III. p. 354. Rosin. Ant. Rom. VIII. 9.

Lex Vatinia de provinciis lata est à P. Vatinio tribuno plebis. Hac cautum fuit, ut Cæsar provincias sibi decretas per quinquennium obtineret. Suet. Jul. c. 22. n. 2. *Et initio quidem Galliam Cisalpinam, Illyrico adjecto, lege Vatinia accepit: mox per senatum quoque comatam*. Appian. Bell. civ. II. p. 435. *Quibus effecit, ut citerior, ulteriorque Gallia sibi provincia decerneretur in quinquennium*. Hinc Cicer. in Vatin. c. 15. *Eripuerat senatui provinciæ decernendæ potestatem, Imperatoris deligendi judicium, ærarii dispositionem, quæ nunquam sibi populus Romanus appetivit, qui nunquam hæc a summi consilii gubernatione auferre conatus est*. Pigh. Annal. Roman. Tom. III. p. 354. August. de Leg. in Vatinia. Hotman. Antiq. Roman. t. I. p. 239. Rosin. Antiq. Roman. VIII. 8.

Lex Vectibulicia refertur in constitutione quadam Diocletiani, l. 3. C. de servis Reipublicæ manumittendis. Ejus sententia ignoratur. Tantum enim dicitur *servum quendam secundum hanc Vectibulici legem, cujus potestas Sexto Juventio Celso iterum, & Neratio Marcello coss. facto ad provincias porrecta est, civitatem Romanam consecutum fuisse*. Consules hi sub Adriano fuerunt. Itaque ea lex antiquior fuit, qua fortasse municipiis, quæ in Italia erant, concessum fuit, ut servos publicos manumittere possent. Postea id jus ad provincias porrectum est, item ad collegia ex constitutione D. Marci. l. 1. ff. de manum. quæ serv. impon. *Divus Marcus omnibus collegiis, quibus coeundi jus est, manumittendi potestatem dedit*. August. de Leg. in Vectibulicia. In illa constitutione quæri solet, quæ sententia *legis* fuerit, aut quisnam Vectibulicus ille sit, qui eam tulerit. Contius quidem emendat, Vectii Libyci, & Cujacius malebat Vettii: sed neque illi, quis ille esset, indicarunt: neque ego id usquam memini legisse. Tentabam igitur, Vettii Publici, hoc est, Vettiam Publiciam. Fuit autem C. Publicius Certus cum Vettio Proculo cos. an. ab U. C. 850. Ab his ea *lex*, & lata, & denominata sit; qua videtur cautum fuisse, ut illi, qui illis municipiis servissent, quæ civitate Romana donata erant, ab usque manumissi essent, & ipsi civitatis jus haberent. *Rutgers. Var. Lect. II. 5.*

Lex viaria à C. Curione tribuno plebis lata est an. 703. L. Æmilio Paullo, C. Claudio Marcello coss. Hic Cæsaris partibus addictus, ut sibi conciliaret populi favorem, tulit *legem*, quam viariam appellat Cœlius ad Ciceronem scribens Fam. VIII. 6. *Curio transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit, legemque viariam, non dissimilem agrariæ Rulli, jactavit*. Bergier. de viis milit. I. Sect. 3. §. 2. In Cœlii epistola ego scripserim *vineariam*, ut *lex* ad divisionem vinearum, quæ in Italia, & Campania præsertim multæ, pertinuerit. Aliis placet *vinariam*. Sed quæ comparatio erit vini ad agros? & repugnat ipsa res, sicut in viis. *Lips. Elect. I. 8.* Sed quid conjecturis rem certam atque exploratam indagatum imus? Sanè Appianus hæc habet de Bell. civ. II. p. 443. *Curio ferebat ad populum de muniendis, ac reficiendis viis, hanc sibi curationem in quinquennium deposcens*. Hæc de *lege* viaria, non de vinearia sunt scripta. Illa non multò obscurius à Cicer. Attic. VI. 1. *Vedius venit mihi obviam, cum duobus essedis, & rheda equis juncta, & lectica, & familia magna, pro qua, si Curio legem pertulerit, sestertia centena pendet necesse est*. Contaren. de Frument. Roman. Largit. c. 9.

Lex de vigesima hæreditatum, manumissionum. V. illam infr. in *Vigesima*.

Lex Villia annalis lata est à L. Villio Annali tribuno plebis an. 574. L. Manlio Acidino Fulviano, Q. Fulvio Flacco coss. Hac finiebantur anni magistratus capiendi. Liv. XL. 43. *Q. Fulvius Flaccus consul est creatus cum L. Manlio Acidino. Eo anno rogatio primum est lata ab L. Villio* (L. Julio perperam libri) *tribuno plebis, quot annos nati quemque magistratum peterent, caperentque: inde cognomen familiæ inditum, ut Annales appellarentur*. Cicer. Phil. V. 17. *Ob eas causas senatui placere, C. Cæsarem C. F. pontificem, proprætorem, senatorem esse, sententiamque loco prætorio dicere: ejusque rationem, quemcunque magistratum appetet, ita haberi, prout haberi lege liceret, si anno superiore quæstor fuisset. Quid est enim P. C. cur eum non quamprimum amplissimos honores capere cupiamus? Legibus enim annalibus cum grandiorem ætatem ad consulatum constituebant, adolescentiæ temeritatem verebantur . . . . Itaque majores nostri, veteres illi admodum antiqui, leges annales non habebant, quas multis post annis attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter æquales*. Ovid. Fast. V. 65.

—— *finitaque certis*
Legibus est ætas, unde petatur honos.

August. de Leg. in Villia. Cujac. Observ. XXI. 32. Turneb. in Cicer. de Leg. III. p. 184. Hotman. Antiq. Roman. I. t. p. 239. E. Pigh. Annal. Rom. II. p. 334. Crinit. de Honest. Discipl. VIII. 13. Lips. de Magistrat. Roman. c. 4. Rosin. Ant. Rom. VIII. 5. Pitisc. in Suet. Calig. I. 1. Mirum hoc anno primùm latam hanc rogationem scribi. Hoc enim ipse iteversum XXV. 2. ubi de Scipione Africano multis ante hanc *legem* annis scribit: *Huic petenti ædilitatem, cum obsisterent tribuni plebis, negantes rationem ejus habendam, quod nondum ad petendum legitima ætas esset*. Quid clarius, quàm etiam tunc latam de ætate? Et XXXII. 7. in consulatu mandando T. Quinctio Flaminino, quem *nondum triginta annos natum* scribit Plutarch. p. 369. E. hujus legis ne mentio quidem. *Sigon. in Liv.* XL. 43. *Lips. l. l.* Id per errorem, confusionemque nominis, aut hominis scripsit Livius, Scipioni Africano tribuens, quod Æmiliano postea evenerit: de quo vide Appian. Libyc. p. 68. Val. Max. VIII. 15. 4. Ut fateamur necessum est, parum cautè scriptum esse in loco altero *latam à Villio primum*. Lips. l. l. Plures de tempore magistratuum *leges* fuisse ante hanc latas ex Livio, & aliis facilè colligimus; quæ ab antiquis, ut Festus & Lamprid. Commod. c. 2. testantur, communi voce vocabantur *annariæ leges*. L. Villius tamen exactius quid de magistratuum curulium annis constituisse videtur, cum inde cognomen adeptus sit. *Pigh. l. l.* Illas verò omnes *lex* Villia junctim complexa cæteras velut abolevit. Hic juvant aliquid Cicero & Ovidius modò laudati, *Lips. l. l.* Dicta est etiam *lex comitialis* à Latino Pacato. V. illum supr. in *Ætas ædilitia*.

Lex Viscellia, sive Visellia de libertinis quo tempore sit lata, planè ignoro. Diocletiani constitutio extat, l. unic. C. ad l. Viscell. *Lex Viscellia libertinæ conditionis homines persequitur, si ea, quæ ingenuorum sunt, circa honores, & dignita-*

gnita-

gnitates ausi fuerint attentare, vel decurionatum appetere: nisi jure aureorum annulorum impetrato à principe sustineantur. Tunc enim, quoad vivunt, imaginem non statim ingenuitatis obtinent: & sine periculo ingenuorum etiam officia peragunt publica. August. de Leg. in Visellia. Hotman. Antiq. Roman. s. t. p. 239. G. Mendosè Visellia legitur, cum Viselliorum familia nota sit, cujus erat C. Visellius Varro, Ciceronis consobrinus, ut constat ex Bruto c. 76. Tulit hanc L. Visellius Varro cos. cum C. Fontejo an. 776. *Hotman. ibid. p.* 240. *A. Rosin. Ant. Rom.* VIII. 15.

Lex Voconia de hæreditatibus mulierum lata est à Q. Voconio Saxa tribuno plebis an. 584. Q. Marcio Philippo II. Cn. Servilio Cæpione coss. Cicer. de Senect. c. 5. *Ille Capione & Philippo iterum coss. mortuus est: cum ego, Cato, quidem* 65. *annos natus legem Voconiam voce magna, & bonis lateribus suasissem*. Ne qui census esset, virginem, neve mulierem supra quadrantem suorum bonorum hæredem institueret, plusve cuiquam legaret, quàm ad hæredem, hæredesve perveniret. Ne feminæ ultra consanguineos ab intestato succederent. Cicer. Verr. I. 42. *Voconia lex te scilicet delectabat. Imitatus esses ipsum illum C. Voconium, qui lege sua hereditatem ademit nulli, neque virgini, neque mulieri: sanxit in posterum, qui post eos censores census esset, ne quis heredem virginem, neque mulierem faceret*. Liv. Epit. 41. *Q. Voconius Saxa tribunus plebis legem tulit, ne quis heredem mulierem institueret: suasit legem M. Cato: extat oratio ejus*. August. de Leg. in Voconia. Manut. de Leg. c. 54. Gronov. de Pecun. vet. III. 16. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 842. E. Hotman. Antiq. Roman. I. t. p. 240. B. Perizon. Dissert. de Lege Voconia. Thys. in Gell. VII. 13. Cellar. in Plin. Paneg. c. 42. n. I. Rosin. Ant. Roman. VIII. 18. Pigh. Annal. Rom. Tom. II. p. 375. De illa etiam August. de Civ. Dei III. 21. V. illum infr. in *Mulier*. Latam his coss. quibus Ennius mortuus est, ex Cicerone docti colligunt. Sed miror, quod in tam plena ejus anni historia nihil de tam celebri *lege* Livius. Atque in alia opinione videtur fuisse: nam decennio ferè prius latam voluisse satis indicat Epitome modò laudata, ubi multum historiæ anni 575. periisse constat. *Pigh. ibid. p.* 376.

LIA.

LIACULUM, & LIARE quid sint, V. infr. in *Te Ætorium*.

LIB.

LIBAMENTA dicebantur, tam prægustationes, quàm effusiones, quoniam uno, eodemque vino utraque *libamenta* fiebant, sic dicta à Libero patre, qui primus tam vini, quàm *libationum* existimatur inventor, ut voluit Ovid. Fast. III. 732.

Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen.

Eggeling. Myster. Ceret. & Bacch. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 64. A. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 487. Sacerdos vinum *prælibabat*, priusquàm super caput victimæ effunderet. Hæc dicta *libatio*. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14. Hæc quare *delibamenta* vocaverint, V. supr. in *Delibamenta*. Inter pocula diis *libabatur*, ἀπάρχεται aliquo genere *libamenti*, ut tercto, vel strue, placenta de farre, melle, & oleo. Hæc aris imponebantur, igneque eorum pars minuta cremabatur. Plin. XXXVII. 10. *In aras addita ea*, ombria gemma, *traditur libamenta non aduri*. *Libamina* hujusmodi diis offerebantur inter cæsa & porrecta. Medium erat tempus inter hostiam cæsam, quæ manè, & exta porrecta, quæ vesperi. *Guther. de Vet. jur. pontif.* IV. 2.

ΛΙΒΑΝΩΤΡΙΣ, acerra erat thuriaria, thuribulum. Malè in glossis acceptuaria. Ut thus in sacrificiis, sic in supellectile primum obtinebat locum. *Guther. de vet. jur. pontif.* IV. 24. *Rosin. Ant. Rom.* III. 32.

LIBARE differt à litare, quod est ritè sacrificare, & impetrare. V. illud suo loco. *Libare* verò est utcunque sacrificare, imò leviter, & modestè tangere, ut ferè in sacrificiis solemus: hinc & ad alia transfertur. Virg. Æneid. I. 260.

Oscula libavit natæ.

Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 526. B. Laurent. de Prand. vet. c. 19. Hujus ritus plenæ sunt historiæ, & poemata antiquorum: & usus vel in consiliis, ac initio parandi belli, vel in votis, in gratiam initæ, vel ineundæ amicitiæ. Et hoc jam inde à superstitioso Ægyptiorum seculo institutum Assyrii, Græci, & ultimò Romani imitati sunt: dum jactarent Bacchum universo terrarum orbe peragrato victorem ex Scythis, atque Indis primitias Jovi magno contulisse, ac primum *libasse*. Baccius de Conviv. Antiq. IV. 4. Tomas. de Donar. c. 27. Materia non quævis: non enim quodvis vinum aptum *libationibus*; nam ex Græca, & imputata vite, seu fulmine tacta, aut quæ vulneratis pedibus calcata, aut immunditie polluta, aut juxta quam homo laqueo pependerat, quæque circumcisis vinaceis profluxerat, vinum diis *libare* ex hujusmodi uvis infaustum erat. Quare vinum spurcum illud dictum, quod sacris adhiberi non poterat. At vino meraco in *libationibus* veteres sunt usi, quare vinum Græcæ uvæ, quia aquam mistam habebat, *libare* nefas: vino etiam optimo, suavissimoque veteres usi. Mercurio *libatum* ex vino misto reperio. Et divinatio per vinum facta, oinomantia dicta, fiebat ex vino ad *libationes* sacrato. Alii quoque liquores adhibiti, ut mulsum, aqua, mel, lac, oleum. *Libationes* aquæ fuerunt sociorum Ulyssis, ut ex Homeri Odyssea colligitur. Soli sacrificantes mel *libabant*, vinum non inferentes. Mnemosynæ, Auroræ, Soli, Lunæ, Uraniæ, Nymphis non vino, sed aqua melle diluta sacrificabant Athenienses. Cereri quoque, & Proserpinæ, & ad aram omnium deorum. *Stuck. Sacr. gentil. p.* 100. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 19. *de Prand. vet. c.* 2. *Polym.* IV. *Synops.* 7. Etiam pars cœnæ. Hæc enim Lari, diisque donabatur, & mittebatur in focum Lari sacrum. Hoc erat *libare dapes*. Horat. Sat. II. 6. 66.

Ante Larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus.

Ritus optimè intelligetur ex Plutarch. de Fortun. Roman. p. 323. A. *Ocrisiam virginem identidem primitias & libationes à regia mensa accipere, & ad focum perferre consuevisse: quæ cum aliquando è more eas in ignem injiceret....* Qui inde dii patellarii dicebantur. *Turneb. Adv.* VI. 7. *Laurent. l. l. & c.* 14. *Stuck. ibid. p.* 198. *Taubman. in Plaut. Curc.* I. 2. 31. Imò fructuum, & frugum primitiæ, quas ἀπαρχὰς vocabant. Nihil enim gustabant, antè quàm diis consecrassent. Tibull. I. I. 19. V. illum supr. in *Annus*. Quod faciebant, vel in aram projicientes, vel in mensam, quæ loco erat aræ, vel in focum, qui sacer habebatur, vel in mare in honorem deorum marinorum. *Turneb. ibid.* XI. 7. *Laurent. de Prand. vet. c.* 2. *Var. sacr. gentil. c.* 19. *Struv. Ant. Rom. c.* 10 *p.* 487. *Saubert. de Sacrif. c.* 25. *Taubman. l. l.* Formula erat *Libo tibi*. Xiphil. LXII. p. 714. C. *Hunc tibi, Jupiter, libertatis patrone, sanguinem libo*. Tacit. Annal. XV. 64. 5. *Postremo stagnum calida aqua introiit Seneca, respergens proximos servorum, addita voce: liberè se liquorem illum Jovi liberatori*. Brisson. de Form. I. p. 33.

LIBATIO in epulis erat nihil aliud, quàm vini, aquæ, lactis, vel alterius liquoris ex vase effusio: vel in aram, sive victimas; vel in terram, certis adhibitis ceremoniis, vel precibus, in honorem deorum. Post illas, antequàm cubitum irent, maximè *libationibus* veteres operabantur, & Mercurio potissimum, qui somnum præest. Illi enim post sacrificium peractum cubitum se recepturi, victimarum prius linguas sacrificabant, illas in ignem conjicientes. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 7. *Var. sacr. gentil. c.* 19. *de Prand. vet. c.* 2. & 3. *Feith Ant. Homer.* III. 5. *Buleng. de Conviv.* III. 34. *Lips. Poliorc.* V. 10. V. infr. in *Lingua*.

Libatio in funere fiebat post sepulturam. Fiebat nona die. Et is ultimus erat funeralium. Donat. Ter. Phorm. *In nuptiis septimus dies instaurationem voti habet, ut in funere nonus, quo parentalia concluduntur*. V. supr. in *Feriæ novemdiales*. In illa erant vinum, lac, & sanguis. V. supr. in *Inferiæ*. Postea murratam potionem adhibuerunt, sed & hanc vetuerunt XII. tabulæ: *Murrata potione usos antiquos indicio est*, quod

quod etiam nunc ædiles per supplicationes diis addunt ad pulvinaria, & quod XII. tabulis cavetur, ne mortuo indatur. Addiderunt quoque flores. V. supr. in *Flores*. Et lanam. Varr. de Ling. Lat. VI. 3. *Cum ad sepulcrum ferunt frondes atque flores, addunt nunc etiam lanam.* Et certè tæniæ erant è lana. Cæcil. apud Festum:

Sepulcrum plenum taniarum, ita ut solet.

Prop. III. 4. 29.

Et strigis inventa per busta jacentia pluma,
Cinctaque funesto lanea vitta viro.

Et coronas. Arnob. V. p. 168. V. illum infr. in *Tænia*. Hæ tales erant, quæ sepulcro potius aptæ, quàm capiti, quippè longæ. Cicer. de Leg. II. 24. *Ne sumptuosa respersio, ne longa corona, nec acerra prætereantur.* Meurs. de Fun. c. 29. Feith. Ant. Homer. I. 12. Laurent. Polym. IV. Synops. 7.

Libatio in sacris erat, cum partem aliquam dapum, & ciborum decerpebant, eamque in ignem mittebant, atque ita diis consectabant. Facta est hoc ordine. Victima ad aram per sacerdotem statuta, precibus fusis, sacerdos immolationem auspicabatur; fruges, aut molam salsam in caput spargebat, addito thure masculo; hæc dicta immolatio, quasi molæ in caput victimæ collocatio. V. supr. in *Hostia*. Deinde vinum aspergebat è vase; sed prius ipse leviter *delibabat*, & astantibus degustandum præbebat, ut pariter *libarent*, vocabaturque hic ritus *libatio*. Effusio varia fuit super victimas, prout variæ erant victimæ, antequam mactarentur. V. supr. in *Fundere*, & infr. in *Vergere*. Laurent. Polym. IV. Synops. 7. Var. facr. gentil. c. 19. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 3. c. 1. Saccus Myroth. II. 43.

LIBELLA erat nummus argenteus, fermè assem æquans, & decima denarii. Varr. de Ling. Lat. IV. 36. *Nummi denarii decima libella, quod libram pondo as valebat, & erat ex argento parva.* Cicer. Verr. II. 10. *Et quis Volcatio, si sua sponte venisset, unam libellam dedisset? Libellam* pro asse posuit, ex eo dictam, quod *libra* æris valebat, id est, asse. Cum autem minimam pecuniam significare volebant, assem & *libellam* dicebant. Cicer. pro Quint. Rosc. c. 4. *Hic nisi planum facit, HS.* LIII. *ad libellam sibi deberi, causam perdit*, id est, si minimo quidem nummo minus debitum fuit, ex formula plus petitionis causa cadit. *Bud. de Asse p.* 104. *Pancirol. Notit. dignit. Imp. Orient. c.* 13. *Gronov. de Pecun. Vet.* III. 12. *Salmas. de Mod. Usur. c.* 6. *Turneb. Adv.* XXIX. 36. *Hotman. Antiq. Roman.* IV. 2. 10.

Libella est etiam instrumentum, quo fabri murarii, & cæteri ejusmodi artifices planas superficies ita sistunt, ut horizonti æquidistent: nostro more archipendulum, seu, ut Etrusci, archipenzolum dicitur. Alii passim livellum vocant. Vitruv. I. 6. *Collocetur ad libellam marmoreum amussium.* Bald. Lex. Vitruv.

LIBELLI ab accusatoribus dabantur & offerebantur prætori. Tacit. Annal. III. 44. 2. *Increpabant Tiberium, quod in tanto rerum motu libellis accusatorum insumeret operam.* Ulpian. l. denuntiasse ff. ad leg. Jul. de Adult. *Quid ergo si non quidem denuntiavit, verum libellos accusatorios dedit, antequam nuberet?* Brisson. de Form. V. p. 488. de Adult. Thes. Antiq. Roman. Gronov. Tom. VIII. p. 1371. E. Pollet. For. Rom. IV. 7. Cujac. Obser. I. 20.

Libelli appellatorii, ad quos recurrendum erat, si quis ipso die inter acta voce non appellasset, ita erant concipiendi, ut haberent scriptum, à quo dati essent, id est, quis appellaret, & adversus quem, & à qua sententia, l. 1. §. ult. ff. de Appellationibus. *Brisson. de Form.* V. p. 465.

Libelli continentes invenisse se, & redditutos ei, qui desideraret, proponebantur ab illis, qui alienum quid jacens sustulerant: quemadmodum scribit Ulpian. l. falsus creditor §. qui alienum ff. de furto. Formulam indicat Plaut. Rud. V. 2. 7. Apud illum Gripus piscator, qui vidulum reti in mari exceperat:

Cubitum hercle longis literis signabo jam usquequaque,
Si quis perdiderit vidulum cum auro, atque argento multo,
Ad Gripum ut veniat.

Et à recuperaturis quod amissum erat, illique nomen, &

domicilium adscribebantur, nec non δι' ἀγορᾶς danda denuntiabantur, ut qui invenerant, scirent, quo id reportare, & reddere possent, tabellas deperditas deplorans, ait Prop. III. 21. 21.

Quas si quis mihi retulerit, donabitur auro,
Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I puer, & citus hac aliqua propone columna:
Et dominum Exquiliis, scribe, habitare tuum.

Brisson. de Form. VIII. p. 735.

Libelli delatorii dicebantur, quibus crimina deferebantur à delatoribus. Plin. Epist. VII. 27. 14. *Nihil notabile secutum, nisi fortè, quod non fui reus, futurus si Domitianus, sub quo hæc acciderunt, diutius vixisset: nam in scriniis ejus datus à Caro de me libellus inventus.* Suet. Jul. c. 81. n. 9. *Libellum insidiarum indicem ab obvio quodam porrectum libellis cæteris, quos manu sinistra tenebat, quasi mox lecturus commiscuit.* Calig. c. 15. n. 11. *Libellum de salute sua oblatum non recepit, contendens, nihil sibi admissum, cur cuiquam invisus esset: negavitque se delatoribus aures habere.* Pollet. For. Rom. IV. 7.

Libelli dimissorii dicebantur apostoli. V. illos supr. in *Apostolo*.

Libelli famosi, de quibus Tacit. Annal. I. 72. 4. *Facta arguebantur, dicta impunè erant. Primus Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis ejus tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qua viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat.* Dio LVI. p. 587. C. *Et famosorum libellorum, quos ad traducendos homines à quibusdam scribi acceperat, conquisitionem fieri jussit, repertos in Urbe ab ædilibus, extra Urbem à singulorum locorum præfectis comburi mandavit, in auctores eorum quosdam animadvertit.* Augustus enim ignominia sanxit, quod decemviri capite. Cicer. de Repub. IV. apud August. de Civ. Dei II. 9. *Nostra contra* XII. *tabulæ cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt, si quis occentavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam faceret, flagitiumve alteri præcaretur. Judiciis enim, ac magistratuum disceptationibus legitimis propositam vitam, non poetarum ingeniis habere debemus, nec probrum audire, nisi ea lege ut respondere liceat, & judicio defendere.* Eandem legem intelligit Arnob. IV. p. 151. *Carmen malum conscribere, quo fama alterius coinquinetur, & vita, decemviralibus scitis evadere noluistis impunè: ac ne vestras aures convicio aliquis petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis injuriis.* Verba legis sic edidit Ursinus: *Sei quis occentasit, carmenve condisit, quod alteri flagitium faxsit, capital estod.* Ulpianus quidem, l. 5. §. 9. ff. de injur. *Eos, qui famosum carmen, libellosque famosos scribunt, ex lege intestabiles esse.* Sed hoc non ad decemviralem legem, sed ad quoddam SCtum spectat, cujus meminit Ulpianus, l. 18. ff. de testib. V. illum supr. in *Intestabilis*. Gentil. Parerg. II. 30. Rævard. in Leg. XII. tab. c. 25. Rittersh. in Leg. XII. tab. class. II. c. 13. III. p. 2. c. 36. Ursin. Not. ad Leg. & SCta. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1361. F. Rhodig. Ant. Lect. XV. 25. Elmenhorst. in Arnobium. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. p. 467. G. Thys. Collat. Atticar. & Roman. leg. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. V. p. 1394. A.

Libelli gladiatorum ante pugnam ab editoribus proponebantur. His dies futuri muneris, item nomina, & paria gladiatorum exprimebantur, scilicet alliciendæ plebi, & exspectationi commovendæ. Cicer. Phil. II. 38. V. illum supr. in *Edictum*. Hos ludorum indices vendebant, describebantque palam, ut in provincias mitterent, & ad amicos absentes. Hunc intelligit Cælius, qui illum miserat Ciceroni, meritus ejus notam Fam. II. 8. ubi dicit: *Quid? tu me hoc tibi mandasse existimas, ut gladiatorum compositiones, & vadimonia dilata ad me mitteres.* *Libellum munerarium* vocat Pollio in Claud. c. 5. *Habuit proximè tuus libellus munerarius hoc nomen in indice ludorum.* Lips. Saturn. II. 18. Freher. Cecropistr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1153. A. Thys. de Gladiat. p. 230.

Libelli, supplices nimirum, dicebantur desideria, postulata, preces. Suet. Aug. c. 53. n. 5. *Promiscuis salutationibus admittebat & plebem: tanta comitate adeuntium desideria*

excipiens, ut quendam joco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem. Mart. VIII. 31. 3.

Sed jam supplicibus dominum lassare libellis
Desine.

82. 5.

Dante tibi turba querulos Auguste libellos.

Brisson. de Form. III. p. 292. Pollet. For. Rom. IV. 7. Pancitoll. Notit. dignit. Imp. Orient. c. 97. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 34. Dicebantur *libelli*, quia in pagellas, & parvi *libri* formam complicabantur. Suet. Jul. 56. n. 9. *Epistolæ ejus ad senatum extant, quas primus videtur ad paginas, & formam memorialis libelli convertisse, cum antea consules, & duces non nisi transversa charta mitterent scriptas.* Per *libellum* autem supplicem lites expediebantur, quæ de plano, id est, extra tribunal causæ cognitionem non desiderabant, & ubi adversarius non contendebat. Ulpian. l. nec quicquam §. 1. C. de Offic. proconf. *Ubi decretum necessarium est, per libellum id proconsul expedire non poterit: quacunque enim causa cognitionem desiderant, per libellum non possunt expediri.* Etiam excusatio tutoris dati. Modestin. l. scite etiam oportet §. oportet de excus. tutor: *Oportet excusari tutorem, vel ante tribunal, vel apud acta; potest autem & libellos dare.* Similis excusatio ex numero liberorum in *libello* facta est apud Callistr. l. semper §. 2. de Jur. immun. Et hæc per assessores plerumque expediebantur. Papin. l. miles §. sexaginta de adult. *Quoniam de plano quoque libellus dari potest: in his perpendendis studium assessorum versabatur.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 16. Illis rescribebant Principes. V. infr. in *Rescribere*, subscriptosque annulo signabant, signatosque reddi illis, qui porrexerant, jubebant. Suet. Aug. c. 51. n. 1. *In diplomatibus, libellisque, & epistolis signandis initio sphinge usus est.* Rævard. de Div. reg. jur. LXXI.

Libelli vadimonii erant, quibus describebant adversarios, quos in jus erant vocaturi, cum a prætore petiissent, ut liceret eos vadari. Plaut. Curc. I. 3. 5. & Aul. II. 4. 37. V. illum infr. in *Vadari*. Prætor *libello* subscribebat. Plin. Epist. I. 10. 9. *Sedeo pro tribunali, subnoto libellos.* Pollet. For. Rom. V. 1.

Libellis veteres solebant adire præsentes amicos. Hujus moris repertor fuit C. Cæsar. Plutarch. Cæs. p. 716. A. *Ferunt & Cæsarem primum rationem reperisse amicos per literas conveniendi, cum coram agendi de rebus iis, quæ incidissent, nec multitudo occupationum, nec Urbis magnitudo semper spatium darent.* Eundem tenuit Augustus. Suet. c. 84. n. 5. *Sermones quoque cum singulis, etiam cum Livia sua graviores non nisi in scriptis, & ex libello habebat, ne plus minusve loqueretur ex tempore.* Imò & Principes. Tacit. Ann. IV. 39. *Sejanus, promissum matrimonium flagitante Livia, componit ad Cæsarem codicillos: moris quippe tum erat, quanquam præsentem, scripto adire.* Callistr. l. Divus ff. de re judic. *Divus Adrianus aditus per libellum a Julio Tarentino .... Exemplum libelli dati mihi à Julio Tarentino mitti tibi jussi.* Lips. ad Tacit. Annal. IV. n. 103. Brisson. de Form. III. p. 292. Guther. de Offic. dom. Aug. I. 34. Imò & præsentem Imperatorem. Suet. Jul. c. 81. n. 9. V. illum supr. in *Libelli delatoris*. Rævard. de div. reg. jur. LXXI. Buleng. de Imperat. Rom. I. 33. Caroli Antiq. Roman. II. 10. Qui etiam per *libellum* respondebat. Suet. Ner. c. 15. n. 1. *In jurisdictione postulatoribus, nisi sequenti die, ac per libellos, non temerè respondit.* Intelligit haud dubiè *libellos*, quibus adiri principes moris erat. Et sic per consequens expeditio postulationis fieri etiam per *libellum* subscriptione solebat, l. 29. ad l. Corn. de falsis. Si autem res, quæ per *libellum* petebatur, talis esset, ut opus haberet decreto, tunc per *libellum* non poterat expediri, sed in diem cognitionum differebatur. Ulpian. Dig. I. 16. 9. 1. *Ubi decretum necessarium est, per libellum id expedire proconsul non poterit: omnia enim, quacunque causa cognitionem desiderant, per libellum non possunt expediri.* Rævard. Protribun. c. 8. Alciat. Parerg. II. 3. Imbert. Instit. Forens. I. 2.

LIBELLIO est venditor minutorum *libellorum*. Stat. Sylv. IV. 9. 21.

De capsa miseri libellionis.

In vet. gloss. exponitur *librarius*, βιβλιοπώλης, βιβλιογράφος. Non. II. 499. *Dicitur, ut tabellio.* *Var. Manio. Tum ad me fuerunt, quo libellionem esse sciebant.* Tales non in taberna, aut pila, sed in capsa totam suorum *libellorum* suppellectilem facilè urbem circitantes gerunt. *Turneb. Adv.* XX. 32. *Voss. Lex. in Liber. Domit. in Statium.*

LIBERA eadem, quæ aliàs Proserpina, Bacchi, qui *Liber*, conjux, Cerere fuit nata. Cicer. de Nat. deor. II. 23. *Liberum, non eum, quem nostri majores augustè, sanctèque Liberum cum Cerere & Libera consecraverunt.* Borrich. Ant. Urb. fac. c. 13. §. 3. Gyrald. *Synt.* deor. VIII. p. 272. D. Ortel. Deor. & deat. cap. II. 53. Culta fuit, ut feminis semen emitteret. Meurs. de Puerper. c. 1.

LIBERALIA & Bacchanalia licèt uni & eidem dæmoni fuerint consecrata, qui & Bacchus & Liber fuit vocatus, tamen secundum Romanorum consuetudinem non eodem tempore fuerunt celebrata. *Liberalia* enim sacra fiebant 16. Kalend. April. Bacchanalia singulis mensibus agebantur. *Gyrald. Synt. deor.* XVII. *p.* 494. *A. Stuck. Ant. Conviv.* I. 33. *Hospinian. de Fest. p.* 128. *Laz. Comm. Reip. Rom.* X. 9. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 6. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 10. §. 31. Festus: *Liberalia Liberi festa, quæ apud Græcos dicuntur Dionysia.* Nævius: *Libera lingua loquemur ludis Liberalibus.* Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Liberalia dicta, quod per totum oppidum eo die sederent sacerdotes Liberi, hedera coronatæ anus, cum libis & foculo pro emptore sacrificantes.* Varronis verba sic exaudio: *Liberalium* die anus Libero patre dignæ antistitæ, & sacerdotes, utpotè vinosiores, hedera & ipsa Libero sacra coronatæ, passim per oppidum sedebant cum foculo, & libis mellitis, quæ ipsæ confecerant. Ovid. Fast. III. 761.

Melle pater fruitur, liboque infusa calenti
Jure repertori candida mella damus.
Femina cur præstet, non est rationis operta.
Femineos thyrso concitat ille choros.
Cur anus hoc faciat, quæris? vinosior ætas
Hæc est, & gravidæ munera vitis amans.
Cur hedera cincta est? hedera est gratissima Baccho.

Et ad quæ populos vocabant, id est, transeuntes quoslibet ad liborum emptionem invitabant, & pro emptore sacrificabant, libi empti parte foculo indita. Si cui visum sit anus à Liberi sacerdotibus distinguere, intelligit liba mellita, sive Liberi bellaria ab anu confici solita, & vendi: sacerdotes autem pro emptore sacrificare solitos libi empti parte foco aspersa. Sane in libro Baruch mentio fit mulierum sufflentes Belo ad vias adolentium. *Liberalibus* etiam veteres in publico discumbebant. Tertull. Apolog. c. 42. *Non in publico Liberalibus discumbo.* Pub. Subcel. I. 9. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 627. A. Stuck. l. l. Voss. de Idolol. I. 12. Rosin. Ant. Rom. IV. 7. Perion. de Rom. & Græc. magistrat. III. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2811. C. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 9. Instituta fuerunt ad uberiorem vinearum proventum impetrandum. Docet hoc Virgilius, qui postquàm illa descripserat Georg. II. 379... 388. statim addit n. 389.

Hinc omnis largo pubescit vinea fœtu.

Congressibus flagitiosis, & nocturnis, ut Bacchanalia, non peragebantur, sed ludicris quibusdam & ridiculis. Incidebant Romæ post veris initia, quo tempore vina à fecibus eximebantur. In Græcis verò in mensem Ποσειδεῶνα. Theophr. Char. Eth. c. 4. *Narrabit mysteria solita celebrari Posideone quærens agerentur Dionysia.* Mariscott. de Person. & Larv. c. 3.

LIBERALITAS vocabatur congiarium, Imperatoris munus, quod populo dabatur, ad distinctionem muneris militaris, quod donativum dictum. V. supr. in *Congiarium*.

LIBERI connubio interveniente patrem sequuntur, non interveniente, matris conditioni accedunt. V. supr. in *Lex Mensia*. *Liberos* recens natos quisque civium Romanorum apud præfectos ærarii debebat profiteri intra trigesimum diem, in provinciis per tabularios publicos. Apul. Apol. p. 541. *Pater sibi natum filium more cæterorum professus est.* Et hanc natalem professionem παιδογραφίαν vocat Modestinus. *Barthol. de Puerp. vet. p.* 155. Ex hoc vetere more ductum est, quod Scævol. l. Imperatores §. 1. ff. de

ff. de probat. refert, mulierem gravidam repudiatam filium absente marito ut spurium in actis professam esse. Instituit hoc Imperator M. Antoninus Philosophus. Capitol. c. 9. *Inter hæc liberales causas ita munivit, ut primus juberet apud præfectos ærarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri, intra tricesimum diem* (V. supr. in *Dies lustrici*) *nomine imposito. Per provincias tabulariorum publicorum usum instituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud præfectos ærarii.* Quanquam etiam ante Marci ætatem clarorum virorum ortus in acta publica relatos intelligimus. Suet. Tib. c. 5. n. 2. *Natus est Romæ in palatio.... Sic enim in fastos, actaque publica relatum est.* Cal. c. 8. n. 5. *Ego in actis Antii ipsum invenio editum.* Sed & hujusmodi professionum speciem quandam Servius Tullius præmonstraverat, qui in singulorum *liberorum* recens natorum capita aliquid Junonis Lucinæ templo inferri, patresque in censu habendo non facultates modò, sed suum quoque & uxoris, & *liberorum* nomen, ætatemque profiteri instituit. Dionys. iv. p. 220. V. illum infr. in *Nummus*. Nec nomen tantum, sed etiam cognomen. Capitol. in Gordian. c. 4. *Jam illud satis constat, quod filium Gordianum nomine, Antonini signe, id est, cognomine illustravit, quum apud præfectum ærarii more Romano professus filium publicis actis ejus nomen insereret.* Quod fiebat, ut de paterno jure constaret; nam, cum id fiebat, in acta referebantur etiam parentes. *Laurent. de Natalit. & conviv. c. 1. & 3. Robertell. de Gradib. honor. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p (43.) A. Salmas. in Capitolinum, & Exerc. Plin. p. 504. b. C. Brisson. Antiq. Select. 1. 5. Kipping. Antiq. Roman.* 1. 10. *Barthol. de Puerp. p. 156.* Educandorum sub pædagogis disciplina est antiqua. Integram illam patrisfamilias in medium proponit Plaut. Bacch. III. 3. 16.... 30. De educatione & disciplina à Numa instituta Plutarch. p. 77. D. Qui de Faliscis hæc habet in Camill. p. 133. F. *Liberique eorum circa ludos frequentes essent, & circa muros ambulationis exercitationisque causa producerentur à magistro communi. Demandabant Græcorum more Falisci liberos, ut eisdem à prima ætate rudimentis, contubernioque assuescerent.* De Tusculanis ibid. p. 149. C. *Tusculani errorem callidè advertentes, cum esset jam in expeditione Camillus adversus ipsos, aratoribus pastoribusque agros ut in alta pace compleverant, patebant portæ, pueri in ludis literis operam dabant.* De Urbis incunabulis, quibus Gabios mittebant pueros instituendos, Romul. p. 20. C. *Romulum & Remum literis, omnique liberali disciplina Gabiis institutos.* Laurent. de Natalit. c. 4. Et à parentibus necessariò instituenda. Nam præter lecti consuetudinem, etiam educationis cura, conservandique facultas requiruntur. Hæc nisi conjungantur, aut præmatura morte *liberos* antevertunt, aut ab obeunda munia ineptos reddunt, inerti pondere patriam replentes. Strab. iv. p. 123. *Galliæ mulieres temperatæ sunt corpore, & natura sua fœcundæ: nec minus prolis probè educandæ sunt studiosæ.* Casal. de Ritu nupt. c. 2. Etiam pueri mensæ focii adhibebantur, sed in sponda, vel in imo subsellio, ut exemplo patrum temperantiam discerent; & quidem sedentes, non accumbentes, quia spernebant accubitum à pueris, quasi luxuriæ ritum illi ætati non decorum. Suet. Aug. c. 64. n. 7. *Neque cœnavit una, nisi ut in imo lecto adsiderent.* Tacit. Annal. XIII. 16. *Mos habebatur, principum liberos cum cæteris idem ætatis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum, propria, & parciore mensa.* Suet. Claud. c. 32. n. 3. *Adhibebat omni cœna & liberos suos cum pueris, puellisque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur.* Lips. in Tacitum. Chiment. de Bisell. c. 29. Meurs. Auctar. Philol. c. 36. Ursin. de Triclin. p. 251. Buleng. de Conviv. 1. 14. Pitisc. in Suetonii Augustum. Cum parentibus non lavabantur. Capitol. Gordian. c. 6. *Socero suo Annio Severo tantum detulit, ut in familiam ejus quasi filium migrasse se crederet, ut nunquam cum eo lavaret.* Casaub. in Capitolinum. Duorum fratrum invicem rectè matrimonio jungebantur. V. infr. in *Matrimonium*. Qui parentum concubinas duxerint, tam irreligioso matrimonio stuprum committebant. Imperator Alexander C. de Nuptiis, l. 4. *Liberi parentum concubinas uxores ducere non possunt: quia minus religiosam, & probabilem rem facere videntur. Qui si contra hoc fecerint, crimen stupri committant.* Brisson. de Adult. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 1357. F. Plures quàm collega, qui aut in potestate habebat, aut bello amiserat, prior ex consulibus fasces sumebat. V. supr. in *Fasces*. Propter illos qui excusentur tutores, & curatores, docet Justin. Instit. 1. 25. *Excusantur tutores, & curatores variis ex causis: plerumque tamen propter liberos, sive in potestate sint, sive emancipati. Si enim tres liberos superstites Romæ quis habeat, vel in Italia quatuor, vel in provinciis quinque, à tutela, & cura potest excusari.* August. de Leg. in Papia Poppæa. Trium.... jus V. supr. in *Jus*. Illis sanitati restitutis Castori & Polluci tanquam diis magnis votum parentes faciebant. Quod indicat hoc saxum:

CASTORI. ET. POLLUCI. DIIS. MAGNIS
SULPITIA. Q. SULPITII. F. VOTUM
OB. FILIUM. SALUTI. RESTITUTUM.

Tomas. de Donar. c. 10. Per parentum cineres religiosè supplicabant, & jurabant. V. supr. in *Cineres*. Parentes elugere compellebantur. Docent hoc inscriptiones innumeræ. *Exhæredatum etiam filium luctum habere memoriæ patris placuit. idemque in matre juris fuit, cujus hæreditas ad filium non pervenerit.* Papinian. l. Exhæredatum ff. de his qui not. inf. *Guther. de Jur. man.* III. 28. Parentum, cum morerentur, oculos claudebant. V. infr. in *Oculi*. Jure civili à parentibus, in quorum potestate erant positi, absque ulla causa exhæredabantur, aut præteribantur: nec ullum remedium, vel civili, vel prætorio jure relictum erat, quo ad bona inhumani patris testamento ejus sollenniter facto, & subsistente pervenirent. De illa re cum tandem maximæ querelæ ad populum ferrentur, populus Romanus, ad quem suprema erat provocatio, per centumviros, qui erant legitimus populi Romani conventus, extra ordinem jussit subvenire, *non enim erat consentiendum parentibus, qui adversus liberos suos testamento* inducunt, l. 4. de inoffic. testam. Hujus æquitatem considerantes coss. prætores, atque ipsi principes, adeò eorum legibus, edictis, & decretis confirmarunt hanc querelam, quod tandem in ordinariam jurisdictionem abierit. V. infr. in *Testamentum inofficiosum*. Siccam. de Centumv. jud. II. 5. Qui contra parentum voluntatem matrimonium contraxerunt, exhæredari non possunt novo Justiniani jure. Patet hoc ex Novell. 115. ubi unam hanc ob causam nuptias contra parentis voluntatem contractas recenset, cum filia oblatam sibi à patre conditionem repudiavit, & aliam turpem delegit. Jure antiquo poterant. Non enim dubito, quin illa causa probata centumviris fuisset, quorum de inofficiosis testamentis, & exhæredati meritis mentionem fuisse nemo ignorat, l. 3. §. si emanc. ff. de bonor. poss. contr. tab. 1. filius ff. de inoffic. test. l. si filiam 19. C. eod. l. propter vim patriæ potestatis, ut non modò ex juris civilis regulis, verùm etiam ex principum constitutionibus liceret patri, si qua justa causa videretur esse, filiam à genero abducere, & matrimonium dissolvere. II. quoniam edicto prætoris infamia notabatur filius, qui non jussu ejus, cujus in potestate est, uxorem duxerat, l. 1. de his, qui not. inf. III. quia Ulpianus testatur, justam irarum causam videri etiam contra emancipatum filium, atque adeò contra nepotem ex eo susceptum, si filius injussu patris uxorem duxerit: &, si eum in suo testamento præterierit, ac velit nepos contra tabulas agere, judices ejus merita expensuros; nimirum, ut si justa irarum causa videatur, eum excludant, d. l. 3. §. 5. ff. contr. tab. *Hotmann. de rit. nupt. c.* 3. Exilio, suppliciоque domestico castigabantur; ut relegati ab Urbe, atque hominibus in agros ad opus rusticum faciendum secedere juberentur. Exemplum præclarum in T. Manlio Torquato suppeditant historiæ. Cicer. de Offic. III. 31. *Criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset, & ruri habitare jussisset.* Senec. de Benef. III. 17. *Vicit patrem, imperiosum quidem, T. Manlius, qui cum ad tempus relegatus esset à patre ob adolescentiam brutam, ac hebetem....* Et in Sext. Roscio Amerino, quem

præ odio pater in prædia rustica relegarat, cum alterum filium omni tempore vellet secum esse: id quod ipsi Sextio accusator Erucius objiciebat, cui oratorium in modum ita respondet Cicer. pro Sext. Rosc. c. 15. *Quid ais, Eruci, tot prædia, tam pulcra, tam fructuosa Sext. Roscius filio suo, relegationis, ac supplicii gratia colenda, ac tuenda tradiderat? An amandarat hunc sic, ut esset in agro, ac tantummodo aleretur ad villam? ut commodis omnibus careret? quid si constat, hunc non modo colendis prædiis præfuisse, sed certis fundis, patre vivo, frui solitum esse? tamenne hæc atrocata vita & rusticana relegatio, atque amandatio appellabitur?* Imò in insulas projicerentur. Suet. Aug. c. 65. n. 5. *Agrippam brevi ob ingenium sordidum, ac ferox abdicavit, seposuitque Surrentum.* n. 12. *nihilo tractabiliorem, imò in dies amentiorem in insulam transportavit, sepsitque insuper custodia militum.* Insulam hanc Planasiam, ubi historiam eandem narrat, vocat Tacit. Annal. I. 3. 6. *Fab. Semestr.* II. 5. Imò vendebantur, & necabantur. V. supr. in *Emancipatio*, & *jus patrium*.

LIBERI initio & ingenui omnes nascebantur. Ulpian. l. 4. ff. de just. & jur. *Utpote cum jure naturali omnes liberi nascerentur.* Attamen etsi *libertas naturalis est facultas* à jurisconsulto dicitur, & *libertatem* civilem apud Tacit. Hist. IV. 17. 9. in oratione ad milites *natura etiam mutis animalibus esse datam, virtutem proprium hominis esse bonum* pronuntiat, & denique Tryphonian. l. 64. de condict. indeb. *libertatem naturali jure contineri, & dominationem ex gentium jure introductam* asserit: ipsum tamen ut servituris, ita *libertatis* nomen, & ingenuitatis quoque, ac libertinitatis juri gentium acceptum ferre debemus. Ulpian. l. l. *Et cum uno naturali nomine homines appellaremur, jure gentium tria genera esse cœperunt: liberi, & his contrarium servi, & tertium genus liberti, id est, qui his desierant esse servi.* Senec. de Ben. III. 28. *Eadem omnibus principia, eademque origo: nemo altero nobilior.* Epist. 31. *Quid est eques Romanus, aut libertinus, aut servus? Nomina ex ambitione, aut ex injuria nata.* Fab. Semest. II. 3. *Liberi* dicebantur omnes homines, Urbem, agrumque Romanum inhabitantes, qui naturale arbitrium faciendi, quodcunque liberet, erant adepti. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 6.

LIBERTA, quæ patrono nupsit, patroni uxor esse debet, quamdiu volet patronus eam uxorem esse. Ulpian. l. I. in fin. unde vir. & uxor. *Si liberta ab invito patrono divertit, lex Julia de maritandis ordinibus retinet istam in matrimonio, dum eam prohibet alii nubere invito patrono*, l. in eo jure de rit. nupt. *In eo jure, quod dicit invito patrono libertam, quæ ei nupta est, alii nubere non posse, patronum accipimus eum qui hac lege emit, ut manumittat*, l. ult. de Divort. *Quod ait lex, divortii faciendi potestas liberta, quæ nupta est patrono, ne esto.* Brisson. de Jur. connub. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1074. D. August. de Leg. in Julia de marit. ordin.

LIBERTAS à Romanis dea habita, & culta est, ut qui maxime ei studerent, ab eo videlicet tempore, quo in *libertatem* sese vindicaverе. In Titi Claudii numismate æreo fuit *Libertas* stans in lacinia cum pileo in dextra, alteram manum expansam habens cum his notis: LIBERTAS. AUGUSTA S. C. In Nervæ Cæsaris Augusti numismate æreo fuit in altera parte effigies ipsius Nervæ, cum his notis: IMP. NERVA. CÆSAR. AUGUSTUS. P. M. TR. PL. COS. II. PP. in aversa parte hæc erant verba: LIBERTAS. PUBLICA SC. & erat ibi imago LIBERTATIS stantis in lacinia, in dextra pileum, in lævo hastam tenentis. *Landus in vet. num. Rom. misc. explic. Myc. Ital. Tom. I. p. 392. Gyrald. Synt. deor. I. p. 38. B. Ortel. Deor. & dear. c. II. 52.*

Libertas, quam per manumissionem consequebantur servi, *a primis urbis Romæ incunabulis una atque simplex erat, id est, eadem, quam habebat manumissor, nisi quod libertinus esset qui manumitteretur, licet manumissor ingenuus esset.* Justinian. Instit. 1. 5. 3. Postea, scilicet temporibus Augusti, duplex esse cœpit, justa & non justa. Justa, quæ vindicta, censu, testamento data. Non justa, quæ inter amicos, in convivio, per epistolam. Senec. de vit. beat. c. 24. *Hominibus prodesse natura jubet, servi liberive sint; ingenui, an libertini;* *justæ libertatis, an inter amicos data.* Suet. Aug. c. 40. n. 8. *Servos non contentos multis difficultatibus à libertate, multoque pluribus à libertate justa removisse.* Justa illa qui manumissi planè, plenèque liberi erant: qui altera, *vinculo* adhuc *quodam*, ut ait Tacit. Annal. XIII. 27. 4: *attinebantur servitutis*: imò retrahi poterant in servitutem. Fragmentum quoddam Ic. veteris à Puteano: *Hi, qui domini voluntate in libertate erant, manebant servi: & manumissores audebant in servitute denuo eos per vim ducere. Interveniebat prætor, & non permittebat manumissum servire.* Et addit post: *Sed nunc habent propriam libertatem, qui inter amicos manumittuntur, & fiunt Latini Juniani.* Scitè ergo ob hunc iteratæ servituris metum Messenio servus, qui inter amicos manumissus, subjicit apud Plaut. Men. V. 9. 88.

Sed meliore opus est auspicio, liber perpetuo ut siem.

Lips. in Tacit. Annal. XIII. n. 89. Loon. de Manum. I. c. 2. . . . Pith. Subc. II. 9. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 6. Moribus apud veteres receptum erat, uti servus interdum cum domino quasi pacisceretur in certum pretium: quod si exsolvisset, *liber* esset. Id pretium è peculio servi, vel adventitio lucro. Senec. Epist. 80. *Mancipia quoque conditionis extremæ, & in his sordibus nata omni modo exuere conantur servitutem; peculium suum, quod comparaverunt ventre fraudato, pro capite numerant.* Eo respexit Virg. Ecl. I. 33.

Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.

Ita quoque intelligendus est ille versus ad Priapum 40. 1.

Nota Suburanas inter Telethusa puellas,
Quæ puto de quæstu libera facta suo est.

Verus sanè ille mos, cujus vestigia in Plauto. Ita Strobilus reperto thesauro Aul. V. I. 8.

Quin ego illume invenisse hanc prædam dico atque eloquor?
Igitur orabo, ut manu me mittat.

Gripus Rud. IV. 2. 23.

Nunc sic faciam, sic consilium est, ad herum ut veniam docte, atque astute.
Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut sim liber.

Ejus meminit Tacit. Annal. XIV. 42. 1. *Haud multò post præfectum Urbis Pedanium Secundum servus ipsius interfecit: seu negata libertate, cui pretium pepigerat ....* Servi hoc modo *libertatem* pacti à dominis fidei causa tabellas accipiebant. Senec. Epist. 80. *Itaque in tabellas conjicitur vanum nomen libertatis, quam nec, qui emerunt, habent, nec qui vendiderunt.* Has *instrumenta status* vocat Paull. l. 3. §. 1. ff. quod metus causa. Poterantque ad eam invitis dominis pervenire. Plaut. Cas. II. 5. 5.

Quid tu me verò libertate territas?
Quid si tu nolis, filiusque etiam tuus,
Vobis invitis, atque amborum ingratiis
Una libella liber possum fieri.

Hoc non aliter est intelligendum, quàm ut cum hero jam ante pactus fuerit in libram. Si verò nolint eos domini manumittere, possunt cum iis consistere. Hermogen. l. 53. ff. de Judiciis: *Adversus dominos servis consistere permissum est, si quis suis nummis redemptos esse, & non manumissos, contra placiti fidem adstrueret.* Si probaverint suis se nummis redemisse, liberi erunt; sin minus, in metallum damnentur. Marcian. l. 5. ff. de Manum. *Si quis dicat se suis nummis emptum, potest consistere cum domino suo, cujus in fidem confugit, & queri quod ab eo non manumittatur, Romæ quidem apud præfectum ærarii, in provinciis verò apud præsides ex sacris constitutionibus divorum fratrum, sub ea tamen denuntiatione, ut is servus, qui hoc intenderit, nec impleverit, in opus metalli detur.* Lips. in Tacitum. Gruter. Suspic. VIII. 7. Taubman. in Plaut. Aulularium. Loon. ibid. III. 5. 8. Adjicio, frugi servos totò servisse ultra quinquennium. Testatur Cicer. Phil. VIII. 11. *Etenim P. C. cum non in spem libertatis sexennio post simus ingressi, diutiusque servitutem perpessi, quam captivi frugi, & diligentes solent, quas vigilias, quas sollicitudines, quot labores, liberandi populi Romani causa recusare debemus?* Gruter. l. l. Hanc semel qui erat adeptus, is eam, nisi ipse auctor factus esset, non potest amittere. Cicer. pro Dom. c. 29. *Scilicet hoc juris a majoribus proditum sit, ut nemo civis Romanus aut libertatem*

tem, aut civitatem possit amittere, nisi ipse auctor factus sit? Jus à majoribus nostris ita comparatum est, ut civis Romanus libertatem nemo possit invitus amittere. Quinetiam si decemviri sacramentum in libertatem injustam judicassent, tamen, quotiescunque vellet quis in hoc genere solo rem judicatam referre, posse voluerunt. Civitatem verò nemo unquam ullo populi jussu amittet invitus. c. 30. *Majores nostri ea de civitate, & libertate jura sanxerunt, quæ nec vis temporum, nec potentia magistratuum, nec res tum judicata, nec denique universi populi Romani potestas, quæ cæteris in rebus est maxima, labefactare possit.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 6. Ne quidem exsul, aut deportatus. V. supr. in *Exsul.*

Libertas Latina *ad similitudinem antiquæ Latinitatis, quæ in coloniis missa est, videtur esse introducta.* Justinian. C. l. unic. de Lat. libert. toll. Qui dum hanc tollit, enumerare videtur eos modos, quibus Latini liberti fiebant. Principio enim per epistolam jubet *libertate* data quinque testibus adhibitis civitatem competere: quem esse Latinæ *libertatis* modum Cajus & Theophilus scribunt. Item inter amicos totidem testibus præsentibus. Addit, quod ex edicto Claudii olim Latinitas competebat, si ægrotus servus domo ejectus esset: hic enim olim *libertus* Latinus fiebat, hodie civis Romanus. Huc accedit, si ancilla adversus conditionem venditionis prostituta sit. Sed & qui pileati domini funus antecedunt, ut captivi cives Romani, qui in triumpho pileati incedebant, quasi liberati servitute ab eo qui triumphabat: ut Q. Terentius Culleo Scipionem Africanum apud Liv. xxx. 45. Sed quoniam hæredes solebant ostentationis gratia multos servos ita adornare, neque eis postea ut libertis utebantur, jussit Justinianus cives Romanos fieri: item illos, qui cadaver ventilare in lectulo viderentur, de quibus nihil accepi. Sed arbitror ejusmodi esse, atque eos, qui in funere Pontificum, aut optimatum hodie ad cadaver atrati cum insignibus, atque flabellis ministrant. Sed neque hos, neque illos, neque etiam ancillas prostitutas Latinitatem olim fuisse consecutas ab Justiniano apertè dicitur. Quod sequitur, apertum est, si *libertas* ea conditione data esset, sive testamento, sive vindicta, ut manumissus *libertate* Latina uteretur. Hunc enim olim Latinum fuisse non dubito, ex Justiniani lege civem Romanum. Sed & si sub conditione *libertas* daretur, & hæres ei præstitisset antea *libertatem*, Latinus erat: si conditio existeret, civis, & opinor, Romanus. Sed ex illa constitutione civis utroque casu, sed alterum hæredis libertus, altero orcinus, hoc est, testatoris. V. infr. in *Liberti.* Si in liberali judicio superatus fuerat servus à domino, deinde servi pretium ab aliquo ei solutum esset, in Latinitate servus constituebatur: sed id quoque Justinianus tollit, & ei civitatem dat, patronatus jure illi ablato. Item Latina fiebat, quæ cum ancilla esset, homini libero fuit in uxorem à domino data, & dos ei, tanquam liberæ, data fuit. Sed & qui apud acta servum suum filium dixerit, aut ipsi servo instrumenta, ex quibus servus ostendebatur, tradiderit, vel ipse corruperit, qui novissimus Latinitatis modus fuisse dicitur. Et his omnibus casibus ex illa Justiniani constitutione cives Romani fiunt, hoc autem postremo necesse est quinque testes adesse, cum dominus instrumenta dat, aut ea corrumpit. Cæteros Latinitatis modos tollit, in quibus ille est, si servus ad convivium adhibeatur. Latini differebant à civibus Romanis, quod cives testamenti factionem habeant; Latini neque testamenta facere, neque ex testamento cuiquam succedere possint. A dediticiis, quod dedititii nullo pacto civitatem Romanam consequi poterant; Latini, si iterum testamento, aut vindicta, aut in ecclesia manumitterentur, cives fiebant. Hoc agnoscimus in Plin. Epist. VII. 16. 3. *Proconsul provinciam Bæticam per Ticinum est petiturus. Spero, immo confido, me facilè impetraturum, ut ex itinere deflectat ad te. Si voles vindicta liberare, quos proximè inter amicos manumisisti.* August. de Leg. in Julia Norbana, Cellar. in Plinium. V. & supr. in *Latini Juniani, Lex Junia Norbana, Lex Ælia Sentia, & Dedititius.*

LIBERTI dicebantur, qui servitutem servissent, & ex illa manumissi. *Ferret. Mus. Lap.* III. *Memor.* 33. *Salmas. de Mod. usur.* c. 19. Quomodo manumissi fuerint, V. infr. in *Manumissio.* Per Urbem lectica non gestabantur. Hoc ut non crederem, inductus sum auctoritate Suetonii, qui Claudium Imperatorem, Harpocræ liberto, *lectica per Urbem vehendi, spectaculaque publicè edendi jus tribuisse* scribit c. 28. n. 3. Mercur. Gymn. III. 11. Scheff. de Re vehic. II. 5. Ad imperium usque Diocletiani curia exclusi erant, nec ad decurionatum adrepere poterant. Diocletianus, l. 1. C. si serv. aut. lib. ad decur. aspir. *Si libertus jus aureorum annulorum adeptus non est, vel natalibus suis non restitutus, præses provinciæ non tantum curiæ participare non permittat, sed juxta legis severitatem congruenti pœna ulciscatur.* Hinc lege Visellia, damno cum infamia afficiebantur. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert.* I. *p.* 78. *Spanhem. Exercit. ad Constit. Anton. Imper.* §. 9. *Pancirol. de Magistr. munic.* c. 2. Patronorum nomina assumebant, illorumque gentiles dicebantur. Docet hoc Scævola: *Lucius Titius testamento ita cavit: prædiolum meum dari volo libertis, libertabusque meis, & quos hoc testamento manumisi, & Seja alumna mea, ita ne de nomine familiæ meæ exeat....* Post testatoris obitum *libertorum familia* vocabatur, ut docet Papin. l. cum pater §. libertis ff. de Legat. II. Hinc Pompeji quendam *libertum* Pompejum Lenæum à Plin. xxv. 5. & Suet. de Clar. Gramm. c. 15. n. 1. Lauream Tullium Ciceronis *libertum* à Plin. XXXI. 1. & Cornelium Alexandrum Cornelii Lentuli *libertum* à Suida appellari videmus. *Aleat. Dispunct.* IV. 3. *Brisson. Ant. Select.* II. 14. *Guther. de vet. jur. pont.* II. 7. *de jur. man.* II. 9. *Chiment. Bisell.* c. 8. V. etiam infr. in *Servi.* In sepulcris tamen familiaribus, sive hæreditariis sepeliri non poterant, nisi hæredes extitissent patrono, quamvis quidam inscripsissent, *monumentum sibi, libertisque suis fecisse.* Quæ ita tradit Ulpian. l. vel quod ff. de religios. *Brisson. de Form.* VII. *p.* 708. Illorum quidam fuit ordo, ut quidam primi, quidam secundi, & tertii dicerentur: quod alteri apud patronum priorem locum obtinerent, alteri proximum. Ergo primi, & secundi dicebantur, ut alii omnibus potiores. Ac fortasse inde factum est, ut apud ICtos tam sæpè nomen primi, & secundi legamus. Et apud Mart. I. 2. 7.

Libertum docti Lucensis quære secundum.

& in quadam inscriptione: FECIT. SIBI. ET. PETIÆ. COLLIBERTÆ. PRIMÆ. UXORI. *Turneb. Adv.* XI. 9: XVIII. 3. *Pith. Subcis.* II. 9. Imperatorum ad certamen admittebantur, ita ut non modò hieronicæ coronati, sed etiam synodi xysticorum pontifices efficerentur. Antiqua inscriptio:

L. AURELIUS. APOLAUSTO. MEMPHIO. AUGG. LIB. HIERONICÆ. CORONATO. ET. TON. DIAPANTON. APOLLINIS. SACERDOTI. SOLI. VITTATO. ARCHIEREI. SYNHODI. ET. AUGG. L. AURELIUS. PANICULUS. QUI. ET. SABANAS. PATRONO. OPTIMO.

Privatorum, sive patrumfamilias ad sacra certamina, & xystum admittebantur. *Mercur. Agon.* III. 17. In funere patroni ante lectum ejus ibant pileati. Liv. XXXVIII. 55. Q. Terentium Culleonem *adeò amicum Corneliæ familiæ fuisse, ut eum, sicut ierat in triumpho, sic in funere quoque P. Scipionis ante lectum isse pileatum memoriæ proditum sit, & ad portam Capenam mulsum prosecutis funus dedisse.* Eoque respexit omninò Justin. l. unic. §. sed & qui C. de Latin. libert. tollend. *Ravard. Protribun.* c. 7. *Clasen. Theol. gentil.* I. 10. 25. Ingrati, & beneficii manumissionis immemores in servitutem retrahebantur, ad exemplum Atheniensium. De illis Valer. Max. II. 6. 6. *Age, quod illud institutum Athenarum, quam memorabile? quod convictus à patrono libertus ingratus jure libertatis exuitur. Supersedeo te, inquit, habere civem, tanti muneris impium æstimatorem. Nec adduci possum, ut credam urbi utilem, quem domi scelestum cerno: abi igitur, & esto servus, quoniam liber esse nescisti.* Hinc Claudius *ingratos, & de quibus patroni quererentur, revocavit in servitutem.* Suet. c. 25. n. 4. Et Imperatores Honorius, & Theodosius Cod. VI. 7. 4. *Libertinæ conditionis homines, vel eorum filii, etiam si militantes docebuntur ingrati,*

ad servitutis nexum procul dubio revocentur. Rævard. Conject. l. 1 1. Savar. Sidon. Epist. xx. 10. Stephan. de Jurisd. vet. c. 14. Spanhem. Exerc. II. ad Constit. Anton. Imp. §. 9. August. de Leg. in Ælia Sentia. Lonn de Manum. II. 6. §. 2. . . . Siebterman. de Pœn. milit. c. 9. Pitisc. in Suetonium. Quinam illi, docent Paull. l. 19. ff. de jur. patron. *Ingratus libertus est, qui patrono obsequium non præstat: vel res ejus, filiorumve tutelam administrare detrectat*. Marcian. ibid. l. 5. *Divus Claudius libertum, qui probatus fuerit patrone delatores summisisse, qui de statu ejus facerent quæstionem, servum patroni esse jussit, non libertum*. Rævard. Conject. l. 11. Pitisc. l. l. Maximis opibus, & divitiis abundarunt Demetrius, Pallas, Narcissus, Callistus, Licinus, Crispinus, ut dominis locupletiores fuerint, & illorum opes in vulgare proverbium abierint. V. illas fusius denarrantem *Kobierzyck. de Lux. Rom. l. 2.*

Liberti centenarii vocabantur, qui sestertium centum millium patrimonium relinquebant, Justinian. Instit. de success. libert. §. postea verò: *Postea verò lege Papia adaucta sunt jura patronorum, qui locupletiores libertos habebant. Cautum est enim, ut ex bonis ejus, qui sestertium centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores, quam tres liberos habebat: sive is testamento facto, sive intestatus mortuus erat: virilis pars patrono, deberetur*. Justiniani verò constitutio *libertos* minores centenariis, hoc est, qui sutetis minus censum, ut ipse definit, censerentur, ex testamento jure patronatus liberat; ab intestato si fine liberis decesserint, eorum legitimam hæreditatem patrono defert. Sed si majores sint, liberis hæreditatem defert: si fine liberis decesserint, ab intestato eos vocat; ex testamento verò ad tertiam partem bonorum. *August. de Leg. in Papia Poppæa. Perizon. Dissert. de Leg. Vocon. p. 170.*

Liberti dedititii. V. illos supr. in *Dedititius*.

Liberti orcini vocabantur, qui ex dominorum orcu receptorum, sive, ut Apul. Met. III. p. 80. *in peculio Proserpinæ & Orci familia numeratorum* testamento libertatem suam acceperant. Justinian. Instit. II. 24. 3. *At is, qui ex directo testamento liber esse jubetur, ipsius testatoris libertus fit, qui etiam appellatur*. August. de Leg. in Junia Norbana. Zamosc. de Senat. Rom. l. 13. Gyrald. Synt. deor. XI. p. 196. C. Fab. Semestr. II. 19. Cujac. Observ. III. 23. Rævard. Protribun. c. 7. Casal. de Proph. Roman. II. c. 16. de Urb. ac Imper. Roman. splend. past. a. c. 21. Pitisc. in Suet. Aug. . . . n. l.

LIBERTINI antiquo jure civili à *libertis* differebant, cum *liberti* sint servi manumissi; *libertini* autem *libertorum* filii: quam distinctionem Imperatores sustulerunt. *Lambin. in Horat. Sat. I. 6. 8.* Qui ut hæc ita differret, Suetonii locus inna laudandus, opinor, efficit. Unde dicicerit, *libertinorum*, & *libertorum* discrimen ab Imperatoribus sublatum, ignoro: somniasse hominem puto. Plautus certè, qui longè ante libertatem ab Imperatoribus . ppellam vixit, nullam talem inter ejusmodi appellationes differentiam exstitisse ostendit, cum *libertinam* eam ipsam nominat, quæ patroni sui *liberta* erat. Mil. Glor. IV. 1. 15.

PYR. *Quid? tune ingenua, an festuca facta è serva libera est?*

PAL. *Vah! egone ut ad te ab libertina esse auderem internuntius?*

Livius equidem IX. 46. *libertinorum filios ab Appio Claudio Censore in senatum lectos* prodit, sed *libertinorum* filios fuisse *libertinos* non adscribit. Quod est apud Suetonium Claud. c. 24. n. 3. his verbis: *Latum clavum, quamvis initio affirmasset non lecturum senatorem, nisi civis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit: sed sub conditione, si prius ab equite Romano adoptatus esset. Ac sic quoque reprehensionem verens, etiam Appium Cæcum, generis sui proauctorem, censorem libertinorum filios in senatum allegisse docuit: ignarus temporibus Appii, & deinceps aliquamdiu libertinos dictos, non ipsos qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos*. Sed mendosè, ut mea fert opinio. Nusquam enim hoc apud bonos auctores reperio. Quare *liberti* dicuntur, cum ad patronos referuntur. Donat. Terent. Andr. I. 1. 10. *Mire ideo additum est, quia libertus ad aliquem dicitur*. Et eidem *libertini* appellantur, cum ingenuis opponuntur, & conditionis *libertina* homines significamus. *Libertini* itaque vocati sunt, qui aliquo pacto se ex servitute in libertatem vindicassent. Hoc tradit Justinianus allatus supr. in *Libertas*. Quod si, ut Suetonio placuit, *libertinos* manumissorum filios ingenuos homines esse statuerimus, efficietur, ut idem fuerit ingenuus, & *libertinus*: quod tamen qui fieri potest, cum ingenuo *libertinus* ita opponatur, ut liber servo? Ea de re, ut *libertini* vocati, qui ex servitute fuerunt manumissi, ita ab iis qui generati fuerunt, quod proprium nomen non haberent, *libertinorum* filii sunt nuncupati, non *libertini*. Quod ni ita fit, cur non dixerit Cicer. Phil. III. 6. M. Antonium ea *libertina* liberos suscepisse potius, quàm *libertini filia*, cum id ad Antonii contumeliam diceret? Quod si qui sunt manumissi *libertinorum* nomine appellati non sunt, quo tandem alio sunt? non servorum, cum essent libertate donati; non ingenuorum, cum ea ingenuis non sint geniti; non libertorum, quia libertus patrono opponitur, non ingenuo; & libertus respectum significet ejus, à quo liberatus est, non hominis, de quo nunc agimus, conditionem. Idem ergo homo *libertus*, & *libertinus*, *libertus* quidem ejus, à quo est liberatus, genere verò & conditione *libertinus*, id est, ex iis unus, qui servitute, quam aliquando servierunt, liberati sunt. Unde Cicero in Verr. I. 47. *Trebonius fecit heredem libertum suum*. Et post de eodem ibidem: *Equiti Romano libertinus homo fit heres*. Cum enim dixit *libertum*, eum patronum habere; cum *libertinum*, qua generis conditione esset, notavit. *Castal. Var. Lect. c. 13. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. l. 6. Valla Eleg. IV. 1. Manut. Quæs. Epist. I. 7. Mercer. in Alex. Gen. dies IV. 11. Masson. Horat. vit. p. 4. Loen. de Manum. IV. 2.* Differebant ab ingenuis, quod magistratum non gerebant, in senatum non legabantur, ordinem nullum obtinebant: quia, prætetquàm quod aditum in curiam non haberent, nec equites, nec pedites erant: etiam in illo, quod ingenui, si rura possiderent; in rustica tribu censerentur (V. tamen infr. in *Tribus*) aliqui in urbana; *libertini* verò agrorum neque possessio, neque inopia censum mutabat. Inter ipsos verò diversa ratione suffragii. Erant enim qui suffragium in urbanis tribubus ferebant; quos esse plerosque constat: erant, qui non in urbanis, sed in rusticis: erant, qui nec in urbanis, nec in rusticis. Nam si quis *libertinus* prædium, prædiave rustica pluris HS. xxx. millium non haberet, censu excludebatur: inde forum, credo, putarunt, cujus ad humilitatem generis accederet inopia, eum inter cives Romanos censeri. *Manag. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. I. p. 13. F. 18. E. de Comit. Rom. c. 2. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 14.* Debebant itaque esse in tribu, ut patet ex liberos esse, quapropter Quintil. Decl. 311. probaturus addictum non esse servum, dicit eum *tribum habere*. Et Cajum Gracchum quendam servum esse, volens indicare Flor. III. 16. 1. ait *hominem sine tribu, sine nomine*. Loon. ibid. l. 6. 5. In quatuor urbanas tribus primus is, qui *libertinos* etiam civitate donare instituit, Servius Tullius conjecit. Sed cum hæ parum honoratæ haberi essent cœptæ, ab ingenuis in rusticas frequentes est migratum, & rusticis eo nomine plurimum decoris, & ornamenti adjectum. Itaque *libertini*, cum se eo nomine contemni intelligerent, quod urbanas tribus ab ingenuis segregati tenerent, sæpius, ut in omnes dividerentur, pugnarunt. Primus autem Appius Claudius in censura, quam gessit an. 441. eos ex quatuor urbanis in omnea dispersisse, populari aura provectus existimatur, usque adeo, ut Plutarch. Poplic. p. 100. D. propterea Ap. Claudium primum *libertinorum* ordini suffragium dedisse dicat. Cujus factum cum ingenui, & tota nobilitas iniquissimo animo ferrent, visum est Q. Fabio Rulliano censori novem post annis eos excernere, atque iterum in quatuor urbanas redigere: quam rem adeò gratis animis acceptam esse inquit Liv. l. l. *ut Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret*. Eos tamen post censorum, qui secuti sunt, vel temeritate, vel negligentia ex iis exisse, inde conjici potest, quod L. Æmilius Papus, & C. Flaminius censores an. 532. *libertinos, qui in omnes tribus dispersi essent*,

fuissent; in quatuor urbanas redegerunt, Esquilinam, Palatinam, Suburanam, Collinam, teste Liv. Epit. xx. Tandem Ti. Gracchus censor an. 585. cum omnes *libertinus* omnibus pellere tribubus vellet, resistente C. Claudio collega, tandem eo descendit, ut in Esquilinam omnes referret. Hæc mihi videtur elici posse ex verbis Liv. xlv. 15. *In quatuor urbanas tribus descripti erant libertini, præter eos, quibus filius quinquennii major ex S̄C̄to esset. Eos, ubi proximo lustro censi essent, censeri jusserunt: & eos, qui prædium, prædiave rustica pluris HS triginta millium haberent, censendi jus factum est. Hoc cum ita servatum esset, negabat Claudius suffragii lationem injussu populi censorem cuiquam homini, nedum ordini universo adimere posse. Neque enim si tribu movere posset, quod sit nihil aliud, quàm mutare jubere tribum, ideo omnibus & triginta tribubus emovere posse: id est, civitatem, libertatemque eripere, non ubi censeatur finire, sed censu excludere. Hæc inter ipsos disceptata, postremò eo descensum est, ut ex quatuor urbanis tribubus unam palam in atrio Libertatis sortirentur, in quam omnes, qui servitutem servissent, conjicerent. Esquilina sors exiit: in ea Ti. Gracchus pronuntiavit, libertinos omnes censeri placere.* Itaque huc intuens, Cicer. de Orat. 1. 9. dixit: *Ti. Gracchus censor, Gracchorum pater, non accurata quadam orationis copia, sed nutu, atque verbo libertinus in urbanas tribus transtulit.* Significat autem eos, qui in rusticis essent, in urbanas esse redactos: quam unam ex quatuor Esquilinam fuisse scribit Livius. *Sigon. l. l. Manut. ibid. p. 19. Pigh. Annal. Rom. Tom. 1. p. 362. II. p. 136. 374. August. de Leg. in Sulpicia. Perion. de Magistr. Græc. & Rom. II. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2783. A.* Stante Republica nec equitem Romanum, nec senatorem, aut magistratum curulem quemquam *libertinum*, aut *libertini* filium inveni, uno excepto Cn. Flavio: quem patre *libertino* natum, humili fortuna, populus tamen ædilem curulem creavit, beneficio captus, quia jus civile, repositum in penetralibus pontificum divulgaverat, fastis circa forum in albo propositis, ut, quando lege agi posset, sciretur. V. Livium supr. in *Fasti*. Legit omninò Ap. Claudius censor multos *Libertinorum* filios in senatum: & post aliquot tempus, non lecti cum essent, bis omninò in curiam irrepserunt: sed neque Appii lectionem illam ratam quisquam habuit: neque postea in senatu locum *libertinus* esse principes civitatis passi sunt. Erat enim sive lex, sive mos, vetustate confirmatus; ne cui, qui liberos patrem & avum citare non posset, aditus in senatum pateret. *Manut. ibid. p. 36. Zamosc. de Senat. Rom. 1. 6. Sigon. l. l.* Hæc tamen jura illis tribota sunt I. ut accensi essent, ut scribæ. II. ut, uno verbo ut dicam, omnia, quæ homines de plebe, haberent. Itaque quo tempore lege Plotia, vel Aurelia, tres ordines judicia administrarunt, senatus, equester ordo, plebs, ipsi etiam *libertini*, ut cæteri de plebe, judices fuerunt. Hoc ut suspicarer, in hanc opinionem adductus sum verbis Dionys. iv. p. 226. *Libertinus omnium munium, quorum & cæteros plebejos, fecit participes.* Postea, planè ita esse ut crederem, fecit locus Cicer. pro Clu. c. 42. *Si quem Cn. Lentuli, aut L. Gellii libertus furti condemnavit, is omnibus ornamentis amissis, nunquam ullam honestatis suæ partem recuperabit: quos autem ipse L. Gellius, & Cn. Lentulus furti, & captarum pecuniarum nomine notaverunt, ii non modò in senatum redierunt, sed etiam illarum ipsarum rerum judiciis absoluti sunt.* Et, quia illorum, quæ plebejorum, ut ait Dionysius, conditio fuit, certè non modò judices legi, verùm etiam triumviratum nocturnorum, ædilitatem plebis, tribunatum capere potuerunt; hi enim ordinis plebeji, non patricii, honores fuerunt, usque facilè crediderim, quod à Macro Licinio traditum scripsit Livius, Flavium, de quo dixi, functum esse, antequam ædilitatem curulem, qui patricius erat magistratus, obtineret, de quo video Livium dubitasse: qui non idem à L. Pisone, quod à Macro, scriptum videret. Ejus verba de Flavio sunt ix. 56. *Invenio in quibusdam annalibus, cum appareret ædilibus, fierique se pro tribu ædilem videret, neque accipi nomen, quod scriptum faceret; tabulam posuisse, & jurasse, se scriptum non facturum, quem aliquanto antea desisse scriptum facere arguit Macer Licinius, tribunatu ante gesto triumviratibusque: nocturno altero, altero coloniæ deducendæ.* Annales, quos Licinius non nominabat, L. Pisonis fuisse ostendit Gell. vi. 9. *Manut. l. l.* Sæpè aureo annulo sunt donati. Zamosc. de Senat. Rom. 1. 16. V. supr. in *Annulus*. Eo nimirum consilio, ut eis non equestria modò ornamenta, sed etiam ingenuorum jura tribuerent. Unde scriptum reliquit Ulpian. C. de jur. annul. aur. *qui tali jure affectus esset, eum tanquam ingenuum vivere, tanquam libertum mori, quod nimirum patronus præteritus adversus ejus tabulas possessionem obtineret.* Quare cum dicat Dio XLVIII. p. 375. A. Menam, S. Pompeji libertum, post proditam patroni sui classem annulo aureo ab Augusto esse donatum, & in equitum censum adscriptum, eo munere in ingenuitatem adscitum interpretatur Suet. c. 64. n. 2. cum scribit, Augustum *neminem unquam libertinorum adhibuisse cœna excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem.* Sigon. l. l. Kirchman. de Annul. c. 16. Long. de Annul. c. 5. Pignor. de Serv. p. 270. Cujac. Observ. VII. 14. Referebantur etiam in tribus urbanas, sed non simul ac libertatem nacti erant, sicut L. Cornelio tribus concessa non fuit statim ac civitas, ut Cicero scribit pro L. Cornelio, Ideoque *patronus liberto tribum emi* mandat, l. patronus ff. de Legat. III. quo jure, ut lex ait, ferret *commoda, & principales liberalitates*. Cujac. ibid. Non ex ordine, sed difficillimis tantum Reipublicæ temporibus conscripti sunt. Neque enim credendum est, si ex ordine meruissent, ita de iis scripturum fuisse Liv. x. 21. *Senatus justitium indici, delectum omnis generis haberi jussit: nec ingenui modo, aut juniores adacti sunt, sed seniorum etiam cohortes factæ, libertinique centuriati.* An idem scriptum reliquisset XXII. 11. *Libertinos etiam, quibus liberi essent, & ætas militaris, in verba jurasse.* Unde scripsit Macrob. Sat. 1. 11. *post calamitatem apud Thrasumenum notæ cladis acceptam libertinus quoque in sacramentum vocatus.* Aut literis prodidisset XL. 18. *Rei navalis curam non omissam, duumviros in eam rem consules creare jussus, per quos viginti naves deductæ navalibus sociis civibus Romanis, qui servitutem servissent, complerentur, ingenui tantum ut præessent.* Sigon. l. l. Robortell. de Pœn. milit. Thes. Antiq. Roman. Grævii Tom. x. p. 1485. D. Malvas. Marm. Felsin. Sect. v. c. 11. Ingenuas uxores domum ducere non poterant. V. supr. in *Ingenuus*. Nec senatorum filias. V. infr. in *Senator*. Nec *libertinis*, nec *libertinorum* filiis dabatur prætexta. Adimo illam eis auctore Ascon. p. 99. *Prætexta fuit honestiorum, sed toga viliorum.* Et omnem dubitatio tollit, de Claucia liberto ubi loquitur, Stat. Sylv. II. 1, 136.

Sola verecundo deerat prætexta pudori.

Postea illis concessa fuit, si modò ex justa matrefamilias nati essent. Macrob. Sat. 1. 6. *Libertinis nullo jure uti prætextis licebat; ac multò minus peregrinis, quibus nulla cum Romanis esset necessitudo. Sed postea libertinorum quoque filiis concessa est ex causa tali, quam M. Lælius augur refert, qui bello Punico II. duumviros dicit ex S̄C̄to propter multa prodigia libros Sybillinos adiisse; & inspectis his nunciasse in Capitolio supplicandum, lectisterniumque ex collata stipe faciendum, ita ut libertinæ quoque, quæ longa veste uterentur, in eam rem pecuniam subministrarent. Acta igitur obsecratio est pueris ingenuis, itemque libertinis, sed & virginibus patrimis matrimisque pronunciantibus carmen: ex quo concessum, ut libertinorum quoque filii, qui ex justa duntaxat matrefamilias nati fuissent, togam prætextam, & lorum in collo pro bullæ decore gestarent.* Manut. Quæst. Epist. III. 1. Bernart. & Cruc. in Statium. Bulla enim scortea libertinis in collo solebat suspendi. V. Ascon. supr. in *Bulla*.

LIBITINA dea funeribus præerat, omnique funebri apparatui, ac instrumento. Plutarch. Num. p. 67. D. *Præ cæteris colunt eam, quam appellant Libitinam, deam præsidem eorum, quæ defunctis justa fiunt; sive ea Proserpina est, sive, ut Romanorum eruditissimi arbitrantur, Venus sit; haud malè uni numinis virtuti, ea quæ ad ortum, & finem pertinent, adscribentes.* Elegans, & acutum est epigramma Mart. VIII. 43. 1.

Effert uxores Fabius, Christilla maritos,
Funereamque toris quasset uterque facem,
Victores committe Venus, quos iste manebit
Exitus, una duos ut Libitina ferat.

Gyrald. Synt. deor. XIII. p. 400. D. de Var. sepel. rit. c. 1. & ad illum Joh. Faes. Voss. de Idol. II. 27. Kirchman. de Fun. Rom. 1. 9. Rhodig. Ant. Lect. XV. 25: XXIX. 18. Ferret. Mus. Lapid. 1. 26. Aring. Rom. Subterr. 1. 17. 6. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 18. Mag. Misc. II. 19. Bellon. de oper. ant. præst. 1. 16. Meurs. de Fun. c. 16. Morestell. Pomp. Funeb. 1. 15. 7. Clasen. Theol. gent. 1. 10. 16. Nardin. Rom. vet. 1. 9. Torrent. in Horat. Sat. II. 6. 19. Hinc *ratio Libitinæ* apud Suet. Ner. c. 39. n. 1. est acceptarum pecuniarum liber, quem conficiebant qui Veneris *Libitinæ* thesauro præerant. *Ephemeridem* mox vocabit Eusebius. Institutum fuit Servii Tullii, ut nummus à propinquis inferretur in *Libitinæ* ærarium aliquo moriente. Dionys. IV. p. 220. V. illum infr. in *Nummus*. Voss. l. l. Casaub. & Pitisc. in Suetonium. *Venire in rationem Libitinæ* apud Suet. l. l. & *in ephemeridem referri* apud Euseb. Chron. ad an. 2093. est mori, illorum nimirum nominibus ad illos, qui pecuniam pro mortuo pendi solitam exigebant, delatis, *Casaub. & Pitisc. in Suetonium. Lomej. de Biblioth. c. 6.*

Libitina dicitur ipsa mors. Horat. Od. III. 30. 6.

Non omnis moriar: multaque pars mei
Vitabit Libitinam.

Vitare enim *Libitinam* est mortem effugere, immortalitati se vindicare. Epist. II. 1. 49.

Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.

Bellon. de oper. præst. 1. 16. Kirchman. de Fun. Rom. 1. 9. Aring. Rom. Subterr. 1. 17. 6. Faes ad Gyrald. de var. sepel. rit. c. 1. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 18. Morestell. Pomp. Funeb. 1. 15. 7. Pitisc. in Suet. Ner. c. 39. n. 1.

Libitina vocatur lectulus, in quo mortui efferuntur. Sidon. Epist. II. 8. *Sed cum Libitinam ipsam flentes omnes, externi quoque prensitarent, remorarentur, oscularentur sacerdotum, propinquorumque manibus excepta, perpetuis sedibus dormienti similior illata est.* Acron. in Horat. Od. III. 30. 6. *Libitina lectus est, in quo mortui efferebantur.* Matt. VIII. 43.

—— *una duos ut Libitina ferat.*

Quintil. Declam. VI. *Inanis domus Libitina plangitur.* Rhodig. Ant. Lect. XV. 25. Kirchman. de Fun. Rom. 1. 9. Faes ad Gyrald. de var. sepel. rit. c. 1. Aring. Rom. Subterr. 1. 17. 6. Savar. in Sidonium. Errat Acron. Nam potius feretrum erat, cui impositus lectus. Ascon. pro Milon. *Fasces ex lecto Libitinæ raptos attulit ad domum Scipionis & Hypsæi.* Meurs. de Funer. c. 20.

Libitina solet etiam adhiberi pro impensis ad curandum funus necessariis. In *Libitinæ* enim templo venalia erant, quæcunque ad sepulturam pertinebant. Plutarch. Quæst. Rom. 23. *Quid causæ est, quod in æde Libitinæ, quæ ad sepulturam pertinent, vendere consueverant?* Quo respexisse videtur Phædr. IV. 19. 25.

Qui circumcidis omnem impensam funeris,
Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

Ex *Libitina* dicitur non sufficere, quando major morientium vis est, quàm ut ex *Libitinæ* templo funeribus curandis quæ necessaria sunt, à *Libitinariis* exhiberi possunt. Liv. XLI. 21. *Ne liberorum quidem funeribus Libitina sufficiebat.* Obseq. de Prodig. c. 65. *Gravi pestilentia hominum, boumque cadavera, non sufficiente Libitina cum jacerent.* Kirchman. de Fun. Rom. 1. 9. Aring. Rom. Subterr. 1. 17. 6. Faes ad Gyrald. de var. sepel. rit. c. 1. Ferret. Mus. Lapid. 1. 26. Morestell. Pomp. Funeb. 1. 15. 7. Pitisc. in Suet. Ner. c. 39. n. 1.

Libitina etiam vocatur ferale officium, quo *Libitinarii* fungebantur. Val. Max. V. 2. *Marco Cornuto prætore funus Hirtii, & Pansæ locante, qui tunc Libitinam exercebant*, id est, qui ea tempestate in Republica Romana officio curatorum funerum fungebantur. *Faes ad Gyrald. de var. sepel. rit. c. 1. Kirchman. de Fun. Rom. 1. 9.*

Libitina etiam in urbe Roma locus erat, in quo quæ funeris elationi necessaria erant, coemebantur. Acron. in Horat. Sat. II. 6. *Est Libitinæ locus in Urbe, quo constituuntur, qui efferenda cadavera conducunt, & præbent funeribus necessaria.* Meurs. de Funer. c. 16.

LIBITINARII dicebantur, qui *Libitinæ* præerant. Ulpian. l. quicunque ff. de Instit. act. *Si libitinarius, quem Græci νεκροθάπτην vocant, servum pollinctorem habuerit, isque mortuum spoliaverit, dandam in eum quasi institoriam actionem.* Habebant tabulas, in quas mortuorum nomina referebant, ut sciri posset, quantum quoque anno funerum fuisset. Hoc cognosci potest ex Suet. Ner. c. 39. n. 1. *Pestilentia unius autumni, qua triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt.* Euseb. Chron. ad an. 2093. *Lues ingens Romæ facta, ita ut per multos dies in ephemeridem decem millia fermè mortuorum hominum referrentur.* Hoc genus hominum non solum quicquid ad exsequiarum apparatum requirebatur vendere: sed & operam suam funerum curatoribus solebat elocare. Hujus ritus insigne testimonium est apud Val. Max. V. 2. *Qui tunc Libitinam exercebant, tum rerum suarum usum, tum ministerium gratuitum polliciti sunt, quia ii, Hirtius & Pansa, pro Republica dimicantes occiderant, perseveranti que postulatione extuderunt, ut exsequiarum apparatus sestertio nummo, ipsis præbentibus, adduceretur: quorum laudem adjecta lege conditio auget magis quàm extenuat, quoniam quidem quæstum contempserunt, nulli alii rei, quàm quæstui viventes.* Inter viles habiti opinor propter sordidum, & turpe genus vitæ: quandoquidem nulli alii rei vivebant, quàm quæstui, ut modò Valerius, quem absque plurimorum morte facere non poterant. Senec. de Benef. VI. 38. *An tu Aruntium, & Aterium, & cæteros, qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere, quæ & designatores, & libitinarios, vota? Illi quorum mortes optent nesciunt: hi familiarissimum quemque, ex quo propter amicitiam spei plurimum est, mori cupiunt.* Et *Demades Athenis eum qui necessaria funeribus venditabat, damnavit, cum probasset magnum lucrum optasse: quod contingere illi sine multorum morte non poterat.* Meurs. de Fun. c. 16. Kirchman. de Fun. Rom. 1. 9. Morestell. Pomp. Funeb. 1. 15. 1. 5. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 18. Rhodig. Ant. Lect. XXIX. 18. Gyrald. de var. sepel. rit. c. 1. & Faes ad illum. Aring. Rom. Subterr. 1. 17. 6. Clasen. Theolog. gent. 1. 10. 17. Bellon. de oper. ant. præst. 1. 16. Bud. in Pandect. p. 137. B. Lips. ad Senec. de Benef. VI. 38. Laurent. in Phædr. IV. 20. 11. Schill Nomencl. Philol. p. 675.

LIBRA priscis Romanis & pro nummo æreo, ut Siculis, & pro pondere, quia nummus olim illis ex ære ejusdem cum libra ponderis. Hic erat assis *librarius*, qualem etiam fuisse primò Siculis, Terentinis, & aliis oræ Italicæ Doribus accolis mihi compertum est. Præter nummi & ponderis notionem *libra* etiam Latinis instrumentum ponderandi appellatum est eodem nomine, quod Græcis ζυγὸς. Unde *libripens*, qui Græcis ζυγοστάτης. Et *libra* Circulat, quæ duas habet lances. Cicer. Tusc. Quæst. V. 17. *Salmas. de mod. usur. c. 6. Dolet. de Re naval. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 713. E. Libra* opus erat, quia pecunia initio Urbis rudi ære constabat, ut pretium solveretur: neque enim signatis nummis utebantur. *August. de Legib. ad XII. tab. §. 27.*

Libra mensuralis est vas cubicum intus inane, tantum liquoris capiens, quantum vas unciale duodecies infusum afferre potest. Erat autem Galeni temporibus Romanis in usu vas corneum lineis interjectum, ipsum in duodecim lineas dividentibus: quam à ponderali *libra* differre vel hoc uno argumento probat G. Agricola ex Galeno, quod dodrans *libræ* mensuralis, seu novem mensurales unciæ pendeant septem *libræ* ponderalis uncias, & semissem. Adde quod sextarius oleo plenus, viginti uncias mensurales continens pendet uncias sedecim, quinque drachmas, & scripulum unum. Vini insuper sextarius *libra* unius, & bessis in mensura pendet *libram*, & bessem in pondere, & insuper semunciam, siliquas duas, cum duobus granis, & duabus tertiis grani: non est igitur eadem *libra* mensuralis, & ponderalis ratio: nam mensura una eademque est omnibus liquoribus, pondus ut assem auctores dividere solent: partiri itaque operæ pretium est. Hujus duodecima

cima pars est uncia. Cui altera adjecta sextantem reddit. Sextanti tertia juncta fit quadrans. Quadranti quarta adjecta trientem totius assis reddit. Quinta si accesserit, habet quincuncem. Sexta superaddita semissem constituet. Accessio septimæ ad semissem, septuncem procreat: cui octava superaddita, bessem: bessi nona succedens, dodrantem: dodranti decima apposita, dextantem: dextanti undecima juncta, deuncem: deunci undecima si jungatur, *libram* constituet. Mensuræ *bilibris* meminit Horat. Sat. II. 2. 61.

—— cornu ipse bilibri
Caulibus instillat veteris non parcus aceti.

Ubi de mensura, non de pondere agitur. *Libra* mensuralis una fuit in usu Græcis & Latinis, quæ uncias Romanas duodecim capit. Nam Græci medicinæ auctores suas mensuras ad *libram* mensuram Romanam reduxerunt. Est ergo in universum *libra* mensuralis duplex juxta variam pedis dimensionem. Nam à pede pendet uncia, & ab uncia *libra*. Una est libra Romana unciarum Romanarum duodecim, à qua etiam pendet exterarum mensurarum dimensio. Alia Parisina unciarum totidem, verùm uncias habet majores quàm Romana: ideoque est illa capacior. Superat illam in drachmis mensuralibus novem, seu uncia & drachma una. Hæc *libra* est hemina Parisina, seu semisextariolus, quam etiam cotylem dicere possumus Parisinam. Qua in re ne quis hæsitare possit, sciat me id experientia didicisse: quandoquidem ad lineam unciæ pedis Parisini curavi mihi fabricari vas unum cubicum intus inane, omnifariam unciale, seu pollicare, Galli vocant ung pousson, hoc inquam vasculum duodecies repetita infusione agnovi implevisse nostrum semisextariolum. Est igitur semisextariolus ille *libra* mensuralis Parisina, nostra cheopina bilibris, pinta verò quadrilibris. *Cenal. de Pond. & mensurat. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 1450. *C. Savot. de Numm. ant.* III. 38. De *libra* scripserunt plurima Guilelmus Budæus, Georgius Agricola, Lucas Pætus, Leonardus Porcius, Josephus Scaliger, Ludovicus Savotus, Johannes Fridericus Gronovius, aliique. Horum commentaproliziora, quia contractione breviora vix possunt fieri, hujus scripti ratio non admittit. Et ea de re hoc labore supersedeo.

LIBRARI dicitur aqua, cujus altitudo peræquatur è loco, unde oritur, ad locum quo ducenda est. Frontin. de Aquæduct. I. *Ductus ejus habet longitudinem, ita exigente libramento, passuum* XLII. *millium*. Inde *libra* aquariæ peculiariter erant factæ *librandis* aquis, ut *αὐτόχνωμα*, sive chorobates. Inde *libra* interdum altitudinem, & fastigium significat propter *perlibrationem* aquarum. Frontinus: *Aquæ omnes diversa in urbem libra perveniunt*, id est, altitudine. *Keuchen. in Frontin. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* IV. *p.* 1636. *F. Philand. in Vitruv.* VIII. 6.

LIBRARIA *libros* dominæ exscribebat. Lapis antiquus:

SEXTIA. XANTA
SCR. LIBRARIA
EM. OL. II.

Juven. VI. 475.

—— periit libraria, ponunt
Cosmetæ tunicas.

Pignor. de Serv. p. 229. Britann. in Juvenalem. Sed an non palmam demus Pithœanæ glossulæ: *Libraria, lanipendia*, quæ ancillis nempe distribueret, appenderetque lanam, ut à *libra* deducatur vocabulum? *Ruben. Elect.* II. 26. *Parrhas. Epist.* 18. *Britann. & Grang. in Juvenalem. Beger. Antiq. p.* 76. Euseb. Hist. Eccl. VI. 17. disertè scripsit, Origeni ad manum fuisse *librarios*, unà cum puellis, quæ scitè, & concinnè scriberent. Quo fit, ut minùs credam interpreti antiquo Juvenalis, & veteri juris civilis epitomatori, qui pondera & *libram* substituunt. *Pignor. l. l.*

LIBRARIUS dicebatur servus, qui domino *libros* exscribebat. Cicer. Fam. XVI. 21. *Peto à te, ut quam celerrimè mihi librarius mittatur, maximè quidem Græcus: multum enim mihi eripitur operæ in exscribendis hypomnematis*. Hieron. ad Niciam. V. illum infr. in *Tabellarii*. Extabat in museo Carpensi Romæ antiquus titulus:

JUCUNDUS
DOMITIÆ
BIBULI. LIBRAR.
AD. MANUM.

Librarii munus aliquod indicat Cicer. Attic. XII. 6. *Et eris gratius, si non modo libris tuis, sed etiam in aliorum per librarios tuos Aristophanem reposueris pro Eupoli*. Pignor. de Serv. p. 228. Popm. de Oper. Serv. p. 67. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 818. E. Barth. Adv. L. 1. Long. de Annul. c. 8. Britann. de Juven. Sat. VI. 475.

Librarius legionis erat ille, penes quem liber, in quo illius legionis omnes milites descripti erant; vel, ut Veget. II. 7. qui *in libros referebat rationes ad milites pertinentes*. Inscriptio Tarraconensis:

C. TADIO. C. F. JANUARIO. PISAURENSI.
VIXIT. ANN. XXXIV. C. TADIUS
LUCANUS. LEG. VII. G. F. LIBR.
OPTIME. DE. SE. MERITO.

Interpretor: Legionis septimæ Geminæ Felicis librarius. *Stevvech. in Vegetium. Spon. Misc. Erud. Ant. Sect.* VII. *p.* 260. *Popm. de Oper. Serv. p.* 70. *Cuper. Monum. Antiq. p.* 231. *Reines. Inscript. Class.* VIII. *n.* 44.

LIBRATOR dicebatur, qui in bello utebatur *libralibus*, bellicis instrumentis, quæ manu mittebat. Tacit. Annal. II. 20. 4. *Sensit dux imparem cominus pugnam, remotis paullulum legionibus, funditores, libratoresque excutere tela jubet*. Nam ait eos *excussisse tela*, quod in lapides manu sola jactos non quadrat. *Lips. Poliorc.* IV. 3. Hoc olim suspicabar. Est potius, qui tormentis, aut hastas, aut lapides excutiebat: quia *librabat* scilicet, & jactus arte expendebat. Sic *vincla, ac libramenta tormentorum* appellat Hist. III. 23. 2. *Lips. in Taciti Annales. Turneb. Adv.* III. 25. XXIV. 3. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVII. 4.

Librator aquæ dicitur, qui aquam ducendam *librat*: quique quo fastigio, aut in planitie, aut devexitate commodissimè deduci possit, præscribit. Plin. Epist. X. 50. 3. *Superest, ut tu libratorem, vel architectum, si tibi videbitur, mittas, qui diligenter exploret, sitne lacus altior mari, quem artifices regionis hujus quadraginta cubitis altiorem esse contendunt*. Turneb. Adv. XXIV. 3. Bud. in Pandect. p. 272. B. Rhodig. Ant. Lect. XXVII. 4. Pancitoll. de Corpor. artif. §. 21. Græci posteriore *ζυγοστάτας* vocabant, qui aquarum inventos ductus, & modos docili *libratione* ostenderent; vel qui peritiam haberent aquam *librandi* ad libellam. *Keuchen. in Frontin. de Aquæd. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* IV. *p.* 1636. *F.*

LIBRI quinam dicantur, docet Ulpian. infr. in *Libri in corio*. Videntur olim compti fuisse sericeis, aut purpureis laciniis, propendentibus videlicet ad ornatum majorem. Ovid. Trist. I. 1. 12.

Hirsutus sparsis ut videare comis.

Porphyr. Epigramm.

Cum dederit clemens veniam, natumque, laremque
Reddiderit, comptus ibis & ipsa comis.

Illorum indumentum: tingebantur purpura. Ovid. ibid. n. 5.

Nec te purpureo velent vaccinia succo.

Mart. I. 118. 15.

De primo dabit, alterove nido
Rasum pumice, purpuraque cultum
Denarius tibi quinque Martialem.

Porphyr. ibid.

Purpureo fulgens habitu, radiantibus uncis.

Unci, ita enim legendum, quia intus est vox nihili, apud Porphyrium, libros includebant, ne frontes citò rumperentur. *Cornua* vocantur Ovidio & Tibullo supr. in *Cornua librorum*. Barth. Adv. XXII. 18. Non eodem modo, quo epistolæ scribebantur. Pluribus enim paginis conscripti circa lignum, aut aliquid osseum, vel corneum teretis formæ involvebantur. Id appellabant umbilicum. Extremæ partes, ut modò dictum, à similitudine voca-

ban-

bantur cornua. Epistolæ autem non semper una, pluribusve, sed modò una, modò pluribus conscribebantur paginis; nec involvebantur, sed complicabantur. Complicatis, linoque trajectis, qui mercatorum hodie mos est, annulus imprimebatur. Objicietur Cicer. Fam. III. 7. *Appiani mihi volumen à te reddiderunt*, quod de una epistola dictum esse eo constat, quia sequitur, *Eadem epistola petebas*. Sed *volumen* dicit non de involuta epistola, sed de longissima, quæ voluminis instar esset. Quod si epistolas conservari opus esset, alia ratio erat: tunc enim non complicabantur, sed involvebantur, quotque epistolarum libri, tot volumina fiebant. Unde illud Fam. XVI. 17. *Video, quid agas: tuas quoque epistolas vis referam in volumina*. Attic. XII. 13. *Evolvi volumen epistolarum tuarum*. Ad Cornificium autem Fam. XII. 30. cum scripsit: *Non te epistolis, sed voluminibus lacesserem*, non de multis epistolis dicit, sed de longissimis, quæ volumen singulæ conficere viderentur. *Annot. Quæs. Epist.* II. I. Reponebantur in bibliothecis supra arbores plumbeas. V. supr. in *Bibliotheca*. In pœnam ab inimicis comburebantur. Interdum per triumviros. Tacit. Agric. c. 2. n. I. *Delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio, ac foro urerentur*. Interdum per prætorem. Val. Max. I. I. 12. *Numa libros Græcos, quia aliqua ex parte ad solvendam religionem pertinere existimabantur, L. Petilius prætor urbanus, ex auctoritate senatus, per victimarios igne facto, in conspectu populi cremavit*. Interdum per ædiles. Tacit. Annal. IV. 35. 4. *Cordi Cremutii libros per ædiles cremandos censuere patres*. Primus Romanorum hanc ingenii sui pœnam subiit Labienus. Senec. Contr. præf. v. *In hunc primum excogitata est nova pœna; effectum est enim per inimicos, ut omnes ejus libri incenderentur. Res nova, & insueta, supplicia de studiis sumi*. Lips. in Tacitum. Rhodig. Ant. Lect. XI. 13. Pitisc. in Suet. Tib. c. 61. n. 9.

Libri Acherontici dicebantur, in quibus sacra Acherontia, & ceremoniæ descripta erant. Arnob. II. p. 87. *Neque quod Etruria libris in Acheronticis pollicetur*. Illos scripsisse credebatur Tages. Serv. Æneid. VIII. 398. *Atqui supra ait, debita. Sed sciendum secundum aruspicina libros, & sacra Acherontia, quæ Tages composuisse dicitur, fata decem annis quadam ratione differri*. Hos *libros Etruscos* indigitarat antea: *Sed hanc immanentium dilationem Etrusci libri primo loco à Jove dicunt posse impetrari*. Herald. in Arnobium. Lomej. de Biblioth. c. 6.

Libri aruspicini dicebantur, qui disciplinam, quæ ex extis divinare docebat, continebant. *Lomej. de Biblioth. c. 6.* Illorum originem V. supr. in *Aruspicina*.

Libri augurales dicebantur, in quibus tota augurandi scientia ex avium cantu, volatu, pastu, per præcepta, & exempla sine dubio explicabatur. Horum meminerunt Cicer. de Divin. I. 33. & Serv. Æneid. IV. 45. & Festus in voce Paludati. Hos *reconditos* vocat Cicer. pro Dom. c. 15. *Lomej. de Biblioth. c. 6.*

Libri censorii dicebantur tabulæ, in quibus annotata erant omnium eorum nomina, qui Augusti tempore censi fuerunt. In illis etiam nomen Servatoris nostri, & ejus nativitatis tempus legebatur. Tertull. adv. Marc. IV. 7. *De censu Augusti, quem testem fidelissimum Dominicæ nativitatis Romana archiva custodiunt*. Lomej. de Biblioth. c. 6.

Libri in ceris, quos descriptos dicit Plin. XIII. II. quales fuerint, dubium fortasse videri potest, præsertim cum annotaverit Hermolaus in castigationibus codices antiquos habere *schedis*, non *ceris*, eamque sibi lectionem non displicere. Verùm ego utroque modo rectè legi posse arbitror, sensu semper eodem manente. Schedæ enim erant asseres, sive tabellæ sectiles, non absimiles scandulis, quibus tecta, tegularum vice, in quibusdam locis teguntur. Unde σχίδας propriè à veteribus appellantur ligna fissa in usum sacrificiorum, ut tradit Schol. Aristoph. in Pace. Schidia etiam pro ligni fragmentis accipit Vitruv. VII. 10. Schedas has, ad scribendum usui ut essent, dolabra, & ascia parabant, accuratiùs expoliebant, & inducta cera sollicitiùs illinebant, & obducebant, suam præsertim ob duritiem minùs idoneas, cum ad literas recipiendas, tum easdem abolendas. Ad eum modum paratæ propriè dicebantur ceræ. Et ea de causa ceras legimus pro libellis, sive epistolis. V. supr. in *Cera*. Etiam in hac ipsa de papyro tractatione XIII. 12. Plinio significat pagellam, sive laminam à papyri caule avulsam: seu, quod idem est, alterum de duobus chartæ ipsius artifici manu confectæ coriis: *Turbidus*, inquit, *liquor vim glutini præbet, cum primo supina tabula scheda allinitur, longitudine papyri, quæ potuit esse segminibus utrinque amputatis*... *Ratio deprehendit vitium, unius schedæ revulsione plures infestante paginas*. Guiland. Papyr. III. n. 36. Sine dubio legendum in *schedis*. Sed tamen aliud est scribere in *ceris*, aliud *in schedis*. Nam ceræ deletiles erant, schedæ non item; quæ nihil aliud quàm pagellæ ligneæ. Cassiod. II. *Erat indecorum, fateor, doctos sermones committere, tabulis impolitis, & veternosis ramalibus imprimere, quod sensualis poterat elegantia reperire*. Scalig. in Guiland. p. 15.

Libri in corio dicuntur Ulpian. l. 52. ff. de leg. III. *Librorum appellatione continentur omnia volumina, sive in charta, sive in membrana sint, sive in quavis alia materia; sed si & in philyra, aut tilia, ut nonnulli conficiunt, aut in quo alio corio; idem erit dicendum*. Nemo intelligat per illos de tergore animalium factos, qui iidem sunt cum membraneis, sed qui è cortice arborum à tilia differentium fiebant. *Guiland. Papyr. membr.* III. *n.* 50. Perperam. Communi sensu expertem esse oportet, qui sine adjectione corticem, aut librorum arboris corium vocat. Nam ego intelligo aliud corium, quàm tergus ovillum. Pergamenæ enim membranæ κατ' ἐξοχὴν sunt ovillæ. Alii carbasinis voluminibus complicati *libri*, ex ovillia multi quoque tergoribus. Corium primigenia origine est tergus animalium, ad alia transfertur cum adjectione. *Scalig. in Guiland. p.* 17.

Libri elephantini dicebantur, quia scripti *libris* prægrandibus. *Fabric. Descript. Urb. c.* 6. Ab operis magnitudine, quasi elephanti proceritate. Erant enim ingentes, quia triginta quinque *libros*, in quibus nomina triginta quinque tribuum referebantur, majores instituerunt. *Scopp. Collect.* I. 18. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 22. *Brod. Misc.* IV. 12. *Lomej. de Biblioth. c.* 6. Quidam minùs verè è pellibus ipsius elephanti confectos volunt. *Donat. de Urb. Rom.* II. 23. Meminit illorum Vopisc. Tacit. c. 8. *Habet bibliotheca Ulpia in armario sexto librum elephantinum, in quo hoc SCtum perscriptum est*. Et illos vocat Ulpian. l. 52. ff. de leg. III. *Quod si in codicibus sint membraneis, vel chartaceis, vel etiam eboreis, vel alterius materiæ, vel in ceratis codicillis, an librorum appellatione contineantur, videamus*. Ut ridiculum esse appareat illorum commentum, qui dictos autumant ab operis amplitudine, quasi elephantorum proceritas nominis ansam illis dederit. *Guiland. Papyr. membr.* II. *n.* 48. Scalig. in Guiland. p. 16. ex elephantorum omentis esse vult hos *libros*, testimonio Isidori VI. 12. qui *historias majore modulo scribi solitas* refert, *non tantum in charta, aut membranis; sed etiam omentis elephantinis*. Et ejus sententia fortasse vera est. Sed quod existimat aliud elephantinum, aliud eboreum, ut aliud ebur, aliud elephantum fuisse, id aliter se habet. Nam Latini & elephantum pro ebore, & elephantinum pro eboreo non raró usurpant. Virg. Æneid. III. 464.

— *auro gravia, sectoque elephanto*.

Ubi Servius: *pro ebore posuit, Græcè dixit*. Sic elephantinum pro eboreo apud Martianum Capellam legere memini. Isidori glossæ: *Ebore, elephantino osse*. *Libri* igitur elephantini sic esse possunt, ut *codices eborei* apud Ulpianum. Et ego apud Vopiscum eboreos accipi debere existimo. Nam quod ille ebur ineptam materiam scribendo esse affirmat, & eadem opera negat veteres in ebore scripsisse, & ei rei comprobandæ adjicit, sibi experienti in ebore politissimo scribere, usu venisse sæpè, ut literæ fugerent in lubrico illius materiæ: id non miror de nostris illis calamis pennacei generis, quibus hodie scribimus. Nam veteres alios de arundine habuere, quos etiam aliter temperabant;

rabant; atramentum quoque, quo utebantur, à nostro atramento diversum, ebori pingendo aptius fuerit, quàm quo hodie utimur. Veteres verò in ebore scripsisse, & eboreis tabulis, ostendo ex disticho Mart. xiv. 5. cujus lemma: *eborei pugillares*.

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

Nec eo possis confugere, de ceratis pugillaribus accipiendum apud Martialem. Stat contra Martialis ipse, & alios à ceratis eboreos pugillares facit. Quo apertissimè candidum, & nudum ebur pingi, perscribique indicat. Et eo allusum esse suspicor à Plaut. Most. i. 3. 102. cum dicit:

Una opera ebur atramento candefacere postules.

Sectiles igitur ex elephanto, hoc est, ebore tabellas *elephantinos libros* vocat Vopiscus. Aliter dicuntur *elephantina omenta* Isidoro, nempe quæ sunt elephantis: aliter *elephantini libri*, ex elephanto, hoc est, ebore sectili. *Salmas. in Vopiscum. Ouzel. in Gell.* xi. 17. *Hug. de prim. scrib. orig.* c. 10. Et hos eboreos interpretantur *Turneb. Adv.* xxx. 20. *Bred. & Donat. l. l. Senatusconsulta, quæ ad principes pertinebant, in libris elephantinis scribebantur*, ut addit Vopiscus. Et primum in ærario Saturni, deinde in bibliotheca Ulpia asservabantur. *Marlian. Topogr. Urb.* iv. 21. *Fabric. l. l.*

Libri fatales dicebantur, quibus hominis ætas ex Etruscorum disciplina describebatur. Censor. de Die nat. c. 14. *Etruscis quoque libris fatalibus ætatem hominis duodecim hebdomadibus describi Varro commemorat: quæ duo ad decies septenos annos possent fatalia deprecando rebus divinis proferri*. Hoc consulebant Romani malis oppressi, morbis, vel peste impliciti. Liv. v. 14. *Quos pestis ejus arcendæ causa placandos esse in libris fatalibus inventum sit*. xlii. 2. *Prodigia expiari, pacemque deum peti precationibus, quæ edita ex fatalibus libris essent, placuit*. Lomej. de Biblioth. c. 6. Lindenbrog. in Censorinum. Blond. Triumph. Roman. i. p. 26. H. Mod. Epist. 17. Buleng. de Orac. c. 128.

Libri fulgurales dicebantur de fulguribus scripti. Horum meminerunt Cicer. de Divin. i. 33. Ammian. xvii. 5. Bigois nympha apud Tuscos artem fulguritarum scripsit, cujus *libri* in templo Apollinis servabantur. Serv. Æneid. vi. 72. *Lomej. de Biblioth. c.* 6.

Libri lintei vocabantur tabulæ lintea tela inductæ. In hujusmodi *libris* I. Sibyllini scribebantur. Symmach. Epist. iv. 34. *Itane de me ludos facis, ut quæ apud te incuriosius loquor, in styli caudice, aut ilice pugillares censeas transferenda, ne facilis senectus papyri scripta corrumpat? Et Marciorum quidem vatum divinatio caducis corticibus inculcata est. Monitus Cumanos lintea texta sumpserunt: tu etiam sericis voluminibus Achæmenio more infundi literas meas præcipis*. Claud. de Bell. Get. v. 230.

Quid meditentur aves? quid cum mortalibus æther
Fulmineo velit igne loqui? quid carmine poscat
Fatidico, custos Romani carbasus ævi?

II. Leges Constant. Aug. tit. 27. lib. 11. C. de alimentis, quæ inopes parentes de publico petere debent. Lib. 1. ad Ablavium: *Æneis tabulis, vel cerussatis, aut linteis mappis scripta per omnes civitates Italiæ proponatur lex, quæ parentum manus à parricidio arceat*. III. Privatæ epistolæ Principum. Vopisc. Aurel. c. 8. *Inveni nuper in Ulpia bibliotheca inter linteos libros epistolam D. Valeriani*. IV. Fœdera, & publica acta. Liv. iv. *Licinius Macer auctor est, & in fœdere Ardeatino, & in linteis libris ad Monetæ inventos*. V. Quæcunque ludrica. Sidon. Epist. ix. 16. 33.

Præter heroas, joca multa multis
Texui pannis, . . .

Totam difficultatem expedit Plin. xiii. 11. *In palmarum* (fortè *malvarum*) *foliis primo scriptitatum, dein de quarumdam arborum libris, postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta, aut cereis*. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. iii. 24. Savar. in Sidonium, Dalechamp. in Plinium, Hugo de Prim. scrib. orig. c. 10. Guiland. Papyr. m. 35. Ortel. Deor. & dear. cap. 1. 19. Vocabantur mappæ. Auctor. de Limit. p. 266. *Terminus si scriptus fuerit, & punctos habuerit literis Græcis, sequeris cursum ejus asion, hoc est, ab oriente per literas Græcas de mappa*. Inde *lintea mappa* Constantino Augusto jam laudato. *Salmas. in Vopiscum*. Servabantur in æde Monetæ. Liv. iv. 20. *Quodque magistratuum libri, quos linteos in æde repositos Monetæ Macer Licinius citat identidem auctores*, & c. 7. modò citato. *Ferrat. Mus. Lapid.* iv. *memor.* 21. *Lomej. de Biblioth. c.* 6. *Ortel. Deor. & dear. cap.* 2. 19.

Libri Numæ Pompilii. V. illos supr. in *Charta*.

Libri patrimoniorum vocabantur ingentes illi, quibus rationes complectebantur, quot o. agrorum jugera haberent, & per quos colenda: quantum pecorum, & ubi pascerentur: quantum servorum, quantum ædium, & qui hinc reditus annuus. Senec. de Benef. vii. 10. *O miserum, si quem delectat sui patrimonii liber magnus; & vasta spatia terrarum, colenda per vinctos; & immensi greges pecorum, per provincias, & regna pascendi; & familia bellicosis nationibus major; & ædificia privata, laxitatem urbium magnarum vincentia*. Meurs. de Lux. Rom. c. 1.

Libri pontificales dicebantur, quia pontifex maximus, ex instituto Numæ Pompilii, habebat *sacra omnia exscripta, exsignataque; quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica, privataque sacra ejus scitis erant subjecta, ut esset, quo consultum plebes veniret*. Liv. i. 20. *Lomej. de Biblioth. c.* 6. Vocabantur etiam *Indigitamenta*. V. supr. in *Indigitamenta*.

Libri rituales vocabantur, *in quibus perscriptum, quo ritu condantur urbes, aræ, ædesque sacrentur, qua sanctitate muri, quo jure portæ, quomodo tribus, curiæ, centuriæ distribuantur, exercitus constituantur, ordinentur, cæteraque ejusmodi ad bellum & pacem pertinentia*. Festus. Censorin. de Die nat. c. 11. *Etruscorum libri rituales videntur indicare*. Cicer. de Divin. i. 33. *Quod Etruscorum declarant rituales libri*. Lomej. de Biblioth. c. 6. Lindenbrog. de Ammian. xxiii. 5. & Censorinum. Choul. Relig. vet. Rom. p. 274.

Libri Sibyllini dicuntur Liv. xxxvi. 37. *Eorum prodigiorum causa libros Sibyllinos ex S. C. decemviri quum adiissent, renuntiarunt*. Hos anus hospita, atque peregrina, quæ postea constanti omnium opinione Sibylla Cumana credita fuit, nomine Amalthea, Tarquinium Superbum Regem Romanum adiit, novem *libros* ferens, quos Sibyllinis oraculis plenos esse affirmabat, eosque velle se venum dare dixit. Tarquinius pretium percunctatus, mulier trecentos Philippeos poposcit, Rex, quasi anus ætate desiperet, irrisit, & aspernatus est *libros* ob pretii magnitudinem. Tum illa foculo coram eo accenso, tres *libros* ex novem combussit, sive à Regis conspectu discedens, eos igni tradidit, reversaque numquid reliquos sex eodem pretio emere vellet, Regem interrogavit. Tarquinius multò magis irrisit aniculæ dementiam, eamque delirare respondit, quod idem peteret de paucioribus pretium, quod nec de pluribus accipere potuisset. Tum mulier statim coram Rege, vel discedens, tres alios combussit, Reversa illum denuò placidè interrogavit, an tres reliquos eodem illo pretio emere vellet. Rex mulieris constantia commotus, eam mulieris confidentiam non omnino aspernandam esse existimavit: quare auguribus arcessitis rem per ordinem ennarravit, atque quid agendum esset, poposcit. Illi ex quibusdam signis intelligentes, rem illam necessariam, à diisque in Urbis salutem missam, Regi rejectione illa librorum magnam jacturam factam esse demonstrantes, quod non omnes emisset, eum reliquos emere hortati sunt, dato pretio, quod poposcerat anus. Mulier ei dans *libros* diligenter servandos esse præmonuit, & discessit. Dionys. iv. p. 259. Gell. i. 19. Solin. c. 1. Sunt, qui non Superbo, sed Prisco oblatos scribunt. In illis est Lactant. i. 6. Plin. xiii. 13. tres, non novem fuisse scribit, ac combustis duobus tertium superfuisse. Suidas novem tradit, eosque oraculorum peculiarium vocat, hoc est, ad certum aliquem populum spectantium, sed combustos tantum duos, reliquos omnes superfuisse. *Panvin. de Sibyll. & carm. Sibyll. p.* 309. *Rosin. Ant. Rom.* iii. 24.

Tassin.

Taffin. supr. in Duumviri Sibyllini. Guiland. Papyr. membr. xxv. *n.* 4. *Petit. de Sibyll.* ii. 4. *Thys. in Gellium. Schmid. de Sibyll. c.* 8. *Pigh. Annal. Roman.* i. *p.* 53. *Kipping. Antiq. Roman.* i. c. 2. §. 15. *Lomej. de Biblioth. c.* 6. Cæterum libri hi, quos sive Priscus, sive Superbus Tarquinius emit, ab ipso in Capitolio, Jovisque Opt. Max. templi sacrario, in arca lapidea sub terra postea reconditi, religiosissimèque ibidem servati sunt. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. 7. *Donat. de Urb. Rom.* ii. 7. *Choul. Rel. vet. Rom. p.* 36. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* ii. 4. *Panvin. l. l.* Horum custodia duumviris primùm, V. supr. in *Duumviris Sibyllini*: deinde decemviris, V. supr. in *Decemviri sacrorum*: posttemò quindecimviris sacris faciundis V. infr. in *Quindecimviri sacrorum* commissa fuit. *Panvin. l. l. Van Dale de Oracul. ethnic. orig.* i. 18. *Guiland. Papyr. membr.* xxv. *n.* 8. *Schmid. de Sibyll. D.* 1. In illis postquam Tarquinius Priscus fata Romanorum cum aliis mirandis pluribus contineri vidisset: statuit, accedente præsertim augurum consilio, publicæ eos saluti consecrare. Constituit itaque, & post eum senatus, populusque Romanus perpetuò ratum habuit, ut in rebus arduis *libri* Sibyllini, tanquam fatorum futurorum oraculum quoddam à sacerdotibus ad hoc destinatis ex Scto adirentur. Dionys. ibid. p. 260. *Utuntur eis ex Sctu si quando seditionibus turbetur status Reipublicæ, aut in bello insignis aliqua clades accepta sit; aut prodigia, & ostenta, quæ difficili conjectura magnum aliquid portendant: qualia multa contigere.* Schmid. ibid. D. 3. Incolumes manserunt usque ad bellum Marsicum, inclusi arcæ lapideæ. Post exactam verò tertiam supra centesimam & septuagesimam Olympiadem cremato Capitolio, sive per insidias, sive fortuito incendio, cum aliis donatiis Jovis, igne absumpti sunt. Nam qui nunc exstant, è multis locis comportati sunt, partim allati ex Italicis urbibus, partim ex Erythris Asiæ ex Scto legatis illuc ad transcribendum missis; partim ex aliis urbibus, & à privatis hominibus descripti: in quibus inveniuntur supposititia quædam, ut narrant Dionys. ibid. p. 260. & Tacit. Annal. vi. 12. 4. *Panvin. ibid.* 315. *Van Dale de Fals. proph. c.* 5. *de orac. ethnic. orig. l. l. Borrich. & Lomej. l. l. Guiland. ibid. n.* 5. *&* 6. Hoc detrimentum parabat Augustus sarcire. De illo Suet. c. 31. n. 1. V. illum supr. in *Imperator*. Borrich. l. l. Quos utcunque non à Cumæa vate profectos, & ob hoc ipsum suspectiores cum excusserit tandem principatu Honorii Stilico, ex confessione Rutilii Numatiani, nescio cur Sibyllina oracula adhuc nobis, ceu magnam partem sincera, obtrudantur. *Borrich. & Lomej. l. l.* Et hæc an genuina sint, tanquam pro aris & focis, dum prior negat, & posterior affirmat, inter se disputant *Samuel Meisius* & *Erasmus Schmidius*.

LIBRILE est scapus *libra*, sive *κανών*, è quo duæ propendent lances. Festus: *Librile, scapus libra.* Gell. xx. 1. *Aut talionem in eo vel ad amussim æquipararent, vel in librili perpenderent.* Voss. Lex. Etymol. Salmas. de Mod. usur. c. 6.

LIBRILIA sunt, quibus saxa jaciuntur in hostem. Festus: *Librilia appellantur instrumenta bellica, saxa scilicet ad brachii crassitudinem in modum flagellorum loris revincta.* Cæs. Bell. Gall. vii. 81. *Fundis, librilibus, sudibusque.* Lips. Poliorc. iv. 3. Voss. Lex. Etymol. Ultimis temporibus senescentis imperii in desuetudinem abierunt, sed magister rerum usus in eorum locum fustibalum commentus est. *Scalig. in Festum.*

LIBRIPENS, Græcis *ζυγοστάτης*. Plin. xxxiii. 3. *Quin & militum stipendiorum, hoc est, stipis ponderanda pensatores, libripendes dicuntur: qua consuetudine in his emptionibus, quæ mancipi sunt, etiam nunc libra interponitur.* Priscian. vi. p. 726. Edit. Putsch. adfert ex Caj. Instit. 1. *Adhibitis non minus quinque testibus puberibus, item libripende.* In eodem: *Qui libram aneam teneat, qui appellatur libripens.* Originem habet ea vox à more antiquo, quo pecuniam pendebant, non numerabant. Sed quia populus Romanus consuetudinis, & formularum fuit retinentissimus, hinc factum, ut etiam postquam mos pecuniæ pendendæ sublatus erat, in mancipatione tamen *libripendis* opera uteretur, ut Plinius indicavit. Eandem consuetudinem in Topica his verbis exponit Boethius ex Caji Institut. *Is, qui mancipio accipiebat, as tenens ita dicebat: hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo: isque mihi emptus est hoc are, aneaque libra.* Hinc Horat. Epist. ii. 2. 158.

Si proprium est, quod quis libra mercatur, & are.

Voss. Lex. Etymol. in Libra. Hotman. Antiq. Roman. iii. 3. p. 440. E. p. 454. & de Re numm. c. 7. E. Brisson. Ant. Lect. i. 7. Rævard. in leg. xii. tab. c. 16. August. de Leg. ad Leg. xii. tab. §. 26. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 834. B. Turneb. Adv. xxix. 14. Pollet. For. Rom. v. 1. Salmas. de Mod. usur. c. 6. Bud. de Asse i. p. 105. Cum de probitate auri, atque etiam argenti, & pondere plerumque contenderetur, in singulis civitatibus *libripens* vir bujus artis peritus, & fidelis erat constitutus, qui de monetis ortas controversias dirimebat. Julian. ad Mamertin. l. 1. C. de ponderat. *Quoties de qualitate solidorum orta fuerit dubitatio, placet, quem sermo Græcus zygostatem per singulas civitates constitutum, qui pro sua fide, atque industria neque fallat, neque fallatur, contentionem dirimere.* Modum quoque in appendendo auro constitutum tradit ibid. *Aurum æqua lance, & paribus libramentis suscipiatur, scilicet, ut duobus digitis summitas libra retineatur. Tres reliqui liberi ad suscipiendum emineant, nec pondera deprimant, nullo examinis libramente servato; nec æquis, aut paribus suspensa statera momentis.* Panciroll. de Magistrat. municip. c. 15. Testimonium defugientis pœnam V. infr. in *Testis*.

LIBUM est placenta mellita. Horat. Epist. i. 10. 10.

Utque sacerdotis fugitivus, liba recuso;
Pane egeo, jam mellitis potiore placentis.

Athen. iii. p. 125. F. significat ex lacte, sesamo, & melle componi. *Allata posthac est placentia, quam Romani libum nominant.* Stuck. de Sacrif. p. 199. Buleng. de Conviv. ii. 53. Conficiebatur ad sacra. Ovid. Fast. i. 127.

——cum Cereale sacerdos
Imponit libum, farraque mixta sale.

iv. 743.

Libaque de milio milii fiscella sequatur,
Rustica præcipuè est hoc dea læta cibo.

In Terminalibus. Juven. Sat. xvi. 39.

——sacrum effodit medio de limite saxum,
Quod mea cum vetulo coluit plus annua libo.

Dionys. ii. p. 133. *Numa Pompilius jussit unumquemque circumscribere fundos suos, sacrosque finibus lapides adponere, lapidesque ipsos sacravit. . . . . sacrificabantque non animatum aliquid: neque enim pium est cruentare lapides; sed pultes, & liba, & alias quasdam fructuum primitias.* Saubert. de Sacrif. c. 24. In Bacchi sacrificio. Virg. Georg. ii. 393.

Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancesque & liba feremus.

Quia Bacchus mellis repertor. Ovid. Fast. iii. 735.

Liba deo fiunt, succis quia dulcibus idem
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

Lomej. de Lustrat. c. 18. Offerebantur quoque Laribus. Calpurn. Ecl. ii. 65.

Nos quoque pomiferi Laribus consuevimus horti
Mittere primitias, & fingere liba Priapo.

Tomal. de Donat. c. 11.

Libum testuatiorum in testa coquebatur. Varr. de Ling. Lat. iv. 22. *Libum testuatinum, quod in testu calde coquebatur: ut etiam nunc Matralibus id faciunt matronæ.* Buleng. de Conviv. iv. 18.

LIBURNÆ, & *Liburnica* fuerunt naves celeriores. Sil. Ital. xiii. 240.

Quanta est vis agili per cærula summa Liburna,
Qua, pariter quoties revocata ad pectora tunsa
Percussere fretum, ventis fugit ocyor, & se
Quam longa est uno remorum præterit ictu.

Propter illarum celeritatem, ut circumire classem, & expedire necessaria melius posset, illis vectus est Mæcenas apud Horat. Epod. i. 1.

Ibis

Ibis Liburnis inter alta navium
Amice propugnacula.

Barth. Adv. LVII. 14. Meibom. Mæcen. c. 12. §. 12. Inventæ sunt à *Liburnis* populis Illyrici, qui navibus velocibus usi Jonium mare, insulasque prædabantur, Appian. Illyr. p. 758. Bell. civ. II. p. 452. *Fuerunt Liburni alterum Illyriorum genus, qui Jonium mare, & , quæ in eo sunt, insulas, prædabantur celeribus, & levibus navigiis: unde etiam nunc leves, & celeres biremes Romanis Liburnica vocabantur.* Lucian. in Dialog. qui Ἔρωτες inscribitur: *Cogitanti mihi in Italiam nave proficisci, apparata est navis quædam levis, & expedita, ex earum biremium genere, quibus maximè uti videntur Liburni, natio, quæ sinum Jonium accolit.* Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 572. B. Dolet. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 678. D. Stevvech. ad Veget. IV. 32. Gyrald. de Re nav. c. 18. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 246. Voss. Lex. Etymol. Fuerunt biremes. Lucan. III. 534.

Ordine contentæ gemino crevisse Liburnæ.

Appian. l. l. ex quo in genere *Liburnas* Δίκροτα interpretatur Bayf. l. l. Sed sub Augusto, & posterioribus temporibus triremes, quadriremes, aliæque id genus naves militares Romanis *Liburnica* sunt dictæ. Suidas: *Triremes naves sunt militares, quas Liburnas nominant.* Sic Vegetius, qui sub Valentiniano vixit, non aliarum, nisi *Liburnicarum* mentionem facit, earumque nomine non biremes modò, sed quascunque comprehendit. Verba sunt IV. 37. *Quod ad magnitudinem attinet, minima Liburna habent singulos ordines, paullo majores binos, idonea mensura ternos, vel quaternos, interdum quinos sortiuntur remigum ordines.* Scheffer. de Variet. nav. Thes. Gronov. ibid. p. 782. D. de Milit. nav. II. 2. Ignotum fuit nomen illatum usque ad Augustum Cæsarem, à cujus demum temporibus propter insignem bello Actiaco navatam operam tantam obtinuere claritatem, ut præter illas vix alias bellicis usibus destinatas fuisse communium omnium ferè scriptorum constet suffragio. Veget. IV. 33. *Augusto dimicante Actiaco prælio cum Liburnorum auxiliis præcipuè victus fuisset Antonius, experimento tanti certaminis patuit, esse Liburnorum naves cæteris aptiores. Ergo similitudine, & nomine usurpato ad earundem instar classem Romani principes texuerunt.* Voss. de Trirem. & Liburn. constr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 726. D. Meibom. de Fabric. trirem. ibid. p. 629. A. Calcagn. de Re naut. c. 11. Scheffer. de Milit. nav. l. l. Panciroll. Notit. dignit. imper. occid. c. 81.

LIBURNUM fuit vehiculum constructum ad similitudinem *Liburnæ* navis. Hoc principes Romani solebant vehi. Juven. Sat. III. 239. V. illum supr. in *Lecticarii*. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 246.

LIBYA est vel superior, seu prima, ab Orobo Cyrenaica appellatur. Hanc ait Strab. XVII. p. 576. Alexandriæ, & Mareotidi regionem primam *Libyam* vocari, quæ post Ægyptum in parte Africæ prima incipit à civitate Parætonio, & montibus Catabathmi. Inde secundum mare ad aras Philenorum extenditur, ubi orientis terminabatur imperium. *Pentapolis* dicta est à Plin. v. 5. ob numerum quinque clariorum civitatum, quas continet, scilicet Cyrenem, Apolloniam, Barcen, Arsinoem, Berenicem. Vel inferior, quæ longè versus oceanum meridianum extenditur: à septentrione habet Cyrenaicam, ab occasu Syrtes majores & Troglodytas, à meridie Æthiopiam. Illius Ptolemæus Cyrenarum Rex populum Romanum hæredem reliquit, cujus urbes senatus liberas esse voluit, ut Sextus Rufus scribit. Augustus eam in provinciæ formam redactam Cretæ administrationi conjunxit, ut Dio & Strabo memorant. Hanc Appion Rex Romanis testamento reliquit. Sextus Rufus: *Cyrenas cum cæteris civitatibus Libyæ Pentapolis Ptolemæi antiquioris liberalitate suscepimus. Libyam supremo Appionis Regis arbitrio sumus assecuti.* Panciroll. Notit. Dignit. Imper. Orient. cap. 119. Sigon. de Jur. prov. II. 16.

LIC.

LICET consulere dicebant consultores, qui ad Ictos consulendi gratia adibant. Id non sine præfatione faciebant. Rogabant enim an per otium, & per occupationes consulere eos possent. *Licet* ne mihi tua opera uti, & à te consilium expetere? V. supr. in *Consulere*.

Licet dicere dicebant senatores de salute publica, & universa Republica quid decreturi. Liv. III. 71. *Consurgit P. Scaptius de plebe, magno natu: &, si licet, inquit, consules de Republica dicere.* Brisson. de Form. I. p. 167.

Licet rogare testes, à judicibus quandoque postulabant oratores. Cicer. de Orat. II. 60. *Pusillus testis processit, licet, inquit, rogare, Philippus? Tum quæstor properans, modo breviter: hic ille, non accusabis, perpusillum rogabo.* Brisson. de Form. v. p. 476. Torrent. in Horat. Sat. II. 2. 192.

Licet signent dicebant veteres, cum tabulas, testationesve consignare permittebant, vel rogabant. Ovid. Pont. IV. 15. 11.

—testere licet, signate Quirites.

III. 2. 23.

Sint hac contenti venia, signentque licebit.

Brisson. de Form. VI. p. 512.

LICIUM est filum, quod stamini in tela implicatur. Virg. Georg. I. 285.

Et prensos domitare boves, & licia telæ
Addere.

August. ad Leg. XII. tab. §. 29. Braun. de vest. Sacerd. Hebr. II. 2. 11. *Liciorum* magnus usus erat in veneficiis, nempe quia iis putarent mentes implicari, ac conturbari, haud secus ac *liciis* implicatur stamen. Ea autem erant *discolora*, ut loquitur Appul. Apol. p. 454. sive varii coloris filis intorta, ut id extulit Petron. c. 91. Virg. Ecl. VIII. 74.

Terna tibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circumdo.

Cir. n. 371.

Terque novem ligat triplici diversa colore
Fila.

Voss. Lex. Etymol. Cerda in Virg. Eclog. Taubman. in Cirin Virgilii. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 17. Turneb. Adv. XXVI. 6. Pith. & VVouvver. in Petronium.

LICINIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

LICITATIO est ipsa pretii majoris oblatio in auctione facienda. De illa dixisse satis erit, *licitationem* à senatu approbari, donec pignus à judice addictum fuerit, etiamsi ipse pignerator *licitetur*, ut eidem senatui visum fuit. *Rabir. de Hast. & auct. orig. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. (36.) C. Huic, qui ad publicorum conductionem accedebant, manu sublata se offerebant. Festus. V. illum infr. in *Manceps*. Etiam digito sublato *licitationes* fiebant. V. supr. in *Digitus*.

LICTOR. Illorum origo à Romulo, exemplum ab Etruscis. Liv. I. 8. *Romulus tum cætero habitu se augustiorem, tum maximè lictoribus duodecim sumptis fecit. Alii ab numero avium, quæ augurio regnum portenderant, eum secutum numerum putant. Me haud pœnitet eorum sententiæ esse, quibus & apparitores, & hoc genus ab Etruscis finitimis, unde sella curulis, unde toga prætexta sumpta est, numerum quoque ipsum ductum placet: & ita habuisse Etruscos, quod ex duodecim populis communiter creato Rege, singulos singuli populi lictores dederint.* Pollet. For. Rom. v. 13. Lips. Elect. I. 23. August. de Leg. in Julia. Fuerunt liberi, non servi: eligebantur enim plerumque ex ima Quiritium plebe. Liv. II. 55. *Quatuor & viginti lictores apparere consulibus, & eos ipsos plebis homines.* Taciti, & supra paullò, tempore, etiam e libertis. Tacit. Annal. XIII. 27. 2. *Quippe latè fusum id corpus,* libertos intelligit, *hinc plerasque tribus, decurias, ministeria magistratibus, & sacerdotibus. Ministeria magistratibus,* id est, lictores, viatores, accensi, scribæ, statores, præcones. . . . Sed & togæ jus *lictoribus* fuit: ergo liberi, imo & cives. Cicer. in Pison. c. 23. *Togula ad portam lictoribus præsto fuerunt: quibus illi acceptis*

sagula

fasces abjecerunt. Lipſ. l. l. Munera fuerunt tria: I. Submotio. Submovere enim proprium *lictoribus* verbum. Ideo *submotor aditus* pro ipſo *lictore* poſitus Liv. xlv. 29. V. illum ſupr. in *Coercitio*. Fiebat cum ſtrepitu, cum voce, manu, virga locum facerent ſequenti magiſtratui. Liv. viii. 33. *Repente ſtrepitus ante curiam lictorum ſubmoventium auditur, & ipſe infenſus aderat* Papirius. Non ſola, inquam, voce. Pacat. Paneg. *Tum longe populus arcebatur: nec otioſa viatoris manus plebem verbere ſubmovebat.* Imo adeo virgam ad hunc pulſandi uſum geſtaſſe videntur. V. infr. in *Virga*. Lipſ. l. l. Briſſon. de Form. ii. p. 271. II. Animadverſio. Id proprium in re *lictoria* verbum. Suetonius. V. illum ſupr. in *Animadvertere*. Liv. xxiv. 44. *Ut conſul animadvertere proximum lictorem juſſit, & is ut deſcenderet ex equo inclamavit.* Fiebat verbis, & clamore. Plin. Pan. c. 61. n. 7. *Utriusque ſollennis ille lictorum, & prænuntius clamor auribus inſederat.* Comprehendebant hoc verbo quicquid honoris venienti magiſtratui exhiberi ſollenne eſſet: ut equo, aut curru deſcendere, caput aperire, ſemita cedere. Quæ conjunctim tangit Seneca ſupr. in *Animadvertere*. Etiam aſſurgere. Suet. Jul. c. 78. n. 4. *Triumphantis, & ſubſellia tribunitia prætervehentis ſibi unum è collegio Pontium Aquilam non aſſurrexiſſe indignatus eſt.* Gladium ponere. Plutarch. Pomp. p. 637. A. *Ubi equo eſt ad caſtra advectus, præſto ei fuerunt duo Pompeji lictores, ac deſcendere eum ex equo, pedibusque juſſerunt incedere. Obtemperavit Tigranes, gladiumque diſcinxit, tradiditque eis. Ut denique ad Pompejum pervenit, detraxit capiti cidarim.* Dio lxiii. p. 717. A. *Dum Neronem conveniret, quanquam juſſus eſt, gladium, quem gerebat, deponere; tamen noluit.* III. Præitio. Ibant ante magiſtratum lictores, non gregatim, aut confuſè, non item bini, ternive: ſed ſinguli, & in lineam. Hoc monitum volo, quia non aliter eſt, ut capias, quis primus, quis proximus *lictor*. Ibant, inquam, ſinguli. Hic enim ordo euntium lictorum in nummis Junii Bruti in volumine, quod Fulvius Urſinus publicavit, expreſſus eſt. Valerius etiam & Livius in Fabiana hiſtoria non niſi de hoc ordine intelligi poſſunt. Valerii verba ſunt: ii. 2. 4. *Fabius . . . indignatus, quod ex lictoribus undecim nemo ſe equo deſcendere juſſiſſet, plenus ira ſedere perſeveravit. Quod poſtquam filius animadvertit, proximo lictori, ut ſibi appareret, imperavit.* Livii ſunt xxiv. 44. *Quum obviam filius progrederetur, lictoresque verecundia majeſtatis ejus taciti anteirent, præter undecim faſces equo prævectus ſenex, ut conſul animadvertere proximum lictorem juſſit, & is, ut deſcenderet ex equo, inclamavit . . .* Illorum inſignia fuerunt faſces, V. illos ſupr. in *Faſces*, & virgæ, V. illas infr. in *Virga*. Lipſ. l. l. Kipping. Ant. Rom. ii. 4. §. 7. Roſin. Antiq. Roman. vii. 48. Dictatori quatuor & viginti fuerunt, ſcilicet, quia duplex in eo imperium, ideo & inſignia conſulis utriusque. Dio liv. p. 520. B. *Ipſi cum quatuor & viginti faſcibus ad Auguſtum acceſſere, orantes ut ſe dictatorem creari pateretur.* Appian. Bell. Civ. i. p. 412. *Secures ei, Syllæ, ut dictatori præferebantur viginti quatuor.* Plutarch. in Fabio p. 176. A. *Fabius* dictator dictus, *ut illico imperii ſui populo vim, ſpeciemque oſtentaret, quo magis obſequentibus uteretur, & dicto audientibus civibus, proceſſit cum viginti quatuor faſcibus.* Lipſ. & Pollet. l. l. Auguſt. ad Leg. xii. tab. §. 44. Magiſtro equitum ſex. De M. Antonio, qui magiſter equitum Cæſari Dio xlii. p. 197. C. *At Antonius, ſi veſtitum ejus ſpectares, imaginem popularis ſtatus præferebat: prætexta enim utebatur: item ſi lictores: non enim plures quam ſex habebat.* Conſuli duodecim, prætori ſex. V. ſupr. in *Conſul*. Quæſtori nulli. Varr. apud Gell. xiii. 12. *Quæſtores neque lictorem habent, neque viatorem.* P. Sextio tamen quæſtori diſertè in ſeditione militari *lictorem* tribuit Liv. iv. 58. *Itaque cum fremitus aperte eſſet, & quæſtor P. Sextius eadem violentia coerceri putaret ſeditionem poſſe qua mota erat, miſſo ad vociferantem quendam militem lictore.* Sed non ut quæſtori. Præerat enim caſtris abſente conſule. Legatis in provinciis. Spartian. Sever. c. 2. *In qua legatione cum eum quidam municipum ſuorum Leptitanus, præcedentibus faſcibus, ipſe plebejus amplexus eſſet.* Mutaſſe tamen aliquid videtur Alexander Severus, & inſtituiſſe, ut milites anteirent loco *lictorum*. Lamprid. c. 52. *Apparitores nullos eſſe paſſus eſt: tribunis, aut ducibus, niſi milites anteire voluit; juſſitque ut ante tribunum quatuor milites ambularent: ante ducem ſex: ante legatum decem.* Virginibus Veſtalibus in publico ſemper unus. Inſtituerunt triumviri, Antonius, Lepidus, Octavianus. Dio xlvii. p. 338. C. *Virginibus Veſtalibus conceſſerunt, ut ſingulæ ſingulis lictoribus uterentur: eo quod quædam ex iis à cœna ſub veſperam domum revertens, cum quæ eſſet ignoraretur, vim paſſa fuerat.* Lipſ. l. l. Quia verò non ſolum ligaſſe, ſed virgis, ſed ſecuri percuſſiſſe leguntur, quid à carnifice differant, non ſatis video. Sin autem in ordinem, & album carnificum eos redigamus, quomodo ſubſiſtet, quod ex plebe homines fuiſſe, atque ubique in foro, & concione magiſtratibus apparuiſſe diximus, cum Ciceronis loco, qui carnificem ex foro, Urbe, concione ſuſtulit? V. ſupr. in *Carnifex*. Itaque ſuſpicamur in re dubia, *Lictores* tantùm in cives Romanos lege egiſſe, perduellesque virgis, & ſecuri more majorum percuſſiſſe: carnifices verò crucifixiſſe, ſtrangulaſſe, gulam fregiſſe, & alia ſupplicia ſervis, peregrinis, & iis qui cives non erant, irrogaſſe. Cicero enim pro Rabirio per antitheſin comparat carnificem cum *lictore*. V. illum ſupr. in *Lex Porcia*. & Verr. v. 45. *Aderat janitor carceris, carnifex prætoris: mors, terrorque ſociorum, & civium lictor Seſtius.* Pollet. l. l. Concedebantur domino funeris, ut in multitudine coercere poſſet inſolentiores, & ferociores. Cicer. de Leg. ii. 24. *Dominus funeris utatur accenſo, & lictoribus.* Turneb. in Ciceronem. Si quid per incuriam prætermitterent, conſul eos advertere jubebat. Indicio eſt, quod de Fabiis, patre & filio, narrat Livius. V. illum ſupr. in *Animadvertere*.

Lictor curiatus cognominatur in his titulis: LICTOR CURIATUS QUI SACRIS PUBLICIS POPUL. ROM. QUIRITIUM. ET LICTOR CURIAT. VIAT. LEX. Lex curiata, non ut priſcis temporibus, univerſi populi ſuffragiis curiatim in forum convenientis ferebatur, ſed poſtea tantum à triginta *lictoribus* triginta veteres curias repræſentantibus. Cicer. Agrar. ii. 12. *Sint igitur decemviri neque veris comitiis, hoc eſt, populi ſuffragiis, neque illis ad ſpeciem, atque ad uſurpationem vetuſtatis, per triginta lictores auſpiciorum cauſa adumbratis conſtituti.* Turneb. Adv. xi. 10. Auguſt. de Leg. c. 8. Manut. de Leg. c. 11. Lipſ. Elect. i. 23.

Lictor Flaminius, *qui Flamini Diali ſacrorum cauſa præſto eſt.* Feſtus. Hunc intelligit Ovid. Faſt. ii. 23.

Quæque capit lictor domibus purgamina certis,
Torrida cum mica farra vocantur idem.

Lipſ. Elect. i. 23. Dacer. in Feſtum. Argol. in Panvin. de Lud. circenſ. ii. 2.

Lictor primus erat, qui anteibat, & quaſi ducebat agmen, ab ordine ſic dictus, non à dignitate. Hujus proprium munus ſubmovere. Primus enim incurrebat in turbam. Cicer. Fratr. i. 1. 7. V. illum ſupr. in *Coercitio*. Lipſ. Elect. i. 23.

Lictor proximus Ciceroni modò primus dicebatur. *Turneb. Adv.* xi. 9. Apage, nec terram, nec cœlum tangit hæc ſententia. Proximus inter duodecim erat poſtremus, claudebat agmen, & proximè aberat à magiſtratu: unde etiam nomen. Val. Max. ii. 2. 4. *Maxima diligentia majores hunc morem retinuerunt, ne quis ſe inter conſulem, & proximum lictorem, quamvis officii cauſa una progrederetur, interponeret.* Hujus erat mandata à magiſtratu, ac literas accipere, & præſtare ea, quæ operæ familiarioris. Hic digniſſimus, & caput inter *lictores*, & haud dubiè is, qui alio nomine *ſummus lictor*. Gloſſæ veteres: *Summus lictor,* ἀρχιραβδοῦχος. Mentio proximi apud Salluſt. Bell. Jugurth. p. 67. *Hiempſal in oppido Thumida fortè ejus domo utebatur, qui proximus lictor Jugurthæ, carus, acceptusque ei ſemper fuerat.* Lipſ. Elect. i. 23. Turneb. l. l. Kipping. Ant. Rom. ii. 4. §. 7.

LIG.

LIGNARII fuerunt Romæ extra portam Trigeminam. Liv. xxxv. 41. *Ædiles porticum extra portam Trigeminam inter lignarios fecerunt.* Marlian. Topogr. Urb. 1. 8; iv. 1.

LIGNATORES peditum manus erat, & lixarum, qui *ligna*, & stipites in castra pro focis inferebant. Liv. xli. 1. *T. & C. Ælii tribuni militum legionem tertiam, qua pabulatores & lignatores tueretur, via, qua Aquileiam fert, duxerant.* Huc pertinet illud Hirt. de Bell. Hisp. c. 27. *Insequenti tempore, cum nostri temerè in opere distenti essent, equites in oliveto, dum lignantur, interfecti sunt aliquot.* Laz. Comm. Reip. Rom. iv. 6.

LIGNUM in usu etiam venit in materia viarum. Videtur ad palos, & sublicas in locis paludosis, & solo labante inservisse, uti juxta fluvios, & ubi pontes faciendi; ut scilicet firmum, & stabile corium præpararetur, in quo majores lapides quadrati inniterentur, & affirmarentur, quibus struebantur anterides, & pilæ magnificorum illorum pontium, qui partem faciunt viarum publicarum, ab Imperatoribus aliisque structi, ut vias continuarent, & conjungerent. *Bergier. de viis milit.* 11. *Sect.* 6. §. 2.

Lignum in barathro, sive Tulliano quoddam fuit, quo pedes reorum constringebantur. Colligitur hoc ex Prudent. Περὶ στεφ. v. 249.

> *In hoc barathrum conjicit*
> *Truculentus hostis martyrem,*
> *Lignoque plantas inserit*
> *Divaricatis cruribus.*

Fab. Semestr. 11. 7.

Lignum idolorum apud Romanos fuit materia: unde *signi lignei pervetusti, quod fuit bonæ fortunæ*, meminit Cicero. V. illum supr. in *Fortuna bona*. V. infr. in *Simulacrum*.

Lignum sessile in palo arrectario crucis. V. illud infr. in *Staticulum*.

Ligna versatilia apponebantur muro podii in theatris contra ferarum omnem scansionem, & insultum. Quæ quidem *ligna* in caveis agnoscit Ammian. xix. 6. *Ut dentatæ in caveis bestiæ, tetro pædore efferatæ, evadendi spe repagulis versatilibus illiduntur.* In caveis, inquam, sed in ipso etiam podio, aut circa, locare videtur Calpurn. Ecl. vii. 49.

> *—— nec non, ubi finis arenæ,*
> *Proxima marmoreo peragit spectacula muro:*
> *Sternitur adjunctis ebur admirabile truncis,*
> *Et coit in rutilum, tereti qua lubricus axis*
> *Impositos subita vertigine falleret ungues,*
> *Excuteretque feras.*

Versus dubiæ, & intricatæ scriptionis. Legerem: *Et coit in rutulam*, sive *rotulam teretem*, ut velit truncos eos eburatos utrimque in rotulam coisse, atque ita insilientis feræ impetum fregisse, & vertendo excussisse. Nescio etiam, an *in rupulam*. Nam ruplus in glossis σφόνδυλος γαλεάγρας, & στρόφιγξ, *cardo, & vertebra caveæ*. Vult omnino transversa quædam *ligna* versatilia objecta muro, quo feras fallereor dum annituntur. *Lips. de Amphith. c.* 12.

LIGULA, sive *lingula*. Nam promiscuè reperias scriptum in veteribus libris. Sed posterius hoc indoctorum Grammaticorum appellationem facit Mart. xiv. 9.

> *Quamvis me ligulam dicant equitesque patresque,*
> *Dicor ab indoctis lingula Grammaticis.*

dicebatur in calceis *linguæ* instar fastigiatum. Mart. 11. 29. 7

> *Non extrema sedet lunata lingula planta.*

Voss. Lex. Etymol. Bacc. de Conviv. antiq. 11. 9.

Ligula sive *lingula* in tibiis vocabatur, quod γλωττίδα Græci dicunt, in ore nimirum tibiæ, quæ flatu canentis agitabatur. Festus: *Lingula per diminutionem dicta, aliàs à similitudine linguæ inserta, id est infra*, malim legere *intra dentes coercita, ut in tibiis*. Illa in tibiis erat summè necessaria, utpote sine qua inutilem tibiam judicat Chrysost. Homil. 43. *Quanquam si à tibia lingulas abstuleris, inutile deinceps jacet instrumentum.* Ideoque Scholiastes Pindari pro miraculo de quodam tibicine refert, eum in agone, cum excidissent tibiales *lingulæ*, solis arundinibus cantum peregisse. Apud Polluc. iv. 9. vilis tibia describitur *lingulæ expers, insonora, tenuis, madida, inepta*. Ad sonos flectendos fecisse judico ex Plin. xvi. 36. *Arundo apertioribus lingulis ad flectendos sonos.* Bartholin. de Tib. vet. 1. 5. Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 86. a. A.

Ligula, sive *lingula* est instrumentum cavum, & oblongum: quale est, quo aromatarii educunt unguenta ex vase. Plin. xxi. 14. *Inde ligulis hauriunt florem, id est, candidissima quæque, transfunduntque in vas, quod exiguum frigidæ habeat.* Voss. Lex. Etymol. Rader. ad Mart. xiv. 9. Bacy. de Conviv. Antiq. 11. 9.

Ligula, sive *lingula* dicebatur mensuræ genus, puta quarta pars cyathi. Colum. xii. 21. *Et ita coadjicitur in binas urnas ligula cumulata, seu mensura semunciæ bene plena salis cocti & triti.* Pætus de Rom. & Græc. mensur. iii. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 1644. E. Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Græv. ibid. p. 1454. A. Voss. Lex. Etymol. Bart. Adv. vi. 17. xxxvii. 23. Rhodig. Ant. Lect. xiii. 4. Rader. in Mart. xiv. 109. Agric. de Mens. Roman. 1. p. 9. Simile instrumentum videtur fuisse cochleare. Unde hæc conjungunt Mart. xiv. 10. V. illum supr. in *Cochlear.* & Apul. medic. c. 1. §. 10. *Succi ejus cochlearium, vel ligulam dabis bibere.* De *ligula* enim præcedenti egerat carmine. *Pætus l. l. Philand. in Vitruv.* vi. 9. *Rhod. ad Scribon. comp.* 144. Etsi idem credatur ac cochleare, tamen est cum ab eo distinguatur. Mart. viii. 33. 23.

> *Quid tibi cum phiala, ligulam cum mittere possis?*
> *Mittere cum possis vel cochleare mihi?*

Voss. Lex. Etymol. Ex hoc enim carmine clarum est cochleari grandiorem fuisse. *Barth. Adv.* vi. 17.

Ligula, sive *lingula* dicebatur *gladiolus oblongus in speciem* linguæ factus, cujus meminit Nævius in tragœdia Hesiona. Versum Nævii appono:

> *Sine mihi gerere morem videar, haud lingua; verum lingula.*

Voss. Lex. Etymol. Rhodig. Ant. Lect. xiii. 4. Rader. in Mart. xiv. 9.

Ligula, sive *lingula* vocabatur pars acuta vectium. Vitruv. x. 8. *Et vectis lingua sub onus subdita. Item si sub vectis ferrei lingula subjecta fuerit, neque caput ejus pressione in imum, sed adversum in altitudinem extolletur, lingula fulta in area solo, habebit eam pro onere.* Nos partem illam dicimus linguellam, buccam dentemve pali. Bald. Lex. Vitruv. Voss. Lex. Etymol.

Ligula etiam vocatum videtur gutturis operculum διὰ τὸ γλωσσοειδές. Onomasticon: *Ligula: ἐπιγλωττίς. Voss. Lex. Etymol.*

Ligula tandem vocatur pars incurva superior strigilis, oblonga, fornicata, & contracta. Apul. Florid. p. 778. *Juxta honestam strigeculam, recta fastigatione clausulæ, flexa tubulatione ligulæ, ut & ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex ea rivulo laberetur.* Pignor. de Serv. p. 85. Florid. in Apulejum.

LIGURUM, ut ait Dionys. 1. p. 9. & natio antiquissima, & regio latissima fuit, quippe quæ ante Gallos Italiam insederit, nec solum Italiæ, sed etiam Galliæ ulterioris partem non modicam obtinuerit, in qua Salyes, Deceates, Oxybii, & Voconii *Ligures* habitarunt: unde autem in Italiam, aut in Galliam venerint, ille pro incomperto reliquit. Invenio porro, qui cis Alpes *Ligures* coluerunt, in duas partes divisos, Transapenninos, & Cisapenninos. Transapennini fines à meridie mare Ligusticum, à septentrione Apennini jugum, ab oriente primum Macram amnem, post impetu in Etruriam facto Arnum, ab occasu ejusdem Apennini, & Alpium congressum ad Nicæam habuerunt; eorumque alii montani, alii maritimi appellati. Montani, ut est in veteribus rerum Italicarum commentariis, à Nicæa, unde Apenninus attollitur, usque ad fontes Macræ pertinuerunt, à Macra verò usque ad Arni *Ligures* Apuani. Maritimi à Massilia, ut ait Polyb. 11. 16. usque ad Pisas: quod primum oppi-

dum

dum ex *Liguribus* in Tuſcos eunti occurrit; quanquam illud etiam Juſtin. xx. 1. 11. in *Liguribus* collocavit. Quæ ora oppida habuit Herculis fanum, Lucum Letonæ, Lunam, & poſt Macræ fluminis oſtium Erycis, ac Veneris portum, Tigulliam, Genuam, Vada Sabatia, Albigaunum, Albium Intemelium, Monœci portum, Herculis portum, Nicæam, & finem Italiæ flumen Varum: intus caſtella plurima, oppida pauca: in iis Luca, quod ante Etruſcorum fuiſſe ſcribit Liv. xli. 13. poſt *Ligurum*, & Apua. Qui cis Apenninum fuerunt, ii Trebia, & Pado fluminibus, & Apennini, atque Alpium parte concluſi, ut prodit Plin. iii. 5. hæc oppida tenuerunt, Libarnam, Dertbonem, Triram, Batdetatem, Induſtriam, Polentiam, Catteam, quod Potentia cognominatur, Haſtam, Aquas Statiellorum. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* 1. 23. *Panzirol. Notit. Dign. imper. occid. c.* 59: iii. 6. Bello Punico vix finito ad exercendam Romanam virtutem novi hoſtes ſurrexere. L. Cornelio, Q. Fulvio ann. 517. illis primùm arma illata ſunt: quod bellum intra Italiam illorum latrocinia excitarunt. Flor. ii. 3. 4. *Ligures imis Alpium jugis adhærentes inter Varum, & Macram flumen, implicitosque dumis ſylveſtribus, major aliquanto labor erat invenire, quam vincere. Tutum lacis, & fuga, durum atque velox genus, ex occaſione magis latrocinia, quam bella faciebat. Itaque quam diu, multumque eluderent Salyi, Deceates, Oxybii transalpini, citra verò Vagienni, Statielli, Caſmonates, Euburiates, Veleates, Ingauni, tandem latebras eorum Fulvius igni ſepſit*. Significat victoriam, quam Q. Fulvius Flaccus ex his retulit. Victi hoc primum à conſulibus ſunt, eorumque xxiv. millia interfecta, v. millia capta, & de iis triumphatum. Eos deinde ſæpiſſimè rebellantes plures Romani duces per xxc. annos, ut Strab. iv. p. 140. vel, ut ego obſervavi, per cxxi t. affecerunt, triumphi de iis, & finitimis populis Vocontiis, Contrubeis, & Gatlcis ſupra xviii. acti. Quos demum M. Æmilius Scaurus coſ. ann. 639. in deditionem accepit, latrocinia eorum coercuit, eſſe cit que poſtremò, ut publicè permeantibus via ad ſtadiorum xii. latitudinem laxaretur. Poſt hoc temporis *Ligurum*, ut ſociorum in bellis Romanis fieri mentionem invenio. *Panvin. Imp. Rom. c.* 4. *Sigon. l. l.*

LIL.

LILIUM fuit ſecundum genus munitionis, quod ad Aleſiam adverſus interiorem hoſtem fecit Cæſar de Bell. Gall. vii. 73. *Ante cippos, obliquis ordinibus in quincuncem diſpoſitis, ſcrobes trium in altitudinem pedum fodiebantur, paullatim anguſtiore ad ſummum faſtigio. Huc teretes ſtipites feminis craſſitudine ab ſummo præacuti & præuſti demittebantur; ita ut non amplius quatuor digitis ex terra eminerent. Simul confirmandi, & ſtabiliendi cauſa ſinguli ab imo ſolo pedes terra exculcabantur: reliqua pars ſcrobis ad occultandas inſidias viminibus, ac virgultis integebatur. Hujus generis octoni ordines ducti ternos inter ſe pedes diſtabant. Id ex ſimilitudine floris lilium appellabant*. Ramus de Milit. Jul. Cæſ. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1601. C. Laurent. Polym. iv. Synopſ. 2. Libri meliores omnes: *anguſtiore ad infimum faſtigio*. Scrobes nempe ita factæ, ut patula rotunditate paullatim anguſtarentur, contentque ad imum. Ni ſic fuiſſet, quomodo *terra exculcata* commodè? Sententia eſt, è tribus illis pedibus altitudinis tertium ab imo depetiiſſe, terra aggeſta ad ſtabiliendum ſtipitem, & circa eum ſtipata, & exculcata. Nam Hotomannum bona mens non impulit duas voces inducere, & auferre, *pedes terra*. Quid verò reliqui duo pedes? ii vacui: & addit: *reliqua pars ſcrobis. . . .* Id, inquam, eo ſenſit: ut vimina, & virgulta ſummam foveam oræ texerint, ei ſuperſtrata: imo & herbidus ceſpes ſuper ea, ut opinor, ad magis occultandum ſtylum: qui etſi *quatuor digitos eminebat*, ut dixit, tamen facilè hac tali materie celabatur. Feſtus id dixit. *vallum cacum*. Quæ verò in toto opere ſimilitudo *lilii*? Eo decurritur, ut nonnulli dicant, calycem ipſum *lilii* deſignari, cum id clauſum ſit adhuc, nec ſe expandit. Is capite leviter protuberante, & quadrato eſt: & talem fuiſſe volunt immiſſum ſtipitem, eoque aſpectum. Sed Cæſar diſertè ſcribit, *ſtipites teretes* fuiſſe... Nec forma hæc quadrata, aut *lilii* clauſi convenit. Meo ſenſu adſpicit ſimilitudo totam foveam ſupernè expanſam, jacentemque in orbem: cui medius deinde ſtipes inſeritur: atque id eſt velut *lilium* patens, cum ſtamine ſuo, aut ſtylo. *Lipſ. Poliorc. ii. Dialog.* 2. *Thyſ. de Oppugn. urb.* 1. *p.* 167.

LIM.

LIMA vocabatur dea, quæ *liminibus* præerat. Arnob. iv. p. 132. *Quis Limentinum, quis Limam cuſtodiam liminum gerere, & janitorum officia ſuſtinere credat?* Sagittar. de Jan. vet. c. 8. §. 18. Herald. & Stevvech. in Vegetium.

LIMBOLARII, ſive, ut legit Non. xiv. 32. *limborarii*, textores dicebantur, qui *limbos*, & inſtitas conficiebant, ſive *limbo* veſtes ipſas prætexebant, ac pingebant. Plaut. Aul. iii. 5. 45.

Textores, limbolarii, arcularii ducantur,

Ferrar. de Re veſt. 1. 3. 21. Turneb. Adv. xxiv. 23.

LIMBUS *eſt faſcia, qua ambit extremitatem veſtium, ſecundum antiquum ritum: ut Æneid.* v. 250.

Victori auratam chlamydem, quam plurima circum Purpura.

Serv. Æneid. ii. 616: iv. 137. Lactant. in Statium. Virg. Æneid. iv. 137.

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Stat. Theb. vi. 367.

—— & picto diſtinguit pectora limbo.

Britann. in Stat. Achill. 1. 330. Voſſ. Lex. Etymol.

LIMEN duplex eſt: ſuperius, & inferius. Perott. Corn. col. 834. *Limen non ſolum inferiorem partem ſignificat, qua ſub pedibus eſt, & calcari in ingreſſu domus à nova nupta ſine ſcelere non poterat, quoniam ſacra exiſtimabatur, ſed etiam ſuperiorem. Navius: Exime limen ſuperum, quod mihi miſero ſæpi confregit caput: inferum quoque, ubi ego omnes confregi digitos. Summum limen* vocat Lactant. iv. 26. *Frons ſummum limen eſt hominis*. Superius κατ᾽ ἐξοχὴν vocari ſolet *limen*. Plin. xxxvi. 14. *Difficillimè hoc contigit in limine ipſo, quod foribus imponebat*. Vitruv. vi. 9. *Sin autem officient trabes, ſeu limina*. Poſſet etiam vocari *ſuperliminare*. Hanc vocem legas apud Plin. xxix. 4. *Cujus generis prope videre poſſint, qua tradunt & de veſpertilione, ſi ter circumlatus domus vivus per feneſtram inverſo capite infigatur, amuletum eſſe: privatimque ovilibus circumlatum toties, & pedibus ſuſpenſum ſurſum in ſuperliminari*. Sagittar. de Jan. c. 8. §. 12. 15. 16. Plerumque è ligno fabricatum. Vetus vocabularium: *Limen terminus domus: vel lignum in foribus domorum, per quod intratur*. Sed potentiorum marmorea. Plin. xxxvi. 6. V. illum intr. in *Marmor*. Horat. Epiſt. 1. 18. 72.

Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve,
Intra marmoreum venerandi limen amici,

Ut nihil deeſſet templorum magnificentiæ, eorum *limina* interdum erant ænea. Virg. Æneid. 1. 452. de templo Junonis Carthagine:

Ærea cui gradibus ſurgebant limina, nexaque
Ære trabes, foribus cardo ſtridebat ahenis.

Liv. x. 23. *Cn. & Q. Ogulnii ædiles curules aliquot fœneratoribus diem dixerunt, quorum bonis mulctatis, ex eo quod in publicum redactum eſt, ænea in Capitolio limina fecerunt*. Hinc facio conjecturam, cum à templis ad privatorum domos plurima magnificentiæ ſpecimina promanarint, & ænea *limina* à templis, & baſilicis ad civium ædificia deveniſſe. *Sagit. ar. ibid.* §. 31. 32. 33. *Meurſ. de Luxu Roman. c.* 12. *Kobierzyck. de Lux. Rom.* ii. 7. Veſtæ erant ſacra. Serv. Æneid. vi. 273. *Veſtibulum dicunt à Veſta dictum per immunitionem. Nam Veſta limen eſt conſecratum*. Ecl. viii. 29. V. illum intr. in *Veſta*. Spanhem. de Veſt. Theſaur. Ant. Roman. Græv. Tom. v. p. 668. A. Sagittar. ibid. §. 19. Illis religionis aliquid Romani tribuebant. Hinc *limen* ſuperum & inferum quadam religione ſalutatur apud Plaut. Merc. v. 1. 1.

Limen ſuperum, inferumque ſalve, ſimul autem vale.

Et *liminibus* dantur oſcula apud Tibull. 1. 5. 44.

Et

Et dare sacratis oscula liminibus.

Turneb. Adv. xii. 5. Taubman. in Plautum. Kemp. de Oscul. Dissert. vii. §. 23: xxv. §. 27. Douz. Præcid. in Tibull. c. 2. Sagittar. ibid. §. 3. Struv. Ant. Rom. c. 2. p. 203. Lipf. Elect. ii. 6. Lomej. Dier. genial. Tom. 1. Dissert. x. p. 343. de Lustrat. c. 12. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 7. *Limina* templorum in supplicationibus, quæ avertendæ deorum iræ causa habebantur, aut cum hostili aliquo nuntio perculsa civitas ad deos, & vota confugiebat, passis crinibus verrere matronæ erant solitæ. Lucan. ii. 30.

Hæ lacrymis sparsere deos, hæ pectora duro
Afflixere solo: lacerasque in limine sacro
Attonitæ fudere comas.

Artemid. ii. 33. *Abstergere deorum simulacra, aut lustrare, aut ungere, aut verrere limina templorum, & bases simulacrorum.* Arnob. i. p. 29. *Cum deorum ante ora prostrati limina ipsa converrerent osculis.* Herald. in Arnobium. Lipf. Elect. ii. 6. Sagittar. ibid. c. 35. §. 8. ad maritorum stabant quasi obstitutæ novæ nuptæ. Catull. lxi. 81.

Tardat ingenuus pudor,
Quod tamen magis audiens,
Flet, quod ire necesse est.

Et non tangebant, in domos illorum abituræ, sed pedes tollebant. Lucan. ii. 359.

Translata vetuit contingere limina planta.

Serv. Ecl. viii. 29. modò laudatus. Superstitiosi moris causam affert Isidor. ix. 8. *Uxores ideo vetabantur limina calcare, quod illic januæ coeant, & separentur.* Aliàs Plutarch. Quæst. Roman. 29. *An quia in prima raptione mulieres non ultro intraverunt domos, sed illatæ sunt? aut quia videri volunt non volentes, sed vi coactæ eo ingredi, ubi sunt virginitatem amissuræ? aut hoc signum est, exire etiam eas, domumve relinquere non debere, nisi vi ejiciantur, sicut vi introductæ sunt?* Ego potissimam esse reor, quod hoc modo sollicite voluerint cavere, ne nova nupta in *limine* offenderet. Id pro maximè sinistro omine erat habitum. V. infr. in *Offenderene.* Etiam hoc modo spontam sponso superstitem fore putabant. Plaut. Cas. iv. 1. 1.

Sensim super attolle limen pedes nova nupta: sospes
Iter incipe hoc, ut viro tuo semper sis superstes.

Sagitt. ibid. §. 9-12. Brisson. de Ritu. nupt. p. 86. Hotman. de vet. rit. nupt. c. 19. Casal. de Prof. Roman. rit. c. 22. Turneb. Adv. viii. 11. Sigon. Ant. jur. civ. Rom. i. 9. Lomej. ibid. p. 344. Brod. Misc. iii. 27. Laurent. de Sponsal. c. 1. Kipping. Antiq. Roman. iv. 2. §. 5. Blond. Triumph. Roman. viii. p. 160. H.

Limen significat etiam carceres, unde stadiodromi cursum auspicantur. Virg. Æneid. v. 316.

Hæc ubi dicta, locum capiunt; signoque repente
Corripiunt spatia audito: limenque relinquunt
Effusi.

Servius ibidem etiam *regulam, aut signum creta factum* denotare posse autumat. *Sagittar. de Jan. vet. c. 8. §. 10. Rhodig. Ant. Lect.* v. 14.

Limen per tropum pro janua, ac deinde pro domo ipsa usurpari solet. Virg. Æneid ii. 441.

Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentes
Cernimus, obsessumque acta testudine limen.

vii. 613.

—— reserat stridentia limina consul.

Apul. Metam. iv. p. 121. *Quod enim ex usu foret omnium, me solum resistentem pro domus limine ....* Hinc elegantes Cicer. pro Cæcin. c. 12. *Non modo limine tectoque ædium suarum, sed primo aditu, vestibuloque prohibere:* quod Horat. Epist. i. 19. 36. *premere extra limen,* Virg. Æneid. vii. n. 579. *pellere limine,* & Juven. Sat. iii. 124. *summovere limine* dixerunt. *Sagittar. de Jan. vet. c.* 8. §. 5.

Limen vocatur quoque principium rei. *Et in ipso limine* est in ipso principio. Senec. Epist. 22. *Quid est turpius, quam in ipso limine securitatis esse sollicitum?* Sagittar. de Jan. vet. c. 8. §. 9.

LIMENARCHA vocabatur præfectus portus, quem Græci λιμένάρχης vocant. Præponebatur custodibus, qui in portubus locabantur, ut illorum curam haberent, & ab hostium, aut piratarum incursionibus naves tuerentur: oleum, vinum, vel liquamina, aut ferrum ad barbaros imperii hostes perferri non paterentur, l. 1. & 2. C. quæ res export. non deb. ac tumultus prohiberent. Servos fugientes retinebat. Paull. l. 4. ff. de serv. fugit. *Limenarchæ, & stationarii fugitivos deprehensos rectè in custodia retinent.* Muneribus personalibus adstringebatur, ut Arcad. l. ult. §. hi quoque de mun. & honor. scribit. Ab ordine decurionum, & ooo nisi liberi creabatur. Dioclet. l. non idcirco 38. C. de liber. caus. *Non idcirco minus, quod te limenarcha creato nemo contradixit Reipublica nomine, moveri tibi status quæstio potest.* Malè Accurs. dict. l. 4. & l. non idcirco 38. *limenarcham* pro eo, qui imperii limitibus præerat, interpretatur. Hi enim comites, aut duces cum imperio à Cæsare creabantur, l. 2. §. pro limitaneis C. de Offic. P. P. Africæ: *limenarcha* verò à decurionibus portus custodes eligebantur. Panciroll. de Magistrat. municip. c. 18. Notit. dignit. imp. occid. c. 8. & 17. Bud. in Pandect. p. 124. l. 262. E. Rhodig. Ant. Lect. xii. 6. Pius Annot. post. c. 5. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Imp. Rom. vii. 21. Laurent. de Rebusp. c. 3.

LIMENTINUS vocabatur, qui *liminibus* præerat. Arnob. iv. p. 132. V. illum supr. in *Lima.* August. de Civit. Dei vi. 8. & Tertull. de Idolol. c. 15. V. illos supr. in *Forculus.* Sagittar. de Jan. vet. c. 8. §. 18. Voss. Lex. Etymol. in Limen. Gyrald. Synt. deor. i. p. 35. C. Stuck. Ant. Conviv. ii. 30. Selden. Synt. de Diis Syr. Prolegom. c. 2. Tomas. de Donar. c. 8. Lipen. de Stren. c. 2. æt. sec. §. 23. Struv. Antiq. Rom. c. 1. p. 160. Holsteen. Comm. ad Nymphæum. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1802. C. Rosin. Ant. Roman. ii. 21. Laurent. var. sacr. gentil. c. 7. Blond. Triumph. Rom. i. p. 13. B.

LIMETANUS fuit cognomen gentis Mamiliæ. In illa *Limetani* cognomen aliquis promeruit ob *limites* positos, ut videre est in illius gentis nummis argenteis. *Ursat. de Not. Rem. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* xi. *p.* 614. *C.*

LIMITANEI dicuntur milites, qui in *limitibus* regionum agunt stationes. *Voss. Lex. Etymol. Bud. in Pandect. p.* 125. *A.* De his elegans extat locus apud Suidam: *Limitanei, Romani Reges superioribus temporibus per omnes sua ditionis oras maximam statuerunt militum multitudinem, ad tuendos imperii Romani fines, idque potissimum in oriente ali regione, ut illic Persarum, & Saracenorum incursiones reprimerent.* Meminit hujuscemodi militum Vopisc. Prob. c. 14. *Accepit sedecim millia tyronum, quos omnes per diversas provincias sparsit, ita ut numeris, vel limitaneis militibus quinquagenos, & sexagenos intersereret.* Laz. Comm. Reip. Rom. i. 2.

LIMITES *in agris nunc termini, nunc viæ transversæ.* Festus. Voss. Lex. Etymol. Rosin. Antiq. Roman. viii. 11. Laz. Comm. Reip. Rom. 1. 2.

Limes actuarius est, qui primus actus est, & ab eo quintus quisque, quem si numeres cum primo, erit sextus, quoniam quinque centurias sex limites cludunt. Hygin. de Limit. constit. p. 151. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* ii. 2. *Rosin. Ant. Rom.* viii. 11.

Limes decumanus appellatur, qui fit ab solis ortu ad occasum, Festus. De nominis causa sic Sicul. Flacc. de Condit. agror. p. 14. *Quæstorii dicuntur agri, quos ex hoste captos populus Romanus per quæstores vendidit. Hi autem limitibus institutis, laterculis quinquagenum jugerum effectis, venierunt. Quem medium decem actus in quadratum per limites dimensi efficiunt* Politian. Misc. c. 86. putavit dictum quasi longissimum, ut cardo ipse jam dimidiatus, decumano scilicet anticipante consideretur. *Voss. Lex. Etymol. Velser. Rer. August.* iv. *p.* 29. *Bellus de Part. templ. aug. c.* 6. *Ursat. Notit. dignit. Rem. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom.* xi. *p.* 791. *B. Salmas. Exerc. Plinian. p.* 475. *b.* 476. *a.*

Limites comproportionales dicuntur, *qui intercisivos limites servant, quos veterani pro observatione partium statutes*

 costo-

custodiunt. Frontinus. Imo comportionales, quod portiones agrorum inter consortes dividerent. *Salmas. Exerc. Plin.* 477. *a. E.*

Limites intercisivi vocantur, qui jugerationis modum servabant, ac centurias per jugera discernebant inter milites, quibus erant assignata. Aggenus: *Tum de comportionalium terminorum positione, quos vice tabellarum antiqui intercidendis portiunculis inter filios suos desigebant.* Hinc illa, quæ tam crebrò occurrunt in libro de coloniis: *Ager in jugeribus, & limitibus intercisivis est assignatus.* Salmas. Exerc. Plin. p. 477. a. E. b. A.

Limites lineares vocabantur medii inter primum actuarium & quintum. Hygin. p. 151. *Sunt alii actuarii limites, alii lineares.* Serv. Georg. I. 126. *Limites alii minores erant in obliquum discreti, qui lineares appellabantur, & agros per centurias, sive per jugera divisos coercebant.* In pedes octonos patebant, & *subruncivi* in Italia dicebantur. Fragmentum de coloniis ex commentario Claudii Cæsaris: *Cum dixeris decumanum latum pedes quadraginta, cardinem latum pedes viginti, facito & ceteros limites subruncivos latos pedes octo.* Hygin. p. 152. *Linearii limites mensura tantum disterminandæ causa sunt constituti, &, si finitimis interveniunt, latitudinem secundum legem Mamiliam accipiunt. In Italia itineri publico serviunt sub appellatione subruncivorum. Habent latitudinem pedum octonum. Hos conditores coloniarum fructus exportandi causa publicaverunt.* Duo facit genera linearium, propterea & diversam illis latitudinem assignat. Si mensuræ tantum disterminandæ causa constituti essent, & finitimis inter se servirent, latitudinem accipiebant secundum legem Mamiliam. Ea quinque, aut sex pedes latitudinis hujusmodi *limitibus* dabat. Aggen. de Limit. agror. p. 53. *De fine lex Mamilia quinque, aut sex pedes latitudinem præscribit. Quoniam hanc latitudinem, vel iter ad culturas accedentium occupat, vel circumactus aratri, quod usu capi non potest.* Hi sunt *limites* lineares qui *agros per jugera discretos coercebant*, ut modò dixit Servius. *Intercisivi* vocabantur, & *comportionales*. Alterum genus linearium decumani, & cardines minores fuere, qui per centurias agros dividebant, & lati fiebant pedes octonos, nomine *subruncivorum* in Italia appellati. *Hos*, ut addit Hyginus, *conditores coloniarum fructus asportandi causa publicaverunt*, id est, publici juris fecerunt, per eos iter populo patere voluerunt. Hyginus: *Ceteris rigoribus linearius pedes octonos.* Salmas. Exerc. Plin. p. 477. a. C. D. E. b. A. in Vopisc. Car. ii. c. 16. Velser. Rer. August. iv. p. 229. Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2.

Limites maritimi *appellabantur, qui ad mare spectant.* Hygin. de Limit. constit. p. 151. Cum enim Italia sit inter duo maria, qui a meridie ad septentrionem ducebantur, sic dicti sunt, quia mare à meridie & septentrione habet Italia. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 476. *D. Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 1. 2.

Limites montani *appellabantur, qui ad montes spectant.* Hygin. p. 151. Iidem Gallici, & decumani, quia Gallia ab occidente est Italiæ, & decumani ad occidentem spectant. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 476. *E. Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 1. 2.

Limites primi dicebantur, quia omnium primi agebantur. Iidem & maximi, quia ceteros latitudine præcederent. Hygin. p. 151. *Decumanus primus, maximus appellatur: nam latitudine ceteros præcedit.* Alii primum à maximo diversum statuebant, & primum eum dici volebant, qui primus post decumanum, vel cardinem actus esset, quum secundus sit. Eos errare contendit Hygin. p. 158. cujus verba sic sunt legenda: *Multos limitum constitutiones in errorem deducunt, dum inscriptiones parum intelligunt, aut aliter limites numerant. Volunt esse quidam decumanum, alium primum, alium maximum, & cum exierint à decumano maximo, pro actuarie primum limitem numerant, qui est secundus.* Salmas. Exerc. Plin. p. 476. E.

Limites prorsi dicebantur directi ab occidente in orientem. Festus: *Prorsi limites appellantur in agrorum mensuris, qui directi sunt ad orientem.* Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 2. Recte prorsi, quasi porro & in anteriorem partem ad occidentem directi. Prorsus idem est ac porro, & rectè versus. Festus: *Prorsus, porrò versus.* Ex Catone de fœneratione legis Juniæ: *cum Romam veniebant, devertebantur prorsus pro hospitibus ad amicos suos.* Quare in Festi loco modò laudato legendum *ad occidentem*. Simili ratione apud Hygin. p. 151. *Reliquos limites fecerunt angustiores, & qui spectabant in orientem, in occidentem, prorsos appellaverunt.* Bellus de Part. templ. augur. c. 6.

Limites transversi dicebantur directi à septentrione in meridiem. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 1. 2. Hygin. p. 151. *Limites, qui ad meridianum spectabant, transversos appellaverunt.* De his fortasse Stat. VI. 22.

Haud aliter raptum transverso limite cæli
Flammati Phaethonta poli videre.

Bellus de Part. templ. augur. c. 6.

LIMITOTROPHI, & aliquando *limitanei*, erant in *limitibus*, & finibus imperii siti, L. fi. C. de fund. limitotr. l. 2. §. pro limitaneis C. de offic. P. P. Afr. appellabantur fundi ab alendis militibus. Limitaneis ducibus, & militibus, ut alacriùs pugnarent, &, quæ tuebantur loca, libentiùs amarent, captos ex hostibus agros, unde alerentur, primus Alexander Imperator assignavit. Lamprid. c. 58. *Sola, quæ de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus, & militibus donavit, ita ut eorum ita essent, si heredes illorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent, dicens: attentiùs eos militaturos, si etiam sua rura defenderent.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 140.

LIMOCINCTI vocabantur servorum publicorum aliqui, voce valdè apta, sed pænè obsoleta. Antiqua ærea tabula, quæ apud Cæsarem Nichesolam patricium, & canonicum Veronensem:

HONORI
M. GAVI. M. F.
POB. SQUILLIANI
EQ. PUBL. IIII. VIR. I. D
IIII. VIR. AP. UB
CURATORI. VICETINORUM
APPARITORES. ET
LIMOCINCTI
TRIBUNALIS. EJUS

Tiro Tullius M. Ciceronis libertus apud Gell. XII. 2. *Licio transverso, quod limum appellatur, qui magistratibus preministrabant, cincti erant.* Pignor. de Serv. p. 61.

LIMUS est levissima illa, sed fœcundissima pars terræ, quæ exiccata faciliùs in pulverem redigitur. Ex hoc formatum est corpus humanum, unde sæpè in SS. literis homo dicitur pulvis, & in pulverem reversurus. *Limi* fœcunditas vel exinde satis apparet, quod innumera ex eo nascantur animalia. *Bergier. de viis milit.* II. *sect.* 11. §. 4.

Limus dicebatur vestis poparum, sive victimariorum in sacrificiis, quæ ab umbilico ad pedes cadebat. Virg. Æneid. XII. 119.

—— *Alii fontem, ignemque ferebant*
Velati limo.

Ubi Servius: *Limus vestis, quæ usque ad pedes teguntur poparum pudenda.* V. Hygin. de Limit. constit. p. 151. *Limum cinctum ideo dixere, quod purpuram transversam habeat.* Ferrar. de Re vest. I. 1. 9. Turneb. Adv. XI. 1. Stuck. de Sacrif. p. 109. Lomej. de Lustrat. c. 35. Saubert. de Sacrif. c. 9. Pignor. de Serv. p. 62. Pith. Subcis. I. 2. Brisson. de Form. I. p. 12. Braun. Vest. Sacerd. Hebr. II. 3. 14. Merul. de Sacrif. c. 3. n. 4.

LIN.

LINEA, quæ ab agrimensoribus applicatur ad capitulum perticæ, funiculus est, quo perpenditur rigor, & ad perpendiculum cultellatur. Hyginus de Limit. constit. p. 178. *Recentius improbandi, ubi ferramento nonnisi ad interversuras utantur. Lineam autem per metas extendemus, & per eam ad perpendiculum cultellabimus.* Ubicunque tendi, vel extendi, intendive dicitur, de funiculo, ac resticula accipi par est. Vitruv. v. 3. *Uti linea cum ad imum gradum,*

& ad

& ad summum extenta fuerit. Glossæ: *Linea, funis, σχοινί*. Extenta igitur *linea*, sive resticula per metas solum ad perpendiculum cultellabant, & rigores perpendebant. Frontinus: *Quoties sine linea cultellamus, conspectum metarum sæpe excedimus*. Salmas. Exerc. Plin. p. 485. b. E.

Linea vocatur bolis, sive vasculum illud, quod submittitur in mare, ad explorandum, an loca sint petrosa, an arenosa. Isidor. XIX. 4. *Catapirater linea cum massa plumbea, qua maris altitudo tentatur*. Sunt qui etiam *lineam* arbitrantur dictam à Plaut. Most. v. 1. 22.

Non ego illi extemplo ita meum ostendam sensum: mittam lineam.

Scheffer. de Milit. nav. II. 5.

Linea alba non longè ab ostiis carcerum in utrumque circi mœnianum quasi regula hinc & inde directa, juxta quam equi è carceribus egressi cursus certameo inibant. Cassiod. Varior. III. 51. *Alba linea non longè ab ostiis in utrumque podium, quasi regula directa producitur: ut quadrigis progredientibus, inde certamen oriretur, ne dum semper properè conantur eludere, spectandi voluptatem viderentur populis abrogare*. Panvin. de Lud. circens. 1. 6. Rhodig. Antiq. Lect. v. 14. Fab. Agonist. 11. 7. Cujus usus in circo Romano illa *linea* potuerit esse, non video. Equi cum curribus intra carceres continebantur repagulis, vel cancellatis foribus oppositis coerciti, priusquam signum daretur emittendi. Signo misso uno eodemque tempore laxatis repagulis è carceribus effusi sese proripiebant, exhibebantque. Percipies ex Ovid. Met. II. 153. ubi mirè rem Circensem ad orientem solem transfert:

Interea volucres Pyroeis, Eous, & Æthon,
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant:
Quæ postquam Tethys, fatorum ignara nepotis,
Reppulit, & facta est immensi copia cœli,
Corripuere viam.

Cassiodorus itaque si *albam lineam* pro funiculo cursoribus, aut equis prætendi solito intellexit, miscuit stadii, & hippodromi Elei cum circo Romano instrumenta. In Olympiaco circo prætensum fuisse funiculum notat Pausanias, quia cum carceres ibi ad proræ navis figuram essent facti, apertis ostiis non eodem momento, qui proxes exibant equi consistebant, donec aliis etiam carceres aperirentur, & interea primi funiculo coercebantur. *Argol. ad Panvinium. Salmas. Exerc. Plin. p. 643. a. A.* Apud Romanos *linea alba* tantum in stadio usus, cujus meminit Lucilius:

Nam ut discrimen non facit, neque signat linea alba.

Atque erat funiculus cretatus, ut per albedinem longiùs distingueretur. Unde loquendi usus venit quamvis à *linea cretea*: *in linea stare, lineæ insistere, lineis eisdem dimicare, in lineas easdem gradus colligere, lineas transcendere, traducere*. Duæ tamen hæ *lineæ*, ut duæ metæ; prima, ubi sistebans. Pindar. Pyth. IX. 208. *Ad lineam eam constitutus*. Secunda, ubi cursus finis. Eurip. Antig. *Pervenimus ad extremam lineam malorum*; unde & Horat. Epist. 1. 16. 79.

—— mors ultima linea rerum est.

Τέρμα hanc, quasi terminalem *lineam*, vocavit Pindar. Pyth. IX. 202. Prima cursoribus subducebatur. Stat. Theb. VI. 593.

Ut ruit, ac aquum submisit regula limen,
Corripuere leves spatium.

Secunda proposita ad cursus finem erat, quæ creta, aut calce dealbata: unde *ad calcem pervenire*. De prima Virgilius. V. illum, & ad illum Servium supr. in *Limen pro carceribus*. De secunda Gell. Præfat. *Namque illi omnes, tum maximè Græci, multa, & varia lectitantes, in quasque res, alba linea, L. sine alba linea, ut dicitur, sine cura discriminis solam copiam sectati convertebant*. Argol. l. l. Non fuit funiculus, ut existimant, sed sulcus transversus, solo impressus, cui creta erat inspersa, cui à sinistro podio ad dextrum extendebantur inter primas metas, & carceres, ad quam non nihil consistebant aurigæ ex carceribus emissi, antequam effunderentur in arenam, ut frontibus æquarentur. Istam *lineam* ante carceres Chrysostomus simpliciter dixit, γραμμή. *Ab alba linea*, ἀπὸ γραμμῆς, *usque ad metas ultimas*, siva à carceribus ad calces. Ille locus, ubi erant metæ in ultimo circo, circa quem flectendus erat currus, in circo Constantinopolitano dicebatur σφενδόνη, quia ibi circus propter hemicycli formam fundæ planè est similis. Nam illa circi pars, ubi finiebatur, illi parti fundæ, cui lapis imponitur ad emittendum, assimilatur. Dicebatur etiam creta & calx. Prop. IV. 2. 58. ut nunc legitur ex emendatione Scaligeri:

Hæc spatiis ultima creta meis.

Loco cretæ nonnunquam calce utebantur ad *lineam* illam albam producendam circo, ut ex Plinio notum est. Inde loquendi genus, *à carceribus ad calcem*, quod non petitum est à calce humani pedis, ut plerique putant, sed à calce, sive alba linea circi. Quid enim calci pedis cum carceribus? Ostendit hoc & locus elegans Varronis apud Non. III. 60.

Nemini fortuna currum carcere emissum intimo
Labi inoffensum per æquor candidum ad calcem sinit.

Vitam humanam cum curru circensi comparat. Ut enim currus ex carcere intimo, qui est proximus portæ magnæ mediæ, emissus non labitur inoffensus ad calcem, seu albam *lineam*, aut ultimam metam: sic nemo vitæ suæ spatium decurrit sine offensa, ut non calamitate aliqua, & dolore vexetur. Et alia in circo erat, quæ jungere illos, qui juxta sedent, dicitur ab Ovid. Amor. III. 2. 19.

Quid frustra refugis? cogit nos linea jungi,
Hæc in lege loci commoda circus habet.

Art. Amand. I. 141.

Et bene quod cogit, si nolit, linea jungi,
Quæ tibi angenda est lege puella loci.

Sic legendum, Malè in editis *si nolis*. Imo poeta dicit, si puella nolit à te tangi, cogetur tamen pati, ut à te tangatur propter legem circensem, quia sedere aliter non poterit. Salmasius ad Historiam Augustam ait *lineam* Ovidio esse longum, & rectum subselliorum ordinem per circi extremum latus, in quo spectatores sedebant, ubi propter angustias non facilè potuerit ille locus deseri, quem quis cepisset, sine incommodo & molestia. Cui minimè assentior. Circi æquè ac theatra vias habebant, & semites, per quas in circum admittebantur, & dimittebantur spectatores. Quanta fuisset alioquin mora, si plures quàm centies quinquagies mille spectatores, quot circus maximus capiebat, paucos habuissent exitus? Circus itaque quatuor vias habuit latiores à quatuor mundi cardinibus sed plurimas angustiores, quæ dicuntur *semita, via, linea*. Sic igitur locis Ovidii lux affulgebit. Sedebat puella in ultimo subsellii loco ad *lineam*, seu semitam, ita ut si ulterius voluisset fugere, cum se nollet ab eo, qui proximè sedebat, tangi, aut standum illi fuisset, aut de ordine subselliorum, in quo sedebat, cecidisset. De quibus ne quis dubitet, pulcrè docet Mart. v. 14. 8. de Nannejo, qui solitus semper erat spectare in primo gradu, seu ordine subselliorum ante legem Domitiam theatralem: ex quo cum illa lege lata semel iterumque jussus esset à designatore, in alium aliumque locum ivit sessum cucullo tectus, ne nosceretur. Sed cum & illic excitaretur, in *lineam* coactus fuit se recipere, quæ ad equestria erat.

Et hinc miser dejectus in viam transit,
Subsellioque semifultus extremo,
Et male receptus altero genu, jactat
Equiti sedere, Lectioque se stare.

Salsissimè sanè. Cum Nannejus undique dejectus esset, & ex illis, in quibus sedebat, subselliis equestribus jussus esset surgere, transiit in viam, seu *lineam*, ad quam ordines subselliorum equestrium aut desinebant, aut dirimebantur ab ordine illo, qui erat trans viam. Ubi in extremitate subsellii ad *lineam* sic sedebat, ut altera pars natium sederet in illo extremo subsellio, altera dependeret, sic ut cum Lectius designator veniret visum, num quis contra legem sederet in equestribus, ne submoveretur Nannejus, ut ante sæpè erat submotus, dicebat, se non

sedere, sed stare in via, seu *linea*; apud alios verò jactabat se sedere in equite. *Grav. Thes. Ant. Roman. Tom.* xi. *Præfat.* **....

Linea vocatur λάϊνον, sive funiculus, & nervus in arcu, unde *tendere lineam*, *nectere lineam*, est arcum tendere. Terentianus:

Nervis mollibus invicem,
Junctis in teretem struem
Ceu Parthus solet, aut Scytha,
Arcus cornibus extimis
Levem nectere lineam.

Argol. in Panvin. de Lud. circens. i. 6.

Linea vocatur horizontis circulus. Manil. i. 652.

Hæc quoque per totum volitabit linea mundum.

De solstitiali Lucan. x. 306.

Linea tam rectum mundi ferit illa leonem.

De æquinoctiali Avienus:

—— *ingenti se tramite linea tendens*
Dividit ima noti, discernit & alta aquilonis.

Hodierni neutræ absolutè *lineam* hunc circulum appellant. *Salmas. Exerc. Plin. p. 465. a. D.*

Linea in horologiis solariis notabat horarum differentias, non quidem diurnas, sed menstruas. In horologiis ex aqua faciendis brevitates, & crescentiæ horarum non solum in singulis mensibus, sed etiam diebus observari solebant. Quod exacta ratione æquè fieri oportuit & in solariis, sed fortasse non potuit. Quippe nimis magnus *linearum* numerus erat describendus, si diurnæ etiam forent delineandæ, nec his tenendis suffecisset hemisphærium, vel scaphium gnomonicum. Ideo menstruæ tantummodo *lineæ* perducebantur, quæ ostendebant, quæ varietas horarum esset in singulos menses crescentium, decrescentiumque. Hoc innuit Vitruv. ix. 9. *Cum hoc ita sit descriptum, & explicatum per hibernas lineas, sive per æstivas, sive per æquinoctiales, aut etiam per menstruas.* Salmas. Exerc. Plin. p. 450. a. F. Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 366.

Linea margaritæ est margarita, seu unio, filo, aut funiculo pertusa. Ejus mentio est apud Scævolam, l. 26. ff. ad legem Falcidiam: *Lineam margaritorum triginta quinque legavit: quæ linea apud legatarium fuerat mortis tempore.* Brod. Misc. x. 20.

Linea ad tesseras, quando in ludo *linearum* fit mentio, videtur spectare. Diversæ pro diversitate lusuum in tabula erant *lineæ*, indeque factum est, ut auctores minimè inter se conveniant. Alii enim bissenas tabulæ adscribunt *lineas*, alii ab utraque parte quinque; utrique autem rectè pro diversitate, ut diximus, ludi. Pollux ix. 7. *Quoniam vero calculi, tales sunt: quinque vero unusquisque habet ludentium in quinque lineis: rectè a Sophocle dictum est, tesseræ quinque lineis notatæ, & talorum jactus.* Inter eas utrinque quinas una fuit media, quam sacram vocabant. Pollux l. l. *Inter eas utrinque quinas lineas mediam vocatam fuisse lineam sacram: quique calculos ab illa movisset, locum proverbio dedisse: sacra linea calculum movere.* Sed hæc propriè de ludo tesseratum, prout istum Græci ludere solebant, intelligenda sunt. Apud Romanos paullo aliter se res habebat. Iis enim in tabula adscriptæ erant, vel sex utrinque ludentium *linea*, id est, conjunctim duodecim, vel totidem numeri. Quos illi scripta vocabant. V. infr. in *Scripta duodecim*. Et ut apud Græcos media *linea* erat ἱερά, vel sacra, sic Romanis, cæterisque Latinis ultima erat quasi sacra, dicebaturque *incita linea*. V. supr. in *Incita.* Erasm. Adag. p. 230. A. Senftleb. de Alea vet. c. 10. §. 9. 10. Calcagn. de Lud. talor. c. 3. Fab. Agon. ii. 23.

Linea in venatione. V. illam supr. in *Formido*.

LINEATORES erant in hippodromo Constantinopolitano, qui designatores in circo Romano. Hoc ex Paulli Diaconi verbis colligitur: *Dixerunt, quia secundum consuetudinem lineatorem fecerunt: porro lineatores, sive mensores interrogati, quam ob rem id fecerint? dixerunt, quia cum Imperatores ab omnibus nominati sunt, hæc a nobis ipsis facimus.* Sub ipsis hippodromi ergo ministeria. Nos in gymnasio literario *bidelles* nunc vocamus. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* i. 6.

LINGONES erant incolæ Galliæ Celticæ, nunc in ducatu Burgundiæ *Langres* dicti. De illis Lucan. i. 396.

Deseruere cavo tentoria fixa Lemano,
Castraque, quæ Vogesi curvam super ardua rupem
Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.

Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 622. D.

LINGUÆ exertatio, seu ejectio genus fuit sannæ. Modus illudendi, quemadmodum nunc passim ab hominibus projectæ audaciæ, triviisque assuetis, parum decotè usurpatur, ita vetustissimus est. Persius in hunc modum canens eum expressit Sat. i. 60.

Nec lingua, quantum sitiat canis Appula, tantum.

ubi Cornutus ait: *Sannæ genus esse linguam exerere ad canis sitientis instar.* Irridendi hunc modum significat, & fortè ad Persium respexit Hieron. Epist. iv. quæ est ad Rusticum Monachum: *Ne credas laudatoribus tuis, imo irrisoribus aures ne libenter accommodes; qui cum te adulationibus foverint, & quodammodo impotem mentis effecerint; si subito respexeris, post te videas, ad illudendum, æstuantem canis protendi linguam.* Id ipsum satis ostenditur ex militis illius Galli historia, qui Romanos ad pugnam provocans, ut eos irrideret, *linguam* exeruisse dicitur. Gell. ix. 13. Liv. vii. 9. 10. *Tum eximia magnitudine in vacuum pontem Gallus processit, & quantum maxima voce potuit: Quem nunc, inquit, Roma fortissimum virum habet, procedat agedum ad pugnam, ut noster duorum eventus ostendat, utra gens bello sit melior.... Armatum T. Manlium, adornatumque adversum Gallum stolidè lætum, &, quoniam id quoque memoria dignum antiquis visum est, linguam etiam ab irrisu exerentem producunt.* Ferrar. de Vet. acclam. & plaus. ii. 20. *Linguas pavonum, & luscinarum, quod qui has ederet, ab epilepsia tutus diceretur, comedit* Heliogabalus. Lamprid. c. 20. *Rhodig. Ant. Lect.* xxvii. 7. Diis eloquentiæ curantibus veteres sacreverant. Homer. Odyss. Γ. 332.

Sed agite, dividite linguas.

Ubi Didymus: *Consuetudo erat iis, qui dormitum ibant, sacrificiorum linguas exscindere, & in honorem deorum, sermones curantium comburere.* Athen. i. 14. *Soliti facere libationes super linguis, cum è convivio discederent.* Quæsitum, quare hoc fecerint. Et sunt, qui id modò proferant, Jonum hoc moribus receptum. Alii, quod inter membra reliqua bonitate *lingua* præstet; optima verò diis reddi par sit: alii quod *linguæ* parcant & verbis somnum petentes; quo sanè argumento etiam Mercurio libabant postremò. Vel item quia in conviviis prolata silentio deceat involvere. Aut quoniam *linguas* emburendo perperam dictorum labes injustas expurgarent. *Rhodig. Ant. Lect.* xiii. 5. *Erasm. Adag. p.* 281. *A. Lomej. de Lustrat. c.* 23. *Stuck. de Sacrif. p.* 206. 188. *Saubert. de Sacrif. c.* 20. *Laurent. Polym.* iv. *Synops.* 7. *de Prand. vet. c.* 2. *&* 3. *Var. sacr. gentil. c.* 19. *Feith. Ant. Hom.* iii. 5. *Casaub. in Athenæum. Buleng. de Convív.* iii. 34. *Sert. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* v. *p.* 397. *B. Potter. Archæol. Græc.* ii. 4. iv. 20. *Lips. Poliorc.* v. 10.

Lingua Græca tantoperè in usu fuit, ut Romanæ etiam mulieres, acsi in media natæ, educatæque Græcia, Græco passim idiomate loquerentur. Juven. Sat. vi. 187.

—— *omnia Græce,*
Cum sit turpe magis nostris nescire Latine.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta.

Kobierzyck. de Lux. Roman. i. 5. Et inter viros eloquentia præditos nullus recenseretur, qui Græcam pariter literaturam non optimè calleret. Quare ipsimet Romani, ut eandem probè addiscerent, Athenas plerumque contendebant, vel Græcos sibi magistros domi, ut omnem eloquentiam excolerent, edsciscere satagebant. Augusto enim, ut testis est Suet. c. 89. n. 1. Apollodorus Græcus vir magni nominis præceptor adfuit. Et plurium oratorum Cicero Brut. c. 20. meminit, qui Græci præsertim sermonis peritia præstantissimi inter cæteros fuere, ita ut eorum non pauci libros omni eruditione redundantes, Græcè à se conscriptos ediderint: inter quos jure quidem merito

Albr-

Albinus ille cos. celebratur, qui suam Græco idiomate historiam promulgavit. Claudius quoque teste Suet. c. 42. n. 1. haud minori cura, ac labore Græcorum studia sectatus, ejusdem *linguæ* nitorem, atque præstantiam, ubicunque se illi præbuit occasio, professus est. *Aring. Rom. Subter.* II. 23. §. 26.

Lingua Latina creditur nuncupata, qua uterentur in Latio, quum rebus potiretur Latinus, & præterea Etrusci Reges: qua sanè decemvirorum conscriptæ sunt tabulæ. Sed hujus pars ulla vix substitit innoxia: quod retulit Sex. Pompejus. Romana dicendi ratio intelligitur, quæ in Plauto effloruerit, Nævio, Accio, Pacuvio, Marone, Catone, Sisenna, Antiate Valerio, Cæsare, M. Tullio. Miscella figura intulit se, ubi jam auctiore imperio, dataque pessum Romana libertate, gentibus communicata civitas diversissimis est, ex quarum velut voragine loquendi sinceritas concussa inprimis in barbarum ferè dilapsa sonum, sapere Gothicum cœpit, & omnino peregrinum, ut rarenter se promat, quem purè Romanum dicas, non civitate donatum. Miratur tamen & Fabius, Osce plurima in auctoribus invaluisse, nec non Sabine, ut de Gallicis taceam, quum & Punica ostentent se nonnunquam. *Rhodig. Ant. Lect.* XXIII. 31. *Barth. Adv.* LIII. 2. *Noris. Cenop. Pisan. Diss.* IV. 1. In hac, licet Græca à Romanis in pretio haberetur, in media tamen Græcia responsa dabantur. Val. Max. II. 2. 2. *Magistratus prisci quantopere suam, populique Romani majestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quod inter cætera obtinendæ gravitatis indicia illud quoque magna cum perseverantia custodiebant, ne Græcis unquam, nisi Latine, responsa darent. Quin etiam ipsa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, excussa, per interpretem loqui cogebant, non in Urbe tantum nostra, sed etiam in Græcia, & Asia: quo scilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Nec illis deerant studia doctrinæ, sed nulla non in re pallium togæ subjici debere arbitrabantur.* Imo Romani tanti suam fecerunt linguam, ut ejus *usum nonnullis coloniis impartiverint*, ut ait Alex. Genial. II. 30. quippe *Cumanis*, ut constat auctoritate Liv. XL. 42. *petentibus permissum, ut publicè Latinè loquerentur, & præconibus Latinè vendendi jus esset.* Nicquet. Histor. Titul. Cruc. II. 5. 4.

LINGUARIUM est *linguarum* theca, & repositorium, in quo *linguam* condimus, ne temerè quid dicamus. Senec. de Benef. IV. 36. *Ecce ut doleat, ut postea consideratius loquaris: quod dicere solemus, linguarium dabo.* Natum hoc est verbum è joculari vulgi sermone, quo & nos plerumque jocantes utimur. *Turneb. Adv.* XII. 9. Est potius, quod pro lingua, quæ temerè locuta est, penditur. Id apertè videntur ostendere verba Senecæ: *Verba mea redimam, & damno castigabo promittendi temeritatem.* Sic vasarium dicebatur, cerarium, salarium, unguentarium, hordearium, uxorium. Sed V. illa suis locis. *Muret. Var. Lect.* XII. 5. *Gronov. de Pecun. vet.* IV. 4. & *in Senecam.*

LINTEARII vocabantur, qui lintea venderent. Glossat. vet. *Lintearius*, ὀθονιοπώλης. Sic accipitur pro linteæ vestis negotiatore, l. 7. C. de excus. mun. *negotiatores, vestiarios, lintearios.* Stevvech. in Veget. I. 7. Salmas. in Vopisc. Saturnin. c. 7. Ferrar. de Re vest. I. 3. 21. Taubm. in Plaut. Aulul. III. 5. 38. Casaub. in Lamprid. Alex. Sev. c. 24.

LINTEONES vocabantur, qui, ut ait Serv. Æneid. VII. linteamina texebant in vestium usum, & lavabant. Plaut. Aulul. III. 5. 38.

Propolæ, linteones, calceolarii.

Veget. I. 7. *Piscatores, aucupes, dulciarios, linteones.* Popm. de oper. serv. p. 89. Salmas. in Vopisc. Saturnin. c. 7. Stevvech. in Veget. I. 7. Ferrar. de Re vest. I. 3. 21. Taubm. in Plaut. Aulul. III. 5. 38.

LINTER *est navis fluminalis. Virg. Georg.* I. 262.

— cavat arbore lintres.

Non. XIII. 10. *Lintres* Germani invenerunt, qui Danubii sunt accolæ, & ex integris arboribus cavaverunt, ut modò Virgilius. Sunt omnino non ad longas navigationes idoneæ; sed, ut Liv. XXI. 26. *ad vicinalem usum paratæ*, & ut idem subdit, *novasque alias primum Galli inchoantes cavabant ex singulis arboribus.* Et propterea *monoxylas lintres* vocat Plin. VI. 23. Glossæ veteres: *Lintres*, μονόξυλα. Agebatur remis. Cæs. Bell. Gall. VII. 60. *Conquirit etiam lintres: has magno sonitu remorum incitatas in eandem partem mittit.* Cicer. pro Mil. c. 27. *Repente lintribus in eam insulam materiam, calcem, cæmenta, aliaque arma convexit.* Gyrald. de Navig. c. 18. Bays. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 607. C. Dolet. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 677. C. Scheffer. de Milit. Nav. I. 3. Cerda in Virgilium. Schill. Nomencl. Philol. p. 681.

Linter vasis etiam genus videtur. Et sic Virgilius modò laudatus posset exponi. *Baccius de vin. ac conviv.* IV. p. 170. *Gyrald. de Navig. c. 18. Cerda in Virgilium.*

LINTRARII vocabantur, qui, si quid fortè nuntiandum præter vehentibus, si quid aliud agendum fuit in mari, id faciebant. Ulpian. l. 1. §. 4. ff. Nautæ, caupones. *De exercitoribus ratium, item lintrariis nihil cavetur.* Scheffer. de Milit. nav. II. 3. Gyrald. de Navig. c. 18.

LINUM adhibebatur in obsignationibus literarum, & tabularum. Erat illud vinculum, quo constringebatur, & obligabatur id, quod erat obsignandum. Plautum V. supr. in *Cera*. Mos vinculis colligandi tabellas apud Græcos quoque obtinuit. Nep. Paus. c. 4. n. 1. *Interim Argilius quidam adolescentulus, cum epistolam ab eo ad Artabazum accepisset, eique in suspicionem venisset, aliquid in ea de se scriptum . . . vincula epistolæ laxavit, signoque detracto cognovit . . .* Curt. VII. 2. 25. *Parmenio vinculum epistolæ solvens, quidnam Rex ageret, requirebat.* In tabulis, quæ publici, & privati contractus scripturam continebant, modus observabatur, quem describit Paull. Sent. V. tit. 25. *Amplissimus ordo decrevit, eas tabulas, quæ publici & privati contractus scripturam continent, adhibitis testibus ita signari, ut ad summam marginis ad mediam partem perforatæ triplici lino constringantur, atque impositum supra linum ceræ signa imprimantur, ut exteriores scripturæ fidem interiori servent. Aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent.* Auctor hujus formæ senatus fuit Neronianis temporibus. Suet. Ner. c. 17. n. 1. *Adversus falsarios tunc primum repertum, ne tabulæ nisi pertusæ, ac ter lino per foramina trajecto obsignarentur.* Non poterant autem aperiri, nisi *lino* soluto. Lucian. Tim. p. 101. *Posteaquam signum ablatum fuerit, & linum incisum, & tabula aperta.* Kirchman. de Annul. c. 7. Long. de Annul. c. 9. Salmas. de mod. usur. c. 11. Lips. Institut. Epistol. c. 4. Brisson. de Form. VI. p. 511. Pitisc. in Suetonium. *Lino* etiam in sacro vestitu honorem habebant. Illo amiciebantur sacerdotes Isidis. V. illos infr. in *Sacerdos*.

LIQ.

LIQUARE est tenuius facere. Hoc in vinis ob ætatem languidioribus, & crassioribus, maximè si *amphora fumum bibisset*, ut Horat. Od. III. 8. 10. omnino erat necessarium Horat. Od. I. 11. 5.

— sapias, vina liques.

Quamquam & ad voluptatem id factitabant, nive, & glacie sæpè admixta. Utebantur autem ad eam rem colis, sacculisque, quos à nive nivarios appellabant. *Torrent. & Lambin. in Horatium. Turneb. Adv.* XI. 28. V. infr. in *Saccus*.

LIS.

LIS *vocabatur res, quæ erat in controversia. Ideo in actionibus videmus dici: quam rem, sive litem dicere oportet.* Varr. de Ling. Lat. VI. 5. *Voss. Lex. Etymol. Brisson. de Form.* V. p. 368. Et quæ res in controversia esse dicebatur, eadem dicebatur res *litigiosa*, l. 1. ff. de Litigiosis. Qui quoque antea partes, nunc *litigatores* appellabantur. Res autem *litigiosa* est, cum in judicium deducta est l. si rem 31. ff. de novat. Pingujus interdum controversiæ nomen pro *lite* usurpatur,

nunquam autem *lis* pro controversia. Hinc illud Varronis modò laudati. *Hotman. de Lite ordin. c. 12.* A jurgio distinguit Non. v. §. 34. *Jurgium & lis hanc habent distantiam: quod jurgium levior res est. Siquidem inter benevolos, aut propinquos dissensio, vel concertatio jurgium dicitur. Inter inimicos lis appellatur.* Et probat boc Ciceronis verbis de Republ. IV. *Admiror nec rerum solum, sed verborum etiam elegantiam. Si jurgant, inquit, benevolorum concertatio, non lis, inimicorum, jurgium dicitur.* Et in sequenti: *Jurgare igitur lex putat inter se, non litigare.* Voss. l. l. *Lites* feriis cessabant: *& in feriis imperandis, ut litibus, & jurgiis se abstinerent*, per præconem edici solebat, ut docet Cicer. de Div. I. 45. Unde Cicer. de Leg. II. 8. *Feriis jurgia amovento.* c. 12. *Feriarum, festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium.* Liv. v, 13. V. illum supr. in *Lectisternium.* Ovid. Fast. I. 73.

Lite vacent aures; insanaque protinus absint
Jurgia: differ opus, livida lingua, tuum.

Brisson. de Form. I. p. 118. Lipen. de Stren. c. 2. art. 1. §. 41. Turneb. in Cicer. de Leg. II. p. 99. Caroli Antiq. Roman. I. 6. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 2. *Litem æstimare*, & *contestari* quid sit, V. supr. in *Æstimatio*, & *Contestatio*. *Litem suam facere* quid sit, inter Ictos non convenit. Cicer. de Orat. II. 75. *Quid si pro altero dicas, litem tuam facias?* id est, si ita agas, ut non alienam causam, sed tuam agere videaris. Gell. x. 1. *Ad hæc ego rescripsi nihil amplius, quàm verba M. Varronis: quibus verbis utrumque, de quo ad me scripserat, decideretur. Nam & Varro satis apertè quid dici oporteret edocuit; & ego adversus eum litem meam facere absens nolui*; id est, nolui rationibus cum eo contendere, sed tantum auctoritatem Varronis secutum me esse contendi, ne contentione implicarer, aut rei periculum susciperem. Nostro tempore *litem* suam facere judices videntur interdum, cum nimirum in alterum litigatorem propensi, non tantum disceptatoris partes & arbitri, sed etiam causidici usurpant, studium suum præ cupiditate prodentes: quomodo & advocati cum studio litigatoribus suis placendi, in adversarios simul contumeliosissimis verbis, simul grassatoriis vultibus invehuntur, id se in commentariis habere dictitantes. Periode quasi fidem advocationis implere non possint, nisi & inimicitias litigatorum suorum causa susceperint. *Litem* suam facere Græci *ποιεῖν κοινὴν ἰδίαν* dicunt. *In rem suam vertere* est rem inter duos controversam sibi adjudicare: quod est cum judex ita cum litigatoribus agit, ut ei jure suo cedant. Liv. III. 72. *Orare, ne pessimum facinus pejore exemplo admitterent judices, in suam rem litem vertendo.* Bud. in Pandect. p. 189. H. *Litem* addicere plerisque est visum esse secundum præsentem *litem* dare. In lege enim decemvirali, quam allegat Gell. XVII. 2. legitur: *post meridiem præsenti stlitem addicito.* Sed quæso quænam hujus legis æquitas, si secundum præsentem fortè petitorem injustum judex debuerit judicare? Constat certè eos, qui cum frustrationis causa latitarent, tribus edictis evocati præsentiam suam facere contemnebant, *litem* idcirco non perdidisse: verùm, si post edictum peremptorium, quum dies ejus supervenisset, citati non respondissent, actam fuisse causam: non utique secundum præsentem, sed *interdum absentem, si bonam causam haberet, vicisse* c. 73. de jud. Eum igitur, qui ante meridiem peroravit, post meridiem propter absentiam olim *lite* fuisse multatum audebimus existimare? Ego itaque didici *litem* addicere aliud nihil esse in hac lege, quàm *litigandi* potestatem facere. Quam potestatem quia judex non solet facere, nisi actore cum reo præsente, nisi audita, & cognita causa. Hac ratione impulsus hanc decemviralis hujus legis partem sic ausus sum restituere: *post meridiem litem addicito, si ambo præsentes.* Ræyard. ad Leg. XII. tab. c. 7.

LIT.

LITATUM esse dicebant, cum bona exta nuntiata deos placatos, & propitiatos significabant, promittebantque iis propitiis bene, & feliciter eventurum, quod aggrediebantur, seu in animo habebant, qui sacrificaverant. *Litare* enim Macrob. Sat. III. 5. explicat *sacrificio facto placare numen.* Unde & *litationem propitiationis* dicit in Somn. Scip. I. 8. *Inter sacrificare, & litare hoc interest: sacrificare est veniam petere: litare est propitiare, & votum impetrare.* Virg. Æneid. IV. 50.

Tu modo posce deos veniam, sacrisque litatis.

id est, *impetratis*, Plaut. Pœn. II. 42.

——tam me Jupiter
Faciat, ut semper sacrificem, & nunquam litem.

Antiqui litare dicebant, quod frequentativa forma ἀπὸ τ̃ luere factum. Varro apud Non. II. 482. *Litavi pro lui Varro Ἑκατόμβη ἢ περὶ θυσιῶν. Habes qui, & cujus rei causa fecerim hecatomben: in quo ego, ut puto, quoniam est luere, solvere, litavi. Litare* est solvere. Homines enim tanquam debitores diis censentur natura, vel lege, ex voto proprio, quos propterea quasi omnium bonorum datores, ac creditores suos sacrificiis placant, ac propitiant. Hinc *ceremoniarum debita conficere* Arnobio. Quoniam autem, quod in solutum datur a debitore, ut solutio sit, in acceptum ferri debet à creditore, ita nulla *litatio* est, sive *litatio*, id est, sacrorum solutio, nisi dii grata, & accepta habeant, quæ ab hominibus offeruntur. Catull. XXXVI. 16.

Acceptum face, redditumque votum.

Litant igitur homines diis, ut debitores creditoribus solvunt. *Litantur* hostiæ, & sacrificia diis, ut debitum solvitur creditoribus. *Litari*, id est, placari dii dicuntur, ut creditores liberari dicuntur. Nam *creditorem liberare* in jure dicitur, qui se liberat à creditore, eumque placat. *Brisson. de Form. I. p. 28. Salmas. Exerc. Plin. p. 9. a. D. Turneb. Adv. XVIII. 20. Mod. in Liv. VIII. 9. Stuck. de Sacrif. p. 231. Sigon. de Ant. jur. prov. II. 6. Galeot. Mart. de Promisc. discipl. c. 39. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 526. C. Saubert. de Sacrif. c. 3. & 20. Camer. Hor. Subsec. I. 58. Lomej. de Lustrat. c. 14. Merul. de Sacrif. c. 5. §. 2. Caroli Ant. Rom. I. 11. Blond. Triumph. Rom. I. p. 14. G.*

LITERÆ à quibus inventæ sint, satis est controversum. Tacit. Annal. XI. 14. 1. *Ægyptii literarum semet inventores perhibent; inde Phœnicas, quia mari præpollebant, intulisse Græciæ, gloriamque adeptos, tanquam reppererint quæ acceperant. Quippe fama est, Cadmum classe Phœnicum vectum, rudibus adhuc Græcorum populis, artis ejus auctorem fuisse. Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linum Thebanum, & temporibus Trojanis Palamedem Argivum memorant, sexdecim literarum formas; mox alios, ac præcipuum Simonidem cæteras reperisse.* Plin. VII. 56. *Literas semper arbitror Assyrias fuisse: sed alii apud Ægyptios à Mercurio, ut Gellius: alii apud Syros repertas volunt. Utique in Græciam intulisse è Phœnice Cadmum sedecim numero. Quibus Trojano bello Palamedem adjecisse quatuor hac figura ΘΞΦΧ. Totidem post eum Simonidem Melicum ΖΗΨΩ quarum omnium vis in nostris recognoscitur. Aristoteles decem & octo priscas fuisse: ΑΒΓΔΕΖΙΚΛΜΝΟΠΡΣΤΥΦ & duas ab Epicharmo additas ΘΧ quam à Palamede mavult. Anticlides in Ægypto invenisse quendam nomine Menona tradit quindecim annis ante Phoroneum antiquissimum Græciæ Regem; idque monumentis approbare conatur. E diverso Epigenes apud Babylonios septingentorum viginti annorum observationes siderum coctilibus laterculis inscriptas docet, gravis auctor in primis; qui minimum, Berosus & Critodemus, quadringentorum & octoginta annorum. Ex quo apparet æternus literarum usus*, ut ideo ait Plinius, vel, ut ego interpretor, vetustissimus. *In Latium eas attulerunt Pelasgi*: plerique Carmentam ajunt, quæ & Nicostrata dicta est, Evandri matrem: atque ideo ab initio sedecim tantummodo Latinorum *literæ* fuerunt, uti etiam Græcorum. At verò Tacit. n. 3. scribit *in Italia Etruscos ab Corinthio Demarato, Aborigines ab Arcade Evandro didicisse*. Gyrald. de Poet. Dial. I. p. 10. Voss. Gramm. I. 9. & 10. Bochart. Chan. I. 20. Lips. in Tacit. Annal. XI. n. 47. Petit. Observ. II. 1. Hug. de Lit. & scrib. Orig. c. 1. Almelov. Ret. inv. onom. p. 41. Hennin. Ἑλλην. §. 1. Galeot. Mart. de Promisc. discipl. c. 6.

c.6.Marsham Can. Cbron. sect. 9. p. 123. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p.273. Latinos à Græcis eas accepisse, & veterum Græcorum easdem esse ac suo ævo Latinorum volunt Tacit. l. l. *Forma literis Latinis, quæ veterrimis Græcorum.* & Plin. vii. 58. *Veteres Græcas fuisse easdem pene, quæ nunc sunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodie in Palatio, dono Principum Minervæ dicata in bibliotheca, cum inscriptione tali,* Ναυσικράτης Τι[illegible] Ἀθηναῖος. *Voss. ibid. c. 11. Salmas. Exerc. Plin. p. 627. a. D. Nardin. Rom. Vet.* vi. 13.

Litera Kalendaris vocatur, quæ Kalendis ipsis notata menses ducit: A Januarium, H Februarium, D Martium, C Aprilem, A Majum, H Junium, F Julium, E Augustum, D Septembrem, B Octobrem, A Novembrem, G Decembrem: ut manus indicat. Quatuor enim digiti tribus singuli articulorum internodiis *literas* recipiunt: quemadmodum & menses collocantur. In indice Januarius, Majus, September: in medio Februarius, Junius, October: in medico Martius, Julius, November: in minimo Aprilis, Augustus, December. Si & distichon technicon cupis, cape:

Annus Habet Dives Cumulatos Axis Honore,
Fastos Et Dives Barbarus Arte Gerit.

Putean. de Nund. Rom. c. 23.

Literæ sunt scripta è *literis* contexta, ut epistolæ. Illarum auctor potest cognosci ex signis, & è scribentis manu. Sic L. Junius Brutus primus Romanorum consul filiorum conjuratorum *literas primum ex utriusque sigillo, deinde post avulsa signacula etiam e manu agnovit.* Dionys. v. p. 283. Ovid. de Pon. ii. 10. 1.

Ecquid ab impressa cognoscis imagine cera
Hac tibi Nasonem scribere verba, Macer?
Auctorisque sui si non est annulus index,
Cognitane est nostra litera facta manu?

Interdum quoque ex ipso stylo, vel sermone habito. Bernard. Epist. 330. *Sigillum non erat ad manum, sed qui leget, agnoscet stylum: quia ipse dictavi.* 339. *Nupera materies locutionis sit pro sigillo: quia ad manum non erat.* Kirchman. de Annul. c. 7. Laureatæ, id est, lauro revinctæ, victoriarum, & lætitiæ nuntiæ ab Imperatoribus Romanis ad senatum mittebantur. Appian. de Bell. Mithrid. p. 223. *Lucullus de rebus suis gestis ad senatum misit laureatas literas, ut mos est victoribus.* Liv. v. 28. *Literæ à Postumio laureatæ sequuntur: victoriam populi Romani esse: Æquorum exercitum deletum.* xlv. 1. *C. Licinio consuli ad quadrigas mittendas ascendenti, tabellarius, qui se ex Macedonia venire diceret, reddidisse laureatas literas dicitur.* Morestell. de Fer. Rom. Dial. xiv. Castal. Obelisc. August. inscript. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1864. B. Pier. Hierogl. l. 19. Gyrald. Synt. deor. x. p. 322. G. Brod. Misc. 1. 33. Paschal. de Coron. viii. 11. Barth. Adv. xi. 4. Laz. Comm. Reip. Rom. ii. 4: ix. 20. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. x. 29. Alex. Gen. dier. 1. 27. & ad illum Tiraquellus. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 279. Nicol. de Triump. c. 9. §. 1. Rader. ad Mart. vi. 6. 5. A coss. mittebantur per milites. Plutarch. Galb. p. 1056. T. scribit Nymphidium præfectum prætorio valdè offensum, quod coss. *literas*, & diplomata *sine signo suo, & militibus misissent.* Tacit. Annal. iv. 41. 3. *Literarum se magna ex parte arbitrum fore, cum per milites commearent.* Et quidem per eos, qui speculatores dicti. Tacit. Hist. ii. 73. 1. *Vix memeratu credibile est, quantum superbia, socordiaque Vitellio adoleverit, postquam speculatores è Syria, Judeaque adactum in verba ejus orientem nuntiavere.* Suet. Calig. c. 44. n. 3. *Magnificas Romam literas misit, monitus speculatoribus, ut vehiculo ad forum usque & curiam pertenderent.* Lips. in Tacitum. Torrent. in Suetonium. Subscriptio in *literis* ad Imperatorem, *vota pro te facimus Imperator.* Ingredienti Imperatori, *devotus numini, majestatique tuæ.* Imperatores scribentes ad senatum, qua formula uterentur, planè Cicero in epistolis ad familiares innuit. Planiùs verò Dio lxix. p. 794. B. *Quamobrem Adrianus cum scriberet ad senatum, non est usus illo exordio: Si vos, liberique vestri valetis, bene est; ego quidem, exercitusque valemus.* Laurent. de Acclam. c. 2.

LITERATI dicuntur stigmatici; qui *literarum* notis sunt inusti. V. supr. in *Inscriptio supplicii genus.*

LITHOSTROTA, quasi lapidibus strata, erant, pavimenta sectis parvulis marmorum crustis ex diversi generis, & coloris marmoribus, non tinctis. *Sectilia* vocat Latinè Suet. Jul. c. 46. n. 3. V. illum infr. in *Sectilia*. Plin. xxxvi. 25. *Lithostrota cœptavere jam sub Sylla parvulis certe crustis, extat hodieque quod in Fortunæ delubro Præneste fecit.* Varr. de Re rust. iii. 1. *Cum enim villam haberet opere tectorio, & intestino, ac pavimentis nobilibus lithostrotis spectandam.* Capitol. Gordian. c. 32. *Instituerat porticum, cujus medium lithostrotum brevibus columnis altrinsecus positis, & sigillis per pedes mille.* Apud Johan. c. 19. n. 13. λιθόστρωτον dicitur judicii locus, qui in Rabbinorum scriptis appellatur לשכת הגזית q. d. *cubiculum cæsura* propter sectilia, & cæsi marmoris frusta, quibus elaboratum ejus pavimentum. *Salmas. Exerc. Plin. p. 854. b. E. Bergier. de viis milit. ii. sect. 21. §. 7. Spon. Misc. Erud. Ant. sect. 11. art. 8. Goeree Antiq. Biblic. v. 6. Buleng. de Pictur. 1. 8. Philand. in Vitruv. p. 259. Crinit. de Hon. Discipl. xxii. 1. Casaub. in Suetonium. Petav. in Themist. p. 575. 576. Marlian. Topog. urb. Rom. v. 11. Guther. de jur. man. ii. 29. Grapald. de Part. dom. ii. 1. §. 3. Voss. Lex. Etymol.*

LITICEN *dicitur, qui lituo cecinerit.* Festus. *Stuck. de Sacrif. p. 108. Bartholin. de Tib. iii. 7. Valtrin. de Re milit. Rom. iii. 14. Laurent. Polym. iv. Synops. 1. §. 8.*

LITIGATORES, concepta actionis intentione, pro natura actionis, aut judicem, aut recuperatores, aut judicium à prætore postulabant. Hoc enim jus fuit magistratus ejus, cujus fuit jurisdictio, ut hæc dare postulantibus posset. Indicant leges veteres magistratuum. *Consulis, prætoris, censoris, quicunque erit, de ea re jurisdictio, judicii, judicis, recuperatorumque datio esto.* Item: *Magistratus, cujus de ea re jurisdictio erit, ad quem de ea re in jus aditum erit, ita de ea re jus dicito, judicia recuperationis dato, uti eos recuperare possint.* Sigon. de judic. 1. 23. *Litigatorum* alter si abesset, & absentiæ causa esset morbus, dies judicii proferebatur. Sic scriptum in xii. *Si judex, alterve ex litigatoribus morbo sontico impediatur, judicii dies diffisus esto.* Qui si morbum non excusaret, prætor peremptorium edictum in eum edebat. V. Ulpianum supr. in *Judicium peremptorium*. Ubi uterque advenerat, judex utrumque jurare jubebat. Id jusjurandum calumniæ juramentum appellarunt. V. supr. in *Juramentum*. Dicere jussi vel ipsi, vel eorum patroni, duobus modis dicebant: uno paucis, altero pluribus verbis. Brevem expositionem appellabant causæ conjectionem. V. supr. in *Causam conjicere*. Longioris expositionis exemplo sint causæ à Cicerone defensæ P. Quintii, & Q. Roscii. Causa ita agebatur, ut testibus, literis, & argumentis ex ipsa re, de qua agebatur, depromptis utrinque certaretur. *Sigon. ibid. c. 28.*

LITTUS est propriè ora, sive margo terræ, quam alluit mare, seu illud mediterraneum quoddam, seu Oceanus sit. In re nautica notat partem sui totius, non passim quamlibet, sed eam, ad quam naves commodè possunt appelli, ibique securæ à ventorum tempestatumque rabie manere. Ita accipit Cæs. de Bell. civ. iii. 8. ubi Bibulus Pompeji partibus addictus *à Salonis ad Orici portum stationes, littoraque omnia longè latèque classibus occupavit.* Ita etiam accipe l. 2. C. de littorum & itinerum custodia, ubi Honorius & Theodosius Impp. ad Anthemium P. P. scribunt: *Omnes stationes navium, portus, littora . . . . solerti custodiantur indagine, ut nullus vel vi, vel clam, vel aperto, vel etiam occulto nostri possit imperii regiones irrepere.* Bergier. de Viis milit. iv. Sect. 48. §. 5. Sabin. Lect. Subcis. 1. 10. Voss. Lex. Etymol.

LITUUS erat genus buccinæ, distinctum à cornu. Horat. Od. ii. 1. 17.

Jam jam minaci murmure cornuum
Perstringis aures, jam litui sonant.

& à tuba. Senec. Oedip. iii. 733.

Sonuit reflexo classicum cornu,
Lituusque adunco stridulos cantus
Elisit aere.

A qua etiam distinguit Lucan. I. 237.

—— Stridor lituum, clangorque tubarum.

De illo Festus: *Lituus est genus buccinæ incurvæ.* Dat sonum acutum. Ennius apud Festum:

Inde loci lituus sonitus effudit acutos.

Stat. Theb. VI. 228.

Et lituis aures circumpulsantur acutis.

& stridulum. Senec. Thyest. III. 575.

Jam tacet stridor litui strepentis.

& l. l. Canalis itaque grandis, aut parulus non fuit. Medium quoque inter tubam & cornu: non rectum prorsus, ut illa: nec totum incurvum, ut istud. Acro ad Horat. Od. I. I. 23.

Multos castra juvant: & lituo tuba
Permistus sonitus.

Litui acutus est sonus, tuba gravis. Inter lituum, & tubam hoc distare inveni: lituus equitum est, & incurvus; tuba vero peditum est, & directa. Lipf. de Milit. Rom. IV. 10. Bartholin. de Tib. III. 7. Valtrin. de Re milit. Rom. III. 14. Hugo de milit. Equest. II. 4. Laurent. Polym. IV. Synopf. I. §. 8. Thyf. Rom. Illuft. IV. p. 99. Voff. Lex. Etymol. Schill. Nomencl. Philol. p. 681.

Lituus est etiam *virga brevis, in parte, qua robustior est, incurva: qua augures utuntur.* Gell. V. 8. Hujus, qui tanquam insigne auguratus fuit, primus usus à Romulo fluxisse creditur, qui eo regiones direxit, cum Urbem conderet. Plutarch. Rom. p. 31. E. Camill. p. 145. D. *In moliendo, & purgando loco repererunt sub magno cumulo cineris Romuli baculum, quo uti ad auspicia solitus erat. Is ab altera extremitate inflexus est, lituum vocant. Hujus in cœli regionibus describendis usus est auspicantibus, ad quod ille augurandi peritissimus illum habuerat.* Cicer. de Divin. I. 17. *Quid lituus ille vester, quod clarissimum est insigne auguratus, unde vobis est traditus? nempe eo Romulus regiones direxit tum, cum Urbem condidit: qui quidem Romuli lituus est incurvum, & leviter à summo inflexum bacillum.* Utitur illo vocabulo pro tuba Virg. Æneid. VI. 167.

Et lituo pugnas insignis obibat & hasta.

Bartholin. de Tib. III. 7. Stuck. de Sacrif. p. 108. La Chausse de Insign. Pontif. Tab. 2. Ferret. Mus. Lapid. I. Memor. 4. Rævard. Conject. I. I. Faber. Agonist. I. 21. Lat. de Sacerdot. c. 5. Volaterr. Comment. Urban. XXII. p. 4106. D. Kipping. Antiq. Roman. I. 12. 9. Schill Nomencl. Philol p. 683. Barth. Adv. XXXV. 2. Noris. Dissert. in Cenot. Pisan. II. 5. Alex. Gen. V. 13. & 19. & ad illum Tiraquellus. Landus in vet. num. Rom. Explicat. Misc. Ital. Tom. I. p. 361. Laz. Comm. Reip. Roman. III. 11. Saubert. de Sacrif. c. 12. & 17. Grapald. de Part. dom. II. 12. §. 5. Gutberl. de Salus c. 16. Nonn. in Goltz. Nomism. Cæsar. p. 32.

LIV.

LIVIA gens. V. illam supr. in *Familia*.

LIX.

LIXÆ sunt in exercitu Romano, qui militibus legitimis ministrant. Non. I. 309. *Lixarum proprietas hæc est, quod officium sustineant militibus aqua vehenda. Lixam namque aquam veteres vocaverunt. Unde elixum dicimus aqua coctum.* Quorsum alludens *inutile lixarum vulgus* dixit Sil. Ital. V. 31.

Infertique globo pedites, & inutile Marti
Lixarum vulgus.

Veterem membranam glossarii habeo, in qua scriptum est: *Lixa, militum ancillæ. Unde postea manipulares servuli ita appellati sunt.* Barth. Adv. XXXIII. II. Nigron. de Calig. c. 3. §. 5. Acron Grammaticus ad Horat. Sat. I. 2. perperam servos militum appellat, cum certum sit liberos fuisse homines. Docet hoc Festus his verbis: *Lixa, quod exercitum sequuntur quæstus gratia, dicti, quod extra ordinem sint militiæ, eisque liceat quod libuerit.* *Lixas* à servis diversos fuisse, utrumque autem genus hominum in castris versatum fuisse ostendit, qui Metellum edixisse ait, Sallust. Bel. Jug. p. 101. *Ne lixa exercitum sequerentur, ne miles gregarius in castris, neve in agmine servum, aut jumentum haberet.* Valtrin. de Re milit. III. 8. Pignor. de Serv. p. 245. Lipf. de Milit. Roman. V. 11. Thyf. Roman. Illustr. V. p. 134.

LIXULÆ vocabantur placentæ, quæ elixæ caseo, aromatis & butyro condiebantur. *Grapald. de Part. dom.* II. 3. §. 26. *Buleng. de Convuv.* IV. 18.

LOC.

LOCARII dicebantur, qui *loca* commoda spectaculis occupabant, & deinde ditioribus certo pretio *locabant.* Mart. V. 25. 9.

Hermes divitiæ locariorum.

Lipf. de Amphith. c. 15. Salmaf. Exerc. Plin. p. 165. a. B. Buleng. de Circ. c. 33. Voff. Lex. Etymol. in Locus. Rader. in Martialem. Chimentell. de Honor. bisell. c. 22. Thyf. de Amphith. p. 206.

LOCARIUM dicitur, *quod datur in stabulo, & taberna, ubi consistant.* Varr. de Ling. Lat. IV. 2. *Rhodig. Ant. Lect.* IV. 23. *Voff. Lex. Etymol. in Locus. Cujac. Observ.* XIV. I.

LOCATIO est contractus bonæ fidei de re aliqua certa mercede vel facienda, vel ad tempus utenda, inter quos jure civili licebat, factus, atque in totidem partibus, quot emptio, erat positus. *Sigon. de Judic.* I. 5.

LOCULI γλωσσόκομον dicitur pecuniarum sacculus. Unde in Glossis: *Loculi*, γλωσσόκομον. Mart. XIV. 12.

Hos nisi de fulva loculos implere moneta
Non decet, argentum vilia ligna ferant.

Eo autem *loculos*, quàm *locos* dicere maluerunt, quia ad pecunias recondendas non amplo *locorum* spatio, sed paullo *loci* ferè opus est. *Voff. Lex. Etymol. in Locus. Rader. in Martialem. Salmaf. de mod. usur. c. 10. Grapald. de Part. dom.* 72. 6. 20. *Putisc. in Suet. Galb. c.* 12. *n.* 7. Illos arcæ concinnè opponit Juven. Sat. I. 89.

—— neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca.

Arca enim, sive ærata, sive ferrata, fuit stataria, *loculi* mobiles, & gestatorii. Et hos videtur tractasse unusquispiam è grege ministrorum. Paterfamilias apud Scævol. I. 23. de pecul. leg. *testamento codicillisve servos manumisit, & peculia legavit: & de Sticho ita cavit, Stichum servum meum liberum esse volo, eique dari volo decem aureos, & quicquid ex ratione loculorum meorum habet.* Ad hunc morem collineavit Johan. c. 12. n. 6. *Dixit autem hoc Judas, non quia de egenis pertinebat ad illum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.* Pignor. de Serv. p. 327.

LOCULUS appellabatur capfula, vel receptaculum, quo vel integrum corpus, vel reliquiæ asservabantur. Plinius, ubi de Pyrrhi pollice in dextro pede loquitur VII. 2. *Quem cremari cum reliquo corpore non potuisse tradunt, conditumque loculo in templo.* c. 16. *Et ipsi vidimus in loculis asservatos.* Kirchman. de Fun. Rom. III. 15. Salmaf. Exerc. Plin. p. 859. b. E. Nicol. de Sepulcr. Hebræor. II. 21. Ramirez. in Hypomnemat. ad Martial. p. 265. Voff. Lex. Etymol. in Locus. V. & infr. in *Urna*.

LOCUS in convivio dignissimus non erat summus, sive ejus, qui ad caput lecti decumbebat, licèt *altum thorum* apud Virg. Æneid. II. 2. summum interpretetur, eumque Pontificalem fuisse dicat Servius; sed medius, quicquid illi Servians admutilati commentarii præ se ferant. Cicer. Famil. IX. 26. *Accubueram hora nona. Dices ubi, apud Volumnium Eutrapelum, & quidem supra me Atticus, infra Verrius, familiares tui.* En summus Atticus fuit, medius Cicero. Quid autem clarius, quàm Ciceronem consularem senem dignissimo loco accubuisse? Virg. Æneid. I. 701.

aulæis

—— *aulæis jam se regina superbis*
Aurea composuit sponda, mediamque locavit.
ut decebat reginam. Apud Sallust. Hist. III. p. 187. In convivio, quo apud Perpernam Sertorius occisus est, è duobus lectis alterum medium Sertorius occupat ut Imperator, alterum Perperna, ut convivii dominus. *Igitur discubuere, Sertorius inferior in medio, super eum Tuscus Fabius Hispaniensis, senator ex proscriptis: in summo Antonius, & infra scriba Sertorii Versius, & alter scriba Mæcenas in imo. Medius inter Tarquitium & Ovium Perperna.* Ad hunc morem puto emendandum Plaut. Stich. III. 2. 31.
Haud postulo equidem medio in lecto accumbere,
Scis tu med' esse imi subselli virum.
pro *med' in lecto*. Non enim parasitus dicit se nolle in lecto accumbere, sed nolle medium, aut summum, satis esse si in imo hæreret. Si itaque tres convivæ in uno lecto, medius dignissimus, proximus honore summus. Si quatuor, medium censeri arbitror, proximum à summo. Si duo tantum, dignissimus summus fuit. Et hoc *locorum* discrimen antiquis servatum fuit. Senec. de Ira III. 37. *Minus honorato loco positus irasci cœpisti convivatori, vocatori, ipsi qui tibi præferebatur. Demens, quid interest, quam lecti premas partem? Honestiorem te, aut turpiorem potest facere pulvinus?* Lips. Ant. Lect. III. p. 145. Schegk. Præm. 4. Casal. de Urb. ac Imper. Rom. splend. part. 2. c. 19. Medii lecti *locum* ultimum consuli tributum, ac proinde consularem dictum, ac præcipuum habitum scribit, ejusque tres rationes maximè probabiles adfert Plutarch. Quæst. Conviv. I. 3. I. *quod exactis Regibus consules cum ad popularem formam omnia redigerent, seipsos è medio, & regio loco deorsum subduxerunt: ne vel ipse locus, tanquam qui aliquid ex fastu, & majestate regia adhuc retineret, molestus esset civibus.* II. *quod cum duo lecti invitatis tribuantur, tertius, ejusque primus, hoc est, medius locus domino convivii congruit; ex eo enim tanquam auriga, ac gubernator facilè & ministeria intueri potest, & ab aliis non ita longè abest, quin cum iis miscere sermonem possit, & colloqui. Locus enim infra eum uxoris est, aut liberorum: qui supra, is, ut par est, tribuitur convivarum honoratissimo.* III. *opportunitas ad munia obeunda: convenit enim magistratum in quovis convivio curare quavis animi recreatione & oblectatione, ut & audiat, & mandet ea, quæ opus sunt, & subscribat. Quod ut facere possit, commodissimum hunc habet locum, ubi secunda mensa ad primam applicata angulus flexu suo intercapedinem facit, quæ spatium accedendi, alloquendi, & audiendi præbeat scribæ, lictori, stipatori, nuntio ab exercitu venienti: cum interim consul neque molestiam cuiquam convivarum exhibeat, neque ipse obturbetur à quoquam; sed & dextram, & vocem habeat liberam, atque expeditam.* Boxhorn. Quæst. Rom. 47. Stuck. Conviv. II. 35. Ciaccon. de Triclin. p. 44. Tomas. de Tesser. hospit. c. 19. Bacc. de vin. & conviv. Ant. IV. p. 197. Hoc, cum consul convivio interérat, fortasse perpetuum fuit: cum verò aut pontificales cœnæ dabantur, aut ipsi pontifices adhibebantur conviviis, medii lecti *locus* primus honoratior apud Romanos erat. Festus: *Ordo sacerdotum æstimatur deorum . . . . maximus quisque; maximus videtur Rex, deinde Dialis, post hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto loco Pontifex maximus. Itaque ita conviviis solus Rex supra omnes accubat; sed Dialis supra Martialem; Martialis supra proximum; omnes deinde supra Pontificem.* Gell. X. 15. *Super flaminem dialem in convivio, nisi Rex sacrificulus, haud quisquam alius accumbit.* Ciaccon. ibid. p. 46. Stuck. l. l.

Locus sinister plerisque gentibus, etiam Romanis honestior est habitus, ut quidem pluribus in sua Hermathena asserit Becanus. Adversus illum disputat Lips. Elect. II. 2. & dextrum semper honestiorem habitum ostendit. Illud contrarium esse videbatur, quod Ovid. Fast. V. 67.
Et medius juvenum, non indignantibus ipsis
Ibat: & interior, si comes unus erat.
Hunc sinisteriorem fuisse confirmat Servius, qui explicans Æneid. V. 203.
—— *dum proram ad saxa suburget*
Interior.
inquit, *id est, sinisterior*. Hoc non modicè Lipsium turbavit, utque se commodum inde expediret, negat interiorem de sinistro intelligendum, & delirare Servium putat. Sed Servius id defendit auctoritate Cicer. Verr. I. 20. ubi legitur: *quem omnia intus canere dicebant*, id est, ut omnes interpretantur, sinistra manu. Et Sallustii, qui de Bithynia: *Igitur introrsus prima Asia Bithynia est*, id est, sinistrorsum. Præterea idem ad Æneid. IV. 212. ex antiquo scriptore hæc habet: *Videtur illud attingere morem antiquum, quod cum conderetur nova civitas, tauro, & vacca, ita ut vacca esset interior, à magistratu muri designarentur.* Ubi *vacca interior* est sinisterior. (Et interiorem pro sinistro accipiunt *Buleng. de Circo c. 29. Cerda in Virgilium*) Contra interiorem pro dextro accipiendum, ex eo colligi posse videtur, quod qui ad sinistram ambulabat, exterior dicebatur. Horat. Sat. II. 5. 16.
—— *nec tamen illi*
Tu comes exterior, si jusserit, ire recuses.
id est, sinisterior. Nam *exteriorem ambulare*, & *latus alicujus tegere*, sive *claudere* idem erat, ut notavit Turneb. Adv. XIV. 24. Nam n. 18. dicit Horatius:
Visne tegam spurco Damæ latus?
Si jusserit ergo, ne recuses illi exterior comes esse, id est, ad sinistram ambulare, sive latus ejus tegere. Juven. Sat. III. 131.
Divitis hic servi claudit latus ingenuorum
Filius.
Atqui latus tegere est esse ad sinistram. Hoc Lipsius docet ex eo, quod Suet. Claud. c. 24. n. 8. tradit Imperatorem Plautio triumphanti *latus texisse*, quod narrans Eutrop. VII. 13. dicit Claudium Plautio *lævum incessisse*. Ita cum latus tegere, sive claudere idem esset, ac lævum incedere, idemque pariter esset exteriorem ambulare, sequitur, exteriorem sinistrum, interiorem dextrum fuisse, quod Lipsius contendit. Sed ante Lipsium multum æstuavit Turneb. l. l. Quærit ibi, quid apud Horatium sit *exterior*, & sinistrum interpretatur. Id autem à circi consuetudine ortum ait, ubi ad metam, inquit, flectebant in dextrum cursum, unde & dextratio appellata est. Ita dexter qui erat, interiore flectebat gyro, quemadmodum lævus exteriore. Sed & equus sinisterior ampliorem lustrabat orbem, quàm dexterior, itidem rota. Ovid. Amor. III. 2. 12.
Nunc stringam metas interiore rota.
id est, breviore cursu. Mox versum Ovidii supra laudatum invertit, ut ostendat interiorem *locum* fuisse dextrum, & contra omnium editionum fidem legit:
Ibat & exterior, si comes unus erat.
Sed hæc veterum auctoritati penitus repugnant. Primum omnium notissimum est, & antiqua monumenta manifestè ostendunt, in circo ab dexteriore in lævum currus agitatos, ita ut non dexter equus, sed sinister, item sinistra rota semper metæ propinquior esset: atque ita non sinister equus, sed dexter amplius spatium lustrabat, quippè à meta remotior: sic & rota sinistra metæ propior, minus spatium lustrabat, quàm dextra. Et cum septies meta flecteretur, semper flexus in sinistrum erat, semperque sinistra currus pars spinæ circi, ac metæ vicinior erat, & quod idem est, interior. Hinc factum est, ut cum sinistra pars in quadrigarum agitatione semper interior esset, interior pro sinistro acciperetur, cum tamen propriè viciniorem significet. Virgilius in navium certamine, quod simulacrum circensium curulium fuit, cum etiam naves in lævum flecterent metam; Sergesto nimis metæ appropinquante, ait eum *interiorem* egisse navem ad scopulos, quod Servius sinisteriorem interpretatur, ex usu magis circensium, quàm quod propriè interior sit sinister. Quod cum negare non posset Turnebus ejusdem libri c. 4. ait Sergesto evenisse, ut sinister esset: cujus oblitus c. 24. statuit dextrum in circo fuisse interiorem. Cum tamen c. 4. interiorem rectè interpretetur, qui propinquiore spatio, ac breviore ad scopulum pergebat, ut apud Cicer. in Arato:
Nam cursu interiore brevi convertitur orbis.
Sed hæc sinistra pars erat, non dextra: ex quo non recto talo stat Turnebi sententia, qui interiorem dextrum interpre-

pretatur, à circi consuetudine. Lipsius aliud quid excogitavit, cur in ambulando interior esset dexter. Nempè Quiritium consuetudine, cum duo incederent, non æqualiter incessisse, sed ita, ut inferior dignitate honestiorem paullatim præcederet, tanquam viam faceret, & se innixui præberet, ad eum planè morem, quo matronas gradientes servuli suffulciunt, atque suspendunt. Atque ita honestiorem, qui ad dextram, interiorem dictum; exteriorem, qui ad sinistram: quæ & ipsa haud dextro pede procedunt. Ut igitur rem confragosam, & amplexam expediamus, vox *interior*, si prima, & genuina origo respiciatur, neque dextrum, neque sinistrum significat, sed viciniorem, & propinquiorem. Quia autem, ut diximus, in circensibus cursus in lævam partem erat, & ideò equus, ac rota sinistra vicinior metæ, quodque idem valet, interior, factum inde est, ut in reliquis rebus sinistra pars interior diceretur. Cæterum in ambulando interior neque dexter, neque sinister vocabatur, sed qui parieti vicinior erat, hoc est, intra parietem, & comitem, qui deambulabat, isque inde exterior dicebatur, hoc est à pariete remotior. Cum tres ergo incederent, honestior in medio: cum autem duo tantum, qui dignitate præstabat, parieti propior, ut nunc fit, ambulabat, & fermè ad dextram viæ partem, atque ita ejus comes erat illi lævus, & exterior, idemque latus tegere, & claudere dicebatur. Non quod veluti pro scuto esset, ut ait Turnebus, quodque in acie ad lævum adsisteret, & dum scutum ad dextram vertimus, nudum latus protegeret. Sed quia, qui inter duos ambulat, utrumque latus tectum, & munitum habet: qui autem uno comite graditur, unum latus pariete tectum habet, alterum ab eo clauditur, qui cum eo ambulat. Et quoniam fermè ad dextram viæ partem incedimus, hinc fit, ut exterior dicatur, qui ad sinistram ambulat. Si quis tamen, quod sæpè usu evenit, ad lævam partem viæ ambulet, comes ad ejus dextram erit, & nihilominus pariter exterior dicetur, remotior scilicet à pariete, cui qui proximus est, interior dicitur, intra parietem, & comitem constitutus. Ex quo apparet, interiorem nec dextrum, nec sinistrum fuisse, sed pro situs ratione eum modò, qui parieti propinquior, sive ad dextram, sive ad sinistram parietis partem ambularet. Eadem prorsus ratione, si in circo contra morem quadrigæ flexissent in dextrum, dexter equus, & rota fuissent interiores, id est, spinæ, & metæ viciniores. Non alia igitur Ovidii sententia est, quàm ivisse medium, cum plures incederent, & cum unus tantum comes, interiorem, id est, ædibus viciniorem, quod fermè, ut hodie fit, ad dextram viæ partem. Hinc decedere de via, ac seorsum erat magistratui, & honestioribus locum cedere, id est, propinquiorem ædibus, sive illi ad dexteram, sive ad sinistram incederent. Item cum lictor submoveret, jubebat viatores *locum* digniorem magistratui concedere. Neque tamen hæc interpretatio quidquam Becanum juvat. Nam, ut diximus, interior neque sinister, neque dexter, sed medius inter ædes, & comitem adambulantem, exterior qui latus interioris tegebat. Quod interiorem significare illud etiam argumento est, quod antiqui spondam lecti interiorem vocabant, quæ propior parieti, alteram exteriorem: in illa mulieres, in hac viri cubabant, ut ad Historiam Augustam notavit Salmasius. V. illum infr. in *Pluteus*. Interior, inquam, sponda, non sinistra, aut dextra, sed parieti propior. Nam licèt, ut hodie quoque fit, ita lecti statuerentur, ut sinistra sponda vicinior parieti esset, aliquando tamen juxta cubiculorum situm, dextra sponda propè parietem adstituitur, quæ nihilominus interior. Idem in lectis tricliniaribus factum, quorum sponda mensam contingens interior dicta, in qua uxores, & amicæ cubabant, quæ idcircò interius accumbere dicebantur. Sed Lipsius interiores cubuisse ait, quibus alius, aliave in sinu erat. Nititur auctoritate Catull. LXI. 171.

Cernis, intus ut accubans
Vir tuus Tyrio in thoro
Totus immineat tibi?

Sed Catulli sententia est, maritum, dum sponsam operitur in lecto tricliniari, cubuisse interiorem, nempè digniori loco. Sallust. Hist. III. *Itaque discubuere Sertorius interior in medio: super eum Tuscus Fabius Hispaniensis: infra scriba Sertorii*. Quanquam ibi interior de sinistro loco intelligi possit. Cubuisse, inquam, sponsum interiorem, ita tamen, ut de more sponsam sinu excepturus esset, & ita loco digniore cessurus, quæ inde interior cubitura erat. Non ergo intus cubare dicebantur, cui alius, aliave in sinu erat, ut censet Lipsius: sed contra, qui, quæve in sinu alterius cubat, is, eave interior cubare dicebatur. Difficile tamen intellectu est, quod sequitur n. 191.

Jam licet venias, marite,
Uxor in thalamo est tibi.

Unde enim veniet, qui jam cubabat? Quod vidit Passeratius: cum etiam sequatur n. 200.

Perge, ne remorare,
Non diu remoratus es,
Jam venis.

Ergo, inquit ille, vel in thoro altero vir ante cubabat, vel in convivali. Sed cur in altero thoro, aut convivali? Nempè in quo simul cœnatura sponsa. Verùm nulla cœnæ nuptialis mentio: & si ea fuisset, longa mora intercessisset. Expendant doctiores. Etiam Salmasius rectè statuit, intus accubuisse mulieres, id est, in gremio maritorum. Appul. Met. VI. p. 195. *Accumbebat summum thorum maritus, Psychen gremio suo complexus*. Sed cur maritus hìc cubat intus? Cæterum observat Salmasius etiam in lectis tricliniaribus spondam interiorem fuisse & pluteum. V. illum infr. in *Pluteus*. Et plutei quidem mentio apud Suet. Calig. c. 26. n. 2. Et ejus figura in antiquis marmoribus apud Ursin. de Triclinio. Sed fermè in stibadio, aut cum unus, vel duo discumberent. Nam si in lectis tricliniaribus pluteus fuisset, non video, quomodo convivæ lectos adscendere potuerint, nisi ut supra discumbentes scanderent, etiam si per illud spatium, quo epulæ in mensam ferebantur. In sponda igitur interiore, & in virorum gremio sponsæ, ac sponsi turpes cubabant, unde illud in Cæsarem apud Suet. c. 49. n. 3. *Regia lectica Nicomedis spondam interiorem fuisse*. Quod tamen non semper observatum esse declarat Mart. III. 91. 9. ubi Galli Cybeles Achillam puerum dolo excisuri ab eo percunctantur, qua parte cubaret; quod frustra fecissent, si omnes tunc mulieres, quique mulierum loco ad interiorem spondam jacuissent. Mentitus ille quidem est, nempè se in exteriore sponda cubare solitum, cum tamen ad pluteum:

Excidunt que senem, sponda qui parte jacebat,
Namque puer pluteo vindice tutus erat.

Hoc ergo fermè in cubicularibus lectis observatum. Poeta spondam simpliciter appellat, quæ exterior, pluteum autem pro interiore, quæ pluteo muniebatur. *Ferrar. Elect.* I. 22. 23. *Bellus de Partt. templ. augur. c.* 8.

Locus in theatro, Republica Romæ constituta, ne turbæ essent, suus cuique attributus est, orchestra senatoribus, quatuordecim ordines equitibus, media cavea viris, summa feminis, viatoribus quoque tribunitiis suus. Tacit. Annal. XVI. 12. 1. *Liberto, & accusatori præmium operæ locus in theatro inter viatores tribunitios datur*. Hunc unicuique demonstrabant designatores. V. illos supr. in *Designator*. Lips. de Amphith. c. 14. Buleng. de Theat. I. 30. Promiscuè ibi spectabant, & quovis loco liberè. Indicat Plutarch. in Sylla p. 474. B. *Spectaculum quidem gladiatorum erat. Locis autem ad spectaculum nondum tum discretis, sed mixtim sedentibus viris feminisque: accidit, ut propter Syllam mulier quæpiam sederet, facie, & genere honesta*. Lips. l. l. Sed secreta sunt in illo senatorum *loca* an. 559. P. Africano II. & Ti. Longo coss. Cicer. pro Corn. c. 1. *P. Africanus cum coss. esset, passus est tum primum à populari consessu senatoria subsellia separari*. Factum id esse Antias apud Ascon. in Cicer. p. 132. tradidit ludis Romanis, quos fecerunt ædiles curules Atilius Serranus, T. Scribonius Libo: idque eos fecisse jussu censorum Sex. Ælii Pæti, C. Cornelii Cethegi. *Qui ingentem gratiam apud eum ordinem pepererunt, quod ludis Romanis ædilibus curulibus imperarunt, ut loca senatoria secernerent à populo*. Liv. XXXIV. 43. Sed populi gravem invidiam sibi propterea Africanus conciliavit. Val. Max. II. 4. 3.

Iter

Per quingentes & quinquaginta octo annos (sequitur Verri Flacci calculos) *senatus populo mixtus spectaculo ludorum interfuit. Sed hunc morem Attilius Serranus, & L. Scribonius ædiles ludos matri deum facientes, superioris Africani sententiam secuti, discretis senatus & populi locis solverunt. Eaque res avertit vulgi animum, & favorem Scipionis magnoperè quassavit.* Pigh. Annal. Rom. Tom. II. p. 268. Zamosc. de Sen. Rom. I. 17. Masson Ovid. vit. p. 68. Pro quibusdam *locis* aliquid pendendum fuisse innuere videtur Suet. Cal. c. 26. n. 6. *Inquietatus fremitu gratuita in circo loca de media nocte occupantium, omnes fustibus abegit.* Et quidem prisco etiam ævo, Plaut. Pœn. prol. II. 23. id indicat receptum in servis:

Servi ne obsideant, liberis ut sit locus,
Vel æs pro capite dent: si id facere non queunt,
Domum abeant.

Græci hæc ὀθόνια appellasse videntur, quæ explicant in Callim. Dian. II. 74. τὰ ὑπὲρ τ̃ ἰδεῖν δῶρα, *munera quæ spectandi causa dantur.* Nec in servis hoc tantum, sed receptum etiam in aliis è plebe opinor, qui locariis nescio quid pro sedibus pendebant. Martialis. Sed V. illum in *Locarii*. Lips. ibid. c. 15. Aliquid solutum Romæ pro locario non memini me legere. Certè equestria, & senatoria *gratuita* fuerunt, quæ feminis, & maritis etiam *gratuita*. Æris aliquid, quia gradus erant subitarii, fortè exactum ab iis qui promiscuè spectabant: tum enim & feminæ propè viros assidebant, ut jam narravit Plutarchus. Et eo putem pertinere prologum Plautinum. Locarii apud Martialem, homines pauperiores, quod maturè venissent, & commoda spectaculis in popularibus *loca* occupassent, à se *loca* occupata divitibus accepta pecunia cedebant. Unde *gratuita* libenter apud Suetonium acciperem ipsa popularia, quæ primo occupanti concessa, & unde, si cederent tardè adventantibus, tenuiores pretium soliti recipere. *Buleng. de Circo c.* 35. Vox *gratuitus* apud Plaut. Cist. IV. 2. 74. sumitur pro grato, seu mercedem impertiente. An igitur *gratuita loca* dixeris, quæ qui occupabant aliquid à Principe consequebantur: vel quæ commodiora essent colligendis missilibus, quæ sub finem ludorum spargebantur? *Babelonius in Suetonium?*

Loca in circo, quibus sederent, ad Augusti ævum senatus, eques, plebs indiscreti occupabant. Nam Roscia lex, & Julia theatralis de scena tantum cavebant, non de curulibus ludis. Qui quoniam antiquissimi, religione quadam, censeo, & simul non alienandæ plebi servatus in iis mos priscus. Cornelio Cinna demum & Valerio Messalla coss. an. 758. mutavit Augustus. Dio LV. p. 563. D. *Ludi circenses seorsum à senatoribus & equitibus spectati sunt: quod adhuc moris est.* Sed ita, ut saltem juberet seorsim spectare senatum, seorsim equitem: non tamen illis *loca* certa adsignaret itataque. Itaque in alia atque alia regione circi spectabant, sedilibus videlicet his aut illis à plebe occupatis, donec tollendæ confusioni Claudius Imperator senatui attribuit certam, & mansuram sedem. Suet. c. 21. n. 6. *Circo maximo marmoreis carceribus, auratisque metis exculto, propria senatoribus constituit loca promiscuè spectare solitis.* Ait *promiscuè*: magis verè propriéque, vagè. Eam Suetonii mentem esse concedo rem eam cum cura explicanti Dion. LX. p. 669. E. *Spectabant quidem jam ante in ille, separatim, & per se singuli ordines, senatorum, equites, & plebis, ex quo primum id institutum fuit: non tamen certi loci singulis ordinibus adsignata fuerunt. At tunc secrevit Claudius senatoribus eas sedes, quas nunc quoque obtinent, fecitque ipsis potestatem, si vellent, alio quocunque loco in vulgari veste spectandi.* Et equiti Nero. Suet. c. 11. n. 3. *Circensibus loca equiti secreta à ceteris tribuit.* Tacit. Annal. XV. 32. 2. *Equitum Romanorum loces sedilibus plebis anteposuit apud circum, quia lex Roscia nihil nisi de quatuordecim ordinibus sanxit.* Ea loca nova esse ædificata fuisse ostendit Plin. VIII. 7. *Cæsar dictator euripis arenam circumdedit, quos Nero princeps sustulit.* Quod in fine verborum Dionis est, nolim negligas. Nam etiam post loca divisa promiscuè licuit spectare senatoribus, sed in veste, ut ait, privata. Unde Cornelius Tacitus, etsi senator, in equestribus spectavit apud Plin. Epist. IX. 23. *Narrabat* Tacitus, *sedisse se circensibus proximis equitem Romanum.* Lips. in Tacitum, Casaub. in Suetonii Claudium, Buchn. in Plinium, Mercer. in Alex. V. 16. Chimentel. de Hon. bisell. c. 12. Fab. Semestr. II. 6. Argol. in Panvin. de Lud. circ. II. 16.

LOG.

LOGEUM, λογεῖον, erat locus, sive pulpitum in theatro, teste Polluc. X. 2. ubi comœdiæ agebantur, alio nomine βωμὸς, & βῆμα, id est, suggestum, gradus. Idem esse quod pulpitum docet Vitruv. V. 8. *Minoreque latitudine pulpitum, quod logeum appellant.* Erat in media scena, & eminebat versus theatrum, instar suggesti, unde ad populum in theatro sedentem commoda fieret allocutio. *Ejus*, ut addit Vitruvius, *altitudo non minus erat pedum decem, non plus duodecim.* Baldus Lex. Vitruv. Buleng. de Theat. 24. Scalig. Poet. I. 21. Rhodig. Ant. Lect. VIII. 8. Gyrald. de Poet. dial. VI. p. 331. b.

LOGISTÆ fuerunt Reipublicæ curatores. V. illos supr. in *Curator Reipublicæ*.

LOGOGRAPHI differunt à logistis. Hi enim rationes tributorum scribebant, l. prim. & ult. C. de tabular. illi negotia Reipublicæ. Quanquam *Logographos* Suidas pro his accipiat, qui judiciorum acta conscribunt. *Panciroll. de Magistrat. munic. c. 21. Lax. Comm. Reip. Rom.* II. 4. *Rhodig. Ant. Lect.* VII. 6. *Bud. in Pandect. p. 262. Pignor. de Serv. p.* 516.

LOGOTHETA generalis est vocatus comes largitionum Principis. Gerebat capitium albo, purpuraque & margaritis distinctum, & pallium blatteum, seu purpureum, sine aliis ornamentis: tunicam auro, purpuraque, & albo phrygiatam habentem ante, & à tergo Imperatoris imaginem arridentem. Sceptro judiciali non utebatur. *Panciroll. Notit. dignit. imper. orient. c. 74. & 88. Rhodig. Ant. Lect.* VII. 6. In novæ Romæ imperio jusjurandum à novo Imperatore accipiebat in templo Blachernarum, auctore Niceta in Manuele Comneno III. Οὐκοῦν λογοθέτης . . . τοῖς ὅρκοις τοῦτον ἐπισταθῆναι κατὰ τ̀ ἐν Βλαχέρναις μέγαν ναόν. *Hansen. de Jurejur. vet. c.* 7.

LOL.

LOLLIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

LOM.

LOMENTUM appellatur farina fabacea, quo ad erugganda corpora usa est antiquitas. Unde Epigrammatista:

Lomento rugas uteri quod condere tentas.

Stuck. Ant. Conviv. II. 8. Lister. in Apic. de Art. coquin. I. 6. In Onomastico exponitus ἐρεγμὸν, id est, *farina fricta.* Et quia ea ad lavandum utebantur, in glossis transfertur σμῆγμα, & *lomentarius*, σμηγματοπώλης. *Voss. Lex. Etymol. Barth. Adv.* IV. 24. *Baccius de Therm. vet. c.* 16. V. & infr. in *Nitrum*.

Lomentum coloris genus est. Plin. II. 13. *Ex cæruleo fit, quod vocatur lomentum: perficitur id lavando, terendoque. Est hoc est cæruleo candidius.* Voss. Lex. Etymol.

LON.

LONGINUS est cognomen Cassiorum. Ex plebejis fuit I. C. Cassius *Longinus*, C. F. C. N. an. 782. belli Persici anno primo consulatum adeptus est cum P. Licinio Crasso. Censor an. 599. cum M. Valerio Messalla. II. Q. *Longinus* Q. F. L. N. cos. fuit an. 588. cum A. Manlio Torquato, & in magistratu mortuus est. III. L. *Longinus* Ravilla, qui præcedentis filius esse creditur. Fuit cos. an. 616. cum L. Cornelio Cinna, & biennio post censor cum Cn. Servilio Cæpione. IV. C. *Longinus*, C. *Longini*, de quo primo loco dictum est, ut creditur, filius. Cos. fuit cum C. Sextio Calvino post Ravillæ consulatum anno tertio. V. L. *Longinus* L. F. Q. N. Ravillæ, ut creditur, filius in consulatu à

Gallis

Gallis est occisus. Ejus collega fuit C. Marius in primo consulatu. VI. C. Cassius *Longinus*, qui cum Cn. Domitio Ahenobarbo fuit cos. post undecim annos. Frater potuit esse prioris. VII. L. Cassius *Longinus* senatorii ordinis. Hunc Sallustius enumerat in conjuratis cum L. Catilina, & ab Asconio vocatur competitor Ciceronis, & conjurationis particeps. *August. de Famil. Rom. in Cassia. Glanderp. Onom. Rom. p.* 202.....

LONGURIUS vocatur longior pertica, aut robustius lignum, quod in stabulo equis interponitur, ne consurgant in pugnam, aut se mutuò feriant. Varr. de Re rust. II. 7. *Itaque in stabulis & humore prohibere oportet humum, clausa habere ostia, & fenestras, & inter singulas equas à præsepibus interjicere longurios, qui eas discernant, ne inter se pugnare possint.* Rhodig. Ant. Lect. v. 14.

LONGUS est cognomen Semproniorum. *Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Vaillant. Numism.* 1. *p.* 28.

LOR.

LORA *dicitur in vindemia, cum expresserunt acinis mustum, & folliculos in dolium concesserunt.* Non. XVII. 11. *Lora confecta potionis genus grandævis aptum.* Varr. de Vit. pop. Rom. 1. *Antiqua*, Stevvech. ad Arnob. II. p. 83. emendat, *antiquitus mulieres majores natu bibebant loram.* Non. ibid. §. 13. Describit illam Varr. de Re rust. 1. 54. *Quæ calcatæ uvæ erunt, earum scapi cum folliculis subjiciendi sub prælum, ut si quid reliqui habeant musti, exprimatur in eundem lacum. Cum desiit sub prælo fluere, quidam circumcidunt extrema, & rursus premunt: & rursus, cum expressum, circumcisitium appellant, ac seorsum, quod expressum est, servant, quod resipit ferrum. Expressi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur, eoque aqua additur. Ea vocatur lora, quod lota acina, ac pro vino operariis datur hyeme.* Græci δευτέριον οἶνον, & ὑδατώδη vocant. Plin. XIV. 10. *Non possunt jure dici vina, quæ Græci deuteria appellant, Cato & nos loram, maceratis aqua vinaceis: sed tamen inter vina operaria numerantur.* Voss. Lex. Etymol. Meibom. de Cerev. vet. c. 10. §. 40.

LORARII fuerunt in arena, & scena, qui gladiatores cogebant pati, quæ se passuros juraverant. Tertull. de Spectac. c. 21. *Imo qui propter homicidia pœnam probandam ad spectaculum venias, idem gladiatorem ad homicidium flagellis, & virgis compellat invitum.* Vocabantur etiam *mastigophori*. Lips. Saturn. II. 5.

Lorarii dicti etiam, qui dominorum jussu servos imperia detrectantes, vel segniter obeuntes *loris*, & flagellis excipiebant. Gell. x. 3. *Hi sequebantur magistratus, tanquam in scenicis fabulis lorarii; &, quos erant jussi, vinciebant, aut verberabant.* V. supr. in *Brettani*.

LORICA est tegmen pectoris militaris. Serv. Æneid. XI. 6, 9. *Lorica est propriè tegmen de corio tanquam de loro factum: quo majores usi in bello consueverant.* Fiebat è loro, sive pelle. Virg. l. l.

> *Cui pellis latos humeros erepta juvenco*
> *Pugnatori operit.*

Sil. Ital. VIII. 524.

> *Pectora pellis obit cæsi venatibus ursi.*

Postea ex annulis ferreis, qui inde dictus est ἁλυσιδωτὸς, & *lorica* catenata, Virg. III. 467. vocat *loricam hamis consertam*. Tandem ex solida lamina, & Græcis ideo θώραξ στατός. *Voss. de Idolol.* III. 70. *Lex. Etymol. Lips. de Milit. Rom.* III. 6. *Salmuth ad Pancirol. de Reb. invent. & perd. p.* 610. *Laz. Comm. Reip. Rom.* VIII. 16. Pausan. Phocic. p. 343. *loricas* veterum describens ostendit duas habuisse partes: *Duæ erant ærea partes. illa quidem pectori, & iis quæ circa ventrem apta; hæc ut dorso tegmen esset. Vocabant gyala, sive cava, & incurva, a forma. Illam antrorsus, hanc retrorsus induebant: deinde fibula utramque jungebant.* Hodiernæ nostiæ sunt adsimiles. Quia duæ partes, *duas loricas* ex ea fecit, de Scæva cum scribit, Val. Max. III. 2. 24. *Galea jam ictibus discussa, & scuto crebris foraminibus absumpto, profundo te credidisti; ac duabus loricis onustus, inter undas, quas hostili cruore infeceras, enatasti.* Laudat enim illum, quod fessus, & duplici etiam *lorica* onustus potuerit enatare. De fibulis quæ in latere utroque *loricas* jungebant, Sil. Ital. VII. 624.

> —— *qua fibula morsus*
> *Lorica crebro laxata resolverat ictu.*

θώρακας ἁλυσιδωτοὺς, *loricas catenatas* Latini hamatas vocant, quia circuli, & catenæ nexæ hamuli speciem dimidiatæ referebant: an quia & hami catenulas jungebant. Hoc dicere videtur Sidon. Carm. II. 322.

> —— *nec futilis illi*
> *Circulus impactis loricam texuit hamis.*

θώραξ ἁλυσιδωτὸς 1. Sam. c. 17. n. 5. à veteri Bibliorum interprete *lorica hamata* vertitur. Et non aliud fuit quàm circuli, sive annuli ferrei inter se nexi, more quem hodie Galli & Germanici servamus, etsi exolescentem. *Loricas* squameas, quæ non annulis solis, sed & squamis constabant, Græci φολιδωτὸς vocant, vel λεπιδωτὸς à squamis piscium vel serpentum. Lucullus, ut in illo Plutarch. p. 510. C. die quo pugnavit in Tigranem, induit θώρακα σιδηροῦν φολιδωτόν. Et Macrinus Imperator, ut in illo Dio LXXVIII. p. 888. E. abstulit prætorianis τοὺς θώρακας λεπιδωτούς. Erant hæ honestiorum planè. Hamis, & laminis solidis simul constiterunt. Sil. Ital. v. 140.

> *Loricam induitur: tortos huic nexilis hamos*
> *Ferro squama rudi, permistoque asperat auro,*

Isidor. XVIII. 13. *Squama est lorica, ex laminis æreis, vel ferreis concatenata in modum squamarum piscis.* Ipsas ergo squamas catenæ jungebant. *Lips. l. l. Lyd. de Re milit.* III. 5. *Valtrin. de Re milit. Rom.* III. 12. *Stevvech. in Veget.* II. 25. *Scheffer. de Ant. torq. c.* 4. *Thys. Rom. Illustr.* III. *p.* 80. Linteis etiam, sive lineis *loricis* usi sunt veteres. Ajax apud Homer. Iliad. II. 529. dicitur *lineo thorace indutus*. Unde Plin. XIX. 1. *Honos lino etiam Trojano bello. Cur enim non & præliis interfit, ut naufragiis? Thoracibus lineis, paucos tamen, pugnasse testis est Homerus.* Communiter Græci post Iphicratem ducem. Nep. 1. 4. *Genus loricarum mutavit, & pro ferreis, atque æneis linteas dedit. Quo facto expeditiores milites reddidit.* Fiebant opera, atque artificio coactiliariorum, & πιλοποιῶν, qui linum aceto, vel austero vino, cui sal esset adjectum, probè macerabant, deinde ita cogebant, ut soliditatem, ac crassitiem lintei octies decies, aut sæpiùs in se complicati haberet. Nicet. Choniat. rer. Isaac. Angel. 1. Conradus Montisferratensis *tunc quidem sine scuto pugnabat, sed ex lino factum textum quoddam, vino austero affatim salito madidatum, sæpius replicatum loco thoracis induerat. Adeo autem ictibus resistebat, vino, & sale coactum, & perfusum, ut omni telo esset robustius. Erant autem hujus texti flagella octodecim, & eo plures.* Hinc *multiplex linum* thoracem appellat Sil. Ital. IV. 291.

> *Tum nodo, cursusque levi simul adjuvat hastam*
> *Dignam mole viri nixus, fugit illa per oras*
> *Multiplicis lini, subtextaque tegmina nervis.*

De Galba Suet. c. 19. n. 3. *Loricam induit linteam, quanquam haud dissimulans parum adversus tot mucrones profuturam.* Lips. & Laz. l. l. Villiomar. adv. Tinum II. 19. Cuper. Observ. II. 12. Ferrar. de Re vest. II. 4. 11. Mag. in Nepotem. Casaub. & Pitisc. in Suetonium. Thys. ibid. p. 28. De coactili fiebat etiam *lorica* tunica, sive thoracomachus, quæ erat integra tunica, sive vestimenti genus, quod ad mensuram & tutelam humani corporis conficiebatur. De mollibus lanis timoris sollicitudo solertia magistra composuit, ut hoc inducto primum, *lorica*, aut clibanus, aut his similia, fragilitatem corporis ponderis asperitate non læderent, membra quoque vestientis, inter armorum, hyemisque discrimen tali solatio adjuta, labori sufficerent. Et ne lana pluvias paullatim combiberet, & ingravescente pondere afficeret vestimentum, Libycis benè confectis pellibus tegebatur. Has *loricas* illa ætas *zabas* vocabat, & *zabarium* ejus tegmen. *Thys. l. l.*

Lorica erat pars valli interdum viminea, & ex cratibus contexta, & ex pluteis, interdum ex lapide, aut terra, munitiuncula munitioni ad tegendum pectus objecta. Flor. II. 18. 13. *Fossa, atque lorica, quatuorque castris circumdedit.* III. 10. 25. *Octodecim castellis, ingentique lorica circumdatam*

fame

fame domitis. Hinc *viminea lorica* dicitur Hirt. de Bell. Gall. VIII. 9. *Pontium frences viminea loricula munirentur*. Ipse Cæs. de Bell. Gall. V. 39. *Turres contabulantur, pinna, loricaque ex cratibus attexuntur*. Legitimum vallum sudibus, & turribus instructum dictum vult Veget. IV. 20. *Obsidentes ultra teli jactum fossam faciunt, eamque non solum vallo & sudibus, sed etiam turriculis instruunt, ut erumpentibus è civitate possent obsistere, quod opus loriculam vocant, & sæpè cum obsidio describitur, invenitur in historiis, lorica urbem esse circumdatam*. Lipf. Poliorc. II. 2. Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1120. E. Patric. Rei milit. Rom. IX. 43. Valtrin. de Re milit. Rom. V. 6. Stevvech. in Vegetium. Laurent. Polym. IV. Synopf. 2. Thyf. de Oppugn. urb. II. p. 165.

Lorica est structura fastigiata, sive prominentia, & veluti supercilium, suggrundulave arcendis stillicidiis inventa. Vitruv. II. 8. *Summis parietibus structura testacea sub tegula subjiciatur altitudine circiter sesquipedali, habeatque projecturas coronarum: ita vitari poterunt, quæ solent in his fieri vitia. Quum enim in tecto tegulæ fuerint fractæ, aut à ventis dejectæ, qua possit ex imbribus aqua perpluere, non patietur lorica testacea lædi laterem, sed projectura coronarum rejiciet extra perpendiculum stillas, & ea ratione servaverit lateritiorum parietum structuras*. Curt. IX. 4. 30. *Angusta muris corona erat; non pinnæ, sicut alibi, fastigium ejus distinxerant; sed perpetua lorica obducta transitum sepserat*. Lipf. Poliorc. II. 2. Voss. Lex. Etymol. Paschal. de Coron. I. 2. Bud. in Pandect. p. 279. Philand. in Vitruvium. Bald. Lex. Vitruv. in Corona. Guther. de Jur. man. II. 29. Rader. & Pitisc. in Curtium.

Lorica etiam in pavimentis ruderatis appellatur corium è marmore tuso cum calce, & arena. Vitruv. VII. 1. *Super fricaturam inducatur marmor, & supra lorica ex calce, & arena inducantur. Itaque si necessitas coegerit, ut minimè vitiosa fiant, sic erit faciundum. Cum coaxatum fuerit, super altera coaxatio transversa sternatur, clavisque fixa duplicem præbeat consignationi loricationem: deinde ruderi novo tertia pars testæ tusæ admisceatur*. Inde *loricare parietes* Varr. de Re rust. I. 57. *Parietes, & solum opere tectorio marmorato loricandi*. Hinc de ichneumone Plin. VIII. 24. *Mergit se limo sæpius, siccatque sole: mox ubi pluribus eodem modo se coriis loricavit, in dimicationem pergit*. Bud. in Pandect. p. 279. Voss. Lex. Etymol. Philand. in Vitruvium.

LORUM vocatur corrigia, sive ligula calcei. Patriciorum corrigias *lora patricia* vocat Senec. de Tranquill. c. 11. Quot *lora* in calceis suis patricii, quot plebeji habuerint, V. supr. in *Corrigia*.

Lorum dicitur fascia, vel vitta vestibus adsuta. Et quidem passim apud auctores. *Salmas. in Vopisc. Aurelian. c.* 46. Talibus etiam hodie vestes prætexi solent, & à nobis vocantur *kantem*, Gallicè dentelles, cum apud nos plerumque dentata esse soleant. Veteres tunicas talares, & manicatas præcipuè pinxerunt, & arte plumaria ornaverunt circa oras ad talos, & ad manus. Hinc Belgarum *borduren* plumare à *boort*, quod Belgis oram vestis significat, & ab hoc Galli suum sumpserunt brodè, quasi bordè, à bord, aut potius Belgarum *boort*. In lingua sancta פסים vocantur, & quidem in plurali numero, quia plura ejusmodi habuit *lora* & limbos. Tales enim plerumque esse solent vestes ornatiores, cum apud veteres, tum apud nos, ad hunc usque diem. Hinc *monolores* tunicæ, quæ unico *loro*, aut limbo tantum ornatæ erant; aliæ *dilores*, *trilores* & *pentelores*. Braun. de Vestit. Sacerd. Heb. I. 17. 21.

Lorum dicitur fascia Imperatoria, sive vinculum capitis, vel diadema, quod Phrygium alii dixere. Balsamo in donatione Constantini: *Deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque Phrygium, nec non & superhumerale, videlicet lorum, quod imperiale solet circumdare collum*. Qui nuper ad eam notas scripsit, miratur, quomodo *λῶρος* dixerit Balsamo, quod Phrygium in Latino textu appellant, & putat deceptum esse ignoratione vocis Latinæ. Ipse potius deceptus est, qui non vidit *lorum*, & Phrygium idem esse, & utrumque sumi pro vitta capitis, vel mitra, & tiara Imperiali. *Salmas. in Vopisc. Aurelian. c.* 46. Qui quamvis conetur defendere Balsamonem, dum *lorum* cum Phrygio, sive tiara confundit; tamen errat Balsamo. Etenim licèt aliquando mitra pro tænia, sive fascia capitali sumatur, tiara tamen Phrygia, ut & Pontificia, non fascia, aut *lorum* erat, sed integer pileus, ut benè ipse observat Exercit. Plin. p. 392. a. D. *Lorum* igitur hoc, quod Imperiale collum solet circumdare, fascia erat auro gemmisque distincta, quæ utrique humero fuit imposita, deinde in pectore crucis signum exprimebat, ut analabus antiquorum monachorum, & stola nostrorum sacerdotum. Et hoc quidem ornatu Imperatores videmus in nummis Michaelis III. Constantini ducis apud Stradam p. 300. & 307. Ita & in nummo illo Theodosii, quem exhibet Baron. ad an. Christi 394. duo Imperatores Theodosius & Arcadius hoc habitu expressi sunt. Atque etiamnum Imperatores nostri quando coronantur, hoc modo ornantur. *Ruben. de Re vest.* I. 13.

Lorum erat quoque vinculum, quo rei vinciebantur. Erant corrigiæ ex corio factæ, quibus non solum vincti, sed & verberati, & discerpti crudeliter. *Laurent. de Rebus publ. & reb. ad easdem spect. c.* 7.

LOT.

LOTUS est arbor prægrandis, dulcem & gratum fructum ferens cerasis similem, & advenis patriæ oblivionem inducens. Quare Homer. Odyss. I. 94. Ulyssis socios, cum eum degustassent, vix ab Africa deduci potuisse cecinit. In Vulcanali ab Romulo fuit constituta. Plin. XVI. 44. *Altera lotus in Vulcanali, quod Romulus constituit ex victoria de decumis, æqueva Urbi intelligitur, ut auctor est Masurius. Radices ejus in forum usque Cæsaris per stationes municipiorum penetrant*. Pancroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 336. E. Marlian. Topog. Urb. Rom. III. 8. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 6. §. 6.

Lotus est tibia facta ex *loto* arbore. Ovid. Fast. IV. 189.

—— sed me sonus æris acuti.

Terret, & horrendo lotus adunca sono:

Ex *loto* tibias esse factas testatur Festus: *Lotus, arboris genus, ex cujus materia frequenter tibiæ fiebant*. Ex *loto ludicras* recenset Plin. XVI. 36. Qui etiam de *loto* arbore XIII. 17. *Ligno colos niger, ad tibiarum cantum expetitur*. Dictæ illæ tibiæ *φώτιγγες* & *φωτίγγια*, si credimus Eustathio Iliad. Σ. p. 1214. qui eas ab Alexandrinis factas memorat è ligno Libyco, cui *loto* nomen. *Barthol. de Tib.* I. 2. 4. & 6. *Brod. Misc.* II. 25. *Rhodig. Ant. Lect.* IX. 6.

LUC.

LUCA fuit colonia Romanorum. Duo millia civium Romanorum sunt deducta an. 575. C. Claudio Pulcro, & T. Sempronio Graccho. Triumviri deduxerunt P. Ælius, L. Ægidius, Cn. Sicinius: quinquaginta & singula jugera, & semisses agri in singulos data sunt. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 5. Est oppidum primum in Etruriæ mediterraneis ab Lunæ portu & amne Macra. Propè Ausarem, sive, ut nunc vocatur, Serchium fluvium, nomen hodieque retinet. *Cluver. Ant. Ital.* II. 3. 1.

LUCANI à Silari fluvio ad Laum flumen tenuerunt ad mare Pæstum, sive Posidoniam, Palinurum, Veliam, & Buxentum: intus autem Volscos, Compsam, Potentiam, Blandam, Grumentum, & *Lucaniæ* caput Petelium. Hæc Strabo VI. p. 174. ... & Ptolemæus. Neque longè aliter Plin. III. 5. *A Silaro ager Lucanus incipit. Oppidum Pæstum, Græcis Posidonia appellatum, sinus Pæstanus, oppidum Helia, quæ nunc Velia, promontorium Palinurum, flumen Melphes, Laus amnis*. Sigon. de Ant. jur. Ital. I. 21. Pancroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 53. Cluver. Ital. Ant. IV. 14. 1. Leand. Descr. Ital. p. 297. Gerbel. Græc. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IV. p. (18.) C. Pœtelio, & Papirio coss. qui fuit annus ab ortu Urbis 427. cum ad eam diem nihil rei cum populo Romano habuissent, in fidem venerunt, arma, virosque ad bellum pollicentes. Fœdere ergo in amicitiam recepti: quod cum eodem anno rupissent, factum est, ut an. 436. Apulia perdomita in eos sit perrectum: unde

repen-

repentino adventu Q. Æmilii coſ. Nerulum vi captum, ut ait Liv. ix. 20. Poſt autem cum an. 454. oratores *Lucanorum* ad coſſ. L. Cornelium, Cn. Fulvium veniſſent, queſtum, quia conditionibus ſe perlicere nequiverint ad ſocietatem armorum, Samnites infeſto exercitu ingreſſos fines ſuos vaſtare, belloque ad bellum cogere; iidemque adderent, ſibi ſatis ſuperque erratum quondam, nunc ita obſtinatos animos eſſe, ut omnia ferre, ac pati tolerabilius ducant, quàm ut unquam poſtea nomen Romanorum violent; orarent autem patres, ut & *Lucanos* in fidem acciperent, & vim, atque injuriam ab ſe Samnitium arcerent: decrevit ſenatus, ut cum *Lucano* populo fœdus jungeretur. In hoc manſiſſe videntur uſque ad an. 463. quo cum Samnitibus, & Bruttiis, & Tarentinis tum populi Romani hoſtibus junctis armis pluribus à Romanis prœliis victi ſunt. Triumpharunt de iis coſſ. M. Curius an. 463. C. Fabricius an. 475. Poſtero anno C. Junius Brutus, inſequenti Q. Fabius Gurges, deinceps L. Lentulus, & C. Claudius Canina, & demum an. 481. Sp. Carvilius, & L. Papirius. Quo anno *Lucanis* & ſociis eorum pacem datam eſſe facilè adducor ut credam. Fœderis tamen conditiones unà cum rebus eorum geſtis obſcuratæ prorſus evanuerunt. *Sigon. l. l.* Romanis ſues pendebant. Caſſiod. Var. xi. 39. *Hinc montuoſa Lucania ſues pendet. Brutis boum pecus indigena ubertate praſtant. Fuit nimirum utrumque mirabile, ut & provinciæ tanta civitati ſufficerent, & ampla civitas earum beneficiis victualium indigentiam non haberet.* Inde Princeps plebi, & prætorianis militibus carnes ſuillas elargiebatur, certo viro ad hoc munus deſtinato. Zoſim. ii. 9. *Maxentius adminiſtris Marcelliano & Marcello tribunis militum, & Luciano ſuillæ carnis præbitore, quam fiſcus populo Romano largiebatur, & aulicis præterea militibus, quos prætorianos vocant, in regnum ab his ſolium collocatus eſt.* Ad evitandas difficultates, quæ oriebantur, 6400. ſolidorum nomine ſuum permittente Principe ſolverunt. Novell. Valentin. iii. 37. de ſuariis. *Panciroll. l. l.*

LUCANICA *eſt fartum inteſtinum craſſum.* Varr. de Ling. Lat. iv. 22. Quomodo fiat, docent Apic. de Re coquin. ii. 4. *Teritur piper, cuminum, ſatureja, ruta, petroſelinum, condimentum, bacca lauri, liquamen, & admiſcetur pulpa benè tunſa, ita ut denuo benè cum ipſo ſubtrito fricetur cum liquamine admixto, pipere integro, & abundanti pinguedine, & nucleis: farcies inteſtinum perquam tenuatim productum, & ſic ad fumum ſuſpenditur.* Arnob. ii. p. 73. *Ut facerent lucanica, ſuminatam cum his carnem.* Ex his non ineptè poſſumus ſuſpicari *lucanicam* eſſe, quam Itali paullum mutato nomine luganiga, Hiſpani longaniza vocant. Hoc farciminis genere pultes coronari ſcribit Mart. xiii. 35.

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ,
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

Nonn. de Re cibar. ii. 14. Buleng. de Conviv. ii. 23. Turneb. Adv. xxii. 6. Humelb. in Apicium.

LUCAR dicebatur pecunia, quæ erogabatur in ludos, & ſpectacula, θεατρικὸν ἀργύριον exponitur à Chariſ. Inſtit. Gramm. i. p. 25. Edit. Putſch. & in gloſſ. Cyrill. Τελεσμὸν ἐς θέας. Plutarch. Quæſt. Rom. 87. *Cur pecunia, quæ ſpectaculis impenditur, lucar dicitur? An quia multi circa Urbem ſunt luci conſecrati, quorum reditus in ſpectacula inſumebant?* De Johanne Baptiſta Tertull. Adv. Gnoſtic. c. 8. *Ipſe clauſula legis & prophetarum, nec prophetes, ſed angelus dictus, contumelioſa cæde truncatur in puellæ ſalticæ lucar.* Liv. xxiii. 11. *Pythio Apollini Republica veſtra bene geſta, ſervataque lucaris meritis donum mittitote,* ita L. pro *lucris meritis*. Scalig. in Feſtum. Rhodig. Ant. Lect. viii. 9. Siccam. in Faſt. kalend. c. 13. Urſin. ad Leg. & Sēta Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. ii. p. 1378. E. Gyrald. Synt. deor. xvii. p. 496. F. Samaſ. Exerc. Plin. p. 165. D. Voſſ. Lex. Etymol. Scriver. in Mart. p. 133. Stuck. de Sacrif. p. 89. Saubert. de Sacrif. c. 14. Leopard. Emend. vii. 17. Cerda Adv. ſacror. c. 48. n. 6. Boxhorn. in Plutarchum. Curt. de Cult. hort. iv. 3. Schull. Nomencl. Philol. p. 684. Junius in Tertullianum. Lipſ. in Tacit. Ann. i. 77. 4. Ubi Tacitus: *De modo lucaris, & adverſus laſciviam fautorum multa decernantur.* Quis quæſo modus *lucaris*? Vulgaris auctoris videntur fuiſſe denarii quinque. Senec. Epiſt. 80. *Ille qui in ſcena elatus incedit, & hæc reſupinus dicit ..... ſervus eſt, quinque modios accipit, & quinque denarios.* Aut certè ſeptem. Lucian. in Icaromenippo p. 208. *Similes maximè tragicis illis hiſtrionibus, quibus ſi perſonas auferas, & auratam illam veſtem, quod relinquitur, ridiculus homuncio erit, ſeptem drachmis ad certandum agendumque conductus.* Mutata tamen ſæpiùs res, cum vulgus, editoreſque multa adderent hiſtrionibus famoſis, præter morem. Ideò Tiberius *ludorum, ac munerum impenſas corripuit, mercedibus ſcenicorum receſis.* Suet. c. 34. n. 1. Et M. Antoninus Imperator *temperavit ſcenicas donationes, jubens ut quinos aureos ſcenici acciperent: ita tamen, ut nullus editor decem aureos egrederetur.* Capitolin. c. 11. Magno tamen corruptis moribus incremento, ſi pro quinque denariis ventum ad aureos quinque. Sed Seneca fortaſſe, & Lucianus de diurna mercede agunt: Capitolinus de menſtrua, aut certè productione tota. Aut merces tam ampla ad principes ſcenæ pertinet, non ad pueros hiſtrionum. *Lipſ. ad Tacit. Annal. i. Excurſ. N. Buleng. de Theatr. i. 29.* Hæc pecunia erat ab editoribus, vel à fiſco. Gloſſæ: *Lucar: μισθὸς ἐπὶ θέᾳ. Junius in Tertullianum, Lipſ. & Buleng. l. l.*

LUCARIA erant *feſta, quæ in luco celebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit: pro eo, quòd victi à Gallis fugientes è prœlio ibi ſe occultaverunt.* Feſtus. Scalig. in Feſtum. Leopard. Emend. vii. 17. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 8. §. 5. Voſſ. Lex. Etymol. Siccam. in Faſt. Kalend. c. 13. Gyrald. Synt. deor. xvii. p. 496. F. Stuck. de Sacrif. p. 89. Nardin. Rom. vet. iv. 7. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 24. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom. iii. p. 245. A. Aring. Rom. Subterr. ii. 92. 2. Urſat. de Not. Rom. Theſ. Antiq. Græv. Tom. xi. p. 839. B. Schull Nom. Phil. p. 684. Ea nonnulli illa ipſa fuiſſe opinantur, quæ Kalend. Februar. celebrari ſolita memorantur ab Ovid. Faſt. ii. 67.

Tum quoque vicini lucus celebratur aſyli,
Qua petit æquoreas advena Tibris aquas.

Ubi in præſtantioribus codicibus non *aſyli*, ſed *Averni* legitur. Verùm epitheton *advena*, quod flumini Ovidius tribuit, ſitum illius luci illic collocare videtur, unde Tiberis Romam defluit. Tum nec dies ille, quo Romani à Gallis cæſi, fugatique ſunt, primus fuit Februarii, verùm 18. Julii, quo die, ut & 20. *feſta Lucaria* in veteri Kalendario adnotata leguntur. *Nardin. Donat. & Urſat. l. l.*

LUCERUM *nominis, & originis cauſa incerta eſt,* inquit Liv. i. 13. non quod, ut mea eſt ſententia, *Lucerum* originem ignoraret, ſed perinde ac Gallus Ciſalpinus, & Hetruſcæ, & Italæ gloriæ invidens conſcripſit: quod Antoninus Cæſar in ſuo Itinerario his verbis arguit: *Vulturaa, cujus claris geſtis invidit Livius, & Cajus Caligula, Tranquillo in Caligula vita ſcribente, paullum abfuit, quin ſtatuas, & ſcripta Livii ab omnibus bibliothecis amoveret, tanquam verboſum, & in hiſtoria mendacem.* Scius ergo erat Livius, ſed ut invidus omiſit. Scopp. Collect. c. 18. Hoc nomine dicebatur Latini populi pars tertia. Ita illam vocat Varr. de Ling. Lat. iv. 9. *Ager Romanus primum diviſus in partes tres, à quo tribus appellata, Tatienſium, Ramnenſium, Lucerum: nominata, ut ait Ennius, Tatienſes à Tatio, Ramnenſes à Romulo, Luceres, ut ait Junius, à Lucumone. Sed hæc omnia vocabula Tuſca, ut Volumnius, qui tragœdias Tuſcas ſcripſit, dicebat. Centurias equitum,* quod ex ſingulis illis tribubus centum equites ſcripti eſſent, vocat Liv. l. l. *Eodem tempore & centuriæ tres equitum conſcriptæ ſunt; Ramnenſes ab Romulo; ab T. Tatio Tatienſes appellati. Lucerum .... Tribus* Aſcon. in Cicer. p. 72. *Per quinque & triginta tribus dividebatur totus populus Romanus. Tribus principio tres fuerunt: Tatienſis una à Tatio Rege: Ramnenſis altera à Romulo: Luceres altera à Lucumone, ſive Lucretino, ſive à luco, quem lucum aſylum vocaverat Romulus.* Hi loca inter Capitolium, & Palatium plana, atque circa forum tenuere. Sub Tullo Hoſtilio omnes populi, qui ſub Regibus Romam venerunt ad habitandum, præter Sabinos, *Lucerum* tribui, vel regioni incluſi fuerunt, ut Latini,

Tuſci,

Tusci, & omnes reliqui advenæ. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. III. p. 280. C. Rycq. de Capitol. c. 40. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 1.*

LUCERIA est oppidum Apuliæ infra Teanum versus austrum ad flumen Cerbalum. Vulgari incolis vocabulo Foggia nominatur. Fuit colonia Romanorum teste Plin. III. 11. Hæc est deducta in consulatu M. Petilii Libonis, & C. Sulpitii Longi an. 439. Liv. IX. 26. *Eodem anno prodito hostibus Romano præsidio Luceria Samnitium facta: nec diu proditoribus impunita res fuit. Haud procul inde exercitus Romanus erat: cujus primo impetu urbs, sita in plano, capitur. Lucerini ac Samnites ad internecionem cæsi: eoque ira processit, ut Romæ quoque quum de colonis mittendis Luceriam consuleretur senatus, multi delendam censerent. Præter odium, quod exsecrabile in bis captos erat, longinquitas quoque abhorrere à relegandis tam procul ab domo civibus inter tam infestas gentes cogebat. Vicit tamen sententia, ut mitterentur coloni: duo millia & quingenti missi.* Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 5. Cluver. Ital. Ant. IV. 12. 3. Leand. Descr. Ital. p. 381.

LUCERNA appellatur vas, in quo sine tegimine, velamentove lux immediatè visitur effulgere, deque se lumen effundere protinus in aera circumfluum. *Licet. de Lucern. Ant.* VI. 126. Antequam inventus esset usus candelarum ex cera, vel sevo, qui perantiquus est, omnes *lucernis* olearüs utebantur; adeoque magnatibus, & viris principibus *lucernæ* perpulcræ dudum in usu fuerunt, ut vel ipse Cicero scribens ad Q. Frat. III. 7. meminit pulcerrimi lychni sibi propter artificii formositatem perjucundi. *Licet. ibid. c.* 111. Illas primi invenerunt Ægyptii. Docent hoc Euseb. de Præpar. Evang. X. 6. *Lucernas accendere primi omnium Ægyptii docuerunt.* Clemens Alexand. Strom. I. p. 306. C. *Ægyptii & lucernas primi accendere docuerunt.* Et constat hoc ex eo non obscurè, quod apud illos unos institutum fuit festum *lucernarum*, de quo Herodot. II. p. 127. B. *Ubi in Saim urbem sacrificatum convenerunt, noctu sub dio universi circum domos frequentes lucernas accendunt, imbutas sale, & oleo plenas, cum multo lychno, quod tota ardet nocte. Cui festo nomen impositum est accensio lucernarum. Ad hunc conventum quicunque Ægyptiorum non ierint, observantes sacrificii noctem, & ipsi universi lucernas accendunt. Atque ita accenduntur lucernæ non in Sai modo, sed etiam per universam Ægyptum. Qua verò gratia nox hæc lumen, & honorem sortita sit, sacra quadam ratio commemoratur.* Qui hanc tacuit, quia noluit ethnicus gentibus suis illatam à Deo plagam in Ægypto commemorare, de qua latè Moses Exod. c. 12. n. 29-33. Cuncti enim Ægyptiorum nocte illa *lucernas* accenderunt, surgentes ad lugendum mortuos suos primogenitos, & ad urgendos Hebræos, ut exirent celeriter de Ægypto, metuentes sibi mortem à Deo Hebræorum, ex eorum statione, & mora in Ægypto, propterea quotannis ad perpetuam memoriam illius noctis, in qua tantam plagam perpessi fuerunt, & pejorem timentes evaserunt, festum id accensionis *lucernarum* in universa Ægypto celebratur. *Licet. ibid.* II. 58: III. 18: V. 4: VI. 46. & 98. Materia illarum fuit, quæ posset ignem innoxiè ferre, & flammæ violentiam eludere; cujusmodi sunt metalla, æs, argentum, aurum, lapides, testæ lateritiæ, nunquam verò lignum. *Lychni ligneoli* meminit Cicero l. l. Sed qui ex ligno *lucerna* fiat, quæ oleo peruncta non ardeat ocyùs? Fuit itaque lignum fortè *lucernæ* pulcerrimæ theca satis artificiosa: vel etiam ejus nomine papyrus designatur ex arboris medulla; quæ diminutivo nomine signatur, quod in ea tanquam in principio resideat arboris natura tota; *principium enim mole parvum est, etsi virtute maximum.* Licet. ibid. III. 8. Athenæus tamen disertè ait XV. p. 707. E. Alexin meminisse ξυλολυχνοῦχοι, seu *lychnuchi lignei*, ut verbum sonat. *Spanhem. Dissert. III. de Præst. & usu numism. p.* 128. Communium, & usualium magnitudinem ab antiquo tempore non excesserunt; plurimæ enim inventarum parva mole visuntur. *Licet. ibid. c.* 9. Forma conspicitur varias & illarum aliæ visuntur sphæricæ, oblongæ aliæ, aliquæ triangulares, quadrangulum aliæ referunt, & ad arbitrium conditoris varias figuras repræsentant. Earum multæ unicum ellychnium habuerunt, aliæ duo, aliæ multò plura; ut *lucernam* vetustam aliqui se vidisse fateantur celebrati nominis auctores undecim ellychnia gestantem. *Licet. ibid. c.* 10. An quædam ellychnio caruerint, V. supr. in *Ellychnium*. Ἐμβάφια in illis dicebantur, quæ oleum continebant. Herodot. II. p. 127. B. Hujusmodi ἐμβάφια fiebant & in candelabris ad excipiendas candelæ emunctiones, & decidentes sordes, quæ βάμματα Græci recentiores dixerunt. *Salmas. Exerc. Plin. p. 266. a. F.* Ex ejus fulgore omina captabant. Macedonius in Anthologia:

Jam lucerna carissima ter sternutasti.

Virg. Georg. I. 390.

Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ
Nescivere hyemem: testa cum ardente viderent
Scintillare oleum, & putres concrescere fungos.

Apul. Met. II. p. 47. *Cum esset jam vespera, lucernam intuens Pamphile, quam largus, inquit, imber adest crastino. Et percontanti marito qui comperisset istud; respondit, sibi lucernam prædicere. Quod dictum ipsius Milo risu secutus, grandem, inquit, istam lucernam Sibyllam pascimus, quæ cuncta cœli negotia, & solem ipsum de specula candelabri contuetur.* Merum instillabant in *lucernam*, ut sibi ominarentur. Prop. IV. 3. 60.

Seu voluit tangi parca lucerna mero.

Buleng. de Prodig. c. 12. Victor. Var. Lect. XXXIII. 21. Turneb. Adv. XXII. 18. Mercur. Var. Lect. III. 17. Cerda in Virgilium. *Lucernæ*, quibus fores & fenestræ festis ornabantur, (V. illas supr. in *Fores*) erant pensiles, & suspendebantur catenulis. Ideò eleganter Juvenalis laudatus supr. in *Fores* ait *januam operire lucernis*: & addit *matutinis*, non sine satyrico morsu, quasi claro luci opus esset alia luce. Vidimus ipsi in Italia æreas ejusmodi *lucernas* complures, quas etiam intellexit Virgilius laudandus infr. in *Lucernæ conviviales*. Lips. Elect. I. 3. Kipping. Antiq. Roman. I. 10. §. 4. Appendebantur etiam arboribus sacris. V. illas supr. in *Arbores*. Accendebantur etiam ob lætitiam domini redeuntis. Arrian. in Epictet. I. 19. *Tribunatum aliquis adeptus est. Omnes obvii gratulantur: alius oculos, alius collum osculatur, servi manus. Domum venit, invenit collucentes lucernas.* Has, ut & laurum intelligit Tacit. Annal. III. 9. 3. *Fuit inter irritamenta invidiæ domus*, Pisonis redeuntis, *foro imminens, festo ornatu.* Lips. in Tacitum, Sagittar. de Jan. vet. c. 31. §. 3.

Lucerna ἄσβεστος. V. illam supr. in *Asbestinum*.

Lucernæ conviviales, sive tricliniares λαμπτῆρες dicebantur. Eustath. Odyss. Σ. 306. *Sciendum hic illum λαμπτῆρας appellare, quas agrestes λυχνίας vocant, super quas faces positæ in cœna accenduntur, sive ligna arida,* διὰ τὸ ἄκαπνον, *quod nullum fumum edunt. Vel etiam ambo permixtim, ut etiam hic fit apud procos splendidos, idque secundum heroicam frugalitatem, ad quod etiam* δμωίδες, *hoc est, servæ, sive ancillæ inserviunt, secundum antiquum morem. Notum est autem Phæacas delicatiores, lautioresque fuisse λαμπτῆρας ἀνδριάντας, quibus,* ἐΰδμητοι βωμοί, *idest, aræ, sive altaria lucernarum arearum loco erant.* Illatum luxus fuit olim, ut hodie quoque, maximus. Illas describit Lucret. II. 24.

Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur.

Mart. XIV. 41.

Illustrem cum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxos, una lucerna vocor.

Stuck. Ant. Conviv. III. 24. Buleng. de conviv. III. 25. In convivium cum afferrentur, *Græci solebant dicere* φῶς ἀγαθόν. Varr. de Ling. Lat. V. 2. Themist. apud Stob. Serm. 274. *Et lumine illato in symposium tumultum, & plausum ediderunt.* Eo referre soleo Virg. Æneid. I. 729.

Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incensi.

In quibus versibus est ὕστερον πρότερον. Lychnis enim accensis tum demum consecutus est clamor. Ammian. XVI. 8. *Cum inferentes vespertina lumina pueros exclamasse audisset ex usu.....* Hodie etiam in plerisque Galliæ oppidis, cum lumen

men infertur, *benedictum sit lumen*, exclamare mox est. *Vales. & Lindenbrog. in Ammianum.*

Lucernæ cubiculares dicebantur, quæ in cubiculis tota nocte ardentes servabantur. De illis Mart. XIV. 39.

Dulcis conscia lectuli lucerna,
Quicquid vis facias, licet, tacebo.

X. 38. 6.

O quæ prælia, quas utrinque pugnas
Felix lectulus, & lucerna vidit.

Apul. Met. v. p. 162. *Hem audax, & temeraria lucerna, & amoris vile ministerium, ipsum ignis totius deum aduris: cum te scilicet amator aliquis, ut diutius cupitis etiam nocte potiretur, primus invenerit.* Turpis hic est, & libidinosus *lucernarum* cubicularium abusus: honestus contra, ac non nunquam necessarius est propter illos, qui periculosis morbis decumbunt. *Stuck. Ant. Conviv.* III. 24. *Grapald. de Part. dom.* II. 6. §. 21.

Lucernæ meretriciæ dici possent, quæ suspendebantur ad ædes lenonias, ut essent nota novi lupanaris. *Lucernæ* enim in lupanaribus accensæ prostitutas hic esse mulieres indicabant. Hunc *lucernarum* in prostibulis accensarum usum confirmat Tertull. ad Uxor. II. 6. loquens de Christiana muliere ab idololatris ab libidines provocata: *Moratur Dei ancilla in laribus alienis .... & procedet de janua laureata, & lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum.* *Lucernarum* in lupanaribus mentio apud Juven. Sat. VI. 131.

Obscurisque genis turpis, fumoque lucernæ.

Horat. Sat. II. 7. 48. V. illum supr. in *Lucerna.* Hunc morem credo natum inde, quod scorta olim sub vesperam prostabant, & ad *lucernas.* Non enim ante nonam diei fas eis facere in publico copiam sui. V. infr. in *Meretrices.* Lipf. Elect. I. 3. La Chausse de mutin. simul. tab. 6. Ferrar. de Re vest. I. 3. 23.

Lucernæ sacrificiales erant, quæ in sacrificiis lucebant. Senec. Epist. 95. *Accendere aliquam lucernam sabbato prohibeamus.* de Vit. beat. c. 27. *Cum laurum linteatus senex, & medio lucernam die præferens.* Præferebant has sacrificuli, & vates, credo, ut augustiores se facerent ornatu illo festo, & quasi sacro. *Lips. Elect.* I. 3. *Sagittar. de Jan. vet.* c. 23. §. 8. *Saubert de Sacrif.* c. 16.

Lucernæ sepulcrales in sepulcris Romanorum ardebant. Docet hoc inscriptio Salerni in urna in æde Episcopali:

HAVE SEPTIMA. SIT. TIBI
TERRA. LEVIS. QUISQ.
HUIC. TUMULO. POSUIT
ARDENTEM. LUCERNAM
ILLIUS. CINERES. AUREA
TERRA. TEGAT.

Imò in omnibus fere monumentis lampades invenire est. Quasdam perpetuò arsisse compertum est, stupendi cujusdam liquoris beneficio, de cujus conficiendi ratione variè decertatum inter eruditos. Auctorem invenio Maximum Olibrium, de quo Bernardin. Scardeon. de prisc. Patav. I. *Quis sanæ mentis Maximum Olibrium connumerandum hic esse neget? quem constat sui ævi virum maxima præstantia, & summo ingenio præditum; quandoquidem tam admirabili arte lucernam concinnaverit, ut perpetuo fulgore lucens mille, & quingentos annos plus minus Plutoni dicata sub terram accensa permanserit. Nam annum circiter millesimum quingentesimum nostræ salutis juxta Athesten municipium Patavinum, dum foderetur à rusticis terra solito altius, reperta est urna fictilis, & in ea altera urnula, in qua erat lucerna adhuc ardens inter duas ampullas, quarum altera erat aurea, altera argentea, purissimo quodam liquore plenas, cujus virtute illa per tot annos arsisse creditur, & nisi retecta fuisset, perpetuo arsura.* Boxhorn. Quæst. Rom. c. 11. Saubert. de Sacrif. c. 16. Guther. de Jur. man. II. 22. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 3. Panvin. de Reb. deperd. & inv. p. 236. & ad illum Salmuth. V. has *lucernas*, si placet, magno molimine impugnantem in sua *de vet. lucern. sepulcral. dissert.* *Octavium Ferrarium:* & tamen asserentes *Licet. de Lucern.* II. 3. 4. 5. & *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. 14. *Lucernis* etiam frequentabant defunctorum sepulcra defunctis parentaturi. Modestinus, V. illum supr. in *Conditorium,* *Mæsta tumulum magna turba, multisque luminibus frequentari ex triclinio animadvertit* Augustus apud Suet. c. 99. n. 2. Mos hic ex Ægypto Romam videtur migrasse. Herodot. II. p. 157. D. *Cui singulis diebus omnifariæ odores inferuntur, noctibus perpetuus incensa lucerna adstat.* Kirchman. de Fun. Rom. II. 3: IV. 4. Mag. Misc. IV. 19. Faes ad Gyrald. de Sepult. c. 1. Noris. Cenot. Pis. III. 6. Aring. Rom. Subterr. I. 18. 5. Pitisc. in Suetonium.

LUCIFERI dicuntur, quos Græci [illegible] vocant, nos Cavalli che danno la mossa, nempè missus nunciant. Cassiod. ad Faustum præpositum: *Equi desultorii, per quos circensium ministri missos nunciant exituros, Luciferi præcursorias velocitates imitantur.* Latini *luciferos* dixerunt, quod *lucifer* quadrigam ipse etiam solis præeat, unde φωσφόρος: albos eorum equos fuisse putarim. Sophoc. in Ajace vocat λευκόπωλον ἡμέραν. *Argol. in Panvin. de Lud. circens.* I. 9.

LUCILIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

LUCINA. V. illam supr. in *Juno Lucina.*

LUCIPOR dicitur *Lucii* puer. V. infr. in *Marcipor.*

LUCIUS fuit prænomen. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* II. *p.* 2028. *C. Sigon. de Nom. Rom.* c. 5. *Ferret. Mus. Lapid.* II. *Memor.* 12. III. *Memor.* 32. *Vaillant. de Numism.* I. *p.* 16. *Bereal. Annot.* c. 45. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 797. C. A. Claudiis est repudiatum. Suet. Tib. c. 1. n. 5. *Cum prænominibus, cognominibusque variis distingueretur, Lucii prænomen consensu repudiavit, posteaquam è duobus gentilibus eo præditis, alter latrocinii, cædis alter convictus est.* Contra Domitii Ahenobarbi *ne prænomina quidem ulla, præterquam Cn. & Lucii usurparunt.* Suet. c. 1. n. 5. *Panvin. & Ursat. l. l.*

LUCIUS *Albinius de plebe Romana homo in eo clivo quum eas,* Vestales post captam à Gallis Urbem fugientes, *conspexisset, plaustro conjugem ac liberos vehens inter cæteram turbam, quæ inutilis bello Urbe excedebat; irreligiosum ratus sacerdotes publicos, sacraque populi Romani pedibus ire, ferrique; se ac suos in vehiculo conspici; descendere uxorem, ac pueros jussit, virgines, sacraque in plaustrum imposuit: & Cære, quo iter sacerdotibus erat, pervexit.* Liv. v. 40. De hoc intelligo lapidis fragmentum, pavimento ambulationis circa hemisphærium Pantheonis insertum:

ADERENT. CAPITOLIU.
STALES. CÆRE. DEDUXIT
QUE. RITUS. SOLLEMNES. NE
RENTUR. CURAI. SIBI. HAHUIT.
ERATA. SACRA ET. VIRGINES. XIT.

Fabrett. de Aquæd. Dissert. I. *Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* IV. *p.* 1706. *A.*

LUCRETIA gens. V. illam supr. in *Familia.*

LUCTA erat conflictus athletarum, quo alius alium prosternere in terram nitebatur. *Panvin. de Lud. Circ.* II. 1. Græcis πάλη dicitur. Haud uno modo *luctamur*: aliquando amplexu mutuo ab illis & humeris, interdum consertis brachiis manu apprehensis. In pugna solis pugnis pugili uti licebat: in *lucta* impulsu tantum, & tractu, & pressione, & supplantatione, ut non cæderetur concertator, sed prosterneretur. *Scalig. Poet.* I. 22. Non defuerunt inter antiquos, qui omnibus aliis exercitationibus vetustiorem extitisse autumarint. *Mercur. Gymnast.* II. 8. Ego puto fuisse postremum omnium inventum, est enim compositus, quippè situs in duobus, motus. Composita verò simplicibus posteriora, cursum autem primum, mox saltum. Pedum initio jactum arbitror, mox lapidem crassum, ac gravem. Qui motus fit quasi introrsum: contrarius autem huic jactus extrorsum, quem in disco jaciendo exercebant. Nam ad jaculi, aut pili innisionem brachium pandimus, mox prorsum impellimus: contra fit in disco, manu ad pectus adducta, atque extrorsum discluta. Pugillatus ratio eadem, quæ in *lucta*: non enim sine antagonista fieri quit. Videtur autem subtilius contemplanti proportio quædam inter hæc quatuor. Nam cursus est motus aliquo modo continuus, saltus discretus. Sic *lucta* motus quasi continuus: cohærescunt enim, pugilla

gillatus autem discretus: sunt enim inter actus ipsos intervalla. Utet igitur vetustior, *lucta*, an pugillatus? pugnis priùs, quàm complexu, certasse par est. Is enim primus congressus solutus. Mox *lucta* junctis, compositisque, atque etiam insertis brachiis, ac manibus mutuò. Ex temeraria, aut hostili contentione redacta est ad exercitationem, atque æmulationem. Sic ergo digerenda sunt. Certamen, tametsi est plurium, tamen aliquod videtur quodammodo unius corporis, ut cursus: aliquod duorum, ut *lucta*. Ratio est, propterea quod currere solus quis potest, pugnare non potest. *Scalig. & Mercur. l. l.* Erat duplex, ut patet ex Antyllo apud Oribaz. Collect. vi. 27. altera erecta, in qua certantes sese dejicere studebant, rectique manebant: altera super pavimento. Pro *lucta* super pavimento Antyllus nihil aliud intelligebat nisi pancratium volutatorium, in quo certantes humi prosternebantur; atque ibi invicem complicati, seque mutuò convolventes, alter alterum sibi supponere nitebantur. De hac exercitatione verisimile mihi fit, Aristotelem verba fecisse, ubi nullum erectum, & stantem continenter, & tutò incedere posse demonstrat, quia perinde se moveret, ut palæstritæ, qui per pulverem in genua subsidentes procurrunt. De hoc item alicui probabile videretur locutum esse Mart. xiv. 201.

Non amo qui vincit, sed qui succumbere novit,
Et dicit melius τὴν ἀνακλινοπάλην.

Mercur. l. l. Fab. Agon. i. 10. Lyd. Agon. sacr. c. 18. Erat etiam Græcis in usu. Facta est inter Ulyssem & Ajacem, qui manibus se invicem corripuerunt, & huc illuc percusserunt, contendentes, uter prior adversarium humi prosterneret. Similiter *luctati* Ulysses & Irus, qui ab illo dejectus, ac penè exanimatus fuit apud Homer. Odyss. xviii. *Feith Antiq. Homer. iv. 6.* Olympiadis decimæ octavæ anno quinto est instituta, & illa vicit Eurybatus Lacedæmonius. Anonymus in eo anno: *Quinquertium & lucta instituta sunt. Lampis quinquertio, Eurybatas lucta, ambo Lacedæmonii, vicerunt.* Pausan. Eliac. i. p. 155. *Octava & decima olympiade quinquertii, & luctæ venerunt in memoriam. Et illius quidem Lampis initium dedit. Eurybato victoria fuit lucta.* Meurs. de Archont. Athen. i. 7. Strauch. Olympic. agon. §. 13. Horicadmo Siculo qui dicitur *luctæ* modi, ac rationis inventio tribuitur. Ælian. Var. Hist. xi. 1. *Horicadmus luctæ fuit legislator, per se morem luctandi, qui Siculus vocatur, excogitans.* Fab. ibid. iii. 8. Perizon. ad Ælianum.

LUCTATOR *est, qui potest crura stringere, & tenere.* Aristot. Rhetor. i. 5. *Falconer. ad Inscript. Athlet. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. viii. p. 2321. E.* Quomodo differat à pugile, V. infr. in *Pugil.* Bini nudi, uncti oleo, & pulvere aspersi sese brachiis complicantes, invicemque concertantes, alter alterum dejicere humi contendebant, ad quod peragendum, embolæ, parembolæ, paratheses, & systases necessariò requirebantur, illudque præ cæteris quærebant, ut pedes primò comprehenderentur, quod ebrius Pseudolus significavit apud Plaut. v. 1. 6.

Captat pedes primum, luctator dolosus est.

Plutarch. Sympos. ii. 4. *Solos luctatores videmus mutuis complexibus sese devincire, & certationis majorem partem variè miscendis, atque constringendis invicem corporibus peragi.* Mercur. Gymnast. ii. 8. Vaillant Numism. ii. p. 83. Sed antequam certamen inirent, musculos prius calefaciebant, perfrictionibusque, ac lenibus motibus explanabant. Quod si aliquando hæc agere intermisissent, iis quædam partes rumpebantur, convellebanturque, sicuti tradit Galen. de Loc. affect. iv. 8. Qui etiam alibi scriptum reliquit, hunc à gymnasticis in *luctis* observatum esse ordinem, ut nunquam vehementes inirent, nisi prius faciles, & simplices essent edocti, neque has aggredi solitos, antequàm fricarentur, neque fricari, priusquàm ungerentur. Dixi binos, quoniam etsi plures possent uno tempore eodem in loco *lucta* contendere, tamen semper unus uni duntaxat complicabatur. *Mercur. l. l.* Et inungebant se oleo. V. supr. in *Ceroma.* Huic admiscebant pulverem. Stat. Theb. vi. 847.

Postquam oleo gavisa cutis, petit æquor uterque
Procursu medium, atque hausta vestitur arena;
Tum madidos artus alterno pulvere siccant.

Ovid. Met. ix. 35.

Ille cavis hausto spargit me pulvere palmis,
Inque vicem fulvæ tactu flavescit arena.

Apul. Mil. ix. p. 280. *In modum pugilum, qui pulvisculo perspersi dimicant.* Hippocrat. de Diæt. iii. memoriæ mandavit hoc fieri solitum, *ut suo frigore, & siccitate olei æstum, & humiditatem temperarent.* Lucanus, ut corpora firmiora redderentur. De Hercule namque & Antæo sermonem faciens ait iv. 616.

Auxilium membris calidas infundit arenas.

Ego cum Lucian. de Gymnas. p. 289. existimo potissimum usum pulveris exstitisse, ne oleo manus laberentur, sed faciliùs exercitatores sese comprehendere valerent, neve sudore diffluerent, aut venti corpora aperta ingrederentur: atque hac de causa pulvis ille dicitur à Mart. vii. 66. 5. Unde si qui adversarios perunctos, & sine pulvere certantes vincebant, majori gloria digni habebantur: qualis fuit apud Plin. xxxv. 11. Dioxippus ἀκονιτὶ nomen promeritus, & apud Pausan. Eliac. ii. p. 288. Cujus rei mentionem fecit Horat. Epist. i. i. 49.

Qui circum pagos, & circum compita pugnax,
Magna coronari contemnat Olympia, cui spes,
Cui sit conditio dulcis sine pulvere palmæ?

Mercur. de Art. gymnast. i. 8. Faber. Agon. ii. 5: 11 r. 21. Torrent. in Horatium. Kipping. Antiq. Roman. iii. 6. §. 5. Roa Singul. vi. 18. Lyd. Agon. sacr. c. 8. Et apud nonnullos non solum viro vir concertabat, sed puellæ quoque juvenibus contendebant, quemadmodum apud Lacones, apud quos magis palæstra, Eurotas, sol, pulvis, labor, militia est in studio, quàm fertilitas barbara. Prop. iii. 12. 1.

Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ,
Sed mage virginei tot bona gymnasii:
Quod non infames exercet corpore ludos,
Inter luctantes nuda puella viros.

Rhodig. Ant. Lect. xviii. 1. Mercur. l. l. Illis interdum torques pro præmio dari. Trebell. Claud. c. 13. *Fecerat hoc etiam adolescens in militia, quum ludicro Martiali in campo luctamen inter fortissimos quosque monstraret. Nam iratus est, quia non balteum, sed genitalia sibi contorserat, omnes dentes uno pugno excussit. Quæ res indulgentiam meruit, pudore vindictæ. Siquidem tunc Decius Imperator, quo præsente fuerat perpetratum, & virtutem, & verecundiam Claudii publicè prædicavit, donatusque armillis, & torquibus à militum congressibus facessere præcepit, ne quid atrocius, quàm luctamen exigit, faceret.* Scheffer. de Antiq. torquib. c. 9.

LUCTUS & lamentatio differunt. Est enim *luctus ægritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo: lamentatio ægritudo cum ejulatu.* Cicer. Tusc. iv. 8. quæ ad bonorum Fortunæ amissionem aliquando conversa est. Juven. Sat. xiii. 131.

Et majore domus gemitu, majore tumultu
Planguntur nummi quàm funera: nemo dolorem
Fingit in hoc casu, vestem diducere summam
Contentus, vexare oculos humore coacto.
Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.

Guther. de Jur. man. i. 13. Mulieribus potiùs, quàm suo sexui convenire viri semper cordatissimi censuerunt. Senec. Epist. 64. *Annum feminis ad lugendum constituere majores, non ut tamdiu lugerent, sed ne diutius.* Dio lvi. p. 598. C. *Luxerunt eum, Augustum, viri quidem ex lege paucos dies, mulieres vero ex SCto totum annum.* Et ille, qui Lyciis dedit, mandabat civibus, ut in *luctu* vestes muliebres gererent, rem illam vere muliebrem esse significare volens, ut nos docet Plutarch. Consol. ad Apollonium. Sed neque omiserunt tamen viri, & hominum ... esse communis opinio fuit. *Luxerunt* itaque, sed tempore indefinito, ut ex Seneca didicimus. *Meurs. de Fun. c.* 45. Mulieribus certum præfinitum est, & id quidem annuum, ut ex Seneca intelleximus. Annus ille decem mensibus erat, quibus olim definitus. ... explicat. Senec. Consol. ad Albin. c. 15. *Sexui muliebri ipsæ ... est, imo datum in lacrymas jus, non immensum tamen, & ideo majores decem mensium spatium viros lugendi dederunt.*

Et est institutio hæc à Numa Pompilio, qui puerum quidem nullum triennio minorem *lugeri* volebat, nec quidem plures menses quàm ille annos haberet, usque ad decem: neque ullam ætatem ultra *lugere* fas. Plutarch. p. 67. E. *Ipse etiam luctus secundum ætates & tempora ordinavit, scilicet, puerum trimulo minorem non lugendum, majorem verò non plures menses quàm annos vixisset, usque ad decem. Longissimi autem luctus tempus esse decem mensium: quamdiu etiam defunctorum uxores viduæ permanent.* Ovid. Fast. I. 34.

Quod satis est, utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses à funere conjugis uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.

Primi Gratianus, Valentinianus, & Theodosius A A A duobus mensibus augentes, legitimum tempus annuum esse voluerunt, l. si qua 2. C. de sec. nupt. *Si qua ex fœminis perdito marito intra anni spatium alteri festinaverit nubere, parvum enim tempus post decem menses servandum adjicimus, tametsi id ipsum exiguum putemus, probrosis inusta notis, honestioris, nobilisque personæ decore, & jure privetur: atque omnia quæ de prioris mariti bonis, vel jure sponsalium, vel judicio defuncti conjugis consecuta fuerat, amittat.* Caussa, cur hanc *lugendi* necessitatem mulieribus imposuerint, fuit I. publica honestas. Turpe enim & quasi illegitimæ cujusdam intemperantiæ signum judicarunt, feminam simul ac à rogo mariti reversa sit, de secundis statim nuptiis cogitare, &, vix dum exstincta funebri face, ad nuptialem è vestigio properare. II. metus religionis, & superstitio: putabant enim manes offendi, nisi elugerentur. Apul. Met. VIII. p. 242. *Quæ res cum meum pudorem, tum etiam tuæ salutis commodum respicit, ne forte immaturitate nuptiarum indignatione justa manes acerbos mariti ad exitium salutis tuæ suscitemus.* III. Turbatio sanguinis, ut illam ad edictum VIII. vocat Ulpianus, hoc est, ne si fortè prægnans à defuncto marito mulier intra legitimum tempus alteri nubat, dubitari possit, cujus sit partus. Harmenop. IV. 6. *Ne semen commiscoatur, & propter reverentiam, & honorem, quem debet marito.* Quæ intra legitimum tempus nupsisset, ex lege Numæ bovem gravidam immolare tenebatur. Plutarch. l. l. *Quæ ante nupsisset, bovem fordam ex ejus lege immolabat.* Postea lege trium Augustorum alia pœna est statuta. V. illam modò prolatam. *Brisson. de Jur. connub. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* VIII. p. 1103. *E. Gyrald. de var. sepel. rit. c.* 15. *& ad illum Joh. Faes. Kirchman. de Funer. Rom.* IV. 10. *Meurs. ac Fun. l. l. Morestell. Pomp. Fer.* IX. 5. *Salmuth in Pancir. de Reb. deperd. & inv. p.* 731. *Ferret. Mus. Lapid.* II. *Memor.* 1. *Ravard. Var.* 1. 20. *Cujac. Observ.* VI. 32. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 17. *Hotman. Antiq. Roman.* III. 3. *p.* 422. *B. Minos in Alciat. Emblem.* 16. Hoc tempore quilibet limine, ac domo se continebat. Tacit. Annal. III. 3. 1. de morte Germanici: *Tiberius, atque Augusta publico abstinuere, inferius majestate sua rati, si palam lamentarentur.* Et de Tiberio IV. 8. 4. *Non equidem sibi ignarum posse argui, quod tam recenti dolore subjerit oculos senatus: vix propinquorum alloquia tolerari, vix diem adspici à plerisque lugentium, neque illos imbecillitatis damnandos.* Plin. Epist. IX. 13. *Mitto ad Arriam, rogouti veniat, quia me recens adhuc luctus limine continet.* Kirchman. l. l. Lips. in Tacit. Annal. IV. n. 33. Fugiebat omnes lætos congressus, ac festivas sollennitates, ne aliorum gaudia suo *luctu* macularet. Symm. Epist. III. 21. *Neque enim fas sinit læta officia obire lugentes, fortasse etiam hilaritatem vestram mea tristitudo contraheret.* IX. 3. *Ille ut sit placatus enitere, cui me tristis de fratre casus excusat. Nam mihi turpe, atque impetibile est, attonito animo, & fonte mœsta lætos adire conventus.* Abstinebat se à conviviis. Paull. Sent. II. 21. *Qui luget, abstinere debet a conviviis.* Pater quidam tribus liberis amissis assidebat sepulcro, cum inde abductus convivio interesse coactus esset, eo nomine injuriarum egit apud Senec. Declam. IV. 1. *Credo,* inquit, *mirari aliquem, quod in forum amissis modo liberis veniam: at ego modo in convivio fui.* Et ibid. in procœmio: *Cum mortuo in Syria Cæsare per codicillos questus esset D. Augustus, quod in tam magno, & recenti luctu suo homo carissimus sibi pleno convivio cœnasset, rescripsit Pollio, Eo die cœnavi, quo Aterium filium amisi.* Non struebat focum. V. supr. in *Focus.* Barbam, & capillos summittebat. V. supr. in *Barba.* Vestes lacerabat. V. inst. in *Vestis.* Annulos aureos ponebat. V. supr. in *Annulus.* In pellibus erat. Cicer. in Pison. c. 36. *Ecquid recordaris, cum omnis totius provinciæ pecore compulso, pellium nomine, omnem quæstum illum domesticum, paternumque renovasti?* Festus: *Pellem habere Hercules fingitur, ut homines cultus antiqui admoneantur: lugentes quoque diebus luctus in pellibus sunt.* Stuck. de Sacrif. p. 183. Rhodig. Antiq. Lect. XXVII. 14. Et mulieres nulla ornamenta gestabant. V. supr. in *Aurum.* Latum clavum deponebant senatores. V. inst. in *Senator.* In publico *luctu* tabernæ claudebantur. V. inst. in *Taberna.* & forum: & justitium vel spontè sumebatur, vel à magistratu indicebatur. Tacit. Ann. II. 82. 4. V. illum supr. in *Justitium.* Consules non solita sede, sed humili aliqua, puta prætorum, aut tribunorum sedebant. Dio LVI. p. 590. C. *Consedit verò senatorum multitudo solito quisque loco; consules autem inferius, alter in prætoriis, alter in tribunorum plebis subselliis.* Tacit. Ann. IV. 8. 3. *Consules sede vulgari per speciem mæstitiæ sedentes, honoris, locique admonuit,* hoc est, sedibus prætorum, aut tribunorum. Magistratus plebejo habitu. Lucan. II. 17.

—— ferale per urbem
Justitium: latuit plebejo tectus amictu
Omnis honos: nullos comitata est purpura fasces.

Et sine insignibus. Tacit. Annal. III. 4. 1. *Dies, quo reliquiæ tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies: plena urbis itinera, collucentes per campum Martis faces: illic miles cum armis, sine insignibus magistratus.* Aring. Rom. subterr. VI. 49. 3. Meurs. ibid. c. 50. Kirchm. l. l. Morestel. Pomp. Feral. IX. 7. Lips. in Tacit. Annal. IV. n. 31. Minuebatur sæpè populo, universum publicus, & privatim cuique domesticus. Festus: *Minuitur populo luctus ædis dedicatione, cum censores lustrum condiderunt, cum votum publicè susceptum solvitur: privatus autem, cum liberi nati sunt; cum honos in familiam venit; cum parens, aut liberi, aut vir, aut frater ab hoste captus domum redit; cum desponsa est; cum propiore quis cognatione, quàm is qui lugetur, natus est; cum in casto Cereris est, omnique gratulatione.* Meurs. ibid. c. 51. Kirchman. ibid. c. 12. Ferret. l. l. Etiam propter ludos publicos justitium exuebatur, & *luctus* minuebatur: ut I. ob Megalensia. Tacit. Annal. III. 6. 5. de funere Germanici: *Et quia ludorum Megalensium spectaculum suberat, etiam voluptates resumerent. Tum exuto justitio, reditum ad munia.* II. propter ludos Jovis Opt. Max. Capitolin. c. 21. de Marco Antonino Philosopho, qui cum filius ipsi esset mortuus, *quia ludi Jovis Opt. Max. erant, interpellari eos publico luctu noluit, jussitque ut statuæ tantummodo filio mortuo decernerentur.* III. ob Saturnalia. Hoc colligere est ex Suetonio, qui populi *luctum* in funere Germanici tantum fuisse ait, ut etiam per festos Saturnaliorum dies duraverit. *Et ut fato functum palam factum est,* inquit in Calig. c. 6. n. 3. *non ullis solatiis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit: duravitque etiam per festos Decembris mensis dies.* Quod non dixisset historicus, nisi in vulgaribus funeribus propter Saturnalia *luctus* finis fieri esset solitus. *Kirchman. l. l.*

LUCULLUS fuit cognomen Liciniorum. Illorum tres tantum consulares fuisse invenio, duos ex his etiam triumphales. Ante hos L. *Lucullus* fuit ædilis curulis an. 551. Sexto postea anno C. *Lucullus* fuit triumvir epulo, & post duodecim annos M. *Lucullus* prætor inter cives, & peregrinos jus dixit. Est etiam apud Sallustium P. *Luculli* tribuni plebis mentio, qui Jugurthini belli tempore continuare magistratum nitebatur an. 643. Primus L. *Lucullus* cos. fuit an. 602. biennio ante bellum Punicum III. Hujus filius Lucius Lucium & Marcum filios reliquit. Lucius præstanti vir ingenio clarissimus, & fortissimus fuit, literisque tam Græcis, quàm Latinis in primis eruditus, philosophiæ quoque, ut Cicero, & Plutarchus conscribunt, operam dedit. Consul fuit an. 679. post undecim annos, M. Cicerone consule, de Regibus Mithri-

thridate, & Tigrane triumphum proconsule egit. Hujus & cœnæ, & piscinæ, & villa, ut regii spleodoris, & magoificentiæ celebrantur. L. *Luculli* frater patruelis, oi fallor, fuit M. *Lucullus* M. F. quem adoptatum fuisse constat à M. Terentio Varrone. Ita à quibusdam *M. Licinius Lucullus*, ab aliis *M. Terentius Varro Lucullus* appellatus est. Consul fuit anoo proximo post L. *Luculli* fratris consulatum, & biennio post suum consulatum triumphum egit de Thracibus, & Dardanis ex Macedonia. Eum Cicero io Bruto c. 62. videtur juris publici, & privati peritum appellare. *August. de Famil. Roman. in Licinia.*

LUCUMONES *dicti sunt quidam homines ob insaniam, quod loca, ad quæ venissent, infesta facerent.* Festus. Qui voluit *Lucumonem* pro insano dici, sed obscurum est quid velit, cum causam illam addit. Scaliger notis in Orphei initia scribit, Festum putare propriè ita vocari *genios, qui loca infestant ad quæ veniunt, quod propriè Larium est.* Sed nihil apud Festum de genus, sed tantum de hominibus legas. Interea verum est, *lucumonem* dici pro insano. Auson. Epist. iv. 70.

Anticipesque tuum Samii Lucumonis acumen.

Sidon. Epist. v. 7. *Temperat Lucumonem nostrum Tanaquil sua.* Voss. Lex. Etymol. Scalig. Lect. Auson. ii. 12. Savaro in Sidonium. Errat Festus: cum ad *Lucumonem* periode ac ad sapientem, ut Maximus Valerius in primo de Religione, & Livius indicant, ad Etruscam disciplinam accipiendam miserunt Romani. Erant *Lucumones*, qui lingua Etrusca dicebantur Reges. Serv. Æneid. ii. 278. *Duodecim Lucumones, qui Reges sunt lingua Tuscorum, habebant.* x. 202. *Singulis singuli Lucumones imperabant, quos in tota Tuscia duodecim fuisse manifestum est: ex quibus unus omnibus imperat.* Et dictandi, imperandique potestatem habebant. His in annuo magistratu duodecim Regibus, quos *Lucumones* vocabant, unus, sive tertius decimus perpetuus Rex, & dictator præerat in fano Volturnæ, ubi dictaturæ, & suffragiorum jus erat, ad quod teste Liv. iv. 23. *duodecim populis concilia indicabantur.* Præsidentem dictatorem, sive in principatu maximum Scythica lingua Arrhem, Etrusca Lartem vocabant; noo solum quia cæteris præerat, sed etiam anniversariis cæteris duodecim revocatis ipse per totam vitam perseverabat. *Scoppa Collect.* i. 18. Ego verum esse puto, quod Scaliger cum alibi, tum notis in Orphei initia scripsit, *Lucumones* esse eusdem ac Λυκάονας, planèque Latinum sive Tuscum illud ea Græco hoc factum puto. Λυκάων enim Arcadiæ Rex fuit, ac Arcadia ab eo aliquando Lycaoniæ nomen habuit. Is autem in lupum à Jove commutatus dicitur. Constat etiam λυκάονας dici, qui vulgò λυκάνθρωποι. Est verò λυκανθρωπία melancholiæ genus, quo qui laborant, noctu luporum instar exeunt, & usquedum lucescat, circa mortuorum corpora versantur. Quæ qui consideravit nobiscum, puto noo mirabitur, uti Λυκάων apud Græcos, ita *Lucumo* apud Tuscos, qui ex Arcadia in Italiam venere, utramque habuisse notionem, puta ut tum pro Rege, aut præfecto, tum pro melancholico, vel insano sumeretur. *Voss. l. l.*

LUCUNCULI fuerunt genus edulii, vel panificii potius sciti. Afran. apud Non. c. 2. n. 483.

Pistori cur non, cur non scriblitario,
Ut mittat fratris filio lucunculos.

Et ita fortasse scribendum apud Stat. Sylv. i. 6. 17.

Molles Cajolo, lucunculique.

Primitivum est *lucuns*. Varro apud Nonium modò laudatum:

Ac nulla ambrosia, non nectar, non allia, farda,
Panis, pemma, lucuns, cibus, qui purissimus multo est.

Turneb. Adv. xviii. 20. Voss. Lex. Etymol. Barth. Adv. ii. 10. Buleng. de Conviv. ii. 54: iv. 18. Gevart. in Statium.

LUCUS est sylva deo alicui sacra. Juven. Sat. i. 7.

Nota magis nulli domus est sua, quàm mihi lucus
Martis.

Tomas. de Donar. c. 4. Voss. Lex. Etymol. Clasen. Theol. Gent. iii. 2. §. 3. Feith. Antiq. Homer. i. 3. Erant olim ad sacella, & hæc ex illorum horrore aliquid sancti numinis fœnerari credebaotur. *Lipen. de Stren. c. 2. at. 1. §. 8. Tom. II.* Turneb. in Cicer. de Leg. ii. p. 97. Conlucare *lucum* est ejus ramos ea parte, qua de cœlo tacti essent, exscindere. Piaculum, quo hoc fieri Romano more oportuerit, docet Cato de Re rust. c. 139. *Porco piaculo facito: sic verba concipito: si deus, si dea es, quojum illud sacrum est, uti tibi jus siet porco piaculo facere illiusce sacri coercendi ergo. Harumce rerum ergo, sive ego, sive quis jussu meo fecerit, uti id rectè factum siet. Ejus rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, domo, familiæque meæ, liberisque meis. Harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando esto.* Guther. de Jur. man. i. 3. Tomas. l. l. Saubert. de Sacrif. c. 14.

Lucus Annæ Perennæ fuit inter Anienis confluentem, & pontem Milvium. *Cluver. Ital. Ant.* iii. 2. 36. Qui illum illic ponit ex conjectura. Non tamen inde procul fuit. Colligimus hoc ex Julii Martialis villa in Janiculo, ex adverso pontis Milvii sita, è qua facilè prospectabatur. Mart. iv. 64. 16. V. illum supr. io *Anna Perenna*. Ovid. Fast. iii. 523. V. illum supr. in *Idibus*. Vicinus fuisse monti sacro, ex eo persuadetur, quod sacra ibi facta esse appareant in honorem Annæ illius vetulæ, quæ plebi ob injurias fœneratorum illuc secedenti alimenta ministrarat. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 8. §. 5.*

Lucus Caji & Lucii in Esquiliis videtur fuisse ante hortos Pallantianos, ante quos ingens cavitas coospicitur, perfectæ rotunditatis, verùm ab uno latere ad viam publicam hodie exaggerata, quæ primo statim oculorum conjectu lacus quidam antiquus fuisse agnoscitur, manuario opere excavatus, fortean ad naumachiam. Considerentur accuratè verba Dionis, qui post ludos navales in amphitheatro Titi factos ita loquitur lxvi. p. 757. B. *Alii vero extra in luco Caji & Lucii, ubi Augustus ad hoc ipsum terram effoderat. Ibi enim primo die ludus gladiatorius, cædesque belluarum facta est, lacu, qua parte statuas spectat, asseribus inædificato, & foris, ac tabulatis undique incinso.* Nardin. Rom. Vet. iv. 2.

Lucus Camœnarum, licèt verus ejus hoc tempore ignoretur situs, haud longè fuit extra portam Capenam, quæ tunc admodum mediæ Urbi fuit vicina. Cresceore deinceps sub coss. civitate, & promotis ad decimum lapidem mœnibus, & portis Urbis, simul quoque migravit *lucus* Camœnarum ad decimum quintum lapidem. *Voss. de Magnit. Rom. c. 4. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 3. §. 5. Aring. Rom. Subterr. iii. 12. Curt. de Cult. hort. iv. 16.* Cessit in jus, & dominium Judæorum. Juven. Sat. iii. 11.

Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam:
Hic, ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ:
Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis, quorum cophinus, fœnumque supellex.
Omnis enim populo mercedem pendere jussa est
Arbor, & ejectis mendicat sylva Camœnis.

Curt. & Borrich. l. l. Aring. ibid. §. 23. Kipping. Antiq. Roman. i. 4. §. 3.

Lucus Dianius *est in sinistra parte viæ, qua Aricia adscenditur.* Strab. v. p. 165. Manius Egerius primus è Romanis sacerdotibus tractum Nemorensem Dianæ consecravit. Constat hoc ex Festo. Sed Cato Orig. ii. vocat hunc Bæbium Egerium. Verba ejus sunt apud Priscian. iv. *Lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Bæbius Tusculanus dedicavit dictator Latinus.* Voss. de Magnit. Rom. c. 4. Cluver. Ital. Ant. iii. 4. 14.

Lucus, quem diis manibus sacraverat Augustus, porrigebatur per colles mœnibus adjacentes, à templo Mariæ del popolo, usque ad templum Trinitatis. *Boissard. Topogr. Tom. i. p. 50.*

Lucus Egeriæ in via fuit Appia. Hunc Camœnis Numa sacravit. *Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 27. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. iii. p. 254. D.* Virg. Æneid. vii. 762.

—— insignem, quem mater Aricia misit
Eductum Egeriæ lucis.

Hunc sua ætate Judæis elocatum dolet Juvenalis laudatus supr. in *Lucus Camœnarum*. Videntur Judæi in illo tunc temporis habuisse synagogam, & pro illa locarium solvisse.

viſſe. *Nardin. Roman. vet.* III. 3. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 4. §. 3.

Lucus Eſquilinus, niſi idem fuit qui *lucus* Larium, à Varrone negligitur de Ling. Lat. IV. 8. ubi vertices Oppii recenſet: teſtem adducit librum de ſacrariis Argeorum, in quo habebatur: *Oppius mons princeps lucum Eſquilinum, lucum fagutalem ſiniſtra, quæ ſub mœrum eſt. Oppius mons biceps ſimplex. Oppius mons terticepſos lucum Eſquilinum dexterior via in Tabernola eſt. Oppius mons quarticepſos lucum Eſquilinum dexterior via in figlinis eſt.* Hic de tribus Oppii verticibus tres ad *lucum* erant Eſquilinum: & ad tertium ibatur per Tabernolam inter amphitheatrum Flavium, & ædem S. Clementis. Statuto igitur tertium fuiſſe objectum ædi S. Matthæi, primus qui diviſioni inter Oppium & Ciſpium, regiæque Tullii fuit proximus, indubiè ille fuerit, qui nunc ædi S. Martini in montibus vicinus eſt: alterum verò conſequitur illum fuiſſe, qui retro S. Matthæi ad S. Euſebii aſſurgit. Quartus autem remotior ille videtur fuiſſe, qui ad hortos Cardinalis Contareni conſpicitur. Ponamus jam *lucum* Eſquilinum pari ſpatio à primo, tertio, & quarto diſtantem ad S. Matthæi. Hac ejus conſtitutione, quæ ſi non vera, ſaltem veriſimilis eſt, ac maximè probabilis, primus vertex ad dexteram verſus S. Matthæi *lucum* Eſquilinum habere potuit. *Nardin. Rom. vet.* IV. 3.

Lucus Fagutalis fuit ad ſiniſtram montis Oppii verſus S. Petri in vincula: cui, tanquam ſummo Jovi conſecrato, locus Urbi, regiæque vicinior conveniebat. V. ſupr. in *Fagutal.* Donat. de Urbe Rom. III. 10. Nardin. Rom. Vet. IV. 1.

Lucus Furinarum, in quo C. Gracchus vel ſua, vel Euphori ſervi manu occiſus, caputque ejus plumbo repletum, ſi fides Victori, in regione fuit Tranſtiberina, ſive decima quarta Urbis. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 16. *n.* 1.

Lucus Ilernus. V. illum ſupr. in *Hylerna.*

Lucus Junonis Lucinæ à pleriſque omnibus eo fuiſſe loco cenſetur, ubi nunc baſilica eſt S. Mariæ majoris, verùm nullo argumento, vel auctore. Poteſt tamen, me quidem judice, probari illis Varronis: *Ciſpius mons ſepticeſos apud ædem Junonis Lucinæ, ubi æditumus habere ſolet.* Unicum verò Ciſpii faſtigium ad eandem baſilicam conſpicitur. Sub monte, non in illius ſummo clivo fuiſſe indicat Ovid. Faſt. II. 435.

Monte ſub Eſquilio multis incæduus annis
Junonis magna nomine lucus erat.

n. 449.

Gratia Lucina, dedit hæc tibi nomina lucus.

Verùm quomodo *ſub monte* fuiſſe dici potuerit, non capio, ſiquidem unus de *lucis* illis fuit, qui ſecundum Varronem monti huic dedere nomen. Quare ſi non in ſummo is vertice extitit, certè nec in ſubjacente fuiſſe dici poterit parte, verùm potius in declivitate ejus verſus S. Laurentii ædem in Paniſperna, vel ad templum S. Prudentianæ, quæ declivitas Ovidio poeticè *ſub monte* dici potuit. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 3. *Donat. de Rom. Vet.* III. 10. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. §. 6.

Lucus Larum pertinet, ut arbitror, ad Cœlium, & Palatinum, quamvis Varr. de Ling. Lat. IV. 8. videatur ponere in Eſquiliis. Nam cum dixiſſet de *luco* Fagutali, Mephitis, & Lucinæ, ſubdit: *Quorum anguſti fines: non mirum. Jam diu enim late avaritia una eſt. Item lucus Larum, & querquetulanum ſacellum.* Neiopè *lucus* Larum, & ſacellum in colle Cœlio quercubus cinctum eaſdem, propter avaritiam ad ſe cuncta trahentem, anguſtias habent. Varro: *Et unde aſcendebant ad imam novam viam lucus eſt, & ſacellum Larum.* Donat. de Urb. Rom. III. 10. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 276. C. Tomaſ. de Donar. c. 8.

Lucus Lavernæ in via fuit Salaria. Acro in Horat. Epiſt. I. 16. 60. V. illum ſupra in *Laverna.* Nardin. Rom. Vet. IV. 4: VII. 8. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. §. 9. Erat obſcurus, & abditus, ubi fures prædam dividebant. *Tomaſ. de Donar. c.* 42.

Lucus Mavortianus à Rufo tantum recenſitus utrum propè aram Martis in campo fuerit, incertum eſt: vix tamen crediderim campum Martium eo fuiſſe coartatum, cum ſat loci eſſet in proxima planitie. Fortè templo Martis additus fuit, quod ſi non in campo, ſaltem in ejus vicinia fuit: niſi quis ex illis unum nemoribus exiſtimet, quæ alternis porticus ordinibus diſtinxere. De quibus Cicer. ad Attic. IV. 3. *Metellus cum prima luce furtim in campum itineribus propè deviis currebat, aſſequitur inter lucos hominem Milo.* Nardin. Rom. Vet. VI. 10.

Lucus Mephitis fuit propè vicum patricium ad radices Eſquiliarum. Feſtus: *Qui ejuſdem rei cauſa eam partem Eſquiliarum, quæ jacet ad vicum patricium verſus, in qua regione eſt ædes Mephitis, tutatus eſt. Lucus* autem ædi additus venerationi erat. *Donat. de Urb. Rom.* III. 10.

Lucus Pœtilinus fuit extra portam Flumentanam. Liv. VI. 20. *Producta die in Pœtilinum lucum extra portam Flumentanam, unde conſpectus in Capitolium non eſſet, concilium populi indictum eſt.* Marlian. Topogr. Urb. Rom. I. 8. Panvin. Deſcr. Urb. Rom. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 234. D. Qui ex Livio colligunt in campo Martio fuiſſe, vel in pratis Flaminiis. Attamen Rufus, Varro, & Victor in regione illum quinta Eſquilina collocant. Huic difficultati à Rufo obviam itur, qui in octava circi Flaminii regione alium recenſet *lucum* Pœtilinum: *Lucus* Pœtilinus, inquit, *major*, ad quem commodiùs, quàm per Flumentanam portam, exiri non potuit. Licèt eo contentus eſſe potuerim, ex ejuſdem auctoris additamentis adulterinis efficacius adhuc indicium expiſcatus ſum. Quod ſi enim duo fuere *luci* Pœtilini; major autem antiquior, & à tempore uſque Manlii; quid quæſo Livium, Varronem, Victoremque movit, ut de altero ex his, velut unico, abſque ulla *majoris*, qua diſtingueretur, additione locuti ſint? Cur nec Rufus ipſe alteri *minoris* titulum addidit? Quod ſi cui de ſolo *majore* vulgata loquendi conſuetudo diſtinctionem hanc uſurpaſſe videatur, abſque deſignatione alterius per cognomentum *minoris*, Livium hìc ego ſimpliciter de *minore* loqui reſponderim, quum illum Manlii caſum exponit; adeòque nec per Flumentanam portam ad id concilium exiri potuiſſe. Adhæc catalogus quæſo locorum apud Victorem obſervetur, quem in fine ſubjicit: unum enim tantum illic nominatum videbimus *lucum* Pœtilinum. Quare alter ille *major* merum illius hominis ſomnium eſt, qui, cum in Livio legiſſet, ad Pœtilinum *lucum* porta iri ſolitum Flumentana, alium ſibi ea parte *lucum* talem imaginatus, liberaliter illum nobis ſub *majoris* Pœtilini nomine, quo major ei fides haberetur, largitus eſt. In meo Livii codice ſcriptum invenio, *extra portam Frumentariam*; quæ ubi fuerit, ignorare me fateor; at *Flumentanam* malè vulgò legi dubium mihi nullum eſt. Nam cum illam nominet, velut ſingularem ad Pœtilinum *lucum* exitum præbentem, apertè ſatis remotiorem eam à Capitolio fuiſſe demonſtrat, duxiſſeque ad locum unde nequaquam conſpici Capitolium poſſit. Contra ea Flumentana ſub ipſo ſita Capitolio, ac præſertim ſub ipſa Capitolii parte, quam Manlius tutatus fuerat, non aliorſum, quam in pratorum Flaminiorum ducebat, campique Martii latè patentem planitiem; quæ ad pontem uſque Milvium Capitolio ſubjecta ſemper illud in conſpectu habebat, qui pauciſſimis, aut ferè nullis tum temporis ædificiis impediebatur. Nec in omni Urbis ambitu locus ullus erat, ubi collis ille meliùs conſpici poſſet. Res ipſa luce meridiana clariùs liquet ex Livii, quæ præcedunt, verbis: *In campo Martio cum centuriatim populus citaretur, & reus ad Capitolium manus tendens ab hominibus ad deos preces avertiſſet, apparuit tribunis, niſi oculos quoque hominum liberaſſent à tanti memoria decoris, nunquam fore in præoccupatis beneficio animis vero crimini locum....* Prius concilium in campo Martio fuit, in conſpectu Capitolii: alterum longè inde remotum extra portam, unde conſpectus ille non eſſet, *in luco* Pœtilino: ergo nec in campo Martio, ubi major ille *lucus* fuiſſe fingitur, neque *extra portam Flumentanam*, quæ in campum Martium ducebat, & ad loca conſpectui Capitolii quàm maximè opportuna. Verùm, inquiet aliquis, *lucus* ipſe conſpectum Capitolii oculis adimebat, objectu

arbo-

arboribus. Leve hoc. *Lucus* ille tam grandis non fuit, ut universum populum continere potuerit: nec inter arborum impedimenta haberi concilium, exercerive judicium potuit: &, ut id concedatur, cur Livius addidit, *extra portam Flumentanam*, qua jam pridem exitum fuerat? Verba sanè historici necessariò indicant, sequenti die alia egressum ex Urbe porta, quàm prime; adeòque diversa à *Flumentana* ad *lucum* itum Pœtilinum, quo concilium indictum fuerat. Quare pro *Flumentana Numentanam* repono, errorem ex affini literarum *N & Fl* ortum conjiciens. Porta verò Numentana à Capitolio remotissima fuit, duxitque in eum locum, cui agger Servii Tullii omnem Capitolii, cæterorumque Urbis collium conspectum adimebar. Rursus objici poterit, quum *lucus* Pœtilinus in Esquiliis fuerit, cur porta Numentana exitum fuerit, quæ in colle Quirinali erat: cur non potius è viciniore? Verum è foro, unde magistratus, & populus Romanus ad concilium ibant, Numentana cæteris omnibus commodior erat, & propinquior. Et hæc *luci* Pœtilini vicinitas ad portam Numentanam mihi persuasit, ut eum non in Esquilino fuisse existimem, sed in Viminali; ita tamen, qua hic Esquilino proximus. *Nardin. Rom. Vet.* iv. 4. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* vii. 7.

Lucus Querquetulanus fortè fuit trans ædem S. Johannis Lateranensis, vicinus portæ Querquetulanæ sine dubio in ea Esquiliarum declivitate, quæ Ecclesiæ S. Crucis in Hierosolymis objecta est. Animum hic adverto, Varronem, quum de *lucis* tantum Esquilini montis loqui velle videatur, inter eos non *lucum*, sed *sacellum* nominare *Querquetulanum*. Quod mihi certissimum indicium videtur, sacellum solum in Esquiliis fuisse; *lucum* verò in vicinia quidem, sed in monte Cœlio. *Nardin. Rom. Vet.* iv. 2.

Lucus, Remoria qui dicebatur, erat in montis Aventini summo, ubi Remus de Urbe condenda fuerat auspicatus. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* iii. *p.* 277. *F.*

Lucus Rubiginis fuit extra portam Viminalem. In eo canis & ovis immolabantur inclinante Aprili, canis cani cœlesti, rubigini ovis: illi, ne segetes exureret: huic ne ederet. Testis Ovid. Fast. iv. 905. V. illum infr. in *Robigalia*. Donat. de Urb. Rom. r. 19. Nardin. Rom. Vet. iv. 4. vi. 10.

Lucus Vestæ fuit ad radicem Palatini montis, sed ita, ut ad viam novam protenderetur. Cicer. de Divin. 1. 41. *A luco Vestæ, qui à Palatii radice in novam viam, custodiamque sacrorum devexus est*, id est, in occidentali Fori latere, ab ea lateris extremitate disjuncto, quæ sub Palatio erat versus viam novam, custodiamque sacrorum, nempè versus templum Vestæ, quod in introitu viæ novæ fuisse indicatur. *Nardin. Rom. Vet.* v. 5.

LUD.

LUDERE erat verbum arenæ. Et gladiator dicebatur *ludere*, cujus petitionem vitabat. Prudent. contr. Symm. 1. 653.

Nam, si nostra fides fecle jam tuta quieto
Viribus infestis hostilique arte petita est,
Cur mihi fas non sit lateris sinuamine flexi
Ludere ventosas jactu pereunte sagittas?

Lips. Saturn. ii. 20. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Chamillard. in Prudentium. Cerda in Virg. Æneid. v. 438. Thys. de Gladiat. p. 233.

Ludere, ut loquitur Suet. Ner. c. 35. n. 14. *ducatus, & imperia*: vel *fingere*, ut Treb. Poll. Gallien. c. 4. *per ludicra potestates*, familiare fuit pueris. Spartian. Sever. c. 1. *In prima pueritia nullum alium ludum, nisi ad judices exercuit: cum ipse prolatis fascibus, ac securibus, ordine puerorum circumstante, judicaret*. Senec. de Constant. c. 12. *Quod illi*, pueri, *inter ipsos magistratus gerunt, & prætextam, fascesque, ac tribunal imitantur*. Plutarch. Catone: *Rursus, cum ex cognatis aliquis ad cœnam natalitiam, tum alios pueros, tum Catonem ipsum accivisset, dum cœnam præstolantur, in ædium quapiam parte ludere incipiunt, majores promiscuè cum natu minoribus: ludus verò hic erat, jocularia quædam judicia, accusationes, damnatorumque comprehensiones*. Semper hoc fertii ingenii, & nati ad magna habitum est indicium: cujus rei triste exemplum narrat ibi Suetonius. *Faber Semest.* 1. 6. *Casaub. in Spartianum. Lips. in Senecam. Terrent. in Suetonium.*

Ludere naves dicuntur. V. infr. in *Naves lusoriæ*.

LUDICRA varia Romæ in campo Martio exercebantur. In illo enim ferè schola erat militiæ Romanæ, ubi juventus ad palum omni genere armorum, & quidem veris duplo graviorum exercebatur, caput petendo, lateribus insidiando, poplites succidendo, insiliendo, punctim potius quàm cæsim feriendo, & interim tamen sese assiduè protegendo, item jaculando. Para ibi tyronum pilia, lapidibus, sagittia, manu, funda, arcu jaculandis exercebatur. Tum verò saltu fossæ latitudinem, aut valli altitudinem superare, præcipuè autem cursu locum occupare, fugientem assequi consuescebat. Erant etiam equi lignei in campo, ut insilire, desilire, dextra, læva, inermis, armatus, districto etiam gladio futurus eques addisceret, verùm etiam equos domaret, & futuris prælus assuefaceret. *Morestell. Pomp. Feral.* v. 3.

LUDII, sive *ludiones erant pueri puberes, elegantibus tunicis induti, galea insuper, & ense, & parma armati, qui circensibus, & theatralibus pompis ordine incedere soliti, velut pompa duces, Saliis similes*. Dionys. ii. p. 130. *Turneb. Adv.* vi. 26. *Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Circ. c.* 38. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 7. Ad horum saltationem respiciens Plaut. Curc. 1. 2. 60. ait

Pessuli, heus pessuli, vos saluto lubens,
Fite causa mea ludii barbari,
Subsilite obsecro.

Quia vel impuberes erant, vel saltem videri debebant, idcircò qui grandiusculi, & jam vesticipes erant, pilis evulsis leves, ac glabri reddebantur. Hinc Plaut. Aul. ii. 9. 5.

—— *tu istum gallum, si sapis,*
Glabriorem reddes mihi, quam volsus ludius est.

Græcis dicuntur ὀρχησταὶ, & χορδισταί. *Voss. Lex. Etymol. Casal. de Trag. c.* 2. Ex Etruria acciti venerunt Romam. V. Livium supr. in *Histrio*. Ovid. Art. Amand. 1. 111.

Dumque rudem præbente modum tibicine Tusco
Ludius æquatam ter pede pulsat humum.

Barthol. de Tib. vet. ii. 11. Blond. Triumph. Rom. ii. p. 47. A. Ciaccon. de Triclin. p. 75. Fab. Agon. 1. 29. Antiocho victo conviviis fuerunt adhibiti. Liv. xxxix. 6. V. illum supr. in *Cocus*. Buleng. de Conviv. iii. 30. Bartbol. & Ciaccon. l. l. In funeribus indictivis lectum mortui præcesserunt. Dionys. vii. p. 477. *Quinetiam in illustrium virorum funeribus præter alias pompas vidi & satyricos choros, qui lectulum præcedebant, & sicinnem saltationem saltabant: præcipuè verò in fortunatorum virorum funeribus*. Kirchman. de Fun. Rom. ii. 7. Morestell. Pomp. Fer. ii. 18. Etiam in pompa triumphi sunt adhibiti. Appian. Libyc. p. 35. *Lictores in triumpho coccinati viam Imperatori præeunt, & chorus citharœdorum, & tityristarum, in speciem Tyrrhenicæ pompæ, cincti balteis, & corona aurea tecti, æque passu ingrediuntur ordine cum carmine & saltatione. Horum autem aliquis in medio purpuram talarem gerens, & viriolas, & torques aureos, variè ad risum formatur, illudens hostibus*. Bulenger. de circo c. 38.

LUDUS vocabatur celebritas publica in cavea, aut circo, religionis causa facta, & ad populi voluptatem. Illorum origo est à Lydis. Tertull. de Spectac. c. 5. *Ludorum origo sic traditur, Lydos ex Asia transvenas in Etruria consedisse, duce Tyrrheno, qui fratri suo cesserat in regni contentione. Igitur in Etruria inter cæteros ritus superstitionum suarum spectacula quoque religionis nomine instituunt. Inde Romani arcessitos artifices mutuantur, tempus, enuntiationem ....* Dionys. ii. p. 130. *Ludiero, ut videtur, à Lydis invento*. Voss. Lex. Etymol. *Lydi*, ut scribit Herodot. ii. p. 45. *ipsi ajunt se ludos invenisse, qui etiamnum apud Græcos cum illis communes sunt: simul autem hac invenisse, & in Tyrrheniam colonos deduxisse. Id quod hunc in modum accidisse referunt. Tempore Atyis Manis Regis sui, annonæ difficultatem*

per universam Lydiam valdè grassatam esse, & initio quidem Lydos vitam assiduis laboribus tolerasse, postea verò, quum non cessaret malum, remedia quæsivisse, & alium aliud excogitasse. Tum igitur inventum ab iisdem tesserarum & talorum ludum, & pila, cæterorumque ludorum omnium genera, præterquàm calculorum. Ad famem discutiendam, altero quidem dierum in totum lusibus occupatos fuisse, ne videlicet ciborum quærendorum solicitudine distorquerentur: altera verò lusibus abstinentes, vesci consuevisse. Buleng. de Lud. vet. c. 1 Souter. de Alear. t. 18. Senftleb. de Alea vet. c. 3. Calcagn. de Talor. lud. præfat. *A primordio bifariam censebantur, sacri & funebres, id est, diis nationum, & mortuis.* Tertull. ibid. c. 6. Qui in deorum honorem, duorum illi generum præcipuè fuerunt, Circenses, aut Scenici. Atque illi quidem varii: ut Megalenses, Seculares, Latiales, & cæteri, quorum plerique Circenses magni, & Romani dicti sunt. Omnes verò aut stati erant, imperativi, repentini, honorarii, aut votivi. Illique rursus aut publici, aut privati. Publici diis solum communes; privati in honorem fiebant magistratuum, aut mortuorum. *Ludorum celebrationes deorum festa erant, qui quidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationes sunt constituti.* Lactant. vi. 20. Hos omnes sacros esse voluerunt, & inter religionis officia deputari. Nec enim *ludos* sine sacrificio, & meritò exclamat Tertull. ibid. c. 7. *In ludis quanta sacra, quanta sacrificia præcedunt, intercedunt, succedunt?* Guther. de Vet. jur. Pontif. iii. 18. *Ludorum* dies eo processerunt, ut annales ferè indixerint ferias mutuo concursu. Scenici primùm per quatriduum facti Q. Fabio & M. Claudio Coss. post cladem Cannensem. Liv. xxiv. 43. *Ludos Agrippa in ædilitate undesexaginta diebus fecit.* Plin. xxxvi. 15. Trajanus confecto Dacico bello *per centum & viginti tres dies* Romæ ludos edidit, quod factum est Decebalo Rege devicto. Xiphil. lxviii. p. 777. C. Ut verò dies innumeri, sic sumptus immodici. Liv. xxxix. 5. *Triumphus M. Fulvio est decretus. Is cum gratias patribus conscriptis egisset, adjecit ludos magnos se Jovi optimo maximo eo die, quo Ambraciam cepisset, vovisse. In eam rem sibi centum decem pondo auri a civitatibus collatum. Petere, ut ex ea pecunia, quam in triumpho latam in ærario positurus esset, id aurum secernijuberent. Senatus pontificum collegium consuli jussit, num omne id aurum in ludos consumi necessum esset. Quum pontifices negassent ad religionem pertinere, quanta impensa in ludos fieret; senatus Fulvio, quantum vellet impenderet, permisit, dum ne summam octoginta millium excederet.* De pecunia tandem Scto finitum apud Liv. xl. 44. *Ne major causa ludorum consumeretur, quam quanta Fulvio Nobiliori post Ætolicum bellum ludos facienti decreta esset: neve quid ad eos ludos arcesseret, cogeret, acciperet, faceret, adversus id Sctum, quod L. Æmilio, Cn. Bæbio coss. de ludis factum esset. Decreverat id senatus propter effusos sumptus factos in ludos Ti. Sempronii ædilis, qui graves non modo Italiæ, ac sociis Latini nominis, sed etiam provinciis externis fuerunt.* Guther. ibid. c. 19. De illi universè Lactant. vi. 11. *Quid dicendum est de iis, qui levitate populari ducti, vel magnis urbibus suffecturas opes exhibendis muneribus impendunt?* Ambros. Serm. 81. *Magistratus in theatris, mimis, & athletis, gladiatoribus, aliisque hujusmodi generibus hominum totum patrimonium suum largitur, & prodigit, ut unius horæ favorem vulgi acquirat.* Qui meritò damnarunt damnosam hanc insaniam, & quæ privatos homines bonis per *ludum* exuit; Principes ipsos attenuat, & debilitat. *Lips. de Magn. Rom.* ii. 11. *Thys. de Magnit. Roman.* ii. p. 266. Duo genera magistratuum dedisse *ludos* invenio, ædiles scilicet curules, & prætores. Cicer. Verr. v. 14. *Nunc sum designatus ædilis: scio mihi ludos sanctissimos maxima cum ceremonia Cereri, Libero Liberæque faciundos: mihi Floram matrem populo plebique Romano ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione Jovi, Junoni, Minervæque esse faciundos.* Et Plutarch. Cæs. p. 709. E. Cæsarem in ædilitate sua munificentia sumptuosa circa spectacula, atque convivia factum apud plebem favorabilem ait; idemque significat Suet. c. 10. n. 1. scribens Cæsarem *ædilem exornasse comitium, Capitolium, & basilicas:* nam & hoc erat officii ædilium, ut in ludorum editione forum, & comitium signis, ac tabulis pictis exornarent. Ascon. in Cicer. p. 86. *Ædilis, atque prætori Hortensio, & item Metellis, rapta ex provinciis signa ad ornandum forum, & comitium commodaverat Verres. Olim enim, cum in foro ludi populo darentur, signis, ac tabulis pictis partim ab amicis, partim è Græcia commodatis utebantur ad scenæ speciem, quia adhuc theatra non fuerant.* Plin. xxxv. 15. *Lacedæmone quidem excisum latericiis parietibus opus tectorium propter picturæ excellentiam ligneis formis inclusum Romam deportavere in ædilitate ad comitium exornandum Muræna & Varro.* Etiam in ludis faciendis magnum adhibebant, & apparatum, & sumptum in vestibus, ac tabulis pictis comparandis. Plin. xxxvi. 15. In spectaculis, *quæ M. Scaurus in ædilitate sua fecit, apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, cæteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis quæ superfuerant quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis concremaretur ad H. S. millies.* Lips. de Magistrat. Roman. c. 13. Mod. de Lud. & spect. ii. 16. Lycklama de Magistrat. c. 5. Buleng. de Theatr. i. 10. Argol. ad Panvin. de Lud. Circens. ii. 15. Lauterit. Var. sacr. gentil. c. 1. Cum ædiles plebeji negarent se pares esse tot impensis in ludis faciendis, quos edi volebant patres, curules primò fuerunt ad ædilitatem producti. Liv. vi. 42. Hisce ergo *ludis* illi quoque præerant, eos ordinabant, ac præmia victoriæ in scena reportatæ histrionibus dabant. Plaut. Amphit. Prolog. 73.

Sive adeò ædiles perfidiosè quoi duint.

Suis sumptibus dedisse prætores declarant Plutarchus & Dio laudati supr. in *Gladiator*. Lycklama l. l. Lips. de Magistrat. Roman. c. 11. Duobus modis prætor in theatrum *ludorum* causa solebat prodire: aut designatus, & necdum nuncupatus, tanquam candidatus: aut designatus, & nuncupatus, tanquam magistratus. Tanquam candidatus ludos populo sumptibus suis exhibens: tanquam magistratus editioni spectaculorum præsidens. Liv. xxv. 12. *In ludis faciendis præerit prætor is, qui jus populo, plebique dabit summum.* Prætorem habitu triumphali ludis circensibus præsedisse auctores sunt Servius, & de spectaculis Tertullianus. Ludis piscatoriis præfuit. Festus. V. illum in *Ludi*. Et sanè prætorem *ludis* præsedisse adeò verum est, ut virginibus Vestalibus locum *contra prætoris tribunal* Augustus dederit. Suet. Aug. c. 44. n. 7. *Revard. Conject.* i. 6. Hoc patet etiam ex ritu mappæ mittendæ in signum *ludorum* committendorum. Fiebat enim in ludis a prætore. V. infr. in *Mappa*. Lycklama l. l. Inclinante jam imperio transiit hic mos edendi *ludos* ad alios cum divinos, tum humanos magistratus. V. illos suis locis. *Mod. de Lud. & spect. vet.* ii. 16. Augustus terdecies consul, illo magistratu *ludos* dare coactus est more, & lege. *Lips. Elect.* ii. 17. Quæro, qua lege, aut more, stante Republica coacti sint coss. *ludos* dare? eversa illa quo jure Augustus Imperator? Hujus sententiæ adstipulatorem novi neminem. Et consulum hoc muneris ob magistratus honorem nullus lego. Nam quos secundo consulatu dedit Pompejus, illi fuerunt ob theatri dedicationem. Consules certè sub Imperatoribus Romæ, ut proconsules in provincia, vel etiam magistratus municipales suis sumptibus dederunt *ludos*, atque eos post Augusti tempora cum novis legibus essent obstricti. *Guther. l. l.* Fecerunt & Imperatores. Suet. Aug. c. 43. n. 1. *Fecisse ludos ait*, Augustus, *suo nomine quater*; (sed de hoc numero contendunt Lips. Elect. & de Magnit. Rom. l. l. & Guther. l. l.) *pro aliis magistratibus, qui aut abessent, aut non sufficerent, ter & vicies.* Ovid. Trist. ii. 509.

Inspice ludorum sumptus Auguste tuorum:
Empta tibi magno talia multa leges.

Et non tantum Romæ, sed in provinciis, & municipiis. Suet. Cal. c. 20. n. 1. *Edidit* Cajus *& peregre spectacula, in Sicilia Syracusis asticos ludos, & in Gallia Lugduni miscellos.* Guther. ibid. c. 19. Mod. & Argol. l. l. Pitisc. in Suetonium. Vovebat magistratus ad bellum iturus, Sibyllinis versibus, auguriisve inductus, qui devictis hostibus

Romæ

Romæ fiebant. Quomodo hi voverentur, quibusque sollennitatibus, est videre apud Liv. xxxix. 7. Inter eos fuerunt *ludi magni* in honorem Jovis à Q. Fabio Maximo dictatore pro victoria de Carthaginensibus habita *voti, æris trecentis triginta tribus millibus, trecentis triginta tribus, triente*.... Liv. xxii. 10. Hique quinquennales erant. Item decennales, & vicennales, qui decimo, vel vicesimo imperii anno fiebant. *Tomas. de Donar. c.* 4. Republica oppressa Imperator solebat præsidere. Augustus apud Suet. c. 45. n. 2. *Spectaculo plurimas horas, aliquando totos dies aderat petita venia, commendatisque, qui suam vicem præsidendo fungerentur*. Domitianus apud Suet. c. 4. n. 11. *Certamini præsedit crepidatus*. Commodus apud Herod. 1. 9. 7. *Quum nobilissimos scenicis operam daret, præsidens Imperatoria sella Commodus*. Buleng. l. l. Pitisc. in Suetonii Augustum. Illos Romani antiquitus stantes spectabant. De fabula à Pacuvio data Cicer. de Amic. c. 7. *Stantes plaudebant in re ficta*. Tacit. Annal. xiv. 20. 3. *Si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse*. Qui & addit rationem hujus ritus: *Si consedisset, theatro dies totos ignavia continuaret*. Imo, ut Val. Max. ii. 4. 2. *SCto cautum est, ne quis in Urbe, propiusve passus mille subsellia posuisset, sedensve ludos spectare vellet*. Qui & hanc subjungit rationem: *ut remissioni animorum juncta standi virilitas propria Romanæ gentis nota esset*. Postea sedilia in illis sunt disposita, ut illos commodiùs intuerentur. Suet. Aug. c. 43. n. 1. *Ludos fecit non in foro modo, nec amphitheatro, sed in circo, & in septis. Athletas exstructis in campo Martio sedilibus ligneis*. Donat. de Urb. Rom. iii. 7. Pitisc. in Suetonium. Et coronati, & ad illos omnis ætas & sexus admittebatur. Quamvis autem theatra, circi, campus, singulares quæque ac propriot *ludos* haberent, & exercitationes cuique loco accommodatas, tamen eadem sæpè omnibus in locis peracta sine discrimine fuerunt. Nam, ut de circo dicam, in eo cursores, pugiles, luctatores, gladiatores, confectores ferarum versabantur: in eo bigarum, quadrigarumque cursus, & *ludi* tauriles, & ferarum venationes, & equestria, ac pedestria prælia exhibebantur: id quod Plinius, Suetonius, Ovidius, & Horatius testantur. Introducti etiam sunt mimi, saltatores, citharœdi, histriones, funambuli, qui in theatris solebant agere frequentiùs. Contra in theatro navale prælium edidit Domitianus. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 12. Et in albis vestibus. Martialis laudatus supr. in *Lacerna*. Kipping. Antiq. Roman. j. 11. §. 20.

Ludi Actiaci instituti sunt ab Augusto Cæsare post devictum Antonium, & partam victoriam apud Actium promontorium. Suet. Aug. c. 18. n. 3. *Quoque Actiacæ victoriæ memoria celebratior in posterum esset, urbem Nicopolim apud Actium condidit, ludosque illic quinquennales constituit*. Dio li. p. 442. *Eadem die Cæsar Apollini, qui apud Actium colitur, ludos musicos, & gymnicos, & certamen equestre sacro quinquennali constituit, Actios illos ludos dicens*. De his Strabo: *Neque verò hi ludi Nicopoli tantum, sed & Romæ fuerunt celebrati*. Sic enim Dio liii. p. 496. D. *Ludos propter Actiacam victoriam decretos cum Agrippa exhibuit, & in iis equestre certamen per pueros, & viros patricios peregit: atque deinceps ad nostram usque ætatem ludi quinto quoque anno facti sunt, eorumque curatio quatuor sacerdotum collegiis per ordinem incumbit, pontificibus nimirum, auguribus, septemviris, & quindecimviris. Gymnici quoque ludi, stadio in campo Martio exstructo ligneo, acti sunt, & munus gladiatorum depugnantibus captivis exhibitum*. Hospin. de Orig. Fest. Ethn. p. 264. Turneb. Adv. xiv. 17: xviii. 5. Multo tempore ante Augustum fuere celebrati. Strabo: *Actia quoque ipsi deo prius, & à finitimis celebrabantur, & certantibus corona proponebantur: hæc autem ætate Cæsar Augustus honorificentius edidit, siquidem trieterici ludi solebant hic celebrari, Augusti verò ætate quinquennales*. Nono. in Goltz. Græc. p. 24.

Ludi agonales dicebantur, quod hostia in illis mactata diceretur agonia, vel quod montes agones dicerentur. Tiberi inundante circensem planitiem ad portam agoniam, sive agonensem dabantur. *Donat. de Urb. Rom. c.* 19. *Marlian. Topogr. c.* 8.

Ludi Apollinares in honorem Apollinis ex monitu carminum Martii vatis primùm ea SCto celebrati sunt an. ab U.C. 542. Liv. xxv. 12. Macrob. Sat. i. 17. *Tum alterum carmen recitatum*, ii. Martii vatis. *Hostem Romani si expellere vultis, vomicamque, quæ gentium venit longè, Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant. Iis ludis faciendis præerit prætor is, qui jus populo plebeique dabit summum. Decemviri Græco ritu hostiis sacra faciant. Hæc si rectè faxitis, gaudebitis semper, fietque res vestra melior: nam is divus exstinguet perduelles vestros, qui vestros campos pascunt placidè. Ad id carmen explanandum diem unum sumpserunt. Postero die SCtum factum est, ut decemviri libros de ludis Apollinaribus, reque divina facienda inspicerent. Ea cum inspecta, relataque ad senatum essent, censuerunt patres, Apollini ludos vovendos, faciendosque: & quando ludi facti essent, duodecim millia æris prætori ad rem divinam, & duas hostias majores dandas. Alterum SCtum factum est, ut decemviri sacra Græco ritu facerent, iisque hostiis, Apollini bove aurato, & capris duabus albis auratis, Latonæ bove femina aurata. Ludos prætor in circo maximo cum facturus esset, edixit, ut populus per eos ludos stipem Apollini, quantam commodum esset, conferret. Hæc est origo ludorum Apollinarium: victoriæ, non valetudinis ergo, ut plerique rentur, votorum. Factosque populus coronatus spectavit: matronæ supplicavere: vulgo apertis januis in propatulis epulati sunt: celeberque dies omni ceremoniarum genere fuit*. Tasin. de Lud. secul. c. 8. Siccam. in Fast. Kalend. c. 13. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 839. C. Laz. Comm. Reip. Rom. x. 8. Ortel. Deor. & dear. c. 1. 7. Mod. de Lud. & spectac. vet. ii. 17. Petron. de Græc. & Rom. magistr. iii. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. vi. p. 2806. Manut. de Leg. Rom. c. 3. Pigh. Annal. Rom. ii. p. 177. Caroli Antiq. Roman. ii. 5. Volaterr. Comment. Urban. xxix. p. 1093. F. Kipping. Antiq. Roman. i. 6. §. 14. Blond. Triumph. Rom. ii. 47. C. Hos jam pridem Græci habuerant, & in Parnasso monte sub nomine Pythiorum celebraverant, quæ à nomine perdomitæ serpentis nominata fuisse testatur Ovid. Met. 1. 445.

Neve operis famam posset delere vetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia de domitæ serpentis nomine dictos.

Ortel. & Mod. l. l. Fuerunt primum indictivi, deinde voti & facti sunt in statum diem, qui est ante iii. Non. Quintil. Liv. xxvi. 23. *Ludi Apollinares & priore anno facti erant, & eo anno ut fierent, referente Calpurnio prætore, senatus decrevit, ut in perpetuum voverentur*. xxvii. 23. *Ludi Apollinares Q. Fulvio, Ap. Claudio coss. à P. Cornelio Sulla prætore Urbis primum facti erant: inde omnes deinceps prætores urbani fecerant: sed in unum annum vovebant, dieque incerta faciebant. Eo anno pestilentia gravis incidit in Urbem, agrosque: quæ tamen magis in longos morbos, quàm in perniciales evasit. Ejus pestilentiæ causa, & supplicatum per compita tota Urbe est, & P. Licinius Varus prætor Urbis legem ferre ad populum jussus, ut hi ludi in perpetuum in statam diem voverentur. Itaque ipse primus ita vovit, fecitque ante diem iii. Non. Quintil. Is dies deinde sollennis servatus*. Manut. Petron. Mod. Siccam. Laz. l. l. Nardin. Rom. Vet. vi. 2. Ursat. ibid. p. 553. B. & l. l. In circo celebrabantur. Zosimus *Conscenso Capitolio ad constructum inde theatrum progressos Apollini ludos fecisse* scribit ii. 5. sed intelligit theatrum in circo. *Tassin. l. l. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 11. n. 2.* Illis carbasina vela in theatro duxit primus Lentulus Spinther. V. infr. in *Velum*. Illorum curam habebant quindecimviri. V. infr. in *Quindecimviris*.

Ludi Astyci erant scenici, instar eorum, qui in *ἄστει* Atheois. Omninò *ἀστικοὶ ἀγῶνες* sunt Græci instituti, ut ne mireris, quare *ἀστικοὶ ἀγῶνες* in urbe Græciæ Syracusis à Caligula instituti. Philostr. Icon. i. p. 723. C. *Erat quidem apud Neapolitanos hoc certamen. Erat enim in Italia condita, Græci genere, atque Athenienses: unde & orationis studio Græcanici sunt*. Ergo *ἀστικοὶ Ἑλληνικοί*, & *ludi* astyci *Ἑλληνίζοντες*, qualia omninò *τὰ ἐν ἄστει Διονύσια*. Suet. Cal. c. 20. n. 1. laudatus supr. in *Ludus*. Scalig. de Emend. temp. v. p. 479. Epist. 37. Ego interpretor urbanos,

quod sint etiam *ludi* rustici: vel potius Atheniensium *ludos*, quorum urbs Astus dicebatur. In pervetustis quibusdam libris Suetonii legitur Attici. Quod si quis illos malit, è consuetudine Atheniensium explicabit, qui liberalibus, lenæis, chytris, & panathenæis, id est, quinquatribus *ludos* scenicos dabant. Actiacos legunt plerique interpretes. Et illos ab illis probatos vix ausim improbare, malimque legere: cum præsertim etiam in Italia celebrabantur, Auson. Eidyll. x. 208.

Tales Cumane despectat in æquore ludos
Liber, sulphurei cum per juga consita Gauri,
Perque vaporiferi graditur vineta Vesevi:
Cum Venus Actiacis Augusti læta tropæis
Ludere lascivos fera prælia jussit amores,
Qualia Niliacæ classes, Latiæque triremes
Subter Apollineas gesserant Leucados arces.

Turneb. Adv. xiv. 17: xviii. 5: xxviii. 20. Torrent. in Suet. Cal. c. 20. n. 1. Sed ego non video, cur Actiacos legendum quis existimet. Quum enim quinquennales Actiaci *ludi* essent, V. Suetonium supr. in *Ludi Actiaci*, non utique reticuisset Suetonius Caligulam Syracusis Actiacos celebrasse, quum statutum tempus celebrandi eos advenisset, nec ipse Romæ esset, sed in Sicilia. Addamus ex eodem loco, Augustum post Actiacam victoriam urbem Nicopolin apud Actium condidisse, ludosque illic constituisse. Quamobrem quum Syracusana urbs non multum distet ab Actio promontorio, non utique Caligula in spectaculorum editione profusissimus ludis consuetis Syracusanum populum, & insulares Siculos oblectare elegisset. Amplius quum ex c. 23. n. 3. habeamus, Caligulam *Augusti infectatione Actiacas victorias, ut funestas populo Romano, & calamitosas vetuisse sollennibus feriis celebrari*, quis affirmare poterit Actiacos *ludos*, qui in Actiacæ victoriæ memoriam celebrabantur, Syracusis edidisse? Nec minùs censendum Atticos, vel Asticos legendum: quum enim apud Græcos potissimum quatuor spectaculorum genera exhiberi solita apud scriptores omnes observamus, Olympica, Isthmia, Pythia, & Nemea, profectò non ita generice Suetonius, alioquin exactè diligens in scribendo, *ludos* Atticos appellasset. *Donat. in Caligulam*. Rationi magis consentaneum, quod hasticos dixerit ab hasta, sicut gladiatoru dicti à gladio, quibus paria pugnantium in spectaculis publicis invicem dimicabant. Hastis enim simulacro quodam belli celebrabantur, ut sese Romana pubes exerceret. Exemplum sumo ex Athenæo. Hic lib. 1. de cœnis sophistarum, sic inquit: *Sphæra verò, sive, pila ludunt non tantum viri, sed & mulieres, & discis, & hastis quadam corporis symmetria utebantur*. Lulsin. Parerg. iii. 28. Donat. l. l. Antiqua lectio *ludos* bosticos scriptos habet. Quæ quomodo explodi possit, non video. Hostici nomen Latinitas admittit. Plaut. Capt. ii. 1. 49.

Servitum commune, quod hostica evenit manu.

Ego interpretor πολεμίως, quos militares Capitol. duob. Maximin. c. 2. *Guther. de Vet. jur. Pontif.* iii. 19. Ego legendum censeo selasticos. Selastici autem ludi sunt Suetonio, ut & in antiqua inscriptione Malpheusi apud Gruterum, qui Plin. Epist. x. 119. 1. dicuntur Iselastici, sicut illa ætate dicebatur Spania, quod etiamnum obtinet pro Hispania, Iselastici *ludi* verò sunt *ludi* sacri, ut Olympiaci, Nemei, & qui ad eorum rationem instituti sunt. *Grav. in Suetonium*.

Ludi Augustales sunt dicti de Augusti nomine. Tacit. Annal. 1. 15. 3. *Inter quæ tribuni plebei petivere, ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur*. Quod pro *vocantur* est positum. Non enim ex eo demum tempore fastis sunt additi, & nomen id acceperunt: acceperunt hoc jam pridem, quartum nempè atque vigesimum ante annum. Eorum originem reperio an. 735. cum ex Græciensi, & Sicula peregrinatione redux Augustus, passus est inter alios honores, *Fortunæ reduci aram sacrari, & diem, qua redierat, in fastis scribi, & Augustalia dici*. Dio liv. p. 527. D. Ex decreto senatus instituti sunt octennio posterius Ælio Tuberone, Paullo Fabio Coss. Dio ibid. p. 545. A. *Augustalia, quæ & nunc celebrantur, tunc primum ex Sto acta sunt*. Celebrabantur iv. Eid. Octobr. Kalend. vet. Roman. iv. *Eid. Octobr. Augustales*. Lambec. in Kalendarium vetus Romanum. Lips. in Tacitum. Jun. Fast. ad Octobrem.

Ludi Capitolini sunt instituti à Romanis ob Capitolium ab hostibus Gallis Senonibus servatum. Liv. v. 50. V. illum supr. in *Capitolini*. & c. 52. *Capitolinos ludos sollennibus aliis addidimus; collegiumque ad id novum, auctore senatu, condidimus*. Mod. de Lud. & Spectac. ii. 17. Hospin. de Orig. Fest. Ethnic. p. 263. Kipping. Antiq. Roman. ii. 6. §. 15. Illis *præcones voce proclamabant Sardianos venales, & senex quidam ludicri gratia producebatur bullam collo appensam gerens puerilem: quia Vejentes Etruscorum populus per longum tempus Romulo bello restiterunt, hancque is ultimam urbem cepit, multosque captivos sub hasta vendidit unà cum ipsorum Rege, futilitatem ejus, & stultitiam deridens; nam Etrusci à Lydis originem trahunt, Lydorum primaria urbs Sardes. Ideò Vejentes Sardianorum nomine proclamant, & in hunc usque diem ludicri gratia morem istum conservant*. Plutarch. Quæst. Roman. 52. *Erasm. Adag. p. 100. b. Hospin. l. l.* Et poetæ decertabant. Recitasse verò in bibliotheca Capitolina perquam probabile existimo: non tam quod id innuat Stat. Sylv. iii. 5. 31.

—— *ea cum Capitolia nostra*
Inficiata lyra, sævum, ingratumque dolebas
Mecum victa Jovem.

v. 5. 231.

Nam quod me mixta quercus non pressit oliva,
Et fugit speratus honos, cum dulce parentis
Invida Tarpejis caneret te nostra magistro
Thebais.

Verùm quod nulla aptior esset ad hoc certamen bibliotheca, quàm Capitolina à Domitiano restituta, idque iis ludis, quos ipse in honorem Jovis Capitolini instituerat. *Nardin. Rom. Vet.* vi. 13. Hos, & Tarpejos eosdem fuisse voluit Piso. Tertull. de Spectac. c. 5. *Romulus Jovi Feretrio ludos instituit in Tarpejo, quos Tarpejos dictos, & Capitolinos Piso tradidit*. Sed Tarpejos Romulus Jovi Feretrio instituit: Capitolini à M. Furio Camillo primùm facti, *Guther. de Vet. jur. Pontif.* iii. 18.

Ludi castellati erant, cum pueri castella chartis efficerent. Meminit Capitol. in Gallien. c. 16. referens hunc *de pomis castella composuisse*. Qui adbuc mos ea ætate manet. *Mod. de Lud. & Spectac.* ii. 28.

Ludi Castoris & Pollucis bello Latino voti sunt ab A. Postumio dictatore. Dionys. vi. p. 348. *Tum Postumus laudata eorum alacritate, votisque factis, si felix pugnam sequatur exitus, sacra se diis facturum magnificè, ludosque instituturum splendidos, quos Romani quotannis agitent, dimisit militem ad suos ordines*. vii. p. 475. *Ludos hos decrevit senatus Romanus, ut & supra dictum est, ex voto A. Postumii dictatoris, quod is bello Latino fecerat, cum signa cum Latinis collaturus esset, qui violato fœdere defecerant, & Tarquinium in regnum reducere volebant: & in horum impensas quotannis assignavit argenti minas quingentas: quod observatum est usque ad bellum Punicum. Per eos dies festos tum alia multa more Græcanico agebantur, circa mercatus, & excipiendos hospites, & communes inducias. Pompa sacrificiorum, & ludorum ratio erat hujusmodi. Priusquam ludorum inirentur certamina, viri penes quos summa erat potestas, pompam diis à Capitolio per forum deducebant in circum maximum; in qua præibant illorum filii pubertati proximi, qui jam per ætatem pompæ interesse possent; equisque invehebantur ii, quorum patres in equitum censu erant: cæteri pedites incedebant, qui aliquando in pedestrem militiam accensendi essent; illi per alas, & turmas distincti: hi per classes, & ordines distributi, perinde ac si ludum literarium peterent; ut cernerent hospites, quàm insignis forma, & numero pubes brevi in virilem ætatem transitura esset. Hos sequebantur quadrigarii, bigarii, & injugum equorum agitatores. post quos athletæ graviorum, & leviorum certaminum* .... Hospin. de Orig. Fest. Ethn. p. 194.

Ludi castrenses erant, qui in castris in statione à militibus manentibus castrensi more edebantur. Suet. Tib. c. 72. n. 6. *Ac ne quam suspicionem infirmitatis daret, castrensibus*

In iis

ludis interfuit non solum, sed etiam missum in arenam aprum jaculis desuper petiit. Torrent. in Suetonium. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 24. Mod. de Lud. & Spect. II. 24. Rosin. Antiq. Roman. v. 25. Illis milites olim cum bestiis pugnando ad humanas se cædes edebant paratiores. Tiberius aliquando transtulit Circejos. Suet. n. 5. *Quo paullum levatus Circejos pertendit* . . . Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. n. 1. Nardin. Rom. Vet. IV. 2.

Ludi Cereales. V. illos supr. in *Cerealia*.

Ludi circenses. Illos apud Elidem deorum monitu Eliorum Rex Oenomaus, & Pelops Tantali Phrygum Regis filius instituerunt. Quum Oenomaus Pisæ Rex ab oraculo didicisset, se tunc moriturum, quum ipsius filia nupsisset, multis illam petentibus, proposuit certamen, quo victus interficeretur, victor filiam duceret uxorem. Curule autem ad Neptuni aram in Isthmo Corinthiaco certamen instituit: & quum plures eorum, quos pernicissimos habebat, velocitate superasset, victorque occidisset, Pelops tandem curuli certamine congressus, equorum pernicitate vicit Oenomaum, abduxitque ex pacto uxorem Hippodamiam. Ita Pausan. Eliac. I. p. 200. Idem ostendit Sidon. Carm. II. 491.

Græcia, ni pudor est, reparatis ipsa quadrigis
Suscitet Oenomaum, nata quem fraude carentem
Cerea destituit resolutis axibus orbes.

XIV. 82.

Non hic Oenomai cruenta circo
Audit pacta Pelops, nec insequentem . . . .

XXIII. 390.

Quantum auriga suos solebat ille
Raptans Oenomaum tremente Pisa,
Tantum tu rapidos teris jugales.

Alii eorundem originem ad Herculem referunt; qui dum apud Elidem luderet, fratribus suis Pæoneo, Epimedi, Julio, & Ideæ cursus certamen proposuit, victorque, se tunc primum quum oleastri corona redimiri voluisset, id ludicrum instituit. Stat. Theb. VI. 5.

—— primum Pisaa per arva
Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem,
Pulvereumque fera crinem detersit oliva.

Ubi Lactantius: *Primus Hercules hunc honorem habuit manibus Pelopis, qui erat Herculi per Alcmenam genere conjunctus*. Quod postea Romulus, ut multa alia à Græcis mutuatus, in raptu Sabinarum edidit. Cassiod. Var. III. 51. *Primus hoc apud Elidem Asia civitatem*, hoc malè, fuit enim Græciæ civitas in Peloponneso, *Oenomaus fertur edidisse: quod postea Romulus in raptu Sabinarum, nec dum fundatis ædificiis, ruraliter æstimavit Italia*. Val. Max. II. 4. 4. *Circense spectaculum primus Romulus raptis virginibus Sabinis Consualium nomine celebravit*. Quod etiam videtur innuere Virg. Æneid. VIII. 635.

Nec procul hinc Romam, & raptas sine more Sabinas
Consessu caveæ magnis circensibus actis
Addiderat.

Qui dum *circenses* appellavit, ad sua respexit tempora. Nam ante Prisci Tarquinii regnum, à quo circus iis edendis instructus fuit, V. supr. in *circus maximus*, jam inde à Romuli tempore consuales dicebantur, & magni. V. infr. suis locis. *Panvin. de Lud. Circ. I. 3. & ad illum Argolus, Buleng. de Circ. I. 2. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 3. Mod. de Lud. Vet. II. 8. Careli Antiq. Roman. II. 5. Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. *p.* 1092. *B. Biond. Triumph. Roman.* II. *p.* 48. *G. Rosin. Antiq. Roman.* v. 4. Erant ordinarii, aut imperativi. Rursus imperativi, aut votivi, aut extraordinarii. Tam votivi, quàm extraordinarii, sive publici, sive privati erant, hoc est, vel à magistratibus, vel à privatis civibus dabantur. V. supr. in *Ludus*. Votivi, & extraordinarii varias ob causas fiebant. Ut in publicis bellorum, & pestilentiarum calamitatibus, deum pacis exposcendæ, iræque mitigandæ causa. Quoties Respublica afflicta esset, si in eodem statu per certum tempus permaneret. Si prosperè adversus populi Romani hostes pugnari contigisset, seditionis urbanæ, vel militaris sedandæ causa, pro valetudine Principis, pro reditu Imperatoris, & similibus causis. Extraordinarii non voti erant, sed dabantur in templorum, & omnium publicorum dedicatione, ut theatrorum, basilicarum, amphitheatrorum, curiarum, & similium, in publicis hilaritatibus, & victoriis Imperatorum, diebus natalitiis vitæ, & imperii Augustorum, eorundem adoptionibus, ludisque quinquennalibus, decennalibus, vicennalibus, & similibus, ob privatorum omnium magistratus, demum mortuorum Principum, vel nobilium memoriæ. *Panvin. ibid.* II. 15. *& ad illum Argolus. Buleng. de Circ. c. 9. Mod. l. l.* Ritus, qui in illis adhibebantur, exhibet Liv. XLIV. 9. *Juvenes quidam Romani, ludicro circensi ad usum belli verso, partem humillimam muri ceperunt. Mos erat tum, nondum hac effusione inducta bestiis omnium gentium circum complendi, varia spectaculorum genera congerere: nec semel quadrigis, semel desultore misso, vix unius horæ tempus utrumque curriculum complebat. Inter cætera sexageni ferme juvenes, interdum plures, ab apparitoribus ludi, armati inducebantur. Horum inductio in parte simulacrum decurrentis exercitus erat: ex parte elegantioris exercitii quam militaris artis, propiorque gladiatoriorum armorum usum. Quum alios decursus edidissent motus, quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis summissioribus, tertiis magis & quartis, postremis etiam genu nixis, fastigiatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant*. Celebrabantur I. per plateas, & fora. Suet. Aug. c. 45. n. 1. *Ipse circenses ex amicorum fere, libertorumque cœnaculis spectabat*. II. Deorum simulacra, & imagines ordine portabantur. Tacit. Ann. I. II. 83. 1. *Honores, ut quisque amore in Germanicum, aut ingenio validus, reperti, decretique* . . . *ut ludos circenses eburnea effigies præiret*. Suet. Tit. c. 2. n. 5. *Quorum omnium mox immemor, statuam ei auream in palatio posuit: & alteram ex ebore equestrem, quæ circensi pompa hodie quoque præfertur, dedicavit, prosecutusque est*. III. Omnis generis pontifices, sacerdotes, flamines, ac sodales, auguresque in pompa circensi ordine incedebant. Tacit. Annal. III. 64. 3. *Sed tum supplicia diis, ludique magni ab senatu decernuntur, quos pontifices, & augures, & quindecimviri, cum septemviris simul, & sodalibus Augustalibus ederent*. IV. Bigis, & quadrigis decurrebatur in illis. Hoc genus *ludi* repræsentatur in veteribus Romanis numismatibus. Suet. Jul. c. 39. n. 5. *Circensibus spatio circi ab utraque parte producto, & in gyrum euripo addito, quadrigas, bigasque & equos desultorios agitaverunt nobilissimi juvenes*. V. Certi equorum missus à carceribus ad metas certando procurrebant. Suet. Claud. c. 21. n. 5. *Circenses frequenter etiam in Vaticano commisit, nonnunquam interjecta per quinos missus venatione*. Domit. c. 4. n. 8. *In his circensium die, quo facilius centum missus peragerentur, singulos à septenis spatiis ad quinos corripuit*. VI. In illis erant desultores, non equi, sed homines ita appellati, qui præludia ludorum faciebant, & qui missus equorum denuntiabant exituros, quod adhuc hodie in hastiludiis fieri assuevit. Meminit Cassiodorus. V. illum supr. in *Desultor*. VII. Feræ, & præcipuè insolitæ exhibebantur, quæ partim à venatoribus, partim à condemnatis conficiebantur. V. supra in *Confectores*. Mod. I. I. Taffin. de Ludis secul. c. 15. §. 12. Vario diei tempore edebantur. Suet. Cal. c. 18. n. 6. *Edidit & circenses plurimos à mane usque ad vesperam*. August. Confess. VIII. in meridie celebrari solitos ostendit, ubi spectaculum circensium *pomeridianum* vocat. Et fortè alludit Suet. Claud. c. 34. n. 6. *Bestiariis, meridianisque adeo delectabatur, ut à prima luce ad spectaculum descenderet, & meridie dimisso ad prandium populo præcederet*. Panvin. ibid. II. 14. Mod. I. I. Non solum Romæ, sed in castris passim, & provinciis edebantur: in quibus non tantum sacra ferebantur, aurigationes erant, & equorum cursus, verum etiam bestiæ incognitæ, harumque venationes ostendebantur. *Mod. l. l. Panvin. ibid.* II. 17. Quæ consuetudo Romana in Republica, ut constituto, florenteque imperio maxima fuit, ita inclinante adhuc imperio perseveravit semper. Scriptores enim hujus imperii ætatis ludicri hujus Romano jam populo Christo vindicato ab anno Domini CCCC. mentionem faciunt. Ammian. XIV. 5. *Dum hæc in oriente aguntur,*

Are-

Arelate hyemem agens Constantius post theatrales ludos, atque circenses ambitioso editos apparatu, die sexto Idus Octobres, qui imperii ejus annum tricesimum terminabat, insolentia pondera gravius librans. . . Symm. Epist. x. 22. *Ergo cum exspectari munera Principum soleant, nunc accita venerunt. Praterea illum diem, quo elephantes regios per conferta agmina equorum nobilium pompa pracessit. Malo fremitum Martia vallis exponere, atque illam quadrigarum distributionem, in qua sibi cum fortunatior videretur. . .* Mod. l. l. Panvin. ibid. ii. 18. & ad illum Argolus.

Ludi compitales in compitis exhibebantur. Cato de Re rust. c. 5. *Rem divinam, nisi compitalibus in compito, aut in foco, ne faciat.* Festus: *Compitalia festa, quæ in compitis peragebant.* Hos Tarquinius Priscus instituit. Plin. xxxvi. 27. *Tarquinio Prisco regnante tradunt repente in foco ejus apparuisse genitale è cinere masculini sexus, eamque qua insederat ibi, Tanaquilis Regina ancillam Ocrisiam captivam consurrexisse gravidam. Ita Servium Tullium natum, qui regno successit. Inde & in regia cubanti puero caput arsisse visum, creditumque Laris familiaris filium. Ob id compitalia, & ludos Laribus primum instituisse.* Et describit Dionys. iv. p. 219. *Per omnia compita mandavit, ut vicinia sacella lignea dedicarent geniis compitalibus, & quotannis eis sacra facerent, conferentibus liba singulis domibus. Sacrificos, qui compitalium tempore pro vicinis sacra facerent, non ingenuos, sed servos adesse, ac ministrare voluit: quasi geniis illis gratum esset servorum ministerium. Quod festum nostra quoque ætate Romani agitant paucis diebus post Saturnalia, summa cum veneratione, atque magnificentia. Compitalia ipsi à compitis appellant.* Sed Macrob. Sat. i. 7. *Qualem nunc permutationem sacrificii memorasti, invenio postea compitalibus celebratam, cum ludi per Urbem in compitis agebantur, restituti à Tarquinio Superbo Laribus ac Maniæ ex responso Apollinis: quo præceptum est, ut pro capitibus supplicaretur. Idque aliquandiu observatum, ut pro familiarium sospitate pueri mactarentur Maniæ deæ matri Larum: quod sacrificii genus Junius Brutus cos. Tarquinio pulso aliter constituit celebrandum: nam capitibus alii, & papaveris supplicari jussit, ut responso Apollinis satisfieret de nomine capitum; remoto scilicet scelere infaustæ sacrificationis: factumque est ut effigies Maniæ suspensæ pro singulorum foribus periculum, si quod immineret familiis, expiarent: ludosque ipsos ex viis compitorum, in quibus agitabantur, compitalia appellaverunt.* Non stati erant, sed conceptivi. Ideoque etsi hyeme tantum celebrarentur, nihilominus certus eis dies non erat definitus, sed modò hoc, modò alio agitabantur. Hinc, ut Antonius Constantius ex Varrone indicat, nonnunquam xi. Kal. Januar. solebant celebrari. Paucis diebus post Saturnalia celebratos modò dixit Dionys. iv. p. 219. In iii. Kal. Januar. sua ætate incidisse refert Cicer. in Pison. c. 4. Qui rursus Attic. vii. 7. *Ego, quoniam iv. Non. Januar. compitalitius dies est, nolo eo die in Albanum venire molestus familiæ.* Verba, quibus concipiebantur à prætore, hæc sunt, narrantibus Macrob. l. l. & Gell. x. 24. *Die. noni. populo. Romano. Quiritibus. compitalia. erunt. quando. concepta. fuerint. nefas.* Hospinian. de Orig. Fest. Ethnic. p. 93. Alex. Gen. vi. 19. Siccam. in Fast. Kal. Roman. c. 11. Morestell. de Fer. Rom. Dial. xi. Gyrald. Synt. deor. xvii. p. 494. D. Voss. de Idolol. i. 11. Guther. de Jur. vet. Pontif. iii. 18. Popma in Caton. p. 177. Ferret. Mus. Lapid. i. Memor. 16. Laz. Comm. Reip. Rom. x. 4. Volaterr. Comm. Urban. xxxiii. p. 1239. B. xxix. 12. p. 1088. B. Turneb. Adv. xxi. 15. Pith. Adv. i. 9. Donat. Diluc. p. 328. Broid. in Pollet. For. Rom. i. 8. Lomej. de Lustrat. c. 30. Oizel. in Gellium. Kipping. Antiq. Rom. ii. 6. §. 17: i. 10. §. 13. *Vicorum magistri faciebant prætextati. Sublatis collegiis discussi sunt.* Ascon. in Cicer. p. 159. *Scalig. Poet. i. 28. Turneb. ibid. c. 3.*

Ludi consuales dicti sunt, qui postea circenses. V. illos supr. in *Ludi circenses*.

Ludi decennales. V. illos supr. in *Decennalia*.

Ludi equestres fiebant equis. Quinque tales reperio: prodromum, cum equi ad metam à carceribus emissi contentione insidentium currebant, cursum vehicularium, cursum decursorium circa rogum, ludos sevirales, & ludos Neptunales. Ad primi generis cursum alludit Cicer. de Leg. ii. 15. *Jam ludi publici, quoniam sunt cavea, circoque divisi, sicut corporum certationes cursu, pugillationes luctatione, curriculisque equorum. . .* Huc pertinet Ammian. xiv. 11. *Et ingressus Constantinopolim, tanquam in rebus prosperis, & securis, editis equestribus ludis, capiti Coracis aurigæ coronam imposuit ut victoris.* De seviralibus meminit Capitol. Marc. Anton. c. 6. *His ita gestis, adhuc quæstorem, & consulem secum Pius Marcum designavit, & Cæsaris appellatione donavit: & sevirum turmis equitum Romanorum jam consulem designatum creavit: & edenti cum collegis ludos sevirales adsedit.* Neptunales bis in anno dabantur xi. Kalend. Julii, & xv. Kalend. Augusti: de quibus Naso facit mentionem in Fastis. *Ludi* equestres funebres. V. illos supr. in *Decursio*. Mod. de Lud. & Spect. ii. 19.

Ludi Florales. V. illos supr. in *Floralia*.

Ludi foliacei dicebantur, *in quibus argentum non in præmium preponebatur, sed corona tantum, & potio quædam cyceon dicta.* Fortè, quibus victores foliaceis coronis donarentur, aut foliis ab astantibus spargerentur. Clem. Alex. Strom. ii. 8. *In certaminibus prima fuerunt præmia & munera, deinde stipes, quæ à victoribus colligerentur, tertia foliorum sparsio, ultima corona, cum rebus ad victum pertinentibus abundaret Græcia exacto bello Medico.* Buleng. Theat. ii. 1.

Ludi funebres in defunctorum magnatum honorem instituebantur. Eorum auctores Acastum & Thesea facit Plin. vii. 56. *Ludos funebres instituit Acastus in Iolco: post eum Theseus in Isthmo.* Meurs. de Fun. c. 33. Guther. de jur. man. ii. 8. Morestell. Pomp. Fer. viii. 18. Illorum causa fuit, quod animas defunctorum humano sanguine crederent delectari. Tertullianus de Spect. c. 12. & Serv. Æneid. x. 519. V. illos supr. in *Gladiator*. In illis dabantur coronæ ex apio. Artemid. v. 79. *Ex apio corona ægrotantes perimit, & plerumque hydropicos, propter frigidum & humidum, & quia funebri certamini convenit.* Romani non permittebant matronis hos spectare. Apparet ex eo, quod Sempronius uxorem repudiaverit ob id factum. Plutarch. Roman. Quæst. 14. *Tertius vero repudiavit uxorem Publius Sempronius, quod ludos funebres spectasset.* Meurs. l. l. Guther. ibid. ii. 9. Protrahebantur sæpè in aliquot dies. Ecce triduum apud Liv. xxiii. 30. *M. Æmilio Lepido filii tres L. M. Q. ludos funebres per triduum, & gladiatorum paria duo & viginti per triduum in foro dederunt.* Plin. xxxv. 7. *L. Terentius avo suo, à quo adoptatus fuerat, triginta paria in foro per triduum dedit.* Nonnunquam etiam quatriduum Liv. xxxi. 50. *Ludi funebres eo anno per quatriduum in foro, mortis M. Valerii Lævini causa, à P. & M. filiis ejus facti.* Illos spectabat populus atratus. Dio lv. p. 553. E. *Hic etiam gladiatorium munus in honorem Agrippæ, & omnibus aliis, & ipsis quoque Augusti liberis pullatis, excepto tamen Augusto.* Et quidem in toga. Sed Claudius palliolatus spectavit præter morem, propter valetudinem. Suet. c. x. n. 5. *Ob hanc eandem valetudinem gladiatorio munere, quod simul cum fratre memoriæ patris edebat, palliolatus novo more præsedit.* Commodus totum aliquando populum penulatum spectare jussit, & id quoque præter receptam consuetudinem. Lamprid. c. 16. *Contra consuetudinem penulatos jussit spectatores, non togatos ad munus convenire, quod funeribus solebant.* Fallitur ergo vir magnus, qui in funebri munere penulam censet fuisse, in alio togam. Imo planè contra, alia munera spectabant in penula. Suet. Claud. c. 6. n. 5. *Quin & spectaculis advenienti assurgere, & lacernas deponere solebant.* Et hæc candida: convenitque color, ibi niger, hic albus. Apertè restatur Mart. iv. 2. 1. xiv. 139. 2. laudatus supr. in *Lacerna*. Si tamen pluvias, aut nives metuerent, ne albæ lanæ inquinarentur, pullas penulas sumebant. Licet observare ex Horatii facto apud Mart. l. l. & de Tiberio narrat Dio lvii. p. 610. E. *Pluvia in panegyri quadam ingruente, penulam pullam superinduit.* Hisce oblectamentis dolorem suum leniebant. Senec. ad Albin. c. 16. *Ferox, & adversus omne remedium contumax dolor est. Volumus eum in terram obruere, & devorare gemitus, per*

ipsum

ipsum tamen compositum fictumque vultum lacrima profundun-tur. Ludis interim, aut gladiatoribus animum occupante. Meurs. l. l. Reliqua V. supr. in *Gladiator*.

Ludi gladiatorii ut ad exercitium corporis spectabant, sic periculo, vitæque discrimine non carebant. A Romanis recepti sunt partim ad exercendas corporis vires, at morumque; partim ad vulnerum contemptum, qui bella continua gerebant; partim denique quia divitiis, & omnis generis voluptatibus is populus lasciviebat, animorum ex hilarandorum gratia, ut rectè Cicer. pro Mur. c. 19. *Ludis oblectamur & ducimur*. Et ideo munera dicebantur. *Mod. de Lud. & Spect.* ii. 21. V. supr. in *Gladiator*.

Ludi gymnici. V. illos supr. in *Certamen gymnicum*.

Ludi honorarii dicebantur honoris, seu dicis causa sic dicti, non quod *ludi* verè ederentur. Suet. Aug. c. 32. o. 6. *Triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodavit*. Torrent. ad Suetonium. Ego interpretor, qui ad honorem edentium pertinerent. Triplex olim *ludorum* exhibendorum causa: deorum religio, mortuorum *iria*, & edentium honos. *Hoc genus editionis transisse ab honoribus mortuorum ad honores viventium, quæsturas, & magistratus, & flaminia, & sacerdotia*, testatur Tertull. de Spect. c. 12. Postea res ita in frequenti usu fuit, ut temporibus Augusti nemo aliquem locum honestiorem in Republica sortiretur, quin magnam patrimonii partem in editione spectaculorum impenderet, aut impendiflet. *Casaub. in Suetonium. Guther. de Vet. jur. Pontif.* iii. 19. Possent etiam à majore parte sic dici quasi prætorii. Plurimi magistratus Augusti temporibus erant prætores. Constat sedecim ab eo aliquando fuisse creatos. Ita jus honorarium *κατ᾽ ἐξοχὴν* appellatur jus prætorium: nam alioquin propriè loquendo etiam jus ædilitium, & aliorum magistratuum, qui honores obtinebant, jura honoraria dici potuerunt. Sic ipsos prætores honoratum magistratum dixerit Ovid. Fast. i. 52.

Verbaque honoratus libera prætor habet.

Casaub. & Torrent. l. l. Gyrald. de Poet. dial. vi. p. 336. A. Edit. Lugdun. Revera fuerunt acti, quicquid dicat Torrentius. Si enim acti non fuissent, Principis interdicto non fuisset opus. Qui erravit ex sola fastorum ignoratione. Nec errorem emendes nisi ex solis fastis. Ex his ego altero dictos esse, quia jam fastis notati sunt *ludi*, sine allius dei, deæve, hominisve, in cujus honorem fierent, notatione, quales in fastis mense Aprilis, Julio, Septembri, Octobri, Novembri multos videmus. *Siccam. in Fast. Kalend. Rom.* c. 1.

Ludi instaurativi dicebantur denuò facti. Levissima de causa toti instaurabantur. Nec uno item, aut altero die, sed de integro iterum, atque iterum fiebant. Et in eo summa erat pontificum auctoritas. Ad illos enim epulones Jovis afferebant, si quid prætermissum esset, vel commissum, quorum de sententia *ludi* renovati, atque instaurati celebrantur. Cicer. Divin. 1. 26. *Itaque ludis intermissis instaurativi constituti sunt*. Ea enim cura ludorum publicorum celebrationi adhibenda erat, ut ritè omnia, atque ordine fierent, ut ne vel in minimis quidem peccaretur, Cicer. de Arusp. resp. c. 11. *Quare si ludius constitisset, aut puer ille patrimus, & matrimus terram non tenuisset, aut si ædilis verbo, aut si nutu* (*simpulo* legunt Lambin. in Ciceronem, & Gruter. Sulpic. vii. 19.) *aberrasset: Ludi Romani iter, plebeji sæpius instaurati*. Guther. de vet. jur. Pontif. iii. 22.

Ludi Isthmici. V. illos supr. in *Isthmia*.

Ludi juvenales. V. illos supr. in *Juvenalia*.

Ludi Latini. V. illos supr. in *Feria Latina*.

Ludi lustrales Marti à Romanis fuerunt instituti, peculiari nomine Rubigalia, in quibus tubæ, aquilæ, & alia arma lustrabantur, vii. Kalend. April. *Mod. de Lud. & Spect.* ii. 24.

Ludi magni, ut dicuntur Virgilio supr. in *Ludi circenses*, sive maximi, ut Ovid. Amor. iii. 2. 65.

Maxima jam vacuo prætor spectacula circo
Quadrijuges æquo carcere misit equos.

etiam Romani appellantur. Livius & Asconius mox laudandi. Magni sunt appellati, ut placet Serv. Æneid. viii. 636. *quantum ad paupertatem pristinam pertinet. Nam legimus propter equorum inopiam diversis eos tunc usos animalibus.* Postea aucta re Romana equi tantum admissi: ad pristinum ergo memoriæ factum muli ipsi, sicut equi certa die feriebantur. Dionys. 1. p. 26. *Romani instituerunt Consualia, per quod apud Romanos ex more immunes ab opere sunt equi & muli, & coronantur floribus.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. 1. 3. Aliter tamen Ascon. in Cicer. p. 57. *Romani ludi sub Regibus instituti sunt, magnique appellati, quod magnis impensis dati sunt: tunc enim primum ludis impensa sunt ducenta millia nummum. Alii ideo magnos ludos dictos putant, quod Conso, consiliorum secretorum deo, id est, Neptuno latium Regi, & rerum conditarum, & diis magnis, id est, Laribus urbis Romæ dati sunt: quibus ajunt raptas Sabinas esse: ut propter hoc videatur dicere Virgilius:*

—— magnis circensibus actis.

Nam & magni & circenses iidem sunt. Argol. l. l. Donat. de Urb. Rom. iii. 14. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 840. B. Gyrald. Synt. deor. v. p. 161. E. V. tamen Voss. infr. in *Ludi Megalenses*. Indicti sunt finitimis populis à Romulo anno xv. imperii ejus, ut placet Dionysio, qui & illos sua ætate etiam fieri solitos scribit. L. Tarquinius annuos fecit eos. Liv. i. 35. *Ludos opulentius, instructiusque quàm priores Reges fecit. Tum primum circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est. Equi, pugilesque ex Etruria maximè acciti, sollemnes deinde annui mansere ludi, Romani, magnique variè appellati.* Quod verumne sit dubito. Invenio enim factos fuisse prodigiorum ferè causa, & interdum religione injecta. Id quod tradit ipse Liv. xxii. 9. *Q. Fabius Maximus dictator iterum quo die magistratum iniit, vocato senatu, ab diis orsus, quum edocuisset patres, plus negligentia cærimoniarum, auspiciorumque, quàm temeritate, atque inscitia, peccatum à C. Flaminio cos. esse, quæque piacula iræ deum essent, ipsos deos consulendos esse; pervicit, ut, quod non ferme decernitur, nisi cum tetra prodigia nunciata sunt, decemviri libros Sibyllinos adire juberentur. Qui, inspectis fatalibus libris, retulerunt patribus, quod ejus belli causa votum Marti foret, id non ritè factum, de integro, atque amplius faciendum esse: & Jovi ludos magnos, & ædes Veneri Erycinæ, ac Menti vovendas esse.* Liv. xxvii. 23. *Ludi & Romani, & plebeji eo anno in singulos dies instaurati.* Ex his etiam paucis verbis mihi videtur facilè perspici posse, non fuisse utrosque annuos. Si enim erant annui, cur eo anno instauratos fuisse addidisset? *Person. de Grator. & Roman. magistrat.* iii. *Tom. Antiq. Græc. Gronov.* vi. p. 2805. F.

Ludi Martiales in circo Kalendis Augusti, quod ea die Martis ædes consecrata fuit, quotannis celebrabantur. Sub Claudio hanc ob causam celebratos dicit Dio lx. p. 667. E. *Quia enim Kalendis Augusti, quibus natus est* Claudius, *certamina equestria exhibentur, non autem ideo, sed quod eo die Martis ædes consecrata fuit, & propterea annuis certaminibus colitur.* Suet. Claud. c. 4. n. 1. *Collocutus sum cum Tiberio, ut mandasti, mea Livia, quid nepoti tuo Tiberio faciendum esset ludis Martialibus.* n. 6. *In præsentia tamen quibus de rebus consulis, curare eum ludis Martialibus triclinium sacerdotum non displicet nobis.* Torrent. in Suetonium. Possent etiam intelligi dies tres festi, de quibus Plutarch. in Numa p. 68. F. *Salii dicti sunt à tripudio, quod saltando obeunt per Urbem, quum sacras peltas mense Martio ferunt trabeati, baltheis latis æneis succincti, galeasque æneas in capite gerentes, ac minutis pugionibus arma pulsantes.* Ex Dionysius laudatus in *Salii*. Mod. de Lud. vet. ii. 24. Coler. in Alex. Gen. vi. 19. Pitisc. in Suetonium.

Ludi Megalenses fiebant in honorem Magnæ matris, Græcis Μεγαλήσια dicebantur, quia dea illa appellabatur μεγάλη θεὸς, ἡ μήτηρ. Unde Græca vox Romano flexu. Cicer. de Arusp. resp. c. 12. *Quid ego de illis ludis loquar, quos in palatio nostri majores ante templum, in ipso Magnæ matris conspectu, Megalensibus fieri, celebrarique voluerunt? Ita ludos eos, quorum religio tanta est, ut ex ultimis terris arcessi.*

ressita in hac urbe consederit: qui uni ludi ne verbo quidem appellantur Latino, ut vocabulo ipso & appetita religio externa, & Magnæ matris nomine suscepta declaretur. Liv. XXIX. 14. *Pertulere deam pridie Idus Apriles: isque dies festus fuit: populus frequens dona deæ in palatium tulit, lectisterniumque, & ludi fuere, Megalesia appellata.* At valdè fugit ratio, sive Donatum, sive Asperum, vel alium, cujus de comœdia & tragœdia quædam vitæ Terentii à Suetonio perscriptæ subjiciuntur. In iis legere est: *Megalenses magnis diis consecrati.* Quod longè aliter est. Nam magnis diis, quales tres illi, Jupiter, Minerva, & Juno, consecrati *ludi* Romani, sive magni: quod clarè dicit Cicer. Verr. V. 14. *Mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione Jovi, Junoni, Minervaque esse faciundos.* Atque hos instituit Tarquinius Priscus. V. Livium supr. in *Ludi magni.* At Megalenses demum inducti, ubi Magna mater Pessinunte advecta est Romam, quod contigit an. 549. M. Cornelio Cethego, & P. Cornelio Tuditano coss. Hunc antiqui Grammatici errorem secutus est Antonius Goveanus. *Voss. de Idolol.* II. 35. *Lex. Etymol. Kipping. Antiq. Roman.* II. 6. §. 12. *Beroal. Annot. c. 7. Carolo Antiq. Roman.* II. 5. Ciceronem modò laudatum laudat Goveanus, & ex eo colligit, à Megalensibus alia esse Megalesia: quod Cicero Megalesia Megalensibus celebrari solita dicat. Deinde tradit *ludos* Megalenses eosdem esse, qui circenses Romani magni nominantur. Non abutar pluribus argumentis. Tota enim res uno verbo confici potest. Nam si Megalenses committebantur pridie Idus Apriles, ut ex Livio jam laudato constat, Romani pridie Kal. Septemb. ut è priore actione in Verrem cognoscitur: quis est usque eo hebes, qui non videat, ut iidem sint Megalenses & Romani, nullo modo fieri posse? Vocem Megalensibus è Ciceronis loco & expungendam puto, & è glossemate aliquo in ordinem Ciceronis verborum irrepsisse suspicor. Sunt igitur eadem Megalesia cum Megalensibus. Cumque initio Megalensia dicerentur, detrita, ut sæpè fit, litera Megalesia nominata sunt. Itaque Festus, *Megalesia*, inquit, *ludos Matris magnæ appellabant.* Muret. in vitam Terentii p. m. 152. Thys. in Gell. II. 24. Juvenibus datum, ut æratum, atque ordinum omnium mores gestu, atque oratione effingerent. Ab umbraculis, in quibus hæc agerentur, scenicorum nomen communicatum. Ante deæ signum matronis spectatæ pudicitiæ psallere mos fuit. *Scalig. Poet.* I. 29. Illos instituit M. Junius Brutus. Liv. XXXVI. 36. *Per idem ferè tempus ædes Matris magnæ Idææ dedicata est: quam deam is P. Cornelius advectam ex Asia, P. Cornelio Scipione, cui post Africano fuit cognomen, P. Licinio coss. in palatium à mari detulerat. Locaverant ædem faciundam ex S. C. M. Livius, C. Claudius censores, M. Cornelio, T. Sempronio coss. tredecim annis postquam locata erat, dedicavit eam M. Junius Brutus: ludique ob ejus dedicationem facti, quos primos scenicos fuisse Valerius Antias est auctor, Megalesia appellatos.* Illis mutua inter se convivia patricii agitabant. Gell. II. 24. *In quo jubentur principes civitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, id est, mutua inter se convivia agitarent, jurare* . . . . Cujus *mutitare* circumlocutione quadam poetica videtur expressisse Ovid. Fast. IV. 353.

Cur vicibus factis ineant convivia quæro,
Tum magis, indictas concelebrentque dapes.
Quod bene mutarit sedem Berecynthia, dixit;
Captant mutatis sedibus omen idem.

Qui dicit hoc ideo factum, quod dea sedem suam bene mutarit Romæ in augustius domicilium. Et hæ sunt illæ sodalitates, de quibus M. Cato apud Cicer. de Senect. c. 45. *Primum semper habui, sodales. Sodalitates autem me quæstore constitutæ sunt sacris Idæis magnæ matris acceptis: epulabar igitur cum sodalibus omnino modicè.* Beroal. & Thys. l. l. Livii librarii in exprimendo Megalensium die sunt lapsi: qui scripsere *pridie Idus Apriles*, notarum antiqua cæsura decepti, cum forsan legeretur, *pridie Non. Apriles.* Sic enim is dies in Fastis publicis est annotatus, sicut testantur antiquæ Fastorum sacrorum tabulæ, quas ipse quondam Romæ apud Bernardinum Maphæum Cardinalem extantes exscripsi. Quibus adstipulatur Ovid. Fast. IV. 179. post tertium Aprilis mensis diem Berecynthiæ matris magnæ festa incipere canens:

Ter sine perpetuo cœlum versetur in axe,
Ter jungat Titan, terque resolvat equos.
Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ festa parentis erunt.

Pigh. Annal. Rom. II. p. 216. Masson. Ovid. vit. p. 67. Thys. l. l. De illis etiam *VVitell. Annotat. in Merul. c.* 21. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* II. 18. *Gyrald. Sync. deor.* XVII. *p.* 493. *C.*

Ludi miscelli, de quibus Suet. in Calig. in *Ludus* laudatus, possunt intelligi athletici, tanquam dicti à Miscello Crotonis conditore, in qua civitate athletæ plurimi floruerunt, quorum celeberrimus extitit ille Milo, de quo Ovid. Met. XV. 229.

——fletque Milo senior, cum spectat inanes
Illos, qui fuerant solidarum more ferarum
Herculeis similes, fluidos pendere lacertos.

Mod. de Lud. & Spect. II. 22. Beroald. in Suetonium. Vocantur potius, quia ad nullum certum genus ludorum scenicorum, sive argumentum, sive scenæ instrumenta, & apparatum spectes, referri possunt. Sic columbarum *genus miscellum* vocat Varr. de Re rust. III. 7. quæ neque domesticæ, neque agrestes sunt: *uvas miscellas* Varr. de Re rust. I. 54. quæ *in quemvis agrum conveniunt*, ut illas interpretatur Cato de Re rust. c. 6. *æs miscellum* Sicul. Flacc. de Condit. agror. p. 23. tabulas miscellas æneas, quæ varia, & mixta numina continebant: puta eorum, qui primum deducti fuerant, & eorum, qui postea in locum defunctorum successerant. Sic gladiatores, cum in turba mixtim sese mutuis ictibus conficere jussi erant, ad miscellanea venire dicebantur. *Torrent. Beroal. Donat. & Pitisc. in Suetonium. Mod. l. l. Guther. de vet. jur. Pont.* III. 19. *August. de Legib. in Julia de fund. dot. Tomas. de Donar. c.* 4. Ad illum morem alludens de perditissimo nepote, & conturbatore quodam dixit Juven. Sat. XI. 20.

—— Sic veniunt ad miscellanea ludi.

id est, sic fiunt ex senatoribus mimi, sive ludii. Unde transcurria vocat ludos, ad quos ex senatu transibant: id est, quando ex senatoribus fiebant scurræ, sive ludii, aut histriones. *Scalig. de Emend. temp.* V. *p.* 479. V. & *Turneb. Adv.* XXII. 23.

Ludi musici. V. illos supr. in *Agon musicus.*

Ludi natalitii in magnorum virorum natalibus: veluti VIII. Id. Februar. Alexandri Magni natalitii edebantur, IV. Id. Jul. Cæsaris dictatoris, Non. Kalend. Januar. Titi Cæsaris: sic IV. Kal. Decembr. Nervæ, VI. Kal. Novemb. Hadriani, Kal. April. Antonini, III. Id. April. Veri Cæsaris, XVIII. Kal. Decembr. Septimiani, XIII. Kal. Januar. Gordiani, IV. Kal. Februar. Constantini Magni, & Junioris VII. Id. Augusti celebrabantur. De his accipienda sunt auctorum loca. Capitol. in Pio c. 5. *Circenses natali suo dicatos non respuit.* Spartian. in Adrian. c. 7. *Gladiatorium munus per sex dies continuos exhibuit, & mille feras natali suo edidit. Ludos circenses, præter natalitios, decretos sibi respuit.* Mod. de Lud. & Spect. II. 22. Tomas. de Donar. c. 4.

Ludi Nemei. V. illos infr. in *Nemea.*

Ludi novendiales *dicebantur, qui in honorem mortuorum celebrabantur.* Serv. Æneid. V. 64. & nono die ad sepulcrum dabantur. Hi pluribus diebus post humationem celebrati sunt. Nisi quis credere malit novendialem pro funebri accipi, cum *ludi* post nonum diem fieri solerent. Hos populea arbore coronati, & pullati, Servio teste, spectabant. *Guther. de Jur. man.* II. 9. *Meurs. de Funer. c.* 33.

Ludi Olympici. V. illos infr. in *Olympia.*

Ludi Palatini dicebantur, quos constituto imperio, & occiso Cæsare dictatore, in ejus honorem, & memoriam in parvo rotundo templo, quod fuit in Palatio, Augustus

stus instituit, qui vi. Kal. Januar. per octo dies agebantur. Horum meminit Joseph. Ant. Jud. xix. 1. ubi interitum Caligulæ recenset, tradens scilicet, Chæream tribunum ludorum novissimo die exhortatum conscios conjurationis, rem tandem peregisse: qui cum omne tempus opportunissimum judicaret huic negotio, cogitaverat Caligulam stantem primo in culmine Capitolii impellere, ac præcipitem dare, quum se à nullo videri putaret. Sed conscius visum est, ut in celebratione spectaculi res peragerettur: id quod etiam factum, & sub meridiem, dum ludis Palatinis frueretur, occupatus à conjuratis, & interfectus est. Suet. Cal. c. 56. n. 4. *Cum placuisset Palatinis ludis spectaculo egressum meridie aggredi*. Turneb. Adv. t. 16. Mod. de Lud. & Spectac. ii. 22. Jun. Fastor. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. viii. p. 230. E. Lips. in Tacit. Annal. 1. §. 244. Pitisc. in Suetonium.

Ludi piscatorii *vocantur, qui quotannis mense Junio trans Tiberim solent fieri à prætore urbano pro piscatoribus Tiberinis, quorum quæstus non in macellum pervenit, sed fere in aream Volcani, quod id genus pisciculorum vivorum datur ei deo pro animis humanis*. Festus. *Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 12. Tomas. de Donar. c. 33. Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 19. Nardin. Rom. Vet.* vii. 11. *Nonn. de Re cibar.* iii. 3. *Laurent. de Prand. c. 10. Polym. iv. Synops. 8. Ravard. Conject. 1. 6. Volaterr. Comment. Urban.* xxix. *p.* 1094. *B. Tiraquell. in Alex. Gen.* vi. 19.

Ludi plebeji *dicti sunt, quos exactis Regibus pro libertate plebis fecerunt, aut pro reconciliatione plebis post secessionem in Aventino*. Ascon. in Cicer. p. 57. Hos ædiles plebis edebant. Liv. xxviii. 10. *Ludi plebeji semel toti instaurati ab ædilibus plebis M. Pomponio Mathone, & Q. Manlio Thurino*. xxxix. 7. *Plebeji ludi ab ædilibus C. Sempronio Blæso, & M. Furio Lusco diem unum instaurati sunt*. Edebantur in circo à d. xvii. Kal. Decemb. qui erat xv. Novemb. per triduum, ut testantur veteres Fasti, hac observatione, ut quoties ab ædilibus instaurarentur, *ludorum* causa epulum daretur. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 840. *F. Scalig. Poet.* 1. 37. *Beroal. Annot. c.* 7. *Perion. de Græcor. & Roman. magistrat.* iii. *Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* vi. *p.* 1806. *D. Camerar. de Comic. vers. Thes. Gronov. Tom.* viii. *p.* 1581. *D. Mod. de Lud. & spectac.* ii. 26. *Volaterr. Comment. Urban.* xxix. *p.* 1094. *B. Rosin. Antiq. Rom.* v. 20. *Schill Nomencl. Philol. p.* 691.

Ludi pontificales dicebantur, quos in muneris honorem edebant pontifices. Suet. Aug. c. 44. n. 8. *Ut pontificalibus ludis pugilum par postulatum distulerat in sequentis diei matutinum tempus*. Guther. de vet. jur. pontif. iii. 20. Buleng. de Circ. c. 42. Mod. de lud. & spectac. ii. 27. Casaub. in Suetonium. Sed non est certum, eos ab Augusto ut pontifice maximo celebratos. Et fatetur ipse Gutherius primum Augustum eos exhibuisse. Quare potius ut magistratum, in honorem pontificatus, edidisse eum hos ludos dixerim. Sicuti Sex. Ligarius Ses. F. legitur in veteri inscriptione *ob honorem perpetui pontificatus ludos circenses dedisse*. Nemini enim, qui magistratus non esset, ludos facere, nisi funeris causa, licebat. *Bosius de pontif. max. vet. Roman. c.* 5. §. 6. *Struv. Antiq. Roman. c.* 12. *p.* 574.

Ludi Pyrrhici. V. illos infr. in *Pyrricha*.

Ludi Pythici. V. illos infr. in *Pythia*.

Ludi quæstorii dicebantur, quos in muneris honorem edebant quæstores. Tacit. Annal. ii. 22. 2. *Iisdem coss. P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui quæsturam adipiscerentur*. Tertull. de Spectac. c. 12. *Transiit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores viventium, quæsturas dico, & magistratus, & flaminia, & sacerdotia*. Suet. Claud. c. 24. n. 5. *Collegio quæstorum pro stratura viarum gladiatorium munus injunxit*. Domit. c. 4. n. 3. *Quæstoriis muneribus quæ olim omissa revocaverat, ita semper interfuit*... Lips. Sat. 1. 9. & in Tacitum. Mod. de Lud. & Spectac. ii. 27.

Ludi quinquennales. V. illos infr. in *Quinquennalia*.

Ludi Romani à Tarquinio Prisco quinto Romanorum Rege sunt instituti. Livius. V. illum supr. in *Ludi magni*. Edebantur in honorem Jovis, Junonis, & Minervæ. Cicero. V. illum supr. in *Ludi Megalenses*. Ab ædilibus curulibus. Liv. xxvii. 23. *Ludi, & Romani, & plebeji eo anno in singulos dies instaurati. Ædiles curules fuere L. Cornelius Caudinus & Servius Sulpicius Galba: plebeji C. Servilius & Q. Cæcilius Metellus*. c. 10. *Ludi Romani ter toti instaurati ab ædilibus curulibus Cn. Servilio Cæpione, Serv. Cornelio Lentulo*. Primùm fuerunt circenses, quod manifestum est ex Livio in *Ludi magni* laudato: deinde fuerunt etiam scenici. Liv. xxxi. 4. *Ludi Romani scenici eo anno magnificè, apparatèque facti ab ædilibus curulibus L. Valerio Flacco, & T. Quintio Flaminio*. Primùm uno die, postea biduo, & item triduo peragebantur, sed plures tandem ii sunt tributi. Fasti veteres novem continuos dies à pridie Non. Septembr. usque ad pridie Idus celebratos eos fuisse docent: post quos, biduo interjecto, alios in circo per quinque dies habitos iidem testantur. *Mod. de Lud. & Spectac.* ii. 26. *Blond. Triumph. Rom.* ii. *p.* 48. *G. Rosin. Antiq. Roman.* v. 19.

Ludi sacerdotales dicebantur, quos in provinciis populo dare cogebantur sacerdotes. Horum exhibitio patrimonii *munus fuit*. l. 8. C. de mun. patrim. Imperator Alexander, l. 1. C. de peric. success. parent. *Si de proprio suo patrimonio muneris editionem tuo nomine pater tuus repromisit, ideoque etiam sacerdotem te creari impetravit: onus erogationis commune omnium heredum ejus esse præses provinciæ non ignorabit*. Quapropter *numero quinque liberorum subnixos in Asia sacerdotium suscipere non cogi* Imperator Severus constituit, l. 8. Dig. de vacat. & excus. mun. ne, ut credo, immodicis *ludorum* sumptibus illi vexarentur. *Guther. de vet. jur. pontif.* iii. 20. *Mod. de Lud. & spectac.* ii. 27. *Schill Nomencl. Philol. p.* 994.

Ludi scenici. Primis temporibus scena parietem non habebat, sed è frondibus, qui *ludos* dabant, umbracula quærebant. Postea verò, & numero, & divitiis aucta Romana Republica, tabulata componi cœpta sunt, parietibus clausa, hoc est, theatra, & amphitheatra, in quibus pegmata erant, & tabernacula scenopegia dicta, unde personæ prodibant. Frons quoque theatri, ubi scena erat, pluribus contignationibus erat constructa: in quibus histriones recitabant, mimi, mirmillones, & cæteri ludii varios *ludos*, ac gesticulationes edebant. Quare scenam definiens Placidus Grammaticus, scribit cameram esse hinc inde compositam, quæ in umbræ locum in theatro erat, in quo ludi actitabantur. *Mod. de Lud. & Spectac.* ii. 29. *Perion. de Græc. & Rom. Magistrat.* iii. *Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* vi. *p.* 2086. *D. Schill Nomencl. Philol. p.* 689. Illorum originem describit Liv. vii. 2. *Et quum vis morbi, nec humanis consiliis, nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scenici, nova res bellicoso populo, nam circi modo spectaculum fuerat, inter alia cœlestis iræ placamina instituti dicuntur. Cæterum parva quoque, ut ferme principia omnia, & ea ipsa res peregrina fuit*. V. quæ apud Livium sequuntur, laudata supr. in *Histrio*. Pigh. Annal. Roman. ii. p. 71. Rhodig. Antiq. Lect. viii. 7. Mod. & Perion. l. l. Rosin. Ant. Roman. v. 6. Propriè edebantur in theatris, tamen constat interdum & per regiones Urbis, atque vicatim celebratos. Suet. Jul. c. 39. n. 1. *Edidit spectacula varii generis, munus gladiatorium, ludos etiam regionatim Urbe tota, & quidem per omnium linguarum histriones, non in foro modo, nec amphitheatro, sed in circo, & septis*. In illis non solum comœdiæ, tragœdiæ, & satyræ edebantur, verùm etiam inter se poetæ carmine scripto, & coram recitato, sub judicibus certabant. Plin. vii. 24. 6. *Proximis sacerdotalibus ludis in commissione pantomimorum productis*. Alludit Suet. Cal. c. 20. n. 2. *Edidit & certamen quoque Græcæ, Latinæque facundiæ. Quo certamine ferunt victoribus præmia contulisse, eorundem & laudes componere coactos*. Mod. l. l. Illorum origo est à rusticis. V. infr. in *Rustici*.

Ludi seculares nuncupati sunt, non quia fierent anno vel centesimo, vel etiam centesimo & decimo. Quod utrumque sicut assertores habet, ita re ipsa penitus coarguitur

guitur

guitur. Sed ob id credi magis potest, quod plerumque semel hominis aetate fierent: ut multa alia, quae rara sunt, post seculum evenire loquentium consuetudo usurpat. Ovid. Trist. II. 2. 25.

Jusserat & Phoebo dici, quo tempore ludos
Fecit, quos aetas adspicit una semel.

Politian. Misc. c. 58. Paovin. de Lud. secul. Thes. Antiq. Roman. Graev. Tom. IX. p. 1074. A. Nonn. in August. Caesar. Nomism. p. 87. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 18. Blond. Triumph. Rom. II. p. 48. G. Illorum originem pluribus describit Val. Max. II. 4. 5. *Non absurdum videtur secularibus initium suum, cujus generis minus certa notitia est, reddere. Cum ingenti pestilentia Urbs, agrique vastarentur, Valesius, vir locuples, rustica vita, duobus filiis, & filia ad desperationem usque medicorum laborantibus, aquam calidam iis à foco petens, genibus nixus, Lares familiares, ut puerorum periculum in ipsius caput transferrent, oravit. Orta deinde vox est, habiturum eos salvos, si continuo flumine Tiberis devectos Terentum deportasset, ibique ex Ditis patris, & Proserpinae ara petita calida, recreasset. Eo praedicto magnopere confusus, quod & longa, & periculosa navigatio imperabatur: spe tamen dubia praesentem metum vincente, pueros ad ripam Tiberis protinus detulit: habitabat enim in villa sua propter vicum Sabinae regionis Eretum, ac lintre Ostiam petens, nocte concubia ad Martium campum appulit. Sedemibusque aegris succurrere cupiens, igne in navigio non suppetente, ex gubernatore cognoscit, haud procul apparere fumum. Et ab eo jussus egredi Terentum, ad eo loco nomen est, cupidè arrepto calice, aquam flumine haustam, eo unde fumus erat obortus, jam lotior pertulit, divinitus datae remedii quasi vestigia quadam in propinquo nactum se existimans: inque solo magis fumante, quàm ullas ignis habente reliquias, dum tenacius omen apprehendit, contractis levibus, &, qua fors obtulerat, nutrimentis, pertinaci spiritu flammam emovit, calefactamque aquam pueris bibendam dedit. Qua pota, salutari quiete sopiti, diutina vi morbi repente sunt liberati; patrique indicaverunt, vidisse se in somnis, quos nescio deorum, spongia corpora sua pertergere, & praecipere, ut ad Ditis patris, & Proserpinae aram, à qua fuerat potio ipsis allata, furva hostiae immolarentur, lectisternia, ludique nocturni fierent. Is quod eo loci nullam aram viderat, desiderari credens, ut â se construeretur; aram empturus in Urbem perrexit, relictis qui fundamentorum constituendorum gratia terram ad solidum foderent. Hi domini imperium exsequentes, cum ad viginti pedum altitudinem humo egesta pervenissent, animadverterunt aram Diti patri, Proserpinaeque inscriptam. Hoc postquam Valesius, nuntiante servo, accepit, omisso ara emenda proposito, hostias nigras, quae antiquitus furvae dicebantur, Terenti immolavit, ludos, & lectisternia, continuis tribus noctibus, quia totidem filii periculo liberati erant, fecit. Cujus exemplum Valerius Poplicola, qui primus consul fuit, studio succurrendi civibus secutus apud eandem aram publicè nuncupatis votis, caesisque atris bubus, Diti maribus, feminis Proserpinae, lectisterniisque, ac ludis trinoctiis, aram terra, ut ante fuerat, obruit.* Eandem refert Zosim. II. 1. atque diversas nonnullas in Valesii historia referenda addit circumstantias, quas ex auctoribus, qui jam non exstant, discere debuit, si ea pro suo arbitratu, quod haud existimo, non confinxit. *Tassin. de ann. secular. c. 3. §. 1. Panvin. ibid. p. 1067. D. Hospin. de Fest. Ethnic. p. 153. Mod. de Lud. & spectac. 11. 30. Politian. & Kipping. l. l. Laz. Comm. Reip. Rom. x. 6. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1093. G.* Primos hos itaque fuisse vult Valerius Antias apud Censor. de die Nat. c. 17. *Primos ludos seculares exactis Regibus post Romam conditam annis 245. Valerius Poplicola instituit*, M. autem Varro de Scenic. origin. I. ad hunc modum eorum originem fuisse tradit apud Censorinum: *Cum multa portenta fierent, & murus, ac turris, quae sunt inter portam Collinam & Esquilinam, de caelo essent tacta, & ideo libros Sibyllinos decemviri adissent; renuntiarunt, uti Ditis patri, & Proserpinae ludi Terentini in campo Martio fierent, & hostia furva immolarentur; utique ludi centesimo quoque anno fierent.* Sed haec potius de aliqua eorum instauratione, quàm de origine, dicta fuisse existimo. *Panvin. ibid. p. 1071. B.* Imo haec potius Valerio Poplicolae occasio etiam esse potuerunt, ut *ludos* illos institueret, praeter causam à Valerio Maximo, & Zosimo relatam. *Tassin. ibid. §. 2.* Multis verò post annis post Reges exactos, Poplicolaeque mortem factos fuisse prodidere quindecimvirorum commentarii. Censorin. l. l. *At quindecimvirorum commentariis annis 298. M. Valerio, Sp. Verginio coss.* Et horum auctoritas me movet, tum quod penes eorum collegium omnis publicorum, privatorumque sacrorum cura, praecipuèque horum *ludorum* restaurandorum ratio fuere, ut auctor Tacit. Annal. XI. 11. 3. tum quod eorum ordinem secutum fuisse animadverti M. Verrium Flaccum Fastorum Capitolinorum auctorem. *Panvin. ibid. p. 1071. E.* De illorum ritu haec fermè tradit Zosim. ibid. c. 5. Instante ludorum tempore per totam Italiam praecones mittebantur convocatum omnes ad eos ludos, quos nemo adhuc spectasset, nec amplius spectaturus esset. Tum paucis, antequam spectacula ederentur, diebus Imperator ipse, sive Consules & decemviri sacris faciundis in Capitolio, & Palatio, ante Apollinis Palatini, & Jovis Capitolini templa, pro suggestu considentes, populo piamina, seu februa distribuebant, hoc est, quae ad flagitiorum expiationes pertinerent. Haec erant taedae, sulphur, & bitumen. Ea verò liberi tantum capiebant. Servi enim his sollennibus sacris omnino exclusi erant. Adhaec coibat populus praeterea in Dianae templum, quod in Aventino colle erat conditum: ubi cuique libero hordeum, triticum, fabasque dari mos erat Parcis offerendas. His distributis ad formam Cereris initiorum sanctissimè, casteque pervigilia fiebant. Ubi verò festus dies primus advenisset, quem toto triduo, trinoctioque in campo Martio sacris ipsis intenti, haud longè ab ipsa Tiberis ripa, scilicet prope Terentum celebrabant, sacrificia Jovi, Junoni, Neptuno, Minervae, Veneri, Apollini, Mercurio, Cereri, Vulcano, Marti, Dianae, Vestae, Herculi, Latonae, fontium deis, adhaec Parcis, Diti patri, & Proserpinae faciebant. Primae noctis *ludorum* hora secunda consules ipsi temporibus quidem Reipublicae, sive post Imperator unà cum Quindecimviris sacris faciundis, tribus aris ad amnis ripam exstructis, totidem agnos immolabant, arisque ipsis sanguine perfusis, quae superetant, victimarum corpora concremabant. Porro constructa juxta Terentum ad amnis ripas in theatri morem scena, extemporanea lumina, lychnuchi, & ignes accendebantur, hymnique concione ad hunc maximè usum compositi cantabantur, spectacula quoque quaedam edi sollenniter solita agebantur, terraque evulsa super aram Ditis patris & Proserpinae, quae antiquitus à Poplicola, & ante illom à Volu- so Valesio reperta fuerat, hostias furvas Diti patri, & Proserpinae immolabant. Mane ejusdem primi diei in Capitolium adscendentes, posteaquam Jovi Opt. Max. facta sollennia de more, riteque perfecissent, ad praeparatum theatrum, ut *ludos* in Apollinis, Dianaeque honorem faciundos celebrarent, conveniebant. Postero die nobiles matronas ea hora, quae ab oraculo praecipiebatur, in Capitolium convenire, ibique deo supplicare, frequentare lectisternia, ex ritu hymnos canere, Junonis quoque aram adire consuetum erat. Postea Imperator ipse, & quindecimviri sacris faciundis vota ante suscepta solvebant. Jovi etenim, Apollini, Neptuno, Herculi tauros albos: Junoni, Minervae, Dianae juvencas concolores: Parcis agnas, caprasque atras; Diti verò patri, Proserpinaeque hostias furvas, suem scilicet, & scrofam nigram sacrificabant; caeteris quoque diis sua sacra, ut unicuique mos erat, reddebantur. Tertio die in templo Apollinis Palatini ter novem poeri praetextati, totidemque virgines patrimi omnes, matrimique Graeca, Romanaque voce carmina, & paeanas concinebant, quibus imperium, senatum, populumque Romanum diis immortalibus commendabant. Singulis autem *ludis* hymnos novos praesenti tempore congruos editos pueri, puellaeque cantabant, qualis est ille, qui ab Horatio editus, *ludis* Caesaris Augusti cantatus est. Hoc verò *ludorum* secularium triduo *ludi* celebrabantur, omnibus circis & theatris, omnium generum; & sacrificia templis omni-

omnibus fiebant, noctu pariter, atque interdiu. Venationes quoque, ubi diversorum generum feræ conficiebantur, populo exhibebantur. Capitol. Gord. III. c. 33. *Fuerunt sub Gordiano Romæ elephanti duo & triginta, quorum ipse duodecim miserat, Alexander decem, alces decem, tigres decem, leones mansueti sexaginta, leopardi mansueti triginta, belbi, id est, hyanæ decem, gladiatorum fiscalium paria mille: hippopotamus & rhinoceros unus: archoleontes decem, camelopardali decem, onagri viginti, equi feri quadraginta, & cætera hujusmodi animalia innumera, & diversa: quæ omnia Philippus ludis secularibus, vel dedit, vel occidit*. Panvin. ibid. p. 1086. A. Hospin. ibid. p. 155. Polman. Mod. Laz. l. l. Scalig. Poet. I. 38. Taffin. ibid. c. 7. & 9. Primitiæ hæ frugum, tritici, hordei, fabarum non dabantur, ut à populo Parcis offerrentur, quod modò dixit Panvinius. Nam quamvis in textu Zosimi ita legat: *Conbat populus in ea, quæ supra dixi, loca, tum præterea in Dianæ templum, quod est in Aventino, & cuique triticum, & fabas dari mos erat, quæ Parcis offerrent*. Nihil tamen, quoad hæc de Parcis, est in versione Leunclavii, nec etiam in Græco Zosimo: quod enim de Parcis habet, refertur ad pervigilia. Imo Zosimus aliam causam affert, cur populo illa darentur, ut ipse populus daret iis, qui in spectaculis exhibitis egissent. Ita enim ille: *Hæc qui peragunt, pro mercede primitias fructuum, tritici, hordei, fabarum accipiunt: nam illa, ceu dictum est, populo distribuuntur*. Fuit enim receptum apud veteres, ut merces daretur iis, qui in scena aliquid repræsentarant: unde antiquis tragœdis hircum in tragœdiæ præmium datum significat Horat. de Art. poet. n. 220.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

Idem habet Theocr. Idyll. I. 4. Et hunc morem prodit Virg. Georg. II. 379.

Non aliam ob causam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proscenia ludi,
Præmiaque ingentes pagos, & compita circum
Thesidæ posuere.

Taffin. l. l. Illis à deis immortalibus petebant plura sibi bona conferri, quæ crederent ad florem, & bonum Reipublicæ plurimum prodesse. Inprimis, ut matres partus suos in lucem feliciter emitterent. Horat. carm. secul. n. 13.

Rite maturos aperire partus,
Lenis Ilithyia tuere matres.

Deinde, ut suboles multa produceretur, ac leges nuptiales essent efficaces. Horat. ibid. n. 17.

Diva, producas sobolem, patrumque
Prosperes decreta super jugandis
Feminis, prolisque novæ feraci
Lege marita.

Denique rogabant ab Apolline, ut probos mores juventuti daret, quietem senectuti, populo universo divitias, filios, honores cujusvis generis, quæ complexus est Horat. ibid. n. 45.

Di probos mores docili juventæ,
Di senectuti placidæ quietem,
Romulæ genti date remque, prolemque,
Et decus omne.

Deinde mala à se depelli poscebant, quæ homines maximè affligunt, & Rempublicam vastant. Prodetant hi ludi, ut Zosimus scribit, *ad pestes, lues, ac morbos sanandos*. Horat. Od. I. 21. 13.

Hic bellum lacrymosum, hic miseram famem,
Pestemque à populo, & principe Cæsare in
Persas, atque Britannos
Vestra motus aget prece.

Præterea petebant, famem, vel grassantem depelli, vel imminentem arceri: ut etiam belli imminentis periculum dissipari, aut fulciratum solpiti, quæ modò indicavit Horatius. Denique si bella permanerent, petebant, ut sui Imperatores, & duces exercitus de hostibus victores evaderent. Horat. carm. secul. n. 49.

Quique vos bobus veneratur albis,
Clarus Anchisæ, Venerisque sanguis,
Imperet bellante prior, jacentem
Lenis in hostem.

Taffin. ibid. c. 4. §. 4. 5. Noctu, & ad lumen etiam exercebantur. Suet. Cal. c. 18. n. 3. *Quondam & nocturnos ludos præbuit accensis facibus*. Tacit. Annal. XIV. 15. 5. *His dies ac noctes plausibus personare*. XIV. 20. 8. *Noctes quoque dedecori adjectas*. Lipf. in Tacit. n. 42. Edebantur sub tempus messis. Claudian. de Honor. Consul. VI. 388.

——jam flavescentia centum
Messibus æstivæ detondent Gargara falces,
Spectatosque iterum nulli celebrantia ludos,
Circumflexa rapit centenus secula consul.

Zosimus: *Ipso autem messis tempore perpaucis diebus, antequam ludi peragerentur*. Hæc tamen non ita strictè capienda sunt, ut negandum sit eos aliquot diebus ante messis initium ut minimum celebrari solitos, nempe XI. Kal. Maji. *Taffin. ibid. c. 8. 11. 12. Panvin. ibid. p.* 1083. *E.* Cæterum de temporum intervallis, quibus referrentur, fides in ambiguo est. V. infr. in *Seculum*. Illos curabant quindecimviri. V. infr. in *Quindecimviri*.

Ludi sigillares. Illis sigilla, id est, parva signa, sive simulacra, quæ ex ære partim, argentoque & auro, item fictili materia in hunc usum conflabantur, sibi invicem mittebant veteres. Spartian. Adrian. c. 17. *Saturnalia & sigillaria frequenter amicis inopinantibus misit, & ipse ab his libenter accepit, & alia invicem dedit*. Horum dies Saturnalibus adjecti eadem licentia peragebantur. Macrob. Sat. I. 10. *Saturnalia à sexto decimo cœpta in quartum decimum desinunt: quo solo fieri ante consueverant. Sed sigillariorum adjecta celebritas in septem dies discursum publicum, & lætitiam religionis extendit*. Mittebantur inprimis pueris. Spartian. Carac. c. 1. *Quæ à parentibus gratia sigillariorum acceperat, ea vel clientibus, vel magistris sponte donavit. Sed hæc puer.* Ut puero, & magistratibus adhuc gerendis inepto *quadraginta aureos in sigillaria* Claudio misit Augustus apud Suet. c. 5. n. 2. *Turneb. Adv.* II. 2: XXIII. 28. *Gatak. in M. Antonin.* c. 7. §. 3. *Mod. de Lud. & spectat.* II. 28. *Stuck. Ant. Conv.* I. 33. *Merul. de Sacrif. cap.* 20. §. 5. *Beroal. Torrent. & Pitisc. in Suetonium.*

Ludi Taurii *appellabantur in honorem deorum inferorum facti. Instituti videntur hac causa. Regnante Superbo Tarquinio cum magna incidisset pestilentia in mulieres gravidas, quæ fuerat facta ex carne divendita populo taurorum, ob hoc dis inferis instituti, & Taurii vocati sunt*. Paullus. Sed Festus: *Taurii ludi instituti dis inferis ex hac causa videntur. Tarquinio regnante cum magna incidisset pestilentia in mulieres gravidas, earum fœtus infecti sunt ex putore carnis taurorum immolatorum. Ob id Taurii ludi & appellati sunt, & fiunt in circo Flaminio, ne intra muros evocentur dii inferi. Sed Taurios ludos Varro ait vocari, quod eis ludis discipulus pendens à doctore in crudo corio tauri solutus sit impelli, atque usque eo cogi docere, quoad consisteret, & virtute eorum constaret firmitas*. Guther. de vet. jur. pont. III. 18. Scalig. in Festum, & Poet. I. 33. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1094. A. Caroli Antiq. Roman. II. 5. Rosin. Ant. Rom. V. 21. Donat. de Vet. Roman. I. 11. Voss. Lex. Etymol. Distinguebantur à secularibus in hoc maximè, quod in circo Flaminio fierent, seculares verò in campo Martio, & in omnibus theatris, & spectaculorum locis. *Taffin. de Lud. secul.* II. 3. §. 3. *Rosin. l. l.*

Ludi Terentini sunt dicti seculares, eo quod in cãpo Martio celebrarentur, in ea ejus parte, quæ Terentus dicebatur. Val. Max. II. 4. 5. V. illum supr. in *Ludi seculares*. Panvin. in Lud. secul. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IX. p. 1073. E. Taffin. de Lud. secul. I. 8. §. 1. Laz. Comm. Reip. Rom. X. 6. Mod. de Lud. vet. II. 30.

Ludi testacei à monte testaceo appellantur. Desiere fieri hi *ludi* Pii V. aut Gregorii XIII. Pontificis temporibus, tumultuosis quidem & ineptis taurorum venationibus ante ordinati. Hoc ludicrum unà cum monte graphicè pictum vidi domo in vinea Roncinorum Romæ

inter

inter Collinam portam, & viam Flaminiam. Sed nostro quidem ævo multo elegantiùs Florentiæ instaurantur, in ea siquidem urbe veteris adhuc circi vestigia supersunt: videri ea constans, & perpetua fama est, atque apparere descendentibus à ponte, cui Rubconte cognomen cessit, boream versus, ubi nunc Peruzzinorum ædes sunt. Perdurat adhuc ovalis formæ aspectus. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 19.

Ludi theatrales & scenici iidemne essent, inter hæc quærebamus. Ac sanè differunt: quod tametsi Græcorum imitatione, qui Athenis Dionysia celebrabant, in honorem Liberi patris, sicut & scenici, conditi sunt: alius tamen erat habitus, alia facies. Propterea privatis sumptibus fiebant in populi gratiam ab iis, qui illius favore magistratum adepti essent. In his fabulæ nullæ: sed lusus tantum heroum, ac nympharum habitus ad tibiæ modulos. Saltantes Mænadas, & Sillonea, Satyrosque ac Tityros effingebant, cum vanno, vino, ovo, & bellariis discurrentes more Lupercalium, ferulis obvium quemque incessentes. *Scalig. Poet.* I. 30. Ortum habuere à Liberalibus apud Athenienses. *Buleng. de Theat.* I. 37. *Marischott. de Person. c.* 2.

Ludi triumphales post insignes victorias celebrabantur, alii quidem epinicia peculiari vocabulo dicti: alii verò certo anni tempore in memoriam victoriarum jam olim latarum edebantur: quales Antoniani XIII. Kal. Sept. Trajaniani die sequenti celebrabantur: & Augustales XII. ejusdem mensis per dies quatuor fiebant. *Mod. de Lud. & Spectac.* II. 22. *Rosin. Ant. Rom.* V. 22.

Ludi Trojani. V. illos infr. in *Troja*.

Ludi votivi omnis generis fuerunt plurimi, qui vel publici, vel privati. Publici Sc̃to à magistratu majore vovebantur. Ut cum ob tumultum Gallicum Q. Servilius Ahala dictator creatus, *ex auctoritate patrum, si prosperè bellum evenisset, ludos magnos vovit*. Liv. VII. 11. Quandoque in ipso pugnæ discrimine Imperatores vovebant *ludos*, quos postea bello confecto senatus comprobabat. Quales fuerunt Postumii dictatoris. Dionys. VII. p. 475. *Ludos hos decrevit senatus Romanus ex voto A. Postumii dictatoris, quod is bello Latino fecerat*. Votivi pro reditu Imperatoris leguntur in antiquo lapide Romæ:

TI. CLAUDIUS. TI. F. NERO
PONTIFEX. COS. ITERUM
IMP. ITERUM
LUDOS. VOTIVOS. PRO REDITU
IMP. CÆS. DIVI. F. AUGUSTI
PONTIFICIS. MAXIMI
JOVI. OPT. MAXIMO. FECIT
EX. S. C.

Ad omnes primùm publicas, aut bellorum, aut pestilentiæ calamitates, domesticas clades, aut victorias, aut si Respublica in eodem statu permaneret, referebantur: qui postea pro itu, & reditu Principis, pro adventu, ex adulatione illi quidem, non ex antiquo ritu concepti. *Guther. de vet. jur. Pontif.* III. 19. *Brisson. de Form.* I. p. 101. *Caroli Antiq. Rom.* II. 5.

Ludus erat domus, in qua gladiatores se exercebant. Val. Max. II. 3. 2. *P. Rutilius ex ludo C. Aurelii Mauri doctoribus gladiatorum arcessitis, vitandi, atque inferendi ictus subtiliorem rationem ingeneravit*. Gell. XII. 3. *Accepimus ferum quondam in ludo Cæsaris gladiatorem, qui cum vulnera ejus à medicis exsecarentur, ridere solitus fuit*. Panciroll. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 330. B. Nardin. Rom. vet. III. 7. Primò gladiatores domi, & in reliqua familia, nec eruditi valdè ad pugnam fuerunt. Hoc dictat ratio, quæ vult prima omnia rudia magis, & impolita esse. Et hoc apud Suidam dicit Polybius: *Olim, & initio apud Romanos nudis viribus gladiatorum certamen constabat: nunc autem plures viæ, & modi reperti*. Etsi quidam splendidiores, etiam post institutos *ludos*, habuere domi eos, aut apud amicos. Suet. Cæs. c. 26. n. 8. *Tyrones neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos, ac etiam per senatores armorum peritos erudiebat*. Quod tamen perrarum, & vulgo ars pugnandi docta, exercitaque in ipsis ludis. Prudent. contr. Symm. I. 383.

Nam quid vesani sibi vult ars impia ludi?
Quid mortes juvenum? quid sanguine pasta voluptas?

Lusorium appellat Lamprid. Heliogab. c. 25. *Stravit sibi triclinium in summo lusorio. Et dum pranderet, noxios*, ita appellat gladiatores, *& venationes sibi exhibuit*. *Μονομάχων καταγώγιον* Græcè appellat Herod. I. 16. 8. & Suidas *μονομαχοτροφεῖον*, contentus, sine alio additamento, posuisse nudam vocem. In Urbe plures ejusmodi, nominibus suis noti, & discreti: quorum in P. Victore mentio, & passim in marmoribus priscæ urbis. Reperi istos: Gallicum, Dacium, Magnum, Mamertinum, Matutinum, & Æmilium. V. singulos suis locis. Fuerunt non solum Romæ, sed in coloniis, & municipiis. Capuæ inprimis. Cæs. de Bell. Civ. I. 14. *Capua primum sese confirmant, gladiatoresque, quos ibi Cæsar in ludo habebat, in forum productos Lentulus libertate confirmat*. Et Ravennæ. Strab. V. p. 148. *Saluber locus, ut illic gladiatores ali, atque exerceri Principes voluerint*. Ravennæ autem *ludum* exstruxit, aut certè voluit Cæsar. Suet. c. 31. n. 1. *Formam, qua gladiatorium ludum erat ædificaturus, consideravit*. De forma nihil dixerim, nisi multiplices in iis minutasque cellas fuisse, in queis seorsim singuli haberentur. Quintil. Declam. IX. *Morabor inter sacrilegos, incendiarios, &, qua gladiatoribus una laus est, homicidas inclusos turpiore custodia, & sordido cellarum situ*. Et: *An ille animus rediret in cellulam, ferret saginam, magistrum, personam denique sceleris?* Lips. Saturn. I. 14. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 15. Hansen. de vet. jurejur. c. 20. Thys. de Gladiat. p. 118. Illis non lanistæ solum præerant, sed etiam digniori nomine procuratores: nec ii de plebe, sed ex civium primis: fuitque velut inter dignitates, & infulas id munus. Lapis priscus: CURATOR. MUNERIS. PUBL. GLADIATOR. Tacit. Annal. XI. 35. 6. *Decius quoque Calpurnianus, & Sulpicius Rufus procurator ludi, eadem pœna adfecti*. Inscriptio alia vetus:

T. FLAVIO. T. F. GERMANO...
PONTIF. MINOR. PROC. XX. HER.
PROC. PATRIMONI. PROC. LUTI.

Lips. l. l. Medici etiam sui singulis his *ludis*: nec id novi seculi invento, sed diu ante Imperatores. Lapis:

SILVANO. SANCTO
C. AUSTURNIUS. MEDI
CUS. LUD. GALLICI
PORTIC. ET. EXEDR
ET. SIGN. ÆN
VOTO. SUSCEP.
L. M
DEDIC. KAL. MAI
L. MARCIO. ET
SEX. JULIO. COSS

In quo sculpti coss. incidunt annum Urbis 663. Adeo antiqua cura illa in valetudine gladiatorum. Alius lapis: EUTYCHUS. AUG. L. MEDICUS. LUDI. MATUTINI. Exemplum translatum è Græcia, apud quos medici athletis. Arrian. Diss. III. *Oportet te*, compellat athletam, *jam in ordinem redigi, ad præscriptum vesci, abstinere bellariis, frigidam non bibere, nec si quid fortuito incidat, aut offertur. Medico enimvero obtemperare valetudinis præsidi*. At quæres, cui bono medici mox morituris? Dicam. I. Medicos haud tam arctè acceperim, ut hodie; sed incluserim etiam chirurgos, usurpatione prisca. Iis autem opus certè gladiatoribus læsis, luxatisve. II. Ratio victus gladiatorum ea, ut salvi sine medico esse non possent. Largè enim edebant, bibebant, & dabantur velut in saginam. V. supr. in *Gladiator*. Lips. Panciroll. & Thys. l. l.

Ludus Æmilius in octava regione, quæ Forum Romanum dicitur, à Victore ponitur. Ejus meminit Horat. Art. Poet. nu. 32.

Æmilium circa ludum faber imus, & ungues
Exprimit, & molles imitabitur ære capillos.

Quid

Quid is fuerit, Acro ibi explicat: meliùs autem adhuc Porphyrius: *Æmilii Lepidi ludus gladiatorius fuit, quod nunc Polycleti balneum est: illic demonstrat ærarium fuisse fabrum; unum, id est, in angulo ludi tabernam habentem*. Ex Horatio colligi queat, omnem illum tractum nomen ab hoc *ludo* mutuatum. Nam cum Porphyrius illic postea balneum fuisse dicat, & Victor nihilominus Æmilium hic *ludum* commemoret, consequitur necessariò, omnem hunc tractum, sublato ipso *ludo*, nomen tamen *ludi Æmilii* retinuisse: nisi quis Victorem ante Porphyrium vixisse doceat. Ubi fuerit, nec Horatius exprimit, nec interpretes exponunt. Victor tantum in hac eum regione collocat: & hoc uno nos lumine contentos esse oportet. *Nardin. Roman. Vet.* v. 16. *Lips. Saturn.* I. 14. *Jun. de Pict.* III. 3.

Ludus Dacicus apud Rufum, & Victorem legitur in regione Urbis tertia, quæ Isis, & Moneta. Erat, in quo ex Dacia gladiatores exercebantur. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III. *pag.* 333. *D.*

Ludus Gallicus dicebatur, in quo Galli gladiatores exercebantur. A Rufo, & Victore collocatur in secunda regione Urbis, quæ Cœlimontium. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 330. *B. Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 4. §. 3.

Ludus literarius dicebatur *omnis schola, & magistri ludi literarii dicuntur, qui primas literas docent*. Ascon. in Cicer. p. 33. *Gyrald. Ænigm.* 20. Hunc frequentabant pueri cujusvis generis etiam illustrium virorum liberi, qui à pædagogis servis ducebantur in *ludum*, & reducebantur. Ælian. Var. Hist. III. 21. *Puer adhuc Themistocles quodam tempore è ludo literario redibat: ita tunc obvio Pisistrato pædagogus dixit Themistocli, de via decederet paululum tyranno accedente*. Sic apud Thucyd. VII. 29. dicuntur Thraces occupato Micalesso, occidisse etiam omnes pueros in schola *irruentes in ludum puerorum, qui maximus erat istic*. Hinc apud Terent. Phorm. I. 2. 36. de lenonis puella, *in quo hæc discebat ludo*, & illuc ab amatore *ducebatur & reducebatur*. Nam & puellæ in publicos ducebantur *ludos* à nutricibus suis, etiam apud Romanos. Sic enim Virginia, quam suæ libidini destinaverat decemvir Appius, dicitur à Liv. III. 44. *cum nutrice venisse in forum: ibi namque ibi in tabernis literarum ludi erant*. Dionys. x. p. 709. *Eam puellam jam nubilem Appius Claudius in ludo literario legentem conspicatus, erat autem tunc ludus literarius in foro*. Ejusmodi *ludos* etiam in castris habuerunt, unde memorat Suet. Cal. c. 45. n. 3. illic *obsides abductos è ludo literario*. Scilicet inter obsides sumebant etiam vel maximè pueros, ut ex historia Porsennæ satis constat, quos tamen liberaliter educabant, & ideo in castris quoque *ludo* dabant literario. Adolescentes verò suos mittebant sæpè in alias urbes, ut liberales perciperent disciplinas. Ita Romani suos ablegabant primum in Etruriam, postea ad Massilienses, denique in Græciam, potissimum Athenas, sed & Rhodum & Apolloniam. *Perizon. in Ælianum. Donat. de Urb. Roman.* II. 9. *Nardin. Rom. Vet.* v. 2.

Ludus magnus à Rufo & Victore locatur in tertia Urbis regione. Dictus est ad differentiam aliorum, quos magnitudine superabat. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom.* III. *p.* 333. *D.* Ubi ille fuerit, investigatu difficile est, cum tota fermè regio tertia incolis, ac ædificiis vacua sit. Manifesti verò erroris redarguenda Notitia est, in qua matutinus pro magnus legitur. *Nardin. Rom. Vet.* III. 10.

Ludus matutinus videtur fuisse, in quo mane gladiatores exercebantur. A Rufo, & Victore collocatur in secunda regione Urbis. *Pancir. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 333. *C.* Ego non omnem *ludum* scholam fuisse gladiatoriam existimem: quum & Romanam juventutem, præter illa libera campi Martii spatia, sub magistris suis in scholis pugilatum, & cætera militaria exercitia addidicisse verosimile sit. *Nardin. Rom. Vet.* III. 7.

LUG.

LUGDUNUM, Gallis Lyon, Lugdunensis Galliæ metropolis est, ad confluentiam Araris & Rhodani. Urbem hanc ædificasse, *cum Galliam comatam regeret, Munatium Plancum, Ciceronis discipulum*, scribit Euseb. Chronic. p. 155. At ipsum non conditorem, sed coloniæ deductorem docet non tantum Senec. Epist. 91. ubi de ejus incendio hisce verbis: *Hæc colonia ab origine sua centesimus annus est, ætas ne hominis quidem extrema, à Planco deducta in hanc frequentiam, loci opportunitate, convaluit*. Sed & hoc monumentum:

L. MUNATIUS. L. F. L. N. L. PRON.
PLANCUS. COS. ACENS. IMP. ITER.
VII. VIR EPUL. TRIUMP. EX. BAETIS. AEDEM SATURNI FECIT. DE.
MANIBIS. AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA BENEVENTI. IN. GALLIA. COLONIAS. DEDUXIT LUGDUNUM ET
RAURICAM

Coloniæ deductionem factam credo, postquam ejusdem Munatii sententia, Augusti cognomen C. Octavianus Cæsar suscepit, hoc est, juxta Panvinianam supputationem an. 725. circiter, atque ideo Augusta dicta, prout Copia ob ejus omnium rerum abundantiam. Strab. IV. p. 132. *Hæc urbs maximè omnium Gallicarum hominum frequentia pollet. Præfecti enim Romanorum eo utuntur emporio, monetamque ibi tam auream, quàm argenteam cudunt, & templum ab omnibus communi sententia Gallis decretum Cæsari Augusto ante hanc urbem ad concursum fluviorum est positum*. Claudiam crediderim dictam ob aliquod Neronis in ipsam singulare beneficium, puta ob ejus fortassis restitutionem tunc temporis curatam; cum Senecæ ævo, qui temporibus Neronis floruit, & cessit fatis, *Lugdunum* igne consumptum fuisse constet ex ejusdem epistola modo laudata, cujus initium, *Liberalis noster nunc tristis est, nuntiato incendio, quo Lugdunensis colonia exusta est*. Cæterum *Lugdunensem* coloniam in numerum immunium relatam docet Paull. l. 9. ff. de censib. *Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 596. *D. Scalig. Animadv. in Euseb. p.* 154. *b.*

LUGUBRIA appellabantur vestes funebres, quas ornamentis positis sumebant. Ovid. Met. XI. 669.

Surge, age, da lacrymas, lugubriaque indue, nec me
Indeploratum sub inania tartara mitte.

Trist. IV. 2. 73.

Illa dies veniet, mea qua lugubria ponam.

Senec. ad Helv. c. 16. *Nostis quasdam, quæ amissis filiis imposita lugubria nunquam exuerunt*. Kirchman. de Fun. II. 17. Morestell. Pomp. Feral. II. 22. Cujus coloris fuerint V. infr. in *Vestis*.

LUN.

LUNA utriusque est sexus, & aliquando in nummis habitu virili exprimitur. Macrob. Sat. III. 8. *Philochorus in Atthide affirmat Lunæ sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili: quod eadem & mas æstimatur, & femina*. Nicol. de Ritu Bacchan. c. 14. Spon. Ignot. deor. ar. Epist. 2. Boxhorn. Quæst. Roman. 13. *Lunam* & Solem idololatræ coluerunt propter admirabilem splendorem magnitudinem, celeritatem, vim, atque efficaciam cœlestium corporum. *VVolf. Annot. in Moren. de veter. philos.* §. 14. *Voss. de Idolol.* II. 18. *Clisen. Theol. Gentil.* 1. 4. 3. 5. Sed post diluvium. Diodor. 1. p. 7. C. *In Ægypto mortales mundum supra se contemplatos, & non sine stupore admiratos universi naturam, duos esse deos existimasse æternos, & primos, Solem quippe & Lunam, quorum illum Osirim, hanc Isim appellarunt*. Clalen. l. 1. Partubus mulierum favere credebatur. Tertull. de Anim. c. 39. *In partu Lucina & Diana ejulatur*. Macrob Sat. VII. 16. *Proprium ejus munus est distendere rimas corporis, & meatibus viam dare, quod accelerando partui salutare est*. Unde dux nascentium, mor-

calium corporum auctor, *& conditrix* vocatur ab eodem Somn. Scip. 1. 11. Porphyr. apud Euseb. de Præpar. Evang. III. 3. *Ac partus quidem tametsi virgo Diana præest, quod novilunio vis quadam insit, quæ pariendi facultatem afferat.* Ideoque facem ardentem manu gerit, qua veteres novilunii virtutem significabant, teste eodem Eusebio. *La Chausse de Deor. simulacr.* XII. *de Man. an. vot. refer. tab.* XI, *Tomas. de Donar. c.* 8. Ejus feriæ in Aventino erant pridie Kal. April. Ovid. Fast. III. 883. V. illum infr. in *Templum*. Perion. de Græcor. & Roman. magistrat. III. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2811. F. A primo aspectu Romulus menses est auspicatus, quod Kalendarum, Nonarum, & Iduum appellatio satis arguit, & confirmat Macrob. Sat. I. 15. *Romulus cum ingenio acri quidem, sed agresti statum proprii ordinaret imperii, initium cujusque mensis ex illo sumebat die, quo novam Lunam contigisset videri.* Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 6. Primum aspectum observare, & Regi sacrificulo significare solebat etiam pontifex minor. Macrobius. V. illum supr. in *Kalendæ*. Lipen. de Stren. c. 4. §. 3. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 10. §. 9. Siccam. l. l. Eclipsin passa æneis crepitaculis revocabatur. V. supr. in *Æra auxiliaria*.

Lunula erat calcei patricii ornamentum. Juvenalis, ubi de nobili, & ambitioso Romano agit, Sat. VII. 191.

> *Felix*, *& sapiens*, *& nobilis*, *& generosus*,
> *Appositam nigræ lunam subtexit alutæ*.

Interpres vetus: *Patricius senator est. Lunula nam adsuta calceis discernuntur.* Glossæ veteres MSC. *Aluta vocatur pellis capræ à luteo colore. Ut autem discernerentur nobiles ab ignobilibus, patricii à novitiis, subsuebatur pellis capræ in calce calceamenti, in modum lunæ, per quod nobilis designabatur.* Alia Scholia MSC. in veteri codice bibliothecæ Leidensis: *Appositam, depictam lunam in calceis.* Stat. Sylv. V. 2. 28.

> *Primaque patricia clausit vestigia luna.*

Luna imaginem in calceis pictam fuisse, verosimile non videtur. *Lunam* enim *subtexi* dixit Juvenalis. Subtexi autem, vel depingi longè distant. *Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Roman.* 75. *Balduin. de Calc. ant. c.* 9. *Voss. de Art. Gramm.* I. 17. Hujus rei diversas rationes ponit Plutarchus: *An, ut Castor ait, signum hoc est habitationis supra lunam quæ fertur, & quod post mortem rursus animæ lunam sub pedibus habebunt? An hoc prisci habuerunt eximium, qui erant Arcades cum Evandro, & ante lunam nati dicebantur? An, ut multa alia, hoc quoque institutum erat, ut rebus secundis elati, ac superbientes, mutationis fortunæ in alteram partem admonerentur? Aut obedientia sic assuescere dis. ebant, lunæ exemplo præstantiori parere non recusante? & quemadmodum illa secundas obit partes: ut... ipsi quoque contenti esse secundo loco, magistratibusque obtemperare, ab usque potentia, & honorem f... ... aliquo impertiri.* Harum tamen nulla placet viris doctis, qui ... probant, quam assignat Isidor. XIX. 34. *Luna in eis non sideris formam, sed notam centenarii numeri significabat, quod initio patricii senatores centum fuerint.* Ruben. de Re vest. II. 4. Pancirolł. de Reb. deperd. & inv. p. 318. & ad illum Salmuth p. 343. Rosin. Ant. Rom. V. 36. Balduin. & Voss. l. l. Laurent. de Re vest. c. 5. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. V. 36. Ejus nota, licet Græcis centum significet, non fuit P, de qua litera hoc Zonaras est interpretatus, cum legisset, litera centenarium numerum designante calceos patricios ornatos fuisse; sed C *lunæ* corniculantis figuram exhibens. *Voss. & Ruben. l. l. Bynæc de Calc. Hebr.* I. 9. §. 6. *Nicol. de Sigl. vet. c.* 39. §. 1. *&* 2. Erat fibula eburnea instar *lunæ* corniculans. Quod à Numa institutum ferunt, & ab Arcadibus est deductum, apud quos nobilitatis erat gestamen. Et quidem in malleolo pedis. *Alex. Gen.* V. 18. *Pier. Hieroglyph.* XLIV. 23. *Rhodig. Ant. Lect.* XX. 26. *Grang. in Juvenalem. Fabretti ad Inscript. athlet. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* VIII. p. 2329. F. *Rhod. de Acia c.* 5. *Salmuth ad Pancirollum & Balduin. l. l.* Sed hi falluntur. Ut ut enim id largiar, in *luna* modum formam fibularum fuisse, ad non etiam cæterorum, qui ignobiles erant, calcei fuerunt fibulati? Quomodo igitur ab iis patriciorum calcei distinguebantur? *Boxhorn. l. l.* Et mihi haud omnino probatur. Video enim in antiquis statuis fibulas calceorum non apponi malleolis pedum, sed in superiore parte pedis. V. Isidorum infr. in *Mulleus*. Alii per *lunulam* patriciam uncinum intelligunt, in prima fronte calcei infixum, unde uncinatos, sive repandos calceos cum lunatis confundunt. Ita Salmas. in not. ad dedicat. stat. Regill. & Boxhornius. Hos refellit Philostr. de vit. sophist. II. in Herode Attico, dum ait, *lunulas* has non in parte anteriore calcei, sed circa talos, & malleolos pedis fuisse appositas. *Ob hæc, quasi vera essent, ipsum accusat Braduas Regillæ frater, celeberrimus inter consules, & nobilitatis notam appositam calceis gestans; hæc vero nota est ἐπισφύριον ex ebore, lunæ instar. Inde cum in senatum Romanum venisset, nihil probabile de crimine, quod accusabat, enarravit, sed laudes suæ prosapiæ longo sermone produxit; unde Herodes irridens eum: in, inquit, nobilitatem in pedum malleolis habes.* Sed apud illum *lunula* patriciorum est ἐπισφύριον. Ita hæc vox occurrit apud Homer. Iliad. A. 18. T. 370. In qua voce difficultas vertitur. Eobanus enim Hessus Homeri versus ita reddit:

> —*tum cruribus aptat*
> *Ære renidentes ocreas, quas fibula lorie*
> *Arctabat niveis.*

Et sic etiam omnes Lexicographi recentiores τὸ ἐπισφύριον fibulam ocrearum exponunt, Indeque *lunulam* patriciam fibulam esse existimarunt scriptores modò laudati. Verùm obstant omnes veteres Grammatici, qui aliter hanc vocem interpretantur. Didymus: ἐπισφύρια, τὰ ἐπὶ σφυρῶν καλύμματα, *malleolorum tegumentis*. Hesychius: Ἐπισφύρια, *quæ tegunt malleolos*. Ita etiam Eustathius, & alii. Unde arbitror, antiquorum heroum ocreas, quæ erant ex candido stanno, ut Homerus, circa talos, aut malleolos pedum ornamenta quædam habuisse ex argento, vel auro, quæ Homerus ἐπισφύρια vocat, quia malleolos pedum tegunt. Atque ita etiam patricios Romanorum calceos eodem in loco ornamentum eburneum ad formam mediæ *lunæ* habuisse, quod à Philostrato ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδές vocatur. Unde in veteri inscriptione, quæ dedicationem statuæ Regillæ continet, bi calcei dicuntur πέδιλα ἀστερόεντα περὶ σφυρά. Versus, qui ad hanc rem faciunt, quia unicè opinionem nostram confirmant, apponam. Illos sic vertit Salmasius:

> *At princeps lunata pedum dat vincula nato:*
> *Qualia Mercurius quondam gestasse putatur,*
> *Cum flamma Æneam, belloque eaxit Achivum*
> *Per noctem: at multa cum luce salutifer illi*
> *Circulus hærebat pedibus, lunæ amulus orbis.*
> *Quem calo adsuetum mox nexuit Æneadum gens,*
> *Nobilibus clarum Ausoniis insigne futurum*
> *Cecropidum quamvis, Grajaque ab gente profectum*
> *Hunc, talare decus Tuscorum exornat avorum.*

Ruben. l. l.

Lunulæ dicebantur etiam antiquitus quædam ornamenta mulierum. Papias in Glossis: *Lunulæ sunt ornamenta mulierum, in similitudinem lunæ dependentes, bulla.* Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Rom. 75. Has Hieronymus quoque mulieribus assignat: *Habent*, ait, *mulieres in similitudinem lunæ bullas dependentes.* Inter ornamenta muliebria recenset quoque Esaj. c. 3. n. 18. & ex eo Tertull. de cult. femin. c. 10. *Nullam de conchylio vestem Esajas increpat, nullas lunulas reprobat.* Errant, qui fibulas exponunt, ut ad Tertullianum Fevardentius. Revera enim bullæ fuerunt in torquibus, ut Hieronymus testatur. Et in Esaja Græci habent μηνίσκους. De his Æsychius: Μηνίσκοι, πέταλα, δεσμεύχια, μανιάκια, σφαιρία. Latinum *lunularum* nomen pridem in feminarum ornamentis usurpavit Plaut. Epid. V. 1. 34.

> *Lunulam, atque anellum aureolum in digitum?*

ubi patum rectè Lambinus lapillum, seu gemmam rotundam instar *lunæ* exponit, nisi ad hoc ipsum genus respicit, quanquam & in universum potius ex auro, quam ex gemmis fuisse existimem. *Scheffer. de Torquib. antiq. c.* 5. *Ruben. Diss. de Gemm. August. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* XI. p. 1344. A.

LUPA

LUP.

LUPA *Romuli nutrix honoribus est affecta divinis. Et ferrem, si animal ipsum fuisset, cujus figuram gerit. Auctor est Livius, Larentiæ esse simulacrum, & quidem non corporis, sed mentis, ac morum. Fuit enim Faustuli uxor, & propter vulgati corporis vilitatem, lupa inter pastores, id est, meretrix nuncupata est; exemplum scilicet Atheniensium in ea figuranda Romani secuti sunt: apud quos meretrix quadam nomine Leæna, cum tyrannum occidisset, quia nefas erat, simulacrum constitui meretricis, in templo animalis effigiem posuerunt, cujus nomen gerebat. Itaque, ut illi monimentum ex nomine, sic isti ex professione fecerunt.* Lactant. I. 20. *Lipen. de Stren.* c. 5. 7. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman.* III. *p.* 214. *A. Vaillant. Numism.* I. *p.* 218: II. 47. *Boxhorn. Quæst. Roman.* 20. Simulacrum æneum, ex cujus uberibus pendent Romulus & Remus, fuit in Capitolii porticu interiori prope aulam. Cicer. Cat. III. 8. *Tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit Romulus, quem inauratum in Capitolio parvum, & lactentem uberibus inhiantem fuisse meministis.* Obseq. de Prodig. c. 122. *Inter alia relatum, biennio ante in Capitolio lupam Remi & Romuli fulmine ictam.* Adhuc in Capitolio sanctiore, id est ab omni veterum impuritate, ac superstitione purgato, æneum inauratum *lupæ* infantium nutricis spectatur, fulminis πλαγίῳ in crure hiulcam ostendens. *Marlian. Topogr. Urb. Roman.* II. 9. *Donat. de Urb. Rom.* II. 7. *Nardin. Roman. Vet.* v. 4. *Rycq. de Capit. c.* 24. Fuit & alterum, vel ad ficum Ruminalem. Liv. x. 23. *Ad ficum Ruminalem simulacra infantium conditorum Urbis sub uberibus lupæ posuerunt.* Vel in templo Romuli ficui Ruminali vicino. V. illud infr. in *Templum*. Hanc Fulvius eandem esse arbitratur, quæ hodie in atrio visitur conservatorum. Nec à vero adeo remota ea ipsius sententia videtur. Verum quod plures hujusmodi *lupæ* æneæ in Urbe fuerint, licèt hæc antiqua videatur, non ideo illam potius de Lupercali fuisse quisquam certò affirmare possit, quàm unam de reliquis. *Nardin. & Rycq. l. l.*

Lupæ à Romanis dicta sunt scorta, quod initio cultæ Italiæ sylvestribus adhuc hominum moribus, scorta in sylvis palabant, urbibus nondum statutis: cumque iis agrestes assuescerent, & libidine expleta spoliarentur, *lupæ* ipsæ dictæ sunt. Cedren. de Romulo & Remo: *Mos erat indigenis tales mulieres appellare lupas, quia semper in montibus cum lupis versarentur.* Barth. Adv. x. 2. Vel à rapacitate, quod rapiunt ad se miseros, imo sæpiùs probos, & honestos. Isidor. x. lit. L. & XVIII. 42. *Lupæ meretrices sunt à rapacitate vocatæ, quod ad se miseros rapiant, & apprehendant.* Almelov. Antiq. p. 38. Voss. Lex. Etymol. in Lupus. Grapald. de Part. dom. I. 6. §. 8.

LUPANAR dictum, quia *lupa* meretrix. Hieron. in Chron. Euseb. *Verum parvulos prope ripam Tiberis expositos Faustulus regii pastor armenti ad Accam Laurentiam uxorem suam detulit; quæ propter pulcritudinem, & rapacitatem corporis quæstuosi lupa à vicinis appellabatur. Unde ad nostram usque memoriam meretricum cellulæ lupanaria dicuntur.* Lactantius. V. illum supr. in *Lupa*. Brisson. de Jur. connub. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 1067. A. Antiquissimo, sed depravato more Romanorum *lupanaria* permissa fuerunt, ut innuit Tacit. Annal. II. 85. 2. V. illum supr. in *Ædiles plebis*. Cicer. pro Cœl. c. 20. *Si quis est, qui etiam meretriciis amoribus interdictum juventuti putet, est ille quidem valdè severus: negare non possum: sed abhorret non modo ab hujus seculi licentia, verum etiam à majorum consuetudine, atque concessis. Quando enim hoc factum non est? quando reprehensum? quando non permissum?* Quocirca etiam in honestorum prædiis *lupanaria* exercita fuisse scribit Ulpian. l. ancillarum ff. de hæred. petit. *Pensiones, licet à lupanario præceptæ sint: nam & in multorum honestorum virorum prædiis lupanaria exercentur.* Salmuth in Panciról. de Reb. deperd. & inv. p. 417. Fab. Agostin. III. 27. In ipso fuerunt palatio. Suet. Cal. c. 41. n. 2. *Ac ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in Palatio constituit: distinctisque & instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronæ ingenuique starent.* In hoc stupranda olim sedebat & Messalina Claudii uxor. Dio LX. p. 686. A. *Messalina adulteriis, & stupris non contenta (jam enim etiam in cella quadam in palatio & ipsa sessitabat, & alias primarias prostituebat) maritos simul multos ritu legitimo habere cupivit.* Et suæ libidini explendæ similem in palatio cellam habuit Avitus. Xiphil. LXXIX. p. 912. E. *Denique in palatio habuit cellam quandam, in qua libidinem explebat, stabatque nudus semper ante fores ejus, ut scorta solent.* Pitisc. in Suetonium. Reliqua *lupanarium* loca V. infr. in *Meretrices*.

LUPARIA est civitas Hispaniæ Ptolemæo, & Aprutii. *Luparius* etiam est, qui venatur lupos. Sed locum insignem regionis secundæ intelligunt Rufus & Victor, dum in illa *Luparias* ponunt. *Panciroll. Descr. Urb. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* III. *p.* 329. *A.*

LUPATA sine additamento, & *lupata frena* sunt *lupos* habentia, velut armata *lupis*, adeoque duriora & asperiora: ut currus falcati, qui falces habent: secures dolabratæ, quæ habent dolabram: falces vericulatæ, quæ habent vericulum. Ad os equi, quantumvis ferocis temperandum, domandumque aptissima sunt. Horat. I. 8. 6.

—— *Gallica nec lupatis*
Temperet ora frenis.

Turneb. Adv. XI. 28. Hugo de Milit. Equest. I. 3. Virg. Georg. III. 208.

—— *Duris parere lupatis.*

Servius: *Lupatis, frenis asperioribus. Dicta autem lupata a lupinis dentibus, qui inæquales sunt*, & asperi, inæquali serie aculeorum. Hinc, quæ apud Virgilium *dura*, ea *rigida* Claud. in consul. Prob. n. 82.

—— *rigidisque docet servire lupatis.*

Lambin. ad Horat. dicta dicit à lupo instrumento ferreo, unco, & tortuoso instar dentium lupinorum, quod pro *lupato* freno usurpatur. Qui quale instrumentum ferreum intelligat, ex quo dictum sit *lupatum*, nescio. Lego quidem apud Veget. IV. 23. *lupum*, quem exponit *ferrum in medum forficis dentatum*. At hic nihil ad frenos facit, quod ostendit forfex, cui comparatur. Talis nil commune habet cum frenis, ut ignorem quare scripserit Lambinus, *pro lupato freno usurpari*. Equi, qui istis domantur, ferociores dicuntur, ut existimant aliqui, λυκοσπάδες Græcis. Plutarch. Symp. II. 8. *Equos lycospedas sunt nonnulli, qui à frenis, quæ lupata dicuntur, appellatos putent, ob ferociam, & contumaciam sic domites.* Sed λύκους ipsa dicta esse *lupata* non existimo. Quare vero, *qui a frenorum lupis ajunt appellari*. Non enim sunt λύκοι χαλινοὶ, sed λύκοι χαλινῶν, cohærentque ἀπὸ τῶν λύκων τῶν χαλινῶν, pro τῶν λύκων τῶν ἐν χαλινοῖς. Quod monendum fuit, quia video τοὺς λύκους, sive *lupos* accepisse aliquos pro χαλινοῖς, seu frenis ipsis. *Scheffer. de Re vehic.* I. 13. *Mines in Alciat. Emblem.* 34.

LUPERCAL ex antiquissimis Romuli monumentis primum occurrit. Specus fuit ficui Ruminali vicina, Pani Lyceo ab Arcade Evandro consecrata. Ita est apud Dionysium & Livium mox laudandos. De *Lupercali* sunt hæc verba Serv. Æneid. VIII. 343. *Sub Palatino monte est quædam spelunca, in qua de capra luebatur, id est, sacrificabatur: unde & Lupercal dictum.* Contra antrum illud, in quod se *lupa* Romulum, & Remum lactans recepit, fuisse dicit Ovid. Fast. II. 421.

Illa loco nomen fecit; locus ipse Lupercal.
Magna dati nutrix præmia lactis habet.

Utrumque verum esse potest: ita ut *Lupercal* ab Evandro institutum sit, & in ea spelunca Romulo & Remo *lupa* ubera admoverit, in cujus rei memoriam Romani effigiem illic *lupæ* geminos lactantis ex ære posuerunt, quam Fulvius illam esse putat, quæ hodieque in Capitolio in atrio Conservatorum conspicitur. V. & supr. in *Lupa*. Eam Cn. & Q. Ogulniis ædilibus curulibus assignat factam ex ære multatitio fœneratorum Livius. Sed V. illum supr. in *Lupa*. Meminit & Plin. XV. 18. *Quoniam sub ea, ficu, inventa est lupa præbens rumen, ita vocabant mammam, miraculo ex ære juxta dicato, tanquam in comitium sponte transisset.*

fisset. Item Dionysius laudandus infr. in *Templum Romuli*. Sed ficus Ruminalis manifestum argumentum est, infantes prope *Lupercal* à lupa lactatos. V. Servium supr. in *Ficus Ruminalis*. Fuit itaque in regione decima, quæ Palatium, prope ficum Ruminalem, & comitium, quæ octavæ regionis sunt, & vicinum Volcanali, quod in quarta fuit. Ergo in angulo Palatini ad latus S. Mariæ Liberatricis inter duas vias terminales regionis x. iv. & viii. Quod adversus Volcanale situm fuerit, nominis forsan etiam eandem accepit terminationem. Facies ejus septentrionem respexit. Virg. Æneid. viii. 343.

—— & gelidum monstrat sub rupe Lupercal.

Nulla autem Palatini pars boreæ magis adversa est, quàm angulus ille. Certè non ita ad mediam noctem vergit S. Theodori ecclesia, ubi Marlianus *Lupercal* fuisse situm existimat: cui & ficus Ruminalis, & comitii longinquitas plurimum obstant, quæ vicina illi fuisse vidimus, & Victor in regione octava apertè indicat: *Ficus Ruminalis*, inquiens, *in comitio, ubi & Lupercal*. Omnino absurdæ, & prodigiosæ sunt Blondi, & Læti opiniones: quorum ille *Lupercal* in altera palatii parte statuit, objectum ædi S. Gregorii prope Septizonium Severi. Sed hunc Marlianus prolixè & efficacissimè refutat. Lætus in Capitolio collocat è regione Palatini; & per consequens ficus etiam Ruminalia. Fulvius duo exstitisse asserit *Lupercalia*, alterum ad ædem S. Theodori, alterum ad arcum Titi, ubi comitium fuisse putat. Sed hic refutatione est indignus. Certum igitur esto *Lupercal* ad S. Mariæ liberatricis ædem in ipso monte speluncam fuisse. Hanc describit Dionys. i. p. 25. *Arcades conjunctis sub colle sedibus, exædificatis more patrio domiciliis, templa quoque construunt; primum Lycæo Pani, jubente Themide, Arcadibus enim deorum antiquissimus, & honoratissimus est Pan, idonee invento loco; quod Romani Lupercal nominant, nos Lycæum dicere possemus. Et nunc quidem ædificiis fanum circumquaque sapientibus difficilis conjectura est, qualis olim loci natura fuerit: sed, ut fertur, erat tum spelunca sub tumulo magna, densa quercetà contecta, & sub petris profundi fonticuli, solumque rupibus contiguum nemorosum, & frequentibus, ac proceris opacum arboribus.* Hodie nullum illic aquæ vestigium: unde & specum, & fontem, decidente aliquo montis fragmine, inter ruinas sepulta aliquando, obrutaque fuisse verisimile est. *Nardin. Roman. vet. vi. 12. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 10. n. 2: c. 12. n. 1. Faun. Antiq. Urb. Roman. ii. 10. Blond. Triumph. Roman. 1. p. 22. E. Marlian. Topogr. Urb. Rom. ii. 12. Panciroll. Desc. Urb. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. iii. p. 365. D. Donat. de Urb. Roman. ii. 18. Morestell. de Fer. Roman. Dial. vi.*

LUPERCALIA *dicta, quod in Lupercali Luperci sacra facient*. Varr. de Ling. Lat. v. 3. *Panvin. de Civ. Roman. c. 12. Morestell. de Fer. Roman. Dial.* vi. Erant festa & sacrificia, quæ ad expiandos manes Pani Lycæo juvenes Romani offerebant. *Panvin. l. l.* Instituta vel ab Euandro ex Arcadia in Italiam translato. Liv. i. 5. *Jam tum in Palatino monte Lupercal hoc fuisse ludicrum ferunt, & à Pallanteo urbe Arcadica palatium, deinde Palatinum montem appellatum: ibi Euandrum, qui ex eo genere Arcadum multis ante tempestatibus ea tenuerat loca, sollenne allatum ex Arcadia instituisse, ut nudi juvenes Lycæum Pana venerantes, per lusum, atque lasciviam currerent*. Plutarch. Roman. p. 31. A. *Videtur sollenne per vetustum Euandrum ex Arcadia allatum instituisse: hoc vulgatior fama tenet*. Justin. xliii. 1. 6. *Sub Fauno Aboriginum Rege Euander ab Arcadiæ urbe Pallanteo in Italiam cum mediocri turba popularium venit: cui Faunus & agros, & montem, quem ille postea Palatium appellavit, benigne assignavit. In hujus radicibus templum Lycæo, quem Græci Pana, Romani Lupercum appellant, constituit: ipsum dei simulacrum nudum caprina pelle amictum est, quo habitu nunc Romæ Lupercalibus decurritur*. Et Dionysius laudatus supr. in *Lupercal*. Vel à Romulo & Remo propter factam sibi à Numitore avo potestatem condendæ Urbis in monte Palatino, ubi servati fuerant. Val. Max. ii. 2. 9. *Lupercalium mos a Romulo & Remo inchoatus est, tunc cum lætitia exultantes, quod his avus Numitor Rex Albanorum eo loco, ubi educati erant, urbem condere permiserat sub monte Palatino, hortatu Faustuli educatoris sui, quem Euander Arcadius consecraverat: facto sacrificio, cæsisque capris, epularum hilaritate, ac vino largiore provecti, divisa pastorali turba, cincti pellibus immolatarum hostiarum, jocantes obviam petiverunt: cujus hilaritatis memoria annuo circuitu feriarum repetitur*. Morestell. & Panvin. l. l. Hospin. de Orig. fest. Ethnic. p. 102. Gyral. Synt. deor. xvii. p. 495. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. p. 3. c. 2. Faunus Antiq. Urb. Roman. ii. 9. Mod. de Lud. n. 28. Læt. de Sacerdot. c. 2. Volaterr. Rer. Urban. xxix. p. 1086. E. Blond. Triumph. Roman. 1. p. 21. D. Schill Nomencl. Philol. p. 694. Demster. Paralip. Antiq. Roman. Rosin. iii. 2. Celebrabantur xv. Kal. Mart. Var. ibid. c. 4. *Ego magis arbitror Februarium à die februato, quod tum februatur populus, id est, lupercis nudis lustratur antiquum oppidum Palatinum, gregibus cinctum*. Ovid. Fast. ii. 267.

Tertia post Idus nudos Aurora Lupercos
Adspicit.

Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 843. A. Perion. de Græcor. & Roman. magistrat. iii. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. vi. p. 2809. A. Hospin. & Panvin. l. l. In illis juvenes transcurrebant, ad imitationem cursus Romuli, Remive, qui ut Butas refert, victo Amulio, lætitia exsultantes, ad eum locum cucurrerunt, ubi infantibus ipsis lupa ubera præbuisset. Ita Butas in Eleg. rer. Roman.

Percutere oblatos: velut ense cucurrit ab Alba
Armatus quondam Romulus atque Remus.

Plutarch. ibid. C. *Morestell. l. l. Meurs. de Puerp. c. 1. Boxhorn. Quæst. Rom.* 36. Et quidem nudi. Festus supr. in *Crepi.* Livius modò laudatus. Valerius Maximus dixit illos *cinctos pellibus immolatarum hostiarum*, non quod toto corpore pellibus tecti fuissent, ut quidam veterum pellibus vestiri consuevere, sed ab ilibus tantum, nam ad ilia semper fuere nudi. Docet hoc Plutarch. ibid. B. *Post hæc dissectarum caprarum pellibus cincti, nudi, currentes scuticis obvios cædunt*. Braun. de Vest. Hebr. sacerd. 1. 1. §. 3. Lomej. de Lustrat. c. 34. Mod. l. l. Schill ibid. p. 693. Seu ut Panem imitarentur. Ovid. ibid. n. 281.

Cur igitur currant, & cur sic currere mos est,
Nuda ferant posita corpora veste, rogas?
Ipse deus velox discurrere gaudet in altis
Montibus; & subitas concitat ille feras.
Ipse deus nudus nudos jubet ire ministros:
Nec satis ad cursum commoda vestis erat.

Hospin. l. l. Vel ad ejusdem Romuli imitationem. Plutarch. ibid. C. *C. Acilius ante conditam Urbem auctor est Romuli & Remi pecus amissum fuisse, quos Fauno voto facto nudos, ne molestus iis sudor foret, ad requirendum id excurrisse. Hinc nudos discurrere Lupercos*. Sed hujus sententiam non tenet Servius, enarrans Virg. Æneid. viii. 663. Ait enim: *Quum in honorem Panos Lupercaliorum sollennitas celebraretur, pecora Romanorum à latronibus rapta sunt. Illi projectis vestibus persecuti sunt latrones, quibus oppressis, & receptis animalibus, propter rem à nudis prospere gestam, permansit consuetudo, ut nudi Lupercalia celebrarent*. Ensem cruentum adolescentium fronti admovebant. Plutarch. ibid. B. *Jugulant capras, inde nobilibus duobus adolescentibus adductis, alii gladio cruento frontem tingunt, alii statim imbuta lacte lana detergunt eam: detersa ridere adolescentes oportet. Scribit Butas, ensem cruentum fronti admotum cædis notam esse & periculi. Abstersionem per lac ipsorum monumentum nutrimentorum*. Morestell. Hospin. Læt. Rosin. l. l. Præter capram, quam jugulabant, etiam immolabant canem. Plutarchus. V. illum supr. in *Canis*. Obvios scutica feriebant. Plutarch. l. l. *In subligaculo discurrunt nudi, obvium quemque scuticis cædentes. Mulieres adultæ non declinant verbera, proficere ea ad conceptionem, & partum rata*. Et Cæl. p. 736. C. *Lupercalia agebantur, quæ multi tradunt fuisse festum olim pastorum. Congruunt aliquatenus cum Arcadicis Lycæis. Nobiles juvenes frequentes, & magistratus, nudi per Urbem discurrunt hirsutis scuticis obvios per ludum, & jocum cædentes. Multa quoque principes femi-*

na

ne ex composito offerunt se illis, ac manus ferientibus, sicut in ludo literario, efferunt, creduntque id ad facile puerperium prægnantibus, & infœcundis proficere ad conceptum, Ovid. Fast. II. 425.

Nupta quid exspectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcunda patienter verbera dextra:
Jam socer optati nomen habebit avi.

Matischott. de Larv. & perf. c. 9. La Chausse de Man. æn. vot. refer. tab. 14. Tomaf. de Donar. c. 27. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 14. Panvin. Gyrald. Braun. Hospin. Ursat. Rosin. Meurs. l. l. Scbill Nomencl. Philol. p. 695. Floccus de Potest. Roman. t. 1. Imo ferula, aut saltem pellibus instar ferulæ se cædendas *Lupercis* offerebant. Ferulæ mentionem expresse facit Prudent. in Symm. II. 861.

Inde Lupercales ferula, nudique petuntur
Discursus juvenum.

Braun. l. l. Perduraverunt Romæ usque ad Anastasii Imperatoris tempora, Theodorico Amalo Gothorum Rege in Italia regnante; quibus auctore Gelasio Papa circiter annum Christi 495. reclamantibus superstitiosis quibusdam Romanis omnino abolita sunt; ut ex antiquo S. R. registro cognovi. *Panvin. l. l. Struv. Antiq. Roman. c.* 12. *p.* 634.

LUPERCI dicebantur, *qui Lupercalibus nudi, solisque præcincti subligaculis discurrebant, & scuticis obvios feriebant.* Plutarch. Quæst. Roman. 67. Romul. p. 31. B. Cæsar. p. 736. C. *Clasen. Theol. gent.* III. 1. §. 17. *Laurent. var. sacr. gent. c.* 1. *Struv. Ant. Roman. c.* 12. *p.* 634. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* III. 2. *Blond. Triumph. Roman.* 1. *p.* 22. *E. Saubert. de Sacrif. c.* 6. Horum tria fuerunt collegia, Fabiorum, Quintiliorum, Juliorum. De duobus prioribus Festus: *Fabiani & Quintiliani appellabantur Luperci à Fabio & Quintilio præpositis suis.* Ovid. Fast. II. 375.

Dicta facit, Fabiique simul: venit irritus illuc
Romulus, & mensas, ossaque nuda videt.
Risit, & indoluit, Fabios potuisse, Remumque
Vincere, Quintilios non potuisse suos.

Tertium à C. Julio Cæsare additum est. Dio XLIV. p. 243. B. *Tertium quoddam genus sacerdotum, quod Julium vocarunt, ut Lupercalia celebraret, institutum.* Turneb. Adv. VII. 3. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 496. C. August. de Famil. Rom. in Fabia. Lomej. de Lustrat. c. 13. Struv. l. l. Pellibus hinnulorum induebantur. Euripides. V. illum supr. in *Hinnuleus*. Et caprinis cingebantur. Justinus. V. illum supr. in *Lupercalia*. Ovid. Fast. v. 101.

Semicaper coleris cinctutis, Faune, Lupercis,
Cum lustrant celeres vellera secta vias,

Lomej. & Demster. l. l. Viro honesto *Lupercum* agere turpe erat. Cicer. pro Cœl. c. 11. *Fera quadam sodalitas, & planè pastoritia, atque agrestis germanorum Lupercorum, quorum coitio illa agrestis ante est instituta, quàm humanitas & leges.* Idem Antonio objicit, quod *Lupercus* esset, Phil. II. 34. *Ita eras Lupercus, ut te consulem esse meminisse deberes.* Lomej. l. l.

LUPINUS est genus leguminis, cibus vulgaris, & plebejus. Plin. XVIII. 14. Ut illum emendat Salmas. Exerc. Plin. p. 327. a. A. *Lupinorum usus promiscuè cum sit & homini, & quadrupedum generi ungulas habenti communis.* Unde *tricliniorum & pauperum conviva* dicitur Lycophroni Chalcidensi in satyrica fabula, quam scripsit adversus Menedemum philosophum apud Athen. II. p. 55. D. *Mufen. de Lux. Græcor. c.* 6. *Canter. Nov. Lect.* VI. 17. Propter insignem amaritiem non nisi aqua macerati, cum ingratum saporem exuerunt, in usus veniunt; tunc, sale asperso, cum garo eduntur. Plin. XXXV. 10. *Protogenes, cum pingeret Jalysum, qui est Romæ dicatus in templo Pacis, traditur madidis lupinis vixisse, quoniam simul famem sustinerent, & sitim, ne sensus nimia cibi dulcedine obstrueret.* Nonn. de Re cib. I. 10. Unde *Zeno Cittieus in familiares durus & iracundus, multo vini haustu cum placidus & lenis fieret, interrogatus, quidnam sic ingenium mutaret, id accidere sibi respondit, quod & lupinis, priusquam madefiant aqua, amarissimis, posteaquam macerati sunt, & appoti, dulcissimis & mitissimis.* Athen. ibid. F. Laert. de vit. philos. VII. 26. *Voss. Lex. Etymol. Casaub. in Laertium. Savot. de Re numm.* II. 5. In ludis ad detinendam plebem spargebantur. Horat. Sat. II. 3. 182. V. illum supr. in *Cicer.* Ubi Acro: *Faba, & lupini à magistratibus ludis Floralibus jactabantur, vel in circo ædilibus.* Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 14. Buleng. de Circ. c. 56.

Lupinus etiam est nummus ex *lupino* macerato factus. Hujus in comœdiis usus erat. Unde *aurum comicum* appellat Plaut. Pœn. III. 2. 20.

Agite, inspicite, aurum est. Profecto spectatores comicum:
Macerato hoc pingues fiunt auro in Barbaria boves.

Muretus, cum Lutetiæ nobiscum esset, hanc explicationem nobis indicavit. Sicut, inquit ille, in comœdia pro aureis nummis annumerantur *lupini*, sic & pueri *lupini* grana pro nummis soliti sunt habere, atque numerare, & inter æs & *lupinum* parum distinguunt: atque idem hodieque in Italia lusitantes pueri ementiuntur, & *lupinis* nummos æmulantur. Imperator Justinian. l. 1. C. de Aleator. *Si quis sub specie alearum victus sit lupinis, vel alia quavis materia, cesset etiam adversus eum omnis actio.* Horat. Epist. I. 7. 23.

Nec tamen ignorat, quid distent æra lupinis.

Turneb. Adv. I. 15. Lambin. ad Horat. Epist. I. 7. 23. Grutet. in Plautum. Voss. Lex. Etymol. Guilielm. Plaut. Quæst. in Stich. c. 4. Hotom. Antiq. Roman. IV. 1. 1. Meo judicio valdè falluntur. Hoc ex Plauto non probatur. Nemo enim est, qui viderit numismata Græca aurea formæ minoris, quin sciat, ea *lupinos* pænè æquare crassitie, neque magnitudine eosdem excedere, & eundem ferè colorem referre, adeo ut *lupinus*, procul conspectus, olim facilè posset falsam præbere speciem exigui numismatis aurei, præsertim ejus, quod jam diu manus hominum esset passum. Plautum igitur loqui de *lupinis* inde apparet, quod dicat, id, quod pro nummo aureo ostendebatur, esse aurum tale, quo macerato boves pingues fiant in Barbaria; qua quidem descriptione propterea hic utitur Plautus, ut significet, se non de auro loqui, sed de veris *lupinis*, qui aqua macerari solebant, ut amarum & insuavem saporem exuerent, & sic non bobus solum, sed etiam hominibus esui essent. V. supr. in *Lupinus*. Non ex Justiniani lege. Vox enim *lupini* in illa, ut doctè observavit Gothofredus, non significat genus quoddam monetæ, sed veros *lupinos*, quippe qui eundem olim alea ludentibus usum præstabant, quem hodie præstare solent calculi, sive symbola, quæ vice monetæ in lusibus funguntur. Non ex Horatio. Nam hic non loquitur de moneta aliaque, sed de duobus leguminum generibus, *lupinis* nempe & *ervis*. Et voluit significare, homines sapientes optimè nosse differentias rerum, etiam valdè sibi similium. Est quidem differentia inter *erva* & *lupinos*, inter se tamen conveniunt. I. Ejusdem sunt coloris, & saporis, subflavi nempe, & amari. II. Multiplicem utrumque legumen in medicina usum præstat. Quam enim virtutem Galenus *lupinis*, eandem Plinius ervis adscribit: & vires, quas Cato brassicæ inesse ait, uterque modò dictis leguminibus tribuit. III. Tam *lupini*, quàm erva bobus, & pabulis, & medicinæ usum præbent, ut docet Colum. II. 10: VI. 3. & *lupinos* eodem modo, quo erva præparari dicit Galen. de Facult. simpl. medic. II. *Savot. de Numm. ant.* II. 5. Qui hoc rectè notavit, licèt illa apud Horatium correctio necessaria non fuerit. *Gronov. de Pecun. vet.* IV. 12.

LUPUS est Apollini sacer. Hesych. in Λυκοκτόνου. Unde Homerus λυκηγενέτην Apollinem vocat, ut Ælianus ait, quod Latona paritura induit *lupæ* speciem, ideoque in Delphico templo *lupi* specie Apollinis simulacrum erat. *Buleng. de Prodig. c.* 35. Et Argivi quibusdam numismatis suis *lupos* imprimi curarunt. Docet hoc nos Demetrius Triclinius, vetus interpres Sophoclis in Electra. *Fazold. de Fest. Græc. Dec.* 4. *Fest.* 7. Ob magnum oculorum acumen, ut testatur enarrator Arati. *Alcand. Tab.* He-

Heliac. Explic. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom. v. p. 717. F. Ominosus erat. Horat. Od. III. 27. 1.

Impios parræ recinentis omen
Ducat, aut prægnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino.

Plin. VIII. 22. *Inter auguria ad dextram commeantium præciso itinere, si pleno id ore lupus fecerit, nullum omnium præstantius.* Buleng. l. l. Ex ejus ululatus inter prodigia. Virg. Georg. I. 485.

——*& altæ*
Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.

Liv. XLI. 9. *Inter hæc, quæ nuntiabantur, lupus etiam Romæ interdiu agitatus, quum Collina porta intrasset, per Esquilinam magno consectantium tumultu evasit.* Buleng. ibid. c. 1. Cerda in Virgilium.

Lupus cervarius non est dictus, quod ex *lupo*, & *cerva* sit natus. Hæc enim tam diversæ naturæ, & hostilis inter se animi animalia simul coire vix credibile est. Scripsit hoc auctor quidam obscurus, cujus nomen jam non succurrit. Sed vel quod cervorum hinnulos maculis suis imitetur, vel quod *lupo* aviditate par, & cervis idem sit infensus. Oppian. Ἁλιευτ. II. 614.

Sic etiam in sylvis, habet venatorum sermo,
Lupos cervarios crudeles cervum exercere.

Gesner. de Quadrup. I. p. 770. Harduin. in Plin. VIII. 19. Hunc Pompejus Magnus in theatro suo exhibuit. Plin. VIII. 19. *Pompeji Magni primum ludi ostenderunt chaum, quem Galli rhaphium vocabant, effigie lupi, pardorum maculis.* Intelligit *lupum* cervarium. Idem c. 22. *Sunt in eo genere, qui cervarii vocantur, qualem è Gallia in Pompeji Magni arena spectatum diximus.* Bulenger. de Venat. Circ. c. 19. Panvin. de Lud. Circ. II. 3. Volaterr. Comm. Urban. XXV. p. 934. C.

Lupus piscis. Huic in *Tiberis amne inter duos pontes optimum saporem adjudicavit Sergius Orata.* Plin. IX. 54. Pontes Sublicium & Palatinum, quod eum in locum excrementa Urbis per os cloacæ maximæ quotidie effunderentur. Hic Tiberinus non est lucius, quamquam uterque vorax, sed qui Lucilio, & aliis catillo, Græcis λάβραξ. Macrob. Sat. II. 12. *M. Varro Rer. hum. XI. enumerans quæ in quibus Italiæ partibus optima ad victum gignantur, pisci Tiberino palmam tribuit. Inter eos præcipuum locum lupus tenuit, & quidem is, qui inter duos pontes captus est. Id ostendunt cum multi alii, tum etiam C. Titius vir ætatis Lucilianæ, in oratione, qua legem Fanniam suasit. Edimus surdum pinguem, bonumque piscem lupum germanum, qui inter duos pontes captus fuit. Lucilius ostendit scire se hunc piscem egregii saporis, qui inter duos pontes captus esset; eumque quasi ligurritorem catillonem appellat: scilicet, qui proximè ripas stercus insectaretur. Lucilii versus hic est:*

Hunc pontes Tiberinos duo inter captus catillo.

Marlian. Topogr. Urb. Rom. v. 15. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 17. §. 1. Buleng. de Conviv. II. 5. Meurs. de Lux. Roman. c. 14. Dignoscebatur ex sapore. Horat. Sat. II. 2. 31.

Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet: pontesne inter jactatus, an amnis
Ostia sub Tusci?

Meurs. l. l.

Lupus ferreus erat instrumentum uncum simile dentium lupinorum. Liv. XXVIII. 3. *Qui erexerant ad murum scalas, alii furcis ad ipsum factis detrudebantur: in alios lupi supernè ferrei injecti, ut in periculo essent, ne suspensi in murum extraherentur.* Turneb. Adv. XI. 28. Lips. Poliorc. v. Dial. 8. Huic comparare nostra ætate possumus illud genus, sive teli, sive instrumenti, quo in subruendis trabibus, lignisque per incendia utimur. Vulgo *manvver baton.* *Laz. Comm. Reip. Rom.* VIII. 18.

Lupus vocatur etiam frenum asperrimum. Græcorum id factum imitatione, quibus itidem dicitur λύκος parvum ferrum in frenis. Hesychius. Qui dum dicit, ἐν τοῖς χαλινοῖς, docet partem frenorum fuisse, & quidem talem, quæ in os soleret inferi. Ovid. Trist. IV. 6. 4.

duros accipit ore lupos.

Pars itaque peculiaris, quæ non in frenis omnibus. *Scheffer. de Re vehic.* I. 13. *Voss. Lex. Etymol.*

LUR.

LURCO fuit cognomen Aufidiorum. *Lurcones dicti capacis gulæ homines, & bonorum suorum consumptores.* Festus. *Sigon. de Nom. Rom. c. 5.*

LUS.

LUSCINUS fuit cognomen Fabriciorum. LUSCUS fuit cognomen Anniorum. } *Sigon. de Nom. Rom. c. 5.*

LUSITANIA Ana, & Duria fluviis, & Oceano clauditur, nunc Portugalliam nominant, cujus caput est Ulissipone, vulgo Lisbona dicta. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 66.* A *Lusitanis* eo tempore liberis populis non fuit otium, verùm perpetua cum illis, qui ulteriorem obtinebant Hispaniam, bella fuerunt. Hæc autem bella Celtibericum, & *Lusitanicum* per multos annos, multosque duces, sed maximè per M. Marcellum, qui rerum à se gestarum monumentum Cordubam, teste Strabone, reliquit, L. Lucullum, & Ser. Galbam, qui *Lusitanos* contra fidem datam oppressit, administrata, ac profligata à Numantino, & Viriathino excepta sunt. Numantinum bellum Numantia Arevaccum civitas movit, cum sola cæteris Celtiberis subactis arma teneret. Viriathinum Viriathus pastor, & latro in Lusitania, qui unus fuerat ex iis, qui ex Ser. Galbæ prætoris manibus evaserant, cum *Lusitanos* contra fidem publicam trucidavit. Numantinum diu parum prosperè gestum tandem P. Scipio Æmilianus confecit. Viriathinum ipso redacto in potestatem Viriatho ad extremum absolvit Q. Cæpio. *Lusitanos* inde aliis atque aliis ducibus latrocinia exercentes D. Brutus latiùs est persecutus, qui ultra Durium amnem, usque ad flumen Lethen, Miniumque penetravit, & toto littore Oceani peragrato Callæciam adhuc ab armis populi Romani integrum, quod *Lusitanos* auxilio juverat, in potestatem adduxit, unde ipse Callæci cognomen invenit, Valentia oppido iis, qui sub Viriatho militaverant, ut tradit Liv. Epit. LV. assignato. Atque ita recepta Celtiberia *Lusitania* & Callæcia in potestatem venerunt. Unde Rufus scripsit: *Rebellantes Lusitanos per D. Brutum obtinuimus, & usque ad Gades ad oceanum pervenimus.* Et Strab. III. p. 105. *Ultimi sunt montes incolentes, ac propterea, qui subigantur, difficillimi; qui Bruto ei, qui Lusitanos debellavit, cognomen dederunt.* *Lusitania* latrocinius, & Celtiberia postea bello non vacavit. Hujus rei cum C. Marii res gestæ in *Lusitania*, tum T. Didii in Celtiberia testimonio sunt. Didius cos. XX. millia Arevaccum occidit, & Termestinorum urbem captam mœnibus nudavit, & Colendam post nonum mensem obsessam cepit, aliosque populos in deditionem redactos, ex decem legatorum, quos senatus eo miserat, sententia militibus necandos tradidit. Diuturnis inde bellis fessas Hispanias bellum Sertorianum excepit, cum *Lusitaniam* Sertorius exsul Syllæ dictatoris inimicus obtinuisset, eamque contra Syllam, & ejus factionem teneret. Quo bello non *Lusitania* solum, sed etiam Celtiberia & Vascones, & Ilergetes, & totus ille Sucronensis, ac Duriensis tractus exarsit. Tandem per Q. Metellum Pium, & Cn. Pompejum Magnum, Sertorio occiso, & Perperna in potestatem adducto, receptæ Hispaniæ sunt. *Sigon. de Ant. jur. prov. I. 5.*

LUSTRALIA dicebantur, quibus populus à quindecimviris expiabatur, & ad ludos seculares præparabatur. Quæ quid essent, quo tempore, quo loco populis distribuerentur, aperit Zosim. II. 5. *Ipso autem messis tempore, per paucis diebus, antequam ludi peragerentur, in Capitolio, temploque Palatino, quindecimviri sedentes in suggestu lustralia populo distribuebant: ea autem sunt faces, sulphur, & bitumen.* Taffin. de Lud. secul. c. 6. Guther. de Vet. jur. Pontif. III. 18.

Lustralia dicebantur, quæ duabus manibus accepta in aram pontifex, vel censor imponebat, quæ non prosecabantur. Serv. Æneid. VIII. 183. *Gutber. de Vet. jur. Pontif.* IV. 2. *de jur. man.* III. 30. *Laurent. Var. sacr. gent. c.* 14.

LUSTRARE dicebant veteres expiare, purgare. Serv. Æneid. III. 279. *Lustramur, id est, purgamur, ut Jovi sacra faciamus. Aut certè lustramur, id est, expiamur. Piaculum enim commissum fuerat tauro in Thracia immolato.* Non. IV. 277. *Lustrare, expiare.* Virg. Ecl. V. 75.

—— & cum sollennia vota
Reddemus nymphis, & cum lustrabimus agros.

Lucill. Sat. II. *Lustratus, piatus.* Liv. XL. 13. *Ego, etiamsi quid ante admisissem piaculo dignum, lustratus, & expiatus sacro.* Voss. Lex. Etymol. Lomej. de Lustrat. c. 1. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 17. Pitisc. in Curt. X. 9. 11. Ad hunc ritum ritè peragendum apta habebantur ova & sulphur. V. illa in suis locis.

Lustrare μεταλλακτικῶς significat circumire. Causa est, quod ad expiandos homines, urbem, ac arva ambire solebant. Hoc notant nomina ambarvalis sacrificii, & amburbii. Non. IV. 277. *Lustrare est circumire.* Virg. Æneid. VIII. 231. *Lustrat Aventini montem. Nav. Ægystho:*

Tum autem lascivum Nerei simum pecus
Ludens ad cantum clausum lustratur.

Glossæ veteres: περιέρχεται, *lustrat*. Glossar. Isidor. *Lustro, vagator.* Voss. Lex. Etymol. Lomej. de Lustrat. c. 1. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 17.

LUSTRATIO agrorum quomodo fuerit peracta, V. supr. in *Ambarvalia* & *Ager*.

Lustratio classium, & copiarum navalium, ubi addixissent aves, peragebatur. Liv. XXXVI. 42. *C. Livius præfectus Romanæ classis, cum ab Rheginis, Locrisque, & ejusdem juris sociis debitas exegisset naves; lustrata classe ad Lacinium, altum petit.* Fiebat autem in hunc modum, ut refert Appian. Bell. civ. V. p. 727. *Altaria stabant in extremo littore undis al luentibus: naves plenæ classiariis circumstabant cum altissimo silentio: sacrificuli stantes in mari mactabant victimas, moxque in scaphis ter circum classem exta lustralia circumferebant, navigantibus unà etiam ducibus, precantibusque ut in ea lustramina à classe avertantur infausta omnia: divisis deinde extis, partem in mare projiciebant, partim adolebant in altaribus, fausta ominante multitudine. Hoc modo Romani classes suas lustrare solebant.* Preces fundi solitas prodidit Liv. XXIX. 27. *Dii, deæque, qui maria, terrasque colitis, vos precor, quæsoque, uti quæ in meo imperio gesta sunt, geruntur, postque gerentur, ea mihi, populo, plebique Romanæ, sociisque nomini Latino, qui populi Romani, quique meam sectam, imperium, auspiciumque, terra, mari, amnibusque sequuntur, bene verruncent: eaque vos omnia bene juvetis: bonis auctibus auxitis: salvos, incolumesque victis perduellibus victores, spoliis decoratos, præda onustos, triumphantesque mecum domos reduces sistatis: inimicorum, hostiumque ulciscendorum copiam faxitis: quæque populus Carthaginiensis in civitatem nostram facere molitus est, ea ut mihi, populoque Romano in civitatem Carthaginiensium exempla edendi facultatem detis. Secundum eas preces, cruda exta, cæsa victima, uti mos est, in mare projecit, tubaque signum dedit proficiscendi.* Scheffer. de Milit. nav. III. 3. Alex. Gen. dier. V. 27. & ad illum Tiraquellus. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 491. G. Lomej. de Lustrat. c. 31. Laurent. var. sacr. gentil. c. 17.

Lustratio exercitus terrestris ad hunc modum fiebat à Macedonibus, ut referunt Curt. X. 9. 12. *Macedonum Reges ita lustrare soliti erant milites, ut discissæ canis viscera ultimo in campo, in quem deduceretur exercitus, ab utraque abjicerentur parte: intra id spatium armati omnes starent, hinc equites, illinc phalanx.* Liv. XL. 6. *Forte lustrandi exercitus venit tempus, cujus sollenne est tale. Caput mediæ canis præcisæ, & prior pars ad dexteram cum extis, posterior ad lævum viæ ponitur. Inter hanc divisam hostiam copiæ armatæ traducuntur. Præferuntur primo agmini arma insignia omnium ab ultima origine Macedoniæ Regum. Deinde Rex ipse cum liberis sequitur. Proxima est regia cohors, custodesque corporis. Postremum agmen Macedonum cætera multitudo claudit.* Meurs. Græc. Fer. p. 215. Lomej. de Lustrat. c. 31. Croph. Ant. Maced. III. 5. Alex. Gen. dier. V. 27. A Romanis, qui exercitus suos, & ante, & post pugnam *lustrarunt*. Priorem *lustrationem* καθάρσιον τὸ πρὸ τῶν ἀγώνων γιγνόμενον appellat Dio XLVII. p. 349. E. Et in illa Cassio *coronam quidem inversam denuo imposuit*, ut addit ibid. p. 351. C. Sil. Ital. XIV. 626.

Sic tandem ereptam morbis grassantibus armat
Marcellus pubem, lustratis rite maniplis.

Dionys. IX. p. 613. *T. Quintius Capitolinus, Q. Servilius coss. lustrato exercitu, contra hostes profecti sunt.* Lomej. l. l. *Lustrabatur* verò instructus, præcedente sue, aut hirco, ove, & tauro, in campo Martio. Armati milites lauro coronati rem divinam faciebant sub divo. Dionys. IV. p. 225. *Peracto censu jussit cives omnes in campo, qui omnium ante Urbem est maximus, cum armis adesse. Ibi equitibus turmatim dispositis, & peditibus in aciem directis, velitibusque per suos item ordines digestis, lustravit eos tauro, ariete & hirco. Eas hostias ter circum castra duci jussas mactavit tenentis campum Martis. Hoc modo usque ad meam ætatem post censum lustrantur Romani ab iis, qui sanctissimum magistratum gerunt: quod lustrum sua voce nominant.* Hujus meminit Liv. I. 20. *Sacrificium lustrale in diem posterum parat.* Alexand. & ad illum Tiraquellus. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 489. F. Schill Nomencl. Philol. p. 700.

Lustratio ovium fiebat Palilibus. Vetus Kalendarium: *Mense Aprili, oves lustrabantur.* Pastor summo diluculo aqua illas inspergebat, & sulphure, herbaque Sabina, & lauro igne succensis circum ovilia suffumigabat: cumque sacro carmine, milio, & libo cum lacte & sapa Pali sacra faciebat. Hoc suffitu pecora expiari, & morbos depelli, ac diras tabes exterminari putarunt. Ovid. Fast. IV. 735.

Pastor oves saturas ad prima crepuscula lustret:
Unda prius spargat, virgaque verrat humum.
Frondibus, & fixis decorentur ovilia ramis,
Et tegat ornatas longa corona fores.
Cærulei fiant puro de sulphure fumi,
Tactaque fumanti sulphure balet ovis.
Ure maris rores, tædamque herbasque Sabinas;
Et crepet in mediis laurus adusta focis.
Libaque de milio milii fiscella sequatur,
Rustica præcipue est hoc dea læta cibo.
Adde dapes mulctrumque suas, dapibusque resectis
Sylvicolam tepido lacte precare Palem.

Tibull. I. 1. 15.

Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis,
Et placidam soleo spargere lacte Palem.

Alex. Gen. V. 27. & ad illum Tiraquellus. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 489. F. Lomej. de Lustrat. c. 29. Cyllæn. & Broukh. in Tibullum. In omni autem agri, sive pecoris *lustratione* simul pro pastoribus, ac familia fiebat. Cato de Re Rust. c. 141. *Uti tu morbos visos, invisosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperiasque prohibessis, defendas, averruncesque. Utique tu fruges, frumenta, virgultaque grandire, bene que evenire sinas. Pastores, pecuaque salva servassis, duisque bonam salutem, valetudinemque mihi, domo, familiæque nostræ.* Pastores aqua *lustrabantur* atque igni. Tibull. II. 5. 87.

At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet: à stabulis tunc procul este lupi.
Ille levis stipulæ sollennes potus acervos
Incendet, flammas transilietque sacras.

Prop. IV. 4. 71.

Urbi festus erat, dixere Parilia patres,
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.
Annua pastorum convivia, lusus in Urbe,
Quum pagana madent fercula divitiis.
Quumque super raros fœni flammantis acervos
Trajicit immundos ebria turba pedes.

Hi de igne: de aqua Ovid. II. 725.

Certè ego de vitulo cinerem, stipulasque fabales
Sæpe tuli plena februa casta manu.
Certè ego transilui positas ter in ordine flammas;
Virgaque roratas laurea misit aquas.

Simpliciter Tibull. II. 1. 17.

Dii patrii purgamus agros, purgamus agrestes,
Vos mala de nostris pellite limitibus.

Et hoc erat *pastorem lustrare*. Broukh. l. l.

Lustratio pagorum fiebat in agris. Varr. de Ling. Lat. v. 3. *Paganica agricultura causa suscepta, ut haberet in agris omnis pagus*. Ovid. Fast. I. 669.

Pagus agat festum, pagum lustrate coloni;
Et date paganis annua liba focis.
Placentur matres frugum Tellusque Ceresque
Farre suo, gravida visceribusque suis.

Sicul. Flacc. de Condit. agror. p. 25. *Sed & pagi sæpè significantur, finiuntur, de quibus non puto quæstionem futuram, quorum territoriorum ipsi pagi sint, sed quatenus territoria. Quod tamen intelligi potest, magistri pagorum, quoad pagos lustrare soliti sunt: ut trahamus, vel ex hoc quatenus lustrarent*. Gothofr. ad Constit. Constant. M. l. 5. C. de Episc. Eccles. & Cleric. Lomej. de Lustrat. c. 29.

Lustratio rogi, antequam faces subjicerentur, fieri solita est à maxima quaque multitudine, quæ circumibat, & ambiebat rogum. Dio LVI. p. 598. B. *Cadaver Augusti rogo impositum primum pontifices omnes, deinde equites, tum milites circumierunt, περιῆλθον, postea centuriones ignem admoverunt*. Quintil. Declam. 329. *Dum maxima multitudo quæque, dum universus denique populus lustret, atque ambiat rogum*. Guther. de Jur. man. I. 26.

LUSTRUM pronuntiatum per *U* tenue, quod sonat ut Græcum Υ, propriè erat densum, & obscurum latibulum, sive cubile ferarum in sylvis. Festus: *Lustra significant lacunas* (Scaliger legit *lamas*, quæ Glossis sunt πηλώδεις τόποι, illi verò collectiones aquarum) *lutosas, quæ sunt in sylvis aprorum cubilia*. Virg. Georg. II. 471.

—— illic saltus, ac lustra ferarum.

Voss. Lex. Etymol. Barth. Adv. X. 2. Almelov. Antiq. p. 39. Schill Nomencl. Philol. p. 696.

Lustrum eodem modo pronuntiatum κτ' μεταφορὰν vocatur lupanar. Festus: *A qua similitudine ii, qui in locis abditis, & sordidis, ventri, & desidiæ operam dant, dicuntur in lustris vitam agere*. Plaut. Bacch. IV. 4. 91.

Quod dem scortis, quodque in lustris comedim.

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 798. A. Stuck. de Sacrif. p. 226. Schill Nomencl. Philol. p. 696. Duobus modis eleganter meretricibus adscribi potest. I. quod, ut feræ inter sese, ita quoque meretrices consueverint se commiscere cum omnibus viris nulla habita ratione. II. quod in terris, & locis solitariis plerumque constituatur: unde descendere sensu obscœniori nonnunquam scriptores utuntur. *Almelov. Antiq. p. 39.* Et hinc *lustrari*, quod notat luxuriosè vivere, suaque bona abligurire, & decoquere. Utrumque vocabulum conjungit Lucilius:

Quem sumptum facis in lustris circa oppida lustrans.

Similiter usus est Plaut. Pseud. IV. 7. 6.

Luxuriantur, lustrantur, comedunt, quod
Habent.

Inde *lustramentum* apud Ictum est ἀσέλγεια, ἀφροδισιασμός. *Voss. Lex. Etymol.*

Lustrum pronuntiatum per *U* crassum, quasi per diphthongum ΟΥ significat tempus, quod Græci vocant olympiada. Varr. de Ling. Lat. v. 2. *Lustrum nominatum tempus quinquennale: quod quinto anno vectigalia, & ultra tributa per censores persolvebantur*. Festus: *Cum vocabuli prima syllaba producitur, significat tempus quinquennale*. Hoc quinquennale spatium sic capiendum est, ut quadriennio exacto, quinto quoque anno ineunte *lustrum* peractum intelligatur. Et ita hi capiendi sunt, quia *lustrum* veteribus tantum notavit quadriennii tempus. Ovid. Fast. III. 165.

—— in lustrum accedere debet,
Quæ consummatur partibus, una dies.

Sidon. Epist. IV. 24. *Sed, ut chirographo facto docetur, cauta est centesima fœneratori, quæ, per bilustre producta tempus, modum sortis ad duplam adduxit*. Scalig. de Emend. temp. V. p. 482. in Auson. II. 23. Gyrald. de Ann. & mens. Oper. Tom. II. p. 748. G. VVitell. in Merul. c. 28. Ferret. Mus. Lapid. I. Memor. 29: v. 23. Blond. Triumph. Roman. III. p. 63. B. Schill Nomencl. Philol. p. 697. Imo *lustrum* est quinquennium absolutum, quia exitu quinquennii, antequam censores abirent magistratu, mancupes, & redemptores populi Romani vectigalia censoribus luebant. Atque hæc est vera horum scriptorum sententia. Et hoc significare probamus auctorum locis. Stat. Sylv. II. 2. 6.

Hic me post patrii latum quinquennia lustri.

Mart. II. 102. 3.

Destituit primos virides Demetrius annos,
Quarta tribus lustris addita messis erat.

Quo loco nihil apertius. Quarta enim messis, id est, quartus annus tribus *lustris* addi dicitur. Hinc sequitur, *lustrum* non ex quatuor annis, ut isti volunt, constare. Præterea, si quadriennio *lustrum* absolveretur, non tria *lustra*, sed quatuor dici debuissent ætatis Demetrii, qui excessit tertio *lustro* exacto, & quarti *lustri* quarto anno, id est, undevigesimo, sive nono decimo ætatis anno. Est hoc dicendi genus perelegans, ac poetis in describendis annis perfamiliare. Horat. Od. II. 4. 23.

Cujus octavum trepidavit ætas
Claudere lustrum.

Qui quadragesimum ætatis annum se exegisse significat. Qui & annum quinquagesimum agebat, cum scriberet Od. IV. I. 6.

Circa lustra decem flectere mollibus
Jam durum imperiis.

Sic *alterum lustrum* est quinquennium proximè futurum. Horat. Carm. secul. n. 65.

Si Palatinas videt æquus arces,
Remque Romanam, Latiumque felix,
Alterum in lustrum, meliusque semper
Proroget ævum.

Singulis enim *lustris*, id est, quinquenniis vota pro Reipublicæ incolumitate concipiebantur. Suet. Aug. c. 97. n. 2. *Cum lustrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, aquila eum sæpius circumvolavit: transgressaque in vicinam ædem super nomen Agrippæ, ad primam literam sedit: quo animadverso, vota, quæ in proximum lustrum suscipi mos est, collegam suum Tiberium nuncupare jussit. Nam se, quamquam conscriptis tabulis, negavit suscepturum, quæ non esset soluturus*. Huc accedit, quod tradit Dio, eo ipso anno seculari, qui erat U.C. 736. finito decennio, in quinquennium Reipublicæ constituendæ potestatem accepit Augustus: cui eadem mox in alterum quinquennium decreta est: ac rursus in decennium. Quo more usi sunt in Republica administranda qui secuti sunt Imperatores. Quare in veteribus monumentis vota quinquennalia, decennalia, tricennalia, & vicennalia leguntur, quæ primo, secundo, & tertio decennio imperii solvebantur. Est in hortis Farnesianis Palatinis marmor cum victimis, & inscriptione:

CÆSARUM
DECENNALIA
FELICITER

Et in arcu Imperatoris Constantini:

VOTIS. X.
VOTIS. XX.

Castal. Var. c. 19. Savar. in Sidon. Epist. IX. 16. Voss. Lex. Etymol. Cruceus in Stat. Sylv. IV. 2. 62.

Lustrum eodem modo pronuntiatum etiam significat, ut Festus addit, *populi lustrationem*. Hoc instituit Servius censu peracto. V. Dionysium supr. in *Lustratio exercitus*. Voss. Lex. Etymol. Schill Nomencl. Philol. p. 697. Quod primum ab illo conditum anno ab U.C. 188. qui erat annus ejus decimus. Nam quod scriptum exstat apud Censor. de Die nat. c. 18. *Inter primum à Servio Rege conditum lustrum, & id, quod ab Imperatore Vespasiano V. & Cæsare III. coss. factum est, anni interfuerunt paullo minus sexcentis quinquaginta*: id potius librarii, quàm Censorini error est. Hoc verò anno primum esse conditum patet ex monumentis Fastorum Capitolinorum. Nam in illis an. 454. *lustrum* sextum & quadragesimum dicitur. Quinqua-

quaginta *lustra* fiunt anni 250. qui ab annis 574. abjecti relinquunt 324. Rursus abjice 189. annos Urbis, post quod tempus proximè censemus primum *lustrum* conditum. Remanent anni 135. Quæ sunt *lustra* 27. intermissa post primum illud Servianum. *Scalig. de Emend. Temp. v. p.* 183. Qui annum Tullii decimum dum comparat cum an. 188. hallucinatur. Nam ex eo consequens erit Reges ad an. 246. vel 247. imperasse. Servius Tullius regnavit an. 44. Tarquinius Superbus 25. Fiunt demptis Tullii prioribus decem an. 60. qui cum 187. conjuncti dant an. 247. Primus itaque Tullii incidit in an. 176. decimus in 185. Nam si ad hos annos adjeceris reliquos Tullii 34. & Tarquinii 25. hoc est, 59. conficient an. 244. quot Romanis Regibus, ipso adstipulante Scaligero, ab auctoribus assignantur. Proinde triennio toto is aberrat. Sed quæ in Scaligeri ratiocinatione est vis consequentiæ? Anno 574. *lustrum* quinquagesimum est conditum, qui sunt anni 254. hi dempti de 574. dant 324. Ergo post an. 189. primum *lustrum* est conditum. Nam quid annus ille 324. ad propositum facit? aut unde 27. *lustra* prætermissa colligit potius quàm 28. vel 29? In eo tamen collectionis cardo consistit, ut 27. *lustra* prætermissa fuisse planum faciat. Deinde quemadmodum ex eo, quòd in fastis annotatum sit an. 574. *lustrum* 50. fuisse conditum, horum initium ab an. 324. repetit: ita cum an. 454. *lustrum* 46. iidem illi fasti conditum esse memorent, proptereà quod an. 46. per quinque multiplicati faciunt an. 230. iique de 454. abjecti relinquunt an. 224. non minori jure licebit ad eum annum *lustrorum* illorum revocare primordium. Quod si 27. *lustra* prætermissa sint, sive an. 135. detractis totidem è 224. relinquentur an. 89. longè ante natum Tullium, ac sub Tullo Hostilio *lustra* Romæ constituta fuerunt. Adhæc *lustrum* Romanum, sive quinquennium quodlibet sequens post ea sacra, *lustrationesve*, quibus conditum esse dicitur antecedens, procedere incipit. e. g. si primum *lustrum* à Servio conditum est an. 188. annus quinquennii primus vel est is ipse, quo certis expiationibus, ac ceremoniis conditum dicitur *lustrum*, n. 188. vel ei proximus 189. Ita an. 193. primum *lustrum* finitum erit, an. 198. secundum, atque ita deinceps. Unde si an. 188. *lustrum* primum à Servio conditum fuit, itemque an. 574. alterum: debuit hoc à priori esse 78. siquidem *lustra* nunquam intermissa fuissent. Nam de 574. abjectis 188. restant an. 385. qui sunt *lustra* solida 77. His adde *lustrum* an. 188. conditum, septuagies octies conditum fuerit ad annum usque 574. si, ut dixi, post illud Tullii primum servata perpetuò fuissent. Nunc omissa sunt 27. ut putat Scaliger. Igitur 51. reliqua sunt; adeòque anno 574. non quinquagesimum, sed quinquagesimum primum adscribendum erat, si vera esset Scaligeri disputatio. Sed *lustra* videlicet multis annis omissa, & identidem longo intervallo repetita esse, fidem faciunt annales veteres. Fasti verò Capitolini numerum eorum fideliter adnotant; ita tamen ut ex iis nihil de illorum initio possit colligi. Postremò mira est inconstantia, dum post an. 189. *lustrum* esse conditum asseverat, quod paullò antè statuerat anno ipso 188. à Tullio cœptum fuisse. Onuphrius id ipsum ejusdem an. 11. vel 12. contigisse scribit, qui est Urbis 186. vel 187. Quod confirmat I. quod Censorinus jam laudatus inter primum Tullii, & septuagesimum quintum Vespasiani annos intercessisse refert plùs minùs 640. Atqui ab an. 186. ad an. 826. in quo Vespasianus & Titus *lustrum* condiderunt, anni intersunt 600. Igitur an. 186. vel sequente, *lustrum* est à Tullio conditum. II. quod Livius post victos Etruscos Tullium censum fecisse scribit 1. 42. Porrò in tabulis Capitolinis secundus Tullii de Thuscis triumphus notatur an. 186. Quo acto verisimile est statim censum à Tullio conditum fuisse. Atqui neutrum primi lustri tempus illud adstruit. Nam Censorinus non an. 640. sed paullò minùs sexcentis quinquaginta intercessisse scribit. Quos si de an. 827. detrahas (nam consulatus Vespasiani V. & Titi III. unà cum censu ab ipsomet Onuph. in Fastis p. 208. conjicitur in an. 827.) reliqui sunt anni 187. qui est secundus Tullii. Unde anno ferè primo, vel secundo census ab illo conditus videtur. Sed quoniam Censorinus non plenos 650. sed paullò minùs intercessisse docet, freti ejus loco, in quo numerum 650. agnoscit Onuphrius loco jam laudato, & cujus verba mendosa esse temerè divinat Scaliger, Servium primum *lustrum* an. 4. vel 5. vel 6. certè ante decimum instituisse contra utrumque pertendimus. Censum à Tullio post Etruscos debellatos factum esse, ex Livio non colligitur. Hic enim res à Tullio gestas sine ullo temporum ordine percensens, primùm bellicas, deinde civiles commemorat; *Cum Vejentibus, & Etruscis*, inquit, *primum bellum sumpsit: quibus fortissimè victis insignis gloria victor redut*. Tum subdit: *Censum primus instituit* .... Non dicit, post fortissimam victoriam tum demum censum instituisse. Ac si pro eo, quòd de censu post bellum Etruscum meminit, hoc illum posteriorem fuisse licet colligere, eadem nos argumentandi vi prius à Tullio conditum esse probabimus; quoniam Dionys. iv. p. 218. .... priore loco de censu, & *lustro*, deque civilibus Tullii institutis, quàm de bello tractat. Qui insuper Etruscum illud bellum xx. annis perseverasse narrat: quibus evolutis Etrusci sese Tullio penitus subjecerunt. De quo tempore, ac belli totius exitu procul dubio loquitur Livius. Quare non ante an. xx. Tullii censum institutum oportuit, si quid Onuphrii ratiocinatio promovet. Enimverò primis regni sui temporibus, & censum, & *lustrum* instituisse, & cætera Tullium ordinasse, quæ ad civilem administrationem attinent, adeòque ante susceptum cum Etruscis bellum, facilè mihi persuadeo: quod cum censio illa, præcipuaque civilium institutionum pars ad militiam ordinandam pertineret, quo nimirum ad sumptus bellicos pro virili quisque contribueret, & ad bellum idonea ætas agnosci posset, credibile sit Tullium saluberrimum, atque opportunissimum illud inventum ad id quoque bellum, quod unicum, & verò diuturnum, ac difficile gesserit, inprimis transtulisse. Præterea cum ter in Fastis triumphasse de Etruscis Tullium noteur, ac primus triumphus an. 182. sit adscriptus, cur post secundum potiùs, quàm post primum, imò verò post ultimum institutum esse *lustrum* Onuphrius affirmat? *Petav. de vet. ann. Roman. c.* 76. Censum agere, & *lustrum* condere quo modo differant, V. supr. in *Census*.

LUSUS naviandi quis fuerit dictus, V. supr. in *Capita aut navim*.

LUT.

LUTATIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

LYC.

LYCAONIA mediterranea ab oriente Tauro à Cilicia Trachæa dividitur, à septentrione contermina est Cappadociæ, ab occasu Pisidiæ, à meridie Isauriæ. Hunc *Lycaon* Arcadiæ Rex nomen dedit, quem in eam profectum, & à Jove, cui membra humana comedenda apposuerat, in lupum conversum poetæ fabulantur. Ejus urbes insignes erant Lystra & Derbe, in quibus Paulus versatus est Act. c. 14. n. 6. & Iconium metropolis. Ptolemæus. *Pancirol. Notit. Imp. orient. c.* 125. Hanc in provinciæ formam redegit Augustus. Dio xlix. p. 411. A. *Antonius his ita actis Amyntam, qui scriba Dejotari fuerat, Galatiæ principem constituit, Lycaonia, Pamphiliaque partibus quibusdam adjectis*. Panvin. Imp. Rom. c. 15. Sigon. de Ant. jur. provinc. c. 11. Noris. Cenot. Pisan. Dissert. ii. p. 209.

LYCHNAPSIA legendum est pro *Lignapsia* ut legitur in vet. Kalend. in Augusto; nam in Bucheriana editione legitur *Lygnapsia*. Λυχναψία est idem atque Λυχνοκαΐα, sive Accensio lucernarum; quod fuit nomen festi alicujus apud Ægyptios. V. supr. in *Lucerna*. In Kalendario autem hoc per *Lychnapsiam* opinor significari sollennitatem aliquam, pridie Idus Augusti quotannis celebrari solitam, cum primùm dies post solstitium jam adeò decrevisset, ut ad cœnam opus esset accensis luminibus. *Lambec. in Kalend. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* viii. *p.* 108. *E*.

LYCHNIS est gemma ignei coloris. Dionys. Perieg. n. 329.

n. 329. V. illum supr. in *Asteritis*. Aleand. Tab. Heliac. Expos. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 733. A.

LYCHNUCHI pensiles passim erant in deorum delubris. Erant etiam in templo Apollinis Palatini. Victor in regione Urbis decima, quæ Palatinm: *Ædes Apollinis, ubi lychni pendebant instar arboris mala ferentis*. Huoc in expugnatioue Thebarum Alexander Luciniæ ademptum & ipse Apollioi dicaverat, & Augustus suo Apollini consecravit. Plio. xxxiv. 3. *Placuere & lychni pensiles in delubris arborum modo mala ferentium lucentes, qualis est in templo Apollinis Palatini, quem Alexander Thebarum expugnatione captum Lucinia dicaverat eidem deo*. Et in Græcorum prytaneis. Unde mirabilis ille *lychnuchus* apud Atheo. xv. p. 700. D. in Tareotioorum prytaneo à Dionysio juniore positus, *in quo tot arderent lucernæ, quot dies anni*. Et inde proverbium *Lychnuchus in prytaneo*. Spanhem. de Vest. & Prytan. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 678. A. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iii. p. 363. D. Crioit. de Hooest. Discipl. xvii. 6. Demster. Antiq. Roman. i. 13. Donat. de Urb. Rom. iii. 2. *Lychnuchos*, V. supr. in *Elephantus*.

LYCIA inter Pamphyliam, & Cariam media à septentrione, confinis est Phrygiæ, olim 60. oppidis clara, ex quibus ætate Paulli 36. tantum permanseraot. Earuoι opulentissima metropolis fuit Myra, Martyrol. vi. Decembr. ad quam ipse io Italiam oavigans appulit Actot. c. 27. n. 5. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 125. Sigon. de Ant. jur. provinc. i. 11.* Strabonis tempore libera erat. Ita eoim ille xiv. p. 456. *Cum autem hoc modo regerentur, factum est, ut permissu Romanorum liberi fuerint, & patrios mores coluerint*. Illam Rhodiis ob egregiè ab ipsis oavatam operam bello contra Aotiochum Romani tradiderunt. Liv. xxxvii. 39. *Rhodiis Lycia, & Caria data*. Sed cum postea Perseo Regi Macedoniæ favissent, eandem illis ademerunt, ac liberam esse jusserunt. Noo tamen immoois, sed vectigalis fuit. Hoc ex eo cognoscitur, quod Verri Ciliciæ prætori objicit Cicer. Verr. i. 38. *Proquæstore quomodo Lyciam, Pamphyliam, Phrygiamque totam frumento imperando, æstimandoque afflixerit, non est necesse demonstrare. Hoc scitote, his nominibus (quæ res per eum gesta sunt, cum iste civitatibus frumentum, coria, cilicia, saccos imperaret, neque ea sumeret, pro his rebus pecuniam exigeret) his nominibus solis, Cn. Dolabella H.S. ad tricies litem esse æstimatam*. Cum bello civili à M. Bruto gravissimam cladem accepisset, Antonius triumvir *Lyciis immunitatem concessit* apud Appian. de Bell. civ. v. p. 675. Caterum Claudius Imperator an. 796. *libertatem Lyciis ademit ob exitiabiles inter se discordias*, ut scribit Suet. c. 25. n. 11. sive *quod ad cædem usque Romanorum quorumdam tumultuando essent progressi*, ut auctor est Dio lx. p. 676. C. *Noris. Cenot. Pisan. Dissert. ii. p. 221. Sigon. l. l.* Io provinciæ formam redegit Vespasianus. Suet. c. 8. n. 9. *Lyciam libertate adempta in provinciæ formam redegit*. Panvin. Imp. Rom. c. 18.

LYCIARCHA erat supremus *Lyciorum* magistratus. Strab. xiv. p. 456. *Lycii adeo civiliter, & continenter vixerunt, ut cum usque in Italiam mari dominarentur, tamen nullo turpi quæstu capti sint, sed in patria jurisdictione concilii Lyciaci permanserint. Sunt autem tres ac viginti civitates, quæ suffragii participes sunt: conveniuntque ex unaquaque civitate in commune concilium, quam ipsi probarint: civitatum autem maxima tribus suffragiis singulæ præditæ sunt, mediocres duobus, alia uno: pro portione verò tributa conferunt, aliaque munera obeunt. In concilio primum Lyciarcha deligitur, deinde alii concilii magistratus, & judicia reddunt communiter*. Sigon. de Ant. jur. provinc. i. 11. Panciroll. Notit. dign. Imper. orieot. c. 125. Emm. de Lycior. republ. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. iv. p. 597. C. Et provinciæ suæ sacerdos, qui pro ejus, ut opinabaotur, salute sacra procurabat, ludorumque erat editor, & ad ludorum expensas aliquid à possessoribus seoatoriis exegit. Strabo: *Sub Romanis positi imaginem antiqui magistratus retinuerunt creandi Lyciarchæ, qui non amplius, ut olim, imperat, sed sacerdotio fungens ludis publicis præest*. Buleng. de Vectig. c. 69. Paocirull. ibid. c. 106.

LYD.

LYDIA jacet inter Cariam, & Hellespontum, cujus metropolis Sardis fuit, sub Crœso Rege insigois. *Lydia*, ait Sext. Rufus, *sedes antiqua regnorum Antiocho à L. Scipione adempta fuit*. Panciroll. Notit. digoit. imper. orient. c. 124. Ejus totus tractus io peculiari magnæ matris tutela fuit. *Spanhem. de Vest. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 661. A.*

LYM.

LYMPHÆA erant opera publica, similia nostris cryptis artificiosis, sive antris delicatis, qualia in hortis magnatum, & splendidiorum virorum amœnioribus hodie videntur, sic dicta à *lymphis*, quæ per diversos tubulos, canaliculos, fistulas, cavernasque occultas undique cum impetu improviso prosiliebant in otiosos spectatores, eosque aspergine madefaciebant, dum toti hærerent io perlustrandis, & considerandis horum ædificiorum ornamentis, decore, pulcritudine, quæ exculta erant conchis, & coochyliis omnium locorum, in certum ordioem, spatia, formam, figuras distinctis, digestis, ac velut conglutinatis. *Bergier. de Viis milit. v. Sect.* 8. §. 8.

LYMPHARII fuerunt procuratores lioificiorum. l. 13. C. de murileg. *Si quis ex corpore gynæciariorum, vel linteariorum, vel lymphariorum .... vel aliorum similium ad divinas largitiones nexu sanguinis pertinentium voluerit post hæc de suo collegio liberari: non quoscunque, nec facilè in locum proprium, freti dextra triumphalis absolutione substituant ....* Differebant à magistris lineæ vestis, qui ipsum linum pecti, mundari, & excoli, & in vestes converti faciebaot. Hi rude lioum procurabant, & potius linteæ, non lineæ vestis magistri sunt appellandi, ut vocat Theodosius ibid. l. 14. *Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c. 75.*

LYR.

LYRA, quamvis poetæ *lyram*, citharam, testudinem sæpè pro eodem organo ponant, & cithara diversæ suot, quia *Lyræ* Mercurius auctor, citharæ Apollo. Sunt tamen cognata inter se instrumenta, quæ fidibus intenta pulsantur. *Lyram* describit Homer. Mercur. n. 47. *Mercurius sectos calamos per oras testæ supinæ trajicit, quibus tergum bubulum tanquam operculum adglutinavit, ita ut calami ipsi corio pro fulcris essent: deinde brachiola duo in summa testa fixit ea parte ubi erant anteriores pedes bestiæ, quæ brachia transtillo transverso cacuminibus conjunxit*. Manubria, seu brachia, πήχεις vocat Homerus, Ptolemæus κέρατα, quia erant flexuosa, & cornua. Paullò suprà fundum testæ à parte prona epitonium, instar umbilici, panxit, è quo omnes chordæ vinciebantur, quod dicitur Polluc. iv. 9. 3. χορδότονον, clavus, fundus, seu ima pars testæ βατήρ. Igitur chordæ omnes io uno umbilico revinctæ per βατῆρα in partem supinam traductæ io ipso jugo desinebant, in quo suis summitatibus intensæ eraot. Subjectum est prætereà illis supra βατῆρα in imo partis supinæ lignum, aut calamus, quo chordæ veherentur; alioqui chordæ nullum sonum redderent: μαγάδιον vocat Lucianus, Galli equuleum, quod eo chordæ vectentur; corneum erat, cum primùm fuisset ex aruodine, id est, semitubulo aruodiois. Unde Comici δόνακα, *arundinem hypolyrium nominarunt, quod olim lyris cornuum loco apposita sit*, ut ait Pollux l. l. ubi malè legitur αὐτὶ κεράτων; nam κέρατα sunt manubria, κέρας est magadium. Hæc fuit *lyra* Mercurii. Receotior dicta fuit phorminx. V. illam infr. in *Phorminx*. Buleng. de Theatr. ii. 37. & 39. Apolliois septichordis fuit. Macrob. Sat. i. 19. *Lyra Apollinis chordarum septem tot cœlestium sphærarum motus præstat intelligi, quibus solem moderatorem natura constituit*. Sidonius quoque epithal. Polem. & Aran. ad idem exemplar servatum ait esse septenarium numerum in *lyra*, cithara, fistula. Sic apud Eurip. Iphig. in Taur. chorus de Apollioe verba facieos oominat κέλαδον ἑπτατόνου λύρας. Fabulaio

bulam sectatus Callim. Hymn. in Delum, quum ait, hunc numerum ideò ab Apolline electum, quia matre ipsum pariente modulantes olores septies insulam volatu cinxerant. Septenarium numerum Phœbo sacrum esse tradit Plutarch. Sympos. ix. 14. Fulgent. Mythol. i. 14. Apollinati *lyra* decem dat chordas, quod humanæ vocis decem esse modulamina dicat. *Aleand. Tab. Hel. Explic. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. v. p. 722. B.* Ut post cœnam circumferretur, moris fuit in epulis. Themistocles cum respuisset, quia illa canere nesciret, indoctior habitus est. *Buleng. de Conviv.* iii. 33. Et consuetudo vetus fuit, ut si quis illam recusasset, ei ramus myrteus daretur, ad quem cantaret. Plutarch. Conviv. i. i. *Putean. Reliq. conviv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* xii. *p.* 277. *E. Jun. Anim.* iii. 7.

LYRISTÆ dicuntur, qui assa *lyra* utuntur. Sidon. Epist. i. 1. *Nullus ibi lyristes canit*. Buleng. de Theatr. ii. 37.

LYRODI dicuntur, qui lyræ cantum cum voce maritane, cantores lyricorum carminum ab aliis editorum. *Salmas. Exerc. Plin. p. 609. a. B. Buleng. de Theat.* ii. 37.

M.



Est nota numeri millenarii, V. supr. in *D*.

M ab initio vocibus interdum apponitur. Romani à Phrygibus sunt oriundi. Phryges autem literam μ, vel etiam syllabam μα præmittere solent. Unde pro Ζεὺς dixere Μαζεύς. Hesychius: *Mazeus est Zeus, sive Jupiter secundum Phryges*. Ac videntur in magna Græcia similiter pro Ζηῦ, sive Ζαν dixisse Μαζεῦ, vel Μαζαί. Suspicionem injiciunt verba Festi in October: *Salentini*, inquit, *apud quos Menzanæ Jovi equus dicatus vivus conjicitur in ignem*. Ubi pro *Menzana* puto *Mazani*, vel *Mezeni* legendum. Nisi Ζανᾶς iidem dixerint, quod Dorum alii Ζαν. Quod si placet, rectum erit apud Festum *Mazana*, vel *Mezana*: ac solum unius liquidæ additione peccarint librarii. Nec in Phrygiis solum μ capiti apponitur; sed etiam Græcis & Latinis. Sic dixere ὄσχος, & μόσχος. Galen. Lexic. Hippocr. *Oschos enim & moschos palmites*. Ab *unda* etiam *mundus*, & *mundare*: ut propriè sit sordes unda abluere: quomodo & Belgis *wassen*, hoc est, *mundare*, *lavare* fit à *wasser*, hoc est, *aqua*. Voss. de Idolol. ii. 33.

M necilis, & obscuri, cum dictiones claudit, soni, nec enuntiari, nec scribi olim solebat, tum maximè, cum insequentium dictionum à vocali erat initium. Ita Censorius Cato *die hanc*, non *diem* scripsit, quod observat Quintil. ix. 4. Et in inscriptione, qua L. Scipionis Barbati F. expressum est elogium, legitur: DUONORO OPTUMO FUISSE VIRO. *Explan. Elog. istius. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* iv. *p.* 1858. *F. Serv. Miscell. c.* 4.

M & B in scribendo invicem permutantur à Latinis libratiis. V. supr. in *B*.

M pro N pleræque nationes scripserunt. *Ocinum* veteres Latini pro *ocimo* appellarunt. Sic Παρπτάμιος & Παρπαάμιος mons idem, μετώπιον & νετώπιον unguentum idem. Sic *comitium* pro *conitium* majores usurparunt. Recentioribus quoque frequens hæc mutatio, *nappam* pro *mappa* dicentibus, *nattam* pro *matta*, & similia. *Salmas. Exerc. Plin. p. 605. a. C. 824. b. C. Spanhem. de Præst. numism. Dissert.* vi. *p.* 514. *Casell. de Primi. Ital. colon. Misc. Erud. Ital. Tom.* iii. *p.* 35. *Fab. Semestr.* ii. 16.

M & V etiam invicem permutantur. Sic *mangana* dixerunt & *vangana*, quæ in glossis *vagna* dicitur, vinarium vas ingentis magnitudinis. *Salmas. in Capitol. Maximin. c.* 22.

M' & N notis veteres Manium, à Marco, qui *M* litera notatur, voluerunt distinguere. Ita Curius Dentatus, quem libri Latini Græcique plerumque Manium Curium nominant, in quarto ejus triumpho Capitolino ita describitur, *M. Curius. M'. F. M'. N. Dentatus*. Eadem ratione Valerius, qui an. 559. dictator fuit, & à Dionys. vi. p. 371. Manius Valerius dicitur, in fragmentis Capitolinis vocatur M'. VAL. Præterea coss. qui an. 490. in consulibus Capitolinis M'. VALERIUS, & M'. OTACILIUS scribuntur, à Polybio Μάνιος Οὐαλέριος, & Μάνιος Ὀτακίλιος nominantur. Quæ verò nota in tabulis Capitolinis est *M'*. ea in nummis argenteis est *Mɿ*. ut *Mɿ*. CORDIUS RUFUS. Mɿ ACILIUS IIIVIR. VALETU. *Mɿ*. SERGIUS SILUS. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 3. *Gyrald. Synt. deor.* i. *p.* 31. *B. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman.* ii. *p.* 2029. *B. Pigh. Annal.* i. *p.* 84.

MAC.

MACCURA *est manus ferrea, qua utuntur ad equos destringendos*. Hesychius. *Buleng. de Circo c.* 17.

MACEDONIA fuit objecta quasi oculis Italiæ à partibus Apuliæ, & Calabriæ. Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 2. *Italia ab Alpibus in mare porrigitur, ac tribus lateribus exteras gentes intuetur. A Sicilia usque ad Galliam omne litus Africum est contrarium: rursus à Leucopetra pars, quæ ad mare attingit, Macedoniam, ac aliquam Epiri partem spectat: Hadriaticum verò litus Illyricum contra se habet*. Bergier. de viis milit. iii. Sect. 47. §. i. Illyrico proxima non iisdem semper circumscripta fuit finibus; quod alii nationis *Macedonica* termini fuerunt, alii regni *Macedonici*, alii provinciæ *Macedoniæ*. Nationi fines morum ac linguæ similitudo dederunt, à Thracia quidem, ut notat Strab. vii. p. 223. Strymonem amnem, à Thessalia verò Peneum. Hos fines produxerunt *Macedoniæ* Reges, in primisque Philippus Alexandri patet, cum ex finitimis gentibus quotidie aliquid *Macedonico* regno adjiceret, nempè Tracibus, Pæonibus, Illyriis, Epirotis, & Thessalis. Ex quo fit, ut proximæ quæque *Macedoniæ* gentis non iisdem terminis ab omnibus scriptoribus includantur. Strabo auctor est, partem Thraciæ, quæ ultra Strymonem est usque ad Nessum amnem, à Philippo dominam *Macedoniæ* esse attributam. Et propter claritatem, ac potentiam Thessalorum, & *Macedonum* factum esse, ut vicini eorum, præsertim Epirotæ, partim voluntate, partim vi in partes Thessalorum, *Macedonumve* transierint; ut Athamanes, Æthices, & Talares in Thessalorum; Orestæ, Pelagones, & Elimiotæ in *Macedonum*. Quin etiam Pæones, Dolopes, Illyriosque aliquot *Macedoniæ* finitimos, ut Atintanas, postquàm à Philippo subacti sunt, *Macedoniæ* attributos legendo animadvertere possumus. *Sigon. de Ant. jure provinc.* i. 8. *Pancirol. Notit. dign. imp. orient. c.* 137. *Nonn. in Goltz. Græc. p.* 121. *Emm. Vet. Græc.* v. *Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* iv. *p.* 128. *D. Croph. Antiq. Maced.* i. i. *Gerbel. Græc. Antiq. Thes. Gronov. ibid. p.* (38.) *D. Laz. Græc. Antiq.* i. 4. Bellum in *Macedonia* gesserunt Romani I. cum Philippo Demetrii F. Huic finem imposuit T. Quinctius Flaminius. Prima victoria Philippus *Macedoniæ* Rex relictus, Thessalia, & reliquis, quæ in ditione ejus erant, gentibus ei ademptis, ac libertate donatis. Cum Philippo verò armis bis dimicatum est, primùm bello Punico, cum ille se Annibali socium ad invadendam Italiam adjunxisset; iterum finito bello Punico, cum idem Athenienses populi Romani socios ab Acarnanibus impulsus bello vexaret. Priore bello pax ita data, ut fœderi Thessalos quoque Rex adscriberet; posteriore, cum ad Cynoscephalas in Thessalia, T. Quinctio duce debellatum esset, in has conditiones, teste Liv. xxxiii. 30. ictum fœdus est: *ut captivos, transfugasque redderet Romanis, & naves omnes tectas traderet, ne plus quingentis armatorum haberet, neve elephantum ullum: bellum extra Macedoniæ fines ne injussu senatus gereret: mille talentum daret populo Romano, dimidium præsens, dimidium pensionibus decem annorum. Orestis (Macedonum ea gens est) quod primi ab Rege defecissent, sua leges reddita. Magnetes, & Perrhæbi, & Dolopes liberi quoque pronuntiati*. II. cum Perseo Philippi F. Huic finem imposuit L. Æmilius Paullus. Secunda victoria, Perseo capto, atque in carcere necato, *Macedonia* ordinata, sed libera relicta. C[illegible]

fuerunt, quod contra fœdus bellum pararat, & socios populi Romani Thraces, Thessalos, Græcos, aut bello tentaret, aut ad defectionem sollicitaret. Ad Pydnam in *Macedonia* est summo prælio pugnatum. Res in hunc modum compositæ fuere. *Jussit* Paullus, inquit Liv. XLV. 29. *liberos esse Macedonas habentes urbes easdem, agrosque, utentes legibus suis, annuos creantes magistratus, tributum dimidium ejus, quod pependissent Regibus, pendere populo Romano: deinde in quatuor regiones dividi Macedoniam .... eo concilia sua cujusque regionis indici, pecuniam conferri, ibi magistratus creari jussit. Pronuntiavit deinde, neque connubium, neque commercium agrorum, ædificiorumque inter se placere cuiquam extra fines regionis suæ esse: metalla quoque auri, atque argenti non exerceri, ferri & æris permitti.* III. cum Andrisco, qui se Philippi filium esse mentiebatur, ad cujus falsum nomen universa propè *Macedonia* consurrexit. Huic finem imposuit Q. Cæcilius Metellus, *Macedonicus* ex ea victoria nominatus. Tertia victoria, Pseudophilippo sublato, *Macedonia* in provinciæ formam est redacta. Anno itaque ab U. C. 605. *Macedonia* facta est provincia. Hoc significant Flor. II. 14. 5. qui hac victoria *Macedoniam servitute esse mulctatam*: Jornandes, qui *Macedoniam a Metello superatam colla submisisse, Romanamque provinciam factam* prodit. *Sigon. l. l. Panvin. Imp. Roman. c. 14. Nonn. ibid. p. 122.* Tum verò Thessaliam *Macedoniæ* formulæ esse adscriptam facilè existimarim. Nam eam item hoc bello à Romanis *defensam* scribit Liv. Epit. L. ex quo suspicari licet, eandem, quod cum *Macedonia* defecisset, pariter esse cum *Macedonia* constitutam: cui opinioni apertè Plinius, & Ptolemæus favent, cum Thessaliam in *Macedoniæ* provinciæ fines includunt. Tum quoque *Macedoniæ* provinciæ adjunctos crediderim Taulantios, Parthinos, Dyrrachium, & Apolloniam, quæ eo usque Illyrici fuerant; siquidem & Piso Cæsaris socer *Macedoniæ* proconsul Dyrrachinis, Apolloniatibus, Parthinis & Bullienti bus præfuit, ut testatur Cicer. in Pison. c. 40. Adjicit etiam Strab. VII. p. 226. *Lyncestidem, Pelagoniam, Orestidem, & Elimiotim, quæ omnes ad mare Ionium sunt, superiorem Macedoniam appellatam, à posterioribus autem liberam; fuisse etiam, qui omnem regionem usque ad Corcyram Macedoniam dixerint, quod eadem lingua, eodemque cultu omnes uterentur.* Liberæ meminit Cæs. de Bell. civ. III. 34. *Calvinum in Macedoniam proficisci jubet, cujus provinciæ ab ea parte, quæ libera appellatur, Menedemus princeps earum regionum missis legatis omnium suorum excellens studium profitebatur.* Quin etiam ex eadem Pisoniana apparet, multos Thraciæ populos *Macedoniæ* proconsuli paruisse. Hi fuerunt, partim qui postea ab Ap. Claudio, C. Curione, M. Lucullo Imperatoribus victi sunt, qui omnes *Macedoniam* fortiti cum Thracibus populantibus propè quotidiana bella gesserunt: unde Cicer. de Prov. consul. c. 2. meminit *viæ militaris, quæ per Macedoniam ferret in Hellespontum*; partim, qui cum Asiæ Regibus donati fuissent, ut Cherronenses, quorum idem meminit in Pison. c. 35. post Attali mortem ad populum Romanum reciderunt: unde idem dixit contr. Rull. II. 19. *Jubet venire agros Attalicos in Cherroneso.* His finibus septa provincia, & vectigalis fuit, & prætori jus dicenti obtemperavit. De vectigalibus testis est idem l. l. ubi Pisonis Macedonicum proconsulatum exagitat: *Qui modus*, inquit, *frumenti æstimati, qui honorarii: siquidem potest vi, & metu extortum honorarium nominari: unus æstimator, unus venditor tota in provincia per triennium frumenti omnis fuisti.* c. 36. *Vectigalem provinciam, singulis rebus, quæcunque venirent, certo portorio imposito, servis tuis publicanis à te factam esse meministi.* De jurisdictione inde elicitur, cum ei vitio vertit, quod *contra legem liberis etiam populis jus dicere ausus sit*. Sigon. l. l.

MACELLA est urbs Siciliæ. Polyb. I. 24. *Tunc exscensione in Siciliam facta Macella oppidum vi expugnarunt.* Stephanus: *Macella, urbs Italiæ.* Corruptè, pro Siciliæ. Urbs munita. Colomn. Rostr. inscriptio: *Macellam, munitam urbem pugnando cepit.* Ciaccon. in Columnam. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1821. B.

MACELLARII sunt, qui obsonia vendunt lautiora. Suet. Jul. c. 26. n. 6. *Ea, quæ ad epulum pertinerent, quamvis macellariis oblocata, etiam domesticatim apparabat.* Vesp. c. 19. n. 3. *Convivabatur assiduè: ac sæpiùs recta, ac dapsile, ut macellarios adjuvaret.* Buleng. de Conviv. IV. I. Turneb. Adv. VIII. 8. Tomas. de Tesser. hospit. c. 29. Onomast. Latino-Græc. *Macellarius, ὀψωνοπώλης, ὀψοπώλης. Pitisc. in Suetonii Julium.*

MACELLUM *dicitur locus ubi carnes publicè venduntur.* Plutarch. Quæst. Rom. 59. Imo, in quo omne obsoniorum genus, id est, quicquid ad victum solet vendi. Suet. Jul. c. 43. n. 6. *Dispositis circa macellum custodibus, qui obsonia contra vetitum retinerent.* Pisces. Plaut. Aul. II. 8. 3.

Venio ad macellum, rogito pisces.

Festus. V. illum supr. in *Ludi piscatorii*. Panis, & frumentum. Cicer. de Divin. II. 27. *Si Epicuri de voluptate liber corrosus est, putavit annonam in macello cariorem esse.* Stuck. Antiq. Conviv. II. 11. Donat. de Urb. Rom. III. 10. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 15. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 4. §. 3. Bellor. Fragm. vest. vet. Rom. tab. 11. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 2. Nardin. Rom. Vet. III. 7. Pitisc. in Suet. Jul. c. 26. n. 6. Romæ duo fuerunt: unum in Cœlio, alterum in Esquiliis. Non quod his duobus tantum locis carnes, & pisces venderentur, sed quod illa duo tantum *macella* appellarentur. Aliàs merces illæ ubique venales erant, & majore forsan alibi, quàm in hisce, copia: sive ea loca fora appellata sint, sive emporia, sive quo alio nomine insignita. *Nardin. & Borrich. l. l. Blond. Instaur. Rom. II. §. 25.*

Macellum Corvorum hodie nuncupant partem spatii illius inter Quirinalem, & Capitolium utrique olim modica acclivitate conjunctum. *Donat. de Urb. Rom. I. 19. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 9. §. 4.* Extra Urbem fuisse inde conficitur, quod in Urbe nemo sepeliretur, nisi rarissimo privilegio: neque verò privilegium aliud hic concessum legitur C. Poblicio, quàm locus publicus sepulturæ; sed fuisse intra mœnia, id verò nusquam expressum. *Borrich. l. l.* Ejus sepulcrum V. infr. in *Sepulcrum*.

Macellum Liviani, sive Livianum Victor ponit in Esquiliis. *Donat. de Urb. Rom. III. 10. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 2.* Facili conjectura indagari potest ex antiquo Ecclesiæ S. Viti cognomine dictæ *in Macello*. Sed & Anastasius illius situm luculenter ostendit in Liberio, ubi de fabrica S. Mariæ majoris agens ait: *Hic fecit basilicam nomine suo juxta Macellum Libiæ*, vitiosè sine dubio pro *Liviæ*, quippè quod ab Augusta Livia nomen mutuatum est. Forsan locus hic est, quem à Tiberio sub Augusto dedicatum refert Dio LV. p. 553. C. *Et dedicavit locum Livium nuncupatum unà cum matre, ipseque invitavit senatum in Capitolium. Sed & mater mulieres privatim invitavit.* Neque est quod quisquam putet illic de porticu Liviæ agi, quandoquidem illam jam antea dedicatam tradit LIV. p. 557. D. Quod si verò Tiberius *Macellum* hoc nomine matris consecravit, nullo modo dubitandum opinor, quin & structuræ magnificentia, & ornamentorum splendore fuerit eximium. Faunus ait, ætate sua inter S. Viti, & proximam S. Antonii Ecclesiam plurima eruta fuisse vasa antiqua, colligendo animalium sanguini destinata; multamque ossium copiam, cornuumque, antiqui *macelli* certissimum argumentum. *Nardin. Rom. Vet. IV. 3. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 7. §. 6. Marlian. Topogr. Urb. Rom. IV. 15. Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 341. E.*

Macellum magnum Rufus & Victor collocant in Cœlimontio. *Donat. de Urb. Rom. III. 10. Nardin. Rom. Vet. III. 7. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 2.* Quod epitheton huic est additum ad differentiam *Macelli Liviani*, quod magnitudine superavit. Quanquam aliàs vix credibile videatur, Liviam Augustam *Macellum* ad alterius fecisse similitudinem, quod illud nec operis magnificentia, nec spatii magnitudine antecederet: nisi hoc postea extructum dicere voluerimus, aut saltem ampliatum. *Nardin. l. l.*

MACER cognomentum fuit Liciniorum, à corporis habitu dictum. *Sigon. de Nom. Roman. c. 5.*

MACERIA quid, & quotuplex sit, docet Varr. de Re rust. I. 14. *Quartum fabrile sepimentum est novissimum,*

mace-

materia. Hujus ferè species quatuor, quod fiunt è lapide, ut in agro Tusculano: quod ex lateribus coctilibus, ut in agro Gallico: quod ex lateribus crudis, ut in agro Sabino: quod ex terra, & lapillis compositis in formis, ut in Hispania, & agro Tarentino. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 844. A. Illa in sepiendis fundis, atque hortis utebantur, Erat vulgo munimentum sepulcrorum. V. infr. in *Sepulcrum*.

MACERINUS fuit cognomen Geganiorum, quorum fuit I. T. Geganius *Macerinus* coss. ann. 262. cum P. Minucio. II. L. Geganius *Macerinus*, frater illius, cum P. Valerii Poplicolæ filio in Siciliam tum ad emendum frumentum missus. III. M. Geganius *Macerinus*, qui tres consulatus gessit, in secundo de Volscis triumphavit, ducto ante currum Imperatore illorum Civilio. Gessit & censuram cum C. Furio Pacilio an. 320. IV. Proculus Geganius *Macerinus*, fors M. frater. Consul fuit cum M. Menenio Lanate: qui annus seditionibus, & fame insignis fuit. V. L. Geganius *Macerinus*, tribunus militum consulari potestate an. 377. VI. M. Geganius *Macerinus*, tribunus militum consulari potestate an. 388. *Glandorp. Onom. Rom. p. 380. Strein. de Gent. & fam. Roman. in gens Gegania.*

MACHINÆ sunt molitiones altiusculæ, Isidor. xix. 8. *Machiones, dicti à machinis, in quibus insistunt propter altitudinem parietum.* Intelligit nostros hodie & Gallorum *massones*, sive fabros cæmentarios, qui olim à *machina machiones*, postea *machones*, pronuntiatu illo Hispanico, & Gallico, quo *ch* pingue *S* valet: ut China, Sina. Veteres Græci *μάγγανα* dixerunt. Hesychius: *Μάγγανα, μαγγανεύματα.* Hegesipp. iv. 20. *Manganum sibi quoddam de ligno paravit, quo se necaret.* Lips. Poliorc. i. Dial. 3. Voss. Lex. Etymol.

Machina de bellicis instrumentis propriè ex quorundam sententia dicitur. *Lips. Poliorc. 1. Dial. 3. Voss. Lex. Etymol. Thys. de Oppugn. urb. c. p. 155.* Vetustissima illarum mentio, quam reperio, est in libris sacris. Deut. c. 20. n. 20. *Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, & in ceteros apta usus, succide, & instrue machinas.* 2. Chron. c. 26. n. 15. *Fecit in Hierusalem diversi generis machinas, quas in turribus collocavit, & in angulis murorum, ut mitterent sagittas, & saxa grandia.* Græci, vana sæpè gens, illas sibi tribuunt. Homerum tamen, & id ævum ignorasse, ipsi Scholiastæ Græci tradunt. Nec Statio absque alio auctore temerè accesserim, qui Achill. i. 422. cum facit Græcorum varios populos Achilli ad bellum contribuere & conferre: addit

Murorum tormenta Pylos Messenaque tradunt.

Sed mutalia tunc fuisse tormenta nemo eorum, quos hodie legimus, dixerit, nisi fortè Plinius, qui vult arietem esse inventum bello Trojano vii. 56. Athenæus quidam vetustam satis rem in Græcis videtur facere, sed ævum tamen non definit; tantum Romanos hausisse, & sumpsisse ab illis vi. p. 273. E. *A Græcis machinas, & instrumenta bellica cum didicissent, ipsis eos aggressi sunt.* De quo ego dubito. Nam Romanos quidem jam olim *machinis* usos reperio, imò sub Regibus ipsis. Liv. i. 43. *Addita huic classi duæ fabrum centuriæ, quæ sine armis stipendia facerent: datum munus, ut machinas in bello ferrent.* Ad Periclem auctorem in eadem gente illas refert Diodot. att. p. 302. B. *Struxit machinas primus omnium ante se.* Sed Pericles vixit circa an. 320. cum Servius Tullius vixerit an. 220. id est, seculo toto ante. Non ergo Romani à Græcis. Quid si ab Etruscis? aut à se? quis abnuat, vel affirmet? *Lips. l. l.* Fabricarunt al. las ipsi milites: sic tamen, ut iis certi misti, qui fabrilem omnem artem scirent. Livius modò laudatus. Apud quem mihi suspectum est *ut ferrent*. An enim ipsi suis humeris? haud potuit. L. *facerent*. Hoc enim illorum munus, ut fabricarentur *machinas*, cum iis opus. Dionys. iv. p. 222. in ipsa hac recenturias duas *ὁπλοποιῶν τε καὶ τεκτόνων* facit, id est, qui *armorum fabri, itemque architecti* essent. Hi tales, & postea in exercitu, atque ii scilicet præformabant, dirigebantque opera, etsi milites quoque vulgo adjutarent. Cæsar cum naves subitò reficiendæ essent, *ex legionibus fabros deligit, & ex continenti alios arcessit*, de Bell. Gall. v. 11. His caput unum, & operibus curator, exactorque, qui præfectus fabrum in historiis nominatur, Lips. ibid. iii. 6. Thys. l. l.

Machina vocabatur catasta, in qua servi vendebantur, & qua inclusi prostabant. Hinc *ancillam emere de machinis* apud Q. Cicer. de petit. consul. c. 2. *Turneb. Adv.* viii. 9. xxv. 4. *Salmas. Exerc. Plin. p. 851. G.* V. supr. in *Catasta*.

Machina vocabatur crypta subterranea. Tales sub terra ædificabantur, lapide quadrato struebantur, & concamerabantur, relicto foramine, quod saxo desuper imposito claudebatur. Liv. xxxix. 50. *Admonent deinde quidam esse thesaurum publicum sub terra saxo quadrato septum, eo vinctus demittitur, & saxum ingens, quo operatur machina, desuper impositum est.* Salmas. Exerc. Plin. p. 851. G.

Machina mola vocatur. *Machinam frumentariam* vocat Ulpian. l. 10. ff. de instruct. vel instrum. leg. Hinc *asinus machinarius* vocatur Alphen. l. 60. ff. de legat. iii. est molendarius, qui molit, id est, molam *machina* quadam inclusam volvit, & torquet. Sic *machinalia pondera* pistrinalia vocat Auson. Epist. 7.

Qui machinalis saxa volvunt ponderæ.

Turneb. Adv. viii. 9. Salmas. Exerc. Plin. p. 852. A.

Machina theatralis vocabatur, quæ affigebatur postibus portarum, quæ in scena tragica ut plurimum tres fuerunt, dextra, sinistra, media. Hæ *περίακτοι* dicebantur, quia pro re, ac tempore circumagebantur, ut subitò nuntii, peregrini, cives peregrè revertentes comparerent. Itaque dextra *machina* afferebantur ea, quæ extra urbem acta essent, aut agenda intus forent ex præscripto, propter jura suburbiorum, oppidorum, coloniarum. A Læva reddebantur, quæ in urbe jussu, permissuque populi, aut Principum, vel iis invitis gesta essent. Id quod factum est ab Euripide in Oreste. Item si qua è portu afferrentur, cujusmodi est in Amphitruone, & Mercatore Plauti, in Hecyra Terentii. Prisci tragici etiam deos aquaticos per eam introduxere, Acheloum, Thetin, Proteum, Arethusam. Si quæ personæ *machinis* non circumagebantur, sed pedibus accedebant, per alteram introducebantur. Tertium *ἐγκύκλημα* vocabant: alii *ἐξώστραν*. Erat hæc sedes sublicis elata, strata longuriis, super quibus sella. Destinabatur locus is ad ea recitanda, quæ secretò patrata essent in ædibus: qualia in Oedipode Sophoclis, Plauti Amphitruone, Casina, & aliis. Quartum genus, quod in summa trepidatione remedia arcessebat humanis majora. Demissa namque deos ostendebat ex improviso. Id quod etiam ad proverbium rerum desperatarum traxere, *θεὸς ἀπὸ μηχανῆς*. Plurima exempla tragicis omnibus, & in Plauti Amphitruone. Alterum ejusdem *machinæ* officium, quum veheret per aerem heroas: veluti Theopolemum, Medeam, Perseum, Bellerophontem. Quintum genus, quo rapiebantur personæ, *γέρανος* dictum. Hoc in fabulis Aurora Memnonem rapuit, Boreas Orithyam. *Scalig. Poet.* i. 21. *Buleng. de Theatr.* i. 21. & 22. *Rhodig. Ant. Lect.* viii. 8. *Salmas. de Mod. usur. c. 7.*

MACHINARII dicuntur illi artifices, qui ab optimo ingenio vulgo ingegneri dicti. Ita *machinarius mensor*, de quo l. 7. ff. si mensor. ille est, qui notiora in metiendo utitur; prout qui probat opera fabrorum materiariorum. Verùm cum *asinum machinarium* inveniam, l. 60. ff. de Legat. iii. illum credo, quo uti possimus ad omnes tractorias, seu vectorias *machinas*. Quare *machinarii* tori piscarii forte piscium vectores. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. xi. p. 847. C.*

MACROBIUS fuit præfectus cubiculi Honorii Principis. In ejus gratiam, cum doctrina, ac prudentia excelleret, omnes præpositi sacri cubiculi, magistris militum æquati, Illustres sunt declarati, l. 1. C. de præpos. sacr. cubic. Nescio, an is *Macrobius* sit, qui Scipionis Somnium interpretatus, Saturnalia celebravit, & Illustris cognominatur. *Pancirol. Notit. Imp. orient. c. 61.*

MACROCOLUM, sive *macrocollum*, est octavum, & ultimum genus omnium chartarum, quas Plinius suis de papyro capitibus nominatim persequitur. Ita ille xiii.

12. *Pe-*

12. *Pedalis erat mensura, & cubitalis macrocollis*. Magnitudine reliquas chartarum species longè excellebat, quippè quod mensuram sexdecim digitorum, nec raró quatuor supra viginti attingebat. Habebatur tamen inter illaudatas, quod volentes unam ex eis membranam rescindere, non sine injuria aliarum tæniarum, & dilaceratione plurium plagularum moliri id possent. *Guiland. Papyr. membr.* xix. *n.* 1. Gemino LL. scribit *Guilandinus*, simplici L *Scalig. in Guiliand. p.* 47. *Voss. Lex. Etymol.* qui tamen gemino LL scribendum contendit *de Art. gramm.* I. 37. Non erat eadem quæ Claudia. V. supr. in *Charta Claudia*, sed quam *regiam vocat* Catullus supr. in *Charta regia*. Guiland. & Voss. l. l.

MACTEA quæ dicitur Suet. Cal. c. 38. n. 7. *Multis venenatas macteas misit*, ματτύη vocatur Athen. xiv. p. 663. *Dausq. Orthogr.* II. *p.* 194. Cibus fuit omnis opiparus, & splendidus. Athenæus: *Hunc cibum plebejum, ac promiscuum, & communem mazam appellarunt, & μάττειν ipsum mistura praparare. Postea verò edulium necessarium illud intemperantius variantes, & curiosius, appellatione maza nonnihil detorta, epiparum, & splendidum omnem cibum mattyam nuncuparunt, ac ματτυάζειν, illum apparare, quicunque sit, piscis, avis, olus, victima, moretum, alliatum*. Turneb. Adv. xxii. 6. Rhodig. Ant. Lect. ix. 12. Rader. in Mart. x. 53. 4. Pontan. in Macrob. Sat. II. 8. Pitisc. in Suetonium.

MACTARE *est verbum sacrorum κατ' εὐφημισμὸν dictum, quasi magis auctum: unde & magmentum dicebant quasi majus augmentum. Olim enim hostia immolata dicebantur mola salsa tacta: cum verò icta, & aliquid ex illis in aram datum, mactata dicebantur per laudationem, per ominis boni significationem. Mactare est propriè magis augere*. Serv. in Æneid. iv. 57. Prisca superstitione scæva proferre verba, ne vitiarentur sacra, nefas erat. Et hinc *mactare* pro occidere. V. & infr. in *Macte*. Voss. Instit. Orator. iv. 10. §. 9. Lex. Etymol. Schott. Nodor. Ciceron. iv. 4. Brisson. de Form. I. p. 28. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14.

MACTE vim, & naturam habet adverbii, ac propemodum interjectionis. Præter enim affectum quendam nihil significat, hoc tantummodò à specie interjectionum diversum, quod vox sit artificialis, non naturalis, & incondita. Est enim gratulantis, & approbantis alienam virtutem. Horat. Sat. I. 2. 32.

— macte
Virtute esto, inquit sententia dia Catonis.

De Ascanio supra ætatis conditionem fortia patrante Virg. Æneid. ix. 641.

Macte nova virtute puer, sic itur ad astra.

Senec. Epist. 66. *Macte virtute esto, sanguinolentis, & ex acie redeuntibus dicitur*. Nann. Miscell. III. 29. Brisson. de Form. iv. p. 348. Faber Semest. I. 19. Adverbium esse, neque variationem finis admittere, nunquam quisquam mihi persuasit. Perinde est enim, ac si dicas, *aucte* adverbium esse: nam *macte*, magis aucte. Catull. LXIV. 25.

Teque adeò eximie tædis fœlicibus aucte.

Potuit *macte*. Et quod Virgilius: *macte puer*, hoc idem erat, aucte puer. Et suum habet pluralem. Liv. vii. 36. *Macti virtute Romani milites estote*. Plin. II. 12. *Macti ingenio cœli interpretes*. Curt. iv. I. 18. *Vos quidem macti virtute, inquit, estote*. Palmer. Spicil. iv. p. 673. Fruter. Verisf. II. 21. De *macte* quod petis, planè tractandum est nobis non κριτικῶς, neque ἱστορικῶς, sed τεχνικῶς. A significatione igitur *mactum* veteres Romani vocant auctum: herbam adultam Cato vocavit *mactam*, nempè quod ita aucta esset: *macta* hostia, quum frugibus, & mola aucta erat. Sic *macta* ara, quod verbenis aucta, & cumulata. *Mactare* hostiam postea pro cædere hostiam dicebant, κατ' εὐφημισμὸν, ne cædem nominarent. Quare *mactare* pro cædere: quia nunquam cædebatur hostia, nisi frugibus *macta* esset: à præcedentibus consequentia, ut vulgò rhetores, & dialectici scholiastici loquuntur: ut veteres Chrysippei ἀπὸ τῶν προηγουμένων τὰ ἐπιφερόμενα. Nunquam *mactabant* hostiam, quin dicerent, *macta esto hac mola salsa*. Sic quum deo alicui vinum libabant, *macte hoc vino esto*. Sed cur vocandi casu *macte*? In hoc quoque est τεχνικὸν Grammaticorum. Nam *mactus* esto dicendum erat; sed utriusque linguæ auctores ita loqui solent. Theocr. Eidyll. 17. 66.

— ὄλβιε κῶρε γένοιο.

Tibull. I. 8. 53.

Sic venias hodierne.

Pers. Sat. III. 28.

Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,
Censoremne tuum vel quod trabeate salutas?

Dicendum fuerat: ὄλβιος, hodiernus, millesimus. Quare & *macte esto*, pro *mactus*, Scalig. Epist. I. 20. Fruter. & Palmer. l. l. Voss. Lex. Etymol. Serv. in Virgilium.

MAD.

MADRELLA est ludus, quem etiam hodie pueri apud nos usurpant, in quo quatuor lineæ quadræ foris, quatuor alias lineas includunt, quæ media linea quasi diametro secantur, & tres unus ex collusoribus bacillos, totidem alius variis locis collocant, & id studiosè agunt, ut tres bacillos suos in eadem linea contineant. Meminit illius ludi Ovid. Art. Amand. III. 365.

Parva tabella capit ternos utrinque lapillos;
In qua vicisse est, continuasse suos.

Trist. II. 481.

Parva sedet ternis instructa tabella lapillis,
In qua vicisse est, continuasse suos.

Buleng. de Lud. vet. c. 4.

MÆC.

MÆCIA tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

MÆS.

MÆSA pars marmorei ædificii exsurgebat in hortis Columnensibus in monte Quirinali, jam diruta. Blondus infr. in *Turris Mæcenatiana*, turrim Mæcenatis falsò nuncupat. Ubi enim hic Esquiliæ? & Neronianis tædis ardens in conspectu Roma? Alii partem templi Solis pronuntiant, quod ab Aureliano, auctore Flavio Vopisc. c. 5. exstructum est ad eam formam, quam viderat in oriente; quod vestibus & opibus in triumpho vectis instruxit. Quid si ædificium illud partem senaculi, seu curiæ fuisse dicerem, quam Heliogabalus in Quirinali mulieribus extruxit ad conventus habendos, quibus avia ipsius *Mæsa* nomine, & mater Soæmis præsiderent? De illo Lamprid. c. 4. Quod duplici conjectura elicitur. I. præbet nomen: *Mæsa* enim dicebatur, ut avia Heliogabali. II. ipsius ædificii forma. Serlius enim architectus sic eam nobis lineavit, ut domicilii planè figuram descripserit frequentibus (quod postulabat ædificii situs in clyvo) aulis, peristylis, ac porticibus. Lampridius: *Fecit & in colle Quirinali senaculum, id est mulierum senatum, in quo ante fuerat conventus matronalis sollennibus duntaxat diebus*. Donat. de Urb. Rom. III. 15.

MAF.

MAFORTIUM, *maforium, mavorte, mavortes*, & *mavortium* fuit capitis muliebris ornamentum, & operimentum. Achmes Oneir. c. 265. *Si mulier per quietem viderit, maforium sibi ab aliquo per vim esse ablatum, vel prorsus abscissum: maritus ejus morietur, aut in universum ab ea divertet*. Ratio somnii est, quod mulieris caput vir est. Ad quod illustrandum faciunt verba Isidor. xix. 25. *Vocatam dicunt Mavortem, quasi martem. Signum enim maritalis dignitatis, & potestatis in eo est: Caput enim mulieris vir est: inde & super caput mulieris est*. Idem erat, quod prioribus ricinium. V. Servium & Nonium infr. in *Ricinium*. Ferrar. de Re Vest. I. 2. 25. Salmas. in Vopisc. Aurelian. c. 45. Meurs. Glossar. Græco-barb. p. 428. Voss. Lex. Etymol. in Rica. Du Fresne Glossar. Tom. II. p. 341. Fuit etiam monachorum. Cassian. I. 7. *Post hæc angusto pallio tam amictus*

hume-

humilitatem, quam vilitatem pretii, compendiumque sectantes, colla pariter atque humeros tegunt: quod mafortes tam ipsorum quàm nostro nuncupatur eloquio. Mafortes est ὁ μαφόρτης, τῆς μαφόρτης. Unde *mafurtium* Nonio. Ejus enim diminutivum τὸ μαφόρτιον. Extrita litera *mafortum*. Et ita recentiores Græci passim appellaverunt. Etiam glossæ Arabicolatinæ: *Mafortium, fascialis, id est, angustum pallium, quo utuntur monachi, collum pariter, atque humeros tegens.* Meurs. Du Fresne, & Salmas. l. l. Meursius pro *fascialis* legit *facialis*, id est, φακιόλιον. Sed errat. Nam *facialis* nihil est. Nec *facialis* φακιόλιον est, cum sit idem quod σφενδόνιον, & fasciam, vel vittam, qua caput cingitur, significat. Mihi placet legi, *fascia capitalis*: hoc est, κεφαλόδεσμος. Nam κρήδεμνον, quod μαφόριον esse dicunt, κεφαλόδεσμον etiam exponunt Grammatici. Ad verbum est fascia capitalis. *Salmas. l. l. & c. 48.*

MAG.

MAGADIS est tibia, quæ acutum, & gravem sonum efficit. Athen. IV. p. 182. *Quam magadin, & palaeomagadin nuncupant, eadem fistula gravem & acutum sonum edit, ut inquit Alexandrides in Hoplomacho:*

Magadin loquar alta simul, & summissa voce.

Unde & vetus verbum, *loquar ut magadis, acuta & gravi voce.* Hesych. *Magadeis tibia ad citharam, instrumentum psallendi: unde etiam psallere dicunt magazein.* De illa plurima Athen. XIV. p. 634. . . . . *Buleng. de Theatr. II. 26. Meurs. Lect. Attic. IV. 20. Rhodig. Ant. Lect. IX. 4. Gyrald. de Poet. dial. IX. p. 481. B.*

MAGICI pueri recensebantur inter artifices voluptatum. De illis Apul. Apol. p. 474. *Memini me apud Varronem legere: Trallitanis de eventu Mithridatici belli magica percontatione consulentibus, puerum in aqua simulacrum Mercurii contemplantem, quæ futura erant centum sexaginta versibus cecinisse. Itemque Fabium, cum quingentos denarios perdidisset, ad Nigidium consultum venisse: ab eo pueros carmine instinctos indicasse, ubi locorum defossa esset crumena cum parte eorum, cæteri ut forent distributi: unum etiam denarium ex eo numero habere M. Catonem philosophum, quem se à pedissequo in stipem Apollinis accepisse Cato confessus est. Hæc & alia apud plerosque de magicis pueris lego.* Lucas Act. Apost. c. 16. n. 16. *Puella habens spiritum Pythonem quæstum magnum præstabat dominis suis divinando.* Pignor. de Serv. p. 355.

MAGISTER est propriè nomen potestatis. Est enim ἐπιστάτης, sive præfectus: unde *magister* curiæ apud Plaut. infr. in *Magister curiæ.* societatum apud Cicer. pro Planc. c. 13. collegiorum apud Ascon. in Cicer. p. 159. vicorum apud Suet. Tib. c. 76. n. 3. & Ascanium, pagorum in inscriptionibus antiquis, item in fragmento Magonis, & Vegojæ libris census in codice, pecoris apud Varr. de Re rust. II. 10. Paull. l. cui ff. 50. *Cui præcipua rerum cura incumbit, & qui magis quàm cæteri, diligentiam, & sollicitudinem rebus, quibus præsunt, debent, hi magistri appellantur, quin etiam ipsi magistratus per derivationem à magistris cognominantur. Unde etiam cujuslibet disciplinæ præceptores appellari à monendo, vel monstrando.* Festus: *Magistrare, moderari, unde magistri non solum doctores artium; sed etiam pagorum, societatum, vicorum, collegiorum, equitum dicuntur, quia omnes hi magis cæteris possunt: unde & magistratus, qui per imperia potentiores sunt quàm privati.* Voss. Lex. Etymol. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 9. Perion. de Græcor. & Roman. magistrat. 1. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IV. p. 2760. D. Blond. Triumph. Rom. III. p. 55. A. Dacer. in Festum. Columb. in Lactant. c. 7. Pitisc. in Suet. Aug. c. 30. n. 1.

Magister admissionum. V. illum supr. in *Admissionales.*

Magister archivi. V. illum supr. in *Archeota.*

Magister auctionis dicebatur, qui ex corpore creditorum, prætore permittente, constitutus debitoris bona auctioni subjiciebat: iisque dividendis ita præerat, ut ei, qui plurimum liceretur, rem addiceret. Ejus enim, qui multis debebat, latitabatque, neque defendebatur, creditores prætorem adibant, apud illum querebantur, bonorumque possessionem petebant: quam & prætor dabat, atque in diem certam ei possidebant. Quæ cum venerat, prætorem rursus adibant, petebantque sibi ut liceret unum è suo numero deligere, qui bonorum venditioni præesset. Et is *magister* dicebatur. Julian. l. 5. ff. de curat. bon. dand. Cicer. ad Attic. I. 1. *Una agebant cæteri creditores, in quibus erat Lucullus, & P. Scipio, & is, quem putabant magistrum fore, si bona venirent, L. Pontius.* pro Quint. c. 15. *Cui magistri fiunt, & domini constituuntur, qui qua lege, & qua conditione pereat, pronuntient.* Is in compitis celebribus, & frequentibus urbis locis tabulam proponebat, se debitoris bona venditurum, his verbis: *Titius debitor noster incidit in causam venditionis bonorum: nos creditores ejus bona vendemus; qui volet, emptor accedat.* Hanc proscriptionem *magistri carmen* appellat Cicer. de Orat. I. 57. *Ut totum illud, uti lingua nuncupasset, non in XII. tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri carmine scriptum videretur.* Turneb. Adv. XXIII. 34. Sigon. de Judic. I. 18. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 9.

Magister Augustalis dicebatur, qui collegium Augustalium moderabatur, juxta cum collegis, quos modò sex fuisse constat ex lapidibus. Hinc duumvir, quartumvir, sevir Augustalis in eisdem frequentissimè. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XI. p. 848. E.* In honorem imperatoris communibus impendiis viam sternendam curabat. Illorum mentio est in inscriptione, quæ extat in tabula marmorea in horto Ecclesiæ cathedralis urbis Castellanæ in Faliscis apud Gruter. p. 149. n. 5.

HONORI S

IMP. CÆSARIS. DIVI. F

AUGUSTI. PONT. MAXIM

PATR. PATRIÆ. ET. MUNICIP

MAGISTRI. AUGUSTALES

C. EGNATIUS. M. L. GLYCO

C. EGNATIUS. C. L. MUSICUS

C. JULIUS. CÆSAR. ISOCRYSUS

Q. FLORONIUS. Q. L. PRINCEPS

VIAM. AUGUSTAM. AB VIA

ANNIA. EXTRA. PORTAM. AD

CERERIS. SILICE. STERNENDAM

CURARUNT. PECUNIA. SUA

PRO. LUDIS

Bergier. de Viis milit. I. 24. 3.

Magister bibendi dicebatur, qui leges in convivio bibendi ferebat. Cicer. de Senect. c. 14. *Me vero & magisteria delectant à majoribus instituta, & is sermo, qui more majorum à summo adhibetur in poculo.* Lamprid. Heliog. c. 19. *Præfectum urbicam sæpè post cœnam ad potandum vocabat, adhibitis & præfectis prætorio, ita ut si recusarent, magistri eos cogerent.* Lips. Ant. Lect. III. p. 149. V. & supr. in *Arbiter.*

Magister census dicebatur, apud quem testamenta aperiebantur, publicabantur, actis inferebantur. Fiebat hoc gratuitò, si hæreditas centum aureos non excedebat, l. 18. & l. consulta 23. C. de testam. l. repetita 41. C. de episc. & cleric. Donationes quoque, quæ aureos quingentos non excedebant, insinuabantur, l. in hac 30. & l. secundum 32. C. de donat. Acta, & decreta senatus scribebantur, l. omnia 2. C. de princip. agent. in reb. Præmia à coss. aut prætoribus in curia certaminibus proponenda, & pecunia in spectacula impendenda deponebatur. Symmach. Epist. ad Theod. Aug. 21. *Cum argenti publici ratio quæreretur, quod censualibus editores munerum contulerunt, repertum est quosdam debitum Reipublicæ non dedisse.* Qui Romam discendi causa veniebant, huic literas suorum præsidum ostendere tenebantur, quibus eorum oppida, natales, & merita exprimebantur, & ipsi profiteri debebant, quibus studiis operam essent daturi, sua hospitia indicare, & post ætatis annum primum & vigesimum Roma excedere, l. 1. C. de stud. liber. urb. Rom. Singulis mensibus peregrinos, qui? undeve essent, & quid agerent? inquirebat, & otiosos in patriam remittebat. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c. 9. Bulengn. de Vectig. c. 13.* Sedebat in Urbe; in provinciis, qui ejus vices supplebant, ut moderatores earum, vel defensores civitatum. Optat. Milevit. de schism. Donat. I. *Brevis*

auri

auri & argenti sedenti Caciliano traditur, adhibitis testibus. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 9.

Magister collegii augurum dicebatur, qui inter eos major erat, & ætate reliquos anteibat, eisque præerat. *Argol. in Panvin. de Lud. circens.* II. 2. *Buleng. de Augur. & auspic. c.* 11.

Magister collegiorum quale obierit munus, constat ex Ascon. Cicer. p. 159. *Solebant magistri collegiorum ludos facere, sicut magistri vicorum faciebant compitalitios pratextati.* Ex quibus opinor, in coloniis illa obiisse munera, quæ *magistri* vicorum in Urbe, pro ludis compitalitiis. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 848. *D.*

Magister curiæ vocabatur divisor nummorum, quos nomine candidatorum inter tribus viritim dividebat. Plaut. Aul. I. 2. 29.

Nam noster nostra qui est magister curia,
Dividere argenti dixit nummos in viros.

III. 2. 2.

—— *nam neque quisquam curialium.*
Venit, neque magister, quem dividere argentum oportuit.

Aulularia quum sit comœdia palliata, videtur esse, quam Græci φρατριάρχην appellant. Ut enim curia pars est tribus Romanis; tribum enim unamquamque in decem curias Romulus est partitus; sic & Græcis φρατρίαι. Græca ad consuetudinem Romanam traducta sunt. *Turneb. Adv.* XXIV. 23. *Brod. Miscell.* VI. 10. *Boreal. Thes. Crit. Grut. Tom.* I. *p.* 263. *Revard. Var.* II. 16. *Bad. in Pandect. p.* 236. *G. Guther. de jur. man.* II. 10.

Magister dispositionum scrinii dici non posset illarum comes. Hoc ut negem, motus sum hac ratione, quod nullus sit in scrinio dispositionum proximus. Hæc enim sunt *συνώνυμα*, proximus & *magister*. Et comites dispositionum proximos fuisse puto, queis in dispositionibus Principis nomen hoc inditum est. *Cujac. ad tit. l.* 1. *C. de Proxim. sacror. scrin.* Huic opinioni lex ipsa 1. C. de proxim. comit. dispos. refragatur, quæ clarissimos viros proximos scriniorum, & *magistros* dispositionum vicariorum ordini copulat. Frustra ergo *magistri* nomen dispositionum comiti denegatur: ut frustra proximum scriniorum mutato nomine fuisse scriniorum principem asseritur: cum ubique scriniorum proximi à comitibus, vel *magistris* dispositionum distinguantur. Ut plurimum comites dispositionum vocantur. Sed hoc nihil officit rei veritati. Nam sæpè & *magister* militiæ dicitur comes militiæ, ut probant inscriptiones legum, in quibus Stilico, & cæteri *magistri* militiæ comites utriusque militiæ leguntur. Nullam aliam curam habuit, quàm ut dispositiones, & libros Imperii asservaret, & scrinii, in quo recondita erant, curam gereret. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 6. *Salmas. inЛамprid. Alex. Sev. c.* 31.

Magister epistolarum Augusto imperante nondum fuit inventus; siquidem suas ipse epistolas scribebat, aut dictabat, quas postea M. Agrippæ, aut Mæcenati emendandas, vel eorum arbitrio mutandas tradebat. Dio LI. p. 444. D. *Agrippa, & Macenati tantam potestatem dedit Casar in rebus omnibus, ut literas quascunque ad senatum, vel alios mitteret, ipsi prius legere possent, & in iis, qua vellent, immutare: cujus rei gratia annulum ab eo acceperant, quo literas obsignarent.* Suet. c. 50. n. 1. *In diplomatibus, libellisque, & epistolis signandis initio sphinge usus est .... Ad epistolas omnes, horarum quoque momenta, nec dies modo, sed & noctis, quibus data significarentur, addebat.* Proximi Augusto successores & ipsi epistolas per se habebant, aut dictabant. Philo Legat. ad Cajum p. 1029. B. *Tum brevi mora interjecta cuidam ab epistolis dictat responsum ad Petronium.* Suet. Domit. c. 13. n. 4. *Pari arrogantia, cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit.* Non multò pòst inventus est *magister* epistolarum, & quidem Græcarum, ut in Notit. imp. orient. c. 94. dicitur, *qui epistolas, qua Græcè solebant emitti, aut ipse dictabat, aut Latine dictatas transferebat in Græcum.* Hic Nerone imperante institutus est. Nam Joseph. Ant. XX. 14. scribit *Beryllum, qui Neronis pædagogus erat, scribendis ejus Græcis epistolis fuisse præfectum.* Et Nymphidianum Smyrnæum philosophum Maximi & Claudiani sophistarum germanum *Julianus apostata dictandis epistolis, qua Græca lingua conficienda essent, præfecit* apud Eunapium p. 137. Epistolarum *magistris* postea usi sunt & alii Imperatores. Talem Suetonium Tranquillum, duodecim Cæsarum scriptorem nobilissimum habuit Adrianus teste Spartian. c. 11. Hic accepto à Principe rerum argumento aliis scribentibus dictabat. Zeno A. l. ult. C. si contr. jus vel util. publ. *Spectabiles*, inquit, *magistri scriniorum, qui sine præfata adjectione qualecunque divinum rescriptum dictaverint, reprehensionem subibunt. Legationes*, ut ait Notit. l. l. *civitatum, consultationes, & preces tractabat.* Legationibus enim Regum, aut civitatum intererat, ut postulata intelligeret, & responsa scriberet. Prius tamen in auditorio præfecti prætorio desideria legatorum nulla facta determinatione examinabantur, postea in Principis consistorio ab Epistolaribus recitabantur, qui demum ex sententia Principis responsum acceptum scribebant, l. quotiescunque 10. C. Præsidibus quoque de facti specie dubia consulentibus ea Principis sententia rescribebat. Hæc consultatio vocabatur. Ulpian. l. 1. §. 1. de appell. *Si præses provincia consulueris, & ad consultationem ejus est rescriptum, appellandi jus superest.* Panciroll. Notit. Imp. orient. c. 96. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 3. Ursar. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. p. 528. D. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 9.

Magister equitum dicebatur, inquit Varr. de Ling. Lat. IV. 14. *quod summa potestas hujus in equites, & accensos, ut est summa in populum Romanum dictatoris: unde is quoque magister populi appellatus est.* Moris autem erat, ut à dictatore diceretur noctu, simul atque creatus fuerat dictator. Liv. IV. 13. *Cincinnatus dictator à consule dicitur: ipse deinde C. Servilium Ahalam magistrum equitum dicit*, & c. 21. laudatus supr. in *Dictator*. Pompon. l. 19. ff. de orig. jur. *Et his dictatoribus magistri equitum jungebantur, sic quo modo Regibus tribuni celerum: quod officium fere tale erat, quale hodie præfectorum prætorio.* Aurel. l. 1. ff. de offic. præf. prætor. *Cum apud veteres dictatoribus ad tempus summa potestas crederetur, & magistros equitum sibi eligerent, qui associati participes cura militia gratia secundam post eos potestatem gererent.* Hotman. de Magistrat. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1871. F. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 20. Hugo de Milit. Equest. V. 2. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 8. Panvin. Fastor. I. p. 71. Laz. Comm. Reip. Rom. IV. 9. Volaterr. Comm. Urban. XXIX. p. 1099. Alexand. Gen. IV. 23. Pompon. Læt. de Magist. Roman. c. 16. Flocc. de potest. Roman. II. 9. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 696. E. *Primus magister equitum creatus est Sp. Cassius*, an. ab U.C. 255. Liv. II. 18. *August. de Fam. Roman. in Cassia. Hugo & Flocc. l. l.*

Magister factionum quis fuerit dictus V. supr. in *Dominus*.

Magister fani dicebatur, cui fani cura commissa erat. Inscriptio Capuæ:

Q. PETICIO M. F. FAL
MAG. FANI DIANÆ

Guther. de Vet. jur. Pont. III. 3.

Magister gladiatorum dicebatur lanista, qui illos docebat. Cicer. de Orat. III. 23. *Magister hic Samnitum summa senectute est.* Lips. Saturn. I. 15. Thys. de Gladiat. p. 220.

Magister Larum dicebatur, qui larario præfectus erat. Lapis vetus:

MARTI AUGUSTO
L. JUNIUS. MAURUS. LARUM. AUG
MAGISTER. DEDIT

Dictus est, ut *magister* sacrorum, fani ... qui inscriptionibus frequentissimi. Fuit tamen alius ab eo, de quo Suet. Domit. c. 17. n. 4. *Puer, qui cura Larium cubiculi ex consuetudine assistens ....* Pueri illius munus fuit, ut eam curam, diligentiamque adhiberet, qua in larario recte disposita omnia essent. *Guther. de Vet. jur. pont.* III. 10. *de Offic. dom. Aug.* III. 29. *Laurent. var. sacr. gentil. c.* 14.

Magister libellorum inventus est ab Imperatoribus posterioribus Augusto. Hic enim libellos preces offerentium con-

continenter per se expediebat, & signabat. Suetonius laudatus supr. in *Magister epistolarum*. Et diu principes ipsi libellis subscripserunt. Lamprid. Comm. c. 13. *Commodus in subscribendo tardus, ac negligens, ita ut libellis una forma multis subscriberet*. Sed cum hoc opus Principes fastidire cœpissent, hic *magister* plures scriniarios habuit, qui responsa à Principe accepta scribebant. Sub tempus Notitiæ xxxiv. erant sub hoc *magistro* libellenses vocati, l. hac parte C. de proxim. sacr. scrin. qui libellos supplices privatorum, non civitatum accipiebant. *Magister* eos Principi oblatos legebat, & ipse adnotabat, l. ult. C. de divers. rescr. aut libellensibus responsa dictabat dict. l. ult. *Tractabat*, inquit Notit. imp. orient. c. 94. *cognitiones & preces*. Cognitio est causæ discussio, & examinatio, cum litigantes audiuntur. Ulpian. l. solent, in princ. ff. de offic. proconf. *Solent proconsules custodiarum cognitionem mandare legatis, scilicet, ut præ auditas custodias ad se remittant*. Cum ergo ad Principem ab ejus delegato appellabatur, causam cognoscebat pro Principe quæstor, & præfectus prætorio qui erat in comitatu: cognitionem verò hic *magister* tractabat, & acta libellenses scribebant. Theodos. A. l. præcipimus §. huic C. de appell. Et ideò etiam *magister cognitionum* vocatur. Ita Cratinum appellat Justin. l. 2. §. quæ omnia C. de vet. jur. enucl. in Græca constitutione. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 97. Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 3. *Buleng. de Imp. Rom.* I. 14.

Magister memoriæ, inquit Notitia, *adnotationes omnes dictat, & emittit, & precibus respondet*. Quod Princeps verbo respondebat, *magister* proximo breviter *dictabat*, & ille, vel memoriales adnotabant, & ab his, quæ dictabantur, excipiendis exceptores vocabantur, cæteris aliquanto digniores. *Emittebat* n. diplomata ad currendum equis publicis nomine Principis, vel magistri officiorum, l. in sacris C. de palat. sacr. largit. *Precibus respondebat*, id est, dictabat responsa, quæ Princeps libellis supplicibus dabat. Zeno l. ult. C. de divers. rescr. *Universa rescripta, sive in personam precantium, sive ad quemlibet judicem manaverint: quæ vel adnotatio, vel quævis pragmatica sanctio nominentur: sub ea conditione proferre præcipimus, si preces veritate nitantur*. Panciroll. Notit. dignit. Imp. orient. c. 95. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 3. Buleng. de Imp. Roman. I. 14. Laz. Comm. Reip. Roman. II. 4. Valef. in Ammian. xv. 5.

Magister militiæ successit legato, qui ab Imperatore ad regendum exercitum mittebatur, & cui milites tam pacis, quàm belli tempore obtemperabant. Veget. II. 9. *Imperatores ex consularibus ad exercitum mittebantur, quibus legiones & auxilia universa obtemperabant in ordinatione pacis, vel necessitate bellorum, quorum loco nunc illustres viros constat magistros militum substitutos, à quibus non una tantum legiones, sed & plures gubernabantur*. A quo sit inventus, non constat. Certum est post Alexandrum à posterioribus Principibus introductum. Metaphrastes Theophilum *magistrum* equitum sub Decio, & Veturium sub Diocletiano nominat *magistrum* peditum. Aurelianum quoque, qui mox imperavit, *magistrum* militum per Thracias Fl. Claudii fuisse scribit Vopisc. Aurel. c. 17. *Tuo magisterio milites uti volo*. c. 18. *Equites sanè omnes ante imperium sub Claudio Aurelianus gubernavit, quum offensam magistri eorum incurrissent, quod temerè Claudio non jubente pugnassent*. Cæterum cum præfecti prætorio ubique ordinandi, & puniendi milites potestatem haberent, Constantinus, militari imperio ipsis adempto, duos *magistros* militum instituit, alterum equitum, alterum peditum, qui omne jus in milites haberent, ut auctor est Zosim. II. 33. quod in occidente semper est observatum. Theodosius verò, ut omnibus ex partibus hostibus occurreret, plures *magistros* militum creavit, ut scribit Zosim. IV. 27. qui mox ad numerum quinque in oriente sunt redacti. In occidente duo permanserunt, alter equitum, peditum alter; qui in Principis comitatu degebant, & tanquam apud eum manentes, *in præsentis* sunt vocati, l. pen. C. de apparit. mag. mil. His Justinianus in Polemoniaco Ponto Armeniis, aliisque adjacentibus regionibus Zetaui *magistrum* militum addidit, l. ult. C. de offic. mag. mil. Horum fermè eadem potestas erat in milites, quæ præfectorum prætorio remansit in provinciales, l. pen. C. de offic. P. P. orient. d. l. 1. & 2. C. de offic. mag. mil. Civiles enim, criminalesque illorum causas audiebant, l. 1. & 2. laud. & terminabant, l. de milit. C. de custod. & exhib. reor. Hanc secundam post Principem dignitatem fuisse scribit Hieron. in Ezech. xxiii. *Tristata*, inquit, *apud Græcos nomen est secundi gradus post regiam dignitatem, quos nos magistratus utriusque militiæ, & præfectos annonarii tituli vocamus*. Inter alia comitibus, & *magistris* militum inductum erat privilegium, ut gratis in balneis publicis civitatum lavarentur, C. l. 1. cap. in rei milit. cani. vel trib. lava. præf. *Magistris* successere qui hodie *Generales exercitus* vocantur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 31. Buleng. de Imp. Rom.* III. 12. *Salmas. in Vopiscum*.

Magistri navium dicebantur, qui singulis navibus præerant. Liv. xlv. 42. *Dedit sociis navalibus in singulos denarios septuagenos quinque, gubernatoribus, qui in navibus fuerant, duplex, magistris navium quadruplex*. xxix. 25. *Ex omnibus navibus gubernatores, & magistri navium, & bini milites, ut convenirent, edixit*. Scheffer. de Milit. nav. IV. 6.

Magister obsonii vocabatur famulus, qui obsonia scindebat. Senec. de Vit. beat. c. 17. *Et est aliquis scindendi obsonii magister*. Lipf. in Senecam. Demster. Paralip. ad Antiq. Roman. Rosin. v. 29.

Magister officiorum officiis, id est, ministeriis, seu Principi ministrantibus præerat. Nomen officii, etsi multa significat, hic pro ministerio accipitur, ut apud Marc. l. legatis, §. si ea off. ff. de legat. III. *Si ex officio quis ad artificium transierit, officium artificio mutatur*. Adaucus martyr Diocletiani Imperatoris *magister* officiorum, & quæstor fuit. Euseb. VIII. 23. Non tantum Palatinis, & Principis ministris, ac scholis palatii arma tractantibus imperabat, sed & fabricis, & limitaneis ducibus, vel comitibus, l. pen. C. de offic. mag. offic. à quibus ad *magistrum* officiorum, & quæstorem appellabatur, l. penult. C. de appell. *Magisteriam dignitatem* vocant jura §. 1. in proœm. ff. §. 1. in prim. constit. C. l. 2. §. hoc etiam C. de offic. P. P. Afric. & Cassiod. Var. VI. 6. qui ejus præcipuum munus fuisse dicit, ut Principi senatores offerret. *Ad eum*, inquit, *palatii pertinet disciplina: ipse insolentium scholarum mores procellosos moderationis suæ terminis prosperè differenat... Per eum senator veniens nostris præsentatur obtutibus, admonet trepidum, componit loquentem, sua quinetiam solet verba inserere, ut nos decenter omnia debeamus audire. Aspectus Regi haud irritus, promissor collocutionis nostra, gloriosus donator aulici consistorii, quasi quidam lucifer: nam sicut ille venturum diem promittit, sic iste desiderantibus vultum nostræ serenitatis attribuit. Causarum præterea maximum pondus in ejus audientia finibus optima securitate reponimus. Veredorum quinetiam oportunam velocitatem, quorum status semper in cursu est, diligentia sua districtione custodit: ut solicitudines nostras, quas consilio juvat, beneficio celeritatis expediat. Per eum nobis legatorum, quamvis festinantium, prænuntiatur adventus: per eum nominis nostri destinatur evectio. His laboribus æstimatis potestatem maximam huic decrevit antiquitas: ut nemo judicum per provincias fasces assumeret, nisi hoc & ipse fieri decrevisset. Peræquatores etiam victualium rerum in urbe regia propria voluntate constituit, & tam necessariæ rei judicem facit*. Panciroll. Notit. dign. imper. orient. c. 63. Buleng. de Imp. Rom. III. 14. Guther. de Offic. dom. Aug. II. 20. Salmaf. in Capitol. Anton. Philof. c. 8. Treb. Poll. in Gallien. c. 17. Faber Semest. I. 5. De his etiam multa Valef. in Ammian. xxvi. 5.

Magister pagorum, qui dicitur Siculo Flacco supr. in *Lustratio pagorum*, est qui *præpositus pagorum* vocatur Theodof. de rog. milit. annon. *Ut procuratores, seu susceptores, vel præpositi pagorum & horreorum eam compareant*: & Euseb. in Epist. Sabini præfecti prætorio Latina, quam Græcè reddidit Hist. Eccles. IX. 1. *Scribere præpositis pagorum uniuscujusque civitatis*. Salmaf. in Treb. Poll. xxx. tyrann. c. 24. Quid verò pagus, V. infr. in *Pagus*.

Magister pecoris, qui & saltuarius, est is, ad quem præcipua pertinet animalium, & pastionis cura. Virg. Æneid. VII. 485.

— cui regia parent
Armenta, & latè custodia credita campi.

Ubi rectè Servius *magistrum hunc pecoris vult fuisse, & saltuarium*. Sed lapsus est, cum *magistrum pecoris* putat, *ad quem omnia animalia pertinent*, laudatque Ciceronem non adjecto loco, cui hæc verba tribuit: *nominat hominem, quem magistrum pecoris esse dicebat*. Sed leviter Ciceronem percurrit Servius. Ille enim *magistrum pecoris* inter bubulcos, & pastores servos annumerat Verr. v. 7. *Etenim nominat iste servum, quem magistrum pecoris esse diceret*. Guther. de Uffic. dom. Aug. iii. 18. Blond. Triumph. Rom. viii. p. 169. D.

Magister plausus exstitit olim, qui musicam ordinaret, ac præciperet vices, quibus essent iterandæ, ne rythmus deperderetur, acclamationes. Colligitur hoc ex Treb. Poll. Claud. c. 4. *Auguste Claudi, dii te nobis præstent, dictum sexagies: Claudi Auguste, principem te, aut qualis tu es, semper optavimus, dictum quadragies: Claudi Auguste, te Respublica requirebat, dictum quadragies: Claudi Auguste, tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus senator, tu verè princeps, dictum octuagies: Claudi Auguste, tu nos ab Aureolo vindica, dictum quinquies: Claudi Auguste, tu nos a Zenobia, & à Victoria libera, dictum septies*. Primùm enim plausus fuerunt rudes, postea arte insigniti. Ovid. Art. i. 113.

In medio plausu, plausus tunc arte carebat.

Argol. in Panvin. de Lud. Circ. ii. 16.

Magister populi vocabatur dictator. Senec. Epist. 108. *Præterea notat, eum quem nos dictatorem dicimus, & in historiis ita nominari legimus, apud antiquos magistrum populi vocatum. Hodieque id extat in auguralibus libris: & testimonium est, quod qui ab illo nominatur, magister equitum est*. Cicer. de Finib. iii. 22. *Rectius magister populi, is enim est dictator*. Festus. V. illum supr. in *Lex optima*. Varro laudatus supr. in *Magister equitum*. Hotman. de Magistr. Roman. i. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. ii. p. 1870. B. 1871. F. Bud. in Pandect. p. 235. H. August. de Famil. Rom. in Cassia. Rævard. Conject. iii. 20. Turneb. in Cicer. de Leg. iii. p. 185. Flocc. de Potest. Roman. ii. 8. Panvin. Fast. i. p. 70. Lips. de Magistrat. Roman. c. 17. Pigh. Annal. Roman. i. p. 83.

Magister sacrorum Junonis memoratur in inscriptione veteri:

MAGILLUS. L. L. PHILOM
AUG. ALLIHS. MAGIST
JUNONIS. SACRORUM
SIBI. ET. SUIS.

Guther. de Vet. jur. Pontif. i. 23.

Magister Saliorum dicebatur illorum [illegible], sive princeps. Habebat inaugurandi, & exaugurandi potestatem: qui ritus dum peragebantur, unus è Saliis, procul dubio vates, inaugurationis, & exaugurationis sollennia carmina recitabat, si *magister* ea non haberet memoriæ so fixa; aliàs enim ipse *magister* illa recitabat: sic Antoninus Philosophus, cum *in Saliatu & præsul, & vates, & magister esset, & multos inauguravit, atque exauguravit, nemine præeunte, quòd ipse carmina cuncta didicisset*, teste Capitol. c. 4. Porro ad *magistrum* pertinebat cura, ut Salii juvenes, & novitiè ii scirent ancilia portare, & juxta modulos rythmicos saltare. De patre suo quondam Saliorum *magistro* Stat. Sylv. v. 3. 180.

—— *inde sacrum didicit puer: arma probare*
Monstrasti Salius.

Quod idem est, ac si diceret, tu instituisti Salios, quomodo ancilia portanda essent, & sollenne anciliorum festum peragendum. Talis fuit pater Furii Bibaculi apud Val. Max. i. i. §. 9. qui filium, quamvis prætorem, jubebat arma ancilia ferre. Hujus meminit saxum vetus exhibitum à Gruter. p. 489. n. 10.

C. VOCONIO. C. F
GALL. PLACIDO. AED
II. VIRO. II. FLAMINI. II
QUÆSTORI
SALIORUM. MAGISTRO

Cuper. Observ. iv. 2. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. i. Præfat. * * * * *Kipping. Antiq. Roman. i. 12. 7. Gutberl. de Saliis c. 8. Casaub. & Salmas. in Capitolinum.*

Magister scriniorum simpliciter, & omnium scriniorum dicebatur, qui omnia simul scrinia curabat. Non enim hic erat *magister* scrinii epistolarum, aut libellorum, aut memoriæ, aut dispositionum, sed horum quatuor scriniorum. Et quemadmodum in singulis officiis principes, & primates, & capita dicebantur officii, super quos unus erat, qui dicebatur *magister* omnium officiorum, & *magister* officiorum simpliciter; ita unumquodque scrinium proximum suum habuit, qui prior, & princeps in illo fuit: at omnia simul scrinia *magistrum* scriniorum. *Magistri* illi scriniorum præferuntur vicarianæ potestati tit. ii. C. proximi verò scriniorum eod. C. tit. de prox. copulantur ordini vicariorum. Cod. Justin. *magistri omnium scriniorum* appellantur. Ita Papinianus dicitur *curasse illo tempore Bassiani scrinia*. Aurel. Vict. de Cæsar. c. 20. n. 34. Intellige scriniorum *magistrum* fuisse. Festus Rufus de Ulpiano: *Hic Alexander scriniorum magistrum habuit Ulpianum Jurisconsultum*. Lamprid. Alex. Sev. c. 26. *scrinii magistrum* Ulpianum fuisse dicit, ubi malim legere *scriniorum*, quia non unius, sed omnium simul scriniorum *magister* fuit. *Salmas. in Lamprid. Alex. Sev. c.* 31. *Vopisc. Carum c. 8. Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c.* 94. *occid. c. 45. Guther. de Offic. dom. Aug.* i. 15. *Laz. Comm. Reip. Rom.* ii. 4. Quis primus instituerit, nusquam invenio apud veteres. Antiquissima ejus dignitatis mentio est apud Spartian. Æl. Ver. c. 4. *Nam quam orationem pulcerrimam, quæ hodieque legitur, sive per se, sive per scriniorum aut dicendi magistros, Ælius parasset*. In priorum temporum historia mentio horum nulla; in posteriorum frequentissima. *Casaub. in Spartianum.*

Magister Sepinatium quis fuerit, non ita facilis, meo judicio, est cognitionis. Si tamen vera sunt, quæ de dictatore prodit Alex. Gen. viii. 23. scilicet, dictatorem dici, qui apud veteres magister populi vocabatur, conjectare ausim, eandem *magistri* coloniæ, vel municipii, ac dictatoris Romæ dignitatem, & auctoritatem fuisse; quod & mihi suadet familiaris usus hujus vocis in coloniis, & municipiis, in quibus *magister* juvenum collegii Augustalium habebatur. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 848. *B.*

Magister societatis erat diversus à mancipe. Sic à Cicer. pro Planc. c. 13. Plancii pater dicitur *maximarum societatum auctor, plurimarum magister*. Auctor hic idem est qui manceps, ut discimus ex Asconio. V. illum infr. in *Manceps*. Hic *magister* omnes rationes societatis conficiebat, & per provinciam, cujus vectigalia conduxerat, alium mittebat, qui ejus vicem gerebat, qui *pro magistro* dicebatur. Cicer. Attic. x. 10. *Terentius meus necessarius magnas operas in portu, & scriptura pro magistro dedit*, & passim. *Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* ii. 5. *Burmann. Dissert. de Vectig.* ix. *p.* 163.

Magister vestis lineæ, aliàs linteæ quis fuerit, V. supr. in *Comes*.

Magister vestis privatæ à Notitia sub eodem comite prædicto annectitur. Alias species ad Principis vestes conficiendas, præterquam lineas curabat. Lanam enim, & sericum ad tapeta, vestes, aulæa, lectos, stragulas, & papiliones pecti, & ad opus perduci, universamque vestem confici studebat. Hos procuratores appellat Constantin. l. 2. C. de mutileg. *Procuratores rei privatæ, per quos privata nostra substantia tenuatur, & species gynæcii confecta corrumpuntur, suffragiis abstineant*, id est, pretio hoc officium non emant. Quia verò & ipse res Principis tractabat, priusquam hoc munus exerceret, satisdare tenebatur, sicut & præcedens. Theodol. ad comit. sacr. largit. l. privatæ C. de mutileg. *Privata, vel lintea vestis magistri non ante ad rem sacri ærarii procurandam permittantur accedere, quàm satisdationibus dignis eorum administratio roboretur*. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 75. Qui quod ait a Constantino hos appellari *procuratores rei privatæ*, in eo fugit eum ratio. Nam ea in lege distinctè recensentur *procuratores rei privatæ, baphii, & gynæcii*. Hennin. ad Bergier. de viis milit. xv. 23. §. 5. Qui illi procuratores, V. infr. in *Procurator*.

Magister vicorum, qui & *vicomagister*, quinam esset, nomen prodit: nam qui vicorum Urbis curam gerebant,

magi-

magistri vicorum sunt appellati. Augusto ortum debent. Suet. c. 30. n. 1. *Spatium Urbis in regiones, vicosque divisit, instituitque, ut illas annui magistratus sortito tuerentur, hos magistri è plebe cujusque viciniæ electi.* Dio LV. p. 554. A. *Magistri vicorum ex plebe sunt constituti, quos stenoparces dicimus.* Hotman. de Magistrat. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 1890. C. Ursat. de Not. Rom. Thes. Græv. ibid. Tom. XI. p. 848. F. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. Tom. III. p. 281. E. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Græv. ibid. p. 326. F. Nardin. Rom. Vet. III. 4. Prisc. in Suetonium. Erant quatuor per singulos vicos, ut constat ex lapide antiquo. Prætextati ludos compitalitios facere solebant. Ascon. in Cicer. p. 159. *Sicut magistri vicorum faciebant compitalitios prætextati.* Panvin. & Panciroll. l. l. Unaquæque regio habebat 48. & tota Urbs 672. *Panciroll. ibid. p. 390. B. & 322. A. Nardin. ibid.* VIII. 1. Erat non semper unius singularis vici, sed plurium conjunctorum. V. infr. in *Vicus Cyclopis*.

MAGISTRATUS difficilè definitur. Existimo tamen posse dici potestatem populi Romani ordinariam. *Govean. ad l. cum quæst. ff. de jurisd.* Ego *magistratus* voco potestates omnes eorum, qui res humanas, quæ quidem ad Rempublicam pertinent, publica auctoritate curarunt. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 20. *jur. provinc.* III. 5. Rectiùs Pompon. l. 2. §. post originem ff. de orig. jur. *qui juris dicundo præst.* Hoc ad omnes *magistratus*, majores, & minores referri potest. Ego latiorem definitionem hanc affero: ut sit dignitas à Principe mandata, cum jurisdictione, potestate, & imperio, ad jus dicendum, edicendum, decernendum more majorum, cum jure gladii. *Guther. de Offic. dom. Aug.* 1. 3. Urbanus propriè est *magistratus*, cæteri qui in provinciis sunt potestates. Et ab his distinguitur. Suet. Claud. c. 23. n. 2. *Jurisdictionem de fideicommissis quotannis, & tantum in Urbe delegari magistratibus solitam in perpetuum, atque etiam per provincias potestatibus demandavit.* Ulpian. l. eum qui ff. de jurisdict. *Magistratus, vel is, qui in potestate aliqua sit, utputa proconsul, vel prætor, vel alii, qui provincias regunt,* l. hoc edictum ff. quod quisque juris in alterum statuerit. *Qui magistratum, potestatemve habebit ..... Si quis apud eum, qui magistratum, potestatemve habebit .....* Unde Juven. Sat. X. 100.

An Fidenarum, Gabiorumque esse potestas.

Lips. de Magistr. c. 1. Chimentell. de Hon. bisell. c. 4. Buleng. de Imp. Rom. VII. 7. Guther. l. l. Prisc. in Suetonium. Ad urbanum nemo poterat aspirare, nisi peractis decem stipendiis militaribus. Polyb. VI. 17. *Urbanum magistratum capiendi jus nemini est, antequam dena stipendia emerita habeat,* & exinde ante annos viginti septem primum *magistratum* exercere. Cœperunt enim militare Romani anno ætatis decimo septimo. V. supr. in *Ætas militaris*. Nisi quis legibus solveretur: quemadmodum de Pompejo, Octaviano, Africano, aliisque permultis factum legimus. *Gruch. de Comit. Rom.* I. 3. *Bresd. Coroll. ad Potest. For. Rom.* V. 8. *Patric. rei milit. Rom. part. 1. sect.* I. Prisco more populus in campum Martium conveniebat, & qui *magistratum* petebant, tribus circumibant, singulosque prehensantes gratiam, & suffragia precibus, & temporaria observantia emerebantur, unumquemque benignè, & nominatim appellato. Quam ad rem faciliùs agendam inventi sunt nomenclatores. Hunc ordinem in comitiis solitum fuisse servari ait Plin. Epist. III. 20. 5. *Citato nomine candidati silentium summum. Dicebat ipse pro se, vitam suam explicabat, testes, & laudatores dabat, vel eum, sub quo militaverat, vel etiam, cui quæstor fuerat, vel utrumque, si poterat. Addebat quosdam ex suffragatoribus; illi graviter, & paucis loquebantur. Plus hoc, quàm preces, proderat. Nonnunquam candidatus aut natales competitoris, aut annos, aut etiam mores arguebat. Audiebat senatus gravitate censoria: ita sæpiùs digni, quàm gratiosi, prævalebant.* Prevot. de Magistrat. Roman. c. 5. Etiam ordo in adipiscendis observabatur, ut non ad fastigium honorum saltum, & omissis mediis, sed per infimos, & medios *magistratus* ad supremos honores conscenderent. Prima verò dignitas fuit quæstura, quæsturam ædilitas, ædilitatem prætura, & præturam consulatus culmen honorum, & veluti quoddam honorificum sequebatur. Quoto hi *magistratus* ætatis anno peti potuerint. V. supr. in *Ætas*. Broid. l. l. Leges tamen annales Imperatores non solebant servare in *magistratibus*. Hoc satis declarat Capitol. Ver. c. 3. *Post quæsturam statim consul est factus.* Etsi legas, interdum id factum impetrata venia legis. Id his verbis confirmat Lamprid. Comm. c. 2. *Venia legis annariæ impetrata consul est factus.* Roberti de magistrat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. (42.) D. Auspicato creabatur. Dionys. II. p. 81. *Romulus accepta à diis certis signis, advocata concione, & indicatis auspiciis, Rex omnium consensu declaratur, & morem instituit in posterum, ne quis regnum assumeret, magistratumve iniret, nisi ut deus addiceret. Estque hæc auspicii lex apud Romanos longo tempore observata non solum sub Regibus, verum etiam sublata monarchia, in consulum, imperatorum, cæterorumque magistratuum legitimorum comitiis. Nostra verò tempestate imago tantum quædam hujus juris remanet religionis gratia. Candidati enim, è tentoriis diluculo prodeuntes, preces quasdam sub dive peragunt. Ibi aliqui ex auguribus, qui ære publico ad hujusmodi negotia adhibentur, fulguris signum à sinistris datum pronuntiant, etiamsi nullum sit datum. At illi vocis omine contenti, ad sumendum magistratum abeunt.* Liv. V. 17. *Magistratus vitio creatos Latinas sacrumque in Albano monte non ritè concepisse: unam expiationem eorum esse, ut tribuni militum se magistratu abdicarent, auspicia de integro repeterentur, & interregnum iniretur.* Buleng. de Augur. c. 13. Struv. Antiq. Rom. c. 6. p. 288. Manut. de Legib. c. 8. Panvin. de Civit. Roman. c. 1. *Magistratibus* gerendis destinandi dicebantur designati. V. supr. in *Designati*. Quando verò fuerint designati, & *magistratum* inierint, V. supr. in *Consules*. Moris etiam erat, ut quicunque *magistratum* caperent, primo ejus die breviter aliquid delibarent, auspicii saltem causa. Tacit. Annal. IV. 36. 1. *Ut feriarum Latinarum diebus, præfectum Urbis Drusum, auspicandi gratia tribunal ingressum, adierit Calpurnius Salvianus.* Asconium V. supr. in *Dies auspicalis*. Appellabant primum illum diem auspicalem. V. Panegyristen loco modò laudato. Solebant verò tantum leves quædam & tralatitiæ causæ proponi, dicis gratia, Suet. Ner. c. 7. n. 8. *Auspicatus est & jurisdictionem præfectus Urbis sacro Latinarum, celeberrimis patronis non translatitias, ut assolet, sed breves, & maximas, plurimasque postulationes ingerentibus, quamvis interdictum à Claudio esset.* Lips. in Tacitum. Ros Singul. I. 4. 11. *Magistratum* gerere non erat cuiquam fas ultra dies quinque, nisi qui publicè in leges jurasset. V. supr. in *Juramentum magistratuum*. Qui res civiles, & Reipublicæ instituendæ rationes explicant, frequenter in eo disputant, quodnam magis è re sit, *magistratusne* esse annuos, an verò perpetuos. In utramque partem speciosa adferunt argumenta. At rerum civilium peritiores judices putant, in monarchia *magistratus* debere esse perpetuos, in cæteris Rebuspublicis, maximè in democratia, annuos: ne videlicet longa imperandi consuetudine, & dum Reipublicæ nervos quasi in manu ipsi habent, tyrannidem occupent, & adversus leges patrias summam potestatem, ac libertatem publicam opprimant. Id quod patuit exemplo Julii Cæsaris, cui diuturna propagatio, & continuatio potestatis ac imperii occasionem præbuit, ut se faceret dictatorem perpetuum, & solum Imperii Romani dominum. V. elegantem Catuli orationem ad populum Romanum apud Dion. XXXVI. p. 15. A. Verum enim verò tam ante Cæsarem, quàm diu post nullus *magistratus* major fuit perpetuus; rari excesserunt annuum spatium, & soli forsan præsides, ab Imperatoribus in provincias missi, quibus Tiberius, & nonnulli alii Imperatores *magistratum* ad plures annos quandoque prorogarunt: at proconsules, & proprætores à S. P. Q. R. cum imperio in provincias missi tantum annuum gerebant *magistratum*. Bergier. de viis milit. IV. Sect. 27. §. 1. 2. *Magistratum* non poterat capere, cujus pater in hostium potestate esset. Videlicet hoc judicaverunt sapientissimi viri, hominis non liberi filium Rempublicam administrare nimis indecorum esse. Liv. XXVII. 21. *Servilium negabant, jure aut tribunum plebis, aut ædilem esse, quod patrem*

ejus, quem triumvirum agrarium occisum à Bojis circa Mutinam esse, opinio per decem annos fuerat, vivere, atque in hostium esse potestate satis constabat. Eundem intra decem annos capere fas non erat. V. supr. in *Consul.* Marcio quidem Censorino suadente his eundem petere non licebat. Plutarch. in Coriol. p. 214. A. Sed hoc postea est abrogatum. Multi enim iterum, ac sæpiùs fuerunt consules. *Manut. de Legib. c.* 5. In publico luctu quicquid ad ornamenta pertinebat, *magistratus* solebat deponere, ac solitum cultum viliori permutare. De funere Germanici Tacit. Annal. III. 4. 2. *Illic miles cum armis, sine insignibus magistratus.* Morestell. Pomp. Feral. II. 22. Qui Rempublicam benè gesserant, sic remunerabantur. Plutarch. de Caton. maj. p. 347. B. *Populus mirifice approbasse ejus censuram videtur. Nam in æde Salutis statuam Catoni ponens, non praturam, neque consulatum ejus inscripsit, sed quod Romanorum Rempublicam inclinatam, & in pejus vergentem, censor disciplina honesta, exercitationibus temperantia in integrum restituisset.* Quod non inscriptum consulatum, aut præturam Plutarchus dicit, non ideò credendum est, non consuevisse etiam statuas poni consulibus, & prætoribus; sed censuram ejus cum reliquis gestis *magistratibus* comparat, & quod plus ex illa commodi Respublica senserit, ideò etiam ejus honoris titulum, tanquam memorabiliorem, præferri cæteris, & extare ad posteritatem debere populum censuisse indicat. *Figrel. de Stat. Rom. c.* 12.

Magistratus codicillares erant dignitates nomine tantum datæ, re verò minimè, id est, quæ carent effectu. Lamprid. Alex. Sev. c. 49. *Pontificatus, & quindecimviratus, & auguratus codicillares fecit, ita ut in senatum allegerentur.* Rhodig. Ant. Lect. IV. 25. Cui ego non assentior. Codicilli quandoque accipiuntur pro diplomate, seu literis Principalibus. V. supr. in *Codicilli.* Hinc *codicillares facere* est, ut à senatu datis publicis literis, seu diplomatibus firmarentur: vel potius, quod hujusmodi munia prius essent codicillaria, id est, codicillis scriptis ab Imperatoribus darentur, ut per senatum eligerentur, ita ut punctus sit faciendus juxta dictionem *codicillares*, postea legendum: *fecit ita .... Donat. in Lampridium.* Casaub. in Lampridium, & fortè juxta cum illo Lips. in Tacit. Annal. XIII. n. 63. interpretantur. *beneficiis suis fecit, ut sacerdotia missis codicillis deferret.* Putarem ego pontificatus codicillares ad novæ dignitatis cumulum referendos, qui ex senatorio honore accrescebat. Hoc esse *codicillares facere* patet ex Lampridio, cum addit, *ut in senatum allegerentur.* Quod Gratianus Imperator, l. 12. C. de dignit. l. 12. 1. de præfect. *codicillorum insignia* vocat. *Judices*, inquit, *qui scelesibus fuerint maculati, ablatis codicillorum insignibus, inter plebejos habeantur.* Sic dicuntur, l. prætor. l. 8. de honor. codicil. *codicillares dignitates, codicillorum adeptio, codicilli imaginarii,* qui cassas habent imagines dignitatum. Quo sensu *codicillariis illustratos dignitatibus* dixit Cassiod. Var. IV. 25. Pontifices ergo omnes, ut augures & quindecimviri in senatorum ordinem a præfecto Urbis relati sunt. Itaque Alexander codicillares pontifices fecit, ut in albo amplissimis sacerdotiis ducerent. *Guther. de Vet. jur. pont.* I. 10.

Magistratus curules erant consules, censores, prætores, & ædiles curules: qui & soli jus habebant ponendæ imaginis. Quales, si majorum quoque imagines haberent, nobiles dicebantur; sin suas tantum, novi homines vocabantur. *Voss. Lex. Etymol.* A curru dictos vulgi est opinio. Sed huic derivationi scriptura & dimensio repugnat; veriùs que à Curibus (oppidum olim Sabinorum erat) dicti. *Lips. de Magistrat. c.* 12. *Chiment. de hon. bisell. c.* 11. *Thys. in Gell.* III. 18. A curru tamen, quo apud veteres Romanos sunt vecti, nomen accepisse Festo credimus, qui sic habet in Curules: *Curules magistratus appellati sunt, quia curru vehebantur.* Fitiuat idem Gabius Bassus apud Gell. III. 18. ubi Gellius sic ex eo: *Senatores dicit* Bassus *in veterum ætate, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi, in quo curru sella esset, supra quam considerent, quæ ob eam causam curulis appellaretur.* Sed qui in veterum ætate solitum fuisse potest Bassus dicere, cum hoc uni Metello tribuisse dicat Plin. VII. 43. *Tribuit ei, Metello, populus Romanus, quod nunquam ulli alii à condito ævo, ut quoties in senatum iret, curru veheretur ad curiam.* Et hoc confirmat vetus monumentum, à Grutero p. 377. inter alias inscriptiones positum:

TRIBUIT. EI. P. R. UT QUOTIES
IN SENATUM IRET, CURRU VEHERETUR AD CURIAM, QUOD A
CONDITO HÆVO NULLI ALII CONTIGIT

Ideòque Bassus non satisfacit Zamosc. de Senat. Rom. I. 17. sed illi videtur fuisse consuetudinis senatoriæ, morumque veterum oblitus. Qui nec credit Q. Metellum id, inter cætera summa, cum patrem suum in funere laudaret, relaturum fuisse, quod mediocres homines mediocribus honoribus usi, omnes sunt consecuti. Sed non est verisimile, fuisse Bassum tam oblitum consuetudinis senatoriæ, & morum veterum, ut Zamoscius arbitratur. Sit culpa librarii, vel glossatoris, quæ putatur Bassi. Videtur mihi Bassus scripsisse: *curru solitos honoris gratia vehi.* Quod cum sciolus non intelligeret, apposuit *in curiam*, quia sermonem esse de senatoribus observavit. Si abjiciamus duo ista verba, convenit Festo, qui nihil de curia. Nec Plinio adversatur. Aliud enim est habere jus utendi curru, aliud habere jus eundi curru in senatum. Concesso igitur, quod hoc posterius soli sit tributum Metello, non obstabit tamen, quo minus vehi curru aliàs potuerint *magistratus*, indeque dici curules. Priori sententiæ obstat, quod Flor. I. 5. 6. & alii dicant, Tarquinium Priscum, ut alia imperii decora, & insignia, ita & sellas curules ab Etruscis sumpsisse, non à Curibus, Sabinorum oppido. Deinde Festus *curules* exponit *quadrigales*: quæ significatio manifestè à curru. Præterea quid causæ est, cur non curulis dici possit à curru, quomodo ligula est à lingua, disertus à dissero, mamilla à mamma, & similia, in quibus ob literæ abjectionem quantitas mutetur? *Scheffer. de Re vehic.* II. 16. *Voss. Lex. Etymol.* Quando thensas ducebant, habitu triumphali utebantur. Liv. V. 41. *Romæ satis jam omnibus, ut in tali re, ad tuendam arcem compositis, turba seniorum domos regressa, adventum hostium obstinato ad mortem animo exspectabat. Qui eorum curules gesserant magistratus, ut in fortuna pristina, honorumque, aut virtutis insignibus morerentur, quæ augustissima vestis est, thensas ducentibus, triumphantibusque, ea vestiti medio ædium eburneis sellis sedere.* Ruben. de Re vest. I. 21.

Magistratus extraordinarii erant, qui extra ordinem fiebant, ut quæque negotia occurrebant; atque plerique hi non centuriatis comitiis creabantur, sed tributis, prout temporum necessitas requirebat. Ipse dictator, & magister equitum inter majores extra ordinem *magistratus* ponendi sunt. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 2. *Rosin. Antiq. Rom.* VII. 15.

Magistratus legitimi sunt statuti, & ordinarii: qui si majores essent, comitiis centuriatis in campo stato die creabantur, ut minores comitiis curiatis. Atque hi non pro necessitate, aut propter subitos Reipublicæ casus creabantur. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 2.

Magistratus majores erant, qui comitiis centuriatis creabantur: I. ordinarii, consules, quod ex Cicerone & Livio manifestissimum est; prætores, ut ex omni historia Liviana liquet; & postremò censores, ut ex Messala scribit Gell. XIII. 15. Qui consules, prætores, & censores majores *magistratus* vocat, eosque comitiis centuriatis creatos apertè refert. *Panvin. de Civit. Rom. c.* 53. & 56. *Kavard. Conject.* I. 1. *Pravot. de Magistrat. Roman. c.* 1. II. extra ordinem præfectus Urbis absente ordinario *magistratu*, interrex, dictator & magister equitum, decemviri legibus scribendis consulari potestate, tribuni militum consulari potestate, tresviri Reipublicæ constituendæ. *Panvin. ibid. c.* 56. *Lycklama de Magistrat. c.* 2. *Rosin. Antiq. Roman.* VII. 2. Sententiam dicturi sedebant primi, consules, & prætores: quod si censores essent in senatu, eos intra prætores, proximè tamen sedisse crediderim: infra, quia Messalla, cum majores *magistratus* nominat, consules primum, deinde prætores, tertio loco censores constituit: proinde, quia, cum inter majores *magistratus* censura fuerit, supra minores *magistratus* sedisse censores nemo dubitaverit. *Manut. de Sen. Rom. c.* 9. Habebant

jus

jus servandi de cœlo ad impediendas actiones majorum *magistratuum*. Hoc intelligi potest ex eo, quod Gellius eodem illo loco scribit: *In edicto consulum, quo edicunt, quis dies comitiis centuriatis futurus sit, scriptum fuisse, ne quis magistratus minor de cœlo servasse velit*. Hinc enim perspicuum est, consules, cum habitura essent comitia centuriata, noluisse obnuntiatione impediri minorum *magistratuum*: quin tamen majorum obnuntiatione impedirentur, non vetuisse suo edicto. Neque tamen ignoro, interdum contra edictum minores de cœlo servare solitos esse. Scribit enim Cicer. Phil. II. 38. *Antonium censoria comitia non habuisse, quia tribunus plebis fulmen sinistrum nuntiasset*. Attamen centuriata comitia erant censoria. Sed etiam aliis in multis rebus reperio consulum actiones impeditas obnuntiatione tribunorum. Cicer. Attic. IV. 3. scribit, Q. Metellum consulem habiturum fuisse comitia ædilium, nisi Milo obnuntiasset. Et alio rursus die obnuntiatione Milonis impeditum ne haberet comitia, paullò pòst scribit. Et in Orat. pro Sext. c. 37. dicit Sextium venisse in templum Castoris, & consuli Q. Metello obnuntiasse. De iis rebus ego ita sentio, consules, cum tributa comitia habere vellent, vetare non potuisse, quominùs de cœlo servaret qui vellet, quia ea comitia non modò majorum *magistratuum* erant, sed etiam minorum: ut opus non esset iis habendis comitiis majoribus auspiciis. At centuriatis habendis majoribus auspicius opus erat: ideòque edicto vetare solebant consules, ne minores *magistratus* de cœlo servarent: ut scilicet majora auspicia non vitiarentur minoribus. Quod si contra edictum minores de cœlo servassent, non existimo consuli parendum fuisse illi obnuntiationi: ut apparet ex eo, quod scribit Plin. XXVIII. 2. *In augurum certè disciplina constat, neque diras, neque illa auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes observare se ea negaverint*. Itaque quoties impedita obnuntiatione tribuni comitia centuriata repetio, ego interpretor, vel eundem tribunum augurem fuisse, cui etiam privato obnuntianti parendum esse leges jubebant: vel sua sponte illi obnuntiationi paruisse consulem, cum pa rere non cogeretur. Nam & Cicero dicit, non fuisse necesse Antonium parere obnuntiationi tribuni plebis, quominùs haberet illa comitia censoria quæ edixerat. Tametsi ipse aliam causam adferat, quam rationem edicti ab Antonio propositi. *Tua quid interest? nulla auspicia tuorum sunt, cum sis religiosus*, hoc est, cum sis obstrictus religione auspiciorum, nulla tibi sunt auspicia: itaque obnuntiatione nil moveri debuisti. Nam & in omni parte religionis qui semel se religione obstrinxerat, donec ea exsolutus esset, nihil poterat in eo genere amplius justum, ac legitimum peragere. Cum igitur Antonius ementiendis auspiciis se, populumque Romanum religione auspiciorum obstrinxisset, nihil poterat auspicato peragere, nec tenebatur auspiciis, priusquam ea esset exsoluta religio. Ut igitur cæteris in rebus parerent majores minorum obnuntiationi, certè in habendis centuriatis comitiis non erat necesse parere, alioqui frustra hujusmodi edicta proposuissent, quibus vetarent minores de cœlo servare. *Gruch. de Comit.* I. 4. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 20.

Magistratus minores erant, qui tributis comitiis creabantur, & quorum minora erant auspicia. Gell. XIII. 15. *Patriciorum auspicia in duas divisa sunt potestates; maxima sunt consulum, prætorum, censorum. Reliquorum minora sunt auspicia: ideò illi minores, hi majores magistratus appellantur. Minoribus creandis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed justus curiata datur lege, majores centuriatis comitiis fiunt*. August. de Legib. c. 8. Manut. de Legib. c. 5. Gruch. ad poster. Sigon. disput. refut. c. 48. Rævard. Conject. I. 1. Turneb. in Cicer. de Leg. III. p. 178. Iique I. ordinarii, quæstores, tribuni plebis, ædiles plebis, ædiles curules, ædiles Cereales, curatores tribuum, triumviri capitales, triumviri nocturni, triumviri valetudinis, triumviri monetales A. A. A. F. F. quatuorviri viarum curandarum, quinqueviri cis & uls Tiberim, decemviri stlitibus judicandis, centumviri litibus judicandis, præfecti ærarii, curatores operum publicorum, curatores alvei Tiberis & cloacarum, curatores viarum singularum extra urbem, præfectus prætorio, præfectus frumenti populo dividendi, præfectus vigilum, curatores regionum, denuntiatores regionum, magistri vicorum urbis, advocatus fisci. II. extra ordinem duumviri perduellionis, quæstores parricidii, vel rerum capitalium, præfectus annonæ, quinqueviri mensarii, triumviri mensarii, duumviri navales, triumviri qui conquirerent juvenes idoneos ad ferenda arma, militesque facerent, quinqueviri turribus, murisque reficiendis, decemviri qui judicant super sacramento, & libertate, decemviri distribuendorum donativorum, triumviri legendi senatus, triumvir recognoscendi turmas equitum Romanorum. *Panvin. de Civit. Rom.* c. 56. & 69. *Prevot. de Magistr. Roman.* c. 1. *Rosin. Antiq. Rom.* VII. 2. Nusquam nec comitiatum, nec concionem avocare poterant, id est, impedire ne comitia habeantur, nec concionem à magistratu, qui eam advocavit, abducere. Hoc poterant majores. Gellius XIII. 15. V. illum supr. in *Comitia centuriata*. Et illis claudatis addit: *Minores magistratus nusquam nec comitiatum, nec concionem avocare possunt: ea re, qui eorum primus vocat ad comitiatum, is rectè agit*. August. de Legib. c. 12. Consules, aut aliquem eorum, qui senatum convocare poterat, adire, & ab eo cognitionem senatus petere solebant, ut Q. Fabius ædilis curulis apud Liv. VIII. & Mucius apud Dionys. v. *Zamosc. de Senat. Roman.* c. 3. Quando de cœlo illis servare licuerit, V. supr. in *Magistratus majores*.

Magistratus patricii dicebantur, qui patriciorum causa, & ex patriciis familiis primùm erant instituti. Comitiis centuriatis creabantur. *Manut. de Legib.* c. 8. De horum creatione prolixiorem verbis velitationem faciunt *Sigon. Poster. cum Gruch. disp. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* I. p. 734. E. . . . . *de Leg. curiat.* c. 1. *Gruch. ad post. Sigon. disput. refut.* c. 3. & 4. & multò adhuc fusiorem de binis magistratuum comitiis *Gruch. ad bin. Sigon. repreh. resp. Thes. Grav. Tom.* I. p. 710. . . . & *ad post. Sigon. disp. refut. Thes. ibid.* p. 818. . . . *Sigon. post. cum Gruch. disp. Thes. ibid.* p. 733. . . . .

Magistratus plebeji dicebantur, qui plebis causa, & ab ipsa plebe primùm erant instituti. Comitiis curiatis creabantur. *Manut. de Legib.* c. 8. V. tamen & de his tanquam pro aris, & focis decertantes Sigonium & Gruchium laudatos supr. in *Magistratus patricii*.

Magistratus provinciales dicebantur omnes, quibus erat imperium, curatiove extra Urbem tantum. In hoc numero erant triumviri, quinqueviri, decemviri, vigintiviri, aut quotquot omninò creari placuerat ad colonias deducendas, aut redigendos colonos in suas quasque colonias. In hoc numero etiam complector curatores viarum extra Urbem. Qualem fuisse Thermum legimus apud Cicer. Attic. I. 1. quem dicit *curatorem viæ Flaminiæ*. His addendi sunt triumviri, quos juvenibus ad militiam conquirendis tempore belli Punici II. creatos reperimus. Liv. XXV. 5. V. illum infr. in *Triumviri*. Hujusmodi omnes extraordinarii erant. Tributis comitiis fieri vel inde potest ostendi, quod habentibus comitia tribunis ferè creabantur. Alii erant *magistratus* provinciales, qui vel proconsules, vel proprætores, vel proquæstores in provincias mittebantur. *Gruch. de Comit.* II. 2. *Panvin. de Civit. Rom.* c. 57. & 65. Imperium illis dabant duæ leges: curiata, vetus admodum, & Cornelia, quam tulit L. Sylla dictator. Curiata imperium dabat populus, ut indicat Liv. IX. 38. Cornelia senatus. V. supr. in *Lex curiata*. In provincias non proficiscebantur soli, sed illos comitabatur cohors prætoria, diversa à cohorte militari: non enim armatis ex militibus, qui sacramento adacti cum Imperatore ad rem bellicam mitterentur, sed ex domesticis convictoribus, & necessariis apparitoribus constabat. Cicer. Frat. I. 1. *Quos verò aut ex domesticis convictoribus, aut ex necessariis apparitoribus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris appellari solent, horum non modò facta, sed etiam dicta omnia præstanda nobis sunt*. In hac erant lictores, scribæ, accensi, medici, aruspices, præcones, pictores, & hujus generis ministri, qui illis apparebant. Cicer. Verr. II. 10. *Comites illi tui dilecti, manus erant tua, præfecti*, scri-

scriba, medici, accensi, aruspices, praecones manus erant tua: quo quisque te maximè cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat, ita maximè manus tua putabatur. Cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ attulit, quàm si centum cohortes fugitivorum fuissent, tua manus sine controversia fuit. III. 28. *Recuperatores se de cohorte sua daturum minabatur. Ingerebat iste Artemidorum medicum, Valerium præconem, Tlepolemum pictorem, & ejusmodi recuperatores.* Etiam suos habuerunt legatos non tantum ad usum rei militaris, sed ut publici ministerii *magistratus* essent adjutores. Ideòque à Cicer. in Vat. c. 15. *ministri muneris provincialis* appellantur. Et Frat. I. legatos Q. Fratris *ministros sui imperii* appellat. Et paullò post his verbis illos describit: *Quos tibi comites, & adjutores negotiorum publicorum dedit ipsa Respublica*. Ac, si prætores quidem cum exercitu missi erant, in hoc quoque negotio legati adjutores fuerunt: at, si in pacatas provincias sine exercitu mitterentur, jurisdictionis administri fuerunt, quatenus ab ipso magistratu demandata erat. Cicero l. l. *Sed tamen parvi refert, abs te ipso jus dici æqualiter, & diligenter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu ejus muneris aliquam partem concesseris.* Et à dictis quæ de officio legati scribuntur, satis indicant, illorum munus in jurisdictione positum fuisse multò magis quàm in rei bellicæ administratione. *Gruch. ad post. Sigon. disp. refut. c. 46. Sigon. de Ant. jur. prov. II. 1. Bergier. de viis milit. IV. Sect. 29. §. 3.* Ex quibus *magistratuum* provincialium comitibus perperam colligit Sigonius omnes secum duxisse tribunos militum, & præfectos, & legatos ad usum rei militaris, & exercitui quasi Imperatores fuisse. Multum etiam interest, utrum dicamus *magistratus*, qui in provincias ibant, an eo summo, quod habebant, imperio, simul habuisse insitam rei militaris potestatem, quod verum est: an reipsa omnes Imperatores fuisse, propter accessionem cujusdam imperii, quod non modò esset *magistratus* adventitium, sed quod non posset intelligi sine aliquo exercitu, cujus dux esset, quod falsum. *Gruch. l. l.* Subinde tamen secum ducebant legiones, & exercitus. Et hoc ipsum Imperatoribus occasionem præbuit vias publicas, tam per Italiam, quam per provincias muniendi, ut Reipublicæ causa iter facientes Roma, commodè in provincias sibi destinatas possent proficisci, & finito anno eadem celeritate, & facilitate Romam redire. *Bergier. l. l.* Etiam unum, aut plures jureconsultos secum ducebant, l. 1. de offic. assess. quorum consilio secundum jura causas definiebant. Assessores, & consiliarii vocabantur. V. illos supr. in *Assessores*. Panciroll. Notit. Dignit. imp. orient. c. 8. Libera Republica illis præbebantur publicè necessaria, paludamenta, vestes, tabernacula, equi, muli, & omnis militaris suppellex. Cicer. Verr. IV. 5. *Majores nostri neminem, qui cum potestate, aut legatione in provinciam esset profectus, tam amentem fore putarunt, ut emeret argentum; dabatur enim de publico: ut vestem; præbebatur enim legibus.* Solebant ea, inquam, publicè locari, & a mancipe præberi. Suet. Aug. c. 36. n. 1. *Ut proconsulibus ad mulos, & tabernacula, quæ publicè locari solebant, certa pecunia constitueretur.* Dio LIII. p. 506. C. *Nam olim quidem erant, qui præbenda iis in provinciam publicè redimerent, & quicquid iis muneris sui causa opus esset, exhiberent.* Talis fuit Ventidius Bassus. Gell. XV. 5. *Victum sibi ægre quæsisse, eumque sordide sibi invenisse comparandis mulis, & vehiculis, quæ magistratibus, qui sortiti provincias forent, præbenda publicè conduxisset.* Mancipiorum quoque certus erat numerus constitutus, quem excedere non licebat, ne numerus familiæ sumptum Reipublicæ augeret. Ideò sancitum, ut testatur Cicer. l. l. *Ne quis emeret mancipium, nisi in demortui locum.* Fœnum tantum, & ligna a provincialibus desumebantur. Ostendit hoc Cicer. Attic. V. 16. *Nullus fit sumptus in nos, neque in legatos, neque in quæstorem, neque in quemquam. Scito, non modo nos fœnum, aut quod lege Julia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem; nec præter quatuor lectos, & tectum quemquam accipere quidquam: multis locis ne tectum quidem, & in tabernaculo manere plerumque.* 17. *Nos in provincia sic gerimus, quod ad abstinentiam attinet, ut nullus teruntius insumatur in quemquam.* L. Postumio cos. auctore primo hæc les violata est. Liv. XLII. 1. *Hic iratus Prænestinis, quod cum eo privatus sacrificii faciendi causa profectus esset, nihil in se honorificè, neque publicè, neque privatim factum à Prænestinis esset, priusquam ab Roma proficisceretur, literas Præneste misit, ut sibi magistratus obviam exiret, locum publicè pararet, ubi deverteretur, jumentaque, quum exiret inde, præsto essent. Ante hunc consulem nemo unquam sociis in ulla re oneri, aut sumptui fuit. Ideò magistratus mulis, tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis: privata hospitia habebant, ea benignè, comiterque colebant, domusque eorum Romæ hospitibus patebant, apud quos ipsis deverti mos esset. Legati, qui repentè aliquo mitterentur, singula jumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant: aliam impensam socii in magistratus Romanos non faciebant.* Causam, quare hæc publicè præberentur, notat Livius: *ne quid tale imperarent sociis.* Non enim volebant imperia sua sociis suis oneri esse, neque ignorabant ista ratione patefieri portam variis exactionibus, & omni prædandi ingenio, quando in isto genere nullus plerumque modus, nisi quem sua cuique cupiditas statuit, id est, apud malos omninò nullus est. Arctioribus vinculis constringi arbitrabantur avaritiam, præbitis publicè necessariis, ea lege, ut omnia, quæ de frumento, aut pecunia publica sumerent, in rationes à quæstoribus referrentur. *Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1215. C. Spanhem. de Præst. Numism. Dissert. IX. p. 805. Sigon. de Ant. jur. prov. II. 1. Pitisc. in Suet. Cæs. c. 18. n. 5. §. 7. Aug. c. 36. n. 1. §. 5.* Qui sese improbè gesserant in administranda provincia, post missum successorem postulantibus iis, quos concussionibus, & latrociniis vexaverant, causam dicebant repetundarum, ex lege Acilia, deinde Cornelia, & Julia. *Poliet. For. Rom. IV. 9.* Petitio posita fuit in amicorum, & populi voluntate concilianda. V. supr. in *Amici*, & infr. in *Voluntas popularis*.

MAGMENTUM dicebatur daps, quæ profanabatur à rusticis Jano, Silvano, Marti, Jovi dapali. Arnob. VII. p. 230. *Non magmenta, non augmina, non millia species, vel farciminum....* Vetus inscriptio Patavium ex ruinis Salonæ advecta, & ad Benedicti pontem in fornice locata.

SI. QUIS. HIC. HOSTIA. SACRUM.
FAXIT. QUOD. MAGMENTUM. NEC.
PROTOLLAT. IDCIRCO. TAMEN.
PROBE. FACTUM. ESTO

Scalig. Conject. in Varr. p. 48. Gutber. de Jur. pontif. III. 14. Elmenhorst. in Arnobium. Turneb. Adv. XXIX. 6. Carr. Emend. II. 3. Schott. Observ. Human. I. 11.

MAGNUS fuit cognomen Cn. Pompeji ob *magnas* ejus res gestas, licèt eodem usi sint Fonteji & Posthumii. Verùm progressu temporis prænominis locum tenuit. Lamprid. Alex. Sev. c. 51. *Magne Alexander, dii te servent. Si Antonini nomen repudiasti, Magni prænomen suscipe.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 844. B. Sigon. de Nom. Roman. c. 5. Et deorum. Hac enim appellatione in sacrificiis mactandis diis veteres ferè utebantur. Curt. VIII. 11. 24. *Rex locorum magis, quam hostium, victor, tamen magna Victoriæ sacrificia, & cultu deum fecit.* Victoria ea Alexandri, qui locorum tantum victor fuisset, non erat magna: sed ipse, ut sic magna esset, *magna Victoriæ* fecit. *Palmer. Spicil. III. p. 671.*

MAGODUS fuit comicus personatus, qui habitu muliebri viri personam agebat. Athen. XIV. p. 620. E. *Aristoxenus magodum exponit, qui viriles, & muliebres personas sumit.* Tympana, & cymbala pulsabat. Athen. ibid. p. 621. C. *Qui magodus vocatur, habet tympana, & cymbala, & vestitum muliebrem omnem.* Talem hominem personatum cum cymbalis invenio apud Lamprid. Comm. c. 11. *Præfectum prætorio suum Julianum togatum præsente officio in piscinam detrusit: quem saltare etiam nudum ante concubinas suas jussit, quatientem cymbala, deformato vultu.* Aristocles hos cum rhapsodis eosdem facit apud Athen. ibid. p. 620. D. Nempè ut hi Homeri carmina in theatris concinebant, ita *magodi* in prodigiosis magorum miraculis, atque medicaminibus describendis totì erant. Athen. ibid. p. 621. D. *Magodiam idcirco nuncuparunt, quod illis cantio-*

nibus

nibus magnorum prodigiosa miracula exponuntur, medicamentorumque declarentur vires. Varias repræsentare personas, & accommodare se ad comœdiæ habitum solebat. Athen. ibid. C. *Magodi sæpè comicorum argumento sumpto, instituto suo, atque dispositione varias personas repræsentarunt.* Lampe de Cymbal. vet. II. 19. Buleng. de Theatr. II. 12. Gyrald. Poet. Hist. Dial. VI. p. 326. C. Rhodig. Ant. Lect. VII. 16. Scalig. Poet. I. 52.

MAJ.

MAJANIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

MAJESTAS est populi Romani magnitudo. Cicer. Partit. c. 30. Hæc & dignitas dicitur, quæ & ad magistratum refertur, quem qui contemnit, aut lædit, *majestatem* minuere, & *majestatis* crimine teneri dicitur, L. 9. ff. de Jurisdict. l. 1. ff. ad leg. Jul. majest. *Guther. de Offic. dom. Aug.* I. 4. Trebellii temporibus cœpit hominum adulatio omnem dignitatem appellare *majestatem*: ita blandi homines & parasiti proceribus Romanis adulabantur. Hunc vocis abusum obiter perstringit Trebellius mox laudandus. *Casaub. in Trebellium.* Hoc non magis probare possum, quàm id quod maximè improbare debeo. Nam quis auctorum hoc dixit, scripsitve, aut quis usurpavit *majestatem* pro dignitate, non dico prætoria, aut præfectoria, sed vel consulari, quæ omnium dignitatum apex etiam sub Imperatoribus censebatur? Nec illud verum est dignitates omnes tunc cœpisse vocari *majestates*, cum Principes divinitatis titulis assumptis, & non aliis quàm divinis verbis compellari soliti, numen quidem, ut rem sibi propriam, vindicarunt, minoribus verò magistratibus *majestatem* reliquerunt. Quando enim hoc factum est, aut quis factum esse meminit, ut *majestas* non de Principe aliquando dicta sit, sed de magistratibus tantum minoribus, atque ita sub Principum ævo? Numen Augusti Trebellii ætate dici videtur cœpta, non *majestas*. Ita enim ille Gallien. c. 14. *Constat de genere, non satis tamen constat de dignitate, vel, ut cœperunt alii loqui, de majestate.* Imò & *majestas*, & numen Augusti semper obtinuit, ut diceretur etiam Trebellii tempore. Et hæc duo semper junctim posita legere est de Imperatore, *numini majestatique ejus.* Hinc frequentes in veteribus monumentis subscriptiones his notis signatæ; N. M. Q. E. D. hoc est: *numini majestatique ejus devotus.* Libera stante Republica non solum populi Romani *majestas* dicebatur, sed etiam consulis, & prætorum, & aliorum majorum magistratuum. At sub Imperatoribus, nusquam nisi de Imperatore ipso, nomen *majestatis* in usu fuit. Trebellius hoc puto voluit: anterioribus quidem temporibus *majestas Augusti*, & *majestas divinæ domus* semper usurpata est, sed eo sensu, ut pondus, & gravitas, & magnitudo quædam coli, venerarique digna in Principe illa voce designaretur, & honos quidam eximius, cum veneratione junctus, qui jure, meritoque illi potestati deberetur, quæ supra potestates omnes esset. Nam ut *majestas populi* olim dicebatur, propter imperii magnitudinem & dignitatem, quo tempore populus scilicet imperii summam obtinebat: sic postquàm imperium à populo ad unum translatum est, *majestas* quoque quæ tanto imperio dicebatur, simul ad unum illum translata: atque hinc *majestas Augusti* dicta, quæ olim populi Romani *majestas* fuit. Ætate verò Trebellii *majestas* propriè vocari cœpta est ipsa imperii dignitas, vel imperium ipsum, hoc est, βασιλεία, quam qui habet, is Imperator, & Augustus dicitur, ut dignitas consularis consulem facit, & prætoria prætorem: sic *majestas*, hoc est, Imperii dignitas Imperatorem, & Augustum. Nam dignitas de aliis magistratibus, & honoribus, *majestas* de solo Imperio dicebatur. Sed duæ tunc erant *majestates*; Cæsarea, & Augusta. Ideò Trebellius hoc loco, cum diceret, dubitatum esse à multis de Valeriano juniore, utrum Augustus, an Cæsar tantum fuerit, non satis de *majestate* ejus inter omnes constitisse scribit, quod alii eum Augustum, hoc est, Augusti *majestate* præditum fuisse; alii Cæsareana tantum, quidam neutra affirmarunt. Quo sensu *majestas Augusti*, & *majestas Cæsaris* pro dignitate Augusta, & Cæsarea sumitur. Et hoc planè sensu *majestatis* appellationem idem his verbis posuit c. 10. *Odenatus Rex Palmyrenorum obtinuit totius orientis imperium, idcircò præcipuè, quod se fortibus factis dignum tantæ majestatis insulis declaravit.* Ubi *insulas majestatis* dignitatem imperatoriam appellavit, ut præfecturæ infulas, & consulatus, & præturæ, & aliarum dignitatum, honorumque ac præpositurarum dicebant. *Majestas* igitur Trebellii tempore dicebatur dignitas imperatoria, vel imperii insulæ, ut ita dicam. Et sic quoque *majestatem* usurpavit in Pisone XXX. tyrann. c. 21. *Sctum de Pisone factum ad noscendam ejus majestatem libenter inserui.* Imperium enim sumpserat Piso, eique post mortem non tanquam tyranno, sed tanquam legitimo Imperatori, & Augusto honores divini Scto decreti. Βασιλείαν Græci vocant hanc regiam dignitatem, vel, ut Trebellius vocat, *majestatem regalitatem* vulgò appellamus, *imperium* recentioris ævi scriptores dixerunt. Hinc apud Luitprandum de rebus per Europam gestis, *imperium vestrum*, pro eo, quod nunc dicimus *majestas vestra*, cum ad Regem loquimur. *Salmas. in Trebellium.* V. tamen etiam *Guther. ibid. c.* 19. & *Casaub. in Trebellium.* Læsa judicatur, ubi quid in populum suum, suamve Rempublicam, aut in magistratus, personamve Principis commissum est. In populum; ut si quis exercitum hostibus tradidit: si exercitum solicitavit, delectumve injussu populi, aut senatus habuit: si quis exercitum extra suam provinciam injussu populi duxit, aut ipse, relicto exercitu, provinciæ finibus excessit: si quis Rempublicam sua culpa malè gessit: si stationem deseruit: si contra libertatem consilia iniit: si deditionem, aut bellum excitavit: si publicum hostem domi privatus habuit: si jus civitatis, aut magistratus imminuit: si præter dignitatem populi Romani regio in comitatu fuit: si contra bonum publicum locutus est: si quis ad hostem transiit, aliudve quid cum eo adversus Rempublicam pactus est. In magistratum, vel in Principis personam, si quis vim omninò ullam attulit: si tribuno plebis intercedenti non paruit, aut ab eo concionem avocavit, eumque privati loco habuit, utputa, si occurrenti in via non cessit, si consilium plebis disturbavit & hujus generis alia, quæ facilè possumus intelligere ex ea definitione, quæ prodita literis est: Majestatem is minuit, qui ea tollit, ex quibus civitatis amplitudo constat. *Manut. de Legib. c. 21. Sigon. de Judic.* III. 2. V. tamen infr. in *Perduellio.*

MAJUMÆ festum celebrari solitum Kal. Maji in honorem Majæ, & fiebant magni sumptus in celebratione. Suidas: *Majumas festivitas fuit Romæ, Majo mense celebrari solita, qua principes civitatis Ostiam urbem maritimam se conferentes, voluptatibus & deliciis indulgebant, alter alterum in aquam marinam conjicientes. Unde & festi illius tempus Majumas vocatum fuit.* Cod. XI. 45. *Clementiæ nostræ placuit, ut Majuma provincialibus lætitia reddatur: ita tamen, ut servetur honestas, & verecundia castis moribus perseveret.* Laurent. var. sacr. gentil. c. 10. Brisson. de Spectac. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 1423. C. Illud integra diatribe descripsit *Andreas Rivinus*, ad quam, quia prolixior est, lectorem benevolum ablegamus.

MAJUS mensis habuit, habetque dies unum & triginta, septimo die Nonas, & decimo quinto Idos. *Viola de vet. & nov. Roman. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* VIII. *p.* 192. *B.* Hoc mense nubere inauspicatum habebatur. Ovid. Fast. v. 487.

Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora: quæ nupsit, non diuturna fuit.
Hac quoque de causa, si te proverbia tangunt,
Mense malum Majo nubere vulgus ait.

Rationes, ob quas Majo mense mulieres non ducantur, denarrat Plutarch. Quæst. Rom. 84. *Cur mense Majo mulieres non ducuntur? An quod inter Aprilem & Junium medius interjectus est: quorum quum alter Veneri, Junoni alter dicatus sit, deabus scilicet quæ nuptiis præsunt, aut parum ante capiunt, aut parum exspectant? An quod hoc mense maximo piaculo utuntur, effigies modo de ponte dejicientes, cum prius*

prius homines consuevissent? Unde Flaminicam Junonis sacerdotem tristem esse eo tempore: quippè quæ ut eo mense nulle cultu utatur, mores est. An quod plerique Romanorum hoc mense mortuis parentant, & ob eam causam Mercurium quoque eodem mense venerantur, qui maja cognominis est? An, ut quidam dicunt, Majus à majoribus natu appellatus est, Junius à junioribus? Nuptiis vero accommodatior est junior, ut inquit Euripides:

Nam senectus Venerem valere jubet,
Ipsaque Venus senibus infensa est.

Abstinent igitur Majo nuptiis, Junium exspectantes, qui Majum ordine excipit. V. supr. in *Lemuria*. Stuck. Ant. Conviv. I. 25. Gyrald. de Ann. & mens. p. 773. B. Lalamant. de Ann. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 278. Casal. de Rit. nupt. c. 1. Brisson. de rit. nupt. p. 11. Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 13. Hipping. Antiq. Roman. IV. 2. 2. Blond. Triumph. Rom. VIII. p. 161. D.

MAL.

MALA sunt inter bellaria. Horat. Sat. II. 4. 70.

Picenis cedunt pomis Tiburtia succo;
Nam faciè præstant.

Macrob. Sat. II. 15. *Et, quia mala videmus admissa bellariis, post nuces de malorum generibus disserendum est.* Buleng. de Conviv. II. 64. De *malis* vulgatum dictum, *ab ovo usque ad malum*. Et, siquidem per poma lubet *mala* intelligere, Matt. X. 48. 18.

—— saturis mitia poma dabo.

Putean. Reliq. conviv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 275. F.

Mala orbiculata in deliciis erant lautissimis hominibus urbanis. Cicer. Fam. VIII. 16. *Nunc tibi nostro milites, qui durissimus, & frigidissimus locis teterrima hyeme bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis esse pasti videntur? Mala* enim deteriora edebant milites. Juven. Sat. V. 149.

Virro sibi, & reliquis Virronibus illa jubebit
Poma dari, quorum solo pascaris odore:
Qualia perpetuus Phæacum autumnus habebat,
Credere quæ possis surrepta sororibus Afris:
Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit
Qui tegitur parma, & galea.

Turneb. Adv. XII. 17.

MALACA est urbs Hispaniæ Bæticæ, vulgo *Malaga*, ad ostium *Malaca* fluvii sita. Nunc etiam floret. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 667. A.*

MALLEATOR erat, qui monetam feriebat, & *malleis* formas incudebat. Inde illa: *are, auro, argento flando feriundo.* Vetus inscriptio: SIGNAT. SUPPOSTORES. MALLIATORES. MONETÆ. Mart. XII. 579.

Illiac ballucis malleator Hispana.

Ita lege pro *paludes*. Intelligit enim auri monetarium ex *ballucea* Hispana. Idem enim est, ac si dixisset *malleatorem* auri Hispani. *Salmas. Exerc. Plinian. p. 196. a. G. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19. Voss. Lex. Etymol. in Malleus. Sperling. de numm. non cus. c. 34.*

MALLEOLI erant faces militares. Illarum erat genus duplex: Simplices, & rudes, de quibus Non. XVIII. 27. *Malleoli sunt manipuli spartei, pice contecti, qui incensi, aut in muros, aut in testudines jaciuntur. Sisenn. Hist. IV. De quibus partim malleolos, partim fasces sarmentorum incensos supra vallum frequentes.* Festus: *Malleoli vocantur, non solum parvi mallei, sed etiam ii, qui ad incendium faciendum aptantur, videlicet ad similitudinem priorum.* Atque hi non aliud videntur, quam manipulus, aut collectio spartea, ligata in medio forma quadam *mallei*, & pice, aut sulphure illita, sic projecta. Ligni, aut ferri hic nulla mentio. Alterum genus magis efficax, & militare, quod teli in morem formatur, & aptatur. Hoc ex protesso describit Ammian. XXIII. 4. *Malleoli teli genus, figurantur hac specie. Sagitta est cannea, inter spiculum, & arundinem multiplici ferro coagmentata, quæ (fortasse, quod, ad ipsum ferrum) in muliebris colus formam, quo nentur linea stamina, concavatur, ventre subtiliter, & plurifariam patens: atque in alveo ipso ignem cum aliquo suscipit alimento: Et sic emissa lentius invalido arcu, jactu enim rapidiore exstinguitur, si hæserit usquam, tenaciter cremat: aquisque conspersa acriores excitat æstus incendiorum, nec remedio ullo, quàm suprajacto pulvere, consopitur.* Lips. Poliorcet. V. Dial. 5. Valtrin. de re milit. V. 6. Voss. Lex. Etymol. in Malleus. Stevvech. in Veget. IV. 18. Philand. in Vitruv. X. 22. Baldus Lex. Vitruv. Rosin. Ant. Rom. X. 17. Thys. de Oppugn. urb. V. p. 191. Kipping. Antiq. Roman. III. 4. §. 11.

MALLEOLUS est cognomen gentis Publiæ in nummis argenteis. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 615. D.*

MALLEUS erat securis, qua percutiebatur victima. Suet. Cal. c. 32. n. 8. *Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu, elato altè malleo, cultrarium mactavit.* Ovid. Met. II. 625.

Lactantis vituli dextra libratus ab aure
Tempora discussit claro cava malleus ictu.

Sacrifica ea de re dicitur Ovid. Met. XII. 248.

Elatumque altè, veluti qui candida tauri
Rumpere sacrifica molitur colla securi.

Choul. de Relig. vet. p. 254. Stuck. de Sacrif. p. 165. Saubert. de Sacrif. c. 17. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 496. Pitisc. in Suetonium.

MALLUVIUM erat vas, in quo manus lavantur. Festus: *Malluvium dicitur, quo manus lavantur. Malluvia, quibus manus sunt lota. Malluvium latum in commentario sacrorum significat manus ut lavent.* Voss. Lex. Etymol. Struv. Antiq. Rom. c. 2. p. 193. Lomejer. de Lustrat. c. 35. Grapald. de part. dom. II. 3. 6. Dacer. in Festum.

MALOBATHRARII vocabantur unguentarii, qui *malobatrum* unguentum pretiosissimum vendebant. Plaut. Aul. III. 5. 37.

Aut manulearii, aut malobathrarii.

Palmer. Spicil. XV. p. 881. Lambin. in Plautum.

MALOBATRUM dicit Plin. XII. 26. nasci in Syria. *Dat & malobathron Syria, arborem folio convoluto, arido colore: ex quo exprimitur oleum ad unguenta, fertiliore ejusdem Ægypto.* Sed hoc est falsissimum. Nam sola India hoc mittit. Dioscor. I. 11. *Malobatrum in paludibus Indicis gignitur.* Syrium quidem vocat Horat. Od. II. 7. 8. supr. in *Conviva*, non quod in Syria nasceretur, sed quod ex India, ubi nascitur, Antiochiam Syriæ emporium adveheretur. Ita ut deduxerit appellationem non à natalibus, sed ab officinarum loco. Sic calamus aromaticus Græcis Συριακὸς κάλαμος dictus est, quod à Syria ipsis veniret ab India in Syriam missus. Romani Alexandrinum dixerunt, quia ex Ægypto habebant per Alexandrinum cataplum. Et φύλλον βαρβαρικὸν appellatum, quod à Sinensibus in Indiam, deinde ex India per sinum barbaricum in Arabiam, & Syriam, atque alias deinde Asiæ & Europæ regiones invehebatur. *Salmas. Exercit. Plin. p. 747. a. F. Jul. Scalig. Exercit. 146. n. 2. Joseph. Scalig. in Prop. I. 2. 3. Voss. Lex. Etymol. Torrent. in Horatium. Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 48.*

MALUM PUNICUM fuit vicus propè vicum Mamurii in sexta Urbis regione. Ejus meminerunt S. Rufus in P. Victor. In illo natus est Domitianus. Suet. c. 1. n. 1. *Domitianus natus est regione Urbis sexta, ad Malum Punicum, domo, quam postea in templum Flaviæ gentis convertit.* Erat citra ædem S. Susannæ, aut in Septis monialium, aut in hortis Barbarinis. *Donat. de Urb. Rom. III. 15.* Videtur appellatus ab arbore, quæ illic speciosa succreverat, eodem modo, quo alter dictus est *ad Pyrum*, de quo Mart. I. 118. 6.

Longum est, si velit ad Pyrum convenire.

Beroal. in Suetonium. Nardin. Rom. Vet. IV. 7. Non ab arbore; sed à pomo Punico ex ære, aut marmore efficto. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 345. B. Nardin. l. l.* Non fuit pomum ex ære, aut marmore, nec vicus, sed domus, quæ propter natale Domitiani celebris, cujus insigne fuit pomum Punicum, sive id pictum fuerit, sive fictum. Apud Suetonium enim *ad*

malum

malum Punicum domo est domo, quæ ab hoc insigni fuit appellata *ad malum Punicum*, ut apud eundem *Villa ad gallinas* Galb. c. 1. n. 2. & hujus generis alia in eodem scriptore. *Grav. Thes. Antiq. Roman. Prolegom. ad Tom.* III. * * 3. *vers.*

MALUS fuit in circo maxima erecta, ad instar nauticæ, ut puto: at quem in usum ignoro. Liv. XXXIX. 7. *Ludis Romanis eo anno, quos P. Cornelius Cethegus, A. Postumius Albinus faciebant, malus in circo instabilis in signum Pollentiæ procidit.* Nardin. Rom. Vet. VII. 2. Donat. de Urb. Rom. III. 14.

Malus in navi est arbor, in qua vela cum antennis suspenduntur. Cicer. Verr. v. 35. *Cleomenes malum erigi, vela fieri, ancoras præcidi imperat.* Senect. c. 6. *Cum alii malos scandant, alii per foros cursent.* Hunc unicum antiqui habuere, in medio navis collocatum. Aristot. Quæst. mechan. VI. 2. *Navis construitur ex circuli hypothesibus, ita nimirum ut malus sit semidiameter, qui exsurgat ex ipso navis centro.* Dionysius Alexandrinus apud Euseb. Præpar. Euang. XIII. 24. *Dum navis compingitur, malus non se ipsum è medio navis erigit.* Scheffer. Mil. Nav. II. 5 Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 616. F. Dolet. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 682. C. Gyrald. de Navig. c. 12.

MAM.

MAMERCINUS fuit cognomen gentis Æmiliæ. *Mamercini* novem obtinuerunt consulatus duodecim, dictaturas quinque, tribunatus militares cum consulari potestate novem, magisteria equitum tria, triumphos tres. I. L. Æmilius *Mamercinus* fuit ter consul, 1. cum Kæsone Fabio K. F. Vibulano an. 269. 2. sexto anno cum C. Servilio Structo Ahala. 3. post annos quinque cum Vopisco Julio Julo. II. Tiberius *Mamercinus* Lucii filius bis consul fuit. 1. anno tertio post ultimum patris consulatum cum L. Valerio Voluso Potito II. 2. cum Q. Fabio Vibulano an. 286. III. Marcus *Mamercinus* nepos, ut suspicor, Lucii ter consulis, ter dictator fuit, & bis triumphavit. Tribunus militum fuerat an. 315. cum L. Quintio Cincinnato, & L. Julio Julo. Anno primo dictator de Fidenatibus Idib. Sept. triumphavit. Tertio post anno iterum dictator rei gerundæ causa fuit. Post undecim verò annos iterum triumphavit dictator tertium de Vejentibus & Fidenatibus. Quæsitor fuerat ao. 325. IV. Manius *Mamercinus* fuit ter tribunus militum post consulatum, quem gessit an. 343. cum C. Valerio Potito Voluso. Namque quinquennio post cum aliis quinque patriciis, & an. 350. iterum cum totidem, ac biennio proximo cum eisdem collegis patriciis tertio tribunatum gessit. V. C. *Mamercinus* bis tribunus militum fuit an. 359. & 362. VI. M. *Mamercinus* tribunus militum fuit an. 362. Quibus parentibus hi duo orti fuerint, nullum habemus auctorem. Mihi probabile videtur Manii fratres fuisse. VII. L. Æmilius Lucii filius quinquies tribunus militum fuit. Primus tribunatus actus est ao. 364. 2. biennio post primum. 3. quadriennio post alterum. 4. continuatus est post tertium, inter 4. & 5. anni quatuor medii interfuerunt. Magister equitum fuit cum M. Furio Camillo an. 385. Consul fuit biennio post, & iterum post annos tres cum Cn. Genucio Aventinensi. VIII. L. Æmilius *Mamercinus* Lucii filius, Lucii nepos, bis dictator, bis magister equitum, & bis consul fuit, & in secundo consulatu triumphavit de Privernatibus, & inde Privernas dictus Kal. Mart. ann. 424. Magister equitum fuit C. Julio Julo dictatore in castris novo more dicto ann. 401. Iterum decennio post M. Valerio Corvo dictatori. Anno sequenti consulatum gessit cum C. Plautio C. F. Vennone II. Dictator comitiorum habendorum causa ann. 418. & iterum rei gerundæ causa an. 427. IX. Tiberius *Mamercinus* fuit consul cum Q. Publio Philone an. 414. Ejus parentes ignorantur. Possumus suspicari esse Privernatis fratrem. *August. de Fam. Rom. in Æmilia. Glandorp. Onom. Roman. p.* 22. . . .

MAMERCUS fuit prænomen Æmiliæ gentis. Hoc penè extinctum, & in cognomen mutatum, è tenebris vetustatis antiquorum marmorum auxilio renovatum est. De illo Plutarch. Num. p. 65. D. *Alii dicunt, cum quatuor Numa filios habuisset, Mamercum unum ex Pythagora filio appellavisse, ab illoque Æmiliorum familiam patriciam fuisse.* Festus: *Mamercus prænomen est Oscum, à Marte dictum, ab eo quod Osci Martem Mamertem vocitent, qui à Romanis detractione unius syllabæ Mars appellatur.* Notatur in Fastis tribus his literis MAM. *Panvin. de Nomin. Rom. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 2028. *D. Sigon. de Nomin. Rom. c.* 3.

MAMMA vocabatur nutrix, quod *mammas* porrigeret. Pers. Sat. III. 18.

Iratus mammæ, lallare recusas.

Ita Arsace nutricem Cybelen μαμμίδιον appellat apud Heliod. VII. p. 319. Inscriptio Romæ in hortis ad aquam virginis exstat, & legitur apud Gruter. p. 662.

DIS. M.
ZETHO. CORINTHUS
TATA. EJUS. ET. NICE
MAMMA. F.
V. A. I. D. XVI.

Barthol. de Puerp. p. 120. *Pignor. de Serv. p.* 382. *Turneb. Adv.* XXIII. 34. *Casaub. in Persium. Claud. de nutric. cap.* 4.

MAMURIUS fuit prænomen Veturii, qui sub Numa Rege undecim ancilia fabricavit. Is enim *Mamurius Veturius* appellatur. Quod prænomen ab ullo præterea alio usurpatum fuisse nusquam inveni. *Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 2033. *F.* De illo Ovid. Fast. III. 383.

Mamurius morum, fabræne exactior artis,
Difficile est, illud, dicere, clausit opus.

Prop. IV. 2. 61.

At tibi Mamuri formæ cælator ahenæ
Tellus artifices ne terat Osca manus.

Gutberleth. de Saliis c. 14. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 344. F. Mod. de Lud. vet. II. 24. Flocc. de Potest. Roman. I. 7. Statuam ejus plumbeam in sexta Urbis regione, sive alta semita ponunt Rufus & Victor. Et hæc illi ob memoriam erecta nomen dedit vico, cujus etiam in dicta regione Rufus & Victor meminerunt. Fuit ille ante forum Sallustii. Acta martyrum, quæ à Baronio in Annalibus ad annum Christi 294. laudantur: *A die, quo Susanna percussa est, beatus Cajus Papa in domo Susannæ, in loco, ubi percussa est, jugiter obtulit sacrificium pro ejus commemoratione: facta sunt hæc in sexta regione ante forum Sallustii.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. c. 20. & Panciroll. l. l.

MAN.

MANA Genita. V. illam supr. in *Genita Mana*.

MANCEPS quis fuerit dictus, docent Ascon. in Cicer. p. 29. *Mancipes sunt publicanorum principes, Romani homines. Qui quæstus sui causa, si decumas redimunt, decumani appellantur. Si portum, aut pascua publica, portitores, aut pecuarii: quorum ratio scriptura dicitur. Hi omnes exigenda a sociis suo periculo exigunt, & Reipublicæ repræsentant, providentes etiam in illa redemptione commodis suis. Licet autem, si moderatè fiat, æstimare in cellam prætoris frumentum. Mancipi pro frumento ab aratoribus pecunias accipere non licet.* Et Festus: *Manceps dicitur, qui quid a populo emit, conducitve, quia manu sublata significat se auctorem emptionis esse: qui idem præs dicitur, quia tam debet præstare quod promisit quam is, qui pro eo præs factus.* Panvin. descrit. Urb. Roman. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 261. E. Buleng. de Vectig. c. 3. Forner. Select. I. 10. Voss. Lex. Etymol. Burman. Dissert. de Vectig. c. 9. Blond. Triumph. Rom. IV. p. 108. G. V. etiam infr. in *Portitor*.

Manceps cursus publici, sive stationum dicebatur, qui nobis *commis des postes*, qui stationibus præficiebatur à præfecto prætorio, l. 23. 26. 36. C. de curs. publ. Hi singuli singulis cursus publici mansionibus per quinquennium præponebantur, l. 34. 46. C. l. l. postea perfectissimatus digni-

dignitate honestati abire permittebantur. Interea triginta tantum diebus, quoque anno, à statione, seu mutatione poterant discedere, l. 36. 22. C. l. l. Horum cura erat evectiones inspicere, an essent legitimæ, ut alimenta animalibus necessaria subministrarentur, nec permittere, uni rhedæ destinata animalia alii adjungi. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 6. Guther. de Offic. dom. August.* III. 14. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 13. §. 1--5. *& ad illam Henninius.*

Manceps monumenti dicebatur, qui res, quæ monumenti tutelæ cedebant, conducebat, Gruter. Inscr. p. 414. n. 10.

C. JULIUS. DIVI. AUG. L.
HILARUS
MANCEPS. HUJUS. MONUMENTI
ANTEROS. MARMOR. VEDIAN
C. JULIUS. DIVI. AUG. L. ELAINUS

Nisi quis malit *mancipem* pro redemptore sartorum tectorum monumenti accipere, vel pro eo, qui illius præcipuam curam gerebat, qualis est Tertull. Apolog. c. 11. *manceps divinitatis*, & Plin. x. 43. *manceps sutrina.* Quæ significatio omnis in hunc monumenti *mancipem* cadere potest. *Guther. de Jur. man.* III. 7.

Manceps etiam dicebatur, qui à viarum curatoribus vectigalia earundem redimebat, & pecuniam inde redundantem in accepti, expensique tabulas referebat: unde *plurium per Italiam itinera fraude mancipum, & incuria magistratuum interrupta, & impervia* sæpè facta sunt. Ita Corbulo apud Tacit. Annal. III. 31. 6. De ejusmodi *mancipe* Romæ in domo Cardinalis Carpensis hæc est inscriptio:

D. M. S
CN. CORNELIO
CN. F. SAB
MUSÆO
MANCIPI. VIÆ. APPIÆ
HERENNIA. PRISCILLA
CONJUGI
BENE. MERENTI
FECIT

Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. III. *p.* 262. *D. Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 5. *Bergier. de viis milit.* I. *Sect.* 4. §. 1. 5. *Lips. in Tacitum.*

MANCINUS fuit cognomen gentis Hostiliæ in argenteis nummis. Hoc Glandorpii observatione in cognominum indice nunquam Hostilia gens deposuit. *Ursat. de not. Rom. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 615. *E.* 816. *E.* Hostilius turpem cum Numantinis pacem fecerat. Cum igitur eam non probarent Romani, *Mancinum* Numantinis dederunt. Hi cum hunc dedititium non reciperent, quod crederent, ei, qui gerendi belli potestatem haberet, fœderis etiam faciendi jus competere; Romam reversus disputationi ansam dedit, an jus postliminii faveret ei, & an jus civitatis retineret integrum? Sed non tantum pristino honori restitutus, sed ad novos etiam honores est admissus: adeo ut nec ipse pœnæ loco duceret eam deditionis contumeliam, quippe qui *eodem habitu sibi statuam instituit, quo deditus est*, annotante Plin. XXXIV. 5. *Sagittar. de jan. vet. c.* 8. §. 22.

MANCIPATIO quid fuerit. V. supr. in *Emancipatio.*

Mancipatio erat etiam modus legitimus, quo legitimum rerum venditarum dominium acquirebatur ex jure Quiritium. Hujus meminerunt expressè in XII. tab. decemviri his verbis. *Cum nexum faciet, mancipiumque, uti lingua nuncupassit, ita jus esto.* Hoc est, uti nominaverit, locutus ve erit, ita jus esto. Ita hunc Festi locum restituendum esse docuit me in notis, quas ad Lucretium scripsit, Obertus Gifanius; aliter enim aliquando me sensisse non pudet fateri: legem hanc sic olim vulgo conceptam esse, ut satis esset, ea duntaxat vitia præstari, quæ lingua essent nuncupata. Testis est Cicero mox laudandus. Eamque interpretationem bonæ fidei, quæ in contractibus desiderabatur, prorsus contrariam rejiciendam esse censuerunt tandem ICti, & aliam amplectendam, per quam sincera decemvirorum intentio patefieri, dolusque omnis vindicari possit. Non enim dubitabant, quin his verbis: *uti lingua nuncupassit, ita jus esto*, decemviri voluerint, omnia, quæcunque subessent prædio, vitia nominari, & ea deinde sic præstanda esse, uti lingua fuerint nuncupata. Eoque sensu accipiendum est, quod ita scribit Cicer. de Offic. III. 16. *Ac de jure quidem prædiorum sancitum est apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia etiam dicerentur, quæ nota essent venditori. Nam cum ex* XII. *tab. satis esset cautum ea præstari quæ essent lingua nuncupata, quæ qui inficiatus esset dupli pœnam subiret, à ICtis etiam reticentiæ pœna est constituta. Quidquid enim inest prædio vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstari oportere.* Hæc Cicero per *jus civile* prudentum haud dubiè interpretationem cum Pomponio intelligens. Idem Ambros. Offic. III. scribit: *Non solum itaque in contractibus (in quibus etiam vitia eorum, quæ veneunt, prodi jubentur, ac nisi intimaverit venditor, quamvis in jus emptoris transcripserit, doli actione vacuantur) sed etiam generaliter in omnibus dolus abesse debet, aperienda simplicitas, intimanda veritas est.* Et quamvis Cicero hanc legem decemviralem ad prædia tantummodo videtur referre, ex eo tamen doceri non potest, aliam de mobilibus rebus in XII. tab. legem fuisse. Id enim à Cicerone idcirco factum est, quod pleniùs, & uberiùs ædilium edicto rerum mobilium emptoribus prospectum esset, quàm prudentum interpretatione. Id quod præ se ferunt verba Cicer. c. 17. *Nec verè in prædiis solum jus civile, ductum à natura, malitiam, fraudemque vindicat: sed etiam in mancipiorum venditione venditoris fraus omnis excluditur. Qui enim scire debuit de sanitate, de fuga, de furtis, præstat edicto ædilium.* V. supr. in *Edictum*. Rævard. de Auctor. prudent. c. 10.

MANCIPATUS dicebatur cursus publici exercitatio, cura, & solicitudo, l. 24. 36. 46. C. de curs. publ. l. 9. 16. 19. C. de div. offic. Erat quasi servitutis quædam species, non quidem perpetuæ, sed ad certum tempus lege definitæ, sic ut qui huic muneri, operique publico deputarentur, non potuerint ante legitimum tempus eo aut abire, aut illud ultro deponere. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 13. §. 1. *Pancirell. de Notit. imp. orient. c.* 6. *ad Bergierum Henninius.*

MANCIPI res, teste Ulpian. Instit. c. 19. vocarunt prædia in Italiæ solo, tam rustica, qualis est fundus: quam urbana, qualis est domus: item jura prædiorum rusticorum, veluti viam, iter, actum, & aquæductum: item servos, & quadrupedes, quæ collo, dorsove domarentur, sicuti boves, mulos, equos & asinos. *Sigon. de Judic.* I. 4. *Ravard. in Leg.* XII. *tab. c.* 16. Teste Boethio sunt, quæ ita abalienantur, ut abalienatio fiat per nexus sollennitatem. V. illam instr. in *Nexus*. Neque aliter per leges XII. tabularum alienari possunt. Cæteræ autem res, quæ sui juris sunt, *nec mancipi* dicebantur. In jure quoque res *mancipi* cedebantur in hunc modum, ut Cajus scribit. Apud magistratum populi Romani, vel prætorem, vel provinciæ præsidem, is cui res in jure cedebatur, rem tenens ita vindicabat: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo.* Prætor tunc interrogat eum qui cedit, an contra vindicet, eoque negante, aut tacente ei, qui vindicaverit, eam rem addicit; idque legis actio vocabatur. Ita pleno jure duobus his modis res in alterum transferebatur. Abalienationem quomodo Cicero describat, V. supr. in *Abalienatio*. Quod si res quæ *mancipi* est, sine his sollennitatibus tradatur, abalienari non poterat, nisi ab eo, cui tradebatur, usucaperetur. *August. de LL.* XII. *tabul.* §. 25. *Ravard. l. l.*

MANCIPIUM dicitur servus, *qui ab hostibus manu capiebatur*, l. 4. ff. de statu hominum. *Rhodig. Ant. Lect.* XXV. 17. *Pignor. de Serv. p.* 2. Illa vendebantur ad templum Castoris. Senec. de Const. Sap. c. 13. *Num molestè feram, si mihi non reddiderit nomen aliquis ex his, qui ad Castoris negotiantur, nequam mancipia ementes vendentesque, quorum tabernæ pessimorum servorum turba refertæ sunt?* Borrich. Ant. Urb. fac. c. 10. n. 2. Lips. in Senecam. Pretium ingens, quo Daphnis fuit venditus, prodit Plin. VII. 39. *Pretium*

tium hominis in servitio geniti maximum ad hanc diem, quod equidem compererim, fuit Grammaticæ artis Daphnidis, Cn. Pisaurensi vendente, & M. Scauro principe civitatis III. *M.* DCC. *sestertiis licenta*. Bud. de Asse II. p. 230. Novitia vectigalia erant. Quintil. Declam. 340. de mangone: *Circumscribere vectigalia populi Romani voluisti: speciem prætextati imponere publicano voluisti*: quia à venalitiariis pluris, quàm veterana vendebantur. Suet. Jul. c. 47. n. 2. *Servitia recentiora, politioraque immenso pretio comparabat, cujus ipsum etiam puderet, sic ut rationibus vetaret inferri*. Juven. Sat. V. 56.

Flos Asiæ ante ipsum pretio majore paratus,
Quàm fuit & Tulli census, pugnacis & Anci.

Ulpian. l. 36. ff. de ædil. edict. *Præcipiunt ædiles, ne veterator pro novitio veneat. Et hoc edictum fallaciis venditorum occurrit: ubique enim curant ædiles, ne emptores à venditoribus circumveniantur: ut ecce plerique solent mancipia, quæ novitia non sunt, quasi novitia distrahere, ad hoc scilicet ut pluris vendant*. Pignor. ibid. p. 51. Pitisc. 10 Suetonium. Ubi vilia sepeliverint veteres, V. infr. in *Puticuli*. Sui juris facta catenas Laribus, & annulos ferreos Saturno suspendebant; in templo forsan Libertatis, quod senatus Romanus in Julii Cæsaris gratiam publico decreto erexit. *Tomas. de Denar. c.* 38.

MANDATARIUS, ut à magistratu *mandatore* solebat, quod à magistratu *mandatum* erat, gerere debebat. Proinde si *mandetur* res cognitionis, *mandatarius* & per se cognoscet, & tribunali utetur, & consilium exercebit: quod si res erit ordinarii juris, magis judicem, & formulam dabit. Id enim, cum magistratui, qui jurisdictionem *mandat*, observandum si legibus moribusque populi Romani, causa non est, cur in *mandatario*, qui tantum vices, & partes ejus habet, aliter receptum sit. De tribunali quod dixi, ut probem, adsero Livium, sed laudatum supr. in *Jurisdictio*. Exhibet ille speciem *mandata* jurisdictionis, ejusque insignia, in his lictores, trabeam, & sedem regiam: id est, ut mihi videtur, tribunal cum sella curuli. Hoc enim sibi judicaturo paravit Romulus. Dionysius. V. illum infr. in *Tribunal*. Consilium exercuisse addidi. Ulpianus tamen restatur, l. 2. ff. de offic. ejus cui mand. est jurisd. *Mandata jurisdictione à præside, consilium non posse exercere eum, cui mandatur*. Sed non sic accipiendus Ulpianus, quasi simpliciter neget, *mandata* jurisdictione à præside, *mandatarium* non semper, neque peræquè, ubi præses potest, consilium à *mandatario* exerceri posse. Idque verissimum est, & apparet ex exemplo, quod ex Ulpiano appono: *Et si tutores, vel curatores velint prædia vendere, causa cognita id prætor, vel præses permittet: quod si mandaverit jurisdictionem, nequaquam poterit mandata jurisdictione eam quæstionem transferre*. In his enim verbis non inchoatur novus sermo, sed subjicitur species, & exemplum principii ejusdem capitis. Et judicem dedisse monui. Paullus quidem, l. 12. ff. de judic. cum indulget judicis dationem *mandatario* jurisdictionis, tantum loquitur de legato proconsulis; de aliis magistratuum *mandatariis* non loquitur. Sed quod jus est, quæve necessitas restringendi exemplum legati pro consulis? adfert enim Paullus generalem regulam, eum, cui *mandata* est jurisdictio, judicem dare posse: neque idcirco, quia pro illustranda regula utitur exemplo legati proconsulis, utique videtur ab ea excludet cæteros *mandatarios*. Sed id certum est, attendentibus ad naturam jurisdictionis, quæ talis est, ut ei cohæreat judicis datio, l. 5. ff. de Jurisdict. impossibile esse, ut à prætore *mandata* jurisdictione in ea causa, in qua judex dari solet, judicis datio, aut *mandata* non intelligatur, aut ad *mandatarium* non transire. Quid? quod apud Cicer. Divin. c. 17. exstat exemplum specialis judicis, quem in causa Agonidis dedit quæstor Q. Cæcilius, quem tum jus dixisse prætoris *mandatu* hoc verisimilius est, quod & Cæsarem, *cum & quæstori ulterior Hispania obvenisset, prætoris mandatu conventus jure dicundo circumiisse* refert Suet. c. 7. n. 1. His accedit, quod Imperatores Theodosius & Valentinianus primi mutarunt rationem ejus juris, l. un. C. qui pro sua jurisdict. judic. dare dative possunt. Sed hæc mutatio judicis dationem ante *mandatarii* fuisse manifestè arguit. *Noodt de Jurisd. & imper.* II. 9. 10. & 11. *Stephan. de Jurisd. vet. Græcor. c.* 14.

MANDATORES, est enim *mandare* gerendum aliquid alicui committere, dupliciter ferè accipiuntur apud Ictos. Et hi videlicet, quorum *mandato* pecunia alicui creditur, nec quicquam à fidejussoribus differunt, nisi quod illi tanquam auctores præcedunt, fidejussores verò sequuntur. Et hi, qui delatores instruunt & subornant ad accusandum. Delatoribus *mandatores* jungit Suet. Tit. c. 8. n. 14. *Inter adversa tempora & delatores, mandatoresque erant ex licentia veteri*: quia delatores compellebantur edere *mandatorem*. Quia verò in pari sunt turpitudine, ita parem quoque pœnam detecta calumnia merentur. Sic enim Callistr. l. 2. ff. de jure fisci: *Divus Pius Cæcilio Maximo rescripsit constitutionem patris sui, qua compelleretur delator edere mandatorem, ac nisi edidisset, ut in vincula duceretur, eo pertinere, non ut delator pœna subduceretur, si mandatorem haberet, sed ut mandator quoque perinde, atque si ipse detulisset, puniretur*. Torrent. in Suetonium. Turneb. Adv. XXII. 16. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 31. Pollet. For. Rom. IV. 4.

MANDATUM in obligationibus ex consensu erat contractus bonæ fidei de eo, quod fieri sine mercede conveniret, periculo *mandatoris* exequendo, inter quos jure civili licebat, factus: atque in hoc personæ, res *mandata*, forma *mandati*, & jus contractus considerabantur. *Sigon. de Judic.* I. 5.

Mandata Principis sunt præcepta, seu monita, quæ provinciarum rectoribus dantur, aut aliis magistratibus, quibus muneris, aut jurisdictionis eorum forma continetur, ad provinciæ administrationem, morum, & disciplinæ publicæ curam. Horum alia sunt commonitoria, alia secreta, l. fin. C. de accusation. quæ *occulta* vocat Tacit. Ann. II. 43. 7. *Credidere quidam data & à Tiberio occulta mandata ad spes Germanici coercendas*. Qui & III. 16. 1. *audire se meminit ex senioribus, visum sæpiùs inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit, sed amicos ejus dictitasse, literas Tiberii, & mandata in Germanicum contineri, ac destinatum promere apud patres*. Atque id quidem, cum Piso criminis reus fieret. *Nam putarunt quidam*, ait Suet. Tib. c. 52. n. 7. *mandata prolaturum, nisi ea secreta obstarent*. Qui hoc intelligit, quod cum *secreta mandata* essent, & *occulta* illa resolvere insignis perfidiæ crimen esset, & graviore supplicio puniendum. *Mandata* ergo quod *secreta* erant, & *occulta* obstabant, & impedimento erant, ne ea Piso proderet, & fidem frangeret, crimenque alio crimine cumularet. *Mandata* autem Principis, sive *secreta*, sive *commonitoria* magistratibus data non aliter valent, quàm si literis relata sint, l. 1. C. de mandat. Princip. Ammian. XXVIII. 1. *Quidam repertus est Gallus audax adusque insaniam, cui commonitorium cum literis Augusti tradidit*. Guther. de Offic dom. Aug. I. 33. Ea ab Augusto inventa fuisse scribit Dio LIII. Et illa intermissa renovavit, & sex capitibus explicata Græcè & Latinè scribi, ac laterculo inseri jussit, inde descriptus liber præfectis tradebatur, ut ab ipsis instruerentur, quid sibi in administrando officio agendum esset, d. authent. de mandat. Princip. §. penult. Justin. Novell. 24. §. & 26. §. 2. *Ut autem sciant magistratus, quomodo oporteat eos provincias gerere, visum est nobis non solum illis tradere symbola*, id est, insignia magistratus, *in codicillis, sed etiam præscribere, quomodo magistratus administrare debèrent*: hæc anteriores legum latores *mandata Principis* appellabant, *ut ipsi ad hæc respicientes rectè suum administrarent magistratum, & undique nostros subditos prosint. Igitur hæc sacra mandata jussimus in sacro nostro laterculo reponi, ut una cum codicillis præsidibus exhiberentur*. Pancitoll. Notit. dignit. imp. orient. c. 23.

MANDRÆ sunt jumenta, aut carri, quibus marmora, ligna, & ejusmodi necessaria in urbe carrucarii trahebant. Juven. Sat. III. 236.

——rhedarum transitus arcto
Vicorum inflexu, & stantis convicia mandræ
Eripient somnum Druso.

Stantis enim est morantis, non pergentis mulæ. Et convicia mulionum sunt in mulas cunctantes, & stantes. Mart. v. 23. 7.

Vixque datur longas mulorum vincere mandras.

id est, longam seriem mulorum rhedas trahentium & onera. *Senftleb. de Alea vet. c. 12. §. 5. Mancinell. Domit. & Grang. ad Juvenalem. Rader. ad Martialem. Scalig. in Catal. p. 282.*

Mandra sunt *loca, in quibus porci includuntur.* Schol. Juven. Sat. III. 237. Sed non porcorum tantum, sed etiam jumentorum. Mart. v. 23. 7.

Vixque datur longas mulorum vincere mandras.

Nimirum universè stabulum notat. Atque à Græcis acceptum. Hesychius: *Μάνδραι, ἕρκη, φραγμοὶ, ὗλαι, σηκοὶ βοῶν καὶ ἵππων.* Gloss. Cyrill. *Μάνδραι θρεμμάτων, caula. Μάνδρα αἰγῶν, caprile.* Basilius *stabulum id, in quo natus Christus,* appellat *μάνδραν. Voss. Lex. Etymol.*

Mandra in lusu latrunculorum *κατὰ μεταφορὰν* vocabantur loca illa, sive sedes in tabula, in quibus veluti clusi tenebantur latrunculi: loca nimirum lineis distincta, in quibus siti erant calculi, sive latrunculi. Mart. VII. 71. 8.

Mandris, & vitreo latrone clausos.

Lucan. Paneg. ad Pison. n. 171.

——*hic ad majora movetur,*

Ut citus, & fracta prorumpat in agmina mandra.

Nam calculus, qui in calculi discoloris sedem faciebat impetum, ut eum eriperet, & sede sua pelleret, *mandram* ejus, sive vallum frangere intelligebatur. *Mandra* idem quod septum, vel vallum. Lucanus *mandram* quam dixerat n. 171. vallum dicit n. 172.

Clausaque dejecto populetur vallo.

Vides *mandram, vallum, clausa mœnia.* Græcos *τεῖχος*, & *χαρακώματα* rem eandem vocare videmus. *Mandra* autem idem quod *χαράκωμα. Salmas. in Vopisc. Procul. c. 13. Souter. de Aleat. l. 19. Senftleb. de Alea c. 12. §. 5. Calcagnin. de calcul. c. 3. Scalig. in Catal. p. 318. Rader. ad Martialem.* Possunt etiam dici equites, nisi potiùs quatuor illarum celebriorum factionum in ludo calculorum repræsentabantur. Nam & Neronem quadrigis eburnis lusitasse auctor est Suet. c. 22. n. 2. *Scalig. ibid. p. 282. Grang. ad Juven. Sat.* III. 237.

MANDUCI. Varr. de Ling. Lat. VI. 5. *ad obsonium vocant manducum.* Pallentes erant hæ personæ, utpote famelicæ, & quæ viderentur cibum exposcere. Juven. Sat. III. 174.

——*tandemque venit ad pulpita notum*
Exodium, cum persona pallentis hiatum
In gremio matris fastidit rusticus infans.

Manducus est *μορμολυκεῖον*, quod in ludis ferebatur *σποπωτικὸν ὑπόβλεπον* apud Plaut. Rud. II. 6. 51.

C. *Quid si aliquo ad ludos me pro manduco locem?*
L. *Quapropter?* C. *Quia pol clare crepito dentibus.*

Rectè pueri formidant *manducum*, dentibus enim magnis, lato gutture, maxillisque crepitantibus terriculamenti effigie componebatur. Harum larvarum usus etiam apud comicos Latinos, licèt non tanta enormitate malarum; nam quid aliud *γνάθωνες* in comœdiis, & in Atellanis sæpissimè? ibi enim turpissimæ personæ. Festus. Vallum supr. in *Comœdia Atellana.* Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 2. Scalig. Conject. in Varron. p. 150. Voss. Lex. Etymol. Guther. de jur. man. I. 20. Casal. de trag. & com. c. 2. Taubmann. in Plautum. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1095. C. Blond. Triumph. Rom. II. p. 53. B.

MANE *est diei principium.* Varr. de Ling. Lat. v. 2. *Post tenebras noctis diei pars prima.* Non. I. 337. *Optima pars diei* vocatur Virg. Æneid. IX. 156.

Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei.

Hæc *Voss. Lex. Etymol. Morestell. Philom. IV. atal. 5. Putean. Reliq. conviv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XII. p. 255. D. Latini de temp. & ejus part. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. IX p. 1050. A. Laurent. de ann. & mens. c. 3. Gyrald. de ann. & mens. Oper. Tom. II. p. 797. A. Brisson. de Form. I. p. 93.* Illo summo jentacula vendebantur. Mart. XIV. 223. V. illum supr. in *Jentaculum.* Et ad sacra concurrebatur: Hesiod. Oper. n. 724.

Neque unquam mane Jovi libato nigrum vinum
Manibus illotis, neque aliis immortalibus.

Prudent. Περὶ στεφ. XI. 189.

Mane salutatum concurritur, omnis adorat
Pubes.

Apul. Met. XI. p. 383. *Inchoata lucis salutationibus, religiosi primam nuntiantes horam, perstrepunt.* Causam adsignat Xenoph. de Lacedæm. Republ. p. 688. C. *Semper Rex sacrificans orditur rem crepusculo, studens præsumere benevolentiam numinis.* Saubert. de Sacrif. c. 4. Stuck. de Sacrif. p. 16. Florid. in Apulejum.

MANES boni ominis causa, juxta linguam veterem, vocati quasi boni. Nam *manis* & *manus* idem ac bonus Serv. Æneid. III. 63. Quod *manes* dixere, factum à Latinis exemplo Arcadum, unde magnam partem genus ducebant. Hi enim vocarunt *χρηστὲς*, quod idem valet ac *manes*, sive bonos. Fundus nobis hujus rei Plutarchus in Quæst. Græcan. 5. ubi, cum quæsitum esset, qui Arcadibus, & Lacedæmonis fuerint *χρηστοὶ*, docet, in columna ab iis posita ad Alpheum, scriptum fuisse, *Messenios ne liceat religione pellere, vel bonos, χρηστὲς, facere.* Addit deinde, Aristotelem *χρηστὲς ποιεῖν* exponere *non interficere:* ut satis liqueat, ad verbum sonare, *manes facere.* Voss. de Idolol. I. 11. & Lex. Etymol. Gyrald. Synt. deor. VI. p. 214. A. Brisson. de Form. I. p. 51. Stuck. de Sacrif. p. 48. Struv. Ant. Rom. I. p. 176. *Manes,* qui prioris vitæ honestate adjuti sunt, in Lares domorum, urbiumque vertuntur. Mart. Cap. de Phil. II. si autem depravantur ex corpore, larvæ perhibentur ac maniæ. *Manes* igitur tam boni quàm truces sunt constituti, quos *ἀγαθὲς καὶ κακὲς δαίμονας* memorat Graja discretio. Hoc tradit Apulejus laudatus supr. in *Larvæ.* Plotinus tamen paullò aliter apud August. de civ. Dei IX. 11. *Animas hominum dæmones esse, & ex hominibus fieri lares, si meriti boni sint: lemures, sive larvas, si mali: manes autem cum incertum est bonorum eos, sive malorum esse meritorum.* Guther. de jur. man. II. 16. Putabant veteres offendi, nisi elugerentur. V. supr. in *Luctus.* Dicebantur adorari, cum quis illos alloqueretur, illisque benè precaretur. Senec. Epist. 86. *In ipsa Scipionis Africani villa jacens, hæc tibi scribo adoratis manibus ejus.* Guther. ibid. I. 17. Mense Februario per duodecim dies populus circa sepulcra piaculis, & sacrificiis placabat, cereis & facibus circa tumulos accensis. *Ferrar. de vet. lucern. sepulcral. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom.* XII. *p.* 999. *F.* Ad cantum tibiarum placabantur, & celebrabantur justa funebria, adhibitis modis Phrygiis, qui lamentis, & questibus conveniebant. Persuasum enim habebant cantum hunc diis *manibus* gratum esse. Ovid. Fast. VI. 660.

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Bellor. Descr. sepulc. Nasonior. tab. 9. Nihil sollennius habebant veteres, quàm votis prosequi, ut defuncti inferos sibi deos pacatiores invenirent. Etsi enim teste Non. I. 337. *boni & prosperi* veteribus habiti, *quod melior mors sapientioribus quàm vita prebetur:* cum tamen apud eos communi sententia receptum esset, locum sub terris pœnarum reperiri, variis nominibus sæva hæc numina placare nitebantur. *Tomas. de Donar. c.* 37. Mactatis hominibus parentare solebant. Unde apud Homerum Achilles in Patrocli funere:

Bis sex nobilium Troum de sanguine natos
His ego mactabo manibus, tibi amice, tuisque
Manibus inferias, cinerum hic ad busta tuorum.

Virg. Æneid. X. 517.

——*Sulmone creatos*
Quatuor hic juvenes totidem quos educat Ufens
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flamma.

Tomas. ibid. c. 40. Cerda in Virgilium. Evocabantur hoc modo. 1. longissimum carmen, seu preces ferales præmittebantur. 2. si preces non audirentur, succedebant iræ. 3. si iræ non satis, adhibebantur minæ. 4. post minas magnus seque-

batur

batur mugitus terrarum, indicium adventus manium. 5. post mugitum adesant in fosibus *manes* defunctorum. *Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 16.

Manes dii serviles dicuntur. Varr. de Ling. Lat. v. 3. *Hoc satrificium fit in Velabro, qua in novam viam exitur, ut ajunt quidam, ad sepulcrum Acca: quod ibi prope faciunt diis manibus servilibus sacerdotes.* Sed quinam isti sint, non expressit. Putarem servos, qui vivi sacra non habuerunt, mortuos libertatem suam recuperasse, ob idque infertas illis datas ut sapulcra, quod Varronis locus indicare videtur, qui post Accalia constituit *manes* serviles. Alium praeterea auctorem habeo neminem. *Guther. de Jur. man.* ii. 55.

MANGO est mercator venalitiarius, venalitius, ου μαγίμοπ☉, qui venales alit, & vendit. Gloss. Cyrill. Senec. de Ben. iv. 53. V. illum infr. in *Mercatura*. *Mangones* venalitios junctim vocat Plin. xxs. 26. *Radix est bulbacea, mangonibus venalitiis pulcrè nota.* Salmas. Exerc. Plin. p. 193. a. E. Lausent. de Adulter. c. 2. Blond. Triumph. Roman. v. p. 110. G. Mescut. Var. Lect. ii. 5. Schill Nomencl. Philol. p. 716. Pitisc. in Suet. Aug. c. 69. n. 2. Venales, quos pluris venderens, castrabat. Quintil. v. 12. *Manciporum negotiatores forma puerorum virilitate excisa lenocinantur.* Et vitia fuco occultabat. Senec. Epist. 80. *Mangones quicquid est, quod displiceat, aliquo lenocinio abscondunt.* Quintil. ii. 16. *Mangonum qui colorem fuco, & verum robur inani sagina mentiuntur.* Voss. Lex. Etymol. Pitisc. l. l. Latiore significatu dicitur, qui canes, equos, mulos alebat, & vendebat. Gloss. Philox. Κυνοτρόφ☉, mango. Cyrill. *mango*, ἱπποβοσκός. *Pitisc. l. l. Farnab. ad Mart.* 5. 59. 1. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* xs. p. 849. *D.*

MANIA existimabatur mater Larum. Varr. de Ling. Lat. viii. 38. *Videmus Maniam matrem Larum, & Lucam Volumniam Saliorum carminibus appellari.* Festus: *Manias Ælius Stilo dicit ficta quadam ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alii maniolas appellent. Manias autem, quas nutrices minitantur parvulis pueris esse larvas, id est manes, quos deos, deasque putabant, quia aut ab inferis ad superos manant, aut Mania est earum avia, materve.* Macrob. Sat. i. 7. *Qualem nunc permutationem sacrificii memoraste, inventa postea Compitalibus celebratam, cum ludi per Urbem in compitis agitabantur, restituti scilicet à Tarquinio Superbo Laribus ac Maniæ, ex responso Apollinis: quo praeceptum est, ut pro capitibus supplicaretur. Idque aliquandiu observatum, ut pro familiarium sospitate pueri mactarentur Maniæ deæ matri Larum. Quod sacrificii genus Junius Brutus consul Tarquinio pulso aliter constituit celebrandum. Nam capitibus allii, & papaveris supplicari jussit, ac responso Apollinis satisfieret de nomine capitum, remoto scilicet scelere infaustæ sacrificationis: factumque est, ut effigiee Maniæ suspensæ pro singulorum foribus periculum, si quod immineret familiis, expiarent.* Nardin. Roman. vet. vii. 11. Panciroll. Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iii. p. 375. A. Buleng. de Theatr. i. 53. Salmas. Exerc. Plin. p. 293. a. F. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14.

MANICÆ fuerunt in sago Gallico. Plutarch. Oth. p. 1069. D. Cæcina partium Vitellianarum dux gravis habitu, cultuque Italicis urbibus fuit, quod *Gallicis subligaculis, & manicis ornatus signiferos, & præfectos alloquebatur.* Vetus interpres χειρῖσι perperam vertit *thecis*. Sed quæ malum illæ thecæ? Etiam qui vix à limine Græcas literas salutavit, *bracis, & manicis* interpretabitus. Et ita Cruserius interpretatur. Quis verò locus hic *manicis*? *Manica* olim tunicarum longarum, & muliebrium fuere, quarum nullus in viro, & milite locus. Nec credibile ducem impudicorum habitu prætervectum. Cum urbes, & municipia non mollitiem ejus, sed superbiam notarent. Eadem nassans Tacit. Hist. ii. 20. 2. *Ornatum*, inquis, *ipsius municipia, & colonia in superbiam trahebant, quod versicolore sagulo bracas barbarum tegmen indutus togatus alloqueretur.* Nec dubitandum est eas *manicas* in sagulo fuisse, quæ quoniam ut bracæ mulitatæ Romanis erant, & hostilis cultus, id superbo, & contemptiori animo adscribebant. *Ferrar. de Re vest.* i. 3. 8: ii. 3. 9.

Manica vocabatur etiam manus ferrea, qua ita navim alligabat navi, ut cominus congredi, & si occasio ferret, in alterius navim transineare possent. Lucan. iii. 565.

Ast alias manicaque ligant, teretesque catena.

Scheffer. de Milit. nav. ii. 7. V. plura infr. in *Manus*.

Manica fuit vinculum, quo collum adstringebatur. Aptum fuisse fugitivis testatur Lucilius. V. illum supr. in *Collare*.

Manica dicuntur etiam manuum vaginæ. V. illas sups. in *Chirotheca*.

MANIPULARIUS dicebatur ductor *manipuli*, qui præerat *manipulis*. Glossæ: *manipularius*, ἀρχηγὲ λόχυ. *Salmas. in Capitol. Maximin. c. 4. Panvin. Imp. Rom. c.* 16. Hoc fidem excedit: cum *manipularius* sit miles gregarius, caligatus, qui *manipulo* meret. *Grav. Thes. Ant. Roman. Tom. 5. Præfat.* * * * * 3. Et profectò in eum sensum apud veteres quidem non legas. Quare Glossographus non est audiendus. *Lips. de Milit. Roman.* ii. 2. *Voss. Lex. Etymol in Manipulus.*

MANIPULUS fœni fuit signum militare. Donat. in Eun. iv. 7. 6. *Manipulus propriè est milites. Cum Romani, & Latini sub uno centurione bellum aggressuri deputabantur, sibi sertum, vel coronam ex manipulo herbæ, vel hujusmodi conficiebant, quam pro signo sequebantur.* Ovid. Fast. iii. 114.

Non illi cœlo labentia signa tenebant,
Sed sua, quæ magnum perdere crimen erat.
Illa quidem fœno. sed erat reverentia fœno,
Quantum nunc aquilas cernis habere tuas.
Pertica suspensos portabat longa maniplos:
Unde maniplaris nomina miles habet.

Isidos. ix. 3. *Manipulus ducentorum est militum. Manipuli sunt milites, qui antequam signa essent, manipulos sibi, id est, fasciculos stipulæ, vel herbæ alicujus pro signis faciebant, à quo signo manipulares milites cognominati sunt. De quibus Lucan.* i. 296.

Convocat armatos extemplo ad signa maniplos.

Et quidem sub Romulo. Plutarch. Rom. p. 22. B. *Singulas unus ducebat, graminis, & fruticum manipulum conto alligatum ferens. Inde manet in hodiernum diem, ut in exercitu hos manipulares appellent.* Isidor. xviii. 3. *Sub Romulo fasciculos fœni pro vexillis milites habuerunt. Hinc & manipuli appellantur. Manipulos dicimus fasces fœni.* Aurel. Vict. de Orig. gent. Rom. c. 22. n. 4. *Quod postquam Romulus comperisset, coacta pastorum manu, eaque in centenos homines distributa, perticas manipulis fœni variè formatis in summo junctas dedisse, quo facilius eo signo suum quisque ducem sequeretur. Unde institutum, ut postea milites, qui ejusdem signi essent, manipulares dicerentur.* Stevvech. in Veget. ii. 13. Voss. Lex. Etymol. Salmuth in Panciroll. de reb. deperd. & inv. p. 591. La Chausse de Sign. milit. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1528. C. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 9. Lips. de Milit. Roman. iv. 5. Thys. Rom. Illust. iv. p. 92. Schill Nomencl. Philol. p. 716. Antiquissimis temporibus fuit centenum hominum. Aurelius Victor modò laudatus. Et Plutarch. l. l. totam illam Romuli manum ait fuisse *divisam in centurias*. Postea duas est complexa centurias, ut in legione sexaginta quidem centuriæ, at triginta solum *manipuli* essent. Cincius de re milit. vi. apud Gell. xvi. 4. *In legione sunt centuriæ sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.* Serv. Æneid. xi. 463. *Maniplis, hoc est, signiferis, quia secundum antiquum morem in legione erant triginta: legio autem habebat septem cohortes, sexaginta centurias: licet in his rebus accessu temporis ducum varietas semper mutaverit militiæ disciplinam.* Idem sensis Isidorus supra laudatus. *Manipuli* igitur Romuli ætate minores, postea majores: labente Imperio minores etiam quàm Romuli ætate fuerunt. Indicat Ammian. xvii. *Convocatis cohortibus, & centuriis, & manipulis omnibus tribunal insistens.* Nam ut cohortibus centurias, ita centuriis subjicit *maniplos*, ut minores. Confirmat Veget. ii. 13. *Contubernium manipulus vocabatur, ab eo, quod conjunctis manibus pariter dimicabant.* Nam contubər

beroium ooo idem hic esse quod Cincio Servioque, illud satis ostendit, quod *manipulus* libera Republica, & diu post, seorsim habuerit signum, contubernium oeque tum, neque Vegetii ævo. *Voss. & Stevvech. l. l. Salmas. de Re milit. c. 2. Laurent. Polym. iv. Synops. 1. §. 5. Thys. Rom. Illustr. ii. p. 55.* Qui ministraverint tribunis. V. infr. in *Tribunus*.

MANIUS primus est dictus Valerius Volusi filius. Zosim. ii. 3 *Eoque primum vocatum fuisse Manium Valerium Volusi filium*. Panvin. de Nomin. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. ii. p. 2028. F. Sigon. de Nomin. Roman. c. 3. Prænomen licèt vulgatissimum fuerit apud Romanos, aliqusodo tamen & nominis gentilitii, tum in viris, tum in mulieribus, locum habuit, quinimo & cognominis. Virorum fuisse boc monstrat saxum apud Gruter. p. 804. n. 2.

D. M
C. MANIO
PRIMIGENIO
MARIA JANUA
RIO. CUM. QUO
VIXIT. AN. XXXVI
M. III. CONJUGI
B. M. F.

Mulierum hæc inscriptio p. 966. n. 3.

MANIÆ
M. F
PROCULÆ
PROBUS
LIBERTUS

Cognominis patet ex hoc saxo p. 248. n. 9.

IMP. CÆSARI
DIVI. TRAJANI. PARTH
DIVI. NERVÆ. NEP. P
TRAJANO. ADRIANO. AUG
PONT. MAX. TR. POT. III.
COS. IIII.
L. AQUILIUS. MANIUS

Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. xi. p. 846. A. Qua nota scribatur, V. supr. in *M.*

MANLIA gens, V. illam supr. in *Gens*.

MANLII fuerunt novem, qui consulatus ttes, tribunatus consulari potestate duodecim, dictaturam, decemviratum legibus conscribendis, & ovationes duas obtinuerunt. I. Cn. *Manlius*, cujus cognomen ignoramus, fuit consul, vel, ut tuoc appellabant, prætor cum M. Fabio Vibulano iterum an. 273. post Reges exactos 29. II. A. *Manlius* Cn. F. P. N. fuit consul cum L. Furio Medullino festn abbioc anno. Hujus cognomen Bassi, vel Vulsonis fuisse, ut superioris Cincinnati, aut Cæcinati slicubi inveni; sed parum tutum esse existimavi. III. L. *Manlius*, quem Capitolinum Livius appellat, tribunus militum fuit an. 331. IV. ..l. *Manlius* eodem magistratu functus post alterum annum, cujus & parentes, & cognomen ignotamus. V. A. *Manlius* A. F. Cn. N. Vulso Capitolinus, qui cum aliis quinque tribunus militum fuit ano, 348. & biennio interjectu iterum. Additur à quibusdam tertius tribunatus so. 356. quod Livio A. *Manlius* hoc anno tribuous nuncupetur. Sed euodem esse non significat, cum is oumerum tertium non addat. VI. M. *Manlius* Capitolinus, qui bonis initiis dum altissimum gloriæ gradum consecutus altiora secum cogitat, ex eodem Capitolino saxo, quod servarat, dejectus est. Consul fuit an. 361. Cum L. Valerio Potito ovans de Æquis Urbem ingressus est. Bienoio post Urbe capta à Gallis, in arce Capitolioa, dum anseres obstrepunt, hostes adesse intelligens, eos dejecit ex cuniculo, qua aggressi arcem erant. Interrex fuit triennio post. Damnatus est an. 370. Post hunc nemo Marci prænomine est usus. V. infr. in *Marcus*. VII. A. *Manlius*, quem ter tribuoum militum fuisse Livius affirmat an. 365. 368. 370. Sunt qui quattum tribunatum addant post annos duodecim, quo anno Livius A. *Manlii* tribuni meotionem facit. VIII. C. *Manlius* tribunus fuit an. 374. IX. P. *Manlius* eodem aono tribunus fuit. Capitolinus cognomento dictator fuit suffectus M. Furio Camillo abdicanti seditionis sedandæ, & rei gerundæ causa an. 385. Anoo buic proximo idem Publius, sive alter ejusdem nominis tribunus militum fuit, quem Varrius Flaccus A. F. A. N. Capitolinum appellat, nec addit notam, quam solet secundis magistratibus. *August. de Fam. Rom. in Manlia. Strein. de Gent. Roman. Manlia. Glandorp. Onom. Rom. p. 569.*

MANNUS *est equus brevior, quem vulgo buricum, vel burichum vocant*. Isidor. xii. 1. Græcis est βιωχ@. Glossæ veteres: *Mannus*, βιωχος. Horat. Epod. iv. 14.

Aut Appiam mannis terit.

Ubi Acro juxta vulgatos codices burdos exponit. P. Consentius, grammaticus Constantinopolitanus, vult esse Gallicum: *Omne peregrinum*, ait, *siquidem id receptum est, ut Gallorum manni*. Voss. Lex. Etymol. Scheffer. de Re vehic. ii. 6. Buleng. de Equis c. 13. Camerar. de Equis curand. Thes. Ant. Græc. Gronov. p. xi. p. 816. E. Salmas. in Vopisc. Carin. c. 20. Rhodig. Ant. Lect. xxi. 30: xxiii. 5. Grapald. de part. dom. i. 8. §. 1.

MANSIO erat diversorium currentium de civitate in civitatem. *Manere* enim est pernoctare. Cicer. Attic. x. 14. *Servius pridie nonas Maji Minturnis mansisse dicitur, hodie in Liternino mansurus apud C. Marcellum*. Nonnunquam mutationes, & Græcis σαθμοι dicebantur hæ *mansiones*. Constant. l. 9. C. de annon. & tribut. *Tabula ad mutationes, mansionesque singulas animalibus cursus publico deputatis, certo, & denuntiato tempore devehantur.* V. etiam infr. in *Mutationes*. In bis fromenta, & pabula totet milites dividenda servabantur. Valentin. l. 2. C. de cond. ct. in publ. horr. *Cum ad aliquam urbem, mansionemve accesseris, protinus horrea te inspicere volumus*. Lamprid. Alex. Sev. c. 47. *Milites expeditionis tempore sic dispositos, ut in mansionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria decem & septem, ut solent, nisi in Barbarico*. Pancitoll. Notit. dignit. imp. orien. c. 6. Salmas. Exercit. Plin. p. 351. b. B. Cuper. in Lactant. c. 45. Non erant insulæ, aut domus, & ædes inilitares, ac singulares, sed villæ, ac vici toti, quoa *mansionum* nomine vocabant, quod ibi cursores publici Imperatoris *manerent*, sive interquiescerent, & stativa nocturna haberent. Aut si fuerunt subinde quædam ædificia separatim structa, & ad *mansiones* destinsnda cursoribus publicis, uti quoque vero videtur simile, ipsu tameo temporum paullatim in villas, vicosque abjerunt integros. Talis fuit *bona mansio* inter Sardicam, & Philippolim in Thracia. Valentinianus & Valeos, l. 12. C. de erngat. milit. annon. *Datum vi. Kalend. Januar. bona mansione*. Hinc etiam venerunt oomina locorum: *Haute Maison*, *Vieu Maison*, *Malle Maison*, & similia, quæ & hodie per Franciam Galliam, præcipuè per Galliam Belgicam occurrunt. *Bergier. de viis milit. iv. Sect. 9. §. 9. Stevvech. in Veget. iii. 19.*

Mansio dicebatur etiam iter unius diei confectum. Sic Plinius Arabiam distinguens *mansionibus* ait xii. 14. esse *caput regni Sabæorum Sabotam in monte excelso, à quo octo mansionibus distet regio eorum thurifera, Saba appellata*. Et de itinere Copto Bereoiceo in Ægypto agens vi. 23. illud per *mansiones* dividit, sic dispositas, ut equi, cameli, cætera jumenta in illis potum agi possent; unde *aquationes*, & Græce ὑδρεύματα dicebantur. *A Copto*, ait, *camelis itur, aquationum ratione mansionibus dispositis*. Hinc *continuatis mansionibus* est continuis noctibus, & diebus sine requie iter facere sumpd Justin. xiii. 8. 5. *Bergier. de viis milit. iv. Sect. 9. §. 7. Cuper. Observ. iv. 2. & in Lactant. c. 45. Laz. Comm. Reip. Rom. iv. 3. Bernegg. ad Justinum. Gutther. de Offic. dom. Aug. ii. 15. Pancitoll. Notit. dign. imp. orient. c. 7. Hennin. ad Bergierium. Du Fresne Glossar.*

Mansiones Albanæ, quæ à Rufo, & Victore in Cœlio dicuntur fuisse, non sunt antiqua domicilia Albanorum, quæ ipsis Tullus attribuit, cum eos Alba Longa in eum monteio traduceret, qui vix totus tantæ multitudini sufficere potuit: verùm stativa militum illorum, qui ordinatium iu monte Albano præsidium agitantes, per partes nonnunquam Romam solebant evocari. De illis Herodian. viii.

VIII. 5. 21. *Visum est militibus iis, quorum ad Urbem Romam sub monte Albano castra erant, atque in his liberi eorum, conjugesque relictæ, necis dedere Maximinum*. Capitol. Maximin. c. 23. *Timentes milites, quorum affectus in monte Albano erant*. Ubi affectus sunt fortunæ, conjuges, liberi. *Donat. de Urb. Rom.* III. 12. *Nardin. Rom. vet.* III. 7. *Boissard. Topogr. Urb. Roman. Tom.* I. *p.* 34. Fuerunt, ubi nunc Ecclesia Navicellæ est, & antea S. Mariæ in Dominica. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 9. Qui nullam adfert, qua nitatur, rationem. Et ubi revera fuerint, incertum est. *Nardin. l. l.*

Mansiones Saliorum appellabantur ædificia, in quibus ancilia tempore festi, quo per urbem circumferebantur, nocte custodiebantur, Salii pernoctabant, & genio indulgebant. Gruter. Inscript. p. 173. n. 5.

MANSIONES. SALIORUM. PALATINORUM. A. VETERIBUS. OB. ARMORUM. ANNALIUM. CUSTODIAM. CONSTITUTAS. LONGA. ÆTATE. NEGLECTAS. PECUNIA. SUA. REPARAVERUNT. PONTIFICES. VESTÆ. V. V. C. C. PRO. MAGISTERIO. PORTITI. ACILII. LUCILII. VITRASI. PRÆTESTATI. V. V. C. C.

Cuper. Observ. IV. 2. *Gutberleth. de Saliis c.* 16. *Græv. Thes. Ant. Roman. Tom.* I. *Præfat.* * * * * Ego Saliorum domunculas ad sacrarium constructas in illa intelligi puto. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 12. Et ego prope pontificis regiam. *Struv. Ant. Rom. c.* 12. *p.* 620.

Mansio mala videtur fuisse genus tormenti. Ulpian. l. 7. ff. depos. *Si hominem apud se depositum, ut quæstio de eo haberetur, ac propterea vinctum, vel ad malam mansionem extensum sequester solveret*, l. 15. §. 5. ff. de injur. *Quæstionis verbo etiam ea, quam malam mansionem dicunt, continebitur*. Quidam eculeum hac periphrasi significari volunt. Alii tamen metaphoricas volunt intelligi arcas, in quas conjiciebantur servi, & alii malefici, de quibus erat quæstio habenda: quarum meminit Cicer. pro Mil. c. 22. V. illum supr. in *Arca*. Laurent. de Torment. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 3700. E. Turneb. Adv. XXIII. 21.

MANSUETARII dicebantur, quibus feræ, cum captæ essent, tradebantur, ut eas cicurarent, & manum, ac flagellum ferre condocerent. Lamprid. Heliog. c. 21. V. illum supr. in *Exarmari*. Manil. IV. 234.

Quadrupedum omnes gentes positis domitare magistris,
Exorare tigres, rabiemque auferre leoni,
Cumque elephante loqui, tantamque aptare loquendo
Artibus humanis varia ad spectacula molem.

v. 699.

Non inimica feræ tali sub tempore natus
Ora feret, placidusque geret commercia gentis.

v. 701.

Ille manu vastos poterit frenare leones,
Et palpare lupos, pantheris ludere captis,
Nec fugiet validas cognati sideris ursas,
Inque artes hominum, perversaque munera ducet.
Ille elephanta premet dorso, stimulisque movebit
Turpiter in tanto cedentem pondere cunctis.
Ille tigrim rabie solvet, pacique domabit;
Quæque alia infestant sylvis animalia terras
Junget amicitia secum, catuloque sagaces.

Senec. Epist. 85. *Certi sunt domitores ferarum, qui sævissima animalia, & ad occursum exterrentia hominem, docent pati jugum: nec asperitatem excussisse contenti usque in contubernium mitigant. Leonibus magister manum insertat, osculatur tigrim suus custos, elephantem autem minimus æthiops jubet subsidere in genua, & ambulare per funem*. Buleng. de Venat. circ. c. 21. Pignor. de Serv. p. 563. Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 8.

MANSUS, ut nonnulli asseverant, est terra culturæ annonæ unius aratri capax. Alii volunt tantum agri continere, quantum uni familiæ rusticanæ alendæ toto anno sufficere possit. Ex quo intelligi potest *mansum* ecclesiasticum ad eam agri quantitatem extendi, quæ suæ ecclesiæ ministris alimenta suppeditare possit. Tam legum, quàm canonum auctoritate ab omni tributo immunem, & liberum esse oportet. Qua de re scriptum legitur in cap. sancitum 23. qu. 8. *Sancitum est, ut unicuique ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servitio attribuatur: & presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, neque de domibus, atriis, vel hortis juxta ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod servitium faciant præter ecclesiasticum*. Cenal. de pond. ac mensur. rat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1489. B. Du Fresne Glossar.

MANTELE, *mantelum*, *mantellum*, *mantelium*, sive *mantile* pro eodem dicuntur. Serv. Fabricii Georg. IV. 377. *Mantilia, quibus manus terguntur, Varro appellat mantelia, Plautus hujus singulare mantellum posuit in Captivis:*

Nec ius sycophantiis, nec fucis ullum mantellum invenio.

Lucillius autem mantelle dixit:

—— mappas, mantelle, merumque.

quæ Græci μάκτρα vocant. Voss. Lex. Etymol. Salmas. in Lamprid. Alex. Sev. c. 37. Differt à mappa, ut modò indicavit Lucillius, I. quia erat villosum, mappa non item. Isidor. 10 Gloss. MSS. *Mantelia mappas dicunt villosas*. Ovid. Fast. IV. 933.

Duxerat ad dextram villis mantile solutis.

Mart. XIV. 138. idem suo *mantile*, & *villosa lintea*, ut ex lemmate, *Gausapa villosa, seu mantile*, ac disticho patet:

Nobilibus villosa tegant tibi lintea citrum:
Orbibus in nostris circulus esse potest.

II. etiam tegendæ mensæ serviebat: unde in colloquio scholastico I. exponitur ἐπιτραπέζιον: mappa verò solis manibus tergendis parabatur: unde χειρόμακτρα Gloss. Philox. interpretantur. *Voss. l. l. Salmas. in Vopisc. Aurelian. c.* 12. Erat rotundum, quia mensæ erant rotundæ. *Ferrar. de Re vest.* II. I. 7. V. supr. in *Gausapa*. Illo convivator mensam sternebat: at singuli convivæ ad convivia sive publica, sive privata suas mappas ferebant. Clarè hoc disticho docet Mart. XII. 29. 11.

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur:
Mantile è mensa surripit Hermogenes.

& hoc confirmat XIV. 138. quod distichon modò laudavimus. *Voss. & Salmas. l. l. Ciaccon. de Triclin. p.* 29. ad illum *Ursin. p.* 302. *Menag. in Diog. Laert.* II. §. 139. *Rader. ad Martialem*. Sententia Martialis est: *mensis citreis*, & si quæ aliis grandis sumptus, imponantur *mantilia*, seu *gausapa*, ne nota aliqua adspergantur: meæ mensæ nihil illis opus est: quia cum magni pretii non sit, parum refert, num lagena ei imposita *circulum*, ut fieri solet, imprimat. Nisi potius per *circulum* intelligi debeat orbis ligneus, in quo lagena statui solet, prout hodieque in tabernis diversoriis, ne maculetur *mantile*, fieri consuevit. His abundè refelli puto sententiam Junii, qui in Nomenclatore suo c. 72. *mantile*, & mappam eo distinguit, quod illo manus abstergerentur, hæc etiam mensæ insternatur. *Mantile* quidem dici fateor, quo exterguntur manus, sed ante epulas. In epulis verò id mappis fieri solet. Quod verò Ursin. l. l. *mantile* idem ait esse, quod mappam, quia Lucillius dicat, *mantela merumque*, id quoque facillimè à me refutatur, si rectè à Servio adducitur Lucillii locus, his enim potiùs diversa esse comprobat. *Voss. l. l.* De *mantilibus* etiam scribunt *Baccius de Conviv.* I. 12. *Cerda in Virg. Georg.* IV. 377.

MANTES vulgo dictæ villosa quælibet. Illas Massiliæ fieri vidimus, quæ & amictus, & stragulæ vestis usum nautis, & navigantibus præstant. *Bayf. de Re vest.* c. 14.

MANTICULARIUS dicebatur fur, qui inserens se confertæ turbæ marsupia aut secat, aut artifici dolo aperit, & exenterat, hoc est, vacuat ablata pecunia. Tertull. Apolog. c. 44. *Quis illic manticularius? Manticulari*, significat furari. Festus. *Manticularum usus pauperibus in nummis recondendis etiam nostro seculo fuit: unde manticularii dicebantur, qui furandi gratia manticulas attrectabant*.

Unde

Unde poeta pro dolosè quid agendo usi sunt eo verbo, Pacuvius: Ad manticulandum astu aggreditur. Et, *Aggreditur astu Regem, manticulandum hic est mihi*. Pius Annot. post. c. iii. Du Fresne Glossar, Voss. Lex. Etymol. in Manica.

MANTUELIS chlamys fuerit vestis mixta ex chlamyde, & pænula. Treb. Poll. Claud. c. 17. *Misi ad eum chlamydem Dardanicam mantuelem unam*. Ferrar. de Re vest. ii. 3. 11. Casaub. in Trebellium. Est chlamys μανδυοειδὴς, chlamys scilicet in modum *manti* facta, vel ad formam *manti* accedens. Diversum enim χῆμα fuit τῆς μανδύης καὶ τῆς χλαμύδος. Μανδύην tamen, & χλαμύδα plerumque confundunt auctores, Artemidoro χλαμὺς, & μανδύη idem genus vestis. Glossæ: *Paludamentum*, χλαμὺς, *mantior*. *Mantuatus* apud Isidor. in Glossis. *Paludatus, mantuatus*. *Mantum* tamen & *mandum* etiam dixerunt Latini: & videtur Græcè non tantum μανδύας, & μανδύη genus hoc vestimenti dictum esse; sed etiam μανδὺς, μανδύος. Hinc Latinè *mantus* & *mantum*. Isidor. xix. 24. *Mantum Hispani vocant, quod manus tegat tantum: est enim breve amictum*. In Glossis: *mandus, vestis virginalis*. A *manto mantatus*, qui *manto* tectus est, apud Mart. xiv. 29.

In Pompejano tecum spectabo theatro,
Mantatus populo vela negare solet.

Ita enim legendum. Optimus namque codex Palatinus, referente Grutero, habebat *mandatus*. Quod etiam posset retineri, quia *mandum*, & *mantum* dicebant. Vulgo: *Namque notus populo*. Salmas. in Trebellium. Du Fresne Glossario.

MANTURNA dicebatur dea, cui vota fiebant, ut ne recederet uxor à marito, sed cum eo perpetim *maneret*. August. de Civ. Dei vi, 9. *Ut maneat cum viro, additur dea Manturna*. Voss. de Idolol. ii. 26. Gyrald. Synt. deor. i. p. 56. E. Stuck. de Sacrif. p. 47. Laurent. de Sponsal. c. 1. Struv. Ant. Roman. c. 1. p. 158. Tomas. de Nonar. c. 13. Kipping. Antiq. Roman. i. 1. §. 10. Blond. Triumph. Roman. i. p. 11. E.

MANUBIÆ quid sint, & ut à præda, & spoliis differant, docet Non. v. 39. *Manubias à præda hoc distare veteres existimarunt: ut sit præda corpora ipsa rerum, quæ capiuntur: manubiæ verò pecunia ex præda vendita redacta. Et sic apud plurimos. Nam & Marcum Tullium de lege agraria ita sensisse voluerunt. Prædam, manubias, sectiles, castra denique Cn. Pompeji sedente Imperatore censores*. Et hæc pluribus persequitur Gell. xiii. 24. *Ouzel. in Minut. Felic. p. 229. a.* Ascon. in Cicer. p. 108. *Spolia quæsita de vivo hoste nobili per deditionem manubias veteres dicebant, & erat Imperatorum hæc præda, ex qua, quod vellent, facerent*. Pro quacunque præda, nec ab hoste solum, sed etiam à cive petita videtur usurpare Suet. Vesp. c. 16. n. 6. *Sunt, qui opinentur, ad manubias, & rapinas necessitate compulsum*. Nann. Misc. iii. 3. Ouzel. in Gellium mox laudandum. Gellius l. l. *Manubiæ sunt non præda, sed pecunia per quæstorem populi Romani ex præda vendita contracta*. Et hæc videtur *manubiarum* proprissima significatio; atque sic dicerentur, quia ea pecunia ex spoliis, quæ manu hosti sunt detracta. *Ouzel. l. l.* Illa Imperator vel domum suam ornabat. Liv. xxxviii. 43. *Ambraciam captam, signaque, quæ ablata criminantur, & cætera spolia ejus urbis ante currum laturus, & fixurus in postibus suis*. Vel divendita opus aliquod publicum exstruebat. Liv. xxxiii. 46. *L. Stertinius ex ulteriore Hispania quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit, & de manubiis duos fornices fecit, & his fornicibus signa aurata imposuit*. Valtrin. de Re milit. vii. 18. Turneb. Adv. xvi. 15.

Manubiæ triumphales erant opes, quæ è præda, & *manubiis* per triumphos inferebantur. Triumphi à Romulo usque ad extrema Augusti fuere circiter trecenti duodecim: & ex his primi non omnis uberes, tamen modici, & magis, magisque creverunt. Tarquinius Superbus Suessa Pometia victa & capta, *tantum prædæ retulit, ut sacratæ diis decimæ explerent quadringentorum talentorum numerum*, notante Dionys. iv. p. 251. Ergo fuit in cumulo, quater mille talentum: id est, vicies quater centena millia Philippicorum. L. Papirius Cursor *triumphavit in magistratu insignis, ut illorum temporum habitus erat, triumpho. Æris gravis transvecta vicies centies millia, & quingenta tria millia: id æs redactum ex captivis dicebatur. Argenti quod captum ex urbibus erat, pondo mille trecenta triginta*. Habetur hoc in Liv. x. 46. Summa æris efficit viginti quinque millia trecentos triginta Philippæos: argenti tredecim mille trecentos. Ac tales ferè, aut minores omnes illi usque ad Tarentinum triumphi, qui incidit in annum Urbis 478. De quo ita Flor. i. 18. 27. *Si pompas adspiceres, aurum, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæque deliciæ*. Nota Flori verba: hoc enim verum fuit, & deinceps etiam sollenne. Atque adeo quicquid notabile, aut optabile orbis, aut in eo urbs aliqua haberet; per hanc viam, portamque triumphalem id Romam ferè invectum. Postquam verò copiæ, & arma extra Italiam missa, in grandes illas, & priscis opibus, aut victoriis quoque inclytas regiones, quid auri, argenti, spoliorum non relatum? P. Scipio ex Hispania, etsi ille triumphus non fuit, nam sine magistratu eas res gesserat, sed pecunia duntaxat triumphalis, *argenti præ se in ærarium tulit quatuordecim millia pondo, trecenta, quadraginta duo: & signati argenti magnum numerum*. Ea pondo faciunt centum quadraginta tria millia, quadringentos viginti Philippæos. Ita Liv. xxviii. 38. Idem iterum victa Carthagine apud Liv. xxx. 45. *intulit in ærarium argenti pondo centum millia triginta tria*. Quæ si ita accipis, ut sint triginta tria millia etiam, voce ἀπὸ κοινοῦ repetita, ut equidem opinor, tum erunt nobis ter & decies centena triginta millia Philippum. Sed quid? per triumphos omnes ibo? finis non sit: & Livius distinctè, ac descriptè in plerisque temporum horum fecit. Lustra, si voles, Per ætates, aut secula quosdam adhuc tangam. Ut hunc, L. Æmilius de Macedonibus: qui, ut dem verba Vell. i. 9. 6. *tantum priores excessit, vel magnitudine Regis Persei, vel specie simulacrorum, vel modo pecuniæ, ut bis millies ærario contulerit, & omnium ante actorum comparationem amplitudine vicerit*. Pecuniæ modum produci ad bis millies: id est, quinquagies centena millia Philippum. Cornelius Sylla, etsi splendido triumpho, minus intulit, scriptumque in Plin. xxxiii. 1. *transtulisse auri pondo quindecim millia*, id est, 1500000. aureorum, *argenti pondo centum quindecim millia*, id est, 115000. Philippum. Excessit omnes deinde Cn. Pompejus in illo, quem de Rege Mithridate & oriente duxit. Intulit enim in ærarium viginti millia talentum. Ea sunt centies vicies centena millia Philippum, præter ea, quæ in milites expendit: iis enim solis donativi triumphalis nomine sedecim millia talentorum, id est, 9600000. Philippum: adeo ut is, qui minimum accepit, habuerit drachmas 1500. Magna hæc omnia sunt, & verè illo Magno digna: sed hunc hic quoque C. Cæsar, ut acie, vicit, & superavit. Appian. de Bell. civil. ii. p. 491. ait *quater eum triumphasse*, nam quintum differt: *& intulisse sexaginta quinque millia talentorum*. Efficiunt hæc nobis triginta novem milliones. Ex paucis hic videre est, immensas opes in ærario cumulatas esse è triumphis: quos non omnes, imo nec decimam partem dedimus. *Lips. de Magnit. Roman. ii. 8. Thys. de Magnit. Roman. 1. p. 259.*

Manubiæ in libris Etruscorum jactus fulminum appellabantur. Serv. Æneid. 1. 46. Ab hostilis prædæ, qua quis potitus esset, similitudine. *Pier. Valer. de Fulmin. signif. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. v. p. 601. D.* Et pro ratione numinum, a quibus mittuntur, diversum colorem accipiunt. Deos fulminatores enumerant Servius l. l. *In libris Etruscorum lectum est, jactus fulminum manubias dici: & certa esse numina possidentium fulminum jactus, ut Jovem, Vulcanum, Minervam*. Et viii. 429. *Nonnulli manubias fulminis his numinibus, id est, Jovi, Junoni, Marti, & Austro vento asserunt attributas, quod hoc loco ostendunt: nam cum dicit, tres imbris torti radios, Jovem significasse ostenditur: cum verò tres nubis aquosæ, Junonem intelligit: cum autem rutuli tres ignis, Martem*. Senec. Nat. Quæst. ii. 41. *In illo* Etrusci, & philosophi *dissentiunt, quod fulmina dicunt à Jove mitti, & tres illi manubias dant. Prima, ut ajunt, monet, & placata est, & ipsius consilio Jovis mittitur.*

tur. Secundam mittit quidem Jupiter, sed ex consilii sententia: duodecim enim deos advocat. Hoc fulmen boni aliquid aliquando facit, sed tunc quoque non aliter, quàm ut noceat. Ne prodest quidem impune. Tertiam manubiam idem Jupiter mittit: sed adhibitis in consilium diis, quos superiores, & involutos vocant. Quæ vastat, & includit, & mutat statum privatum, utique & publicum, quem invenit. Nann. Miscell. III. 3. Buleng. de Terræ mot. & fulm. c. 8. Guther. de Jur. man. I. 2. Jun. Anim. v. 16. Cerda in Æneid. I. 47.

MANUCLA vocabatur illa pars in catapultis, quæ nervum attractum continet. Vitruv. x. 15. *Item chelo, sive manucla dicitur.* A Græcis dicitur χεὶρ, seu δάκτυλος, ut apud Heron. in Belopœicis videre est, cujus verba sunt: *Inter hæc autem collocetur ferreus digitus, ὁ δ᾽ ὑπὲρ δάκτυλος. Baldus Lex. Vitruv. Turneb. Adv.* II. 4.

MANULEARII dicebantur, qui tunicarum *manicas*, sive tunicas *manuleatas* conficiebant. Plaut. Aul. III. 5. 37.

Aut manulearii, aut murrobathrarii.

Si tamen hoc à sarcinatoribus diversum artificium fuit. *Ferrar. de Re vest.* I. 3. 21. *Spon. Misc. Erud. Ant. Sect.* VI. p. 224.

MANUMISSIO dicitur, quia is, qui libertati restituebatur, à domino è *manu mittebatur*. Festus: *Manumitti servus dicebatur, cum dominus ejus, aut caput ejusdem servi, aut aliud membrum tenens dicebat: hunc hominem liberum esse volo; & emittebat eum è manu.* Est verò *de manu datio*, ut Imperator, vel *datio libertatis*, ut Ulpianus illam mox definient. *Mittebatur* autem è *manu*, ad indicandum eum jam *jugo laxatum herili*, ut utar verbis Claudiani infr. laudandi, & potestati domini exemptum. Ita enim vox *manus* sæpius pro potestate usurpatur à Ictis. Imperator Instit. t. de Libertinis. §. 1. & Ulpian. l. 4. ff. de just. & jur. *Manumissio est de manu datio; nam quamdiu aliquis in servitute est, manui &*, quod dicitur pro id *est, potestati suppositus est: & manumissus liberatur à domini potestate.* Hæc *res*, ut addit Imperator l. l. *à jure gentium originem sumpsit, utpote cum jure naturali omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum servitus esset incognita. Sed postquam servitus jure gentium invasit, secutum est beneficium manumissionis.* Loon. de Manum. I. 1. §. 1. Quæ libertatem justam dabat, fiebat I. censu, cum consensu domini nomen servi in censum deferebatur. Ulpianus: *Censu manumittebantur olim qui lustrabili censu Romæ, jussu dominorum, inter cives Romanos censum profitebantur.* Erant verò liberi post nomen in censum relatum, quia nulli, nisi cives Romani, censerentur; qui autem se ut civem gerebat, liber, & civis erat. Boeth. in Cicer. Top. 1. *Censebantur antiquitus soli cives Romani. Si quis ergo consentiente, vel jubente domino nomen detulisset in censum, civis Romanus fiebat, & servitutis vinculo solvebatur, atque hoc erat censu fieri liberum, per consensum domini nomen in censum deferre, & effici civem Romanum.* Exolevisse credibile est, & sublatam eo tempore, quo comitia è campo ad patres translata sunt per Tiberium, de quo Tacit. Annal. I. 15. §. 1. Certè multo ante Ulpiani tempora ex usu fuisse patet ex Ulpiani verbis modò allatis. Vixit, & floruit Ulpianus sub Alexandro Severo, cui à consiliis fuit teste Lamprid. c. 68. Cœpitque imperare Alexander circa annum à nato Christo 224. U.C. 975. Conjecturæ favet, quod nemo Ictorum, in toto corpore juris, *manumissionis* per censum factæ mentionem faciat. *Loon. ibid. c. 2. §. 3. & 5. August. de Legib. in Junia Norbana. Cujac. Observ.* XVII. 20. II. Vindicta, cum apud magistratus quis *manumitteretur*, in Urbe apud consulem, vel apud prætorem. Pers. Sat. v. 88. V. illum infr. in *Vindicta*. l. 1. ff. de manum. vind. Ulpian. Fragm. tit. 1. §. 7. In provinciis apud proconsulem; nec tantum in ipsis provinciis præsentem, sed & antequam provinciam attingeret, modo Urbem egressus sit, l. 2. ff. de offic. procons. l. 17. ff. de manum. vindict. Apud legatum proconsulis *manumitti* posse docet Paull. l. 17. ff. eod. *Apud proconsulem postquam Urbem egressus est, vindicta manumittere possumus. Sed & apud legatum ejus manumittere possumus.* Negat Marcian. l. 2. ff. de offic. proconf. *Apud legatum proconsulis nemo manumittere potest, quia non habet jurisdictionem talem.* Hos Ictos conciliare conantur, quivis suo modo, Duaren. c. de offic. proc. Robert. Recept. Lect. I. 28. Charond. Verif. I. 3. Pac. *ἐναντιοφανῶν* I. 46. Perez. ad Cod. tit. de offic. proc. & leg. o. 8. Hotom. Observ. III. 4. Cujac. Observ. I. 1. Burg. Elect. c. 2. Apud præsidium, l. ult. C. de manum. vind. & l. 1. ff. de offic. præs. Ut & apud præfectum Ægypti, l. 21. ff. eodem: *Apud præfectum Ægypti possum servum manumittere ex constitutione D. Augusti.* Loon. ibid. III. 2. Sigon. de Judic. I. 13. August. l. l. Vindicta primus Vindicius, sive, ut Pompon. l. 2. ff. de orig. jur. Vindex, Vitelliorum servus, qui conjurationem post Reges exactos detexit, primus liberatus esse dicitur. Liv. II. 5. V. illum infr. in *Vindicta*. Dominus servum manumissurus I. in gyrum servum agere solebat. Pers. Sat. v. 75.

— heu steriles veri quibus una Quiritem
Vertigo facit.

n. 78.

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama.

Senec. Epist. 8. *Philosophiæ servias oportet, ut tibi contingat vera libertas: non differtur in diem qui se illi subjecit, ac tradidit, statim circumagitur.* Quintil. Declam. 342. *An majus in hoc putamus esse momentum, ut circumverteres mancipium, aut si una voce liberum esse jusseris?* Vertebat autem in gyrum ad indicandum eum jam liberum esse, & posse abire quo vellet. *Ravard. Protribun. c. 7. Fab. de Magistr. Roman.* p. 197. *Politian. Misc. c. 98. Casaub. & Marcil. in Persium. Cujac. Observ.* XIV. 27: V. 13. *Brisson. Antiq. Select.* I. 11. *Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman.* I. 6. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 1. §. 4. *Loon. ibid.* §. 2. II. Inter vertendum alapa faciem ipsius percutiebat dominus. Cornut. ad Persium supr. laudatum, & ex eo fortè Isidor. IX. 4. *Quos manumittebant, eos alapa percussos circumagebant, & liberos confirmabant.* Ritum describit Claud. Honor. consul. IV. 611.

Te fastes ineunte quater, sollennia ludit
Omnia libertas, deductum Vindice nomen
Lex celebrat, famulusque jugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat securior ictu.
Tristis conditio pulsata fronte recedit.
In civem rubuere genæ, tergoque removit
Verbera, promissi felix injuria voti.

Alapas illas ῥαπίσματα μετ᾽ ὕβρεως vocat Justin. Novell. 81. Eas servo manumittendo ductas manu lictoris asserit, sed videtur errare Ambros. Epist. 7. *Non ista libertas, quam manumissus accipit, & palma lictoris donatus acquirit.* Barth. ad Briton. Aremoric. p. 406. Gentil. Parerg. I. 36. [illegible] in Sidon. carm. II. 547. Cerda Adv. sacr. 145. 3. Cujac. Observ. v. 13. Rævard. Var. IV. 9. Fab. de Magistr. Roman. p. 197. Laurent. in Phæder. II. 5. 25. Kipping. & Loon. l. l. III. Hoc modo in gyrum actum, & alapa percussum è manu emittebat, dicens: *Hunc hominem liberum esse volo.* Festus supra laudatus. Prætor vindicta ejus capiti imposita dicebat: *Aje te liberum esse more Quiritum.* Inde conversus ad lictorem addebat: *Secundum tuam causam, sicuti dixi, ecce tibi vindicta.* Tum lictor caput servi vindicta verberabat. Juven. Sat. v. 171.

— pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati.

Terque quaterque percussum dicit Horat. Sat. II. 7. 76.

— quem ter vindicta quaterque
Imposita haud unquam misera formidine privet.

Alex. Gen. IV. 10. Torrent. in Horatium. Rævard. Var. IV. 9. Loon. ibid. §. 5. Sigon. & Kipping. l. l. Rosin. Ant. Rom. I. 10. Carol. Antiq. Roman. IV. 5. IV. In templum Feroniæ [illegible] cebatur, ibique pileum accipiebat. Serv. Æneid. [illegible] *Feronia libertorum dea est, in cujus templo rasi cap[illegible]* supr. in *Caput. pileum accipiebant, cujus rei mentionem [illegible] Plaut. Amph.* I. 1. 306.

Quod utinam ille faxit Jupiter, ut raso capite portem
pileum.

In hujus templo Tarracinæ sedile lapideum fuit, in quo hic versus incisus erat: BENEMERITI. SERVI. SEDEANT. SURGANT. LIBERI. Sed non credo hoc diu in usu fuisse, ut in illo templo pileum caperent, cum tot quotidie *manumitterentur*. Cum autem illum accipiebant, nixi genubus sedebant, ut docet effigies servi raso capite genubus sedentis, pileumque capientis apud Pier. Hierogl. XL. 3. *Loen. ibid.* §. 4. V. infr. in *Pileus*. Simulatque peracta esset, *manumissi* nomen in acta referebatur. In illa relatum fuisse elici potest è Plauto, qui hoc modo servum cum lenone loquentem inducit Pers. IV. 3. 14.

TO. *Di dent quæ velis: eho an jam manu emisisti mulierem?*
DO. *Credo pol, credo, inquam, tibi.* TO. *Jam liberta auctus es?* DO. *Enecas,*
Quin tibi me dico credere. TO. *Dic bona fide: jam libera est?*
DO. *I, i ad forum, ad prætorem, exquire; siquidem credere mihi non vis.*

Et causa *manumissionis* addebatur. Terent. Adelph. V. 9. 3.

Judico Syrum fieri esse æquum liberum. MI. *Istunc liberum?*
Quodnam ob factum?

Ubi Donatus: *Jure: adscribi enim causas manumissionis in jure formula est.* Ræward. & Sigon. l. l. Loon. ibid. §. 6. Cui consentaneum est illud Ascon. in Cicer. p. 185. *Verba pauca Q. Hortensius dixit, quæ sunt, liberos esse eos, qui pro servis postularentur; nam post recentem cædem manumiserat eos Milo, sub hoc titulo, quod caput suum ulti essent.* Qui per *titulum* causam intelligit. Huc respexit Martian. l. 9. de man. vind. ubi ita scribit: *Justa causa manumissionis est, si periculo vitæ, infamiave dominum servus liberaverit.* Inter alias *manumissionis* justas causas hæc quoque numeratur, si in hoc servus *manumittatur*, ut domini *manumittentis* procurator fiat, l. 43. d. tit. Antiquæ inscriptionis particula: PERSICUS LIBERTUS MANUMISSUS AT CONSILIUM PROCURATORIO NOMINE APUD DOMITIANUM CÆSAREM IN SECUN. COS. EXERCUIT DECURIAS DUAS. Intelligitur enim de eo liberto, qui in hoc *manumissus* est, ut procurator domini *manumittentis* fieret. *Nomen* enim, & *titulus*, & *causa* eadem omnino esse videntur. *Ræward. Protribun. c. 7.* III. Testamento, quo *manumissi* liberi ut fiant, facit lex XII. tab. Ulpian. in fragm. tit. 1. §. 9. Verba legis sunt in lege prima tabulæ quintæ: *Paterfamilias uti legassit super pecuniæ tutelave suæ rei, ita jus esto.* Corrupta verba restituit hoc modo Ulpianus: *Paterfamilias uti legassit super pecunia tutelave suæ rei.* Aliter verba, & melius profert Cicer. ad Heren. I. 13. *Lex*, inquit *Paterfamilias uti super familia pecuniave sua legassit, ita jus esto.* Ubi per *familiam* haud dubiè servi intelliguntur. Sed hæc vox etsi legi adsit, sive non, nihilominus ad libertates datas lex hæc pertinuit. Patet hoc ex l. 120. de V. S. *Verbis legis duodecim tabularum his: uti legassit suæ rei, ita jus esto, latissima potestas tributa videtur, & hæredis instituendi, & legata, & libertates dandi, tutelas quoque constituendi.* Hoc libertatem nanciscuntur directam, vel fideicommissariam. Directam, si ita verba adjecta testamento fuerunt: *Stichus servus meus liber esto*, l. 4. & 7. ff. de manum. vel alia quavis formula, modò nulla fideicommissum olentia verba adjecta fuerint: veluti *rogo, precor, fidei tuæ committo.* Sic è contrario, si talia verba adjecta sunt, non directam, sed fideicommissariam libertatem consequuntur, & pendet eorum libertas non tam ab animo, & voluntate *manumittentis* testatoris, quàm a fide hæredis instituti. *Loon. ibid.* 1. 4. §. 1. & 2. Ejus, quæ libertatem non justam dabat, species itidem erant tres, scilicet, per epistolam, inter amicos, & convivii adhibitione. Cajus Instit. §. 2. de jur. person. *Latini*, inquit, *sunt, qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut convivii adhibitione manumittuntur.* Hos naturales vocat Theoph. Instit. §. 4. de Libertinis: *Naturales libertatis modi sunt tres: inter amicos, per mensam, per epistolam.* Loon. ibid. II. 1. 1. Per epistolam dicebatur, quando servo aliis in locis agenti, missis literis à domino permittitur, ut liber vivat. Theoph. l. l. Isidor. IX. 4. *Latinos fieri nunquam per testamentum, sed per epistolam libertatem sumere.* Oportebat ut hæc epistola quinque testium nominibus subscripta, & signata esset. Justinian. l. unic. §. 1. C. de libert. Lat. toll. *Sancimus si quis per epistolam servum suum in libertatem perducere voluerit, licere ei hoc facere quinque testibus adhibitis, qui post ejus literas, sive in subscriptione positas, sive per totum textum effusas, suas literas supponentes, fidem perpetuam possint chartulæ præbere. Et si hoc fecerit, sive per se scribendo, sive per tabularium, libertas servo competat quasi ex imitatione codicilli delata.* Loon. ibid. c. 2. Rosin. l. l. II. Inter amicos appellabatur, cum præsentibus amicis quispiam à domino *manumittitur*. Meminit hujus Senec. de vit. beat. c. 24. *Hominibus natura prodesse jubet, servi liberine sint, justæ manumissionis, an inter amicos data.* Plin. Epist. VII. 16. 4. *Si voles vindicta liberare, quos proximè inter amicos manumisisti.* Qui inter amicos *manumittere* volebat, debebat hoc quoque facere quinque testibus, qui id testarentur, præsentibus. Justinian. l. unic. §. 2. C. de Lat. libert. toll. *Quis inter amicos manumittere, & libertatem servo suo dare malebat, licebat similiter quinque testibus adhibitis suam explanare voluntatem, & quod liberum eum esse voluerit, dicere.* Justinian. l. unic. §. 2. C. de Lat. libert. toll. Et si in charta scriberet se servum suum liberum esse velle, debebant id testes signare. Mart. IX. 88. 3.

Affers nescio quas mihi tabellas,
Et dicis, modo liberum esse jussi
Nastam, servulus est mihi paternus:
Signa.

Loon. ibid. c. 3. Salmas. de mod. usur. c. 19. Rosin. l. l. III. Per mensam, sive convivii adhibitione appellabatur, cum libertatis dandæ gratia servus convivio adhibetur. V. illam supr. in *Cœna libera*. Semper teste Justinian. ibid. §. 3. fieri poterat. Ubi per *semper* singuli dies, tam fasti, quàm nefasti intelliguntur, interprete Theophilo. Verum quidem est feriis, aliisque diebus nefastis, prætorem lege agere non potuisse. Varronem & Ovidium V. supr. in *Dies nefastus*. Sed videre licet, nimis strictè observasse festos illos dies antiquitatem, nam prætor si *manumisisset* nescius expiari poterat, & debebat. Varro laudatus in *Dies nefastus*. Insecuta ætas non tam strictè observavit, & absque periculo fieri posse permisit. Paull. Sent. II. 25. 8. *Emancipatio etiam die feriato fieri potest.* Emancipatio verò est species *manumissionis*. Quapropter Imperatores Christiani id fieri permiserunt diebus festis. Constant. l. 1. C. de feriis: *Emancipandi, & manumittendi die festo cuncti licentiam habeant, & super his rebus acta non prohibeantur.* Loon. ibid. tit. 3. Ræward. Protribun. c. 7. A coss. novis fiebat in foro Trajani, sive Ulpio. De Honorio consulatum sextum ineunte Claud. n. 645.

——*desuetaque cingit*
Regius auratis fora fascibus Ulpia lictor.

Antemio Augusto cos. Sidon. carm. II. 545.

Nam modo nos jam festa vocant, & ad Ulpia poscunt
Te fora, donabis quos libertate Quirites.

Huic sollennitati dicatus fuit dies Kalendarum. Ammian. XXII. 6. *Mamertino consule Kalendis Januariis ludos edente circenses manumittendis ex more inductis per admissionum proximum.* Donat. de Urb. Roman. II. 24. Nardin. Rom. Vet. V. 9. Fab. Semestr. II. 20. & ad tit. 2. de orig. jur. Coram magistratu pro tribunali sedente. Claud. in Eutrop. II. 310.

——*libertatemque daturus,*
Quam necdum meruit, scandit sublime tribunal.

Postea tamen favore libertatis introductum est, ut procederet, etiamsi magistratus, apud quos fieri poterat, pro tribunali non sederent. Justinian. l. l. *Servi a dominis semper manumitti solent: adeo ut vel in transitu manumittantur: veluti cum prætor, vel præses, aut proconsul in balneum, vel in theatrum eant.* Cajus, l. 7. ff. de manum. vind. & Justinian. l. l. *Non est omnino necesse pro tribunali manumittere;*

re; itaque plerumque in transitu servi manumitti solet, cum aut lavandi, aut gestandi, aut ludorum gratia prodierit prætor, aut proconsul, legatusve Cæsaris. Imo ubicunque locorum fuerit dominus, potest coram prætore *manumittere*: nec opus est, ut adsint lictores. Ulpian. l. 8. ff. eod. *Ego cum in villa cum prætore fuissem, passus sum apud eum manumitti, etsi lictoris præsentia non esset*. Loon. ibid. c. 4. In fraudem creditorum facta non valebat. Justinian. l. 1. quib. ex caus. manum. non lic. *Non unicuique volenti manumittere licet. Nam is qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit: quia lex Ælia Sentia impedit libertatem*. Hoc quomodo fiat, docet idem l. 4. *In fraudem creditorum manumittere videtur, qui jam vel eo tempore, quo manumittit, solvendo non est: vel qui datis libertatibus desiturus est solvendo esse. Prævaluisse tamen videtur, nisi animum quoque fraudandi habuerit manumissor, non impediri libertatem, quamvis bona ejus creditoribus non sufficiant. Sæpe enim de facultatibus suis amplius, quam in his est, sperant homines. Itaque tunc intelligimus impediri libertatem, cum utroque modo fraudantur creditores, id est, & consilio manumittentis, & ipsa re, eo quod ipsius bona non sunt suffectura creditoribus*. Quæ verba desumpta sunt ex l. 10. ff. qui, & à quib. manum. *Loon. ibid. c. 3. §. 9. 10. Augustin. l. l.* Augustus, ne *manumissionibus* Romanæ civitatis honor vilior evaderet, *manumittendi modum terminavit* apud Suet. c. 40. n. 5. & n. 8. *de numero, & de conditione, ac differentia eorum, qui manumitterentur, curiosè cavit, & hoc queque adjecit, ne vinctus unquam, torturve quis ullo libertatis genere civitatem adipisceretur*. Dio LV. p. 557. C. *Quia multi multos manumittebant, ætatem, quam & manumittens, & manumittendus habere deberent, constituit*. Spanhem. Constit. Anton. Imp. Exercit. II. §. 17. Prisc. in Suetonium.

MANUMISSUS accipiebat nomen à patrono. Ideo Dionysium Pomponii Attici libertum Atticum Dionysium vocat Cicer. Fam. XII. 30. Antonium Felicem, quem Felicem tantum vocat Histor. v. 97. quia Antoniæ libertus erat, nominat Tacit. Annal. XII. 54. Cognomen hoc addebatur, quia ea tantum ingenui utebantur & liberi, l. 9. C. de liberal. caus. Accipiebat & prænomen, quia prænomine veteres solebant salutare, quum aliquem honorificè ut liberum, & ingenuum salutare vellent. Horat. Sat. II. 5. 32.

Quinte puta, aut Publi, gaudent prænomine molles
Auriculæ.

Hoc, quo ante caruerant, accepisse docet Pers. Sat. v. 76.

——hic Dama est non tressis agaso
Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax.
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama, papæ! Marco spondente recusas
Credere tu nummos? Marco sub judice palles?
Marcus dixit, ita est, assigna Marce tabellas.

Loon. ibid. IV. 3. §. 1. Casaub. in Persium. Malvas. Marm. Felsin. Sect. II. p. 72. Brisson. Ant. Select. I. 11. Imo, quia liberi tria nomina, scilicet, prænomen, nomen, & cognomen habebant, & ille tria accipiebat. Juven. Sat. v. 124.

Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponere foris, si quid tentaveris unquam
Hiscere, tanquam habeas tria nomina.

Artemidor. I. *Novi autem quendam servum hominem, qui sibi habere tria virilia visus. Deinde vero liber factus eo pacto tria pro uno habuit nomina, duobus assumptis patroni nominibus*. Ideo Ciceronis libertus dictus fuit *Marcus Tullius Tiro*: & Pomponii libertus *Marcus Pomponius Dionysius* teste Cicer. Attic. IV. 14. *Politian. Miscell. I. 31. Alciat. Dispunct. IV. 1. Sigon. de Nom. Rom. c. 3. Loon. ibid.* IV. 3. 2. Pileum in raso capite. Plautus laudatus supr. in *Manumissio*. LIV. XLV. 44. *Hæc de Prusia nostri scriptores. Polybius eum Regem indignum majestate nominis tanti tradit; pileatum, capite raso, obviam ire legatis solitum, libertumque se populi Romani ferre: & ideo insignia ejus ordinis gerere*. Non verò omnes, sed tantum qui testamento *manumissi* erant, & qui vindicta, qui censu *manumittebantur*, illi se pro civibus Romanis gerebant; cives autem Romanos, præter senes, & ægros, pileum gestasse non memini me legisse. Qui minùs justam libertatem nacti erant, non acceperunt pileum. Pers. Sat. v. 82.

Hæc mera libertas, hæc nobis pilea donant.

Loon. ibid. §. 2. Ursin. in Livium. Togam, ut cæteri cives. Tertull. de Resurr. carn. c. 57. *Oro te, si famulum tuum libertate mutaveris, quia eadem caro, atque anima permanebunt, quæ flagellis, & compedibus, & stigmatibus obnoxia retro fuerant, idcirco illa eadem pati oportebit? non opinor. Atqui & vestis albæ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine, ac tribu, mensaque honoratur*. De Olympione villico jam liberto Plaut. Cas. II. 8. 10.

At candidatus cedit hic mastigia.

Lips. Elect. I. 13. Loon. ibid. §. 3. Sed tamen non omnes, verùm qui justam consequebantur libertatem. Quintil. Decl. 342. *Quam si habitum dederis, stolamque dederis & quod ne manumissis quidem omnibus contingit*. Servi verò quamdiu in servitute erant, apud Romanos tunicis, ac deinde penulis amicti erant. V. infr. in *Servus*. Loon. l. l. Annulum aureum. Plaut. Cas. III. 5. 63. V. illum supr. in *Annulus*. Tertullianus modò laudatus. *Lips. Elect.* II. 8. *Kirchman. de Annul. c. 16. Loon. ibid. c. 4.* Calceos. V. infr. in *Solea*. Coronam domum reductus. Plaut. Pseud. V. 2. 2.

PS. *Cum corona ebrium Pseudolum tuum.* SI. *Libere hercle hoc quidem, sed vide statum.*

q. d. herus, tu quidem incedis coronatus, quasi jam *manumissus*, cum etiamnum servus sis. Ideo addit, *sed vide statum*. Tertull. de Cor. mil. c. 13. *Si veram putes seculi libertatem, ut & corona insignes*. Morem hunc Romanos à Judæis accepisse crediderim. Certè apud illos inter Jubilæorum sollennia servi liberati coronam gestantes discurrebant, ut ex Maimonide refert Cunæus de Rep. Hebr. I. 2. *Loon. ibid. §. 6. Taubm. in Plautum*. Catenas in memoriam laborum in catenis servitutis perpessorum Laribus dedicabat. Docet hoc Horatius, apud quem homo quidam improbus multa in alium convicia jaciebat, ad quæ ille nihil respondebat, nisi quod eum rogaret, an modò liber esset, & jugo laxatus herili, Sat. I. 5. 65. V. illum supr. in *Catena*. Mart. III. 29. 1. V. illum supr. in *Compedes*. Loon. ibid. c. 7. Tomas. de Donar. c. 38. Torrent. in Horatium.

MANUMITTERE vindicta potest *furdi, vel muti patris filius ejus jussu*. Marcian. l. 10. ff. de manum. vind. possunt *municipia, & societates*. Varr. de Ling. Lat. VII. *collegia omnia, quibus coeundi jus est. His D. Marcus manumittendi potestatem dedit*. Ulpian. l. 1. ff. de manum. quæ serv. ad univers. pertin. impon. Non potest *furiosi filius*. Marcian. l. l. dominus annis minor viginti ex lege Ælia Sentia, nisi apud consilium justa causa approbata. V. supr. in *Lex & Consilium*. Loon. de manum. III. 1. §. 1. Testamento dominus qui major est annis viginti, & servus annis triginta: aliàs non efficiet civem Romanum, sed Latinum; potest tamen Romanum facere, si causam apud consilium approbaverit. Ulpian. Fragm. tit. 1. §. 12. & 13. Ideo nec miles minor annis viginti. Pompon. l. 3. ff. de manum. testam. *Nec militi minori annis viginti permittitur posse testamento suo servum manumittere*. Nec mulier, quæ in tutela est. Ulpian. Fragm. tit. 1. §. 17. In genere non possunt, qui servi pœnæ efficiuntur, l. 8. ff. de manumiss. Pœnæ autem servus fit, qui nullum alium dominum habet quàm ipsam quodammodo pœnam, scilicet, quum quis atrocitate sententiæ, vel in metallum, vel ad bestias damnatur. §. 3. Instit. quib. mod. jus pat. pot. solvit. Non rei rerum capitalium, l. 8. §. 1. ff. de manumiss. Non qui lege Cornelia damnati sunt, nec illi qui damnabuntur, l. 8. §. 2. eod. Non pater servum filii, quem in castris acquisivit, l. 17. ff. eod. Idque rectè, illud enim quod in peculio castrensi, vel quasi castrensi filii est, ad patrem non pertinet, sed solus filius de ea re facere potest quicquid velit. Atque ita capi debet Juven. Sat. XVI. 51.

Solis præterea testandi militibus jus
Vivo patre datur.

Loon. ibid. §. 3. Et mulier, quæ divertit omnes omninò servos suos, etiamsi extra ministerium ejus sint, nec eos tantum, quos adulterii tempore in ministerio habuerit, sed & quos postea comparaverit, prohibetur. *Brisson. ad leg. Jul. de Adult. p. 192. Loon. l. l.*

MANUMITTI possunt tam infantes, quàm adulti. Cajus, l. 25. ff. de manumiss. *Juris ratio efficit, ut infantibus quoque competat libertas.* Et tunc patroni ipsorum tutores fiunt, tot. tit. Instit. de legit. patron. tut. Etiam furiosi, nec refert, quo genere *manumissionis* liberati sint. Javolen. l. 26. ibid. *Servum furiosum omni genere manumissionis ad libertatem perduci posse putat Labeo.* Non possunt, qui ideo liberantur, ut crimini subtrahantur, l. 8. §. 3. ff. de manumiss. Idque in omnibus criminibus obtinuisse puto, nec in criminibus servorum, sed dominorum, ut quæstioni subjici possint. Hoc licet colligi ex Cicer. pro Mil. c. 21. & Ascon. in argumento istius orationis, nec qui hac lege venduntur ne *manumittantur*. Paull. l. 9. ff. de manumiss. *Servus hac lege venditus ne manumittatur, vel testamento prohibitus manumitti, vel à præfecto, vel præside prohibitus ob aliquod delictum manumitti, ad libertatem adduci non potest.* Loon. de manumiss. III. 1. §. 4.

MANUPRETIUM dicitur, *quod manu factum est, & datum pro eo.* Varr. de Ling. Lat. IV. 36. Ascon. in Cicer. p. 105. *Manupretium dicitur, ubi non tam materia ratio, quàm manus, atque artis ducitur.* Cicer. Verr. 1. 56. *Tantum operis in ista locatione fuit, quantum pauca opera fabrorum mercedis tulerunt, & manupretii machinæ.* Brisson. Antiq. Select. IV. 23. Voss. Lex. Etymol. Salmas. in Lamprid. Alex. Sev. c. 24.

MANUS uni homini data est à natura, pedes etiam aliis. Quanquam *manuum* usus nobis, quàm pedum, prior, quia facilior. Neque enim pedes ad motum tantum, sed etiam ad onus: *manus* autem non ita: & gestantur à pedibus: ipsæ nihil gestant corporis. *Scalig. Poet.* 1. 18. Dicitur propriè, cum est passa, & deducta. Docet id origo, nam *μανὸς*, & *πυκνὸς* opponuntur: ab illo *manum*, ab hoc pugnum dixerunt. *Scalig. ibid. c. 22. Voss. Lex. Etymol.* Adorantes ori admovebant. V. infr. in *Osculum*. Clariorum & potentiorum hominum deosculabantur. V. infr. in *Osculum*. In vindicationibus conserere quid sit. V. supr. in *Ex jure manu consertum*. In cœlum levabant deos adoraturi. Apul. de Mund. p. 747. *Habitus orantium hic est, ut manibus in cœlum extensis precemur.* Homer. Odyss. I. 527.

Supplicabat manus extendens in cœlum stelliferum.

Horat. Od. III. 23. 1.

Cœlo supinas si tuleris manus
Nascente luna, rustica Phidile.

Ovid. Trist. 1. 10. 21.

Ipse gubernator tollens ad sidera palmas
Exposcit votis immemor artis opem.

Brisson. de Form. 1. p. 39. Ouzel. in Minuc. p. 144. Barth. Adv. III. 2. Lomej. de Lustrat. c. 33. Struv. Ant. Rom. c. 3. p. 206. Injiciebant in servum, illum vindicaturi. V. supr. in *Injicere*. Tollebant admirantes. Cicer. Acad. IV. 19. *Hortensius vehementer admirans, quod quidem perpetuo Lucullo loquente fecerat, ut etiam manus sæpè tolleret.* Fam. VII. 5. *Sustulimus manus, ego & Balbus. tanta fuit opportunitas: ut illud nescio quid, non fortuitum, sed divinum videretur.* Catull. LIII. 4.

Admirans ait hæc, manusque tollens.

Voss. Instit. Orator. VI. 11. 4. Et victi. V. supr. in *Brachium*. Complodebant, & articulos confringebant irati. Hoc ipsum inter alia commoti vehementiùs animi indicia recenset Senec. de Ira III. 4. *Adjice articulorum crepitum, quum se ipsæ manus frangunt.* 1. 1. *Horrent, & surriguntur capilli, spiritus coactus, ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus . . . .* Petron. c. 17. *Ut ergo tam ambitiosus detonuit imber, retexit superbum pallio caput, & manibus inter se usque ad articulorum strepitum contritis, quænam est, inquit, hæc audacia?* Prop. IV. 7. 12.

Pollicibus fragiles increpuere manus.

Apud quem non est gestus componentis se ad dicendum, ut vult Scaliger; sed mulieris iratæ: nam id poeta jam insinuaverat n. 11.

Spirantisque animos, & vocem misit.

id est, animosè, atque iracundè locuta est, ut solebat viva, & spirans. *Dousa Præcid. in Petron.* 1. 8. *Bronkh. in Propertium. Guther. de jur. man.* II. 15. Puræ quibus non erant, sollenni præfatione à sacris arcebantur. Liv. XLV. 5. *Cum omnis præfatio sacrorum eos, quibus non sint puræ manus, sacris arceat.* Huc pertinet illa mimorum *γνώμη*:

Puras Deus, non plenas aspicit manus.

Puras autem tam à sordibus, & illuvie, quàm à cæde, & sanguine in sacris exigebant. Sacerdos vincula navis, qua Cybeles signum vehebatur, pollutis *manibus* contrectari sacerdos vetat apud Sil. Ital. XVII. 26.

Tum puppe è media magno clamore sacerdos,
Parcite pollutis contingere vincula palmis.

Senec. Thyest. 1. 93.

—— moneo, ne sacra manus
Violata cæde, neve furiali malo
Aspergat aras.

Brisson. ibid. p. 4. Caroli Antiq. Roman. 1. 12. A sordibus ut purgarentur, ad sacra accessuri illas lavabant. Cato de Re rust. c. 132. dapem quo modo fieri oporteat, tradens: *Manus interluito, postea vinum sumito.* Plaut. Aul. III. 6. 43.

ME. *Ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacrificem.*

Horat. Sat. II. 3. 281.

—— qui circum compita siccus
Lautis mane senex manibus currebat.

Verus interpres: *Idcirco dicit lautis manibus, quia solebant deos precaturi manus & pedes abluere.* Hinc *χερνίψασθαι* apud Dionys. VII. p. 478. quod Hesychius, Eustathius, & alii Græci glossatores interpretantur *χεῖρας νίψασθαι*. *Merul. de Sacrif. c. 2. §. 2. Feith Antiq. Homer.* 1. 10. *Clasen. Theol. gentil.* III. 5. §. 2. *Brisson. l. l.* Ministerio spiritus sonum moderabantur. Unde in tibiæ inflatione & oris, & *manuum* artificium conjungit Ovid. Fast. VI. 703. Ubi de tibia à Minerva abjecta:

Inventum Satyrus primum miratur, & usum
Nescit, & afflatam sensit habere sonum.
Et modo dimittit digitos, modo concipit auras,
Jamque inter nymphas arte superbus erat.

Eleganter *manuum* in pulsandis tibiis ministerium expressit Cyprian. de Spectac. *Alter cum choro, & cum hominis canora voce contendens spiritu suo, quem de visceribus suis superioribus nitens hauserat, tibiarum foramina modulans, nunc effuso, & nunc intus recluso, ac represso, atque in aerem profuso. Item in articulos sonum frangens loqui laborat, ingratus artifici, qui linguam dedit.* Inde concipi potest, quid per *loquaces manus* intelligat in fragmentis Petronius:

Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci.

Barthol. de tib. vet. 1. 7. *Manu* dicebantur loqui. V. infr. in *Pantomimus*. Et oratores audientiam faciebant. V. infr. in *Silentium*. Servis fugitivis amputabantur. V. infr. in *Transfuga*. & furibus. Frontinus. V. illum infr. in *Milites*. Sicherman de Pœn. milit. c. 11.

Manus in aleæ ludo vocabatur ipse jactus, & missus. Hinc pecuniam, quam post jactum infelicem quisque conferebat, *manum* vocat Augustus apud Suet. c. 71. n. 6. *Si quas manus remisi.* Et *as manuarum* universam illam pecuniam, quasi ex pluribus *manibus* collectam, quam singulis commissionibus victor auferebat, dicit Gell. XVIII. 13. *Lips. Saturn. II. 20. Casaub. in Suetonium. Souter. Palam. 1. 28. Kuiger. Var. Lect. II. 14. Meurs. de Lud. Græcor. p. 39. Buleng. de Lud. vet. 58. & 59. Senftleb. de Alea c. 10. n. 3.*

Manus vocabantur conatus, & invasiones singulæ gladiatorum. Quintil. V. 14. *Ut gladiatorum manus, quæ secundæ vocantur, fiunt & tertiæ, si prima ad evocandum adversarii ictum prolata erat: & quarta, si geminata captatio est, ut bis cavere, bis repetere oportuerit.* IX. 1. *Nam ut armorum*

morum certamine adversos, & rectas manus, cum videre, tum etiam propulsare facile est: aversa, tectaque minus sunt observabiles. Nec diversa multum ratione *manum mittere* dicit Senec. Epist. 7. *Nunc nihil habent quo tegantur, totis corporibus ad ictum expositi: nunquam frustra manum mittunt.* Lipf. Saturn. II. 20. Casaub. in Suet. August. c. 71. n. 1. 6. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Thysf. de Gladiat. p. 233.

Manus ferrea, Græcis χεὶρ σιδηρᾶ dicebatur. Ea non quidem hostes perimebant, navim tamen ita alligabant navi, ut cominus congredi, &, si occasio ferret, in alterius navim transmeare possent. Lucan. III. 635.

Ferrea dum puppi rapidos manus inserit uncos
Affixit Lycidam.

Idem *manicam* vocat n. 565. V. supr. in *Manica*. Primus has excogitavit C. Duilius apud Romanos. Aur. Vict. de Vir. illustr. c. 38. n. 1. *C. Duilius primo Punico bello dux contra Carthaginienses missus, manus ferreas cum irrisu hostium primus instituit, quibus inter pugnandum hostium naves triginta apprehendit.* Frontin. II. 3. *C. Duilius cum videret gravesi suas naves mobilitate Punicæ classis eludi, excogitavit manus ferreas.* Flor. II. 2. 8. *Injecta ferrea manus, machinaque alia, ante certamen multum derisa ab hostibus.* Non tamen injecta ex alto, quàm in teli modum emissa per tormenta, quibus validè illigatis postquam navim comprehenderat, retro iterum revocabatur. Curt. IV. 3. 26 *Ferreæ manus tormentis emissæ plerosque rapiebant.* n. 24. *Ad implicanda navigia validis asseribus corvos, & ferreas manus cum uncis, ac falcibus illigaverunt; ut quum tormento asseres promovissent, subito laxatis funibus injicerent.* Manuum itaque præcipuus usus fuit, ut hostilem navim tenerent vel in captivam; sed ex prælio navali, navibus inter se conjunctis, facerent terrestre. Diodor. XIII. *Ferrearum nonnulli manuum injectu pugnam terrestri similem facere secum congressos cogebant.* Liv. XXXVI. 44. *Jussit in advenientes hostium naves ferreas manus injicere, & ubi pugnam pedestri similem fecissent....* Scheffer. de Milit. nav. II. 7. Gyrald. de Navig. c. 12. An differat ab harpagone, V. supr. in *Harpago*.

MAP.

MAPPA quomodo differat à mantili, V. supr. in *Mantele*. Ad limbum clavis purpureis solebat variari. Mart. IV. 45.

Et late variata mappa clavo.

Petron. c. 32. *Strictaque oneratas veste cervices laticlaviam mappam.* Bayf. de Re vest. c. 12. Robeo. de Re vest. 1. 4. Gonsal. in Petronium. Totam purpuream, & non puram tantum clavatam fuisse videtur indicare Ammian XVI. 8. *Veterator quidam ad lautum convivium rogatus, & mundum, qualia sunt in iis regionibus plurima: cum vidisset linteorum toralium par, duos clavos ita latissimos, ut sibi vicissim arte ministrantium cohærerent, mensamque operimentis paribus tectam, anteriorem chlamydis partem utraque manu vehens, intrinsecus structuram omnem, ut amictus adornaverat principales quærens, patrimonium dives evertit.* Ex hoc loco enim obscuro admodum, ac prope deplorato, videor per caliginem hanc sententiam elicere. Cum purpuræ usus in vestibus privatis, præter clavos, eo tempore interdictus esset, & ita clavi illi latissimi in toralibus, & in mantili artem ministrantium sibi cohærerent, ut tam toralia, quàm *mappa* tota purpurea, & non purpura tantum clavata videretur, inde sycophantam accusationis adornandæ occasionem arripuisse, qua illi fortunis everti sunt, quasi vestem totam purpuream solis Imperatoribus dicatam domi possiderent. Ferrar. *Anal. de Re vest.* c. 1. *Vales. in Ammianum.* Vocabulum est Punicum, circo usitatum. Quintil. Inst. Orat. 1. 5. *Mappam, usitatum circo nomen, Pœni sibi vendicant.* Quadrigis committendis signum dare etiam vetustis temporibus moris fuit. Ennius apud Cicer. de Divin. 1. 48.

—— At Romulus pulcer in alto
Quærit Aventino, servans genus altivolantum,
Certabant, urbem Romam, Remoramne vocarent.
Omnis cura viris, uter esset induperator.
Exspectant, veluti consul cum mittere signum
Vult: omnes avidi spectant ad carceris oras
Qua mox emittat pictis ex faucibu' currus.

Mittendæ originem ad Neronem refert Cassiod. Var. III. 51. *Mappa, quæ signum dare videtur circensibus, tali casu fluxit in morem. Cum Nero prandium protenderet, & celeritatem, ut assolet, ut avidus spectandi populus flagitaret, ille mappam, qua tergendis manibus utebatur, jussit abjici per fenestram, ut libertatem daret certaminis postulandi. Hinc tractum est, ut ostensa mappa certa videatur esse promissio circensium futurorum.* Panvin. de Lud. Circ. 1. 14. & in illum Argelus. Calderin. Observ. III. 14. Ex Calderino Pareus in Quintilianum. Columna in Ennii Annal. 1. p. 22. Panciroll. Descr. Urb. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 372. C. Brosf. in Cassiodorum, Ruben. Elect. II. 30. Voss. Lex. Etymol. Turneb. Adv. XVIII. 33. Pitisc. in Suet. Ner. c. 22. n. 4. Jun. in Tertull. de Spectac. c. 16. Buleng. de circo c. 16. Salmas. Exerc. Plin. p. 516. b. Ci Casal. de Urb. ac Roman. Imper. splend. part. 2. c. 3. Nero quidem eam abjecit, quam præ manibus habebat, dum discumberet. Sed ejus usus Nerone antiquior fuit; particularem enim quandam ad signum dandum accommodatam mitti solitam puto. Quintilianus modò laudatus; Et ad illum vetus interpres: *Cur mappam usitatum circo nomen Fabius dixit? an quod in ludos circenses mappa à prætore victori aurigæ veteri instituto mitti solebat?* Panvin. & Argol. l. l. Thulemar. in Freher. Cecropistrom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. IX. p. 1154. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 7. In illa, circensi nimirum, non Neronis fuit aliquid pictum & figuratum, ut fuot nunc *mappæ* apud nos braviorum, in quibus unà cum Principum insignibus equos currentes, & similia pingimus: nam quid aliter sibi vellet *diaboli figura* apud Tertullianum mox laudandum cum *mappa* pura, & candida? quid ἐικαγὼν apud Cedrenum etiam mox laudandum? Erant itaque in illa pict. equi, currus, palmæ, & similia. *Argol. l. l.* Illam mittere solebat I. consul. Justin. Novell. 105. de consule, consulatu suscepto, Kalendis Januariis in publicum processuro. *Ab illo secundum producet spectaculum circensium equorum, quam sanè mappam vocant... Rursus aliud edet circensium spectaculum, quam mappam vocant.* Ennius supr. laudatus. Scholiast. Juven. Sat. x. 38. *Mappam mittentem in circo consulem describit Poeta.* II. prætor, si uterque consul Urbe abesset. Mart. XII. 29. 9.

Cretatam prætor vellet cum mittere mappam.

Tertullianus mox laudandus. III. dictator, si & ille abesset, in illum finem dictus. Liv. VIII. 40. *Nec discrepant auctores, quin dictator eo anno A. Cornelius fuerit: id ambigitur, bellone gerendi causa creatus sit, an ut esset, qui ludis Romanis, quia L. Plautius prætor gravi morbo forte implicitus erat, signum mittendis quadrigis daret, functusque eo haud sanè memorandi imperii ministerio, se dictatura abdicaret.* Ita tamen, ut eam miserint magistratus interdum per *mapparium*. Cedren. p. 139. V. illum supr. in *Convivium*. Et qui fortè libertus vocatur Suet. Ner. c. 22. nu. 4. *Universorum se oculis in circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam, unde magistratus solent.* Demster. Paralad Ant. Rom. I. 13. Faber de Magist. Roman. p. 190. Panvin. Buleng. & Pitisc. l. l. Magistratus solebant illam mittere ex fornicatis cameris, quæ carceribus, & ostiis impositæ erant. Ejus rei quædam imago in priscis numismatis expressa est. Illic, antequam *mappa* mitteretur, signum alii quod exigebatur, quo fixo omnes oculum ad *mappam* mittendam vertebant. Chrysost. orat. de Circo: *Ut enim in circo omnium oculi feruntur in mappam, postquam signum fixum fuit, cum ii, qui sunt in consistio editoris signis illius aperiendi potestatem acceperint.* Tertull. de Spectac. c. 16. *Adspice populum ad id spectaculum jam cum furore venientem, jam tumultuosum, jam cæcum, jam de sponsionibus concitatum. Tardus est illi prætor, semper oculi ejus in urna ejus cum sortibus volutantur. Deinde ad signum anxii pendent, unius dementia una vox est. Cognoscite dementiam de vanitate. Misit*

dicunt, & nuntiant invicem quod simul ab omnibus visum est, Teneo testimonium cæcitatis, non vident missum quid sit, mappam putant; sed est diaboli ab alto præcipitati figura. Buleng. & Pitisc. l. l. Mittebatur I. Signum mittendis quadrigis. Livius supr. laudatus. II. Ferarum irritamen. *Mappa* enim, quæ candicat, mota & reciprocata illas irritavit, Senec. de Ira III. 30. *Ursos leonesque mappa proritat.* Lips. ad Senecam. Demster. Buleng. & Pitisc. l. l. III. Præmium victori aurigæ, cui postea in illo missu donabatur. Non enim malè vetus Quintiliani interpres jam laudatus. Has victores postea in testimonium victoriarum proferebant, & missionem, & vocationem à munere quandoque obtinebant. *Argol. l. l. Coras. Misc. jur. civ.* IV. 24. 18. Non satis rectè. Præmium non erat victoriæ, quod certaminis capessendi velut signum erat. *Kipping. l. l.*

Mappa aurea à P. Victore ponitur in regione Urbis decima tertia, quæ Aventinus dicebatur. Quid fuerit, ignorare me fateor. Forsan tabula aliqua picta, sculptave fuit, quæ fortasse certamina continuit circensia, unde loco nomen. *Nardin. Rom. Vet.* VII. 9. *Demster. Paral. Ant. Rom. Rosin.* I. 13.

MAPPARIUS dicebatur in circo Constantinopolitano, qui officium sustinebat mittendæ *mappa*. Cedrenus laudatus supr. in *Convivium*. Salmas. Exerc. Plin. p. 633. a. E. Nardin. Rom. Vet. VII. 2. Argol. in Panvin. de Lud. circens. I. 14. Buleng. de Circ. c. 16.

MAPPULA vocabatur sudarium. *In sinistra parte gestabatur. Illa pituitam oculorum, & narium detergebant.* Albin. de Divin. Offic. *Ferrar. de Re vest.* I. 38. *Ruben. de Re vest.* I. 53.

MAR.

MARCA erat prænomen mulieris. Improbat hoc Varr. de Ling. Lat. VIII. 38. scribens posse dici *Marcum, Numerium: non Marcam, Numeriam.* Verùm non semper improbatum fuisse suadent saxa. Gruter. Inscrip. p. 522. n. 10.

M. ÆLIA
TERTULLA
L. CÆCILIUS
UXORI. FE

p. 885. n. 14.

P. L. F. POSTU
MENIA
M. AURE
LIÆ. D. M. F.

Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. XI. *p.* 845. *D.*

MARCELLUS fuit cognomen gentis Claudiæ, sed plebejæ. Fuerunt viri clarissimi, & ornatissimi. Novem obtinuerunt dictaturam unam, consulatus quindecim, censuram unam, triumphos publicos quatuor, opima spolia semel, ovationem in monte Albano semel. Septem primi *M. Marcelli* dicti sunt. I. fuit consul cum C. Valerio Potito Flacco an. 422. dictator quadriennio post comitiorum causa. II. fuit consul an. 466. cum C. Nautio Rutilo. III. insignis vir, qui primus post Cannensem pugnam Hannibalem vicit, & quinquies consul fuit. Ante secundum bellum Punicum consul fuit cum Cn. Scipione Calvo an. 531. Kal. Mart. triumphum egit de Gallis Insubribus, & Germanis, atque spolia opima retulit duce hostium Viridumaro ad Clastidium interfecto. II. consul fuit suffectus L. Postumio Albino III. qui, antequam iniret, occisus est, sed vitio factus abdicavit post pugnam Cannensem anno primo, hoc est, an. 538. Sed anno proximo cum Q. Fabio Maximo IV. ipse III. creatur. Triennio post captis Syracusis in monte Albano triumphum egit, atque ovationem proconsul. IV. consul fuit an. 543. cum M. Valerio Lævino II. In quinto consulatu, quem cum T. Quintio Crispino gessit biennio post, ab Hannibale occisus est. IV. fuit consul an. 557. cum L. Furio Purpureone. Triumphum egit de Comensibus, & Insubribus IV. Non. Mart. Censor cum T. Quintio Flaminino post septem annos lustrum fecit octavum & quadragesimum. V. fuit consul cum Q. Fabio Labeone an. 570. VI. vir insignis, qui ter consul fuit, & ter triumphalis. Nepos fuit *Marcelli* quinquies consulis. De hoc Ascon. Ciceron. p. 163. *Hic Marcellus, de quo Cicero dicit, naufragio ad ipsam Africam periit, paullo ante captum bellum Punicum* III. *Idem, cum statuas sibi, ac patri, itemque avo poneret, in monumentis avi sui ad Honoris, & Virtutis ædem, subscripsit: III. MARCELLI NOVIES COSS. Fuerat autem avus quinquies, pater semel, ipse ter.* In primo consulatu, quem gessit cum C. Sulpitio Gallo, triumphavit de Gallis Contubris, & Liguribus, Valeatibusque Idibus intercalaribus an. 587. Iterum consul cum P. Scipione Nasica II. de Liguribus, & Valeatibus iterum post annos undecim triumphavit. Tertium consul triennio post cum L. Valerio Flacco, & proconsul tertio triumphavit de Celtiberis an. 602. VII. fuit consul cum Ser. Sulpicio Rufo Icto an. 702. Hic ille est, quem magnis laudibus exornat Cicero tum in Bruto, tum in oratione *pro M. Marcello* inscripta, qua gratias agit in senatu Cæsari, quod se facilem in restituendo præbuerit. Sed à P. Magio Chilone in portu Attico interfectus est. VIII. fuit C. *Marcellus* C. F. M. N. frater patruelis superioris, consul cum L. Aemilio Paullo. IX. C. *Marcellus* M. F. M. N. consul fuit anno sequenti, quo bellum civile inter Cæsarem, & Pompejum exarsit. Ferunt Octaviam majorem sororem Augusti C. *Marcelli* uxorem fuisse, ex qua natus est *Marcellus* primus gener Augusti, quem deflet Virgilius versibus pulcerrimis. *August. de Fam. Roman. in Claudia. Strein. de Gent. & fam. Rom. in Claudia. Patin. Fam. Rom. ex antiq. numism. in Claudia.*

MARCHIONES dicebantur principes in limitibus constituti. Hæc vox Germanorum lingua limitum præfectos significat. *March* enim ipsi limitem vocant. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 140. *Laurent. de Rebusp. c.* 3. *Du Fresne Glossario.*

MARCIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

MARCIPOR quasi *Marci puer* vocabatur, quasi ejus minister, & assecla, ut Græci παῖδας vocant servos. Festus: *Quintipor servile nomen frequens apud antiquos erat, à prænomine domini ductum, ut Marcipor, Caipor.* Plin. XXXIII. I. *Apud antiquos singuli Marcipores, Luciporesve, dominorum gentiles, victum in promiscuo habebant.* Quintil. Inst. Orator. I. 4. *In servis jam intercidit illud genus, quod ducebatur à domino; unde Marcipores, Publiporesque.* Priscian. VI. p. 700. Edit. Putsch. *A puero composita corripiunt penultimam genitivi, Publipor Publiporis, Marcipor Marciporis. Ita enim antiqui pro Publii puer, & Marci puer dicebant.* Hæc significatio inde orta est, quod, ut docet Eustath. in Homer. p. 438. servuli ferè puerili ætate, & qua ministeriis sit aptior, eligerentur. *Voss. Lex. Etymol. Falconer. de Pyram. C. Cestii Epul. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* IV. *p.* 1478. *C. Pignor. de Serv. p.* 45. *Bud. in Pandect. p.* 278. *H. Sigon. de Nom. Roman. c.* 3. *Panv. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* II. *p.* 2028. *C. Bereal. Annot. c.* 70. *Pitisc. in Curt.* V. 2. 13.

Marcipor dicebatur satyra Varronis, in qua, ut suspicor, de servitute disserebat, & herili imperio; veteresque laudabat, qui clementer, & humane servis imperabant, quos paucos, & dominorum gentiles habebant: contra homines suæ ætatis reprehendebat, qui tot agmina, tot legiones, ut ita dixerim, potius quàm familias servorum habebant, quibus asperè, & sæviter imperabant. *Turneb. Adv.* XXIV. 46.

MARCULUS est instrumentum ferreum, quo fnres pulsantur. *Almelov. Conject. p.* 149. Plin. VII. 56. *Cynira Agriopa filius invenit marculum.* Vetus hujus loci lectio non *marculum*, sed *martulum* repræsentat. Quod etsi multò illo est rectius, suspicor tamen, non *martulum*, sed *martellum* primum scriptum fuisse, cujus illud diminutivum sit. Fuit autem *marculus* cadente post, & in præceps eunte Latina lingua corrupta ex illa, quam probo, dictio. Itali, & Lusitani *martello*, Hispani cæteri *martillo*,

Galli

Galli *martem* vocant, Latina pœnè adhuc voce. *Stat.Observ.c.14.Voss. Lex. Etymol.*

MARCUS, si litera *M.* loco prænominis fuerit. Prænomen hoc vulgatissimum licèt apud Romanos, tamen à gente Manlia repudiatum. Liv. vi. 20. *Gentis Manliæ decreto cautum fuit, ne quis deinde Marcus Manlius vocaretur.* Quia scilicet *Marci* prænomine donatus fuerat Manlius ille, qui Reipublicæ tyrannidem affectaverat. Hoc verò cognominis loco usurpatum in antiquis monumentis invenitur. Inscript. apud Gruter. p. 700. n. 5.

NÆNIA
M. L. VITICULA
SIBI. ET
C. PONTIO. C. L
MARCO

p. 986. n. 8.

D. M. S.
M. PETRONIO
MARCO. VIX. ANN
V. ET. DIES. XI. SUPER
M. PETRONIUS
SUAVIS. ET
SEXTILIA. LUCRETIA

Sed & *Marco* cognomen dedit Herod. III. 10. 9. *Bassianus, qui tunc honores imperatorios adeptus Severus Antoninus accepto Marci cognomine vocabatur.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 844. D. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Græv. Tom. II. p. 2029. C. Sigon. de Nom. Rom. c. 3.

MARE, si universum spectes, suis continetur, & terminatur littoribus, ut fluvii suis ripis: quique *mari* navigant, locum habent centum, unde, & ad quem proficiscantur. Portus enim in *mari* sunt, quod met... in circ... adeoque duobus portubus, aut litoribus oppositis *mare*, licèt vastum, & longè, latèque diffusum, quodammodo finitur, & limitatur. Dicitur tamen via esse sine ullo termino, quod illius latitudo quaquaversum diffusa, quæ propriè pelagi nomine dicitur, spatium comprehendit indefinitum sine portu, ac sine limite. Virg. Æneid. v. 8.

Ut pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla
Occurrit tellus, cœlum undique & undique pontus.

Mare itaque, ut ejus viæ sint commodæ, terminent portus, stationes, plagia, & similia perfugia, necesse est. Si verò usquam, & unquam fuit in terrarum orbe gens, & natio, quæ maritimis usa sit viis ad amplificandum per orbem imperium, ea fuit Romana: quæ vix ï0 Italia imperii terminos ad littora utriusque *maris*, quo præcingitur, promoverat, quin mox novas *mari* quæreret terras, non solum mediterraneo, sed & in ipso Oceano: quem antea Græci, & cæteri tantum fando acceperant esse, & sola mentis imagine cognoscebant. Quare debuit artes nauticas unicè nosse, ut ad has, illasve orbis partes facilè prore nata posset accedere, & navigare. Plurimum namque intererat ducum, scire littora, portus, stationes, & insulas, ut adversæ tempestatis possent evitare injurias. Romani itaque, quibus rei nauticæ peritia tam erat necessaria, itinera duxerant per urbes, oppida, & alia loca *maritima*, adnotatis portubus, & stationibus, aliisque perfugii locis, ut tantò essent commodiores navigationes ipsorum sollertes, & usitatiores, quale Itinerarium duxerunt maritimum: cujus hæc est in Itiner. Anton. p. 112. inscriptio:

IMPERATORIS ANTONINI AUGUSTI
ITINERARIUM MARITIMUM:

ut navigans, qua littora tenens nosse debeat, aut qua ambire, incipiens à Gadibus, vel extrema Africa, perdocet feliciter. Bergier. de viis milit. IV. 48. §. 2. 3. 4. *Maria* hyeme clausa fuot, cœlo tempestatibus tædo, & procelloso: aperiuntur vere. Plin. II. 47. *Ver aperit navigantibus maria.* Veget. IV. 39. *Ex die tertio Iduum Novembris usque in diem sextum Iduum Martiarum maria clauduntur.* Diem anni, quo navigationem auspicabantur, ferus quidam celebrabant. Apul. Met. XI. p. 365. *Diem, qui dies ex ista nocte nascetur, aeterna mihi nuncupavit religio, quo sedatis hybernis tempestatibus, & lenitis maris procellosis fluctibus, navigabili jam pelage, rudem dedicantes carinam, primitias commeatus libant mei sacerdotes.* Veget. I. I. *Post natalem, ut ita dicam, navigationis, qui sollenni certamine, publicoque spectaculo multarum gentium celebratur.* Turneb. Adv. XVIII. 24. Stevvech. 10 Vegetium.

MARFORII statua, V. illam infr. in *Statua*.

MARGARITA, sive *margaritum* differt à gemma, & lapide. Ulpian. l. 19. §. 6. ff. de aur. & arg. mund. leg. *Gemmæ sunt perlucidæ materiæ, quas, ut refert Sabinus libris ad Vitellium, Servius à lapillis eo distinguebat, quod gemmæ essent perlucidæ materiæ, velut smaragdi, chrysolithi, amethysti. Lapilli autem sunt contraria superioribus natura, ut obsians, vejentani. Margaritas autem nec gemmis, nec lapillis contineri satis constitisse ibidem Sabinus ait, quia in concha apud rubrum mare & crescit, & coalescit.* Serv. Æneid. I. 659. *Gemmam & margaritam multi sanè separant, ut Cicero: Nullam gemmam, aut margaritam. Et gemmas volunt dici diversi coloris, margaritas verè albas: vel gemmas integras, margaritas pertusas. Dicimus & hæc margaris, quod Græcum est, quo modo Nais.* Et sanè *margarita* aceto liquefiunt, non item lapilli, ac gemmæ. Hinc *margaritas* & gemmas conjungunt Curt. VIII. 5. 3. *Regio gemmis, margaritisque ad luxum magis, quàm ad magnificentiam exculta.* VIII. 9. 19. *Gemmas, margaritasque mare littoribus infundit.* Solin. c. 53. *Taprobane insula gemmis scatet, & margaritis.* Voss. Lex. Etymol. Popm. de Differ. verb. II. 92. Salmas. Exerc. Plin. p. 783. b. F. G. Pitisc. in Curt. VIII. 5. 3. Usu tamen rectè, & Latinè loquentium receptum est, ut *margaritarum*, & gemmarum, atque lapillorum nomen promiscuè usurpetur. Quas enim *margaritas rubri maris grana* Hieronymus vocat, ea vocantur Martiali *Erythræi lapilli* IX. 3. 8.

Splendet Erythræis perlucida mœcha lapillis.

Et *gemma cruta Erythræis vadis* VIII. 28. 14.

Cedet Erythræis eruta gemma vadis.

Ac cum Curt. IX. 1. 30. scribit: *Pendebant ex auribus insignes candore, ac magnitudine lapilli.* Et Horat. Sat. I. 2. 80.

Nec magis huic niveos intra, viridesque lapillos.

certè *margaritas*, & smaragdos intelligunt. *Margaritas* in lapillorum genere habet ipsemet Solin. I. I. *Conchæ sunt, in quibus hoc genus lapidum requiritur, quæ certo anni tempore, luxuriante conceptu, sitiunt rorem velut maritum, cujus desiderio hiant: & cum maxime lunares liquuntur aspergines, oscitatione quadam hauriunt humorem cupitum. Sic concipiunt, gravidaque fiunt: & de saginæ qualitate reddunt habitus unionum.* Salmuth in Pancirolli de Reb. deperd. & inv. p. 70. *Margaritis* editores, qui ludos edebant, victores aurigas in circo remunerabantur. Testis est Matt. VIII. 78. 7.

Omnis habet sua dona dies, nec linea dives
Cessat.

Linea *margaritarum* intellecta. Ipsa sic enim accipi solet. V. supr. in *Linea*. Nos dicimus *filza di perle*, quasi *perularum filum*, quod filo contineantur. *Argol. in Panvin. de Lud. circens.* I. 13.

MARGARITARII dicebantur, qui gemmas, & *margaritas* agnoscebant, quas agitatores ad ornatum sui emere solebant. *Panvin. de Lud. circens.* I. 15. Hoc non satis est probabile; quid nonne aurigæ, aut domini poterant illas nosc... Putarim potius, fuisse in circo, qui *margaritas* venderent sponsoribus, prætoribus, quæstoribus, cæterisque, qui ludos ederent, qui eas victoribus largiebantur. *Argol. in Panvinum.*

MARGINES dicuntur latera latitudinis viarum, quæ utrimque oram aggeris stringunt. Et *marginare* est eos munire. Liv. XLI. 27. *Q. Fulvium Flaccum, & A. Postumium Albinum censores vias sternendas silice in urbe, & extra urbem glarea substruendas marginandasque primos omnium locavisse. Substruere* ad aggerem, *marginare* ad *margines* latera viæ coæquantes, & arctantes, ac stringentes referuntur. Ad *marginandum* verò opifices seponebant lapides, silices,

 cæmen-

cæmenta grandioris ootæ, quæ coagmentabant compactione firmiore, uti aggerem medium præstarent undique tutum, & solidum, ne diffluerer, dissolveretur, aut hinc inde hisceret, rimasve ageret. *Bergier. de viis milit.* 11. *Sect.* 31. §. 3. *Lips. de Magnit. Rom.* 111. 10. *Thys. de Magnit. Rom.* 111. *p.* 301.

MARITUS uxorem defunctam laudabat. V. supr. in *Femina*. Et maritum defunctum in alterius invidiam ut fine fine prædicareot, familiare erat uxoribus. Plaut. Frivol. apud Non. r. 340.

Superavere omnes argutando præficas.

Morelt. Pomp. Feral. 11. 29. Peregre reversos solebat præmittere, qui nuotium reditus uxori adferret. Tereot. Hec. 111. 1. 34.

Abi Parmeno intro, ac me venisse nuntia.

Plaut. Amphit. 1. 1. 40.

Me a portu præmisit domum, ut hæc nuntiem uxori.

Plutarch. Quæst. Roman. 9. hanc rem copiosè explicat, & causas insuper hujuscemodi veterum Romanorum instituti affert: tum, quia suspiciosi videtur, & diffidentis de uxoris suæ moribus, derepente supervenire, & quasi in exspectatam opprimere velle: tum, ut matronæ excussis negotiis, molestiisque, quas cum familia plerumque habent, jucundiùs maritos exciperent. *Nann. Miscell.* 11. 4. *Palmer. Spicil.* VIII. *p.* 739. *Thes. Crit. Tom.* IV. *Lausin. Parerg.* 1. 20. *Casaub. in Theophr. Charact. p.* 131. *Schott. in Senec. p.* 670. *Muret. Var. Lect.* XIII. 7. *Pontan. Bellar. Attic.* 1. 4. *Broukh. in Tibullum.* Plutarchi rationibus & hanc licet addere, ne repentina vis gaudii subito adspectu incommodi aliquid afferret. *Schott. l. l.* Hunc morem Romanorum attingit Tibull. 1. 3. 89.

Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante.

Cum hic Tibulli locus à nemine eset observatus, non æquo animo tulimus, illum ulteriùs noo lucere, & suis adhuc tenebris delitescere. *Lausin. & Schott. l. l.* Hæc confuerudo nihil ad locum Tibulli. Deliam eoim non fuisse uxorem Tibulli constar. *Xyland. in Plutarchum.* Nolo operosè ostendere, quantum ille erat: facilè videbit, etiam amantibus tales nuntios in usu frequenter fuisse, si Terentium cepetit arbitrum. Ita enim ille Heaut. 1. 2. 2.

Et illam, simul cum nuntio, tibi hic ego adfuturam hodie scio.

11. 3. 8.

—— abi dum tu Dromo illis obviam.

Broukh. l. l. Animadvertebat interdum in uxorem. V. supr. in *Animadvertebant*.

MARMOR est lapis, qui pretio, & sumptu cæteros, qui ad ædificiorum veniunt usum, & structuras, superat; non enim solum perfectissimè poliri potest. ac cœlum, scalprumque recipit, sed & duritia, ac soliditate, colorum denique varietate commendatur. Isdor. XVI. 5. *Inter lapides, & marmora est differentia: nam & marmora dicuntur eximii lapides, qui maculis, & coloribus commendantur.* Undique ex Europa, Asia, Africa, insulisque Ægæi insulis, ab Roma remotissimis locis, infanis impendiis, & sumptibus in Urbem terra, marique advehebantur. *Bergier. de viis milit.* v. *Sect.* 4. §. 1. Quomodò pareretur ad tecta sua docet Vitruv. VII. 6. Sidon. Carm. XI. n. 17.

Hic lapis est de quinque locis, dans quinque colores,
Æthiops, Phrygius, Parius, Pœnus, Lacedæmon,
Purpureus, viridis, maculosus, eburnus, & albus.

Plin. XXXVI. 5. *Non omittendum artem* scalpendi marmoris *tanto vetustiorem esse, quàm picturam, aut statuariam, quarum utraque cum Phidia cœpit octuagesima tertia Olympiade, post annos circiter trecentos triginta duos.* Sed hoc minor ab illo scriptum, cum idem scribat l. l. *Cum iis essent, jam fuerant in Chio insula Malas sculptor, dein filius ejus Micciades, ac deinde nepos Anthermus Chius, cujus filii Bupalus, & Anthermus clarissimi in ea scientia fuere, Hipponactis poetæ ætate, quem certum est sexagesima Olympiade fuisse. Quod si quis horum familiam ad proavumusque retro agat, inveniet artis ejus originem cum Olympiadum origine cœpisse.* Buleng. de Pictur. 11. 8. Primus Romæ peregrini marmoris usum ad domum suam privatam transtulit L. Crassus Orator, censor cum Domitio Ahenobarbo an. 662. Plin. XXXVI. 3. *Jam L. Crassum Oratorem illum, qui primus peregrini marmoris columnas habuit in Palatio, Hymettias tamen, nec plures sex, aut longiores duodenum pedum, M. Brutus in jurgiis ob id Venerem Palatinam appellaverat.* Brevi post M. Scaurus, Syllæ privignus, in ædilitate sua Romam advehi curavit 360. columnas marmoreas, ex quibus fecit theatrum, quod fusiùs describet Plinius insr. in *Theatrum*. Et post Scauri tempora marmoris usus vulgo invaluit. *Mamurra enim Formiis natus, eques Romanus, præfectus fabrorum C. Cæsaris in Gallia Romæ parietes crusta marmoris operuit totius domus suæ in Cœlio monte.. M. Lepidus Catuli in consulatu collega primus omnium limina ex Numidico marmore in domo posuit magna reprehensione. Is fuit consul a. U. C. 666. Hoc primum invecti Numidici marmoris vestigium invenio, non in columnis tantum crustisve, sed in massa, ac vilissimo liminum usu. Post hunc Lepidum ferme quadriennio L. Lucullus, qui Lucullèo marmori nomen dedit, admodum delectatus illo, primus Romam invexit, atrum alioqui, cum cætera maculis, aut coloribus commendentur.* Plin. XXXVI. 6. Bergier. ibid. §. 2. . . . . 5.

MARMORARII dicebantur, qui marmora secabant; expoliebant, & exsculpebant. Ita in jure appellari puto, l. 1. §. ult. C. de excus. artif. *Panciroll. de Corpor. artif.* §. 5. *Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 68.

MARMORATUM vocabatur tectorium, si marmore, & calce opus fieret. *Marmoratum* calce, & marmore tuso, & triplici varietate comminuto fiebat: nisi enim tectorium ter arenato, & bis marmorato inductum esset, nunquam splendoris habuit satis. *Guther. de Jur. man.* 11. 28. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 9.

MARRA est instrumentum ferreum, ad fodiendam terram idoneum. Plin. XVIII. 16. *Vernum seri debet, liberatque cæteris herbis: ad trimatum marris ad solum radi.* Juven. Sat. 111. 311.

—— ne marræ, & sarcula desint.

Colum. x. 67.

Tu penitus latis eradere viscera marris
Ne dubita.

Pius Anoot. post. c. 159. Voss. Lex. Etymol. Popin. de Instrum. fundi c. 8.

MARRUCINI fuerunt *supra Pelignos*. Strab. v. p. 166. Cæs. de Bell. civ. 1. 23. *Septem omnino dies ad Corfinium commoratus, & per fines Marrucinorum, Frentanorum, Larinatium in Apuliam pervenit.* Aternus amnis illos à Vestinis secrevit. Strab. ibid. p. 167. *Aternus fluvius Vestinos à Marrucinis dirimit: fluit enim ex agro Amiternino per Vestinos, relictis ad dexteram Marrucinis, qui sunt supra Pelignos.* Sigon. de Ant. jur. Ital. I. 19. Leand. Alberi. Ital. p. 399.

MARS est natus Jove & Junone. Hesiod. Theog. n. 921.

Postremam verò Junonem floridam duxit uxorem:
Hæc autem Heben, Martem, & Lucinam peperit.

Vel ex Junone sine viro conceptus in campis Oleniis tacto flore, quem indicavit Flora. Ovid. Fast. v. 249.

Fer, precor, auxilium, dixit; celabitur auctor:
Et Stygiæ numen testificatur aquæ.
Quod petis, Oleniis, inquam, mihi missus ab arvis
Flos dabit, est hortis unicus ille meis.
Qui dabat, hoc dixit, sterilem quoque tange juvencam;
Mater erit: tetigi; nec mora: mater erat.
Protinus hærentem decerpsi pollice florem,
Tangitur: & tacto concipit illa sinu.
Jamque gravis Thracem, & læva Propontidos intrat:
Fitque potens voti; Marsque creatus erat.

Hunc, inquit Diodor. v. p. 235. D. fabulæ tradunt, primum fabricatis armis milites armasse, & adversarios deorum interficiendo, bellandi, pugnandique artem invexisse. Ardentem verò eum effingebant, ouuc in curru, nunc in equo, armatum hasta, & flagello: ardentem quoque addito

addito gallo, militum vigilantiam ostendebant. Isidor. viii. 11. scribit, *Martem* nudo pectore effingi solere, quod quisque in bello se morti intrepidè objicere deberet. *Ortel. Deor. & dear. cap. 1. 15. Gyrald. Synt. deor. x. p. 314. E.* Præfuit ludo gladiatorio, & venationi. Tertull. de Spectac. c. 12. *Martem & Dianam utriusque ludi*, gladiatorii, & venatorii, *præsides novimus*. Non solum ludo gladiatorio præfuisse, sed etiam venationi, probari potest, tum eo quod venatio viros bellicosos maximè deceat: unde & delubrum Martis apud Thraces in sylva fuit, ut canit Stat. Theb. vii. 40.

Hic steriles delubra notat Mavortia sylvas.

tum ex eo, quod *Mars* Sylvanus subinde vocatur. V. infr. in *Mars Sylvanus*. Tassin. de Lud. secul. c. 8. Lips. Sat. 1. 5. Belli deus est creditus, quia rutilum ejus, & sanguineum sidus colore suo arguit calorem, & siccitatem suam, qua bilem accendit: unde iræ, ac bella, & animi ardor, ac robur. *Voss. de Idolol.* ii. 34. Hunc Romani summo cultu venerati sunt, quod existimarent parentem ipsum fuisse Romuli: accedentem enim *Martem* ad Rheam Silviam Romuli matrem concubiturum cum ea, in nummis expressum videmus. *Casal. de Profan. Roman. ritib. c. 5. Gyrald. ibid. p. 315. A. Ortel. l. l.* Sacrum sollenne Kalendis Junii illi Romæ celebratum fuit, quo illi immolabatur extra portam Capenam. Ovid. Fast. vi. 191. V. illum infr. in *Templum*. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 850. E. Idibus Octobribus illi in campo Martio quotannis bigarum victricium dexterior equus immolabatur. V. supr. in *Equus October*. Adulterium commisit cum Venere. Lactant. 1. 10. *Mars homicida, & cædis crimine ab Atheniensibus ex gratia liberatus, ne videretur nimie ferus, & immanis, adulterium cum Venere commisit*. Venus enim cum Marte concubuit, Sol Vulcano prodidit, ille catenas adamantinas excogitavit, quibus adulteros vinciret, illa in doli vindictam, ut videbatur, legitimas quinque Solis filias amoribus succendit. Ovid. Amor. 1. 9. 39.

Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit.
Notior in cælo fabula nulla fuit.

Casal. l. l. Kipping. Antiq. Roman. 1. 1. §. 10.

Mars Armiger dictus est, quod ferat arma: quin & Orpheo Ὁπλοχαρὴς, hoc est, qui armis lætetur. Etiam Armipotens. Auson. Edyll. xii. 48.

Quique truces belli motus ciet armipotens Mars.

Gyrald. Synt. deor. x. p. 319. B.

Mars Belliger dictus est, quod gerat bella: & Bellipotens, quod bello polleat. *Gyrald. Synt. deor. x. p. 319. B.*

Mars Bisultor dictus est, cum à Parthis signa Augustus recepisset, à duplici victoria. Ovid. Fast. v. 595.

Ritè deo templumque datum, nomenque Bisultor.

Gyrald. Synt. deor. x. p. 318. C.

Mars Cæcus dictus est. Virg. Æneid. ii. 335.

& cæco Marte resistunt.

Ubi Servius: *Vel epitheton est Martis, vel quod cæca nocte prælium gerebatur*. Gyrald. Synt. deor. x. p. 317. F.

Mars communis dictus est Græcis & Latinis. Homer. Iliad. Σ. 309.

Communis belli Mars est, victorque repentè
Sæpè cadit.

Cicer. Phil. x. 10. *Concedo incertos esse exitus belli, Martemque communem*. Serv. Æneid. xii. 118. V. illum supr. in *Dii communes*. Parthas. in Orat. Cicer. pro Millon. Thes. Crimit. Gruter. Tom. 1. p. 831. Gyrald. Synt. deor. x. p. 316. B.

Mars Enyalius dictus est ab Enyo, id est, Bellona, vel sorore, vel matre. Nomine hoc Græci, & Latini utuntur. Macrob. Sat. 1. 19. *Ἐνυάλιος est inter propria Martis nomina*. Plutarch. Amator. p. 757. C. *Mars est deus, qui homicidia, arma, jacula, murorumque oppugnationes, prædationesque inspiciat, & gubernet, Enyalius, & Stratius inde dictus*. Dionysius tamen ii. p. 112. *Enyalium Sabini, eosque secuti Romani, Quirinum nominant; nondum satis certi, Marsne is sit, an alius quispiam, cui similes Marti honores deferantur: nam quidam uni deo, belli corum certaminum præsidi, nomen utrumque tributum ajunt: alii duo numina bellica his appellationibus significata censent*. Gyrald. Synt. deor. x. p. 317. G. Selden. de diis Syr. ii. 1. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 22. Et Enyalium à *Marte* diversum esse docent *Cuper. Harpocr. p. 69. & Hansen. de Jurejur. vet. c. 21.*

Mars Gradivus dictus est. Virg. Æneid. iii. 35.

Gradivumque patrem, Geticis qui præsidet arvis.

Hoc nomine dicitur, *cum sævit*. Serv. Æneid. 1. 296. Festus: *Gradivus Mars appellatus est à gradiendo in bella ultro citroque: sive à vibratione hastæ, quod Græci dicunt κραδαίνειν: vel, ut alii dicunt, quia gramine sit ortus*, ex Junone omnino natus ex florum contactu. V. supr. in *Mars*: vel *quod interpretatur, quia corona graminea in re militari maxima est honorationis*. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iii. p. 345. A. Casal. de prof. Roman. rit. c. 5. Brillon. de Form. 1. p. 49. Gyrald. Synt. deor. x. p. 316. G. Camerar. Decad. vi. 9. Gutberl. de Saliis c. 4. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 22.

Mars Hesus putatur à plerisque. Lucan. 1. 445.

—— horrensque feris altaribus Hesus.

Lactant. 1. 21. *Galli Hesum, atque Theutatem humano cruore placabant*. Gyrald. Synt. deor. x. p. 319. A.

Mars Mamers lingua Oscorum dictus est Festus: *Mamers Mamertis facit, id est, lingua Osca Martis*. Gyrald. Synt. deor. x. p. 317. C.

Mars Olloudius vocatur in inscriptione:

VIGILIA METIA
MASSAE FILIA
MARTI. OLLOUDIO
V. S. L. M

id est, *Vigilia Massæ filia*, A enim aliquando sic A sculpi in inscriptionibus observavi, *Marti Olloudio votum solvit lubens merito*. Quid illud *Olloudii* cognomen sibi velit, ignoro, nisi fortè ab ὄλλυμι, quod est, perdo, destruo, *Mars* enim humani generis destructor meritò vocaretur. *Spon. Ignot. Deor. ar. Epist. 5.*

Mars pater in primis à Latinis, & Romanis vocatur est, præter id quod Romuli pater fuerit, sed etiam dei ipsi hoc patris nomine vocarentur. Gell. v. 12. V. illum infr. in *Pater*. Ovid. de Art. Am. 1. 203.

Marsque pater, Cæsarque pater, date numen eunti.

Macrob. Sat. 1. 12. *Cum hodie quoque in sacris Martem patrem vocemus*. Brillon. de Form. 1. p. 43. Gyrald. Synt. deor. x. p. 316. G. Salmas. Exerc. Plin. 70. a. A.

Mars Quirinus dictus est, *cum tranquillus est*. Serv. Æneid. 1. 296. Est vero Quirinus à Sabinis nuncupatus, à quiri hasta, qua hic deus uti existimabatur. *Panciroll. Descr. Urb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iii p. 345. A. Argol. in Panvin. de Lud. circens. 1. 19. Gyrald. Synt. deor. x. p. 316. G. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 22.*

Mars salisubsulus dictus est à saliendo, subsultandoque in bello. Pacuv. apud Nonium:

Pro imperio sic Salisubsulus vostro excubet.

Hinc Catull. xvii. 6.

In quo vel Salisubsuli sacra suscipiantur.

Videtur desumptum hoc cognomen ab Homero, qui eundem deum ἀλλοπρόσαλλον vocat Iliad. E. n. 831. & 889. *Gyrald. Synt. deor. x. p. 817. E.*

Mars secutor est cognomentum *Martis*. Apul. Met. vii. p. 216. *Inde prælectum grandem hircum annosum, & horricomem, Marti secutori, comitique victimant*. Quod cognomen ei aptum, cum secundus, obsequensque. Ideo rectè comitem adjecit Apulejus, velut interpretamentum. *Lips. Saturn. ii. 7.*

Mars sylvanus dictus non quasi solis præesset sylvis, sed quia vim suam exereret in universorum elementorum ὕλην, sive materiam. Serv. Æneid. viii. 601. *Publica ceremoniarum opinio hoc habet, pecorum & agrorum deum esse Sylvanum. Prudentiores tamen dicunt, eum esse ὑλικὸν θεὸν, hoc est, deum τῆς ὕλης. Hyle autem est fex omnium elementorum: id est igni sordidior & aer: item aqua & terra sordidiora, unde cuncta procreantur, quam ὕλην, Latinè materiam appellaverunt*. De eo sic Macrob. Sat. 1. 11. *Pan ipse, quem*

vocant

vocant Inuum, sub hoc habitu, quo cernitur, Solem se esse prudentioribus permittit intelligi. Hunc deum Arcades colunt, appellantes τὸν τῆς ὕλης κύριον, non sylvarum dominum, sed universæ substantiæ materialis dominatorem significari volentes. Glossæ Philox: *Sylvanus, Pan,* θεὸς ὑλαῖος. Imò & Papias Sylvanum eundem, ac Pan facit. *Mars* itaque, & *Mars* Sylvanus, imò & Pan, cum Pan sit Sylvanus, idem qui Sol est putandus. Cato de Re rust. c. 84. *Marti Sylvano in sylva interdius, in capita singula boum votum facito.* Voss. de Idolol. II. 33. Gyrald. Synt. deor. x. p. 317. D. Turneb. Adv. XIX. 2. XXIX. 23. Meurs. Exerc. Critic. II. 2. I. A sylvis quoque vocatus est, ut reor, in quibus venatione feras conficiebat. Ea de causa pro bobus votum faciebant, ut omnium lupos interficiendo, eos ab iis tutos reddat. Plaut. Truc. III. 1. 11.

Fuit edepol Mars meo periratus patri,
Nam oves illius haud longè absunt a lupis.

Votum hoc describit Cato l. l. *Votum pro bubus, ut valeant, sic facito. Marti sylvano in sylva interdius, in capita singula boum votum facito farris adorei libras III. & lardi p. IV. & pulpæ p. IV. vini sextarios tres. Id in unum vas licere conjicere. Eam rem divinam vel servos, vel liber licebit faciat. Ubi res divina facta fuerit, statim ibidem consumito. Mulier ad eam rem divinam ne adsit, neve videat, quomodo fiat. Hoc votum in annos singulos, si voles, licebit vovere.* Taffin. de Lud. secul. c. 8. §. 7. Torneb. Adv. XXIX. 23. Tomas. de Donar. c. 26.

Mars ultor dictus est, quia pro ultione paterna hoc cognomine illi templum vovit, & locavit August. Ovid. Fast. v. 577. V. illum infr. in *Templum*. Gyrald. Synt. deor. x. p. 318. B. V. & infr. in *Templum*.

MARSI *fuerunt gens Italiæ, lacum Phorcen accolentes.* Schol. Lycoph. n. 1275. *Pinell. Addit. ad Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* II. 14. Supra se habuisse videntur Vestinos à septentrione, ab occasu Sabinos, ab oriente Pelignos, à meridie lacum Fucinum, & Æquos populos attigisse. De rebus cum his gestis, hæc à Liv. VIII. 29. accepimus. Anno 427. L. Camillo, D. Bruto coss. cum satis per se ipsum Samnitum bellum, & defectio repens Lucanorum solicitos haberet patres, accessit, ut Vestinus populus Samnitibus sese conjungeret. Et quanquam res nova erat, tamen tanta cura patres incessit, ut pariter eam susceptam, neglectamque timerent, ne aut impunita eorum lascivia superbiaque, aut bello pœnæ expetitæ metu propinquo, atque ira concitent finitimos populos. Et erat genus omne abundè bello Samnitico par, *Marsi*, Pelignique & Marrucini, quos, si Vestinus attingeretur, omnes habendos hostes. Ita bellum adversus Vestinos ex auctoritate patrum populus jussit, idque Bruto mandatum: ab eo in Vestinis multiplex bellum, nec usquam vario eventu gestum est; nam & pervastavit agros, & populando, atque urendo tecta hostium, sataque invitos in aciem extraxit; & ita prœlio uno accidit Vestinorum res, haudquaquàm tamen incruento milite suo, ut non in castra solum refugerent hostes, sed jam ne vallo quidem, ac fossis freti, dilaberentur in oppida, situ urbium, mœnibusque se defensuri. Postremo oppida quoque vi oppugnare adortus, primum Cutinum ardenti ardore militum, aut vulnerum ira scalis cepit, deinde Cingiliam, utriusque urbis prædam militibus concessit. Anno deinde 445. Q. Fabio, P. Decio coss. cum Samnitibus acie dimicatum: haud magno certamine hostes victi; neque ejus pugna memoriæ tradita foret, ni *Marsi* eo primùm prælio cum Romanis certassent. Secuti *Marsorum* defectionem Peligni eandem fortunam habuerunt. Post triennium L. Postumio, Ti. Minucio coss. Liv. IX. 45. Æquorum nomen propriè ad internecionem deletum scribit; exemploque eorum cladem fuisse, ut Marrucini, *Marsi*, Peligni, & Frentani mitterent Romam legatos oratores pacis petendæ, amicitiæque. Iis populis fœdus petentibus datum. Diodorus autem Pelignos armis subactos, & agro multatos narrat: aliis verò, qui amici videbantur esse, civitatem esse communicatam. Sequenti anno Æquos deletos, cum *Marsis*, Pelignis, & Marrucinis societatem initam. At verò 451. ut scribit Liv. x. 3. cum Vestinis petentibus amicitiam fœdus ictum est M. Livio & M. Æmilio coss. Eodemque anno nuntiatum est, à *Marsis* agrum vi teneri, in quem Carseoli deducta colonia erat: erat autem in agro Æquicolarum. Ea causa fecit, ut *Marsis* arma inferrentur. M. Valerius Maximus dictator profectus cum exercitu prælio uno eos fudit. Compulsis deinde in urbes munitas, Milioniam, Plestinam, Fresiliam intra dies paucos cepit; & parte agri multatis *Marsis* fœdus restituit. *Sigon. de Jur. Ital.* I. 19. Et cum M. Livius Drusus tribunus plebis L. Marcio Philippo, S. Julio Cæsare coss. sive an. 662. assiduis Italicorum efflagitationibus fatigatus, legem de civitate Italiæ danda proposuisset, antequàm perferret, domi suæ, incertum à quo, necatus est. Illo interfecto omnium ordinum consensu lex oppugnata est. Hinc dolor atque ira Italiam ferè omnem in arma, atque Urbis expugnationem accendit. Primum fuit belli in Albano monte ineundi consilium, ubi inter sacra ferias Latinas ipsos consules Philippum, ac Cæsarem occidere constituerunt; sed hoc proditione, vel ipsius Drusi indicio discussum fuit. Quam ut ulcisceretur injuriam populus Romanus, inivit illud bellum, quod I. *Marsicum* nominatum est, quod illud *Marsi* potissimum, ut loquit Strab. v. p. 167. & eorum imperator Popedius intulerint. Hi Corfinium, quod est Pelignorum caput, occupatum communem omnibus Italis loco Romæ urbem designaverunt, bellique arcem, & Italicæ nomen indiderunt: contractisque sociorum auxiliis, & consulibus, ac prætoribus creatis, biennium ei produxerunt. II. Sociale, quod sociorum nomen omne in excidium Reipublicæ Romanæ conspirarit. III. Italicum, quod omne Latium, atque Picenum, Etruria omnis, atque Campania, postremò Italia contra matrem, ac parentem suam Urbem consurgerent, ut est apud Flor. III. 18. 5. & Appian. Bell. civ. I. p. 374. Et cœptum est Sext. Jul. Cæs. & P. Rutilio Lupo coss. sive an. 663. Consules hi vario Marte, dubioque pugnarunt: Et Italici tamdiu restiterunt, donec à Cn. Pompejo cos. & L. Sylla altero cos. L. Catonis legato pluribus præliis victi, & jam ad paucos redacti omnium suorum consensis communem patriam reliquerunt, quod jam *Marsi*, atque omnes finitimæ gentes in fidem Romanorum redierant, ac communi Italicorum causa deserta, cum ab aliis recessissent, in civitatem lege Julia, V. illam supr. in *Lex*, adsciti fuerunt. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* III. 1. *Pigh. Annal. Roman.* III. p. 216-226.

Marsi, hoc est, serpentarii antiquitus in circo quoque fuerunt. Ennius:

Non habeo denique nauci Marsum augurem.

Lamprid. Heliog. c. 23. *Serpentes per Marsicæ gentis sacerdotes collegisse fertur: eosque subito ante lucem, ut solet populus ad ludos celebres convenire, effudisse, multosque afflictos morsu, & fuga.* Hi non modò angues placabant cantu; sed rumpebant, ita ut cruor, & viscera profluerent. Ovid. apud Charis. Sosip. Instit. Gramm. I. Edit. Putsch. p. 70. b.

Et media Marsis finduntur cantibus angues.

Lucill. apud Non. III. 69.

Jam disrumpetur medius, jam ut Marsus colubras
Disrumpit, cum venas extenderit omnes.

Argol. ad Panvin. de Lud. Circ. I. 14.

MARSYAS fuit *filius Hyagnis*. Plutarch. de Music. p. 1133. E. Nono. Dionys. x. 231. Tzetz. I. 15. 18. Apul. Flor. p. 761. *Oeagri* Hygin. fab. 165. *Olympi* Apollod. I. 4. 27. Tibiis, quas Minerva abjecerat, inventis, cum Apolline in certamen musicum descendit; sed victus, & corporis exuviis exutus, in fluvium sui nominis est mutatus. Palæph. de Incred. c. 48. *Vidi ipse in Phrygia fluvium, cui Marsyas nomen, quem ex Marsya sanguine profluxisse Pryges dicebant.* Barthol. de Tib. vet. III. 2. Pitisc. in Curt. III. 1. §. 2. Invenit tibiam. Hygin. fab. 165. *Quas Marsyas pastor unus ex satyris invenit: quibus assidue commeletando, sonum suaviorem indies faciebat, adeò ut Apollinem ad citharæ certamen provocaret.* Suidas hoc discrimen addit, quod illum tibias ex ære & calamis primum confecisse dicat in

in *Μαρσύας*. Ille quidem reperit, sed ante inventas, & abjectas à Minerva. V. infr. in *Minerva*. Barthol. ibid. I. 3. Buleng. de Theatr. II. 26.

MARTIALIS mons, qui est in monte Cœlio, dictus est, quod Martio campo aquis occupato, in ea Cœlii montis parte ludi equestres *Marti* sacri fierent. V. supr. in *Equiria*.

MARTIOBARBULI lascivia quadam militari videntur appellati esse milites, qui plumbatas gerebant, id est, glandes plumbeas, quæ & ipsæ etiam nomine *martiobarbuli* vocatæ per ludum, & jocum videntur esse: quod cum pisces in deliciis essent, in quibus numerantur *barbi*, & *barbûle*, plumbatæ, quasi non convivii, sed Martis *barbi* essent & cibi, joculariter *martiobarbuli* dici potuerint. Veget. IV. 17. *Plumbatarum quoque exercitatio, quas martiobarbulos vocant, est tradenda junioribus*. Turneb. Adv. XXIV. 12. Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 18. Stevvech. in Vegetium. V. & infr. in *Plumbata*.

MARTIUS fuit in anno Romuleo decem mensium primus. Ovid. Fast. III. 75.

A te principium Romano dicimus anno,
Primus de patrio nomine mensis erit.

Festus: *Martius mensis initium anni fuit, & in Latio, & post Romam conditam, eo quod gens erat bellicosissima. Cujus rei testimonium est, quod posteriores menses, qui annum finiunt, à numero appellati ultimum habent Decembrem*. Macrob. Sat. I. 12. *Quem mensem anni primum fuisse, vel ex hoc maxime probatur, quod ab ipso Quintilis quintus est, & deinceps pro numero nominabantur*. Non fuit primus omnibus populis ante Romam conditam. Ovid. ibid. n. 87.

Quod si fortè vacat, peregrinos inspice fastos:
Mensis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Faliscis:
Sextus apud populos, Hernica terra, tuos.
Inter Aricinos, Albanaque tempora constant,
Factaque Telegoni mœnia celsa manu.
Quintum Laurentes, bis quintum Æquicolus asper,
A tribus hunc primum turba Curensis habet.
Et tibi cum proavis, miles Peligne, Sabinis
Convenit, hic genti quartus utrique deus.
Romulus hos omnes ut vinceret ordine saltem,
Sanguinis auctori tempora prima dedit.

Morestell. Philomus. II. Dial. 4. Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Græ. Tom. VIII. p. 190. B. Lalam. de Ann. Rom. Thes. ibid. p. 277. B. Gyrald. de Ann. & mens. Tom. II. p. 771. D. Edit. Lugdun. Panvin. in Fast. I. p. 26. Semper habuit, & nunc habet unum & triginta dies, septimo die Nonas, & decimo quinto Idus. *Viola ibid. C. A Martio*, diebus circiter viginti ante æquinoctium vernum, annum idcircò inchoasse Romulus videtur, vel quia Hebræos, qui inde annum suum exordiuntur, in eo imitandos sibi proposuerat, vel quia ab eo tempore omnia novam quasi faciem, & ætatem accipiunt, inde se quoque commodè anni principium facere posse arbitraretur, qua opinione motus cecinit Ovid. Fast. I. 150.

Omnia tunc virent, tunc est nova temporis ætas:
Sic annus per ver incipiendus erat.

Lalam. ibid. p. 162. C.

MAS.

MASO fuit cognomentum gentis Papiriæ. Multi fuerunt post L. *Masonem* ædilitium. Cicer. Fam. IX. 21. *Deinde L. Maso ædilitius: inde multi Masones*. Nos unum consularem agnoscimus C. Papirium C. F. L. N. collegam M. Pomponii Mathonis, qui Cos. de Corsis III. Non. Mart. an. 522. in monte Albano primus suis sumptibus myrtea corona cinctus triumphum egit. Hunc exitimo pontificem minorem mortuum fuisse an. 540. quo etiam anno C. *Maso* F. F. decemvir sacrorum mortuus est. Hic post triumphum Fonti delubrum dedicavit. Cicer. de Nat. deor. III. 20. *Itaque & Fontis delubrum Maso ex Corsica dedicavit*. August. de Fam. Roman. in Papiria. Victor. Var. Lect. XXXVIII. 9.

MASSA, *φύραμα*, cupæ etiam nomine in sepulcris plebis, & pauperiorum. Inscriptio apud Gruter. p. 663. n. 5.

TI. CLAUDIUS
ZOSIMUS. FECIT
LICINIÆ. PRISCÆ. MAMMÆ
CLAUDIÆ. PROSRHODO. SER
MASSAM. CUM. CINERARIO

Guther. de Jur. man. II. 24.

Massa in codice fit ex pluribus quasi tabellis aliis super alias structis. Latini *corpus*, Græci *σωμάτιον*, & *τεῦχος* nominant. Quod tamen & de magno volumine usurpant. Sed de struice tabellarum multiplicium, quæ codicem membraneum componunt, ut Græci *σωμάτιον*, propriè dixit Matt. XIV. 192.

Hæc tibi multiplici quæ structa est massa tabella,
Carmina Nasonis quinque decemque gerit.

In gloss. Philox: *membrana* exponitur, quæ est membraneus codex. *Corpus* Latinos dixisse V. supr. in *Corpus*. Salmas. de Mod. usur. c. 10.

Massæ pomorum delicatiorum factæ, & in sole siccatæ fuerunt in deliciis. Stat. Sylv. I. 6. 18.

Et massis Amerina non perustis.

Idque exemplo ficuum, quas eo modo in *massas* redigi docet Colum. XII. 15. *Hæc cum benè proculcaverint, & totam massam comminuta fici permiscuerint, patiuntur siccari*. Sed & poma ipsa dissecta siccata in sole, & ita recondita docemur à Varr. de Re rust. I. 59. Ut hodie ubique etiam fit. *Non perusta* arbitror Papinium dicere suo legitimo tempore soli exempta. *Barth. Adv.* XXIV. 7. *& in Statium*.

MASSILIA in littore Galliæ ad mare mediterraneum est posita à Phocæensibus non procul à Rhodani ostiis. Illam integro volumine in sectiones quatuor diviso accuratiùs descripsit *Petrus Hendreich*. descripsit etiam *Schott. Itiner. Gall.* p. 100. 101.

MASTIGOPHORI, *μαστιγοφόροι*, dicebantur, qui comitabantur agonothetas in certaminibus, & virgis insolentiam certatorum, & spectatorum coercebant. Arcad. Charis. l. ult. ff. de mun. & honor. *Mastigophori quoque, qui agonothetas in certaminibus comitantur, personali quoque munere serviunt*. Xiphil. LXIII. p. 719. C. *Etsi quis audire, nedum videre æquo animo possit, Imperatorem Augustum in albo athletarum inscribi .... agonothetas, & mastigophoros pertimescere, atque clam pecuniam largiri, ne deprehensus flagello cæderetur*. Prudentius. V. illum supr. in *Certamen gymnicum*. Non honestum eorum erat ministerium. *Brisson. Ant. Select.* I. 17. *Panvin. de Lud. circens.* II. 1. & ad illum *Argolius*. *Pancirol. de Magistrat. municip.* c. 25. *Mod. de Lud. Vet.* II. 21. *Fab. Agonist.* I. 18. *Van Dale Dissert.* VIII. c. 1.

MAT.

MATELLA, Plauto & Varroni apud Non. XV. 2. & *matellio* apud Varr. de Ling. Lat. IV. 25. fuit vas aquarium, ut interpretatur Nonius. Erant vasa ad urinam recipiendam. Glossæ: *Matella, οὐρητρὶς, ἀμίς*. *Voss. Lex. Etymol. Grapald. de Part. dom.* II 6. §. 23. *Buleng. de Convov.* IV. 16. *Turneb. Adv.* XXII. 9. *Bayf. de Vas. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 791. *C.* V. & infr. in *Matula*.

MATER ut negotia filii gereret pietatis fiducia nonnunquam pater testamento cavebat, l. liberto §. quanquam ff. de negot. gest. Ulpian. l. si mater ff. ad Sctum Tertyll. *Quod si pater eis post prohibuerat tutorem, quoniam per matrem rem eorum administrari voluit*. Brisson. de Form. VII. p. 617.

Mater vocem nonnunquam Latini usurpant de arbore, propter ramos qui ex ea succrescunt. Plin. XII. 5. *Superiores ejusdem rami in excelsum emicant sylvosa multitudine, vasto matris corpore*. Virg. Georg. II. 18.

—— Parnassia laurus
Parva sub ingenti matris se subjicit umbra.

Æneid. XII. 208.

Cum semel in sylvis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas, & brachia ferro.

Rur

Rutgerf. Var. Lect. iv. 16. Barth. in Claud. in nupt. Honor. & Mariæ. n. 245.

Mater avium dicitur gallina. Caffiod. Var. III. 51. *Et ideò datur intelligi, volitantes, atque inconstantissimos inde mores nasci, quos avium matribus aptaverunt.* Mart. XII. 58. 39.

Et dona matrum vimineo ferunt texto
Grandes proborum virgines colonorum.

Juven. Sat. XI. 70.

Grandia præterea, tortoque calentia fœno
Ova ipsis adsunt cum matribus.

Videtur ea ratione dici, qua gallus maritus. Juven. Sat. III. 91.

—— quo mordetur gallina marito.

Argol. in Panvin. de Lud. Circenf. 1. 14. Grang. in Juvenalem.

Mater patria vocatur apud utriusque linguæ auctores. De Thebis Pindar. Isthm. 1. Μάτερ ἐμά. Et de Roma:

—— Roma mater Regumque ducumque.

Claud. Stilich. Consul. II. 175. Et ducis Agrippæ Manil. I. 795. Sicut etiam ratione coloniarum *matres*, *parentes*, ac *metropoles* vulgò nuncupatæ, quæ alias origines, patria, aut majnr, vel antiqua patria vocabantur. Et *parere* proinde eædem dictæ apud Tertull. de Pall. c. 2. *Scythæ exuberant Persas, Phœnices in Africam eructant, Romanos Phryges pariunt.* Spanhem. de Præst. & us. numism. Dissert. VII. p. 643.

Matres duæ appellantur frequenter, & à temporibus Pertinacis, & Severi celebrantur in marmoribus vetustis. In genere quidem quæ pepererunt. Varro apud August. de Civ. Dei VII. *Diis quibusdam patribus, & deabus matribus sicut hominibus ignobilitatem accidisse.* Specialiter Cybele, Ceres, Hecate, Isis, Vesta, Matuta, Minerva, Diana *matres* appellantur. Lapis hodieque Clivis exstat cum inscriptione:

MATRIBUS
ANNA NEPTIS
QUETTIUS QUINTUS
OPT. LEG. XXX. VVPFBA
VSLM MAXIMO. ET
PATERNO COSS

Alter:

MATRIBUS. ARSACHIS. PATERNIS.
SIVE. MATERNIS. M. AUR. LU.
VERONIUS. VERUS. PE. PPÆFECTI.
PRO. SE. ET. SUIS. V. S. L. M.

Cuper Inscript. expos. §. 2. Brisson. de Form. I. 44.

MATERFAMILIAS *est, quæ sæpius peperit, ut scripsit Ælius Melissus in libro, cui titulus de loquendi proprietate. Utrum hoc Melissus excogitaverit ipse, an scriptum ab alio quo legerit, hariolis profectò est opus. Nullis hoc veterum scriptorum auctoritatibus confirmari potest. Enimverò illud impendio probabilius est, quod idonei vocum antiquarum enarratores tradiderunt, matremfamilias appellatam esse eam, quæ in mariti manu, mancipioque esset: quoniam non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, & in sui heredis locum venisset.* Gell. XVIII. 6. Serv. Æneid. II. *Materfamilias est, quæ in mariti manu, mancipioque, aut in cujus mariti manu, mancipioque esset: quomodo in familiam quoque mariti, & sui heredis locum venisset.* In manum verò mulier veniebat per coemptionem. Boeth. ad Topic. Cicer. *Matresfamilias erant, quæ ducebantur per coemptionem.* Serv. l. l. *Alii matresfamilias dicunt illas, quæ in matrimonium, Lege, in manum per coemptionem convenerunt: nam per quandam juris sollennitatem in familiam migrant mariti.* Brisson. de adulter. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 1369. E. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1020. B. Rævard. Var. IV. 12. Hotman. Antiq. III. 3. p. 417. A. Oizel. in Gellium. Ad illam propriè cura annuli signatorii pertinebat. V. supr. in *Annulus*.

MATERIS teli genus, est à Gallis. Sisenn. III. apud Non. in Materæ: *Galli materibus, Suevi lanceis configunt.* IV. *Alii materibus, aut lanceis, tamen medium perturbant agmen.* Cicer. ad Herenn. IV. 32. *Aut idem Gallos significans dicat; nec tam facilè ex Italia materis Transalpina depulsa est.* Voss. de vit. serm. c. 2. & Lexic. Etymol. Gyrald. Dialog. XII. Stephan. Schesdiamsm. IV. 3.

MATERTERA dicitur *matris* soror; & cum sororis filio comparatur, l. fratris C. de inoffic. test. ac tertio numeratur gradu, d. l. ult. §. 3. ff. de gradib. l. patruo. 7. C. de legit. hæred. *Matertera magna* dicitur aviæ soror; & cum sororis nepote confertur, quartoque numeratur gradu d. l. ult. §. 4. *Matertera major* dicitur proaviæ soror; & cum sororis pronepote comparatur, quintoque numeratur gradu, d. l. ult. §. 5. *Matertera maxima* dicitur abaviæ soror; & cum sororis abnepote comparatur, sextoque numeratur gradu, l. 3. & d. l. ult. §. 6. de grad. *Hotoman. de Rit. nupt. c. 9.*

MATHEMATICI dicuntur verè, qui sciunt disciplinas circa abstractam quantitatem versantes, ut arithmeticen, & geographiam: aut earum principia aliis applicantes, ut faciunt geographia, astrologia, musice, optice, aliæ. Dicuntur μαθηματικαὶ ἐπιστῆμαι, & ἁπλῶς μαθήματα, hoc est, *disciplina*, ἀπὸ τοῦ μαθεῖν, hoc est, *discere*: quia in Græcia, ubi lingua sua contenti philosophabantur, ubi legere, & scribere norant, ab arithmeticis & geometricis auspicabantur. *Voss. Lex. Etymol.* Quia scilicet ad reliquas scientias aditum aperiunt. Nam & ingenia acuunt, eorumque solertiam augent, ad rerum contemplationem excitant, & celeritatem quam percipiendi conciliant. Et quoniam imitatione percipiuntur, aptæ puerilibus animis, qui ea potissimùm ducuntur. *VV. nover. de Polym. c. 22.*

Mathematici quoque dici voluerunt impostores, qui aliter Chaldæi, hoc est, qui ex observatione horæ natalitiæ fata cujusque se scire profitentur. Paull. Recept. V. tit. 21. *Qui de salute Principis, vel summa Republica mathematicos, ariolos, aruspices, vaticinatores consulit, cum eo, qui responderit, capite punitur.* Voss. Lex. Etymol. Primo anni die tam sibi, quam aliis, quos caros habebant, vitæ themata astrologica erigebant, & catalogos operum contexebant. Adrianus certè Imperator id Ælio Vero, novo successori designato, dicitur fecisse. Spartian. c. 16. *Mathesin sic scire sibi visus est, ut Vero Kalendis Januariis scripserit, quid ei toto anno posset evenire.* In Ælio Vero c. 3. *Fertur denique ab his, qui Adriani vitam diligentius in literas retulerunt, Adrianum Veri scisse genituram.* Lipen. de Stren. c. 2. prim. æt. §. 44. Erant etiam in circo. Juven. Sat. VI, 590. V. illum supr. in *Columna in circo.* Horat. Sat. 1. 6. 114.

Assisto divinis.

Acro divinaculis interpretatur. Olim quippè ad metas famardæ, & *mathematici* steterant. *Samardis*, ait Acro, *assisto*, aut sortilegis. Vetus interpres Juvenalis ait, eos stetisse in spina circi. Cicer. de Divin. 1. 58. *Non vicanos aruspices, non astrologos de circo.* Buleng. de Circ. Rom. c. 56. Urbe, & Italia expulsi sunt an. 614. ab Hispallo prætore. Val. Max. 1. 3. 2. *C. Cornelius Hispallus prætor peregrinus, M. Popilio Lænate, Cn. Calpurnio Coss. edicto Chaldæos intra decimum diem abire ex Urbe, atque Italia jussit: levibus & ineptis ingeniis fallaci siderum interpretatione quæstuosam mendaciis suis caliginem injicientes.* an. 721. à M. Agrippa ædile. Dio XLIX. p. 417. C. *Astrologos, & vates Urbe ejecit.* an. 768. ab Augusto Tiberio. Suet. Tib. c. 36. n. 3. *Expulit & mathematicos.* Senatusconsulti, quod factum, formam, & verba reperi in fragmentis Ictorum, quæ dedit Pithœus. Ait ibi Ulpian. l. 7. de Offic. proconf. *Præterea interdicta est mathematicorum callida impostura, & obstinacitate persuasio. Nec hodie primum eis interdici placuit, sed vetus hæc prohibitio est. Denique exstat SCtum Pomponio & Rufo coss. factum, quo cavetur, ut mathematicis, Chaldæis, ariolis, & cæteris qui simile quæstum fecerunt, aqua & igni interdicatur, omniaque bona eorum publicentur.* Lips. in Tacit. Annal. II. Exc. G. Pitisc. in Suetonium.

MATRALIA celebrabantur Romæ à matronis, in honorem matris Matutæ, III. Idus Junii, libo in testa cocto oblato. Varr. de Ling. Lat. IV. 22. *Testatum, quod in testa calida coquebatur, ut etiam nunc Matralibus faciunt matronæ.* Ab illis omnes servæ arcebantur, unà tantum introducta, cui colaphos infligebant. Plutarch. Camill. p. 131.

B. quod

B. quod ex æmulatione deæ adversus maritum factum sit idem quæst. Rom. 16. Libum illi oblatum esse docet Ovid. Fast. vi. 473.

Ite bonæ matres, vestrum Matralia festum,
Flavaque Thebanæ reddite liba deæ.

Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 431. Utlat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 852. A. Siccam. in Fast. Kalend. c. 12. Gyrald. Synt. deor. xvii. p. 493. C. Rhodig. Ant. Lect. xi. 13.

MATRICULA est catalogus, index, descriptio. Vox nota ictis. Codex canon. Eccles. Afric. can. 86. *Ματρίκιον, ἢ ἀρχέτυπον τῆς Νουμιδίας.* Ubi cod. Latin. c. 53. *Matricula & archivum Numidiæ.* Du Fresne Glossario. Voss. de Vit. Serm. iii. p. 496.

Matricula codex appellatur, in quem referuntur nomina omnium Academica fruentium libertate. Cui cum inscribuntur, studiorum gratia, in Academiam missi, dicuntur *immatriculari*. Voss. de Vit. Serm. iii. p. 497.

Matricula erat etiam eorum, qui militiæ nomen dedissent, quod ea, veluti *matrice*, continerentur milites. Quod ex veteribus ictis liquet. Unde in glossis Basilicis: *Ματρίκιον, ἡ ἀπογραφὴ τῶν στρατιωτῶν. Matricula, descriptio,* sive *index militum.* Veget. i. 26. *Tyrones secundum matriculæ ordinem in aciem dirigendi.* Voss. de vit. Serm. iii. p. 497. Lex. Etymol. in Mater. Stevvech. in Vegetium.

Matricula erat quoque clericorum, in quam ecclesiarum clerici referebantur, qui eo nomine stipendiorum ecclesiasticorum erant participes, in concil. Agath. c. 2. Aurelian. iv. c. 13. Auctisiodor. c. 3. Et in qua clericorum hebdomadariorum in ecclesiasticis officiis munus indicatur. Odo Episc. Paris. an. 1199 *Campana ordinatè pulsabuntur, cantor faciet matriculam in omnibus ordinatè.* Du Fresne Glossario.

Matricula erat tandem pauperum, in qua eorum, qui ecclesiasticis stipendiis, sive ecclesiæ sumptibus alebantur, nomina descripta erant. *Matricula egenorum* legitur apud Lambertum in vita Heriberti Archiepisc. Colon. n. 25. *Du Fresne Glossario. Voss. de Vit. serm. iii. p. 497. Lipen. de Stren. c. 2. quart. at. §. 21.*

MATRICULARII vocabantur, quorum nomina *matriculæ* inscripta. Hi pro variis significationibus distinguuntur. Et *matricularii* egeni, non promiscuè omnes, sed *matriculæ* pauperum inserti. Gregor. Turon. Hist. vii. 29. *Nonnulli etiam matriculariorum, & reliquorum pauperum, pro scelere commisso tectum cellulæ conantur evertere.* Lipen. de Stren. c. 2. quart. æt. §. 21. Voss. de vit. serm. iii. p. 497. Du Fresne Glossario.

MATRIMI quinam, V. infr. in *Patrimi*.

MATRIMONIUM & nuptiæ interdum promiscuè usurpantur; hæc tamen differentia observari potest, quod *matrimonium* est conventio inter virum, & uxorem, de perpetua vitæ societate; nuptiæ verò celebratio *matrimonii*, quæ certo ritu, pro variis cujusque civitatis legibus instituta est, l. pen. ff. de don. int. vir. & ux. Ita definimus: *Matrimonium* est justa viri & mulieris conventio de individua vitæ societate, liberorum quærendorum causa instituta. *Franc. Hotoman. de Rit. nupt. & matrim. c. 1.* Apud Romanos contrahebatur usu, farre, coemptione. Arnob. iv. p. 140. *Uxores dii habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis? usu, farre, coemptione genialis lectuli sacramenta condicunt?* Boeth. in Topic. in Cicer. p. 69. *Tribus modis uxor habebatur, usu, farre, coemptione.* Serv. Georg. i. 31. *Tribus modis apud veteres nuptiæ fiebant: usu, farre, coemptione.* Lipf. in Tacit. Annal. iv. n. 46. August. in Leg. xii. tab. §. 18. Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. viii. p. 1016. D. Casal. de Rit. nupt. c. 1. Elmenhorst. in Arnobium. Palæot. de Noth. & spur. c. 4. n. 1. Laurent. var. sacr. gentil. c. 14. V. plura de singulis infr. in *Usus*. supr. in *Confarreatio*, & *Coemptio*. *Matrimonium* contrahentes profitebantur, se liberorum procreandorum causa convenire. Tacit. Annal. xi. 27. 1. *Cum uxore Principis, prædicta die, adhibitis qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa convenisse.* Ulpian. tit. 4. regul. *Latinus libertus jus consequitur civis, cum lege Junia uxorem ducebat, testatione interposita, quod liberorum quærendorum causa uxorem duceret.* Hinc erat in ore muliercularum, ut ait Ennius versu, quem prodidit Festus in Quæso:

Ducit me uxorem sibi liberum quærendum causa.

Plaut. Capt. iv. 2. 109.

Liberorum quærendorum causa ei, credo, uxor data est.

Ideò Augustus testamentum improbavit cujusdam, cujus non procreandorum liberorum causa conjugium intercesserat, apud Val. Max. vii. 7. 4. *Est enim,* inquit Quintil. Declam. ii. *uxor, quam jungit, quam deducit utilitas; cujus hæc reverentia est, quod videtur inventa causa liberorum.* Anton. Hotoman. de Rit. nupt. c. 3. Francisc. Hotoman. de Rit. nupt. & matrim. c. 1. In illis contrahendis ætas contrahentium definita est. Modestin. l. in sponsalibus 14. ff. de sponsal. Ea verò est pubertas, vel ipsi Justin. Instit. i. 10. *Justas nuptias inter se cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coeunt, masculi quidem puberes, feminæ autem viripotentes.* Cui accedere velim testimonium Dionis liv. p. 532. D. ubi ita scribit: Augustus *duodecimum annum puellis justum nuptiarum tempus esse statuit.* A duodecimo siquidem anno pubertatem feminas auspicari prudentibus placuit: ex eoque tempore Romæ puellæ nuptum dabantur. Id quod ea ratione factum interpretatur Plutarchus in Numa, ut celeriùs conjugum mores tenella adhuc ætate imbiberent, & ad obsequium virorum faciliùs flecti magisque possent. Ex eo verò tempore pubertas in feminis legibus est definita, quod generationi essent ab eo anno aptæ. Macrob. Sat. vii. 7. *Nec hoc tacebo, quod, cum calor semper generationis causa sit, feminæ ideo celeriùs, quàm pueri, fiunt idoneæ ad generandum, quia calent ampliùs. Nam & secundum jura publica duodecimus annus in feminis, quartus decimus in puero definiunt pubertatis ætatem.* Brisson. de Jur. connub. p. 116. Hotoman. de Rit. nupt. & matrim. c. 2. Casal. de rit. nupt. c. 2. Non contrahebatur inter liberas, & serviles personas, l. Proculus 67. ff. de jur. dot. l. 3. C. de incest. nupt. Quinimò libera mulier, quæ cum alieno servo post trinam domini denuntiationem in consuetudine perseverasset, Sctn Claudiano libertatem amittebat, servaturque vindicabatur, ut Ulpian. fragm. tit. 11. §. 11. & Tertull. ad Uxor. ii. docent. Quamobrem si ancilla libero nupsisset, sive scisset ancillam se esse, sive ignorasset, nec matrimonium erat, nec viri ea pecunia fiebat, quam tempore legibus statuto penes se usu cepisset: planè, si apud virum ad libertatem pervenisset, conciliabatur, convalescebatque *matrimonium*: exindeque dotis nomen, si necdum usucapio impleta esset, sortiebatur: *matrimonioque* soluto ejus, ut dotalis, repetitio competebat. Justum non inter liberas quascunque passim personas, sed inter solos cives Romanos contrahebatur, Justin. Instit. i. 10. Nam cum Latinis, peregrinisque *matrimonium*, nisi id eis concessum esset, non erat. Testes sunt Ulpian. fragm. tit. 5. & Boeth. ad Topic. Cicer. Ex quo Senec. de Ben. iv. 35. *Promisi tibi,* ait, *futuram in matrimonium: postea peregrinus apparuisti. Non est mihi cum extraneo connubium.* Macrob. Sat. i. 6. *Libertinis verò nullo jure uti prætextis licebat, ac multo minùs peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo.* Hinc maximam apud populum invidiam sibi conflavit Antonius, quod contra leges patrias cum Cleopatra *matrimonium* contraxisset. Plutarch. Anton. p. 957. A. *Post quam civem, & legitime nuptam exegit, cum peregrina autem, & non secundum leges nupta consuevit.* Ægre etiam tulisse populum Romanum narrat Xiphil. lxvi. p. 572. B. quod Titus Berenicen Ægyptiacam in palatio uxoris loco habebat, ut propterea repudiare eam sit coactus. Quod eo processit, ut ex peregrino, & cive Romana natus, peregrinus nasceretur. V. supr. in *Lex Mensia*. At ejusmodi peregrinationis observationem tandem exolevisse significare videtur Prudent. cont. Symm. ii. 615.

—— nunc per genialia fulcra
Externi ad jus connubii: nam sanguine misto
Texitur alternis ex gentibus una propago.

At à provincialibus, cujuscunque loci, aut ordinis essent, cum barbaris conjugia contrahi Valentinianus & Valens prohibuere. Enimverò patribus cum plebe *matrimonium* ne esset, xii. tabulis sancitum erat. Dionys. x. p. 654. xi. p. 689.

p. 609. *Inter duodecim & hac lex erat, ne patriciis cum plebejis licita essent matrimonia: non ob aliam, ut ego interpretor, causam, quàm ne per mutua familiarum matrimonia, atque affinitates coalesceret inter ordines concordia.* Auspicia quoque plebeji non habebant, eaque apud solos patricios subsidebant. Et ideò ne incerta prole auspiciorum jura turbarentur, inter eos *matrimonium* decemviri diremerunt. Nec senatoribus, senatorumve filiis cum libertinis. V. supr. in *Ingenui*, & *Lex Julia de marit. ordin.* Brisson. de Jur. connub. p. 219. Hotom. l. l. & Antiq. Roman. III. 5. p. 519. C. Spanhem. Orb. Rom. II. 24. Casal. de Profan. Roman. rit. c. 23. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 17. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 1. c. 4. aut cum illis, quæ ipsæ, quarumve parentes artem ludicram fecissent. Caput legis Juliæ jam dictæ in hæc verba conceptum fuisse testis est Paull. 1. 44. *Qui senator est, quive filius, neposve ex filio, proneposve ex filio nato, cujus eorum est, erit: ne quis eorum sponsam, uxoremve, sciens dolo malo habeto libertinam: aut eam, qua ipsa, cujus pater, materve artem ludicram facit, fecerit: neve senatoris filia, neptisve ex filio, proneptisve ex nepote filio nato nata, libertino, eove, qui ipse, cujusve pater, materve artem ludicram facit, fecerit: sponsa, nuptave sciens dolo malo esto: neve quis eorum dolo malo sciens sponsam uxoremve eam habeto.* Brisson. ibid. p. 217. Zamosc. de Senat. Rom. 1. 16. Nec sexagenario cum uxore quinquagenaria. Unde Lactant. 1. 16. *Utrum sexagenarius factus est, & illi lex Papia fibulam imposuit?* Ac planè Apulejo inter cætera criminis loco objectum ab adversarius legimus, quod sexaginta annos natam feminam duxisset: idque factum accuratissimè purgat Apol. p. 541. Hoc lex improbabat, tanquam liberorum quærendorum causa minimè contractum, veroque conjugii fructu, ac fine destitutum. Sexagenarius autem ut generandi, ita quinquagenaria pariendi impotens esse vulgò existimatur, l. si sterilis 21. ff. de act. empt. Aristot. Polit. VII. 16. finem gignendi ut plurimum viris septuagesimum annum adferre, mulieribus quinquagesimum scribit. Itaque Dionys. IV. p. 212. *Uxor erat eo quinque annis junior. Erat tum nata annos quinquaginta quinque, cum Tarquinius moreretur; cum filium minimum pareret, erat quinquaginta annorum. Ultra tempus hoc mulier non fert uterum, sed hic est pariendi terminus, ut qui hoc exquisiverunt, scribunt.* Et rarò contingere, ut ad septuagesimum usque annum vir generet; frequentiùs verò quinto, & sexagesimo anno generandi vires consumi ait Aristot. de Nat. Anim. 1. Ideò Dionys. IV. p. 213. *Intempestivum hoc est conjugium Tarquinio penè octogenario, nec ea ætate liberorum procreatio est credibilis.* Quapropter senibus sexagenariis, quasi à re Venerea jam per ætatem exclusis, ac submotis, leges dicit Eutychus apud Plaut. Merc. v. 4. 57.

Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus,
Seu maritum, sive hercle adeo cælibem, scortarier,
Cum eo nos hac lege agemus.

Similiter Demeæ suadenti ut uxorem duceret, Micio apud Terent. Adelph. v. 8. 15.

Ego novus maritus anno quinto & sexagesimo fiam?

Brisson. ibid. p. 173. Casal. de Rit. nupt. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 17. Nec tutoribus, illorumve filiis cum pupillis suis, l. 59. ff. de rit. nupt. *Sen. tusconsulto, quo cautum est, ne tutor pupillam, vel filio suo, vel sibi nuptam collocet.* Marcellinus, Hermogenis interpres: *Lex est, neque a tutore, neque à tutoris filio pupillam uxorem duci posse.* Causa præcipua hæc est, ne pupillæ in re familiari circumscriberentur ab iis, qui rationes eis gestæ tutelæ reddere necesse babebant, neve fraudes in tutelæ administratione commissæ, hujusmodi domestici *matrimonii* velamento, quo tutelæ reddendæ ratio inhibebatur, tegerentur, l. libertum §. 1. ff. de rit. nupt. *Brisson. ibid. p. 216. Hotom. & Casal. l. l. Thys. Collat. leg. Attic. & Roman. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. v. p. 1383. F.* Nec *præsidibus provinciarum, procuratoribus Cæsaris, præfectis cohortis, aut equitum tribunis, & omnibus omnino, qui aliquod in provincia officium gerunt, cum inde oriunda, vel ibi domicilium habente,* l. si quis officium 38. l. præfectus 63. ff. de rit. nupt. potentatus, ut Papinianus ait, ratione: ne videlicet potentia, in qua constituti sunt, ad vim abutentes, *matrimonia* sibi arbitrio, nutuque suo concilient, trahantque, ac rapiant veriùs quàm ducant. *Brisson. ibid. p. 217. Hotom. l. l. Ravard. Var.* II. 20. Ex gradu verò ascendentium, & descendentium, quia naturali ratione, sanguinisque jure prohibentur, in infinitum contrahi non potest: & inter eas personas, quæ parentum, liberorumve locum inter se obtinent, incestum, ac nefarium est, l. nuptiæ 53. ff. de rit. nupt. Veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem; matrem & filium, vel aviam & nepotem: & usque in infinitum. Nec interest, ex justis nuptiis ejusmodi personarum conjunctio descendat, an non, l. & nihil 54. ff. de rit. nupt. Proinde in his speciebus incestus committitur jure gentium, l. ult. ff. de rit. nupt. Fœditas illarum lucet ipsa per se, ut qui in ea flagitia prolabitur, humanitatem ipsam exuisse videatur. Ciceroni utique incestum cum filia Q. Fufius Calenus his verbis objicit apud Dion. LVI. p. 303. E. *Os etiam Antonii turpitudinis insimulare instituit, ipse per omnem vitam in tantam libidinem, & impuritatem projectus, ut nec à proximis abstinuerit, uxorem prostituerit, cum filia incestum commiserit.* Et Sallust. Orat. in Cicer. p. 226. *Verum, ut opinor, splendor domesticus tibi animos attollit: uxor sacrilega, ac perjuriis delibuta, filia matris pellex, tibi jucundior, atque obsequentior quam parenti par est.* Et injustum est cum personis, quæ vel affinitatis ratione parentum, liberorumve vicem repræsentant, ac sustinent. Quare nec novercam, nec proavi uxorem, nec socrum, nec ejusdem aviam, proaviam ducere licet, l. si qua mihi 12. §. 1. l. adoptivus 14. §. nunc videamus. l. Aristo 40. ff. de rit. nupt. Hæc exagitat Cicer. pro Cluent. c. 5. *Lectum illum genialem, quem triennio ante filiæ nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari, & sterni, expulsa, atque exturbata filia, jubet. Nubit genero socrus, auspicibus nullis, nullis auctoribus, funestis omnibus. O mulieris scelus incredibile, & præter hanc unam in omni vita inauditum! ò libidinem effrenatam, & indomitam! ò audaciam singularem!* Novercam ducere uxorem non licet. Levit. c. 20. n. 11. *Is, qui cum uxore patris sui concubuerit, nuditatem patris sui detexit, ambo necantor.* Cur non liceat, duplicem causam reddit Philo περὶ τῶν ἐν εἴδει p. 779. C. *Et propter reverentiam in patrem, & propter matris & novercæ cognatam appellationem, si non & propter animæ sensum legi consonum.* Atque hanc legem secutus Paullus conjugium novercæ, ut incestum, & nefarium detestatur 1. Cor. c. 5. n. 1. .... Tam infausti *matrimonii* cupiditate incensus occurrit unus Imperator Antoninus Caracalla. De illo Spartian. c. 10. *Interest scire, quemadmodum novercam suam Juliam uxorem duxisse dicatur. Quæ quum esset pulcerrima, & quasi per negligentiam se maxima corporis parte nudasset, dixissetque Antoninus, vellem, si liceret: respondisse fertur, si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus est: nuptiasque eas celebravit, quasi sciret, se leges dare, cum verè solus prohibere debuisset. Matrem enim, non alio dicenda erat nomine, duxit uxorem: ad parricidium junxit incestum.* Sed nec socero nurus, pronurusve rectè nubit. Socerum enim parentis locum obtinere placet, l. quia parentis 16. ff. de solut. matrim. Ac ejusmodi quidem *matrimonia*, quæ cum privigno noverca, cum socero nurus contraxerit, incesta, ac nefaria esse nemini dubium est: cum pudori, castitati, verecundiæ naturali, publicæque honestati adversentur. Ex transverso quoque cognationis gradu est illicitum I. inter fratrem & sororem, sive ab eodem patre, eademque matre progeniti fuerint, sive ab altero eorum, §. inter instit. de nuptiis. Nepos proœm. §. 4. *Neque Cimoni fuit turpe, Atheniensium summo viro, sororem germanam in matrimonio habere. At id quidem nostris moribus nefas habetur.* Romanis utique semper detestabilis, & exsecranda talis conjunctio visa est. Ideòque inter ea, quæ de Caligula, non ut principe, sed ut monstro Suetonius narrat, hoc refert c. 24. n. 1. quod *cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecerit*, quem etiam Drusillam germanam, *Cassio longino consulari collocatam abduxisse, & in-*

modum

modum justa uxoris propalam habuisse scribit n. 4. Plutarch. in Parall. p. 312. D. memorat, Papirium quendam Romanum, amoris impatientia, & ardore victum, Canuliam sororem gravidam fecisse. Quod ubi Papirius Tolucer, communis eorum pater, rescivit, ensem filiæ misit, quo puella pectus transfodit: eodemque leti genere scelestum, ac nefarium facinus suum Papirius deinde expiavit. II. inter fratrum, sororumve filias & patruum, l. nemini 17. C. de nuptiis, tametsi talium usum invehere in Rempublicam Claudium Imperatorem, Agrippinæ Germanici fratris sui filiæ amore incensum, tentasse literis proditum est, ut publici juris velamento ejus *matrimonii* à se cum ea contrahendi turpitudo tegeretur. Tacit. Annal. XII. 7. 2. *Claudius senatum ingressus decretum postulat, quo justa inter patruos, fratrumque filias nuptiæ etiam in posterum statuerentur; neque tamen repertus, nisi unus, talis matrimonii cupitor, Talledius Severus, eques Romanus*. Suet. Claud. c. 26. n. 10. *Illecebris Agrippinæ, Germanici fratris sui filiæ, per jus osculi, & blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornavit proximo senatu, qui censeret cogendum se ad ducendum eam uxorem, quasi Reipublicæ maximè interesset: dandamque cæteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus incesta habebantur. Ac vix uno interposito die confecit nuptias, non repertis, qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero primipilari*. Ne tamen tam mali exempli *matrimonia* in posterum frequentarentur, Nerva vetuit, ne fratrum filiæ ducerentur. Xiphil. LXVIII. p. 770. B. *De aliis quoque leges tulit, & ne quis exscinderetur, neve fratrum filias ducere liceret*. Brisson. ibid. p. 224. . . . Casal. l. l. Franc. Hotoman. ibid. c. 7. Palæot. de Noth. & spur. c. 7. III. inter mortuorum fratrum conjuges, & fratres superstites. Imperatorum constitutionibus cavetur, eam, quæ in manum fratris convenerit, dissolutis, seu morte, seu repudio nuptiis, duci citra incesti crimen non posse, l. nemini C. de nuptiis. Lucius tamen Tarquinius, cum post regnum scelere partum Superbi cognomen facta indiderunt, Tulliam minorem natu, quæ Arunti fratri nupsexat, Arunte veneno ab ea sublato, cum ipse conjugem quoque suam eodem genere interemisset, duxit. Dionys. IV. p. 234. Hujusmodi tamen *matrimonia* non tantum Imperatorum constitutionibus, sed etiam Concilii Neocæsariensis can. sec. interdicta sunt. Quin etiam, cum quidam Ægyptiorum mortuorum fratrum conjuges *matrimonio* sibi copularent hoc colore, quod virgines mansisse dicerentur, forte profecto à Judæis instituto, apud quos fratri mortuo fratrem superstitem sobolem excitare invaluerat: Zeno, qui illa contraxissent, & inde susceptos liberos incestarum nuptiarum pœnis subjacere voluit, l. licet C. de incest. nupt. IV. inter maritum, & uxoris sororem. Licentiam duabus sororibus conjungendi, dissoluto quoquo modo conjugio, Imperatores Valentinianus, Theodosius, & Arcadius summoverunt, l. fratris C. de incest. nupt. *Brisson. ibid. p. 238. Castal. Var. Lect. c. 14. Casal. l. l.* Honorius tamen Imperator duas Stiliconis filias unam post alteram in matrimonio habuisse fertur. Sed utriusque matrimonii exitus fuit infelix. Ex neutra enim liberos suscepit, morteque immatura utraque obiit. Zonat. III. *Ducit Stiliconis filiam Mariam uxorem. Qua mortua fertur ejus sororem Tharmantiam duxisse immaturam ætatis: & illa brevi mortua est*. Paull. Diacon. XIV. append. ad Eutropium: *Ex sobolos nulla fuit: nam duæ Stiliconis filiæ, id est, Maria & Tharmantia, una post alteram, ei conjugio sociata, utraque Dei judicio inopinata morte prævente, ex hac luce virgines migravere*. Brisson. ibid. p. 1095. B. Casal. l. l. Virgines ex hac luce migrasse, quicquid dicat Paullus Diaconus, manifestum est mendacium. V. supr. in *Honorius*. Licitum fuit inter patrueles, & consobrinos. Augustus filiam Juliam Marcello, Octaviæ sororis suæ filio, nuptum dedit. Suet. c. 63. n. 2. *Juliam Marcello, Octaviæ sororis suæ filio, tantumquod pueritiam egresso, nuptum dedit*. Dio LIII. p. 515. D. *Nam quum nuptias filiæ suæ Juliæ, & Marcelli sororis filii propter morbum Romæ non posset facere, illius*, Agrippæ, *opera eas absens celebravit*. Filium immatura morte ereptum lugens, *avunculo cum generum*

destinatum significat Quintil. Instit. Præfat. VI. Sed & Constantinus Imperator sororem suam, in Socratis Græcis codicibus Helenam, in Cassiodori Latinis Constantiam dictam, Juliano in *matrimonium* tradidit, atque ita patruelis patrueli juncta est: Julianus enim ex Constantino, Constantini Magni consanguineo fratre, ortus erat. *Sobrinarum diu Romæ ignorata conjugia, tempore addito percrebuisse* scribit Tacit. Annal. XII. 6. 4. Plebiscito permissa docet Plutarch. *ἐν Αἰτίοις*. *Concessum fuit, ut liceret consobrinas ducere propter hanc causam. Vir quidam pauper, sed bonus, & qui populo, si quisquam, erat carus, consobrinam, quæ sola erat paternorum bonorum hæres, duxisse putabatur, & ab illa ditatus est. De hac re fuit accusatus. Populus omissa causa cognitione ipsum absolvit, plebiscito facto, omnibus licere consobrinas uxoris loco habere*. Ab Imperatore Theodosio majore fuisse prohibita nos docet Ambros. Epist. VIII. *Theodosius Imperator etiam fratres patrueles, & consobrinos vetuit inter se conjugio convenire, & severissimam pœnam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora*. Aurel. Vict. Epit. c. 48. n. 10. *Tantum pudori, & continentiæ tribuens, ut consobrinarum nuptias vetuerit tanquam sororum*. A Theodosii filiis Arcadio & Honorio iterum concessa. Horum constitutio exstat, l. celebrandis C. de nuptiis in hæc verba: *Celebrandis inter consobrinos matrimoniis licentia legis hujus salubritate indulta est, ut revocata prisci juris auctoritate, restinctisque calumniarum fomentis, matrimonium inter consobrinos habeatur legitimum, sive ex duobus fratribus, sive ex duabus sororibus, sive ex fratre, & sorore nati sint*. Brisson. ibid. p. 247. D. Franc. Hotoman. & Casal. l. l. Contrahebatur coemptione, confarreatione, usu: dissolvebatur remancipatione, diffarreatione, usurpatione. V. singula suis locis. Addo & sortitione. Plutarch. in Thes. p. 14. F. *Venerunt ambo Theseus & Pirithous Spartam, & Helena, quæ in templo Dianæ Orthiæ saltabat, rapta fugam cepere. . . . Pacti sunt inter se, ut cui sorte obtigisset, eam haberet uxorem. His legibus missa sorte obvenit illa Theseo*. Virg. Æneid. III. 321.

O felix una ante alias Priameia virgo,
. . . . quæ sortitus non pertulit ullos.

Plaut. Cas. II. 4. 17.

Sitellam huc tecum afferte cum aqua, & sortes.

n. 19.

Si sic nihil impetrare potero, saltem sortiar.

n. 27.

Si sors decolassit, gladium faciam culcitam.

Suet. Tiber. c. 35. n. 5. *Alium & quæstura removit, quod uxorem sortitione ductam pridie, postridie repudiasset*. Inde communis locutio, sortiri uxorem, pro eam sorte accipere, quæ est propria significatio: deinde pro ducere quovis modo. Apul. Met. IX. p. 281. *Pistor pessimam, & ante cunctas mulieres longè deterrimam sortitus conjugem*. Firmic. III. 8. 7. *Sed hi mulieres stupratas sortiuntur uxores*. Videtur autem sortitio adhibita, si de aliqua lis esset inter procos: tum enim cui sors eam assignabat, eidem concedebatur. *Dempster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. V. 37. Maurit. de Sortit. vet. c. 4. §. 9. 34. n. 1. . . . . Cerda & Pontan. in Virgilium. Alex. Genial. II. 5. & in illum Tiraquellus*.

MATRONA *est, quæ semel peperit, ut scribit Ælius Melissus in libro, cui titulus de loquendi proprietate. Impendio probabilius est, matronam dictam proprie, quæ in matrimonium cum viro convenisset, quod in eo matrimonio maneret, etiamsi liberi nondum nati forent: dictamque esse ita à matris nomine non adepto jam, sed cum spe, & omine mox adipiscendi, unde ipsum quoque matrimonium dicitur*. Gell. XVIII. 6. Eadem a Servio traduntur Æneid. X. 476. *Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1020. C. August. ad Leg. XII. tab. §. 18. Oizel. in Gellium*. Cicero in Topicis simpliciter *uxorem* vocat, quæ scilicet in matrimonium convenisset. Illo denotabat eam uxorem, non concubinam fieri: & in matrimonium, non concubinatum datam. Plaut. Trin. III. 2. 64.

Sed ut inops infamis ne sim, ne mihi hanc famam differant.

Me

Me germanam meam sororem in concubinatum tibi
Sic sine dote dedisse magis, quam in matrimonium.

Festus autem scribit: *matronas eas esse, quibus stolas habendi jus erat.* Sic ut *matronæ* dicerentur notæ auctoritatis, spectatæque vitæ, & pudicitiæ feminæ. Ut apud Liv. x. 23. *Ut nulla nisi spectatæ pudicitiæ matrona, & quæ uni viro nupta esset, jus sacrificandi haberet.* Oizel. & Augustin. l. l. Mundum suum Apollini Pythio dederunt primitiarum loco. Plutarch. de vit. ær. alien. *Tomas. de Donar. c. 4.* Nigrum alebant capillum. Serv. in Virg. Æneid. iv. 698. V. illum supr. in *Galerus*. Laurent. de adult. & meretr. c. 3. Grang. in Juvenalem. Jun. de Com. c. 9. Demster. Paralip. in Rosin. Antiq. Rom. v. 37. Sched. de Diis German. Syngram. ii. 4. Hanc sententiam duplici impeto telo. I. Cur Servius ex antiquissimo scriptorum Catone subjicit, *matronas crines flavo cinere unctitasse, ut rutila essent?* Profecto nunquam notam hanc gravissimus ævi sui censor tacuisset. II. Val. Max. ii. 1. 5. apertè scriptum reliquit, olim Romanas mulieres *quo formam suam concinniorem facerent, summa cum diligentia capillos rutilasse.* Juvenalis auctoritas, quam Servius attulit, de Messalina Claudii Imperatoris uxore, sedulò *matronam* dissimulante, me non movet. Illud enim libidinis, lasciviæque portentum flavum crinem adaptabat, non ut meretriciam comam imitaretur, sed ut dissimularet suam faciem, ne in fœdo illo, ac tetro prostibulo, à lascivientibus amasiis agnosceretur. Nam & nomen titulumque mentiebatur n. 122.

— *tunc nuda papillis*
Prostitit auratis, titulum mentita Lycisca.

Quod si flava coma meretricia tantum fuerat, non *matronarum*, imprudens igitur Ovidius, qui feminarum Romanarum castissimæ, & integerrimæ Lucretiæ flavum capillum tribuit Fast. ii. 763.

Forma placet, niveusque color, flavique capilli.

Quid princeps poetarum de Lavinia Latini Regis filia, quam miris extulit encomiis, scribit Æneid. xii. 605.

Filia prima manu flavos Lavinia crines.

Cynthiæ formam, quam magnoperè deperibat, à rufo crine commendat Prop. ii. 2. 57.

Fulva coma est, longaque manus.

Ad rutilandos verò crines medicamenti quoddam genus suggerit Mart. xiv. 26. 1.

Caustica Teutonicos accendit spuma capillos.

Kobierzyck. de Luxu Roman. i. 6. Tiraquell. in Alea. Gen. v. 18. Ferrar. de Re vest. ii. i. 20. Crinibus, deos ut placarent, templorum solum, & aras solebant verrere. Liv. iii. 7. *Stratæ passim matres crinibus templa verrentes veniam irarum cœlestium, finemque pesti exposcunt.* xxvi. 9. *Ploratus mulierum non ex privatis solum domibus exaudiebatur, sed undique matronæ in publicum effusæ circa deum delubra discurrunt, crinibus passis aras verrentes.* Brisson. de Form. i. p. 41. Tomas. ibid. c. 10. Comitum agminibus stipatæ in publicum procedebant, imò ancillarum greges, spadonum phalanges, morionum, ac cinislonum manipulos sæpè numero ductitabant. Plaut. Aul. iii. 5. 26.

Enim mihi quidem æquum est purpuram, atque aurum dari,
Ancillas, mulos, muliones, pedissequos,
Salutigerulos pueros, vehicula qui vehar.

Terent. Heaut. ii. 3. 4.

Minimè mirum, adeò impedita sunt: ancillarum gregem
Ducunt secum,

Ammian. xiv. 6. *Quo comitatæ matronæ complures opertis capitibus, & basternis per latera civitatis cuncta discurrunt. Utque præliorum periti rectores primo catervas densas opponunt, & fortes, deinde leves armaturas, post jaculatores, ultimasque subsidiales acies, si fors adegerit, invasuras: ita præpositi urbanæ familiæ suspensæ digerentibus sollicitè, quos insignes faciunt virgæ dexteris aptatæ, velut tessera data castrensi, juxta vehiculi frontem omne incedit textrinum: huic atratum coquinæ adjungitur ministerium, dein de totum promiscuè servitium, cum otiosis plebis de vicinitate conjunctis. postremo multitudo spadonum, a senibus in pueros desinens, coloris obluridi, distortaque lineamentorum compage deformis.* De poetis judicabant. In hac muliebri ambitione irrisit Juven. vi. 434.

Illa tamen gravior, quæ cum discumbere cœpit,
Laudat Virgilium, perituræ ignoscit Elisæ,
Committit vates, & comparat: inde Maronem,
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.
Cedunt grammatici, vincuntur rhetores.

Barth. Adv. vii. 5. Viros præclarè de Republica meritos deflebant. Hic honos Junio Bruto primo consuli est habitus. Liv. ii. 7. *Sed multo majus decus fuit publica mœstitia, eo ante omnia insignis, quia matronæ annum, ut parentem, eum luxerunt, quod tam acer ultor violatæ pudicitiæ fuisset.* P. Valerio Poplicolæ. Liv. ii. 16. *P. Valerius omnium consensu princeps belli, pacisque artibus moritur. Luxere matronæ ut Brutum.* Augusto. Dio lvi. p. 598. C. *Matronæ eum decreto senatus annum luxerunt.* Morestell. Pomp. Fer. ta. 6. Post mortem laudabantur. V. supr. in *Laudatio*. An, quæ filios consulares, aut aliis curulibus magistratibus functos reliquerant, honorariis vestibus, curru, & sella curuli fuerint elatæ. V. supr. in *Femina*. Quo modo à meretricibus fuerint discretæ. V. infr. in *Meretrices*.

MATRONALIA à *matronis* celebrabantur Marti Kalendis Martii. Festi instituendi causæ narrantur I. quod mulieres Sabinæ à Romanis raptæ sua intercessione atrox bellum, quod inter maritos & patres jam motum erat, sedavissent. II. ut favore Martis eam felicitatem consequerentur in filiis, quam videbatur iis deus Iliæ concessisse, quæ à Marte compressa Romulum summæ felicitatis filium peperit. III. quod mense Martio terra fœcunda esset, quales matronæ fieri cuperent. IV. quod Kalendis Martiis Junoni Lucinæ templum datum esset in Esquiliis. V. quod Mars Junonis, quæ conjugiis præerat, filius diceretur. Illas denarrat Ovid. Fast. iii. 229-250. *Hospin. de Fest. Ethnic. p. 123. Junius Fast. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. viii. p. 233. D. Stuck. Antiq. Conviv. i. 33. Lipen. de Stren. c. 2. at. quart. §. 27. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 404. Rosin. Ant. Rom. iv. 7. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. i. 9. Petav. in Themist. Orat. xii. p. 658. Kipping. Antiq. Roman. i. 10. §. 7.* Erant quodammodo matronarum Saturnalia. Mart. v. 81. 10.

Scis certè puto vestra jam venire
Saturnalia, Martias Kalendas.

His *servis cœnas apponebant matronæ, ut domini Saturnalibus: illæ, ut principio anni ad promptum obsequium honore servos incitarent: hi, quasi gratiam perfecti operis exsolverent.* Macrob. Sat. i. 12. Solin. c. 3. Munera matronis mittebantur à maritis. Plaut. Mil. iii. 1. 96.

Verum priusquam galli cantent, quæ me somno suscitet,
Dicat: da mi vir, quâ Kalendis mittam, Martiæ cum venerint.

Suet. Vesp. c. 19. n. 4. *Dabat sicut Saturnalibus viris apophoreta, ita & per Kalendas Martias feminis.* Et maritis à feminis. Mart. ibid. n. 12.

Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

Juven. Sat. ix. 13. V. illum supr. in *Donaux oria*. Hospin. Argol. Struv. l. l. Beroal. & Pitisc. in Suetonii Vespasianum, & Commentatores in Horat. Od. iii. 8. 1. Kipping. l. l.

MATULA est *vas urinæ*. Festus. Has in triclinia inferendi mos à Sybaritis gente infami, & omnis generis luxus magistra ortum habuit. Athen. xii. p. 519. E. *Sybaritæ invenerunt matulas, quas in convivia ferebant.* His sæpè, ubi incaluissent, in capita sibi invicem illidebant, Æschylus & Sophocles apud Athen. i. p. 17. C.

Ira fremens, olentem ille matulam
Jecit, nec erravit: meum namque ad caput
Vas rumpitur, fragrantis unguenti nihil
Spirans: odore fœditatis inhorrui.

Demosth. Orat. adv. Conon. *Nos lotio perfundebant, & matulas inter se frangebant.* Casaub. in Athen. i. 14. Buleng. de Conviv. iii. 23. Rhodig. Ant. Lect. vii. 9. Laurent. de Prand. c. 5. Ad crepitum digiti poscebatur. V. supr. in *Digitus*. Aliquando ex cornu factas conjectabam ex Mart. xii. 32. 12.

Et cum lucerna, corneoque cratere
Matella curto rupta latere mejebat:

Quam

Quàm rectè critici videant. A quo more non absunt nautæ Siculi, qui cornu bubulum, quod *posse* vocant, pro *matula* servant. *Barthol. de Unicorn. c.* 30.

MATUTA Latinorum est Leucothea, sive Ino Græcorum. Cicer. Tuscul. I. 12. *Quid Ino Cadmi filia, nonnè Leucothea nominata à Græcis, Matuta habetur à nostris?* Plutarch. Quæst. Rom. 16. *Cur servæ aditu templi Matutæ, quæ Leucothea Græcis est, prohibentur?* Nardin. Rom. Vet. VII. 4. Stuck. de Sacrif. p. 36. Huic cum res divina fieret, suis liberis bona non precabantur, sed filiis fratrum duntaxat. Plutarch. Camill. p. 131. B. *Fratrum liberos amplectuntur pro suis.* Quæst. Rom. 17. *Cur ab hac dea nulla suis, sed fratrum liberis bona precantur? An quod Ino fratris studiosa fuit, ejusque filium enutriit, in propriis autem liberis infelix fuit?* Ovid. Fast. VI. 559:

Non tamen hanc pro stirpe sua pia mater adoret,
Ipsa parum felix visa fuisse parens.

Brisson. de Form. I. p. 61. Gyrald. Synt. deor. I. p. 56. F. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 164.

MAV.

MAVORS fuit tegmen capitis. V. supr. in *Mafortium.*

MAURI erant egregii in sagittando. Herod. I. 15. 4. *Erant cum illo assiduè optimi jaculatores Mauri.* Versabantur siquidem inter leones, quos continuò impetebant, unde peritiores in jaculando fiebant. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 3. Erant apud Romanos levis armaturæ equites, jam tempore Julii Cæsaris, & ante in exercitu Romano. Sub Trojano *Maurorum* præfectus Lusius Quietus ad consulatum evectus legitur. *Titi tribuni Maurorum*, sic præfecti appellabantur, meminit Treb. Poll. trig. tyran. c. 32. Item in notitia imperii non semel equitum *Maurorum* mentio fit. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1089. *E.*

MAURITANIA, quæ ultima pars Africæ, ad Oceanum vergit, & ab Hispaniis freto Herculeo, seu Gaditano dividitur, ab ortu Ampsaco fluvio à Numidia secernitur. Eam C. Julius Cæsar, Juba Rege victo, in provinciam redegit, ubi Crispum Sallustium proconsulem reliquit. Appian. Bell. civ. II. p. 490. *Cæsar Jubæ regnum Romanis sub tributu contulit, cui Crispus Sallustius proconsul præfuit.* Romanis usque ad annum humanæ salutis 441. paruit, quo Gensericus Vandalorum Rex, à Bonifacio magistro militum accitus, eam cum tota Africa occupavit. Marcellin. Com. I. I. in princ. C. de offic. præf. præt. Africæ. Et cum per triennium vario præliorum eventu pugnatum esset, tandem inter eum, & Valentinianum III. pax firmata est, & certis spatiis Africa inter utrumque divisa. Et ex Valentiniani constitutione ad Albin. P.P. Novell. I. The. de trib. fisc. tit. 22. & Novell. Valentin. de præd. pist. tit. 38. apparet, Numidiam, & utramque *Mauritaniam*, & Tripolitanam ipsum habuisse. Anno 457. occiso Valentiniano Gensericus non modò Numidiam cum *Mauritania* recepit; sed Romæ etiam omnibus ornamentis spoliata, Eudoxiam Valentiniani uxorem cum duabus filiabus abduxit, & occidentale occidit imperium. Verum Justinianus post annos 95. quàm à Vandalis occupata fuerat, Africam recepit. Illam C. Caligula, inquit Plin. V. I. in duas divisit, Tingitanam, quæ à Tingi civitate appellata, nunc regnum Fessæ, & Marochi nuncupatur, quæ Oceano alluitur, & antea Sitifensis à loco nominabatur: & Cæsariensem, ita à se dictam, quæ nunc est regnum Tremiscenæ, sive Telesin. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c.* 64. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 852. *C. Sigon. Ant. jur. prov.* I. 18.

MAUSOLEUM fuit dictum superbum, & magnificum monumentum, quod *Mausolo* Cariæ Regi defuncto Halicarnassi fecit Artemisia ejus uxor. Cicer. Tusc. Quæst. III. 31. *Artemisia Mausoli Cariæ Regis uxor, quæ nobile illud Halicarnassi fecit sepulcrum.* Gell. X. 18. *Artemisia molita est ingentis impetu operis, conservandæ mariti memoriæ, sepulcrum illud memoratissimum, dignatumque numerari inter septem omnium terrarum spectacula.* Describit Plin. XXXVI. 5. *Sepulcrum hoc est ab uxore Artemisia factum Mausolo Cariæ Regulo, qui obiit Olympiadis centesimæ anno secundo. Opus id ut esset inter septem miracula, maximè artifices fecere. Patet ab austro, & septentrione sexagenos ternos pedes, brevius à frontibus, toto circuitu pedes quadringentes undecim: attollitur in altitudinem viginti quinque cubitis: cingitur columnis triginta sex. Ab oriente cælavit Scopas, à septentrione Byaxis, à meridie Timotheus, ab occasu Leochares.* Bergier. de Viis milit. II. Sect. 35. §. 3. Guther. de Jur. man. II. 21. Panciroll. de reb. deperd. & inv. p. 185. ad illum Salmuth p. 201. Allat. in Philon. Byzant. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 2681. E. Kircher. Turr. Babyl. II. 3. 9. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. I. c. 5. part. 2. c. 21. Clasen. Theol. gentil. I. 13. 1. Emin. Græc. ver. VI. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. IV. p. 148. A. Nicol. de Sepulcr. Hebræor. II. 10. 10. Schill. Nomencl. Philol. p. 733.

Mausoleum fuit dictum sepulcrum Augusti ad imitationem Halicarnassensis. Pausan. Arcad. p. 250. *Erectum fuit Mausolo, qui Halicarnassi regnavit. Ea fuit operis magnitudo, & ornamentorum magnificentia, ut Romani valdè illud mirantes magnificentissima quæque apud se monumenta Mausolea appellarint.* Describit Strab. V. p. 163. *Commemoratione dignissimum est, quod Mausoleum appellant, in excelsis fundatum collibus, lapide niveo, & perpetua viriditatis arboribus coopertum ad summum usque verticem, ad fluminis ripam exaggeratum. In summo autem positum Cæsaris Augusti simulacrum, ex ære fabricatum. Sub aggere ipsius sunt ejus loculi, & cognatorum, & necessariorum. A tergo lucus est, mirifica continens ambulacra. In medio campi spatio sui busti exstat ambitus, & ipse niveo perfectus lapide, ferreos in circuitu cancelles habens, & plantatas interius per se ferens populos.* Hoc Augustus ipse sibi vivus fieri curaverat, *& id opus inter Flaminiam viam, ripamque Tiberis sexto suo consulatu exstruxerat: circumjectasque sylvas, & ambulationes in usum populi tunc jam publicarat.* Suet. c. 101. n. 10. In illo Imperatores usque ad Adrianum ferè omnes fuerunt conditi; habebat enim plures loculos, quibus reliquiæ domus Augustæ condi poterant: atque hac in re à vulgari sepulcro differt, quia plura sepulcra habere potest. *Bergier. de viis milit.* II. *Sect.* 35. §. 6. *Guther. de Jur. man.* II. 21. *Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 49. *Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* 15. *Bellen. de Oper. antiq. prast.* I. 9. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 21. *Faunus Antiq. Roman.* IV. 12. *Clasen. Theol. gentil.* I. 12. 1. *Blond. Instaur. Rom.* II. 9. 74. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 7. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 20. *Donat de Urb. Rom.* III. 6. *Nardin. Rom. Vet.* VI. 6. *Allat. in Philon. Byzant. de sept. mund. mirac. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 2683. *E.* Hodie ad S. Rochi ædem circulares ejus reliquiæ conspiciuntur operis reticulati, quas Marlianus ætate sua nomen Augustæ habuisse affirmat. *Nardin. Boissard. Faunus, & Donat. l. l. Schott. Urb. Rom. Descript. p.* 437.

MAX.

MAXILLA dextra si salierit, utilitatem significat, servo fidem œconomiæ adhiberi, virgini ægritudinem, viduæ vituperationem. Sin autem sinistra, tristitiam in re parva enuntiat, servo utilitatem, virgini vituperationem, viduæ bonam considerationem. *Niph. de Augur.* I. 9. Puerorum blandientes solebant apprehendere, deinde manum ad os referre. V. infr. in *Osculum.*

Maxillæ olim etiam dicebantur prominentes ad proram partes. Pollux I. 9. 3. *Utraque proræ partes nuncupantur maxilla & alæ.* Voss. de Tritem. & Liburn. construct. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 721. C.

MAXIMINUS Imperator patre Micea, matre Ababa, altero Gotho, altera Alana, in Tracia natus à magnitudine corporis appellatus esse videtur. *August. de Fam. Rom. in Julia.*

MAXIMUS est cognomen Fabiorum. I. fuit Q. Fabius M. F. M. N. Rullianus, qui cognomine à Rullis

originem ducere videtur, in adoptionem datus Fabiis; quod minimè scriptum reperi. Cicerone consule, *Maximus* cognomen ea censura obtinuit, in qua turbam forensem in tribus urbanas coegit. Verrius tamen id cognomen ante censuram eidem tribuit. Quinquies fuit consul, ter triumphalis, bis dictator, quod pauci Romæ obtinuerunt, septies princeps senatus lectus est, quod nemini datum est. Magister equitum fuit L. Papirio Cursore dictatore an. 428. coactus est abdicare honesta de causa, quod absente dictatore Samnites hostes vicisset. Consul fuit post triennium cum L. Fulvio Curvo. Dictator rei gerundæ causa an. 438. Consul iterum post quinquennium cum C. Marcio Rutilo. Iterumque proconsul triumphavit Idib. Novemb. anno proximo de Etruscis. Insequenti anno tertium consulatum gessit cum P. Decio Mure II. cos. & cum eodem censor fuit an. 449. lustrum fecit 28. à quo lustro princeps senatus in septimum lectus semper est. Iterum dictator fuit triennio post rei gerundæ causa. Quartus consulatus datus est quadriennio post cum eodem P. Decio: uno postea anno interjecto iidem coss. refecti sunt, Fabius V. Decius IV. Fabius triumphum egit tertium de Samnitibus, Etruscis, & Gallis prid. Non. Sept. an. 458. II. fuit Q. Gurges Rulliani filius, ter consularis, bis triumphalis, & censorius, ac princeps senatus quater. Consul fuit cum D. Junio Bruto Scæva an. 461. triumphum egit proconsul de Samnitibus anno proximo patre legato in equo currum sequente. Iterum cos. fuit cum C. Genucio Clepsina post 16. annos, iterumque triumphavit de Samnitibus, Lucanis, Bruttiis Quirinalibus an. 477. Tertium consulatum egit cum L. Mamilio Vitulo post 11. annos. Censor creditur fuisse, quod princeps senatus lectus sit, an. 473. cum Cn. Domitio Calvino. Lustro 35. & tribus proximis princeps senatus lectus est. III. Q. *Maximus* Verrucossus Gurgitis nepos fuit quinquies consul, bis dictator, bis triumphalis, bis princeps senatus, semel censor, pontifex, augur, &, quod omnium maximum fuit, conservator populi Romani creditus est, secundo bello Punico, quod magis prudenti cunctatione, & constanti patientia assecutus est, quàm aliis virtutibus: de quo Ennius:

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

Primum consulatum obtinuit an. 520. cum Manio Pomponio Matbone. Triumphavit de Liguribus Kal. Febr. Censor triennio post cum M. Sempronio Tuditano. Post biennium iterum cos. fuit cum Sp. Carvilio Maximo II. Dictator an. 532. sed abdicavit, quod vitio creati essent soricis occentu audito. Iterum dictator, vel potius pro dictatore à populo creatus fuit an. 536. Biennio post cos. tertio suffectus M. Marcello II. qui vitio factus fuerat. Ejus collega fuit Ti. Sempronius Gracchus. Refectus est proximo anno cum M. Claudio Marcello III. & gladius, & clypeus populi Romani ambo coss. dicti sunt. Quintum consulatum gessit cum Q. Fulvio Flacco IV. an. 544. iterumque triumphavit de Tarentinis & Pœnis. Princeps senatus lectus est lustro 44. & 45. IV. fuit Q. Fabius *Maximus* Verrucossi filius, qui cos. fuit cum T. Sempronio Graccho II. an. 540. Proditum est patrem proconsulem filio consuli obviam venisse, jussumque à filio, ut equo descenderet: id patri gratissimum fuisse. V. fuit Q. Fabius *Maximus* Æmilianus. Hunc L. Æmilii Paulli, qui de Perse Rege triumphum egit, paterque Africani majoris fuit, majorem filium Verrucossus adoptavit. Is consul fuit cum L. Hostilio Mancino an. 608. VI. fuit Q. Fabius Servilianus, quem putant Æmiliani fratrem adoptivum fuisse, adoptatum à Verrucosso, vel ab ejus filio Q. *Maximo*, filiumque fuisse asserunt Cn. Servilii Cæpionis. Consul fuit cum L. Metello Calvo an. 611. Censor sexto postea anno cum Q. Fulvio Nobiliore. VII. fuit Fabius Allobrogicus, Æmiliani filius, consul cum Q. Opimio an. 632. triumphum egit anno proximo. Proconsul de Allobrogibus, & Rege Arvernorum Betulto, ut Verrius notat. Censor cum C. Licinio Geta an. 645. VIII. fuit Q. *Maximus* Allobrogici filius, cui Eburnus ob candorem cognomen fuit, quem etiam pullum Jovis vocabant. Consul cum C. Licinio Geta an. 637. IX. Q. Fabius Q. F. Q. N. sub Cæsare fuit consul suffectus an. 708. qui tribus mensibus consul fuit uno, aut altero minus die. X. fuit sub Augusto Paulus Fabius Q. F. Q. M. *Maximus* cum Q. Ælio Tuberone an. 742. XI. Q. Fabius Q. F. Q. N. *Maximus* Africanus fuit consul anno proximo cum Julo Antonio. Hos duos fratres fuisse verisimile est. *August. de Fam. Roman. in Fabia. Glandorp. Onomast. Roman. p. 321.* Est etiam usurpatum ab aliis, nempè ab Attoriis, Cæsoniis, Carviliis, Claudiis, Juniis, Laberiis, Manliis, Pupienis, Trebelliis, Valeriis. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XI. p. 852. E.*

MAZ.

MAZA, μᾶζα, farina cum aqua & oleo cocta. *Polentam ἀντὶ τῆς μάζας* de Stoica juventute posuit Pers. Sat. III. 55.

—— & grandi pasta polenta.

Ibi enim *grandis polenta* est grandis μᾶζα. *Salmas. Exercit. Plin. p. 231. b. E.* Cum enim, ut Galenus docet, polenta liquore aliquo conspergitur, & subigitur, *maza* appellationem sumit. Aetius dicit, esse confectionem ex polenta hordeacea, cum melle, aut consimili aliquo liquore paratam. Suidas verò, *Maza* propriè cibus ex lacte, & frumenti farina. *Nonn. de Re cibar. I. 7. Stuck. Ant. Conviv. I. 27.* Illa pauperiores utebantur loco panis: & eam pani hordeaceo postponit Galen. de Alim. *Voss. Lex. Etymol. Stuck. l. l.* Lacedæmonii illa utebantur. *Meurs. Misc. Lacon. I. 12.* Quid apud Hippocratem fuerit, disputat *Cagnat. Var. Observ. I. 23.*

MAZONOMUS est lanx prægrandis. Horat. Sat. II. 8. 85.

—— deinde secuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis, sparsi sale multo, non sine farre.

Buleng. de Conviv. II. 7. Primò sic dicebatur, in qua *maza* apponebatur. Postea generatim lanx rotunda, & lignea. Hesychius. Dicitur etiam *mazonomum*. Pollux VI. 12. *Mazonomia lances magnæ, & concavæ, in quibus maza distribuebantur, erantque ligneæ.* Varr. R. R. III. 4. *Ut in eodem tecto erat, boves inclusum triclinium haberet, ubi delicatè cœnitaret, & alios, turdos, videret in mazonomio positos coctos, alios volitare circum fenestras captos.* Voss. Lex. Etymol. in Maza.

MED.

MEDALLÆ, nummi nescio quod genus, cujus mentio in d. c. 20. de Censib. Ita quidem numismata vetera hodie Italis vocantur *medaglie ordinarie, col cerchio, medaglioni.* Freher. de Re monet. Germ. II. 3.

MEDIASTINI sunt vilissimi balnearum, atque ædium ministri. Videntur *medii* fuisse inter servos, summos, ut atrienses, & dispensatores: imos, ut compeditos, & notæ extremæ, & quales quales. Non. II. 573. *Mediastinos non solum balnearum, sed ædium quoque ministros, & curatores legimus.* Ulpian. l. 15. §. 44. ff. de Injur. V. illum supr. in *Compedits.* In agro abjectissima quæque munia inter servos obeunt. Horat. Epist. I. 14.

Tu mediastinus tacita prece rura petebas.

Cum, inquit, *mediastinus* mihi esses Romæ, votis optabas, ut villicus esses, cujus optati nunc te piget. Cicer. Catil. II. 3. *Magnoperè contemno exercitum collectum ex senibus desperatis, ex agresti luxuria, & rusticis mediastinis.* Inter illos referendi sunt ostiarii, scoparii, peniculi, unctores, focarii, fornacarii, balneatores, & his similes. *Popm. de Oper. serv. p. 130. Pignor. de Serv. p. 79. Turneb. Adv.* XXVIII. 31. *Voss. Lex. Etymol. Bred. Miscell.* X. 17. *Rhodig. Ant. Lect.* XXV. 20. *Revard. Var.* V. 20. *Van Dale Dissert.* VIII. c. 8. *Schill Nomencl. Philol. p. 734. Hering. de Molend. q. 4. §. 55.*

MEDIASTUTICUS erat Capuæ, antequàm deficeret, magistratus summus. Liv. XXIV. 19. *Præerat Statius Metius, missus ab Cn. Magio Atellano: qui eo anno mediastuticus*

flaicus erat. Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 14. Rhodig. Ant. Lect. xxv. 20.

MEDICÆ olim fuerunt in usu. Antiqua inscriptio:

SECUNDA
L. IULILLAES
MEDICA

Et hæ videntur gynæcia curasse, & curam adhibuisse mulierum passionibus. Quare non malè notavit Anianus ad Paullum: *Quoties de mulieris prægnatione dubitatur, quinque obstetrices, id est, medicæ ventrem jubentur inspicere*. Pignor. de Serv. p. 77. Borremans. Var. Lect. c. 15.

MEDICI quando Romam venerint, docet Plin. xxix. 1. *Cassius Hemina ex antiquis auctor est, primum è medicis venisse Romam Peloponneso Archagathum Lysaniæ filium L. Æmilio, M. Livio coss. anno Urbis 535. eique jus Quiritium datum, & tabernam in compito Acilio emtam ob id publicè*. Bacc. de Therm. vet. c. 13. Plerique servilis fuerunt conditionis. Diu enim *medicina*, ut ingenuo homine indigna, neglecta, & ad servos, libertinosque ablegata est. Alfen. l. 26. ff. de oper. libert. *Medicus libertus quod putaret, si liberti sui medicinam non facerent, multo plures imperantes sibi habiturum, postulabat* ..... Scævol. l. 41. §. 6. ff. de fideicom. libert. *Lucius Titius ita testamento cavit, medicos tibi commendo illum, & illum. In tuo judicio erit, ut habeas bonos libertos, & medicos. Quod si ego libertatem ei dedissem, veritus sum, quod sorori meæ carissimæ fecerunt medici ejus servi manumissi ab ea*. Senec. de Ben. III. 24. *Tenebatur inclusus Domitius, imperavit medico, eidemque servo suo, ut sibi venenum daret*. Brisson. Select. Antiq. II. 3. Freher. Parerg. II. 16. Demster. Paral. Ant. Rosin. II. 17. Dilher. Disput. Acad. II. 4. §. 1. Alciat. de Nobil. 31. 410. Popin. de Oper. serv. p. 31. Laurent. de Medic. c. 1. Borremans. Var. Lect. c. 15. Pigh. Annal. Rom. II. p. 139. Pitisc. in Suet. August. c. 59. n. 1. Magnatibus Romanis tamen fuerunt familiares. Senec. de Ben. VI. 16. *Quid ergo? quare & medico, & præceptori plus quiddam debeo, nec adversus illos mercede defungor? Quia ex medico, & præceptore in amicum transeunt, & nos non arte, quam vendunt, obligant, sed benigna, & familiari voluntate*. Qua de re amici dicuntur procerum. Tacit. Annal. IV. 3. 6. *Sumitur in conscientiam Eudemus amicus, ac medicus Liviæ, specie artis frequens secretis*. Et quem *medicum*, cum quo à prædonibus captum Cæsarem scribit, vocat Suet. c. 4. n. 2. ejus amicum dicit Plutarch. p. 708. A. *Borremans. Var. Lect. c. 15. Laurent. l. l. Pitisc. in Suetonium*. Primus Julius Cæsar *Roma civitate donavit*. Suet. Jul. c. 42. n. 2. Augustus cum Antonii Musæ liberti opera, gravi, ac periculoso morbo afflictam valetudinem recuperasset, in beneficii præmium, laborisque eximii mercedem, Musæ ipsi præter magnam pecuniarum vim, aureorum annulorum jus, universo verò medicorum ordini à muneribus civilibus immunitatem dedit. Dio LIII. p. 517. C. Hoc amplius *statuam ei patres ære collata juxta signum Æsculapii statuisse* auctor est Suet. c. 59. n. 1. *Brisson. l. l.* Erant olim etiam chirurgi, & ignobilius illorum munus fuit, quod ipsimet manibus suis olim venas inciderent, medicamenta præberent, clysteres, emplastra, collyria admoverent, iisdemque omnibus, quibus hodie chirurgi, partibus fungerentur. Argumentum bujus rei est, quod adversus *medicum*, qui imperitè servum secuerat, actionem dari traditur, l. qua actione §. 8. ff. ad leg. Aquil. *Proculus ait, si medicus servum imperitè secuerit, vel ex locato, vel ex lege Aquilia competere actionem*. Et *in instrumento medici esse collyria & emplastra*, teste Paullo, l. cum de lanionis §. 10. ff. de instruct. vel instrum. leg. Hinc Nero *medicos admovebat, qui cunctantes mori continuo curarent: ita enim vocabat venas mortis gratia incidere* apud Suet. c. 37. n. 3. *Brisson. ibid. II. 4. Laurent. l. l. Perizon. in Ælian.* III. 7. Hos in circo suos quælibet factio habebat, qui aurigas prolapsos, tractos, luxatosque, aut ægrotos curareut. Ad hoc videtur facere Chrysost. de circo: *Ne deficias in agone, habes enim designatorem Deum, medicum Christum*. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 15. Fuerunt etiam familius gladiatorum sui: nec id novi seculi invento, sed diu ante Imperatores. Lapis:

SILVANO SANCTO
C. AUSTURNIUS. MEDI
CUS. LUDI. GALLIC.
PORTIC. ET. EXEDR
ET. SIGN. ÆN.
VOTO. SUSCEP.
L. M.
DEDIC. KAL MAI
L. MARCIO. ET
SEX. JUL. COS.

In quo sculti coss. incidunt an. 663. Alter: EUTYCHUS. AUG. L. MEDICUS. LUDI. MATUTINI. Censeo exemplum translatum à Græcia, apud quos *medici* athletis. Athletam compellat Arrian. Dissert. III. 10. *Oportet te jam in ordinem redigi, ad præscriptum vesci, abstinere bellariis, frigidam non bibere, Medico enimverò obtemperare, valetudinis præsidi*. Gladiatoribus, licèt mox morituris, læsis, luxatisve opus erat *medico*. Deinde & ratio victus gladiatorii ea ut salvi sine *medico* esse non possent. Largè enim edebant, bibebant, & dabantur veluti in saginam. *Lips. Saturn. I. 14. Argol. l. l.*

Medici ocularii dicebantur, qui solos oculos curabant. Scribonii quippè Largi testimonio Epist. ad C. Julium Calixtum, ævo suo, unius partis sanandæ scientia præditi plenum *medicorum* meruerunt nomen, inter quos ocularii non infimi. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XI. p. 855. D.* Gloss. Philox. *Ocularius, ὀφθαλμικός*. Mart. VIII. 74. 1. V. illum supr. in *Hoplomachus*. Rhod. Lex. Scribon. *Medicum* ocularium exhibet inscriptio in villa Cæsarini Romæ inventa:

ILLUSTRIUS. TI. CÆSARIS
AUG. SER. CELADIANUS
MEDICUS. OCULARIUS
PIUS PARENTUM SUORUM
VIXIT ANNOS XXX
HIC SITUS EST IN PERPE

Spon. Miscell. Erud. Antiq. Sect. IV. p. 143. Malvas. Marmor. Felsin. Sect. V. c. 1. Fuerunt etiam *medici* ocularii statuarum: qui, licèt his oculi nunquam dolerent, tamen oculorum curam in ipsis gerebant: erantque hi oculorum in statuis repositores, quos, cum excidissent, denuò reponebant in sua loca. Sequentia hæc legimus apud Plutarch. de Pyth. orac. p. 397. E. *Ego similem memoriam casuum renovavi, qualis est, quod oculi è statua Hieronis Spartiatæ exciderunt, antequàm ille ad Leuctra occubuit*. Plutarchi verba illustrantur inscriptione adducta à Spon. Miscell. Erud. antiq. Sect. VI. p. 232.

M. RAPILIUS SERAPIO HIC
AB ARA MARMOREA
OCULOS REPOSUIT STATUIS
QUA AD VIXIT BENE

Van Dale Dissert. VIII. c. 8.

Medici pecoris. V. illos infr. in *Mulomedici*.

Medicina vocatur etiam *medici* officina. Græcè *ἰατρεῖον*. Ælian. Var. hist. III. 7. *Demochares quum videret quosdam sedentes in medici officina, ἐν ἰατρείῳ*. Plaut. Amph. IV. 1. 5.

In medicinis, in tonstrinis, apud omnes ædes sacras.

Epid. II. 2. 14.

Per medicinas, per tonstrinas ....

Perizon. in Ælianum. Taubman. in Epidicum. Ex his locis liquet in *medicorum* officinis solitos homines otiosos sedere, atque ideò in iis quæri ab aliis. *Perizon. l. l.*

MEDIMNUM, vel *medimnus*, *μέδιμνον*, ὁ *μέδιμνος* est mensura aridorum capax sex modiorum. Suidas: *Medimnus est mensura aridorum, ut tritici, vel hordei. Medimnum igitur mensura est sex modiorum*. Bud. de Asse v. p. 512. 320. Rhod. Ant. Lect. XVI. 17. Voss. Lex. Etymol. Porcius de Re pecun. c. 10. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 118. Contaren. de Frument. Roman. Largit. c. 7. Agric. de Mens. Græc. II. 64. Et ita diserte Nep. Attic. c. 2. n. 6. *Universos frumento donavit, ita ut singulis sex modii tritici darentur, qui modus mensuræ medimnus Athenis appellatur*. Nostratis mensuræ continet duos schepelos cum dimi-

dimidio, siquidem modius dimidio schepeli minor est. *Perizon. in Ælian.* vi. 12. V. etiam inf. in *Modius*.

MEDITRINA fuit dea à Romanis colta. V. illam infr. in *Meditrinalia*.

MEDITRINALIA, *hoc die solitum vinum novum, & vetus libari, & degustari medicamenti causa. Quod facere solent etiam multi, cum dicant: novum vetus vinum bibo: novo veteri morbo medeor.* Varr. de Ling. Lat. v. 3. Festus: *Meditrinalia dicta hac de causa. Mos fuit Latinis populis, quo die quis primum gustaret mustum dicere ominis gratia: vetus novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor. A quibus verbis etiam Meditrinæ dea nomen captum, ejusque sacra Meditrinalia dicta sunt.* V. Idus Octobr. celebrabantur. *Siccam. ad Fast. Kalend. c. 16. Brisson. de Form. i. p. 91. Gyrald. Synt. deor. i. p. 50. F. Stuck. de Sacrif. p. 43. Blond. Triumph. Rom.* viii. *p. 174. F. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 19. Jonston. de Fest. Græcor. c. 3. Meurs. Græc. Feriat. v. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* vii. *p. 825. C. Perion. de Græcor. & Roman. Magistrat. Thes. Gronov. Tom.* vi. *p. 2814. B. Rosin. Ant. Roman.* iv. 14. *Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 439. Schill Nomencl. Philol. p. 737.*

MEDIUS FIDIUS erat jusjurandum per *Divi fidem*, V. illud supr. in *Dius Fidius*.

MEDULLIA fuit oppidum cis Anienem, in dubio Sabinorum, Latinorumque confinio positum fuisse videtur. Romulus coloniam fecit. Dionys. iii. p. 136. *Oppidum Medullia, quod Albani olim condiderant, Romulus vero per deditionem acceptum coloniam Romanorum fecit*, Sigon. de Ant. jur. Ital. ii. 5. Cluver. Ital. Ant. ii. 9. 9.

MEDULLINUS fuit cognomen gentis Furiæ. I. Sex. Furius *Medullinus* fuit consul cum Sp. Nautio Rutilo an. 265. II. Sp. Furius fuit consul post annos septem cum K. Fabio Vibulano ii. III. L. Furius fuit consul an. 279. cum A. Manlio Volsone. IV. P. Furius fuit consul biennio post cum L. Pinario Mamercino Rufo. V. Sp. Furius fuit consul an. 289. cum A. Postumio Albo Regillensi. Iterum consul fuit suffectus Sex. Quintilio Varo, qui in hoc magistratu occisus est an. 300. Eodem collega fuit P. Curiatius Trigeminus. VI. Q. Furius Fusus pontifex maximus fuit post quadriennium a superioris secundo consulatu. VII. Agrippa *Medullinus* Fusus consul fuit an. 307. cum T. Quinctio Capitolino Barbato. VIII. C. Fusus Pacilus, qui post quinque annos consul fuit cum Manio Papirio Crasso. Censor fuit septennio post consulatum cum M. Geganio Macerino. Tribunus militum fuit an. 327. IX. L. Furius Sp. F. *Medullinus* fuit Tribunus militum sexennio ante superiorem. Iterum creatus est anno proximo post superioris tribunatum. Tertio an. 333. X. L. Furius L. F. Sp. N. *Medullinus* consul fuit an. 340. cum M. Cornelio Cosso. Iterum quadriennio post cum Cn. Cornelio Cosso. Septies tribunus militum fuit, quod huic, & Ser. Cornelio Maluginensi tantum concessum est. Tribunatus i. fuit an. 347. biennio post consulatum. ii. post alterum biennium iii. an. 355. iv. anno proximo. v. biennio post quartum. vi. anno sequenti. vii. an. 362. XI. est C. Furius Pacilus, qui superioris C. Fusi Pacili filius, ut creditur, fuit. Consulatum gessit an. 341. cum Q. Fabio Ambusto. XII. C. Furius C. F. C. N. Pacilus, consul fuit an. 502. cum Q. Cæcilio Metello. XIII. M. Furius Fusus fuit tribunus militum an. 350. XIV. Sp. Furius L. F. Sp. N. *Medullinus* Lucii bis consulis, septies tribuni frater, quamvis hunc etiam Lucium Livius appellet, tribunus militum fuit an. 352. XV. Agrippa Furius *Medullinus* Fusus, alterius Agrippæ, ut creditur, filius tribunus militum fuit cum L. *Medullino* vii. an. 362. XVI. L. Furius Sp. F. L. N. *Medullinus* tribunus militum fuit anno decimo post superiorem cum M. Furio Camillo vi. Decennio post censor fuit an. 390. cum M. Fabio Ambusto. XVII. Sp. Furius superioris, ut creditur, frater, tribunus militum fuit an. 375. *August. de Fam. Roman. in Furia. Glandorp. Onomast. Roman. p. 361.*

MEG.

MEGALESIA. V. illa supr. in *Ludi Megalenses*.

MEH.

MEHERCULES erat jusjurandum, quod valebat auctore Festo, *ita me Hercules juvet*, recisa à fine particula, Homeri exemplo, ἴτω αὐτὶ τ̃ ὀναῖμαι. Per hunc femina non jurabat. An quia feminis iratum *Herculis* numen credebatur? Cujus rei causam, & historiam sic refert Macrob. Sat. i. 12. *Mulieres in Italia sacro Herculis non licet interesse: quia Herculi, cum boves Geryonis per Italiæ agros duceret, sitienti respondit mulier, aquam se non posse præstare, quod feminarum dea celebraretur dies, nec ex eo apparatu viris gustare fas esset: propter quod Hercules facturus sacrum detestatus est præsentiam feminarum, & Potitio, ac Pinario sacrorum custodibus jussit, ne mulierem interesse permitterent.* Num verò, quia uxoris suæ insidiis *Hercules* est circumventus? An potius, quod indignum visum fuerit, imbellem, & infirmum sexum ad terrarum domitoris, & invicti *Herculis* vim, ac numen provocare? Magna enim, & excelsa tantum *Herculem* decere existimabant. Facit huc etiam, quod Juven. Sat. ii. 19. *verba Herculis* dixerit sermonem masculum, plenum virtutis, & cordatum. Qualis ab imbecilli illo sexu exspectari non potest. *Boxhorn. Quæst. Roman. 23. Hansen. de Jurejur. vet. c. 4. Crinit. de Honest. Discipl.* xxi. 6. *Voss. Lex. Etymol. in Medius fidius: Schill Nomencl. Philol. p. 738.* Hic tamen non stetit mulierum impotentia. Anus enim per *Herculem* jurat apud Apul. Met. iv. p. 131. *Bono animo esto, me Hercules, nec vanis somniorum figmentis terreare.* Ridet hoc Tertull. de Idolol. c. 20. *Consuetudinis vitium esse, etiam in Christianis dicere me Hercules, dicere & me dius fidius, accedente ignorantia quorumdam, qui norunt jusjurandum esse per Herculem.* Hoc jusjurandum nonnunquam κτ̓ συγκοπὴν *Hercle* efferetur. *Hansen. l. l.*

MEL.

MEL, ut auspicium anni faustum, & quasi mellifluum ominarentur, veteres offerebant. Ovid. Fast. i. 185. V. illum supr. in *Carica*. Lipen. de Stren. c. 3. §. 15. & 23. A *melle* primas mensas auspicabantur. Varr. de Re rust. iii. 16. *Mel ad principia convivii, & ad secundam mensam ministratur.* Horat. Sat. ii. 4. 24.

Aufidius forti miscebat mella Falerno.

Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 310. Buleng. de Conv. ii. 3. Torrent. ad Horatium. In omni dulciario opere utebantur, ut nos saccharo. Saccharum enim prisci non noverunt. Itaque ejus condimento saporis gratiam palato parabant, & quæ tristioris erant, & amarioris saporis *melle*, quo minus homines offenderentur, condiebant, & imbibebant. Sic medicamentorum virus emendabant. Lucret. i. 935.

Sed veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flavoque liquore.

Sic maga papaver, ut avidiùs liguriatur à pervigili serpente, *melle* oblinit apud Virg. Æneid. iv. 486.

Spargens humida mella, soporiferumque papaver.

Turneb. Adv. xxviii. 45. Cerda in Virgilium. In condiendis mortuis, & putredine abigenda utebantur. Plin. xxii. 24. *Mellis quidem ipsius natura talis est, ut putrescere corpora non sinat, jucundo sapore, atque non aspero, alia quam salis natura.* Varro Crono περὶ ταφῆς apud Nonium: *Quare Heraclides Ποντικὸς plus sapit, qui præcepit, ut comburerent, quam Democritus, qui ut in melle servarent, quem si vulgus secutus esset, peream si centum denariis calicem mulsi emere possimus.* Stat. Sylv. iii. 2. 117.

Duc & ad Æmathios manes, ubi belliger urbis
Conditor Hyblæo perfusus nectare durat.

Victor.

Victor. Var. Lect. xix. 1. Kirchman. de Fun. Rom. 1. 8. Offerebatur diis. Sil. Ital. xiii. 434.

Fundunt mella super, Bacchique, & lactis honorem.

Et præcipuè terrestribus, quia mortis symbolum fuit. Porphyr. de Antr. nymph. *Fecerunt jam mel mortis symbolum. Et ideò de melle terrestribus libationem obtulerunt.* Saubert. de Sacrif. c. 25. Stuck. de Sacrif. c. 72.

MELICRATUM est *vinum melle mixtum*. Isidor. xx. 3. Malè. Dicitur enim ea potio mellina. Sed *melicratum*: œnomeli, aut, ut ipse vocet, œnomolum. *Buleng. de Conviv.* iii. 18. V. tamen infr. in *Mulsa*.

MELIMELA sunt mala mellei saporis. Horat. Sat. ii. 8. 31.

Post hoc me docuit melimela rubere, minorem
Ad lunam delecta.

Buleng. de Conviv. ii. 64. Torrent. ad Horatium. Antea à celeritate mitescendi mustea dicebentur. Plin. xv. 14. *Mustea à celeritate mitescendi: qua nunc melimela dicuntur, à sapore melleo.* Varro de Re rust. 1. 59. *Et quæ antea mustea vocabant, nunc melimela appellant.* Torrent. l. l. Voss. Lex. Etymol.

Melimela mala Cydonia melle condita etiam vocari possunt. Mart. xiii. 24.

Si tibi Cecropia saturata Cydonia melle
Ponentur, dicas hæc melimela licet.

Voss. Lex. Etymol.

MELISSA nympha mellis usum abs se repertum tradidit mortalibus, eoque à cultu & victu inhumano ad humanitatem eosdem traduxit. Senè apum qua puritatem, quæ industriam ita deorum sacris convenire existumavit antiquitas, ut non unam dantaxat Flaminicam Cereris, sed & alias quarumcumque deorum, deerumque sacerdotes *Melissas* appellarit. De *Melissa* Lactant. 1. c. 22. *Didymus in libris* ἐξηγήσεως *Pindaricæ ait, Melissea Cretensium Regem primum diis sacrificasse, ac ritus novos, sacrorumque pompas introduxisse. Hujus duas fuisse filias, Amalthaeam, & Melissam, quæ Jovem puerum caprino lacte, ac melle nutrierunt: unde poetica illa fabula originem sumpsit, advolasse apes, atque os pueri melle complesse. Melissam verò à patre primam sacerdotem matri magnæ constitutam, unde adhuc ejusdem matris antistites Melissæ nuncupantur.* Holsteen. Comment. in Nymphæum, Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iv. p. 1801. B.

MELLARIUM nominabetur vas in sacris Bonæ deæ. Macrob. Sat. 1. 12. *Vas, in quo vinum inditum est, mellarium nominatur.* Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 421. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. ii. 19.

MELLITA sunt dulciora fercula, quæ ultimis mensis apponuntur, ut hodie saccharati missus epularum à pistore dulciario, & omnia quæ bellariorum nomine continentur, & sacchatei operis strues in adjicialibus cœnis, atque nuptialibus, quæ in lancibus argenteis ed ostentationem traducuntur, magis ut delibentur interdum, quàm ut esitentur. Suet. Ner. c. 27. n. 5. *Quorum uni mellita quadragies HS. constiterunt.* Bud. de Asse iv. p. 412. Bruyer. de Re cibar. ix. 2. Græv. in Suetonium.

MELLOPROXIMI, id est, futuri proximi, in scrinio sequuntur proximos. Exeunte proximo ejus locum subibant, & clarissimi cum sequentibus usque ad Exceptores vocabantur. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 94. Guther. de Offic. dom. Aug.* iii. 7.

MELOPOEA est quæ vim omnem menifestam habet, & omnium oculis exposita:n. *Buleng. de Theatr.* 1. 7. Differunt, ait Capelle, genere, aut specie. Genere quidem, ut alia sit enarmonice, alia chromatice, alia diatonos: specie verò, quæ gravioribus sonis constat, dicitur ὑπατοειδὴς, & tragica. *Buleng. ibid.* ii. 4.

MELOS est actus acuti, aut gravioris soni, id est, ipse sonus acutus, aut gravis, feriens aures. Plutarch. Sympos. ix. 15. *Melos est è phthongis, & diastematis.* Apud Athen. xiv. 8. est propriè carmen modificatum, & μεμελοποιημένον, in quo habita est ratio harmoniæ, ut cani possit. Talia sunt lyrica. Ideò omnes poetæ sua carmina odas vocant, & *mela*, ut loquitur Martianus. *Buleng. de Theatr.* ii. 4.

MEM.

MEMBRANÆ Pergami sunt repertæ. Plin. xiii. 11. *Mox æmulatione circa bibliothecas Regum Ptolemæi, & Eumenis, supprimente chartas Ptolemæo, Varro membranas Pergami tradidit repertas.* Sed hoc ita dictum esse cogitandum est, quasi Eumenes primus summam copiam jusserit fieri *membranarum* ad bibliothecæ suæ volumina. *Membranarum* usum esse antiquissimum indicat Græcorum proverbium, ἀρχαιοτέρα διφθέρας, *diphthera antiquiora*. Persicos quoque annales solere *membranis* inscribi auctor est Diodor. ii. p. 84. B. ac auctorem laudat Ctesiam, qui sua se hausisse dicit *ex membranis regiis, in quibus Persæ, quadam lege, gesta vetera digesserant*. *Membranacei* quoque fuere libri, quos Eleazar pontifex Judæus misit Ptolemæo Philadelpho, ut est apud Joseph. Antiq. Judaic. xii. Itaque ita se res haber. Alexandriæ condita, quia Ægyptus in Macedonum esset potestate, chartæ per Græciam vulgaris usus esse cœpit: usque dum ex æmulatione inter Ptolemæos & Pergamenos Reges, de bibliothecæ nobilitate certantes, Rex Ægyptius vetuit chartam Ægypto efferri. Tum Pergamenus Rex, ne ab studio priori remitteretur, curavit, ut *membranarum* longè major esset copia. Hæ ovillæ erant pelles. Unde Martianus Capella, cum dixisset, librorum alios esse ex papyro, alios ex carbaso, addit *ex ovillis multis quoque tergoribus*. Erant varii coloris. Isidor. vi. 11. *Membranæ autem aut candida, aut lutea, aut purpurea sunt. Candida naturaliter existunt. Luteum membranum bicolor est: quod à confectore una tingitur parte, id est, crocatur, de quo Pers. Sat.* iii. 9.

Jam liber, & positis bicolor membrana capillis.

Purpureæ vero inficiuntur colore purpureo, in quibus aurum & argentum liquescens patescat in literis. Voss. de Art. Grammat. 1. 38. Hugo de Prime scrib. orig. c. 10. Dalechamp. in Plinium. Guilend. Papyr. membr. vi. 1. ...

Membrana vocatur etiam totum corpus *membranaceum*. Mart. xiv. 188.

Si comes ista tibi fuerit membrana, putato
Carpere te longas cum Cicerone vias.

Ubi *membranam* appellat omnie Ciceronis opera in *membranis* descripta, & in unum corpus redacta. Sic & de Virgilio in *membranis* descripto xiv. 186.

Quàm brevis immensum cepit membrana Maronem.

Membrana, τὸ σωμάτιον, corpus Æneidos. Sic Longinus ἐκ ὅλον Ἰλιάδ☉ σωμάτιον dixit Sect. ix. §. 24. de totis viginti quatuor Iliadis libris, quod Latinè liceer vertere *Iliadis membranam*. Totum enim Iliadis corpus intelligit. *Salmas. in Vopisc. Form.* c. 3.

MEMBRUM virile in Bacchi sacris in plostello ducebatur. Varro apud August. de Civit. Dei vii. c. 1. *In Italia compitis quædam sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies festos cum honore magno plostellis impositum prius per rura in compitis, & usque in urbem postea vectabatur.* Scheffer. de Re vehic. 1. 18. Rhodig. Ant. Lect. iv. 6. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 12. Meurs. Eleusin. c. 11.

MEMMIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

MEMORIA est scriptum *memoriale*. Gell. iv. 6. *In veteribus memoriæ scriptum legimus.* Firmic. Astron. vi. 26. *Talem Oedipodem habuisse genituram antiquæ ferunt memoriæ lectionum.* Tertull. Adv. Jud. c. 1. *Secundum memoriam populus Judæorum derelicto Deo idolis servivit.* Elmenhorst. in Minuc. Felic. p. 305. Herald. & Rigalt. ibid. p. 55. Guther. de Offic. dom. Aug. iii. 7.

Memoria est sepulcrum locutione figurata, quia externa illa adminicula *memoriam* juvant & excitent. Vetus inscriptio:

SERVILIUS. TROILUS. SE. VIVO.
COMPARAVIT. MEMORIAM
SIBI. ET. SUIS

August. de Cur. pro mort. c. 4. *Non ob aliud vel memoriæ: vel monumenta dicuntur, ea quæ insignita fiunt sepulcra mortuorum,*

taorum nisi, quia eos, qui viventium ocalis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam revocant, & admonendo faciunt cogitari. Propter quod & Græci μνημεῖον vocant, quod nos monumentum, seu memoriam appellamus, quoniam lingua eorum memoria ipsa, qua meminimus, μνήμη dicitur. In passione Afræ: *Tulit corpus ejus, & posuit secundo milliario de civitate Augusta in memoriam, quam sibi, suisque construxerat.* Ipse Suet. Vit. c. 10. n. 7. *Lapidem memoriæ Othonis insculptum intuens, dignum eo Mausoleo ait.* Velser. in pass. Afræ p. 496. Kitchman. de Funer. III. 10. Faes ad Gyrald. de Sepult. c. 1. Falconer. ad Inscript. athlet. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 2325. A. Gonsal. in Petron. p. 278. Pitisc. in Suetonium.

Memoria etiam post mortem ex causa majestatis, perduellionis, aut ex alia tali causa, damnari solebat, l. 6. §. 8. de injust. rupt. & irrit. testam. l. 32. §. 5. de donat. int. vir. & uxor. l. 76. §. fin. de leg. 11. Eaque damnatio sic fieri consuevit, ut ejus, cujus damnabatur *memoria*, magistratuum albo nomen eraderetur. Cicer. Phil. XIII. 12. *Cujus*, Antonii, *totus consulatus est ex omni monumentorum memoria revulsus.* Tacit. Annal. III. 17. 8. *Nomen Pisonis radendum fastis censuit.* Effigies, & statuæ dejicerentur, tituli que luto tegerentur expressa senatus auctoritate. V. infr. in *Statua.* Si quis sibi persuaserit antiquam hanc damnandæ *memoriæ* rationem Græcis, ut multa alia, Romanos acceptam tulisse, non video, cur is posset reprehendi. Ita de Atheniensibus Liv. XXXI. 44. *Rogationem extemplo tulerunt, plebesque scivit, ut Philippi statuæ, imagines omnes, nominaque earum, item majorum ejus virilis, ac muliebris sexus omnium tollerentur* .... Rævard. Conject. III. 16.

MEMORIALES erant, qui describebant eos, qui vel in bello, vel alibi pulcrè, ac cum laude se gesserant, eosque Imperatori commemorabant, ut ex hoc præmiis dignis afficerentur; & inde à rerum gestarum *memoria*, quam conservabant, appellati. Sed hoc postea munus vacavit. *Volaterr. Comment. Urban.* XXIX. *p.* 1097. *G.* Et alii horum loco sunt substituti, qui in primis laterculi minoris curam habuerunt, in quo præfecturæ, tribunatus, & præposituræ castrorum, quæ erant in limitibus imperii, continebantur, l. 1. & 2. C. de Offic. quæst. Qui scrinio *memoriæ*, in quo ea reponebantur, præfecti, *memoriales* appellabantur, etsi quandoque etiam epistolarum, libellorum, & dispositionum scriniarii, *memoriales* sunt nuncupati, l. 2. C. de privil. eor. qui in sacr. palat. milit. Zeno A. l. ult. C. de div. rescr. *Qui illicitè scribere ausi fuerint, cujuscunque scrinii memoriales, seu pragmaticaru, vel adjutores primicerii, amissiono cinguli feriantur.* Omnes enim, qui scripturarum suarum *memoriam* conservabant, *memoriales* sunt vocati, dict. l. 1. & 2. C. de Offic. quæst. Sic Massurius Sabinus *memorialium* librum scripsit, in quo res *memoria* dignæ continebantur. Nostri interpretes singularia appellare maluerunt. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient.* 95. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 7.

MEN.

MENA dea fuit, quæ fluoribus menstruis mulierum præesse credebatur. August. de Civ. Dei IV. 11. *Ipse sit dea Mena, quam præfecerunt menstruis feminarum.* Credita hæc dea luna est quia Græcis μήνη luna dicitur. Hoc enim sidus in humores imperium habet, & menstrua perfluvia temperat, quæ ad ejus rationem vel moventur, vel quiescunt. De illa curius August. ibid. VII. 2. *Sed ibi est & dea Mena, quæ menstruis fluoribus præest, quamvis Jovis filia, tamen ignobilis. Et hanc provinciam fluorum menstruorum in libris selectorum deorum ipsi Junoni idem auctor*, Varro, *assignat, quæ in diis selectis etiam privigna sua eidem cruori præsides.* Voss. de Idolol. II. 26. Bartholin. de Puerp. p. 18. Struv. Ant. Roman. c. 1. p. 154. Stuck. de Sacrif. p. 43. Meurs. de Puerp. c. 1. Blond. Triumph. Rom. 1. p. 11. E.

MENDICI in ponte Sublicio stipem petere solebant Senec. de Vit. beat. c. 25. *In Sublicium pontem me transfer, & inter egentes abige: non ideo tamen me despiciam, quod in illorum numero consideo, qui manum ad stipem porrigunt.* Verùm cur hic potiùs, quàm alibi? an quia locus frequentior, & sic major capturæ spes? sic puto: nam & nunc major illorum in ponte S. Angeli copia, quàm usquam alibi. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 3. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 17. *n.* 2.

MENDICULA dicitur, quod *mendicis* conveniat. Cor. in censu, aut fastu apud Plaut. Epid. II. 2. 39.

Quid erat induta? an mendiculam?

Nam quod quidam *meddiculam* à voce *meddix*, quæ magistratum teste Festo apud Oscos significat, dictum volunt, somnia sunt. Præstat igitur aliqua ignorare, quàm argutari. *Ferrar. de Re vest.* 1. 3. 20.

MENENIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

Menenia tribus. V. illam infr. in *Tribus.*

ΜΗΝΙΣΚΟΣ vocatur umbella lunata, capitibus statuarum imposita apud Ethnicos, ne ab avibus conspurcarentur. Ille priapus Horat. Sat. 1. 8. 37. si sciens fallit, imprecatur sibi hæc:

— *merdis coinquiner albis*
Corvorum.

Aristoph. Avib. p. 594.

Si autem non judicatis, adarabimini coopercula, μηνίσκους, ferre,
Tanquam statuæ: sic vestrum qui non cooperimentum, μηνίσκον, habeat
Quando habetis chlamulam albam, tunc maximè sic pœnam
Dabitis nobis omnibus avibus evulsi.

Suidas: Μηνίσκοι, *tegumenta lanata, quæ statuis imponuntur, ne aves insidentes merdis eas inquinent.* Clem. Alex. Protrept. p. 34. D. *Hirundines, & multæ aves sæpè advolantes inquinant ejusmodi simulacra.* Adhuc hodie in templis Christianorum imponuntur capitibus statuarum. Cujus tamen rei causam ignorantes pictores, dum putant honoris causa imponi debere, non solum non omnibus statuis imponunt; sed & imaginibus quoque pictis adhibuerunt: quæ tamen illis opus non habent, ut statuæ. *Scalig. Catal. p.* 21 I. *Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. cap. de Fibulis. Kipping. Antiq. Roman.* 1. 7. 7. *Gabbem. in Priap. p.* 53. *Faes in Gyrald. de Var. sepel. rit. c.* 1. Licèt non placeant *Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. sect.* 18. V. etiam *Pignor. de mens. Isiac. p.* 46. *Borremans. Var. Lect. c.* 19.

MENOGENES cognomen fuit Pompeji Strabonis, patris Cn. Pompeji Magni. Tantam enim vim habuit similitudo alterius, ut inde cognomina etiam sæpè inventa sint. De Pompejo Val. Max. IX. 14. 2. *Nam pater quoque ejus*, Pompeji Magni, *eo usque Menogenis coci sui similis esse visus est, ut vir, & ferox animo, & præpotens armis sordidum ejus nomen repellere à se non valuerit.* Sigon. de Nomin. Roman. c. 5.

Μηνίσκος vocatur quoque ornamentum muliebre, sive circulus σεληνάχιλος. V. illum supr. in *Lunula.*

MENS dea culta fuit à Romanis. Lactant. 1. 20. *Eadem vanitate Mentem quoque inter deos collocavit senatus: quam profectò si habuisset, ejusmodi sacra nunquam suscepisset.* Causam addit Cicer. de Nat. deor. II. 31. *quod à diis ad homines pervenerit, culta que ideo, ut bonas redderet hominum mentes.* Ei dicata inscriptio apud Gruter. p. 99. n. 7.

M. SEPTIMIUS. C. F
MENTI. FIDEIQ. DEAB
PRÆSENTIBUS
EX. VOTO. S. P.

Origo cultus cœpit bello Pun. II. Ovid. Fast. VI. 240.

Mens quoque numen habet, mentis delubra videmus
Vota metu belli perfide Pœne tui.

Struv. Ant. Roman. c. 1. p. 144. Cuper. Observ. II. 14. Voss. de Idolol. VIII. 12. Stuck. de Sacrif. p. 40. Caroli Antiq. Roman. 1. 5.

MENSA dicebatur, in qua ponebantur vasa, tum escaria, tum vinaria, quamque dum servi conviviis apponebant, juxta illud Ovid. Fast. V. 521.

Nunc dape, nunc posito mensæ nituere Lyæo.

Apul.

Apul. Met. iv. p. 109. *Mensas dapibus largiter instructas accumbunt*. Hinc Mart. iv. 78.

Ad cœnam nuper Varus me fortè vocavit,
Ornatus dives, parvula cœna fuit.
Auro, non dapibus ornatur mensa: ministri
Apponunt oculis plurima, parva gulæ.
Tunc ego, non oculos, sed ventrem pascere veni:
Aut appone dapes, Vare, vel aufer opes.

Serv. Virg. Æneid. p. 220. *Quia apud antiquos mensas ipsas apponebant pro discis*. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 279. Casal. de Conviv. vet. c. 1. de prof. Roman. iii. c. 25. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 19. Laurent. de Conviv. c. 1. Villaticis, & agricolis ferè erat cespititia. V. supr. in *Cespes*. Tenuiorum erat ex fago. Mart. ii. 43. 9. V. illum infr. in *Orbis*. Broukh. in Tibull. 1. 11. 8. Lautiorum erat acerna. Mart. xiv. 90. cui titulus *Mensa acerna*:

Non sum crispa quidem, nec sylvæ filia Mauræ,
Sed norunt lautas & mea ligna dapes.

Et apud Virg. Æneid. viii. 178. Latinus

Accipit Æneam, solioque invitat acerno.

Horat. Sat. ii. 8. 10. V. illum infr. in *Ministri*. Baccius de Conviv. Antiq. 1. 6. Buleng. & Demster. l. l. Kobierzyck. de Luxu Roman. ii. 10. Bayf. de Vascul. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. ix. p. 703. C. Labentibus moribus citrea. Cicer. Verr. iv. 17. *Maximam, & pulcerrimam mensam citream à L. Lutatio Diodoro, omnibus scientibus, abstulisti*. Petron. de Mutat. Reip. n. 27.

—— *ecce Afris eruta terris*
Citrea mensa.

Augebat pretium in hoc ligno nodus arboris infelicitate tortus, & hæ maculæ amatæ, æstimatæque. Senec. de Benef. vii. 9. *Video istic mensas, & æstimatum lignum senatoris censu, eo pretiosius, quo illud in plures nodos*, id est, maculas, ut mox Petronius, *arboris infelicitas torsit*. Sine hyperbole Tertullian. de Pall. c. 5. *M. Tullius quingentis millibus nummum orbem citri emit: bis tantum Asinius Galius numerat*. Illud *bis tantum* facit decies HS. id est 25. millia Philippicorum, qui senatorum ab Augusto census. Inde lumen Petron. l. l.

—— *ostrumque renidens*
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum,
Quod censum trahat, hoc sterile, ac malè nobile lignum.

Malè nobile lignum ideò, quia tortuosum, & in nodos multiplices vitio naturæ flexum. De illis maculis Plin. xiii. 15. *Præcipua dos in venam crispis, vel in vortices variis. Illud oblongo evenit discursu, ideoque tigrinum appellatur: hoc intorto, & ideò sales pantherina. Sunt & undatim crispæ, majore gratia, si pavonum caudæ oculos imitentur*. Augebat pretium itineris longinquitas: petebatur enim ex Atlante celebri Mauritaniæ monte. Plin. l. l. *In Atlante monte Mauritaniæ sylva est, quæ citrum arborem, & cedrum producit*. Martialis jam laudatus. Aurum ipsum pretio superabat. Mart. xiv. 89.

Accipe felices, Atlantica munera, sylvas:
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Lips. in Senecam. Meurs. de Luxu Roman. c. 9. Kobierzyck. & Demster. l. l. Ferrar. Elect. ii. 17. Potter. Archæol. Græc. iv. 20. Kipping. Antiq. Roman. iv. 3. 2. Ursin. ibid. p. 292. Eburnea integra. Persuadet l. quæsitum est §. 43. ff. 33. quæ sic habet: *Idem respondit domo instructa legata mensas eboreas, & libros non contineri*. Argentea. Expressè docet l. legata supellectili ff. de suppellect. legat. *Supellectilis mensas esse cujuscunque materiæ, scilicet, vel argenteas, vel argento inclusas, placet*. Luxus hic auctorem suum respicit Heliogabalum, qui *primus mensas, & capsas argenteas habuit*, ut ait Lampridius. Argento gemmæ, & lapides pretiosi additi. Claud. in Consul. Prob. & Olyb. n. 264.

—— *ostroque infecta corusco*
Humida gemmiferis illuxit regia mensis.

Ulpian. l. cum aurum ff. de aur. argent. mund. *In coronis mensarum gemmæ coronis cedent, & hæ mensis*. Ciaccon. de Triclin. p. 25. Bayf. Demster. Kobierzyck. & Meurs. l. l. Aurea. Mart. iii. 31. 3.

Et servit domina numerosa debitor arca,
Sustentatque tuas aurea mensa dapes.

Per initia erant quadratæ. Festus: *Escariæ mensæ quadratæ vocantur, in quibus homines epulantur*. Varro de Ling. Lat. iv. 25. V. illum supr. in *Cibilla*. Postea rotundæ in usu esse cœperunt. Senec. Consol. ad Hel. c. 11. *Lapides, aurum, & argentum, & magni levatique mensarum orbes, terrena sunt pondera*. Juven. Sat. 1. 137.

Nam de tot pulcris, & latis orbibus, & tam
Antiquis una comedunt patrimonia mensa.

Causam affert Athen. ix. p. 489. C. quod scilicet globosum esse mundum veteres arbitrarentur: *Veteres globosum esse mundum arbitrabantur, & ideò mensam fabricati sunt orbiculatam*. Sive quod figuram circularem putarent absolutissimam, maximèque ad cœli perpetuam, omnia continentem conversionem aptissimam, ut vult Myrleanus apud Athen. l. *Ciaccon. Meurs. Buleng. Bayf. Demster. l. l. Ursin. ibid. p.* 291. *Ferrar. de Re vest.* ii. 1. 7. *Feith Antiq. Homer.* iii. 5. *Stuck. Antiq. Conviv.* ii. 16. *Meibom. Mæcen. c.* 21. *n.* 18. sive ad significandam æqualitatem conviviorum, & ne quem sibi prælatum quispiam conquereretur. Eustath. Odys. A. p. 138. *Cum mensam dixerit extende, significat mensas tum temporis non adhuc fuisse orbiculatas, sed extensas in longitudinem. Forsan postea excogitatæ fuerunt rotundæ propter summam æqualitatem, vel ad similitudinem areæ victum ferentis*. Stuck. l. l. Quadratæ fuerunt, sed in longum, scilicet ad lectorum mensuram, quamdiu triclinia durarunt, id est, tres lecti discubitorii. Cum autem stibadia, sive accubita in usum inducta sunt, rotundæ, sive orbes invecti sunt: nam cum stibadium lectus unus semirotundus esset, necessè erat *mensam* pariter esse rotundam, quam stibadium complectebatur, relicto loco, per quem epulæ in *mensam* inferrentur. *Ferrar. Elect.* ii. 17. Quædam uno tantum pede sustinebantur, & monopodia dicebantur. Livius & Plinius, qui laudantur inst. in *Monopodium*. Aut duobus pedibus bipedes dictæ, quales in marmoribus Romæ expressas videmus. Mart. xii. 32. 11.

Ibat tripes grabatus, & bipes mensa.

Sed tripedes frequentiùs erant. *Ciaccon. de Triclin. p.* 27. Quem Martialis non juvat. Loquitur enim de vili, ac paupertina supellectile migrantis e domo, & trivola aliò transferentis, in qua sicut erat grabatus tripes, id est, uno pede mutilus, similiter *mensa* bipes, tertii pedis defectu clauda. *Ferrar. Elect. l. l.* Nec bipes in antiquis marmoribus reperitur. Tripes in pluribus veteribus tricliniis habetur. Horatius mox laudandus. Cratinus hujusmodi *mensam* τρισκελῆ dixit, quod tribus quasi cruribus niteretur, cujus scilicet pedes ad similitudinem crurum essent facti. Sed *mensa* item, quæ quatuor pedibus sustinebatur, tripes etiam ab antiquis dicebatur, ut ex hoc Epicharmi loco intelligi potest: τὶ τόδ' ἐστὶ; δηλαδὴ τρίπους. τί, μὰν ἔχει πόδας τέτταρας; οὐκ ἔστι τρίπους, ἀλλ' οἶμαι τετράπους: ἔστι δ' ὄνομα αὐτῷ τρίπους. *Ursin. ibid. p.* 295. Postquàm rotundæ *mensæ* in usum venere, fermè monopodes factæ, & tripodes non ita in pretio. Unde Horat. Sat. 1. 3. 12.

—— *modo Reges, atque tetrarchas,*
Omnia magna loquens: modo sit mihi mensa tripes, &
Concha salis puri.

Quia rotundæ erant, orbes appellabantur. *Ferrar. l. l.* V. Senecam & Juvenalem modò laudatos. Pedes hi erant eburnei. Martialis modò laudatus. Lucan. x. 144.

Dentibus hic niveis sectos Atlantide sylva
Imposuere orbes.

Et formati in species animalium. Juven. Sat. xi. 122.

—— *latos nisi sustinet orbes*
Grande ebur, & magno sublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes.

Meurs. Bayf. & Kobierzyck. l. l. Ursin. ibid. p. 295. Buleng. ibid. c. 37. Borremans. Var. Lect. c. 13. Figrell. de Stat. Rom. c. 6. Voss. de Idolol. iii. 50. *Mensæ* erant sacræ veteribus. Synes. Epist. 57. *Sacra admodum res, per quam honore afficitur deus amicitiæ, & hospitalitatis*. Et in-

de sæpiùs factæ dicuntur. Senec. de Ira 1. 2. *Alium inter sacra mensa ira percussit*. Arnob. II. p. 91. *Sacras facitis mensas salinorum appositu, & simulacris deorum*. Curt. v. 2. 14. *Se sacram ejus*, Darii, *mensam ad ludibrium recidentem sine lacrymis conspicere non posse*. Quia deorum statuæ illis inferebantur, veluti tutelæ mensarum & conviviorum. Hi dicti θεοὶ ἐπιτραπέζιοι. Hujusmodi fuit Hercules ἐπιτραπέζιος apud Stat. Sylv. IV. 6. 60.

—— Pellæus habebat

Regnator latis nomen venerabile mensis.

Et de illo in ejusdem Alexandri *mensa* Mart. IX. 44. 7.

Hac habuit numen Pellai mensa tyranni,

Qui cito perdomito victor in orbe jacet.

Scalig. in Festum. Potter. Archæol. Græc. IV. 20. Meurs. 10 Lycophr. n. 137. Buleng. ibid. c. 6. Laurent. de Prand. c. 1. Lips. Saturn. 1. 2. Herald. in Arnobium, Kipping. Antiq. Roman. IV. 3. 3. Radet. & Pitisc. in Curtium. Atque hinc constare poterit, unde tanta apud auctores sanctitas *mensæ* tribuatur, quam inhonestis verbis, factis ve, aut perfidia violare apud veteres summum nefas erat. Juven. Sat. II. 110.

Hic nullus verbis pudor, aut reverentia mensæ.

Et ubique occurrunt querelæ de perfidis *mensarum* violatoribus: veluti illa Cassandræ de Paride, qui à Menelao exceptus uxorem ejus abripuerat. Lycophr. n. 136.

Ausus et divinum, scelestè, jus transgredi,

Percellens jus mensæ, & justitiam evertens.

Non operiebantur linteis, uti nunc moris est; sed duntaxat pertricabantur spongiis. V. infr. in *Spongia*. Potter. l. l. *Mensam* in privatis precibus manu tangebant. Ovid. Amor. 1. 4. 27.

Tange manu mensam, tangunt quo more precantes.

Brisson. de Form. 1. p. 40. Kipping. Antiq. Roman. 1. 9. §. 13. Romæ, ubi tribus lectis *mensa* una cingebatur, vel certè uno sigmate, qui lectus unus perpetuus fuit, quo sex, pluresve caperentur, sua cuique *mensa* non erat apposita. Scholiastes tamen Homeri ad hæc verba Odyss. 1.

—— τῷ ξεινῳ παρτιθῇ τράπεζα.

Moris fuit, ut cuique conviva sua mensa apponeretur. Heroes enim Homeri ævo, & paulò antè, attidebant *mensis*, non accumbebant: ideoque cuique sua *mensa* quadrata potuit apponi. *Buleng. ibid. II. 1. Falconer. de Pyram. Cestu Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1471. F. Ursin. ibid. p. 277. Fenh. l. l. Borremans. Var. Lect. c. 13.* Primas excipiebant secundæ, & ipsæ aliquando in plures missus operis dulciarii, nec non lactarii, & pomorum dispertitæ. Has apud antiquos in usu fuisse Pindari poetæ testimonio probat Athen. XIV. p. 641. C. *Secundas mensas fuisse apud antiquos apparatas maxima cura, & magnificentia, docet Pindarus in Olympionicis, ubi de Pelope occiso, & illata mensa verba facit*. E. *Nonnunquam secunda mensa dabatur, & ovum, & leporina, mixtum cum turdis, & opere dulciario, ut inquit Antiphanes in Leptinisco*. Cicer. Fam. XVI. 21. *Videor enim videre ementem te res rusticas, cum villice loquentem, in lacinia servantem ex mensa secunda semina*. Serv. Æneid. 1. 220. *Duas habebant mensas, unam carnis, alteram pomorum*. Horat. Sat. II. 2. 121.

—— tum pensilis uva secundas

Et nux ornabat mensas, cum duplice ficu.

Mart. v. 80. 11.

Mensa munera si voles secunda,

Marcentes tibi porrigentur uva,

Et nomen pyra qua ferunt Syrorum.

Ciaccon. ibid. p. 55. Ursin. ibid. p. 312. Buleng. ibid. 1. 39. Catoli Antiq. Roman. IV. 8. Kipping. Antiq. Roman. IV. 3. 11. Et toteidum tertiæ. Pollux VI. 12. *Erant mensa quadam, prima, secunda, & tertia*. Has in Heliogabalo videtur innuere Lampridius laudatus supr. in *Mensuetarii*. Sed hæc, ut videtur, rarò apponebatur. *Ursin. ibid. p. 314.* Vacuam non sinebant auferri. Rationes hujus ritus has reddit Plutarch. Sympos. VII. 4. I. Significabant semper & partis aliquid in futurum & in præsenti die subsecuturæ aliquam habendam rationem. II. Quod scitum putabant, appetitum cohibere, eumque reprimere, dum aliquid adhuc fruendum in promptu est: minùs enim appetunt absentia, qui præsentibus abstinere didicerunt. III. Quod mos iste humanitatis aliquid erga famulos videtur habere, qui sic videntur quodammodò à dominis ad societatem *mensæ* admitti; non enim tantum delectantur accipiendo, quantum participando. IV. Quod *mensa* sit res sacra, nulla autem rerum sacrarum unquam debeat inanis relinqui. V. Quod *mensa* terræ videatur esse simulacrum; nam præterquàm quod nos alit, rotunda etiam est, & stabilis, & rectè Vesta à quibusdam appellatur: sicut ergo terram volumus nobis aliquid utile semper producere, & efferre, ita censemus *mensam* quoque nunquam debere vacuam, & omni destitutam apparatu relinqui. *Ferrar. Laurent. & Feith. l. l. Bayf. ibid. p. 705. E. Blond. Rom. triumph. VIII. 177.*

Mensa curialis posita fuit Junoni, quæ Curis dicta est, à T. Tatio, societate cum Romulo inita. Has perpetuò ad suam ætatem mansisse scribit Dionys. II. p. 114. *Tatius in omnibus curiis mensas Junoni Quiritia posuit: quæ ibi sita sunt nostro quoque tempore*. De illis Festus: *Curiales mensæ, in quibus immolabatur Junoni, quæ Curis est appellata*. Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 1. p. 2. C.

Mensa Delphica vocabatur abacus, in quo vasa escaria, & potoria, & maximè potoria collocabantur. De potoriis Juven. Sat. III. 203.

—— urceoli sex

Ornamentum abaci, nec non & parvulus infra

Cantharus, & recubans sub eodem marmore Chiron.

Ubi Scholiastes: *Ornamentum abaci, quod nos Delphicam dicimus*. Porphyr. in Horat. Sat. 1. 6. 116. *Mensa marmorea, quam Delphicam vocant*. Vocabatur *mensa Delphica*. Cicer. Verr. IV. 59. *Ideò prætereo, quod iste mensas Delphicas è marmore abstulit*. Et simpliciter *Delphica*. Mart. XII. 67. 7.

Argentum, atque aurum non simplex Delphica portat.

Qui significat vel operosum abacum, nec è *simplici*, soloque marmore, vel non unum, sed plures pro copia poculorum in divite hac domo fuisse. Lapidem album vocat Horat. Sat. 1. 6. 116.

—— & lapis albus,

Pocula cum cyatho duo sustinet.

Factura erat rotunda. Pollux X. 13. *Tripodis operculum circulum appellare oportet, & ὅλμον. Quemam & Delphici tripodis operculum, cui vates insidet, ὅλμος vocatur*. Delphis fortè ejusdem mensulæ, in quibus exposita donaria Apollini sacræ. Sanè quod Plutarch. in Solon. p. 80. D. & Laert. in Thalet. c. 28. τρίποδα auream appellant, quì nimirum sapientissimo daretur, id *auream mensam Delphicam* in ipsa ea historia dixit Val. Max. IV. 1. 7. ext. Per loculamenta vasa in us stiui solere indicat Sidon. carm. XVII. n. 7.

Nec per multiplices, abaco splendente, cavernas

Argenti nigri pondera defodiam.

Qui mos adhuc servatur, ac ministerii hæc vasa per gradus & ordine disponuntur. Agrœtius vetus grammaticus scribit per patria sollenne fuisse collocari: *In Delphica*, inquit, *comparata vasa semper sunt*. Unde ipse Cicero dicebat: *scyphorum paria complura*. Ruben. Elect. 1. 34. Kobierzyck. de Luxu Roman. II. 10. Salmas. in Spartian. Pescenn. c. 6. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 299. Buleng. de Imperat. Rom. II. 33. de Conviv. IV. 10. Cujac. Observ. X. 13. Ferrar. Elect. II. 18. Bourdelot. in Heliodor. IV. p. 89. V. & supr. in *Abacus*.

Mensæ foeneratorum erant circum forum, etiam in templorum porticibus. Hinc *æs circumforaneum*, de quo supr. in *Æs*. Poll. For. Rom. 1. 3.

Mensa laniona erat non tantum in instrumento *lanionis*, sed etiam carnificis, qui illa utebatur ad damnatorum capita amputanda. Aristoph. Acharn. II. 2. 38.

At nisi ego, quæ justa, dixero, & plebi huic probavero,

Tunc caput mensa volo imponere coquinaria.

Æschyl. Agam. n. 1286.

Ara paterna loco truncus manet culinarius,

Cum mactanda fuero calida cruenta hostia.

Sue-

Suetonius laudatus infr. in *Pars*. Casaub. & Pitisc. in Suetonium.

Mensæ in templis si dicatæ erant, ararum vicem præstabant. Virg. Æneid. VIII. 279.

In mensam læti libant, divosque precantur.

1. 742.

Dixit, & in mensam laticum libavit honorem.

Macrob. Sat. III. 11. *Papiriano jure evidenter relatum est, aræ vicem posse præstare mensam dicatam: ut in templo, inquit, Junonis Populoniæ augusta mensa est. Namque in fanis alia vasorum sunt, & sacræ supellectilis, alia ornamentorum. Quæ vasorum sunt, instrumenti instar habent, quibus sacrificia conficiuntur: quarum rerum principem locum obtinet mensa, in qua epulæ, libationesque, & stipes reponuntur. Ornamenta vero sunt clypei, coronæ, & cujuscemodi donaria. Neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra sacrantur. At verò mensa, arulæque eodem die, quo ædes ipsa, dedicari solent. Unde mensa hoc ritu dedicata in templo aræ usum, & religionem obtinet pulvinaris.* Guther. de Vet. jur. pontif. III. 6. Scalig. in Festum in Mensæ.

Mensa sepulcralis, quam Græci τράπεζαν vocant, erat lapis quadratus, longior quàm latior, sepulturæ loco impositus, sive ad summam soli superficiem, sive super quatuor lapidea fulcra, aut, ut sic loquar, tibicines, & podia, alta pedes admodum tres duosve. Tale sepulcrum nostri Franco Galli appellant tombe, à Græca voce τύμβος, quæ propriè notat sepulcrum, aut sepulturam generatim, quamvis Cicer. de Leg. II. 26. eam reddat voce busti, V. supr. in *Bustum*. Quemadmodum autem Latini generatim in sepulcrorum omnis generis structura, & ædificio utuntur verbo *ponendi*, ita speciatim dicunt *ponere mensam*. Inscriptio Mediolani in cœnobio monachorum D. Ambrosii apud Gruter. p. 850. n. 6.

M. M

MINUCIÆ. RUFINÆ
INNOCENTISSIMÆ. FEMINÆ
QUÆ. VIXIT. ANNIS. XXII
MENSE. UNO. DIEB. XXIV
MINUCIA. DOMITIA. SORORI
POSUIT. MENSAM. CONTRA
VOTUM

Bergier. de viis milit. II. Sect. 38. §. 5.

Mensa quoque in instrumentis bellicis interior est, & media inter duas hinc inde scutulas, constatque regulis, diapegmatis, & tabula inter regulas, & diapegmata collocata, estque in summo, & in imo capitulo. Ctesibius, vel Hero. Vitruv. X. 16. *Regula, quæ est in mensa, longitudo foraminum octo.* Turneb. Adv. II. 5. Erat pars præcipua in catapultis & ballistis, quod erecta continebat brachia machinarum, & totum pegma. Ideo *mensa* dicebatur, quod *mensæ* instar esset plana, tetragona, & forma oblonga. Vide Heronem in Belopœicis. *Bald. Lex. Vitruv.*

Mensæ quoque vocabantur cibi ipsi *mensis* impositi. Virg. Æneid. I. 220.

Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ.

Nam sequitur n. 742.

Dixit, & in mensa laticum libavit honorem.

Non ergo *mensæ* ipsæ remotæ fuerunt, sed epulæ illis impositæ. Pollux VI. 12. *Mensas etiam cibos istis impositos nominaverunt.* Servius: *Apud majores ipsas mensas apponebant pro discis.* Ciaccon. de Triclin. p. 26. & 54. Ursin. Append. p. 280. *Mensas apponebant pro discis*, id est, non lances in mensam, sed mensam cum lancibus apponebant. Τὰ σιτία apud Pollucem non sunt epulæ, sed quadræ, sive placentæ triticeæ, quibus epulæ, & obsonia imponebantur. Nam σῖτος propriè cibum ex frumento, id est, panem significat, licèt τὰ σιτία de omnibus cibis accipiantur. Celæno, harpyarum maxima, hæc dira Trojanis vaticinatur Æneid. III. 253.

Ibitis Italiam, portusque intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis mœnibus Urbem,
Quam vos dira fames, nostræque injuria cædis,
Ambesas subigat malis absumere mensas,

Ubi Servius, *Ambesas, undique esas, id est, rotundas. Majores enim nostri has mensas habebant in honore deorum* (& ideo illis parcebatur) paniceas scilicet. Neque irrita futura vaticinatio fuit. Nam postquam Troes fugientia Italiæ littus adprehenderunt, cum sub ramis arboris altæ discubuissent VII. 109.

Instituuntque dapes, & adorea liba per herbas
Subjiciunt epulis (sic Jupiter ipse monebat)
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumptis his forte aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,
Et violare manu, malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris:
Heus, etiam mensas consumimus, inquit Julus.

Ubi Servius: Adorea liba. *Ador propriè est genus farris. Liba sunt placenta de farre, melle, & oleo sacris apta.* Subjiciunt epulis: *supponunt in epularum locum.* Cereale solum: *Solum omne dicitur, quod aliquid sustinet. Unde de maris supra ait: Subtrahiturque solum. Sic nunc paniceas mensas, id est epularum sustentaculum solum vocavit.* Quadris. *Aut mensis: & est antonomasia: nam supra orbem dixit. . . .* Licèt prius orbem dixerit, & postea quadras, non est antonomasia, sed synechdoche, pars pro toto. Nam placenta in orbem diducta, quadrifida divisione in quatuor partes secabatur, quæ inde quadræ appellatæ, non quod quadratæ, sed quia quarta pars orbicularis illius *mensæ* paniceæ. Horatius, & Martialis. Sed V. illos laudatos infr. in *Quadra*. Hæc paullò fusiùs, ut intelligeremus, quænam *mensæ* essent, quæ *mensis* imponebantur: non ipsæ epulæ, sed placentæ triticeæ, sive paniceæ, quibus epulæ imponebantur, ut nunc patinis, & lancibus. *Ferrar. Elect.* II. 17. *Buleng. de Conviv.* I. 38.

MENSALIS Juno. V. illam supr. in *Juno*.

MENSARIUS differt ab argentario; publicam enim rationem confecit, & rei nummariæ publicæ curator fuit: argentarius privatam, & negotiationis privatæ curator fuit. Itaque *mensarii* Romæ, ut res tulit, modò quinqueviri; modò triumviri sunt creati: argentarii, ut etiam reliqui mercatores, nullius lectione, judicio suo, quæstu tantum privato inducti rem nummariam jam inde ab initio Urbis exercuerunt. *Mensariorum* prima mentio fit apud Liv. VII. 21. anno ab U. C. 401. Eos ille creatos levandi fenoris causa tradit: idque his verbis: *Inclinatis semel in concordiam animis, novi consules fænebrem quoque rem, quæ distinere unanimos videbatur, levare aggressi, solutionem alieni æris in publicam curam verterunt: quinqueviris creatis, quos mensarios ab dispensatione pecuniæ appellarunt. Fuere C. Duilius, P. Decius Mus, M. Papirius, Q. Publilius, & Tib. Æmilius, qui rem difficillimam tractatu, & plerumque parti utrique, semper certè alteri gravem, cum alia moderatione, tum impendio magis publico, quàm jactura sustinuerant. . . .* Ex hoc loco patet, *mensarios* nihil, nisi publicæ rationis, attigisse. Quod etiam in Græcia, *atque Asia factitatum* ostendit Cicero *ab iis, quos illi τραπεζίτας* vocarent, ipse, cum de Asia diceret, *mensarios* Latino vocabulo appellavit in oratione pro Flacco c. 19. laudata supr. in *Argentarii*. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. II. 11. Turneb. Adv. XX. 28. Flocc. de Potest. Roman. II. 20. Rosin. Antiq. Roman. VII. 39. Auctionibus olim præerant, pretia rerum venditarum colligebant, & redigebant. Apud eos cujusque generis res deponebantur, qui publicæ fidei erant veluti sequestres. Idcirco & promittebant se soluturos, aut reddituros pro aliis res qualcunque mobiles, vel immobiles. *Salmas. de Mod. usur. c.* 16. *Kipping. Antiq. Rom.* II. 5. §. 10.

MENSIS *est, quando luna lustrato suo cursu solem consecuta est.* Cicer. de Universo. Romulus imperii Romani conditor initium cujusque *mensis* ex illo die sumebat, quo primum nova luna sese mortalibus ostenderet. *Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* VIII. p. 179. *E. Hagvelon. Kalend. triling. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. p. 1031. *C. Laurent. de Annis c.* 1. *Lalamant. de Temp. & ejus part. Thes. Gronov. ibid. p.* 1047. *E.* illorum

seu

seu numerum, seu nomina acceperit Romulus ab Albanis, à Latinis, à circumvicinis aliis populis; at videtur salrem speciali ratione tum constituisse ordinem, tum certum dierum numerum singulis assignasse. *Gassend. Kalend. Roman. c.* 1. Romani Imperatores olim de suo nomine appellari voluerunt I. propter insignem aliquam victoriam. Suet. Aug. c. 31. n. 2. *In cujus ordinatione Sextilem mensem è suo cognomine nuncupavit magis quàm Septembrem, quo erat natus: quia hoc sibi & primus consulatus, & insignes victoriæ obtigissent.* II. in memoriam patris. Suet. Cal. c. 15. n. 4. *At in memoriam patris Septembrem mensem Germanicum appellavit.* III. quod eo mense essent nati, vel imperium suscepissent. Suet. Domit. c. 13. n. 8. V. illum infr. in *October.* Vopisc. Tacit. c. 13. *Hic idem mensem Septembrem Tacitum appellari jussit, idcirco quod eo in mense & natus, & factus est Imperator.* Nullus plures appellationes *mensibus* indidit, quàm Commodus Imperator. Lamprid. c. 11. *Menses quoque in honorem ejus pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exuperatorium, pro Decembri Amazonium, ex signo ipsius adulatores vocabant.* Nonnulli rejiciebant tales appellationes, etiamsi SCto fierent. Id factum à Tiberio. Suet. c. 26. n. 5. *Intercessit, ne mensis September Tiberius, October Livius vocarentur*, & ab Antonino Pio. Capitol. c. 10. *Menses Septembrem atque Octobrem Antoninianum atque Faustinianum appellandos decrevit senatus, sed id Antoninus respuit.* Robort. de mens. appell. ex nom. Imperat. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 23. A. Stevvech. in Veget. Prol. IV. Omnes Junoni sacri erant, quia, ut Plutarch. Quæst. Roman. 76. tradit, *Juno est luna, quæ menses efficit.* Junonis Lunæ Reginæ meminit antiquus lapis, quem videre est Veronæ:

JUN. LUN
REG. SACR
P. VITULLIUS
PHILOLOGUS
VI. VIR. AUG
INFERIO

Quamquam & sol *mensium* dominus habitus fuerit. Unde Attis, per quem solem designabant, *Menotyrannus* vocabatur. Idem est ac si diceres μηνῶν τύραννος, *Rex mensium*, & anni moderator. Legitur in hoc lapide:

M. D. M. I
ET. ATTIDI. SANCTO
MENOTYRANNO
Q. CLODIUS. FLAVIANUS

Boxhorn. ad Plutarchum.

Mensis civilis nullo certo numero continetur, sed unaquæque civitas eum suo arbitratu intra quendam numerum observandum constituit. Censorin. de Die nat. c. 22. *Civiles menses sunt numeri quidam dierum, quos unaquaque civitas suo instituto observat; ut nunc Romani à Kalendis in Kalendas. Civiles, & posterius instituti, & ad unamquamque pertinent civitatem.* Viola de vet. & nov. Rom. temp. rat. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 179. E. Gassend. Kalend. Rom. proœm.

Mensis ἐμβόλιμος, injectitius, apud Græcos constabat diebus bis undecim, seu viginti & duobus, quem, lunarem annum dierum 354. cum præcisè haberent, ac putarent annum solarem dierum 365. excedere illum præcisè diebus undecim, quos dixerunt ὑπερβαίνοντας, quasi excedentes, aut superfluos, cœpere altero quoque anno intercalare, ut altero quoque anno, seu initio tertii restitutio principii anni, quod ipsis ad solstitium æstivum erat, fieret. Hinc totum id temporis spatium dictum ipsis fuit τριετηρὶς, hoc est, triennium, quod revera tamen διετηρὶς, seu biennium fuit. Quia verò deinceps animadverterunt errorem ex eo subesse, quod annus solaris, præter dies illos integros, contineret adhuc sex horas, seu diei quadrantem, quem negligerent, quique intra annos quatuor unius diei promotionem crearet; eam ob causam faciendam potiùs quarto quoque anno intercalationem dierum quater undecim & unius, seu quadraginta quinque, hoc est, sesquimensis, censuerunt. Unde & hoc spatium, quo anni principium post quatuor annos restituebatur, dictum ipsis πενταετηρὶς, quinquennium fuit, reipsa tamen fuit solum τετραετηρὶς, quadriennium. Visum postmodum est commodius duplicare hunc numerum, sicque ἐννεαετηρίδα, novennium, seu potius ὀκταετηρίδα, octennium exspectare, ut ex habitis diebus nonaginta tres fierent menses dierum tricenum, qui uno tenore intercalarentur. Romani imitati Græcos probarunt quidem intercalationem quadraginta quinque dierum intra annos quatuor faciendam, ac dierum nonaginta intra annos octo; at non censuere tamen intercalationem in totum quadriennium, octennium ve esse differendam, sed biennio quoque potiùs peragendam. Ac ratione ea quidem in secundo anno intercalarentur dies viginti duo, quarto viginti tres, sexto rursus viginti duo, & octavo viginti tres, atque ita porrò procedendo per insequentia octennia. Verùm quod non attenderent, suum illum annum dierum 355. majorem esse uno die, quàm Græcorum annum dierum 354. ideo brevi effectum est, ut duobus diebus quovis biennio amplius, quàm par fuerat, interjectis, ea fieret brumæ regressio, ut intra annos triginta contingeret initio Decembris, intra alios triginta initio Novembris, &c. Re ergo cognita, quod quovis octennio dies octo excrescerent, & post tria octennia viginti quatuor abundarent, ea propter tertio quoque octennio non dies nonaginta, sed sexaginta sex solummodo intercalarunt. Macrob. Sat. I. 13. *Gassend. Kalen. Roman. c.* 2. *Putean. de Bissexto c.* 3.

Mensis intercalaris mentio frequens occurrit apud Latinos auctores. Fasti consulares. *Scipio Asiaticus triumphavit an. 564. mense intercalari, pridie Kal. Mart.* Ascon. in Cicer. p. 186. *Pompejus consul* III. *creatus est ab interrege Ser. Sulpicio* V. *Kal. Mart. mense intercalario.* & p. 185. *Hæc agebantur mense intercalari.* Vetustissimus ICtus Cato de verb. signif. *Mensis intercalaris constat ex diebus viginti octo.* Cicer. Verr. II. 52. *Tum Cephaleditani decreverunt intercalarium quadraginta quinque dies longum.* Muncker. de Intercal. II. 2. Gaza de Mensib. c. 18. Haguelon. Diction. triling. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. IX. p. 1032. E.

Mensis lunaris *est temporis quoddam spatium à nova luna.* Censor. de Die nat. c. 22. Est triplex I. Περιοδικὸς, cum luna ab eodem puncto zodiaci profecta ad idem revertitur. Quod tempus constat secundum Plin. II. 9. & Chalcid. in Timæum Platonis p. 59. diebus $27\frac{1}{3}$ Secundum Cleomedum Meteor. I. 3. diebus $27\frac{1}{2}$ Secundum Gell. III. 10. & Macrob. in Somn. Scip. I. 6. diebus 28. Secundum Vitruv. IX. 4. diebus 28. & una circiter hora amplius. Secundum Martian. Capell. VIII. diebus 27. & besse. II. Συνοδικὸς, cum luna à sole profecta rursus ad eum redit. Quod fit secundum Censor. l. l. die $29\frac{1}{2}$ Geminum p. 115. die $29\frac{1}{2}$ $\frac{1}{33}$ Plin. II. 9. Cleomed. l. l. Cassiod. Var. II. 36. die 30. III. φάσεως est, qui incipit secundo die à coitu, duratque usque dum tota rursus deficiat, exque oculis evanescat. Plin. II. 9. *Lindenbrog. in Censorinum, Thysius in Gellium* I. 20. *Salmas. de Emend. temp.* I. p. 9. *Voss. de Idolol.* II. 19. *Turneb. Adv.* XVI. 13. *Philand. in Vitruvium. Haguelon. Diction. triling. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p. 1031. E.*

Mensis magni meminit Virg. Ecl. IV. 12.

—— & incipient magni procedere menses.

Ubi Servius intelligit Julium & Augustum à duobus magni numinis Imperatoribus nuncupatos. Ita ille: *Illud tangit, quod Julius, & Augustus menses in honorem Cæsaris, & Augusti acceperint nomina.* Nonnulli Junium & Julium, à dierum magnitudine, vel horarum potius, quæ tunc amplissimæ æstivis diebus sunt. *Jun. de Ann. & mens. c.* 4. Ita stultè multi blaterant. Sunt *menses* magni anni. Nam, ut magnus ipse annus dicitur, sic ejus magni *menses*. Itaque quemadmodum annus vertens duodecim tricenum plus

minus

minus dierum *menses* habet: sic & magnus annus duodecim dimetata, & descripta habet *mensium* spatia, quæ aliquot secula complectuntur. *Turneb. Adv.* XVI. 53. Non placet explicatio Servii, neque Turnebi. Quæ enim dicunt, præsertim quæ Turnebus, nihil habent peculiare ad commendationem aureæ ætatis. Sunt potiùs *menses* magni verè, atque eximii, quos nullius vita potuisset dare majores, feliciores, faustiores. *Alciat. Parerg.* VIII. 8. *Cerda in Virgilium*.

Mensis Merkedonius. V. illum inst. in *Merkedonius*.

Mensis naturalis est tempus, quo luna à sole digressa, circuitu peracto, ipsum repetit; estque dierum viginti novem, ac semissis, tantillumve amplius. Censor. de Die nat. c. 22. *Naturalium species duæ, quod partim solis, partim lunæ esse dicantur. Naturales, & antiquiores, & omnium gentium communes sunt.* Gassend. Kalend. Roman. proœm. Scalig. de Emend. temp. I. p. 9. Viola de vet. & nov. Roman. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 179. E.

Mensis solaris est, qui naturalibus circuli cœlestis segmentis definitur, qualis est transitus solis à signo ad signum. Censor. de Die nat. c. 22. *Secundum solem sit mensis, dum sol unumquodque in zodiaco orbe signum percurrit.* Scalig. de Emend. temp. I. p. 10. Junius de ann. & mens. c. 4.

MENSORES, sive metatores appellabantur, qui *mensuram* agri gruma colligebant. Lucilius:

—— viamque
Degrumabit, ut in castris mensor facit olim.

Metam vocabant signum, unde auspicabantur metiri. *Salmas. Exercit. Plin. p.* 481. *a. C.* 579. *b. D.* Hos mittebat judex, qui de finibus cognoscebat. Constant. l. 3. C. fin. regund. *Si quis super invasis sui juris locis prior detulerit querimoniam, quæ fundi cohæret cum proprietate controversiæ: prius super possessione quæstio finiatur: & tunc agrimensor ire præcipiatur ad loca, ut patefacta veritate hujusmodi litigium terminetur.* De illorum officio Aggenus Urbicus: *In judicando mensor bonum virum, & justum agere debet: nulla admonitione, aut sordibus moveri: servare opinionem: & arte, & moribus omnis illis artificis veritas custodienda est, exclusis illis similitudinibus, quæ falsa pro veris subjiciuntur. Quidam enim per imperitiam, quidam per imprudentiam peccant. Totum autem hoc judicandi officium hominem bonum, justum, sobrium, castum, modestum, & artificem egregium exigit.* Et illum describit Cassiod. Var. III. 53. *Agrimensori finium lis orta committitur, ut contentionum protervitas abscindatur. Judex est utique artis suæ. Forum ipsius, agri deserti sunt. Fanaticum credis, quem tortuosis semitis ambulare conspexeris. Judicia siquidem rerum inter sylvas asperas, & dumeta perquirit. Non ambulat jure communi. Via est illi sua lectio: ostendit, quod dicit: probat, quod didicit; exercitibus suis concertantium jura discernit: & more vastissimi fluminis, aliis spatia tollit, aliis jura concedit.* Brisson. de Form. v. p. 432.

Mensores frumentarii dicebantur, qui sub frumentationis præfecto constituti erant. Paull. l. mensores. ff. de excusat. *Mensores frumentarios habere jus excusationis apparet ex rescripto divorum Marci & Commodi.* Horum mentio in inscriptione, quæ Comi in Rhætia alta:

D. M.
CÆNNI. EUGENI. MENSORIS
PUBLICI. FLORENTIUS
LIBERTUS.

Laz. Comment. Reip. Roman. II. 15. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 30. *Cujac. Observ.* 21. 8. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* VII. 38.

Mensores etiam dicebantur, qui in *mensa* serviebant. Hos puto sic dictos ab Honorio, & Theodosio C. de mensor. l. 2. *Primicerius mensorum bicennio expleto agentis in rebus militis militiam sortiatur.* Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 92.

Mensores in militia quinam fuerint dicti, v. infr. in *Metatores*.

Mensores operum, & ædificiorum dicebantur architecti, ita periti *metiendi*, & locandi opera, ut ratio sumptuum constet, nec excedat. Vetus inscriptio apud Gruter. p. 623.

D. M.
L. CÆCIL. MAXIMI
MENSORIS. ÆDIFICIORUM

Plin. Epist. X. 29. *Mensores vix etiam iis operibus, quæ aut Romæ, aut in proximo fiunt, sufficientes habeo: sed in omni provincia inveniuntur, quibus credi possit.* Brisson. de Form. v. p. 518. Cellar. in Plinium. Spon. Misc. Erud. antiq. Sect. VI p. 225.

Mensores etiam dicebantur, qui Principem in aliquam civitatem iturum præibant, & domos, in quibus quisque hospitaturus esset, signo denotabant, & postibus hospitaturi nomen adscribebant. Erant sub magistro officiorum. Illorum mentio est in Cod. Theodos. VI. 34. Diversi erant à metatore, quod hic integris castris locum deligebat, illi singulis hominibus vel in castris, vel in Urbe. *Beger. Spicil. Antiq.* III. 5. *Spon. Miscell. Erud. Antiq. Sect.* VI. p. 226. *Panciroll. Notit. dignit. imper. orient. c.* 66.

MENTO est cognomen Juliorum. *Sigon. de Nomin. Rom. c.* 5. *August. de Famil. Rom. in Julia.*

MENTULA si salierit, sertum ad Venerem iturum portendit. *Niphus de Augur.* I. 9. De collo pueri totum ad fascinum, sive fascinantium invidiam repellendam suspendebant. V. supr. in *Fascinum*. Alsat. de Invid. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XII. p. 834. E.

MENTUM *antiquis Græcis in supplicando attingere mos erat*. Plin. XI. 45. *Stuck. de Sacrif. p.* 130. *Thomas. de Donar. c.* 5. *Hartung. Memor.* I. 8. 5. *Jun. Anim.* II. 11. Si ejus pars dextra salierit, bonorum acquisitionem omnibus significat; sinistra verò, & bonam spem, & bonum omnibus enuntiat: at si totum, nimiam senectutem præsagit. *Niphus de Augur.* I. 9.

MER.

MERCATORES appellantur, qui iis rebus, quibus abundamus, exportandis, & iis quibus egemus, invehendis quæstum faciunt. Quem quæstum laudat Cicer. de Offic. I. 42. *Mercatura, si tenuis est, sordida putanda est: si magna, & copiosa, multa undique apportans, multisque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda: atque etiam, si satiata quæstu, vel contenta potius. Ut sæpe ex alto in portum, ex portu ipso se in agros, possessionesque contulerit, videtur jure optimo posse laudari.* Genera illorum sunt. I. eorum, qui proprio nomine *mercatores* appellati sunt. II. qui negociatores, & negotia gerentes. Inter quos illud potissimum interfuit, quod *mercatores* Romæ domicilium, & familiam habuerunt, quanquam interdum quæstus causâ in provincus per aliquot mensium spatium versarentur: negotiatores verò eundem sequuti quæstum in provinciis sedem, ac domicilium fortunarum suarum collocarunt; neque ferè Romam, nisi decensendi causâ decesserunt. Itaque ut Romæ fuit *mercatorum* collegium, sic in provinciis conventus negotiatorum. *Mercatorum* collegium institutum est an. 259. Claudio, et Servilioque coss. Liv. II. 27. *Certamen consulibus inciderat, uter dedicaret Mercurii ædem. Senatus à se rem ad populum rejecit: utri eorum dedicatio jussu populi data esset, eum præesse annonæ, mercatorum collegium instituere jussit.* Sigon. de de Ant. jur. civ. Rom. II. 10. Idibus Majis Mercurio suo præsidi sacrificabant, ut lucra tribueret. V. supr. in *Idibus Majis*. Civium censorum numero non habebantur. Dionys. IX. p. 583. *Civium tum, qui puberes essent, supra centum decem millia erant; mulierum autem, & puerorum, servorumque, & mercatorum, & sordidas artes exercentium triplo plus, quam turba civilis.* Sigon. ibid. I. 14. Ad Janum geminum stabant. Horat. Epist. I. 1. 53.

O cives, cives, quærenda pecunia primum est,
Virtus post nummos. Hæc Janus summus ab imo
Perdocet, hæc referunt juvenes dictata senesque.

Siccam. de Centumv. judic. II. 2. In commentariis Cæsaris tendunt sub vallo ad portam decumanam. Frontinus: *Tiberius Gracchus in Hispania certior factus, hostem inopem* cum

commercio laborare, instructissima castra omnibus esculentis deseruit: quæ adeptum hostem, & repertis intemperanter repletum, gravemque, reducto exercitu subitò oppressit. Hinc quintana in castris forum rerum venalium. Nec solum is erat usus *mercatorum*, ut necessaria ad castra portarent; sed ut essent, quibus prædam vendere miles posset, ne ea aggravaretur, & alibi, quàm in armis haberet animum. *Mercatores* tamen, sed rerum non necessariarum, lixasque, ab priscæ disciplinæ vindicibus aliquoties expulsos, ejectosque castris, legimus. *Schel. in Polyb. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* x. *p.* 1228. *C.*

MERCATURA à mangonio olim separabatur, Plaut. Trin. II. 2. 51.

Mercaturas an venales habuit, ubi rem perdidit?

Cicer. pro Cornel. *Neque me divitiæ movent, quibus omnes Africanos, & Lælios multi venalitii, mercatoresque superarunt.* Senec. de Benef. IV. 13. *Mercator urbibus prodest, medicus ægris, mango venalibus.* Venales utrobique à *mercatura*, & venalitios à *mercatoribus* distinctos videmus: cum tamen genus quoddam *mercaturæ* exercere videantur, qui servitia vendunt. *Turneb. Adv.* XVI. 5: XXVI. 16. *Blond. Triumph. Roman.* V. *p.* 110. *G.* Neque obstat vetus inscriptio, quæ sic habet: L. VALERIUS. ZABDÆ. MERCAT. VENALICII. L. Nam libertus patronum suum mercatorem venalitium honoris causa appellat. *Vales. in Ammian.* XXII. 7.

MERCATUS differt à nundinis, quia nundinæ omnes *mercatus* sunt, non omnes *mercatus* nundinæ. *Putean. de Nund. Roman. c.* 27. *Mercatus* est locus, & dies destinatus vendendis rebus. Nundinæ hodie dicuntur stati dies in locis, vel civitatibus certis mercandi causa liberè concessi, cum immunitate à Principe donata vectigalium l. unic. C. de Nundin. *Tholosan. Synt. jur.* XXV, 3. §. 5. Possis alios minores *mercatus*, alios majores, & à tempore, & à negotiis appellare. Sed quocunque nomine, cum à sole dependent, statis, sive anni, sive mensis diebus recurrunt: cum à luna, hujus quoque sideris sequuntur inconstantiam, ordinemque suum nihilominus inveniunt, tam in mense, quàm in anno. Nostri hodie *mercatus*, qui statis hebdomadis cujusque diebus instituuntur, solares sunt, & minores: qui statis verò anni temporibus certos dies occupant, partim solares, partim lunares sunt, sed majores omnes. Hac ratione minores passim sunt in urbibus, oppidis, municipiis: majores, electis tantum regionum locis, & tanquam in unam urbem provinciæ conveniant. Singulari sanè emporii exemplo Germaniam suam Francofurtum nobilitat, Galliam Lugdunum, Italiam Placentia, Poloniam Jaroslavia, Francofurtum bis quotannis quicquid hominum est in vicinis regionibus, quicquid mercium colligens, ac dispensans, gemino mercatu floret, verno, & autumnali. Autumnalis, qui antiquissimus est, solis tempora sequitur: vernus, qui recentior, & ab anno 1330. lunæ. Lugdunum ad Rhodanum tres *mercatus* numerat: lunarem unum, & vernum: solares tres, mensibus Januario, Augusto, Novembri. Placentia ad Padum quatuor, & solos solares elegit. Jaroslavia ad Sanum una uno celebrior *mercatu* æstivo, quàm cæteræ pluribus: cum Delo, ut olim floruit, comparanda, quæ orbem quasi terrarum recipiebat, teste Plin. XXXIV. 2. *Mercatus in Delo, concelebrante toto orbe.* Putean. l. l. Forma *mercatus*, & nundinarum ex lege concessionis pendet: privilegia enim alia aliis dari solent, quæ communia non sunt. Valens & Valentinianus beneficii hujus utilitatem indulgent, l. 1. C. de Nundin. *Ut nullum in mercatibus, atque nundinis ex mercium negotiatoribus conveniant, vel in venalitiis, aut locorum temporali quæstu, & commodo privata exactione sectentur, vel sub prætextu privati debiti aliquam ibidem concurrentibus molestiam possint inferre.* Tholos. ibid. 6. Putean. ibid. c. 28. Locus, & tempus à sacris secerni debent locis, & feriis, in quibus pietati vacandum est. Matth. c. 21. n. 12. Et apud Esdram prohibitum vendere sabbati die. Carolus quoque Magnus Imperator prohibet *mercatum*, & nundinas haberi diebus Dominicis, Leg. Longobard. II. 1. de feriis. Et in Gallia nostri Reges repetitis constitutionibus vetant. *Tholos. ibid.* §. 8.

MERCES histrionum varia fuit. Capitol. Anton. Philos. c. 11. V. illum supr. in *Lucar.* Sex aurei dabantur priùs, notat Schol. Juven. Sat. VII. 243. *Solent petere sex aureos. Nam non licebat amplius dare.* Roscius tamen *mercedem* diurnam de publico mille denarios sine gregalibus solus accipiebat. Macrob. Sat. III. 14. Cicer. pro Roscio. Eunuchus Terentii bis acta est, meruitque pretium quantum nulla alia cujusquam comœdia, id est, octo millia nummorum, propterea summa quoque titulo adscribitur, ait Donatus. Olim poetis tragicis victoribus hircus datus, agnus Homericis rhapsodis, qui ex eo ἀρνῳδοὶ vocati, Eustath. in Homer. I. p. 5. F. *Arnodi, rhapsodi, rabdodi, quia qui cantu Homerico certabant, victores agnum accipiebant mercedem.* Buleng. de Theatr. I. 58. Salmas. in Lamprid. Alex. Sever. c. 33. Blond. Triumph. Roman. II. p. 47. C.

Merces Ictorum. V. illam supr. in *Honorarium.*

Merces etiam omne id significat, quod ex agris locatis, pecunia sub usuris credita, & aliis rebus, quarum proprietas ad nos, usus ad alios pertinet, redigimus. De prædiis Cicer. Attic. XII, 32. *Præstabo nec Bibulum, nec Acidinium, nec Messallam, quos Athenis futuros audio, majores sumptus facturos, quam quod ex eis mercedibus recipietur .... XV. 17. Ubi sit merces epularum.* 20. De *mercedibus dotalium prædiorum.* De usuris Pers. Sat. VI. 67.

Fœnoris accedat merces, hinc exime sumptus.

Horat. Sat. I. I. 14.

Hic quinas capiti mercedes exsecat.

Cuper. Observ. I. 17. Nann. Misc. IV. 1. Rycq. ad Tacit. Annal. XI. 3. §. 2. Salmas. de Mod. usur. c. 15.

Merces Idibus singulis præceptoribus à discipulis solvebatur. Horatius. V. illum infr. in *Minerval.* Hanc verisimile est Minervæ consecrare solitos fuisse quinquatribus. Tertullianus, & Juvenalis. V. & illos infr. in *Minerval.* Observari etiam solet, ut præceptores, quibus debitæ non exsolvebantur *mercedes*, hac de re conquerentes extra ordinem audirentur, l. 1. in princip. & §. 2. ff. de extr. cognit. Idque eo sensu accipiendum est, ut omnem desiderii sui apud eum, qui hujusmodi jurisdictioni præerat, exponendi necessitatem in diem postulationum producere præceptores non cogerentur; sed statim, si vellent, etiam de plano deberent audiri. *Ravard. Conject.* I. 10.

MERCURIALES dicuntur mercatores, à Mercurio, quem colebant. Cicer. Fratr. II. 5. V. illum supr. in *Capitolini. Mercatorum* collegium, V. supr. in *Mercatores.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 10. Turneb. Adv. V. 28.

MERCURIUS est dictus filius Jovis & Majæ. Hoc modo effingebatur: filo quidem corporis juvenili, facie imberbi, cum alis supra aures; nudus totus, præterquam quod in dorso palliolum habere videatur: dextra marsupium continet, quod supra caput hirci jacet: sinistra caduceum præfert, ad pedes illius gallus, & hircus sunt. *Gyrald. Synt. deor.* IX. *p.* 297. *B.* Sine manibus & pedibus. Causam tradit Plutarch. lib. An seni sit gerenda Respublica. p. 797. F. *Eam ob causam etiam Mercurios seniores sine manibus & pedibus, rigentibus vero fascinis fingunt: indicantes à senibus minimè requiri, ut corpore operentur, dummodo ii rationem efficacem, ac convenit, & fœcundam habeant.* Cum rigore fascino fictum esse narrant etiam Macrob. Sat. I. 19. *Pleraque simulacra Mercurii quadrato statu figurantur solo capite insignita, & virilibus erectis: quæ figura significat solem mundi esse caput, & rerum satorem, omnemque vim ejus non in quodam divisorum ministerio membrorum, sed in sola mente consistere, cujus sedes in capite est.* Herodot. II. p. 123. *Sed ne Mercurii statuam facerent porrecto cum veretro, non ab Ægyptiis, sed à Pelasgis didicerunt.* Cuper. Harpocr. p. 89. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 6. & Pitisci Additam. ad eundem. La Chausse de mutin. simul. tab. II. Casal. de profan. Roman. ritib. c. 6. Cum petaso, & talaribus pinnulis affixis. Sub *Mercurii* persona Plaut. Amph. prol. n. 143.

Ego

Ego has habes hic usque in petaso pinnulas:

Et *Mercurium* describens Apul. Apol. p. 307. *En vide, ut in capite crispatus capillus sub pilei umbraculo appareat, quam lepidè super tempora pares pinnulæ emineant*. Nec in petaso tantum; sed in talaribus pinnas habet: quia scilicet sermo, cujus ille putabatur deus, & quem per aëra ferre credebatur, velocissimus esse soleat, vel ut velox solis cursus exprimeretur. Macrob. l. I. *Mercurium pro sole censeri documentum est, quod simulacra Mercurii pinnatis alis adornantur, quæ res solis monstrat velocitatem. Nam quia mentis potentem Mercurium credimus, appellatumque ita intelligimus ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν, & sol mundi mens est, summa autem est velocitas mentis, ideo pinnis Mercurius, quasi ipsa natura solis, ornatur*. Gyrald. ibid. p. 298. C. Salmuth ad Pancitoll. de reb. deperd. & inv. p. 356. Aleand. Tab. Heliac. explic. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. v. p. 717. E. Bellor. Symbol. deæ Syr. simul. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. vii. p. 428. D. Fortasse galea. Hanc *Mercurio* tribuit Zenob. Prov. I. 41. *Donavit galeam Mercurio, ut & talaria, & peram*. Apud Eleos, teste Pausan. Eliac. I. p. 177. fuit *Mercurius arietem sub brachii ala gerens, & galea caput armatus*. Κυνῆν enim interpretes per *galeam* reddunt. Observatur quoque illa in argenteo orbe nummi, in quo MERCURIUS exstat. Nisi tamen potiùs vox Græca petasum designet. Illam ita interpretatur Suidas. *Galea dixit, quia, Iris, habebat galeam, id est, petasum, uti Mercurius nuntius: & Peloponnesii petasum vocant κυνῆν, sive galeam*. Facies, quem ille nummus exhibet, etiam me male habet, quod nihil commune habeat cum deo, qui ut juvenis, vel puer depingi solebat, non barbatus. Senex tamen & barbatus effingitur in ære apud Pignorium in annotationibus ad imagines deorum Vincentii Cartarii. *Cuper. Harpocr. p. 81. Monument. Antiq. p.* 194. Etiam chlamyde. Talem enim *Mercurium* suum describit Martianus initio operis: *Ac jam pubescentes genæ seminudum incedere, chlamydeque indutum parva, invelatumque cætera humerorum cacumen obnubere sine magno risu Cyprides non sinebant*. Ferrar. de Re vest. II. 3. I. Eloquentiæ, ac loquelæ præesse existimabatur, unde & Græci eum Ἑρμῆν nuncupavere. Ac quia loquela rem peragunt nuntii, eo *deorum nuntius* vocatur. Horat. Od. I. 10. 5.

Te canam magni Jovis & deorum
Nuntium.

Ubi Homerum imitatus, qui eum διάκτορον, seu διάκτορα, & κήρυκα vocat. *Ouzel. in Min. Felic. p.* 184. *Stuck. de Sacrif. p.* 45. *Rhodig. Ant. Lect.* xxix. 14. *Turneb. Adv.* xi. 28. *Gyrald. ibid. p.* 300. *D.* Invenit literas. Cicer. de Nat. deor. III. 22. *Mercurius dicitur Argum interemisse, ob eamque causam in Ægyptum profugisse, atque Ægyptiis leges, & literas tradidisse*. Tertull. de Coron. mil. c. 8. *Mercurius literas enarravit, necessarias & commerciis rebus, & nostris ergo Deum studiis*. Gyrald. l. l. & Ortel. Deor. & deær. cap. I. 14. Palæstram. Tertull. de Spectac. c. 9. *Sed & gymnicas artes Castorum, & Herculum, & Mercuriorum disciplina prodiderunt*. Hinc Ἑρμῆς Ἐναγώνιος vocatur Pindar. Pyth. II. 18. Et. Ἀγώνιος Isthm. I. 85. Et ideo *honoratus, & cultus est in palæstris*. Salvian. de Gubern. Dei vi. *Voss. de Idolol.* III. 19. *Stuck. de Sacrif. p.* 41. *Gyrald. ibid. p.* 304. *E. Ortel. l. l. Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 6. *Struv. Ant. Rom. c.* I. *p.* 92. Lyram. V. supr. in *Lyra*. Præerat mercatoribus, aliisque lucrum facientibus, quibus ingeniosissimum ostendebat lucrum. Oppian. de Piscat. III. 9.

Mercuri, tu mihi, patrue, præstantissime filiorum
Jovis, lucrosissimum inter homines ingenium
Ostende.

Et ideo in lapidibus *Mercurius negotiator* vocatur. Saxum Metis repertum an. 1599.

MERCURIO. NEGOTIATORI
SACRUM
NUMISIUS. ALBINUS
EX. VOTO

Atque à mercatoribus maximè fuit cultus. Ovid. Fast. v. 671. V. illum supr. in *Idibus Majis*. Tomas. de Donar. c. 24. Struv. ibid. p. 91. Rhodig. ibid. xix. 22. Stuck. ibid. p. 45. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. II. 9. Omnis sortitio illi attributa fuit. Et ideo illi quoddam ἑρμαῖον appendebatur. Et Ἑρμῆ κλῆρος, id est, *Mercurii sors*, quod secundum Suidam oleæ folium quod in urnam conjectum in honorem ejus primum educebatur. *Jun. Anim.* II. 5. *Tomas. l. l. Gyrald. ibid. p.* 198. *B. Libabant illi è cœna discedentes, quæ libationes Mercurio fiebant, non autem, ut postea, adulto. Mercurius enim somno videtur præesse. Libant etiam eidem linguas à cœna discedentes, eo quod linguæ illi, ceu deorum, hominumque interpreti, atque internuntio tribuuntur*. Athen. I. p. 16. B. Eustath. in Homer. Odyss. Γ. 332. *Linguas Mercurio dedicabant, ceu datori sermonis. Illas Mercurio ultimo libasse, ut memor esset cubilis, Homerus quoque indicat. Et forsan talis erat apud posteros Mercurius potabilis, de quo Deipnosophista, qui dicit Ἑρμῆν esse genus potionis apud Stratidem*. Stuck. ibid. p. 206. Buleng. de Conviv. III. 22. Rhodig. ibid. xiii. 6: xxviii. 6. Tomas. l. l. Gyrald. ibid. xvii. p. 542. F. V. etiam supr. in *Lingua*. Imo victimas illi humanas offerebant. Tertullian. adv. Gnost. c. 7. *Gallorum Mercurium hominum victima placari apud seculum licuit*. Minuc. Fel. p. 295. *Ritus fuit, Mercurio Gallos humanas, vel inhumanas*, quæ homines minimè decent, *victimas cadere*. De Teutate, qui *Mercurius*. Lucan. I. 444.

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates.

Buleng. de Venat. circ. c. 7. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 19. Ouzel. in Minutium. Lapidum acervos viatores ejus statuis solebant accumulare, ut singuli singulos adjicerent. V. supr. in *Lapis*.

Mercurius ales, & alipes fuit dictus propter talaria alata. Auct. Priap. c. 8. n. 10.

Sub tunica virgam num deus ales habet?

Ovid. Met. xi. 312.

Alipedis de stirpe dei.

Gyrald. Synt. deor. ix. p. 307. C.

Mercurius Argicida cognominatus est, non quod Argum Ius Inachidis custodem interemerit, ut fabulis est proditum: sed à sermonis potius, cui præesse existimabatur, pernicitate, Ἀργὸν enim significat tum velocem, tum tardum, ut grammatici observant; oratione verò, ac sermone nihil velocius: nam & ideo Homerus ἔπεα πτερόεντα, hoc est, *alata verba* dixit, atque ideo illi talaria, & petasum antiqui attribuerunt. Macrob. Sat. I. 19. *Argiphontes cognominatus est, non quod Argum peremerit, quem ferunt per ambitum capitis multorum oculorum luminibus ornatum custodisse Junonis imperio Io Inachi filiam, ejus deæ pellicem, conversam in bovis formam, quam fabulam in primis Ovidius est exsecutus: sed sub hujusmodi fabula Argus est cœlum, luce stellarum distinctum, quibus inesse videtur vis quædam cœlestium oculorum. . . . Is ambitus cœli stellarum luminibus ornatus tunc æstimatur enectus à Mercurio, cum sol diurno tempore obscurando sidera velut enecat, vi luminis sui conspectum eorum auferendo mortalibus*. Gyrald. Synt. deor. ix. p. 302. E.

Mercurius Arcas dictus est à regione, in qua nutritus fuit. Stat. Theb. iv. 482.

—— *virgaque potenti*
Nubilus Arcas agat.

Mart. ix. 35. 6.

Cum quibus Alcides, & pius Arcas erat.

Gyrald. Synt. deor. ix. p. 299. E.

Mercurius Caducifer cognominatus est à caduceo, quo fingebatur uti. Ovid. Fast. iv. 605.

Tartara jussus adit sumptis caducifer alis.

Met. II. 708.

Hinc se sustulerat paribus caducifer alis.

Arnob. III. p. 118. *Caduceator ille Cyllenius, in Algido fusus monte, verborum excogitator & nominum, nundinarum, mercium, commerciorumque mutator*. Gyrald. Synt. deor. ix. p. 299. G.

Mercurius Camillus dictus est, quia deorum minister. V. illum supr. in *Camillus*.

Mer-

Mercurius Cyllenius dictus est, & Cyllius per syncopen. Virg. Æneid. IV. 252.

Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Constitit.

& proles Cyllenia. Virg. ibid. n. 258.

Materno veniens ab avo Cyllenia proles.

à Cyllene, monte Arcadiæ, in quo & nutritus, & diversatus est. Vel quod somnum animantibus conciliet, ut qui potestatem κυλλάδων habeat. Κυλάδες enim particulæ sunt, quæ sub oculis sunt: unde & Attici κυλλοιδιᾷν dicunt, cum palpebræ, seu oculorum genæ intumescunt, id quod provenire solet ex nimio, vel item ex minimo somno. Festus: *Cyllenius Mercurius dictus, quod omnem rem sermo sine manibus conficiat, quibus partibus corporis qui carent, κυλλοὶ vocantur: ideoque quadratum eum fingunt. Alii volunt sic appellatum, quod in Cyllenia via sit nutritus. Alii, quod in monte Arcadia Cyllene. Alii a Cyllene sit nympha educatus.* Gyrald. Synt. deor. IX. p. 299. C. Stuck. de Sacrif. p. 45. Casal. de Prof. antiq. rit. c. 6. Malvas. Marm. Felsin. Sect. V. c. 13. Vinding. Hellen. Thes. Antiq. Græv. Gronov. Tom. XI. p. 73. D.

Mercurius Ἐνόδιος, sive vialis est dictus, quia viarum præses, in biviis, & compitis ponebatur ad semitas monstrandas. *Gyrald. Synt. deor.* IX. *p.* 306. *D. Selden. de Diis Syr.* II, 15. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 6. *Holsteen. Comment. in Nymph. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom.* IV. *p.* 1802. *B. Tomas. de Donar. c.* 24. *Petav. in Themist. Orat.* XIII. *p.* 669. *Bergier. de viis milit.* IV. *Sect.* 43. §. 15. *& ad illum Henninius. Voss. de Idolol.* II. 32.

Mercurius κλέπτης cognominatus est, quia furti inventor. Lactant. I. 10. *Mercurius fur, & nebulo, quid ad famam sui reliquit, nisi memoriam fraudum suarum? cœlo dignus, quia palæstram docuit, & lyram primus invenit.* Prudent. contr. Symmach. I. 86.

Expertes furandi homines hac imbuit arte
Mercurius Maja genitus,

Horat. Od. I. 10. 7.

Callidum, quicquid placuit, jocoso
Condere furto.

Gyrald. Synt. deor. IX. p. 297. F. Casal. de Prof. Roman. ritib. c. 6. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 19. Quod confictum, quia commercia sermone, ac eo sæpè fraudulento, constant. *Voss. de Idolol.* II. 32.

Mercurius malevolus fuit dictus, quia *ejus statua in mullini tabernam spectabat.* Festus. Dii enim adspicientes favere putabantur, & contra. *Gyrald. Synt. deor.* IX. *p.* 301. *C. Dacer. in Festum. Laurent. Var. sacr. gentil. c.* 8.

Mercurius pacifer dictus fuit, ut testatur Ovid. Met. XIV. 291.

Pacifer huic dederat florem Cyllenius album.

& in nummis Posthumi, in quorum uno clavam videtur tenere. *Cuper. Harpocr. p.* 81.

Mercurius ψυχοπομπὸς dictus est, quia animas mortuorum ad orcum compellit. Hanc vim, & potentiam virgæ ejus adscribit Virg. Æneid. IV. 239.

——*primum pedibus talaria nectit*
Aurea, qua sublimem alis, sive aquora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant:
Tum virgam capit: hac animas ille evocat orco
Pallentes, alias sub tristia tartara mittit,
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.

Horat. Od. I. 10. 17.

Tu pias latis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam, superis deorum
Gratus & imis.

Petron. c. 100. *Mercurius, qui animas ducere, & reducere solet.* Quæ ratio est, cur à morientibus invocaretur. Salutem, & pacem animæ Alcestis chorus precatur apud Euripidem his verbis:

Vale: benevolus te subterraneus Mercurius.
Et Pluto excipiet.

Plato etiam in Phædone, de statu animarum post mortem loquens, docet, eas à labe ante contracta purgatas, à *Mercurio* ad amnem Lethæum deduci, ut ex eo oblivionem omnium rerum bibant, quo facto, licere eis in vitam redire, fatali temporum orbe circumacto. Mentem Platonis expressit Virg. Æneid. VI. 748.

Has omnes ubi mille rotam volvere per annos,
Lethaum ad flumen deus evocat agmine magno:
Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reverti.

Bellor. Descript. sepulcr. Nason. tab. VIII. Struv. Antiq. Roman. c. I. p. 92. Cuper. Nonum. antiq. p. 185. Turneb. Adv. XXVI. 5. Malvas. Marm. Felsin. Sect. V. c. 13. La Chausse de Tesser. tab. X. Guther. de Jur. man. I. 12. Gonsal. in Petronium.

Mercurius quadratus est appellatur, vel quia quatuor, id est, literas, musicam, geometriam, & palæstram invenerit. Homeri enarrator: *Mercurius, Jovis & Maja Atlantidos filius, cum adhuc inter homines degeret, quatuor maxima invenit, literas, & musicam, & palastram, & geometriam. Quamobrem illum Graci quadratum effingunt.* Pinell. Addit. Argol. in Panvin. de Lud. circ. I. 6. Vel quia sermonis, & veritatis est præses. Scholiastes Aristophanis: *Quoniam ajunt Mercurium sermonis, & veritatis esse prasidem, ob id effigiem ejus quadratam, & forma cubi faciebant. Indicantes ejusmodi figuram in quamcunque partem ceciderit, perpetuo rectam manere. Sic oratio, & veritas ubicunque sibi similis, & uniformis est; mendacium multiplex, & varium.* Castellan. de Fest. Græc. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 666. A. Gyrald. Synt. deor. IX. p. 301. D. Petav. in Themist. Orat. XV. p. 691.

MERENDA *est cibus, qui declinante die sumitur, & proxima cœna, unde & antecœna à quibusdam vocatur: item merendare, quasi meridie edere.* Isidor. XX. 2. Nonius I. §. 118. *Merenda dicitur cibus, qui post meridiem datur.* Ejus mentionem facit Plaut. Most. IV. 2. 50.

Videsis ne forte ad merendam quopiam devorteris.

Buleng. de Conviv. I. 2. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 169. Stuck. Antiq. Conviv. I. 8. Baccius de Conviv. antiq. I. Nonn. de Re cibar. I. 4. Vel quia dabatur iis, qui merebant ære, hoc est, mercenariis. Calpurn. Eclog. V. 61.

——*sera cum venerit hora merenda.*

Nam, antequam laborè mitterentur, dabatur, ut puta à domino, seu conductore. *Scalig. Conject. in Varr. p.* 247. *Voss. Lex. Etymol. Buleng. l. l.* Dabatur opificibus, agricolis, aliisque, qui laboribus vitam exercitam habebant, præsertim æstivo tempore, quia à laboribus pomeridianis aliquam refectionem merebantur, Pueris etiam exhibebatur, quoniam illorum calor innatus facilè omnes cibos concoquit. Isidor. XX. 3. *Hinc & merenda, quod antiquitus pueris, & operariis panis merus dabatur.* Baccius de vino IV. p. 131. D. de Conviv. antiq. I. 1, Nonn. l. l. Festus tamen scribit, *merendam antiquos dixisse, quod medio die caperetur.* Quare dicendum, priscis temporibus, nondum inducto prandii nomine, *merendam* pro prandio fuisse, postea verò pro cibo, qui post meridiem dabatur, ut apud nos hodieque fit. *Dacer. in Festum. Ursin. l. l.*

MERETRICES erant discretæ à matronis habitu, quia stola, id est, tunica talari instita assuta, vitta, & palla uterentur. (V. singula suis locis) sed illæ brevibus tunicis ad instar virilium, & toga uti cogerentur. Ulpian. ff. de Injur. *Multo minus si meretricia veste femina, non matrisfamilias vestita essent.* Ferrar. de Re vest. I. 3, 23. Brisson. Antiq. Select. I. 4. de Jur. connub. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 1069. C. Laurent. de Adult. & meretr. c. 2. Dorleans in Tacit. p. 315. a. Demster. in Rosin. Antiq. Roman. V. 32. Turneb. Adv. XVI. 19. Hoc amplius, sellis lecticisque honestiores matronæ gestabantur, quarum *usum probrosis feminis* à Domitiano interdictum narrat Suet. c 8. n. 9. Dio laudatus infr. in *Scimpodium.* Inde, sella cultus matronalis. Apul. Met. XI. p. 369. *Vidi & ursam mansuem, qua, cultu matronali, sella vehebatur.* Brisson. Antiq. Select. l. l. Quo modo differant à prostibulis, docet Non. V. §. 8. *Inter meretricem, & prostibulam hoc interest: quod meretrix honestioris loci est, & quastus:*

nam

nam meretrices à merendo dictæ sunt, quod copiam sui tantummodo noctu facerent: prostibula, quod ante stabulum stent quæstus diurni, & nocturni causa. Manifestissime discernit Plaut. Cistell. Fragm.

Intro ad bonam meretricem: adstat enim via
Sola: prostibula sane est.

Brisson. ibid. p. 1068. F. Erant ut plurimum servilis, aut certè libertinæ conditionis, Plaut. Cist. 1. 1. 39.

Eunt depressum, quia nos sumus libertinæ:
Et ego, & mater tua, ambæ meretrices sumus.

Liv. xxxix. 9. *Scortum nobile, libertina Hyspala, Fecenia, non digna quæstu, cui ancillula adsuaverat, etiam postquam manumissa erat, eodem se genere tuebatur.* Ac planè Scto, Tiberii tempore facto, quæstum corpore facere mulieres vetitæ sunt, quarum avus, pater, maritusve equo publico meruisset. Tacit. Annal. ii. 85. 1. *Eodem anno gravibus decretis libido feminarum coercita est: cautumque, ne corpore quæstum faceret, cui avus, aut pater, aut maritus eques Romanus fuisset.* Brisson. ibid. p. 1069. F. Illarum crinis fuit flavus. Horat. Od. 1. 5. 4.

Cum flavam religas comam.

de Pyrrha meretricula. De Ariade prostratæ pudicitiæ Catulli. lxiv. 63.

Nec flavo retinens subtilem vertice mitram.

Tiraquell. in Alex. Gen. v. 19. Jun. de Com. c. 9. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. v. 37. V. & supr. in *Matrona*. Apud ædiles flagitium profiteri, suumque nomen edere cogebantur, V. supr. in *Ædiles plebis*. Ædiles illas in tabulis, ut sic dicam, habebant, & si quam vulgantem se extra eum numerum nacti multabant pecunia. Liv. x. 31. *Eo anno Q. Fabius Gurges consulis filius ædilis aliquot matronas ad populum stupri damnatas pecunia multavit.* Et exsilio. Liv. xxv. 2. *L. Villulus Tappulus, & M. Fundanius Fundulus, ædiles plebeji, aliquot matronas apud populum probri accusarunt: quasdam ex iis damnatas in exsilium egerunt.* Lipf. Tacit. Annal. p. 54. Brisson. ibid. B. Laurent. l. l. Auctor Misc. defens. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 537. Nudæ prostabant. Petron. c. 7. *Cum ego negarem cognoscere domum, video quosdam inter titulos, nudasque meretrices furtim conspatiantes.* *Meretricis* talis periphrasis est apud Horat. Sat. ii. 7. 48. V. illum supr. in *Lacerna*. Juven. Sat. vi. 122. V. illum infr. in *Ornamenta*. Et Xiphilin. lxxix. p. 912. E. V. illum supr. in *Lupanar*. Brisson. ibid. A. Ferrar. de Re vest. i. 3. 23. Gonsal. in Petronium. Barth. in Claud. Rufin. ii. 447. & Adv. xii. 15. Factum hoc, ut commodè inspici possent amatoribus, ne qua labe occulta deciperentur. Senec. Contr. 1. 2. V. illum infr. in *Servus*. Nam cum matronæ ita stola talari, & manuleata opertæ essent, ut nihil præter faciem appareret. Horat. Sat. 1. 2. 94.

Matronæ, præter faciem, nil cernere possis,
Cætera, ni Catia est, demissa veste tegentis.

Contra quæ licentiam stupri vulgaverant, non cervice modò, sed humeris, atque lacertis conspicuis, ac seminudis erant. Ovid. de Art. iii. 307.

Pars humeri tamen ima tui, pars summa lacerti
Nuda sit, à læva conspicienda manu.
Hoc vos præcipuè, niveæ, decet: hoc ubi vidi,
Oscula ferre humero, qua patet, usque libet.

Non cervix igitur solum nuda, sed & ima pars humeri, & quæ conjungitur prima lacerti in amatorum oculos incurrebat, Nuda ergo cervice monile suspendebant, quibus stolæ cuncta operientis jus non erat. *Ferrar. l. l.* Aurum & gemmas an gestare potuerint. V. supr. in *Aurum*. Quum vagarentur per urbem, palliis capita obtegere solebant. Ita Quartilla opertum habuit caput apud Petron. c. 9. *Retexit superbum pallio caput.* Huc non ineptè fortassis traho Mart. ix. 33. 1.

Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur.

Gonsal. in Petronium. Brisson. ibid. p. 1067. C. Cuique certa cella constituebatur V. illam supr. in *Cella*. Nec tantum cella, sed etiam frons meretricis inscribebatur. Seneca: V. illum supr. in *Cella*. Durant. Var. Lect. 1. 2. Almelov. Antiq. ex sacr. prof. p. 40. Laurent. l. l. Sunt etiam qui putent, ad hunc morem allusisse Prophetam Jerem. c. 3. n. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Sed longè aliter sentimus, nam nomen non meretricis pependit fronte, sed cellæ, frontem enim domus veteres dixisse vulgare est. *Nicol. de Sigl vet. c. 37. §. 7.* Cellæ merces erat as. Petron. c. 8. *Jam pro cella meretrix assem exegerat.* Gonsal. & Franc. Dan. in Petronium. Concubitus pretium, & quantum mercedis singulis diebus quærere, ac referre deberent, definiebant lenones, qui hoc perscriptum habebant in suis tabulis. Unde Seneca l. l. *Da mihi lenonis rationes: captura convenit,* id est, apparebit, tantum quotidie te retulisse lenoni, quantum exspectaverat, quantumque tibi singulos in dies præfinisse in suis rationibus expresserat. Etiam quantum quinque mererent concubitu, aut singulis, pluribusve noctibus, statuisse lenones, manifestum est multis locis. Notabilis ille est, qui legitur apud Velser. in vita Apollon. Tyr. p. 695. *Puella ait, prosternens se ad pedes ejus: miserere, domine, virginitatis meæ, ne prostituas hoc corpus sub tam turpi titulo. Leno vocavit villicum puellarum, & ait, ancilla, quæ præsens est, & exornetur diligenter, & scribatur ei titulus, quicunque Tarsiam devirginaverit, mediam libram dabit: postea ad singulos solidos populo patebit.* Plaut. Pœn. 1. 2. 61.

Monstrum mulieris! tantilla tanta verba funditat:
Cujus ego vel nebula cyatho septem noctes non emam.

Schulting. in Senec. contr. p. 78. b. Dorleans ibid. p. 318. b. Almelov. l. l. Videtur illis lege fuisse præscriptum, ne nimium emungerent pecuniæ. Plaut. Trin. iv. 2. 47.

Quæ adversum legem accepisti à plurimis pecuniam.

Viliores duobus obolis prostabant. Festus: *Diobolares meretrices dicuntur, quæ duobus obolis ducuntur.* Plaut. Pœn. 1. 2. 58.

Servulorum sordidulorum scorta diobolaria.

Almelov. l. l. Manebant in circo & theatro. Lamprid. Heliogab. c. 26. *Omnes de circo, de theatro, de stadio, & omnibus locis, & balneis meretrices collegit in ædes publicas.* c. 32. *Fertur & una die ad omnes circi, & theatri, & amphitheatri, & omnium urbis locorum meretrices ingressus.* Panvin. de Lud. circens. 1. 8. Buleng. de Circ. Rom. c. 56. Juven. Sat. iii. 65.

—— & ad circum jussas prostare puellas.

In illis Claudii etiam Imperatoris uxor Messalina inventa est. Juven. Sat. vi. 117.

Ausa Palatino tegetem præferre cubili.

Scilicet Palatino monti, qua orientem spectat, contigua per id tempus erat altera circi extremitas. Hinc facile, & expeditum iter Messalinæ è Palatio ad proximas circi maximi porticus. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 23. §. 2.* Et prostabant post ludos exactos. Isidor. xviii. 42. *Idem vero theatrum, idem & prostibulum: eo quod post ludos exactos meretrices ibi prosternerentur.* Plaut. Cas. prol. n. 84.

—— transacta fabula,
Argentum si quis dederit, ut ego suspicor,
Ultro ibit nuptum, non manebit auspices.

Liv. ii. 18 *Eo anno Romæ, cum per ludos ab Sabinorum juventute per lasciviam scorta raperentur.* Buleng. de Theatr. 1. 16. & 49. Lipf. Elect. 1. 11. In pistrinis. V. supr. in *Alicaria*. & infr. in *Mola*. In sepulcris. V. supr. in *Bustuaria*. In Suburra. V. infr. in *Suburra*. In Summænio, loco in Urbe sub antiquis mœnibus. Mart. 1. 35. 5.

At meretrix abigit testem veloque seraque,
Raraque Summæni fornice rima patet.

Hinc irrisoriè dicuntur *Summænianæ uxores.* Mart. iii. 82. 2.

Summænianas cœnet inter uxores.

xii. 32. 1.

Et plena turpi matris olla resina,
Summæniana quo pilantur uxores.

Laurent. l. l. Brisson. ibid. p. 1067. C. In portubus, obvio nimirum quæstu propter copiam nautarum, & mercatorum. Hinc de Canidia Horat. Epod. xvii. 20.

Amata nautis multum, & institoribus.

Vile enim scortum, quod in publico prostiterit, indicat.

In

In littoribus. Hoc conjicio ex Quintiliano: *Fortasse natus est ingenuus, fortasse ex aliquo littore, prætextam fortuna reddidit.* Cicer. Verr. v. 25. *Tametsi in acta cum mulierculis jacebat ebrius.* Prudent. contr. Symmach. I. 135.

——temulentus adulter
Invenit expositum secreti in littoris acta.

Laurent. l. l. Chamillard. in Prudentium. In triviis, & angiportis, instar vilium canum, quos in triviis Venereis nodis cohærere scribit Lucretius. Hinc Catull. LVIII. 1.

Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus quam se atque suos amavit omnes,
Nunc in quadriviis, & angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

Prudent. Περὶ στεφ. XIV. 38.

Sic elocutam publicitus jubet
Flexu in platea sistere virginem.

Meurs. Ceram. gemin. c. 18. Barth. l. l. Almelov. ibid. p. 38. Dorleans ibid. p. 317. b. Tempus, quando ad meretricem eundum erat, lenones indicabant tintinnabulo. Paull. Diac. XIII. 2. *Includebant in angusto prostibulo, & admittentes, tintinnabula percutiebant, ut eo sono illius injuria fieret manifesta.* Aliàs prostabant populo nona hora. Et inde *nonaria* dictæ Pers. Sat. I. 133.

Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.

Vetus interpres Persii: *Nonaria dicta meretrix, quia apud veteres à nona hora prostabant, ne mane omissa exercitatione illo irent adolescentes.* Ante illam fores erant clausæ, vel more, vel ex lege, aut edicto aliquo. Casaub. in Persium. Stuck. Ant. Conviv. I. 11. Dorleans l. l. Lips. Elect. I. 3. La Chausse de mutin. simul. tab. 6. Fertar. de Vet. lucern. sepulcr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 998. D. Salmas. in Spart. Adriano. c. 22. Almeloveen, l. l. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 8. Venerem & Cupidinem coronis sibi propitiabant. Plaut. Asin. IV. 1. 58.

Tum si coronas, serta, unguenta jusserit
Ancillam ferre Veneri, aut Cupidini.

Ut, pluribus amatoribus sibi conciliatis, è tali quæstu ditescerent. Ovid. Fast. IV. 865.

Numina vulgares Veneris celebrate puellæ,
Multa professarum quæstibus apta Venus.
Cumque sua domina date grata sisymbria myrto,
Textaque composita juncea vincla rosa.

Paschal. de Coron. IV. 3. Priapi mentulam coronabant. Auct. Priap. L. 6.

Totam comparibus, Priape, nostris
Cingemus tibi mentulam coronis.

XL. 1.

Nota Suburranas inter Telethusa puellas,
Quæ puto de quæstu libera facta suo est:
Cingit inaurata penem tibi, sancte, corona:
Hunc pudicæ summi numinis instar habent.

Scalig. in Priap. XL. 1. Paschal. l. l. Quoties pensum absolvissent, aut, ut Prop. II. 24. 22. loquitur, quot *minera* nocte una *confecissent*, tot corollas ludicro cuipiam, & minorum gentium deo donabant, puto Triphallo, Marsyæ, Hermæ, talibus. Priap. XXXIV. 4.

Quæ quot nocte viros peregit una,
Tot verpas tibi dedicat salignas.

Lips. Antiq. Lect. p. 158. Quæstus illarum vectigali obnoxius fuit. Tributum illud primus Caligula instituit. Ejus ad hæc usque tempora exemplum manere dicitur. Suet. c. 40. n. 5. *Ex capturis prostibulorum quantum uno concubitu mereret: additumque ad caput legis, ut publico tenerentur, quæ meretricium, quave lenocinium fecissent.* Lamprid. Alex. Sev. c. 24. *Lenonum vectigal, & meretricum, & exoletorum in sacrum ærarium inferri vetuit; sed sumptibus publicis ad instaurationem theatri, circi, amphitheatri, & ærarii deputavit.* Brisson. ibid. p. 1069. D. Veneri speculum dicabant. Auson. Epigr. LIV. 1.

Lais anus Veneri speculum dico: dignum habeat se
Æterna æternum forma ministerium.
At mihi nullus in hoc usus; quia cernere talem,

Qualis sum, nolo: qualis eram, nequeo.

Omnes enim, qui artem aliquam desinebant, illius instrumenta diis ipsius artis præsidibus suspendebant, sacrabantque. *La Chausse de Deor. simulacr. tab.* XXVII. Ad concubitum cum bestiis quandoque in theatris publicè damnabantur. Apul. Met. X. p. 353. *Ecce quidam miles per mediam plateam dirigit cursum, petiturus, populo jam postulante, illam de publico carcere mulierem, quam dixi propter multiforme scelus bestiis esse damnatam, meisque præclaris nuptiis destinatam.....* Argol. l. l.

Meretrix pedestris, aut pedanea dicta fuit, quia *pedibus sine musicis instrumentis in convivia ventitaret: aut potius, quia ad terram se subigendam mœchis substerneret.* Procop. in Anecdotis. *Buleng. de Theatr.* I. 49.

MERIDIANI vocabantur gladiatores, qui circa *meridiem* exhibebantur, ut populus à sanguine recrearetur, atque inde lætus discederet. Senec. Epist. 7. *Casu in meridianum spectaculum incidi, lusus exspectans, & sales, & aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruore acquiescant. Contra est, quidquid ante pugnatum est, misericordia fuit. Nunc, omissis nugis, mera homicidia sunt. Mane leonibus, & ursis homines, meridie spectatoribus suis objiciebantur.* Tertull. adv. gent. c. 15. *Risimus & inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem: vidimus & Jovis fratrem gladiatorum cadavera cum malleo ducentem.* Hisce valdè delectatus est Claudius. Dio LX. p. 673. B. *Exhibuit crebro ludos gladiatorios, quibus vehementer delectabatur.* D. *Nam ut alia, sic & illos inprimis magna cum voluptate spectabat, qui, horis inter spectacula interjectis, circa prandii tempus concidebantur.* Suet. c. 34. n. 6. V. illum inst. in *Prandium*. Quos Suetonius *meridianos*, Dio μονομάχους vocat, eos intelligens, qui inter se depugnabant. Hi tamen non erant legitimi, destinatique gladiatores, sed bestiariorum velut reliquiæ, & purgamenta. *Lips. Sat.* II. 15. *Mercur. Gymn.* I. 2. *Fab. Semestr.* I. 6. *Turneb. Adv.* XXVII. 19. *Argol. in Panvin. de lud. Circ.* c. 14. *Thys. de Gladiat,* p. 228. *Laurent. Polym.* IV. 9. *Gutber. de jur. man.* II. 9. *Heins. Exercit. sacr.* p. 377. *Buleng. de Venat.* c. 34. *Torrent. & Pitisc. in Suetonium.*

MERIDIARE, id est, *meridiano* cibo sumpto, ut esset alter veluti dies inter prandium & vesperam, quiescere solebant veteres. Plin. Epist. III. 5. *Dormiebat minimum, mox, quasi alio die, studebat in cœnæ tempus.* Senec. de Tranquill. c. 15. *Quidam medio die interjunxerunt, & in postmeridianas horas aliquid levioris operæ distulerunt.* Sidon. Epist. II. 9. *Excusso torpore meridiano paullisper equitabamus, quo facilius pectora marcida cibis cœnatoriis fasti exacueremus.* Ipsæ feminæ. Suet. c. 38. n. 9. *Gloriatus me expergefacta somnio Cæsonia quantum egisset, dum ea meridiaret.* Etiam Imperatores. Augustus. Suet. c. 78. n. 1. *Post cibum meridianum, ita ut vestitus, calceatusque erat, retectis pedibus, paullisper conquiescebat, opposita ad oculos manu.* Alexander Severus. Lamprid. c. 61. *Et quum dormiret post convivium hora diei fere septima.....* Aliique. Somnum hunc *insititium* vocat Varr. de Re rust. I. 2. *Tamen æstivum diem si non diffinderem meo insititio somno meridie, vivere non possem.* Salmas. Exercit. Plin. p. 96. a. G. b. D. Barth. Adv. XLV. 4. Demster. Paral. ad Antiq. Roman. Rosin. V. 27. Savar. in Sidonium. Casaub. in Suetonii Augustum. Pitisc. in Suetonii Caligulam.

MERIDIES est medius dies. Censor. de Die nat. c. 24. *Tunc meridies, quod est medii diei nomen.* Dicitur quasi *medidies*. Nam *d*, antiqui, non *r*, in hoc loco dicebant: sed suavioris pronuntiationis ergo mutatum est *d* in *r*. Cicer. de Orat. c. 47. *Ipsum meridiem, cur non medidiem? credo, quod erat insuavius.* Moreltell. Philom. IV. Dial. 6. Voss. Lex. Etymol.

MERITORIA in Lexico veteri sunt loca tabernaculorum, ubi adulteria committuntur. *Turneb. Adv.* XXVII. 5.

Meritoria Romanorum militum dicuntur fuisse eo loco, ubi hodie templum est S. Mariæ in Transtiberina. Erat hic locus quasi nosocomium, vel nosodochium: in quod quicunque ex militibus, aut emeritis veteranis, corpore

mutilus,

mutilus, aut alioquin æger se recipiebat, cum bellicam artem non amplius posset exercere: atque illic reliquum vitæ tempus sub medicorum cura publicis impensis, & alimonia transigebat. *Boissard. Topog. Urb. Rom. Tom.* 1. *p.* 10.

MERKEDONII nomen apud unum Græcum scriptorem Plutarchum mox laudandum exstare, apud ipsos Romanos bujus ne vestigium quidem apparere mirum est: nisi nescio quid apud Festum, apud quem legitur: *Merkedonias dixerunt à mercede solvenda*. Scribitur antiquitus *Merkedonius*, & *Merkedinus* per *k*. *Merkedinos* dies fuisse constat ex Festo. Ii dies in veteri Kalendario Romano signati sunt MERK. ut pridie Idus Julii, & aliquot sequentibus diebus: item XII. Kal. Octob. & sequentibus: denique XIV. Kal. Decembr. & sequenti biduo. Dicti à dea *Merkedona*, quæ præerat mercedibus, & pensionibus solvendis: ut apparet in mense Julio, in quo inquilini τὸ ἐνοίκιον pendebant, & migrabant ex ædibus in alias. Similiter in Teutonismo *Zinstag*, dies *Merkedonius*, dies census. In veteribus glossis: *Mercedonius, qui solvit mercedem.* Tertull. de Idolol. c. 13. *Sunt quidam dies munerum, quæ apud alios honoris titulum, apud alios mercedis debitum expungunt. Nunc ergo, inquis, recipiam meum, vel rependam alienum. Si hunc morem sibi homines de superstitione consecraverunt, tu extraneus ab eorum vanitate quid participas idolothyta sollennia, quasi tibi quoque præscriptum sit de die, quo minus id, quod debes, vel tibi ab homine debetur, citra diei observationem luas, vel recipias? Da formam, in quam velis agi tecum.* Non est locus insignior ad hos *Merkedinos*, aut *Merkedonios* dies explicandos. *Scalig. de Emend. temp.* II. *p.* 177. V. *p.* 441. *Putean. de Bissext. c.* 2. *Muncker. de Intercal.* III. 8. §. 1. 2. 3. Sunt dies *Merkedonii*, qui in tribus mensibus anni, Quintili, Septembri, & Novembri eximebantur, è mense Quintili quatuor, è Septembri tres, è Novembri totidem: atque ita annus minuebatur decem diebus. Id enim significat nota *Merked.* quæ quibusdam diebus mensis Quintilis, Septembris, & Novembris adscribitur in illo Kalendario: factaque est appellatio *Merkedonii* communis mensi, qui interkalabatur, & diebus, qui eximebantur. Neque id sine causa. Nam non minus conducit hæc dierum aliquot ad exæquandum annum Romanum cum rationibus solis, quàm embolimi mensis intercalatio, indeque & *Merkedonius* nomen accepit: est enim παρὰ τὸ μὴν, Æolicè μεὶς, in veteri Latio *mer*, & κηδέω, unde κηδόνιος. Nam de exæquando anno Romano cum sole solliciti sunt, qui vel mensem embolimum intercalant, vel dies de mensibus eximunt. *Petit. Eclog. Chronol. de ann. & period. vet. Roman. c.* 1. Quod in veteribus fastis rusticis dies quidam *Merck* adnotatum habent, si plurimum concederemus Petito, diceremus significari dies illos ἐξαιρεσίμους, quibus nunc omnibus, nunc paucioribus exemptis, vitium per intermissionem intercalandi factum corrigeretur, & annus statum suum reciperet: non qui sollenni, ac legitima dispunctione quovis decennio excernerentur. Quanquam τὸ *merk* in rusticis fastis significare *Merkedonios*, & quidem ἐξαιρεσίμους dies conjectura sit nuda. Quod etiam exemplum harum vocum? hujus compositionis? qui transitus a sollicitudine ad dies intercalares, vel ἐξαιρεσίμους? His porro, nullis aliis rationibus, suffultum proficisci ad corrigendos illos fastos, alibi vocem *Merk* delere, alibi transponere, quid est nisi strenuè ingenio suo abuti? *Gronov. Observ.* II. 18. *Merkedonius* mensis sub Numa intercalabatur singulis bienniis, sed cum hoc discrimine, quod primo biennio haberet dies 22. secundo 23. Ratio hæc est: quod primo biennio in anno lunari deerant tantum dies 22. & horæ 12. secundo autem biennio dies 22. & horæ 24. tot enim diebus singulis quadriennnis annus solaris superaverat lunarem. Plutarch. Num. p. 71. F. *Numa inæqualitatis variationem undecim diebus animadvertens discrepare, quod lunaris 354. diebus constet, solaris verò expleat 365. geminatis undecim hisce diebus mensem intercalarem duorum & viginti dierum, quem Merkidinum vocant Romani, mensi Februario altero quoque anno inseruit.* Cæl. p. 735. D. *Soli sacerdotes momentorum conscii repente, ac nemine præsentiente mensem intercalarem adscribebant, eumque nuncupabant Merkedonium, quem interjecisse Rex Numa princeps dicitur.* Intercalabatur semper post 23. Februarii, quia is ratione intercalationis censebatur ultimus mensis anni. *Munker. ibid.* §. 4. & 5. *Christmann. de Kalend. Roman. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* VIII. *p.* 290. *E Petad. de vet. ann. Rom. c.* 73. *Salmas. ibid. p.* 176. *C. Putean. ibid. c.* 2. & 13.

MERULA fuit cognomen Corneliorum. Illorum I. fuit L. Cornelius L. F. *Merula* flamen dialis, cos. cum Q. Minucio Thermo an. 560. II. Ejusdem nominis flamen dialis, cos. suffectus fuit L. Cornelio Cinnæ, cui imperium abrogatum est, collega Cn. Octavius occisus est, & ipse *Merula* cos. coactus à Marianis sibi manus intulit an. 666. *Augast. & Strein. de Famil. Roman. in Cornelia. Glandorp. Onom. Roman. p.* 275.

MERCIS appellatione homines non continentur; quare *merces* à venalibus separantur, l. 1. C. de nundin. V. illam supr. in *Mercatus*. Et *licet mercis appellatio angustior sit, ut neque ad servos, fullones, sarcinatores, vel textores, vel venalitiarios pertineat; tamen ad omnes negotiationes edictum porrigendum scribit Pedius*, l. 1. §. licet ff. de tribut. act. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 23.

Merx peculiaris, erat, in qua servus suo nomine domini consensu ita negotiabatur, ut ejus quæstus ad ipsum pertineret. *Sigon. de Judic.* 1. 17.

MES.

MESA est urbs Syriæ, unde orta est Julia Domna, Severi Imperatoris uxor, & *Mesa* ejus soror, aviaque materna Heliogabali, & Alexandri Imperatorum. *Emissam*, sive *Emesam* Stephanus vocat, quam dicit in Phœnicia fuisse. Ita etiam appellat Constantius, qui ibi jura condidit, l. 25. C. de decurion. *Massam* vertunt LXX. Interpretes. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 146.

MESARNUM fuit tributum dimidiatæ ovis, cujus fit mentio in Novell. Isacii Comneni: *Ab eo qui habeat famarea viginti dimidiatum nummum, & pro duobus argenteis unum argenteum, dimidiatam ovem, μέσαρνον, & hordei quatuor modios.* Buleng. de Vectig. c. 80.

MESCINIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

MESITICUM fuit tributum, quod pro loco in foro mercibus vendendis solvebatur. *Mese* dicitur forum in glossis: ἀγορὰ ἡ μέση, quia forum in medio urbium. *Buleng. de Vectig. c.* 86.

MESOCHORUS, μεσόχορος dicebatur, qui in auditorum corona signum opportunè dabat; quo dato cuncti simul acclamandi initium faciebant. Plin. Epist. II. 14. 6. *Heri duo nomenclatores mei ternis denariis ad laudandum trahebantur: tanti constat, ut sis disertissimus. Hoc pretio quamlibet numerosa subsellia implentur: hoc ingens corona colligitur: hoc infiniti clamores commoventur, cum μεσόχορος dedit signum. Opus est enim signo apud non intelligentes, ne audientes quidem; nam plerique non audiunt, nec ulli magis laudant. Magister* vocatur Platon. in Euthydemo: *Cum hæc ille dixisset, quemadmodum chorus, signum dante magistro, summo plausu conclamarant, & riserunt omnes.* Mirror eos, qui ex hisce locis alternas factas acclamationes crediderunt, magistrum ac μεσόχορον *præcentorem* interpretantes. Quorum errorem ea certa verba, *signum dante*, & *dedit signum*, planè coarguunt. Nimirum, quemadmodum in veterum choris erant τοῦ χοροῦ κορυφαῖοι, qui pede terram, aut pulpitum tundentes, canendi signum, ac modum cæteris dabant, neutiquam canentes ipsi, vel certè cum reliquis unà canentes: id quod nunc etiam fit in musicis concentibus ab eo, qui librum, aut mensam, levata, positaque manu feriens, cantici modulationem temperat, ac moderatur. Quemadmodum in navibus erat unus aliquis, qui nequaquam ipse remigans, remigibus tamen remigandi modos, ac signum daret: sic aderat in auditoriis magister, seu μεσόχορος, qui cunctis signum acclamandi daret, minimè acclamans ipse, vel certè unà cum cæteris acclamans. *Ferrar. de Vet. acclam. & plaus.* 1. 18. *Rhodig. Ant. Lect.*

IV. 14. *Buleng. de Theatr.* I. 51: II. 12. *Siccam. de Centumv. judic.* I. 13. *Valeſ. in Ammian.* XIV, 6.

MESOPOTAMIA jacet inter Tigrim, & Euphratem, unde nomen obtinuit, olim Adiabene dicta, ut ait Stephanus, *Pancіroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 150. Illam ſubegit Trajanus. *Pancіroll. ibid. c.* 99.

MESSALA fuit cognomen Valeriæ gentis. Hoc cognomen ſibi adeptus eſt Valerius ille, qui *Meſſanam* cepit. Macrob. Sat. I. 6. *Sic Meſſala tuus, Aviene, dictus cognomento Valerii Maximi, qui poſtquam Meſſanam urbem Siciliæ nobiliſſimam cepit, Meſſala cognominatus eſt.* Urſat. de Not. Roman. Theſ. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 864. F. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Filius fuit M. Valerii Corvini, nepos M. Valerii Poplicolæ Corvini; conſul ſemel, atque iterum, bellum cum Pœnis proſperè geſſit, Carthaginenſes, & Hieronem Regem devicit, cujus prœlii tabulam pictam propoſuit in latere curiæ Hoſtiliæ an. 490. Reliquos ex hac familia ordine exhibent *Glandorp. Onomaſt. Roman. p.* 864--867. & *Strein. de Famil. Rom. in Valeria.*

MESSAPIA, V. illam ſupr. in *Calabria.*

MESSIUM incenſores in Africa, propter magnum commodum, quod ex frumento provinciæ percipiebatur, graviùs quàm alibi plectebantur, l. 16. §. 9. *Evenit, ut eadem ſcelera in quibusdam provinciis gravius plectantur: ut in Africa meſſium incenſores.* Pancіroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 46. In XII. tabulis vetabantur incendi. V. ſupr. in *Fruges.*

MESSORES corbe inſignes erant. Ovid. Met. XIV. 638.

O quoties habitu duri meſſoris ariſtas
Corbe tulit, verique fuit meſſoris imago!

Prop. IV. 2. 27.

Arma tuli quondam, &, memini, laudabar in illis:
Corbis & impoſito pondere meſſor eram.

Inde Cicer. pro Sext. c. 38. *Gracchus meſſoria ſe corbe contexit*, Pignor. de Serv. p. 256. Popm. de Inſtrum. fund. p. 12. Beroald. & Paſſerat. in Propertium. Inter operas ſuum λύκον canebant. *Scalig. Poet.* I. 55. *Putean. Reliq. conviv. priſc. Theſ. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XII. *p.* 261. *B.* Plurimo utebantur allio. Virg. Ecl. II. 10. & Horat. Epod. III. 3. V. illos ſupr. in *Allium.* Cerda in Virgilium, Torrent. in Horatium.

MET.

META eſt quælibet coageries faſtigiata, ſive ſtrues, in acutum tendens, ima parte lata, ſuperiori anguſta. Ita *metam* lignorum appellat Cato de Re ruſt. c. 56. *In acervo ſub dio metas facito. Metam* fœni Colum. II. 19. *Certè, quicquid ad eum modum, quod debet, ſiccatum erit, in metas conſtrui conveniet, easque in anguſtiſſimos vertices exacui.* Ita *petra in metæ modum erecta eſt* apud Curt. VIII. 11. 6. *Simulacrum Paphiæ Veneris latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exſurgit*, apud Tacit. Hiſt. II. 3. 6. *Voſſ. Lex. Etymol. Philand. in Vitruv.* III. 1. *Bargæus de Obeliſc. Theſ. Antiq. Rom. Græv. Tom.* IV. *p.* 1908. *D. Piſc. in Curtium.*

Meta circi dicebatur terminus, prope quem quadrigæ flectebant. Horat. Od. I, 1. 4.

——*metaque fervidis*
Evitata rotis,

Prop. IV. 1. 70.

Has meus ad metas ſudet oportet equos.

Voſſ. Lex. Etymol. Barth. Adv. LVII. 16. Paſchal. de Coron. VI. 13. Bargæus de Obeliſc. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1908. B. Nardin. Rom. Vet. VII. 1. Buleng. de Circ. c. 22. Illarum materia erat lignum. Primus eas inauravit Claudius Cæſar. Suet. c. 21. n. 6. *Circo maximo marmereis carceribus, auratisque metis, quæ utraque & tophina, ac lignea antea fuerant, exculte...* Panvin. de Lud. circenſ. I. 14. Fabric. Deſcr. Urb. Rom. c. 12. Donat. de Urb. Rom. III. 14. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 13. n. 2. Nardin. l. l. Buleng. ibid. c. 24. Paſſerat. in Prop. II. 19. 66. Junius in Tertull. p. 81. a. Forma orbiculata ad inſtar coni, rotunda ad cupreſſi formam. Ovid. Met. X. 106.

——*metasque imitata cupreſſus.*

Erantque quaſi turbines inverſi. Unde & Græcis κῶνος vocantur. Qua Latina utitur Cicer. de Nat. deor. II. 18. *Conum tibi ais, & cylindrum, & pyramidem pulcriorem, quàm ſphæram videri.* Aut ſtrues πυραμοειδεῖς. Unde & pyramides & obeli à Cedreno dicuntur. Licèt pyramides tribus, aut quatuor lateribus etiam conſtiterint. *Barg. Buleng. Donat. l. l. Salmaſ. Exercit. Plin. p.* 640. *b. A. Paſſerat. l. l. Caſal. de Urb. ac Imper. Roman. ſplend. part.* 2. *c.* 3. Fuerat autem duæ, altera ad carceres, altera ad calcem, ſive ſub finem circi, & ulterior appellatur à Sidon. Carm. XXIII. n. 360. mox laudando. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 14. His ortus ſolis, & occaſus ſignabatur. Vetus poeta:

Metarum cogunt circumdare curſibus orbes,
Namque axes gemini ortum obitumque docent.

Iſidor. XVIII, 30. *Metarum appellatione propriè terminum, ac finem mundi deſignare volunt, ab eo quod aliquis emenſus finit eſt, ſive ad teſtimonium orientis, occidentisque ſolis.* Buleng. ibid. c. 22. Primæ fuerunt tantum ad ornatum circi, *Buleng. ibid. c.* 28. Adeoque minùs neceſſariæ, ut adſtruit auctor epigrammatis de Circenſibus. Sed hoc falſum. Circum utrasque enim pariter currebant. Et niſi primæ fuiſſent, pro libito ſuo aurigatores contrahere ſpatia potuiſſent, & brevioribus gyris curſus circumflectere. Præterea nondum ædificatis circis, quum in patentibus ad littora campis ludi equeſtres antiquitus celebrarentur, ſemper duæ ſtatuebantur; una, unde curſus auſpicarentur; altera, quum ad finem circumagerent, circumflecterentque. Certè circa utramque currebant. Nam ex ultima reverſi primam quoque circuibant. Statius de Lud. equeſtr. Archemoro factis Theb. VI. 351.

Metarum inſtar erant, hinc nuda robore quercus
Olim omnes exuta comas, hinc ſaxeus umbo,
Arbiter agricolis.

Salmaſ. ibid. p. 637. b. B. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 17. In prima, nempe ad carceres, neque labor, neque timor erat ob patens ſpatium. In ſecunda, quia modicus erat campus, periculum inibatur, nam anguſtius ibi campi, & arenæ ſpatium. Sidon. Carm. XXIII. n. 356.

Conſumpto ſpatio patentiore
Campus clauſerat actus arte factas,
Per quem longa umilem duplamque muro
Euripus ſibi machinam tetendit;
Ut meta ulterior remiſit omnes...

In prima periculum non ob anguſtias, ſed deſiderio compendii erat, ne ſi laxior gyrus peteretur, ſiniſtram occuparet æmulus. Hinc de ſecunda *meta* juxta artem Sidonius mox laudandus *Argol. l. l.* Malè veluti controverſum faciunt, utrum eadem *meta* ſepties luſtranda eſſet, an ſeptem *metæ* luſtrandæ. Huic dubitationi nullus locus. Poetis *ſeptima meta* ſæpè dicitur pro ſeptimo *metæ* flexu. Non inde colligi poteſt, ſeptem *metas* circumgyrandas fuiſſe. Eadem locutione Caſſiod. Var. III. 51. *Septem metis certamen omne peragitur in ſimilitudinem hebdomadis reciproca.* In hebdomade certè ſol idem eodem ſpatio ſeptenos dies non eosdem, ſed diverſos circumagit. Sed *ſeptem metas* dixit, quæ alii ſeptem ſpatia, alii ſeptem curricula, alii ſeptem orbes, alii ſeptem vias, alii κύκλους, alii διαύλους, alii ςάδια, alii καμπτῆρας. Videtur enim ex aliquo ſimili auctore ſumpſiſſe, qui *metas* dixit pro *metæ* flexibus, vel curriculis, ſpatiis, decurſibus circa *metas*. *Septem* itaque *metis*, id eſt, ſeptem curriculis, vel ſpatiis certamen peragitur. *Metam* eandem ſepties luſtratam oſtendit etiam Prop. II. 19. 65.

Aut prius infecto depoſcit præmia curſu,
Septima quam metam triverit ante rota?

Ovid. Halieut. v. 68.

Seu ſeptem ſpatiis circo meruere coronam.

Cedrenus: *Nam amplius quam ſeptem circuitus, quos ſpatia, velut ſtadia, & miſſus circum metam, quæ nunc obeliſcus dicitur,*

titur, conficiebant auriga, quod totidem essent errones cœli. Turneb. Adv. v. 4. Faber Agon. I. 18. Passerat. ad Propertium. Cerda in Virg. Georg. I. 513. Salmas. ibid. p. 637. b. F. Panvin. de Lud. circens. I. 14. Buleng. l. l. Ars omnis, & industria aurigæ in flexione ad *metam* in eo fuit, ut tutò, scienter, promptè sinisteriore gyro *metam* circumageret, in quo periculum fuit, ne vel allisæ ad *metam* rotæ effringerentur, si propius in sinistrum flecteret; vel ne dexterior longius à *meta* ad podium recederet. Quod utrumque peccatum in aurigis notat Sidon. ibid. n. 394.

Hic compendia flexuosa meta
Unus dum premis, incitatus à te
Elatas semel impetu quadrigas
Juncto non valuit plicare gyro,
Quem tu, quod sine lege præterirent,
Transistiremaneas, ab arte restans.

id est, ille cum inhibere cursum quadrigarum non posset, longius abductus est, & sine lege præteriit *metas*: tu artis scientia manens, & resistens, *metam* circuisti. Deinde subjicit alterius peccatum n. 400.

Alter dum popularitate gaudet,
Dexter sub cuneis nimis incurrit.

Arx sub finem septeni spatii maximè spectabatur. Sophocl. Oreste:

Agitabat ultimus, postremos habens equos,
Spem suam in fine cursus ponens.

Sidon. ibid. n. 370.

Tu conamine duplicatus ipso
Stringis quadrijugos, & arte summa
In gyrum bene septimum reservas.

Senec. Epist. 30. *Quomodo manifestior notari solet agitatorum lætitia, cum septimo spatio metæ appropinquant.* Et ideo per initia stadii moderabantur equis, & sustinebant illos, cum ad finem venirent. Cicer. Acad. IV. 29. *Ego enim, ut agitator callidus, priusquam ad finem veniam, equos sustinebo.* Buleng. ibid. c. 29. Salmas. ibid. p. 657. b. A. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 3. Postea Domitianus quinque introduxit. Suet. c. 4. n. 8. *Circensium die, quo facilius centum missus peragerentur, singulos à septenis spatiis ad quina corripuit.* Virg. Æneid. v. 130.

—— unde reverti
Scirent, & longos ubi circumflectere cursus.

Reverti, nimirum quando vicibus repetitis provehebantur à carceribus: *circumflectere*, nempe quando prope *metas* oppositas pervenerant. *Kipping. Ant. Rom.* II. 6. §. 3.

Meta, à Græcis alio nomine appellata μύλο̄ς ὀνικὸς, à tarditate, & cessatione, quæ asino propria est, est saxum illud, quod in molis substernitur, ut alterum, quod circumagitur, sustineat. Lapidem taliter substratum ὄνον appellat Xenoph. de Exped. Cyri I. p. 256. C. dum scribit: *Incolas lapides molares propter flumen effodisse, & formatos, Babylonemque vectos vendidisse, & pro hoc pretio frumento comparato vitam sustinuisse.* Hunc *lapidem incussum* dixit Virg. Georg. I. 274.

—— lapidemque revertens
Incussum . . . . reportat.

Hering. de Molend. q. 4. §. 39. V. etiam supr. in *Catillus*.

Meta sudans sita est inter amphitheatrum Titi, arcum Constantini, & hortos S. Mariæ novæ, ea proportione situs, ut hinc arcum Constantini sibi è regione oppositum habeat, adeoque & viam illam, qua per arcum istum olim ad circum maximum ibatur, & nunc ad S. Gregorii ædem pergitur; inde viam prospiciat, quæ per arcum Titi ad hortos ducit Farnesiorum. Exhibebat hic fons speciem *metæ* circensis, è cujus summitate exsiliens aqua, & inferiora ejus irrigans, nomen illi sudantis acquisivit. Extat hodieque nonnulla ejus pars, non sanè magna, è lateribus: Unde tamen vetus ejus forma facilè cognosci potest. In media ejus parte cavitas cernitur, qua aqua in fastigium ascendebat. Exhibetur integra in numismate antiquo, dialogo IV. Augustini. Hic nummus videtur indicare, à Tito ad exornandum eo magis amphitheatrum, ejusque aream, constructam fuisse. Attamen jam ante extitisse è Seneca liquet Epist. LVI. ubi strepitum referens, & clamores, quos in ædibus suis audiebat, addit: *Essedas transcurrentes pone, & fabrum inquilinum, & ferrarium vicinum, aut hunc, qui ad Metam sudantem tubas experitur, & tibias; nec cantat, sed exclamat.* Senecam enim, utpote hominem de comitatu Principis præcipuum, haud procul à palatio habitasse verisimile est. Et hic locus de alia *Meta sudante* vix intelligi potest. *Nardin. Rom. Vet.* III. 13. *Donat. de Urb. Rom.* III. 6. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 6. §. 5. *Rhodig. Antiq. Lect.* XXVIII. 12. *Faunus Antiq. Urb. Rom.* III. 11. *Crinit. de Honest. Discipl.* VIII. 5. In ejus vertice Jovis simulacrum olim fuisse proditum est. Populus, qui in amphitheatrum ad publica spectacula conveniebat, ex aqua, quæ ex ea manasse dicitur, sitim extinxit. *Marlian. Topogr. Urb. Roman.* IV. 13. *Donat. l. l. Boissard. Topog. Urbis Rom. Tom.* I. p. 38. *Faunus l. l. Schott. Urb. Rom. Descript.* p. 422. Ad hunc locum tubis, & tibiis canere discebant, ut videtur vel Seneca l. l. *Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III. p. 338. *D.*

Meta Murcia eadem quæ prima, & in carceribus. Liber de circo ultimam perperam facit. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. Intimus & primus circus ad Murciam dicitur, ubi carceres erant, & non longè inde *Murcia meta*, ab æde *Murciæ* dicta. Tertulliano quoque *metæ* primæ, & *Murcia* eædem sunt. Sic enim ait de Spectac. c. 5. *Et nunc ara Conso illi in circo defossa est ad primas metas sub terra.* c. 8. *Consus apud metas sub terra delitescit Murcia. Has quoque idolum fecit. Martiam enim deam marcoris volunt, cui in illa parte ædem vovere.* Salmas. Exercit. Plin. p. 635. b. A. 636. b. E. Buleng. de Circo c. 23.

Meta est vas turbinatum testaceum *metæ* formam habens. Mart. XI. 28. V. illum supr. in *Cottanum*. Buleng. de Conviv. II. 47. Rader. in Martialem.

Meta est quoque verbum augurale. Virg. Æneid. v. 835.

Jamque ferè mediam cœli nox humida metam
Contigerat.

Ubi Servius: *Peritè locutus est. Nam medium cœlum meta est* ἀπὸ τοῦ μεσουρανήματος *circuli, qui medius est inter ortum, & occasum. A medio autem cœlo finitur ortus, & occasus incipit siderum.* *Tesca meta* apud Varr. de Ling. Lat. VI. 2. fuerunt loca effata in mediis quatuor partibus templi. Vitruv. II. 1. *Ut ex quatuor partibus ad altitudinem educunt medio metas.* Atque hoc modo tesca sunt *metæ* constituta in agro, ubi auguria captabantur, qui effatus locus dicebatur. *Gunther. de Vet. jur. pont.* II. 3.

METALLI nomine generaliter continetur, quicquid è terra gignitur, & eruitur, æs, alumen, creta, marmor l. sed si pecunia, 3. §. 6. ff. de reb. eor. qui sub tut. *Si lapidicinas, vel quæ alia metalla pupillus habuerit stypteria*, id est, aluminis, παρὰ τὸ στύφειν, quod potentissimè adstringat, *vel cujus alterius materiæ: vel si cretifodinas, vel argentifodinas, vel quid aliud huic simile.* Sulphur, quod *vivax metallum* appellat Apul. Met. IX. p. 292. Ulpianus *metallis* disertè adnumerat, non secus atque aurum, argentum, æs, ferrum, & cætera, l. æquissimum §. proinde ff. de usufruct. quemadmodum & calcem, l. aut damnum 8. §. in calcariam ff. de pœnis. Sed & lapis pretiosus fossilis *metallum* dicitur Plin. XVII. 9. *Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv.* p. 717. *Pinell. Addit. ad Argol. in Panvin. de Lud. circ.* I. 27. *Barth. Adv.* XXXIV. 3. *Burman. Dissert. de Vectig.* c. 6. In Macedonia, Dacia, Mysia, Dardania, Ponto, & Asia præcipuè *metalla* effodiuntur, l. 5. C. de metall. Proconnesus quoque Propontidis insula, & Cyprus in mari rubro æris feraces erant. Nicephor. II. 28. & Novell. 22. seu authen. de nupt. *Panciroll. de Magistr. municip.* I. 16.

Metallum etiam vocatur *metallorum* fodina, sive locus, unde *metalla* effodiuntur. Nep. II. 2. 2. *Pecunia publica, quæ ex metallis redibat.* v. 1. 3. *Magnas pecunias ex metallis fecerat.* Tacit. Agric. c. 31. n. 5. *Neque enim arva nobis, aut metalla, aut portus sunt, quibus exercendis reservemur.* Lucan. IV. 303.

Tunc exhausta super multo sudore juventus
Extrahitur, duris silicum lassata metallis.

Castal. Var. Lect. c. 10. Græv. in Lucian. Tom. II. p. 875.

Metallum, & opus *metalli* sunt pœnæ serviles. Has pœnas ab Ægypto in Romanam Rempublicam translatas didici ex Diodor. III. p. 150. qui ob aliquod maleficium, aut facinus damnatos, itemque captivos *metallis* à Regibus addici solitos, ut vincti opus facerent, refert. *Fab. Semestr.* II. 5. Secundum est, aliud pœnæ genus esse in *metallum* damnari, & rursum aliud in opus *metalli*. Ulpianus, V. illum supr. in *Damnati*. Differentia hæc vinculorum fortean inde, quia in *metallum* damnati fodinis inhærere cogebantur, *metalla* effodientes: quod cum fieret, non erat necessum ipsos divagari, sed in illo, cui inhærebant loco, operari: indeoque absque laboris impedimento gravioribus vinculis operabantur. At qui in opus *metalli* damnabantur, propterea levioribus adstringebantur vinculis, quod in massam *metalla* reducerent, & circa varia exercitia essent occupati: quippe, qui non assiduè in fodiendo morabantur, sed modò ad exportandum *metallum*, modò ad coquendum, reducendum, & alia hujusmodi servitia præstanda adigebantur: in quibus ob graviorum vinculorum onus facilè potuissent impediri. Quanquam non in vinculis tantum, sed & in pœna differentiam istam consistere certum est. Refugæ enim ex opere *metalli*, vel in *metallum* dantur, vel pœnæ *metalli* subjiciuntur. At qui ex *metallo* fugerint, graviùs, hoc est, morte afficiuntur. *Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 708. Rhodig. Ant. Lect.* X. 5. *Laurent. de Rebuspubl. c. 6. Lips. de Magn. Rom.* II. 5. *Thys. de Magn. Roman.* I. *p.* 256.

METATA sunt hospitia, quæ supervenientibus militibus provinciales præbent. *Guther. de Offic. dom. Aug.* III. 11.

METATORES appellabantur tribunus unus ex quaque legione, & centuriones illi, qui cum exercitus appropinquabant, ubi castra ponenda, præibant. Vulgus Italicum forerios appellat. Veget. II. 7. *Metatores, qui præcedentes, locum eligunt castris.* *Metari* sanè non aliud, quàm dividere, secare suis finibus, & *metis*. Ita Virg. Georg. II. 274.

——si pinguis agros metabere campi.

Horat. Od. II. 15. 15. *Porticus metata decempedis.* Agrorum *metator* dicitur finitor Cicer. Agrar. II. 13. De castrorum *metatoribus* Lucan. I. 381.

Castra super Thusci si ponere Tibridis undas,
Hesperios audax veniam metator in agros.

Si in ipsa Italia, imo ad urbem matrem ponere me, inquit, signa jubes, & castra: en ego *metator*. Optat. Milevit. III. *Cum ante venturos milites, metatores, ut fieri solet, mitterentur.* Hi primò designabant prætorium, & legionum loca, & sic deinceps. His factis vexillum unum figebant, & primum in loco, ubi prætorium ponendum. Secundum in latere electum. Tertium in media linea, ubi tribuni tendunt. Quartum, ubi legiones. Hæc quidem punicea, illud autem Imperatoris album. Ad latera tenues interdum hastas defigebant. Interdum vexilla coloris alterius. His factis strigas dimetiebantur, & hastas in quaque figebant; quibus cum appropinquarent copiæ, & in conspectu haberent castra, statim omnia omnibus innotescebant. Ita milites in castra ibant, tanquam in notam, & suam urbem. Antecessores vocat Mauric. de Milit. Rom. *Antecessores qui ante agmen eunt, & loca castris idonea deligunt, & vias, qua duci exercitus commodè possit, vident. Mensores, qui loca castris metandis metiuntur.* Hæc *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 3. *Lips. de Milit. Rom.* V. *dial.* 12. *Thys. Rom. Illustr.* V. *p.* 136. *Panciroli. Notit. Dignit. imp. orient. c.* 47. & 66. *Schel. in Hygin. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* X. *p.* 1069. *C. Turneb. Adv.* XII. 16. *Stevvech. in Vegetium. Du Fresne Glossar. Spon. Misc. Erud. Ant. Sect.* VI. *p.* 226. *Salmas. in Lamprid. Alex. Sever. c.* 41. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 15. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. 6.

METAXIATICUM est tributum impositum *metaxa*, & serico. Suidas: *Serica est metaxa, ex qua solebant vestem texere, quam Græci Medicam dixere, hodie sericam dicunt.* Hesych. *Seres animalia nentia metaxam.* Eain Procopius ait duos sacerdotes ex Indis attulisse, unde *metaxarius* in Basilic. Ecl. 25. *Buleng. de Vectig. c.* 83.

METELLUS *dicitur in re militari quasi mercenarius.* *Attius Annal.* XXVII. *Calones, famulique, metellique, caculæque, à quo genere hominum Cæcilia familia cognomen putatur ductum.* Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 832. E. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Familia itaque *Metellorum* in gente Cæcilia plebeja, sed nobili, intra an. 290. pontificatus maximos quatuor, dictaturas duas, principatus senatus tres, censuras septem, triumphos novem, consulatus viginti, magisteria equitum duo, viri XIX. adepti sunt. I. L. *Metellus* C. F. cum C. Servilio Gemino Tucca ante bellum Tarentinum anno III. in magistratu à Senonibus Gallis est occisus. Hunc Dentionem, vel Dentricem quidam appellant, quod cognomen ab aliis Cæcilis aliquando usurpatum est. II. L. *Metellus* L. F. C. N. bis consul, dictator, pontifex maximus, magister equitum, decemvir agris dandis, vir triumphalis. Priori consulatu, quem cum C. Furio Placido egit an. 502. insignem victoriam in Sicilia de Pœnis adeptus est, ac de eis triumphavit proconsul 7. Idus Septemb. anno proximo. Biennio post magister equitum fuit. Tum primùm dictator extra Italiam profectus est. Iterum cos. fuit cum N. Fabio Buteone an. 506. post quadriennium pontifex maximus est factus, eique sacerdotio duos & viginti annos præfuit. Dictator comitiorum causa an. 529. Palladium ex incendio in templo Vestæ exorto eduxit, cæcusque factus est. Centesimum annum agens mortuus est. III. Hujus filius Q. Cæcilius *Metellus*, patrem in funere laudavit, & orator aliquo in numero fuit, eodem anno cos. cum L. Veturio Philone, magister equitum M. Livio Salinatori comitiorum habendorum causa. IV. L. *Metellus*, Q. frater, quæstor fuit an. 539. & an. proximo tribunus plebis, quique post Canensem cladem auctor deserendæ Italiæ fuerat. V. M. *Metellus* fortè etiam Q. frater, qui prætor fuit ann. 547. VI. Q. Cæcilius *Metellus* Q. F. L. N. Macedonicus. Hujus felicitatem multi laudarunt. Nam consul, censor, augur, ac triumphalis, & duobus lustris princeps senatus, filius, & nepos consularium, atque illustrium virorum filios, & nepotes habuit consulares, & triumphales multos. Ante consulatum proprætore triumphavit ex Macedonia de Andrisco Pseudophilippo an. 607. Censuram obtinuit cum Q. Pompejo Rufo, plebejusque tum primum uterque censor fuit an. 622. Unum periculum in vita censor subiit, quod C. Atinium Macerionem tribunum plebis senatu moverit; ab eodem enim comprehensus est, & obtorto collo in Capitolium ducebatur, ut è saxo præcipitaretur, nisi collegæ auxilium tulissent. VII. L. *Metellus* Calvus, Quinti frater fuit cos. an. 612. cum Q. Fabio Maximo Serviliano, censor post quinquennium cum L. Calpurnio Pisone Frugi. VIII. Q. *Metellus* Q. Macedonici filius ex triumpho cognomentum Balearici consecutus est, quem egit post consulatum, in quo habuit collegam T. Quintium Flaminium an. 630. Censor triennio post cum Q. Servilio Cæpione. IX L. *Metellus* alter Macedonici filius in triumpho cognomen assecutus est Delmatici, antea Diadematus dictus, ob frontem diu vitta, vel diademate obligatam. Cos. fuit cum Q. Mucio Scævola, & procos: triumphum egit de Delmatis an. 637. pontifex maximus an. 663. X. Marcus *Metellus* Macedonici filius cos. fuit cum M. Æmilio Scauro, genero Delmatici ann. 638. Post biennium triumphavit ex Sardinia. XI. C. *Metellus* Macedonici quartus filius Caprarius cognomento, quem non cos. sed designatum vidit moriens pater cum Cn. Papirio Carbone. Hic triumphavit in consulatu eodem die, quo Marcus frater, ex Træcia. Censor fuit cum Q. *Metello* Numidico fratre patruele an. 651. XII. L. *Metellus* Calvus L. Calvi filius pontifex maximus, censor, & consul fuit. Collegam in consulatu habuit L. Aurelium Cottam an. 634. in censura, quam quadriennio post gessit, Cn. Domitium Ahenobarbum. Pontificatum obtinuit mortuo P. Mucio Scævola ann. 639. XIII. Q. *Metellus* Lucu frater, Numidicus post victoriam, & triumphum dictus

bello

bello Jugurthino. Consul fuit quinquennio post eum annum, quem proximè retulimus pontificatus fratris, cum M. Junio Silano. De Jugurtha, & Numidis procos. biennio post triumphavit. XIV. Q. *Metellus* Pius Numidici filius, consul, censor, pontifex maximus, & princeps senatus, ac triumphalis fuit, L. Sullæ Felicis in secundo consulatu collega an. 673. Q. Sertorium in Hispania prosecutus est adjutore Cn. Pompejo Magno, mortuo Sertorio Romam reversi ambo ex Hispania triumpharunt an. 682. Septimo post triumphum anno sine liberis mortuus est. XV. Q. Cæcilius Q. F. *Metellus* Pius Scipio adoptivus hæres nominis, & familiæ, P. Scipionis Nasicæ viri consularis nepos. Bello inter Cæsarem, & Pompejum exorto generum Cn. Pompejum Magnum secutus, eique superstes in Africa, ne in manus inimici veniret, se ipsum interemit. XVI. Q. *Metellus* Nepos Balearici filius cognomen id retinuit, quod nepos esset Macedonici. Cos. fuit cum T. Didio T. F. an. 655. XVII. Hujus filius Q. *Metellus* Nepos, qui tribunus plebis Ciceronem consulatu abeuntem concionem habere prohibuit, jurare tantum veteri more permisit prid. Kal. Jan. an. 690. Cos. fuit postea cum P. Cornelio Lentulo Spinthere quinquennio post. XVIII. Q. *Metellus* Creticus postea dictus, Delmatici filius, consul fuit an. 684. cum Q. Hortensio oratore, triumphum egit post septem annos proconsul ex Creta. XIX. Hujus, ut creditur frater, & in consulatu successor L. *Metellus* cos. designatus mortuus est. In prætura successor C. Verris in Sicilia fuit. XX. Q. *Metellus* Celer etiam his temporibus fuit, frater posterioris Nepotis, sed germanus, an uterinus, an patruelis incertum est. Mihi uterinus fuisse videtur, quod duo germani eo tempore non eisdem prænominibus utebantur. Tum etiam, quod cognomen ob celeritatem ludorum post mortem patris accepit. Id magis Q. Nepoti debebatur, qui paternum cognomen retinebat, utpote heredi, aut unico, aut maximo. Patrueles non fuisse indicat, quod ambo Q. F. dicuntur. Prætor fuit Cicerone cos. & conjurationis vindex. Consul triennio post cum L. Afranio an. 693. XXI. Eisdem temporibus fuit L. *Metellus*, qui C. Cæsari pecuniam ex ærario publico efferenti tribunitia potestate impedire conatus est. XXII. Postremus *Metellus* sub Augusto fuit Q. Creticus Silanus Q. F. Q. N. cos. cum A. Licinio Nerva Silano an. 759. *August. de Famil. Roman. in Cæcilia. Glandorp. Onomast. Roman. p. 167-172. Patin. Famil. Roman. ex antiq. numism. pag. 48* ~~-53.~~ *Sertin. de Gentib. & Famil. Roman. in Cæcilia. Ursin. de Famil. Roman. in Cæcilia. Rhodig. Antiq. Lect.* XVII. 22.

METIA porta. V. illam inf. in *Porta*.

METOECIUM fuit Athenis vectigal decem, vel duodecim drachmarum, quod inquilini in ærarium inferebant, & publicano tres obolos. Hesychius drachmas decem, Harpocration & Pollux III. 4. duodecim pependisse scribunt. Fuit & Romæ pensio, quam *habitationem* vocat Suet. Jul. c. 38. n. 3. *Annuam etiam habitationem Romæ usque ad bina millia nummum, in Italia non ultra quingenos sestertios remisit.* Ἐνοίκιον vocat Dio XLVIII. p. 362. C. *Buleng. de Vectig. c. 65.*

METRETES, seu metreta, capit choas duodecim: pendet oleo plenus libras nonaginta. Cum autem vinum purum, aqua pura, & acetum purum oleo nona parte graviora sint, pendet vino, aut aqua plenus libras centum. Intelligo autem de libra ponderali antiquarum unciarum duodecim, quarum unciarum pondus unum, & idem Græcis fuit, & Latinis. Hac *metretes* mensura usi sunt quoque Latini, mutato genere. Cato de Re rust. c. 107. *Oleum, si in metretam novam indituras eris, amurca, ita uti est cruda, prius colluito, agitatoque diu, ut bene combibat: id si feceris, metreta oleum non bibet, & oleum melius faciet, & ipsa metreta firmior erit.* Quo in loco haud dubiè pro vase, & non mensura capitur. Pro mensura tamen sumpsit Colum. XII. 22. *Picis liquidæ metretam adde in labrum.* c. 40. *Quantum vini uno die feceris, ejus partem decimam, quot metretas efficiat, considerato: & totidem metretas aquæ dulcis in vinacea addito.* De hac quoque sensit Fannius, cum amphoram, sive cadum appellavit, sic dicens:

Attica præterea dicenda est amphora nobis,
Seu cadus: hanc facies, nostra si adjeceris urnam.

Hæc autem verba, *nostra si adjeceris urnam*, velim intelligas nomine tenus, id est, ut Græca amphora, sive cadus constet ex tot Græcis sextariis, seu cotylis, ex quot constat Romana amphora, & urna: hi enim sunt sextarii octo, & quadraginta in amphora, & quatuor viginti in urna, ita ut *metretes*, sive cadus, vel Attica amphora capiat sextarios Græcæ mensuræ 72. sive cotylas 144. *Pætus de Roman. & Græcor. mens.* III. *Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 1648. C. Non est ad amphoram Romanam sesquialtera, quæ res Fannium fefellit. Tametsi enim septuaginta duos sextarios capiat, qui numerus est sesquialter ad quadraginta octo, summam videlicet sextariorum Romanorum; quia tamen sextarii sunt inæquales, ideo capacitas tota *metretæ* non est ad Romanam sesquialtera, sed ferme sesquitertia. Id quod librarum mensuralium calculus nos docet. Nam Romana octoginta libras, Græca verò centum & octo continet. Nam libræ inter variantes mensuras sunt veluti proxenetæ, & mediatrices. Centenarius itaque octonarius, octogenarium superat in libris octo & viginti, qui numerus est ferme tertia pars octogenarii. Superat enim solum quaternario rationem sesquitertiæ proportionis. Qui contra sentiunt, qua ratione id faciant, ipsi viderint. Nec verum est quod existimant, tres urnas Romanas *metretem* conficere, aliàs *metretem* facerent esse librarum centum & viginti: cum tamen suo ipsorum testimonio constet centum & octo libras habere *metretem*. Est ergo *metretes* ad amphoram Romanam sesquitertius, dempto quaternario: nam ter viginti octo, superante tantum quaternario, octoginta efficiunt. Recedit nihilominus hæc mensura à geometrica amphora in libris triginta sex: nam verè geometrica amphora ex librarum numero quadratè, unciarum verò cubicè multiplicatarum aggregatione collecta centum quadraginta quatuor libras habere debet. De hac mensura intellexit Johan. c. 2. n. 6. ita dicens: *Erant ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas, vel ternas.* Cenal. de Pond. ac mens. lat. Thes. Græv. ibid. p. 1459. A. V. etiam *Agric. de Mens. Græc.* II. *p.* 44.

METTIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

MEV.

MEVANIA, urbs olim, oppidum nunc satis amplum in Umbria, ad Clitumnum flumen, in via Flaminia, vulgo Bevagna, Propertii natalibus illustris, qui eam mirum in modum suis carminibus commendavit. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 858. *B. Cluver. Ital. Ant.* II. 7. 10. *Leand. Albert. Descr. Ital. p.* 137.

MEVANIOLA oppidum fuit Umbrorum, apud Bedesis ripam, qui nunc superiore sui parte vulgo dicitur Ronco, in Apennini radicibus. Oppidani sunt *Mevaniolenses*. Is locus vocatur nunc Galeata, antiqui oppidi ruderibus, & antiquis inscriptionibus clarus: ex quarum una cognoscitur municipium aliquando fuisse.

Q. VELCENE
L. F. STEL
PROCULO
DECURIONI
MEVANIOLÆ
C. C. M. M. PATRONO

Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. *p.* 599. *D. Cluver. Ital. Ant.* II. 6. 25.

MIC.

MICA fuit filia Philodemi Eliensis, quam virginem honestissimam cum Lucius Aristotimi Eliensium tyranni filius adamaret, & ad stuprum trahere vellet, renitentem jugulavit. Fusius Plutarch. de clar. mul. p. 251.

A.......Ejus statua aurea in regione secunda Urbis sita erat, & *Mica* proprium nomen hujus puellæ fuit. Sed fortè intelligit effigiem ursæ, *Mica aurea* dicta, quam sævam, & homines ambedentem, & aliam nomine Innocentiam habebat Valentinianus. Ammian. xxix. 3. *Illud nec præteriri est æquum, quod cum duas haberet ursas sævas hominum ambestrices, Micam auream & Innocentiam, cultu ita curabat enixo, ut earum caveas prope cubiculum locaret....* Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iii. p. 330. F. Mihi potiùs cœnaculum id fuisse videtur, de quo Mart. ii. 59. cujus inscriptio de *Cœnatione mica:*

Mica vocor. Quid sim, cernis: cœnatio parva.
Ex me Cæsareum prospicis ecce tholum.
Frange toros, pete vina, rosas cape, & ungere nardo.
Ipse jubet mortis te meminisse deus.

Erat ea quidem parvum cœnaculum; verùm quàm pulcrè exornatum fuerit, vox *aurea* satis, superque indicat. Non possum hic Donato assentiri, existimanti, Martialem de cœnaculo aliquo loqui à Domitiano in palatio exstructo: nam nec poeta hoc indicat, neque parvitas ejus hoc persuadet. Præterea quod ex ea tholum Cæsareum prospici potuisse ait, à palatio illud manifestè excludit, facitque, ut verosimilius arbitrer, idem fuisse ædificium, quod à Victore, & Ruso in Cœlio collocatur, unde prospectus palatii patebat. Quod si & in illa palatii parte fuisse pronuntiaverim, quæ palatio proxima, fortassè à vero non aberraverim, certè non extra oleas. *Nardin. Rom. Vet.* iii. 7. *Salmuth in Panciroll. de reb. deperd. & inv.* p. 555. De hac *mica* etiam agit contra Panciollum, & cœnationem fuisse dicit *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* iii. *Præf.* ** 3.

MICARE digitis dicitur de illa sortitione, qua duo clausis manibus, vocando, seu divinando certum numerum, subinde digitos porrigunt. Verbi gratia, ego tres digitos explico, tu totidem, ipse quatuor nomino, tu verò sex, ita tu qui numerum vocando divinasti, jam vicisti. Gloss. Cyrill. *Micat*, λαγχάνει. Quia verò digiti ita explicati subitò apparent, idcirco per metaphoram *micare* dicuntur. Hinc Varr. Parmen. apud Non. iv. 303. *Micandum cum Græco, utrum ego illius numerum, an ille meum sequatur.* Cicer. de Divin. ii. 14. *Quid est enim sors? Idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod tesseras.* August. de Trinit. ii. 5. *Nam id, ubi volumus, facile habemus, vel micando digitis tribus. Porro qui cum micas in tenebris, ei liberum est, si velit fallere.* Hoc genus lusus Italis notissimum, & adhuc apud eos durat, vulgoque appellatur *mora*, forte à *Moran*, Venetis vicina insula. Vel quasi μωρῶν, id est, stultorum lusus, quod digitorum jactatio signum fit levitatis. Quod videre est in titulis & fatuis, *qui post multa inhumaniter, ac barbarice dicta, digitos porrigunt nunc supinos, nunc pronos, hoc gesta aliquid mali minitantes, aut tacitam stultitiam significantes.* Qui certissima esset fide, eum dignum dicebant, qui cum in tenebris *micaretur*. Cicer. Offic. iii. 19. *Hoc nonne est turpe dubitare philosophos, quæ ne rustici quidem dubitent? a quibus natum est, id quod tritum est vetustate proverbium. Cum enim fidem alicujus, bonitatemque laudant, dignum esse dicunt, quicum in tenebris mices*, id est, cui securè credas, & fidem habeas. *Erasm. Adag.* p. 249. *A. Seuter. de Aleat.* iii. 9. *VVouwer. Polym.* c. 7. §. 6. *Buleng. de Sort.* c. 1. *Senft. leb. de Alea* c. 18. n. 3. *Maurit. de Sortit.* c. 24. §. 7. *Pitisc. in Suet. Jul.* c. 27. n. 7. Hanc sortem Helenam invenisse auctor est Hephæstio apud Phot. p. 247. Edit. Hœschel. atque cum Alexandro sortientem vicisse. A Græcis ad Romanos venit, eamque describit Nonn. xxxiii. 77.

— mercicupidorum jactuum
Erat sortitio indiscretis manuum jactibus sequens varios digitorum modos.
Quos interdum sublatos erigebant, alios in pugnum Includebant compressus in vinculum.

Casaub. in Suet. Aug. c. 13. Buleng. de Lud. vet. c. 7. de Sort. c. 1. Struv. Antiq. Roman. c. 6. p. 304. Nihilominus tamen viri in republica literaria principes intelligunt per Varronianam & Tullianam *micationem* transactionem quamdam, qua in contractibus, ubi de pretio certo, aliave re non convenire possent contrahentes, controversiam totam dirimebant, puta res in foro venales expositæ, item carnes à lanio sæpissimè *micatione* emebantur: quod tamen postea ipso jure mutatum est, cautumque, ut sub exagio, id est, ad trutinam, non verò *micatione* carnes emerentur. Vetuit primus Apronianus præfectus Urbi, ut est in inscriptione quadam antiqua apud Gruter. p. 647. n. 6.

EX. AUCTORITATE
TURCI. APRONIANI. V. C
PRÆFECTI. URBIS
RATIO. DOCUIT. UTILITATE. SUA
DENTE. CONSUETUDINE. MI
CANDI. SUMMOTA. SUB. EXAGIO
POTIUS. PECORA. VENDERE. QUAM
DIGITIS. CONCLUDENTIBUS. TRA-
DERE

Quæ res tamen ita fiebant, ut lanio caput, pedes, & serum lactans, & subgulare cedant, reliqua caro cum pelle, & intestaneis publicè appendatur, & à venditore emptori præstetur. *Senftleb. de Alea vet.* c. 18. §. 1. & 2. *Buleng. de Lud. vet.* c. 7. *Casaub. l. l.*

MIL.

MILIARISIUM fuit nummus argenteus. Hoc apertè ostendit Justinian. Novel. 105. c. 3. ubi consulibus, cæterisque magistratibus interdicit, ne aureos nummos in vulgus spargant: argenteos autem permittit. Ejus mentionem facit Cedrenus, ubi de terræ motu commemorat, qui Leone Conone imperante Constantinopolis templa, ædificia, muros deturbarat. Sic enim Cononem loquentem inducit: *Quando vos urbis vestræ muros reficere non potestis, statuimus, ut quæstores nostrarum provinciarum exigant canonis nomine in singulos aureos singula miliarisia. Ex illo instituto consuetudo invaluit, ut bina ceratia susceptoribus tributi nomine penderentur.* Qui deinde fabulam subjungit, genus hoc tributi primum à Rege Numa institutum fuisse, cum statuisset, ut qui stipendium è palatio capiebant, singula ceratia penderent. Alio loco inquit: *Miliarisia à militia dicta sunt. Nam Scipio Annibale urgente miliarisia propter auri pecuniam instituit, eaque militibus divisit.* Sed hæ quoque aniles sunt fabulæ. De illo Epiphan. de Mensur. & ponder. §. 24. *Nummus argenteus à Romanis miliarisium dicitur, quod militare donativum interpretari possis.* Pro corollario subjicio Cassiod. Var. i. 10. *Sex millia denariorum solidum esse voluerunt.* Hæc verba corrigenda sic arbitror: *sex milliarisiorum.* Aureorum enim pretia persæpè sunt mutata, ac verisimile videtur Theodosii tempore septenis *miliarisiis* constitisse, Cassiodori senis, Suidæ verò denis. Ita enim Suidas: *Miliarisium, numismatis decima pars.* Hotoman. Antiq. Roman. iv. 2. 32. Plura si desideras, evolve acriter inter se contendentes *Scalig. de Re numm. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* ix. p. 1525. E. *Epist.* 204. & *Gronov. de Pec. vet. Mantiss.* c. 3.

MILIARIUM est vas longum, & angustum. Ridiculè nonnulli exponunt vas, in quo *milium* coquebatur. Nam ejus usus erat ad calefaciendam aquam, vel aliquid macerandum. Athen. iii. p. 98. C. *Quis & miliarium Romanis dictum, nimirum aquæ calefaciendæ vas comparatum, ἰπνολέβητα, id est, furnaceum lebetem vocant.* Senec. Nat. Quæst. iii. 24. *Facere solemus dracones, & miliaria, & complures formas, in quibus ære tenui fistulas struimus, per declive circumdatas: ut sæpè eundem ignem ambiens aqua per tantum fluat spatii, quantum efficiendo calori sat est. Frigida itaque intrat, effluit calida.* Ulpian. L. cum aurum 19. §. si cui 12. ff. de aur. & arg. leg. *Certe si cacabos argenteos habebat, vel miliarium argenteum, vel sartaginem, vel aliud vas ad coquendum....* Formam indicant Pallad. v. 8. *Vas æneum miliario simile, id est, altum, & angustum vesperè inter alvearia collocemus, & in fundo ejus ponamus lumen accensum. Illuc papiliones convenient, & circa lumen volitabunt, & angustiis vasculi ab igne proximo interire cogentur,* & Colu. ix. 14.

IX. 14. *Si vas aeneum simile miliario vespere ponatur inter alveos, & in fundum ejus lumen aliquod demittatur, undique papiliones concurrunt: dumque circa flammulam volitant, aduruntur, quod nec facile ex angusto sursum evolare, nec rursus longius ab igne possunt recedere, cum lateribus aeneis circumveniantur: ideoque propinquo ardore consumuntur.* Turneb. Adv. v. 1. Voss. Lex. Etymol. Beroal. Annot. c. 102. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 550. Bayf. de Vascul. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. IX. p. 690. E. Freinshem. de Calid. pot. c. 1. §. 5. Baccius de Conviv. antiq. III. 6. de therm. vet. c. 9. Cujac. Observ. II. 6. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. XII. Præfat. * * vers. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 337. Casaub. in Athen. XII. 20. & Theoph. Charact. c. 9.

MILITES legebantur ferè ex rusticis, quod ii præ cæteris ad labores *militia* perferendos durati viderentur: atque olim ab aratro ad dictaturas, & consulatus ipsi duces arcessebantur. Cato de Re rust. præf. & Plin. XVIII. 5. V. illos infr. in *Plebe rustica*. Senec. Epist. 54. *Nullum laborem recusant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur.* Veget. I. 3. *Rustica plebs est armis aptior, qua sub divo, & in labore nutritur, solis patiens, umbræ negligens, balnearum nescia, deliciarum ignara, simplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris: cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre, consuetudo de rure est.* Valtrin. de Milit. Roman. II. 6. Stevvech. in Vegetium. Dalechamp. in Plinium. Ex Civibus. Civibus enim Romanis, non tantum principibus, sed privatis etiam *militibus* sanctum, & sacrum fuit Romanam civitatem tueri: majore enim caritate pro aris, pro focis, pro conjugibus & liberis, pro patria denique dimicatur, quàm pro quavis mercede, atque pecunia. Ac disciplinæ desertæ severitas, totaque disciplinæ auctoritas, quæ in principibus expetitur, in cives multò promptior quàm in exteros aliis moribus, aliisque legibus educatos erit. Unde ante quartum belli Punici II. mercenarium *militem* Romani non habuerunt. V. Livium infr. in *Milites mercenarii*. Sic Cæsar è Gallis legiones electas habuit, sed togatis Romanisque municipibus, & colonis. E Gallis etiam his citerioribus Alaudam illam, quam Gallico nomine appellabat, instituit: sed cui civitatem Romanam promiserat, ac postea præstitit. *Ramus de Milit. Cæsar. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. X. p. 1542. E.* A quibus, & quo modo electi fuerint V. supr. in *Delectus*. Non potuerunt eligi, quorum statura quinque pedum, & septem unciarum non esset. Valentin. l. 3. C. de tyron. *In quinque pedibus, & septem unciis delectus habeatur.* Et hoc ab Urbe condita observatum fuisse fertur. Veget. I. 5. *Proceritatem tyronum scio quondam semper exactam, puta, ut senos pedes, vel certè quinos, & denas uncias habentes inter alares equites, vel in primis legionum cohortibus probarentur.* Hinc colligitur, quid sibi velit Lampridius scribens c. 4. Imperatorem Alexandrum Severum *statura militaris fuisse*. Intelligit enim eum quinque pedum, & unciarum septem altitudinis fuisse. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 36. Stevvech. in Vegetium. Casaub. ad Suet. Tiber. c. 68. n. 1. Ramus ibid. p. 1543. C. Cujac. Observ.* XXX. 5. Videtur palus quidam mensuralis in castris ad hanc rem fuisse olim positus, & defixus, ut ad eum admotis, qui ad *militiam* deligebantur, tyronibus, vel qui sponte ad *militandum* accedebant, an statura justa, ac legitima essent, examinarentur. Palus ille vocabatur *incomma*, vel *incoma*. Ita in libris veteribus Veget. l. I. pro *quondam*, vel, ut alii, *commodam* legitur *ad incommam*. Quam lectionem & comprobant, & explicant Isidori glossæ: *Incoma, mensura militum* Ἔγκομμα ab eadem fortasse ratione dicebatur, quod incisuras quasdam, & κόμματα haberet, quibus pedum, & unciarum notæ distinctæ essent, & designatæ. Sic enim omnino factum oportuit, ut ad verum sciri posset, quot cuique pedes, & unciæ deessent ad explendam staturam, quæ requirebatur. *Salmas. in Lampridium, Du Fresne Glossario, Reines. Var. Lect.* II. 14. *Græv. in Isidorum, Scriver. in Vegetium.* Quo ætatis anno electi fuerint, V. supr. in *Ætas militaris*. Eligebantur potissimum, qui bonis essent nominibus, & primi nominabantur Valerius, Salvius, Statorius. V. supr in *Delectus*. Citati respondebant, & qui citati non respondissent, multabantur. V. & hoc supr. in *Delectus*. Uni *militia*, cæteris rebus, ac negotiis relictis, debebant se dare. Veget. II. 19. *Incongruum videbatur, Imperatoris militem, qui veste, & annona publica pascebatur, militatibus vacare privatis.* Cassiod. Varr. II. 31. *Publicis debent insudare, qui nomen dedere militia.* Leges militares Justiniani 6. 7. 8. *Milites neque procuratores, neque conductores, neque fidejussores, vel mandatores alienarum rerum fiunt. Milites agricultura, aut mercatura studio non occupantur, nec alicui civilis rei curam in se recipiunto: alioqui militia ejiciuntor, omni simul privilegio militari cariturí. Milites prohibentur prædia comparare in his provinciis.* Unde Macer l. Officium ff. de Re milit. *Paternus scripsit, debere eum, qui se meminerit armato præesse, ad opus privatum, piscatum, venatum militem non mittere.* Et *legatum legionis, quod paucos milites cum suo liberto trans ripam venatum misisset, ignominia notavit* Tiberius apud Suet. c. 19. n. 1. Huc respexit Paull. 2. Tim. c. 2. n. 4. *Nemo qui militat, implicatur hujus vitæ negotiis, ut placeat ei, qui legit ipsum.* Stevvech. in Vegetium, Lyd. de Re milit. v. 1. Olim dum res Romana moribus antiquis, virisque stetit, certum est tyrones ad militiam adsumptos non nisi ingenuos. Imo ne ingenui quidem omnes admissi, siquidem histriones omnes, præter Atellanos, à stipendiis militaribus repulsi sunt. Liv. VII. 2. *Eo institutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur, & stipendia faciant tanquam expertes artis ludicræ.* Val. Max. II. 4. 4. *Atellani ab Oscis acciti sunt; quod genus delectationis Italica severitate temperatum, ideoque vacuum nota est: nam neque tribu movetur, neque à militaribus stipendiis repellitur.* Bello civili inter C. Marium & Syllam *Marius milites non more majorum, neque ex classibus, sed uti cujusque libido erat, capite censos plerosque scribere* cœpit. Sallust. Bell. Jugurth. p. 135. Quàm curiosi Romani fuerint in *militum* delectu, patet ex l. 8. qui status ff. de Re milit. *Qui status controversiam patiuntur, licèt revera liberi sint, non debent per id tempus nomen militia dare, maximè lite ordinata, sive ex libertate in servitutem, sive contra petantur. Nec hi quidem, qui ingenui bona fide serviunt: sed nec qui ab hostibus redempti sunt, quam se luant.* Imo litigiosi, criminosi, adulterii, vel aliquo judicio publico damnati inter *milites* non recipiebantur, l. 4. & 16. ff. de Re milit. & l. 1. C. qui militare possunt. Sed labante paullatim Respublicæ statu ad stipendia admissi sunt I. Libertini, qui cum antea ad *militiam* non admitterentur, bello Italico *militare* cœperunt. V. supr. in *Libertini*. II. Servi, sed priùs libertate donati. V. infr. in *Servus*. III. Pastores. Cæs. de Bell. civ. I. 24. *Servos pastores armat, atque his equos attribuit.* IV. Gladiatores. Cæs. ibid. c. 14. *Gladiatores, quos ibi Cæsar in ludo habebat, in forum productos Lentulus libertati confirmat, atque eis equos attribuit, & se sequi jussit.* Stevvech. in Veget. I. 7. In cute notis signabantur. V. supr. in *Inscriptio*. Certè Imperatorum nominibus olim appellabantur. Et Iphicratenses apud Nepot. XI. 2. 4. Honoriani, Theodosiani, Constantiani, Gratianenses, Valentinianenses... in notitia utriusque imperii à ducibus denominati memorantur. Ex his notis, ac signis dignoscebantur. Radulph. Flaviac. Levit. c. 14. n. 4. *Stigmata dicebantur quadam signa, quæ in manibus militum fiebant, ut de militia Imperatoris dignoscerentur.* Lyd. l. I. Bene debent vestiri. I. ut consulant sanitati. Veget. III. 2. *Ne minor illius vestium suppetat copia. Nec sanitati enim, nec expeditioni idoneus miles est, qui algore compellitur.* II. ut possint regi. Si enim calceis, vestibus... careant, regi non possunt, &, quod dicitur, necessitas legem non habet. Imperator Alexander Severus apud Lamprid. c. 52. V. illum supr. in *Convivium militare*. Stevvech. in Vegetium. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. x. p. 713. Illorum vestes erant chlamys, sagum, paludamentum. Tunica etiam communis pagani fuit. Quæ licèt diversa nomine, re tamen eadem indumenta, aut non multùm diversa fuere. *Ferrar. de re vest.* II. 3. 1. Hæ publicitus concedebantur summa deducta è stipendio consue-

to. Qua de re adductus Gracchus lege lata caverat, ne quicquam stipendii deduceretur pro veste *militi* concessa. V. illam supr. in *Lex Sempronia*. Nihilominus sublata denuo est lex, aucto stipendio. Indicat hoc seditiosus ille Percennius apud Tacit. Annal. I. 17. 4. *Denis in diem assibus animam & corpus æstimari: hinc vestem. . . . . redimi.* De antiquo illo ritu censeo intelligendum Veget. II. 19. *Siquidem integrum videretur, Imperatoris militem, qui veste & annona publica pascebatur, utilitatibus vacare privatis.* Stevvech. & Demster. l. l. jurabant se duci obtemperaturos. V. inst. in *Sacramentum militare.* in nomen ducis. V. inst. in *Nomen jurare.* Et sub Imperatoribus ante omnia in Principis salutem. Arrian. in Epictet. I. 14. *Deo præstandum nobis jusjurandum est, quale militibus Cæsari. At illi mercede accepta jurant rebus omnibus se præposituros salutem Cæsaris.* Tertullianus allusit doctè, ut solet, ubi dissuadet Christiano militiam, de Coron. c. 14. *Credimusne humanum sacramentum divino superduci licere? & in alium dominum respondere post Christum? & ejerare patrem, & matrem, & omnem proximum, quos & lex honorari præcepit?* Nam expressit formulam ipsam, quam lector hauriet ex Suet. Calig. c. 15. n. 8. *De sororibus auctor fuit, in omnibus sacramentis adjiceretur: neque me, liberosque meos chariores habeo, quàm Cajum & sorores ejus.* Lips. in Tacit. Annal. XV. n. 143. Buleng. de Imper. II. 14. Casaub. & Pitisc. in Suetonium. Erant sine uxore. Apparet hoc ex Tacit. Annal. XIV. 27. 3. *Neque conjugiis suscipiendis, neque alendis liberis sueti, orbas sine posteris domos relinquebant.* Non ritu, sed lege id vetitum. Dio LX. p. 681. A. *Militibus, quoniam ex legibus uxorem habere non poterant, jura indulsit maritorum.* Hoc jus Severus Imperator videtur resolvisse, si rectè capio Herod. III. 8. 9. *Militibus domi habere mulierem permisit:* γυναιξὶ συνοικεῖν ἐπέτρεψε. Certè enim de legitimo conjugio capiendum videtur, quia contubernii militibus, opinor, semper jus. A Junone arcebant eos, non à Venere Romanæ leges. Testis est Liv. XLIII. 3. qui *supra quatuor millia hominum orasse* ait, *ut sibi oppidum, in quo habitarent, daretur: quo nati in Hispaniis ex militibus Romanis, & ex Hispanis mulieribus, cum quibus nullum connubii jus.* Imo peregrini milites, id est, non cives, non amicas modò habuisse videntur, sed uxores. Tabulæ Vespasiani Domitiani ævo: quibus insculptum *civitatem datam militibus è classe Ravennate, & cohortis III. Alpinorum, itemque conubium cum uxoribus, quas tunc habuissent, cum civitas iis est data, aut quas postea duxissent.* Tamen pugnat in eam sententiam Tertullianus, quia suo etiam ævo cælibes fuisse milites ostendit. Ævum autem ejus sub Severo. Is exhort. ad castitat. c. 12. *Scilicet solis maritorum domibus bene est. Perierunt celibum familiæ, spadonum, militum, aut peregrinantium sine uxoribus.* Severi ergo permissus aut ad prætorianos tantum pertinuit, aut verba arctè capienda, ut tantum permiserit συνοικεῖν γυναιξὶ, cohabitare feminis, sub eodem tecto agere, & contubernales habere, non legitimas uxores. Sed non repugnat, inquies, tota huic sententiæ Livius, qui disertè uxores *militibus* attribuit? In exhortatione Scipionis ad milites XXI. 41. *Unusquisque se non corpus suum, sed conjugem, ac liberos armis protegere putet.* Et alibi. Respondeo. Temporaneam tunc (bello Punico secundo) militiam fuisse, nec legibus suis, ut postea, devinctam. Capiebantur, mittebanturque *milites*, non pro stipendiorum tempore, sed bellorum. At perpetua, & finita XXV. annorum militia instituta, hoc quoque inductum de cœlibatu. Sanè etiam Icti hac causa, causam solvendi matrimonii militiam numerant, l. 60. *Bona gratia dissolvi matrimonium illud dicitur, quod propter sacerdotium, sterilitatem, valetudinem, militiam retinere non potest.* Lips. in Tacitum. Demster. Paralip. in Antiq. Roman. Rosin. X. 12. Stevvech. ad Veget. I. 3. Non tamen uxores in castris habendi jus fuit. Prop. IV. 3. 45.

Romanis utinam patuissent castra puellis.

Stat. Sylv. V. 1. 130.

Et, si castra darent, vellet gestare pharetras,
Vellet Amazonia latus intercludere pelta.

Tibull. II. 6. 1.

Castra Macer sequitur, tenero quid fiet amori?

quia scilicet absque amica in castris. Ne quidem viris primatus. Tacit. Annal. III. 33. 1. *Inter quæ Severus Cæcina censuit, ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur.* Mores veteres advocat. Additque rationem probissimam, & ait n. 2. *Haud frustra placitum olim, ne feminæ in socios, aut gentes externas traherentur. Inesse mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant.* Hinc Virg. Æneid. VIII. 688. exclamat:

——*sequiturque (nefas) Ægyptia conjux.*

Hæc verò exclamatio facta est, quod mulier castra secuta esset contra Romanorum morem, quorum per leges non licebat uxores in castris habere: imo in ingenti turpitudine hoc apud majores fuit. Unde bellaturus Pompejus in Lesbo reliquit uxorem. *Serv. German. Cerda ad Virgilium. Domit. Mortll. Bernat. Barth. ad Statium. Lips. de Milit. Roman. V. dial. 18. Demster. & Stevvech. l. l. Sigon. de Jure Prov. II. 2. Schott. & Schulting. in Senec. controv. IV. 25. Caroli Antiq. Roman. III. 9. Kipping. Antiq. Roman. III. 4.* §. 3. Hi non sunt audiendi, nec auctorum loca, quæ adferunt, hoc, quod volunt, probant. Nam Propertius de militia feminis interdicta; minimè verò de remotione à castris vel pudore vel lege, quæ ab iis feminas arcebat, est intelligendus. Arethusa enim, vel, quæ sub hoc nomine latet, Lælia Galla conqueritur, quod à Lycota (Postumo) tam diu abesse debuerit: quare felicem Hyppolitem prædicat, quod contra hostes dimicare, & armata castra sequi posset n. 43. & n. 45. exoptat, tali modo ut castra pateant Romanis puellis, ut armatæ scilicet inter milites incedere, maritorumque laborum, & periculorum comites esse possent. Huic explicationi favet ipse n. 46.

Essem militiæ sarcina fida tuæ.

Etiamsi sarcinæ inter impedimenta esse soleant, non tamen ego: quippe si liceret Romanis puellis armatis castra sequi, sarcina fida, *een getrouvve bultzak*, essem, quæ in omnibus periculis tibi foret præsto, omnium laborum comes, & incommodorum particeps. De *militia* feminis interdicta conqueritur Statius. Si Romanorum moribus, & legibus usitatum esset, inquit ille, ut feminæ *militiæ* possent nomen dare, vellet quoque securi, peltaque Amazonia sese instruere, maritumque in expeditionem comitari. Loquitur Poeta de Priscilla, uxore Abascantii, qui erat occupatus in expeditione, quam contra Sarmatas suscepit Domitianus, de qua Suet. c. 6. n. 2. & 5. & exinde non de remotione sexus feminini à castris. Hujus enim belli tempore non uxores tantum & feminas, sed & totos meretricum & concubinarum greges (V. Suet. Ner. c. 44.) in castris habebant duces, qui temporum licentia antiquos mores, & veterem disciplinæ rigorem in omnem libidinem, & voluptatem mutaverant. Vespasianus quidem *castrorum disciplinam correxit*, ut refert Suet. c. 4. n. 11. non tamen verba Statii *si castra darent* rectè de feminarum remotione intelligi possunt. Circa feminas enim in disciplina ab Imperatore ullo quid mutatum esse nullibi legi. Nec sub Domitiano à castris more, vel lege fuerunt remotæ, cum Juvenalis, qui sub eo vixit, satyra dignum vitium judicaverit esse in feminis, quod adeo mathematicorum superstitionibus essent deditæ, ut perteritæ eorum numeris recusarent maritorum in castra comites esse Sat. VI. 571.

Illius occursus etiam vitare memento,
In cujus manibus, ceu pinguia succina, tritas
Cernis ephemeridas: quæ nullum consulit, & jam
Consulitur: quæ castra viro, patriamque petente
Non ibit pariter, numeris revocata Thrasylli.

Tibullus loquitur de Macro tanquam homine jucundo, amœnitatibus & amori dedito, ita ut nesciat, quid amori nunc fiet, qui tanto privabitur alumno, cum inter tubarum strepitum, & castrensia incommoda illi adesse, sectaque ejus colere non possit. Castra enim sequi bellum,

ejus-

ejusque labores, & incommoda significat, & amori, otio. & tranquillitati, nec non amœnitatibus, quibus in urbe amantes fruebantur, quasi sibi invicem contraria opponuntur. Sed hoc mori, vel legi à castris puellas removenti non debemus adscribere. Omnes enim vident, periculis, & itinerum longinquitate & incommodis, quia in remotissimis regionibus, & extremis nonnunquam Imperii finibus bella Romani gerebant, imbellem sexum, laboribusque imparem à castris removeri. Tibullus etiam castra petiturus eandem remotionis feminarum causam intelligit, & puellis Romanis valedicit n. 9.

Castra peto: valeatque Venus, valeantque puellæ.

Sed qui inde nullas feminas, uxores, vel meretrices in Romanorum castris fuisse contenderet, eadem ratione nullas fuisse Athenis feminas affirmaret. Propertius enim illuc proficiscens Cynthiam suam valere jussit III. 20. 16.

Qualiscunque mihi tuque puella vale.

Hoc tamen nemini in mentem unquam venisse putem. Cæcina sic *olim*, non verò sua tempestate sic placitum testatur. Illud autem *olim* referendum est ad tempus belli Punici II. quo latæ leges Oppiæ, quibus mulierum luxuria restricta, earum cultus oppressus, & cautum, *ne juncto vehiculo in Urbe oppidove, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum causa veherentur*. V. Livium supr. in *Lex Oppia*. Harum legum auctoritate severitatem suam erga feminas defendit Cæcina; ac ea adverso Messalinus, dum Severo respondet, fatetur quidem *Oppias quidem leges* latas fuisse: *sed remissum aliquid postea, & mitigatum, quia expedierit* c. 34. n. 6. Leges verò Oppiæ vigesimo anno postquàm fuerunt perlatæ, frustra M. Catone renitente, fuerunt abrogatæ. Liv. XXXIV. 1. Antonii quoque tempore *ingens* illa *turpitudo*, quam apud majores fuisse dicit Servius, jam obsoleverat, & *mos* ille *notissimus* abierat in desuetudinem. Expressas leges, quibus castrorum aditus feminis fuit interdictus, frustra credo in Romanorum monumentis quæres. Illæ quibus prohibitum, *ne propius ab Urbe mille passus veherentur*, jam diu erant abrogatæ. Ita ut Servii alteram rationem amplecti malim, nefas scilicet à Marone dictum, quod Antonius, qui Romanus erat, spreto omni pudore, passus fuisset feminam peregrinam, *Ægyptiam*, quam invito Romano populo duxerat, & *uxorem* vocabat apud Suet. Aug. c. 69. n. 3. eum in bello secutam fuisse, quàm quod contra aliarum feminarum decora, & constitutas leges id Cleopatram fecisse crediderim. Corneliæ à Pompejo venaturo relictæ in Lesbo exemplo generalis feminarum à castris remotio minus rectè statuitur, cum nulla sit consequentia à bello civili, in quo tum occupatus erat Pompejus, ad justum, moresque in eo observari solitos, neque ex eo sequitur *in ingenti fuisse turpitudine*, si uxores in castra maritos comitarentur. Observasse sufficiat, Pompejum in castra propè Apsum uxorem secum duxisse, diuque retinuisse, & nonnisi instante prælio, non ob turpitudinem, sed periculi metum, removisse in Lesbum. Testis Lucan. v. 722.

Undique collatis in rebus Cæsaris armis,
Summa videns duri Magnus discrimina Martis.
Jam castris instare suis: seponere tutum
Conjugis decrevit onus, Lesboque remotam
Te procul à sævi strepitu Cornelia belli
Occulere.

Remotionis rationem reddit n. 729.

—— quod nollet stare sub ictu
Fortune, quo mundus erat, Romanaque fata
Conjux.

n. 743.

—— tibi tuta latebra
Lesbos erit.

Ex quibus, ut & aliis Lucani locis plurimis, in ipsis castris ante remotionem Corneliam fuisse patet. Clarè autem ostendit Marcia, quæ postquàm ad pristinum conjugem Catonem rediisset, conqueritur, quod non æquè ac Cornelia mariti in bello comes esset. Lucan. II. 348.

Da mihi castra sequi: cur tuta in pace relinquar,
Et sit civilis propior Cornelia bello?

Quæ querela, si jungatur iis, quæ ex Lucano de Corneliæ remotione, supra allegatis versibus, proximè sequuntur, *ingentem* illam *turpitudinem*, si unquam invaluit, illo tempore jam nullam fuisse probabit. Rogat enim Marcia, ut Catoni marito sibi liceat esse comiti. Cornelia suadendo Pompejum vult adducere, ut se in castris retineat, non à se *seponat*, & in aliam terram removeat. Quod contra omnem pudorem, legesque contrarium jubentes, tantorum virorum uxores flagitasse, vix mihi possum persuadere. Verisimilius itaque maritorum voluntati id adscribendum est, quibus non immeritò visum, si conjuges in castra duxissent, ibique retinuissent, multis periculis eas fore obnoxias, ne clade aliqua accepta in hostium fortè venirent potestatem .... Quare tutius se facturum putavit, si ante prælium in Lesbum secedere Corneliam juberet, eamque *seponeret*, id est, removeret, procul à periculo poneret, non autem quasi ante protectionem in castra in Lesbum esset comitatus, deinde illic *reliquisset*, uti inaccuratè innuere videtur Servius. Omnes itaque mecum sibi habebunt persuasum, post abrogatas saltem leges Oppias, oppressamque à Cæsare Rempublicam, nullo more, vel lege castrorum aditum fuisse interclusum; sed quibuscunque ea patuisse, feminisque maritos in provincias sequi fuisse concessum. Hoc Scto confirmatum docet Ulpian. l. 4. §. 11. ff. de offic. procons. *Proficisci proconsulem melius quidem est sine uxore, sed & cum uxore potest* .... Et Prop. I. 13. vehementer in Cynthiam invehitur, quod cum prætore in Illyricum esset abitura, quodque in ejus contubernio navigare constituisset. Eundem Antonium Cytheris Volumnii liberta, quam uxorem mimam Antonii vocat Cicer. Phil. II. 24. postquàm Galli Ægypti præfecti amorem spreverat, in Gallias secuta est. Virg. Ecl. x. 22.

—— tua cura Lycoris
Perque nives alium, perque horrida castra secuta est.

Lycoris, id est, Cytheris mutatione nominis poetis usitatissima. Et nihil contra morem solitum Antonium egisse, eo magis credendum est, quod sub Tiberio *Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus femina converterint*. Tacit. Annal. III. 33. 2. nec Plancinam idem II. 55. 6. non reprehendat, quod Pisonem *in castra secuta* esset, sed quod *intra decora feminis se non tenuisset, cum exercitio equitum, decursibus cohortium interfuisset*. Sic sine ulla ignominiæ nota uxorem in Germaniam duxit Germanicus. Tacit. Annal. I. 40. 3. Seditione in castris orta *uxorem perpulit ut abiret. Incedebat muliebre & miserabile agmen* .... 41. 2. *Progrediuntur contaberniis milites: quis ille flebilis sonus? quod tam triste? feminas illustres, non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriæ uxoris, aut comitatus soliti, pergere ad Treviros*. Eadem Germanici uxor Agrippina mariti in Illyria, Epiro, Dalmatia, Eubœa, & Lesbo comes fuit. In castris etiam Caligula vitales spiritus primum hausit. Tacit. n. 4. *Jam infans in castris genitus*. Aur. Vict. Epit. c. 3. n. 2. *Quia natus in exercitu*. Testes sunt etiam versiculi, imperante mox eo divulgati, tradente Suet. c. 8. n. 4.

In castris natus, patriis nutritus in armis,
Jam designati Principis omen erat.

Si Agrippina contra mores in castris egisset, silentio antiqui hoc non præteriissent. Sed disciplina, Tiberio principe, ita prolapsa erat, ut *vinclis exsolutis, jam & exercitus regerent*. Tacit. Annal. III. 33. 7. & Cæcina, qui eam corrigere cupiebat, *non dignus tanta rei censor* habitus sit c. 34. n. 1. Augustus, qui disciplinam severissimè rexit, ut tradit Suet. c. 24. n. 2. ita ut *ne legatorum quidem cuiquam, nisi gravatè, hibernisque demum mensibus permiserit uxorem intervisere*, non vetuit uxorem comitem in castris, vel provinciis habere. Nam ipse *divus Augustus quoties in occidentem, atque orientem meavit comite Livia?* ut utar verbis Tacit. n. 9. sine ulla vel populi Romani, vel scriptorum offensione, qui illum ut *severum laudant disciplinæ rectorem, & strictum observatorem, ac antiquum morem revocavisse* confirmant. Si quid durius circa feminas ab eo fuit constitutum, quia scilicet his Reipublicæ temporibus leges Oppiæ, atque aliæ omnes, quæ mulieribus du-

riores

riores erant, in desuetudinem abiissent, non diu per temporum licentiam hujus disciplinæ observator Octavianus fuit. Quid igitur? viri hi illustres, spretis legibus, pudore, & disciplina comites habuerunt uxores? Sano homini credo nunquam id in mentem veniet. *Sichterman. de Pan. milit. c. 3. Pontan. in Virgilium. Lips. in Tacit. Annal.* III. 33. 1. *Casaub. in Suet. Aug. c.* 24. *n.* 2. Accepto signo ad orientem solem se convertebant, deosque venerabantur, ut scribit in Marcello Plutarchus. Hinc Tacit. Hist. III. 24. 5. *Orientem solem, ita in Syria mos est, Tertiani salutavere.* Eundem quoque morem ab Horatiis, & Curiatius, antequàm inter se pugnarent, observatum narrat Zonaras. Valtrin. ibid. v. 3. Parati ad pugnam se præcingebant. V. supr. in *Discincti & Cinctus.* Ferebant I. Cibum. V. supr. in *Cibaria.* II. Utensilia. Illorum partem dat Joseph. de Bell. Jud. III. 3. *Ferunt Romani pedites hastam & scutum, & præter ista serram & corbem, rutrum, & securim, amplius lorum, falcem, & catenam.* Pertinebant pleraque ad lignandum, pabulandum, muniendum, & postremum ad captivos vinciendos. III. Vallos. V. infr. in *Vallus.* IV. Arma. V. supr. in *Arma.* Tot, & talia unus vir ferebat, non vir, sed jumentum, & sic comparat Josephus, qui scribit l. l. *parum abesse à mulis sarcinariis peditem* Romanum. Itaque & *mulos* joco vocabant, an ipsos *milites*, an furculas eorum? Festus: *Muli Mariani dici solebant à Cn. Mario instituti, cujus milites in furca interposita tabella varicosius onera sua portare adsueverant.* Frontin. IV. 1. 7. *Cajus Marius recidendorum impedimentorum gratia, quibus maximè exercitus agmen oneratur, vasa, & cibaria militum in fasciculos aptata furcis imposuit, sub quibus, & habile onus, & facilis requies esset: unde & in proverbium tractum est, muli Mariani.* Lips. de Milit. Rom. v. 11. Valtrin. ibid. IV. 4. Stevvech. 1. 19. Thys. Rom. Illustr. v. p. 133. Bergier. de Viis milit. IV. Sect. 20. §. 7. Et sic onusti iter grande sæpè conficiebant. Tyrones suos adsuefacit Veget. 1. 19. *pondus bajulare usque ad sexaginta libras, & iter facere gradu militari.* Quod verò istud iter, idem aperit 1. 9. *Horis quinque æstivis viginti quinque millia passuum militari gradu confici.* Quid ergo in totum diem? Si de triginta, aut quadraginta dicam, non aberrem. Hoc mihi de Macedonibus adfitebitur Polyæn. IV. 2. 10. *Philippus exercebat una cum armis trecenta sæpè stadia ambulare, ferentes galeas, peltas, ocreas, sarissas, & præterea commeatum, & quæcunque vasa quotidiani usus.* Reddidi fideliter ipsa verba: & nonnè hæc sunt milliaria triginta septem amplius? *Lips. l. l. Thys. ibid. p.* 134. Privato sumptu se aluerunt, sed postea etiam stipendium meruerunt. V. infr. in *Stipendium.* Cubiculis, & culina illis non erat opus. V. infr. in *Tentoria.* Stantes in castris cibum sumebant. Quintil. Declam. III. *Cum alii cibum stantes capiant, tribunus inter scorta volutabitur.* Ammian. XXV. 4. *Stans interdum more militiæ cibum brevem vilemque sumere visebatur.* Hoc prandium statarium, quod nimirum raptim, & quasi in pedes stando sumitur, vocat Mamertin. in Grat. act. *Neque tempus epularum ei, qui sæpius statarium prandium capiat.* Vales. in Ammianum. Stuck. Antiq. Conviv. II. 34. Clamor, quo hostem invadebant, edebatur in ipsa imminente jam conjunctione, & conflictu. Apud Græcos ἀλαλαγμός. V. supr. in *Clamor.* Apud Romanos *barritus* vocabatur. V. supr. in *Barritus.* Hostibus cæsis, & fugatis, qui fortiter, & egregiè pugnaverant, ab Imperatore pro concione laudibus, & donis militaribus ornabantur. Ovid. de Pont. II. 1. 29.

> *Atque ita victorem, cum magno vocis honore,*
> *Bellica laudatis dona dedisse viris.*

Liv. II. 60. *Addebantur & laudes, quibus haud minùs quàm præmio gaudent militum animi.* Tacit. Annal. II. 22. 1. *Laudatis pro concione victoribus, Cæsar congeriem armorum struxit.* Liv. XXIV. 16. *Postero die per tribunum militum inde deducti, concione militum advocata à Graccho, superveniunt. Ubi quum proconsul veteres milites primum, prout cujusque virtus, atque opera in ea pugna fuerat, militaribus donis donasset: tunc quod ad volones attineret, omnes, ait, malle laudatos à se, dignos, indignosque, quàm quemquam eo die castigatum esse.* Brisson. de Form. IV. p. 350. Stevvech. ibid. II. 7. Broukh. in Tibull. 1. 1. 57. Caroli Antiq. Roman. III. 10. Dona, quæ *militibus* singulis ab Imperatore triumphaturo dabantur, erant coronæ civicæ, murales, obsidionales, castrenses, aureæ, rostratæ, torques, armillæ, hastæ puræ, phaleræ, cornicula, & cætera generis ejusmodi. V. illas suis locis: erant etiam, quæ universis, ut pecunia. Hanc Imperatores ante triumphum *militibus* divisisse docet Liv. XXVIII. 9. *Pecuniam in ærarium tulerunt sestertium tricies octoginta millia æris. M. Livius militibus quinquagenos senos asses divisit: tantumdem C. Claudius absentibus militibus suis est pollicitus, cum ad exercitum redisset.* XXX. 45. *P. Scipio triumpho omnium clarissimo Urbem est invectus. Argenti tulit in ærarium pondo centum millia, militibus ex præda quadragenos æris divisit.* Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. 1. 15. Lips. de Milit. Roman. v. Dial. 17. Valtrin. de Re milit. Roman. VI. 4. Robortel. de Commod. milit. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1479. E.... Blond. Triumph. Rom. VI. p. 138. G. Qui hostes singulari certamine occidissent, præter alia præmia, hostium spolia referebant, eaque domi locis celebrioribus defigebant. V. infr. in *Spolia.* Cum Imperatore cincti discumbebant. V. infr. in *Prandium militare.* A missione illis etiam *præmium pecunia solvebatur.* Tacit. Annal. 1. 17. 6. Ab Augusto id fuisse, sed obscuriùs, ostendit Suet. c. 49. n. 5. *Quidquid ubique militum esset, ad certam stipendiorum, præmiorumque formulam adstrinxit, definitis pro gradu cujusque, & temporibus militiæ, & commodis missionum.* Nam *commoda missionum* hanc pecuniam accepit. Sed clarissimè, summa etiam præmii expressa, Dio LV. p. 563. E. V. illum supr. in *Emeritum.* Lips. in Tacit. Excurs. G. An emeritum fuerit dicta hæc pecunia. V. etiam in *Emeritum.* Pœnæ, quia illorum delicta alia levia, alia graviora erant, aliæ leviores, aliæ acerbiores sunt constitutæ. Leviores, quæ ignominiam tantum inusserunt, erant I. Stipendio privari. Quam pœnam qui patiebantur, ære diruti dicebantur. V. supr. in *Ære diruti.* II. Ad hastæ dationem condemnari. V. supr. in *Censio hastaria.* III. Tendendi locum commutare. Liv. XXV. 6. *Nunc deteriore conditione sumus, quàm apud patres nostros fuerant captivi, quippè illis arma tantum, atque ordo militandi, locusque, in quo tenderent, in castris est mutatus.* IV. Inter impedimenta iter facere. Ammian. XXV. 1. *Ademptis signis, hastisque diffractis, omnes eos, qui fugisse arguebantur, inter impedimenta, & sarcinas, & captivos agere iter imposuit.* V. Extra oppidum hybernare. Liv. XXVI. 1. *Additum utrorumque ignominiæ est, ne in oppidis hybernarent, neve hyberna propius ullam urbem decem millibus passuum ædificarent.* VI. Extra castra hybernare. Val. Max. II. 7. 15. *Decreverunt, ne quis eorum intra castra tenderet, neve locum extra adsignatum vallo, aut fossa cingeret, neve tentorium ex pellibus haberet.* VII. Cibum stantem capere. Liv. XXIV. 16. *Nomina eorum, qui detrectata pugna memores, secessionem paullo antè fecerunt, referri ad me jubebo: iratosque singulos jurejurando adigam, nisi quibus morbus causa erit, non aliter, quàm stantes, cibum, potumque, quo stipendia facient, capturos esse.* VIII. Fossam fodere. Plutarch. in Lucull. p. 501. C. *Milites interioribus tunicis solutis in conspectu exercitus fossam pedum duodecim fodere jussit.* IX. Ante prætorium tunicatos stare. Suet. Aug. c. 24. n. 5. *Pro cætero delictorum genere variis ignominiis affecit, ut stare per totum diem juberet ante prætorium: interdum tunicatos, discinctosque, nonnunquam cum decempedis, vel etiam cespitem portantes.* X. Discinctos destitui. Liv. XXVII. 13. *Centuriones manipulorum, quorum signa amissa fuerant, destrictis gladiis discinctos destitui.* Val. Max. II. 7. 9. *Calpurnius Piso cos. C. Titium præfectum equitum, quod fugitivorum multitudine circumventus arma cum suis tradidisset, jussit lacinias abscissis amictum, discinctaque tunica indutum, nudis pedibus à mane in noctem usque ad principia per omne tempus militiæ adesse.* XI. Hordeo pasci. V. supr. in *Hordeum.* XII. Sanguinem mittere. Gell. X. 8. *Fuit hæc quoque antiquitus militaris animadversio, jubere ignominiæ causa militi venam solvi, & sanguinem mitti: cujus rei ratio in literis veteribus, quas equidem invenire potui, non extat: sed opinor factum hoc primitus in militibus stupentis animi, atque à naturali habitu declinantis;*

ut

ut non tam pœna quàm medicina videretur. Postea tamen ob pleraque alia delicta idem factitatum esse credo per consuetudinem; quasi minus sani viderentur omnes qui delinquerent. Alex. Gen. II. 13. *Hoc quoque loco pœna militaris fuisse traditur, jubere ignominiæ causa militibus audacioribus, qui nec animi, nec consilii satis haberent, venam solvi, quæ non tam pœna, quàm medicina fuit, ut superflua parte sanguinis defluxa, se magis intra gyrum rationis continerent.* Hanc rationem, & causam rei subtiliter indagavit Gellius. *Faber. Semestr.* I. 17. Ita quidem Gellius. Sed ego potius id factum puto, ut sanguinem, quem cum gloria fundere pro patria noluerant, eum cum ignominia amitterent. *Muret. Var. Lect.* XIII. 10. *Stevvech. ad Veget.* III. 4. Sed rogo te Marce, in furto sic castigato (Cato dixit) quis sanguis pro patria fundendus fuit? Quin ego etiam seorsum censeo, id fuisse notam meritæ summæ, & ultimæ animadversionis; quam cum clementia remisisset, speciem tamen ejus usurpabat in pauculo sanguine fundendo. *Lips. de Milit. Rom.* V. *dial.* 18. Ego consuetudinem inde ortam puto, quod in subita pavore medici sanguinem mitti jubeant: ut ergo pavoris, ac timiditatis ignavos milites arguerent, sanguinem mittebant. Postea usus obtinuit, ut in quocunque delicto sanguis mitteretur. *Valtrin. de Re milit.* VI. 8. *Thys. in Gellium.* Mihi videtur olim hanc unam vel pœnæ, vel ignominiæ speciem fuisse inter milites, ut hinc Romanis in ore manserit, *dandum esse invidiæ sanguinem*, Liv. III. 14. & simile, quod deinde aliis notis inventis obtinuit in certo genere. *Gronov. in Gellium.* Mihi præ omnibus Lipsii sententia semper arrisit. Nihil clarius, & militaribus moribus convenientius. Cum enim in adductis supra rationibus multæ vagæ, & incertæ sint conjecturæ, quæ probantur minùs, quàm à viris egregiis propria affirmantur auctoritate, & probatum nondum sit olim hanc unam vel pœnæ, vel ignominiæ speciem fuisse inter milites, nihil ex adverso est, quod moribus Romanis, & locis, quæ de missione mentionem faciunt in Lipsii sententia non conveniat. Furibus enim inflictam fuisse scribit Frontinus mox laudandus, quibus & manus amputatas esse eodem loco narrat: si verò *lenius*, id est minùs agere voluissent, & à graviori pœna recedere, sanguinem mittebant, ut omnibus constaret, mortem levi ea pœna damnatum meruisse; verùm impetrata venia, & vita, hanc illi concessam esse, hoc levi supplicio ostendebant. Sic & hodie plurima in usu supplicia sunt, quæ in capitalis criminis reos irrogantur: & quæ etiamsi vitam non adimant, mortem tamen reos meruisse, satis superque ostendunt. *Sichterman. de Pœn. milit.* c. 11. Ego puto id factum fuisse, ut qui turpiter se gesserant, scirent, indignos esse, qui sanguinem, quo Mars eos dicebatur donare, Serv. in Virg. Æneid. XI. 51. possiderent: quemadmodum & cingulum, & hasta, aliaque ipsis arma adimebantur. *Almelov. in Dissert. Philol. Jurid. Inaugur. de Ignomin. Augustin. Besier.* c. 3. §. 16. XIII. Mulctam solvere. Modestin. l. desertorem ff. de Re milit. *Pœnæ militum hujusmodi sunt, pecuniaria mulcta.* . . . . . XIV. Militiam mutare, cum omnium equiti equus adimebatur, & ille in peditum numerum referebatur. Val. Max. II. 7. 9. *Turmas equitum, quibus præfuerat, ademptis equis, in funditorum alas transcripsit*, n. 15. *Cum magnum civium suorum numerum à Pyrrho Rege ultro missum recepissent, decreverunt, ut ex iis, qui equo meruerant, peditum numero militarent; qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transcriberentur.* XV. A castris segregari. Veget. III. 4. *Dux debet esse attentus, ut si qui turbulenti, vel seditiosi sunt milites, eos prudentiori consilio segregatos à castris, ad agendum aliquid, quod ipsis videatur optabile: aut ad castella, urbesque deputet muniendas, atque servandas, tanta subtilitate, ut cum abjiciuntur, videantur electi.* Cicero apud Diomedem: *Custodia castrorum non honoris, sed oneris existimatur.* XVI. Ignominiosè mitti. V. infr. in *Missio ignominiosa.* Graviores, quæ in ipso corpore exercebantur, & vel caput, vel libertatem petebant. Neque enim in castris locum habuere Porciæ, Semproniæve leges, quæ à tergo, & capite civium, virgas falcesque removerent.

Erantque I. Virgis cædi. Val. Max. II. 7. 4. *C. Cotta P. Aurelium Pecuniolam sanguine sibi junctum, virgis cæsum, gregalis militiæ munere inter pedites fungi coegit, quod ejus culpa agger incensus, & penè castra fuerunt capta.* II. Vite verberari. V. infr. in *Vitis*. III. Manum amputari. Frontin. IV. 1. 17. *M. Cato memoriæ prodidit, in furto comprehensis inter commilitones dextras esse præcisas: aut, si lenius voluissent animadvertere, in principiis sanguinem missum.* IV. Crura exsecari. Ammian. XXIII. 5. *Signa propria quisque sequatur, sciens, quod si remanserit usquam, exsectis cruribus relinquetur.* V. In exsilium mitti. Ammian. XXII. 11. *Romanus quinetiam, & Vincentius scutariorum scholæ primæ, secundæque tribuni, agitasse convicti quædam suis viribus altiora, acti sunt in exsilium.* VI. Venire. Liv. Epit. 55. *C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset, damnatusque sub furca, diu virgis cæsus est, & sestertio nummo venit.* VII. Fuste verberari. V. supr. in *Fustuarium*. VIII. Securi percuti. V. infr. in *Percussio*. IX. Decimari. V. supr. in *Decimari*. X. In crucem tolli. Liv. XXX. 43. *Nominis Latini qui erant, securi percussi: Romani in crucem sublati sunt.* XI. Ad bestias damnari. Modestin. l. 1. *Is, qui ad hostem confugit, & rediit, torquebitur, ad bestiasque, vel in furcam damnabitur.* XII. Capite plecti. Hæc pœna multas ob causas *militibus* irrogata est, transfugere volentibus, vallum transcendentibus, aut per murum castra ingredientibus, seditionem atrocem concitantibus; imò & rem qualem qualem à duce prohibitam facientibus. Capite item plectuntur, qui præposito manum inferunt, qui adversus ducem, vel præsidem contumaces sunt, qui in acie fugam priores faciunt, exploratores qui secreta hostibus nuntiant. Item caligati, qui metu hostium languorem simulant, qui commilitonem gladio vulnerant, qui præpositos suos, cum possunt, non protegunt, l. omne delictum ff. de Re milit. XIII. Sepultura privari. Val. Max. II. 7. 15. *Virgis cæsos securi percuti jussit: eorumque corpora sepultura mandari, mortemque lugeri vetuit.* Ita quidem Stevvech. in Veget. III. 4. Sed hoc exemplum quidem probat, sepulturæ privationem usurpatam esse in patriæ proditores, cives seditiosos, & milites, qui mortuo duce Jubellio sponte sua scribam ejus M. Cæsium Imperatorem delegerunt, postquàm injusto bello Rhegium occupassent: nunquam verò in militem, virum fortem, cuique lege, ac jure ob militare peccatum supplicium irrogatur, militare. Ideòque inter pœnas militares recenseri non debet. *Sichterman. ibid.* c. 15. XIV. Legionariorum gladiis concidi. Tacit. Annal. I. 44. 4. *Stabant pro concione legiones districtis gladiis: reus in suggestu per tribunum ostendebatur: si nocentem acclamaverant, præceps datus trucidabatur: & gaudebat cædibus miles.* XV. Vivus comburi. Ammian. XXIX. 4. Valentiniani jussu Hortarius Alemannorum tribunus, *proditus contra Rempublicam quædam ad Marcianum scripsisse, barbarosque optimates, veritate tormentis expressa, conflagravit flamma pœnali.* Vulcat. Avid. Cass. c. 4. *Primus Avidius id supplicii genus invenit, ut stipitem grandem poneret pedum octoginta & centum, & a summo usque ad imum damnatos ligaret: & ab imo focum apponeret, incensisque aliis, alios fumi cruciatu, timore etiam alios necaret.* XVI. Sub crate necari. Liv. IV. 50. *Ad vociferationem eorum, quos sub crate necari jusserat, concursu facto.* Plaut. Pœn. V. 2. 64.

—— AG. *Quid ait, aut quid crat? expedi.*
MI. *Sub cratim uti jubeat sese supponi, atque eo*
Lapides imponi multos, ut sese necet?

XVII. Saxis obrui. Flor. I. 22. 2. Liv. IV. 50. *Exercitus Posthumium Imperatorem, inficiantem, quas promiserat prædas, facta in castris seditione, lapidavit.* XVIII. Sagittis eminus configi. Id genus pœnæ observavi apud P. Diacon. XVII. Fuit simile illi, quo hodie utuntur, dum noxium palo alligant, & in eum, tanquam in scopum, reliqui omnes milites sclopetarii, seu bombardarii globos emittunt. XIX. Carpento trahi. Capitol. Macrin. c. 12. *Tribunum, qui excubias deseri passus est, carpento rotalis subter adnexum per totum iter vivum, atque exanimem traxit.* Stevvech. in Veget. III. 4. Lips. ibid. Dial. 18. Robortell.

tell. de Pœn. milit. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1481. Ouzel. in Gellium. Sichterman. ibid. c. 13. & 14. Thys. Rom. Illustr. v. p. 152. Blond. Triumph. Rom. vi. p. 137. C. Valtrin. ibid. c. 8. Sigon. l. l. Lyd. ibid. c. 5. Ad has damnandi jus habebat tribunus. Veget. ii. 9. *Similes crimen aliquod admisisset, auctoritate præfecti legionis à tribuno deputabatur ad pœnam*. Si fustuaria pœna exercenda erat, ipse quidem prior *militem* leviter attingebat: in graviori supplicio tantum præpositus erat, ut & centurio. Senec. de Ira i. 16. *Tunc centurio supplicio præpositus condere gladium spiculatorem jubet*. Stevvech. ibid. i. 23. Lips. l. l. Exercebantur verò per lictores. Festus: *Lictores dicuntur, qui fasces virgarum ligatos ferunt: hi parentes magistratibus plagas ingerunt delinquentibus*. Nonium V. supr. in *Lictor*. Liv. ix. 16. *Quem cum inambulans ante tabernaculum vocari jussisset, lictorem expedire securim jussit: ad quam vocem exanimi stante Prænestino: agedum, lictor, excide radicem hanc, inquit, incommodam ambulantibus: perfusumque ultimi supplicii metu, mulcta dicta, dimisit*. Valtrin. & Stevvech. l. l. Carceribus custodiæ causa apponebantur. V. supr. in *Custodia militaris*. Etiam cruciariis custodiendis. V. supr. in *Cruciarius*. Relicto armorum strepitu qui se quieti dederant, arma diis vovebant, Ovid. Trist. iv. 8. 21.

Miles ut emeritis non est satis utilis armis
Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, Lares.

Lucan. i. 239.

Rupta quies populi, stratisque excita juventus
Diripiunt sacris affixa Penatibus arma,
Quæ pax longa dabat.

Tomas. de Donat. c. 22. Marti suspendebant, & sacrabant. Paull. Silent. Floril. vi. 5.

Scutum taurreum munimen cutis, hostiumque
Sæpius hastam gestantem intestina,
Et tela avertentem à pectore thoracem,
Et galeam equinis setis horrentem,
Posuit Lysimachus munus Martis, senilem nunc
Pro panopliâ baculum permutans.

Cerda in Virg. Æneid. Ecl. vii. 24. Pro humatione cadaverum solliciti fuerunt. Sæpè autem Græcos, sæpè Romanos pactum cum hostibus iniisse de corporibus suorum sepeliendis, testes sunt Homerus, Virgilius, Livius, & Cassiod. Var. ii. 19. & 22. Etiam inducias sepeliendis utrimque cæsis in acie datas memorat Liv. xxxii. 11. Et Appian. de Bell. Pun. p. 63. scribit *Scipionem captivum quendam, solutum vinculis misisse ad Asdrubalem, rogantem ut sepeliret tribunos. Et hunc quæsitos inter cadavera, & aureorum annulorum indicio agnitos sepelisse*. Insigne est pietatis exemplum apud Tacit. Annal. i. 62. 1. *Igitur Romanus qui aderat exercitus, sextum post cladis annum, trium legionum ossa, nullo noscente reliquias an suorum tegeret humo, omnes ut conjunctos, ut consanguineos, aucta in hostem ira, mœsti simul & infensi condebant*. Stevvech. in Veget. ii. 20. Kirchman. de Funer. Append. c. 3. Fab. Semestr. ii. 1. Quensted. de Sepult. vet. c. 2. Foris illorum corpora in unum collata sepeliebantur. Suet. Cal. c. 3. n. 8. *Cæsorum clade Variana veteres, ac dispersas reliquias uno tumulo humaturus, colligere sua manu, & comportare primus aggressus est*. Hos tumulos in finibus, qui inde sepulturam à limitum auctoribus dicuntur, ponebant, & in illos *militum* in prælio cæsorum cadavera in unum conferebant. Pausan. Bœot. p. 289. *Non longis à portis commune sepulcrum exstat eorum, qui cum in acie cum Alexandro, & Macedonibus confligentes mortem oppetiere*. Suet. Aug. c. 12. n. 2. *Nursini Mutinensi acie interemptorum civium tumulo publicè exstructo adscripserant, pro libertate eos occubuisse*. Guther. de Jur. man. i. 5. Pitisc. in Suetonii Augustum. Domi *ad membrum abscisum, & servatum justis factis, reliqui combusti corporis cineres in urna repertabantur*. Festus. Prop. iii. 10. 13.

Neve aliquid de te flendum referatur in urna:
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.

Quod fieri permittit Cicer. de Leg. ii. 24. *Homini mortuo ne ossa legito, qui post funus faciat. Excipit bellicam, peregrinamque mortem*. Guther. l. l. Ad tubam in castris sepeliebantur. Tertull. de Coron. milit. c. 11. *Mortuus etiam tuba inquietatur æneatoris, qui excitari à tuba Angeli exspectat; & cremabitur ex castrensi disciplina Christianus, cui cremari non licuit, cui Christus merita ignis indulsit?* Kirchman. de Funer. ii. 4. Tempore pacis fossis fodiendis, & viis muniendis, ut otium exuerent, adhibebantur. V. infr. in *Otium*.

Milites adscriptitii, vel adscriptivi dicebantur inermes qui olim castra sequi solebant, & legionibus adscribebantur, vel accensebantur, unde & accensi vocabantur, V. supr. in *Accensus*, ut in demortuorum locum subrogarentur, & supplerent defectum legionum. De his Plaut. Men. i. 3. 1.

—— ER. *Extra numerum es mihi.*
PE. *Idem istuc aliis adscriptivis ad legionem fieri solet.*

Illorum, qui tamen extra numerum erant, instituti hoc spectabat, ut essent, qui supplere, & integrare numerum legionis possent, si quos in prælio cadere contingeret. Ideò castra sequebantur, & singulis legionibus certus eorum numerus adscriptus erat. Ne autem prorsus inutiles essent, fundæ iis attributæ, quibus ante primam aciem, cum reliqua levi armatura lapidibus hostes irritarent, ac lacesserent. *Salmas. de Milit. Rom. c. 14. Alex. Gen. dier.* vi. 22. *Sebill Nomencl. Philol. p.* 47. & 748. *Taubman. in Plautum*.

Milites Augustales *appellabantur, qui ab Augusto ordinariis juncti sunt*. Veget. ii. 7. *Chiment. de Hon. bisell. c.* 40. Imperatores, penes quos jus, & arbitrium omnium rerum fuit, multa innotarunt in re castrensi, & nova etiam militum nomina introduxerunt. Etiam Nero legit Augustanos. Tacit. Annal. xiv. 15. *Tunc primum conscripti sunt equites Romani, cognomento Augustanorum, ætate, ac robore conspicui, & pars ingenio procaces, alii in spe potentia*. Stevvech. in Vegetium. Alex. Gen. vi. 22. & in illum Tiraquellos.

Milites caligati. V. illos supr. in *Caliga*.

Milites causarii propriè dicebantur valetudinis causa missi. Hoc nomine veniunt apud Liv. vi. 6. *Tertius exercitus ex causariis, senioribusque à T. Quintio scribatur, qui urbi, mœnibusque præsidio sit*. Colligitur hoc ex Ulpian. l. 2. §. 2. *Ignominia causa missum hoc ideo adjectum est, quoniam multa genera sunt missionum. Est honesta, quæ emeritis stipendiis, vel ante ab Imperatore indulgetur: & causaria, quæ propter valetudinem laboribus militiæ solvit*. Politian. Miscell. c. 92. Rævard. de Div. reg. jur. lxxx.

Milites centuriati dicebantur, qui centuriæ attributi, & assignati erant. *Turneb. Adv.* xviii. 19.

Milites cohortium urbanarum nominantur prætorii, quoniam à prætore tutelari dicto tegebantur. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* iii. *p.* 391. *A.* Qui gravissimè hallucinatur. Nunquam dicti sunt prætorii cohortes urbanæ; sed illæ tantum hoc nomine fuerunt appellatæ, quibus præerat præfectus prætorio, non tam ad tutelam Urbis, quàm Augusti conscripti, nec eos rexit prætor tutelaris, qui ab Augusto non est institutus, sed ab Antonino philosopho. Capitolinus. V. illum infr. in *Prætor tutelaris*. Græv. ibid. Proleg. * * 4.

Milites consummati dicebantur emeriti. Frontin. iv. 3. 12. *C. Curius, cum victis ab eo Sabinis, ex SCto ampliaretur ei modus agri, quem consummati milites accipiebant, gregalium portione contentus fuit: malum civem dicens, cui non esset id, quod cæteris, satis*. Rhodig. Ant. Lect. xi. 11.

Milites duplares, sive duplicarii. V. illos supr. in *Duplaris*.

Milites miliarenses fortè sunt dicti à miliaria ave, quod ejus instar galeas gestarent: sicut alaudam legionem eodem modo Cæsar vocavit: vel fortè à miliarensi loco in hortis Sallustii. Vopisc. Aurelian. c. 49. *Miliarensem porticum in hortis Sallustii ornavit*. Mihi non displicet dici, quod à prima alicujus legionis cohorte sint contracti: illa verò miliaria vocabatur, quæ ex MCV. peditibus constabat. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 144. & 155.

Milites infrequentes. V. illos supr. in *Infrequens*.

Milites mercenarii dicebantur auxiliares, qui, quanquam sæpè à Regibus mittebantur suo sumptu, tamen pe-

cunia

cunia etiam scribebantur. Primi in Hispania, si credimus Liv. xxxv. 49. *Id modo ejus anni in Hispania ad memoriam insigne est, quod mercenarium militem in castris neminem ante, quam tum Celtiberos, Romani habuerunt.* Ambiguè hoc refero, haud frustra: & evertit sanè Zonar. II. qui diu ante initium huic rei facit. Nam illa Livii incidunt in Annibalicum bellum, cum duo Scipiones in Hispania: at iste in Sicilia, belli Punico I. originem assignat. *Deficientes*, inquit, *à Carthaginensibus Gallos, & alios quosdam sociorum Romani stipendio conduxerunt, non ante peregrinum militem soliti alere.* Juvat aliquid Livium, quod isti per occasionem adsumpti, & reperti magis quàm quæsiti: at primi consilio, & ex destinato, illi Celtiberi. *Lips. de Milit. Roman.* I. *Dial.* VII.

Milites navales in navibus pugnando suam operam præstiterunt. Hos Romani primis temporibus ex legionariis habuere. Polyb. I. 49. P. Claudius cos. *veteres, novosque remiges è vestigio navibus imponit, cum selectis epibatis, qui ex universis legionibus ultrò sese offerebant.* Posteaquàm verò res Romana crescere, exterique, & potentes in mari hostes paratam semper, instructamque classem postulare videbantur, non amplius è terrestri, & legionario *milite* desumpti, sed certi quidam, iique perpetui, in classem scripti. Quod nescio an non belli Punici II. temporibus primum fuerit institutum. Liv. XXII. 57. *M. Claudius Marcellus ab Ostia mille & quingentos milites, quos in classem scriptos habebat, Romam misit.* Id quod facere potuisse non videtur, nisi eo tempore seorsim aliquos in classem scribi consuevissent. Hi quidem postea *classiarii, milites*que *classici* vocati. Liv. XXVI. 51. *Remigio classici milites in altum evecti sunt.* Magis hoc firmatum, cum Augustus vagas ante classes certis locis distribuit: unamque *Miseni, & alteram Ravennæ, ad tutelam superi, & inferi maris collocavit.* Suet. c. 49. n. 2. Tunc enim nomen classiariorum Misenensium & Ravennatium inventum. Tacit. Annal. XV. 51. I. *Primores classiariorum Misenensium labefactare connixa est.* Lapides, & prisca marmora: MIL. CL. PR. R. *Miles classis prætoriæ Ravennatis.* Scheffer. de Milit. nav. II. 4.

Milites numerarii. V. illos inft. in *Numerarii*.

Milites ordinarii. V. illos inft. in *Ordinarii*.

Milites prætoriani. V. illos inft. in *Prætoriani*.

Milites protectores. V. illos supr. in *Comes domesticorum*.

Milites provinciales sunt legionarii. Hyginus de Castrametatione: *Omnis miles provincialis accipit pedaturam pedem adjecta quinta per totam latitudinem semistrigii.* Et *Legiones quoniam sunt militis provincialis fidelissimi, ad vallum tendere debent, ut opus valli tueantur, & exercitum gentium Secto numero corporali cen muro teneant.* Primis temporibus, priusquam Italia subacta esset, aut in provinciam saltem redacta, legiones ex civibus Romanis conscribebantur, auxilia verò ex Italicis sociis petebantur: & hæc auxilia numerum legionum semper, aut æquabant, aut certè superabant. Post Italiam civitate donatam legiones tam ex Italicis quàm ex Romanis, utrique enim jam cives conscribi cœptæ sunt: auxilia verò ex aliis gentibus petita partim fœderatis, partim etiam mercede conductis. At postquàm totus orbis Romanus civitate Romana donatus est, quod Antonini Pii lege factum, delectus passim habitus ex omnibus orbis Romani provinciis ad legiones scribendas de novo, aut veteres supplendas, auxilia verò ex barbaris sumpta, ut Germanis, Batavis, Mauris, Armeniis, Osroenis, Palmyrenis, Getis, Dacis, aliisque exteris gentibus, quæ extra limites Romanos summovebantur, & Imperii jugum nondum subierant. *Salmas. in Vopisc. Prob. c.* 14. Hoc ante civitatem omnibus in orbe Romano, non ab Antonino Pio, sed ab Antonino Caracalla datam, ut agnovit Salmas. de Mod. usur. c. 19. ab Hygino, qui Trajani ætate, quod ex eodem liquet, ea commentabatur, dictum liquet: idque inde, quod ab Augusti temporibus legiones fermè è provincialibus *militibus*, quique in provinciis distribuerentur, ac unde indita iis vulgò earundem provinciarum, quæ præter antiquos auctores, aliave veterum monumenta, in antiquis etiam M. Antonini, Hadriani, aut aliorum adhuc nummis comp... centè, nomina constarent: prætorianæ verò, & urbanæ cohortes ex Italicis ad Urbis custodiam adsumerentur. *Militem*, & provincialem, ut *miles* de Romanis, provincialis de Gallicanis in eodem exercitu copiis intelligantur, distinguit Ammian. XX. 9. *Auguste Juliane, ut provincialis, & miles, & Republica decrevit auctoritas.* Sed sublata particula *&* legatur, ut jam olim apud Hyginum *provincialis miles*, nempè Gallicanus; quomodo *Gallicanus miles* appellatur ab Ammian. XXX. 10. aut *virtus exercitus Gall.* seu Gallicani legitur in Constantini, & Constantis numinis. *Spanhem. ad Constit. Anton. Imperat. Exerc.* II. §. 23. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* X. *p.* 1035. *D.*

Milites psili, Græcè ψιλοὶ, nuncupati sunt levioris armaturæ, quibus opponuntur, quos hoplitas dicunt Græci iidem, gravi præmunitos armatura, Macedonum ritu: scutis quoque in orbem circumactis, nec non hastis longioribus; psili, seu velites arcu utuntur, & jaculo, item funda. *Rhodig. Ant. Lect.* XXI. 8. *Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* X. *p.* 1037. *C. Salmas. de Re milit. Roman. c.* 14.

Milites statarii dicuntur, qui *non recedunt loco, sed statim rem gerunt*, ut loquar cum Plaut. Amphit. I. 1. 84. Liv. IX. 19. *Statarius uterque miles, ordines servans.* V. infr. in *Stantes*. Cuper. Inscript. §. 12.

Milites stationarii certis locis collocabantur, ut latrocinia prohiberent, turbas sedarent, factiosos & crimina patrata præsidi indicarent. Cod. IX. 2. 8. *Si quis se injuriam ab alio passum putaverit, & querelam deferre voluerit, non ad stationarios decurrat, sed præsidialem adeat potestatem.* Hos instituit Augustus. Suet. c. 32. n. 3. *Igitur grassatores dispositis per opportuna loca stationibus inhibuit*: & numero auxit Tiberius. Suet. c. 37. n. 1. *In primis tuendæ pacis à grassaturis, ac latrociniis, seditionumque licentia curam habuit.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 9. Burman. de Vectig. c. 9. Pitisc. in Suet. Augustum. Vectigalia pro mercibus advectis exigebant, eodem modo apocham scribebant, exactamque pecuniam ad præsidem mittebant, inde ad thesaurensem dirigebatur. Constant. C. I. universi de Vectig. *Provinciales pro rebus, quas ad usum proprium, vel ad fiscum inferunt, vel exercendi juris gratia revehunt, nullum vectigal à stationariis exigant: ea verò, quæ extra prædictas causas, vel negotiationis gratia portantur, solitæ præstationi, vel pensationi subjugamus, capitali pœna proposita stationariis, & urbanis militibus, & cæteris personis, quorum avaritia id tentari firmatur.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 75.

Milites triumphales dici possent, qui in triumpho triumphantem Imperatorem sequebantur. De triumpho L. Anicii Liv. XLV. 43. *Lætior hunc triumphum secutus est miles, multisque dux ipse carminibus celebratus.* Carmina jocularia illi canebant. V. illa supr. in *Jocos*. Buleng. de Triumph. c. 32.

Milites subitarii vocabantur, qui cum in vicino esset hostis, & repens alicubi periculum, & auxilium subitò ferendum, omissis tribubus, centuriis, sortibus, confusè, ac raptim capiebantur, & educebantur. Liv. III. 30. *Senatum coss. vocant, jubentur subitarium scribere exercitum, atque in Algidum ducere.* Ac solent istos scribere in tumultu. Liv. XL. 26. *Senatum censere subitarios milites, tumultus causa conscriptos, primo quoque tempore dimitti.* Atque ita scribere, ut sine discrimine, aut excusatione sæpè cogerentur, juvenes, senesque. Liv. X. 21. *His nuntiis senatus conterritus, justitium indici, delectum omnis generis hominum haberi jussit: nec ingenui modo, aut juniores sacramento adacti sunt, sed seniorum etiam cohortes factæ.* Lips. de Milit. Rom. I. Dial. IV.

Milites urbani sub Imperatoribus diversi planè erant ab urbanis tempore Reipublicæ: hi enim ad subita belli conscriptæ erant legiones, quæ ad custodiam Urbis relinquebantur, dum aliæ in hostem ducerentur, nec genere militiæ, vel dignitate distinguebantur. Sub Imperatoribus verò urbani diversa, & ab aliis *militibus* distincta legio, & cohortes esse cœpere, & aliis *militibus* honoratiores habiti,

solis

solis cedentes prætorianis, qui, ut ad custodiam Cæsaris, & palatii erant delegati, ita urbanis Urbis cura commissa fuit, unde eorum castra in ipsa Urbe fuere, quæ dicebantur *castra urbana*, l. 15. §. 3. ff. ad leg. Jul. de adulter. Horum magnus favor erat apud Imperatores, unde in eorum testamentis luculentiora plerumque legata, quàm reliqui, percipiebant. V. Tacit. Annal. 1. 8. 3. Variis etiam privilegiis gaudebant, nimirum, ut etsi unquam Roma excederent, sed perpetuò ejus custodiæ causa ibi manerent, tamen beneficio restitutionis, propter absentiam Reipublicæ causa, fruerentur, l. 35. §. 4. ff. ex quib. caus. major. quæ tamen legis fictio in causa adulterii ipsis non prodest, l. 15. §. 3. ff. ad leg. Jul. de adulter. Deinde stipendium sesquiplex accipiebant, dimidium ejus quod prætoriani. Maturiorem etiam vacationem, quàm cæteri, habebant. Colligo hoc ex l. 8. §. 9. ff. de excus. ubi dicitur *quis in urbanis cohortibus permilitasse, licet ante viginti annos mittatur*. Unde reliquos *milites* teneri viginti annos militare, urbanos sedecim defungi potuisse conjicio. Et hinc Tacit. Annal. 1. 17. 7. supplendum esse puto, ubi Percennius in oratione, qua *milites* ad seditionem accendit, hoc artificio utitur, ut invidiam prætorianis, & urbanis *militibus* conciliet, qui lautiùs habebantur, quàm cæteri legionarii. *An*, inquit Tacitus, *prætorias cohortes, quæ binos denarios acciperent, quæ post sexdecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere?* Lips. n. 115. putat Tacitum cum Dione pugnare, qui tradit LIV. p. 539. D. *Augustum definisse prætoriis cohortibus duodecim annos*. Tacitus verò hic sexdecim. Sed cum in Tacito infinitæ lacunæ, & hiulca loca reperiantur, idem hic accidisse puto, & locum sic constituendum: *An prætorias cohortes, quæ binos denarios acciperent, an urbanas, quæ post sexdecim .....* Ita ut Percennius prætorianis invidiam à stipendio, cohortibus urbanis à matura vacatione moveat. Desiderari has voces, innuit §. 8. *Non obtrectari à se urbanas excubias, sibi tamen apud horridas gentes è contuberniis hostem aspici*. Quæ ad urbanas cohortes, quæ semper in Urbe excubias agebant, sicut necessariò referenda, nam prætoriani, etsi & illi dici possint urbanas excubias agere, non tamen perpetuò ibi erant, sed Cæsari adhærebant, quem in itineribus, & bellis comitabantur; quin etiam, quamvis Imperator domi maneret, aliquando pars quædam prætorianorum cum ducibus in longinqua bella mittebatur. Et ita legimus apud Tacit. ibid. c. 24. n. 1. *Tiberium Drusum filium cum primoribus, duabusque prætoriis cohortibus misisse*. Illis præerat præfectus Urbi. Tacit. Hist. III. 64. 2. *Esse illi*, Flavio Sabino præfecto Urbi, *proprium militem cohortium urbanarum*. Burman. de Vectig. Dissert. c. 9.

MILITIA est multitudo apta, & composita in armis ad vim faciendam, & arcendam sub certa lege. *Lips. de Milit. Rom. 1. 2. Carols Antiq. Roman.* III. 2. *Laurent. Polym.* IV. *Synops.* 1. §. 1. Illam civibus suis magno studio Romani commendaverunt, & injunxerunt. Omnibus enim aditus ad magistratus urbanos præclusus erat, qui nondum decem annos *militassent*. Polyb. VI. 17. *Urbanum magistratum non ante capere cuiquam licitum est, quàm decem annos militando exegerit*. Solo itaque virtutis tramite inter eos ad honores grassandum erat. *Patric. Res Rom. milit. part. 1. sect. 3. Lips. de Milit. Rom. 1. Dial. 11. Blond. Triumph. Rom.* VI. *p.* 126. *H.* Ejus erant tria genera: legitima militia, conjuratio, evocatio. Serv. Æneid. VII. 613; VIII. 1. *Apud majores nostros tria erant militiæ genera in bellis gerendis: nam aut legitima erat militia, aut conjuratio, aut evocatio. Legitima erat militia eorum, qui singuli jurabant pro Republica se esse facturos, nec discedebant nisi completis stipendiis, id est, militiæ temporibus: & sacramentum vocabatur. Aut certe si esset tumultus, id est, bellum Italicum, vel Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus, quia singulos evocare non vacabat: qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla: unum roseum, quod pedites evocabat, & unum ceruleum, quod erat equitum (nam cæruleus color est maris, à cujus deo equum constat inventum) dicebat, qui salvam esse vult Rempublicam, me sequatur. Et qui convenissent, simul jurabant, & dicebatur ista militia conjuratio. Erat & evocatio, cum ad diversa loca diversi cogebantur exercitus*. Brisson. de Form. IV. p. 341. Schel. ad Polyb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1168. F. Valtrin. de Re milit. II. 2. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 581. Laurent. ibid. §. 3. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman. 1. 15. Stevvech. in Veget. 1. 6. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Roman. X. 3. Ad labores .... perferendos non omnis ætas idonea est, juvenumque ætas credita melior ad militares exercitationes ediscendum. Atque ita primum, ut Sall. Bell. Cat. p. 7. *juventus simul ac belli patiens erat, in castris, per laborem usu militiam discebat*. Annus itaque *militaris* ætatis erat decimus septimus. V. supr. in *Ætas militaris*. Ramus de Milit. Cæsar. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1543. D. Anni jam inde à Polybii ætate in equite deni, in pedite viceni: at hi sub Augusto tantum senideni, rursusque viceni fuere; licèt ultra interdum producti. *Tricena, aut quadragena stipendia senes, & plerique truncato ex vulneribus corpore tolerare*, ille sub Tiberio Percennius conqueritur apud Tacit. Annal. 1. 17. 2. Quadragena in Severo Cæcina notat Tacit. Annal. 1. 64. 5. *Quadragesimum id stipendium Cæcina parendi, aut imperitandi habebat*. III. 33. 1. *Quanquam ipse*, Cæcina, *plures per provincias quadraginta stipendia explevisset*. Vicenos etiam Tiberius confirmavit, quos diminuere seditiosæ legiones paullò antè conatæ erant. Confirmavit inquam, & edixit *imparem oneri Rempublicam, nisi vicesimo militiæ anno veterani dimitterentur: ita proxima seditionis malè consulta, quibus sexdecim stipendiorum finem expresserant, abolita in posterum*. Ipsæ leges stabiliunt hunc annum, & quodammodò legitimum faciunt. Unde etiam *justa militia* appellatur, quæ huc pertingeret: *injusta*, quæ transcenderet. *Putean. de Stipend. milit. c. 16. Laurent. ibid.* §. 2. Causæ justæ detrectandi erant I. *Vacatio α.* ab ætate, ut cum aliquis supra quinquagesimum annum, sive implevit stipendia sua, seu non implevit (puta non scriptum semper, aut aliàs ægrotasse) is talis vacat. Hunc definivit Varro de vita patrum II. & sic apud Liv. XL. 26. *A senatu imperatum est Petillio, ut omnes minores quinquaginta annis sacramento rogaret*. *β.* ab honore, ut si quis in magistratu, aut sacerdos. Nec enim aut illi à Republica, aut isti abducti à sacris. De illis ratio, & exempla dictant; de istis & auctoritas. Nam Plutarch. in Camillo clarè: *Legem positam, qua solvebantur militia sacerdotes, nisi si Gallicum bellum esset*. *γ.* à beneficio, ut si cui senatus, populusve dedisset. Factum id sæpè pro meritis, aliàs in annos. Liv. XLIII. 20. *Prænestinis militibus senatus duplex stipendium, & quinquennii militiæ vacationem decrevit*. In quinque annos ecce decrevit, qui de legitimo stipendiorum numero deducerentur. Aliàs in ævum, & largiùs. Cicer. de Nat. deor. II. 2. indefinitè: *P. Vatienus & agro à senatu, & vacatione donatus est*. Phil. V. 19. *Militibus veteranis, qui libertatem populi Romani defendissent, his liberisque eorum vacationem militiæ esse*. Istu senatus, sed dedit & populus. Liv. XXXIX. 19. *Consul cum tribunis plebis ageret, uti P. Æbutio emerita stipendia essent, neu invitus militaret*. II. *Emeritum*. Qui stipendia sua viginti finisset, rurò non dabat nomen. III. *Morbus, aut vitium*. Hæc latè patet. Nam & manci, aut debiles non habiles ad *militiam* judicati: & nominatim ii, quibus pollices, aut digiti non essent. Suet. Aug. c. 24. n. 3. *Equitem Romanum, quod duobus filiis adolescentibus causa detrectandi sacramenti pollices amputasset, ipsum bonaque subjecit hastæ*. Val. Max. VI. 3. 3. *Ne in C. quidem Vetticno, qui sinistræ manus digitos, ne bello Italico militaret, sibi absciderat, severitas senatus cessavit*. Nota *sinistra*, quia ea manus inepta tunc ad scutum tenendum, sicut dextra ad gladium. Ammian. XV. 12. *Nec illorum quisquam, ut in Italia, munus Martium extimescens pollicem sibi præcidit, quos jocularitèr murcos appellant*. Lips. de Milit. Rom. 1. Dial. IV. Valtrin. ibid. c. 5. Laurent. ibid. §. 4. Thys. Rom. Illustr. 1. p. p. 47. Stevvech. in Veget. 1. 6. Lindenbr. in Ammianum. Beroal. Torrent. & Pitisc. in Suetonium.

Militia nautica semper vilior fuit habita. Romanis perpetuum hoc judicium. Liv. XXXII. 23. *Navales socii rejectis nuper classibus ad spem honoratioris militiæ transgressi sunt*.

Tacit.

Tacit. Hist. I. 87. 2. *Facta & cæteris spes honoratioris in posterum militiæ.* Causa fortè, quia plus hic videbant efficere fortunam, quàm virtutem: sæpèque vincere, qui mereatur vinci. Ita disserit Diodor. XX. p. 760. C. *In pugnis*, inquit, *navalibus multa variis modis causa eveniunt, quæ faciunt, ut qui virtutis suæ jure optimè victoriam aliàs reportaret, nec opinato succumbant. An & quia putabant minui gloriam militum ob auxilium nautarum?* Profectò enim in conflictu, prælive navali *opere lacertis remigum, & ars clavum regentis magistri victoriam præstat*, ut testatur Veget. IV. 43. Etiam ignaviam prætextus invenire in hac militia, ex vi fluctuum, & ventorum, animadvertebant: contraque fieri in terrestri, ubi culpam rei malè gestæ frustra referas in quid aliud quàm proprium timorem. Denique mors ipsa displicebat, ut in aquis, quibus non eripi tantum, sed exstingui planè animam putabant. *Lips. de Milit. Rom. I. Dial. I. Scheffer. de Milit. naval. I. I. Laurent. Polym. IV. Synops. I. §. I.* Sed hæc cuncta sunt vana. Nulli loco adstringitur virtus, imò quo plus in mari fortuna potest, hoc majori animo, melioríque consilio eam trahit in partes suas. Neque obscurant militum gloriam nautæ, sed promoveont, ac illustrant. *Scheffer. l. l.*

Militia pro exercitu, & *militum* copia novè dicitur. *Sciop. Infam. Famian. p. 4.* At in scriptoribus medii ævi ita sæpè accipitur. Tacit. Hist. I. *urbanam militiam*, & prætorias cohortes, legionibus, & Germanico exercitui opponit. Ambros. de vocat. gent. *Cælestium armorum præsidio, à dextris, & à sinistris instruitur Christiana militia.* Tertull. de Orat. c. 14. *Nam & militia Dei sumus.* In Evang. Luc. c. 2. n. 13. *Πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου*, quod vertit vulgatus interpres: *multitudo militiæ cælestis.* Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. X. p. 1035. D.

MILLIARE, seu *milliarium*, à *mille* passibus deductum esse vel ex ipso constat nomine. Continet autem octo stadia, cujus terminus lapis appellatur: ut cum dicimus rem aliquam sexto ab Urbe lapide distare, intelligi volumus, inter singulos lapides *milliare* comprehendi. *Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1484. E. Pætus de Roman. & Græcor. mens. I. Thes. Græv. ibid. p. 1614. D. Lindenbr. in Censuria. c. 13. Salmas. Exerc. Plin. p. 100. a. C.* V. supr. in *Lapis.*

MILLIARIUM *aureum in capite fori Romani fuit statutum.* Plin. III. 5. sub ædem Saturni. Tacit. Hist. I. 27. 3. *Otho inde ad milliarium aureum sub ædem Saturni pergit.* Suet. Oth. c. 6. n. 3. *Otho præmonitis consciis, ut se in foro sub æde Saturni ad milliarium aureum opperirentur, mane Galbam salutavit.* Ab Augusto an. 734. M. Apulejo, P. Silio Nerva coss. Dio LIV. p. 526. B. *Tunc autem ipse*, Augustus, *viarum, quæ sunt circa Romam, curator constitutus, milliarium aureum, quod vocatur, fecit.* Donat. de Urb. Rom. I. 19: II. 14. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 2. Buleng. de Circo c. 52. Faunus Antiq. Urb. Rom. II. 1 I. Gyll. Topogr. Constantinop. II. 23. Pancitoll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 355. B. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. I. §. 5: c. 10. §. 3. Bergier. de viis milit. III. Sect. 13. §. 2. Pitisc. in Suetonium. In illam omnes viæ Italiæ competebant, & desinebant: & ita vocabatur, quod ab eo *milliariorum* numerus, quibus itinera metiebantur, incipiebat: nam lapides in viis quibus *milliaria* notabantur, *milliaria* etiam vocabantur. V. supr. in *Lapis.* Plutarch. in Galb. p. 1064. B. *Otho descendit in forum, ubi aurea columna est posita, in quam viæ militares omnes Italiæ desinunt.* Turneb. Adv. V. I. Bergier. ibid. §. 3. Nardin. Rom. Vet. V. 6. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 2. Donat. de Urb. Rom. II. 14. Gentil. de Verb. signif. p. 288. Lips. & Savil. in Tacitum. Beroal. Sabell. Torrent. Babelon. in Suetonium. Etiam Beroal. Annot. c. 102. Sabell. in Plin. c. 17. Buleng. Gyll. Borrich. & Panciról. l. l. Huic absurdo errori ipse loquendi modus refragatur, qui *milliariorum*, sive lapidum distantiam non à meditullio fori, sed ab Urbe, hoc est, à portis, aut mœniis, quibus Urbs terminatur, olim numeratam fuisse, atque etiam nunc numerandam indicat. Unde Macer. de Verb. Signif. §. 154. *Mille passus non à milliario Urbis, sed à continentibus ædificiis*, id est, suburbiis, *numerandi sunt.* Lapis etiam primus ab Urbe in via Appia ante complures annos extra Urbem inter antiquitatum ruinas detectus, à senatu, populoque Romano ad Urbis ornamentum in Capitolium translatus fuit, ubi ad gradus laterales cum publico testimonio erectus visitur. Dici igitur, si *milliarium*, lapidumque *milliariorum* principium, & distantiarum intervallum cœpisset à *milliario aureo*, hoc est, ab Ecclesia S. Adriani ad arcum Septimii Severi, sequeretur omninò lapidem illum non extra Urbem, & portam S. Sebastiani olim positum fuisse, sed intra Urbem, & quidem citra Ecclesiam SS. Nerei, & Achillei. Distat enim hæc Ecclesia à dicto arcu Septimii amplius integro veteri milliario Romano, qualibus lapides *milliaris* viæ Appiæ etiam hodie plurimis in locis distincti conspiciuntur, hoc est, sexcentis sexaginta septem paullò minus cannis. A dicta autem Ecclesia ad portam S. Sebastiani porrò quingenti sunt, & amplius passus Romani veteres, quorum mille constituebant *milliarium* Romanum. Cum ergo indubitatum sit, portam S. Sebastiani à dicto *milliario aureo* distare, ut minimum *milliario* integro, & dimidio; dicta autem columna primi lapidis longiùs extra Urbem ad viam Appiam reperta, & inde in Capitolium translata fuerit, prout inscriptio senatus, populique Romani eidem incisa testatur; sequitur necessitas, & intervalla *milliariorum* non à foro Romano, sed à portis Urbis olim numerari cœpisse. *Hulsteen. de Milliar. aur. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1805. D. Rycq. in Tacitum. Fabret. de Aquæd. Dissert. I. Thes. Græv. ibid. p. 1695. E. Pitisc. in Suetonium.* Sed nihil fuit impedimenti, quo minus à studioso aliquo veterum reliquiarum in illa Urbis toties facta vastatione, ad ornatum villæ, horti, vineæ poruerit transferri: quasi non idem in aliis reliquiis ejusdem, & multo majoris molis factum fuerit. Inscriptio, quam refert columna, esse columnam *milliariam* primi ab Urbe lapidis indicem, ex qua colligi posset, si ab Urbe, ergo non in media, est valdè recens, & hodie facta ab eo, cui placuit ista sententia; fueritne verò Holsteenius, an alius, nescio. *Hennin. in Bergier. III. Sect. 13. §. I.* Qui in his responsionibus ad adversariorum argumenta valdè quidem, sed non seriò videtur triumphare. Nam à posse ad esse non valere consequentiam norunt etiam illi, qui in scholis manum ferulæ nondum subduxerunt. Probandum fuisset columnam hanc revera in villam, aut vineam ex Urbe Roma translatam fuisse, non dicendum potuisse transferri. Non enim terret sic argumentantem Henninius, si superesset. Columna hæc Roma Teutoburgum, aut Trajectum ad Rhenum à studioso reliquiarum translata est: quia, dum tantæ non est, ut putat, molis, ut non majoris molis reliquiæ huc illuc translatæ fuerint. Quæ licèt translatæ fuissent, adhuc probandum superesset, in his reliquiis idem factum esse. Holstenium, aut alium, cui hæc placuerit sententia, inscriptionem, quam refert nostra columna, fecisse dum dicit, nihil dicit. Nam hoc eadem facilitate, qua adsertur, rejicitur. Et affirmantis est probare. Imò, si accusasse sufficit, quis erit innocens? Reliquas responsiones, quibus & alia argumenta nostram sententiam fortè firmantia, quia nec mea, nec doctorum à me laudatorum sunt, destruere conatur, lubens mitto. *Pitisc. in Suetonium.*

MIM.

MIMÆ mulieres in scenicis etiam ludis adhibebantur. Mart. I. 5. 5.

Qua Thymelen spectas, derisoremque Latinum;
Illa fronte precor carmina nostra legas.

Cicer. Phil. II. 24. *Inter quos aperta lectica mima portabatur.* c. 25. *Venisti Brundisium in sinum quidem, & complexum tuæ mimulæ.* Græci [illegible] vocant. Hanc vocem, forma tamen patronymica, usurpavit Ovid. de Art. I. 541.

Ecce Mimallonides sparsis in terga lacertis:
Ecce leves Satyri prævia turba dei.

Ubi poeta describit comitatum Bacchi proficiscentis ad Gnossidem amicam, talibus *mimis* stipati. *Salmuth. ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 86.*

MIMAULI erant, qui *mimum* agebant ad tibiam; unde & Hesychius *μιμαυλεῖν* interpretatur, *μιμεῖσθαι, ὑποκρίνεσθαι*, id est, *imitari, repræsentare in scena, & agere*. Athen. x. p. 452. F. *Cleon mimaulus vocatus, qui Italicorum mimorum optimus fuit histrio per seipsum personatus*. Buleng. de Theat. I. 48.

MIMUS *est sermonis cujuslibet, motusque sine reverentia, vel factorum turpium cum lascivia imitatio. A Græcis ita definitur: Μῖμός ἐστι μίμησις βίου, τά τε συγκεχωρημένα, καὶ ἀσυγχώρητα περιέχων. Mimus dictus παρὰ τὸ μιμεῖσθαι, quasi solus imitetur, cum & alia poemata idem faciant: sed solus, quasi privilegio quodam, quod fuit commune, possedit*. Diomed. III. p. 488. Edit. Putsch. Euanth. de Com. & trag. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 1686. C. ait *mimos* dictos *à diuturna imitatione vilium rerum, & vilium personarum*. Unde *mimica vilitas*. Idem scribit fabulas Terentii eo esse temperatu, *ut neque extumescant ad tragicam celsitudinem, neque abjiciantur ad mimicam vilitatem*. Salmas. Exercit. Plin. p. 77. a. C. Gyrald. de Poet. hist. Dial. VI. p. 325. B. Edit. Lugdun. Voss. Lex. Etymol. Vales. in Ammian. XXIII. 5. Est igitur *mimus* poema quodvis genus actionis imitans ita, ut ridiculum faciat. Cicero tamen de Orat. II. 59. Ethologos quum vocat, amoribus, quos exprimerent, ridiculi rationem non admiscuit. Sunt igitur duo genera, quæ etiam vicatim, & oppidatim per universam Galliam mirificis artificibus circumferuntur, morale, & ridiculum. *Scalig. Poet.* I. 10. Cum quo ego ethologum, & ridiculum *mimi* genera duo non constituerim, sed pro affectionibus duabus *mimi* habuerim: cum ridiculum in *mimis* perpetuum fuerit. Hoc indicat Horat. Sat. I. 10. 5.

—— nam sic
Et Laberi mimos, ut pulcra poemata, mirer,
Ergo non satis est risu diducere rictum
Auditoris.

quod est *mimorum* scilicet. Unde & Petron. c. 40. *partes ridendas mimis* tribuit. Quin nec id Cicero siluit, cujus hæc sunt l. l. *Atque ita est totum hoc ipso genere ridiculum, ut acutissimè tractandum sit. Mimorum est enim ethologorum, si nimia est imitatio, sicut obscœnitas*. Gatak. in Marc. Anton. de Reb. suis XI. §. 6. In locum comœdiæ successisse scribit Marcus philosophus Imperator in libris de vita. Et sanè quas hodie agunt, & vocant Itali comœdias, *mimi* sunt, & planipedes veriùs quàm comœdiæ: personas tantum habent ex comœdia. Nam antiquitus cum variæ species agerentur fabularum, diversæ personæ in singulis locum habebant, ut in togatis Romanæ, in palliatis Græcæ, privatæ quidem, sed honestæ. In *mimo* abjectæ tantum, & viles. At postquàm tota res ad *mimos* rediit, personæ etiam induci in *mimos* cœptæ, quæ comœdiæ erant propriæ pedestri sermone componuntur, ut Sophronis *mimi*. Salmas. ibid. b. A. *Mimorum* inventorem Philistionem facit Cassiod. Var. IV. 51. *Mimus, qui nunc tantummodo derisui habetur, tanta Philistionis cautela repertus est*. Malè. Sophron eo est antiquior. Inter *mimos* maximi nominis Sophron fuit, qui scripserat mimiambos, sed prosa oratione. *Voss. de Instit. Poet.* II. 33. §. 2. *Buleng. de Theatr.* I. 48. In *mimis* interdum crudelia exempla fuere. Mart. de Spectac. VI. 3.

Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso,
Non falsa pendens in cruce Laureolus.

Joseph. Ant. Jud. XIX. 1. *Mox duo quædam ominosa facta sunt. Nam mimus inductus est, in quo in crucem suffigitur latronum dux* Laureolus.... Juven. Sat. VIII. 187.

Laureolum velox etiam benè Lentulus egit
Judice me dignus vera cruce.

Buleng. l. l. Quomodo differat ab Atellanis. V. sup. in *Atellana*.

Mimus vocatur actor talium fabularum, Græcis *βιολόγος*. *Voss. Lex. Etymol. Mimi* dicta, & facta hominum ita imitabantur, ut actionem suam gravitate sententiarum jocis interpositis condirent. De *mimis* actoribus Petron. c. 40.

Grex agit in scena mimum, pater ille vocatur,
Filius hic, nomen divitis ille tenet.
Mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulata perit.

Varias enim induebant personas. Lucian. Neyom. p. 336. *Vidisti sæpè in scena tragicos istos actores, qui, ut res postulat, jam Creontes sunt, Priami, aut Agamemnones: idem paullò post Cecropem, aut Erechtheum agens, jussu poetæ mendicus procedit. Fabula autem finita, exuta veste auro intexta, & persona deposita, & cothurnis, pauper, ac humilis errat, non jam Agamemnon, aut Creon, sed Polus Suniensis filius Chariclei, aut Satyrus Marathonius filius Theogitonis*. Illorum capita fuerunt rasa. Tertull. de Spectac. c. 23. mox laudandus. Casal. de Tragœd. & comœd. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 7. Artemid. I. 23. *Radi sibi videri totum caput, exceptis deorum Ægyptiorum studiosis, & mimis*, sive risus movendi studiosis, *γελωτοποιοῖς, bonum est*. Non. I. 20. *Calvitur, dictum est, frustratur. Tractum à calvis mimicis, quod sint omnibus frustratui*. Hinc Anthol. II. 3.

—— Calvum conspicis hic fatuum.

Calvum, non natura, sive vitio corporis, verùm studio, ex capite raso. Loquitur enim poeta Græcus de calvitie sannionum, ac mimorum. *Voss. de Instit. Poet.* II. 32. §. 4. Et illa alaparum contumeliis objiciebant. Utramque consuetudinem docent Arnob. VII. p. 239. *Mimis dei gaudent, & illa vis præstans, neque ullis hominum comprehensa naturis, libentissimè commodat audiendis his aures: delectantur, ut res est stupidorum capitibus rasis, salpictarum sonitu, atque plausu*. Tertull. de Spectac. c. 23. *Placebit & ille, qui vultus suos novacula mutat infidelis erga faciem suam, quam non contentus Saturno, & Isidi, & Libero proximam facere, insuper contumeliis alaparum sic objicit, quasi de præcepto domini ludat?* Et ante scriptores hos Ecclesiasticos Mart. V. 63. 11.

O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini!
Te successurum credo ego Panniculo.

Turneb. Adv. XVIII. 33. Jun. in Tertullianum. Herald. in Arnobium. Voss. l. l. Centunculis amiciebantur. Apul. Apol. p. 422. *Num ex eo argumentarere etiam, uti me consuesse tragœdi syrmate, histrionis crotalo, aut mimi centunculo?* Salmas. Exerc. Plin. p. 77. a. D. Voss. de Instit. Poet. II. 32. §. 3. De illis Senec. Epist. II. *Artifices scenici, qui imitantur affectus, qui metum, & trepidationem exprimunt, qui tristitiam repræsentant, hoc indicio imitantur verecundiam: dejiciunt enim vultum, verba submittunt, figunt in terram oculos, & deprimunt*. Lactant. VI. 20. *Quid de mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam, qui docent adulteria, dum fingunt, & simulatis erudiunt ad vera?* Casal. l. l. Adhibebantur conviviis. Athen. IV. p. 148. C. scribit in Antonii convivio fuisse *τὰ ἐξ Ἰταλίας ἀκροάματα, histriones, mimos ex Italia*, quos super illud varia recitaturos, aut cantu, & jocularibus dictis voluptati futuros arcessiverat. *Buleng. de Conviv.* III. 30. Et funeribus. Suet. Jul. c. 84. n. 3. *Inter ludos cantata sunt quædam*.... id est, inter scenicorum artificum, & *mimorum*, ludionumque, qui funeribus intererant, actionem, & gesticulationem, quæ ad scurrilitatem, & obscœnitatem procedebat: inprimis verò ejus, qui *archimimus* dicebatur, de quo Suet. Vesp. c. 19. n. 6. Hic personam defuncti sustinens, omnia ejus dicta, & facta imitabatur, minima, maxima ad ejus ingenium fingebat, ridendo verum dicebat, & joculari licentia, vel vitia perstringebat, vel virtutes laudabat. Ita de illo Suetonius: *Sed & in funere Favor archimimus, personam ejus ferens, imitansque, ut mos est, facta ac dicta vivi*. Reines. Var. Lect. I. 21. Faes ad Gyrald. de Sepulr. c. 14. Gutber. de Jur. man. I. 23. Mocestell. Pomp. Feral. II. 18.

Mimus etiam dicitur quævis actio ficta, & simulata. Hæc enim scenæ, & fabulæ fictæ persimilis videtur. Suet. Cal. c. 45. n. 3. *In hoc quoque mimo præter modum intemperans*. Flor. II. 14. 3. *Regium nomen mimo quoque regio implevit*, id est, fucata simulatæ originis, & regalis pompæ, turbæque imagine. Ita *mimum* actionem simulatam, nimirum amicam nuptiarum specie receptam vocat Suet. Oth. c. 3. n. 5. *Ne pœna acrior omnem mimum divulgaret*. Turneb. Adv. XXVII. 20. Gronov. in Script. Eccles. c. 25. Juret. in Symmach. VI. 71. Pith. Adv. I. 17. Buleng. de Theatr. I. 48. Pitisc. in Suet. Caligulam.

MIN.

MINA quæ dicitur Latina lingua, Græcè μνᾶ dicitur interposita vocali, ut in Æsculapio, Hercule, Alcumena. Portio maxima talenti. Solon *minam, qua ante fuerat septuaginta & trium, centum fecit drachmarum.* Plutarch. p. 86. D. *Camerar. de Re numm. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1420. *B. Porcius de Re pecun. vet. c.* 2. *Laurent. de Sponsal. c.* 2. *Meurs. Salon. c.* 12. *Emmius Vet. Græc. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IV. *p.* 459. *B. Stephan. de vet. jurisd. Græc. Thes. Gronov. Tom.* VI. *p.* 2743. *B. Gronov. de Pecun. vet.* II. 8: III. 4. *Bud. de Asse* I. *p.* 121. *Cenal. de Pond. ac mensur. rat. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 1447. *B.* 1491. *B.* 1557. *E.*

MINARI dicebantur exta, quæ malum aliquod impendere, & imminere significabant. Cicer. de Divin. II. 17. *Qua inconstantia deorum est, ut primis minentur extis, benè promittant secundis?* Unde *minaces fibrae* dixit Virg. Geogr. I. 484.

Tristibus aut extis fibra apparere minaces.

Et *venas minaces* Lucan. I. 621.

—— venasque minaces
Hostili de parte videt.

Brisson. de Form. I. p. 22.

MINATIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

MINERVA fingitur nata de Jovis vertice. Ovid. Fast. III. 837. V. illum infr. in *Minerva Capita.* quia ingenium in cerebro positum est, ut docet Fulgent. Mythol. II. Ingenium autem, sive sapientia in capite hominis dicitur esse, hoc est, sensus sapientis, qui invenit omnia, juxta explicationem Isidor. XIX. 20. unde hæc dea creditur præesse artibus, quia nihil excellentius est ingenio, quo reguntur universa. Scribit Phornut. c. 20. *Minervam* esse Jovis intellectum, sive illius providentiam, ideòque in honorem *Minervæ* templa providentiæ posita fuere; & quia veteres in cerebro totius animæ regimen, & prudentiam esse voluerunt, fortè quia suprema corporis humani pars caput est, sicut summa mundi pars æther, ea de causa *Minervam* ex cerebro Jovis prognatam, ingeniisque præesse dixerunt. *La Chausse Insign. pontif. max. tab.* XXIII. *Gyrald. Synt. deor.* XI. *p.* 339. *A. Casal. de Prof. Roman. rit. c.* 6. Effingebatur variis modis, vultu inprimis virili, & truculento, teste Phornuto. Alii armis insignem, oculis torvam, & glaucis, cum hasta prælonga, & crystallino clypeo effecere: omniaque hæc mysticè prudentis, ac sapientis dicunt significare naturam. Pausan. Attic. p. 22. hoc modo effictam describit: *Simulacrum*, inquit, *ex auro, & ebore constat, media ejus galea sphingis species apposita, utraque vero galeæ parte gryphes sunt exsculpti. Simulacrum stat veste podere, id est, ad talos demissa: Medusa capite in ejus pectore ebore inserto, & Victoria magnitudine quatuor cubitorum: in manu est hasta, ad pedes scutum jacet, juxta hastam draco....* Alio Apul. Met. X. p. 346. *Irrupit alia, quam putares Minervam, caput contecta fulgenti galea, & oleaginea corona tegebatur ipsa galea: clypeum attollens, & hastam quatiens, & qualis illa cum pugnat.* Gyrald. ibid. F. Torrent. in Horat. Od. I. 15. 11. La Chausse de deor. simul. tab. IX. & X. Struv. Ant. Rom. c. I. p. 92. Fulmine armatur. Mart. Capella:

Huic nam tergemina rutilant de vertice crista,
Quod dux sanguineo, præsulque corusca duello,
Vel tibi quod fulget, rapiturque triangulus ignis.

Illud olim etiam Euripides cecinit, quem Virgilium imitatum esse tradit Macrob. Sat. V. 22. *Nec hoc sine auctoritate Græca vetustatis est, quod ait;*

Ipsa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem.

Euripides enim inducit Minervam ventos contrarios Græcorum classi à Neptuno petentem, dicentemque debere illum facere, quod Jupiter fecerit, à quo in Græcos fulmen acceperat. Jovis fulmine usam tradunt, quia suum non erat ejusmodi potestatis, ut in Græcos tam acerbiter animadvertere posset. Hanc in rem audiendus Servius Danielis: *Sed cum Varro Divin.* V. *quatuor diis fulmina adsignet, inter quos & Minerva, quæritur cur Minerva Jovis fulmen miserit. Antiqui non solius Jovis putaverunt esse fulmen, nec id unum esse, ut testantur Etrusci libri de fulguratura, in quibus duodecim genera fulminum scripta sunt; ita ut Jovis, Junonis, Minervæ, sic quoque aliorum.... Quare non posuit Minervam misisse fulmen suum? sed nonnulli dicunt, habere quidem Minervam, ut Jovem, & Junonem, fulmen, sed non tantum valere, ut vindictam suam possit implere, nisi ipsa esset Jovis fulmine: unde merito queritur Juno, Minervam, cum de numero minorum sit, qui fulmen habeant, usam tamen Jovis fulmine.* Cuper. Harpocr. p. 100. Voss. de Idolol. II. 22. Guther. de Jur. man. I. 2. Olea illi attribuitur, propterea quod semper vireat, & nescio quid glaucedinis habeat: & oleum, quod nihil contineat humidi admixtum, sed semper sincerum est, & ἀκήρατον perseverat: sic & virginitas, ut Phornutus ait. Sunt, qui huic deæ oleæ sertum assignent, quod hæc arbor pacis sit symbolum: nam & ideò arma inferri dicuntur, ut postea in pace vivatur. Plin. XVI. 44. *Athenis olea durare traditur in certamine edita à Minerva.* Gyrald. ibid. p. 340. C. Artes multas invenit. Isidor. XIX. 20. *Minervam gentiles primam lanificii usum monstrasse, hanc etiam telam ordisse, & colorasse lanas perhibent. Olivæ quoque hanc dicunt inventricem, & fabricæ, multarumque artium repertricem. Ideòque illi vulgò opifices supplicant.* Gyrald. ibid. p. 338. C. Kipping. Antiq. Roman. I. I. §. 14. Struv. ibid. p. 93. Etiam tibias. Diodor. V. p. 235. B. *Quæ & tibias primum fabricavit, & musicam quæ inspiratione harum perficitur.* Huic inventioni hæc fuit occasio. Quum Perseus Medusæ caput ope Palladis abscidisset, sorores ejus Steno & Euryalis ipsam lugebant. Ex capite lugentium, quod serpentibus erat opertum, sibili erumpebant speciem lugentium exprimentes, quod Pallas animadvertens excogitavit, ut eundem sonum tibiis redderet. Pindar. Pyth. XII. 12.

—— quam quondam
Pallas invenit, audacium Gorgonum
Tristem lamentationem contexens.

n. 33.

Virgo tibiarum fabricata est omnisonum melos
Ut Euryala
Ex rapacibus genis
Profusum luctum imitaretur cum organis.

Sed cum oris deformitatem, & inflatas in palude vidisset buccas, offensa tibias abjecit in flumen, quas deinde Marsyas reperit. Fulgent. Mythol. III. 9. Hygin. fab. 165. Athen. XIV. p. 616. E. Eleganter hæc persequitur Ovid. Fast. VI. 697....

Prima terebrato per rara foramina buxo
Ut daret effeci tibia longa sonos.
Vox placuit, faciem liquidis referentibus undis:
Vidi & virgineas intumuisse genas.
Ars mihi non tanti est, valeas mea tibia, dixi,
Excipit abjectam cespite ripa suo.
Inventam Satyrus primum miratur: at usum
Nescit, & inflatam sentit habere sonum.

Et Philipp. Epigramm. I. 11. 3.

Marsya mentitus es tuum inventum. Nam Minerva
Tibias hic ex Phrygia furatus est.
Si enim tu hujusmodi tunc inflasses, nunquam Hyagnis
Propè Mæandrum flesset infelicem in tibiis pugnam.

Hæc *Barthol. de Tib.* I. 3. *Cuper. Harpocr. p.* 142. *Buleng. de Theatr.* II. 26. *Meurs. de Tib. c.* 2. *Gyrald. Synt. deor.* XI. *p.* 338. *D. Hist. Poet. dial.* IX. *p.* 445. *G. Leopard. Emend.* II. 13. Medicinæ fuit præses. Ita est in illa inscriptione apud Gruter. p. 81. n. 9.

MINERVÆ
MEMORI
COELIA. JULIANA
INDULGENTIA
MIDICINARUM
EJUS. INFIRMITATE
GRAVI. LIBERATA
D. P.

Boxhorn. Quæst. Rom. c. I. *Struv. ibid. p.* 94. Nisi pro supposititia inscriptio hæc sit habenda. Fortè Cœlia Juliana

mente ad tempus capta, rationis infirmitate laboraverit, postquàm autem sibi restituta, *Minerva*, velut sapientiæ, & rationis præsidi deæ, lapidem hunc dedicavit. *Boxhorn, l. l.* Qui immeritò illam pro supposititia habet, cum Petrus Victorius in castigationibus posterioribus ad Cicer. Fam. XII. 25. illam testetur in agro Placentino inventam fuisse infra Cabardiacum non longè à Trebia. Malè quoque inde conficit, Clœliam fortasse mente captam fuisse . . . . Nihil horum deprehendas in hoc marmore, Nam infirmitas illa gravis potuit esse morbida corporis, non animi, *Minerva* autem tribuisse veteres etiam potestatem morbis remedendi, infirmosque restituendi, constat ex aliis quoque lapidibus, in quibus *Minerva Medica* dicitur, Extat unus in eodem loco, nimirum Placentiæ infra Cabardiacum erutus apud Gruter. p. 1067, n. 3. V. illam infr. in *Minerva Medica*. Et qui statim ibidem sequitur n. 4. V. illam infr. in *Minerva memor*, Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. v. Proleg. * * * Cuper. Inscript. p. 300. Quia verò sapientiæ dea habebatur, in scholis, ludis, atque gymnasiis ejus cultus maximus. Et deducebatur in omnibus bibliothecis, atque academiis, in quibus & statuæ sacratæ, quas hermathenas dicebant. Cicer. ad Attic. I. 3. V. illum supr. in *Hermathena*. Rævard. Conject. I. 10. Struv. l. l. Tomas. de Donar. c. 23.

Minerva Alcides cognominata est à Macedonibus. De Perse Rege bellum adversus Romanos suscipiente Liv. XLII. 51. *Ipse*, Perses, *centum hostiis sacrificio regaliter Minervæ, quam vocant Alcidem, confecto, cum purpuratorum, & satellitum manu profectus est Citium*, Gyrald. Synt. deor. XI. p. 351. C.

Minerva armipotens, & armisona vocatur à poetis. Virg. Æneid. VII. 544.

—— tum numina sancta precamur
Palladis armisonæ.

Gyrald. Synt. deor. XI. p. 355. G.

Minerva auxiliaris, *αὐξιλιάρια*, culta est à Romanis, quod ostendit Plutarchus, & Clytonomus in libro rerum Italicarum, qui ad illius *αὐξιλιαρίας* ædem Cassium Brutum confugisse produnt; tandemque ibi fame necatum, & insepultum jacuisse. *Gyrald. Synt. deor. XI. p. 355. A.*

Minerva Cæsia, *γλαυκῶπις Ἀθηνᾶ*, hoc est, glauca oculos, cognominata fuit. Pausan. Attic. p. 13. *Supra Ceramicum, & porticum regiam appellatam templum fuit Vulcani, in quo Minervæ positum est signum, quod glaucos habet oculos, juxta fabulam Libycorum, qui Minervam Neptuni, & Tritonidis paludis filiam esse, atque ideò glaucos illi itidem ut Neptuno oculos esse.* Alii sunt, qui autumant, quod *τὰς γλαυκῆς*, id est, noctuæ oculos haberet, quæ avis etiam ei adscribebatur. Alii, quod virtus illustris sit, & conspicua. Diodor. I. p. 8. C. *Γλαυκῶπιν dici, non quod glaucos, id est, cæsios habeat oculos; insulsum enim hoc esse: sed quia aer glauca sit aspectu.* Scribit Gellius sic vocatam, non tam quod glaucos, sive cæsios oculos haberet, quàm quod horrendo, ac formidoloso sit aspectu: unde & glauci, id est, cæsii leones, & *βασιλικοὶ* traduntur, quod & ait Phurnut. de Nat. deor. c. 20. Cæsia porrò dicta est *Minerva*, quasi cœlia. Gell. II. 26. *Nostris Latinis veteribus cæsia dicta est, quæ à Græcis γλαυκῶπις, ut Nigidius ait, de colore cœli, quasi cœlia.* Gyrald. Synt. deor. XI. p. 443. F.

Minerva capta à Romanis cognominata fuit Delubrum ejus ad Cœlii montis radices. Quare sic vocaretur, varias opiniones recitat Ovid. Fast. III. 835.

Cœlio ex alto qua mons descendit in æquum,
Hic ubi non plana est, sed propè plana via est,
Parva licèt videas captæ delubra Minervæ,
Quæ dea natali cœpit habere suo.
Nominis in dubio causa est. Capitale vocamus
Ingenium solers: ingeniosa dea est.
An, quia de capitis fertur sine matre paterni
Vertice cum clypeo prosiluisse suo?
An, quia perdomitis ad nos captiva Phaliscis
Venit, & hoc signo syllaba prima docet.
An, quod habet legem, capitis qua pendere pœnas
Ex illo jubeat furta reperta loco.

Gyrald. Synt. deor. XI. p. 351. D. Jun. Fast. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. VIII. p. 235. B. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 95.

Minerva Catuliana dicebatur à Q. Lutatio Catulo, qui statuam Euphranoris opus · · idem dicavit infra Capitolium. Plin. XXXIV. 8. *Hujus est Minerva Romæ, quæ dicitur Catuliana, infra Capitolium, à Q. Lutatio Catulo dicata.* Gyrald. Synt. deor. XI. p. 351. C. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 95. Rycq. de Capit. c. 24. Eam affirmare licet æneam fuisse, cum de laudatissimis æris opificibus eo capite sermonem Plinius instituat. *Rycq. l. l.*

Minerva Chalcidica fuit Romæ in nona regione, si vera Victor prodit. Quidam nunc D. Mariæ arbitrantur, quod templum ab eo nomen adhuc servat: quidam *Minervium*. Meminit, ni fallor, Dio LI. p. 459. D. *Deinde Minervæ templum, quod Chalcidicum vocatur, dedicavit.* Gyrald. Synt. deor. XI. p. 344. E.

Minerva flava est dicta, non à capillorum, sed oculorum colore. Ovid. Amor. I. 1. 7.

Quid si præripiat flava Venus arma Minervæ;
Ventilet accensas flava Minerva faces?

Art. III. 659.

Si pæta est, Veneri similis: si flava, Minervæ.

Gyrald. Synt. deor. XI. p. 344. A.

Minerva Ithomia dicta est ab Urbe Thessalica Ithome. Strab. IX. p. 301. hujus *Minervæ* meminit, ubi docet *Curalium fluvium labentem præter Ithomiæ Minervæ templum Peneum ingredi.* Catull. LXIV. 228. ut nonnulli legunt:

Quod tibi si sancti concesserit incola Ithomi.

Gyrald. Synt. deor. XI. p. 350. D.

Minerva Itonia, Itonias & Itonis, ut notat Stephanus: &, si Festo standum, Itonida, qui scribit: *Itonida Minerva à loco appellata*, Itonia verò à Liv. XXXVI. 20. ubi scribit: *Ibi statua Regis Antiochi in templo posita Minervæ Itoniæ iram accendit*, Callim. Hymn. Cerer. c. 75.

Cumque ad Itoniados certamina Palladis ipsum
Ormenida invitant.

Strab. IX. p. 283. *Bœotii, qui venerant ex Thessalia, expugnata Coronæa, Itoniæ Minervæ templum in plano condiderunt, eodem quo Thessalicum nomine.* Stat. Theb. II. 721.

—— sive Aonia devertis Itone
Læta choris.

Ubi Lactantius: *Itone civitas Bœotiæ Minervæ sacra: ut ipse ait Theb. VII. 330.*

Ducit Itonæos & Alalcomenæa Minervæ
Agmina.

Bacchylides Minervam Itoniam dicit ab Itone. Ergo Minervam ab oppido cognominavit, quod est in Macedonia, ubi ejus antiqua est ædes, vicina Bœotiæ, in qua regnavit Antinous, Herculis filius, & Paphies. Gyrald. Synt. deor. XI. p. 349. E. Passerat. & Stat. in Catull. LXIV. 228. Victor. Var. Lect. XVI. 20.

Minerva Medica in regione quinta à Victore ponitur. De illa nihil comperi. Fortè à veste sericea, id est, peplo, quo erat induta, Medica est vocata. Vestem sericam Medicam esse dictam, V. infr. in *Vestis Medica*. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 342. F. Hoc falsum esse res ipsa suadet, maximè cum ex inscriptionibus appareat, sanitati restituendæ quoque præfuisse *Minervam* apud Gruter. p. 1067. n. 4.

MINERVÆ. MEDICÆ
CABARDIÆ
VALERIA. SAMMONIA
VERCELLEIS. V. S. L. M.

p. 81. n. 9. V. illam supr. in *Minerva*. Sic & *Minervæ* propter sanatum Patronum gratiæ referuntur in inscriptione veteri Græca:

ΑΘΑΝΑΙΑΙ ΠΟΛΙΑΔΙ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ
ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΤΟΥ ΠΑΤΡΩΝΟΣ
ΣΩΤΗΡΙΑΣ.

Ob hanc causam arbitror Alexandrum Magnum opera Philippi Acarnanis periculosissimo morbo liberatum, *Minervæ ludos celebrasse* apud Curt. III. 7. 3. *Cuper. Apoth. Homer.* p. 300.

p. 300. Reinef. Inscript. Claf. xi. n. 81. Tomaf. de Donar. c. 35. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 93.

Minerva Memor culta fuit à Gallis Cisalpinis. Appellata, quod vota, precesque mortalium audire solita sit, nec oblivisci. Lapis apud Gruter. p. 1067. n. 4.

MINERVÆ
MEMORI. TULLI
A. SUPERIANA. RES
TITUTIONE. FACTA
SIBI. CAPILLORUM

Alius, quem laudavimus supr. in *Minerva*. Graev. Thes. Antiq. Roman. Tom. v. Praefat. p. * * * Cuper. Inscript. p. 300.

Minerva Musica etiam appellata fuit. Plin. xxxiv. 8. *Demetrius fecit Minervam, qua Musica appellatur, quoniam dracones in Gorgone ejus ad ictus cithara tinnitu resonabant.* Gyrald. Synt. deor. xi. p. 351. D.

Minerva Pallas dicta est, vel à *Pallante gigante occiso, vel ab hasta concussione*, ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ. Serv. Æneid. i. 43. vel quod *in Pallante palude orta est*. Festus. *Vel à saltatione in armis; nam vel sese aliud à terra attollere, vel manibus aliquid efferre, dicimus* πάλλειν, *&* πάλλεσθαι, *id est, vibrare, agitareque, & agitari, & saltationem perpeti.* Plato in Cratyl. p. 279. E. Alii à Pallante patre dictam volunt, quem illa interemerit virginitatem suam vitiare conantem. Sed an geminos patres *Minerva* habuit? Arcades quidem fabulantur, *Minervam* adhuc parvulam ab Jove missam ad Pallantem Lycaonis filium, ut cum ejus filia in ejus ædibus educaretur: ubi cum adolevisset, educatoris filiam in deorum numerum cooptavit, Victoriamque, id est, Νίκην vocavit, se verò ab educatoris nomine Pallada dixit. *Gyrald Synt. deor. xi. p. 340. E.*

Minerva Tritonia, sive Tritonis dicta est à Tritone palude Bœotica. Pausan. in Bœot. p. 308. *Triton torrens est haud magnus, propè Alalcomenas in Bœotia, versus Libyam fluens, & ex Tritone palude in mare fertur, ubi eradunt educatam Minervam, & non in Lybia.* A Lybica tamen palude dictam putat Mel. i. 7. *Super hunc fimen ingens palus amnem Tritonem recipit, ipsa Triton: unde & Minerva cognomen inditum est, ut incolæ arbitrantur, ubi genita: faciuntque ei fabulæ aliquam fidem, quod quem natalem ejus putant, ludicris virginum inter se decertantium celebrant.* Idem Lucan. ix. 347.

Torpentem Tritonos adit illæsa paludem,
Hanc & Pallas amat, patrio quæ vertice nata
Terrarum primam Libyen (nam proxima cælo est,
Ut probat ipse calor) tetigit: stagnique quieta
Vultus vidit aqua, posuitque in margine plantas,
Et se dilecta Tritonida dixit ab unda.

Gyrald. Synt. deor. xi. p. 341. G.

Minerva Unigena dicta est, quod ex solo Jove nata est. Catull. lxiv. 300.

Unigenamque simul cultricem montis Ithomi.

Gyrald. Synt. deor. xi. p. 354. D.

MINERVAL, quod & *Minervale munus* dicitur, est mercedula magisterii scilicet à scholasticis dari solita potissimum ante quinquatria, per quas dies pueri vacabant. Horat. Epist. ii. 2. 197.

Ac potius puer ut festis quinquatribus olim
Exiguo, gratoque fruaris tempore raptim.

Ovid. Fast. iv. 829.

Nec vos turba feri censu fraudata magistri
Spernite: discipulos attrahit illa novos.

Hieron. in Epist. ad Ephes. *Hoc in Kalendarium strenam, & Saturnalium sportulam, & Minervale munus grammaticus, aut rhetor, aut in sumptus domesticos, aut in templi stipes, aut sordidum convertit in lucrum.* Varr. de Re rust. ii. 2. *Axius, Merula mi, inquit, recipe me discipulum villaticæ pastionis. Ille, quin simul ac promiseris minerval, incipiam, inquit, id est cœnam.* Cœnam jocosè appellat *minerval*, quia magisterii merces. Juven. Sat. x. 116.

Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam.

Poetæ sensus hic erit, eum, qui semel præceptori *minerval* porrexerit, quod per assem designatur, id est, qui paucis diebus rhetori, aut grammatico operam dederit, optare totis quinquatribus, quæ festa erant *Minervæ* ingeniorum præsidis, non modicum quippiam, sed eloquium, aut famam Demosthenis, aut Ciceronis. *Politian. Miscell. c. 21. Gyrald. Synt. deor. xi. p. 338. F. Brisson. de Form. vi. p. 738.* Quibus adstipulamur discipulos magistris *mercedem* Idibus persolvisse. Hoc enim etiam planum facit Horat. Sat. i. 6. 72.

Noluit in Flavi ludum me mittere magni,
Quo pueri magnis è centurionibus orti,
Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto
Ibant, octenis referentes Idibus æra.

Sed credimus *Minerval* fuisse munusculum, & stipem, quam discipulus primo suo ad magistrum ingressu, velut auctoramentum quoddam parati ad discendum animi adfert, non abludentibus ab hoc sensu Hieronymi verbis, qui *Minervale* id munus appellat, non magisterii mercedem, quæ menstrua erat, & Idibus persolvebatur. *Minerval* itaque erat additamentum gratuitum, quod pactæ mercedi, pro cujusque facultate accedebat. Et hoc Merula jocosè apud Varronem innuit. Nam cum Axius postulat se recipi discipulum, stipulatur ante per jocum Axiae *Minerval*, quod primo suo in scholam, ut diximus, adventu discipuli doctori futuro exhibent. Perabsurdum est, quod Politianus per eum, qui *adhuc uno asse partam Minervam colit*, Demosthenis, & Ciceronis protinus eloquentiam optantem interpretatur discipulum. Huic enim, qui semel *Minerval* præceptori porrexerit, hoc est, paucis diebus rhetori, aut grammatico operam dederit, nullum adhuc judicium, inepto rudi, & indolato puero, aut adolescentulo adhuc esse potest. Quocirca credimus à Juvenale voluisse intelligi magistellum illum, aut doctorculum, qui primum jam unius discipuli compos ludum aperire inceperit. Hæc *Minervalia*, sive munusculorum à discipulis oblatorum primitias novus magister *Minervæ*, cujus imago in scholis poni solebat, dedicabat. Tertull. de Idolol. c. 10. *Quis ludimagister sine tabula septem idolorum quinquatria tamen frequentabit? ipsa primam novi discipuli stipem Minervæ, & honori, & nomini consecrat. Quid minus inquinamento ea, quem præstat quæstus, & nominibus, & honoribus idolo nuncupatis, quam Minervalia Minervæ?* Loenf. Miscell. Epiphyll. ii. 13. Junius in Tertullianum. Voss. Lex. Etymol. Struv. Ant. Rom. c. 1. p. 402. Laurent. de Prolesf. c. 1.

MINERVIUM fuit sacellum *Minervæ*. Fuit Varrone indice de Ling. Lat. iv. 8. ad Ceroliensem versus montem Cœlium: *Ceroliensis quarticeps circa Minervium: qua in Cœlium montem itur.* Describitur ab Ovidio laudato supr. in *Minerva capita*. En tibi ædiculam in amœno Cœli montis descensu extremo: quam eandem esse ac *Minervium* Varronis nullus dubito, licèt ea Panvinius veluti diversa distinguat. *Nardin. Rom. Vet. iii. 6.*

Minervium fuit templum *Minervæ*. Victor illud ponit in nona Urbis regione. *Gyrald. Synt. deor. xi. p. 338. F. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Graev. Tom. iii. p. 301. C.*

MINICULATOR vocabatur servus, qui in voluminum scriptura usurpabatur. Venulej. i. 44. *Veluti si miniculator sit.* Pers. Sat. v. 90. V. illum infr. in *Rubrica*. Ubi glossæ veteres: *Rubricas vocat minium, quo titulis legum annotabantur.* Pignot. de Serv. p. 232. Philand. in Vitruv. ix. 3.

MINISTERIUM vasa omnia argentea triclinio sternendo necessaria significat. Oros. vii. 39. *Dumque expositis opibus, attonitum barbarum magnitudine, & pondere, & pulcritudine, ignota etiam vasorum qualitate intelligeret, virgo Christi ad barbarum ait: hac Petri Apostoli sacra ministeria sunt.* Chrysost. Serm. 122. *Quid est dives? absunt torrentes torcularium tuorum? ubi sunt horrea ad famem pauperis non cupiditatibus dilatata, quam copiis? ubi sunt vina ad inopiam pauperis, annositatibus, & ipsa temporum oblivione servata? ubi sunt effusiones, lapsus, flumina ministeriorum?* Pignot. de Serv. p. 101. Salmas. in Capitol. Antonin. Philos. c. 17.

MINISTRARE est famulari, διακονεῖν. Gloss. vet.

VII. Epulis sublatis mensam extergere, & ne quid convivantium oculos offenderet, reliquias ciborum sublegere. Horat. Sat. II. 8. 10.

His ubi sublatis, puer altè cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit, & altè
Sublegit, quodcunque jaceret inutile, quodque
Cœnantes posset offendere.

Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 10. Cerda in Virgilium.

MINIUM à Græcis acceptum esse dixerit aliquis, quia apud Hesychium legere sit: *Μίνιον*... Sed solum posteriores Græci sic vocarunt, nempè postquàm innotuit *minium* ex Hispania. Priores autem *κιννάβαρι* vocarunt: non quasi foret *κιννάβαρι*, sed quia simile ei foret. Sed *minium* ex Hispania apportari dicit Dioscor. v. 109. *Cinabarim fal se putant nonnulli cum eo, quod minium appellatur, unum & idem esse. Minium enim in Hispania ex lapide quodam argentaria arena permisto temperatur.* Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 814. a. G. Philand. in Vitruv. VII. 8. *Minio* circum straverunt Principes, Caligula & Nero. V. supr. in *Chrysocolla*. Deorum simulacra festis diebus illinebantur. Virg. Ecl. x. 27.

Pan Deus Arcadiæ venit: quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.

Tibull. II. 1. 55.

Agricola & minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.

V. Servium ad Virgilium. *Broukh. ad Tibullum*. Jovem Minianum. V. supr. in *Jupiter*. Non solum ornatus gratia, sed etiam ne cariem sentirent, vel imbrium guttis perfusæ attraherent eas, & computrescerent. *Minium* enim præparatum & superlitum adversus talia conservat, quamobrem hodie etiam id fit. *Kipping. Antiq. Roman.* I. 7. §. 8. Librorum tituli notabantur. Ovid. Trist. I. 1. 7. V. illum supr. in *Cedrus*. Et errores, sive sphalmata in scribendo. Cicer. Attic. xv. 15. *His literis scriptis, me ad συντάξεις dedi, quæ quidem vereor, ne miniata cerula tua pluribus locis notanda sint.* XVI. 2. *Nostrum opus tibi probari lætor: ex quo ante ipse posuisti, quæ mihi florentia sunt visa tuo judicio: cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam.* Pius Annot. post. c. 105. Borremans. Var. Lect. c. 4. Mag. Miscell. I. 14. Sepulcrorum tituli signabantur. V. supr. in *Inscriptio sepulcrorum*. Triumphantium corpora tingebantur. V. infr. in *Triumphantes*. Præterea *minium* unguentis cœnæ triumphalis ad lavandas manus addebatur. *Perott. Cornu cop. p.* 252. Illud vereor ut rectè dixerit: nam puto Plinium indicare minuta unguenta ipsis cibis addita fuisse. Benè enim Mercur. Var. Lect. II. 19. ex Plinio, Plutarcho, & Athenæo constare scribit, veteres tam potibus, quàm cibis unguenta admiscuisse. Ita quippe, ut musicis sonis, cantibusque aures, spectaculis visum, edulis palatum, & variis unguentorum, atque florum odoribus nares in conviviis delectare solebant. *Borremans. l. l.*

MINORES ætate apud Romanos posteriùs non accumbebant tantum, sed etiam surgebant. Val. Max. II. 1. 9. *Invitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei convivio essent interfuturi, ne senioris adventum discubitu præcurrerent: sublataque mensa priores consurgere, & abire patiebantur.* Seniores domum reducebant. Gell. II. 15. *A convivio, ut scriptum est in antiquitatibus, seniores à minoribus domum deducebantur.* Putean. Reliq. conv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 278. C. xxv. annis lex Julia specialiter adulterii accusare prohibebat, l. si maritus §. lex Julia ff. de adulter. Nec enim justus accusator visus est, qui nondum robustæ ætatis esset. Hoc verò in hac lege singulare est. Nam à cæteris vel capitalibus accusationibus *minores* non repelluntur, l. qui cum natu §. 1. ff. de bon. libert. Unde Macer, l. qui accusare ff. de accusat. in iis qui propter ætatem accusare non possunt, pupillum tantum numerat, id est, impuberem, qui nondum exacti consilii capax est. Cui tamen ex consilio tutorum patris mortem exequi, nec non de patris testamento agere permissum est, l. 2. ff. de accusat. Eum verò, qui puberem ætatem egressus, judicium jam possit ad accusationem instituendam adhibere, in publicis quoque judiciis, nisi quæ lex nominatim refragetur, admitti constat. Sed enim alienam duntaxat injuriam exequentes jure publico minores xxv. annis ex hac lege submoventur. Violatum verò suum matrimonium minor non tantum jure viri, sed & extranei jure vindicare potest, d. l. de adulter. Nec enim ulla unquam præscriptio objicitur suam injuriam exequenti. Ideòque & hac causa ad accusandum admittuntur, qui aliàs idonei accusatores non essent. *Brisson. de adulter. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* VIII. *p.* 1377. *A.*

MINOTAURUS. *Ejus effigies inter signa militaria est: quod non minus occulta esse debent consilia ducum, quàm fuit domicilium ejus Labyrinthus.* Festus. Ejus effigies tunc efferri solebat cum secreto, ut tacitè rem gerendam admonerentur. Veget. III. 6. *Tutissimum namque in expeditionibus creditur, facienda ab hostibus nesciri. Ob hoc veteres Minotauri signum in legionibus habuerunt, ut quemadmodum ille in intimo, & secretissimo Labyrintho abditus perhibetur, ita ducis consilium semper occultum esset.* Pier. Hierogl. III. 38. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 588. Voss. de Idolol. III. 76. Stevvech. in Vegetium. Bellè hæc dicuntur. Sed unde rusticulis illis Romanis *Minotaurus*, & hæc fabella innotuerunt? Vide, ne verè, non *Minotaurus*, sed taurus fuerit; uti alia animalia illa nota Italiæ, & capta ob causam, quam dixi. Certè & taurus robustum, ac ferox animal, atque aptum pugnæ. *Lips. de Milit. Rom.* IV. *Dial.* 5.

MINUSCULARII dicuntur tenuioris fortunæ homines, quorum paupertas quinquaginta solidorum summa æstimatur, l. 1. C. de defens. civit. *Si quis de tenuioribus, ac minuscularis rebus te interpellandum esse crediderit: in minoribus causis, id est, usque ad quinquaginta solidorum summam acta judicialia conficiat. Minusculum. ἔλαττον. Gunther. de Offic. dom. Aug.* III. 9.

MINUTAL est genus condimenti, quod variis esculentis *minutatim* concisis fiebat, ceto marino, liquamine, oleo, vino, pomis, & coriandro. Juven. Sat. XIV. 129.

Hesternum solitus medio servare minutal...

Baccius de vin. & conviv. IV. p. 164. C. Grapald. de part. dom. II. 3. §. 28. Britann. in Juvenalem. De ejus conditura *Apic. de Art. coq.* IV. 3.

MINUTIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

Minutia tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

Minutia vetus, & frumentaria. Rufus & Victor legunt *Mimitia*. Sed Lamprid. in Commod. c. 16. habet *Minutia: Herculis signum æneum sudavit in Minutia per plures dies.* Duo hæc fuere ædificia, in quorum altero frumentum venditum fuisse videtur. Sita fuerunt in nona regione Urbis ad Circum Flaminium. Ab aliquo *Minutiorum*, fuerunt enim Romæ plures, qui primus fuerit rei frumentariæ præfectus, possunt nomen habuisse. Sed à deo *Minutio* potius hæc derivata, cui ibi dedicatum erat sacellum, à quo porta *Minutia* est dicta. Festus. V. illum infr. in *Porta*. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 358. B. Lips. Elect. I. 8. Stuck. Ant. Conviv. I. 35. V. & infr. in *Porticus*.

MINUTIUS Augurinus. V. illam infr. in *Statua*.

MIR.

MIRACULA Romæ olim in rebus turpibus fuere. *Miracula* meretrices Plauto dicuntur in Nervolaria. Varro Marcipor eodem conjicit *miracula* nescio quæ, Græci *θαύματα* vocant quasi *θεάματα*, à voce *θεάομαι*, *spectacula stupenda*. Aristot. de Generat. II. *τὰ αὐτόματα τῶν θαυμάτων*, id est, *αὐτόματα θαύματα, spontanea miracula:* unde & *θαυματρον*, *merces, quæ datur quasi lucar præstigiatori*. Sophron, *φέρε τὸ θαύματρον*. Et thaumatopœi, seu *mirifici* dicti homines projectæ audaciæ, qui summo vitæ periculo stupenda in vulgus patrarent, per rotas, & ignes se trajicerent, ingentia onera supra hominis vires portarent, in immensam altitudinem mergerentur, & sine ulla respirandi vice maria perpeterentur, ut scribit Senec. de Ira II. Dio Chrysost. in Diogene: *Cum multi miraculo-*

rum editores miracula patrarent, multi miraculorum spectatores de miraculis judicarent, multi prodigiorum interpretes portenta interpretarentur. Erant; qui è loco superiori machina lignea descenderent, unde flammam spargerent in scenam, quæ varios orbes efficeret; ac tabulata comprehenderet. Alii rotabantur in chori speciem, flammas ore, vel manu jactantes, & aliis innoxii. Claud. de Consul, Mall. Theodos. n. 325.

Mobile ponderibus descendat pegma reductis,
Inque chori speciem spargentes ardua flammas
Scena rotet: varios effingat Mulciber orbes
Per tabulas impune vagus.

Erant, qui contum in fronte, quasi arborem radicitus humi defixam, immotam gererent, aut puerulos in summa pertica luctantes inter se exhiberent. Chrysost. de Jurejur. &c. *Buleng. de Theatr.* 1. 35. *Casal. de Trag. & Com. c.* 2. *de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. *c.* 7.

MIS.

MISCERE Latinis, & *μισγειν* Græcis dicebatur pincerna, qui vinum infundebat. Juven. Sat. v. 60.

—— nescit tot millibus emptus
Pauperibus miscere puer.

Quæ locutio & apud Etruscos remansit. De temperandi vini, & aquæ ratione ex antiquioribus varios modos recenset Athen. x. p. 426. Nempè quidam jubebant par pari *miscendum* vini & aquæ: alii tribus aquæ partibus unam vini, alii quatuor, vel etiam quinque partibus vini duas aquæ admiscendas. Qui tamen modi non faciunt certam regulam ad imitationem, jam mutatis non solum moribus, & vinorum generibus, sed & omni consuetudine potuum. *Baccius de Vin. ac conviv.* IV. *p.* 172. *Ursin. Append. ad Ciacon. de Triclin. p.* 319. 320. Pocula implebantur vino ea mensura, qua quisque petebat: & hoc dicebatur *miscere*, quamvis merum esset. Mart. XIII. 108.

Misceri decet hoc à Ganymede merum.

Grang. in Juvenalem.

MISSI Principis ad statum provinciæ componendum aliquando deputabantur. Inscriptio apud Gruter. p. 360. n. 13.

Q. AQUIUS. SCÆVÆ. ET. FLAVIÆ.
FILIUS. COS. ITERUM. EXTRA. SORTEM. AUCTORITATE. C. CÆSAR.
ET. S. C. MISSUS. AD. COMPONENDUM. STATUM. IN. RELIQUUM.
PROVINCIÆ. CYPRI.

Guther. de Offic. dom. Aug. II. 14. *Du Fresne Glossario.*

MISSICIUS est miles veteranus, siquidem Romanis, teste Suida, veteranus dicitur, qui militia dimissus est post confecta stipendia. *Missicius* autem, sive *missitius*; nam quæ nos per *t* scribimus, veteres per *c* scribunt, ut cessicius, adscripticius, subditicius, cujus justa *missio* vita fuerat; quod hic non de *missione* causaria, sed de honesta *missione* intellige. Inscriptio Nemausi inventa:

TI. CÆSARIS. DIVI. AUGUSTI. FIL.
AUGUSTI. MILES. MISSICIUS. T. JUL.
FESTUS. MILITAVIT. ANNOS. XXV.

Graverol. apud Spon. Miscell. Erud. Ant. Sect. VII. *p.* 240. *Cuper. Monum. Antiq. p.* 243. *Salmas. in Pollion.* XXX. *tyrann. c.* 6. *Du Fresne Glossario.*

MISSILIA dicebantur, quæ mittebantur, & projiciebantur in populum. *Lipen. de Stren. c.* 3. §. 72. Erant duplicis generis, & duplex erat ea *mittendi* ratio. Alia erant ejusmodi, ut sparsa reipsa non corrumperentur: alia si sparsa reipsa fuissent, fuissent quoque corrupta. Generis prioris ordinariè reipsa conjiciebantur in populum. Posterioris etiam ordinariè per tesseras. V. illas infr. in *Tessera*. Dixi ordinariè. Nam etiam quæ *missione* corrumpi non poterant, interdum per tesseras *mittebantur*. Xiphil. LXVI. p. 757. D. V. illum infr. in *Tessera theatrales*. Nummos reipsa fuisse missos docet Suet. Cal. c. 37. n. 2. *Quin & nummos non mediocris summæ è fastigio basilicæ Juliæ per aliquot dies sparsit in plebem.* Matt. VIII. 78. 7.

Omnis habet sua dona dies, nec linea dives
Cessat, & in populum multa rapina cadit.
Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis.

Huc pertinet, quod notant Crue. in Stat. Sylv. 1. 6. 66. & Savot. de Num. ant. 1. 8. ex Curopalate de coronatione Imperatoris, *missilia* ab Imperatoribus orientis in populum jacta, ne jactu violento eum offenderent, panni sectionibus fuisse involuta: inde dicta *ἐπικόμβια*. Etiam illa, quæ corrumpi poterant, si reipsa mitterentur, sine *tesseris* reipsa in populum spargebantur, v. g. aves, quæ subinde lacerabantur in partes. Mart. II. 12.

Sortitur dominos, nec laceratur avis.

Lex si quid ff. pro derelicto: *Id quod quis pro derelicto habuerit, continuo meum fit. Sicuti, cum quis æs sparserit, aves emiserit, quamvis incerta persona voluerit eas esse, tamen ejus fierent, cui casus tulerit.* Stat. Sylv. 1. 6. 75.

Inter quæ subito cadunt volatu
Immensæ volucrum per astra nubes,
Quas Nilus sacer, horridusque Phasis,
Quas udo Numida legunt sub austro.
Desunt, qui rapiant, sinusque pleni
Gaudent, dum nova lucra comparantur.

& bellaria, quæ denarrat Stat. ibid. n. 10-19.

Jam bellaria adorea pluebant,
Quicquid nobile Ponticis nucetis
Fœcundis cadit, aut jugis Idumes,
Quod ramis pia germinat Damascus,
Et quas percoquit Ebusia cannas,
Largis gratuitum cadit rapinis,
Molles gajoli, lagunculæque,
Et massis Amerina non perustis,
Et mustaceus, & latente palma
Prægnantes caryotides cadebant.

Taffin. de Lud. secul. c. 9. Brod. Misc. III. 12. Buleng. de Circo c. 56. de Venat. circi c. 24. Aurea mittere soli Imperatori permissum erat. Novell. Justinian. tit. 6. c. 2. *Soli aurum spargere damus Imperio, cui soli etiam contemnere præstat fortunæ fastigium; argentum verò, quod mox post aurum pretiosissimum fiet, & aliis consulibus largiri decens.* Savot. l. l. Lipen. ibid. 1. §. 39. Ex edito loco jaciebantur. Xiphil. l. l. & altissimæ ad id turres exstruebantur. Herod. v. 6. 22. *Ubi autem deduxerat, atque in templo constituerat, sacris jam, celebritatibusque, quas diximus, peractis, maximas, altissimasque turres ad ipsum exstructas conscendebat, inde in plebem missilia sparsurus, aurea videlicet, argenteaque pocula, vestesque, & lintea omne genus: bestias præterea cicures, & non cicures omnes.* Ex fastigio basilicæ Juliæ sua misit Caligula. Suetonius jam laudatus. *Buleng. de Theat.* 1. 33. *Taffin. l. l. Pitisc. in Suet. Calig. c.* 18. *n.* 4. Justinianus an sua lege modò allata satis consuluerit, aut consulibus, aut populo, meritò dubitat Perez. Præl. in C. de Consul. Nam & ipse Imperator testatur, se vidisse magna illius rei incommoda, nempè verba, & vulnera in direptione *missilium*, & inde insanas comessationes eorum, qui aliquid nacti erant; ideoque consideratione horum incommodorum hæc *missilium* jactatio tollenda erat, imprimis cum ob eam causam sæpè benè meriti à spe adeundi consularem dignitatem dejicerentur, utpotè tantis sumptibus impares. Videbantur enim divitiæ eligi, non merita: aut saltem eligi honores non ex virtute, sed ex pecunia. Quare Leo Imperator, ut indigentiæ coss. consuleret, & Respublica dignos honore viros haberet, sparsionem illam, vel rectius legem illam de consulatu, & consulatus muneribus prorsus sustulit Novell. 94. ad Stylianum. *Lipen. l. l.*

MISSIO nihil aliud erat, quàm immunitas plenissima, & perpetua quies à laboribus militaribus. *Scheffer. de Milit. nav.* IV. 1. Nam post confecta stipendia *mittebatur* miles, liber deinceps, & immunis. Dixi *confecta stipendia*, quia lege certus annorum numerus definitus, nec sumere, aut ponere militiam volentibus erat. Ea *legitima stipendia* vocat Liv. de milite ex Cannensi fuga XXIII. 25. *Nullo præstituto militiæ tempore, nisi quod legitimorum stipendiorum esset.* Ea viginti annorum in pedite fuerunt, decem in equite. *Lips. Milit. Rom.* v. 19. Nautæ pariter, ac classiarii certo

tem-

tempore, ut in militia terrestri impetrarunt. At quando id fieri consueverit, proditum non memini. Id scio, diutiùs quàm in terrestri militia fuisse retentos. Nam cum illi liberarentur anno vigesimo, hi longiùs suam operam præstare coacti sunt. Argumento est lapis in hortis Cardinalis Carpensis Romæ, ubi mentio fit militis, qui militavit annis quatuor & viginti. Inscriptio hæc est:

C. ANTONIO. ANTARINO.
MILITI. EX. CLASSE. PRÆTORIA.
MISENATIUM. VIX. ANN.
XL. MIL. ANN. XXIV.

Et hunc quidem militasse tot annos constat, postea *missum* esse non constat. At forsitan morte ante legitimam *missionem* præventus est. Certè ex Lipsii sententia uno anno amplius militare debuerunt. Ita is de Mil. Rom. v. Dial. 19. *Nauticos milites deteriore conditione fuisse, & annos viginti quinque militasse, è lapidibus Domitiani discas*. Ego etiam sex & viginti militasse disco ex inscriptione ista:

L. SEMPRONIUS. PROCULUS. VETERANUS. EX. CLASSE. MISENES.
PRÆTORIA. MILITAVIT. ANN. XXVI.
SIBI. ET. CONJUGI.

Sed & hìc *missionis* nulla mentio: num igitur adhuc longiùs militarunt? non puto. Ostendit clarissimè inscriptio illa Adriani ævi, ex qua honesta *missione* solutos apparet, qui stipendia explevissent viginti & sex:

IMP. CÆS. DIVI. TRAJANI. PARTHICI. F. DIVI. NERVÆ. NEPOS. TRAJANUS. HADRIANUS. AUG. PONT. MAX. TRIB. POP. XII. COS. III. P. P. IIS. QUI. MILITAVERUNT. IN. CLASSE. PR. MISENENSI. QUÆ. EST. SUB. JULIO. FRONTONE. SEX. ET. VIGINTI. STIPEND. EMERIT. DIMISSIS. HON. MISS....

Scheffer. de Mil. Nav. IV. 1.

Missio justa duplex est: vel honesta, quæ emeritis stipendiis datur. Macer. l. 2. §. 2. ff. de his qui not. infam. l. 13. §. 2. de re milit. *Dicebatur honesta missio, quæ tempore militiæ impleto dabatur*: sive, ut definit Ulpian. d. l. 2. & d. l. 13. V. supr. in *Milites causarii*. Vel causaria, quæ ob vitium, defectum, morbum. V. supr. in *Milites causarii*. Hæc quia justam causam habebat, etiam præmiis interdum honestæ æquata. Ut in lege Valentiniani & Valentis C. VII. tit. 20. *Alii vero qui honestas missiones, sive causarias consequuntur, singula paria boum, & quinquaginta modios utriusque frugis accipiant*. In alia Constantini: *Intra viginti etiam stipendia dimissus, quoniam imbecilli & debiles censibus non dedicantur, eodem beneficio utatur*. Lips. de Mil. Rom. Dial. v. 19. Brisson. Form. IV. p. 364. Valtrin. de Re milit. VI. 5. Stevvecb. ad Veget. II. 3. Lyd. de Re milit. VI. 6. Rævard. de Div. reg. jur. XXXI. Laurent. Polym. IV. Synops. III. Catol. Antiq. Roman. III. 12. Thys. Rom. Illustr. v. p. 153. Kipping. Dissert. de Victor. §. 7. Blond. Triumph. Rom. VI. p. 142. H.

Missio injusta duplex est: vel gratiosa, per gratiam, aut ambitum ab Imperatoribus impetrata, sed sæpè invalida, & quam censores rescindebant. Liv. XLIII. 14. *Missorum quoque causas sese cognituros esse, & quorum ante emerita stipendia gratiosa missio sibi visa esset, eos milites fieri jussuros*. Vel ignominiosa, qua ob delictum, aut crimen militia quis solutus. Nominis notam, & infamiam adferebat. Icti quoque hoc testati. Exemplum hujus elegans, atque ipsa formula in Hirt. de Bell. Afric. c. 54. *Cæsar postero die de suggestu, convocatis omnium legionum tribunis, centurionibusque, C. Aviene, inquit, quod in Italia milites populi Romani instigasti, rapinasque per municipia fecisti, quodque mihi, reique publicæ inutilis fuisti: ob eas res, ignominiæ causa, ab exercitu meo te removeo, hodieque ex Africa abesse, &, quantum potest, proficisci jubeo: itemque te A. Fontei, quod tribunus militum seditiosus, malusque civis fuisti, ab exercitu dimitto*. Lips. de Milit. Rom. v. Dial. 19. Brisson. de Form. IV. p. 364. Robortell. de Pœn. milit. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. x. p. 1482. C. Valtrin. de Re milit. Rom. VI. 8. Stevvecb. in Veget. II. 3. Rævard. de Div. reg. jur. LXXX. Laurent. Polym. IV. Synops. III. Thys. Rom. Illustr. v. p. 153. Interdum absque *ignominiæ* additione mittebantur. Et illud verbum non semper erat necessarium, modò militibus arma detraherentur, & omnia solleonia, quibus in exauctoratione uti solebant. Exempla sunt P. Rutilii cos. apud Val. Max. II. 7. 3. *qui eo bello, quod in Sicilia cum fugitivis gessit, Q. Fabium generum suum, quia negligentia Tauromitanam arcem amiserat, provincia jussit decedere*. Cæsaris apud Hirtium modò laudatum. Interdum verba *ignominiæ causa* addebantur, si armis nondum ademptis mitterentur. Hanc *missionem* eleganter jam descripsit Hirtius in *C. Avieno ab exercitu remoto*. Et de Caligula refert Suet. c. 44. n. 1. *Postquam castra attigit, ut se acrem, & severum ducem ostenderet, legatos qui auxilia serius ex diversis locis adduxerant, cum ignominia dimisit*. Dimittebantur ignominiosè non tantum gregarii milites, sed & legati, ut in Suetonio, & tribuni, ut in Hirtio vidimus. Quæ omnia confirmat Ulpian. l. 2. ff. de his qui not. infam. *Quod ait prætor: qui ab exercitu dimissus erit: dimissum accipere debemus militem caligatum, vel si quis alius usque ad centurionem, vel præfectum cohortis, vel alæ, vel legionis, vel tribunum sive cohortis, sive legionis dimissus est*. Cæterum qui exercitui præest, licèt consularibus utatur insignibus, si *ignominiæ causa* missus est, infamia laborat. Ulpian. l. l. Qui non additis verbis *ignominiæ causa* mittebantur, arma cogebantur deponere: quæ egregiè probat *missionis* formula apud Lamprid. Heliog. c. 54. *Quirites discedite, atque arma deponite*. Lucan. v. 357.

— *discedite castris,*
Tradite nostra viris ignavi signa quirites.

Suet. Vit. c. 10. n. 2. *Quicquid prætorianarum cohortium fuit, ut pessimi exempli uno exauctoravit edicto, jussas tribunis tradere arma*. Ignominiæ causa missi, discincti & nudi in exilium quasi proficisci debebant; nam ubi Imperator erat, agere non poterant, nunquam iterum recipi, quia inter infames recensebantur, si in perpetuum scilicet fuerunt *missi*; nam si ad tempus tantum, evanescit infamia post elapsum tempus infamiæ constitutum, l. 1. C. de his qui in exsil. dat. *Sichterman. de Pœn. milit. c. 13. Faber Semest.* I. 17.

MISSORIUM vocabatur lanx, discus, vel ferculum. Mos est recentioribus Græcis, voces quas ex Latino sunt mutuati, ubi duo sigma occurrunt, alterutrum mutare in ν, ut μίνσος, *missus*: ἀντικένσωρ, *antecessor*: σούκκενσος, *successus*: μινσώριον, *missorium*. Ennod. Epist. 18. *In missorio, quod habet loricatum juvenem*. Vet. gloss. *Discum missorium*, fortè quod missus & fercula exciperet. Greg. Turon. VII. 4. *Reliquos thesauros, qui apud villam Calem remanserant, in quibus missorium erat illud aureum, quod nuper fecerat*. Meurs. Glossar. Græco barb. Du Fresne Glossar. Salmas. in Pollion. Claud. c. 3. Buleng. de Conviv. IV. 10.

MISSUS erant mensæ fercula. *Buleng. de Conviv.* IV. 10. Olim unus tantum fuit, unum ferculum, quod ex æquo in singulos convivas dividebatur. Postquàm plura fercula illata sunt, ea dicta ἐπιφορήματα, ut scribit Dionysius Trypho. Apud Macrobium & Athenæum quot *missus* inferebantur, tot mensæ mutabantur, & cum cibis onustæ mensæ illatæ, cum iisdemque denuò sublatæ. Serv. Æneid. I. *Buleng. ibid.* II. 1. *Senftleb. de alea vet. c.* 10. §. 6.

Missus in circo dicebantur equorum *emissiones*, & ἀφέσεις è carceribus. Suet. Claud. c. 21. n. 5. *Circenses frequenter in Vaticano commisit, nonnunquam interjecta per quinos missus venatione*. Domit. c. 4. n. 8. *In his circo ..ium die, quo facilius centum missus peragerentur*, id est, centum currus peragerentur. Virg. Georg. III. 18.

Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.

Ubi Servius: *Id est, unius diei exhibebo circenses: quia, ut Varro dicit in libris de gente populi Romani, olim viginti quinque missus fiebant, sed vigesimus quintus dicebatur ærarius, eo quod de collatione populi exhibebatur, qui desiit esse, postquam conferenda pecunia est consuetudo sublata: unde hodieque permansit, ut ultimus missus appelletur ærarius. Ergo centum currus secundum antiquitatem dixit*. Quatuor portis quatuor

currus singulis *missibus* mittebantur, & currus singuli semel tantum currebant. Unde apparet centum currus viginti quinque *missibus* agitatos esse. *Panvin. de Lud. Circens.* I. 14. *& in illum Argolus*, *Buleng. de Circo* c. 15. *Turneb. Adv.* v. 4. *Alex. Gen.* v. 8, *Cerda in Virgilium*. *Pitisc. in Suetonium*.

Missus dicitur in palæstritarum cippis pro eo, quem victum arena dimisit Principis arbitrio. Ita Gualtherus Sicul. tabul. c. 14. Cui favet Siculum saxum apud Gruter. p. 334. n. 4.

FLAMMA. SIC. VIX. ANN. XXX
PUGNAVIT. XXXIII. VICIT. XXI
STANS. VIIII. MIS. IIII. NAT. SUR
HVI. DELICATUS. COARMIO
MERENTI. FECIT

Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XI. *p.* 862. *C.*

Missus vocatur talorum jactus; dicimus enim non solum jacere tesseras, vel talos, sed etiam *mittere*. Senfteleb. de alea vet. c. 10. §. 6.

MISTARIUS vocatur vas, quo miscemus. *Buleng. de Conviv.* IV. 15.

MIT.

MITELLA eliso *r*, & *mitrella* vocabatur angustior *mitra* feminarum, ex qua redimicula religabantur. Virg. de Copa n. 1.

Copa Syrisca caput Graja redimita mitella.

Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 29. Scalig. Poet. I. 56. Salmas. Exerc. Plin. p. 392. b. F. Viri non facilè quidem, sed tamen interdum illa utebantur. Cicer. pro Rab. Post. c. 10. *Deliciarum causa, & voluptatis, non modo cives Romanos, sed & nobiles adolescentes, & quosdam etiam senatores summo loco natos, non in hortis, aut suburbanis locis, sed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella sæpè vidimus*. Apul. Met. VIII. p. 260. *Die sequenti variis coloribus indusiati, & deformiter quisque formati, facie cœnoso pigmento delita, & oculis obunctis graphicè prodeunt, mitellis injectis*. Gentil. de actor. & spectat. fab. c. 6. Paschal. de Coron. IV. 21.

MITELLITA, sive *mitellica*, est datio *mitellarum*, id est, coronarum sericearum, quæ in conviviis nepotum solebant usurpari. Luxuria enim coronas invenit in coronis è nardi folio, & veste serica versicolori, quas unguentis spargebant pretiosissimis. Has *mitellas* vocarunt, quasi parvas *mitras*. Plinium V. infr. in *Rosaria*. Suet. Ner. c. 27. n. 5. *Indicebat & familiaribus cœnas, quorum mitellita quadragies HS. constiterunt, alteri pluris aliquantò rosaria*. Salmas. Exercit. Plin. p. 392. b. F. Turneb. Adv. XXIV. 6. Tiraquell. in Leg. connub. Gloss. 2. p. 3. n. 27. Pitisc. in Suetonium. V. tamen, si placet, *Gravianum Suetonium*.

MITRA erat Romanis muliebre capitis tegumentum. Cicer. de Arusp. resp. c. 21. *P. Clodius à crocota, à mitra, à muliebribus soleis, purpureisque fasciolis, à strophio, à psalterio, à flagitio, à stupro est factus repente popularis*. Serv. Æneid. IX. 616. *Mitræ sunt feminarum, quas calanticas dicunt*. Optat. Milevit. contr. Donat. II. *Compressam ab eo puellam, cui mitram ipse imposuerat, à qua paullò antè pater vocabatur, nefariè incestare minimè dubitabit*. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. V. 35. Paschal. de Coron. IV. 21. Salmas. Exercit. Plin. p. 392. F. Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. c. 6. Rhodig. Ant. Lect. XVI. 10. Cerda in Virg. Æneid. IX. 616. Cujac. Observ. X. 17. Kipping. Antiq. Roman. IV. 5. 18. In Lydia, & Phrygia etiam viri ea utebantur. Et hoc Romanis parum virile visum, præcipuè si & redimicula haberet. Hiarbas objicit Æneæ inter alia & vestitum effeminatum apud Virg. Æneid. IV. 216.

Mæonia mentum mitra, crinemque madentem
Subnixus.

ubi Servius: *Mitra Lydia, nam utebantur & Phryges, & Lydi mitra, hoc est, incurvo pileo, de quo pendebat buccarum tegmen. Sanè quibus effeminatio criminis dabatur, etiam mitra eis adscribebatur, multa enim lectio mitras meretricum esse docet. Ergo ex habitus qualitate mutuatur invidiam, eum enim non jam effeminatum, velut meretricem appellat, quod est inimici non mulierem tantum, sed etiam meretricem vocare*. IX. 616.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.
O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.

ubi Servius: *Mitra propriè Lydorum fuit, ut* IV. 216. *quem habitum imitati sint Trojani. Alii mitras meretricum esse voluerunt, quod hic est tanquam effeminatis objectum*. Voss. Lex. Etymol. Demster. & Cerda l. l. Lampe de Cymbal. II. 23. Turneb. Adv. IV. 14: XXIX. 25. Est quoque gestamen Bacchi. V. supr. in *Bacchus*. Erat nivea & cornuta. Val. Flacc. II. 271.

Respiciens teneat virides velatus habenas,
Ut pater, & niveæ tumeant ut cornua mitræ,
Et sacer ut Bacchum referat scyphus.

Prop. IV. 2. 31. V. illum supr. in *Bacchus*. Quid enim mirum, Bacchum gestare *mitram*, cum ipse non solum sit mas, sed & femina? Id quod antiquitas ideò finxit, ut ostenderet hunc deum non tam effeminare viros, quàm mulieribus addere fortitudinem. *Demster. & Paschal. l. l. Du Fresne Glossario*. Quo modo à tiara differat, V. infr. in *Tiara*.

Mitra vocabatur etiam capitis muliebris redimiculum, è quo pendebant fasciolæ, quæ phylla dicebantur, quod florum instar dependerent, ut Onuphrius in calce libri de Vocibus Ecclesiasticis obscurioribus. Fascia itaque citra apicem capillos obligans. Ovid. Herod. IX. 63.

Ausus & hirsutos mitra redimire capillos.

Raynaud. de Pil. & cæt. cap. tegm. Sect. VI.

MITTENDARII usu exigente *mittebantur* in provincias, jussu prætorio præfecti pro publica aliqua utilitate, vel opportunitate. Posterioris ætatis *missi* dominici functi videntur eodem munere. Hi enim per provincias *mittebantur*, ut si quid negligentius magistratus egissent, ipsi corrigerent. De his passim in Caroli M. capitul. II. §. 24. 25. 26. Sed *mittendarii* præfectorum non corrigebant ea, quæ corrigenda essent; sed inquirebant diligenter, quid per provincias ageretur, quidve emendatione dignum: quod ad præfectum prætorio referebant, *qui sua auctoritate publicis necessitatibus consuleret*. Guther. de Offic. dom. Aug. II. 14. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 87.

MITTERE judices in consilium est jubere illos ad urnas ire, atque in eas tabellas sententiam continentes conjicere. Ascon. in Cicer. p. 77. *Mittam in consilium, id est, perorabo. Nam mittere judices in consilium est dimittere judices ad sententiam dicendam, ubi allegatis omnibus argumentis orator dixerit, dixi*. Pollet. For. Rom. V. 7. Rosin. Antiq. Rom. IX. 24.

MOD.

MODERATORES provinciarum & ipsi erant clarissimi, l. unic. C. de Offic. jurid. Alexand. *Tanquam si apud virum clarissimum moderatorem provinciæ habita fuisse dicerentur*. Sunt qui correctores *moderatores* provinciarum esse putant. Sed illud generale nomen Rectorum tempore hujus notitiæ erat. l. unic. de Offic. com. orient. *Titulos . . . . . per officia viri clarissimi rectoris provinciæ flagitari præcipimus. Syriarchæ vero sollicitudine viri clarissimi moderantis provinciam, ejusque apparitoris exerceantur*. Verùm Justinianus novos *moderatores*, spectabiles factos, invenit: ut Hellenoponti Novell. 28. Arabiæ Novell. 102. quos vult antiquo nomine à Græcis ἁρμοστὰς dictos. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* 157.

MODIALES dicebantur aulæ, & calices, quod sexdecim sextariorum, id est, *modii* capaces essent. Plaut. Capt. IV. 4. 8.

Aulas, calicesque omnes confregit, nisi quæ modiales essent.

Pætus de Rom. & Græc. mens. III. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1930. E.

MODIMPERATOR vocabatur, qui *modum* cœnæ præscriberet. Nonius II. 562. *Modimperatores, quasi modum imperantes*. Varr. Rer. human. XX. *In conviviis qui sunt*

instituti

instituti potandi moderatores. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 338. Laurent. de Prand. c. 15. Casal. de Conviv. c. 1. Mauric. de Sortit. c. 35. §. 1. Rhodig. Antiq. Lect. vii. 26: xxviii. 6. Voss. Lex. Etymol. V. illum supr. in *Arbiter*, & *Magister*.

MODIOLUS & *Modulus* differunt. *Modulus* est mensura in aquæductibus, per quam duci solebat aqua ex castellis, seu dividiculis ad privata ædificia. Frontin. de Aquæduct. 2. *Ea namque est, namque omnes villæ tractus ejus per vicem in dies modulosque certos dispensatum accipiunt*, De ejus mensura, quam Græci μέτρον vocant, idem infra: *Aquarum moduli aut digitorum, aut ad unciarum mensuram instituti sunt*. At *modiolus* est ὑδρεῖον, sive καλπὶς, vas aquarium ad hauriendum. Estque vel acceptorius, qui puteo immersus aquam haurit: vel erogatorius, qui in altum elatus refundit: Frontinus: *Cum in erogatorio modiolo minus invenitur, in acceptorio plus; apparet, non errorem esse, sed fraudem*. Keuchen. in Frontin. de Aquæd. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. iv. p. 1638. F.

Modiolus in curribus *modii* speciem utcunque referebat. Erat enim instar ejus rotundus, atque intus cavus, planèque perforatus. Foramen illud Græci πλήμνην appellabant. Pollux, i. 10. §. 10. *Quod circa ipsum axem volvitur, plemne. Cavum rotæ, quod inseritur axi, syrinx*. Unde patet, non *modiolum* integrum vocasse πλήμνην, sed illius foramen. *Modiolus* integer ei σύριγξ est, πλήμνη ejus foramen. Atque sic Hesychius: *Plemne est chœnicis rotæ, vel syringis, ex eo, quod ab axe impleatur*. Facit clarissimè πλήμνην partem τῆς σύριγγος, & quidem eam, quam expleat axis. Explet autem foramen, quando illi immittitur. Ergo πλήμνη foramen, & foramen σύριγγος, quæ iccirco erit corpus totum, Neque aliter accipiendus est Hesychius, quando ait, συρίγγιον, τροχοῦ κοίλωμα; idem enim est συρίγγιον, & σύριγξ. Et quod ipse ait κοίλωμα τροχοῦ, Pollux τὸ κοῖλον τοῦ τροχοῦ appellavit. Phavorinus optimè: *Πλῆμναι sunt syringum medietates, in quas immittitur axis extrema*. Facit syringes corpora tota, plemna verò media eorum, id est foramina, & cava. *Scheffer. de Re vehic.* i. 6.

MODIUS est mensura aridorum. Varr. de Re rust. i. 44. *Seruntur fabæ modii in jugero quatuor, tritici quinque, hordei sex, farris decem*. iii. 6. *Hordei pavonibus singulis mensibus singulis modii singuli*. Mart. x. 14. 5.

Quando fabæ nobis modium, farrisque dedisti,
Cum tua Niliacus rura colonus aret?

Amphoræ est pars tertia. Tres enim *modii* amphoram unam constituunt. Fannius:

Hujus dimidium fert urna, ut & ipsa medimni
Amphora, terque capit modium, sextarius istum
Sex decies haurit, quot solvitur in digitus pes.

Pætus de Rom. & Græc. mens. iii. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. xi. p. 1630. C. Bud. de Asse v. p. 546. Agric. de Mens. Græc. ii. p. 64. Nostratis mensuræ continet duos schepelos. *Perizon. in Ælian.* vi. 12.

Modius in navi est locus, cui malus insistit. Græcis, ut inquit Tarrhæus, μεσόδμη, ἔνθα τίθεται ὁ ἱστός. Isidor. xix. 2. *Modius est, cui arbor insistit*. Scheffer. de Milit. nav. ii. 5. Rutgers. Var. Lect. vi. 6. Gyrald. de Navig. c. 11.

MODULUS est facies, & formula quædam, ad cujus lineaturas, atque dimensiones architecti totius operis rationem dirigunt, Vulgus Italicum adhuc magis diminutiva voce dicit *modellum*. Scalig. Poet. iii. 32. Bergier. de Viis milit. v. Sect. 10. §. 7.

Modulus est mensura in aquæductibus. V. illum supr. in *Modiolus*.

MODUS annonæ est pretium annonæ, certa scilicet summa pecuniæ, qua frumentum, & privatum negotiatorum, & reliquum, quod reliquum faciebant largitiones, venibat. Ea summa pro copia frumenti, quæ in Urbe erat, ut nunc quoque usu venit, & pro anni proventu, nunc major erat, nunc minor. Tacit. Annal. xv. 72. 1. *Addidit sine pretio frumentum, quo ante ex modo annonæ utebantur*. Contaren. de Frument. Rom. largit. c. 3.

Modus musicus erat septuplex, sive musici modi erant septem: Dorius, hypodorius, Phrygius, hypophrygius, Lydius, hypolydius, mixolydius. Martianus Capella quindecim constituit, sed quinque palmarios, quibus bini cohærent: Lydium, cui adhærent hyperlydius, & hypolydius: secundus Jastius est, cui sociatur hypojastius, & hyperjastius: tertius Æolius cum hypoæolio, & hyperæolio: quartus Phrygius cum hypophrygio, & hyperphrygio: quintus Dorius cum hyperdorio, & hypodorio. Tres olim tantum erant secundum Polymnastum, & Sacadam, Dorius, Phrygius, & Lydius; in singulis Sacadas strophem efficiens docuit chorum canere, Dorium quidem primum, Phrygium secundum, Lydium tertium, & hunc nomum tripertitum vocatum ob mutationem ait Plutarch. de Music. p. 1134. A. *Buleng. de Theatr.* ii. 17. *Barthol. de tib. vet.* i. 9. Græcis dicuntur νόμοι, quos Suidas ita interpretatur: *Modi musici, secundum quos canimus*. Pro seria, vel jocosa comœdia ita attemperabantur, ut argumentum fabulæ ostenderent. Illud patet ex inscriptionibus omnium comœdiarum Terentii, ut in Andria: *Modos fecit Flaccus Claudii F. tibiis paribus & dextris, & sinistris*. *Modos*, & numeros apud auctores passim comprehendo confundi. Utrosque tanquam diversos recitat Horat. de Art. Poet. n. 211.

Accessit numerisque modisque licentia major.

Sed evidentiorem differentiam constituit Cicer. Orat. c. 20. *Quicquid sub aurium mensuram cadit, id numerus dicitur, etiamsi absit à versu. Modus æstimatur sono, & intervallo vocum, & concentu*. Ab aliis concentus Phrygius modò per *modos*, modò per numeros exprimitur. De numeris Phrygiis Lucret. ii. 620.

Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentes.

Prop. ii. 18. 16.

Et Phrygis insanos caditur ad numeros.

Sed hi *modi* dicuntur Tibull. i. 4. 69.

Et secet ad Phrygios vilia membra modos.

Ovid. Fast. iv. 214.

Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.

Barthol. l. l.

Modus scenatilis est versus scenicus, ut jambicus, quo in comœdiis, & scena poetæ solent uti. Varro in Modo:

Sed ò Petrulle, ne meum taxis librum,
Si te pigebit hoc modi scenatilis.

Turneb. Adv. xii. 16.

Modus, & mensura vini apud Romanos erat varia pro cujusque natura. Quin & magister bibendi *modum* ipsum vini, & mensuram præscribebat. Ambros. de Elia & jejun. c. 13. *Ac ne immoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur*. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 321.

MOEC.

MOECHA bustuaria. V. illam supr. in *Bustuaria*.

MOECHUS quo modo olim fuerit punitus. V. supr. in *Adulterium*, & infr. in *Mugil*.

Mœchus semitarius est scortator vilissimus, subigens scortilla sub dio in agrorum semitis. Catull. xxxvii. 15.

Omnes pusilli, & semitarii mœchi.

Turneb. Adv. xiii. 19. Laurent. de Adult. c. 3. Voss. Lex. Etymol. in Bustum. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. i. 1. Semissarius est, qui semisse coit, vili scilicet pretio scortis dinumerato. Et ita legitur in codice Petri Gerardi juvenis mihi amicissimi. Tertull. Apolog. c. 50. *Licet nunc sarmentitios, & semissarios appelletis, quia ad stipitem dimidii assis revincti sarmentorum ambitu exurimur*. Titius Loc. contr. ix. 22. Explicatio placet, quod semisse coirent. Quod verò stipitem apud Tertullianum dictum putat à vilitate, quod scilicet esset dimidii assis, fallitur Titius. Semissis ibi significat ἡμιποδιαῖον, semipedem. Nam as est pes Columellæ. *Villiom. Anim. in Titium* ix. 22.

Mœchus etiam vocatur tonsuræ genus infame in cinædis, pathicis, & effeminatis notatum; qua gratia Cratinus

nus poeta comicus traducitur ab Aristoph. Acharn. III. 4. Stroph. II. 14.

Cratinus, qui semper est cinaedicè tonsus ab una machera.

κεκαρμένος μοιχόν. Ubi Scholiastes: Κωμῳδοῦντας ἐπὶ μοιχείᾳ, καὶ ὡς ἀσέμνως κεκαρμένος: μοιχὸς δὲ οὗτος, καὶ ὄνομα παρὰ ἀσέμνοις κιναιδίοις. *Junius de Coma c. 6. Rhodig. Ant. Lect. VII. 23.*

MOEN.

MOENIA Urbis Romae inter Servium Tullium & Aurelianum nemo alius protulit, & nulla inter duos istos Principes *moenium* situs mutatio extitit. Asserunt quidem Marlianus, & Panvinius, ac Fabricius, aliique *moenia* Urbis tempora Reipublicae ultra pontem Sixti versus portam Septimianam trans Tiberim pertigisse; sed hujus suae imaginariae sententiae nullum habent idoneum ex antiquis scriptoribus auctorem. Mihi unius, qui bis adversatur, Dionysii auctoritas mille erit instar testium. Qui de Servio agens IV. p. 218. *Hic Regum ultimus*, inquit, *Urbis circuitum protulit, facta quinque collibus duorum adjectione. Ulterius postea non transiit murus civitatis, vetantibus, ut dicunt, religionibus. Sed sunt loca circum habitata omnia, multa, & ingentia, & aperta, captuque facilia ab hostibus; & si quisquam hoc intuens civitatis magnitudinem vellet investigare, errare cogeretur, nec figaum teneret aliquod, quo ipsa se extendat, vel quo desinat: sic exterius civitati junctum est, & civitatis in infinitum protensa pra se fert speciem: sed si a muro dimensa quidem difficili ob demos undique sibi junctas, conservantesque pluribus in locis vestigia antiqua structura, metiri velit, ambitu, quo Atheniensium civitas continetur, haud multo apparebit amplior Roma circuitus.* Vixit, fuitque Romae Dionysius sub Tiberio: qui non modò fide dignissimus scriptor est, sed & oculis ipse suis ea in re credere potuit. Accedit huic & Strabo, qui tradit V. p. 162. Servium ad tutamen Urbis Exquilias ei adjunxisse, & montem Viminalem, ne ea loca incursibus hostium opportuna relinqueret, & ut à Capitolio ad usque Quirinalem ducere murum posset. Inde, ne ab altero horum collium latere invasio Urbis prona esset, aggerem duxit. Atque de hac Urbis munitione Strabo ita loquitur, absque ulla alterius à quoquam facti muri mentione, ac si ea suo etiam tunc aevo sarta tecta perduraret, id est, tempore eodem, sub quo vixit, Tiberii. Haec conveniunt cum his Dionys. IX. p. 624. ubi ait, Romam praeter partem illam, quae Tiberi praetexebatur, aliamque illam aggere clausam versus portam Exquilinam, super colles, praecisasque rupes, totam firmiter munitam fuisse. Et his Plinii, qui de munitionibus Urbis haec tradit III. 5. *Clauditur ab oriente aggere Tarquinii Superbi inter prima opere mirabili. Namque eum muris aequavit, qua maximè patebat aditu plano. Cetero munita erat praecelsis muris, aut abruptis montibus.* Quare non ultra montes à Servio pomoerio inclusos, & praesertim ultra Capitolium in planitie montis Sixti, Romana rum temporis *moenia* extensa fuisse videri potest. Quod & liquidioribus potest confirmari argumentis. Carmentalem portam non intra, sed item planè in Urbe restitisse, quanquam post Aurelianum inutilis fuit, sexcentis è Livio locis doceri queat: verùm de temporibus agunt ante Syllae dictaturam, à quo *moenia* ampliata volunt: iis ego non utendam censeo. At Ovidius, Sylla longè tempore posterior, columnae bellicae meminit, quae fuit ad circum Flaminium Fast. VI. 205. loquitur autem de tempore praesenti hastam mitti solitam, belli indictricem. V. illum supr. in *Aedes Bellona*. Atqui hic ritus omninò extra Urbem usurpabatur. Caeterum omnem dubitandi ansam praecidit Varr. de Ling. Lat. V. 34. Carmentalem inter eas portas, quae ipsius aevo inutiles in Urbe restabant, non numerat: quod sine dubio, si muri Urbis ultra processissent, facturus fuisse videtur, non secus ac post Aurelianum Aurelius Victor, & Rufus fecere. Neque illa alicujus momenti responsio est, potuisse & cum muris portam proferri; quandoquidem illa usque ad Victoris aevum sub Capitolio erat, parsque regionis fori. Addatur Festus in voce Taurii. V. illum supr. in *Ludi Taurii*. Agit illic Festus de tempore praesenti, quod Syllano longè posterius. Accedat iisdem & Dio, qui Octavii porticum circa extrema Augusti extra Urbem collocat LV. p. 553. C. *Sed Tiberius initio mensis, quo iniit consulatum cum Cn. Pisone, senatum coegit in Octavii. Is enim locus erat extra muros.* Nec aliter Joseph. de bell. Jud. VII. Vespasianum & Titum tradit, priusquam triumphantes Romam ingrederentur, in eadem Octavii porto à senatu exceptos fuisse. Hanc autem Vellej. II. 1. & Plin. XXXIV. 3. ad circum Flaminium fuisse dicunt. Ergo far longè ultra pontem Sixti, & haud procul à radicibus Capitolii: atque ita nec Augusti aevo, neque Vespasiani *moenia* Urbis mota, prolataque fuere. Nec verò simile est, ullam *moenium* mutationem esse factam. Nam quod Roma extra *moenia* latiùs, quàm intra eorum ambitum habitata fuerit, permissumque, ut illa aedificiis subjectis, & adstructis absconderentur, plurimisque portis interscinderentur, certum mihi indicium est, mutotum illam gentium dominam, ingenti amplitudine sua nixam, & imperii magnitudine ab incursionibus tutam securamque, nullam postea habuisse curam: donec triginta sub Gallieno exortis tyrannis, Aurelianum ea subiit cogitatio, prospiciendum Urbis securitati, muroque universam cludendam, firmandamque. Atque eccum testem idoneum Vopisc. Aurelian. c. 21. *Cum videret posse fieri, ut aliquid tale iterum, quale sub Gallieno evenerat, proveniret, adhibito consilio senatus, muros Urbis Romae dilatavit.* Nardin. Rom. Ver. I. 4. Faunus Ant. Rom. I. 4.

MOENIANA. V. illa supr. in *Columna Maenia*.

MOESIAE duae sunt inter Aemum montem & Danubium. Prima superior, secunda inferior vocatur. Ulpian. l. 9. ff. de captiv. *Nulla dubitatio est post rescriptum Imperatoris Antonini, & divi patris ejus ad Ovinium Tertullum praesidem provinciae Maesiae inferioris.* Haec ad Pontum Euxinum tendens Bulgaria, seu Segiria nuncupatur. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 153. Has Augustus per L. Pisonem eorum unum, ad quas Horatius Poeticam scripsit, in potestatem redegit, & manserunt sub Romano Imperio usque ad Notitiae tempora. Ex his deinde alteram Aurelianus Princeps, traductis eo Romanis colonis, Daciam appellavit: alteram inferiorem Getae incoluerunt. *Volater. Comment. Urban.* VIII. *p.* 288. *D. Pancirol. ibid. c.* 135.

MOG.

MOGONTIACUM Itinerario metropolis est Germaniae primae secundum Rhenum, *Panciroll. Notit. imp. occid. c.* 88. Contra Rheni, Moenique amnium confluentes posita. Germani posteriores urbis nomen contrahentes dixere *Maintz*, & *Meintz*: unde posteà Latinè loquentes fecere vocabulum *Mogontia*, & nonnulli *Moguntia*. Ptolemaeus in positu hujus urbis haud leviter erravit, infra Obringam amnem, qui nunc vulgo Are dicitur, *Moxorriacov*, *Moconnacum* suum in Germania inferiore, quae Obringa terminabatur, collocans. Primum fui conditorem habuit Cl. Drusum Neronem, Caesaris Augusti privignum, Tiberii Imperatoris fratrem; qui castra hic legionum posuit, locumque moenibus haud dubiè firmavit. Praepositus is fuit his oris statim post cladem Lollianam teste Paterc. II. 97. I. M. Crasso, & Cn. Cornelio coss. ut auctor est Dio LIV. id est, anno Urbis 739. ante natum Christum 14. Locum ipsum etiam ante Romanorum in eo hibernationem fuisse in vici modum habitatum, indicat nomen Celtica lingua formatum: quod Drusus Romanus non primus imposuit; sed ab incolis jam ante impositum invenit. Inter totius Germaniae oppida secundam ab Agrippinensium urbe dignitatem semper habuit. *Claver. Germ. Ant.* II. 13.

MOL.

MOLA est machina, vel opus quoddam ex duobus *molaribus* sibi invicem impositis, & totis quibusdam dentalis

tatis agitabilibus, iisque vel ligneis, vel ferreis præcipuè constans; in qua ad humanæ operæ, jumentorum, venti, & aquæ incitationem, sive circinationem, prorsus instabili machinarum vertigine, frumenta arida, item polenta, feminaque desuper injecta, vel lentè incidentia, per mutuam *molarum* collisionem, sive conflicationem, in tenuissimam farinam, massamve comminuuntur, & conteruntur: quæ eam quoque res peculiari modo, & instrumento, pro varietate *molarum* expoliuntur, acuuntur, & dissecantur. *Hering. de Molend. q.* 3. §. 19. prima sua significatione notat *molam* asinariam, trusatilem, aut similem. *Voss. Lex. Etymol. Apud majores nostros*, inquit Servius ad Æneid. I. 183. *molarum usus non erat, frumenta torrebant, & ea in pilas missa pinsebant: & hoc erat genus molendi: unde & pinsores dicti, qui nunc pistores dicuntur.* Est instrumentum, quo frumenta teruntur. *Molarum* usus antiquissimus fuit, & à Cerere profectus, quæ *prima homines docuit molere*. Plin. VII. 50. licèt Stephan. in voce Μυλαντία inventionem Milanti cuidam assignet, adeoque etiam temporibus heroicis cognitus. Nam in horto Alcinoi Phæacum principis *mola* reponitur Odyss. VII. 104. apud Homerum:

Alia quidem molunt sub mola pomacei coloris frugem.

Demster. Paralip. ad Rosin. Ant. Roman. I. 14. Hering. ibid. q. 2. §. 36. & 44. Quorum posterior missis fabulis multis ante seculis apud Hebræos *molas* in usu fuisse, tum quia panis ex farina in tenuissimum pulvere redacta, in quam abaque subsidio *molarum* in tanta copia redigi non potuisse verisimile est, in veteri testamento mentio fit Gen. c. 14. nu. 18: c. 18. n. 5: c. 19. nu. 3: c. 21. n. 14. tum quia *mola* nominantur Exod. c. 11. n. 5: Num. c. 11. n. 8: Deut. c. 24. nu. 6. docet ibid. §. 47.-67. Meretrices in illis versabantur. Paull. Diacon. XIII. 2. *Horum mancipes tempore procedente pistrina publica latrocinia esse fecerunt: cum enim essent molæ in locis subterraneis constitutæ, per singula latera earum domuum tabernas instituentes, meretrices in eis prostare faciebant, quatenus per eas plurimos deciperent, alios qui pro pane veniebant, alios qui pro luxuriæ turpitudine ibi festinabant.* Ita ferè Plaut. Pœn. I. 2. 54. eas *pistorum amicas* vocavit: unde an apud nos non remanserit hæsito, quod socii navales, quum à lenonibus exigunt scorta, dicunt, *hebje geen brood*, panis nomine ea designantes, ne inhonesta poscere ulli intelligerentur. *Almelov. Antiq. p.* 37. Neque illud prætereundum est, quod ab Artemid. II. 47. traditum: *Mola semper durorum, & difficilium negotiorum solutionem portendit, & fidelem servum significat.* Denique sciendum, & *mola* suum fuisse numen, suumque deum tutelarem. Pollux VII. 33. 8. *Molitor, mola, pistrinum, dea molaris.* Sed & *promylius* deus semper ante *molas* collocabatur ob suavem alimoniam, Suidas in voce Προμυλαία: Θεὸς προμύλιος. Hesychius: Προμυλαία, θεὸς ἱδρυμένη ἐν ταῖς μύλαις. *Demster. l. l. & Hering. ibid.* §. 55. Hunc, ut *molarum* præsidem, in *molis* consecratum collocabant, ut ejus favore fruges feliciter *molerentur*, & bonam, atque copiosam farinam suis dominis proferrent. *Portus in Suidam. Molendi* duæ sunt rationes: una cum suspensa fruges frangimus, ut in faba fresa, & in polenta crassiuncula, quam Græci χεῖριον vocant: & ex eo χειρινάδα appellat Aristoph. in Nebul. III. 3. 5. quæ crassa sunt. Et Virg. Æneid. I. 184. dixit:

Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Altera, cum *mola* non suspenduntur, sed *lapis lapidem terit*, ut Lucret. I. 883. id est, *mola molam*, cum tenuior farina & minutior elicitur. *Turneb. Adv.* v. 24. *Cerda in Virgilium. Hering. de Molend. q.* 4. §. 68. *Taubman. in Plaut. Asin.* I. 1. 16.

Mola aquaria in asinariæ locum est substituta. Ejus usus non est ita recens, ut quidam arbitrantur. Meminit Pallad. I. 42. *Si aqua copia est, fusura balnearum debent pistrina suscipere, ut ibi formatis aquariis molis, sine animalium, vel hominum labore frumenta frangantur.* Pignor. de Serv. p. 513. Qua ratione confici debeat, docet Vitruv. X. 10. *Circa earum frontes affiguntur pinnæ, quæ cum percutiuntur ab impetu fluminis cogunt progredientes versari rotam: & ita modiolis aquam haurientes, & in summum referentes, sine operarum calcatura, ipsius fluminis impulsu versatæ præstant quod opus est ad usum.* Meminit Zeno Imp. L. 10. C. de Aquæduct. *Suburbanum vel prædium, vel balneum, vel aqua mola, vel hortus, ad cujus usum aqua publica fuerit derivata.* Demster. Paral. ad Antiq. Rom. Rosin. I. 14. Hering. de Molend. q. 5. §. 23.-26. A primis usque Regum temporibus in flumine fuisse docet Procop. de Bell. Goth. I. ubi causas additæ Urbi Transtiberanæ regionis adfert: *Cujus rei opportunitate Romam veteres illi ipsum hunc collem Janiculum, & ei è regione fluminis ripam muris junxere, ne hostes vel molas disturbare licentiùs possent, vel flumen pertranseundo facilè ulterius muris insidiari. . . .* Et Belisarii inventionem, quod ad *molas* post paullò refert: *Sed postquam, ut diximus, per hostes fuere aquaductus hi interrupti, neque ex his defluens aqua molas de cætero exerceret . . Belisarius tamen, ut erat vir prudentia singularis, id ex necessitate excogitavit remedium, sub ponte ipso, cujus meminimus, pertinente ad Janiculi muros funes ex utraque fluminis ripa validè distensos, ac deligatos transmisit. His lembos binos pari magnitudine aellit, constringitque bipedali distantes ab invicem spatio, quo maximè aquarum defluxus per pontis fornicem præceps descendit, vastasque & molares lapides in alterum lembum imponens media ipsa intercapedine, machinam inde suspendit, qua molæ volvuntur. . .* Ad quæ adversus contra nitentes illud adjicerem, *molas* hasce longa temporis intercapedine fuisse neglectas, obsoleto, & ignotam post earum usu, atque adornatione, quod facilius per aquæductus earum circumagendarum ratio esset: atque ita non minorem ex hoc novo invento, atque *molarum* institutione Belisario deberi gloriam, quàm primo earum inventori. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 2. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 17. §. 1. *Donat. de Urb. Rom.* I. 17. *Rhodig. Ant. Lect.* IX. 16.

Mola asinaria dicebatur, quam asini versabant, tectis capitibus, velataque facie. Apul. Met. IX. p. 278. V. illum infr. in *Pistrinum*. Achmes Oneirocr. c. 185. *Pistrinum, in quo asinus robustus moleret.* Demster. ad Rosin. Ant. Rom. Paral. I. 15. Hering. de Molend. q. 5. §. 15. 16. Juven. Sat. VIII. 66. V. illum supr. in *Epirhedium*. Quæ hinc *versatilis* appellatur, *asinaria* Cat. de Re rust. c. 11. *machinaria* Apul. Met. VII. p. 220. *Mola machinaria subjugum me dedit.* Grang. in Juvenalem. Nam *molarum & conficiendi frumenti panè sollennis est hujus pecoris labor.* Colum. VII. 1. Atque ob hanc causam inter cætera, quæ ruri necessaria, *asinum molarium* commemorat, c. 11. Alfeno Icto *asinus* est *machinarius*, l. 60. ff. de Legat. III. qui ex eadem ratione censet in prædiis legatis contineri. Meminit ejusdem Ulpian. l. 12. §. 10. ff. de Instr. ubi jungit machinæ frumentariæ: unde intelligitur esse planè Catonis *molarium*, id est, eum, qui *molam* machina quadam inclusam volvit, & torquet. De hoc Catull. XCV. 10.

Et non pistrino traditur atque asino.

id est, datur ad *molas* trusatiles, & versatiles. *Scheffer. de Re vehic.* I. 8. *Popm. de Instrum. fund. p.* 16. *Thysian Gell.* III. 3. Ad Catulli locum facit Epigramma vetus:

Cum possis parvo sumptu conducere asellum,
Qui soleat teretes vertere rite molas.

Barth. Adv. XXVII. 5. Ideo asini, dependente pane, corona, sicuti & *mola* cingebantur Vestalibus v. Idus Junias. Ovid. Fast. VI. 307.

Nunc quoque cum fiunt antiquæ sacra Vacunæ,
Ante Vacunales stantque sedentque focos.
Venit in hos annos aliquid de more vetusto:
Fert missos Vesta pura patella cibos.
Ecce coronatis panis dependet asellis,
Et velant scabras florida serta molas.
Sola prius furnis torrebant farra coloni,
Et fornacali sunt sua sacra deæ.
Suppositum cineri panem focus ipse parabat,
Strataque erat tepido tegula quassa solo.
Inde focum servat pistor, dominamque focorum;
Et quæ pumiceas versat asella molas.

Corona asini ad turmam panis fuisse videtur. Hinc Lactant.

ctant. i. 22. *Apud Romanos eundem*, asellum, *Vestalibus sacris in honorem pudicitiæ conservatæ panibus coronant*. Thy. l. l. Paschal. de Coron. iv. 18.

Mola ferraria in usu fuit armis acuendis. Glossæ ad Stat. Theb. iii. 584. *Per molam acuminariam*. Sic *molita arma*, samiata, sive acuta sic reddita intelligit Lindenbrog. in Friderici Imperatoris Constitut. Sicul. i. 9. Glossar. codic. leg. semprisc. *Hering. de Molend. q. 6. §. 5. Barth. in Statium*.

Mola fullonia appellatur, in qua panni recentes affusa aqua calida contunduntur, expoliuntur, & præparantur. Unde etiam pannaria dicitur. Vetus est inventum. Convincit quodammodo locus 2. Reg. c. 18. n. 17. *Substiterunt ad aquaductum piscinæ superioris, qui est in aggere agri fullonis*. V. etiam pilam fullonicam infr. in *Pila*. Hering. de Molend. q. 6. §. 17.

Mola olearia, sive olivaria, ut dicitur Pompon. l. cum fundus 21. ff. de fund. inst. & inst. leg. Dicitur etiam trapetum. V. infr. in *Trapetum*. Vetustate sua reliquis præcellit. *Hering. de Molend. q. 6. §. 1.*

Mola quadrina plurimum farinæ in pistrinis faciebat. Pompon. apud Nonium in pistore: *Nam plus quæsti facerent, quàm quadrinas si haberent molas*. Ita *torcularia fuerunt quadrinis vasis*, ut apud Cat. de Re rust. c. 18. legimus, quæ plus olei, vinique premebant. *Turneb. Adv.* xii. 16.

Mola trusatilis dicebatur, quæ circumacta manuum agilitate & robore fruges terebat. Fuerunt illæ omnium antiquissimæ. Gell. iii. 3. *Ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locasset*. Ideo *manuales* dicuntur Servio Georg. i. 274. Illas eleganter describit Virg. Moret. n. 19-30. *Demster. Paralip. ad Rosin. Ant. Roman.* i. 15. *Thysan Gellium Grapald. de Part. dom.* ii. 4. §. 27. *Turneb. Adv.* vii. 22. *Bruyer. de Re cibar.* vi. 2. *Hering. de Molend.* q. §. 6. Qui tamen contendit trusatilem & manuariam esse distinguendas, *ibid.* §. 10. 11. 12. Easdemque distinguit *Agric. de Re metall.* viii. p. 230.

Mola quoque vocatur fœtus informis in utero, sive tumor uteri induratus graviditatis opinionem adferens. Plutarch. de Præcept. connub. p. 145. D. *Informis autem fœtus, ac carnis moles, quæ ex corruptis humoribus coeunt, molas vocant.* Plin. vii. 15. *Solum animal menstruale mulier est: inde unius utero, quas appellarunt molas. Ea est caro informis, inanima, ferri ictum, & aciem respuens. Movetur, sistitque menses: & ut partus, alias letalis, alias una senescens, aliquando alvo citatiore excidens.* x. 64. *Moles gigni putant, ubi mulier non ex mare, verum ex semetipsa tantum conceperit: adeo nec animari, quia non fit ex duobus: altricemque habere per se vitam illam, quæ satis, arboribusque contingat.* V. etiam Aristot. de Generat. animal. iv. 7. *Harduin. in Plinium. Voss. Lex. Etymol. Baccius de Therm. vet. c. 23. Hering. de Molendin.* q. 3. §. 12. *Rhodig. Ant. Lect.* xxvii. 17. V. infr. in *Melucrum*.

Mola etiam olim erat instrumentum bellicum. Ammian. xx. 11. *Dolia desuper cadebant, molæ, & columnarum fragmenta: quorum nimiis ponderibus obruebantur pugnatores.* Ipsæ verò *molæ* projectæ, an lapides? & hi quoque ponderosi, & prægraves, ac suffecerint vel fragmenta, si quis pro nostris moribus saperet, & sentiret. Sed *molares* illi veterum non tam grandes, ut nec ipsæ *molæ*: quæ manuariæ tantum, & à servis volvendæ. Itaque crebræ erant, & ferè domesticatim. Atque inde toties in hac tali historia, *molares* immissos, aut jactos. Illos, dico modicos: nec ad nostros aptabis. *Lips. Poliorc.* v. *Dial.* 4. *Thys. de oppugn. urb.* v. p. 191.

Mola salsa *vocabatur far tostum sale conspersum, quod eo molito hostia aspergeretur. Maxima enim salis auctoritas è sacris veterum intelligitur, apud quos nulla sacra sine mola salsa conficiebantur.* Plin. xxxi. 7. Homerus vocat οὐλὰς, vel οὐλοχύτας, è frugibus saxo, aut mola fractis constantes. In hanc rem antiquissimo ritu à Græcis adhibebatur hordeum, uti far apud Romanos, teste Dionys. ii. p. 94. *Et quemadmodum Græci antiquissimam hordeariam frugem rati, hordeo victimas initiant,* οὐλὰς *illas*, hoc est, molam salsam *nominantes; ita Romani quamvis hostiam igne adolendam respergunt farre, quippe qui hoc frugum genus antiquissimum existimant, & honoratissimum.* Additum fuisse salem docet Homeri Scholiastes: *Mola hordeacea sale mixta, quas infundebant victimis cæsis ante sacrificandum.* Inde etiam *fruges salsas* dicit Virg. Æneid. ii. 133. Plaut. Amp. ii. 2. 107. V. illum supr. in *Jupiter prodigialis*. Illarum usus fuit omnino maximus in sacris, adeo ut Plinius modò laudatus *nulla sine his confici* asserat. Obtinuit hic ritus ex veteri more sacrificiorum, quæ initio ex hujusmodi frugibus duntaxat constabant, ut notat Homeri Scholiastes. Inde Ovid. Fast. i. 337.

Ante, deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica salis.

Atque hoc fuisse ex Numæ instituto antiquitas apud Romanos testatur. V. Plinium supr. in *Far*. Feith. Ant. Hom. i. 8. Stuck. Ant. Conviv. i. 30. Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. viii. p. 1017. C. de Form. i. p. 31. Saubert. de Sacrif. c. 18. Salmuth. in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 58. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 472. Turneb. Adv. vii. 13. & in Plinii præfat. p. 21. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 1. Cerda in Virg. Æneid. v. 741. Hering. de Molendin. q. 3. §. 14. Choul de Relig. vet. p. 235. Torrent. & Lambin. in Horat. Od. iii. 23. 20. Caroli Ant. Rom. i. 11. Græci tamen fruges integras, nec fresas, nec molitas aspergebant hostiæ. Argumento est, quod οὐλαὶ à Græcis, & οὐλοχύται vocantur, quæ erant hordei integræ fruges cum sale mixtæ. Expressit Horat. Od. iii. 23. 20. V. illum infr. in *Sacrificare*. Usi sunt Græci, ut Theophrastus scripsit apud Interpr. Homer. Iliad. i. 449. hordeo non molito in sacris in memoriam priscæ vitæ, in qua homines nondum molere fruges, sed solidis vesci solebant. Idem Suidas: οὐλοθυτεῖν. *Hordeum quidem ad hunc usque diem illi, qui sacrificant, libationibus integrum affundunt, ut sit antiqui victus argumentum.* Est igitur *mola* salsa tanquam *molitura* salsa, ut *molæ*, qua frumenta franguntur, nomen *molito* farri tribuatur. *Turneb. Cerd. Hering. & Saubert. l. l. Torrent. in Horatium, Lomej. de Lustrat. c. 24.* Hujus ceremoniæ rationem hanc reddit Eustath. ad Homer. l. l. *Veteres*, inquit, *in suis sacris*, οὐλοχύτας, *hordeum hoc sale* συγκεόμενον, *commixtum semper præmittebant: ut hoc ipso deorum erga homines benignitatem in frugum inventione, & Reipublicæ constitutione ob oculos ponerent, & animum quoque gratum testarentur, atque ita tum beneficiorum recordatione, tum gratiarum actione deorum benevolentiam porro sibi compararent.* Stuck. de Sacrif. p. 73. Ego conjecturam facio, hanc ipsam salis adspersionem à Judæis ad gentes manasse, cum illi in omni oblatione sal offerre ex præcepto Jehovæ tenerentur. Levit. c. 2. n. 13. Num. c. 18. n. 19. Ezech. c. 43. n. 24. Marc. c. 9. n. 49. *Hering. de Molendin.* q. 3. §. 16. *Pier. Hierogl.* xxxi. 9. *Salmuth. in Panciro. l. l.*

MOLERE mulierem est cum illa coire. Plaut. Truc. ii. 2. 54.

——suam non enim ille meretricalis
Molendis rem coegit.

Auson. Epigr. lxx. 7.

Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam.

Varr. Myst. apud Non. ii. 234. *Sed tibi fortasse alius molit, & depsit.* Scalig. Conject. in Varr. p. 59. Almelov. Antiq. p. 37. Balduin. Calc. antiq. c. 10. Beroal. Annot. c. 97. Pius Annot. post. c. 64. Palmer. Spicil. iv. p. 680. Drus. Observ. v. 5. Taubman. in Plautum. Hering. de Molendin. q. 3. §. 13. VVouvver. Gonsal. & Erhard. in Petron. c. 23. Scalig. in Ausonium.

MOLES Adriani, quam is sibi in sepulcrum exerit in Transtiberino solo ponti Ælio adjunctum, alterum in Urbe Mausoleum, ex marmore Pario in imo quadratum, exinde rotundum exsurgebat. De eo Dio lxix. p. 797. E. *Sepultus est Adrianus in ripa fluvii, juxta pontem Ælium. Illic enim sepulcrum conditum. Jam enim Augusti monumentum repletum, nec quisquam amplius in eo sepeliebatur.* Donat. de Urbe Rom. iii. 21. Panciroi. Descript. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iii. p. 360. F. Faunus

nus Antiq. Urb. Roman. v. 11. Blond. Instaur. Rom. 1. §. 47. Schott. Itiner. Ital. p. 181. Æmulatus ea in re videtur Augusti nobile Mausoleum, quod huic ex adversum situm, & campo Martio majori objectum, sicut hoc minori. Forma, qualis & Mausoleo Augusti, quadrata huic fuit, rotundam quasi turrim peramplam complexa, & extrinsecùs tota Pario marmore albissimo vestita, turrim ornabant dispositæ in summo undique fastigio statuæ, & signa hominum, equorumque cum quadrigis, quemadmodum patet è Procop. Belli Goth. 1. V. illum supr. in *Arx Angeli*. Nardin. Roman. Vet. vii. 13. Marlian. Topogr. Urb. Roman. v. 22. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 16. n. 3. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 1. c. 23. In hoc ipse primus omnium sepultus dicitur. Et deinde omnium Antoninorum cineres conditi sunt. Ostendunt hoc epitaphia quædam in ipso sepulcro incisa. Commodi *corpus jussu Pertinacis in monumentum Adriani translatum est*. Lamprid. c. 17. Veri Imperatoris *corpus illatum est Adriani sepulcro, in quo & Cæsar pater ejus naturalis sepultus est*. Capitol. c. 11. *Marlian. & Panciroll. l. l.* Addit Procopius, *molem* columnis, quadrigis, & equestribus statuis exornatam fuisse. In cacumine ejus nux pinea ænea inaurata magnitudinis inusitatæ, hodie in Belvedere omnium patens conspectui, cum duobus pavonibus æneis itidem inauratis: quatuor olim fuerunt. Et quidem nux pinea ideo sepulcro imposita, ut planctum magnæ deum matris occidente Aty Cybele o adumbraret, quia necatus sub pinu Atys. Pavones ideo, ut Augustas illic quoque designaret conditas, quæ à morte in consecratione putabantur alis pavonum in cœlum attolli, ut ex numismatis liquet. *Borrich. l. l.* Intus tota oppleta est, & obstructa: ita ut vix unius sufficiens Salus locus ad descensum sit in ejus interiora: sic ut munimento potiùs alicui bellico, quàm monumento sepulcrali constructa videatur. Postea sane, quum Imperator Aurelianus campum Martium mœnibus complecteretur, eaque secundum Tiberim cum ponte *molis* Adrianæ conjungeret, vicinia hæc Honorium excitasse videtur, aliumve quem Imperatorem, ut ea *mole* in murorum Urbis restitutione pro arce uteretur, pristina ei forma relicta. Procopius: *Sepulcrum id prisci homines muris duobus ad ipsum à mœnium circuitu pertinentibus, eorum partem esse fecerunt: simile enim est præcelsa turri ad ejus loci portam præeminenti. Erat igitur ibi munitio tutissima*. Nardin. Donat. & Marlian. l. l. Arx Angeli est dicta, & quare V. supr. in *Arx*.

MOLETRINA appellari posset aquatiarum molarum locus, quibus nunc utimur. Colligo hoc ex Non. 1. 230. *Moletrina à molendo, quod pistrinum dicimus. Cato in Thermum: Nervo, carcere, moletrina*. Bud. in Pandect. p. 118. C. Demster. Paralip. ad Rosin. Ant. Roman. 1. 14. Voss. Lexic. Etymol.

MOLILE vocatur manubrium, quo movetur *mola*, ut à libra librile. Cato de Re rust. c. 11. *Molile unum*. Turneb. Adv. vii. 22. Voss. Lex. Etymol. in Mola, Hering. de Molend. q. 4. §. 50.

MOLITOR servus, qui ad usum rusticum paratus est. Ulpian. l. 12. §. 5. ff. de instr. vel instrum. leg. *Item molitores, si ad usum rusticum parati sunt*. Pomponius Pistore: *Decepit vicinos. Quod molendum conducit, comest*. V. illum etiam supr. in *Mola quadrina*. Popm. de Oper. serv. p. 129. Hering. de Molend. q. 4. §. 55.

MOLLESTRÆ *erant pelles ovillæ, quibus tergebantur galeæ*. Festus. Sic Latini vocabulum Græcum depravarunt, & è μηλωτῇ *mollestram* interpolarunt. *Turneb. Adv.* xii. 11. Si quid veniæ viri æqui darent audaciæ, & temeritati, affirmarem esse legendum *melotas*. Μηλωτὰς enim Græci vocant ovium pelles. *Turneb. ibid.* xix. 24.

MOLLICINA *vestis a mollitie dicta. Novius Pedio: Mollicinam, crocotam, chiridotam, ricam, ricinium*. Non. xiv. 23. *Ferrar. de Re vest.* 1. 3. 19.

MOLLIRENT ut vocem, clystere, & vomitu se purgabant, & plumbeam chartam supino pectore sustinebant veteres. Suet. Ner. c. 20. n. 2. Nero *plumbeam chartam supinus pectore sustinere, & clystere, vomituque purgari, & abstinere pomis, aliisque officientibus*. Buleng. de Theatr. ii. 8.

MOLLITER ut jacerent, vulgo mortuis precati solebant. Ovid. Amor. 1. 8. 108.

Ut mea defuncta molliter ossa cubent.

Trist. iii. 3. 75.

At tibi, qui transis, ne sit grave, quisquis amasti;
Dicere, Nasonis molliter ossa cubent.

Brisson. de Form. 1. p. 88.

MOLOCHINARIUS dicitur, qui colorem tingit ad purpuram inclinantem, qualis in malvæ flore spectatur. Non. xvi. 2. *Molochinum a Græco color est flori similis malvæ. Cæcil. Pausimacr. Carbasina, molochina, ampelina*. Plaut. *Aul.* iii. 5. 40. *Infectores molochini coloris molochinarios appellavit*. Ferrar. de Re vest. 1. 3. 21. Salmas. in Vopisc. Aurelian. c. 12. Taubmann. in Plautum.

MOLUCRUM scopa est molaria. Festus ex emendatione Salmas. Exerc. Plin. p. 172. F. *Molucrum dicitur, quo molæ verruntur, quod Græcè μυλήκορον vocant*. Gutberl. de Salus c. 23. Voss. Lex. Etymol.

Molucrum dicitur etiam tumor ventris, seu informis in utero caro. Festus: *Molucrum dicitur etiam tumor ventris, qui etiam virginibus solet evenire, cujus meminit Afranius in Virgine:*

—— ferme virgini
Excrescit uterus, tanquam gravida mulieri.
Molucrum vocatur, transit sine doloribus.

Gutberl. de Salus c. 23. Turneb. Adv. iii. 11. Hering. de Molend. q. 3. §. 12. In his versibus *molucrum* est μυλόσαρξ, vel, quod idem est, μυλόκρεας. *Salmas. Exerc. Plin. p. 17. a. E. Voss. de Idolol.* iii. 54. Verum enim verò, quod Afranius censet, virgini quoque id contingere, parum fidei meretur. Sanè aliter de eo Hippocr. ἐν γυναικείων l. qui *molam*, seu *molucrum* esse ait à vitali semine pauco, & morboso. Pluraque de hoc Andr. Laureot. Rei anatom. viii. 4. 13. *Voss. l. l. & Lex. Etymol.*

Molucrum quoque *dicitur lignum quoddam quadratum, ubi molatur*, ut Scaliger emendat. Ita *Cloatius in libris sacrorum. Idem Ælius in explanatione carminum Saliarium eodem nomine appellari ait, quod sub mola supponatur*. Festus. *Gutberl. de Salus c. 23. Hering. de Molend. q. 4. §. 45.*

MON.

MONACUS, *genus vehiculi, quod ab uno jumento ducatur*. Glossar. vet. Arabico-Lat. Hoc est corruptum. Rescribe ex Isidor. Gloss. *monocosmon*. Ita enim ille: *Monocosmum, quod ab uno jumento ducitur, vehiculi genus*. Κόσμος enim jumentum. Et inde μονόκοσμον. Atque inde κοσμιατικὸν, quod pro jumenti tractura solvebatur veredario. Occurrit in diplomate Andronici Palæologi junioris apud Phranzem. iii. 24. *Meurs. Glossar. Græco-barb. in* κόσμιον. Κόσμος junioribus Græcis jumentum non signat, verùm ζωντίμιον. Metuo quoque ne & κοσμιατικὸν Phranzi aliud longè sit: & *monocosmum* potiùs fuerit vehiculum hominum delicatorum ornatè, comptèque procedentium, ac tale, ut unum tantum hominem, vel summum & alterum caperet: eoque appellatio sit à κόσμῳ significante ornatum. Et verò, quod dicebamus, non ab uno modò jumento trahi solere; sed ferè unum solum eo hominem tractum; favet vetus vocabularium, ubi legas: *Monocosmus, id est, genus vehiculi, quod ab uno jumento trahitur. Et hoc monocosmum, id est, currus, unum tantum portans, & dicitur à monos, & cosmus*. Voss. de vit. serm. iii. 27. Vossii explicatio refellitur explicatione Isidori, quæ nihil habet de ornatu. Arbitramur esse à μόνῳ & ἄγειν. Nempè in *monacus* literam existimo esse permutatam, & *monacus* scriptum pro *monagus*: ut *conas* pro *genas*, *frucem* pro *frugem*, *rocato* pro *rogato* reperimus. Porro *monagus*, quasi μοναγὸς, quomodo & *hippagus* simili originatione apud Plin. vii. 56. quæ Græcis ἱππαγός. Qui *monagus* proinde significabit currum tractum, ductumve ab uno, non sententia glossatoris solum, verùm ipsa vocabuli ratione. Et quia idem significare debet *monocosmon*, etiam de eo aliter

vix judicandum. Quanquam mea sententia Isidorus scripserit *monocasmen*, similiterque id posuerit pro *monagasmon*. Ut *monagasmon* sit dictum per insertionem literæ *s* pro *monagognimon* significatione parili cum *monaea*. Nisi putamus esse aliud *monetosmon*, seu *monaeesmen* in masculino, & aliud in neutro: ut habet vocabularium Vossio laudatum. Verùm metuo, ne sit inanis hæc subtilitas magistri. Et frustra descripsit Vossius *vehiculum hominum delicatorum*... Nam contrà fuit vehiculum, quod ab uno trahebatur jumento, sicut verbis manifestis docent veteres. Adde quod si illud *mones* referendum est ad hominem, ratio vocabuli pereat, si vehiculum præter illum unum admiserit & alterum. Sanè à jumenti trahentis numero solitario, non hominis utentis, nec ornatu vehiculi, aut hominis, sed ductu nominatum esse voluit glossarum auctor, quando non *ducitur* scripsit, sed *ducatur*: quasi diceret, *monacus* ita vocatus est, quod ducatur ab uno tantum, hæcque illius constructio sit & forma; ut jumenta plura non admittat. Reliqua *monaei* quæ fuerit structura, dicere non habemus. Et ejus usus est parum notus. *Scheffer. de Re vehic.* II. 10.

MONARCHIA, sive regia administratio Reipublicæ censetur omnium optima, ut quæ valdè similis divinis actionibus, humanisque maximè consentanea. Hinc dictus Rex viva Dei imago, animata imago Dei. Subscribunt Homer. Iliad. II. 204.

Non bonum est multorum imperium: sit dominus unus,
Unus Rex.

Claud. Stilich. consul. II. 113.

Fallitur egregio quisquis sub Principe credit
Servitium: nunquam libertas gratior exstat,
Quàm sub Rege pio.

Et alii. Quapropter antiquis sæpè in ore, ἐκ Διὸς βασιλῆες, quibus, quia optimis, imperium jure debetur. Ex Democrito: *Natura imperare proprium præstantiori.* Isocrates: *Non immerito monarchiam tanto faciliorem esse judicaverimus, quanto facilius est animum suum unius viri instituto accommodare, quam multis, variisque opinionibus placere conari.* Laurent. de Rebuspubl. c. 1. Rittershus. in Oppian. p. 52. Tiraquell. de Jure primig. q. IV. n. 21. 26.

MONAULUS, μόναυλος, erat tibia singularis, ad differentiam tibiæ zygiæ, cum binæ simul inflatentur. Alio nomine titytene appellabatur. Ægyptiorum fuit inventum. Pollux IV. 10. 1. *Monaulus Ægyptiorum inventum est*. Osiridi ejus inventionem adscribit, & eo hymenæum accinisse veteres dicit Athen. IV. p. 175. E. *Juba libro quarto historiæ theatralis Ægyptios scribit asserere monaulon ab Osiride inventum fuisse, & quem photinga vocat obliquis fistulis constructum. Anaxandrides in Thesauro:*

Sumpto monaulo hymenæum accinebant.

Idem in Phialophoro:

A. Monaulon ubinam aluisti, heus tu Syre?
S. Qualem monaulum? A. Arundinem tibialem.

Et suavissimos concentus meditatos fuisse p. 176. A. *Monaulo suavissimos concentus summissa voce meditatur, & cantillat.* Apul. Apol. p. 415.

Quod si animam inspiras, dona & jam carmina nostra
Cedant victa tuo dulcisloquo calamo.

In conviviis frequens fuit. Athenæus: *Quibus photingia, & monaulos comessationis instrumenta, non belli addiderant.* Et hoc sensu Matt. XIV. 64.

Ebria nos madidis rumpit tibicina buccis,
Sæpè duas pariter, sæpè monaulon habet.

Bartholin. de Tib. I. 6. Meurs. de Tib. c. 22. Scalig. Poet. I. 20. Rhodig. Ant. Lect. IX. 7. Buleng. de Theatr. II. 4.

MONERIS, μονήρης, vocabatur navis, quæ simplicem habebat ordinem: pertinebatque, seu potiùs ea ipsa erat, quæ aliàs peculiariter appellabatur longa. Græcis aliquando, maximè posterioribus temporibus γαλαῖαι. Leo Imperator in Tacticis; αὗται γαλαῖαι ἢ μονήρεις λεγόμεναι. Et hinc sine dubio galearum nomen apud nostros ortum est. Μονοκρότους dixit Strab. VII. Naves, *quæ simplice ordine aguntur*, sunt Tacit. Hist. V. 23. *Scheffer. de Milit. nav.* II. 2. *Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p.* 571. *A. Meibom. de Fabr. trirem. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XII. p.* 617. *C. Opel. de Fabr. trirem. Thes. Græv. ibid. p.* 695. *D.*

MONETA definitur à Paullo, l. 1. ff. de contrah. empt. *Materia forma publica percussa, usum, dominiumque non tam ex substantia præbens, quam ex quantitate.* Forma publica est, quæ imposita à triumviris æri, argento, auro flando, feriundo; aliisque magistratibus *monetalibus* jam inde lege XII. tab. creatis. Cicer. de Leg. III. 3. *Minores magistratus æs, argentum, aurum publicè signanto.* At postquam majestas, & imperium à populo in Principem translata est, à Principe ipso, qui auctoritatem nummo tribuit: nam privata forma quæ est, adulterinam esse necesse est. Denique forma publica est iconium publicum, quod habetur, & exercetur in officina, *monetaque* publica, character ipse, & sphragisterium, iconicum, ut vocat Suet. Cal. c. 22. n. 7. quo nummus insignitur, ceu sigillo, annuloque bulla. Harmenopulus. Tota enim *monetæ* faciendæ ratio hæc est, ut primo ipsum metallum ignibus excoctum, & temperatum præparetur, deinde in lamellas æquales concidatur, tum denique iconio, & typario cudatur, percutiatur, & signetur. Quæ omnia, licèt non suo ordine, expressit Lucan. VI. 402.

Primus Thessalicæ rector telluris Itonus
In formam calida percussit pondera massa.
Fudit & argentum flammis, aurumque moneta
Fregit, & immensis coxit fornacibus æra.

Freher. de Re monet. vet. Roman. I. 2. Laz. Græc. antiq. I. 5. Ea forma, ex quo in Principem omnis potestas translata est, vultum ferè Principis habet cum inscriptione; ut stante Republica, consulum nomina, non tamen vultus, sed Romæ plerumque galeatæ, alteriusve pro arbitrio numinis. Idque ita perpetuum, ut non alio meliùs è re nata argumento Pharisæorum rebelles Romanis animos damnare Dominus potuerit, quàm ex ipso denario censui debito, habente Tiberii Cæsaris εἰκόνα καὶ ἐπιγραφὴν apud Matth. c. 22. n. 20. Prudent. Περὶ στεφ. II. 96.

En Cæsar agnoscit suum
Numisma nummis inditum.

n. 120.

Cui nummus omnis scribitur.

Unde *monetam* ita definit Juven. Sat. XIV. 291.

Concisum argentum in titulos, faciesque minutas.

& Sat. VI. 204.

—— lance beata
Dacius aut scripto radiat Germanicus auro.

Freher. l. l. Demster. Paralip. in Rosin. Ant. Rom. VIII. 31. Quantitas ea est, quam Paullus dixit, æqualitate sua, quod publicam, ac perpetuam æstimationem habet, difficultatibus permutationum subvenire. Quia rerum nimirum omnium incerta, fluxa, & variabilis est æstimatio, ut Plato inquit: Τὰς μὲν χρείας ἄλλοτε τὲ καὶ καιρῷ, καὶ νόμῳ, καὶ ἀδυνάτοις, καὶ ἔθνει, καὶ τυχαῖς ἄνω καὶ κάτω εἰς τὴν τιμὴν, καὶ ἀτιμίαν μεταβαλλομένας. Nummi perpetua, & certa est æstimatio, ut ait Ulpian. l. 3. ff. de in lit. jurand. adeo ut omnibus rebus venalibus possit adæquari semper commodissimè: omnes enim res pecunia æstimantur, l. pen. Cod. de constit. pecun. Ideo nummum *usum, dominiumque ex quantitate* ait *præbere magis quam ex substantia*. In nummis, & pecunia non corpora spectantur, sed valor & potestas: ut pecunia valeat, & censeatur non lamella, sed æstimio, & indicatura, l. 1. §. non solum ff. ad leg. Falcid. l. 1. ff. de contrah. empt. l. 29. & 94. ff. de solut. Res ceteras ex substantia, non quantitate, qua quantitas, & valor earum perpetuus non est: sed ut loquitur Cicer. pro Q. Rosc. c. 12. *pretia earum sæpè jacent*. Nummi pretium est perpetuum, ut ejusdem ponderis nummi eodem semper valore censeantur, æqualitate quadam admirabili, etiamsi diversorum sint vultuum; ne Philippei puta pluris sint quàm Antoniniani, l. 3. C. de veter. numism. potest. Theodos. Novell. 25. de pret. solidi. Leo philos. Novell. 51. modò in pondere conveniant, quod solent. Hæc est illa æqualitas, quæ etiam barbaris fuit

admi-

admirabilis. Solin. c. 51. *Stupuisse Regem Taprobanes pecuniam, quae capta cum ipso, liberto Annii Plocami, erat, quod tametsi signata disparibus foret vultibus, parem tamen habere modum ponderis.* Plin. vi. 22. *Mirum in modum in auditis justitiam ille suspexit, quod pares pondere denarii essent in captiva pecunia, cum diversae imagines indicarent à pluribus factos. Et hoc maximè sollicitatus ad amicitiam, legatos quatuor misit.* Freher. l. l. Veteres, & praecipuè Romani usi sunt *monetis* ex metallo puro, & nulla mixtura adulteratam constantibus, saltem quamdiu imperium ipsorum floruit: illo enim decrescente & bonitas *moneta* diminutionem passa est. Imperator Tacitus apud Vopisc. c. 9. cum tandem animadverteret, quàm damnosa esset Reipublicae sequior *moneta* temperatura, lege lata metallorum mixturas severè prohibuit, quod edictum etiam post Diocletianum adeo studiosè observatum fuit, ut vix ulla numismata antiqua post hujus Imperatoris aetatem percussa reperiantur, quae non ex puro, & probo metallo constent. Quae sub Imperatore Alexio, qui ob eam causam ab historicis reprehenditur, ex minus puro, & probo metallo percussa fuerunt, ea aetatem non tulerunt, quoniam hodie pauca, vel nulla hujus generis reperiuntur. *Savot. de Numm. antiq.* iii. 4. E commodo Reipublicae quàm maximè esse, ut *moneta* ex metallo, nulla sequioris materiae mixtura cudantur, decem rationibus satis fusè demonstrat, *Savot. ibid. c.* 5. Materia non fuit ferrum. Hoc enim difficilè funditur, & cum aeruginem facilè concipiat, servare pondus legitimum non potest. *Hotman. Antiq. Roman.* iv. 1. 5. Sed triplex fuit. Pompon. §. deinde de orig. jur. *aes, argentum, aurum.* Pollio xxx. Tyrann. c. 31. *Cusi sunt ejus nummi aeri, aurei, argentei.* Cicero de Legibus jam laudatus. Hoc tamen discrimine, quod initio omnes omnino pecuniae ex aere, ex auro, argentoque nulli nummi cusi. Isidor. xvi. 17. *Antiquissimi, nondum auro, argentoque invento, aere utebantur, nam prius aerea pecunia in usu hominum fuit, post argentea, deinde aurea subsecuta.* Neque enim ante victoriam Pyrrhi argentum signatum in usu Romae. V. supr. in *Argentum.* neque aurum in pecunia cognitum ante Carthaginem, & Corinthum superatas. V. supr. in *Aurum.* Ovid. Fast. 1. 221.

> *Aera dabant olim, melius nunc omen in auro est,*
> *Priscaque concedit victa moneta nova.*

Adeo ut nec plumbeos, nec stanneos nummos priscos illos habuisse legamus in lege Cornelia de falsis. Vallam supr. in *Lex.* quanquam plumbei pro vilissimis, & quasi nullius pretii rebus nummi usurpentur apud Plaut. Trin. iv. 2. 119.

> —— *Eine aurum crederem?*
> *Cui, si capitis res siet, nummum unquam credam plumbeum.*

Cas. iii. 3. 40.

> *Cui homini hodie peculi nummus non est, nisi plumbeus.*

Mart. x. 74. 4.

> *Centum merebor plumbeos die toto.*

Demster. l. l. Agric. de Pond. & temperat. monet. ii. p. 294. Intelligit Martialis quadrantes aereos. Aes enim ad miscebatur plumbo etiam publicè. Et inde *plumbeos nummos* per contemptum appellat aeream *monetam*, cui plurimum plumbi admixtum. *Salmas. in Vopisc. Tacit. c. 9.* Non sunt audiendi illi, qui putant auctores illos per voces *plumbei nummi* non intelligere *monetam* è plumbo factam, sed talem, quae paenè nullius valoris, & pretii esset. Si haec fuit sententia Salmasii, uti sanè esse videtur, *monetam* aeream ab Imperatoribus Romanis cusam fuisse tempore Martialis, qui sub Domitiano vixit, liceat mihi ab ipso dissentire, quoniam omnes Imperatorum Romanorum nummi, ferè usque ad aetatem Septimii Severi, nihil plumbi admixtum habent. Error iste huic viro facilè condonabitur, quoniam notitia haec non ex libris, sed ex solo examine *moneta* antiquae aereae comparari potest. Illi enim, qui studio hujus amore tenentur, cum *monetam* aeream ante Septimium Severum cusam igni probant, nihil plumbi inde secerni deprehendunt. Aliter autem comparata sunt numismata, post aetatem Severi cusa, quippe ex quibus guttulae quaedam plumbi, vel modico ignis calore, diversis in locis exprimuntur. Omnes, qui numismata antiqua collegerunt, viderunt absque dubio nummos antiquos plumbeos, eorumque nonnullos ego ipsemet possedi. Sed hoc non adeo mirum videri debet, quoniam Erasmus refert, suo tempore *monetam* plumbeam apud Anglos in usu fuisse. *Savot. ibid.* ii. 1. *Franckenstein de Aerar. pop. Rom. c.* 2. Sciendum tamen est sub quibusdam Imperatoribus *monetam* fuisse electrinam. Lamprid. Alex. Sev. c. 25. *Alexandri habitu nummos plurimos figuravit: & quidem electreos aliquantos.* Hotoman. l. l. Agric. ibid. p. 277. Quosdam mihi praeterea Romanos nummos ex agris suis effossos ostendit Princeps quidam, non ex metallo, sed leviore aliqua materia subnigra percussos: atque, ut mea fert opinio, ex succini genere: quod esse multiplex, copiosè simul, & eleganter docet Georg. Agric. de nat. foss. iv. Ut mihi suspicari liceat, electreos illos fuisse, quos commemoravimus: quandoquidem ἤλεκτρον Graeci nomine generali succinum appellant. Fuit & aliud genus nummorum, sed ludicrum, ex lupinis aqua, ut opinor, maceratis percussum. *Hotman. l. l.* V. & supr. in *Lupinus.* Ut valeret, proba materia, & vultus Imperatoris ei impressus requirebantur. V. jam dicta. Falsa erat vetita legibus Romanis, nam peculatus id crimen vocatur. V. infr. in *Peculatus.* Falsae damnati cremabantur. V. supr. in *Crematio*, *Moneta* malleatores, signatores, & suppostores suis locis.

Moneta vocatur etiam locus ipse cudendis nummis destinatus. Ita non semel in Cod. Theod. & Justin. In veteri urbis Constantinopoleos descriptione: *Monetam, portum Theodosiacum* . . . . . Ammian. xxii. 11. *Ille quod aram in moneta, quam regebat, recens locatam evertit*, Sidon. c. 23. n. 40.

> *Delubris, capitoliis, monetis.*

Lindenbr. in Ammianum. Savat. in Sidonium.

MONETALES Romae erant magistratus, qui curam cudendae *moneta* habebant. Cicer. Fam. vii. 13. V. illos infr. in *Triumviri.*

MONETARII dicebantur, qui metallum tractabant, & signabant, l. 1. de fals. monet. C. qui in *moneta* operabantur, l. 6. §. 1. ff. ad leg. Jul. peculat. Egnatius in Annotationibus *monetarios* exponit vestium textores. Sed huic Suidas contradicit: *monetarii circa numisma operantes.* Buleng. de Vectig. c. 22. Demster. Paralip. ad Rosin. Roman. vii. 31. Rhodig. Ant. Lect. viii. 11. Horum totum corpus & schola erat, procuratoribus, & rationalibus subditum, hominum genus cum liberis, & uxoribus huic soli ministerio addictum, & obnoxium, l. 1. 7. 13. C. de murileg. moner. & ab aliis dignitatibus remotum l. 6. C. de dignit. Eorumque tantus fuit numerus, & factio, ut Aureliano Imperatore, procuratore suo Felicissimo interfecto, adversus Principem se extulerint, unde grave bellum motum, quod vix exstingui potuit, Vopisc. Eutrop. Victore, Suida auctoribus. *Freher. in Anonym. de Re monet. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* xi. *p.* 1419. *D. Turneb. Adv.* xviii. 17. Qui quomodo monetas cudant, prolixius narrat *Agricol. de Pret. metal.* p. 266.

MONILE erat *ornamentum muliebre ex gemmis, quod ex collo dependebat.* Isidor. xix. 31. Παραυχένιος κόσμος Graecis dicitur. Et *monile* collo tribuit Virg. Aeneid. 1. 657. V. illum supr. in *Baca.* Thys. in Gell. v. 5. Manut. Quaest. Epist. iii. 10. Muliebre esse scribit etiam Festus: *Monile est ornatus mulierum, qualem habuisse Eryphilam fabulae ferunt.* Et inter torquem, & *monile* ita distinguit Isidorus, quasi torques sit propriè virorum, *monile* feminarum. *Torques, ait, & bullae à viris geruntur, à feminis monilia, & catellae.* Sed hoc nugatorium est. Nam de Aty juvene Ovid. Met. v. 50.

> *Indutus chlamydem Tyriam, quam limbus obibat*
> *Aureus, ornabant aurata monilia collum.*

A monendo etiam dictum volunt Grammatici. Et pro monumento usurpavit Tertull. Apolog. c. 16. *Monilia cru-*

cium sunt, hoc est, crucis figuram repræsentant, atque ita crucis nos admonent. Quod si ergo à monendo est, idque quoniam admoneat virtutis, ut Grammatici exponunt, quomodo ad feminas pertinere possit? Quare nihil aliud *monilia* quàm *torques*. Etiam segmentum vocatur, V. illud infr. in *Segmentum*. Scheffer. de Torquib. c. 1. Pertinebat tamen magis ad feminas, & reprehenditur hic ornatus ut muliebris. Herod. v. 8. 2. *Contemnebant eum Romani milites, ut aureis monilibus haudquaquam viriliter ornatum*. Scheffer. ibid. c. 8. Erat etiam ornatus equorum, pendens à collo in pectus. Ovid. Met. x. 264.

Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo.

De equis Latini Virg. Æneid. VII. 278.

Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

Gell. v. 5. *Inducebat equitatum frenis, ephippiis, monilibus præfulgentem*. Grapald. de part. dom. I. 8. §. 17. Fiebant ex gemmis, aurove. Senec. Med. III. 572.

—— est & auro textili
Monile fulgens.

Juven. Sat. VI. 589.

Quæ nudis longum ostendit cervicibus aurum.

Claud. in Rufin. I. 187.

—— cuicunque monile
Contextum gemmis, aut prædia culta fuissent.

Barthol. de Armill. vet. §. 1. Scheffer. ibid. c. 10.

MONITORES in campo vocabantur, qui castrensibus tyronum, & prætorianorum exercitiis præerant. Tertull. Apolog. c. 30. *Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus*. Et hoc nomen non tantum in tyrocinio valet, sed in heroibus, aliisque adolescentibus, qui artibus certis imbuendi *admonitione* rectoris alicujus indigerent. Pacat. Paneg. *Tibris quondam hospitis monitor Ænea*. Symmach. Epist. III. 13. *Nullam certè Nestor tertia ætatis suæ seculo militiæ vacationem poposcit, nec Achilli excusavit ætatis suæ frigus Phœnix monitor*. Eligebatur in hos usus ut plerumque, qui gravitate, morumque sanctitate, non modò præceptis, ferventem, & in vitia præcipitem juventutem regere posset. Val. Flacc. I. 473.

Donat & Iphycle pelagus, juvenumque labores
Æsonides, fessum Phylace quem miserat ævo
Non jam operum in partem, monitus sed tradat ut acres,
Magnorumque vires qui laudibus urat avorum.

Stat. Sylv. v. 3. 147.

Hinc tibi vota patrum credi, generosaque pubes
Te monitore regi.

Monitor iste tyronum Romanorum, sive magister exercitiorum in sequius officia obeuntes animadvertebat, eosque pro facti negligentia castigabat, non voce modò, sed & verbere. Claud. Honor. Consul. VI. 625.

—— insonuit cum verbere signa magister.

Idque tractum à Græca consuetudine videtur insinuare Ælian. Var. hist. II. 6. *Hippomachus pugillandi magister, cum athleta quidam ex ejus discipulis specimen exhiberet artis, & circumstans multitudo universa plausum tolleret, percussit eum virga*. Demster. ad Rosin. Ant. Roman. v. 25. Meurs. Canter. & Potter. in Lycoph. n. 241. Barth. in Stat. Theb. XII. 205.

Monitores vocabantur custodes thalami. Stat. Theb. XII. 205.

Olim hic virginei custos, monitorque pudoris.

Tales additos puellis docent Sceledrus in Milite glorioso, Ovidius, Tibullus, & Propertius. *Monitor*, qui admonet decoris, & si quid oblitum, ejus recordari jubet. Ita libros commentarios *monitores*, qui subjiciant necessaria, dictos notat Festus: *Monitores dicuntur, & qui in scena monent histriones, & libri commentarii*. Barth. in Statium.

Monitores vocabantur nomenclatores, qui candidatis nomina civium, ut quisque occurrebat, suggerebant. Plin. Paneg. c. 23. n. 1. *Gratum erat cunctis, quod senatum oscula exciperes, ut dimissus osculo fueras: gratum, quod equestris ordinis decora honore nominum sine monitore signares*. Horat. Epist. I. 6. 50.

Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus.

Erat enim favoris conciliabulum, quemvis appellare nomine suo. *Cellar. in Plinium. Barthius in Statium.*

Monitores vocabantur in scena, qui actoribus verba suggerebant, si fortè memoria laberentur. Festus laudatus in *Monitores custodes thalami*. Plutarch. in Politic. *Imitari oportet histriones, qui monitorem audiunt, & tenorem, ac modum datæ sibi potestatis non egrediuntur*. Buleng. de Theatr. I. 54. Casal. de Trag. & com. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 7.

Monitores etiam servi vocabantur domestici, qui rerum agendarum tempora dominis indicabant. Apul. Met. I. p. 68. *Post hæc monitu famuli mei, qui noctis admonebat, jam & ipse crapula distentus, protinus exsurgo*. Et horum, qui *admonerent*, ingens videtur fuisse numerus apud homines nobiles, & fortunatos. Senec. de Brev. vit. c. 12. *Nec illos quidem inter otiosos numeraveris, qui sella se, & lectica huc & illuc ferunt, & ad gestationum suarum, quasi deserere illas non liceat, horas occurrunt: quos quando lavari debeant, quando natare, quando cœnare, alius admonet: & usque eo nimio delicati animi languore solvuntur, ut per se scire non possint, an esuriant*. Val. Max. VII. 8. ext. 5. *Carneades cum cibi capiendi causa recubuisset, cogitationibus inhærens, manum ad mensam porrigere obliviscebatur, nisi Melissa*, monitrix domestica, *temperate inter studia officio, manum necessariis usibus aptasset*. Pignor. de Serv. p. 260.

MONITUS pontificum dicitur, ut deorum, vel vatum passim apud Poetas. In domesticis religionibus *monere* bonorum pontificum erat: in publicis quasi deorum numine afflati id agebant. Sic vota pontificum *monitu* suscipiebantur, aut sacra fiebant. De votis lapis Romæ:

PONTIFICUM
MONITU
VOTO
SUSCEPTO

Guther. de vet. jur. pont. I. 24.

MONOBOLON erat saltus singularis. Juvenes enim *cursu, & saliendo sese exercebant*. Plaut. Bacch. III. 3. 24. Justinianus Imperator l. victum C. de aleator. *Duntaxat ludere liceat* μονόβολον, id est, *cursu exerceri, & certare*. Qui lusus à casu pendentes cum sustulisset, aliquod genus ludorum substituit, qui virtutis causa susciperentur, & ad corporis exercitationem maximè facerent. Phot. Nomocan. c. 29. *Solum autem ludere licet monobolum*. Ubi Balsamon in Scholiis: *Scito, quod monobolum dicitur cursus*. Souter. de Alear. III. 7. Meurs. de Lud. Græc. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 977. E. Buleng. de Lud. vet. c. 26.

MONOCROTA voco navigia, quæ unum, aut duos versus remigum habent eadem altitudine stantes, aut in ejusdem altitudinis transtris sedentes. *Monocrota*, quæ simplicem remorum versum habent, duum generum sunt: quippe unus remex, aut remo uno naviculam ab uno latere impellit; quod fit in monoxylis, seu lintribus: aut duobus remis, singulis videlicet ab utroque naviculæ latere remigant. *Meibom. Fabric. trirem. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. XII. p. 570. B.* Quis est quæso, qui *monocrota* usurparit unquam de monoxylis, seu lintribus? Dicta sunt *monocrota*, ut dicrota. Dicrota naves ordinum duorum. Erunt ergo & *monocrota* naves ordinis unius, quales aliàs moneres Græcis sunt vocatæ. Ideo Strab. VII. Ἀπὸ μονοκρότου μέχρι δεκήρους. Sicut δεκήρης navis decem ordinum, sic μονόκροτος unius ordinis, neque unquam quisquam usurpavit de navigio, in quo unus tantum remigat. *Opel. de Fabric. trirem. Thes. Grav. ibid. p. 695. C.*

MONOLINUM *de albis*, ut legendum est apud Capitol. Maximin. jun. c. 1. est filum unum, quo margaritæ insertæ sunt; nam albæ sunt margaritæ. *Monolinum* Latinè liceat una voce appellare unifilum. Μονόμιτον scribitur in Glossis, quod idem esse puto quod μονόλινον. Nam & filum, & linum dicitur, quo intricabantur margari-

garitæ. Sic & *τρίλινον*, *trifilum*, quod ex trinis erat filis margaritarum. Erant etiam ex quaternis, quæ *τετράλινα* dicebantur. Glossæ: *τετράλινον*, *quadrifilum gemmarum*. *Γσόλινα* autem vocabant, cum margaritarum fila erant paria, hoc est, cum margaritæ filis innexæ ejusdem, & ad amussim paris magnitudinis, & rotunditatis erant: quod etiam hodieque studiosè observant damnosæ mulieres. *Filoparee* vocat Anastas. in Gregor. IV. *Albas majores numero viginti & novem, alabandinas majores numero viginti, albas modicas habens circum capitis coronam diversè filoparee*. Salmas. & Casaub. in Capitolinum.

MONHMEPION quidam spectaculum fuisse putant, quo feræ cicures tantum, & mansuetæ exhibebantur, quasi *μόνα ἥμερα θηρία* sola mansueta animalia dicerentur. Leon philosophus *εἰς τὸ μονημέριον*. Floril. Epigram. I. 4.

Sagittarie, Musarum rex, eminus jaculans, Apollo,
Dic sorori, validas ut feras excitet,
Quæ tantum tangant hominum corpus, quæ accedant
Populi delectati divinum os: neque unquam videam,
Jovis clementis thronum assecutus, alicujus viri mortem.

Pessimè. *Monomerium* fuit spectaculum unius diei. Novell. 105. *Buleng. de Venat. circ. c. 25. Augustin. de Legib. in Julia de vi publica*.

MONOPHAGIA est vitio data. Athen. I. p. 8. E. *Veteres soliti sunt μονοφαγεῖν*. *Antiphanes*: *Solus jam comedis, & me lædis*. *Amicipsias*: *Abi Morbonem monophage*. Aristophanes *μονοφαγίστατον* vocat hominem profundæ gulæ, qualis fuit Albinus Cæsar. *Buleng. de Convív. I. 6. Rhodigin. Ant. Lect.* XXVII. 24.

MONOPODIUM erat mensa, quæ uno pede sustinebatur. Hæ ea tempestate pulcerrimæ, lautissimæque censebantur. Liv. XXXIX. 6 de triumpho Cn. Manlii Vulsonis: *Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in Urbem est. Ii primum lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnifica supellectilis habebantur, monopodia, & abacos Romam advexerunt*. Plin. XXXIV. 3. V. illum supr. in *Lectus tricliniaris*. Turneb. Adv. I. 25. Rhodigin. Ant. Lect. VII. 12. Falconet. de Pyram. C. Cetii Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1471. C. Auctor Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Roman. p. 489. 503. Blond. Triumph. Rom. IX. p. 184. F.

MONOPOLIUM est, si certæ personæ, vel certo corpori concesserit Princeps, ut ei soli jus sit vendendæ alicujus mercis, sub onere conferendæ in fiscum pensionis. Strab. XVII. *Rerum gravius pretii vectigalia. Habent enim monopolia*. Cassiod. Var. II. 4. *Antiochum siliquatici, vel monopolii titulos exercentem*. 30. *Quatenus nec monopolii, nec siliquatici, nec auraria aliquid pensionis impendat, vel quodlibet gravamen ex permissa nundinatione sustineat*. Buleng. de Vectig. cap. 55. Turneb. Adv. XXVIII. 6. Guther. de Offic. dom. August. III. 23. Grapald. de Part. dom. II. 3. §. 45. Illa omnia prohibuit Zeno Imperator C. de monopol. *Probibemus, ne quis cujuscunque vestis, vel piscis, vel pectinum fortè, vel echini, vel cujuslibet alterius ad victum, vel ad quemcunque usum pertinentis speciei, vel cujuslibet materiæ, pro sua auctoritate, vel sacro jam elicito, aut in posterum eliciendo rescripto, aut pragmatica sanctione, vel sacra nostra pietatis adnotatione, monopolium audeat exercere*. . . Et: *Si quis monopolium ausus fuerit exercere, bonis propriis exspoliatus perpetuitate damnetur exilio*. Cujac. Observ. X. 19: XVI. 23. Thys. de Republ. Athen. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. V. p. 1371. A. Collat. Attic. & Roman. leg. Thes. Gronov. ibid. p. 1383. A. Buleng. & Guther. l. l.

MONOΞΥΛΟΝ, *monoxylus* est navis species ea solo ligno confecta, ut etiam vox ipsa indicat. Veget. III. 7. *Sed commodius repertum est, ut monoxyles, hoc est, paullo latiores scaphulas, ex singulis trabibus excavatas, pro genere ligni, & subtilitate levissima, carpentis secum portet exercitus*. Ejus meminit etiam Pollux. I. 9. I. Hoc genus navis *ἄσπυον* Cyprii vocant. *Μονόξυλον* quidem epithetum est aliquando. Plin. VI. 23. *Regio, ex qua piper monoxylis lintribus Baracen convehitur, vocatur Cottonara*. Gyrald. de Navig. c. 18. Sed Plinius mihi suspectus de glossemate. Hujusmodi naviculas conficere usus Britanniæ Cæsarem docuit, üsque in Hispania est usus. Cæsar. Bell. civ. I. 54. *Imperat militibus Cæsar, ut naves faciant, cujus generis eum superioribus annis usus Britanniæ docuerat*. Stevvech. in Vegetium.

MONOXITΩN Græcis est sola tunica amictus. Plutarchus in Antonio de Cleopatra loquens, quæ valetudine affecta, in lectulo jacens, ut Augustum adventantem rescivit, tunicata exiliit obviam, seque ad pedes ejus stravit, & abjecit: *Ipsa jacebat in lecto sordido: ingredienti ipsi unica amicta tunica exiliens accidit*. Bayf. de Re vest. c. 12.

MONTIUM magna olim veneratio, inque iis exstructæ aræ, & templa, ut satis superque ex historia, tam sacra, quàm profana patet, plerisque numinibus fuerunt. Inde apud Philostr. de vit. Apollon. I. 2. Caucasum *θεῶν οἶκον* vocant. Persæ apud Herod. I. p. 131. *Editissimis quibusque conscensis montibus Jovi hostias immolant*. *Montinus*, qui *montibus* præest, deus occurrit apud Arnob. IV. p. 132. *Quis Montinum montium deum esse credat?* Mater Galerii Maximiani *deorum montium cultrix, & mulier admodum superstitiosa* dicitur Lactant. de Mort. persecur. c. 11. *Dii montenses* in inscriptione veteri celebrantur apud Gruter. p. 21.

ARAM. JOVI. FULGE
RATORIS. EX. PRECEP
TO. DEORUM. MON
TENSIUM. . .

Quæ quia Romæ inventa, videntur significari dii, qui septem ejus *montibus* præsidebant; quorumque in honorem institutum fortè est factum *Septimontium*, quod celebrabatur a *Montanis*. V. illos infr. in *Montani*. Cuper. Apoth. Homer. p. 15. Spanhem. in Callim. Hymn. in Delum n. 70. Columb. & Baudri in Lactantium.

Mons Aventinus. V. illum supr. in *Aventinus*.

Mons aureus. V. illum supr. in *Janiculum*.

Mons Caballus nunc dicitur collis Quirinalis à duabus statuis marmoreis Alexandri Magni Regis Macedonum, equum Bucephalum domantis, quas Alexandria Constantinus Imperator Romam transtulit, atque in medio thermarum à se in Quirinali exstructarum collocavit, quarum altera Phidiæ, altera Praxitelis manu factæ sunt, ut titulus indicat. *Pavin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 274. E.* Sed Phidias & Praxiteles ante Alexandri tempora vixerunt, & Alexandri res gestas exprimere non potuerunt, nec hæ statuæ Alexandrum figurarunt. Quod porro affirmant alterum à Phidia signum, alterum à Praxitele expressum, verisimile non est; centum enim circiter annis inter se artifices distant: utraque verò signa ex eadem officina produsse sculpturæ periti observant: nec debuerat Castor Olympiade 83. à Phidia effingi, & Pollux à Praxitele Olympiade 104. Juvenum enim hæc equos frenantium colossea signa Castoris certè ac Pollucis sunt, pro typo æternitatis posita, ut in nummo Maxentii videre est. Non immeritò tamen præstantissima opera, quæ miraculo habentur, eximiis sculptoribus adjudicata fuere Constantini seculo: tituli namque in veteri basi recentiores sunt: ac Latino, non Græco idiomate inscripti, ut erat in more positum sculptoribus Græcis, per omnia, quæ adhuc erant, simulacra. Ex eo verò loco translatæ sunt à Sixto Quinto Pontifice maximo ad aream contra pontificii palatii vestibulum, sua utrique subjecta basi, priscisque titulis restitutis. Fulvius I. docet, equos marmoreos contra palatium Pontificis constitutos advexisse in Urbem Tiridatem Armeniorum Regem. Atqui legitur apud Sext. Rufum, & P. Victorem equos Tiridatis fuisse æneos. Hi verò sunt marmorei. V. supr. in *Equus æneus*. Donat. de Urb. Roman. III. 15. Nardin. Rom. Vet. IV. 6.

Mons Capitolinus. V. illum supr. in *Capitolinus*.

Mons citatorius, sive citorius vicinus Horologio, retro S. Laurentii in Lucina sua habet initia. Blond. Instaur. Roman. II. §. 71. eum in principio appellatum putat *montem* citatorum, eosque, qui in comitiis dato suffra-

gio è Septis campi Martii exibant, eòsse recepisse, ne ceteris essent impedimento. Verùm præterquam, quod nil ejusmodi apud veteres legatur scriptores, ne speciem quidem habet veri, quum fieri nequiverit, ut tantillus collis omnes populi Romani ceperit centurias à suffragiis datis illuc se receptantes. Sed nec alia in proximo loca plana, & commodiora, capacioraque tantæ deerant multitudinis. Fulvius eum vel citatorium appellat à citandis tribubus, vel acceptorium ab acceptandis suffragiis, aut etiam sepitorium à proximis Septis: crediturque eum ex egesta terra natum, quum columnæ Antoninianæ in vicinia jacerentur fundamenta. Sed in eo dissentientem habet Marlianum, cui Topogr. Urb. Roman. v. 4. probari non potest, locum tam celebrem, publicisque usibus destinatum, tanta effossæ telluris mole à tam pio Imperatore fuisse occupatum. Sed nec mihi verisimile videtur, jaciendis illius columnæ fundamentis tantum terræ egestum, ut hunc collem efficeret, qui sine dubio tum temporis, non secus ac cæteri, multò quàm nunc, fuit editior. Marlianus ruderа potius ingentis ædificii istuc accumulata censet: cujus tamen aliqua, ut theatri Marcelli, si non hac nostra, saltem avorum, proavorumque memoria, & ante centum, ducentosve annos extare debuissent vestigia. Nam Blondi quidem ætate collis erat, dicebaturque: & ædificium tam altum, tamque splendidum, magnificum, ac sumptuosum, quantum ex istiusmodi conjectandum foret ruderibus, tam facilè in cineres dilabi non potuit. Contra ea videtur potius alter de duobus esse campi collibus, quos Strabo in vicinia, seu ripa fluminis collocat. Nam fabula quidem illa vulgi nec trita, Agrippam scilicet ea terra Pantheon opplevisse, quo ei hemisphærium imponeret, nimis quàm anilis est. Sphærica namque templorum condendi ratio Romæ ab antiquissimis temporibus fuit cognita, diu ante Augustum, & Agrippam ibidem usurpata, frequentataque, quorum ævo architectura ad summum jam pervenerat artis absolutæ culmen, adeo ut ad hemisphæria construenda nulla terræ, non secus atque nunc, aggestione opus fuerit. Sed neque fieri potuit, ut omnem illam terræ molem, quæ illud loci totum spatium occupat, quod inter aream Capranicam, & S.Laurentii ædem in Lucina interjacet, quæque & à vicinis, aliisque, variis ad usus, auferendo, & pluviarum detritu, plurimum deminuta est, interius Panthei spatium continuerit. Propiora videamus. Septa et ab antiquariis vicina fuisse dicuntur, quamquam de situ ejus in diversa abeant. Tum ad animum revocentur hæc Macrob. 1. 16. *Ea re candidatis usus fuit in comitium nundinis venire, & in colle consistere, unde coram possint ab universis videri*. Una hic omnium sententia est, Macrobium loqui de comitiorum tempore, quo candidati se populo in colle campi Martii vicino conspiciendos præbebant: & hunc collem Hortulorum esse putant, ubi nunc Ecclesia SS. Trinitatis in montibus conspicitur. At è tam longinquo loco quemquam à populo, etiamsi aquilina oculorum acie fuisset, dignosci potuisse tam à vero remotum est, quàm quod maximè: adhæc nulla, quæ conspectum impedirent, interjecta inter collem illum, & septa campi debuissent esse ædificia: quæ tamen illic plurima fuisse certò constat. Septa verò plerique in area columnæ Antoninianæ, aut saltem ad fontem Trevium fuisse statuunt. Animadverto, hic omnes in hunc errorem lapsos, quod nullus alius iis in proximo collis occurreret, quum tamen esse deberet. At quis propior, quis ad hanc rem aptior, quàm Citatorius? Et Macrobii verba non tam de comitiis, in campo Martio habitis, quàm de nundinis accipienda sunt, quæ nono quoque die in foro celebrabantur: quo quidem tempore populus omnis ex agris in Urbem confluere solebat; ita ut candidati proximorum comitiorum, quo à populo conspicerentur, in comitium adscenderint, quod foro imminebat. Non obstat tamen, quo minus ipso comitiorum tempore candidati in colle omnium sese conspectui obtulerint. Quod si verò jam tum citatorius collis extiterit, propior sanè, & ad rem aptior alius esse nullus potuit. At si tandem & hic, & Jordanus, in quo verisimilitudo major est, ex egesta terra exorti sunt, ne æqualis amœnissimi campi planities effossa extruendis fundamentis terra devenustaretur, hoc tamen extra controversiam est, ætate Strabonis, qui sub Tiberio vixit, colles illic saltem duos extitisse. Quare, sive *mons* citorius collis, sive egesta terra fuerit, sive ædificiorum rudera, iudicium hoc nobis sufficiat fecisse, citorium collem illam, quam diximus, dextri campi Martii lateris partem occupasse. Appellatio ipsam vocis originem manifestè prodit. Centuriæ namque olim in campum convocatæ, singulæ ordine citari solebant à præcone, ut septa intrarent, & suffragia ferrent. Liv. xxv 1.22. *Tum centuria & auctoritate mota viri, & admirantium circa fremitu, petit à consule, ut Veturiam seniorum citaret. Velle sese cum majoribus natu colloqui, & ex auctoritate eorum consules dicere. Citatis Veturia senioribus, datum secreto in ovili cum his colloquendi tempus*. Hæc autem citatio nonnisi in loco editiore fieri potuit, quo præconis vox melius ab omnibus posset exaudiri. Porro in ædibus Caroli Eustachii adversus monasterium *montis* citorii permagna columna vetus est maximam partem terra obruta, quam complures columnam fuisse citatoriam existimant. Quod si verum est, situs sane nullus aptior esse potuit, nimirum in ipso campi margine, & collis clivo, ad introitum septorum. Verùm ad porticum illam quondam Europæ pertinuisse multò mihi videtur verisimilius. *Nardin. Roman. vet. v 1. 6.*

Mons Cœlius. V. illum supr. in *Cœlius*.

Mons crucis sanctæ vocatur *mons* arduus, & accessu difficillimus, prope locum, qui Julium Carnicum dicitur. In medio hujus adscensu occurrit rupes præerupta, & in ea callis valdè angustus, olim Julii Cæsaris jussu à militibus Romanis excisus. Hoc colligitur ex reliquiis epigrammatis insculpti in præcipiti saxo, cujus literæ vetustate sunt abolitæ, reliquis solum primis, quæ legi possint, hisce:

C. JULIUS. CÆSAR.

Alii hanc inscriptionem pleniorem exhibent, quam dicunt esse in Forojuliensi regione, medio ferme *montis* crucis adscensu, præcipiti saxo incisam, apud Gruter. p. 149. n. 1. hoc modo:

C. JULIUS. CÆSAR. VIAM. INVIAM
SOLERT. S. ET. IMPENDIO. ROTAB
REDD.

Bergier. de viis milit. III. Sect. 33. §. 3.

Mons Exquilinus. V. illum supr. in *Exquilinus*.

Mons Jordanus appellatur, cujus potiorem partem ducum Ursinorum peramplæ occupant ædes. Aliæ eorundem ad imum ejus colliculi, & carceres olim circi agonalis: reperto cum struerentur, in fundamentis simulacro, quod Pasquinium vocant. *Donat. de Urb. Rom. IV. 11.*

Mons Jou Gallis, *monte* Jovis appellantur Alpes Penninæ. V. supr. in *Alpes*.

Mons Palatinus. V. illum infr. in *Palatinus*.

Mons Pietatis Romæ hodie publica domus est, designatque idem, quod apud Belgas *Banck van Leeninge*, aut *Lombarden*. *Borrich. Antiq. Urb. fac. cap. 11. §. 1.*

Mons Querquetulanus fuit dictus Cœlius. V. supr. in *Cœlius*.

Mons Quirinalis. V. illum infr. in *Quirinalis*.

Mons sacer fuit trans pontem salarium, in quem plebs Romana patriciis irata secessit. Anieni vicinum fuisse tradit Dionyl. VI. p. 375. *Montem quendam prope Anienem fluvium occupant, non longè ab Urbe, qui nunc inde vocatur mons sacer*. Clarius Val. Max. VIII. 9. 1. *Regibus exactis, plebs dissidens à patribus, juxta ripam fluminis Anienis in colle, qui sacer appellatur, armata consedit*. Quare non alium fuisse, quàm qui hodie trans pontem salarium consurgit, præceps etiam nunc, pro certo affirmare ausim. Plin. XIX. 4. *Nemo sacros, Aventinosque montes, & irata plebis secessus circumspexerat*. Nardin. Rom. Vet. IV. 4. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 278. A. Fabric. Desc. Urb. Rom. c. 3. Botrich. Ant. Urb. fac. c. 7. §. 9.

Mons

Mons Speluga est idem, quem Rhæti appellant Colmen del'Orso, situs prope montem Adulam, Abduam, aut Abuam, quem iidem nominant Colmen del Olcello, Itali Montbrajo, aut Montgrajo, per quem Spelugam à Rhætis itur Bellinsonium. Pagus est celebris Speluga, qui monti nomen dedit, distat Cutia 36. & Clavenna 27. milliaribus. *Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 32. §. 9.

Mons testaceus appellatur collis in campo Figulino ex fractis figulorum testis congestus, formam habens cucurbitæ. *Fabric. Descr. Urb. Roman. c.* 8. *Aring. Rom Subterr.* III. 1. 5. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 19. *Marlian. Topogr. Urb. Roman.* IV. 1. In circuitu suo fere duo millia passuum continet, & in altitudine plus quàm centum & sexaginta pedes. Fragmenta hæc figuli eam Urbis partem circa flumen incolentes congesserunt: ne si in Tiberim projecta essent, fluvii cursum impedirent, vel si in agros vicinos essent exonerata, locorum obessent fertilitati. *Boissard. Topograp. Urb. Roman. Tom.* 1. *p.* 16. *Faunus Antiq. Urb. Roman.* III. 3. *Schott. Itiner. Ital. p.* 388. Mirum, unde tanta copia figlinorum operum: nec satis causæ affertur, cur in eum locum comportata, & in cumulum coacervata fuerint. Fictilium quidem ibi reliquiæ congestæ conspiciuntur; sed cur in collem creverint, alii probabiliter, si licet, exponant. Nam de eo perpetuum apud antiquos silentium. Quidam Romæ opinantur factum è fragmentis urnarum, quæ olim fiebant ad excipiendos cineres crematorum corporum, & magna copia, diversaque figura quotidie non solum è vineis, sed tota Romana planitie effodiuntur. Sed an verè in unum coacervatæ locum, cur, quandoque fuerint, dicere non possunt. *Donat. de Urb. Roman.* III. 13. Alii crevisse ex urnis, aliisque testaceis, in quibus imperio subditi Romani populi tributa Romam pertulissent. Et nos quidem eam famam esse falsissimam certius probare possumus, quàm quo auctore, qua institutione id factum sit, edocere. Quantum verò attinet ad famæ falsitatem, norunt mecum, qui Romanorum gestas res legerunt, consuevisse quæstores in provincias missi, quibus curæ esset tributa exigere, & sive legionibus in stipendia distribuere, sive in ærarium Romam referre. M. Cato Uticensis quæstor in Asiam, in Cyprumque missus, habita à provincialibus tributa, non fictilibus urnis gessit, quas homo legum observantissimus in testaceo *montis* exaggeratione confringeret: sed tenacissimo consutas corio sacculos in summa navis puppi gestavit, subere ea ratione longissimis alligatos restibus, ut si ipse cum nautis naufragio perisset, supernatans suber ostenderet in fundo depositum. Ita de illo Plutarch. p. 777. E. *Blond. Instaur. Roman.* III. §. 74. *Schott. l. l.*

Mons Vaticanus. V. illum infr. in *Vaticanus*.

Mons Viminalis. V. illum infr. in *Viminalis*.

MONSTRUM definire licet cum Paullo, quod contra formam humani generis converso more procreatur, l. 14. non sunt liberi ff. de stat. hom. vel ex Ulpiano, si quid mulier ediderit, vel inæquale visu, vel vagitu novum, non humanæ figuræ, sed alterius magis animalis quam hominis partum, l. 135. quæret aliquis ff. de V. S. Partus *monstruosus*, simul ac natus esset, debuit necari, Indicat Cicer. de Leg. III. 8. *Deinde cum esset cito necatus, tanquam ex* XII. *tabulis insignis ad deformitatem puer.* Fuit autem similis lex inter regias Romuli, ut apparet ex Dionys. II. p. 88. Indeque decemviri hoc caput etiam in XII. tab. transtulerunt. Sic etiam apud Thebanos lex fuit, teste Ælian. Var. hist. II. 7. Huc pertinent illa Ennii apud Non. IV. 36.

Mihi ausculta, nate, pueros cremari jube.

Huc quoque proverbium pertinet: *Monstrum in ultimas terras deportandum.* Videtur autem posterioribus temporibus hic mos necandi *monstra* tanquam nimis crudelis abiisse in desuetudinem: & ipsa quidem in vivis relinqui cœpisse; verumtamen ita, ut liberorum loco non haberentur, neque matri fuæ prodessent in Sctο Tertulliano ad successionem, d. l. non sunt liberi, ff. de stat. hom. Paull. Sent. IV. 9. §. mulier: *Matri*, inquit, *si monstrosum aliquid, aut prodigiosum enixa sit, nihil proficit.* Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 1. c. 10. Laurent. var. sacr. gentil. c. 17. *Monstra* & ostenta hostiis solebant procurari: idque ex consilio, & præscripto augurum, & aruspicum, quindecimque virorum, qui libros Sibyllinos super hac re adibant, & inspiciebant: ut scilicet averruncaretur malum, quod illa minabantur. Cicer. de Divin. I. 2. *Cumque magna vis videretur esse in monstris interpretandis, ac procurandis in aruspicum disciplina.* Phædr. III. 3. 11.

Si procurare vis ostentum rustice.

Rittersh. in Phædrum.

MONTANI dicebantur, qui Romæ in *montibus* habitabant. Cicer. pro dom. c. 28. *Nullum est in hac Urbe collegium, nulli pagani, aut montani, qui non amplissimè non modo de salute mea, sed etiam de dignitate decreverint.* Turneb. Adv. III. 3. Cuper. Apoth. Homer. p. 15. Lomej. de Lustrat. c. 30.

MONTINUS dicebatur *montium* deus. V. illum supr. in *Montium veneratio*.

MONTORIUS. V. illum supr. in *Janiculum*.

MONUMENTUM dicitur quælibet res, quæ ad nominis æternitatem paratur. Festus: *Monumentum est, quicquid ob memoriam alicujus factum est, ut fana, porticus, scripta, & carmina.* Ictus Florent. Instit. VII. *Monumentum generaliter res est memoriæ causa in posterum prodita, in qua si corpus, vel reliquiæ inferantur, fiet sepulcrum.* Cicer. Fragm. Epist. *Sed ego, qua monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor: ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quàm ad præsentis temporis gratiam.* Eleganter Cicer. pro Sext. c. 67. *L. Opimius, cujus monumentum celeberrimum in foro, sepulcrum desertissimum in littore Dyrrachino relictum est.* Quod pro cenotaphio accipi non potest: nec enim in foro, aut in Urbe sepulcrum, aut cenotaphium exstruere licebat. *Kirchman. de Fun. Rom.* III. 10. *Guther. de Jur. man.* II. 18. *Faes in Gyrald. de var. sepel. rit. c.* 9.

Monumentum differt à sepulcro, in quo corpus conditum est, & quod per cadaveris illationem religiosum fit: *monumentum* verò quodcunque opus, aut ædificium transmittendæ ad posteros memoriæ causa factum, l. 2. §. 6. ff. de religios. & sumpt. fun. *Monumentum est, quod servandæ memoriæ gratia exsistit.* Florentinus modò laudatus. Hinc virorum prisci ævi illustrium plura subinde occurrunt *monumenta*, inter quæ unum verè sepulcri nomen habere potuit. Sic Dionys. I. p. 44. narrat Æneam ita sibi conciliasse hominum benevolentiam, ut, *postquam inter mortales esse desierit, multis in locis monumentis honoratus sit, & sepulcris honoratus: nec enim alias facilè causam afferri posse, cur tot exstent per Italiam.* Bergier. de viis milit. II. Sect. 34. II. Guther. de Jur. man. II. 18. Ferret. Mus. Lapid. IV. Memor. 27. Almelov. Ant. p. 55. Freher. Parerg. I. 24. Laz. Comm. Reip. Roman. III. 18. Non solum in locis privatis, sed etiam in viis publicis exstruere solebant, ut transeuntes, & iter facientes, defunctorum titulos, & elogia legerent, mortuisque terram levem, quæ illorum cineres tegeret, precarentur: & ut viatores mortalitatis admonerentur. Varr. de Ling. Lat. V. 6. *Monumenta ideo secundum viam, quo prætereuntes admoneant, & se fuisse, & illos esse mortales.* Quàm pulcer iste aspectus viantibus? quanta & seriorum, & jocorum materies? Illic illustrium ingeniorum, aut clarorum virorum memoria, & inscriptio: alibi libertorum, servorum, scortorum superba *monumenta*. Mirari, dolere, illudere, etiam detestari occasio erat: & quid in tot titulis, & inscriptionibus pasci? Pertinent huc inscriptiones, quibus viatores, vel hospites solent compellari: ut ASPICE VIATOR, CAVE VIATOR, & similes. Harum celebriores fuerunt Appia, Aurelia, Flaminia, Latina, Lavicana, Laurentina, Ostiensis, Prænestina, Salaria, Tiburtina. *Bellor. Pict. Sepulcr. Nason. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XII. *p.* 1031. *Lips. Admir.* III. 10. *Kirchman. de Funer.* II. 22. *Morestell. Pomp. Feral.* XII. 13. *Ferret. & Almelov. l. l.* An locari potuerit, videamus. Illam prohibet lapis Brundisii apud Gruter. p. 801. n. 5.

NEQUE. ULLI. LIQUEBIT. LOCATIO
NIS. CAUSA. IN. ANNIS. CENTUM.

QUANDOQUE. TRANSVENDERE. QUOD. SI. QUI ADVERSUS. IT. FECERINT. EORUM BONA. PERTINERE. DEBEBUNT AD. REMPUBLICAM. BRUNDISINORUM

Quæ quia prohibet, ne ulli liceat locationis causa in annos centum quandoque transvendere, locationem permissam satis ostendit earum quidem rerum, quæ *monumenti* tutelæ cedebant, quas qui conduceret, *manceps monumenti* dicebatur. *Guther. ibid.* III. 7. In partes quandoque secabantur secundum jus, quod in illis quisque haberet. Docent hoc inscriptiones, in quibus pars dimidia *monumenti* concessa aliquando est. Gruter. 614. 11. Romæ:

CURTIA. C. L. PRAPIS
CUI. PARS. DIMIDIA. HUJUS
MONUMENTI. CONCESSA. EST. AB
C. MOECENATO. HELIO.

Vir, & uxor in parte dimidia viventes sibi *monumenta* compararunt, hoc modo distincta. Grutter. p. 672. n. 14.

D. M.
C. STATILIUS
PROCULUS
SE. VIVO. FECIT. SIBI
ET. CLAUDIÆ. HE
LIADI. CONJUGI. KA
RISSIMÆ. IN. PAR
TE. DIMIDIA. ET. LI
BERTIS. LIBERTA
BUSQ. SUIS. POSTERISQ
EORUM

Guther. ibid. II. 24. *Kirchman. ibid.* III. 14. Quotannis floribus ornabantur. V. supr. in *Flores*. Alienationes, & venditiones prohibebantur. V. infr. in *Sepulcrum*. Qui contra defunctorum voluntatem alienaverant, solvebant pœnas, certam summam pecuniæ inferendæ arcæ pontificum. Idque titulus cavebatur: SI. QUIS. HOC. SEPULCRUM. VEL. MONUMENTUM. CUM. ÆDIFICIO. UNIVERSO. POST. OBITUM. MEUM. VENDERE. VEL. DONARE. VOLUERIT. VEL. CORPUS. ALIENUM. INVEHERE. VELIT. DABIT. POENÆ. NOMINE. ARCÆ. PONTIFICUM. HS. C. ET. CUI. DONATUM. VEL. VENDITUM. FUERIT. EADEM. POENA. TENEBITUR. Altera inscriptio: SI. QUIS. CONTRA. HANC. INSCRIPTIONEM. FECERIT. INFERET. POENÆ. NOMINE. ARCÆ. PONTIFICUM. L. H. H. M. ET. LOCIS. S. S. C. M. A. *Brisson. de Form.* VII. p. 703. *Ferret. ibid.* 1. 43. Interdum sibi duntaxat faciebant, quæ nulli alii parere, & vel hæredibus suis claudi volebant. Ejus rei ergo districtè vetabant, ne quis eo inferretur, pœna quandoque addita, ut patet ex inscriptionibus:

IN. H. S. SIVE. LIBERT. SIVE. LIBER. INFERATUR. NEMO; SECUS. QUI. FECERIT. MITEM. ISIDEM. IRATAM. SENTIAT. ET. SUORUM. OSSA. ERUTA. ATQUE. DISPERSA. VIDEAT.

Aliàs cavebant, ne hæredem quemcunque sequeretur, quod fiebat his verbis: HOC. MONUMENTUM. HÆREDEM. NON. SEQUITUR. Quandoque hæredem duntaxat extraneum arcebant in hunc modum: HOC. MONUMENTUM. EXTERUM. HÆREDEM. NON. SEQUITUR. vel HOC. MONUMENTUM. EXTERUM. HÆREDEM. NON. RECIPIT. Quæ verba his plerumque notis scribuntur: H. M. E. H. N. S. & H. M. E. H. N. R. *Brisson. ibid.* p. 702. *Turneb. Adv.* V. 15. *Laz. l. l.* Facere unicuique liberum fuit, reficere sine pontificum permissu fas non fuit. Ulpian. l. 5. tit. 8. ff. de mort. infer. *Si in eo monumento, quod imperfectum esse dicitur, reliquiæ hominis condita sunt: nihil impedit, quominus id perficiatur. Sed si religiosus locus jam factus sit, pontifices explorare debent, quatenus, salva religione, desiderio reficiendi operis medendum sit.* Vetus lapis Romæ apud Grutter. p. 518. n. 4.

T. ÆLIUS. SENTINIANUS. PETIT. A. PONTIFIC. UT. SIBI. PERMITTERENT. REFICERE. N. MONUMENTUM. JURIS. SUI.

Corruptum tamen, *& lapsum, corporibus non contactis, licebat reficere.* Marcian. l. 7. ff. de sepulcr. viol. Qua ratione motus Germanicus cum *tumulum Varianis legionibus structum, & veterem aram Druso sitam disjectam invenisset, restituit aram, tumulum iterare haud visum*, apud Tacit. Annal. II. 7. 3. Tumulum enim sine decreto pontificum, vel jussu Tiberii Principis, & pontificis maximi non licebat reficere, cui minùs grata exstructio prima tumuli fuerat. Tacit. Annal. 1. 62. 3. *Guther. de Vet. jure pontif.* II. 9. *Struv. Ant. Roman. c.* 12. *p.* 588. De . . . . impensa quæsitum est, an deduci debeat? Et Sabinus deducendam putat, si necessarium fuerit *monumentum* exstruere. Marcellus consultus, an funeris, *monumentique* impensa, quantam testator fieri jussit, in ære alieno deduci debeat: respondit non amplius eo nomine, quàm quod funeris causa consumptum sit, deducendum. Nam ejus, quod in exstructione *monumenti* erogatum est, diversam esse causam. Nec enim *monumenti* ædificationem ita necessariam esse, ut funus, & sepultura idcirco eum, cui pecunia ad faciendum *monumentum* legata sit, Falcidiam passurum, l. 1. §. fin. ff. ad leg. Falcid. Nec amplius concedendum erit, quàm quod sufficiat ad speciem modicam *monumenti*, l. 2. ff. eod. Impensa ergo *monumenti* inter funeris sumptum non ita numeratur, ut omne creditum præcedat, quamvis testatio jussu facta sit. Sed si æs alienum non impediat, hæredes hanc deducere debent familiæ erciscundæ judicio: & si non possit, funerariæ locus erit ad impensam recipiendam. *Guther. de Jur. man.* III. 21. V. & infr. in *Sepulcrum*.

Monumentum sub ascia. V. illud supr. in *Ascia*.

Monumentum extra sortem dicitur in inscriptione, quæ Ravennæ in Italia:

FL. DICAT. CINERES. ET. OSSUA. LAODICEÆ. PHILOCAPTÆ. SITA. HIC. SUNT. PERPETUÆ. MEMORIÆ. PAOTI. ET. INFAMIÆ. CAUSA. SUÆ. INSATIABILI. VENERE. EXHAUSTA. SUBTER. VIVO. VIRO. MORTUA. EST. XIX. AN. XXIII. MENS. VIII. D. V. INFELICISSIMI. PARENTIS. TACITI. NOMINE. EXTRA. SORTEM. AD. RUDERA. POSUERE.

Quod quale fuerit, non satis intelligo, nisi fortè *monumenta* extra sortem cippi militares fuerint, militi non missa sorte promiscuè in agris, neque pedum adhibita mensura, vel his, qui notam habebant infamiæ, in locis abditis concessi: quod hodie his fieri solet, qui sibi mortem consciscunt. *Laz. Comment. Reip. Rom.* III. 18. Cujus interpretationem Guichardus respuit, & hoc loquendi genus deducendum putat ab agrorum designatione, quæ fiebat iis, qui in colonias deducebantur. Nam auctores divisionum leges quasdam colonis describebant, quibus cippi, sepulcrave cineribus deputarentur. Et cum singulis pars agrorum assignata esset, quæ sepulcra familiaria contineret, qui extra partem illam familiæ assignatam sepultus esset, & in alieno fundo positus, *extra sortem* jacere dicebant. Guichardi opinio epistola M. Bruti juvatur apud Cicer. Fam. XI. 10. *Æqualiter, aut sorte agros legionibus assignari puto oportere.* Sed verius est *extra sortem* significare extra sacra, & gentem. Nam sortis nomen à Latinis auctoribus pro genere, & gente usurpatur. De Junone Ovid. Fast. VI. 29.

Si genus adspicitur; Saturnum prima parentem
Feci: Saturni sors ego prima fui.

Et sors patrimonium est. Festus. A quo consortes fratres, qui patrimonium non diviserunt, & ad quos eadem sors pertinet. Varr. de Ling. Lat. V. 7. Cicer. Verr. III. 23. *Ex agris tres fratres consortes profugerunt.* Sors, Græcis κλῆρος hærediolum, prædium, seu fundus est. *Extra sortem* ergo est extra familiare sepulcrum, extra sacra, & gentem, quod fas negabant esse; idque Torquatus in gente

Popilia

Popilia judicavit. Cicer. de Leg. II. *Gutber. de Jur. man.* II. 25.

Monumentum functum est non in quod corpus illatum est solum, sed in quo justæ sepulturæ traditum est, l. 43. ff. de rei vindic. *Si nondum functo monumento, in hoc detracti erunt, ut alibi reponerentur, poterunt à domino vindicari.* Gutber. de jur. man. III. 4.

Monumentum honorarium. V. illud infr. in *Tumulus honorarius.*

Monumenta Æmilia dicuntur basilica Paulli. Non enim unius Æmilii opus. Æmilius Paullus, qui postea cum C. Marcello cos. duas basilicas, veterem refecit, novam locavit. Cicer. Attic. IV. 16. *Paullus in medio foro basilicam jam penè texuit iisdem antiquis columnis: illam autem quam locavit, fecit magnificentissimam.* Novam interventu bellorum civilium ipse non perfecit, perfecit sub Augusto Paullus Æmilius, qui consul an. 729. & postea censor. Dio XLIX. p. 416. D. *Porticum, quæ Paulli dicitur, Æmilius Lepidus Paullus propriis impensis perfecit, & in consulatu suo, gerebat eum in parte istius anni, dedicavit.* Eam incendio consumptam refecit viginti annis post alius Æmilius. Dio LIV. p. 538. A. *Hæc porticus incendio absumpta, est refecta postea verbo quidem ab Æmilio, qui ab eo, qui primus hanc fecerat, genus suum trahebat, re autem ab Augusto, & Paulli amicis.* Et post annos quinque & triginta iterum collapsam firmavit, ornavitque Manius Lepidus. Tacit. Annal. III. 72. 1. *Iisdem diebus Lepidus à senatu petivit, ut basilicam Paulli, Æmilia monumenta, propria pecunia firmaret, ornaretque.* Lips. in Tacit. n. 170.

Monumenta Agrippæ fuerunt ejus thermæ, Pantheon, & porticus Vipsania. Tacit. Annal. XV. 39. 2. *Sed solatium populo exturbato, & profugo, campum Martis, ac monumenta Agrippæ, hortos quin etiam suos* Nero *patefecit.* Donat. de Urb. Rom. III. 19.

Monumenta Mariana. V. infr. in *Tropæa.*

Monumentum C. Cestii, ingens pyramis sepulcralis, opus totum è marmore quadrato, ipsis muris ad portam S. Paulli inclusa, insertave conspicitur. Olim illud extra Urbis mœnia fuit, sed ab Aureliano muris ita inserta est, ut pars ejus extrorsum, pars verò introrsum vergat. Inscriptio ejus occidentem versus bipedalibus literis medio operi incisa C. Cestium auctorem præfert septemvirum epulonum: altera verò orienti exposita literis minoribus, inferioreque loco ex testamento factum dicit 330. diebus. Prioris hoc est exemplum:

C. CESTIUS. L. F. POB. EPULO. PR.
TR. PL. VII. VIR. EPULONUM.

Alterius:

OPUS. ABSOLUTUM. EX. TESTA-
MENTO. DIEBUS. CCCXXX. ARBI-
TRATU. PONTI. P. F. CLA. MELÆ.
HÆREDIS. ET. POTHI. L.

Nardin. Rom. Vet. VII. 9.

Monumentum Comitis Herculis fuit in via Salaria. Suet. Vesp. c. 12. n. 3. *Quin & conante quodam originem Flavii generis ad conditores Reatinos, Comitemque Herculis, cujus monumentum exstat via Salaria, referre, irrisit ultro.* Quod qua parte viæ Salariæ fuerit, & ad quam referendum sit regionem, ignoratur. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 7.

MOR.

MORATORES ludi erant, qui quantum conjectura consequi possum, quadrigarios, & bigarios *morabantur*, ne ante tempus, aut non suo ordine currerent: & ut inter missus intervalla essent. Eorum est mentio in illo titulo: Q. RAPIDIO. Q. F. LEM. MULIONI. MORATORI. LUDI. CIRCENSIS. *Turneb. Adv.* XI. 11. *Panvin. de Lud. Circens.* I. 15. *Buleng. de Circo c.* 44. *Grav. Thes. Antiq. Roman. Tom.* IX. *Præfat.* ** *Kipping. Antiq. Rom.* II. 6. §. 4.

MORBUS arquatus, & arquati dicuntur, qui eo laborant, ab arcus, sive iridis colore. *Chimentell. de Hon. bisell. c.* 24.

Morbus comitialis dictus, quod si quis eo correptus repentè in comitiis concidisset, comitia eo dissolverentur, nec justa eo haberi possent. Serenus Sammonicus:

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est,
Quod fieri nobis suffragia justa recusat.
Sæpe etenim membris acri languore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit.

Exemplum habemus in Festo, qui etiam Catonis locum ex oratione recitat: *Prohibere*, inquit, *comitia dicitur vitiare diem morbo, qui vulgo quidem major, ceterum ob id ipsum comitialis appellatur. Cato in oratione, quam scripsit de sacrilegio commisso: Domi cum auspicamus, honorem me deum immortalium velim habuisse. Servi, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit. Si cui ibidem servo, aut ancillæ dormienti evenit, quod comitia prohibere solet, ne id mihi quidem vitium facit.* Voss. Lex. Etymol. in Comitia. Manut. de Comit. Roman. c. 8. Crinit. de Honest. Discipl. XXV. 1. Ad hunc morbum egregiam animadversionem ponit Scrib. Larg. compos. 17. *Ex jecinore gladiatoris jugulati particulam aliquam novies datam consumant.* Celsus & Minutius Felix jugulati gladiatoris sanguinem ponunt. Ille III. 23. *Quidam jugulati gladiatoris calido sanguine poto morbo comitiali se liberarunt.* Hic p. 299. *Ipsum credo docuisse comitialem morbum hominis sanguine, id est, morbo graviore, sanare.* Mirè hæc illustrant, quæ profert Aretæus Cappadox de acut. & diuturn. morbor. curat. IV. 175. *Ipse vidi, qui subjecta patera hominis recens occisi sanguinem è vulnere exceperint, exceptumque biberint. O magnam istius necessitatis vehementiam, sustinere ut malo cupiam fiat medicina, & tam abominando malo. Sed isti num sanitatem eo facto receperint, verum affirmare mihi nemo potest.* Elmenhorst. in Minutium. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 15.

Morbus sonticus in XII. tabulis est qui nocet. Ulpian. l. 2. §. 3. ff. si quis cautionibus: *Lex. XII. tabularum, si judex, vel alteruter ex litigatoribus morbo sontico impediatur, jubet diem judicii esse diffisum.* Ad hanc legem Juliani verba referuntur, l. 60. ff. de re judic. *Quæsitum est, cum alter ex litigatoribus febricitans discessisset, & judex absente eo pronuntiasset, an jure videretur pronuntiasse, respondit: morbus sonticus etiam invitis litigatoribus, ac judice diem differt. Sonticus autem existimandus est, qui cujusque rei agendæ impedimento est. Litiganti porro quid magis impedimento est, quàm motus corporis contra naturam, quam febrem appellant?* Javolen. l. 113. ff. de verb. signif. *Morbus sonticus est, qui cuique rei nocet.* Originem nominis explicat Venulej. l. ult. ff. de ædil. edict. *Quoties morbus sonticus nominatur, eum significari Cassius ait, qui noceat. Nocere autem intelligi, qui perpetuus est, non qui tempore finiatur. Sed morbum sonticum eum videri, qui inciderit in hominem, postquam is natus sit. Sontes enim nocentes dicuntur.* Et ita Ælius Stilo apud Festum. *August. in Leg. XII. tab. c.* 37. *Hotman. Antiq. Roman.* III. 3. *p.* 478. *B. Crinit. de Honest. Discipl.* XXV. 10. *Sigon. de Judic.* I. 18. In glossis Philoxeni redditur ἱερὰ νόσος, hoc est, comitialis. Et ita accipit Plin. XXXVI. 19. *Gagates deprehendit sonticum morbum.* Quod manifestum ex Dioscor. V. 146. *Gagates suffitus deprehendit sonticum morbum.* Et Apule. p. 479. *Incenso gagate explorari morbum caducum.* Et ita accipi debet in Leg. XII. tabularum. *Turneb. Adv.* XVII. 7. *Voss. Lex. Etymol. in Comitia & Sons.* Quibus non accedo. Apparet enim decemviros loqui generatim de quovis morbo gravi, & justo, quique rebus agendis impedimentum afferat, sive de morbo vehementiori vim graviter nocendi habente, ex verbis Gell. XX. 1. *Ceteroqui morbum vehementiorem vim graviter nocendi habentem legum istarum scriptores alio in loco, non per se morbum sonticum appellant.* Ouzel. in Gell. XX. 1. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 3. c. 4.

MORDEBAT coeuntium alter alterum dentibus. V. supr. in *Dens.*

MORETUM est omne intritum. Sic in optimo veteri glossario *moretum* τρίμμα exponitur. Ovid. Fast. IV. 367.

Non pudet herbosum, dixi, posuisse moretum.

Conficiebatur ex his octo, allio, apio, ruta, coriandro,

bulbo, caseo, oleo, & aceto. Quæ hoc ipso ordine commemorat auctor poëmatis, quod *Moretum* inscribitur, Græcis μυσωτὸν, & Atticè μυττωτὸς. Qui μυσωτῷ nomine nihil aliud, quàm alliatum intritum, intelligunt: ut & Latini quoque. Unde *moretarium alliatum* Donat. Phorm. II. 2. 4. quo Vascones ferè semper pro condimento utuntur. Idem Donatus proverbium,

Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum.

Mihi quoque videtur & Callim. Fragm. Bentl. 282. eodem allusisse, ubi hæc verba, ἣν ἐτρίψατο μυσωτὸν. Quod supplendum planè mihi videtur:

Τὸν χρὴ ἐγκάπτειν, ἣν ἐτρίψατο, μυσωτόν.

Ad verbum: *Exedere hos decuit, sibi quod trivere, moretum.* Schol. Aristoph. ad Vesp. p. 312. Μυττωτὸν λοιπὸν τὸ ἐκ τῶν σκορόδων καὶ τυρῶ, καὶ ὄξους τρίμμα. Καὶ ἔτως ὠνομάσθη, ἀντὶ τῷ μυσωτόν τε παρὰ τὸ μυσάττεσθαι τῷ δοσμῶ. ἔγωγε καὶ ὁ Καλλίμαχός φησιν· ἣν ἐτρίψατο μυσωτόν. *Scalig. in Moretum, Voss. Lex. Etymol. Barth. Adv.* XXXV. 8. *Buleng. de Conviv.* II. 4. *Stuck. de Sacrif. p.* 75. *Scheffer. de Mil. nav.* IV. I. *Grapald. de Part. dom.* II. 4. 26.

MORIENTES mandata dabant, quæ hæredes, legatariosve, aut eos, quorum fidem spectatam habebant, curare volebant, è quibus præcipuè ea, quibus de funere cavebant. V. supr. in *Funus.* Desiderabant amicos sui esse memores. Suet. vit. Horat. n. 5. *Mæcenas quantopere Horatium dilexerit, satis monstratur ejus extremis, tali ad Augustum elogio, Horatii Flacci, ut mei, memor esto.* Aug. c. 100. n. 2. Augustus *in hac voce defecit: Livia nostri conjugii memor vive, ac vale.* Tacit. Annal. II. 72. 1. Germanicus *ad uxorem versus, per memoriam sui oravit.* . . . Inscr. Vetus: VALE C. TERTULLE, & ESTO MEMOR PIETATIS PATERNÆ. *Brisson. de Form.* VII. *p.* 673. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. p.* 2. *c.* 21. *Pitisc. in Suetonium.* Ultionem necis suæ alicui mandabant. Suet. Cal. c. 3. n. 9. Germanicus *non ultra progressus, quàm ut mandaret domesticis ultionem.* Vesp. c. 6. n. 8. *Jactatum exemplar epistola defuncti Othonis ad Vespasianum, extrema obtestatione ultionem mandantis.* Tacit. Annal. II. 71. 8. *Juravere amici, dextram morientis,* Germanici, *contingentes, spiritum ante quam ultionem amissuros.* Brisson. ibid. p. 674. Pitisc. in Suetonii Caligulam. Mercurii numen invocabant, quippe quem animas ad inferos deducere credebant: itaque supremo sumpto poculo, priusquam biberent, defundebant aliquid instar ἀπαρχῶν. Val. Max. II. 6. ubi historiam narrat matronæ veneni supremum poculum bibituræ: *Poculum, in quo venenum temperatum erat, constanti dextera arripuit. Tum defusis Mercurio delibamentis, & invocato numine ejus, ut se placido itinere in meliorem sedis infernæ deduceret partem, cupido haustu traxit mortiferam potionem.* Meurs. de Funer. c. 2. Aras deorum complecti jubebantur. Senec. Herc. Fur. II. 2. 501.

Conjugia quoniam pervicax nostra abnuis,
Regemque terres: sceptra quid possint, scies.
Complectere aras, nullus eripiet deus
Te mihi.

Quo sensu accipio Plin. XXXV. 10. *Timanthi est Iphigenia, quæ stante ad aras peritura.* Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. I. 13. Annulum tradebant uni ex hæredibus. V. supr. in *Annuli.* Verba ultima attenti excipiebant propinqui *morientis* lecto adsidentes. Nam divino aliquo instinctu, inflatuque incitatus *morientium* animus credebatur, qui urgentibus fatis perfectiorem haberet futurorum quandam prædictionem, & præsensionem. Unde & illorum verba quàm maximè annotarunt scriptores. *Morientis* Bruti verba annotavit Dio XLVII. p. 356. A. *O misera virtus! cum nihil quam verba esses, ego te tanquam rem aliquam exercui; tu vero servis fortunæ.* Augusti Suetonius modò laudatus. *Guther. de Jur. man.* I. 11. *Casal. de Prof. Rom. rit. c.* 26. *Kemp. de Oscul. Differt.* XX. §. 4 7. *Clasen. de Theol. gent.* I. 10. §. 11. *Pitisc. in Suetonium.* Spiritum ore excipiebant, vultum vultui imponentes. V. infr. in *Spiritus.* Morte violenta ut ut caderent, ne quid indecorum in corpore posset videri, magna cum cura curabant. Eurip. Hecub. II. 569.

Ast illa jam moriens, tamen
Sollicita multum est, condecenter ut cadat.

Q. Calab. I. 620.

Compositè cadens ad terram, nec pudor
Formosum corpus dedecorat,

Ovid. Fast. II. 833.

Tunc quoque jam moriens, ne non procumbat honestè,
Respicit, hæc etiam cura cadentis erat.

Suet. Jul. c. 82. n. 3. *Utque animadvertit, undique se strictis pugionibus peti, sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velata.* Mag. Miscell. II. 21. Stanl. in Æschyl. Agam. II. 2. Pitisc. in Suetonium.

MORINI sunt populi Belgarum, *Menapiis ad mare conterminis.* Strab. IV. p. 134. Idem Ptolemæus, & Cæsar. *Panciroll. Notit. dign. imp. occid. c.* 87. Horum regio circa Tervanam creditur esse. Habebantur hominum ultimi. Et *extremos hominum* vocat illos Virg. Æneid. VIII. 727. Quo etiam respicit Mel. III. 2. *Ab illis,* Osismiis ait, *iterum ad septemtriones frons littorum respicit, pertinetque ad ultimos Gallicarum gentium Morinos, nec portu, quem Gessoriacum vocant, quicquam habent notius.* Hodie sunt Flandri. *Bergier. de Viis milit.* I. *Sect.* 29. §. 7. III. *Sect.* 39. §. 16. *Cluver. Germ. Ant.* II. 28. Nec Julii Cæsaris ævo, nec diu post, ullas habuerunt urbes. Testatur hoc de *Morinis,* ac Menapiis verba faciens disertis verbis Dio XXXIX. p. 111. B. *Neque urbes, seu oppida habent, sed in tuguriis habitant.* Unde & ejus ævo, ac sub Vespasiano, ejusque filiis Tito & Domitiano, Gessoriacum non habuit nomen urbis, sed tantum pagi, quod vicum notabat. Plin. IV. 17. *Deinde Menapii, Morini, Oromansaci juncti pago, qui Gessoriacus vocatur:* Neque putes hic per pagum intelligi totam regionem, qua significatione sæpè occurrit, quia gentis & regionis nomen, *Morini,* præcesserunt. *Bergier. ibid.* III. *Sect.* 43. §. 5. *Cluver. l. l.*

MORIONES, ut & deformes, & monstrosi, in convivium animi gratia recipiebantur. Mart. III. 82. 24.

Opimianum morionibus nectar
Crystallinisque, murrhinisque propinat.

Horum formam, & elegantiam tangit idem VI. 39. 15.

Hunc verò acuto capite, & auribus longis,
Quæ sic moventur, ut solent asellorum,
Quis morionis filium neget Cyrtæ?

Stuporem verò, cujus gratia inter cætera comparabantur, notat idem XIV. 210.

—— Morio
Non mendax stupor est, nec fingitur arte dolosa,
Quisquis plus justo non sapit, ille sapit.

Ciacc. de Tricl. p. 79. Pignor. de Serv. p. 186. Buleng. de Theatr. I. 44. Casal. de Urb. ac Imp. Rom. splend. p. 2. c. 7. Clem. Alexandr. Pædag. III. 4. conqueritur, *mulieres fastidiosas accumbere iisdem in lectulis cum morionibus capite acuto, ludentes cum iis, & se oblectantes ficulnis illis portentosis.* Buleng. l. l. Et ingentibus sæpè pretiis emebantur: aliquando viginti millibus nummum, sive florenis mille. Irridens Mart. VIII. 13.

Morio dictus erat: viginti millibus emi:
Redde mihi nummos, Gargiliane, sapit.

Meurs. de Lux. Rom. c. 6. Buleng. l. l.

ΜΟΡΜΩ fuit quædam femina monstrosa, & facie quasi ferina, & eousque formidabilis, ut qui ei etiam occurrissent, statim sese proriperent. Hinc posita fuit pro terriculo, terriculamento, lamia, & larva personarum; & in summa, pro monstris illis, qualia nutrices nostræ, ut pueris terrorem incutiant, nominant la befana, la tantafera, la tregenda, l'orco, i battuti, & similia. *Pinell. Additam. in Argel. de Lud. Circ.* II. 2. *Gyrald. Synt. deor.* XV. *p.* 446. *F.*

ΜΟΡΜΟΛΥΚΕΙΑ dixerunt personas monstra illa imitantes, quæ præsertim apud tragicos, ut horrorem augerent, in scena locum invenerunt. Hesychius: *Mormolucia, tragœdorum persona.* Et dicitur *mormolucium,* ut placet Eustath. Iliad. Σ. p. 1204. Edit. Basil. eo quod præ se ferat *terrorem moribus & lupi potentiam.* Bourdin. Schol. Aristoph. in Thesmoph. p. 789. E. adjungit *personas esse haud tantum tragicorum, sed & hypocritarum.* Innuens, ni fallor, non minus terroris afferre debere aspectum *mormo-*

num,

fuerat, id est, emancipata non erat, *si testamentum fecisset, secundum eas tabulas possessio ex edicto prætoris dari non poterat*. Cicer. Topic. c. 4. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* I. 22. Neque frumentum moluisse, neque cibum videntur coxisse. Ita enim Plutarch. Quæst. Rom. 84. *Antiquitus neque molere sinebant, neque coquere, memoria pactorum cum Sabinis initorum. Post raptum enim Sabinarum, & bellum pace mutatum, id quoque in pactis scriptum fuit, mulierem viro Romano nuptam neque molere debere, neque coquere*. Sed Plutarcho adversatur Plin. XVIII. 11. dum scribit: *Pistores Romæ non fuerant ad Persicum usque bellum, annis ab Urbe condita 580. Ipsi panem faciebant Quirites, mulierumque id opus erat, sicut etiam in plurimis gentium. Artoptam Plautus appellat in fabula, quam Aululariam scripsit: magna ob id concertatione eruditorum, an is versus poetæ sit illius; certumque fit, A. Ateji Capitonis sententia, coctum panem lautioribus coquere solitos: pistoresque tantum eos, qui far pinsebant, nominatos*. Quid, quod uxor Catonis pinsendi, hoc est, panes saltem lautiores coquendi laborem à sua dignitate non putavit alienum, ut refert Plutarchus. Etiam pastoribus cibaria expeditisse colligo ex Varr. de Re rust. II. 10. *Qui sunt in saltibus, & sylvestribus locis pascunt, & non villa, sed casis repentinos imbres vitant: his mulieres adjungere, quæ sequantur greges, ac cibaria pastoribus expediant, eosque assiduiores faciant, utile arbitrati sunt multi*. Tempora igitur distinguenda. Primo Urbis conditæ initio forsan obtinuerit, ut mulieres cibum non coquerent, postea tamen factum fuerit. Et hoc pactum cum Sabinis initum non diu fuerit servatum, quia Plutarchus dicit hoc antiquitus in more fuisse, non sua ætate. Nec interfuit Sabinorum id ratum haberi; nam sua in civitate Romana commigratione Romani sunt facti, & Sabini esse desierunt. *Pincier. Otii Marpurg.* III. 12. *Boxhorn. in Plutarchum. Stuck. Ant. Conv.* II. 13. *Nonn. de Re cibar.* I. 5. *Hering. de Molend.* q. 4. §. 27. Ad opus salinarum, seu salis conficiendi damnabantur, l. 6. ff. de captiv. *Mulier in opus salinarum ob maleficium data, & deinde à latrunculis exteræ gentis capta, & jure commercii vendita, ac redempta in causam suam recidit*. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 15. Cujac. Observ. III. 3. Hering. l. l. Quamdiu virum defunctum lugere deberet. V. supr. in *Luctus*. Prægnantis ultimo supplicio damnatæ pœnam Romanorum legibus differri, quoad peperetit, etiam remotis à professione nostra hominibus notum est. Quintil. Declam. 277. *Supplicium prægnantis lex differri in diem partus jubet*. Nec verò Romanorum proprium hoc jus fuit. Eo enim Athenienses esse usos, indicio est, quod veneficii apud Areopagitas postulatam prægnantem mulierem, cum in ea causa esset, ut capitis damnaretur, de consilii sententia servatam esse, dum partum edidisset, memorat Ælian. V. H. 18. *Brisson. Antiq. Select.* II. 20. *Perizon. & Scheffer. in Ælianum*. Inter regias leges etiam hæc fuit: *ne mulier, quæ prægnans mortua esset, humaretur, antequam partus ei excideretur: qui contra fecisset, ut is spem animantis cum gravida peremisse videretur*. Quam legem humanitatis plenissimam conservavit nobis Marcellus, l. 2. ff. de mort. infer. *Raters. in Leg.* XII. *tab. class.* I. *cap.* 3. V. etiam supr. in *Lex regia*. Et plura supr. in *Femina*.

Mulier usuraria. V. illam infr. in *Uxor*.

MULIO erat servus, qui *mulos* clitellarios, sive quadrigarios ducebat, & de urbano ministerio; nisi propter opus rusticum testator eos destinatos habeat. De hoc Ulpian. l. 12. §. 9. de instr. vel instrum. *Item ostiarium, mulionemque instrumenti esse constat*. Alfen. l. 60. §. 1. ff. de leg. III. *Servis, & ancillis urbanis legatis agasonem, mulionem legato non contineri respondi*. Juven. III. 317.

Nam mihi commota jam dudum mulio virga.

Popm. de Oper. serv. p. 98. Pignor. de Serv. p. 429. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 6. Barth. Adv. VI. 8.

Mulio perpetuarius est, qui in perpetuum jumenta sequitur, non ad certum tempus destinatur, sed qui omnem vitam illi negotio impendit. Vel qui conducitur, ne iter pro lubitu interjungat, sed perpetuò à diluculo ad vesperum iter facere cogitur. Seneca de Hercule in Ludo Claudii: *Tu autem qui plura loca calcasti, quàm ullus mulio perpetuarius*. Barth. Adv. VI. 8.

MULLEUS ἀπλῶς dicitur, vel *mulleus calceus*. Priori modo Titinn. apud Festum: posteriori Cato apud Festum. V. bis laudatum supr. in *Calceus*, & Vopisc. Aurel. c. 49. etiam laudatum supr. in *Calceus*.... Voss. Lex. Etymol. Differt à campago, qui fuit de genere crepidarum, & solearum; *mulleus* autem Romanus calceus, & cum toga sumptus, id est, cavus, & solidè tibiam vestiens ad medium. *Ferrar. Anal. de Re vest. c.* 37. à cothurno. V. supr. in *Cothurnus*. Altus fuit altior. Id de Julii Cæsaris lautitiis ubi loquitur, non obscurè indicat Dio XLIII. p. 234. E. V. illum supr. in *Calceus*. Et hanc *mulleorum* compositionem suadet etiam hodierna nostrorum structura, quos ita simplicioribus calceis editiores gestare solemus. *Balduin. de Calc. ant.* c. 10. Ruber, sive puniceus. Dio modò laudatus. Quare Lamprid. Alex. Sev. c. 40. notat ipsum præter morem Imperatorum fecisse, quod *baxeis albis uteretur, non coccineis, ut prius solebant*. Et ideò *mulleos* passim Græci auctores ὑποδήματα, seu πέδιλα ἐρυθρά, & ἐρυθρόχροα, seu φοινικόχροα appellant. *Balduin. l. l. Salmas. in Tertull. de Pall.* p. 391. *Ryn. de Calc. Hebr.* c. 3. 11. *Voss. de Idolol.* IV. 5. Uncinatus erat. Festus laudatus in *Calceus*, quia uncinis, & clavis confixus esset. *Scalig. ad Festum*. Potius quod repandus esset & acuminatus. *Ferrar. ibid.* c. 32. *Salmas. l. l.* His sic confectis, & affectis primùm Reges Albani, qui olim in Italia imperitabant, usi fuerunt. Festus: *Mulleos genus calceorum ajunt esse, quibus Reges Albanorum primi usi sunt*, ut à cæteris facilè possent internosci, augustioremque ipso pedum calceatu, ut & cætero vestium apparatu majestatem sibi conciliarent. Et Romani. Etenim & Romulus *calceis utebatur rubris*, ut ait Zonar. Annal. II. A Regibus illorum usum, qui deinceps in Republica Romana cæteris nobilitate præcelluerunt patricii, & qui magistratum curulem gesserant. Festus: *Mullei deinde patricii usi sunt*. *M. Cato Orig.* VII. *Qui magistratum curulem cepisset, calceos mulleos, alii uncinatos, cæteri perones*. Ruben. de Re vest. II. 1. Ferrar. & Balduin. l. l. Ræward. Var. I. 8. Laurent. de Re vestiar. c. 5. Festi locus planè defectus videtur. Ut probet *patricios mulleis usos fuisse*, adducit Catonem. Sed apud Catonem nihil de patriciis, sed de iis modò, *qui magistratum curulem cepissent*. Quid cæteri patricii, nondum magistratu functi, & num patricii tantum magistratum curulem capiebant? Aut igitur aliquid deest in verbis Festi, aut ejus, sive Catonis sententia est, eos, qui magistratum curulem cepissent, *mulleos calceos* gestasse, cum *alii uncinatos, cæteri perones*. Ferrar. l. l. Et hi olim tanto loco habiti, ut qui in curuli magistratu erant, non eos ubique, & semper gestarent, sed diebus tantum sollennioribus, & ludorum celebratione, & cum thensas ducerent, cumque triumpharent. De iis exstat vetus in lapide, qui ad C. Marii memoriam Arimini positus est, monumentum, his verbis:

DE. MANUBIIS. CIMBRICIS. ET
TEUTONICIS. ÆDEM. HONORI
VICTOR. FECIT. VESTE. TRIUM
PHALI. CALCEIS. PUNICEIS

Casaub. in Suet. Jul. c. 49. Salmas. ad Vopisc. Aurel. c. 49. Balduin. Ruben. & Ferrar. l. l. Ryn. ibid. §. 12. Saubert. de Sacrif. c. 9. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 342. Posteriori ævo hic mos gestandi calceos rubros ad Imperatores transiit. V. supr. in *Calceus*.

MULLUS est rubro colore, sed moriens varios induit colores. Senec. Nat. Quæst. III. 18. *Nihil est mullo exspirante formosius. Ipsa colluctatione animam agentis rubor primum, deinde pallor suffunditur: quam æquè variatur, & incerta facies inter vitam & mortem coloris est*. Buleng. de Conviv. II. 26. Plin. IX. 17. *Mullum exspirantem versicolori quadam, & numerosa varietate spectari proceres gulæ narrant, rubentium squamarum multiplici mutatione pallescentem, utique si vitro spectetur inclusus*. Meurs. de Lux. Roman. c. 14. *Mullis ex reliqua nobilitate, & gratia maxima est, & copia, sicut magnitudo modica: binasque libras raro admodum exsuperant: barba gemina insigniuntur inferiori labro*. Plin. l. l.

Unde

nus poeta comicus traducitur ab Aristoph. Acharn. III. 4. Stroph. n. 14.

Cratinus, qui semper est cinædicè tonsus ab unamachera,

κακαρρὼν μοιχὸς, Ubi Scholiastes : Κωμῳδοῦντας ἐπὶ μοιχείᾳ, ᾗ ὡς ἀσέμνως κειρόμενον : μοιχὸς δὲ ὁ δ'ός, ᾗ ὄνομα κουρᾶς ἀσεμνῶς καλαδεῖς. *Junius de Coma c. 6. Rhodig. Ant. Lect.* VII. 23.

MOEN.

MOENIA Urbis Romæ inter Servium Tullium & Aurelianum nemo alius protulit, & nulla inter duos istos Principes *mœnium* situs mutatio extitit. Asserunt quidem Marlianus, & Panvinius, ac Fabricius, aliique *mœnia* Urbis tempore Reipublicæ ultra pontem Sixti versus portam Septimianam trans Tiberim pertigisse; sed hujus suæ imaginariæ sententiæ nullum habent idoneum ex antiquis scriptoribus auctorem. Mihi unius, qui bis adversatur, Dionysii auctoritas mille erit instar testium, Qui de Servio agens IV. p. 218. *Hic Regum ultimus*, inquit, *Urbis circuitum protulit, facta quinque collibus duorum adjectione. Ulterius postea non transiit murus civitatis, vetantibus, ut dicunt, religionibus. Sed sunt loca circum habitata omnia, multa, & ingentia, & aperta, captuque facilia ab hostibus; & si quisquam hoc intuens civitatis magnitudinem vellet investigare, errare cogeretur, nec signum teneret aliquod, quo ipsa se extendat, vel quo desinat: sic exterius civitati junctum est, & civitatis in infinitum protensæ præ se fert speciem: sed si à muro dimensu quidem difficili ob domos undique sibi junctas, conservantesque pluribus in locis vestigia antiquæ structuræ, metiri velit, ambitu, quo Atheniensium civitas continetur, haud multo apparebit amplior Romæ circuitus.* Vixit, fuitque Romæ Dionysius sub Tiberio: qui non modò fide dignissimus scriptor est, sed & oculis ipse suis ea in re credere potuit. Accedit huic & Strabo, qui tradit V. p. 162. Servium ad turamen Urbis Exquilias ei adjunxisse, & montem Viminalem, ne ea loca incursibus hostium opportuna relinqueret, & ut à Capitolio ad usque Quirinalem ducere murum posset. Inde, ne ab altero borum collium latere invasio Urbis prona esset, aggerem duxit. Atque de hac Urbis munitione Strabo ita loquitur, absque ulla alterius à quoquam facti muri mentione, ac si ea suo etiam tunc ævo sartà tecta perduraret, id est, tempore eodem, sub quo vixit, Tiberii. Hæc conveniunt cum his Dionys. IX. p. 624. ubi ait, Romam præter partem illam, quæ Tiberi prætexebatur, aliamque illam aggere clausam versus portam Exquilinam, super colles, præcisasque rupes, totam firmiter munitam fuisse. Et his Plinii, qui de munitionibus Urbis hæc tradit III. 5. *Clauditur ab oriente aggere Tarquinii Superbi inter prima opere mirabili. Namque eum muris æquavit, qua maximè patebat aditu plano. Cætero munita erat præcelsis muris, aut abruptis montibus.* Quare non ultra montes à Servio pomœrio inclusos, & præsertim ultra Capitolium in planitie montis Sixti, Romana tum temporis *mœnia* extensa fuisse videri potest. Quod & liquidioribus potest confirmari argumentis. Carmentalem portam non inutilem planè in Urbe restitasse, quanquam post Aurelianum inutilis fuit, sexcentis è Livio locis doceri queat: verùm de temporibus agunt ante Syllæ dictaturam, à quo *mœnia* ampliata volunt: iis ego non utendam censeo. At Ovidius, Sylla longè tempore posterios, columnæ bellicæ meminit, quæ fuit ad circum Flaminium Fast. VI. 205. loquitur autem de tempore præsenti hastam mitti solitam, belli indictricem. V. illum supr. in *Ædes Bellonæ*. Atqui hic ritus nonnisi extra Urbem usurpabatur. Cæterum omnem dubitandi ansam præcidit Varr. de Ling. Lat. V. 34. Carmentalem inter eas portas, quæ ipsius ævo inutiles in Urbe restabant, non numerat: quod sine dubio, si muri Urbis ultra processissent, facturus fuisse videtur, non secus ac post Aurelianum Aurelius Victor, & Rufus fecere. Neque illa alicujus momenti responsio est, potuisse & cum muris portam proferri; quandoquidem illa usque ad Victoris ævum sub Capitolio erat, parsque regionis fori. Addatur Festus in voce Taurii. V. illum supr. in *Ludi Taurii*. Agit illic Festus de tempore præsenti, quod Syllano longè posterius. Accedat iisdem & Dio, qui Octavii porticum circa extrema Augusti extra Urbem collocat LV. p. 553. C. *Sed Tiberius initio mensis, quo iniit consulatum cum Cn. Pisone, senatum coegit in Octavii. Is enim locus erat extra muros.* Nec aliter Joseph. de bell. Jud. VII. Vespasianum & Titum tradit, priusquam triumphantes Romam ingrederentur, in eadem Octavii porto à senatu exceptos fuisse. Hanc autem Vellej. II. 1. 1. & Plin. XXXIV. 3. ad circum Flaminium fuisse dicunt. Ergo fat longè ultra pontem Sixti, & haud procul à radicibus Capitolii: atque ita nec Augusti ævo, neque Vespasiani *mœnia* Urbis mota, prolataque fuere. Nec verò simile est, ullam *mœnium* mutationem esse factam. Nam quod Roma extra *mœnia* latiùs, quàm intra eorum ambitum habitata fuerit, permissumque, ut illa ædificiis subjectis, & adstructis absconderentur, plurimisque portis interscinderentur, certum mihi indicium est, murorum illam gentium dominam, ingenti amplitudine sua nixam, & imperii magnitudine ab incursionibus tutam securamque, nullam postea habuisse curam: donec triginta sub Gallieno exortis tyrannis, Aurelianum ea subiit cogitatio, prospiciendum Urbis securitati, muroque universam cludendam, firmandamque. Atque eccum testem idoneum Vopisc. Aurelian. c. 21. *Cum videret posse fieri, ut aliquid tale iterum, quale sub Gallieno evenerat, proveniret, adhibito consilio senatus, muros Urbis Romæ dilatavit.* Nardin. Rom. Vet. 1. 4. Faunus Ant. Rom. 1. 4.

MOENIANA. V. illa supr. in *Columna Mœnia*.

MOESIÆ duæ sunt inter Æmum montem & Danubium. Prima superior, secunda inferior vocatur. Ulpian. l. 9. ff. de captiv. *Nulla dubitatio est post rescriptum Imperatoris Antonini, & divi patris ejus ad Ovinium Tertullum præsidem provinciæ Mœsiæ inferioris.* Hæc ad Pontum Euxinum tendens Bulgaria, seu Segiria nuncupatur. *Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c.* 153. Has Augustus per L. Pisonem eorum unum, ad quos Horatius Poeticam scripsit, in potestatem redegit, & manserunt sub Romano Imperio usque ad Notitiæ tempora. Ex his deinde alteram Aurelianus Princeps, traductis eo Romanis colonis, Daciam appellavit: alteram inferiorem Getæ incoluerunt. *Volater. Comment. Urban.* VIII. *p.* 288. *D. Pancirol. ibid. c.* 135.

MOG.

MOGONTIACUM Itinerario metropolis est Germaniæ primæ secundum Rhenum. *Pancirol. Notit. imp. occid. c.* 88. Contra Rheni, Mœnique amnium confluentes posita. Germani posteriores urbis nomen contrahentes dixere *Mauntz* & *Meintz*: unde posteà Latinè loquentes fecere vocabulum *Mogontia*, & nonnulli *Moguntia*. Ptolemæus in positu hujus urbis haud leviter erravit, infra Obringam amnem, qui nunc vulgo Are dicitur, Μοκοντίακον, *Mocontiacum* suum in Germania inferiore, quæ Obringa terminabatur, collocans. Primum sui conditorem habuit Cl. Drusum Neronem, Cæsaris Augusti privignum, Tiberii Imperatoris fratrem; qui castra hic legionum posuit, locumque mœnibus haud dubiè firmavit. Præpositus is fuit his oris statim post cladem Lollianam teste Paterc. II. 97. 1. M. Crasso, & Cn. Cornelio coss. ut auctor est Dio LIV. id est, anno Urbis 739. ante natum Christum 14. Locum ipsum etiam ante Romanorum in eo hibernationem fuisse in vici modum habitatum, indicat nomen Celtica lingua formatum: quod Drusus Romanus non primus imposuit; sed ab incolis jam ante impositum invenit. Inter totius Germaniæ oppida secundam ab Agrippinensium urbe dignitatem semper habuit. *Claver. Germ. Ant.* II. 13.

MOL.

MOLA est machina, vel opus quoddam ex duobus *molaribus* sibi invicem impositis, & rotis quibusdam dentatis

tatis agitabilibus, iisque vel ligneis, vel ferreis præcipuè constans; in quo ad humanæ operæ, jumentorum, venti, & aquæ incitationem, sive circinationem, prorsus instabili machinarum vertigine, frumenta arida, item polenta, seminaque desuper injecta, vel lentè incidentia, per mutuam *molarum* collisionem, sive confricationem, in tenuissimam farinam, massamve comminuuntur, & conteruntur: quæ eant quoque res peculiari modo, & instrumento, pro varietate *molarum* expoliuntur, acuuntur, & dissecantur. *Hering. de Molend.* q. 3. §. 19. prima sua significatione notat *molam* asinariam, trusatilem, aut similem. *Voss. Lex. Etymol. Apud majores nostros*, inquit Servius ad Æneid. I. 183. *molarum usus non erat, frumenta torrebant, & ea in pilas missa pinsebant: & hoc erat genus molendi: unde & pinsores dicti, qui nunc pistores dicuntur*. Est instrumentum, quo frumenta teruntur. *Molarum* usus antiquissimus fuit, & à Cerere profectus, quæ *prima homines docuit molere*. Plin. VII. 50. licèt Stephan. in voce Μυλαντία inventionem Mylanti cuidam assignet, adeoque etiam temporibus heroicis cognitus. Nam in horto Alcinoi Phæacum principis *mola* reponitur Odyss. VII. 104. apud Homerum:

Alia quidem molunt sub mola pomacei coloris frugem.

Demster. Paralip. ad Rosin. Ant. Roman. I. 14. Hering. ibid. q. 2. §. 36. & 44. Quorum posterior missis fabulis multis ante seculis apud Hebræos *molas* in usu fuisse, tum quia panis ex farina in tenuissimum pulvere redacta, in quam absque subsidio *molarum* in tanta copia redigi non potuisse verisimile est, in veteri testamento mentio fit Gen. c. 14. nu. 18: c. 18. n. 5: c. 19. nu. 3: c. 21. n. 14. tum quia *molæ* nominantur Exod. c. 11. n. 5: Num. c. 11. n. 8: Deut. c. 24. nu. 6. docet ibid. §. 47-67. Meretrices in illis versabantur. Paull. Diacon. XIII. 2. *Horum mancipes tempore procedente pistrina publica latrocinia esse fecerunt: cum enim essent molæ in locis subterraneis constitutæ, per singula latera earum demum tabernas instituentes, meretrices in eis prostare faciebant, quatenus per eas plurimos deciperent, alios qui pro pane veniebant, alios qui pro luxuriæ turpitudine ibi festinabant*. Ita ferè Plaut. Pœn. I. 2. 54. eas *pistorum amicas* vocavit: unde an apud nos non remanserit hæsito, quod socii navales, quum à lenonibus exigunt scorta, dicunt, *hebje geen brood*, panis nomine ea designantes, ne inhonesta poscere ulli intelligerentur. *Almelov. Antiq. p.* 37. Neque illud prætereundum est, quod ab Artemid. II. 47. traditum: *Mola semper durorum, & difficilium negotiorum solutionem portendit, & fidelem servum significat*. Denique sciendum, & *molæ* suum fuisse numen, suumque deum tutelarem. Pollux VII. 33. 8. *Molitor, mola, pistrinum, dea molaris*. Sed & *promylæus* deus semper ante *molas* collocabatur ob suavem alimoniam, Suidas in voce Προμύλαια: Θεὸς προμύλαιος. Hesychius: Προμυλαία, θεὸς ἱδρυμένη ἐν ταῖς μύλαις. *Demster. l. l. & Hering. ibid.* §. 55. Hunc, ut *molarum* præsidem, in *molis* consecratum collocabant, ut ejus favore fruges feliciter *molerentur*, & bonam, atque copiosam farinam suis dominis proferrent. *Portus in Suidam*. *Molendi* duæ sunt rationes: una cum suspensa fruges frangimus, ut in faba fresa, & in polenta crassiuncula, quam Græci κέγχρον vocant: & ex eo κεγχρώδη appellat Aristoph. in Nebull. III. 3. 5. quæ crassa sunt. Et Virg. Æneid. I. 184. dixit:

Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Altera, cum *molæ* non suspenduntur, sed *lapis lapidem terit*, ut Lucret. I. 883. id est, *mola molam*, cum tenuior farina & minutior elicitur. *Turneb. Adv.* v. 24. *Cerda in Virgilium. Hering. de Molend.* q. 4. §. 68. *Taubman. in Plaut. Asin.* I. I. 16.

Mola aquaria in asinariæ locum est substituta. Ejus usus non est ita recens, ut quidam arbitrantur. Meminit Pallad. I. 42. *Si aquæ copia est, fusura balnearum debent pistrina suscipere, ut ibi formatis aquariis molis, sine animalium, vel hominum labore frumenta frangantur*. Pignor. de Serv. p. 513. Qua ratione confici debeant, docet Vitruv. x. 10. *Circa earum frontes affiguntur pinnæ, quæ cum percutiuntur ab impetu fluminis cogunt progredientes versari rotam: & ita modiolis aquam haurientes, & in summum referentes, sine operarum calcatura, ipsius fluminis impulsu versatæ præstant quod opus est ad usum*. Meminit Zeno Imp. l. 10. C. de Aquæduct. *Suburbanum vel prædium, vel balneum, vel aquæ mola, vel hortus, ad cujus usum aqua publica fuerit derivata*. Demster. Paral. ad Antiq. Rom. Rosin. I. 14. Hering. de Molend. q. 5. §. 23-26. A primis usque Regum temporibus in flumine fuisse docet Procop. de Bell. Goth. I. ubi causas additæ Urbi Transtiberanæ regionis adfert: *Cujus rei opportunitate Romani veteres illi ipsum hunc collem Janiculum, & ei è regione fluminis ripam muris junxere, ut hostes vel molas disturbare licentius possent, vel flumen pertranseundo faciliè ulterius muris insidiari*. . . . Et Belisarii inventionem, quod ad *molas* post paullò refert: *Sed postquam, ut diximus, per hostes fuere aquæductus hi interrupti, neque ex his defluens aqua molas de cætero exerceret . . Belisarius tamen, ut erat vir prudentiæ singularis, id ex necessitate excogitavit remedium, sub ponte ipso, cujus meminimus, pertinente ad Janiculi mures funes ex utraque fluminis ripa validè distensos, ac deligatos transmisit. His lembos binos pari magnitudine nectit, constringitque bipedali distantes ab invicem spatio, quo maximè aquarum defluxus per pontis fornicem præceps descendit, vastosque & molares lapides in alterum lembum imponens media ipsa intercapedine, machinam inde suspendit, qua molæ volvuntur*. . . Ad quæ adversus contra nitentes illud adjicerem, *molas* hasce longa temporis intercapedine fuisse neglectas, obsoleto, & ignorato post earum usu, atque adornatione, quod facilior per aquæductus earum circumagendarum ratio esset: atque ita non minorem ex hoc novo invento, atque *molarum* institutione Belisario deberi gloriam, quàm primo earum inventori. *Nardin. Rom. Vet.* VIII. 2. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 17. §. 1. *Donat. de Urb. Rom.* I. 17. *Rhodig. Ant. Lect.* IX. 16.

Mola asinaria dicebatur, quam asini versabant, tectis capitibus, velataque facie. Apul. Met. IX. p. 278. V. illum instr. in *Pistrinum*. Achmes Oneirocr. c. 185. *Pistrinum, in quo asinus robustus moleret*. Demster. ad Rosin. Ant. Rom. Paral. I. 15. Hering. de Molend. q. 5. §. 15. 16. Juven. Sat. VIII. 66. V. illum supr. in *Epirhedium*. Quæ hinc *versatilis* appellatur, *asinaria* Cat. de Re rust. c. 11. *machinaria* Apul. Met. VII. p. 210. *Mola machinariæ subjugum me dedit*. Grang. in Juvenalem. Nam *molarum & conficiendi frumenti penè sollennis est hujus pecoris labor*. Colum. VII. I. Atque ob hanc caussam inter cætera, quæ ruri necessaria, *asinum molarium* commemorat, c. 11. Alfeno Icto *asinus* est *machinarius*, l. 60. ff. de Legat. III. qui ex eadem ratione censet in prædiis legatis contineri. Meminit ejusdem Ulpian. l. 12. §. 10. ff. de Instr. ubi jungit machinæ frumentariæ: unde intelligitur esse planè Catonis *molarium*, id est, eum, qui *molam* machina quadam inclusam volvit, & torquet. De hoc Catull. XCV. 10.

Et non pistrino traditur atque asino.

id est, datur ad *molas* trusatiles, & versatiles. *Scheffer. de Re vehic.* I. 8. *Popm. de Instrum. fund. p.* 16. *Thys. in Gell.* III. 3. Ad Catulli locum facit Epigramma vetus:

Cum possis parvo sumptu conducere asellum,
Qui soleat teretes vertere rite molas.

Barth. Adv. XXVII. 5. Ideo asini, dependente pane, corona, sicuti & *molæ* cingebantur Vestalibus v. Idus Junias. Ovid. Fast. VI. 307.

Nunc quoque cum fiunt antiquæ sacra Vacunæ,
Ante Vacunales stantque sedentque focos.
Venit in hos annos aliquid de more vetusto:
Fert missos Vestæ pura patella cibos.
Ecce coronatis panis dependet asellis,
Et velant scabras florida serta molas.
Sola prius furnis torrebant farra coloni,
Et fornacali sunt sua sacra deæ.
Suppositum cineri panem focus ipse parabat,
Strataque erat tepido tegula quassa solo.
Inde focum servat pistor, dominamque focorum;
Et quæ pumiceas versat asella molas.

Corona asini ad formam panis fuisse videtur. Hinc Lactant.

ctant. i. 22. *Apud Romanos eundem*, asellum, *Vestalibus sacris in honorem pudicitiæ conservatæ panibus coronant*. Thy. l. l. Paschal. de Coron. iv. 18.

Mola ferraria in usu fuit armis acuendis. Glossæ ad Stat. Theb. iii. 584. *Per molam acuminariam*. Sic *molita arma*, samiata, sive acuta sic reddita intelligit Lindenbrog. in Friderici Imperatoris Constitut. Sicul. i. 9. Glossar. codic. leg. semipriisc. *Hering. de Molend. q. 6. §. 3. Barth. in Statium*.

Mola fullonia appellatur, in qua panni recentes affusa aqua calida contunduntur, expoliuntur, & præparantur. Unde etiam pannaria dicitur. Vetus est inventum. Convincit quodammodo locus 2. Reg. c. 18. n. 17. *Substiterunt ad aquæductum piscinæ superioris, qui est in aggere agri fullonis*. V. etiam pilam fullonicam infr. in *Pila*. Hering. de Molend. q. 6. §. 17.

Mola olearia, sive olivaria, ut dicitur Pompon. l. cum fundus 21. ff. de fund. inst. & inst. leg. Dicitur etiam trapetum. V. infr. in *Trapetum*. Vetustate sua reliquis præcellit. *Hering. de Molend. q. 6. §. 1.*

Mola quadrina plurimum farinæ in pistrinis faciebat. Pompon. apud Nonium in pistore: *Nam plus quæsti facerent, quàm quadrinas si haberent molas*. Ita *torcularia faciunt quadrinis vasis*, ut apud Cat. de Re rust. c. 18. legimus, quæ plus olei, vinique premebant. *Turneb. Adv.* xii. 16.

Mola trusatilis dicebatur, quæ circumacta manuum agilitate & robore fruges terebat. Fuerunt illæ omnium antiquissimæ. Gell. iii. 3. *Ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locasset*. Ideo *manuales* dicuntur Servio Georg. i. 274. Illas eleganter describit Virg. Moret. n. 19-30. *Demster. Paralip. ad Rosin. Ant. Roman. i. 15. Thys. in Gellium Grapald. de Part. dom. ii. 4. §. 27. Turneb. Adv.* vii. 22. *Bruyer. de Re cibar.* vi. 2. *Hering. de Molend. q. §. 6.* Qui tamen contendit trusatilem & manuariam esse distinguendas, *ibid.* §. 10. 11. 12. Easdemque distinguit *Agric. de Re metall.* viii. *p.* 230.

Mola quoque vocatur fœtus informis in utero, sive tumor uteri induratus graviditatis opinionem adferens. Plutarch. de Præcept. connub. p. 143. D. *Informis autem fœtus, ac carnis moles, quæ ex corruptis humoribus coeunt, molas vocant*. Plin. vii. 13. *Solum animal menstruale mulier est: inde unius utero, quas appellarunt molas. Ea est caro informis, inanima, ferri ictum, & aciem respuens. Movetur, sistitque menses: & ut partus, alias letalis, alias una senescens, aliquando alvo citatiore excidens*. x. 64. *Molas gigni putant, ubi mulier non ex mare, verum ex semetipsa tantum conceperit: ideo nec animari, quia non sit ex duobus: altricemque habere per se vitam illam, quæ satis, arboribusque contingat*. V. etiam Aristot. de Generat. animal. iv. 7. *Harduin. in Plinium. Voss. Lex. Etymol. Baccius de Therm. vet. c. 23. Hering. de Molendin. q. 3. §. 12. Rhodig. Ant. Lect.* xxvii. 17. V. infr. in *Molucrum*.

Mola etiam olim erat instrumentum bellicum. Ammian. xx. 11. *Dolia desuper cadebant, molæ, & columnarum fragmenta: quorum nimiis ponderibus obruebantur pugnatores*. Ipsæ verò *molæ* projectæ, an lapides? & hi quoque ponderosi, & prægraves, ac suffecerint vel fragmenta, si quis pro nostris moribus saperet, & sentiret. Sed *molares* illi veterum non tam grandes, ut nec ipsæ *molæ*: quæ manuariæ tantum, & à servis volvendæ. Itaque crebræ erant, & ferè domesticatim. Atque inde toties in hac tali historia, *molares* immissos, aut jactos. Illos, dico modicos: nec ad nostros aptabis. *Lips. Poliorc. v. Dial. 4. Thys. de oppugn. urb. v. p.* 191.

Mola salsa *vocabatur far tostum sale conspersum, quod eo molito hostia aspergeretur. Maxima enim salis auctoritas è sacris veterum intelligitur, apud quos nulla sacra sine mola salsa conficiebantur*. Plin. xxxi. 7. Homerus vocat οὐλὰς, vel οὐλοχύτας, è frugibus saxo, aut mola fractis constantes. In hanc rem antiquissimo ritu à Græcis adhibebatur hordeum, uti far apud Romanos, teste Dionys. ii. p. 94. *Et quemadmodum Græci antiquissimam hordeariam frugem rati, hordeo victimas initiant, οὐλὰς illas, hoc est, molam* salsam *nominantes; ita Romani quamvis hostiam igne adolendam respergunt farre, quippe qui hoc frugum genus antiquissimum existimant, & honoratissimum*. Additum fuisse salem docet Homeri Scholiastes: *Mola hordeacea sale mixta, quas infundebant victimis cæsis ante sacrificandum*. Inde etiam *fruges salsas* dicit Virg. Æneid. ii. 133. Plaut. Amp. ii. 2. 107. V. illum supr. in *Jupiter prodigialis*. Illarum usus fuit omnino maximus in sacris, adeo ut Plinius modò laudatus *nulla sine his confici* asserat. Obtinuit hic ritus ex veteri more sacrificiorum, quæ initio ex hujusmodi frugibus duntaxat constabant, ut notat Homeri Scholiastes. Inde Ovid. Fast. i. 337.

Ante, deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica salis.

Atque hoc fuisse ex Numæ instituto antiquitas apud Romanos testatur. V. Plinium supr. in *Far*. Feith. Ant. Hom. i. 8. Stuck. Ant. Conviv. i. 30. Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. viii. p. 1017. C. de Form. i. p. 31. Saubert. de Sacrif. c. 18. Salmuth. in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 58. Struv. Ant. Rom. c. 10. p. 472. Turneb. Adv. vii. 13. & in Plinii præfat. p. 21. Laurent. Var. sacr. gentil. c. i. Cerda in Virg. Æneid. v. 741. Hering. de Molendin. q. 3. §. 14. Choul de Relig. vet. p. 235. Torrent. & Lambin. in Horat. Od. iii. 23. 20. Caroli Ant. Rom. i. 11. Græci tamen fruges integras, nec fresas, nec molitas aspergebant hostiæ. Argumento est, quod οὐλαὶ à Græcis, & οὐλοχύται vocantur, quæ erant hordei integræ fruges cum sale mixtæ. Expressit Horat. Od. iii. 23. 20. V. illum inst. in *Sacrificare*. Usi sunt Græci, ut Theophrastus scripsit apud Interpr. Homer. Iliad. i. 449. hordeo non molito in sacris in memoriam priscæ vitæ, in qua homines nondum molere fruges, sed solidis vesci solebant. Idem Suidas: οὐλοθυτεῖν. *Hordeum quidem ad hunc usque diem illi, qui sacrificant, libationibus integrum affundunt, ut sit antiqui victus argumentum*. Est igitur *mola* salsa tanquam *molitura* salsa, ut *molæ*, quâ frumenta franguntur, nomen *molito* farri tribuatur. *Turneb. Cerd. Hering. & Saubert. l. l. Torrent. in Horatium, Lomej. de Lustrat. c.* 24. Hujus ceremoniæ rationem hanc reddit Eustath. ad Homer. l. l. *Veteres*, inquit, *in suis sacris, οὐλοχύταις, hordeum hoc sale συγχεόμενον, commixtum semper præmittebant: ut hoc ipso deorum erga homines benignitatem in frugum inventione, & Reipublicæ constitutione ob oculos ponerent, & animum quoque gratum testarentur, atque ita tum beneficiorum recordatione, tum gratiarum actione deorum benevolentiam porro sibi compararent*. Stuck. de Sacrif. p. 73. Ego conjecturam facio, hanc ipsam salis adspersionem à Judæis ad gentes manasse, cum illi in omni oblatione sal offerre ex præcepto Jehovæ tenerentur. Levit. c. 2. n. 13. Num. c. 18. n. 19. Ezech. c. 43. n. 24. Marc. c. 9. n. 49. *Hering. de Molendin. q. 3. §. 16. Pier. Hierogl.* xxxi. 9. *Salmuth. in Pancirol. l. l.*

MOLERE mulierem est cum illa coire. Plaut. Truc. ii. 2. 54.

——suam non enim ille meretriculis
Molendis rem coegit.

Auson. Epigr. lxx. 7.

Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam.

Varr. Myst. apud Non. ii. 234. *Sed tibi fortasse alius molit, & depsit*. Scalig. Conject. in Varr. p. 59. Almelov. Antiq. p. 37. Balduin. Calc. antiq. c. 10. Beroal. Annot. c. 97. Pius Annot. post. c. 64. Palmer. Spicil. iv. p. 680. Drus. Observ. v. 5. Taubman. in Plautum. Hering. de Molendin. q. 3. §. 13. VVouvver. Gonsal. & Erhard. in Petron. c. 23. Scalig. in Ausonium.

MOLES Adriani, quam is sibi in sepulcrum erexit in Transtiberino solo ponti Ælio adjunctum, alterum in Urbe Mausoleum, ex marmore Pario in uno quadratum, exinde rotundum exsurgebat. De eo Dio lxix. p. 797. E. *Sepultus est Adrianus in ripa fluvii, juxta pontem Ælium. Illic enim sepulcrum conditum. Jam enim Augusti monumentum repletum, nec quisquam amplius in eo sepeliebatur*. Donat. de Urbe Rom. iii. 21. Pancirol. Descript. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iii. p. 360. F. Faunus

nus

nus Antiq. Urb. Roman. v. 11. Blond. Instaur. Rom. 1. §. 47. Schott. Itiner. Ital. p. 181. Æmulatus ea in re videtur Augusti nobile Mausoleum, quod huic ex adversum situm, & campo Martio majori objectum, sicut hoc minori. Forma, qualis & Mausoleo Augusti, quadrata huic fuit, rotundam quasi turrim peramplam complexa, & extrinsecùs tota Pario marmore albissimo vestita, turrim ornabant dispositæ in summo undique fastigio statuæ, & signa hominum, equorumque cum quadrigis, quemadmodum patet è Procop. Belli Goth. 1. V. illum supr. in *Arx Angeli*. Nardin. Roman. Vet. vii. 13. Marlian. Topogr. Urb. Roman. v. 22. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 16. n. 3. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 1. c. 23. In hoc ipse primus omnium sepultus dicitur. Et deinde omnium Antoninorum cineres conditi sunt. Ostendunt hoc epitaphia quædam in ipso sepulcro incisa. Commodi *corpus jussu Pertinacis in monumentum Adriani translatum est*. Lamprid. c. 17. Veri Imperatoris *corpus illatum est Adriani sepulcro, in quo & Cæsar pater ejus naturalis sepultus est*. Capitol. c. 11. *Marlian. & Panciroll. l. l.* Addit Procopius, *molem* columnis, quadrigis, & equestribus statuis exornatam fuisse. In cacumine ejus nux pinea ænea inaurata magnitudinis inusitatæ, hodie in Belvedere omnium patens conspectui, cum duobus pavonibus æneis itidem inauratis: quatuor olim fuerunt. Et quidem nux pinea ideo sepulcro imposita, ut planctum magnæ deum matris occidente Aty Cybeleio adumbraret, quia necatus sub pinu Atys. Pavones ideo, ut Augustas illic quoque designaret conditas, quæ à morte in consecratione putabantur alis pavonum in cœlum attolli, ut ex numismatis liquet. *Borrich. l. l.* Intus tota oppleta est, & obstructa: ita ut vix unius sufficiens Salus locus ad descensum sit in ejus interiora: sic ut munimento potiùs alicui bellico, quàm monumento sepulcrali constructa videatur. Postea sane, quum Imperator Aurelianus campum Martium mœnibus complecteretur, eaque secundum Tiberim cum ponte *molis* Adrianæ conjungeret, vicinia hæc Honorium excitasse videtur, aliumve quem Imperatorem, ut ea *mole* in murorum Urbis restitutione pro arce uteretur, pristina ei forma relicta. Procopius: *Sepulcrum id prisci homines muris duobus ad ipsum à mœnium circuitu pertinentibus, eorum partem esse fecerunt: simile enim est procelsæ turri ad ejus loci portam præeminenti. Erat igitur ibi munitio tutissima*. Nardin. Donat. & Marlian. l. l. Arx Angeli est dicta, & quare V. supr. in *Arx*.

MOLETRINA appellari posset aquatiarum molarum locus, quibus nunc utimur. Colligo hoc ex Non. 1. 230. *Moletrina à molendo, quod pistrinum dicimus. Cato in Thermum: Nervo, carcere, moletrina*. Bud. in Pandect. p. 118. C. Demster. Paralip. ad Rosin. Ant. Roman. 1. 14. Voss. Lexic. Etymol.

MOLILE vocatur manubrium, quo movetur *mola*, ut à libra librile. Cato de Re rust. c. 11. *Molile unum*. Turneb. Adv. viii. 22. Voss. Lex. Etymol. in Mola, Hering. de Molend. q. 4. §. 50.

MOLITOR servus, qui ad usum rusticum paratus est. Ulpian. l. 12. §. 5. ff. de instr. vel instrum. leg. *Item molitores, si ad usum rusticum parati sunt*. Pomponius Pistore: *Decepit vicinos. Quod molendum conducit, comest*. V. illum etiam supr. in *Mola quadrina*. Popm. de Oper. serv. p. 129. Hering. de Molend. q. 4. §. 55.

MOLLESTRÆ *erant pelles ovillæ, quibus tergebantur galeæ*. Festus. Sic Latini vocabulum Græcum depravarunt, & è *μηλωτῆ mollestram* interpolarunt. *Turneb. Adv.* iii. 11. Si quid veniæ visi æqui darent audaciæ, & temeritati, affirmarem esse legendùm *melotas*. Μηλωτὰς enim Græci vocant ovium pelles. *Turneb. ibid.* xix. 24.

MOLLICINA *vestis a mollicie ducta*. *Novius Pedio: Mollicinam, crocotam, chiridotam, ricam, ricinium*. Non. xiv. 23. *Ferrar. de Re vest.* 1. 3. 19.

MOLLIRENT ut vocem, clystere, & vomitu se purgabant, & plumbeam chartam supino pectore sustinebant veteres. Suet. Ner. c. 20. n. 2. Nero *plumbeam chartam supinus pectore sustinere, & clystere, vomituque purgari, & abstinere pomis, aliisque officientibus*. Buleng. de Theatr. ii. 8.

MOLLITER ut jacerent, vulgo mortuis precari solebant. Ovid. Amor. 1. 8. 108.

Ut mea defunctæ molliter ossa cubent.

Trist. iii. 3. 75.

At tibi, qui transis, ne sit grave, quisquis amasti,
Dicere, Nasonis molliter ossa cubent.

Brisson. de Form. 1. p. 88.

MOLOCHINARIUS dicitur, qui colorem tingit ad purpuram inclinantem, qualis in malvæ flore spectatur. Non. xvi. 2. *Molochinum à Græco color est flori similis malvæ. Cæcil. Pausimacr. Carbasina, molochina, ampelina*. Plaut. *Aul.* iii. 5. 40. *Infectores molochini coloris molochinarios appellavit*. Ferrar. de Re vest. 1. 3. 21. Salmas. in Vopisc. Aurelian. c. 12. Taubmann. in Plautum.

MOLUCRUM scopa est molaria. Festus ex emendatione Salmas. Exerc. Plin. p. 172. F. *Molucrum dicitur, quo molæ verruntur, quod Græcè μυλήκορον vocant*. Gutberl. de Salus c. 23. Voss. Lex. Etymol.

Molucrum dicitur etiam tumor ventris, seu informis in utero caro. Festus: *Molucrum dicitur etiam tumor ventris, qui etiam virginibus solet evenire, cujus meminit Afranius in Virgine:*

—— ferme virgini
Excrescit uterus, tanquam gravidæ mulieri.
Molucrum vocatur, transit sine doloribus.

Gutberl. de Salus c. 23. Turneb. Adv. iii. 11. Hering. de Molend. q. 3. §. 12. In his versibus *molucrum* est μυλέσαρξ, vel, quod idem est, μυλόκρεας. *Salmas. Exerc. Plin. p. 17. a. E. Voss. de Idolol.* iii. 54. Verum enim verò, quod Afranius censet, virgini quoque id contingere, parum fidei meretur. Sanè aliter de eo Hippocr. περὶ γυναικείων l. I. qui *molam*, seu *molucrum* esse ait à vitali semine pauco, & morboso. Pluraque de hoc Andr. Laurent. Rei anatom. viii. 4. 13. *Voss. l. l. & Lex. Etymol.*

Molucrum quoque *dicitur lignum quoddam quadratum, ubi molatur*, ut Scaliger emendat. Ita *Cloatius in libris sacrorum. Idem Ælius in explanatione carminum Saliarium eodem nomine appellari ait, quod sub mola supponatur*. Festus. *Gutberl. de Salus c. 23. Hering. de Molend. q. 4. §. 45.*

MON.

MONACUS, *genus vehiculi, quod ab uno jumento ducatur*. Glossar. vet. Arabico-Lat. Hoc est corruptum. Rescribe ex Isidor. Gloss. *monocosmon*. Ita enim ille: *Monocosmum, quod ab uno jumento ducitur, vehiculi genus*. Κόσμον enim jumentum. Et inde μονόκοσμον. Atque inde κοσμιατικὸν, quod pro jumenti tractura solvebatur veredario. Occurrit in diplomate Andronici Palæologi junioris apud Phranzem. iii. 24. *Meurs. Glossar. Græco-barb. in* κόσμον. Κόσμον junioribus Græcis jumentum non signat, verùm ζωτίκιον. Metuo quoque ne & κοσμιατικὸν Phranzæ aliud longè sit: & *monocosmum* potiùs fuerit vehiculum hominum delicatorum ornatè, comptèque procedentium, ac tale, ut unum tantum hominem, vel summum & alterum caperet: eoque appellatio sit à κόσμῳ significante ornatum. Et verò, quod dicebamus, non ab uno modò jumento trahi solere; sed ferè unum solum eo hominem tractum; favet vetus vocabularium, ubi legas: *Monocosmus, id est, genus vehiculi, quod ab uno jumento trahitur. Et hoc monocosmum, id est, currus, unum tantum portans, & dicitur à monos, & cosmus*. Voss. de vit. serm. iii. 27. Vossii explicatio refellitur explicatione Isidori, quæ nihil habet de ornatu. Arbitramur esse à μόνος & ἄγειν. Nempè in *monacus* literam existimo esse permutatam, & *monacus* scriptum pro *monagus*: ut *cenas* pro *genas*, *frucem* pro *frugem*, *rocato* pro *rogato* repetimus. Porro *monagus*, quasi μοναγοὶ, quomodo & *hippagus* simili originatione apud Plin. vii. 56. quæ Græcis ἱππαγοί. Qui *monagus* proinde significabit currum tractum, ductumve ab uno, non sententia glossatoris solum, verùm ipsa vocabuli ratione. Et quia idem significare debet *monocosmon*, etiam de eo aliter

vix judicandum. Quanquam mea sententia Isidorus scripserit *monocasmon*, similiterque id posuerit pro *monagasmon*. Ut *monagasmon* sit dictum per insertionem literæ *s* pro *monagegnimon* significatione parili cum *monaco*. Nisi putamus esse aliud *monocosmon*, seu *monacosmon* in masculino, & aliud in neutro: ut habet vocabularium Vossio laudatum. Verùm metuo, ne sit inanis hæc subtilitas magistri. Et frustra descripsit Vossius *vehiculum hominum delicatorum*... Nam contrà fuit vehiculum, quod ab uno trahebatur jumento, sicut verbis manifestis docent veteres. Adde quod si illud *monos* referendum est ad hominem, ratio vocabuli pereat, si vehiculum præter illum unum admiserit & alterum. Sanè à jumenti trahentis numero solitario, non hominis utentis, nec ornatu vehiculi, aut hominis, sed ductu nominatum esse voluit glossarum auctor, quando non *ducitur* scripsit, sed *ducatur*: quasi diceret, *monacus* ita vocatus est, quod ducatur ab uno tantum, hæcque illius constructio sit & forma, ut jumenta plura non admittat. Reliqua *monaci* quæ fuerit structura, dicere non habemus. Et ejus usus est parum notus. *Scheffer. de Re vehic.* II. 10.

MONARCHIA, sive regia administratio Reipublicæ censetur omnium optima, ut quæ valdè similis divinis actionibus, humanisque maximè consentanea. Hinc dictus Rex viva Dei imago, animata imago Dei. Subscribunt Homer. Iliad. II. 204.

Non bonum est multorum imperium: sit dominus unus,
Unus Rex.

Claud. Stilich. consul. II. 113.

Fallitur egregio quisquis sub Principe credit
Servitium: nunquam libertas gratior exstat,
Quàm sub Rege pio.

Et alii. Quapropter antiquis sæpè in ore, ἐκ Διὸς βασιλῆες, quibus, quia optimia, imperium jure debetur. Ex Democrito: *Natura imperare proprium præstantiori.* Isocrates: *Non immerito monarchiam tanto faciliorem esse judicaverimus, quanto facilius est animum suum unius viri instituto accommodare, quam multis, variisque opinionibus placere conari.* Laurent. de Rebuspubl. c. 1. Rittershus. in Oppian. p. 52. Tiraquell. de Jure primig. q. IV. n. 21-26.

MONAULUS, μόναυλος, erat tibia singularis, ad differentiam tibiæ zygiæ, cum binæ simul inflarentur. Alio nomine tityrene appellabatur. Ægyptiorum fuit inventum. Pollux IV. 10, 1. *Monaulus Ægyptiorum inventum est*. Osiridi ejus inventionem adscribit, & eo hymenæum accinisse veteres dicit Athen. IV. p. 175. E. *Juba libro quarto historiæ theatralis Ægyptios scribit asserere monaulon ab Osiride inventum fuisse, & quem photinga vocat obliquis fistulis constructum. Anaxandrides in Thesauro:*

Sumpto monaulo hymenæum accinebant.

Idem in Phialophoro:

A. Monaulon ubinam alvisti, heus tu Syre?
S. Qualem monaulum? A. Arundinem tibialem.

Et suavissimos concentus meditatos fuisse p. 176. A. *Monaulo suavissimos concentus summissa voce meditatur, & cantillat.* Apul. Apol. p. 415.

Quod si animam inspiras, dona & jam carmina nostra
Cedant victa tuo dulciloquo calamo.

In conviviis frequens fuit. Athenæus: *Quibus photingia, & monaulin comessationis instrumenta, non belli addiderant.* Et hoc sensu Mart. XIV. 64.

Ebria nos madidis rumpit tibicina buccis,
Sæpè duas pariter, sæpè monaulon habet.

Bartholin. de Tib. I. 6. Meurs. de Tib. c. 22. Scalig. Poet. I. 20. Rhodig. Ant. Lect. IX. 7. Buleng. de Theatr. I. c. 4.

MONERIS, μονήρης, vocabatur navis, quæ simplicem habebat ordinem: pertinebatque, seu potiùs ea ipsa erat, quæ aliàs peculiariter appellabatur longa. Græcis aliquando, maximè posterioribus temporibus γαλαίας. Leo Imperator in Tacticis; οἱονεὶ γαλαίας ἢ μονήρεις λεγομένας. Et hinc sine dubio galearum nomen apud nostros ortum est. Μονοκρότους dixit Strab. VII. Naves, *quæ simplice ordine aguntur*, sunt Tacit. Hist. v. 23. *Scheffer. de Milit. nav.* II. 2. *Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 571. *A. Meibom. de Fabr. trirem. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XII. *p.* 617. *C. Opel. de Fabr. trirem. Thes. Græv. ibid. p.* 695. *D.*

MONETA definitur à Paullo, l. 1. ff. de contrab. empt. *Materia forma publica percussa, usum, dominiumque non tam ex substantia præbens, quam ex quantitate.* Forma publica est, quæ imposita à triumviris æri, argento, auro flando, feriundo; aliisque magistratibus *monetalibus* jam inde lege XII. tab. creatis. Cicer. de Leg. III. 3. *Minores magistratus æs, argentum, aurum publicè signanto.* At postquam majestas, & imperium à populo in Principem translata est, à Principe ipso, qui auctoritatem nummo tribuit: nam privata forma quæ est, adulterinam esse necesse est. Denique forma publica est iconium publicum, quod habetur, & exercetur in officina, *monetaque* publica, character ipse, & sphragisterium, iconicum, ut vocat Suet. Cal. c. 22. n. 7. quo nummus insignitur, ceu sigillo, annuloque bulla. Harmenopulus. Tota enim *moneta* faciendæ ratio hæc est, ut primo ipsum metallum ignibus excoctum, & temperatum præparetur, deinde in lamellas æquales concidatur, tum denique iconio, & typatio cudatur, percutiatur, & signetur. Quæ omnia, licèt non suo ordine, expressit Lucan. VI. 402.

Primus Thessalicæ rector telluris Itonus
In formam calidæ percussit pondera massæ.
Fudit & argentum flammis, aurumque moneta
Fregit, & immensis coxit fornacibus æra.

Freher. de Re monet. vet. Roman. I. 2. Laz. Græc. antiq. I. 5. Ea forma, ex quo in Principem omnis potestas translata est, vultum ferè Principis habet cum inscriptione; ut stante Republica, consulum nomina, non tamen vultus, sed Romæ plerumque galeatæ, alteriusve pro arbitrio numinis. Idque ita perpetuum, ut non alio meliùs è re nata argumento Pharisæorum rebelles Romanis animos damnare Dominus potuerit, quàm ex ipso denario censui debito, habente Tiberii Cæsaris εἰκόνα καὶ ἐπιγραφὴν apud Matth. c. 22. n. 20. Prudent. Περὶ στεφ. II. 96.

En Cæsar agnoscit suum
Numisma nummis inditum.

n. 120.

Cui nummus omnis scribitur.

Unde *monetam* ita definit Juven. Sat. XIV. 291.

Concisum argentum in titulos, faciesque minutas.

& Sat. VI, 204.

—— lance beata
Dacius aut scripto radiat Germanicus auro.

Freher. l. l. Demster. Paralip. in Rosin. Ant. Rom. VIII. 31. Quantitas ea est, quam Paullus dixit, æqualitate sua, quod publicam, ac perpetuam æstimationem habet, difficultatibus permutationum subvenire. Quia rerum nimirum omnium incerta, fluxa, & variabilis est æstimatio, ut Plato inquit: Τὰς μὲν χρείας ἄρα τις καὶ καιρῷ, καὶ νόμῳ, καὶ ἡδοναῖς, καὶ ἔθνει, καὶ τύχαις ἄνω καὶ κάτω εἰς τὴν τιμήν, καὶ ἀτιμίαν μεταβαλλομένας. Nummi perpetua, & certa est æstimatio, ut ait Ulpian. l. 3. ff. de in lit. jurand. adeo ut omnibus rebus venalibus possit adæquari semper commodissimè: omnes enim res pecunia æstimantur, l. pen. Cod. de constit. pecun. Ideo nummum *usum, dominiumque ex quantitate* ait *præbere magis quam ex substantia*. In nummis, & pecunia non corpora spectantur, sed valor & potestas: ut pecunia valeat, & censeatur non lamella, sed æstimio, & indicatura, l. 1. §. non solum ff. ad leg. Falcid. l. 1. ff. de contrah. empt. l. 29. & 94. ff. de solut. Res cæteras ex substantia, non quantitate, qua quantitas, & valor earum perpetuus non est: sed ut loquitur Cicer. pro Q. Rosc. c. 12. *pretia earum sæpè jacent*. Nummi pretium est perpetuum, ut ejusdem ponderis nummi eodem semper valore censeantur, æqualitate quadam admirabili, etiamsi diversorum sint vultuum; ne Philippei puta pluris sint quàm Antoniniani, l. 3. C. de veter. numism. potest. Theodos. Novell. 25. de pret. solidi. Leo philos. Novell. 51. modò in pondere conveniant, quod solent. Hæc est illa æqualitas, quæ etiam barbaris fuit adim-

admirabilis. Solin. c. 53. *Stupuisse Regem Taprobanes pecuniam, quæ capta cum ipso,* liberto Annii Plocami, *erat, quod tametsi signata disparibus foret vultibus, parem tamen haberet modum ponderis.* Plin. vi. 22. *Mirum in modum in auditis justitiam illa suspexit, quod pares pondere denarii essent in captiva pecunia, cum diversæ imagines indicarent à pluribus factos, Et hoc maximè sollicitatus ad amicitiam, legatos quatuor misit.* Freher. l. l. Veteres, & præcipuè Romani usi sunt *monetis* ex metallo puro, & nulla mixtura adulterato constantibus, saltem quamdiu imperium ipsorum floruit: illo enim decrescente & bonitas *monetæ* diminutionem passa est. Imperator Tacitus apud Vopisc. c. 9. cum tandem animadverteret, quàm damnosa esset Reipublicæ sequior *moneta* temperatura, lege lata metallorum mixturas severè prohibuit, quod edictum etiam post Diocletianum adeo studiosè observatum fuit, ut vix ulla numismata antiqua post hujus Imperatoris ætatem percussa reperiantur, quæ non ex puro, & probo metallo constent. Quæ sub Imperatore Alexio, qui ob eam causam ab historicis reprehenditur, ex minus puro, & probo metallo percussa fuerunt, ea ætatem non tulerunt, quoniam hodie pauca, vel nulla hujus generis reperiuntur. *Savot. de Numm. antiq.* iii. 4. E commodo Reipublicæ quàm maximè esse, ut *moneta* ex metallo, nulla sequioris materiæ mixtura cudantur, decem rationibus satis fusè demonstrat. *Savot. ibid. c.* 5. Materia non fuit ferrum. Hoc enim difficilè funditur, & cum æruginem facilè concipiat, servare pondus legitimum non potest. *Hotman. Antiq. Roman.* iv. 5. 1. Sed triplex fuit. Pompon. §. deinde de orig. jur. *æs, argentum, aurum.* Pollio xxx. Tyrann. c. 31. *Cusi sunt ejus nummi ærei, aurei, argentei.* Cicero de Legibus jam laudatus. Hoc tamen discrimine, quod initio omnes omnino pecuniæ ex ære, ex auro, argentoque nulli nummi cusi. Isidor. xvi. 17. *Antiquissimi, nondum auro, argentoque invento, ære utebantur, nam prius ærea pecunia in usu hominum fuit, post argentea, deinde aurea subsecuta.* Neque enim ante victoriam Pyrrhi argentum signatum in usu Romæ. V. supr. in *Argentum.* neque aurum in pecunia cognitum ante Carthaginem, & Corinthum superatas. V. supr. in *Aurum.* Ovid. Fast. 1. 221.

Æra dabant olim, melius nunc omen in auro est,
Priscaque cencedit victa moneta novæ.

Adeo ut nec plumbeos, nec stanneos nummos priscos illos habuisse legamus in lege Cornelia de falso. V. illam sups. in *Lex.* quanquam plumbei pro vilissimis, & quasi nullius pretii rebus nummi usurpentur apud Plaut. Trin. iv. 2. 119.

—— Eine aurum crederem?
Cui, si capitis res siet, nummum unquam credam plumbeum.

Cas. iii. 3. 40.

Cui homini hodie peculi nummus non est, nisi plumbeus.

Mart. x. 74. 4.

Centum merebor plumbeos die toto.

Demster. l. l. Agric. de Pond. & tempesat. monet. ii. p. 294. Intelligit Martialis quadrantes æreos. Æs enim admiscebatur plumbo etiam publicè. Et inde *plumbeos nummos* per contemptum appellat æream *monetam*, cui plurimum plumbi admixtum. *Salmas. in Vopisc. Tacit. c. 9.* Non sunt audiendi illi, qui putant auctores illos per voces *plumbei nummi* non intelligere *monetam* è plumbo factam, sed talem, quæ penè nullius valoris, & pretii esset. Si hæc fuit sententia Salmasii, uti sanè esse videtur, *monetam* æream ab Imperatoribus Romanis cusam fuisse tempore Martialis, qui sub Domitiano vixit, liceat mihi ab ipsa dissentire, quoniam omnes Imperatorum Romanorum nummi, ferè usque ad ætatem Septimii Severi, nihil plumbi admixtum habent. Error iste huic viro facilè condonabitur, quoniam notitia hæc non ex libris, sed ex solo examine *monetæ* antiquæ æreæ comparari potest. Illi enim, qui studii hujus amore tenentur, cum *monetam* æream ante Septimium Severum cusam igni probant, nihil plumbi inde secerni deprehendunt. Aliter autem comparata sunt numismata post ætatem Severi cusa, quippe ex quibus guttulæ quædam plumbi, vel modico ignis calore, diversis in locis exprimuntur. Omnes, qui numismata antiqua collegerunt, viderunt absque dubio nummos antiquos plumbeos, eorumque nonnullos ego ipsemet possedi. Sed hoc non adeo mirum videri debet, quoniam Erasmus refert, suo tempore *monetam* plumbeam apud Anglos in usu fuisse. *Savot. ibid.* ii. 1. *Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c.* 2. Sciendum tamen est sub quibusdam Imperatoribus *monetam* fuisse electrinam. Lamprid. Alex. Sev. c. 25. *Alexandri habitu nummos plurimos figuravit: & quidem electreos aliquantos.* Hotoman. l. l. Agric. ibid. p. 277. Quosdam mihi præterea Romanos nummos ex agris suis effossos ostendit Princeps quidam, non ex metallo, sed leviore aliqua materia subnigra percussos: atque, ut mea fert opinio, ex succini genere: quod esse multiplex, copiosè simul, & eleganter docet Georg. Agric. de nat. foss. iv. Ut mihi suspicari liceat, electreos illos fuisse, quos commemoravimus: quandoquidem ἤλεκτρον Græci nomine generali succinum appellant. Fuit & aliud genus nummorum, sed ludicrum, ex lupinis aqua, ut opinor, maceratis percussum. *Hotman. l. l.* V. & supr. in *Lupinus.* Ut valeret, proba materia, & vultus Imperatoris ei impressus requirebantur. V. jam dicta. Falsa erat vetita legibus Romanis, nam peculatus id crimen vocatur. V. infr. in *Peculatus.* Falsæ damnati cremabantur. V. supra in *Crematio.* *Monetæ* malleatores, signatores, & suppostores suis locis.

Moneta vocatur etiam locus ipse cudendis nummis destinatus. Ita non semel in Cod. Theod. & Justin. In veteri urbis Constantinopoleos descriptione: *Monetam, portum Theodosiacum* . . . . . Ammian xxii. 11. *Ille quod aram in moneta, quam regebat, recens locatam evertit.* Sidon. c. 23. n. 40.

Delubris, capitoliis, monetis.

Lindenbr. in Ammianum. Savar. in Sidonium.

MONETALES Romæ erant magistratus, qui curam cudendæ *monetæ* habebant. Cicer. Fam. vii. 13. V. illos infr. in *Triumviri.*

MONETARII dicebantur, qui metallum tractabant, & signabant, l. 1. de fals. monet. C. qui in *moneta* operabantur, l. 6. §. 1. ff. ad leg. Jul. pecul. Egnatius in Annotationibus *monetarios* exponit vestium textores. Sed huic Suidas contradicit: *monetarii circa numisma operantes.* Buleng. de Vectig. c. 22. Demster. Paralip. ad Rosin. Roman. vii. 31. Rhodig. Ant. Lect. viii. 11. Horum totum corpus & schola erat, procuratoribus, & rationalibus subditum, hominum genus cum liberis, & uxoribus huic soli ministerio addictum, & obnoxium, l. 1. 7. 13. C. de mutileg. monet. & ab aliis dignitatibus remotum l. 6. C. de dignit. Eorumque tantus fuit numerus, & factio, ut Aureliano Imperatore, procuratore suo Felicissimo interfecto, adversus Principem se extulerint, unde grave bellum motum, quod vix exstingui potuit, Vopisco, Eutropio, Victore, Suida auctoribus. *Freher. in Anonym. de Re monet. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* xi. *p.* 1419. *D. Turneb. Adv.* xviii. 17. Qui quomodo monetas cudant, prolixiùs narrat *Agricol. de Pret. metal. p.* 266.

MONILE erat *ornamentum muliebre ex gemmis, quod ex collo dependebat.* Isidor. xix. 31. Παρατραχήλιον κόσμος Græcis dicitur. Et *monile* collo tribuit Virg. Æneid. 1. 657. V. illum supr. in *Baca.* Thys. in Gell. v. 5. Manut. Quæs. Epist. iii. 10. Muliebre esse scribit etiam Festus: *Monile est ornatus mulieris, qualem habuisse Eryphilam fabulæ ferunt.* Et inter torquem, & *monile* ita distinguit Isidorus, quasi torques sit propriè virorum, *monile* feminarum. *Torques,* ait, *& bullæ à viris geruntur, à feminis monilia, & catellæ.* Sed hoc nugatorium est. Nam de Aty juvene Ovid. Met. v. 50.

Indutus chlamydem Tyriam, quam limbus obibat
Aureus, ornabant aurata monilia collum.

A monendo etiam dictum volunt Grammatici. Et pro monumento usurpavit Tertull. Apolog. c. 16. *Monilia crucibus*

cium sunt, hoc est, crucis figuram repræsentant, atque ita crucis nos admonent. Quod si ergo à monendo est, idque quoniam admoneat virtutis, ut Grammatici exponunt, quomodo ad feminas pertinere possit? Quare nihil aliud *monilia* quàm *torques*. Etiam segmentum vocatur, V. illud infr. in *Segmentum*. Scheffer. de Torquib. c. 1. Pertinebat tamen magis ad feminas, & reprehenditur hic ornatus ut muliebris. Herod. v. 8. 2. *Contemnebant eum Romani milites, ut aureis monilibus haudquaquam viriliter ornatum*. Scheffer. ibid. c. 8. Erat etiam ornatus equorum, pendens à collo in pectus. Ovid. Met. x. 264.

Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo.

De equis Latini Virg. Æneid. VII. 278.

Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

Gell. v. 5. *Inducebat equitatum frenis, ephippiis, monilibus præfulgentem*. Grapald. de part. dom. 1. 8. §. 17. Fiebant ex gemmis, aurove. Senec. Med. III. 572.

—— est & auro textili
Monile fulgens.

Juven. Sat. VI. 589.

Quæ nudis longum ostendit cervicibus aurum.

Claud. in Rufin. I. 187.

—— cuicunque monile
Contextum gemmis, aut prædia culta fuissent.

Barthol. de Armill. vet. §. 1. Scheffer. ibid. c. 10.

MONITORES in campo vocabantur, qui castrensibus tyronum, & prætorianorum exercitiis præerant. Tertull. Apolog. c. 30. *Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus*. Et hoc nomen non tantum in tyrocinio valet, sed in heroibus, aliisque adolescentibus, qui artibus certis imbuendi *admonitione* rectoris alicujus indigerent. Pacat. Paneg. *Tibris quondam hospitis monitor Ænea*. Symmach. Epist. III. 13. *Nullam certè Nestor tertia ætatis suæ seculo militiæ vacationem poposcit, nec Achilli excusavit ætatis suæ frigus Phœnix monitor*. Eligebatur in hos usus ut plerumque, qui gravitate, morumque sanctitate, non modò præceptis, fervente, & in vitia præcipitem juventutem regere posset. Val. Flacc. I. 473.

Donat & Iphyclo pelagus, juvenumque labores
Æsonides, fessum Phylace quem miserat ævo
Non jam operum in partem, monitus sed tradat ut acres,
Magnorumque viros qui laudibus urat avorum.

Stat. Sylv. v. 3. 147.

Hinc tibi vota patrum credi, generosaque pubes
Te monitore regi.

Monitor ille tyronum Romanorum, sive magister exercitiorum in sequius officia obeuntes animadvertebat, eosque pro facti negligentia castigabat, non voce modò, sed & verbere. Claud. Honor. Consul. VI. 625.

—— infensus cum verbere signa magister.

Idque tractum à Græca consuetudine videtur insinuare Ælian. Var. hist. II. 6. *Hippomachus pugillandi magister, cum athleta quidam ex ejus discipulis specimen exhiberet artis, & circumstans multitudo universa plausum tolleret, percussit eum virga*. Demster. ad Rosin. Ant. Roman. v. 25. Meurs. Canter. & Potter. in Lycoph. n. 241. Barth. in Stat. Theb. XII. 205.

Monitores vocabantur custodes thalami. Stat. Theb. XII. 205.

Olim hic virginei custos, monitorque pudoris.

Tales additos puellis docent Sceledrus in Milite glorioso, Ovidius, Tibullus, & Propertius. *Monitor*, qui admonet decoris, & si quid oblitum, ejus recordari jubet. Ita libros commentarios *monitores*, qui subjiciant necessaria, dictos notat Festus: *Monitores dicuntur, & qui in scena monent histriones, & libri commentarii*. Barth. in Statium.

Monitores vocabantur nomenclatores, qui candidatis nomina civium, ut quisque occurrebat, suggerebant. Plin. Paneg. c. 23. n. 1. *Gratum erat cunctis, quod senatum osculo exciperes, ut dimissus osculo fueras: gratum, quod equestris ordinis decora honore nominum sine monitore signares.* Horat. Epist. I. 6. 50.

Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus.

Erat enim favoris conciliabulum, quemvis appellare nomine suo. *Cellar. in Plinium. Barthius in Statium.*

Monitores vocabantur in scena, qui actoribus verba suggerebant, si fortè memoria laberentur. Festus laudatus in *Monitores custodes thalami*. Plutarch. in Politic. *Imitari oportet histriones, qui monitorem audiunt, & tenorem, ac modum datæ sibi potestatis non egrediuntur*. Buleng. de Theatr. 1. 54. Casal. de Trag. & com. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 7.

Monitores etiam servi vocabantur domestici, qui rerum agendarum tempora dominis indicabant. Apul. Met. 11. p. 68. *Post hæc monitu famuli mei, qui noctis admonebat, jam & ipse crapula distentus, protinus exsurgo*. Et horum, qui *admonerent*, ingens videtur fuisse numerus apud homines nobiles, & fortunatos. Senec. de Brev. vit. c. 12. *Nec illos quidem inter otiosos numeraveris, qui sella se, & lectica huc & illuc ferunt, & ad gestationum suarum, quasi deserere illas non liceat, horas occurrunt: quos quando lavari debeant, quando natare, quando cœnare, alius admonet: & usque eo nimio delicati animi languore solvuntur, ut per se scire non possint, an esuriant*. Val. Max. VIII. 8. ext. 5. *Carneades cum cibi capiendi causa recubuisset, cogitationibus inhærens, manum ad mensam porrigere obliviscebatur, nisi Melissa*, monitrix domestica, *temperato inter studia officio, manum necessariis usibus aptasset*. Pignor. de Serv. p. 260.

MONITUS pontificum dicitur, ut deorum, vel vatum passim apud Poetas. In domesticis religionibus *monere* bonorum pontificum erat: in publicis quasi deorum numine afflati id agebant. Sic vota pontificum *monitu* suscipiebantur, aut sacra fiebant. De votis lapis Romæ:

PONTIFICUM
MONITU
VOTO
SUSCEPTO

Guther. de vet. jur. pont. I. 24.

MONOBOLON erat saltus singularis. Juvenes enim *cursu, & saliendo sese exercebant*. Plaut. Bacch. III. 3. 24. Justinianus Imperator l. victum C. de aleator. *Duntaxat ludere liceat* μονοβόλον, id est, *cursu exerceri, & certare*. Qui lusus à casu pendentes cum sustulisset, aliquod genus ludorum substituit, qui virtutis causa susciperentur, & ad corporis exercitationem maximè facerent. Phot. Nomocan. c. 29. *Solum autem ludere licet monobolum*. Ubi Balsamon in Scholiis: *Scito, quod monobolum dicitur cursus*. Souter. de Aleat. III. 7. Meurs. de Lud. Græc. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 977. E. Buleng. de Lud. vet. c. 26.

MONOCROTA voco navigia, quæ unum, aut duos versus remigum habent eadem altitudine stantes, aut in ejusdem altitudinis transtris sedentes. *Monocrota*, quæ simplicem remorum versum habent, duum generum sunt: quippe unus remex, aut remo uno naviculam ab uno latere impellit; quod fit in monoxylis, seu lintribus: aut duobus remis, singulis videlicet ab utroque naviculæ latere remigant. *Meibom. Fabric. trirem. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* XII. *p.* 570. *B.* Quis est quæso, qui *monocrota* usurparit unquam de monoxylis, seu lintribus? Dicta sunt *monocrota*, ut dicrota. Dicrota naves ordinum duorum. Erunt ergo & *monocrota* naves ordinis unius, quales aliàs moneres Græcis sunt vocatæ. Ideo Strab. VII. Ἀπὸ μονοκρότου μέχρι δεκήρους. Sicut δεκήρης navis decem ordinum, sic μονόκροτος unius ordinis, neque unquam quisquam usurpavit de navigio, in quo unus tantum remigat. *Opel. de Fabric. trirem. Thes. Grav. ibid. p.* 695. *C.*

MONOLINUM *de albis*, ut legendum est apud Capitol. Maximin. jun. c. 1. est filum unum, quo margaritæ insertæ sunt; nam albæ sunt margaritæ. *Monolinum* Latinè liceat una voce appellare unifilum. Μονόμιτον scribitur in Glossis, quod idem esse puto quod μονόλινον. Nam & filum, & linum dicitur, quo intricabantur margari-

gari-

garitæ. Sic & *τρίλινον*, *trifilum*, quod ex trinis erat filis margaritarum. Erant etiam ex quaternis, quæ *τετράλινα* dicebantur. Glossæ: *τετράλινον*, *quadrifilum gemmarum*. Ἰσόλινα autem vocabant, cum margaritarum fila erant paria, hoc est, cum margaritæ filis innexæ ejusdem, & ad amussim paris magnitudinis, & rotunditatis erant: quod etiam hodieque studiosè observant damnosæ mulieres. *Filopares* vocat Anastas. in Gregor. IV. *Albas majores numero viginti & novem, alabandinas majores numero viginti, albas modicas habens circum capitis coronam deversi filopares*. Salmas. & Casaub. in Capitolinum.

ΜΟΝΗΜΕ'ΡΙΟΝ quidam spectaculum fuisse putant, quo feræ cicures tantum, & mansuetæ exhibebantur, quasi *μόνα ἥμερα θηρία* sola mansueta animalia dicerentur. Leon philosophus *εἰς τὸ μονημέριον*. Floril. Epigram. I. 4.

Sagittarie, Musarum rex, eminus jaculans, Apolle,
Dic sorori, validas ut feras excitet,
Quæ tantum tangant hominum corpus, quæ accedant
Populi delectati divinum os: neque unquam videam,
Jovis clementis thronum assecutus, alicujus viri mortem.

Pessimè. *Monomerium* fuit spectaculum unius diei. Novell. 105. *Buleng. de Venat. circ. c. 25. Augustin. de Legib. in Julia de vi publica.*

MONOPHAGIA est vitio data. Athen. I. p. 8. E. *Veteres soliti sunt μονοφαγεῖν. Antiphanes: Solus jam comedis, & me lædis. Amicipsias: Abi Morbonium monophage.* Aristophanes *μονοφαγίστατον* vocat hominem profundæ gulæ, qualis fuit Albinus Cæsar. *Buleng. de Conviv. I. 6. Rhodigin. Ant. Lect.* XXVII. 24.

MONOPODIUM erat mensa, quæ uno pede sustinebatur. Hæ ea tempestate pulcerrimæ, lautissimæque censebantur. Liv. XXXIX. 6 de triumpho Cn. Manlii Vulsonis: *Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in Urbem est. Ii primum lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnifica supellectilis habebantur, monopodia, & abacos Romam advexerunt*. Plin. XXXIV. 3. V. illum supr. in *Lectus triclinaris*. Turneb. Adv. I. 25. Rhodigin. Ant. Lect. VII. 12. Falconer. de Pyram. C. Cestii Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. IV. p. 1471. C. Auctor Misc. dei. pro Salmas. ad jus Attic. & Roman. p. 489. 503. Blond. Triumph. Rom. IX. p. 184. F.

MONOPOLIUM est, si certæ personæ, vel certo corpori concesserit Princeps, ut ei soli jus sit vendendæ alicujus mercis, sub onere conferendæ in fiscum pensionis. Strab. XVII. *Rerum gravis pretii vectigalia. Habent enim monopolia*. Cassiod. Var. II. 4. *Antiochum filiquatici, vel monopolii titulos exercentem*. 30. *Quatenus nec monopolii, nec filiquatici, nec auraria aliquid pensionis impendat, vel quodlibet gravamen ex permissa nundinatione sustineat*. Buleng. de Vectig. cap. 55. Turneb. Adv. XXVIII. 6. Guther. de Offic. dom. August. III. 23. Grapald. de Part. dom. II. 3. §. 45. Illa omnia prohibuit Zeno Imperator C. de monopol. *Probibemus, ne quis cujuscunque vestis, vel piscis, vel pectinum forte, vel echini, vel cujuslibet alterius ad victum, vel ad quemcunque usum pertinentis speciei, vel cujuslibet materiæ, pro sua auctoritate, vel sacro jam elicito, aut in posterum eliciendo rescripto, aut pragmatica sanctione, vel sacra nostræ pietatis admonitione, monopolium audeat exercere* . . . Et: *Si quis monopolium ausus fuerit exercere, bonis propriis exspoliatus perpetuitate damnetur exilii*. Cujac. Observ. X. 19. XVI. 23. Thys. de Republ. Athen. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. V. p. 1371. A. Collat. Attic. & Roman. leg. Thes. Gronov. ibid. p. 1383. A. Buleng. & Guther. l. l.

ΜΟΝΟ'ΞΥΛΟΝ, *monoxylus* est navis species ex solo ligno confecta, ut etiam vox ipsa indicat. Veget. III. 7. *Sed commodius repertum est, ut monoxylos, hoc est, paullo latiores scaphulas, ex singulis trabibus excavatas, pro genere ligni, & subtilitate levissima, carpentis secum portet exercitus*. Ejus meminit etiam Pollux. I. 9. I. Hoc genus navis *ἄδριον* Cyprii vocant. *Μονόξυλον* quidem epithetum est aliquando. Plin. VI. 23. *Regio, ex qua piper monoxylis lintribus Baracen convehitur, vocatur Cottonora*. Gyrald. de Navig. c. 18. Sed Plinius mihi suspectus de glossemate. Hujusmodi naviculas conficere usus Britanniæ Cæsarem docuit, iisque in Hispania est usus. Cæsar. Bell. civ. I. 54. *Imperat militibus Cæsar, ut naves faciant, cujus generis eum superioribus annis usus Britanniæ docuerat*. Stevvech. in Vegetium.

ΜΟΝΟΧΙ'ΤΩΝ Græcis est sola tunica amictus. Plutarchus in Antonio de Cleopatra loquens, quæ valetudine affecta, in lectulo jacens, ut Augustum adventantem rescivit, tunicata exiliit obviam, seque ad pedes ejus stravit, & abjecit: *Ipsa jacebat in lecto sordido: ingredienti ipsi unica amicta tunica exiliens accidit*. Bays. de Re vest. c. 12.

MONTIUM magna olim veneratio, inque iis exstructæ aræ, & templa, ut satis superque ex historia, tam sacra, quàm profana patet, plerisque numinibus fuerunt. Inde apud Philostr. de vit. Apollon. I. 2. Caucasum *θεῶν οἶκον* vocant. Persæ apud Herod. I. p. 131. *Editissimis quibusque conscensis montibus Jovi hostias immolant*. *Montinus*, qui *montibus* præest, deus occurrit apud Arnob. IV. p. 132. *Quis Montinum montium deum esse credat?* Mater Galerii Maximiani *deorum montium cultrix, & mulier admodum superstitiosa* dicitur Lactant. de Mort. persecut. c. 11. *Dii montenses* in inscriptione veteri celebrantur apud Gruter. p. 21.

ARAM. JOVI. FULGE
RATORIS. EX. PRECEP
TO. DEORUM. MON
TENSIUM. . .

Quæ quia Romæ inventa, videntur significati dii, qui septem ejus *montibus* præsidebant; quorumque in honorem institutum fortè est factum *Septimontium*, quod celebrabatur a *Montanis*. V. illos infr. in *Montani*. Cuper. Apoth. Homer. p. 15. Spanhem. in Callim. Hymn. in Delum n. 70. Columb. & Baudri in Lactantium.

Mons Aventinus. V. illum supr. in *Aventinus*.

Mons aureus. V. illum supr. in *Janiculum*.

Mons Caballus nunc dicitur collis Quirinalis à duabus statuis marmoreis Alexandri Magni Regis Macedonum, equum Bucephalum domantis, quas Alexandria Constantinus Imperator Romam transtulit, atque in medio thermarum à se in Quirinali exstructarum collocavit, quarum altera Phidiæ, altera Praxitelis manu factæ sunt, ut titulus indicat. *Pavin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p. 274. E.* Sed Phidias & Praxiteles ante Alexandri tempora vixerunt, & Alexandri res gestas exprimere non potuerunt, nec hæ statuæ Alexandrum figurarunt. Quod porro affirmant alterum à Phidia signum, alterum à Praxitele expressum, verisimile non est; centum enim circiter annis inter se artifices distant: utraque verò signa ex eadem officina produsse sculpturæ periti observant: nec debuerat Castor Olympiade 83. à Phidia effingi, & Pollux à Praxitele Olympiade 104. Juvenum enim hæc equos frenantium colossea signa Castoris certè ac Pollucis sunt, pro typo æternitatis posita, ut in nummo Maxentii videre est. Non immeritò tamen præstantissima opera, quæ miraculo habentur, eximiis sculptoribus adjudicata fuere Constantini seculo: tituli namque in veteri basi recentiores sunt: ac Latino, non Græco idiomate inscripti, ut erat in more positum sculptoribus Græcis, per omnia, quæ adhuc erant, simulacra. Ex eo verò loco translatæ sunt à Sixto Quinto Pontifice maximo ad aream contra pontificii palatii vestibulum, sua utrique subjecta basi, priscisque titulis restitutis. Fulvius II. docet, equos marmoreos contra palatium Pontificis constitutos advexisse in Urbem Tiridatem Armeniorum Regem. Atqui legitur apud Sext. Rufum, & P. Victorem equos Tiridatis fuisse æneos. Hi verò sunt marmorei. V. supr. in *Equus æneus*. Donat. de Urb. Roman. III. 15. Nardin. Rom. Vet. IV. 6.

Mons Capitolinus. V. illum supr. in *Capitolinus*.

Mons citatorius, sive citorius vicinus Horologio, retro S. Laurentii in Lucina sua habet initia. Blond. Instaur. Roman. II. §. 71. eum in principio appellatum putat *montem* citatorum, eosque, qui in comitiis dato suffragio

gio è feptis campi Martii exibant, eò se recepisse, ne cæteris essent impedimento. Verùm præterquam, quod nil ejusmodi apud veteres legatur scriptores, ne speciem quidem habet veri, quum fieri nequiverint, ut tantillus collis omnes populi Romani ceperit centurias à suffragiis datis illuc se receptantes. Sed nec alia in proximo loca plana, & commodiora, capacioraque tantæ deerant multitudinis. Fulvius eum vel citatorium appellat à citandis tribubus, vel acceptorium ab acceptandis suffragiis, aut etiam septorum à proximis septis: creditque eum ex egesta terra natum, quum columnæ Antoninianæ in vicinia jacerentur fundamenta. Sed in eo dissentientem habet Marlianum, cui Topogr. Urb. Roman. v. 4. probari non potest, locum tam celebrem, publicisque usibus destinatum, tanta effossæ telluris mole à tam pio Imperatore fuisse occupatum. Sed nec mihi verisimile videtur, jaciendis illius columnæ fundamentis tantum terræ egestum, ut hunc collem efficeret, qui sine dubio tum temporis, non secus ac cæteri, multò quàm nunc, fuit editior. Marlianus rudera potiùs ingentis ædificii istuc accumulata censet: cujus tamen aliqua, ut theatri Marcelli, si non hac nostra, saltem avorum, proavorumque memoria, & ante centum, ducentosve annos exstare debuissent vestigia. Nam Blondi quidem ætate collis erat, dicebaturque: & ædificium tam altum, tamque splendidum, magnificum, ac sumptuosum, quantum ex istiusmodi conjectandum foret ruderibus, tam facilè in cineres dilabi non potuit. Contra ea videtur potiùs alter de duobus esse campi collibus, quos Strabo in vicinia, seu ripa fluminis collocat. Nam fabula quidem illa vulgi ore trita, Agrippam scilicet ea terra Pantheon opplevisse, quo ei hemisphærium imponeret, nimis quàm anilis est. Sphærica namque templorum condendi ratio Romæ ab antiquissimis temporibus fuit cognita, diu ante Augustum, & Agrippam ibidem usurpata, frequentataque, quorum ævo architectura ad summum jam pervenerat artis absolutæ culmen, adeo ut ad hemisphæria construenda nulla terræ, non secus atque nunc, aggestione opus fuerit. Sed neque fieri potuit, ut omnem illam terræ molem, quæ illud loci totum spatium occupat, quod inter aream Capranicam, & S. Laurentii ædem in Lucina interjacet, quæque & à vicinis, aliisque, varios ad usus, auferendo, & pluviarum detritu, plurimum deminuta est, interius Panthei spatium continuerit. Propiora videamus. Septa ei ab antiquariis vicina fuisse dicuntur, quamquam de situ ejus in diversa abeant. Tum ad animum revocentur hæc Macrob. I. 16. *Ea re candidatis usus fuit in comitium nundinis venire, & in colle consistere, unde coram possint ab universis videri.* Una hic omnium sententia est, Macrobium loqui de comitiorum tempore, quo candidati se populo in colle campo Martio vicino conspiciendos præbebant: & hunc collem Hortulorum esse putant, ubi nunc Ecclesia SS. Trinitatis in montibus conspicitur. At è tam longinquo loco quemquam à populo, etiamsi aquilina oculorum acie fuisset, dignosci potuisse tam à vero remotum est, quàm quod maximè: adhæc nulla, quæ conspectum impedirent, interjecta inter collem illum, & septa campi debuissent esse ædificia: quæ tamen illic plurima fuisse certò constat. Septa verò plerique in area columnæ Antoninianæ, aut saltem ad fontem Trevium fuisse statuunt. Animadverto, hic omnes in hunc errorem lapsos, quod nullus alius iis in proximo collis occurreret, quum tamen esse deberet. At quis propior, quis ad hanc rem aptior, quàm Citorius? Et Macrobii verba non tam de comitiis, in campo Martio habitis, quàm de nundinis accipienda sunt, quæ nono quoque die in foro celebrabantur: quo quidem tempore populus omnis ex agris in Urbem confluere solebat: ita ut candidati proximorum comitiorum, quo à populo conspicerentur, in comitium adscenderint, quod foro imminebat. Non obstat tamen, quo minus ipso comitiorum tempore candidati in colle omnium sese conspectui obtulerint. Quod si verò jam tum citorius collis extiterit, propior sanè, & ad rem aptior alius esse nullus potuit. At si tandem & hic, & Jordanus, in quo verisimilitudo major est, ex egesta terra exorti sunt, ne æqualis amœnissimi campi planities effossa exstruendis fundamentis terra devenustaretur, hoc tamen extra controversiam est, ætate Strabonis, qui sub Tiberio vixit, colles illic saltem duos exstitisse. Quare, sive *mons* citorius collis, sive egesta terra fuerit, sive ædificiorum rudera, indicium hoc nobis sufficiat fecisse, citorium collem illum, quam diximus, dextri campi Martii lateris partem occupasse. Appellatio ipsum vocis originem manifestè prodit. Centuriæ namque olim in campum convocatæ, singulæ ordine citari solebant à præcone, ut septa intrarent, & suffragia ferrent. Liv. XXVI. 22. *Tum centuria & auctoritate mota viri, & admirantium circa fremitu, petit à consule, ut Veturiam seniorum citaret. Velle sese cum majoribus natu colloqui, & ex auctoritate eorum consules dicere. Citatis Veturiæ senioribus, datum secreto in ovili cum his colloquendi tempus.* Hæc autem citatio nonnisi in loco editiore fieri potuit, quo præconis vox meliùs ab omnibus posset exaudiri. Porro in ædibus Caroli Eustachii adversus monasterium *montis* citorii permagna columna vetus est maximam partem terra obruta, quam complures columnam fuisse citatoriam existimant. Quod si verum est, situs sane nullus aptior esse potuit, nimirum in ipso campi margine, & collis clivo, ad introitum septorum. Verùm ad porticum illam quondam Europæ pertinuisse multò mihi videtur verisimilius. *Nardin. Roman. vet.* VI. 6.

Mons Cœlius. V. illum supr. in *Cœlius*.

Mons crucis sanctæ vocatur *mons* arduus, & accessu difficillimus, prope locum, qui Julium Carnicum dicitur. In medio hujus adscensu occurrit rupes præerupta, & in ea callis valdè angustus, olim Julii Cæsaris jussu à militibus Romanis excisus. Hoc colligitur ex reliquiis epigrammatis insculpti in præcipiti saxo, cujus literæ vetustate sunt abolitæ, reliquis solum primis, quæ legi possint, hisce:

C. JULIUS. CÆSAR.

Alii hanc inscriptionem pleniorem exhibent, quam dicunt esse in Forojuliensi regione, medio ferme *montis* crucis adscensu, præcipiti saxo incisam, apud Gruter. p. 149. n. 2. hoc modo:

C. JULIUS. CÆSAR. VIAM. INVIAM
SOLERT. S. ET. IMPENDIO. ROTAB
REDD

Bergier. de viis milit. III. *Sect.* 33. §. 3.

Mons Exquilinus. V. illum supr. in *Exquilinus*.

Mons Jordanus appellatur, cujus posteriorem partem ducum Ursinorum peramplæ occupant ædes. Aliæ eorundem ad imum ejus colliculi, & carceres olim circi agonalis: reperto cum struerentur, in fundamentis simulacro, quod Pasquinium vocant. *Donat. de Urb. Rom.* IV. 11.

Mons Jovi Gallis, *monte* Jovis appellantur Alpes Penninæ. V. supr. in *Alpes*.

Mons Palatinus. V. illum infr. in *Palatinus*.

Mons Pietatis Romæ hodie publica domus est, designatque idem, quod apud Belgas *Banck van Leeninge*, aut *Lombarden*. *Borrich. Antiq. Urb. fac. cap.* 12. §. 1.

Mons Querquetulanus fuit dictus Cœlius. V. supr. in *Cœlius*.

Mons Quirinalis. V. illum infr. in *Quirinalis*.

Mons sacer fuit trans pontem salarium, in quem plebs Romana patriciis irata secessit. Anieni vicinum fuisse tradit Dionys. VI. p. 375. *Montem quendam prope Anienem fluvium occupant, non longè ab Urbe, qui nunc inde vocatur mons sacer.* Clarius Val. Max. VIII. 9. 1. *Regibus exactis, plebs dissidens à patribus, juxta ripam fluminis Anienis in colle, qui sacer appellatur, armata consedit.* Quare non alium fuisse, quam qui hodie trans pontem salarium consurgit, præceps etiam nunc, pro certo affirmare ausim. Plin. XIX. 4. *Nemora sacros, Aventinosque montes, & iratæ plebis secessus circumspexerunt.* Nardin. Rom. Vet. IV. 4. Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 278. A. Fabric. Desc. Urb. Rom. c. 3. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 7. §. 9.

Mons

Mons Speluga est idem, quem Rhæti appellant Colmen del Orso, situs prope montem Adulam, Abduam, aut Abuam, quem iidem nominant Colmen del Olcello, Itali Montbrajo, aut Montgrajo, per quem Spelugam à Rhætis itur Bellinsonium. Pagus est celebris Speluga, qui monti nomen dedit, distat Curia 36. & Clavenna 27. milliaribus. *Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 32. §. 9.

Mons testaceus appellatur collis in campo Figulino ex fractis figulorum testis congestus, formam habens cucurbitæ. *Fabric. Descr. Urb. Roman. c.* 8. *Aring. Rom Subterr.* III. 1. 5. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 19. *Marlian. Topogr. Urb. Roman.* IV. 1. In circuito suo fere duo millia passuum continet, & in altitudine plus quàm centum & sexaginta pedes. Fragmenta hæc figuli eam Urbis partem circa flumen incolentes congesserunt: ne si in Tiberim projecta essent, fluvii cursum impedirent, vel si in agros vicinos essent exonerata, locorum obessent fertilitati. *Boissard. Topograg. Urb. Roman. Tom.* 1. *p.* 16. *Fauans Antiq. Urb. Roman.* III. 3. *Schott. Itiner, Ital. p.* 388. Mirum, unde tanta copia figlinorum operum: nec satis causæ affertur, cur in eum locum comportata, & in cumulum coarcervata fuerint. Fictilium quidem ibi reliquiæ congestæ conspiciuntur; sed cur in collem creverint, alii probabiliter, si licet, exponant. Nam de eo perpetuum apud antiquos silentium. Quidam Romæ opinantur factum è fragmentis urnarum, quæ olim fiebant ad excipiendos cineres crematorum corporum, & magna copia, diversaque figura quotidie non solum è vineis, sed tota Romana planitie effodiuntur. Sed an verè in unum coacervatæ locum, cur, quandoque fuerint, dicere non possunt. *Donat. de Urb. Roman.* III. 13. Alii crevisse ex urnis, aliisque testaceis, in quibus imperio subditi Romani populi tributa Romam pertulissent. Et nos quidem eam famam esse falsissimam certiùs probare possumus, quàm quo auctore, qua institutione id factum sit, edocere. Quantum verò attinet ad famæ falsitatem, norunt mecum, qui Romanorum gestas res legerunt, consuevisse quæstores in provincias missi, quibus curæ esset tributa exigere, & sive legionibus in stipendia distribuere, sive in ærarium Romani referre. M. Cato Uticensis quæstor in Asiam, in Cyprumque missus, habita à provincialibus tributa, non fictilibus urnis gessit, quas homo legum observantissimus in testacei *montis* exaggeratione confringeret: sed tenacissimo consutos corio sacculos in summa navis puppi gestavit, subere ea ratione longissimis alligatos restibus, ut si ipse cum nautis naufragio periisset, supernatans suber ostenderet in fundo depositum. Ita de illo Plutarch. p. 777. E. *Blond. Instaur. Roman.* III. §. 74. *Schott. l. l.*

Mons Vaticanus. V. illum infr. in *Vaticanus*.

Mons Viminalis. V. illum infr. in *Viminalis*.

MONSTRUM definire licet cum Paullo, quod contra formam humani generis converso more procreatur, l. 14. non sunt liberi ff. de stat. hom. vel ex Ulpiano, si quid mulier ediderit, vel inæquale visu, vel vagitu novum, non humanæ figuræ, sed alterius magis animalis quam hominis partum, l. 135. quæreret aliquis ff. de V. S. Partus *monstruosus*, simul ac natus esset, debuit necari. Indicat Cicer. de Leg. III. 8. *Deinde cum esset cito necatus, tanquam ex* XII. *tabulis insignis ad deformitatem puer*. Fuit autem similis lex inter regias Romuli, ut apparet ex Dionys. II. p. 88. Indeque decemviri hoc caput etiam in XII. tab. transtulerunt. Sic etiam apud Thebanos lex fuit, teste Ælian. Var. hist. II. 7. Huc pertinent illa Ennii apud Non. IV. 36.

Mihi ausculta, nate, pueros cremari jube.

Huc quoque proverbium pertinet: *Monstrum in ultimas terras deportandum*. Videtur autem posterioribus temporibus hic mos necandi *monstra* tanquam nimis crudelis abiisse in desuetudinem: & ipsa quidem in vivis relinqui cœpisse; verumtamen ita, ut liberorum loco non haberentur, neque matri suæ prodessent in Scto Tertulliano ad successionem, d. l. non sunt liberi, ff. de stat. hom. Paull. Sent. IV. 9. §. mulier: *Matri*, inquit, *si monstrosum aliquid, aut prodigiosum enixa sit, nihil proficit*. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 1. c. 10. Laurent. var. sacr. gentil. c. 17. *Monstra* & ostenta hostiis solebant procurari: idque ex consilio, & præscripto augurum, & aruspicum, quindecimque virorum, qui libros Sibyllinos super hac re adibant, & inspiciebant: ut scilicet averruncaretur malum, quod illa minabantur. Cicer. de Divin. I. 2. *Cumque magna vis videretur esse in monstris interpretandis, ac procurandis in aruspicum disciplina*. Phædr. III. 3. 11.

Si procurare vis ostentum rustice.

Rittersh. in Phædrum.

MONTANI dicebantur, qui Romæ in *montibus* habitabant. Cicer. pro dom. c. 28. *Nullum est in hac Urbe collegium, nulli pagani, aut montani, qui non amplissimè non modo de salute mea, sed etiam de dignitate decreverint*. Turneb. Adv. III. 3. Cuper. Apoth. Homer. p. 15. Lomej. de Lustrat. c. 30.

MONTINUS dicebatur *montium* deus. V. illum supr. in *Montium veneratio*.

MONTORIUS. V. illum supr. in *Janiculum*.

MONUMENTUM dicitur quælibet res, quæ ad nominis æternitatem paratur. Festus: *Monumentum est, quicquid ob memoriam alicujus factum est, ut fana, porticus, scripta, & carmina*. Ictus Florent. Instit. VII. *Monumentum generaliter res est memoriæ causa in posterum prodita, in qua si corpus, vel reliquiæ inferantur, fiet sepulcrum*. Cicer. Fragm. Epist. *Sed ego, quæ monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor: ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quàm ad præsentis temporis gratiam*. Eleganter Cicer. pro Sext. c. 67. *L. Opimius, cujus monumentum celeberrimum in foro, sepulcrum desertissimum in littore Dyrrachino relictum est*. Quod pro cenotaphio accipi non potest: nec enim in foro, aut in Urbe sepulcrum, aut cenotaphium exstruere licebat. *Kirchman. de Fun. Rom.* III. 10. *Guther. de Jur. man.* II. 18. *Faes in Gyrald. de var. sepel. rit. c.* 9.

Monumentum differt à sepulcro, in quo corpus conditum est, & quod per cadaveris illationem religiosum fit: *monumentum* verò quodcunque opus, aut ædificium transmittendæ ad posteros memoriæ causa factum, l. 2. §. 6. ff. de religios. & sumpt. fun. *Monumentum est, quod servandæ memoriæ gratia exsistit*. Florentinus modò laudatus. Hinc virorum prisci ævi illustrium plura subinde occurrunt *monumenta*, inter quæ unum verè sepulcri nomen habere potuit. Sic Dionys. I. p. 44. narrat Æneam ita sibi conciliasse hominum benevolentiam, ut, *postquam inter mortales esse desierit, multis in locis monumentis honoratus sit, & sepulcris honorariis: nec enim alias facilè causam afferri posse, cur tot exstent per Italiam*. Bergier. de viis milit. II. Sect. 34. 11. Guther. de Jur. man. II. 18. Ferret. Mus. Lapid. IV. Memor. 27. Almelov. Ant. p. 55. Freher. Parerg. I. 25. Laz. Comm. Reip. Roman. III. 18. Non solum in locis privatis, sed etiam in viis publicis exstruere solebant, ut transeuntes, & iter facientes, defunctorum titulos, & elogia legerent, mortuisque terram levem, quæ illorum cineres tegeret, precarentur: & ut viatores mortalitatis admonerentur. Varr. de Ling. Lat. V. 6. *Monumenta ideo secundum viam, quo prætereuntes admoneant, & se fuisse, & illos esse mortales*. Quàm pulcer iste aspectus viantibus? quanta & seriorum, & jocorum materies? Illic illustrium ingeniorum, aut clarorum virorum memoria, & inscriptio: alibi libertorum, servorum, scortorum superba *monumenta*. Mirari, dolere, illudere, etiam detestari occasio erat: & quid in tot titulis, & inscriptionibus pascit? Pertinent huc inscriptiones, quibus viatores, vel hospites solent compellari: ut ASPICE VIATOR, CAVE VIATOR, & similes. Harum celebriores fuerunt Appia, Aurelia, Flaminia, Latina, Lavicana, Laurentina, Ostiensis, Prænestina, Salaria, Tiburtina. *Bellor. Pict. Sepulcr. Nason. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XII. *p.* 1031. *Lips. Admir.* III. 10. *Kirchman. de Funer.* II. 22. *Morestell. Pomp. Feral.* XII. 13. *Ferret. & Almelo v. l. l.* An locari potuerit, videamus. Illam prohibet lapis Brundisii apud Gruter. p. 811. n. 5.

. . . .
NEQUE. ULLI. LIQUEBIT. LOCATIO
NIS. CAUSA. IN. ANNIS. CENTUM.

QUANDOQUE. TRANSVENDERE. QUOD. SI. QUI ADVERSUS. IT. FECERINT. EORUM BONA. PERTINERE. DEBEBUNT AD. REMPUBLICAM. BRUNDISINORUM

Quæ quia prohibet, ne ulli liceat locationis causa in annos centum quandoque transvendere, locationem permissam satis ostendit earum quidem rerum, quæ *monumenti* tutelæ cedebant, quas qui conduceret, *manceps monumenti* dicebatur. *Guther. ibid.* III. 7. In partes quandoque secabantur secundum jus, quod in illis quisque haberet. Docent hoc inscriptiones, in quibus pars dimidia *monumenti* concessa aliquando est. Gruter. 614. 11. Romæ:

CURTIA. C. L. PRAPIS
CUI. PARS. DIMIDIA. HUJUS
MONUMENTI. CONCESSA. EST. AB
C. MOECENATO. HELIO.

Vir, & uxor in parte dimidia viventes sibi *monumenta* compararunt, hoc modo distincta. Grutter. *p.* 672. *n.* 14.

D. M.
C. STATILIUS
PROCULUS
SE. VIVO. FECIT. SIBI
ET. CLAUDIÆ. HE
LIADI. CONJUGI. KA
RISSIMÆ. IN. PAR
TE. DIMIDIA. ET. LI
BERTIS. LIBERTA
BUSQ. SUIS. POSTERISQ
EORUM

Guther. ibid. II. 24. *Kirchman. ibid.* III. 14. Quotannis floribus ornabantur. V. supr. in *Flores*. Alienationes, & venditiones prohibebantur. V. infr. in *Sepulcrum*. Qui contra defunctorum voluntatem alienaverant, solvebant pœnas, certam summam pecuniæ inferendæ arcæ pontificum. Idque titulus cavebatur: SI. QUIS. HOC. SEPULCRUM. VEL. MONUMENTUM. CUM. ÆDIFICIO. UNIVERSO. POST. OBITUM. MEUM. VENDERE. VEL. DONARE. VOLUERIT. VEL. CORPUS. ALIENUM. INVEHERE. VELIT. DABIT. POENÆ. NOMINE. ARCÆ. PONTIFICUM. HS. C. ET. CUI. DONATUM. VEL. VENDITUM. FUERIT. EADEM. POENA. TENEBITUR. Altera inscriptio: SI. QUIS. CONTRA. HANC. INSCRIPTIONEM. FECERIT. INFERET. POENÆ. NOMINE. ARCÆ. PONTIFICUM. L. H. H. M. ET. LOCIS. S. S. C. M. A. *Brisson. de Form.* VII. *p.* 703. *Ferret. ibid.* I. 43. Interdum sibi duntaxat faciebant, quæ nulli alii patere, & vel hæredibus suis claudi volebant. Ejus rei ergo districtè vetabant, ne quis eo inferretur, pœna quandoque addita, ut patet ex inscriptionibus:

IN. H. S. SIVE. LIBERT. SIVE. LIBER. INFERATUR. NEMO: SECUS. QUI. FECERIT. MITEM. ISIDEM. IRATAM. SENTIAT. ET. SUORUM. OSSA. ERUTA. ATQUE. DISPERSA. VIDEAT.

Aliàs cavebant, ne hæredem quemcunque sequeretur, quod fiebat his verbis: HOC. MONUMENTUM. HÆREDEM. NON. SEQUITUR. Quandoque hæredem duntaxat extraneum arcebant in hunc modum: HOC. MONUMENTUM. EXTERUM. HÆREDEM. NON. SEQUITUR. vel HOC. MONUMENTUM. EXTERUM. HÆREDEM. NON. RECIPIT. Quæ verba his plerumque notis scribuntur: H. M. E. H. N. S. & H. M. E. H. N. R. *Brisson. ibid. p.* 702. *Turneb. Adv.* v. 15. *Laz. l. l.* Facere unicuique liberum fuit, reficere sine pontificum permissu fas non fuit. Ulpian. l. 5. tit. 8. ff. de mort. infer. *Si in eo monumento, quod imperfectum esse dicitur, reliquia hominis condita sunt: nihil impedit, quominus id perficiatur. Sed si religiosus locus jam factus sit, pontifices explorare debent, quatenus, salva religione, desiderio reficiendi operis medendum sit.* Vetus lapis Romæ apud Gruter. p. 518. n. 4.

T. ÆLIUS. SENTINIANUS. PETIT. A. PONTIFIC. UT. SIBI. PERMITTERENT. REFICERE. N. MONUMENTUM. JURIS. SUI.

Corruptum tamen, *& lapsum, corporibus non contactis, licebat reficere.* Marcian. l. 7. ff. de sepulcr. viol. Qua ratione motus Germanicus cum *tumulum Varianis legionibus structum, & veterem aram Druso sitam disjectam invenisset, restituit aram, tumulum iterare haud visum*, apud Tacit. Annal. II. 7. 3. Tumulum enim sine decreto pontificum, vel jussu Tiberii Principis, & pontificis maximi non licebat reficere, cui minùs grata exstructio prima tumuli fuerat. Tacit. Annal. I. 62. 3. *Guther. de Vet. jure pontif.* II. 9. *Struv. Ant. Roman. c.* 12. *p.* 588. De . . . , impensa quæsitum est, an deduci debeat? Et Sabinus deducendam putat, si necessarium fuerit *monumentum* exstruere. Marcellus consultus, an funeris, *monumentique* impensa, quantam testator fieri jussit, in ære alieno deduci debeat: respondit non amplius eo nomine, quàm quod funeris causa consumptum sit, deducendum. Nam ejus, quod in exstructione *monumenti* erogatum est, diversam esse causam. Nec enim *monumenti* ædificationem ita necessariam esse, ut funus, & sepultura idcirco eum, cui pecunia ad faciendum *monumentum* legata sit, Falcidiam passurum, l. 1. §. fin. ff. ad leg. Falcid. Nec amplius concedendum erit, quàm quod sufficiat ad speciem modicam *monumenti*, l. 2. ff. eod. Impensa ergo *monumenti* inter funeris sumptum non ita numeratur, ut omne creditum præcedat, quamvis testatio jussu facta sit. Sed si æs alienum non impediat, hæredes hanc deducere debent familiæ erciscundæ judicio: & si non possit, funerariæ locus erit ad impensam recipiendam. *Guther. de Jur. man.* III. 21. V. & infr. in *Sepulcrum*.

Monumentum sub ascia. V. illud supr. in *Ascia*.

Monumentum extra sortem dicitur in inscriptione, quæ Ravennæ in Italia:

FI. DICAT. CINERES. ET. OSSUA. LAODICEÆ. PHILOCAPTÆ. SITA. HIC. SUNT. PERPETUÆ. MEMORIÆ. PAOTI. ET. INFAMIÆ. CAUSA. SUÆ. INSATIABILI. VENERE. EXHAUSTA. SUBTER. VIVO. VIRO. MORTUA. EST. XIX. AN. XXIII. MENS. VIII. D. V. INFELICISSIMI. PARENTIS. TACITI. NOMINE. EXTRA. SORTEM. AD. RUDERA. POSUERE.

Quod quale fuerit, non satis intelligo, nisi fortè *monumenta* extra sortem cippi militares fuerint, militi non missa sorte promiscuè in agris, neque pedum adhibita mensura, vel his, qui notam habebant infamiæ, in locis abditis concessi: quod hodie his fieri solet, qui sibi mortem consciscunt. *Laz. Comment. Reip. Rom.* III. 18. Cujus interpretationem Guichardus respuit, & hoc loquendi genus deducendum putat ab agrorum designatione; quæ fiebat iis, qui in colonias deducebantur. Nam auctores divisionum leges quasdam colonis describebant, quibus cippi, sepulcrave cineribus deputarentur. Et cum singulis pars agrorum assignata esset, quæ sepulcra familiaria contineret, qui extra partem illam familiæ assignatam sepultus esset, & in alieno fundo positus, *extra sortem* jacere dicebatur. Guichardi opin in epistola M. Bruti juvatur apud Cicer. Fam. XI. 20. *Æqualiter, aut sorte agros legionibus assignari puto oportere.* Sed verius est *extra sortem* significare extra sacra, & gentem. Nam sortis nomen à Latinis auctoribus pro genere, & gente usurpatur. De Junone Ovid. Fast. VI. 29.

Si genus adspicitur; Saturnum prima parentem
Feci: Saturni sors ego prima fui.

Et sors patrimonium est. Festus. A quo consortes fratres, qui patrimonium non diviserunt, & ad quos eadem sors pertinet. Varr. de Ling. Lat. v. 7. Cicer. Verr. III. 23. *Ex agris tres fratres consortes profugerunt.* Sors, Græcis *κλῆρος* hæreditolum, prædium, seu fundus est. *Extra sortem* ergo est extra familiæ sepulcrum, extra sacra, & gentem, quod fas negabant esse; idque Torquatus in gente

Popilia

Popilia judicavit. Cicer. de Leg. II. *Guther. de Jur. man.* II. 25.

Monumentum functum est non in quod corpus illatum est solum, sed in quo justæ sepulturæ traditum est, l. 43. ff. de rei vindic. *Si nondum functo monumento, in hoc detracti erunt, ut alibi reponerentur, poterunt à domino vindicari.* Guther. de jur. man. III. 4.

Monumentum honorarium. V. illud infr. in *Tumulus honorarius.*

Monumenta Æmilia dicuntur basilica Paulli. Non enim unius Æmilii opus. Æmilius Paullus, qui postea cum C. Marcello cos. duas basilicas, veterem refecit, novam locavit. Cicer. Attic. IV. 16. *Paullus in medio foro basilicam jam penè texuit iisdem antiquis columnis: illam autem quam locavit, fecit magnificentissimam.* Novam interventu bellorum civilium ipse non perfecit, perfecit sub Augusto Paullus Æmilius, qui consul an. 729. & postea censor. Dio XLIX. p. 416. D. *Porticum, quæ Paulli dicitur, Æmilius Lepidus Paullus propriis impensis perfecit, & in consulatu suo, gerebat eum in parte istius anni, dedicavit.* Eam incendio consumptam refecit viginti annis post alius Æmilius. Dio LIV. p. 538. A. *Hac porticus incendio absumpta, est refecta postea verba quidem ab Æmilio, qui ab eo, qui primus hanc fecerat, genus suum trahebat, re autem ab Augusto, & Paulli amicis.* Et post annos quinque & triginta iterum collapsam firmavit, ornavitque Manius Lepidus. Tacit. Annal. III. 72. 1. *Iisdem diebus Lepidus à senatu petivit, ut basilicam Paulli, Æmilia monumenta, propria pecunia firmaret, ornaretque.* Lips. in Tacit. n. 170.

Monumenta Agrippæ fuerunt ejus thermæ, Pantheon, & porticus Vipsania. Tacit. Annal. XV. 39. 2. *Sed solatium populo exturbato, & profugo, campum Martis, ac monumenta Agrippæ, hortos quin etiam suos* Nero *patefecit.* Donat. de Urb. Rom. III. 19.

Monumenta Mariana. V. infr. in *Tropæa.*

Monumentum C. Cestii, ingens pyramis sepulcralis, opus totum è marmore quadrato, ipsis muris ad portam S. Paulli inclusa, inserta ve conspicitur. Olim illud extra Urbis mœnia fuit, sed ab Aureliano muris ita inserta est, ut pars ejus extrorsum, pars verò introrsum vergat. Inscriptio ejus occidentem versus bipedalibus literis medio operi incisa C. Cestium auctorem præfert septemvirum epulonum: altera verò orienti exposita literis minoribus, inferioreque loco ex testamento factum dicit 330. diebus. Prioris hoc est exemplum:

C. CESTIUS. L. F. POB. EPULO. PR.
TR. PL. VII. VIR. EPULONUM.

Alterius:

OPUS. ABSOLUTUM. EX. TESTA-
MENTO. DIEBUS. CCCXXX. ARBI-
TRATU. PONTI. P. F. CLA. MELÆ.
HÆREDIS. ET. POTHI. L.

Nardin. Rom. Vet. VII. 9.

Monumentum Comitis Herculis fuit in via Salaria. Suet. Vesp. c. 12. n. 3. *Quin & conante quodam originem Flavii generis ad conditores Reatinos, Comitemque Herculis, cujus monumentum exstat via Salaria, referre, irrisit ultro.* Quod qua parte viæ Salariæ fuerit, & ad quam referendum sit regionem, ignoratur. *Nardin. Rom. Vet.* IV. 7.

MOR.

MORATORES ludi erant, qui quantum conjectura consequi possum, quadrigarios, & bigarios *morabantur*, ne ante tempus, aut non suo ordine currerent: & ut inter missus intervalla essent. Eorum est mentio in illo titulo: Q. RAPIDIO. Q. F. LEM. MULIONI. MORATORI. LUDI. CIRCENSIS. *Turneb. Adv.* XI. 11. *Panvin. de Lud. Circens.* I. 15. *Buleng. de Circo c.* 44. *Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom.* IX. *Præfat.* ** *Kipping. Antiq. Rom.* II. 6. §. 4.

MORBUS arquatus, & arquati dicuntur, qui eo laborant, ab arcus, sive iridis colore. *Chimentell. de Honbisell. c.* 24.

Morbus comitialis dictus, quod si quis eo correptus repentè in comitiis concidisset, comitia eo dissolverentur, nec justa eo haberi possent. Serenus Sammonicus:

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est,
Quod fieri nobis suffragia justa recusat.
Sæpè etenim membris acri languore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit.

Exemplum habemus in Festo, qui etiam Catonis locum ex oratione recitat: *Prohibere*, inquit, *comitia dicitur vitiare diem morbo, qui vulgo quidem major, cæterum ob id ipsum comitialis appellatur. Cato in oratione, quam scripsit de sacrilegio commisso: Domi cum auspicamus, honorem me deum immortalium velim habuisse. Servi, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit. Si cui ibidem servo, aut ancillæ dormienti evenit, quod comitia prohibere solet, ne id mihi quidem vitium facit.* Voss. Lex. Etymol. in Comitia. Manut. de Comit. Roman. c. 8. Crinit. de Honest. Discipl. XXV. 1. Ad hunc morbum egregiam animadversionem ponit Scrib. Larg. compos. 17. *Ex jecinore gladiatoris jugulati particulam aliquam novies datam consumant.* Celsus & Minutius Felix jugulati gladiatoris sanguinem ponunt. Ille III. 23. *Quidam jugulati gladiatoris calido sanguine poto morbo comitiali se liberarunt.* Hic p. 299. *Ipsum credo docuisse comitialem morbum hominis sanguine, id est, morbo graviore, sanare.* Mirè hæc illustrant, quæ profert Aretæus Cappadox de acut. & diuturn. morbor. curat. IV. 175. *Ipse vidi, qui subjecta patera hominis recens occisi sanguinem è vulnere exceperint, exceptumque biberint. O magnam istius necessitatis vehementiam, sustinere ut malo cuipiam fiat medicina, & tam abominando malo. Sed isti num sanitatem eo facto receperint, verum affirmare mihi nemo potest.* Elmenhorst. in Minutium. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 15.

Morbus sonticus in XII. tabulis est qui nocet. Ulpian. l. 2. §. 3. ff. si quis cautionibus: *Lex. XII. tabularum, si judex, vel alteruter ex litigatoribus morbo sontico impediatur, jubet diem judicii esse diffisum.* Ad hanc legem Juliani verba referuntur, l. 60. ff. de re judic. *Quæsitum est, cum alter ex litigatoribus febricitans discessisset, & judex absente eo pronuntiasset, an jure videretur pronuntiasse, respondit: morbus sonticus etiam invitis litigatoribus, ac judice diem differt. Sonticus autem existimandus est, qui cujusque rei agendæ impedimento est. Litiganti porro quid magis impedimento est, quàm motus corporis contra naturam, quam febrem appellant?* Javolen. l. 113. ff. de verb. signif. *Morbus sonticus est, qui cuique rei nocet.* Originem nominis explicat Venulej. l. ult. ff. de ædil. edict. *Quoties morbus sonticus nominatur, eum significari Cassius ait, qui noceat. Nocere autem intelligi, qui perpetuus est, non qui tempore finiatur. Sed morbum sonticum eum videri, qui inciderit in hominem, postquam is natus sit. Sontes enim nocentes dicuntur.* Et ita Ælius Stilo apud Festum. *August. in Leg. XII. tab. c. 37. Hotman. Antiq. Roman.* III. 3. *p.* 478. *B. Crinit. de Honest. Discipl.* XXV. 10. *Sigon. de Judic.* I. 18. In glossis Philoxeni redditur ἱερόνοσος, hoc est, comitialis. Et ita accipit Plin. XXXVI. 19. *Gagates deprehendit sonticum morbum.* Quod manifestum ex Dioscor. V. 146. *Gagates suffitus deprehendit sonticum morbum.* Et Apule. p. 479. *Incenso gagate explorari morbum caducum.* Et ita accipi debet in Leg. XII. tabularum. *Turneb. Adv.* XVII. 7. *Voss. Lex. Etymol. in Comitia & Sons.* Quibus non accedo. Apparet enim decemviros loqui generatim de quovis morbo gravi, & justo, quique rebus agendis impedimentum afferat, sive de morbo vehementiori vim graviter nocendi habente, ex verbis Gell. XX. 1. *Cæteroqui morbum vehementiorem vim graviter nocendi habentem legum istarum scriptores alio in loco, non per se morbum sonticum appellant.* Ouzel. in Gell. XX. 1. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 3. c. 4.

MORDEBAT coeuntium alter alterum dentibus. V. supr. in *Dens.*

MORETUM est omne intritum. Sic in optimo veteri glossario *moretum* τρίμμα exponitur. Ovid. Fast. IV. 367.

Non pudet herbosum, dixi, posuisse moretum.

Conficiebatur ex his octo, allio, apio, ruta, coriandro, bul-

fuerat, id est, emancipata non erat, *si testamentum fecisset, secundum eas tabulas possessio ex edicto prætoris dari non poterat*. Cicer. Topic. c. 4. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom.* 1. 22. Neque frumentum moluisse, neque cibum videntur coxisse. Ita enim Plutarch. Quæst. Rom. 84. *Antiquitus neque molere solebant, neque coquere, memoria pactorum cum Sabinis initorum. Post raptum enim Sabinarum, & bellum pace mutatum, id quoque in pactis scriptum fuit, mulierem viro Romano nuptam neque molere debere, neque coquere.* Sed Plutarcho adversatur Plin. xviii. 11. dum scribit: *Pistores Romæ non fuerunt ad Persicum usque bellum, annis ab Urbe condita 580. Ipsi panem faciebant Quirites, mulierumque id opus erat, sicut etiam in plurimis gentium. Artopta ita Plautus appellat in fabula, quam Aulularium scripsit: magna ob id concertatione eruditorum, an is versus poetæ sit illius; certumque fit, A. Atei Capitonis sententia, coctum panem lautioribus coquere solitos: pistoresque tantum eos, qui far pinsebant, nominatos.* Quid, quod uxor Catonis pinsendi, hoc est, panes saltem lautiores coquendi laborem à sua dignitate non putavit alienum, ut refert Plutarchus. Etiam pastoribus cibaria expeduisse colligo ex Varr. de Re rust. ii. 10. *Quæ sunt in saltibus, & sylvestribus locis pascunt, & non villa, sed casis repentinos imbres vitant: his mulieres adjungere, quæ sequantur greges, ac cibaria pastoribus expediant, eosque assiduiores faciant, utile arbitrati sunt multi.* Tempora igitur distinguenda. Primo Urbis conditæ initio forsan obtinuerit, ut *mulieres* cibum non coquerent, postea tamen factum fuerit. Et hoc pactum cum Sabinis initum non diu fuerit servatum, quia Plutarchus dicit hoc *antiquitus* in more fuisse, non sua ætate. Nec intersunt Sabinorum id ratum haberi; nam sua in civitate Romana commigratione Romani sunt facti, & Sabini esse desierunt. *Pincier. Otii Marpurg.* iii. 12. *Boxhorn. in Plutarchum. Stuck. Ant. Conv.* ii. 13. *Nonn. de Re cibar.* 1. 5. *Hering. de Molend.* q. 4. §. 27. Ad opus salinarum, seu salis conficiendi damnabantur, l. 6. ff. de captiv. *Mulier in opus salinarum ob maleficium data, & deinde à latrunculis exteræ gentis capta, & ejus commerciis vendita, ac redempta in causam suam recidit.* Paneiroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 15. Cujac. Obseov. iii. 3. Hering. l. l. Quamdiu virum defunctum lugere deberet. V. supr. in *Luctus*. Prægnantis ultimo supplicio damnatæ pœnam Romanorum legibus differri, quoad pepererit, etiam remotis à professione nostra hominibus notum est. Quintil. Declam. 277. *Supplicium prægnantis lex differri in diem partus jubet.* Nec verò Romanorum proprium hoc jus fuit. Eo enim Athenienses esse usos, indicio est, quod veneficam apud Areopagitas postulatam prægnantem *mulierem*, cum in ea causa esset, ut capitis damnaretur, de consilii sententia servatam esse, dum partum edidisset, memorat Ælian. V. H. 18. *Brisson. Antiq. Select.* ii. 20. *Perizon. & Scheffer. in Ælianum*. Inter regias leges etiam hæc fuit: *ne mulier, quæ prægnans mortua esset, humaretur, antequam partus ei excideretur: qui contra fecisset, ut is spem animantis cum gravida peremisse videretur.* Quam legem humanitatis plenissimam conservavit nobis Marcellus, l. 2. ff. de mort. infer. *Raevard. in Leg. xii. tab. class.* 1. *cap.* 3. V. etiam supr. in *Lex regia*. Et plura supr. in *Femina*.

Mulier usuraria. V. illam infr. in *Uxor*.

MULIO erat servus, qui *mulos* clitellarios, sive quadrigarios ducebat, & de urbano ministerio; nisi propter opus rusticum testator eos destinatos habeat. De hoc Ulpian. l. 12. §. 9. de instr. vel instrum. *Item ostiarium, mulionemque instrumenti esse constat.* Alten. l. 60. §. 1. ff. de leg. iii. *Servis, & ancillis urbanis legatis agasonem, mulionem legata non contineri respondi.* Juven. iii. 317.

Nam mihi commota jam dudum mulio virga.

Popm. de Oper. serv. p. 98. Pignor. de Serv. p. 429. Paneiroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 6. Barth. Adv. vi. 8.

Mulio perpetuarius est, qui in perpetuum jumenta sequitur, non ad certum se opus destinatus, sed qui omnem vitam illi negotio impendit. Vel qui conducitur, ne iter pro lubitu interjungat, sed perpetuò à diluculo ad vesperum iter facere cogitur. Seneca de Hercule in Ludo Claudii: *Tu autem qui plura loca calcasti, quàm ullus mulio perpetuarius.* Barth. Adv. vi. 8.

MULLEUS *ἀτταγᾶς* dicitur, vel *mulleus calceus*. Priori modo Titinn. apud Festum: posteriori Cato apud Festum. V. bis laudatum supr. in *Calceus*, & Vopisc. Aurel. c. 49. etiam laudatum supr. in *Calceus*.... Voss. Lex. Etymol. Differt à campago, qui fuit de genere crepidarum, & solearum; *mulleus* autem Romanus calceus, & cum toga sumptus, id est, cavus, & solidè tibiam vestiens ad mediam. *Ferrar. Anal. de Re vest.* c. 37. à cothurno. V. supr. in *Cothurnus*. Altus fuit altior. Id de Julii Cæsaris lautitiis ubi loquitur, non obscurè indicat Dio xliii. p. 234. E. V. illum supr. in *Calceus*. Et hanc *mulleorum* compositionem suadet etiam hodierna nostrorum structura, quos ita simplicioribus calceis editiores gestare solemus. *Balduin. de Calc. ant.* c. 10. Ruber, sive puniceus. Dio modò laudatus. Quare Lamprid. Alex. Sev. c. 40. notat ipsum præter morem Imperatorum fecisse, quod *baxeis albis uteretur, non coccineis, ut prius solebant*. Et ideò *mulleos* passim Græci auctores ὑποδήματα, seu *πέδιλα ἐρυθρά*, & *ἐρυθρόχροα*, seu φοινικόχροα appellant. *Balduin. l. l. Salmas. in Tertull. de Pall.* p. 391. *Byn. de Calc. Hebr.* 1. 3. 11. *Voss. de Idolol.* iv. 5. Uncinatus erat. Festus laudatus in *Calceus*, quia uncinis, & clavis confixus esset. *Scalig. ad Festum*. Potius quod repandus esset & acuminatus. *Ferrar. ibid.* c. 32. *Salmas. l. l.* His sic confectis, & affectis primùm Reges Albani, qui olim in Italia imperitabant, usi fuerunt. Festus: *Mulleos genus calceorum ajunt esse, quibus Reges Albanorum primi usi sunt*, ut à cæteris facilè possent internosci, augustioremque ipso pedum calceatu, ut & cætero vestium apparatu majestatem sibi conciliarent. Et Romani. Etenim & Romulus *calceis utebatur rubris*, ut ait Zonar. Annal. ii. A Regibus illorum usum, qui deinceps in Republica Romana cæteris nobilitate præcelluerunt patricii, & qui magistratum curulem gesserant. Festus: *Mulleis deinde patricii usi sunt. M. Cato Orig.* vii. *Qui magistratum curulem cepisset, calceos mulleos, aluta uncinatos, cæteri perones.* Ruben. de Re vest. ii. 1. Ferrar. & Balduin. l. l. Rævard. Var. 1. 8. Laurent. de Re vestiar. c. 5. Festi locus planè defectus videtur. Ut probet *patricios mulleis usos fuisse*, adducit Catonem. Sed apud Catonem nihil de patriciis, sed de iis modò, *qui magistratum curulem cepissent*. Quid cæteri patricii, nondum magistratu functi, & num patricii tantum magistratum curulem capiebant? Aut igitur aliquid deest in verbis Festi, aut ejus, sive Catonis sententia est, eos, qui magistratum curulem cepissent, *mulleos calceos* gestasse, cum *alii uncinatos, cæteri perones*. Ferrar. l. l. Et hi olim tanto loco habiti, ut qui in curuli magistratu erant, non eos ubique, & semper gestarent, sed diebus tantum sollennioribus, & ludorum celebratione, & cum thensas ducerent, cumque triumpharent. De iis exstat vetus in lapide, qui ad C. Marii memoriam Arimini positus est, monumentum, his verbis:

DE. MANUBIIS. CIMBRICIS. ET
TEUTONICIS. ÆDEM. HONORI
VICTOR. FECIT. VESTE. TRIUM
PHALI. CALCEIS. PUNICEIS

Casaub. in Suet. Jul. c. 49. *Salmas. ad Vopisc. Aurel.* c. 49. *Balduin. Ruben. & Ferrar. l. l. Byn. ibid.* §. 12. *Saubert. de Sacrif.* c. 9. *Salmuth ad Paneiroll. de Reb. deperd. & inv.* p. 342. Posteriori ævo hic mos gestandi calceos rubros ad Imperatores transiit. V. supr. in *Calceus*.

MULLUS est rubro colore, sed moriens varios induit colores. Senec. Nat. Quæst. iii. 18. *Nihil est mullo exspirante formosius. Ipsa colluctatione animam agentis rubor primum, deinde pallor suffunditur: quam æquè variatur, & in certa facies inter vitam & mortem coloris est.* Buleng. de Conviv. ii. 26. Plin. ix. 17. *Mullum exspirantem versicolori quadam, & numerosa varietate spectari proceres gulæ narrant, rubentium squamarum multiplici mutatione pallescentem, utique si vitro spectetur inclusus.* Meurs. de Lux. Roman. c. 14. *Mullis ex reliqua nobilitate, & gratia maxima est, & copia, sicut magnitudo modica: binasque libras raro admodum exsuperant: barba gemina insigniuntur inferiori labro.* Plin. l. l.

Unde

Unde *barbati* dicuntur. Varr. de Re rust. III. 17. *Celerius voluntate Hortensi ex equili educeres, ut tibi haberes, mulas, quàm è piscina barbatum mullum.* Et vernacula lingua *barbi*, & *barbones*. Quanta cura *mullum* aluerint gulæ proceres, docet Varro. *Majorem curam sibi haberet Q. Hortensius, ne ejus esurirent mulli, quàm ego habeo, ne mei in Rosea esuriant asini.* Quo fastu *mullum* ederint ventres delicatiores, curatiùs narrat Senec. Nat. Quæst. III. 18. *Pitisc. in Suet. Tib. c. 34. n. 2.* Petebatur à longinquis regionibus. Juven. Sat. v. 92.

Mullus erat domino, quem misit Corsica, vel quem
Tauromenitanæ rupes: quando omne peractum est,
Et jam defecit nostrum mare.

Meurs. & Nonn. l. l. Fuerunt olim in deliciis hepar, & caput. Scribit Galen. de Aliment. facult. III. 27. aliquando se rogasse quendam, qui grandi pretio ingentes esset *mullos* mercatus; cur eos pisces tantoperè expeteret: illum respondisse, duo esse in causa, hepar & caput. Aetius II. 79. *Admiramur quidem ipsius jecur, & cerebrum voluptatis causa.* Hepar non solum per se edi solebat: sed etiam imponebatur oleo, & garo, cum vini pauxillo: inque his eo usque comminuebatur, donec ex iis succus fieret unicus, in quo *mulli* carnes, quas ederent, tingebant. Illorum barbæ, jam Domitiani ævo, magno sunt loco habitæ. Juven. VI. 39.

—— *cariturus turture magno,*
Mullorumque jubis.

Ubi vetus interpres *jubas* interpretatur *cristas*: malè profectò. Planè enim, abusione duriori, sed poetæ concessa, *jubas* pro *barbis* dixit. Lamprid. Heliog. c. 20. *Barbas sanè mullorum tantas jubebat exhiberi, ut pro nasturtiis, & apiastris, & faselaribus, & fœnograeco exhiberet plenis fabatariis, & discis: quod præcipuè stupendum est.* Certè stupendum hoc, & pœnè incredibile: immensa enim copia opus fuit, ut illorum barbæ discos capacissimos implerent, cum geminæ tantum illis sint, nec omnibus quidem. *Voss. de Idolol. IV. 25. Casaub. in Lampridium. Nonn. l. l.* Pretium erat immane temporibus Tiberii Cæsaris. Indicant illa Senec. Epist. 95. *Tiberius Cæsar missum sibi, cum in macellum deferri, & venire jussisset; Amici, inquit, omnia me fallunt, nisi istum mullum aut Apicius emerit, aut P. Octavius. Ultra spem illi conjectura processit. Licitati sunt: vicit Octavius, & ingentem consecutus est inter suos gloriam, cum quinque millibus HS* sive ducentis quinquaginta florenis, *emisset piscem, quem Cæsar vendiderat, ne Apicius quidem emerat.* Apud Juven. Sat. IV. 15. Crispinus

—— *mullum sex millibus emit*
Æquantem sanè paribus sestertia libris.

id est, florenis trecentis, Asinius Celer septem millibus, id est, trecentis quinquaginta florenis, Macrob. Sat. II. 12. *Asinius Celer, vir consularis, mullum unum septem millibus nummum mercatus est.* Sed Tertull. de Pall. c. 5. sex tantum millia narrat. *Asinius Celer mulli unius obsonium VI. HS. detulit.* Plin. IX. 17. octo: *Asinius Celer hoc pisce prodigus, Cajo principe, unum mercatus est octo millibus nummum.* Fuerunt, qui emerent decem millibus, sive florenis quingentis. Suet. Tib. c. 34. n. 2. *Tres mullos triginta millibus nummum venisse, graviter conquestus.* Meurs. & Voss. l. l. Kobierzyck. de Lux. Roman. II. 12. Baccius de Conviv. IV. p. 162. Bruyer. de Re Cibar. III. 2: XIX. 2. Lips. de Magnit. Roman. IV. 7.

MULOMEDICI vocantur *medici* brutorum. Ita legit Accursius, l. 1. C. de excusat. artif. Firmic. VIII. 13. *Hoc oriente qui natus fuerit, aut erit mulomedicus.* In Basilicis scriptum est: *medici, & equorum medici. Medici equarii* Val. Max. IX. 15. 2. *Herophilus equarius medicus.* Panciroll. de Corpor. artif. §. 2. Brod. Misc. X. 10. Spanhem. de Præst. num. diss. IX. p. 809. Rhodig. Ant. Lect. XXVI. 31. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 15. Scheffer. de Re Vehic. I. 17. Hugo de Milit. Equest. III. 1.

MULSA est aqua melle temperata. Græcis μελίκρατον, vel etiam ὑδρόμελι dicitur: quanquam duo hæc nomina, nunc eandem rem, nunc diversam videntur significare. Distinguit illa Dioscor. V. 9. Melicratum enim fieri dicit ex una mellis mensura, & duabus aquæ cœlestis mixtis, & insolatis: quæ verò majori apparatu *mulsa*, à quibusdam hydromel appellatur, esse præterea, qui hydromeli vocant *mulsam* aquam, quæ lotis aqua favis confecta fuerit. Frequentiùs tamen confunduntur ab aliis scriptoribus. In illis hallucinantur Isidor. XX. 3. *Hydromelum, quod fiat ex aqua, & malis Matianis. Melicratum, vinum melle mixtum.* Pollux VI. 2. *Melicratum, quod nunc œnomeli vocant. Mulsum* enim est œnomeli, *mulsa* melicratum. V. infr. in *Mulsum*. Nonn. de Re cibar. IV. 14. Alciat. Parerg. IX. 2. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 538.

MULSUM est vinum melle conditum. E Massico vino, & melle Attico cum primis commendat Mart. IV. 13. 3.

Tam benè rara suo miscentur cinnama nardo:
Massica Theseis quàm benè vina favis.

Et tanti facit, ut ambrosias ornare dapes posse censeat, quippè dignum, ut à Ganymede Jovis pocillatore in cœna propinetur, XIII. 108. cujus titulus *Mulsum*:

Attica nectareum turbatis mella Falernum,
Misceri decet hoc à Ganymede merum.

Præfertur, quod ex vetere vino, austeroque, & bono melle factum est. Dioscor. V. 16. Causam explicat Macrob. Sat. VII. 12. *Cur mel, & vinum diversis ætatibus habentur optima? mel quod recentissimum, vinum quod vetustissimum; unde est & illud proverbium, quo utuntur gulones: mulsum quod probè temperes miscendum esse novo Hymettio, & vetulo Falerno. Propterea, inquit ille, quia inter se ingenio diversa sunt. Vini enim natura humida est, mellis arida. Nam quæ udanda sunt corporis, vino foventur: quæ siccanda sunt, melle detergentur.* Igitur, longinquitate temporis de utroque aliquid exsorbente, *vinum fit meracius, mel aridius: & ita mel succo privatur, ut vinum aqua liberatur.* Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 537. Nonn. de Re cibar. IV. 12. Crinit. de Hon. discipl. IV. 8. Anteludium cœnæ habitum, quod veluti θηριακὴ, seu antidotum antiquis ex Plinio, aliisque scriptoribus reperio in primæ mensæ auspiciis. Horat. Sat. II. 4. 27.

—— *vacuis committere venis*
Nil nisi lene decet, leni præcordia mulso
Prolueris melius.

Senec. Epist. 122. *Circa lucem discurritur, pueri vocantur, cellarii, coqui tumultuantur. Quæro quid sit? Dicitur mulsum, & alicam poposcisse, à balneo exisse.* Lautenb. de Prand. c. 13. Ejus auctor fuit Aristæus. Plin. XIV. 4. *Aristæum primum omnium in eadem gente mel miscuisse vino, suavitate præcipua utriusque naturæ sponte provenientis.* Ejus dotes curatiùs prædicat Plin. XXII. 24. *Nonn. l. l. Hummelb. in Apic. de Art. coquin. III. 2.* Romani habebant in deliciis: & in triumpho milites ab Imperatore eo donabantur. Plaut. Bacch. IV. 9. 149.

Sed, spectatores, vos nunc ne miremini,
Quod non triumpho: pervulgatum est, nihil moror.
Veruntamen accipientur mulso milites.

Hoc more Q. Terentius Culleo *pileatus, sicut in triumpho ierat P. Scipio Africanus, in funere*, renovata memoria triumphi, *ante lectum ivit, & ad portam Capenam mulsum prosecutis funus dedit.* Liv. XXXVIII. 55. *Turneb. Adv. XIV. 11. Salmuth. l. l. Laurent. ibid. c. 6.*

MULTA dicebant veteres, *cum in dolium, aut culeum unum addunt, primâ urnâ addita.* Varr. de Ling. Lat. IV. 36. Vel ad fascinum depellendum. Fuit namque veterum superstitio, ut finitum numerum obnoxium fascino crederent. Proinde etiam Catull. V. 10.

Dein cum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa.

Alsar. de Invid. & Fascin. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 896. F. Vel ominis gratia, copiam, & multitudinem ominantes. *Turneb. Adv. XXII. 21.*

Multa & pœna quomodo differant, docet Ulpian. l. 131. de verbor. signif. *Inter multam & pœnam multum interest: cum pœna generale sit nomen, omnium delictorum coercitio: multa specialis peccati, cujus animadversio hodie pecuniaria est: pœna autem non tantum pecuniaria, verùm capitis, & exi-*

& existimationis irrogari solet. Et multa quidem ex arbitrio ejus venit, qui multam dicit: pœna non irrogatur, nisi quæ quaque lege, vel quo alio jure specialiter huic delicto imposita est. Quinimò multa ibi dicitur, ubi specialis pœna non est imposita. Item multam is dicere potest, cui judicatio data est: magistratus solos, & præsides provinciarum posse multam dicere mandatis permissum est: pœnam autem unusquisque irrogare potest, cui hujus criminis, sive delicti exsecutio competit. In *multa* sic acta res est. Pecunia per magistratum exigebatur. Quod si ille solvendo non esset, bona auctioni subjiciebantur. Liv. III. 14. *Pecunia à patre Cæsonis exacta crudeliter.* XXXVIII. 60. *In bona deinde L. Scipionis possessum publicè quæstores prætor misit: neque in iis non modò vestigium ullum comparuit pecuniæ regiæ, sed nec tantum redactum est, quanta summa damnatus fuerat.* Sigon. de Judic. II. 24. Non temerè verbum *hodie* adjectum est, propterea quod alia olim fuerit *multæ* animadversio. Nec enim pecuniaria primùm, sed ut ex Tull. de Rep. II. Isidorus refert, olim *multa* ovium & boum erat, quod tunc esset res in pecore. Id quod à Plinio mox laudando quoque traditur. Et confirmatur ex eo, quòd Plutarch. in Poplic. p. 103. A. contumacibus, qui consulibus non paruissent, constitutam fuisse narrat *multam quinque bobus, & duabus ovibus valentem. Multæ* dictio his verbis concipiebatur: *M. Terentio quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego ei unum ovem multam dico.* Gell. XI. 1. Non enim aliter justa *multæ* dictio habebatur, nisi in qua ovis masculino genere efferretur. Etiam illud, si bubus & ovibus simul *multa* dicebatur, observari solitum, ut ne bovem priùs quàm ovem nominaret, qui indiceret *multam*. Plin. XVIII. 3. *Multatio quoque non nisi ovium, bovumque impendio dicebatur. Non omittenda priscarum legum benevolentia. Cautum quippè, ne bovem prius, quàm ovem nominaret, qui indiceret multam.* Non licuit quondam pluribus quàm triginta bubus, & duabus ovibus quemquam *multare*. Festus in Multam: *Maximam multam dixerunt trium millium, & viginti assium: quia non licebat quondam pluribus triginta bobus, & duabus ovibus quemquam multare: æstimabaturque bos centussibus, ovis decussibus.* Qui hasce repertus in Peculatus addit: *Eam legem sanxerunt T. Menenius Lanatus & Sestius Capitolinus coss.* Brisson. Antiq. Select. I. 3. de Form. v. p. 488. Pollet. For. Rom. v. 2. Sard. de Mor. gent. II. 26. Guther. de vet. jure pont. II. 2. Laurent. var. sacr. gentil. c. 1.

MULTATUS *ter ob eandem culpam, fuste percutiebatur.* Polyb. I. 55. Ignorantiæ disciplinam ignoscendum esse censent Icti, l. 3. §. 9. & l. 4. §. ult. eod. Sed quia iteratum delictum nullam meretur excusationem, hinc qui tertium aliquid admisit, pœna competenti adficiendus est, & etiamsi leviori supplicio delictum aliàs esset puniendum, nunc fustuarii pœna eum manebat. Causa, quod talem pravo ingenio censebant, & factum ad peccandum. Fortasse & contumacia iis visa punienda, & quod quasi per contemptum, ludibriumque legis peccaret. Quare & contumaciam omnem militum capite puniendam esse auctor est Arrius Menand. l. 6. §. 11. ff. de Re milit. *Lips. in Milit. Roman. v. dial. 18. Sichterman. de Pœn. milit. c. 3.*

MULTICIUM erat vestis molli intexta substamine, qua uti solebant puellæ. Scholiastes ineditus Juven. Sat. II. 77. *Multicia genus est vestis laneæ subtili arte contexta. Dicta multicia, quod sit multa, & inenarrabili arte expressa, quæ solummodò nisi licitum erat innuptis puellis, & viduæ matronæ.* Voss. Lex. Etymol. Demster. Paral. ad Rosin. Ant. Rom. v. 31. Vestem esse muliebrem docet etiam Juven. XI. 85.

—— ac tacito bilem tibi contrahat uxor
Humida suspectus referens multicia rugis.

Multiciorum virilium mentio fit à Vopisc. Aurel. c. 12. *Tunicas multicias viriles decem.* Sed quod additur *virilium*, denotat propriè muliebria vestimenta fuisse, & secutis temporibus à viris usurpata. *Ferrar. de Re vest.* I. 1. 20. *Multicie tunicæ*, sive *πολύμιτοι*, & subsericæ erant illa ætate in frequenti usu. *Casaub. ad Vopiscum. Multicias tunicas* à subsericis distinguit, & *πολυμίτους* interpretatur. Nollem factum. Nam *multicias tunicas* hic appellari censeo, quas alibi *tunicas subsericas* vocat, & semper jungit cum lineis. Ut ita esse credamus, rem ipsam auctorem dabo. Juven. Sat. II. 65.

—— sed quid
Non facient alii, cum tu multicia sumas
Cretice?

n. 69.

Damnetur, si vis, etiam Carfinia, talem
Non sumet damnata togam.

Omninò igitur intelligit togam sericam, quæ tunc erat ad usum mollium, & delicatorum. Quintil. XII. 10. *Sed me hactenùs cedentem nemo insequatur ultra: do tempori, ne toga crassa sit, non serica.* Quod ostendit etiam n. 78. ubi *Creticum pellucere* dicit. Nam pellucidæ vestes sericæ. Sericas cum dico, subsericas intelligo. Non aliæ tunc in usu. Ideò interpres Juvenalis eo loco rectè exponit *multicia, vestes molli intextas subtemine. Multicium* adjectivum, quod in substantivum transit, nam & *multicia* vestis, & vestimentum *multicium*, & simpliciter *multicium*. *Multicia synthesis* est serica, & nimia subtegminum tenuitate, ut loquitur Ammianus, perflabilis. Tertull. de Pall. c. 4. *Endromides solocem aliqua multicia synthesi exstruxit.* Est itaque τὸ πολυσπαθητὸν ἱμάτιον, vestis serica benè densata, & radio benè percussa, à *multum* & *icio*: nam id tenuitatem, levitatemque vestibus conciliat, cum benè sunt percussæ. Athenæus: ἐπίβλημα σπαθητόν. Hesychius: σπαθητόν, γυναικεῖον. Σπαθητὸν ad verbum est *multicium muliebre*, vel *tunica multicia muliebris*. Salmas. in Vopiscum. Jun. in Tertullianum.

MUN.

MUNATIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

MUNDUS dicitur cœlum. Catull. LXIV. 206.

—— concussitque micantia sidera mundus.

Virg. Georg. I. 5.

—— vos ò clarissima mundi
Lumina.

Et ita Græci. Orph. Hymn. in Solem n. 9.

Auream lyram habens, concinnum mundi cursum trahens.

Nec tantùm poetæ. Etiam Plin. II. 1. *Mundum hunc, & quod alio nomine cœlum appellare libuit.* Quin propriam esse cœli appellationem innuit Macrob. in Somn. Scip. I. 20. *Sed ipsum quoque cœlum, quod verò mundus vocatur.* II. 11. *Unde & mundanus dicitur, quia mundus propriè cœlum vocatur.* Aleand. Tab. Heliac. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 721. E. Taubman. Virg. Cul. n. 114. Cerda Eccl. III. 104. Dausquej. in Sil. Ital. p. 495. Salmas. Exerc. Plin. p. 109. a. F. Qui *mundus* est superior, & *mundus lucens* à Cicerone in Timæo appellatur. *Turneb. Adv.* XIX. 24.

Mundus dicitur fossa, quam Romulus in meditullio Urbis faciendam curavit. Plutarch. in Romul. p. 23. D. *Circa comitium, quod nunc est, fossa est rotunda circumducta. In eam primitias detulerunt omnium, quibus aut ex lege tanquam bonis, aut ex natura tanquam necessariis utebantur. Postremò ex qua quisque advenerat regione, ejus terræ portiunculam collatam eò conjecerunt, & commiscuerunt.* An fossa hæc ideò facta, ut fama rerum adæquandam cœlo, & ad totius terrarum orbis imperium perventuram Rempublicam Romanam indicarent? An rerum omnium primitiæ in eam conjectæ, quod per clementiam cœli, & terræ fœcunditatem bonis ferè omnibus, & necessariis possimus expleri? An ab advenis & peregrinis portio soli patrii in eam delata, ut ostenderent, velle sese Urbem, & ditionem Romanam tanquam patriam suam habere, & tueri, ac cum cæteris, tanquam ex eodem omnes loco essent oriundi, concordes, & unanimes conversari? *Boxhorn. Quæst. Rom.* 41. *Mag. Misc.* IV. 13. *Donat. de Urb. Rom.* I. 2.

Mundus muliebris differt ab ornamentis muliebribus. Ulpian. l. 25. §. 10. ff. de aur. arg. mund. *Ornamenta muliebria sunt, quibus mulier ornatur: veluti inaures, armillæ,*

viriæ.

viriola, annali, præter signatorios, & omnia, quæ ad aliam rem nullam parantur, nisi corporis ornandi causa, quo ex numero etiam hæc sunt, aurum, gemmæ, lapilli, quæ aliam nullam utilitatem in se habent. Mundus muliebris est, quo mulier mundior fit. Continentur eo specula, matulæ, unguenta, vasa unguentaria, & si qua similia dici possunt, veluti lavatio, riscus. Ornamentorum hæc, vitta, mitræ, semimitra, calantica, acus cum margarita, quam mulieres habere solent, reticula, croculantia. Sicut & mulier potest esse munda, non tamen ornata: ut solet contingere in his, quæ se emundaverint lota in balneo, neque se ornaverint: & contra est aliqua ex somno statim ornata, non tamen emmundata. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 403. & 687. Lipen. de Stren. c. 3. §. 81. Barth. Adv. VII. 12. Voss. Lex. Etymol. in Mundus. Barthol. de Inaur. c. 7. Legem Oppiam de mundo muliebri V. supr. in *Lex*. An *mundus*, & ornamenta illa, quæ corporis ornandi causa parata à marito habet uxor, præcipua uxoris fiant; an verò à mariti defuncti hæredibus repeti possint, meritò dubites. Et quidem, si vivente adhuc marito revocata ea non fuerint, crediderim, mulieri excedere: quandoquidem non solum, quæ maritus uxoris gratia emerit, aut quovis modo comparavit, sed & quæ eidem donaverit, morte confirmati rectè dicantur, si expressè non fuerint revocata, l. cum his status §. 1. de donat. int. vir. & uxor. l. sequens quæstio 68. de legat. II. *Salmuth. l. l.*

Mundus patens describitur à Festo: *Mundus, ut ait Capito Atejus in libro pontificali VI. ter in anno patere solet, diebus his: postridie Volcanalia, ante diem tertium nonas Octobris, & ante diem sextum idus Novembris. Qui quid ita dicatur, sic refert Cato in commentariis juris civilis. Mundo nomen impositum est ab eo mundo, qui supra est. Forma enim ejus est ex iis, qui intravero, cognoscere potuit adsimilis illæ ejus inferiorem partem, veluti consecratam diis manibus clausam omni tempore, nisi iis diebus, qui supra scripti sunt, majores censuerunt, quod dies etiam religiosos judicaverunt, ea de causa, quod quo tempore ea, quæ occulta, & abdita, ea religionis deorum manium essent, velut in lucem quandam adducerentur, & patefierent: nihil eo tempore in Republica geri voluerunt. Itaque per eos dies non cum hoste manus conserebant: non exercitus scribebatur: non comitia habebant: non aliud quicquam in re publica, nisi quod ultima necessitas admonebat, administrabatur.* Hunc existimo de *mundo* Cereris intelligendum esse. *Mundus* autem in sacris Cereris videtur appellatus arcanus quidam ornatus, qui hujus *mundi* similitudinem exprimeret. Hic ter in anno ostendebatur: quo tempore nihil eorum, quæ dixi, agi licuit, cum enim *sacrum illud Diti patri, & Proserpinæ esset, melius occlusa Plutonis fauce*, ut ait Macrob. Sat. I. 16. *eundem ad prælium putaverunt*. Hinc Varro apud eundem inquit: *Mundus cum patet, deorum tristium, atque inferum quasi janua patet: propterea non modo prælium committi, verum etiam delectum rei militaris causa habere, ac militem proficisci, navem solvere, uxorem liberum quærendorum causa ducere religiosum est.* Non alium esse *mundum* nisi Cereris ostendit Festus in schedis: *Mundus, inquit, etiam mulieris appellari potest, atque etiam ædes Cereris, qui mundus appellatur, qui ter in anno solet patere III. Kalend. Sept. & IV. non. Octob. & III. Id. Novemb. qui id omne dictus est, quod terra movetur.* Valtrin. de Re milit. I. 7. Struv. Ant. Rom. c. 8. p. 379. Guther. de Jur. pontif. III. 16.

MUNERARIUS dicebatur, qui ludos edebat. Glossæ: *Munerarius, ἀγωνοθέτης*. Hujus vocis primum partem Augustum facit Quintil. VIII. 3. *Quædam in usu perquam recentia, ut Messala primus reatum, munerarium Augustus primus dixerunt.* Lips. Sat. I. 7. Buleng. de venat. circ. c. 53. Lipen. de Stren. c. 1. §. 10. Mod. de Lud. vet. II. 21. Van Dale Dissert. III. c. 2.

MUNICIPES suo jure, & suis legibus vivebant, *muneris* tantum cum populo Romano honorarii participes erant. Ea fuit Reipublicæ Romanæ ratio, & consuetudo, ut peregrinas nationes societatis fœdere, Italicas verò gentes civitatis jure sibi conjungeret. *Nunquam* enim à Romanis, ut Cicero pro Balbo c. 13. scribit, *intermissa est communicatio civitatis*, quæ res, & ad conciliandos animos hominum, & ad augendam potentiam, maximo in Imperio adjumento esse solet. Quorum igitur spectata in Rempublicam, & cognita fides esset, iis civitatem populus Romanus largiebatur, non tamen eadem ratione omnibus. Nam aliis cum suffragio, aliis verò sine suffragio, civitatis beneficium tribuebat. Illi *municipes*, hi *cærites* dicebantur. Hanc differentiam usque ad bellum Marsicum durasse, quo universa ferè Italia civitate donata est, licèt promiscuè ab auctoribus etiam ii, qui suffragii jus non haberent, *municipes* nominarentur, testis est Paterc. II. Itaque verè *municipes* & cives Romani erant, & suffragia ferebant, atque magistratus petebant. Quare Curii, Coruncanii, Porcii, Pompeji, Marii, Tullii, & reliqui ex *municipiis* oriundi amplissimos Romæ honores consecuti sunt. Gell. XVI. 13. *Municipes sunt cives Romani ex municipiis, legibus suis, & suo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, à quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti, ni, inquam, populus eorum fundus factus est.* August. & Strein. de Famil. Rom. in Porcia. Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 6. & 7. Civ. Rom. I. I. Spanhem. ad Constit. Imper. Anton. Exerc. I. §. 8. Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p. 20. & 30. Oizel. in Gellium. Panvin. Imp. Rom. c. 6. & 7. Tomas. de Tesser. hospit. c. 3. Voss. Lex. Etymol. in Munus. Prevot. de Magistr. Roman. c. I. Non ingenui cives Romani, nisi si quando Romæ fortunarum suarum domicilium collocassent, nominabantur. V. supr. in *Civis Romanus*. Dum in *municipio* erant, alia ab ingenuis civibus Romanis sacra observarunt, sed, si Romam commigrassent, *municipalia* ne Romæ quidem reliquerunt. Festus: *Municipalia sacra dicta sunt ea, quæ ab initio habebant ante civitatem Romanam acceptam, quæ observare eos voluerunt pontifices, & eo more facere, quo adsuessent antiquitus.* Unde de se, & Arpino *municipio* suo loquens meritò ait Cicer. de Leg. II. I. *Hic gens, hic sacra, hic majorum multa vestigia.* Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. I. 8. Ital. II. 7. Qui cum suffragii latione civitatem consecuti erant, & in *municipiis* commorabantur, omnibus civium Romanorum privilegiis potiebantur, uno excepto, quod in curias Romanas, quæ tantum in Urbe erant, non describebantur, atque ob eam causam curiatis comitiis, in quibus tamen parum momenti erat, excludebantur. *Panvin. ibid. c. 6. Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 7. Duas propè habebant patrias, unam naturæ, alteram juris. Cicer. de Leg. II. 2. V. illum infr. in *Patria*. Patriam juris civitatem Romanam intelligit, cujus jura, & privata, & publica usurparunt. Nam I. legum de libertate beneficio usi sunt. Cicer. Vert. V. 62. cum de Gavio Compsano, *municipe* à Verre prætore cæso, ita exclamavit: *Cædebatur in foro Messanæ civis Romanus: ò nomen dulce libertatis, ò jus eximium nostræ civitatis, ò leges Porciæ, legesque Semproniæ!* II. Connubiorum Romanorum jura sunt adsecuti. Hoc potest perspici ex eo, & quod sponsaliorum ratio apud Latinos civitate accepta sit commutata, & quod multi cives Romani, iidemque nobilissimi, *municipum* filias in matrimonio habuerint. Quod si hæc duo jura possederint, quis dubitet, quin reliquas etiam juris Quiritium partes sint adepti, patriæ potestatis, hæreditatum, mancipiorum, usucapionum, testamentorum, & tutelarum? Nam de publico jure nullus propè relinquitur controversiæ locus. Neque enim quemquam dubitaturum esse opinor, quin, si tribum habuerint, censeri in ea etiam potuerint. Quod ut credam cum ratio me impellit, tum auctoritas Livii, qui scripsit XXXVIII. 36. Formianos, & Fundanos in tribum Æmiliam conjectos, in ea à censoribus Romanis Romæ eo anno esse censos. Quod si sunt censi, ad id certè sunt censi, ut cognita ex censu pecuniarum, & juniorum multitudine, in utroque officii genere Reip. satisfacerent. Nam suffragii ferendi, ac magistratus petendi Romæ adeò certum jus habuerunt, ut iidem & in *municipiis*, & in Urbe magistratus interdum gesserint. De Octaviis Veliternis *municipibus* Suet. Aug. c. 2. n. 6. *Proavus Augusti secundo bello Punico stipendia tribunus militum fecit. Avus mu-*

nicipa-

nicipalibus magisteriis contentus fuit. Pater Romæ præturam gessit. Quid dico Suetonium? Cicero T. Annium Milonem Lanuvii dictatorem fuisse ait, tum cum Romæ consulatum petebat, & M. Cœlium, qui Romæ ædilis curulis, & prætor fuit, *summa omnia absentem Puteolis esse adeptum*; & se *Marcum filium in Arpinati municipio ædilem creari voluisse ad constituendum municipium*, cum ambo Romæ consulatum administrarent. *Sigon. l. l.* Hæreditates libertorum, & extraneorum ex testamento, atque ab intestato, recta via, ac per fideicommissum ex SCto Aproniano, aliisque capere poterant. Paull. l. 26. ff. ad SCtum Trebellianum. Ulpian. l. unica de libert. univers. *Augustin. de Leg. in Vectibulicia*. Servos publicè poterant manumittere. V. supr. in *Lex Vectibulicia*.

MUNICIPIUM erat oppidum jure civium Romanorum donatum. *Municipiorum* duo genera fuerunt: unum quibus civitas cum jure suffragiorum, alterum sine suffragio data erat. Illis dare Quiritibus honores & capere potestas fuerat; istis non erat: sed in legionibus ut cives, non in auxiliis ut socii, adscribebantur. *Goltz. Ital. p.* 205. *Hotman. Antiq. Roman.* II. 16. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 2. §. 2. *Blond. Triumph. Rom.* III. p. 66. F. differt à colonia, Gell. XVI. 13. *Coloniæ non veniunt extrinsecus in civitatem, nec suis radicibus nituntur: sed ex civitate quasi propagatæ sunt; & jura, institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii habent. Quæ tamen conditio, quum sit magis obnoxia, & minus libera, potior tamen, & præstabilior existimatur propter amplitudinem, majestatemque populi Romani, cujus istæ coloniæ quasi effigies parvæ, simulacraque esse quædam videntur; & simul, quia obscura, obliterataque sunt municipiorum jura, quibus uti jam per innotitiam non queunt.* Sigon. de Ant. jur. Ital. II. 6. Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 1. p. 30. B. Spanhem. ad Constit. Imper. Anton. Exercit. 1. §. 15. à præfectura, Hi enim, qui præfecturas incolebant, una tantum re civium Romanorum imaginem præ se ferebant, quia legibus Romanis utebantur; quandoquidem à Romanis magistratibus, ut Festus admonet, regebantur; ex quo sequitur, ut legibus Romanis viverent: cætera verò civium Romanorum jura non habebant. Commodiùs igitur cum *municipiis*, quàm cum coloniis, aut præfecturis agebatur, siquidem coloniæ, & præfecturæ, cum plus oneris, tum verò minus habebant emolumenti, obstricti enim legibus Romanis tenebantur, neque tamen frui muneribus publicis poterant. *Municipes* verò quodam modo frui libertate videbantur, cum è suis civibus regerentur, suisque moribus, ac legibus viverent: &, ubi vellent, Romam ire ad suffragium ferendum, & ipsi magistratus capere poterant. *Manut. ibid. C.* Ante legem Juliam, & coloniæ, & fœderatæ civitates *municipia* dicta sunt. Hinc manavit illud Liv. XXVI. 8. *Ipse per Appiæ municipia, quæque propter eam viam sunt, Setiam, Coram, Lavinium præmisit.* Et illud Cicer. Famil. XIII. 30. de Neapoli: *Erat adscriptus in id municipium ante civitatem sociis, & Latinis datam*. Et tamen tum Setia, tum Sora coloniæ, Neapolis fœderata civitas erat. Ex quo intelligi potest verè hoc modo scriptum esse a Gell. l. l. *Municipes, & municipia verba sunt dictu facilia, & usu obvia, & neutiquam reperias, qui hæc dicat, quin scire se planè putet, quid dicat: quotus enim ferè nostrum est, qui cum ex colonia populi Romani sit, non & se municipem esse, & populares suos municipes esse dicat? quod est à ratione, & veritate longè aversum.* Sigon. ibid. c. 9. Spanhem. ad Constit. Imper. Anton. Exerc. 1. §. 18.

MUNIFICES vocantur milites, qui nullo fulti privilegio, omnia necessaria munera exsequebantur: nec tantum vigilias agebant, sed ligna, aquam, & alia hujusmodi in castra portabant. Veget. II. 7. *Reliqui munifices appellantur, quia munera facere coguntur.* c. 19. *Fascicularia, id est, lignum, fœnum, aquam, stramen etiam legitimi milites in castra portabant. Munifices enim ab eo appellantur, quod hæc munera faciant.* Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 78. Voss. Lex. Etymol. Stevvech. in Vegetium. Laurent. Polym. IV. Synops. 3. Faber Semest. 1. 17. Lips. de Milit. Roman. V. 6. Thys. Rom. Illustr. V. p. 120. Vales. in Ammian. XVI. 5.

MUNIFICI dicuntur tributarii. Symm. Epist. V. 87. *Grave est enim nos quidem pro agris nostris functionibus publicis esse munificos.* Buleng. de Vectig. c. 2.

MUNUS appellabatur, quod ab amicis funus prosequentibus in rogum conjiciebatur. Suet. Jul. c. 84. n. 2. *Præferentibus munera, quia suffecturus dies non videbatur, præceptum est, ut omisso ordine, quibus quisque vellet itineribus Urbis, portaret in campum.* Val. Flacc. III. 313.

—— dat debita cæsis
Munera, quæ nostro misisset Cyzicus igni.

Tibull. II. 4. 44.

Nec qui det mæstus munus in exsequias.

Kirchman. de Funer. III. 5. Meurs. de Funer. c. 22. Alard. in Flaccum. Casal. de Proph. Roman. rit. c. 26. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 21. Pitisc. in Suetonium.

Munus natalitium tum puero recens nato. Testatur Capitol. Clod. Albin. c. 6. *Infantulo tuo Pescennino Prisco munera digna suo loco, tuoque misimus.* Terent. Phorm. 1. 1. 12.

—— Porrò autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit.

Turneb. Adv. III. 6. Barthol. de Puerp. p. 128. tum provectioris ætatis natali recurrente. Plaut. Pseud. I. 2.

Facite hodie ut mihi munera multa huc ab amatoribus conveniant:
Nam nisi penus annuus hodie convenit, cras prostituam vos.
Natalem scitis mihi diem esse hunc.

Mart. X. 24. 1.

Natales mihi Martiæ kalendæ,
Qua mittunt mihi munus, & puellæ.

Festis his umbellas, armillas.... uxoribus donabant mariti. Juven. Sat. IX. 50.

En cuius viridem umbellam, cui succina mittas
Grandia, natalis quoties redit.

Barthol. de Puerp. p. 129. Ouzel. in Minuc. Felic. p. 61. Grang. in Juvenalem.

Munus nuptiale matri pupillæ, vel sorori mittere tutorem posse negat Cajus, l. 13. §. 2. ff. de administ. & perit. tut. Est etiam Ulpianus auctor, si *munus* nuptiale matri pupilli miserit tutor, non eum pupillo imputaturum: idque Labeonem scripsisse l. 1. §. 3. ff. de tut. & ration. distrah. Dubium non est, quin ad eum morem Cajus, Ulpianus, & Labeo his in locis respexerint, quo à soceris, eorumque familiis, cognatis, & propinquis *munera* die repotiorum novis nuptis mitti solent. Hujus moris meminit Terent. Phorm. 1. 1. 5.

—— herilem filium ejus duxisse audio
Uxorem, ei credo munus hoc corraditur.

Nec alio videri potest respexisse Suet. Aug. c. 66. n. 9. *Legata, vel partes hereditatis, à quibusque parentibus relicta sibi, aut statim liberis eorum concedere, aut si pupillari ætate essent, die virilis togæ, vel nuptiarum, cum incremento restituere consueverat.* Testatur Suidas postridie nuptiarum à sponsæ patre, tam sponsæ, quàm sponso sollenni pompa *munera* mitti consuevisse, eamque pompam hujusmodi fuisse, ut puer præcederet alba veste facem incensam ferens, hunc sequeretur mulier canistrum gestans, cæteris ordine sequentibus familiaribus, qui aurum, patellas, lecticas, pectines, lectos, sandalia, thecas, pyxides unguentarias, interdum etiam sponso unà offerrent. *Ravard. Conject.* III. 11. *Salmas. de Mod. usur. c. 4. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 744. Hotoman. de Vet. rit. nupt. c. 8. Lipen. de Stren. 1. §. 19. VVillich. in Terentium.*

Munus etiam appellabatur spectaculum, vel quia populo gratis daretur, vel ab officio, quia officium se mortuis facere arbitrabantur. Ita Tertull. de Spectac. c. 12. *Munus dictum est ab officio, quoniam officium etiam muneris nomen est. Officium autem mortuis hoc spectaculo facere se veteres arbitrabantur, posteaquàm illud humaniore atrocitate temperaverunt. Nam olim quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos, vel malo ingenio servos mercati in exsequiis immolabant. Postea placuit impieta-*

pietatem voluptate adumbrare. Itaque quos paraverant armis, quibus tunc, & qualiter poterant eruditos, tantum ut occidi discerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant. Ita mortem homicidiis consolabantur. Hæc muneris origo. Benè, ac peritè Tertullianus: nam *manus* propriè officium antiquis, sicut *munis*, officiosus. Festus: *Munem significare certum est officiosum: sicut è contrario immunis dicitur, qui nullo fungitur officio.* Lips. Sat. i. 7. Kirchman. de Funer. iv. 8. Fabet Semest. ii. 10. Bud. in Pandect. p. 275. Laz. Comm. Reip. Rom. x. 13. Guther. de jur. man. ii. 8. Mod. de spectac. ii. 21. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. v. 26. V. supr. in *Gladiator. Munus* ostendere, pronuntiare, proponere. V. supr. in *Editor.*

MUR.

MURÆNA fuit cognomen Liciniæ gentis plebejæ. Deductum est à pisce nobilissimo. Varr. de Re rust. iii. 3. *Sic nostra ætas luxuria propagavit leporaria, ac piscinas protulit ad mare, & in eas pelagios greges piscium revocavit. Non propter hos appellati Sergius Orata, & Licinius Muræna?* Ursin. de Famil. Roman. in Licinia. Nonn. de Re cibar. iii. 17. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rnman. Græv. Tom. xi. p. 832. B. Kobierzyck. de Lux. Roman. ii. 12.

Muræna Latinis peculiari nomine *fluta*, Græcis πλώτη dicebatur. Sicula maximè laudabatur. Macrob. Sat. ii. 11. *Arcessebantur murænæ ad piscinas nostræ urbis ab usque freto Siculo, quod Rhegium à Messana respicit: illic enim optimæ à prodigis esse creduntur, tam Hercules quàm anguillæ: & utræque ex illo loco Græcè πλῶται vocantur, Latinè flutæ, quod in summo supernantes sole torrefactæ curvare se posse, & in aquam mergere desinunt, atque ita faciles captu fiunt.* Unde Mart. xiii. 80.

Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non valet exustam mergere sole cutem.

Magnum illi ad mensas honorem habuerunt gulæ magistri, adeò ut *murænarum vivarium privatim excogitaverit C. Hirrius ante alios, & cœnis triumphalibus Cæsaris dictatoris sex millia numero murænarum mutuo appenderit.* Plin. ix. 55. Illarum lactes commendabant palata eruditiora. Suet. Vit. c. 13. n. 5. *In hac, ... murænarum lactes commiscuit.* Lamprid. Heliog. c. 23. *Murænarum lactibus, & luporum in mediterraneis rusticos pavit.* Nonn. de Re cibar. iii. 17. Salmas. in Tertull. de Pall. p. 443.... Kobierzyck. de Lux. Roman. ii. 12. Bruyer. de Re cibar. xix. 17. Pitisc. in Suetonium.

Muræna etiam fuit colli ornamentum. Hieron. ad Marcellam de laudibus Asellæ. *Cum primum hoc propositum arripuit, aurum colli sui (quod quidem murænulam vulgus vocat, quod scilicet metallo in virgulas lentescente, quædam ordinis flexuosi catena contexitur) absque parentibus vendidit.* Isidor. xix. 31. *Muræna vocatur, quod auri metallo in virgulis lentescente quædam ordinis flexuosi catena contexitur, in similitudinem murænæ, quæ ad collum ornandum aptatur. Hæc interdum auri, atque argenti texitur virgulis. Unde & dicitur in Canticis Canticorum: murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* VValiamus in Paraphrasi:

Auri murænas argento vermiculatas.

Voss. Lex. Etymol. Scheffer. de Antiq. torquib. c. 4.

MURCI appellabantur, qui sibi pollicem amputaverant. Ammian. xv. 12. *Ad militandum omnis ætas aptissima: & pari pectoris robore senex ad procinctum ducitur & adultus, gelu duratis artubus, & labore assiduo, multa contempturus, & formidanda. Nec eorum aliquando quisquam, ut in Italia, munus Martium pertimescens, pollicem sibi præcidit, quos localiter murcos appellant.* Quod *Murcia* dea habetetur ignavorum. V. infr. in *Murcia*. Pollices sibi ignavi præcidebant *causa detrectandi sacramenti*, ut Suet. Aug. c. 24. n. 3. quia gladium commodè stringere non poterant. Satis verisimile est, quos Itali, & Galli *poltrons* vocant, ab hac pollicum truncatione nomen accepisse. *Valerin. de Re milit. Roman. ii. 7. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Circo c. 2. Lindenbrog. & Vales. in Ammianum.* Cujac. *Observ.* xv. 40. *Sichterman. de Pœn. milit. c. 9.*

MURCIA erat dea ignavorum. Tertull. de Spectac. c. 8. *Murciam deam murcoris volunt.* Arnob. iv. p. 132. *Quis segnium deam Murciam?* August. de Civit. Dei iv. 16. *Vocaverunt deam Murciam, quæ præter modum non moveret, ac faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, id est, nimis desidiosum, & inactuosum.* Voss. Lex. Etymol. in Murcum. Gyrald. Synt. deor. xiii. p. 391. A. Salmas. Exerc. Plin. p. 637. E. Turneb. Adv. xxiii. 22. Stuck. de Sacrif. p. 42. Marlian. Topogr. iii. 15. Buleng. de Circo c. 3. & 23. Boxhorn. ad Plutarch. Quæst. Rom. 20. Blond. Triumph. Rom. i. p. 12. G.

MURCIUS vocabatur mons Aventinus. V. supr. in *Aventinus.*

MUREX est concha latior purpura, simplice concha, utroque latere se colligit, rostro pedali quinque digitos crasso, navium secundo vento volantium cursum sistit. Laudantur murices Bajani. Horat. Sat. ii. 4. 32.

Murice Bajano melior.

Buleng. de Conviv. ii. 34. Rader. in Mart. xiii. 87. 1.

Murex pro purpura sumitur, quia ex ejus sanguine color efficitur purpureus. Habet *murex* florem in ore, quem moriens exspuit: hinc à nautis, ut vivus in potestatem veniat, curatur. Plin. ix. 36. *Murices latent circa canis ortum tricenis diebus, sicut purpura. Congregantur verno tempore, mutuoque attritu lentorem cujusdam ceræ salivant. Simili modo & purpura. Sed purpura florem illum tingendis expetitum vestibus in medius habent faucibus. Liquoris hic est minimus in candida vena, unde pretiosus ille bibitur nigrantis rosæ colore sublucens. Vivas capere contendunt, quia cum vita suum succum illum evomunt.* Mart. v. 24. 5.

Non ausi vel cocco madida, vel murice tincta
Veste nites.

xiii. 87. cujus titulus, *Murices.*

Sanguine de nostro tinctas, ingrate, lacernas
Induis, & non est hoc satis, esca sumus.

Salmuth ad Pancitoll. de Reb. deperd. & inv. p. 10. Rader. in Mart. xiii. 87. V. & infr. in *Purpura.*

Murex vocatur etiam machinula ferrea, quæ in quamcunque inciderit partem, aculeos protendit: unde & dolosè in terram adversus hostes conjici solet. Val. Max. iii. 7. 2. *Saadentibus quibusdam, ut circa mœnia ejus ferreos murices spargeret.* Curt. iv. 13. 36. *Bion transfuga ad Regem pervenit, nuntians, murices ferreos in terram defodisse Darium. Triboli* dicuntur Veget. iii. 24. Salvian. de Gubern. vi. p. 106. Τρίβολοι σιδηροῖ Plutarch. Apophth. 80. Mauric. Stratag. iv. 3. Leon. Imperat. Tact. xiii. 42. Polyæn. Stratag. iv. 3. 17. Herod. iv. 15. 6. *Styli cæci* Hirt. de Bell. Afric. c. 31. Sil. Ital. x. 414. *Stimuli* Cæs. de Bell. Gall. vii. 73. 9. Ab illis *muricati gressus* dicuntur dolosi, & qui quasi per *murices* ferreos fiant. Fulgent. Præf. p. 8. *Intuemur arva, quibus adhuc impressæ bellantium plantæ muricatos, quod ajunt, sigillaverunt gressus.* Casaub. in Athen. viii. 9. Thys. de Oppugn. Urb. v. p. 190. Voss. Lex. Etymol. Lips. Polior. v. Dial. 3. Bud. in Pandect. p. 115. Stevvech. in Vegetium. Daus. in Silium. Ritteisk. & Baluz in Salvianum. Pitisc. in Curtium. Sparsi igitur contra ingressum, & in tuitione oppidorum utiliter spargi possunt, immò & castrorum. Nam ita in Tacticis Imperatoris modò laudatis: *Quod tribulos in aculeis religatos haberent milites, eosque jacerent in ambitu castrorum: ac cum moturi illinc essent, eosdem ita facilè colligebant.* Etiam contra equos, & camelos, quorum molles ungulæ, cum successu. Herodianus jam laudatus: *Posteaquam ab equitatu, & camelorum multitudine premebantur, fuga simulata tribulos, aliaque machinamenta ferrea acuminata projiciebant, quæ sub arenis latentia, neque cuiquam conspecta, perniciem equitibus, & camelorum insessoribus afferebant: quippe illis calcatis equi, potissimùm verò cameli, quoniam huic generi mollissimæ sunt ungulæ, succidui claudicabant, excussis tergo insessoribus.* Remedium in eos calcei è ferro, aut duriore ligno. Polyæn. i. 39. 2. *Nicias dux Atheniensium in Sicilia tribulos contra equitatum Syracusium cum sparsisset .... sed à peltastis solida, & dura calciamenta habentibus interficiebantur.* Lips. & Thys. l. l.

MURIA vocatur aqua salsa, qua aliquid maceratur, aut servatur. Colum. xii. 25. *Quidam, imo etiam fere omnes Græci aqua salsa, vel muria mustum condiunt.* Cato de Re rust. c. 89. *Ea muries erit, qua carnem, vel caseos, vel salsamenta condias.* Voss. Lex. Etymol. in Muriatica. Nonn. de Re cibar. iii. 45. Casaub. in Pers. vi. 20.

Muria est liquamen, quod ex thynnorum sanie, maceratis illorum carnibus sale, defluebat. Parabatur variis in locis, Plin. xxxi. 8. *Laudantur muria Antipolis, ac Thurii, jam verò & Dalmatia.* Antipolitanæ meminit Mart. xiii. 103. cui titulus, *Muria:*

Antipolitana, fateor, sum filia thynni.

Byzantinæ Horat. Sat. ii. 4. 65.

Quod pingui miscere mero, muriaque decebit
Non alia, quàm qua Byzantia putruit orca.

Scalig. Lect. Auson. ii. 28. Voss. Lex. Etymol. Schott. Observ. iii. 5. Casaub. in Pers. vi. 20. Noon. de Re cibar. iii. 45. Buleng. de Conviv. ii. 25. Veteribus in usu fuit, cum bonæ mentis studia, etiam in convivus, dignitatem suam tuerentur, ut, qui propositum super cœna gryphum non solveret, poculum *muria* vel invitus hauriret. Pollux vi. 19. *Qui gryphum solvebat, in præmium accipiebat carnium ferculum: qui verò non poterat, muria poculum ebibebat.* Athen. x. p. 458. F. *Qui propositum gryphum non explicabant, muriam bibebant admixtam suæ potioni, ea lege ut absque respiratione calicem ebiberent.* Pollux. V. illum supr. in *Griphi.* Nonn. l. l.

Muria dura dicitur Cels. ii. 24. *Conveniunt oleæ ex dura muria.* Scribon. Larg. Compos. 60. *Postridie recenti muria dura macerant.* Est illa, quæ vi solis usque adeò crassefacta est, ut alterius rei liquidioris comparatione dura quodammodò appareat. *Mercur. Var. Lect.* ii. 26. *Schott. observ.* iii. 5. Qui toto cœlo errant: propriè enim est matura, & salsissima. Indicat Colum. xii. 6. *Muriam duram sic facito: dolium patentissimi oris locato in ea parte villæ, quæ plurimum solis accipit: id dolium aqua cœlesti repleto, ea enim est huic rei aptissima, vel, si non fuerit pluvialis, certè fontana dulcissimi saporis. In eatum indito sportam junceam, vel sparteam, quæ replenda sit sale candido, quo candidior muria fiat. Cum sale per aliquot dies videbis liquescere, ex eo intelliges nondum esse muriam maturam: itaque subinde alium salem eamdiu ingeres, donec in sporta permaneat integer, nec minuatur; quod cum animadverteris, scies habere maturitatem suam.* Dicitur dura, non quod liquor indurescat, sed quod aqua in ipsum salem vim suam liquescendi, non secus acsi arida esset, nequit exercere. Cur hoc eveniat, docet Plin. xxxi. 6. *Verum & hoc cura providit, inventa ratione, qua sibi quisque aquam maris faceret. Illud in ea ratione mirum, si plus quàm sextarius salis cum quatuor aquæ sextariis mergatur, vinci aquam, salemque non liquari. Cætero sextarius salis cum quatuor aquæ sextariis, salsissimi maris vim, & naturam implet.* Scribon. Larg. compol. 185. *Adjuvari debent, qui biberunt ex vino mero atque plurimo, vel aqua marina, vel muria dura pota: item ovis anserinis sorbilibus, plurimum salis habentibus, vel jure gallinaceo, agninove quam pinguissimo, & salsissimo per se poto.* Nonn. de Re cibar. iii. 45. Turneb. Adv. xvii. 16. Rhod. Ind. Scribon.

MURIATICA ταρίχη piscium vocarunt Romani, quæ omninò uno nomine Septentrionalium lingua hodie dicuntur *stochvisch.* Plaut. Pœo. i. 2. 32.

Quasi salsa muriatica esse autumantur,
Sine omni lepore, & sine suavitate,
Nisi multa aqua usque & diu macerantur,
Olent, salsa sunt, tangere utn on velis.

Scalig. Conject. in Vast. p. 126. Auson. Lect. ii. 28. Hoc minimè verisimile puto. Nam hæc vento arefiunt: illa *muria* conduntur. *Voss. Lex. Etymol.* Sunt itaque salsi pisces, sive salsamenta, quæ in *muria* servabantur. *Lambin. in Plautum. Buleng. de Conviv.* ii. 30.

MURILEGULI sunt piscatores, & purpurarum perquisitores, legendis conchylus deputati. Meminerunt Imperatores c. ix. *Rhodig. Ant. Lect.* viii. 12. *Guther. de Offic. dom. Aug.* iii. 21.

MURINES, μυῤῥίνης, erat *vinum unguento mixtum.* Pollux vi. 2. Hesychius: Μυῤῥίνη, *vinum, cui unguentum infusum.* Ælian. Var. Hist. xii. 31. *Quid vero? nonnè hæc sunt luxus Græcorum demonstratio? Vinum enim unguento miscebant, atque ita bibebant, & maximè amabant hanc mixtionem. Vocabatur autem vinum illud myrrhinites.* L. *myrines.* Plin. xiii. 3. *At hercule jam quidam etiam unguenta in potus addunt. Murina* vocatur Plaut. Pseud. ii. 4. 50. & Plin. xiv. 13.

Quid si opus sit, ut dulce promat indidem, ecquid habet?
Murinam, passum, defrutum, melinum.

Delicata fuit potio, & ganeæ propria. Docere hoc potest & Suerius, sive Succius comœdiarum scriptor, ubi Glyceram meretriculam à dulcedine nomen habentem introducit ita loquentem:

Murinum mihi adfer, quo virilibus armis occurram fortunscula.

Jun. Anim. v. 19. Brod. Misc. iv. 4. Barthol. de Cruce ii. §. 3. Scheffer. & Perizon. in Ælianum. Buleng. de Conviv. iii. 3. Salmas. Exercit. Plin. p. 501. a. A.

MURRA est lapis pretiosus odoris præstantia commendabilis, & colorum varietate insignis, nascens in oriente apud Parthos, & præcipuè in Carmania, crediturque esse humor solis calore sub terra condensatus. *Morest. Pomp. Feral.* vi. 6. Μόῤῥαν Græci dicunt. Pausan. Arcad. p. 251. *Crystallus, & murra, & quæ alia hominibus ex lapide sunt facta.* Μόῤῥα. Perperam legitur μοῤῥία, & perperam emendant μυῤῥίνα. Ut crystallus Pausaniæ, unde crystallina pocula, ita & μόῤῥα lapis ipse, ex quo pocula *murrea,* & *murrina. Murram* appellant Mart. x. 80. 1.

Plorat Eros, quoties maculosa pocula murra
Inspicit.

Stat. Silv. iii. 4. 57.

— hic pocula magno
Prima duci, murrasque graves, crystallaque portat
Candidiore manu.

Ita enim ubique legendum, non myrrha. Græci, ut dixi, μόῤῥαν, & μοῤῥίνα. Arriano λιθία μοῤῥίνη. *Salmas. Exerc. Plin.* p. 543. F.

Murra est odoramentum siccum, quod ex *murra* lapide contrito componitur, διάπασμα nuncupatum. Pompon. xxxiv. 2. Pandect. *Unguentis legatis, non tantum ea legata videntur, quibus ungimur voluptatis causa, sed etiam valetudinis: qualia sunt murra....* Servius de Odor. Misc. Ital. Erud. Tom. iii. p. 671.

MURRHATA potio. V. illam infr. in *Potio.*

MURRINA vasa. V. illa infr. in *Vasa.*

MURROBATHRARII, sive *myrobathrarii* dicuntur Plaut. Aul. iii. 5. 37.

Aut manulearii, aut murrobathrarii.

Illos Turneb. ad Theophr. de Odorib. interpretatur fuisse, qui calceamenta muliebria, ut benè olerent, unguentis, & gratis odoribus, ac suffimentis imbuebant. Sed quis credat artifices fuisse, qui hoc tantum facerent? Quasi ipsæ mulieres hoc ministerio defungi non possent, ut unguentis, quæ corpori infunderent, etiam calceos illinerent. Si tamen eo luxus provenerat, ut res tam pretiosa etiam solo subjiceretur. *Ferrar. de Re vest.* i. 3. 21. *Lambin. & Taubman. in Plautum. Saubert. de Sacrif.* c. 9. Antiqua scriptura est *marobatharii.* Ego *aromatarii* redundante primo elemento, & *h* in locum *m* introducto, ut non tarò, legendum esse nunc existimo. *Turneb. Adv.* vi. 24. Mihi simplicior notatio videtur, quæ & à Lambino adducitur, *myrobrecharii,* quæ vox significat eos, qui unguento perfundunt, & madefaciunt. *Ferrar. l. l.* Mihi *murobrarii* magis arrident, pro *myrobrecharii.* Bractare enim verbum ἀπὸ τῆ βρεχεῖ finxerunt, quod humectare, & madefacere significat, & idem planè quod βρέχειν. *Salmas. in Vopisc. Aurel.* c. 46. V. etiam supr. in *Malobathrarii.*

MURUS omnis urbium sacer, & intaminatus habebatur. Plutarch. Quæst. Rom. 27. *Varronis sententia est, muros propterea sacros existimandos, ut pro iis propugnare alacrius cives, mortemque etiam oppetere sustineant. Et videtur Romulus quoque fratrem propterea interfecisse, quod sacrum lo-*

cum, & inaccessum transilire aggressus, transcendendum, profanumque reddidisset. De Urbe Romulus legem statuit, ut *muri sacrosancti essent*. Hanc legem significasse videtur Cicer. de Nat. deor. III. 40. cum ait, *muros à pontificibus habitos esse sanctos, quos violare nefas esset.* Manut. de Leg. c. 2. Guther. de Jur. Pontif. III. 10. Salmuth in Pancirolli de Reb. deperd. & inv. p. 207. Donat. de Urb. Rom. I. 4. Faber Semest. I. 22. Hieronicæ muri urbis, quam intrassent, partem solebant disjicere. Suet. Ner. c. 25. n. 1. V. illum supr. in *Hieronica*. Si de novo exstruerentur, vel collapsi restituerentur, nomina benefactorum lapidibus incisa præfigebantur, ut quilibet ex inscriptione legere, & percipere potuerit, quis auctor hujus fuerit. Inscriptiones partim verbis, partim siglis concipiebantur, uti patet ex illa ad Novam Carthaginem:

CN. CORNELIUS. L. F
GAL. CINNA. II. VIR
MURUM LONG. P. CII
EX. D. D. F. F. I. Q. P.

Hæ siglæ ita legendæ: *Cnæus Cornelius Lucii filius Gall. Cinna duumvir murum longum ped.* CII. *ex decreto decurionum fieri fecit idemque probavit.* Et ex illa Salonæ in Dalmatia

L. GRAVIAR. NN. AUG.
II. VIR. QUINQ. DEC. DECR.
MUR. REF. IDEMQ. PROB. CORQ.

Quæ siglæ ita exponendæ sunt: *Lucius Gravio Arnensis nomine Augustalis duumvir quinquies decurionum decreto murum refecit idemque probavit coeravitque.* Nicol. de Sigl. vet. c. 30. §. 4.

MUS.

MUS est inter voces blandientes. Puella blandiens amatori *murem* eum vocat apud Mart. XI. 30. 3.

Nam cum me murem, cum me tua lumina dicis.

Vetustissimi quique codices sic habent. Ratio videtur esse, quia *mures* sunt salacissimi. Ælian. de Anim. XII. 10. *Ferunt mures salacissimos esse, testemque adducunt Cratinum, scilicet in Fugitivis. Age nunc tibi de fereno adversus mollitiem muris fulgurabo Xenophontis. Sed enim feminam quoque murem narrant ad Venerem esse prærabidam. Rursumque apud Epicratem in choro. Fabula enim hæc Epicratis est. Postremo subiit me detestabilis lena, dejerans per puellam, per Dianam, per Persephatam, esse vitulam, esse virginem, esse puellam indomitam. At illa cavus erat murinus. Superjectione eam salacissimam dicere voluit, cum cavum prorsus murinum vocitavit.* Politian. Miscell. c. 96. Futura præcognoscit. Putrida namque jam domo, & paulò post casura, primi periculum provident *mures*: relictisque caveis illis, ac sedibus, quas incolebant, quanta maxima celeritate possunt, inde aufugiunt, atque demigrant. Hoc docent Ælian. ibid. XI. 19. *Domum ruituram, qui in ea sunt mures, præsentiunt. Quinque enim diebus priusquàm pessum iret Helice, omnes in ea mures magnis copiis exibant.* Plin. VIII. 28. *Ruinis imminentibus musculi præmigrant.* Victor. Var. Lect. XVII. 5. Voss. de Idolol. III. 59. Auspicia dirimit. Plin. IX. 57. *Soricum occentu dirimi auspicia annales refertos habemus.* Et ideò oscinum auspiciis jungitur. Auson. Eidyll. XII. 111.

Quadrupes oscinibus quis jungitur auspiciis? mus.

Scalig. Lect. Auson. I. 25. Lomej. de Lustrat. c. 12. Buleng. de Prodig. c. 36. Ex ejus pellibus penulas nobiliores gerebant. Senec. Epist. 60. *Non hodieque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur, ac murium?* Justin. II. 2. 9. *Et quanquam continuis frigoribus urantur, pellibus tamen ferinis, aut murinis utuntur.* Ammian. XXXI. 2. *Indumentis operiuntur ex pellibus sylvestrium murium consarcinatis.* In illis erant martures, & hermelini. Helmold. Chron. Slavor. I. 1. *Pellibus abundant peregrinis, quarum odor letiferum nostro orbi superbiæ venenum propinavit. Et illi quidem ut stercora hæc habent, ad nostram, credo, damnationem, qui ad marturinam vestem anhelamus, quasi ad summam beatitudinem. Itaque pro laneis indumentis, quas nos appellamus faldones, illi offerunt tam pretiosos marturés.* Turneb. Adv. XV. 23. Lips. in Senecam, Bernegg. in Justinum, Vales. Lindenbrog. in Ammianum.

MUSÆ dicuntur filiæ Jovis & Mnemosynes, quia ad procinctum in literaria velut palæstra tendentem, necessè sit νοητικὸν τὸ, καὶ μνημονικὸν, id est, intelligendi, percipiendique potestate, atque item retinendi præcipuè pollere. Jovem autem contribuere τὸ νοητικόν: at Mnemosynem τὸ μνημονικόν. *Rhodig. Ant. Lect.* X. 16: XX. 10. *Turneb. Adv.* XXVIII. 43. *Gyrald. Synt. deor.* VII. *p.* 260. *C.* Illarum numerum diversum ponit Arnob. III. 121. *Musas Mnaseas auctor est filias esse Telluris & Cœli: Jovis cæteri prædicant ex Memoria uxore, vel Mente. Has quidam virgines, alii matres fuisse conscribunt. Ephorus has numero esse tres effert: Mnaseas quatuor: Myrtilus inducit septem: octo asseverat Crates: ad extremum Hesiodus novem cum nominibus prodit.* Cuper. Harpocr. p. 27. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 8. Gyral. l. l. Subtiliùs contemplanti mihi videtur *Musarum* numerus à canentium numero per initia constitutus. Itaque eo crescente ad quartam personam usque, additam à nonnullis & quartam *Musam*. Aucta deinde variis in organis arte concentionum, etiam septem proditæ. Postremò ad novem usque promota frequentia in eo stetit; idque non sine causa. Est enim perfectissimus numerus: super quo multi multa ex Musicorum præceptionibus tradidere. *Scalig. Poet.* I. 2. *Paschal. de Coron.* IX. 27. A Cupidinis *jaculis tutas agere*, qui *illas reveretur, quia vultu sunt reverendo, & semper aliquid meditantur, & cantionibus animum intentum habent*, scribit Lucian. dial. Vener. & Cupid. p. 217. Sed tamen non omnes sunt virgines. Nam Terpsychorem concubuisse cum Acheloo, & ex eo compressu Sirenas prognatas scribit Apollon. IV. Non ipsa Erato, quam volunt dici ἀπὸ τοῦ ἐρᾷν, *ab amando*. Schol. Apollon. III. 1. Orpheum Calliope prognatum ait. Polymniæ amorem Eryximachus apud Platon. Symp. discriminat ab amore Uraniæ: hujus amor, inquit, est honestus, & præclarus; at Polymniæ vulgaris. *Paschal. ibid.* III. 4. *Gyrald. ibid. p.* 263. *C.* Alatæ effinguntur ob ingeniorum præstantiam, atque exprompta mobilitatem. Quam ob causam Homerus quoque alata verba nominat. In fabulis memoriæ proditum est, Sirenas Junonis suasu cum *Musis* cantu frustra contendisse: ab ipsis enim victis illas pro supplicio evulsis alarum pennis coronas capitibus imposuisse. *Scalig. l. l. Cuper. ibid. p.* 170. *Paschal. ibid. c.* 18. *Gyrald. Synt. de Mus. p.* 566. *D. Edit. Lugd.*

Musæ Aganippides dicuntur à fonte Hippocrene, qui etiam Aganippe vocatus est. *Gyrald. Synt. deor.* VII. *p.* 264. *G.*

Musæ Aonides dicuntur ab Aoniis montibus, qui montes & Aones dicti: ut illud

Aonas in montes ut duxerit una sororum.

Gyrald. Synt. deor. VII. p. 264. B.

Musæ Camenæ dicuntur quasi canenæ, à cano. Macrob. in Somn. Scip. II. 3. *Musas esse mundi cantum etiam sciunt, qui eas Camenas quasi canenas à canendo dixerunt.* A cascis, & priscis Latinis dictæ sunt quasi Casmenæ. Varr. de Ling. Lat. VI. 3. *Casmenarum priscum vocabulum. Alibi Carmena ab eadem origine sunt declinata, ut in multis verbis, in quibus antiqui dicebant S. postea dixerunt R. Quare Casmena, Carmena: R. postea extrito Camena factum.* Festus: *Camenæ musæ à carminibus sunt dictæ, vel quod canunt antiquorum laudes, vel quod sint castæ mentis præsides.* Gyrald. de Mus. p. 560. F. Synt. deor. ibid. p. 263. E. Turneb. Adv. XIV. 13. Pancuoll. Descr. Urb. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. 323. E.

Musæ Castalides dicuntur à Parnassi fonte Castalio, cujus aqua potu suavis fuisse traditur. *Gyrald. de Mus. p.* 562. *D. Synt. deor. p.* 265. *E.*

Musæ Heliconiades dicuntur ab Helicone, Bœotiæ monte, non Parnassi jugo, ut cum Servio grammaticorum plerique existimant. In illo primi Otus & Ephialtes *Musis* sacra fecere, eumque montem *Musis* sacrum esse voluere. *Gyrald. Synt. deor. p.* 263. *F. de Mus. p.* 560. *F.*

Musæ Libethrides à Magnesiæ fonte ipsis consecrato dicuntur. Strab. IX. p. 282. *Hoc in loco consecrata est Musis*

aedes,

ades, fonsque Caballinus, & Libethriadum spelunca nympharum. Virg. Ecl. ix. 21.

Nymphæ, noster amor, Libethrides.

Gyrald. Synt. deor. vii. p. 265. B. de Mus. p. 562. A.

Musæ Mæonides dicuntur à Mæonia, ut putant, regione: vel ab Homero, qui Mœonius dictus est. Ovid. Met. v. 267.

Felicesque vocat pariter studiique locique
Mæonidas.

Gyrald. Synt. deor. vii. p. 266. E. de Mus. p. 563. A.

Musæ Mnemosynides dicuntur à matre Mnemosyne, quæ est memoria. *Gyrald. Synt. deor. p. 266. B. de Mus. p. 562. F.*

Musæ Olympiades dicuntur ab Olympo. Varr. de Ling. Lat. vi. 2.

Musæ, quæ pedibus magnum pulsatis Olympum.

Cœlum dicunt Græci Olympum, montem eum in Macedonia omnes, à quo puto potius dictas Musae. Gyrald. Synt. deor. p. 266. C. de Mus. p. 562. F.

Musæ Pegasides dicuntur *à fonte, quem Pegasus ictu ungulæ fingitur aperuisse: ob quam causam à Græcis est appellatus Hippocrene.* Festus. *Gyrald. Synt. deor. p. 264. E. de Mus. p. 561. D.*

Musæ Pierides dicuntur *propter amœnitatem, ac solitudinem Pierii montis, quod ea secretis locis propter studia liberalia delectentur.* Festus. Cicer. de Nat. deor. iii. 21. *Musas, quas Pierias, & Pierides solent poetæ appellare.* Gyrald. Synt. deor. p. 264. C. de Mus. p. 561. B.

Musæ Pimplejades dicuntur à fonte, vel vico Macedoniæ, ut Porphyrion ait: ut verò interpres Apollonii, à Pimplia regione, quæ fuerit propè Pieriam. *Gyrald. Synt. deor. p. 265. D. de Mus. p. 562. B.*

Musæ Thespiades dicuntur, non, ut quidam putant, à Thespia matre, vel nutrice, quod nusquam apud auctores compertum: sed à Thespia, vel Thespis, civitate Bœotiæ, ubi præcipuè *Musæ* colebantur. *Gyrald. Synt. deor.* vii. *p. 265. A. de Mus. p. 561. F.*

MUSAICUM vulgò vocant emblemata, seu opus vermiculatum ex tessellis marmoris varii coloris, in homines, & varias animalium formas effictum. *Panciroll. de Corpor. artif.* §. 11. *Philand. in Vitruv.* vii. 1. V. infr. in *Musivum*.

MUSCÆ quia non aberant à tricliniis Romanorum, minister, qui illas fugaret, erat in tricliniis. Mart. iii. 82. 10.

Et æstuanti tenue ventilat frigus
Supina prasino concubina flabello,
Fugatque muscas myrtea puer virga.

xiv. 67. V. illum sup. in *Flabellum*. Senec. de Ira iii. 25. *Quid enim est, cur musca parum curiosè fugata, nos in rabiem agat.* Pignor. de Serv. p. 134. Ursin. Append. ad Ciacon. de Triclin. p. 274. Casal. de Prof. Roman. rit. c. 25. de Urb. ac imp. Rom. splend. p. 2. c. 19. Lindenbr. in Ammian. xxviii. 4.

Musca ænea fuit ludus puerilis, qui in usu veterum Græcorum erat, in alias etiam terras manavit, ad nostra tempora apud nos permansit: &, quod non minùs mirum est, quamvis diversa lingua, ab eadem re nomen traxit. Nostri pueri *muscam cæcam*, quam *æneam* appellat Pollux ix. 7. *Musca ænea: fascia pueri oculos obligantes, hic quidem convertitur clamans, æneam venabor muscam. Hi verò respondentes, venaberis, sed non capies: funiculis ipsum cædunt, usque dum aliquem arripuerit.* Victor. Var. Lect. xv. 16. Buleng. de Lud. ver. c. 17. Meurs. de Lud. Græcor. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. vii. p. 977. F.

Musca dicebatur parasitus, qui invocatus aliorum cœnas captabat. Apud Antiphanem comicum parasitus:

Ut moveam quasi vecte fores, sim terræ motus, ut insiliam locusta,
Ut cœnem invocatus, sim musca, ut non exeam, puteus.

Plaut. Pœn. iii. 3. 77.

LYC. *Hospitium te ajunt quæritare.* COL. *Quærito.*
LYC. *Ita illi dixerunt, qui hinc à me abierunt modo,*

Te quæritare à muscis. COL. *Minimè gentium.*
LYC. *Quid ita?* COL. *Quia à muscis si mihi hospitium quærerem,*
Adveniens huc irem in carcerem rectâ via.

Stuck. Ant. Conviv. ii. 4. Buleng. de Conviv. i. 25. Potter. Archæol. Græc. iv. 19. Laurent. de Oscul. c. 4.

MUSCULARII *musculo* tecti fossas oppidorum complanabant. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 88.*

MUSEARII sive *Musivarii* dicuntur, qui artem tessellas marmoris in varias formas effigendi callent. l. 1. C. de Excus. art. *Artifices artium ab universis muneribus vacare percipimus, musearios* ..... Panciroll. de Corpor. artif. c. 11. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 134. Philand. in Vitruv. vii. 1. Crinit. de Honest. Discipl. xxii. 1. Buleng. de Pict. i. 8.

MUSCULUS erat machina, qua tecti milites opus faciebant. Erat inter instrumenta subitæ oppugnationis. Cæs. Bell. Civ. iii. 80. *Cæsar castris munitis, scalas musculosque ad repentinam oppugnationem, & crates parari jussit.* Idem de Gallis, qui Alesiæ inclusi, cum subitò perrumpere Juliana castra vellent, de Bell. Gall. vii. 84. *Vercingentorix oppido egreditur, è castris,* malè. Quomodo enim & oppido egreditur, & profert instrumenta *è castris?* Nulla verò ipse jam castra habebat, & in oppidum copias reduxerat: sed nec petere à sociis potuit, Romanis interjectis. Vocula e abest libro scripto optimo. L. *crates, longurios, musculos, falces, reliquaque quæ eruptionis causa paraverat, profert.* Munitiones etiam suas illo proferre, & plus loci occupare conatus est Cæsar subitò deprehensus, in Alexandrina urbe cum rem gereret. Hirt. de Bell. Alex. c. 1. *Interim munitiones quotidie augentur, atque omnes oppidi partes, quæ minus firmæ esse viderentur, testudinibus, atque musculis aptantur.* Mallem *quatiuntur, captantur*, aut tale quid. Isidoro xviii. 11. est *cuniculo similis, quo murus perfoditur.* Sed si cuniculo similis, cui? animali, an fossorio? Verba, *murus eo perfoditur*, induxere vulgo nostros mechanicos, aut militares scriptores, ut putent, & forment *musculum* acuto rostro, & eo ipso muros perfodientem. Nihil tale olim: & esset hæc terebra potius. Si legeretur, *sub quo*, id verum esset: & est veluti specus ligneum, in quo milites constituti diruunt murum, & demoliuntur. Differt à vineis, pluteis, cum forma, tum modulo, & firmitate. Exiguus enim est, & *muris* quasi facie oblongior: sed lignis validis structus, & ne perstringi desuper posset. Veget. iv. 16. *Musculos dicunt minores machinas, quibus protecti bellatores, si lutum obfuerit, civitatis fossatum, etiam apportatis lapidibus, lignis, ac terra non solum complent, sed etiam solidant, ut turres ambulatoriæ sine impedimento jungantur ad murum* .... *istæ machinæ breviores, deputatæ turribus magnis, adventus illarum parant viam, itineraque præmuniunt.* Alium à Vegetiano describit Cæs. de Bell. civ. ii. 10. *Musculi hæc erat forma. Duæ primum trabes in solo æquè longæ, distantes inter se pedes quatuor collocantur: inque eas columellæ pedum in altitudinem quinque defiguntur. Has inter se capreolis molli fastigio conjungunt, ubi tigna, quæ musculi tegendi causa ponant, collocentur. Eo super tigna bipedalia injiciunt, eaque laminis, clavisque religant. Ad extremum musculi tectum, trabesque extremas, quadratas regulas, quatuor patentes digitos figunt: quæ lateres, qui super musculo struantur, contineant. Ita fastigiato, atque ordinatim structo, ut trabes erant in capreolis collocatæ, lateribus, lutoque musculus, ut ab igne, qui ex muro jaceretur, tutus esset, contegitur. Supra lateres coria inducuntur: ne canalibus aqua immissa lateres diluere possit. Coria, ne rursus igni, ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur. Hoc opus omne tectum vineis ad ipsam turrim perficiunt, subitoque, inopinantibus hostibus, machinatione navali, phalangis subjectis, ad turrim hostium admovent, ut ædificio jungatur* .... Lipf. Poliorc. i. 9. Valtrin. de Milit. nav. v. 6. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 152. Turneb. Adv. xi. 24. Stevvech. in Vegetium. Laurent. Polym. iv. Synops. ii. Thys. de Oppugn. Urb. i. p. 163. Blond. Triumph. Rom. vi. p. 151. B.

MUSEUM vocatur locus, in quo *Musæ* coluntur, sive fanum Musarum, ut Νυμφαῖον, fanum nympharum,

Neocor, Diatr. de Muf. Alex. Thef. Ant. Græc. Gronov. Tom, viii. p. 2768. B.

Museum etiam est locus studiis, & ὁμιλίαν, convictuique doctorum virorum destinatus. Tale fuit Alexandrinum, quod collegium erat, in quo viri excellentis doctrinæ, initio à Regibus Alexandrinis, posteà verò Ægypto à Romanis subacta, ab Imperatoribus Romanis, liberalitate magnis Principibus dignissima, alebantur, ut omnium aliarum rerum cura vacui, omne tempus in literis & studiis, eruditisque confabulationibus consumerent. Philostr. vit. sophist. p. 524. C. *Adrianus eum inter viros equestris ordinis censeri voluit, & eos, qui in Museo alebantur. Museum autem Ægyptia mensa erat, quæ ex omni terrarum orbe eloquentissimos quosque viros convocabat.* A Ptolemæo institutum fuisse testatur Plutarch. adv. Colot. p. 1095. *Ptolemæus, qui primus viros doctos in Museum convocavit.* Sed à quo institutum fuerit, non addit. Facilè mihi persuaserim, conditorem ejus fuisse Ptolemæum Philadelphum, quippè quem singulari studio, & favore literas, literatosque viros fovisse constat, & in eam curam præcipuè incubuisse, ut Ægyptus optimarum artium studiis, & ingeniorum gloria efflorescerer. Hujus certè tempore floruit. Athenæus enim; postquam laudasset Ptolemæum Philadelphum ob magnificentiam in omnibus operibus ejus conspicuam, subjungit v. p. 203. *De librorum multitudine, & bibliothecarum constructione, & convocatione in Museum quid attinet dicere, cum ea omnes memoria teneant?* Imperatores Romanos in illo viros eruditos fovisse testatur Strabo, qui & illud describit xvii. p. 546. *Pars regiæ & Museum, quod deambulationem habet, & exedram, magnamque insuper domum, in qua cœnaculum est eorum, qui Musei consortes sunt, ac literis humanioribus operam dant. Hoc collegium publicam habet pecuniam, & sacerdotem, qui Museo præest, olim à Regibus, nunc à Cæsare constitutum.* Huic veteri Claudius Imperator alterum addidit, ipsius nomine Claudium vocatum. Suet. c. 42. n. 7. *Quarum causa veteri Alexandriæ Museo additum ex ipsius nomine.* Athen. vi. p. 240. B. *Antidotus, in fabula Protochorus dicta, inducit aliquem similem iis, qui nunc in Claudio philosophantur.* Casaub. in Suetonium, Neocor. Diatr. de Mus. Alex. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. viii. p. 2768. C. Gronov. de Mus. Alex. Thes. Gronov. ibid. p. 2741. .... Pancitoll. Notit. dignit. imp. orient. c. 122. Goetee Antiq. biblic. v. 6. Lips. de Biblioth. c. 11. Thys. Antiq. Roman. p. 380. Ad Ptolemæum primum, h. e. Sotera refero, & Plutarchi locum sic distinguo: *Ptolemæus primus, qui....* Perizon. Addend. ad Ælian. p. 995.

MUSICA est benè modulandi solertia, quæ melicis, & rythmicis astructionibus continetur, ait Martianus Capella: vel, ut Isidorus, est peritia modulationis, sono, cantuque consistens. Hujus primordia Pythagoras reperit ex malleorum sonitu, & chordarum extensione percussa, ut docet Cassiod. de *Musica*, cum Clemens Alexandrinus Protreptico suo velit à *Musis Musicam* repertam. Verùs Moses à Tubal ante universam aquarum eluvionem repertam esse scribit. Nonnulli Linum Thebanum, Zethum, & Amphiona ejus artis ante alios omnes laude viguisse contendunt. Clem. Strom. 1. p. 306. A. Idæos Dactylos *musicos* rythmos reperisse auctor est. Solin. c. 17. à Cretensibus reperta est, cum Idæi Dactyli modulos crepitu, ac tinnitu æris deprehensos in ordinem versuum transtulissent. A Dardanis repertam asserit Strab. vii. *Dardani cum essent oppido agrestes, ita ut speluas sub fimo, & sterquilinio fodientes, ibi versarentur, Musicæ tamen studiosi fuerunt, musicis semper usi & tibiis, & instrumentis, quæ fidibus intenderentur.* Plutarch. de Music. p. 1135. E. putat Apollinem omnis *musicæ* repertorem, quæ tibiis & fidibus constet. *Buleng. de Theat.* ii. 3. Ejus plus æquo Romani studiosi fuerunt. Ammian. xiv. 6. *Pauca domus studiorum seriis cultibus antea celebrata, nunc ludibriis ignaviæ torpentes exundant: perflabili sono, vocali tinnitu fidium resultantes. Deique pro philosopho cantor, & in locum oratoris doctor artium ludicrarum acciutur, &, bibliothecis sepulcrorum ritu in perpetuum clausis, organa fabricantur hydraulica, & lyræ ad speciem carpentorum ingentes, tibiæque, & histrionici gestus instrumenta non levia.* Kobierzyck. de Lux. Roman. c. 12. Adhibebant illam in conviviis. In convivio hospitali Didonis & Æneæ apud Virg. Æneid. 1. 744.

—— cithara crinitus Jopas
Personat aurata.

Suet. Ner. c. 20. n. 1. *Diebus continuis post cœnam Terpno citharœdo canenti in multam noctem assidens, paullatim & ipse meditari, exercerique cœpit.* Liv. xxxix. 6. V. illum supr. in *Cocus*. Et *ornamenta* sive *additamenta convivii* cantum & citharam vocat Hom. Odyss. xxi. 430. *Cerda in Virgilium. Stuck. Conviv. Antiq.* iii. 20. *Kobierzyck. ibid. c. 11. Moll. in Loag. Pastor. p. 74.* V. & supr. in *Cœnabant*.

Musica muta nominabatur, quod æquè sono, solis manuum, vultus, pedum gestibus exercebatur: iidemque & intelligebantur, & mirabiliter populum oblectabant, actibus in scena intermediis. Qui hanc exercebant, mimi, & pantomimi dicebantur. Cassiod. Var. 1. 20. *Hanc partem musicæ disciplinæ mutam nominaverunt majores, scilicet, quæ ore clauso manibus loquitur, & quibusdam gesticulationibus facit intelligi, quod vix narrante lingua, aut scripturæ textu posset cognosci.* Hæc ars ivit in fumum, & nec ullum ejus extat vestigium. *Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 258. & ad illum Salmuth Schill Nomencl. Philol. p. 784.* Id quod non est magni faciendum: siquidem nullum alium fructum, præterquàm delectationem, afferebat: quæ sanè homini Christiano non magnoperè curanda. *Panciroll. l. l.*

MUSIVA, *musæa*, vel *musaica*, & vernaculè nobis *à la mosaique* dicebantur opera, ad differentiam operis segmentati, quod ex segmentis fiebat, non arte pictis, sed sui coloris nativi, nobis *en marqueterie*, constabant propriè ex segmentis arte pictis. V. infr. in *Sectilia*. Serviebant maximè incrustandis muris, & parietibus in templis, palatiis, cubiculis magnatum. In antiquis nonnullis templis visuntur adhuc hujus operis reliquiæ: sic Parisiorum Lutetiæ in sacello sancto occurrunt hinc & inde in pronao intervalla inducta hoc modo, & incrustata paullò infra vitreas fenestras. *Bergier. de viis milit.* ii. *sect.* 21. §. 6. *Gronov. Mus. Alexander. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* viii. *p.* 2756. D. Spartian. Pescenn. c. 6. *Hunc in Commodianis hortis, in porticu curva, pictum de musivo inter Commodi amicissimos videmus sacra Isidis ferentem.* Opus *musivum* expressit Nilus Scholiast. Epigr. iv. Vertit Alciatus:

—— qua arte ex aliis aliisque lapillis
Tam cito compositum transierim in satyrum.

Philand. in Vitruv. vii. 1. Salmuth in Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 133. Alii de pictura, qua fornices, apsides, cameræ, tholi, trulli, testudines templorum, porticuum, & regiarum exornantur. Ego autem de omnibus sigillis, imaginibus, exemplis, quæ ex tessellis, ac sculis marmoreis, aut ex hyacinthis, unionibus, carbunculis, & aliis gemmis, lapillisque construuntur, interpretor. Scribit enim Treb. Poll. trig. tyranno. c. 25. *Tetricos obtulisse Aureliano civicam coronam de museo picturatam*, id est sigillis, & imagunculis ex unionibus, smaragdis, & carbunculis ornatam. Et Codinus in Constantinopoli [illegible], calceos Imperatorios de *musivo* pictos, quod cum essent purpurei, aquila in eis ex gemmis, & unionibus conflata esset. *Buleng. de Pict.* 1. 8. V. quoque *Salmas. in Spartianum. Casaub. in Spartianum, & Suet. Jul. c. 46.* & *Baldum Lex. Vitruv. in Tessera.*

MUSIVARII. V. illos supr. in *Musearii*.

MUSSIDIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

MUSTACEUM, sive *mustaceus* fuit placenta, ex farina, & musto facta. Cato de Re rust. c. 121. *Mustaceos sic facito. Farinæ siligineæ modium musto conspergito. Anisum, cuminum, adipis pondo duo, casei libram, & de virga lauri deradito, eodem addito. Et ubi definxeris, lauri folia subtus addito, dum coques.* Ejus meminit Stat. Sylv. 1. 6. 19.

Et mustaceus & latente palma
Prægnantes caryotides cadebant.

Turneb. Adv. xxiii. 10. Calcagn. Epist. Quæst. 1. 18.

Bacc.

Bacc. de Vin. & Conviv. iv. p. 159. Buleng. de Conviv. iv. 18. Voss. Lex. Etymol. Rhodig. Lect. Ant. ix. 16. Barth. in Statium. Stuck. Ant. Conviv. i. 24. Erasm. in Adag. p. 61. Dalechamp. in Plin. xv. 30. Affinibus & amicis in celebratione nuptiarum dari solebat. Juvenalis, dum monet non ducendam perversis moribus Sat. vi. 202.

—— ducenda nulla videtur
Causa; nec est, quod cœnam, & mustacea perdas.

Bacc. l. l. Inde proverbium *laureolam in mustaceo quærere*, quod ex frivolis negotiis captare famam haud præclaram, neque magnificam. Quum quis enim jam absumpto *mustaceo* serius advenisset, quod de Pinariis in sacro Herculis traditum est, quo tempore jam nihil erat reliqui præter laurum, quæ *mustaceo* substernebatur: facetè, & *σκωμματικῶς* dicebatur ille *in mustaceo laurum quærere*, utpotè cui præter sedimentum nihil superesset. Hinc cum devictus, profligatisque à Cicerone incolis Amani montis, sempiternis hostibus populi Romani, Bibulus supervenisset, aliquid gloriæ inde aucupans: falsè, nec sine stomacho scribit Cicero ad Attic. v. 20. eum in *mustaceo laureolam quærere*: & acutè admodum, ac eleganter laureolæ nomine usus est, quæ non laurum tantum, verùm etiam victoriam significat. *Erasm. Calcagn. Turneb. Voss. l. l.*

MUSTELLA est de genere murium. In malam trahebatur scævam. Theophrast. Charact. c. 17. *Si viam mustella eo ingrediente transcurrerit, non ante progredietur quam alius prior transierit, aut ipse tres lapides trans viam miserit.* Apul. Met. ix. p. 302. *Visa interea mustela mortuum serpentem forinsecus mordicus attrahentes .... Hæc tot, ac talia ingenti pavore domum illius, & familia totius ad extremum stuporem dejecerant animos.* Buleng. de Prodig. c. 38. Casaub. in Theophrastum.

Mustela nomine etiam inclaruit lampetra. Plin. ix. 17. *Proxima est his mensa generis duntaxat mustelarum, quas mirum dictu, inter Alpes, lacus quoque Rhætica Brigantinus æmulas marinis generat.* Auson. Eidyll. x. 106.

Quæque per Illyricum, per stagna binominis Istri,
Spinarum indiciis caperis mustela natantum,
In nostrum subvecta fretum, ne lata Mosella
Flumina tam celebri defraudarentur alumno.
Quis te natura pinxit color! atra superne
Puncta notant tergum: qua lutea circuit iris.
Lubrica cæruleus perducit tergora fucus.
Corporis ad medium fartim pinguescis: at illinc
Usque sub extremam squallet cutis arida caudam.

Sed mirum est poetam septena illa ab utroque latere foramina, sive branchias, quibus lampetra respirat, præteriisse, quæ vulgus oculos opinatur. Sed à poeta nemo exactam fidem, ut ab historico, aut philosopho exiget: *Nonn. de Re cibar.* iii. 32.

MUT.

MUTATIONES dicebantur loca cursus publici, l. si quis 15. l. nemo 17. C. de muner. & honor. Cassiod. Tripart. vi. 45. scribit Julianum Sabam cognovisse mortem Juliani apostatæ, licèt plusquàm viginti *mutationes* ab eo loco usque ad illius exercitum esse viderentur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 6. Pith. præf. ad Itiner. Burdigal.* p. 138. *Mutationes*, & *mansiones* in eo conveniebant, quod specificè, si scholarum voce licet uti, distinguantur à civitatibus. Evidenter hoc apparet in Itinerario à Burdigala Hierusalem usque p. 139. .... ubi nullus omninò notatur locus, cui non annotetur aut *τὸ civitas*, aut *τὸ mutatio*, aut *τὸ mansio*. Itaque tam *mutationes*, quàm *mansiones* fuerunt extra urbes, ac civitates; uti in villis, vicis, aliisque locis immunitis, ac facilis aditus, ad quæ loca noctu, diuque cursu publico commodo accedere licuit, & sine ulla temporum mora equos cursuales citò *mutare* ad persequendum iter. Neque enim *mutationes*, & *mansiones* cursus publici Romani quærendæ sunt in coloniis, municipiis, præfecturis, civitatibusque fœderatis, sed in vicis, aut villis, utpotè in quibus Imperatores fieri curaverant ædificia cursui publico accommodando, ubi tam equi cursuales, quàm homines, & catabulenses ad cursus publici tutelam, & facilitatem erant dispositi. In eo distinguebantur, quod *mutationes* solum cursui publico destinabantur: at latiùs patebat *mansionum* usus. Hæ enim tam cursui publico, quàm militi legionum Romanarum patebant. Prius de cursu publico confirmant verba Imperatorum Valentiniani & Valentis, l. 9. C. de annon. & trib. *Tabulariorum fraudes se resecasse per suburbicarias regiones vir clarissimus Anatolius consularis missa relatione testatus est: quod pabula, quæ hactenus ex eorum voluntate, atque arbitrio, ad mutationes, mansionesque singulas, animalibus cursui publico deputatis, repentè, atque improvisè solebant convehi, nunc in consilio ratione tractata, pro longinquitate, ac molestia itineris, ab unoquoque oppido, certo, ac denuntiato tempore, devehi ordinavit.* Militi quoque legionum Romanarum patuisse mansiones innuunt illi, qui definiunt, *eas esse stationes, in quas se milites expeditionis tempore quiescendi causa recipiebant.* Bergier. de Viis militar. iv. Sect. 9. §. 2. & 5. Deinde brevius iter est *mutationum*, sive stationum, ubi *mutantur* equi: mansionum verò, sive stativasum unius diei est. *Guther. de Offic. dom. August.* iii. 15.

Mutationes vocabantur etiam ipsi veredi. Ammian. xxi. 9. *Præfectus prætorio Taurus, ut hostem vitans externum, maturè discessit, vectusque mutatione celeri cursus publici, transisis Alpibus Juliis, eodem ictu Florentium itidem præfectum secum abduxit.* Bergier. de viis milit. iv. Sect. 9. §. 4. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 6.

MUTATORIUM Cæsaris apud Rufum & Victorem legitur regione prima, quæ porta Capena. Apud illos pro ædificio accipitur, fortè pro domu publica, quam Cæsar pontifex maximus habitavit. Suet. c. 46. n. 1. *Habitavit primo in Suburra modicis ædibus. Post autem pontificatum maximum in Sacra via domo publica.* Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iii. p. 324. E. Vestigium nostrum quadratum locum designat, cum porticibus, nullamque circi faciem refert. Mihi placet opinio Francisci Albertini de Mirabilibus novæ, & veteris Urbis: *Erant*, inquit ille, *mutatoria, ut mutatorium Cæsaris, quæ erant privatæ domus magnorum ad secessum, & delicias, variis picturis, & marmoribus exornata.* Athen. xii. p. 513. F. *Reges Persarum, & Parthorum pro anni tempore ædes mutasse* refert: *Celeberrimi omnium virorum, ob suas delicias, Persæ primi fuere, quoniam in Susis Reges hyemabant, æstateque degebant in Ecbatanis. Versabantur per autumnum in Persepoli, & reliquam totius anni partem in Babylonia.* Romani Imperatores ultra Palatinas ædes habuere privatas domus, ac thermas, quas pro anni tempore *mutabant*: ut de thermis hyemalibus Aureliani scribit Vopisc. c. 45. *Thermas in Transtiberina regione facere paravit hyemales.* Nostri etiam pontifices cubicula, ac ædes *mutant*, ut Quirinale palatium dici *mutatorium* pontificum possit, cum e Vaticano discedentes in Quirinali per æstatem commorantur. *Bellor. Fragm. vest. vet. Rom. tab.* xi. Esto locus destinatus ei rei, cum Cæsar togam sago commutaret. Nam *mutare* de vestimentis sæpiùs dicitur, ut in procinctum abiturus illic saga militibus distribueret, ipse paludamentum sumeret. Et talibus dicata fuisse propria ædificia liquet ex eo, quòd ædem Martis iis, qui cum imperio in provincias irent, dedicavit Augustus, ut inde producerentur. Suet. c. 29. n. 7. Videatur etiam aviarium, seu ornithona egregium Cæsar hac regione habuisse, quod *mutatorium* à *mutis*, seu cavis avium dictum sit, siquidem ea vox tum quoque usitata fuit: quod non censeo. *Barth. Adv.* ii. 22.

MUTILUS est tabella, ad quam vesperè gallinæ volatu se recipiunt, manè desiliunt. Colum. viii. 9. *Ad lineam mutilo per parietem defixo tegetiulas cannabinas accipiunt.* Argol. in Panvin. de Lud. circens. ii. 15.

Mutilus dicitur etiam lignea, vel lapidea pars prominens, cui caput trabis imponitur. Est enim quasi *mutila* trabs. Vitruv. iv. 2. *E cantheriorum projecturis mutulorum sub coronis ratio est inventa.* Voss. Lex. Etymol. Philand. in Vitruv. iii. 3. Bald. Lex. Vitruv. Bergier. de viis milit. v. Sect. 10. §. 10.

Mutilus est cognomen gentis Papiæ in nummis argenteis gentis Papiæ, Aproniæ communibus, ut ex Goltzio videre est in Fastis ann. ab A. U. 660. & 661. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.*866. *A.*

MUTINUS, sive *Mutunus* erat numen Περιαπτὸς, quod *Mutuni Tutuni* nomine Romanis matronis coltum utriusque obscœni appellationem videtur habuisse. Sponsa, antequam viro jungeretur, invisebat templum *Mutini*, & sedebat super ejus fascinum, & apponebat propria pudenda supra hoc idolum. Arnob. iv, p. 131. *Etiamne Tutunus*, alii *Mutunus* legunt, *cujus immanibus pudendis, horrentique fascino, vestras inequitare matronas, & auspicabile ducitis, & optatis.* p. 133. *Quia non supplices humi Mutuno procumbimus, atque Tutuno.* De illo Lactant. i. 20. *Mutinus, in cujus sinu pudendo nubentes præsident; ut illarum pudicitiam prior deus delibasse videatur.* Sic duplex ejusdem dei nomen, *Mutunus*, *Tutunus*. Ex utroque obscœnu videtur appellatio composita. Μυττὸς Siculum, vel Æolicum, pro μυχὸς de pudendo muliebri. Inde μυττὸν, μυττῦνος, & Romanum *muttonus*. Ποσθὴ, & ποσθὼν, qui ingens habet virile, Æolicè ποσθὼν, ποσθῶνος, inde Latinum *Puttunus*, & *Tuttunus*. Nam *T.* & *P.* invicem permutabant tam Æoles, quàm veteres Latini, *Salmas. Exercit. Plin. p.* 219. *F. Barthol. de Puerp. p.* 2. *Fabric. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* iii. *p.* 431. *F. Nardin. vet. Rom.* vi. 14. *Casal. de Prof. Rom. rit. c.* 13. *de Rit. nupt. c.* 1. *de Urb. ac Imper. Rom. splend. p.* 2. *c.* 16. *Brisson. de Rit. nupt. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* viii. *p.* 1048. *D. Elmenhorst. & Herald. in Arnobium. Lipen. de Stren. c.* 1. §. 9. *Tomas. de Donar. c.* 23. *La Chausse de Marin. simul. tab.* 1. *&* 2. *Struv. Ant. Rom.* 1. *p.* 158. *Meurs. de Puerp. c.* 1. *Laurent. de Oscul. c.* 4. *Rosin. Antiq. Roman.* ii. 19. Quicquid sit, Priapi erat signum, August. de Civ. Dei iv. 11. *Ipse sit Mutunus, vel Tutunus, qui est apud Græcos Priapus.* Cui vi. 24. *super Priapi scapum nova nupta sedere* dicitur, quod Plinio membrum virile significat, *Barthol. l. l. La Chausse ibid. tab.* 1. Ejus idolum est repertum in monte Viminali ex ruderibus cujusdam templi gentilitatis. Extat Romæ apud clarissimos viros dominos de Gottifredis ex marmore albo altitudinis trium circiter palmorum. Repræsentat membrum virile erectum junctis pedibus: à tergo est aliud quoque membrum virile erectum, sed hoc parvum non amplius parvi digiti, & supra hoc virile membrum parvum insidet puella nuda, quæ propria pudenda super parvum apponit. *Casal. l. l.* Videtur etiam fuisse deus qui *mutiret*, efficeretque, nequid emanaret; sed clam esset, & tacitum, & occultum. Lucillius;

Sed quid Mutino, subjectoque huic opus signo?
Ut lucraretur lardum, & carnaria furtim
Patrum conficeres.

Turneb. Adv. xvii. 23.

MUTITATIO quædam erat apud veteres per dies festos. Gell. ii. 24. *Legi nuper in Capitonis Atei Conjectaneis senatus decretum vetus, in quo jubentur principes civitatis, qui ludis Megalensibus mutitarent, id est, mutua inter se dominia*, convivia hilariora, quæ à domino, sive præbitore convivii nomen acceperunt, *agitarent, jurare apud consules.* Ad hæc alternantia convivia respexit Virg. Georg. 1. 301.

Mutuaque inter se læti convivia curant,

Et de Tantalo Pind. Olym. 1, 63.

Alternantia convivia diis præbens.

Lips. Sat. 1. 19.

MUTUUM erat contractus, quo rerum, quæ pondere, numero, mensura constareor, usus ita concedebatur, ut postea non ædem, sed aliæ generis ejusdem redderentur. *Sigon. de Judic.* 1. 5. *Salmas. de Mod. usur. c.* 14. *Cujac. Observ.* xi. 37. Erat contractus voluntarius, alterum tantum obligans. Do tibi mutuum, teneris reddere. *Salmas. ibid. c.* 12.

MYI.

MYIAGROS deus fuit congregator muscarum. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* iii. 15. Imò deus expulsor muscarum, abigens muscarum, Solin. c. 2. V. illum infr. in *Sacellum Herculis*, Pausan. Arcad. p. 258. *In ea celebritate antè Myiagro sacrificant: preces inter sacra heroi effundunt, Myiagrum invocantes: atque ita facientibus nihil præterea molestiæ muscæ inferunt.* Plin. x. 28. V. illum supr. in *Jupiter* Ἀπόμυιος, *Myiodem* illum vocat de muscis loquens Plin. xxix. 6. *Nullum animal minus docile existimatur, minorisve intellectus: eo mirabilius est, Olympiæ sacro certamine nubes earum immolato tauro deo, quem Myiodem vocant, extra territorium id abire.* Gyrald. Synt. deor. 1, p. 46. P. Lomej. de Lustrat. c. 12. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. 1. 8. Laurent. de Oscul. c. 4. Is est, quem Ἀπομυῖον Δία vocatum, cultumque apud Eleos tradit Pausan. Eliac. p. 61. ὡς ἐλαύνοντα τῆς Ἠλείας Ὀλυμπίας τὰς μυίας. Sed nihil tam contrariæ significationis, quàm Μυιώδης, & Ἀπόμυιος. Μυιώδης siquidem propriè dicitur locus, quem multitudo muscarum infestat: Ἀπόμυιος est muscarum abigens, quasi ἀπελαύνων τὰς μυίας. Legendum in Plinio puto, quem Apomyion Dia vocant, hoc est, Ἀπομυῖον Δία. Aut etiam Μυιῶν Δία, id est, Jovem muscarum, aut muscarium; ut Apollo Παρνόπιος, & Σμινθεὺς. Imò licèt Μυιώδη retineamus in Plinio, malè tamen viri docti sentiunt, qui *Myiodem* eundem censent cum *Myiagro*. Res enim in totum diversa. Apud Olympiam Eleam, tempore tantùm sacri certaminis, quum Jovi Olympico sacra fiebant, Jovi etiam, quem Ἀπόμυιον vocabant, sacrificabatur, non ut muscæ interirent, sed ut extra territorium abirent. Hinc Ἀπόμυιος deus ille indigitabatur, quasi muscarum expulsor. At apud Eleos *Myiagros* deus placabatur, ut muscas internecioni daret, quarum multitudo pestilentiam quotannis regioni afferebat. Non igitur eadem historia potest esse, nec idem dei cognomentum, cujus diversæ sunt potestates, cùm alter muscas exstinguat, alter expellat. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 9. *b. F.*

MYL.

MYLOTHROS dicitur cantilena, quæ à molentibus canitur. Eustath. Iliad. δ. p. 1324. *Mylothros cantilena dicta est eodem nomine cum eo, qui molam aspiciat.* Buleng. de Theatr. ii. 10.

MYO.

MYOPARO *est navicula piratarum. Cicer. de Repub.* iii. *Nam cum quæreretur ex eo, quo scelere impulsus mare haberet infestum uno myoparone, eodem, inquit, quo tu orbem terræ.* *Sall. Hist.* iii. *Et fortè in navigando cohors una grandi faselo vecta à cæteris deerravit, marique placido à duobus prædonum myoparonibus circumventa.* Non. c. 13. §. 6. *Gyrald. de Navig. c.* 18. *Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* xi. *p.* 594. *A. Savar. in Sidon.* viii. 6. *Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman.* vii. 32. *Turneb. Adv.* iii. 1. *Voss. Lex. Etymol. Scheffer. de variet. nav. Thes. Gronov. ibid. p.* 776. *D.* V. etiam *Scheffer. de Milit. nav.* ii. 2. Plutarchus *myoparonas* videtur vocare, quos phaselos dixit Appianus, ubi ejusdem rei cum Plutarcho meminit. Verba Plutarchi sic habent in Anton. p. 932. A. *Octavia, præter ea, quæ pacta fuerant, à marito impetravit, ut fratri viginti myoparonas concederet.* Appian. de Bell. civ. v. p. 726. *Munerata est Octavia fratrem decem phaselis mixtis ex forma onerariarum, longarumque navium.* Quibus sanè Appiani verbis, nisi alium auctorem, quàm Plutarchum, secutus est, conjiciat lector *myoparones* fuisse phaselos: quorum forma mixta erat ex nave oneraria, & longa triremi; ut hac nostra memoria faciendos locavit Franciscus Rex Regum, ad oceanum Britanniæ minoris, quos galeones vocant. *Bayf. ibid. p.* 595. *A. Scheffer. l. l.*

MYR.

MYRA fuit metropolis Lyciæ opulentissima. Mattyrol. Decemb. VI. Ad hanc Paullus in Italiam navigans appulit. Actor. c. 27. n. 5. *Panciroll. Notit. dignit. imp. oriente. c. 125.*

MYRMILLO in amphitheatralibus spectaculis Gallica erat armatura: vox autem de Græco deflexa, ut quæ in aliud solum transportata sunt, ingenio loci, & cœli mutantur, leviter quoque mutata est. Nam quod ea armatura fortissimorum erat hominum, quales opinione hominum fuerant antiqui *Myrmidones* Achillis milites, & habebantur Romanorum sententia Galli, *myrmillonesque* de Græca illa fortissima natione appellabantur: idcircò gladiatoribus hoc nomen hæsit. *Turneb. Adv. III. 4.* Qui *myrmillones* velificante una litera transfert in Græciam. At ego in Galliam potius; unde venisse eos accredam Festo: *Retiario*, inquit, *pugnanti adversus myrmillonem cantatur, non te peto, piscem peto: quid me fugis Galle? quia myrmillonicum genus armatura Gallicum est, ipsique myrmillones ante Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat*. Nec abit à Festo Plutarch. in Crasso p. 547. C. qui gladiatores, qui cum Spartaco rebellarunt è ludo Lentuli, *Gallos fuisse* ait, & *Thraces*. Gallos ceperim *Myrmillones*. Hi & *crupellarii* dicebantur. Videntur inter pugnam soliti subsidere, ad excipiendum adversarium, & vitabundi. Ausonius ostendit prælo quio centonis sui *Simulantur species multa formarum, aper bestia, anser volans, aut myrmillo in armos subsidens*. Ammian. XVI. 12. *Seque in modum myrmillonis operiens, hostium latera perforabat*. Artemidorus laudandus infr. in Threx Threcem ait solitum Ἀνβαίνειν, sive insurgere, & veluti conscendere in hostem, id est, *murmyllonem* subsidentem. Nam ii duo plerumque compositi. Auson. in Monosyll. n. 102.

Quis myrmilloni componitur aquimanus? Threx.

Cicer, Phill. VII. 6. *Myrmillo pugnavit in Asia: cum ornasset Threcidicis comitem, & familiarem suum, illum miserum fugientem trucidavit*. Componebantur etiam cum retiatiis. V. infr. in *Retiarius*. Vox ipsa, si vis suspicionem, est Etrusca. Cum enim res gladiatoria ab iis, quidni hoc nomen? *Lips. Saturn. II. 10. Pius Annot. Post. c. 88. Salmas. Exerc. Plin. p. 29. a. D. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 4. Volaterr. Comment. Urban. XXIX. p. 1094. D. Thys. de Gladiat. p. 226. Laurent. Polymath. IV. 9. Blond. Triumph. Rom. II. p. 50. H. Mod. de Lud. vet. II. 21. Donat. & Pitisc. in Suet. Calig. c. 22. n. 7.* Illorum armaturam describit Juven. Sat. VI. 261.

Aspice, quo fremitu monstratos perferat ictus,
Et quanto galea curvetur pondere, quanta
Poplitibus sedeat, quàm denso fascia libro.

Myrmillones enim galeati. Juven. Sat. VIII. 200.

—— nec mirmyllonis in armis
Nec galea faciem abscondit.

Ultimum versum ineptè arbitrantur, quàm denso volumine, & complicatione vestes ejus sinuentur, & complicentur, quod fascia succinctæ pugnarent. Verùm, ut Samnitibus, ut tradit Livius laudatus infr. in *Samnites*, pro lorica spongia erat pectori adpressa: ita conjicio, pro eadem lorica fuisse fasciam, ex pluribus tiliarum contabu lationibus densatam, veluti quandam tabellarum, instar codicis, compaginationem muniendo pectori adversus ictus. Vetus interpres: *volumen in speciem libri, id est, longa fascia*: ubi volumen impropriè appellat, quod codicem dicere debuerat, multiplici tabellatum serie compactum. *Ferrar. Elect. II. 24.*

MYROBRECHARII dicuntur unguentarii, qui unguento perfundunt, & madefaciunt. Plaut. Aul. III. 5. 37. V. illum supr. in *Manulearii*. Ferrar. de Re Vest. I. 3. 21. V. tamen supr. in *Murrobathrarii*.

MYROTHECIUM est theca, atque repositorium. Cicer. Attic. II. 1. per translationem decentissimam: *Meus liber totum Isocratis myrothecium, atque omnes ejus discipulorum arculas consumpsit*. Beroal. Append. Annot. c. 6.

MYRTUS sacello Bonæ deæ non inferebatur. Rationes dat Plutarch. Quæst. Rom. 20. *An credendum est fabula, qua perhibet Fauni cujusdam aruspicis uxorem, cum clam poto vino non posset latere, à marito virgis myrteis fuisse castigatam? An vero quod cum ab aliis rebus pure, tum maximè rei Venerea, sacra ista peragunt? non enim solum maritos, sed omnes in universum mares domo exterminant, cum dea sacris operantur ritibus. Itaque myrtum, ut Veneri sacram, abominantur. Nam qua hodie Murcia Venus dicitur, ea scilicet olim Myrtia fuit dicta.* Auctor hujus fabulæ est Sextus Clodius VI. de diis Græcorum. Arnob. V. p. 168. Lactant. I. 22. *Faunam Fatuam, Bona qua dicitur dea, myrteis casam virgis, quod marito nesciente seriam meri ebiberit plenam, Sextus Clodius indicat sexto de diis Gracorum: signum que monstrari, quod cum ei divinam rem mulieres faciunt, vini amphora constituatur obtecta: nec myrteas fas sit inferre verbenas.* Boxborn. in Plutarchum. Veneri attribuebatur. Virg. Ecl. VII. 62.

Formosa myrtus Veneri gratissima.

Et apud eundem Æneas Veneris filius spectaturus ludos Æneid. V. 71.

—— velat materna tempora myrto.

Quare Veneri dicata sit, variæ à pluribus opiniones assignantur. Phurnut. de Nat. deor. c. 24. hanc rationem esse ait, quod hæc planta ad amores conciliandos faciat. Alii quod in mari videlicet Cyprio nata sit, unde Ἀφροδίτη, & Cyprigena. Amat enim *myrtus* maris littora: vel, ut etiam Servius ait Ecl. VII. 62. Æneid. V. 72. *quia cum mari exiisset, ne nuda conspiceretur, latuit in myrto; vel quia fragilis est arbor, ut amor inconstans; vel quia est jucundi odoris: nempè Venus odoribus & unguentis delectatur*. Curt. de Cule. Hortor. V. 8. Gyrald. Synt. deor. XIII. p. 388. A. Stuck. Ant. Conviv. III. 16. Paschal. de Coron. VII. 18. Ortel. Deor. & dear. cap. 1. 25. Nicolai de Rit. Bacchan. c. 19. Laurent. de Adulter. c. 3. Broukh. in Tibull. I. 3. 66. Etiam Laribus erat accepta. Horat. Od. III. 23. 16.

—— te nihil attinet
Tentare multa cade bidentium,
Parvos coronantem marino
Rore deos fragilique myrto.

Broukh. ibid. I. 11. 28. Illa coronabantur epulantes. Horat. Od. I. 4. 9.

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto.

hoc est coronas ex *myrto* capiti imponere. *Stuck. l. l.* & triumphantes. Plin. XV. 29. *Massurius auctor est, curru quoque triumphantes myrtea corona usos. L. Pisotradit, Papyrium Massonem, qui primus in monte Albano triumphavit de Corsis, myrto coronatum ludos Circenses spectare solitum. Avus maternus Africani sequentis hic fuit. Marcus Valerius duabus coronis utebatur, laurea & myrtea, qui & hoc voverat.* Paschal. ibid. c. 21. *In antiquissimo delubro Quirini, hoc est, ipsius Romuli sacra fuere myrti dua ante adem ipsam per longum tempus, altera patricia appellata, altera plebeja. Patricia multis annis pravaluit, flaccescente plebeja, exuberans, ac lata, quamdiu senatus quoque floruit, illa vigens, plebeja retorrida, ac squalida: Quæ postquam evaluit flaccessente patricia Marsico bello, languida auctoritas patrum facta est, ac paullatim in sterilitatem emarcuit majestas.* Plin. l. l. *Marlian. Topogr. Urb. Rom. II. 12. Donat. de Urb. Rom. III. 15. Nardin. Rom. Vet. IV. 6.*

MYS.

MYSIA Asiæ Attalicæ pars fuit duplex: *una Olympena est, Bithynia, atque Epicteto finitima: altera ad Caicum amnem, & agrum Pergamenum usque in Tetraniam, & fluminis ostium. Verum hac adeo immutata sunt, & Mysorum fines, & Phrygum quidem diversi sunt, verum eos distinguere operosum*. Strab. XII. p. 396. Ptolemæus autem minorem ad Propontidem provehit, majorem usque ad amnem Caicum. *Sigon. de Ant. jur. prov. I. 10.*

MYSTERIA noctu celebrabant veteres. Apoll. Argon. III. 1028.

Tunc mediam noctem equatam observans,
Magni fluentis lotus fluvii.

Ovid. Met. vii. 84.

Fertque vagos media per muta silentia noctis
Incomitata gradus.

Præsertim, si inferis, ac lemuribus fieret. Ovid. Fast. v. 429.

Nox ubi jam media est, somnosque silentia præbent,
Et canis, & variæ conticuistis aves,

Ratio I. quod animus eo tempora videatur intentior, quod in sacris maximè decet. Clem. Alex. Strom. iv. p. 530. C. *Propterea & sacrificia nocte fiunt maximè, nocturnam animæ à corpore coarctationem significantia.* II. ab ipsa sacrorum turpitudina jure petitur, quæ, ut opera tenebrarum, lucem ubique fugerunt. Tertull. Valentin. c. 1. *Nam & illa Eleusinia, hæresis & ipsa Attica superstitionis, quod tacent pudor est.* Synes. de Provid. *Ignoratio mysteriorum est illorum veneratio: propterea nocti creduntur mysteria.* Lomej. de Lustrat. c. 38. Saubert. de Sacrif. c. 4. Meurs. Eleusin. c. 9. Prophanis oculis qui inspexerat, excæcabatur. V. infr. in *Sacrum scelusum.*

MYSTRUM est quarta pars cyathi: pendet olen plenum drachmas duas semis: aqua, aut vino drachmas duas, scrupula duo, grana octo. *Pætus de Rom. & Græc. mens. iii. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 21. p. 1649. F. Cenal. de Pond. & mensurat. Thes. Græv. ibid. p. 1454. C.*

N



Vel superposita virgula transversa denotabatur, vel omittebatur. Græcos enim imitabantur, & multa sine *N* litera scribebant Latini, ea scribendi ratione, qua Hortesius antiqui dicebant, pro Hortensius. Græci enim O'ρτήσιος scribebant. Velius Longus de Orthogr. p. 2237. Edit. Putsch. *Sequenda est nonnunquam elegantia eruditorum, quod quasdam literas levitatis causa omiserunt: sicut Cicero, qui Foresia, & Megalesia, & Hortesia sine N litera libenter dicebat.* Ita in Kalendario Vallensi MES. JANUAR. & sic deinceps scriptum est. *Ursin. ad Kalend. Rust. Farnes. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. viii. p. 21. B. Serv. Miscell. c. 4. Salmas. Exerc. Plin. p. 12. a. D.* Et hoc in Latinis inscriptionibus frequenter observatur. In inscriptione Gruteri p. 173. n. 1. IMPESA pro *impensa*: in alia apud Fabrett. ad Col. Traj. p. 68. MESIBUS pro *mensibus*, & p. 35. DISPESATOR pro *dispensator* legitur. *Cuper. Monum. Ant. p. 212.* In Pandectis Florentinis PRÆGNAS pro *prægnans*. Imò apud Plautum MUSSAS pro *mussans* prol. Merc. n. 49.

Summo hæc clamore, interdum mussas.

STAS pro *stans* Stich. iv. 2. 13.

Quin tu: stas obstrusero aliquid strenue,

Palmet. Spicil. ix. p. 750. xiv. p. 861.

N Latini plerumque addunt nominibus, quæ ex Græco sumpserunt, ut *thensaurus*, θησαυρός. Et in nominibus propriis *Rhuncus* pro *Rhucus*, qui Græcis Ῥοῖκος. Nævius in carmine belli Punici 1. *Inerant signa expressa, quomodo Titani bicorpores, gigantes, magnique Atlantes, Rhuncus, atque Purpureus filii Terras,* Ῥοῖκος, καὶ Πορφυρίων. *Salmas. Exerc. Plin. p. 12. a. D.*

N est litera numeralis, quæ nonaginta denotat, Unde versus apud Ugutionem:

N. nonaginta capit, quæ sic caput esse videtur.

Ita etiam in notis antiquis: *N. LXXXX. nonaginta*, Et apud Baronium nongentos efficere dicitur hoc versu:

N. quoque nongentos numera demonstrat habendos.

Eidem literæ si tecta linea superaddatur, nonaginta millia significat. *Du Fresne Lex. Etymol.*

N in L mutari valdè usitatum est: *Nabu* & *Labu*, & *Labinitus* qui vocatur Herodoto, is est *Nabunitus* Beroso. *Scalig. de Emend. temp. vi. p. 578. & in Beros. fragm. p. 9.*

Sic *Perna, Perla*; & πλεύμων pro πνεύμων, *lympha* pro *nympha*, *ullus* pro *unus*, *catella* pro *catena*. Braun. de vestit. Sacerd. Hebr. ii. 10.

N & M mutarunt veteres. V. supr. in *M.*

N & R mutarunt veteres. Hinc ex γνώμα *groma*, ex κρέκος *crepus*, atque inde *crepusculum*, ex τόνος *torus*, ex μορὸς, Æolicè μορὸς *morus*, ex δυνὸς *dirus* fecerunt. *Salmas. Exerc. Plin. p. 147. a. C. 472. a. A. 795. a. D.*

N & V. sæpè invicem mutabantur. Hinc iidem *Narista* & *Varista*, vel *Naristi* & *Varisti*. Οὐαριστοὶ dicuntur Ptolemæo, quos Ναρίσται appellat Dio. *Salmas. in Capitol. M. Anton. Philos. c. 22.*

N. L. fuit symbolon, & insigne ampliationis in tabella, pro *non liquet*: nam si liqueret, tabella A. absolutionis, aut C. condemnationis in urnam conjiciebatur. Ascon. in Cicer. p. 76. *Ante legem Glauciam de comperendinatione aut statim sententia dicebatur, si absolvendus esset reus: aut amplius pronuntiabatur, si videretur esse damnandus, cum dixissent judices, non liquet, hoc est, obscura causa est. Itaque ea pars interposita dilatione dicebat, in cujus peroratione videbatur obscuritas..... Cum condemnandi nota esset C litera, absolvendi A, ampliandi signum N L dabant, quo significabant, non liquere: unde ampliatio nascebatur.* Cicer. pro Cluent. *Deinde homines sapientes ex vetere illa judiciorum disciplina, qui neque absolvere hominem nocentissimum possent, neque eum, de quo orta esset suspicio, pecunia oppugnatum re illa incognita primo condemnare vellent, non liquere dixerunt.* pro Cæcin. c. 10. *Venisse in consilium publica quæstionis, cum ejus consilii judex non esset, & in eo consilio cum causam non audisset, & potestas esset ampliandi, dixisse, sibi liquere. Dum incognita re judicare voluissent, maluisse condemnare, quàm absolvere.* Pollet. For. Rom. iv. 151 v. 8. Beroal. Annotat. c. 51. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 877. F. Bud. in Pandect. p. 33. D. 268. D. Brisson. de Form. p. 489. Sigon. de Judic. ii. 22. Manut. de Legib. c. 22. Morestell. Philom. iii. 12. Donat. Dilucid. Liv. c. 43. Sardus de Morib. gent. ii. 22. Schill Nomenc. Philol. p. 101. Faber. de Magistr. Roman. p. 212. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 7. Hotman. Antiq. Roman. ii. 13. Cimir. de Honast. Discipl. vi. 8. Nicol. de Sigl. vet. c. 11. §. 2. Maurit. de Sortit. c. 28. §. 3. Erasm. Adag. p. 159. b.

NAB.

NABLION, sive *naulion* diminutivum est ab eo, quod vel *nablon*, vel *naulum* dicimus. Etenim literas *B* & *V* fermè pro iisdem positas in veteribus monumentis diximus supr. in *B.* Multa sunt organorum barbara nomina, sicuti narrat Strab. x. p. 324. inter quæ *nabla* enumerantur. *Organi speciem nabla* esse dicit Suidas, & *psalterium organum esse musicum, quod nabla etiam vocatur.* Gallus, Salomo, ordinarius apud Hebræos enarrator sacrarum literarum, *nevel* esse Hebraicè, quod psanterin, id ait, psalterium legatur. Constat autem literis id nomen tribus נבל, ex quo etiam *nevel* in Esaja legitur & Amos, & Græca deinde figura *naulon*, à quo diminutivum *naulion*. Ovid. de Art. iii. 327.

Disce etiam duplici genialia naulia palma
Vertere, conveniunt dulcibus illa jocis.

Polit. Miscell. c. 14. Barthol. de Tib. iii. 7. Magi de Tintinn. c. 17. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Theatr. ii. 10. Gyrald. de Music. p. 559. C. Edit. Leid. Brod. Misc. ii. 14. Putant aliqui esse instrumentum musicum, quod vulgo dicitur cornamusa, quod sit instar utris pleni: adjunguntur enim fistulæ perforatæ, aut calami aperti, e quibus egreditur dulcis sonus. Interpretes nunc psalterium, nunc lyram transferunt. Joseph. Ant. vii. 10. scribit *nablum* duodecim esse chordarum, & digitis tangi consuetum: quare forsan nostræ chely, seu testudini non fuit dissimile instrumentum. Quidam fistulam utricularem interpretantur, *Cerda Advers. c. 135. n. 9.* Aut valdè ego à scoppo aberro, aut ille cæcutit, qui ab Ovidio non aliquod genus cymbalorum describi videt. Agnosce *duplicem*

cem palmam, & exinde duplex organum. Ovid. Fast. IV. 84.

Æraque tinnitus ære repulsa dabant.

Ita *verti* scribit, id est, variis modis jactari, susque deque ferri. De cymbalista Gaditano Mart. III. 63. 6.

Qui movet in varios brachia volsa modos.

Denique *conveniunt dulcibus illa modis*, & ludis meretriciis: Si rectè sentio, horum organorum motrices ναύλας Græcia nominavit. Ex Philemone videtur probare Pollux IV. 9. *Ceterum & naula meminit Philemon:*

Adesse hic, Parmeno, oportebat tibicinam,
Naulam quendam.

Lampe de Cymbal. I. 19. Pignor. de Serv. p. 167.

NAE.

NÆNIA vocabatur carmen, quod à præficis in lamentationibus ad tibias cantari solebat. Festus: *Nænia est carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam.* Non. II. 594. *Nænia ineptum, & inconditum carmen, quod adducta pretio mulier, quæ præfica diceretur, iis, quibus propinqui non essent*: imo verò etiam quibus essent ò Noni, *mortuis exhiberet.* Cicer. de Leg. II. 24. *Honoratorum virorum laudes in concione memorantur, easque etiam ad cantus ad tibicinem prosequuntur, cui nomen nænia: quo vocabulo etiam Græcis cantus lugubres nominantur.* Gloss. Cyrill. *Nænia*, Ἐπιτάφια, ἐγκώμια νεκρῶν. Ex aliæ: *Nænia*, ἐπιτάφιος ᾠδή, *Kirchman. de Fun. Rom.* II. 6. *Meurs. de Fun.* c. 18. *Cuper. Observ.* I. 1. *Mag. Misc.* I. 13. *Guther. de jur. man.* I. 22. *Ferret. Mus. Lapid.* II. *Memor.* II. *Scalig. Conject. in Var.* p. 142. & *in Festum. Meurs. F. Collect. de Tib.* c. 14. *Bartholin. de Tib.* II. 14. & 15. *Voss. Lex. Etymol. Ravard. ad Leg.* XII. *tab.* 15. *Turneb. in Cicer. de Leg.* II. p. 165. *Gronov. in Marmor. bas. Coloss. Tiber. erect.* c. 14. *Reines. Var. Lect.* I. 10. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. 5. *Blond. Triumph. Roman.* II. p. 39. *C. Schill Nom. Philol.* p. 787.

Nænia fuit dea, in cujus tutela erant, quibus extrema tempora imminebant. Arnob. IV. p. 131. *In tutela sunt Næniæ, quibus extrema sunt tempora.* Bartbol. de Tib. II. 15. Cerd. Adv. c. 15. §. 37. Struv. Ant. Roman. c. 1. p. 160. Gyrald. Synt. deor. I. p. 50. C. Voss. Lex. Etymol.

Nænia etiam carmen fuit lætum, ut quod ludis Troicis canebatur. Varr. de Vit. pop. Rom. IV. *Ibe à muliere, quæ optima voce esset, Pergama laudari: deinde næniam cantari solitam ad tibiam, & fides eorum, qui ludis Troicis cursitassent.* Quia, ut reor, laudabantur illi, qui ad Trojam occubuissent, vel alii: certè laudatio fuit. *Cuper. Observ.* I. 1.

Nænia quoque vocabatur carmen puerile, & inconditum, quia in *nænia* frivola multa canebantur, Horat. Epist. I. 1. 62.

Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum est
Nænia, quæ regnum rectè facientibus offert.

Cuper. Observ. I. 1. Voss. Lex. Etymol.

Nænia etiam vocabatur carmen soporiferum, & somnolentum. Ita veteres grammatici ad Horat. Od. III. 28. 16.

Dicetur merita nox quoque nænia.

Arnob. VII. p. 237. *Somno occupari ut possint, lenes audiendæ sunt næniæ.* Ejus exemplum habetur in Theocr. Eidyll. XIV. 8.

Dormite pueri mei dulcem & excitabilem somnum,
Dormite animi mei, fratres duo incolumes libri,
Felices dormiatis, & felices auroram consequamini.

Inde nutrices dicuntur βαυκαλίζειν, vel βαυκαλᾶν. Hesych. Βαυκαλᾶν, *somnum inducere pueris cantando.* Et cantilenæ illarum, quibus cantandis somnum pueris conciliant, καταβαυκαλήσεις vocantur. Athen. XIV. p. 618. E. *Nutricum lactantium cantilenæ καταβαυκαλήσεις nuncupantur.* Et νηνίατα apud Hesychium. *Casaub. in Theoph. Char.* c. 7. & *Athen.* XIV. 3. *Scalig. Auson. Lect.* II. 11. *Leopard. Emend.* VII. 5. *Claude Diatr. de nutric.* c. 4.

Nænia fuit quoque dictum extremum intestinum, quod νῆστιν, seu jejunum Græci dicunt. Arnob. VII. p. 229. *Quid nænia? quid assa?* Plaut. Bacch. IV. 8. 47.

Quæ quidem te faciam, si tu me irritaveris,
Confossiorem soricina nænia.

Cerda Advers. c. 185. §. 54. Taubman. in Plautum. Turneb. in Cicer. de Leg. II. p. 165.

NÆVIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

Nævia porta. V. illam infr. in *Porta.*

Nævia sylva. V. illam infr. in *Sylva.*

NAJ.

NAJADES, sive *Naides* vocabantur nymphæ fontium. *Najadum* nomen, licèt omnis aqua fluat, de Nereidibus nusquam sumitur; sed de fluminum, fontium, stagnorum, puteorum nymphis. Porphyr. de antr. nymph. *Etiam antra nymphis consecraverunt, maximèque Naidibus, quæ fontibus præsunt, & ab aquarum fluxu Naides dicuntur.* Voss. de Idolol. II. 80. Gyrald. Synt. deor. V. p. 175. E. Ferret. Mus. Lapid. II. Memor. 25. Clasen. Theol. gentil. III. 1. 18. Finxerunt veteres campos Elysios, & fluvium Lethen incolere, & blanditiis suis animas exhilarare, in locis illis amœnis. Stat. Sylv. II. 6. 100.

—— *aut illi per amœna silentia Lethes*
Forsan Avernales alludunt undique mixta
Najades.

Bellor. Descr. Sepulcr. Nason. tab. XI.

NAN.

NANDO flumina trajiciebant milites Romani. Suet. Jul. c. 57. n. 2. *Si flumina morarentur, nando trajiciens, ut persæpe nuntios de se prævenerit.* Ea de re tyrones docebantur *natare* ex Romana disciplina. Veget. I. 10. *Natandi usum æstivis mensibus omnis æqualiter debet tyro condiscere, non enim pontibus semper flumina transeuntur, sed & cedens, & insequens natare cogitur frequenter exercitus. Sæpè repentinis imbribus, vel nivibus solent exundare torrentes. Et ignorantia non solum ab hoste, sed etiam ab ipsis aquis discrimen incurrit: ideo Romani veteres campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo juventus post exercitium armorum sudorem, pulveremque dilueret, ac lassitudinem cursus natandi labore deponeret.* III. 4. *Seu mare, seu fluvius vicinus est sedibus, æstivo tempore ad natandum cogendi sunt omnes.* Aut ad Urbem. Vegetius modò laudatus. Aut in piscina, quæ fuit huic rei. Festus: *Piscina publica hodieque nomen manet, ipsa non exstat, ad quam & natatum, & exercitationis alioqui causa veniebat populus.* Imò & interdum parentes ipsi liberos suos hanc artem docebant. Cato priscus apud Plutarch. p. 348. B. *filium suum præivit, & docuit ipse fluminum vorticosa, aut rapida natando superare, ac transmittere.* Augustus apud Suet. c. 64. n. 6. *nepotes natare plerumque per se docuit.* Lips. de Mil. Roman. V. Dial. 13. Mercur. Gymn. III. 14. Cerda Virg. Æneid. 12. 603. Tiraquell. Alex. Genial. I. 20. Hugo de Milit. Equest. III. 1. Laurent. Polym. IV. Synops. 3. Thys. Roman. Illustr. V. p. 140. Kipping. Antiq. Roman. II. 6. §. 5. Hering. de Molend. q. 16. §. 7. 12. Duaren. Animadv. I. 3. Barth. in Claud. Consul. IV. Honor. n. 347. Pitisc. in Suet. Julium & Augustum.

NANI, & *nanæ* dicuntur *parva nimis statura, brevi atque humili corpore homines, paullum supra terram exstantes.* Gell. XIX. 13. Fuerunt inter ministeria magnatum, ac principum virorum, communis nostro seculo etiam luxus, quos non natura tantum nodo adstrinxerat, sed etiam ars mangonum: illi enim ut *nanos* efficerent, alebant pueros in arca conclusos, & fasciis revinctos. Suet. Tib. c. 61. n. 17. *Annalibus suis inseruit vir consularis, frequenti quondam convivio, cui & ipse affuerit, interrogatum eum subitò, & clarè, à quodam nano adstante mensæ inter copreas.* In domo Augusti fuit Conopas nomine minimus homo duos pedes & palmum, in deliciis Juliæ neptis ejus. Ac nescio quo pacto portentum illud toleraverit Augustus. Scio etenim illum teste Suet. c. 83. n. 3. *pumilos atque distortos, &*

omnis

omnis generis ejusdem, ut ludibria naturæ, malique ominis abhorruisse. Et, ut observavi apud Suet. c. 43. n. 9. *Lucium quendam honestè natum in ludicro exhibuit, tantum ut ostenderet, quod erat bipedali minor, librarum septemdecim, ac vocis immensæ*. Ejusdem genii & Alexander Severus, qui *nanos, & nanas, & moriones, & vocales exoletos, & omnia acroamata, & pantomimos populo donavit*. Kobierzyck. de Lux. Rom. II. 4. Ciaccon. de Triclin. p. 82. Pignor. de Serv. p. 189. Pitisc. in Suetonium. Venerunt etiam in pugnas, improbo quodam studio novitatis. Xiphil. LXVII. p. 763. A. *Pugnas etiam noctu sæpè exhibuit: & interdum nanos, & feminas inter se commisit*. Stat. Sylv. I. 6. 57.

Hic audax subit ordo pumilorum,
Quos natura brevi statu peracto,
Nodosum semel in globum ligavit:
Edunt vulnera, conseruntque dextras,
Et mortem sibi, qua manu? minantur.
Ridet Mars pater, & cruenta Virtus,
Casuraque vagis grues rapinis.

Lipf. Saturn. II. 4.

Nanus dicitur mulus, aut equuleus humilior. Helvius Cinna:

At nunc me Genusina per salicta
Binis rheda rapit citata nanis.

Gell. XIX. 13. *Voss. Lex. Etymol.*

Nanus itidem est poculi genus Romanum, quod Græco nomine, item Latino *nanum barbaton* vocabant. Græcum nomen est *nanus*, sed figura Latina. Latinum nomen barbatos, sed figura Græca. Varr. de Lat. Ling. IV. 27. *Quo postea accessit nanus cum Græco nomine, & cum Latino nomine Græca figura barbatos*. Scalig. Lect. Auson. II. 28. Quem de barbatos per ò falli puto. Neque enim aliud voluit Varro, quàm Latinos accepisse à Græcis vocem *nanus*, verùm quia figura vasis Latini nonnihil à Græcorum vase differebat, non simpliciter *nanum* vocasse, sed diversitatem hanc eo indicasse, quod adjicerent barbatus. Hanc sententiam confirmat Festus: *Nanum Græci vas aquarium dicunt humile, & concavum, quod vulgo vocant situlum barbatum*. Et illud in veteribus glossis: *Barbatus νάνος, τὸ εἶδος*. *Voss. Lex. Etymol. in Myobarbum. Turneb. Adv. XXII. 9. Popm. de Instrum. fund.* c. 19.

NAP.

NAPÆÆ sunt nymphæ convallium & saltuum. Virg. Georg. IV. 535.

——faciles venerare Napæas.

Holsteen. in Nymph. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1800. E. Voss. de Idolol. II. 78. Gyrald. Synt. deor. V. p. 173. G.

NAPUSA fuit colonia juris Italici. Urbs est Daciæ, cui nunc nomen Claudiopolis, vulgo Clausemburg. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. p. 633. E.

NAR.

NARBO urbs illustrissima, maximumque Galliæ *Narbonensis* emporium, etiam nunc insignis floret. Strab. III. p. 125. *Narbo super Atacis fluvii ostia, & lacum Narbonensem situs est, maximum eorum, quæ ibi locorum sunt, emporium*. Polyb. III. 37. *Non longè abest in occasu à Massilia, & Rhodani ostiis*. Decumanorum est colonia Plin. III. 4. Mel. II. 5. quod decimæ legionis milites in eam deducti fuerint. Colonia primùm eo deducta est M. Porcio Catone, & Q. Marcio Rege coss. Entrop. IV. 22. Paterc. I. 15. 5. II. 8. 1. quos consules fuisse dicunt fasti Capitolini, & ex illis Pigh. Annal. III. p. 85. anno ab U. C. 635. Et iterum eo anno, quo & Arelate, fide Suet. Tib. c. 4. n. 2. quam deduxit C. Julii Cæsaris nomine Tiberius Claudius Nero Tiberii Imperatoris pater. Ab hoc tempore *Narbo Martius Julia Paterna Claudia* est dicta, Julia & Paterna à C. Julio patre, Claudia à Claudio deductore forsitan. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. p. 608. F. *Sigon. de Antiq. jure prov.* I. 6. *Schott. Itiner. Gall.* p. 28. & 93. *Pitisc. in Suetonium*. Unde *Martius* fuerit dictus, disputant *Merul. Cosmogr.* II. 3. 35. *Schott. & Ursat.* l. l.

NARCISSUS *Claudii principatu servitute liberatus est*. Plin. XXXIII. 10. Fuit opulentissimus, & apud principem gratiosissimus. Suet. c. 28. n. 4. Claudius *ante omnes libertos suspexit Narcissum ab epistolis*. Juven. Sat. XIV. 328.

Nec Crœsi fortuna unquam, nec Persica regna
Sufficient animo, nec divitiæ Narcissi,
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cujus
Paruit imperiis uxorem occidere jussus.

Dio LX. 688. C. *Narcissus fuit hominum ea tempestate potentissimus, ut qui amplius quater millies sestertium possederit*. id est, plus quàm centies centena millia, sive decem milliones aureorum. Consulenti Claudio nuptias Agrippinæ neptis palam dissuaserat, eidem infensus, & cum Augusta postea jurgatus. Quare irata femina, cum primùm licuit per imperium filii Neronis, hominem sustulit. Tacit. Annal. XIII. I. 4. *Nec minus properato Narcissus Claudii libertus, de cujus jurgiis adversus Agrippinam retuli, aspera custodia, & necessitate extrema, ad mortem agitur, invito principe, cujus abditis adhuc vitiis per avaritiam, ac prodigentiam mirè congruebat*. Donat. de Urb. Rom. III. 18. Pitisc. in Suetonium.

NARDUS Romanis in triclinio discumbentibus à ministris dabatur. *Nardino* enim capita ungebant. Tib. II. 2. 7.

Illius puro distillent tempora nardo.

III. 6. 63.

Jam dudum Tyrio madefactus tempora nardo.

Horat. Od. IV. 12. 17. V. illum infr. in *Onyx*. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 261. In rogum conjiciebatur. Prop. IV. 7. 32.

Cur nardo flamma non oluere mea.

Kirchman. de Funer. III. 5.

NARES dicitur canalis habere, hoc est, exitus, quibus humor egeritur. Vitruv. VII. 4. *Inter duos parietes canalis ducatur inferior quàm libramentum canalis fuerit, habens nares ad locum patentem. Item cum in altitudinem perstructus fuerit, relinquantur spiramenta: si enim non per nares humor, & in imo, & in summo habuerit exitus, non minus in nova structura dissipabit. Si locus non patietur structuram, canales fiant, & nares exeant ad locum patentem*. Ita *nares fossæ* extremam fossæ partem humiliorem, depressiorem, & in salum dejectam, qua exitum in mare haberet aqua paludis restagnantis, vocat Vopisc. Prob. c. 21. *Ingentem parans fossam, qua, dejectis in altum naribus, paludem siccaret*. Salmas. in Vopiscum. Bald. Lexic. Vitruv.

Nares etiam dicuntur spiramenta fornaculæ, quibus protruditur fuligo. Vitruv. VII. 10. *Ante id sit fornacula habens in laconicum nares; & ejus præfurnium magna diligentia comprimatur, ne flamma extra dissipetur. Hanc ignis potestas urendo cogit emittere per nares intra laconicum fuliginem*. Rhodig. Ant. Lect. III. 30.

NARNIA *oppidum antea Nequinum vocatum est*. Plin. III. 14. Hodie vulgò vocatur *Narni*. Situm est in aspero, arduo, & magna ex parte abrupto monte; cujus imas radices, prætuptamque rupem *Nar* amnis abluit. Procop. Gothic. rer. I. oppidum illud ita describit: *Narnia in edito sita est monte: ad cujus radices Nar amnis præterfluit, qui nomen etiam urbi præbuit. Adscensus ad eam duo deducunt: alter in orientem versus, in occidentem alter. Horum alter difficiles in præciso saxo angustias habet, alter non nisi ponte adiri potest, qui flumen supernè integens, transitum præbet. Hunc Cæsar Augustus olim construxit; spectaculum memoratu dignissimum, quippe omnium fornicum, quos scimus, excelsissimus est*. Supersunt etiam nunc stupendi operis fornices, qui subterlabente flumine, quo æquali via ab urbe in adversum jugum pateret transitus, olim jungebant duos præruptos & altos montes. Hos *utrumque jugum* vocat, qui *Narniam* describit, Claud. in Honor. cons. VI. 515.

Celsa

Celsa dehinc patulum prospectans Narnia campum
Regali calcatur equo, rarique coloris
Non procul amnis abest; urbi qui nominis auctor
Ilice sub densa sylvis arctatus opacis
Inter utrumque jugum tortis anfractibus albet.

Colonia illud deducta est Romanorum in consulatu M. Fulvii Pætini, & T. Manlii Torquati, teste Liv. x. 9. & 10. *Claver. Ital. Ant.* ii. 7. 19. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* xi. *p.* 633. *E. Leand. Descr. Ital. p.* 153.

NARNIENSIS tribus. V. illam infr. in *Tribus*,

NARTHECIUM dicebatur vasculum, in quo reponebantur medicamenta, sive arcula medicamentaria. *Narthecis* enim medulla exempta caulis est cavus. Inde & pro medicamentorum repositorio usurpatur, etiamsi fuerit ex alia materia fabrefactum. Cicer. de Fin. ii. 7. *Jam doloris medicamenta illa Epicurea tanquam de narthecio promam.* Marth. xiv, 78. Lemma est *Narthecion.*

Artis ebur medicæ narthecia cernis, habebis,
Munera, quæ cuperet Paccius esse sua.

Beroal. Annot. Append. c. 6. Voss. Lex. Etymol. Radet. in Martialem,

NAS.

NASCI se veteres dicebant etiam eo die, quo in Republica honores amplissimos, ut consulatum, consequebantur. Cicer. post red. ad Quirit. *A parentibus, id quod necesse erat, parvus sum procreatus, à vobis natus sum consularis.* Sallust. Orat. Cottæ p. m. 196. *Nam si parricida vestri sum, & bis genitus hic deos penates meos, patriamque, & summum imperium vilio habeo,* Turneb. Adv. xxiii. 4. Laurent. de Natalit. c. 2.

NASCIO, seu, ut alii tradunt, *Natio* fuit dea, quæ *nascentibus* præesse credebatur. Cicer. de Nat. deor. iii. 18. *Quod si tales dii sunt, ut rebus humanis intersint: Natio quoque dea putanda est: cui, cum fana circumimus in agro Ardeati, rem divinam facere solemus: quæ quia partus matronarum tueatur, à nascentibus Natio nominata est,* Gyrald. Synt. deor. i. p. 49. B. Tomas. de Donar. c. 10. Struv. Ant. Rom. c. i. p. 156. Stuck. de Sacrif. p. 44. Laurent. de Natalit. c. 1. Selden. de diis Syr. ii, 2.

NASITERNA fuit *vas aquatile.* Non. c. 15. §. 25 *genus vasis aquarii ansati, & patentis, quale est, quo equi perfundi solent, Plautus in Bacchidibus:*

Ecquis huc effert nasiternam cum aqua?

Festus. Pætus de Græc. & Roman. mens. iii. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. xi. p. 1627. B. Buleng. de Conviv. iv. 16. Gyrald. de Poet. Dial. iv. p. 256. G. Brisson. Ant. Select. i. 10. Hugo de Milit. Equest. iii. 3. Hanc ex ære fuisse interpretatur Varr. de Re rust. i. 22. *Ut ex ære ahena, urceos, nasiternam.* Pætus l. l. *Nasi* calicibus tribuuntur. V. Martialem & Juvenalem supr. in *Calices.* Hinc *nasiterna*, quod tres *nasos*, hoc est, ansas haberet. *Scalig. in Festum. Turneb. Adv.* vii. 22. *Voss. de Vit. serm.* i. 8. *Lexic. Etymol. Salmuth in Pancirol. p.* 97. *Muncker. in Fulgent. Expos. serm. ant.* §. 27. His ego minimè assentior. Etenim Festus simpliciter *ansatum fuisse vas* dicit, nec quicquam aliud præfert illa vox. Posterior ejus pars nequaquam significat ternum *nasorum*, seu ansarum numerum, quod videntur velle, sed mera est terminatio vocabuli à *nasutus*, seu *nasitus* formati, ut à cista fit cisterna. Atque in hesternus, hodiernus, taberna, lucerna, & multa alia. *Perizon. Animadv. Histor. c.* 9.

NASUS auguribus hæc significat. Si dextra ejus pars saliat, injucunditates fugere significat, servo utilitatem, virgini consilium, viduæ subjugationem. Sin autem sinistra, inopina bona enuntiat, servo auxilium, virgini consilium, viduæ subjugationem. Si *nasi* medium, tristitiam, servo injucunditatem, virgini nuptias, viduæ vituperationem. Si totus *nasus*, semper inopina bona præsagit. Si extrema pars sinistræ partis *nasi* quatitur, damnum, servo malum, virgini vituperationem, viduæ calumniam. Si extrema dextræ partis, utilitatem, servo vero, virgini, & viduæ injucunditatem. Si medium ambarum partium extremitatis tremuerit, damnum, ac in uriam, servo bonam confidentionem, viduæ auxilium. *Niphus de Augur. c.* 9. *Hominis tantum est altior, & illum novi mores subdola irrisioni dicavere.* Plin. xi. 37. Hinc Horat. Sat. i. 6. 5.

—— naso suspendis adunco,

Mart. xiii. 2. 1.

Nasutus sis usque licet, sis denique nasus,
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas,
Et possis ipsum tu deridere Latinum,

Has loquendi formulas à Græcis Latini acceperunt. Gregorius Theodorus: *Nasus contumeliam spirans, & contemptum.* Pollux ii. 4. 15. *Cavillatorem quidam munctorem vocant. Et fraudem Menander emunctionem appellavit,* Hinc μυκτηρισμὸς pro derisu. Quintil. viii. 6. *Adjicitur his μυκτηρισμὸς, simulatus quidem, sed non latens derisus.* Brod. Misc. iv. 32. Barth. Adv. xi. 7. Torrent. in Horatium. Turneb. in Plinii præfat. p. 18. Aduncum laudibus vehunt venusti formarum spectatores. Ex antiquitate adstipulatores habent Aristen. Epist. i. 18. *Itaque juvenum si quis simus, laudas tanquam concinnum, aduncum nasum regium vocas.* Petron. c. 86. in laudatissimæ Circes descriptione *nares paullulum inflexo.* Sidon. Epist. i. 2. *Nasus venustus, incurvus.* Barth. Adv. xxv. 8. Gonsal. in Petronium. Savar. in Sidonium. Jun. de Pictur. iii. 9. §. 13.

NAT.

NATALES dies sollenni cultu celebrabant veteres I. Deorum. Arnob. vii. p. 238. *Telluris natalis est. Dii enim ex uteris prodeunt, & habent dies latos, quibus eis adscriptum est auram usurpare vitalem.* Minuc. Fel. Octav. p. 60. *Omitto vetera, quæ multa sunt, & de deorum natalibus, donis, muneribus,* Acron in Horat. Od. ii. 12. *Natalis Dianæ à virginibus celebrabatur, sicut Apollinis à pueris.* Tertull. de Idolol. c. 10. *Idem fit idoli natali, omnis diaboli pompa frequentatur.* Ouzel in Minucium. Struv. Ant. Roman. c. 9. p. 450. Lindenbrog. in Censor. de Die nat. c. 2. II. Imperatorum, Augusti. Suet. c. 57. n. 3. *Equites Romani natalem ejus sponte, atque consensu biduo semper celebrarunt.* Dio liv. p. 545. A. *Natalis Augusti in circo, & variis aliis Urbis locis, venationibus celebratus est: idque etsi non decretum, tamen quotannis fere à prætoribus factum.* Tiberii. Suet. c. 26. n. 3. *Natalem suis plebejis incurrentem circensibus vix unius bigæ adjectione honorari passus.* Et id Imperatoribus gratum fuit. Dio lv. p. 552. C. *Sed id potius accipiebat, ut natalitiis suis ludi essent equestres.* Nonnullis mauis gratum, si negligerentur. Suet. Calig. c. 26. n. 3. *Consulibus oblitis de natali suo edicere, abrogavit magistratum, fuitque per triduum sine summa potestate Respublica.* Dio lix. p. 655. C. *Abrogato consulibus magistratu, quod ferias in suum natalem non indixissent, cum prætores eo decursionem equestrem exhibuissent, & venationem, quod quotannis fiebat.* Ouzel. ibid. p. 61. a. Struv. ibid. p. 451. Guther. de Jur. pontif. iii. 16. Rævard. Conject. iii. 4. Brisson. de Spectac. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. viii. p. 2430. B. Tomasin. de Donar. c. 9. Casaub. & Pitisc. ad Suetonium. Et illorum electionis. Balsam. ad Phot. Nomoc. Νατάλια ἐισὶ τὰ τῶν βασιλέων γενέθλια, καὶ ἡ τούτων ἀνάῤῥησις. Plin. Epist. x. 60. *Diem domine, quo servasti imperium, dum suscipis, quanta mentis lætitia celebravimus.* Tacit. Hist. ii. 79. 3. *Isque primus principatus dies in posterum celebratus.* Spartian. Adrian. c. 4. *Tertio iduum Augusti natalem imperii instituit celebrandum.* Constantinum Naissi Daciæ natum Britannis *illic oriundo*, id est, Constantio Chloro patri succedendo nobiles fecisse notavit Panegyristes. *Lomej. de Lustrat. c.* 30. *Lindenbrog. in Censorin. de Die nat. c.* 2. *Brisson. de Spectac. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* viii. *p.* 2430. *D.* III. Magnorum virorum. Senec. Epist. 64. *Quidni ego magnorum virorum imagines habeam, & natalitia celebrem?* Quorum natalis illis natali proprio sanctior erat. De Mæcenatis natali Horat. Od. iv. 11. 17.

Jure

Jure sollennis mihi, sanctiorque
Pene natali proprio, quod ex hac
Luce Mæcenas meus affluentes
Ordinat annos.

De Virgilii natali Silius apud Plin. Epist. III. 7. 8. Silius Italicus *Virgilii natalem religiosius, quàm suum, celebrbat.* Ouzel. ibid. p. 61. b. Struv. & Tomas. ibid. Buchner. in Plinium. Meibom. Mæcen. c. 4. §. 5. Schill Nomencl. Philol. p. 791. Caussam reddit Censor. de Die nat. c. 3. *Quum singuli homines suos tantum proprios colant natales; ego tamen duplici quotannis officio hujusce religionis adstringor. Nam quum ex te, Cerealem appellar, tuaque amicitia honorem, dignitatem, decus, atque præsidium, cuncta denique vitæ præmia recipiam, nefas arbitror, si diem tuum, qui te mihi in hanc lucem edidit, meo illo proprio negligentiùs celebravero. Ille enim mihi vitam, hic fructum vitæ, atque ornamentum peperit.* Meibom. l. l. IV. Suos privati. Plaut. Pseud. I. 2. 32.

Mihi hodie natalis dies est, decet vos omnes eum concelebrare.

Juven. Sat. XII. 1.

Natali, Corvine, die mihi dulcior hæc est.

Cultu nitido, ac læto; nam tum cives Romani incedebant pexi, annulati, & in alba veste. Horat. Sat. II. 2. 60. laudatus infr. in *Repotia*. Pers. Sat. I. 14.

—— pexusque togaque recenti,
Et natalitia tandem cum sardonyche albus.

Ubi vetus scholiastes: *Quidam habent annulos, quos die tantum natali gerunt.* Ovid. Trist. v. 5. 7. V. illum supr. in *Genius*. Munera à clientibus accipiebant. Petron. c. 30. *Vestimenta mea accubitoria perdidit, quæ mihi natali die donaverat cliens quidam.* Plaut. Cruc. v. 2. 56.

Hic annulus est, quem ego tibi misi natali die.

Mart. IX. 54. 1.

Natali tibi, Quincte, tuo dare parva volebam
Munera, tu prohibes: imperiosus homo es.

Sacrificabant eadem die, mares Genio mero, thure, corollis. V. supr. in *Genius*. Cœnam ii, quorum natalis esset, *celebranda lucis annuæ, quam principem sibi vitæ habuerant, dabant amicis, & magistris.* Gell. XIX. 9. Plaut. Pseud. I. 2. 33.

Pernam, callum, glandium, sumen, facito in aqua ut jaceant.
Magnifice enim volo summos viros accipere.

Mart. XI. 66. 1.

Lucis ad officium, quæ tibi prima fuit.

Sibique genialiter, & liberaliùs solito vino indulgebant. Senec. de Ira II. 33. *Potiones vix honestas natalibus liberorum podagricus senex hauriebat.* Et ad illam senatorii, atque equestris ordinis homines invitabant. Mart. X. 27. 1.

Natali, Diodore, tuo conviva senatus
Accubat, & rarus non adhibetur eques.

Convivium etiam interdum publicum exhibebant. V. supr. in *Convivium natalitium*. Illis sollenne votum, nimirum, ut dies ille sæpissimè bonis, & faustis avibus rediret, amici persolvebant. Plin. Epist. x. 89. *Opto domine, & hunc natalem, & plurimos alios annos quàm felicissimè agas, æternaque laude florentem virtutis tuæ gloriam, & incolumis, & fortis aliis super alia operibus augeas.* Tib. I. 8. 63.

At tu natalis multos celebrande per annos
Candidior semper, candidiorque veni.

Feminæ Junoni. Tibull. IV. 6. 1. V. illum supr. in *Juno*. Ouzel. ibid. p. 62. Struv. l. l. Laurent. de Natal. c. 2. Stuck. de de Conviv. I. 16. Lomej. de Lustrat. c. 30. V. Urbium incolæ earum. Cicer. pro Flacc. c. 40. *O nonæ illæ Decembres, quæ me consule fuistis; quem ego diem verè natalem hujus Urbis, aut certè salutarem appellare possum.* Plin. XIV. 4. *Ea cæli temperies fulsit, quam cocturam vocant solis opere natali Urbis* 633. Sic l. 2. C. de Feriis: *Natalitii dies urbium maximarum Romæ & Constantinopolis.* Ouzel. ibid. p. 60. Struv. l. l. VI. Omnes propter aliquam lætitiam insignem. Hegio cum audivisset filium suum captivum advenisse apud Plaut. Capt. IV. 2. III.

Dii immortales, iterum natus videor, si vera autumas.

Hinc *natalis* adoptionis apud Spartian. Adrian. c. 4. *Quinto iduum Augusti die legatus Syriæ literas adoptionis accepit: quando & natalem adoptionis celebrari jussit.* Navigationis. Veget. IV. 39. V. illum supr. in *Mare*. Apul. Met. XI. p. 378. *Ad ripam maris simulacris rite dispositis, navem faberrimè factam, picturis miris Ægyptiorum circumsecus variegatam, summus sacerdos tæda lucida, & ovo, & sulphure, sollennissimas preces de casto præfatus ore, quam purissimè purificatam deæ nuncupavit, dedicavitque.* Reditus. Cicer. ad Attic. III. 20. *Ad quæ recuperanda per fortunas incumbe, ut facis, diemque natalem reditus mei cura, ut in tuis ædibus amœnissimis agam tecum, & cum meis.* Lindenbr. in Censor. de Die nat. c. 2. Salmas. in Spartianum. Barthol. de Puerp. p. 33. Guther. de Jur. pontif. III. 17.

NATARE in mari facilius est, quàm in fluviis, & id genus crudis aquis, quia marina aqua crassitie sua corpora humana faciliùs sustinet. Aristot. Probl. XXIII. §. 13. *Bacc. de Therm. vet. c. 25. Stevvech. in Veget.* II. 23.

NATATIO erat quasi venter thermarum. Patentissima ejus pars erat, & respiciebat aquilonem. Ex ea à latere per basilicas, ac diætas venimus in atria, exinde in palæstras interiores, ac maximam basilicam, & demum ad balnearum membra. Erat, inquam, in recessu medio ab aquilone, longitudine ducentorum pedum, latitudine dimidio minus, ponte, ac arcubus bipartita ad interiores aditus. *Bacc. de Therm. vet. c. 6.* Locus itaque à balnearum partibus separatus: nimirum quia singularis erat, ac proprius usus, non tam quidem ad lavationem, quàm ad exercitium. Est enim *natare* laboriosum, quod ita jactatis manibus, & cruribus, assiduo universæ corporis exercentur partes. Quare Aristoteles in Problematibus *natationem* ob laborem cursui comparat. *Bacc. de Therm. vet. c. 8.*

Natatio erat etiam exercitium militare. *V.* supr. in *Nando*.

NATES auguribus hæc significant. Si dextra salierit, incorruptionem habenti negotiationem nuntiat. Si sinistra, diviti expensas facere, cæteris bonum. Sin autem dextra junctura coxæ cum *natibus* salierit, motum cum felicitate præsagit, & bonum: si sinistra, remotionem tristitiæ; cæteris verò jucunditatis carentiam. *Niphus de Augur.* I. 9.

NATIONES quædam in provinciis dicebantur. Plin. v. 4. *Ex reliquo numero, non civitates tantum, sed pleræque etiam nationes jure dici possunt, ut Capsitani, Missutani. c. 5. Tabidium oppidum, Niteris natio, Enipi natio, Bubejum oppidum.* Quid per *nationem* sit intelligendum, & quantum distet ab oppido, satis patet. *Robert. de Prov. Rom. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* (4.) *E.*

NATTA fuit cognomen gentis Pinariæ. Alicui Pinariorum fortè indidit tumor ille dolore carens, in corporis alicujus parte protuberans. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 875. *A.* L. Pinarius *Natta* fuit magister equitum L. Manlio Capitolino Imperioso, dictatori clavi figendi causa an. 390. Liv. VII. 3. Decimo quarto post anno L. Furio Camillo, App. Claudio coss. prætor oram maritimam adversus Græcos prædones tuetur. Liv. VII. 25. Apud Ciceronem L. Pinarius *Natta* pontifex frater uxoris P. Clodii Pulcri auctor fuit adoptionis à P. Fontejo factæ ejusdem Pulcri, ut tribunus plebis creari posset. Eundem privignum fuisse ait L. Licinii Murenæ consularis. Apud Senec. Epist. 122. Pinarius *Natta in Julium Montanum, tolerabilem poetam, amicitia Tiberii notum & frigore, ortus & occasus libentissimè inferentem: cum indignaretur quidam illum tota die recitasse, & negaret accedendum ad recitationes ejus, ait: numquid liberalius possum agere? paratus sum illum audire ab ortu ad occasum.* August. de Famil. Rom. in Pinaria. Glandorp. Onomast. Rom. p. 679.

NATURALES. V. illos supr. in *Filius*.

NAVA-

NAV.

NAVALIA sunt loca, ubi naves stant post fabricationem. Liv. XXXVII. 10. *Polyxenidas augere simulando errorem, subducit quasdam naves, alias velut subducturus esset, navalia reficit.* Cicer. de Offic. II. 17. *Atque etiam illa impensa meliores, muri, navalia, portus, aquarum ductus.* Laz. Comm. Reip. Rom. VI. 5.

Navalia Romæ erant loca, quo naves appellere, & merces suas exponere solitæ fuere, flumen subeuntes. Fuerunt prope pontem sublicium. Eaque ab Anco Rege exstructa esse asserit Dionysius. De iis meminit Liv. XLVI. 2. *L. Æmilio cos. naves, quæ in Tiberi paratæ, instructæque stabant, ut si Rex posset resistere, in Macedoniam mitterentur, subduci, & in navalibus collocari senatus jussit.* Marlian. Topogr. Urb. Roman. V. 13. Vetera non fuerunt in Transtiberina regione, sed extra portam Trigeminam. Liv. XXXV. 10. *Ædilitas insignis eo anno fuit M. Æmilii Lepidi, & L. Æmilii Paulli. Porticum unam extra portam Trigeminam, emporio ad Tiberim adjecto, alteram à porta Fontinali ad Martis aram, qua in Campum iter esset, perduxerunt.* XL. 51. *Porticum extra portam Trigeminam, & aliam post navalia.* Nardin. Rom. Vet. VII. 8. Ligna adversus Tiberim advecta hic vendebantur. Liv. XXXV. 41. *Iidem M. Tuccius, & P. Junius Brutus* ædiles curules *porticum extra portam Trigeminam inter lignarios fecerunt.* Primus Aurelianus *navalia*, & emporium urbanis inclusit mœnibus, ne quando hosti tot granaria, & navigia cederent in prædam. In hanc rem Vopisc. c. 21. *Cum videret,* Aurelianus, *posse fieri, ut aliquid tale iterum, quale sub Gallieno evenerat, proveniret, adhibito consilio senatus, muros urbis Romæ dilatavit.* Nimirum sub Gallieno Gothi & Scythæ variis se infudere Romanorum provinciis, & licèt repressi, sæpè novis incursionibus fatigarunt Imperii vires. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 15. §. 4.*

NAVALIS porta. V. illam infr. in *Porta*.

NAVARCHUS ex mediis magistratibus navalibus primum locum tenebat. Erat ei imperium non in multas, sed in unam navim. Veget. IV. 32. *Singulæ Liburnæ singulos navarchos, id est, quasi navicularios habebant: qui exceptis ceteris nautarum officiis, gubernatoribus, atque remigibus & militibus exercendis quotidianam curam, & jugem adhibebant industriam.* Qui multas officii ejus partes definiit, non tamen omnes. Nam &, si quando prælium instabat, ipse in triremi expediebat omnia, ejusque imperio cuncta erant subjecta. Nomen hoc demum sub Cæsaribus hoc sensu valuit. Prius enim ii ita dicebantur, qui classibus sociorum imperabant. Cicer. Verr. V. 24. *Sumptum omnem in classem frumento, stipendio, ceterisque rebus navarcho suo quæque civitas semper dare solebat: is neque ut accusaretur à nautis, committere audebat, & civibus suis rationem reddere debebat. In illo negotio non modo labore, sed etiam periculo versabatur. Erat hoc, ut dico, factitatum semper, nec solum in Sicilia, sed in omnibus provinciis.* Vult, unamquamque civitatem, quæ ex fœdere naves aliquot debebat, quando eas mittebat, præfecisse quendam, quem *navarchum* nominavere. Is curam navium gerere, is nopetare nautis, stipendia, frumentum, aliaque ipsis dare cogebatur ex suæ cujusque civitatis publico: sique imperii tempus præterfluxisset, vel finitum esset bellum, civibus suis expensorum reddere rationem. Hos præfectos Latina voce nominat Liv. XXXVI. 45. *Medio ferè in cursu obviæ fuere iis quinque & viginti tectæ Rhodiæ naves cum Pisistrato præfecto classis.* XXXVII. 13. *Inde duas sociorum ex Italia, duas Rhodias triremes cum præfecto Epicrate Rhodiorum ad fretum Cephaleniæ tuendum prætor misit.* Sed de his hoc loco sermo non est, verùm de illis, qui singulis navibus præerant, quique puriore ævo à Latinis etiam magistri navium dicebantur. V. supr. in *Magister*, & à Tacito trierarchi. V. infr. in *Trierarchus*. Scheffer. de Milit. Nav. III. 2: IV. 6. Calcagn. de Re naut. c. 18. Stevvech. in Vegetium. Postell. de Repub. Athen. c. 9.

NAVES sunt vehicula, ex uno, pluribusve lignis fabricata. Vehicula, inquam, quibus utimur in aquis. Aquas intelligimus, sive flumina sint, sive maria: nam in utrisque navigatur. Licèt, si commoditatem spectes, meliùs, ac tutiùs in illis. Flumina enim minus violenta, minus tempestatibus obnoxia. Unde fit, ut prius in fluminibus, postea demum in mari navigatum arbitrentur. Claud. Rap. Proserp. Præf. n. 1.

Inventa secuit primus qui nave profundum,
Et rudibus remis solicitavit aquas:
Tranquillis primum trepidus se credidit undis,
Littora securo tramite summa legens:
Mox longos tentare sinus, & linquere terras,
Et leni cœpit pandere vela noto.
Ast ubi paullatim præceps audacia crevit,
Cordaque languentem dedidicere metum:
Jam vagus irrupit pelago, cœlumque secutus
Ægæas hyemes, Ioniumque domat.

Scheffer. de Milit. nav. I. 1. *Navium* fabricandarum exempla veteres à piscibus duxisse legimus: nam ab illorum dorso carinam, à capite proram, à cauda temonem, à branchiis remos formaverunt. Quidam potiùs ab avibus id factum arbitrati sunt, unde & poeta *velorum alas* vocat; id quod & Hesiodus νηὸς πτερὰ, ubi & Proclus id ab avibus desumptum ait. Temonem quidem in navi ab avium cauda formatum plerique credidere: sed & ab avibus nunc quoque servant rostra vocabulum. *Gyrald. de Navig. c. 3. Calcagn. de Re naut. c. 3. Dresem. in Ascan. de Bell. Trojan.* I. 52. qui etiam per saturam illarum inventores recenset. Ut bonæ sint, cumprimis bellicæ, requiruntur I. magnitudo decens, ne vel nimia sit, vel nulla. Curt. IV. 11. 8. *Videsne, ut navigia, quæ modum excedant, regi nequeant?* Aristot. Probl. VII. 2. *Navis palmi unius prorsus non erit navis, ut nec duorum stadiorum aliqua: quia altera propter parvitatem, altera propter magnitudinem cursum, sive navigationem impedire solet.* Docent hoc naves Pœnorum. Flor. II. 2. 34. *Commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis gravis hostium classis, & in ea quasi Carthago, quod ipsum exitio fuit.* Antonii & Cleopatræ. Flor. IV. 11. 5. *Quippe à senis in novenos remorum ordinibus: ad hoc turribus, atque tabulatis allevata, castellorum, & urbium specie, non sine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur; quæ quidem ipsa moles exitio fuit.* Scheffer. ibid. c. 5. Pitisc. in Curtium. II. levitas, ne graves sint, sed ut flecti facilè, ut celeriter circumagi queant. De Romanis Flor. II. 2. 35. *Romana classis prompta, levis, & quodam genere castrensis, sic remis, quasi habenis agebatur.* Polyxenidas apud Liv. XXXVI. 43. gloriatur *se ceteris omnibus superiorem, & celeritate navium, & varietate auxiliorum, Romanas naves inscite factas immobilesque esse.* Causa 1. ut hosti profligato promptiùs instemus, adeoque meliùs prosequamur victoriam: quod fieri non potest, si navigia sint graviora. Appian. de bell. Syr. p. 100. *Romana classis alacritate superabat, & robore, sed quia gravioribus utebantur navibus, non poterant agiles adversariorum fugientes assequi.* II. ut si fugam suadeat, vel usus, vel necessitas, meliùs servari queamus, vel ex media fuga naves circumagere, & hostes incompositè subsequentes adoriri. Lucan. III. 553.

Sed Grajis habiles, pugnamque lacessere pinus,
Et tentare fugam, nec longo frangere gyro
Cursum, nec tardè flectenti cedere clavo.

Scheffer. l. l. III. Robur, sive firmitudo. Hæc obtinetur. 1. cum materia certo tempore cæditur. Materia enim intempestivè cæsa facilè à vermibus perforatur. Serv. in Georg. I. *Tempore importuno cæsæ arbores cito teredines faciunt.* Veget. IV. 35. *Reliquis diebus præcisa, etiam eodem anno, interna vermium labe exesa in pulverem vertitur.* Ideoque *materia est cædenda justo tempore, hoc est, à primo autumno, ad id tempus, quod erit, antequam flare incipiat favonius.* Vitruv. II. 9. Nec tamen omnibus, sed *octo tantum diebus in istis mensibus*, ut Vegetius modò laudatus. Qui numerantur à quinta decima luna ad tertiam usque & vicesimam. Alii nisi *vicesima in tricesimam* cædi nolunt. Plin. XVI. 4. Colum. XI. 2. Sed quicquid sit, hoc planè certum

ex

ex Plio. l. l. *infinitum referre lunarem rationem, adeo ut, si in coitu illius cadatur, qui competat in novissimum diem brumæ, illa æterna sit materies*. Scheffer. l. l. Gyrald. ibid. c. 4. Calcagn. ibid. c. 6. II. cum naves bene compinguntur. Compactio quondam clavis ferreis fiebat. Sed pro illis æreos adhibendos censet Veget. IV. 34. *Utilius æreis clavis, quàm ferreis compingenda.* quia æs non ita facilè rubigine consumitur in aquis, sicut ferrum. Tacit. Hist. III. 47. 5. *Sine vinculo æris, aut ferri connexa sunt*. Scheffer. l. l. Calcagn. ibid. c. 8. Commissuræ tabularum stuppa firmabantur. Plin. XIX. 1. *Stuppa, ea lini pars proxima cortici malleo stuppario contusa, stipatur inter tigna, & rimas navium dehiscentium*. Curt. X. 1. 19. *Cypriorum Regibus imperatum, ut æs, stuppamque, & vela præberent*. Scheffer. l. l. Calcagn. ibid. c. 9. III cum in hunc modum stipatæ unguntur. Virg. Æneid. VIII. 91.

Labitur uncta vadis abies.

IV, 398.

—— natat uncta carina.

Cera. Vegetius & Ovidius. V. illos supr. in *Cera*. Pice. Plin. XVI. 11. *Pix liquida in Europa è tæda coquitur, navalibus muniendis*. Val. Flacc. I. 479.

Parte trahat tacitum puppis mare, fissaque fluctu
Vel pice, vel molli concludere vulnera cera.

Et resina quandoque cæteris confusa. Veget. IV. 44. *Unctas cera, & pice, & resina tabulas succendunt*. Navis ramentum vocatur Sammonico:

Navis ramentum, & quæ nomine prasion herba est.

Et unguen rasum:

Mollitamque picem, & rasum de navibus unguen.

zopissa. Plin. XVI. 12. *Non omittendum apud eosdem zopissam vocari derasam navibus maritimis picem cum cera*. Dioscor. I. 82. *Zopissam aliqui ajunt derasam navibus resinam cum cera, quam alii apochyma appellant*. Scheffer. l. l. Calcagn. ibid. c. 10. Stevvech. in Vegetium. Almelov. Antiq. p. 9. Materia navium non est quodvis lignum, cum alia ob nativam gravitatem, alia propter alias causas non sint idonea. Celebratur itaque I. Abies. Virg. Georg. II. 68.

Nascitur & casus abies visura marinos.

Veget. IV. 34. *Ex cupresso ergo, & pinu domestica, sive sylvestri larice, & abiete præcipuè Liburna contexitur*. Causam, quod levis sit, fuisse dicit Theoph. Hist. Plant. V. 8. *Triremes, ac majores longas naves ex abiete levitatis causa faciunt*. Plin. XVI. 39. *Navium malis, antemnisque propter levitatem præfertur abies*. Scheffer. & Gyrald. l. l. Calcagn. ibid. c. 4. Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XII. p. 641. A. p. 647. D. Columna in Ennii Annal. VI. p. 68. Cerda in Virgilium. II. Alnus. Lucan. III. 440.

Procumbunt orni, nodosa impellitur ilex,
Sylvaque Dodones, & fluctibus aptior alnus.

Stat. Theb. VI. 105.

Alnus amica fretis.

Credo, quia etiam levior; nam propter levitatem commendatur etiam à Virg. Georg. II. 451.

Nec non & torrentem undam levis innatat alnus.

Scheffer. l. l. III. Cedrus. V. supr. in *Cedrus*. IV. Cupressus. Arian. Exped. Alex. VII. p. 485. *Dicit idem, Aristobulus, Alexandrum aliam quoque classem construxisse, cæsis in Babylonia cupressis. Harum enim arborum tantum in Assyria copiam esse; reliquarum, quæ conficiendis navibus aptæ sunt, inopia laborare*. Cupressum veteres commendaverunt, vel quod cariem, & situm non sentiat: vel quod minimè rimis satiscat. Diuturnitatis rationem dat Vitruv. II. 9. *Non minus est admirandum de cupressu & pinu, quod ea habentes humoris abundantiam, æquamque cæterorum mixtionem, propter humoris satietatem in operibus solent esse pandæ; sed in vetustatem sine vitiis conservantur: quod is liquor, qui inest, penitus in corporibus earum habet amarum saporem, qui propter acritudinem non patitur penetrare cariem, neque eas bestiolas, quæ sunt nocentes*. Meibom. Calcagn. & Gyrald. l. l. Rhodig. Ant. Lect. XXV. 2. Bochart. Geogr. sacr. I. 1. 4. Fuller. Misc. sacr. IV. 5. V. Pinus, quia bene fert ætatem, si terra præsertim condatur. Theophr. V. 8. *Abies, pinus, cedrus, ut generatim dicam, ligna sunt, ex quibus naves fabricantur.* Vegetius modò laudatus. Exstat perlepidum Græcum epigramma, quod Thomas Morus Latinis verbis explicavit, quo pinus queritur, se terra marique ventis exagitari:

Pinus ego ventis facilè superabilis arbor;
Stulte quid undivagam me facis ergo ratem?
An non augurium metuis? cum persequitur me
In terra, boream qui fugiam in pelago?

Inde pinus pro nave ipsa à poetis usurpatur. Catull. LXIV. 1.

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas.

Scheffer. Gyrald. Calcagn. & Meibom. l. l. Tresem. ibid. ibid. n. 79. Columna in Ennii Annal. VI. p. 69. Arida oportet hæc esse materia, ex qua debent fieri. Cæs. de Bell. Civ. I. 58. *Nostri gravitate, & tarditate navium impediebantur; factæ enim subito ex humida materia non eundem usum celeritatis habebant*. Hinc & Ulysses, ut erat prudens omniumque rerum peritus, ratem ædificaturus, non obvias quasque capit arbores, sed tantum eas, quæ, ut canit Homer. Odyss. V. 240.

Dudum arefactæ, valde siccæ, quo navigarent leviter.

Prodest hæc res eo quoque, ne *naves* dehiscant. Nam, *si virides tabulæ compingantur, cum nativum humorem exsudarunt, contrahuntur, & rimas faciunt latiores, quo nihil est periculosius navigantibus*. Veget. IV. 36. *Scheffer. l. l.* Nominabantur I. ab insigni. Hinc Δελφινοφόρος dicta est apud Polluc. I. 9. 3. ubi δελφὶς inter ἔμβολον, & προεμβολίδα collocatur. Ταυροφόρος apud Stephan. in Ταυρόεντι, quia insigne ejus fuerat taurus. Υ'όπρωρος apud Hesych. in Σαμιακὸς τρόπος, quod caput porcinum in rostris haberet. *Salmas. Exerc. Plin. p. 403. a. B.* II. ab insulis. Etenim κνιδουργεῖς quandoque dicuntur, quia in Cnido compingerentur: Cercyrinque à Cercyra, quæ Corcyra est, vocarunt. Parona item, id est, πάρωνα, à Paro. *Rhodig. Ant. Lect.* VIII. 5. III. à mercibus, quas subvehunt: frumentariæ, quibus frumentum: vinariæ, quibus vinum: oleariæ, quibus oleum: mercatoriæ, quibus merces subvehuntur, & comportantur. *Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gron. Tom. XI. p. 600. C. Dolet. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 678. F.* IV. à ministerio, quod præstant: piscatoriæ, speculatoriæ, exploratoriæ, quibus utuntur piscatores, speculatores, exploratores. *Dolet. l. l. Stevvech. in Veget.* IV. 32. *Scheffer. de Variet. nav. Thes. Gronov. ibid. p. 783. E. Gyrald. ibid. c. 17.* V. à patria: Ægyptiæ, Asiaticæ, Syriacæ, Rhodiæ, Achajæ, Punicæ, Smyrneæ, Romanæ, Sidoniæ, Carpasiæ, Alexandrinæ, & istiusmodi multæ. Cæs. de Bell. Civ. III. 5. *Præerat Ægyptiis navibus Pompejus filius, Asiaticis D. Lælius & C. Triarius, Syriacis C. Cassius, Rhodiis C. Marcellus cum C. Coponio, Liburnica atque Achaica Classi Scribonius Libo & M. Octavius*. Dolet. ibid. E. Gyrald. & Stevvech. l. l. Nomen, quod unaquæque habebat proprium, ac singulare, idque proræ inscriptum, circa acrostolium. Pollux I. 9. 3. *Pars supra acrostolium prominens ptychis vocatur, ubi & nomen navis inscribitur*. Apollonii interpres I. 1089. *Ptychis vocatur, ubi navis nomen inscribunt*. Videtur lignea fuisse tabula, acrostolio affixa, in qua scriptum fuit hoc nomen. Didym. apud Eustath. in Iliad. O. p. 1049. *Stolus est lignum latum à parte navis, quæ dicta ptyche. Ptyche vero est, ubi navis nomen inscribunt*. Et quoniam rotunda erat, & in fronte navigii sita, ob similitudinem à Græcis ὀφθαλμὸς appellabatur. Pollux & Eustath. l. l. *Scheffer de Milit. Nav.* III. 1. Consecratæ deo, cujus simulacrum referebant, dedicabantur certis sacris, certis ritibus. Apud Apul. Met. XI. p. 378. navis Isidi consecratur ritibus, qui & de aliis intelligi possunt, & debent: *Inter hæc & festorum votorum tumultum paullatim progressi, jam ripam maris proximamus, atque ad ipsum illum locum, quo pridie meus stabulaverat asinus, pervenimus. Ibi simulacris rite dispositis, navem faberrime factam, picturis miris circumseptis variegatam, summus sacerdos tæda lucida, & ovo, & sulphure, sollennissimas pre-*

ces

ces de casto præfatur ore, quam purissimè purificatam deæ nuncupavit, dedicavitque. Mos præterea fuit sertis coronatas, & floribus conspersas, à nautis & ipsis coronatis, magna cum lætitia, multoque clamore in mare deduci. V. supr. in *Deductio*. Et tandem cum apud Græcos, tum apud Latinos, nuper ædificatas non conscendere, vel adhibere ad bellum, nisi antea probatas, ut sciretur, quàm agiles essent, quidque remis valerent. Hirt. Bell. Alex. c. 13. *Paucis diebus contra omnium opinionem quadriremes 32. quinqueremes 5. confecerunt. Ad has minores, apertasque complures adjecerunt, & in portu periclitati remigio, quid quæque earum efficere posset, idoneos milites imposuerunt, seque ad confligendum omnibus rebus paraverunt.* Liv. XXXV. 26. *Comparaverat & tyrannus modicam classem, tres tectas naves, & lembos, pristesque. Harum novarum navium agilitatem ut experiretur, simul & omnia satis apta ad certamen essent, quotidie in altum proficiscitur.* Græci hoc negotium ἀναπειρᾶν vocare consueverunt. Polyb. Excerpt. Legat. LX. *Rhodii omnium, quas haberent, navium experimentum agerent.* Ἀναπειρᾶξ τῶν Ῥοδίων. Pollux. I. 9. §. 25. *Cæterum opus ipsum est solvere, è portu educere, experiri.* Προαναπειρᾶξ. *Scheffer. ibid.* I. 5. Variis coloribus pingebantur. V. infr. 10 *Prora*. Coronabantur I. quæ vehebant epulas, quibus, cum sacra fierent, indulgeri mos fuit. Ovid. Fast. VI. 779.

Ferte coronatæ juvenum convivia lintres.

IV. 335.

Ante coronata puppi sine labe juvencam
Mactarunt operum, conjugiique rudem.

Paschal. de Coron. IV. 18. II. eorum, qui navigaturi essent boni ominis causa. Athenienses apud Diodor. XIII. in structa classe adversus Syracusios, cum adhuc essent in portu, tantoque apparatu mirum in modum lætarentur, inter cætera alacritatis argumenta illud fuit, quod *naves* coronarent. Virg. Æneid. IV. 417.

——*vocat jam carbasus auras,*
Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.

Paschal. ibid. II. 9. Cerda in Virgilium. III. è navigatione domum rediturorum. Hi enim post depositas coronas, canebant ἀποστολικὸν ἐν τοῖς ᾄσμ[illegible], ut Etymologicum, & coronas resumebant. Ita Pindar. Isthm. VII. 1. 12. monet eos, qui emerserunt ex iis, quibus premebantur, malis, ne coronis abstineant:

Magnis luctibus
Igitur liberati
Neque in orbitatem concidamus
Coronarum: neque mœ-
rores fove.

Paschal. l. l. IV. jam portum ingressæ decursa navigatione. Virg. Æneid. I. 303.

Cen pressa cum jam portum tetigere carinæ
Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.

De Æneadum appulsu in Italiam Ovid. Met. XV. 695.

Æneadæ gaudent: cæsoque in littore tauro
Torta coronatæ solvunt retinacula navis.

Paschal. ibid. VII. 7. Cerda in Virgilium. Emeritæ diis marinis sacrabantur. Valer. Flacc. II. 285.

Visa ratis, sævo defecta laboribus unda;
Quam Thetidi longinqua dies, Glaucoque repostam
Solibus & canis urebat luna pruinis.

Broukh. in Prop. II. 19. 43.

Naves actuariæ *dicuntur celeres, quod citè agi possent.* Non. XIII. 9. vel, ut alii, quod remis agantur. Isidorus tamen XIX. 1. *quæ velis simul, & remis agantur.* Meminit illarum Gell. X. 25. *Actuariæ, quas Græci ἐπικώπους vocant, vel ἐπακτρίδας.* Ἐπικώπους id est, remigio instructa. Ἐπακτρίδας, id est, vectorias, vel conductitias; ἐπακτρεὺς enim est, qui sua, vel conductitia nave utitur. Nonnulli leguut ἐπιπαράλους, quod scilicet propter littora agantur. *Gyrald. de Navig. c. 18. Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 607. A. Auctor Misc. defens. pro Salmas. ad Jus Attic. & Rom. p. 727. Thys. in Gellium Dolet. de Re nav. Thes. Ant. Rom. Græc. Gronov. XI. p. 676. A.* Bayfius in eo, quod dicit actuarias dictas, quod remis agerentur, contrarium sibi habet Savilium, qui in commentariis de Milit. Rom. sæpiùs chordis, & funibus tractas scribit, ac propterea inter ὁπλιταγωγοὺς, στρατιώτιδας, & id genus graviora navigia recenset. Falsò tamen. V. Nonium jam laudatum. Et onerariæ istæ actuariis apertè opponuntur à Sallustio: *Actuaria, inquit, naves circiter triginta, decem onerariæ erant.* Sed non idem Bayfii verba satis clara, quum & *naves* alias remis actas scimus. Nam si remis solis impulsas putavit, graviter haud dubiè lapsus est. Abundè enim vel ex trecentis auctorum locis etiam velis administratas esse comprobari potest. Itaque potiùs firmandum fuerit auctoritate Liv. XXXVIII. 38. *Tradito & naves longas, armamentaque earum, neve plures, quam decem naves actuarias, quarum nulla plus quam triginta remis agatur, habeto.* Vides huic concedi usum *navium* actuariarum, sed earum, quæ ad summum triginta remis agerentur. Erant ergo aliæ, quæ pluribus. Sed quæ amabo, nisi quas πεντηκοντόρους, & ἑκατοντόρους Pollux nominat? Hæ enim à remorum numero definiuntur. Cæterum has ipsas etiam longas, verùm arctiore sensu nominis Latini appellare consueverunt. Documento sit, quod Plin. VII. 56. ubi aliarum *navium* origines deduxit, hujus notus nullam, sed longarum mentionem fecerit. Quod profectò pro sua in his rebus diligentia tantò minus facturus erat, quanto magis apud priscos genus isthoc *navium* fuit usitatum. Certè Jasonem longa primum usum dum ex veterum scriptorum monumentis tradit, sat confirmat, quod hic dicimus. Nam de nave Jasonis expressè Stat. Theb. V. 423.

Quinquaginta illi trabibus de more revinctis
Eminus abrupto quatiunt nova littora saltu.

Quinquaginta, inquit ille, *trabibus*, hoc est, remis. Fuit ergo pentecontorus. Et sic appellat Pindar. IV. 436. Unde jam videmus, cur priscorum quidam Danaum longæ navis inventorem teste Apollonii interprete I. 4. credi voluerint. Isthoc enim nunquam potuissent, si à pentecontoro alia fuisset, ac diversa: certum quippe ac indubitatum, pentecontorum à Danao inventum esse. Fuit ergo eadem, quam Latini actuariam, vel longam, Græci à remorum numero vocarunt. Hinc manifestus Bayfii lapsus, qui à longis actuarias differre scribit; sed & Savilii, qui à pentecontoris μακρὰ distinxit. Sed hic vir in hanc sententiam adductus verbis Thucydidis, quæ ita habent I. p. 11. B. *Paucis triremibus usi, sed instructis pentecontoris, & longis navibus.* Ex quo tamen loco parum id probatur. Neque enim πλοῖα μακρὰ hic πεντηκοντόροις opponuntur, verum tanquam genus speciem suam comprehendunt. *Scheffer. de Variet. nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 777. D.* Dividimus illas in duo genera, quorum primum est minorum, alterum majorum. Minores actuariolas vocat Cicer. ad Attic. XVI. 6. *Corbitane Patras, an actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum.* *Actuariolum* Cicer. Attic. X. 13. *Quid dure tempore anni actuariolo fore censes?* Frequentiùs à scalmis nomina sortiuntur. Cicer. ad Attic. XVI. 3. *Hæc ego conscendens è Pompejano tribus actuariolis decem scalmis.* Vides à scalmis actuariolas hic definiri, atque ita ad actuariolas pertinere, quæ à scalmis nomen habent. Ut illa duorum scalmorum, cujus meminit Cicer. de Orat. I. 38. *Citius is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit.* Majorea propriè actuarias vocabant. Quæ enim ex priore genere viginti, triginta, quadraginta remis erat instructa, non amplius actuariola, vel tot scalmorum, sed actuaria dicebatur. Græcis εἰκόσορος & τριακόντορος. Illa, quæ agebatur remis viginti, decem in uno latere, decem in altero. Suidas: *Eicosorus, navis quæ viginti remis agitur.* Hæc, quia remis agebatur triginta. Scholiast. Thucyd. IV. *Triacontores, quæ à triginta impellitur.* Erat & quæ quadraginta remis impellebatur. Meminit Scholiast. Ælian. *Triaconterus, & tesseracontorus dicitur ex multitudine remorum.* Scheffer. de Milit. Nav. II. 2.

Naves æratæ habebant rostra ærata. Et inde proræ æratæ dicuntur. Virg. Æneid. IX. 122.

Quot prius æratæ steterant ad littora proræ.

Imo æratæ undè vocantur *naves*. Cæs. de Bell. Civ. II. 3.

Iate-

Interim L. Nasidius à C. Pompejo cum classe navium sexdecim, in quibus pauca erant ærata, L. Domitio, Massiliensibusque subsidio missus. Talis fuit illa Herculis, quam antiqui ideo æneam finxere. Serv. Æneid. VIII. 194. *Ad Geryonem navi ænea navigavit, tergo leonis velificans*. Qui hoc explicat VII. 662. *Hercules fingitur ad Geryonem olla ærea transvectus, quod habuit navem fortem, & ære munitam*. Per *ære munitam* hoc in loco non debemus intelligere rostratam. Rostra enim Herculis temporibus adhuc incognita fuere. Proras *navium* ære munierunt. Isidor. XIX. 1. *Prisci ferro, aut ære proras navium armabant, propter scopulos, ne scilicet feriantur, aut collidantur*. Unde satis manifestum est, diversa hæc fuisse rostra *ab illis quorum usus tantum ad prælia, & conflictum pertinebat*. Scheffer. de Milit. Nav. II. 5. Brod. Miscell. IV. 13. Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. XI. p. 592. D.

Naves annotinæ dicebantur, quæ convehendis frumentis, & annonæ erant accommodatæ. Cæs. de Bell. Gall. V. 8. *Quam magna manus eo convenissent, multitudine navium perterrita, quæ cum annotinis, privatisque quas sui quisque commodi causa fecerat, amplius 800. una erant visæ, timore à littore discesserant*. Scheff. Mil. Nav. IV. 1. Calcagn. de Re nav. c. 12. Errant, qui frumentarias à Cæsare annotinas dictas putant. Sunt illi annotinæ eo anno factæ, ut hornotinæ. . . . Græcus interpres τὰς τ̃ προῦτον ἔτυς vertit. *Petav. in Themist. Orat.* XIII. *p.* 665.

Naves apertæ dicebantur, quæ constrata non habebant. Hirt. de Bell. Alex. c. 11. *Magno impetu quatuor ad eam constratæ naves, & complures apertæ contenderunt*. Liv. XXX. 43. *Tertio die è navibus, quarum septuaginta tectæ, cæteræ apertæ, minoris omnes formæ erant, profecti Phocæam petierant*. Græcis ἄφρακται dicuntur. Hinc leviores, ut tectæ, quibus opponuntur, graviores. Liv. XXVII. 21. *Centum tectæ naves, & quinquaginta leviores apertæ*. Atque eo sensu etiam Tacit. Annal. XII. 56. 1. *Lacu in ipso navale prælium adornatur, ut quondam Augustus structo cis Tiberim stagno, sed levioribus navigiis, & minore copia ediderat. Claudius triremes, quadriremesque, & undeviginti millia hominum armavit*. Dicebantur *apertæ*, non quod nullas prorsus habuerint tabulas, sed in prora tantum & puppi, in quibus stabant pugnaturi. V. supr. in *Catastromata*. Scheffer. de Milit. nav. II. 2. & 5. de varietat. nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 786. F. Bayf. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 575. A. Erant ferme triremes, iisque minores; ut triemioliæ, lembi, myoparones, pristes. In illis, uno remigum læso, jam cæterorum quoque ministeria turbabantur, quod, quum ita arctè sederent, ut omnes simul procumbere, & recumbere deberent, læsus unus illum motum turbaret, deinde lateris sui remigium debilius redderet. Duo autem erant, quæ apertas triremes commendarent. I. quod thranitæ, seu summo loco considentes remiges sub adventum hostium ad pugnam facilè consurgerent. II. quod humiliores, adeoque leviores essent. *Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Ant. Roman. Grav. Tom.* XII. *p.* 664. *E.*

Naves armatæ omnes velis utebantur, ut secundo vento, aut velis solum, aut simul velis, remisque navigarent: at in pugna navali, malo deposito, collectisque velis, remos expediebant, quibus solis tum utebantur, ut citò, avis instar, ad omnem occasionem se movere possent. Quæ etiam causa fuit, ut à remis nomen obtinerent: & actuariæ quoque eatum minores dicerentur, ut quæ remis solis agi possent. *Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XII. *p.* 571. *A.*

Naves captivæ dicebantur ab hostibus captæ. Cæs. Bell. Civil. II. 5. *Nam ad eas, quæ factæ fuerant Arelate per Cæsarem, captivæ Massiliensium accesserant sex*. Liv. XXXII. 39. *Dum hæc Romani parant, aguntque, ad Philippum captiva navis, una ex iis, quæ Romam missæ erant, ex cursu refugit*. Græci αἰχμαλώτυς dicunt, ut videmus apud Xenoph. Rer. Græc. II. p. 461. E. *Bayf. de Re naval. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom.* XI. *p.* 623. *C.*

Naves caudicariæ, sive codicariæ ex codicibus, hoc est, crassis tabulis construebantur. Varr. de Vit. pop. Roman. II. *Antiqui plures tabulas conjunctas codices dicebant, à quo in Tiberi naves codicarias appellamus*. Festus: *Caudicariæ naves ex tabulis crassioribus factæ*. Seneca laudatus supr. in *Caudex*. Scheffer. de Milit. nav. IV. 5. Calcagn. de Re nav. c. 12. Gyrald. de Navig. c. 18. Rhodig. Ant. Lect. XXIV. 6. Barth. Adv. XL. 20. Thys. in Gell. X. 25. Auctor Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 659. Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. XI. p. 628. B. Dolet. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 676. A. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. VII. 32. & 38.

Naves constratæ secundum armaturam à Latinis, à Græcis κατάφρακται, quæ habebant catastromata. Hirtius laudatus in *Naves apertæ*. Cicer. Verr. V. 34. *Erat sola illa navis constrata*. Scheffer. de Milit. nav. II. 5. Bayf. de Re naval. Thes. Antiq. Græc. Gronov. XI. p. 574. F. Cæs. de Bell. Civ. III. 111. *Illæ triremes omnes, & quinqueremes aptæ, instructæque omnibus rebus ad navigandum, præter has viginti duæ erant, quæ præsidii causa Alexandriæ esse consueverant*. Nimirum quia hæ solæ propriè ad prælia idoneæ. Polyb. I. 17. *Philippi naves paratæ erant ad prælium, constratæ tres & quinquaginta*. Schefter. ibid. c. 2. V. & supr. in *Cataphracta*.

Naves cubiculatæ dicebantur, in quibus cubicula, & horti, & cœnacula, item balnea, & alia, quę voluptatibus inserviunt. *Cubiculatam* vocat Senec. de Benef. VII. 20. *Cui triremes, & æratas non mitterem, lusorias, & cubiculatas, at alia ludibria Regum in mari lascivientium mittam*. Strab. VII. p. 550. *In illa navale thalamegorum navium, quibus principes in superiorem regionem navigant*. Imitatione Græca Suet. Jul. c. 52. n. 1. *Eadem nave thalamego pene Æthiopia tenus Ægyptum penetravit*. Lembum lecti capacem Sidon. II. 12. *Misisti tu lectum mobilem, solidum, lecti capacem*. Paradam Ausonius laudatus infr. in *Parada*. Exemplo esse potest illa Maximi Tyrii philosophi, quæ describitur Dissert. XXXI. ea enim & hortos & lavacra, gymnasia quoque, & triclinia, & gynecæa habuit. *Scheff. de Milit. nav.* II. 2. *Gyrald. de Navig. c.* 18. *Pius Annot. post. c.* 182. *Pitisc. in Suetonium*.

Naves fluviatiles dicebantur, quibus in fluminibus erat usus. Liv. X. 2. *Ibi captivis proximo vico in custodiam datis, pars fluviatiles naves ad superanda vada stagnorum aptè planis alveis fabricatas* . . . A Græcis ποτάμια πλοῖα. In hoc genere lintres, cymbæ, pontones, & hujusmodi multæ. *Gyrald. de Navig. c.* 18. *Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 606. *E. Stevvech. in Veget.* III. 7.

Naves frumentariæ dicebantur onerariæ, quia ad vehendum frumentum aptæ, a Græcis σιτηγοί. Cæs. de Bell. civ. III. 96. *Ad mare pervenit, navemque frumentariam conscendit*. Bayf. de Re naval. Thes. Ant. Græcar. Gronov. Tom. XI. p. 599. A.

Naves hippagogæ. V. illas supr. in *Hippagoga*.

Naves leves dicebantur, quia apertæ erant. Liv. XXXVII. 27. *Apparatus piraticas celoces, & lembos esse, qui posteaquam viderunt ex alto classem, in fugam verterunt: & celeritate superabant levioribus, & ad id fabrefactis navigiis*. Flor. III. 6. *Leves, & fugaces myoparones gravi, & martia classe turbaret*. Scheffer. de Milit. nav. II. 2.

Naves longæ Latinis quæ dicuntur, à Græcis μακρὰ πλοῖα, καὶ νῆες μακραὶ dicuntur. Illarum adeo crebra est mentio apud auctores, ut auctoritatibus id ostendere sit superfluum. *Gyral. de Navig. c.* 18. *Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* XI. *p.* 568. *A. Scheffer. Dissert. de variet. nav. Thes. Gronov. ibid.* 771. *D. Kipping. Dissert. de Expedit. marit.* §. 4. Reverà fuerunt longiores, quàm onerariæ. Isidor. XIX. 1. *Longæ naves dictæ, eo quod longiores sunt cæteris*. Thucydidis interpres: *Naves bellicæ sunt longiores onerariis*, de quibus ante dissernerat, & quarum species in comparatione cum his orbiculata, & rotunda ferè erat. Illarum genera sunt duo: unum actuariarum. V. illas supr. alterum longarum in specie sic dictarum. Et hæ in duplici erant differentia: aliæ cum ordinibus, aliæ sine ordinibus. Hæ, quæ serie simplici per utrumque latus dispositos habebant remos; illæ, quæ duplici, triplici,

quæ

quadruplici, & deinceps. Sine ordinibus erant, & dicebantur, quæ quinquaginta, & plures usque ad centum habebant remos, dimidiam partem in uno, dimidiam in altero latere: similes εἰκοσόρους, aut τριακοντόρους. Unde & à Græcis πεντηκόντοροι, & ἑκατόντοροι appellantur. Erant mediæ quasi inter actuarias, & quæ ordines habebant. Illæ minores erant, hæ majores. Itaque & inter genus utrumque interponuntur. Polyb. I. *Parabant reliqua navigia, triremes, pentecontoros, & maxima acatia.* Ordines in navibus, quæ cum illis erant. V. infr. in *Ordines*. Scheff. de Mil. Nav. II. 2. V. illum quoque supr. in *Naves actuaria*.

Naves lusoriæ recentiore seculo vocabantur, quas Romani habebant in plerisque limitibus, in quibus barbaris fluminibus dividebantur, prohibendis vicinorum hostium excursibus, incursibusque vicissim faciendis. Veget. IV. 46. *De lusoriis, queis in Danubio quotidianis utuntur excubiis, reticendum puto.* Huc & illuc solebant discurrere. Et *ludere* navis dicitur, quæ huc & illuc velut lascivia quadam currit. Senec. Epist. 4. *Eodem die, ubi luserunt navigia, sorbentur.* Ante tempora Valentiniani atque Theodosii verè pro lusoriis, & ad Regum, Principumque voluptates comparatis hoc vocabulum sumebatur. Hinc æratis, sive bellicis adversum ponit, & ab iis distinguit Seneca supr. in *Naves cubiculata*. Turneb. Adv. XXIV. 25. Pith. Adv. I. 14. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 152. Scheffer. de Milit. nav. II. 2. Stevvech. in Vegetium, Lips. in Senec. de Benef. VII. 20. Lindenbr. in Ammian. XVII. 2.

Naves militares dicebantur bellicæ, & ad prælium aptæ. Agebantur remis. Nam quia olim in conflictu non ventis impellebantur naves, verum remis, ut tanto obedientiores essent nautis, faciliùsque huc & illuc, pro necessitate, rationeque negotii agi possent: idcirco remis instructas esse militares oportebat. Quanquam non rarò velis uterentur. Græci πολεμικὰς appellabant. Et quia remis agebantur, à Græcis dictæ sunt ἐπίκωπα. Diodor. XIV. *Habebat cum onerariis, cæterisque aliis, quæ remis aguntur, τοῖς ἐπικώποις, ac rostratæ simul sunt, naves haud pauciores quingentis.* Fortassis etiam μακραὶ, seu longæ, præsertim quando non de singulis, sed universis sermo est. Ulpian. ad Demosth. orat. ad Leptinen: *Longas militares naves appellant.* Scholiastes Aristophanis: *Longa naves, militares.* Sic Polyb. III. pro eo quod c. 22. implicitat in fœdere primo inter Romanos ac Carthaginenses cautum est, *ne Romani navigent ultra pulcrum promontorium, aut vi delati Carthaginem quicquam emant, præter necessaria reficiendæ navi,* ἀλλὰ ὅσα πρὸς πλοίου ἐπισκευὴν (quibus verbis quamcunque navem bellicam, sive magnam, sive parvam intelligit) sic interpretando ait c. 23. *Noluerunt ultra pulcrum promontorium navigare Romanos μακραῖς ναυσί.* Omnes igitur in universum militares, majores minoresque, generis cujuscunque vocabantur longæ. Hoc sensu Liv. XXV. 27. *Bomilcar centum triginta navibus longis, & septuaginta onerariis præfectus est.* Cæs. de Bell. Gall. V. 25. *Quod ubi animadvertit, naves longas paullulum removeri ab onerariis navibus, & remis incitari jussit.* Et hæc causa est, cur Scaurus de Orthographia scripsit: *De navi dicimus, cum longa sit, an oneraria, rogamus.* Nempe his vocabulis omnia navium genera comprehendi ostendit. Credo & Justin. II. 4. ideo de Hercule scripsisse, quod *novem longis navibus* contra Amazones profectus sit. Pentecontororum enim iis temporibus tam frequentem usum fuisse vix putaverim. *Scheffer. de Milit. nav. II. 2. de variet. nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 771. E.*

Naves onerariæ dicebantur, quod essent oneri ferendo idoneæ: nam onera sunt merces; & ea ratione φορτηγοὶ dicuntur à Græcis. *Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. XI. p. 598. D. Dolet. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 675. E. Gyrald. de Navig. c. 18. Bergier. de Viis milit. IV. Sect. 44. §. 6. Kipping. Dissert. de Expedit. marit. c. 7.* Non solebant agi remis. Declarat hoc Liv. XXVII. 15. *Naves, quas Livius tutandis commeatibus habuerat, partim machinationibus onerat, partim tormentis & saxis, omnique missilium telorum genere instruit: onerarias quoque, non eas solum, quæ remis agerentur.* Bayf. l. l. Qui hoc loco omnem antiquitatem observasse, atque excussisse minimè videtur, quandoquidem non solùm velis, verùm etiam remis cursum conficiebant. Quod verum esse demonstrat Homer. Odyss. IX. 321.

——hunc quidem nos comparavimus inspicientes
Quantus malus navis viginti remorum nigræ
Onerariæ, latæ, quæ transit magnam undam.

Ut ergo error absit, dicendum itaque est, onerarias maximas, quæ nulla nisi ventorum vi impelli possent, ut etiam hodie fit, remis agi non consuevisse; minores verò, ut hæ, quæ viginti remorum essent, & remis, & velis, & ut navigandi ratio, atque usus exigebat, maria sulcasse. *Mag. Miscell. I. 6. Salmas. ad jus Attic. p. 704. Auctor misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. p. 652. Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 622. A..... Kipping. l. l.* Harum mentio sicut apud alios auctores, sic inprimis Liv. XXXII. 18. *Nullus in tota Acarnaniæ & Ætoliæ ora portus erat, qui simul omnes onerarias, quæ commeatum exercitui portabant, caperet.* XXXVI. 7. *Arcessendas censeo omnes terrestres, & navales copias, sequantur classem onerariæ cum commeatibus.* Nimirum, ut frumenta, commeatumque, ita etiam alia onera, resque ad bellum pertinentes vehebant. Liv. XXXV. 47. *Proficiscitur Livius quadraginta tectis navibus, apertis sexaginta, & ducentæ onerariæ cum omnis generis commeatu, bellicoque alio apparatu sequebantur.* Plutarch. Pomp. *Ipse solvit longis navibus centum viginti: onerariis, quibus commeatus, tela, stipendium, tormenta portabat, octingentis.* Diodor. 21. *Commeatu naves onerarias evacuat, & quicquid harum est reliquum, ad annonam, cæterasque res venales ex Africa, & Sardinia convehendam mittit.* Quod ait ἀγορὰν ἐξεῖλεν, ex eo patet consuevisse totum habere forum venalium. Idem paullò ante: *Habebat onerarias multas, super tria millia, quæ forum rerum venalium vehebant.* Hinc Liv. XLI. 2. *Nautæ tabernacula detendunt, commeatumque in littore expositum in naves capiunt.* Habebant scilicet expositum in littore, sub tabernaculis ad id exstructis. Aliquando mercatores sequebantur lucri studio, resque omnis generis venales proponebant. Thucyd. VI. p. 441. B. *Multa alia oneraria simul navigabant, exercitumque negotiationis causa sequebantur.* Cæsar laudatus supr. in *Naves annotina.* Porro φορτηγαὶ & στρογγύλαι sunt ejusdem generis: altero nimirum nomine ab usu, altero à forma vocabantur; rotundiores enim erant, quàm militares. Thucydidis interpres: *Strongyle navis mercatoria, sic dicta, quia bellicæ fuerunt longiores.* Conveniunt & ὁλκάδες. Polyænus enim quas στρογγύλας, eas paullò post ὁλκάδας nominat VI. 16. 5. Hesychius: *Holcas, navis oneraria.* Dicebantur ὁλκάδες à trahendo, quia funibus nonnunquam consueverunt religari ad naves militares. Schol. Aristoph. Equit. I. 2. 22. *Holcades, à trahendo.* De his accipiendus Liv. XXX. 26. *Deserta fuga nautarum primum ab Ægimuro, dein ab Aquis onerariæ Carthaginem puppibus tractæ sunt.* Vides pone tractas, & quidem ob defectum remigum, qui eas deseruerant. *Scheffer. de Milit. nav. IV. 1.* Etiam frumentariæ dicebantur. V. supr. in *Naves frumentaria*.

Naves orariæ vocabantur, in quibus ad littus navigabant. Plin. Epist. X. 26. *Nunc destino orariis navibus provinciam petere.* Propter oram, seu in vicinia littoris navigare primùm consueverunt. Monstravit hoc Claudianus laudatus supr. in *Naves*, qui ait: *Littora summa legens.* In ora enim, sive littore minor fluctuum vis, & à terra propinqua major spes in periculo. Et hoc deinceps genus retentum est. Isidor. XIX. 1. *littorarias* videtur vocasse: *Trabaria, amnica naves, quæ alio nomine littoraria dicantur.* Scheffer. de Milit. nav. I. 1. Turneb. Adv. I. 16. Voss. Lex. Etymol.

Naves piscatoriæ piscium capiendorum causa paratæ erant: quas *navicellas* vocat Martian. de fundo instruct. l. item pictoris. Liv. XXIII. 1. *Ni mare propinquum, & haud procul littore naves piscatoriæ pleræque conspectæ perfugiendi dedissent effugium.* Cymba videtur fuisse inter piscatorias.

torias. Cicero laudatus supr. in *Cymba*. Bayf. de Re nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 601. A. Auctor. Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 703. 742. Kipping. Dissert. de Expedit. marit. §. 7.

Naves plicatiles aliæ sunt à solubilibus. Plin. v. 9. *Plicatiles humeris transferunt, quoties ad cataractas ventum est.* Fiebant ex pellibus, lignisque quibusdam circularibus, quibus pelles expandebantur, exemptisque rursum complicabantur. Tales Babyloniorum illæ fuisse videntur, quas in hunc modum describit Herod. i. p. 89. E. *Navigia illis sunt omnia circulari forma, eaque ex aluta, vel corio. Ubi enim ligna circularia è salice coaptarunt, obtendunt extrorsus tegumenta è pellibus, quibus soli vice utuntur, carinaque loco: nulla neque puppis, neque prora forma discreta, verum scuti instar in orbem composita, deinde stipula refarciunt, illudque navigium flumini permittunt. Singula ex his vivos intus habent asinos. Et postquam Babylonem pervenerunt, lignis navigii, atque omnibus stramentis venundatis pelles asinis imponunt, eosque in Armeniam agunt.* Scheffer. de Milit. nav. i. 4. Calcagn. de Re naut. c. 11.

Naves præcursoriæ ut plurimum ex minimo navigiorum genere, & cæteris agiliore, velitum more, justam classem antecedere solebant. Πρόπλους vocant Thucyd. vi. p. 441. D. 442. A. & Appian. Bell. civ. v. p. 728. προπόλους Appian. ibid. p. 722. Per ἐπακτρίδας interpretatus est Gell. x. 25. Polyb. i. 53. *Romanis quæstoribus, qui Syracusis fuerant, præmissi lembi classem præire soliti, οἱ προπλεῖν εἰθισμένοι λέμβοι, imminere hostem significant.* Et ejusmodi fuerunt, quarum mentio fit apud Senec. Epist. 77. *Subito hodie nobis Alexandrinæ naves apparuerunt, quæ præmitti solent, & nuntiare venturæ classis adventum.* Scheff. de variet. nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 784. A. de Milit. nav. ii. 2. Gyrald. de Navig. c. 18.

Naves prædatoriæ, sive piraticæ inter longas scribendæ. Liv. xxix. 28. *Nam post M. Attilium Regulum, & L. Manlium consules, annis prope quinquaginta, nullum Romanum exercitum viderant, præter prædatorias classes, quibus exscensiones in agros maritimos factæ erant.* Liv. xxxiv. 32. *Sed, si diis places, affinitatem etiam per Philoclem præfectum ejus pepigisti: & bellum adversum nos gerens, mare circa Maleam infestum navibus piraticis fecisti.* Piraticas celoces vocat Liv. xxxvii. 27. supr. in *Naves leves*. Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 593. D. Scheffer. de Milit. nav. ii. 2.

Naves prætoriæ. Illis prætores, hoc est, summi classium præfecti vehebantur. Græci ναυαρχίς, στρατηγίς, & στρατηγὶς appellant. Sic Æmilius *cum prætoria nave primus in altum evehit* apud Liv. xxxvii. 29. Et Germanos *prætoriam navem vexillo insignem, qua illic ducem esse crederent,* videas abripere apud Tacit. Hist. v. 22. 6. Erant autem reliquis, ut debent, plerumque majores. Lucan. iii. 535.

Celsior at cunctis Bruti prætoria puppis
Verberibus sensit agitur.

Et de illarum firmitudine idem ibid. n. 563.

—— quacunque ratis tentavit robora Bruti
Ictu victa suo, percussa & capta cohæsit.

Scheffer. de Variet. nav. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 785. E. Bayf. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 593. C. Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. xii. p. 652. E. Kipping. Dissert. de Exped. marit. §. 6. Vexillo, aut alio signo insignis fuit, non modò cum pugnandum erat, verùm etiam aliàs semper, ut eam reliquæ, quocunque eundum esset, sequerentur. Plin. xxi. 1. *Velo purpureo ad Actium cum M. Antonio Cleopatra venit, eodemque effugit. Hoc fuit imperatoriæ navis insigne.* Tacitus jam laudatus. Noctu quidem λαμπτῆρα, vulgo phanò vocant, *navim* prætoriam ad puppim habuisse, ut ad conspectum luminis cursum reliquæ dirigerent, ac sequerentur, probatur ex Xenophonte. Ex eadem tamen vexillum, indicium pugnæ, sublatum non sum nescius. Hirt. de Bell. Alex. c. 45. *Quod ubi conspexit, celeriter vela subduci, demittique antennas jubet, & milites armari, & vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum, quæ primæ naves subsequebantur, idem ut facerent, significabat.* Ea de re Leo de bell. appar. c. 19. *Belli tempore confligendi signum habebant, quod φινίκιδα appellabant; erat autem camelaucion, hasta longiore elevatum rubro colore.* Stevvech. in Veget. iv. 45.

Naves προφυλακίδες dicebantur, quæ quotiens classis in salo staret, tanquam vigiles, ante eam erant in perpetua statione. Thucyd. i. p. 76. *Interea Samii repentina eruptione navigantes, castra nullis munitionibus cincta invadunt, navesque quæ vigilias agebant, corrumpunt.* τάς τε προφυλακίδας ναῦς διέφθειραν. Scholiastes ibi interpretatus τὰς πρὸ τῶν ἄλλων ὁρμούσας, hoc est, *quæ ante reliquam classem in statione sunt.* Hinc Pollux i. 9. *custodire alias naves* ἐφορμεῖν, & ναυλοχεῖν dicit. De istiusmodi intelligendus Cæs. de Bell. Civ. iii. 40. *Alteram navim, quæ erat ad custodiam ab Acilio posita, vicit.* Iphicrates egregio commento malos harum *navium* attolli, inque iis jussit vigiles constitui, quia inde longior, & in terram, & in mare prospectus esset. Xenoph. Hist. Græc. vi. p. 587. D. Et ne facilè ab adversarius impetus in eas fieret, instruit Pompejus, ut perpetuos in prora ignes gestarent. Sic intelligo Appian. de Bell. Civ. v. p. 378. *Metu Agrippa ignes perpetuos extulerunt, ut absterrerent hostium naves, ne impetum in se facerent.* Scheffer. de Milit. nav. ii. 2. de Variet. nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. xi. p. 785. D. Gyrald. de Navig. c. 18.

Naves rostratæ. V. illas supr. in *Naves æratæ*.

Naves solubiles dicuntur Diodor. ii. p. 73. D. *quæ disjungi possent:* cum usus postularet, in partes dividi, & iterum conjungi poterant. Curt. viii. 10. 3. *Jussit navigia facere, queis in ulteriora transportare posset exercitum. Illi, quia plura flumina superanda erant, sic junxere naves, ut soluta plaustris vehi possent, rursusque conjungi.* Diodor. l. l. *Arcessitis navium architectis è Phœnicia, Syria, Cypro, aliisque maritimis locis, negotium dedit, ut navigia fluminibus apta, quæ disjungi possent, coagmentarent. Ita naves suas humeris per juga montium usque ad littus Adriaticum transtulerunt Colchi: cognito quod Argonautæ idem propter magnitudinem navis priores fecissent.* Justin. xxxii. 3. 14. *Scheffer. de Milit. nav. i. 4: iii. 3. Stevvech. in Veget. iii. 7. Pitisc. in Curtium.*

Naves solutiles è trabibus textæ, eo artificio, ut facilè dissolvi possent, in arena erant pro caveis, unde velut ex equo Trojano feræ erumperent. Δεξαμενὴν, quasi cisternam, aut lacum dicas, vocat Xiphil. lxxvi. p. 860. B. *Cum area omnis, quæ in speciem navis in theatro erat, ut trecentas feras & accipere, & dimittere posset, subito soluta esset, exsiluerunt ursi...* Exemplum ab hac amphitheatrali oblatum est Neroni sceleſtæ illius navis, qua matrem necaret. Dio lxi. p. 695. B. *Et quoniam eam cædem palam non audebant, nec venenis clam patrare facile id possent: navim quampiam in amphitheatro conspicientes factam ita ut sponte solveretur, & belluis quibusdam emissis, rursus compingeretur, rediret in priorem statum, visum iis huic similem ædificare.* Lips. de Amphith. c. 10. Buleng. de Venat. circ. c. 17.

Naves speculatoriæ adventum hostium, locum, vires, & consilia illorum indagabant, & renuntiabant suis. Liv. xxxvi. 42. *Cæterum classem Polyxenidam parare, & deducere jussit, speculatorias naves ad omnia exploranda circa insulas dimisit.* Veget. iv. 37. *Scaphæ majoribus Liburnis exploratoriæ sociantur. Per has & superventus fieri, & commeatus adversariorum navium aliquando intercipi solent, & speculandi studio adventus earum, vel consilium deprehendi.* A Græcis κατάσκοπα nominantur. Plutarch. Pompejo p. 653. A. *Classis Pompeji erat omnino incomparabilis. Siquidem naves habebat bello aptas quingentas, Liburnicarum verò & speculatoriarum magnum numerum.* Scheff. de variet. nav. Thes. Ant. Græc. Gron. Tom. xi. p. 784. B. de Milit. nav. ii. 2. Gyrald. de Navig. c. 18. Auctor. Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 736.

Naves stationariæ locorum custodiam agebant, ejusque causa per mare disponebantur, & in statione esse dicebantur. Hirt. de Bell. Afric. c. 53. *Conspicatæ naves Cæsarianas, quæ in statione apud Thapsum stabant.* c. 46. *Cæsar commotus eos, quos in stationibus cum longis navibus apud Thapsum custo-*

custodiæ causa in salo esse jusserat, ut suis onerariis, longisque navibus præsidio essent, ob negligentiam ignominiæ causa dimittendos ab exercitu curavit. Liv. XXXII. 22. *Placuit Romanam Rhodiamque classem redire Samo, atque ibi in statione esse, ne Polyxenidas ab Epheso moveret.* Scheffer. de Variet. nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 786. A. de Milit. nav. II. 2.

Naves sutiles dicebantur, quæ ex viminibus contextæ coriis integebantur. Virg. Æneid. VI. 413.

——gemuit sub pondere cymba
Sutilis, & multam accepit rimosa paludem.

Sidon. c. VII. 371.

——cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus, & assuto glaucum mare findere lembo.

Coria, & pelles circumsuebantur. Plin. VII. 56. *Etiamnum in Britannico oceano sutiles naves corio circumsuto fiunt.* Lino. Plin. XXIV. 9. *Cum sutiles fierent naves, lino tamen, non sparto unquam sutas.* Festus: *Serillia Verrius appellari putat navigia Histrica & Liburnica, quæ lino, ac sparto condensantur, à conserendo, & contexendo dicta: quia dixit Pacuvius in Niptris:*

Nec ullam subscus cohibet compagem alvei,
Sed suta lino, & sparteis serilibus.

Cum σχοινίοις, *& ficto vocabulo usus sit pro funiculis, qui sparto conseruntur.* Loris. Varro apud Gell. XVII. 3. *Liburni plerumque naves loris suebant.* Et quia suebantur, ῥαπτὰ πλοῖα nominata sunt. Strabo de Putri palude VII. *Est valde uliginosa, & sutilibus navigiis vix navigabilis.* Scheffer. de Milit. nav. I. 3. Salmas. Exerc. Plin. p. 187. b. F. Gyrald. de Navig. c. 7. Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 607. D. Stevvech. in Veget. VII. 7. Guilaod. Papyr. memb. XVI. §. 12. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. VII. 32.

Naves tabellariæ dicebantur, quia veluti nuntii erant adventantis classis. Senec. Epist. 77. *Subito hodie nobis Alexandrinæ naves apparuerunt, quæ præmitti solent, & nuntiare venturæ classis adventum: tabellarias vocant.* Lipf. in Senecam. Sed in classe non Mattia, quod notandum. Intelligitur hinc jocus Plauti in ancillam Acroteleutii Mil. glor. IV. 1. 39.

Hæc celox illius est, quæ hic egreditur, internuntia.

Adventum, ait, ejus annuntiat, ut celoces, & genus, quæ præire justam classem solent. Præibant enim, ut adventum hostium, vires, consilia indagarent, & suis renuntiarent. Unde & exploratoriæ, & speculatoriæ dicebantur. V. supr. in *Naves speculatoriæ.* Scheffer. de Milit. nav. II. 2.

Naves tectæ dicebantur, quæ operimenta quædam ex tabulis habebant in superiori parte. V. illas supr. in *Naves apertæ.* Illatum fermè minima fuit quadriremis. Magno commodo erant remigibus, qui tabulis supernè tecti ab hostibus telo nullo lædi poterant. *Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XII. p. 664. E Scheffer. de Milit. nav. II. 2. Bayf. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 574. F.*

Naves trabariæ vocabantur lintres, sive ex uno ligno excavatæ. Isidor. XIX. 1. *Trabariæ amnicæ naves, quæ ex singulis trabibus cavantur, quæ alio nomine litterariæ dicuntur.* Hinc Virg. Æneid. III. 191.

——vastumque cava trabe currimus æquor.

Scheffer. de Milit. nav. I. 3.

Naves turritæ ad proram, & puppim turres habebant impositas. Virg. Æneid. VIII. 693.

Tanta mole viri turritis puppibus instant.

Dolet. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 679. A. Bayf. de Re nav. Thes. Gronov. ibid. p. 589. A. Laurent. de Variet. nav. Thes. Gronov. ibid. p. 790. C. Scheffer. de Milit. Nav. II. 5. V. illas infr. in *Turris.*

Naves dicuntur quoque templorum, & sacrarum ædium cameræ, quod illorum veluti *navium* carinæ sint. Ita tecta mapaliium Africanorum cameræ quoque speciem referebant. Sallust. Bell. Jugurth. p. 77. *Oblonga incurvis lateribus tecta, quasi navium carinæ, sunt.* Salmas. Exerc. Plin. p. 855. b. C. Pollet. For. Rom. I. 3. Gyrald. de Navig. c. 5.

NAUFRAGI radebantur. Juven. Sat. XII. 81.

Tunc stagnante sinu gaudent ibi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautæ.

Non. Marcell. c. 12. n. 38. V. illum infr. in *Pileus.* De hoc ritu Petron. c. 64. *Ergo illi qui sunt, qui nocte ad lunam radebantur? pessimo medius fidius exemplo. Audio enim non licere cuiquam mortalium in nave, neque ungues, neque capillos deponere, nisi cum pelago ventus irascitur. Excanduit Lycas hoc sermone turbatus: Et itane, inquit, capillos aliquis in nave præcidit, & hoc nocte intempesta? attrahite ocyus nocentes in medium, ut sciam, quorum capitibus debeat navigium lustrari.* Artemidor. I. 23. *Radi sibi videri totum caput, exceptis deorum Ægyptiorum sacerdotibus, & risus movendi studiosis, & his, quibus radi est mos, bonum est, aliis omnibus malum. Navigantibus palam naufragium portendit, & ægrotantibus in extremum periculum collapsionem, sed non mortem. Naufragi enim, aut ex magno morbo servati homines raduntur, minimè verò mortui.* Alludit ad hunc morem Paull. Act. c. 27. n. 34. cum inquit: *Nullius enim vestrum capillus ex capite cadet.* Kirchman. de Funer. II. 14. Durant. Var. II. 9. Raynaud. de Pil. & cæt. cap. regmin. Sect. 10. Erhard. & Gonsal. in Petronium. Jun. de Coma. c. 2. Grang. in Juvenalem. Tomas. de Donar. c. 11. Hotoman. de Barba & coma §. 11. Ver. rit. nupt. c. 17. Boxhorn. Quæst. Rom. 45. Ferrar. Elect. II. 13. Schill Nomencll. Philol. p. 794. Sched. de Diis German. II. 50. Salvi qui evaserant, unà cum tabula vestes suas ex voto suspendebant. Virg. Æneid. XII. 768.

Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, & votas suspendere vestes.

Horat. Od. I. 5. 13. V. illum infr. in *Votum.* Brisson. de Form. I. p. 107. Cerda in Virgilium. Torrent. in Horatium. Scheff. de Milit. Nav. IV. 2. Struv. Ant. Roman. c. 5. p. 238. Saubert. de Sacrif. c. 2. Tenuiores, & qui merces perdiderant, ut calamitate ob oculos posita, plura emendicarent, suspensa à collo tabula naufragii, misericordiam commovebant. Pers. I. 88.

——cantet si naufragus, assem
Protulerim? cantas cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes?

Juven. Sat. XIV. 301.

——mersa rate naufragus assem
Dum rogat, & picta se tempestate tuetur.

Horat. de Art. Poet. n. 20.

——quid hoc? si fractis enatet exspes
Navibus ære dato qui pingitur?

Torrent. in Horat. Od. I. 5. 13. Grang. in Juvenalem. Nann. in Horat. de Arte Poetica. Tomas. ibid. c. 7. Ita destituti, ut tabulam depictam non haberent, truncum ferebant fasciis involutum, casumque narrabant. Mart. XII. 57. 12.

Nec fasciato naufragus loquax trunco.

Grang. in Juvenalem, Rader. in Martialem. Et quidem nudis pedibus. V. infr. in *Nudipedalia.*

NAUFRAGIUM velut mors ordinaria erat prædonum. Sulpic. Sever. Dial. III. *Non naufragii forte prædonis passus in medio mari mortem, vix esset in extremo nactus littore sepulturam.* Barth. Adv. III. 20. Equi, currusque quam cum facerent, in circi voluptate nihil oculis gratius fuit. Demosth. in Erotic. *Multis dicentibus, quod in certaminibus curulibus pulcerrimum spectaculum præbent currus fracti & naufragi. Naufragium* illud fiebat, aut ad metam cum detergerentur rotæ, ad saxum, aut in spina circi, cum currus, & equi fortè inter se concurrerent, & quasi arietarent. De naufragio ad metam de Oreste Sophocles in Electra:

Orestes postea solvens habenas sinistriores,
Flectente se equo imprudens summam columnam
Ferit: rupit autem axis mediam fistulam, quæ subit modiolum,
Et ex orbe cecidit.

De incursu equorum in equos Sil. Ital. XVI. 405.

Donec confisus primæva flore juventa
Obliquum Durius conversis premens habenis

Oppofuit currum, atque everfum propulit axem
Atlantis fenio invalidi,

n. 411.

——perfracto volvitur axe
Cernuus, ac pariter fufi, miferabile, campo
Difcordes fternuntur equi.

Romæ, cum equorum, aurigarumve vitio currus fracti effent, alii clamore populi depofcebantur. Plutarch. in Sylla: *Cum evertiffent currus Romani cum rifu, alios petebant, ut folent, curulibus fpectaculis.* Quod ufu veniebat aurigis, qui bonitate equorum freti ad tria, aut quatuor præmia afpirarent: alios enim currus, quibus compararentur, depofcebant. Ex compofito currus adverfæ factionis aurigæ evertere conabantur, eo maximè loco, unde fedens fpectaret Imperator. Chryfoft. de Human. *Auriga prætercurfo totius populi theatro, contendunt eo loci adverfariorum currus fubvertere, ubi Regem viderint fedentem, & unum oculum tot vultibus digniorem putant.* Buleng. de Circo c. 30.

NAVICULARII funt navium domini, qui Græcè *ναύκληροι* dicuntur, meritorias naves habentes, quos patronos appellamus. Tacit. Annal, XII. 55. 2. *Atque inde decurfa in littora, aut orbes vim cultoribus, ac oppidanis, ac plerumque in mercatores, & navicularios audebant.* Unde *naviculariam facere* Cicer. Verrin. v. 18. *Quid eos loqui, qui videbant: quid exiftimare eos, qui audebant, arbitrabare? inanem te navem effe in Italiam deducturum? naviculariam te, cum Romam veniffes, effe facturum?* Hi & naviculatores ab eodem dicuntur pro Man. c. 5. *Majores veftri fæpe, mercatoribus, ac naviculatoribus curiofius tractatis, bella gefferunt.* Veget. IV. 32. *navicularios* effe dicit, qui in claffe fingulis navibus præfunt, quos Græci *navarchos* vocant. V. illum fupr. in *Navarchus*. Bud. in Pandect. p. 106. E. Dolet. de Re nav. Thef. Ant Græc. Gronov. Tom. XI. p. 691. D. Laz. Comm. Reip. Rom. VI. 6. Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c. 75. Calcagn. de Re naut. c. 18.

NAVIGANDI initium à diis effe veteres crediderunt. Aliqui Prometheum ejus fecerunt auctorem, alii Janum, plures etiam Minervam; ut cæterarum artium inventricem. Qui rem à fabulis ad liquidum perducere voluerunt, Phœnicibus hanc laudem tribuere. Plin. v. 12. *Gens Phœnicum in gloria magna, navalium, ac bellicarum artium.* Mel. I. 12. *Phœnicen illuftravere Phœnices, folers hominum genus, & ad belli, pacifque munia eximium. Literas, & literarum operas, aliafque etiam artes, mare navibus adire commenti.* Diodor. XI. 151. D. *Magna Phœnices in rebus nauticis gloria celebrantur, tum multitudine navium, tum fingulari navigandi peritia à fuperioribus fuis accepta.* Scheffer. de Milit. nav. I. 2. Gyrald. de Re naut. c. 1. Kipping. Differt. de Expedit. marit. §. 5. Niederfted. Milit. vet. & nov. II. 16. Broukh. in Tibull. I. 3. 20. Romani ante bellum Punicum mari fefe non commiferunt. Tum enim, cum Carthaginenfes plurimum mari valerent, coacti & ipfi funt claffem comparare, & navalis prælii periculum facere. Ne autem omnino *navigationis*, & rerum maritimarum expertes effent, providentia & cura confulum factum eft, ut milites paullatim ad remigium interea, dum tota claffis pararetur, exercerentur hoc modo. Subfelliis in arena per ordinem pofitis, remiges infidentes ad vocem præcipientis, qui in medio eorum erat, omnes unà protendere brachia, ac reducere, remofque per arenam movere pariter docebantur: ad illius vocem fimul motus incipiebant, fimul definebant, per hunc modum *navigandi* artem edocti, & perfectis interea navibus mare ingreffi, poft paucos dies verum in undis periculum fecerunt. Polyb. I. 20. *Hering. de Molend. q. 16. §. 4.*

NAVIGANTES tempeftate urgente fufis precibus comas evellebant. Scribit hoc in vita fua Libanius. *Tomaf. de Donar. c. 11.* Fluctibus faciebant. Cicer. Nat. deor. III. 20. *Noftri duces mare ingredientes, immolare fluctibus hoftiam confueverunt.* Barth. Adv. LVII. 10. Sidera adorabant. V. infr. in *Sidera*. Qui naufragium pati inter *navigandum* pertimefcebant, ne ab undis projecti fepultura carerent, aurum, aut quicquid auro æftimandum venit, è collo in fepulturæ exhibendæ pretium fufpendebant; quam fibi impendi vel oblato pretio perceptabant ab his, qui fortuitò in eorundem cadavera incidiffent. Conjicio ex Synef. Epift. 4. ubi de navigatione quadam difertè meminit, qua tempeftatis, procellarumque vi actus in apertum vitæ difcrimen venerat. *Aring. Rom. Subterr.* I. 6. 3. Ventis etiam fupplicabant, idque præcipuè, cum deprenfi effent in tempeftate aliqua. Lucret. v. 1225.

Summa etiam cum vis violenti per mare venti
Induperatorem claffis fuper æquora verrit
Cum validis pariter legionibus, atque elephantis,
Non divum pacem votis adit, ac prece quæfit,
Ventorum pavidus paces, animafque fecundas?

Barth. l. l. Eundo, & redeundo in littore facrificabant. Virg. Æneid. III. 403.

Quin, ubi tranfmiffæ fteterint trans æquora claffes,
Et pofitis aris jam vota in littore folves.

v. 235.

Dii, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego candentem in littore taurum
Conftituam ante aras voti reus.

Florid. Sabin. Subcif. I. 11. Cerda in Georg. I. 437. Priusquam navim confcendebant, littora tangebant, terramque ofculabantur. Valer. Flacc. IV. 373.

Ultima jam patria cedens dedit ofcula ripa.

Precationis formulam ante navis ingreffum ufurpatam à nautis invitantibus vectores, aut fcandentes excipientibus hanc lego: *confcende, quod bene vertat.* Laurent. de variet. nav. Thef. Ant. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 790. A. Amicos numinibus commendabant. Hujufmodi pro Virgilio Athenas folvente carmen votivum Horat. Od. I. 3. Ritum hunc confirmat vetus faxum:

NEPTUNO. ET
DIS. AQUATILIB
PRO. SALUT. ET
INCOLUMIT. SIM
QUART. SECUNDIN.

Tomaf. ibid. c. 25.

NAU.

NAULION inftrumentum muficum. V. illud fupr. in *Nablion*.

NAULUM, *ναῦλον*, eft pretium, quod vectori pro navigatione folvitur. Juven. Sat. VIII. 97.

——furor eft poft omnia perdere naulum.

Ulpian. l. cum fervus §. fructus ff. de Legat. 1. *Fructus hi deducuntur in petitionem, non quos heres percepit, fed quos legatarius percipere potuit: id in operis fervorum, vel vecturis jumentorum, vel navis naulum dicendum.* Voff. Lex. Etymol. Calal. de Prof. Rom. III. c. 26. de Urb. ac Imper. Roman. fplend. part. 2. c. 21. Guther. de Jur. man. I. 16. Gyrald. de Navig. c. 19. Clafen. Theol. Gent. II. 2. Hinc portorium, quod Charonti folebat dari, ut ad ulteriorem ripam navicula deduceret commeantes. V. infr. in *Obolus*.

NAUMACHIA erat pugna navalis, feu lacus, in quo naves pugnabant, & navale prælium populo repræfentabatur. Primum lacus ille fine cura, fine ullo ornatu defoffus propè Tiberim. Suet. Aug. c. 43. n. 8. *Rem navale prælium, circa Tiberim cavato folo.* Poftea res in delicias converfa: nam & lateribus extrui, trabibusque ligneis circummuniri, & tabulis, ac fedilibus in modum theatrorum excoli cœpere, quos idcirco *naumachias* vocaverunt. Suet. Dom. c. 5. n. 3. *Excitavit & naumachiam, è cujus poftea lapide maximus circus, deuftis utrinque lateribus, exftructus eft.* Poftea in circis etiam hi ludi populo exhibiti, quod vel unicum circenfium navalium nomen probare poteft. Nec in his tantummodo, fed etiam in amphitheatris. Apparatus fuit varius, ac multiplex, non ad ufum modò, fed ornatum etiam ac luxum. Quo referimus *Tritonem* à Claudio exhibitum, *qui ex argento factus in medio*

lacu

lacu per machinam emergebat, pugnantes *exciebat buccina*, hydraulica quadam arte. Suet. c. 21. n. 15. Nymphas aquis inoatantes, Mart. de Spectac. c. 26. n. 1.

Lusit Nereidum docilis chorus æquore toto,
Et vario faciles ordine pinxit aquas.

Et belluas, moostraque marina. Suet. Ner. c. 12. n. 4. *Exhibuit & naumachiam marina aqua innantibus belluis.* Xiphil. LXI. p. 694. A. *Theatro aliquo repente aqua marina expleto, in qua pisces, & animalia natabant, bellum navale dedit.* Aquarum immissio fiebat per occultos, atque subterraneos meatus, tanta celeritate, ut à spectatoribus vix sentiretur; qua celeritate postea, si placuisset iterum, aquæ iterum emittebantur. Mart. de Spectac. c. 24. n. 3.

Si quis ades longis serus spectator ab oris,
Cui lux prima sacri muneris ipsa fuit:
Ne te decipiat ratibus navalis Enyo,
Et par unda fretis, hic modo terra fuit:
Non credis? spectes, dum laxent æquora martem:
Parva mora est, dices, hic modo pontus erat.

Xiphill. LXI. p. 694. A. *Quum autem in theatro spectacula praberet, primum eodem theatro derepente aqua maris repleto bellum navale dedit, deinde subito aquam abduxit, rursusque exsiccato solo multos pedites congredi jussit.* Scheffer. de Milit. nav. III. 2. Bergier. de viis milit. V. Sect. 8. §. 4. Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 186. & ad illum Salmuth. p. 218. Panvin. de Lud. Circens. II. 11. Fabric. Descr. Urb. Roman. c. 15. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 374. B. Mod. de Lud. & Spectac. II. 19. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 31. Nautici certaminis spectaculum in illa fuit vel ad disciplinam militarem, quo faciliùs milites pericula fluminum, vel navalis belli, cum opus fuisset, possent evadere. Sic Polybius refert Romanos bello Punico I. quod adversus Carthagineoses gesturi erant, milites suos in navali disciplina exercuisse. Et Suet. c. 16. n. 2. Augustum, cum esset contra Pompejum iturus, io portu Julio apud Bajas, milites in oavali exercitatione tota hyeme detinuisse. Vel ad delectationem populi, ut cætera spectacula. Plura enim erant, quæ præberent animo delectationem. I. alvei magnitudo, ac circi cujusdam amplissimi forma, edita ad commoditatem tanti ludi, io coospectu maximæ civitatis. II. classis in eam, etiam magnarum navium introductio, & ludus ipse certaminis. III. populi celebritas, & vel ipsa aquarum copia, atque amœnitas, maris initar tranquillissimi: & quæ apertis euripis tantam vim aquarum uno haustu reciperet, laxatoque finito spectaculo. In hoc movet admirationem advenæ Martialis de Spectac. c. 24. n. 3. modò laudatus. *Baccius de Therm. vet. c. 8. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 13. §. 2.*

Naumachia Augusti, quo deducta est aqua Alsietina, statuitur ad templum, & cœnobium monialium SS. Cosmæ, & Damiani. Suet. Tib. c. 72. n. 1. *Bis omnino, toto secessus tempore, Romam redire conatus est, semel triremi usque ad proximos naumachiæ hortos subvectus est: disposita statione per ripas Tiberis, qua obviam prodeuntes summoveret.* Frontin. de Aquæduct. 1. *Ni forte, cum opus naumachiæ Augustus aggrederetur, ne quid salubrioribus aquis detraheret, Alsietinam aquam proprio opere perduxit: & quod naumachiæ cœperat superesse, hortis subjacentibus concessit.* Donat. de Urb. Rom. III. 21. Panciroll. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. III. p. 374. C. Baccius de Therm. vet. c. 8. Faunus Ant. Urb. Rom. V. 7.

Naumachia circi maximi fuit, quam veterem vocat Suet. Tit. c. 7. n. 12. *Dedit & navale prælium in veteri naumachia.* Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 15.

Naumachia Domitiani collocatur in campo Martio ad cœnobium monialium S. Sylvestri. Suetonius laudatus supr. io *Naumachia*. Blondus & Fulvius apod Nardin. Rom. Vet. VI. 10. Borrich. Ant. Fac. c. 11. §. 6. De hac, an potiùs de *naumachia* Augusti in Transtiberina regione locutus est Stat. Sylv. IV. 4. 5.

Continuo dextras flavi peto Tibridis oras,
Lydia qua penitus stagnum navale coercet
Ripa, suburbanisque vadum prætexitur hortis.

Mart. de Spectac. c. 28. n. 12.

Hanc norint unam secula naumachiam.

Nisi de Titi spectaculo in aquis edito sermo sit. *Donat. de Urb. Rom. III. 16. Fabric. Descr. Urb. Roman. c. 15. Faunus Antiq. Urb. Rom. IV. 12.*

Naumachia an à Nerone præter circum ibi etiam structa sit, dubium est. Quidam ecclesiastici scriptores ad templum, & sepulcrum S. Petri illam posuerunt. Negat Baronius, quod antiquorum nemo id à Nerone factum affirmet, & ille maritima spectacula, teste Dion. LXII. p. 707. D. ediderit in theatro. Quem ultro sequor. Qui verò, aut vulgi sermone permoti, aut alia de causa hortis Neronis *naumachiam* apposuerunt, hanc pro circo accepere vulgari appellatione, cum præsertim in circo esset etiam euripus pro navalibus ludis. *Donat. de Urb. Rom. III. 23. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 9.*

Naumachia apud Vaticanum celeberrima priscis temporibus exstabat, à qua tota deinde regio illa, quæ S. Peregrini ædem respicit, suam denominationem acceperat. *Aring. Rom. Subterr. II. 3. 16.*

Naumachia species fuit *κυβεία*. Pollux VII. 33. 10. Qui nihil tamen de illo: nec Eustathius: nec Meurs. de Lud. Græc. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 978. E. Nos adjicimus hos versus ex Lucill. XIV.

Naumachiam licet hac, alveolumque putare, &
Calces, delectes te, hilo non rectius vivas.

Ut alveoli vocabulum ab aquatili, seu fluviali materia, ad talorum, tesserarum, latrunculorumque instrumenta translatum est, sic etiam *naumachias* vocabulum ad hanc ipsam ludicri materiam assumptum arbitror, ita scilicet, ut cum calculis ludamus in alveo, seu alveolo, sic ipse ludus *naumachia* non sit dissimilis, propter pugnam scilicet calculorum, cui se invicem committunt io alveolo, tanquam naves in freto. *Senftlea. de Alea vet. c. 8. §. 9.*

Naumachia etiam locus fuit, ubi omnia instrumenta bellica, quæ ad classes instruendas erant necessaria, reponebantur, quale est arsenale Venetum: fuitque eo loco, qui dicitur hodie à Ripa: ubi vinum venale proponitur, quod ex Ostia navigio per Tiberim in Urbem invehitur. *Boissar. Topogr. Urb. Rom. Tom. I. p. 10.*

NAUMACHIARII dicebantur, qui prælium navale committebant. Erant plerumque captivi, seive criminum capitalium; è quibus alteri parti Siculorum, vel Atheniensium: alteri Rhodiorum, aut Persarum, vel alterius gentis nomen imponebant. Pugnabant hi inter se ad mortem usque, nisi qua Principis indulgentia singulari eximerentur. Dio LX. p. 687. B. *Qui eo prælio decertaturi erant, damnati fuerant rei capitalis; erantque utrinque quinquaginta naves; alteri Rhodii, alteri Siculi nominabantur. Hi principio simul omnes Claudium salutaverunt his verbis: salve Imperator, pereuntes salutamus te.* Suet. Claud. c. 21. n. 13. *Emissurus Fucinum naumachiam ante commisit, sed cum proclamantibus naumachariis, ave Imperator, morituri te salutant, respondisset, avete vos.* . . Omnia complexus Tacit. Annal. XII. 56. 2. *Claudius triremes, quadriremesque, & undeviginti hominum millia armavit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent: attamen spatium amplexus, ad vim remigii, gubernantium artes, impetus navium, & prælio solita. In ratibus prætoriarum cohortium manipuli, turmæque adstiterant, antepositis propugnaculis, ex queis catapultæ, balistæque tenderentur. Reliqua hacus classiarii tectis navibus obtinebant. Pugnatum, quanquam inter sontes, fortium virorum animo: ac post multum vulnerum occidioni exempti sunt.* Scheffer. de Milit. nav. III. 2.

NAUPEGI, navium ædificatores à personalibus muneribus erant immunes. Patern. l. 6. ff. de jur. immun. *Quibusdam aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit, ut sunt naupegi.* Panciroll. de Corpor. artif. §. 35.

NAUSUM fuit genus navigii Gallici. Innuit hoc Auson. Epist. 22. *Et nauso fruges aliquantulum nostra advehi possit.* Et io jambico subjecto:

Ut inde nauso devehat.

Gyrald. de Navig. c. 18.

NAUTA est, qui in nave est deducendæ navis gratia. Cicer. Fam. XVI. 9. *Solent nautæ festinare quæstus sui causa.* Attic. IX. 3. *Ego nautas eum non putabam habiturum.* Dolet. de Re nav. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 691. B. Antiquis temporibus non alios quàm milites habuerunt, si excipias gubernatores. De Græcis ad Trojam Senec. Agam. III. 423.

Jamque ense fessum miles exonerat latus,
Neglectaque summas per puppes scuta jacent,
Ad militares remus aptatur manus.

Græcis hoc genus αὐτερέται dictum est. Pollux, I. 9. & Suidas: *Auteretes. Sic Thucydides vocavit, qui & remigant, & pugnant.* Postea, cum naves meliùs ad bellum instrui cœperunt, præter milites, certos etiam legerunt *nautas*, iisque curam navium commiserunt. E quibus alii fuerunt *remiges*, alii aliis muneribus destinati, qui idcirco specialiori nomine *nautarum* appellati sunt. Cæsar de Bell. Gall. III. 8. *Interim naves longas ædificari, remiges ex provincia institui, nautas, gubernatoresque comparari jubet.* Veget. IV. 13. *In nautis diligentia, in gubernatoribus peritia, in remigibus virtus eligitur.* Ambo *nautas* à remigibus distinguunt. Sic apud Græcos *nautæ* aliquando, remigesque sunt diversi. Ideo hoc ordine recenset Pollux I. 9. 5. *Navigantes sunt, gubernator, proreta, nauta, remex.* VII. 33. 9. *Gubernatores, proretæ, remiges, nautæ.* Scheffer. de Milit. nav. II. 3. Illorum habitus fuit pænula coloris veneti, sive thalassici, aut cœrulei, quam induti, brachio dextro exserto, causiaque, sive caputio, vel bardocucullo, veluti & nostra ætate, tecti incedebant. Vestes etiam iis adversus aeris injurias pelliceæ erant. Quo spectat monitum Veget. IV. 37. *in mari exploratores veste veneta induendos.* Tomas. de Donar. c. 25. Cantilena, ut legitur in commentarius Aristophaniorum Acharnensium, vocabatur νίγλαρον, melos quoddam musicum παρακελευστικόν. *Scalig. Poet. I. 56. Putean. Reliq. conv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. XII. p. 261. B.* In biremibus ad latera tantum, sedentes in sedilibus, remigabant: in triremibus, pluriumque ordinum navibus in sedilibus, & transtris, medio navis collocatis. *Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Grav. ibid. p. 576. B.* Stipendium ab initio, postquam classibus cœperunt uti, acceperunt ab equitibus, qui in hanc rem pecuniam contulerunt. Servius laudatus supr. in *Classis*. Ex publico verò auctis Romanorum opibus. Liv. XXIII. 48. *Quod ad stipendia attinet, si ærarium inops esset, se aliquam rationem inituros, quomodo ab Hispanis sumat, cætera utique ab Roma mittenda esse.* Et ita Romani. Sociis verò ipsis dare stipendia cogebantur. Constituebat ergo quæque civitas navarchum, cui daret pecuniam, frumenta, cætera. Cicero laudatus in *Navarchus*. Quantum utrorumque fuerit, ignotum. Licet conjectare, minùs accepisse quàm in cætera militia: cum qui ex hac ad illam transiissent, meliorem suam fecisse conditionem viderentur. Ac fortè duos tantum asses capiebant, cum illi tres haberent. Auctum tamen illud post ab Imperatoribus, legimusque, Anastasii temporibus remiges quinque solidos habuisse. Cassiod. V. 16. *Si libertate gaudet electus* (de remige loquitur) *quinos solidos, donativum & annonam se noverit accipere competentem; eo modo & illi tractandi sunt, qui à suis dominis exuuntur, quando libertatis genus est, servire rectori. Ita tamen, ut supra dictis nauta ærarum nomine pro hominum qualitate binos, ac trinos solidos à nostra debeant sede percipere, quatenus unusquisque cum fuerit admonitus, paratus debeat inveniri.* Et hæc stipendia vulgi. Plus accipiebant magistratus, uti docet caput legis Rhodiæ XXX. in quo de mercede uniuscujusque agitur. Ibi enim ei, *qui clavum tenet, portio una cum semisse, tantundem proretæ, & naupego, nautæ & carabitæ portio una, paraschitæ portio dimidia tribuitur.* Scheffer. ibid. IV. 1. Adversa tempestate jactati vota faciebant Castori & Polluci. Cicer. de Invent. II. eorumque simulacra in Samothracia ante portum sita fuerunt, ut iis naufragio liberati vota solverent. Annotat hoc Servius. In hanc rem Romæ legitur:

CASTORI. ET. POLLUCI
SACRUM
OB. FELICEM. IN. PATRIAM
REDITUM. TOT. SUPERATIS
NAUFRAGII. PERICULIS
. . . . EX. VOTO. CUM
SOCIIS
L. M. P
C. VALERIUS. C. F. AGELLUS
. . . .

Romæ apud Tiberim, ubi nunc delubrum Blasio sacrum, in templo Neptuni olim tabulas naufragii pictas suspenderunt. Tumulo etiam eorum, qui ad littus ejecti erant, fragmenta navium inserebantur, quæ essent veluti manium donaria. Lycophron:

—— bustum supra
Statuere cippum funebrem Argo navis
Transtrum revulsum manium donarium.

Tomas. de Donar. c. 25. In illis summa requirebatur scientia. V. illam infr. in *Scientia*.

NAUTIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

NEA.

NEAPOLIS urbs est proxima in litore à Puteolis in Campania. Ante Parthenope dicta, & prius Phalerum, si poetis credimus. Primos ejus conditores plerique scriptores pronuntiarunt Cumanos. Urbis magnitudo constricta olim fuit intra Megarim insulam, & Sebethum amnem, quorum hic nunc *Fiume della Maddalena*, paullo remotus ab mœnibus Urbis; illa contra ipsam nunc sita, ab imposita arce *Castel dell' ova* vocatur. *Cluver. Ant. Ital.* IV. 3. 1. *Goltz. Ital. p.* 209. *Albert. Descr. Ital. p.* 275. Est inter eos colonias, quæ incerto planè tempore deductæ fuerunt, licèt tamen ante Titi Imperatoris tempora, ut constat ex Frontin. de Colon. p. 106. *Neapolim muro ductam. Iter populo debetur pedibus* XXX. *Sed ager ejus, ut Syria Palæstina à Græcis est in jugeribus assignatus, & limites intercisivi sunt constituti. Inter quos postea & milites Imperatoris Titi lege modum jugerationis ob meritum accepit.* Merul. Cosmogr. II. 4. 19. Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. XI. p. 633. F. Præfecturam fuisse, quia legibus Romanis non uteretur, nullo modo crediderim. Nam si fuisset, minimè Romanis exsulibus ibi licuisset commorari. Polyb. VI. 12. cives Romanis legibus ejectos Neapolim petere solitos fuisse, ibique sedem ponere, ut libero in loco ostendit, & fœderatam civitatem appellat. Post legem Juliam municipium fuit, ante inter socios Italicos. Cicer. Fam. XIII. 30. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. I. p.* 21. *C.* Fœderata fuit fœdere Italico cum Velia & Heraclea. *Sigon. de Ant. Jur. Ital.* II. 14. *Goltzius.* V. illum infr. in *Oppida fœderata*.

NEB.

NEBULONES dicti sunt fraudium architecti, & fures. Non. I. 67. *Nebulones dicti sunt, quia mendacii, & astutiis suis nebulam quandam, & tenebras objiciant: aut quibus ad fugam fugitivis, & furta hæc erant accommodata, & utilia.* Lucil. XIV.

Publius Paullus mihi Turditanus quæstor,
Hibera in terra fuit lucifugus nebulo.

Enimverò *nebulæ* non raro fures faciunt, & accommodatiores illis *nebulæ*, observante Homero, quàm noctes. Licèt enim & suæ tenebrionibus nocturnis vices, invitant tamen magis *nebulæ*, ut incustoditæ, quàm nocte defensæ excubiis. *Borrich. Ant. Urb. fac. c.* 14. §. 3. *Turneb. Adv.* XX. 1.

NEC.

NECESSARII fuerunt, quos non sanguis, sed consuetudo vitæ conjunxit, ut familiares, vicini, tribules, clientes, municipes, ejusdem sodalitatis, collegii, societatis, & ordinis. *Sigon. de Judic.* II. 30. Etiam dicuntur, qui rebus labantibus, aut jam collapsis opitulatores,

atque

atque vindices contingunt; videlicet penitùs pessum casuris, nisi fata eorum remedia produxissent. Vopisc. Aurel. c. 37. *Hic finis Aureliano fuit, principi necessario magis quàm bono*. Barth. Adv. XLIII. 27.

Necessarius dicitur servus, qui hæres à domino suo institutus est, quando non est solvendo hæreditas, l. facta, §. ult. ff. ad Sctum Trebell. Causa enim servi hæredis instituendi est, ne post mortem domini creditores illis defraudentur. Ulpian. l. 7. §. 10. ff. de minor. *Minori substitutum servum necessarium, repudiante quidem hæreditatem minore, necessarium fore: & si fuerit restitutus minor, liberum nihilominus remanere*, l. fratres C. de offic. testam. l. ult. C. de necess. hæred. instit. *Contra servum autem necessarium hæredem institutum, non datur inofficiosi testamenti querela*. Popma de Serv. p. 176.

NECROMANTIA vocabatur, qua animæ ab inferis revocabantur, per quas magus occulta discebat, & de secuturis eventibus edocebatur; nam hoc illi audacter pollicebantur, eorum imperio subditas animarum regiones, & quas vellent, posse rursus superam traducere ad lucem. Sic gloriatur Medea apud Ovid. Met. VII. 107.

—— jubeoque tremiscere montes,
Et mugire solum, manesque exire sepulcris.

Tibull. I. 2. 45.

Hæc cantu finditque solum, manesque sepulcris
Elicit, & tepido devocat ossa rogo.

Et fama ita creditum à vulgo ethnicorum denotant versus apud Cicer. Tusch. Quæst. I. 16.

Unde animæ excitantur obscura umbra, aperto ostio
Alti Acherontis, falso sanguine imagines mortuorum.

Per hanc paganos deludebat diabolus, & phantasmate simulabat personam, quam inter viventes restitui cupiebant. Itaque præstigium, & hallucinatio tantùm fiebat. Æneas Gazæus in Theophrasto: *Hac dicens ille, & ergo fuis illis carminibus fallunt, quippe non patrem, aut mulierculam producunt, sed dirum quendam dæmonem patris, aut mulieris personam repræsentantem monstrant*. Chrysost. in Matth. VIII. Hom. XXIX. *Non enim anima defuncti est, quæ ista dicit; sed dæmon, qui hæc, ut decipiat, fingit*. Clasen. Theol. gentil. I. 6. Kirchmann. de Funer. III. 23. Cerda in Virg. Ecl. VIII. 98. Delr. Disq. Mag. IV. Peucer. de Divin. 8.

NEG.

NEGOTIATORES erant mercatores locupletiores, qualem *negotiatorem magnarium* appellat Apul. Met. I. p. 11. Hi mercaturam amplam, sive *negotiationem* exercebant: qualis *negotiatio sagaria*, l. 52. §. 4. ff. pro socio, *negotiatio lignaria* apud Capitolinum. *Ferrar. de Re Vest.* II. I. 5. Quomodo differant à mercatoribus, V. supr. in *Mercatores*. Prostabant in basilicis. V. supr. in *Basilica*. Octavam mercium pro rebus importatis, & exportatis solvebant, l. 5. C. de vectig. & commiss. *Ea verè quæ extra prædictas causas, vel negotiationis gratia portantur, solita præstationi, vel pensationi subjugamus*. l. 7. ibid. *Ex præstatione vectigalium nullius omnino nomine quicquam minuatur, quin octavas more solito constitutas omne hominum genus, quod commercia voluerit interesse, dependat*. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 5. Servi dicebantur, qui præpositi erant *negotii* exercendi causa, veluti ad emendum, locandum, conducendum. Martian. l. 65. ff. de Leg. III. *Legatis servis, exceptis negotiatoribus: Labeo scripsit, eos legato exceptos videri, qui præpositi essent negotii exercendi causa, veluti qui ad emendum, locandum, conducendum præpositi essent*. Popma de Serv. p. 27.

NEM.

NEMAUSUS est civitas in Gallia Narbonensi inter Ararim, & Monobium flumina. *Nemasia* appellatur à Valentiniano, l. ult. C. Th. de pond. & aur. illat. sed mendo sè, ut puto. *Panciroll. Notit. imp. occid. c.* 35. Strab. IV. p. 129. *Caput Arecomicorum est Nemausus, longè inferior Narbone, si peregrinam, & negotiantium turbam consideres; sin rempublicam spectes, multo præstantior: nam quatuor & viginti habet pagos popularium præstantes viris, qui ei subsunt, & jus quoque Latii habent: ita ut Nemausi invenias Romanos, qui ædilitatis, & quæsturæ honorem sint consecuti*. Est *Romanorum colonia, Augusto imperante deducta*, atque ideo *Augusta Nemausus* cognominata. Vetus inscriptio *Nemausi* reperta:

D. M.
T. INDESII. TERTII
ÆD. COL. AUG. NEM.
DOMITIA. EORTE. SIBI
ET. VIRO. DE. SE. BENE
MERITO. V. F.

Gruter. p. 323. n. 5. Insignis etiam nunc viget hæc urbs, *Nimes* vulgo appellata. *Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 536. *E. Vaillant Numism.* I. *p.* 56. *Schott. Itiner. Gall. p.* 36.

NEMEA dicebantur ludi, quos constituisse Herculem leone occiso volunt, qui *Nemeam* regionem infestabat. Tertull. de Spectac. c. 11. *Proinde Olympia Jovi, quæ sunt Romæ Capitolina. Item Herculi Nemea*. Ipse Hercules *Nemeam* agnoscit ut suam apud Stat. Sylv. III. 1. 182.

Nec mihi plus Nemea, priscumque habitabitur Argos.

Et hæc est receptissima existimatio horum ludorum. Aliud quoque reperio. Quippe memorant Adrastum, unà cum iis, qui Thebas oppugnatum iverant, venisse ad *Nemeam*, ubi Hypsipyle Ophelten Lyci Regis filium in servitute alebat. Hæc rogata ab his ducibus, ut aquam monstraret, ne puerum humi deponeret, in apio altissimo, quod ad fontem erat, eum occuluit. Ibi draco puerum, dum ipsa ducibus aquam præbet, exedit. Draconem Adrastus, & cæteri interfecerunt, ludosque funebres, eosdemque quinquennales puero instituerunt. Hygin. fab. 74. Clem. Alex. Exhort. ad gent. p. 21. D. hunc puerum vocat Archemorum, cui justa facta sunt: ejusque funebrem rationem ait appellari *Nemeam*. Hinc est, quod Artemid. I. 79. dixit, coronam *Nemeam* esse dicatam certamini sepulcrali: quod in illorum numero esset, quos vocabant ἀγῶνας ἐπιταφίους, ubi decurrebant in honorem illorum, qui bello periissent. Hoc censet Statius; ut apparet ex Sylv. V. 3. 51.

Illic & Siculi superassem dona sepulcri,
Et Nemees lucum, & Pelopis sollennia trunci.

Paschal. de Coron. VI. 26. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 3. Potter. Archæol. Græc. II. 24. Scalig. Poet. I. 25. Victores in iis apio coronabantur. V. supr. in *Apium*.

NEMUS minùs religiosum, minùsque venerabile erat olim luco: ut omnes tamen à cædendis, & violandis arboribus abstinerent, *nemorosa*, & umbrosa loca numinibus sacra Græci psictera, ut Nicander ait, vocarunt. *Curt. Hort.* III. 13. Illa cum ad corporis, tum etiam animi incolumitatem conducibilia expetebant veteres. Tacit. Orat. c. 12. n. 1. *Nemora verò, & luci, & secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter præcipuos carminum fructus numerem, quod nec in strepitu, nec sedente ante ostium litigatore, nec inter sordes, ac lacrymas reorum componuntur; sed secedit animus in loca pura, atque innocentia, fruiturque sedibus sacris*. Virg. Ecl. II. 61.

—— Pallas, quos condidit arces,
Ipsa colat, nobis placeant ante omnia sylvæ.

Curt. ibid. VI. 5. In domorum tectis scilicet planis, & sine fastigio, ubi terra super trabes, sive & fornices lateritios aggerebatur, serebant. Senec. Epist. 122. *Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt? quorum sylva in tectis domorum, ac fastigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbè cacumina egissent*. Horat. Od. III. 10. 5.

Audis, quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulcra situm tecta remugiat
Ventis.

Tibull. III. 3. 15.

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos,

Senec. Contr. v. 5. *Alunt in summis culminibus mentita nemora, & navigabilium piscinarum freta*. Hinc *suspendi* apud Senec. de Ira 1. c. 16. & *in tecta scandere* apud Plin. xv. 14. dicuntur. *Lips. in Senec. Epist. Torrent. in Horatium. Broukh. in Tibullum.*

Nemus Annæ Perennæ situm fuit inter Anienis confluentem, & pontem Milvium. *Cluver. Ital. Ant.* III. 2. 36. Juxta Tiberim fuit, priusquam Urbem attingeret, Ovid. Fast. III. 524.

Haud procul à ripis, advena Tibri, tuis.

Conspici etiam è suburbano Julii Martialis potuit, quod in Janiculo fuit è regione pontis Milvii. Mart. IV. 64. 16.

Et, quod virgineo cruore gaudet,
Annæ pomiferum nemus Perennæ.

Verùm utrum exactè in angulo confluentium istorum fluminum fuerit, an verò in proximo, à nemine indicatur. Alterutrum tamen verum conjicere licet, siquidem festum illic celebratum in memoriam istius Annæ creditum est, quæ in monte sacro plebi, quæ in illum secesserat, cibos subministravit, ut est apud Ovidium: nam hoc pacto *nemus* illi monti vicinum fuisse necesse est; non tamen trans Anienem fuit; nam Martialis id aqua Virgine irrigatum fuisse tradit: unde vel ipso angulo fuit ad confluentes, vel saltem non procul inde remotum. *Nardin. Rom. vet.* IV. 7.

Nemus Cæsarum est, de quo Tacit. Annal. XIV. 15. 2. *Exstructa apud nemus, quod navali stagno circumposuit Augustus, conventicula, & caupona.* Suet. Aug. c. 43. n. 2. *Navale prælium circa Tiberim cavato solo, in quo nunc, Augusti tempore, Cæsarum nemus est.* Tabulæ Ancyranæ: *Navalis prælii spectaculum populo exhibui, in quo loco nunc nemus Cæsarum est.* Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 11. Caji, & Lucii memoriæ fuit dicatum. Cum Suetonius dixerit: *in quo nunc Cæsarum nemus est*, inferre quis posset, tempore Suetonii, qui post exactum ab Augusti morte seculum floruit, idem *nemus* superfuisse, ac neminem successorum principum memoriæ Caji & Lucii sacratum *nemus* excidisse. At Dio scribit de Nerone apud Xiphil. LXI. p. 699. C. *Populo epulum dedit intra naves in eo loco, in quo ab Augusto bellum navale factum fuerat.* Sed de his alii viderint, qui antiquæ Romæ topographiam quærunt. *Noris. Cenot. Pisan. Diss.* II. p. 181.

Nemus Nævium, V. illud infr. in *Porta Navia*.

NEN.

NENDI artem invenit Mercurius. Non statim ad eandem perfectionem perducta fuit, ad quam Mosis tempore pervenerat. Sed Tertullian. de Pall. c. 3. videtur docere Mercurium invenisse artem lanam trahendi in modum restis satis crassi, instar philyræ, aut junci, ex quibus vestes fieri solebant, ut inde fierent tegumenta tantùm rudia, & crassa instar storeæ, quales fortassis sunt sacci illi, in quibus lana Hispanica nobis hodie apportatur, quibus pauperes apud nos utuntur pro tegete, & veste. Verisimile etiam est ex ipsa lana ita crassè in restis modum contorta tegumenta, & vestes potiùs nexa fuisse, quàm texta, quemadmodum ex tenuis, viminibus, juncis, & alia materia fluminea potiùs nectebantur, quàm texebantur; nondum enim ars textoria, propriè ita dicta, inventa fuit. Hæc autem vestis nexilis dicitur potius, quàm textilis. Lucret. v. 1349.

Nexilis antè fuit vestis, quàm textile tegmen:
Textile post ferrum est; quia ferro tela paratur.
Nec ratione alia possunt tam levia gigni
Insilia, ac fusi, radii, scapique sonantes.

Braun. de Vest. Sacerd. Hebr. I. 16. 6.

NEO.

NEOCORI, νεωκόροι, vocabantur ædium sacrorum custodes. Ita in Etymologico νεωκόρος explicatur ὁ τὸν νεὼ ἐπιμελούμενος. Apud Suidam νεωκόρος, ὁ τὸν ναὸν κοσμῶν, καὶ εὐτρεπίζων. Itaque & claves templorum custodiæ neocoris commissæ erant, ut constat ex Aristid. Orat. I. & aliis. Latini quidem æditüos dixerunt. V. supr. in *Æditimus*; sed quandoque *neocori* verbo usi sunt. Firmic. de Error. prof. relig. c. 14. *Serapis in Ægypto colitur, hic adoratur. Hujus simulacrum neocororum turba custodit.* Mathes. IV. 7. *Illa conjunctio faciet neocoros.* Ruben. Diatr. de Urb. neocor. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1350. A. Et ab his non dissimili analogia populi, aut civitates, in quorum solo constitutum erat templum aliquod toti provinciæ commune, & publica panegyri, ludisve celebre. Illæ verò civitates, aut populi maxima cura studebant, ut sacrificiis, sacrisque certaminibus templa illa celebria redderentur. Ita in nummo M. Antonii triumviri Ephesii se *Neocoros* inscribunt, quia in urbe sua situm erat templum Dianæ, in cujus honorem conventus sollennis, & sacra certamina à communi Ionum peragebantur. Hoc significatu vocem νεωκόρον accepit Lucas Act. c. 19. n. 35. *Viri Ephesii, quisnam est hominum, qui ignorat, Ephesiorum civitatem ædituam, νεωκόρον, esse magnæ deæ Dianæ, & simulacri è cœlo delapsi?* Ubi scriba ille Ephesum vocat Dianæ νεωκόρον, ut Coo insulam *Æsculapii ministram* vocat Tacit. Annal. XII. 61. 2. *Quin etiam dixit Xenophontem eadem familia ortum: precibusque ejus dandum, ut omni tributo vacui in posterum Coi sacram, & tantum dei ministram insulam colerent.* Ubi videtur voluisse exprimere vocem Græcam νεωκόρος: etenim in Coo insula templum erat Æsculapii, Græcorum, atque insularum cultu celebre. Qua ferè notione ædituus verbo utitur Suet. Aug. c. 5. n. 2. *Ca. Lectorius allegavit, se esse possessorem, ac velut ædituum soli, quod primum D. Augustus nascens attigisset.* Ruben. ibid. Falconer. ad Inscript. athlet. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XII. p. 2334. D. Vaillant Numism. II. p. 171. Petit. Var. Lect. c. 29. Prideaux Marm. Oxon. p. 89. & hoc monente Nicol. Bon. de neocoris. Inter zacorum, & *neocorum* interfuit: & ille, ut docet Thomas magister, hoc nescio quid dignius fuit. Hesychius putat eorum ministerium spectasse tantummodo ea, *quæ versantur circa ornatum templi.* Pinell. Addit. ad Argol. in Panvin. de Lud. Circ. p. 546. C.

NEP.

NEPET, vel *Nepete* est urbs Etruriæ. Hodie interdum *Nepe*, interdum *Nepi* dicitur. *Per deditionem acceptam Etrusci cum haberent, fascibus sarmentorum ex agro collatis, ductus est ad mœnia Romanorum exercitus, & completis fossis scalæ sunt admotæ, & clamore primo, impetuque recepta est.* Liv. 6. 10. Romanorum colonia huc deducta est post Urbem à Gallis captam. Paterc. 1. 14. 2. Postea municipium quoque factum fuisse testatur Festus in *Municipium*. Ex *Nepesini* memorantur municipes in antiquis inscriptionibus. *Cluver. Ital. ant.* II. 3. 41. *Leand. Descr. Ital.* p. 112. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* II. 5.

NEPOS est juris auctoribus, & vetustioribus Latinis tantum ὁ ἔκγονος, filii, aut filiæ natus. Posterior ætas produxit vocis usum ad ἀδελφιδοῦς, natos fratre, aut sorore: quam solam vocis ejus notionem vernaculus sermo noster, & Italicus agnoscunt. Sic aliquoties in historiæ Augustæ libris capiuntur *nepotis*, & *neptis* appellationes: & in Liviana epitoma, atque Eutropio, qui inde haber, Octavianus C. Cæsaris *ex sorore nepos* dicitur. Apud Ambrosium Epist. 66. & veteri notione, & hac posteriore observabamus positum *neptis* vocabulum. Agitur ibi de matrimonio inter Paterni filium, & *neptem* ejusdem ex filia. Cum veteribus loquitur, quando ait: *Vis filio neptem copulare ex filia?* Alteram notionem vulgo tum receptam indicat, cum scribit: *Interroga nominum religionem: nempe avunculus iste illius, ista hujus neptis vocatur.* Sic quoque hoc versu locutus est Ovid. de Pont. III. 3. 62.

Cæsar, ab Ænea qui tibi fratre nepos.

Salmas. in Spartian. Adrian. c. 2. Barth. Adv. XXIV. 10. Du Fresne Glossar.

Nepos fuit plurimum cognomen. Nominatur in Fastis an.

636. *Q. Cæcilius Metellus Nepos*, ejusque etiam filius an. 697. qui epistolam tertiam libri quinti ad Ciceronem inscribit: *Q. Metellus Nepos*. Celebris inter scriptores *Cornelius Nepos* recensetur. Licini *Nepotis* prætoris meminit Plin. Epist. vi. 5. *Platorium Nepotem* senatorem laudat Spartian. Adrian. c. 4. & *Herennium Nepotem* Sever. c. 15. *Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Noris. Epist. Consul. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom* xi. *p.* 408. *B.* Verrius autem Flaccus, qui tabulas Capitolinas digessit, ibidem prænomina, nomina, ac cognomina consulum accuratissimè recitavit; & ne nominum similitudo in familiis numerosis confusionem gigneret, prænomina patris atque avi cujuscunque consulis in eisdem fastis signavit. Cognomina consulum in postrema parte versus locavit. Si consules nullum cognomen tulissent, aut illud fortasse ignotum fuisset eidem auctori, loco cognominis designabat, cujus consul *nepos* extitisset, non quidem unicam literam N. exarando, ut in aliis, quorum cognomina annotabat, sed integram vocem NEPOS reponendo in ea extrema parte versus, in qua aliorum cognomina legebantur. En quosdam consulatus ex iisdem tabulis Capitolinis exscriptos juxta annos Urbis Capitolinos:

Consules	Ann. Urbis
Cn. Servilius Cn. F. Cn. N.	CÆPIO. 551
Cn. Servilius Cn. F. Cn.	NEPOS.
M. Æmilius M. F. M. N.	LEPIDUS. 567
C. Flaminius C. F. C.	NEPOS.
L. Cornelius P. F. L. N.	SCIPIO. 590
C. Lælius C. F. C.	NEPOS.
Q. Opimius Q. F. Q.	NEPOS. 600
L. Posthumius SP. F. L. N.	ALBINUS.

In hisce quatuor consulum collegiis vides postremum vocabulum NEPOS non exprimere quodpiam proprium eorundem cognomen, sed cujus avi, puta Caji, Cnei, Quinti *nepotes* iidem fuerint. *Noris. l. l.*

Nepotes dicuntur prodigi, & luxuriosæ vitæ homines. Horat. Epod. 1. 34. V. illum supr. in *Discinctis*. Cur illis *nepotum* nomen impositum sit, geminam invenio causam. Una est, quod pueri parentibus orbati, si in avorum sint potestate, ferè nequam evadant, & dissoluti: quia faciliores parentibus esse avi solent, &, si severiores esse velint, à pueris, patria metu solutis, contemni solent. Altera ratio est ista, qui parentum suorum sudorem in congerendis opibus viderunt, illi, quia sciunt, quàm difficulter opes parentur, frugi esse solent: contra autem *nepotes*, quia nec ipsi sudarunt in parandis divitiis, nec sciunt, quanto labore eas avus acquisierit, prodigi esse consueverunt. *Voss. Lex. Etymol.*

NEPTUNALIA erant feriæ, & ludi in honorem *Neptuni* dei maris, quibus casas frondeas ad Tiberis ripam excitabant, quas *umbras* dicebant, inque iis solis radios frangentes inter sese festos dies agebant. *Siccam. in Fast. Kalend. c. 13. Struv. Ant. Rom. c. 9. p. 408. Potion. de Græcor. & Roman. magistrat. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* vi. *p.* 2813. F. Hujus dei teste Varr. de Ling. Lat. v. 3. sextæ feriæ sunt. Græci verò octavum cujusque mensis diem *Neptuno* sacrum esse voluerunt, ut Plutarchus in Theseo. Taurus ei immolabatur, unde Virg. Æneid. iii. 119.

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcer Apollo.

Homer. Odyss. iii. 6. *tauros valdè nigros* vocat, quo loco interpres: *Tauros propter maris violentiam, nigros verè propter aquæ colorem ex maris profundo*. Pindar. Olymp. xiii. 99. ταῦρον ἀργὸν illi adscribit: quem quidam *album* interpretantur, propter maris spumas; alii *florentem*, seu *nitentem*, aut *procerum* exponunt; veriùs autem, qui *velocem*: qui autem *album*, prorsus errant; nam & Pindari interpretes *nigros tauros* ei immolari volunt. *Ortel. deor. & dear. cap. 1. fig. 11. Gyrald. Synt. deor. v. p. 160. A. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. xi. p. 876. D.* Meminit Auson. Eclog. xvii. 19.

Aut duplicem cultum, quem Neptunalia dicunt,
Et quem de Conso, consiliaque vocant?
Festa hæc navigiis, aut quæ celebrata quadrigis
Jungunt Romanos, finitimosque duces.

Scheffer. de Milit. nav. i. 5.

NEPTUNUS filius fuit Opis, & Saturni, frater Jovis & Plutonis. *Tomas. de Donar. c. 25. Vener. de Græc. antiq. c. 9.* Illum mater enixa, infantem in ovile abdidit, unà cum agnis ab opilionibus enutriendum: pro puero autem equinum pullum, quem se peperisse simulabat, Saturno dedit devorandum. *Lauremb. Græc. Ant. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* iv. *p.* 47. *B.* Pingebatur nunc pacatus, & tranquillus; nunc commotus. Virg. Æneid. i. 130.

— graviter commotus, & alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.

Nunc etiam nudus cum tridente, nunc in veste cœrulea, quæ maris colorem imitetur. Lucianus in Sacrificiis cyaneis capillis nigris depingit. A Philostrato tamen in Imaginibus cum equis, & cetis in mari tranquillè describitur incedere. Addit ei Hyginus in Delphino buccinam & fuscinam: *Qui Neptuno*, inquit, *simul eorum faciunt, aut in mano, aut sub pede ejus delphinum constituere videmus, quod Neptuno gratissimum esse arbitrantur*. Ortel. l. l. Gyrald. ibid. p. 159. F. In tabula apud Antonium de Cavaleriis exhibetur palustribus juncis ornatus, cum capillo, ac barba tortis, ac prolixis, more deorum fluviatilium, sinistra elevata fortè tridentem gerens, quo triplex aquarum virtus innuitur, liquida nempè, fœcunda, & potabilis, juxta interpretationem Fulgent. Mythol. i. 3. dextra extensa fluctus marinos compescens, ut describitur à Virg. Æneid. i. 129–147. *La Chausse de deor. simul. tab.* vii. *Omne maritimum regnum illi datum est*, ut Cicer. de Nat. deor. ii. 26. & Virgilius jam laudatus. Et hinc *liquidum deum* illum poeticè vocat Prop. iii. 17. 14.

Quæ voluit liquido tota subire deo.

Tomas. l. l. Gyrald. ibid. G. Cum fratribus enim Jove, & Plutone mundi hæreditariam divisionem sorti commisit, & quidem, ut Placid. ad Stat. Theb. viii. 196. vult, in urbe Claria, & Jupiter cœlum, Pluto infernum, Neptunus mare accepit. Serv. Æneid. i. 143. *Jupiter, & Neptunus, & Dis pater, Saturni & Opis filii, cum de mundi possessione certamen inissent, placuit, ut imperium sorte dividerent; ita effectum est, ut cœlum Jupiter, maria Neptunus, Dis pater inferos sortirentur*. Veluti hoc versiculi hi probant.

Jupiter astra, fretum Neptunus, tartara Pluto,
Regna paterna tenent tres tria quisque suum.

Clasen. Theol. gentil. ii. 4. Vener. ibid. c. 10. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. ii. 13. Hoc traditum est à posteris, quia navigandi arte inventa classem, cui eum Saturnus præfecerit, legitur instituisse. *Ortel. ibid. Figur.* ii. Colebatur in circis apud Arnob. iii. & ideò circenses illi attributi apud Lactant. vi. 20. *Buleng. de Circo c. 9. Tomas. ibid. c. 32. Circensium die sollemni pompa ejus simulacrum detraxit* Augustus apud Suet. c. 16. n. 4. id est, cum aliis diis in pompam non transtulit. Non transtulit autem, quia naufragium fecerat. *Buleng. ibid. Guther. de Jur. man.* ii. 15. *Pitisc. in Suetonium*.

Neptunus Consus. V. illum supr. in *Consus*.

Neptunus Ἐνοσίχθων, Ἐνοσίγαιος, Enosigæus est dictus ab ἔνοσις, *concussio*, & γαῖα, *terra*, eò quòd terram quatiat. Ammian. xvii. 7. *Ideò immentis substantia potestatem Enosigæum, & Sisichthona poetæ veteres, & theologi nuncupaverunt*, de terræ motibus disserens, qua ratione fierent. Macrob. Sat. i. 17. *Nec mirum, si geminus effectus variis nominibus celebrantur: cum alios quoque deos ex contrario in eadem re duplici censeri & potestate accipiamus & nomine; ut Neptunum, quem alias Ἐνοσίχθονα, id est, terram moventem vocant*. *Ennosigæus* duplici nn aliquando scriptum, propter syllabæ moram: nam cum ἔνοσις prima brevi enuntietur, ad carminis normam aliquando litera duplicatur. Hoc non modò à Græcis fit, sed & apud Latinos. Juven. Sat. x. 182.

Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum.

Gyrald. Synt. deor. v. p. 166. B. Grang. in Juvenalem.

Neptunus equestris à Latinis, à Græcis Hippius est dictus. Festus: *Hippios, id est, equester Neptunus dictus est, vel, quod Pegasus ex eo, & Pegaside natus sit: vel, quod*

equo-

equuleus, ut putant, loco ejus suppositus Saturno fuerit, quem pro Neptuno devoraret: vel, quod tridentis ictu terra equum excierit, cui ob hoc in Illyrico quaternos equos jaciebant nono quoque anno in mare. Pausan. Achaic. p. 22. *Ego sic puto cognominatum, quod equitationis inventor fuerit: Nam & Homerus in equorum certamine ab Dei hujus appellatione adhibuit juramentum, quod equis conveniret:*

En age equos tangens Neptuni numina jure,
Fraude meas nulla prudens tardare jugales.

Pampho verò, qui Athenienfibus antiquissimos hymnos fecit, Neptunum appellavit equorum, ac turritarum, velatarumque navium datorem, non aliunde nisi ab equestri appellationem deflectens. Gyrald. Synt. deor. v. p. 162. E. Berger. Spicil. Antiq. II. 3. La Chausse de æn. ant. lucern. tab. x. Argol. in Panvin. de Lud. circens. I. 3. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 9. Ortel. deor. & dear. cap. I. fig. II. Laz. Græc. ant. II. 3. Camerar. de equis curand. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. XI. p. 326. E. Rosin. Antiq. Roman. II. 13.

Neptunus Portunus appellabatur, interdum à Palæmone seorsum. Martian. v.

Portunus trifidam suspirans flagitat hastam.

Idem I. cum Mercurius de ducenda uxore cogitat: *Nec solum superum Regem attestabatur uxorium, idque etiam Ditis prepositum, idque Portuno.* Apul. Met. IV. p. 135. *Et Portunus cœruleis barbis hispidus, & gravis piscoso sinu Salacia, auriga parvulus delphini Palæmon jam passim maria persulcantes.* Cicero laudatus supr. in *Neptunus*. Gyrald. Synt. deor. v. p. 165. B.

Neptunus redux. Huic votum solvebant, qui ex itinere maritimo salvi domum redierant. Huic positus est lapis, in inscriptionum editarum libris adhuc invisus, qui Ostiæ fuit erutus:

NEPTUNO. REDUC
SACRUM
Q. MANLIUS. Q. F. PAL
SEVERIANUS
VIVIR. AUGUST. ET. FLAM
TITIAL. U. S. L. M.

Grav. Thes. Antiq. Roman. Tom. x. Præfat. * * 4. *vers. Rosin. Antiq. Roman.* II. 13.

Neptunus secundus Jupiter est dictus. Jovis nomen siquidem tribus Saturni filiis commune. Stat. Achill. I. 48.

—— *dextramque secundi,*
Quod superest, complexa Jovis.

Sidon. c. XXII. n. 159.

Sacra tridentiferi Jovis hic armenta profundo
Pharnacis immergit genitor.

Gyrald. Synt. deor. v. p. 160. B. Bernart. in Statium, Savaro in Sidonium.

Neptunus Tænarius est dictus. Plaut. Trin. IV. I. I.

Salsipotenti, & multipotenti Jovis fratri Tænario Neptuno.

Prop. I. 13. 21.

Non sic Æmonio Salmonida mixtus Enipeo
Tænarius facili pressit amore deus.

A Tænaro Laconicæ promontorio, in quo erat sacra *Neptuno* ædes. *Gyrald. Synt. deor.* v. *p.* 161. *B. Petit. Misc.* II. 7. *Kipping. Ant. Rom.* I. I. 25.

Neptunus tridentiger est dictus, & tridentifer. Ovid. Met. XI. 202.

Cumque tridentigero tumidi genitore profundi
Mortalem induitur formam.

VIII. 594.

—— *ò proxima cœlo*
Regna vaga, dixi, sortite tridentifer unda.

Gyrald. Synt. deor. v. p. 160. C.

NEQ.

NEQUINUM urbs est Umbriæ. Postea *Narnia* est dicta. V. illam supr. in *Narnia*.

NER.

NERIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

NERO fuit antiquum cognomen Claudiorum. Suet. Tib. c. I. n. 6. *Inter cognomina & Neronis assumpsit* patricia gens Claudia, *quo significatur lingua Sabina fortis, ac strenuus.* Gell. XIII. 22. *Id autem sive Nerio, sive Neriene est, Sabinum verbum est, eoque significatur virtus, & fortitudo. Itaque ex Claudiis, quos à Sabinis oriundos accepimus, qui erat egregia, & præstanti fortitudine, Nero appellatus est. Sed id Sabini à Græcis accepisse videntur, qui vincula, & firmamenta membrorum neura dicunt: unde & nos quoque Latinè nervos appellamus.* Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. II. p. 2029. D. Ursat. de Not. Roman. Thes. Græv. Tom. XI. p. 872. E. August. de Fam. Rom. in Claudia. Spanhem. Dissert. de Præst. numism. VI. p. 534. Pitisc. in Suetonium. Glossar. Nero ἀνδρεῖος. Græci, à quorum lingua Sabina vetus non alia fuit, hominem bonis lacertis vocant νευρώδη. Et νευροῦν accipiebant pro robustum reddere. Utraque vox propriè de gymnastis usurpatur. *Casaub. in Suetonium.* Hoc, ut pleraque posterioribus Reipublicæ temporibus, in prænomen ejusdem etiam gentis transiit, eoque nominatus est Tiberii Cæsaris frater, *Nero* Claudius Drusus, Claudii Imperatoris, & Germanici Cæsaris pater. Item L. Domitius Ahenobarbus, qui à Claudio principe adoptatus, *Nero* Claudius Cæsar vocitatus est, qui eo mortuo Romanus princeps factus est, omnium, quos terra tulit, sævissimus fuit. *Panvin. & Ursat. l. l.* Duos *Nerones* consulares video, quorum alter censuram, & ovationem obtinuit. Nam C. Claudius TI. F. TI. N. *Nero* consul fuit cum M. Livio Salinatore II. an. 546. censor cum eodem Salinatore triennio post. Alter Ti. Clodius P. F. TI. N. consul fuit cum M. Servilio Pulico Gemino an. 531. Cum hi duo *Nerones* Tiberii nepotes à Verrio dicantur, & Tiberius *Nero* Cæci filius fuerit, verisimile est, hos pronepotes Appii Cæci fuisse. *August. ibid. A.*

Nero Imperator fuit L. Domitius Cn. F. L. N. Ahenobarbus, quem matris Agrippinæ Germanici filiæ, C. Caligulæ sororis, Claudii Imperatoris neptis, & uxoris illecebris, & astu Claudius adoptatum, Neronem Claudium Drusum appellavit, filioque naturali Britannico, quem ex Messallina susceperat, præposuit. Is die obitus Claudii imperium suscepit. *Panvin. Fast.* II. *p.* 202. Barbam Jovi Capitolino consecravit. Suet. c. 12. n. 11. *Barbam primam posuit, conditam in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam Jovi Capitolino consecravit.* Tomas. de Donar. c. 11. Aquæ decoquendæ modum invenit. V. supr. in *Decocta*. Gelidam in deliciis habuit. Suet. c. 27. n. 2. *Refotus sæpius piscinis tempore æstivo nivatis.* Buttius de Pot. ant. c. 18. Thermas, cum in thermis Agrippæ neque capacitati, neque adeò deliciis consultum fuisset, quadragesimo circiter postea anno, ad agonalem ipsum circum secundas suo nomine exstruxit: vestigiis etiam extantibus maximis, ab emporio usque, ac gymnasio publico, ad templum S. Augustini, Lamprid. Alex. c. 25. *In his thermas nominis sui juxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, constituit.* Baccius de Therm. vet. c. 3. Tantæ fuit luxuriæ, ut frigidis, & calidis lavaret unguentis, retibusque aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebantur. *Prosper. Chronic. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 286. *D.* Convivia profusissima instituit. Illa fusiùs describit Petron. c. 31. *Tandem discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus, aliisque insequentibus ad pedes, ac paronychia cum ingenti subtilitate tollentibus. Allata est tum gustatio valde lauta. In promulsidario asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras. Tegebant asellum duæ lances, & ponticuli etiam ferruminati sustinebant glires melle, & papavere sparsos. Fuerunt & tomacula supra craticulam ferventia argenteam posita, infra craticulam Syriaca pruna, cum granis Punici mali. c. 33. Gustantibus adhuc nobis repositorium allatum est cum corbe, in qua gallina erat lignea, patentibus in orbem alis, quales*

quales esse solent quæ incumbunt ova. Accessere continuò duo servi, & symphonia strepente scrutari palam cœperunt, erutaque subinde pavonina ova divisere convivis. Hic nescio quod boni debet esse, persecutus putamen manu pinguissimam ficedulam inveni piperato vitello piperatam. Buleng. de Conviv. I. 9. Frequens in popinis helluabatur. Mart. v. 72. 3.

In sellariolas frequens popinis.

& interim, *ne quid in popinis cocti præter legumina, aut olera veniret, interdixit.* Suet. c. 16. n. 3. *Buleng. ibid.* II. 63. Unguenta cum floribus spargere solebat. Suet. c. 31. n. 8. V. illum supr. in *Cœnatio*. Buleng. ibid. III. 28. Lusorias delicias, quibus circenses ludi in tabula joculari repræsentarentur, excogitavit, parvis ex ligno concinnatis quadrigis, quæ puerili studio filo protractæ, ut equis spatia conficiebant: & voluptas in iis erat, currus eversos, tractos aurigas, similesque naufragorum noxas cum risu inspicere. Suet. c. 22. n. 2. *Qui inter initia imperii eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet.* Huc refero Suet. c. 45. n. 4. *Statuæ ejus à vertice currus appositus, cum inscriptione Græca, nunc demum agona esse, & traheret tandem.* Parvula nempè quadriga, quali utebatur in abaco, in vertice ipsi fuit apposita, quam ut traheret petebatur: nec nisi de ista lusoria trahere dici potest, cum quadrigæ in circo ducerentur, non traherentur à Nerone. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 11. Prasinis favebat, & servus ostiarius ejus, quia servi eodem colore, quo domini, erant induti, prasinatus. Petron. c. 28. *In aditu ipse stabat ostiarius prasinatus.* Argol. ibid. c. 27.

NERONIA fuerunt ludi scenici, & gymnici. Instituit illa Romæ primus Nero. Suet. Ner. c. 12. n. 8. *Instituit & quinquennale certamen primus omnium Romæ more Græco triplex, musicum, gymnicum, equestre, quod appellavit Neronia. Instituta se quartum, & Cornelio Cosso coss.* Tacit. Annal. XIV. 20. 1. Cum jam antea Neapoli institutum fuisset ludicrum quinquennale. Suet. Aug. c. 99. n. 5. *Mox Neapolim trajecit, & quinquennale certamen gymnicum honori suo institutum perspectavit.* In quem finem instituerit, indicat Xiphil. LXI. p. 699. D. *Postea pro salute, ac diuturnitate imperii sui certamen quinquennale instituit.* Buleng. de Theat. I. 10. de Circo c. 40. Mod. de Lud. vet. II. 6. Pitisc. in Suetonii Neronem.

NERVA *Coccejus post Domitiani cædem Imperator Romæ est designatus.* Xiphil. LXVIII. p. 769. A. Vir haud dubiè nobilissimus, & qui jam bis consul fuerat. Ut autem ex nummis ejus, & Xiphilino constat, omnes titulos, omnium Imperatorem insignia statim adeptus est. Cujus imperii initium dies cædis Domitiani fuit. Eum autem M. Coccejum appellatum fuisse, ejus liberti epigramma sub indicat: M. COCCEJUS. AUG. L. ENCOLPUS. Extat etiam nummus initio imperii Nervæ cusus ita inscriptus:

IMP. NERVA. CÆS. AUG. PONT. MAX.
TR. P. COS. II. DESIG. III. P. P.

Panvin. Fast. II. *p.* 213.

NERVII erant Galliæ Belgicæ populi. Ammian. XXXI. 2. *Nervii mediterranea incolunt loca, vicini verticibus celsis, quos præruptos, geluque torpentes aquilones adstringunt.* Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c. 21.

NERVUS *est ferreum vinculum, quo pedes impediuntur, quanquam Plautus eo etiam cervices vinciri ait:*

Perfidiose captus: ædepol nervo cervices probas.

Festus. *Rhodig. Ant. Lect.* X. 5. *Nann. Misc.* II. 19. *Lax. Comm. Resp. Rom.* III. 3. Sed qua in re differet a compedibus, quæ & ipsæ vincula pedum sunt, & quidem ferreæ? Lex duodecim tabularum manifestò distinguit: *Sacum. ducito. vincito. aut nervo. aut compedibus. quindecim. pondo. ne. minoribus.* At *nervus* etiam vinculum pedum, sed ligneum, cui pedes immittebantur, & *nervis* in eo vinciebantur. Id Attici vocarunt ξύλον absolutè, & ἐν ξύλῳ δεδέσθαι, qui in *nervo* vinciebantur. Comici Latini, qui palliatas docuerunt, quas è Græco verterunt, pro ἐν ξύλῳ δεδέσθαι posuerunt *in nervo vinciri*. Plaut. Aul. I. 10. 13.

At ego credo deos voluisse, ut apud te me in nervo enecem.

Ἐν ξύλῳ. Quod *nervo* etiam colla vinciri è Plauto notat Festus, scire oportet, eodem vinculo ligneo tam cervices, quàm pedes, & manus aliquando necti solita. Lignum hoc quinque locis foramina habebat, quibus collum, & manus, & pedes inserebantur. Hinc πεντεσύριγγον ξύλον vocat Aristoph. Equit. III. I. 54.

Jubet te hunc ligare in ligno quinque foraminum.

πεντεσυρίγγῳ ξύλῳ. Ubi Schol. Πεντεσύριγγον, *quinque foramina habens, quibus pedes, & manus, & cervix inseruntur.* Hesych. Πεντεσύριγγον ξύλον, *quinque foramina habens, quatuor quidem, quibus pedes & manus nectuntur; unum verò quo cervix.* De eo planè intelligit Plaut. Rud. III. 6. 50.

Illic in columbum, credo, leno vertitur,
Nam in columbari collum haud multò post erit,
In nervo mille hodie nidamenta congeret.

Qui *nervum* vocat illud ξύλον πεντεσύριγγον. Et hoc *columbar* appellat, quia cavernas haberet similes cavis, vel loculamentis, in quibus columbi nidificant. Qui pedibus, manibusque, & collo in eòdem ligno constricti tenebantur, ceruuare cogebantur, & caput inter genua fermè demissum habere. In carcere igitur, tam Græco, quàm Romano, noxii, aut *nervo*, aut compedibus vincti servabantur. Gell. XI. 18. *Fures privatorum furtorum in nervo, atque in compedibus ætatem agunt, fures publici in auro, atque in purpura*, id est, alii in *nervo*, alii in compedibus. Non enim simul in utroque. Liv. VIII. 28. *Ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus, aut nervo teneretur.* Fuit gravissimus, quo homo quasi quadrupes constringebatur, pedibus, manibusque eodem ligno impactis, & collo etiam inserto. Levissimus, quo pedes tantum vincti. *Salmas. de mod. usur. c.* 18. *Scalig. & Dacer. in Festum. Voss. Lex. Etymol. Laurent. de Rebuspubl. c.* 7. *Rittersh. in Leg.* XII. *tab. Class.* III. *p.* 3. *c.* 11.

Nervus dici flagellum, quo martyres cædebantur, etiam potest. Ea flagella ars confecit, quæ sua siccitate, & duritie sunt valida. Non erant tam *nervea*, quàm pellicea ex animalium mactatorum concisa corio. Lora dicuntur, seu habenæ loreæ, ἱμάσθλη Nonno in Johannem. Apul. Met. VIII. p. 261. *lanosi velleris cania.* Et quamvis ex *nervis* animalium fuerint contexta, tamen camellata erant, testibus Eustathio, Athenæo, Plutarcho, imo *ossibus pecuinis catenata* apud Apul. l. l. Unde quidam iis loris cæsi interierunt, auctore Ulpian. VIII. de pœnis. *Barthol. de Cruc. hypomn.* I. §. 12.

Nervus erat etiam inter apparatus bellicos. Veget. IV. 9. *Nervorum copiam summo studio expedit colligi: quia onagri, vel balistæ, cæteraque tormenta, nisi funibus nerviniis intenta nihil prosunt.* Vitruv. X. 15. *Per quæ tenduntur nervi torti, qui brachia continere catapultarum debent.* Eligendi, ut docet Hero c. 18. *ex animalibus robustioribus, & quam plurimum exercitatis, ut cervi quidem, ex iis, qui in cruribus pedibusque, tauri, qui in humero sunt.* Lips. Poliorc. III. Dial. 3. Stevvech. ad Vegetium.

NEU.

NEUROBATÆ, νευροβάται, nervis, ac fidiculis incedebant, ac filis tenuissimis, ita ut vix apparentibus præ tenuitate, ac subtilitate filis, super quæ ambulabant, quasi in ventis ferri viderentur. Vopisc. Carin. c. 19. *Nam & neurobaton, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit.* Funambulos certè à *neurobatis* distinguit Firmic. VII. *Erunt funambuli, eribatæ, neurobatæ. Neurobaten* eleganter expressit Tertull. de Pudic. c. 10. V. illum supr. in *Funambuli*. Generaliore vocabulo *funambulum* dixit, qui nervis erat dicendus *neurobates*. Funis de tenuissimo filo non dicitur: at qui tenue filum, sive nerviam ingrediebatur, is planè νευροβάτης. *Salmas. in Vopiscum. Buleng. de Theat.* I. 36.

ΝΕΥΡΟΣΠΑΣΤΑ dicta fuerunt simulacra, quæ certis fidiculis, nervisque inter se in hanc illamve partem quadam cum venustate movebantur, nervis, & νευροσπάσταις, qui illa ad motum dirigebant. Aristoteles de mundo c. 6. ut eum locum transtulit Apul. de Mundo p. 741. *Qui in ligneolis hominum figuris gestus movent, quando filum membri, quod agitari solet, traxerint, torquebitur cervix, nutabit caput,*

put, *oculi vibrabunt*, *manus ad ministerium prasto erunt*, *nec invenustè totus videbitur vivere*. Ejusmodi simulacra *αὐτοκίνητα* circumtulere gesticulatores circumforanei, ut iis ostensis lucrum aliquod ab imperito vulgo emungerent. Meminit Xenoph. Sympos. p. 889. A. Socrates, cum quendam ex hoc genere ludionum interrogasset, *ob quam causam se efferret*, responsum tulit: *propter homines stultos*. *Nam illi, quod spectent imagunculas meas*, *qua fidiculis tenta moventur*, *ἅμα νευρόσπαστα*, *me alunt*. *Σιγιλλάρια νευροσπαστικὰ* vocat M. Anton. de Reb. suis vii. §. 3. Erant plerumque lignea. Horat. Sat. ii. 7. 82.

Duceris ut nervis alienis mobile lignum.

Apulejus modò laudatus. De illis Gell. xiv. 1. *Ut planè homines ludicra*, *& ridenda quadam νευρόσπαστα esse videantur*, *si nihil sua sponte*, *nihil arbitratu suo faciunt*; *sed ducentibus stellis*, *& aurigantibus*. Figrel. de Stat. Rom. c. 3. Rhodig. Ant. Lect. vii. 16. Oizel. in Gell. xiv. 1. Turneb. Adv. ii. 18. Torrent. & Lambin. in Horatium. Gatak. in Antoninum. Gyrald. de Comœd. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. viii. p. 1488. C.

NEX.

NEXUS dicebatur, quicquid per æs & libram fiebat: at præter cætera abalienatio, & obligatio fiebat: quarum illa mancipatio, hæc *nexi* datio dicebatur. Ergo nomen *nexus* utrique commune fuit. Hoc cognoscitur ex Varr. de Ling. Lat. vi. 5. *Nexum Manilius scribit esse*, *quod per as & libram geratur*, *in quo sunt mancipia*. *Mucius Scavola*, *qua per as & libram fiant*, *ut obligentur*, *praterquàm qua mancipio dentur*. *Hoc verius esse ipsum verbum ostendit*, *de quo quaritur*. *Nam idem*, *quod obligatur per libram*, *neque suum fit*, *inde nexum dictum*. Ex quibus apparet, duo esse jura inter se diversa, jus mancipii, & jus *nexi*. Quod, cum utrumque conjunxit, significavit Cicer. Fam. vii. 30. *Attici te proprium esse scribis mancipio*, *& nexu*. de Arusp. resp. c. 14. *Multa sunt in hac urbe*, *atque haud scio*, *an ferè cuncta jure optimo*, *sed tamen jure privato*, *jure hareditario*, *jure auctoritatis*, *jure mancipii*, *jure nexi*. Jus autem mancipii est jus dominii emptione acquisiti: jus *nexi* jus dominii oppignoratione, aut alia obligatione adepti. Quid mancipatio fuerit, docet Cicer. Top. c. 5. V. illum supr. in *Abalienatio*. Abalienatio enim est genus, cujus species est traditio *nexu*, id est, mancipatio, & in jure cessio. V. illam supr. in *Cessio*. Cum autem *nexus* sit, quod fit per æs & libram: ergo mancipatio est traditio alieni per æs & libram; *nexum* obligatio per æs & libram. Hoc autem quomodo fieret in mancipatione, ibi exponit Boetius: *Jure civili aliquid fieri non inter alios nisi cives Romanos potest*, *quorum est jus civile*, *quod xii. tab. continetur*: *omnes res*, *que abalienari possunt*, *id est*, *à nostro ad alterius dominium transire*, *mancipi dicta sunt*. *Mancipi verò res veteres appellabant*, *qua ita abalienabantur*, *ut ea abalienatio per quandam nexus sollennitatem fieret*. *Nexus verò est quadam juris sollennitas*, *qua fiebat eo modo*, *quo in Institutionibus Cajus exponit*, *cujus hac verba sunt*: *mancipatio est imaginaria quadam venditio*, *quod ipsum jus est Romanorum civium*, *eaque res ita agitur*, *adhibitis non minus quinque testibus civibus Romanis puberibus*, *& praterea alio ejusdem conditionis*, *qui libram aneam teneat*, *qui appellatur libripens*. *Is qui mancipium accipit*, *as tenens ita dicit*: *hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo*; *isque mihi emptus est hoc are*, *aneaque libra*: *deinde are percutit libram*; *idque as dat ei*, *à quo mancipium accipit*, *quasi pretii loco*. *Quacunque res lege xii. tab. aliter nisi per hanc sollennitatem abalienari non poterat*. Adde, more fuisse receptum, ut auctor, id est, venditor *nexus* se dicis causa obligaret ad rem perpetuò mancipi, hoc est, emptori præstandam. Unde Cicer. pro Mur. c. 2. *Quod si in iis rebus repetendis*, *qua mancipi sunt*, *is periculum judicii prastare debet*, *qui se nexu obligavit*. Qui autem mancipio vendebat, eum evictionis periculum in se recepisse ostendit Plaut. Pers. iv. 3. 55.

Ac suo periculo is emat, *qui eam mercabitur*
Mancipio, *neque promittet*, *neque quicquam dabit*.

n. 63.

—— nihil mihi opus est
Litibus, *neque tricis*: *quam ob rem ego argentum numerem foras*,
Nisi mancipio accipio, *quid ea mihi opus est mercimonio*?
Nihil periculi videtur, *ne metuas*.

De *nexo* sic scribit Festus: *Nexum est*, *ut ait Gallus Ælius*, *quodcunque per as & libram geritur*, *idque necti dicitur*: *quo in genere sunt hac*, *testamenti factio*, *nexi datio*, *nexi liberatio*. *Nexum as dicebatur pecunia*, *qua per nexum obligatur*. *Obligatio nexi* in hunc modum fiebat: *manceps*, *id est*, *is*, *cui res abalienabatur*, *stipulabatur ab altero*: *dare spondes*? *& alter respondebat*, *spondeo*, *simulque dicis causa spondentem alligabat*, *ac nectebat*. Aptissimum *nexi liberationis* hoc, credo, erit exemplum. De M. Manlio Liv. vi. 14. *Centurionem nobilem judicatum pecunia cum duci vidisset*, *manum injecit*: *inde rem creditori palam populo solvit*, *libraque & are liberatum emittit*. Jus autem *nexorum* proprium civis Romani fuisse ostendit Cicer. pro Cæcin. c. 35. cum ait *L. Syllam ita ademisse civitatem* Volaterranis, *ut nexa reliquerit*. Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. i. 11. August. ad Leg. xii. tab. §. 26. Salmas. de mod. usur. c. 17. Pollet. For. Rom. v. 18. Calcagn. de Verb. signif. p. 354. Equitat. p. 575. Turneb. Adv. xx. 19. Barth. Adv. xliii. 23. Rhodig. Ant. Lect. xii. 21. & 20. Jus hoc *nexus*, hoc est, personæ captio, & abductio in servitutem ob non dissolutum æs alienum Scto sublatum est an. 428. *ob unius fœneratoris simul libidinem*, *simul crudelitatem insignem*. *L. Papirius is fuit*. *Cui cum se C. Publilius ob as alienum paternum nexum dedisset*; *qua atas formaque misericordiam elicere poterat*, *ad libidinem & contumeliam animum accenderunt*: *& florem atatis ejus fructum adventitium crediti ratus*, *primo perlicere adolescentem sermone incesto est conatus*: *dein postquàm aspernabantur flagitium aures*, *minis territare*: *postremo*.... *nudari jubet*, *verberaque afferri*. . . . *Jussi consules ferre ad populum*, *ne quis*, *nisi qui noxam meruisset*, *donec pœnam lueret*, *in compedibus*, *aut in nervo teneretur*. *Pecunia credita*, *bona debitoris*, *non corpus obnoxium esset*. *Ita nexi soluti*: *cautumque in posterum*, *ne necterentur*. Liv. viii. 28. *Raber. de Hast. & auct. orig. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom* iii. *p.* (22) *A.* Hoc verum quidem est, sed tamen illa lex post obsolevit, & desuetudine quasi fuit antiquata. Nam sæpè fit mentio *nexorum* causa crediti apud scriptores, qui diu post hæc tempora vixerunt. Sanè legati, quos C. Manlius ad Marcium Regem mittit, de hac fœneratorum sævitia valdè queruntur apud Sallust. de Bell. Catil. p. 26. *Deos*, *hominesque testamur*, *Imperator*, *nos arma neque contra patriam cepisse*, *neque quo periculum aliis faceremus*, *sed uti corpora nostra ab injuria tuta forent*: *qui miseri*, *egentes*, *violentia atque crudelitate fœneratorum plerique patria*, *sed omnes fama*, *atque fortunis expertes sumus*: *neque cuiquam nostrum licuit more majorum lege uti*, *neque amisso patrimonio corpus liberum habere*: *tanta sævitia fœneratorum*, *atque pratoris fuit*. Vides hic debitores queri, se corpus liberum non habere, sed id obnoxium fuisse creditori, hoc est, fuisse creditori addictum, ut apud eum propter debita non soluta servitutem serviret, idque sententia prætoris: de cujus crudelitate propter hanc sententiam laram æquè queruntur legati Manliani, ac de fœneratorum. Cæcilius apud Gell. xx. 1. ubi disputat de lege xii. tabb. qua sancitur debitorum, qui pluribus creditoribus deberent, corpora secanda esse, ait: *Addici nunc*, ætate Gellii, *& vinciri multos videmus*. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. iii. Proleg. * * vers.

NEXUS qui dictus fuerit, docet Varr. de Ling. Lat. vi. 3. *Liber*, *qui suas operas in servitute pro pecunia dabat dum solveret*, *nexus vocabatur*, *ut ab are obaratus*. *Hoc C. Pœtilio auctore sublatum ne fieret*, *& omnes qui bonam copiam ejurarent*, *ne essent nexi*, *dissoluti*. Certatim quasi ex compacto viri docti delendum illud *dissoluti* pronuntiant. Sed non animadverterunt longè aliter vocem *nexus* à Varrone ibi sumi, & explicari, quàm vulgus accipit. Nec enim dubium, quin si *nexus* hic vinctum significaret, expungendum foret *dissoluti*. Nam qui non *nexi* sunt, id est, vincti, ii planè *dissoluti* intelligendi. Atqui *nexum* hic

Vatro

Varro ait dictum esse *liberum hominem, qui operas dabat pro pecunia, donec solvisset*. Tales non erent vincti. Quid enim ab eo timeres, qui se sua voluntate in servitutem dederat? Nec omnes porrò fuisse vinctos, qui in domo creditoris serviebant, dum solverent quod debebant, colligitur ex Liv. II. 23. *Ad hæc visa auditaque clamor ingens oritur. Non jam fore se tumultus continet, sed passim totam urbem pervadit. Nexi vincti solutique, se undique in publicum proripiunt, implorant Quiritium fidem*. Ita enim scribendum. *Nexos*, id est, qui *nexus* nomine detinebantur à suis creditoribus, tam vinctos, quàm solutos, se in publicum proripuisse dicit. Etiamsi quis pertendat omnes vinctos servisse, non tamen ob id eppellati *nexi*. Et clarè Varro ita *nexum* vocatum fuisse tradit, qui liber operas suas pro pecunia daret, donec solvisset, ut obæratum eb ære. Ergo *nexus* idem simpliciter quod obligatus corpore, vel oppigneratus. Nec alio sanè sensu *nexus* ipse debitor dicitur, cujus corpus pecuniæ creditæ obnoxium est, quàm bona *nexa*, quæ sunt obnoxia. Quod mirum tot doctos viros hactenus non observesse. Si *nectere* verbum esset proprium debitoribus, qui in vincula dabantur apud creditorem, nihilque aliud denotaret quàm vincire nervo eut creditoribus, lex duodecim tabularum non temerè aliam usurpasset vocem de hujusmodi addictis, qui vinciebantur. At usa est verbo *vincire*, non *nectere* in eo significatu. Sic enim posuit: *Secum ducito, vincito nervo aut compedibus*. Cur non dixit, *nectito*, si proprium huic rei vocabulum? Imò non fuit, sed aliud designavit. *Nexus* idem est quod oppigneretus. Et *nexus*, & *nexa* idem quod oppigneratus, vel oppignerata. Hinc *nexum inire* de his, qui spontè se pignori dabant creditori, suaque corpore ipsi addicebant. Liv. VII. 19. *Nam etsi unciario fœnere facto levata usura erat, sorte ipsa obruebantur inopes, nexumque inibant*, hoc est, semetipsos pignori dabant creditoribus, & usque ad solutionem eis serviebant. Pro quo & *in nexum dare*, vel *nexu*, ut in pignus, & pignori, dixit Liv. VIII. 28. *L. Papirius is fuit, cui cum se C. Publilius ob æs alienum paternum in nexum dedisset*. Is Publilius se spontè tradidit pignori suo creditori, hoc est, *in nexum*. Ubicunque *nexos* ob æs alienum nominat Livius, non aliter ii intelligendi, quàm pignerati, & obligati ob debitum. Nec aliter accepit Varro, cum dixit *liberos homines, qui in servitute operas suas dabant* lege Pœtilia, *ne essent nexi, dissolutos fuisse*, hoc est, ne essent obligati ipsi in corpore sua fuisse dissolutos. Sic dissolvi res pignori data dicitur, quam ne *nexa* sit, id est, obligata, debitori creditor reddit. Apud Liv. l. l. ubi loquitur de lege Pœtilie, qua cautum est, *ne in posterum crederentur debitores*, non id significat ne vincirentur, sed ne oppignerarentur, vel pignoris *nexu* obligarentur ipsi. Et quod *nexos* solutos esse ejusdem legis beneficio scribit, quorum personæ pignori obligatæ detinebantur à creditoribus liberatos fuisse ait, ut solutum, & dissolutum pignus dicitur, quod liberatur. *Salmas. de Mod. usur. c. 18. Hotman. Antiq. Roman.* III. 3. p. 454. *Cujac. Observ.* x. 36. *Revard. ad leg.* XII. *tab. c.* 8. *Scheffer. Agrip. Liberat. c.* 3. *Victor. Var. Lect.* v. 21. De *nexis* acriter disputant *Robert. Emend.* I. 35. *& Sigon. Emend.* I. 38.

Nexus etiam tortuosus pertinebat ad pancratiastas. Quintil. II. 8. *Sicut ille exercendi corpora peritus, non si docendum pancratiasten susceperit pugno ferire, vel calce tantum, aut nexus modo, atque in his certos aliquos docebit, sed omnia quæ sunt ejus certaminis*. Ambros. in Psalm. 36. *Alii*, pancratiastæ, *qui cadem, & pulverie jactum membrorum nexibus nescens, omnis sibi verberandi jure permisso, quos παμμάχους vocant, eo quod omnis litis, & pugnæ adversus se habeant potestatem*. Faber Agonist. I. 9. & luctatores. Hoc *nexus* vocabulum Herculis cum Antæo luctam, sive pancratium accuratè describens usurpavit Lucan. IV. 617.

Conseruere manus, & multo brachia nexu
Colla diu gravibus frustra tentata lacertis.

n, 631.

Intumuere tori, totosque induruit artus,
Herculeosque novo laxavit corpore nodos.

Ubi *nodorum* nomine illud *nexus* vocabulum designatur, quod Achelous Ovidianus de sue cum Hercule colluctatione verba faciens protulit Met. IX. 57.

Vix tamen inserui sudore fluentia multo
Brachia, vix solvi duros à corpore nexus.

Senec. de Benef. VII. 2. *Quemadmodum magnus luctator est, non qui omnes numeros, nexusque perdedicit*. *Ligaturas* vocat Ambrosius laudatus: *In hoc itaque sæculari agone alii sunt, qui simplici quodam, & legitimo genere luctantur, & ligaturis tantum corporis certant*. Faber ibid. c. 20. V. etiam infr. in *Nodus*.

NIG.

NIGER cognomen fuit Cæciliæ gentis obscurius & ignotius. Imò in gente Cæcilia *incognitam Nigrorum familiam restitui*, ait Petinus, cujus *nullum vestigium sit apud veteres*. Et sequitur Spanhem. Dissert. de Numism. præst. VI. p. 521. At ò præclari, ποῖον ἔπος σε φύγεν ἕρκος ὀδόντων? Ignotum omninò ex veterum scriptis illud esse cognomen? Meminit utique *Cæcilii Nigri* auctor bell. Hispan. c. 35. *Hic Cæcilium Nigrum nomine Barbarum ad Lenium convenit*. Sed & hujus ipsius *Q. Cæcilii Nigri hominis Siculi*, æquè ac qui illi in nummis adjungitur C. Hejus, Plutarchus in Cicerone. Ascon. in Divin. Cicer. p. 2. Imò contra eum Cicero illam ipsam orationem de accusatore Verris constituendo dixit. *Perizon. Anim. Histor. c.* 7.

NIGRINI fuere plures in Republica diversarum gentium, Avidiæ, Pinnriæ, Domitiæ, ex qua fuit, cujus meminit Spartian. in Adrian. c. 7. *Nigrini insidias evasit*. Nam ejus filia erat Domitia Lucilla Ælii Veri uxor: quem, etsi insidiatoris sui generum, adoptavit Adrianus. Meminit & *Domitii Nigrini* cujusdam Galen. de Compos. Medic. κατὰ γένη VII. *Casaub. in Spartianum*.

NIH.

NIHIL *credas mihi divini & humani*, quod est, nihil mihi credas ullius rei; erat genus cujusdam propè jurisjurandi antiquis. Plaut. Asin. V. I. 4.

Neque divini, neque mi humani posthac quicquam accreduas,
Artemona, si hujus rei me esse mendacem inveneris.

Trucul. II. 2. 51.

—— nunquam edepol mihi
Quisquam homo mortalis posthac duarum rerum credidit.

Hansen. de Jurejur. Vet. c. 18.

Nihil ad farinas, οὐδὲν πρὸς ἄλφιτον, nihil ad parandas facultates. Nam ἄλφιτα pro victu, proque re familiari ponere poetis est familiare. Proverbium ad artes steriles, ut poeticem, criticem, & hujusmodi, rectè detortum. *Pinell. Additam. ad Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* I. 17. *Erasm. Adag. p.* 35. a.

Nihil vos moramur, qualis fuerit formula, V. supr. in *Formula dimittendi senatus*.

NIM.

NIMBUS *est fasciola transversa ex auro assuta in linteo, quod est in fronte feminarum*. Isidor. XIX. 31. Usus est Arnob. II. p. 72. *Imminuerent frontes nimbis*. Hinc *nimbata*, quæ *nimbo* ornata est, meretrix. Plaut. Pœn. I. 2. 135.

Quam magis aspecto, tam magis est nimbata.

Voss. Lex. Etymol. Cerda Adv. c. 185. §. 6. Herald. in Arnobium. Frons parva inter formæ decora reputabatur. Horat. Od. I. 33. 5.

Insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor.

Epist. I. 7. 26.

—— nigros angusta fronte capillos.

ut magnitudinem dissimulare possent, nonnullæ formæ studiosæ *nimbis* eam imminuebant. Arnobius laudatus. Et hos ipsos tam callidè dissimulabant, ut ægrè cognosci possent. Inde Milphio apud Plautum laudatum. Imbuebant enim

colo-

colore eodem, qui esset capillorum: unde fasciæ *colorisea* Oscè à vetere poeta nuncupantur, id est, coloriæ. Quod *aurum linteo assolutum* dicit Isidorus, meræ nugæ sunt: siquidem eo modo internosci potuissent. *Meurs. in Plautum.* Sed quo colore infici possent fasciolæ frontales, qui oculos deciperet? aut quomodo sericæ, vel linteæ fasciæ capillorum faciem haberent? Feminarum cosmetica continentissimus juvenis ignorabat. Apud nostrates notiora hæc sunt, & ex nostro more antiquum minuendæ frontis artificium facilè deprehendemus. Capillos à vertice in faciem demittunt: fasciola deinde serica, vel linea frontem ligant, comprehensis subtus capillis, quos deinde retro flectunt: & fasciola interiore eos detinente frons brevior videtur. Hinc intellige Petron. c. 86. *Frons minima, & quæ radices capillorum retro flexerat:* ne scilicet existimaret invidus aliquis minimam illam frontem à *nimbo* esse, & capillos, non à radicibus, sed à fasciola arcta retro flexos. Unde nullo jure Isidorus reprehenditur. Fasciolæ enim illæ, quo solidiores, & firmiores essent, intexi auro poterant. *Ramirez. in Mart.* IV. 42.

Nimbus appellabatur lumen illud, quod deorum, & imperantium capita circumdat, quando pinguntur. Serv. Æneid. II. 615: III. 587. exponit *lucem divinam:* & addit, *est fulgidum lumen, quo deorum capita cinguntur.* Et II. 590. *Proprie nimbus est, qui deorum, vel imperantium capita quasi clara nebula ambire fingitur.* Imò omne id, quod numen aliquod cingit, quo modo Sanctos hodierni pictores exhibent. Servius ad III. 694. *Nunc Theologicam rationem sequitur, qua asserit flammarum, quos cernimus, tractus nimbos esse descendentis numinis.* Cuper. Obs. II. 16. Bortemans. Var. Lect. c. 19. Aleand. Tab. Hel. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 709. D. Cerda Adv. c. 105. n. 1. Kipping. Antiq. Roman. I. 7. §. 11.

Nimbus vocabantur nummi theatrales, qui in publicis, & obscœnis spectaculis in vulgus magno numero spargebantur. Mart. VIII. 78. 9.

Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis:
Nunc dat spectatas tessera longa feras.

Videmus hic *lasciva numismata*, & simul copiam, & rationem eorundem, quæ velut *subitis nimbis* ad spectatores theatrali *licentia projiciebantur*. Spanhem. Diss. de Præst. numism. IX. p. 762.

Nimbus appellabatur sparsio theatralis. Mart. de Spectac. 3. 8.

Et Cilices nimbis hic madoere suis.

Lips. de Amphith. c. 16. Aleand. Tab. Hel. Explic. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. V. p. 709. D. Scalig. Epist. 199.

Nimbos appellabatur vas ipsum, quo sedilia in theatris spargebantur. Mart. IX. 39. 5.

Lubrica Corycio quamvis sint pulpita nimbo.

Fuit θεατρικὸν ἀργύριον, quod *extar* Latino vocabulo nuncupat Charisius. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 12.

NIQ.

NIQUISCIVIT *centuria est, quæ dicitur à Servio Tullio Rege constituta, in qua liceret ei suffragium ferre, qui non tulisset in sua; ne quis civis suffragii jure privaretur: nam sciscito significat sententiam dicito, ac suffragium ferto, unde scita plebis: sed in ea centoria neque censetur quisquam, neque centuriæ præficitur, neque centurialis potest esse: quia nemo certus est ejus centuriæ: est autem, niquiscivit, nisi quis scivit.* Festus. *Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* I. *p.* 33. *D.*

NIS.

NISI est verbum in sponsionibus usitatum. V. infr. in *Si.*

NIT.

NITELÆ sunt micæ auri colori respondentes ex arena. Solin. c. 36. *Depurgant in minium nitelas pulveris.* Illis illuminabant capillos. Apul. Apol. p. 407.

Misi, ut petisti tibi medicinas dentium,
Nitelas oris ex Arabiæ frugibus,
Tenuem, candificum, nobilem pulvisculum.

Scobem auri vocat Pollio Gallien. c. 16. *Crinibus suis auri scobem aspersit.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 5. Salmas. Exerc. Plin. p. 189. 2. F. Rader. in Mart. V. 38.

NITRUM *fit pene eodem modo quo sal, nisi quod salinis mare infundunt, Nilum autem nitrariis.* Plin. XXXI. 10. Illo utebantur in cadaveribus condiendis. Herodot. II. p. 136. *Nitrum carnes tabefacit, mortuique tantum cutis, & ossa relinquuntur.* Bellon. de oper. antiq. præst. III. 8. Kirchm. de Funer. I. 8. In lotionibus. Unde *nitrum* & lomentum in re balnearia sæpè junctim legere est, ut apud Cicer. ad Fam. VIII. 14. *Persuasum est ei, censuram lomentum aut nitrum esse. Errare mihi videtur. Nam sordes eluere vult, venas sibi omnes, & viscera aperit.* Cyprian. Epist. 76. *Neque enim sic in sacramento salutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali, & seculari sordes cutis, & corporis abluuntur, ut afronitris, & ceteris quoque lomentis, & solio, & piscina opus sit.* Salmas. in Tertull. de Pall. p. 432. Et numerabatur inter munditias, præsertim muliebras. Athanas. de Virginibus: *Cum laveris faciem tuam, ne injeceris nitrum.* Ovid. de Medic. Fac. n. 73.

Nec cerussa tibi, nec nitri spuma rubentis
Desit.

n. 85.

Thus ubi miscueris radenti corpora nitro.

Saubert. de sacrif. c. 18. In sacrificiorum purgationibus, ac probationibus, ut candidiores, & mundiores evaderent victimæ, inter cornua affundebatur. *Meyen. & Hortens. ad Virg. Æneid.* IV. 61. *Saubert. l. l. Lomej. de Lustrat. c.* 25.

NIX.

NIX frigore concreta, pro aqua, vino diluendo adhibebatur, ardentissimis æstatis caloribus. Plin. XIX. 4. *Hi nives, illi glaciem potant, pœnasque montium in voluptatem gulæ vertunt, servatur algor æstibus, excogitaturque, ut alienis mensibus nix algeat.* In MS. *servatur Ligur æstibus.* Appositè magis, quod *nivem* hanc, aut glaciem ex Alpibus vicinis Liguriæ Romam transferrent. Epist. I. 15. §. 1. *Promittis ad cœnam . . . . parata erat alica cum mulso & nive, nam hanc quoque computabis, imo hanc inprimis quæ perit in ferculo.* Sed non sine sanitatis jactura. Macrob. Sat. VII. 12. *Nosse avea, cor aqua, quæ obsita globis nivium perducitur ad nivalem rigorem, non* (quod expungi debere docet Muret. Var. Lect. IX. 9.) *minus in potu noxia est, quàm ex ipsa nive aqua resoluta, scimus enim quot, quantaque noxa epoto nivis humore nascantur.* Hæc Avienus, subjungit Disarius: *Aqua ex nive resoluta, etiamsi igne calefiat, æquè noxia est, ac si epota sit frigida, ergo non solo rigore nivalis aqua perniciosa est, sed ob aliam causam.* Ideòque frequentes sunt scriptores in exprobratione, & coercitione delicatioris istius bibendi consuetudinis. Gell. XIX. 5. *Is nos aquam multam ex diluta nive bibentes coercebat, severiùsque increpabat* ex auctoritate Aristotelis, quem fusiùs laudat Gellius. Senec. Epist. 78. *O infelicem ægrum! quare? quia non vino nivem diluit, quia non rigorem potionis suæ renovat fracta insuper glacie.* Et ejus usum à medicis vetitum ostendit Mart. VI. 86. 1.

Setinum, dominæque nives, densique trientes,
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?

Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. V. 30. Barth. Adv. XXV. 1. Laurent. de Prand. & cœn. vet. c. 17. Baccius de Conv. Antiq. II. 4. Salmuth ad Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 538. Ouzel. in Gellium. Butius de Potu Antiq. c. 18. Quomodo perduraverit tempore æstivo, docet Athen. III. p. 124. C. *Chares Mitylenæus scribit Alexandri*

jusso

jussu fossas triginta, parum inter se distantes, excavatas fuisse, easque nive impletas superinjectis quercus ramis, ac nivem longo sic tempore perdurasse. Et alium modum tradit Plutarch. Sympos. vi. 6. *Scire desidero, quid causa sit, quod à calidissimis rebus nix adservatur. Etenim paleis eam involventes, & rudibus pannis per multum temporis integram retinent. Non enim statim calidum est, si quid facultatem habet calefaciendi. Eadem enim vestis hyeme calorem, æstu frigus parat. Ita nutrix tragica Niobes liberos:*

Calefacit, & refrigerat cementibus,
La videnses vestium.

Proinde sicut vestis nos calefacta calefacit, ita nivem frigefacta frigefacit. Frigescit autem à tenui spiritu, quem nix emittit. Is enim insitus eam continet solidam. Mercur. de Porion, & edul. Antiq. c. 2. Bibituri colo nivario, V. illum supr. in *Colus*, illam colabant. Et manibus abluendis. Petron. c. 31. *Discubuimus Alexandrinis pueris aquam nivatam in manus infundentibus*. Demster. l. l.

NOB.

NOBILES appellabantur, qui majorum suorum habebant imagines. Jus enim imaginis nihil aliud est quàm jus *nobilitatis*. Etenim, ut imago à magistratu proficiscitur, sic *nobilitas* ab imagine: unde etiam imagines sæpè pro *nobilitate* sunt positæ. *Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. ii. 20. de Nom. Rom. c. 6. Kipping. Antiq. Roman. ii. c. 5. Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. ii. p. 2019. C. Spanhem. Diss. de Numism. Præst. 1. p. 37. Hotman. Antiq. Roman. ii. 9. Grav. Thes. Antiq. Roman. Tom. 1. Præfat.* * * * 2. Quem videsis etiam infr. in *Senatus*. *Rosin. Antiq. Roman. c. 19. & ad illum Demsterus. Gutber. de Jur. man. i. 21.* Primùm tantùm patricii sunt dicti, quippè quibus primùm honores hi, ex quibus *nobilitas* comparatur, in Republica patuerunt. Post plebeji etiam, ubi primùm ad curules honores pervenerunt. Neque enim, ut dictum, ex genere *nobilitas*, sed ex imaginibus parabatur. *Sigon. de Nom. Rom. & Panvin. l. l.* Adolescentes depravata Republica aliquando quadrigas agitaverunt. Ascon. in Cicer. p. 148. *Atque ut istum omittam, in exercitu Syllano prædonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium, inquit: De Antonio dici manifestum est. Sed dicit eum in exercitu Syllæ prædonem, propter equitum turmas, quibus Achajam ab eo vexatam esse significavimus. In introitu gladiatorem, pertinet ad invidiam proscriptionis, qua tum facta est. In victoria quadrigarium, quod cum Sylla post victoriam circenses faceret, ita ut honesti homines quadrigas agitarent, fuit inter eos C. Antonius.* Et p. 152. *Diximus jam supra, Syllæ ludis, quos hic propter victoriam fecerit, quadrigas C. Antonium, & alios quosdam nobiles homines agitasse. Prætereà Antonius redemptas habebat in ærario vectigales quadrigas, quam redemptionem senatori habere liceret per legem. Fuit autem notissimus in circo quadrigarum agitator Botulus.* Suet. Aug. c. 43. n. 4. *In circo aurigas, cursoresque, & confectores ferarum, & nonnunquam ex nobilissima juventute produxit.* Panvin. de Lud. circens. c. 11. Buleng. de Venat. circ. c. 37.

NOBILIOR fuit cognomen Fulviæ gentis. Illorum I. M. Fulvius M. F. CN. N. Pætinus *Nobilior* fine magistratu fuit. II. Serv. Fulvius M. F. M. N. Pætinus *Nobilior*, consul fuit cum M. Æmilio Paullo an. 498. Navalem egit triumphum de Cossurensibus & Pœnes 15. Kalend. Februar. III. M. Fulvius M. F. Serv. N. *Nobilior* ovationem supra triumphum, & consulatum adjecit, ut jure *nobilior* cæteris diceretur. In prætura ovans ex Hispania reversus est 562. Consul fuit cum Co. Cornelio Dolabella. Proconsul triumphavit anno proximo de Liguribus & Veleatibus 12. Kal. Sept. an. 595. IV. Q. Fulvius Marci frater consulatum primus Kal. Jan. init cum T. Annio Lusco. Censor fuisse dicitur cum Q. Fabio Max. Serviliano post septemdecim annos. Lusit aliquando in hoc nomine M. Cato Censorius, qui paullò post consulatum Q. Fulvii mortuus est: &, eum, de quo loquebatur, non *Nobiliorem* dicendum esse affirmabat, sed *Mobiliorem*. Strein. & August. de Famil. Roman. in Fulvia. Glandorp. Onomast. Roman. p. 356.

NOBILISSIMI titulus omnibus antecellens est inventus, sed paucis attributus. Quodammodo Imperii participem faciebat, & quasi Cæsarem. Eo honestatus vestem purpuream, aureo limbo circumdatam gestabat, ut auctor est Zosim. ii. Primus circa an. 269. Licinius Valerianus in marmore Vindobonæ, mox Carinus, & Numerianus ejus filios in aliis vetustatis monumentis *nobilissimi* Cæsaris sunt appellati. Deinde Severus, & Maximinus, l. 1. C. de fetus. Post hos Gratianus, & Valentinianus adhuc infantes *nobiles* pueri sunt nuncupati, l. 2. de magistr. municip. l. 5. C. de fetus. Justinianus quoque velut Imperii successor à Justino *nobilissimus* est appellatus, inquit Zonaras. Sed & feminæ hoc titulo honestabantur. Nam Maria Arcadii filia in prima regione Constantinopolis, & Arcadia in decima regione, ubi earum erant ædes, *nobilissimæ* vocantur. Hunc honorem à Constantio excogitatum scribit Zosimus, lege lata, ut ante præfectos prætorio sederent. Sed ea dignitas ab eo aucta, non inventa esse potest, quam antea ostendimus. *Panciroll. Notit. dignit. Orient. c. 4. Bergier. de viis milit. iii. Sect. 41. n. 9.*

NOC.

NOCENTES. V. illos infr. in *Noxii*.

NOCTU si pugnandum est, & lunæ rationem habendam Romanæ historiæ exemplo cognoscitur, qui cum Ponticis congressuri ita direxerunt aciem, ut luna hostibus adversa, suis à tergo esset. Qua in occasum vergente, & propiùs ad horizontem prolabente, productiores Romanorum porrectæ sunt umbræ. Hinc decepti inani imagine Pontici in umbrarum spectra in irritum sua tela conjecere: ut ex Plutarch. Pomp. c. 53. Frontin. ii. c. 12. & aliis discimus; frustra iisdem reclamante Flor. iii. 5. 23. *Stevvech. in Veget.* iii. 14. Explorare tutissimum. Veget. iii. 6. *Tutius exploratores operantur noctibus quàm diebus.* Virg. Æneid. viii. 658.

Defensi tenebris, & dono noctis opaca.

ix. 355.

Absistamus, ait: nam lux inimica propinquat.

Stevvech. in Vegetium. Celebrabantur mysteria. V. supr. in *Mysteria*. Ducebatur sponsa in ædes mariti. V. supr. in *Duci*.

NOCTUA est avis nocturna. Basil. in Hexamer. Homil. viii. p. 37. *Buleng. de Augur. c. 6.* Oscen. Festus: *Oscinum tripudium est, quod oris cantu significat quid portendi, cum cecinit noctua.* Buleng. ibid. c. 4. Pessimum præbet augurium, potissimum in rebus publicis, nam deserta incolit: nec tantùm desolata, sed dira etiam & inaccessa, nec cantu aliquo vocali, sed gemitu canit. *Niphus de Augur. 1. 10. Potter. Archaeol. Græc. ii. 15.* Atheniensibus indicium victoriæ fuit, cujus etiam volatus in adagium cessit: noctua volat, cum profligatos hostes, & sublecutam victoriam innuerent. Id verò sibi proponebant, propterea quod avis hæc Minervæ sacra crederetur. *Morestell. Alyp. dial. 14. Erasm. Adag. p. 103. A. Lomej. de Lustrat. c. 12.* Minervæ *noctuam* plerique Atheniensium & Tarentinorum aliquot omnes adjudicant: de cujus tutelæ ratione disserit Dio Prus. orat. 12. *Noctuam* certè sapientiæ symbolum arguit nummus aureus Magni Constantini, in quo eadem in cippo cum epigraphe SAPIENTIA PRINCIPIS PROVIDENTISSIMI. Hinc apposita est columnæ Trajani in summo Seguini, quo providentia illius Principis, duraturo apud posteros indicio notaretur. Ut minùs jam mirum videatur, sub *noctua* symbolo Minervam apud Ægyptios depictam, quod tradidit Philostr. de vit. Apollon. ii. 9. *Spanhem. Diss. de Numism. præstant. iii. p. 123.*

NOCTURNA sacra. V. illa infr. in *Sacra*.

Nocturnæ voces. V. illas infr. in *Vox*.

Nocturnus custos. V. illum supr. in *Custos*.

NOD.

NODINUS, vel *Nodotus* deus dicebatur à *nodis*, & geniculis plantarum. Arnob. IV. p. 131. *Nodotus dicitur deus, qui ad nodos perducit res suas*. August. de Civ. Dei IV. 8. *Præfecerunt geniculis, nodisque calmorum deum Nodotum*, Tomas. de Donar. c. 26. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 41. D. Voss. de Idolol. II. 61. Lex. Etymol. in Nodus. Blond. Triumph. Rom. 1. p. 12. Rhodig. Ant. Lect. XXV. 30. Struv. Ant. Rom. 1. p. 151.

NODUS in acie quid sit, docet Isidor. IX. 3. *Nodus proprie est densa peditum multitudo, sicut turma equitum*. Stevvech. in Veget. III. 19.

Nodus artifex vocatur togæ umbo, vel umbilicus. V. illum infr. in *Umbilicus*.

Nodus erat, in quem crines cogebant, & quem ex ipsa coma, quam satis longam nutriebant, faciebant Germani. *Tortos in nodum crines* in *nodum* coactos, vel *nodo* substrictos, quia non datur ex crine *nodum* in capite facere, nisi torqueatur, dixit Mart. de Spectac. 3. n. 9. Rectam quippè, ac prolixam cæsariem *nodare* non possis, nisi in modum funis obliques eam, ac torqueas. Sic in *nodum* facilè ducitur, nec aliter datur. Tacit. Germ. c. 38. n. 2. *Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere*. Quem locum perperam capiunt de crine calamistris vibrato. Nec melior est interpretatio Lips. n. 90. & Cluver. Germ. Ant. I. 16. ut crinem non in rectum passi sint descendere, sed reduxerint in posteriorem verticem, & obliquarint. Hæ enim nugæ. *Obliquant crinem, & nodo substringunt*, quia *nodo* aliter substringere nequeunt, nisi obliquatum, ac tortum. Ideò *obliquandi crinis* meminit, ut ostenderet ex ipso crine *nodum* eos facere solitos, non alio vinculo *nodare*. Nam vinculo, aut tænia potest *nodari*, ac religari crinis etiam rectus, & in rectum descendens. At ex ipso crine *nodum* facere non datur, nisi *obliquato*, ac torto. *Nodo substringendi crinis* morem, non etiam flectendi, aut ferro calido rotandi, Germanis auctores passim tribuunt. Senec. de Ira III. 26. *Nec crinis coactus in nodum apud Germanos virum dedecet*, Epist. 124. *Quid capillum ingenti diligentia comis? cum illum vel effuderis more Parthorum, vel Germanorum nodo vinxeris*. Nec alia mens est Juven. Sat. XIII. 164.

Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, & madido torquentis cornua cirro?

Torquent cornua madido cirro, qui comam obliquant, ut in cirrum, & *nodum* eam cogant. *Cornua* vocat longas crinium fertas, quæ torquentur, ut in *nodum* mitti possint. Græci & κέρατα appellant. *Salmas. Exerc. Plin. p. 535. b. B. Jun. de Coma c. 8. Palmer. Spicil. x. p. 784. Edit. Francofurt.*

Nodus luctaminis, & pancratii propria vox est. Ammian. XV. 3. *Et Paullo catena inditum est cognomentum, eo quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis, miram in nodorum varietatem sese dispendens, ut in colluctationibus callere nimis quidam artifices solent palæstritæ*. Brachiorum *nodum* vocat Aurel. Vict. de Cæsar. c. 17. n. 9. *Ibi per ministrum ungendi faucibus, quasi arte exercitii, brachiorum nodo validiùs pressis, exspiravit*. Ubi *brachiorum nodus* est illorum circa collum implicatio, & strangulatio. Græcis ἅμμα. Glossæ: *Nexum*, ἅμμα διὰ πάλης δεσμός. *Salmas. Exercit. Plin. b. 206. b. C. in Lamprid. Commod. c. 17. Vales. in Ammianum.*

Nodus magicus est καταδεσμὸς, ac defixio. Tertull. de Spectac. c. 2. vocat *devinctionem magicam*. *Vis homicidium ferro, veneno, magicis devinctionibus perfici*. Quæ eadem sunt. *Nodum* enim aliquem, aut vinculum verum, quo brachia constringerentur, imaginari non licet. Tibull. 1. 9. 5.

Ipsa Venus magico religatam brachia nodo
Perdocuit multis non sine verberibus.

Cui pars illa, qua viri sunt, magica arte ad eam impotentiam redigitur, ut officio suo satisfacere nequeat, *magico nodo* religata intelligi debet. *Nodus* ille non ad dissolvendum amorem contractum propriè pertinet, sed ad impediendam virilitatis facultatem. Hoc cum sit, amor etiam consequenter dissolvitur. Qui non potest hærere, ubi membra illa maleficio contacta sunt, ac funerata. Propriè igitur, ac Latinè *magicum nodum* dicere liceat hoc sortilegium, quo in nuptiis suis aliqui prohibentur officium virile facere. *Nodum hyænæ* pro magico impedimento, ac defixione, quam facit hyæna, ubi res omnes magicæ servientes enumerat, dixit Lucan. VI. 672.

Viscera non lyncis, non diræ nodus hyænæ.

Ἡ ἴυγξ τῆς ὑαίνης. Ita vocat Aristoteles. De hyæna Plin. VIII. 31. *Et quibusdam magicis artibus omne animal, quod ter lustraverit, in vestigio hærere*. Hæc est magica ἴυγξ, vel *magicus nodus*, quo illaquear eos, quos ter lustraverit. Aliàs *nodus* etiam pro qualibet remora, & impedimento ponitur Latinis. Antonium vocat Flor. IV. 9. 1. *publicæ securitatis scopulum, nodum, ac moram*. Prudent. Hamartig. n. 210.

Ense ferit dominum pugnæ, nodumque, moramque.

Proinde eleganter, ac verè *nodus Veneris* dici potest ea magica defixio, qua Venus impeditur. *Devotos* etiam dixere, qui malefica arte defixi Veneris munus implere non possent. V. supr. in *Devotus*. Salmas. Exercit. Plin. p. 766. b. A. Lyd. Conviv. serm. I. 40. Gubert. Cnstan. de Matrim. p. 98. Fernel. de abdit. rer. caus. c. 16. Quæ non dixissent, si poetam inspexissent. Nam quæ est hæc collectio? Frustra me celas, ò Marathe, frustrà dissimulas. Non possum falli in his mysteriis, quæ me perdocuit ipsa Venus, quo tempore magicis maleficus funeravit partem illam mei, qua quondam Achilles eram. Prætereà quis unquam dixit, defigendorum brachia religari, ipsosque verberibus multis mulcari? Rectè Cyllenius: *Est sensus, se omnes amatorios modos optimè scire ex assiduo amoris usu*. Tum: Nodo religatum brachia *simpliciter intelligimus, quod est metaphoricè, irretitum amoris vecordia, ut ab amando se extricare non possit*. *Nodus magicus est inexplicabilis*. Non tam inexplicabilis, quàm certo quodam ritu ex arcana magiæ disciplina complicatus. Talis erat in medicina, ex qua natam magiam nemo veterum dubitavit, *nodus* ille, quem Herculeum vocabant. Plin. XXVIII. 6. *Vulnera nodo Herculis præligare, mirum quantum ocyor medicina est. Atque etiam quotidiani cinctus tali nodo vim quandam habere utilem dicuntur*. Ipse Mercurii caduceus duobus ambiebatur draconibus, mare & femina, media parte voluminis sui nodo Herculeo obligatis, docente Macrob. Sat. I. 19. Est autem hic imago poetica, ostendens amoris peritiam non posse comparari nisi multis, ac gravibus laboribus, atque ærumnis. Suspenditur à Venere amator, quo modo servi, & noxii solebant; sed fune in *nodum* magicum constricto, ne posset *renodari*, aut solvi: deinde crebris verberibus cæditur, ut addiscat patientiam, hoc est, ut fastum ferat immitis dominæ. Hoc Venereum supplicium alii quoque poetæ alluserunt. Prop. III. 22. 13.

Correptus sævo Veneris torrebar aheno:
Vinctus eram versas in mea terga manus.

Horat. Od. 1. 27. 21.

Quæ saga, quis te solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit deus?
Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimæra.

Hi sunt *nodi* illi magici. *Broukh. in Tibullum.*

NOL.

NOLA est urbs Campaniæ antiqua. Occurrit ab Abella Neapolim euntibus. Sita est in planitie, & campo. Sil. Ital. XII. 162.

Campo Nola sedet, crebris circumdata in orbem
Turribus, & celso facilem tutatur adiri
Planitiem vallo.

A Chalcidensibus conditam scribunt Sil. Ital. n. 161.

Hinc ad Chalcidicam transfert citus agmina Nolam.

& Justin. XX. I. 13. *Nolani nonne Chalcidensium coloni sunt?* Sed à Tuscis Paterc. 1. 7. 2. *Nam quidam hujus temporis tractu ajunt à Tuscis Nolam conditam ante annos fere octingentos*

tos triginta. Ergo octo & quadraginta annis ante condita fuit, quàm Roma à Romulo: nam Vellejus scripsit, & dedicavit hoc opus suum M. Vinicio Quartino an. 882. cum is consul esset cum C. Cassio Longino. *Cluver. Ital. Ant.* iv. 5. 22. *Leand. Descript. Ital. p.* 286. Coloniam deductam putat Panvinius de Imperio Romano Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 1. p. 377. C. an. 631. ex lege Drusi tribuni plebis, auctoribus Plutarcho, Appiano, ac præcipuè Floro Epit. 73. ad Livium: cujus hæc sunt verba: *Nola colonia in potestatem Samnitium venit cum L. Posthumio prætore, qui ab eis interemptus est*. Ipsam denuò deductam, agrique ejus assignationem mutatam patet ex Frontin. de Colon. p. 106. *Nola, muro ducta, colonia Augusta. Vespasianus Augustus deduxit. Iter populo debetur pedibus* 120. *Ager ejus limitibus Syllanis militi fuerat assignatus, postea intercisivis mansuris colonis, & familiæ est adjudicatus*. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 630. B. Sigon. de Antiq. jur. Ital. iii. 4. Goltz. Ital. p. 259.

Nolæ dicuntur tintinnabula à Campaniæ *Nola*. V. supr. in *Campana*. *Nolæ* mentionem fecit, qui Domitiani Imperatoris ætate floruit, Quintil. Inst. Orat. viii. 6. Satis etiam illud tritum est sermone proverbium, *in cubiculo nola*. Mag. de Tintinnab. c. 1. Galeot. Mart. de Promisc. doctr. c. 28. Illarum usum V. supr. in *Campana*, & infr. in *Tintinabulum*.

NOLLE *factum esse* erat mos satisfactionis expressus, & sollennis. Olim jurabant se agnoscere, quod indigno injuriam intulissent, eaque res læsum vindicabat ab infamia. Qui enim sine ea satisfactione hujusmodi offensas condonabant, habebantur vel ignavi, quod ultionem non audebant expetere, vel ita flagitiosi, ut in legibus, & judiciis spem nullam vindictæ haberent. Terent. Adelph. ii. 1. 8.

Tu, quod te posterius purges, hanc injuriam mihi nolle
Factam esse, hujus non faciam: crede hoc, ego meum jus persequar:
Neque tu verbis solves unquam, quod mihi re malefeceris.
Novi ego vostra hæc; nollem factum: jusjurandum dabitur, te esse
Indignum injuria hac; indignis quum egomet sim acceptus modis.

Plaut. Amphit. iii. 2. 6.

Durare nequeo in ædibus, ita me probri,
Stupri, dedecoris à viro argutam meo!
Ea quæ sunt facta, infecta refert, ac clamitat.
Quæ neque sunt facta, neque ego in me admisi, arguit.
Atque id me susque deque habituram esse putat.
Non ædepol faciam: non me perpetiar probri
Falso insimulatam: quin ego illum aut deseram,
Aut satisfaciat mihi ille, atque adjuret insuper
Nolle esse dicta, quæ in me insontem protulit.

Nann. Miscell. ii. 7. Turneb. Adv. xviii. 25. Langl. Ot. Semestr. x. 1. Brisson. de Form. viii. p. 716. Scalig. in Festum in Manticularum.

NOM.

NOMEN *est proprium vocabulum singulorum*. Non. iv. 324. hoc est, ea vox qua unaquæque res appellatur. Definit Cicer. de Invent. 1. 24. *Nomen est, quod unicuique personæ tribuitur, quo quæque suo proprio, & certo vocabulo appellatur*. Hoc cum generale sit, in tria, vel, ut aliis placet, quatuor appellationis membra, sive partes dividitur: *prænomen*, *nomen* quod gentilitium dicitur, *cognomen*, & *agnomen*, quæ omnia dicuntur etiam *nomina* propria, quorum originis, seu naturæ ordo hic est, *nomen*, *prænomen*, *cognomen*, & *agnomen*. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. ii. p. 1992. A. V. tamen supr. in *Agnomen*. Romani duobus primùm, post etiam tribus *nominibus* usi sunt: quorum unum præcipuè *nomen*, alterum *prænomen*, tertium *cognomen*, aut *agnomen* appellaverunt. Qui de causis hujus facti disseruerunt, in duas ferè partes divisi sunt: quorum alii hanc consuetudinem propriam fuisse Romanorum: alii à vicinis populis acceptam fuisse tradiderunt. Priorem opinionem tuetur Varro, ut est apud Val. Max. Epit. de Prænom. p. 1. posteriorem quidam alii. Varronem maximè movit illa ratio, quod in Italia ante Romam conditam quosdam homines uno tantummodò nomine præditos fuisse, ut Romulum, & Remum, & Faustulum, animadvertit. Varronis opinionem Priscianus secutus, causas, cur Romani *nomina* duplicaverint, exponit duas: I. ut, qui in unaquaque familia eodem *nomine* vocarentur, proposito aliquo alio *nomine*, quod inde *prænomen* dixerunt, distinguerentur. II. ut Sabinorum gratiam, benevolentiamque colligerent, quos Romulus in civitatem suscepit, aut suis Sabinorum nomina, aut contra sua Sabinorum nominibus præponentes. Id quod in Romulo scripsit etiam Eutropius. Quin etiam Appianus huc spectasse videtur, cum in Præf. hist. p. 10. scribit: *Cæterum nomen olim cuique Romano unum erat, ut cæteris omnibus: post accessit alterum; nec ita dudum etiam tertium cœptum est addi quibusdam, quo magis agnoscerentur ex aliqua nota corporis, aut virtute animi*. Et Varr. de Ling. Lat. viii. 38. cum ait: *Cum essent duo Terentii, aut plures, discernendi causa, ut aliquid singulare haberent, notabant forsitan ab eo, qui manè natus diceretur, ut is Manius esset: qui luci, Lucius: qui post patris mortem, Posthumus*. Qui secus senserunt, hanc rationem ab aliis populis mutuatos esse Romanos dixerunt: præsertim verò, cum ipsi ante Romam conditam matrem Romuli legerent Rheam Sylviam, avum Numitorem Sylvium, fratrem ejus Amulium Sylvium; posterioresque duces Metium Fufetium, Titum Tatium, Numam Pompilium, patremque ejus Pomponem Pompilium nominatos. In hac opinione fuerunt Arruntius Claudius, & Valerius Maximus. Nam Claudius, ut Diomedes scribit, à Græcis hoc sumptum tradit, apud quos multi, æquè atque apud Romanos, tria nomina usurpaverint; id quod in Alexandro Dardanio Paride, & in Achille Æacide Celeri intelligi posse putat. Valerius ab Albanis, & Sabinis, à quibus potissimum traxerunt originem, Romanos hanc consuetudinem accepisse ait. Atque huic ego assentior, quippè qui & Romulum, & Remum, aut quia spurii fuerunt, gentis nomine caruisse, aut certè ex Sylvia gente, cujus & mater erat, extitisse existimem. *Sigon. de Nom. Rom. c.* 1. *Panvin. ibid. p.* 2021. *D.* Romani itaque *nomine*, aut *prænomine* tantummodò non fuerunt contenti, sed *cognomen*, aut *agnomen* etiam adjunxerunt. Pausan. Achaic. p. 213. *Non enim Romani Græcorum ritu unico à patribus accepto nomine appellantur: sed tria ferè singulis ut pauciora, plura etiam imponuntur nomina*. *Nomen* unum Romanis commune, alterum gentilitium fuisse ait Dionys. iii. p. 185. *Postquàm didicit Romanorum cuique præter commune nomen esse nomen alterum, gentilitium scilicet, & à paterna stirpe acceptum, ut hac etiam re cæteris fieret similis, pro Lucumone Lucii commune nomen cepit, & Tarquinii nomen gentilitium*. Et commune *nomen* appellat prænomen iii. p. 202. *Communi, & appellativo nomine dictus est Nevius, gentilitio Attius*. Sed Plutarch. in Coriolan. p. 218. D. *Tertium ei Coriolano nomen inditum est: ex quo intelligi potest, Cajum fuisse ei proprium nomen; Marcium verò gentilitium*. Qui & in Mario p. 406. D. de Romanorum nominibus ita disputat, ut varia fuisse *nominum* genera dicat: & illorum alia prima, alia secunda, alia tertia vocet. Ac prima quidem nomina ponit, quæ propria; ut Cnæum, Lucium, Publium: secunda verò, quæ gentis causa multis communia sunt; ut Pompejos, Manlios, Cornelios: tertia, quæ ab actione aliqua, vel à corpore, vel à moribus indita sunt; ut Macrinum, Torquatum, Syllam. Et secundis quidem respondere apud Græcos Heraclidas, ac Pelopidas; tertiis verò Gryphum, & Callinicum putet. Ita & Cicer. ad Attic. iv. 15. *Qui vetere prænomine, novo nomine Titus erit Cæcilius*. Et Suet. Cæl. c. 20. n. 5. *Ut quod eo anno actum esset, Julio & Cæsare actum scriberent, bis eundem repetentes, nomine, atque cognomine*, ostendunt, Titum quidem *prænomen*, Cæcilium verò & Julium *nomina*, Cæsarem cognomen esse. *Sigon. ibid. c.* 2. *Panvin. ibid. p.* 1993. *E.*

Gyrald. Critic. Dial. 4. *Spanhem. de Præst. numism. Diss.* vi, *p.* 506, *Brod. Misc.* v. 10. Imò nec hisce tribus contenti fuerunt; sed alia etiam ad singulos accuratiùs significandos vocabula invenerunt, Ascon. in Cicer. p. 52. *Moris fuit, ut cum aliquis civis Romanus ostendendus esset, significaretur aut à prænomine suo, aut à nomine, aut à cognatione, aut à tribu in qua censeretur, aut à curia, aut à censu, ut si esset senator, equesve Romanus.* Quod à cognatione significatos esse scribit, à patris, avi, vel proavi *prænomine* eum intelligi volo. Nam qnod à patris *prænomine nominandi* consuetudo fuerit, omnes libri, lapides, & nummi pleni sunt, ut M. Tullius M. F. Cicero, C. Julius C. F. Cæsar. A patris & avi Capitolinæ tabulæ satis demonstrant. A proavi indicant vetusta epigrammata, qnorum alterum Romæ est in hortis Colutianis, alterum Cajetæ:

C. OCTAVIUS. C. F. C. N. C. P.....
PATER. AUGUSTI. TR. MIL. BIS. Q.
ÆDILIS. PL. CUM.... C. TORANIO.
JUDEX. QUÆSTIONUM. PR. PRO
COS. IMPERATOR. APPELLATUS. EX.
PROVINCIA. MACEDONIA.

Item:

L. MUNATIUS. L. F. L. N. L. PRON.
PLANCUS. COS. CENS. IMP. ITER.
VII. EPUL. TRIUMPH. EX. RHETIS.
ÆDEM. SATURNI. FECIT. DE. MA-
NUBIIS. AGROS. DIVISIT. IN. ITA-
LIA. BENEVENTI. IN. GALLIA. CO-
LONIAS. DEDUXIT. LUGDUNUM.
ET. RAURICAM.

Multi à patris cognomine significabantur, ut Q. Fabius Maximi filius, T. Quinctius Capitolini filius, & in adoptivis Q. Metellus Nasicæ filius, & in vetusta basi Romæ:

P. CORNELIUS. PAULLI. F. SCIPIO
ÆMILIANUS. COS. II. CENSOR
AUGUR. TRIUMPHAVIT. ITER

Item aliqui cognominantur à patris prænomine, & cognomine, ut in tabulis Capitolinis C. LIVIUS. M. AIMILIANI. F. Drusus. Quod à tribubus, id tale est. Quum tribus omnes Romæ xxxv. numerarentur, atque ex his aliquam necesse esset, cujuscunque ordinis esset, civis Romanus obtineret, idcircò factum est, ut à tribu, in qua censeretur, significaretur; tribus autem nomen ablativo casu poneretur. Ita legimus Verr. proœm. c. 8. *C. Verres Romilia.* Verr. II. 43. *C. Claudius Palatina.* Philip. IX. 7. *Ser. Sulpicius Lemonia.* Nam Romilia, Palatina, Lemonia nomina tribuum sunt. Tribus autem ipsa prioribus ferè tantum literis significabatur, quod in antiquis inscriptionibus manifestissimum est, & retentum videmus Epist. Cœl. ad Cicer. VIII. 8. hoc modo; *C. Lucejus C. F. Pup. Hirrus. C. Scribonius C. F. Prob. Curio. L. Julius L. F. Pomp. Annalis*, id est, Pupinia, Poblilia, & Pomptina. *Panvin. ibid. p.* 2045. *C. Sigon. ibid. c.* 7. Sub Imperatoribus quum Romana civitas integris provinciis daretur, hi qui civitatem Romanam consequebantur, vel Imperatoris *prænomen*, & *nomen*, vel ejus, aut eorum, quorum præcipuè subsidio civitatem impetrassent, *nomina* ferebant. Verum quum Antoninus Caracallus Imperator constitutionem edidisset, quæ Digest. 1, sub titulo de statu hominum refertur, qua omnes eos, qui in orbe Romano essent, cives esse voluit; tum pro cujuscunque arbitrio *nomina* sumpta, aut nobilissimarum familiarum, quæ jam defecerant, aut nova excogitata: vetere vocandi consuetudine, quæ ad ea usque tempora, parum certè violata, perduraverat, paullatim postea labante. Quæ præcipua causa fuit, quod portento simile est, ut post Caracalli tempora intra paucissimos annos trium horum *nominum* usus per mille annos conservatus omninò dissipatus sit, & in nova vocabula transformatus. Nam nulla deinceps *nominis*, *prænominis*, vel *cognominis* distinctio observata est, sed omnia in fœdissimam barbariem versa, antiquitatis cognomen omni ex parte perdiderunt. *Panvin. ibid. p.* 2047. *B.* Duobus modis accipitur. Nam & genus, & species est. Genus quum dicimus: apud Romanos tria erant *nominum* genera. Species, ut quorum unum præcipuè erat *nomen*, quod gentilitium diceretur: alterum *cognomen*, quod *nomini* gentilitio præponeretur: tertium *cognomen*, unde duo illa priora distinguerentur. Itaque & gentilitium *nomen*, & *prænomen*, & *cognomen nomina* sunt, si ut genus sumamus, id est, ut vocabula, quæ in nominando aliquo celebremus. Hæc appellandi ratio etiam à veteribus usurpata est. Quum enim de hominis *nomine* faciunt mentionem, *prænomen*, familiæ *nomen*, atque *cognomen*, sæpè sub unius *nominis* voce significant. Hoc autem vel ex eo cognosci potest, quod sub titulo de *mutatione nominis* his verbis constitutio Imperatoris Diocletiani fit: *Sicut in initio nominis, cognominis, prænominis recognoscendi singulos impositio libera est privatis: ita eorum mutatio innocentibus periculosa non est. Mutare itaque nomen, vel prænomen, vel cognomen sine aliqua fraude licito jure, si liber es, minimè prohiberis.* Ab hac generali appellatione exhæredatio *nominatim* facta dicitur, quum sufficiat *nomen*, *prænomen*, aut *cognomen* dicere, ut Ulpianus scribit. Auson. Eidyll. XI. 80.

Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.

Cicer. pro Mur. c. 12. *Ut quia in alicujus libris, exempli causa, id nomen inveneram, putarunt, omnes mulieres, quæ coemptionem fecerant, Cajas vocari.* Illic igitur *prænomen* dictum *nomen* est; at *cognomen* apud Cicer. pro Cæcin. c. 10. *Sex. Clodius, cui nomen est Phormio, nec minus niger, nec minus confidens, quàm Terentianus est Phormio.* Mart. II. 2. 1.

Creca dedit magnum, majus dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodque Metellus habet.

Ita Caprarium, & Bubulcum *cognomina*, *nomina* vocavit Plutarch. in Poplic. p. 103. B. Quæ cum ita sint, est tamen specialis quædam *nominis* significatio, quæ familiæ tantum *nomen* significat, ab antiquis ita ad *prænominis*, & *cognominis* distinctionem usurpata, quam definientes dicimus: *nomen* speciatim sumptum, quod quum gentilitium sit, propriè appellatur *nomen*, est id, quod genus indicans, non tantum proprium personæ est, sed etiam genti, vel familiæ: quod ideò etiam gentilitium dicitur, quia originem gentis, vel familiæ declarat; ut Antonius, Curtius, Aurelius, Mucius, Marius, Fabius, Julius, & similia. Hoc ita esse docet Probus in Val. Max. Epit. x. *Omnia, quæ ad unumquemque nostrum definiendum excogitata sunt, eandem vim significandi hominis obtinent. Quod per proprietatem dicitur, hoc distat, quia eo genus cognoscitur, ideoque dicitur gentilitium.* Ulpian. de Verb. signif. *Nomen itaque cum speciali hac significatione accipitur, familiæ nomen significat, Romanis tantum hominibus: nam Græci, & Barbari singulis nominibus nisi familiæ nomine non utebantur.* Itaque Demosthenes, Aristoteles, Plato, Socrates, & illa sacrosancta nomina, Jesus, Moses, Cephas, Johannes, inter cætera aliarum nationum ad familiam non propagantur: erant enim non gentis, sed singulorum hominum vocabula. *Panvin. ibid. p.* 1992. *E. Sigon. l. l. Nomine* proprio summo honore functum, Republica ad Cæsares delata, appellasse videtur contumeliosum fuisse. Senec. de Constant. c. 18. *Cajus Caligula iratus fuit Herennio Macro, quod illum Cajum salutaverat: nec impune cessit primipilario, quod Caligulam dixerat.* Et cum omnes, qui cum Antonio erant, Cleopatram appellarent Reginam, gratiam procul dubio ejus, nec non triumviri captantes, inventus Cn. Domitius, *qui solus Antonianarum partium, nunquam, nisi nomine, salutavit.* Paterc. II. 82. 3. Ita *privato nomine Vespasianum*, licèt illi *non succensuerit, salutavit Helvidius Priscus* apud Suet. c. 15. n. 2. *Cuper. Observ.* IV. 8. Mutabant, & adoptantis assumebant, qui adoptabantur. V. supr. in *Adoptio*. Commune, seu gentis, seu familiæ, sæpè uni ex fratribus, vel sororibus præcipuè, & quasi κατ' ἐξοχὴν tribuebatur. Ita *Clodia*, Metelli uxor, propriè quodammodo, ut videtur, nominatur à Plutarch. Cicer. p. 875. C. non quod altera non fuerit Clodia, aut alia gente, alio patre orta; sed quia cæteris diutiùs vixerit, vel quia præter cæteras flagitiis suis fuerit celebris, communi omnium *nomine* sibi proprio insigniri à populo solita, & frequentia

ejus

ejus usu solo illo *nomine* cuivis cognita. Nero Claudius Drusus, Augusti privignus, Tiberii frater, quum tres reliquisset liberos, omnibus iis *Claudii* fuit nomen, quippè totius gentis commune, non peculiare, aut verè proprium ullius in ea hominis. Sed tamen unus ex iis, qui posteà Imperator est factus, præcipuè, & quasi peculiariter eo maximè nomine vulgo est appellatus, & appellatur eo solo à Suetonio, etiam cum fratre, & sorore, alii & suo quisque proprio *nomine* insignitus, conjunctus. Nam *ex Antonio minore*, inquit Claud. c. 1. n. 13. *complures quidem liberos tulit* Drusus; *verum tres omninò reliquit, Germanicum, Livillam, Claudium*. At Germanicus ante adoptionem in Juliam gentem, & Livilla æquè erant *Claudii*, nec eo nomine excluduntur, quod tertius eo solo, quasi sibi proprio ornatur. Germanicus ab Imperatore Tiberio jussu Augusti in Juliam familiam adoptatus dici deinceps cœpit *C. Julius Cæsar Germanicus*, atque ita cum ipse, tum ejus liberi omnes erant, & *Julii*, & *Cæsares*. Tamen à Suet. Cal. c. 7. n. 2. tres illius filii hoc modo *Nero, Drusus, & C. Cæsar* nominantur. Ubi, ut apparet, soli postremo *Cæsaris* nomen tribuitur, quamvis reverà omnibus esset commune. *Perizon. Animadv. Hist. c. 3.* Potissimùm illorum, quorum beneficio civitatem impetraverant, ferebant, qui in illam suscipiebantur. Cicer. Fam. xiii. 36. *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est. Ei Dolabella rogatu meo civitatem impetravit: itaque nunc P. Cornelius vocatur*. Verrin. iv. 17. *Q. Lutatius Diodorus beneficio Q. Catuli à Sylla civis Romanus factus*. Et *Q. Cæcilius Dio* est appellatus, qui beneficio Q. Metelli civis erat factus, apud Cicer. Verrin. ii. 8. *Sigon. ibid. c. 3. Panvin. ibid. p. 2046. F.*

Nomen dare dicebantur milites Romani, qui in delectu habendo, à consulibus pro tribunali sedentibus, vel sellis in foro positis, *nominatim* ac singillatim citati, nulla excusatione proposita respondebant, & *nomen* veluti inscribendum curabant. Liv. v. 10. *Omnium primum tribunis militum fuit, delectum haberi. Nec juniores modo conscripti, sed seniores etiam coacti nomina dare, ut Urbis custodiam agerent.* l. 3. ff. de Re milit. *Qui post desertionem in aliam militiam nomen dederunt.* Inde ad *nomen* respondere dicuntur qui comparent, ut utar nostris verbis. Liv. vii. 4. *Acerbitas in delectu, non damno modò civium, sed etiam laceratione corporum lata, partim virgis cæsis, qui ad nomina non responderent, partim in vincula ductis, invisa erat.* Bud. in Pandect. p. 74. B. Patric. Rei milit. Rom. p. 1. sect. 4. Brisson. de Form. iv. p. 340.

In *nomen* ejus, qui summo Imperio erat præfuturus, jurare dicebantur milites, qui illi obedientiam promittebant. Suet. Claud. c. 10. n. 7. *Multitudine, quæ circumstabat, unum rectorem jam, & nominatim exposcente, armatos pro concione jurare in nomen suum passus est.* Ammian. xxi. 5. *Jussi universi in ejus nomen jurare sollenniter, gladiis cervicibus suis admotis, sub exsecrationibus diris, verbis juravere conceptis, omnes pro eo casus, quoad vitam profuderint, si id necessitas exigeret, perlaturos.* Herodian. ii. 2. 21. *Mox jurati de more in illius nomen, factaque re divina, laureati omnes, populus, atque exercitus prosequebantur* Julianum. *Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. x. p. 1169. D. Hansen. de Jurejur. vet. c. 17. Pitisc. in Suetonium.*

Nomina librorum, qui in alveolis, sive *nidis*, ut appellat Mart. i. 118. 15. reponebantur, in postibus tabernarum librariarum inscripta erant. Mart. ibid. n. 10.

Contra Cæsaris est forum taberna
Scriptis postibus hinc & inde totis,
Omnes ut cito perlegas poetas:
Illinc me pete, nec roges Atrectum.

Atrectus bibliopola fuit. Dicit poeta vel ex indice librorum in tabernæ antepagmento, & limine constare posse, utrum apud illum Martialis exstet, nec ne: & necesse non esse ipsum Atrectum eo nomine convenire atque alloqui. Horatius. V. illum infr. in *Taberna*. Scriver. in Martialem.

Nomen rei deferebat ad prætorem, cui judicii exercitio obtigisset, is, qui accusare paratus erat, idque recipi postulabat, & qua lege reum faceret profitebatur. Hoc ideò, quia in libello accusatoris rei *nomen*, & species criminis concipiebatur. Plaut. Aul. iii. 2. 2.

Ad tresviros jam ego deferam tuum nomen.

Cicer. pro Dom. c. 19. *Nomen Sexti Propertii detulit.* Pollet. For. Rom. iv. 7. Brisson. Antiq. Select. ii. 1. Quoniam autem delatio *nominis* idem est in judicio publico, quod in privato intentio litis, verisimile est, easdem formulas actionum, quoad res passa est, observatas. V. illas supr. in *Actio*, & *Intentio*.

Nomina sua operibus suis adscribere solebant artifices. Mart. ix. 45. 1.

Alciden modo Vindicis rogabam,
Esset cujus opus, laborque felix.
Risit: nam solet hoc; levique nutu
Græcè numquid, ait, poeta nescis?
Inscripta est basis, indicatque nomen.
Λυσίππου lego, Vindicis putavi.

Cicer. Verr. iv. 43. *Signum Apollinis pulcerrimum, cujus in femine literulis minutis argenteis nomen Myronis erat inscriptum.* Phædr. v. prol. ii. 6.

Si marmori adscripserunt Praxitelem suo
Detrito, Myronem argento.

Inscriptio in hortis Vaticanis: P. CINCIUS. C. F. SALVIUS. FECIT. *Gud. & Scheffer. in Phædrum. Nicol. de Sigl. vet. c. 33. §. 5.* Publicis principes, aut illi, quorum pecunia id opus factum erat. Alterius, ac ne præsidis quidem *nomen* superscribere licebat, l. opus novum. §. inscribi ff. de operibus publicis: *Inscribi nomen operi publico alterius, quam principis, aut ejus cujus pecunia id opus factum sit, non licet. Ne præsidis quidem nomen licebit superscribere.* At *qui*, ut tradit Ulpian. ibid. l. 2. *liberalitate, non necessitate debitis reditus suos ad opera finienda concessit, munificentiæ suæ fructum de inscriptione nominis sui operibus, si qua fecerit, capere per invidiam non prohibetur. Ne opus nomine, cujus liberalitate opus exstructum est, eraso aliorum nomina inscribantur, & propterea revocentur similes in patriam liberalitates, præses provinciæ auctoritatem suam interponat.* Inscriptio: IMP. CÆSAR DIVI JULI F. AUGUSTUS PONTIFEX MAXIMUS COS. II. TRIBUNITIÆ POTEST. XIX. IM. XIV. RIVOS AQUARUM OMNIUM FECIT. Et in inscriptione Antonini Pii: OPUS PONTIS VETUSTATE CONLAPSUM RESTITUIT. *Brisson. de Formul. viii. p. 728.*

Nomina appellabantur tituli debitorum. Ascon. in Cicer. p. 77. *Tituli debitorum nomina dicuntur, præsertim in iis debitis, in quibus hominum nomina scripta sunt, quibus pecunia commodata sunt. Cui rei contrarium est, mutuas accepisse. Ergo nomina, debita, vel deberet.* Cicer. Verr. i. 10. *Cum reperiretur pecunias sumpsisse mutuas, nomina sua exegisse.* Ab eo, quod Kalendariis solerent eorum, quibus pecuniæ credebantur, *nomina* perscribi. *Brisson. de Form. p. 538.* Inde *nomen* locare apud Phædr. i. 16. 1.

Fraudator nomen quum locat sponse improbo.

dicitur, qui accepto mutuo, vel merce alteri obligatur, qui suum tanquam debitoris *nomen* locat, & patitur apud alium esse in tabulis, in quas referimus, si cui mutuamus, aut vendimus in diem. *Grenov. apud Scheffer. in Phædrum. Pitisc. in Suet. Gramm. c. 11. n. 4.* Et expedire, expungere, qui debitum solvit. Suet. Gramm. c. 11. n. 4.

Unum difficile expedire nomen.

Cicer. Attic. xvi. 6. *Nomina mea per deos expedi, exsolve.* Plaut. Cist. i. 3. 40.

Nunc quod reliquum restat, volo persolvere:
Ut expungatur nomen, ne quid debeam.

Debitoris enim *nomen*, dum, quod debet, solvit, in tabulis suis expungit creditor, & suum expedit debitor. *Gudius in Phædrum. Pitisc. in Suetonium.*

NOMENCLATIO fuit præcipua popularis rationis pars. Habuit eam vim, ut petitor sun quemque civem *nomine* appellaret, ac salutaret. Unde Quinctus scripsit: *Primum, ut homines noris, significa, ut appareat, & auge, ut quotidie melius fiat.* Fuit in primis illud petitori elaborandum, ut singulos cives nosset, eorumque nomina teneret. Si quidem qui aut non tenet, aut oblitus est no-

men alterius, is parum ejus rationem videtur ducere, teste in Rhetoricis Aristotele. Quare cum Ap. Claudius Scipioni Æmiliano, suo in censura competitori, objiceret, quod is neminem civium nosset, respondit Scipio, non mirandum id videri: se enim dedisse operam, ut à civibus suis cognosceretur, non ut ipse eos cognosceret. Unde dixit Quinctus de Petit. consf. c. 7. *Quin incipiat Antonius homines adjungere, atque invitare ad amicitiam, quos per se suo nomine appellare non possit? mihi quidem stultius nihil videtur, quàm existimare, eum studiosum tui, quem non noris*. Sigon. de Judic. II. 30.

NOMENCLATOR erat minister, qui, quoniam in tanto populo, & tantis vitæ occupationibus fieri non poterat, ut æquè omnes cogniti essent, petitori nomina civium, ut quisque occurrebat, suggereret. Cicer. Attic. IV. 1. *Ad urbem ita veni, ut nemo illius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obviam non venerit*. Senec. de Benef. I. 3. *Quemadmodum nomenclatori memoria loco audacia est: & cuicumque nomen non potest reddere, imponit*. Cicer. pro Mur. c. 36. *Quid quod habes Cato nomenclatorem? in eo quidem fallis, & decipis: nam si nomine appellari abs te cives tuos honestum est, turpe est, eos notiores esse servo, quàm tibi. Sin, si etiam noris, tamen per monitorem appellandi sunt, cur non ante petis quàm insusurravit? aut quid cum admoneris, tamen quasi tutè noris, ita salutas?* Sigon. de Judic. II. 30. Pignot. de Serv. p. 60. Stuck. Ant. Conviv. II. 31. Kobierzyck. de Lux. Rom. II. 2. Kemp. de Oscul. Diss. XI. p. 303. Barth. Adv. XII. 10. Laz. Comm. Reip. Rom. XII. 5. Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 736. & ad illum Salmuth. p. 738. Notit. dignit. imp. occid. c. 3. Coral. Misc. IV. 13. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 5. Kipping. Antiq. Roman. IV. 1. 5. 1. Schill Nomencl. Philol. p. 798. Beroald. & Pitisc. in Suet. Aug. c. 19. n. 1. Laurent. de Profess. c. 5. Hunc describit his verbis Horat. Epist. I. 6. 50.

Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere.

Quibus suadet, ut qui honoribus studet, paret servum, qui dictet civium nomina, & lævo latere fodiendo admoneat petitorem officii sui; nimirum *cogat trans pondera dextram porrigere*, id est, trans togam, quam scimus brachium cohibuisse, V. supr. in *Toga*. Dum enim irent lentiùs, *dextris pondere* togæ gravatis, admonebat eos *nomenclator*, ut dextra è toga exserta prensarent: quod cum aliquo incommodo faciebant. *Sigon. l. l.* Qui mirè *pondera* togam interpretatur. Nam *trans pondera* est contra gravitatem, cum cogitur quibuslibet blandiri, & manum illorum prensare contra quàm tam viros graves decet. *Pondus* enim & *pondera* sæpè gravitatem notat. Cicer. Attic. XI. 7. *Addis etiam, quod etsi mihi levius est, quàm tuum judicium, tamen non est leve, ceteris quoque, id est, qui pondus habent, factum nostrum probari*, hoc est, qui viri graves sunt, *& magna auctoritatis*. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. II. Præfat. ****** V. etiam *Zurckium in Horat. l. l.*

Nomenclator censorius, ut vocatur in antiqua inscriptione:

L. VOLUSIO
URBANO
NOMENCLATORI
CENSORIO

Et forsitan à censibus, ut in hac inscriptione:

DIIS. MANIBUS
TI. CLAUD. AUG. LIB
THALENTIS. VINCIANI
NOMENCLATORIS
A CENSIBUS.

dicebatur, qui cives se, aut bona sua non profiteotes *nominabat*, ut censui adscribi cogerentur. Nomina enim sua, uxorum, liberorum, servorumque apud censores profiteri debebant Romani. Et sanè hic videtur censoribus *nomina* in memoriam revocasse, non cives citasse nominatim. *Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c. 3. Pignor. de Serv. p. 284. Laurent. de Profess. c. 5.*

Nomenclator thensarum in ludis & pompa pontifici maximo adsuit, cujus erant ludi & thensæ. Hujus enim opera pontifex utebatur, dum thensarum ordinem disponeret, quæ variæ erant, & jugariosque, id est, aurigas juberet prodire in pompam, & singulorum deorum thensas suo nomine citare. In gloss. vet. ζυγωλάτης. Inscriptio vetus Romæ:

SOLI. INVICTO
SACRUM
T. POMPONIUS
NOMENCLATOR
TENSAR. JUGARIS

Guther. de vet. jur. pontif. II. 14. *Schott. Nod. Cicer.* IV. 6. Ex hac inscriptione ministros sacros ab officio patet dictos esse thensarios. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 2. Verùm ego valdè dubito, an ad thensas spectet hæc inscriptio. Primùm enim abest spiritus, quem apposuerunt veteres. Deinde si cum Schotto legimus *nomenclator thensarum*, quo pertineat *jugaris*, quod subjicitur, haud liquet. Sed & si cum Argolo malumus *tensarius*, quid velit illud *jugaris*, minimè cognoscitur. Quare mihi alius videtur, de quo agitur inscriptione ista: is nimirum, qui in circo jungere ad currus equos solebat, eisque frena imponere. Hos tensarios vocasse discimus ex Accio, cujus verba io Paride servavit nobis Non. c. 3. n. 95. *Frena tensariis equorum accommodant*. Talis tensarius rectè vocatur jugatis, à jugo, quia frenis juga immittit. Habebant enim juga quædam foramina, Græcis ὀφθαλμοὺς vocata, Latinis tensaria, per quæ frena transmittebantur, ne turbari possent, aut defluere. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 24. *Pinell. Additam. ad Argol. in Panvin. de Lud. Circens. l. l.*

Nomenclator in triclinium est etiam evocatus, eratque qui convivas vocabat, sive invitabat. Græcis vocatur ὀνομακλήτωρ, δείπνων ταξίαρχος, & δειπνοκλήτωρ. Ammian. XIV. 6. *Nomenclatores assueti hæc, & talia venditare, mercede accepta, cœnis quosdam, & prandiis inserunt subditiüs, ignobiles, & obscuros*. Pignor. de Serv. p. 112. Buleng. de Conviv. I. 25. Stuck. Ant. Conviv. II. 2. Cerda Adv. c. 94. n. 14. Laurent. de Profess. c. 5. Et cuique suum locum assignabat. Athenæus: *Postea surgentes accubuimus, ut quisque volebat, non expectato nomenclatore, & cœnarum ordinatore*. Buleng. ibid. p. 34.

Nomenclatores etiam habebant mulieres, quia horum ministerium non tantum ad candidatorum prensationes, sed & ad salutationes matutinas, & convivarum dispositiones, aliaque talia pertinebat. Suet. Aug. c. 19. n. 1. *Compressit conjurationem Telephi mulieris servi nomenclatoris*. Plin. XXXIV. 1. *Hoc perfecere mancipiorum legiones, & in domo turba externa, ac servorum quoque causa nomenclator adhibendus*. Gronov. Obs. II. 24. Casaub. & Pitisc. in Suetonium.

NOMENTANA porta. V. illam infr. in *Porta*.

Nomentana via. V. illam infr. in *Via*.

NOMINALIA erant sacra, quæ semel in cujusque infantia celebrabantur. Idem hic dies appellabatur lustricus. V. illum supr. in *Dies*.

NOMINATIM aliquem compellare, id est, ejus *nomen* palam recitare. Hoc in veteri comœdia licuit. In media, & nova mos exolevit. Romæ C. Cælius judex absolvit injuriarum eum, qui Lucillum poetam *nominatim* læserat. Cicer. ad Herenn. II. 13. *P. Mucius eum, qui L. Accium poetam nominaverat, condemnavit*. I. 14. *Mimus quidam nominatim Accium poetam compellavit in scena. Cum eo Accius injuriarum agit. Hic nihil aliud defendit, nisi licere nominari eum, cujus nomine scripta dentur agenda*. Buleng. de Theatr. I. 57.

NOMINATIO sacerdotum dicta est, ut magistratuum. Cicer. Phil. XIII. 5. *In paternum auguratus locum, ut, quod à patre acceperam, filio reddam, mea nominatione cooptabo*. Ab eo *dies nominationis*. Plin. Epist. IV. 8. 3. *Qui me nominationis die per hos continuos annos inter sacerdotes nominabat*. Guther. de vet. jur. pontif. I. 8. Struv. Antiq. Rom. c. 12. p. 560.

NOMUS est modulatio, quæ in vocis flexione, intentioneque, & remissione est. Ratio nominis est, quia Græcè

Græcè νόμος lex est. Aristot. Problem. Sect. 19. q. 28. *Cur νόμοι pleraque cantilena appellentur? An quod homines prius quàm literas scirent, νόμους, leges cantabant, ne eas oblivioni mandarent: quod etiam nostra ætate Agathyrsis in more est*. Plutarch. de Music. p. 1133. B. *Sicut leges infringere nefas, ita & legitimam modulationum formam in quoque genere transilire nefas est: in singulis enim nomis propriam contentionem servabant*. Erant septem *nomi*, à Terpandro reperti. Suidas: *Septem nomi à Terpandro fuerunt instituti: quorum unus erat orthius, tetradius, acutus, Dorius, Jonius, Lydius, Phrygius*. Buleng. de Theatr. II. 28. Rhodig. Ant. Lect. IX. 8. Barthol. de Tib. I. 9. In illis cavebatur in primis, ne dissonum esset, aut fieret colonomus, cujus meminit Auson. Epist. XI. *Denique dissonum, quem colonomum propriè à philologis appellatum, aderevi*. Martianus *διαφώνους* tonos vocat, id est, *dissentientes, quicum percussi fuerint, invicem discrepant*. Κόλος νόμος est mutilus. Verbo adscsescendi Ausonius utitur ἀρχαϊκῶς. Transitivè enim posuit. *Scalig. Lect. Auson.* II. 6. *Buleng. l. l.* V. etiam supr. in *Modus*.

Nomus orthius est dictus, quia voce maximè sublata canebatur. Herod. I. p. 10. B. *Arion stans in transtris nomen orthium percurrit*. Gell. XVI. 19. *Arion de more cinctus, amictus, ornatus, stansque in summa puppis foro, carmen, quod orthium dicitur, voce sublatissima cantavit*. Eustath. in Homer. p. 738. *Est apud musicos orthius nomus, aut modus ille carminis ad prælium excitans. Timotheus igitur orthion canens ita Marte implevit Alexandrum, ut statim ad arma prosiliret*. Scholiast. Aristoph. Acharn. I. I. 16. *Orthius nomus ita dictus, quia sic contentus, & sublatus*. Minervæ dictus est. Pindar. Pyth. XII. 39.

Invenit hoc dea. At hoc postquàm invenit, viri mortales ut haberent,
Nominavit capitum multorum legem, νόμον,
Illustrem populos cientem procum certaminum
Tenue transeuntem
Æs simul, & calamos.

Buleng. de Theatr. II. 28. Barthol. de Tib. I. 9. Rhodig. Ant. Lect. IX. 8. Scalig. Poet. I. 18. Ouzel. in Gellium. Voss. de Tritem. & Liburn. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 725. B.

NON.

NON LIQUET fuit signum ampliandi. V. supr. in *N. L.*

NONÆ nullum deum tutelarem habuerunt. Ovid. Fast. I. 57.

Nonarum tutela deo caret.

Morestell. Philom. III. dial. 3. Gyrald. de ann. & mens. Tom. II. p. 791. B. Siccam. in Fast. Kalend. c. 6. Viola de vet. ac nov. Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 187. C. Hunc diem Romani celebrabant, quoniam natalem Servii Tullii eo die venerabantur. Licèt enim incertum esset, quo mense ille natus esset, *Nonis* tamen esse constabat. Et iccircò omnes *Nonas* celebri lætitia frequentabant. *Viol. l. l. Lipen. de Stren. c. 2. pr. at.* §. 32. Cæsar cum certis mensibus duos adjiceret dies, *nonarum* ordinem noluit mutare. Unde vetus *nonarum* numerus in Julianis mensibus perseverat. Nam quatuor illi soli menses ses *nonarum* dies habent, qui olim uno & triginta diebus constabant, videlicet Martius, Majus, Julius, October. *Petav. de vet. ann. Roman. c. 73. Morestell. l. l. Rosin. Antiq. Rom.* IV. 4. *Nonas* singulorum mensium ex his edisces:

Sex Majus nonas, October, Julius, & Mars:
Quatuor at reliqui.

Et ex Auson. Eclog. 12. 1.

At nonas modo quarta aperit, modo sexta refert lux.
Sexta refert Maji, Octobris, Martisque recursu,
Et qui solstitio sua tempora Julius infert,
Cætera pars mensum quartas est prædita nonis.

Morestell. l. l. *Nonis* mittis Urbis populus mercatus, sacrorumque causa in Urbem confluebat, singulis mensibus tantum semel. Varr. de Ling. Lat. V. 4. *Eodem enim die in Urbem ab agreis ad Regem conveniebat populus. Harum rerum vestigia apparent in sacreis nonalibus in arce, quod tunc ferias primas menstruas, quæ futuræ sint eo mense, Rex prædicit populo*. Siccam. l. l. & Gassend. in Kalend. Roman. c. 1. Nihil etiam feriæ sei inchoavit Augustus, quia *nona, nundina*, & *novendial* invicem etsi diversa ratione dicuntur; dies verò *novendiales* mortuis sacri, & atri erant. Illis quid aggredi inominatum esse vos ipsa quoque ostendere videtur, nempè quæ te *non ire*, eoque, quo velis, pertendere non posse admoneat. Suet. c. 92. n. 6. *Observabat & dies quosdam, ne aut postridie nundinas quoquam proficisceretur, aut nonis quicquam rei seriæ inchoaret*. Siccam. ibid. c. 5. Putean. de Nundin. c. 28. Casaub. Torrent. & Pitisc. in Suetonium. *Nonis* nubere infaustum erat. V. supr. in *Kalendæ*.

Nonæ Caprotinæ. V. illas supr. in *Juno*.

Nonæ quintanæ, & septimanæ in quintum, vel septimum mensis diem incidebant. Censor. de Die nat. c. 20. *Quapropter nunc cum in septem mensibus dies singuli & triceni sint, quatuor tamen illis ita primitus instituti eo dignoscuntur, quod nonas haberent septimanas, cæteri quintanas*. Alciat. de verb. signif. 198. Munckes. de Intercal. III. 15. 6. IV. 14. 3. Petav. de vet. ann. Roman. c. 73.

NONIA gens. V. illam sups. in *Gens*.

NOR.

NORBA erat oppidum Volscorum, ultra Coram, versus Signium euntibus. Vulgo nunc incolis dicitur *Norma*, & *Norme*. Colonia eo deducta est T. Geganio & P. Minucio coss. anno 262. ante natum D. Jesum 491. ut arx esset in Pomptino. Liv. II. 34. *Consules deinde T. Geganius, & P. Minucius Norbam in montes novam coloniam, quæ arx in Pomptino esset, miserunt*, ut seditio sedaretur. Dionys. VII. p. 428. *Nec multis diebus post manus benè magna necesse habuit migrare Norbam Latini nominis urbem*: loquitur de suo seculo, quo Latii finis ad Lirim usque prolatus erat. *Fefellit tamen sua spes patricios, nec seditio, ut cogitaverant, quicquam remisit*. Sigon. de Antiq. jur. Ital. II. 5. Cluver. Ant. Ital. III. 8. 3.

NORBANA gens. V. illam supr. in *Gens*.

NORICUM est secundum Danubium: ab occasu Oenum fluvium, à meridie Æmum montem habet, ab ortu Cetium, à Septentrione Danubium. Vulgò *Bavariam* vocant: aliique addunt Stiriam, Carinthiamque. *Panciroll. Notit. Dignit. imp. occid. c. 81. Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 32. §. 12. *Cluver. Introd. ad Georg.* III. 4. *Vindel. & Noric. c.* 5. Non Bavariæ, sed Austriæ pars est. Archiepiscopatus verò Salisburgensis, Carniola, Stiria, Carinthia. *Henn. ad Bergierum*. *Noricos* subegit Tiberius. Strab. IV. p. 142. *Post hos*, Vindelicos, *vicini jam Adriatici sinus intimo, & locis ad Aquilejam habitant Noricorum quidam, & Carni. Noricorum sunt etiam Taurisci. Horum omnium crebris incursionibus finem imposuit Tiberius, & ejus frater Drusus unica æstate*. Suet. Tib. c. 16. n. 4. *Perseverantia grande pretium tulit; toto Illyrico, quod inter Italiam, regnumque Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interque Danubium flumen, & sinum maris Adriatici patet, perdomito, & in ditionem redacto*. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 99. Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 6. Robort. de Provinc. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. (6). E.

NOS.

NOSIDIA gens. V. illam sups. in *Gens*.

NOT.

NOTÆ vocabantur *ὀβελίσκοι*, quas critici in recensendis auctorum operibus, spuriis, aut vitiosis locis appingebant: & quæ loca notatu, & observatione digna viderentur, indicabant. Cicer. in Pison. c. 30. *Quoniam te non Aristarchum, sed Phalarim Grammaticum habemus, qui non*

notam apponas, & malum versum. Senec. Epist. 88. *Aristarchi notas, quibus aliena carmina compunxit, recognoscam*, Auson. Epist. 18. 29.

Quique notas spuriis versibus apposuit,

Horat. de Art. Poet. n. 445.

Vir bonus, & prudens versus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomptis allinet atrum
Transverso calamo signum.
Arguet ambiguè dictum, mutanda notabit,
Fiet Aristarchus.

Ubi Acro: *Notam culpæ significat. Nam notare versum malè formatum dicimus*. Rectè verò *notam culpæ*. Nam *culpæ* dicuntur ἀθετήσεις, seu *notæ* vitiorum, Auson. Lud. Sapient. n. 11.

Mæonio qualem cultum quæsivit Homero
Censor Aristarchus, normaque Zenodoti,
Pone obelos igitur spuriorum stigmata vatum,
Palmas, non culpas esse putabo meas,

Gell. XVII. 2. *Quæ in eo libro scripta essent in utramque existimationem laudis, aut culpæ adnotamentis digna*, Laudis nomine laudabilia Gellius hic denotat, quorum *nota* duplex L. apud Latinos videtur fuisse. Unde apud Paulium Diaconum in *notis* literarum L. L. *Laudabiles loci*. Alibi etiam est L. SENT. *Laudabilis sententia*, Græci *notam* literæ X. apponebant, quæ significabat Χρυσὸς, sive Χρήσιμον. Laert. III. 66. *X. utrimque punctum habens ad electiores quasque sententias, ornatusque verborum apponitur*. Cassiod. de Divin. Lect. 1. *Ticonius Donatista in eodem volumine quædam non respuenda subjunxit, quædam verò venenosa dogmatis sui permiscuit. Cui tantum in bonis dictis chresimon, in malis achreston, quantum transiens valui aperire, ut arbitror, competenter adfixi*. Ἄχρηστον, quod Græci adscribebant ad ea, quæ improbabant, Gellius *culpæ adnotamenta* vocat. Et *deculpatum verbum* dicit pro rejectitio, culpæ notis compuncto, ac damnato XIX. 10. *Dehonestum tibi, deculpatumque hoc verbum videtur*. Culpæ *nota* ut plurimum erat obelus. Isidor. I. 20. *Obelus, id est, virgula jacens apponitur in verbis, aut sententiis superfluè iteratis, sive ubi lectio aliqua falsitate notata est, ut quasi sagitta jugulet supervacua, & falsa confodiat*. Ad similem *notam*, nempè πρὸς τὸ ἀθετεῖν litera θ utebantur, Sidon. carm. IX. 331.

Iste qui valet exarationi
Districtum bonus applicare theta,

Pers. Sat. IV. 12.

Et potis es nigrum vitio præfigere theta.

Quod ad exemplum judicum factum videtur, qui, ut notat Persii Scholiastes, *literam θ apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt*. VVouvver. Polym. c. 17. n. 9. Reines. Var. Lect. III. 7. Casaub. & Menag. in Laertium, Oizel. in Gellium. Nicol. de Sigl. vet. c. 2. §. 6. Schill Nomencl. Philolog. p. 802.

Notæ censoriæ vocabantur propriè animadversiones censorum, & ipsi dicebantur *notare*. Plin. Epist. IX. 13. *Nota certè quasi censoria inuratur*. De censura Claudii Suet. c. 16. n. 4. *Et cum orantibus familiaribus dempsisset cuidam appositam notam*. *Notabant* autem censores I. senatores remotione à curia, II. equites ademptione equi publici, III. plebejos, cum aut moverent tribu, aut jure suffragii privarent, atque ærarios facerent. Ascon. in Cicer. p. 20. *Buchner. in Plinium*. *Nota* in Glossar. ψόγος, σπῖλος. Moris erat, ut qui vel famoso judicio, vel alia ratione infames erant, illorum nomen ad censores referretur, illique *nota* in censualibus tabulis apponeretur, sicque illorum ignominia infigeretur esset. Liv. XXXIX. 42. *Patrum memoria institutum fertur, ut censores motis senatu adscriberent notas*. *Longè gravissima in L. Quintium oratio est, quasi accusator ante notam, non censor post notam ausus esset*. In albo ordinum, aut tribuum *notare*, *notam affigere* dicit Macrob. Sat. VII. *Vel cui nota quondam afflicta censoria est*. Contrariis, qui liberabantur infamia, *nota demi* dicebatur. Suetonius laudatus. Et *allevata*. Tacit. Hist. I. 52. 2. *Reddit plerisque ordines, remissa ignominia, allevata nota*. Herald. in Arnob. p. 172. Rævard. de Div. reg. jur. c. 109. Hug. de Prim. scrib. orig. c. 23. Pitisc. in Suetonium.

Nota genitiva est congenita, originalis, & à natura ingenita. Suet. Aug. c. 80. n. 1. *Corpore traditur maculoso, dispersis per pectus, atque alvum genitivis notis in modum, & ordinem, ac numerum stellarum cœlestis ursæ*, Vocatur *signum ingenuum* Auson. de Urb. II. 10.

—— *Illa Seleucum*
Nuncupat: ingenuum cujus fuit ancora signum,
Qualis inusta solet generis nota certa, per omnem
Nam sobolis seriem nativa cucurrit imago.

Nota generis naturalis eandem, quam Ausonius, historiam narrant Justin. XV. 4. 9. *Originis ejus argumentum etiam in posteris mansit; siquidem filii nepotesque ejus ancoram in femore, veluti notam generis naturalem, habuere*. *Originis nota* Solin. c. 1. *Modo qualescunque originis suæ notas ferunt*. *Nota genitalis* Ammian. XXII. 14. *Est Apis bos diversis genitalium notarum figuris expressus*. Σημεῖον συγγενὲς Aristot. Hist. Anim. VII. 6. *Et habentes signa congenita*, σημεῖα συγγενῆ, *ut nævos, & cicatrices*. Salmas. Exerc. Plin. p. 28. b. A. 311. a. G. Casaub. in Theoph. Charact. p. 373. Kemp. de Oscul. Diss. XVIII. n. 2. Pitisc. in Suetonium.

Nota vocabatur inscriptio statuarum, aliorumque operum. Horat. Odar. IV. 8. 13.

Non incisa notis marmora publicis,
Per quæ spiritus, & vita redit bonis
Post mortem ducibus.

Ubi commentator vetus: *Notæ sunt characteres, tituli, inscriptiones, quibus defuncti duces quandam immortalitatem consequuntur*. Figrel. de Stat. Roman. c. 27. Has potius *notas* quàm literas appellat. Loci enim angusti, sive in arcuum triumphalium fronte, sive in statuarum basi integrè perscribere omnia non sinebant. *Notis* ergo ferè utebantur. *Torrent. in Horatium*.

Notæ arithmeticæ. V. illas infr. in *Numerare*.

Notæ judiciariæ erant, quibus judices in causis gravioribus sententiam, quam de tabulis non pronuntiabant, *notabant*. Ascon. in Cicer. p. 25. *Judices sententiam de tabula pronuntiabant in levioribus causis, & ob id ipsum neque nota, neque custode opus fuit*. Erant *A. C. N. L.* & *Theta*. V. singulas suis locis. *Hugo de prim. scrib. orig. c. 22*.

Notæ militares. V. illas supr. in *Milites*.

Notæ musicæ, quas vocant, originem trahunt ex hymno D. Johanni sacro, quem monachus quidam in Officiolo suo ad hunc modum habebat consignatum:

UT queant laxis
REsonare fibris
MIra gestorum
FAmuli tuorum,
SOLve polluti
LAbii reatum,
Sancte Johannes.

Ex hoc hymno religiosus iste primas cujuslibet versus syllabas, quæ sunt UT, RE, MI, FA, SOL, LA pro primis notis cantus posuit: & cantu isto in manus collocato cantare incepit, ac voces cum *notis*, quas in lineas posuerat, in concordiam redigere. *Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 249*. Musicas *notas* superiores locamus, verba sub notis substituimus. Quare dixit Horat. Epist. II. 2. 87.

Verba lyræ motura sonum connectere.

Buleng. de Theatr. II. 39.

Notæ pecuariæ pecudibus ad internoscendum eas inscribebantur. Festus. V. illum supr. in *Dignerare*, & infr. in *Signare*. Virg. Georg. I. 263.

Aut pecori signum, aut numeros impressit acervis.

III. 158.

Continuoque notas, & nomina gentis inurunt.

Calpurn. Ecl. V. 84.

Impressurus ovi tua nomina, nam tibi lites
Auferet ingentes lectas possessor in armo,

Ubi obiter aperit rationem moris, Meminit ejusdem ritus ex Arriano Titius Loc. contr. VII. 20. docens: *Sibas Indorum gentem consuevisse bubus clava notam inurere in Herculis memoriam, qui illuc penetravit*. Hugo de prim. scrib. orig. c. 20. Zimmerman. Floril. Philol. p. 566. Fruter.

Verif.

Verif. v. 15. Nicol. de Sigl. Vet. c. 49. §. 3. Cerda & Pontan. in Virgilium.

Notæ serviles. V. illas supr. in *Inscriptio*.

Notæ sortiariæ. V. illas infr. in *Sors*.

Notæ suffragatoriæ cœperunt, ex quo consulibus Mario & Flacco perlata est lex tabellaria à L. Cassio Longino de suffragiis non voce, aut hastarum sonitu, aut *χειροτονίᾳ*, sed tabella ferendis. Eæ erant, aut puncta, aut singulæ literæ. V. infr. in *Puncta*. Hugo de prima scrib. orig. c. 24.

Notæ vocantur plumæ, ex auro, vel purpura, rotundæ, & in modum plumarum factæ, quibus vestes intertexebantur, & variegabantur. Ovid. Met. vi. 577.

Purpureasque notas filis intexuit albis.

Quintil. viii. 5. *Porrò ut adfert lumen clavus purpuræ loco insertus, ita neminem deceat intertexta notis pluribus vestis*. Salmas. in Vopisc. Carin. c. 20. Ferrar. de Re vest. Anal. c. 3.

Notæ vocantur etiam scripturæ quædam compendia, cum verba non perscribimus, sed signamus. *Notarum* istarum primus quis auctor? Ego libenter Græcis gloriam dederim, & nominatim Xenophonti. De illo Laert. ii. 48. *Primus notis excipiens dicta Socratis in lucem, hominesque protulit*. At Latini ad se trahunt. Isidor. i. 21. *Vulgares*, ut distinguat à juridicis, & quia hæ in communissimo usu, *notas Ennius primus mille & centum invenit*. Sed itane auctor Ennius, nusquam lectum, & ipse Isidorus mox abnuit: *Romæ primus Tullius Tiro Ciceronis libertus commentus est notas, sed tantum præpositionem. Post eum Tertius, Persannius, Philargyrus, & Aquila Mæcenatis libertus alius alias addiderunt: deinde Seneca*, partem puto intelligi, *contractu omnium, digestoque, & aucto numero, opus effecit in quinque millia*. Quis ille *Tertius*? nullus in scriptis libris, quos ego vidi: & vox abest. Itaque legam, *post eum Persannius*: & idem nomen supra reponere ausim: *vulgares notas Persannius primus*, non autem *Ennius*, Ita dicat istum reperisse primum tali numero *notas*, etsi paucas antea Tiro Tullius. Hoc clarè Eusebius in Chronico: *M. Tullius Tiro, Ciceronis libertus, primus notas commentus est*. Mæcenatem etiam laudat Dio L. p. 553. B. *quod primus notas quasdam ad celeritatem scribendi invenit*. Non hercle primus omnes, sed *quasdam* ex iis, & auxit. Et exinde Dionem mente refragari istis non arbitror, etsi prope verbis. Fuerunt itaque inventum Tironis, Persannii, Aquilæ, libertorum, aut servorum. Ingenuè Senec. Epist. 90. *Quid loquatur verborum notas, quibus quamvis citata excipiatur oratio? vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt*. Lips. Epist. ad Belg. Centur. i. 27. Pollet. For. Rom. v. 12. Pignor. de Serv. p. 219. VVouvver. de Polym. c. 6. n. 10. Voss. Grammat. i. 41. Bernart. ad Stat. Sylv. i. 1. 16. Hugo de prim. scrib. orig. c. 18. Schill Nomencl. Philol. p. 801. Qui Dionem mente suæ sententiæ non refragari dicit Lipsius, qui tam signanter, & disertè Mæcenati *notarum* inventionem tribuit? Et cur tacet de Seneca, quem de *notis* rem perfecisse scribit Isidorus? Etenim nec iste ex vilissimorum mancipiorum numero fuit; nec Mecænati vitio verti potest, quod illi dedecori non fuit. Circumfertur autem etiam hodie *Tullii Tironis, & Senecæ notarum volumen* superioribus annis à Grutero evulgatum. *Meibom. Macen. c. 26. §. 5.* Ægyptiis hoc potius tribuendum est ex sententia Antonii Guberti Polyhist. c. 6. Ita enim hic refert: Hic mos per *notas* scribendi ab Ægyptiis videtur manasse, qui hieroglyphicis *notis*, hoc est, exsculptis sacris figuris animalium, aliarumque rerum, atque adeò literis primi omnium usi sunt, ut res, & animi pensa significarent. Sed facilè contigerit, ut *notæ* ab Ægyptiis ad Græcos emanarint, apud quos cum variis hominum ingenia delectentur, Xenophon præcipuè *notarum* studio tractus, easdem diligentiùs excoluit, & intermissione veluti sepultas in lucem, hominesque retulit. *Nicol. de sigl. vet. c. 3. §. 9. & 10.* Literas non esse ex Pedii sententia opinatur Paull. l. 6. §. 2. ff. de honor. possess. *Notis scripta tabula non continentur edicto: quia notas literas non esse Pedius libro vicesimo quinto ad edictum scribit*. Et eas à literis distinguunt Paull. l. 40. ff. de testam. militt. *Lucius Titius miles notario suo testamentum scribendum notis dictavit: & antequam literis præscriberetur, vita defunctus est*. Et Ulpian. l. 1. §. 7. ff. de extraord. cognit. *Cæterarum artium opificibus, sive artificibus, quæ sunt extra literas, vel notas posita.....* Et revera *nota* nomen videtur patere latiùs, quàm literæ: ut fulminis ictum, quo statua lactentis Romuli de cœlo tacta est, *notam* vocat Cicer. de Divin. ii. 21. *Hoc tamen callidè Jupiter cogitavit, Romulus lactens fulmine ictus: urbi igitur periculum ostenditur ei, quam ille condidit, quàm scitè per notas nos certiores facit Jupiter*. Quapropter si fulminis ictus est *nota*, idemque ictus non est litera: ut *nota* non sit litera, oportet consequi. Eodem pacto etiam Orat. pro Rabir. perduel. c. 9. *P. Furium hominem omnibus insignem notis turpitudinis* esse dixit. Et de Offic. ii. 7. *Alexandri Pherei satellitem barbarum compunctum notis Threiciis* ex historia fuisse narrat. *Ferrar. de Orig. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 1. (p. 12) D. Torrent. in Horat. Od. iv. 8. 13. Pollet, & Bernart. l. l. Popm. de Serv. p. 71.* Ferrarius hic valdè argutatur. Nec *nota* ille apud Ciceron. de Divin. apud quem *notæ* sunt signa, quibus aliquid præsignificatur: nec *notæ* turpitudinis, nec Threiciæ, quas Thraces inurebant corporibus, huc quicquam faciunt: nec illæ *notæ* quibus res secretas significabant amicis, sive illæ fuerint literæ aliter scriptæ, ut si *b* pro *a*, *c* pro *b* ponatur, ad exemplum Julii Cæsaris, sive fuerint certæ quædam literæ, figuræve voces denotantes, nihil faciunt ad Paulli *notas*. Is loquitur de his *notis*, quibus *ταχύγραφοι* utebantur, qui oratorum orationes excipiebant, quarum singulæ vocem significabant, vel etiam plures, quæ siglæ posterioribus temporibus appellabantur. Hæ *notæ* fuerunt duplices, ut in tabulis judicum N. L. pro *non liquet*, A *amplio*, SC *senatusconsultum*, quæ in frequenti usu fuerunt ab antiquissimis temporibus, ut liquet ex priscis legibus, lapidibus, inscriptionibus, & aliis monumentis: aut figuræ quædam, ut qua *fastis*, *Imperator Cæsar*, *orbis terrarum totus* significabatur, de quibus extat liber à Grutero in lucem emissus, qui Tyronis, & Senecæ nomen præ se fert, quæ sunt vocum compendia. Has *notas* intelligit Paullus, cum ait *notam non esse literam, & propterea testamentum notis scriptum esse irritum*. De his *notis* accipienda est quoque de testam. milit. Non tamen inficior posse à Paullo literas etiam illas singularias intelligi, quæ vocem integram denotant. Nam licèt sint literæ, non tamen vim literarum obtinent, sed vocum, ut: S. V. B. E. E. V. in epistolis Tullii, quibus, ut notum, significatur, *si vos valetis, benè est, ego valeo*. Has literas non literarum loco habet Ictus, sed vocum. Verùm prior sententia mihi verior videtur esse. Istæ, quibus literæ singulariæ voces denotant, diu ante Ciceronem, & Tironem fuerunt adhibitæ in publicis, privatisque monumentis, & tabulis: harum verò, quibus utebantur *notarii*, artem dicitur condidisse Cicero, aut ejus libertus Tyro, quamvis de illarum ambigatur inventione. *Grav. Præfat. ad Thes. Antiq. Roman. Tom. 1. ** 2. vers. Hugo de prim. scrib. orig. c. 18.* Illarum usus duplex: publicus, & privatus. Suggerit Isidor. l. l. *Notarum usus erat, ut quicquid pro concione, aut in judiciis diceretur, librarii scriberent complures simul adstantes, divisis inter se partibus: quot quisque verba, & quo ordine exciperet*. *Complures simul* fuisse necessum fuit, ubi citata, & longa oratio, neque unius mens, aut manus suffeceret. *Diviserunt partes, & verba*, id est, primus sex prima verba, pro exemplo, secundus sex altera, tertius tertia: aut tali divisione: & postea simul juncti, & conferentes, membris insitis, orationem explerent. Ac plurimum ita fuerit, certiusque ita fuerit: arte tamen adaucta nihil ambigam vel unum suffecisse. Igitur publicè hic usus, orationes & dicta excipere, ac promulgare. Ita Ascon. in Cicer. p. 194. tradidit orationem Ciceronis pro Milone, ipsam quam dixerat, nam hodierna hæc scripta modò est, *exceptam fuisse, quæ suo tempore extaret*.

staret. Et Quintil. Instit. Orat. vii. 3. queritur, *orationes aliquot suas circumferri, negligentia excipientium in quæstum notariorum corruptas*. Privatim fuit plurimus, sive in excipiendo statim, & sine jactura magna lectionis adnotando. Minor Plin. Epist. iii. 5. 15. *In itinere ad latus notarius cum libro & pugillaribus*, de majore: & de seipso ix. 36. 2. *Notarium voco, &, die admisso, quæ formaveram, dicto*. Quis negat grande in eo commodum? Hodie si in lectionibus publicis, ubi dictatura negat, usurpetur: quanto bono, & quo temporis fœnore fiat? *Lips. l. l. Nicol. ibid. c. 7. §. 1. & 2.* Nam mira hic in excipiendo celeritas: quæ finis, & fructus propriè hujus inventi. Celeritas, inquam, tanta, ut *quamvis citata*, verba Senec. Epist. 90. *excipiatur oratio, & celeritatem lingua manus sequatur*. Quid sequatur? imò præveniat. Mart. xiv. 208.

Currant verba licet, manus est velocior illis,
Nondum lingua, suum dextra peregit opus.

Manil. iv. 198.

Quique notis linguam superet, cursumque loquentis.

Auson. Epigram. 138. 16.

Tu sensa nostri pectoris
Vix dicta jam ceris tenes,
Tu me loquentem prævenis.
Quis, quæso, quis me prodidit?
Quis ista jam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?

Unde *furta verborum* dicebantur. Hieron. de vitand. susp. contub. *Extemporalis est dictatio, & tanta ad lumen lucernulæ facilitate profusa, ut notariorum manus lingua præcurreret, & signa, ac furta verborum volubilitas sermonis obrueret*. Lips. & Hugo l. l. VVouvver. ibid. n. 8. Nicol. ibid. §. 3. Donat. & Pitisc. in Suet. Tit. c. 3. n. 3. Iis etiam occultis usi sunt in iis, quæ alios celare vellent. Cicer. Attic. xiii. 32. *Quæ ad te de legatis scripsi, parum intellexisti credo: quia διὰ σημείων scripseram*. Gell. xvii. 9. *occultas literas* vocat, & de earum significatione Probum Grammaticum commentarios reliquisse scribit. Firmic. Astron. iii. 12. *difficiles, & absconsas literas* appellat. Harum frequens usus in sacris, quorum mysteria occultis *notis*, & literis tradi solita, ne profanis paterent. Apul. xi. p. 386. *De opertis adyti profert quosdam libros, literis ignorabilibus prænotatos, partim figuris cujuscemodi animalium, concepti sermonis compendiosa verba suggerentes: partim nodosis, & in modum rotæ tortuosis, capreolatimque condensis apicibus à curiositate profanorum lectione munita*. VVouver. ibid. n. 12. Erant & *notarum* pleni juris civilis libri, quarum varia, ac subtili interpretatione cum multi in fraudem inducerentur, magnæ etiam judicantibus, discentibusque tenebræ offunderentur, novitu eas Imperatores, quemadmodum Isidor. i. 22. scribit, ex legum codicibus sustulere. Et sanè Justinianus disertè prohibuit quicquam in suis libris *notis* scribi, ne qua malignis interpretibus, imperitisve, verborum evertendorum ansa præberetur. Testamenta autem *notis* scribi longè ante in paganorum causis improbatum fuerat: in militibus, quibus quoquomodo vellent, & quomodo possent testamenta facere, principum constitutionibus concessum fuerat, tunc tolerabatur, cum literis præscribi testamenta sua angustiæ temporis passæ non erant. V. Paullum supr. laudatum. Itaque nec *notis* scriptæ tabulæ edicto, quo prætor secundum tabulas bonorum possessionem defert, continebatur, l. sed cum patrono ff. de bonor. possess. *Brisson. Antiq. select. iv. 21. Popm. l. l.*

Nota vini. V. illam supr. in *Amphora*.

NOTARIUS propriè dicebatur servus, seu libertus, dictæ scriptionis peritus. Glossæ veteres: *Notarius, signi scriptor*. Mart. x. 62. 4.

Nec calculator, nec notarius velox.

Scævol. l. 41. §. Sejo ff. de fideicom. libert. *Sejo auri libras tres, & Stichum notarium, quem peto, manumittas*. Paull. l. 40. ff. de testam. milit. supr. laudatus. *Bernart. in Stat. Sylv. i. 1. 16. Beger. Spicil. Antiq. iii. 19. Popm. de Serv. p. 71. VVouvver. Polymath. c. 6. n. 9.* Tres *notariorum* erant ordines. Alii *tribuni notarii*, appellati quod honore tribunis prætorianis æquabantur. Zosim. v. 40. *Johannes præfectus aliquando notariis principis, quos tribunos vocant*. Candidati etiam dicebantur. Cassiod. Var. i. 4. *Pater meus candidatis sub Valentiniano principe gessit tribunum, & notarii laudabiliter dignitatem*. Alii *domestici*, quod Imperatori essent à secretis, cujus arcana scribebant. *Familiares* suo vocat Gratian. l. penult. C. T. de primic. *Ad imperiale secretum eligi* dicit Cassiod. l. l. Ultimus ordo erat inferiorum tribunorum *notariorum*. Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 93. Schill. Nomencl. Philol. p. 803. Erant diversi à scribis. V. infr. in *Scriba*.

NOTHÆ filiæ an dos à patre debeatur, quæritur. Nam extat testimonium. Ulpian. l. uxorem 41. §. pater naturalis 11. ff. de Legat. iii. ubi apertè scribitur, patrem non teneri dotem spuriæ filiæ constituere. Indeque vulgaris nata opinio est, patrem *nothis* puellis dotem non debere. Sed videamus, an lex illa nihil ad jus novum, hoc est, à Justiniano inductum pertineat: nam jure antiquo pater naturalis filiam alere non cogebatur, l. 5. §. 4. ff. de agnosc. lib. tantum abest, ut dotare teneretur. Sed cum jure novo boni viri arbitratu alimenta debeantur, statuendum putarem, ex boni quoque viri arbitratu, pro facultatum paternarum modo, et dotem, quæ quodammodo alimentorum locum obtinet, constituendam esse. Hæc constituta si fuerit, quæritur, ad quem soluto matrimonio revertatur. Sed de eo quia nihil toto jure constitutum est, non dubitarem, ad eum modum nobis respondendum esse, quem de cæteris dotibus in libro de Dotibus explicavimus. *Hotoman. de Spur. & Legitimat. c. 3. Palaot. de Noth. & spur. c. 49. n. 1.*

NOTHUS, νόθος, vox est Græca, quæ generaliter significat in hominibus, bestiis, arboribus, herbis, ac rebus omnibus, quod non est legitimum, hoc est, secundum generalem cursum, ac regulam. Sic dicimus *notha* scripta ea, quæ non sunt auctoris, cujus nomen referunt. Sic *notha* poma à legitimo, & ordinario statu declinantia. Sic *qui non sit legitimus, Græcis vocatur: Latinum rei nomen, ut Cato quoque in oratione quadam testatus est, non habemus, ideoque utimur peregrino*. Quintil. Instit. iii. 6. *Hotmann. de Spur. & Legitimat. c. 1. Rhodig. Ant. Lect. xxiv. 6. Bud. in Pandect. p. 50. I. Voss. Lex. Etymol. Palaot. de Noth. & Spur. c. 17. n. 9: c. 18. n. 5. Heuter. de Liber. homin. libert. c. 7. §. 3. Cujac. Observ. v. 6.* Differt à spurio, quod certum patrem nominare potest, ut qui è concubina nascitur: spurius non potest, eò quòd è muliere se pluribus prostituente, sive, ut Lucret. iv. 1064. loquitur, *volgivaga Venere* est conceptus. *Voss. l. l. Palaot. de Noth. & Spur. §. 17. n. 9. & 10.* cum legitima in locum querelæ inofficiosi introducta sit, pater in illos inofficiosus dici non poterit, cum justis liberis existentibus non licet ei amplius uncia illis relinquere, ut Novell. 89. dicitur. Etsi autem ex causa quidem intestati, si justi liberi non extent, sextans iis debeatur, qua de causa tertia sextantis pars eorum legitima esse videretur: tamen, cum legitima nonnisi ex testati causa debeatur, inofficiosus dici non poterit, qui etiamsi inofficiosissimus esse cupiat, tamen nonnisi in uncia esse potest. Nihil igitur iis legitimæ nomine debetur, sed ejus nomine alimenta boni viri arbitratu attribuenda sunt. *Hotmann. ibid. c. 3.* Quod attinet ad illorum hæreditates paternas, Justin. Novell. 89. §. 13. statuit, ut, quod jus *nothis* in parentum hæreditatibus tribuitur, idem parentibus in filiorum successionibus concedatur. Quod non ita facile ad explicandum videtur. Nam siquidem *nothus* liberos habeat, verum est, patrem ipsius egentem, arbitratu viri boni, ipsius facultatibus alendum esse. Quod ad alterum caput attinet, quo constitutum est, ut, si pater justos liberos non habeat, sextans *notho*, deunx legitimis patris hæredibus attribuatur; non video, quemadmodum in *nothi* persona reciprocari possit. Nam si *nothus* liberis careat, non sextans, sed as integer patri debebitur: ex causa autem testati jus hoc manifestum est, ut *nothus*, liberos habens, patri suo unciam relinquere debeat: sed si pater liberos non habeat, patrem habeat, dictum est, eum posse bessem *notho* relinquere, trientem pa-

tri

ari debere: quod quemadmodum contrarium in patrem verti possit, obscurum est; pater enim patri suo trientem tantum debet, cum notho bessem relinquat. At nothus, liberos non habens, poterit extraneis bessem relinquere, suo verò patri trientem. Postremus articulus, in quo dictum est, si pater neque patrem, neque liberos habeat, totum assem posse notho relinquere, reciprocationem non admittit. Maternas verò. In illis jus nothorum antiquo jure multiplex fuit. I. ut ex Orphitiano Scto matris intestatæ hæredes essent legitimi, l. 1. §. 2. C. ad Tertyll. §. 3. Instit. de Orphic. II. ut iis legitima in bonis maternis deberetur: alioqui inofficiosi querela uterentur, l. 1. suspecta 29. §. 6. ff. de inoffic. testam. III. ut bonorum possessio unde cognati iis deferretur, l. 2. ff. unde cognati. §. vulgo quæsitus Instit. de succ. cognat. IV. ut mater illos alere cogeretur, l. si quis à liberis §. 4. ff. de agnosc. lib. V. ex Justiniani constitutione, ut unà cum justis liberis æquis ex partibus succederent, l. si qua illustris 5. C. ad Orphic. VI. ut patronæ liberi vulgo quæsiti materni liberti bonorum possessionem acciperent, l. patronæ 18. ff. de bon. libert. VII. ut mater iis tutorem petere cogeretur, l. ult. C. qui pet. tut. *Hotman. ibid.* c. 4. Ex nobilibus parentibus nati nobilitatem videntur retinere. Cum enim maternam cognationem retineant, qua de causâ bonorum possessio *unde cognati* ipsis defertur, l. 8. Modestinus ff. unde cognati, difficile dictu est, eos posse cognationem sine nobilitate retinere: quippe cum matris conditionem sequi dicantur, l. 1. ff. ad municip. Præterea, quod ad novum jus attinet, hodie *nothi* sine patre dici non possunt. Nam ex Novellis Justiniani tam certum habent patrem, certamque matrem, quàm qui ex justissimis nuptiis procreati sunt. Itaque etiam ab intestato patri hæredes designantur. Quod si legitimati sunt, quia tunc in patriam potestatem redacti sunt, ut intelligitur, l. ult. ff. de adopt. probabiliter disputari posset, eos suitatem usquequaque adeptos esse, quasi jus suitatis individuum sit, ut videmus, l. qui in prov. 57. §. 1. ff. de rit. nupt. statum eorum, qui incestu nati fuerant, ab Imperatoribus ita confirmari, ut planè pro legitimis habeantur. Contra, quod ad matris familiam attinet, pugnat l. quod nobilitas jure nostro definitur claritas generis, ac proinde ex majorum origine defertur, l. 1. C. de dignit. *nothorum* autem origo ex eo tantum die, quo nati sunt, numeratur, l. ejus qui 9. ff. ad municip. *Ejus qui justum patrem non habet, prima origo à matre, eoque die, quo ex ea editus est, numerari debet.* II. Mulier familiæ suæ & caput, & finis est, l. pronuntiatio 195. ff. de verb. signif. feminarum autem liberi in familia earum non censentur, l. seq. eod. III. Justin. l. si qua illustris C. ad Orphic. si bene lex attendatur, concubinatus, & *nothorum* nomen à nobilissimis feminis apertissimè removet. Etsi autem novo jure certum patrem habeant, non tamen filii jus adipiscuntur, quia suitas, filiatio, agnatio, cognatio sunt individua, l. quæsitum 34. ff. de Adopt. Quod autem ad legitimatos attinet, jus antiquum, quo per principis præscriptum suitatem adipiscebantur, aperte per Novell. 89. abrogatum est: ubi Justinianus sanxit, ubi legitimati soli patri legitimati sint, non etiam generi: idque certæ duntaxat portionis causa. Unde apparet, legitimationem esse jus quoddam definitum, & certis tanquam terminis ita circumscriptum, ut longiùs produci non possit. Cum autem claritas generis per totam familiam diffusa, & planè individua sit, atque in agnatione, & gentilitate posita, quomodo ex ea sola parte nobilitatem adsequerentur? *Hotman. ibid.* c. 5. V. etiam infr. in *Spurius*.

NOTITIA *dignitatum*......significat summariam cognitionem magistratuum, ac Palatinorum: in quo sensu hæc vox à posterioribus legum latoribus accipitur. Constantinus enim *notitiam* artificum pro eorum indice ponit, l. 1. C. de excus. artif. Theodosius pro brevi scriptura, quæ continet quantum quæque provincia ex indictione auri solvere debeat. Leo l. fin. §. & est notitia C. de div. offic. pro catalogo officiorum, quæ in scriniis memoriæ epistolarum, & libellorum scribenda, & a principe probanda erant. Justinianus pro albo, vel matricula scholarum accipit, l. ult. C. de offic. mag. Alio nomine *brevis* vocatur, l. ult. C. de conven. fisc. debitor. Et Suetonius *breviarium imperii* Aug. c. 101. n. 7. *rationarium imperii* Aug. c. 28. n. 1. nominat. *Dignitatum* verò, non magistratuum dixit, quia non tantum jus dicentes, sed & aliis honoribus præditos continet, ut primicerios sacri cubiculi, notariorum, castrensem palatii, & scriniorum magistros, qui jurisdictione carent, & spectabilium dignitate honestantur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VII. *p.* 1329. *A.* 1326. *A. Bulong. de Vectig. c.* 95. Non alium quàm Augustum, & sequentes principes auctores habet. *Panciroll. ibid. p.* 1326. *B.* Ego ab vetusto aliquo scriptore conscriptam nullus dubito. Verùm cum in descriptione Constantinopolitanarum regionum situs etiam & limites exactissima diligentia notatos videam, Romanas autem exiliter, & quasi cursim tractatas: tum verò multis etiam in locis manifestos, & Victori, Rufoque repugnantes errores animadvertam, Græculum aliquem rerum Romanarum satis imperitum illius auctorem agnosco: in cujus sententiam nonnisi testudineis pedibus eundum sit. *Nardin. Rom. Vet.* II. 5.

NOTOR dicebatur, qui ignoti dabat notitiam. Hi non nimium diversi erant à proxenetis, & intercessoribus. Cum quis quasi ignotis pecuniam alteris credere verebatur, *notores* eos commendabant, & sibi *notos* affirmabant, & bene his posse credi. Senec. Epist. 39. *Qui notorem dat, ignotus est.* Lud. de morte Claudii p. 850. *Si quis à me notorem petiisset, te fui nominaturus, qui me optimè nosti. Cognitores* dicuntur Cicer. Verr. v. 65. *Adeunt ad ea loca, quæ nunquam antea viderant: ubi neque noti esse quo venerunt, nec semper cum cognitoribus esse possunt.* Γνωστῆρας vocat Xenoph. Pædag. Cyri p. 163. B. Γνωστῆρας ἐμοὶ προσαγαγών. *Salmas. de Mod. usur. c.* 10. *&* 16. *Turneb. Adv.* XXIX. 36. *Lips. in Senecæ Epistolas. Gruter. in Senec. Ludum. Dous. Præcid. in Petron.* II. 2. *VVouuver. de Polymath. c.* 6. *num.* 11.

NOTORIA non est brevis, aut compendiaria scriptio, quemadmodum existimavit princeps hujus ætatis literatorum. Non est dicta à *notis*, hoc est, compendiis illis literarum. Sed est indicium, quo crimina, sive rei deferuntur ad principem, & ejus *notitiæ* suggeruntur. Dicta, quod *notos* faciebat, sive indicabat reos. Apul. Met. VIII. p. 208. *Sodalis, quo commodum falsam de me notoriam pertulerat.* August. Epist. 160. *Qui non accusantibus nostris, sed illorum notoria, ad quos tuendæ pacis vigilantia pertinebat, præsentari videntur examini.* Gloss. vet. μήνυσις, *notoria, indicium.* Græci μήνυσιν dicunt. Glossæ nostræ: *notoria*; μήνυσις. *Salmas. in Treb. Poll. Claud. c.* 17. *VVouuver. de Polymath. n.* 6. *n.* 11. *Cerda Adv. c.* 106. *n.* 2.

NOV.

NOVA ut ederent, laus erat edentium. Plin. Epist. IX. 6. 1. *Circenses erant, quo genere spectaculi ne levissimè quidem teneor. Nihil novum, nihil varium, nihil quod non semel spectasse sufficiat.* Vopisc. Carin. c. 19. *Memorabile maximè, & Carinus, & Numerianus hoc habuit imperium, quod ludos Romanos novis ornatos spectaculis dederunt.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 3.

NOVALE, & *novalis ager*, Græcè dicitur νέωμα, νέατος, νέος, νειός, νέα, & νέατα. Glossæ: νέατος, *novalis terra.* Sæpiùs arabatur. Prima aratione dicebatur terra proscindi: altera redarari, vel iterari: tertia tertiari, vel lirari. Prima aratione grandes glebæ excitantur, secunda franguntur, tertia aut quarta aratio fit cum seminis jactione. *Novalis* ergo ager primam solum arationem expertus fuit, perque annum cessavit. Plin. XVIII. 19. *Quod verè semel aratum est, à temporis argumento vervactum vocatur. Hoc in novali, atque requieto necessarium est. Novale est, quod alternis annis seritur.* Festus: *Novalem agrum Aelius Gallus, & Opilius, item Aurelius eum ajunt esse, quem Græci νειὸν dicunt, ad quod Homero quoque teste utuntur, qui dixit Iliad.* Σ. 547. νειοῖο βαθείης τέλσον ἱκέσθαι, *ad novalis*

valis profundi terminum pervenire. *Sed Cincius eum esse, ubi gleba proscissa ad novam sementem sit relicta.* Paull. l. 30. §. Novalis ff. de verb. signif. *Novalis est terra proscissa, quæ anno cessavit, quam Græci NEACIN vocant.* Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 514. b. E. Bud. in Pandect. p. 278. A. Turneb. Adv. XVIII. 12. Calcagn. de verb. signif. p. 356.

NOVATIO *est prioris debiti in aliam obligationem, vel civilem, vel naturalem, transfusio, atque translatio, hoc est, cum ex præcedente causa ita nova constituatur, ut prior perimatur.* Ulpian. l. 1. ff. de novat. & obligat. Definitio hæc paucis totam *novationis* substantiam evolvit, eoque explicet, cujus ea vis, ac potestas est, ut priore perempta novam constituat obligationem. *Brisson. de Solution. p. 262. Sigon. de Judic. I. 5.*

NOVEMBER. Nomen suum assumpto alio nomine non mutasse scribit Plutarch. in Num. p. 72. E. *Soli postremi duo appellationem ab ordine, sicuti ab initio habuere, servaverunt.* Sed *Exsuperatorium* Commodi adulatores dixisse Lamprid. c. 11. *Menses in honorem ejus pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exsuperatorium, pro Decembri Amazonium, ex signo ipsius adulatores vocabant.* Illo tamen mortuo libertatem adeptus pristinum nomen recuperavit. *Merestell. Philom. II. 13. Viola de Vet. & nov. Roman. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* VIII. *p. 196. E. Stuck. de Sacrif. p. 26.* Cum triginta dierum esset à Romulo constitutus, & à Numa uno mutilatus, à Cæsare tamen ad triginta fuit restitutus, & semper nonas quinto mensis die, idusque decimo tertio conservavit. *Viola l. l.*

NOVEMDIALIA fuerunt feriæ funebres. V. illas supr. in *Feria novemdiales.*

NOVERCA est altera patris uxor. Modestin. l. 4. §. 6. ff. de Gradib. *Uxor liberis ex alia uxore natis noverca dicitur.* Hotman. de Rit. nupt. & matrim. c. 10. Hujus cum privigno matrimonium est illicitum. V. supr. in *Matrimonium.*

Noverca appellantur loca iniqua à mensoribus. V. illas supr. in *Canabula.*

NOVI dicebantur, qui nulla majorum commendatione, primi ad magistratus curules pervenerunt. Plutarch. Caton. maj. p. 336. B. *Quia solent Romani obscuro genere ortos, qui incipiunt actibus suis inclarescere, novos homines appellare: ut etiam appellabant Catonem.* Appian. Bell. Civil. II. p. 428. *Novos homines vocare solent eos, qui non majorum gloria, sed suapte virtute inclaruerunt.* Catonis pater ignobilis, ipse *novus*, posteri ejus nobiles exstiterunt. Est enim *novitas* inter nobilitatem & ignobilitatem interjecta. Hujus rei admonemur à Cicer. pro Cluent. c. 40. *Et jam querimur, sæpè hominibus novis non satis magnos in hac civitate esse fructus? nego usquam unquam fuisse majores: ubi si quis ignobili loco ita vivit, ut nobilitatis dignitatem virtute tueri posse videatur, usque eo pervenit, quoad eum industria cum innocentia prosecuta est. Si quis autem hoc uno nititur, quod sit ignobilis, procedit sæpè longiùs, quàm si idem ille sit cum iisdem suis nobilissimus.* Itaque de se homine *novo* dixit in Rull. c. 1. *Me hominem novum consulem fecistis. Mihi apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur, non quod non tales fuerint, quales nos illorum sanguine, disciplinisque institutos videtis, sed quod laude populari, atque honoris vestri luce caruerunt.* c. 36. *Quemadmodum cum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt; sic si quid deliquero, nullæ sunt imagines, quæ me à vobis deprecentur.* Sigon. de Ant. jur. civ. Roman II. 20. de Nom. Roman. c. 6. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. II. p. 2018. E. Lips. Elect. I. 29. Kipping. Antiq. Rom. II. I. 5. Rosin. Antiq. Roman. I. 19. & ad illum Demsterus.

NOVIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

NOVUMCOMUM est situm ad radices Alpium ed Larium lacum. Strab. IV. p. 133. & 141. *Initio mediocre fuit oppidum. Sed Pompejus Strabo Magni pater afflictam à supra accolentibus Rhætis instauravit: deinde C. Scipio ad tria colonorum millia adjecit: quibus iteram D. Cæsar 177. addidit, de quibus 10 fuerunt Græcorum nobilissimi. His & jus civitatis dedit, & inter colonos eorum nomina retulit, qui tamen Græci ibi sedes non posuerunt, sed coloniæ isti nomen reliquerunt, ut Novocomenses oppidani omnes appellarentur.* Aliquot post annis M. Marcellus cos. Cæsari inimicus, ad senatum retulit, *ut colonis, quos rogatione Vatinia Novumcomum deduxisset, civitas adimeretur, quod per ambitionem, & ultra præscriptum data esset.* Suet. Jul. c. 28. n. 3. Civitatem intellexit, non Romanam, quæ veteribus incolis data esset, quæ nulla erat; sed *Novocomensem*, quæ quingentis colonis Græcis adjectis. Nam, ut scribit Appian. Bell. civil. II. p. 443. Cæsar *Novumcomum* ad Latii jus redegit, quod erat, *ut qui annuum magistratum ibi gessisset, is civis Romanus esset*, id est, novos colonos Græcos, quos Comum adscripserat, etiam jure Latii, quo veteres incolæ lege Pompeja donati fuerant, decoravit. Marcelli factum in *Novocomensem*, V. supr. in *Jus Latii.* Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 2.

NOX.

NOX *in quatuor vigilias dividitur. Singulæ ternas horas continent.* Suidas in Προφυλακή. Censor. de Die nat. c. 23. *Noctem quadripartito dividebant: idque testatur similitudo militaris, ubi dicitur, vigilia prima, item secunda, & tertia, & quarta.* Valtrin. de Re milit. Roman. IV. 6. Laurent. de Ann. c. 1. Actionem dirimebat. Plin. Epist. IV. 9. 9. *Actionem meam, ut prælia, nox diremit. Egeram tribus horis & dimidia; supererat sesquihora. Nam cum è lege accusator sex horas, novem reus accepisset; ita diviserat tempus reus inter me, & eum, qui dicturus post erat, ut ego quinque horis, ille reliquis uteretur.* Pollet. For. Roman. I. 11. Intempesta vocabatur ea *noctis* pars, quæ ad res gerendas idoneum tempus non habet. Græcè *ἀωρονυχία, ἀμολγὸς,* & *ὥρα ἀπάλαμνος* dicitur. Cicer. in Pison. c. 31. *Nocte intempesta crepidatus veste servili navem conscendit.* Virg. Æneid. III. 587.

Et lunam in medio nox intempesta tenebat.

Columna in Ennii Annal. I. p. 45. Cerda in Virgilium & Georg. I. 247. Ritu Romano dea censebatur. Horat. Od. III. 28. 16.

Dicetur merita nox quoque nænia.

Turneb. Adv. XXIV. 45. Pingebatur in tunica multis stellis obsita. *Barth. Adv.* XII. 11. Nocturno tempore sacra illi fecerunt gallo. Ovid. Fast. I. 455.

Nocte deæ nocti cristatus cæditur ales,
Quod tepidum vigili provocet ore diem.

Gyrald. Symb. Pythag. interpr. §. 19. Stuck. de Sacrif. p. 20.

NOXA & *noxia* differunt, ut vult Tribonianus, dum scribit in Instit. IV. 18. 2. *Noxa est ipsum corpus, quod nocuit, id est servus: noxia ipsum maleficium, veluti furtum, damnum, rapina, injuria.* Hinc sua desumpserunt veteres glossæ: *Noxa, αὐτὸ σῶμα τὸ βλάψαν. Noxia, αὐτὸ τὸ κακούργημα: οἷον κλοπή, ζημία, ἁρπαγή, ὕβρις.* Sed ea *noxa* notio non videtur esse in usu. Nec *noxia* semper sumitur pro culpa, sed est cum ponitur pro jurgio, aut dissidio. Petron. c. 56. *In mediam noxam perfertur.* Auson. Eid. XII. 31.

Sæpè in conjugiis fit noxia, si nimia est dos.

Et annotandum, quod hodie in Gallia jurgium vocatur *noise*, id à *noxia* esse detortum. *Scalig. in Catal. p. 213. Voss. Lex. Etymol. Noxa* tria significat. I. damnum, ut cum *noxam dedisse* dicitur servus. II. peccatum, vel delictum, cum *noxam commisisse*. III. pœnam, vel supplicium, quando *noxæ deditur*. Et rectè veteres Philoxeni glossæ *noxæ deditum* interpretantur *ἔκδοτον εἰς κόλασιν*. Servius rectiùs de differentia *noxæ*, & *noxiæ* quàm Tribonianus. Æneid. I. 45. *Hoc interest inter noxam & noxiam, quod noxia culpa est, id est, peccatum, noxa autem pœna.* Citant veteres grammatici ex Accii Menalippa: *Te esse huic noxæ obnoxium*, id est, pœnæ, supplicio. Imo *noxa* tam pœnam, quàm maleficium significat. Pœna est in *noxæ deditione:*

ditione, maleficium, cum *noxa commissa* dicitur. At quod sæpè *noxa deditio* occurreret in libris ICtorum veterum, putavit ille ibi *deditionem noxæ* poni pro deditione corporis. Ipsum quippe corpus dedebatur, quod *ἀγώγιμον* fiebat, & *ἔκδοτον εἰς κάκωσιν*. Ut l. 2. ff. de noxal. action. *Ut si damnati fuerimus, liceat nobis deditione ipsius corporis, quod deliquerit, evitare litis æstimationem.* Hinc ille sumpsit, aut ex similibus locis, *noxam* esse corpus ipsum. Atqui si *noxa* corpus est in *noxæ* deditione, erit etiam, cum servus dicitur *noxæ dedi*, & in *noxam*. Quod est ridiculum. *Salmas. de Mod. usur. c. 19. Augustin. ad Leg. XII. tab. §. 39. Beroald. in Serv. §. 3. Noxin* est natura sua adjectivum, & intelligitur culpa. *Voss. & Beroal. l. l.*

NOXII, sive sontes olim vendebantur in pœnam delictorum. Colum. III. 3. *Vinitoris, quem vulgus quidem parvi æris, vel de lapide noxium posse comparari putat.* Utrùm verò illa *noxiorum* venditio pœnalis in petra illa scelerata fieri sit solita, qui locus puniendis damnatis jam destinatus erat: an verò in alio saxo, lapideve, ubi servi, aut bona quævis alia sub hasta vendebantur, quoque emptores concurrere consueverant, libero inquirentium arbitrio dijudicandum relinquo. *Nardin. Rom. Vet.* III. 9. In amphitheatrum eo tunicis auratis, & chlamydibus inducebantur. Spartianus. V. illum supr. in *Chlamys*. Ferrar. de Re vest. II. 3. 13. Ad stipitem alligati feris prædæ erant, & ab illis laniabantur. Artemid. II. *Quidam somnio sibi visus est transformatus, & summa manuum truncus: is cum esset capite damnatus, surrectus ad stipitem ab urso devoratus est.* Vopisc. Aurel. c. 37. *Sane Mnestheus postea surrectus ad stipitem bestiis objectus est.* Buleng. de Circ. Rom. c. 6. de Venat. Circi c. 36. de Theat. I. 48. Existimationis alicujus qui erant, in carcere strangulabantur. V. supr. in *Carcer*. Interdum vivi comburebantur. Zonar. Tom. III. p. 238. *Malefici Constantinopoli in theatro aurigationis comburuntur.* Suidas in Valentinianum: *Præpositum Rhodanum in circo igne cremat.* Buleng. de Circo c. 6.

NUB.

NUBERE propriè, & primario significatu est tegere, velare, operire. Onomast. *Nubo, καλύπτω*. Auctor vetus in Pervig. Ven. n. 22.

Ipsa jussit mane, ut uda virgines nubant rosæ.

Brisson. de Ritu nupt. p. 58. Hotman. de Vet. rit. nupt. c. 55. VVeitz. in Pervigilium. Lip. Elect. I. 5. Et hinc est nuptias facere, quia novæ *nuptæ velo obnubi* solebant, cum ad virum ducebantur. Ambros. Exhort. ad virg. Tom. 5. p. 108. *Operiuntur ut nubes, cum acceperint nuptiæ velamina.* Unde puella dicitur *nubere*, adolescens *ducere*. Caper de Orthogr. *Vir ducit, mulier nubit, quia pallio obnubit caput suum, renasque.* Hieron. in Matth. c. 22. n. 30. *Latina consuetudo Græcæ idiomati non respondet: nubere enim propriè dicuntur mulieres, & viri uxores ducere.* Ovid. Met. IX. 760. de Iphi puella, sed quam pro mare pater adhuc habuerat, & ei formosissimam virginem desponderat:

Pronuba quid Juno? quid ad hæc, Hymenæe, venitis Sacra, quibus qui ducat abest, ubi nubimus ambæ.

& manifestè inter *nubere*, & *ducere*, ita ut eis usus obtinuit, distinguit Claud. in Eutrop. I. 223.

—— nubas, ducasve licebit,
Nunquam mater eris, nunquam pater.

Scalig. Anim. ad. in Titu loc. contr. X. 19. Guther. de vet. jur. pontif. I. 16. Nihilominus etiam viri dicuntur *nubere*. Non. II. 577. *Nubere veteres non solum mulieres, sed etiam viros dicebant, ita ut nunc Itali dicunt.* Pompon. Pannuc.

Sed meus frater major, postquam vidit me ejectum domo,
Nupsit posteriùs dotata vetula, varicosa, Afra.

Varr. Annq. XIV. apud Non. VII. 98. *Viris nuptis sacrificabuntur in cubiculo viduæ.* Plaut. Trin. arg. n. 9.

Senex ut redit, cujus nubunt liberi.

Filius nuntium & filia. Ovid. Met. I. 700.

Talia verba refert: tibi nubere, nympha, volentis Votis cede dei.

Senec. Contr. 21. *Tyrannus permisit servis, ut dominabus suis nubant.* Juvenalis. V. illum infr. in *Porticus Quirini*. Tertull. ad uxor. I. 7. *Regem seculi pontificem maximum rursus nubere nefas est.* II. 9. *Nam nec in terris filii sine consensu patrum ritè, & jure nubent.* Barth. Adv. VI. 14. XXVI. 26. & in Claudianum, Farnab. in Ovidium, Taubm. in Plaut. Casin. I. 5. 6. Junius in Tertullianum. Feriis publicis viduæ, sed non virgines *nubebant*. Plutarch. Quæst. Rom. 105. *An causa est, quam adfert Varro? virgines nubere invitas, & tristes, mulieres cum lætitia: festo autem die nihil cum molestia, omnia lubenti animo sunt agenda. An quia decorum est virginibus earum multis præsentibus peragi, idemque viduis dedecori? prima enim nuptiæ optandæ sunt, & in pretio: secunda votis recusandæ, quod vel cum turpitudine nubunt vivente priore marito, vel cum luctu, si is sit mortuus: itaque vidua ad suas nuptias quiete magis gaudent, quam frequentia hominum & tumultu; festivitates porro multitudinem adstrahunt, neque nuptiis vacare patiuntur. Aut, quia festo die raptis Sabinis virginibus bellum est ortum, religiosi ipsis inde fuit virginum nuptias festis diebus celebrare?* Brisson. ibid. p. 94. Etiam anciliorum festo *nubere* ominosum erat. Kalendarium vetustum: *Festum Martis & Junonis. Ancilia feruntur. Non est bonum nubere.* Et in Kalendario Dempsteri ad primum Martii legitur: *Martis, anciliorumque festum, nec nubere bonum, quousque condantur.* Ovid. Fast. III. 393.

Nubere si qua voles, quamvis properabitis ambo,
Differ: habent parvæ commoda magna moræ.
Arma movent pugnam, pugna est aliena maritis.
Condita cum fuerint, aptius omen erit.

Gutberl. de Salus c. 15. Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 13. Brisson. de rit. nupt. p. 13. Et mense Majo inauspicatum habebatur. V. supr. in *Majus*. *Nubentes* oliva coronabantur. V. infr. in *Oliva*.

NUC.

NUCLEUS est propriè tenerum illud, & aptum edi in amygdalis, cæterisque nucibus. Quemadmodum verò hoc continetur inter durum utrinque putamen, ut

Qui è nuce nucleum esse vult, frangat nucem.

dicente Plaut. Curc. I. 1. 55. sic eleganti translatione architecti *nucleum* vocant tertium pavimenti corium, partem cæteris teneriorem, & molliorem, quæ supra & infra continetur, & includitur duabus durioribus, & firmioribus, infrà ruderationem, suprà summa crusta testacea. Componebatur ex lateribus, testis figulinis, aut testa tusa calci admixtis, sic ut ad tres partes una esset calcis. Oportebat, ut *nucleus*, & summa crusta junctim haberent crassitudinem sex digitorum, si firmitate, & soliditate perfecta erant. Docet hoc, & quæ modò diximus, Vitruv. VII. 1. *Insuper ex testa nucleus inducatur, mixtionem habens ad tres partes unam calcis, ita ut ne minore sit crassitudine pavimentum digitorum senum.* Bergier. de Viis milit. II. Sect. 13. §. 7. 8. Italum vulgus *anima* appellat. *Philand. ad Vitruvium.*

NUD.

NUDATIO præcedebat suspensionem. Nam simul ad crucem ventum, spoliabant hominem, & sic in eam dabant. Receptum hoc in plerisque suppliciis, velut naturæ jussu, quæ *nudos* induxit in mundum, & educit: etiam in isto. Artemid. Oneirocr. II. 58. *Crucifigi bonum pauperi, quia sublimis est crucifixus: nudum vero divoti, quia nudi crucifiguntur.* In Cristo factum hoc observes: quem Euangelistæ narrant recepisse post flagellationem vestes jam deducendum, & positâ iterum deductum. *Lips. de Cruce* II. 7.

NUDI in quolibet pænè certamine certabant veteres. Virg. Georg. II. 531.

Corporaque agresti nudat prædura palæstra.

Mart.

Matt. III. 68. 3.

Gymnasium, therma, stadium est hac parte; recede.
Exuimur: nudos parce videre viros.

Mercur. Gymn. I. 6. Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 1. Cerda in Virgilium. *Nudus* in Olympiaco stadio primus decurrit Acathus Lacedæmonius. V. illum supr. in *Athleta.* Saltabant quandoque pantomimi. Cyprian. Epist. 103. *Ecce tibi alter nudus saltat, alter orbem aneum contentis in aerem viribus jactat.* Buleng. de Theat. I. 51.

NUDIPEDALIA festum fuit apud gentiles, Græcos, Romanos, Barbaros, in quo *nudis pedibus* oportebat omnes incedere. Tertull. Apolog. c. 40. *Denique cum ab imbribus æstiva hiberna suspendunt, & annus in cura est, quidam quotidie pasti, statimque pransuri, balneis, & cauponis, & lupanaribus operati, Aquilicia Jovi immolatis, Nudipedalia populo denuntiatis.* Institutio, ut videtur, *nudipedalium* fuit, ut aquarum cœlestium defluxum, terra arescente, impetrare possent. Proprium tamen id populi Judaici festum. Describit Joseph. de Bell. Judaic. II. 15. V. illum supr. in *Berenice.* Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Rom. V. 36. Balduin. de Calc. antiq. c. 23. Perperam. Aliunde *nudipedalia* originem habere, quàm à sollennibus jejuniorum diebus, qui inter Judæos in magnis calamitatibus observati sunt, ego suspicor. Et licèt pro ratione, & necessitate temporis *nudis pedibus* peregerint Judæi, non tamen *nudipedalia* proprium festum Judaici populi fuerunt. Uti enim hodie Judæi ingruentibus in civitatem aliquam calamitatibus publicis, peste puta grassante, aut uredine, aut rubigine frumentum invadente, item propter pluviarum vel defectum, vel abundantiam indicunt jejunia, ita olim etiam à sanctis Patribus institutum fuit. Quæ quidem jejunia variis signis abjecti animi observarunt, uti hæc hominibus quasi innata religio est, ut externis indiciis studeant declarare abjectum animum, ut divinum favorem eo magis sibi concilient. Pariter *nudipedalia* urgentibus necessitatibus inter gentiles instituta sunt, ut divinum favorem in se elicerent, non Judæorum exemplo, sed instinctu humani ingenii, quod ad talia proclive est. Putarunt enim se hac ratione deos sibi reddituros magis propitios. *Byn. de Calc. Hebr.* II. 4. §. 5. *Nudis* pedibus deorum statuas, si quando per plateas, & vicos circumferrentur, comitabantur. Prudent. Peristeph. X. 156.

Nudare plantas ante carpentum scio
Proceres togatos matris Idaa sacris.
Lapis nigellus evehendus essedo
Muliebris oris clausus argento sedet,
Quem dum ad lavacrum praeundo ducitis,
Pedes remotis atterentes calceis,
Almonis usque pervenitis rivulum.

Matronæ Romanæ, ubi vota deæ Vestæ concipienda, ejus ædem *nudis pedibus* adibant. Ovid. Fast. VI. 397.

Huc pede matronam nudo descendere vidi.

Sic etiam bello Gallico *Virgines ex sacerdotio Vesta nudo pede fugientia sacra comitabantur.* Flor. I. 13. 12. Balduin. l. l. Casaub. in Suet. Aug. c. 100. Lomej. de Lustr. c. 34. In superstitionis ritibus obeundis incedebant. Plin. XVII. 18. *Privatim autem contra erucas ambiri arbores singulas à muliere incitati mensis, nudis pedibus, recincta.* In sacris magicis uno tantum *nudo* pede veneficæ. Virgil. Æneid. IV. 518.

Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta.

Ovid. Met. VII. 185.

Tectis egreditur vestes induta recinctas,
Nuda pedem.

Senec. Med. IV. 2.

Tibi more gentis vinculo solvens comam,
Secreta nudo nemora lustravi pede.

Nudos utrosque *pedes*, sed præter sacrorum magicorum morem dicit Horat. Sat. I. 8. 23.

Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam, nudis pedibus, passoque capillo.

Et in bello quidam populi. Ita bellaces Ætoli fuisse produntur, ac propterea dicti *μονοκρήπιδες*. Ad Hernicos Italiæ populos transtulit Virg. Æneid. VII. 689.

—— *vestigia nuda sinistri*
Instituere pedis; crudos tegit altera pero.

Nudis illi, credo, utrisque *pedibus* fuissent, nisi tutius pugnandi ratio pedi, crurique dextro adhibendum peronis munimentum suasisset, cum in congrediendo illi dextrum pedem ante sinistrum promoverent. *Balduin. l. l.* etiam *nudis pedibus* in funeribus incedebant Romani. Suet. Aug. c. 101. n. 10. *Reliquias legerunt primores equestris ordinis pedibus nudis*, in indicium reverentiæ, & *ταπεινοφροσύνης*, vel, ut loquitur Tertull. Adv. Psychic. c. 12. & 13. *ταπεινοφρονήσεως*. *Casaub. in Suetonium. Braun. de vestit. sacerd. Hebr.* I. 1. 3. §. 11. *Balduin. l. l.* Ex Suetonio non potest colligi Romanorum hunc ritum fuisse, ut *nudis* pedibus luctum funebrem testarentur. Nam quod in pompa funebri Augusti est factum, planè singulare est, & insolitum. Fuit enim, ut dictum, reverentiæ indicium, atque hic honor Augusto est habitus, ut qui jam major homine, & inter divos esset. Et ideo necesse est, ut ritus fuerit omnino peculiaris, in aliorum funeribus non observatus. *Byn. ibid.* II. 5. §. 9. *Kirchm. de Funer.* III. 7. *Sagittar. Nudiped.* c. 3. §. 4. Ad extremam, quam perpessi, miseriam contestandam circumibant naufragi. Ita colligo ex Paullini Episcopi Nolani carmine ad Cythereum de Martiniani naufragio:

Caligis tamen vilibus donatus est,
Ne nautico erraret pede,
Qui maluisset confoveri excalceus,
Quam calceari frigidus.

Quo etiam referenda sunt hæc Alciphron. Epist. 3. *Etenim cum aliquando pisces vendere instituissem, audivi quendam ex his, qui in Pœcile versantur, discalceatum, & lurido colore praditum: qui carmen recitabat, quo navigantium desperatio decantabatur.* Sagittar. ibid. c. 1. §. 26. Veterum erant servi venales. Docet hoc, ubi de Cappadocibus, & Bithynis Romam venum ductis, Juven. Sat. VII. 16. V. infr. in *Servus*. Tandem & mimi suos egerunt mimos. Hoc nonnulli probare cupiunt, quod *planipedes* sint dicti, & fabula *planipedia*. *Planus* enim *pes* videtur dici, qui expers est cothurni, ac socci, utpote *nudus*. Eleganter ad hos *nudos* mimorum pedes respiciens Senec. Epist. 8. *Quantum disertissimorum versuum inter mimos jacent? quam multa Publii, non excalceatis, sed cothurnatis dicenda sunt?* V. infr. in *Planipedia*. Sagittar. Nudiped. c. 1. §. 28.

NUDUS dicitur homo tunica vestitus, cui ornando desunt vestes exteriores. Ita *nudus* Esajas c. 20. n. 2. qui saccum deposuerat, vestem externam in luctu usurpari solitam. David 2. Sam. c. 6. n. 20. quia regali veste deposita saltaverat. L. Quinctius Cincinnatus, *quem nudum arantem trans Tiberim offenderant ad eum missi legati*, apud Aurell. Vict. de Vir. illustr. c. 17. Is enim *togam*, quam *properè è tugurio proferre uxorem Racilia jubet*, apud Liv. III. 26. deposuerat. Hinc Virg. Georg. I. 299.

Nudus ara, sere nudus.

ubi Servius: *id est, adeo sereno cælo, ut vestimento non egeas* quæ aratori erat unica tunica. Et *dejecta ab humeris toga nudum pectus* populo ostendisse dicitur Augustus apud Suet. c. 52. nu. 3. Et de eodem Græcis *γυμνός*. Aristoph. Concion. n. 38.

Post hunc Evaon ille ingeniosissimus
Accessit nudus, γυμνός, ut quidem plerisque videbatur,
Ipse enim negabat se pallium habere.

Long. Pastor. II. 60. *Qui objecto encombomate nudus in cursum se dedit.* Cuper. Observ. I. 7. Roa Singul. II. 4. 1. Catak. Misc. Adv. I. 10. Moll in Longum. Pitisc. in Suetonium.

NUM.

NUMA, de illo parum planè quod dicam habeo, quum nihil de eo à veteribus, quod sciam, traditum sit. Id autem prænomen Sabinum, à secundo Romanorum Rege Pompilio, item *Numa* Marcio pontifice maximo primo tantum usurpatum fuisse satis manifestum est. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 1030. *F. Sigon. de Nom. Roman. c.* 3. Fuit Sabinus, Pomponi filius, Roma-

Romanorum Rex secundus. Liv. i. 18. *Inclyta justitia, religioque ea tempestate Numæ Pompilii erat. Curibus Sabinis habitabat. Audito nomine Numæ patres Romani, quanquam inclinari opes ad Sabinos, Rege inde sumpto, videbantur; tamen neque se quisquam, nec factionis suæ alium, nec denique patrum, aut civium quenquam præferre viro illi ausi, ad unum omnes Numæ Pompilio regnum deferendum decernunt.* Strein. de Famil. Roman. in Pompilia. Panvin. Fast. i. p. 49. Successit Romulo anno Olympiadis decimæ sextæ tertio. Dionys. ii. p. 120. *Et post hoc legatos cum creasset ex patriciis, emisit suscepturos virum,* Numam Pompilium, *ut regnum capesseret, anno tertio sexta decimæ Olympiadis.* Et p. 121. *In decima sexta Olympiadis medio Romanorum regnum suscepit.* Meurs. de Athen. Archont. i. 6. Sigon. de Temporib. Athen. & Lacedæm. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. v. p. 1637. A. Panvin. l. l. Fuit Pythagoreus. Clem. Strom. i. p. 304. D. Euseb. Præpar. Evang. ix. 6. *Numa Rex Romanorum erat quidem Pythagoreus, ex iis autem, quæ à Mose tradita sunt, adjutus prohibuit Romanis, ne hominis, aut animalis similem Dei facerent imaginem.* Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Roman. 10. Quinetiam arbitratur Cicer. de Orat. ii. 37. propter Pythagoreorum admirationem *Numam* quoque Regem, etsi annis permultis ante fuit quàm Pythagoras, Pythagoreum à posterioribus existimatum. Nam cum Pythagoræ disciplinam, & instituta cognoscerent, Regisque ejus æquitatem, & sapientiam à majoribus suis accepissent, ætates autem & tempora ignorarent propter vetustatem, eum qui sapientia excelleret, Pythagoræ auditorem fuisse crediderunt. *Jacob. de Philos. doctr. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. x. p. 361. B.* Romulum subsecutus, multò etiam magis civitatem legibus excoluit, & ab armis ad religionem, bonosque mores totam traduxit: totusque fuit in re divina, & ad eos sacerdotes, quos Romulus instituit, qui sexaginta fuerunt, ipse alios præterea adjecit, flaminem dialem, Martialem, Quirinalem, virgines Vestales quatuor, Salios Marti gradivo duodecim, pontificem maximum ex patriciis. *Manut. de Leg. Roman. c. 2. de Civit. Roman. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. i. p. 7. E. Panvin. de civit. Rom. c. 10.* Leges de rebus tum humanis, tum sacris tulit. V. illas supr. in *Lex.* Illas conditurus colloquiorum commercium cum Egeria nympha simulabat. Valerius Maximus & Livius. V. illos supr. in *Egeria.* Ea ejus instituto in pompis, & supplicationibus sacerdotum Romanorum incedebant per Urbem præcones, feriasque, & justitium indicebant. Siquidem Pythagoreos, ajunt, non permittere, ut obiter quis adoret, & supplicet diis, verum ut domo statim mente ad id meditatus accedat: ita censuit Numa decere, nihil ut cives rei divinæ audirent, vel viderent perfunctoriè, vel solutè, sed vacui curis aliis, veluti ad summum negotium religionis adverterent animum, viasque à strepitu, crepitu, gemitu, & omnibus, quæ comitantur, necessarias, & vulgares operas, ad sacra præstarent puras. *Laurent. var. sacr. gentil. c. 14.* Atque *omnium primum, ad cursum lunæ in duodecim menses descripsit annum: quem quia tricenos dies singulis mensibus luna non explet, desuntque dies solido anno, qui solstitiali circumagitur orbe, intercalaribus mensibus interponendis, ita dispensavit, ut quarto, & vigesimo anno ad metam eandem solis unde orsi essent, plenis annorum omnium spatiis dies congruerent. Idem nefastos dies, fastosque fecit: quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat.* Liv. i. 19. *Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 1. Lipen. de Stren. c. 2. prim. at. §. 10.* Quirinalem montem veteri Urbi adjecisse traditur. V. infr. in *Quirinalis.* Regnum tenuit annis quadraginta tribus. Excessit Olympiadis septimæ & vigesimæ secundo anno. *Meurs. ibid.* i. 10. Sub Janiculo est sepultus. Plinius. V. illum supr. in *Charta.* Causa integritatis librorum post tot secula, *cedrati* erant, docente eodem Plinio, hoc est, cedrino peruncti. Vitruv. ii. 9. V. illum supr. in *Cedrus.* Nonnihil diversum de his libris Liv. xl. 29. V. illum infr. in *Sepulcrum Numæ,* qui & adjicit, jussu senatus combustos fuisse in Comitio, quod *pleraque in iis dissolvendarum religionum essent.* Verum non pauca hic, utcunque credita forsan scriptoribus ipsis, olent imposturam, efficiuntque ut inventi illi in sepulcro *Numæ* libri nobis similes videantur Originibus Etruscis ab Inghiramo repertis. Et in eo fucum olfecit Livius, quod traderet Valerius Antias libros illos fuisse Pythagoricos: quomodo enim Pythagoricis cum Pythagoras jam vetulus in Italiam primùm descenderit Olympiade sexagesima secunda, ex calculo Jamblichi? *Numa* autem ad regnum productus sit anno tertio Olympiadis decimæ sextæ, atque adeo diu ante adventum Pythagoræ sepultus. Accedit, quod inventi libri solvendis religionibus deservirent, cum *Numa* condendæ religionis auctor fuerit. *Borrich. Ant. Urb. c. 16. n. 1. Clasen. Theol. Gent. i. 10. §. 4.*

NUMANTINUS est dictus P. Scipio à *Numantia* deleta. Paterc. ii. 4. 2. *P. Scipio Africanus Æmilianus intra annum, ac tres menses, quam eo venerat* in Hispaniam, *circumdatam operibus Numantiam, excisamque æquavit solo. Nec quisquam ullius gentis hominum ante eum clariore urbium excidio nomen suum perpetuæ commendavit memoriæ.* Appian. Bell. Alex. p. 311. *Romanus hic Imperator duas potentissimas urbes evertit, Carthaginem ex SCto, & Numantiam. . . . sive potius, ut multi arbitrantur, illustria duo cognomina ex clarissimarum urbium excidiis quæsiverit. Siquidem illum ad hunc usque diem Romani Africanum, & Numantinum ex illarum urbium cladibus, excidiisque appellant.* Sigon. de Nom. Roman. c. 5.

NUMELLA *est machina genus ligneum, ad discruciandos noxios paratum, quo & collum, & pedes immittunt.* *Plaut. Asin.* iii. 2. 5. V. illum infr. in *Vincula.* Non. ii. 586. Festo *est genus vinculi, quo quadrupedes alligantur. Solent ea fieri nervo, aut corio crudo bovis ut plurimum.* Varr. de Re rust. ii. 9. *Consuefaciunt canes, ut alligari primum possint levibus numellis.* Laurent. de Rebuspub. c. 17. Voss. Lex. Etymol. Turneb. Adv. xxvi. 2. Pollet. For. Rom. v. 14.

NUMERA senatum dicebatur consuli, cum infrequens ordo videbatur, ut SCtum fieri non posset. Hoc consuli dicere licebat, si tot non essent senatores, quot *numero* licebat perscribi SCtum. Festus: *Numera senatum ait quivis senator consuli, cum impedimento esse vult, quo minus faciat SCtum: postulatque, ut aut res, quæ referuntur, dividantur, aut singuli consulantur, aut si tot non sint senatores, quot numero liceat perscribi SCtum.* Hæc Festi verba non parvo esse auxilio possunt ad eruendam sententiam Ciceron. ad Attic. v. 4. *Curandum autem hactenus, ne quid ad senatum: consule, aut numera.* Cœlius ad Cicer. Fam. viii. 11. *Renuntiatum erat nobis Hirtium diutius dicturum, præcidimus enim: non modo non fecit, sed cum de hostibus ageretur, & posset rem impedire, si, ut numeraretur, postularet, tacuit.* Turneb. Adv. xxx. 31. Brisson. de Form. ii. p. 583. Zamosc. de Senat. Rom. ii. 11. Manut. de Senat. Roman. c. 10.

NUMERARE solebant veteres per digitos. V. supr. in *Digitus.* per calculos. Homil. Græco Lat. *Jam perito pariter reliqui respondebant, quæcunque ad incipientes prabita sunt, necessaria, & numeros, digitos, & calculos.* Modus hic recentiori usu inductus: & parum varietatis, aut reconditæ doctrinæ alit: totus enim in collatione calculorum consistit, quorum valor in ratione situs augetur, aut minuitur, de quo insignis est locus Aristot. περὶ σοφιστ. ἐλεγχ. i. 1. *VVouwer. de Polym. c. 7. n.* 1. per literas. Incipiebant ab alphabeto abecedario. Et notabat illis *A* quingenta, *B* trecenta, *C* centum, *D* quingenta, *E* ducentum quinquaginta, *F* quadraginta, *G* quadringenta, *H* ducenta, *I* unum, *K* unum & quinquaginta, *L* quinquaginta, *M* mille, *N* nonaginta, *O* undecim, *P* quadringenta, *Q* vel *q* quingenta, *R* octoginta, *S* septuaginta, *T* centum sexaginta, *V* quinque, *X* decem, *Y* centum quinquaginta, *Z* duo millia. Si verò iisdem literis macra, id est, accentus longus superponatur, millenarium tantum numerum significabant. Sic $\bar{A}$ quinque millia, $\bar{B}$ tria millia, $\bar{C}$ centum millia, $\bar{D}$ quingenta millia, $\bar{E}$ ducenta quinquaginta millia, $\bar{F}$ quadraginta millia, $\bar{G}$ quadringenta millia, $\bar{H}$ ducenta millia, $\bar{I}$ mille, $\bar{K}$ centum quinquaginta unum millia, $\bar{L}$ quinquaginta millia, $\bar{M}$ mille millia, $\bar{N}$ nonaginta millia,

millia, $\overline{o}$ undecim millia, $\overline{P}$ quadringenta millia, $\overline{Q}$ vel $\overline{q}$ quingenta millia, $\overline{R}$ octoginta millia, $\overline{S}$ septuaginta millia, $\overline{T}$ centum sexaginta millia, $\overline{V}$ quinque millia, $\overline{X}$ decem millia, $\overline{Y}$ centum quinquaginta millia, $\overline{Z}$ bis millies mille. *Gyrald. Var. Crit. Dialog. 3. Agricol de Pret. Metall. III. p. 337. Hugo de prim. scrib. orig. c. 28.*

NUMERARII sunt appellati, qui rationes *numerando* supputaverunt. August. de Lib. arbitr. II. 11. *Multos novi numerarios, aut numeratores, vel, si quo alio nomine vocandi sunt, qui bene, & mirabiliter computant.* In præfecti officio quatuor reperiebantur, in provinciis bini, tabularii vocati, l. 2. C. de num. lib. 12. l. 1. C. Theod. eod. qui cum actuariis easdem rationes tractabant. Eorum unus bonorum, quæ ex delictis, vel successionibus, aliisque hujusmodi causis ad fiscum deferebantur, & ad comitem rerum privatarum spectabant, rationes tractabat. Alius res tributorum notabat, quæ ad largitiones pertinebant, l. in provinc. eod. tit. & l. duos C. de suscepr. & arcat. Duas enim Princeps arcas habebat, quibus duo illustres comites erant præfecti, scilicet comes largitionum, & alter rerum privatarum, Romæ antea præfecti ærarii vocati, l. 1. C. de quæst. Eas rationes in primis *numerarii* apud præsides in provinciis tractabant. Orientis verò præfecti *numerarius* ad se transmissas recognoscebat, & ne quid debitæ summæ deesset, prospiciebat, aurique ad thesauros provinciarum delati partem ad arcam prætorianam spectantem, reliquam ad comitem largitionum transmitti curabat. Alter comes privato Principis patrimonio, id est, prædiis, & domibus præerat, & aliqua etiam pauca tributa sibi assignata exigebat, & quicquid ex causis fiscalibus, & bonis publicatis percipiebatur, & si qua alio modo ad fiscum cadebant, quorum rationes alteri in provinciis *numerarii* conficiebant, scribebantque bonorum genera, & quantitates publicatas, quantum ex prædiis Principis exactum esset, quæ omnia orientis præfecti *numerarius* diligenter colligebat. Gratian. l. in provinc. C. de numerar. *In provinciis singulis duo numerarii, qui & tabularii, collocentur; quo ad unum fiscalis arcæ ratiocinium, ad alterum largitionales pertinere tituli jubeantur.* Hi duo in præfecti *numerarii*, quemadmodum & alii, provinciarum rationes tantum, & scripturas tractabant. Tertius *numerarius* auri nuncupatus, l. duos C. de suscept. & arc. aurum ex provinciis exactum, & ad largitionum arcam destinatum suscipiebat, l. ult. C. de numerar. vel monetam argenteam in aurum permutari curabat: item aurifodinarum rationes tractabat, à singulisque aurilegulis septenos scrupulos auri exigebat, l. per annos C. de metall. Ultimus *numerarius* erat operum publicorum, inter quæ prætoria, domus publicæ, l. 3. C. de oper. publ. portus, aquæductus, mœnia, l. 6. C. eod. tit. thermæ, l. 10. C. eod. recensentur, ad quæ exstruenda tertia pars redituum civitatum erat destinata, dict. l. 10. si non sufficiebat, cives pro modo jugerum ad opus conferebant, l. 11. C. eod. tit. Horum impensas & rationes hic *numerarius* scribebat. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 15. & 79. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 873. E. Spanhem. de Præst. numism. Diss. IX. p. 798. Pignor. de Serv. p. 300. Du Fresne Glossario.*

Numerarii militares notabant in libro, qui singulis diebus excubassent, nocte vigilias egissent, vel alia munia obiissent, ut sciri possit, qui in muneribus debebant succedere. Veget. II. 19. *In quibusdam militibus notarum peritia, calculandi, computandique usus exigitur. Totius enim legionis ratio, sive obsequiorum, sive militarium munerum, sive pecuniæ quotidie adscribitur actis . . . Quotidianas enim in pace vigilias, item excubitorum, sive angarias de omnibus centuriis, & contuberniis, quæ vicissim milites faciunt, ut ne quis injustè prægravetur, aut alicui præstetur immunitas. Nomina eorum, qui vices suas fecerunt, brevibus inseruntur. Quando quis commeatum accepit, vel quot dierum, annotatur in brevibus.* Stipendia etiam soluta militibus notabant, quemadmodum præfectorum *numerarii* vectigalium, & tributorum rationes, *rationarii* à Marcellin. XV. 5. appellantur ob prædictas rationes quas scribebant: *Interrogato Remigio etiam tum rationario apparitionis armorum magistri.* XIX. 9. *Numerarii apparitionis magistri equitum.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 41. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 873. D. *Numerarii* etiam dicebantur cohortis milites. Cohortes enim aliquando *numeri* dicebantur. V. infr. in *Numerus*. Fuerunt etiam in domo Augusta. Illorum munus dignitas non est, sed officium dignitatis. A *numerando* denominati sunt, qui prætorianæ sedis rationes tractabant, & penes eos rationum publicarum notitia consistebat. Novell. Theodos. & Valent. 49. Atque hi etiam auctoritates, commonitoria, præceptiones, evectiones conficiebant, adhibita adjutorum, & chartulariorum, aliorumque quorundam inspectione, & subscriptione, l. 6. C. de executor. & exactor. *Guther. de Offic. dom. Aug. II. 13: III. 2. Panciroll. Notit. Dignit. imp. orien. c. 15. & 78. Ursat. l. l.*

Numerarii primiscrinii vocantur apud Notitiam in officio præf. Urb. in occidente c. 3. Hi *numerum* delinquentium, varietatem delictorum, clausorum ordines, ætatem, sexum, & nomina condemnatorum, & absolutorum scribebant: quod etsi onus esset commentariensis, l. pen. vel ult. C. de custod. reor. etiam adjutori incumbebat, quod præsertim Notitiæ tempore observari potuit. Non ergo intelligo primiscrinios *numerarios* factos fuisse, quia si aderant *numerarii*, ipsi frustra eum locum tenuissent; sed interpretor eos in delinquentium, & criminum rationibus, & aliis hujusmodi annotandis *numerarii* officio functos fuisse. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 41.*

NUMERIA *fuit dea, quæ docebat numerare.* Augustin. de Civit. Dei IV. 11. *Gyrald. Synt. deor. I. p. 52. C. Lipen. de Stren. c. 1. §. 6. Seruv. Ant. Roman. c. 1. p. 159.* Fuit & quæ celeritatem partui adjuvabat, & à parturientibus invocabatur. Varr. de Liber. educ. *Ut qui contra celeriter erant nati, ferè Numerii prænomine erant, quod qui cito facturum quid se ostendere volebat, dicebat, numero id fore, quod etiam in partu precabantur Numeriam, quam deam solent indigitare etiam pontifices.* Turneb. Adv. as IX. 28.

Numeria gens. V. illam supr. in *Gens*.

NUMERIUS. De illo quæ narrat Festus, V. supr. in Gens *Numeria*. Valerius autem X. *Numerii prænomine sola familia patricia usa est Fabii, idcirco quod CCC. sed apud Cremeram flumen à Vejentibus cæsis, qui unus ex ea stirpe exstiterat, ducta in matrimonium uxore Numerii Otacilii Maleventani, sub eo pacto, ut quem filium sustulisset, ei Numerii prænomen imponeret, obtemperavit.* His verbis colligo, primum *Numerium* prænomen esse, deinde genti Fabiæ ex patriciis tantùm proprium fuisse, eoque primum patriciorum usum esse N. Fabium, siquidem promiscuum antea plebejis familiis esse potuit, ut est in marmoribus Capitolinis, L. SEXTIUS. SEX. F. N. N. SEXTIN. LATERAN. *Numerii* enim *nepos* interpretor. Eadem nota etiam est in lapide antiquo, ita ea arata, N. JUNIO. EPIGONO. CHRESTUS. LIB. PATRONO. B. M. DE. SE. id est, *Numerio Junio* . . . . Et apud Cicer. pro Cluent. c. 7. *Dinea, socrus Oppianici, quæ filios habuit M. & Numerium Aurios.* de Orat. III. 23. *At Numerius Furius, noster familiaris.* de Divin. II. 41. *Numerius Suffucius, honestus homo, & nobilis.* De *Numeris* prænomine Varr. Annal. 1 s. *Metellus Metella, Ennius Ennia; sed Marcus & Numerios, non Marca, aut Numeria.* *Numerium* autem prænomen *N* nota scribere antiquos consuevisse demonstratur l. Ante omnia certum est ex his testimoniis, *Numerium* prænomen esse, præsertim Fabiorum, nullumque aliud prænomen fuisse, quod a litera *N* inciperet præter Neronem, quod & integrum scribitur, & Fabiorum nunquam fuit, & non ante Augusti tempora usurpari cœptum est. Quæ cum ita sint, quis negabit unquam, cum N. Fabium Pictorem, sive N. Fabium Vibulanum scriptum invenimus, eam prænominis notam *N* pro Numerio usurpari non debere: dicique *Numerius Fabius Vibulanus*, vel *Pictor*, & ita in aliis? II. Quum hoc proprium gentis Fabiæ prænomen fuisse iidem auctores referant, eoque primum

Fabio.

Fabiorum appellatum fuisse constat, qui ejus Q. Fabii filius fuit, qui trecentis sex Fabiis interfectis cæde Cremetensi superfuerat, atque in tabulis Capitolinis an. 346. N. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus idem descriptus sit, nihil dubitandum duxi, quin & ille *Numerius*, & cæteri Fabiorum, aliarumque gentium, qui *N.* præpositam habent, *Numerii* intelligerentur: quod etiam Val. Max. IV. 3. confirmat; nam qui in marmoribus scribitur *N. Fabius Pictor*, ab eo etiam *Numerius Fabio Pictor* ibidem appellatur. III. Hoc idem docet Diomedes de A. C. CN. D. L. M. P. Q. T, prænominibus scribens, ubi *N* notam *Numerium* significare apertè refert. P. autem Consentius de CN. M' P. SEX. SP. Prænominibus verba faciens, *N* quoque notæ, quam *Numerium* interpretatur, meminit. Hæc autem in omnibus penè Latinis libris ob vetustatem quum exolevisset, & in CN. M. & C, evasisset, lapidum antiquorum, optimorumque auctorum auxilio renovata, ac restituta est. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 2029. *F. Sigon. de Nom. Roman. c.* 3. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom.* XI. *p.* 874. *A. Spanhem. de Præstant. numism. Diss.* VI. *p.* 514. Prænomen hoc pro gentilitio usurpatum fuisse, tam in lapide vetusto Venetiis in turri D. Vitalis sic CN. NUMERIUS . . . . quàm apud Asconium, quod me magis movet, inveni, qui in Pisoniana *Q. Numerii* meminit, Ciceronis tempore viventis. *Panv. ibid. p.* 205. *D.*

NUMERUS à Minerva inventus est. Liv. VII. 3. *Eum clavum, quia raræ per ea tempora literæ fuerunt, notam numeri annorum fuisse ferunt, eoque Minervæ dicatam legem, quia numerus Minervæ inventum sit.* Gyrald. de Ann. & mens. Tom. II. p. 768. G. Struv. Ant. Roman. c. 9. p. 389. Meurs. Denar. Pythag. c. 1. Ab aliis *numeros* invenisse Palamedes memoratur. Athanas. Orat. adv. gent. p. 20. C. *Literarum structuram, & numeros, & mensuras, & pondera Palamedes invenit.* Plato de Republ. VII. p. 697. D. *Ridiculum omnino Imperatorem in tragœdiis Agamemnonem Palamedes passim ostendit: nonne animadvertisti, ipsum dicere, quod numerum invenerit?* Ab Æqualitate constitutos dicit Jocasta Phœniss. n. 545.

Etenim mensuras hominibus, & partes ponderum
Æqualitas ordinavit, & numeros constituit.

Sunt qui Pythagoræ inventum tradant. Isidor. III. 2. *Numeri disciplinam primum apud Græcos Pythagoram autumant conscripsisse, ac deinde a Nicomacho diffusiùs esse compositam.* Beda de Computo: *Primus scientiam numeri habuit Pythagoras apud Græcos.* Meurs. l. l.

Numerus aureus computistis dicitur cyclus lunaris, seu decemnovennalis, in eum finem institutus, ut, quatenus per totam seriem Kalendarii deducitur, demonstret omnia novilunia, ac illud speciatim, à quo supputata luna 14. indigitat Pascha. Quippe anno 1. cycli, v. g. ubicunque in Kalendario, ac per menses singulos inscriptum vides aureum *numerum*, 1. ipse indicat novilunium eo die contingere, vel contigisse; ac pari modo anno 2. ubicunque vides aureum *numerum* 2. anno 3. atque ita porro, quousque annis cycli expletis, tum ad unitatem redeatur, tum novilunia iisdem diebus, eodemque ordine recurrant. Aureum autem *numerum* appellari ajunt, seu quod olim aureis literis inscriberetur, seu propter inventionis, & usus ejus excellentiam. *Du Fresne Glossario. Christmann. de Kalend. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* VIII. *p.* 300. *D. Calcagn. Orat. in Epiphan.* 1. Hujus observationis auctores Hipparchus facit Metonem & Calippum, ut videre licet apud Ptolemæum Almagisti III. 1. *Christmann. l. l.*

Numerus denarius oritur ex duobus imparibus, ternario, & septenario, celebris in lustrationibus. Liquet hoc ex ceremoniis denariis apud Festum: *Denariæ ceremoniæ dicebantur, & tricenariæ, quibus sacra adituris, decem continuis diebus, vel triginta, certis quibusdam rebus carendum erat.* De hujus perfectione multa disseruntur à Philone Judæo libro de Decalogo, Joach. Camerar. in commentario Græco, quem super aurea Pythagoræ carmina scripsit, & Ovid. Fast. III. 121.

Annus erat, decimum cum luna repleverat orbem,
Hic numerus magno tunc in honore fuit. . . .

Lomej. de Lustrat. c. 35. Meur. Denar. Pythagor. c. 12.

Numerus impar *est immortalis, quia dividi integer non potest*, ut scribit Serv. in Virg. Ecl. VIII, 75. & addit, *medendi causa, multarumque rerum impares numeros servari.* Diis superis adscriptus erat. Hinc pastor Virgilianus Ecl. VIII. 75.

—— numero deus impare gaudet.

Dexter erat: ideoque templa ingredi per loca dextera oportebat. Ut omnia dicam, dicam cum Plin. XXVIII. 2. *Impares numeros ad omnia vehementiores credimus: idque in febribus dierum observatione intelligitur.* Cum Festo: *Imparem numerum antiqui hominibus prosperiorem esse crediderunt.* Puteano de Bissext. c. 3. Guther. de Jur. pontif. IV. 5. Lomej. de Lustrat. c. 35. Calcagn. Equitat. p. 565. Meur. Denar. Pythag. c. 2. Rhodig. Ant. Lect. XXII, 7.

Numerus millenarius est plenus, quia denarii cubus. Etenim è denario in se ducto centum fiunt: in centum mille, qui numerorum numerus est, & absolutam rerum omnium mensuram continet. Hinc quæcunque ad infinitum, sive immensum accedunt, mille appellantur. *Putean. de Bissext. c.* 19.

Numerus novenarius est primus ex impari quadratus. Ter enim tria novem. Unde non sine mysterio Phurnut. de Nat. deor. c. 14. *Novem Musas*, Musis sacer est hic numerus, *esse, quia quadratos, & eximios eos faciant, à quibus coluntur, ut numerus ipse quadratus est. Quadratos* autem *homines*, sive τετραγώνους Aristot. Ethic. 1. 11. *sapientes & constantes* vocat. *Putean. de Nundin. c.* 6. *Meurs. de Denar. Pythagor. c.* 11. Est maximè perfectus: unde Græci pariter & Latini interdum pro maximo, & consummato dixere, ut in Homero observat Eustathius, in Nicandro Grammatici, in Arato Theon. *Gyrald. Synt. de Musis p.* 557. *D.* In lustrationibus erat usitatissimus. Ovid. Met. VII. 261.

Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat.

XIII. 951.

—— ego lustror ab illis:
Et purgante nefas novies mihi carmine dicto.

Religiosus hic *numerus*, & apud superos propter novem orbes cœlestes, & apud inferos, quibus apud Virg. Æneid. VI. 439.

Fata obstant, tristique palus inamabilis unda
Alligat, & novies styx interfusa coercet.

Hinc *novendialia* mortuorum, tunc enim mortuis parentabant Romani. V. infr. in *Sacrum.* Lomej. de Lustrat. c. 35. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 8.

Numerus octonarius primus est cubus. Anon. in Theolog. Arithmet. *Octonarium primum actu cubum diximus, ac solum intra denarium pariter parem.* Clem. Alex. Strom. VI. p. 656. D. *Denarius est omnium confessione undequaque perfectus; octonarius vero primus cubus.* Et perfectus. Mart. Capell. VII. *Octonarius cubus ita omnium cuborum est primus, ut monas omnium numerorum. Octonarius primus cubus est, & perfectus.* Imperfectum tamen, & ideo partum octimestrem minimè vitalem esse statuit Alex. Aphrod. Probl. II. 47. *Quare pueri septimestres sunt vitales, octimestres verò non item? quia numerus septenarius est perfectus, octonarius imperfectus.* Vulcano sacer esse putabatur. Mart. Capell. *Octonarius primus cubus est, & perfectus, Vulcano dicatus.* Meurs. de Denar. Pythag. c. 10. Rhodig. Antiq. Lect. XXII. 13.

Numerus par statuebatur infinitus, ut impar infinitus Pythagoreis. Serv. in Virg. Ecl. VIII. 75. *Varro dicit, Pythagoreos putare, imparem numerum habere finem, parem esse infinitum.* Themist. in Physic. III. *Sed & in eo à Platone differunt Pythagorei, qui non omnem numerum infinitum dicunt, sed solum parem: nam hunc esse causam sectionis in partes æquales, quæ infinita; ac natura quidem sua, quibus inest, infinitatem generare; finiri vero ab impari: quod pari appositus sectionem in æquales partes vetet.* Psellus in eundem: *Et Pythagorici quidem parem numerum infinita natura esse judicabant.*

Gyrald. Critic. Dial. 4. Spanhem. de Præst. numism. Diss. vi, *p.* 506, *Brod. Misc.* v. 10. Imò nec hisce tribus contenti fuerunt; sed alia etiam ad singulos accuratiùs significandos vocabula invenerunt, Ascon. in Cicer. p. 52. *Moris fuit, ut cum aliquis civis Romanus ostendendus esset, significaretur aut à prænomine suo, aut à nomine, aut à cognatione, aut à tribu in qua censeretur, aut à curia, aut à censu, ut si esset senator, equesve Romanus.* Quod à cognatione significatos esse scribit, à patris, avi, vel proavi *prænomine* eum intelligi volo. Nam quod à patris *prænomine nominandi* consuetudo fuerit, omnes libri, lapides, & nummi pleni sunt, ut M. Tullius M. F. Cicero, C. Julius C. F. Cæsar. A patris & avi Capitolinæ tabulæ satis demonstrant. A proavi indicant vetusta epigrammata, quorum alterum Romæ est in hortis Colutianis, alterum Cajetæ:

C. OCTAVIUS. C. F. C. N. C. P....,
PATER. AUGUSTI. TR. MIL. BIS. Q.
ÆDILIS. PL. CUM. ... C. TORANIO.
JUDEX. QUÆSTIONUM. PR. PRO
COS. IMPERATOR. APPELLATUS. EX.
PROVINCIA. MACEDONIA.

Item:

L. MUNATIUS. L. F. L. N. L. PRON.
PLANCUS. COS. CENS. IMP. ITER.
VII. EPUL. TRIUMPH. EX. RHETIS.
ÆDEM. SATURNI. FECIT. DE. MANUBIIS. AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA. BENEVENTI. IN. GALLIA. COLONIAS. DEDUXIT. LUGDUNUM.
ET. RAURICAM.

Multi à patris cognomine significabantur, ut Q. Fabius Maximi filius, T. Quinctius Capitolini filius, & in adoptivis Q. Metellus Nasicæ filius, & in vetusta basi Romæ:

P. CORNELIUS. PAULLI. F. SCIPIO
ÆMILIANUS. COS. II. CENSOR
AUGUR. TRIUMPHAVIT. ITER

Item aliqui cognominantur à patris prænomine, & cognomine, ut in tabulis Capitolinis C. LIVIUS. M. AIMILIANI. F. Drusus. Quod à tribubus, id tale est. Quum tribus omnes Romæ xxxv. numerarentur, atque ex his aliquam necesse esset, cujuscunque ordinis esset, civis Romanus obtineret, idcircò factum est, ut à tribu, in qua censeretur, significaretur; tribus autem nomen ablativo casu poneretur. Ita legimus Verr. procem. c. 8. *C. Verres Romilia.* Verr. ii. 45. *C. Claudius Palatina.* Philip. ix. 7. *Ser. Sulpicius Lemonia.* Nam Romilia, Palatina, Lemonia nomina tribuum sunt. Tribus autem ipsa prioribus ferè tantum literis significabatur, quod in antiquis inscriptionibus manifestissimum est, & retentum videmus Epist. Cœl. ad Cicer. viii. 8. hoc modo; *C. Lucejus C. F. Pup. Hirrus. C. Scribonius C. F. Prob. Curio. L. Julius L. F. Pomp. Annalis*, id est, Pupinia, Poblilia, & Pomptina. *Panvin. ibid. p.* 2045. *C. Sigon. ibid. c.* 7. Sub Imperatoribus quum Romana civitas integris provinciis daretur, hi qui civitatem Romanam consequebantur, vel Imperatoris *prænomen*, & *nomen*, vel ejus, aut eorum, quorum præcipuè subsidio civitatem impetrassent, *nomina* ferebant. Verum quum Antoninus Caracallus Imperator constitutionem edidisset, quæ Digest. 1. sub titulo de statu hominum refertur, qua omnes eos, qui in orbe Romano essent, cives esse voluit; tum pro cujuscunque arbitrio *nomina* sumpta, aut nobilissimarum familiarum, quæ jam defecerant, aut nova excogitata: vetere vocandi consuetudine, quæ ad ea usque tempora, parum certè violata, perduraverat, paullatim postea labante. Quæ præcipua causa fuit, quod portento simile est, ut post Caracalli tempora intra paucissimos annos trium horum *nominum* usus per mille annos conservatus omninò dissipatus sit, & in nova vocabula transformatus. Nam nulla deinceps *nominis*, *prænominis*, vel *cognominis* distinctio observata est, sed omnia in fœdissimam barbariem versa, antiquitatis cognomen omni ex parte perdiderunt. *Panvin. ibid. p.* 2047. *B.* Duobus modis accipitur. Nam & genus, & species est. Genus quum dicimus: apud Romanos tria erant *nominum* genera. Species, ut quorum unum præcipuè erat *nomen*, quod gentilitium diceretur: alterum *cognomen*, quod *nomini* gentilitio præponeretur: tertium *cognomen*, unde duo illa priora distinguerentur. Itaque & gentilitium *nomen*, & *prænomen*, & *cognomen nomina* sunt, si ut genus sumamus, id est, ut vocabula, quæ in nominando aliquo celebremus. Hæc appellandi ratio eoam à veteribus usurpata est. Quum enim de hominis *nomine* faciunt mentionem, *prænomen*, familiæ *nomen*, atque *cognomen*, sæpè sub unius *nominis* voce significant, Hoc autem vel ex eo cognosci potest, quod sub titulo de *mutatione nominis* his verbis constitutio Imperatoris Diocletiani sit: *Sicut in initio nominis, cognominis, prænominis recognoscendi singulos impositio libera est privatis: ita eorum mutatio innocentibus periculosa non est. Mutare itaque nomen, vel prænomen, vel cognomen sine aliqua fraude licito jure, si liber es, minime prohiberis.* Ab hac generali appellatione exhæredatio *nominatim* facta dicitur, quum sufficiat *nomen*, *prænomen*, aut *cognomen* dicere, ut Ulpianus scribit, Auson. Eidyll. xi. 80.

Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.

Cicer. pro Mur. c. 12. *Ut quia in alicujus libris, exempli causa, id nomen invenerant, putarunt, omnes mulieres, quæ coemptionem fecerant, Cajas vocari.* Illic igitur *prænomen* dictum *nomen* est: at *cognomen* apud Cicer. pro Cæcin. c. 10. *Sex. Clodius, cui nomen est Phormio, nec minus niger, nec minus confidens, quàm Terentianus est Phormio.* Mart. ii. 2. 1.

Creta dedit magnum, majus dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodque Metellus habet.

Ita Captarium, & Bubulcum *cognomina*, *nomina* vocavit Plutarch. in Poplic. p. 103. B. Quæ cum ita sint, est tamen specialis quædam *nominis* significatio, quæ familiæ tantum *nomen* significat, ab antiquis ita ad *prænominis*, & *cognominis* distinctionem usurpata, quam definientes dicimus: *nomen* speciatim sumptum, quod quum gentilitium sit, propriè appellatur *nomen*, est id, quod genus indicans, non tantum proprium personæ est, sed etiam genti, vel familiæ; quod ideò etiam gentilitium dicitur, quia originem gentis, vel familiæ declarat; ut Annius, Curtius, Aurelius, Mucius, Marius, Fabius, Julius, & similia. Hoc ita esse docet Probus in Val. Max. Epit. x. *Omnia, quæ ad unumquemque nostrum definiendum excogitata sunt, eandem vim significandi hominis obtinent. Quod per proprietatem dicitur, hoc distat, quia eo genus cognoscitur, ideoque dicitur gentilitium.* Ulpian. de Verb. signif. *Nomen itaque cum speciali hac significatione accipitur, familiæ nomen significat, Romanis tantum hominibus: nam Græci, & Barbari singulis nominibus usi familiæ nomine non utebantur.* Itaque Demosthenes, Aristoteles, Plato, Socrates, & illa sacrosancta nomina, Jesus, Moses, Cephas, Johannes, inter cætera aliarum nationum ad familiam non propagantur: erant enim non gentis, sed singulorum hominum vocabula. *Panvin. ibid. p.* 1992. *E. Sigon. l. l. Nomine* proprio summo honore functum, Republica ad Cæsares delata, appellasse videtur contumeliosum fuisse. Senec. de Constant. c. 18. *Cajus Caligula iratus fuit Herennio Macro, quod illum Cajum salutaverat: nec impunè cessit primipilario, quod Caligulam dixerat.* Et cum omnes, qui cum Antonio erant, Cleopatram appellarent Reginam, gratiam procul dubio ejus, nec non triumviri captantes, inventus Cn. Domitius, *qui solus Antonianarum partium, nunquam, nisi nomine, salutavit.* Paterc. ii. 82. 3. Ita *privato nomine Vespasianum*, licèt illi *non succensuerit, salutavit Helvidius Priscus* apud Suet. c. 15. n. 2. *Cuper. Observ.* iv. 8. Mutabant, & adoptantis assumebant, qui adoptabantur. V. supr. in *Adoptio.* Commune, seu gentis, seu familiæ, sæpè uni ex tribus, vel sororibus præcipuè, & quasi κατ' ἐξοχὴν tribuebatur, Ita *Clodia*, Metelli uxor, propriè quodammodo, ut videtur, nominatur à Plutarch. Cicer. p. 875. C. non quod altera non fuerit Clodia, aut alia gente, alio patre orta; sed quia cæteris diutiùs vixerit, vel quia præter cæteras flagitiis suis fuerit celebris, communi omnium *nomine* sibi proprio insigniri à populo solita, & frequenti

ejus

ejus usu solo illo *nomine* cuivis cognita. Nero Claudius Drusus, Augusti privignus, Tiberii frater, quum tres reliquisset liberos, omnibus iis *Claudii* fuit nomen, quippè totius gentis commune, non peculiare, aut verè proprium ullius in ea hominis. Sed tamen unus ex iis, qui posteà Imperator est factus, præcipuè, & quasi peculiariter eo maximè nomine vulgo est appellatus, & appellatur eo solo à Suetonio, etiam cum fratre, & sorore, alio & suo quisque proprio *nomine* insignitis, conjunctus. Nam *ex Antonia minore*, inquit Claud. c. 1. n. 13. *complures quidem liberos tulit* Drusus; *verum tres omninò reliquit, Germanicum, Livillam, Claudium*. At Germanicus ante adoptionem in Juliam gentem, & Livilla æquè erant *Claudii*, nec eo nomine excluduntur, quod tertius eo solo, quasi sibi proprio ornatur. Germanicus ab Imperatore Tiberio jussu Augusti in Juliam familiam adoptatus dici deinceps cœpit *C. Julius Cæsar Germanicus*, atque ita cum ipse, tum ejus liberi omnes erant, & *Julii*, & *Cæsares*. Tamen à Suet. Cal. c. 7. n. 2. tres illius filii hoc modo *Nero, Drusus*, & *C. Cæsar* nominantur. Ubi, ut apparet, soli postremo *Cæsaris* nomen tribuitur, quamvis reverà omnibus esset commune. *Perizon. Animadv. Hist. c. 3.* Potissimùm illorum, quorum beneficio civitatem impetraverant, ferebant, qui in illam suscipiebantur. Cicer. Fam. XIII. 36. *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est. Ei Dolabella rogatu meo civitatem impetravit: itaque nunc P. Cornelius vocatur*. Verrin. IV. 17. *Q. Lutatius Diodorus beneficio Q. Catuli à Sylla civis Romanus factus*. Et *Q. Cæcilius Dio* est appellatus, qui beneficio Q. Metelli civis erat factus, apud Cicer. Verrin. II. 8. *Sigon. ibid. c. 3. Panvin. ibid. p. 2046. F.*

Nomen dare dicebantur milites Romani, qui in delectu habendo, à consulibus pro tribunali sedentibus, vel sellis in foro positis, *nominatim* ac singillatim citati, nulla excusatione proposita respondebant, & *nomen* veluti inscribendum curabant. Liv. V. 10. *Omnium primum tribunis militum fuit, delectum haberi. Nec juniores modo conscripti, sed seniores etiam coacti nomina dare, ut Urbis custodiam agerent*. l. 3. ff. de Re milit. *Qui post desertionem in aliam militiam nomen dederunt*. Inde ad *nomen* respondere dicuntur qui comparent, ut utar nostris verbis. Liv. VII. 4. *Acerbitas in delectu, non damno modo civium, sed etiam laceratione corporum lata, partim virgis cæsis, qui ad nomina non respondissent, partim in vincula ductis, invisa erat*. Bud. in Pandect. p. 74. B. Patric. Rei milit. Rom. p. 1. sect. 4. Brisson. de Form. IV. p. 340.

In *nomen* ejus, qui summo Imperio erat præfuturus, jurare dicebantur milites, qui illi obedientiam promittebant. Suet. Claud. c. 10. n. 7. *Multitudine, quæ circumstabat, unum rectorem jam, & nominatim exposcente, armatos pro concione jurare in nomen suum passus est*. Ammian. XXI. 5. *Jussi universi in ejus nomen jurare sollenniter, gladiis cervicibus suis admotis, sub exsecrationibus diris, verbis juravere conceptis, omnes pro eo casus, quoad vitam profuderint, si id necessitas exigeret, perlaturos*. Herodian. II. 2. 21. *Mox juratis de more in illius nomen, factaque re divina, laureato omnes, populus, atque exercitus prosequebantur* Julianum. *Schel. in Polyb. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. X. p. 1169. D. Hansen. de Jurejur. vet. c. 17. Pitisc. in Suetonium.*

Nomina librorum, qui in alveolis, sive *nidis*, ut appellat Mart. I. 118. 15. reponebantur, in postibus tabernarum librariarum inscripta erant. Mart. ibid. n. 10.

Contra Cæsaris est forum taberna
Scriptis postibus hinc & inde totis,
Omnes ut cito perlegas poetas:
Illinc me pete, nec roges Atrectum.

Atrectus bibliopola fuit. Dicit poeta vel ex indice librorum in tabernæ antepagmento, & limine constare posse, utrum apud illum Martialis exstet, nec ne: & necessum non esse ipsum Atrectum eo nomine convenire atque alloqui. Horatius. V. illum infr. in *Taberna*. Scriver. in Martialem.

Nomen rei deferebat ad prætorem, cui judicii exercitio obtigisset, is, qui accusare paratus erat, idque recipi postulabat, & qua lege reum faceret profitebatur. Hoc ideò, quia in libello accusatoris rei *nomen*, & species criminis concipiebatur. Plaut. Aul. III. 2. 2.

Ad tresviros jam ego deferam tuum nomen.

Cicer. pro Dom. c. 19. *Nomen Sexto Propertius detulit*. Pollet. For. Rom. IV. 7. Brisson. Antiq. Select. II. 1. Quoniam autem delatio *nominis* idem est in judicio publico, quod in privato intentio litis, verisimile est, easdem formulas actionum, quoad res passa est, observatas. V. illas supr. in *Actio*, & *Intentio*.

Nomina sua operibus suis adscribere solebant artifices. Mart. IX. 45. 1.

Alciden modo Vindicis rogabam,
Esset cujus opus, laborque felix.
Risit: nam solet hoc; levique nutu
Græcè numquid, ait, poeta nescis?
Inscripta est basis, indicatque nomen.
Aυσίππου lege, Vindicis putavi.

Cicer. Verr. IV. 43. *Signum Apollinis pulcerrimum, cujus in femine literulis minutis argenteis nomen Myronis erat inscriptum*. Phædr. V. prol. II. 6.

Si marmori adscripserunt Praxitelem suo
Detrito, Myronem argento.

Inscriptio in hortis Vaticanis: P. CINCIUS. C. F. SALVIUS. FECIT. *Gud. & Scheffer. in Phædrum. Nicol. de Sigl. vet. c. 33. §. 5.* Publicis principes, aut illi, quorum pecunia id opus factum erat. Alterius, ac ne præsidis quidem *nomen* superscribere licebat, l. opus novum. §. inscribi ff. de operibus publicis: *Inscribi nomen operi publico alterius, quam principis, aut ejus cujus pecunia id opus factum sit, non licet. Ne præsidis quidem nomen licebit superscribere*. At qui, ut tradit Ulpian. ibid. l. 2. *liberalitate, non necessitate debiti reditus suos ad opera finienda concessit, munificentiæ suæ fructum de inscriptione nominis sui operibus, si qua fecerit, capere per invidiam non prohibetur. Ne ejus nomine, cujus liberalitate opus exstructum est, erasi aliorum nomina inscribantur, & propterea revocentur similes in patriam liberalitates, præses provinciæ auctoritatem suam interponat*. Inscriptio: IMP. CÆSAR DIVI JULI F. AUGUSTUS PONTIFEX MAXIMUS COS. II. TRIBUNITIÆ POTEST. XIX. IM. XIV. RIVOS AQUARUM OMNIUM FECIT. Et in inscriptione Antonini Pii: OPUS PONTIS VETUSTATE CONLAPSUM RESTITUIT. *Brisson. de Formul. VIII. p. 728.*

Nomina appellabantur tituli debitorum. Ascon. in Cicer. p. 77. *Tituli debitorum nomina dicuntur, præsertim in iis debitis, in quibus hominum nomina scripta sunt, quibus pecunia commodata sunt. Cui rei contrarium est, mutuas accepisse. Ergo nomina, debita, vel debitores*. Cicer. Verr. I. 10. *Cum reperiretur pecunias sumpsisse mutuas, nomina sua exegisse*. Ab eo, quod Kalendariis solerent eorum, quibus pecuniæ credebantur, *nomina* perscribi. *Brisson. de Form. p. 538.* Inde *nomen* locare apud Phædr. I. 16. 1.

Fraudator nomen quum locat sponso improbo.

dicitur, qui accepto mutuo, vel merce alteri obligatur, qui suum tanquam debitoris *nomen* locat, & patitur apud alium esse in tabulis, in quas referimus, si cui mutuamus, aut vendimus in diem. *Grenov. apud Scheffer. in Phædrum. Pitisc. in Suet. Gramm. c. 11. n. 4.* Et expedire, expungere, qui debitum solvit. Suet. Gramm. c. 11. n. 4.

Unum difficile expedire nomen.

Cicer. Attic. XVI. 6. *Nomina mea per deos expedi, exsolve*. Plaut. Curc. I. 3. 40.

Nunc quod reliquum restat, volo persolvere:
Ut expungatur nomen, ne quid debeam.

Debitoris enim *nomen*, dum, quod debet, solvit, in tabulis suis expungit creditor, & suum expedit debitor. *Gudius in Phædrum. Pitisc. in Suetonium.*

NOMENCLATIO fuit præcipua popularis rationis pars. Habuit eam vim, ut petitor suo quemque civem *nomine* appellaret, ac salutaret. Unde Quinctus scripsit: *Primum, ut homines noris, significa, ut appareat, & auge, ut quotidie melius fiat*. Fuit in primis illud petitori elaborandum, ut singulos cives nosset, eorumque nomina teneret. Si quidem qui aut non tenet, aut oblitus est no-

men alterius, is parum ejus rationem videtur ducere, teste in Rhetoricis Aristotele. Quare cum Ap. Claudius Scipioni Æmiliano, suo in censura competitori, objiceret, quod is neminem civium nosset, respondit Scipio, non mirandum id videri: se enim dedisse operam, ut à civibus suis cognosceretur, non ut ipse eos cognosceret. Unde dixit Quinctus de Petit. consf. c. 7. *Quin incipiat Antonius homines adjungere, atque invitare ad amicitiam, quos per se suo nomine appellare non possit? mihi quidem stultius nihil videtur, quàm existimare, eum studiosum tui, quem non noris.* Sigon. de Judic. II. 30.

NOMENCLATOR erat minister, qui, quoniam in tanto populo, & tantis vitæ occupationibus fieri non poterat, ut æquè omnes cogniti essent, petitori nomina civium, ut quisque occurrebat, suggereret. Cicer. Attic. IV. 1. *Ad urbem ita veni, ut nemo illius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obviam non venerit.* Senec. de Benef. I. 3. *Quemadmodum nomenclatori memoriæ loco audacia est: & cuicumque nomen non potest reddere, imponit.* Cicer. pro Mur. c. 36. *Quid quod habes Cato nomenclatorem? in eo quidem fallis, & decipis: nam si nomine appellari abs te cives tuos honestum est, turpe est, eos notiores esse servo, quàm tibi. Sin, si etiam noris, tamen per monitorem appellandi sunt, cur non ante petis quàm insusurravit? aut quid cum admoneris, tamen quasi tute noris, ita salutas?* Sigon. de Judic. II. 30. Pignot. de Serv. p. 60. Stuck. Ant. Conviv. II. 31. Kobierzyck. de Lua. Rom. II. 2. Kemp. de Oscul. Diss. XI. p. 503. Barth. Adv. LII. 10. Laz. Comm. Reip. Rom. XII. 5. Pancirolli de Reb. deperd. & inv. p. 736. & ad illum Salmuth. p. 738. Notit. dignit. imp. occid. c. 3. Coras. Misc. IV. 13. Prevot. de Magistrat. Roman. c. 5. Kipping. Antiq. Roman. IV. I. §. 1. Schill Nomencl. Philol. p. 798. Beroald. & Pitisc. in Suet. Aug. c. 19. n. 1. Laurent. de Profess. c. 5. Hunc descripsit his verbis Horat. Epist. I. 6. 50.

Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere.

Quibus suadet, ut qui honoribus studet, paret servum, qui dictet civium nomina, & lævo latere fodiendo admoneat petitorem officii sui; nimirum *cogat trans pondera dextram porrigere*, id est, trans togam, quam scimus brachium cohibuisse. V. supr. in *Toga*. Dum enim irent lentiùs, *dextris pondere* togæ gravatis, admonebat eos *nomenclator*, ut dextra è toga exserta prensarent: quod cum aliquo incommodo faciebant. *Sigon. l. l.* Qui mirè *pondera* togam interpretatur. Nam *trans pondera* est contra gravitatem, cum cogitur quibuslibet blandiri, & manum illorum prensare contra quàm tam viros graves decet. *Pondus* enim & *pondera* sæpè gravitatem notat. Cicer. Attic. XI. 7. *Addis etiam, quod etsi mihi levius est, quàm tuum judicium, tamen non est leve, cæteris quoque, id est, qui pondus habent, factum nostrum probari*, hoc est, qui viri graves sunt, *& magna auctoritatis*. Græv. Thes. Antiq. Roman. Tom. II. Præfat. * * * * * * V. etiam *Zurckium in Horat. l. l.*

Nomenclator censorius, ut vocatur in antiqua inscriptione:

L. VOLUSIO
URBANO
NOMENCLATORI
CENSORIO

Et forsitan à censibus, ut in hac inscriptione:

DIIS. MANIBUS
TI. CLAUD. AUG. LIB
THALENTIS. VINCIANI
NOMENCLATORIS
A CENSIBUS.

dicebatur, qui cives se, aut bona sua nón profitentes *nominabat*, ut censui adscribi cogerentur. Nomina enim sua, uxorum, liberorum, servorumque apud censores profiteri debebant Romani. Et sanè hic videtur censoribus *nomina* in memoriam revocasse, non cives citasse nominatim. *Pancirolli Notit. dignit. imp. occid. c. 3. Pignor. de Serv. p. 284. Laurent. de Profess. c. 5.*

Nomenclator thensarum in ludis & pompa pontifici maximo adfuit, cujus erant ludi & thensæ. Hujus enim opera pontifex utebatur, dum thensarum ordinem disponeret, quæ variæ erant, jugariosque, id est, aurigas juberet prodire in pompam, & singulorum deorum thensas suo nomine citare. In gloss. vet. *ζυγηλάτης*. Inscriptio vetus Romæ:

SOLI. INVICTO
SACRUM
T. POMPONIUS
NOMENCLATOR
TENSAR. JUGARIS

Guther. de vet. jur. pontif. II. 14. *Schott. Nod. Cicer.* IV. 6. Ex hac inscriptione ministros sacros ab officio patet dictos esse thensarios. *Argel. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 2. Verùm ego valdè dubito, an ad thensas spectet hæc inscriptio. Primùm enim abest spiritus, quem apposuerunt veteres. Deinde si cum Schotto legimus *nomenclator thensarum*, quo pertineat *jugaris*, quod subjicitur, haud liquet. Sed & si cum Argolo malumus *tensarius*, quid velit illud *jugaris*, minimè cognoscitur. Quare mihi alius videtur, de quo agitur inscriptione ista: is nimirum, qui in circo jungere ad currus equos solebat, eisque frena imponere. Hos tensarios vocasse discimus ea Accio, cujus verba in Paride servavit nobis Non. c. 3. n. 95. *Frena tensaris equorum accommodant.* Talis tensarius rectè vocatur jugaris, à jugo, quia frenis juga immittit. Habebant enim juga quædam foramina, Græcis *ὀμφαλοὺς* vocata, Latinis tensaria, per quæ frena transmittebantur, ne turbari possent, aut defluere. *Scheffer. de Re Vehic.* II. 24. *Pinell. Additam. ad Argol. in Panvin. de Lud. Circens. l. l.*

Nomenclator in triclinium est etiam evocatus, eratque qui convivas vocabat, sive invitabat. Græcis vocatur *ὀνομακλήτωρ*, *δείπνων ταξίαρχος*, & *δειπνοκλήτωρ*. Ammian. XIV. 6. *Nomenclatores assueti hæc, & talia venditare, mercede accepta, cœnis quosdam, & prandiis inserunt subditivos, ignobiles, & obscuros.* Pignor. de Serv. p. 112. Buleng. de Conviv. I. 25. Stuck. Ant. Conviv. II. 2. Cerda Adv. c. 94. n. 14. Laurent. de Profess. c. 5. Et cuique suum locum assignabat. Athenæus: *Postea surgentes accubuimus, ut quisque voluit, non expectato nomenclatore, & cœnarum ordinatore.* Buleng. ibid. p. 34.

Nomenclatores etiam habebant mulieres, quia horum ministerium non tantum ad candidatorum prensationes, sed & ad salutationes matutinas, & convivarum dispositiones, aliaque talia pertinebat. Suet. Aug. c. 19. n. 1. *Compressit conjurationem Telephi mulieris servi nomenclatoris.* Plin. XXXIV. 1. *Hoc perfecere mancipiorum legiones, & in domo turba externa, ut servorum quoque causa nomenclator adhibendus.* Gronov. Obs. II. 24. Casaub. & Pitisc. in Suetonium.

NOMENTANA porta. V. illam infr. in *Porta*.

Nomentana via. V. illam infr. in *Via*.

NOMINALIA erant sacra, quæ semel in cujusque infantia celebrabantur. Idem hic dies appellabatur lustricus. V. illum supr. in *Dies*.

NOMINATIM aliquem compellare, id est, ejus *nomen* palam recitare. Hoc in veteri comœdia licuit. In media, & nova mos exolevit. Romæ C. Cælius judex absolvit injuriarum eum, qui Lucullum poetam *nominatim* læserat. Cicer. ad Herenn. II. 13. *P. Mucius eum, qui L. Accium poetam nominaverat, condemnavit.* I. 14. *Mimus quidam nominatim Accium poetam compellavit in scena. Cum eo Accius injuriarum agit. Hic nihil aliud defendit, nisi licere nominari eum, cujus nomine scripta dentur agenda.* Buleng. de Theatr. I. 57.

NOMINATIO sacerdotum dicta est, ut magistratuum. Cicer. Phil. XIII. 5. *In paternum auguratus locum, ut, quod à patre acceperam, filio reddam, mea nominatione cooptabo.* Ab eo *dies nominationis*. Plin. Epist. IV. 8. 3. *Qui me nominationis die per hos continuos annos inter sacerdotes nominabat.* Guther. de vet. jur. pontif. I. 8. Struv. Antiq. Rom. c. 12. p. 560.

NOMUS est modulatio, quæ in vocis flexione, intensioneque, & remissione est. Ratio nominis est, quia

Græcè

Græcè νόμος lex est. Aristot. Problem. Sect. 19. q. 28. *Cur νόμοι pleraque cantilenæ appellentur? An quod homines priùs quàm literas scirent, νόμους, leges cantabant, ne eas oblivioni mandarent: quod etiam nostra ætate Agathyrsis in more est.* Plutarch. de Music. p. 1133. B. *Siculi leges infringere nefas, ita & legitimam modulationum formam in quoque genere transilire nefas est: in singulis enim nomis propriam contentionem servabant.* Erant septem *nomi*, à Terpandro reperti. Suidas: *Septem nomi à Terpandro fuerunt instituti: quorum unus erat orthius, tetradius, acutus, Dorius, Jonius, Lydius, Phrygius.* Buleng. de Theatr. II. 28. Rhodig. Ant. Lect. XI. 8. Barthol. de Tib. I. 9. In illis cavebatur in primis, ne dissonum esset, aut fieret colonomus, cujus meminit Auson. Epist. XI. *Denique dissonum, quem colonomum propriè à philologis appellatum, adcrevi.* Martianus ἀσυμφώνους tonos vocat, id est, *dissentientes, qui cum percussi fuerint, invicem discrepant.* Κόλος νόμος est mutilus. Verbo adscrescendi Ausonius utitur ἀρχαϊκῶς. Transitivè enim posuit. *Scalig. Lect. Auson.* II. 6. *Buleng. l. l.* V. etiam supr. in *Modus.*

Nomus orthius est dictus, quia voce maximè sublata canebatur. Herod. I. p. 10. B. *Arion stans in transtris nomon orthium percurrit.* Gell. XVI. 19. *Arion de more cinctus, amictus, ornatus, stansque in summæ puppis foro, carmen, quod orthium dicitur, voce sublatissima cantavit.* Eustath. in Homer. p. 758. *Est apud musicos orthius nomus, aut modus ille carminis ad prælium excitans. Timotheus igitur orthion canens ita Marte implevit Alexandrum, ut statim ad arma prosiliret.* Scholiast. Aristoph. Acharn. I. I. 16. *Orthius nomus ita dictus, quia sit contentus, & sublatus.* Minervæ dictus est. Pindar. Pyth. XII. 39.

> *Invenit hoc dea. At hoc postquàm invenit, viri mortales ut haberent,*
> *Nominavit capitum multorum legem, νόμον,*
> *Illustrem populos cientem procum certaminum*
> *Tenue transeuntem*
> *Æs simul, & calamos.*

Buleng. de Theatr. II. 28. Barthol. de Tib. I. 9. Rhodig. Ant. Lect. IX. 8. Scalig. Poet. I. 18. Ouzel. in Gellium. Voss. de Triremi. & Liburn. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 725. B.

NON.

NON LIQUET fuit signum ampliandi. V. supr. in *N. L.*

NONÆ nullum deum tutelarem habuerunt. Ovid. Fast. I. 57.

> *Nonarum tutela deo caret.*

Morestell. Philom. III. dial. 3. Gyrald. de ann. & mens. Tom. II. p. 791. B. Siccam. in Fast. Kalend. c. 6. Viola de vet. ac nov. Rom. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 187. C. Hunc diem Romani celebrabant, quoniam natalem Servii Tullii eo die venerabantur. Licèt enim incertum esset, quo mense ille natus esset, *Nonis* tamen esse constabat. Et idcircò omnes *Nonas* celebri lætitia frequentabant. *Viol. l. l. Lipen. de Stren. c. 2. pr. at.* §. 32. Cæsar cum certis mensibus duos adjiceret dies, *nonarum* ordinem noluit mutare. Unde vetus *nonarum* numerus in Julianis mensibus perseverat. Nam quatuor illi soli menses sex *nonarum* dies habent, qui olim uno & triginta diebus constabant, videlicet Martius, Majus, Julius, October. *Potav. de vet. ann. Roman. c. 73. Morestell. l. l. Rosin. Antiq. Rom.* IV. 4. *Nonas* singulorum mensium ex his edisces:

> *Sex Majus nonas, October, Julius, & Mars:*
> *Quatuor at reliqui.*

Et ex Auson. Eclog. 12. I.

> *At nonas modo quarta aperit, modo sexta refert lux.*
> *Sexta refert Maji, Octobris, Martisque recursu,*
> *Et qui solstitio sua tempora Julius infert,*
> *Cætera pars mensum quartas est prædita nonis.*

Morestell. l. l. *Nonis* initiis Urbis populus mercatus, sacrorumque causa in Urbem confluebat, singulis mensibus tantum semel. Varr. de Ling. Lat. V. 4. *Eodem enim die in Urbem ab agreis ad Regem conveniebat populus. Harum rerum vestigia apparent in sacreis nonalibus in arce, quod tunc ferias primas menstruas, quæ futuræ sint eo mense, Rex prædicit populo.* Siccam. l. l. & Gassend. in Kalend. Roman. c. 1. Nihil etiam seriæ rei inchoavit Augustus, quia *nonæ, nundinæ, & novendial* invicem etsi diversa ratione dicuntur; dies verò *novendiales* mortuis sacri, & atri erant. Illis quid aggredi inominatum esse vox ipsa quoque ostendere videtur, nempè quæ te *non ire*, eoque, quo velis, pertendere non posse admoneat. Suet. c. 92. n. 6. *Observabat & dies quosdam, ne aut postridie nundinas quoquam proficisceretur, aut nonis quicquam rei seriæ inchoaret.* Siccam. ibid. c. 5. Putean. de Nundin. c. 28. Casaub. Torrent. & Pitisc. in Suetonium. *Nonis* nubere infaustum erat. V. supr. in *Kalendæ.*

Nonæ Caprotinæ. V. illas supr. in *Juno.*

Nonæ quintanæ, & septimanæ in quintum, vel septimum mensis diem incidebant. Censor. de Die nat. c. 20. *Quapropter nunc cum in septem mensibus dies singuli & triceni sint, quatuor tamen illis ita primitus instituti ee dignoscuntur, quod nonas haberent septimanas, cæteri quintanas.* Alciat. de verb. signif. 198. Muncker. de Intercal. III. 15. 6: IV. 14. 3. Petav. de vet. ann. Roman. c. 73.

NONIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

NOR.

NORBA erat oppidum Volscorum, ultra Coram, versus Signium euntibus. Vulgo nunc incolis dicitur *Norma*, & *Normo.* Colonia eo deducta est T. Geganio & P. Minucio coss. anno 262. ante natum D. Jesum 491. ut arx esset in Pomptino. Liv. II. 34. *Consules deinde T. Geganius, & P. Minucius Norbam in montes novam coloniam, quæ arx in Pomptino esset, miserunt,* ut seditio sedaretur. Dionys. VII. p. 428. *Nec multis diebus post manus benè magna necesse habuit migrare Norbam Latini nominis urbem:* loquitur de suo seculo, quo Latii finis ad Lirim usque prolatus erat. *Fefellit tamen sua spes patricios, nec seditio, ut cogitaverant, quicquam remisit.* Sigon. de Antiq. jur. Ital. II. 5. Cluver. Ant. Ital. III. 8. 3.

NORBANA gens. V. illum supr. in *Gens.*

NORICUM est secundum Danubium: ab occasu Oenum fluvium, à meridie Æmum montem habet, ab ortu Cetium, à Septentrione Danubium. Vulgò *Bavariam* vocant: aliique addunt Stiriam, Carinthiamque. *Panciroll. Notit. Dignit. imp. occid. c. 81. Bergier. de viis milit.* III. *Sect.* 32. §. 12. *Cluver. Introd. ad Georg.* III. 4. *Vindel. & Noric.* c. 5. Non Bavariæ, sed Austriæ pars est. Archiepiscopatus verò Salisburgensis, Carniola, Stiria, Carinthia. *Hennin. ad Bergierum. Noricos* subegit Tiberius. Strab. IV. p. 142. *Post hos,* Vindelicos, *vicini jam Adriatici sinus intimo, & locis ad Aquilejam habitant Noricorum quidam, & Carni. Noricorum sunt etiam Taurisci. Horum omnium crebris incursionibus finem imposuit Tiberius, & ejus frater Drusus unica æstate.* Suet. Tib. c. 16. n. 4. *Perseverantia grande pretium tulit; toto Illyrico, quod inter Italiam, regnumque Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interque Danubium flumen, & sinum maris Adriatici patet, perdomito, & in ditionem redacto.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 99. Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 6. Robort. de Provinc. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. III. p. (6). E.

NOS.

NOSIDIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

NOT.

NOTÆ vocabantur *obeliones*, quas critici in recensendis auctorum operibus, spuriis, aut vitiosis locis appingebant: & quæ loca notatu, & observatione digna viderentur, indicabant. Cicer. in Pison. c. 30. *Quoniam te non Aristarchum, sed Phalarim Grammaticum habemus, qui non*

notam apponas, & malum versum. Senec. Epist. 88. *Aristarchi notas, quibus aliena carmina compunxit, recognoscam.* Auson. Epist. 18. 29.

Quique notas spuriis versibus apposuit,

Horat. de Art. Poet. n. 445.

Vir bonus, & prudens versus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomptis allinet atrum
Transverso calamo signum.
Arguet ambiguè dictum, mutanda notabit,
Fiet Aristarchus.

Ubi Acro: *Notam culpæ significat. Nam notare versum malè formatum dicimus.* Rectè verò *notam culpæ*. Nam *culpæ* dicuntur ἀθετήσεις, seu *notæ* vitiorum, Auson. Lud. Sapient. n. 11.

Mæonio qualem cultum quæsivit Homero
Censor Aristarchus, normaque Zenodoti,
Pone obelos igitur spuriorum stigmata vatum,
Palmas, non culpas esse putabo meas,

Gell. XVII. 2. *Quæ in eo libro scripta essent in utrasque existimationes laudis, aut culpæ adnotamentis digna.* Laudis nomine laudabilia Gellius hic denotat, quorum *nota* duplex L. apud Latinos videtur fuisse. Unde apud Paullum Diaconum in *notis* literarum L. L. *Laudabiles loci*. Alibi etiam est L. SENT. *Laudabilis sententia*. Græci *notam* literæ X. apponebant, quæ significabat χρηστὸν, sive χρήσιμον. Laert. III. 66. *X, utrimque punctum habens ad electiores quasque sententias, ornatusque verborum apponitur.* Cassiod. de Divin. Lect. 1. *Ticonius Donatista in eodem volumine quædam non respuenda subjunxit, quædam verè venenosa dogmatis sui permiscuit. Cui tantum in bonis dictis chresimon, in malis achresimon, quantum transiens valui aperire, ut arbitror, competenter adfixi.* Ἄχρηστον, quod Græci adscribebant ad ea, quæ improbabant, Gellius *culpæ adnotamenta* vocat. Et *deculpatum verbum* dicit pro rejectitio, culpæ notis compuncto, ac damnato XIX. 10. *Dehonestum tibi, deculpatumque hoc verbum videtur.* Culpæ *nota* ut plurimum erat obelus. Isidor. I. 20. *Obelus, id est, virgula jacens apponitur in verbis, aut sententiis superfluè iteratis, sive ubi lectio aliqua falsitate notata est, ut quasi sagitta jugulet supervacua, & falsa confodiat.* Ad similem *notam*, nempè πρὸς τὴν ἀθέτησιν litera θ utebantur, Sidon. carm. IX, 331.

Iste qui valet exaratione
Districtum bonus applicare theta,

Pers. Sat. IV. 12.

Et potis es nigrum vitio præfigere theta.

Quod ad exemplum judicum factum videtur, qui, ut notat Persii Scholiastes, *literam θ apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt*, VVouvver. Polym. c. 17. n. 9. Reines. Var. Lect. III. 7. Casaub. & Menag. in Laertium, Oizel. in Gellium. Nicol. de Sigl. vet. c. 2. §. 6. Schill Nomencl. Philolog. p. 802.

Notæ censoriæ vocabantur propriè animadversiones censorum, & ipsi dicebantur *notare*. Plin. Epist. IX. 13. *Nota certe quasi censoria inuratur.* De censura Claudii Suet. c. 16. n. 4. *Et cum oranti bus familiaribus dempsisset cuidam appositam notam.* *Notabant* autem censores I. senatores remotione à curia, II. equites ademptione equi publici, III. plebejos, cum aut moverent tribu, aut jure suffragii privarent, atque ærarios facerent. Ascon. in Cicer. p. 20. *Buchner. in Plinium*. *Nota* in Glossar. ψόγος, στῖγος. Moris erat, ut qui vel famoso judicio, vel alia ratione infames erant, illorum nomen ad censores referretur, illique *nota* in censualibus tabulis apponeretur, sicque illorum ignominia insignior esset. Liv. XXXIX. 42. *Patrum memoria institutum fertur, ut censores motis senatu adscriberent notas. Longè gravissima in L. Quintium oratio est, quasi accusator ante notam, non censor post notam ausus esset.* In albo ordinum, aut tribuum *notare*, *notam affigere* dicit Macrob. Sat. VII. *Vel cui nota quondam afflicta censoria est.* Contra iis, qui liberabantur infamia, *nota dempta* dicebatur. Suetonius laudatus, Et *allevata*. Tacit. Hist. I. 52. 2. *Reddit plerisque ordines, remissa ignominia, allevata nota.* Herald. in Arnob. p. 172. Rævard. de Div. reg. jur. c. 109. Hug. de Prim. scrib. orig. c. 23. Pitisc. in Suetonium.

Nota genitiva est congenita, originalis, & à natura ingenita. Suet. Aug. c. 80. n. 1. *Corpore traditur maculoso, dispersis per pectus, atque alvum genitivis notis in modum, & ordinem, ac numerum stellarum cœlestis ursæ.* Vocatur *signum ingenuum* Auson. de Urb. II. 10.

—— Illa Seleucum
Nuncupat: ingenuum cujus fuit ancora signum,
Qualis inusta soles generis nota certa, per omnem
Nam sobolis seriem nativa cucurrit imago.

Nota generis naturalis eandem, quam Ausonius, historiam narranti Justin. XV. 4. 9. *Originis ejus argumentum etiam in posteris mansit: siquidem filii nepotesque ejus ancoram in femore, veluti notam generis naturalem, habuere.* *Originis nota* Solin. c. 1. *Modo qualescunque originis suæ notas ferunt.* *Nota genitalis* Ammian. XXII. 14. *Est Apis bos diversis genitalium notarum figuris expressus.* Σημεῖα συγγενῆ Aristot. Hist. Anim. VII. 6. *Et habentes signa congenita*, σημεῖα συγγενῆ, *ut nævos, & cicatrices.* Salmas. Exerc. Plin. p. 28. b. A. 311. a. G. Casaub. in Theoph. Charact. p. 373. Kemp. de Oscul. Diss. XVIII. n. 2. Pitisc. in Suetonium.

Nota vocabatur inscriptio statuarum, aliorumque operum. Horat. Odar. IV. 8. 13.

Non incisa notis marmora publicis,
Per quæ spiritus, & vita redit bonis
Post mortem ducibus,

Ubi commentator vetus: *Notæ sunt characteres, tituli, inscriptiones, quibus defuncti duces quandam immortalitatem consequuntur.* Figrel. de Stat. Roman. c. 27. Has potius *notas* quàm literas appellat. Loci enim angusti, sive in arcuum triumphalium fronte, sive in statuarum basi integrè perscribere omnia non sinebant. *Notis* ergo ferè utebantur, *Torrent. in Horatium.*

Notæ arithmeticæ. V. illas infr. in *Numerare.*

Notæ judiciariæ erant, quibus judices in causis gravioribus sententiam, quam de tabulis non pronuntiabant, *notabant*, Ascon. in Cicer. p. 25. *Judices sententiam de tabula pronuntiabant in levioribus causis, & ob id ipsum neque nota, neque custode opus fuit.* Erant *A. C. N. L.* & *Theta*. V. singulas suis locis. *Hugo de prim. scrib. orig. c. 22.*

Notæ militares. V. illas supr. in *Milites.*

Notæ musicæ, quas vocant, originem trahunt ex hymno D. Johanni facto, quem monachus quidam in Officiolo suo ad hunc modum habebat consignatum:

UT queant laxis
REsonare fibris
MIra gestorum
FAmuli tuorum,
SOLve polluti
LAbii reatum,
Sancte Johannes.

Ex hoc hymno religiosus iste primas cujuslibet versus syllabas, quæ sunt UT, RE, MI, FA, SOL, LA pro primis notis cantus posuit: & cantu isto in manus collocato cantare incepit, ac voces cum *notis*, quas in lineas posuerat, in concordiam redigere. *Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p.* 249. Musicus *notas* superiores locamus, verba sub notis substituimus. Quare dixit Horat. Epist. II. 2. 87.

Verba lyræ motura sonum connectere.

Buleng. de Theatr. II. 39.

Notæ pecuariæ pecudibus ad internoscendum eas inscribebantur. Festus. V. illum supr. in *Degenerare*, & infr. in *Signare*. Virg. Georg. I. 263.

Aut pecori signum, aut numeros impressit acervis.

III. 158.

Continuoque notas, & nomina gentis inurunt,

Calpurn. Ecl. V. 84.

Impressurus ovi tua nomina, nam tibi lites
Auferet ingentes lectus possessor in arvo,

Ubi obiter aperit rationem moris. Meminit ejusdem ritus ex Arriano Titius Loc. contr. VII. 20. docens: *Sibas Indorum gentem consuevisse bubus clavæ notam inurere in Herculis memoriam, qui illuc penetravit.* Hugo de prim. scrib. orig. c. 20. Zimmerman. Floril. Philol. p. 566. Fruter,

Verif.

Verif. v. 15. Nicol. de Sigl. Vet. c. 49. §. 3. Cerda & Pontan. in Virgilium.

Notæ serviles. V. illas supr. in *Inscriptio*.

Notæ sortiariæ. V. illas infr. in *Sors*.

Notæ suffragatoriæ cœperunt, ex quo consulibus Mario & Flacco perlata est lex tabellaria à L. Cassio Longino de suffragiis non voce, aut hastarum sonitu, aut χειροτονίᾳ, sed tabella ferendis. Eæ erant, aut puncta, aut singulæ literæ. V. infr. in *Puncta*. Hugo de prima scrib. orig. c. 24.

Notæ vocantur plumæ, ex auro, vel purpura, rotundæ, & in modum plumarum factæ, quibus vestes intertexebantur, & variegabantur. Ovid. Met. vi. 577.

Purpureasque notas filis intexuit albis.

Quintil. viii. 5. *Porrò ut adfert lumen clavus purpuræ loco insertus, ita neminem deceat intertexta notis pluribus vestis*. Salmas. in Vopisc. Carin. c. 20. Ferrar. de Re vest. Anal. c. 3.

Notæ vocantur etiam scripturæ quædam compendia, cum verba non perscribimus, sed signamus. *Notarum* istarum primus quis auctor? Ego libenter Græcis gloriam dederim, & nominatim Xenophonti. De illo Laert. ii. 48. *Primus notis excipiens dicta* Socratis *in lucem, hominesque protulit*. At Latini ad se trahunt. Isidor. i. 21. *Vulgares*, ut distinguat à juridicis, & quia hæ in communissimo usu, *notas Ennius primus mille & centum invenit*. Sed itane auctor Ennius, nusquam lectum, & ipse Isidorus mox abnuit: *Romæ primus Tullius Tiro Ciceronis libertus commentus est notas, sed tantum præpositionum. Post eum Tertius, Persannius, Philargyrus, & Aquila Mæcenatis libertus alius alias addiderunt: deinde Seneca*, patrem puto intelligi, *contractu omnium, digestoque, & aucto numero, opus effecit in quinque millia*. Quis ille *Tertius*? nullus in scriptis libris, quos ego vidi, & vox abest. Itaque legam, *post eum Persannius*: & idem nomen supra reponere ausim: *vulgares notas Persannius primus*, non autem *Ennius*, Ita dicat illum reperisse primum tali numero *notas*, etsi paucas antea Tiro Tullius. Hoc clarè Eusebius in Chronico: *M. Tullius Tiro, Ciceronis libertus, primus notas commentus est*. Mæcenatem etiam laudat Dio L. p. 553. B. *quod primus notas quasdam ad celeritatem scribendi invenit*. Non hercle primus omnes, sed *quasdam* ex iis, & auxit. Et exinde Dionem mente refragari istis non arbitror, etsi pænè verbis. Fuerunt itaque inventum Tironis, Persannii, Aquilæ, libertorum, aut servorum. Ingenuè Senec. Epist. 90. *Quid loquatur verborum notas, quibus quamvis citata excipiatur oratio? vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt*. Lips. Epist. ad Belg. Centur. i. 27. Poller. For. Rom. v. 52. Pignor. de Serv. p. 219. VVouvver. de Polym. c. 6. n. 10. Voss. Grammat. i. 41. Bernatt. ad Stat. Sylv. i. 1. 16. Hugo de prim. scrib. orig. c. 18. Schill Nomencl. Philol. p. 801. Qui Dionem mente suæ sententiæ non refragari dicit Lipsius, qui tam signanter, & disertè Mæcenati *notarum* inventionem tribuit? Et cur tacet de Seneca, quem de *notis* rem perfecisse scribit Isidorus? Etenim nec iste ex vilissimorum mancipiorum numero fuit; nec Mecænati vitio verti potest, quod illi dedecori non fuit. Circumfertur autem etiam hodie *Tullii Tironis, & Senecæ notarum volumen* superioribus annis à Grutero evulgatum. *Meibom. Mæcen. c. 26. §. 5.* Ægyptiis hoc potius tribuendum est ex sententia Antonii Guberti Polyhist. c. 6. Ita enim hic refert: Hic mos per *notas* scribendi ab Ægyptiis videtur manasse, qui hieroglyphicis *notis*, hoc est, exsculptis sacris figuris animalium, aliarumque rerum, atque adeò literis primi omnium usi sunt, ut res, & animi pensa significarent. Sed facilè contigerit, ut *notæ* ab Ægyptiis ad Græcos emanarint, apud quos cum variis hominum ingenia delectentur, Xenophon præcipuè *notarum* studio tractus, easdem diligentiùs excoluit, & intermissione veluti sepultas in lucem, hominesque retulit. *Nicol. de sigl. vet. c. 3. §. 9. &* 10. Literas non esse ex Pedii sententia opinatur Paull. l. 6. §. 2. ff. de honor. possess. *Notis scriptæ tabulæ non continentur edicto: quia notas literas non esse Pedius libro vicesimo quinto ad edictum scribit*. Et eas à literis distiguunt Paull. l. 40. ff. de testam. milit. *Lucius Titius miles notario suo testamentum scribendum notis dictavit: & antequam literis præscriberetur, vita defunctus est*. Et Ulpian. l. 1. §. 7. ff. de extraord. cognit. *Cæterarum artium opificibus, sive artificibus, quæ sunt extra literas, vel notas posita.....* Et revera *nota* nomen videtur patere latiùs, quàm literæ: ut fulminis ictum, quo statua lactentis Romuli de cœlo tacta est, *notam* vocat Cicer. de Divin. ii. 21. *Hoc tamen callidè Jupiter cogitavit, Romulus lactens fulmine ictus: urbi igitur periculum ostenditur ei, quam ille condidit, quàm scitè per notas nos certiores facit Jupiter*. Quapropter si fulminis ictus est *nota*, idemque ictus non est litera; ut *nota* non sit litera, oportet consequi. Eodem pacto etiam Orat. pro Rabir. perduel. c. 9. *P. Furium hominem omnibus insignem notis turpitudinis* esse dixit. Et de Offic. ii. 7. *Alexandri Pherei satellitem barbarum compunctum notis Threjciis* ex historia fuisse narrat. *Ferrar. de Orig. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. 1. (p. 12) D. Torrent. in Horat. Od. iv. 8. 13. Pollet. & Bernart. l. l. Popm. de Serv. p. 71.* Ferrarius hic valdè argutatur. Nec *notæ* illæ apud Ciceron. de Divin. apud quem *notæ* sunt signa, quibus aliquid præsignificatur: nec *notæ* turpitudinis, nec Threiciæ, quas Thraces inurebant corporibus, huc quicquam faciunt: nec illæ *notæ* quibus res secretas significabant amicis, sive illæ fuerint literæ aliter scriptæ, ut si *b* pro *a*, *c* pro *b* ponatur, ad exemplum Julii Cæsaris, sive fuerint certæ quædam literæ, figuræve voces denotantes, nihil faciunt ad Paulli *notas*. Is loquitur de his *notis*, quibus ταχύγραφοι utebantur, qui oratorum orationes excipiebant, quarum singulæ vocem significabant, vel etiam plures, quæ siglæ posterioribus temporibus appellabantur. Hæ *notæ* fuerunt duplices, ut in tabulis judicum N. L. pro *non liquet*, A *amplio*, SC *senatusconsultum*, quæ in frequenti usu fuerunt ab antiquissimis temporibus, ut liquet ex priscis legibus, lapidibus, inscriptionibus, & aliis monumentis: aut figuræ quædam, ut qua *fascis*, *Imperator Cæsar*, *orbis terrarum totus* significabatur, de quibus extat liber à Grutero in lucem emissus, qui Tyronis, & Senecæ nomen præ se fert, quæ sunt vocum compendia. Has *notas* intelligit Paullus, cum ait *notam non esse literam, & propterea testamentum notis scriptum esse irritum*. De his *notis* accipienda est quoque de testam. milit. Non tamen inficior posse à Paullo literas etiam illas singularias intelligi, quæ vocem integram denotant. Nam licèt sint literæ, non tamen vim literarum obtinent, sed vocum, ut: S. V. B. E. E. V. in epistolis Tullii, quibus, ut notum, significatur, *si vos valetis, benè est, ego valeo*. Has literas non literarum loco habet Ictus, sed vocum. Verùm prior sententia mihi verior videtur esse. Istæ, quibus literæ singulares voces denotant, diu ante Ciceronem, & Tironem fuerunt adhibitæ in publicis, privatisque monumentis, & tabulis: harum verò, quibus utebantur *notarii*, artem dicitur condidisse Cicero, aut ejus libertus Tyro, quamvis de illarum ambigatur inventione. *Græv. Præfat. ad Thes. Antiq. Roman. Tom. 1. ** 2. vers. Hugo de prim. scrib. orig. c. 18.* Illarum usus duplex: publicus, & privatus. Suggerit Isidor. l. l. *Notarum usus erat, ut quicquid pro concione, aut in judiciis diceretur, librarii scriberent complures simul adstantes, divisis inter se partibus: quot quisque verba, & quo ordine exciperet. Complures simul* fuisse necessum fuit, ubi citata, & longa oratio, neque unius mens, aut manus suffecisset. *Diviserunt partes, & verba*, id est, primus sex prima verba, pro exemplo, secundus sex altera, tertius tertia: aut tali divisione: & postea simul juncti, & conferentes, membris insitis, orationem explerent. Ac plurimum ita fuerit, certiusque ita fuerit: arte tamen adaucta nihil ambigam vel unum sufficisse. Igitur publicè hic usus, orationes & dicta excipere, ac promulgare. Ita Ascon. in Cicer. p. 194. tradidit orationem Ciceronis pro Milone, ipsam quam dixerat, nam hodierna hæc scripta modò est, *exceptam fuisse, quæ suo tempore ex-*

ſtaret. Et Quintil. Inſtit. Orat. vii. 3. queritur, *orationes aliquot ſuas circumferri, negligentia excipientium in quæſtum notariorum corruptas*. Privatim fuit plurimus, ſive in excipiendo ſtatim, & ſine jacture magna lectionis adnotando. Minor Plin. Epiſt. iii. 5. 15. *In itinere ad latus notarius cum libro & pugillaribus*, de majore: & de ſeipſo ix. 36. 2. *Notarium voco, &, die admiſſo, quæ formaveram, dicto*. Quis negat grande in eo commodum? Hodie ſi in lectionibus publicis, ubi dictatura negat, nſurpetur: quanto bono, & quo temporis fœnore fiat? *Lipſ. l. l. Nicol. ibid. c. 7. §. 1. & 2.* Nam mira hic in excipiendo celeritas: quæ finis, & fructus propriè hujus inventi. Celeritas, inquam, tanta, ut *quamvis citata*, verba Senec. Epiſt. 90. *excipiatur oratio, & celeritatem lingua manus ſequatur*. Quid ſequatur? imò præveniat. Mart. xiv. 208.

Currant verba licet, manus eſt velocior illis,
Nondum lingua, ſuum dextra peregit opus.

Manil. iv. 198.

Quique notis linguam ſuperet, curſumque loquentis.

Auſon. Epigram. 138. 16.

Tu ſenſa noſtri pectoris
Vix dicta jam ceris tenes,
Tu me loquentem prævenis.
Quis, quæſo, quis me prodidit?
Quis iſta jam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?

Unde *furta verborum* dicebantur. Hieron. de vita od. ſuſp. contub. *Extemporalis eſt dictatio, & tanta ad lumen lucernulæ facilitate profuſa, ut notariorum manus lingua præcurreret, & ſigna, ac furta verborum volubilitas ſermonis obrueret*. Lipſ. & Hugo l. l. VVouvver. ibid. n. 8. Nicol. ibid. §. 3. Donat. & Pitiſc. in Suet. Tit. c. 3. n. 3. Iis etiam occultis uſi ſunt in iis, quæ alios celare vellent. Cicer. Attic. xiii. 32. *Quæ ad te de legatis ſcripſi, parum intellexiſti credo: quia* διὰ σημείων *ſcripſeram*. Gell. xvii. 9. *occultas literas* vocat, & de earum ſignificatione Probum Grammaticum commentarios reliquiſſe ſcribit. Firmic. Aſtron. iii. 12. *difficiles, & abſconſas literas* appellat. Harum frequens uſus in ſacris, quorum myſteria occultis *notis*, & literis tradi ſolita, ne profanis peterent. Apul. xi. p. 386. *De opertis adytis profert quosdam libros, literis ignorabilibus prænotatos, partim figuris cujuſcemodi animalium, concepti ſermonis compendioſa verba ſuggerentes: partim nodoſis, & in modum rotæ tortuoſis, capreolatimque condenſis apicibus à curioſitate profanorum lectione munita*. VVouvet. ibid. n. 12. Erant & *notarum* pleni juris civilis libri, quarum varia, ac ſubtili interpretatione cum multi in fraudem inducerentur, magnæ etiam judicentibus, diſcentibuſque tenebræ offunderentur, eas Imperatores, quemadmodum Iſidor. i. 22. ſcribit, ex legum codicibus ſuſtulere. Et ſanè Juſtinianus diſertè prohibuit quicquam in ſuis libris *notis* ſcribi, ne qua malignis interpretibus, imperitiſve, verborum evertendorum anſa præberetur. Teſtamenta autem *notis* ſcribi longè ante in paganorum cauſis improbatum fuerat: in militibus, quibus quoquomodo vellent, & quomodo poſſent teſtamenta facere, principum conſtitutionibus conceſſum fuerat, tunc tolerabatur, cum literis præſcribi teſtamenta ſua anguſtiæ temporis paſſæ non erent. V. Paullum ſupr. laudatum. Itaque nec *notis* ſcriptæ tabulæ edicto, quo prætor ſecundum tabulas bonorum poſſeſſionem deferr, continebatur, l. ſed enim patrono ff. de bonor. poſſeſſ. *Briſſon. Antiq. ſelect. iv. 21. Popm. l. l.*

Nota vini. V. illam ſupr. in *Amphora*.

NOTARIUS propriè dicebatur ſervus, ſeu libertus, dictæ ſcriptionis peritus. Gloſſæ veteres: *Notarius, ſigniſcriptor*. Mart. x. 62. 4.

Nec calculator, nec notarius velox.

Scævol. l. 41. §. Sejo ff. de fideicom. libert. *Sejo auri libras tres, & Stichum notarium, quem peto, manumittas*. Paull. l. 40. ff. de teſtam. milit. ſupr. laudatus. *Bernart. in Stat. Sylv. i. 1. 16. Beger. Spicil. Antiq. iii. 19. Popm. de Serv. p. 71. VVouvver. Polymath. c. 6. n. 9.* Tres *notariorum* erant ordines. Alii *tribuni notarii*, appellati quod honore tribunis prætorianis æquabantur. Zoſim. v. 40. *Johannes præfectus aliquando notarius principis, quos tribunos vocant*. Candidati etiam dicebantur. Caſſiod. Var. i. 4. *Pater meus candidatus ſub Valentiniano principe geſſit tribunum, & notarii laudabiliter dignitatem*. Alii *domeſtici*, quod Imperatori eſſent à ſecretis, cujus arcana ſcribebant. *Familiares* ſuos vocat Gratian. l. penult. C. T. de primic. *Ad imperiale ſecretum eligi* dicit Caſſiod. l. l. Ultimus ordo erat inferiorum tribunorum *notariorum*. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 93. Schill. Nomencl. Philol. p. 805. Erant diverſi à ſcribis. V. mſr. in *Scriba*.

NOTHÆ filiæ an dos à patre debeatur, quæritur. Nam extat teſtimonium. Ulpian. l. uxorem 41. §. pater naturalis 11. ff. de Legat. iii. ubi apertè ſcribitur, patrem non teneri dotem ſpuriæ filiæ conſtituere. Indeque vulgaris nata opinio eſt, patrem *nothis* puellis dotem non debere. Sed videamus, an lex illa nihil ad jus novum, hoc eſt, à Juſtiniano inductum pertineat: nam jure antiquo pater naturalis filiam alere non cogebatur, l. 5. §. 4. ff. de agnoſc. lib. tantum abeſt, ut dotare teneretur. Sed cum jure novo boni viri arbitratu alimenta debeantur, ſtatuendum putarem, ex boni quoque viri arbitratu, pro facultatum paternarum modo, ei dotem, quæ quodam modo alimentorum locum obtinet, conſtituendam eſſe. Hæc conſtituta ſi fuerit, quæritur, ad quem ſoluto matrimonio revertatur. Sed de eo quia nihil toto jure conſtitutum eſt, non dubitarem, ad eum modum nobis reſpondendum eſſe, quem de ceteris dotibus in libro de Dotibus explicavimus. *Hotoman. de Spur. & Legitimat. c. 3. Paleot. de Noth. & ſpur. c. 49. n. 1.*

NOTHUS, νόθος, vox eſt Græca, quæ generaliter ſignificat in hominibus, beſtiis, arboribus, herbis, ac rebus omnibus, quod non eſt legitimum, hoc eſt, ſecundum generalem curſum, ac regulam. *Sic* dicimus *notha* ſcripta ea, quæ non ſunt auctoris, cujus nomen referunt. Sic *notha* poma à legitimo, & ordinario ſtatu declinantia. *Sic qui non ſit legitimus, Græcis vocatur: Latinum rei nomen, ut Cato quoque in oratione quadam teſtatus eſt, non habemus, ideoque utimur peregrino*. Quintil. Inſtit. iii. 6. *Hotmann. de Spur. & Legitimat. c. 1. Rhodig. Ant. Lect. xxiv. 6. Bud. in Pandect. p. 50. I. Voſſ. Lex. Etymol. Paleot. de Noth. & Spur. c. 17. n. 9: c. 18. n. 5. Heuter. de Liber. homin. libert. c. 7. §. 3. Cujac. Obſerv. v. 6.* Differt à ſpurio, quod certum patrem nominare poteſt, ut qui è concubina naſcitur: ſpurius non poteſt, eò quòd è muliere ſe pluribus proſtituente, ſive, ut Lucret. iv. 1064. loquitur, *volgivaga Venere* eſt conceptus. *Voſſ. l. l. Paleot. de Noth. & Spur. §. 17. n. 9. & 10.* cum legitima in locum querelæ inofficioſi introducta ſit, pater in illos inofficioſus dici non poterit, cum juſtis liberis exiſtentibus non licet ei amplius uncia illis relinquere, ut Novell. 89. dicitur. Etſi autem ex cauſa quidem inteſtati, ſi juſti liberi non extent, ſextans iis debeatur, qua de cauſa tertia ſextantis pars eorum legitima eſſe videretur: tamen, cum legitima nonniſi ex teſtati cauſa debeatur, inofficioſus dici non poterit, qui etiamſi inofficioſiſſimus eſſe cupiat, tamen nonniſi in uncia eſſe poteſt. Nihil igitur iis legitimæ nomine debetur, ſed ejus nomine alimenta boni viri arbitratu attribuenda ſunt. *Hotmann. ibid. c. 3.* Quod attinet ad illorum hæreditates paternas, Juſtin. Novell. 89. §. 13. ſtatuit, ut, quod jus *nothis* in parentum hæreditatibus tribuitur, idem parentibus in illorum ſucceſſionibus concedatur. Quod non ita facile ad explicandum videtur. Nam ſiquidem *nothus* liberos habeat, verum eſt, patrem ipſius egentem, arbitratu viri boni, ipſius facultatibus alendum eſſe. Quod ad alterum caput attinet, quo conſtitutum eſt, ut, ſi pater juſtos liberos non habeat, ſextans *notho*, decunx legitimis patris hæredibus attribuatur; non video, quemadmodum in *nothi* perſona reciprocari poſſit. Nam ſi *nothus* liberis careat, non ſextans, ſed as integer patri debebitur: ea cauſa autem teſtari jus hoc manifeſtum eſt, ut *nothus*, liberos habens, patri ſuo unciam relinquere debeat: ſed ſi pater liberos non habeat, patrem habeat; dictum eſt, eum poſſe beſſem *notho* relinquere, trientem pa-

tri

tri debere: quod quemadmodum contrarium in patrem verti possit, obscurum est; pater enim patri suo trientem tantum debet, cum *notho* bessem relinquat. At *nothus*, liberos non habens, poterit extraneis bessem relinquere, suo verò patri trientem. Postremus articulus, in quo dictum est, si pater neque patrem, neque liberos habeat, totum assem posse *notho* relinquere, reciprocationem non admittit. Maternas verò. In illis jus *nothorum* antiquo jure multiplex fuit. I. ut ex Orphiciano Scto matris intestatæ hæredes essent legitimi, l. 1. §. 2. C. ad Tertyll. §. 3. Instit. de Orphic. II. ut iis legitima in bonis maternis deberetur: aliòqui inofficiosi querela uterentur, l. 1. suspecta 29. §. 6. ff. de inoffic. testam. III. ut bonorum possessio *unde cognati* iis deferretur, l. 2. ff. unde cognati. §. vulgo quæsitus Instit. de succ. cognat. IV. ut mater illos alere cogeretur, l. si quis à liberis §. 4. ff. de agnosc. lib. V. ex Justiniani constitutione, ut unà cum justis liberis æquis ex partibus succederent, l. si qua illustris 5. C. ad Orphic. VI. ut patronæ liberi vulgo quæsiti materni liberti bonorum possessionem acciperent, l. patronæ 18. ff. de bon. libert. VII. ut mater iis tutorem petere cogeretur, l. ult. C. qui pet. tut. *Hotman. ibid.* c. 4. Ex nobilibus parentibus nati nobilitatem videntur retinere. Cum enim maternam cognationem retineant, qua de causa bonorum possessio *unde cognati* ipsis defertur, l. 8. Modestinus ff. unde cognati, difficile dictu est, eos posse cognationem sine nobilitate retinere: quippe cum matris conditionem sequi dicantur, l. 1. ff. ad municip. Præterea, quod ad novum jus attinet, hodie *nothi* sine patre dici non possunt. Nam ex Novellis Justiniani tam certum habent patrem, certamque matrem, quàm qui ex justissimis nuptiis procreati sunt. Itaque etiam ab intestato patri hæredes designantur. Quod si legitimati sunt, quia tunc in patriam potestatem redacti sunt, ut intelligitur, l. ult. ff. de adopt. probabiliter disputari posset, eos suitatem usquequaque adeptos esse, quasi jus suitatis individuum sit, ut videmus, l. qui in prov. 57. §. 1. ff. de rit. nupt. statum eorum, qui incestu nati fuerant, ab Imperatoribus ita confirmari, ut planè pro legitimis habeantur. Contra, quod ad matris familiam attinet, pugnat I. quod nobilitas jure nostro definitur claritas generis, ac proinde ex majorum origine defertur, l. 1. C. de dignit. *nothorum* autem origo ex eo tantum die, quo nati sunt, numeratur, l. ejus qui 9. ff. ad municip. *Ejus qui justum patrem non habet, prima origo à matre, eoque die, quo ex ea editus est, numerari debet.* II. Mulier familiæ suæ & caput, & finis est, l. pronuntiatio 195. ff. de verb. signif. feminarum autem liberi in familia earum non censentur, l. seq. eod. III. Justin. l. si qua illustris C. ad Orphic. si bene lex attendatur, concubinatus, & *nothorum* nomen à nobilissimis feminis apertissimè removet. Etsi autem novo jure certum patrem habeant, non tamen filii jus adipiscuntur, quia suitas, filiatio, agnatio, cognatio sunt individua, l. quæsitum 34. ff. de Adopt. Quod autem ad legitimatos attinet, jus antiquum, quo per principis præscriptum suitatem adipiscebantur, aperte per Novell. 89. abrogatum est: ubi Justinianus sanxit, ubi legitimati soli patri legitimati sint, non etiam generi: idque certæ duntaxat portionis causa. Unde apparet, legitimationem esse jus quoddam definitum, & certis tanquam terminis ita circumscriptum, ut longiùs produci non possit. Cum autem claritas generis per totam familiam diffusa, & planè individua sit, atque in agnatione, & gentilitate posita, quomodo ex ea sola parte nobilitatem adsequerentur? *Hotman. ibid.* c. 5. V. etiam intr. in *Spurius*.

NOTITIA *dignitatum*......significat summariam cognitionem magistratuum, ac Palatinorum: in quo sensu hæc vox à posterioribus legum latoribus accipitur. Constantinus enim *notitiam* artificum pro eorum indice ponit, l. 1. C. de excus. artif. Theodosius pro brevi scriptura, quæ continet quantum quæque provincia ex indictione auro solvere debeat. Leo l. fin. §. & est notitia C. de div. offic. pro catalogo officiorum, quæ in scriniis memoriæ epistolarum, & libellorum scribenda, & a principe probanda erant. Justinianus pro albo, vel matricula scholarium accipit, l. ult. C. de offic. mag. Alio nomine *brevis* vocatur, l. ult. C. de conven. fisc. debitor. Et Suetonius *breviarium imperii* Aug. c. 102. n. 7. *rationarium imperii* Aug. c. 28. n. 1. nominat. *Dignitatum* verò, non magistratuum dixit, quia non tantum jus dicentes, sed & aliis honoribus præditos continet, ut primicerios sacri cubiculi, notariorum, castrensem palatii, & scriniorum magistros, qui jurisdictione carent, & spectabilium dignitate honestantur. *Panciroll. Notit. dignit. imp. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* VII. *p.* 1329. *A.* 1326. *A. Buleng. de Vectig. c.* 95. Non alium quàm Augustum, & sequentes principes auctores habet. *Pancirol. ibid. p.* 1326. *B.* Ego ab vetusto aliquo scriptore conscriptam nullus dubito. Verùm cum in descriptione Constantinopolitanarum regionum situs etiam & limites exactissima diligentia notatos videam, Romanas autem exiliter, & quasi cursim tractatas: tum verò multis etiam in locis manifestos, & Victori, Rufoque repugnantes errores animadvertam, Græculum aliquem rerum Romanarum satis imperitum illius auctorem agnosco: in cujus sententiam nonnisi testudineis pedibus eundum sit. *Nardin. Rom. Vet.* II. 5.

NOTOR dicebatur, qui ignoti dabat notitiam. Hi non nimium diversi erant à proxenetis, & intercessoribus. Cum quis quasi ignotis pecuniam alteris credere verebatur, *notores* eos commendabant, & sibi *notos* affirmabant, & bene his posse credi. Senec. Epist. 39. *Qui notorem dat, ignotus est.* Id. de morte Claudii p. 850. *Si quis à me notorem petisset, se fui nominaturus, qui me optimè nosset. Cognitores* dicuntur Cicer. Verr. v. 65. *Adeunt ad ea loca, quæ nunquam antea viderunt: ubi neque noti esse quo venerunt, nec semper cum cognitoribus esse possunt.* Γνωστῆρας vocat Xenoph. Pædag. Cyri p. 163. B. *Γνωστῆρας ἐμοὶ προσαγαγών. Salmas. de Mod. usur. c.* 10. *&* 16. *Turneb. Adv.* XXIX. 36. *Lips. in Senecæ Epistolas. Gruter. in Senec. Ludum. Dousa Præcid. in Petron.* II. 2. *VVouwer. de Polymath. c.* 6. *num.* 11.

NOTORIA non est brevis, aut compendiaria scriptio, quemadmodum existimavit princeps hujus ætatis Ictorum. Non est dicta à *notis*, hoc est, compendiis illis literarum. Sed est indicium, quo crimina, sive rei deferuntur ad principem, & ejus *notitia* suggeruntur. Dicta, quod *notos* faciebat, sive indicabat reos. Apul. Met. VII. p. 208. *Sodalis, qui commodum falsam de me notoriam pertulerat.* August. Epist. 160. *Qui non accusationibus nostris, sed illorum notoria, ad quos tuendæ pacis vigilantia pertinebat, præsentari videntur examini.* Gloss. vet. *μήνυσις, notoria, indicium.* Græci *ἀναφορὰ* dicunt. Glossæ nostræ: *notoria, ἀναφορά. Salmas. in Treb. Poll. Claud. c.* 17. *VVouwer. de Polymath. n.* 6. *n.* 11. *Cerda Adv. c.* 106. *n.* 2.

NOV.

NOVA ut ederent, laus erat edentium. Plin. Epist. IX. 6. 1. *Circenses erant, quo genere spectaculi ne levissimè quidem teneor. Nihil novum, nihil varium, nihil quod non semel spectasse sufficiat.* Vopisc. Carin. c. 19. *Memorabile maximè, & Carini, & Numeriani hoc habuit imperium, quod ludos Romanos novis ornatos spectaculis dederunt.* Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 3.

NOVALE, & *novalis ager*, Græcè dicitur *νέωμα*, *νέατος*, *νέος*, *νειὸς*, *νέα*, & *νέατα*. Glossæ: *νέατος, novalis terra.* Sæpius arabatur. Prima aratione dicebatur terra proscindi: altera redarari, vel iterari: tertia tertiari, vel lirari. Prima aratione grandes glebæ excitantur, secunda franguntur, tertia aut quarta aratio fit cum seminis jactione. *Novalis* ergo ager primam solum arationem expertus fuit, perque annum cessavit. Plin. XVIII. 19. *Quod verè semel aratum est, à temporis argumento vervactum vocatur. Hoc in novali, atque requiete necessarium est. Novale est, quod alternis annis seritur.* Festus: *Novalem agrum Ælius Gallus, & Opilius, item Aurelius eum ajunt esse, quem Græci νεὸν dicunt, ad quod Homero quoque teste utuntur, qui dixit Iliad.* Σ. 547. *νειοῖο βαθείης τέλσον ἱκέσθαι*, ad *novalis*

valis profundi terminum pervenire. *Sed Cincius eum esse, ubi gleba proscissa ad novam sementem sit relicta.* Paull. l. 30. §. Novalis ff. de verb. signif. *Novalis est terra proscissa, quæ anno cessavit, quam Græci NEACIN vocant.* Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 514. b. E. Bud. in Pandect. p. 278. A. Turneb. Adv. XVIII. 12. Calcagn. de verb. signif. p. 356.

NOVATIO *est prioris debiti in aliam obligationem, vel civilem, vel naturalem, transfusio, atque translatio, hoc est, cum ex præcedente causa ita nova constituatur, ut prior perimatur.* Ulpian. l. 1. ff. de novat. & obligat. Definitio hæc paucis totam *novationis* substantiam evolvit, atque explicat, cujus ea vis, ac potestas est, ut priore perempta novam constituat obligationem. *Brisson. de Solution. p. 262. Sigon. de Judic. 1. 5.*

NOVEMBER. Nomen suum assumpto alio nomine non mutasse scribit Plutarch. in Num. p. 72. E. *Soli postremi duo appellationem ab ordine, sicuti ab initio habuere, servaverunt.* Sed *Exsuperatorium* Commodi adulatores dixisse Lamprid. c. 11. *Menses in honorem ejus pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exsuperatorium, pro Decembri Amazonium, ex signo ipsius adulatores vocabant.* Illo tamen mortuo libertatem adeptus pristinum nomen recuperavit. *Moresteil. Philom.* II. 13. *Viola de Vet. & nov. Roman. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* VIII. *p. 196. E. Stuck. de Sacrif. p. 26.* Cum triginta dierum esset à Romulo constitutus, & à Numa uno mutilatus, à Cæsare tamen ad triginta fuit restitutus, & semper nonas quinto mensis die, idusque decimo tertio conservavit. *Viola l. l.*

NOVEMDIALIA fuerunt feriæ funebres. V. illas supr. in *Feria novemdiales.*

NOVERCA est altera patris uxor. Modestin. l. 4. §. 6. ff. de Gradib. *Uxor liberis ex alia uxore natis noverca dicitur.* Hotman. de Rit. nupt. & matrim. c. 10. Hujus cum privigno matrimonium est illicitum. V. supr. in *Matrimonium.*

Noverca appellantur loca iniqua à mensoribus. V. illas supr. in *Canabula.*

NOVI dicebantur, qui nulla majorum commendatione, primi ad magistratus curules pervenerunt. Plutarch. Caton. maj. p. 336. B. *Quia solent Romani obscuro genere ortos, qui incipiunt actibus suis inclarescere, novos homines appellare: ut etiam appellabant Catonem.* Appian. Bell. Civil. II. p. 428. *Novos homines vocare solent eos, qui non majorum gloria, sed suapte virtute inclaruerunt.* Catonis pater ignobilis, ipse *novus*, posteri ejus nobiles exstiterunt. Est enim *novitas* inter nobilitatem & ignobilitatem interjecta. Hujus rei admonemur à Cicer. pro Cluent. c. 40. *Et jam querimur, sæpe hominibus novis non satis magnos in hac civitate esse fructus? nego usquam unquam fuisse majores: ubi si quis ignobili loco ita vivit, ut nobilitatis dignitatem virtute tueri posse videatur, usque eo pervenit, quoad eum industria cum innocentia prosecuta est. Si quis autem hoc uno nititur, quod sit ignobilis, procedit sæpe longius, quàm si idem ille sit cum iisdem suis nobilissimus.* Itaque de se homine *novo* dixit in Rull. c. 1. *Me hominem novum consulem fecistis. Mihi apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur, non quod non tales fuerint, quales nos illorum sanguine, disciplinisque institutos videtis, sed quod laude populari, atque honoris vestri luce caruerunt.* c. 36. *Quemadmodum cum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt; sic si quid deliquero, nulla sunt imagines, quæ me à vobis deprecentur.* Sigon. de Ant. jur. civ. Roman II. 20. de Nom. Roman. c. 6. Panvin. de Nom. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. II. p. 2018. E. Lips. Elect. 1. 29. Kipping. Antiq. Rom. II. 1. 5. Rosin. Antiq. Roman. 1. 19. & ad illum Demsterus.

NOVIA gens. V. illam supr. in *Gens.*

NOVUMCOMUM est situm ad radices Alpium ad Larium lacum. Strab. IV. p. 133. & 141. *Initio mediocre fuit oppidum. Sed Pompejus Strabo Magni pater afflictam à supra accolentibus Rhætis instauravit: deinde C. Scipio ad tria colonorum millia adjecit: quibus iterum D. Cæsar 177. addidit, de quibus 10 fuerunt Græcorum nobilissimi. His & jus civitatis dedit, & inter colonos eorum nomina retulit, qui tamen Græci ibi sedes non posuerunt, sed coloniæ isti nomen reliquerunt, ut Novocomenses oppidani omnes appellarentur.* Aliquot post annis M. Marcellus cos. Cæsari inimicus, ad senatum retulit, *ut colonis, quos rogatione Vatinia Novumcomum deduxisset, civitas adimeretur, quod per ambitionem, & ultra præscriptum data esset.* Suet. Jul. c. 28. n. 3. Civitatem intellexit, non Romanam, quæ veteribus incolis data esset, quæ nulla erat: sed *Novocomensem*, quæ quingentis colonis Græcis adjectis. Nam, ut scribit Appian. Bell. civil. II. p. 443. Cæsar *Novumcomum* ad Latii jus redegit, quod erat, *ut qui annuum magistratum ibi gessisset, is civis Romanus esset*, id est, novos colonos Græcos, quos Comum adscripserat, etiam jure Latii, quo veteres incolæ lege Pompeja donati fuerant, decoravit. Marcelli factum in *Novocomensem*, V. supr. in *Jus Latii.* Sigon. de Ant. jur. Ital. III. 2.

NOX.

NOX *in quatuor vigilias dividitur. Singulæ ternas horas continent.* Suidas in Προφυλακή. Censor. de Die nat. c. 23. *Noctem quadripartito dividebant: idque testatur similitudo militaris, ubi dicitur, vigilia prima, item secunda, & tertia, & quarta.* Valtrin. de Re milit. Roman. IV. 6. Laurent. de Ann. c. 1. Actionem dirimebat. Plin. Epist. IV. 9. 9. *Actionem meam, ut prælia, nox diremit. Egeram tribus horis & dimidia; supererat sesquihora. Nam cum è lege accusator sex horas, novem reus accepisset; ita diviserat tempus reus inter me, & eum, qui dicturus post erat, ut ego quinque horis, ille reliquis uteretur.* Pollet. For. Roman. 1. 11. Intempesta vocabatur ea *noctis* pars, quæ ad res gerendas idoneum tempus non habet. Græcè ἀωρονυχία, ἀμολγὸς, & ὥρα ἀσαλπίγκτος dicitur. Cicer. in Pison. c. 31. *Nocte intempesta crepidatus veste servili navem conscendit.* Virg. Æneid. III. 587.

Et lunam in medio nox intempesta tenebat.

Columna in Ennii Annal. 1. p. 45. Cerda in Virgilium & Georg. 1. 247. Ritu Romano dea censebatur. Horat. Od. III. 28. 16.

Dicetur merita nox quoque nænia.

Turneb. Adv. XXIV. 45. Pingebatur in tunica multis stellis obsita. *Barth. Adv.* XII. 11. Nocturno tempore sacra illi fecerunt gallo. Ovid. Fast. 1. 455.

Nocte deæ nocti cristatus cæditur ales,
Quod tepidum vigili provocet ore diem.

Gyrald. Symb. Pythag. interpr. §. 19. Stuck. de Sacrif. p. 20.

NOXA & *noxia* differunt, ut vult Tribonianus, dum scribit in Instit. IV. 18. 2. *Noxa est ipsum corpus, quod nocuit, id est servus: noxia ipsum maleficium, veluti furtum, damnum, rapina, injuria.* Hinc sua desumpserunt veteres glossæ: *Noxa*, αὐτὸ σῶμα τὸ βλάψαν. *Noxia*, αὐτὸ τὸ κακούργημα· οἷον κλοπὴ, ζημία, ἁρπαγὴ, ὕβρις. Sed ea *noxa* notio non videtur esse in usu. Nec *noxia* semper sumitur pro culpa, sed est cum ponitur pro jurgio, aut dissidio. Petron. c. 56. *In mediam noxam perfertur.* Auson. Eid. XII. 31.

Sæpè in conjugiis fit noxia, si nimia est dos.

Et annotandum, quod hodie in Gallia jurgium vocatur *noise*, id à *noxia* esse detortum. *Scalig. in Catal. p. 213. Voss. Lex. Etymol. Noxa* tria significat. I. damnum, ut cum *noxam dedisse* dicitur servus. II. peccatum, vel delictum, cum *noxam commisisse*. III. pœnam, vel supplicium, quando *noxa deditus*. Et rectè veteres Philoxeni glossæ *noxa deditum* interpretantur ἔκδοτον εἰς κόλασιν. Servius rectiùs de differentia *noxæ*, & *noxiæ* quàm Tribonianus. Æneid. 1. 45. *Hoc interest inter noxam & noxiam, quod noxia culpa est, id est, peccatum, noxa autem pœna.* Citant veteres grammatici ex Accii Menalippa: *Te esse huic noxæ obnoxium*, id est, pœnæ, supplicio. Imo *noxa* tam pœnam, quàm maleficium significat. Pœna est in *noxæ deditione:*

ditione, maleficium, cum *noxa committi* dicitur, At quod sæpè *noxa* deditio occurreret in libris Ictorum veterum, putavit ille ibi *deditionem noxa* poni pro deditione corporis. Ipsum quippe corpus dedebatur, quod *ἀγώγιμον* fiebat, & *ἐκδοτον εἰς κόλασιν*. Ut l. 1. ff. de noxal. action. *Ut si damnati fuerimus, liceat nobis deditione ipsius corporis, quod deliquerit, evitare litis æstimationem.* Hinc ille sumpsit, aut ex similibus locis, *noxam* esse corpus ipsum, Atqui si *noxa* corpus est in *noxæ* deditione, erit etiam, cum servus dicitur *noxæ* dedi, & in *noxam*. Quod est ridiculum. *Salmas. de Mod. usur. c.* 19. *Augustin. ad Leg. XII. tab.* §. 39. *Beroald. in Serv.* §. 3. *Noxia* est natura sua adjectivum, & intelligitur culpa. *Voss. & Beroald. l. l.*

NOXII, sive sontes olim vendebantur in pœnam delictorum. Colum. III. 3. *Vinitoris, quem vulgus quidem parvi æris, vel de lapide noxium posse comparari putat*. Utrum verò illa *noxiorum* venditio pœnalis in petra illa scelerata fieri sit solita, qui locus puniendis damnatis jam destinatus erat: an verò in alio saxo, lapideve, ubi servi, aut bona quævis alia sub basta vendebantur, quoque emptores concurrere consueverant, liberum inquirentium arbitrio dijudicandum relinquo. *Nardin. Rom. Vet.* III. 9. In amphitheatrum in tunicis auratis, & chlamydibus inducebantur. Spartianus. V. illum supr. in *Chlamys*. Ferrar. de Re vest. II. 3. 13. Ad stipitem alligati feris prædæ erant, & ab illis laniabantur. Artemid. II. *Quidam somnio sibi visus est transformatas, & summa manuum truncus: is cum esset capite damnatus, surrectus ad stipitem ab urso devoratus est*. Vopisc. Aurel. c. 37. *Sanè Mnestheus postea surrectus ad stipitem bestiis objectus est*. Buleng. de Circ. Rom. c. 6. de Venat. Circi c. 36. de Theat. I. 48. Existimationis alicujus qui erant, in carcere strangulabantur. V. supr. in *Carcer*. Interdum vivi comburebantur. Zonar. Tom. III. p. 238. *Malefici Constantinopoli in theatro aurigationis comburuntur*. Suidas in Valentiniano: *Præpositum Rhodanum in circo igne cremat*. Buleng. de Circo c. 6.

NUB.

NUBERE proprio, & primario significatu est tegere, velare, operire. Onomast. *Nubo, καλύπτω*. Auctor vetus in Pervig. Ven. n. 22.

> *Ipsa jussit mane, ut uda virgines nubant rosæ.*

Brisson. de Ritu nupt. p. 58. Hotman. de Vet. rit. nupt. c. 15. VVeitz. in Pervigilium. Lip. Elect. I. 5. Et hinc est nuptias facere, quia novæ *nuptæ velo obnubi* solebant, cum ad virum ducebantur. Ambros. Exhort. ad virg. Tom. I. p. 108. *Operiuntur ut nubes, cum acceperint nuptiæ velamina*. Unde puella dicitur *nubere*, adolescens *ducere*. Caper de Orthogr. *Vir ducit, mulier nubit, quia palleo obnubit caput suum, tenasque*. Hieron. in Matth. c. 22. n. 30. *Latina consuetudo Græco idiomati non respondet: nubere enim propriè dicuntur mulieres, & viri uxores ducere*. Ovid. Met. IX. 760. de Iphi puella, sed quam pro mare pater adhuc habuerat, & ei formosissimam virginem despondetat:

> *Pronuba quid Juno? quid ad hæc, Hymenæe, venitis*
> *Sacra, quibus qui ducat abest, ubi nubimus ambæ.*

& manifestè inter *nubere*, & *ducere*, ita ut eis usus obtinuit, distinguit Claud. in Eutrop. I. 223.

> *—— nubas, ducasve licebit,*
> *Nunquam mater eris, nunquam pater.*

Scalig. Animad. in Titu loc. contr. X. 19. Guther. de vet. jur. pontif. I. 16. Nihilominus etiam viri dicuntur *nubere*. Non. II. 577. *Nubere veteres non solum mulieres, sed etiam viros dicebant, ita ut nunc Itali dicunt. Pompon. Pannuc.*

> *Sed meus frater major, postquam vidit me ejectum domo,*
> *Nupsit posterius dotata vetula, varicosa, Afra.*

Varr. Antiq. XIV. apud Non. VII. 98. *Viris nuptis sacrificabantur in cubiculo vidua*. Plaut. Trin. arg. n. 9.

> *Senex ut redit, cujus nubunt liberi.*

Filius mittitur & filia. Ovid. Met. I. 700.

> *Talia verba refert: tibi nubere, nympha, volentis*
> *Votis cede dei.*

Senec. Contr. 21. *Tyrannus permisit servis, ut dominabus suis nubant*. Juvenalis. V. illum infr. in *Porticus Quirini*. Tertull. ad uxor. I. 7. *Regem seculi pontificem maximum rursus nubere nefas est*. II. 9. *Nam nec in terris filii sine consensu patrum ritè, & jure nubent*, Barth. Adv. VI. 14: XXVI. 26. & in Claudianum, Farnab. in Ovidium, Taubm. in Plaut. Casin. I. 5. 6. Junius in Tertullianum. Feriis publicis viduæ, sed non virgines *nubebant*. Plutarch. Quæst. Rom. 103. *An causa est, quam adfert Varro? virgines nubere invitas, & tristes, mulieres cum lætitia: festo autem die nihil cum molestia, omnia lubenti animo sunt agenda. Aut quia decori est virginibus earum multis præsentibus peragi, idemque viduis dedecori? prima enim nuptiæ optandæ sunt, & in pretio: secunda votis recusanda, quod vel cum turpitudine nubunt vivente priore marito, vel cum luctu, si is sit mortuus: itaque viduæ ad suas nuptias quiete magis gaudent quàm frequentia hominum & tumultu; festivitates porro multitudinem adsetrabunt, neque nuptiis vacare patiuntur. Aut, quia festo die raptis Sabinis virginibus bellum est ortum, religio ipsis inde fuit virginum nuptias festis diebus celebrare?* Brisson. ibid. p. 94. Etiam anciliorum festo *nubere* ominosum erat. Kalendarium vetustum: *Festum Martis & Junonis. Ancilia feruntur. Non est bonum nubere*. Et in Kalendario Dempsteri ad primum Martii legitur: *Martis, anciliorumque festum, nec nubere bonum, quousque condantur*. Ovid. Fast. III. 393.

> *Nubere si qua voles, quamvis properabitis ambo,*
> *Differ: habent parva commoda magna moræ.*
> *Arma movent pugnam, pugna est aliena maritis.*
> *Condita cum fuerint, aptius omen erit.*

Gutberl. de Salus c. 15. Hotman. de vet. rit. nupt. c. 13. Brisson. de rit. nupt. p. 13. Et mense Majo inauspicatum habebatur. V. supr. in *Majus*. *Nubentes* oliva coronabantur. V. infr. in *Oliva*.

NUC.

NUCLEUS est propriè tenerum illud, & aptum edi in amygdalis, cæterisque nucibus. Quemadmodum verò hoc continetur inter durum utrinque putamen, ut

> *Qui è nuce nucleum esse vult, frangat nucem.*

dicente Plaut. Curc. I. 1. 55. sic eleganti translatione architecti *nucleum* vocant tertium pavimenti corium, partem cæteris teneriorem, & molliorem, quæ supra & infra continetur, & includitur duabus durioribus, & firmioribus, infrà ruderatione, suprà summa crusta testacea. Componebatur ex lateribus, testis figulinis, aut testa tusa calci admixtis, sic ut ad tres partes una esset calcis. Oportebat, ut *nucleus*, & summa crusta junctim haberent crassitudinem sex digitorum, si firmitate, & soliditate perfecta erant. Docet hoc, & quæ modò diximus, Vitruv. VII. 1. *Insuper ex testa nucleus inducatur, mixtionem habens ad tres partes unam calcis, ita uti ne minore sit crassitudine pavimentum digitorum senum*. Bergier. de Viis milit. II. Sect. 13. §. 7. 8. Italum vulgus *animam* appellat. *Philand. ad Vitruvium*.

NUD.

NUDATIO præcedebat suspensionem. Nam simul ad crucem ventum, spoliabant hominem, & sic in eam dabant. Receptum hoc in plerisque suppliciis, velut naturæ suasu, quæ *nudos* induxit in vitam, & educit: etiam in isto. Artemid. Oneirocr. II. 58. *Crucifigi bonum pauperi, quia sublimis est crucifixus: noxium vero diviti, quia nudi crucifiguntur*. In Cristo factum hoc observes: quem Euangelistæ narrant recepisse post flagellationem vestes jam deducendum, & posuisse iterum deductum. *Lips. de Cruce* II. 7.

NUDI in quolibet penè certamine certabant veteres. Virg. Georg. II. 531.

> *Corporaque agresti nudat prædura palæstra.*

Mart.

Mart. III. 68. 3.

Gymnasium, therma, stadium est hac parte; recede.
Exuimur: nudos parce videre viros.

Mercur. Gymn. I. 6. Argol. in Panvin. de Lud. circens. II. 1. Cerda in Virgilium. *Nudus* in Olympiaco stadio primus decurrit Acatbus Lacedæmonius. V. illum supr. in *Athleta*. Saltabant quandoque pantomimi. Cyprian. Epist. 103. *Ecce tibi alter nudus saltat, alter orbem æneum contentis in aerem viribus jactat*. Buleng. de Theat. I. 51.

NUDIPEDALIA festum fuit apud gentiles, Græcos, Romanos, Barbaros, in quo *nudis pedibus* oportebat omnes incedere. Tertull. Apolog. c. 40. *Denique cum ab imbribus æstiva hiberna suspenduntur, & annus in cura est, quidam quotidie pasti, statimque pransuri, balneis, & cauponis, & lupanaribus operati, Aquilicia Jovi immolatis, Nudipedalia populo denuntiatis*. Institutio, ut videtur, *nudipedalium* fuit, ut aquarum cœlestium defluxum, terra arescente, impetrare possent. Proprium tamen id populi Judaici festum. Describit Joseph. de Bell. Judaic. II. 15. V. illum supr. in *Berenice*. Demster. Paral. ad Rosin. Antiq. Rom. V. 36. Balduin. de Calc. antiq. c. 23. Perperam. Aliunde *nudipedalia* originem habere, quàm à sollennibus jejuniorum diebus, qui inter Judæos in magnis calamitatibus observati sunt, ego suspicor. Et licèt pro ratione, & necessitate temporis *nudis pedibus* peregerint Judæi, non tamen *nudipedalia* proprium festum Judaici populi fuerunt. Uti enim hodie Judæi ingruentibus in civitatem aliquam calamitatibus publicis, peste puta grassante, aut uredine, aut rubigine frumentum invadente, item propter pluviarum vel defectum, vel abundantiam indicunt jejunia, ita olim etiam à sanctis Patribus institutum fuit. Quæ quidem jejunia variis signis abjecti animi observarunt, uti hæc hominibus quasi innata religio est, ut externis indiciis studeant declarare abjectum animum, ut divinum favorem eo magis sibi concilient. Pariter *nudipedalia* urgentibus necessitatibus inter gentiles instituta sunt, ut divinum favorem in se elicerent, non Judæorum exemplo, sed instinctu humani ingenii, quod ad talia proclive est. Putarunt enim se hac ratione deos sibi reddituros magis propitios. *Byn. de Calc. Hebr.* II. 4. §. 5. *Nudis* pedibus deorum statuas, si quando per plateas, & vicos circumferrentur, comitabantur. Prudent. Peristeph. X. 156.

Nudare plantas ante carpentum scio
Proceres togatos matris Idææ sacris.
Lapis nigellus evehendus essedo
Muliebris oris clausus argento sedet,
Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis,
Pedes remotis atterentes calceis,
Almonis usque pervenitis rivulum.

Matronæ Romanæ, ubi vota deæ Vestæ concipienda, ejus ædem *nudis pedibus* adibant. Ovid. Fast. VI. 397.

Huc pede matronam nudo descendere vidi.

Sic etiam bello Gallico *Virgines ex sacerdotio Vestæ nudo pede fugientia sacra comitabantur*. Flor. I. 13. 12. Balduin. l. l. Casaub. in Suet. Aug. c. 100. Lomej. de Lustr. c. 34. In superstitionis ritibus obeundis incedebant. Plin. XVII. 18. *Privatim autem contra erucas ambiri arbores singulas à muliere incipientibus mensis, nudis pedibus, recincta*. In sacris magicis uno tantum *nudo* pede veneficæ. Virgil. Æneid. IV. 518.

Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta.

Ovid. Met. VII. 182.

Tectis egreditur vestes induta recinctas,
Nuda pedem.

Senec. Med. IV. 2.

Tibi more gentis vinculo solvens comam,
Secreta nudo nemora lustravi pede.

Nudos utrosque *pedes*, sed præter sacrorum magicorum morem dicit Horat. Sat. I. 8. 23.

Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam, nudis pedibus, passoque capillo.

Et in bello quidam populi. Ita bellaces Ætoli fuisse produntur, ac propterea dicti μονοκρήπιδες. Ad Hernicos Italiæ populos transtulit Virg. Æneid. VII. 689.

— *vestigia nuda sinistri*
Instituere pedis; crudus tegit altera pero.

Nudis illi, credo, utrisque *pedibus* fuissent, nisi tutius pugnandi ratio pedi, crurique dextro adhibendum peronis munimentum suasisset, cum in congrediendo illi dextrum pedem ante sinistrum promoverent. *Balduin. l. l.* etiam *nudis pedibus* in funeribus incedebant Romani. Suet. Aug. c. 101. n. 10. *Reliquias legerunt primores equestris ordinis pedibus nudis*, in indicium reverentiæ, & ταπεινοφροσύνης, vel, ut loquitur Tertull. Adv. Psychic. c. 12. & 13. ταπεινοφρονήσεως. *Casaub. in Suetonium. Braun. de vestit. sacerd. Hebr.* I. 1. 3. §. 11. *Balduin. l. l.* Ex Suetonio non potest colligi Romanorum hunc ritum fuisse, ut *nudis* pedibus luctum funebrem testarentur. Nam quod in pompa funebri Augusti est factum, planè singulare est, & insolitum. Fuit enim, ut dictum, reverentiæ indicium, atque hic honor Augusto est habitus, ut qui jam major homine, & inter divos esset. Et ideo necesse est, ut ritus fuerit omnino peculiaris, in aliorum funeribus non observatus. *Byn. ibid.* II. 5. §. 9. *Kirchm. de Funer.* III. 7. *Sagittar. Nudiped.* c. 3. §. 4. Ad extremam, quam perpessi, miseriam contestandam circumibant naufragi. Ita colligo ex Paullini Episcopi Nolani carmine ad Cythereum de Martiniani naufragio:

Caligis tamen vilibus donatus est,
Ne nautico erraret pede,
Qui maluisset conseveri excalceus,
Quam calcears frigidus.

Quo etiam referenda sunt hæc Alciphron. Epist. 3. *Etenim cum aliquando pisces vendere instituissem, audivi quendam ex his, qui in Pœcile versantur, discalceatum, & lurido colore præditum: qui carmen recitabat, quo navigantium desperatio decantabatur*. Sagittar. ibid. c. 1. §. 26. Veterum erant servi venales. Docet hoc, ubi de Cappadocibus, & Bithynis Romam venum ductis, Juven. Sat. VII. 16. V. infr. in *Servus*. Tandem & mimi suos egerunt mimos. Hoc nonnulli probare cupiunt, quod *planipedes* sint dicti, & fabula *planipedia*. *Planus* enim *pes* videtur dici, qui expers est cothurni, ac socci, utpote *nudus*. Eleganter ad hos *nudos* mimorum pedes respiciens Senec. Epist. 8. *Quantum disertissimorum versuum inter mimos jacent? quam multa Publii, non excalceatis, sed cothurnatis dicenda sunt?* V. infr. in *Planipedia*. Sagittar. Nudiped. c. 1. §. 28.

NUDUS dicitur homo tunica vestitus, cui ornando desunt vestes exteriores. Ita *nudus* Esajas c. 20. n. 2. qui saccum deposuerat, vestem extimam in luctu usurpari solitam. David 2. Sam. c. 6. n. 20. quia regali veste deposita saltaverat. L. Quinctius Cincinnatus, *quem nudum arantem trans Tiberim offenderant ad eum missi legati*, apud Aurell. Vict. de Vir. illustr. c. 17. Is enim *togam*, quam *properè è tugurio proferre uxorem Raciliam jubet*, apud Liv. III. 26. deposuerat. Hinc Virg. Georg. I. 299.

Nudus ara, sere nudus.

ubi Servius: *id est, adeo sereno cœlo, ut vestimento non egeas* quæ aratori erat unica tunica. Et *dejecta ab humeris toga nudum pectus* populo ostendisse dicitur Augustus apud Suet. c. 52. nu. 3. Et de eodem Græcis γυμνός. Aristoph. Concion. n. 38.

Post hunc Evæon ille ingeniosissimus
Accessit nudus, γυμνὸς, ut quidem plerisque videbatur,
Ipse enim negabat se pallium habere.

Long. Pastor. II. 60. *Qui objecto encombomate nudus in cursum se dedit*. Cuper. Observ. I. 7. Roa Singul. II. 4. 1. Gatak. Misc. Adv. I. 10. Moll in Longum. Prisc. in Suetonium.

NUM.

NUMA, de illo parum planè quod dicam habeo, quum nihil de eo à veteribus, quod sciam, traditum sit. Id autem prænomen Sabinum, à secundo Romanorum Rege Pompilio, item *Numa* Marcio pontifice maximo primo tantum usurpatum fuisse satis manifestum est. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* II. *p.* 2030. *F. Sigon. de Nom. Roman. c.* 3. Fuit Sabinus, Pomponii filius, Roma-

Romanorum Rex secundus. Liv. I. 18. *Inclyta justitia, religioque ea tempestate Numæ Pompilii erat. Curibus Sabinis habitabat. Audito nomine Numæ patres Romani, quanquam inclinari opes ad Sabinos, Rege inde sumpto, videbantur; tamen neque se quisquam, nec factionis suæ alium, nec denique patrum, aut civium quenquam præferre viro illi ausi, ad unum omnes Numæ Pompilio regnum deferendum decernunt.* Strein. de Famil. Roman. in Pompilia. Panvin. Fast. I. p. 49. Successit Romulo anno Olympiadis decimæ sextæ tertio. Dionys. II. p. 120. *Et post hoc legatos cum creasset ex patriciis, emisit suscepturos virum,* Numam Pompilium, *ut regnum capesseret, anno tertio sextæ decimæ Olympiadis.* Et p. 121. *In decima sexta Olympiadis medio Romanorum regnum suscepit.* Meurs. de Athen. Archont. I. 6. Sigon. de Temporib. Athen. & Lacedæm. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. V. p. 1637. A. Panvin. l. l. Fuit Pythagoreus. Clem. Strom. I. p. 304. D. Euseb. Præpar. Evang. IX. 6. *Numa Rex Romanorum erat quidem Pythagoreus, ex iis autem, quæ à Mose tradita sunt, adjutus prohibuit Romanis, ne homini, aut animali similem Dei facerent imaginem.* Boxhorn. in Plutarch. Quæst. Roman. 10. Quinetiam arbitratur Cicer. de Orat. II. 37. propter Pythagoreorum admirationem *Numam* quoque Regem, etsi annis permultis ante fuit quàm Pythagoras, Pythagoreum à posterioribus existimatum. Nam cum Pythagoræ disciplinam, & instituta cognoscerent, Regisque ejus æquitatem, & sapientiam à majoribus suis accepissent, ætates autem & tempora ignorarent propter vetustatem, eum qui sapientia excelleret, Pythagoræ auditorem fuisse crediderunt. *Jacot. de Philos. doctr. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. X. p. 361. B.* Romulum subsecutus, multò etiam magis civitatem legibus excoluit, & ab armis ad religionem, bonosque mores totam traduxit: intusque fuit in re divina, & ad eos sacerdotes, quos Romulus instituit, qui sexaginta fuerunt, ipse alios præterea adjecit, flaminem dialem, Martialem, Quirinalem, virgines Vestales quatuor, Salios Marti gradivo duodecim, pontificem maximum ex patriciis. *Manut. de Leg. Roman. c. 2. de Civit. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. I. p. 7. E. Panvin. de civit. Rom. c. 10.* Leges de rebus tum humanis, tum sacris tulit. V. illas supr. in *Lex.* Illas conditurus colloquiorum commercium cum Egeria nympha simulabat. Valerius Maximus & Livius. V. illas supr. in *Egeria.* Ex ejus instituto in pompis, & supplicationibus sacerdotum Romanorum incedebant per Urbem præcones, feriasque, & justitium indicebant. Siquidem Pythagoreos, ajunt, non permittere, ut obiter quis adoret, & supplicet diis, verum ut domo statim mente ad id meditatus accedat: ita censuit Numa decere, nihil ut cives rei divinæ audirent, vel viderent perfunctoriè, vel solutè, sed vacui curis aliis, veluti ad summum negotium religionis adverterent animum, viasque à strepitu, crepitu, gemitu, & omnibus, quæ comitantur, necessarias, & vulgares operas, ad sacra præstarent puras. *Laurent. var. sacr. gentil. c. 14.* Atque *omnium primum, ad cursum lunæ in duodecim menses descripsit annum: quem quia tricenos dies singulis mensibus luna non explet, desuntque dies solido anno, qui solstitiali circumagitur orbe, intercalaribus mensibus interponendis, ita dispensavit, ut quarto, & vigesimo anno ad metam eandem solis unde orsi essent, plenis annorum omnium spatiis dies congruerent. Idem nefastos dies, fastosque fecit: quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat,* Liv. I. 19. *Siccam. in Fast. Kalend. Roman. c. 1. Lipen. de Stren. c. 2. prim. at. §. 10.* Quirinalem montem veteri Urbi adjecisse traditur. V. infr. in *Quirinalis.* Regnum tenuit annis quadraginta tribus. Excessit Olympiadis septimæ & vigesimæ secundo anno. *Meurs. ibid.* I. 10. Sub Janiculo est sepultus. Plinius. V. illum supr. in *Charta.* Causa integritatis librorum post tot secula, *cedrati* erant, docente eodem Plinio, hoc est, cedrino peruncti. Vitruv. II. 9. V. illum supr. in *Cedrus.* Nonnihil diversum de his libris Liv. XL. 29. V. illum infr. in *Sepulcrum Numæ,* qui & adjicit, jussu senatus combustos fuisse in Comitio, quod *pleraque in iis dissolvendarum religionum essent.* Verùm non pauca hîc, utcunque credita forsan scriptoribus ipsis, olent imposturam, efficiuntque ut inventi illi in sepulcro *Numæ* libri nobis similes videantur Originibus Etruscis ab Inghiramo repertis. Et in eo fucum olfecit Livius, quod traderet Valerius Antias libros illos fuisse Pythagoricos: quomodo enim Pythagoricis cum Pythagoras jam vetulus in Italiam primùm descenderit Olympiade sexagesima secunda, ex calculo Jamblichi? *Numa* autem ad regnum productus sit anno tertio Olympiadis decimæ sextæ, atque adeo diu ante adventum Pythagoræ sepultus. Accedit, quod inventi libri solvendis religionibus deservirent, cum *Numa* condendæ religionis auctor fuerit. *Borrich. Ant. Urb. c. 16. n. 1. Clasen. Theol. Gent. I. 10. §. 4.*

NUMANTINUS est dictus P. Scipio à *Numantia* deleta. Paterc. II. 4. 2. *P. Scipio Africanus Æmilianus intra annum, ac tres menses, quam eo venerat* in Hispaniam, *circumdatam operibus Numantiam, excisamque æquavit solo. Nec quisquam ullius gentis hominum ante eum clariore urbium excidio nomen suum perpetuæ commendavit memoriæ.* Appian. Bell. Alex. p. 311. *Romanus hic Imperator duas potentissimas urbes evertit, Carthaginem ex SCto, & Numantiam . . . . sive potius, ut multi arbitrantur, illustria duo cognomina ex clarissimarum urbium excidiis quæsiverit. Siquidem illum ad hunc usque diem Romani Africanum, & Numantinum ex illarum urbium cladibus, excidiisque appellant.* Sigon. de Nom. Roman. c. 5.

NUMELLA *est machinæ genus ligneum, ad discruciandos noxios paratum, quo & collum, & pedes immittunt.* *Plaut. Asin.* III. 2. 5. V. illum infr. in *Vincula.* Non. II. 586. Festo *est genus vinculi, quo quadrupedes alligantur. Solent ea fieri nervo, aut corio crudo bovis ut plurimum.* Varr. de Re rust. II. 9. *Consuefaciunt canes, ut alligari primum possint levibus numellis.* Laurent. de Rebuspub. c. 17. Voss. Lex. Etymol. Turneb. Adv. XXVI. 2. Pollet. For. Rom. V. 14.

NUMERA senatum dicebatur consuli, cum infrequens ordo videbatur, ut SCtum fieri non posset. Hoc consuli dicere licebat, si tot non essent senatores, quot numero licebat perscribi SCtum. Festus: *Numera senatum ait quivis senator consuli, cum impedimento esse vult, quo minus faciat SCtum: postulatque, ut aut res, quæ referuntur, dividantur, aut singuli consulantur, aut si tot non sint senatores, quot numero liceat perscribi SCtum.* Hæc Festi verba non parvo esse auxilio possunt ad eruendam sententiam Ciceronis ad Attic. V. 4. *Curandum autem hactenus, ne quid ad senatum: consule, aut numera.* Cœlius ad Cicer. Fam. VIII. 11. *Renuntiatum erat nobis Hirtium dentius dicturum, præcidimus enim: non modo non fecit, sed cum de hostibus ageretur, & posset rem impedire, si, ut numeraretur, postularet, tacuit.* Turneb. Adv. XXX. 31. Brisson. de Form. II. p. 183. Zamosc. de Senat. Rom. II. 11. Manut. de Senat. Roman. c. 10.

NUMERARE solebant veteres per digitos. V. supr. in *Digitus.* per calculos. Homil. Græco Lat. *Jam perito pariter reliqui respondebant, quæcunque ad incipientes præbita sunt, necessaria, & numeros, digitos, & calculos.* Modus hic recentiori usu inductus: & parum varietatis, aut reconditæ doctrinæ alit: totus enim in collatione calculorum consistit, quorum valor in ratione situs augetur, aut minuitur, de quo insignis est locus Aristot. περὶ σοφισ. ἐλεγχ. I. 1. *VVouver. de Polym. c. 7. n.* 1. per literas. Incipiebant ab alphabeto abecedario. Et notabat illis *A* quingenta, *B* trecenta, *C* centum, *D* quingenta, *E* ducentum quinquaginta, *F* quadraginta, *G* quadringenta, *H* ducenta, *I* unum, *K* unum & quinquaginta, *L* quinquaginta, *M* mille, *N* nonaginta, *O* undecim, *P* quadringenta, *Q* vel *q* quingenta, *R* octoginta, *S* septuaginta, *T* centum sexaginta, *V* quinque, *X* decem, *Y* centum quinquaginta, *Z* duo millia. Si verò iisdem literis macta, id est, accentus longus superponatur, millenarium tantum numerum significabant. Sic $\overline{A}$ quinque millia, $\overline{B}$ tria millia, $\overline{C}$ centum millia, $\overline{D}$ quingenta millia, $\overline{E}$ ducenta quinquaginta millia, $\overline{F}$ quadraginta millia, $\overline{G}$ quadringenta millia, $\overline{H}$ ducenta millia, $\overline{I}$ mille, $\overline{K}$ centum quinquaginta unum millia, $\overline{L}$ quinquaginta millia, $\overline{M}$ mille millia, $\overline{N}$ nonaginta millia,

Fabiorum appellatum fuisse constat, qui ejus Q. Fabii filius fuit, qui trecentis sex Fabiis interfectis cæde Cremerensi superfuerat, atque in tabulis Capitolinis an. 346. N. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus idem descriptus sit, nihil dubitandum duxi, quin & ille *Numerius*, & cæteri Fabiorum, aliarumque gentium, qui *N.* præpositam habent, *Numerii* intelligerentur: quod etiam Val. Max. iv. 3. confirmat; nam qui in marmoribus scribitur *N. Fabius Pictor*, ab eo etiam *Numerius Fabio Pictor* ibidem appellatur. III. Hoc idem docet Diomedes de A. C. CN. D. L. M. P. Q. T. prænominibus scribens, ubi *N* notam *Numerium* significare apertè refert. P. autem Consentius de CN. M'. P. SEX. SP. Prænominibus verba faciens, *N* quoque notæ, quam *Numerium* interpretatur, meminit. Hæc autem in omnibus pænè Latinis libris ob vetustatem quum exolevisset, & in CN. M. & C. evasisset, lapidum antiquorum, optimorumque auctorum auxilio renovata, ac restituta est. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. ii. p. 2029. F. Sigon. de Nom. Roman. c. 3. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Rom. Grav. Tom. xi. p. 874. A. Spanhem. de Præstant. numism. Diss. vi. p. 514.* Prænomen hoc pro gentilitio usurpatum fuisse, tam in lapide vetusto Venetiis in turri D. Vitalis sic CN. NUMERIUS, ... quàm apud Asconium, quod me magis movet, inveni, qui in Pisoniana *Q. Numerii* meminit, Ciceronis tempore viventis. *Panv. ibid. p. 205. D.*

NUMERUS à Minerva inventus est. Liv. vii. 3. *Eum clavum, quia raræ per ea tempora literæ fuerunt, notam numeri annorum fuisse ferunt, eoque Minervæ dicatam legem, quia numerus Minervæ inventum sit.* Gyrald. de Ann. & mens. Tom. ii. p. 768. G. Struv. Ant. Roman. c. 9. p. 389. Meurs. Denar. Pythag. c. 1. Ab aliis *numeros* invenisse Palamedes memoratur. Athanas. Orat. adv. gent. p. 20. C. *Literarum structuram, & numeros, & mensuras, & pondera Palamedes invenit.* Plato de Republ. vii. p. 697. D. *Ridiculum omnino Imperatorem in tragœdiis Agamemnonem Palamedes passim ostendit: nonne animadvertisti, ipsum dicere, quod numerum invenerit?* Ab Æqualitate constitutos dicit Jocasta Phœniss. n. 545.

Etenim mensuras hominibus, & partes ponderum
Æqualitas ordinavit, & numeros constituit.

Sunt qui Pythagoræ inventum tradant. Isidor. iii. 2. *Numeri disciplinam primum apud Græcos Pythagoram autumant conscripsisse, ac deinde a Nicomacho diffusius esse compositam.* Beda de Computo: *Primus scientiam numeri habuit Pythagoras apud Græcos.* Meurs. l. l.

Numerus aureus computistis dicitur cyclus lunaris, seu decemnovennalis, in eum finem institutus, ut, quatenus per totam seriem Kalendarii deducitur, demonstret omnia novilunia, ac illud speciatim, à quo supputata luna 14. indigitat Pascha. Quippe anno 1. cycli, v. g. ubicunque in Kalendario, ac per menses singulos inscriptum vides aureum *numerum*, 1. ipse indicat novilunium eo die contingere, vel contigisse; ac pari modo anno 2. ubicunque vides aureum *numerum* 2. anno 3. atque ita porro, quousque annis cycli expletis, tum ad unitatem redeatur, tum novilunia iisdem diebus, eodemque ordine recurrunt. Aureum autem *numerum* appellari ajunt, seu quod olim aureis literis inscriberetur, seu propter inventionis, & usus ejus excellentiam. *Du Fresne Glossario. Christmann. de Kalend. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. viii. p. 300. D. Calcagn. Orat. in Epiphan.* 1. Hujus observationis auctores Hipparchus facit Metonem & Calippum, ut videre licet apud Ptolemæum Almagisti iii. 1. *Christmann. l. l.*

Numerus denarius oritur ex duobus imparibus, ternario, & septenario, celebris in lustrationibus. Liquet hoc ex ceremoniis denarus apud Festum: *Denaria ceremonia dicebantur, & tricenaria, quibus sacra adituris, decem continuis diebus, vel triginta, certis quibusdam rebus carendum erat.* De hujus perfectione multa disseruntur à Philone Judæo libro de Decalogo, Joach. Camerar. in commentario Græco, quem super aurea Pythagoræ carmina scripsit, & Ovid. Fast. iii. 121.

Annus erat, decimum cum luna repleverat orbem,
Hic numerus magno tunc in honore fuit. . . .

Lomej. de Lustrat. c. 35. Meur. Denar. Pythagor. c. 12.

Numerus impar *est immortalis, quia dividi integer non potest*, ut scribit Serv. in Virg. Ecl. viii. 75. & addit, *medendi causa, multarumque rerum impares numeros servari.* Diis superis adscriptus erat. Hinc pastor Virgilianus Ecl. viii. 75.

—— numero deus impare gaudet.

Dexter erat: ideoque templa ingredi per loca dextera oportebat. Ut omnia dicam, dicam cum Plin. xxviii. 2. *Impares numeros ad omnia vehementiores credimus: idque in febribus dierum observatione intelligitur.* Cum Festo: *Imparem numerum antiqui hominibus prosperiorem esse crediderunt.* Putean. de Bissext. c. 3. Guther. de Jur. pontif. iv. 5. Lomej. de Lustrat. c. 35. Calcagn. Equitat. p. 565. Meur. Denar. Pythag. c. 2. Rhodig. Ant. Lect. xxii. 7.

Numerus millenarius est plenus, quia denarii cubus. Etenim è denario in se ducto centum fiunt: in centum mille, qui numerorum numerus est, & absolutam rerum omnium mensuram continet. Hinc quæcunque ad infinitum, sive immensum accedunt, mille appellantur. *Putean. de Bissext. c. 19.*

Numerus novenarius est primus ex impari quadratus. Ter enim tris novem. Unde non sine mysterio Phurnut. de Nat. deor. c. 14. *Novem Musas*, Musis sacer est hic numerus, *esse, quia quadratos, & eximios eos faciunt, à quibus coluntur, ut numerus ipse quadratus est. Quadratos* autem *homines*, sive τετραγώνους Aristot. Ethic. i. 11. *sapientes & constantes* vocat. *Putean. de Nundin. c. 6. Meurs. de Denar. Pythagor. c. 11.* Est maximè perfectus: unde Græci pariter & Latini interdum pro maximo, & consummato dixere, ut in Homero observat Eustathius, in Nicandro Grammatici, in Arato Theon. *Gyrald. Synt. de Musis p. 557. D.* In lustrationibus erat usitatissimus. Ovid. Met. vii. 261.

Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat.

xiii. 951.

—— egi lustror ab illis:
Et purgante nefas novies mihi carmine dicto,

Religiosus hic *numerus*, & apud superos propter novem orbes cœlestes, & apud inferos, quibus apud Virg. Æneid. vi. 439.

Fata obstant, tristique palus inamabilis unda
Alligat, & novies styx interfusa coercet.

Hinc *novendialia* mortuorum, tunc enim mortuis parentabant Romani. V. infr. in *Sacrum*. Lomej. de Lustrat. c. 35. Rhodig. Ant. Lect. xxii. 8.

Numerus octonarius primus est cubus. Anon. in Theolog. Arithmet. *Octonarium primum actu cubum diximus, ac solum intra denarium pariter parem.* Clem. Alex. Strom. vi. p. 656. D. *Denarius est omnium confessione undequaque perfectus; octonarius vero primus cubus.* Et perfectus. Mart. Capell. vii. *Octonarius cubus ita omnium cuborum est primus, ut monas omnium numerorum. Octonarius primus cubus est, & perfectus.* Imperfectum tamen, & ideo partum octimestrem minimè vitalem esse statuit Alex. Aphrod. Probl. ii. 47. *Quare pueri septimestres sunt vitales, octimestres verò non item? quia numerus septenarius est perfectus, octonarius imperfectus.* Vulcano sacer esse putabatur. Mart. Capell. *Octonarius primus cubus est, & perfectus, Vulcano dicatus.* Meurs. de Denar. Pythag. c. 10. Rhodig. Antiq. Lect. xxii. 13.

Numerus par statuebatur infinitus, ut impar finitus Pythagoreis. Serv. in Virg. Ecl. viii. 75. *Varro dicit, Pythagoreos putare, imparem numerum habere finem, parem esse infinitum.* Themist. in Physic. iii. *Sed & in eo à Platone differunt Pythagorei, qui non omnem numerum infinitum dicunt, sed solum parem: nam hunc esse causam sectionis in partes æquales, quæ infinita; ac natura quidem sua, quibus inest, infinitatem generare; finiri vero ab impari: quod pari appositus sectionem in æquales partes vetet.* Psellus in eundem: *Et Pythagorici quidem parem numerum infinitæ naturæ esse judicabant.*

cabant. Femina existimabatur ut impar masculus. Anonym. in Ptolem. Tetrabibl. 1. *Nam quacunque, ajunt, ab impare numero generantur, ea mascula sunt: quacunque verò à pari, feminina: etenim solent Pythagorici sic statuere; numerum parem sectioni, atque passioni obnoxium; imparem utriusque expertem, & efficacem: ideoque ille quidem femina ipsis nominatur, hic verò mas.* Macrob. in Somn. Scip. 1. 6. *Numerum imparem marem, parem feminam superius expressimus.* Meurs. de Denar. Pythag. c. 2. Salmas. Exercit. Plin. p. 15. a. A. Rhodig. Ant. Lect. xxii. 7. Apud veteres sacer erat mortuis, & semper infelix. Hinc octo juvenes, quatuor & quatuor vivos servat ad inferias Virg. Æneid. x. 518.

Quatuor hic juvenes, totidem quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris.

vi. 243.

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Constituit.

Ad Patrocli funus Achilles apud Homer. Iliad. xxi. 27.

Vivos ex fluvio duodecim delegit juvenes
Pœnam Patrocli Menœtiadæ mortui.

Notum est, Februarium, qui pares dies, sacrum inferis. *Cerda in Æneid.* x. 518. *Schill Nomencl. Philol. p.* 813.

Numerus quaternarius exsurgit ex duobus binariis. Hic Pythagoricis mysticus fuit, per quem ipse juravit Pythagoras, quem perennem rerum fontem esse judicavit: unde in aureis carminibus, sub ejus nomine circumlatis n. 47.

Ita certè per eum, qui animæ nostræ tribuit quaternum.
Fontem perennis naturæ.

Lomej. de Lustrat. c. 35. Broukh. in Tibull. 1. 11. 63. Mercurio erat sacer: quod nimirum quarto mensis die natus crederetur. Plutarch. Sympos. ix. 3. *Mercurio potissimum quaternarius est dicatus: multique quarto mensis die deum esse natum tradunt.* Mart. Capel. vii. *Hic numerus quadratus ipsi Cyllenio deputatur, quod quadratus deus solus habeatur.* Etiam Herculi, qui natalem eundem habere credebatur. Procl. in dies Hesiod. *Quaternarius numerus Herculis est, & Mercurii.* Et: *Quaternarius Herculis est; quia is eo die natus.* Meurs. de Denar. Pythag. c. 6. Rhodig. Ant. Lect. xxii. 9. Hic in lustrationibus non observabatur. Nec hoc arguit Ovid. Fast. iv. 777.

His dea placanda est: hæc tu conversus ad ortus
Dic quater, & vivo perlue rore manus.

Homines enim docti, qui multa hujus poetæ exemplaria contulerunt, in plurimis sic legerunt:

Dic ter, & in vivo perlue rore manus.

quod ad hunc locum notavit Nic. Heinsius, qui & unica litera sublata commode legi posse monet:

Dic ter, & i vivo perlue rore manus.

Quem loquendi modum non rarò ab oscitantibus librariis interversum, erasum, corruptum, multis exemplis idem docet ad Amor. iii. 3. & Heroid. iv. 127. *Lomej. de Lustrat. c.* 35.

Numerus quinarius Minervæ erat sacer: unde etiam quinta luna nati esse credebantur Pluto, Furiæ, gigantes. Virg. Georg. 1. 276.

Ipsa dies alios alio dedit ordine luna
Felices operum, quintam fuge: pallidus Orcus,
Eumenidesque sata: tum partu terra nefando
Cœumque, Japetumque creat, sævumque Typhœa,
Et conjuratos cœlum rescindere fratres.

Ubi Servius: *Quinta luna nullius operis initium sumat. Dicitur enim hic numerus Minervæ esse consecratus, quam sterilem esse constat: unde etiam omnia sterilia quinta luna nata esse dicuntur; ut Orcus, Furiæ, gigantes.* Meurs. de Denar. Pythag. c. 7. Rhodig. Ant. Lect. xxii. 10.

Numerus rotundus dicitur ἀριθμὸς ἀπαρτισμένος, quando millenarii relictis paucis centenariis, aut centenarii neglectis summulis excurrentibus usurpantur, ut Lysiæ χίλιοι pro χιλίων διακόσιοι. Harpocrat. in χίλιοι διακόσιοι. *Lysias in ea adversus Cliniam, & Isæus in defensione pro Nicia expleto usi sunt numero χιλίων.* Pollux ix. 6. hoc secutus talentum Babylonium dixit habere ἑπτακισχιλίας δραχμάς, quum tamen haberet δύο καὶ ἑβδομήκοντα μνᾶς, hoc est, ἑπτακισχιλίας καὶ διακοσίας δραχμάς. *Scalig. de Re numm. antiq. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* ix. *p.* 1509. *D.* V. & infr. in *Rotundare*.

Numerus senarius censebatur perfectus esse, qui partibus suis impleretur. Mart. Capell. vii. *Senarium perfectum, analogicumque esse quis dubitet, cum suis partibus impleatur? Nam & sextam sui intra se continet, quod est unus; & tertiam, quod duo; & medietatem, quod tria.* Cassiod. de Amic. p. 611. *Senarius numerus, perfectus, constans ex partibus suis; si enim conjunxeris unum, duo, tria, perfectum habebis senarium.* Generationi maximè aptus credebatur. Philo de mund. opific. p. 3. B. *Rebus, quæ creabantur, opus erat ordine; ordini autem numerus est proprius; inter numeros verò lege naturæ aptissimus generationi est senarius: nam post unitatem primus est perfectus, ex suis partibus æquatus, atque ex iisdem completus; è dimidio quidem ternario, tertia verò parte binario, ut sexta unitate; &, ut ita dicam, mas simul & femina existit, atque ex viribus utriusque est concinnatus.* Censorin. c. 11. *Nec immerito senarius fundamentum gignendi est: nam eum τέλειον Græci, nos autem perfectum vocamus: quod ejus partes tres, sexta, & tertia, & dimidia, id est, unus, & duo, & tres eundem ipsum perficiunt.* Ab ista causa hunc Veneri attribuerunt. Mart. Capell. vii. *Hic numerus Veneri est attributus, quod ex utriusque sexus commixtione conficitur: id est, ex triade, qui mas, quod impar est, numerus habetur: & dyade, quæ femina, paritate; nam bis terni, hexas fit.* Meurs. de Denar. Pyth. c. 8. Rhodig. Ant. Lect. xxii. 11. Putean. de Bissext. c. 18. Lindenbr. in Censorinum.

Numerus septenarius componitur ex pari & impari. Habebatur inter plenos, & perfectos. Alex. Aphrod. Probl. ii. 47. *Numerus septenarius est perfectus natura, ut testatur Pythagoras, & arithmetici, & musici.* Huc referunt, quod partus septimestris sit vitalis. Paull. Recept. sent. iv. 9. *Septimo mense natus matri prodest. Ratio enim Pythagorei numeri hoc videtur admittere, ut aut septimo pleno, aut decimo mense partus maturior videatur.* Multa in hanc rem affert Alex. l. l. *Numerum septenarium natura perfectum esse constat ex eo, quod Deus terrarum orbem septem astris regat. Homines septimo mense dentes producunt, septimo anno ejiciuntur, bis septimo iidem pubescit, ter septimo vir fit. morbi quoque eodem modo septenario numero judicantur: ac luna iisdem per septenarium formatur, mensis quoque per septenarios constituitur, ac vocales septem existunt.* Censorin. c. 7. *In omnibus numeris septenarius plurimum potest. Siquidem septem formemur mensibus, additisque alterius rectis consistere incipiamus, & quod post septem menses dentes nobis innascantur, iidemque post septimum cadant annum, quarto autem decimo pubescere soleamus.* Multa in hanc rem Alex. Aphrod. l. l. Medicinæ corporis attribuebatur, & Apollini sacer esse existimabatur. Ceosorin. c. 14. *Plerique aliter inter duos numeros subtiliter discreverunt, ut dicentes, septenarium ad corpus, novenarium ad animum pertinere: hunc medicinæ corporis, & Apollini attributum: illum Musis, quia morbos animi, quos appellant πάθη, musica lenire, ac sanare consueverit.* In lustrationibus observabatur. Apul. Met. xi. p. 356. *Confestim discussa pigra quiete alacer exsurgo: meque protinus, purificandi studio, marino lavacro trado; septiesque submerso fluctibus capite; quod eum numerum præcipue religionibus aptissimum Pythagoras prodidit. . . .* Meurs. de Denar. Pythag. c. 9. Rhodig. Antiq. Lect. xxii. 12. Lindenbr. in Censorinum. Lomej. de Lustrat. c. 35.

Numerus ternarius censebatur sanctus. Marbod. sive Æmil. Mac. de gemmis v.

Hoc tribus, ut multum, dandum censemus amicis:
Qui numerus sacer est.

supra alios omnes. Auson. Eidyll. xi. 88.

Ter bibe, tris numerus super omnia.

primus perfectus. Pollux vi. 2. *Tertius verò crater Jovis Servatoris Perfecti: quia & ternarius numerus primus perfectus.* Auson. ibid. n. 52.

Tris

Tris coit in partes numerus perfectus.

Rationem, quod principium, medium, & finem habeat, reddit Plutarch. Symp. IX. 3. *Et omnium numerorum primus perfectus est quidem ternarius; ut qui habeat principium, medium, & finem.* Eapropter usitatus erat in controversiis dirimendis. Dionys. III. p. 150. *Auctor erat, ut terni ex utraque urbe viri selecti ante omnium oculos, Albanorum pariter, & Romanorum, decertarent: etenim idoneum maximè hunc numerum esse ad negotium controversum qualecunque dirimendum: quippe qui principium, medium, atque finem in se contineat.* In sacris. In illis ter libabant, ter sacra faciebant. Nicom. in Eclog. τῆς θεολογ. ἀριθμητ. apud Anonym. *Ter libant, & ter sacrificant, qui preces suas perfici à deo petunt.* Jamblich. de Vit. Pythag. c. 28. *Dicere ipsum, ter libare homines, & oracula Apollinem reddere ex tripode, quod in ternario primum numerum ostenderit.* Ovid. Met. VII. 189.

Ter se convertit, ter sumptis flumine crinem
Irroravit aquis, ternis & hiatibus ora
Solvit.

In sortibus, quas consulebant, tollendis. Tib. I. 3. V. illam infr. in *Sors*. In mortuorum nominibus vocandis. Didym. ad Odyss. IX. *Vetus mos est, peregre mortuorum animas ter vocare superstites, cum domum abeant.* In malis, aut moribus deprecandis. In illis ter despuebant. Plin. XXVIII. 4. *Eadem ratione terna despuere deprecatione in omni medicina mos est.* Theocritus. V. illum infr. in *Spuere*. Tib. I. 2. 53.

Hac mihi composuit cantus, queis fallere posses:
Ter cane, ter dictis despue carminibus.

In Junone invocanda. Illam parturientes ter invocabant. Horat. Od. III. 22. 2.

Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis.

Meurs. de Denar. Pythag. c. 5. Rhodig. Ant. Lect. XXII. 9. Guther. de Jur. pontif. IV. 5. Putean. de Bissext. c. 5. Saubert. de Sacrif. c. 18. Lomej. de Lustrat. c. 35. Gyrald. Symb. Pythagor. 14. Cerda in Virg. Ecl. VIII. 75.

Numeri vocabantur cohortes. Ulpian. l. 2. §. 1. ff. de his qui notant. infam. *Exercitum non unam cohortem, neque unam alam dicimus, sed numero multo militum. Nam exercitui praesse dicimus eum, qui legionem, vel legiones cum suis auxiliis ab Imperatore commissas administrat. Sed hic etiam eum, qui ab aliquo numero militum missus est, quasi ab exercitu missum sic accipiemus.* Suet. Vesp. c. 6. n. 5 *Revocatis ad officium numeris parumper.* Claudian. Epith. Pallad. & Celer. n. 86.

Regnorum tractat numeros, cuneosque recenset.

Inde *in numeros*, id est, in cohortes, *distribui*. Plin. Epist. X. 30. 38. *Quod sacramento militari nondum distributi in numeros erant. In numeros referri, in numeris esse.* Ulpian. l. 42. ff. de testam. milit. *Ex eo tempore quis jure militari incipit posse testari, ex quo in numeros relatus est, aut non. Proinde qui nondum in numeris sunt, licèt jam lecti tyrones sint, & publicis expensis iter faciant, nondum milites sunt, debent enim in numeros referri.* Lips. in Tacit. Hist. 1. n. 26. Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 71. Ursat. de Not. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 873. D. Du Fresne Glossario. Rhodig. Ant. Lect. XXIX. 8. Stevvech. in Veget. II. 1. RæVard. Var. IV. 8. Vales. in Ammian. XX. 1. Lindenb. in Ammia. XIV. 7. Buchner. in Plinium. Torrent. Marcil. & Prisc. in Suetonium.

Numeri vocabantur corpora, aut scholæ. Vopisc. Firm. c. 4. *Quidam Burburus nomine, de numero vexillariorum notissimus potator.* In veteri inscriptione: *Ex numero frumentariorum.* In alio antiquo saxo: *Ex numero Dalmatarum fortium.* Salmas. in Vopiscum.

Numeri vocabantur legiones. Tacit. Agric. c. 18. n. 3. *Sparsi per provinciam numeri.* Capitol. Macrin. c. 5. *Timuit & collegam, ne ipse imperare cuperet, quod si vel unius numeri consensus accederet...* Et ita Græcis ἀριθμοί. Sozom. Hist. Eccles. 1. 8. *Ex eo tempore Romanorum legiones quæ jam vocantur numeri, singuli sibi tabernaculum separatum construxerunt.* Lips. in Tacit. Hist. 1. n. 26. Rævard. Var. IV. 8. Vales. in Ammian. XX. 1.

Numeri vocabantur tesseræ in ludo tesserarum. Ovid. Art. II. 203.

Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos.

III. 355.

Et modo tres jactet numeros: modo cogitet, apte
Quam subeat partem callida, quamque vocet.

Calcagn. de Tesser. p. 295.

Numero fieri dicebant veteres, quod citò fieret. Virg. Æneid. XI. 208.

Nec numero, nec honore cremant.

De turba pauperiore. Nec enim ad *numerum* hic versus referendus est, quo pauperiores illi plures simul urebantur, sed ad ignis celeritatem. Plaut. Pœn. V. 4. 120.

O Apelles, ò Zeuxis pictor, cur numero estis mortui?

id est, cur tam citò? Festus. Ut *numero* dicere est nimis properanter aliquid dicere; *numero* purgare se, accusationi occurrere. Plaut. Merc. IV. 3. 37. *Guther. de Jur. man.* c. 25.

NUMIDIA ab Ampsaco ad ortum tendens, usque ad Sissarum fluvium pervenit. Ejus caput est Cirtha. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c. 64.* Anno Urbis 643. P. Scipione, L. Bestia coss. contra Jugurtham *Numidarum* Regem bellum susceptum est quod fratres Hiempsalem, & Adherbalem agitatus regni cupiditate contra senatus denuntiationem occidisset. Primus in *Numidiam* cum exercitu missus L. Calpurnius Bestia, qui captus Regis pecunia pacem cum eo flagitiosam fecit, quæ à senatu improbata est. Post Bestiam Sp. Postumius res in Africa male gessit. Deinde Q. Metellus consul adversus Jugurtham missus, exercitu ad pristinam disciplinam redacto, duobus prœliis Jugurtham fudit, Thalam oppidum diripuit, universam *Numidiam* vastavit, & Regem ipsum per Mauros, & Getulos fugientem insecutus, re pænè confecta, successorem accepit C. Marium consulem. Ipse Romam triumphans ingressus est, *Numidici* cognomine auctus. C. Marius consul, transportatis in Africam copiis, Jugurtham, qui bellum reparaverat, aliquot levibus prœliis primò fudit, fugavit, & armis exuit. Eum postremò cum Boccho Mauritaniæ Rege, quem bello socium asciverat, vicit. Bocchus in desperationem versus Jugurtham vivum Romanis prodidit. A quibus captus, & in triumphum à C. Mario ductus, occisus est. *Numidia*, quæ ejus regnum fuerat, à C. Mario proconsule an. 649. ex decem legatorum sententia provinciæ formam accepit, atque in Africa duæ provinciæ factæ sunt, Africa, ubi erat Carthago, & *Numidia*. Hanc rem Sex. Rufus ita tradit: *Numidia ab amicis Regibus tenebatur, sed Jugurtha ob necatos Adherbalem & Hiempsalem, Micipsa Regis filios, bellum indictum est. Quo per Metellum consulem attrito, perque C. Marium capto, in potestatem populi Romani Numidia venit.* Panvin. Imp. Rom. c. 14. Manut. de Legib. c. 10.

NUMISMATA auro, argento, ære percutiebantur. V. singula suis locis: reperiuntur etiam, quamvis rarissimè, plumbea, stannea, ferrea; cujus generis *numismata* habui, inter quæ unum erat ferreum, quod tale esse eo indicio deprehendi, quod a magnete attrahebatur. Omnia vetera Græcorum, & Romanorum ex auro puro signata sunt. Romana ex metallo puro, & simplici constabant, tempore liberæ Reipublicæ, & sub Imperatoribus primis percussa: sed post illud tempus à pristina puritate paullatim desciverunt, usque ad Alexandrum Severum, à quo bonitas illorum ita imminuta fuit, ut ab ærosis temperatura non differrent. *Savot. de Numm. Antiq.* IV. 8. *Sardus de Nummis Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1718. C.*

NUMITORIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

NUMMARIUS judex. V. illum supr. in *Judex*.

NUMMONIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

NUMMULARIUS dicebatur permutator *nummorum*, qui majoris pretii *nummos* acceptis, *nummulos*, id est, minusculam monetam per partes reddebat: aut certæ regionis acceptam pecuniam alterius pecunia permutabat. Quod licèt non publica auctoritate faceret, tamen *nummularium*

quoque non esse iniquum cogitationes reddere, scripsit Pomponius, l. 9. ff. de edend. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Graev. Tom.* XI. p. 881. *C. Salmas. Exerc. Plin.* p. 761. *B.*

Nummularius etiam dicebatur, qui probabat, & aestimabat *nummos*, an probi essent, cujus auri, an subaerati, an aequi ponderis, an bonae fusionis, l. 39. ff. de solut. & liber. *Si soluturus pecuniam tibi, jussu tuo signatam, eam apud nummularium, quoad probaretur, deposuerim*, Apul. Metam. x. p. 325. *Ne fortè aliquis istorum, quos offers, aureorum, nequam, vel adulter reperiatur: in hoc ipso saculo conditos, eos annulo tuo praenota, donec altera die, nummulario praesente, comprobentur.* Hunc credo fuisse praefecto Urbi commissum, penes quem de ejus proba negotiatione cura erat, l. 1. §. 9. ff. de Offic. praef. Urb. *Praefectus Urbi curare debet, ut nummularii probè se agant circa omne negotium suum: & temperent his, quae sunt prohibita.* Ursat. de Not. Rom. Thes. Ant. Rom. Graev. Tom. XI. p. 881. C. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19. Laz. Comm. Reip. Rom. II. 13. Long. de Annul. c. 11.

NUMMUS est dictio Graeca, vel potius Sicula. Pollux IX. 6. *Nummus Romanorum videtur numismatis nomen; est verò Graecum Doriensium, qui in Italia, & Sicilia habitarunt. Aristoteles in Tarentinorum republica tradit, numisma ab ipsis nummum vocari, eique insculptum esse Tarantem Neptuni filium delphino vectum.* Hujusmodi *nummum* aeneum pondere granorum 124. habui, cui parte una impressa effigies viri nudi delphino insidentis, sub delphini corpore, quasi pila, aut sphaerula: in ora literis Graecis TAPANTI notis fugacibus, sed tamen qui ab attento facilè legerentur: parte altera itidem vir nudus sedens, manu, ut videbatur, super aram extensa, ita obscurè, ut reliqua conjectare non potuerim. Hujus descriptionem exhibeo, ut Pollucis locus clariùs intelligatur. *Snell. de Re numm. Thes. Antiq. Graec. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1555. *D. Camerar. de Re numm. Thes. Gronov. ibid. p.* 1413. *C.* Illorum in commerciis usus ex ipsomet Homero colligitur, cum meminit ἐκατόμβοιον, ut in permutatione armorum Glauci, ac Diomedis Iliad. VI. 135.

Qui cum Tydide Diomede arma permutavit,
Aurea aeneis, ἑκατόμβοια novem bobus valentibus,

Scholiastes enim ait *numismata* fuisse, quae ex veteri ritu ab una parte haberent bovis imaginem, ab altera Regis. Pollux IX. 6. *Vetus erat Atheniensium moneta, Bos appellata, eo quod bovem insculptum habet. Et hanc Homerum putant intelligere dicentem, centum boum pretio digna dignis pretio novem boum*, scilicet arma permutat. *Sed & in Draconis legibus est, solvere decaboeum.* Feith Antiq. Homer. II. 10. Vultibus Imperatorum signabatur. Hoc in more positum Graecis & Romanis. Aristot. Plut. I. 9. *nummi* appellat χαρακτῆρα. Latini vertunt titulos, figuras, hoc est, vultus Imperatorum, qui cudi hujusmodi monetam jubebant, nomen, inscriptionem, notam aliquam victoriae alicujus, aut casus alterius indicem addebant. Cassiod. Var. VI. 7. *Ut imago Principis subjectos videretur pascere per commercium.* VII. 32. *Moneta debet integritas quaeri, ubi & vultus noster imprimitur.* Artemid. IV. 33. *Stratonicus putabat se Regem calcitrare, & progressus invenit aureum numisma, quod calcaverat, neque enim differebat, sive Regem, sive ipsius imaginem calcitrare, aut calcare*, Demster. Paralip. in Rosin. Antiq. Roman. VII. 31. Formam, & quantitatem, V. supr. in *Moneta*. Signari dicitur, feriri, & cudi, νόμισμα κόπτεσθαι. Unde τοῦ πονηροῦ κόμματος malos dixit Aristoph. Schol. Plut. IV. 3. ro. haud dubiè alludens ad *nummos* adulterinos. Ipse in Ranis ὀρθῶς κοπεῖσι καὶ κεκωδωνισμένοις, benè *signatis & probis*. Ubi tinnitu probato dicit: ita enim periculum quoque bonitatis fieri solet. Latini Graecam vocem interpretantes *percuti* dixerunt. Plin. XXXIII. 3. V. illum supr. in *Aurum*. Camerar. ibid. p. 1411. C. Novus non percutiebatur Romae, aut in pondere, pretiove mutabatur, ut cum as ex librali factus est in duarum unciarum nisi lege. Hoc significat Plin. XXXIII. 3. cum ait: *Pondus aeris immutatum primo Punico bello, cum impensis Res publica non sufficeret: constitutumque ut asses sextantario pondere ferirentur.* Manut. de Legib. c. 17. Ex qua materia factus, V. supr. in *Moneta*. Commoveri dicebatur, quia exigebatur. Cicer. pro Fontej. c. 5. *Nummus in Gallia nullus sine civium Romanorum tabulis commovetur.* pro Flacc. c. 19. *In qua nummus commoveri nullus potest sine quinque praetoribus.* Buleng. de Vectig. c. 3. Qui nascebantur, qui togam virilem somebant, aliique conferre debebant ex instituto Servii Tullii, ut sciret numerum hominum, per sexus, ac aetates, nascentium, & morientium. Dionys. IV. p. 220. Ad paganalia *jussit omnes in singula capita conferre certum numismatis genus; sed aliud viros, aliud mulieres, aliud impuberes; quibus per sacrorum praesides connumeratis apparebat hominum numerus per sexus, ac aetates distinctus. Tradit L. Piso Annal. I. voluisse eum & urbanae multitudinis scire numerum, tum nascentium, tum morientium, tum eorum qui virilem togam sumerent: statuisseque quanti pretii nummos pro singulis inferre deberent cognati; in aerarium Ilythiae, Romani Junonem Lucinam vocant pro nascentibus: in aerarium Veneris in luco situm, quam Libitinam appellant, pro defunctis; in Juventutis pro togam virilem sumentibus; unde poterat nosse annis singulis, quantus esset in universum numerus civium, tum quam multi ex his essent per aetatem idonei militiae.* Postea tamen consuetudo illa inferendi *nummi* desiisse videtur; nec enim ullus ejus scriptor meminit: sed morientium *numerus* ex Libitinariis cognoscebatur. *Voss. de Idolol.* II. 27 *Faes in Gyrald. de var. sepel. rit. c.* 1. *Kirchman. de Funer.* I. 9. *Laurent. Polym.* III. 11. *Franckenstein de AErar. pop. Roman. c.* 3. *Valtrin. de Re milit. Roman.* II. 3. *Demster. in Rosin.* V. 32. Adulterinum quinam, & quomodo percusserint, & illorum poenas, V. supr. in *Moneta*. *Nummos* scribere est non praesentes solvere: sed pro his in certum diem solvendis apud trapezitam se obligare, & per argentarium in certum diem cavere redditum iri *nummos* qui debeantur. Plaut. Asin. II. 4. 34.

—— adducit domum etiam ultro, & rescribit nummos.

Queritur pro pecunia praesenti cautionem solvendae per mensam pecuniae apud argentarium factam: & ante dictum II. 32.

Nam vidi huc ipsum adducere trapezitam Exarambum,

Itaque apud Terent. Phorm. V. 7. 28.

—— illud mihi
Argentum rursum jube rescribi, Phormio.

valet, cave mihi à mensa redditum iri. Et apud Horat. Sat. II. 3. 75.

Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli
Dictantis quod tu nunquam rescribere possis.

valet, quod tu nominibus ad mensam factis, non possis ei per argentarium postea renumerare. Sic Phorm. V. 7. 30.

Quodne ego perscripsi porro illis, quibus debui?

est, quod ad trapezitam attuli, & totum scripsi, quibus dinumeraret certa die, ut nihil jam mihi reliquum sit, atque ita expunxi nomen quibus debebam. *Turneb. Adv.* IV. 13. *Pithoeus & Taubmann. in Plautum.*

Nummus asper vocabatur bene percussus, tecens, integer, non vetus, non tritus, atque ipso usu levis fugientibus notis, nec forma expressa. Suet. Ner. c. 44. n. 4. *Exegit ingenti fastidio, & acerbitate nummum asperum.* Pers. Sat. III. 70.

—— quid asper
Utile nummus habet?

Senec. Epist. 19. *Movebis mihi controversiam, si te novi, nec voles, quod debeo, nisi in aspero, & probo accipere.* Illum τραχὺν vocat Theophr. Char. Ethic. c. 22. *Qui etiam, si minam argenti velit solvere, laboret ut reddat in aspero*, τραχὺν ἀποδοῦναι. *Turneb. Adv.* XVIII. 18. *Scalig. de Re numm. p.* 41. *Casaub. in Theophrastum, & Persium. Buleng. de Pictur.* I. 20. *Barth. in Stat. Achill.* II. 49. *Pitisc. in Suetonium.* Quos hujus vocabuli nonnem esse sequutos non sum nescius: sed quia nummi ferrati, aculeati, ut dicam infr. in *nummus serratus*, & tanquam spinosi, ac proinde tractatu asperi essent, inde forsasse non absurda conjectura est, nomen hoc asperorum factum; atque id genus

genus nummorum ab avaris, & ad rem attentis avidè expetitum fuisse, ne, si quid vitii subesset, latere posset. Et nihil absurdi est dicere, duplicem illius nominis notionem fuisse. *Hotman. Antiq. Rom.* IV. I. 2.

Nummus bigatus, denarius argenteus, bigæ nota insignitus. Plin. XXXIII. 3. *Nota argenti fuere bigæ, atque quadrigæ: & inde bigati, quadrigatique.* Agit ibi de vetustissima *nummi* argentei signatura. Tacit. Germ. c. 5. n. 7. *Pecuniam probant veterem, & diu notam, serratos, bigatosque.* Bigatorum nempe illorum usus fuit antiquissimus, atque ita primum Germanis etiam innotuit. Hos ergo maximè probabant. Liv. XXIII. 15. *Bigatos quingentos quæstorem juveni numerare jubet.* Pro bigatis dixerunt & *argentum bigatum.* Liv. XXXIII. 8. *Tulit in triumpho argenti bigati septuaginta novem millia.* XXXIV. 44. *Tulit in eo triumpho argenti bigati centum viginti tria millia pondo.* Fuerunt bigæ illæ non bellicæ, sed circenses. Ita docent omnes veteres denarii, qui hodieque extant. Cur isto genere monetam publicam voluerint signare, nemo fortè dixerit. Possunt tamen placuisse bigæ, ut in memoriam revocarent circenses primos Romuli, quorum occasione comparavit suis matrimonia, & sic civitatem veluti de novo condidit. *Scheffer. de Re vehic.* II. 11. *Chiflet. de Oth. ær. c. 7. Voss. Lex. Etymol. in Biga. Lips. in Tacit. Germ. n. 23. Lipen. de Stren. c. 3. §. 36. Sperling. de Numm. non cus. c. 38. Bud. de Asse p. 633. Pigh. Annal. Rom. I. p. 451.*

Nummus centimonialis est forma centenaria, majorina pecunia. L. 2. C. Th. si quis pecun. conflav. *Centenionalem tantum nummum in conversatione publica tractari præcipimus majoris pecuniæ figuratione submota.* C. Th. de fals. mon. *Comperimus nonnullos flaturarios majorinam pecuniam separato ab ære argento repurgare.* Buleng. de Vectig. c. 77. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19.

Nummus quadrigatus quadrigæ nota erat insignitus. Festus in Grave æs: *Nummi quadrigati, & bigati à figura cælatura dicti.* Liv. XXII. 54. *Venusini ia singulos equites quadrigatos nummos vicenos, & peditibus denos dederunt.* Plin. XXXIII. 3. V. illum supr. in *Nummus bigatus.* Scheffer. de Re veh. II. 13. Voss. Lex. Etymol. in Biga. Bud. de Ass. V. p. 635. Sperling de Numm. non cus. c. 38. Lipen. de Stren. c. 3. §. 36. Pigh. Annal. I. p. 451.

Nummus serratus dictus, quia serra erat ejus nota. Tacitus laudatus supr. in *Nummus bigatus.* Rhodig. Ant. Lect. X. 2. Rhenan. in Tacitum. *Nummus* mihi est, in cujus postica parte caput Urbis, & inscriptum ROMA SER. Hæc nota significat fortasse SERRATUS: Serrati enim nummi dicebantur, quibus serra impressa erat. *Ursin. de Famil. Roman. in Manlia. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 957. C.* Sed quo argumento Ursine? Mille *nummi* cum illo capite, in queis nihil tale, & potius id referendum ad Serrani cognomen, quod ex alia gente hærere huic potuit per adoptionem. Potius, quia illorum circumferentia serrata erat, & ambitus incisus, atque ita formatus, ut sunt axium, & serpentum dentes. Sciendum autem est, typum ferreum, in quem metallum, vel liquatum, vel certè attenuatum imponebatur, angulatam in circuitu formam habuisse: sic ut *nummus* in eo percussus ei, quasi typus aculeatus antitypo responderet. Facile autem intellectu est, excogitatum id fuisse, ut fraus falsariorum agnosci posset, qui laminis æreis, & argenteis æs interponebant. Et dicebantur inde probati. Plin. XXXIII. 9. *Miscuit denario triumvir Antonius ferrum. Igitur ars facta denarios probare.* Pers. Sat. V. 104.

——tibi rectè vivere talo
Ars dedit? & veri speciem dinoscere calles,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro?

Spectasse id eos in nummis vulgò, addocent ratio, & Tertull. de Pœnit. c. 6. *Si ergo qui vendidant, prius nummum, quo paciscuntur, examinant, ne scalptus, neve rasus, ne adulter sit.* Lips. in Tacit. German. n. 23. Claud. Chiflet. de antiq. numism. c. 7. Henr. Thom. Chiflet. de Oth. ær. c. 6. Hotman. Antiq. Roman. IV. I. 2. Zimmerman. Floril. Philol. p. 571.

Nummo addicere donationis erat instar, cum obtentu venditionis rem donantes, invidiam donationis vitamus, aut pudori accipientis consulimus. Suet. Jul. c. 50. n. 3. *Serviliæ amplissima prædia ex auctionibus hasta nummo addixit.* Val. Max. V. 2. 10. *Marco Cornuto prætore funus Hirtii, & Pansæ jussu senatus locante, qui tunc libitinam exercebant, cum rerum suarum usum, tum ministerium suum gratuitum polliciti sunt, quia ii pro Republica dimicantes occiderant: perseverantique postulatione extuderunt, ut exsequiarum apparatus sestertio nummo ipsis præbentibus addiceretur.* Nostrates hoc dicunt, fragmento panis vendere. *Bud. in Pandect. p. 158. K. de Asse I. p. 106.*

NUN.

NUNCUPARE est, pronuntiare, expressè & nominatim dicere. Cicer. de Offic. III. 16. *Nam, cum ex XII. tab. satis esset ea præstari, quæ essent lingua nuncupata: quæ qui infitiatus esset, dupli pœnam subiret: à jureconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta. Quicquid enim esset in prædio vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstari oportere.* Est enim *nuncupare*, non scripto, sed verbo cavere, vel dicere, quod Græcè ὑπαγορεύειν dicitur. Unde testamentum *nuncuparent* dictum est. Plin. XIV. 22. *Alii testamenta sua nuncupat.* Justin. XII. 15. 13. *Nam etsi non voce nuncupatus heres, judicio tamen electus videbatur.* Julian. l. 8. §. 4. ff. de bon. possess. secund. tab. *Quidam in tabulis testamentum sibi fecit, filio autem impuberi per nuncupationem substituit.* Sic dicitur *nuncupata voluntas* à Justin. Instit. II. 10. I. 15. *Nuncupata vota* Suet. Aug. c. 97. n. 2. *Bud. in Pandect. p. 62. A. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 2. c. 26.* Testamentum *nuncupabatur* hoc modo: *Hæc uti in his tabulis, cerisve scripta sunt, ita do, lego, ita testor, ita vos, Quirites, testimonium perhibetote.* Guther. de Vet. jur. pontif. II. 6.

NUNDINA dea à nono die est appellata, quo mares lustrabant, usque nomina imponebant. Macrob. Sat. I. 16. *Nundinam deam Romanorum à nono die nascentium nuncupatam.* Panvin. de Nom. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. II. p. 2034. F. Tomas. de Donat. c. III. Bartholin. de Puerp. p. 136. Stuck. Ant. Conviv. I. 16. de Sacr. gent. p. 44. Lomej. de Lustrat. c. 27. Auctor. Misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 163. Crinit. de Honest. Discipl. III. 4. Laurent. de Natalit. c. I. 2. 3. Kipping. Antiq. Roman. I. I. §. 10.

Nundinæ nono quoque *die* celebrabantur. A *nundinis* igitur ad *nundinas* novem dies erant, diversi octo, intermedii septem. *Nono die* à rustico opere ad Urbem, & *nundinas* Romani ventitabant. Dionys. VII. p. 463. *Nundinæ Romanis, nono quoque die celebrata; quando ad Urbem plebs agrestis confluens, res venales permutabat, & jure inter se agebat, & suffragia ferebat de rebus publicis: de quibus vel leges permitterent ei arbitrium, vel senatus deferret. Intermediis septem diebus, quia magna pars pauperes erant, & manu sua parabant victum, occupabantur ruri.* Rectè septem: primus enim dies, & sic nonus *nundinas* habebat; inter primum autem, & nonum septem interjecti, quos *rusticos* appelles, ut duos illos *urbanos*. Varr. de Re rust. præfat. II. *Viri magni, nostri majores, annum ita diviserunt, ut nonis modo diebus urbanas res usurparent: reliquis septem, ut rura colerent.* Distinctè Plin. XVIII. 3. hanc ob causam *nundinis* comitia notat non fuisse: *Nundinis Urbem revisebant, & ideo comitia nundinis haberi non licet, ne plebs rustica avocaretur.* Dionysii itaque verba de suffragiis ferendis ad prima tempora referenda sunt. *Putean. de Nund. Rom. c. 3. Argol. in Panvin. de Lud. circens. I. 18. Struv. Ant. Roman. c. 9. p. 447. Perion. de Græc. & Rom. magistr. III. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2816. D. Hospinian. de Orig. Fest. Ethn. c. 5. Gyrald. de Ann. & mens. Oper. Tom. II. p. 808. F.* Quis primus Romæ instituerit, quæritur. Originem alii ad Romulum, alii ad Servium Tullium referunt. Macrob. Sat. I. 16. *Nundinarum originem quidam Romulo assignant, quem, communicato regno cum T. Tatio, sacrificiis, & sodalitatibus institutis, nundinas quoque ad-*

fecisse commemorari, sicut Tuditanus affirmat. Sed Cassius Servium Tullium fecisse nundinas dicit, ut in Urbem ex agris convenirent, urbanas, rusticasque res ordinaturi, Geminus ait diem nundinarum exactis jam Regibus cœpisse celebrari; quia plerique de plebe repetita Servii Tullii memoria parentarent ei in nundinis, cui rei etiam Varro consentit. Quia tamen plures conjunctis velut calculis hunc Romulo honorem deferunt, à conditore Urbis temerè non recedam. Verisimile quoque est, Romulum, cum annum in nova Urbe ordinaret, *nundinas* haud omisisse. Disertè Dionys. II. p. 98. Romulus *nonum diem nundinis assignans*. Soli etiam Romuli anno *nundinæ* exactè conveniunt numero. *Putean. ibid. c. 4. Siccam. in Fast. Kalend. c. 6. Morestell. Philom. v. Dial. 14. Hospinian. & Perion. l. l.* Non erant eædem quæ *nonæ*. Macrob. I. 13. *Cum sæpè eveniret, ut nundinæ modo in anni principem diem, modo in nonas caderent, remedium, quo hoc averteretur, excogitatum est. Quod aperiemus, si prius ostenderimus, cur nundinæ, vel primis Kalendis, vel nonis omnibus cavebantur. Nam quoties incipiente anno dies cœpit, qui adjectus est nundinis, omnis ille annus infaustis casibus luctuosus fuit. Nonis autem conventus universæ multitudinis vitandus existimabatur, quoniam populus Romanus exactis Regibus diem hunc nonarum maximè celebrabat, quem natalem Servii Tullii existimabant. Qui, cum incertum esset, quo mense Servius Tullius natus fuisset, nonis tamen natum esse constaret, omnes nonas celebri notitia frequentabant. Veriti ergo, qui diebus præerant, ne quid nundinis collecta universitas ob Regis desiderium novaret, cavisse, ut nonæ à nundinis segregarentur.* Hospinian. l. l. Putean. ibid. c. 12. Ferias esse ait Festus: *Nundinas feriarum diem esse voluerunt antiqui, ut rustici convenirent mercandi, vendendique causa: eumque nefastum, ne, si liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores.* Sic & Macrob. Sat. I. 16. opinionisque suæ auctores laudat Jul. Cæsar. Auspic. XVI. *Nundinis concionem advocari non posse, id est, cum populo agi; ideoque nundinis Romanorum comitia haberi non posse, nimirum, quia feriæ sunt.* Etiam Corn. Labeon. Fast. I. *Nundinas ferias esse.* Contra Titus de feriis scribens, *nundinarum dies non inter ferias retulit, sed tantum sollennes vocavit.* Et Julius Modestus, qui affirmat: *Messala augure consulente pontifices, an nundinarum Romanarum, nonarumque dies feriis tenerentur, respondisse eos, nundinas sibi ferias non videri.* Item Trebat. Relig. I. *Nundinis magistratum posse manumittere, judiciaque addicere, quod feriis non licebat.* Hæc facili negotio conciliantur: verbis nimirum Macrobii, qui cum ex Granio Liciniano Fast. II. hæc laudasset: Granius *ait nundinas Jovis ferias esse, siquidem flaminica omnibus nundinis in regia Jovi arietem soleat immolare: sed lege Hortensia effectum est, ut fastæ essent, uti rustici, qui nundinandi causa in Urbem veniebant, lites componerent. Nefasto enim die prætori fari non licebat:* addit: *ergo qui ferias dicunt, à mendacio vindicantur patrocinio vetustatis: qui contra sentiunt, æstimatu ætatis, qua legem secuta est, vera deprement.* Putean. ibid. c. 8. Manut. de Comit. Roman. c. 8. de Legib. Roman. c. 34. Gyrald. ibid. B. Siccam. Morestell. & Hospinian. l. l. Reipsa erant mercatus. Hinc *nundinari* est mercari, sive emas, sive vendas: & *nundinatio* emptio atque venditio, Græcè ἀγορὰ, à verbo ἀγείρω, id est, congrego. Homines enim ad emendum, vendendumque merces conveniunt. Gloss. vet. *Nundina*, ἀγορὰ τῶν ὠνίων. q. d. *forum rerum venalium.* Πανήγυρις etiam, quasi *confluxus hominum, & frequentia.* Locus forum est. Aristoteles Polit. VII. 12. ubi de mercatu in urbe constituendo, forum appellat *locum aptum rebus, quæ ex agro mittuntur, convehendis.* Sex modis forum intelligi notat Festus: sed ad nostrum institutum facit, *esse negotiationis locum, ut forum Flaminium, forum Julium, ab eorum nominibus, qui ea fora constituenda curarunt. Quod etiam in locis privatis, & in viis, & agris fieri solet.* Cæterum olim Romæ fora omnino XVII. Romanum, quod dicitur magnum; Cæsaris, Augusti, Boarium, Transitorium, Olitorium, Pistorium, Trajani, Ænobarbi, Suarium, Archemorium, Diocletiani, Gallorum, Rusticorum, Cupedinis, Piscarium, Sallustii. *Putean. ibid. c. 2. Nundinæ* quidem omnes, mercatus sunt; sed non omnes mercatus *nundinæ*. V. supr. in *Mercatus*. Illarum dies demonstrabant literæ A. B. C. D. E. F. G. H. Harum serie totum contexitur Kalendarium. Inter fastos ideo referebantur, quod lege Hortensia fastæ erant, ut ex Granio Liciniano jam retulit Macrobius. C. verò litera comitiales dies notantur, per quos solum comitia haberi licebat. Ea verò ratione hi dies inter fastos connumerantur, quod cum comitia non haberentur, fasti essent. *Ciaccon. in vet. Roman. Kalend. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 16. A. Struv. ibid. c. 8. p. 352. c. 9. p. 448.* Jus illas concedendi olim pertinebat ad senatum Romanum. Plin. Epist. V. 4. I. *Sellers vir prætorius à senatu petiit, ut sibi instituere in agris suis nundinas permitteretur. Contradixerunt Vicentinorum legati. A consulibus jus nundinarum in privata prædia petiit* Claudius apud Suet. c. 12. n. 3. Unde de Antonii *nundinis* Cicer. Phil. II. 36. *Itaque si hæc manent, quæ stante Republica manere non possunt, provincias universas P. C. perdidistis. Neque vectigalia solum, sed etiam imperium populi Romani hujus domesticis nundinis deminutum est.* Petitæ & postea à Principe, l. I. ff. de nund. *Nundinis à Principe impetratis, non utendo qui meruit, decennii tempore usum amittit*, Tholos. Synt. jur. XXV. 3. §. 4. Brisson. Ant. Select. I. 15. Sigon. de ant. jur. Ital. II. 15. Putean. ibid. c. 28. Struv. ibid. p. 448. Torrent. & Pitisc. in Suetonium. Illarum quædam jura, ac sollennia erant, quæ velut fulcra quædam hoc ædificium sustinebant, ad robur simul, & ornatum. Jura quidem, privilegia, atque immunitates sunt *nundinatoribus* olim, ut & hodie, concessæ, velut illices lucri. Quia enim tributis, vectigalibusque merces liberantur, concursus est: utrobique compendium, sive vendantur res, sive emantur. Quid antiquitus fuerit, satis posteriora, & hæc nostra secula docent. Hoc etiam quondam obtinuit, ne quis *nundinarum* tempore jure conveniretur. Ita lex Imperatorum Valentis, & Valentiniani de *nundinis*, l. I. C. V. illam supr. in *Mercatus*. Putean. l. l. Tholos. ibid. §. 6. Inter sollennia epulæ quoque *nundinariæ* erant. V. illas supr. in *Epulæ*. Illarum numen quoque Mercurius: ille, ut lucri auctor, ita hilaritatis amator. Quasi dicam, etiam in conviviis commercia esse, vel in commerciis convivia; negotia autem epulis absolvi. Mensam, & ut Græci appellant, τράπεζαν vide: quemadmodum cupedias, ita & pecunias; non minus in foro, quam in triclinio statui solita & frequentari. Nec superstitio defuit, vitium imprimis populare. Mirum est, quod scripsit Plin. XXVIII. 2. *Ungues resecari nundinis tacentes, atque à digito indice, multorum pecuniæ religiosum est.* Quæ verba quem omninò sensum contineant, ambiguum videtur. Cur enim *tacentes*, & cur *à digito indice*? Pecunia quidem *nundinarum* beneficium, imo instrumentum est. Resectio ad imminutionem facit, ideòque pecunia religiosa, tristis, scæva, infausta, &, ut verbo dicam, vitanda. Quid si tamen ad recisam pecuniam referas? Huc fortassis pertinet quoque: *nihil inter nundinum gustare, & inter nundinum barbam radere.* Et annum infelicem censere, quando vel in Kalendas Januarias, vel in nonas quæcunque cadunt, maximè superstitiosum est. Etiam Augustum hic reprehendo, qui plebejum in se vitium admisit, majestatem superstitione maculans, qui observavit, *ne postridie nundinas quoquam proficisceretur.* V. supr. in *Nonæ*. Putean. l. l. Illarum tutela erat l. sacra, & quid religionis ad *nundinas* relatum est. An *Nundina* dea illis præfuerit, pronum sit a nomine statuere. Glossæ, si tamen correctæ, nescio quid insinuent: *Nundina*, ἀγορὰ, πανήγυρις. A Macrobio tamen ad lustrica sacra refertur. V. illum supr. in *Nundina*. Quid si dicam verò, in his quoque sacris *nundinarum* constitutionem spectari? Jovis esse ferias ante ostendi. Eo enim die *in regia arietem solitum immolari*. Cæterum Mercurio sacras esse conditio nominis indicat. Hic sermonis deus erat; sed & lucri, ac mercimonii; cum negotia omnia verbis, & eloquio constent, ac perficiantur. Hinc sanè qui Latinis Mercurius, & à mercibus, ut Festo placet, appellatur, Græcis Ἑρμῆς, quasi interpres, ac nuntius. Unde Ἑρμηνεία, ipse sermo. Non frustra igitur ἀγοραῖος, ἐμπολαῖος, κερδῷος, *Mercate-*

cate-

catorini, *Negotiator*, five *Nundinator*, & *Lucrio*. Huc facit vetus inscriptio laudata supr. in *Mercurius*. Ipse apud Plaut. Amph. prol. n. 1.

Ut vos in vestris voltis mercimoniis
Emundis, vendundisque me lætum lucris
Afficere, atque adjuvare in rebus omnibus;
Et ut res, rationesque vestrorum omnium
Bene expedire vultis, peregreque & domi,
Bonoque, atque amplo auctare perpetuo lucre.

Peculiariter tamen *mense Majo Maja, & Mercurio mercatores omnes sacrificare* scribit Macrob. Sat. 1. 12. II. civilis, tanquam magistratum hîc aliquem agnoscas, cum & præfectum suum habuerint, quem ædilem Romani, & Græco vocabulo *ἀγορανόμον*, quasi legem, *regulamque fori*, appellarunt. Hujus quodnam munus fuerit, V. supr. in *Ædilis*. *Nundinis* toti lavabantur. Senec. Epist. 86. *Ut ajunt, qui priscos mores Urbis tradiderunt, brachia, & crura quotidie abluebant, quæ scilicet sordes opere collegerant: ceterum toti nundinis lavabantur.* Struv. l. l.

Nundinæ hebdomadicæ, hebdomade jam introducta fiebant diebus Solis, & toto anno. Illas Constantinus constituit, curante Valerio Catulino præfecto prætorii per provinciam Pannoniæ superiorem. Vetus inscriptio, quæ facit ad has *nundinas*:

IMP. CÆS. FL. CONSTANT. AQUAS. IASAS. OLIM VI. IGNIS. CONS. CUM. PORTICIBUS. ET. OMN. ORNAMENTIS. AD. PRISTIN. FACIEM. RESTITUIT. PROVISIONE. ETIAM. PIETATIS. SUÆ. NUNDINAS. D. SOLIS. PERPETI. ANNO. CONSTITUIT CURANTE. VALERIO. CATULINO. P. P. P. P. P. SUPER

Putean. de Nundin. Rem. c. 26.

NUNDINIUM, seu *nundinum* dicebatur ordinatio consulum. Vopisc. in Tacit. c. 9. *Idcirco quod jam senatus omnia nundina, five nundinia*: ita enim Palatinus, & prima editio, *suffectorum consulum clauserat*. Lamprid. Alex. Sev. c. 43. *Nundinia vetera instituit*. Notum est sub Imperatoribus jam inde à Claudio bimestres consules fuisse, ita ut duodecim in annum ordinarentur. Et si variatum aliquando pro libidine Principum quorundam, & plures ordinati: hunc tamen numerum, & ordinandi modum tenuerunt plures, & meliores Imperatores. Sex igitur *nundinia*, vel collegia consulum suffectorum erant. *Nundinium* I. ordinariorum consulum à Kalendis Januarius usque ad Martias. II. suffectorum à Kalendis Martiis ad Majas. III. à Majis ad Julias. IV. à Juliis ad Septembres. V. à Septembribus ad Novembres. VI. in reliquos duos anni menses. Atque hæc sunt omnia suffectorum consulum *nundinia*, quæ sic vocat Vopiscus, quæ jam clauserat senatus, hoc est, omnes consules totius anni designaverat, & ordinaverat, cum consulatum fratri petit Tacitus: ideoque non impetravit, quod minimè vacuus locus esset relictus. Hinc legimus in vita Alex. Sev. c. 28. *Consulatum ter iniit tantum ordinarium, ac primo nundinio sibi alios semper suffecit*. Nam primum *nundinum*, ut dixi, fuit consulum ordinariorum, qui Kalendis Januariis consulatum inibant, & nomen fastis dabant: quo primo *nundino* semper alios sibi sufficiebat Alexander, nec consulatum gerebat totos illos duos menses primi *nundinii*. Et ibidem c. 43. eundem *consules vel ordinarios, vel suffectos, ex senatus sententia nominavisse, & vetera nundinia ex ordine instituisse*, hoc est, eum ordinem, & modum consulum ordinandorum revocasse, quem descripsimus. Cum enim multi ante Alexandrum Imperatores, jam inde à Commodo, sub quo *viginti quinque consules in unum annum* facti sunt, apud Lamprid. c. 6. adeo parum observabant, ut alium ejus rei morem agnoscerent nullum, nisi quem sua libido statuisset: Alexander vetera *nundina* ex ordine instituit, & in pristinum statum, & formam reduxit. Quare appellata *nundina* vices istæ, & ordines suffectorum consulum; puto rationem arcessi posse ex veteri more creandorum consulum, cum penes populum comitiorum, & campi jus erat. Tribus enim *nundinis*, vel in *trinundinum* indicebantur comitia creandis consulibus: sed & candidati ipsi *nundinis* in comitium veniebant, & populo se ostendebant, & singulos prensabant: quod & ipsum *internundine* faciebant. Ad eam rem igitur *trinundini* tempus dabatur petituris consulatum. Cicer. Fam. XVI. 12. *Neque jam velle absentis rationem haberi sui: se præsentem trinundinum petiturum*. Mutato more, & jure designandorum consulum in populum, & principem translato, mos tamen idem videtur remansisse, ut candidati *nundinis* in comitium venirent, & ab omnibus viderentur. *Salmas. in Vopiscum.*

NUNTIATORES dicuntur emissarii, internuntii, & delatores criminum: ex quo eorum indicia notoria dicuntur. V. supr. in *Notoria*. Paull. l. 6. ff. ad SCtum Turpill. *Nuntiatores, qui per notoria indicia produnt, notoriis suis assistere jubentur*. Cujus sensus hic est: *nuntiatores*, qui reos deferunt per notoria, licèt citra calumniæ metum accusent, debere tamen assistere suis indiciis, eaque tueri notoria, quæ attulerunt, interim dum quæstio de crimine habetur. *Bud. in Pandect. p.* 238. *Pollet. For. Rem.* IV. 4.

NUNTIATIO duplex est. I. augurii, quam habebat solum, cui spectio erat, hoc est, augur. II. avocandæ concionis, quam solus habebat, qui omne jus auspiciorum habet, hoc est, major magistratus, quæ vocabatur *obnuntiatio*. Videmus hoc in verbis Festi: *Spectio in auguralibus ponitur pro aspectione, & nuntiatio: quia omne jus sacrorum habent, auguribus spectio duntaxat, quorum consilio rem gererent magistratus, non ut possent impedire nuntiando, quæ cum vidissent satis, spectio sine nuntiatione data est, ut ipsi auspicio rem gererent, non ut alios impedirent nuntiando*. Locus profligatissimus est, ac multis vulneribus confectus. Non solum enim corruptus, sed mancus, ac parte sui non parva truncatus. Festi sententia hæc videtur fuisse: *Spectio in auguralibus ponitur pro aspectione. Spectio, & nuntiatio data erat iis magistratibus, qui omne jus auspiciorum habent: auguribus spectio duntaxat, quorum consilio rem gererent magistratus, non ut possent impedire nuntiando quæcumque vidissent: at iis spectio sine nuntiatione data est*. Cum Phil. II. 32. dicunt augures *habere nuntiationem*, est jus tantum *nuntiandi* magistratui de eo quod viderint. *Scalig. & Augustin. in Festum. Buleng. de Augur. c.* 9. *Manut. de Quæs. per Epist. l.* 9.

Nuntiatio novi operis quid fuerit. V. infr. in *Opus*.

NUNTIUM remittere apud Romanos, & libellum repudii mittere in divortiis & repudiis formulæ erant loquendi usitatæ. V. Cicer. supr. in *Divortium*. Jure enim divino, non modò civili repudium, & divortium per *internuntios* solebant fieri. *Hotman. de Sponsal. c.* 6. *Rhodig. Ant. Lect.* XVI. 29: XXVII. 16.

Nuntius in tragœdiis vocabatur, qui quascunque res *nuntiabat*, Græcè vocabatur *ἄγγελος*. Quæ enim in illis fas non erat intueri, narrabantur, non exhibebantur. Et Græcè *ἐξάγγελος*, qui voce supplebat, quod in scena fieri non poterat. Æschylus primos repetit *nuntios*, Philostratus in Georgia. Ajax tamen apud Sophoclem suam ipsius calamitatem exponit, ubi Scholiastes: *Scena trans lata est in deserte quodam loco, deinde Ajax quum adornasset ensem, narrationem quandam, & comploratonem ante mortem profert; quia ridiculum erat mutam personam inductam in ensem incumbere. Talia autem apud veteres rara sunt. Solent enim res gestas per nuntios renuntiare*. Buleng. de Theatr. 1. 7.

NUP.

NUPTA nova senis crinibus ornabatur. V. illos supr. in *Crinis*. Hasta celibari ejus caput comebatur. V. illam supr. in *Hasta*. Corona redimiebatur. V. illam supr. in *Corona*. Tunica recta induebatur. V. illam infr. in *Tunica*. Cingulo, quod vir in lecto solvebat, cingebatur. V. illud supr. in *Cingulum*. Jugum imponebatur. V. illud supr. in *Jugum*. Soccos luteos gestabat. V. illos infr. in *Soccus*. Velo, quod flammeum vocabatur, obnubebatur. V. illud supr.

supr. in *Flammeum*. Rapi simulabatur. Festus: *Rapi simulatur virgo ex gremio matris: aut si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur. Quod videlicet ea res feliciter Romulo cesserit.* Igitur hoc factum ad exemplum primarum matrum, quæ ludis sollennibus raptæ, & sic viris Romanis junctæ fuere. Ni verius sit, quod hoc ritu virgines ostendere voluerint, quàm invitæ virginitatis suæ jacturam, legitimo licèt conjugio, subirent. Hinc Catull. LXI. 3.

Qui rapis teneram ad virum
Virginem.

Boxhorn. Quæst. Rom. 26. Sigon. de Jur. civ. Rom. I. 9. Brisson. de Rit. nupt. p. 61. Caroli Antiq. Roman. IV. 3. Kipping. Antiq. Roman. IV. 2. §. 4. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. V. 37. In viri domum, tanquam conjugii mansionem, ac domicilium traducebatur. Ab hoc more manavit, quod dicimus uxorem ducere: nam id præcisè dicitur; etenim cum dicimus uxorem ducere, deest domum. Plenè autem, & perfectè sic enuntiatur, uxorem domum ducere. Plaut. Aul. II. 1. 28.

Volo te uxorem domum ducere.

Trin. V. 2. 64.

Quid causæ est, quin uxorem cras domum ducat?

Terent. Hec. I. 1. 5.

Nunquam se illa viva uxorem ducturum domum.

Hinc *duo in unam domum coire* dicebantur. Plutarch. Sympos. IV. 3. Eodemque modo Græci ἄγειν γυναῖκα imminutè dicunt, apud quos ista deductio in usu fuit. *Brisson. Ant. Select. I. 18. de Rit. nupt. p. 62. Casal. de Prof. Roman. rit. c. 22. de Rit. nuptiar. c. 3. Caroli. l. l. Taubman. in Plauti Aulularium.* Et quidem noctu. Val. Max. I. 5. 4. *Cæcilia Metella dum sororis adultæ ætatis virgini more prisco noctu connubia nuptialia petit, omen ipsa fecit.* Tacitus à Nerone cum Pythagorâ confectas nuptias referens Annal. XV. 37. 5. *Cuncta denique spectata, quæ etiam in femina nox operit.* Ea ratio est, cur noctem adesse Catull. LXII. 1. admoneat:

Vesper adest, juvenes consurgite: vesper olympo,
Surgere jam tempus, jam pingues linquere mensas.
Jam veniet virgo.

Demster. Paral. ad Antiq. Rosin. V. 37. Brisson. ibid. p. 64. & Antiq. Select. I. 18. Licet. de Lucer. sepulcr. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 1000. D. Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. p. 2. c. 16. & de Prof. Rom. rit. c. 22. Potter. Archæol. Græc. IV. 11. Carol. & Kipping. l. l. Cerda in Virg. Æneid. IV. 339. Quod nocte virgines deduxerint domum, puto hanc reddi posse rationem, quod noluerint aspici à multitudine hominum, ne pudore, & ex eo oriente timore corriperentur, quod quodammodo liquet ex obnubilatione flammei, quo se marito, virisque obnubebant, id est, obvelabant. Altera, quod tacitè indicarint, hæc secreta, & tacita festa debere esse, ne cuipiam aliquid innotesceret. Adde, quod juvenes potius elegerint tempus, ut eo liberiùs possent ludere, & quasi jam tenebris noctis absconditi paullo magis indulgere voluptatibus, actum hunc sollenem ut plurimum concomitantibus. *Almelov. Antiq. p.* 70. A pueris patrimis, & matrimis. Festus: *Patrimi & matrimi pueri tres adhibebantur in nuptiis: unus, qui facem præferret ex spina alba, quia noctu nubebant: duo, qui nubentem tenebant.* Unde Catull. LXI. 81. mox laudandus. *Brisson. Casal. Caroli & Kipping. l. l. Hotmann. de vet. rit. nupt. c. 16. & 31.* Ad faces accensas. V. illas supr. in *Fax*. Illa *solebat rapi, qua prælucente nova nupta deducta erat, ab utrisque amicis, ne aut uxor eam sub lecto ea nocte poneret, aut vir in sepulcro comburendam curaret: quo utroque mors propinqua alterius utrius captari putabatur.* Festus. *Hotmann. de vet. rit. nupt. c. 19. Brisson. ibid. c. 69. Casal. l. l.* In altum tollebatur. Optat. Milevit. in Donat. VI. *Invenistis hujusmodi virgines, quæ jam spiritaliter nupserunt, quasi secundo coegistis ad nuptias, ut crines iterum solverent imperastis. Hoc nec mulieres patiuntur, quæ carnaliter nubunt: ex quibus si alicui maritum mutare contigerit, non repetitur ulla temporalis festivitas. Non in altum tollitur, non populi frequentia procuratur.* Verùm hoc ex suæ id gentis potius, quàm Latiæ moribus ab Optato mihi videtur esse dictum. *Brisson. & Casal. l. l. Pith. Adv. II. 6.* Colus compta cum fuso, & stamine comitabatur. V. supr. in *Colus*. Præterea utensilia mulieris, & quæ in usu, ac ministerio ejus erant, per puerum impuberem in vase operto gestabantur. Puer, camillus: vas ipsum cumerum proprio nomine vocabatur. V. utrumque supr. in *Camillus*. Asses tres ad maritum deferebat. V. supr. in *Asses*. Ædium fores floribus & frondibus ornabantur. Catull. LXIV. 293.

Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.

Juven. Sat. VI. 79.

Ornentur postes, & grandi janua lauro.

Ex hoc more de muliere statim post nuptias divertente dixit Juven. II. 228.

Ornatas paullò antè fores, pendentia linquit
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.

Brisson. ibid. p. 81. Lyd. Serm. Conv. II. p. 528. Aring. Roma Subterr. VI. 49. 9. Sagittar. de Jan. vet. c. 30. §. 16. Casal. de Rit. nupt. c. 1. Paschal. de Coron. II. 16. Cerda in Æneid. IV. 249. Bernart. in Stat. Theb. p. 81. Cruc. in Sylv. p. 25. Casal. Caroli & Kipping. l. l. Præ foribus ædium mariti interrogabatur, quænam esset, & se Cajam esse respondebat. Val. Max. X. *Cæterum Caja usu præter omnes celebrata est. Fertur enim, Cajam Cæciliam Tarquinii Prisci Regis uxorem optimam lanificam fuisse.* Plutarch. Quæst. Rom. 30. eos qui nubentem introducerent, ei verba hæc suggessisse testis est, *ubi tu Cajus, ego Caja*. Quorum verborum sensum eum esse quidam existimabant: ubi tu dominus & paterfamilias, ego domina & materfamilias: ut, quemadmodum Icti in exemplis proponendis Caji, Seji, Lucii, Titii, philosophi verò Theonis, & Dionis nomina usurpant, ita & in nuptialibus his ceremoniis nomen Cajæ exempli causa fuerit institutum. Alii Cajæ Cæciliæ nomini, quod ominis boni causa nubentes frequentabant, morem hunc accepto ferendum esse magis placebat. V. Festum supr. in *Caja*. Certè Ictos ridendi ea res argumentum præbuit Cicer. Orat. pro Mur. c. 22. *Ut Caja, ait, quia in alicujus libris exempli causa id nomen invenerant, putârunt omnes mulieres, quæ coemptionem facerent, Cajas vocari.* Quintil. I. 7. *Nam & Cajus C. litera notatur, quæ inversa mulierem declarat: quia tam Cajas vocatas esse quàm Cajos ex nuptialibus sacris apparet.* Brisson. de Rit. nupt. p. 83. Hotoman. de Vet. rit. nupt. c. 16. Antiq. Roman. III. 3. p. 417. E. Casal. Carol. & Kipping. l. l. Postes januæ lana tangebat, & adipe ungebat. Serv. Æneid. IV. p. 450. *Moris fuit, ut nubentes puellæ, simul ac venissent ad limen mariti, postes antequam ingrederentur, ornarent laneis vittis, & oleo ungerent.* Lucan. II. 355.

Infulaque in geminos discurrit candida postes.

Plin. XXVIII. 9. *Certè novæ nuptæ intrantes etiamnum sollenne habent eo*, lupino adipe, *postes attingere*, ne quid mali medicamenti inferretur. Unde Arnob. III. p. 115. *O egregia numinum, & singularis interpretatio potestatum! nisi postes virorum adipali unguine oblinerentur ab sponsis.* Brisson. ibid. p. 84. Sagittar. de Jan. vet. c. 30. §. 18. Hotoman. ibid. c. 18. Casal. Caroli & Kipping. l. l. Aquam, & ignem in limine appositam utrimque tangebat. V. supr. in *Aqua*. Ad limen domus obstinata stabat, & illud non tangebat, sed pedes tollebat. V. supr. in *Limen*. Et ita januæ limen transiliebat, eoque modo in ædes inducebatur. V. supr. in *Limen*. Ingrediens claves accipiebat. V. supr. in *Clavis*. In pelle lanata statuebatur. V. infr. in *Pellis*. Boxhorn. Quæst. Rom. 26. Brisson. ibid. p. 88. Casal. l. l. Cœna nuptialis dabatur. V. supr. in *Cœna*. Eique tibia interveniebat. V. infr. in *Tibia*. Talassio inclamabatur. V. infr. in *Talassio*. Super Priapi fascinum considere jubebatur. V. supr. in *Mutinus*. Tum à patrimis, & matrimis pueris dimittebatur, & à pronubis in lecto nuptiali, sive geniali collocabatur. Catull. LXI. 181.

Mitte brachiolum teres,
Prætextate puellulæ,
Jam cubile adeat viri.

Vel

Vetamus senibus bona
Cognita bene femina
Collocate puellulam.

Terent. Eun. III. 5. 45.

—— deinde eam in lectum illa collocarunt.

ubi Donatus: *Verbum hoc proprium est, & adscribitur pronubi.* Claud. de Rapt. Pros. II. 361.

Jam suus infernos processerat Hesperus orbi:
Ducitur in thalamum virgo: stat pronuba juxta
Stellantes Nox picta sinus, tangensque cubile
Omina perpetuo genitalia fœdere sancit.

Ad hoc officium spectatæ pudicitiæ mulieres, & quæ unt duntaxat viro nupsissent, adhibebantur: quo matrimonii perpetuitatem, quemadmodum Festus auctor, auspicarentur. Catullus modò laudatus. *Brisson. ibid. p.* 107. *Hotoman. ibid. c.* 31. *Turneb. Adv.* III. 13. *Passerat. in Catullum. Sigon. de Ant. jur. civ. Roman.* I. 9. *Saubert. de Sacrif. c.* 8. *Kipping. Ant. Roman.* IV. 2. §. 4. *Casal. l. l.* Cum verò ad eam maritus accessisset, ut clamor, qui nonnunquam à virginibus in primo conflictu edi solet, exaudiri non posset, epithalamia à suis sociis virginibus canebantur. Quorum quidem duo erant genera: alterum accinere solebant vespere, quod κατακοιμητικὸν Græci vocabant: alterum verò sub auroram, quod ideo διεγερτικὸν dicebatur, ut explicat Schol. in Theocr. Eidyll. III. *Hotoman. l. l.* In eumque usum etiam nuces à pueris spargi solebant. V. infr. in *Nux*. A multitudine puerorum obscœna clamabantur, versusque mollitie, ac lascivia diffluentes, maxima, nec ulli reprehensioni obnoxia licentia occinebantur. Hos Fescenninos vocabant. V. supr. in *Fescennina*.

NUPTIÆ quid sint, dicendum. Nam plerumque matrimonii, & *nuptiarum* vocabula confunduntur, ut in l. hæres, ff. de negot. gest. *Heres viri defuncti uxorem: quæ res viri, tempore nuptiarum, in sua potestate habuit, compilata hereditatis postulare non debet.* Itaque inquit Justinianus: *Nuptiæ, sive matrimonium est viri & mulieris conjunctio.* Longè tamen aliud est connubium, aliud matrimonium, aliud *Nuptiæ*. Connubium quid sit V. supr. in *Connubium*. Matrimonium quid sit V. supr. in *Matrimonium*. *Nuptiæ* propriè sunt illæ celebritates, quæ in copulandis *nuptiis* observantur. Clem. Alex. Strom. II. *Nuptiæ sunt viri & mulieris conjunctio, instituta ad legitimos liberos secundum leges procreandos.* Quintil. Declam. III. *Vis scire, quid sint nuptiæ? Aspice illam virginem, quam pater tradidit, eunte in die celebri, comitante populo.* Quod verò Modestin. l. 1. ff. de rit. nupt. definit *nuptias, conjunctionem maris & feminæ, & consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicationem*, magis ad matrimonium pertinet. Sed, ut solent ICti, non proprietatem verborum secutus, animi destinationem significare voluit. *Ant. Hotoman. de vet. rit. nupt. c.* 15. *Franc. Hotoman. de Rit. nupt. c.* 1. Tabulis scriptis firmabantur, fractis dissolvebantur. V. infr. in *Tabulæ nuptiales*. Justæ, & legitimæ inter quas personas contrahantur, videndum. Personarum jus versatur in his octo. I. Ætate. V. illam supr. in *Ætas* & in *Matrimonium*. II. Statu. Non constiterunt inter liberos, & servos. III. Patria. Non constiterunt inter cives & peregrinos. IV. Conditione, dignitate, & familiæ jure. Non constiterunt inter patricios, & plebejos: ingenuos, & libertinos. V. Potestate, cujus consideratio tripartita est. 1. in provinciarum rectoribus. 2. in tutoribus. V. supr. in *Matrimonium*. 3. in parentibus. De qua ita statuendum est: *nuptias* à filiis, filiabusve familias non jussu ejus, cujus in potestate sunt, contractas injustas esse, l. 2. Nuptiæ ff. ibid. *Nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes, in quorum potestate sunt.* Adeo ut nec distractæ reconciliari, nisi eorum consensu possint, l. nuptæ 18. ff. ibid. *Nuptiæ inter easdem personas, nisi volentibus parentibus renovatæ, justæ non habentur.* Legis æquitatem Justinianus partim civilem esse scribit, hoc est, patriam potestatem, partim naturalem, quam ICti æquè propemodum, ut illam, observant; nimirum honorem, & reverentiam, quæ naturæ jure parentibus æquè omnibus debetur, l. 6. Parentes ff. de in jus voc. Si pater absit, sive apud hostes sit: vel, ubi sit, ignoretur, triennium ei exspectando præfinitum est: cum eo tamen, ut si filius eas *nuptias* contraxerit, quas improbaturus non esset, ratæ haberentur, l. si nepos 9. Si furiosus sit, Justinianus scribit, antiquo jure in filia patris consensum non desideratum fuisse, de filio dubitatum, neque dubitandi causam exponit. *Hotoman. l. l.* Qui contra parentum voluntatem matrimonium contraxerint, an exhæredari possint. V. supr. in *Liberi*. VI. in cognitione. VII. in affinitate. VIII. in adoptione. Etenim *nuptiis* inter se jungi eæ personæ non poterant, quæ per adoptionem parentum, liberorumve sibi esse cœpissent; in tantum, ut etiam dissoluta adoptione idem juris maneret. Justin. Instit. l. 1. de nuptiis ff. de rit. nupt. Sed per adoptionem factam sororem, adoptione soluta, uxorem ducere nihil vetabat. Cajus ibid. *Si emancipatus fuero ab eo, sine dubio nihil impedit nuptias, scilicet quia post emancipationem extraneus intelligor. Adoptione enim quæsita fraternitas eousque impediebat nuptias, donec maneret adoptio.* Cajus ibid. l. 17. Similiterque adoptivi patris matrem, materteram, aut neptem ex filio ducere uxorem post emancipationem nemo impediebatur, cum in extranei causam emancipatione redactus esset. Adoptivæ utique sororis filia uxor duci, vel constante adhuc adoptione, licito jure poterat, quod ea cognata non esset, cum avunculus nemo fiat per adoptionem. Hæ enim demum cognationes per adoptionem contrahuntur, quæ adgnatorum jus adjunctum habent. Ulpian. l. 2. §. 2. patvs ff. de suis & legit. Pari ratione alio patre natam, patris sui sororem adoptivam, ducere quis poterat, quoniam inter eos nulla cognatio intercedebat, quippe cum ea patri agnata non erat. Sed & Maximianus Constantino per adoptionem nepoti filiam in matrimonium tradidit. Quod auctor paneg. Maxim. & Const. dicti tantum abest ut vituperet, ut summis contra laudibus efferat: *O divinum, inquiens, tuum, Maximiane, judicium, qui hunc tibi jure adoptionis nepotem, majestatis ordine filium, etiam generum esse voluisti, divi inquam Constantii filium, in quem se prima illius juventa transfudit!* Quinetiam Claudius Neronem, à se in locum filii adoptatum, cum filia sua Octavia matrimonio junxisse legitur, *filia tamen prius in adoptionem tradita, ut in alienam familiam eo modo transferretur, ne soror fratri nubere videretur.* Dio LX. p. 686. E. *Brisson. ibid. p.* 230. 232. . . . *Hotoman. ibid. c.* 4. Sponsalibus factis iis dies dicebatur. Nec enim temerè, & è re nata, ac quolibet, prout incidisset, die *nubebant*. Sed in ea re non levem mensium, temporum, ac dierum delectum habebant. Kalendæ, Nonæ, Idus, omnesque feriæ, præterquam viduis, religiosæ fuerunt. V. supr. in *Kalendæ*, & *Nubere*. Mensis item Majus illis infaustus, & inauspicatus existimabatur. V. supr. in *Majus*. Februarius erat vitandus. V. supr. in *Februarius*. Saliorum dies erant ominosi. V. infr. in *Salii*. Contra *nuptiis* aptissimum erat tempus illud, quod Idus Junias sequitur. Ostendit hoc, quo loco filiæ diuturnam salutem precatus, ita concludit Ovid. Fast. VI. 221.

Hanc ego cum vellem genero dare, tempora tædis
Apta requirebam, quæque cavenda forent.
Tunc mihi post sacras monstratur Junius Idus
Utilis & nuptiis, utilis esse viris.
Primaque pars hujus thalamis aliena reperta est,
Nam mihi sic conjux sancta dialis ait.

Brisson. de rit. nupt. p. 11. Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 13. Kipping. Antiq. Roman. IV. 2. §. 2. Hunc antiqui putabant Parcas albo vellere condere. Sidon. Carm. XIV. 1.

Prosper connubio dies coruscat,
Quem Clotho niveis benigna pensis,
Albus quem picet lapillus Indus,
Quem pacis simul arbor, & juventæ
Æternumque virens oliva signet.

Plenilunium autem *nuptiis* celebrandis, non desinens luna, aut incipiens, sive cum in damno erat, & incremento putabatur: quo tempore & Græci suas nundinas celebrabant, quod inde boni ominis nomina ex lunæ facie au-

ſpicerentur? ſive ut frequenti jam, & advenis referta civitate, in conſpectu amplæ multitudinis poſita, celebrioresque, nobilioresque haberentur *nuptiæ*; ut colligitur ex Pindaro in Iſthmiis, & Euripide in Iphigenia in Aulide, ubi Agamemnon rogatus ab uxore Clitemneſtra, quando filiæ ſuæ vellet celebrari *nuptias*, reſpondit n. 717.

Quando luna fortunata venerit circulus.

Laurent. de Sponſal. & Nupt. c. 1. Antiquitus nonniſi captatis priùs auguriis fiebant. V. ſupr. in *Auſpices*. Secundis ſe addicere mulieres habebant religioni. V. infr. in *Uxor*. Jure tamen non fuiſſe prohibitas liquet ex eo, quod parentes ac amici Penelopem, rati Ulyſſem demortuum, denuo nubere jubent Odyſſ. xix. Atque hac re cæteris apud Græcos præiiſſe fertur Gorgophone Perſei filia, quæ Perieræ Æoli filio, quicum virgo nupta fuerat, mortuo, alteri viro Oebalo nupſit, *cum ſanctum ac ſolleane feminis eſſet, priore viro mortuo, ſecundis nuptiis abſtinere*, ut eſt apud Pauſan. Corinth. p. 64. De illis Julian. l. 6. ff. de Divort. & repud. *Uxores eorum, qui in hoſtium poteſtate pervenerunt, poſſunt videri nuptiarum locum retinere eo ſolo, quod alii temerè nubere non poſſunt. Et generaliter definiendum eſt, donec certum eſt maritum vivere in captivitate conſtitutum, nullam habere licentiam uxores eorum migrare ad aliud matrimonium, niſi mallent ipſæ mulieres cauſam repudii præſtare. Sin autem in incerto eſt, an vivus apud hoſtes teneatur, vel morte præventus, tunc, ſi quinquennium à tempore captivitatis exceſſerit, licentiam habet mulier ad alias migrare nuptias: ita tamen, ut bona gratia diſſolutum videatur priſtinum matrimonium, & unusquisque jus ſuum habeat imminutum: eodem jure & in marito in civitate degente, & uxore captiva obſervando.* Feith. Antiq. Homer. II. 15. Illarum ritibus hoc olim continebatur, ut qua domus parte ſomnus erat capiendus, ejus cubiculi lectus alio loco ſublatus poneretur, ominis vitandi cauſa, ne videlicet, è quo cadaver prioris conjugis elatum fuerat, in eundem nova nupta malis avibus deduceretur. Et quoniam lecti locus mutandus erat, uſu non rarò veniebat, ut opera eadem transferenda eſſet janua in aliam cubiculi partem. Sic igitur fiebat, ut plane renovatum domicilium felicibus ominibus novos conjuges reciperet. Hic porro mos quanquam ab uno ſcriptore duntaxat, quod ſciam, expreſſus eſt, ejus tamen tanti teſtimonium eſt, ut multorum facilè ſit loco. Corneliam enim hæc ad liberos poſt funus loquentem facit Prop. IV. 12. 81.

Seu tamen adverſum mutarit janua lectum,
Sederit & noſtro cauta noverca toro.

Quibus quid innuere poeta velit, ex iis, quæ diximus, manifeſtum eſt. Nec ferè aliter apud eundem IV. 9. 57. Cynthia, cum proſedis expulſis, in gratiam cum Propertio reditum pararet, & quaſi novum auſpicaretur conjugium, poſt ſuffimenta, de quibus infr. in *Sulphur*, ſubjicitur deinde, quod eodem pertinet. n. 59.

Atque ita mutato per ſingula pallia lecto,
Reſpondi: & toto ſolvimus arma toro.

Canter. Nov. Lect. III. 4. Laurent. l. l. V. & ſupr. in *Lectus adverſus*. Jus quoddam dicitur *nuptiarum*, V. ſupr. in *Jus*.

NUT.

NUTRICII erant ſervi, qui Cæſaris, & vel patriciorum, vel equitum pueros à juventute educabant, & inſtruebant. Cæſ. Bell. civ. III. 107. *Erat in procuratione regni propter ætatem pueri nutricius ejus, eunuchus, nomine Pothinus.* Hirt. de Bell. Alexand. c. 4. *Arſinoe Achillam per Ganymedem eunuchum, nutricium ſuum præoccupat, atque interficit.* Popm. de oper. ſervor. p. 29. Pignor. de ſerv. p. 382.

NUTRIX. Huic infans committebatur. Ejus officium erat lac præbere, & cibum, interdum ulnis gerere. Ovid. Met. IX. 375.

Hunc tamen infantem maternis demite ramis;
Et date nutrici: noſtraque ſub arbore ſæpè
Lac facitote bibat.

Ariſtoph. Equit. II. 2.

Nutricum more tu populum paſcis male:
Quia ubi premanderis, in os paullulum ipſi ingeris,
Tu verè triplo plus, quàm alumnus, devoras.

Barthol. de Puerper. p. 113. Dormiturum deponere in cunis. V. illas ſupr. in *Cuna*. Vel illarum loco in vannis & clypeis. V. ſupr. in *Infantes*. In cunis collocatum ad ſomnum provocare cantillando. Stat. Theb. V. 616.

—— quoties tibi Lemnon & Argo
Sueta loqui, & ſomnum longa ſuadere querela.

Lucret. V. 230.

Nec crepitacula eis opus ſunt, nec cuiquam adhibenda eſt
Alma nutricis blanda, atque infracta loquela.

Hæc dicebatur nænia. V. illam ſupr. in *Nenia*. Et inde lallare dicebantur *nutrices*. V. ſupr. in *Lallare*. Et crepitaculorum motu, atque ſono. Arnob. II. p. 70. *Ad ſiloatum pavida nutricis motibus, & crepitaculis adducerentur auditis.* IV. p. 141. *Ergone Jupiter, ut fletum exponeret ineptiſſimè tractum, crepitaculis obticuit auditis, & ad ſomnos inductus eſt in molliſſimis cunis jacens, & vocibus delinitus infractis?* Mart. Capell. I. p. 4. *Tunc crepitacula, tinnitusque, queis infanti ſomnum duceret, adhibebat.* Lucretius modò laudatus. *Giſan. Collect. in Lucretium. Elmenhorſt. in Arnob.* p. 85. *Lampe de Cymb. vet.* III. 15. *Claud. l. l.* Lacrymas ſedare, mammas præbendo. Plutarch. de Lib. educ. p. 9. A. *Imitandæ in hoc genere nutrices, quæ infantes cum ad fletum provocarunt, rurſum ut conſolentur, mammam præbent.* Placentas dando. Arrian. in Epictet. II. 16. *Pueri quidem cum primum plorant, nutrice paullum digreſſa, placentula accepta ploratus obliviſcuntur.* Minas interdum adhibendo. Sic minabantur lupum. Æſop. fab. 138. *Lupus profectus ad quendam locum, audivit lugentem puerulum, eique dicentem anum, deſine plorare; ſin minus, hac hora tradam te lupo.* Avien. fab. Æſop. I. 1.

Ruſtica deflenti puero juraverat olim,
Ni taceat, rapido quod foret eſca lupo.

n. 13. dicit lupus ad lupam:

Nam qua præda? rogo, quæ ſpes contingere poſſet?
Jurgia nutricis cum mihi verba darent?

Et illum, ſi delinirentur, ſe occiſuras pollicebantur. Æſop. l. l. *Sed cum adveniſſet veſpera, audit rurſus anum blandientem puerulo, ac dicentem: ſi venerit lupus, interficiemus eum fili.* Claud. l. l. Larvis terrorem incutiendo. Illas μορμολυκεῖα vocabant, quæ vox à lupi mentione originem traxit, & à voce μορμώ: quoties enim opprimere vagitum, clamoremque puerorum vellent, dicere ſolebant μορμώ, aut λύκος. Prioris exemplum eſt apud Theocr. Eidyl. XV. 41.

Non te una ducam fili, larva, μορμώ, foris eſt.

Poſterioris exemplum apud Æſopum modò videmus. *Anna Fabri ad Callim. hymn.* III. 67. Id genus μορμολυκεῖων, quibus pueros, ſeu infantes terrerent, duæ fuerunt ſpecies; una larvarum, ſeu προσωπείων, quibus ad faciem, hiſtrionum inſtar, alligatis, larvæ alicujus, aut fictam alterius formidandi aſpectus faciem continuò referrent. Tale προσωπεῖον, genus tangit Chryſoſt. adv. Judaizant. p. 370. Tom. VI. *Sicuti infantibus larvas exhibentes ad terrorem, & riſum factas multorum e ſceleratis famulis magnum excitant riſum.* Ἀνδριάν. p. 494. ejusdem tomi. *Infantes enim parvas etiam metuunt larvas . . . . & deſpicatiſſimam quidem horrent larvam.* Altera barum μορμόνων, ut eas vocat Comicus, ſpecies, ubi citra ullum hujuſmodi fictæ faciei, ſeu larvæ eidem circumpoſitæ, uſum, *facies ſolum atra fuliginis cinere*, ut utar verbis Apul. Met. IV. p. 138. & ſicut *Mercurius atro carbone oblitus, puellam terruiſſe* dicitur Callim. Hymn. III. 69. *Spanhem. in Callimachum. Claud. l. l.* Puellas, quas aluerant, provectiores ætate ſemper ad nuptiarum uſque dies obſervabant, ne vel à petulantibus, & luxurioſis hominibus, aut alio quovis modo virginitatis flore privarentur. Ideo Rebeccæ Deboram nutricem comitem adjunxerunt Gen. c. 24. n. 59. *Mos ille, ut nutrices in limine, ſive ante fores thalami cubarent, aliquando etiam caſti luminis cuſtodes, ut apud Achil. Tat.* II: ac

Bour-

Bourdelotius ad Heliod. Æthiop. vii. p. 316. *Denique in furorem illam infcius omnibus in posterum egisset amor, nisi quadam anus, nomine Cybele, custos cubilis, & rerum Venerearum Arsaces ministra, incurrisset in thalamum.* Apollon. vit. apud Velser. p. 681. *Cum puella,* Regis Antiochi filia à patre vitiata, *quid faceret, cogitaret, nutrix subito introivit ad eam.* Tibull. 1. 3. 83.

At tu casta, precor, maneas, sanctique pudoris
Adsideat custos sedula semper anus.

Almelov. Antiq. p. 66. Claud. ibid. c. 5. Quin imò notat Meurs. Auctar. Philol. c. 36. ex Livio, *nutrices* quondam puellas, etiam cum ad ludos mitterentur, fuisse concomitatas: & addit illas propter summam in custodienda virginitate sollicitudinem singulis diebus hora matutina collum filo mensurasse. Et ita Catull. LXIV. 373.

Non illam nutrix orienti luce revisens
Hesterno collum poterit circumdare filo.

Almelov. l. l. Ab hac nutritione & cura mutuus inter *nutrices*, & alumnas amor in tantum crevit, ut non tantum paterno amori æquiparaverint, sed etiam antetulerint sapientes. Clem. Alex. Pædag. 1. 6. p. 106. B. ex Euripide apud Strob. Serm. 197. *Aluisse inter homines sæpè affert plura amoris incitamenta, quàm procreasse liberos.* Scholiast. Stat. Theb. v. 632. laudante Barthio, *Matre non inferior sæpè dilectio nutricis.* Et ab amore isto blandæ ortæ sunt illæ compellationes, quibus *nutrices*, & alumni sese compellabant. Apud Virg. Cir. n. 224. Carme *nutrix* ad Scyllam:

Et simul ò nobis sacrum caput, inquit, alumna.

Scylla contra ad Carmen n. 257.

Illa autem, quid nunc me, inquit, nutricula, torques?

Ab alumnis in honorem Μαῖαι vocabantur. Hesychius: *Maia est compellatio honorifica ad natu majorem loco τῆς nutrix.* Pollux III. 3. 4. *Quæ lac præbet, lactans, vel μαῖα dicitur.* Homer. Odyss. XIX. 15.

Extra vocatam allocutus est nutricem Eurycleam:
Nutrix, age.

Et alumnos, parentum instar, filios, filiasve appellabant. Homer. ibid. n. 21.

Hunc rursus allocuta est dilecta nutrix Euryclea
Utinam jam tandem, fili, prudentiam susciperes.

Eurip. Hippol. n. 204.

Fortis animo sis, filia, neque molestè
Agites corpus.

Et à puellis matres vocabantur. Aristænet. Epist. 1. 6. *Quid ais? ò mater, nihil est, quod metuam magis.* Heliod. Æthiop. vii. p. 317. *Accepi vulnus, mater, quantum antea nunquam.* Claud. ibid. c. 5. & mamma. V. supr. in *Mammus*. Pro infantibus lustrico eorum die vota faciebant. Horat. Epist. 1. 4. 8.

Quid voveat dulci nutricula majus alumno
Quam sapere, & fari ut possit quæ sentiat, & cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et mundus victus, non deficiente crumena.

Sed optabant illis non quæ sunt verè bona, sed quæ videbantur illis esse. Unde Pers. Sat. II. 39.

Ast ego nutrici non mando vota.

Qui vult, parentum vota similia esse stultarum *nutricularum* votis malè sanis. Senec. Epist. 60. *Etiamnum optas, quod tibi optavit nutrix, aut pædagogus, aut mater. Nondum intelligis quantum mali optaverint.* Atque his verbis tangit poeta insignem illum hominum errorem, qui putant rem esse facilem, & cuivis notam, scire quid sit à Deo petendum. Persius verò cum negat *nutrici se vota mandare*, hoc significat, non nisi sapientissimos viros orandi scientiam tenere. *Casaub. in Persium. Claud. ibid.* c. 4. Alumnorum in casibus adversis dolorem pro viribus levare studebant. Suet. Ner. c. 43. n. 2. *Ut resipuit, veste discissa, capite converberato, actum de se pronunciavit: consolantique nutricula, & aliis quoque jam principibus similia accidisse memoranti respondit ....* Apollon. vit. apud Velser. p. 682. *Nutrix ut audivit eam mortis remedium quærere, blando eam sermonis colloquio revocavit, ut a proposito suo recederet, cohortatur.* Ovid. Heroid. XI. 33.

Prima malum nutrix animo præsensit anili.
Prima mihi nutrix, Æoli, dixit, amas ....
Quas mihi non herbas, quæ non medicamina nutrix
Attulit, audaci supposuitque manu?
Nec tenui vocem. Quid, ait, tua crimina prodis?
Oraque clamantis conscia pressit anus.
Quid faciam infelix? gemitus dolor edere cogit.
Sed timor, & nutrix, & pudor ipse, vetant.

Pitisc. in Suetonium. Claud. l. l. Hinc tanta illis in puellas sæpiùs erat potestas, ut cuicunque vellent pro lubitu in matrimonium darent. Ita Sophrona apud Terent. Phorm. v. 1. 24.

Ego autem, quæ essem anus deserta, egens, ignota,
Ut potui, nuptum virginem locavi huic adolescenti,
Harum qui est dominus ædium.

Quod autem hæc fuerit *nutrix*, probant verba Chremetis n. 8.

Certè edepol, nisi me animus fallit, aut parum prospiciunt oculi,
Meæ nutricem gnatæ video.

Almelov. l. l. Non tantum innuptis, sed & jam nuptis aderant. Hinc Medeam præ dolore solam, & sine *nutrice* esse, quasi rem insolitam miratur pædagogus apud Euripidem, & *nutricem* rogat Med. n. 52.

Quomodo sine se sola Medea relinqui vult?

Et passim apud Græcos, Latinosque tragicos, Reginis, clarisque mulieribus *nutrices* semper sunt comites. Et hic mos Romæ in luxum versus est. Nulla enim nobilis femina prodibat foras, quin inter immanem ancillarum comitatum *nutricem* haberet. Juven. Sat. VI. 352.

Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas,
Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam.

Claud. l. l.

Nutrix assa in glossis quotidianis vocatur τροφός. De illa Non. 1. 280. *Assas nutrices difficiles multi existimant intellectus. At verò acri intentione potuimus indagare ob eam proprietatem officii eo nomine nuncupari, quod assint iis, quos nutriant, nec vel exiguo divellantur.* Turneb. Adv. XXIV. 22. Claud. de nutric. c. 2. Hoc quidem Nonius, sed ad eam nec ullum veterum producit testem. Ego inveni apud illum II. 63. in exemplo Varronis ab eo adducto, cum verbi betere notionem explicat: *Assa non multò post, quod ea parere non poterat mulier, foras betere jussit.* Hodie perperam legitur, *Assa nos multos.* Scalig. Conject. in Varr. p. 121. Mihi nondum displicet, quod de Varronis verbis jampridem existimavi: ea pertinere ad Spurium Carvilium, qui primus Romanorum uxorem repudiasse dicitur. Lego igitur hoc modo: *A se annos multos* . . . . Muret. Var. Lect. XV. 15. Carr. Emend. II. 9. Voss. Lex. Etymol. Nos tamen unum, & certum testimonium afferemus. Legitur apud Juven. Sat. XIV. 208.

Hoc monstrant vetulæ pueris repentibus assæ.

Ita enim lego, & non *pueris poscentibus assem*. Et ita est in annotationibus interlinearibus libri vetustissimi: in quibus *poscentibus assem* supra scriptum, vel *reptantibus assa.* Carr. l. l. At Juvenalis vetus interpres *assam* interpretatur *siccam nutricem, quæ lac non præstat infantibus, sed solum diligentiam, & munditiam adhibet.* Belgæ dicunt *een droege minne*. *Grang. in Juvenalem. Voss. & Claud. l. l.*

Nutrices vocantur quoque mammæ, & papillæ. Catull. LXIV. 18.

Illaque atque alia viderunt luce marinas
Mortales oculis nudato corpore nymphas,
Nutricum tenus extantes e gurgite cano.

Apul. Met. II. p. 115. *Eandem nutricem simul bibimus.* Cum enim *nutrices* plerumque dicantur αἱ τροφοὶ, partes corporis earum, quibus utuntur in eo munere fungendo, infantibusque alendis, aptè & ipsæ illo nomine appellantur. Est hoc genus translationis. *Victor. Var. Lect.* XX. 5. *Voss. Instit. Orat.* v. 6. 4. *Turneb. Adv.* VIII. 8. *Bart. Adv.* XXXIII. 12. *Par. Lex. Crit. in Mordices. Passer. in Catullum. Claud. de nutric. c. 2.*

NUX.

Nux attribuitur *omnibus, quæ duro teguntur corio, vel operimento, ut avellana, amygdala, juglandi, castanea.* Serv. Ecl. II. 53. *Nonn. de Re cibar.* I. 43. *Vorst. de Latin. mer. susp. c.* 14. In secundis mensis ponebantur *nuces*. Horat. Sat. II. 2. 121.

—— tum pensilis uva secundas
Ornabat mensas, & nux cum duplice ficu.

Macrob. Sat. III. 18. *Adhuc Furio dicente secunda mensa illata bellaria novo sermonis principium dederunt. Symmachus enim duas attrectans nuces ....* Putean. Reliq. conv. prisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XII. p. 175. F. Buleng. de Conviv. II. 39. Nuptiis religiosæ erant, & à maritis, & pueris spargebantur. Catull. LXI. 137.

Ne nuces pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amorem,
Da nuces pueris iners
Concubine, satis diu
Lusisti nucibus.

Virg. Ecl. VIII. 30.

Sparge marite nuces: jam deserit Hesperus Oetam.

De cujus moris causa parum inter veteres convenit. Servius in Virgilium: *Varro spargendarum nucum hanc dicit esse rationem, ut Jovis omne matrimonium celebretur, ut nupta matrona sit sicut Juno. Nam nuces in tutela sunt Jovis. Unde & juglandes vocantur quasi Jovis glandes. Nam illud vulgare est, ideò spargi nuces, ut rapientibus pueris fiat strepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis possit audiri.* Plinius verò XV. 22. *Nuces juglandes, quanquam & ipsæ nuptialium Fescenninorum comites, multum pineis minores universitate, eademque portione ampliores nucleo. Nec non & honor his naturæ peculiaris, gemino protectis operimento, pulvinati primum calycis, mox lignei putaminis. Quæ causa eas nuptiis fecit religiosas, tot modis fœtu munito. Quod est verosimilius, quàm quia cadendo tripudium sonivium faciant.* Brisson. de rit. nupt. p. 100. Hotoman. de vet. rit. nupt. c. 31. Calcagn. Equitat. p. 564. Sigon. de jur. ant. civ. Rom. I. 9. Pancíroll. de reb. deperd. & inv. p. 676. & ad illum Salmuth p. 688. Scalig. Poet. III. 100. Senftleb. de Alea vet. III. 13. 4. Casal. de rit. nupt. c. 1. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 16. Demster. Paral. ad Antiq. Roman. Rosin. V. 1. Blond. Triumph. Rom. I. p. 11. E. Laurent. de Sponsal. c. 1. Cerda in Virgilium. Schill Nomencl. Philol. p. 829. Nostra tamen sententia minùs vulgaris: *nucibus* olim veteres lusisse, & in nuptiis *nuces* sparsisse, ut se puerilibus omnibus ludis renuntiare, & juvenilia cuncta ludicra relinquere maritus eo indicio testaretur. Proinde Pers. I. 10. per illa verba:

—— & nucibus facimus quæcumque relictis
Cum sapimus patruos.

ostendit è primori ætate egressionem, & omittendas animi laxationes, novaque œconomiæ studia auspicanda. *Scalig. & Salmuth l. l. Souter. de Aleat.* III. 5. *Senftleb. ibid.* §. 7. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 2. §. 3. Cerealibus mittebantur in circo. Festus: *Nuces mitti Cerealibus Capito Sinnius solere dici ait, cum volumus significare missilia Cerealibus in circo mitti: quod cum mitti nuces mos esset, planè volumus à parte totum designare: quæ ideo deligantur supra alia missilia, præsertim flamma cum sunt usta.* Frictæ populo vendebantur. Horatius. V. illum supr. in *Cicer*. Plautus. V. illum infr. in *Sesamum*. Buleng. de Circo c. 56. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 14. Taubman. in Plautum. Pueri in sinu vestis gerebant, & ludebant. Horat. Sat. II. 3. 171.

—— postquam te tales, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, donare, & ludere vidi.

& deprehensi pœnas dabant. Mart. XIV. 18.

Alea parva nuces, & non damnosa videtur:
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.

Buleng. de Lud. vet. c. 8. Vel potius cum ultra præscriptum tempus *nucum* ludo indulgerent, tunc enim de corio suo sæpè magistris satisfaciebant. *Souter. l. l. Rader. in Martialem.* Ludorum genera aliquot enumerat Ovid. de Nuce. I. consistit his verbis n. 75.

Quatuor in nucibus, non amplius, alea tota est,
Cum sibi suppositis additur una tribus.

id est, tota alea, seu totus ludus quatuor absolvitur *nucibus*, quarum tribus sibi invicem suppositis quarta quoque additur. *Castellatas* dici in quodam vetusto codice Suet. Aug. c. 83. n. 2. observat ad illum Beroaldus. Domitius Marius hunc ludum ita exponit: Pueri castellatim *nuces* sibi construunt, quas procul distantes si everterint, *nuce* emissa, quotquot fuerint eversæ, atque etiam quæ dispositæ sunt infra eversas, omnes lucrantur. Ego ita intelligo: tribus *nucibus* invicem strictè collocatis in formam tuberculi cujusdam supra imponebatur quarta, ut quoddam quasi castellum appareret, in hoc castellum ludentes procul distantes singulas emittebant *nuces*; cujus ergo *nux* tangendo castellum destrueret, ejus erant *nuces* istæ castellatæ, seu in formam castelli instructæ. V. infr. in *Ocellata*. II. verbis his n. 77.

Per tabulæ clivum labi jubet alter & optat,
Tangat ut è multis quælibet una suam.

id est, unica *nux* emittebatur in tabulam, quæ ubi jam consistebat, ad eam collusores emittebant invicem alias, quisque tamen suam; & quoties emissarum harum posteriorum *nucum* aliqua priorem tangebat, toties ille, qui mittebat, lucrabatur *nucem*: inde optabat, ut una quælibet è multis *nucem* istam, quasi in scopum expositam tangeret, nimirum ut eo plures lucraretur *nuces*. III. verbis n. 79. Sed V. illud genus infr. in *Par impar ludere*. IV. his verbis n. 81.

Fit quoque de creta; qualem cœleste figuram
Sidus, & in Græcis litera quarta gerit.
Hæc ubi distincta est gradibus, quæ constitit intus,
Quot tetigit virga, tot rapit ipse nuces.

De poetis hactenus locutus est: nunc aliud genus puellaris ludi proponit. Fingebatur delta Græcorum, sive triangularis forma, quam Deltoton in cœlo gerit, in medio statuebatur puella obnuptis ocolis, delta ipsum in gradus distinguebatur, gradibus singulæ *nuces* imponebantur, quas cum virguncula tetigisset, *nuces* vicerat. Una litera claram facit sententiam. Nam *virga* scribendum. Ne autem una chorda oberret, puellam puero subjungit. *Barth. Adv.* X. 23. Ultima poetæ non sunt intelligenda de virgine, vel puella quadam, quæ in medio hujus figuræ constitisset: nimiæ enim capacitatis hac ratione delta fuisse oporteret, ut non tantum puella, sed & in cæteris gradibus, quos remotiores invicem fuisse opus est, *nuces* concinnè locari potuissent. Unica literula ad pristinam lectionem adhibita versui vitio laboranti salutarem admovebo manum, cum pro *virga* ponam *virgas*; tunc enim rectum, & genuinum sensum, modumque ludendi elicio talem. In tabella, vel mensa delta Græcorum certis aliquot gradibus distinguebatur, in quam pueri procul quodammodò stantes *nucem* unam mittebant, quæ si consistebat in illo schemate, res erat salva, & mittens tot *nuces* lucrabatur, quot virgas, id est, lineas *nux* illa tetigerat. Puta, si tertiam, quartam, quintam, sextam ..... lineam tetigisset *nux* emissa, etiam *nuces* accepisset ille, qui *nucem* manu mittebat. Si verò figuram planè excessisset *nux* emissa, inanis erat jactus, & alius admittebatur ex sociis. V. his verbis n. 85.

Vas quoque sæpè cavum, spatio distante, locatur,
In quod missa levis nux cadat una manu.

id est, vasculum quoddam, orca dictum, strictioris capacitatis loco aliquo statuebant, in illudque, spatio aliquo distantes, *nuces* dimittebant: cujus ergo *nux* incidebat, victor erat, contra *nucem* amittebat, qui vasculo aberrabat. Interdum vasculi loco vel foveam parabant, vel in eandem foveam vasculum locabant, & ita *nucem* in eandem mittebant. Hic ludus Græcis dicebatur τρόπα. Pollux IX. 7. *Ludus, tropa dictus, plerumque talis fit, quos in foveam de industria ad horum exceptionem factam projiciunt. Sæpenumerò tamen glandibus, & nucibus, talorum loco ludentes utuntur.* Senftleb. c. 16. n. 1-5. Buleng. ibid. c. 2.

Nux

Nux ocellata. V. illam infr. in *Ocellata*.

Nux pinea aliquot pedum altitudine, vetusti operis, & inaurata, de pinu altissima ænea, quæ dicitur fuisse in Vaticano, Carthaginem versus, adhuc ante basilicam S. Petri cernitur, *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 20.

NYC.

NYCTELEIA vocabantur sacra nocturna Cybeles. Semivirorum enim turpitudines nonnisi nocturnæ frequentiæ. Serv. ad Virg. Æneid. IV. 303. *Nocte celebratus, unde ipsa sacra nycteleia dicebantur, quæ populus Romanus exclusit causa turpitudinis*. Sic *nycteleus* pater Bacchus. Ovid. Art. I. 567.

Nycteleumque patrem, nocturnaque sacra precare.

Argol. ad Panvin. de Lud. Circens. II. 1.

NYCTOSTRATEGI Græcis, Romanis *nocturni triumviri* dicebantur, qui arcendis incendiis, quæ plurimum *nocte* oriri solent, cum familia præerant. Paullus. V. illum infr. in *Triumviri nocturni*. Munus fuit personale, in municipiis frequentatum. Arcad. l. ult. §. legati ff. de mun. & hon. *Sed & nyctostrategi, & pistrinorum curatores personale munus ineunt*. Romæ verò præfectus vigilum fuit. Postea Constantinopoli antiquo vocabulo abolito prætorem populi Justinianus instituit, l. novell. 13. *Pancirol. de Magistrat. municip. c.* 24.

NYM.

NYMPHÆ antra colebant. Antra *nymphis* dedicata poetarum sacris vel leviter initiatus non dubitabit, præsertim, qui Porphyrii philosophi luculentam dissertationem legerit, qua Homericum illud *nympharum* antrum, obscuræ, & reconditissimæ sapientiæ plenum illustravit. Unde ab Orpheo inter alia *antricolæ, & specuum cives* indigitantur Hymn. 2. 5. Nec temerè quævis, sed fontium, & aquarum scatebris irrigua. Hinc Orpheus ibid. n. 2.

Quæ liquidas habitant sub terra anfractibus ædes.

Et Virg. Æneid. I. 170. Lybicum illud *scopulis pendentibus antrum*, quod intus aquæ dulces scaturiunt, n. 172. appellat *nympharum domum*. Ædiculas illis ad aquarum capita, fontesque positas, vel unum hoc nos docet epigramma Uticense apud Gruter. p. 93. n. 9.

Sextus Pompejus primus cognomine Pardus,
Quojus & hoc abavis contigit esse solum,
Ædiculam hanc nymphis posuit: quia sæpius usus
Hoc sum fonte senex tam bene quàm juvenis.

Holsteen. in pict. nympheum refer. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1800. C. Reperiuntur frequenter dormientes, amphorisque & crateribus innitentes, quorum symbolorum in Odyssea mentio apud Homerum, & illa latiùs exsequitur interpres ejus Porphyrius. Antiqui operis pulcerrimum monumentum Romæ, in capite viæ latæ, in domo privata vidi. Erat autem Nais sinu aperto, prona jacens, & ventre ad pubem nudo, capite incubans amphoræ. Recentis operis in agro Neapolitano, in villa Leucopetrea, Arethusa nuda adjacet fonti, in *nymphæo* conchyliato, Epigramma in hortulo Colotii:

Hujus nympha loci, sacri custodia fontis,
Dormio, dum blandæ sentio murmur aquæ.
Parce meum, quisquis tangis cava marmora, somnum
Rumpere: sive bibas, sive lavere, tace.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 15. Ædiculæ vestibulo apiculam velut *nympharum* flaminicam, sive æditua, ad templi fores observantem appinxit *nymphas* pictor. Apicularum enim nomen *nymphæ* ultro ambiunt, eoque, si Porphyrio credimus, peculiariter appellari gaudent: idque vel puritatis causa, vel ob communem utrisque dulcedinem. Capellas etiam adjecit, eodem jure ad *nympharum* adyta admittendas. Nam Melissa & Amalthæa Jovem puerum caprino lacte nutriverunt. V. supr. in *Melissa*. Orpheo quoque n. 11. *αἰγονομοὶ*, & *νόμιαι*, sive *caprotinæ* dicuntur, quia pastoribus, & capellis gaudent. Unde & Homerus Fauno capripedi *nymphas* comites dedit. Nec aliam ob causam capras, hœdosque *nymphis*, & fontibus veteres immolabant. Adhæc si tesqua aspera, & saxa confragosa spectes, quid aptius pictor illis appingere potuit, quàm capras *ὀρεσκῴους, ὀρεστέρας*, & *ὀρειάδας* Homero, aliisque propterea dictas, quia arduas, præcipitesque rupes pendulo vestigio perreptare amant? *Holsteen. ibid. pag.* 1801. *B.*

Nymphæ commotiæ vocatæ fuerunt *ad lacum Cutiliensem, à commotu: quod ibi insula in aqua commovetur*. Varr. de Ling. Lat. IV. 10. *Gyrald. Synt. deor. v. p.* 180. *A.*

Nymphæ Corycides vocatæ sunt à Corycio antro montis Parnassi. Pausan. Phocic. p. 349. *Parnassi accolæ sacrum Corycarum nympharum putant*. Ovid. Met. I. 320.

Corycidas nymphas, & numina montis adorant.

Gyrald. Synt. deor. v. p. 176. E.

Nymphæ Dodonides sunt nuncupatæ à Dodone Epiri, ubi oracula notissima reddebantur. Sacerdotes hæ ibi fuerunt, & ministræ, quas ita effingit Philostr. Imag. ut rigida, ac sacra quadam specie esse viderentur: nam & suffitus, & libamina exhibere, & ministrare propè videbantur. Ex sententia Pherecydis *Hyades* appellatæ sunt. Schol. Homeri Iliad. Σ. 486. *Pherecydes verò Hyadas Dodonidas nymphas dicit esse, & Bacchi nutrices*. Schol. German. in Tauro: *In signo autem Tauri frons & facies Hyades appellantur, quas Pherecides Atheniensis nutrices Liberi dicit, quæ Dodonides nymphæ sunt*. Hygin. fab. 182. *Nymphæ Dodonides, postea consecratæ inter sidera. Hyades appellantur*. Gyrald. Synt. deor. v. p. 176. C. Muncker. in Hyginum.

Nymphæ Dorides sunt dictæ Nereides, ex Nereo, deo marino, & Doride natæ. Ovid. Met. II. 11.

Doridaque, & natas: quarum pars nare videntur.

Gyrald. Synt. deor. v. p. 174. D.

Nymphæ dryades fuerunt sylvestres, ἀπὸ τῆς δρυὸς nuncupatæ, quod generale nomen arborum est, & speciale quercus: unde & *querquetulanæ* dictæ. V. illas infr. *Gyrald. Synt. deor. v. p.* 173. *G.*

Nymphæ hamadryades dictæ sunt, quod ἅμα τῇ δρυῒ, hoc est, simul cum arboribus nascantur, & interire videantur. Pherenicus Hamadryada *nympham* fuisse scribit, quæ cum Oxilo concubuerit: & inde natæ fuerint filiæ, Carye, Balanus, Graneum, Orea, Ægirus, Ptelea, Ampelus, & Syce, quæ à nomine matris Hamadryades dictæ fuere. *Gyrald. Synt. deor. v. p.* 174. *A.*

Nymphæ hyades. V. illas supr. in *Nymphæ Dodonides*.

Nymphæ Ismenides dictæ sunt ab Ismeno Bœotiæ celebri flumine. Ovid. Met. III. 733.

Thuraque dant, sanctasque colunt Ismenides aras.

Gyrald. Synt. deor. v. p. 176. G.

Nymphæ Lelegeides sunt, quæ habitabant in terra Lelegum, qui ex Græcia in Cariam sunt advecti. Ovid. Met. IX. 651.

Sæpè etiam tenues teneris Lelegeides alnis
Tollere conantur.

Gyrald. Synt. deor. v. p. 179. F.

Nymphæ Lemoniades appellabantur, quæ in pratis versabantur, & campis. Sophocl. *Nymphæque liquentes Lemoniades*, hoc est, campestres, aut pratenses. Hesychius: *quoniam hæ nymphæ ἐν λειμῶνι, hoc est, in campis versantur*. Gyrald. Synt. deor. v. p. 173. C.

Nymphæ Limnades appellabantur, quæ in stagnis, & lacubus versabantur. Per has jurat Theocr. Eidyll. v. 17.

Non per, non per ipsas Limnadas, ò bone, nymphas.

Hæ & Limnææ, & Limnacides vocabantur. Hinc *nymphæ* nomen deduxit Ovid. Met. v. 48.

Edita Limnæace vitreis peperisse sub undis
Creditur.

Gyrald. Synt. deor. v. p. 173. D.

Nymphæ Najades fuerunt fontium. V. illas supr. in *Najades*.

Nymphæ Napææ fuerunt convallium. V. illas supr. in *Napæa*.

Nymphæ Nereides, sive Nerinæ dicebantur, quæ ex Nereo, deo marino, & Doride erant natæ. Quinquaginta

ta ab Orpheo in hymnis, & à Pindaro in Isthmiis dicuntur, & connumerantur ab Hesiodo in Theogonia. *Gyrald. Synt. deor. v. p.* 178. *D.*

Nymphæ Nyseides dicebantur à Nysa monte, in quo nutritus, & unde appellatus Dionysius. Ovid. Met. III. 514.

—— inde datum nymphæ Niseides antris
Occuluere suis, lactisque alimenta dedere,

Gyrald. Synt. deor. v. p. 179. D.

Nymphæ Oceanitides, quæ & Oceaninæ, fuerunt Oceani, & Tethyos filiæ. In illas & hymnus Orphei legitur, cum suffimento aromatum. Et nomina denarrantur ab Hesiodo in Theogonia. *Gyrald. Synt. deor. v. p.* 174. *G. Spanhem. Hymn. in Dian. n.* 13.

Nymphæ Oreades, & Orestiades nuncupatæ sunt, quæ in montibus degebant, Homer. Iliad. Z. 420. *nymphæ Orestiades natæ Jovis*. Hæ & Orodemniades, & Agrostinæ ab Hesychio vocatæ sunt, qui ait: *Orodemniades nymphæ dicuntur, quod in cubilibus montium quiescerent,* ἀπὸ τῶν ὀρῶν δεμνίων: vel ἀπὸ τῶν ὀροδάμνων, qui rami sunt, & germina stirpium. *Gyrald. Synt. deor. v. p.* 173. *B.*

Nymphæ Phaethontiades dictæ sunt, quod Phaethontis sorores essent, & in arbores populos conversæ. Fabulam explicat Ovid. Met. II. 340... Virg. Ecl. VI. 62.

Tum Phaethontiadas musco circumdat amaræ
Corticis.

Fabula est notissima Græcis, & Latinis scriptoribus. *Gyrald. Synt. deor. v. p.* 177. *C.*

Nymphæ querquetulanæ fuerunt dryades dictæ. Festus: *Querquetulanæ viræ putantur significari nymphæ præsidentes querceto virescenti, quod genus sylvæ fuisse indicant intra portam, quæ ab eo dicta est Querquetularia.* Gyrald. Synt. deor. v. p. 174. A. Tomas. de Donar. c. 8. *Nymphæ* enim apud poetas tum ex aliis arboribus, tum maximè è quercu nasci sunt dictæ. Atque ita *nymphis* priores eæ quercus, quæ illarum scilicet matres habitæ. Ita Pausan. x. p. 672. *Nymphæ priscis poetarum fabulis, tum ex aliis arboribus, tum maximè è quercubus natæ ferebantur,* Spanhem. in Callim. hymn. in Del. n. 83.

Nymphæ terrestres quorumvis animantium, atque inprimis Bacchi nutrices, imò pratorum, ac florum præsides à veteribus censebantur. Earum itaque cultus insignis erat. Et quidem maxima harum ratio apud agricolas, Virg. Ecl. v. 74.

Hæc tibi semper erunt, & cum sollennia vota
Reddemus nymphis.

In primis verò ea cum voto offerebantur dona, quæ ipsarum munere in hominum usus veniunt. Flores nempè varii, purpureæque rosæ, ut omnia copiosè rigarent, veluti est apud Leonid. Epigram. c. 7. Muneris insuper loco mel erat, quod è floribus ortum, qui ipsis sunt in deliciis, ipsarum genio dignum. Unde & dulcissimæ appellatæ fuerunt, quemadmodum in tabula marmorea ad radicem Capitolii:

NYMPHIS. LYMPHISQ. AUG
DULCISSIMIS
OB. REDITUM. AQUARUM
PLACIDE. PROSILIENTIUM

Sacris ad hæc ipsarum præter capram, lac, & oleum, imò vinum adhibebatur. Nec minùs statuæ, aræ, sacella, iis veluti honoribus dicata, ut non modò incendia, sed mala quæque averterent. Hinc saxum Albæ in palatio vet. Cancell.

PRO. SALUTE. DOMINI
NOSTRI. SANCTISSIMI
ANTONINI. PII. NYMPHIS
NOVIS. SACRUM. RUFFINUS
LEG. XIII.

Statua, & fanum iis ponebantur. Inscriptio ad balnea Avinionis in agro Senensi:

NYMPHIS. SACR
L. TREBONIUS. PATERN
LIB. FORTUNATUS
VOTO. POSUIT

SIGNUM. CUM. BASI. M.
ET. ÆDEM. F. CUR

Ara sacrabatur. Vetus epigramma Romæ inventum:

UNDIS. CYANES. DONUM. PLACA-
VILE. FECIT. CONTUCIUS. BLAN-
DAS. PER. AQUAS. ARAM. VENE-
RANDAM.

Ubi *placavile* pro *placabile* permutatione B. & V. antiquis recepta. Sacellum itidem. Comprobat allata Senis dedicatio, In æde *nympharum* censores acta sua tabulis descripta publicis servabant. Cicer. pro Mil. c. 27. *Qui nympharum ædem incendit, ut memoriam publicam recensionis tabulis publicis impressam exstingueret.* At quid eæ *nymphis* creditæ? nisi quod censura puræ mentis integritatem iis peculiarem exigat. *Tomas. de Donar. c.* 28. *Spanhem. in Callim. hymn. in Del. n.* 83. *Barth. in Stat. Theb. v.* 519.

Nymphæ usaniæ, id est, cœlestes appellatæ sunt à gentibus animæ, & cœlestes mentes, quæ sphæris cœli præsunt, quas & Musas, & Sirenas etiam vocavere, ut Plato, Macrobius, alii dixere, & Proclus in primis. *Gyrald. Synt. deor. v. p.* 173. *B.*

Nymphæ dicuntur Musæ. Serv. Ecl. VII. 21. *Ut poetæ invocent nymphas, sicut hoc loco, hæc ratio est, quod secundum Varronem ipsæ sint nymphæ, quæ & Musæ. Nam & in aqua consistere dicuntur, quæ de fontibus manat, sicut existimaverunt, qui Camœnis fontem consecrarunt; nam eis non vino, sed aqua, & lacte sacrificari solet, nec immeritò. Nam aquæ motus musicen efficit, ut in hydraulia videmus. Sanè sciendum, quod idem Varro tres tantum Musas commemorat. Unam, quæ ex aqua nascitur motu, alteram quæ aeris icti efficit sonus, tertiam quæ in aera cantum voce consistit. L. quæ in assa tantum voce.* V. illam infr. in *Vox*. Barth. in Stat. Theb. v. 519.

Nymphæ dicuntur sponsæ, ut quidam arbitrantur ἀπὸ τοῦ νῦν πρῶτον φαίνεσθαι, *quod nunc primum se visendas præbeant,* cum antea prodeant obtectæ. Hinc mos Venetarum puellarum vultum tegentium, nec priùs retegentium, quàm mulieres evaserint. *Laurent. de Sponsal. c.* 1. *Barth. in Stat. Theb. v.* 519.

NYMPHÆUM erat ædes publica, in qua nuptias celebrabant, qui ædibus carebant ad choreas capacibus. Ita enim Zonaras explicat in Leone Magno. *Cujac. ad l.* 5. *C. de aquæd. Bergier. de viis milit. v. Sect.* 8. §. 6. *Pancirell. de reb. deperd. & inv. p.* 93. *& Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* III. *p.* 341. *E.* Columnis *nymphæa* fulsulta fuisse credo. Et hæc quidem instructa erant culinis, & conclavibus, in quibus mantilia, patinæ, orbes, & alia vasa reponebantur. Appellabanturque, quod sponsam Græci *nympham* dicerent. *Pancirell. l. l.* Non ἀπὸ τῶν νυμφῶν, hoc est, novis nuptis denominata sunt; sed à *nymphis*, hoc est lymphis. Ferè semper cum balneis, vel thermis junguntur. Capitol. in Gordian. c. 32. *Opera Gordiani Romæ nulla exstant, præter quædam nymphæa, & balneas,* l. 5. ff. de Aquæd. *Quid in publicis thermis, quid in nymphæas pro abundantia civium conveniat deputari,* l. 6. *Malumus aquæductum prædictum nostri palatii publicarum thermarum, ac nymphæorum commoditatibus inservire.* Græci vocant *ὑδρεία*. Latini *aquaria*, & *aquagia* dixerunt. Glossæ *aquarium*, *ὑδραγώγιον*. Aliæ *ὑδρεῖον* exponunt. Lacum ita vocabant. Glossæ: *ὑδρεῖον, lacus, silanus.* Vetus inscriptio:

QUOD. AQUAM. NOVAM
CONQUIRENDAM. ET
IN. MUNICIP. REDUCEND.
ET. NYMPHÆUM. FACIEND
PEC. PUB. C.

A lacubus distinguuntur. P. Victor *nymphæa* duodecim Romæ fuisse tradit, lacus verò mille CCCLII. Distinguuntur etiam à puteis. Vetus inscriptio: EJUS. RECEPTUI. PUTEUM. AD. PROX. TRICLIN. USUM. IN. HOC. SPHÆRISTERIO. UBI. ET. IMPERAT. NYMPHÆUM. FACIENDUM. CURAVIT. Sunt itaque salientes, vel fontes manu structi aquam è publico ejulantes. In lacubus aqua accipitur,

non

non salit. *Salmas. in Capitolinum. Borrich. Antiq. Urb. Fac. c. 7. §. 9. Barth. Adv.* VII. 10. *Hennin. ad Bergierium.* Hac significatione videtur usurpasse Anastas. in Hilario Papa: *Nymphaeum, & triporticum fecit ante oratorium S.Crucis, ubi sunt columnae mirae magnitudinis, quae dicuntur heca ton pente.* Hoc enim loco nihil aliud est nisi fons in media illa porticu centum quinque columnarum. *Donat. de Urb. Roman.* III. 11. Et exinde lavacra, & thermae, quae posteritatis causa à principibus exstruebantur. Habebant aquam tepidam; at non valetudinis, sed voluptatis causa. *Salmuth in Pancirol. p.* 104. *Beroald. in Apul.* XI. *p.* 741. *Cerda Adv. c.* 95. *n.* 5. *Rhodig. Antiq. Lection.* XXVII. 27. *Alciat. Annot. in tres post. libros Cod. p.* 108. *Aring. Rom. Subter.* IV. 20. 1. *Pius Annot. post. c.* 126. A thermis sunt diversa. Sunt enim propriè aedes *nymphis* sacratae, marmorum varietate, & columnarum altitudine, ac pictis tabulis, aquarum denique copia spectabiles. Ita Liban. Antiochic. p. 372. D. *nymphaeum* Antiochiae, Evagr. Hist. Eccles. II. 12. describit: *Delubrum circa ipsas*, cujus meminit, porticus, *nympharum excellentissimum, marmorum radiis, & columnarum coloribus, & picturae splendore, atque liquorum abundantia omnium oculos ad se convertens.* Philostr. VIII. 4. de *nymphaeo* Puteolano: *Sederunt in nymphaeo in quo dolium erat ex lapide candido, fontem aqua continens.* Vales. in Ammian. XV, 7. Graev. Thes. Antiq. Roman. Tom. III. Proleg. * * 3. Si ad festa nuptialia fuerint ordinata, doceant nos, cur Jovis nomine dictum extet apud Victor. reg. VII. & Alexandri apud eundem reg. V. Etiam Marci magnificum celebrat Ammian. XV. 7. Ego antra quaepiam studiosè confecta, & *nympharum* habitaculis aemula ea appellatione venire suspicor. Quid enim mirum, talia habuisse inter publica aedificia, cum *Antrum Cyclopis* Victor memoret locatum in reg. II. Sint itaque talia naturalia antra fontibus nativis, ingenuisque sedilibus, velut ad habitationem *nympharum* connata, quae ars aemulata in urbes postea transduxit è montibus, & convallibus ob amoenitatem rusticae mansionis. Sanè nativas in talibus aquas fuisse memorant Imperatores Theodos. & Valentin. l. 5. C. Instit. de Aquaed. XI. *Amplissima tua sede dispositura quid in thermis publicis, quid in nymphaeis pro abundatia civium conveniat deputare, quid his personis, quibus nostra serenitas indulsit, ex aqua superflua debeat impertiri.* l. 6. *Etenim memoratas fistulas thermis tantum, & nymphaeis, quibus eminentia deputaverat, volumus inservire.* Quae sanè non arguunt loca nuptiis destinata. Nam nuptias & in privatis domibus celebratas nos docent comoediae: aliquando verò in basilicis, ut iidem Imperatores alibi nos docent: quibus sanè extantibus *nymphaeis* ad id destinatis opus non erat. Iidem Imperatores, l. 21. C. de oper. publ. *Illud quoque decernimus, ne in eam,* basilicam, *equos liceat intromitti, vel nuptias celebrari.* Igitur alia loca, & à nuptialibus, & à balnearum domibus *nymphaea* Romana. *Barth. Adv.* VI. 12. V. etiam *Nardin. Rom. vet.* III. 4. De veteribus nullum ad nostra, aut patrum usque tempora duravit. *Fabric. l. l.*

Nymphaeum Alexandri Imperatoris fuit in reg. V. quae Exquilina, P. Victore, & Sex. Rufo referentibus; sed incertum qua sede. *Donat. de Urb. Roman.* III. 11. *Fabric. Descr. Urb. Rom. cap.* 18. *Nardin. Rom. vet.* III. 4. *Fabrett. de Aquaed. Diss.* 1. §. 90.

Nymphaeum Gordiani ad latus D. Laurentii in Damaso cum inscriptione marmorum ibi repertorum meritò collocatur. De illo Capitolinus. V. illum supr. in *Nymphaeum*. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 7. n. 6. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 18. Donat. de Urb. Rom. III. 11.

Nymphaeum Jovis à P. Victore in reg. VII. fuisse dicitur. *Donat. de Urb. Rom.* III. 11.

Nymphaeum Flavii Philippi, quod hic Romae reparasse dicitur. Quo tempore hoc reparaverit, incertum est. Nam antiqui tantum marmoris invenimus testimonium:

FLAVIUS. PHILIPPUS. VIR
CLARISSIMUS. PRAEFECTUS. URBI
NYMFIUM. SORDIUM. SQUALORE
FOEDATUM. ET. MARMORUM. NUDITATE. DEFORME. AD. CULTUM
PRISTINUM. REVOCAVIT.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 18.

Nymphaeum Marci fuit inter Coelium, & Palatinum, ubi erat Severi Septizonium. Ammian. XV. 7. V. illum supr. in *Septizonium*. Donat. de Urb. Rom. III. 11. Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 18.

Nymphaeum recens nunc est inter Neapolim, & montem Vesuvium in villa Leucopetrea, cujus forma talis est. Aedificium ex marmore quadrangulare, ad quod per unam solummodò portam est aditus, & aliquot gradibus descensus. Ad dextram introeunti in *Nymphaei* capite fons est aquae limpidissimae, ad cujus quasi custodiam accubat Arethusa nuda ex candidissimo marmore: solum varium, & marmoratum, & canali circumdatum, in quem aqua ex fonte effluit. Parietes ex conchis, lapillisque albi, nigri, flavi, purpurei coloris, quasi maltha illiti: in quibus ex concharum compositione, tanquam ductibus ex pictura, anni menses duodecim, & quatuor virtutes politicae expressae. Item raptus Proserpinae, Pan canens fistula, & mulcens gregem. Praetereà imagines *nympharum* nantium, navigantium, in piscibus ludentium; inter quas Helle insidens arieti, Siren delphino, Europa tauro. In eodem ad singula latera quatuor statuae marmoreae, Herculis leoninam gestantis, Panos agnum bajulantis, Genii cani blandientis, Najadis nudae. *Fabric. Descr. Urb. Rom. c.* 18.

ΝΥΜΦΑΓΩΓΟΙ communi nomine nominabantur, qui sponsam ex patris domo ducebant. Pollux III. 3. 4. *Qui sponsam è patris aedibus deducit, dicitur νυμφαγωγός. Hotman. de vet. rit. nupt. c.* 16.

O



Pro *A* ponebant veteres. Sic *Opioni* pro *Apioni*, l. 26. C. de loc. & cond. *Torquitius* pro *Tarquitius* in lapide invento in via Ostiensi. *Oricula* pro *Oricula* apud Gruter. p. 1069. n. 9. Et ex Graeco *παραψὶς parapsidem* fecerunt. *Reines. Inscript. Ind. c.* 19. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 852. *b. A. Spanhem. de Praest. numism. Diss.* IX. *p.* 908.

O & AU in veteri scribendi ratione fuerunt promiscua, in antiquis denariis *Plautia & Plotia*. Quirini educator *Fostulus* in denario gentis Pompejae legitur, qui apud auctores *Faustulus*. Spanhem. de Praest. numism. Diss. II. p. 80. Et eadem ratione dixerunt olim *orum & aurum, oratam & auratam, oriculas & auriculas*. Festus: *Orata genus piscis appellatur à colore auri, quod rustici orum dicebant, ut auriculas oricillas. Itaque Sergium quoque quendam praedivitem, quod & duobus annulis aureis, & grandibus uteretur, Oratam dicunt esse appellatum.* Dausq. Orthogr. II. p. 86. & 243. Scheffer. de Re vehic. II. 19. Salmas. in Vopisc. Carin. c. 19. Reines. Inscript. Ind. c. 19. Palmer. Spicil. v. Casaub. Marcil. Pitisc. in Suet. Vesp. c. 22. n. 4.

O & E saepè mutuas tradebant operas, & in alternas sedes subibant. V. supr. in *E*.

O in *I* mutabant veteres. Ita ex Graeco *τροχάλιον trichilum*, & ex *κόνις cinis* faciebant. *Salmas. in Spartian. Adrian. c.* 10.

O & U permutabantur. Lapidis Privernatis fragmentum passim *O* pro *U* exhibet, ut *Appios, consol, bone, consentione, Luciom*. Hoc enim non opificis errore, vel inscitia, sed ex eo prorsus veterum more factum est. Quintil. 1. 4. *Quid O atque U permutata invicem? Ut Hecoba, & notrix, Culchides, & Pulyxena scriberentur: ac ne id in Graecis tantum notetur, dederont, ac probaveront. Sic Ὀδυσσεύς, quem Ulyxem fecerunt Aeoles, ad Ulyssem deductus est.* Ant. Inscrip. Scip. Barb. Explan. Thes. Antiq. Roman. Graev. Tom. IV. p. 837. B. August. de Famil. Rom. in Mucia. Noris. Cenot. Pisan. Diss. IV. p. 469. Spanhem. de praest. numism. Diss. II. p. 73. & 76. Reines.

Reinef. Inscr. Ind. c. 19. Panvin. Fast. I. p. 63. Victor. Var. Lect. VIII. 23: XXXIV. 9. Malvas. Marm. Felsin. v. 10: VII. 3. Palmer. Spicil. I. p. 616. Baluz. in Salvian. VII. p. 348.

OBÆ.

OBÆRATI dicebantur, qui quidem necdum in servitutem addicti, eam tamen ex legibus sibi metuebant imminentem. Causæ sunt calamitates, & miseriæ, quæ ferè duplices, corporis, & famæ. Hæ communes *obæratis*, atque nexis, illæ nexorum propriæ. Quamprimum enim à creditore ad prætorem adducti solvendo se non esse jurarant, infames reddebantur, ut qui fidem creditori præstitam non servassent. Docent hoc legati Manlii, quando coram rege Q. Marcio sic queruntur apud Sallust. Bell. Catilin. p. 26. *Violentia, atque crudelitate fœneratorum plerique patria, sed omnes fama, atque fortunis expertes sumus. Fama* dicunt, *& fortunis*. Liv. VI. 34. *Fama, & corpore judicati, atque addicti creditoribus satisfaciebant*. *Fama* primò ponit, deinde *corpore*, quia alterum ad *obæratos*, alterum ad nexos pertinet: alterum fiebat ab initio, alterum in fine. Hoc clariùs aliquanto videmus ex c. 13. ubi tribuni ajunt: *Acriores æris alieni esse stimulos, nec egestatem modo, atque ignominiam minari, sed nervo, ac vinculis corpus liberum territare*. Hîc enim expressè ignominia distincta à vinculis, quæ quoniam addictis tantum injici fas erat, manifestum arbitror, alteram illam *obæratorum* pœnam fuisse, eorum scilicet, qui ad diem præstitutam non solvissent, illiusque rei nomine à prætore essent judicati. Nec enim statim addicebantur, sed vi legum publicarum triginta dies, justos inde appellatos habebant, intra quos pecuniam conquirerent. Quo omni tempore judicati dicebantur. V. Gellium sup. in *Dies*. Unde simul discimus illud *judicati* in verbis Livii non ad proximum, sed antecedens verbum referendum esse, & *obæratos* respicere. Summa infamiæ in duobus maximè consistebat, quod & fidem apud honestiores amitterent, & exciderent gratia patronorum, nec deinceps digni haberentur, qui eos clientium more salutarent, prosequerentur in viis, & id genus alia officia præstarent. Appius declarat hoc in sua oratione apud Dionys. VI. p. 386. *Nullis eorum, qui me defraudarunt, nexum, aut infamiam conciliavi; sed omnes per me liberi sunt, omnes gratiam habent, ut clientes, & amici, atque in maximè necessarios censeri volunt*. Scheffer. Agrippa. Liber. c. 3.

OBB.

OBBA, *poculi genus, vel ligneum, vel ex sparto*. *Varr. Epist. ad Marullum: Utrum meridie, an vesperi libentius ad obbam accedas*. Non. XV. 14: II. 557. Ἀσκὸς. Nam propriè est vas vinarium, idque amplum & ventriosum. Pers. Sat. V. 46.

> —— *ubi torta cannabe fulto*
> *Cœna sit in transtro, Vejentanumque rubellum*
> *Exhalet vapida læsum pice sessilis obba*.

Ubi *sessilis obba* est vas vinarium ei simile, quod vocamus *barril*. Casaub. in Persium. Jun. in Tertull. mox laudandus. Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 897. a. A. Ejus usus fuit in epulis funebribus. Glossæ Philox. *Obua l. obba*, ἄμβιξ, ἐν ᾧ τοῖς νεκροῖς σπένδουσι. Tertull. Apolog. c. 13. *Quid differt ab epulo Jovis silicernium? à simpulo obba? ab aruspice pollinctor? nam & aruspex mortuis apparet*. Kirchman. de Funer. IV. 7.

OBE.

OBELIAS vocabatur panis, qui in veruculis torrebatur. Hi sunt fortè qui hodie *oublies*, vel *gaufres* vulgò vocantur: tabulis enim ferreis parantur, veruculorum virgulis lineatim sculptis. Solebant veteres sub convivii finem mensis adhuc calentes inferre, atque ex passo, non secus ac *obelias* nostras vino intinctas edere. *Nonn. de Re cibar. I. 8. Rhodig. Ant. Lect. IX. 15. Buleng. de Conviv. IV. 18. Sperling. Diss. de numm. non. cus. c. 23.*

OBELISCUS *est asperrimus lapis, in figuram metæ cujusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam; utque radium imitetur, gracilescens, paulisper specie quadrata in verticem productus angustum, manu levigatus artifici. Formarum innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas eis undique videmus incisas, initialis sapientiæ insignivit antiquitas. Volucrum enim, ferarumque, etiam alieni mundi, genera multa sculpentes, ad ævi quoque sequentis ætates, ut patratorum vulgatius perveniret memoria, promissa, vel soluta Regum vota monstrabant*. Ammian. XVII. 4. *Panvin. de Lud. Circens. I. 17. & ad illum Argolus. Buleng. de Circo c. 20. Cassal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. I. c. 10. Mercat. de Obelisc. c. I. Mod. de Triumph. vet. I. 39. Salmuth in Panvin. de Reb. deperd. & inv. p. 180. Blond. Instaur. Rom. I. §. 63. Kircher. Turr. Babel. II. 2. 6. & de Obelisc. Pamph. I. 7. Polyd. Virg. III. 11. Salmas. Exercit. Plin. p. 637. b. A. Ferret. Mus. lapid. II. 36: IV. 51. Gyllius Topogr. Constantinop. II. 11. Pier. Hieragl. XLIX. 32. Marlian. Topogr. Urb. Rom. III. 19. Barg. de Obelisc. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. IV. p. 1905. F. Pancirolli Descr. Urb. Roman. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom. III. p. 378. B. Pitisc. in Suet. Claud. c. 20. n. 7.* Figura, in quam conformatur, quod solis radios imitetur, ad solem quoque referatur necesse est. Sensim enim instar metæ ad proceritatem consurgit, & illam quidem excelsam. Est omninò ita factus, ut, quanquam idem cum meta non est, tamen haud sanè longè discedat à specie, & figura ipsius metæ. Sunt, qui putent, molem illam saxeam, ad veru similitudinem conformatam, mentem significare nostram ad unum modò Deum se offerentem instar radii solaris, qui, quo longiùs à sole discedit, eo latior fit: quo minùs, eo acutior, & in unum ipsum lucis auctorem, quasi in punctum, desinit. *Barg. ibid. p. 1906. C. Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 17.* Non est excogitatus à sacerdotibus ob hanc causam, sed Mithre Rege. Plin. XXXVI. 8. *Primus omnium id instituit Mithres, qui in Solis urbe regnabat, somnio jussus: & hoc inscriptum est in eo*. Fieri potuit, ut, quod Mithres somniaverat, sacerdotes acutè excogitata radiorum solarium imagine quasi quadam reipsa conformaverint, & inde philosophandi occasionem præbuerint multis. *Barg. ibid. p. 1908. F. Buleng. l. l. Fate in Gyrald. de Var. sepel. rit. c. 2. Polydor. Virg. de Invent. rer. III. 11. Kircher. Obelisc. I. 7.* Errant qui putant ad pyramidum formam inventos, ac factos. Nam Diodor. I. p. 30. testatur, inter ornamenta Thebarum fuisse etiam *obeliscorum* ex uno ac solido lapide constantium admirabiles substructiones. Quod si Thebæ ante conditam Memphim amplius quingentos annos floruerunt, & pyramides à Memphiticis Regibus extructæ sunt; concludi potest, multò antè fuisse *obeliscum*, quàm pyramis fuerit. Præsertim cum ex Plinio constet, à Mithre, qui in Solis urbe longè vetustiore, quàm Memphis, regnabat, *obeliscum* fuisse inventum; pyramidem à Chembrete, qui Memphi multis post seculis regnum obtinuerit. Ut verò tempore, ita etiam dignitate, & veneratione superior. Nam præterquam quod mirabile est tam portentosam molem ex unico, ac durissimo saxo exscindi integram potuisse, finis etiam, si spectetur, & causa, cum extiterit, videbitur esse pyramidi longissimè præferendus. Mithres enim Rex conficiendum curavit, ut quasi ex concepto voto soli donum daret, in eoque rerum à se gestarum memoriam Ægyptiacis notis perscriptam ad posteros propagaret. At pyramides sepulcri causa fuisse substructas certo scimus. *Barg. ibid. p. 1911. B. Bellon. de Oper. Antiq. I. 8. Mercat. ibid. c. 12. Cassal. l. l.* De *obeliscis* etiam totum volumen composuit *Kircherus*.

Obeliscus Augustæus fuit, quem Augustus in circo statuit. Plin. XXXVI. 9. *Is autem obeliscus, quem D. Augustus in circo magno statuit, excisus est à Rege Semneserteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, centum viginti quinque pedum & dodrantis, præter basim ejusdem lapidis*. Ammian. XVII. 4. *Augustus obeliscos duos ab Hierapolitana civitate translatos Ægypto, quorum unus in circo maximo, alter in campo locatus est Martio*. Hunc Fulvius, & Marlianus non erectum esse ab Augusto dicunt, verùm in ipso conatu

diffra-

distractum ita semper usque ad memoriam suam in terra jacuisse. Unde hanc fabulam acceperint, nescio: sed erectum eum esse cum ex Plinii, tum ex Ammiani verbis satis clarè, ac perspicuè constat. Nec aliud numisma Augusti, in quo circus cum erecto in eo *obelisco* expressus est, credere jubet. Verosimile verò est postea longa ævi vetustate collapsum, fractumque esse; unde Constantinus & Constantius alterum integrum ex Ægypto in ejus locum transvehendum curarunt. Erat hic, si Ammiano fides, multò major, & altior, quem *Augustus vel nimia ejus mole deterritus, vel religione, quod soli sacer esset, impeditus, transferre non fuslinuit*. Constantinus autem per Nilum Alexandriam devexit, ut eum Romam deportaret, navem enormem trecentorum remorum construxit. Illo interea fatis functo, Constantius mari illum Tiberi invean: hioc in terram expositus *defertur in vicum Alexandri tertio lapide ab Urbe sejunctum: unde chamulcis impositus, tractusque lenius per Ostiensem portum, piscinamque publicam circo illatus est maximo*: in quo & erectus est. Atque ita de duobus à Victore annotatis jacet alter, alter erectus; ille Augusti, hic Constantii. Hic idem ille esse fertur, qui hodieque ante basilicam S. Joannis in Laterano visitur: alter verò Augusti in area populi, seu ad portam Flaminiam; uterque à Sixto V. erectus, ut in vita ejus Ciccarellus tradit, qui eos è valle circensi erutos affirmat. Verùm neutrum eorum integrum esse ex eo liquet, quia Augusteus 125. pedum fuit, ad quam altitudinem ille ad portam Flaminiam non assurgit: alter verò Lateranensis, qui altior esse debebat, priore minor est. Tum uter Augusti fuerit, æquè mihi incertum videtur: nam licèt inscriptio basis *obelisci* Flaminici nomen Augusti ferat, quum tamen ambo in terra disjecti, fractique reperti fuerint, neutri basis conjuncta esse potuit. Contra *obeliscum* illum campi Martii fuisse horologii gnomonicum inscriptio indicio est, nullatenus ab illa differens, quæ ad S. Laurentii in Lucina fuit, à Fulvio descripta. *Nardin. Rom. vet.* VII. 2. *Donat. de Urb. Rom.* III. 16. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 19. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III. *p.* 378. *C. Barg. de Obelisc. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* IV. *p.* 1916. *B. Boissard. Topogr. Urb. Rom. Tom.* I. *p.* 31. *Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* 15. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* I. *c.* 10. *Blond. Instaur. Rom.* I. §. 64. De illo in campo Martio Plin. XXXVI. 10. *Ei, qui est in campo, D. Augustus addidit mirabilem usum ad deprehendendas solis umbras, dierumque, ac noctium magnitudines, strato lapide ad obelisci magnitudinem, cui par fieret umbra Romæ confecto die sexta hora*. Puto Augustum circa *obeliscum* stravisse humum lapidibus, sed non longiùs, quàm umbra horæ sextæ diei. *Paullatimque*, inquit Plinius, *per regulas, quæ sunt ex ære inclusa, singulis diebus decresceret, ac rursus augesceret, digna cognitu res, & ingenio fæcundo*. Ego illas regulas ea ære humi lapidibus inclusas putaverim, non autem sursum *obelisco*. *Manlius*, pergit Plinius, *mathematicus apici auratam pilam addidit, cujus vertice umbra colligeretur in semetipsam, alia atque alia incrementa jaculantem apice, ratione, ut ferunt, à capite hominis intellecta*. Ænea pila aurata in vertice *obelisci* imposita umbram ad stratas ex ære regulas ita jaculabatur, ut horæ in singulos dies ad solem, & lunam deprehendi facilè possent. *Bellon. de oper. Antiq.* I. 8. *Barg. ibid. p.* 1922. *D. Boissard. Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* 15. *Mod. de Triumph. vet.* I. 39. *Blond. Instaur. Rom.* II. §. 75.

Obeliscus Cajanus fuit, quem Cajus princeps in Vaticano locavit. Plin. XVI. 40. *Abies admirationis præcipuæ visa est in navi, quæ ex Ægypto Caji principis jussu, obeliscum in Vaticano circo statutum, quatuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum adduxit*. XXXVI. 11. *Tertius obeliscus est in foro Vaticano, Caji, & Neronis principum circo, ex omnibus unus omninò fractus est in molitione, quem fecerat Sesostridis filius Nuncoreus*. Nunc aream D. Petri exornat. *Pancirol. Descr. Urb. Rom. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* III. *p.* 373. *E. Nardin. Rom.* VII. 13. *Aring. Rom. Subterr.* I. 37. §. 16. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* V. 21. *Barg. de obelisc. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* IV. *p.* 1923. *C. Bellon. de oper. Antiq.* I. 8. *Panvin. de Lud. Circens.* I. 22. *Boissard. Antiq. Roman. Tom.* II. *p.* 15. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* I. *c.* 10. *Mod. de Triumph. vet.* I. 39. Est pars tantum ejus, quem Nuncoreus faciundum curaverat. Pergit enim Plinius: *Ejusdem remanet & alius centum cubitorum, quem post cæcitatem visa reddita ex oraculo soli sacravit*. Unde colligitur, hunc centum cubitorum altitudinem, & majorem fuisse diffracti *obelisci* partem. Olim verò, sicut & nunc, leonibus æreis suffultum fuisse liquet è Petrarch. Epist. VI. 2. *Hoc est saxum miræ magnitudinis, æneisque leonibus innixum, divis Imperatoribus sacrum*.... In culmine pila erat ex ære, quam cineres Augusti continuisse credidrum: verùm Ciccarellus in vita Sixti V. tradit, Fontanam Architectum, qui eam disrupit, deprehendisse fusam absque ullo foramine, per quod cineres in eam inferri possent: paucula tamen foramina minora in ea inventa, sed à bombardarum globulis inflicta, in quæ ventus nonnihil pulveris intulerat. *Nardin. & Barg. l. l.* Hunc *magnum* nominat Suet. Claud. c. 20. n. 7. *Navem, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, demersit*. Non comparatione eorum, qui parvi sunt, quales etiam nunc aliquot Romæ conspiciuntur; sed, ut *magnitudine* iis, qui jussu Augusti unus in circo maximo, alter in campo Martio statuti fuerunt, longè præstitisse intelligeretur. Idque ex hujusmodi quasi cognomine, non defracto, & imminuto, sed de integro adhuc, vel Heliopoli stante, vel Romam primùm advecto accipi oporteret. Nam alioquin non ipse *magnus* cognominari debuit, sed is, quem in circo maximo Augustus statuerat, pedum octogenum octonum, hoc est, cubitorum quinquagenum octonum, & bessis. Quod eo magis fieri par fuit, quod qui in campo Martio erat, perinde ac Vaticanus, quadragenis octonis cubitis in altitudinem assurgebat; erantque omninò ambo inter se magnitudine pares. *Barg. de Obelisc. ibid. p.* 1924. *A.*

Obeliscus in Caracallæ circo, cujus ruinæ hac nostra adhuc etiam ætate inspiciuntur, perfractus, notisque insculptus Ægyptiacis cernitur. Hoc Romanæ antiquitatis monumentum, longa temporum injuria disjectum, postea neglectum, inculto loco cum jaceret, & subsideret, Innocentius X. P. R. in Urbem hac nostra ætate transferri voluit, & in ipsiusmet circi agonalis umbilico, nobili, basis instar, substructa mole, stantes multipliciter, ac fontibus conspicua, ut uno eodemque tempore opus, quod invida temporum vetustas dejecerat, cumulatius restitueret, & recurrente Jubilæi anno 1650. & Urbis, & antiquitatis decori prospiceret, magnificentiùs aliorum *obeliscorum* more erigendum, & statuendum curavit. *Aring. Rom. Subterr.* III. 10. §. 17.

Obeliscus Quirinalis, qui in circi Elagabali medio surgebat insignis, & notis hieroglyphicis distinctus, hodie fractus in area Cardinalis Francisci Barberini ostentatur. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. *n.* 2.

Obeliscus Sallustianus, notis, sive literis Ægyptiis inscriptus jacet in medio hortorum ejus, qui non solum proximam occupabant vallem, sed ad portam Collinam ferè usque secundum Urbis mœnia diffundebantur. Lunæ fuerat dicatus. Locus adhuc hodie vulgò dicitur Solo-strico. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* IV. 23. *Barg. de Obelisc. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* IV. *p.* 1923. *A. Panvin. de Lud. Circens.* I. 20. *Schott. Urb. Rom. descript. p.* 444.

Obeliscus in Tiberis insula minimus est, & inter magnos non connumeratur. *Pancirol. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom.* III. *p.* 378. *E.* Panvin. ibid. p. 312. unum de maximis in insula ponit: & in illo alios habet assentientes. Sed hujus mihi rei nullum aliud, nisi in recentiore Victore, exitat usquam indicium. Unde magis in diversam rapior sententiam, siquidem in antiquiore sex tantum grandium mentio fit: quorum duo fuisse ait in circo maximo, unum in Vaticano, unum in campo Martio, & reliquos duos in sepulcro, seu monumento Augusti. *Nardin. Rom. vet.* VII. 11. Quo ergo referendus ille in circo Flaminio? ille in circo agonali vetustus? (nam hodiernus ea circo Caracallas,

callas,

callæ, & is satis magnus) ille in circo Floræ? ille in circo Sallustii? nam numismata antiqua in his omnibus agnoscunt *obeliscos* magnos, nautici mali exemplo fastigiatos. Asserimus itaque in insula Tiberina *obeliscum*. Hunc Quirites, cum insulam Tiberinam in speciem navigii, quo Æsculapius advectus erat, erexerunt, mali nautici loco statuerunt. Ejus apex hieroglyphicis avium, pisciumque figuris literatus adhuc extra templum D. Bartholomæi cernitur, metæ vicem sustinens. Quin & hodie Tibure in hortis Cardinalis d'Este ex marmore tota illa insula repræsentatur, pulcerrimè in morem navis exornata, *obelisco* malum formante. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 16. n. 2.*

ὈΒΕΛΟΣ Latinè veru nominatur, instrumentum scilicet ferreum, quod in prima sui parte crassiore corpore cum sit, paullatim minuitur, donec in acutam cuspidem desinat. Eo carnes ad ignem circumvolutæ torreri consueverunt. Virg. Georg. II. 396.

Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

Baig. de Obelisc. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1005. E.

OBEX est omne id, quod munimenti causa *objicitur*. Ita Serv. Georg. IV. 422. *saxi obicem* ejus *objectionem* exponit. Quo sensu dicit contra Lucifer. Hieron. *obicem clypei*. Oros. III. 19. *obicem muri*. Sagittar. de Jan. vet. c. 11. §. 5. Inde pessulus, qui valvis objicitur. Sil. Ital. XV, 23.

—— & robora portis
Et fidos certant obices accessere sylva.

Barth. Adv. XXXV. 10. Januarum plerumque erat ligneus, quod vel ex Æneæ Tactico discimus, qui tamen majoris firmitudinis causa præcipit, *obicem tribus, aut quatuor è partibus muniri laminis ferreis in longum appositis*. Et hi sunt *ferrati obices* Latinorum. Ammian. XXI. *Alii ferratos portarum obices effringendos adorti, vulgo ignibus petebantur*. Sed & ferreos, atque æreos *obices* fieri olim solitos vel ex historia sacra docemur, quæ μοχλῶν χαλκῶν, καὶ σιδηρῶν cum in Regum libris, tum alibi sæpè meminit. *Sagittar. l. l. Salmas. Exerc. Plin. p. 653. D.*

Obex est paxillus, qui in foramen axis immittitur, σύριγξ Græcis. Scholiast. Sophocl. in Electr. p. 113. Edit. Henr. Steph. 1568. *Syringa est pars, quæ in foramen rotæ immittitur, id est, paxillus axis*. Argol. in Panvin. de Lud. circens. 1. 3. Sed *obicem* Scholia quæ laudant, nunquam σύριγγα exponunt. Dicunt esse quod inseritur foramini rotæ. At clavus, sive paxillus, qui Latinis *obex*, non rota foramini inseritur, sed axis. Τὸ εἰς τὸν ἄξονα ἐμβαλλόμενον dicunt Glossæ Græcæ. *Scheffer. de Re vehic. 1. 5.*

Obex etiam est pila lapidea, muro objecta, & obnixa ad fulciendam fabricam. Græcis vocatur ἀντηρίς. Glossæ optimæ: *Obices*, ἀντηρίδες. *Salmas. Exerc. Plin. p. 856. C.*

OBL.

OBLATIO erat genus pensitationis. Auxilia nunc dicimus, ut octava vini heminatim divenditi, & vicesima ejus, quod cuppatim, culleatimque venit, reliquarumque mercium, quæque à solidariis negotiatoribus venduntur, quos grossarios appellant: quæque à minutariis, qui & propolæ dicuntur. *Bud. in Pandect. p. 82. C. Rhodig. Ant. Lect. v. 11. Buleng. de Vectig. c. 18.* Ad *oblationem* pertinent ea, quæ provinciales spontè, & gratulandi animo Imperatoribus offerebant, ut strenæ, stipes, quas ex voto pro salute Augusti quotannis mittebant in lacum Curtium apud Suet. c. 57. n. 4. Vota, quæ tertio die post Kal. Januar. pro salute principis suscipiebantur apud Suet. Tib. c. 54. n. 2. Libra auri obryzi ex voto, quæ transit in speciem indicti, l. 1. C. de oblat. vot. . . . . *Buleng. l. l. Lipen. de Stren. 1. §. 13.* Etiam moris fuit, ut decennalibus Imperatorum, & exactione lustri senatus plures auri libras Principi offerret. Symmach. Epist. x. 36. *Hic jussu ejus ad commune secretarium, quo faciendæ oblationis gratia summates quosque conduxeram, à principibus officii utriusque perducitur*. *Oblativas functiones* vocat Epist. x. 43. *Quod oblativis functionibus eadem domus esset obnexia*. Theodosius, & Arcadius dicunt se remittere senatui *oblationem* prompta liberalitate promissam, C. de præd. senat. *Si quid nomine Syriarchiæ à senatoris possessionibus annua collatione confertur, jubemus aboleri*. Dicitur *aurum oblativum* senatorum, quod in Urbe persolvunt, l. 24. dudum C. lib. 6. tit. 2. *Dudum præcepimus, ut aurum oblativum senatores, qui in sacratissima urbe degunt, in urbe complerent. Hi verò qui in provinciis larem foverent, per censualium officia in provinciis solverent*. Buleng. ibid. c. 68.

OBLIGARE eum dicimus, quem beneficiis nostrum facimus, ita ut suus pœnè non sit, sed omnia nobis debeat. Hoc hodièque in nostro idiotismo usurpamus. *Salmas. Exerc. Plin. p. 768. D.*

Obligare est verbum proprium magicæ artis, quæ incantationibus, deprecationibus, diris, herbis, fascinationibus animum hominis, ac mentem, quem *obligat*, ita præpedit, & extra se ponit, ut sui officii meminisse non amplius possit, aut muniis naturalibus fungi. *Salmas. Exercit. Plin. p. 768. C.* V. & supr. in *Defigere* & *Devotus*.

OBLIGATIO fuit vinculum juris, quo necessitate astringebantur alicujus rei solvendæ ex jure civili. Erant variæ. *Sigon. de Judic. 1. 5.*

Obligatio civilis est, quæ vel nunquam reverà contracta est, vel cum revera contracta esset, facto tamen aliquo, sed ad juris civilis rationem non accommodato, dissoluta erat: ut si quis vi, metuve promisisset, summo jure *obligatus* erat: & si creditor pactus esset, se nunquam petiturum, aut debitor creditoris postulatu jurasset, se non debere. *Sigon. de Judic. 1. 5.*

Obligatio ex consensu } V. illas supr. in *Contractus*.
Obligatio ex contractu }

Obligatio ex quasi contractu erat, quæ neque ex contractu, neque ex delicto propriè nascebatur, sed quia rei privatæ negotium gestum erat, ita appellabatur, ut si quis negotium absentis, & ignorantis sua spontè, ac sine mandato gessisset, quæ negotiorum gestorum appellata. *Sigon. de Judic. 1. 5.*

Obligatio ex delicto erat, quæ ex delictis tantum privatis nascebatur, furto, rapina, damno injuria dato, & injuria. V. singula suis locis. *Sigon. de Judic. 1. 5.*

Obligatio ex quasi delicto erat, cum quis pœna aliqua multabatur quasi deliquisset, cum tamen revera non deliquisset, sed tantum in culpa esset, veluti si cujus ex cœnaculo dejectum aliquid esset. *Sigon. de Judic. 1. 5.*

Obligatio honoraria erat, quam vel prætor, vel ædilis in edictis suis instituit: veluti cum prætor bonorum possessionem creditoribus omnibus hæreditatis *obligavit*. Sigon. de Judic. 1. 5.

Obligatio mixta erat, quæ cum revera, & æquissimè contracta esset, etiam à jure civili comprobata erat: ut ex mutuo, commodato, deposito, empto, conducto. V. singula suis locis. *Sigon. de Judic. 1. 5.*

Obligatio naturalis erat, quæ revera contracta, à jure tamen Quiritium non approbabatur: veluti si servus civi Romano pecuniam crediderit, jure quidem naturali: quæ parem omnium hominum conditionem esse voluit, *obligatio* nata est, sed ea prætor, non jus dicit. *Sigon. de Judic. 1. 5.*

Obligatio quatuor modis dissolvebatur, solutione, acceptilatione, novatione, delegatione. V. singulos suis locis. *Sigon. de Judic. 1. 5.*

OBLINERE dolia dicebantur, qui illa obturabant. Cato de Re rust. c. 113. *Sinito dies quindecim aperta, antequam oblinas*. c. 110. *Sinito biduum oblitum dolium*. Hoc est *pice adstringere*. Horat. Od. III. 8. 10.

Corticem adstrictum pice dimovebit
Amphora fumum bibere instituta.

Turneb. Adv. XXX. 6.

OBN.

OBNUNTIARE, & annuntiare differunt. Donat. de Terent. Adelph. IV. 2. 8. *Qui malam rem nuntiat, obnuntiat: qui bonam, annuntiat. Et propriè obnuntiare dicuntur*

augu-

augures, qui aliquid mali ominis, scævumque viderint: inde etiam etymologia hujus verbi est. August. de Legib. in Fusia. Popm. de differ. verb. c. 24. Beroal. Annot. c. 44. Et *obnuntiare* dicebatur, cum ei qui cum populo agere volebat, id *renuntiabatur*. Negabant enim augures fas esse agi cum populo, cum de cœlo servaretur. *August. de Legib. c.* 12. Quomodo differat à servare de cœlo, & quibus licuerit. V. infr. in *Servare*. Erat quasi partus auspiciorum; nam auspicia ideò erant, ut esset *obnuntiatio*: cum enim de cœlo servatum esset, tum ferentibus legem *obnuntiabatur*: nec unquam servatum est de cœlo, quin *obnuntiatum* sit, sive prospera, sive adversa signa essent, cum prospera confirmarent id, quod cum populo ageretur, adversa impedirent. *Manut. de Legib. c.* 8. Augurium duarum rerum observatione fiebat: vel cum de cœlo fulsisset, aut tonuisset (erat enim in augurum disciplina, ut Jove fulgente, tonante, comitia dimitterentur) quo genere impedimenti Pompejus Magnus in secundo consulatu, cum prætorem creari virum omnium integerrimum M. Catonem videret, ipse autem hominem flagitiosissimum P. Vatinium, Cæsaris gratia, vellet, comitia dissolvit: vel cum aves adversa portenderent. *Manut. ibid. c.* 36. *Beroald. Annot. c.* 43. Verba sollennia, & velut concepta *obnuntiantis* erant: *alio die:* quibus significabat in alium diem differri debere comitia. Cicer. Phil. II. 33. & de Leg. II. 12. V. illum supr. in *Alio die* & *Comitia*. Illud quoque observandum est, licèt augur, aut magistratus *obnuntiando* ementitus fuisset auspicia, hoc est, renuntiasset, se aliquid de cœlo servando vidisse, aut audivisse, quod nec vidisset, nec audivisset, nihilominùs tamen parendum fuisse: alioqui obstrictum religione se existimabat populus Romanus. Hoc ex Cicerone apparet. Nam ementitum auspicia dicit Antonium, cum *obnuntiavit* comitiis Dolabellæ; & tamen ob illam *obnuntiationem* dicit populum Romanum religione obstrictum, vitiosumque consulem appellat Dolabellam. Verba ejus hæc sunt Phil. V. 3. *Quid, quod cum eo collega tulit, quem ipse fecit sua nuntiatione vitiosum? nihil ne ad auspicia bonus augur arbitratur pertinere?* Id autem ut ita fieret, legibus cautum erat: ea ratione, quod, ut ait Cicer. de Legib. II. auspicia magis retenta erant, ut ad Reipublicæ tempus accommodarentur, quàm quod quidquam ad agendi consilium pertinerent. *Gruch. de Comit. c.* 4. Fuit *obnuntiatio* duabus legibus Ælia, & Fusia. V. illas supr. in *Lex.* confirmata. Centum propè annos servatæ hæ leges fuerunt; sed lege Clodia L. Pisone, & A. Gabinio sunt abrogatæ. *August. de Leg. in Fusia. Struv. Ant. Rom. c.* 6. *p.* 269.

OBO.

OBOLUS fuit apud Græcos nummus minutulus, non tamen omnium minutissimus, cum in semiobolos, chalcos, & lepta distribuantur, tametsi Fannius id asseruisse videatur his versibus:

Cecropum superest post hæc docuisse talentum,
Sexaginta minas, seu vis sex millia drachmas,
Quod summum doctis perhibêtur pondus Athenis:
Nam nihil his oboleve minus, majusve talento.

Quod si verum est, semiobolus, chalcus, & lepton magis ad pondera, quàm ad numismata figuris formata referenda forent. Verùm parum refert, an istud credatur, an illud. *Cenal. de Pond. & mens. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XI. *p.* 251. *C.* Est unus veteris pecuniæ stufero Batavico simillimus; constat enim octo chalcis, & chalcus est, quem Batavi *deutam* vocant. *Grav. in Lucian. Tom.* II. *p.* 884. *Gronov. de Pecun. vet.* III. 7. *Salmas. de mod. usur. c.* 1. *Meibom. de Fabric. trirem. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* XII. *p.* 599. *E.* Sexta pars drachmæ. Plin. XXI. 34. *Drachma Attica denarii argentei habet pondus. Eadem sex obolos pondere efficit.* Voss. Lex. Etymol. Cenal. ibid. F. Camerar. de Re numm. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. IX. p. 1421. F. Bud. de Asse v. p. 620. Patric. Rei milit. Rom. part. XII. sect. 1. De *obolo* etiam satis fusè *Sperling. de Numm. non cus. c.* 23. Dividebatur in binos semiobolos. *Bud. ibid.* 1. *p.* 16. *Obolum* veteres mortuorum ori imponebant, quem pro vectura acciperet Charon. Lucian. de Luctu p. 302. *Hæc usque adeò validè vulgi animos pervaserunt, ut simul familiaris quispiam mortuus fuerit, inprimis obolum ei in os imponant, quem pro vectura sit accepturus portitor.* Juven. Sat. III. 265.

Jam sedet in ripa, tetrumque novitius horret
Porthmea, nec sperat cœnosi gurgitis alnum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem

Prop. IV. 12. 7.

Vota movent superos, ubi portitor æra recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.

Duos *obolos* pro naulo ponit Aristoph. Ran. II. 102.

Hac te carina navita annis obsitus
Obolis duobus transvehet nigram Styga.

Ubi annotat Scholiastes auctum Charonti stipendium, & ad *triobolum* perventum fuisse ab opulentioribus, & potentioribus, ne cæteræ multitudini æquarentur. Græcis hic nummus *δανάκη* dicebatur. Meurs. de Fun. c. 5. Cuper. Numism. Antiq. p. 255. Morestell. Pomp. Feral. VI. 7. Classen. Theol. Gentil. II. 2. 2. §. 5. Guther. de jur. man. I. 6. Casal. de Proph. Rom. rit. c. 26. Urb. ac imp. Rom. splend. p. 2. c. 21. Hujus superstitionis splendida vestigia exstant in nummo æreo Nisæorum, qui est apud Goltzium. In ejus una area cernitur spica cum litera M. & voce ΟΒΟΛΟΣ; in altera homo ferè nudus, scaphæ insistens, & nummum porrigens tanquam vecturæ pretium, cum inscriptione ΝΙΣΑΙΩΝ. Æacus fingebatur hoc vectigal colligere. Lucian. in Charont. p. 343. *Et Æacus, qui colligendo vectigali præest, stomachabatur, quod tanto tempore ne obolum quidem lucrifecerit.* Cuper. l. l.

OBR.

OBROGARE legi quid sit, V. supr. in *Lex*.
OBRYZUM. V. supr. in *Aurum*.

OBS.

OBSCÆVARE *est quasi scævum, id est, malum omen adferre. Plaut. Asin.* II. 1. 18.

Metuo, quod illic obscævavit meæ falsæ fallaciæ.

Non. II. 295. Donat. Adelph. V. illum supr. in *Obnuntiare*. Isidor. X. *Scævus, sinister, atque perversus: est enim pessimi, & crudelis ominis.* Buleng. de Augur. c. 2. Taubman. in Plautum.

OBSCOENITAS scenæ olim erat magna, tum quia *obscœna* fabulæ in illa agebantur, tum quia motus, & gestus erant impudici, atque adeò prostibula ipsa in scenam sæpè veniebant, & sub scena prostabant. Tacit. Annal. XIV. 15. 1. *Ne adhuc publico theatro dehonestaretur, instituit ludos Juvenalium vocabulo. Non nobilitas cuiquam, non ætas, aut acti honores impedimento, quo minus Latini, Græcique histrionis artem exercerent, usque ad gestus, modosque haud viriles. Quin & feminæ illustres deformia meditatæ.* Unde illam toties scriptores exagitant. Arnob. VII. p. 239. *Delectantur, ut res est, stupidorum capitibus rasis, salapittarum sonitu, atque plausu, factis, & dictis turpibus, facinorum ingentium rubore. Jam verò si viderint in femineas mollitudines enervantes se viros. Quid cessatis, quin & ipsos dicatis deos ludere, lascivire, saltare, obscœnas compingere cantiones, & clunibus fluctuare crispatis?* p. 238. *Existimatur tractari se honorificè Flora, si suis in ludis flagitiosas conspexerit res agi, & migratum ab lupanaribus in theatra.* Hieron. ad Marcell. & in Hilation. *In scenis theatralibus unus, atque idem histrio nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem, arena sæviat, circus infamat, theatra luxurient.* Cyprian. Epist. 103. *Agentium in scena strophas, adulteriorum fallacias, mulierum impudicitias, scurriles jocos, parasitos sordidos, ipsos quoque patresfamilias togatos, modo stupidos, modo obscœnos, in omnibus stolidos, certis nominibus inverecundos. Superinducetur homo fractus omnibus membris, ac vir ultra muliebrem mollitiem dissolutus, cui ars sit verba manibus expedire, ut desaltentur fabulosæ antiquitatis libidines.* Buleng. de Theat. I. 49.

OBSECRARE, *orare*, & *rogare* differunt. Donat. in Terent. Adel. III. 4. 26. *Orare est placidos petere, obsecrare iratos rogare. Unde plus facit obsecrans, quàm orans: plus verò orans, quàm rogans.* Guther. de vet. jur. pont. IV. 14.

OBSECRATIO certis precationibus à summis magistratibus fiebat, & ne quid verborum prætereiretur, aut præposterum diceretur, scripto præibat aliquis, rursusque alius custos dabatur qui attenderet, alius verò præponebatur, qui favere linguis juberet; tibicen canebat, ne quid aliud exaudiretur. Et quoties deprecatio erravisset, extis adimebantur capita, vel corda; tanta fuit verborum vis, vel incantatio. Edixit Claudius Imperator apud Suet. c. 22. n. 1. *dira avi in Urbe, aut in Capitolio visa, obsecratio ut haberetur, eamque ut ipse jure Maximi Pontificis commoto pro rostris populo præiret.* Quod etiam fieri solebat, cum agri novo quodam motu contremiscerent, *obsecratio à populo duumviris præeuntibus est facta* apud Liv. IV. 21. In rebus adversis, aut in pavore publico, ut cum *Romani duces se in Faliscorum insidias præcipitaverunt, obsecrationes in templis sunt factæ: precibusque à diis petitum, ut exitium ab Urbis tectis, templisque, ac Romanis mœnibus arcerent* apud Liv. v. 18. In illa hoc verbo uti solebant *ob vos sacro* pro *vos obsecro*. Ex antiquis nimirum precationum formulis, in quibus de industria verba trajiciebant. Festus: *Ob vos sacro in quibusdam precationibus est, pro vos obsecro: ut sub vos placo, pro supplico.* Guther. de Vet. jur. Pont. IV, 14. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14.

OBSECRO si quis dixerat, tam superstitiosa priscorum hominum natio fuit, eum quem alloquebatur, obstringere, & obligare quodam sacramento, & jurejurando videbatur: & si ea persona erat, cui pudorem deberet, cuique omnia libere in utramque partem esse vellet, ut eam religione solveret, subjiciebat *resecro*: quo verbo *obsecrationem* solvebat. Plaut. Aul. IV. 7. 2.

— *nunc te obsecro,*
Fac mentionem cum avunculo, mater mea:
Resecroque mater quod dudum obsecraveram,

Etiam qui *obsecrabatur*, ne religione ea obligaretur, *resecra* dicere solebat. Plaut. Pers. I. 1. 49.

TO. *Obsecro.* SO. *Resecro.*

Quare, qui populum *obsecraverat*, ut comitus periculo aliquo liberaretur, jubebat magistratus eum *resecrare*, id est, solvere religione, ut liberum de illo esset judicium. Festus: *Resecrare, solvere religione, utique cum reus populum comitus oraverat per deos, ut eo periculo liberaretur, jubebat magistratus eum resecrare.* Turneb. Adv. v. 25. Hansen. de Jurejur. vet. c. 4. Pith. Adv. I. 10. Guther. de Vet. Jur. Pont. I. 10. Taubman. in Plautum. Laurent. de Rebusp. c. 5. Vales. in Ammian. XXIV. 6.

OBSERARE fores dicebantur, qui obdita *sera* illas intus occludebant. Βάλανος ferreus fuit glandis facie, & cavum, quod in foramen *seræ*, hoc est, lignei vectis, τ μοχλῦ, immittebatur, & sic *seram* committebat januæ, ut nisi extracto eo removeri, ac revelli non posset *sera*, nec janua aperiri. Ita autem in *sera* foramen incidebat βάλανος, ut totus lateret, nec erui inde posset, vel extrahi, nisi immisso alio ferro oblongo, quod in cavitatem βαλανὶ ita inibat, ut eam evelleret, & sursum traheret. Ferrum illud βαλανάγρα vocabatur. Foramen *seræ*, in quod descendebat βάλανος, dicebatur βαλανοδόκη. Sed pro definito tenendum est, nec βάλανον, nec βαλανάγραν locum habuisse nisi in his foribus, quæ *sera*, vel vecte ligneo transverso firmabantur. Græci μοχλὸν vocant. Glossæ: *sera*, μοχλός. Inde *obserare*, & *reserare*. Primæ domus januæ, quæ in publicum aperiebantur, & urbium portæ ita solent muniri. Ovid. Amor. I. 6. 24.

Excute poste seram.

Τὸ ἀρχίθυρον intelligit, & januam, quæ publicum respicit. Verisimile non est eodem munimine interiorum conclavium, & œcorum fores firmatas fuisse. Comici hæc rite solent distinguere. De prima janua Terent. Eun. IV. 6. 25.

Abi tu, atque obsera ostium intus.

id est, obdita *sera* intus occlude, μόχλωσον τ θύραν ἔνδοθεν. Ædes oppugnatum veniebat miles. At de conclavi, vel thalamo dicit III. 5. 15.

— *pessulum ostio obdo,*

Ferreo obice occlusisse intus significat. *Salmas. Exercit. Plin. p. 649. E. Sagittar. de Jan. vet. c. 10. n. 6. Turneb. Adv. XIX. 7.*

OBSESSI aliquoties lacessiti debent erumpere, cum minimè exspectantur. Liv. III. 5. *Interim in castris Furius consul, quum primò quietus obsidionem passus esset, in incautum hostem decumana porta erumpit.* Cæs. Bell. Gall. v. 49. *Sic nostros contempsere, ut alii vallum manu scindere, alii fossas complere inciperent. Tunc Cæsar omnibus portis eruptione facta, equitatuque emisso, celeriter hostes dat in fugam.* Stevech. in Veget. III. 11.

OBSIDES erant veluti pignora populorum, Regumve, cum Regibus, populisve contrahentium, quæ & ἐνέχυρα, & ἐγγύης nomine auctoribus veniunt. Ὅμηρα ἐγγύου vocat Dionys. VIII. p. 515. Q. Claudius in Annalibus vocat *arrhabonem*. Gell. XVII. 2. *Quum tantus arrhabo penes Samnites populi Romani esset, arrhabonem dixit sexcentos obsides: & id maluit, quàm pignus dicere: quoniam vis hujus vocabuli in ea sententia gravior, acriorque est.* Salmas. de mod. usur. c. 16. Dabantur aut sua voluntate, aut ejus, qui imperium habet: nam in summo civili imperio comprehenditur & jus in actiones subditorum, ut in bona. Sed civitas, aut ejus rector tenebitur illud incommodum, ei qui patitur, aut proximis repensare: & si plures sint, quorum quis *obses* eat, Reipublicæ nihil intersit, danda opera videtur, ut sorte res dirimatur. In vasallum, nisi idem subditus sit, jus hoc feudi dominus non habet: neque enim reverentia, & obsequium, quæ debet, huc usque pertingunt. Interfici possunt per jus gentium externum, non etiam interno jure, nisi par ipsius culpa accedat. Servi quoque non fiunt: imò & jure gentium bona habere, & hæredibus relinquere possunt, quanquam Romano jure cautum est, ut bona eorum in fiscum cogantur. Marcian. l. 31. ff. de jur. fisc. *Divus Commodus rescripsit, obsidum bona, sicut captivorum, omnimodo in fiscum esse cogenda.* Non licet illis fugere, si ab initio, aut postea, quo laxiùs haberentur, fidem dederint. Alioqui videtur non is animus fuisse civitatis obligandi civem ne aufugeret, sed hosti dandi facultatem qualis vellet custodiæ. Et sic defendi potest Clœliæ factum. Sed etsi ipsa nihil peccaverat, civitas tamen recipere, & retinere *obsidem* non poterat. Liv. II. 13. *Si non dedatur obses, pro rupto se fœdus habiturum. Romani pignus pacis ex fœdere restituerunt.* Odiosa autem est *obsidum* obligatio, tum quia libertati inimica, tum quia ex facto alieno venit. Ideòque stricta interpretatio hic locum habet: quare in unam causam dati, in aliam retineri non poterunt: quod ita intellige, si aliud quid sine *obsidum* accessione promissum sit. At si in alia causa fides jam violata sit, aut contractum debitum, jam poterit *obses* retineri, non ut *obses*, sed eo gentium jure, quo subditi ex facto imperantium retineri possunt, κατ' ἀνδροληψίαν, quod ipsum tamen ne fiat caveri poterit, adjecto pacto de reddendis *obsidibus*, ubi id, cujus nomine dati erunt, impletum erit. *Grot. de Jur. bell. & pac.* III. 20. §. 52. .. 55. Martianus tamen regulam laudatam limitat, l. 32. *Sed si accepto jure, & usu lege Romana, ut cives Romani semper egerint, Divi fratres procuratoribus hæreditatum rescripserunt, sine dubitatione jus eorum ab obsidis conditione separatum esse beneficio principalis, ideoque idem jus illis servandum quod haberent, si à legitimis civibus Romanis hæredes instituti fuissent.* Nimirum *obsides* erant peregrini, ideòque non poterant hæredes institui a cive Romano, sed iis legata, & relicta caduca fiebant, & fisco cedebant, d. l. 31. Eam non ita accipere debemus, ut video interpretes fecisse, quasi *obsidibus* non licuisset de suo patrimonio disponere, & mortuorum omnia bona in fiscum redigi vellet: hoc enim contra omnem æquitatem constitueretur, cum *obsides* filios & agnatos domi haberent, qui sine injuria non poterant privari hæreditate: sed tantum voluit Commodus, eos nihil posse accipere

ex

ex testamento civis Romani; quia erant peregrini, nec capaces juris civilis Romani; si verò beneficio Principis togæ usus illis erat concessus, cives facti esse videbantur, & jure ex civium testamento capere legata, & hæreditates poterant, sed eo casu vicesimam debebant præstare fisco, quod colligitur inde, quia *hoc Divi fratres procuratoribus hæreditatum rescripserunt*, & ex verbis ultimis, quæ ita constitui debent: *idem jus iis servandum, quod habent, qui à legitimis civibus Romanis hæredes instituti sunt*: nimirum, ut tantum vicesimam, non totam hæreditatem fiscus sibi vindicet, ut in testamentis civium. *Burman. Dissert. de Vectig. c.* 11. Fugitivi de rupe Tarpeja dejiciebantur. V. infr. in *Rupes*.

OBSIDIO navalis fiebat I. occlusione portus. Ante omnia enim circumdaturi maritimam urbem, *obsidione* portus, mœniaque ejus claudebant, navibus sic inter se dispositis, ut ne hosti exitus daretur. Liv. xxvi. 43. *Naves etiam in portu, velut maritimam quoque ostentans obsidionem, instruxit*. Polyb. 1. 46. *Consul quo diligentius aditum ex omni parte custodiret, instructis per noctem navibus decem quàm expeditissimis, stabat ipse in littore cum omni exercitu, spectator eorum, quæ gererentur: naves verò ab utraque parte ad paludis voraginem, quantum fieri poterat, accedentes, remos, quasi alatæ, sustinebant ad invadendam, & comprehendendam navem, quæ erat exitura*. Has catenis colligare inter se, & pontibus superstratis sistere continuo ordine ab uno littore in oppositum consueverunt, quo difficilior fieret transitus. Nec enim, nisi perruptis catenis, poterat evadi, quod sagittarii, & milites in pontibus istis constituti prohibere debebant. Diodor. xiii. *Navium conjugatione, ζεύγματι, portus ostia obstruxerunt. Acatos enim, triremesque, & onerarias ancoris firmatas, & catenis ferreis constrictas tabulatis pontibus instraverunt*. Et, quo firmiùs exitus occluderetur, Demetrius Rex vallum excogitavit, quod innataret mari, præcautisque ferramentis munitum appulsum hostium impediret, in obsidione Rhodi. Diodor. xx. p. 776. C. *Vallum natabile super ligna quadrupedia; clavis inter se compaginata exstruxit, ut accessu suo hostes ab incursatione in naves machinis oneratas prohiberet*. In hunc finem in *obsidione* Lilybæi trabes ingentes ancoris firmatas Romani imposuerunt. Diodor. Eclog. xxiv. 1. *Lignis grandibus & ancoris obvallarunt profundum*. Aliquando mole objecta portum obturabant. Appian. Bell. Pun. p. 74. *Id ubi sensit Scipio, conatus est claudere os portus. Produxit igitur in mare longum aggerem, ab ea lingua, quæ inter stagnum erat, & mare, per altum recta versus os protendens, dejectis, & constipatis saxis prægrandibus, ne fluctibus cederent*. Nonnunquam mersis navibus, saxis, & arena oppletis, portum obstruebant: verùm id plerumque tum fiebat, cum spes occupandæ urbis exigua, pericula ex incursionibus hostilibus certissima. Diodor. l. l. *Romani terram à mari ad mare fossa præmunierunt, ostium portus cum quatuordecim cercuris lapidibus gravatis per aggestionem impleverunt*. II. Oppugnatione. Hæc ut plurimum fiebat ex binis inter se connexis navibus, injectoque ponte, cui insistebant tela, & balistas jaculantes in propugnatores mœnium. Curt. iv. 3. 14. *Binas quadriremes Macedones inter se ita junxerant, ut proræ cohærerent, puppes intervallo, quantum capere poterant, distarent. Hoc puppium intervallum antennis, asseribusque validis deligatis, superque eos pontibus stratis, qui militem sustinerent, impleverunt. Sic instructas remis ad urbem agebant: inde missilia in propugnatores ingerebantur tuto, quia proris miles tegebatur*. Imponebantur tabulatis turres, quæ eminerent supra mœnia, machinæque aliæ, ut arietes, catapultæ, & id genus. V. singula suis locis. *Scheffer. de Milit. nav.* iii. 7.

OBSIGNARE est cera apposita, & affixa signaculum imprimere, ne id aperiri posset, nisi avulsa cera, & refracto signaculo. Hic mos fuit tam Græcis, quàm Latinis, ut quæ patere omnibus nollent, sed clausa esse, ac tuta, *obsignarent*. Annulos ad hunc usum habuere, cum gemma aliqua cavata cum charactere, qui ectypam figuram ceræ impressus posset efficere. Ante illorum usum rudi adhuc, & imperito seculo, quod tamen tum ad rem suam conservandam attentum fuit, lignis carie exesis, vermiculatis, ac *θριπόβρωτοις* utebantur vice signaculi ad ceram notandam. Lycophr. n. 508.

Reliquae porrò adeo vermiculatum intactum
Sigillum servabit.

Ubi Scholiastes & Hesychius in θριπόβρωτος. Θρὶψ, *vermis, qui nascitur in lignis. Priusquam enim signa essent inventa, veteres lignis à vermibus exesis obsignarunt, quia multos habebant stimulos*. Cellæ, arcæ, armariola, scrinia, lagenæ etiam, atque amphoræ, aliaque utensilia, quæ patere nolebant, annulis olim *obsignabantur*. Plaut. Cas. ii. 1. 1.

Obsignate cellas, referte annulum ad me.

Matt. ix. 89. 7.

Nunc signat annulus meus lagenam.

Tacit. Annal. ii. 2. 6. *Irridebantur & Græci comites, ac vilissima utensilium annulo clausa*, id est, *signata*, vel *obsignata*. Nam *signare* in his idem est, quod *obsignare*. Hujus moris meminit etiam Theophr. Charact. c. 19. *Cubans in lecto uxorem interrogat, an capsam bene clauserit, an probè sit arca obsignata*. Salmas. de mod. usur. c. 11. Meurs. in Lycophronem. Guther. de Jur. man. 1. 12. *Obsignaverunt hæc, ne quid furto periret*. Plin. xxxiii. 1. *Quæ fuit illa priscorum vita, qualis innocentia, in qua nihil signabatur; at nunc cibi quoque, & potus annulo vindicantur. Hoc profecere mancipiorum legiones, & in domo turba externa, ac servorum quoque causa nomenclator adhibendus: aliter apud antiquos victum omnem in promiscuo habebant, nec ulla olim custodia à domesticis opus erat: nunc rapienda comparantur epula, pariterque qui rapiant eas, & claves quoque ipsas signasse non est satis, gravatis somno, aut morientibus annuli detrahuntur*. Cicer. Fam. xvi. 26. V. illum supr. in *Lagena*. Long. de Annul. c. 3. Kirchman. de Annul. c. 1. Ræward. Var. Lect. v. 16. Nicol. de Sigl. vet. c. 44. §. 4. Lips. in Tacit. Annal. ii. Excurs. B. Sched. de Diis German. ii. 7. Taubman. in Plautum. Turneb. Adv. xxx. 7. Etiam alicujus bona, quæ publicè possidebantur, ad injurias propulsandas, *obsignabantur*. Cicer. Attic. vi. 1. *Diversatus est Laodiceæ apud Pompejum Vindulum, ibi sua deposuit, cum ad me profectus est. Moritur interim Vindulus, quæ res ad magnum Pompejum pertinere putabatur. C. Vennonius domum Vinduli venit: cum omnia obsignaret, in Vedianas incidit*. De reorum fortunis publicè possidendis Modestin. l. fin. ff. de requir. reis: *Mandato cavetur intra annum requirendorum bona obsignari: ut si redierint, & se purgaverint, integram suam rem habeant*. Observet hìc lector, eum, cujus bona *obsignabantur*, illis interim liberiùs uti non posse, quæ deponi, & interim in deposito esse, idem Ictus voluit. Quare Ulpian. l. Servius ff. de vent. in poss. mitt. cum in gratiam postumi possessionem tueretur, nolletque bona in deposito esse, *Servius ajebat, res hæreditarias hæredem institutum, vel substitutum obsignare non debere: sed tantum pernumerare, & mulieri assignare*. Rabir. de hast. orig. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. iii. p. (30) B. Nec minùs literæ ad alios mittendæ. V. supr. in *Cera* & *Linum*.

OBSIGNATIO tabularum, de qua Gell. xiv. 2. V. illum infr. in *Rationes mensæ*, specialiter de syngraphis dicebatur. Syngraphæ enim in tabulis à tabellione publico scriptæ, à testibus subscribi, & *obsignari* solebant, & ab utroque contrahentium apud amicum, vel apud mensarium aliquem, quorum publica erat fides, deponi, ut si quid controversiæ inter ipsos oriretur, ad tabularum scripturam reverti, & inde litem diruere possent; & in eo maximè distabant syngraphæ à chirographorum tabulis, quod hæ tantum propria debitoris manu scribi, nullis testibus adhibitis, neque *obsignari* solitæ; istæ verò à testibus subscribi, *obsignari*, & apud communem amicum deponi solerent. Unde per has tabulas, quæ *obsignabantur*, longè validius fidem suam obstringere censebatur debendi reus, quàm chirographo, aut domestico alio, privatoque instrumento. *Salmas. de Mod. usur. c.* 11. *Oisel. in Gellium*.

OBSIGNATORES dicebantur testes, qui ad tabulas testamenti *signandas* advocabantur, ut rei gestæ testimonium

monium perhiberent, easque suo annulo confirmarent. Cicer. Attic. XII. 18. *Quod scribis Terentiam de obsignatoribus mei testamenti loqui.* Et *signatores.* Suet. Tib. c. 23. n. 2. *Il latum deinde Augusti testamentum, non admissis signatoribus,* Hoc inter recepta Romæ officia numerabatur. Plin. Epist. I. 9. 2. *Ille me ad signandum testamentum rogavit.* II. 20. 10. *Aurelia, ornata femina, signaturn testamentum sumpserat pulcerrimas tunicas: Regulus, cum venisset ad signandum....,* Oportebat hos in conspectu testatoris uno eodemque tempore convenire, nomen suum subscribere, & annulo *obsignare.* Nam *si quis ex testibus nomen suum non adscripserit, veruntamen signarit: vel si adscripserit se, non tamen signarit, pro eo est, ac si adhibitus non esset,* ut ait Ulpian, l. ad testium. §. si quis ff. qui testam. fac. Si etiam *coram testatore non omnes eodem loco testes suo, vel alieno annulo signaverint, jure deficit testamentum.* Ut est in l, 12. C. de testam. *Kirchman. de Annul. c. 5. Long. de Annul. c. 10. Salmas. de Mod. usur. c. 11.*

OBSONATOR vocabatur, qui *obsoniis* comparandis præerat. Athenæo ὀψώνης, & ἀγοραστής. Ejus officium erat coemere, quæ usus domesticus expostulabat. Senec. Epist. 47. *Adjice obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est, qui sciunt, cujus rei illum sapor excitet, cujus delectet aspectus, cujus novitate nauseabundus erigi possit.* Mart. XIV, 215. Cujus lemma est *Obsonator.*

Dic quotus, & quanti cupias cœnare, nec unum
Addideris verbum, cœna parata tibi est.

Plaut. Mil. III. 1. 73.

Vel primarium parasitum, atque obsonatorem optimum. De illis Marcian. l. 65. ff. de Legat. III. *Cubicularius, vel obsonatores, vel eos, qui piscatoribus præpositi sunt, non videri negotiationis appellatione contineri.* Popm. de oper. serv. p. 115. Pignor. de Serv. p. 111. Spon. Miscell. Erud. antiq. Sect. VI. p. 214. Stuck. Antiq. Conviv. II. 11. Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 347. Buleng. de Conviv. IV. 1. Casaub. in Spartian. Adrian. c. 17. in Athen. VIII, 14. Guther. de Offic. dom. Aug. II. 11. Kipping. Antiq. Roman. IV. 1. §. 1. Hummelb. in Apic. de Art. Coquin. V. 3. Zimmermann. Floril. Philol. p. 581.

OBSONIUM, ὀψώνιον, ψ in β mutato. Generatim significat omnia id quod cum pane comeditur, Hesychius: ὄψον, προσφάγιον. Κατ᾽ ἐξοχὴν, & κυρίως, solum piscem. Plutarch. Sympol. IV. 5. *Quemadmodum ex multis poetis unum, qui reliquis præstat, eximio poeta nomine afficimus: ita cum multa obsonia sunt, piscis tamen obtinuit, ut vel solus, vel præcipue obsonium vocaretur, quia nobilitate reliquis omnibus multo antecellit.* Sic passim apud scriptores ὀψοφάγοι dicuntur, non qui carnibus, fructibusque libenter vescerentur, sed qui piscibus gauderent. De Rhodiis Ælian. Var. Hist. I, 28. *In Rhodo qui pisces in deliciis habet, horumque suavitatem admiratur, & omnibus reliquis obsoniis anteponit, eum populares quasi liberalem commendant: quibus vero carnium esus magis arridet, hos agrestes, & ventres calumniæ causa vocant.* Hinc legas apud Nepot. Themist. c. 10. n. 3. *ex Myunte* Themistoclem *habuisse obsonium:* pro quo est aliud Diodor. XI. p. 271. Regem præbuisse Themistocli *Myuntem in obsonium habentem mare piscosum.* Et ita Terentius, qui cum Andr. II. 2. 23. dixisset *paullulum obsonii,* subjicit n. 32.

Pisciculos minutos ferre obolo in cœnam seni.

Imò ipsæ sacræ literæ: ut Joh. c. 6. n. 9. ubi δύο ὀψάρια legas; pro quo δύο ἰχθύες est apud Matth. c. 14. n. 17. Marc. c. 6. n. 38. Luc. c. 6. n. 13. *Voss. Lex. Etymol. & de Idolol. IV. 23. Nonn. de Re cibar. III. 4. Turneb. Adv. XX. 31. Stuck. Ant. Conviv. II. 11, Guther. de Offic. dom. Aug. II. 11. Buleng. de Conv. II. 24. Popm. de Oper. serv. p. 115. Lister. in Apic. de Art. coquin. IX. 1.*

Obsonium vocabatur etiam annona militum, *Obsonia* enim ad victum parantur, Polyb. VI. 37. *Horum omnium certa pretia quæstor de stipendio deducit:* ἐκ τῶν ὀψωνίων ὑπολογίζεται. Gloss. vetus: *Stipendium,* ὀψώνιον στρατιωτικὸν, μισθὸς στρατιωτικὸς. *Stewech. in Veget.* II. 19. *Guther. de Offic. dom. Aug. II. 11.*

OBSTETRIX honore cum medicis convenit, si probata. Erat enim in *obstetricibus* & quædam artis medicæ peritia. Hinc medicinam exhibere dicuntur, l. 1. §. sed & obstetricem, ff. de var. & extr. cogn. Et Anian. ad Paull. Sent. II. 24. *Quinque obstetrices,* inquit, *id est, medicæ.* Quare etiam matri medicinam faciebant. Pollux IV. 26. *Dant obstetrices pharmaca quædam his, quæ difficilem partum experta sunt.* Principio an prægnans sit æstimabat, aliarum quoque mulierum concurrente judicio. In puerperii articulo, & hoc est primarium ejus officium, matris vice exitum procurat. Et ideò *obstetricis,* & nutricis officium ita distinguit Non. V. 105. *Educere est extra trahere, educare, enutrire, vel provehere. Varr. de lib. educ. Educit enim obstetrix, educat nutrix.* Rectè susceptum fasciis involvit. Hujus quoque ope detractus pileus naturalis. Medicinam nato matrique faciebat. & ad loturam manus contulit. Nec ignotum hoc maribus munus. Si falsum partum supposuisset, lege tenebatur. Duravit *obstetricis* necessitas ad quintum diem, quum muneribus donaretur, & lotis manibus nutrici infantem committeret. *Thom. & Casp. Barthol. de puerp. p.* 109. Artem *obstetricandi* apud Ægyptios in usu fuisse maximè vero simile est, cum quod omnes Ægyptii habiti fuerint medici, & artium quarumcunque observatores, & excultores diligentissimi, tum quod discretionis gratia tam gentis, quàm propria Rex Pharao addiderit nomina, testante Mose. Veteres Græcos iis caruisse docet Hygin. Fab. 274. Hic ea occasione refert, quæ prima, & quemadmodum eam adepta fuerit artem. *Antiqui,* ait ille, *obstetrices non habuerunt, unde mulieres verecundia ductæ interibant. Nam Athenienses caverant, ne quis servus, aut femina medicinam disceret. Agnodice quædam puella virgo concupivit medicinam discere, quæ cum concupisset, demptis capillis, habitu virili se Herophilo cuidam tradidit in disciplinam. Quæ cum artem didicisset, & feminam laborantem audisset, ab inferiore parte veniebat ad eam: quæ cum credere se noluisset, æstimans virum esse, illa, tunica sublata, ostendebat se feminam esse; & ita eas curabat. Quod cum vidissent medici, se ad feminas non admitti, Agnodicen accusare cœperunt, quod dicerent eum glabrum esse, & corruptorem earum, & illas simulare imbecillitatem. Quo cum Areopagitæ consedissent, Agnodicen damnare cœperunt, quibus Agnodice tunicam adlevavit, & se ostendit feminam esse. Et validius medici accusare cœperunt. Quare tum feminæ principes ad judicium convenerunt, & dixerunt: vos conjuges non estis, sed hostes, quia quæ salutem nobis invenit, eam damnatis. Tunc Athenienses legem emendarunt, ut ingenuæ artem medicinam discerent.* Hæ postea & apud Romanos admissæ sunt: & qualibet regione Urbis certo numero habitarunt. Hoc Reines. Epist. 35. ad Rupert. colligit ex elegantissimo hoc marmore: VALERIÆ. BERECUNDIÆ. JATROMÆ. REGIONIS. SUÆ. PRIMÆ. Q. V. ANN. XXXIV. M. IX. D. XVIII. Appellatio ab officio, seu professione est: JATROMÆA, quod mulierum morbo mederetur, simulque obstetricaretur: qualis Agnodice Hygini, & Victoria Sabina, cui Theodorus Priscianus suum Gynæciorum librum inscripsit. Vocatur REGIONIS SUÆ PRIMA, ut intelligatur fuisse excellens quædam, supra reliquas perita, probata, & honorata. *Almelov. Antiq. p. 85, Cujac. Observ. XVII. 27. Potter. Archæol. Græc. II. 14.*

OBSTITA dicuntur ab obsistendo, sive pro *oblique* ponatur, quomodo usurpat Lucret. IV. 519.

Omnia mendosè fieri, atque obstita necesse est.

quomodo item Apulejus de Deo Socratis semel iterumque loquitur, sive eo intelligatur, quod *violatum, tactumque est de cœlo;* quomodo Cloatius, & Ælius Stolo, Festo teste, interpretabantur: ac in lege antiqua apud Cicer. de Leg. II. 9. *Quibus divis creverint, procuranto: iidemque fulgura, atque obstita pianto.* Etiam Cincius apud Festum auctor est, *obstitos* esse vocatos, *qui deo, deæve obstitissent,* hoc est, qui vidissent, quod videri nefas est. Quales in furorem agi credebant: unde & νυμφόληπτοι, & Cerriti dicebantur. *Voss. Lex. Etymol. & de Idolol.* II. 20. *Buleng. de Terr. mot. & fulm. c. 12. Scalig. in Varr. p. 33.*

Ætn,

Ætn. p. 108. Guther. de jur. man. 1. 4. Schegk. Pramef. 6. Turneb. in Cicer. de Leg. II. p. 115.

OBSTRIGILLARE dicebantur, qui alteri obstabant, & impedimento erant. Ennius Sat. II. apud Non. II. 650.

—— restitant,

Occurrunt, obstant, obstrigillant, obagitant.

Et apud eundem Varr. de vit. P. R. IV. *Quod Curio cum id fecisset, diceb at amicus, ut renuntiaretur se obstrigillaturum, ne triumphus decerneretur, aut ne iterum fieret consul.* Salmas. Exerc. Plin. p. 41. a. A. 821. a. D.

OBSTRIGILLATOR est, qui præ invidia aliorum progressus, ac processus impedit. Varr. apud Non. II. 605. *Æmulum illum artis, atque obstrigillatorem.* Ductum à strigilibus, quibus cum vehementiùs stringimur, etiam plerumque lædimur. *Turneb. Adv.* XV. 1. Qui non benè. Verbum archaicum fuit *strigare* pro stringere. Hinc diminutivum *strigillare*, & compositum *obstrigillare*, impedire, obstare, efficere. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 821. *a. E.*

OBSTRIGILLUM, sive *obstrigillus* vocatur pala annuli, quæ constringit & cohibet gemmam. Optimæ glossæ: *Obstrigillum*, σφραγιδοφύλαξ. *Salmas. in Vopisc. Carin. c. 20. Exerc. Plin. p. 41. B. 821. a. E. Voss. Lex. Etymol. in Obstrigillo.*

Obstrigillum, sive *obstrigillus* vocatur vinculum socci. Plin. IX. 36. *Nec crepidarum tantum obstrigillis, sed totis socculis addunt.* Vulgo *obstragulis*. Isidor. XIX. 34. *Obstrigilli sunt, qui per plantas consuti sunt, & ex superiore parte corrigia trahitur, ut constringantur: unde & nominantur.* Salmas. Exerc. Plin. p. 41. A. 821. a. E. Voss. Lex. in *Obstrigillo*. Balduin. de Calc. c. 8. & 11.

OBT.

OBTESTATIO *dicitur, quando eum adjuramus, quem rogamus. Oramus per eas res, propter quas rogamus: ut Virg. Æneid.* X. 46.

—— per eversa genitor fumantia Trojæ

Excidia obtestor.

Terent. Andr. III. 5. 56.

Per tuam fidem, perque hujus solitudinem

Te obtestor.

Donat. ad Terentium. *Hansen. de Jurej. vet. c.* 18. *Schott. Observ.* III. 39.

OBV.

OBVAGULATIO erat convicium, quod is, cui testimonium deerat, hoc est, qui suam intentionem nullo poterat testimonio confirmare, die tertio ad ædes adversarii adversario testibus adhibitis faciebat. Veluti si quid esse in tuis ædibus contenderem, quod quum verè ad me pertineret, tamen apud te esse nullo testimonio poteram demonstrare, illudque mihi restituere una, & alterum die rogatus omninò recusares, mihi permisisse videntur decemviri, quandoquidem deficiente testimonio intuliter aut lege, aut jure ageretur, tertio die ad ædes venire, ibique ante tuas ædes rem meam cum convicio repetere. Festus in Vagulatio: *Vagulatio in lege XII. tabularum significat quæstorem cum convicio. Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito.* Portum explicat ipse domum in *Portum*. Ubi etiam hæc lex traditur; *Portum in duodecim pro domo positum omnes ferè consentiunt: cui testimonium defuerit....* Inde *ob portum obvagulare*, idem est quod pipulo differre ante ædes. Ita Plaut. Aul. III. 2. 31.

Ita me bene amet Laverna, te jam nisi reddi

Mihi vasa jubes, pipulo hic differam te ante ædes.

Obvagulationis is effectus olim fuisse videtur, ut tertio die, justo præsentibus superstitibus convicio sollenniter ob portum facto, liceret conviciatori ejus, qui convicium passus erat, ædes cum iisdem testibus ingredi: & liberam res suas quærendi in suis ædibus potestatem facere is, cui convicium factum erat, sub conviciatori cogebatur. *Revard. ad Leg. XII. tab. c. 11. Turneb. Adv. XIII. 26. Rittersh.*

in Leg. XII. tab. Class. III. p. 3. c. 6. Dacer. in Festum. Rosin. Ant. Rom. VIII. 6.

OCC.

OCCASUS solis nomine tempus novissimum lucis, vel supremæ tempestatis signabatur. Sic est expressum in XII. tabulis: *Solis occasus suprema tempestas esto*, apud Gell. XVII. 2. *Morestell. Philom. IV. Dial. 7.* Solem *occasum* pro solis *occasu* auctores prisci quadam vetustate non insuavi dixerunt. Plaut. Men. V. 7. 33.

Namque si absque te essem hodie, nunquam ad solem occasum viverem.

Emendo tamen *sole occaso* in legibus decemviralibus. *Revard. ad Leg. XII. tab. c.* 7. Verissima tamen videtur lectio in illis *sol occasus*. Sensus legis est: supremus terminus judiciorum esse dicitur, cum *sol occidit*: nimirum sicut prælia, sic & judicia, quæ ipsa quoque sunt prælia civilia, nox superveniens dirimere debet. Athenis quidem Areopagitas etiam noctu judicia exercuisse accepimus. Et de Augusto hoc tanquam singulare, & exorbitans à more majorum, annotavit Suet. c. 33. n. 1. *quod jus diceret assiduè, & in noctem nonnunquam.* Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. III. p. 3. c. 7. Hotman. Antiq. Roman. III. 3. p. 481.

OCCARE est glebas *occa* frangere, & semina profundiùs condere. Non. I. 306. *Occationis proprietas his indiciis aperitur. Varr. de Re rust.* I. 31. *Et postea occare, id est, comminuere, ne sit gleba. Quod ita occidunt, occare dicuntur. Serenus: Occatio, occacatio est.* Cicer. de Senect. c. 15. *Quæ terra cum gremio mollito, ac subacto sparsum semen excepit, primum id occæcatum prohibet: ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata est.* Colum. XI. 2. *Sed frigidioribus regionibus pulverationem faciunt, quam vocant rustici occationem, cum omnis gleba in vineis refringitur, & resolvitur in pulverem. Occationem* circumloquitur Virg. Georg. I. 94.

Multum adeò rastris glebas qui frangit inertes,

Vimineasque trahit crates.

Fiebat enim & rastris, & cratibus. Plin. XVIII. 20. *Aratione per transversum iterata, occatio sequitur, ubi res poscit crate vel rastro.* Victor. Var. Lect. II. 24. Salmas. Exerc. Plin. p. 365. a. D. 512. b. A. Ursin. ad Kalend. Rust. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 25. A. Cerda in Virgilium, Rhodig. Antiq. Lect. VII. 30. Voss. Lex. Etymol.

OCCATOR erat deus *occationis* præses. Serv. Georg. I. 21. *Nomina numinum in indigitamentis, id est, in libris pontificalibus inveniuntur, qui & nomina deorum, & rationes ipsorum nominum continent: verbi causa, ut Occator deus ab occatione dicatur.* Gyrald. Synt. deor. I. p. 40. G. Stuck. de sacrif. p. 35. Salmas. Exerc. Plin. p. 512. b. C. Voss. Lex. Etymol.

Occator est rusticus, qui *occa* glebas frangit. Colum. II. 13. *Tritici modii occupant occatoris unam operam.* Pignor. de Serv. p. 516.

OCCENTARE *ostium* quid fuerit, docet Festus: *Occentare dicebant pro convicium facere, cum id clarè, & cum quoddam canore fieret, ut procul exaudiri possit; quod turpe habebatur, quia non sine causa fieri putatur.* Plaut. Merc. II. 3. 723.

Vellicent, vocent, molesti sint, occentent ostium.

Pers. IV. 4. 20.

At enim illi noctu occentabunt ostium.

Multa enim convicia veteres dicebant postibus, & eosdem diris omnibus devovebant. Ovid. Rem. Amor. II. 507.

Nec dic blanditias, nec dic convicia posti.

Sagittar. de Jan. vet. c. 37. §. 12. Auctor. misc. def. pro Salmas. ad jus Attic. & Rom. p. 264. Hotman. Antiq. Roman. p. 468. F.

OCCUPARE dicebatur de primi ostii, sive primi loci agitatore, quem locum sors dabat. Ex merito loci *occupabat*, id est, cæteros antecedebat agitator ille, qui ostium illud fortitus erat. Hoc constat ex Senec. Troad. IV. 1015.

—— quid precer vobis? precor
His digna sacris æquora. Hoc classi accidat
Toti Pelasgæ, ratibus hoc mille accidat,
Mea precabor, cum vehar, quicquid rati,
Me mea sequantur fata. Non pelago quies
Tranquilla veniat, sæviat ventis mare,
Et bella, & ignis, & mea, & Priami mala
Dumque ista venient, interim hæc pœna in loco est,
Sorte occupavi, præmium eripiant mihi.

Vulgò scribitur:

Sortem occupavi, præmium eripuit mihi.

Nemo verò *sortem occupabat*; sed eam, quæ obtigerat, capiebat, ac per eam locum, vel præmium, quodcunque illa assignaret. Hecuba multa dira, & infausta precatur Græcis redituris, & quæcunque ipsa pateretur, quæque jam passa esset mala. Dumque ista, inquit, venient, quæ illis opto, hæc pœna interim, qua afficior, in loco est, id est, locum suum obtinet. At quæ illis imprecor, locum quoque habebunt, ac tempore suo venient. *Sorte occupavi*, hoc est, in hoc stadio miseriarum, ac suppliciorum decurrendo sors mihi tribuit, ut prima essem, & primo loco exirem, ac proinde cæteros anteverterem: sed ipsis opto, ut præmium mihi eripiant, & licèt tardiùs egressi, me tamen queant superare, & longè miseriores, quàm ipsa sum, evadere, palmamque in hujus stadii cursu obtinere. Metaphora sumpta à stadii cursoribus, penes quos qui *sorte occupabat*, id est, qui primo loco exibat è limine, licèt plurima victoriæ præsumptione fretus, sæpè tamen victoriam sequentibus tradebat, qui præmium ipsi auferebant. *Salmas. Exerc. Plin. p. 636. a. D. Argol. ad Panvin. de Lud. Circens.* I. 14. Ex quatuor ostiis, qui carceres dicebantur, emittebantur quadrigæ. Inde legimus in antiquis inscriptionibus, *primo, secundo, tertio ostio missus.* Sed quia ad victoriam consequendam non parum referebat, ex quo quis ostio dimittebatur, sortiebantur inter se aurigæ ostia quatuor, qui illum missum debebant peragere. Felicissimus erat in sortiendo, cui sors assignabat primum ostium, quod proximum erat Murciis metis, qui primatum in illo missu obtinebat, &, si observaret omnia, quæ peritis aurigis observanda sunt, nec casus interveniret, præ cæteris faciliùs victoriæ potiebatur, quia illi rectissimus erat cursus proximè spinam ad flexum circa metam: cum cæterorum curricula essent longiora, quia longiùs aberant à spina, & metis in fine spinæ positis. Inde & qui è primo ostio emittebatur, dicitur *occupavit & vicit*. *Occupavit* scilicet primum locum inter agitatores sorte. Mallet Salmasius *occupavit* esse prævertit alios. Sanè *occupare* frequentissimè est præoccupare, prævertere, ut *occupare bellum* apud Justin. II. 3. 10: XXXVIII. 10. I. est priorem bellum inferre, & alia infinita. At si tantum momenti situm est in loco, sive ostio primo ad consequendam victoriam, quæ laus est & ostentandi causa, cum quadrigarius sortis munere ex ostio primo emissus alios quadrigarios antevertit? Itaque in hac locutione *occupavit*, est, ut dixi, primum inter aurigas locum *occupavit* sortitione. *Grav. Thes. Antiq. Roman. Tom. IX. Præfat.* * * 2. *vers.*

Occupare loca in theatro solebant avidi ludorum de multa nocte. Lamprid. Heliog. c. 23. *Serpentes per Marsica gentis sacerdotes collegisse fertur: eosque subitò ante lucem, ut solet populus ad ludos celebres convenire, effudisse.* Mart. V. 14. 2.

Tunc cum liceret occupare, Mannejus ....

Suet. Cal. c. 26. n. 6. *Inquietatus fremitu gratuita in circo loca de media nocte occupantium, omnes fustibus abegit.* Lips. de Amphith. c. 15. Rader. in Martialem. Pitisc. in Suetonium. Thys. de Amphith. p. 206.

OCCURSUS æthiopis, claudi, coclitis olim habebatur infaustus. Appian. Bell. civ. IV. p. 668. *Exercitui Bruti castris exeunti obviam fuit æthiops, quem mox milites abominati conciderunt.* Chrysost. ad Neophyt. Orat. II. *Sæpè aliquis domo progrediens videt coclitem, aut claudum, & inauspicatum duxit. Hæc est pompa Satanica. Non enim hominis occursus diem infaustum facit. Si occurrit virgo, dies hic mihi erit inutilis, ait, si meretrix, dies erit commoda, & oportuna, & magni quæstus.* Senec. Contr. I. *Occurrunt nuptiis omina dira, fatis publicis auspicia feralia, feriatis, ac sollemnibus istis greges debilium, cæcorum, claudorum oberrant.* Buleng. de Prodig. c. 41.

OCE.

OCELLÆ dicti sunt, *qui parvis utrisque erant oculis*. Plin. XI. 37. Cognomen fuit familiæ Serviorum. Cicer. Fam. VIII. 7. *Servius Ocella nemini persuasisset, se mœchum esse, nisi triduo bis deprehensus esset.* Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Glandorp. Onom. Rom. p. 792. Harduin. in Plinium.

OCELLATA quid fuerint, immane quantum inter se discrepant interpretes Suetonii: apud quem horum fit mentio. Aug. c. 83. n. 2. *Animi laxandi causa modò talis, aut ocellatis, nucibusque ludebat.* Fuit apud Græcos ludicrum ὀνομάχιον. Auson. Epist. Eidyll. XIII. *Simile ut dicas ludicro, quod Græci ὀνομαχίαν vocavere.* Hoc, ut opinor, Latini *oscillis*, aut *officulis* ludere nominant. Et his luserit Augustus. *Brod. Misc.* IV. 7. Qui frustrà fuit, cum *officulis* legi voluit. Neque enim ulla apud veteres fuit, ut ipse putavit, ὀνομαχία, inductus loco Ausonii corrupto. *Casaub. l. l.* Hoc enim à mente Ausonii est alienissimum. Neque animadvertit, quid interesset inter lusum, & ludicrum, hoc est, inter παιδιὰν, καὶ παίγνιον. Sed fefellit hominem, ut dixi, lectio mendosa, ὀνομαχίαν pro στομάτιον, & *officula* pro *oscilla* legentem. Nam quin rectè στομάτιον, & *officula* emendaverimus: præter conjecturam certissimam, qua usi sumus, fidem fecerit vetus Glossarius, in quo scriptum legitur: *Oscillum*, στομάτιον. *Scalig. Lect. Auson.* II. 26. Sunt, qui *ocellatas*, perforatas, non bonas, interpretantur: quod nullo modo placet, haud enim trahi potuisset lusus, deprehensa fraude, fuissetque pueros alienare potius, quàm allicere. *Beroald.* & *Sabell. ad Suetonium.* Eo verbo potius veniunt avellanæ, nucularumque genera, quæ in summo veluti parvum *oculum* figuratum habent, aut *ocellorum* quandam præ se speciem, & rotunditatem ferunt. *Turneb. Adv.* III. 18. *Buleng. de Lud. vet. c.* 12. & *Sabell. l. l.* Qui intelligunt pilulas rotundas instar *ocellorum*, quibus puellæ puellariter ludentes oblectantur. Nos in quodam codice vetustissimo legimus *castellatis*. V. illas supr. in *Nux*. Mihi verò, ut dicam quod sentio, diligenter verbis Tranquilli pensitatis sic legendum videtur, *oscillis*, *nucibusque ludebat*: sicut in sinceriore Tranquilli codice scriptum è latere observavi. V. infr. in *Oscilla*. Beroal. l. l. Posses etiam per *ocellatam* amygdalam nucem interpretari, cujus testa minutissimis foraminibus, quasi *ocellis* perforata est. *Sabell. l. l.* Quod nos sentimus, & probabilius putamus, id est ejusmodi, ut *nuces ocellatas*, nucleos, quos in Persicis pomis sitos inspicimus, dicamus esse, quibus persæpè ludere nostrates pueros hodie vidimus: dictasque *ocellatas*, propter *ocellos*, & foramina, quibus muniuntur undique. Neque de amygdala, & avellana, vel *oscilla*, sicut error habet, sed de persicorum ossibus, quibus tunc ludebatur, & nunc frequens puerorum lusus est, intelligi convenire credimus exploratæ, & non ambiguæ sententiæ fore. *Alex. Gen. dier.* III. 21. Qui hic ludit, Quasi verò hic nucleorum ludus non veniret intelligendus nomine nucum; aut quasi his nucleis pueri non forent usi pro nucibus, ut magni interfuerit nucum *ocellatarum* meminisse. *Mercer. in Alexandrum.* Per nuces *ocellatas* ego intelligo nuces *ocellum* habentes; namque tales pueri probare in ludo puerili solent, & improbare quæ *ocellum* non habent. Ea autem pars *ocellus* appellatur in nucibus, ubi interstitia interiorum nucleorum terminantur in summo putamine; seu cortice testacea, qui *ocellus* si putredine, carie, vel alia de causa tollitur, nuces exinde malas, & non bonas pueri deprehendunt; ob id proverbio in ludendo edicere, tanquam lege certa solent, nuces ea in parte *ocelli* perforatas, seu excavatas, à ludo arcendas, tanquam improbas, & malas,

malas, easque dignoscunt spiritu in foramine insufflato. Ut itaque Suetonius ostenderet, quantum Augustus puerili ludo oblectaretur, nucibus *ocellatis* adjectivum conjunxit, ut significaret ita impensè Augustum ludo incubuisse, ut nuces etiam observaret, seligens bonas, *ocellatas* scilicet à malis, & à ludo puerili relegatas, quibus luderet. *Donat. in Suetonium*. *Ocellata* sunt distinguenda à nucibus: sunt globuli, calculi, in formam *ocellorum* facti, vel *oculi* modo lucentes, vel lapidei, vel eburnei, vel ex alia aliqua materia. Varro Marcipore apud Non. III. 138.

Altera exorat patrem libram ocellatorum:
Altera virum semodium margaritorum.

His olim ludebant puellæ, ut nunc quoque. Ovid. Met. X. 160.

—— modo grata puellis
Munera fert illi conchas, teretesque lapillos.

Casaub. Torrent. & Pitisc. in Suetonium. Souter. de Aleator. III. 5. Senftleb. de Alea c. 16. n. 1: 17. n. 2 6.

OCELLATIM ludere, ita enim lego pro *ocellatis* in Suet. Aug. laudato supr. in *Ocellata*, dicimur passim apud nos Italos, cum pueros imitamur, qui se modò abscondunt, modò proferunt, oculosque digito obvelant, tanquam non videantur, deinde sono edito prorumpunt. Hoc fecisse Socratem legimus, nam cum quis ab eo peteret, quid hæc vita foret, abscondit se post parietem, ac continuò ostendit, ut ludum esse puerilem, ac momentaneum vitam nostram, declararet. Ejus ludi meminit Horat. Od. 1. 9. 22.

Gratus puellæ risus ab angulo.

Et Virg. Ecl. III. 65.

Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. II. 1.

OCR.

OCREA est munimentum tibiæ. Liv. IX. 40. *Sinistrum crus ocrea tectum*. Κνημῖδα vocat Homer. Iliad. III. 330. V. illum supr. in *Lunula*. Feith Antiq. Homer. IV. 8. Romanis major, quàm nunc sunt in usu. Hoc genus indumenti *Cares invenerunt*. Plin. VII. 56. Vulcat. Gallic. Avid. Cass. c. 6. *Arma militum septima die semper respexit, vestimenta etiam, & calceamenta, & ocreas*. Laz. Comm. Reip. Rom. VIII. 13. Fuerunt primò è corio, postea ex ære, & ferro. Hinc χαλκοκνημῖδας Ἀχαιοὺς, *ex ære ocreatos Achivos* vocat Homer. Iliad. VII. 41. Et Hercules cum aureo thorace induit *ocreas ex orichalco splendido*. Κνημῖδας ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ. *Voss. de Idolol.* III. 70. *Byn. de Hebr. calc.* I. 4. 11. *Potter. Archæol. Græc.* III. 4. *Kipping. Antiq. Roman.* III. 3. §. 4. *Laz. l. l.* Dimidium crus tantum tegebant, factæ ad modum earum, quæ hodie *borzachini* vocantur, quales & marmora ostendunt. Harum nonnullæ ex una lamina totæ constabant, eratque non solum adversus cæsam, sed etiam punctam firmæ; nonnullæ verò ex laminis, quodam inter se spatio distinctis, & in morem serpentum obliquè ductis factæ erant, quæ tantum adversus cæsam crus muniebant. Credo autem sic eas perforari solitas fuisse, ut crura gestantium minus onerarent; & ob causam eandem breviores eas fuisse existimo, quoniam, licèt scutum paullum attolleretur ad caput defendendum, crurum tamen pars superior, quamvis *ocreis* nuda, ob scuti longitudinem ab ictibus satis tuta erat. Mirum videri possit, equites non gestasse longiores *ocreas* quàm pedites, modò marmora hìc non fallant, dextrumque genu cum femore, & crure dimidio nudum habuisse, quæ tamen corporis pars, homini in equo sedenti, omnium maximè id ictus patet: sinistrum enim à scuto tegitur. At non possum mihi persuadere, Romanos adeò providos, & cautos circa ea, quæ ad armaturam pertinerent, huic parti corporis nullum tegumentum dedisse, sive id esset ex ære, sive ex ferro, sive ex texto lineo, ex quo etiam loricæ conficiebant. Vegetius affirmat Romanos dextro tantum cruri eas induxisse. I. 20. *Pedites scutati etiam ferreas ocreas in dextris cruribus cogebantur accipere*. Quod, cum gladio cominus rem gererent, pedem dextrum inante habetent, eumque ideò scuto minus tectum. Livius verò de Samnitibus supr. laudatus, & Polyb. VI. 21. loquitur numero unitatis: *Accedit ocrea*, & sententiam istam videtur confirmare. Pluraliter verò dixit Liv. I. 43. *Arma his imperata, galea, clypeus, ocreæ, lorica, omnia ex ære*: ideòque de duabus, non verò de una intelligendus. *Ocreas* quoque numero multitudinis dicit Dionys. IV. p. 211. Et monumenta lapidea de binis, non de una fidem faciunt. *Patric. Rei milit. Rom. part. V. sect. 6. Voss. l. l. Lips. de Milit. Rom.* III. 7. *Zimmerman. Floril. Philol.* p. 580. *Caroli Antiq. Roman.* III. 7. *Thys. Rom. Illustr.* III. *p.* 83. De *Ocrea* etiam multa *Spanhem. in Julian. Orat.* I. *p.* 251. *a. f.*

OCRICULANA tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

OCT.

OCTAVA pars in publicum inferebatur ex gerulorum quæstibus. Hoc vectigal instituit Caligula. Suet. c. 40. n. 5. *Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octava exigebatur*. Burman. Diss. de Vectig. c. 12. Franckenstein de Ærar. pop. Rom. c. 8. Ex libertorum possessionibus. Dio L. p. 424. E. *Triumviratu Lepidi & Antonii imperatum libertis, quotquot in Italia degerent, si ducenta H. S. vel amplius possiderent, ut octavam partem suarum facultatum in publicum inferrent*. Buleng. de Vectig. c. 46. Ex mercibus, quæ venirent. l. 7. C. loc. & cond. *vectigal octavarum* dicitur, l. 7. de Vectig. *octavas dependere*. Buleng. ibid. c. 59. Burmann. ibid. c. 5.

OCTAVARII dicebantur, qui vectigal *octavæ* portorii nomine exigebant. Mutatio in eo aliqua accidit, ut cum antiquioribus Reipublicæ seculis privata auctoritate, & propriis ministris publicani vectigalia exigerent, *octavariis* adjuncti sunt milites, qui illis contra vim, & fraudes mercatorum adessent. Hoc colligitur ex Dion. XLVIII. p. 383. A. ubi narrat, plebem tumultuantem contra publicanos *cum illis & eorum ministris & militibus, qui illis in exigendis pecuniis opitularentur, ad manus venisse*. Burman. Dissert. de Vectig. c. 9. Buleng. de Vectig. c. 59. Schill Nomencl. Philol. p. 835.

OCTAVIA gens. V. illam supr. in *Gent*.

OCTOBER. Hunc de nomine suo Domitianum dixit Domitianus. Suet. c. 13. n. 8. *Post duos triumphos cognomine adsumpto, Septembrem mensem, & Octobrem ex appellationibus suis, Germanicum Domitianumque transnominavit: quod altero suscepisset imperium, altero natus esset*. Euseb. Chron. ad an. 2103. *Duo menses aliter appellati, September Germanicus, & October Domitianus*. Sed hæc nomina mensium cum Domitiano interciderunt. Plutarch. Num. p. 72. D. *Succedentes appellationibus suis transnominavit Domitianus; verum haud id diu: quo trucidato receperunt suas, atque alter September, alter vocatur October*. Macrob. Saturn. I. 12. *Mensis September principalem suam retinuit appellationem: quem Germanici appellatione, Octobrem verò suo nomine Domitianus invaserat: sed ubi infaustum vocabulum ex omni ære, vel saxo placuit eradi, menses quoque usurpationem tyrannicæ appellationis exuti sunt*. Viola de vet. & nov. Roman. temp. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. VIII. p. 196. A. Morestell. Philom. II. 12. Panvin. Fast. I. p. 28. Pitisc. in Suetonium. Semper unum, & triginta dies retinuit. Et nonas septimo mensis die, & idus decimo quinto habuit. *Viola ibid. B.*

October equus. V. illum supr. in *Equus*.

OCTOPHORUM fuit octo rotarum vehiculum. *Blond. Triumph. Rom.* IX. *p.* 199. *D.* Imò fuit lectica, quæ ab octo lecticariis ferebatur. Mart. VI. 59.

Octophoro sanus portatur, Avite, Philippus.
Hunc tu si sanum credis, Avite, furis.

Apul. Apol. p. 525. *Vectabatur octophoro*. A quot lecticariis qui portabatur, quia lectica ferè semper a sex tantum servis gestabatur, protinus notabatur. Indicat hoc Mart. l. l. ubi Philippum quendam insanum vocat, quod ab octo servis lectica ejus ob quandam divitiarum inanem ostentationem per Urbem gestaretur. *Mercur. Gymnast.* III. 11.

III. 11. Qui falsus est. *Octophori* satis frequentes in Urbe fuerunt. Id notavit potius in Philippo Martialis, quod, cum esset sanus, id est, valens, integrisque corporis viribus, *octophoro* gestari voluerit. Scilicet *octophorus* mea opinione fuit muliebris ferè lectica, quia recta, occlusaque, ac ea eo ponderosior. At tecta, opertaque tantùm pro infirmis. De puella Mart. IX. 3. 11.

Octo Syris suffulta datur lectica puella,

& Apulejus modò laudatus. Quod si ergo vir, præsertim in Urbe, utebatur *octophoro*, vel ægrotus, vel stultè ambitiosus, ac delicatus habebatur. Atque huc respexit Martialis, lusitque ambiguitate vocis *sanus*. Si hunc credis sanum, valentemque, fueris, quia nemo valens tali utitur lectica inter viros. Ergo necesse est, ut si non sanus, si non corpore, saltem mente. Et quia *octophorus* lectica muliebris, ideò in viris notata, nisi ægrotarent. Cum præsertim tardè, molliterque incederet. Suet. Cal. c. 43. n. 2. *Iter confecit modo festinanter, & rapidè, interdum adeò segniter, & delicatè, ut octophoro veheretur.* Observamus tamen, majorem earum apud viros fuisse usum in viis extra Urbem, quàm in Urbe. Sic enim & Verrem legimus *octophoro* fecisse iter apud Cicer. v. 11. *Scheffer. de Re vehic.* II. 5.

OCU.

OCULAR, *oculare*, *ocularium* est in casside ferrata pars obversa *oculis*, per quam occurrentia, tecta tota facie, videri possunt; nobis *visier*, è Latino *visorium*. Rigordus sub A. D. 1215. vocat *ocularium galeæ*. Guil. Brito Philipp. II. galeæ medias fenestras, quibus est *ocularia* nomen, per quas admittit ocularis pupula lumen. *Reines. Inscript. Class.* XI. n. 66.

OCULARIARIUS est faber ille, qui vitra, vel muniendis contra injurias aeris *oculis*, vel objectis majori forma repræsentandis, & apprehendendis faciliùs intervientia præparat. *Vitrarium* dixit Senec. Epist. 90. *qui spiritu vitrum in habitus plurimos format*. Inscript. Romæ:

L. PATROCLUS. FABER
OCULARIARIUS.

Reines. Inscript. Class. XI. n. 66.

OCULARIUS, qui dicitur *medicus ocularius* in lapide qui est Stabiæ apud Petrum la Seina Nepenth Homer. par. IV. CN. HELVIUS. CN. L. IOLA. MEDICUS. OCULARIUS. & in illo, qui est Romæ propè collem hortulorum;

TI. LYRIUS. TI. CÆSARIS
AUG. SER. CELADIANUS
MEDICUS. OCULARIUS.
PIUS. PARENTIUM. SUORUM. . . .

& *medicus ab oculis* in alio lapide: SILICIUS. MEDICUS. AB. OCULIS. est, qui *oculos* curat. *Ocularii* apud Galen. de Compos. med. sec. loc. lib. I: IV. 6. & 7. nominatum occurrunt Capito, Hermias, Heros, Sergius, Paccius, Galbo, Gajus, Stolus, Britannicus, Zoilus. Nec immeritò, quandoquidem nulla corporis pars tot vitiis obnoxia: ut nonnulli supra centum & viginti distinctas eorum affectiones observarint. Talis Atimetus apud Scribon. comp. 120. & Euelpides, quem sua ætate maximum fuisse *medicum ocularium* scribit Cels. VI. 6. *Rhod. in Scribon. p. 76. Pignor. de Serv. p. 72. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p. 855. D.*

OCULUS *inter omnes creaturas digna est admiratione: quandoquidem is omnem perlustrans creaturam, ipsum quoque Deum in ea nobis enarrat, dum Creatorem in creatura veluti spectandum exhibet, atque animum à visibilium inspectione ad invisibilium cognitionem traducit. Hujus opera cum plures alias res creatas percepi, tum præcipue multiplicem colorum tincturam, tristitiam tenebrarum, lucis denique splendorem. Sublato nimirum oculo, omnis creatura testibus veluti destituta senescet, nomine sapientiam, potentiamque divinam in ea elucentem dignè considerante.* Photius in Excerptis ex Asterii Amaseæ Episcopi sermone in cœcum à nativitate. Plin. XI. 37. Fronti, ac supercilio *subjacent oculi, pars corporis pretiosissima, ut qui lucis usu vitam distinguant à morte.* Junius de Pictur. III. 9. §. 8. Si dexter salierit, portendit, subditos inimicos fore, & peregrinationes. Si superior palpebra, acquisitionem omnino, secundum verò Antiphonia negotiationem, & sanitatem significat, servo insidias, viduæ peregrinationem: sin autem inferior, lacrymas enuntiat, servo bonum, virgini injuriam, viduæ subjugationem. Si angulus dexteri tremuerit, pauperi injucunditatem, servo bonum, virgini periculum, viduæ inhonorationem, atque inimici peregrinantis reditum. Si sinister quatitur, adventum hospitis maximè dilecti, aut futurum iter denuntiat, & si aliquis ab ipso fugiet, eum per longum iter inveniet, & spem mulieribus etiam significat; pauperi verò iter in bonum, aliis multum laborem, & parum possidere præsagit. Si sinistri superior palpebra salierit, pauperi acquisitionem, & opulentiam significat, servo insidias, virgini vituperationem, viduæ bonum, diviti convivium, agricolæ, & venatori auxilium, & utilitatem, militi felicitatem. Si sinistri dexter angulus salierit, sanitatem, & salutem ominatur: si verò sinister, omnia bona significat: si inferior sinistri palpebra, injucunditatem, servo calumniam, virgini incorruptibilitatem, viduæ injuriam. *Niphus de Augur.* I. 9. *Muret. Var. Lect.* IX. 6. Illorum sordes, qui summo manè surgebant, abluebant, V. supr. in *Abluebant*. Mortuo *oculos* claudebant Græci pariter ac Romani: & quidem uxores maritis. Homer. Odyss. Ω. 293.

Neque uxor multum dotata prudens Penelope
Ploravit in lectis dilectum maritum, ut decet
Oculos illius claudens: hic enim est honos mortuorum.

Ovid. Trist. Eleg. IV. 3. 43.

Supremoque die notum spectantia cælum
Texissent digiti lumina nostra tui.

Mariti uxoribus. Ovid. Heroid. X. 119.

Ergo nec lacrymas matris moritura videbo?
Nec mea qui digitis lumina condat, erit?

Parentes liberis. Homer. Iliad. Λ. 452.

Ah miser! non quidem tibi pater, & honoranda mater
Oculos claudent mortuo.

Lucan. III. 737.

Ille caput labens, & jam languentia colla
Viso patre levat: vox fauces nulla solutas
Prosequitur: tacito tantum petit oscula vultu,
Invitatque patris claudenda ad lumina dextram.

Liberi parentibus. Albinov. ad Liv. n. 157.

Sospite te saltem moriar, Nero: tu mea condas
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.
Atque utinam Drusi manus altera, & altera fratris
Formarent oculos, comprimerentque meos.

Val. Max. II. 1. *Cum jam visceribus rigorem cordi imminere esset locuta, filiarum manus ad supremum opprimendorum oculorum officium advocavit.* Legem Mæviam. V. illam infr. in *Sigillum*. nonnulli ita interpretantur, quasi caveatur, ne filii morituris patribus *oculos* claudant; sed ut id faciant propinqui, & necessarii. Alii filiis id quidem licuisse arbitrantur, sed velarium fuisse obductum, aut clausas fenestras, ne assistentes viderent oculos morientis. Ego assentior Antonio Augustino de Leg. in Mævia, existimanti dictum id per translationem esse, videlicet, ne parentum mortem maturarent, usque spiritum adhuc ducentibus oculos operirent. Frater fratri. Albinov. ibid. n. 93.

Lumina cærulea jam jamque natantia morte,
Lumina fraternas jam subitura manus.

Claudebantur morientibus, quia nefas existimabant eos supremum ab homine spectari. Plin. XI. 37. *Morientibus oculos operire, rursusque in rogo patefacere Quiritium magno ritu sacrum est: ita more condito, ut neque ab homine supremum spectari fas sit, & cœlo non ostendi nefas.* Fortè etiam eo ipso indicare voluerunt, mortem ferè somnum quendam esse, aut somno quàm simillimam: vel cavere, ne horror aliquis circumstantibus oboriatur, cum terribile appareat apertis oculis à mortuo velut conspici: vel etiam gratificari morientibus, quibus maximæ curæ esse solet, ut membris decenter compositis è vita migrent. Hinc

for-

formare oculos supr. dixit Albinovanus. *Kirchman. de Funer.* I. 6. *Meurs. de Funer.* c. 3. *in Lycophron.* p. 193. *Delrio in Senec. Troad.* p. 327. *Guther. de Jur. man.* I. 12. *Merestell. Pomp. Feral.* I. 5. *Schott. in Senec. Controv.* IV. p. 640. *a. Clasen. Theol. gentil.* I. 10. 18. *Feith Antiq. Homer.* I. 13. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. *Casal. de Urbis, ac Romamper. splen. part.* 2. c. 21. *de Prophan. Rom rit.* c. 26. *Blond. Triumph. Rom.* 11. p. 39. *A Goral. ad Albinovanum.* In rogo aperiebant. Plinius modò laudatus. Quem morem allusisse videtur Virg. Æneid. IV. 244.

Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.

Servius *resignare* perperam exponit claudere, perturbare. *Turneb. Adv.* XXIV. 26. *Kirchman. ibid.* III. 2. *Nicol. de Sepulcr. Hebraeor.* II. 3. 4. Hoc à mente Virgilii alienum esse, & Turnebum ineptire dicunt *Guther. l. l.* & *Castal. Obser. Dec.* IV. 4. Sed Turnebi explicatio firmatur verbis Varronis supr. productis. Illic in re mortuorum *sigillare* est occludere. Resigno erit aperio, quasi resigillo. *Cerda in Virgilium.* Per *oculos*, tanquam per rem sibi carissimam jurabant, præcipuè in amoris negotio, Tibull. III. 6. 47.

Et si perque suos fallax juravit ocellos, . . .

Prop. I. 15. 33.

Quam ve mihi vales isti videantur ocelli,
Per quos sæpè mihi credita perfidia est.
Hos tu jurabas, si quid mentita fuisses,
Ut tibi suppositis exciderent manibus,

Plaut. Men. V. 9. 1.

Si voltis per oculos jurare, nihilo hercle ea causa magis
Facietis, ut ego hodie abstulerim pallam. . .

Petronius. V. illum supr. in *Jurare*. Brisson. de Form. VIII. p. 709. Hansen. de jurejur. vet. c. 21. Broukh. in Tibullum. Lautent. de Rebuspubl. c. 4. Nec tantum per suos, sed & per *oculus* adamati capitis. Ovid. Amor. II. 16. 43.

At mihi te comitem juraras usque futuram,
Per me, perque oculos, sidera nostra, tuos.

III. 3. 9.

Argutos habuit, radians ut sidus, ocellos;
Per quos mentita est perfida sæpe mihi....
Perque suos illam nuper jurasse recordor,
Perque meos oculos, & doluere mihi.

Broukh. l. l. *Oculos* digito eruere erat olim consuetudo in ira. Matt. I. 93. 12.

Sed fodiam digito, qui superest, oculum.

Lucian. Sympos. p. 655. Tom. II. *Verum Cleodemus intentato digito Zenothemidi oculum effodit.* Lamprid. Alex. Sev. c. 17. *Referebat Encolpius, illum si unquam furem judicem vidisset, paratum habuisse digitum, ut illi oculum erueret.* Salmas. in Lampridium, Damnatorum obligabant. Joseph. de Bell. Jul. VII. 14. *Is cum revinctis post terga manibus, oculisque fascia obstructis, in conspectum Romanorum, veluti capite cæsurus, produxit.* Apud Curt. VI. II. 15. *ob ligantur oculi* Philotæ, ut feralibus istis tenebris magis etiam augeretur, & admota crudelitatis tormenta, quanto inopinata, vehementiùs expavesceret. Hodie iis, qui gladio percutiuntur, integuntur *oculi*, mitiorem ob causam: ne scilicet aspectu carnificis perterriti, preces ultimas turbatiori mente profundant: deinde ne speculatorem fortè subducto capite, aut projectis manibus frustrentur, vel impediant. *Freinshem. in Curtium.* Osculari amantium proprium quoddam erat. Apul. Met. II. p. 42. *Vesperi quoque cum somno concederes, te in cubiculum deduxit comiter, & blandulè lectulo collocavit, & satis amanter cooperuit: & osculato tuo capite, quàm invita discederet, vulta prodit.* Quoniam *oculi* quasi fenestræ sunt, in quibus mentis imago apparet, atque illorum contactu pectus veluti tangitur. Cordis nuntii sunt; ex his enim virtutes, vitiaque agnoscimus, iratum, vel propitium animum, lætum, vel affectum perpendimus. Apul. Met. III. p. 84 *Cum isto fine fermentis oculos Fotidis udos, ac tremulus, & prona libidine marcidos, jam jamque semiadopertulos admisse, & sorbillantibus suaviis sitienter hauriebam.* Hoc genus osculi improbioris significant Prop. II. 12. 7.

Illa meos somno lassos patefecit ocellos
Ore suo

Catull. XLV. 10.

At Acme leviter caput reflectens,
Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo purpureo ore suaviata.

Kemp. de Oscul. Diss. XIII. §. 15. Passerat. in Propertium. Schott. Observ. II. 36.

Oculus terræ alicujus appellatur urbs ejus princeps. Cicer. de Nat. deor. III. 38. *Critolaus evertit Corinthum, Carthaginem Hasdrubal. Hi duo illus oculos oræ maritimæ effoderunt.* Attic. XVI. 2. *Cur ego tecum non sum: cur ocellos Italiæ villulas meas non video?* Pindar. Olym. II. 15.

Qui quum laborassent multum animo,
Sacrum tenuerant habitaculum
Fluvii, Siciliaque erant
Oculus.

Sic Julian. Epist. 24. Damascum *totius orientis oculum* vocat. *Victor. Var. Lect.* IX. 9. *Sursta in Anson. Itiner.* p. 586. *Barth. Adv.* XI. 3. *Schott. Observ.* II. 36. III. 28. *Voss. Instit. Orat.* IV. 5. 6. *Vechner. Hellen.* p. 273. *Jun. Adag.* p. 48.

Oculus volutæ est parvus ille circulus in volutæ Ionicæ meditullio, seu centro constitutus, circa quem volutæ pulvinus, veluti circa teretem baculum, seu axem circumvolvitur. Metaphoricè igitur *oculus*. Vitruv. III. 3. *Tunc in eo loco, qui locus dividit quatuor & dimidium, & tres, & dimidiam partem centrum oculi signetur.* Bald. Lex. Vitruv.

ODA.

ODARUM genus fuit triplex: unum, quod omnes pariter uno concentu: alterum, quod virium singuli per ordinem canebant: & tertium scolion, quod à pertissimo quoque, ut res in ordine canebat, succinebatur. *Buleng. de Theat.* II. 10.

ODE.

ODEUM erat locus Athenis theatri speciem habens, in quo certamina musica spectabantur. Pericles illud struxerat. Suidas: *Odeum Athenis tanquam theatrum erat, quod, ut ajunt, Pericles exstruxerit, ut musices ostentaret.* *Cantilenarium* Latinè dici posse dicit Rittersh. in Salvian. p. 57. & *Cantatorium* ad Suidam Æmylius Portus. Describit Plutarch. in Pericl. p. 160. A. *Odeum, cujus interior descriptio multa habet sedilia, multasque columnas, tectum autem subvexum, & acclive, in unum assurgens fastigium, imaginem fertur esse, & simulacrum tabernaculi Regis.* Et Aristoph. Schol. p. 510. *Locus erat in theatri speciem, in quo de more poemata ostendebantur, antequam theatra publicarentur.* Sigon. de Republ. Athen. IV. 3. Meurs. Lect. Attic. IV. 28. Ceram. Gemin. c. II. Pius Annot. Post. c. 86. Panvin. de Lud. Circ. II. I. ad illum Argolus & Pinellus. Mercur. Gymnast. III. 7. Philand. in Vitruv. V. 9. Bald. Lex. Vitruv. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Theatr. I. 26. Bergier. de vus milit. V. 8. 7. Fabric. Descr. Urb. Roman. c. 12. Pancitoll. de Reb. deperd. & invent. p. 82. Salmuth ad illum p. 89. Pitisc. in Suet. Domit. c. 5. n. 3. Schil. Nomencl. Philol. p. 536. Romæ quatuor fuerunt *odea*. I. in monte Aventino. De illo Cicer. Attic. IV. 16. *Monumentum, quod tu laudibus tollere solebas, ut odeum laxaremus, & usque ad atrium Libertatis explicaremus, contempsimus.* II. inter Palatium & Cœlium prope Metam sudantem. Hujus quidem nomen Seneca non exprimit, sed ab usu describit Epist. 57. V. illum supr. in *Metta sudans.* III. propè theatrum Pompeji. Hoc videtur innuere Ammian. XVI. 10. *Deinde intra septem montium culmina, per acclivitates, planitiemque posita Urbis mœnia membra collustrans, & suburbana, quoquid viderat primum, id eminere inter alia cuncta sperabat. . . . Urbis templum, forumque Pacis,*

Pacis, & Pompeji theatrum, & odeum, & stadium, aliaque inter hæc decora Urbis æternæ. IV. inter cætera opera mirabilia, & memorabilia fecit Domitianus. Suet. c. 5. n. 3. *Excitavit templum Flaviæ gentis, & stadium, & odeum.* Qui non planè indicat, exstruxeritne, an reparaverit. *Fabric. Buleng. Philand. Band. Pitisc. l. l. Rittersh. in Salvian. m. p.* 57. Trajani opus fuisse vult Xiphil. LXIX. p. 789. C. *Appollodorum architectum, qui forum, & odeum, & gymnasium, opera Trajani, Romæ fecerat, primum exsilio, deinde etiam morte mulctavit* Adrianus. *Paneiroll. Salmuth* & *Pitisc. l. l.* Fuit illud templum Minervæ. Itaque Mart. IX. 4. opera Domitiani recensens nusquam *odei* meminit, sed templi Palladis, & templi gentis Flaviæ, per templum Palladis intelligens *odeum*. Atque hoc inde quoque planius est, quod scripsit n. 10.

Pallada prætereo: res agit illa tuas.

Quomodo Pallas res Domitiani agit? Quia in *odeo*, sive templo ejus chori musicorum, & poetarum commissiones, cantantium laudes Domitiani. Idem dictum quoque fortè *Minervium* nona regione Urbis, sive circo Flaminio apud P. Victorem. Tangit hoc quoque IV. 53. 1.

Hunc quem sæpè vides inter penetralia nostræ
Pallados, & templi limina, Cosme, novi.

Limina templi novi dixit *odeum*, sive Minervium novum perconditum à Domitiano veteri Minervæ. Nam etiam *vetus Minerva cum luco* eadem regione Urbis. Dixit *nostra Pallados*, *odeum* opponens templo gentis Flaviæ, quod etiam ipsum opus Domitiani hoc capite, & dicatum quoque Minervæ Flavianæ. Victor regione Urbis sexta: *Templum Minervæ Flavianæ, aliàs templum gentis Flaviæ.* Duplex itaque Pallas, sive Minerva: una Flaviana, altera *odei*, quam Martialis *nostram* vocavit, quod in ejus templo musicorum, & poetarum chori frequentarentur, & canerent laudes Domitiani. *Marcil. in Suetonium.* Antiquarii hoc genus ædificii musicis, & tibicinibus inservisse dicunt, priusquam in theatrum prodirent. Sed hoc Domitiani certaminibus fuisse musicis dicatum ego existimo, quæ publicè coram ipso celebrata. Suet. c. 4. n. 9. *Instituit & quinquennale certamen, Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, gymnicum. Certabant etiam & prosa oratione Græcè Latinèque, ac præter citharœdos chorocitharistæ quoque, & psilocitharistæ,* Nardin. Rom. Vet. VI. 10.

ODO.

ODORAMENTA, flores, & crocum, præcipuè cum agerentur fabulæ, in theatri, scenæque delicias ob repleruntur. Hoc perobscurè, quum de Atta comico poeta meminit, significat Horat. Epist. II. 1. 79. V. illum supr. in *Atta*. Rhodig. Ant. Lect. XXVII. 26. Extra sepulcra statuta erant. Inscriptio apud Gruter. p. 1122. n. 12.

D. M
PHILEMINIÆ. P. L
MAXIMÆ
STATUTA
ODORAMENTA
EX. H S. ↄↄↄↄ
PRIMA. MATER
MISERRIMA
FILIÆ. CARISSIMÆ
AN. XVIII

Hæc statis, & sollennibus diebus sepulcris infundebantur. *Guther. de Jur. man.* II. 32.

ODORES sunt herbæ *odoriferæ*, aromata. Cicer. Verr. V. 6. *Proferebant alii purpuram, thus alii, atque odores.* Curt. VIII. 9. §. 23. *Quum Rex se in publico conspici patitur, thuribula argentea ministri ferunt, totumque iter odoribus complent.* Idem V. 1. §. 11. & Tibullus mox laudandi. *Pitisc. in Curt.* V. 1. §. 11. Proveniunt in Arabia. Tibull. II. 2. 5.

Urantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener è terra divite mittit Arabs.

Curt. V. 1. §. 11. *Arabia odorum fertilitate nobilis regio.* Herodian. III. 9. §. 6. *Illic*, in Arabia, *herba proveniunt odorata, qua nos aromata suffimentaque habemus.* Prop. III. 11. 8.

Cinnamon, & multi pastor odoris Arabs.

Solinus. V. illum infr. in *Thus*. Adeo ferax est Arabia diversarum rerum *odoratarum*, ut Strab. XVI. p. 535. scripserit *Sabæos odoribus stupefieri*; ut feratur adagio *Arabicè olere*; utque Plin. XII. 17. maximè miretur, *peregrinos ipsam mittere odores, & ad exteros petere. Tanta mortalibus suarum rerum satietas est, alienarumque aviditas.* Servius de Odor. Misc. Erud. Ital. Tom. III. p. 647. Passerat. in Prop. II. 22. 17. Pitisc. l. l. *Odorum* usus fuit I. in sacris. Tibullus jam laudatus. Præcipuè ob ista, quia non sunt species, sed *halitus fumei*. Aristot. de sensu & sensil. c. 2. & ex rebus bene temperatis educti vim habent tum aera purgandi, tum, ubi cerebro sunt recepti, recreandi spiritus, & ad tempus conservandi. Vel eo attenderunt gentiles, quod dii cœlum incolant, & *odores* cœlum petant: quod item dii spiritus sint, & *odores* reficiant spiritus. Si nihil horum placet; dicamus, nationes id traditione à piis accepisse majoribus. Nam magna pars ceremoniarum gentilium ea patriarchalibus, ac Mosaicis originem traxit. *Voss. de Idolol.* III. 30. II. in conviviis. Senec. de vit. beat. c. 11. *Aaspice Nomentanum, & Apicium, terrarum, ac maris, ut isti vocant, bona conquirentes, & super mensam recognoscentes omnium gentium animalia. Vide hos eosdem è suggestu rosa exspectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes. Mollibus, lenibusque fomentis totum lacessitur eorum corpus: & ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur locus ipse, in quo luxuria parentatur.* Plaut. Men. II. 3. 3.

Sternite lectos, incendite odores.

Apud Athen. XV. p. 686. pueri *ad mensam coronas, unguenta, & odores* apportant. *Ciaccon. de Triclin. c.* 74. *Lips. in Senecam. Bacc. de Conviv.* III. 12. *Taubman. in Plautum.* IIII. in funerandis cadaveribus, ut odoris gravitas prohiberetur. Illos ferebant proximiores, & amici, & post tubicines progrediebantur. Stat. Sylv. V. 1. 208.

—— *quis carmine longo*
Exsequias, & dona mala feralia pompæ
Perlegat? omne illic stipatum examine longo
Ver Arabum, Cilicumque fluit, floresque Sabæi,
Indorumque arsura seges.

Portabant lancibus. Prop. II. 11. 23. V. illum infr. in *Unguentum*. Et illis inscribebant, quid quæque continerent. Stat. Theb. VI. 126.

Portant inferias, arsuraque fercula primo
Grajorum, titulisque pios tostantur honores.

Meurs. de Fun. c. 22. Guther. de Jur. man. I. 23. Jaciebant in rogum. Plin. XII. 18. *Beatam illam fecit hominum etiam in morte luxuria: quæ diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis. Periti rerum asseverant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero princeps novissimo Poppææ suæ die concremaverit. Æstimentur postea toto orbe singulis annis tot funera, acervatimque congesta honori cadaverum, quæ diis per singulas micas dantur.* Val. Max. V. 1. 10. *Caput etiam Pompeji plurimis & pretiosissimis odoribus cremandum curavit Cæsar.* Hunc luxum modò deprecatus est Propertius. *Kirchman. de Fun.* III. 5. *Morestell. Pomp. Feral.* VII. 1. *Kipping. Antiq. Roman.* IV. 6. 9. Hunc morem Romanorum mortuos omni genere *odorum* condiendi, ab Ægyptiis primùm, & Judæis usurpatum, tum ab unigena Dei Filio approbatum, Christiani spe resurrectionis, ut diutiùs integri servarentur, in sepeliendis Sanctorum corporibus observaverunt. Tertull. Apolog. c. 42. *Thura planè non emimus. Si Arabiæ queruntur, sciant pluris, & carioris merces suas Christianis sepeliendis profligari, quàm diis fumigandis.* Hoc est enim, plus *odoramentorum* à Christianis in illa paupertate prodigi consuevisse, quàm ab Ethnicis. Scilicet Ethnici duobus digitulis paucas thuris glebulas diis numerabant. Christiani plena manu, & sinu casiam, & cinnama effundebant, sumptibusque funerum Arabias, & Sabæos exhauriebant. *Ferrar. de Lucern. sepulcr. Thes. Antiq. Rom. Græc. Tom.* XII, p. 1014.

p. 1014. *F. Merell. in Statii Sylvas*, IV. in theatris. V. supr. in *Odoramenta*.

OE.

OE pro *E* antiqui scribebant. Lapis in arca arcis S. Andreæ à Briorto:

IN. HONOREM. DOMUM. DIVINÆ
DEO. MERCURIO
D. PROSCOENIUM. OMNI. IMPENDIO. M
SUO. CAMULIA. ATTICA.

Reinef. Inscr. Append. emiss. n. 41, & Ind. g.

Oe pro *U* antiqui scribebant. Serv. in Virg. Æneid. x. 24. *Mœrorum pro murorum; nam veteres pleraque eorum, que nos per U dicimus, per OE scribebant*. Inde in Columna rostrata est *clasess Pœnicas* pro *Punicas*; inde *pœnire* pro *punire* dicebant, quod verbum à *pœna* venit: inde in ponte Fabricio Romæ scriptum est *cœravit* pro *curavit*; in vetusto plebiscito, quod adducitur à Festo in Publica pondera, *oetier*, pro *utier*. Ciaccon. Column. Rostrat. Thes. Antiq. Roman. iv. p. 1820. F. Turneb. Adv. iii. 11. Reines. Inscript. Ind. g.

OEC.

OECUS, Græcum verbum οἶκος, domum significat, & quamvis domum, Vitruv. vi. 5. *Sin autem exedra, aut œci quadrati fuerint*, c. 10. *Constituuntur œci magni*. Hic de parte domus intelligitur, eaque nobili, in qua virilia celebrabantur convivia; quod de quadratis *œcis* testatur ipsemet Vitruv. l. l. his verbis: *Ad meridiem verò spectantes œcos quadratos, tam ampla magnitudine, ut faciliter in eis triclinus quatuor stratis ministrationum ludorumque operis locus possit esse spatiosus*. Erant quoque in Græcorum domibus *œci* magni, in quibus, ut idemmet attestatur, matresfamiliarum habebant lanificia, & hi tum situ, tum officio à quadratis longè aberant. Cœnationibus autem *œcos* esse aptos locos habemus è Plin. xxxvi. 25. ubi ait: *Sosium Pergami stravisse asaroton œcon, in cujus pavimento erant reliqua, & purgamenta cœna, tessellis, testulisque manu artificis affabrè factis*. Putat Baptista Albertus, Græcorum *œces* nostris salis respondere, & fortè à vero non aberrat. Certè triclinia fuisse ex verbis Vitruvii facilè liquet. Sed & ex Polluce i. 8. qui tradit *œcon dici triclinon, pentaclinon, & decaclinon ex lectorum numero*. Apud Athen. v. habemus, ad proram navis Ptolemæi Philopatoris *œcon* fuisse τρισκαιδεκάκλινον, hoc est, tredecim lectorum capacem. Horum variæ fuere species, qui & tetrastyli à numero columnarum, Cyziceni & Ægyptii. Horum omnium imagines graphicè lineatas oculis subjecit Andreas Palladius, nostri temporis egregius architectus, Architect. ii. c. 7. in. qui quidem vernaculè, Albertum secutus, *salas* more nostro cognominat. *Baldus & de Laet. Lexic. Vitruv. Zimmerman. Floril. Philol. p. 579*.

OEN.

OENOPHORUM est vas, cujus nomen à vino ferendo deductum. Hinc Satyricè Juven. Sat. vi. 425.

——at andem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum sitiens, plena quod tenditur urna
Admotum pedibus.

Nos dicimus *broch* à Græco verbo βρέχω, id est, fundo, quod sit vas fundendo vino accommodatum, implendis, deplendisque culeis, & vasis conditorur, & vino quocunque modo transvasando. *Bud. de Asse* v. p. 614. *Cenal. de Pond. & mens. rat. Thes. Antiq. Roman. Grav. Tom.* xi. p. 1474. *B. Grang. in Juvenalem*.

OENOPONS, vulgo *Inspruch*, est urbs sita ad *Oenum flumen, quod Rhetos, Noricosque interfluit*. Tacit. Hist. iii. 5. 5. *Pancirell. Notit. dignit. imp. occid. c. 82*.

OENOTRIA dicta est ab *Oenotro* filio Lycaonis Arcadis. Hoc duce *colonia à Græcis in Italiam est missa* xvii. *ætatibus prius quam apud Trojam bellatum est*. *Migravit Oenotrus è Gracia non contentus portione sui patrimonii. Cum enim essent Lycaoni* xxii. *filii, opus erat in totidem sortes dividi Arcadiam. Hanc ob causam, relicta Peloponneso, classeque parata, trajecit mare Ionium, comitante bona parte popularium. Adjunxerunt se his & alii Græci, quibus non sufficiebat ager proprius. Oenotrus cum majore parte exercitus pervenit in sinum, qui alluit occidentale latus Italiæ. Is nunc propter accolentes Ausonas dicebatur Ausonius. Hic nactus multos agros pascuos, multos arationi aptissimos, sed incultos pleros que, ac ne eos quidem, qui colerentur, frequentatos hominibus, cum repurgasset eos ex parte quadam à barbaris, condidit oppida parva, & contigua in montibus, ut tum erat mos veterum. Id totum quantum agri obtinuit, fuit autem illud non exiguum, Oenotria vocata est, Oenotrique ditionis ejus homines*. Dionys. Ant. Rom. i. p. 9. *Panvin. Desc. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom.* iii. *p. 207. C. Ferrar. de Orig. Rom. Thes. Græv. Tom.* i. *p. (4.) D. Leo Casella de Aborigin. Misc. Erud. Ital. Tom.* iii. *p. 11. Cluver. Ital. Ant.* iii. *1. 4. Sigon. de Ant. jur. Ital. 1. 12. Pancirolli. Notit. dignit. imp. occid. c. 53. Vinding. Hellen. Thes. Ant. Græc. Gronov.* xi. *p. 375. A. Victor. Var. Lect.* xxii. *20. Jun. Anim. 1. 22*.

OFF.

OFFELLÆ cognomine Lucretium quendam legi fuisse, occisum à L. Sylla Felice dictatore, sive à L. Belieno avunculo L. Catilinæ ex ejus auctoritate, quod ausus esset petere consulatum contra ejus voluntatem; quod cum populus Romanus indignè tulisset, advocata concione omnes se id jussisse certiores fecit: ut verba à tyranni facto non discreparent. *August. de Famil. Roman. in Lucretia*.

OFFENDERENT si exeuntes domo ad limen, inauspicatum erat. Tibull. i. 3. 19.

O quoties ingressus iter mihi tristia dixi:
Offensum in porta signa dedisse pedem.

Ovid. Heroid. xiii. 87.

Cum foribus velles ad Trojam exire paternis,
Pes tuus offenso limine signa dedit.

Amor. i. 12. 3.

Omina sunt aliquid; modo cum discedere vellet
Ad limen digitos restitit icta Nape.

Ideo exeuntes observabant, ne *offenderent*. Ovid. Amor. i. 12. 5.

Missa foras iterum limen transire memento
Cautius, atque altè sobria ferre pedem.

Cicer. de Divin. ii. 40. V. illum supr. in *Corrigia*. Buleng. de Prodig. c. 13. Sagittar. de Jan. c. 35. §. 12. Broukh. & Stat. in Tibullum. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. iii. 8. Delrin Disquis. Magic. iii. 4. 4. Zimmerman. Floril. Philol. p. 646.

OFFENDIX dicebatur amentum in pileo flaminis, quod infrà mentum illum retinebat. Mentum enim, infrà quod erat, ad pileum retinendum *offendebat*. Etiam cum ab utroque pilei latere amentum dimitteretur, utroque concurrente infrà mentum, se mutuò ibi *offendebat*. Festus: *Offendices ait esse Titius nodos, quibus apex retineatur, & remittatur. At Veraniolus coriola existimat, quibus apex retineatur, & remittatur*. Voss. Lex. Etymol. Scalig. Conject. in Var. p. 125. Boxhorn. Quæst. Roman. 30. Gutber. de Vet. jur. pont. i. 29. Merul. de Sacerd. Roman. c. 2. §. 9.

OFFERENDARIUM fit aræ species, ad quam liba *ferrentur*. Nam aræ in sepulcris frequentes fuerunt, in quibus pro manium quiete inferiæ dabantur. Dictum ab *offerendo*, unde *offerre* pro sacrificare in Primillæ inscriptione Romæ apud Gruter. p. 1123. n. 6.

D. M
PRIMILLÆ. ÆS
TIONES. CUI. ET
SACRIS. DOMESTI
CIS. OFFERRE. CON
CESSERAT. OLLAS
VI. MINORES. ET

LIBE-

LIBERIS. EJUS. IN.
AVITO. CONDITORIO
INDULSIT

In inscriptione apud Gruter. p. 884. n. 16. vocatur *Obrendarium*. V. illam supr. in *B. pro F.* Guther. de jur. man. II. 24.

OFFERUMENTUM dicebatur, *quod offerebatur*. Festus. Id ego de iis accipiendum putaverim, quæ in sacris *offerebantur*. Unde, ut suspicor, natus est elegans jocus Plaut. Rud. III. 4. 48.

Ni offerumentas habebis plures in tergo tuo.

Ubi *offerumentas* vibices plagarum tergo oblatarum perquam jocnlariter appellat. *Turneb. Adv.* XVI. 22. *Stuck. de Sacrif. p.* 12.

OFFICINA propriè est, in qua opera fiunt. Differt à taberna, in qua opera ipsa, & cæteræ merces venduntur. *Officina* est statuarii, fusoris, flatoris, cælatoris, excusoris, vitrarii, pictoris, sutoris, fabri. Taberna vocatur vinaria, olearia, & mille hujusmodi: unde opifices, & tabernarii vocantur. Cicer. pro Flacc. c. 18. *Opifices & tabernarios, atque omnem illam fæcem civitatum, quid est negotii concitare?* Vall. Elegant. IV. 44. Voss. Lex. Etymol.

Officinæ minii fuerunt inter templum Floræ, & secundam ædem Quirini, quæ ad fontem di Trevi conspicua erat. Vitruv. VII. 9. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 8. §. 4. *Marlian. Topogr. Urb. Roman.* IV. 25. *Argol. in Panvin. de Lud. Circ.* I. 21.

Officina monetæ fuit in Capitolio, propinqua curiæ Calabræ. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 10. §. 9. Sed à Capitolio ad ædem Saturni fortasse translata. Non leve argumentum est multis visum, quia ibi non longè à templo Antonini magnam æreorum nummorum copiam effodi vidimus. *Marlian. Topogr. Urb. Rom.* III. 3.

Officinæ odores coquentium etiam Romæ olim erant. Senec. Epist. 90. *Hinc fabrorum officinæ sunt, hinc odores coquentium.* Meurs. de Lux. Rom. c. 3.

Officinæ panariæ in unaquaque erant Urbis regione, & panis venalis gradibus quibusdam exponebatur. Prudent. contr. Symm. I. 583.

Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis.

Talis fortè prope circum, utpote in publico Urbis loco, fuerit. Huc enim possemus convertere verba Symm. ibid. II. 947.

Qui venit esuriens magni ad spectacula circi?
Quæ regio gradibus vacuis jejunia dira
Sustinet.

Argol. in Panvin. de Lud. Circ. I. 13.

Officina vitri fuit in circo Flaminio. Mart. XII. 75. 1.

Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus,
Accipe de circo pocula Flaminio.
Nullum sollicitant hæc, Flacce, toreumata furem,
Et nimium calidis non vitiantur aquis.

Erant ea vitra vilia, sed quæ calidis aquis, ut crystallina & gemmata, non vitiarentur. De iisdem loquitur paullò obscuriùs XIV. 94.

Nos sumus audacis plebeja toreumata vitri,
Nostra nec ardenti gemma feritur aqua.

Erant quasi cælata punctis coloratis, & crystallinis similia, quare toreumata vocantur. *Buleng. de Circo c.* 5.

OFFICINATOR dicebatur monitor, & præfectus operariorum, qui segniores monebat, castigabat, & exercebat. Ulpian. l. in instrumento ff. de Instruct. vel instrum. leg. *Quærendi homines, qui agrum colunt, & qui eos exercent, præpositive sunt his: quorum in numero sunt villici, & monitores.* Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19. Hoc vocabulo utitur Vitruv. VI. 11. *Cum subtiliter officinatoris probabitur exactio.* Intelligit Vitruvius omnes artifices, qui manu operantur, ut fabros lignarios, cæmentarios, sculptores, pictores, & alios istis similes. Non inveni hanc vocem ab alio Latinæ linguæ auctore fuisse usurpatam. *Bald. Vitruv. Lex. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 884. *D.* Quid si mercatores fuerint, qui *officinas* in castris habebant, omnes res necessarias militibus dividentes, quos hodie in castris *markatandos* voce Italica vocamus? De his & hæc monumenta accipienda sunt. Romæ in ædibus domini à Golot, Secretarii Apostolici:

T. IUL. BALBILLO. SAC. SOLIS. EU
TYCHES. AUG. LIB. OFFICINATOR.
A STATIVIS. AMICO. OPTIMO. DE-
DICA. . . . . .

Paduæ in ædibus Francisci Contareni D.

N. CC. VI. C. SEPUL. O
NESIMI. OFFICINA
TORI.

Laz. Com. Reip. Rom. IV. 6.

Officinator à statuis, cujusmodi legitur fuisse Eutyches nescio quis Augustorum libertus, est faber statuarius, proximè ad vim vocis, quam Vitruvius aliis intactam usurpavit. *Pignor. de Serv. p.* 465.

OFFICIOSI erant iidem qui salutatores. Ita vocabantur clientes, qui patronis, & amicis magnis ave matutinum cum dixissent, in atrio, & vestibulo morabantur, ad deducendum eos. Senec. de Brevit. Vit. c. 14. *Quam multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt, & per obscuros ædium aditus profugient?* Gell. XVI. 5. *Qui domos amplas antiquitus faciebant, locum ante januam vacuum relinquebant, qui inter fores domus, & viam medius esset, in eo loco qui dominum ejus domus salutatum venerant, priusquam admitterentur, consistebant.* Pignor. de Serv. p. 254. Sagittar. de Jan. Vet. c. 8. §. 6.

OFFICIUM vocabatur matutina salutatio. Tertull. de Pall. c. 5. *Nihilo officio advigilo.* Et *officium* salutationis. Suet. Aug. c. 27. n. 6. *Q. Gallium prætorem, in officio salutationis. . . . servilem in modum torsit.* Apul. Met. VII. p. 187. *Ut primum tenebris abjectis dies inalbebat, & candidum solis curriculum cuncta collustrabat, quidam de numero latronum supervenit: sic enim mutuæ salutationis officium indicabat.* Et sic iden vocabatur, quia ex *officiis* multis, quæ patronis clientes præstare tenebantur, illud non minimum erat, præcipuè crescente luxu, qui, ut in omnibus, sic in hac salutatione maximus fuit; quo plures enim clientes, & salutatores patronus haberet, eo pluris æstimabatur. *Claude de Salutat. Vet. c.* 7. *Pitisc. in Suetonium.*

Officium vocabatur nuptiarum celebratio, pompa, qua nova nupta deducebatur. Describit Juven. Sat. II. 132.

—officium cras
Primo sole mihi peragendum est in valle Quirini.
Quæ causa officii? quid quæris? nubit amicus.

Suet. Cal. c. 25. n. 2. *Liviam Orestillam C. Pisoni nubentem, cum ad officium & ipse venisset, ad se deduci imperavit.* Apul. Met. IV. p. 129. *Consensu parentum tabulis etiam maritus nuncupatus, ad nuptias officio frequenti cognatorum, & affinium stipatus.* *Officium* nuptiale vocat Petron. c. 25. *Consurrexi ad officium nuptiale.* Hinc Juven. Sat. VI. 203. *Labente officio*, id est, discedentibus convivis, qui ad nuptias convenerant. *Grang. ad Juvenalem. Gonsal. ad Petronium. Florid. in Apulejum. Pitisc. in Suetonium.*

OFFRINGERE terram dicebantur, qui illam secundò arabant. Varr. de Re rust. I. 23. *Terram cum primum arant, proscindere appellant: quum iterum, offringere dicunt.* Nam proscissione, hoc est, prima aratione, grandes glebæ excitantur, quæ iteratione *offringuntur*, rumpuntur, & æquantur. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 510. *a. F.*

OGU.

OGULNIA gens. V. illam supr. in *Gens*,

OHE.

OHE est interjectio, *qua fastidium, & satietatem designabant* veteres. Donat. ad Terent. Phorm. II. 3. 30. Persius hanc vocem usurpans, eorum fastidium notavit, qui

inter

inter dicendum, aut recitandum effusioribus audientium acclamationibus ita onerabantur, ut licèt earum avidi, cogerentur tamen tanquam fatui acclamantibus silentium imperare, atque identidem dicere, *ohe, ohe*. Ejus versus sunt hi Sat. I. 22.

Tun' vetule auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus & dicas cute perditus, ohe.

Respexit ad verba Horatii, quæ leguntur Sat. II. 5. 96.

Importunus amat laudari, donec ohe jam
Ad cœlum manibus sublatis dixerit, urge &
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.

Apud quem *ohe* fuisse fastidii, ac satietatis indicium scriptum reliquit Juven. Sat. VII. 62. scribens in hunc modum:

——satur est, cum dicit Horatius, ohe.

Ferrar. de Acclam. & plaus. III. 17. Casaub. in Persium.

OLE.

OLEA *est arbor, oliva fructus, oleum liquor*. Caper de Orthogr. p. 2242. Edit. Putsch. Ita Græci *ἐλαίαν oleam*, *ἐλαίαν olivam*, *ἔλαιον oleum* dicunt. Eo tamen deducta res est, ut *olea*, & *oliva* confundantur, sumanturque tam pro fructu, quàm pro arbore. Nam *oleam* fructum dicit Colum. XII. 50. *Olea distringenda est, & statim exprimenda*. *Olivam* arborem dicit Virg. Ecl. VIII. 16.

Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ.

Perott. Cornuc. col. 948. Schacch. Myrothec. I. 4. Voss. Lex. Etymol. Magnæ religionis olim fuit. Plin. XV. 30. *Adeo in prophanis usibus pollui oleum fas non est, ut ne propitiandis quidem numinibus accendi ex his altaria, arave debeant*. Guther. de Jure man. II. 7. Schacch. ibid. c. 3. Nec minoris dignitatis. Plin. XV. 4. *Olea honorem Romana majestas magnum præbuit, turmas equitum Idibus Juliis ex ea coronando; item minoribus triumphis ovantes Olympia*. Paschal. de Coron. VI. 16. Schacch. ibid. II. 13. Fuit symbolum victoriæ. Hoc hinc liquet, quod nuntii victoriæ sæpissimè visi sunt operti ramis *oleæ*. Hoc cultu est is, qui apud Æschylum Agamemnone Trojam esse captam Clytemnestræ nuntiat:

Præconem à litore hunc video umbratum
Ramis oleæ.

Et hac potissimum de causa puto prisci moris fuisse, ut *olea*, ut est apud Artemid. IV. 59. cum mortuus efferretur, id est, ut ea mortui coronarentur, sicut victores humanorum agonum. *Paschal. l. l.* Pacis, quod Minerva cum Neptuno pacem facit ramis *oleæ* coronata. Ideo hæc frons dicitur pacalis. Ovid. Met. VI. 101.

Circuit extremas oleis pacalibus oras.

Et inde Numæ Regi Romano auctori artium pacis eam tribuit Virg. Æneid. VI. 808.

Quis procul ille autem ramis insignis olivæ
Sacra ferens? nosco crines, incanaque menta
Regis Romani, primus qui legibus Urbem
Fundabit.

Unde legati pacem petentes *oleæ* ramum gestant. Stat. Theb. II. 389.

——ramus manifestat olivæ
Legatum, causasque viæ.

Ob quam causam quandoque dicta est precans. Stat. ibid. II. 478.

——ramumque precantis olivæ
Abjicit.

Paschal. ibid. c. 17. Lydius Agon. sacr. c. 42. & fulmine tactam veteres dicebant esse signum vel sublatæ, vel interturbandæ pacis. *Pier. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. v. p. 601. C.* Principem locum tenet inter ea, quæ terra fundit, & in mensis Regum frequens est. Horat. Sat. II. 2. 44.

——necdum omnis abacta
Pauperies epulis Regum: nam vilibus ovis,
Nigrisque est oleis hodie locus.

Pollux VI. 9. I. *Drupæ olivæ, quæ natant in sale, & aceto*, Musn. de Lux. Græc. c. 6. Nonn. de Re cibar. I. 42. Buleng. de Conviv. II. 41.

OLEARIÆ merci præpositus vocabatur servus illam curans, cujusmodi legitur in veteri marmore Crescens quidam natione Bessus. Ulpian. l. 13. ff. de instit. act. *Habebat quis servum merci oleariæ præpositum Arelate*. Pignor. de Serv. p. 552.

OLEARIUS dicitur, qui *oleum* facit, vel vendit. Colum. XII. 50. *Diligentes olearii baccam integram prælo non subjiciunt*. Hi negotiabantur ad Velabrum majus. Plaut. Cap. III. 1. 29.

Omnes compacto rem agunt, quasi in Velabro olearii.

Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 13. §. 4.

OLEASTER est arbor durissima. Ex eo fiebant Regum sceptra, atque adeò *ῥόπαλον* clava, gestamen herois; cujusmodi fuit nodosa, & ponderosa illa, qua Hercules donatur. *Paschal de Coron.* VI. 19. Ex illo ante fana dona suspendebant. Aristoph. Plut. IV. 3. 101.

Ubi Schol. *Ad cotinos, & alias arbores ubique in templis affigunt donaria*. Virg. Æneid. XII. 766.

Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, & votas suspendere vestes.

Theophrast. Hist. plant. V. 3. & qui Theophrastum vertit Plin. XVI. 39. *Megaris diu stetit oleaster in foro, cui viri fortes affixerant arma, quæ cortice ambiente ætas longa occultaverat. Fuitque arbor illa fatalis excidio urbis præmonita oraculo, cum arbor arma peperisset: quod succisa accidit, ocreis, galeisque intus repertis*. Turneb. Adv. VIII. 16. Tomas. de Donar. vet. c. 7. Paschal. l. l. Budæus in Theophrastum. Cerda & Pontan. in Virgilium. Olympionicis coronandis inserviebat. Aristoph. ibid. II. 5. 103.

Certe Jupiter est pauper. Et hoc jam manifestè te docebo:
Nam si dives esset, quomodo celebrans ipse Olympiacum certamen,
Ubi Græcos omnes semper quinto quoque anno congregat,
Renuntiavit athletarum victores coronatos oleastri corona?

Plinius laudatus in *olea*. Pius Annot. Prior. c. II. Rhodig. Ant. Lect. XIII. 17. XXI. 24. Paschal. ibid. c. 18.

OLETUM est locus *olea* consitus. Cato de Re rust. c. 3. *Si oletum bonum, beneque frequens, culcumque erit*. Scoppa Collect. I. 17. Voss. Lex. Etymol.

Oletum est locus *olens*. Pers. Sat. I. 112.

——hic, inquit, veto quisquam faxit oletum.

Ubi stercus humanum significare interpretes ajunt, & citant Verranii auctoritatem dicentis: *Sacerdotula in sacrario Martis fecit oletum*, apud Festum. Sed errant. Nam tam in Persio, quàm in Verranio significat locum olentem, & fœtidum, quem sæpius mejendo facimus. Subdit enim Pers. II. 113.

——pueri, sacer est locus: extra
Mejite.

& non cacate, vel excrementa ventris mittite. *Voss. Lex. Etymol. & de Annal.* III. 23. *Scoppa Collect.* I. 17. *Casaub. in Persium. Rabir. de Hast. & auct. origin. Ant. Rom. Græv. Tom* III. p. (30.) *F. Dacer. in Festum.*

OLEUM Atheniensibus acceptum referunt celeberrimi auctores. *Rhodig. Ant. Lect.* XVIII. 25. Nequaquam. Notissimam enim extitisse *olivam* quid dixerim ætate Moysis, Jobi, aut Abrahæ? apud quos & de *olea*, ac de *oliva* non semel haberi sermonem constat: etiam ante diluvium sacra testantur oracula, *olivam* notissimam fuisse plantam. Columba enim pacati numinis signum, ejusdem plantæ ramusculum attulit his, qui cum Noe servati à cataclysmo in arca claudebantur. Cum igitur *oliva* pacis nota tunc fuerit, *oleum* quin notum è seculo dixerim? *Suus quidem olivæ succus oleum est*, ut loquamur cum Plin. XV. 3. *Schacch. Myrothec.* I. 3. Ejus summum optimum est. Plutarch. Sympos. III. 2. *Summum olei optimum*. Hoc

ideo

ideo creditur, quoniam sit aereum, ac proinde scandat superna vi suæ naturæ. *Rhodig. ibid.* XXVIII. 25. *Buleng. de Conviv.* III. 1. Romæ maximo fuit in pretio, & vel satissimo pretio vendi solitum. Unde proverbium: *quasi in Velabro olearii*, apud Plautum supr. in *Olearius*. Velabrum enim Romæ fuit locus, in quo *olearii oleum* distrahebant. Mos autem huic hominum generi fuit, ut inter se de pretio conspirarent, quo pluris venderent. Et inde proverbium hoc de illis, qui conspirant, remque ex compacto gerant, *Stuck. Ant. Conviv.* III. 15. *Borrich. Ant. Urb. Fac.* c. 10. §. 6. Antiquis Reipublicæ temporibus non dividebatur, ad luxum enim, & voluptatem magis, quàm ad sustinendam vitam necessarium à priscis Romanis censebatur, nec nisi semel, & extra ordinem id plebi datum legimus à Scipione Africano, qui cum ædilitatem curulem auspicaretur, *congium olei in vicos singulos dedit*, teste Liv. xxv. 2. Ad cujus imitationem postea idem in gratiam plebis fecit Agrippa sub Augusto, ut narrat Dio XLIX. p. 417. B. Sub Imperatoribus verò *olei* divisio magis frequentata fuit, accrescente voluptatis & luxus studio: ac primò quidem ad *gymnasium senatui, & equiti præbuit* Ne 50. Suet. c. 12. n. 9. Tacit. Annal. XIV. 47. 3. Deinde à Severo ordinariè populo dari cœpit. Is enim, ut Spartian. c. 23. tantam copiam Romam vehi jussit, *ut per quinquennium non solum Urbis usibus, sed & totius Italiæ, quæ oleo egeret, sufficeret*. Et hoc ab Heliogabalo imminutum restituit Alexander Severus. Lamprid. c. 22. *Oleum, quod Severus populo dederat, quodque Heliogabalus imminuerat, turpissimis hominibus præfecturam annonæ tribuendo, integrum restituit*. Et ultra illud, quod populo dividebat, in usum balnearum publicum suppeditavit. Lamprid. c. 24. *Addidit & oleum luminibus thermarum, quum antea non ante auroram paterent, & ante solis occasum clauderentur*. Burmann. de Vectig. Dissert. III. p. 47. Pancirol. Notit. dignit. imp. occid. c. 5. Bacc. de Therm. vet. c. 10. Hæc *olei* distributio ad præfectum annonæ pertinebat. Patet hoc ex Symm. Epist. x. 48. *Olei tantum species victum plebis tenuiter invecta solicitat. Cujus rei V. C. præfectus annonæ dudum fecit indicium*. Et id docet rescriptio, l. unic. C. Theod. de mensa olearia. Præfectus verò per ministros suos populo admetiebatur ca pulis, & inde ministri capulatores dicebantur. Portio, quam quisque ex plebe accipiebat, vocabatur mensa olearia, L. C. modò laudata. Cum verò à V ctore in descriptione Urbis memorentur XXXIV. mille mensæ oleariæ, quæritur, num eæ de iis mensis, in quibus expositum erat venale *oleum*, an verò de his portionibus *olei*, quod dividebatur, sint accipiendæ. V. Gothofr. d. l. Non sola autem plebs, & milites *oleum* ab Imperatoribus accipiebant, sed & officialibus, & ministris domus Augustæ depromebatur, qui inter eas species, quas in salarium ferebant, etiam *oleum* accipiebant. Sic inter alia, quæ Valerianus probro dat, etiam *olei per biduum sextarium unum* recenset Vopisc. c. 4. Et ita passim in lectione historiarum Augustarum observare licet. *Burmann. l. l.* Exiturus à balneo madore detersso *oleo* leniter perungebatur. Detersionis per *oleum* singularis hæc utilitas est, Galeo. de sanit. tuend. IV. quod cum mediocri frictione, & quæ tensa sunt remittit, & quæ intei exercitium vehementiùs fatigata sunt, emollit. Præstat & hoc non mediocre commodum, quod exiguos cutis meatus oppleodo ab extrinsecus ambientis injuria vindicare poterit, & vestimenti instar nativum calorem munite, & sudorem inhibere. Ut hinc maximè universa ratione sudationum, inunctionumque in balneis haberi posset. Quos largiùs antiqui sudare volebant, eos neque a balneo, neque ante balneum unxisset, quod perpetuò in his, qui aut cruditate, aut plenitudine premuntur, servandum est. Sed diu hus teoebant in Laconico, & mox in calidum solium mittebant. At contra, qui longo morbo laborassent, extenuatique fuissent, hos ubi in calida lavissent, ac post frigidæ solium sudare incepissent, perungebant. In sanis autem, quod frequentius usu evenit, quibus aut longo itinere, aut exercitatione, aut alio quovis pacto corpus esset exhaustum, hos non solum à balneo, sed & ante balneum ungi imperabant, de sanit. tuend. III. *Bacc. de Therm. vet.* c. 19. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. c. 18. *de Therm. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* IX. p. 640. A. Illo ungebantur luctatores. Horat. Od. 1. 8. 8.

——*cur olivum*
Sanguine viperino
Cautius vitat?

Virg. Æneid. III. 281.

Exercent patrias oleo labente palæstras
Nudati socii.

Levore enim obductum corpus difficiliùs ab ἀντιπάλῳ prehendi potest. Robustis etiam robur addit. Theocr. Idyll. IV. 6.

Annon audisti? Milon ipsum ad Alpheum secum abduxit.

Battus. *Et quando ille unquam oleum oculis vidit suis?*

Corydon. *Ajunt eum vel cum Hercule viribus, & robore certare posse.*

Certè *fructus oleæ laborem corporis sanat*, ut ait Philo. *Paschal. de Coron.* VI. 17. *Casal. de Therm. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom.* IX. p. 640. C. *de Urb. ac Imper. Roman. splend. part.* 2. c. 18. *Strauch. Olymp. agon.* §. 13. *Mercur. Gymnast.* 1. 8. *Kipping. Antiq. Roman.* II. 6. §. 5. Fervens obsessi effundebant in obsessores adscendentes. Joseph. de Bell. Jul. III. 10. *Cum Romani jam invicem se adhortati laterca junxissent, ac desuper protectis longioribus scutis inexpugnabilem globum fecissent, muroque succederent, tum* Josephus *ferventi oleo perfundi eos jubet. Quæ res Romanorum connexionem solvit, & cum magno dolore à muro abibant præcipites. Celerrime enim oleum à capite ad pedes, per omnia sese arma insinuabat, & carnem instar ignis depascebatur: quippe quod natura facilè accenditur, & tardè refrigeratur, ob pinguedinem, & lentorem. Loricis itaque, & gladiis illigati cum essent, fuga non erat hujus pestis: sed nunc subsilientes, nunc dolore se incurvantes, decidebant de pontibus*. Lips. Poliorc. v. dial. 2. Thys. de Oppugn. urb. v. p. 189. Laurent. Polymath. IV. 2. 10.

OLI.

OLITOR est mancipium horti. Cicer. Fam. XVI. 18. *Parhedrum excita, ut hortum ipse conducat: sic olitorem ipsum commovebis. Helico nequissimus HS CIↃ. dabat, nullo aprico horto, nullo emissario, nulla maceria, nulla casa*. Column. XI. 3. *Facturus mox si collibuisset, quod nunc aggredior, ut olitoris curam subtexerem villici officiis*. Hic asino, seu caballo utebatur, quod etiam nunc Romæ fit. Horat. Epist. 1. 18.

——*ad imum*
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.

Apul. Met. IX. p. 299. *Me denique ipsum pauperculus quidam hortulanus comparat quinquaginta nummis, sed magno, ut ajebat. Matutino me multis oleribus onustum proximam civitatem deducere consueverat dominus*. Pignot. de Serv. p. 555.

OLIVA non est pomum. Plinius separatim de *olea*, & *olivis* tractat XV. 1.....6. deinde transit ad tractatum, quo explicat *omnium pomorum genera, & naturam*. Ita enim titulus capitis noo. libri decimi quinti, & à nucibus proeis incipit, Sic pomorum nomine omnes arborum fructus comprehendit, exceptis *olivis*. Cur *olivas* non eodem genere complexus est? quia baccæ sunt, Virg. Georg. II. 518.

——*& teritur Sicyonia bacca trapetis.*

Baccas autem à pomis secernit ibid. c. 28. *quæ baccis natura, eadem & pomis*. Et XII. 7. *Usum ejus adeo placuisse mirum est. In aliis quippe suavitas cepit, in aliis species invitavit: huic nec poma, nec bacca commendatio est*. Suavitas ad pomum referenda est, species ad baccam. *Salmas. Exerc. Plin.* p. 421. b. D. Principio prandii sumebatur instar reous cibi, ut docetur in colloquiis priscis pueribus Græco Latinis. Unde Clemens Recognit. sive de vita Petri VII. cibo electili aliorum oppono victum suum præteruem, ut qui panem cum

cum olivis edere soleat. *Quis cocis imperabit, & diversa, atque electa pulmenta providebit, quæ arte scitissima, & varia preparentur? Sed fortassis, quamvis mecum positus videaris, non agnoveris vitam meam. Panis mihi solus cum olivis, & raro etiam cum oleribus in usu est.* Barth. Adv. XLV. 5. Et ita Mart. XI. 53. II.

Et quæ Picena senserunt frigus oliva,
Hæc satis in gustu.

Inserviunt ad orexin excuandam, & ad bibendum egregiè invitant. Et Aetius addit salsas ante alios cibos comestas alvum subducere. Nec solum in gustu, sed etiam secunda mensa appopebantur. Mart. XIII. 36.

Hæc quæ Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit oliva dapes.

Qui innuit habere vim movendi alvum, & ideo primo loco sumebantur: quia verò facultatem habent adstringentem, cum bellariis inferebantur ultima mensa. Plin. XXIII. 3. dicit *albas esse stomacho utiliores, ventri minus; nigras stomacho inutiliores, ventri faciliores, capiti & oculis non convenire.* Nonn. de Re cibar. I. 42. Nubentes coronabantur. Arbor enim hæc pacis, & juventæ signum. Sidon. Carm. XV. n. 198.

Amborum tum diva comas viridantis oliva
Pace ligat, nectit dextras, ac fœdera jungit.

XIV. 4.

Quem pacis simul arbor, & juventa
Æternumque virens oliva signet.

Laurent. de Sponsal. c. I. Savaro in Sidonium. Illa utebantur in expiationibus. V. supr. in *Expiatio.* & ejus ramos præferebant supplices. V. infr. in *Supplices.*

OLIVARE dicuntur, qui *olivas* legunt, vel stringunt. Plin. XV. 3. *Olivantibus lex antiquissima fuit: oleam ne stringito, neve verberato.* Pollux VII. 32. *Olivæ fructum decerpere ἐλαᾶν vocaverunt: & olivatores, qui hoc faciunt.* Salmas. Exerc. Plin. p. 939. a. F.

OLIVITOR vocatur, qui colit *eleas*, qui *oliveta facit*, ut loquitur Ulpian. Fragm. tit. 6. Apul. Florid. p. 790. *Ager frumento piger, aratro irritus, fœcundior oliveto, nec vinitori, nec olivitori scalpitur.* Sidon. Epist. II. 9. *Colles ædibus superiores exercentur vinitori, & olivitori.* Pignor. de Serv. p. 549. Colv. in Apulejum.

OAK.

ὉΛΚΑ'Σ navis est onetaria, Hesychius, & Glossæ. Plutarch. in Æmil. *Viginti holcades cum ipso onere cepit, reliquas frumento onustas depressit.* Etiam apud Flandros teste Baysio *des holckes* appellantur. Funibus nonnunquam consueverunt religari ad naves militares. De his est accipiendus Liv. XXX. 26. *Deserta fuga nautarum primum ab Ægimuro, dein ab Aquis oneraria Carthaginem puppibus tractæ sunt.* Vides pone tractas; & quidem ob defectum remigum, qui fuga eas deseruerant. *Scheffer. Mil. Nav.* IV. I.

OLL.

OLLA est vas culinarium, in quo cibi coquuntur. Catull. XCII. 2.

Hoc est quod dicunt: ipsa olera olla legit.

Non *ollas*, sed *aulas* veteres dixerunt. Festus. V. illum supr. in *Exta.* *Aula* voce sæpiùs usus est Plautus. Et Plauti *Aulularia* dicta est ab *aula* Euclionis auri plena. *Voss. Lex. Etymol.* Olerum *ollas* peculiares in foco Laribus consecrato seponere veteres sunt consueti, quas Laribus sacras tangere nefas erat, tanta superstitione colebantur. Prudent. Peri Steph. X. 261.

Fuliginosi placantur Lares,
Et respuuntur consecrata ollsula.
At unde major esse majestas focis,
Quàm nata in hortis sarculatis creditur?
Si numen ollis, numen & porris inest.

Barth. Adv. XLI. 21.

Olla erat sepulcrum plebis & pauperiorum. Fuerunt aut majores, aut minores, cinerariæ, aut ossuariæ. De majoribus lapis vetus apud Gruter. p. 855. n. 3.

ÆLIÆ. TRYPHOSÆ
JUS. SEPULCRI. POSTE
RISQ. EJUS. OLLAM. MA
GNAM. ITEM. THUS. VI
NUM. FAR. ET. OLEUM
AD. SACRA. PRIVATA. DEDIT
Q. FELICIANUS

De minoribus est Inscriptio Primillæ. V. illam supr. in *Offerendarium.* Ea inter has differentia fuit, quod magnæ minoribus honoratiores erant, ut ingentia sepulcra humilioribus ampliora. Utræque in sepulcris, aut illius ædificiis plerumque consecratæ. Inscriptio apud Gruterum p. 867. n. 5.

HÆC. ÆDIFICIA. PROPRIA
COMPARATA. FACTA
DICATAQ. SUNT. MONUMENTI
SIVE. SEPULCRUM. EST. ET
OLLARUM. QUÆ. IN. HIS. ÆDIFICIIS
INSUNT. ET. CONSECRATÆ. SUNT
RELIGIONISQ. EARUM. CAUSA...

Quæ monumento, aut maceria inclusæ. Lapis apud Gruter. p. 935. n. 9.

Q. CANUSIUS
PRÆNESTINUS
MACERIAM. ET. OL
LARIA. LIBERTIS
LIBERTABUSQUE
SUIS. FECIT.

Ossuariæ à cinerariis in eo differunt, quod hæ cineres, illæ ossa exciperent. Ab urna forma solum distinguebatur. Nam urna est conditoria & cinerum, quæ major & minor. *Guth. de Jur. man.* II. 24. *Ollas* donatas testantur antiqui lapides. Romæ in domo Cæsiaa

DIOMEDES. TYRANNI
CÆSARIS. SERVI. FRATER
OLLA. DATA. AB
CN. DOMITIO. VERBANO

Bene merentibus. Lapis Romæ ad D. Augustini ædem sub fenestra quadam:

CLAUDIUS. APHRO
V. A. XXV
L. ANTONINIUS. POTHUS
OLLAM. CUM. TITULO. BENE
MERENTI
VIA. HOSTIENSI. SEPTIMO. A. ROMA
LAPIDE
T. FLAVIO. AUG. LIBERTO
EPAPHRODITO
CYRNEARIO. A. VIC. PUB
FLAVIA. AUG. LIBERTA
TYCHE. MAR. OLLAM. D

Interdum publicè ad majorem honorem. Romæ in ædibus Delphinorum:

JULIÆ. PLEBEÆ
IN. HONOREM
ALEXANDRI. ET. DEMETRII
CÆSARIS. AUGUSTI. L
EX. DECRET. DECUR
OLLA. PUBLICE. DATA. EST

Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 16. Malvas. Marm. Felsin. Sect. IX. c. 2. Kirchman. de Funer. II. 23.

OLY.

OLYMPIA, festum ab Atheniensibus, aliisque Græciæ populis in Jovis τοῦ Ὀλυμπίου honorem gloriamque agitatum. Schol. Pindar. Pyth. IX. 177. *Olympia, quæ nunc non aguntur Pisis, sed quæ Athenis.* Eratque & certamen; id quod testantur MSta Scholia Græca admodum vetusta in Sophoclis Electram. Verba huc facientia ita habent: *Quatuor erant agones in Græcia. Olympia erant Jovis Olympii.* . . . Hesychius refert, certamen Athenis sa-

ctum

ctum fuisse. Verba ejus ecce hæc: *Ὀλύμπια, ὁ Ἀθλίου ἀγών*. Sollennia hæc primùm instituta anno mundi 2766. sed renovata denuo 430. annis post. Dehinc quinto quoque anno ad *Olimpiam* urbem, unde & nomen habent, celebrabantur. Schol. Pindar. Olymp. x. 69. *Quinquennalem instituit festivitatem*. At Suidas statuit, quarto quoque anno, & quidem Olympiade prima, tempore Solomonis acta fuisse. Verba Suidæ sunt ista: *Olympias. Sic apud Græcos vocatur certamen quarto quoque anno celebrari solitum. Ob diem, qui quarto quoque anno conficitur ex tribus horis, quæ quotannis adduntur cursui solari. Inchoata autem est prima Olympias Solomonis tempore, ut Jovis festum per totum terrarum orbem celebraretur*. Celebrabantur plenilunio. Idem Schol. Olymp. III. 38. *In plenilunio certamen Olympicum agitur*. Et quidem die sexto & decimo lunæ: ceu idem interpres indicat loco laudato his verbis: *Die decimo sexto lunæ certamen Olympicum celebratur*. Instituebantur ab Hercule, sicut idem nos docet Olymp. II. 1. his verbis: *Certamen Olympicum instituit Hercules*. Schol. Homer. Iliad. Λ. *Hercules instituit Jovi certamen Olympicum, & ipse primus certamen incepit*. Agebantur quoque in Elide, & quidem singulis quadriennis. Etymol. magn. in voce Ἦλις: *In ipsa Elide colitur Jupiter Olympius: quarto anno celebrantur Olympia*. Agonistæ Elide æquè ac Athenis, antequam certarent, sacra faciebant pro felici successu. Athen. XIV. p. 659. F. *Ritus sacrificiorum, & ceremonias coquis notas fuisse palam est ex Olympiadis ad Alexandrum epistola: qua mater illum hortatur, coquum ut emat in sacris faciundis exercitatum, his verbis: Pelignam coquum missum à matre habe. Scit ille omnia patria tua sacra, quo modo peragantur, & pura, & dicastica, & Bacchica, & alia prorsus omnia, quæ hic in Olympiis immolat*. Qui in hoc certamine vicerat, Ὀλυμπιονίκης vocatur apud Suidam. Victores præmium coronam ex apio, seu olea acceperunt. Epigram. Græc. I. I. 4.

Præmia sunt olea, & mala, apium, strobilus.

Dabatur etiam illis corona ex lauro. Chrysost. in Genes. c. 18. Homil. 42. *In certaminibus Olympicis corona post victoriam nihil aliud est, quam folia lauri*. Instaurator fuit Aethlius Endymionis pater. Etymol. magn. in voce Ἀέθλιος. *Aethlius Endymionis pater curat certamen Olympicum instaurari*. Præfectus, aut judex in hoc certamine vocabatur Ἀλυτάρχης. V. supr. in *Alytarcha*. Hæc *Fasold. vet. Græc.* ἱεϱολογ. *Dissert. I. Fest. I. §. 1-12. Paschal. de Coron.* VI. 2. 3. 4. *Scalig. Poet.* I. 23. *Jonston. Sched. de Fest. Græc. part.* 3. *c.* I. §. 10. *Laz. Comm. Reip. Rom.* X. II. *Rhodig. Ant. Lect.* XIII. 17. *Phleg. Trallian. Fragm. de Olymp. & in illum Meurs. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1291. *Putean. Olymp. c.* 3. *Fab. Agonist.* I. 25. *Sard. de Morib. gent.* III. 22. *Hospin. de Fest. Ethnic. p.* 170. *B. Nonn. in Goltz. Græc. p.* 46. *Potter. Archæol.* II. 22. *Strauch. Olymp. Agon.* §. 2.

OLYMPUS est fossa rotunda, unde sulcus Urbi designandæ deducebatur. Plutarch. Rom. p. 23. D. *Fossa rotunda comitio est circumducta. Fossam hanc eodem quo Olympum nomine vocaverunt mundum. Hinc Urbe sicut circulo centrum circumscripsere*. Fab. Pict. II. *Romulus adscito ex Etruria vate, atque sacerdote Olympum fecit, pomœriumque sacravit, & aratro ab Olympo in vico Thusco per Palatium circumducens ab imo collis ad verticem, quadratam Urbem signavit*. Donat. de Urb. Rom. I. 2. Mag. Misc. III. 13.

OME.

OMEN est intentio auspicantis, qua auspicans ipse aliquid, quod sibi occurrit, ut augurium accipit: diciturque bonum, & malum *omen*, ut apud Livium non semel legitur. Cum procis necem machinaretur Ulysses, precatus est Jovem, ut duplex illi signum daret, quo id, quod animo conceperat, perfectum iri certò sciret, cui illico intonuit Jupiter, & puellam in ædibus pistrino adductam deos rogantem seorsim, ut non diutius eo die in Ulyssis domo comederent proci, quod Ulysses pro *omine* accepit: nec defuit rei eventus, siquidem eo die ab Ulysse, & Telemacho ad unum cæsi sunt. *Niphus de Augur.* I. 1. Sumitur pro quolibet auspicio, & augurio. Tibull. I. 3. 17.

— aves dant omina dira.

Petron. Satyr. c. 83.

Fortior ominibus movit Mavortia signa...

id est, auguriis. Suet. Ner. c. 46. n. 1. *Terrebatur evidentibus portentis somniorum, & auspiciorum, & ominum*. Tamen strictiùs sumitur. Nam cum Auson. Gryph. n. 20. dixit:

— omina trina.

non quamlibet divinandi formam intellexit, sed eam, quæ salissatio, sternutatio, & tinnitus auris. *Demster. Paral. ad Ant. Roman. Rosin.* III. 8. *Scalig. Auson. Lect.* I. 16. Divinationem per *omina* Cererem reperisse censent nonnulli apud Hesychium. Hoc genus *omnium* traducunt, ac ridenit Chrysost. in Epist. I. ad Corinth. homil. 5. & 12. *Multi genituram sibi construunt, multi observant inanes superstitiones, & ominibus, auguriis, signis serviunt: alii amuletis, & excantationibus utuntur: multi dies observant, ingressus, egressus, si pes offendit*. Cicer. de Divin. I. 45. *Pythagorei non solum voces deorum observant, sed etiam hominum, quæ vocant omina, quæ majores nostri, quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, felix, fortunatumque sit, præfabantur, rebusque divinis, quæ publicè fierent, ut faverent linguis imperabatur, inque feriis imperandis, ut jurgiis, & litibus abstinerent, itemque in lustranda colonia ab eo qui eam deduceret, & cum Imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis ominibus, qui hostias ducerent, eligebantur: quod item in delectu consules observant, ut primus miles fiat bono omine*. Buleng. de Omin. c. 1. Barth. Adv. XXXVII. 11. Dicitur etiam de avibus. Sil. Ital. IV. 127.

— nosce te summe deorum,
Adsis, ò, firmesque tua pater alitis omnen.

Niphus ibid. II. 10. Buleng. l. l. Qui moneri de re aliqua volebat, in templum inibat, & deo in aurem insusurrabat postulatum suum, tum exibat è foro obthuratis auribus: cum foras prodiisset, manus ab auribus amovebat, & quam primum vocem audisset, oraculum accipiebat, ut de Mercurio forensi scribit Pausan. Achæor. p. 228. Boni *ominis* causa dicebant, *ἐπ' ἀγαθῷ*, ut ait Lucianus. In testamentis *bono eventu*, apud Theophr. de stupid. ἔσται μὲν ἐπ' in testamento Aristotelis. In edictis prætoris *bonum factum*. Persius *hoc bene sit*. Cicer. Attic. VII. 2. *bene eveniat*. Mala deprecabantur. Cicer. Phil. IV. 10. *O dii immortales avertite, & detestamini quæso hoc omen*. Ovid. Heroid. XIII. 49.

Dii precor à nobis omen removete sinistrum.

Buleng. l. l. Illud se accipere dicebant veteres. Cicer. de Divin. I. 46. & Plutarch. in Æmil. p. 260. A. V. supr. in *Accipere*. In melius vertere dicebantur. Suet. Jul. c. 59. no. 3. *Prolapsus in egressu navis, verso ad melius omine, teneo te, inquit, Africa*. Hoc verò poterant, quia *ostentorum vires & in nostra potestate sunt, ac prout quæque accepta sunt, ita valent*. Plin. XXVIII. 2. *Unde C. Flaminius consul exercitu lustrato, cum Arretium versus castra movisset, & contra Annibalem legiones duceret, & ipse, & equus ejus repente concidisset, rem illam non habuit religioni*. Cicer. de Divin. I. 35. Pitisc. in Suetonium. Principiis omnibus inesse credebant. Ovid. Fast. I. 177.

Tum deus incumbens baculo, quem dextra gerebat,
Omina principiis, inquit, inesse solent.
Ad primam vocem timidas advertitis aures:
Et visam primum consulit augur avem.

Suet. Aug. c. 92. nu. 6. V. illum supr. in *Nona*. Brisson. ibid. p. 93. Buleng. l. l. In navis conscensione cuncta diligenter annotare, & quævis facilè in *omen* trahere solebant. Inter quæ sinistrum habebatur, si quis ex læva ex multitudine sternutasset. Polyæn. III. 10. 2. *Timotheus solvebat cum universa classe. Forte quis sternutabat: tum gubernator jussit quiescere, nec nautæ triremes conscendere audebant*. Si verò à dextra, bonum *omen* habebat. Plutarchus in Themistocle, cum & ipse faceret conscensionem, p.

119.

119. A. *Simul & bonum omen sternutamento à dextra facto datum est*. Scheffer. de Milit. nav. III. 3. De læva nihil Polyænus, nihil Frontinus, qui eandem historiam refert I. 12. 11. *Timotheus Atheniensis, classe dimicaturus adversus Corcyræos, gubernatori suo, qui proficiscenti jam classi signum receptui cœperat dare, quia ex remigibus quendam sternutantem audierat; miraris, inquit, ex tot millibus unum perfrixisse*. Sternutamenta à dextra per se boni fuisse *ominis* non videntur: sed cum bono quondam auspicio, dicto, factove supervenirent, ita demum illud confirmasse. Manifestum hoc ex Plutarch. l. l. *Quos cum vates Euphrantides, ut simul & magnam hostia, & lucidam flammam ediderunt, ac bonum omen sternutamento à dextera parte est datum, dextram Themistoclis complexus, adolescentes illos omnes jussit, ut victimam, & hostiam Omestæ Baccho, votis nuncupatis, immolarent*. Maalvic. in Polyænum. Infaustum quoque habebatur, si hirundines consedissent in navi. Hostilio Mancino certè cladem denuntiavit. Et Cleopatra apud Dion. L. p. 428. B. domum propterea regrediundum censuit. *Scheffer. l. l.* In descensione observabant quam diligentissimè, quo nomine ea res, quæ se prima obtulisset visui, nominaretur, indeque capiebatur *omen*. Liv. XXIX. 27. *Scipio, quod esset proximum promontorium percontatus, cum Pulcri promontorium id vocari audivisset, placet omen, inquit, huc dirigite naves. Percontatus* ait: ita enim solebant. Val. Max. I. 5. 6. Pompejus *appellens ad oppidum Paphon, cum conspexisset in littore speciosum ædificium, gubernatorem interrogavit, quod ei nomen esset, qui respondit, Cacobasilea vocari, quæ vox spem ejus, quantulacunque restabat, comminuit. Neque id dissimulanter tulit: avertit enim oculos ab illis tectis, ac dolorem, quem ex diro omine conceperat, gemitu patefecit*. Scheffer. ibid. c. 4. Ante pugnam *omina* diligentissimè observabant, quæ læta, quæ tristia apparerent. De Parmenione Alexandrum ad prælium navale instigante Arrian. I. p. 54. *Sperabat cum aliis de causis Græcos superiores fore, tum vel eo præcipuè, quod aquila à puppi classis Alexandro in littore subsistens visa esset*. Augusto, *pridie quam Siciliensem pugnam classe committeret, deambulanti in littore pisces è mari exsiluit, & ad pedes jacuit. Apud Actium descendenti in aciem, asellus cum asinario occurrit: Eutychus homini, bestiæ Nicon erat nomen*. Quod in certum victoriæ *omen* ab eo tractum est. Suet. c. 96. n. 5. *Scheffer. ibid. c. 6.*

OMENTUM est membrana, qua intestina involvuntur. Isidor. XI. I. *Omentum membranum, quod continet majorem intestinorum partem, quod ἐπίπλοον Græci vocant*: quia, ut ait Gorræus, *jecinoris quidem cavo, & ventriculi fundo, & duodeno intestino, & lieni, & colo ligamentis adhæret, reliquis autem intestinis prætenditur, & quodammodo ἐπιπλεῖ, hoc est, innatat*. Voss. Lex. Etymol. *Omenta*, & adipe partes hostiæ, quas adolebant, operiebant, ut faciliùs arderent, pinguitudine ignem alente. Itaque id est, quod ab Homer. Iliad. A. 460. *adipe operuerunt, & obauxerunt*. Strab. XV. p. 503. conceptis verbis: *Quidam omenti partem igni imponunt*. Hinc sole clarius efficitur illud Pers. Sat. II. 47.

Tot tibi cum in flammis junicum omenta liquescant.

Et Catull. LXXXIX. 3.

Omentum in flamma pingue liquefaciens.

Turneb. Adv. VII. 23. Lips. in Tacit. Annal. XV. n. 40. Brisson. de Regn. Pers. II. p. 175. Popm. Conject. in Varr. p. 234. Bochart. Hieroz. II. 45. Casaub. in Persium. Scalig. in Catullum. Ex *omenti* statu, & situ aruspices multa conjectabant. Lucan. I. 624.

Cor jacet, & saniem per hiantes viscera rimas
Emittunt, produntque suas omenta latebras.

Et Manto, extis inspectis, Tiresiæ patri tum cœco, inter cætera dicit apud Senec. Oedip. II. 369.

—— non molli ambitu

Omenta pingues viscerum obtendunt sinus.

Bochart. l. l.

OMETIDES erant tanquam fasciæ scapulares, vel humerales. Ovid. Art. Am. III. 273.

Conveniunt tenues scapulis ometides altis.

Ita ego, licet contra librorum auctoritatem, affirmaverim legendum pro *analectides*: in quibus explicandis natio Grammaticorum frustra sudat, nihilque proficit. Quis enim nescit ad dissimulandam scapularum altitudinem tenuibus fasciis utendum, ne si crassioribus, & plenioris fili aliqua utatur, magis vitium extet, & appareat? Recordor equidem, Grammaticos primi ordinis (in illis sunt Rhodig. Ant. Lect. XIII. 31. & Mycillus in Ovidium) *analectides* legere, & intelligere tanquam pulvillos ex xylino lino, vel quavis materia ad constipandas puellarum scapulas, ut videri habitiores possint, quibus subscriptorem præstare non possum. *Turneb. Adv.* IV. 23. V. tamen, si lubet, *Heinsium in Ovidium*.

OMN.

OMNES, OMNES erat formula, qua utebantur in Sctis condendis. Vopisc. in Tacit. c. 7. *Hac oratione & Tacitus ipse vehementer est motus, & totus senatorius ordo concussus, statimque acclamatum est, omnes, omnes*. in Prob. c. 11. *Decerno igitur P. C. votis omnium concinentibus nomen Cæsareum, nomen Augustum, addo proconsulare imperium, patris patriæ reverentiam, pontificatum maximum, jus tertiæ relationis, tribunitiam potestatem. Post hæc acclamatum est, omnes, omnes*. Hac voce significabant, supervacaneam esse aliarum sententiarum dictionem, cum ejus sententia, qui primus dixerat, uno *omnium* consensu approbaretur. *Ferrar. de Acclam. & plaus.* III. 2. & 3. *Casaub. in Pollion. Valerian. c. 2. Salmas. in Pollion. trig. tyran. c. 21. & Vopiscum Tacitum. Faber Semest.* I. 14. *Demster. Paral. ad Antiq. Rom. Rosin.* VII. 5.

ONA.

ONAGER est animal, quod in Africa nascitur. Solin. c. 27. *Inter ea quæ dicunt herbatica, Africa onagros habet*. Dicitur *onagrus* imitatione Græca, ὄναγρος, asinus sylvestris. Varr. de Re rust. II. 6. *Ad seminationem onagrus idoneus, quod è fero fit mansuetus facilè, & è mansueto ferus nunquam*. Olaus Magnus XI. 36. *onagros* explicat alces septemtrionalibus in quotidianum usum venientes. Sed utramque feram multum inter se differre evincet I. Origo nominis. Isidor. XII. I. *Onager interpretandus asinus ferus: ὄνον quippe Græci asinum vocant, ἄγριον ferum*. Alce ad cervum accedit potius quàm asinum. II. Natalis locus alces boreæ sunt partes, & quidem propriæ, Olao probante. At *onagros* Veterum montem, qui Cappadociam a Lycia dividit, non transiisse fidem facit Plin. VIII. 58. imo Phrygiam, & Lycaoniam præcipuam incoluisse testatur Plin. ibid. c. 44. & Varro l. l. III. Forma diversa, quam venantur ex naturæ varietate. *Onagri* ex Isidoro indomiti sunt in desertis vagantes, alces contra septentrionalibus ita domiti, ut pro equis adhiberentur, nisi ob arcana regni interdicto prohibiti essent. Alcis caro dura, & concoctu difficilis nobis visa Hafniæ, nulla saporis gratia, quæ *onagro* est singularis. Plin. VIII. 44. *Pullis eorum ceu præstantibus sapore Africa gloriatur, quos lalisiones appellant*. Quorum usus & Romæ ante Mæcenatem frequens, qui *instituit epulari asinarum pullos, multum eo tempore prælatos onagris: post eum interiit auctoritas sapori: lalisionum oriente usu celerrimè id genus defecit*. Plin. ibid. c. 43. Quem hoc modo emendat Salmas. exerc. Plin. p. 239. b. B. *Barthol. de Unicorn. c. 18. Gesner. de Quadrup.* I. p. 19. *Gordiano tertio Romæ fuerunt onagri viginti*. Capitol. c. 33. *Panvin. de Lud. Circ.* II. 3.

Onager est machina bellica. Veget. IV. 22. *Adversum hæc obsessos defendere consueverunt onagri.... Onager autem dirigit lapides; sed pro nervorum crassitudine, & magnitudine saxorum pondera jaculatur. Nam quanto amplior fuerit, tanto majora saxa fulminis more contorquet*. Ammian. XXIII. 4. confundit cum scorpione, & diversum sentit atque Vegetius. Descriptionem machinæ, non facilè alibi obviam, ab eodem huc transfero: *Scorpionis, quem nunc*

appellant onagrum: hujusmodi forma est. Dolantur axes duo quernei, vel ilicei, curvanturque mediocriter, ut prominere videantur in gibbas, hique in modum serratoriæ machinæ connectuntur, ex utroque latere patentius perforati. Quos inter per cavernas funes colligantur robusti, compagem, ne dissiliat, continentes. Ab hac medietate vestium ligneus stylus, exsurgens obliquus, in modum jugalis temonis erectus, ita nervorum modulis implicatur, ut altius tolli possit, & inclinari; summitatique ejus unci ferrei copulantur, è quibus pendet stuppea, vel ferrea funda: cui ligno fulcimentum prosternitur ingens cilicium paleis confertum minutis, validis nexibus illigatum, & locatum super congestos cespites, vel lateritios aggeres. Nam muro saxeo hujusmodi moles imposita disjectat quicquid invenerit subter, concussione violenta, non pondere. Cum igitur ad concertationem ventum fuerit, lapide rotundo fundæ imposito, quaterni altrinsecus juvenes repagula, quibus incorporati sunt funes, explicantes, retrorsus stylum pæne uncinum inclinant. Itaque demum sublimis adstans magister, claustrum, quod totius operis continet vincula, reserat malleo forti percussum. Unde absolutus ictu volucri stylus, & multitudine offensus cilicii, saxum contorquet, quicquid incurrerit, collisurum. Et tormentum quidem appellatur ex eo, quod omnis explicatio torquetur. Scorpio autem, quoniam aculeum desuper habet erectum: cui etiam onagri vocabulum indidit ætas novella, ea re, quod asini feri cum venatibus aguntur, ita eminus lapides post terga calcitrando emittunt, ut perforent pectora sequentium, aut perfractis ossibus capita ipsa displodant. Stevvech. in Vegetium, Laz. Comm. Reip. Roman. IV. 6. Gesner. de Quadrup. I. p. 21.

ONAGRINUM castellum erat situm è regione Bononiæ, ab asinis agrestibus, quibus abundabat, vocatum. *Pancir. roll. Notit. dignit. imp. occid. c. 79.*

ONY.

ONYX est propriè vas unguentarium ex *onyche* lapide, Plin. XIII. 2. *Onychin aliqui alabastritem vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optimè ea incorrupta servare dicitur.* Dioscor. V. 153. *Alabastrites vocatus onyx.* Horat. Od. IV. 12. 17.

> *Nardi parvus onyx eliciet cadum.*

Hic lapis ab unguis humani similitudine in nominis societatem venit. Et quanquam *onychis* præcipuus olim ad unguenta usus, tamen factum est, ut quodcunque vasculum unguentarium, etiam alterius materiæ, *onyx* diceretur. Prop. IIII 8, 22.

> *Et crocino nares murreus ungat onyx,*

Ursin. Append. ad Ciaccon. de Triclin. p. 269. Bochart. Hieroz. V. 22. Voss. Lex. Etymol. Salmas. Exerc. Plin. p. 748. b. F. Scriv. in Mart. VII. 94. 1. Torrent. in Horatium.

Onyx vocatur ipsa gemma. Invalescente luxu ad columnas, & pavimenta transiit. Lucan. X. 116.

> *Purpureusque lapis, totaque effusus in aula*
> *Calcabatur onyx.*

Mart. XII. 50. 4.

> *Calcatusque tuo sub pede lucet onyx.*

Scriver. Mart. XII. 94. 1. Torrent. in Horat. Od. IV. 12. 17. Voss. Lex. Etymol. Nec non ad pocula. Appian. Mithrid. bell. p. 251. *In Talauris, quam urbem Mithridates habuerat apparatus promptuarium, MM poculorum ex onyche gemma factorum, compactorumque auro inventa sunt.... Eorum pars à Dario Hystaspis filio successoribus per manus tradita fuerat: partem ex Ptolemæorum gaza Cleopatra penes Coos deposuerat, unde Mithridates à civibus tradita deportaverat: partem ipse Rex paraverat, ac collegerat, elegantioris supellectilis percupidus.* Eggeling. Myster. Cicer. & Bacch. Ant. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 63.

OPA.

OPALIA *dicebantur dies festi, quibus Opi supplicabant.* Festus. Antiquitus unus Saturnalia dies: & idem communis cum *Ope*. Nam *Opalia*, & Saturnalia utraque incidebant in XIV. Kalend. Januar. Testis Macrob. Sat. I. 10. *Ex his colligi potest, & uno die Saturnalia fuisse, & non nisi XIV. Kalend. Januar. celebrata: quo solo die apud ædem Saturni convivio dissoluto Saturnalia clamitabantur, qui dies nunc Opalibus inter Saturnalia deputatur, cum primum Saturno pariter, & Opi fuerat adscriptus. Hanc autem deam Opem Saturni conjugem crediderunt; & ideo hoc mense Saturnalia, itemque Opalia celebrari: quod Saturnus, ejusque uxor, tam frugum, quàm fructuum repertores esse credantur.* Et ita Kalendarium vetus repertum Romæ. Nec hoc mirum, ut dies sit communis, quorum est lectus. Hinc explicandus Suidas: *Saturnalia, festum celebratum Saturno, & matri deum.* Nihil in speciem vanius, quàm Saturnalia adscribere matri deum, sive *Opi*. Sed communio illa dierum Giæculo confusionis causa non fuit injusta. Et ideo lego apud Auson. Eclog. XVII. 15.

> *Visne Opis ante sacrum, vel Saturnalia dicam?*
> *Festoque servorum, cum famulantur heri.*

Ubi legebatur: *Visne ope sancte sacrum.* Ambigit enim poeta, *Opalia* prius, an Saturnalia dicat: quare? quia, ut jam iteravi, conveniebant ea festa, & utrique deo, deæ, sacer idem dies. Et hæc pertinent ad tempora consulum, & rempublicam priscam. Tempore C. Cæsaris, & deinceps hæc paullò aliter se habuerunt. Ut enim Cæsar fastos correxit, & Decembri mensi duos addidit dies: Saturnalia, ut sic dicam, sedem mutaverunt, & à XVI. Kalend. numerari cœpta, non ut ante à XIV. Migrarunt igitur Saturnalia: non tamen *Ops*, quæ in die veteri stabilis permansit. Hanc correctionem Cæsarianam spectavit Varr. de Ling. Lat. V. 3. qui condidit libros illos, uti vel hinc discimus, Cæsare jam dictatore, & feriarum diex ad fastos ejus aptavit: *Saturnalia, dicta ab Saturno, quod eo die feriæ ejus, ut post diem tertium* L. *ut post. die tertio, Opalia*. Lips. Saturn. I. 3. Perion. de Græc. & Roman. magistrat. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom. VI. p. 2814. C. Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 887. A. Gyrald. Synt. deor. IV. p. 148. D. XVII. p. 493. D. Voss. de Idolol. II. 58. Stuck. de Sacrif. p. 33. Hospin. de Fest. Ethnic. p. 230. b. Siccam. in Fast. Kalend. c. 18.

OPE.

OPERA in re sacra veteribus dicebatur sacrificium. *Operari* enim ipsis idem fuit quod sacrificare. V. infra. Afran. apud Non. XII. 21. *Solve operam Dianæ*, id est, sacra facio, solvo rem divinam, quæ Dianæ debebatur. *Turneb. Adv.* V. 9.

Opera vocabantur etiam operarii, qui *opus* aliquod faciebant. Serv. Æneid. XI. 183. *Si autem feminino genere dixerimus operas, ipsas personas, quæ aliquid faciunt, significamus.* Maximè tamen abjectum, sordidum, & vilis conditionis hominem. Cicer. pro Sext. c. 27. *Cum per tribunum aliquem, & sexcentas operas se fortunis spoliari videant.* pro Flacc. c. 38. *Operæ facessant, servitia sileant.* Suet. Vesp. c. 1. n. 9. *Non negaverim, Petronis patrem mancipem esse operarum.* Beroal. Annot. cap. 88. Pollet. For. Roman. II. 1. Palmer. Spicil. V. p. 688. Pitisc. in Suet. Aug. c. 3. n. 1. Unde *operas publicanis dare* dicebantur, id est, ministros. Valer. Max. VI. 9. 8. *P. Rupilius non publicanum in Sicilia egit, sed operas publicanis dedit.* Cicer. Fam. XIII. 9. *C. Pupius, qui est in operis ejus societatis.* Burman. Dissert. de Vectig. c. 9.

Operæ campestres vocabantur, qui in campo Martio candidatis honorem petentibus aderant, & suam præstabant *operam*, proque illis laborabant, ut suffragatoribus suffragantibus honorem petitum consequerentur. Suet. Aug. c. 3. n. 1. *Minor C. Octavium à nonnullis inter operas campestres proditum.* Beroal. Annot. c. 88. Pollet. For. Rom. II. 1. Pitisc. in Suetonium.

Operæ forenses sunt advocati, cum rogantur à reis causarum ergo, eadem prorsus forma, qua modò *operæ* campestres. Sunt hujusmodi, advocati, patroni, causidici, cogni-

cognitores, subscriptores, pragmatici, submonitores, custodes, laudatores. *Pollet. For. Rom.* II. I.

Opera in militia Romana erat secunda exercitii pars. Quis ea suggeret? non reperio, nisi quod sparsim tangunt, & universè. Universè quidem ita Liv. I X. 19. *Jam in opere quis par Romano miles? quis ad tolerandum laborem melior?* Atque hoc illa, ubi Romanos cum Macedonibus comparat, & hac parte longè antevisse affirmat. Tamen & illi profectò hic laudabiles. Eos describit Polyb. v. 2. *operarios, & circa fussiones, & castrorum munitiones, & omnem ejusmodi aerumnam, laboriosissimos* Sed haud dubiè superarunt Romani: nec fuerunt, aut erunt ista de re iis milites comparandi. Isti patrarunt, quidquid fidem superat, & fieri humana manu vix posse videatur. Rem afferam paucis, & illustribus exemplis. Cæs. ingressu Helvetiorum in Provinciam excitatus cum *legione, quam secum habebat, militibusque qui ex provinciis convenerant, à lacu Lemano ad montem Juram millia passuum decem novem murum, in altitudinem pedum sexdecim, fossamque perducit. Eo opere perfecto, præsidia disponit, castella communit, quo facilius, si se invito transire conarentur, prohibere posset.* Cæs. de Bell. Gall. I. 7. Id opus non multa dieb con ecit, & Helvetios consilio, & aditu dejecit. Grande meherc ules spatium novemdecim milliarium. Non tam grandis munitio, quæ ad Alesiam ejusdem Cæsaris, sed operosa magis & multiplex. Ipsa enim *in circuitu undecim millia passuum tenebat. Fossa fuit pedum viginti directis lateribus ducta. Ab ea pedes quadringentos recedens reliquas munitiones instruxit.* Ex erant *duæ fossa quindecim pedes lata, eadem altitudine: quarum interiorem aqua ex flumine derivata implevit. Post eas aggerem, & vallum duodecim pedum exstruxit. Huic loricam, pinnasque adjecit, grandibus cervis eminentibus, quæ adscensum hostium tardarent: & turres toto opere circumdedit, quæ pedes octoginta inter se distarent.* Cæs. ibid. VII. 72. Opus etiam arduum, & supra fidem atque opinionem aggressus est Cæsar, quo Pompeji castra ad Dyrrhachium obduxit vallo, ut Flor. IV. 2. 39. *sedecim millium*, vel, ut ipse de Bell. Civ. III. 63. *Octodecim millium* passuum, vel, ut Appian. de Bell. Civ. II. p. 466. *mille ducentorum stadiorum*, id est, centum quinquaginta circiter milliarium. Lucanus, qui inspexit, judicabit etiam pro numero illo majore. Nam ille grandiore hoc opus attollit Phar sal. VI. 36... *Lips. de Milit. Roman.* v. *dial.* 13. *Thes. Rom. Illustr.* v. p. 137.

OPERARI dicuntur, qui diis sacra faciunt, qui sacrificia offerunt. Non. XII. 21. *Operari est deos religiosè, & cum summa veneratione sacrificiis litare.* Tacit. Annal. I. 54. I. *Nox eadem latam Germanico quietem tulit, vidit se operatum.* Liv. X. 39. *Dum hostes operati superstitionibus concilia secreta agunt.* Virg. Georg. I. 339.

—— *Lætis operatus in herbis.*

Hinc *operationes* apud Festum in Privatæ feriæ, & *opera* apud Attanium modò laudatum sunt sacrificia. *Brisson. de Form.* I. p. 19. *Stuck. de Sacrif.* p. 112. & 110. *Mudius in Livium. Cerda in Virgilium. Ulit. in Grattium* n. 42. *Passer. in Prop.* II. 24. I. *Carolo Antiq. Roman.* I. II. *Brunkh. in Tibull.* II. 5. 95.

OPERARIUS vocatur agricola, qui *ruri facit opus*, ut loquitur Terent. Phorm. II. I. 20. Ita appellat illum Varr. de Re rust. I. 17. *Cassius scribit, operarios parandos esse, qui laborem ferre possint: ne minores annorum* XXII. *& ad agriculturam dociles.* Pignor. de Serv. p. 516.

OPERIMENTA hyemalia capitis, aut pedum apud veteres fuerunt, quæ hodie vocamus feltra, ex quibus cum alia conficiuntur, tum galeri. Hæc materia illis fuit notissima. Ejus artifices Græci πιλοποιὸς. Latini coacti larios dixerunt: sic enim feltrum è lana coacta. *Operimenta pedum*, quorum meminit Euthymius, ubi dicit Christi tunicam fuisse à superioribus partibus contextam, velut hæc sunt *operimenta*, ea sunt, quæ *impilia* appellat Ulpian. l. 10. ff. de aur. arg. mund. ubi separantur ab udonibus. Græci πίλια dicunt: quidam etiam ἐμπίλια. Seu hoc genus panni quomodo potest dici à superioribus contextum, ut vult Euthymius? hodiernis feltris hoc nullo pacto videtur convenire. *Casaub. Exerc. ad Annal. Eccles. Baron.* XVI. 84. Cogitur ibi lana, non texitur. Ergo non coactilia, sed verè texta erant, quod apertè declarat, aut per acus longiores, ut nunc fit, aut, si illud artificium nondum cognitum, solis manibus confecta, & quidem à superiore parte incipiendo, & in orbem, sive per totum texendo. Et talis tunica Christi inconsutilis, desuper contexta per totum. *Ferrar. de Re vest. Anal.* c. 13.

OPH.

OPHAZ aurum legitur apud Hieron. in Jerem. c. 10. *Septem nominibus apud Hebræos appellatur, quorum unu Ophaz dicitur, quod nos dicere possemus obryzum.* Qui non dicit, obryzum, & obryzatum quasi Ophiriticum vocari, eo quod ex Ophir Solomonis allatum omnium optimum fuerit, ut μετὰ πολλῶν συγγραφέων illi injuriam faciunt Danæus, Villalpandus, Beroaldus, Peterius, Delrio, aliique; sed saltem quod possit ob puritatem obryzum appellari. Ea ergo synonymica appellatio, non grammatica derivatio. Quid? quod auri obryzi in Jobo fiat mentio à vulgata, qui tamen aurum ex Ophir tantum habeit, ut habuerit, ut ne noverit suo tempore. *Ligen. de Siren.* c. 3. §. 66.

OPI.

OPICE fuit locus Etruriæ, Tyrrheno mari adjacens, in quem extremum, ut Aristoteles Stagirita philosophus, Heraclides cognomine Lembus, & plerique alii asserunt, Troja capta à Græcis, quidam ex Achivis Ilio discedentes classem nacti, & circum Malea navigantes, hyberno tempore acti ventorum vi, tempestatibusque multis, diu in mari cum pererrarent, pervenerunt. Ubi tamen non substiterunt, sed per Tiberim vecti in ea loca, ubi nunc Roma est, consederunt, & ibi, extractis ex amne navibus, aliquantulum manserunt, parati quidem ineunte vere cursum persequi; verùm à mulieribus longam pertæsis navigationem, & à mari abhorrentibus, suadente nobilissima, & prudentissima captivarum Roma, quæ iis comes erat, ictu utemque, si Achivi in patriam revertentur, tunente, classia noctu est incensa. Hoc factum viris mœstitiam primùm attulit, deinde necessitate coacti circa palatium potius sedibus struxerunt mœnia, & oppidum ab ejus potissimum nomine appellarunt, quæ ejus rei auctor fuisset, cujusque consilio eas sibi firmassent sedes. *Panvin. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom.* III. p. 210. E.

OPICI tenuerunt alteram Campaniæ partem, & habuerunt ad mare Liternum oppidum cum flumine, Cumas, Misenum, Bajas, sinum Lucrinum, & Avernum, Puteolos, Neapolim, Heracleam, omnia in sinu, qui Crater dicitur; intus Atellam, Abellam, Suessulam, Acerras, montem Vesuvium, Nolam, Pompejos. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 10. *Panvin. Imp. Rom.* c. 3. Fuerunt inhonesti & obscœni, ut in vitium nomen abierit. Plin. XXIX. I. *Nos quoque dictitant barbaros, & spurcius nos, quàm alios, Opices appellatione fœdant.* Festus in Oscum: *Opicum quoque in vetustis pro Osce. Oscis frequentissimus fuit usus libidinum spurcarum: unde & verba impudentia appellantur obscœna. Obscos quos dicimus, ait Verrius, Opscus ante a dictos, teste Ennio, cum dicat: De muris rem gerit Opscus. Adjicit etiam, quod stupra inconcessæ libidinis obscœn dicantur ab ejus gentis consuetudine inducta.* Buleng. de Theat. II. 2. Turneb. Adv. X. 12. Dalechamp. in Plinium. *Opicos* Palæpoli capta an. 428. subegit Q. Publilius Philo proconsul. Liv. VIII. 25. *Panvin. & Sigon. l. l.*

OPIFICES, & artifices in civitate mercatoribus, & argentariis aliquanto indigniores fuerunt. Illorum artes sordidæ, & illiberales habitæ sunt. Docet Cicer. de Offic. I. 42. *Illiberales, & sordidi quæstus mercenariorum omnium, quorum opera, non quorum artes emantur. Est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis: sordidi enim putantur,*

qui mercantur à mercatoribus, ut statim vendant. Opifices quoque omnes in sordida arte versantur: nec verè quicquam ingenuum potest habere officina: minimèque artes probandæ, quæ ministræ sunt voluptatum, cetarii, lanii, coqui, piscatores, ut ait Terentius: adde his, si placet, unguentarios, saltatores, totumque ludum talarium. Ex antiquissimo instituto erant in multa collegia distributi. Instituti auctor fuit Numa. Plutarch. p. 71. D. Vel Servius Tullius. Hunc enim horum auctorem asserit Flor. 1. 6. 3. V. illos supr. in *Collegium artificum*. Sigon. de jur. ant. civ. Rom. II. 12. Inde verò facta sunt & alia multa collegia, sed ea ferè, quia adversus Rempublicam esse videbantur, sublata. Sed à quo & quando, V. etiam supr. in *Collegium*. Hi etiam cives fuere. V. supr. in *Artes*. Admissi quoque ad suffragia. Liv. 21. 51. *Censores mutarunt suffragia: regionatimque generibus hominum, causisque, & quæstibus tribus descripserunt*. Qui *quæstus* cum dixit, collegia plebis intellexit. Unde meritò se collegiorum suffragiis in patriam revocatum gloriatur pro dom. c. 28. *Nullum est in hac Urbe collegium, quod non amplissimè non modò de salute mea, sed etiam de dignitate decreverit*. Et, cum ibid. c. 33. ait, *homines in campum non tabernis, sed municipiis clausis venisse*, nonne satis ostendit, *opifices* clausis tabernis in campum suffragii causa ventitare solitos esse? Et hæc pars populi à seditiosis hominibus colebatur, quia ponderis aliquid ad comitia adferebat. Cicer. l. l. *An tu populum Romanum illum putas esse, qui constat ex iis, qui mercede conducuntur, qui impelluntur, ut vim afferant magistratibus, ut obsideant senatum, optent quotidie cædem, incendia, rapinas? quem tu tamen populum, nisi tabernis clausis frequentare non poteras*. Et honores. Ita P. Rupilius ex operis publicanorum consulatum est adeptus, imperium in Sicilia gessit, & triumphavit. M. Terentius Varro, *loco non humili solum, sed etiam sordido ortus, patrem habuit lanium, ipse institor mercis, & filio hoc ipso in servili ejus artis ministerio est usus*, ut illum describit Liv. XXII. 36. quæstor, ædilis, prætor, & consul fuit. *Sigon. l. l.*

OPILIO est custos ovium, qui ovium gregem servat, & pascit. Plaut. Asin. III. 1. 36.

Etiam opilio, qui pascit, mater, alienas oves,
Aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam.

Virg. Ecl. X. 19.

Venit & opilio, tardi venere bubulci.

Alfen. l. 60. §. 3. ff. de leg. III. tradit *prædiis legatis, & quæ eorum prædiorum colendorum causa empta, parataque essent, asinum machinarium legatum videri, item oves, quæ stercorandi fundi causa pararentur: item opilionem, si ejus generis oves curaret.* Popm. de Oper. serv. p. 97. Pignor. de Serv. p. 536. Cerda in Virgilium. Voss. Lex. Etymol.

OPIMA spolia. V. illa infr. in *Spolia*.

OPIMIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

OPINATORES erant milites, qui præerant annonæ, ne aliquid deesset exercitui, C. l. missi ff. de exact. tribut. *Missi opinatores, id est, exactores militaris annonæ cum delegatoriis judicibus in provincias*, non ut ipsi annonam militarem exigerent, verùm quo *judices, ejusque officium instarent, ut intra anni metas acciperent, quod debebatur*. *Procuratores* vocantur Veget. IV. 7. *Nisi ab exordio dimensione salubri per idoneos procuratores erogatio temperetur*. Fortasse *prorogatores* appellandi. Ita Cassiod. Var. X. 28. *Arcarios, prorogatores tritici, vini, & casei....* Stevvech. in Vegetium. Laz. Comm. Reip. Roman. II. 15. Ursat. de not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 702. A. Burman. Diss. de Vectig. c. 9. Glossæ: *Opinator, ὁ τῆς στρατιωτικῆς αἰτώνης ἀπαιτητής*. Malè Cujacius inde dictos opinatur, quod *opinionem*, id est, census agri exigerent. Imo, quod probarent, spectarentque annonam, quam exigendam habebant. Nam *opinator* idem quod probator, & æstimator. Gloss. vet. *Opinator, æstimator, vel qui conducit aliquid, trutinat, vel appendit*. Hæc officium *opinatoris* quale esset in exigenda militari annona planè ostendunt. *Opinionem* etiam pro taxatione, & æstimatione ponebant. Gloss. Cyrill. *Opinio, συνίμησις: æstimatum, τὸ συνίμησις ἤτοι ἐξηργυρισμόν, ἤτοι διατίμησιν*. *Salmas. in Pollion. trig. tyrann. c. 6.*

OPISTOGRAPHA erant schedæ, in quibus extemporalia scripta, & nondum emendata adlinebantur, & in aversa parte, hoc est, in tergo scribi, & exarari solebant. Ulpian. l. 4. ff. de bonor. possess. sec. tab. *Chartæ appellatio & ad novam chartam refertur, & ad deleticiam, perinde & in opistographo quis testatus sit, hinc peti potest bonorum possessio.* Plin. Epist. III. 5. 17. *Hac intentione tot ista volumina peregit, Electorumque commentarios centum sexaginta mihi reliquit, opistographos quidem, & minutissimis scriptos.* In *opistographis*, & adversarius rationes, & diurna sua perscribebant, quibus utramque chartæ paginam occupabant, adversam, & aversam. Ab adversa dicta adversaria, ab aversa *opistographa*. Studiosi quoque, & literati homines primas suas curas, & commentationes, & quicquid denique sub limam revocandum esset, in ejusmodi schedis *opistographis* conscribere moris habebant, quod postea in mundam chartam, & quæ ab una tantum parte scribebatur, transferendum curabant. Lucian. dial. *βίων πρᾶσις* peram Cynicorum lupinis, & libellis *opistographis* refertam fuisse dicit, in quibus *φιλοσοφήματα* scilicet de secta sua inconditè, & tumultuariè scripta habebant. *Salmas. in Vopisc. Firm. c. 3. Voss. Lex. Etymol. Alex. Gen. dier. II. 30. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 283. Guiland. de Papyr. membr. 18. n. 10. Scalig. ad illum p. 44. Savaron. ad Sidon. Epist. II. 9. Sellar. in Plinium.*

OPITER appellatus est ille, teste Valerio, qui patre mortuo, avo vivo genitus est. Et Festus: *Opiter est, cujus pater avo vivo mortuus est*, Quintil. 1. 4. V. illum supr. in *Cordus*. Hoc prænomen Virginiorum proprium fuit, non admodum in usu, quod auctore Probo duabus notis sic OP. scribebatur. *Panvin. de Nom. Rom. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. II. p. 2031. A. Sigon. de Nom. Rom. c. 3. Ursat. de not. Rom. Thes. Grav. Tom. XI. p. 886. F. Voss. Lex. Etymol. Pigh. Annal. Rom. I. p. 79.*

OPITERGIUM, vulgus *Oderzum* vocat, est in Tarvisinis, seu Venetia, de quo Ptolemæus. Ab Attila dirutum, postea est instauratum. *Pancirol. Notit. dign. imp. occid. c. 88.*

Ὁ'ΠΛ.

Ὁ'ΠΛΙ'ΤΑΙ à scriptoribus priscis vocantur ob armorum, quæ gestabant, varietatem, nimirum ἀπὸ τῆς πανοπλίας, ab *omnibus, quæ simul gerebant, armis*. Fortè etiam ἀπὸ τῆς ὅπλου, quod inter alias significationes Hesychius exponit *indumentum militare*. Suidas: *Ὁπλῖται vocantur illi, qui gravissima armatura utuntur, more Macedonico, scutis rotundis, hastis longioribus*. Arcer. ad Ælian. Tract. c. 2. Boecler. Diss. de Legion. Rom. c. 7. Schel. in Hygin. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. X. p. 1037. C.

OPO.

OPOBALSAMUM vocatur succus, qui manat ex *balsamo* arbore. Dioscor. 1. 18. *Quod verò opobalsamum dicitur, æstivos sub ortu canis ardoribus excipitur incisa ferreis unguibus arbore. Sed tam paucum exstillat, ut quotannis vix plures quam seni, septemque congii colligantur, ubique pondus argento duplo rependitur.* Plin. XII. 25. *Succus è plaga manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximiæ, sed tenuis guttæ, ploratu, lanis parva colligitur in cornua. Opobalsamo*, & lacrymis ferè compositi liquores asservabantur in lacrymarum phialis sepulcralibus. Inscriptio, quæ est Rhodæ:

C. LÆLIO. C. F. IV
MAGNA. OMNIUM. EXPECTATIO-
NE. GENITO. ET. DECIMO. OCTA-
VO. ÆTATIS. ANNO. AB. IMMA
NI. ATROPO. E. VITA. RECISO
. FUSCA. MATER
AD. LUCTUM. ET. GEMITUM. RE
LICTA. EUM. LACHRIMIS. ET. O
POBALSAMO. UDUM. HOC. SEPUL
CRO. CONDIDIT.

Guther. de Jur. man. II. 22. Aring. Rom. Subterr. I. 23.

12. Licèt simulatores hirsuti essent, & pilosi, in privatis balneis sese per totum corpus ungere solebant. Juven. Sat. II. 41. V. illum supr. in *Lex Scantinia*. Grang. in Juvenalem.

OPOROTHECA, ὀπωροθήκη dicitur locus, ubi conduntur autumnales fructus. Varr. de Re rust. I. 59. *Oporothecas qui faciunt, ad aquilonem ut fenestras habeant, atque ut ea perflentur, curant: neque tamen sine foriculis: ne, cum humorem admiserint, pertinaci vento vieta fiant.* Stuck. Ant. Conviv. II. 10.

OPP.

OPPIA gens. V. illam supr. in *Gens*.

Oppia lex. V. illam supr. in *Lex*.

OPPIDUM & urbs cum conjunguntur, *urbs* est nobilior, & *oppidum* vilius. Suet. Aug. c. 53. n. 3. *Urbe, oppidove egressus*. Alioquin *oppida* eadem sunt quæ urbes. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Quare & oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe, & urbo urbes*. Cicer. pro Rosc. Amer. c. 18. *Ne in oppidum quidem, nisi perraro, veniret: domum suam istam ne ferè quisquam vocabat: nec mirum, qui neque in urbe viveret*. Scopp. Collect. c. 28. Differt à castello. Isidorus. V. illum supr. in *Castellum*. Captorum argenteæ, atque eburneæ imagines triumphantibus inter pompam triumphalem præferebantur. Ovid. de Pont. II. 1. 37.

Protinus argento veros imitantia muros
Barbara cum victis oppida lata viris.

III. 4. 105.

Oppida turritis cinguntur eburnea muris;
Fictaque res vero more putetur agi.

Mos hic locum dedit facetissimo joco, quem refert Quintil. VI. 3. *Chrysippus, cum in triumpho Cæsaris eborea oppida essent translata, & post dies paucos Fabii Maximi lignea, thecas esse oppidorum Cæsaris dixit.* Jun. de Pictur. II. 8. Laurent. Polymp. III. Synop. II. Barth. Adv. XIX. 8. Condendorum, & delendorum morem, V. infr. in *Urbs*.

Oppidum vocantur carceres circi. Varr. de Ling. Lat. IV. 32. *Oppidum dicuntur carceres, quod ea muri parte pinnis, turribusque carceres olim fuerunt. Scripsit Poeta* Ennius:

Dictator ubi currum insedit, provehitur usque ad oppidum.

V. eundem supr. in *Carceres*. Festus: *Oppidum dicitur & locus in circo, unde quadrigæ emittuntur*. Panvin. de Lud. circens. I. 5. Nardin. Rom. Vet. VII. 2. Dacer. in Festum. Donat. de Urb. Rom. III. 14.

Oppida fœderata vocabantur, quæ neque coloniæ, neque municipia, neque præfecturæ erant. Aliud jus nullum, quàm fœderis, & societatis cum populo Romano habebant. Fœderata in Italia fuerunt, aut Latii fœdere obstricta; ut Tibur, & Præneste: aut Italico; ut Neapolis, Velia, & Hieraclia: aut Gallico; ut Ravenna. Habebant suam Rempublicam, leges, & magistratus. Hinc civibus Romanis in civitates fœderatas exulatum ire, teste Polyb. VI. 12. permissum erat: tanquam in eas, quæ Rempublicam suam propria in potestate haberent; neque Romanis obnoxiam. Observo in illis omnes ferè magistratus fuisse, qui Romæ erant, dictatorem, consulem, prætorem, ædilem, quæstorem. *Goltz. Ital. p.* 206.

OPPIUS mons. Apparet *Oppium* verticem Exquiliarum illum esse, in quo templum S. Petri ad vincula. *Donat. de Urb. Roman.* III. 9. *Nardin. Rom. Vet.* II. 2. *Borrich. Ant. Urb. Fac. c.* 7. *n.* 1.

OPPONERE in circo dicebatur auriga, qui cum cæteros antevertisset, & nimis à sequente urgeretur, qui campum ei eripere summa vi nitebatur, ut nulla vi, ac studio ipsum posset remorari, ac se antecederet, nisi arte quadam, qua currum obliquum nec opinatò *opponebat*, ut tergo inhærentis agitatoris currus, cum effuso ferretur impetu, in illum impingeretur, ut aut frangeretur, aut effunderetur auriga. Plin. VIII. 42. *Claudii Cæsaris secularium ludorum circensibus excusso in carceribus auriga Albato Corace, occupavere prima* nimirum equi juncti ad currum, *tam obtinuere opponentes, effundentes, omniaque contra æmulos, quæ debuissent peritissimo auriga insistente, facientes*. Græv. Thes. Antiq. Rom. Tom. IX. Præfat. * * 3.

OPPUGNATIO est vel subita, vel diuturna. Subita, cum impetu, nec circumvallatione adhibita incurrunt. Ad hanc rem corona primùm usi, tum testudine, sæpè & scalis, cratibus, musculis, & quæ leviores sunt machinarum. *Lips. Poliorc.* I. 3. *Thys. de Oppugn. urb.* I. *p.* 156. Diuturna admovebatur, ubi prior non successisset; & aut artibus, ingeniisque vincendi hostes, aut longa fame domandi erant. Hanc exspectate anceps, arduum, & ideo conversi ad majora opera, ut circumvallationem: aut tormenta, arietem, helepolin, terebram, catapultam, ballistam, scorpionem: & tela, fundam, jacula, & sagittas. V. singula suis locis. *Lips. ibid.* II. I. *Thys. ibid. p.* 163. *Laurent. Polym.* IV. 2.

OPS.

OPS est *dicta terra*. *Huic deæ sedentes vota concipiebant, terramque de industria tangebant, demonstrantes & ipsam matrem esse terram mortalibus appetendam. Philochorus Saturno & Opi primum in Attica statuisse aram Cecropem dicit, eosque deos pro Jove, terraque coluisse, instituisseque, ut patres familiarum, & frugibus, & fructibus jam coactis passim cum servis vescerentur, cum quibus patientiam laboris in colendo rure toleraverant*. Macrob. Saturn. I. 10. Mense Aprili bovem gravidam Romani mactabant; itemque vaccas prægnantes, quarum vitulos à ministris exsectos maxima Virgo cremabat, & porcum. Horat. Epist. II. 1. 148. V. illum supr. in *Fescennina*. Sacrificia hæc deridet Arnob. VIII. p. 227. *Telluri matri scropha ingens immolatur fœta*. Cur Telluri plena sue sacrificatum, hanc rationem adfert Scaliger ad Festum; quod pecudis id genus, cum seritur, rostro semen fodiendo corrumpere soleat. *Tomas. de Donar. c.* 15. *Gyrald. Synt. deor.* IV *p.* 148. *E.* Cognomen particulare habuit *Consiva*, à conserendo. Festum ejus *Opeconsiva*. Incidebat in VIII. Kalend. Septembr. ut liquet ex veteri Kalendario. De eo sic Varr. de Ling. Lat. V. 3. *Opeconsiva dies ab dea Opeconsiva, cujus in regia sacrarium; quod ideo actum, ut eo præter Virgines Vestales, & sacerdotem publicum, introeat nemo. Is, cum eat, suffibulum haud habeat.* Voss. de Idolol. II. 58. Ursat. de Not. Roman. Thes. Ant. Roman. Græv. Tom. XI. p. 887. C. Siccam. in Fast. Kalend. c. 14. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 16. n. 1. Gyrald. l. l.

OPSONIUM. V. illud supr. in *Obsonium*.

OPT.

OPTIMATES dicebantur, qui patriciorum partibus favebant. Cicer. pro Sext. c. 45. *Duo genera semper in hac civitate fuerunt eorum, qui versari in Republica, atque in ea se excellentius gerere studuerunt: quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates & haberi, & esse voluerunt. Qui ea, quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini jucunda esse volebant, populares: qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarent, optimates habebantur... Omnes optimates sunt, qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti.... Horum qui voluntati, commodis, opinioni in Republica gubernanda serviunt, defensores optimatium, ipsique optimates gravissimi, & clarissimi cives numerantur, & principes civitatis. Quid est igitur propositum his Reipublicæ gubernatoribus, quod intueri, & quo cursum suum dirigere debeant? id quod est præstantissimum, maximèque optabile omnibus sanis, & bonis, & beatis, cum dignitate otium. Hoc qui volunt, omnes optimates: qui efficiunt, summi viri, & conservatores civitatis putantur.* Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman. II. 21. Hotman. Antiq. Roman. II. 9. Rosin. Antiq. Roman. I. 18. & ad illum Dempsterus.

OPTIMUS fuit cognomentum C. Scipionis Nasicæ. Pompon. §. 37. ff. de Orig. jur. *Fuit post eos Caius Scipio Nasica, qui Optimus à senatu appellatus est.* PancirolI. Descr. Urb. Rom. Thes. Ant. Rom. Græv. Tom. III. p. 263. B. Brisson. de Form VIII. p. 734.

OPTIO *in re militari appellatur is, quem decurio, aut centurio optabat sibi rerum privatarum ministrum, quo facilius obiret publica officia*. Paullus ad Festum. Festus verò: *Optio, qui nunc dicitur, antea appellabatur accensus. Is adjutor dabatur centurioni à tribuno militum, qui ex eo tempore, quem velint, centurionibus permissum est optare, & nomen ex facto sortitus est*. His Festus videtur dicere, *optionem* antea dictum accensum, cum scilicet à tribunis daretur centurioni; sed postquam centurio optare eum cœpit, & eligere, tunc *optionem* etiam dici cœptum esse. Et ita hunc locum interpretatus est Lipf. de Milit. Rom. II, 8, qui optimè monuit pro *ex eo tempore* legi debere *ex quo tempore*. Sed mihi scrupulum movet, quod ex Varrone didici, *optiones* à centurionibus ab initio fuisse electos; sed postea tribunos munus illud invasisse, ut *optiones* eligerent. Ita ille de Ling. Lat. IV. 16. *Quos hi, decuriones, primo administros ipsi sibi adoptabant, optiones vocari cœpti, quos nunc propter ambitionem tribuni faciunt*. Nodum mihi insolubilem solvit Cuper. Observ. IV. 9. qui postquam ex Varrone, & Polybio asseruit *optiones* primitus à centurionibus electos fuisse, ita Festum interpretatur: *Optio, qui nunc dicitur, antea vocatus accensus, datus centurioni à tribuno: & illud nomen optionis sortitus est ex eo tempore, quo centuriones ipsi eos eligebant, sive optabant*. Dacer. ad Festum. V. etiam *Sigon. de Jur. prov.* II, 2. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom.* XI. *p.* 882. *B. Guther. de Jur. man.* I. 7. *Laz. Comm. Reip. Rom.* IV. 10. *Malvas. Marm. Felsin. Sect.* V. 15. *Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c.* XI. *Stevvech. in Veget.* II. 7. *Bud. in Pandect. p.* 271. *E.* Veget. II. 7. illos appellat, *quod antecedentibus ægritudine præpeditis, tanquam adoptati eorum, atque vicarii solent universa curare*. Turneb. Adv. IV. 7.

Optio, neque est solum in castris, sed in aliis plerisque officiis, carceris dicitur ab Ulpian. l. 6. ff. de bon. damn. Eos ego censeo esse, quos commentariensis qui dicitur, adjutores sibi sumpsit ad custodias observandas, regendasque. August. in Johan. c. II. tract. 49. *Nam & receptiones in custodiam pro meritis caussarum adhibentur. Alios jubentur custodire lictores, humano, atque civili officio, mitique: alii traduntur optionibus, alii mittuntur in carcerem*. Bud. in Pandect. p. 271. H. Reinef. Inscript. Class. I, n. 3. Ego malim speculatoris adjutorem interpretari, ex verbis legis, quæ, dum de pannicularis damnatorum loquitur, sanxit, ut *neque speculatores ultro sibi vindicent, neque optiones ea desiderent, quibus spoliantur, quo momento quis punitus est*. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19. Stevvech. in Veget. II. 7.

Optio equitum cohortis, qui dicitur in inscriptione, quæ Romæ in hortis Marchionis Vincentii Justiniani ad portam Flaminiam:

DIS. DEABUS
C. JULIUS. C. F. ARN
AFRICANUS BRIXEL
LO OPTIO EQUIT
COH. VIII.

erat adjutor centurionis, vel alterius ordinarii à tribuno datus, tanquam ejus vel valetudine præpediti, vel negotiis aliis obruti, vel absentis vicarius, & rerum ejus privatarum administer, tanquam *adoptatus* quidam, selectus, & adscitus, & hoc in militia Romana vetere. Hinc è Tacit. Hist. I. 25. I. *optio cohortis speculatorum* notus est. *Reines. Inscript. Class.* I. *n.* 3.

Optio fabricæ videtur esse, qui Imperatoriæ fabricæ custos præest. Tarrunt. Patern. l. 6. ff. de jur. immun. *Quibusdam aliquam vacationem munerum gratuitam tribuit: ut sunt optio fabricæ....* Turneb. Adv. II. 13. Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19. Stevvech. in Veget. II. 7.

Optio tabellariorum stationis marmorum vocatur in veteri lapide:

PRO. SALTE. AUGG. N. N
L. SEPTIMI. SEVERI. PERTINACIS
ET. AURELI. ANTONINI. AUG
SEMNUS. AUGG. N. N. LIB. OPTIO
TABELLARIORUM. STATIONIS.
MARMORUM

Guther. de Offic. dom. Aug. III. 19.

Optio vocatur etiam obsonator. Procop. Persic. III. *Johannem tradidit, cui curam sumptuum domesticorum, Romani optionem vocant*. Buleng. de Conviv. IV. I.

OPU.

OPUS appellatur ædificium magnificum, ut indicant tractatus in Pandectis, & codice Justinianeo de *operibus* publicis, & de ratiociniis *operum* publicorum. Virg. Georg. II. 155.

Adde tot egregias urbes, operumque laborem.

Maxima verò *opera* erant in Urbe circus maximus: Mœnia quoque, amphitheatrum castrense, l. 3. ff. de oper. publ. in V. regione. Campum Viminalem sub aggere in V. regione inter maxima *opera* pono. Campum Martium in IX. regione. Illis, quia præcipua diligentia egebant, datus fuit *curator, maximorum operum* dictus. Erant & *opera* magna vocata, quæ fortè huic curatori commissa non erant, ut forum Romanum magnum in VIII. regione, & macellum magnum in II. circus Flaminius, & ludus magnus. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c.* 13.

Opus albarium, V. illud supr. in *Albarium*.

Opus novum Justin. lib. τῶν νεαρῶν constit. 63. καινουργίαν appellat. Illud facere est ædificando, vel detrahendo aliquid, pristinam loci, vel *operis* faciem immutare, l. I. §. opus ff. de oper. nov. nunt. Proinde qui unum, aut alterum cæmentum imponit, aut qui vetus ædificium, ne corruat, suppositis tibicinibus fulcit, & sustinet, novum *opus* facere non dicitur, l. I. ff. si quis ædificium. l. stipulat. §. opus eod. tit. *Opus* novum nuntiat, aut dicit, qui alteri, ne novum faciat *opus*, denuntiat, & prohibet. Nuntiatio novi *operis* speciem quandam appellationis habet. Nam, ut interpositis appellatione, sive jure, sive injuria, nihil novari oportet, l. I. nihil nov. ita etiam à nuntiatione, quamvis non jure facta, nihil novi *operis* facere permittitur. Et si factum quicquam fuerit, id postea destruitur, eoque nomine adversus eum qui fecit, interdictum datur à prætore, cujus hæc verba sunt, l. 20. prætor ait ff. de oper. nov. nunt. *Quem in locum nuntiatum est, ne quid operis novi fieret, qua de re agitur, quod eo in loco, antequam nuntiatio missa fieret, aut in ea caussa esset, ut remitti deberet, factum est, id restituas*. Duaren. Disput. anniv. I. 16. Muret. Obs. Jurid. c. 14. Guther. de Jur. man. III. 13. Cujac. Observ. I. 16. Ræвard. Var. II. 2.

Opus publicum. Inter *opera* publica Constantius A. l. 4. C. de oper. publ. prætoria, id est, ædes, in quibus præsides degebant, & jus reddebant, & alias domos publicas recenset. Item portus, aquæductus, l. ad portus 7. C. eod. thermas, horrea, & stabula ad equos cursus publici destinata, l. nemo 13. C. eod. Vocantur & illa, quæ pro admirandis recenset Plin. XXXVI. 5. qualia ab Augusto, Tiberio, & aliis principibus condita recitat Suetonius. Inter hæc erat amphitheatrum in III. regione, & theatra quatuor in IX. regione, Balbi, Marcelli, & alia duo minora. Inter illa Justin. Novell. 25. §. oportet, muros, pontes, vias, & aquæductus recenset. P. Victor, & descriptio Urbis Romæ ante Notitiam hujusmodi plura nominat. *Panciroll. Notit. dignit. imp. occid. c.* 14. *orient. c.* 15. *Reines. Inscript. Class.* IX. *n.* 54. *Guther. de Offic. dom. Aug.* II. 13. Nullius nomen *operi* publico alterius quàm Principis, aut ejus, cujus pecunia id opus factum esset, non licebat inscribi, l. opus ff. de oper. publ. *Panciroll. & Guther. l. l.*

Opus topiarium quid sit, V. infr. in *Topiarii*. Plin. XV. 30. *Accedit in topiario opere laurus, quæ taxa dicitur*. A Græcis Romam delatum quis ignorat? Neque id nostris temporibus incognitum. Profectò nonnullorum horti in Italia & Belgio, in arte topiaria facilè cum Romanis de principatu contenderent. *Kobierzyck. de Lux. Roman.* II. 7. *Popm. de Oper. serv. p.* 95.

ORA

ORA.

ORA est extrema vestimenti pars. Duplex est, summa nempe, & ima. *Roben. de Re vest.* II. I. Summa, Græcis *σῦμα*, circa collum, & humeros hæret: ima, Græcis ἡ *πέζα*, est extrema, vel ultima. *Ultimam fimbriam* appellat Poll. trig. tyr. c. 30. Ovid. Amor. I. 7. 45.

Nonne satis fuerat timidæ inclamasse puellæ,
Nec nimium rigidas intonuisse minas?
Aut tunicam summa deducere turpiter ora
Ad mediam? mediæ zona tulisset opem.

Si sæviendum, inquit ille, fuit, nonne sic potiùs sævire debui, ut tunicam ab *ora* summa deducerem, & scinderem, usque ad mediam? non enim ulterius scindi potuisset, sed illa parte, qua cingitur, zona opem tulisset, ne posset usque ad ultimam *oram* lacerari. *Salmas. in Pollionem.* Imo est eadem quæ lacinia, V. supr. in *Lacinia.*

Ora Latinis quibusdam funis est nauticus, quo ad terram navis ligatur. Quintil. præf. ad Tryphon. *Permittamus vela ventis, & oram solventibus bene precemur.* Liv. XXVIII. 36. *Trahunt scalas, orasque. & ancoras, ne in moliendo mora esset, præcidunt.* Gyrald. de Navig. c. 15. Donat. ad Vopisc. Aurelian. c. 48. *Oram solvere* non aliud quicquam esse credo, quàm è littore navigare, ipsumque littus, & *oram* liberare & solvere. Ut enim scriptum est ab Horat. Epod. X. 1.

Mala soluta navis exit alite.

quod antea in littore retinaculo esset religata: sic cum eodem retinaculo *ora* ipsa, æquè ac navis ligata sit, eo sublato cum incipit navigatio, solvi meritò *ora* dicitur, ut & navis. Utraque enim ante vincta erat. *Turneb. Adv.* III. 1. Literati tamen quidam *oram* negant pro fune accipi: & in Livio *lora* seponunt, vetusti, ut ajunt, exemplaris fide fulti. Fabium verò interpretantur, *oram*, id est, *à littore solventibus.* Pro his facit Cicero, qui pro Mur. c. 2. *portu solvere* dixit. *Ferrar. de Acclam. & Plaus.* II. 8. *Gyrald. l. l.*

Ora etiam spatium vocatur. Ennius apud Macrob. Sat. VI. 1.

Quis potis ingentes oras evolvere belli?

id est, tam ingentia belli spatia: quod maximum, & diuturnissimum fuit. Virg. Æneid. IX. 528. Ennium imitans:

Et mecum ingentes oras evolvite belli.

Turneb. Adv. XVI. 22: XVII. 3.

ORACULUM est legis interpretatio, adeo ut nihil à lege differat; ita videlicet nuncupatum, quod in eo Dei contineatur oratio, quæ voluntatis est index. Hoc quidem affirmat Cicer. Top. c. 20. *Oracula ex ipso appellata sunt, quod est in his deorum oratio.* Χρησμὸς vocatur, quasi index voluntatis divinæ, quæque indigentiam, seu necessitatem quandam afferat vi rationis impellentem, ut illud sequamur, quod jubet. Θεοπρόπιον etiam. Sed hoc ut ejusdem est significationis cum lege, & Themide, ita ab una, & eadem voce derivatus, qua θεσμὸς, & θεμὸς, θέμις, ἢ θέμιστες, nempe à τίθημι, eo quod terminum ponant, ac præscribant, quem excedere nefas est. Hinc etiam est, quod θεμιστεύειν tam significet vaticinari, & responsa dare, quàm leges ferre, & jura reddere. Atque ex his manifestum, cur Themin *oraculis* præesse dicant poetæ, cum ab ea provenisse, legisque divinæ *oracula* esse interpretationes docuerimus. *Pigh. Them. Thes. Ant. Græc. Gronov. Tom.* IX. *p.* 1161. *C.* Illorum duo fuerunt genera: unum, quod à furentibus profundebatur, ut à Pythia numine Apollinis correpta; alterum, quod æquatis, & paribus sortibus, è sitella, vel urna ducebatur. Cicer. de Divin. II. 33. *Auspicia restant, & sortes ea, quæ ducuntur, non illa, quæ vaticinatione funduntur, quæ oracula verius dicimus.* Horum celebriora loca enumerat Stat. Theb. VIII. 196.

——mutisque diu plorabere Delphis,
Hic Tenedon, Cyrrhamque dies, partuque ligatam
Delon, & intonsi claudet penetralia Branchi;
Nec Clarias hac luce fores, Didymæaque quisquam
Limina, nec Lyciam supplex consultor adibit.
Quin & cornigeri vatis nemus, atque Molossi
Quercus anhela Jovis, Trojanaque Thymbra tacebit.

Clasen. Theol. gentil. I. 6. §. 2. Illa consulturis jejunium indicebatur. Tertull. de Anim. c. 48. *Ut cùm apud oracula incubaturis jejunium indicebatur.* Et: *Sic enim & dæmonia sobrietatem expostulant à suis somniatoribus.* Laurent. de Prand. c. 22. In limine dabantur petentibus, vatibus in adytis reddentibus. Colligitur ex Virg. Æneid. VI. 115.

Quin ut te supplex peterem, & tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat.

45.

Ventum erat ad limen, cum virgo poscere fata
Tempus ait.

98.

Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit.

Memoriæ mandare olim fuit summa religio, Sophocl. in Trachin. *Moris fuit illico conscribi acceptum oraculum, ne memoria excideret.* Scribebantur in foliis, ut ajunt, palmarum. Virg. Æneid. III. 45.

Quæcunque in foliis descripsit carmina virgo.

Laurent. ibid. c. 14. Ad illa concurrebant I. Anima, quæ divinationem susciperet. II. Causa naturalis, quæ animam ad divinationem suscipiendam aptam redderet, III. Dæmon, ac deus, qui divinationem immitterent. Animam, ut divinationis esset capax, oportebat sua natura omnino spoliari, & omnem ratiocinationem deponere, quia tunc inservire poterat, tanquam vehiculum, & instrumentum dæmonibus, ac diis, qui veluti præfecti, & custodes regebant omnem ipsius impetum, & passionem. Sed, ut hæc evaderet, extrinseca naturalis causa in pluribus opus erat: quamvis aliqui natura sic affecti, & constituti essent, ut hujusmodi sponte fierent. Hæc causa in primis erat terra: neque mirum. Nam, cum hæc suo sinu omnes cœlestes influxus recipiat, generandique vim à deo sole habeat, & tot mira quotidie producat: cur non poterit etiam, aut halitum spirare, aut fontem emittere, qui mentes hominum è sua sede dimoveat? Has causas reddit Plutarchus. Cui perierint, ex his facilè demonstrat. Nam causæ naturales, subjungit p. 419. quatenus universæ æternæ sint, singulæ tamen intereunt: terraque ipsa, quæ tota sempiterna, interitusque expers est, varias vices in partibus patitur, & aliquæ ejus virtutes alicubi oriuntur, alicubi occidunt: alii migrant, aliunde demigrant: ut ex lacubus, & amnibus, alibi aliquando deficientibus, & alibi aliquando scaturientibus, patet. Dæmones quoque quamvis longam vitam vivant, & ipsi intereunt. Nam Tiberii Cæsaris tempore, Tauro Navæ, voce ex mari egressa, nuntiatum fuit, magnum dæmonem, nomine Pan, apud insulas Echinadas obiisse. Quare deficiunt *oracula*, deficientibus causis, ex quibus prodierant. Forsan enim dæmones illi, qui Delphico, & Branchidico *oraculis* aderant, mortui sunt, & Delphica terra amisit vim spirandi ex antro illo halitum, furore homines replentem: idemque fonti Branchidico, & Colophonio evenit. *Vener. de Oracul. & divin. Antiq. c. 9.*

Oraculum Delphicum, quia præ aliis veridicum fuit, omnium celeberrimum est habitum. Strab. IX. p. 289. *Delphico fano majorem honoris partem oraculum comparavit, omnium minimè fallax existimatum.* Hoc capræ invenerunt oberrantes circa terræ hiatum, ubi nunc est adytum templi. V. supr. in *Apollo Delphicus.* Strab. IX. p. 288. *Oraculum ipsum ajunt esse specum altissimè depressum, aditu non admodum lato. Ex eo spiritum efferri furoris divini efficacem, supra spiraculum tripodem situm sublimem, quo conscenso Pythiam, ubi spiritum exceperit, versa, solutaque oratione sortes pronuntiare, poetasque esse quosdam fani ministros, qui oracula, prorsa oratione edita, versa efferant.* Ibi fuit specus, cujus ex intima parte spiritus erumpens Pythiam, quæ cortinæ deductis feminibus insistebat, per pudenda se insinuans afflabat. Schol. Aristoph. Plut. I. I. 39. *Pythia insidens*

sidens tripodi, & diducens femora halitum infernè spiritum per verenda naturæ excipiebat, & capillo soluto spumam ex ore exspuens, & furens, vaticinia, vel verius deliramenta effabatur. Oracula erant dubia, quæ non nisi casus postremi discrevere. Ejusmodi sunt hæc:

Crœsus Halym penetrans magnam subvertet opum vim.
Ajo te Æacida Romanos vincere posse.

Arnob. III. p. 114. *Divinitatis scientiam largitur hariolantibus Pythias: & cur obliqua, ac dubia, cur obscuritatis submersa caligine dat sæpius, subministratque responsa?* Pacuvius Peribœa:

Flexa, non falsa autumare dictio Delphis solet.

Ubi *dictionem* responsum Apollinis vocat. Senec. Oedip. II. 212.

Responsa dubia fortè perplexa latent,
Ambage nexa, Delphico mos est deo
Arcana tegere.

Nero sustulit, cum homines ad os illud mactasset, unde spiritus sacer exibat, narrante Dione. Minutius desiisse ait, cum homines politiores, & minùs crudeles esse incepissent. Delphis Augusto redditum apud Eusebium, & Zonaram in hæc verba:

Me puer Hebræus, qui diis imperat,
Jubet hanc ædem relinquere, & viam rursus ire.

A quo facit Lucan. v. 111.

—— non ullo secula dono
Nostra carent majore deum, quàm Delphica sedes
Quod siluit, postquam Reges timuere futura,
Et superos vetuere loqui.

Buleng. de Orac. & vat. c. 6. Vener. de orac. & divin. Antiq. c. 1. Potter. Archæol. Græc. II. 9. Sed illud post natum D. Jesum diu durasse multis probat *Van Dale de Oracul. Ethnic. Dissert.* 11.

Oraculum dicebatur quoque templum, in quo *oracula* reddebantur. Suet. Tib. c. 14. n. 4. *Cum Illyricum petens, juxta Patavium adisset Geryonis oraculum.* Curt. IV. 7. 6. *Adire Jovis Hammonis oraculum statuit.* Plin. XII. 23. *Hammonis oraculum, juxta quod gignitur arbor.* Pitisc. in Suetonium.

ORARIUM. Hac utuntur voce scriptores Latini, Græci, ac Syri: sed origo est Romana. Auctor Etymologici, postquam docuit φάκιον, & φακιόλιον dici linteum quoddam, vel sindonem parvam, addit ὃ φασίν τὸ ὠμαρίον: *ita enim à Romanis vocatur orarium.* Est igitur linteum propriè *oris* tergo paratum. Ideo Prudent. Περὶ στεφ. 1. 86. vocat *pignus oris*:

Hic suo dat pignus oris, ut ferunt, orarium.

Apertissimè Beda in Martyrologio, octavo Idus Februarii: *Dorothea ducta ad locum pœnarum, in quo jugulanda erat, paulisper oratione facta, protulit orarium suum, & vocate ad se quodam puerulo annorum sex, misit Theophilo, dicens: dic ei, Dorothea ancilla Dei misit tibi mala de paradiso sponsi sui Christi. Is accipiens, & gratias agens, quod petitionem ejus implesset, cœpit sibi faciem tergere.* Aut eadem res, aut non admodum diversa, *orarium*, sudarium, semicinctium, & φάκιον. A probatis enim auctoribus, Græcis, & Latinis sæpè confunduntur; & alterum promiscuè pro altero, tanquam synonyma, usurpantur, & quod unius duntaxat proprium videbatur, omnibus non rarò tribuitur. Hesychius: Σημικίνθια, φακιόλια, ζωνάρια, ὠράρια. Suidas: Σημικίνθιον, φακιόλιον, ἢ σουδάριον. Auctor Etymologici modo laudatus. Hieron. ad Nepotian. Epist. II. *Ridiculum, & plenum dedecoris est, referto marsupio, quod sudarium, orariumque non habeas, gloriari.* Casaub. & Salmas. in Vopisc. Aurelian. c. 48. Franc. Bernard. Ferrar. de Acclam. & plaus. II. 8. Erat in fasciæ modum longiusculum. Probamus testimonio August. de Civit. Dei XXII. 8. Ubi de eo loquens, cui delapsus sede sua oculus in maxillam deciderat: *Tunc, ait, sicut potuit, oculum lapsum, atque pendentem, loco suo revocatum ligavit orario.* Quod *orarium* Augustinus, id ipsum in historia simili τελαμῶνας, hoc est, *fasciolas* vocat. Evagr. Hist. Eccles. IV. 7. *Johannes Chuzubites, postquam uxori Arcesilai alterum oculum radio effossum audivit, properè ad illum contendit, plagam, quam acceperat, conspicaturus. Ubi autem vidit, pupillam penitus excidisse, & oculum sede dilapsum, cuidam ex medicis, qui eo commearant, mandat, ut spongiam afferat, oculumque dilapsum in sedem suam, quam commode posset, inducat, & spongiam appositam fasciolis alliget,* τελαμῶσιν ἐλαδίοις. Et larum. Nam antiquus Juvenalis interpres, quem habemus, flammeum illud, quo nubentes amiciebantur, *orarium* interpretatur. Omnino, qualia sunt nostra linteola, quæ à facie *fazzolette* appellantur. Insubribus *pannuli*, sive *pannetti* dicuntur. *Casaub. & Franc. Bernard. Ferrar. l. l. Octav. Ferrar. Analect. de Re vest. c.* 17. Aurelianus novum, nec antea cognitum *orariorum* usum instituit, & dono dedit populo Romano, ut illis in spectaculis uteretur *ad favorem.* Vopisc. c. 48. *Ipsumque primum donasse oraria populo Romano, quibus uteretur populus ad favorem.* Turneb. Adv. XIX. 21. Buleng. de Theat. I. 59. Casaub. Salmas. Octav. & Franc. Bernard. Ferrar. l. l. Faber Agonist. II. 30. Laurent. de Acclam. c. 2. *Quæ hæc oraria? quis favor? Favor* quidem, acclamatio sollennis: at *oraria* quidpiam, quod *ori* adjungerent, sive inducerent, ad augendam, aut dirigendam vocem, ut histrioniam personam. Tegmen inquam aliquod, aut velamentum resonans, ad magis concinnandas modulatas istas voces. *Lips. Elect.* II. 10. Ego per *oraria* puto intelligendum vittas, vulgo *bande*, quibus corpora cingere ab humero sursum, deorsum verò ad oppositum ilium solent, vel collo circumdare milites, ut cujus centuriæ, seu legionis sint, dignoscatur, & sub quo duce militent. Eisdem nostris temporibus, tum viri, tum mulieres mutuò se donant, tanquam amoris, & benevolentiæ signum, *favorisque* ergo gerunt. Unde & communi appellatione *favori* vocantur. Hujusmodi Aurelianus *populo Romano donavit ad favorem*, ut popularium animum in sui amorem alliceret, & popularem auram captaret. *Donat. in Vopiscum.* Neuter est assecutus qui esset *orariorum* usus in *favendo*, sive, ut loquitur Vopiscus, *ad favorem.* Enimverò *favere orario*, vel, *uti ad favorem orario*, nihil aliud est, quàm jactato, seu concusso *orario*, hoc est, fascia lintea longiuscula, ac modicè lata, *favoris*, & benevolentiæ signum dare. *Casaub. Octav. & Franc. Bernard. Ferrar. l. l.* Consuetudinem hanc ab Aureliano introductam, non theatra modò, & cæteri spectaculorum loci, sed & sacri ipsi quandoque Christianorum conventus exceperunt, ac retinuerunt. Ita Paullus Samosatenus concionans ab auditoribus suis non modò *favorem, neque acclamari sibi, ac plaudi, sed oraria etiam ad theatri morem moveri expectabat.* Euseb. Hist. Eccles. VII. 30. *Franc. Bern. Ferrar. ibid. c. 7. Fab. Agonist.* II. 30. Illa portabant senatores. Glossæ Basilicῶν: *Odonaria, & odonia, sunt panni longi, qui & oraria dicuntur quibusdam. Hæc fere, qui in palatium ibant senatores, gerebant, illis utebantur ad emungendum, & expuendum.* Non illi, qui consulares trabeas ferebant, sed loco illorum mappulas, sive semicinctia. Theophyl. in Act. Apost. c. 19. *Sudaria, & semicinctia linea sunt utraque, sed sudaria quidem capiti imponuntur, semicincta vero in manibus tenent, qui non possunt oraria gestare, quales sunt, qui ferunt consulares vestes, ut abstergant humores faciei.* Ruben. de Re vest. I. 13. Qui hæc conatus est probare, Sed non satis percipio, cur à solis senatoribus gestarentur, Nunquid cæteri, quibus eorum jus non erat, digitis, aut cubito emungebantur? Illud mirum magis, quod senatoribus licebat, non licebat consulibus. Itaque cur senatoribus tantum *orariorum* jus esset, causam adhuc quæro. *Oct. Ferrar. l. l.*

ORATA *cognominatus est C. Sergius, quod ei pisces, qui aurata vocantur, carissimi fuerunt.* V. Festum supr. 10 *O & au. & hic primus balneas pensiles habuit, primus ostrearia in Bajano locavit, primus optimum saporem ostreis Lucrinis adjudicavit. Fuit autem ætate L. Crassi illius diserti.* Macrob. Sat. II. 11. *Ne gulam Neptuni arbitrio subjectam haberet, peculiaria sibi maria excogitavit, æstuariis intercipiendo fluctus pisciumq; diversos greges separatas molibus includendo, ut nul-*

la

la tam sæva tempestas incideret, qua non Orata mensæ varietate ferculorum abundarent. Sigon. de Nom. Rom. c. 5. Ferret. Mus. Lapid. iv. memor. 43. Glandorp. Onomast. Roman. p. 789.

ORATIO accusatoris, quæ, & quotuplex. V. supr. in *Accusatio*.

Oratio funebris. V. illam supr. in *Laudatio*.

Oratio Principum est omnis illorum in senatu allocutio, aut viva voce, aut ex scripto ab alio recitata. Hujus variæ fuerunt species. Nam aliæ sunt suasoriæ, aliæ sunt Principis sententiæ, cum de re aliqua senatus haberetur: quædam objurgatoriæ, aut monitoriæ: nonnullæ sunt allocutiones, sive deliberationes; aliæ vim legis obtinent, cum Princeps de re aliqua quid constituit, *orationemque* in senatu habet, ut illius auctoritate Sctō firmetur, quod decrevit. Hoc dicendi, vel scribendi genere primò vim suam, & imperii Principes auxerunt, & tenuerunt. *Gutber. de Offic. dom. Aug.* 1, 30. Sctis nulla vis fuit, nisi placitum Principis accessisset; nam ita ferè Imperatorum mos fuit, postquàm omnem potestatem, quæ olim penes populum erat, in se receperant, ut, si quid novi juris promulgare vellent, *orationem* in senatu haberent, qua patribus aperiebant, quid statuere vellent, & simul, quid ii censerent, consulebant. Paull. l. 22. ff. de hæred. pet. *In oratione D. Hadriani ita est: dispicite patres conscripti.... Oratione* Principis audita patres sententias ferebant, Sctum de ea re, quam proposueras, fiebat. Et hoc sæpè in jure una & eadem res orationi Principis, & Sctō adscribitur. Deinde factum Sctum ad Imperatorem perferebatur, qui si illud approbabat, exire, & legis vim habere jubebat, ita ut omne robur, non à senatu, sed à Principe accederet. *Burman. Dissert. de Vectig. c.* 6. Nomine Principis in senatu recitabantur à quæstore. V. infr. in *Quæstores candidati*. Interdum à consule. Suet. Ner. c. 15. n. 9. *De quibusdam rebus rationes à senatu missas, præterito quæstoris officio, per consulem plerumque recitabat*. Unde tansoperè sibi gaudet Symm. Epist. 1. 89. *Contestare apud invictos Principes gaudium meum, qui humanæ voci divinas literas crediderunt, quorum victorias ex meo oris promptuario senatus audivit, cum mihi à principibus æternis legenda in concilio patrum delegaretur oratio*. Buleng. de Imperat. Rom. iii. 16. Guther. l. l. Pitisc. in Suetonium.

ORATOR differt à patrono. Hic in causis agendis totum occupatur, ille è foro aliquando excedit ad rostra concionem habiturus ad populum, in senatu sententiam dicturus, ludit nonnunquam ad ostentationem *orationes* epidicticas, encomia, nænias, aliaque argumenta, jucunda magis, quàm seria. Quid multis? In tribus causarum generibus, demonstrativo, deliberativo, & judiciali versatur, cum hic sese in tertio exerceat, tanquam ejus septis, & cancellis conclusus. Obit ad exteras gentes legationes, in quibus, si bellum indicit, aut inimicitias denuntiat, res repetit, legatus, & fœcialis vocatur: si pacem exposcit, veniam orat, fœdus rogat, *orator* dicitur. Virg. Æneid. vii. 152.

Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad mœnia Regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes,
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.

Curt. v. 3. 11. *Inde triginta oratoribus missis ad deprecandum triste responsum à Rege redditur, non esse veniæ locum*. Pollet. For. Rom. ii. 6. Bud. in Pandect. p. 215. Paschal. Legat. c. 2. Pitisc. in Curtium.

ORB.

ORBICULUS annuli est ipsa annuli σφενδόνη. Annulus enim, qui gemmam habet, constat tribus partibus: *orbiculo*, pala, gemma. Apul. Florid. p. 777. Hippias philosophus *etiam pedum tegumenta crepidas sibi compegerat, & annulum in læva aureum faberrimo signaculo: quem ostentabat. Ipse ejus annuli & orbiculum circulaverat, & palam clauserat, & gemmam insculpserat*. Kirchman. de Annul. c. 3.

Orbiculus erat etiam parvum rotundum scutum, in quo historiæ depingebantur. Inserebatur vestibus. Anastas. in Leon. iii. *Pari modo ut supra & alia tetravela alba holoserica rosata Paschaliles habentes tabulas, atque orbiculos de chrysoclave*. in Leon. iv. *Atque super ipsum altare fecit vestem auro textam, candidam per totum margaritis fulgentem, & in dextra, lævaque tabulas gemmatas habentem, cum aureis per circuitum orbiculis, quibus insigne ipsius præsulis nomen est descriptum*. Ruben. de Re vest. i. 24.

ORBILE est rotunditas ipsius orbis, qui auctior est in fine: hic contra tabulam tympano similem habet. Varr. de Re rust. iii. 5. *In insula est columella, in qua intus axis, qui pro mensa sustinet rotam radiatam, ita ut ad extremum, ubi orbile solet esse acutum, tabula cavata sit, ut tympanum, in latitudinem duos pedes, & semipedem, in altitudinem palmum*. Turneb. Adv. xxixi. 21. Nihil minùs est quàm id quod vult Turnebus. Nam procul dubio *orbile* vocat, quam Græci συριγγα, & poetæ χνόην. Id erat axis capitulum, seu cardo, quod in modioli formam conveniebat. Pro eo tabula cava ad modum tympani erat in summo impacta, quæ exciperet modum rotæ, ita ut modius ipse in ejus cavum iniret, ut in acetabulum. Recepta lectio non caret vitio. Nam quid est, *ubi orbile solet esse acutum*? *Orbile* non ita desinit in mucronem, ut acutum dici possit. Deinde, quid erit illa tabula? an ita ulla ejus crassitudinis esse potest, ut tantum excavetur, quantum ad modium rotæ excipiendum sufficiat? L. *ita ut ad extremum, ubi orbile solet esse, acetabula cavata sit*. Scalig. Conject. in Varr. p. 237. Qui dicit, *orbile* partem illam esse axis, quæ modiolo immittitur. Sed non satisfacit. Nam postulare aliud verba, *ubi orbile solet esse*, videntur. Nempè ostendunt, alias quidem, & in rotis cæteris ibi esse consuevisse, at in hac illius loco aliud fuisse quippiam. Jam si hic non fuit *orbile*, quomodo potest stare, quod præcedit apud Varronem: *intus axis, qui sustinet rotam radiatam*, si *orbile*, quod vult Scaliger, pars axis fuit, quæ modiolo immittebatur? Axis absque *orbili* Scaligeriano sustinere rotam non potest. Nec tamen probo, quod Turnebus habet de acumine in fine. Nam illa verba revera sunt corrupta. Puto ita corrigenda esse: *ad extremum, ubi orbile solet esse, arcus cum tabula cavata sit*. Hoc enim Varro dicit, non fuisse in rota illa *orbile*, sicut in rotis cæteris, verùm arcum parti radiorum affixum habuisse, cum tabula subpacta, superne aperto foramine, ut imponi turdis cibus, potusque posset. Itaque sequitur: *Aqua calida, & frigida ex orbi ligneo, mensaque, quam dixi in primis radiis esse, epitoniis versis ad unumquemque factum, sic, ut fluat in cen vivam*. *Orbem ligneum, mensamque* hìc appellat, quam paullò antè *tabulam cavatam*. Hanc fuisse ait in *primis radiis*, non in rotæ modiolo, quod Scaliger putabat. Ait Scaliger, aquam fluxisse ex radiis. Nihil tale Varro, *mensam in primis radiis* ponit. Et per *primos radios* intelligit summos, id est, extremitates eorum, extremas ejus capita, quæ aliàs *orbili* solent immitti. Omninò enim per *orbile* intelligit circulum modiolum exteriùs ambientem. Curtio est *orbis rotarum* iv. 9. 5. quomodo paullò antè Varro *orbem ligneum* ad similitudinem hujus appellavit. Nominatim vocat *rotarum orbes*, ut de nulla alia vehiculi parte, ac ne axis quidem possit accipi. Atque ita quoque Isidor. xv. 16. *Orbita, vestigium carri, ab orbe rota dicta*. Nemo non per *orbem rotæ* hìc intelligit extremum circulum, quippè qui terram, solusque vestigium id facit. Virgilius similiter Georg. iii. 172.

—— & junctos temo trahit æneus orbes.

Qui & *ferratos* propter canthos dixit ii. 361.

Undique jam tergo ferratos sustinet orbes.

Curvaturam rotæ vocat Ovid. Met. ii. 108.

—— temo aureus, aurea summæ
Curvatura rotæ.

Flexuram Prudent. Psychom. ii. 38.

—— & radiorum
Argenta albentem seriem, quam summa rotarum
Flexura electri pallentis continet orbe.

Scheffer. de Re vehic. i. 6.

OR-

ORBIS universus ab Romanis sub jugum missus. Plurimum verò etiamnum, imò multò maxima pars deerat. Hanc tamen opinionem imbiberant planè Romani, sive ex geographiæ ignorantia, sive vel quod sibi ipsis illa dulci imaginatione, vel Imperatoribus suis blandirentur: ut adeò istiusmodi voculis pleni sint libri poetarum. Petron. c. 79.

Orbem jam totum victor Romanus habebat:
Qua mare, qua tellus, qua sidus currit utrumque,

Lucan. VII. 423.

Haud multum terræ spatium restabat Eoæ,
Ut tibi nox, tibi tota dies, tibi curreret æther,
Omniaque errantes stellæ Romana viderent.

Tibull. II. 5. 59.

Roma tuum nomen terris fatale regendis,
Qua sua de cœlo prospicit arva Ceres:
Quaque patent ortus, & qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.

historicorum. Sallust. Bell. Catill. p. 29. *Ea tempestate mihi imperium populi Romani multo maximè miserabile visum est: cui cum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent,...* Latin. Pacat. *Quia gentibus adoratur, cui toto orbe terrarum privata, & publica vota redduntur.* Ipsorum Patrum. Ita enim Concil. Chalcedon. Act. 1. p. 405..... *Præcepit dominus orbis terræ. Jussum est à domino orbis terræ.* Quin & id in nummis professi sunt Imperatores *orbem* simul dextra portantes. Et Ulpian. l. 17. de stat. hom. *Orbem Romanum* dixit, tanquam extra Romanum imperium *orbis* nullus esset. *Mader. in Panvin. de triumph. c. 1. Grot. de jur. bell. & pac.* II. 22. §. 13. *Barth. Adv.* XXIII. 2. *Racemat. in Petron. p.* 515. *Sutzman. in Rutil. Itiner.* 1. 58. *Lips. de magnit. Rom.* 1. 3. *Conring. de German. Imp. Rom. c.* 2. *Berger. de viis milit.* III. *Sect.* 1. §. 4.

Orbis laneus apud Prop. IV. 6. 6.

Terque focum circa laneus orbis eat.

erat corona lanea. Antiquissimum fuit genus coronarum lanearum, ut ait Festus, quæ lemniscatæ dicuntur ab historicis, quoniam lemnisci, quæ sunt fasciæ coloratæ, illis adjiciebantur, aliquando discolores, imò aurei. Plinius. V. illum supr. in *Corona lemniscata.* Beroal. in Propertium. Quid sit, adhuc quæratur. Nam hunc ritum planè ignoro. Beroaldus hic mihi visum sustulit. Hoc unum asserere possumus, quod apud illum de *laneo orbe* dicitur, id Græcis esse κανοῦν κύκλῳ βωμοῦ εἰλάτειν. Κανοῦν, id est, canistrum, in quo mola salsa, & quædam alia ad sacrificium pertinentia, circum aram in *orbem* circumferebant. Semper puer ingenuus Romæ, qui Camillus dicebatur, & ipse quoque cumerum gestabat, quod nihil aliud est, quàm τὸ κανοῦν Græcorum. Sed non legimus illud circa aram circumferri. Deinde, quis est *laneus orbis*, nisi glomus? Itaque hic ritus latet penitus mihi incognitus. *Scalig. in Propertium.* Cui hoc frustra videtur ænigma. *Laneum orbem* dicit Propertius, quem *vittam laneam* Ovid. Fast. III. 30.

Decidit ante sacros lanea vitta focos.

quod lanea, ut ex Plinio notissimum est, familiare maximè indumentum subministraret, & ob id diis familiaribus, Laribus, illa maximè conveniebat. Plin. XXIII. 3. *Corona deorum honos erat, & Larium privatorum, publicorumque, ac sepulcrorum, ac manium.* Addo supernumerarios testes ipsum Prop. III. 4. 29. Ex quo liquet, coronam hanc laneam in expiatoriis, & magicis sacris recepissimam:

Et strigis inventa per busta jacentia pluma,
Cinctaque funesto lanea vitta viro.

& Virg. Ecl. VIII. 64.

Affer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta.

Manut. de vet. dier. rat. apud Demster. Paral. ad Antiq. Rosin. p. 277. A. Hortib. Lect. Theocrit. c. 2. Græv. Lect. Hesiod. c. 25. Passerat. in Propertium. Guther. de vet. jur. pontif. IV. 2.

Orbis dicitur pro mensa. Mensæ, quæ prius quadratæ fuerant, postea rotundæ sunt factæ. Mart. II. 43. 9.

Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes.

id est, mensam citream rotundam totam factam è ligno citri arboris.

Fulcitur testa fagina mensa mihi.

IX. 23. 5.

Ut Mauri Libycis centum stent dentibus orbes.

Gronov. Mus. Alexandr. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VIII. p. 2752. E. Ferrar. Anal. de Re vest. c. 1. Ciaccon. de Triclin. p. 25. Ego volo *orbes* mensarum esse projecturas quasdam, sive supercilia, oris, marginibus, ac limbis mensarum, sive pediculorum, cum ipsis, commissuræ, atque juncturæ obtegendæ gratia *orbiculatim* adhiberi solita, sed quæ sint exemptilia, cum sine ipsis mensæ consistere possint. *Faber Semestr.* III. 25. Ast ego malim esse labium mensæ undulatum in ambitum. *Buleng. de Conviv.* 1. 39.

Orbis orationis vocatur rotunda periodus artificio, numeroque definita. Cicer. Orat. c. 71. *In Thucydide orbem modo orationis desidero, ornamenta comparent.* c. 61. *In eo, quod appellamus* ἐπιδεικτικὸν, *placet omnia dici Isocratis, Theopompeoque more, illa circumscriptione, ambituque, ut tanquam in orbe inclusa currat oratio, quoad insistat in singulis perfectis, absolutisque sententiis.* Στρογγύλως ἐκφέρειν λέξιν nominant Græci. Ejus primum architectum fuisse Thrasymachum, suis monumentis reliquit Theophrastus. Eundem *orbem* dicunt etiam κύκλον. Sic apud Dionys. in Isocrat. *complecti animi cogitationes orbe, & ambitu,* περιόδῳ τε καὶ κύκλῳ, *numerose planè, versuumque simillime.* Sophistæ solebant *rotundare orationem,* quæ dimenso, & volubili cursu aptè in hominum aures, & suavissimè allabatur. Eam dixit *erotundatam* Sidon. Epist. IX. 7. *circumtonsam* Senec. Epist. 115. *fandi rotam* Auson. Profess. Burdig. IV. 16. Perinè, nam dicitur rotundus à rota, ut auctor est Non. 1. 297. Max. Tyr. Dissert. XV. vocat *rotundas periodos.* Cicer. c. 13. *Thucydides præfractior, nec satis, ut ita dicam, rotundus.* Et quia rotundi *orbis* volvi est proprium, apud Rhetores volvi, & volubilis dicitur oratio. Εὐτρόχαλον ῥύμην τῆς λέξεως Græci vocant. Hinc illa Cicer. ibid. c. 62. *Sæpe etiam in amplificanda re, concessu omnium funditur numerosè, & volubiliter oratio.* Cresol. Theatr. Rhetor. III. 26.

ORBONA dea à Romanis culta fuit, ne *orbos* faceret. Plin. II. 7. *Orbonæ ara fuit ad ædem Larium.* Arnob. IV. p. 131. *In tutela Orbonæ sunt orbati liberi parentibus.* Nardin. Rom. Vet. III. 12. Borrich. Ant. Urb. fac. c. 6. §. 5. Gyrald. Synt. deor. 1. p. 51. A. Laurent. de Natal. c. 1. Tomas. de Donar. c. 10. Lipen. Stren. 1. 6. Macrobius auctor est, matronas ad arcendam orbitatem *Orbonam* propitiasse, ubi infando sacrorum instituto orbari consueverе. *Sabell. Annot. in Plinium.* Hoc ego nusquam in eo auctore legi existimo. *Pintian. in Plinium.* Qui *Orbonæ* mentionem apud Plinium exterminandam putat, veluti spuriam, & adulterinam, ut quam scriptor nullus celebrarit, nullibique omninò compareat. Ego *Orbonæ* lectionem defendo constanter, & servandam autumo, quum eam, ubi in reliqua fictitiorum, & putativorum deorum turba, quam enumerat, hanc quoque non dissimulanter nominet doctissimus pariter, & antiquitatis omnis callentissimus Arnobius modò laudatus. *Jun. Anim.* III. 1.

ORC.

ORCA fuit vas fictile, duas habens ansas, in quo salsamenta reponebantur, ut monet Schol. Aristoph. in Vesp. p. 479. & iisdem verbis tradit Suidas. Et ita Pers. Sat. III. 76.

Menaque quod prima nondum defecerit orca,

Voss. Lex. Etymol. Casaub. in Persium. Bud. de Asse V. p. 607.

Orca fuit vas ficarium. Festus: *Orca, genus marinæ belluæ maximum, ad cujus similitudinem vasa quoque ficaria orcæ dicuntur.* Colum. XII. 15. *Nonnulli hanc ipsam formam fici orcis sine pice includunt.* Plin. XV. 19. *At ubi ficorum copia abundat, implentur orcæ in Asia.* Voss. Lex. Etymol.

Orca

Orca fuit vas vinarium. Varr. de Re rust. I. 13. *Quod sæpè, ubi conditum novum vinum, orcæ fervore musti in Hispania ruptæ*. Non. xv. 13. Vopisc. Aurel. c. 50. *Qui biberet infundibulo apposito plus orca*. Voss. Lex. Etymol. Cenal. de pond. rat. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. xi. p. 1474. B. Goes. Ind. in rei agrar. auctor. Bud. de Asse v. p. 607. Amphora fuit majus, sed quantum, mihi latet. *Lips. Epist. Miscell.* 51.

Orca quinetiam fuit dicta machinula in lusu talario, ad præcavendos aleatorum dolos comparata. Pers. Sat. III. 48.

> —— *quid dexter senio ferret*
> *Scire erat in voto: damnosa canicula quantum*
> *Raderet, angustæ collo non falleret orcæ*,

Nam ridiculi sunt, qui vas fictile somniant, in quod inter ludentes pueros qui nucem injecisset, victor erat. Autumnus huc respicit ad Juven. Sat. xiv. Nam adducto illo Mart. iv. 14. 8.

> *Incertis sonat hinc, & hinc fritillis,*

statim subjicit: pueri vas in terram figebant, & in illud nuces jaciebant. Nugæ. Nusquam hoc lectum. Et si sit, non hoc vult Persius, pyrgum dicit lata alvo, angusto ore, atque collo longiore, in quem tali, tesseræve conjicerentur. Hic instar *orca*, sive urnæ fuit. Pompon. apud Priscian. III. 9.

> *Interim dum contemplor orcam, taxillos perdidi*.

Souter. de Aleat. I. 3. Calcagn. de talor. lud. c. 1. Voss. Lex. Etymol. Beroal. Annot. c. 41. Casaub. in Persium. Tomasin. de jur. hospital. c. 16.

ORCHESTRA *erat pulpitum scenæ, ubi saltator agere posset, aut duo inter se disputare. Ibi enim poetæ, comœdi, & tragœdi ad certamen conscendebant, iisque canentibus alii gestus edebant*. Isidor. xviii. 44. Suidas: *Orchestra est locus ex tabulis solum habens, in quo mimi agunt*. Vitruv. v. 7. *est inter gradus imos*. v. 6. In illa erant loca senatorum sedibus designata. Et ita Cicer. de Prov. cons. c. 6. *Consul Piso nunc in orchestra belluatur*. Altitudo non fuit plus pedum quinque, ut qui in *orchestra* sederint, spectare potuerint omnium agentium gestus. Ampliorem habuerunt Græci *orchestram*, & scenam recessiorem, minoreque latitudine pulpitum, quod longeum appellant. Ideòque apud eos tragici, & comici actores in scena peragunt, reliqui autem artifices suas per *orchestram* præstant actiones. Romæ tamen ipsi etiam planipedes in *orchestram* descendebant, si Festo fides. *Orchestra*, inquit ille, *est locus in scena, quo antea, qui nunc planipedes, non admittebantur histriones, nisi tantum interim, dum fabulæ explicarentur, quæ sine ipsis explicari non poterant*. In Græcia lineæ ducebantur in *Orchestra*, ut chorus ordine staret. Hesychius. Græci tripodes Baccho sacros in *orchestra* posuere, ubi staret chorus. Aristid. Orat. de concord. ad Rhod. *Aspicite hos tripodas Libero sacros, omninò gaudetis eos aspicientes. An vobis illi constitui posse videntur, si chori inter se pugnent?* Cavebant, ne *orchestris* scobs, aut arena superjiceretur, quod ea superjecta vox devoraretur. Plin. xi. 51. *In theatrorum orchestris scobe, aut arena superjecta devoratur, & in rudi parietum circumjectu doliis etiam inanibus: currit eadem concavo, vel recto parietum spatio*. Buleng. de Theat. I. 27. Lips. de Amphith. c. 14. Philand. in Vitruv. v. 7. Bald. Lex. Vitruv. Laz. Comm. Resp. Rom. x. 5. Pith. Adv. Subc. II. 17. Thys. de Amphith. p. 205. Demster. Paralip. ad Rosin. Antiq. Roman. v. 10. Scalig. Poet. I. 18. & 21. Casal. de Tragœd. & comœd. c. 1.

Orchestra etiam, sive, ut quidam nominant, tabulatum in scholis, & professorum cœtibus fuit, & in eo cathedræ honestiores, tum ipsius sedes oratoris. Rem delineavit in theatro poetico exædificando Juven. Sat. vii. 45.

> *Nemo dabit Regum, quanti subsellia constent,*
> *Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,*
> *Quæque reportandis posita est orchestra cathedris*.

Ubi Scholiastes: *Orchestra spatium in theatro dicitur, quod pantomimo saltanti vacat: ejusmodi autem & poeta eligit, in quo stans recitet ante tabulata*. Ita hæc emendamus, etsi non approbamus. Et sedit profectò, non stetit poeta, atque adeò in pulvino. Pers. Sat. I. 17.

> *Sed leges celsa*.

Juvenalis mentem fuisse arbitror, subsellia, anabathra, & in fronte ante ipsum recitatorem *orchestram* fuisse, planè ut in theatris: ubi inferiore, & primore illa parte primores, & senatores sedebant. Itaque hic cathedræ aliquæ dispositæ honestioribus, extra auditorum plebem. De se recitaturo Plin. Epist. viii. 21. 2. *Positis ante lectos cathedris, amicos collocavi. Reportandas cathedras* Satyricus dixit: vel quia usurariæ, vel quia conductæ, vel denique ab suis locis huc collatæ. *Lips. Epist. ad Belg.* II. 48. *Cresol. Theat. Rhetor.* III. 13. *Voss. de Imitat. c. 7. Chimentel. de Honor. bisell. c.* 23.

ORCINI liberti. V. illos supr. in *Liberti*.

Orcini senatores. V. illos infr. in *Senatores*.

ORCUS peregrinus dicitur in antiquo lapide, qui legitur Neapoli:

D. M
TERTIO. FRATRI
SOROR
BENEMERENTI
FECIT
VIXIT. ANNIS. PLUS
MINUS. XXXI
ORCO. PEREGRINO

Scaliger inter deos retulit in indice Inscriptionum, quo deorum nomina continentur. *Orcum* pro deo habitum docet Festus: *Orcum ait Verrius dictum Uragum, quod & U litera sonum pro O efferebant, & per C. litera sonum nihilominùs usurpabant, sed nihil adfert exemplorum, ut ita esse credamus: nisi quod is deus nos maximè urgeat*. Templum etiam ejus Romæ fuit. V. infr. in *Templum*. Inter selectos deos habitum ex Varrone ostendit Augustinus. Porrò dii peregrini dicebantur, quos ex aliarum gentium institutis amplectebantur Romani. V. illos supr. in *Dii*. Sed *Orcus* hoc modo *peregrinus* dici neutiquam potest. An ideò sic appellatus, quia extra cœlum & terras regnum esse censeretur? An verò, quia mortis auctor est & præses? Per eum autem homines defuncti ex hac luce in alia, & peregrina loca deferuntur. Sed aliud quid latet. Per *Orcum peregrinum* alienum sepulcrum puto denotari. Sepulcra enim erant trium generum. I. Communia, in quibus promiscuè multi ex plebe condebantur. Neque enim unicuique ex populo sepulcrum suum erat. Quanquam non ignorem communia etiam dici, quæ tantum ad omnes ejusdem stirpis spectabant. II. Propria, quæ quis aut sibi, aut familiæ suæ, aut quibusdam ex ea extruxit. Quo faciunt infinitæ formulæ in Romanorum monumentis, quibus disertim cavetur, ne cui alteri liceat inferre cadaver. Libenter enim inter suos suorum tantummodò cineribus volebant admisceri. III. Peregrina, in quibus aut honoris, aut amicitiæ, aut necessitatis causa alii non ejusdem familiæ sepeliebantur, quorum respectu peregrina dicuntur. Ita Ennius impositus sepulcro Scipionum, ut Liv. xxxviii. 56. Cicer. pro Arch. c. 9. aliique prodidere. Sic Servator noster Christus in Josephi ab Arimathia sepulcrum est delatus. *Orcum* autem pro sepulcro poni non est novum. Narbonæ in veteri epitaphio:

> *Orbem sub legem si habeas, dum vivis, ad orcum*
> *Quid valet? hic nulla est divitis ambitio*.

Festus quietalem *orcum* antiquitus vocatum notat. Quiescere autem sic illis dicitur, qui in sepulcris. Nec aliter Hebræi una, eademque voce שאול sepulcrum, & infernum notant. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 10.

ORD.

ORDINARIUS propriè est *ordinum ductor*. Ταξίαρχον Græci vocant. *Ordinarium manipularem eum, qui infimi esset ordinis, appellatum credidisse quosdam* scribit Festus. *Ordinarius* etiam dicebatur, qui in *ordine* merebat,

miles

miles gregarius. Cato in ea contra Thermum, quam de suis virtutibus scripserat: *Quid mihi fieret, si non ego stipendia in ordine omnia ordinarius meruissem semper?* Frontin. Stratag. iv. 1. *Q. Metellus cos. quamvis nulla lege impediretur, quin filium contubernalem perpetuum haberet, maluit tamen eum in ordine merere.* Militem in legione idem vocat paullò pòst eum qui in *ordine* merebat: *L. Rutilius cos. cum secundum leges in contubernio filium posset habere, in legione militem fecit.* An *ordinarii* hoc sensu accipiendi pro militibus legionariis, & iis, qui in *ordine* merebant? Inter istos *ordinarios* in militia legionaria stipendia prima Bonoso fuere, deinde inter equites militavit apud Vopisc. Bonos. c. 14. *Ordinarii* aliter sumuntur apud Vegetium: nam dictos fuisse vult, qui prima in acie pugnarent, primasque in prælio ducebant *ordines*, & eos esse qui antea principes vocabantur II. 15. *Sed ante signa, & circa signa, nec non etiam in prima acie dimicantes, principes vocabantur, hoc est, ordinarii, cæterique principales.* Olim, & libera Republica sic acies ordinabantur, ut primi hastati pugnarent, deinde principes, postremo loco triarii. Verùm mutata postea fermè in totum militiæ ratione, principes dicti sunt, qui in prima acie pugnam capesserent, quo nomine primi *ordines*, vel primorum *ordinum* ductores, hoc est, *ordinarii* intelligebantur. Quinam principes vocarentur, alio loco ostendit Vegetius: *Instructionis lex est, ut in primo ordine exercitati, & veteres milites collocentur, quos antea principes vocabant.* Atque hi sunt principes, quos *ordinarios* supra appellavit, veteres nempè, & exercitati milites, qui in prælio, quia primi erant, primos *ordines* ducebant. Vix dubitem *ordinarios* istos fuisse, qui ante evocati dicebantur: milites erant veteres, & qui è militia jam exierant, sed ad eam spontè revocabantur, *ordinum* & præmiorum spes. Ταξίαρχοι, *ordinarii* in glossis exponuntur. Eædem & evocatum ταξίαρχον interpretantur. *Ordinarios* à centurionibus separat Capitol. in Clod. Albin. c. 11. *Sæpè ordinarios & centuriones, ubi causæ qualitas non postulabat, in crucem sustulit.* Et evocati separantur à centurionibus. Cæs. de Bell. Civ. I. 17. *Et pro rata parte centurionibus, evocatisque.* III. 53. *Ex Pompejanis cecidisse reperiebamus centuriones, & evocatos complures.* *Ordinarios* etiam distinguit Vegetius à centurionibus. Centuriones non erant isti evocati, sed pro centurionibus, & vitem centurionum insigne gestabant. Hi *ordinarii* certo numero in legione militabant, & *ordinarii legionis* dicebantur. Mentio in veteribus saxis *ordinariorum legionis*. Veget. II. 7. *Ordinarii dicuntur, qui in prælio, quia primi sunt, primos ordines ducunt. Augustales appellantur, qui ab Augusto ordinariis juncti sunt.* Augustales illos ab Augusto *ordinariis* junctos puto eosdem esse, qui evocati Augusti passim vocantur in veterum libris, & antiquis saxeis monumentis. Evocati itaque *ordinarii* à centurionibus separantur: centuriones enim non erant, sed cum præliandum esset, & ad manus veniendum, cum acies ordinabantur, *ordines* ducendos accipiebant. Hinc *ordinarios* interpretatur Vegetius, qui *in prælio primos ordines ducebant*: extra prælium igitur non ducebant. Quod observandum est. Atque hanc causam esse puto discriminis, & differentiæ, quam statuunt auctores inter *ordinarios*, sive *ordinum* ductores, & centuriones. Capitol. in Maximin. c. 4. *Hic diu sub Caracalla ordines duxit, centuriatus, & cæteras militares dignitates sæpè tractavit.* Salmas. in Vopiscum: de Re milit. Roman. c. 6. Pancirol. Notit. dignit. imp. orient. c. 20.

Ordinarius præses. V. illum infr. in *Præses*.

Ordinarius pugil. V. illum infr. in *Pugil*.

Ordinarius servus. V. illum infr. in *Servus*.

ORDINATIO est ratio, qua in acie *ordinanda* disponitur legio per majora, aut minora corpora, quæ totidem sunt veluti partes, ac membra totius *ordinationis*. *Ordinatio* ea τάξις, vel σύνταξις Græcè dicitur. Polybiana legio per minora corpora *ordinabatur*, ut erant manipuli, ex peditibus centum & viginti. Legio Cæsariana per cohortes instruebatur, quæ corpora fuerunt sexcentorum militum. Unde de acie, qualis tunc temporis *ordinabatur*, Virg. Georg. II. 279.

Ut sæpè ingenti bello, cum longa cohortes
Explicuit legio, & campo stetit agmen aperto,
Directaque acies.

Præterea etiam hæc differentia extitit, quod in *ordinatione* legionis priscæ intervalla relinqui solita inter ordines, sive manipulos, qui *ordinabantur*. In nova dum *ordinaretur*, nihil tale fieri solitum, sed *per confertas cohortes*, ut loquitur Livius, hoc est, invicem junctas, & nullis intervallis hiantes, instituebatur. Triplex enim acies erat pro triplici genere militum, quo legiones distinguebantur, o. hastatorum, principum, triariorum. Acies illæ invicem sibi succidaneæ disponebantur, & altera alteram sequebatur, nec omnes uno eodemque tempore pugnabant. Secunda erat subsidiaria primæ; tertia secundæ. Ideò intervalla relinquebantur inter ordines cujusque aciei. V. supr. in *Intervalla*. Veterem hunc præliorum morem describit Livius supr. in *Acies* laudatus. *Salmas. de Re milit. Rom. c. 3.* *Ordinationis* hujus *ordo* consistit in locatione *ordinum* ipsorum. Ut in omni *ordine*, sive *ordinatione* alii primi sunt, alii extremi, alii medii, quibus *ordo* totus constituitur: ita & in *ordinandis* peditibus, equitibusque alii anteponebantur, alii postponebantur: alii primam aciem constituebant, alii postremam, alii mediam. Prior aciem per majora, aut minora corpora, per cohortes puta, aut manipulos instruit. Hic spectat locationem ipsam militum in principiis, aut postprincipiis, ut antesignani erant, & postsignani. V. illos suis locis. *Salmas. ibid. c. 4.*

ORDO differt à collegio, corpore, & sodalitio. *Ordo* enim dignitatem, vel artem plurimum designat, ut equester, senatorius, qui amplissimus; publicanorum & mancipum. Collegium tres faciunt. Corpus est συναρχία. Sodalitas ἑταιρία. *Gutber. de vet. jur. pontif. 1. 3. Laz. Comm. Reip. Rom. III. 1.*

Ordo civium Romanorum triplex, senatorius maximus, equestris huic dignitate proximus, & plebejus infimus, nihil aliud fuit, quàm illorum in tres gradus distinctio. *Zamosc. de Senat. Rom. 1. 2.* Hos tres fuisse, testes sunt Cicer. Orat. in tog. cand. apud Ascon. p. 149. *A quibus consulatum petis? à senatoribus, qui te auctoritate sua spoliatum ornamentis omnibus, vinctum penè Africanis oratoribus tradiderunt? ab equestri ordine, quem trucidasti? à plebe, cui spectaculum ejusmodi tua crudelitas præbuit?* Val. Max. III. 7. 1. *Scipio senatum totum, & universum equestrem ordinem, & cunctam plebem comitem habuit.* Paterc. II. 3. 2. *Tum senatus, atque equestris ordinis pars melior, & intacta perniciosis consiliis plebs in Gracchum irruere.* Auson. Eidyll. XI. 78.

Martia Roma triplex: equitatu, plebe, senatu.

Sigon. de Ant. jur. civ. Rom. II. 1. Ut in hos honoris causa referebantur, sic ignominiæ causa ex illis à censoribus cives pellebantur. V. supr. in *Censoria notatio*. Horum jura quærere nihil aliud est, quàm jura civium, quatenus in *ordines* distributi sunt, indagare. Hæc verò fortasse plura fuerunt, sed maximè duo excelluerunt, quorum alterum judicium attingit, spectacula alterum. Etenim, ut omnes cives sedes in theatro spectandorum ludorum causa habuerunt, sic omnes etiam & privatas, & publicas causas judicarunt. *Sigon. ibid. c. 17.*

Ordo decurionum significabat collegium ipsum, & curiam; in *ordinem regredi* habetur, l. 15. ff. ad municip. & de incol. *ab ordine removeri*, & *in ordinem restitui* dicitur, l. 2. ff. de decurion. & *in ordinem allegi*, ut l. 13. ff. eod. erat in *ordinem* decurionum regredi, restitui, allegi, vel ab *ordine* decurionum removeri. Sic *ordines* Dertolanorum, Barcinonensium, Clusinorum, & similium erant ordines *decurionum* illarum urbium. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Grav. Tom. XI. p. 888. A.*

Ordo in militia significat I. manipulum. II. seriem manipulorum per frontem, sive secundum longitudinem collocatorum. III. seriem manipulorum secundum latitudinem, sive profunditatem dispositorum. IV. Corpus quoddam militum quocunque modo ordinatorum. Prima significatione legitur apud Liv. VIII. 8. *Postremo in plures ordines instruebantur*, Latini initio aciem suam in modum phalan-

gis

gis instruxerunt; postea stipendiarii Romanorum facti, eam manipulatim dispositam, certis intervallis in fronte discreverunt, ita, ut *ordines*, spatio illo interdedente, distincti à se, & separati conspicerentur. Livii verba duplicem sensum recipiunt. Vel in plures ordines per frontem, id est, in plures manipulos, quod idem foret quod manipulatim; eumque sensum juvat, quod sequitur: *ordo habet sexagenos milites*, id est, manipulos: vel in plures manipulorum *ordines*, non per frontem, sive secundum longitudinem collocatorum, quoniam hac ratione unus tantum efficeretur *ordo*; sed secundum altitudinem, ita ut alter alterum à tergo exciperet. Cui interpretationi favere videntur ea, quæ sequuntur: *prima acies hastati erant*. Et hactenùs uterque sensus verbis Livii convenit; quoniam, sive ea de fronte, sive de altitudine aciei accipienda putes, utrobique erant plures *ordines*: illic quidem plures manipuli, qui & singuli dicuntur *ordines*; hic verò plures *ordines* manipulorum. *Patric. de Re milit. Rom. part.* IV. *sect.* 2. *Ordinem ducere* est militibus præesse. Cicer. Phil. I. 8. *Viri fortissimi, atque honestissimi, qui ordines duxerunt*, non tamen esse centurionem, tempore certè Capitolini, qui inter *ordinem*, & centuriatum distinguit, Maximin. c. 4. *Sub Antonino Caracallo ordines duxit, centuriatus tractavit*. Major videtur fuisse dignitas centurionis, quàm ejus qui *ordines* duceret. Ita in veteri inscriptione quoque centurio alius est ab *ordinum* ductore:

SERGIUS. TERENTIUS
CENTUR. EMER. VIX. A. LXX
ORDIN. DUX. SUB
L. POSTUMIO. MODES
TINA. MARITO
MERENTISSIMO

Manipulo enim *ordinis* ductor, centuriæ centurio præerat. *Salmas. in Capitolinum*. Hos Imperatores assignabant. Liv. XLII. 33. *Deprecatus est, ne prohiberent consulem, quem cuique ordinem assignari è Republica esset, eum assignare*. c. 34. *In eo exercitu miles gregarius biennium fuit adversus Philippum Regem: tertio anno virtutis causa mihi T. Quintius Flaminius decumum ordinem hastatum assignavit*..... Cum autem *ordines* ab Imperatoribus assignatos legimus, sanè per tribunos militares assignatos intelligere debemus. Livius enim l. l. *Ordinem quo me dignum judicent tribuni militum, ipsorum potestatis est*. Et c. 35. *Tribuni militares in legione prima primum pilum virtutis causa ei assignarunt*. Sigon. de Ant. jur. prov. II. 2. *Ordinum* intervalla in acie, V. supr. in *Intervalla*.

Ordo remorum distinctus est à versu, si non vocabulo, re saltem ipsa. Et certè versus propriè significare videntur series illas remigantium, ἰλάσιας: quæ cum sint duplices, etiam versus fuisse duplices, & dici posse consentaneum: destros nempè, & sinistros. *Ordines* verò non tam significare videntur, quod dextrum est, aut sinistrum, quàm quod superius, aut inferius, ut potius sint τοῖχοι, οἱ ἐπ' ἀλλήλοις, ut vocat Scholiastes vetus Æliano subjectus. Sic distinguere videtur, ubi de triremi loquitur, Virg. Æneid. V. 119.

—— triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.

Habebat ergo quisque *ordo* versus duos, dextrum, & sinistrum: navis verò tot *ordines*; quadriremis puta, quatuor: quinqueremis quinque. Ita ut triremis tres quidem haberet *ordines*, sed sex versus: quinqueremis quinque *ordines*, sed decem versus. *Scheffer. de Milit. Nav.* I. 6. Reperiuntur, qui illos in longum, id est, a prora in puppim: alii, qui in altum, hoc est, a carina in catastroma; sursum alii, qui in transversum, id est, in puppi propè catastroma, in prora proximè carinam, aut contra, intelligi oportere contendunt. Singulorum opiniones fusiùs, quàm ut hisce inseri potuerint, examinat *Scheffer. ibid.* II. 2. V. etiam *Kipping. Dissert. de Expedit. marit.* §. 4.

Ordo rerum judicandarum. V. illum infr. in *Prætor*.

Ordo sedendi in senatu. V. illum infr. in *Senatores*.

ORE.

OREA est ferrum, quod primis temporibus inserebatur *ori* equorum. Cælius apud Festum: *Equus mihi sub feminibus occisus erat, oreas detraho*. Dicit *detraho*, quia loris ad caput erant revinctæ, quæ proinde juncta hic cum ferramento per *oreas* intellexit. Aliàs *oreæ* propriè sola illa ferramenta, quæ inserebant *ori*, sic ab *ore* dicta. Ideò Cato Orig. III. apud Festum: *Equus respondit, oreas mihi inde*. Facito *indi*, id est, inseri, immitti, sine dubio respectu *oris*. Græci στόμια vocarunt. Pollux II. 4. *Stomium, seu orea pars est freni*, χαλινοῦ τι μέρος. Χαλινὸς ferramentum totum, quod inserebatur *ori* equi, στόμιον pars ea, quam apprehendebat, vel mordebat *ore*. *Scheffer. de Re vehic.* I. 13. *Voss. Lex. Etymol.*

ORESTES fuit cognomen Aureliæ gentis. I. L. *Orestes* L. F. L. N. fuit consul cum Ser. Julio Cæsare an. 596. II. consul fuit cum Man. Æmilio Lepido an. 627. Superioris fuit filius, triumphavit proconsul ex Sardinia VI. Id. Decemb. post triennium. III. superioris filius in consulatu collega fuit C. Marii III. cos. & in eo magistratu mortuus est an. 650. *August. de Famil. Rom. in Aurelia*.

ORG.

ORGANUM *est vocabulum generale vasorum omnium musicorum. Hoc autem, cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant: ut autem organum dicatur, magis ea vulgaris est consuetudo Græcorum*. Isidor. III. 20. Et ad hanc Isidori regulam *organicos* citharoedos vocat Lucret. II. 412. *organa* citharas Juven. Sat. VI. 412. *Pignor. de Serv. p.* 175.

Organum hydraulicum. V. supr. in *Hydraulica*.

Organa habuerunt etiam veteres, quæ vento animata exprimebant concentum, quoties digitis attingerentur regulæ cum tibiis concinentes, de quibus extat Epigramma Juliani desertoris Anthol. I. 86. 8.

Variam arundinum video naturam: an in alio
Ærea fortè magis germinarunt agro
Agrestes, neque spiritu nostro incitantur:
Sed ex bubulo erumpens follo ventus
Subter benè foratorum calamorum sub radicem intrat.
Et aliquis vir egregius habens veloces digitos manus,
Stat undique tangens tabulas concordes tibiarum:
Hæ verò molliter saltantes exprimunt cantilenam.

Organa illa ætate Juliani primùm nata, sunt qui velint. Horum usus hodie ubique ferè viget. *Barthol. de Tib. vet.* III. 7. *Argol. in Panvin. de Lud. Circens.* II. 19.

ORGIA fuerunt sacra in honorem cum aliorum deorum, tum in primis Bacchi celebrari solita. Serv. Æneid. IV. 302. *Sciendum Orgia apud Græcos dici sacra omnia, sicut apud Latinos ceremoniæ dicuntur. Sed jam sacra Liberi orgia vocant. Mysteria* explicavit Etymologici auctor. Ad quem sensum Catull. LXIV. 259.

Pars obscura cavis celebrabant Orgia cistis,
Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani.

Hæc primus cecinit Orpheus. Clem. Alex. Admon. ad Gent. p. 48. B. *Thracius sacrorum simul interpres, & poeta Oeagri filius Orpheus, posteaquàm Orgiorum sacra fuit effatus, & simulacrorum exposuit theologiam, veritatis induxit recantationem*. Constabant quibusdam arcanis, serpentibus, atque aliis, quæ præter eos, qui illis initiati erant, videre nemo audebat: quin imò, quid significarent, præter eosdem omnibus ignotum erat. Oppian. Cyneg. IV. 246.

—— Prima exhibuerunt
Orgia occultam circa arcam: cumque his sanè
Bœotica clam sacra attingebant femina.

Celebratissima fuerunt, quæ Baccho frequentabantur. Stat. Achill. I. 595.

Lucus Agenorei sublimis ad Orgia Bacchi
Stabat, & admissum cæle nemus,

st. 137.

—— quid si Bacchæa ferentes
Orgia, Palladias aut circum viderit aras?

Clem. Alex. Pædag. II. 8. *Qui enim bacchantur, nec absque coronis Orgia sua celebrant.* Præcipuo in honore ejus erant ejus trieterica, dicta, quia tertio quoque anno celebrabantur, instituta in memoriam triennalis expeditionis, quam in Indiam Bacchus susceperit. Ovid. Rem. Amor. II. 593.

Ibat, ut Edone referrens trieterica Baccho
Ire solet fusis barbara turba comis,

Virg. Æneid. IV. 312.

—— ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia.

Lampe de Cymb. vet. III. 9. Vives in August. de Civit. Dei VII. 20. Voss. de Idolol. IX. 29. Stuck. de Conviv. I. 33. Saubert. de Sacrif. c. 17. Hospin. de Orig. Fest. II. 13. Rittershus. in Oppianum. Barthol. de Tib. II. 10. Paschal. de Coron. I. 17. Ruben. de numm. Asia recept. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. XI. p. 1372. E. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 484. D. Ortel. Deor. & dear. cap. 11. fig. 31. Castellan. de Fest. Græcor. Thes. Antiq. Græc. Gronov. Tom. VII. p. 640. E. 643. C. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 22. Delrio in Senec. Hercul. Oet. n. 594.

ORI.

ORIA, vel, ut alii, *orea*, est genus naviculæ, quo ob parvitatem alto se committere non audebant. Fulgent. Expos. serm. ant. §. 15. *Oriam dicunt navicellam modicam piscatoriam. Plautus Caciste:*

—— malo hunc alligari ad oriam,
Ut semper piscetur, etsi sit tempestas maxima.

Voss. Lex. Etymol.

ORICHALCUM nonnulli scribunt per diphthongum *au*, quia ex auro & ære, quod Græcè est χαλκὸς, conflatum esse putant. Festus: *Aurichalcum quidam putant compositum ex ære, & auro, sive quod colorem habeat aureum.* Serv. Æneid. XII. 87. *Inter quæ, metalla, aurichalcum pretiosius visum est, quod & splendorem auri, & duritiem æris possideat.* Sed ab aureo dici colore, nugæ sunt. Metalli verum nomen est *orichalcum*, ut Græcis ὀρείχαλκος, id est, *æs montanum*. Quod illi nomen veteres videntur indidisse, quia vetus erat fabula, è sylvosis montibus incendio correptis præstantissima metalla defluxisse. Senec. Epist. 90. *Ferri*, malim *auri metalla & æris invenerunt, cum incendio sylvarum adusta tellus in summo venas jacentes liquefacta fudisset.* Serv. Æneid. XII. 87. *Lucretius dicit, cum primum homines sylvas incendissent, nullarum adhuc rerum periti, terra casu fertilis omnium ex incendii calore desideravit metalla, inter quæ orichalcum.* Qui ab aureo colore dictum putarunt, hoc nomine designarunt vulgare illud æs, quod cum natura sit rubrum, admixta cadmia flavescit. Festus: *Cadmia terra, quæ in æs conjicitur, ut fiat aurichalcum.* Proinde auro opponi tanquam multò vilius. Suet. Vit. c. 5. n. 3. *Pro auro, & argento stannum, & aurichalcum supposuisse*, l. Labeo 45. ff. de contrah. empt. *Si vas aurichalcum pro auro vendidisset ignorans, tenetur, ut aurum, quod vendidit, præstat.* At aliud fuisse ære longè pretiosius, nec multum infra auri pretium res ipsa clamat. Nam apud Plat. Crit. p. 1104. legimus, Atlantidem insulam, inter cætera metalla, produxisse *nunc solo nomine notum orichalcum, tum autem metalli genus celeberrimum, & omnium, excepto auro, pretiosissimum, quod ibi è terra multis locis effodiebatur.* Inde apud veteres poetas inter præcipua ornamenta cum auro sæpè nominatur. Sic Horæ Veneri ponunt apud Homer. Hymn. v. 8.

—— in auriculis perforatis
** Donum, inaures, ex orichalco, & auro pretioso.*

Turnus apud Virg. Æneid. XII. 87.

—— auro squallentem, alboque orichalco
Circumdat loricam humeris.

Plauto *aurichalco contra* ferè idem est, quod aliis *auro contra*. Mil. III. 1. 64.

Cedo mihi tres homines aurichalco contra cum istis moribus.

Est tam rarum inventu nativum, ut Plato modò descripserit *solo nomine notum*. Et an verè extet, aut verò unquam extiterit, jam inde ab Aristotele controversia fuerit inter scriptores. Schol. Apollon. IV. 973. *Aristoteles in mysteriis hujus ait, neque nomen, neque speciem extare. Alii nominari quidem arbitrantur, sed non extare. Sed hoc ex illorum est numero, quæ temerè creduntur. Illud enim extare asserunt curiosiores.* Bochart. Hieroz. II. 6. 16. Savot. de Numm. antiq. II. 16. Rhodig. Ant. Lect. XIX. 9. Panciroll. de Reb. deperd. & inv. p. 40. & ad illum Salmuth.

ORIENS fuit plaga veteribus, ubi sol oritur, à Tigri fluvio usque ad Cyprum, & Thracias versus occidentem, & à ponto septentrionali usque ad Arabiam versus meridiem, totamque eam regionem olim Syriam dictam auctor est Plin. V. 12. quam *terrarum maximam* appellat. De *oriente* Ammian. XIV. 8. *Orientis verò limes in longum porrectus, & rectum, ab Euphratis fluminis ripis ad usque supercilia porrigitur Nili, læva Saracenis conterminatus gentibus, dextra pelagi fragoribus patens: quam plagam Nicanor Seleucus occupatam auxit mirum in modum, cum post Alexandri Macedonis obitum successorio jure teneret regna Persidis.* Panciroll. Notit. dignit. imp. orient. c. 105. In Notitia imperii *oriens*, & *occidens* separantur, quia illo tempore duo in his partibus singuli Principes imperabant. Hæc divisio à Probo & Floriano, mox Maximino & Constante, Constantino atque Galerio originem habuit, qui primi Romani Imperii provincias sunt partiti. Antea enim etsi M. Antoninus cum fratre Vero, & Severus cum Antonino filio simul imperaverint, nullam tamen orbis divisionem fecerunt. Constantini quoque M. filii & ipsi Romanum orbem in tres partes diviserunt. Sed brevi rebus in solum Constantium translatis, totum in unum coaluit imperium. Postea frater Valentinianus cum fratre Valente *oriente occidenteque* diviso, hunc sibi retinuit, illi socio Imperii facto *orientem* concessit, & militum etiam copias cum eo est partitus, ut scribit Ammian. XXVI. 4. Sed hoc cum liberis extinctis, post paucos annos ad solum Theodosium universum rediit Imperium, qui & ipse rursus filiis Arcadio *orientem*, & Honorio occidentem reliquit. Itaque Ægypto, & utraque Libya usque ad Syrtes majores, & Europa usque ad Drilonem fluvium Arcadio traditis, ibi utriusque Imperii fines fecerunt. Reliqua in occidente cum Africa, Hispaniis, & Britannia Honorius obtinuit: cuncta tamen communi nomine, velut unum esset Imperium, administrabant. Continuata est hæc divisio usque ad Valentinianum tertium, & Martianum, sub quibus Barbari Britannis, Hispaniisque priùs occupatis, demum Gallias, ac tandem Italiam cum Illyrico & Africa tenuerunt, Occidentisque extinctum est Imperium, solum *Orientis*, etsi multis agitatum fluctibus, aliquot seculis incolume permansit. *Panciroll. ibid. p. 1330.*

ORN.

ORNAMENTUM est quod corporis *ornandi*, & venustatis gratia paratur. V. infr. in *Ornamenta muliebria*. Non etiam, quod necessitatis, vel utilitatis causa habetur, adeò ut nec vestis *ornamentum* existimetur. Paull. l. quamvis 26. ff. de aur. arg. mund. *Quamvis quædam ex veste magis ornatus gratia, quàm quo corpus tegant, comparentur: tamen quod eo nomine sint reperta, potius habenda esse vestis numero, quàm ornamentorum. Similiter ornamentorum esse constat; quibus uti mulieres venustatis, & ornatus causa cœperunt: neque referre, si quædam eorum alium quoque usum præbeant, sicuti mitra, & anademata: quamvis enim corpus tegant, tamen ornamentorum, non vestis esse. Ornamentum* neque necessitatis, neque cultus gratia est, sed ut *ornatus*

sit

sit corpus: unde non solum cultui, & vestitui, verùm ipsi quandoque corpori accedit: cujusmodi sunt armillæ, inaures, gemmæ, margaritæ, annuli, vittæ, mitræ .... Quibus rebus neque corpus induitur, neque cultum redditur, sed exornatur tantum: adeò etiam ut matrona nuda, quæ corpori vittas, armillas, inaures, gemmasque apposuit, hoc modo *ornata* dici possit. Differt à mundo. V. supr. in *Mundus muliebris*. Goedd. ad l. signatorius 84. n. 5. & 4. ff. de verb. signif. Tempore luctus mulieres deponebant, nec aurum, vel purpuram gestabant, V. supr. in *Aurum*. In rogum conjiciebantur. Qua de re elegans est jocus Scævolæ: *Mulier quædam decedens testamento ita scripserat: funerari arbitrio viri mei volo, & inferri mihi quæcunque sepulturæ meæ causa feram ex ornamentis*. Verba sunt testatricis volentis inferri *ornamenta*, quibus culta efferretur mortua. *Morestell. Pomp. Feral.* VII. 2.

Ornamenta ædilitia erant præcipua, scipio eburneus, & sella curulis ex ebore facta. Liv. XXX. 19. *Latum ad populum est, ne C. Servilio fraudi esset, quod patre, qui sella curuli sedisset, vivo, quum id ignoraret, tribunus plebis, atque ædilis plebis fuisset*. Laz. Comment. Reip. IX. 7.

Ornamenta aræ sunt, quicquid majoris cultus gratia circum aras poneretur, fingeretur, pingeretur conveniens tam cujusvis sive divi, sive hominis conditioni, quàm ipsius operis generi, rationi, & symmetriæ. In Delphinatu lapis repertus:

ISIDI. MATRI
SEX. CLAUDIUS. VALERIANUS
ARAM
CUM. SUIS. ORNAMENTIS
UT. VOVERAT
D. D.

Reines. Inscript. Class. I. *n.* 105. *&* 223. Et alter Romæ:

SOLI. INVICTO. MITRE
M. ULP. MAXIMUS. PRÆ.
POSITUS. TABELLARI
ORUM. ARAM. CUM
SUIS. ORNAMENTIS
ET. BELLA. f. TABELLAS DOMINI
INSIGNIA. HABENTES
N. IIII.
UT. VOVERAT. D. D

Ornamenta aræ sunt coronæ laneæ, quibus cingi solebant, cæteraque quæ ad illius decorem, & sacrificii rationem in ara ipsa erant necessaria. In illis etiam sculpta occurrunt plurima, ut corollæ, genii, gryphi, pegasi, corvi, cultelli, quæ passim in inscriptionibus notantur. *Guther. de vet. jur. pont.* III. 10.

Ornamenta circi fuerunt multa. Testantur cum antiquis lapidibus, nummorum, & gemmarum monumentis veteres auctores, Tertullianus, Cassiodorus, & Isidorus. Quæ aut circi *ornatui*, & necessitati, aut *ornamento*, & religioni simul apposita erant. Prioris generis fuerunt ostia, carceres, alba linea, euripus, funes Hermuli. Illum certatim *exornarunt* Julius Cæsar, Augustus, Tiberius, Domitianus, Trajanus, alii. Posterioris erant sacra. In circi enim *ornamentis*, & ludis, quos vetustas habuit sacros, *magnarum rerum indicia*, ut Cassiod. III. 51. ait, *significationesque claudebantur*: &, ut scribit Isidor. XVIII. 29. *veteres circensia ludicra ad mundi causas referentes, eaus assimulabant, ut hac ratione religionem suam in perpetuum constitutam vulgo exornarent*. Inter sacra *ornamenta* maximum, & admiratione dignissimum fuit Obeliscus major, & minor. Juxta majorem Solis delubrum, & effigies. Ab alio latere Isidis, sive Cybeles deorum matris simulacrum. Ad metas ara Consi, & delubrum Murciæ. Erant ibidem delphinorum septem columnis impositorum in honorem Neptuni simulacra, item columnæ fetiæ, metiæ vel messiæ, atque tutellinæ, ova Castoris, oleæ surculus pacem designans, Fortunæ, & Victoriæ simulacra. Demum in antiquis lapideis tabulis aliquot alia *ornamenta*, & signa, aræ, tripodes, & similia conspiciuntur, quorum certam, & exploratam cognitionem adhuc habere non potui. *Panvin. de Lud. circens.* I. 17. V. singula suis locis.

Ornamenta consularia erant fasces, sella eburnea, tunica palmata, trabea inclinante Imperio dicta, clavus, atque ensis. Cicer. in Pison. c. 10. *Tu etiam mentionem facies consulatus tui? aut te fuisse Romæ consulem dicere audebis? quid? tu in lictoribus, in toga, & prætexta esse consulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sext. Clodio te consule esse voluisti*. Quibus consulatum veteres dare non poterant, ejus *ornamenta*, quibus illum illi tribuebant honorem, ac si revera consulatum gessissent, domum mittebant. Suet. Jul. c. 76. n. 7. *Decem prætoriis viris consularia ornamenta tribuit*. Tacit. Hist. I. 79. 7. *Fulvius Aurelius, & Julianus Titius, ac Numisius Lupus, legati legionum, consularibus ornamentis donantur*. Laz. Comment. Reip. Rom. II. 4. Faber. ad tit. 11. de Orig. jur. p. 185. Pitisc. in Suetonium. V. & supr. in *Insignia*.

Ornamenta decurionalia in coloniis civibus plebejis optimè de patria meritis conferebantur. Inscriptio apud Gruter. p. 372. n. 7.

L. AURELIO. L. L
VICTORI
DOMO. EQUO. AUG. ET
SENIÆ. SACER. PRIM
CORP. AUGUSTALIUM
ORNAT. ORNAM
DECURIONALIB
PLEB. SENIENSIUM
ÆRE. COLLATO

nempè, ut *commodis publicis, ac si decurio frueretur*, ut in lapide Sinuessano dicitur p. 495. n. 3. Ut verò, qui *ornamenta* consularia obtinebat, non dicebatur consul; ita nec in coloniis nuncupabatur decurio, qui *ornamenta* decurionalia ferebat. Hinc in eodem additur: *Titio Chresimo filio ejus ob merita patris honorem decurionatus gratuitum decrevit ordo decurionum* ..... Noris. Dissert. in Cenot. Pisan. I. 6. Laz. Comment. Reip. Rom. III. 9: ts. 12.

Ornamenta fontium erant simulacra illis apposita. In publicis locis, & nobilium ædibus adhuc plurima cernuntur. Usitatissimum fuit, deos fluminum apponere, qui formantur jacere semirecti, utrisque brachio suppositis amnes tanquam è fonte emittere, velati plerumque serto arundineo, & tecti carbaso umbilico tenus, superiore corporis parte nudi. Talis cernitur in domo Cæsia, talis Arnus in hortis pontificiis, & duo colossi marmorei in area Capitolina Naris & Anienis: vel, ut aliis, Acheloi & Istri. Alter cubito innititur Sphingi monstro, alter tigri animali: barba alter prolixa, alter modicè resecta. In domo Chisiorum, extra portam Septimiam, ante deum aquatum, eo modo cubantem, nuda mulier stans, dextramque mamillam manu comprimens, aquam in subjectum labrum immittit. Ad ortum Virginis in agro Lucullano puellæ imago ad fontem stetit, ut Frontinus testatur: in Umbria Clitumnus prætextatus juxta fontem suum, ut junior Plinius: in Surrentino Pollii ante balneum ipse Neptunus, ut Statius. Etiam nymphæ dormientes reperiebantur. V. illas supr. in *Nymphæ*. Erant & alia simulacra. Interdum totus aliquis fons absorbebatur, quem deus marinus ore excipiebat. Propert. II. 23. 49.

Et leviter lymphis tota crepitantibus Urbe,
Cum subito Triton ore recondit aquam.

Nonnunquam rursus evomebatur, vel per majores, minoresque canales, Nilum & Euripum, vel per conchas, cæterave vasorum genera. De Silano Lucret. VI. 1263.

Corpora Silanos ad aquarum strata jacebant.

De cantharo vetus lapis, extra portam Ostiensem repertus in vineis: cum hoc disticho:

Perdiderat laticum longæva injuria cursus,
Quos tibi nunc plene cantharus ore vomit.

Fabric. Descr. Urb. Rom. c. 15.

Ornamenta gladiatorum sunt illorum arma. Senec. Natur. Quæst. IV. præf. *Sic ergo formare ut scias te non posse consequi ut sis impenetrabilis: cum omnia caveris, per ornamenta feriet*. Honestissimè, à re gladiatoria, id est, per ipsa

ipsa arma. Epist. 14. *Ars ei constat, qui per ornamenta percussus est*. Gladios ipsos *ornamenta* vocat Suet. Tit. c. 9. n. 3. *Insequenti die gladiatorum spectaculo, circa se ex industria collocatis, oblata sibi ornamenta pugnantium inspicienda porrexit*. Quæ *ornamenta* Suetonius, *gladios* vocat Vict. Epit. c. 10. n. 10. *Ornare* est enim armare. Tacit. Hist. III. 63. 2. *Flavianus exercitus, ut ad prælium intentus, ornatusque adstiterat*. Cicer. Cæcinn. c. 21. *Armatos, si Latinè loqui volumus, quos appellare verè possumus? opinor esse, qui scutis, telisque parati, ornatique sunt*. Et ad hunc modum de gladiatoribus Festus: *Ornatus dicitur benè aptus, ut miles, aut gladiator, aut acturus fabulas*. Lipf. Saturn. II. 17. Epist. Quæst. II. 10. Salmas. Exerc. Plin. p. 16. b. A. Schott. Observ. v. 4. Gruter. in Senecam. Thys. de Gladiat. p. 229.

Ornamenta imaginum dicuntur, quicquid majoris cultus gratia circum imagines poneretur, fingeretur, pingeretur conveniens tam cujusvis, sive divi, sive hominis conditioni, quàm ipsius operis generi, rationi, & symmetriæ: item antepagmenta, sive lignea operimenta antarum, & capitum in trabibus, & attectaria superius limen sustinentia, crepidines, & alia membra ostiorum, quæ transversa, & directa circa antepagmenta currunt. Romæ effossa tabula:

NUMINI. DOMUS. AUGUSTÆ ET
SANTI SILVANI SALUTARIS SA
CRUM IMP. CÆS. NERVÆ TRAJA
NI OPTIMI PRINC. GERM. DAC
IMAGINES ARGENT. PARASTATI
CAS CUM SUIS ORNAMENTIS. ET
REGULIS ET BASIBUS ET CONCA
MERATIONE FERREA C. JULIUS
NYMPHUS DEC. ANNALIS SUA PE-
CUNIA PONENDAS CURAVIT,

Reines. Inscript. Class. 1. n. 105.

Ornamenta Imperatoria fuerunt insignia principatus. Lamprid. Alex. Sev. c. 48. Ovinium Camillum *participem imperii appellavit: ornamentis imperialibus, & melioribus, quàm ipse utebatur, affecit*. Præcipua erant ignis prælatus, diadema, purpura, fasces, sella, imagines inter signa, acclamatio, & præcentio. *Laz. Comment. Reip. Roman.* IX. 2.

Ornamenta lectorum sunt erones, storeæ, tapetes avibus intextis, *γραπτὰ ἐλύγματα, ζωωτά, ὑφαντάσματα συργωτὰ*, vel *σισυρώματα*, quæ turies pictura, vel textura repræsentant, & quicquid insternendi, aut incubandi causa paratur. *Buleng. de Conviv.* I. 35. *Stuck. Ant. Conviv.* II. 34.

Ornamenta mamillarum sunt gemmæ, quibus *ornantur*. Paull. l. 32. §. 9. ff. de aur. arg. *Legavit quadam ornamentum mamillarum ex cylindris triginta quatuor, & tympanis margaritis triginta quatuor*. Et hoc *ornamentum*, ob quod Messalina, scortum nobile, apud Juven. Sat. VI. 122.

—— *nuda papillis*
Constitit auratis.

Non aliæ *aurata papillæ*, quàm *ornamento* istiusmodi mamillarum, cujus Paullus mentionem fecit, decoratæ, quoniam ex auro, gemmisque fuit. *Scheffer. de Torquib.* c. 10.

Ornamenta mulierum. V. illa supr. in *Mundus muliebris*.

Ornamenta præsidialia, quæ & præfectoria nuncupabantur, initio imperii perpetua non erant, sed successorem patiebantur; posterius verò, abusu in rebus quotidie increscente, in titulum abierunt. Unde est illud Ulpian. l. 2. ff. de senator. *Consulari feminæ utique consularem virum præferendum esse, nemo ambigit: sed vir præfectorius an femina consulari præferatur, videndum est*. Erant omnia ea, quibus ii uti solebant, qui nomine Augustorum provincias administrabant, hoc est, ex vestimentis, paludamentum, latus clavus, & infulæ, quibus caput tegebatur: ex cæteris verò sella curulis, vehicula publica, & jumenta publica, *Laz. Comment. Reip. Rom.* IX. 9.

Ornamenta prætoria ob jurisdictionis majestatem, & honorem, ferè omnia, quæ consulum, fuerunt: utpote sella curulis,

Prætexta, & trabea, fasces, lectica, tribunal.

ut dicam verbis Juven. Sat. X. 35. Quin imò cum ex more ludis sollennibus præsideret, deum honoris causa, habitu prorsus regio, atque triumphali prodibat in publicum. Suet. Claud. c. 28. n. 5. *Pallantem quæstoriis, prætoriisque ornamentis ornari passus est*. Pigh. Annal. Roman. Tom. 1. p. 166. Hæc præterea erant prætexta prætoria, & annuli aurei, quos & ipsos, quamquam communes cum senatoribus prætor habebat. Hæc decreta fuerunt Pallanti, quamvis prætura non fungeretur. Plin. Epist. VIII. 6. 1. *Huic senatus ob fidem pietatemque erga patronos ornamenta prætoria decrevit*. Tacit. Annal. XII. 53. 2. cum hanc ipsam rem narrat, *prætoria insignia* appellat. *Pallanti, quem repertorem ejus relationis ediderat Cæsar, prætoria insignia* .... Cornelio Fusco, & Arrio Varo apud Tacit. Hist. IV. 4. 3. *Adduntur Cornelio Fusco, & Arrio Varo prætoria insignia*. Buchner. & Cellar. in Plinium. Schill Nomencl. Philol. p. 849.

Ornamenta puerperarum erant caput fasciis cinctum, pallio abjecto, & soleis, quæ peracto resumebantur opere. Eruimus hæc ex tabula figulina, quam exhibet Tomas. de Donar. c. 14. Continet hæc obstetricem, quæ puerum in lucem jam editum gremio fovet, & dextra mulierem puerperam sustinet ferè nudam, habitu dimisso. Ita de puerperæ habitu Plaut. Truc. II. 5. 10.

—— *vosmet jam videtis,*
Ut ornata incedo: puerperio ego nunc me esse ægram assimulo.

Bartol. de puerp. vet. p. 21.

Ornamenta quæstoria erant scipio eburneus, & sella curulis. Tacit. Annal. XI. 38. 4. *Decreta Narcisso quæstoria insignia*. Laz. Comment. Reip. Rom. IX. 7.

Ornamenta senatorum hæc monumentis, & literis potissimum celebrantur. In Urbe locus ludis honestissimus, epulandi publicè jus, & laticlavi, calceorumque insigne. In provinciis autem præter hæc insignia, lictorum quoque, & apparitorum pompa. *Zamosc. de Senat. Rom.* I. 17. *Laz. Comment. Reip. Rom.* IX. 8. *Schill Nomencl. Philol.* p. 849.

Ornamenta tribunitia fuerunt curulis sella, & jus conjiciendi in vincula. Liv. XXVIII. 24. *C. Albius Calenus, & C. Atrius Umber, nequaquam tribunitiis contenti ornamentis, insignia etiam imperii fasces securesque attrectare ausi sunt*. Laz. Comment. Reip. Rom. IX. 6.

Ornamenta triumphalia, quæ triumphantibus dari solebant. Hæc fuerunt appellatio Imperatoris, laurea corona, prætexta, trabea triumphalis, sceptrum, statua, sacrificia, supplicationes. Horum usus inventus est an. 740. Cn. Lentulo, & M. Crasso coss. cum Agrippa Bosphoranos subegisset. Dio LIV. p. 538. D. *Agrippæ nomine supplicatio quidem fuit, nec tamen triumphum, etsi sibi decretum duxit. Cujus exemplum pro lege quadam acceptum posteriores imitati, triumphum non susceperunt. Ideòque, ut ego censeo, nulli etiam alii, qui ejus similis esset, facere illud concessum, sed solis triumphalibus ornamentis sunt ornati*. Hisce ferè Masanissam ornat Scipio apud Liv. XXX. 15. *Ibi Masanissam primum Regem appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat: addit verbis honorem, neque magnificentius quidquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse, quo unum omnium externorum dignum Masanissam populus Romanus ducat*. Panvin. de triumph. c. 6. & Mader. in illum. Buleng. de triumph. c. 19. Laz. Comm. Reip. Rom. IX. 5. Faber ad tit. 11. de Orig. jur. p. 184. Modius de Triump. vet. I. 27. Schill Nomencl. Philol. p. 849. Donat. & Pitisc. in Suet. Tib. c. 9. n. 4. Catalogum eorum, qui olim Romæ *ornamenta* triumphalia abstulerunt, exhibet *Panvin. Fast.* v. p. 364.

ORNATRIX dicebatur puella, quæ mulieribus comas *exornabat*. De illis Ulpian. l. 49. ff. de legat. III. *Item mancipia alia: puella fortassis, quæ sibi comas mulieres exornant*. Marcian. l. 65. ff. ibid. *Ornatricibus legatas Celsus*

fus scripsis, eas, quæ duos tantum menses apud magistrum fuerunt, legato nun cedere: alii & has cedere, ne necesse sit nullam cedere: cum omnes adhuc discere possunt, & omne artificium incrementum recipit. Ovid. Art. III. 239.

Tuta sit ornatrix.

Harum quoque mentio fit in monumento illo Romano.

CINERIBUS CAMILLÆ ALPIONIÆ
QUIRINÆ ORNATRICI
FESTUS M. SEPTIMI GALLI DISPENSAT.

Demster. Paral. in Rosin. Antiq. Roman. v. 35. *Sched. de Dus German. Syngram.* II. 4. *Popm. du Serv.* p. 56. *Spon. Miscell. Erud. antiq. Sect.* VI. p. 226. *Ruinef. Inscript. Class.* 1. n. 89. *Brod. Miscell.* X. 17. *Cujac. Observ.* XI. 16. *Ravard. Conject.* II. 17. *Mol. in Long. Pastor.* p. 21. *VVouwer. in Petron.* p. 472. *Koberzyck. de Luxu Roman.* I. 6. *Pitisc. in Suet. Claud.* c. 40. n. 2. Ad illas quod attinet, notandum est, tradi consuevisse magistris, ut ediscerent *ornandi* artificium. Marcianus modò laudatus. Per *magistrum* intelligit eum, præceptorem, qui *ornandi*, comandique industriam quandam singularem profitebatur. Hujusmodi olim fuisse indicat Tertull. de Cult. Femin. c. 7. *Frustra laboratis ornata videri, frustra peritissimus quosque structores capillatura adhibetis.* Rævard. Conject. II. 19. Artificium hoc de scribunt Manil. v. 146.

Illis cura sui vultus, frontisque decora
Semper erit, tortosque in flexum ponere crines,
Aut nodis revocare, & rursus vertice denso
Fingere, & appositis caput emutare capillis.

Tertull. de Cult. Femin. c. 6. *Quid crinibus vestris quiescere non licet, modò substrictis, modò relaxatis, modò suscitatis, modò elisis? aliæ gestiunt in cincinnis coercere, aliæ ut vagi, & volucres elabantur non bona simplicitate. Affigitis præterea nescio quas enormitates futilium, atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum.* Pignor. de Serv. p. 390.

ORT.

ORTHEA locum, seu ædificium cum intercolumniis denotat, quale fuit Septizonium, quod ei vicinum fuit. V. & infr. in *Septizonium*. Nardin. Rom. Vet. III. 6.

ORTHIUS nomus. V. illum supr. in *Nomus*.

OS.

OS, qui summo mane surgebant, abluebant. V. supr. in *Abluebant*. In exsequiis & luctu lacerabant mulieres. V. supr. in *Gena*. Ut nævos occultarent, linebant etiam viri, ut libertinus ille apud Mart. II. 29. 9.

Et numerosa linunt stellantem splenia frontem:
Ignoras quid sit? splenia tolle, leges.

Atque hinc ortum proverbium, *os sublinere*: quod de eo propriè dicebant, qui simulans se *os* alicui linere ad decorem, uti mos fuit, contra, ac secus quàm erat consuetudo, *os* illi ridiculis picturis deturpabat, ut qui olim gryllum pingebant. Nam sublinere in hac parœmia est *παραχρίειν*, potiùs quàm *ὑποχρίειν*. Plautus etiam *os oblinere* dixit, quod iis *κυρίως* convenit, qui non faciei partem de consueto more linebant, sed *os* totum. Oblinere est *καταχρίειν*, ut apud Marcellum Empiricum, *pinnula oblinere strumas*. Casaub. in Spartian. Adrian. c. 4. Par. Lex. crit. V. supr. in *Facies*.

OSC.

OSCEDO est vitium, quo sæpè oscitamus, osque diducimus. Gell. IV. 20. *Quum ille dejerasset, invitissimum fecisse, ac repugnantem oscitatione victum, tenerique eo vitio, quod oscede appellatur . . . .* Turneb. Adv. X. 26. Thys. in Gellium. Buleng. de Theatr. II. 2.

Oscedo est etiam putor *oris*. Isidor. IV. 8. *Oscedo est, qua infantium ora ulcerantur.* Sammon. Seren. c. 14.

Hinc oscedo fugit, linguæ quoque vulnera cedunt.

Turneb. Adv. X. 26. Buleng. de Theatr. II. 2. Thys. in Gell. IV. 20.

OSCI *post Ausones Campaniæ partem habuerunt: nunc verò Latinorum sunt.* Strabo ubi de novo Latio v. p. 161. Sed Plin. v. 5. *Ultra Circejos Volsci, Osci, Ausones: unde nomen modò Latii processit usque ad Lirim amnem . . . .* Ex his verbis quis non intelligat, hanc regionem primùm Volscorum, Oscorum, & Ausonum, deinde Latinorum fuisse? in qua oppida floruerunt Tarracina, Fundi, Cajeta, mons Cæcubus, Formiæ, Vescia, Ausona, Minturnæ, Fregellæ, Arpinum, Sora, & terminus regionis Liris amnis. *Sigon. de Ant. jur. Ital.* I. 7. Antea dicti fuerunt *Opici*. V. supr. Qui cum Latinè nescirent, à Romanis tamen facilè, & cum voluptate intelligebantur, propter imperitiam linguæ: & cum gens illa periisset, sermo ejus apud Romanos mansit, & carmina quædam, & mimi certo quodam certamine, quod instituto majorum colebatur, in scena recitabantur. *Guther. de Vet. jur. pontif.* III. 19. Unius, aut plurium syllabarum detractione nomina scribebant, & illorum exemplo prisci Latini. Ita in monte Summano agri Vincentini Palæmonis grammatici monumentum habet QUIENS pro QUIESCENS. *Tomas. de Donar.* c. 7.

OSCILLA sunt larvæ, & *προσωπεῖα*, ut ex Macrob. Saturn. I. 7. cognoscimus, quæ in *αἰώραις*, & jactationibus ludicris rustici ori opponebant, ut essent magis ridiculi. Virg. Georg. II. 386.

Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis.

Intelligit *oscilla* ex corticibus arborum. Quem morem Atheniensium tangit & Maurus Terentianus, à quo jactationes ipsas, & cernuationes, quas Græci vocant *αἰώρας*, etiam *oscilla* appellarunt. Idem II. 388.

Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu.

V. supr. in *Larva*. Scalig. Lect. Auson. II. 26. Voss. Lex. Etymol. Buleng. de Theat. I. 38. Cerda in Virgilium. Jun. de Pictur. I. 8. Salmas. in Tertull. de Pall. p. 130. Muncker. in Hygin. Fab. 130. Apud Macrobium tale aliquid mihi commonstrari velim. Sed hoc tantum abest, ut ex illo potius compertum habeam cum larvis *oscilla* nihil commune habere, sed ea esse, quæ Græcis *στομάτια*, id est *parva ora*, dicuntur, quorum usum docet Sat. I. 7. & 11. hinc originem habuisse: quod cum diu humanis capitibus Ditem, & virorum victimis Saturnum placare veteres consuevissent, propter oraculum quoddam, Hercules, cum Geryonis pecore per Italiam revertens, suaserit, ut faustis sacrificiis infausta mutarentur, inferrenturque Diti, non hominum capita, sed *oscilla* ad humanam effigiem arte fabricata. E quo ritu si quis ad nos usque ritus defluxit, non alium crediderim fuisse, quàm receptum illum cujuscunque materiæ imaguncculas in templis suspendendi, quando cœlitum ope ab impendenti aliqua ærumna servatos nos esse profitemur. *Meriscott. de Person. & Larv.* c. 1. Dicuntur etiam *αἰώραι*, & pensiles gestationes de arboribus per sex feriarum Latinarum dies, quibus lac in sacrificiis adhibetur. Et sub *oscillorum* appellatione significatam putamus jactationem illam, quæ hodie apud multas puellas, & pueros efficitur, assere funibus quatuor ad laquearia suspenso, & ibi sedentibus pueris, aut puellis veluti per aerem jactatis, Serv. in Virg. l. l. *Respondit oraculum sedari posse pestilentiam, si Erigones, & Icarii cadavera requirerentur: quæ cum diu quæsita nusquam invenirentur, ad ostendendam suam devotionem Athenienses, ut etiam in alieno ea quærere viderentur elemento, suspenderunt de arboribus funem: ad quem se tenentes homines hac, atque illac agitabantur, ut quasi etiam per aerem illorum cadavera quærere viderentur. Sed quum inde plerique caderent, inventum est, ut formas ad oris sui similitudinem facerent, & eas pro se suspensas moverent. Unde & dicta sunt ab eo, quod in his cillerentur, & moverentur ora.* Buleng. de Lud. vet. c. 31. & l. l. Casaub. de Trag. & com. c. 2. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 2. c. 7. Meurs. de Regib. Athen. II. 2. Jun. in Tertull. de Pall. p. 6. Voss. & Salmas. l. l. Leopard. Emend. VI. 14. Mercur. de Art. Gymn. III. 8. Turneb. Adv. VII. 20. XX. 24.

Cerda in Virgilium. Tomas. de Donar. c. 12. Laurent. Polym. iv. Synops. 8. Hoc genus lusus celebrare solebant in memoriam & imaginem vitæ humanæ: in qua altissima interdum in infimum dejiciuntur, infima in altum efferuntur, & evehuntur; ita memoriam redintegrantes initio acceptæ vitæ Latinarum diebus. Per *oscillationem* motus cunarum, per lactatam potionem, qua tum utebantur, lactis alimentum significabant. *Oscillationem* etiam Liberalibus, ut existimo, fieri dixit Virg. II. 338. In quo *ϕαλλὸν* multi interpretantur: nam obscœnæ etiam partis simulacrum *oscillum* vocari posse censent. *Turneb.* VII. 20. Cum quo possis intelligere veretra de arboribus suspensa ad avertendam fascinationem. Quæ etiam veterum quorundam fuit sententia. Serv. l. l. *Alii dicunt oscilla membra esse virilia de floribus facta, quæ suspendebantur per intercolumnia: ita ut in ea homines accepti clausis personis impingerent, & ea ore cillerent, id est, moverent ad risum populo commovendum, & hoc in Orpheo lectum est.* Voss. l. l. Cerda in Virgilium. Etiam purgationis est genus, & quidem maximum, quo animæ aere purgantur. Serv. Æneid. VI. 741. *In omnibus sacris tres sunt illæ purgationes. Nam aut teda purgantur & sulphure: aut aqua abluuntur: aut aere ventilantur, quod erat in sacris Liberi. Hinc enim est, quod dixit II. 388. Oscilla....* Voss. de Idolol. II. 14. Gyrald. Synt. deor. XVII. p. 491. A. Lomej. de Lustrat. c. 18.

OSCINES *aves Appius Claudius esse ait, quæ ore canentes faciant auspicium, ut corvus, cornix, noctua: aut quæ alis, aut volatu, ut buteo, sanqualis, aquila, immusulus, vulturini, picus Martius, Feroniusque, & parra, & in oscinibus, & in alitibus habentur.* Festus. Plin. X. 19. *Nunc de secundo ordine dicamus, qui in duas dividitur species, oscines & alites: illarum generi cantus oris, his magnitudo differentiam dedit.* Buleng. de Augur. & Auspic. c. 4. Pius Annot. post. c. 50. Laurent. var. sacr. gentil. c. 1. Turneb. Adv. XXIX. 4.

OSCULUM inter, *basium & suavium, quæ tria sunt osculandi genera,* differentia est: *oscula officiorum sunt, basia pudicorum affectuum, suavia libidinum, vel amorum.* Donat. in Terent. Eun. III. 2. 3. Nec abludit Serv. Æneid. I. 260. *Sciendum, osculum religionis esse, suavium voluptatis.* Ubi addit: *Quamvis quidam osculum filiis dari, uxori basium, scorto suavium dicant.* Sed hanc differentiam vel unicus Ciceronis locus evertit. Sic enim ille Attic. XVI. 11. *Atticæ, quoniam, quod optimum est in pueris, hilarula est, meis verbis suavium des.* Hoc idem *osculum* vocat Attic. XII. 1. *Atque utinam ad complexum meæ Tulliæ, atque ad osculum Atticæ possim currere.* Lomej. Dier. genial. Tom. I. Dissert. 2. p. 332. Kemp. de Oscul. Dissert. I. §. 6. & 8. Hotman. de vet. rit. nupt. c. 6. Rittershus. in part. feud. II. 5. q. 95. §. 439. Erat signum amicitiæ, & benevolentiæ. Suet. Vitell. c. 7. n. 6. *Veterem de se persuasionem Vitellius recentibus etiam de se experimentis auxerat, tota via caligatorum quoque militum obvios exosculans.* Cal. c. 55. n. 1. *Quorum studio teneretur, omnium ad insaniam favit. Mnesterem pantomimum etiam inter spectacula osculabatur.* Kemp. ibid. XXV. §. 29. Et tessera reconciliationis, quia per *osculum* concordes sibi mutuo quasi uniuntur, & calorem, amorem, inque eo spiritum ipsum sibi inspirant, atque communicant. Tertull. de Patientia: *Videas igitur adversarium, quem vincere non potes blandiori alloquio, convertere frequentiori osculo: quem osculari, quando frequentes illum à malo dehortaris.* Hinc. Petron. c. 51. *Exosculatus pectus sapientia plenum, injeci cervicibus manus: &, ut facile intelligeret, redisse me in gratiam, & optima fide reviviscentem amicitiam, toto pectore adstrinxi.* c. 59. *Ut scias, inquit Eumolpus, verum esse quod dicis, ecce etiam osculo iram finio.* c. 69. *Ne residua in animis etiam post jusjurandum ira remaneret, præterita aboleri osculis placet.* Kemp. ibid. Dissert. XVII. §. 4. Gonsal. in Petron. c. 59. Lomej. ibid. p. 389. *Oscula* jacere, & basia jactare dicebantur adorantes, qui eminus stantes manum porrigebant, eamque statim reverenter ad os suum referebant, & suaviabantur. *Lips. Elect.* II. 6. Hoc malè ab illo scriptum. Imo contra faciebant. Manum enim *osculari, deinde eam versus* illum, quem adorabant, protendere consueverant. Tacit. Hist. I. 36. 4. *Otho protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula, & omnia serviliter pro dominatione.* Juven. Sat. IV. 118.

Blandaque devexæ jactaret basia rhedæ.

Phædr. V. 7. 28.

—— jactat basia

Tibicen.

id est, populum adorat. Is enim propriè *osculum* jacere dicitur, qui manum *osculatur*, deinde eam porrigit ad eos, quorum honori, ac venerationi dat illud *osculum*: nam protensione manus, quàm priùs erant *osculati*, quodammodò *osculum* ipsum porrigere, & jactare ad eos videbantur, quibus honorem illum deferebant. Hoc ostendit Juven. Sat. III. 106.

A facie jactare manus, laudare paratus.

Qui *à facie jactat manus*, is utique manu faciem priùs tangit, quàm eam jactet, hoc est, manum ad os refert, deinde eam jactat, & porrigit, postquàm eam *osculatus est*: & sic quodammodò *osculum* ipsum jactare, & porrigere creditur. Sic olim gentiles deos suos, sic Imperatores, & principes suos, & Imperatorum imagines, æquè ac deorum simulacra adorabant. Denique omnes etiam illos, quibus maximum honorem, vel verè, vel etiam adulationis gratia tribuere volebant. De Nerone, verum histrionem agente, Tacit. Annal. XVI. 4. 3. *Postremo genu flexus, & cœtum illum manu veneratus est.* Histrionum enim, pantomimorum, & cantorum mos hic erat, ut populum scenam ingressi adorarent. Vetus epigramma:

Ingressus scenam populum saltator adorat.

Sic aurigæ flagello populum venerabantur. Cum enim dextram manum in adorando ad os referrent, aurigæ, qui dextra flagellum tenebant, flagellum ipsum *osculabantur*, & sic adorabant. Xiphil. LXXII. p. 874. E. Editorem Caracalla *venerabatur inferiori flagello*. Vocabatur hoc osculum labratum. *Salmas. in Vopisc. Prob. c. 23. Ferrar. de Acclam. & Plaus. II. 26. Voss. de Idolol. II. 3. Meurs. Auct. Philol. c. 18. Buleng. de circo c. 46. Kemp. Dissert. VII. §. 6. IX. §. 10. Tomas. de Tesser. hospital. c. 7. Vales. in Ammian. XXVI. 7. Lomej. ibid. p. 343. Gallæus ad Lactant. II. 4. Muret. Var. Lect. XI. 1. Brisson. de Form. I. p. 57. Laurent. de Oscul. c. 4. Saubert. de Sacrif. c. 12. Pith. Lect. Subc. I. 7. Landus in Vet. num. explic. Misc. Ital. I. p. 337. Carol. Ant. Rom. I. 2. Kipping. Ant. Rom. I. 6. §. 5. VVouwer. Elmonhorst. Rigalt. & Ouzel. in Min. Felic. p. 12. & 13.*

Osculum civilis conversationis est, quod in illa sibi figebant I. Pares, ut amici inter occurrendum se *osculo* salutantes. Mart. VII. 94. 1.

Bruma est, & riget horridus December,
Audes tu tamen osculo nivali
Omnes obvios hinc & hinc tenere,
Et totam, Line, basiare Romam.

XI. 98. 1.

Effugere non est, Basse, basiatores:
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt
Et hinc, & illinc, usquequaque, quacumque.
Non ulcus acre, pustulæve lucentes,
Nec triste mentum, sordidique lichenes
Nec labra pingui delibuta cerato,
Nec congelati gutta proderit nasi.
Et æstuantem basiant, & algentem,
Et nuptiale basium reservantem.
Nec te cucullis asseret caput tectum....

Salutationes has *perfunctorias*, quo nomine *quotidiana oscula* veniunt Optat. Milev. II. contr. Donatist. IV. *edicto*, cujus caussam verbosiùs prodidit Plin. XXVI. 1. quidem *prohibuerat* Tiberius apud Suet. c. 34. n. 4. sed tamen Martialis tempore, ut his ejus versibus docemur, adhuc viguerunt. *Kemp. ibid. Dissert. XVI. §. 2. & 3. Lomej. ibid. p. 354. Borremans. Var. Lect. c. 15. Claude de Salutat. c. 4. Pitisc. in Suetonium.* Et propinqui *osculo* explorantes, *an mulieres contra legem temetum olerent.* Institutum hoc erat Catonis, teste Plin. XIV. 13. Huic rationi addit & alias Plutarch.

tarch. Rom. quæst. 6. I. promit ex Aristotele, facinus nempè Troadum, ab iis in Italia perpetratum: cum, post navium appulsum, viri digressi essent, mulieres ignem navibus injecerunt, ut erroribus ac navigationibus finem imponerent, deinde sibi à maritis metuentes, cognatos, ac familiares, ut quisque se obtulerat, cum suavio sunt amplexæ, itaque placata, ut in gratiam fuit reditum, hoc eis blandiendi genus retinuerunt. II. datum hoc esse mulieribus, ut honor simul eis, & potentia conciliaretur, si viderentur multos habere cognatos, & propinquos. III. cum esset legibus interdictum cognatarum nuptiis, usque ad *osculum* tamen amori permissum progredi: eaque fuit consanguinitatis tessera, & communicatio. Ad cognationis jus respexit Prop. II. 5. 7.

Quinetiam falsos fingis tibi sæpè propinquos,
Oscula nec desunt qui tibi jure ferant.

Lomej. ibid. p. 357. Kemp. ibid. §. 12. Hendreich. Massil. Sect. II. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VI. p. 2962. F. Donat. in Suet. Claud. c. 26. n. 10. Lips. & Claude l. l. Passerat. in Propertium. II. Dispares. I. Potentiores minoribus. Ideòque vitio datum Tiberio, quod *paucos admodum in digressu osculatus fuerit*. Suet. c. 10. n. 5. Neroni, *quod neque adveniens, neque proficiscens quemquam osculo impertiverit*. Suet. c. 37. n. 7. Caligulæ, *quod paucos osculabatur*. Dio LIX. p. 661. A. Contra laudatur Trajanus, *quod senatum osculo exciperet, ut dimissus osculo fuerat*. Plin. Paneg. c. 23. n. 1. Et Otho, *ut consueverat*, à Galba, *osculo exceptus est*. Suet. c. 6. n. 3. *Lips. Elect. II. 6. & in Plinium. Tomas. de tesser. hospit. c. 21. Pitisc. in Suetonii Othonem. Lomej. ibid. p. 361.* II. Inferiores potentioribus, in subjectionis signum. Ita Samuel propheta Sauli in Regem uncto 1. Sam. c. 10. n. 1. quo spectat & Psalm. 2. 12. *Osculamini filium*. Lomej. ibid. p. 362. Voss. de Idolol. I. 29. III. Parentes liberis. Philippus Alexandro. Plutarch. p. 667. E. *Ut equum flexu ritè convertit Alexander glorians, & ovans, cæteri omnes applausere, patri verò manasse etiam aliquantulum gaudio lacrymas ferunt. Ac postquàm desiluit ex equo, caput ejus osculatus .....* Cicero Tulliæ supr. in *Convivium*. Et Laban ægrè tulit, non tam quod Jacobus gener clanculum discesserat, quàm quod passus non fuerat *filios, & filias osculari*. Gen. c. 31. n. 28. *Kemp. ibid.* §. 10. IV. Liberi parentibus. Chariclea apud Heliod. III. p. 140. *Postquàm patrem solito more amplexu excepisset*. Cicer. pro Mur. c. 41. *Quo se miser vertet? an ad matrem? quæ misera modo consulem osculata filium suum nunc cruciatur*. Kemp. & Claud. l. l. Plurimus etiam erat *osculorum* usus I. inter digredientes, qui *osculo* domi manentibus valedicebant. Ovid. Heroid. v. 51.

Oscula dimissa quoties repetita dedisti?
Quam vix sustinuit dicere lingua, vale?

Qui de seipso Roma discedente Trist. I. 3. 58.

Sæpè Vale dicto rursus sum multa locutus,
Et quasi discedens oscula summa dedi.

Julius Cæsar ad comitia descendens, adeòque discedens matrem *osculatus* est. Suet. c. 13. n. 2. *Lomej. ibid. p. 386. Kemp. ibid. Dissert. XX. 2. Pitisc. in Suetonium*. II. inter peregrè redeuntes, qui *osculo* à domesticis, & amicis excipiuntur. Homer. Odys. XVI. 15.

Osculatus est autem ipsi, caputque, & ambo lumina pulcra,
Manusque ambas; tenera autem ei excidit lacryma.
Sicut autem pater suum filium benevolus amplectitur
Venientem ex longinqua terra decimo anno,
Sic tunc Telemachum divinum divus subulcus
Totum osculatus est, circumplexus, ut mortem effugisset.

Horat. Od. I. 36. 4.

Qui nunc Hesperia sospes ab ultima
Caris multa sodalibus
Nulli plura tamen dividit oscula
Quam dulci Lamiæ.

Ubi vetus Cruquii commentator: *Hæc est amicorum consuetudo, dum longinquo revertuntur*. Claude ibid. c. 9. Lomej. ibid. p. 385. Torrent. in Horatium. Kemp. ibid. Dissert. XVI. §. 4. III. Inter convivas. Illis enim præmiorum loco distribuebantur cottabum ludentibus. Apud Athen. XV. p. 668. C. Calippus

Insomnis tota nocte qui fuerit, pyramuntem accipiet
Cottabi præmium, & quam volet,
Ex præsentibus feminis osculabitur.

Et Eubulus:

Adsunto nunc mulieres, ut nocte tota,
Ex quo natus est infans, decima saltetis
Præmium illi qui vincet, tres vittas dabo,
Mala quinque, novem oscula.

Lomej. ibid. p. 388. Figebantur non uno modo. Simplicissima, quæ castus amoris affectus castis casta dabat. Ubi autem illud πάθος exuberat, variis se exprimit modis. Clausum suadet Mart. XIII. 18.

Fila Tarentino graviter redolentia porri
Edisti quoties, oscula clausa dato.

propter fœtidum spirantis halitum. *Lomej. ibid. p. 373. Osculabantur* magnorum virorum I. capita. Plutarch. Brut. p. 991. E. *Manus ejus*, C. Cæsaris, *tangentes, pectus, & caput deosculabantur*. Ammian. XXVIII. 4. *Ex his quidam cum salutari pectoribus oppositis cœperunt, osculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes* ..., II. frontem, & genas. Frontem genio sacram, quod majestati affinius est, ut blandimentis genas suaviari. *Tomas. l. l. Rhodig. Ant. Lect. III. 26.* III. oculos, quia *sunt quasi fenestræ quædam animi*. Cicer. Tusc. Quæst. I. 20. *quos cum osculamur, animum ipsum videmur attingere*. Plin. XI. 37. Cicer. Fam. XVI. 27. *Ego vos ad III. Kalend. videbo, tuosque oculos, etiamsi te in medio foro veniens videro, dissuaviabor*. In horum dissuaviatione summa voluptas ponebatur. Catull. XLVIII. 1.

Jucundos oculos tuos, Juventi,
Si quis me sinat usque basiare,
Usque ad millia basiem trecenta

IX. 9.

Jucundum os, oculosque suaviabor.

Homerus modò laudatus. *Turneb. Adv. II. 10. Barth. Adv. XXXII. 6. Schott. Obs. II. 36. D. Orleans in Tacit. p. 588. Muret. in Catull. IX. 9. Kemp. ibid. Dissert. XVI. §. 2: XXV. 39. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 435.* IV. humeros. Homer. Odys. ρ. 224.

Et osculati sunt amplectentes caputque & humeros.

Stuck. Ant. Conviv. II. 32. V. collum. Suet. Cal. c. 33. n. 2. *Quoties uxoris, vel amiculæ collum exoscularetur*. Et *osculatam* vetus Scholiastes interpretatur *dilectam cervicem*, quæ dicitur Stat. Achill. I. 329.

Ac sua dilecta cervice monilia transfert.

Barthius in Statium. VI. pectus. Plutarchus & Ammianus modò laudati. *Tomas. l. l.* VII. manus, sed nonnisi potentiorum. Plutarch. Caton. p. 764. C. *Postquam finis Catonis militiæ, non votis, neque laudationibus, quod tralatitium est, sed cum lacrymis multis, & complexibus, vestes pedibus ejus substernentes, quà incederet, & manus ejus deosculantes: quæ paucis omninò Imperatorum ejus ævi Romani tribuebant*. Suet. Tib. c. 72. n. 8. *Chariclem medicum, quod manum sibi osculandi causa apprehendisset* .... Natus mos videtur a blanditiis candidatorum, prensantium, rogantium, & alienas manus *osculantium*. Senec. Epist. 119. *Alius eorum manus osculis teret, quibus designatus contingendam manum negaturus est*. Luisin. Paretg. II. 19. Barth. in Claud. Rufin. II. 443. Buleng. de Imperat. Rom. III. 15. Laurent. de Oscul. c. 4. Hotman. de vet. rit. nupt. c. 11. Salmuth & Lips. l. l. Lomej. ibid. p. 366. Pitisc. in Suetonium. VIII. genua. V. supra in *Genu*. IX. pedes. Ita Caligulæ. Dio LIX. p. 661. B. *Paucos osculabatur, plerisque etiam senatorum, manum tantum, aut pedem adorandum porrigebat*. Senec. de Benef. II. 12. C. *Cæsar dedit vitam Pompejo Penno, si dat, qui non aufert: deinde absoluto, & agenti gratias porrexit osculandum sinistrum pedem*. Maximini junioris. Capitol. c. 2. *In salutationibus superbissimus erat, & manum porrigebat, genua sibi osculari patiebatur, & nonnunquam etiam pedes: quod nunquam passus est senior Maximinus, qui dicebat: dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat*. In Trajano, quod hæc non fecerit,

cerit, laudat Plin. Panag. c. 24. n. 2. *Non tu civium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis.* Lipf. & Stuck. l. l. Barth. Adv. xxxiv. 21. Kemp. ibid. n. 14. Coler. in Alex. ii. 15. Horn. de Orig. Americ. ii. 12. Reitz. in Godvv. Muf. & Aar. iii. 2. 7. §. 2. Pitisc. in Suet. Cal. c. 56. n. 4. Lomej. ibid. p. 367. D. Orleans in Tacit. p. 589. b. Salmuth in Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 436. Læt. Comp. Rom. hist. c. 2. Claud. de Salutat. c. 6.

Osculum labratum. Glossæ: *labratum*, *ἀσπαστικὸν βασιλέως*. *labratum*, *φίλημα βασιλικόν*. *labratum ἀτελὲς* est; nam integrum erat, *labratum osculum*, sed adjectivum in substantivum transiit. Labrata autem *oscula* sunt *labris* impressa, ut loquitur Min. Fel. Octav. p. 12. *Cæcilius, Serapidis simulacro denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens, osculum labiis impressit.* Is erat adorantium ritus. V. supr. in *Osculum*. Hinc labratum *osculum* ejus, qui in adorando manum labiis admovebat, & osculabatur. Sic numina sua olim, sic Imperatores suos adorabant, & Imperatorum imagines, haud minùs quàm deorum simulacra. Et notandum est, ab auctore glossarum labratum non simpliciter exponi *φίλημα*, aut *ἀσπαστικὸν*, sed *ἀσπαστικὸν βασιλέως*, & *φίλημα βασιλικὸν*, quia scilicet soli Imperatores hoc genere *osculi* salutarentur, id est adorarentur. *Salmas. in Vopisc. Prob. c. 23. Tomas. de tess. hospit. c. 8. Cujac. Observ.* xi. 27. *Casal. de Urb. ac Imper. Roman. splend. part. 1. c. 20.* Ego hoc in Glossis dici existimo, non quod solummodò Imperatores, & principes tali honore afficiebantur. Nam & histriones, & pantomimi, & id genus alii, dextra labris admota, populum adorarunt. V. supr. in *Osculum*. Sed quod plurimum, usque quasi proprius adorationis cultus esset; cum autem ad alios deferebatur, id tralatitiè, & plerumque blandimenti, vel adulationis ergo fieri solitum. Atque hinc concludo glossographum denominationem à digniore petiisse. *Onzel. in Minuc. Felic. p.* 13. Lindenbr. in Ammianum κατ᾽ συγκοπὴν dictum judicat, quasi laboratum, id est, arte, ac labore summo effigiatum, ut Gloss. Nomicum interpretatur: ideòque non *osculum*, sed sacros vultus notaret, ut in Cod. xii. 64. l. 1. Joh. Damasc. orat. iii. pro Imag. *Homines Reges mortales, plerumque & impios, & peccatores, & magistratus ab illis constitutos, eorumque labrata, id est, imagines arte elaboratas, adorant.* Talis ergo imago cum *osculo* labrato confundenda non est. Hoc enim est adoratio, & veneratio principis, purpuræ, imperii. *Lomej. Genial. Dier. Tom. 1. Differt. x. p.* 364.

Osculum religiosum, quod diis suis figebant veteres. Hi autem diis venerabundi osculabantur I. os. Cicer. Verr. iv. 43. *Ibi est ex ære simulacrum ipsius Herculis, quo non facilè dixerim me quidquam vidisse pulcrius, usque eo, judices, ut rictum ejus, ac mentum paullo sit attritius, quod in precibus, ac gratulationibus, non solum id venerari, sed etiam osculari solent.* II. dextras, Lucret. 1. 317.

—— tum portas propter ahena
Signa, manus dextras ostendunt attenuari
Sæpè salutantum tactu, præterque meantum.

Ænea scilicet signa, seu statuæ, ad portas collocari solitæ, quarum dextras *osculabantur*, tangebant, & quasi salutabant exeuntes, boni eventus causa. Varr. de Ling. Lat. iv. *Nam neque quas Ambracia ante portas statuit, duas viriles species æneas dii magni....* De hoc *osculo* Tacit. Annal. xv. 71. 1. *Agere grates diis, ornare lauro domum, genua ipsius advolvi, & dextram osculis fatigare.* III. pedes. Apul. Met. xi. p. 381. *Exosculatis vestigiis deæ quæ gradibus hærebat, argento formata, ad suos discedunt lares.* Ovid. Trist. 1. 3. 41.

Illa etiam ante lares, passis prostrata capillis,
Contigit extinctos ore tremente focos.

Lipf. Elect. ii. 6. Kem. de Oscul. Differt. vii. §. 5. Lomej. Dier. genial. Tom. 1. differt. x. p. 339. Pith. Adv. 1. 7. Lunsin. Parerg. ii. 19. Quinetiam religiosis erat, *oscula* figere I. Templorum, 1. liminibus. V. supr. in *Limen*. 2. postibus, V. infr. in *Postis*. II. Terræ patriæ, simul ac ex oris peregrinis appellerent. Homer. Odyss. iv. 522.

Gaudens ascendit in patriam terram,
Et osculabatur attingens patriam suam.

Lomej. ibid. p. 346. Kemp. ibid. §. 21. III. hominibus, 1. morientibus. Senec. ad Polyb. c. 34. *Cæsar patruus meus Drusum intima Germania recludentem .... in complexu, & osculis suis amisit.* Auson. Parent. xxiii. 13.

Illa manus pater genitricis, & oscula patris
Occidit.

Suet. Aug. c. 100. n. 2. *Repentè in osculis Liviæ defecit.* Videntur exeuntem animam *osculo* excipere, & in se transferre voluisse. Hoc fieri posse existimarunt veteres. Cicero. V. illum infr. in *Spiritus*. Maximè, quia putabant, illam per os tanquam per januam aliquam exire. V. supr. in *Anima*. 2. jam defunctis, & jam jam in rogum ponendis. Prop. ii. 10. 29.

Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Cum dabitur Syrio munere plenus onyx,

Tibull. 1. 1. 75.

Flebis & arsuro positum me Delia lecto,
Tristibus & lacrymis oscula mista dabis.

Kirchman. de Fun. Rom. 1. 5. Guthar. de jur. man. 1. 12. Morest. Pomp. Feral. 1. 2. Alex. Gen. iii. 7. & in illum Tiraquellus. Quenfteed. de Sepult. vet. c. 9. Kemp. ibid. Differt. xx. §. 4. & 8. Nicol. de Luct. Græc. c. 3. §. 7. Lomej. ibid. p. 352. Pitisc. in Suetonium.

Osculum valgium, nam *valgiter commovere labra* dicit Petron. c. 26. dici potest, quod fit collusione linguarum. Apul. Metam. ii. p. 46. *Artius eam complexus cœpi suaviari, jam patentis oris inhalatu cinnameo, & occursantis linguæ illisu nectareo prona libidine allubescente.* C. Marius apud Gell. xx. 9.

Simulque amicam reficere frigidam caldo;
Columbatimque labra conserens labris.

Unde Mæcenas: *Si quis femina cirro crispata labris columbatur*, Tibull. 1. 9. 37. V. illum supr. in *Dens*. Et Plaut. Aul. iii. 3. 105.

Fac proserpentem bestiam me, ut duplicem habeam linguam,

quia nempe serpentibus lingua bisulca. *Lomej. Dier. genial. Tom. 1. Differt. x. p. 382. Douz. Præcid. in Petron. 1. 12. Turneb. Adv. 1. 15. Saubert. de Sacrif. c. 23. Onzel. in Gellium. Erhard. Symb. Petron. p. 589. Kemp. de Oscul. Differt.* xiii. §. 10.

Osculum χύτρα, id est, olla etiam vocatur, quia in eo gestu caput ollæ, ita aures ansarum speciem referre videretur. Suidas: *χύτρον, species osculi*. Pollux x. 24. *Non est inconveniens novisse, quod χύτρα osculi species erat, cum pueros auriculis prehensos osculabantur: quod Ænnius* priscæ comœdiæ poeta, quem Eunicum perperam vocant, *in Antia sanxit:*

Prehendens per aures da mihi chytra osculum.

Theocr. Idyll. v. 131.

Non amo Alcippen, quia me nuper non osculata est
Aures prehendens, cum ipsi palumbem darem.

Inter Latinos hoc *osculi* genus primus expressit Plaut. Asin. iii. 3. 78.

Prehende auriculis, compara labella cum labellis.

Pœn. 1. 2. 163.

Sine te exorem, sine te prendam auriculis, sine dem savium.

Inter felices anni eventus Tibull. ii. 5. 91.

Et fœtus matrona dabit, natusque parenti
Oscula comprehensis auribus accipiet.

Ratio hujus moris Delrio ad Senecam hæc videtur, ut pueri tandem ea ratione desuescerent, dolore aurium, *oscula* frequentare, quia sæpè turpia, & cum libidinis suspicione hærent. Verum hæc verisimilis non est, quia etiam inter liberos, & parentes hoc genus *osculi* usitatum fuit. Neque hæc aurium apprehensio tanta vi facta, ut dolorem inferret, cum potius amori magis augendo, incendendoque inserviret. Placent ergo hæ I. quod nimirum auris memoriæ sacra, scientias, ac virtutes penitius in animum

demit-

demittat, quàm alii sensus, in quibus affectus magis dominantur. II. quod illa aurium apprehensione vim amoris refricare, atque excitare voluerunt. Clem. Alex. Strom. v. p. 551. C. *Non ergo temerè præcipimus pueris, auribus eos apprehendentes, ut osculentur eos, qui ad ipsos attinent. Hoc utique tacitè significantes, ingenerari per auditum sensum dilectionis.* Plutarch. de Audit. p. 38. A. *Vitiis multa partes corporis, multaque loca aditum spatiumque ad animum penetrandi præbent. Unica virtutis, qua adolescentes arripiat, ansa aures sunt, si quidem puræ sint, & jam inde ab initio adulatoriarum corruptelarum vacuæ, intactæque à pravis sermonibus serventur .... Et vulgo parvulos qui deosculantur, quum ipsi aures eorum tangunt, tum eos idem jubent facere: per jocum innuentes, maximè amandos esse eos, qui per aures prosunt.* III. ut commodiùs, & dulciùs figerentur: qualia *arctissima* dicuntur à Suet. Galb. c. 22. n. 4. talia enim amantium esse solent. Lucret. iv. 1072.

Quod petiere, premunt arctè, faciuntque dolorem
Corporis, & dentes illidunt sæpè labellis,
Osculaque adfigunt.

Lomej. Dier. genial. Tom. 1. Dissert. x. p. 375. Canter. Nov. Lect. v. 25. Stuck. Ant. Conviv. ii. 32. Dalecbamp. in Plin. xi. 46. Meurs. de Lud. Græc. p. 41. Turneb. Adv. xxix. 32. Schott. Observ. ii. 13. M. Donat. in Suet. Tiber. c. 34. Voet. in Herod. Marc. & Comm. p. 203. Lyd. Spars. flor. pass. D. Jesu p. 34. Gyrald. Dialog. ix. Cerda Adv. sacr. c. 138. n. 12. Laurent. Polym. p. 53. de Oscul. c. 3. vat. face. gentil. c. 7. Barnes Eurip. Supplic. n. 1101. Kemp. de Oscul. Dissert. 25. n. 34. Broukh. in Tibullum. Claude de Salutat. vet. c. 4. Taubman. in Plauti Pœnulum. Hotman. de vet. rit. nupt. c. 11. *Osculum* hoc suo tempore Florentinum fuisse dictum, & se à patribus, & avis, cum puer esset, illo exceptum testatur *Gyrald. l. l.*

Osculum etiam significat parvum, sive exiguum os. Petron. c. 86. *Osculum, quale Praxiteles habere Dianam credidit.* Ovid. Met. i. 499.

—— videt oscula, quæ non
Est vidisse satis.

Osculum delibare dicit Suet. Aug. c. 94. n. 15. *Ejusque osculum delibatum digitis ad os suum retulisset.* Quod non est manu porrecta, & ad os relata *osculum* labiis imprimere, licèt hic mos adorantium fuerit. Tale enim nihil innuit Suetonius, quamvis illum sic interpretetur Casaubonus. Qui tangit potius veterum consuetudinem, qua blandientes solebant puerorum maxillas apprehendere, deinde manum ad os referre. Sic veteres critici interpretati sunt illud Virg. Æneid. i. 260.

Olli subridens hominum sator atque deorum
Oscula libavit natæ.

Servius, qui est in membranis Fuldensibus: *Sanè multi nolunt ita intelligi, ut summum osculum filiæ dederit, id est, non pressim, sed summa labella contingens: sed ita ajunt, tum hilaris Jupiter vultus natæ libavit, id est, contigit, scilicet ut nos solemus cum blandimentis quibusdam sinistram maxillam contingere liberorum, ac deinde ad os nostrum dextram referre. Ergo libavit meritò, quia partem vultus, non totos contigerat: ut oscula dixerit quasi minora, & teneriora filiæ ora, ut ora diminutivè oscula. Oscula* igitur libare, non est *oscula* summatim, & leviter dare, sed ora leviter, & summatim tangere. De eodem blandimenti genere Suet. Galb. c. 4. n. 3. *Constat Augustum puero adhuc salutanti se inter æquales apprehensa buccula dixisse ....* Apul. Met. vi. p. 192. *Tunc Jupiter pressa Cupidinis buccula, manuque ad os suum relata, consaviat.* Salmas. in Vopisc. Prob. c. 23. Kemp. de Oscul. Dissert. 1. §. 5. Pricæus in Apulejum. Borremans. Var. Lect. c. 20. Voet. in Herod. & Comm. p. 204. D. Orleans in Tacit. p. 588. b. Pontan. in Virgilium. Pitisc. in Suetonium.

OSI.

OSIA gens. V. illum supr. in *Gens*.

OSR.

OSRHOENA est pars Mesopotamiæ inter Tigrin, & Euphratem. *Osrhœna* civitas regioni nomen dedit. Suidas. *Osrhœna* ab Honorio vocatur, l. 10. C. de ædif. priv. Ea pars est Mesopotamiæ inter Amanum, & Masium montes, à septentrione habens Armeniam majorem, ab occasu Euphratem, quo à Comagena dividitur, ab ortu ad Nisibim extenditur. Ejus caput est Ædessa. *Panciroll. Notit. dign. imp. orient. c. 115. & 149.*

OSS.

OSSA *belluæ, cui dicebatur exposita fuisse Andromeda Romæ, apportata ex oppido Judææ Joppe, ostendit inter reliqua miracula in ædilitate sua M. Scaurus, longitudine pedum quadraginta, altitudine costarum Indicos elephantos excedente, spina crassitudine sesquipedali.* Plin. ix. 5. Solin. c. 34. *Buleng. de Venat. Circ. c. 11. Columna in Ennium p. 267.* Quod si verum, non amplius ab eo tempore ostendi potuerunt in urbe Joppe. Atqui scribit Mel. i. 11. adhuc ibi ea ostentata suo tempore. *Quin etiam*, inquit, *rei celebratæ carminibus, ac fabulis, servatæque à Perseo Andromedæ clarum vestigium, belluæ marinæ ossa immania ostentant.* Nec enim quis dixerit, reportata Joppem fuisse post ædilitatem Scauri. *Salmas. Exerc. Plin. p. 405. b. F.*

Ossa illorum, qui extra patriam peregrino sole morerentur, in patriam reportari solebant. V. infr. in *Urna*. Etiam illorum, *qui foris militiaque mortui essent.* Lex xii. tabularum. Pium enim est, reliquias majorum sepulcris inferri. De bellica tamen morte reperio Sctum, quo qui militiæ obiissent, eo ubi essent loci sepeliri jubentur. Factum est id bello Italico, ut est apud Appian. Bell. Civ. i. p. 377. *Consulis autem cadavere, & aliorum nobilium non paucorum ad sepulturam in urbem relato, tristis visa est populo ejus pompæ facies, & diuturnus luctus excitus est tot civium desiderio. Quapropter Scto decretum fuit, ut posthac defunctorum in bello corpora ibi humarentur, ubicunque cecidissent, ne ab eorum conspectu reliqui segniores ad militiam fierent.* Quæstio est difficilis, quæ diu multos viros doctos habuit exercitos: nimirum, quomodo cadaveris cineres, & *ossa* dignosci potuerint à cineribus ex ligno natis. Huic respondetur supr. in *Cineres*. Horum mixtura probatur inscriptionibus, in quibus idem locus monumenti plurium *ossa* capiebat. *Ossa* mixta habet inscriptio Romæ apud Gruter. p. 715. n. 10.

OSSA. MEA. IN. ARAM. MIXTA
CUM. FILIÆ. UNA. REQUIESCUNT

Cinerum mixtura probatur facto Phyllidis: illa enim *Domitiani reliquias templo Flaviæ gentis clam intulit, & cineribus Juliæ filiæ Titi, quam & ipsa educaverat, commiscuit, cum cadaver antea Latina via funerasset.* Suet. Domit. c. 17. n. 6. Sic *miscere cineres*, Mart. i. 94. 3.

Hoc tegitur cito rapta suis Antulla sepulcro,
Hoc erit Antullæ mistus uterque parens.

Guther. de Jur. man. ii. 25. Reines. Inscript. Class. xviii. n. 22. Bourdelot. in Heliod. ii. p. 39. Broukh. in Prop. ii. 7. 85. Plura. V. infr. in *Ossilegium*.

Ossa pendentibus carnifices suffringere consueverunt. Johan. c. 19. n. 31. *Judæi rogaverunt Pilatum, ut confringerentur cruci affixorum crura, ac tollerentur. Venerunt ergo milites, & prioris confregerunt crura, & alterius qui crucifixus fuerat cum eo. Ad Jesum quum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non confregerunt ejus crura.* Lactant. iv. 26. *Suffixus itaque cum spiritum deposuisset, necessarium carnifices non putaverunt ossa ejus suffringere, sicut mos eorum ferebat.* Faber Semestr. ii. 8.

OSSILAGO dea *esse memoratur, quæ durat, & solidat infantibus parvis ossa.... aut Ossilago solidatrix ossium nomen proprium non haberet?* Gyrald. Synt. deor. i. p. 50. B. Tomas. de Donar. c. 10. Stuck. de Sacrif. p. 45.

OSSILEGIUM erat, cum post bustum *ossa* colligebant. Gloss. vet. *Ossilegium*, ὀστολόγιον. Ὀστελογίας vocat

Diodor. IV. p. 170. A. *Hinc cum Iolaus ossa conquisiturus, ἦλθεν ἐπὶ τὴν ὀστολογίαν, nihil omninò inveniret....* Hujus ritus plenæ sunt omnes ferè auctorum paginæ. Homer. Odyss. Ω. v. 72.

Manè jam tua collegimus alba ossa ô Achilles.

Propert. II. 19. 53.

Noli nobilibus, noli conferre beatis,
Vix venit extremo qui legat ossa die.

Apul. Flor. p. 800. *Recta de auditorio exsequias eundum, legenda ejus esse ossa.* Totam ossilegii formam, omnesque ejus ceremonias nobis depinxit Tibull. III. 2. 9.

Ergo ego cum tenuem fuero mutatus in umbram,
Candidaque ossa super nigra favilla teget,
Ante meum veniat longos incompta capillos,
Et fleat ante meum mœsta Neæra rogum.
Sed veniat charæ matris comitata dolore,
Mœreat hæc genero, lugeat illa viro.
Præfata ante meos manes, animamque, rigata
Perfusaque pias ante liquore manus.
Pars, quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legant.
Et primum annoso spargant collecta Lyæo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent.
Post hæc carbaseis humorem tollere ventis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.
Illic quas mittit dives Panchaia merces,
Eoique Arabes, dives & Assyria,
Et nostri memores lacrymæ fundantur eodem:
Sic ego componi versus in ossa velim.

Quibus nos docet I. Lecta fuisse *ossa* ab amicis, & propinquis. Testatur hoc quoque Homer. Iliad. Ω. v. 793.

Ossa alba collegerunt fratres, sociique.

Senec. de Ira III. 33. *Dignus fuit, cui permitteret à convivio ad ossa filii legenda discedere.* Prop. IV. 1. 127.

Ossaque legisti non illa ætate legenda
Patris.

II. Lotis ante manibus lecta *ossa* fuisse. Hujus ritus vestigium me alibi legere non memini. Hic autem clarissimis verbis indicatur. III. Eos, qui reliquias legebant, fuisse incinctos, id est, soluta, fluxaque veste muliebrem in morem. Quod & annotavit Suet. Aug. c. 101. n. 9. *Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati, & discincti.* IV. Collecta vino, lacte, aliisque odoribus, imò etiam lacrymis fuisse irrigata, & in linteo ventilari solita, ut exsurgeretur humor iste, quo sparsa erant. Ovid. Heroid. XIV. 127.

Et sepeli lacrymis perfusa fidelibus ossa.

In Epitaphio Rusticellæ:

Ne grave sit tumulum visere sæpè meum.
Et quicunque tuis humor labetur ocellis
Protinus inde meos defluat in cineres.

Inscriptio vetus:

O utinam vivæ potuissem præmia morum
Reddere, nunc lacrymas accipe pro meritis.
Nam semper, fateor, tacita te mente probavi:
Detexit sensus ultima flamma meos.
Ossibus infundam quæ nunquam vina bibisti.

Kirchm. de Fun. Rom. III. 6. Herald. Adv. I. 7. Guther. de jur. man. I. 26. Morestell. Pomp. Feral. VIII. 2. Nicol. de Luct. Græcor. c. 15. §. 8. Quenstedt. de Sepult. vet. c. 7. Clasen. Theol. gentil. I. 10. Sched. de Diis German. c. 49. Casal. de Funer. p. 350. de Urb. ac Imper. Rom. splend. part. 2. c. 21. Proph. Roman. rit. c. 26. Voss. Lex. Etymol. in Os. Ferrar. Elect. II. 21. Hotman. Antiq. Roman. III. 1. p. 391. Cerda Æneid. XI. 212. Legebantur tum in urnam. V. infr. in *Urna*: tum in sinum. V. infr. in *Sinum*. Et componebantur. V. supr. in *Componere*. Illa funereæ mulieres in sinu colligebant. V. supr. in *Funera*. Multum interesse puto inter *ossa legere homini mortuo*, & inter *hominis mortui ossa legere*. Nam *ossa* hominis mortui, quæ dispersa sunt, & non cohærent, cum simul colliguntur, tunc *hominis ossa legi* dicuntur. Senec. de Ira III. 33. *Dignus fuit, cui permitteret à convivio ad ossa filii legenda discedere.* Apul. Flor. p. 800. *Recta de auditorio ad exsequias eundum, legenda ejus esse ossa.* Cæterum *homini mortuo leguntur ossa*, cum ejus cadaveri aliqua *ossa* adimuntur. Hoc sensu *vivis ossa legere* Senec. ad Marc. c. 22. *Adjice lacerationes medicorum ossa vivis legentium.* Legere siquidem pro adimere, & auferre veteres dixisse non est obscurum, si consideremus eum dicendum esse sacrilegum, qui adimit, qui aufert res Deo ritè consecratas. Horat. Sat. I. 3. 117.

Et qui nocturnus divum sacra legerit.

Decemviri vetuerunt *homini mortuo ossa legi*. Cicer. de Leg. II. 24. *Cætera funebria duodecim sustulerunt: homini mortuo ne ossa legito.* Per *ossa* membrum aliquod ex *ossibus* duobus aut tribus constans, ut est, digitus, intellexerunt: illudque homini mortuo adimi vetuerunt, ni is aut peregrè, aut in bello mortuus esset. Quum enim alicui digitus legitur, certè eidem adimuntur, sive *leguntur ossa*, *quo post funus fiat*: quod addunt decemviri. Et hoc interpretatur Festus mox laudandus. Credo, quia molestum esset, ad eum locum amicos exsequiarum causa evocare, ubi quis in bello occubuisset, vel ubi civis Romanus inter peregrinos mortem obiisset. Ideòque homini hujusmodi mortuo permiserunt *ossa legi*, *quo post funus fiat*, hoc est, membrum aliquod adimi, ad quod servatum justa Romæ fierent, reliquo corpore apud peregrinos combusto. *Ræward. in leg. XII. tab. c. 15. Salmuth ad Pancirol. de Reb. deperd. & inv. p. 732. Rittersh. in Leg. XII. tab. Class. I. c. 7. Hotman. l. l. Rosin. Antiq. Roman.* VIII. 6. Acutè quidem hæc, sed parum ἀστόχως. Aliud enim est *digitum abscindere*, aliud *legere ossa*, etsi res sunt valdè affines, & ab eadem causa manantes. Utrumque factitatum augendo luctui, ut ait Cicero. Erant nempè, qui ante ἐκφορὰν mortuo digitum præciderent, ad quem servatum justa fierent postmodum, quoties luctum vellent instaurare. Festus: *Membrum abscindi mortuo dicebatur, cum digitus ejus decidebatur, ad quod servatum justa fierent, reliquo corpore combusto.* Alii verò *ossa* in reliquiis condendis legebant, domumque ferebant fini eadem. Quæ de Varronis *Excepto*, vel Ciceronis *Rejecto osse* intelligenda existimo. Verum hunc morem *legendi ossa* XII. tabulæ sustulerunt, *extra quam si quis foris militiaque mortuus siet.* Tum enim *ossa legi* permittebant, quod *pium sit*, *reliquias majorum sepulcris inferri*. Kirchman. ibid. III. 7.

OSSUARIUM, sive *Ossarium* dicebatur urnula, cui inclusa ossa & cineres defunctorum componebantur, Græcis ὀστοθήκη, vel ὀστοδοχεῖον. Vetus inscript. JULIA. FUSCINIA. OSSUARIUM. VIVA. SIBI. FECIT. Altera: OSSARIUM. M. MANNEI. ERONIS. Meminit & hujus vocis Ulpian. l. 2. ff. de sepulc. viol. *Kirch. de Fun. Rom.* III. 8. *Guther. de jur. man.* II. 24. *Reines. Inscript. Class.* IX. *n.* 24. *Quenstedt. de Sepult. vet. c.* 7. *Ferret. Mus. Lapid.* III. 28. *Ursat. de Not. Roman. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom.* XI. *p.* 645. *A. Clasen. Theol. gentil.* I. 10. 10.

OST.

OSTENTUM *Labeo definit omne contra naturam cujusque rei genitum, factumque. Duo autem genera sunt ostentorum: unum quoties quid contra naturam nascitur, tribus manibus fortè, aut pedibus, aut qua altera parte corporis, quæ naturæ contraria est: alterum, cum quid prodigiosum videtur, quæ Græci φαντάσματα, id est, visiones vocant.* Buleng. de Prodig. c. 1. August. ad Leg. XII. tab. §. 45. Niphus de Augur. I. 1. Schill Nomencl. Philol. p. 857. Solebant procurari. V. supr. in *Monstrum*.

OSTIA in faucibus Tiberis ab Anco Marcio extructa est, invehendis mercibus opportuna imprimis, & necessaria. Liv. I. 33. *Ab eo in ore Tiberis Ostia urbs condita.* Flor. I. 4. 2. V. illum infr. in *Portus Ostia*. Dionys. III. p. 183. *Porrò qua inter flumen, & mare prominens littus curvatur in cubiti speciem, oppidum Ancus munit, quod ex ea re Ostiam appellavit, Θύραν nos diceremus: effecitque ut*

Romæ

Roma non mediterraneis tantum, sed etiam marinis hominibus patens, transmarina quoque bona degustaret, Sagittar. de jan. vet. c. 3. §. 7. Sigon. de jur. ant. Ital. II. 5. Manut. de Civit. Rom. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. I. p. 8. A. Ferret. Mus. Lapid. I. 16. Aring. Rom. Subter. III. I. §. 10. Elmenhorst. in Min. Felic. p. 10. Merul. Cosmogr. II. 4. 22. Cluver. Ital. Ant. III. 3. §. 1. Bergier. de viis milit. IV. Sect. 49. §. 8. Goltz. Ital. p. 225. Eo luxuriæ causa Romani nepotuli, & decoctores se conferebant. Juven. Sat. XI. 46.

Hi plerumque gradus: conducta pecunia Roma
Et coram dominis consumitur: inde ubi paullum
Nescio quid superest, & pallet fœnoris auctor,
Qui vertere solum, Bajas & ad Ostia currunt.

Vel etiam, ut ibi lavarent. Nam & hic quasi quædam mœroris credebantur abstersiones, ubi lupini velut amari aquis, ita & animi solliciti edulcarentur lavacris. Quo referre quisquam posset, quod est in August. Confess. IX. 12. §. 4. qui *cum corpus Monicæ matris apud Ostia Tiberina*, ubi se instaurabant navigationi, *defunctum extulisset, ad sanandum dolorem suum, visum eidem pussimo filio fuit, ut iret lavatum, quod audivisset inde balneis nomen inditum, quia Græci βαλανεῖον dixissent, quod anxietatem pelleret ex animo. Sed*, confitetur ibidem, *misericordia patris orphanorum, quod postquam lavisset, talis adhuc fuisset, qualis priusquam lavisset, cum ne sic quidem exsudasset de corde suo mœroris amaritudo, nisi quod deinde dormierit paullo melius, & evigilans non parva ex parte invenisset mitigatum dolorem suum*. Inde Rotil. Itiner. I. 155.

Pande precor gemino placatum Castore portum,
Temperet æquoream dux Cytherea viam.

Rivin. de Majum. c. 7. §. 23.

OSTIARIUM erat genus tributi, quod *ostiorum* nomine pendebatur. Cæs. de Bell. civ. III. 31. *Multa præterea generatim ad avaritiam excogitabantur, in capita singulorum servorum, ac liberorum tributum imponebatur. Columnaria, ostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vectura imperabantur*. Ejus meminit Cicer. Fam. III. 8. *Atque hoc tamen te scire volo, me de isto sumptu legationum aut minuendo, aut remittendo decrevisse nihil, nisi quod principes civitatum a me postulassent: ne in venditionem tributorum, & illam acerbissimam exactionem, quam tu non ignoras, capitum, atque ostiorum inducerentur sumptus minime necessarii*. Sagittar. de jan. vet. c. 3. §. 15. Burman. de Vectig. Dissert. c. 12. p. 248.

OSTIARIUS, quem *claustritum* appellat Lævius apud Gell. XII. 10. *puerum ab janua* Nep. XXIII. 12. 4. aditum obsidebat, ut admitteret nimirum, vel dimitteret eos, qui dominum conveniebant. *Pignor. de Serv. p.* 444. Hunc Græci θυρωρὸν vocabant. Suidas: Ὀστιάριος, *qui custodit portas, & impedit ingredi volentes*. In aula, ubi plurimi *ostiarii*, quidam præfectus eorum decurio vocabatur. V. supr. in *Decurio*. Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. VI. p. 214. Berger. Spicil. Antiq. III. 7. Du Fresne Glossar. III. p. 75. V. & supr. in *Janitores*.

OSTIUM propriè diceretur de clausis foribus, uti janua de apertis, si placuerit Serv. Æneid. VI. 43. *Non sine causa dixit aditus & ostia. Nam Vitruvius, qui de Architectonica scripsit, ait, cum ab aliquo arcemur ingressu, id ostium dici*, & Isidor. XIV. 7. *Janua est primus domus ingressus: cætera januarum ostia vocantur. Generaliter quidem ostium est, per quod ab aliquo arcemur ingressu, dictum*. Sagittar. de jan. vet. c. 3. §. 4.

Ostia in circo, unde equi exibant ad spatia septem decurrenda, non omnia paris conditionis fuerunt; sed alia melioris, alia pejoris sortis habita. Ideo sortitò legebantur. Singulis missibus quatuor quadrigæ emittebantur, quæ quatuor *ostiis* exibant. Quod proximum *ostium* primis metis fuit, mediæque circi areæ, id optimæ conditionis habebatur, & *primum ostium* dicebatur. Nam ab eo loco ad ultimas metas brevissimum iter qua rectissimum. Longius à secundo, deinde à tertio, longissimum à quarto, eoque id *ostium* pessimæ, & ultimæ sortis, quia longius erat remotum à recto tramite, qui à metis prioribus ad metas ulteriores patebat. Auson. Epist. XVIII. 12. V. illum supr. in *Janua consulum*. Ex duabus circi extremitatibus, altera quæ in hemicycli formam desinebat, amplissimum, & patens *ostium* mœniano suppositum, & duo ex utroque latere alia mœniana, sive podia quadrigis ornata habebat. In altera autem, cui figura quadrata anguli in modum turrium, vel mœnianorum erant, tredecim *ostia* fuere constructa, quorum medium omnium maximum, alio podio subjectum, reliqua duodecim æqualia & minora, sex scilicet ex utraque majoris *ostii* parte erant. Ausonius. V. illum supr. in *Janua consulum*. Panvin. de Lud. circens. I. 5. De illa porta, quæ fuit, ubi circus in hemicycli formam desinebat, ubi erant ultimæ metæ, circa quas agitatores fervidas flectebant rotas, altum apud omnes scriptores veteres est silentium. Media porta una tantum fuit, & ea quidem in fronte circi inter duodecim *ostia* contra spinam, per quam thensæ, & pompa ducebatur, & ad quam ipse munerator sedebat in cultu, & curru triumphali. Ex quatuor verò huic portæ proximis *ostiis* (erant autem duodecim, sex ab utroque latere) mappa missa quatuor emittebantur aurigæ, eaque *ostia* dicebantur etiam *carceres*, Virg. Georg. I. 512.

Ut cum carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt se in spatia.

In parte circi extrema in hemicyclum desinentis metæ tantum erant, seu turriculæ tres in una basi, & præterea septem aliæ turriculæ, quæ aut erant ovalis formæ, aut sphæras ovalis formæ verticibus habebant impositas, quæ ad denotanda spatia, quot confecerant aurigæ, erigebantur, ut si bis emensi essent circum, duæ conspicerentur; si ter, tres; cum septimum spatium conficeretur, & auriga primus circa metam currum egisset, septem ova stabant constituta in omnium oculis, ut tam spectatoribus, quàm quadrigariis innotesceret, missum hunc esse peractum, quia septem spatia emensi erant aurigæ. *Græv. Thes. Antiq. Rom. Tom.* IX. *Præfat.* * 4. *vers.* Utrinque senos carceres fornicatos habebat. Ea sunt *ostia* circi. Sena illa, quæ ad dextram erant medii *ostii*, omnia æqualiter, & uno eodemque tempore pandebantur, quamvis ex quatuor tantum prioribus quadrigæ mitti solerent, nisi si quando plures quàm quatuor colorum factiones certarent. Nam pristinis quatuor gregum factionibus Domitianus duas fertur addidisse, purpurei, auratique panni. Senis *ostiis* opus fuit apertis, quando hæ sex factiones simul committebant. Cæterum post mortem Domitiani non diu addititiæ illæ duraverunt, sed pristinus numerus est retentus. Quærat aliquis, cur sex *ostia* semper solita sint aperiri, cum sollenne esset quatuor duntaxat quadrigas ex quatuor *ostiis* per singulos missus emitti. Et sanè cum cætera *ostia*, tum magis apertiones eorum supervacuæ. Atqui non sena tantum *ostia*, sed omnia duodena in circo Romano una simul machinatione pandi solita ostendit locus Cassiod. III. 51. *Bissena ostia ad duodecim signa posuerunt. Hæc ab Hermulis funibus demissis subita æqualitate panduntur, docentibus totum illic, ut putatur, consilio geri, ubi imago capitis cognoscitur operari*. Nec abnuit Ausonius, si rectè capiatur. Non enim dicit sena tantum *ostia* circum aperire, sed pro parte sena. Ergo ab una parte sex, ab altera totidem aperiebantur, excepto medio *ostio*, in quo consulum sedes, atque editoris. Omnia simul, quæ unum latus circi ex minoribus occupabant, pandi solita clarè dicit Dionys. III. p. 201. *Reliquum è duobus minoribus latus, quod subdivale est, habet fornicatos carceres, unde equi emittuntur, qui omnes uno aperiuntur repagulo. Cryptas*, & *porticus fornicatas* ejusmodi Dionysii ὑπωροφίους ἀψιδωτὰς vocavit Sidon. supr. in *Janua*. Sciendum porrò est præter illud *ostium* medium duodenos in circo carceres equorum fuisse, utrinque senos, ut testatur ibidem Sidonius. Sola sex *ostia*, quæ à latere dextro illius mediæ januæ erant, necessaria mittendis quadrigis fuere, quia à dextra ad sinistram curricula sua peragebant. An igitur ad ornatum, atque ut æqualis esset architecturæ facies, totidem *ostia* in altero latere facta, quæ ut ipsa eodem machinatum artificio, eodemque tempore pandebantur, quamvis nulli inde currus emitterentur? Ex illis porro senis *ostiis*, quæ

ad

ad dextram fuere primatum metarum sola quatuor prima quadrigas emittebant, quatuor certaturas singula singulas. Quod ab eo tempore obtinuit, quo in quatuor colores, & greges tota circi factio divisa est. Hoc enim constituto quatuor aurigæ cum suis quisque coloribus per singulos missus certabant. Antea plures in hoc certamen ἑταιρικὸν descendebant. An legitimum dicemus fuisse, ut sex una missione contenderent, ideo Tarquinium Priscum, si modò in circo maximo primus carceres exstruendos curavit, sex tantum *ostia* in eo fecisse, sex quadrigis emittendis? Atque duodecim *ostia*, sive carceres in circo illo, sex in sinistra lateris ejusdem, totidemque in dextera. An supervacua, & inutilia protinus sinistræ partis *ostia*, atque ad ornamentum tantum architecturæ acta? Supervacanea certè illa, quo tempore quatuor tantum quadrigæ quaternis ostiis emitti solitæ. *Salmas. Exercit. Plin. p. 633. a. C. Buleng. de Circo c. 14. Nardin. Roman. Vet.* VII. 2. *Kipping. Antiq. Roman.* 11. 6. §. 4. *Lyd. Agon. sacr. c.* 30.

Ostia fluminum dicuntur illorum exitus, quibus in mare exeunt. Cicer. Phil. II. 11. *Qui hanc rem in Cilicia ad ostium fluminis Cydni confecisset.* pro Man. 12. *Nunc nulˈam intra oceani ostium prædonum navim esse audiatis.* Salmas. Exercit. Plin. p. 310. E. Gyll. de Bosp. Thrac. 1. 1.

Ostia, Græcis στόματα, vocantur portus, quos ferè flumina constituunt eo loco, ubi se dejiciunt in mare. Virg. Æneid. v. 281.

Vela facit tamen, & plenis subit ostia velis.

Ubi Servius: *Ostia, id est, portus, ideo, quia exitus fluminum frequenter portus efficiunt.* Talis portus est in *ostio* Tiberis, cui Ancus Martius navalia adjecit. V. supr. in *Ostia*. Scheffer. Mil. Nav. III. 4.

Ostia, Græcis στόματα vocantur etiam angusti inter duo cornua portuum meatus, per quos navigia ingrediuntur, & egrediuntur. Liv. XXXVI. 45. *Ante ostium portus acie instructa steterunt.* Qui XXXVII. 11. videtur etiam *fauces* nominare. Quod enim primùm *fauces* vocat, mox *ostium* reddit, cum ait: *Pausistratus unam viam salutis esse ratus, si viam facere per fauces portus, atque erumpere in mare apertum posset, princeps remis ad ostium portus tendit.* Nisi potius sic differant, ut *ostium* initium sit *faucium*, & ab *ostio fauces* longiùs promineant in mare. Hinc namque in Livio sequitur, *superantem jam fauces*, quasi jam egressus *ostium*, *fauces* superare debuerit. *Scheff. Milit. Nav.* III. 4.

OSTREA in principio cœnæ veteres videntur præbuisse. Plutarch. Sympos. IX. *Mensa frigida, quod ante ostrea olus cruum habent, ut dicit Plato, a cauda ad os translata, primum pro ultimo ordinem habent.* Stuck. Antiq. Conviv. III. 1. *Non cibi, sed oblectamenta sunt, ad edendum saturos cogentia: quod gratissimum est edacibus, & se, ultra quam capiunt, farcientibus, facilè descensura, facilè reditura.* Senec. Epist. 108. Quare, ut delicatorum cupediæ, habebantur. Cicer. Fam. VII. 26. *Ita ego, qui me ostreis, & murenis facilè abstinebam.* Senec. l. l. *Inde ostreis, boletisque in omnem vitam renuntiatum est.* Nonn. de Re cibar. III. 37. Delicatuli primo morsu deprehendebant, ubi capta essent. Juven. Sat. IV. 140.

—— Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo,
Ostrea, callebat primo deprendere morsu.

Amabant maximè grandia. Juven. Sat. VI. 302.

Grandia quæ mediis jam noctibus ostrea mordet.

Eaque Lucrina. Petron. c. 79.

—— inde Lucrinis
Eruta littoribus vendunt conchylia cœnas.

Mart. III. 60.

Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino.

Aperiebant in ipsa mensa. Senec. Epist. 88. *O infelicem agrum! quare? quia non ostrea illi Lucrina in ipsa mensa aperiuntur.* Meurs. de Lux. Rom. c. 14. Lucilli ætate singula mille nummis sunt empta; Sat. XIII.

—— his iidem in cœna ostrea mille
Nummis empta.

Ciaccon. de triclin. p. 64. Buleng. de Conviv. 1. 9.

OSTREARIUM est *ostreorum* vivarium. Tanta enim illorum cura erat apud veteres, ut etiam vivaria illis exstruerent, ne unquam præclara illa gulæ scitamenta deessent. Macrob. Sat. II. 11. V. illum supr. in *Orata*. Plin. IX. 54. *Ostrearum vivaria primus omnium Sergius Orata invenit in Bajano, ætate L. Crassi Oratoris ante Marsicum bellum: nec gulæ causa, sed avaritiæ, magna vectigalia tali ex ingenio suo percipiens.* Buleng. de Conviv. II. 31. Nonn. de Re cibar. III. 37.

OSTROGOTHI. V. illos supr. in *Gothi*.

OTA.

OTACILLA gens. V. illam supr. in *Gens*.

OTH.

OTHO M. Salvius, Galba Augusto, & Pisone Cæsare 17. Kal. Februar. ann. 821. cæsis, octavus post Cæsarem dictatorem Imperium Romanum invasit. Ejus pater L. Otho vir consularis, avus verò Marcus prætorius fuere. Et omnia Imperatorum insignia, & titulos à senatu decreta fuisse docet hic nummus: IMP. OTHO. CÆSAR. AUGUSTUS. P. M. TRI. P. COS. In Imperio confirmatus consul fuit II. antea enim sub Galba fuerat, & ideo in ejus antiquo nummo est: IMP. OTHO. CÆS. AUG. TRI. P. à tergo PONT. MAX. COS. II. Hoc anno 15. Kal. Maji, qui dies quintus & nonagesimus Imperii erat, ipse bello civili à Vitellio Bebriaci victus, se ipse Brixelli interfecit, annum ætatis agens septimum & vigesimum, ut auctores sunt Tacitus & Suetonius. *Panvin. Fast.* II. *p.* 105.

OTHONE, ὀθόνη, & ὀθόνιον dicitur vestis linea, qua, quoniam interdum muliebris erat, ab Homer. Iliad. III. 141. induitur Helene ἀργεννῇσι καλυψαμένη ὀθόνῃσιν. Hesychius: Ὀθόνη, σινδών. Ὀθόνη λευχείματα. Idem Homer. XVIII. 595. puellis tripudiantibus dat λεπτὰς ὀθόνας, adolescentulis autem χιτῶνας ἀνῖτος. Quanquam Hesychius ὀθόνιον καὶ τὸ ἰσχνὸν καὶ μὴ λινοῦν ἢ interpretatur. Mulieribus etiam tunicas lineas adscribit Aristoph. Lysistr. p. 844.

Stamusque nudæ lineis in subuculis.

Ubi χιτῶνας ἀμοργίνους interpretantur lineas tunicas, quod amorgina vestimenta ad instar byssi, sive carbasi tenuissima essent. Veteres tamen critici amorginum genus coloris dixere, nempe purpureum secundum glossam, ut ait Eustathius: ut non satis constet, utrum ea vox lini speciem, au colorem, an utrumque significet. *Ferrar. de Re vest.* 11. 4. 12. *Feith Ant. Hom.* III. 7. *Salmas. Exerc. Plin. p.* 824. *C.*

OTI.

OTIUM quantum det malorum, exercitus Romani duces, & Imperatores, gnari, tam Republica libera, quàm cum sub Cæsarum concessisset Imperium, mox ue armis sibi quietem, & pacem pepeterant, non ideo militem *otiosum* habebant; sed eum operi, aut ad voluptatem, aut ad utilitatem, aut ad necessitatem faciendo admovebant. Sic Corbulo inferioris Germaniæ legatus sub Claudio Imperatore, præcipuè, *ut miles otium exueret, inter Mosam, Rhenumque trium & viginti millium spatio fossam perduxit, qua incerta oceani vetarentur*, teste Tacit. Annal. XI. 20. 2. In eadem Germania *Paullinus Pompejus, L. Vetus sub Nerone Imperatore exercitui præerant: ne tamen segnem militem attinerent, ille inchoatum ante tres & sexaginta annos à Druso aggerem coercendo Rheno absolvit: Vetus Mosellam atque Ararim, facta inter utrumque fossa connectere parabat, ut copiæ per mare, deinde Rhodano atque Arare sub vecta per eam fossam, mox fluvio Mosella in Rhenum, exin Oceanum decurrerent: sublatisque itinerum difficultatibus, navigabilia inter se orientis septentrionisque littora fierent*: ut idem Tacit. Annal. XIII. 53. 2. testatur. Inter labores illis erat & munitio viarum. Cœpit id opus militare brevi post vias extra Urbem munitas Flaminius consul, qui primus post Appium

Appium Cæcum vias militares per Italiam munivit, perdomitis Liguribus, pace data finitimis, provincia aliquamdiu à bello quieta, *ne in otio militem haberet, viam a Bononia perduxit ad Arretium*, teste Liv. XXXIX. 2. *Berger. de viis milit.* IV. *Sect.* 2. §. 2.

OYA.

ΟΥ'Α' fuit interjectio admirantis, quàm Latini *vah* dicunt, & est merè Latina: quam & Græci usurparunt in acclamationibus, vel etiam scriptores Græci, qui ipsi una verba acclamationum referebant, cum cætera Græcè expressissent, eam ex Latino retinuerunt. Arrian. in Epictet. III. 23. *Εἰπέ μοι οὐὰ, καὶ θαυμαστῶς.* Et: *Γ'να σοι, οὐὰ, φῶσιν ἐπιφωνηματικὰ λέγοντι.* Dio LXIII. p. 724. A. *Πάντων δὲ τῶν ἀνθρώπων, καὶ αὐτῶν τῶν βουλευτῶν ὅτι μάλιστα συμβοώντων, Ὀλυμπιονῖκα οὐὰ, Πυθιονῖκα οὐὰ.* οὐὰ igitur inter laudantium, & admirantium voces, & οὐὰ θαυμαστῶς, σοφῶς, & similes. Latinum planè est *vah*, quod frequens occurrit apud Comicos. Terent. Eun. IV. 6. 20.

Vah qualem me putas esse.

Adelph. III. 2. 17.

Tum Syrum impulsorem, vah! quibus illum lacerarem modis.

οὐὰ, *vah*: *ut* Οὐεσπασιανὸς, *Vespasianus*, Οὐενετία, *Venetia*, Ὀκταούιον, *Octavium*. Sic enim veteres, Eustathio teste, quod recentiores Βεσπασιανὸν, Βενετίαν, Ὀκτάβιον scripsere, & pronuntiavere. Eam acclamantes tum emittebant, cum vel ob rei sive novitatem, sive magnitudinem, vel ob dicentium, aut recitantium excellentiam, præstantiamque in admirationem traducebantur. Adducta veterum testimonia transferimus. Arriani: *Dic mihi vah, & admirabiliter.* Et: *Ubi tibi vah acclament epiphonemata dicentes.* Dionis: *Acclamabant omnes, & senatores inprimis, Vah, Olympice victor, vah, Pythice victor.* Salmas. in Pollion. Claud. c. 18. Ferrar. de Acclam. & Plaus. III. 15.

OVA.

OVA olim initio cœnæ apponebantur. Hinc Cicer. Fam. IX. 20. *Integram famem ad ovum affero.* Horat. Sat. I. 3. 6.

Si collibuisset, ab ovo
Usque ad mala citaret, Io Bacche.

id est, ab initio cœnæ usque ad mensam secundam, quæ pomis, seu malis constabat. Porphyrio in Horatium: *Ab ovo usque ad mala, ab initio cœnæ ad finem. Ovum enim hodie initium cœnæ, quippe cum in gustu statim à balneis offeratur, mala autem apud veteres inter cætera secunda mensa afferebantur.* Varr. apud Non. IV. 46. *Discumbimus missati, dominus maturat ova, ac cœnam committit.* Cum quidam è convivis apud Varr. de Re rust. I. 2. qui se tardius venisse existimabant, ita rogarent cæteros: *Num cœna comesa venimus?* respondent illi: *Bono animo este: nam non modo non ovum illud sublatum est, quod ludis circensibus novissimi curriculi finem facit quadrigis: sed ne illud quidem, quod in Cereali pompa solet esse primum.* Ciaccon. de Triclin. p. 54. & ad illum Ursin. p. 309. Voss. de Idolol. III. 90. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. I. 14. Torrent. in Horatium. Baccius de Conviv. Ant. II. 11. Casal. de Conviv. vet. c. 1. de Urb. ac Imper. Roman. splend. p. 2. c. 19. Carol. Antiq. Roman. IV. 6. Kipping. Antiq. Roman. IV. 3. 1. Laurent. de Prand. c. 6. Buleng. de Conviv. II. 4. Feralibus etiam epulis apponebantur. Juven. Sat. V. 84.

Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo
Ponitur, exigua feralis cœna patella.

Kirchm. de Fun. Rom. IV. 7. Guther. de Jur. man. II. 12. In lustrationibus locum sibi sane non ultimum vindicarunt. Antiquæ enim puritatis, & puræ antiquitatis symbolum erant commodissimum: unde & proverbium: ἐξ ᾠῶν ἐξῆλθεν, de illis, qui supra modum prurirent, ac ursi: *Lomej. de Lustrat. cap.* 21. Monstrat hoc illud Juven. Sat. VI. 518.

—— *nisi se centum lustraverit ovis.*

Indicat hoc Ovid. Art. Amand. II. 329.

Et veniat, quæ lustret anus, lectumque, locumque,
Præferat & tremula sulphur & ova manu.

Ejus à recentioribus ratio promitur, quod ex animalium generibus adeo multiformibus plurima edantur *ovis*, quæ velut media sint inter animal, & non animal: proinde pergrata diis censuere veteres: quando & cyami nomine non aliud intellexisse videatur Pythagoras, quàm ovum, quod fit in eo animalium κύησις, id est, fœtura. Ejus erat decretum, compar censeri κυάμους ἐσθίειν, κεφαλάς τε τοκήων. *Rhodig. Ant. Lect.* XXVII. 17. *Stuck. de Sacrif. p.* 215. *Brod. Miscell.* I. 25. *Schill Nomencl. Philol. p.* 697.

Ova circi ornamenta fuerunt fabricæ quædam ex ligno *ovali* figura factæ, cum basi, qua sisti possent, & erigi. Dio XLIX. p. 417. A. vocat ὠοειδῆ δημιουργήματα, *ovales fabricas*. Poterant hinc inde transferri, & portari. Quod & Varro innuit verbis laudatis supr. in *Ova*. Salmas. Exerc. Plin. p. 640. a. B. Bargæus de ædif. Roman. evers. Thes. Antiq. Roman. Græv. Tom. IV. p. 1889. D. Non procul ab utrisque metis, imo metis ipsis imposita fuerunt. Non ita fuisse antiqua nonnulli putant, & Agrippæ ejus rei originem tribuunt, auctore Dion. l. l. *Cum videret in circo homines sæpius errare circa numerum spatiorum decurrendorum delphinas, & ovales fabricas constituit, quibus circuitus curriculorum notarentur, ac numerarentur.* Quibus verbis innuitur, *ova* metis imposita ab Agrippa, ut cum variæ columnæ in circo essent, ne erraretur in metis, indicarent *ova* metam ultimam, quæ & circumflectenda fuit. *Buleng. de Circo c.* 19. Hæc prorsus absurda sunt, & falsa. Nam etsi plures columnæ in circo, nullæ tamen metis similes, quæ geminæ tantum fuere, primæ & ultimæ. Utraque ex una basi tres summitates, sive obeliscos surgentes habuit. Nihil simile in aliis columnis. Nemo hic igitur potuerit errare. Nec hoc dicit Dio, sed circa numerum spatiorum, & curriculorum homines labi solitos. Exempli gratia, cum quatuor essent curricula peracta, quidam quinque, aut sex spatia evoluta dicerent. Quod & Liv. XLI. 27. docet, tibi ait censores locasse carceres in circo faciendos, *& ova ad notas curriculis numerandis*. Ergo *ova* illa notæ fuerunt, quibus curricula numerabantur. Id factum an. ab U. C. 581. Quod si verum est, illud utique falsum erit, quod asserit Dio. Agrippam primum invenisse, ut curriculorum in circo numerus *ovorum* notatione designaretur. Quin & Varro supr. in *Ova* meminit illius *ovi*, *quod ludis circensibus novissimi curriculi finem faciebat quadrigis*. Ergo ante Agrippam repetta, & usitata *ova* notandis in circo curriculorum numeris. Nec *ova* illa metarum summitati imposita erant. Qui enim metarum apicibus addita, quot jam spatia peracta essent, possent indicare? Præterea non *ova* sunt, quæ summis metis, & obelisco imposita visuntur, sed pilæ, vel sphæræ, sicut omnibus ferè pyramidibus, & obeliscis eas addi moris fuit in summo apice. Alia porro est *ovi* forma, alia sphærica. Non vanè auguror septem *ova* tot numero statuta fuisse, quot curricula erant peragenda. Primo curriculo peracto unum *ovum* è medio tollebatur, secundo facto alterum. Ita de reliquis. Sexto spatio confecto unum restabat *ovum*, quod novissimi curriculi indicium faceret: quo absoluto etiam illud auferebat. Ad eam sententiam manifestis, & expressis vestigiis ducunt verba Varronis, quæ superiùs attulimus. Poterat & contraria ratione numerus curriculorum per *ova* iniri, ut singulis peractis spatiis unum subinde *ovum* produceretur in medium, atque erigeretur, quibus omnibus productis, & statutis, omnia curricula finita indicarentur. Huic rationi, ut in vulgatis editionibus descriptus est, videtur adstipulari Cassiod. Var. III. 51. *Nec illud putetur irritum, quod metarum circuitus ovorum erectionibus exprimatur, quando actus ipse multis superstitionibus gravis, ovi exemplo geniturum se aliqua profitetur.* Ut hæc sunt, eum sensum efficiunt, proximè diximus. Sed veteres libri habent *ovorum exceptionibus*. Legerim *exemptionibus*. His exprimebantur circuitus

cuitus

curtus curriculorum, quia post singula spatia evoluta unum eximebatur *ovum*. Nihil verius. Idem sensus potest inesse & lectioni scriptæ, *exceptionibus*. Nam *excipere* est *ὑπεξαιρεῖν*, & *exceptio ὑπεξαίρεσις*. *Excipere* aliquem de grege, de oometo, idem est quod eximere. Glossæ: *Exceptis ὑπεξῃρημένων*. Juvenalis videtur *phalas* vocare. Eas quippe cum delphinis conjungit, ut fecit Dio. V. infr. in *Phala*. Salmas. l. l. Ciaccon. de Triclin. p. 56. Argol. in Panvin. de Lud. Circens. 1. 14. Ferrat. Elect. 11. 15. Faber Paralip. ad Agonist. Thes. Antiq. Græcar. Gronov. Tom. VIII. p. 2262. D. Donat. in Livium. Alciat. Parerg. IV. c. ult. Pamel. in Tertull. de Spect. c. 8. n. 70. Jun. in Tertull. de Spect. c. 8. Fuerunt Polluci, & Castori sacra, Tertull. de Spectac. c. 8. *Ova honori Castorum adscribunt, qui illos ovo editos credendo de cygno Jove non erubescunt*. Illis pro insigni *dimidiatam ovi testam* tribuit Lucian. dial. Apoll. & Mercur. p. 236. *ᾠοῦ τὸ ἡμίτομον*. Et, cum inter homines agerent, galeis utebantur, quæ dimidiati *ovi* figuram haberent. Lycophr. n. 506.

Quorum caput ovalis testa hemisphærium
Operiet.

Buleng. & Salmas. l. l. Nardin. Rom. vet. VII. 2. Panvin. de Lud. Circens. 1. 14.

OVATIO erat triumphus minor. Dionys. VIII. p. 535. *Aquilio minor triumphus contigit, quem ovationem nominant*. Qui *ovabat*, pedibus incedebat. Unde *πεζὸς θρίαμβος* dicitur. Dionys. IX. p. 594. *Manlius in Urbem reversus, ob confectum id bellum, τὸν πεζὸν θρίαμβον, ovationem, quam petierat, impetravit*. Quomodo a triumpho differat, docet Dionys. V. p. 314. *Primum, quod in ipsa ovatione dux cum exercitu ingreditur pedibus, non autem curru, ut ille: deinde quia non gestat togam pictam, & palmatam, neque ornatur trabea, qui est consulum, & prætorum patrius cultus; neque laurea coronatur: quinetiam hac in re altero est inferior, quod non gestet sceptrum. Ovantium* enim est myrtea. Plutarch. Marcell. p. 310. D. Postea equo est vectus. Dio LIV. p. 544. E. *Ut eques in Urbem veheretur*. Symmach. Epist. X. 22. *Ut ovantes equorum dorsa gestarent, ut triumphantes currus inveheret. Ovationis* causa fuit, ut inquit Gell. V. 6. *quum aut bella non rite indicta, neque cum hoste juste gesta sunt: aut hostium nomen humile, & non idoneum est, ut servorum, piratarumque: aut deditione repente facta impulverea, ut dici solet, incruentaque victoria obvenit*. Buleng. de Triumph. c. 11. Sigon. de Ant. jur. prov. II. 10. Panvin. Fast. V. p. 344. Pigh. Annal. Rom. 1. p. 79. Blond. Triumph. Rom. X. p. 202. H. Boxhorn. Quæst. Rom. c. 44. Ferret. Mus. Lapid. II. Memor. 36. Laz. Comment. Reip. Rom. IX. 3. Stuck. Ant. Conviv. 1. 21. Paschal. de Coron. VII. 21. Nicol. de Rit. Bacchan. c. 10. de Triump. c. 2. & 3. Kipping. Dissert. de Victor. c. 5. Barth. in Stat. Theb. II. 684. Zimmerman. Floril. Philol. p. 586. Schill Nomencl. Philol. p. 859. Pitisc. in Suet. Aug. c. 22. n. 2.

OUF.

OUFFENTINA tribus. V. illam infr. in *Tribus*.

OVI.

OVICULA est dictus Q. Fabius Maximus, quia moribus fuit humilibus. Plutarch. in Fab. p. 174. C. *Ovicula etiam puer dictus est ex mansuetis, & gravibus moribus*. Aurel. Vict. de Vir. Illustr. c. 43. n. 1. *Quintus Fabius Maximus Ovicula à clementia morum dictus*. Sigon. de Nomin. Roman. c. 5. Bochart. Hieroz. 1. 2. 46.

OVILE dicta sunt septa, in quibus comitia ad creandos magistratus habebantur, quod populum inclusum cogerent, veluti caulæ gregem. Juven. Sat. VI. 528.

—— ut spargat in ædem
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili.

Lucan. II. 197. V. illum infr. in *Villa publica*. Marlian. Topogr. Urb. Rom. V. 4. Donat. de Urb. Rom. 1. 22: III. 16. Nardin. Rom. Vet. VI. 6. Borrich. Ant. Urb. Fac. c. 11. §. 6. Beroal. in Serv. §. 38. Nann. Misc. VI. 2. Grucch. de Comit. Roman. I. 4. *Ovilia* appellata sunt, non quod ibi exstructa fuerint, ubi Romulus pecora paverit, ut Bernald. in Virg. Ecl. 1. 34. censuit; sed quia antequam Lepidus marmoreis porticibus illa exornasset, ligneis cancellis, veluti quidem *ovium* stabula undequaque claudebantur, sicuti expressa sunt in argenteo Liciniæ gentis denario. In hoc lignei cancelli, & pontes, quos C. Marius in suo tribunatu plebis, qui contigit anno U. C. 633. ne cui alteri præter suffragatorem illic consistendi ad postulandum, rogandumque locus esset, sua lege angustiores fieri jussit: quos supra suffragator apparet, qui, à diribitore tabella accepta, mox suum in cistam suffragium conjicit. *Vignol. Dissert. de Column. Anton. Pii c. 2.* V. & infr. in *Septa*.

OVINIA Lex. V. illam supr. in *Lex*.

OVIS ab ovantibus mactabatur. Plutarch. Marcell. p. 311. A. *Imperatoribus ovantibus ovem immolare moris erat*. Quod animal, simplex, & pacatum pugnam & vulnera aliis non inferret. *Boxhorn. Quæst. Roman. 44. Panvin. de Triumph. c. 4.* Prima, quæ cecidit, fuit victima. V. infr. in *Porca*.

Ovis adasia, *vetula, recentis partus*. Festus. Gloss. Isidor. *Adasia, ovis major natu*. Qui præterit ea de partu. *Voss. Lex. Etymol. Popma de instrum. fund. c. 5. Scalig. in Festum*. Ego existimo ista *recentis partus* esse interpretationem vocis *πρωτότοκος*, *primogenitus*. Verba distinguo: *Adasia, ovis vetula, recentis partus*, id est, primogenita, quam recenti, sive primo partu mater pepetit. Inde patet, cur Isidorus dixerit, *ovis major natu*. Sic etiam *avillas* dicit *agnas recentis partus*. Nam avillæ sunt agnæ vetulæ. *Dacer. in Festum*.

Ovis apica dicitur, quæ ventrem lana nudum habet. Varr. de Re rust. II. 2. *Ovem esse oportet corpore amplo, quæ lana multa sit, ac molli, villis altis, & densis toto corpore, maxime circum cervicem, & collum: ventrem quoque ut habeat pilosum. Itaque quæ id non haberent, majores nostri apicas appellabant, ac rejiciebant*. Festus: *Apica dicitur ovis, quæ ventrem glabrum habet*. Apicus, *ἄποκος*, glaber. Πόκος lanam, seu vellus notat. *Voss. Lex. Etymol. in Apica. Popm. de instrum. fund. c. 5. Dacer. in Festum*.

Ovis bidens dicitur *interposita litera d, quæ est duorum annorum: longo loquendi usu corrupta vox est, & ex bidennibus bidentes factum: quoniam id videbatur esse dictu facilius, leniusque*. Vel, ut *Hyginus Julius, bestia, quæ per ætatem duos dentes altiores habet. Verba illius ipsa posui: Quæ bidens est, inquit, hostia, oportet habeat dentes octo, sed ex his duos cæteris altiores, per quos appareat ex minore ætate in majorem transcendisse*. Gell. XVI. 6. Macrob. Sat. VI. 9. His subscribunt Festus: *Bidentes hostiæ duos dentes cæteris longiores habens*. & Serv. Æneid. IV. 57: VI. 39. *Sunt in ovibus duo eminentiores dentes inter octo, qui non nisi circa bimatum apparent: nec in omnibus, sed in his, quæ sunt apta sacrificiis, inveniuntur*. Gloss. Philox. *Bidentes, ὅτι τῶν προβάτων, διὰ τὸ διόδοντα αὐτὰ εἶναι*. Hæc sunt intelligenda non simpliciter de duobus dentibus, sed de duobus dentibus longioribus, & extra cæteros eminentibus. *Voss. Lex. Etymol. Oisel. in Gellium. Popm. de instrum. fund. c. 5. Laurent. Var. sacr. gentil. c. 14.*

Ovis delicula dicitur, quæ vel ætate, vel morbo delinquit, & deficit. Cato de Re Rust. c. 2. *Vendat armenta delicula, oves deliculas*. Popm. de instrum. fund. c. 5.

Ovis mina eadem quæ apica, quæ ventre est glabro. Varr. de Re rust. II. 2. *Uti pecus ovillum, quod rectè sanum est, extra luscam, surdam, minam, id est, ventre glabro*. Plaut. Truc. III. 1. 8.

Minas viginti mihi dat: accipio libens,
Condo in crumenam: ille abiit, ego perperas, minas
Oves in crumena hac in urbem detuli.

Ubi venustè ludit Comicus voce *minas*. Nam & respicit minas argenti, quas adolescens ex asinis venditis acceperat, & simul alludit ad id, quod apicas *oves* aliter minas appellarent. *Voss. Lex. Etymol. in Apica. Scalig. Conject. in Varron. p. 217. Popm. de instrum. fund. c. 5. Muret. Var. Lect. IX. 15. Douza in Plaut. Pseud. 1. 3. 95.*

Ovis pascalis, sive pascualis dicitur, quæ passim in nemo-

nemoribus, & montibus pascitur. Festus: *Pascales oves pro pascuales insicienter Cato dixit in ea quam scripsit .... pascales avis vetuit.* Lucill. apud Fest. in Solox:

Pascali pecore, ac montano, hirto, atque soloce.

Ubi & hirta, & solox quoque vocatur, quia, dum tecta non est, ejus lana crassa est, & squallida. quæ solox vocatur. *Popm. instrum. fund. c. 5. Scalig. Conject. in Varr. p. 129. & Festum. Voss. Lex. Etymol. in Pasco.*

Ovis peculiaris, quæ etiam peculatoria dicitur Varr. de Ling. Lat. IV. 19. dicitur, quæ servo, aut filiofamilias est in peculio. Plaut. Asin. III. I. 37. V. illum supr. in *Opilio*. Ut servus dicitur peculiaris. V. illum infr. in *Servus*. Popm. de instrum. fund. c. 5. Voss. Lex. Etymol. in Peculium. Taubman. in Plautum.

Ovis pellita vocabatur, præcipuè Tarentina, quæ pellibus desuper adversus aeris injuriam tegebatur, ut ejus lana cæteris mollior, ac majore cura, ac sumptu ad lanificium nutriretur. Et ideo *pellita* vocabantur. Varr. de Re rust. II. 2. *Similiter faciendum in ovibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem, ut sunt Tarentinæ, & Atticæ, pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus vel infici rectè possit, vel lavari, ac parari.* Horat. Od. II. 6. 10.

Dulce pellitis ovibus Galesi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalantho.

Idem obtinuit apud Megarenses, ut patet ex Laert. VI. 41. Qua de causa lepidissimè eorum stultitiam, & inhumanitatem erga liberos derisit Diogenes Cynicus: *Videns*, inquit, *apud Megarenses oves pellibus tectas, eorum verò liberos nudos; dixit, præstat Megarensium arietem esse, quàm filium.* Bochart. Hieroz. XI. 2. 45. Braun. de Vestit. Sacerd. Hebr. I. 9. 12. Popm. de Instrum. fund. c. 5. Menag. in Laertium. Torrent. in Horatium. Voss. de Idolol. III. 70. Zimmerman. Floril. Philol. p. 593.

Ovis pusulosa, sive pustulosa dicitur, quæ sacro corripitur igne, quem pusulam vocant pastores, eo quod pus contineat, & pustulas cuti imprimat. Colum. VII. 5. *Est insanabilis sacer ignis, quam pusulam vocant pastores. Dolus Mendesius censet, propter hanc sæpius, ac diligenter avium terga perspicere, ut si forte sit in aliqua tale vitium deprehensum, confestim scrobem defodeamus in limine stabuli, & vivam pecudem, quæ fuerit pusulosa, resupinam obruamus, patiamurque super obrutam mejere totum gregem, quod eo facto morbus propulsetur.* Popm. de instrum. fund. c. 5. Voss. Lex. Etymol. in Pus. Thys. in Gell. VI. 5.

OXY.

OXYBAPHUM fuit vas, quo acetum, & acria in mensa solebant poni. V. supr. in *Acetabulum*. à Fannio etiam *oxybaphus* dicitur, continet in se sesquicyathum: pendet oleo plenum unciam unam, drachmas septem: aquæ, aut vino uncias duas, scripula duo. *Paetus de Rom. & Græc. mens. rat. III. Thes. Antiq. Rom. Græv. Tom. XI. p. 1649. C.*

OXYGARUM fit ex garo, & aceto. Mart. III. 50. 3.

Deposui soleas, affertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque liber.

In hoc ὀξὺ non acutum significat, & penetrans, sed acidum, vel acetosum, τὸ ὄξος. Glossæ. ὀξύγαρον, *acetarum*. Salmas. Exerc. Plin. p. 266. a. A. Buleng. de Conviv. II. 25. Lauten. de Praod. c. 6. Pertinuit ad antecœnam, sive gustationem. *Buleng. ibid. c. 4.*







